
BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA





200.

C. SALMASII
PLINIANAE
EXERCITATIONES
IN CAJI JULII SOLINI
Polyhiſtora.

2op-

CLAUDII SALMASII
PLINIANÆ EXERCITATIONES

IN

CAJI JULII SOLINI POLYHISTORA.

ITEM

CAJI JULII SOLINI
POLYHISTOR

ex Veteribus Libris emendatus.

Accesserunt huic editioni

DE HOMONYMIS HYLES IATRICÆ EXERCITATIONES

antehac ineditæ,

nec non

DE MANNA & SACCHARO.

TOMUS I.





TRAJECTI AD RHENUM,

Apud JOHANNEM vande WATER, JOHANNEM RIBBIUM, FRANCISCUM HALMA, & GUILIELMUM vande WATER, Bibliop.

M. D. C. LXXXIX.



NOBILISSIMO ET GRAVISSIMO VIRO D. PAULO VOET VAN WINSSEN, J.C.

CIVITATIS ULTRAJECTINÆ VIRO CONSULARI, AD CELSISSIMORUM ET POTENTISSIMORUM FOEDERATI BELGII D. D. ORDINUM GENERALIUM CONSESSUM OLIM DELEGATO, NUNC VERO ILLUSTRIBUS ET POTENTIBUS DIOECESEOS ULTRAJECTINÆ D. D. ORDINIBUS A SECRETIS.



POli Critica, quæ typis nostris non ita pridem descripsimus, simul τυπογραφεῖς nostri limen liberaverant, e loco, quod materiæ dignitate, & scriptoris gravitate illa exciperet, & in quo, literato orbi ut prodessemus, curam, studium, sumptus collocaremus, parabamus, meditabamur. Cum vero *Nobilissime & Gravissime Vir* ad omnes nos versavissemus cogitationes, communibus calculis virum incomparabilem Claudium Salmasium, illiusque *Exercitationes in Solinum Plinianas*, quas vel nusquam, vel in celeberrimorum duntaxat bibliopolarum tabernis inveniri, & ab artium & scientiarum cultoribus tanti, ut nullo pretio etiam minus

minus ſalubri ſibi extorqueri ſinant qui habent, & qui non habent emendo inſaniant, fieri probe noveramus, elegimus, & emunctioris naris literatis in conſilium adhibitis prælo ſubjicere; illarumque novam editionem adornare decrevimus. Aſt quia curæ poſteriores prioribus meliores eſſe, & cum recuduntur, nitidiores & politiores, dum quod in prioribus deſideravit lector, emendatur, corrigitur, reſtituitur, foras exire docti labores ſolent, quæcunque in Pariſienſi editione loco ſuo mota, ſuis locis nunc ut exhiberentur, & operarum errata, quorum *ſe, dum excuderentur, ruri, ubi librorum penuria acerrima laboraverit, & ex urbe magna cum moleſtia petendi fuerint, morante ſuis erratis amplam ſegetem acceſſiſſe*, epiſtola quarta & vigeſima auctor non diffitetur, ab hac noſtra ut abeſſent magna cum cura curandum cenſuimus. Hoc erat nec noſtrum, nec cujuſvis, quia non unius ſudoris opus, cui hæc committeremus, a trivio hominis. Quæſivimus ergo & invenimus virum eruditum, *Samuelem Pitiſcum Gymnaſii noſtri Rectorem*, qui labores hos, quos diximus, & ſi forte & alios hiſce præfatio ſubjunxerit, rogatus multavit, & *Salmaſii in Solinum Exercitationes Plinianas* ad hanc faciem, qua Tibi *vir Nobiliſſime & Graviſſime* nova hac editione illas offerimus, reſtituit. Has cum jam in eo eſſet ut ederemus, commodum incidimus in *Salmaſii* noſtri de *Hyles Jatricæ Homonymis* autographum. Illud, licet laborum fructus, & ſumptuum in *Exercitationum Plinianarum* editionem hanc liberaliter inſumptorum præmium,

mium, dum ſub prælo fervet, & illæ abſque hoc comite in dias luminis auras prodire nolunt, tardius ad nos redeant, ſupprimere, & literato orbi invidere, illius compotes facti, nec voluimus, nec potuimus. *Hyles Jatricæ Homonyma*, quibus volupe eſſet, ut Salmaſii hæredes, Tibi vir Graviſſime & Nobiliſſime *Exercitationes Plinianas* nos commode offerremus, opus hoc omne in tres diviſimus tomos. Ita & ex ſupremo quaſi judicio Salmaſii egiſſe videri voluimus. Ille enim, quamvis illud *ſub Solino duce*, ut epiſtola nona & decima agnoſcit, *non detexuerit*, tamen ut *Plinianarum Exercitationum tomum tertium*, utpote *in quo*, ut epiſtolis quarta & decima, quartaque & vigeſima nos docet, *non tantum Arabum in Græcis, quæ ad rem herbariam pertinent, vertendis; ſed & Plinii, quos in illa commiſit, cæteros aperit errores: & quod una cum illis exiiſſet, ſi*, ut epiſtola nona & decima ait, *Lutetiæ Pariſiorum, qui Arabica potuiſſent excudere, habuiſſet, duobus prioribus accudendum* epiſtola quarta & decima ipſe voluit. *Exercitationes* itaque *Plinianas* Tibi ut offerremus vir *Nobiliſſime & Graviſſime* quæ nos impulerint rationes, per ſaturam non narrabimus. Annus eſt, ex quo viri docti, quos illa tempeſtate moliebamur, labores, *Synopſin Criticorum aliorumque ſacræ ſcripturæ interpretum & commentatorum a Matthæo Polo Londinenſi adornatam*, quam prælo noſtro ſubjectam, tua prima, & profligatam ſecunda, quam a Potentiſſimorum & Celſiſſimorum Ordinum Generalium conſeſſu, cui per biennium adſcri-

ſcriptus fueras, in patriam redux induiſti, vidit purpura, honori & meritis tuis dedicaviſſemus, niſi occaſio, comoſa fronte eſſe, & curſu volucri in novacula pendere quæ dicitur, quam nos probe occupaturos blanda ſpes foverat, elapſa eſſet, & nobis invitis ſe ſubduxiſſet. Paucis enim menſibus exactis honore, ad quem redieras, deceſſiſti, & ut ampliſſimos quoſque percurreres, & in illis pro conditione temporum & rerum patriæ adeſſes, ad Potentium & Illuſtrium Dioeceſeos Ultrajectinæ D. D. Ordinum acta publica procuranda tranſiliiſti. Interim bene magna, certe tanta pars laborum, quos plus vice ſimplici diximus, typis deſcribenda ſupererat, ut prius quam ultimam manum recipere poſſent, provincia abieris. Nihil itaque prius aut antiquius eſſe duximus *vir Nobiliſſime & Graviſſime*, quam ſedulo curare, ut tamen opus aliquod communibus typis noſtris deſcriptum, & ſcriptoris nomine, materiæque gravitate Te dignum in prima fronte Tuum referret nomen. Hoc vero, quod Tibi ſiſtimus, eſſe quis negabit? Licet αἰπολόγος ille, cujus iniquum in ſe animum notat & damnat auctor epiſtola 107, qui apud Gronovium, (huic hanc inſcripſerat epiſtolam) totas *Exercitationes* intra bihorium percucurriſſe, & infinita ſuperflua deprehendiſſe ſe dixerat, fortaſſe hoc negaret. Tibi ſtrenuiori Salmaſii laudes explicare ſi aggrederemur, de noſtro ore fierent ſordidæ. Tua enim bibliotheca *Exercitationum in Solinum Plinianarum* editionem priorem jam dudum cepit. Imo quid dicimus bibliothecam tuam cepiſſe? illas

illas & Te frequentius evolvisse nulli dubitamus, & exinde, quid de viri nobilissimi diffusa eruditione & multijuga lectione statuendum sit, domi conjecturam facere posse, ne quæras foris, asserimus. Te quoque *Vir Nobilissime & Gravissime* divinis hisce tanti viri lucubrationibus dignum esse dicet qui Te noverit. Nam ut amplissimorum honorum, per quos non sine gloria productus es, articulos & gradus alto involvamus silentio, Tu unus es Musarum Mæcenas & Patronus, & viros quosvis eruditos, in quos incidis, almo sinu foves, & beneficiis oneras: Tu ipse Musas colis severiores, & quæ Tibi veniunt feriæ, quibus lusum animo deberes dare, ad studia Te vocant, scriptoresque Græcos & Latinos, Philosophos & Philologos, ut de Theologis, qui in studiorum Tuorum serie primum sibi vindicant locum, nihil dicamus, diurna nocturnaque manu versas, ita ut & flos literatorum & historicorum tuam ornet bibliothecam, & pectus ingenti literarum flumine inundaveris, & de plerisque scriptoribus, qua Græcis, qua Latinis, & rebus humanitatem spectantibus judicare, & sermones cædere possis: quod Te posse nos sententiam de scriptis edendis rogatus sæpius docuisti. Verbosius *vir Nobilissime & Gravissime* Tuas virtutes denarrare tam in proclivi esset quam imber quando pluit. Modestia vero, quæ in Te elucet, singularis his, quæ diximus, plura addi non vult. Omnibus quoque civitatis nostræ civibus notiores sunt, & præconio nostro non egent. Imo tot ac tantæ sunt, ut ubi de

illis

illis plurima dixerimus, multo plura adhuc ſupereſſe dicenda ne ipſe quidem livor inficiari poſſit. Qua de re manum de tabula tollimus *Vir Nobiliſſime & Graviſſime*, &, ut novam hanc *Salmaſii Exercitationum in Solinum Plinianarum* editionem vultu ſereno & placido accipias, rogamus. Afferimus Tibi quod poſſumus, dum non licet quod volumus, opus non quidem noſtro elaboratum ingenio, noſtris tamen deſcriptum typis. Quod ubi Tibi non diſplicere intellexerimus, lætabimur, & ut divini numinis plenus Reipublicæ Ultrajectinæ rem bene geras, & ſerus in cœlum redeas, Deum ter Optimum Maximum ſupplices venerabimur.

Vir Nobiliſſime & Graviſſime,
clientes Tibi devotiſſimi,

JOHANNES vande WATER.
JOHANNES RIBBIUS.
FRANCISCUS HALMA.
GUILIELMUS vande WATER.

SERE-

SERENISSIMÆ
VENETORUM REIPUBLICÆ
CLAUDIUS SALMASIUS
S.



Um in eo essem *Sapientissimi & Illustrissimi Proceres*, ut post absolutum Exercitationum Plinianarum opus, delegendis, ut fit, patronis, & parandis ei defensoribus ex illustri aliquo loco cogitare deberem, non diu mihi dubitandum fuit, an vestrum nomen clarissimum fronti earum inscriberem, qui multo ante, ab eo nempe tempore, quo prima operis fundamenta ponere cœpi, id totum vobis dicandum destinarim. Quod non solum quam libenter, sed etiam quam merito fecerim ex veteri votorum ac dedicationum formula, mea refert plurimum à me ipso prædicari, ne qui sint scilicet quibus mirum videri possit, atque etiam reprehensione dignum, me foris & apud exteros quæsivisse quod in patria ac domi possem habere, quod utique haberem. Profecto tametsi hujus mei facti nullam rationem mihi reddere liberet, non tamen ullam à me exigi magis par esset quam ab illis solet, qui vulgo aliquem sibi privata religione colendum sumunt ex adscripticiorum cœlitum ordine, quem pro tutelari numine habeant, cui vota sua nuncupent, cui preces allegent, cuique adeo se in omni occasione & fortuna commendatos cupiant. Quod sæpius ab his levi opinione, ac nullis, aut frivolis admodum de causis fieri videmus, quippe qui super eo interrogati nihil probabile adferant, cur hunc potius quam alium elegerint, nisi proprium quemdam affectum quo se ad hujus alicujus Divi devotionem impensius ferri fatentur. Si nihil aliud ipse sequutus essem in his monumentis laboris mei nomini vestro consecrandis, præter hanc eamdem animi inclinationem, quam liberam unusquisque habere debet, nemini sano nomine isto reprehendendus forem. Quis enim culpare ausit in alio, quod ex æquo sibi permissum gaudeat, & indignetur vetitum? Quid autem voluntarium magis, aut minus lege alligandum, quam naturalis iste impetus, quo ad amorem & odium, qualiscunque rei vel personæ impellimur? Hic ipse denique est animi motus, qui ex duobus primùm conspectis & pariter ignotis alteri nos potius favere cogit, cum alter sæpe favo-

re

re nostro dignior inveniatur. Non tamen sic vobiscum agere decrevi *Senatores Amplissimi.* Absit hæc à me insania, ut tam inique me geram, ac tam male de vobis existimem, quæ certa utique adesset, si hac tantum via niterer, aut non alia ratione quam fortuito mentis impulsu, quasi vento quodam me ad vos delatum dicerem, ut hæc vobis dicarem. Certo proposito, ac librato judicio, consultoque consilio me ad hoc venisse velim homines sciant, vosque etiam id minime ignorare oportet, per quos factum, ut aliter facere non potuerim, certe nec debuerim, siquidem gratus esse vellem. Quapropter & hoc loco necessitatem mihi velut impositam video dicendi de vestro in me studio, & quantum mihi ex vobis testimonium contigerit, quo honore me dignum duxeritis, cui quidem si me parem agnoscerem, de fronte excussum pudorem mihi periisse eadem opera agnoscere necesse haberem, cum referendæ pro his ipsis gratiæ imparem me ex toto debeam confiteri, qui nec quidquid est levidensis hujus operæ in solutum procedere vobis pro tam eximia vestra in me voluntate postulem, nec sane mea tanti æstimem. Præterea non privatam ac meam me tantum respexisse causam profiteor in hac dedicatione, sed publicam magis, quæ in commune ad omnes pertinet qui literas tractant, & per has in hominum famam venire gestiunt. Quibus omnibus cum tutissimus apud vos pateat portus, ingratissimi esset ingenii non hoc ipsum apud omnes testari velle ac publicare, quam manifesta sit fides futurum, ut si quando contigerit, quod propemodum instat, fugere Musas ex ceteris orbis partibus fugatas stabilem mansuramque sedem in sinu vestro habeant paratam, quam nusquam alibi æquè bonam ac quietam queant reperire. Certè si ex universo orbe eligendi mihi potestas facta esset, ut quibus vellem ex optimatum, qui ubicunque sunt, numero Exercitationes istas offerrem, non alios ferme potuissem præter vos mihi statuere optandos, quibus gratius acceptiusque hoc munusculum futurum sperare daretur. Principibus viris placuisse satis amplam cuicunque erudito mercedem decernit ille vetus vates. Rari vero hac ætate magnates, qui non literarum, & omnis doctrinę, vel contemptu, vel odio palam declarent quam ridiculam rem facturi sint, qui tale aliquid his obtrudere in animo habeant, quasi suibus amaracinum aut margaritas. At *Senatus Illustrissimi vestri* hæc prima laus est, in quo cum tot sedeant literarum scientissimi heroes, ut vix totidem habeant aliquot alia amplissima regna, in externi generis hominibus eas non minus amatis, quos undique satagitis evocare magnis stipendiis invitatos, qui toto orbe celeberrimæ Academiæ vestræ utilitati & ornamento sint futuri. Qui tanto in honore ac pretio literas ac literatos habetis, nimirum rectè intelligitis quantum illę conferant acquirendę prudentiæ quæ res moderatur publicas, quam utique certum est ex libris cum per exempla, tum præcepta, quæ inde suppeditantur, brevissima via comparari, ut contra eam, quæ per experientias proprias cujusque diu vivendo

do ac multa agendo colligitur, operosiorem esse, & spissiore gradu venire. Non nescitis etiam hoc fuisse munus antiquorum sapientum, legibus urbes fundare, semel fundatas ut in eodem statu diu perdurarent, omni industria ac vigilantia procurare. Ad utrumque genus consequendum multarum ac magnarum rerum atque artium scientiam necessariam esse nemo ignorat, qua instructos fuisse priscos illos legislatores inter omnes constat. Sed nulli quæ unquam revera extiterit à quoquam sapienter constituta, vel à philosophis in perfectissimum fuerit exemplar conficta, Respublica vestra cedere parata est, nec ulla unquam plures tulit sapientia, prudentiaque, & omnigena eruditione nominatissimos viros. Argumentum profecto illud maximum certissimumque bene temperatæ legibus atque institutis Reipublicæ, quod per tot annos à primo originis ac fundationis suæ die in hanc usque ætatem duravit florentissimo in statu, quo spatio annorum tot urbium eversiones, tot imperiorum etiam potentissimorum mutationes legimus accidisse. Et quomodo Asclepiades olim ille novæ sectæ in arte medendi conditor, sponsionem dicitur fecisse, ne medicus crederetur, si unquam invalidus fuisset ipse: ita, si conferenda parva magnis, haud dissimili sponsione certasse videntur Majores vestri, ut ne prudentes dicerentur, nisi qualem publicum statum ab antecessoribus suis accepissent, talem nepotibus relinquerent. Quod pactum subinde per singulas ętates renovatum ad vos eadem conditione transmissum, pari quoque felicitate posteris vestris vos transmissuros, non dispar, qua eam administratis, prudentia spondet. Temeraria quidem illa & nimis audax sponsio medici, qui professionis suæ excellentiam eo usque extendi non dubitavit promittere, ut ne valetudine quidem unquam professor ejus tentaretur, quam tamen bonus eventus adjuvit, siquidem ferunt eam apertis pignoribus vicisse, suprema in senecta scalarum lapsu extinctum. Non eadem vis humanæ prudentiæ, aut certe non eadem fortuna semper in tuenda salute populi, quæ quidem rem satis magnam videtur efficere, cùm ingruentia mala multo ante prędidet, atque ubi acciderunt, quasi morbos è corpore, summa ope depellere conatur, non hoc tamen præstare potest, ne unquam quidquam ingruat, quod quietem civium turbare queat, & ipsos inter se committere quasi pravos affectus invicem dissentientes, præsertim in tam longo ævo, quando & longe breviore pro suo jure tam multa novare tempus novit. Haud secus atque in mari diuturna navigatione tempestates ne incidant, non habet in sua manu gubernator, sed quod suum est, intermedios turbines clavo recte utitur & omnia facit, ut navem salvam si minus in portum, saltem in aliquam commodam stationem deducat, quo quidem in tempore præcipuè quam sit peritus gubernandi artifex, ostendere illi datur. Etenim perpetuo flantes à puppe venti non sinunt apparere artem, quæ tum demum se exerit, cùm procellis sęvientibus, & insaniente vento, vertuntur ima summis. Sic vestra hæc Respublica non aliàs melius re-
ctorum

ctorum suorum peritiam prudentiamque adprobavit, quàm cùm multis adversis conflictata, & varias alternantis fortunæ vices experta, ubi minimum videretur abesse ab extremo periculo, firmior inde semper surrexit, & in solido rursus locata est, quasi vires è casu sumeret. Inter vestræ gentis eximia hoc etiam referendum, quod plures nulla alia dederit in quocunque genere viros egregios. Innumerabilia suppetunt exempla, quæ ingeniorum claritatem, & artium præstantiam testentur, si ea persequi liberet, aut si per tempus liceret. Longum quippe nimis agmen foret explicandum eorum, qui ex vobis orti, ac varia eruditione clari patriam suam illustrarunt. Dandali, Bembi, Quirini, Naugerii, Mauroceni, Donati, Barbari, Manutii, Egnatii & alii infiniti nominandi venirent, qui cùm suis scriptis satis noti sint, mea prædicatione fieri notiores non possunt. Vivunt etiam nunc qui olim nomen habebunt. Sed ante omnes memorari meretur, nec sine piaculo præteriri potest, qui proximè decessit, patriæ libertatis acerrimus dum vixit vindex, quo felicius ad omnia ingenium post renatas literas natum dixerim nullum, immo vel ab anterioribus etiam multis sæculis, adeo ut in eo formando totam se videatur impendisse natura, sed & exemplar protinus corrupisse, ne par aut similis illi alius unquam posset existere. Non omittendi & heîc essent qui apud vos militari gloria terra marique magni fuere, quorum longe maximus numerus, si per laudes ire vestras, & in præconium suscitare cetera bona, quibus se Venetiæ jactant, hic locus mihi permitteret, quo ea tantum exponere institui, quæ ad muneris hujusce mei commendationem facere videntur. Quod quidem acceptissimum vobis fore magnam ex eo fiduciam cepi, quia auctorem tam luculento judicio vestro ornastis, & favore tam insigni nihil tale merentem aut expectantem beastis. Si auctoris merito commendatum vobis non esset, quod exiguum, aut nullum esse ultro ipse prædico, fortasse esse posset scriptoris antiqui nomine, cui navata est hæc opera, ex cujus emendatione Hermolaus ille Barbarus vester, barbariæ suo tempore victor, solidam sibi apud eruditos gloriam peperit, & victurum omni ævo nomen. Accipite igitur, *Amplissimi Proceres*, observantię erga vos cultusque mei pignus istud: quod si tale non est, ut dignitati vestrę respondere possit, nec tam perfectum, ut efficere volui, saltem hoc vobis ausim confirmare, si apud æquiores judices, quales vos spero, ac mihi spondeo, ex animo offerentis æstimetur, vix fieri posse, ut ad cumulum ejus culmenque aliquid adjiciatur, quo amplius ac dignius fiat. Valete. Deum Optimum Maximum veneror, ut florentes, fortunatique in florente vestra Republica longum vivatis, utque ipsa stabilis & inconcussa duret in æternum, nullis datis felicitati ac prosperitati ejus metis. Ex Gryniaco Kal. Martiis CIↃ IↃC XXIX.

PRO-

PROLEGOMENA IN SOLINUM.



Um ad has primùm Exercitationes descendi elaborandas, id operæ pretium putasse, unumque hoc spectasse fateor, ut eorum, quæ in Plinium olim adnotaveram, specimen aliquod in medium darem, ac veluti gustum proponerem, sepositis tantisper, quas in mente ac manibus habebam in varia Tertulliani opera, in Eliberini Concilii canones, atque universam priscæ Ecclesiæ ritualem historiam Commentationibus. Atque is erat tum mearum rerum status & ratio, ut mutatâ in totum sorte pristinâ vitæ, sic ferentibus fatis, secessu ruris ad tempus electo, animo, ut decuit, remissiore, ac laxius feriante nihil curis gravioribus loci dare possem, utpote qui vix levibus his ac ludicris studiis par essem. In illo tamen otio rusticano quando illa quæ meditabar agere non vacabat, tam malè mihi esse nolui pati, ut ista saltem curare non liceret, quæ me ab heluco,释 veternoque, cui desidia mea tum maxime patebat, vindicarent. Ceterum cùm illa cogitatio inquietum animum exerceret, tam vastam eam atque infinitam concipere non libuit, ut Plinium totum, qualis quantusque est, in partem hanc curæ studiique reciperem, cui labori nec vires unius hominis quantumlibet diligentis suppetere, nec vitam quantumvis longævi sufficere posse rebar. Quod autem facere intenderam, ultra unius anni, aut ad summum duorum spatium extendi nolebam. Ingentem itaque illum Plinii Oceanum, qua qua navigatur, pervolitare consilium mihi non fuit, sed oras legere dumtaxat propiores, & sinus aliquot in eo notiores secura cymba circumvehi, atque inde domum ad ea quæ reliqueram reverti. Particulam igitur aliquam, ex immani corpore resectam selectamque sumere, circa quam opera nostra enitesceret, eo tempore optimum ducebam. Nec tamen etiam sine dubitatione hîc mihi res abiit, dum disputo mecum quam potissimum sumere deberem. Nunc impetum ceperam tractatum de gemmis suscipere illustrandum; nunc libros qui arbores persequuntur, vel eos qui herbas disquirunt, examinandos. Aliquando avebam eum qui totius operis primus est atque indicem continet, quid singulis libris ceteris contineatur ostendentem, restituere multis partibus mutilum, mendosumque: aliquando illum qui sequitur exornare, quo ratio universitatis atque mensura explicatur, & quidquid in mundo eximium ac visendum spectatur. Interdum ad sequentes quatuor properabam animadvertendos, qui terrarum situs per partes exponunt & τὰ γεωγραφούμενα describunt. Modo etiam septimum solum qui de natura hominis agit, & multa gerit consideratione digna, cupiebam recognoscere. Inter hos æstus fluctuanti distractoque, & modo his modo illis acquiescenti, fors nescio quæ Solinum obtulit, quem auctorem pæne puer olim cum variis collatum scriptis exemplaribus diligenter emendaveram. Hoc homine reperto non diutius posthac quærendum judicavi, qua ex parte mihi Plinius arripiendus esset, unde inciperem, ubi desinerem, quo usque denique & quomodo in illo magno mari velificarem. Ducem hunc capere ac sequi statim placuit, quem auctorem nemo nescit, nihil omnino habere, quod non ex Plinio hauserit. Ex omnibus enim Plinii libris quodcunque potuit, converrit, & in suum istud compendium congessit. Quamvis autem ex professo sola geographica compilarit, & in epitomen redegerit, atque in hanc partem fere inclinatior sit materies, quæ locorum situm ac commemorationem persequitur, servata ubique orbis distinctione quam Plinius adhibuit: idem tamen quidquid est arborum, gemmarum, animaliumque exoticorum variis regionibus nascentium, id omne sollerter conquisitum, & suis locis insertum opportunè reddidit ex Pliniano opere, ut varietas ipsa legentium fastidio mederetur, quemadmodum ipse profitetur. Plinii tamen nomen ubique dissimulavit, scirique tantum voluit quæcunque in libro suo memoratu digna posuisset, ea de scriptoribus manasse receptissimis. De Plinio satis dictum à nobis in ea præexercitatione, qua sententiam de scriptis ejus tulimus, & varios errores patefecimus, quibus in exemplum instruantur homines ad Pliniani operis lectionem accessuri, quid in illa probandum sit, quid damnandum, ac quo usque procedendum sit in auctoris illius admiratione. Ubi etiam occasione sumpta neotericorum peccata in re Herbaria plura ostendimus ex vocabulorum ὁμωνυμίᾳ nata, quo in genere Plinius pæne infinita peccavit. Nunc nobis cum Solino res est. De patria ejus, de

tempore quo vixit, deinde de opere, postremo de opera ad eum nostra, nonnulla præfanda sunt. Patriam ejus nec ex ipso, nec ex ullo alio discimus auctore. Ægyptium oriundo fuisse levibus quibusdam argumentis colligebam, quibus cùm ipse non stem, nec alios stare velim. Stilus affectatus ac minime nativum ostendens Latii saporem, satis causa magna videbatur ut in peregrinitatem à nobis redigeretur. Ubicunque de Romanis loquens suos *vocat Plinius, verbis Plinianis eamdem narrans historiam hic noster, non* nostros *ut Plinius, sed* Romanos *nominat. Potuisset tamen etiam Ægyptius verba de Romanis faciens, etiam* suos *dicere, quatenus Ægyptus orbis quoque Romani pars, & imperii. Sic auctor peripli maris Erythræi, ubi de arboribus quibusdam Ægypti peculiaribus loquitur, &* παρ' ἡμῖν *dicit, non ex eo sequitur, ut temerè crediderunt viri docti, Ægyptum patriam illum habuisse. Solinus autem capite quo res Arabicas persequutus est, ea verba posuit, quibus patriam Ægyptum videtur asserere.* Hoc Arabiæ, *inquit*, sat est, ad Pelusium hinc repatriemus. *Posset hinc aliquis inducere Ægyptum illi fuisse patriam. Quod tamen leve esse non diffiteor, præsertim cùm & aliam lectionem eo loco ex libris adstruxerimus,* Ad Pelusium hinc vela reparieмus. *Præterea auctores* repatriare *sæpe usurpant pro in quemcunque locum redire ac reverti, etiam si patrius ac natalis non sit, præcipuè ubi metaphorica loquutio est. Veteres libri Grammaticum professione fuisse indicant. In quibus legitur,* C. Julii Solini Grammatici. *Sed in aliis scriptum reperi* Grammati, *in aliis* Cremonati, *in aliis* C. Julii Solini Polyhistoris, sive grammatici. *Fortasse integrum erat:* Grammati, sive Grammatici. *Ita scripserat librarius qui utramque lectionem in antiquis invenerat. Legendum hinc aliquis contendat* Grammatei. *Nomen erat officii* ὁ γραμματεὺς *in Ægyptiacis sacris, cujus & meminit Apulejus undecima Milesia:* Tunc ex istis unus quem cuncti Grammatea dicebant, pro foribus assistens, cœtu Pastophorum, quod sacrosancti collegii nomen est velut in concionem vocato, indidem de sublimi suggestu, de libro, de literis fausta vota præfatus. *Hi* γραμματεῖς *veluti curiones erant sacrorum, quos Græci* ἱεροκήρυκας *vocant atque etiam* ἱερογραμματεῖς, *Latini antiqui* pręcias. *De quibus alibi. Græci eos etiam* ἱερομνήμονας *dixerunt. Hesychius:* ἱερομνήμονες, οἱ πεμπόμενοι εἰς Πυλαίαν ἱερογραμματεῖς. *Idem &* μνήμονες *&* γραμματεῖς. *Idem Hesychius:* Μνάμων, ἱερομνήμων, ἢ μνήμονες οἱ τὰς θυσίας ἀπομνημονεύοντες. *Sacrificia in commentarios regerebant, quæ à quocunque facta essent, & ordinem ritumque faciendorum monebant ex jam factis.* Μνήμων *simpliciter est monitor. Unde* μνήμονες *dicti olim qui monitores ac præceptores dabantur Heroum filiis. Ptolemæus Hephæstion apud Photium:* ὅτι Ὀδυσσεῖ ἕπεσθαι δίδωσιν ὁ πατὴρ μνήμονα Μύισκον τοὔνομα Κεφαλλῆνα· εἵπετο καὶ Ἀχιλλεῖ μνήμων τοὔνομα Νόημων, γένει Καρχηδόνιος. *Ita legendus ille locus. Hinc* ἱερομνήμων *monitor sacrorum, ut* ἱεροκῆρυξ. *An utriusque idem officium fuerit diverso nomine, potest dubitari. Præco silentium in sacris indicebat, & favere linguis jubebat. Non dissimile munus obit in sacris Ægyptiis* Grammateus *apud Apulejum. Fausta enim vota præfatur toti concioni, sed de libro ac de suggestu. Ita quippe hæc accipienda:* de sublimi suggestu, de libro vota fausta præfatur. *At præco de plano, nec ex libro silentium faciebat. Diversa itaque officia. Hesychius:* Μνήμων, ἀρχὴ γυναικῶν θυσιῶν ἐπιτελουμένων. *Meminit & Harpocration* ἱερομνημόνων *qui ex singulis urbibus mittebantur ad consessum Amphyctionum, qui sunt quos Hesychius* εἰς Πυλαίαν πεμπομένους ἱερογραμματεῖς *interpretatur. Scribas & commentarienses sacrorum liceat exponere. Verum de his alibi. Sive grammateum legas, sive grammaticum professio utroque nomine indicatur. Sic* Apion Grammaticus *passim ab antiquis vocatur, &* Saxo Grammaticus *etiam infimo sæculo in libris quos edidit, nominatur. In Alexandria per illa tempora multi utroque sermone Græco ac Latino inclaruerunt, ut Claudianus domo Alexandrinus poeta utraque lingua celebris. Sed hæc omnia non satis ad hoc valida, ut eum potius Ægyptium quàm Græcum, aut unum è Latio civem credamus. Nec sane multum refert. Magis interest ut sciamus quâ ætate vixerit, quod tamen magis certum non est. Illud constat, vixisse ante imperium translatum, & imperii sedem ibi à Constantino conditam Constantinopolim. Tam celebrem translationem atque adeo nobilem* κτίσιν *non tacuisset. Præterea Priscianus grammaticus, qui sub Juliano fuit, testimonio Solini utitur tanquam classici & locupletis auctoris. Quod non faceret si recens tum auctor fuisset, quales erant qui* neoterici *vocantur priscis grammaticis, & opponuntur* idoneis, *quibus vetustas hoc meritum arrogavit. Ammianus Marcellinus qui historiam suam Augustam*

ſtam uſque ad obitum Valentiniani ac Valentis perduxit, multa à Solino noſtro mutuatus eſt, & ſententias ejus loquutioneſque ſcriptis ſuis frequenter inſeruit, ut ſubinde in Exercitationibus his notamus. Servius quoque nominatim eum citat. Macrobius ab eo quædam ſumpſit. Quæ fidem faciunt antiquum illis auctoribus hunc ſcriptorem fuiſſe. Sed illi longe immanius errant qui Plinio antiquiorem faciunt. Qui non videt eum omnia è Pliniano opere tranſcripſiſſe, prorſum cæcus eſt. In qua cæcitate non ſolùm plerique fuere avorum noſtrorum ætate doctiſſimi viri, ſed etiam hodie verſantur multi. Amicum ſcio quemdam meum, cui non potuit aliter perſuaderi, cùm alioquin doctus ſit & naris emunctæ. Atqui non pauca poſſunt ex Solini ſcripto argumenta duci quæ contrarium omnino evincant. Ea ſuis locis excuſſimus. Sed heîc etiam repetenda quædam. Teſtatur Plinius lib. ix. cap. xxxv. Lolliam Paulinam ſe vidiſſe Caji Principis matronam, ſmaragdis margaritiſque opertam alterno textu fulgentibus toto capite, crinium ſpiris, auribus, collo, digitis, manibus, quæ ſumma quadringenties ſeſtertiûm colligebat. *Hæc hiſtoria non habere potuit anteriorem Plinii ævo ſcriptorem, utpote qui ipſe fateatur ſcribere quod viderit. Solinus hoc idem narrans non rem ſibi viſam refert, nec enim poterat, ſed vulgatam literis tradit, ac proinde oſtendit ab antiquiore auctore accepiſſe qui alius non poteſt præter Plinium intelligi, cùm verbis pæne Plinianis id prodat.* Lolliam, *inquit*, Paulinam Caji principis conjugem vulgatum eſt habuiſſe tunicam ex margaritis tunc quadringenties æſtimatam. *De tunica quod ait, Plinii verba male accepiſſe inde notavimus. Tunc æſtimatam dicit quia loquitur non de ſuo tempore, ſed de re multo ante facta, quam ſuis oculis uſurpaſſe confirmat Plinius. Quo tempore hic ſcribebat, Parthi regnabant, adempto pridem Perſis imperio. Hinc de Perſide Plinius ita ſcribit lib. vj. cap. xxv.* Ipſa Perſis adverſus occaſum ſita obtinet littore CCCCL, etiam in luxum dives, in Parthorum jampridem tranſlata nomen. *At Solini ævo jampridem Perſæ imperium reciperarant, ab Artaxare reſtitutum, occiſo Artabano Arſacidarum ultimo. Quod accidit anno quarto Alexandri Severi Mammææ. Ideo Solinus cùm de Perſide ageret, in ceteris quidem Plinii ipſa verba uſurpavit, ac ſeriem ſequutus eſt, ſed in hoc mutavit, quia non amplius ſuâ ætate imperitabant Parthi, ac dixit Perſidem tranſlatam quondam fuiſſe in Parthicum nomen:* Carmaniæ Perſis adnectitur, quæ incipit ab inſula Aphrodiſia, variarum opum dives, tranſlata quondam in Parthicum nomen. *Ex quibus colligas etiam diu poſt Alexandrum Mammææ floruiſſe hunc Solinum. Plinius de ſerico, quod à Seribus invehebatur, ſermonem habens ſolis mulieribus ſuâ ætate conceſſum ſericæ veſtis uſum fuiſſe indicat.* Tam multiplici, *inquit*, opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona tranſluceat. *Solas ibi mulieres nominat quæ ſericum uſurparint. Quin & alibi diſertim tradit ſolam veſtem bombycinam ex Coa bombyce viris in uſu fuiſſe, relictâ mulieribus Aſſyria bombyce, quæ ſerica erat veſtis. Solinus autem capite de Seribus plane ſignificat ſericum olim tantum mulieribus, ſed ſuo tempore viris etiam promiſce in veſtes receptum.* Hoc illud ſericum eſt in uſum publicum damno ſeveritatis admiſſum: & quo oſtentare potius corpora quàm veſtire primo fœminis, nunc etiam viris luxuriæ perſuaſit libido. *At promiſcum ſerici uſum viris permiſſum vel admiſſum, non fermè reperias niſi poſt Alagabali imperium, aut etiam Gallieni, ut abunde alibi probavimus. Plura omitto quæ ſuis locis in Exercitationibus attigimus. Hæc ſatis erunt, quibus etiam planum fiat non eſſe veriſimilem Camertis opinionem, cenſentis ea re Plinii mentionem ſuppreſſiſſe Solinum, quia viventis eodem tempore meminiſſe auctoris noluerit. Hoc ſi eſſet, ne ſic quidem liberandus foret furti crimine, cùm Plinius ingenuè non ſolum qui proximè deceſſerunt, ſed etiam cum maximè florentes ſe vivo ſcriptores laudare ſoleat ac teſtes citare. Licentiam hanc furtorum ſæpe miratus ſum, quantopere ſibi permiſerint ex veteribus tam Græci quàm Latini ſcriptores, ut etiam aliena opera tota tranſcribere ſoliti ſint, ac ſine ulla immutatione pro ſuis edere. Nec è plebe tantum & ex trivio auctores, ſed etiam quos fama nobis celebres tranſmiſit, quoſque in ore habuit ac manibus antiquitas, huic crimini fuiſſe obnoxios video, & indignor. De quo & Plinius olim conqueſtus eſt in præfatione ſua.* Scito, *inquit*, conferentem auctores me deprehendiſſe à juratiſſimis & proximis veteres tranſcriptos ad verbum, neque nominatos, non illa Vir-

 giliana

giliana virtute ut certarent, non Ciceroniana ſimplicitate, qui in libris de Republica Platonis ſe comitem profitetur. *Omitto quæ de furtis Græcorum notavit Clemens Alexandrinus, quia omnibus ſunt obvia: alia heîc porro non minus notabilia tangam, quæ hinc inde excerpſi. Timoſthenes decem libros de inſulis compoſuerat, quos poſtea & in epitomen unius libri redegerat. Eratoſthenes Cyrenenſis Beta literatorum ſui ævi hunc librum totum tranſcripſerat ne proœmio quidem auctori ſuo relicto, quin verba ipſa cum rebus convaſaret atque in ſinum converteret. Hoc notatum Marciano Heracleotæ his verbis:* Ἐρατοσθένης δὲ ὁ Κυρηναῖος, οὐκ οἶδα τί παθών; τὸ Τιμοσθένους μετέγραψε βιβλίον, βραχέα τινὰ προσθείς, ὡς μηδὲ τοῦ προοιμίου τοῦ μνημονευθέντος ἀποσχέσθαι, ἀλλ' αὐταῖς λέξεσι κἀκεῖνο τοῦ οἰκείου προσθεῖναι συγγράμματος. Ὅμοια δὲ τούτοις καὶ ἄλλοι πεπόνθασι. Eratoſthenes verò Cyrenæus, haud ſcio qua ratione motus, Timoſthenis commentarium totum tranſcripſit, paucis adjectis, adeo ut ne proœmio quidem ſupradicti auctoris abſtinuerit, quod ille iiſdem verbis operi ſuo præpoſuerit. Similia his & alii plerique admiſere. *Profectò paria prodit de Eudoro & Ariſtone Strabo lib.* XVII. *Uterque de Nilo commentarium emiſerat, adeò per omnia ſententiis verbiſque comparem atque conſimilem, ut alter alterius partum ſibi ſuppoſuiſſe, veriſſimè dici poſſet, uter verò ab altero accepiſſet, ſtatui non poſſet. Adeo autem indiſcretæ ſcriptionis ac lectionis amborum opuſculum fuiſſe ait Strabo, ut cùm exemplaris copia non ſuppeteret, ad conferendum librum, ſicut mos erat Criticis, alterum ex altero emendarit, & invicem eos comparaverit.* Ἀντιβολὴν *id vocabant, &* ἀντιβάλλειν *de libris, qui cum vetuſtis exemplaribus conferebantur, ut emendatiores exirent. Unde* ἀντίβολον *pro codice proprie recognito ac recenſito, quod poſtea de quolibet libro & exemplari uſurparunt, ut &* ἀντίγραφον. *Nam, ut dixi,* ἀντιβάλλειν βιβλία *eſt recognoſcere ac recenſere collatis exemplaribus. Gloſſæ:* Confero, ἀντιβάλλω βιβλία. Recognoſco, ἀντιβάλλω. *Verba Strabonis ſuper ea re merentur heîc adſcribi:* ἀλλ' ἐῶ ταῦτα πολλῶν εἰρηκότων, ὧν ἀρκέσει δύο μηνῦσαι τοὺς ποιήσαντας καθ' ἡμᾶς τὸ περὶ τοῦ Νείλου βιβλίον, Εὔδωρόν τε καὶ Ἀρίστωνα τὸν ἐκ τῶν Περιπατητικῶν, πλὴν γὰρ τῆς τάξεως τά τε ἄλλα καὶ τῇ φράσει, καὶ τῇ ἐπιχειρήσει ταῦτα ἐστὶ κείμενα παρ' ἀμφοτέροις. Ἐγὼ γοῦν ἀπορούμενος ἀντιγράφων εἰς τὴν ἀντιβολὴν ἐκ θατέρου θάτερον ἀντέβαλον. Sed hæc omitto quæ plures perſequuti ſunt, de quibus ſuffecerit duos auctores indicare, qui noſtro ævo de Nilo librum conſcripſerunt, Eudorum & Ariſtonem Peripateticum. Excepta quippe operis diſpoſitione, cetera omnia quæ ſtilum & argumentum ſpectant, adeo gemina ſunt apud utrumque, ut ego exemplaribus deſtitutus ad recenſionem faciendam, alterum cum altero contulerim. *Notabis obiter heic tibi morem priſci ævi ſtudioſorum ac* φιλολόγων, *qui ubi dignus vindice nodus occurreret inter legendum, aut aliqua mendi ſuſpicio incurreret, ad vetera exemplaria confugere conſueverant, & ex comparatione meliorum ſinceras ac veras lectiones elicere. De quo more nos alibi plura, cujus utilitatem perſpicere aut confiteri non libet illis hominibus qui novandi ſtudio, aut jam innovata probandi nolunt nos in rebus dubiis ad vetuſtatis fidem, hoc eſt, ad ipſam veritatem provocare. Ipſi illi ſunt quibus nihil placet ex antiquitate æmulari præter hanc quam heic taxamus furtorum pervulgatam licentiam, cujus exemplum heîc aliud nobile ſubjiciam. Dubitarunt antiqui Critici de Luciani Aſino, & de Lucii Patrenſis Metamorphoſeon libris, uter alterum compilaſſet. Luciani operis titulus,* Λούκιος ἢ ὄνος. *Lucii autem Patrenſis,* Μεταμορφώσεως λόγοι διάφοροι. *Duo priores ejus ſermones argumento prorſus erant pares cum Luciani Aſino. Hinc Criticis data occaſio ambigendi utrum ex Luciani opere eſſent effecti atque expreſſi, an contra Lucianus ſuum ex illo formaſſet. Non conſtabat, quis ætate antiſtaret. Similitudinem veri ſectantibus viſum eſt probabilius Lucianum ex Lucio ſumpſiſſe quam è converſo. Lucium quippe latius omnia ac fuſiori ambitu pertractaſſe, quæ Lucianus demptis & acciſis laciniis in compendium veluti ſubduxiſſet. Quin & titulum feciſſe ſuo dialogo ex proprio nomine Lucii. Non ſolum idem argumentum uterque exequutus eſt, ſed iiſdem verbis, ceterum lacinioſus magis ac profuſus Lucius, quem duobus libris exſpatiantem in unum volumen compegit Lucianus, reciſis quæ non facerent ad propoſitum ſuum. Photius in Bibliotheca:* ἔοικε δὲ μᾶλλον ὁ Λουκιανὸς μεταγράφοντι ὅσον εἰκάζειν. Τίς γὰρ χρόνῳ πρεσβύτερος οὐκ ἔχομεν γνῶναι. Καὶ γὰρ ὥσπερ ἀπὸ πλάτους τῶν Λουκίου λόγων ὁ Λουκιανὸς ἀπολεπτύνας, καὶ περιελὼν ὅσα μὴ ἐδόκει αὐτῷ πρὸς τὸν οἰκεῖον χρήσιμα σκοπὸν, αὐταῖς τε λέξεσι καὶ συντάξεσιν εἰς ἕνα τὰ λοιπὰ συναρμόσας λόγον, Λούκιος ἢ ὄνος ἐπέγραψε τὸ ἐκεῖθεν ἀποσυληθέν. Sed quantum judicare datur, proximior tranſcribenti Lucianus. Nec enim nobis conſtat quis ætate prior extiterit. Enimvero Lucianus

ex Lucii diffuſiori fabularum complexu deminutis ac circumciſis quæ ad proprium propoſitum non facere viderentur, eodem orationis filo & compoſitionis, quæ ex eo ſuffuratus eſt, in unum compegit tractatum, cum inſcriptione, LUCIUS AUT ASINUS. *Poſſet tamen ex contrario adſtrui Lucium latius enarraſſe quæ in pauca coëgerat Lucianus, ut ſtatuarii ſolent artifices ex breviore modulo quem ſpectant, grandem ſtatuam aut etiam coloſſum fingere. Sed veriſimilius eſt quod aſſerit Photius, Lucianum in compendium contraxiſſe atque epitomaſſe prolixiores Lucii fabularum libros. Ex Lucio autem potius quam ex Luciano Apulejus ſuum expreſſit Aſinum, ut vulgo dicitur, aureum. Titulus librorum ejus idem qui & Lucii. Nam in antiquis exemplaribus non alia inſcriptio viſitur præter hanc:* INCIPIT METAMORPHOSEOS LIBER PRIMUS. *Atque ita in ceteris. Lucius quoque Patrenſis ita ſuos inſcripſerat, ut Photius prodit,* Μεταμορφώσεως λόγοι. *Quod addunt vulgo apud Apulejum,* AUT LUSUS ASINI, *Luſus plane eſt alicujus aſini. Nihil enim tale veteres libri oſtendunt, & ineptus eſt titulus.* Aſinum Aureum *quidam ex veteribus hanc Apulejanam fabulam indigetant, ut Auguſtinus & Fulgentius Placiades. Ceterum ex vulgari potius uſu loquendi quàm ex vera inſcriptione prodiit hæc nuncupatio. Fabulas quæ placerent aut lepide confictæ eſſent,* aureas *appellabant. Denique quidquid in aliquo eſſet pretio aut commendatione ſive animale foret, ſive inanimum, ſic vocarunt. Inde &* χρυσᾶ ἔπη *Pythagoræ. Et* χρυσοῦς ἀνὴρ *apud Comicum. Et in Epigrammate,* ἀεὶ χυσίον ἦθα *de homine qui probi viri famam priore vita quæſierat, poſtea mutatus, in belluinos mores degeneraverat,* θηρίον ἐξεφάνη. *Lucius duobus prioribus libris Metamorphoſeos fabulam hominis in aſinum mutati, & mox de aſino in hominem reſtituti abſolverat, ſi Photio ſidem habemus. Idem Lucius alias metamorphoſeon fabulas pluribus libris detexuerat, ut idem affirmat:* Ἀνεγνώσθη Λουκίου Πατρέως μεταμορφώσεως λόγοι διάφοροι. *Et paulo poſt:* οἱ δέ γε πρῶτοι αὐτοῦ δύο λόγοι μονονοὺ μετεγράφησαν Λουκίῳ ἐκ τοῦ Λουκιανοῦ λόγου ὃς ἐπιγέγραπται Λούκιος ἢ ὄνος, ἢ ἐκ τῶν Λουκίου λόγων Λουκιανῷ. Et priores quidem duo ſermones ferme tranſcripti ſunt Lucio ex Luciani ſermone qui inſcriptus eſt Lucius aut Aſinus, vel certe Lucianus ſua tranſcripſit ex Lucii fabulis. *Videtur autem Apulejus non ea tantum quæ Lucius de aſini metamorphoſi peculiariter perſcripſerat Latino ſermone converſa in opus ſuum tranſtuliſſe, ſed plures intexuiſſe fabulas ex aliis Lucii operibus petitas, & totum opus undecim libris explicaſſe ſub eadem aſini perſona. Fortaſſean tamen quæ duobus libris Lucius complexus fuerat, pluribus Apulejus diffudit, inſertis aliis multis de ſuo* ἐπεισοδίοις. *Ut ut ſit certe illud conſtare debet Lucii* μεταμορφώσεις *in Latinam linguam vertiſſe Apulejum, eodem retento titulo. In præfatione ita loquitur:* Modo ſi papyrum Ægyptiam argutia Nilotici calami inſcriptam non ſpreveris inſpicere, & figuras fortunaſque hominum in alias imagines converſas & in ſe rurſum mutuo nexu refectas, ut mireris exordiar. Τὰς μεταμορφώσεις *intelligit, quales Græce expoſuit Lucius Patrenſis, Latine deinde reddidit Apulejus, qui Græcam eſſe fabulam à ſe in Latinum converſam non diſſimulat ibidem:* Fabulam Græcanicam incipimus, lector intende, lætaberis. *His verbis claudit præfationem ac proœmium quod operi ſuo præfixit! Hoc verſibus ſcriptum eſſe volunt viri eruditiſſimi, atque ideo in pedes coëgerunt, ſed per vim mehercule ac per injuriam ſummam. Nihil enim ſunt minus quàm verſus. Præfatio eſt & ſermone quidem pedeſtri compoſita quam præpoſuit auctor ut rationem redderet propoſiti ſui, & tranſlatæ in Latinum ſermonem Græcanicæ fabulæ. Verſus eſſe ex his verbis etiam probare ſatagunt, quæ ibi poſita ſunt ab auctore:* Jam hæc quidem ipſa vocis immutatio deſultoriæ ſcientiæ ſtilo quem acceſſimus reſpondet. *Hanc vocis immutationem pro verſu accipiunt. Nimirum, inquiunt, verſus cantillaverat. Ubi ad proſam ventum fuit, gravi atque oratorio geſtu pronuntiare cœpit. Hæc inepta ſunt. Petit ibi veniam Apulejus quod vix ſermonis Latini bene peritus, auſus ſit eam fabulam ex Græco in Latinum convertere, eoque ſibi ignoſci poſtulat, ſi rudis loquutor, & forenſis, exoticique ſermonis ignarus alicubi offenderit.* Et ecce præfamur veniam ſi quid exotici atque forenſis ſermonis rudis locutor offendero. *Latinum ſermonem vocat* exoticum, *quia ſibi homini Græco, ut ipſe ſe vocat, Latina lingua exotica & extranea.* Forenſem *autem appellat,* τὸν ἀγοραῖον, *vulgarem, ac communem ſermonem, quo iſtæ fabulæ deduci ac narrari expetunt. Nec mirum porrò ſi homo ſeverioribus ſtudiis imbutus & literato eloquio adſuetus, vulgaris iſtius ac plebeji ſermonis rudem ſe profitetur, quo fabulæ Mileſiæ tractari poſtulant. Fortaſſe tamen aliter intelligendum. Rudem ſe loquutorem*

 dicit

dicit exotici sermonis, id est, Græci, qui Latinis exoticus: sed & forensis, utpote qui causidicus esset, qui sermo forensis lepidis ac jucundis fabulis condendis ineptus. Hæc interpretatio verior. Subjicit protinus: Jam hæc ipsa vocis immutatio desultoriæ scientię stilo quem accessimus respondet. *Jam hæc ipsa, inquit, vocis immutatio, quâ sermonem Latinum pro Græco usurpamus, respondet desultoriæ scientiæ stilo quem accessimus, id est, earum rerum scientiæ ac narrationi quæ nobis æque sunt exoticæ atque alienæ, ut est Latinus sermo. A Græca sermocinandi facultate ad Latinam loquelam se transisse dicit, & à severioribus philosophiæ vel fori studiis ad desultoriam scientiam variarum fabularum quas narrandas accessit. Dicit ergo vocis ipsam immutationem respondere desultoriæ scientiæ stilo quem accessit, in utroque pariter novum se & hospitem esse, eo majore cum venia hæc sua legi petit. Hic sensus illius loci. Sed mirari nondum desii cùm ex Lucii Patrensis fabulis ad verbum hæc omnia sumpserit Apulejus, eum in præfatione sua non nominare, quin immo tanquam ex se ac de se factam hanc fabulam narrare. Ita enim incipit:* Thessaliam, (nam & illic originis maternæ nostræ fundamenta Plutarcho illo inclyto ac mox Sextio Philosopho nepote ejus prodita, gloriam nobis faciunt,) eam Thessaliam ex negotio petebam. *Thessalia fabulæ scena. Inde etiam auspicatur Lucianus:* ἀπήειν ποτὲ εἰς Θεσσαλίαν, ἦν δέ μοι πατρικόν τι συμβόλαιον ἐκεῖ πρὸς ἄνθρωπον ἐπιχώριον. *Lucius quoque Patrensis, ut verosimile est, simili exordio fabulam ingressus fuerat, ex quo iisdem verbis omnia transcripsisse quæ de Asino scripsit Lucianus, autumat Photius. In ea componenda Milesia tam Lucianus quam Apulejus Lucii nomine utuntur ad primam ac præcipuam dramatis personam designandam. Hoc nomen proprium fuit illius auctoris à quo Lucianus & Apulejus in argumentum sumpsere. Lucius Patrensis vocabatur ex Patris Achaïæ urbe.* Λούκιος Πατρεύς. *De se ipso exposuit ille hanc fabulam, quâ in asinum se magicis artibus in Thessalia transfiguratum ac mox de asino sibi redditum lusit. Hinc Lucianus cùm idem argumentum ab eo mutuatus esset, & paucis immutatis, nonnullis resectis iisdem pæne verbis pertractasset, nomen etiam Lucii retinuit. Græca omnia nomina sunt ut in fabula Græca oportuit. Lucius hic Thessaliam petit ex Achaia quæ patria ipsius fuit. Nam Patræ urbs Achaiæ. Literas fert à Demea Corinthio commendaticias, quibus, Milonis Thessali hospitium in urbe Thessaliæ Hypata sibi conciliavit. Byrrhænam ibi vidit, hoc est,* Πυῤῥαίναν *quæ se collactiam ac germanam Lucii matris fuisse ipsi Lucio prædicat. Nam & se pariter illamque ex familia Plutarchi prognatam fuisse jactat, & eamdem nutricem simul bibisse, & in nexu germanitatis simul coaluisse, Lucium quoque se suis manibus educasse dicit. Ita enim Lucium alloquitur illa Byrrhæna in secunda Metamorphosi:* Ego te, ô Luci, meis istis manibus educavi. Quidni? parentis tuæ non modò sanguinis, verùm alimoniarum etiam socia. Nam ex familia Plutarchi ambæ prognatæ sumus, & eamdem nutricem simul bibimus, & in nexu germanitatis simul coaluimus, nec aliud nos quàm dignitas discernit, quod illa clarissimas, ego privatas nuptias fecimus. Ego sum Byrrhæna illa, cujus forte sæpicule nomen inter tuos retines frequentatum educatores. *Byrrhæna ergo & Salvia germanæ, ex familia Plutarchi ambæ; Salvia autem Lucii mater. Hinc initio primæ metamorphoseos Lucius perhibet in Thessalia originis suæ maternæ prima fundamenta extare à Plutarcho illo inclyto ac nepote ejus Sexto. De Apulejo hæc interpretantur viri docti, quasi sub persona Lucii de se ipso omnia ista dixerit. Inde & Theseum ejus patrem faciunt Milonis Corinthii amicum, cui commendatus est Lucius à Demea Corinthio cùm in Thessaliam proficisceretur. Non mihi tamen credibile videtur Apulejum patriam ac parentes suos sub nomine Lucii ex alieno scripto sumpti voluisse propalare. De Abrœa Lucianus eadem fere jactitat quæ de Byrrhæna Apulejus, nisi quod nec Plutarchi meminit, nec Sexti. Verba ejus hæc sunt:* καὶ φησὶν ἐγὼ Ἄβροια εἰμὶ, εἴ τινα τῆς σῆς μητρὸς φίλην ἀκούεις. *Sed & pro Milone* ἵππαρχον *nominat. In ceteris idem narrationis contextus. Ex hoc est quod tradit Photius multa circumcidisse Lucianum ex Lucii scripto quæ ad rem non pertinerent. Verisimile igitur omnia illa quæ Apulejus habet in hac historia de Byrrhæna & Milone & Theseo patre Lucii, & amico Milonis, iisdem verbis apud Lucium Patrensem in ejus Metamorphosi invenisse atque inde habere. Non erit itaque Theseus Apuleji pater, sicut hactenus omnibus creditum: non Sal-*

via

via mater, non genus à Plutarcho & Sexto ejus nepote maternum. Sextus Plutarchi ἀδελφιδοῦς Suidæ memoratur sub Marco Antonino vixisse. Si maternum genus Apuleji ab illo Sexto, utique necesse est Apulejum longe infra Marci tempora ævum agitasse, quem tamen certum est etiam sub Antonino Pio floruisse, qui Lolliani Aviti, Lollii Urbicii Pudentis, & Scipionis Orphiti in scriptis meminit, quos constat honores amplissimos imperante Antonino Pio gessisse. Idem Apulejus in Apologia, quo loco patriam sibi tanquam probrum objectam ab adversariis suis propter loci ignobilitatem memorat, non negat quidem Semigætulum se ac Seminumidam ab antiquo fuisse, sed homines ex loci natalis merito metiendos pernegat. De patria mea verò quod eam sitam Numidiæ & Gætuliæ in ipso confinio meis scriptis ostendisti, quibus memet professus sum, cum Lolliano Avito C. V. præsente publice dissererem, Seminumidam & Semigætulum, non video quid mihi sit in ea re pudendum, haud minus quàm Cyro majori quòd genere mixto fuit, Semimedus ac Semipersa. *Vides heic ipsummet Apulejum Seminumidam se ac Semigætulum fuisse professum, cùm dissereret coram Lolliano Avito. Quod & heic repetit, ac rursum confitetur coram Maximo Claudio cùm patriam ipsi exprobrarent adversarii in confinio Numidiæ & Gætuliæ sitam. Atqui locus hic erat originem suam maternam à Plutarcho, & è media Græcia repetendi. Quod tamen non facit. Quinimmo ab antiquo hanc parentum suorum ac majorum fuisse patriam non obscurè his verbis significat :* Neque hoc eo dixi, quo me patriæ meæ pœniteret, etsi adhuc Syphacis oppidum essemus. Quo tamen victo ad Masinissam regem numine propitio concessimus, ac deinceps militum novo conditu splendidissima colonia sumus. *In ea colonia mox scribit patrem habuisse loco principe Duumviralem, & ei se successisse in eadem dignitate. Non potest itaque pater ille Apuleji loci Duumviralis in Africana colonia Madaura idem esse cum illo Theseo Græci generis homine, quem clarissimum fingit Milesia secunda ducta in uxorem Salvia ex Plutarchi familia, quam clarissimas nuptias fecisse ibi perhibet Byrrhæna, ejus germana & collactanea. Præterea Lucius ille Milesiæ manibus Byrrhenæ fingitur educatus in oppido Thessaliæ nomine Hypata. Apulejus verò in Floridis Carthagine se disciplinis quæ pueritiam decent, imbutum fuisse asserit :* Hanc ego vobis mercedem, Carthaginenses, ubique gentium dependo pro disciplinis quas in pueritia sum apud vos adeptus. *Et sane omnium artium studia Carthagine tum floruisse certum est, ut mirer in prooemio primæ Milesiæ dicere Apulejum, in Græcia primis pueritiæ stipendiis linguam Attidem meruisse, mox in urbem Latiam advenam, studiorum Quiritium indigenam sermonem, ærumnabili labore, nullo magistro præeunte aggressum excoluisse. Qui locus ex diametro pugnat cum illo altero Floridorum, ubi prima pueritiæ rudimenta se apud Carthaginenses deposuisse narrat, apud quos potuit & linguæ Latinæ disciplinis initiari, quæ in ea urbe cummaxime fervebant. Nam & passim in Africa per illa tempora Romani sermonis usus æquè promiscuus & communis erat ut Africani. Adde quod Madaura colonia fuit Romana militum veteranorum, ac proinde linguam ibi Romanam viguisse pari modo constat atque in ipso Latio. Non igitur opus fuisset puerum in ea colonia natum aut Romam mittere aut Carthaginem ad discendum Quiritium indigenam sermonem. Postremò cum Græcam fabulam esse fateatur auctor, personarum nomina, quæ in illam ingrediuntur, Græca pariter oportet fuisse. Unde ergo in fabula Græca Seminumidæ ac Semigætuli Apuleji personam? Nec enim recte Apulejus semetipsum in ea fabula sub nomine Lucii introduxisset ad agendum præcipuum* τοῦ δράματος πρόσωπον, *præsertim cùm ex Græco Lucii Patrensis conversa sit, à quo verisimile est non solum argumentum fabulæ, sed etiam nomina ipsa personarum, quæ illam constituunt, accepisse. Alia rursus heic oritur difficultas. Lucium Patrensem antiquiorem Luciano facere videtur Photius, utpote à quo Lucianus suum Asinum, sive Lucium transcripserit. Lucianum porrò æqualem Plutarcho fuisse compertum est. In asino suo non meminit Plutarchi nec ejus ex sorore nepotis Sexti, quem usque ad Commodi tempora vitam extendisse Suidæ testimonio scimus. Atqui si Lucius antiquior Luciano, & ex versione ejus sunt quas hodie habemus Apuleji Metamorphoses, non potuit utique meminisse Sexti, aut alius hic erit Sextus, aliusque Plutarchus, quam Chæronensis. Sextus Suidæ* Χαιρωνεὺς *indigetatur,* Πλουτάρχου ἀδελφιδοῦς. *Plutarchus quoque Chæronensis, ex urbe Bœotiæ Chæronea. At Plutarchus ille Milesiæ maternus proavus Lucii ex Thessalia fuisse videtur, ut hæc verba indicant jam superius allata :* Thessaliam, nam & illic originis maternæ nostræ fundamen-

damenta à Plutarcho illo inclyto, ac mox Sextio nepote ejus Philoſopho prodita, gloriam nobis faciunt. *Denique in ſecunda etiam Mileſia Byrrhæna Hypatina ex Theſſalico oppido germana Salviæ dicitur, matris Lucii, quem pro Apulejo habent viri docti. Sorores autem illæ ex Plutarchi familia prognatæ perhibentur. Non igitur filiæ Plutarchi, ſed nec Sexti fortaſſe Plutarchi ex ſorore nepotis. Demus Sexti fuiſſe filias. Sub Commodo ille Sextus vixit: filia ejus Salvia Apulei mater. Hoc non procedit. Inde enim ſequeretur longe poſt Commodi tempora emicuiſſe Apulejum. Atqui jam Commodo vivente Apuleji Mileſiæ manibus terebantur hominum eruditorum, ut liquet ex Epiſtola Severi ad Senatum ubi dicit Albinum conſenuiſſe inter Mileſias Punicas Apuleji ſui. Albinus autem ſub Antoninis etiam innotuit, & poſt Commodi mortem imperium arripuit, quem occidit Severus, cujus judicium de Albino tale eſt in ea Epiſtola ad Senatum:* Major fuit dolor, quod illum pro literato laudandum plerique duxiſtis, quum ille næniis quibuſdam anilibus occupatus inter Mileſias Punicas Apuleji ſui & ludicra literaria conſeneſceret. *Quare Mileſias illas Punicas appellet neſcio. Auctorem habent quidam Afrum, ſed ipſæ Græcanicæ ab auctore Græco primùm compoſitæ. Sextum Marci Philoſophi præceptorem fuiſſe Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores memorant. Marcus ipſe Imperator in vita ſua ſimpliciter* Σέξτον *nominat. De Chæronenſi ac Plutarchi nepote plerique intelligunt. Alius tamen philoſophus fuit Sextus Pyrronicus oriundo Afer, quem* Πυῤῥωνειῶν ὑποθέσεων *auctorem quidam volunt. Si vera de Lucio Patrenſi Photii ſententia, non potuit mentionem facere Sexti philoſophi Plutarchi nepotis, utpote antiquior. Ne Lucianus quidem potuerit illius meminiſſe, qui Plutarcho ſupparis ævi fuit. Hinc igitur neceſſario colligendum ab Apulejo ipſo hoc fuiſſe additum de Plutarcho & ejus nepote, ut qui revera materni generis originem ab illo Sexto duxerit. Ita ſub Lucii perſona ſuam voluit intelligi, ac ſub iſto nomine nonnulla tradidit quæ ad ſe pertinerent. Hoc etiam magis confirmatur eo quod legitur in undecima Mileſia, ubi Madaurenſem nuncupat iſtum Lucium, cujus nomine tota fabula peragitur. Apparet itaque voluiſſe videri auctorem hujus argumenti, non interpretem. Quod abeſſe non poteſt à furti crimine. Si nominaſſet auctorem, ſi verſionem eſſe hoc opus planè dixiſſet, fur non eſſet. At plagiarius eſt, qui pro ſuo opere & inventionis ſuæ id haberi vult, quod alter invenit, & prior ſcripſit. Nec obſtat quod in aliam linguam tranſtulit. Fortaſſe tamen & alia multa inſeruit quæ in Græco non erant. Sic ſuum opus fecit. Inde etiam eſt quod undecim libris amplificavit, quod duobus Lucius coartaverat. Judicium etiam in eo requiro quod multa contraria & ſecum pugnantia poſuerit. In præfatione indicaturus quis auctor operis eſſet, Græcum eum origine ac patria facit.* Quis ille? paucis accipe. Hymettos Attica, & Iſthmos Ephyræa, & Tenedos Spartiatica glebæ felices, in æternum libris felicioribus conditæ, mea vetus proſapia eſt: *De Apulejo hæc intelligimus, nec poſſumus alium his ſenſum accommodare. Aperte ſe Græcum vult eſſe patria, & proſapia. Tenedon Spartiaticam nullam novi. Puto legendum.* Tenedos Sporadica. *Nam Tenedus una Sporadum. Hoc loco ſubit inquirere ac ſimul mirari, cur tot loca Græciæ diverſa atque invicem diſſita nominarit ad proſapiam ſuam deſignandam, Atticam Hymetton, Iſthmon Corinthiacam, & Tenedon inſulam ex Sporadibus. Sane potuerit in omnibus his locis cognatos aut affines habuiſſe, ſed cur Theſſaliam in his recenſuit in qua maternæ ſibi originis fundamenta extitiſſe ſtatim initio operis jactat ab ipſo Plutarcho & nepote ejus Sexto. Non erat hoc omittendum inter ſuæ proſapiæ veteris inſignia ac decora, cùm ubique eam maternæ originis gloriam venditet. Neſcio autem quam rectè in Theſſaliæ mentione eam à Plutarcho & Sexto nepote generis materni deductionem infulſerit, qui ambo* Χαιρωνεῖς *fuere ex urbe Bœotiæ Chæronea longe à Theſſalia ſita. Nemo profecto veterum prodidit Plutarchum fuiſſe patria Theſſalum. Mirum porro eſt in Apologia, ubi patriam ſuam ac genus commemorat, de iſta Græcanica proſapia ne* γρῦ *quidem dixiſſe, cùm locus ille id maximè videretur poſtulare. Seminumidam tantum ac Semigætulum ſe fatetur, & magno exemplo tuetur Cyri regis qui Semiperſa fuerit ac Semimedus, paterno quidem genere Perſa, materno Medus. Debuit igitur Apulejus illud exemplum ſequutus Semiafrum ſe ac Semigræcum profiteri, qui maternum genus referret ad Salviam ex familia Plutarchi prognatam. Pergit Apulejus noſter:* Ibi linguam Atthidem primis pueritiæ ſtipendiis merui. *In illis nempe Græciæ urbibus ſupra memoratis, Hymetto Attica, Iſthmo*

mo

mo Ephyræa, & Tenedo Sporadica. Utrum dicemus in his tribus simul urbibus pueritiam transegisse, an in harum aliqua? Hoc tacere non debuit. Sed quod linguam Atthidem dicit ibi se meruisse, de Attica magis accipiendum. Sic Athenis pueritiam traduxerit addiscendæ linguæ Græcæ. Contrarium tamen ex Floridis colligas, ubi non uno loco asserit prima puerilis disciplinæ stipendia Carthagine fecisse. Quid enim clarius istis verbis ex ea quam ad Carthaginenses dixit? An non multa mihi apud vos hortamina suppetunt, quod sum vobis nec lare alienus, nec pueritia invisitatus, nec magistris peregrinus, nec secta incognitus, nec voce inauditus, nec libris illectus improbatusve. Ita mihi & patria in concilio Africæ, enimvero & pueritia apud vos & magistri vos. Quis credat unius hominis hæc esse, & illa superius producta? Hic pueritiam apud Carthaginenses sub magistris transactam & excultam dicit, ibi in Græcia narrat prima pueritiæ stipendia meruisse ad linguam Atticam ediscendam. Hæc aliis relinquo concilianda, nec enim hoc agere nunc proposuimus, quibus ostendisse satis est plerosque olim ex antiquitate viros celebratissimos libere ac licenter aliena opera pro suis usurpasse ac publicasse. Quo in crimine manifestum heîc deprensum à nobis Apulejum Luciano comitem adjungere licet. Uterque enim ex eodem hausit fonte quod in suum derivaret. Immo eundem fontem ex alieno ductum ambo diverso sermone pæne eodem tempore suo juri addixerunt. Hæc etiam inter eos differentia notabilis, quod Apulejus Lucium dedit tanquam ἐν παραφράσει auctiorem, Lucianus breviorem velut ἐν ἐπιτομῇ. Hæc etiam ratio veteribus non incognita, qua parvo labore suo ex alieno gloriam captabant epitomandis alienis scriptis. Honestior quidem hæc methodus, sed nescio an literis ulla perniciosior. Ut enim omnes natura sunt a labore ad ignaviam proclives, studia negligentiorum de facili compendium sectabantur, & relictis integris auctorum operibus, lectionem præferebant brevitate minus molestam. Sic optimos auctores amisimus, servatis abbreviatoribus. Ita Paulum pro Festo habemus, pro Trogo Pompejo Justinum. Nec Græci caruerunt istis literarum pestibus: de quibus alius dicendi locus. Tralaticia & illa fuit ratio qua plerique soliti sunt ex pluribus auctoribus, qui eamdem materiam pertractarant, corpus unum veluti centonem conficere, adsutis aliquot pannis ac particulis ex unoquoque. Hac arte ex omnibus scriptoribus Græcis qui de Re Rustica libros ediderant, Cassianus Bassus Georgica sua composuit, cujus Ἐκλογαὶ hodieque extant Constantino Porphyrogennetæ dedicatæ. Simili opera ex Veterinariis medicis Græcis compositum unum opus est, veluti collaticia stipe ex singulis emendicata. Non alio artificio contextum fuisse apparet Historiæ Augustæ corpus singulis auctoribus hanc aut illam vitam contribuentibus, qui tamen singuli per se omnes Imperatorum vitas, quibus illud opus constat, literis mandarant. Hanc eandem denique viam sequutus est Tribonianus in compilando ac colligendo corpore juris civilis, quod nihil aliud est quam cento ex pluribus pannis Nomicorum consutus. Invaluit per ea tempora maxime hæc scribendi ac libros componendi consuetudo quamminimo labore suo, etsi labore, nullo certe ingenio. Quæ res haud minus quam illud epitomarum negotium perniciem literariæ reipublicæ importavit in primis dolendam. Hac quippe causa factum, ut eos hodie fere auctores desideremus ex quibus illi centones consarcinati fuerunt. Nihil inertius, aut ignavius isto hominum genere. Ingenui tamen ea re præcipue censendi quod candide saltem professi sunt per quorum laborem profecerint, adscriptis eorum nominibus ex quibus aliquid mutuo sumpserant. Sed omnium inertissimi merito suo debent existimari, qui cum ipsi nihil dignum memoria de suo edere possent, ab alieno mutuati sunt quo inclarescerent, & ad ignaviam adjunxerunt vitium furacitatis, ac plagii peccatum. In his ante alios nomen suum jure profiteri debere videtur Solinus noster, qui cum omnia, quæ habet Plinio accepta referre debeat, ausus est tamen mentiri quæcumque scripto prodidit de auctoribus manasse receptissimis. Credo certè nec in hoc mentitus est, sed per canalem Plinii rivi isti manarunt, cujus nunquam meminit Noster, qui ad fontes ipsos non adiit, ex quibus hausit Plinius. Et libenter quidem illi ignoscendum putarem, si bona fide & salva auctoris sui mente retulisset quæ ab illo accepit. Sed tantam ubique negligentiam & imperitiam prodit ut ferendus non sit. Rara avis est, si quando mentem Plinii assequitur, quem ubique sequitur. In levibus autem peccatis & qualia plerumque dormitantibus aut aliud agentibus obrepunt, veniæ locum facile darem. Quæ singulis paginis peccat ejusmodi sunt, ut ne ab æquissimo quidem, immo indulgentissimo lectore condonari queant. Rem

falsam me non dicere, nec falso eum arguere fidem facient istæ Exercitationes. Pauca sunt admodum quæ aliunde acceperit quam è Plinii penu: quædam tamen esse fatendum est quæ apud Plinium non leguntur, nec hodie apud alium eorum quidem qui extant reperiuntur. Quo nomine commendabilior nobis esse debet, qui suo solo non poterat. Observavi & Græca illa, quæ Plinius vidit, aliquando & ipsum vidisse, ac melius etiam reddidisse. Quod raro illi contigit. Sed video eum evolvisse Antigoni Carystii admirabilia, quæ ex Aristotele, Callimacho, & aliis collegit, ipsum verò Aristotelem nunquam legisse opinor. Potuit & alia ex aliis auctoribus sumere, ut quæ de Coloniis Italicis exequitur, eorumque conditoribus, quorum nihil apud Plinium extat. Thema Urbis Romanæ ex Tarrutio Mathematico describit, in quo reprehenditur ab eruditis matheseos, quod Mercurium longissimè à Sole distantem ponat, in Scorpione nimirum, Sole ipso in Tauro locato, cum viginti tribus partibus longius à Sole Mercurius non absistat. Verba ejus hæc sunt: Hora post secundam ante tertiam plenam, sicut Lucius Tarrutius prodidit Mathematicorum nobilissimus, Jove in piscibus, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in Scorpione, Sole in Tauro, Luna in Libra constitutis. *Sed hoc peccatum non proprium Solino qui ab alio totidem verbis transtulit quæ inter Excerpta Dionis in veteri libro ad hunc modum scripta, & jam mihi notata in Exercitationibus:* ἡ ὥρα τῆς Ῥώμης ὅτε Ῥωμύλος ταύτην ἤρξατο κτίζειν, ὥρα δευτέρα πρὸ τρίτης, ὡς Ταῤῥούτιος ὁ Μαθηματικὸς κατεστήριξε, Διὸς μὲν ἰχθύσι, Κρόνου δὲ καὶ Ἀφροδίτης, καὶ Ἄρεως καὶ Ἑρμοῦ σκορπίῳ, Ἡλίου δὲ ταύρῳ, καὶ Σελήνης ζυγῷ. *Falsum igitur quod Solino impingit vir eruditus, Tarrutio hæc temerè illum attribuisse, de quo nihil retinuerit præter horam. Sane nihil præter horam notavit ex Tarrutio Plutarchus in assignanda Urbis Romæ constellatione, quam dicit fuisse* μεταξὺ δευτέρας ὥρας καὶ τρίτης. *Sed Dio integram sententiam retulit quam Solinus fideliter expressit. Tota textura Soliniani operis ex Plinio est, eodem ordine, iisdem fere verbis. A septimo Plinii libro incipit, quo de natura hominis tractavit. Præmisit tamen nonnulla aliunde translata, de temporibus Urbis conditæ, de diebus intercalaribus, & anni divisione. Ab hominis genitura & quæcunque in homine miranda existunt, quæ Pliniano ordine persequitur, transit ad geographica & locorum commemorationem, quam usque ad finem operis perducit eadem serie, qua Plinius eam deduxit libris tertio, quarto, quinto & sexto. In hanc partem propensior, ut ipse fatetur & res indicat, universa voluminis materia. Per occasionem tamen subinde infercit, quæ quibusque in locis memorabilia occurrunt, Plinio memorata in aliis libris, de gemmis, de arboribus & herbis. Ita etiam & quæ apud alios offendit notatu digna suis locis reddidit. Et hæc omnia stilo satis scito & eleganti, ac concinna brevitate expedivit, ne ex omni parte hominem premamus. Nunc de opere ipso dicendum. Duas hujus editiones fuisse ipse auctor declarat, priorem quidem quam interceptam queritur, & se invito in medium datam, priusquam polita ad perfectum esset, ac summam manum accepisset. Huic titulus fuit, sicut idem asserit,* COLLECTANEA RERUM MEMORABILIUM. *Posteriorem ipsemet recognitam à se atque emendatam emisit mutato etiam titulo quem voluit esse* POLYHISTOR. *Hinc in exemplaribus secundæ editionis hic titulus invenitur,* C. JULII SOLINI GRAMMATICI POLYHISTOR AB IPSO EDITUS ET RECOGNITUS. *Noluit videri nimirum ab ipso prodiisse, quæ prior in hominum manus venerat, editionem, sed à studiosis exceptam, sive interceptam potius inscio se ac nolente publici juris factam. Hic mos viguit antiquitus penes literatos, ut si alicujus scriptionis eos pœniteret, quam prius in vulgum exire passi essent, altera editione priorem illam abrogarent & abolerent. Græcis præcipuè comicis antiquis hoc in more frequenti fuisse legimus, ut quibus fabulis non stetissent, sed exacti essent eas denuo reponerent immutatas & correctas, iterum theatri fortunam tentaturas.* Διασκευὴν δράματος *hoc vocabant, &* διεσκευασμένον δρᾶμα, *quæ fabula ita recurata esset ac refecta, eodem tamen argumento salvo, ut pro nova haberi posset. In alio literarum ac scriptorum genere sæpe idem factitatum observare est. Tertulliani duo libri adversus Nationes, quos nuper amicus noster, vir eruditissimus, publico reddidit, idem prorsus argumentum continent cum Apologetico ejusdem auctoris. Hinc liquet, quod primi animadvertimus, priorem fuisse editionem duos illos libros ad Nationes, quos editione innovata in unum contraxit, mutata etiam inscriptione, ut pluribus ostendam cùm opus illud commentariis illustratum in lucem emittam. Rectè autem Solinus noster inter alia quæ mutavit in secunda* editione,

editione, titulum etiam prioris obliterari voluit qui ſolam rerum memorabilium collectionem ſpondebat. Nec enim rerum tantum commeminit, quæ in quaque regione miræ ac memoratu dignæ occurrerent, ſed etiam locorum ſitus ac tractus maris deſcribit, ſervata orbis diſtinctione, qualis à Plinio in Geographicis obſervatur. Ideo ſingulis capitibus locorum prius deſcriptionem exorditur, deinde ad res miras ac memorabiles, quæ in quoque loco inſunt, perſequendas tranſit. Hinc & tituli capitum ſic paſſim concipiuntur : Sicilia, in ea memorabilia ſoli & aquarum. *Item :* Sardinia, & in ea de ſolpuga, ac herba quæ Sardonia dicitur. *Item :* Claræ inſulæ, & in inſulis clara. In Creta, herba alimos. *Et ſic in ceteris. Mores etiam gentium ac ritus varios paſſim inculcat.* Περιήγησις τῆς οἰκουμένης *vere potuit indigetari hoc ſcriptum, qui titulus fuit apud Geographum Græcum, cujus verſionem veterem Latinam à Jureto habui, cum hoc titulo.* EXPOSITIO TOTIUS MUNDI ET GENTIUM. *Quod Græce reddi non debuit,* ἔκθεσις ὅλου τοῦ κόσμου τῶν ἐθνῶν, *ſed* περιήγησις τῆς οἰκουμένης. *Sed nec* ἐξήγησις *melius. Non locorum nuda expoſitione defungitur auctor ille, ſed etiam quæcunque in ſingulis provinciis atque urbibus viſenda reperiebantur, diligenter exequitur, fructuum genera, animalium, ædificia denique ipſa, præterea merces ex unaquaque urbe emitti ſolitas latè ac curioſe percenſet. Quod qui facit* περιηγεῖσθαι *Græcis dicitur, qui &* περιήγησιν *appellant exactam circumductionem quæ ſingula explorat, ac rimatur, & exponit.* Περιήγησιν τῆς οἰκουμένης *opus ſuum inſcripſit Dionyſius Afer. Unde &* περιηγητὴς *paſſim vocatur à Grammaticis.* Circumvehi *Latini eodem ſenſu uſurparunt. Unde apud poëtam :*

--------- circumvehar omnia verbis,

& alio loco :

Singula quid capti circumvectamur amore.

Περιήγησις *optimo ac Latino vocabulo reddi queat* circumvectio. *Auctor de viris Illuſtribus in vita Timothei :* idem claſſi præfectus circumvehens Peloponneſum, Laconicam populatus, claſſem eorum fugavit. *Fruſtra viri docti ibi corrigunt,* circumiens. *Dinarchus in ea κατὰ* Φιλοκλέους *ad eam rem exprimendam* περιπλεύσας Πελοπόννησον *dixit his verbis :* οὐχ ὑμεῖς ἐστὲ καὶ οἱ ὑμέτεροι πρόγονοι οἱ Τιμοθέῳ Πελοπόννησον περιπλεύσαντι, καὶ τὴν ἐν Κερκύρᾳ ναυμαχίαν Λακεδαιμονίους νικήσαντι. Timotheo Peloponneſum circumvecto. *At circumvehens dixit vetus auctor pro circumvectus, ut* equo vehens *pro equo vectus. Hinc* περίπλους *circumvectio, ſed ea tantum quæ mari fit, oram maritimam legentibus.* Περιήγησις *utramque complectitur, maritimam & quæ terreſtri itinere terras ac provincias circumvehitur.* Περίοδον *hanc proprie dixere, quo tamen nomine & circumvectio maritima poteſt comprehendi : nam &* maritimum iter *auctores Latini dicunt. Hecatæus Mileſius* περιηγήσεις Εὐρώπης & Ἀσίας *ſcripſerat. Nymphodorus Syracuſanus item* περίπλους *tam Europæ quàm Aſiæ.* Περίπλους *ea proprie* περιήγησις *quæ oram maritimam circumvehitur. Multi &* περιόδους *inſcripſere ſuas* περιηγήσεις. *Inde* περίοδοι ἀποστόλων *libri quibus res geſtæ ab Apoſtolis continebantur per varias orbis regiones, quas circumvehendo perluſtrarant. In antiquo Codice recenſentur inter Apocrypha novi Teſtamenti,* Περίοδοι Πέτρου, Περίοδοι Ἰωάννου, Περίοδος Θωμᾶ. *Harum periodorum vel circumvectionum auctor Leucius quidam Charinus apud Photium in Bibliotheca :* Ἀνεγνώσθη βιβλίον, αἱ λεγόμεναι τῶν Ἀποστόλων περίοδοι, ἐν αἷς περιείχοντο πράξεις Πέτρου, Ἰωάννου, Ἀνδρέου, Θωμᾶ, Παύλου· γράφει δὲ αὐτὰς ὡς δηλοῖ τὸ αὐτό. *Sed ſatis hæc ſumus circumvecti. Alio titulo Solinus implevit operis promiſſum.* Πολυΐστορα *inſcripſit, qui non tantum rerum ſed etiam locorum hiſtoriam pollicetur, cui non reſpondebat niſi ex parte, quem in priore editione deſignaverat,* Collectanca rerum memorabilium. *Polyhiſtor igitur ſubintelligendus liber vel commentarius, ut* πολυΐστωρ βίβλος. *Sic* ἱστορα κύκλον *de Periplo Menippi dixit antiquus Epigrammatarius :*

---------- ἵστορα κύκλον
Γράψας, ὦ πάσης ἴδρι γεωγραφίης.

Sic Πανδέκτης *abſolute apud Græcos operis titulus, ut ſubaudiatur* βίβλος. *Ita ergo &* Πολυΐστωρ. *Alias hoc nomen de homine uſurpatum qui multa ſcitu digna teneret : ut* Ἀλέξανδρος Πολυΐστωρ *cognominatus à rerum varia cognitione. Alii etiam reperiuntur hoc cognomine inſigniti. Inter delicias ac feſtivitates inſcriptionum reponendus & hic* Polyhiſtor

 Solini,

Solini, quas mirifice in titulis librorum suorum consectati sunt veteres scriptores, ac præcipuè Græci quos hic Noster in aliis passim æmulatur. De his extat insignis apud Agellium locus in præfatione Noctium Atticarum, qua Græcos nec minus Latinos insectatur ob istam exquisitam in titulis librorum eligendis elegantiam. Quia locus vulgo non satis integer, nec emendatus in editionibus habetur, eum ex vestigiis antiquæ scripturæ optimi exemplaris, partim etiam conjecturis nostris correctiorem dabimus : Nam quia variam & miscellam & quasi confusaneam doctrinam conquisierant, eo titulos quoque ad eam sententiam exquisitissimos indiderunt. Namque alii Musarum inscripserunt, alii Silvarum : ille Πέπλον, hic Ἀμαλθείας κέρας: alius Κήρια, partim Λειμῶνας : quidam Lectionis suæ, alius Antiquarum lectionum : atque alius Ἀνθηρῶν, & item alius Εὑρημάτων : sunt etiam qui Λύχνους inscripserunt, sunt item qui Στρωματεῖς : sunt adeo qui Πανδέκτας, & Ἑλικῶνα, & Προβλήματα, & Ἐγχειρίδια & Παραξιφίδας : est qui Memoriales titulum fecerit : est qui Πραγματικὰ, & Πάρεργα, & Διδασκαλικὰ: est item qui Historiæ naturalis, est qui Παντοδαπῆς ἱστορίας : est præterea qui Pratum, est itidem qui Πάγκαρπον, est qui Τόπων scripsit: sunt item multi qui Conjectanea : neque item non sunt qui indices libris suis fecerint aut Epistolarum moralium, aut Epistolicarum quæstionum aut confusarum, & quædam alia inscripta nimis lepida, multasque prorsum concinnitates redolentia. *Si conferas hæc cum editis, quid additum sit à nobis, quid detractum, quid emendatum tibi constabit. Quæ particulatim alibi explicabimus adjectis auctoribus qui titulos illos inscripserunt suis operibus. Pro* τόπων *vetus liber habet* τὸ Πᾶν. *Colorem hunc è Plinio mutuatus est Agellius, qui in præfatione sua ad Vespasianum Græcos eo nomine obstrigillat, quod in titulis conquirendis festivioribus nimiam curam ponerent. Agellius Græcas pariter Latinasque inscriptiones miscuit. Plinius eas discrevit, & Latinos Græcis hac in re modestiores ac simpliciores exemplis utrimque allatis confirmavit.* Inscriptionum, *inquit*, apud Græcos mira felicitas. Κήριον inscripsere quod volebant intelligi favum. Alii Κέρας Ἀμαλθείας quod copiæ cornu, ut vel lactis gallinacei expectare possis in volumine haustum. Jam Μοῦσαι, Πανδέκται, Ἐγχειρίδια, Λειμὼν, Πίναξ, Σχέδιον, inscriptiones propter quas vadimonium deseri possit. At cùm intraveris, dii Deæque quàm nihil in medio invenies ! *Omnes suprascriptæ inscriptiones Græcanicæ, & arcessiti, affectatique, ac fucati decoris. Latinos ut severiores ac simpliciores ab ista affectatione & ambitione titulorum submovet his verbis statim sequentibus :* Nostri crassiores Antiquitatum, Exemplorum, Artiumque quam facetissimi. Lucubrationem puto quia Antias civis erat & vocabatur, Valerius primus asserit. Varro in fabulis suis Sesqulixem & Flexibulas. *Depravatissima hæc esse nemo non videt. Quomodo essent restituenda nemo hactenus vidit. Libri veteres ab hac scriptura editionum longe divertunt, qui sic legunt :* Artiumque facetissimi lucubrationem puto quia ut baculus erat, & vocabatur paulo minus asserit Varro in Satyris suis Sesquulisse & Flextabulis. *Priora sic constituenda sunt ?* Nostri crassiores, Antiquitatum, Exemplorum Artiumque. Facetissimi Lucubrationum. *Qui ex nostris inquit crassiore Minerva egerunt, libros suos inscripsere, Antiquitatum, Exemplorum, Artium. Nihil isti tituli alienum aut affectatum præferunt, sed simpliciter id quod res est indicant. Qui facetissimi ex his videri voluerunt, non lepidiores titulos captarunt quàm ut* Lucubrationes *nuncuparent scriptiones suas. Et sane Romani etiam puro sæculo, hominum eruditorum vigilias ac labores semper vocarunt isto nomine, &* elucubrata opera *dixerunt studiosorum, quæ nocturnis meditationibus elaborata forent. Aliquis autem antiquorum Romanorum hunc titulum operi suo fecerat ut videtur,* Lucubrationum. *Eam vocem quia obscurior esset, verbis illis quæ subjicit, exponere satagit Plinius. Ita & suprà Græcam inscriptionem* Κήριον *Latine* Favum *est interpretatus. Item* Κέρας Ἀμαλθείας, Copiæ cornu. *Quæ tamen haud multum erant explicatu difficilia. Hoc loco itaque vocem* Lucubrationes *enarrat ex Varrone. Sic igitur hæc legenda :* Facetissimi Lucubrationum à lucubro qui ut facula cerata, & vocatur Panos vel Phanos. Asserit Varro in satyris Sesquiulisse & Flaxtabulis. *Nihil certius his emendationibus. Libri habent* quia vivaculus erat, *pro* qui ut facula cerata. *Dixisse autem videtur* Lucuber *pro* Lucubrum, ut candelaber, rutaber. *Sic etiam* arater *dixerunt*

runt pro aratrum. *Pro* Panus vel Phanus, *corrupere correctores* Paulominus. φανὸς & πανὸς *Græcis antiquis est facula. Idem Romanis fuit veteribus* lucubrum *vel* lucuber. *Eadem utriusque vocabuli origo in sua lingua. Nam* lucubrum *à luceo*, *ut* pollubrum *à perluo*, volutabrum *à voluto*, *& similia. Ita ergo &* φανὸς *à* φαίνω *quod est luceo. Vetustiores Græci lampadem eo nomine vocarunt vel facem. Sequuta ætas* laternam, *sive* λυχνοῦχον. *Isidorus :* Lucubrum vocatum quod luceat in umbra. Est enim modicus ignis qui solet ex tenui stuppa ceraque formari. *Ideo &* ceratam faculam *vocat Plinius, quo loco tamen etiam legi potest*, qui ut facula erat, & vocatur Πανὸς *aut* φανός. *Græcum epigramma* κηροχίτωνα λύχνον *vocat. De quo nos alibi. Erit fortasse qui legendum putabit :* qui ut baculus erat. *Ut illam faculam instar baculi habuisse dixerit. Sed illud verius. Quia ad lucubrum vigilabant studiosi, ex eo lucubrationes appellatæ nocturnæ eorum meditationes scriptionesque, & exercitationes. Glossæ :* Lucubro, νυκτογραφῶ. Lucubro, ἀγρυπνῶ. Lucubro, παννυχίζω. Lucubratio, ἀγρυπνία. *Nonius Attam citat in* Lucubratione, *quæ est* παννυχισμὸς, παννυχίς. *Fallitur autem si quis putat Plinium voluisse Varronis Satyras duas, quarum ibi meminit, ea de causa adducere, ut tituli facetiam ostenderet. Nihil minus. Hoc si voluisset, nomina omnium Varronis Satyrarum in hunc censum ab eo fuissent revocanda. Nulla quippe est quæ non habeat exquisitè factos titulos, ac minime vulgares. Sed omnino in duabus illis Satyris vocem* lucubrum *exposuerat Varro, & Græcorum* φανὸν *esse dixerat. Et profectò non potuit aliter dictio Latina expressius reddi quam per Græcam* φανός. *De* Flaxtabulis *nos alibi. Eam enim Satyræ inscriptionem pravè interpretantur & legunt docti. Addit Plinius ibidem :* Apud Græcos desiit nugari Diodorus, & βιβλιοθήκης historiam suam inscripsit. *Simplex hæc inscriptio, nec longe quæsita, aut anxiè excogitata : Agellius nullo judicio Latinos una cum Græcis in eadem culpa involvit, quasi hoc vitio pariter laborarint, & tamen omnia quæ ibi ex Latinis refert titulorum nomina nullam redolent concinnitatem, aut argutam ineptiam.* Antiquarum lectionum *libri, aut* Epistolarum Moralium, *aut* Epistolicarum quæstionum, *aut* Naturalis Historiæ, *quid habent quæso te in titulo quod jure possis suggillare tanquam operosius exquisitum, vel facetis nugis illis comparandum, quas Græci in faciendis indicibus consectabantur. Ne ipse quidem ille titulus quem Agellius probavit ut simplicissimum, videri potest illis quos modò percensuimus simpliciter.* Noctes Atticas *inscripsit. Non tam rectus est quam* Epistolicarum Quæstionum, *ubi quæstiones per epistolas explicantur, nec quam* Moralium Epistolarum, *ubi de moribus epistolæ tractant : nec denique quam* Antiquarum lectionum, *quando hoc ipsum agitur ut lectiones antiquæ recenseantur atque explanentur. Immo quod ego maximè miror inter inscriptionum festivitates retulit* Historiæ Naturalis, *qui titulus est Pliniani operis, quo nihil simplicius & inaffectatius fingi potuit, & ab illo auctore inditus est à quo præcipuè damnatus legerat atque derisas hujusmodi omnes titulorum ambitiosas facetias. Idem dicendum de* Memorialibus *&* Conjectaneis. *Quid enim in his ineptè morosum, aut putidum?* Memoriales libri *sunt Græcorum* Ἀπομνημονεύματα. *Massurium Sabinum sæpe citat Agellius in* Memorialibus. Conjectanea *quoque minimè fucato titulo, sed aperto ac simplici propositum auctoris declarant, qui conjecturas suas divulgare voluerit. Sed & inter Græcas inscriptiones quædam ab eo notantur, quæ nihil habent quare merito suo reprehendi eo nomine, quo voluit, possint. Ut* περὶ παντοδαπῆς ἱστορίας. *Hic titulus non alienior ab argumenti sui professione quam* βιβλιοθήκης, *immo etiam minus. Ex quo tamen Diodorum inter Græcos desisse nugari Plinius judicat. Si nimis accuratus ac lepidus Agellio titulus visus est* Παντοδαπῆς ἱστορίας, *nihil non erit in hanc classem redigendum. Quod* pratum *inter Latinas refert inscriptiones vitiosas, puto esse interpretationem Græcæ* λειμών. *Ex eodem genere sunt &* περιεργοπένητες *Diogeniani. De quo Hesychius in Præfatione. Agellius & bonos & malos titulos sub eamdem* Μύκονον *implicat, cujus me non tantum heîc judicium desiderare fateor. Ceterum ætas hæc nostra Græciæ antiquæ non cedit in pulcris titulis concinnandis. Superior etiam magis insanivit. Theologia quæ ut omnium scientiarum magistra, gravior esse deberet, istas urbanitates non refugit, sed etiam ambit & conquirit. Germani inter nationes in hoc genere à nemine se vinci patiuntur, & facile omnes vincunt, & mirifici sunt artifices non solum elegantium, sed etiam horribilium* titu-

titulorum. Non necesse habeo exempla omnium colligere ac referre, & si necesse esset tamen pigeret. Curiosis obvia sunt. Ad has ineptias Græcanicas relegari debet & Solini nostri Polyhistor, *quem in secunda editione posuit. Minus erat elaboratus & minus comptus quam in priore destinaverat*, Collectanea rerum memorabilium, *sed operis mensuram non adæquabat, potiori parte quæ locorum descriptionem spectat, defectus. Collectionem rerum memoratu dignarum ille index promittebat. Nam* Collectanea *quæ hinc inde ex variis auctoribus collecta sunt, ut* Conjectanea. *Glossæ :* Collectanea, ῥαψῳδία. *Græci* συναγωγὴν *vocant qui plerosque suos libros sic inscripsere. Hippias Sophista* Συναγωγὴν *scripserat quæ citatur ab Athenæo. Multi Lexicographi* Συναγωγὴ λέξεων. *Ut Boëthus* Συναγωγὴ Πλατωνικῶν λέξεων. *Neophytus* πρόχειρον καὶ χρησίμην συναγωγὴν περὶ βοτανῶν. *Dorotheus Ascalonita Lexico suo titulum indiderat* Λέξεων Συναγωγὴ. *Hoc usitatum & simplex. Pamphilus suo inscriptionem imposuerat*, Λειμῶνα λέξεων. *Hoc ineptum & Græcanicæ vanitatis. Theophrastus scripserat* Προβλημάτων συναγωγὴν. Collectanea *igitur sunt* συναγωγαὶ. *Eadem significatio libri Muhammedici, quam lege pro divina habent Arabes & alii Muhamedani.* Alcoranum *vocant, id est, collectanea, vel* συναγωγὴν *divinarum præceptionum. Nam* قرا Caraa *Arabice legere est & colligere. Unde* قران Coran, *lectio vel collectio. Dubitant quidam an Lectionis proprietas ei libro magis conveniat, quia Judæi quoque legem suam appellant* מקרא Micra, *id est, lectionem, à verbo ejusdem cum Arabico notionis* קרא. *Quod non tantum legere, sed etiam convocare in unum, contrahere & colligere significat. Unde &* Micra *quoque conventum & synodum denotat, hoc est,* συναγωγὴν. *At lectio sic vocatur apud Nehemiam. Quo nomine & Scripturam sacram Hebræi appellant quia debet assiduè legi, aut per excellentiam quia præter omnes alias scripturas lectu dignissima sit. Ita &* γραφὴν *Græci eamdem &* βιβλία *vocarunt* κατ' ἐξοχήν. *Hac eadem ratione &* Alcoranum *dictum quibusdam placet quasi lectionem. Sed magis eorum sententiæ accedo qui Collectionem hac voce designari censent. Ita Arabes ipsi accipiunt & Græci. Demetrius Cydonius :* συνέθηκε νόμον, ὃν δὴ καὶ Ἀλκόρανον ὠνόμασε, δηλαδὴ τὴν θείων προςαγμάτων συναγωγήν. *Joannes Cantacuzenus :* ἔπειτα συνεγράψατο βιβλίον, θείων προςαγμάτων συναγωγὴν καλέσας αὐτὸ, Ἀραβιςὶ δὲ ὀνομαζόμενον Κοράν. *Alii Græci* κουράν & Κουράνιον *appellant. Collectio autem indigetatur ille liber, quod ex multis præceptionibus compositus sit, quas diversis temporibus ab Angelo Gabriele sibi traditas mentitus est ille impostor, easque post mortem ejus repertas & in unum corpus redactas Abubecrus socer & successor* Curanon *appellavit, id est* συναγωγὴν, *quæ & multis constat capitibus, quas* Suras *nominant, vel* Suratas. *Interpreti vulgari dicuntur* Azoaræ *pro* Alsuræ, *vel* Assuræ السور *de quibus infra. Eodem sensu &* Κυρανίδες βίβλοι *in manuscripto codice vocantur quæ Collectanea sunt* περὶ φυσικῶν δυνάμεων *ex lapidibus, herbis, quadrupedibus, avibus ac piscibus, ex Harpocratione Alexandrino, & libris Arabicis, quæ* Κυρανίδες *appellantur, ab aliquo Græculo compilata. A Persarum rege dictas ille* Κυρανίδας *hariolatur, vel quia sint quasi* βασιλίδες τῶν ἄλλων γραφέντων βίβλων. *Utrumque absurdum & falsum. Videtur sensisse* Κυρανίδας *dictas à voce* Κῦρος, *vel* Κῦρ, *qui idiotismo vulgaris Græciæ idem erat quod* Κύριος, *Dominus, vel rex. Apparet libros illos conversos fuisse ex Arabico, vel Persico sermone in Græcum. Titulus autem fuit in Arabicis* قران Curan *aut* كتاب قراني Kitab Curani, ἡ Κυρανὶς βίβλος, liber collectaneus. *Unde* Κυρανὶς πρώτη, δευτέρη, τρίτη, τετάρτη *in illo codice antiquo commemoratur. Quod est* ἡ πρώτη συναγωγὴ, δευτέρη, τρίτη, & τετάρτη. *Prima* Κυρανὶς *est* περὶ βοτανῶν καὶ λίθων, *quam &* πρώτην βίβλον τῶν Κυρανίδων *vocat auctor in præfatione, qui & Harpocrationis* συναγωγὴν περὶ φυσικῶν δυνάμεων κατὰ στοιχεῖον *cum ea simul junxit.* Δευτέρη Κυρανὶς *est* περὶ τετραπόδων ζώων. *Tertia* περὶ ὀρνέων. *Quarta* περὶ ἰχθύων. *Sed de his alibi plura.* Collectanea *Solini aut* Memorabilia *sæpius à veteribus Grammaticis citari reperias quàm* Polyhistorem. *Priscianus lib.* II. Quod Solinus quoque protulit in Memorabilibus. *Item lib.* V. Solinus in Memorabilibus de arbore thuris. *lib.* VI. Solinus verò rectius protulit Aceris in Memorabilibus. *Eodem libro :* Et Solinus in Memorabilibus de Britannia dicit. *Et lib.* XVIII. Solinus in Memorabilibus. Tatius hominem exivit. *Idem tamen libro primo eum laudat* in Collectaneis, vel Polyhistore. *Vetus Grammaticus in Bibliotheca Regia, qui de Geographia scripsit semper eum citat* in Collectaneis.

ctaneis. *Ex quo colligimus jam tum propagatam fuisse per Bibliothecas editionem illam primam, cùm de secunda ornanda auctor cogitavit, eoque non potuisse quod voluit, nova editione priorem illam extinguere quæ jam nimis inveteraverat, quam ut abolesieri posset. Et sanè pleraque apud posteros exemplaria descripta fuisse ex priori editione apertis pignoribus probavimus. Quæ res innumeras creavit mendas in textu Solini, dum recentes librarii modo hanc modo illam lectionem, modo utramque recipiunt, interdum & ex utraque dimidiata unam concinnatam. Unde & molestia non parva parta correctoribus & error sæpius objectus, discernere nescientibus inter prioris ac posterioris editionis scripturas, & plerumque pro glossa accipientibus, quæ lectio fuit ex altera editione. Inter alia quæ adjecit, ad perficiendum rudem & informem illum partum quem præcipitanter emissum, ac præter suam voluntatem vult videri, primo loco numerat corpusculum à se digestum, quo tenor dispositionis totius operis continebatur. Ita enim scribit in Epistola Advento dicata :* Ne fortè rudis & imperfecta materia velut spectatus à me liber in manus tuas deferretur, corpusculum sententia mea digestum, ut nosceres, misi. Primo quod referendus ad industriam tuam fuit tenor dispositionis. Deinde ut scabræ adhuc informitatis proditio, editione vera extingueretur. *Caruit igitur hoc corpusculo prior fœtus, quem propterea scabræ informitatis, & imperfectæ materiæ nomine notat. Pro* corpusculum *legitur in omnibus hactenus editis* Opusculum, *& de ipso opere interpretantur vulgo. Quod non potest in eam sententiam quam heîc adstruit auctor, convenienter exponi. Ideo se hoc corpusculum digessisse dicit, ut tenor dispositionis ad eum referretur cui hanc epistolam mittit. Hoc corpusculum solum ei dedicat, non ipsius operis summam quam occuparat alteri amico dedicare in priori editione, ut disertè testatur sub finem hujus epistolæ his verbis :* Collata igitur hac epistola cum ea quæ auspicium inscriptionis facit, intelliges eodem te loco habitum, quo eum, cui laboris nostri summam dedicavimus. *Nihil ergo mutavit de priori operis dedicatione, sed eam amico illi salvam manere voluit cui fuerat primo assignata & inscripta. Epistolam editio illa prior habuit quæ auspicium scriptionis faciebat, & nuncupationem ejus continebat amico factam. Epistola illa est, quæ hodieque in editionibus post hanc statim sequitur. Cum igitur opusculum suum jam amico cuidam nuncupasset editione quæ prius exierat, cùm curavit alteram, factum mutare noluit, & quod semel dederat eripere, sed alium elegit, cui daret quod in priore fœtura non fuit, corpusculum nempe digestum à se, quo dispositio ac tenor operis repræsentatur. Index est capita rerum continens quæ in toto insunt opere, digestus ab ipso Solino quem veteres libri statim huic epistolæ subnectunt, & Veneta etiam agnoscit editio antiquissima. Nos eum ex libris in hac editione nostra pariter exhibemus. Alteri igitur summam operis, alteri indicem capitum inscripsit, & parem honorem utrique à se habitum voluit intelligi. Diversos itaque oportet esse, quibus duæ istæ epistolæ missæ sunt, cùm tamen vetusta exemplaria eodem nomine ambo appellent, &* Advento *utramque epistolam dedicent, sicut editi libri* Autio, *manifesto tam hi quam illi vitio : quod tamen absque codicum meliorum ope non possumus emendare. Alterius amici nomen injuria temporum, & librariorum incuria oblitteratum est, nisi cui placeat alteri quidem* Advento, *alteri* Auctio, *vel* Avito *fuisse nomen, & ex vicinitate vocabuli natum errorem. Ex æquo difficile esse video affirmare hoc & refutare. Credat quod quisque voluerit. Non in hoc opes Galliæ sitæ. Majoris est ad notandum momenti quod ait tenorem dispositionis corpusculo illo indicis, quem sibi digestum memorat, declarari. Ex eo enim planum fieri potest opus ipsum capitibus distinctum non fuisse, sed una serie, quam nulla sectio interrumperet, contextum ac continuatum. Quid enim opus hac capitum digestione sub unum adspectum exhibenda, qua dispositio operis exponatur, ubi singula capita titulum gerunt in fronte, quo statim monstratur quid in unoquoque scriptum sit? Veteres etiam libri hoc magis ostendunt, in quibus totum opus pari tenore perscriptum, nec ulla in parte capitum distinctionibus divulsum habetur. Quod in editione sua repræsentavit doctissimus* Elias *Vinetus. Nec hic ab orbita Plinii sui discessit Solinus, qui pariter indices materiarum singulis libris comprehensarum universo præposuit operi, quos primi libri locum tenere jussit, atque epistolæ nuncupatoriæ subjunxit. Verba, quibus hoc dicit, hæc sunt in fine præfationis ad Titum :* Quia verò occupationibus tuis publico bono parcendum erat

erat, quid ſingulis contineretur libris huic epiſtolæ ſubjunxi, ſummaque cura ne perlegendos eos haberes operam dedi. Tu per hoc & aliis præſtabis ne perlegant, ſed ut quiſque deſideraverit aliquid, id tantum quærat, & ſciat quo loco inveniat. *Addit idem & ante ſe feciſſe Valerianum Soranum in libris quos Epotidum inſcripſerat. Multi & poſt Plinium & ante tam in Græcis quàm in Latinis literis hoc præſtiterunt. Quem morem ſequutus Solinus indicem, quo præcipuæ materiæ in ordinem diſpoſitæ feruntur, priori epiſtolæ editionis recognitæ ſubjecit. Ad hoc facti illi indices rerum conditoribus, ut cognitionem lecturis præſtruerent, quo ſcirent quid in eo libro quæri deberet, quid inveniri poſſet, atque hoc ipſum deſiderantibus ſtatim ad manum eſſet, ut ipſe Plinius teſtatur. Nec propterea putandum ſingulis locis adſcriptos, aut inſcriptos eoſdem titulos quos in ſummam collectos veſtibulum operis oſtendebat. Immo vel ob id in limine præfixi omnes, & in ſummarium ſubducti, quia in tota voluminis textura nulli forent. Hæc veluti* σύνοψις *erat, quæ uno obtutu certiorem faceret lectorem de omnibus rebus quæ tractarentur in unoquoque volumine. Exemplum hujus rei præbet Hiſtoria Plinii, quæ in antiquiſſimis ac melioris notæ codicibus ſingulos libros continenter ſcriptos, nec ulla capitum aut titulorum interruptione diſſociatos ac diſſectos profert. Nec ſecus contextam hiſtoriam oportuit, ut inſcriptio eam nuncupat. Etenim varias quidem res hiſtoria & multiplices tractatus comprehendit, ſed omnes ita invicem connexos ac narrationis ſerie copulatos, ut nullum pateat interſtitium, & tranſitu fallente, non alia quam librorum diſtinctione cenſeatur. Libri hiſtoriarum Herodoti, Thucydidis, Livii, Salluſtii & aliorum Græciæ juxta ac Latii auctorum, nullis capitibus aut ſectionibus interſtincti ſunt. Nec aliam habere faciem debuit Hiſtoria naturalis. Theophraſti* περὶ φυτῶν & περὶ αἰτιῶν ἱστορίας *ad hunc modum concinnatas ac per libros tantum diſcretas teſtantur vetera exemplaria. Quod aliter hodie extant, ac per minutias capitulorum diſcriminatæ leguntur, hoc acceptum ferri debet diligentiæ Theodori Gazæ, qui particulatim totum illud opus concidit, ac ſingula volumina æquali ac ſolido textu compoſita in lacinias diſcerpſit. Id quod adeo parum commodè ab eo pluribus locis præſtitum, ut ſæpè integras ſententias diviſerit & partem in pendenti reliquerit ad finem præcedentis capitis, atque ab altera parte caput ſequens inchoaverit. Exemplo uno ex multis probaſſe hoc ſufficiet lib.* I. *cap.* XI. *ubi de radicum ſuccis differentibus agit, hæc eſt clauſula capitis ſupraſcripti* XI. διὸ καὶ ἐνίων πικραὶ, ὧν οἱ καρποὶ γλυκεῖς. *Deinde ſequentis capitis hoc exordium fecit :* Αἱ δὲ καὶ φαρμακώδεις, ἔνιαι εὐώδεις, ὥσπερ τῆς ἴρεως. *Divelli hæc minimè decuit, quæ ſic conſtant integra :* διὸ καὶ ἐνίων πικραὶ ὧν οἱ καρποὶ γλυκεῖς, αἱ δὲ καὶ φαρμακώδεις, ἔνιαι εὐώδεις. *Talium numerus non exiguus. Simili modo acceperunt Plinium recentes librarii. Petitos quippe ex corpore indicis titulos, quibus locis viſum eſt, accommodarunt, nec eadem ratione omnes. Alii enim aliud ſequuti ſunt. Correctores etiam in pleriſque judicium ſuum interpoſuerunt, & pro arbitratu ſuo ſectiones alias atque alias capitum fecerunt, quibus cohærentia ſenſa interſciſſa ac diducta paſſim obſervamus in Exercitationibus. Exemplum accipe. Caput vigeſimum primum libri tertii ita explicit :* Illo finitur Hiſpaniæ latus, & à circuitu ejus incipit frons. *Vigeſimum ſecundum, quod ſequitur, ita incipit :* Septentrio hinc Oceanuſque Gallicus, occaſus illinc & Oceanus Atlanticus. *In libris legitur :* Septentrionis, Oceanuſque Gallicus. *Locum corrupiſſe non contenti, etiam quod cohærebat abruperunt importuna diſtractione, ut caput heîc novum facerent quo minime loco oportuit. Sic igitur perperam divulſa docuimus reconcinnanda :* Illo finitur Hiſpaniæ latus, & à circuitu ejus incipit frons Septentrionis, Oceanuſque Gallicus. *Adhuc unum vide quod heîc ſuccurrit mihi. Caput decimum quintum lib.* XXIV. *his verbis clauditur :* Ægyptus hanc maximè gignit. *Sequens quod eſt decimum ſextum iſtis inchoatur :* Quæ & Aron, de qua inter bulbos diximus, magnæ cum dracontio litis. *Quærerem ab his libenter quid illos moverit, ut capitis diſtinctionem heic probaverint, ubi nec interpunctionem ſententia deſiderat, quæ ſic concipi & conſui verba iſta vult :* Ægyptus hanc maximè gignit quæ & Aron, magnæ cum dracontio litis. *Huc adde quod ineptos alienos titulos, minimeque plenos, ſed parum reſpondentes argumento, ac materiarum varietati capite comprehenſarum paſſim ſuis illis diſtinctionibus indunt, quos nec auctor ſi reviviſceret, agnoſcat, nec alius paulo peritior probet.*

probet. Quod præcipuum est, sectione illa capitum prorsus dissimulatur, nisi etiam pereat artificium singulare quo usus Plinius in pertexendis libris Naturalis historiæ. Ita enim res diversissimas in speciem unius corporis colligit, ut de alia materia in aliam trajectio non appareat. Sic aptè omnia conjuncta sunt, ut transgressiones ipsæ lectorem fallant, vel si advertant, sententia semper aliqua id efficiant, quæ transitum surripit. Quod in illis pannis accidit, quos ita belle invicem sartos videmus, ut sutura latens texturam æquiparet, nec discerni possit oculis. Hac arte composita Metamorphosis Ovidii, cui sua non constaret industria, si ad singulas diversarum commissuras fabularum titulus aliquis insereretur qui transitionis esset index. Ut in tabulis examussim & ad unguem coagmentatis si quis latere nollet juncturam, sed aliquid eminens adponi cuperet, quo demonstraretur qua parte lignum ligno commissum esset, ludibrium planè deberet. Adscriptionem hanc titulorum ac lemmatum ad singulos tractatus parum frequentatam fuisse veteribus comperi. Agellius ipse cui propositum fuit variis de rebus commentationes distinctis ac separatis tractatibus expedire, non sicut Plinius fecit, qui naturam rerum more historicorum continenti scripturâ explicavit, eamdem tamen legem in commentariis suis quantum res passa est, cum Plinio tenuit, quoad capitum dispositionem ac materiarum seriem uno syllabo comprehensam. Nam statim post præfationem exposuit capita rerum universa quæ cuique commentario inessent, eodem quo Plinius consilio ac fini, ut statim declararetur, quid quo in libro quæri invenirique posset. Atque hoc ipsum professus est. Super ipsis autem capitibus nullas epigraphas impositas videre est in optimo ac diligentissimo scripto codice, qui non alio discrimine ea notata habet quam novo lineæ initio cum litera majuscula, adpositis ad marginem è regione Græcis elementis quæ numerum designant. Nam primum caput litera Α notatur, secundum Β, tertium Γ, quartum Δ, atque ita deinceps. Eodem prorsus modo antiquissima Novi Testamenti exemplaria in anteriore libri parte singulorum Euangeliorum præscriptam exhibent omnium capitulorum expositionem numerali serie dispositam, quæ ἔκθεσις τῶν κεφαλαίων vocatur. In ipso vero contextu nihil unicuique capitulo inscriptum legitur, sed adscripti tantum numeri, qui ordinem prodant qualis in summaria illa & universali ἐκθέσει descriptus est. Quod & in aliis plerisque libris veteribus servatum invenimus. Quia autem mentionem fecimus Agellianæ præfationis, ne quis eam frustra in ejus editionibus, quæ vulgatæ sunt, quærat, sciatur oportet, nullam hodie extare eo loco quem debuit occupare ex nominis ac rei merito, sed pessimo facinore in posticum libri rejectam esse ad finem ultimi capitis cum quo indivulsa serie cohæret. Capitis illius ultimi titulus est, Quid sit Sculnæ verbum positum apud M. Varronem. Quod ad rem quæ illo capite tractatur, attinet, finem accipit in illo versu qui & finis idem capitis:

Per Deos immortales nolite vos sequestro ponere.

Post hunc versum sequitur satis longa dissertatio quæ nihil habet cum illo capite commune aut conjunctum, quam nos præfationem esse volumus. Et sane ita est. Ut cohærere posset ac convenire cum illo postremo capite cui eam uno tenore subjunxerunt, sic ejus initium interpolarunt correctores: Atqui jucundiora alia reperiri queunt. Ipse autem ad hoc scripsi, ut liberis quoque meis paratæ istiusmodi remissiones essent. Transferendam esse omnino constat totam hanc dissertationem in eum locum qui præfationi debetur, ac legendum ejus exordium ex vetusto codice ad hunc modum: Jucundiora alia reperiri queunt. Ipse autem ad hoc scripsi, ut liberis quoque meis paratæ istiusmodi remissiones essent. Prologum esse auctoris Noctibus Atticis præfixum, præter antiqui codicis auctoritatem, omnia quæ ibi narrantur, clarè indicant. Institutum suum ac propositum scriptionis explanat. Quid scripserit, quo consilio & in quem finem scripserit. De Inscriptione etiam operis tractat, & rationem reddit, cur Noctes Atticas titulum commentationibus istis fecerit: occasione data ibidem carpit usitatas plerisque auctorum qua Græcis qua Latinis titulorum festivitates exemplis etiam allatis. Quod & Plinius similiter fecit in præfatione Naturalis Historiæ. Deinde aperit idem Agellius, quid consilii sibi fuerit in excerpendis notandisque rebus, quas in commentarios regessit. Plerosque ait ac præcipuè Græcos multa ac varia lectitantes in quas res cumque inciderent alba linea sine cura discriminis converrisse, quæ nec voluptati sit legere, aut cultui legisse, aut usui meminisse. Non idem sibi consilium

fuiſſe teſtatur. Egò verò, *inquit*, cum illud Heracliti Epheſii viri ſummè nobilis verbum cordi haberem, quod profecto ita eſt, introite, nam & hic dii ſunt, ipſe quidem volvendis tranſeundiſque multis admodum voluminibus per omnia ſemper negotiorum intervalla, in quibus furari otium potui, exercitus defeſſuſque ſum; ſed modica ex iis eaque ſola accepi, quæ aut ingenia prompta expeditaque ad honeſtæ eruditionis cupidinem utiliumque artium contemplationem celeri facilique compendio ducerent. *Locum integrum attuli, ut obiter reſtituerem inſigne illud Heracliti verbum pro quo correctiores ſubſtituerunt præclaram ſententiam,* Introite nam & heic Dii ſunt. *Unde expiſcati ſint, neſcio, ad rem non facere ſcio. Præterea Græcè conceptum oportuit Heracliti dictum. Et ſane Græca verba præfert vetus liber ſed corrupta ad hoc inſtar,* ΠΟΛΥΜΑΘΙΗ ΝΟΟΝ ΥΛΙΑΣΚΕΙ. *Ex his veſtigiis & mente auctoris facile eſt divinare,* πολυμαθίη νόον ὐ διδάσκει. Mentem bonam non decet varia & omnigena eruditio. *Græcos pleroſque in libris conſcribendis ſolam copiam ſectari dicit Agellius, &* πυλυανάγνωσίας *gloriam affectare: ſe vero memorem ſententiæ Heraclitea qui dixit ad bonam mentem non facere multarum rerum ſcientiam, ex multis quæ legerit modica accepiſſe fatetur, eaque tantum quæ vitæ potius prodeſſent; quam delectarent. Ita Seneca alicubi ſcripſit, non referre quam multi, ſed quam boni legantur libri. Lectionem certam prodeſſe, variam delectare. Quæcumque in illa diatriba tradit Agellius principio non fini conveniunt. Nec obſtat quod in ea ab eodem ſcribitur viginti commentariorum volumina ſibi jam facta eſſe. Abſolutis quippe demum commentariis præfationem, ut moris eſt, auſpicatus eſt. Nec aliter etiam nunc ſolent qui libros condunt. Quod primum locum habere debet, ultimo peragitur. Plinius non niſi perfectum opus præfatione dedicavit. Sic & Agellius. Ambo ſimili clauſula eam finierunt. Quid ſingulis libris contineretur, epiſtolæ liminari ſe ſubjunxiſſe ait Plinius, ut qui aliquid quæreret ſciret quo loco invenire poſſet. Ut eundem morem ita & pœne eadem verba uſurpavit Agellius:* Capita rerum quæ cuique commentario inſunt expoſuimus hic univerſa, ut jam ſtatim declaretur, quid quo in libro quæri invenirique poſſit. *Non hæc in fine libri, ſed in principio præfanda fuere. Immo & ſic fuiſſe factum his verbis proditur,* ut jam ſtatim declaretur, *priuſquam ſcilicet ingreſſus ad operis lectionem detur, jam ſtatim declarari vult quid in quoque libro contineatur. Hæc indicis ſedes in veterum libris omnibus, hæc etiam etymi ratio, quia indicaret ſummatim quibus de rebus tractaretur in ſequentibus libris. Aliud proprie* index, *aliud* titulus, *quamvis multi confundant. Titulus eſt* ἐπιγραφὴ *operis totius, qui uno plerumque vocabulo abſolvitur & in fronte inſcribitur.* Index *ſeries eſt materiarum per ordinem digeſta. Hinc* indices libros *dixit Varro qui ſummatim ac breviter aliquid deſcriberent, lib.* I. *de R. R. cap.* I. Quocirca ſcribam tibi tres libros indices, ad quos revertare, ſi qua in re quæ res quemadmodum quidque te in colendo oporteat facere. *Sic autem* libros indices *vocant qui ad inſtar indicum argumentum aliquod breviter complecterentur, ut* Annales libri *Sempronii Aſelli dicuntur Nonio & Agellio:* Libri Conjectanei *Capitonis eidem Nonio: item* libri Commentarii *apud Agellium. Hujuſmodi libros indices ſummatim &* κεφαλαιωδῶς *rem, de qua agitur, comprehendentes,* breviaria *ac* ſummaria *ſequens ævum Latinitatis appellavit, ut teſtatur Seneca lib.* V. *Epiſt.* XXXIX. Commentarios quos deſideras diligenter ornatos, & in anguſtum coactos ego vero componam, ſed vide, ne plus profectura ſit oratio ordinaria, quam hæc, quæ nunc vulgo breviarium dicitur. Olim, cum Latine loqueremur, ſummarium vocabatur. Illa res diſcenti magis neceſſaria eſt, hæc ſcienti. *Latinius eſſe vult* ſummarium *quam* breviarium. *Hodie* ſummaria *noſtri vcant capitum ſumma argumenta. Viris doctis placet hanc vocem non eſſe Latinam. Melius ſentirent ſi meminiſſent illius Senecæ loci.* Summas *eo ſenſu magis dici Latine quod iidem probant, non mihi perſuadent qui planè barbarum hoc puto. Aliud enim* ſumma *eſt, id nempe quod ex pluribus numeris coacervatum. Nam plura æra in unum ſubducta ſummam faciunt, quæ* συγκεφαλαίωσις *Græcè dicitur. Cicero in Hortenſio:* Quid tu inquam ſoles, cum rationem à diſpenſatore accipis ſi æra ſingula probaſti, ſummam, quæ ex his confecta ſit, non probare.

bare. *Quæ imitata sunt & tantumnon expressa ex his Æschinis in ea contra Ctesiphontem* : ἀλλ' ὅμως ὅταν ὁ λογισμὸς συγκεφαλαιωθῇ, οὐδεὶς ἡμῶν ἐστὶν οὕτω δύσκολος τὴν φύσιν, ὅστις οὐκ ἀπέρχεται τοῦθ' ὁμολογήσας καὶ ἐπινεύσας ἀληθὲς εἶναι, ὅτι ἂν αὐτὸς ὁ λογισμὸς αἱρῇ. *Glossæ* : summa, κεφάλαιον, ἐπὶ δανείου, ποσότης, συναρίθμησις. *Plinius in libro primo qui indices ceterorum librorum continet, enumeratis ac digestis particulatim rebus atque observationibus præcipuis ad finem cujusque indicis, eas in summam subducit ac colligit, his fermè verbis.* Summa. Res, & historiæ, & observationes tot. *Sic enim ubique legendum ac distinguendum, non ut est in editionibus* : Summa res historiæ & observationes. *Aliquot hic exempla notabimus, ut in indice libri* XV. Summa. Res, historiæ & observationes DXX. *Et lib.* XXI. Summa. Medicinę, & historię & observationes DCCXXX. *Lib.* XXXVII. Summa. Res & historię CIↃ CCC. *Et sic in aliis de quibus nos alibi. At* summarium, *pro quo* breviarium *ætas Senecæ usurpavit, & quod hodie sumitur pro capitis argumento, non ab hac summa nomen habet, quæ numerorum collectionem significat, sed à summis & præcipuis rerum capitibus, quæ velut per epitomen eo continentur.* In angustum coactos commentarios *Seneca vocat hæc summaria, quæ &* breviaria *dicebantur. Varro* libros indices. *Posteriora ævo Senecæ tempora Latinitatis* breves *nominarunt, subaudiendo libellos, vel commentarios. Ut apud Vopiscum in vita Bonosi* : brevis munerum fuit. *Vetus auctor dixisset* : Index munerum fuit. *Et idem Vopiscus in Aureliano* : brevem nominum conscripsit. *Seneca* indicem philosophorum *brevem, in quo philosophorum nomina conscripta erant epistola qua supra* : Sume in manus indicem philosophorum. Hæc ipsa res expergisci te coget. Si videris quam multi tibi laboraverint, concupisces & ipse ex illis unus esse. *Græci* κεφαλὴν *vocant summam ac præcipuam rem de qua quæritur. Hesychius* : κεφαλὴ, κεφάλαιον, τὸ ἄκρον ζήτημα. *Latini* summa rerum capita, *&* capita rerum *vocant. Virgilius* fastigia, *quod idem est* : sed summa sequar fastigia rerum. *Inde* Summarium *appellatum, quo res per hujusmodi summa capita compendiose signarentur potius quam explicarentur. Quod Græcis* ἐν κεφαλαίῳ, ἐν ἐπιτομῇ, κεφαλαιωδῶς, *Latini* summatim. *Certè ab eadem ratione plures numeros in unum coactos*, κεφάλαιον *iidem Græci vocarunt, Latini dicunt* summam. *quæ vox posita pro summatione*, ἡ κεφαλαίωσις, *ut* ancla *pro anclatione*, resona *pro resonatione*, orna *pro ornatione & alia sexcenta. Ita ergo &* summa *ex multis calculis & numeris in unum corpus collectio*, ἡ ὁμὰς, ἡ συναρίθμησις. Summarium *autem est* κεφάλαιον. *Immo* summarium *hoc proprie potius quod multa* κεφάλαια *complectitur. Nam* κεφάλαιον, *ut dixi, summa ac præcipua quæstio.* Capitalem quæstionem *liceat dicere. Sequior Latinitas* capitulum *reddidit* τὸ κεφάλαιον, *quasi* κεφάλιον *esset. Rectè Hesychius* τὸ ἄκρον ζήτημα *exponit. Causæ statim in Rhetoricis Theodorus* κεφάλαιον γενικώτατον *vocabat, id est, generalissimam quæstionem. Omnis quæstio de qua agitur, aut quæ tractanda proponitur, Græcis* κεφάλαιον *dicitur.* Articulum *quidam ex Latinis posterioris ævi appellarunt.* Summarium *igitur idem quod breviarium, quod plura ejusmodi summa* κεφάλαια *complectitur. Ex eo & tituli, qui breviter comprehendebant quid in unaquaque operis sectione ac divisione tractaretur, Græcis* κεφάλαια. *Eadem &* λήμματα, lemmata, *cujus vocis par significatio est atque* κεφαλαίου. *Sic enim Græci vocant, quæ alias* θέσεις *&* θέματα, *argumenta nempe, quæ assumi ac poni solent, ut illustrentur & explicentur. Philoponus in primum* ὑστέρων· ὡς πολλάκις τὸ αὐτὸ ὂν ἀποδειχθείη δῆλον καὶ ἐκ τῶν λημματίων. πλείοσι γὰρ περιτείνεται. ἕκαστος δὲ κατ' ἄλλην καὶ ἄλλην ἐπιβολὴν τὸ αὐτὸ ἐπιδείκνυσι. *Scholiastes Aristophanis ad Nebulas* : δοκοῦσι καὶ οἱ ἄλλοι κωμικοὶ ἀπὸ τῶν αὐτῶν λημμάτων οὐ τὰ αὐτὰ εἰσάγειν δράματα : *ab iisdem argumentis & titulis. Martialis* :

Vivida cum ponas epigrammata, mortua ponis
    Lemmata.

Idem in Apophoretis :

Lemmata si quæris cur sint adscripta, docebo.
    Ut si malueris lemmata sola legas.

Vides nè ipsis quidem epigrammatis perpetuo adscribi solita lemmata, quandoquidem heic se

dicit ideo adpoſuiſſe, ut qui vellet ſolos titulos perlegeret. Eamdem ſibi fuiſſe rationem Plinius prædicat, cur indices confecerit præcipuarum rerum & obſervationum libris ſuis comprehenſarum, ne libros ipſos perlegendi occupatis neceſſitas imponeretur qui poterant contenti eſſe indicibus. Hinc per indices ſapere *dicti veteribus qui ſolos eos legerent, neglectis integris monumentis. Cicero de Oratore lib.* II. In philoſophos veſtros ſi quando incidi deceptus indicibus librorum quod ſunt fere inſcripti de rebus notis & illuſtribus, de virtute, de juſtitia, de honeſtate, de voluptate, verbum prorſus nullum intelligo. *Heic indices videtur poſuiſſe pro epigraphis & inſcriptionibus librorum philoſophicorum, non pro eo genere quo ſumma faſtigia & capita rerum in unum faſcem collecta ac deſcripta ferebantur,* ἀναγραφὰς *Græci vocant, vel* πίνακας. *Etenim cum inſcriptos fuiſſe dicat,* τὰς ἐπιγραφὰς *intelligit. Cum* indicem philoſophorum *dixit Seneca verbis ante allatis, ſi quis pro eo* titulum philoſophorum *poneret, non mentem ejus impleret & aliud diceret. Per indicem philoſophorum intelligit* τὸν πίνακα, *ſive laterculum, in quo nomina Philoſophorum deſcripta ac digeſta habebantur. Titulus rem unam deſignat brevi nota, & uno plerumque vocabulo defungitur, ſæpe & pluribus. Titulus ſepulcri vocatur* ἡ ἐπιγραφὴ, *quæ ſolum habet defuncti nomen, vel etiam epigramma multis conſtans verſibus & elogium mortui continens. Titulus etiam libri pro inſcriptione, ſive ea propria ſit, ſive impropria, & aliena, ut qui libros ſuos inſcripſerunt* Μούσας, Λύχνους, λειμῶνας, *& ſimilia. Unica plerumque dictione hæ inſcriptiones peraguntur. Propriæ ſunt & verè indices cum rem de qua agitur demonſtrant, ut illi indices librorum philoſophicorum de ſapientia, de juſtitia, & virtute inſcripti. Sic index etiam pro titulo, ut etiam apud Agellium in præfatione:* Neque item deſunt qui indices libris ſuis fecerint aut epiſtolarum moralium aut epiſtolicarum quæſtionum. *Martialis:*

> Et cocco rubeat ſuperbus index.

Libri titulum & ἐπιγραφὴν *ſignificat. Tibullus:*

> ----- quid quaque index ſub imagine dicat.

Titulum imaginis dicit. Latior vero indicis notio quam tituli. Nam & plures titulos & nomina rerum vel perſonarum complexus libellus index *nuncupatur; qui dici non poſſet* titulus. *Ut* libri indices *Varroni, &* index philoſophorum *Senecæ,* ὁ πίναξ τῶν φιλοσοφησάντων. *Callimachi liber fuit in quo omnium auctorum ſcripta percenſuerat, auctoris nomine indicato & titulo operis verſuumque quot quodque opus conſtabat ſubnotato, ut moris erat tunc. Veteres hoc ſcriptum vocant,* τῶν παντοδαπῶν συγγραμμάτων πίνακα. *Latine vertere licuerit* librum indicem omnigenûm ſcriptorum. *Hinc Plinius inter titulos, quibus Græci libros ſolent feſtive ac feliciter inſcribere,* πίνακα *recenſet.* Pinax, ſchedion. *Ita enim ibi ſcribendum, non* pinacidion. *Lamprias Plutarchi filius catalogum ediderat librorum patris, quem* πίνακα *vocavit, &* ἀναγραφὴν ὧν ὁ πατὴρ ἔγραψε. *Suidas:* Λαμπρίας, Πλουτάρχου Χαιρωνέως υἱὸς ἔγραψε πίνακα, ὧν ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἔγραψε. *Ipſe* ἀναγραφὴν *vocat, id eſt, indicem in præfatione:* καὶ τὴν ἀναγραφὴν ὧν ἠθέλησας ἔπεμψά σοι τῶν τοῦ πατρὸς βιβλίων. *Vocant etiam abſolute Genethliaticorum* πίνακα *ut ipſe Plutarchus in vita Romuli de Tarruntio Mathematico, quem ſcribit etiam* ἁπτόμενον τῆς περὶ τὸν πίνακα μεθόδου, *& genethliacam ſcientiam attigiſſe ſignificat.* Ephemerida *Juvenalis appellat iſtam* πίνακα *Chaldæorum:*

> In cujus manibus ceu pinguia ſuccina tritas
> Cernis ephemeridas.

Veteres Arabes hunc Aſtronomicum πίνακα *proprie dixerunt* Almanach, المنخ *Porphyrius apud Euſebium:* Ἀλμεναχὸν *vel* Ἀλμενάχιον. *Ita enim legendum:* τὰς δὲ εἰς δεκανοὺς τιμὰς, καὶ τοὺς ὡροσκόπους, καὶ τοὺς λεγομένους κραταιοὺς ἡγεμόνας, ὧν καὶ τὰ ὀνόματα ἐν τοῖς λεγομένοις Ἀλμαναχοῖς φέρεται. *Intelligit Aſtronomicos indices quos abſolute* πίνακος *nomine vocat Plutarchus, Juvenalis autem* ephemerides. *Quod eam vocem Arabicam vir doctiſſimus à Latino* Manacus *vel* Maniacus *deducit, quod à Græco* Μηνιαῖος *inflexum eſſe dicit, id eſt lunaris, plane hallucinatur. Arabicum illud* Manach منخ *ex Hebræo venit* מָנָה. *Quod eſt numerare.*

Inde

Inde Manach *& cum articulo* Almanach *laterculus vel index in quo res plures nominatim numerantur & ordine recensentur.* Πίνακα *Græci vocant. Unde &* πίναξ ἀστρονομικὸς *Genethliacorum in quo descripta nomina Horoscoporum decanorum & alia hujusmodi ad genesin cujusque ex astris colligendam facientia sic vocata. Hodie quoque sic vocamus Arabica voce* τὰ ἡμερολόγια, *sive Calendaria vulgo nuncupata quæ festos ac profestos dies totius anni per ordinem digestos habent, adnotatis insuper & lunaribus incrementis decrementisque, & præterea variarum tempestatum prognosticis ex obitu & ortu siderum. Quidam etiam ita appellarunt horologia solaria. Quidquid denique res diversas, per seriem digestas, ac numero certo collectas, novisque subinde initiis conscriptas continet, hoc nomine potest vocari. Ut* ὡρολόγια, ἡμερολόγια, μηνολόγια, *& similia. Non igitur à lunari circulo hoc nomen ductum quem* Manacum *Latini dixerint, propria inflexione ex Græco* μανιαῖος. *Nec hilum juvat sententiam viri docti* Manacus circulus *apud Vitruvium lib.* IX. *cap.* VIII. *his verbis, quæ vulgo corrupta sunt:* circinatio circuli menstrui agatur, qui Manacus dicitur. *Omnino legendum* qui menacus dicitur, *id est,* μηναῖος. *Ast Arabicum* Manach *à numero vel serie dictum. Ab eadem origine derivant &* מָנֶה *quæ mina est vel* μνᾶ *Græcorum, numerus nempe vel coacervatio plurium nummorum. Est & apud Esaiam* מְנִי *pro numero cap.* LXV. XI. *Quidam de numero stellarum interpretantur, alii de Mercurio qui numerationi ac proinde negotiationi præsidet. Nonnulli simpliciter numerum esse volunt qui Pythagoræis sacer fuit. Sed omnino is Deus est, quem Græci eadem plane voce appellarunt* Μῆνα, *cui templa in Phrygia, Armenia & aliis locis. Meminit Strabo* Μηνὸς *cognomento* Φαρνάκου, *cui templum in Armenia: item* Μηνὸς *cognomento* Κάρου, *cui fanum in Phrygia. Jamblichus in vita Pythagoræ tradit ex sententia illius philosophi gallum gallinaceum sacrum haberi* τοῦ Μηνί. *Verum de his alibi. Arabicum* Almanach *idem prorsus sonat quod Græcorum* πίναξ, *brevis in quo res plures ordine enumerantur ac recensentur, ut Plutarchus absolute* πίνακα *de mathematico dixit, ita Arabes* Almanach. *Cæterum ut ad rem redeam; indicum in libris conficiendorum longe alia quam nunc antiquitus ratio fuit, alia sedes, alius usus fuit. In primore voluminis parte statim post præfationem locabantur, non in contraria, nec per literas digesti, sed juxta seriem materiarum sicut in libro erant expositæ ordinati. Non res omnes minimas maximas, cum verbis etiam notabilibus, ut hodie plerumque fit, sed sola præcipua rerum capita continebant. In hunc usum porro parabantur, ut statim in principio oculis subjiceretur, quid in eo opere, cujus is index foret, scriptum inesset, & intelligeret quisque quid legendum haberet, atque in promptu etiam esset quærere aliquid volentibus, ubi id inveniendum jaceret. Studebant tunc temporis homines ac legebant. At nostrorum deliciæ nunc vix ferendæ sunt. Non solum omnia fiunt ut labor studiis minuatur, sed etiam ut nihil laboretur. Hinc plerique nihil sciunt, nihil sapiunt nisi per indices. Si qui paulo ex his diligentiores haberi volunt, & suam operam lucubrationibus auctorum evolvendis commodare non gravantur, heic tamen etiam delicatulos ostendunt; ac stationes mutationesque ut in longo itinere, subinde expetunt quibus sæpius interjungere possint & animum lectione fatigatum reficere. Et fatalis adeo hæc desidia hodie in literis regnat, ut nullus probetur liber qui non sit per minutias capitum & titulorum fractus atque concisus. Suetonium ita nobis adornarunt, Tacitum atque Herodotum aliosque. Qui hoc faciunt, ita nimirum sibi persuasum habent non aliter evenire libros legentibus quam iter facientibus quibus lassitudines sensum surripiunt milliariis signis notata intervalla. Quæ spatiorum metæ quo sunt crebriores positæ, viatori majus inde levamen accedere putant, quem non tantum juvat scire quot leucæ supersint emetiendæ, sed etiam quot jam emensus sit. In ea cogitatione atque æstimatione tam confectæ quam conficiendæ viæ animus occupatus ac longitudinem ejus sensim decrescentem semper computans, prius ad finem tandem pervenit, quam pervenisse se sensit. Non damno quidem hæc intervalla in libris signari, sed quid veteres fecerint indicare volui. Non nescio & plerisque antiquorum usitatam hanc rationem quæ libros in varia* τμήματα *partitur, sed antiquissimis horum minus celebratam reperio. Ante annos mille & citra præcipuè invaluisse hanc consuetudinem apud Græcos & Latinos scriptores certum est. Hinc recentiores librarii ve-*

tustiorum auctorum continentia scripta quamvis ad hoc instar secta ac divisa non essent, morem sequuti temporum suorum, partitionibus ejusmodi ac titulorum inscriptionibus inquinarunt verius quam exornarunt, quemadmodum eos fecisse animadvertimus in Plinii, Solini, Quintiliani, Vitruvii, & aliorum quampluri-um monumentis. Ne de Aristotelis ac Theophrasti operibus dicam, quæ perpetuo tenore ab illis contexta, non alia quam librorum distinctione, similiter accepta sunt & laciniatim defrustata epigraphis inditis. Librorum distinctiones τόμους & λόγους, & βιβλία Græci appellant. Τεῦχος vero quod plures libros comprehendit. Minores subdivisiones τμήματα & κεφάλαια. Hebræi quoque antiqui hujusmodi librorum ac capitulorum sectiones in usu ac more habuerunt. Scriptura sacra non solum in libros, sed etiam in capita, nec solum in capita, sed in versus divisa est. Arabes eadem omnia genera divisionum agnoscunt. Majus τμῆμα sive segmentum vocant, فن Fen. & cum articulo الفن Alfen à verbo فنن quod est dividere, & distinguere. Fortasse ab Hebr. פִּנָּה quod significat angulum, sed & pinnas muri crebris divisionibus & incisuris discretas. Unde & duces & capita populi פִּנּוֹת. Minus tmema nominant فصل Feslon, cui respondet Græcorum κεφάλαιον. Articulum proprie denotat. Unde مفصل in antiquo Glossario junctura & compago artium exponitur. Alcorani capita vocantur suræ سورة. Quæ vox gradus cum proprie significat ac passus pro intervallis ac spatiis quibus totus ille liber distinctus est usurpatur, à verbo سار quod est ire & ambulare. Ita & Hebraicum, שור. Unde & مسيرة Masira, spatium, iter, in antiquo Glossario explicatur. Ab eadem significatione & lectio, sive pensum, quod pueris in schola ediscendum proponitur, suram etiam vocarunt. Latini appellant dictata. Inde & suras illas Alcorani quidam asserunt dictas quasi ab Angelo dictatas Muhammedi, ut ipse credi voluit. Pro qualibet distinctione ea vox potest intelligi. Certa tmemata pueris proponuntur quæ & Græcis λήμματα vel λημμάτια ex aliquo auctore desumpta, ad discendum, iisdem fere semper spatiis definita. Inde & pro libri distinctione vel sectione ea dictio usurpata. Sic κεφάλαια Græci in eadem notione posuerunt cum quæstiones propositæ eo vocabulo propriè signarentur. De quibus supra. Sed & transire Latini dicunt pro legere. Ut apud Agellium: transeundis multis admodum voluminibus, id est, legendis. Cassiodorus lib. I. Inst. Divin. script. Cui tantum in bonis dictis Chresimon, in malis Achreston quantum transiens valui reperire, id est, legens. Item de Scriptis Origenis: In operibus ejusdem quantum transiens invenire prævalui, loca quæ contra regulas patrum dicta sunt Achreston repudiatione signans. Agellius lib. IX. cap. IIII. Libros plurimos ære pauco emo, eosque omnes duabus proximis noctibus cursim transeo. Ita & Græci dicunt τὰ βιβλία διεξιέναι & διεξέρχεσθαι. Inde igitur & lectio Arabice sura à transeundo, quasi transitio. Et lectiones divinas quasi sonant illæ suratæ, quarum collectio dicitur Alcoranum. Nam & verbum Dei vocant Arabes illud scriptum cum aliquid ex eo citant. Græci θεῖα προστάγματα ab illis vocari tradunt illas suras, quasi prælectiones divinas illa voce intellexerint. Quacunque ex re nomen invenerint illæ suræ Alcorani, centum & quatuordecim numero sunt, quæ & versuum quibus constant numerum habent adscriptum. آية illi vocant versum, quod est quasi signum vel nota. Græci quoque veteres ac Latini in scriptis suis versuum numerum diligenter adnotabant, & librarii ad finem operis semper adscribere solebant quot versuum esset opus quod præcessisset, sive prosa oratione compositum foret, sive versa. Sed longè alia fuit ratio versuum apud Græcos & Latinos quam apud Hebræos & Arabes scriptores. Versum Latini ut Græci στίχον appellarunt lineam quamcunque in pagina præductam, sive sententiam impleret, sive imperfectam relinqueret in sequenti linea absolvendam, aut etiam tertia vel quarta. Harum linearum rationem habebant in computando versuum numero cujusque libri. Sed & operis magnitudinem versuum multitudine metiebantur. Unde πολύστιχον βιβλίον pro magno passim apud Photium: μέγα καὶ πολύστιχον βιβλίον. Quintilianus lib. VII. cap. I. Multis milibus versuum scio apud quosdam esse quæsitum quomodo inveniremus utra pars deberet prior dicere. Vides per versus collegisse mensuram alicujus scripti, non per capita vel sectiones. Ex quo etiam argumentum duci potest distinctiones capitum in libris raro tum usurpatas fuisse.

Στίχον

Στίχον *Græci appellant &* ϛοῖχον *ſeriem in longum porrectam, & quaſcunque res una facie directas ac digeſtas. Lineam in ſcriptura ſic nominarunt, & verſum in poëſi, quia lineam ſuam ſinguli verſus occuparent etſi interdum non explerent. In carmine obtinuit ut* verſus *proprie dicerentur* τὰ ἔπη. *Hinc* verſa oratio *quæ proſæ opponitur.* Verſus *tamen Latinis dictus tam ſolutæ orationis linea quam metricæ. Quin & ſulcum in arato vocarunt* verſum *quo peracto convertitur aratrum ad alterum ſulcum inchoandum. Plinius lib.* XVIII. *cap.* XIX. In arando verſum peragi, nec ſtrigare in actu ſpiritus. *Hebræi hunc verſum quem in arando boves faciunt appellant* מַעֲנִית. *Scribendi etiam fuit modus antiquiſſimus in Græcia quo verſu abſoluto à dextra ad ſiniſtram ab eodem fine ſequentem auſpicabantur, à ſiniſtra ad dextram.* Βουϛροφηδὸν *id appellabant, ut notatum Pauſaniæ Eliacῶn primo:* σχήματα δὲ ἄλλα τῶν γραμμάτων βουϛροφηδὸν καλοῦσιν Ἕλληνες, τὸ δὲ ἐϛὶ τοιόνδε. Ἀπὸ τοῦ πέρατος τοῦ ἔπους ἐπιϛρέφει τῶν ἐπῶν τὸ δεύτερον, ὥσπερ ἐν διαύλου δρόμῳ. *Iſidorus:* Verſus autem vulgo vocati quia ſic ſcribebant antiqui ſicut aratur terra. A ſiniſtra enim ad dexteram primum deducebant ſtilum, deinde convertebantur ad inferiorem & rurſus ad dexteram verſus deducebant: quos & hodie ruſtici verſus dicunt. *Præter indices igitur qui in fronte prima libri collectam exhibebant materiarum ac præcipuorum capitum ſummam, inibant & numerum verſuum cujuſque operis, & ſummam inde confectam ad finem codicis adnotare ſolebant. Callimachus* πίνακα *conſcripſerat quo recenſebat omnium auctorum ſcripta qui vel pedeſtri ſermone, vel metro inclaruerant. Quot verſuum eſſent ſingula opera diligenter admonuerat ſubſcripto ad finem cujuſque numero, ut ex multis locis Athenæi obſervare eſt. Legum indicem ſimiliter confecerat, & quot verſus unaquæque haberet ſimili quoque modo recenſebat. Athenæus lib.* XIII. ἀνέγραψεν αὐτὸν Καλλίμαχος ἐν τῷ τρίτῳ πίνακι τῶν νόμων, καὶ ἀρχὴν αὐτοῦ τήνδε παρέθετο, ὁ δὲ νόμος ἴσος ἐγράφη, καὶ ὅμοιος ϛίχων τριακοσίων εἴκοσι τριῶν. *Sæpe etiam Diogenes in philoſophorum ſcriptis recenſendis, & numerum verſuum adponit. Ut in Speuſippo:* Τάξεις ὑπομνημάτων, ϛίχοι μ, γ, δ, ο, ε. *Et in Xenocrate:* περὶ γεωμετρίας, α, β, ϛίχοι μ, κ β, δ, σ, λ, θ. *Hoc perſæpe ſum miratus cur adeo accuratè laborarint numerum verſuum referre quot cujuſque liber conſtaret, & ex eo magnitudinem operis intelligendam dare, quaſi omnium exemplarium eadem forma eſſet, aut idem in omnibus quæ deſcriberentur ſcripturæ modus. Minutis quippe literis ſcriptum exemplar & in minore charta aut membrana longe plures verſus habere neceſſe eſt quam grandiuſculis & in majoris formæ codice exaratum. Admodum itaque incertam hanc fuiſſe rationem oportet, ad deſignandum certum verſuum numerum, & ex eo æſtimandam ſcripti cujuſque menſuram, cùm differentiam adeo notabilem induceret literarum atque exemplarium diſparitas. Exempli gratia cum dixit Callimachus hujus aut illius auctoris ſcriptionem tot verſibus conſtare, codicum quibus uſus eſt, ſcripturam conſideravit. An vero putandum omnia quæ tunc extabant in diverſis Græciæ locis deſcripta ejuſdem operis exemplaria parem habuiſſe verſuum numerum, cum pari modulo literarum, & forma codicis prorſum ſimili? Ita videtur. Alias abſurdum foret rem adeo vagam, & pro varietate librorum mutabilem ſub aliquam certam velle redigere ratiocinii legem, atque ex uno præſcribere quod ad omnes non poſſet pertinere. In poëmatis expeditior ac certior fuit ratio, ubi ſemper idem numerus* ἐπῶν *in quocunque libro. Stephanus in voce* Μίλητος *de Timotheo:* καὶ Τιμόθεος ὁ κιθαρῳδὸς ὃς ἐποίησε νόμων κιθαρῳδικῶν βίβλους ὀκτωκαίδεκα εἰς ἐπῶν ὀκτακισχιλίων τὸν ἀριθμὸν καὶ προνόμια ἄλλων χιλίων. *Ita legendum. Ex his igitur colligimus, probabili ut opinor argumento, antiquarios qui per ea tempora libros deſcribebant ſemper eundem ſervaſſe numerum verſuum quem in antiquioribus codicibus reperiebant. Sed & certa forma varias paratas chartas & membranas fuiſſe conſtat, quarum huic generi ſcriptorum excipiendorum dicatæ aliæ eſſent, huic aliæ. Martialis in Apophoretis* chartas majores *appellat in quibus poëtæ ſua carmina ſcribebant.*

Non eſt munera quod putes puſilla
Cum donat vacuas poëta chartas.

Aliæ ſunt epiſtolares chartæ apud eumdem exarandis epiſtolis idoneæ. Chartæ epiſtolares.

Seu leviter noto, ſeu caro miſſa ſodali
Omnes iſta ſolet charta vocare ſuos.

Vitelliani pugillares vel codicilli proprie nomen habebant, in quibus ad amicam ſcribi ſolebat. Idem Martialis ſub lemmate Vitelliani:

Nondum legerit hos licet puella,
Novit quid cupiant Vitelliani.

Plura genera chartarum enumerat Plinius nominibus diverſis, quæ & diverſis erant literarum generibus dicata. Auguſteam ab Auguſto denominatam majoris formæ commemorat, item Livianam in honorem Liviæ dictam, & Hieraticam quæ ad ſacros libros ſcribendos eligebatur. Saïticæ & Taniticæ meminit à locis Ægypti in quibus curabantur: item Corneliane à Cornelio inventæ. Fuere & μακροκόλλα *in majore modulo adglutinata. Perperam vulgo vocantur* μακρόκωλλα. *Nam &* ἐσχατόκολλον *&* ἐσχατοκόλλιον *ſuprema libri pagina dicebatur, ut prima* πρωτόκολλον, *ſicut alibi notavimus. Fuit & emporetica charta quæ ſolis mercium involucris ſerviebat. Ex his omnibus chartarum generibus aliæ aliis conſcribendis monumentis uſum præbuerunt, ut clare indicat Iſidorus non contemnendus in multis auctor.* Quædam, *inquit*, genera librorum apud gentiles certis modulis conficiebantur. Breviore forma carmina atque epiſtolæ. At vero hiſtoriæ majore modulo ſcribebantur. *Pugillarium quoque ac ceratorum codicum forma certa erat, & ex verſuum numero colligebatur quam longi tractatus in his perſcripti eſſent, ut ex hoc Quintiliani loco perſpici poteſt lib.* x. *cap.* III. Ne latas quidem ultra modum eſſe ceras velim expertus juvenem ſtudioſum alioquin prælongos habuiſſe ſermones, quia illos numero verſuum metiebatur: idque vitium quod frequenti admonitione corrigi non potuerat, mutatis codicibus eſſe ſublatum. *Morem hunc porro numerandorum in libris verſuum ac notandorum uſque ad extrema tempora Græciæ duraſſe patet ex præfatione Juſtiniani in Pandectas. Pauli Silentiarii* ἔκφρασις *templi Sanctæ Sophiæ in fine poëmatis adnotatum habet in antiquiſſimo codice:* στίχοι ὁμοῦ ἡρωικοὶ, ͵ασ ἰαμβικοὶ ρν. *Diverſiſſimus ab his modus verſuum in Hebraicis & Arabicis ſcriptis quos eorum Critici computant, & ex quibus veluti portiunculas capitum faciunt. Periodi illi potius quam verſus vocandi. Sententiam enim ut plurimum perfectam continent, & aliquot verſibus ſive lineis conſtant, interim pluribus, interim paucioribus, & inæquali ſemper filo ſunt. Notis autem & accentibus quibuſdam diſtingui ſolent, tam apud Hebræos quam apud Arabes. In Græcis vero ac Latinis monumentis æquales perpetuo verſus ac pari facie nulla alia diſtinctione invicem diſſiti, præterquam linearum. Singuli quippe verſus totidem ſunt lineæ. Græci tamen pariter Latinique* στίχους *&* verſus *appellarunt periodos illas, ſive particulas in quas diſſectæ ſunt capitum Sacræ Scripturæ ſectiones. Antiquiſſimus codex laterculum habet Græcè quo expoſita eſt menſura verſuum univerſorum operum veteris ac novi Teſtamenti,* στιχομετρία *vocatur. ita enim inſcribitur:* ὅσαι εἰσὶ θεῖαι γραφαὶ ἐκκλησιαζόμεναι καὶ κεκανονισμέναι, καὶ ἡ τούτων στιχομετρία οὕτως. *Alia ſimpliciter* στιχομετρία *Bibliorum Latina extat in vetuſtiſſimo codice Bibliothecæ Clariſſimorum Puteanorum, quo Epiſtolæ Pauli Græcè & Latinè majuſcula litera ſcriptæ continentur cum hoc titulo:* Verſus Scripturarum ſanctarum ita. *Utraque* στιχομετρία *invicem corporata multam prodit differentiam. Græca Geneſeos libro verſus tribuit mille ac trecentos.* Γένεσις. στίχοι ͵ατ. *in Latina numerantur quatuor milia & quingenti Geneſis verſus* IIII D. *vulgo numerantur ex Hebraico in Geneſi verſus mille quingenti ac triginta duo. Eadem diverſitas in aliis deprehenditur. Liber Pſalmorum Davidis in antiquo Græco Syllabo verſuum aſſignata habet quinque milia & centum:* βίβλος Ψαλμῶν στίχοι ͵εφ. *in Latino breviculo quinque milia tantum numerantur.* Pſalmi Davidici, *verſus* V. *Longum eſſet reliqua excutere & nullum in his operæ pretium. In novi etiam Teſtamenti verſibus metiendis mira diſcordia in veteribus libris. Vetus* στιχομετρία *Euangeliorum verſus ſic in numerum collectos & expoſitos præfert:*

Εὐαγγέ-

Εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον στίχοι ͵βφ.
Εὐαγγέλιον κατὰ Μάρκον στίχοι ͵β.
Εὐαγγέλιον κατὰ Λοῦκαν στίχοι ͵βχ.
Εὐαγγέλιον κατὰ Ἰωάννην στίχοι ͵βτ.

At in libro antiquissimo Euangeliorum Græce scripto alia denumeratio habetur ad hunc modum.

Εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον ἔχει στίχους ͵βφξ.
Εὐαγγέλιον κατὰ Μάρκον ἔχει στίχους ͵αχις.
Εὐαγγέλιον κατὰ Λοῦκαν ἔχει στίχους ͵βψν.
Εὐαγγέλιον κατὰ Ἰωάννην ἔχει στίχους ͵βκδ.

Lubet cum his conferre & Latinum veteris libri calculum qui ab utroque Græco dissentit, & sic habet. Euangelia quatuor. Matthæus versus ĩĩ DC. Joannes vers. ĩĩ. Marcus vers. ĩ. DC. Lucas vers. ĩĩ. DCCCC. *Ex brevissimo scripto facillimum duci potest exemplum quanta in his veterum inter se dissensio fuerit, & cum nostris quoque exemplaribus dividia. Epistola Pauli ad Philemonem ex vulgari distinctione nostrarum editionum versus continet viginti quinque. In antiquis exemplaribus computantur triginta septem.* Πρὸς Φιλήμονα στίχων λζ. *In antiquo Latino laterculo habentur quinquaginta.* Ad Philemonem versus L. *Hæc alibi expendemus. Nunc sufficiet in exemplum pauca ista sublegisse. Parum autem visum fuit versus in calculum deducere nisi & verba ipsa ad digitos mitterent, quorum numerum ex Euangeliis recensuisse & in summam coegisse quosdam olim curiosos fidem hæc facient quæ in antiquis libris reperio.*

Ἐκ τοῦ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγελίου, ἐγράφη ἑβραϊστὶ ἐν Παλαιστίνῃ μετὰ ἔτη ὀκτὼ τῆς ἀναλήψεως τοῦ κυρίου. Ἔχει δὲ ῥήματα ͵βφκϛ. στίχους δὲ ͵βφξ.

Εὐαγγέλιον κατὰ Μάρκον ἐγράφη Ῥωμαϊστὶ ἐν Ῥώμῃ μετὰ ἔτη ιβ τῆς ἀναλήψεως τοῦ κυρίου. Ἔχει δὲ ῥήματα ͵αχοε. στίχους ͵αχις.

Ἐκ τοῦ κατὰ Λοῦκαν Εὐαγγελίου, ἐγράφη Ἑλληνιστὶ μετὰ ἔτη ιε τῆς ἀναλήψεως τοῦ κυρίου εἰς Ἀλεξάνδρειαν τὴν μεγάλην. Ἔχει δὲ ῥήματα ͵ϛωϛ. στίχους ͵βψν.

Ἐκ τοῦ κατὰ Ἰωάννην Εὐαγγελίου, ἐγράφη Ἑλληνιστὶ εἰς Ἔφεσον μετὰ ἔτη λ' τῆς ἀναλήψεως κυρίου. Ἔχει δὲ ῥήματα ͵αϡλη, στίχους ͵βκδ. ἐπὶ Δομετιανοῦ βασιλέως.

An recte & exacte harum rationum calculus positus sit quæ verba in censum detulerunt supervacui laboris est disquirere, neque tempus, aut locus nunc est isti curæ. Plinius rerum, observationum, historiarum, medicinarum summas quæ singulis libris inessent, in indice collegit. Sciendum autem extare in Bibliotheca Regis codicem Tusculanarum Quæstionum manu exaratum satis magnæ vetustatis, in quo non ordine continuo sicut in aliis tralatitium est, libri descripti feruntur, sed saltuatim per inæquales periodos eo prorsus modo quo Biblia sacra videmus. Vulgus doctorum existimat versus esse quales commemorari ac connumerari solitos antiquitus observavimus. Sed contrarium ex his quæ supra disputavimus elucescere potest. Atque hactenus de his quibus commentandis occasionem præbuit index Solini. Præter eum quem edi curavimus, in pluribus libris repertum, alius etiam extat in codice qui olim Petri Danielis fuit, longe copiosior, sed principio mutilus, & mendis innumeris refertus. Quem quia etiam certissimis indiciis Solini ipsius non esse, sed ab aliquo studioso curatum deprehendimus, non judicavimus dignum qui ederetur. Tenorem dispositionis per illud indicis corpusculum declarare se tantum voluisse fatetur Solinus, ac proinde summa capita duntaxat exposuisse verisimile est, sicut etiam fecit Plinius, non omnia minima maxima digessisse sicut in illo altero indice habentur descripta. Versu etiam valuisse hunc Solinum & aliquid in eo genere composuisse comprobat fragmentum Ponticōn quod in exemplari Regio vetustissimo ad finem hujus opusculi subjectum reperi. Cum hoc titulo, INCIPIT EJUSDEM PONTICON. *Sequebantur versus à clarissimo Pythæo jam editi inter fragmenta veterum poëtarum, non indigni qui & heic legantur emendatiores ex veteri illo quem dixi libro :*

*****

Tethya

Prolegomena

Tethya marmoreo fœcundam pandere ponto,
Et salis æquoreas spirantis molle catervas,
Quæque sub æstifluis Thetis humida continet antris
Cœptantem Venus alma fove: quę semine cœli
Parturiente salo, divini germinis æstu,
Spumea purpureis dum sanguinat unda profundis,
Nasceris è pelago, placido Dea prosata mundo.
Nam cùm prima foret rebus natura creandis
In fœdus connexa suum, ne staret inerti
Machina mole vacans, tibi primum candidus æther
Astrigeram faciem nitido gemmavit olympo.
Te fœcunda sinu tellus amplexa resedit
Ponderibus fundata suis, elementaque jussa
Ætherias servare vices. Tu fœtibus auges
Cuncta suis: Totus pariter tibi parturit orbis.
Quare Diva precor, quoniam tua munera parvo
Ausus calle sequor, vitreo de gurgite vultus
Dextera prome pios, & lumine læta sereno
Pierias, age, pande vias. Da Nerea molli
Pacatum gaudere freto, votisque litata
Fac saltem primas pelagi libemus arenas,
Vos quoque qui resono colitis cava tempea citu.

Reliqua desunt. An opus absolverit incertum. Titulus operi fuit, Ποντικά. Melius inscripsisset Πόντια. Res enim marinas, hoc est, animalia maris, pisces omne genus eo libro enarraverat, vel, ut ipse ait, æquoreas catervas, quod argumentum fuit Ovidiani poëmatis, cujus inscriptio Halieuticῶn. Quidquid ad hoc genus pertinet πόντιον dicendum, id est, marinum, non Ποντικόν. Hoc enim gentile à regione Ponti, vel mari ipso, quod Ponticum, vel Pontus absolutè dicitur. At πόντιον quidquid ex quolibet mari est. Sic πόντια ῥάκη, marini panni, de spongiis: πόντιον φῦκος, marina alga: πόντιαι πορφύραι quæ in alto mari reperiuntur, quæ & πελαγίαι appellatæ. Pelagias vocat Plinius. Sic πόντιον οἶδμα poëtis & πόντιον ὕδωρ. Hinc & διαπόντιος transmarinus. Aliud itaque πόντιον, aliud ποντικόν. Atqui πόντια voluit tractare noster Solinus, non Pontica, ut titulus promittit. Nunc de opera nostra aliquid præfandum, ut qua in re meliorem fecerim Solinum constet, & quibus copiis fretus hoc præstiterim. Textum ipsum passim emendavimus, lectionibus nonnisi ex certissima conjectura receptis, aut plurium codicum auctoritate firmatis. In quo non parvi laboris negotium fuit in tam læta ac luxuriante mendorum segete, inter tantam scripturarum varietatem confuso geminarum editionum discrimine, quid ex priore sumptum esset, quid ex posteriore, minime ambiguis signis discernere. Etenim prodita jam editione hujus opusculi, ut antea dicebam, & pluribus publicata exemplaribus quam ut è medio tolli posset, auctor de altera dedolanda consilium cepit qua priorem damnaret, atque etiam, si fors velificaretur, supprimeret. Qua in re cum votum ejus non juverit eventus, ex eo factum, ut alii codices ex prioris editionis exemplaribus describerentur, alii vero ex posterioris. Utriusque generis in bibliothecis servati ac propagati ad nos usque pervenerunt, quos hac nota distinctos internoscere sic datur. Qui ex prima editione exemplati sunt, in his nec prior epistola legitur, nec index rerum ab ipso Solino compositus. Qui ex secunda descripti fuerunt, utrumque habent. Atque isti ferme sunt qui inscriptionem illam præferunt quam in editione à se recognita obtinere voluit, POLYHISTOR. In aliis qui epistola carent & indice, altera inscriptio prænotatur COLLECTANEORUM, quam ipse auctor cum aliis quæ improbavit, etiam obliterari sibi placuisse testatus est. Quædam etiam exemplaria satis vetusta inveniuntur quæ utramque epigraphen retinent Polyhistoris & Collectaneorum, & in ipso textu sæpe in geminas lectiones simul positas quas ex utraque editione venire intelligi par est. In aliis scripturæ varietas ex altera ἐκδόσει adnotata est.

Ex

Ex qua causa videmus accidisse, ut monstra mendarum, lectiones nempe complures ex utraque scriptura concretæ, & alii errores innumeri, correctionumque varia somnia in editiones vulgares propagata ac disseminata sint. Neminem hîc nominatim tangere necesse habeo, aut aliorum laborem carpere ut meum commendem, illud tamen video meo jure ac summa fiducia pronuntiare posse, ut omnium editionum Solini, quæ hactenus prodierunt, castigatissima habenda quam dedit Elias Vinetus ex fide vetustiorum librorum sinceriter emendata, ita pessimam ducendam dicendamque Delrianam quæ usque adhuc pravo judiciorum ambitu optimæ laudem aucupata est, locumque nullo suo merito occupavit. Nolo mihi credi, sed rebus ipsis. Cum in corruptissimos ille codices incidisset, quæ pars fuit infelicitatis, ex casus vitio suam culpam fecit qui probavit, quin & totam infelicitatem suam in eo explicuit qua fere semper deteriorem amplectitur, ubi de duabus lectionibus alteram eligendi optio datur. Me non mentiri, αὐτὸ τὸ πρᾶγμα δείξει. Codicibus in Germania usus sum olim tribus ex Bibliotheca Palatina, uno antiquissimo, altero mediæ vetustatis, tertio infimæ, & in charta scripto, sed ex optimo aliquo exemplari, ut apparebat, desumpto. Habui præterea à præstantissimo Bongarsio librum ipsius editum, manu sua cum quinque exemplaribus scriptis quemadmodum mihi affirmabat, collatum. Copia præterea mihi facta duum ex Bibliotheca Regia exemplarium perquam vetustorum, quorum alter nec epistolam priorem habuit, nec indicem, qualia omnia fuisse liquet quæ descripta diximus ex priore ἐκδόσει, etiam liber plerasque lectiones in textu scriptas ostendit, quas alterius antiquarius ad marginem adscripserat veluti variantes scripturas ex altera editione notatas. Nactus sum postremo ex Bibliotheca eruditissimi & clarissimi Petri Puteani editionem Eliæ Vineti à Petro Daniele Aurelianensi, talium peritissimo, cum codice antiquo diligentissime collatam, quem codicem vidisse & contulisse cum editis, Josiam Mercerum τὸν μακαρίτην indubitata conjectura ex comparatione lectionum utriusque deprehendi. Cujus viri interitu quantam nuper jacturam fecerit Respublica literaria satis sciunt quibus vel de solo nomine notus fuit. Ego verò cui doctrinam ejus ac virtutes propius intueri ac stupere contigit, hoc magis etiam testari possum, & cùm privatum damnum, quod ex illa morte sensi me maximè tangere sicut facit debeat, haud minus & publici causa afficior, quamvis in illo homine non me socerum duntaxat amisisse crediderim, sed patrem, sed socium studiorum, adjutorem, fautorem, laudatorem summum, & quidquid est denique majorum minorumque necessitudinum. Ingenio eum sagacissimo, judicio limatissimo, eruditione consummatissima si fuisse dixero, vera quidem me prædicare consensus omnium fatebitur, sed partem hanc esse laudum ejus nec maximam scio, quibus pro re ac merito latius explicandis quoniam alius à me destinatus est locus, ideo hic parcior ero. Ceterùm præter libros manu exaratos editionem etiam Venetam consuluimus quæ vicem manuscripti fuit, adeo in multis ac pæne in omnibus cum scriptis consentit. Primam fuisse omnium editionum quæ exierunt typis procusæ nescio an ausim affirmare. Anteriorem certe non vidi. Prodiit autem anno CIↃ CCCCLXXIII. *Non omittendum, priusquam finio, in omnibus fere, quæ mihi videre licuit, Solini exemplaribus, quos foruli Bibliothecarum in membranis servant, sive sint antiquioris manus, sive recentioris subscriptionem statim post tralaticium illud* EXPLICIT, *haberi hanc* OPERA ET STUDIO THEODOSII INVICTISSIMI PRINCIPIS. *Cùm idem reperisset in suis libris bonus Vinetus, temere credidit eo ipso tempore fuisse scriptos quo Theodosius nempe imperabat, ignarus consuetudinis antiquorum librariorum, qui bona fide solebant describere quæcunque in alio antiquiore libro reperissent, quem sibi pro exemplari proponerent sequendum. Sic subscriptiones illæ plerisque libris adponi solitæ quæ testantur recognitionem alicujus emendatoris, in omnibus pariter conspiciuntur etsi non eamdem ætatem præferentibus. Ut illa quam nuper legebam in scripto codice Cæsaris commentariorum de Bello Gallico, qui tamen non adeo longam vetustatem ostendit, in hunc modum concipitur :* JULIUS CELSUS CONSTANTINUS V. C. LEGI. *In aliis Julius Celsus quasi auctor eorum commentariorum subscribitur, magno errore : qui tamen impulit doctissimum suæ ætatis criticum, ut dubitaret an Julii Cæsaris essent illi commentarii, & non potius Celsi. At in illo, quem dixi, libro non quidem antiquissimo, sed fidelissime scripto ad ultimum de bello Gallico librum hæc visitur subscriptio.* Julius Celsus Constantinus V. C. Legi tantum feliciter. C. Julii

lii Cæsaris Pontificis maximi Ephemeris rerum gestarum belli Gallici liber VIII. explicit feliciter. *Quid ille velit de Theodosio principe, cujus opera ac studio scriptus traditur Solini liber, plane ignoro. Sic enim in Regio optimo codice scribitur:* Studio & diligentia Theodosii invictissimi principis perscriptus liber. *Putavi aliquando fuisse tantum in libris scriptum,* Studio & diligentia Theodosii, *& nomen esse vel scriptoris, vel correctoris. Quod ignorantes* καλλίγραφοι *sequentis ævi de Theodosio principe id interpretati sunt, & elogium illud de suo apposuerunt, quod de principibus tum usurpari soleret. Nisi hoc sit haud scio an conjectari posset Theodosium principem studiosum Solini fuisse, & eum describendum curasse, atque in Bibliotheca sua reponendum. Scholiastes Nicandri meminit codicis* μεταγραφέντος ἐκ τοῦ Θεοδοσιακοῦ ἀρχαίου. *Sic vocat Theodosiacum exemplar antiquum, ex quo descriptum dicit illum Nicandri librum. Ex bibliotheca Theodosii Imperatoris sumptum interpretari licet illud* Θεοδοσιακὸν ἀρχαῖον. *Librarius codicis epigrammatum Græcorum notavit ad marginem collatum fuisse cum exemplari Michaëlis Comneni. Codices, quibus in Plinio emendando usi sumus, toto opere passim laudamus. Quæ autem in hunc Solinum sumus commentati, Exercitationes inscribi voluimus Plinianas, & quidem in Solinum, quia Solinus ordinem, quem sequeremur, ex textu suo præbuit. Multa alia inseruimus quæ occasio passim suggessit, quæque ad rem etiam facere vel licet paulo longius arcessita visa sunt. Non aliter fiunt Exercitationes. Plinius in his majorem partem occupat, & fere utramque ubique paginam implet. Potui eas si libuisset, aut si ambitio animo incessisset, per titulos & capita, ut mos est, distinguere. Non deerunt, & qui sic debuisse fieri judicabunt. Aliud ipse statui. Sic crevisset opus in molem immensam titulorum phaleris amplificatum, qui tamen nihil levassent laborem legentium. Accuratissimus index rerum verborumque in promptu est, qui potest præstare ne desiderentur capitum indices ac tituli, quique etiam lector ni fallor præstabit, ne necesse sit totum opus perlegere. Si qui porro fuerint qui prolixitatem singularum Exercitationum culpabunt, hi velim cogitent, nullam ex his longiorem esse uno Pliniani operis libro. Quibus sic tamen nimis longæ videbuntur, poterunt brevissimas facere, non legendo.*



LECTOREM BENEVOLUM

salvere jubet

SAMUEL PITISCUS.



Uanti illustrissimum Salmasium, ejusque scripta auro contra cara literatus orbis semper fecerit, notum est illis, qui aliquando eloquentiæ attenderunt, aut viris doctis familiariter usi sunt. Tum maxime divinas ejus *in Solinum exercitationes Plinianas* magno horrore tractasse: imo eruditionis thesaurum, scientiarum abyssum, &, ut multa in compendium conferam, totius literaturæ epitomen appellasse literatos norunt illi, qui adspirante fortuna in illas inciderunt. Librum hunc præstantissimum, quia, in paucis dum latet libellis, pretio insano vix est parabilis, prælo suo subjecerunt, & altera editione novum literato orbi nunc exhibent bibliopolæ Ultrajectini. Qui a me, dum & hujus consilii illis particeps fui, moniti in editione Parisiensi, si in aliquo antehac edito libro, ut Tuo responderent voto, multa restituenda, & emendanda esse; enixe me orarunt, ut, antequam operi se accingerent, hoc, quodcunque esset, in me susciperem laboris. Hunc ærumnabilem, sterilem, inglorium, & in quo famæ meæ dignitatem protelare nec vellem, nec possem, futurum esse, ut ea quæ oculis cernuntur, e loço quidem vidi, attamen quia Tuam volui gratiam, lubentior quam ipsa est Lubentia suscepi. Ut igitur scias, quid hac editione præstiterim, paucis hæc accipe. Operarum errata, quæ quamvis multa in illam, tum quæ sub calcem operis in tabella sic satis ampla exhibentur, tum quæ in illa non exhibita, & tamen exhibitorum numerum longe excedentia, inter legendum jure te offenderent, irrepserunt, magna cum cura sustuli. Numero pauca sunt, & sane levia, quę in novam hanc irrepserunt, & in illam non irrepsissent, si operę obtemperassent. Vix voculam ullam, nisi duobus supina operarum oscitantia locis, quæ erratorum syllabus tibi indicabit, omissam esse quovis contendo pignore. In accentibus Græcis aliquando peccatum esse admitto; sed quis ab hominibus ἀναλφαβήτοις illorum accuratam rationem exiget? Addendorum sub nomine quæcunque veniunt, plurimasque implent paginas, suis locis collocavi. Auctorum testimonia pleraque, quæ perperam laudantur ex more etiam eruditissimis sollenni, dum illa, quia memoria egregia & tenacissima gaudent, memoriter & non ex libris narrant, quem perversum ipse noster damnans *Servium* p. 49. a. E, *Plinium* pag. 768. b. E, *Arrianum* p. 831. b. C. negligentiæ accusat, suis locis reddidi, &, ut in illis leguntur, restitui. Quæcunque non accurata chartarum serie habita descripserat, sed prout illi in mentem venerant, diversis schedis ingesserat, & typothetarum diligentiæ negligentiori commiserat au-

 ctor

ctor contextui, cui minus respondebant, accommodavi. Commentarium antea continens scriptum in capita, in quæ commentator noster ipse Solinum exhibet, divisum, licet intervalla in libris signari, hanc tamen consuetudinem ante annos mille apud Græcos & Latinos scriptores invaluisse admittens damnare, certe non probare videatur in prolegomenis, divisi & secui, illique summaria capitibus præfixa, quæ Te materiam paginis illis explicandam docerent, & Tibi legenti lassitudinis sensum, non minus quam iter facientibus intervalla milliariis signis notata surripiunt, surriperent, inserui. Indicem verbosiorem, quo, licet accuratissimum esse dicant Prolegomena,

Vulcanus, Sol, Luna, Dies, Dei quatuor
Miseriorem *nullum illuxere alterum*,

& quem servuli alicujus a manu, a quo nondum absuit

Muccusque & mala pituita nasi,

opera confecisse, certe manu, ut emendaret, non versasse Salmasium Jovem lapidem juro, emendandum censui. Adeo multa in illo fuerunt quibus locus animi tui, ubi stomachus habitat, si in illa incideres, concalesceret. Nihil minus quam literarum elementarium ordinem indicum concinnatoribus hac minimum tempestate servandum servat, sed mirum in modum turbat. Crimine ex uno disce omnes. Περίδειπνον prandium, & πρόσωπον decanus arietis in elemento T nunquam, qui cerebrum habet, quæreret, & tamen prius τυμβογέρων, posterius *in tauro domicilium Veneris* sequitur. Vocum ex elementorum serie dispositarum loca, quæ in contextu occupant, a paginarum, quas illis index assignat, numeris immane quantum sępius discrepant. Exempla hoc docebunt. *Aloe* collocat index pag. 1319, exhibet contextus pag. 1055: ἀερόμελι index pag. 785, contextus pag. 1020: *menses decrescentium horarum* index pag. 14, contextus pag. 638: προβολάς index p. 1105, contextus p. 861. Vocabula origine Græca, usu Latina, & quicquid de illis tradit commentarius, bis dicit, &, ut reliqua silentio involvam, pleraque ab elemento H incipientia in elemento I, in quo ἰῶτα aspiratum occurrit, altera vice oggerit. Imo quia iisdem etiam verbis eandem rem sæpius dicere Salmasio suave est, non tantum paginarum, quibus illam dicit, numeros necessario repetendos, sed etiam ipsam rem, quam semel dixisse sufficit, si paginarum, quibus illa explicatur, numeros illi subjunxeris, sæpius ad nauseam repetit. Singula hæc emendavi, ex elementorum serie disposui, huic editioni accommodavi, omissa adjeci, superflua rejeci, & ad hanc faciem, qua Tuis illum subjicio oculis, restitui. Hisce vale.

CAJI

CAJI JULII SOLINI GRAMMATICI POLYHISTOR

AB IPSO EDITUS ET recognitus.

C. JULIUS SOLINUS ADVENTO SUO S. P. D.



QUONIAM quidam impatientius potius quàm ſtudioſius opuſculum, quod moliebar, intercipere properarunt: idque etiam tum impolitum, prius in medium dederunt, quàm inchoatæ rei ſumma manus imponeretur, & nunc, exemplaribus corruptis, quæ damnata ſunt, quaſi probata circumferunt, præteritis quæ ad incrementum cognitionis acceſſerunt cura longiore: ne fortè rudis & imperfecta materia, velut ſpectatus à me liber, in manus tuas deferretur, corpuſculum ſententia mea digeſtum, ut noſceres, miſi. Primo, quòd referendus ad induſtriam tuam fuit tenor diſpoſitionis: deinde ut ſcabræ adhuc informitatis proditio editione vera extingueretur. Erit igitur operi iſti titulus POLYHISTOR. Nam quem in exordio deſignaveram, ſcilicet COLLECTANEA RERUM memorabilium, cum iis quæ improbavimus, placuit obliterari. Collata igitur hac epiſtola cum ea, quę auſpicium ſcriptionis facit, intelligis eodem te loco habitum quo eum cui laboris noſtri ſummam dedicavimus.

CAPITULA.

I. DE origine urbis Romæ & temporibus ejus, de diebus intercalaribus, de genitura hominis, & his quæ memorabilia in homine fuerunt, de alectorio lapide.

II. De Italia. In ea de boa angue, de lupis, de lyncibus, de lyngurio lapide, de lapide curalio, de gemma Syrtite, de Gejentana gemma, de mutis cicadis, de Diomedis avibus.

III. Corſica. In ea de catochite lapide.

IV. Sardinia. In ea de ſolifuga, & herba Sardonia.

V. Sicilia. In ea memorabilia ſoli & aquarum. Item de achate lapide.

VI. Volcaniæ inſulæ.

VII. Europæ ſinus tertius. In eo de locorum Græciæ admirabilibus, de fluminibus & fontibus, de merulis, de perdicibus, de lapide galactite, de lapide asbeſto, de Arione.

VIII.

IX. Macedonia cum regibus, de natura Olympi montis, & lapide pæanite.

X. Thracia cum moribus gentium. In ea de gruibus, de hirundinibus, de iſthmo.

XI. Claræ inſulæ, & in inſulis clara. In Creta herba alimos, animal phalangium, lapis Idæus dactylus. In Caryſto aves Caryſtiæ, item carbaſum. In Delo tempora diluviorum, & aves coturnices.

XII. Eubœa. Paros, lapis ſarda. Naxos, Icaros, Melos, Carpathus, Rhodos, Lemnos.

XIII. Helleſpontus, Propontis, Boſphoros. In his de delphinis, de thunnis.

XIV. Flumen Iſtrum. Fiber Ponticus. Gemma Pontica.

XV. Amnis Hypanis, & fons Exampæus.

******   XVI. Scy-

XLIV. Aco-



C. JULIUS

C. JULIUS SOLINUS
ADVENTO S.



UM & aurium clementia & optimarum artium studiis præstare te cæteris sentiam, idque oppido expertus, de benevolentia tua nihil temere præceperim, reputavi examen opusculi istius tibi potissimum dare, cujus vel industria promptius suffragium, vel benignitas veniam spondeat faciliorem. Liber est ad compendium præparatus, quantumque ratio passa est, ita moderate repressus, ut nec prodiga sit in eo copia, nec damnosa concinnitas. Cui si animum propius intenderis, velut fermentum cognitionis magis ei inesse, quàm bratteas eloquentiæ deprehendes. Exquisitis enim aliquot voluminibus studuisse me impendio fateor, ut & à notioribus referrem pedem, & remotis largius immorarer. Locorum commemoratio plurimum tenet, in quam partem ferme inclinatior est universa materies. Quorum commeminisse ita visum est, ut inclutos terrarum sinus, & insignes tractus maris, servata orbis distinctione, suo quæque ordine redderemus. Inseruimus & pleraque differenter congruentia, ut si nihil aliud, saltem varietas ipsa legentium fastidio mederetur. Inter hæc hominum & aliorum animalium naturas expressimus. Addita pauca de arboribus & lapidibus exoticis, de extimarum gentium formis, de ritu dissono abditarum nationum, nonnulla etiam digna memoratu, quæ prætermittere incuriosum videbatur, quorumque auctoritas, quod cum primis industriæ tuæ insinuatum velim, de scriptoribus manat receptissimis. Quid enim proprium nostrum esse possit, cum nihil omiserit antiquitatis diligentia, quod intactum ad hoc usque ævi permaneret? Quapropter quæso ne de præsenti tempore editionis hujus fidem libres, quoniam quidem vestigia monetæ veteris persequuti opiniones eligere maluimus potius quàm innovare. Ita si qua ex istis secus quam opto in animum tuum venerint, des velim infantiæ meæ veniam. Constantia veritatis penes eos est quos sequuti sumus. Sicut ergo qui corporum formas æmulantur, ante omnia effigiant modum capitis, nec prius in alia membra lineas destinant, quam ab ipsa, ut ita dixerim, figurarum arce auspicium faciant inchoandi: nos quoque à capite orbis, id est, Urbe Roma principium capessemus, quamvis nihil super ea doctissimi auctores reliquerint, quod in novum nostrum præconium possit suscitari, ac supervacuum pæne sit relegere tramitem decursum tot annalibus. Ne tamen prorsus dissimulata sit, originem ejus quanta valemus persequemur fide.

C. JULII



C. JULII SOLINI ΠΟLYHISTΩR.

CAPUT I.

DE ORIGINE URBIS ROMÆ, & temporibus ejus, de diebus intercalaribus, de genitura hominis, & his quæ memorabilia in hominibus fuere, de alectorio lapide.

A SUNT qui videri velint ROMÆ vocabulum ab Euandro primum datum, cùm oppidum ibi offendisset, quod extructum antea Valentiam dixerat juventus Latina: servataque significatione impositi priùs nominis, Romam Græcè Valentiam nominatam: quam Arcades quoniam in excelsa habitassent parte montis, derivatum deinceps, ut tutissima urbium arces vocarentur. Heraclidi placet, Troja capta quosdam ex Achivis in ea loca, ubi nunc Roma est, devenisse per Tiberim, deinde suadente Rome nobilissima captivarum, quæ his comes erat, incensis navibus posuisse sedes, instruxisse mœnia, & oppidum ab ea Romen vocavisse. Agathocles scribit Romen non captivam fuisse, ut suprà dictum est, sed ab Ascanio natam, Æneæ neptem, appellationis istius causam fuisse. Traditur etiam proprium Romæ nomen & verum magis, quod nunquam in vulgum venit, sed vetitum publicari, quandoquidem quo minùs enuntiaretur cærimoniarum arcana sanxerunt, ut hoc pacto notitiam ejus aboleret fides placitæ taciturnitatis. Valerium denique Soranum, quòd contra interdictum id eloqui ausus foret, ob meritum profanæ vocis neci datum. Inter antiquissimas sanè religiones sacellum colitur Angeronæ, cui sacrificatur ante diem duodecimum calendarum Januariarum: quæ diva præsul silentii istius prænexo obsignatoque ore simulacrum habet. De temporibus Urbis conditæ ambiguitatum quæstiones excitavit quòd quædam ibi multò ante Romulum culta sint. Quippe ante aram Hercules, quam voverat si amissas boves reperisset, punito Caco patri inventori dicavit. Qui Cacus habitavit locum, cui Salinæ nomen est: ubi trigemina nunc porta. Hic, ut Gellius tradit, cum à Tarchone Tyrrheno, ad quem legatus venerat missu Marsyæ regis, socio Megale Phryge, custodiæ foret datus, frustratus vincula, & unde venerat redux, præsidiis amplioribus occupato circa Vulturnum & Campaniam regno, dum attrectat etiam ea quæ concesserant in Arcadum jura, duce Hercule, qui tunc forte aderat, oppressus est. Megalen Sabini receperunt, disciplinam augurandi ab eo docti. Suo quoque numini idem

(margin letters: B, C, D beside lines "se per Tiberim", "nùs enuntiaretur", "aram Hercules")

Hercules instituit aram, quæ maxima apud Pontifices habetur, cum se ex Ni- A
costrata Euandri matre, quæ à vaticinio Carmentis dicta est, immortalem comperis-
set fore: conseptum etiam, intra quod ritus sacrorum, factis bovicidiis, docuit
Potitios. Hoc sacellum Herculi in Boario foro est, in quo argumenta & convivii
& majestatis ipsius remanent. Nam divinitus illò neque canibus neque muscis in-
gressus est. Etenim cum viscerationem sacricolis daret, Myiagrum deum dicitur im-
precatus; clavam vero in aditu reliquisse, cujus olfactum refugerent canes: id us-
que nunc durat. Ædem etiam, quæ Saturni ærarium fertur, comites ejus condi-
derunt in honorem Saturni, quem cultorem regionis illius cognoverant extitisse. Ii-
dem & montem Capitolinum Saturnium nominarunt. Castelli quoque, quod ex- B
citaverunt, portam Saturniam appellaverunt, quæ postmodum Pandana vocitata
est. Pars infima Capitolini montis habitaculum Carmenti fuit, ubi Carmentis
nunc fanum est, à qua Carmentali portæ nomen datum est. Palatium nemo dubi-
taverit quin Arcadas habeat auctores, à quibus primùm Pallanteum oppidum: quod
aliquandiu Aborigines habitatum, propter incommodum vicinæ paludis, quam
præterfluens Tiberis fecerat, profecti Reate postmodum reliquerunt. Sunt qui ve-
lint à balatibus ovium mutata litera: vel à Pale pastorali dea, aut, ut Silenus pro-
bat, à Palantho Hyperborei filia, quam Hercules ibi compressisse visus est, nomen C
monti adaptatum. Sed quanquam ista sic congruant, palam est prospero illi au-
gurio deberi Romani nominis gloriam, maximè cum annorum ratio faciat cardinem
veritati: nam, ut affirmat Varro auctor diligentissimus, Romam condidit Romu-
lus Marte genitus & Rhea Silvia; vel, ut nonnulli, Marte & Ilia: dictaque est pri-
mùm Roma quadrata, quòd ad æquilibrium foret posita. Ea incipit à silva, quæ
est in area Apollinis, & ad supercilium scalarum Caci habet terminum, ubi tu-
gurium fuit Faustuli. Ibi Romulus mansitavit, qui auspicatò fundamenta mu- D
rorum jecit duodeviginti natus annos, undecimo Kalendas Majas, hora post se-
cundam ante tertiam plenam: sicut Lucius Tarruntius prodidit, mathematicorum
nobilissimus, Jove in piscibus, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in scorpione,
Sole in tauro, Luna in libra constitutis. Et observatum deinceps ne qua hostia Pa-
rilibus cæderetur, ut dies iste à sanguine purus esset, cujus significationem de partu
Iliæ tractam volunt. Idem Romulus regnavit annos septem & triginta. De Cæni-
nensibus egit primum triumphum, & Acroni regi eorum detraxit spolia, quæ Jovi
Feretrio primus suspendit, & opima dixit. Rursum de Antemnatibus triumphavit, E
de Vejentibus tertio. Apud Capreæ paludem nonis Quintilibus apparere desiit. Ce-
teri reges, quibus locis habitaverint, dicemus. Tatius in arce, ubi nunc est ædes
Junonis Monetæ: qui anno quinto postquam ingressus urbem fuerat, à Laurentibus
interemptus septima & vicesima olympiade hominem exivit. Numa in colle primùm
Quirinali, deinde propter ædem Vestæ in regia, quæ adhuc ita appellatur: qui re-
gnavit annis tribus & quadraginta, sepultus sub Janiculo. Tullus Hostilius in Velia,
ubi postea deûm Penatium ædes facta est: qui regnavit annos duos & triginta, obiit
olympiade quinta & trigesima. Ancus Martius in summa sacra via, ubi ædes Larum F
est: qui regnavit annos quatuor & viginti, obiit olympiade prima & quadragesima.
Tarquinius Priscus ad Mugoniam portam supra summam novam viam: qui regnavit
annos septem & triginta. Servius Tullius Esquiliis supra clivum Urbium, qui regna-
vit annos duos & quadraginta. Tarquinius superbus, & ipse Esquiliis supra clivum
Pullium ad Fagutalem lacum: qui regnavit annos quinque & viginti. Cincio Ro-
mam duodecima olympiade placet conditam: Pictori octava: Nepoti & Lutatio opi-
nionem Eratosthenis & Apollodori comprobantibus olympiadis septimæ anno secun- G
do: Pomponio Attico & M. Tullio olympiadis sextæ anno tertio. Collatis igi-
tur nostris & Græcorum temporibus, invenimus incipiente olympiade septima Ro-
mam conditam, anno post Ilium captum quadringentesimo tricesimo tertio. Quip-
pe certamen olympicum, quod Hercules in honorem atavi materni Pelopis ediderat,
intermissum Iphitus Eleus instauravit post excidium Trojæ anno quadringentesimo
octavo. Ergo ab Iphito numeratur olympias prima. Ita sex mediis olympiadibus
inter-

A interjectis, quibus ſingulis anni quaterni imputantur, cum ſeptima cæptante Roma
condita ſit, inter exortum Urbis & Trojam captam, jure eſſe annos quadringentos
& triginta tres conſtat. Huic argumento illud accedit, quod cum Cajus Pompe-
jus Gallus, & Quintus Verannius Urbis conditæ anno octingenteſimo primo fuerint
conſules, conſulatu eorum olympias ſeptima & ducenteſima actis publicis adnotata
eſt. Quater ergo multiplicatis ſex & ducentis olympiadibus erunt anni octingen-
ti viginti quatuor, quibus de ſeptima olympiade annectendus primus annus eſt,
B ut in ſolido colligantur octingenti viginti quinque. Ex qua ſumma detractis viginti
annis & quatuor olympiadum retro ſex, manifeſtè anni octingenti & unus reliqui
fient. Quapropter cum octingenteſimo primo anno Urbis conditæ ducenteſima
ſeptima olympias computetur, par eſt Romam ſeptimæ olympiadis anno primo
credi conditam. In qua regnatum eſt annis ducentis quadraginta tribus. De-
cemviri creati anno trecenteſimo ſecundo. Primum Punicum bellum anno qua-
dringenteſimo octogeſimo nono. Secundum quingenteſimo triceſimo quinto.
Tertium ſexcenteſimo quarto. Sociale ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo. Ad
C Hircium & Cajum Panſam conſules anni ſeptingenti & decem: quorum conſula-
tu Cæſar Auguſtus eſt conſul creatus octavum decimum annum agens: qui prin-
cipatum ita ingreſſus eſt, ut vigilantia illius non modò ſecurum, verum etiam tu-
tum imperium eſſet. Quod tempus fermè ſolum repertum eſt, quo plurimum
& arma ceſſaverint, & ingenia floruerint, ſcilicet ne inerti juſtitio langueret vir-
tutis opera bellis quieſcentibus. Tunc ergo primùm curſus anni perſpecta ratio
eſt, quæ à rerum origine profunda caligine tegebatur. Nam ante Auguſtum
Cæſarem incerto modo annum computabant, qui apud Ægyptios quatuor menſi-
D bus terminabatur, apud Arcadas tribus, apud Acarnanas ſex, in Italia apud La-
vinios tredecim, quorum annus trecentis ſeptuaginta & quatuor diebus ferebatur.
Romani initio annum decem menſibus computaverunt à Martio auſpicantes, adeo
ut ejus die prima de aris Veſtalibus ignes accenderent, mutarent veteribus viri-
des laureas, Senatus & populus comitia agerent, matronæ ſervis ſuis cœnas pone-
rent, ſicuti Saturnalibus domini: illæ ut per honores promtius obſequium provo-
carent: hi quaſi gratiam repenſarent perfecti laboris: maximeque hunc menſem
principem teſtatur fuiſſe, quod qui ab hoc quintus erat, Quintilis dictus eſt, deinde
E numero decurrente, December ſollemnem circuitum finiebat intra diem trecente-
ſimum quartum: tunc enim iſte numerus explebat annum, ita ut ſex menſes tri-
cenûm dierum eſſent, quatuor reliqui tricenis & ſingulis expedirentur. Sed quum ratio
illa ante Numam à Lunæ curſu diſcreparet, lunari computatione annum peræqua-
runt, quinquaginta & uno die auctis. Ut ergo perficerent XII menſes, de ſex men-
ſibus ſuperioribus detraxerunt dies ſingulos, eoſque quinquaginta iſtis & uno die-
bus adnexuerunt, factique quinquaginta VII diviſi ſunt in duos menſes, quorum
alter XXIX alter XXVIII dies detinebant. Sic annus habere quinque atque quin-
F quaginta & trecentos dies cœpit. Poſtmodum cum perſpicerent temerè annum
clauſum intra dies, quos ſupra diximus, quandoquidem appareret ſolis meatum
non ante trecenteſimum ſexageſimum quintum diem, abundante inſuper quadran-
tis particula zodiacum conficere decurſum, quadrantem illum & decem dies ad-
diderunt, ut ad liquidum annus trecentis diebus ſexaginta quinque & quadrante con-
ſtaret, hortante obſervatione imparis numeri, quem Pythagoras monuit præpo-
G ni in omnibus oportere. Unde propter dies impares Diis ſuperis & Januarius di-
catur & Martius: propter pares Februarius quaſi ominoſus Diis inferis deputatur.
Cùm itaque hæc definitio toto orbe placuiſſet, cuſtodiendi quadrantis gratia, à diver-
ſis gentibus variè intercalabatur, nec unquam tamen ad liquidum fiebat tempo-
rum peræquatio. Græci ergo ſingulis annis XI dies & quadrantem detrahebant,
eoſque octies multiplicatos in annum nonum reſervabant, ut contractus no-
nagenarius numerus in treis menſes per tricenos dies ſcinderetur: qui anno nono re-
ſtituti efficiebant dies quadringentos quadraginta quatuor, quos embolimos,
vel hyperballontas nominabant. Quod cùm in initio Romani probaſſent,

accepimus concretis ossibus, eósque neque sudare, neque consuesse sitire, qualis Syracusanus Lygdamis fertur, qui tertia & tricesima olympiade primus ex Olympico certamine pancratii coronam reportavit; cujusque ossa deprehensa sunt medullam non habere. Maximam virium substantiam nervos facere certissimum est, quantóque fuerint densiores, tantò propensius augescere firmitatem. Varro in relatione prodigiosæ fortitudinis annotavit Trittannum gladiatorem natura Samnitem fuisse, qui & rectis & transversis nervis non modò crate pectoris, sed & manibus cancellatis & brachiis, omnes adversarios levi tactu, pæne securis congressionibus vicerit. Ejus filium militem Cn. Pompeii pari modo natum, ita sprevisse hostem provocantem, ut inermi eum dextra & superaret, & captum digito uno in castra imperatoris sui reportaret. Milonem quoque Crotoniensem egisse omnia supra quàm homo valet. Etiam hoc proditur, quòd ictu nudæ manus taurum fecit victimam: eumque solidum, qua mactaverat die, absumpsit solus non gravatim. Super hoc nihil dubium: nam factum elogium extat. Victor ille omnium certaminum quæ obivit, alectoria usus traditur, qui lapis specie crystallina, fabæ modo, in gallinaceorum ventriculis invenitur aptus, ut dicunt, præliantibus. Milon porrò Tarquinii Prisci temporibus emicuit. Jam verò qui deflexum animum referat ad similitudinum causas, quantum artificis naturæ ingenium deprehendet? Interdum enim ad genus spectant, & per subolem in familias transitus faciunt: sicut plerumque parvuli modò nævos, modò cicatrices, modò qualescumque originis suæ notas ferunt: ut in Lepidis, quorum tres, intervulsa tamen serie, ex eadem domo obducto membrana oculo similes geniti reperiuntur: vel in Byzantino nobili pugile, qui cum matrem haberet adulterio ex æthiope conceptam, quæ nihil patri comparandum reddidisset, ipse æthiopem avum regeneravit. Sed hoc minùs mirum, si respiciamus ad ea quæ spectata sunt inter externos. Regem Antiochum Artemon quidam è plebe Syriatica sic facie æmula mentiebatur, ut postmodum Laodice uxor regia objecto populari isto tamdiu dissimulaverit defunctum maritum, quoad ex arbitratu ejus regni successor ordinaretur. Inter Cn. Pompejum, & Cn. Vibium humili loco natum, tantus error extitit de paribus liniamentis, ut Romani Vibium Pompeii nomine, Pompejum Vibii vocabulo cognominarent. Oratorem L. Plancum Rubrius histrio sic implevit, ut & ipse Plancus à populo vocaretur. Armentarius myrmillo & Cassius Severus orator ita se mutuo reddiderunt, ut si quando pariter viderentur, dignosci non possent, nisi discrepantiam habitus indicaret. M. Messalla Censorius & Menogenes è fæce vulgari hoc fuerunt uterque quòd singuli, nec alium Messallam quàm Menogenem, nec Menogenem alium quàm Messallam putaverunt. Piscator ex Sicilia proconsuli Syriæ præter alia etiam rictu oris comparabatur: ita in eadem vocis impedimenta, & tardatæ sonum linguæ naturalibus offendiculis congruebant. Interdum non modò inter externos, sed etiam inter conductos ex diversissima parte orbis miraculo indiscreti vultus fuere. Denique cum Antonio jam triumviro Thoranius quidam eximios forma pueros velut geminos trecentis sestertiis vendidisset, quorum alterum de Transalpina Gallia, alterum ex Asia comparaverat, adeóque una res viderentur ut solus sermo fidem panderet, atque ideo inrisum se Antonius gravaretur, non infacetè Thoranius, id vel præcipuè quod emtor criminabatur, pretiosius probavit: neque enim mirum, si forent pares gemini: illud nullis posse taxationibus æstimari, quòd tantis spatiis diversitas separata plus quàm geminos attulisset: quo responso adeo Antonius mitigatus est, ut deinceps nihil se habere carius in substantia jactitaret. Nunc si de ipsis hominum formis requiramus, liquidò manifestabitur nihil de se antiquitatem mendaciter prædicasse, sed corruptam degeneri successione subolem nostri temporis per nascentium detrimenta decus veteris proceritudinis perdidisse. Licet ergo plerique definiant, nullum posse excedere longitudinem pedum septem, quòd intra mensuram istam Hercules fuerit, deprehensum tamen est Romanis temporibus sub D. Augusto Pusionem & Secundillam denos pedes & amplius habuisse proceritatis, quorum reliquiæ adhuc in conditorio Sallustianorum videntur: postmodùm

A modùm D. Claudio principe Gabbaram nomine, ex Arabia advectum, novem pedum & totidem unciarum. Sed ante Augustum annis mille fermè non apparuit forma hujusmodi, sicut nec post Claudium visa est. Quis enim jam ævo isto non minor parentibus suis nascitur? Priscorum autem testantur molem etiam Orestis suprema, cujus ossa olympiade quinquagesima & octava Tegeæ inventa à Spartanis oraculo monitis, discimus implesse longitudinem cubitorum septem. Scripta quoque, quæ ex antiquitate memorias accersunt in fidem veri, hoc etiam receperunt, quòd bello Cretico cùm elata flumina plus quàm vi amnica terras rupissent, post discessum flu-
B ctuum inter plurima humi discidia humanum corpus repertum sit cubitûm trium atque triginta: cujus inspectandi cupidine L. Flaccum legatum, Metellum etiam ipsum impendio captos miraculo, quod auditu refutaverant oculis potitos. Non omiserim Salamine Euthymenis filium crevisse in triennio tria cubita sublimitatis, sed incessu tardum, sensu hebetem, robusta voce, pubertate festina, statimque obsessum morbis plurimis, immoderatis ægritudinum suppliciis compensasse præcipitem incrementi celeritatem. Mensuræ ratio bifariam convenit: nam quantus manibus expansis inter digitos longissimus modus est, tantum constat esse inter calces
C & verticem. Ideoque physici hominem minorem mundum judicaverunt. Parti dexteræ habilior adscribitur motus, lævæ firmitas major: unde altera gesticulationibus promtior est, altera oneri ferundo accommodatior. Pudoris disciplinam etiam inter defuncta corpora natura discrevit: ac si quando cadavera necatorum fluctibus evehuntur, virorum supina, prona fluitant fœminarum. Verùm ut ad pernicitatis titulum transeamus, primam palmam velocitatis Ladas quidam adeptus est, qui ita supra cavum pulverem cursitavit, ut in arenis pendentibus nulla indicia relinqueret vestigiorum. Polymnestor Milesius puer, cum à matre locatus esset ad ca-
D prarios pastus, ludicro leporem consecutus est, & ob id statim productus à gregis domino olympiade sexta & quadragesima, ut Bocchus author est, victor in stadio meruit coronam. Philippides biduo mille ducenta quadraginta stadia ab Athenis Lacedæmonem decucurrit. Anystis Lacon, & Philonides Alexandri magni cursores, Elin ab usque Sicyone mille ducenta stadia uno die transierunt. Fonteio Vipsanioque Coss. in Italia novem annos puer natus, quinque & LXX millia passuum à meridie transivit ad vesperum. Visu deinde plurimum potuit Strabo nomine, quem perspexisse per centum XXXV milia passuum Varro significat, solitumque exeunte è Carthagine classe Punica numerum navium manifestissimè ex Lilybetana specula notare.
E Cicero tradit Iliadam Homeri ita subtiliter in membranis scriptam, ut testa nucis clauderetur. Callicrates formicas ex ebore sic scalpsit, ut portio earum à ceteris secerni nequiverit. Apollonides perhibet in Scythia fæminas nasci, quæ Bityæ vocantur, eas in oculis pupillas geminas habere, & perimere visu, si fortè quem iratæ aspexerint. Prævaluisse fortitudine apud Romanos L. Sicinium Dentatum titulorum numerus ostendit. Tribunus hic plebi fuit non multo post exactos reges, Spurio Tarpeio, A. Haterio Coss. Idem ex provocatione octies victor, XL. & V. ad-
F versas habuit cicatrices, in tergo nullam notam: & spolia ex hoste tricies & quater cepit. In phaleris, hastis puris, armillis, coronis trecenta XII dona meruit: novem imperatores, qui opera ejus vicerant, triumphantes prosecutus. Post hunc M. Sergius duobus stipendiis primis adverso corpore ter & vicies vulneratus: secundo stipendio in prælio dextram perdidit. Qua de causa postea sibi manum ferream fecit: & cum neutra pænè idonea ad præliandum valeret, una die quater pugnavit, & vicit sinistra, duobus equis eo insidente confossis. Ab Annibale bis captus refugit, cum viginti mensibus, quibus captivitatis sortem perferebat, nullo
G momento sine compedibus fuerit & catenis. Omnibus asperrimis præliis, quæ tempestate illa Romani experti sunt, insignitus donis militaribus, à Thrasymeno, Trebia, Ticinoque coronas civicas retulit: Cannensi quoque prælio, de quo refugisse eximium opus virtutis fuit, solus accepit coronam. Beatus profectò tot suffragiis gloriarum, nisi hæres in posteritatis ejus successione Catilina tantas adoreas odio damnati nominis obumbrasset. Quantum inter milites Sicinius, aut Sergius, tan-

tum inter duces, imò, ut verius dicam, inter omnes homines Cæſar dictator enituit. Hujus ductibus undecies centum triginta & duo milia cæſa ſunt hoſtium: nam quantum bellis civilibus fuderit, noluit adnotari. Signis collatis quinquagies & bis dimicavit: M. Marcellum ſolus ſupergreſſus, qui novies & tricies pari modo fuerat præliatus. Ad hæc nullus celerius ſcripſit: nemo velocius legit. Quaternas etiam epiſtolas perhibetur ſimul dictaſſe. Benignitate adeo præditus, ut quos armis ſubegerat, clementia magis vicerit. Cyrus memoriæ bono inclaruit, qui in exercitu, cui numeroſiſſimo præfuit, nominatim ſingulos adloquebatur. Fecit hoc idem in populo Romano L. Scipio. Sed & Cyrum & Scipionem conſuetudine credamus profeciſſe. Cineas Pyrrhi legatus poſtero die quam ingreſſus Romam fuerat, & equeſtrem ordinem & Senatum propriis nominibus ſalutavit. Rex Ponticus Mithridates duabus & viginti gentibus, quibus imperitabat, ſine interprete jura dixit. Memoriam & arte fieri palam factum eſt, ſicut Metrodorus philoſophus, qui temporibus Diogenis Cynici fuit, in tantum ſe meditatione aſſidua provexit, ut à multis ſimul dicta, non modo ſenſuum, ſed etiam verborum ordinibus detineret. Nihil tamen in homine aut metu, aut caſu, aut morbo facilius intercipi ſæpe perſpectum eſt. Qui lapide ictus fuerat, accepimus oblitum literarum. Meſſallam certè Corvinum poſt ægritudinem, quam pertulerat, percuſſum proprii nominis oblivione, quamlibet alias ei ſenſus vigeret. Memoriam metus perimit: invicem vocis interdum eſt incitamentum, quam non ſolum acuit, ſed etiam, ſi nunquam fuerit, extorquet. Denique cum olympiade octava & quinquageſima victor Cyrus intraſſet Sardis Aſiæ oppidum, ubi tunc Crœſus latebat, Atys filius Regis mutus ad id locorum, in vocem erupit vi timoris: exclamaſſe enim dicitur, parce patri meo Cyre, & hominem te eſſe vel caſibus diſce noſtris. Tractare de moribus ſupereſt, quorum excellentia maximè in duobus enituit. Cato princeps Porciæ gentis, ſenator optimus, imperator optimus, optimus orator, cauſam tamen quadragies & quater dixit, diverſis odiorum ſimultatibus adpetitus, ſemper abſolutus. Unde Scipionis Æmiliani laus propenſior, qui præter bona, quibus Cato clarus fuit, etiam publico amore præceſſit. Vir optimus Naſica Scipio judicatus eſt, non privato tantùm teſtimonio, ſed totius ſenatus ſacramento, quippe quod inventus dignior non fuit, cui præcipuæ religionis crederetur miniſterium, cum oraculum moneret arceſſi ſacra deûm matris Peſſinunte. Plurimi inter Romanos eloquentia floruerunt, ſed hoc bonum hereditarium nunquam fuit, niſi in familia Curionum, in qua tres ſerie continua oratores fuere. Magnum hoc habitum eſt ſanè eo ſæculo, quo facundiam præcipuè & humana & divina mirata ſunt: Quippe tunc percuſſores Archilochi poëtæ Apollo prodidit, & latronum facinus deo coarguente detectum. Cumque Lyſander Lacedæmonius Athenas obſideret, ubi Sophoclis tragici inhumatum corpus jacebat, identidem Liber pater ducem monuit per quietem, ſepeliri delicias ſuas ſineret: nec priùs deſtitit, quam Lyſander cognito qui obiſſet diem, & quid à numine poſceretur, inducias bello daret, uſque dum congruæ ſupremis talibus exſequiæ ducerentur. Pindarum lyricum è convivii loco, cui imminebat ruina, ne cum ceteris interiret, forinſecus Caſtor & Pollux vocarunt, inſpectantibus univerſis: quo effectum, ut ſolus impendens periculum evaderet. Numerandus poſt Deos Cn. Pompejus magnus, intraturus Poſidonii domum, clariſſimi tunc ſapientiæ profeſſoris, percuti ex more à lictore fores vetuit, ſummiſſiſque faſcibus, quamlibet confecto Mithridatico bello, & orientis victor, ſententia propria ceſſit januæ literarum. Africanus prior Q. Ennii ſtatuam imponi ſepulcro ſuo juſſit. Uticenſis Cato unum ex tribunatu militum philoſophum, alium ex Cypria legatione Romam advexit, profeſſus plurimum ſe eo facto Senatui & populo contuliſſe, quamlibet proavus ejus ſæpiſſime cenſuiſſet Græcos Urbe pellendos. Dionyſius tyrannus vittatam navem Platoni obviam miſit: ipſe cum albis quadrigis egredientem in littore occurrens honoratus eſt. Perfectam prudentiam ſoli Socrati oraculum Delphicum adjudicavit. Pietatis documentum nobilius quidem in Metellorum domo refulſit, ſed eminentiſſimum in plebeia puerpera reperitur. Humilis hæc atque ideo famæ obſcurioris, cum

ad

A ad patrem, qui ſupplicii cauſa clauſtris pœnalibus continebatur, ægrè obtinuiſſet ingreſ-
ſus, exquiſita ſæpius à janitoribus, ne fortè parenti cibum ſumminiſtraret, alere eum
uberibus ſuis deprehenſa eſt: quæ res & locum & factum conſecravit: nam qui
morti deſtinabatur, donatus filiæ in memoriam tanti præconii reſervatus eſt: locus
dicatus ſuo numini, Pietatis ſacellum eſt. Navis à Phrygia gerula ſacrorum, dum ſe-
quitur vittas caſtitatis, contulit Claudiæ principatum pudicitiæ. At Sulpitia Patercu-
li filia, M. Fulvii Flacci uxor, cenſura omnium matronarum è centum probatiſſimis
haud temerè dilecta eſt, quæ ſimulacrum Veneris, ut Sibyllini libri monebant, dedi-
caret. Quod attinet ad titulum felicitatis, necdum repertus eſt qui felix cenſeri jure
debuerit: namque Cornelius Sulla dictus potius eſt quàm fuit felix. Solum certè bea-
B tum cortina Aglaum judicavit, qui in anguſtiſſimo Arcadiæ angulo pauperis ſoli do-
minus nunquam egreſſus paterni ceſpitis terminos invenitur.

CAPUT II.

De Italia. In ea de boa angue, de lupis, de lyncibus, de lyngurio lapide, de lapide curalio, de gemma Syrtite, de Veientana gemma, de mutis cicadis, de Diomedis avibus.

C DE homine ſatis dictum habeo. Nunc, ut ad deſtinatum revertamur, ad
locorum commemorationem ſtilus dirigendus eſt, atque adeo principaliter
in Italiam, cujus decus jam in Urbe contigimus. Sed Italia tanta cura omni-
bus dicta, præcipuè M. Catoni, ut jam inveniri non poſſit, quod non veterum au-
thorum præſumpſerit diligentia, largiter in laudem excellentis terræ materia ſuppe-
tente, dum ſcriptores præſtantiſſimi reputant locorum ſalubritatem, cœli tempe-
riem, ubertatem ſoli, aprica collium, opaca nemorum, innoxios ſaltus, vitium
D olearumque proventus, nobilia pecuaria, tot amnes, lacus tantos, bifera violaria, inter
hæc Veſuvium flagrantis animæ ſpiritu vaporantem, tepentes fontibus Baias, colonias
tam frequentes, tam aſſiduam novarum urbium gratiam, tam clarum decus vete-
rum oppidorum, quæ primum Aborigines, Aurunci, Pelaſgi, Arcades, Siculi, to-
tius poſtremò Græciæ advenæ, & in ſumma victores Romani condiderunt: ad hæc
laterum portuoſa, oraſque patentibus gremiis commercio orbis accommodatas. Ve-
rùm ne prorſus intacta videatur, in ea, quæ minùs trita ſunt, animum intendere haud
abſurdum videtur, & parcius depavita levibus veſtigiis inviare: nam quis ignorat vel
E dicta vel condita, à Jano Janiculum, à Saturno Latium, atque Saturniam, à Danaë Ar-
deam, à comitibus Herculis Polieon, ab ipſo in Campania Pompejos, quia victor ex Hi-
ſpania pompam boum duxerat? In Liguria quoque lapidarios campos, quòd ibi eo di-
micante creduntur pluviſſe ſaxa: regionem Ionicam ab Ione Naulochi filia, quam pro-
caciter inſidentem vias Hercules, ut ferunt, interemit: Archippen à Marſya rege Lydo-
rum, quod hiatu terræ hauſtum, diſſolutum eſt in lacum Fucinum: ab Jaſone templum
Junonis Argivæ: à Pelopidis Piſas: à Cleolao Minois filio Daunios: Japygas ab Japyge
F Dædali filio: Tyrrhenos à Tyrrheno Lydiæ rege: Coram à Dardanis: Agyllam à Pe-
laſgis, qui primi in Latium literas intulerunt: ab Haleſo Argivo Phaliſcam: à Phalerio
Argivo Phalerios: Feſcenninum quoque ab Argivis: portum Parthenium à Phocenſi-
bus: Tybur, ſicut Cato facit teſtimonium, à Catillo Arcade præfecto claſſis Euandri;
ſicut Sextius, ab Argiva juventute. Catillus enim Amphiarai filius poſt prodigialem
patris apud Thebas interitum Oeclei avi juſſu, cum omni fœtu ver ſacrum miſſus tres
liberos in Italia procreavit, Tiburtum, Coram, Catillum, qui depulſis ex oppido Sici-
G liæ veteribus Sicanis, à nomine Tiburti fratris natu maximi urbem vocaverunt. Mox
in Bruttiis ab Ulyxe exſtructum templum Minervæ. Inſula Ligea appellata ab ejecto
ibi corpore Sirenis ita nominatæ: Parthenope à Parthenopæ Sirenis ſepulcro, quam Au-
guſtus poſtea Neapolin eſſe maluit. Præneſte, ut Zenodotus, à Præneſte Ulyxis ne-
pote Latini filio: ut Præneſtini ſonant libri, à Cæculo, quem juxta ignes fortuitos in-
venerunt, ut fama eſt, Digitorum ſorores. Notum eſt à Philocteta Petiliam conſtitutam:
Arpos & Beneventum à Diomede, Patavium ab Antenore, Metapontum à Pyliis,
Scyl-

Scyllaceum ab Athenienſibus, Sybarim à Troëzeniis, & à Sagari Ajacis Locri filio, A Salentinos à Lyctiis, Anconam à Siculis, Gabios à Galato & Bio Siculis fratribus, ab Heraclidis Tarentum, inſulam Tenſam ab Ionibus, Pæſtum à Dorenſibus: à Myſcello Achæo Crotonam, Regium à Chalcidenſibus, Cauloniam & Terinam à Crotonienſibus, à Nariciis Locros, Heretum à Græcis in honorem Heræ: ſic enim Junonem Græci vocant: Ariciam ab Archilocho Siculo, unde & nomen, ut Heminæ placet, tractum. Hoc in loco Oreſtes oraculo monitus ſimulacrum Scythicæ Dianæ, quod de Taurica extulerat, priùs quàm Argos peteret, conſecravit. A B Zanclenſibus Metaurum locatum, à Locrenſibus Metapontum, quod nunc Vibo dicitur. Bocchus abſolvit Gallorum veterem propaginem Umbros eſſe: M. Antonius refert eoſdem, quòd tempore aquoſæ cladis imbribus ſuperfuerint, Umbrios Græcè nominatos. Liciniano placet à Meſſappo Græco Meſſappiæ datam originem, verſam poſtmodum in nomen Calabriæ, quam in exordio Oenotri frater Peucetius Peucetiam nominarat. Par ſententia eſt inter authores, à gubernatore Æneæ appellatum Palinurum, à tubicine Miſenum, à conſobrina Leucoſiam inſulam, à nutrice Cajetam, ab uxore Lavinium, quod poſt Trojæ excidium, ſicut Coſco- C nius perhibet, quarto anno exſtructum eſt. Nec omiſſum ſit Æneam æſtate ab Ilio capto ſecunda, Italicis littoribus appulſum, ut Hemina tradit, ſociis non amplius ſexcentis, in agro Laurenti poſuiſſe caſtra: ubi dum ſimulacrum, quod ſecum ex Sicilia advexerat, dedicat Veneri matri, quæ Frutis dicitur, à Diomede Palladium ſuſcipit, tribuſque mox annis cum Latino regnat ſocia poteſtate, quingentis jugeribus ab eo acceptis: quo defuncto ſummam biennio adeptus, apud Numicum parere deſivit anno ſeptimo, Patriſque Indigetis ei nomen datum. Deinde conſtituta ab Aſcanio longa Alba, Fidenæ, Antium, Nola à Tyriis, ab Eubœ- D enſibus Cumæ: ibidem Sibyllæ ſacellum eſt, ſed ejus, quæ rebus Romanis quinquageſima olympiade interfuit, cujuſque librum ad Cornelium uſque Sullam Pontifices noſtri conſulebant: tunc enim unà cum Capitolio igni abſumtus eſt: nam priores duo Tarquinio Superbo parcius pretium offerente quàm poſtulabatur ipſa exuſſerat. Hujus ſepulcrum in Sicilia adhuc manet. Delphicam autem Sibyllam ante Trojana bella vaticinatam Bocchus autumat, cujus plurimos verſus operi ſuo Homerum inſeruiſſe manifeſtat. Hanc Herophile Erythræa annis aliquot intercedentibus conſecuta eſt, Sibyllaque appellata eſt de ſcientiæ parilitate, quæ in- E ter alia magnifica Lesbios amiſſuros imperium maris multo ante præmonuit quàm id accideret. Ita Cumanam tertio fuiſſe poſt has loco ipſa ævi ſeries probat. Ergo Italia, in qua Latium antiquum antea à Tiberis oſtiis ad uſque Lirim amnem pertinebat, univerſa conſurgit à jugis Alpium, porrecta ad Rheginum verticem, & littora Bruttiorum, quò in maria meridiem verſus protenditur. Inde procedens paulatim ſe Apennini montis dorſo attollit, extenta inter Tuſcum & Adriaticum, id eſt, inter ſuperum mare & inferum, ſimilis querneo folio, proceritate amplior quàm latitudine. Ubi longius abiit, in cornua duo ſcinditur, quorum alterum F Ionium reſpectat æquor, alterum Siculum. Inter quas prominentias non uno margine acceſſum inſinuati freti recipit, ſed linguis projectis ſæpius, ac procurrentibus diſtinctum promontoriis pelagus accipit. Ibi, ut ſparſim notemus, arces Tarentinæ, Scyllacea regio cum Scylleo oppido, & Cratæide flumine Scyllæ matre, ut vetuſtas fabulata eſt, Regini ſaltus, Pæſtanæ valles, Sirenum ſaxa, amœniſſimus Campaniæ tractus, Phlegræi campi, Circæ domus, Tarracina inſula ante circumflua immenſo mari, nunc ævo nectente addita continenti, diverſamque fortunam G à Reginis experta, quos fretum medium à Siculis vi abſcidit: Formiæ etiam Læſtrygonibus habitatæ multa præterea pollentiſſimis ingeniis ediſſertata, quæ præterire, quàm inferius exſequi, tutius duximus. Verùm Italiæ longitudo, quæ ab Auguſta prætoria per Urbem Capuamque porrigitur uſque ad oppidum Regium, decies centena & viginti milia paſſuum colligit: latitudo ubi plurimum CCCCX: ubi minimum; CXXXVI: artiſſima eſt ad portum, quem Annibalis caſtra dicunt: neque enim excedit quadraginta milia. Umbilicum, ut Varro tradit, in agro

A agro Reatino habet. At in ſolidum ſpatium circuitus univerſi vicies quadragies no-
vieſque centena ſunt. In quo ambitu adverſa Locrenſium fronte ortus à Gadibus
finitur Europæ ſinus primus: nam ſecundus à Lacinio auſpicatus in Acroceraunio
metas habet. Ad hæc Italia Pado clara eſt, quem mons Veſulus ſuperantiſſimus
inter juga Alpium gremio ſuo fundit, viſendo fonte in Ligurum finibus, unde ſe
primùm Padus proruit, ſubverſuſque cuniculo rurſus in agro Vibonenſi extollitur,
nulli amnium inferior claritate, à Græcis dictus Eridanus. Intumeſcit exortu canis
tabefactis nivibus, & liquentibus brumæ pruinis, auctuſque aquarum acceſſione xxx
B flumina in Adriaticum defert mare. E memorabilibus inclytum & inſigniter per
omnium vulgatum ora, quod perpaucæ familiæ ſunt in agro Faliſcorum, quos Hir-
pos vocant. Hi ſacrificium annuum ad montem Soractis Apollini faciunt: id ope-
rantes geſticulationibus religioſis, impunè inſultant ardentibus lignorum ſtruibus, in
honorem divinæ rei flammis parcentibus. Cujus devotionis myſterium munificen-
tia ſenatus honorata Hirpis perpetuo conſulto omnium munerum vacationem de-
dit. Gentem Marſorum ſerpentibus illæſam eſſe nihil mirum: à Circæ filio hi ge-
nus ducunt, & de avita potentia deberi ſibi ſciunt ſervitium venenorum: ideo ve-
C nena contemnunt. Cœlius Æetæ treis filias dicit, Angitiam, Medeam, & Cir-
cen: Circen Circejos inſediſſe montes, carminum maleficiis varias imaginum fa-
cies mentientem: Angitiam vicina Fucino occupaviſſe, ibique ſalubri ſcientia ad-
verſus morbos reſiſtentem, cum dediſſet hominem vivere, deam habitam: Me-
deam ab Jaſone Buthroti ſepultam, filiumque ejus Marſis imperaſſe. Sed quam-
vis Italia habeat hoc præſidium familiare, à ſerpentibus non penitus libera eſt. De-
nique Amunclas, quas Amyclas ante Græci condiderant, ſerpentes fugavêre. Il-
lic frequens vipera inſanabili morſu: brevior hæc ceteris, quàm in aliis advertimus
D orbis partibus, ac propterea, dum deſpectui eſt, facilius nocet. Calabria chelydris
frequentiſſima, & boam gignit, quem anguem ad immenſam molem ferunt con-
valeſcere. Captat primò greges bubulos, & quæ plurimo lacte rigua bos eſt, ejus
ſe uberibus innectit, ſuctuque continuo ſaginata longo in ſæculo, ita fellebri ſatie-
tate ultimo extuberatur, ut obſiſtere magnitudini ejus nulla vis queat: & poſtremò
depopulatis animantibus regiones, quas obſederit, cogit ad vaſtitatem. Denique D.
Claudio principe ubi Vaticanus ager eſt, in alvo occiſæ boæ ſpectatus eſt ſolidus infans.
E Italia lupos habet, & quod cum ceteris ſimile non ſit, homo, quem prius viderint,
conticeſcit, & anticipatus obtutu nocentis adſpectus, licet clamandi voluntatem
habeat, non habet vocis miniſterium. Sciens de lupis multa prætereo. Spectatiſſi-
mum illud eſt: caudæ animalis hujus villus amatorius ineſt perexiguus, quem ſpon-
tivo damno amittit, cum capi metuit: nec habet potentiam niſi viventi detrahatur.
Coëunt lupi toto anno non amplius dies xii. Veſcuntur in fame terram. At hi,
quos cervarios dicimus, quamvis poſt longa jejunia repertas ægrè carnes mandere
cœperint, ubi quid caſu reſpiciunt, obliviſcuntur, & immemores præſentis co-
F piæ eunt quæſitum quam reliquerant ſatietatem. In hoc animalium genere no-
minantur & lynces, quarum urinas coire in duritiem pretioſi calculi fatentur, qui
naturas lapidum exquiſitius ſunt perſecuti. Iſtud etiam ipſas lynces perſentiſcere
hoc documento probatur, quòd egeſtum liquorem illico arenarum tumulis, quan-
tum valent, contegunt, invidæ ſcilicet ne talis egeries tranſeat in noſtrum uſum, ut
Theophraſtus perhibet. Lapidi iſti ad ſuccinum color eſt, pariter ſpiritu attrahit
propinquantia, dolores renum placat, medetur regio morbo, Græcè lyngurium
dicitur. Cicadæ apud Rheginos mutæ, nec uſquam alibi: quod ſilentium mi-
G raculo eſt, nec immeritò, cum vicinæ quæ ſunt Locrenſium, ultra ceteras ſonent.
Cauſas Granius tradit, cum obmurmurarent illic Herculi quieſcenti, deum juſ-
ſiſſe ne ſtreperent: itaque ex eo cœptum ſilentium permanere. Liguſticum ma-
re frutices procreat, qui quantiſper fuerint in aquarum profundis fluxi ſunt, ta-
ctu prope carnulento: deinde ubi in ſupera adtolluntur, naturalibus ſaxis deroga-
ti, lapides fiunt: nec qualitas illis tantum ſed & color vertitur: nam puniceo pro-
tinus rubeſcunt. Ramuli ſunt quales arboris viſimus, ad ſemipedem frequentius

longi.

longi. Rarum est pedaneos deprehendi. Excuduntur ex illis multa gestamina. Ha- A
bet enim, ut Zoroastres ait, materia hæc quandam potestatem, ac propterea quic-
quid inde fit, ducitur inter salutaria. Curalium alias dicunt: nam Metrodorus
Gorgian nominat. Idem quòd resistat typhonibus & fulminibus adfirmat. Eruitur
gemma in parte Lucaniæ, facie adeo jocunda, ut languentes intrinsecus stellas, &
subnubilo renidentes croceo colore perfundat. Ea quoniam in littore Syrtium inven-
ta primum est, Syrtites vocatur. Est & Vejetana à loco dicta, cui nigricolor facies
propria, quam ad gratiam varietatis albi limites intersecant notis candicantibus. In- B
sula, quæ Apuliæ oram videt, tumulo ac delubro Diomedis insignis est, & Diome-
deas aves sola nutrit: nam hoc genus alitis præterquam ibi nusquam gentium est, id-
que solum poterat memorabile judicari, nisi accederent non omittenda. Forma il-
lis pænè quæ fulicis, color candidus, ignei oculi, ora dentata: congreges volitant,
nec sine ratione pergendi: duces duo sunt, qui regant cursum: alter agmen anteit,
alter insequitur: ille ut ductu certum iter dirigat, hic ut instantia urgeat tarditatem.
Hæc in meantibus disciplina est. Cum fœtificum adest tempus, rostro scrobes ex-
cavant: deinde surculis in versum superpositis, imitantur texta cratium: sic conte-
gunt subtercavata; & ne operimenta desint, si fortè lignorum cassa venti auferunt, C
hanc struicem comprimunt terra quam egesserant cum puteos excitassent. Sic nidos
moliuntur bifori accessu, nec fortuitu: adeo ut ad plagas cœli metentur exitus, vel
ingressus: aditus, qui mittit ad pastus, in ortum destinatur: qui excipit reverten-
teis, versus occasui est: ut lux & moranteis excitet, & receptui non denegetur. Leva-
turæ alvum adversis flatibus subvolant, quibus proluvies longius auferatur. Judi-
cant inter advenas: qui Græcus est, propiùs accedunt, & quantum intelligi datur,
ut civem blandius adulantur: si quis erit gentis alterius, involant & impugnant. D
Ædem sacram omni die celebrant studio ejusmodi: aquis imbuunt plumas, alisque
impendio madefactis confluunt rorulentæ: ita ædem excusso humore purificant:
tunc pinnulis superplaudunt: inde disceditur quasi peracta religione. Ob hoc cre-
dunt Diomedis socios aves factos. Sanè ante adventum Ætoli ducis nomen Dio-
mediæ non habebant, inde sic dictæ. Italicus excursus per Liburnos, quæ gens Asia-
tica est, procedit in Dalmatiæ pedem, Dalmatia in limitem Illyricum, in quo sinu
Dardani sedes habent, homines ex Trojana prosapia in mores barbaros efferati. At
ex altera parte per Ligurum oram in Narbonensem provinciam pergit, in qua Pho- E
censes quondam fugati Persarum adventu Massiliam urbem olympiade quadragesima
quinta condiderunt. Et C. Marius bello Cimbrico factis manu fossis invitavit ma-
re, perniciosamque ferventis Rhodani navigationem temperavit: qui amnis præci-
pitatus Alpibus primo per Helvetios ruit, occursantium aquarum agmina secum tra-
hens, auctuque magno, ipso quod invadit freto turbulentior; nisi quod fretum
ventis excitatur, Rhodanus sævit & cùm serenum est: atque ideo inter tres Europæ
maximos fluvios & hunc computant. Aquæ quoque Sextiliæ eo loco claruerunt,
quondam hiberna consulis, postea excultæ mœnibus: quarum calor olim acrior, ex- F
halatus per tempora evaporavit, nec jam par est famæ priori. Si Græcias cogite-
mus, præstat respicere littus Tarentinum: unde à promontorio, quod Acran Japy-
gian vocant, Achajam destinantibus citissima navigatio est.

CAPUT III. G

Corsica. In ea de catochite lapide.

FLECTENDUS hinc stilus est: terrarum vocant aliæ, & longum est, ut moratim insularum omnium oras legamus, quascumque promontoria Italica prospectant: quamvis sparsæ recessibus amœnissimis, & quodam naturæ quasi spectaculo expositæ, non erant omittendæ: sed quantum residendum est,

si

A si dilatis, quæ præcipua sunt, per quandam desidiam, aut Pandatariam, aut Prochytam dicamus, aut Iluam ferri feracem, aut Caprariam, quam Græci Αἴγιλον dicunt, aut Planasiam de facie supinitatis sic vocatam, vel Columbariam avium hoc nominis matrem, vel Ithacesiam Ulyxis, ut proditur, speculam, vel Enariam Inarimen ab Homero nominatam, aliasque lætas non secus, inter quas Corsicam plurimi in dicendo latiùs circumvecti plenissima narrandi absolverunt diligentia, nihilque omissum quod retractanti non sit supervacuum: ut exordium incolis Ligures dederint, ut oppida structa sint, ut colonias ibi deduxerint Marius & Sulla, ut ipsam
B Ligustici sinus æquor adluat. Sed hæc facessant. Verum ager Corsicanus, quod in eo agro unicum est, solus edit, quem κατοχίτην vocant lapidem fatu dignissimum. Major est ceteris qui ad ornatum destinantur, nec tam gemma quam cautes. Idem impositas manus detinet, ita se junctis corporibus adnectens, ut cum ipso hæreant quibus tangitur; sic ei inest velut de glutino lentiore nescio quid, parque gummi. Accipimus Democritum Abderiten ostentatione scrupuli hujus frequenter usum, ad probandam occultam naturæ potentiam in certaminibus quæ contra Magos habuit.
C

CAPUT IV.

Sardinia. In ea de solifuga, & herba quæ Sardonia dicitur. De admirandis aquarum viribus.

SARDINIA quoque, quam apud Timæum Σανδαλιῶτιν legimus, Ἰχνοῦσαν apud Crispum, in quo mari sita sit, quos incolarum authores habeat, satis cele-
D bre est. Nihil ergo attinet dicere, ut Sardus Hercule, Norax Mercurio procreati, cùm alter à Libya, alter ab usque Tartesso Hispaniæ in hosce fines permeavissent, à Sardo terræ, à Norace Noræ oppido nomen datum. Mox Aristæum regnando his proximum in urbe Caralis, quam condiderat ipse, conjuncto populo utriusque sanguinis, sejuges usque ad se gentes ad unum morem conjugasse, imperium ex insolentia nihil aspernatas. Sed ut hæc & Jolaum, qui ad id locorum agros ibi insedit, præterea & Ilienses, & Locrenses transeamus, Sardinia est quidem absque serpentibus, sed quod aliis locis serpens, hoc solifuga Sardis agris. Animal
E perexiguum, qua aranei forma, solifuga dicta quod solem fugiat. In metallis argentariis plurima est, nam solum illud argenti dives est: occultim reptat, & per imprudentiam supersedentibus pestem facit. Huic incommodo accedit & herba Sardonia, quæ in defluviis fontaneis provenit justo largius. Ea si edulio fuerit nescientibus, nervos contrahit, rictu diducit ora, ut qui mortem oppetunt facie ridentium intereant. Contra quicquid aquarum est, variè commodis servit. Stagna pisculentissima, hibernæ pluviæ in æstivam penuriam reservantur: nam homo Sardus opem plurimam de imbrido cœlo habet. Hoc collectaneum depascitur, ut suf-
F ficiat usui ubi defecerint scaturigines. Fontes calidi & salubres aliquot locis effervescunt, qui medelas afferunt, aut solidant ossa fracta, aut abolent à solifugis insertum venenum, aut etiam ocularias dissipant ægritudines: sed qui oculis medentur, & coarguendis valent furibus: nam quisquis sacramento raptum negat, lumina aquis attrectat: ubi perjurium non est, cernit clariùs: si perfidia abnuit, detegitur facinus cæcitate, & captus oculis admissum tenebris fatetur.
G

CAPUT V. A

Sicilia. In ea memorabilia soli, & aquarum. Item de achate lapide.

SI respiciamus ad ordinem temporum, vel locorum, post Sardiniam res vocant Siculæ. Primo quòd utraque insula in Romanum arbitratum redacta, iisdem temporibus facta est provincia: cum eodem anno Sardiniam M. Valerius, alteram C. Flaminius prætor sortiti sunt. Adde quod freto Siculo excipitur
nomen Sardi maris. Ergo Sicilia, quod cum primis assignandum est, diffusis pro- B
minentibus triquetra specie figuratur. Pachynus aspectus in Peloponnesum, & meridianam plagam dirigit: Pelorias adversa vespero Italiam videt: Lilybæum in Africam extenditur. Inter quæ Pelorias præstat, laudata unico soli temperamento, quòd neque humido in lutum madefiat, neque fatiscat in pulverem siccitate. Ea ubi introrsum recedit, & in latitudinem panditur, tres lacus obtinet: quorum unus quod piscium copiosus est, non equidem ad miraculum duxerim, sed quod ei proximans condensus ar-
bustis inter virgultorum opaca feras nutriat, & admissis venantibus per terrenos trami- C
tes, quibus pedestris accessus excipit, duplicem piscandi venandique præbeat voluptatem, numeratur inter eximia. Tertium ara sacrum approbat, quæ in medio sita, brevia dividit à profundis. Quà ad eam pergitur, aqua crurum tenus pervenit: quod ultra est, nec explorari licet, nec attingi: & si fiat, qui id ausus sit, malo plectitur, quantamque sui partem gurgiti intimaverit, tantam it perditum. Ferunt quendam in hæc alta quàm longissimè jecisse lineam, eam ut recuperaret dum demerso brachio
nisum adjuvat, cadaver manum factam. Peloritana ora habitatur colonia Tauro- D
minia, quam prisci Naxum vocabant: oppido Messana: Rhegio Italiæ opposito, quod Rhegium à dehiscendi argumento 'Ρήγιον Græci dictitabant. Pachyno multa thynnorum inest copia, echinis & omnibus mari nantibus pisculentissimum, ac propterea semper captura larga. Lilybitano Lilybæum oppidum decus est & Sibyllæ sepulcrum. Sicaniæ diu ante Trojana bella Sicanus rex nomen dedit, advectus cum amplissima Iberorum manu: post Siculus Neptuni filius. In hanc plurimi Corinthiorum, Argivorum, Iliensium, Dorensium, Cretensium confluxerunt. Inter quos & Dædalus fabræ artis magister. Principem urbium Syracusas habet: in qua
etiam cum hiberno conduntur serena, nullo non die sol est. Adde quòd Arethusa E
fons in hac urbe est. Eminet montibus Ætna & Eryce. Vulcano Ætna sacer est, Eryx Veneri. In Ætnæ vertice hiatus duo sunt, crateres nominati, per quos eructatus erumpit vapor, præmisso prius fremitu qui per æstuantes cavernarum latebras longo mugitu intra terræ viscera diu volvitur, nec ante se flammarum globi attollunt, quàm interni strepitus antecedant. Mirum hoc est: nec illud minus, quod in illa ferventis naturæ pervicacia mixtas ignibus nives præfert, & licet vastis exundet incendiis, apicis canicie perpetua brumalem detinet faciem. Itaque invicta in utro-
que violentia, nec calor frigore mitigatur, nec frigus calore dissolvitur. Laudant F
alios montes duos, Nebroden, & Neptunium. E Neptunio specula est in pelagus Tuscum, & Adriaticum: Nebroden dammæ & hinnuli gregatim peruagantur: inde Nebrodes. Quicquid Sicilia gignit, sive soli, sive hominis ingenio, proximum est his quæ optima judicantur, nisi quod fœtus terræ Centuripino croco vincitur. Hic primum inventa comœdia. Hinc & cavillatio mimica in scena stetit. Hinc domo Archimedes, qui juxta siderum disciplinam machinarius commentator fuit. Hinc
Laïs illa, quæ eligere patriam maluit, quàm fateri. Gentem Cyclopum testan- G
tur vasti specus. Læstrygonum sedes adhuc sic vocantur. Ceres inde magistra sationis fructuariæ. Hîc ibidem campus Ennensis in floribus semper, & in omni vernus die. Quem propter est demersum foramen, qua Ditem patrem ad raptus Liberæ exeuntem fama est lucem hausum. Inter Catinam & Syracusas certamen est de illustrium fratrum memoria, quorum nomina sibi diversæ partes adoptant. Si Catinenses audiamus, Anapis fuit, & Amphinomus: si quod malunt Syracusæ, Emantiam putabimus, & Critonem. Catinensis tamen regio causam

A ſam dedit facto, in quam ſe cum Ætnæ incendia protuliſſent, juvenes duo ſublatos parentes evexerunt in flammas illæſi ignibus. Horum memoriam ita poſteritas munerata eſt, ut ſepulchri locus nominaretur campus piorum. De Arethuſa, & Alpheo verum eſt hactenus quod conveniunt fons & amnis. Fluminum miracula abunde varia ſunt. Dianam, qui ad Camerinam fluit, ſi habitus impudicè hauſerit, non coibunt in corpus unum latex vineus & latex aquæ. Apud Segeſtanos Helbeſius in medio flumine ſubita exæſtuatione fervet. Acidem, quamvis demiſſum Ætna, nullus frigore antevertit. Himeræum cœleſtes mutant plagæ: amarus denique eſt, B dum in aquilonem fluit, dulcis ubi ad meridiem flectitur. Quanta in aquis, tanta novitas in ſalinis. Salem Agrigentinum ſi igni junxeris, diſſolvitur uſtione: cui ſi liquor aquæ proximaverit, crepitat veluti torreatur. Purpureum Enna mittit: in Pachyno tranſlucidus invenitur. Cetera ſalinarum metalla, quæ ſunt aut Agrigento, aut Centuripiis proximantia, funguntur cautium miniſterio: nam illinc excuduntur ſigna ad facies hominum vel deorum. Thermitanis locis inſula eſt arundi- C num ferax, quæ accommodatiſſimæ ſunt in omnem ſonum tibiarum: ſeu præcentorias facias, quarum locus eſt ad pulvinaria præcinendi: ſeu vaſcas, quæ foraminum numeris præcentorias antecedunt: ſeu puellatorias, quibus à ſono clariore vocamen datur: ſive gingrinas, quæ breviores licet ſubtilioribus tamen modis inſonant: aut milvinas, quæ in accentus exeunt acutiſſimos: aut Lydias, quas & turarias dicunt: vel Corinthias, vel Ægyptias, aliaſve à muſicis per diverſas officiorum & nominum ſpecies ſeparatas. In Haleſina regione fons alias quietus & tranquillus cum ſiletur, ſi inſonent tibiæ exultabundus ad cantus elevatur, & quaſi miretur vocis dulcedinem, ultra margines intumeſcit. Gelonium ſtagnum tetro ordore abigit D proximantes. Ibi & fontes duo: alter, de quo ſi ſterilis ſumpſerit, fœcunda fiet: alter, quem ſi fœcunda hauſerit, vertitur in ſterilitatem. Stagnum Petrenſium ſerpentibus noxium eſt, homini ſalutare. In lacu Agrigentino oleum ſupernatat: hoc pingue hæret arundinum comis de aſſiduo volutabro, è quarum capillamentis legitur unguentum medicum contra armentarios morbos. Nec longè inde collis Vulcanius, in quo qui divinæ rei operantur, ligna vitea ſuper aras ſtruunt, nec ignis adponitur in hanc congeriem: cùm proſicias intulerunt, ſi adeſt deus, ſi ſacrum probatur, ſarmenta licet viridia ſponte concipiunt, & nullo inflagrante halitu ab ipſo numine fit E accendium. Ibi epulantes adludit flamma, quæ flexuoſis exceſſibus vagabunda, quem contigerit non adurit: nec aliud eſt quàm imago nuntia perfecti ritè voti. Idem ager Agrigentinus eructat limoſas ſcaturigines, & ut venæ fontium ſufficiunt ripis ſubminiſtrandis, ita in hac Siciliæ parte ſolo nunquam deficiente, æterna rejectatione terram terra evomit. Achatem lapidem Sicilia primùm dedit in Achatæ fluminis ripis repertum, non vilem, cum ibi tantum inveniretur: quippe interſcribentes eum venæ naturalibus ſic notant formis, ut cum optimus eſt, varias præferat rerum imagines. Unde anulus Pyrrhi regis, qui adverſus Romanos bella geſſit, non ignobilis famæ fuit, cujus gemma achates erat, in quo novem Muſæ cum inſignibus ſuis F ſingulæ, & Apollo tenens citharam videbatur non impreſſis figuris, ſed ingenitis. Nunc diverſis locis paret. Dat Creta, quem curaliachatem vocant, curalio ſimilem, ſed inlitum guttis auro micantibus, & ſcorpionum ictibus reſiſtentem. Dat India reddentem nunc nemorum, nunc animalium facies, quem vidiſſe oculis favet, quique intra os receptus ſedat ſitim. Sunt & qui uſti redolent myrrhæ odorem, hæmachates ſanguineis maculis irrubeſcit: ſed qui maxime probantur, vitream habent perſpicuitatem, ut Cyprius: nam qui ſunt facie cerea, abundantes G trivialiter, negliguntur. Omnis ambitus hujus inſulæ clauditur ſtadiorum tribus milibus.

 CAPUT

CAPUT VI.

Volcaniæ Insulæ. A

IN freto Siculo Hæphestiæ insulæ XXV milibus passuum ab Italia absunt. Itali Vulcanias vocant: nam & ipsæ natura soli ignea per occulta commercia, aut mutuantur Ætnæ incendia, aut subministrant. Hîc dicta sedes Deo ignium. Numero sunt septem. Liparæ nomen rex dedit Liparus, qui eam ante Æolum rexit. Alteram Hieram vocaverunt: ea præcipuè Vulcano sacrata est, & plurimum colle B eminentissimo nocte ardet. Strongyle tertia, Æoli domus, vergitur ad exortus solis, minimè angulosa, quæ flammis liquidioribus differt à ceteris. Hæc causa efficit, quod ex ejus fumo potissimum incolæ præsentiscunt quinam flatus in triduo pertendant. Quo factum, ut Æolus rex ventorum crederetur. Ceteras Didymen, Ericusam, Phœnicusam, Euonymon, quoniam similes sunt, dictas habe.

CAPUT IX. C

Europæ sinus tertius. In eo de Græciæ locorum admirabilibus, de fluminibus, de fontibus, de merulis, de perdicibus, de lapide galactite, de lapide asbesto, de Arione.

TERTIUS Europæ sinus incipit à Cerauniis montibus, desinit in Hellespontum. In eo apud Molossos, ubi Dodonæi Jovis templum, Tomarus mons est, circa radices nobilis centum fontibus, ut Theopompo placet. In Epiro fons est sacer, frigidus ultra omnes aquas, & spectatæ diversitatis, nam si ar- D dentem in eum mergas facem, exstinguit: si procul ac sine igni admoveas, suopte ingenio inflammat. Dodone Tmaro celsa est. Delphi Cephiso flumine, Castalio fonte, Parnassi jugis celebres. Acarnania Aracyntho eminet. Hanc ab Ætolia Pindus dividit, qui Acheloum parit, cum primis Græciæ amnibus præditum veteri claritate. Nec injuria, cum inter calculos, quibus ripæ ejus micant, inveniatur galactites, qui scrupulus ipse ater si teratur, reddit succum album ad lactis saporem. Fœminis nutrientibus inligatus fœcundat ubera, subnexus parvulis largiusculos haustus facit salivarum. In- E tra os receptus liquescit: cum solvitur tamen, memoriæ bonum perimit: quem post Nilum Achelous dat, nec alter alius. Propter oppidum Patras Scioëssa locus novem collium opacitate umbrosus, & radiis solis fermè invisus, nec aliam ob causam memorabilis. In Laconica spiraculum est Tænaron. Est & Tænaron promontorium adversum Africæ, in quo fanum est Methymnæi Arionis, quem delphine eò advectum imago testis est, ad effigiem casus & veri operis expressa ære: præterea tempus signatum: olympiade enim undetrigesima, qua in certamine Siculo idem Arion victor scri- F bitur, id ipsum gestum probatur. Est & oppidum Tænaron nobili vetustate: præterea aliquot urbes, inter quas Leuctræ non obscuræ jam pridem Lacedæmoniorum fœdo exitu. Amiclæ silentio suo quondam pessundatæ. Sparta insignis cum Pollucis & Castoris templo, tum etiam Othryadis illustris viri titulis. Therapnæ, unde primum cultus Dianæ. Pitane, quam Archesilas stoicus inde ortus prudentiæ suæ merito in lucem extulit. Anthia & Cardamyle, ubi quondam fuêre Thyræ, nunc locus dicitur, in quo anno XVII regni Romuli inter Laconas & Argivos memorabile bellum fuit. Jam Taygeta mons, & flumen Eurotas notiora sunt, quàm ut stilo G egeant. Inachus Achaiæ amnis Argolicum secat tractum, quem rex Inachus à se nominavit, qui exordium Argivæ nobilitati primus dedit. Epidauro decus est Æsculapii sacellum, cui incubantes ægritudinem remedia capessunt de monitis somniorum. Pallanteum Arcadiæ, quod palatio nostro per Euandrum Arcada appellationem dederit, sat est admonere: in qua montes Cyllene & Lycæus Mænalus etiam diis alumnis inclaruerunt: inter quos nec Erymanthus in obscuro est.

Inter

A Inter flumina, Erymanthus Erymantho monte demiſſus, & Ladon, ille Herculis pugna, hic Pane clara ſunt. Varro perhibet fontem in Arcadia eſſe, cujus interimat hauſtus. In eadem parte de avibus hoc ſolùm non indignum relatu, quod cum aliis locis merula furva ſit, circa Cyllenem candidiſſima eſt. Nec lapidem ſpreverimus, quem Arcadia mittit: Asbeſto nomen eſt, ferri colore: qui accenſus ſemel extingui nequitur. In Megarenſium ſinum Iſthmos exit, ludis quinquennalibus & delubro Neptuni inclutus: quos ludos eapropter inſtitutos ferunt: quòd ſinibus B quinque Peloponneſi oræ adluuntur: à ſeptentrione, Ionio: ab occidente, Siculo: à brumali oriente, Ægæo: à ſolſtitiali oriente, Myrtoo: à meridie Cretico. Hoc ſpectaculum per Cypſelum tyrannum intermiſſum, Corinthii olympiade quadrageſima nona ſollemnitati priſtinæ reddiderunt. Ceterum Peloponneſon Pelopi regnatam, nomen indicio eſt. Ea ut platani folium receſſibus & prominentibus figurata, divortium facit inter Ionium & Ægæum mare, quatuor non amplius milibus diſpeſcens utrumque littus, excurſu tenui quem Iſthmon dicunt ob anguſtias. Hinc Hellas incipit, quam propriè veram habent Græciam. Quæ nunc Attice, Acte prius C dicta. Ibi Athenæ, cui urbi ſaxa Scironia propinqua ſunt, porrecta ſex milibus paſſuum, ob honorem ultoris Theſei & memoriam nobilis pœnæ ſic nominata. Ex iſtis rupibus Ino ſe cum Palæmone filio in profunda præcipitem jaculata auxit maris numina. Nec Atticos monteis in partem tacebimus. Eſt Icarius, eſt Brileſſus, eſt & Lycabethus, & Ægialus: ſed Hymetto meritiſſimè ac jure adtribuitur principatus, quòd adprimè florulentus, eximio mellis ſapore & externos omnes & ſuos vincit. Callirhoen ſtupent fontem, nec ideo Cruneſon fontem alterum nullæ rei nu- D merant. Athenienſibus judicii locus Arios pagos. Marathon campus factus memorabilis opinione prælii cruentiſſimi. Multæ quidem inſulæ objacent Atticæ continenti, ſed ſuburbanæ fermè ſunt, Salamis, Sunium, Ceos, Coos, quæ, ut Varro teſtis eſt, ſubtilioris veſtis amicula arte lanificæ ſcientiæ prima in ornatum fœminarum dedit. Bœotia Thebis enitet. Thebas condidit Amphion, non quòd lyra ſaxa duxerit, neque enim par eſt ita geſtum videri, ſed quòd adfatus ſuavitate homines rupium incolas, & incultis moribus rudes, ad obſequii civilis pellexerit diſciplinam. Urbs iſta numinibus apud ſe ortis gloriatur, ut perhibent qui ſacris carminibus Her- E culem & Liberum celebrant. Apud Thebas Helicon lucus eſt, Cithæron ſaltus, amnis Iſmenus: fontes Arethuſa, Oedipodia, Pſamate, Dirce: ſed ante alios Aganippe, & Hipocrene: quos Cadmus literarum primus repertor, quoniam equeſtri exploratione deprehendiſſet, dum rimatur quænam inſideret loca, incenſa eſt licentia Poëtarum, ut utrumque pariter diſſeminaretur, & quòd aperta foret alitis equi ungula, & quòd poti inſpirationem facerent literariam. Eubœa inſula laterum objectu efficit Aulidis portum, ſæculis traditum Graiæ conjurationis memoria. Bœoti idem ſunt, qui Leleges fuerunt: per quos defluens Cephiſos amnis in maria conditur. F In hac continentia Opuntius ſinus, Lariſſa oppidum, Delphi, Rhamne quoque, in qua Amphiarai fanum, & Phidiacæ ſignum Dianæ. Varro opinatur duo in Bœotia eſſe flumina, natura licet ſepari, miraculo tamen non diſcrepante: quorum alterum ſi ovillum pecus debibat, pullum fieri coloris quod induerit: alterius hauſtu, quæcunque vellerum fuſca ſunt, in candidum verti. Addit videri ibi puteum peſtilentem, cujus liquor mors eſt haurientibus. Perdices ſanè cum ubique liberæ ſint ut aves univerſæ, in Bœotia non ſunt, nec cum volant ſui juris, ſed in ipſo aëre quas tranſire non audeant, metas habent: inde ultra notatos jam terminos nunquam exeunt, nec in Atti- G cum ſolum tranſmeant. Hoc Bœotiis proprium: nam quæ communia ſunt omnibus, generatim perſequemur. Concinnantur à perdicibus nidi munitione ſolerti: ſpineis enim fruticibus ac ſurculis receptus ſuos veſtiunt, ut animalia quæ infeſtant arceantur aſperis ſurculorum. Ovis ſtragulum pulvis eſt, ad quæ clanculo revertuntur, ne indicium loci converſatio frequens faciat. Plerumque fœminæ transvehunt partus, ut mares fallant, qui eos affligunt impatientiùs ſæpiſſimè adulantes. Dimicatur circa connubium, victoſque credunt fœminarum vice venerem ſuſtinere: ipſas libido ſic agitat, ut ſi ventus à maſculis flaverit, fiant prægnantes odore. Tunc ſi quis homi-

hominum, ubi incubant, propinquabit, egressæ matres venientibus sese sponte offerunt, & simulata debilitate vel pedum, vel alarum, quasi statim capi possint, gressus fingunt tardiores. Hoc mendacio sollicitant obvios & eludunt, quoad provecti longius à nidis avocentur. Nec in pullis studium segnius ad cavendum: cum enim visos se persentiscunt, resupinati glebulas pedibus attollunt, quarum obtentu tam callide proteguntur, ut lateant etiam deprehensi. A

CAPUT VIII.

B

De Thessalia & Magnesia. Philippus oculum damnatus.

THESSALIA eadem est & Hæmonia, quam Homerus Argos Pelasgicon nominat: ubi genitus Hellen, à quo rege Hellenes nominati. Hujus à tergo Pieria ad Macedoniam protenditur, quæ devicta sub Macedonum venit jugum. Multa ibi oppida, multa flumina. De oppidis egregia sunt Phthia, Larissa Thessala, & Thebæ. De amnibus Peneus, qui præter Ossam Olympumque decurrens colle dextra lævaque molliter curvo nemorosis convallibus Thessalica facit Tempe, undisque apertior Macedoniam ac Magnesiam interluens, in Thermæum sinum decidit. Thessaliæ sunt Pharsalici campi, in quibus civilium bellorum detonuerunt procellæ. Ac ne in montes notos eamus, Pindum & Othryn agitent, qui Lapitharum originem persequuntur: Ossam, quos Centaurorum stabulis immorari juvat. Pelion autem nuptiale convivium Thetidis atque Pelei in tantum notitiæ obtulit, ut taceri de eo magis mirum sit. In regione Magnesia Mothona oppidum situm est, quod cum obsideret Philippus Macedonis Magni pater, damnatus est oculum jactu sagittæ, quam jecerat Aster oppidanus inscriptam suo nomine, loco vulneris, nomine quem petebat. Populum istum callere arte sagittaria credere possumus vel de Philocteta, quoniam Melibœa in hoc pede computatur. Sed ne transeamus præsidium poëtarum, fons Libethrius & ipse Magnesiæ est. C D

CAPUT IX.

E

De Macedonia cum regibus, & natura Olympi montis, & lapide pæanite.

QUI Edonii olim populi, quæque Mygdonia erat terra, aut Pierium solum, vel Emathium, nunc omne uniformi vocabulo Macedonica res est; & partitiones, quæ specialiter antea sejugabantur, Macedonum nomini contributæ, factæ sunt corpus unum. Igitur Macedoniam præcingit Thracius limes: meridiana Thessali & Epirotæ tenent: à vesperali plaga Dardani sunt & Illyrii: qua septentrione tunditur, Pœonia ac Pelagonia protegitur: à Triballis, montanis excessibus aquilonio frigori objecta. Inter ipsam & Thraciam Strymon amnis facit terminum, qui ab Hæmi jugis inrigat. Verum ut sileam aut Rhodopen Mygdonium montem, aut Athon classibus Persicis navigatum, continentique abscissum mille quingentorum passuum longitudine, simul de auri venis & argenti, quæ optimæ in agris Macedonum & plurimæ eruuntur, Orestidem dicam. Populi sunt, qui ut Orestæ dicerentur, inde cœptum. A Mycenis profugus matricida, cum abscessus longiùs destinasset, natum sibi in Emathia parvulum de Hermiona, quam in omneis casus sociam adsciverat, hic mandaverat occulendum. Adolevit puer in spiritum regii sanguinis, nomen patris sui referens; occupatoque quidquid esset quod procedit in Macedonicum sinum, & Adriaticum salum, terram cui imperitaverat Orestidem dixit. Admonet Phlegra, ubi, antequam oppidum fieret, rumor est militia mundi dimicatum cum gigantibus, ut penitus persequamur quantis probationibus ibidem imperii indicia divinæ expeditionis in hoc seculo perseveraverint. Illic siquando, ut accidit, nimbis torrentis excitantur, & F G

A aucta aquarum pondera ruptis obicibus valentius se in campos ruunt, eluvione ossa
etiam nunc ferunt detegi, ad instar quæ sunt è corporibus humanis, sed modo gran-
diora, quæ ob enormem magnitudinem monstrosi exercitus jactitant exstitisse, idque
adjuvatur argumento saxorum immanium, quibus oppugnandum impetitum cælum
crediderunt. Pergam ad residua, quæ in Thessaliam & Athamaniam contendunt.
Sunt enim arrectiora, quàm usquam proceritas montana attolli valet: nec est in ter-
ris omnibus, quod meritò ad istas eminentias comparetur: quippe quas solas diluvia-
B lis irruptio cum universa obduceret humido situ, inaccessas reliquit. Durant vestigia
non languidæ fidei, quibus apparet hos locos superstites undosæ tempestati fuisse:
nam in latebrosis rupium cavaminibus, quæ fluctuum confligiis tunc adesa sunt, redu-
viæ conchyliorum resederunt, & alia multa quæ adfatim mari incito expuuntur: ita
ut, sint licet facie mediterranea, appareant tamen specie littorali. Nam Olympum ab
Homero non per audaciam celebratum docent quæ in eo visitantur. Primum excellen-
ti vertice tantus attollitur, ut summa ejus cælum accolæ vocent. Ara est in cacumine,
Jovi dicata, cujus altaribus si qua de extis inferuntur, nec difflantur ventosis spiritibus,
C nec humentibus pluviis diluuntur: sed volvente anno cujusmodi relicta fuerint, ejus-
modi reperiuntur: & omnibus tempestatibus à corruptelis aurarum vindicatur, quid-
quid ibi semel est deo consecratum. Literæ in cinere scriptæ ad usque alteram anni cæ-
rimoniam permanent. Nunc de incolis reddam. Emathius, qui primus in Emathia
accepit principatum, seu quia indago originis ejus ævo disperiit, seu quia ita res est,
genuinus terræ habetur. Post hunc in Macedonis exortum Emathiæ nomen persti-
tit: sed Macedo Deucalionis maternus nepos, qui solus cum domus suæ familia mor-
D ti publicæ superfuerat, vertit vocamen, Macedoniamque à se dixit. Macedonem Cara-
nus insequitur dux Peloponnesiæ multitudinis, qui juxta responsum dictum Deo,
ubi caprarium pecus resedisse adverterat, urbem condidit, quam dixit Ægeas, in qua
sepeliri reges mos erat: nec alter excellentium virorum bustis apud Macedones pri-
scos dabatur locus. Succedit Carano Perdica, II & XX olympiade, primus in Ma-
cedonia rex nominatus, cui Alexander Amyntæ filius dives habitus, nec immerito:
ita enim affluenter successus ejus ampliandis opibus proficiebant, ut ante omnes Apol-
lini Delphos, Jovi Eliden statuas aureas dono miserit. Voluptati aurium indulgen-
E tissimè deditus: sicut plurimos qui fidibus sciebant, dum vivit, in usum oblecta-
menti donis tenuit liberalibus, inter quos & Pindarum lyricum. Ab hoc Arche-
laus regnum excepit, prudens rei bellicæ, navalium etiam commentor præliorum.
Hic Archelaus in tantum literarum mirè amator fuit, ut Euripidi tragico consilio-
rum summam concrederet: cujus suprema non contentus prosequi sumptu funeris,
crines tonsus est, & mœrorem quem animo conceperat, vultu publicavit. Idem
Archelaus Pythias & Olympicas palmas quadrigis adeptus, Græco potius animo,
quam regali gloriam illam præ se tulit. Post Archelaum Macedonica res dissensione
F jactata in Amyntæ regno stetit, cui tres filii: sed Alexander patri succedit: quo ex-
emto, Perdiccæ primum data copia amplissimæ potestatis indipiscundæ: qui obiens
hereditarium regnum fratri Philippo reliquit, quem captum oculo dextro apud Mo-
thonam supra diximus; cujusque debilitatis omen præcesserat: nam cùm nuptias
ageret, acciti tibicines carmen Cyclopium quasi de conludio concinuisse tradun-
tur. Philippus Magnum procreat, quamlibet Olympias Alexandri mater nobilio-
rem ei patrem acquirere adfectaverit, cum se coïtu draconis consatam affirma-
ret. Ita tamen ipse egit, ut deo genitus crederetur. Peragravit orbem rectori-
G bus Aristotele & Callisthene usus, subegit Asiam, Armeniam, Iberiam, Alba-
niam, Cappadociam, Syriam, Ægyptum, Taurum, Caucasumque transgressus
est: Bactros domuit: Medis & Persis imperavit: cepit Indiam, emensus omnia.
Liber & Hercules accesserant. Forma supra hominem augustiore, cervice celsa,
lætis oculis & illustribus, malis ad gratiam rubescentibus, reliquis corporis non sine
majestate quadam decoris. Victor omnium, vino & ira victus: sicut morbo vinu-
lentiæ apud Babylonem humiliore, quàm vixerat, fortuna exemtus est. Post quem
qui fuerunt, magis segetem Romanæ gloriæ, quàm ad hereditatem tanti nominis

ortos invenimus. Macedonia lapidem gignit, quem pæaniten vocant. Hunc eundem & concipere & parere & parturientibus opitulari fama prodiga est. Circa Tiresiæ sepulcrum plurimus invenitur. A

CAPUT X.

Thracia cum moribus gentium. In ea de gruibus, de hirundinibus, de Isthmo.

NUNC in Thraciam locus pergere, & ad validissimas Europæ gentes vela vertere: quas qui sedulò experiri velint, non difficulter deprehendent Thracibus barbaris inesse contemtum vitæ ex quadam naturalis sapientiæ disciplina. Concordant omnes ad interitum voluntarium, dum nonnulli eorum putant obeuntium animas reverti: alii non extingui, sed beatas magis fieri. Apud plurimos luctuosa sunt puerperia: denique recens natum fletu parens excipit: contraversum læta sunt funera, adeo ut exemtos gaudiis prosequantur. Uxorum numero se viri jactitant, & honoris loco judicatur multiplex matrimonium. Quæ fœminæ tenaces sunt pudicitiæ, insiliunt defunctorum rogos conjugum, & quod maximum insigne ducunt castitatis, præcipites in flammas eunt. Nupturæ non parentum arbitrio transeunt ad maritos, sed quæ præ aliis specie valent, subhastari volunt, & licentia taxationis admissa, non moribus nubunt sed præmiis: quas formæ premit dedecus, dotibus emunt quibus conjungantur. Uterque sexus epulantes focos ambiunt, herbarum, quas habent, semine ignibus superjacto: cujus nidore perculsi pro lætitia habent imitari ebrietatem sensibus sauciatis. De ritu ista sunt: de locis & populis, quæ sequuntur. Strymonem accolunt dextro latere Denselatæ: Bessorum quoque multa nomina ad usque Nestum amnem, qui radices Pangæi circumfluit. Hebrum Odrysarum solum fundit, qui fluvius excurrit inter Priantas, Doloncos, Thynos, Corpilos, aliosque barbaros tangit, & Ciconas. Deinde Hæmus sex milibus passuum arduus, cujus aversa Mœsi, Getæ, Sarmatæ, Scythæ, & plurimæ insidunt nationes. Ponticum littus Sithonia gens obtinet, quæ nato ibi Orpheo vate inter principes judicatur: quem sive sacrorum, sive cantuum secreta in Sperchivo promontorio agitasse tradunt. Deinde stagnum Bistonium. Nec longè regio Maronea, in qua Tirida oppidum fuit, equorum Diomedis stabulum: sed cessit ævo, solumque turris vestigium adhuc durat. Inde non procul urbs Abdera, quam Diomedis soror & condidit, & à se sic vocavit. Mox Democriti domus physici: ac, si verum rimere, ideo nobilior. Hanc Abderam olympiade prima & tricesima senio collapsam Clazomenii ex Asia ad majorem faciem restitutam, obliteratis quæ præcesserant, nomini suo vindicaverunt. Locum Doriscon illustrem reddidit Xerxis adventus: quòd ibi recoluit militis sui numerum. Polydori tumulum ostendit Ænus in parte quam aratores Scythæ celebrant. Quondam urbem Geraniam, Cathizon Barbari vocant: unde à gruibus Pygmæos ferunt pulsos. Manifestum sanè est in septentrionalem plagam hieme grues frequentissimas convolare. Nec piguerit meminisse, quatenus expeditiones suas dirigant. Sub quodam militiæ eunt signo, & ne pergentibus ad destinata vis flatuum renitatur, arenas devorant, sublatisque lapillulis ad moderatam gravitatem saburrantur. Tunc contendunt in altissima, ut de excelsiori specula metentur quas petant terras. Fidens meatu præit catervas: volatus desidiam castigat voce, quæ cogit agmen: ea ubi obraucata est, succedit alia. Pontum transituræ angustias captant: & quidem eas, nam promtum est oculis deprehendere, quæ inter Tauricam sunt & Paphlagoniam, id est, inter Carambim, & Κριȣ̃ μέτωπον. Cum contra medium alveum adventasse se sciunt, scrupulorum sarcina pedes liberant. Ita nautæ prodiderunt, compluti sæpe ex illo casu imbre saxatili. Arenas non priùs revomunt, quàm securæ sedis suæ fuerint. Concors cura omnium pro fatigatis, adeo ut si quæ defecerint, congruant universæ, lassatasque sustollant, usque dum vires otio reciperentur. Nec in terra cura segnior. Excubias nocte dividunt, ut exsomnis sit decima quæque. Vigiles ponduscula digitis ample-

A amplectuntur, quæ, si fortè exciderint, somnum coarguant. Quod cavendum erit, clangore indicant. Ætatem in illis prodit color: nigrescunt senectute. Veniamus ad promontorium Ceras Chryseon Byzantio oppido nobile, antea Lygos dictum: quod à Dyrrhachio abest septingentis undecim milibus passuum: tantum enim patet inter Adriaticum mare, & Propontidem. In Ceniensi regione non longè à Flaviopoli colonia Bizye oppidum, quondam arx Terei regis, invisum hirundinibus, & deinceps alitibus illis inaccessum: quamquam & Thebas, quòd illa mœnia
B sæpius capta sint, negentur subire. Nam inter cetera habere illas quiddam præscium, inde noscitur, quòd lapsura non petunt culmina, & aspernantur peritura quoquo modo tecta. Minimè certè à diris avibus impetuntur, nec unquam præda sunt, ut sacræ. Cibos non sumunt resistentes, sed in aëre capiunt escas, & hauriunt. Alter isthmos in Thracia est similibus angustiis, & pari latitudine arti maris, cujus littora urbes utrinque secus ostentant. Propontidis oram insignit Pactye, Melanem sinum Cardia: quod in cordis faciem sita sit, dicta Cardia est. Omnis Hellespontus stringitur in stadia septem, quibus ab Europa Asiaticam plagam vindicat. Hîc quoque urbes duæ, Abydos Asiæ est, Sestos Europæ. Deinde contraria inter se promontoria:
C Mastusia Cherronesi, ubi finitur Europæ sinus tertius, Sigeum Asiæ, in quo tumulus est Cynossema dictus, Hecubæ sepulcrum, & turris Protesilai delubro data. Finibus Thraciæ à septentrione Ister obtenditur, ab oriente Pontus, ac Propontis, à meridie Ægæum mare.

CAPUT XI.

Claræ insulæ, & in insulis clara. In Creta herba alimos, animal phalangium, lapis
D *Idæus dactylus. In Carysto aves Carystiæ, item carbasum. In Delo tempora diluviorum, & aves coturnices. Eubœa, Paros & lapis sarda. Naxos. Icaros. Melos. Carpathus. Rhodos. Lemnos.*

INTER Tenedum & Chium, qua Ægæus sinus panditur, ab dextera Antandrum navigantibus saxum est: hoc enim verius quam insula meruit cognominari. Id quoniam visentibus procul capræ simile creditur, quam Græce αἶγα nuncupant, Ægæus sinus dictus est. A Phalario Corcyræ promontorio ad navis effigiem
E scopulus eminet, in quem transfiguratam Ulyxis navem crediderunt. Cytheræ, quæ à Malea abest quinque milibus passuum, Porphyris antea nomen fuit. Pronius est Cretam dicere, quam absolvere in quo mari jaceat. Ita enim circumflui illius nomina Græci permiscuerunt, ut dum aliis alia inferunt, pænè oblimaverint universa. Quantam potest tamen in designando operam locabimus, ne quid hæreat sub ancipiti. Inter ortum porrigitur & occasum tractu longissimo, hinc Græcia, inde Cyrenis objacentibus: à septentrione Ægæis & suis, id est, Creticis æstibus verberatur: ab
F austro Libycis undis perfunditur & Ægyptiis, non stipata centum urbibus, sicut perhibent qui prodigè lingua largiti sunt, sed magnis & ambitiosis oppidis: quorum principatus est penes Gortynam, Cydoneam, Gnoson, Therapnas, Cylisson. Dosiades eam à Crete nympha Hesperidos filia, Anaximander à Crete rege Curetum, Crates Aëriam prius dictam, mox Curetin, nonnulli etiam à temperie cœli Μακάρων νῆσον appellatam prodiderunt. Prima mari potuit remis & sagittis. Prima literis jura junxit. Pyrrho repertore equestres turmas prima docuit lascivas vertigines impli-
G care: ex qua disciplina bellicæ rei ratio convaluit. Studium musicum inde cœptum, cum Idæi Dactyli modulos crepitu ac tinnitu æris deprehensos in versificum ordinem transtulissent. Albet jugis montium Dictynnæi & Cadisti, qui ita excandescunt, ut eminus navigantes magis putent nubila. Præter ceteros Ida est, qui ante solis ortum solem videt. Varro in opere quod de littoralibus est, etiam suis temporibus adfirmat sepulcrum Jovis ibi visitatum. Cretes Dianam religiosissimè venerantur, Britomarten gentiliter nominantes, quod sermone nostro sonat virginem dulcem. Ædem numinis præter-

ortos invenimus. Macedonia lapidem gignit, quem pæaniten vocant. Hunc eun- A
dem & concipere & parere & parturientibus opitulari fama prodiga est. Circa Tire-
siæ sepulcrum plurimus invenitur.

CAPUT X.

Thracia cum moribus gentium. In ea de gruibus, de hirundinibus, de Isthmo.

NUNC in Thraciam locus pergere, & ad validissimas Europæ gentes vela B
vertere: quas qui sedulò experiri velint, non difficulter deprehendent Thra-
cibus barbaris inesse contemtum vitæ ex quadam naturalis sapientiæ discipli-
na. Concordant omnes ad interitum voluntarium, dum nonnulli eorum putant ob-
euntium animas reverti: alii non extingui, sed beatas magis fieri. Apud plurimos
luctuosa sunt puerperia: denique recens natum fletu parens excipit: contraversum
læta sunt funera, adeo ut exemtos gaudiis prosequantur. Uxorum numero se viri ja-
ctitant, & honoris loco judicatur multiplex matrimonium. Quæ fœminæ tenaces
sunt pudicitiæ, insiliunt defunctorum rogos conjugum, & quod maximum insigne C
ducunt castitatis, præcipites in flammas eunt. Nupturæ non parentum arbitrio
transeunt ad maritos, sed quæ præ aliis specie valent, subhastari volunt, & licentia
taxationis admissa, non moribus nubunt sed præmiis: quas formæ premit dedecus,
dotibus emunt quibus conjungantur. Uterque sexus epulantes focos ambiunt, her-
barum, quas habent, semine ignibus superjacto: cujus nidore perculsi pro lætitia ha-
bent imitari ebrietatem sensibus sauciatis. De ritu ista sunt: de locis & populis, quæ
sequuntur. Strymonem accolunt dextro latere Denselatæ: Bessorum quoque multa D
nomina ad usque Nestum amnem, qui radices Pangæi circumfluit. Hebrum Odrysa-
rum solum fundit, qui fluvius excurrit inter Priantas, Doloncos, Thynos, Corpilos,
aliosque barbaros tangit, & Ciconas. Deinde Hæmus sex milibus passuum arduus, cu-
jus aversa Mœsi, Getæ, Sarmatæ, Scythæ, & plurimæ insidunt nationes. Ponticum
littus Sithonia gens obtinet, quæ nato ibi Orpheo vate inter principes judicatur: quem
sive sacrorum, sive cantuum secreta in Sperchivo promontorio agitasse tradunt. Deinde
stagnum Bistonium. Nec longè regio Maronea, in qua Tirida oppidum fuit, equo-
rum Diomedis stabulum: sed cessit ævo, solumque turris vestigium adhuc durat. In- E
de non procul urbs Abdera, quam Diomedis soror & condidit, & à se sic vocavit.
Mox Democriti domus physici: ac, si verum rimere, ideo nobilior. Hanc Abderam
olympiade prima & tricesima senio collapsam Clazomenii ex Asia ad majorem faciem
restitutam, obliteratis quæ præcesserant, nomini suo vindicaverunt. Locum Dori-
scon illustrem reddidit Xerxis adventus: quòd ibi recoluit militis sui numerum. Po-
lydori tumulum ostendit Ænus in parte quam aratores Scythæ celebrant. Quondam
urbem Geraniam, Cathizon Barbari vocant: unde à gruibus Pygmæos ferunt pul-
sos. Manifestum sanè est in septentrionalem plagam hieme grues frequentissimas con- F
volare. Nec piguerit meminisse, quatenus expeditiones suas dirigant. Sub quodam
militiæ eunt signo, & ne pergentibus ad destinata vis flatuum renitatur, arenas de-
vorant, sublatisque lapillulis ad moderatam gravitatem saburrantur. Tunc conten-
dunt in altissima, ut de excelsiori specula metentur quas petant terras. Fidens mea-
tu præit catervas: volatus desidiam castigat voce, quæ cogit agmen: ea ubi obrau-
cata est, succedit alia. Pontum transituræ angustias captant: & quidem eas, nam
promtum est oculis deprehendere, quæ inter Tauricam sunt & Paphlagoniam, id est,
inter Carambim, & Κριοῦ μέτωπον. Cum contra medium alveum adventasse se sciunt, G
scrupulorum sarcina pedes liberant. Ita nautæ prodiderunt, compluti sæpe ex illo ca-
su imbre saxatili. Arenas non priùs revomunt, quàm securæ sedis suæ fuerint. Con-
cors cura omnium pro fatigatis, adeo ut si quæ defecerint, congruant universæ, las-
satasque sustollant, usque dum vires otio reciperentur. Nec in terra cura segnior.
Excubias nocte dividunt, ut exsomnis sit decima quæque. Vigiles pondusculа digitis
ample-

A amplectuntur, quæ, si fortè exciderint, somnum coarguant. Quod cavendum erit, clangore indicant. Ætatem in illis prodit color: nigrescunt senectute. Veniamus ad promontorium Ceras Chryseon Byzantio oppido nobile, antea Lygos dictum: quod à Dyrrhachio abest septingentis undecim milibus passuum: tantum enim patet inter Adriaticum mare, & Propontidem. In Ceniensi regione non longè à Flaviopoli colonia Bizye oppidum, quondam arx Terei regis, invisum hirundinibus, & deinceps alitibus illis inaccessum: quamquam & Thebas, quòd illa mœnia
B sæpius capta sint, negentur subire. Nam inter cetera habere illas quiddam præscium, inde noscitur, quòd lapsura non petunt culmina, & aspernantur peritura quoquo modo tecta. Minimè certè à diris avibus impetuntur, nec unquam præda sunt, ut sacræ. Cibos non sumunt resistentes, sed in aëre capiunt escas, & hauriunt. Alter isthmos in Thracia est similibus angustiis, & pari latitudine arti maris, cujus littora urbes utrinque secus ostentant. Propontidis oram insignit Pactye, Melanem sinum Cardia: quod in cordis faciem sita sit, dicta Cardia est. Omnis Hellespontus stringitur in stadia septem, quibus ab Europa Asiaticam plagam vindicat. Hîc quoque urbes duæ, Abydos Asiæ est, Sestos Europæ. Deinde contraria inter se promontoria:
C Mastusia Cherronesi, ubi finitur Europæ sinus tertius, Sigeum Asiæ, in quo tumulus est Cynossema dictus, Hecubæ sepulcrum, & turris Protesilai delubro data. Finibus Thraciæ à septentrione Ister obtenditur, ab oriente Pontus, ac Propontis, à meridie Ægæum mare.

CAPUT XI.

D *Claræ insulæ, & in insulis clara. In Creta herba alimos, animal phalangium, lapis Idæus dactylus. In Carysto aves Carystiæ, item carbasum. In Delo tempora diluviorum, & aves coturnices. Eubœa, Paros & lapis sarda. Naxos. Icaros. Melos. Carpathus. Rhodos. Lemnos.*

INTER Tenedum & Chium, qua Ægæus sinus panditur, ab dextera Antandrum navigantibus saxum est: hoc enim verius quam insula meruit cognominari. Id quoniam visentibus procul capræ simile creditur, quam Græce αἶγα nuncupant, Ægæus sinus dictus est. A Phalario Corcyræ promontorio ad navis effigiem
E scopulus eminet, in quem transfiguratam Ulyxis navem crediderunt. Cytheræ, quæ à Malea abest quinque milibus passuum, Porphyris antea nomen fuit. Pronius est Cretam dicere, quam absolvere in quo mari jaceat. Ita enim circumflui illius nomina Græci permiscuerunt, ut dum aliis alia inferunt, pænè oblimaverint universa. Quantam potest tamen in designando operam locabimus, ne quid hæreat sub ancipiti. Inter ortum porrigitur & occasum tractu longissimo, hinc Græcia, inde Cyrenis objacentibus: à septentrione Ægæis & suis, id est, Creticis æstibus verberatur: ab
F austro Libycis undis perfunditur & Ægyptiis, non stipata centum urbibus, sicut perhibent qui prodigè lingua largiti sunt, sed magnis & ambitiosis oppidis: quorum principatus est penes Gortynam, Cydoneam, Gnoson, Therapnas, Cylisson. Dosiades eam à Crete nympha Hesperidos filia, Anaximander à Crete rege Curetum, Crates Aëriam prius dictam, mox Curetin, nonnulli etiam à temperie cœli Μακάρων νῆσον appellatam prodiderunt. Prima mari potuit remis & sagittis. Prima literis jura junxit. Pyrrho repertore equestres turmas prima docuit lascivas vertigines impli-
G care: ex qua disciplina bellicæ rei ratio convaluit. Studium musicum inde cœptum, cum Idæi Dactyli modulos crepitu ac tinnitu æris deprehensos in versificum ordinem transtulissent. Albet jugis montium Dictynnæi & Cadisti, qui ita excandescunt, ut eminus navigantes magis putent nubila. Præter ceteros Ida est, qui ante solis ortum solem videt. Varro in opere quod de littoralibus est, etiam suis temporibus adfirmat sepulcrum Jovis ibi visitatum. Cretes Dianam religiosissimè venerantur, Britomarten gentiliter nominantes, quod sermone nostro sonat virginem dulcem. Ædem numinis præter-

præterquam nudus veſtigia nullus licitò ingreditur. Ea ædes oſtentat manus Dæda- A
li. Gortynam amnis Lethæus præterfluit, quo Europam tauri dorſo Gortyni fe-
runt vectitatam. Idem Gortyni & Atymnum colunt, Europæ fratrem: ita enim
memorant. Videtur hic, & occurrit, ſed die jam veſperato auguſtiori ſe facie vi-
ſendum offerens. Gnoſii Minervam civem deam numerant, primumque apud ſe
fruges ſatas audacter cum Atticis contendunt. Ager Creticus ſilveſtrium caprarum
copioſus eſt, cervo eget. Lupos, vulpes, aliaque quadrupedum noxia nuſquam
educat. Serpens nulla, larga vitis, mira ſoli indulgentia, arborarii proventus abun- B
dantes: nam in hujus tantùm inſulæ parte repullulant cæſæ cupreſſi. Herba ἄλιμος
dicitur: ea admorſa diurnam famem prohibet: proinde & hæc Cretica eſt. Sphalan-
gion, aranei genus eſt: ſi niſum quæras, nulla vis eſt: ſi poteſtatem, ictum homi-
nem veneno interficit. Lapis quoque Idæus dactylus dicitur inſulæ iſti familiaris,
coloris ferrei, humano pollici ſimilis. Avem noctuam Creta non habet: & ſi in-
vehatur, emoritur. Caryſtos aquas calentes habet, Hellopias vocant: & Caryſtias
aves, quæ flammas impunè involant: carbaſa etiam, quæ inter ignes valent. Cal-
chis eadem habita eſt apud priſcos, ut Callidemus auctor eſt, ære ibi primùm re-
perto. Titanas in ea antiquiſſimè regnaſſe oſtendunt ritus religionum. Briareo enim C
rem divinam Caryſtii faciunt, ſicut Ægæoni Calchidenſes: nam omnis fermè Eu-
bœa Titanum fuit regnum. Cycladas autumant inde dictas, quod licet ſpatiis lon-
gioribus à Delo projectæ, in orbem tamen circa Delum ſitæ ſunt, & orbem κύκλον
Graii loquuntur. Ios Homeri tumulo ceteras antecedit. Meminiſſe hoc loco par
eſt poſt primum diluvium Ogygi temporibus notatum, cum novem & amplius men-
ſibus diem continua nox inumbraſſet, Delon ante omnes terras radiis ſolis illumi-
natam, ſortitamque ex eo nomen, quòd prima reddita foret viſibus. Inter Ogy- D
gum ſanè & Deucalionem medium ævum DC annis datur. Eadem eſt Ortygia, quæ
clariſſima in Cycladum numero multifariè traditur: nunc Aſteria à cultura Apolli-
nis: nunc à venatibus Lagia, vel Cynetho: Pyrpile etiam, quoniam & ignitabu-
la ibi & ignis inventa ſunt. In hac primùm viſæ coturnices aves, quas ortygas Græ-
ci vocant. Has eaſdem in Latonæ tutela æſtimant conſtitutas. Nec ſemper ap-
parent. Adveniendi habent tempora, æſtate depulſa. Cum maria tranant, im-
petus differunt, & metu ſpatii longioris vires ſuas nutriunt tarditate. Ubi terram
perſentiſcunt, coëunt catervatim, deinde globatæ vehementiùs properant: quæ E
feſtinatio plerumque exitium portat navigantibus: accidit enim in noctibus, ut
vela incidant, & præponderatis ſinibus alveos vertant. Auſtro nunquam exeunt:
nam metuunt vim flatus tumidioris. Plurimum ſe aquilonibus credunt, ut cor-
pora pinguiuſcula atque eo tarda, faciliùs provehat ſiccior & vehementior ſpiritus.
Ortygometra dicitur, quæ gregem ductitat: eam terræ proximantem accipiter ſpe-
culatus rapit: ac propterea opera eſt univerſis, ut ſolicitent ducem generis externi,
per quem fruſtrentur prima diſcrimina. Cibos gratiſſimos habent ſemina veneno-
rum: quam ob cauſam eam damnavere prudentium menſæ. Solum hoc animal F
præter hominem morbum patitur comitialem. Eubœa tam modico æſtu dividua
eſt à Bœotiæ continente, ut dubitandum ſit, an numerari inter inſulas debeat: nam
latæ quam vocant terræ ponte jungitur, & per fabricam breviſſimæ machinæ aditur
pede. Cenæo promontorio vadit in ſeptentrionem, duobus aliis in meridiem exten-
ditur: quorum Geræſtos ſpectat Atticam, Caphereus prominet in Helleſpon-
tum, ubi poſt Ilii excidium Argivam claſſem vel Minervæ ira, vel quod certior
prodit memoria, ſidus Arcturi gravibus affecit caſibus. Marmore Paros nobilis,
Abdelo oppido frequentiſſima: priùs tamen Minoia quàm Paros dicta: nam ſub- G
acta à Minoe, quoad in Creticis manſit legibus, Minoiam loquebantur. Præter
marmor dat & Sardam lapidem, qui marmore quidem præſtat, inter gemmas ve-
rò viliſſimus ducitur. Naxon à Delo duodeviginti milia paſſuum ſeparant, in qua
Strongyle oppidum: ſed Naxos Dionyſia prius quàm Naxos dicta, vel quod hoſpi-
ta Libero patri, vel quòd fertilitate vitium vincat ceteras. Sunt præterea Cycla-
des plurimæ, ſed in ſupra dictis præcipuum eſt quod memoriæ debeatur. De Spo-
radibus eſt Icaros, quæ Icario mari nomen dedit. Hæc inter Samum & Myco-
num

A num procurrentibus saxis inhospita, ac nullis sinibus portuosa, ob inhumana littorum infamis est. Vult ergo Varro Icarum Cretem ibi naufragio interiisse, & de exitu hominis impositum nomen loco. Nam in Samo nobilius nihil quàm Pythagoras civis, qui mox offensus fastu tyrannico, relicta domo patria Bruto consule, qui reges urbe exegit, Italiam advectus est. Melos, quam Callimachus Memallidam dixit, omnium insularum rotundissima est, juxta Æoliam. Nam Carpathus, à qua Carpathium sinum dicimus. Nunquam ita cœlum nubilum est, ut in sole Rhodos non sit. Lemnii Vulcanum colunt, ideo in Lemno metropolis Hephæ-
B stia. Præterea oppidum Myrina, in cujus forum mons Athos è Macedonia umbram jacit. Quod non frustra inter miracula notaverunt, cùm Athos à Lemno sex & octoginta milibus passuum separetur. Est sanè Athos sublimis adeo, ut æstimetur altior, quàm unde imbres cadunt. Quæ opinio eò fidem concepit, quòd in aris, quas cacumine sustinet, nunquam cineres eluantur, nec quicquam ex aggeribus suis perdant, sed in quo relicti cumulo permaneant. In summo eo oppidum Acrothon fuit, in quo dimidio longior, quàm in aliis terris incolentium ætas prorogabatur: ideo inde homines, Macrobios Græci, nostri appellavere longævos.
C

CAPUT XII.

Hellespontus. Propontis. Bosporos. In his de delphinis, de thynnis.

QUARTUS Europæ sinus Hellesponto incipit, Mæotidis ostio terminatur. Atque omnis hæc latitudo, quæ Europam Asiamque dividit, in septem stadiorum angustias stringitur. Hic est Hellespontus: hac Xerxes ponte navibus
D facto permeavit. Tenuis deinde Euripus porrigitur ad Asiæ urbem Priapum, qua Magnus Alexander potiundi orbis amore transcendit, & potitus est. Inde diffusus æquore patentissimo rursus stringitur in Propontidem. Mox in quingentos passus coartatur, fitque Bosporus Thracius, quà Darius copias transportavit. Hæc profunda delphinas plurimos habent, in quibus causæ miraculi multiformes. Ante omnia nihil velociùs habent maria, sic ut plerumque salientes transvolent vela navi-
E um. Quoquò eant, conjuges evagantur. Catulos edunt. Decimus mensis maturum facit partum: lucinam æstivus dies solvit. Uberibus fœtus alunt. Teneros in faucibus receptant. Invalidos aliquantisper prosequuntur. In tricesimum annum vivunt, quod exploratum est in experimentum caudis amputatis. Ora non quo ceteræ belluæ loco habent, sed fermè in ventribus. Contra naturam aquatilium soli linguas movent. Aculeatæ sunt pinnæ dorsuales: cum ira subjacet, inhorrescunt: cum animi conquieverunt, quibusdam receptaculis operiuntur. Spirare eos in aquis negant, & vitales auras nonnisi in aëre supero reciperare. Pro voce gemitus est similis humano.
F Certum habent vocabulum, quo accepto vocantes sequuntur: nam propriè simones nominantur. Voces hominum aquilonis flatu celeriùs hauriunt: contra haustro spirante auditus obstruuntur. Mulcentur musica: gaudent cantibus tibiarum: ubicumque symphonia est, gregibus adventant. D. Augusto principe in Campania delphinem puer fragmentis panis primò inlexit, & in tantum consuetudo valuit, ut alendum se etiam manui ipsius crederet. Mox cùm prolusisset puerilis audacia, intra spatia eum Lucrini lacus vectitavit; unde effectum ut à Bajano littore equitantem puerum Puteolos
G usque veheret. Hoc per annos plurimos tamdiu gestum, donec assiduo spectaculo desineret miraculum esse quod gerebatur. Sed ubi obiit puer, sub oculis publicis desiderio ejus & mœrore delphin interiit. Pigeret hoc adseverare, ni Mæcenatis & Fabiani, multorumque præterea esset literis comprehensum. In Africano mox littore apud Hipponem Diarrhyton delphin ab Hipponensibus pastus est, tractandumque se præbuit, impositos quoque frequenter gestitavit. Nec populi tantùm manibus acta res est: nam & proconsul Africæ Flavianus ipse eum contigit, unguentis etiam delibuit: qua odoris novitate obsopitus, aliquantisper pro exanimi jactitatus est, multisque mensibus descivit à solita conversatione. Apud Jasum urbem Baby-

Babylonem puerum delphinus adamavit, quem dum post adsueta conludia recedentem impatientiùs sequitur, arenis invectus hæsit. Alexander Magnus amorem illum numinis fuisse interpretatus, præfecit puerum Neptuni sacerdotio. Juxta eandem urbem, ut Hegesidemus auctor est, alium puerum Hermian nomine per maria similiter insidentem cùm undosior fluctus necavisset, delphin ad terram revexit: & velut fateretur reatum, pœnitentiam suam morte multavit, nec reverti voluit amplius in profunda. Suppetunt & alia exempla, ut Arionem transeamus, cujus exitum annalium comprobavit fides. Ad hæc si quando lasciviunt novi fœtus, à majoribus datur adultior gregi custos, quo magistro discant eludere impetus incursantium beluarum: quanquam ibi præter phocas rara belua est. Plurimus thynnus in Ponto, nec alibi pænè fœtificant: nusquam enim citius adolescunt, scilicet ob aquas dulciores. Ingrediuntur veris tempore: intrant dextero, lævo exeunt. Hoc inde accidere credunt, quòd dexteris oculis acutius cernant, quàm sinistris.

CAPUT XIII.

Flumen Histrum. Fiber Ponticus. Gemma Pontica.

HISTER Germanicis jugis oritur, effusus monte, qui Rauracos Galliæ adspectat. Sexaginta amnes in se recipit, fermè omnes navigabiles. Septem ostiis Pontum influit: quorum primum Peuce, secundum Naracustoma, tertium Calonstoma, quartum Pseudostoma: nam Borionstoma, ac deinde Stenonstoma languidiora sunt ceteris. Septimum verò pigrum, ac palustri specie, non habet quod amni comparetur. Priora quatuor ita magna sunt, ut per longitudinem quadraginta milium passuum non misceantur æquori, dulcemque haustum incorrupto detineant sapore. Per universum Pontum fiber plurimus, quem alio vocabulo dicunt castorem. Lytris similis est, animal morsu potentissimum, adeo ut cum hominem invadit, conventum dentium non prius laxet, quàm concrepuisse persenserit fracta ossa. Testiculi ejus adpetuntur in usum medelarum: idcirco cum urgeri se intelligit, ne captus prosit, ipse geminos suos devorat. Mittit Pontus & gemmas, quas à patria Ponticas dicimus, genere diverso: quippe aliæ aureas, aliæ sanguineas habent stellas, & eæ quidem inter sacras habentur: nam quæ ostentationi potiùs quàm usui deliguntur, non guttis aspersæ sunt, sed longis colorum ductibus liniantur.

CAPUT XIV.

Amnis Hypanis, & fons Exampeus.

HYPANIS oritur inter Auchetas, Scythicorum amnium princeps, purus & haustu saluberrimus usque dum Callipidum terminis inferatur, ubi fons Exampeus infamis est amara scaturigine: qui Exampeus liquido admistus fluori, amnem vitio suo vertit, adeo ut dissimilis sibi in maria condatur. Ita inter gentium opiniones fama de Hypane discordat: qui in principiis eum norunt, prædicant: qui in fine experti sunt, non injuria execrantur.

CAPUT XV.

De flumine Borysthene, & in eo piscibus. Scythicarum gentium varia miracula. In his de natura canum, de smaragdo lapide, de cyaneo lapide, de crystallo.

APUD Neuros nascitur Borysthenes flumen, in quo pisces egregii saporis, & quibus ossa nulla sunt, nec aliud quàm cartilagines tenerrimæ. Verùm Neuri, ut accepimus, statis temporibus, in lupos transfigurantur: deinde exacto spatio,

A spatio, quod huic sorti attributum est, in pristinam faciem revertuntur. Populis istis deus Mars est: pro simulacris enses colunt. Homines victimas habent. Ossibus adolent ignes focorum. Geloni ad hos proximant. De hostium cutibus & sibi indumenta faciunt, & equis suis tegmina. Gelonis Agathyrsi collimitantur, cærulo picti colore, fucatis in cærulum crinibus. Nec hoc sine differentia: nam quanto quis anteit, tanto propensiore nota tinguitur, ut sit indicium humilitatis minùs pingi. Post Anthropophagi, quibus execrandi cibi sunt humana viscera: quem morem impiæ gentis adjacentium terrarum prodit tristissima solitudo, quas ob nefarium ritum finitimæ nationes metu profugæ reliquerunt. Et ea causa est, ut usque ad mare, quod Tabin vocant, per longitudinem ejus oræ, quæ æstivo orienti objacet, sine homine terra sit, & immensa deserta, quoad perveniatur ad Seras. Chalybes & Dahæ in parte Asiaticæ Scythiæ crudelitate ab immanissimis nihil discrepant. At Albani in ora agentes, qui posteros se Jasonis credi volunt, albo crine nascuntur, canitiem habent auspicium capillorum; ergo capitis color genti nomen dedit: glauca oculis inest pupula: ideo nocte plus quam die cernunt. Apud hos populos nati canes feris anteponuntur, frangunt tauros, leones premunt, detinent quicquid objectum est: ex quibus causis meruerunt etiam annalibus tradi. Legimus petenti Indiam Alexandro à rege Albaniæ duos missos, quorum alter sues sibi & ursos oblatos usque eo sprevit, ut offensus degeneri præda, ignavo similis diu accubaret: quem per ignorantiam velut inertem Alexander extingui imperavit: alter verò monitu eorum qui donum prosecuti fuerant, leonem missum necavit: mox viso elephanto, notabiliter exultans beluam primum astu fatigavit, deinde cum summo spectantium horrore terræ adflixit. Hoc genus canes crescunt ad formam amplissimam, terrificis latratibus ultra rugitus insonantes. Hæc sunt de canibus Albanis: reliqua communia universis. Dominos æqualiter omnes canes diligunt, sicut exemplis patet. In Epiro denique domini percussorem in cœtu agnitum latratu canis prodidit. Jaso Lycio interfecto canis ipsius aspernatus cibum inedia obiit. Lysimachi regis canis flammis se injecit accenso rogo domini, & pariter igni absumptus est. Garamantum regem ducenti canes ab exilio reduxerunt præliati adversum resistentes. Colophonii & Castabalenses canibus in bella productis primas acies instruebant. Ap. Junio, P. Sicinio Coss. damnatum dominum canis, cùm abigi non posset, comitatus in carcerem, mox percussum ululatu prosecutus est: cùmque ex miseratione populi Romani potestas ei cibi fieret, ad os defuncti escam tulit: ultimò dejectum in Tiberim cadaver adnatans sustentare conatus est. Canes soli nomina sua recognoscunt: itinerum meminerunt. Indi coitus tempore in saltibus religant canes fœminas, ut cum his tigrides coëant, quarum ex primis conceptibus ob nimiam feritatem inutiles partus judicant, itidem secundos, tertios educant. Ægyptii canes è Nilo numquam nisi currentes lambitant, dum à crocodilis insidias cavent. Inter Anthropophagos in Asiatica parte numerantur Essedones, qui & ipsi nefandis funestantur inter se cibis. Essedonum mos est parentum funera prosequi cantibus & proximorum corrogatis cœtibus, cadavera ipsa dentibus lancinare, ac pecudum mista carnibus dapes facere: capitum etiam ossa auro incincta in poculorum tradere ministerium. Scythotauri pro hostiis cædunt advenas. Nomades pabula sequuntur. Georgi in Europa siti, agros exercent. Axiacæ perinde in Europa siti, neque mirantur aliena, neque sua diligunt. Satarchæ usu auri argentique damnato in æternum se à publica avaritia vindicarunt. Scytharum interius habitantium asperior ritus est: specus incolunt: pocula non ut Essedones, sed de inimicorum capitibus moliuntur: amant prælia: interemptorum cruorem è vulneribus ipsis bibunt: numero cædium honor crescit, quarum expertem esse apud eos probrum est: haustu mutui sanguinis fœdus sanciunt, non suo tantum more, sed Medorum quoque usurpata disciplina. Bello denique, quod gestum est olympiade nona & quadragesima, anno post Ilium captum sexcentesimo quarto, inter Alyattem Lydum & Astyagem Mediæ regem, hoc pacto firmata sunt jura pacis. Colchorum urbem Dioscoriadem Amphitus & Cercius aurigæ Castoris & Pollucis condiderunt, à quibus Heniochorum gens exorta est. Ultra Sauromatas in Asia sitos, qui

Mithridati latebram, & quibus originem Medi dederunt, confines sunt Thalli, his A
nationibus quas ab oriente contingunt. Caspii maris fauces: quæ fauces mirum in
modum maciantur imbribus, crescunt æstibus. Heniochorum montes Araxem:
Moschorum, Phasidem fundunt. Sed Araxes brevibus intervallis ab Euphratis or-
tu caput tollit, ac deinde in Caspium fertur mare. Arimaspi circa Gesclithron po-
siti, unocula gens est. Ultra hos & Rhiphæum jugum regio est assiduis obsessa nivi-
bus: Pterophoron dicunt, quippe casus continuantium pruinarum quiddam ibi ex-
primit simile pinnarum. Damnata pars mundi, & à rerum natura in nubem æter- B
næ caliginis mersa, ipsisque prorsus aquilonis conceptaculis rigentissima. Sola ter-
rarum non novit vices temporum, nec de cœlo aliud accipit quàm hiemem sempiter-
nam. In Asiatica Scythia terræ sunt locupletes, inhabitabiles tamen: nam cum au-
ro & gemmis affluant, grypes tenent universa, alites ferocissimæ & ultra omnem
rabiem sævientes: quarum immanitate obsistente ad venas divites accessus difficilis
ac rarus est: quippe visos discerpunt, velut geniti ad plectendam avaritiæ temeri-
tatem. Arimaspi cum his dimicant, ut intercipiant lapides, quorum non asper-
nabimur persequi qualitatem. Smaragdis hic locus patria est, quibus tertiam in- C
ter lapides dignitatem Theophrastus dedit: nam licet sint & Ægyptii, & Chalce-
donii, & Medici, & Laconici, præcipuus est honor Scythicis. Nihil his jucun-
dius, nihil utilius vident oculi. In primis virent ultra aquaticum gramen, ultra
amnicas herbas: deinde obtutus fatigatos coloris reficiunt lenitate: nam visus, quos
alterius gemmæ fulgor retuderit, smaragdi recreant, & exacuunt. Nec aliam ob
causam placuit ut non sculperentur, ne offensum decus, imaginum lacunis cor-
rumperetur: quamquam qui verus est, difficulter vulneretur. Probantur hoc pa-
cto, si aspectus transmittant: si cùm globosi sunt, proxima sibi inficiant aëre re-
percusso: aut cum concavi sunt, inspectantium facies æmulentur: si neque um- D
bra, neque lucernis, neque sole mutentur, optimos tamen sortiuntur situs, qui-
bus planicies resupina est, & extenta. Inveniuntur etesiis flantibus: tunc enim de-
tecto solo facillimè internitent: nam etesiæ plurimum arenas movent. Alii minùs
nobiles in commissuris saxorum, vel in metallis ærariis apparent, quos chalcosma-
ragdos nuncupant. Vitiosi eorum intrinsecus quasdam sordes habent, vel plum-
bo, vel capillamentis, vel etiam sali similes. Laudantur austeri. Mero & viridi
proficiunt oleo, quamvis natura imbuuntur. Et cyaneus è Scythia est optimus, si
cærulo coruscabit: cujus gnari in marem & fœminam genus dividunt. Fœminis E
nitor purus est: mares punctillis ad gratiam interlucentibus auratilis pulviculus va-
riat. Istic & crystallus, quem licet pars major Europæ & particula Asiæ submini-
stret, pretiosissimum tamen Scythia edit. Multus ad pocula destinatur, quam-
libet nihil aliud quàm frigidum pati possit. Sexangulus invenitur. Qui eligunt,
purissimum captant, ne quid rufum, ne nubilum, vel spumis obsitum arceat per-
spicuitatem: tum ne duritia justo propensior obnoxium fragilitati magis faciat. Pu-
tant glaciem coire, & in crystallum corporari: sed frustra: nam si ita foret, nec F
Alabanda Asiæ, nec Cypros insula hanc materiam procrearent, quibus regionibus
incitatissimus calor. Livia Augusti ad magnitudinem CL librarum inter Capitolina
donaria crystallum dicavit.

CAPUT XVI.

De Hyperboreis, & Hyperboreæ regionis situ. G

FABULA erat de Hyperboreis, & rumor irritus, si quæ illinc ad nos usque
fluxerunt, temerè forent credita. Sed cum probissimi auctores, & satis vero ido-
nei sententias pares faciant, nullus falsum reformidet. De Hyperboreis rem lo-
quimur. Incolunt pone Pterophoron, quam ultra Aquilonem accipimus jacere.
Gens beatissima. Eam Asiæ quidam magis quàm Europæ dederunt. Alii statuunt
mediam inter utrumque solem, Antipodum occidentem, & nostrum renascentem:

quod

A quod aspernatur ratio, tam vasto mari duos orbeis interfluente. Sunt igitur in Europa, apud quos mundi cardines esse credunt, & extimos siderum ambitus, semestrem lucem, aversum uno tantùm die solem: quamquam existant, qui putant non quotidie ibi solem, ut nobis, sed vernali æquinoctio exoriri, autumnali occidere: ita sex mensibus infinitum diem, sex aliis continuam esse noctem. De cœlo magna clementia: auræ spirant salubriter: nihil noxii flatus habent. Domus sunt nemora, vel luci. In diem victum arbores subministrant. Discordiam nesciunt. Ægritudine non inquietantur. Ad innocentiam omnibus æquale votum. Mortem accersunt, & voluntario interitu castigant obeundi tarditatem: quos satietas tenet vitæ, epulati delibutique, de rupe nota præcipitem casum in maria destinant. Hoc sepulturæ genus optimum arbitrantur. Ajunt etiam solitos per virgines probatissimas primitiva frugum Apollini Delio missitare. Verùm hæ quoniam perfidia hospitum non inlibatæ revenissent, devotionis quam peregre prosequebantur, pontificium mox intra fines suos receperunt.

B

CAPUT XVII.

C

De Arimphæis, & aliis Scytharum gentibus, de tigribus, de pantheris, de pardis.

ALTERA in Asia gens ad initium orientis æstivi, ubi deficiunt Riphæorum montium juga. Hyperboreis similes dicunt Arimphæos. Et ipsi frondibus arbustorum gaudent: baccas edunt. Juxta viros ac fœminas tædet crinium.
D Ita uterque sexus comas tondet. Amant quietem, non amant lædere. Sacri habentur, attrectarique eos, etiam à ferocissimis nationibus nefas ducitur. Quicumque periculum à suis metuit, si ad Arimphæos transfugerit, tutus est, velut asylo tegatur. Ultra hos Cimmerii, & gens Amazonum porrecta ad Caspium mare, quod delapsum per Asiaticæ plagæ terga Scythicum irrumpit Oceanum. Sed magnis deinde spatiis intercedentibus, ostia Oxi fluminis Hyrcani habent, gens silvis aspera, copiosa immanibus feris, fœta tigribus: quod bestiarum genus insignes maculis notæ, & pernicitas memorabile reddiderunt. Fulvo nitent: hoc fulvum nigrantibus segmentis interun-
E datum, varietate adprimè decet. Pedum motum nescio velocitas an pervicacia magis adjuvet. Nihil tam longum est, quod non brevi penetrent: nihil adeo antecedit, ut non illico adsequantur. Ac maximè potentia earum probatur cùm maternis curis incitantur. Cum catulorum insistunt raptoribus, succedant sibi equites licet, & fuga quantalibet, astu quantolibet, amoliri prædam velint, ni in præsidio maria fuerint, frustra est ausum omne. Notantur frequentissimè si quando latrones suos asportatis catulis renavigantes vident, in littore inrita rabie cernuari, velut propriam tarditatem voluntaria castigantes ruïna: quamquam de fœtu universo
F vix unus queat subtrahi. Pantheræ quoque numerosæ sunt in Hyrcania, minutis orbiculis superpictæ, ita ut oculatis ex fulvo circulis, vel cærula, vel alba distinguatur tergi supellex. Tradunt odore earum & contemplatione armenta mire adfici, atque ubi eas persentiscant, properato convenire, nec terreri nisi sola oris torvitate: quam ob causam pantheræ absconditis capitibus, quæ corporis reliqua sunt spectanda præbent, ut pecuarios greges stupidos in obtutum populentur secura vastatione. Sed Hyrcani, ut hominibus intentatum nihil est, frequentiùs eas veneno quam ferro necant. Aconito carnes illinunt, atque ita per compita spargunt semitarum:
G quas ubi esæ sunt, fauces earum angina obsidentur. Ideo gramen pardalianchen appellaverunt. Sed pantheræ adversus hoc virus excrementa humana devorant, & suopte ingenio pesti resistunt. Lenta illis vivacitas, adeo ut ejectis interaneis mortem diu differant. In his silvestribus & pardi sunt, secundum à pantheris genus, noti satis, nec latius exequendi: quorum adulterinis coïtibus degenerantur partus leænarum, & leones quidem procreantur, sed ignobiles.

 A

CAPUT XVIII.

Unde Mediterranea maria oriantur.

QUONIAM in Ponticis rebus ſumus, non erit omittendum, unde medi-
terranea maria caput attollant. Exiſtimant enim quidam ſinus iſtos à Gadi-
tano freto naſci, nec aliam eſſe originem, quàm eliquia irrumpentis Ocea-
ni: cujus ſpiritu pervadente apud aliquot mediterranea littora, ſicut in
Italiæ parte, fieri acceſſus vel receſſus. Qui contrarium ſentiunt, omnem illum B
fluorem ajunt à Ponticis faucibus inundare, idque fulciunt argumento non inani,
quod æſtus è Ponto profluus nunquam reciprocetur.

CAPUT XIX.

*De inſulis Scythicis, de Oceano ſeptentrionali, de ſpatiis inter Scythas & Indos,
de formis hominum, de cervis, de tragelaphis.* C

INSULA Apollinitarum LXXX milibus paſſuum abeſt à Boſporo Thracio ci-
tra Iſtrum ſita, ex qua M. Lucullus Apollinem Capitolinum nobis extulit. Ante
Boruſthenem Achillis inſula eſt, cum æde ſacra, quam ædem nulla ingreditur
ales: & quæ fortè advolaverit, raptim fuga properat. Oceanum ſeptentrionalem
ex parte, qua a Paropaniſo amne Scythiæ alluitur, Hecatæus Amalchium appellat,
quod gentis illius lingua ſignificat congelatum. Philemon à Cimbris ad promonto- D
rium Rubeas Morimaruſam dicit vocari: hoc eſt, mortuum mare. Ultra Rubeas id
quidquid eſt, Cronium nominant. Mare autem Caſpium ex altero Ponti latere ultra
Maſſagetas & Apalæos Scythas, eſſe in Aſiatica plaga dulce hauſtu Alexandro Magno
probatum eſt, mox Pompejo Magno, qui bello Mithridatico, ſicut commilito ejus
Varro tradit, ipſis hauſtibus periclitari fidem voluit. Id evenire produnt è numero flu-
minum, quorum tanta copia ibi confluit, ut naturam maris vertant. Non omiſerim,
quod per idem tempus eidem Magno licuit ex India diebus octo ad Bactros uſque Dale-
rum flumen, quod influit Oxum amnem, pervenire: deinde in mare Caſpium: in- E
de per Caſpium ad Cyri amnis penetrare fluentum, qui & Iberiæ Armeniæ fines in-
terluit. Itaque à Cyro, diebus non amplius quinque itinere terreno ſubvectis navi-
bus ad alveum Phaſidis pertendit: per cujus excurſus in Pontum uſque Indos advehi
liquido probatum eſt. Auctor eſt Xenophon Lampſacenus, à littore Scytharum in
inſulam Abalciam triduo navigari: ejus magnitudinem immenſam, & pænè ſimi-
lem continent: nec longè Oæones ſeparari; quas qui habitent, vivant ovis avium
marinarum, & avenis vulgò naſcentibus: perinde alias propter conſtitutas æquè in-
ſulas, quarum Hippopodes indigenæ humana uſque ad veſtigium forma in equinos
pedes deſinunt: eſſe & Phanneſiorum, quorum aures adeo in effuſam magnitudinem F
dilatentur, ut viſcerum reliqua illis contegant, nec amiculum aliud ſit, quàm ut mem-
bra membranis aurium veſtiant. Antequam digredimur ab Scythia, religio eſt præteri-
re quænam ibi ſint feræ peculiares. Cervi plurimi in hac terra. Igitur cervos perſequa-
mur. Mares generis hujuſce cum ſtatum tempus Venerem incitavit, ſæviunt rabie li-
bidinis efferati. Fœminæ licet priùs conſerantur, non concipiunt ante Arcturi ſidus.
Nec qualibet partus ſuos educant. Teneros ſtudioſè occulunt, & abſconditos inter
profunda fruticum, vel herbarum, pedum verbere caſtigant ad latendum. Cum G
maturuit ad fugam robur, exercitio docent curſus, & aſſueſcunt ſalire per abrupta.
Acceptis canum latratibus ſecundo vento vias dirigunt, ut odor cum ipſis recedat.
Mirantur ſibilum fiſtularum. Rectis auribus acutiſſimè audiunt, ſummiſſis nihil.
Stupent omnia: propterea facilius obvios ſe præbent ſagittantibus. Si maria tra-
nant, non aſpectu petunt littora, ſed olfactu: infirmos ponunt in ultimo, & laſſo-
rum capita clunibus per vices ſuſtinent. E cornibus quod dextrum fuerit, efficacius
eſt ad medelam: ſi fugare angues geſtias, utrum velis, uras: quæ uſtrina præterea
nidore

A nidore vitium aperit ac detegit, ſi cui ineſt morbus comitialis. Pro ætate ramulos augent. Id incrementum in ſexennes perſeverat: deinceps numeroſiora non poſſunt fieri cornua, poſſunt craſſiora: quæ quidem caſtratis nunquam creſcunt, nec tamen decidunt. Dentes monſtrant ſenectutem, cum aut pauci inveniuntur, aut nulli. Serpentes hauriunt, & ſpiritu narium extrahunt de latebris cavernarum. Dictamnum ipſi prodiderunt, dum ex eo paſti excutiunt accepta tela. Herbam quoque quam cynaren vocant, contra noxia edunt gramina. Adverſum venena mirificum eſt hinnulei coagulum occiſi in matris utero. Patuit nunquam eos fe-
B breſcere: quam ob cauſam confecta ex medullis eorum unguina ſedant calores hominum languentium. Legimus plurimos matutinis diebus cervinam carnem deguſtare ſolitos, ſine febribus longævos fuiſſe: quod demum proderit, ſi uno vulnere fuerint interfecti. Ad dignoſcendam vivacitatem Alexander Magnus torques plurimis cervis innexuit, qui poſt annum centeſimum capti, necdum ſenii indicium præferebant. Eadem pænè ſpecie ſunt, quos tragelaphos dicunt, ſed non alibi, quàm circa Phaſidem apparent: tantum quòd illi villoſos habent armos, & menta promiſſis hirta barbis.
C

CAPUT XX.

Germania. In ea de avibus Hercyniis, de biſontibus, de uris, de alce, item de alce Gangaviæ inſulæ, de ſuccino, de callaïco lapide, de ceraunio albo.

MONS Sevo ipſo ingens, nec Riphæis minor collibus, initium Germaniæ
D facit. Inguæones tenent, à quibus primis poſt Scythas nomen Germanicum conſurgit. Dives virorum terra, frequens populis numeroſis, & immanibus. Extenditur inter Hercynium ſaltum & rupes Sarmatarum. Ubi incipit, Danubio: ubi deſinit, Rheno perfunditur. De internis ejus partibus, Albis, Guthalus, Viſtula, amnes latiſſimi præcipitant in Oceanum. Saltus Hercynius aves gignit, quarum pinnæ per obſcurum emicant & interlucent, quamvis denſa nox denſet tenebras. Inde homines plerumque nocturnos excurſus ſic deſtinant, ut illis utantur
E ad præſidium itineris dirigendi, præjactiſque per opaca callium rationem viæ moderentur indicio plumarum refulgentium. In hoc tractu ſanè, & in omni ſeptentrionali plaga biſontes frequentiſſimi, qui bovis feri ſimiles, ſetoſi colla, jubas horridi, ultra tauros pernicitate, capti aſſueſcere manu neſciunt. Sunt & uri, quos imperitum vulgus vocat bubalos: cùm bubali pænè ad cervinam faciem in Africa procreentur. Iſtis porrò, quos uros dicimus, taurina cornua in tantum modum protenduntur, ut dem̃ta ob inſignem capacitatem inter regias menſas potuum gerula fiant. Eſt & alces mulis comparanda, adeo propenſo labro ſuperiore, ut ni-
F ſi recedens in poſteriora veſtigia paſci non queat. Gangavia inſula à regione Germaniæ emittit animal quale alces, ſed cujus ſuffragines, ut elephantis, flecti nequeunt: propterea non cubat, cum dormiendum eſt, tamen ſomnulentam arbor ſuſtinet, quæ ad propè caſuram ſecatur, ut fera, dum aſſuetis fulmentis innititur, faciat ruinam. Ita capitur: alioqui difficile eſt eam mancipari: nam in illo rigore poplitum incomprehenſibili fuga pollet. De Germanicis inſulis Gangavia maxima eſt, ſed nihil in ea magnum præter ipſam. Nam Gleſaria dat cryſtallum, dat & ſuccinum, quod ſuccinum Germani gentiliter vocant glæſum.
G Qualitas materiæ iſtius ſummatim antea, Germanico autem Cæſare omnes Germaniæ oras ſcrutante, comperta arbor eſt pinei generis, cujus mediale autumni tempore ſuccino lacrymat. Succum eſſe arboris de nominis ſignificatione capeſſas: verùm unde profluit, ſi uſſeris, odor indicabit. Pretium operæ eſt ire longius, ne Padanæ ſilvæ credantur lapidem fleviſſe. Hanc ſpeciem in Illyricum barbari intulerunt: quæ cum per Pannonica commercia uſu ad Tranſpadanos homines foret devoluta, quòd ibi primùm noſtri viderant, ibi etiam natam putave-

runt. Munere Neronis principis apparatus omnis ſuccino inornatus eſt: nec difficulter, cum per idem tempus XIII milia librarum rex Germaniæ donum ei miſerit. Rude primum naſcitur & corticoſum, deinde incoctum adipe lactentis ſuis expolitur ad quem videmus nitorem. Pro facie habet nomina: melleum dicitur & falernum: utrumque de ſimilitudine aut vini, aut utique mellis. In aperto eſt, quòd rapiat folia, quod trahat paleas: quod vero medeatur multis vitalium incommodis, medentium docuit diſciplina. Et India habet ſuccinum, ſed Germania plurimum optimumque. Quoniam ad inſulam Glæſariam veneramus, à ſuccino cœptum. Nam in Germaniæ continentibus Callaïca reperitur, quam gemmam Arabicis anteponunt: vincit enim gratia. Arabes quidem dicunt non alibi eam deprehendi, quam in nidis avium, quas melancoryphos vocant: quod nullus recepit, cum apud Germaniæ populos, quamvis rara, in ſaxis tamen pareat. Honore & pretio ad ſmaragdos, viret pallidum: nihil jucundius aurum decet. Cerauniorum porrò genera diverſa ſunt. Germanicum candidum eſt: ſplendet tamen cærulo, & ſi ſub divo habeas, fulgorem rapit ſiderum. A B C

CAPUT XXI.

De Gallia, & ex ea itinerarium. Item de oleo Medico.

GALLIÆ inter Rhenum & Pyrenæum, item inter Oceanum & montes Cebennam ac Juram porriguntur, felices præpinguibus glebis, accommodæ proventibus fructuariis: pleræque conſitæ vitibus & arbuſtis, omni ad uſum animantium fœtu beatiſſimæ: riguæ aquis fluminum, & fontium: ſed fontaneis interdum ſacris, ac vaporantibus. Infamantur ritu incolarum, qui, ut ajunt, veri enim periculum non ad me recipio, deteſtabili ſacrorum ritu, injuria religionis, humanis litant hoſtiis. Ex iſto ſinu quoquo orbis velis, exeas: in Hiſpanias, & in Italiam terra marique: in Africam mari tantùm: ſi Thracia ſit petenda, excipit ager Rhœticus opimus, & ferax: inde Noricus, qua ſubducitur à jugis Alpium, admodum lætus: dehinc Pannonia ſolo plano uberique, Dravo Savoque inclutis amnibus circumflua: mox Mœſiæ quas majores noſtri jure Cereris horreum nominabant, in quarum parte quæ Pontica eſt, apparet herba, qua inficitur oleum quod vocant Medicum. Hoc ad incendium excitatum ſi obruere aqua geſtias, ardet magis, nec alio ſopitur quam jactu pulveris. D E

CAPUT XXII.

Britannia. In ea de lapide Gagate, & gentibus barbaris, inſulisque circa eam claris. F

FINIS erat orbis ora Gallici littoris, niſi Britannia inſula non qualibet amplitudine nomen pænè orbis alterius mereretur: octingenta & amplius milia paſſuum longa detinet: ita ut eam in Calidonicum uſque angulum metiamur: in quo receſſu Ulyxem Calidoniæ adpulſum manifeſtat ara Græcis literis ſcripta Votum. Multis inſulis nec ignobilibus circundatur: quarum Hibernia ei proximat magnitudine, inhumana incolarum ritu aſpero: alioquin ita pabuloſa, ut pecua ibi niſi interdum à paſcuis arceantur, in periculum agat ſatias. Illic nullus anguis, avis rara, gens inhoſpita, & bellicoſa. Sanguine interemtorum hauſto prius victores vultus ſuos oblinunt. Fas ac nefas eodem loco ducunt. Puerpera ſi quando marem edidit, primos cibos gladio imponit mariti, inque os parvuli ſummo mucrone auſpicium alimentorum leviter infercit, & gentilibus votis optat, non aliter quàm in bello & inter arma mortem oppetat. Qui ſtudent cultui, dentibus mari nantium beluarum inſigniunt enſium capulos: candicant enim ad eburnam claritatem: nam præcipua viris gloria eſt in armorum nitela. Interea apes non habent: advecto inde ſeu pulvere, ſeu lapillo, G

ſi

A ſi quid ſparſeris inter alvearia, examina favos deſerunt. Mare quod Hiberniam &
Britanniam interluit, undoſum inquietumque toto in anno, nonniſi pauculis diebus
eſt navigabile. Navigant autem vimineis alveis, quos circumdant ambitione tergo-
rum bubulorum: quantocumque tempore curſus tenebit, navigantes eſcis abſtinent.
Freti latitudinem in centum viginti milia paſſuum diffundi, qui fidem ad verum ra-
tiocinati ſunt, æſtimarunt. Siluram quoque inſulam ab ora, quam gens Britanna
Dumnonii tenent, turbidum fretum diſtinguit: cujus homines etiamnum cuſto-
B diunt morem vetuſtum: nummum refutant: dant res, & accipiunt: mutationibus
neceſſaria potiùs quàm pretiis parant: deos percolunt: ſcientiam futurorum pariter
viri ac fœminæ oſtentant. Adtanatos inſula adſpiratur freto Gallico à Britanniæ con-
tinente æſtuario tenui ſeparata, frumentariis campis felix & gleba uberi, nec tantum
ſibi verùm & aliis ſalubris locis: nam cum ipſa nullo ſerpatur angue, aſportata inde
terra quoquo gentium invecta ſit, angues necat. Multæ & aliæ circum Britanniam
inſulæ, è quibus Thyle ultima, in qua æſtivo ſolſtitio ſole de Cancri ſydere faciente
tranſitum nox pænè nulla: brumali ſolſtitio dies adeo conductus, ut ortus junctus ſit
C occaſui. A Calidoniæ promontorio Thylen petentibus bidui navigatione perfecta ex-
cipiunt Hebudes inſulæ, quinque numero, quarum incolæ neſciunt fruges, piſci-
bus tantùm & lacte vivunt. Rex unus eſt univerſis: nam quotquot ſunt, omnes
anguſta interluvie dividuntur. Rex nihil ſuum habet, omnia univerſorum: ad æqui-
tatem certis legibus ſtringitur; ac ne avaritia devertat à vero, diſcit paupertate juſti-
tiam, utpote cui nihil ſit rei familiaris: verùm alitur è publico. Nulla illi datur fœmina
propria, ſed per viciſſitudines in quamcumque commotus ſit, uſurariam ſumit.
Unde ei nec votum nec ſpes conceditur liberorum. Secundam à continenti ſtatio-
D nem Orchades præbent: ſed Orchades ab Hebudibus porro ſunt ſeptem dierum, to-
tidemque noctium curſu, numero tres. Vacant homine: non habent ſilvas, tan-
tum junceis herbis inhorreſcunt. Cetera earum nudæ arenæ. Ab Orchadibus Thy-
len uſque quinque dierum ac noctium navigatio eſt. Sed Thyle larga & diutina po-
mona copioſa eſt. Qui illic habitant, principio veris inter pecudes pabulis vivunt,
dein lacte. In hiemem compercunt arborum fructus. Utuntur fœminis vulgo,
certum matrimonium nulli. Ultra Thylen pigrum & concretum mare. Circui-
E tus Britanniæ quadragies octies ſeptuaginta quinque milia paſſuum ſunt. In quo
ſpatio magna & multa flumina, fontes calidi opiparo exculti apparatu ad uſus
mortalium: quibus fontibus præſul eſt Minervæ numen, in cujus æde perpetui
ignes nunquam caneſcunt in favillas, ſed ubi ignis tabuit vertit in globos ſa-
xeos. Præterea ut taceam metallorum largam variamque copiam quibus Britan-
niæ ſolum undique generum pollet venis locupletibus, Gagates hic plurimus opti-
muſque eſt lapis: ſi decorem requiras, nigro gemmeus: ſi naturam, aqua ardet,
oleo reſtinguitur: ſi poteſtatem, attritu calefactus applicita detinet, atque ſucci-
F num. Regionem partim tenent barbari, quibus per artifices plagarum figuras, jam
inde à pueris variæ animalium effigies incorporantur, inſcriptiſque viſceribus hominis
incremento pigmenti notæ creſcunt: nec quicquam mage patientiæ loco nationes feræ
ducunt, quàm ut per memores cicatrices plurimum fuci artus bibant.

CAPUT XXIII.

Hiſpania. In ea de ceraunio rubro, de Gaditano freto & mediterraneo mari, de Oceano.

G

REVERSOS ad continentem res Hiſpanienſes vocant. Terrarum plaga com-
paranda optimis, nulli poſthabenda frugum copia & ſoli ubere, ſive vinea-
rum proventus reſpicere, ſive arborarios velis. Omni materia affluit, quæ-
cumque aut pretio ambitioſa eſt, aut uſu neceſſaria. Argentum vel aurum requiras,
habet: ferrariis nunquam deficit: nec cedit vitibus, vincit olea. Dividua eſt pro-
vinciis tribus, ſecundo Punico bello noſtra facta. Nihil in ea otioſum, nihil ſterile.

Quidquid cujuscumque modi negat messem, viget pabulis: Etiam quæ arida sunt A
ab sterilitate, rudentum materias nauticis subministrant. Non coquunt ibi sales,
sed effodiunt. Depurgant in minium nitelas pulveris. Fucant vellera, ut ad rubo-
rem merum deputent cocci venenum. In Lusitania promontorium est, quod Ar-
tabrum alii, Olisipponense dicunt. Hoc cœlum, terras, maria distinguit: terris,
Hispaniæ latus finit: cœlum, & maria hoc modo dividit, quod à circuitu ejus in-
cipiunt Oceanus Gallicus & fons septentrionalis, Oceano Atlantico & occasu ter-
minatis. Ibi oppidum Olisipone Ulyxi conditum: ibi Tagus flumen. Tagum ob B
arenas auriferas ceteris ibi amnibus prætulerunt. In proximis Olisipponis equæ la-
sciviunt mira fœcunditate: nam aspirante favonio vento concipiunt, & sitientes vi-
ros aurarum spiritu maritantur. Iberus amnis toti Hispaniæ nomen dedit, Bætis pro-
vinciæ: uterque nobilis. Carthaginem apud Iberos, quæ mox colonia facta est, Pœ-
ni condiderunt: Tarraconem Scipiones: ideo est caput provinciæ Tarraconensis. Lu-
sitanum littus floret gemma ceraunio plurimum, quam etiam Indicis præferunt: hu-
jus ceraunii color est è pyropo: qualitas igni probatur: quem si sine detrimento sui C
perferat, adversum vim fulgurum creditur opitulari. Cassiterides insulæ spectant ad-
versum Celtiberiæ latus: plumbi fertiles, & tres Fortunatæ, è quibus solum vocabu-
lum signandum fuit. Ebusus è Balearibus, quæ à Dianio abest septingenta stadia, ser-
pentem non habet: utpote cujus terra serpentes fuget. Colubraria Sucronem ver-
sus, fœta est anguibus. Bocchoris regnum Baleares fuerunt, usque ad eversionem
frugum cuniculis animalibus quondam copiosæ. In capite Bæticæ, ubi extremus est
noti orbis terminus, insula à continenti septingentis passibus separatur: quam Tyrii
à rubro profecti mari, Erytheam: Pœni lingua sua Gardir, id est, sæpem, nomina- D
runt. In hac Geryonem ævum agitavisse plurimis monimentis probatur, tametsi qui-
dam putent Herculem boves ex alia insula abduxisse, quæ Lusitaniam contuetur. Sed
Gaditanum fretum à Gadibus dictum Atlanticus æstus in nostrum mare discidio or-
bis immittit: nam Oceanus, quem Graii sic nominant de celeritate, ab occasu so-
lis inrumpens, lævo latere Europam radit, Africam dextro, scissisque Calpe & Abin-
na montibus, quas dicunt columnas Herculis, inter Mauros funditur & Hispaniam:
ac freto isti, cujus XV milia passuum efficit longitudo, latitudo vix septem, quo-
dam ostio aperit limen interni æquoris mixtus mediterraneis finibus, quos ad usque
orientem propellit. Horum qui Hispanias perfundit, Ibericus fertur, & Baleari- E
cus: qui Narbonensem provinciam, Gallicus: mox Ligusticus: ab eo ad Siciliam
Tuscus, quem Græci Jonium vel Tyrrhenum, Itali inferum vocant: à Sicilia Cre-
tam usque Siculus: inde Creticus, qui in Pamphyliam & Ægyptum pertendit: quæ
aquarum moles torto in septentrionem priùs latere anfractibus magnis juxta Græcias
& Illyricum per Hellespontum in angustias stringitur Propontidis: quæ Propontis
Europam Asiamque discriminans, ad Mæotidem pervenit. Causas nominum non
uniformis dedit ratio. Asiaticum & Phœnicium à provinciis dictum: ab insulis Car- F
pathium, Ægæum, Icarium, Balearicum, Cyprium: à gentibus Ausonium, Dal-
maticum, Ligusticum, Tuscum: ab oppidis Adriaticum, Argolicum, Corinthium,
Tyrium: à casibus hominum Myrtoum, Hellespontus: à memoria regis Jonium:
à bovis tansitu, vel angustis etiam meatibus boum perviis, Bosporus: à moribus
accolarum, Euxinus, Axinus ante appellatus: ab ordine fluenti, Propontis. Ægy-
ptium pelagus Asiæ datur: Gallicum, Europæ: Africum, Libyæ: his ut quæque
proxima sunt, venerunt in partes partium. Hæc in gremiis terrarum. Oras autem
extimas Oceanus amplectitur, qui à littoribus suis Arabicus, Persicus, Indicus, Eous, G
Sericus, Hyrcanus, Caspius, Scythicus, Germanicus, Gallicus, Atlanticus, Libycus,
Æthiopicus dicitur: cujus accessus incrementa circa littora Indiæ vehementissimè pro-
ruunt, maximosque ibi exitus faciunt: sive quòd suspensus altiùs sustollatur vi calo-
ris, seu quòd in ea parte orbis & fontium & fluminum copia sit effusior. Dubitatur
etiamnum quibus ex causis intumescat Oceanus, vel quatenus, cum superfluus sibi
fuerit, rursus in se residat. Nec in obsucro est plura pro ingeniis differentium, potius
quàm pro veritatis fide expressa. Sed omisso ancipiti concurrentium quæstionum,
has opiniones probatissimas invenimus. Physici ajunt mundum animal esse, eum-
que

A que ex variis elementorum corporibus conglobatum, moveri ſpiritu, regi mente: quæ utraque diffuſa per membra omnia, æternæ molis vigorem exerceant. Sicut ergo in corporibus noſtris commercia ſunt ſpiritalia, ita in profundis Oceani nares quaſdam mundi conſtitutas, per quas emiſſi anhelitus vel reducti, modò inflent maria, modò revocent. At hi qui ſiderum ſequuntur diſciplinam, contendunt meatus iſtos commoveri lunæ curſibus: adeo ut viciſſitudines inter maciem aquarum & plenitudinem, reſpiciant adauctus ejus, vel eliquia: neque eodem ſemper tempo-
B re, ſed prout illa aut minuatur aut creſcat, variari alternantes recurſus.

CAPUT XXIV.

Libya. Horti Heſperidum. Mons Atlas.

C DE Hiſpania eſt excurſus in Libyam: nam Belone progreſſos, quod Bæticæ oppidum eſt, ultra interiacens fretum trium & triginta milium paſſuum Tingi excipit, Mauritaniæ nunc colonia, ſed cujus primus author Antæus fuit. Porrò quòd in illo ambitu Ægyptium finitur pelagus, & Libycum incipit, placuit ut Africam Libyam diceremus. Quidam tamen Libyam à Libye Epaphi filia, Africam autem ab Afro Libyis Herculis filio potius dictam receperunt. Lix quoque colonia in eodem tractu conſtituta eſt, ubi Antæi regia, qui implicandis explicandiſque nexibus humi meliùs ſciens, velut genitus matre terra, ibidem Herculi victus eſt. Nam de hortis Heſperidum, & pervigili dracone, ne fa-
D mæ licentia vulneretur fides, ratio hæc eſt. Flexuoſo meatu æſtuarium è mari fertur adeo ſinuoſis lateribus tortuoſum, ut viſentibus procul lapſus angueos fracta vertigine mentiatur: idque quod hortos appellavere, circundat: unde pomorum cuſtodem interpretantes, ſtruxerunt iter ad mendacium fabulandi. Sed hæc inſula inſinuata ſinibus alvei recurrentis, & in quibuſdam æquoris ſpiris ſita, præter arbores oleaſtri ſimiles, & aram ſacram Herculi, aliud nihil præfert quo propaget vetuſtatis memoriam. Verum ultra frutices aureos & metalla frondentia, illud magis mirum, quòd ſolum inferiore licet libra depreſſius, nunquam tamen acceſſu
E freti ſuperlabitur, ſed obſtaculo naturalis repaguli in ipſis marginibus hæret unda & intimis orarum ſuperciliis ſponte fluctus ingrui reſiſtuntur: ſpectandum nimirum ingenium loci, planicies manet ſicca, quamvis prona ſuperveniant æquora. Sala oppidum imminet Salæ flumini. Ab hoc per Autololum gentem iter eſt in Atlanticas ſolitudines. Atlas mons è media arenarum conſurgit vaſtitate, & eductus in viciniam lunaris circuli, ultra nubila caput condit: quà ad oceanum extenditur, cui à ſe nomen dedit, manat fontibus, nemoribus inhorreſcit, rupibus aſperatur, ſqualet jejunio, humo nuda nec herbida: qua Africæ contra-
F verſus eſt, felix naſcentibus ſponte frugibus, arboribus proceris opaciſſimus, quarum odor gravis, comæ cupreſſi ſimiles veſtiuntur lanugine, ſericis velleribus nihil viliore. In eo latere & herba Euphorbia copioſa, cujus ſuccus ad ocularium proficit claritatem, nec mediocriter percellit vim venenorum. Vertex ſemper nivalis. Saltus ejus quadrupedes, ac ſerpentes & feræ, & cum his elephanti occupaverunt. Silet per diem univerſus, nec ſine horrore ſecretus eſt; lucet nocturnis ignibus: choris Ægipanum undique perſonatur: audiuntur & cantus tibiarum, & tinnitus cymbalorum per oram maritimam. A Lixo abeſt quinque & ducentis
G milibus paſſuum: Lix à Gaditano freto centum duodecim milibus. Habitatus ante ut indicat loci facies quondam cultu exercita, in qua uſque adhuc vitis & palmæ extat veſtigium: Apex Perſeo & Herculi pervius, ceteris inacceſſus: ita fidem ararum inſcriptio palam facit. Qua ſpectat occaſum, inter ipſum & flumen Anatim per quadringenta nonaginta ſex milia paſſuum infames beſtiis ſilvæ obſident. Amnes circa eum non tacendi: qui licet ſeparentur intervallis amplioribus, tranſierunt tamen in quoddam Atlantici nominis miniſterium. Aſana marino hauſtu, Bambothum crocodilis & hippopotamis refertum. Ultra adhuc amnis, qui atro colore exit per intimas & exuſtas ſolitudines, quæ torrente perpetuo, & ſole nimio plus

plus quam ignito, nunquam ab æstu vindicantur. Hæc de Atlante, quem Mauri A
Adderim nominant, & Hannonis Punici libri, & nostri annales prodiderunt: Juba
etiam Ptolemæi filius, qui utriusque Mauritaniæ regno potitus est: Suetonius quo-
que Paulinus summam huic cognitioni imposuit manum, qui ultra Atlantem pri-
mus, & pæne solus Romana signa circumtulit.

CAPUT XXV.

B

Mauritania. In ea de elephantis, de pugna eorum & draconum. Unde cinnabari.

E PROVINCIIS Mauritanis Tingitana, qua solstitiali plagæ obvia est, qua-
que porrigitur ad internum mare, exurgit montibus septem: qui à similitu-
dine fratres appellati, freto imminent. Hi montes elephantis frequentissimi,
submonent à principio hoc animantium genus dicere. Igitur elephanti juxta sensum C
humanum intellectus habent, memoria pollent, siderum servant disciplinam. Lu-
na nitescente gregatim amnes petunt, mox exspersi liquore, solis exortum motibus,
quibus possunt, salutant: deinde in saltus revertuntur. Duo eorum genera sunt: no-
biliores indicat magnitudo, minores nothos dicunt. Candore dentium intelligitur ju-
ventas: quorum alter semper in ministerio est, alteri parcitur, ne hebetatus assiduo
repercussu, minùs vigeat, si fuerit dimicandum. Cum venatu premuntur, pariter
affligunt utrosque, ut ebore damnato non requirantur: hanc enim sibi causam inesse
periculi sentiunt. Oberrant agminatim. Natu maximus ducit agmen, ætate proxi- D
mus cogit sequentes. Flumen transituri, minimos antemittunt, ne majorum in-
gressu alveum atterant, & profundos gurgites depressis vadis faciant. Venerem ante
annos decem fœminæ, ante quinque mares nesciunt. Biennio coëunt, quinis nec am-
plius in anno diebus, non prius ad gregarium numerum reversuri, quam vivis aquis
abluantur. Propter fœminas nunquam dimicant: nulla enim noverunt adulteria.
Inest illis clementiæ bonum: quippe si per deserta vagabundum hominem fortè vide-
rint, ductus usque ad notas vias præbent: vel si confertis pecoribus occursitent, itine-
ra sibi blanda & placida manu faciunt, ne quod obvium animal interimant. At con- E
flictu fortuito siquando pugnatur, non mediocrem habent curam sociorum: nam fes-
sos vulneratosque in medium receptant. Cùm captivitate venerint in manus homi-
num, mansuescunt hausto ordei succo. Maria transmeaturi in naves non priùs sub-
eunt, quàm de reditu illis sacramentum luatur. Indicos elephantos Mauri timent,
& parvitatis suæ conscii aspernantur ab his videri. Non annis decem, ut vulgus, sed
biennio, ut Aristoteles definit, utero gravescunt, nec amplius quàm semel gignunt,
nec plures quàm singulos. Vivunt annos trecentos. Impatientissimi frigoris. Trun-
cos edunt, lapides hauriunt, gratissimas in cibatu habent palmas. Odorem muris vel F
maximè fugiunt: pabula etiam, quæ musculis contacta sunt, recusant. Si quis casu
chamæleontem devoraverit, vermem elephantis veneficum, oleastro sumpto pesti me-
detur. Durissimum dorso tergus est, ventri mollius. Setarum hirsutiæ nullæ. Inter
hos & dracones jugis discordia. Denique insidiæ hoc astu præparantur: serpentes
propter semitas delitescunt, per quas elephanti assuetis callibus evagantur: atque
ita prætermissis prioribus postremos adoriuntur, ne qui antecesserint, queant opi-
tulari: ac primùm pedes nodis illigant, ut laqueatis cruribus impediant gradiendi fa-
cultatem: nam elephanti nisi præventi hac spirarum mora, vel arboribus se vel saxis G
applicant, ut pondere nitibundo attritos necent angues. Dimicationis præcipua cau-
sa est, quòd elephantis, ut ajunt, frigidior inest sanguis: & ob id à draconibus avi-
dissimè torrente captantur æstu. Denique nunquam invadunt nisi potu gravatos,
ut venis propensius inrigatis majorem sumant de oppressis satietatem. Nec aliud ma-
gis quam oculos petunt, quos solos expugnabiles sciunt, vel interiora aurium,
quod is tantum locus defendi non potest promuscide. Itaque cum ebiberunt sangui-
nem, dum ruunt beluæ, dracones obruuntur. Sic utrinque fusus cruor terram im-
buit, fitque pigmentum quicquid soli tinxerit, quod cinnabari vocant. Elephantes
Italia

A Italia anno Urbis conditæ quadringentesimo septuagesimo secundo in Lucanis primum
bello Epirotico vidit, & boves Lucas inde dixit. Cæsariensi colonia Cæsaria inest à
D. Claudio deducta, Bocchi prius regia, postmodum Jubæ indulgentia populi Ro-
mani dono data. Inest & oppidum Siga, quod habitatum Siphaci fuit. Nec ab
Icosio taciti recedamus. Hercule enim illa transeunte, viginti qui à comitatu ejus
desciverant, locum deligunt, jaciunt mœnia: ac ne quis imposito à se nomine pri-
vatim gloriaretur, de condentium numero urbi nomen datum.

B

CAPUT XXVI.

Numidia. In ea de ursis.

QUOD est à flumine Amsaga, Numidiæ datur. Hujus incolæ quandiu er-
rarunt pabulationibus vagabundis, Nomades dicti sunt. Urbes in ea quam
C plurimæ nobilesque, sed Cirta eminet, dein Chulli purpurario fuco Tyriis
velleribus comparatæ. Omnis hæc regio finibus in Zeugitanum limitem
desinit. Qua parte silvestris est, feras educat: qua jugis ardua est, equos alit. Exi-
mio etiam marmore prædicatur. Numidici ursi forma ceteris præstant, rabie dun-
taxat & villis profundioribus: nam genitura par est quoquo loco genitis. Eam proti-
nus dixero. Coëunt non itidem quo quadrupedes aliæ: sed apti amplexibus mutuis,
velut humanis conjugationibus copulantur. Desiderium veneris hiems suscitat. Se-
creti honore reverentur mares gravidas, & in iisdem licet foveis, partitis tamen per
D scrobes secubationibus dividuntur. Lucinæ illis properatius tempus est: quippe ute-
rum trigesimus dies liberat: unde evenit, ut præcipitata fœcunditas informes creet par-
tus. Carnes pauxillulas edunt, quibus color candidus, oculi nulli, & de festina imma-
turitate tantùm rudis sanies, exceptis unguium liniamentis. Has lambendo sensim fi-
gurant, & interdum adpectoratas fovent, ut assiduo incubatu calefactæ animalem tra-
hant spiritum. Interea cibus nullus. Sanè diebus primis XIV matres in somnum ita
concidunt, ut nec vulneribus excitari queant. Enixæ quaternis latent mensibus. Mox
E egressæ in diem liberum, tantam patiuntur insolentiam lucis, ut putes obsitas cæcitate.
Invalidum ursis caput, vis maxima in brachiis, & in lumbis: unde interdum posticis
pedibus insistunt. Insidiantur alvearibus apium, maximè favos appetunt, nec avidius
aliud quàm mella captant. Cum gustavere mandragoræ mala, moriuntur: sed eunt
obviam, ne malum in perniciem convalescat, & formicas devorant ad recipiendam sa-
nitatem. Si quando tauros adoriuntur, sciunt quibus potissimùm partibus immoren-
tur, nec aliud quàm cornua aut nares petunt: cornua, ut pondere defatigentur; na-
res, ut acrior dolor sit in loco teneriore. M. Messalla Cos. Domitius Ænobarbus
Curulis Ædilis ursos Numidicos centum, & totidem Æthiopas venatores in circo Ro-
F mano edidit: idque spectaculum inter memorabiles titulos adnotatur.

CAPUT XXVII.

*Africa cum Cyrenaïca regione. In ea de leonibus, de leontophona, de hyæna, de lapi-
de hyænio, de crocotta, de onagris, de serpentibus, de gemma heliotropio, de
Psyllis, de lapide cornu Ammonis, de arbore melopode, de lacte
sirpicio, de serpente basilisco, de genere simiarum.*

G

OMNIS Africa à Zeugitano pede incipit, promontorio Apollinis Sardiniæ con-
traversa: promontorio Mercurii procedens in frontem Sicanam. Proinde ex-
tenta in duas prominentias, quarum altera promontorium candidum dici-
tur: alteram, quæ est in Cyrenaïca regione, Phucuntem vocant. Ea per signum Cre-
ticum opposita Cretæ insulæ, contra Tænaron Laconicæ excurrit. Arenis Cataba-
thmi Ægypto insinuata, cui proximi Cyrenenses, extenditur inter duas syrtes, quas
inaccessas vadosum ac reciprocum mare efficit: cujus sali defectus, vel incrementa haud
promptum

promptum est deprehendere, ita incertis motibus nunc in brevia crescit dorsuosa, A
nunc inundatur æstibus inquietis: & auctor est Varro, perflabilem ibi terram ventis penetrantibus subitam vim spiritus citissime aut revomere maria, aut resorbere. Omnis hæc plaga ab Æthiopia & terminis Asiæ Nigri flumine, qui Nilum parit, ab Hispania freto scinditur: latere, quo ad meridiem vergit, fontium inops & infamis siti: altrinsecus quâ septentrionem patitur, aquarum larga: in agro Byzaceno, qui patet passuum ducenta vel amplius milia, glebis ita præpinguibus ut jacta ibi semina cum incremento centesimæ frugis renascantur. Externos ibi plurimos conventasse, argumentum de urbibus & locis dabimus. B
Borion promontorium, quod Aquilone cæditur, Græci advenæ sic vocaverunt. Hipponem, Regium postea dictum, item Hipponem alterum de interfluente freto Diarrhyton nuncupatum, nobilissima oppida, equites Græci condiderunt. Clypeam civitatem Siculi extruunt, & Aspida primùm nominant. Veneriam etiam, in quam Veneris Erycinæ religiones transtulerunt. Achæi Tripolin lingua sua signant de trium urbium numero, Oeæ, Sabratæ, Leptis Magnæ. Philænis fratribus à laudis cupidine Grajum vocamen datum. Adrymeto atque Carthagini auctor est à Tyro populus: sed quæ super Carthagine veraces libri prodiderunt, hoc loco reddam. Urbem istam, ut Cato in oratione C
Senatoria autumat, cùm rex Japon rerum in Lybia potiretur, Elissa mulier exstruxit domo Phœnix, & Carthadam dixit, quod Phœnicum ore exprimit civitatem novam. Mox sermone verso in verbum Punicum, & hæc Elissa, & illa Carthago dicta est: quæ post annos septingentos triginta septem exciditur, quàm fuerat constituta. Deinde à C. Graccho colonis Italicis data, & Junonia dicta, aliquantisper ignobilis, humili & languido statu: demum in claritatem secundæ Carthaginis, interjectis centum & duobus annis, M. Antonio, P. Dolabella Consulibus enituit, D
alterum post urbem Romam terrarum decus. Verum, ut ad Africam redeam, interna ejus plurimæ quidem bestiæ, sed principaliter leones tenent: qui, ut Aristoteles perhibet, soli ex eo genere quod dentatum vocant, vident protinus atque nascuntur. Quorum trifarium genus scinditur: nam breviores & jubis crispi plerunque ignavi sunt & imbelles: longiores & coma simplici acres magis ac potentes: at hi quos creant pardi, in plebe remanent, jubarum inopes. Pariter omnes parcunt à sagina, primùm quòd alternis diebus potum, alternis cibum capiunt, ac frequenter si digestio non est insecuta, solitæ cibationi superponunt diem: tum quòd carnes ju- E
sto amplius devoratas, cum gravantur, insertis in ora unguibus sponte protrahunt. Sane & cum fugiendum est in satietate, idem faciunt. Senectam defectio probat dentium. Nam clementiæ indicia multa sunt: prostratis parcunt: in viros potius quam in fœminas sæviunt: infantes non nisi in magna fame perimunt. Nec à misericordia separantur: assiduis denique exemplis patet eos pepercisse, cùm multi captivorum aliquot leonibus obvii intacti repatriaverint. Gætulæ etiam mulieris nomen Jubæ libris comprehensum est, quæ obtestata occursantes feras, impunis rediit. Aversi coëunt, F
nec hi tantùm: sed & lynces, & cameli, & elephanti, & rhinocerotes, & tigres. Leænæ fœtu primo catulos quinque edunt: deinde per singulos partus numerum decoquunt annis insequentibus: sed postremo, cùm ad unum materna fœcunditas recidit, sterilefiunt in æternum. Animos leonum frons & cauda indicant, sicut motus equini de auribus intelliguntur. Dedit enim has notas generosissimo cuique natura. Vis summa in pectore est, firmitas in capite præcipua. Cum premuntur à canibus, contemptim recedunt, subsistentesque interdum ancipiti recessu dissimulant timorem: idque agunt, si in campis patentibus ac nudis urgeantur: nam silvestribus locis, quasi te- G
stem ignaviæ non reformident, quanta possunt se fuga subtrahunt. Cum insequuntur, nisum saltu adjuvant: cum fugiunt, non valent salire. Gradientes mucrones unguium vaginis corporum claudunt, ne acumina attritu retundantur. Hoc adeo custodiunt, ut non nisi adversis falculis currant. Septi à venantibus obtutu terram contuentur, quo minus conspectis venabulis terreantur. Nunquam limo vident, minimeque se volunt aspici. Cantus gallinaceorum & rotarum timent strepitus, sed ignes magis. Leontophonas vocari accipimus bestias modicas, quæ captæ exuruntur, ut earum cineris aspergine carnes pollutæ jactæque per compita concurrentium

A tium ſemitarum leones necent, ſi quantulumcumque ex illis ſumpſerint. Propter-
ea leones naturali eas premunt odio, atque ubi facultas data eſt, morſu quidem
abſtinent, ſed dilancinatas exanimant pedum niſibus. Spectaculum ex his primus
Romæ edidit Scævola Publii filius in curuli ædilitate. Hyænam quoque mittit A-
frica, cui cum ſpina riget collum continua unitate, flectique non quit niſi toto
corpore circumacto. Multa de ea mira: primum, quod ſequitur ſtabula paſtorum,
& auditu aſſiduo addiſcit vocamen, quod exprimere poſſit imitatione vocis huma-
næ, ut in hominem aſtu accitum nocte ſæviat. Vomitus quoque humanos menti-
B tur, falſiſque ſingultibus ſollicitatos canes ſic devorat: qui fortè ſi venantes um-
bram ejus, dum ſequuntur, contigerint, latrare nequeunt voce perdita. Eadem
hyæna inquiſitione corporum ſepultorum buſta eruit. Præterea promptius eſt ma-
rem capere: fœminis enim ingenita eſt callidior aſtutia. Varietas multiplex ineſt
oculis, colorumque mutatio: in quorum pupulis lapis invenitur, hyænium di-
cunt, præditum illa poteſtate, ut, cujus hominis fuerit linguæ ſubditus, prædicat
futura. Verum hyæna quodcunque animal ter luſtraverit, movere ſe non poteſt:
C quapropter magicam ſcientiam ineſſe ei pronuntiaverunt. In Æthiopiæ parte coït
cum leæna, unde naſcitur monſtrum: crocottæ nomen eſt. Voces hominum &
ipſa pariter affectat. Nunquam cohibet aciem orbium, ſed in obtutu ſine nictatio-
ne contendit. In ore gingiva nulla, dens unus atque perpetuus, qui, ut nunquam
retundatur, naturaliter capſularum modo clauditur. Inter ea quæ dicunt herbatica,
eadem Africa onagros habet, in quo genere ſinguli imperitant gregibus fœminarum.
Æmulos libidinis ſuæ metuunt: inde eſt quod gravidas ſuas ſervant, ut expoſitos
mares, ſi qua facultas fuerit, truncatos mordicus privent teſtibus. Quod caventes fœ-
D minæ, in ſeceſſibus partus occulunt. Africa ſerpentibus adeo fœcunda eſt, ut mali hu-
jus merito illi potiſſimùm palma detur. Ceraſtæ præferunt quadrigemina cornicula,
quorum intentatione, veluti eſca inlice, ſolicitatas aves perimunt: nam reliqua cor-
poris de induſtria arenis tegunt, nec ullum indicium ſui præbent, niſi ex ea parte quæ
invitatis dolo paſtibus necem præpetum aucupetur. Amphisbæna conſurgit in ca-
put geminum: quorum alterum in loco ſuo eſt, alterum in ea parte qua cauda:
quæ cauſa efficit, ut capite utrinque ſecus nitibundo ſerpat tractibus circulatis. Ja-
culi arbores ſubeunt, è quibus vi maxima turbinati, penetrant animal quodcunque
E obvium fortuna fecerit. Scytale tanta præfulget tergi varietate, ut notarum gratia vi-
dentes retardet, & quoniam reptando pigrior eſt, quos aſſequi non quit, miracu-
lo ſui capiat ſtupentes. In hoc tamen ſquamarum nitore hiemales exuvias prima po-
nit. Plures diverſæque aſpidum ſpecies, verum diſpares effectus ad nocendum: dipſas
ſiti interficit, hypnale, quod ſomno necat, teſte etiam Cleopatra, emitur ad mortem.
Aliarum virus, quoniam medelas admittit, minus famæ meretur. Hæmorrhois mor-
ſu ſanguinem elicit, & diſſolutis venarum commerciis, quicquid animæ eſt, evocat
F per cruorem. Preſter quem percuſſerit, diſtenditur, enormique corpulentia necatur
extuberatus. Ictus ſepium putredo ſequitur. Sunt & hammodytæ, eſt & cen-
chris, elephantiæ, cherſydri, chamædracontes. Poſtremo quantus nominum, tantus
mortium numerus. Nam ſcorpiones, ſcinci, lacertique vermibus, non ſerpentibus
adſcribuntur. Monſtra hæc ſi bibant, clementius feriunt. Habent affectus: non temere
niſi conjuges evagantur: capto altero vel occiſo, uter ſuperfuerit efferatur. Subtiliora
ſunt capita fœminis, alvi tumidiores, peſtis nocentior. Maſculus æqualiter teres eſt,
ſublimior etiam mitiorque. Igitur anguibus univerſis hebes viſus eſt. Raro in adver-
ſum contuentur: nec fruſtra, cum oculos non in fronte habeant, ſed in temporibus,
G adeo ut citius audiant quam aſpiciant. De gemma heliotropio inter Æthiopiam,
Africam, Cyprum certamen fuit: quænam mitteret generis hujus eminentiſſimam,
derprehenſumque eſt documentis plurimis Æthiopicam aut Libycam, palmam tene-
re. Viridi colore eſt non ita acuto, ſed nubilo magis & preſſo, ſtellis puniceis ſuper-
ſperſa. Cauſa nominis de effectu lapidis eſt & poteſtate. Dejecta in labris æneis, ra-
dios ſolis mutat ſanguineo repercuſſu, extraque aquam ſplendorem aëris abjicit, &
avertit. Etiam illud poſſe dicitur, ut herba ejuſdem quod eſt nominis mixta, &
præcantationibus legitimis conſecrata, eum à quocunque geſtabitur, ſubtrahat viſi-

bus obviorum. Inter Syrtes, quamvis terra pergentibus, iter ſideribus deſtinatur: nec aliter curſus pateſcit: nam putris ſoli faciem aura mutat, & minimo licet vento, tantam diverſitatem flatus efficit, ut ſubinde perverſis ſitibus locorum nulla indicia agnitioni relinquantur: cùm modò quæ fuerant tumulis ardua, in valles reſidunt: modò quæ vallibus preſſa, cœtu pulveris aggerantur. Ita etiam continens naturam maris ſui patitur: nec intereſt ubi potiùs ſint procellæ, cùm ad exitium viantium elementis congruentibus, in terris flabra ſæviant, in mari terræ. Utræque Syrtes ducentis quinquaginta milibus paſſuum ſeparantur. Aliquanto clementior, quæ minor eſt. Cn. denique Servilio, C. Sempronio Coss: inter hæc vadoſa claſſem Romanam impune accipimus perfretaſſe. In hoc ſinu Meninx inſula poſt Minturnenſes paludes C. Mario fuit latebra. Supra Garamantas Pſylli fuerunt, contra noxium virus muniti incredibili corporis firmitate. Soli morſibus anguium non interibant, & quamvis dente letali appetiti, incorrupta durabant ſanitate. Recens etiam editos ſerpentibus offerebant: ſi eſſent partus adulteri, matrum crimina plectebantur interitu parvulorum: ſi pudici, probos ortus à morte paterni ſanguinis privilegium tuebatur. Sic originis fidem probabant venenis judicantibus. Sed hæc gens interivit à Naſamonibus capta: neque quicquam aliud præter opinionem de veſtigio nominis ſui Pſylli reliquerunt. Naſamonitem lapidem Naſamones dant, ſanguineum univerſum, nigris venulis adumbratum. In intimo receſſu Syrtis majoris circa Philænorum aras Lotophagos fuiſſe diſcimus, nec incertum eſt. A Philænorum aris non procul palus eſt, quam Triton amnis influit, ubi ſpeculatam ſe artium deam crediderunt. Major Syrtis oſtentat oppidum, Cyrenas vocant, quod Battus Lacedæmonius olympiade quinta & quadrageſima, rege Martio res Romanas tenente, anno poſt Trojam captam quingenteſimo octogeſimo ſexto condidit: quæ domus Callimacho poëtæ fuit patria. Inter hoc oppidum & templum Hammonis milia paſſuum quadringenta ſunt. Templo fons proximat ſoli ſacer, qui humoris nexibus humum favillaticam ſtringit, & in cæſpitem ſolidat. In qua gleba non ſine miraculo lucus viret, undique ſecus agris arentibus. Illic & lapis legitur, Hammonis vocant cornum: nam ita tortuoſus eſt & inflexus, ut effigiem reddat cornus arietini. Fulgore aureo eſt. Prædivina ſomnia repræſentare dicitur ſubjectus capiti incubantium. Et arbor eſt melopos nomine, ex qua profluit lentus humor, quem à loco hammoniacum nominamus. Apud Cyrenenſes præterea ſirpe gignitur, odoratis radicibus, virgulto herbido magis quàm arbuſto: cujus è culmo exudat ſtato tempore pingue roſcidum, idque paſcentium hircorum inhæret barbulis: ubi cum arefactum inolevit guttis ſtiriacis, legitur ad uſum menſarum, vel medelis. Dictum eſt primum lac ſirpicum, quoniam manat in modum lacteum: deinde uſu derivante laſer nominatum. Quæ germina initio barbaricæ impreſſionis vaſtatis agris, poſtea ob intolerandam vectigalis nimietatem, fermè penitus ipſi accolæ eruerunt. Cyrenis ab læva Africa eſt, ab dextra Ægyptus, à fronte ſævum & importuoſum mare, à tergo Barbarorum variæ nationes, & ſolitudo inculta, ſqualens & inacceſſa, quæ baſiliſcum creat, malum in terris ſingulare. Serpens eſt pæne ad ſemipedem longitudinis, alba quaſi mitrula lineatus caput, nec hominis tantùm vel aliorum animantium exitiis datus, ſed terræ quoque ipſius, quam polluit & exurit, ubicunque ferale ſortitur receptaculum. Denique extinguit herbas, necat arbores, ipſas etiam corrumpit auras, ita ut aëra nulla alitum impunè transvolet infectum ſpiritu peſtilenti. Cùm movetur, media corporis parte ſerpit, media arduus eſt, & excelſus. Sibilum ejus etiam alii ſerpentes perhorreſcunt: & cum acceperunt, fugam quæque quoquò poteſt, properant. Quicquid morſu ejus occiderit, non depaſcitur fera, non attrectat ales. Muſtelis tantum vincitur, quas illinc homines inferciunt cavernis in quibus deliteſcit. Vis tamen ne defuncto quidem deeſt. Denique baſiliſci reliquias amplo ſeſtertio Pergameni comparaverunt. Ut ædem Apellis manu inſignem, nec araneæ intexerent, nec alites involarent, cadaver ejus reticulo aureo ſuſpenſum ibidem locarunt. Circa extimum Syrtium cornum Berenicen civitatem alluit Lethon amnis, inferna, ut putant, exun-

A exundatione prorumpens, & apud priſtinos vates latice memoratus oblivionis. Hanc
Berenicen Berenice munivit, quæ Ptolemæo tertio fuit nupta, & in majori Syrti lo-
cavit. Omne autem latifundium, quod inter Ægyptum, Æthiopiam, Libyamque
diffunditur, quacunque lucis opacum eſt, varium implevit ſimiarum genus. Nec quiſ-
quam offenſus nomine, cognitionem gravetur. Enimvero pretium operæ eſt nihil
omittere, in quo naturæ ſpectanda ſit providentia. Plebes ſimiarum in his eſt, quas
paſſim videmus, non ſine ingenio æmulandi: quo facilius in manus veniunt: nam
B dum avidè venantium geſtus affectant, relicta conſultò viſci unguilla, quod mendacio
factum vident, oculos ſuos oblinunt: ita viſu obducto pronum eſt eas corripi. Exultant
nova luna, triſtes ſunt cornuto & cavo ſidere. Immoderatè fœtus amant, adeò ut ca-
tulos faciliùs amittant, quos impendio diligunt & ante ſe geſtant, quoniam neglecti
ponè matrem ſemper hærent. Cercopitheci caudas habent. Hæc ſola diſcretio eſt in-
ter priùs dictas. Cynocephali & ipſi ſunt è numero ſimiarum, in Æthiopiæ parte fre-
quentiſſimi: violenti ad ſaltum, feri morſu, nunquam ita manſueti, ut non ſint ma-
gis rabidi. Inter ſimias habentur & ſphinges, villoſæ comis, mammis prominulis ac
C profundis, dociles ad feritatis oblivionem. Sunt & quas vocant ſatyros, facie admo-
dum grata, geſticulatis motibus inquietæ. Callithriches toto pænè aſpectu à ceteris
differunt: in facie barba eſt, lata cauda. Has capere non eſt arduum, ſed proferre ra-
rum: neque enim vivunt in altero, quàm in Æthiopico, hoc eſt, ſuo cœlo.

CAPUT XXVIII.

D

Gens Amantum & Asbyſtarum.

INTER Naſamonas & Troglodytas gens Amantum eſt, quæ ſalibus domos ex-
ſtruunt: quos in modum cautium è montibus excitatos, ad uſum ædium cæ-
mentitiis nectunt ſtruicibus. Tanta ibi hujuſce venæ copia eſt, ut tecta faciant
è ſalinis. Hi ſunt Amantes, qui commercium cum Troglodytis habent carbuncu-
li gemmæ. Citra Amantes propiores Naſamonibus Asbyſtæ laſere vivunt. Hoc
aguntur, hoc illis dulce eſt.

E

CAPUT XXIX.

*Garamantum fons, & iter Garamanticum. Item pecora Garamantica,
natura inſulæ Gauloës.*

GARAMANTICUM oppidum eſt Debris fonte miro: qui denique alter-
F nis vicibus die frigeat, nocte efferveat, ac per eadem venarum commercia,
interdum ignito vapore æſtuet, interdum glaciali algore inhorreſcat. Incre-
dibile memoratu, ut in articulo temporis natura tam diſſonam ſui faciat varietatem!
Idque qui percunctari velit, tenebris ineſſe fluori illi æternam facem credat: qui rime-
tur die brumales ſcatebras, nunquam aliud æſtimet, quàm perpetuo rigere. Unde non
immeritò per gentes Debris inclyta eſt, cujus aquæ ex cæleſti vertigine mutant qualita-
tem quamvis contraverſa ſiderum diſciplina: nam cùm mumdum à calore veſper
temperet, ab occaſu incipit ita incaleſcere, ut ni tactu abſtineas, noxium ſit conti-
G giſſe: rurſum cùm ortus ſolis inclaruit, & radiis fervefacta ſint omnia, ſic glaciales
evomit ſcaturigines, ut fluorem ſuum prohibeat hauriri. Quis ergo non ſtupeat fon-
tem, qui friget calore, caleſcit frigore? Garamanticæ regionis Garama caput eſt, ad
quam iter diu inextricabile fuit, & invium: nam latrones puteos arenis operiebant,
ut temporaria fraude ſubductis aquis, infame ſiti iter ſubmoveret acceſſus vian-
tium. Sed Veſpaſiano Principe, bello quod cum Oeenſibus geſtum eſt, difficul-
tas hæc diſſoluta eſt compendio ſpatii brevioris reperto. Garamantas Cornelius
Balbus ſubegit, & primus ex hac victoria triumphavit. Primus ſane de externis,
utpote Gadibus genitus, acceſſit ad gloriam nominis triumphalis. Armenta gentis

istius obliquis cervicibus pabulantur: nam si recta ad pastum ora dirigant, officiunt prona ad humum cornua & obnixa. Ex parte qua Cercina est, accepimus Gauloën insulam, in qua serpens neque nascitur, neque vivit invecta: propterea jactus ex ea quocunque gentium pulvis, arcet angues: scorpiones superjactus ilicò perimit. A

CAPUT XXX.

Æthiopes, & in eorum locis ac gentibus mira. De draconibus, de dracontia lapide, de camelopardali, de cepis, de rhinocerote, de catoblepa, de formicis Æthiopicis, de hystrice, de ave pegaso, de ave tragopane, de hyacintho lapide, de chrysopasto lapide, de hæmatite. B

ÆTHIOPES, & gentes Atlanticæ, Nigri flumine dividuntur, quem patrem putant Nili. Sic papyro viret, sic calamo prætexitur, animalia eadem edit, isdem temporibus exundat, intra ripas tunc quoque redit, cùm contentus est alveo suo Nilus. Garamantici Æthiopes matrimonia privatim nesciunt, sed C vulgo omnibus in venerem licet. Inde est, quòd filios matres tantùm recognoscunt: paterni nominis nulla reverentia est. Quis enim verum patrem noverit in hac luxuria incesti lascivientis? Eapropter Garamantici Æthiopes inter omnes populos degeneres habentur: nec immeritò, qui afflicta disciplina castitatis successionis notitiam ritu improbo perdiderunt. Nomen Æthiopum latè patet. In parte Africana, qua Meroën videt Libya, plurimæ eorum sunt & variæ nationes. Harum è numero Nomades cynocephalorum lacte vivunt. Syrbotæ longi sunt ad pedes duodecim. Azachæi captos venatibus elephantos devorant. Apud Psambares nulla est aurita qua- D drupes, ne elephanti quidem. His proximi summam regiæ potestatis cani tradunt: de cujus motibus quidnam imperitet, augurantur. Maritimos Æthiopas quaternos oculos dicunt habere: sed fides alia est, illa denique, quòd & vident plurimum, & manifestissimè destinant jactus sagittarum. Occidentem versus Agriophagi tenent, qui solas pantherarum & leonum carnes edunt, rege præditi, cujus in fronte oculus unus est. Sunt & Pamphagi, quibus esca est, quicquid mandi potest, & omnia fortuitu gignentia. Sunt & Anthropophagi, quorum mores voca- E men sonat. Cynomolgos ajunt habere caninos rictus, & prominula ora. Artabatitæ proni, atque quadrupedes, nec secus ac feræ, sine sedibus evagantur. Confines Mauritaniæ certo tempore locustas terrestres legunt, duratasque salsugine in præsidium vitæ solas habent: sed ex illis quadragesimum ævi annum nullus supergreditur. Ab Oceano æstu ad Meroën, quam insulam amplexu primo Nilus facit, milia passuum sunt sexcenta viginti. Ultra Meroën super exortus solis Macrobii Æthiopes vocantur: dimidio enim eorum protentior, quàm nostra vita est. Hi Macrobii justitiam colunt, amant æquitatem, plurimum valent robore, præcipua de- F cent pulcritudine, ornantur ære, auro vincula faciunt noxiorum. Locus apud eos est Ἡλίου τράπεζα, opiparis epulis semper refertus, quibus indiscretim omnes vescuntur: nam & divinitus eas augeri ferunt. Est & ibidem lacus, quo perfusa corpora velut olivo nitescunt. Ex hoc lacu potus saluberrimus. Sanè adeo liquidus est, ut ne caducas quidem vehat frondes, sed illicò folia lapsa ad fundum demittat laticis tenuitate. Ultra hos desertæ inhumanæque solitudines, ad usque Arabicos sinus. Deinde in ultimis Orientis monstrosæ gentium facies. Aliæ sine naribus, æquali totius oris G planitie informes habent vultus. Aliis concreta ora sunt, modico tantum foramine calamis avenarum pastus hauriunt. Nonnullæ linguis carent, in vicem sermonis utentes nutibus motibusque. Quædam ex istis nationibus ante Ptolemæum Lathyrum regem Ægypti, incognitum habuerunt ignis usum. Æthiopia omnis ab oriente hiberno ad occidentem hibernum tenet. Quicquid ejus sub meridiano cardine lucis nitet, qui maximè virent hieme. A meridiana parte mons editus mari imminet, ingenuo igne per æternum fervidus, & inquietè jugis flagrantibus:

A inter quæ incendia jugis æstus, draconum magna copia est. Porrò veris draconibus ora nulla sunt ad morsum dehiscentia, sed artæ fistulæ, per quas & trahunt spiritus & linguas exerunt: quippe non in dentibus vim, sed in caudis habent & verbere potiùs quàm rictu nocent. Exciditur è cerebris draconum dracontias lapis, sed lapis non est, nisi detrahatur viventibus: nam si obeat priùs serpens, cum anima simul evanescit, duritie soluta. Usu ejus orientis reges præcipuè gloriantur; quanquam nullum lenocinium artis admittat soliditate: & quicquid in eo nobile est, non manus faci-
B ant, nec alterius quàm naturæ candor sit, quo reluceat. Auctor Sotacus gemmam hanc etiam visam sibi scribit, & quibus intercipiatur modis, edocet. Præstantissimi audacia viri explorant anguium foveas, & receptus: inde præstolati ad pastum exeuntes, prætervectique percitis cursibus, objiciunt gramina medicata quantum potest ad incitandum soporem: ita somno obsopitis, è capitibus exsecant lapides, & de manubiis præcipitis ausi prædam revehunt temeritatis. Quæ locorum Æthiopes tenent, feris plena sunt, è quibus quam nabun vocant, nos camelopardalim dicimus, collo equi similem, pedibus bubulis, capite camelino, nitore rutilo, albis
C maculis superspersa. Hoc animal Romæ Circensibus dictatoris Cæsaris primum publicatum. Iisdem fermè temporibus illinc exhibita monstra sunt, Cepos appellant, quorum posteriores pedes crure & vestigio humanos artus mentiuntur: priores hominum manus referunt: quæ tamen à nostris non amplius quàm semel visa sunt. Ante ludos Cnei Pompeji rhinocerotem Romana spectacula nesciebant: cui bestiæ color buxeus, in naribus cornu unicum & repandum, quod subinde attritum cautibus in mucronem excitat, eoque adversus elephantos præliatur, par ipsis longitudine, brevior cruribus, naturaliter alvum petens, quam solam intelligit ictibus suis perviam. Juxta Nigrim fluvium Catoblepas nascitur modica atque iners bestia, caput prægrave ægrè
D ferens, aspectu pestilenti: nam qui in oculos ejus offenderint, protinus vita exeunt. Formicæ ibi ad formam canis maximi, arenas aureas pedibus eruunt, quos leoninos habent: quas custodiunt, ne quis auferat, captantesque ad necem persequuntur. Eadem Æthiopia mittit lycaonem. Lupus est cervicem jubatus, & tot modis varius ut nullum illi colorem dicant abesse. Mittit & tarandum, boum magnitudine, bisulco vestigio, ramosis cornibus, capite cervino, ursino colore & pariter villo profundo. Hunc tarandum affirmant habitum metu vertere, & cum delitescat, fieri assimilem cuicumque rei proximaverit, sive illa saxo alba sit, seu fru-
E tecto virens, sive quam aliam præferat qualitatem. Faciunt hoc idem in mari polypi, in terra chamæleontes: sed & polypus, & chamæleon glabra sunt, ut sit pronius cutis levitatem proximanti æmulari: in hoc novum est ac singulare, hirsutiam pili colorum vices facere. Hinc evenit, ut difficulter capi possit. Æthiopicis lupis proprium est, quòd in saliendo ita nisus habent alitis, ut non magis proficiant cursu quàm meatu: homines tamen nunquam impetunt. Bruma comati sunt, æstate nudi: thoas vocant. Hystrix quoque inde loci frequentissima, erinaciis similis, spinis tergum hispida, quas plerumque laxatas jaculatione emittit voluntaria, ut assi-
F duis aculeorum nimbis canes vulneret ingruentes. Illius cœli ales est pegasus: & hæc ales equinum nihil præter aures habet. Tragopan quoque avis major aquilis, cornibus arietinis proferens armatum caput. Æthiopes legunt cinnamum. Id frutectum situ brevi nascitur, ramo humili & depresso, nunquam ultra duas ulnas altitudinis: quod graciliùs provenit, eximium magis ducitur: quod in crassitudinem extuberatur, despectui est. Verum legitur per sacerdotes hostiis prius cæsis: quæ cùm litaverunt, observatur ut messis nec ortum solis anticipet, nec egrediatur occasum. Quisquis principatum tenet, sarmentorum acervos hasta dividit, quæ sacrata est in hoc
G ministerium: atque ita portio manipulorum soli dicatur: quæ si juste divisa est, sponte incenditur. Inter ea quæ diximus, nitore cærulo hyacinthus invenitur, lapis pretiosus, siquidem inculpabilis inveniatur: est enim vitiis non parcè obnoxius: nam plerumque aut violaceo diluitur, aut nubilo obducitur, aut albicantiùs in aquaticum eliquescit: optimus in illo tenor, si nec densiore fuco sit obtusior, nec propensa perspicuitate detectior, sed ex utroque temperamento lucis & purpuræ fucatum suaviter florem trahat. Hic est qui sentit auras, & cum cœlo facit: nec

æqualiter rutilat, cum aut nubilosus est, aut serenus dies. Præterea in os missus magis friget. Scalpturis certè minimè accommodatus, ut qui attritum respuat: nec tamen penitus invictus est: nam adamante scribitur & notatur. Ubi hyacinthus, ibi & chrysopastus apparet: quem lapidem lux cælat, produnt tenebræ. Hæc enim est in illo diversitas, ut nocte igneus sit, die pallidus. Ex ipso solo sumimus hæmatitem rubore sanguineo: ac propterea hæmatitem vocatum. A

B

CAPUT XXXI.

De intimis gentibus Libyæ. De lapide hexecontalitho.

QUOD ab Atlante ad usque Canopitanum ostium panditur, ubi Libyæ finis est & Ægyptium limen, dictum à Canopo Menelai gubernatore ibi sepulto in ea insula, quæ ostium Nili facit, gentes tenent dissonæ, quæ in aviæ solitudinis secretum recesserunt. Ex his Atlantes ab humano ritu prorsus exulant. Nulli proprium vocabulum, nulli speciale nomen. Diris solis ortus excipiunt, diris occasus prosequuntur, ustique undique torrentis plagæ sidere oderunt deum lucis. Affirmant eos somnia non videre, & abstinere penitus ab animalibus universis. Troglodytæ specus excavant, illis teguntur. Nullus ibi habendi amor: à divitiis paupertate se abdicaverunt voluntaria. Tantùm lapide uno gloriantur, quem hexecontalithon nominamus, tam diversis notis sparsum, ut sexaginta gemmarum colores in parvo ejus orbiculo deprehendantur. Homines isti carnibus vivunt serpentium: ignarique sermonis stridunt potiùs quàm loquuntur. Augylæ verò solos colunt inferos. Fœminas suas primis noctibus nuptiarum adulteriis cogunt patere: mox ad perpetuam pudicitiam legibus stringunt severissimis. Gamphasantes abstinent præliis, fugiunt commercia, nulli se externo misceri sinunt. Blemmyas credunt truncos nasci parte qua caput est, os tamen & oculos habere in pectore. Satyri de hominibus nihil aliud præferunt, quàm figuram. Ægipanes hoc sunt, quod pingi videmus. Himantopodes fluxis nisibus crurum repunt potiùs quàm incedunt, & pergendi usum lapsu magis destinant quàm ingressu. Pharusii cùm Herculi ad Hesperiadas pergenti forent comites, itineris tædio hîc resederunt. Hactenus Libya. C D E

CAPUT XXXII.

Ægyptus. In ea de origine & natura Nili, de tauro Apide, de crocodilo, de hippopotamo, de ave ibide & serpentibus Arabicis, de ficu Ægyptia & palma, de disciplina Ægyptiorum, de urbibus inclytis. F

ÆGYPTUS ad meridiem introrsus recedit, quoad prætendant Æthiopes à tergo. Inferiorem ejus partem Nilus circumfluit, qui scissus à loco cui Delta nomen est, ad insulæ faciem spatia amplectitur interamna, & incerto pæne fonte decurrens proditur, ut loquemur. Originem habet à monte inferioris Mauritaniæ, qui Oceano propinquat. Hoc affirmant Punici libri: hoc Jubam regem accipimus tradidisse. Igitur protinus lacum efficit, quem Nilidem dicunt. Nilum autem jam inde conjiciunt, quòd hoc stagnum in herbis, piscibus, beluis nihil minus procreet, quàm in Nilo videmus: ac si quando Mauritania, unde origo ejus est, aut nivibus densioribus, aut imbribus largioribus irrigatur, incrementa exundationis in Ægypto augentur. Sed effusus hoc lacu arenis sorbetur, & cuniculis cæcis absconditur: deinde in Cæsariensis pede prorumpens amplior, eadem indicia præfert quæ in exortu notavimus: rursusque subsidit, nec se priùs reddit, quàm post intervalla itineris extenti contingat Æthiopas. Ubi exit, Nigrim facit fluvium, quem supra diximus terminum esse limitis Africani. Astapum eum indigenæ vocant, scilicet aquam è tenebris profluentem. Multas magnasque ambit insulas: quarum pleræque sunt tam diffusæ & vastæ magnitudinis, ut vix eas dierum quinque cursu prætermeet, quamvis G

A vis concitus ibi feratur. Nobilissima earum est Meroë, circum quam divisus dextero alveo Astosapes, lævo Astabores nominatur. Tunc quoque emensus magna longinqua, cùm primùm occurrentibus scopulis asperatur, tantis agminibus extollitur inter objecta rupium, ut ruere potiùs quàm manare credatur: demumque à catarate ultimo tutus est: ita enim quædam claustra ejus Ægyptii nuncupant. Relicto tamen hoc pone se nomine, quo Nigris vocatur, mox inoffensus meat. Septem ostiis conditur, in meridiem versus excipitur Ægyptio mari. Ignari siderum vel locorum B varias de excessibus ejus causas dederunt. Alii affirmant etesias nubium densitatem illò cogere, unde amnis hic auspicatur, ipsumque fontem humore supero saginatum tantam inundationis habere substantiam, quantum pabuli ad liquorem nubila subministraverint. Ferunt alii, quòd ventorum flatibus repercussus, cùm fluorem solitæ velocitatis non queat promovere, aquis in arto luctantibus intumescat: & quanto jam impensius contraversi spiritus repugnaverint, tanto excelsius sublimari in altitudinis vertices repercussam celeritatem, quando nec solitus extenuet cursus alveum, & stipato jam flumine, venis originalibus torrentium pondere superveniant: ita C concurrente violentia hinc urgentis elementi, hinc resistentis, undis exultantibus molem colligi, quæ excessus facit. Nonnulli affirmant fontem ejus, qui Phialus vocatur, siderum motibus excitari, extractumque radiis candentibus cælesti igne suspendi, non tamen sine certa legis disciplina, hoc est, lunis cœptantibus. Verùm omnem abscessus originem de sole concipi, primosque fieri excessus tumoris, cùm per cancrum sol vehatur: postmodum triginta ejus partibus evolutis, ubi ingressus leonem, ortus sirios excitavit, propulso omni fluore tantam vim amnis eumpere. Quod tempus sacerdotes natalem mundi judicarunt, id est, inter tertium decimum Calendas Augustas, & undecimum. Deinde revocari exitus universos, cùm in Vir- D ginem transeat, penitusque intra ripas suas capere, cùm libram sit ingressus. Hoc etiam addunt, pariter eum nocere, sive abundantius exæstuet, sive parcius: quandoquidem exiguitas minimum apportet fœcunditatis, propensior copia diuturno humore culturam moretur. Maximos deinde ejus exitus cubitis duodeviginti consurgere, justissimos sedecim temperari: nec in quindecim abesse proventus, sed quicquid intra sit, famem facere. Dant illi etiam hoc majestatis, ut portendat futura, quandoquidem Pharsalico bello non fuerit egressus quinque ulnas. Jam illud palam E est, solum illum ex amnibus universis nullas exspirare auras. Ditionis Ægyptiæ esse incipit à Syene, in qua fines Æthiopum: & inde usque dum mari intimatur, Nili nomen tenet. Inter omnia, quæ Ægyptus habet digna memoratu, præcipuè bovem mirantur: Apim vocant. Hunc ad instar colunt numinis, insignem notæ albæ macula, quæ dextero ejus lateri ingenita, corniculantis lunæ refert faciem. Statum ævi spatium est, quod ut affuit, profundo sacri fontis immersus necatur, ne diem longius trahat quàm licebit. Mox alter, nec sine publico luctu, requiritur, quem repertum centum antistites Memphim prosequuntur, ut incipiat sacris F ibi initiatus sacer fieri. Delubra, quibus succedit aut incubat, mysticè thalamos nominant. Dat omnia manifestantia de futuris: illud maximum, si de consulentium manu cibum capiat. Denique aversatus Germanici Cæsaris dexteram prodidit ingruentia, nec multo post Cæsar extinctus est. Pueri Apim gregatim sequuntur, & repentè velut lymphatici ventura præcinunt. Bos illi ostenditur fœmina in anno semel, & ipsa non absque certis insignibus, quæ atque inventa & oblata est, eadem die neci datur. Apis natalem Memphi celebrant jactu aureæ pateræ, quam projiciunt in Nili statum gurgitem. Hæc sollennitas per septem dies agitur: quibus diebus cum sacer- G dotibus quasdam crocodili inducias habent, nec attrectant lavantes. Verum octavo die cæremoniis jam peractis, velut reddita sæviendi licentia, solitam resumunt atrocitatem. Crocodilus malum quadrupes & in terra & in flumine pariter valet, linguam non habet, maxillam movet superiorem. Morsus ejus horribili tenacitate conveniunt, stipante se pectinatim serie dentium. Plerumque ad viginti ulnas magnitudinis evalescit. Qualia anseres edit ova. Metatur locum nido naturali providentia, nec alibi fœtus premit, quàm quò procrescentis Nili aquæ non possint pervenire. In partu fovendo mas & fœmina vices servant. Præter hiatum oris armatus est etiam

 unguium

unguium immanitate. Noctibus in aqua degit, per diem humi acquiescit. Circundatur maxima cutis firmitate, in tantùm ut ictus quovis tormento adacto tergo repercutiat. Trochilos avis parvula: ea reduvias escarum dum affectat, os beluæ hujusce paulatim scalpit, & sensim scalpurrigine blandiente aditum sibi in usque fauces facit. Quod ichneumon conspicatus, penetrat beluam, populatisque vitalibus erosa exit alvo. Sunt delphines in Nilo, quorum dorsa serratas habent cristas. Hi delphines crocodilos studio eliciunt ad natandum, demersique astu fraudulento tenera ventrium subternatantes secant, & interimunt. Præterea habitant in insula Nili homines forma perexigui, sed audacia usque eò perditi, ut crocodilis se offerant obvios: nam hæc monstra fugientes insequuntur, formidant resistentes: ergo capiuntur, subactique etiam intra aquas suas serviunt, & perdomiti metu ita obsequuntur, ut immemores atrocitatis, victores suos inequitantes dorso vehant. Hanc ergo insulam, & hanc gentem ubicunque indicio odoris persenserint, procul fugiunt. In aqua obtusiùs vident, in terra acutissimè. Hieme nullum cibum capiunt, quin etiam quatuor menses à cœptu brumæ inedia exigunt. Scinci quoque circa Nilum frequentissimi, crocodilis quidem similes: sed forma modica, & angusta, verum ad opem salutarem non qualibet necessarii: medentes quippe ex ipsis pocula inficiunt, quibus & stupor nervorum excitetur, & veneni vis exigatur. Hippopotamus in eodem flumine ac solo nascitur, equino dorso & juba & hinnitu, rostro resimo, ungulis bifidis, aprugineis dentibus, cauda tortuosa. Noctibus segetes depascitur, ad quas pergit aversus astu doloso, ut fallente vestigio revertenti nullæ insidiæ præparentur. Idem cum distenditur nimia satietate, arundines recens cæsas petit, per quas tamdiu obversatur, quoad stirpium acuta pedes vulnerent, ut profluvio sanguinis levetur sagina: plagam deinde cœno oblinit, usquedum vulnus conducatur in cicatricem. Hippopotamos & crocodilos primus Romam Marcus Scaurus invexit. Circum easdem ripas ales est Ibis. Ea serpentium populatur ova, gratissimamque ex his escam nidis suis defert. Sic rarescunt proventus fœtuum noxiorum. Nec tamen aves istæ tantum intra fines Ægyptios prosunt: nam quacumque Arabicæ paludes pennatorum anguium mittunt examina, quorum tam citum virus, ut morsum antè mors quàm dolor insequatur; sagacitate qua ad hoc valent, aves excitatæ, in procinctum eunt universæ, & priùs quàm terminos proprios externum malum vastet, in aëre occursant catervis pestilentibus: ibi agmen devorant universum: quo merito sacræ sunt, & illæsæ. Ore pariunt. Nigras solum Pelusium mittit, reliqua pars candidas. De arboribus, quas sola fert Ægyptus, præcipua est ficus Ægyptia, foliis moro comparanda, poma non ramis tantùm gestitans sed & caudice, usque adeò fœcunditati suæ angusta est. Uno anno septies fructum sufficit: unde pomum si decerpseris, alterum sine mora protuberat. Materies ejus in aquam missa subsidit: deinde cum diu desederit in liquore, levior facta sustollitur: & versa vice, quod natura in alio ligni genere non recipit, fit humore sicca. Palma quoque Ægyptia dicenda res est, propriè adipsos vocatur, ut dici oportuit eam, quæ gustata arcet sitim. Odor ei idem qui & malis cydoniis: sed demum sitim sedat, si prius quàm maturuerit, decerpatur: nam si matura sumatur, sensum intercipit, gressum præpedit, linguam retardat, obsessisque officiis mentis & corporis, vitium facit ebrietatis. Ægyptium limitem, qua ad Diacecaumenem tendit, incolunt populi, qui momentum quo reparari mundum ad motus ferunt annuos, hoc studio deprehendunt. Eligitur sacer lucus, in quo conseptant animalia diversissimi generis. Ea, ubi ad statum modum cœlestis pervenit disciplina, sensus suos significationibus produnt quibus possunt: alia ululant, alia mugiunt, quædam strident, quædam rudunt, nonnulla simul confugiunt ad volutabra. Hoc argumentum illis est magistrum ad indicium temporis deprehendendi. Idem populi ferunt à primis sibi gentis suæ avis traditum, ubi nunc occasus est, quondam ibi ortus solis fuisse. Inter Ægyptias urbes numero portarum Thebæ nobiles; ad quas commercia Arabes Indique subvehunt: hinc regio Thebaïca. Abydos & ipsa nobilis, olim Memnonis regia, nunc Osiridis fano exculta. Alexandriam & operis ipsius magnitudo, & auctor Macedo nobilitant: quam metatus Dinocrates architecton alterum à condi-

A conditore in memoria locum detinet. Condita autem Alexandria est duodecima centesimaque olympiade, L. Papyrio Spurio Spurii filio, C. Pœtilio Caii filio consulibus Romanis, haud longè ab ostio fluminis Nili, quod Heracleoticon alii, alii Canopicon appellant. Est & Pharos, colonia à Cæsare dictatore deducta, de qua facibus accensis nocturna dirigitur navigatio: nam Alexandria insidioso accessu aditur, fallacibus vadis, cæco mari, tribusque tantùm canalibus admittit navigantes, Tegano, Posideo, Tauro. Hinc igitur in portibus machinas ad prælucendi ministerium
B fabricatas Pharos dicunt. Pyramides turres sunt in Ægypto fastigatæ ultra excelsitatem omnem quæ fieri manu possit: itaque mensuram umbrarum egressæ nullas habent umbras. Nunc ab Ægypto provehamus stilum.

CAPUT XXXIII.

Arabia. In ea mira de fontibus, de moribus & habitu populorum, de Eulæo flumine, de thure, de myrrha, de cinamomo, de Phœnice ave, de cinnamolgis avibus, de gem-
C *ma sardonyche, de lapide molochite, de iride, de androdamante, de pæderote lapide, de gemma Arabica.*

ULTRA Pelusiacum ostium Arabia est, ad rubrum pertinens mare, quod Erythræum ab Erythra rege Persei & Andromedæ filio, non solùm à colore appellatum Varro dicit, qui affirmat in littore maris istius fontem esse, quem si oves biberint, mutent vellerum qualitatem, & antea candidæ amittant quod
D fuerint usque ad haustum, ac furvo postmodum nigrescant colore. Rubri autem maris Arsinoë oppidum. Verùm hæc Arabia procedit ad usque illam odoriferam & divitem terram, quam Catabani & Scenitæ tenent Arabes, nobiles monte Casio: qui Scenitæ causam nominis inde ducunt, quod tentoriis succedunt, nec alias domos habent: ipsa autem tentoria cilicina sunt: ita nuncupant velamenta caprarum pilis texta. Præterea suillis carnibus prorsus abstinent. Sanè hoc animalis genus, si invectum illò fuerit, moritur illico. Hanc Arabiam Græci Eudæmonem, nostri Beatam nominave-
E runt. Habitatur colle manu facto inter flumen Tigrin, & flumen Eulæum, quod ortum à Medis tam puro fluore inclytum est, ut omnes inde reges non alias quàm ejus aquas bibant. Eudæmonem non frustra cognominatam hinc capessas, quòd præter odores, quos creat plurimos, sola thus mittit, nec tamen universa: nam in medio ejus sunt Atramitæ, pagus Sabæorum, à quo octo mansionibus regio thurifera disterminatur: Arabia appellatur, id est, sacra; hoc enim significari interpretantur. Virgulta hæc non sunt publica, sed quod inter barbaros novum, in jus posterorum per successiones transeunt familiarum. Ergo quicunque dominatum istius tenent nemoris, Arabice sacri vocantur. Idem illi cum lucos istos vel metunt vel incidunt, non funeribus
F intersunt, non congressionibus fœminarum polluuntur. Hanc arborem, priùs quàm penitus fides proderet, alii lentisco, alii terebintho comparabant, usque dum libris, quos Juba rex scripsit ad Cæsarem Augusti filium, palam fieret intorto eam esse vimine, ramis ad aceris qualitatem, amygdalæ modo succum fundere, incidi ortu canis flagrantissimis solibus. In isdem saltibus myrrha provenit, cujus radices ut vitium rastris proficiunt, ablaqueationibus gaudent. Nudatæ pinguiore fluunt lacrima. Sponte manans pretiosior ex ea sudor est: elicitus corticis vulnere, vilior judicatur. Co-
G dex in vertiginem flexus, & spinis hispidus: folium crispius licet, olivæ tamen simile: maxima altitudine extollitur ad quinque cubita proceritatis. Arabes sarmentis ejus ignes fovent: quorum fumo satis noxio nisi odore cremati storacis occurrant, plerunque insanabiles morbos contrahunt. Apud eosdem nascitur Phœnix avis, aquilæ magnitudine, capite honorato in conum plumis extantibus, cristatis faucibus, citra colla fulgore aureo, postera parte purpureus absque cauda, in qua roseis pennis cæruleus interscribitur nitor. Probatum est quadraginta & quingentis eum durare annis. Rogos suos struit cinnamis, quos prope Panchaïam concinnat, in Solis urbem strue altaribus superposita. Cum hujus vita magni anni fieri conversionem

nem rata fides est inter auctores: licet plurimi eorum magnum annum non quingentis & quadraginta, sed duodecim milibus nongentis quinquaginta quatuor annis constare dicant. Plautio itaque Sextio, & P. Apronio consulibus, Ægyptum phœnix involavit: captusque anno octingentesimo Urbis conditæ, jussu Claudii principis in comitio publicatus est. Quod gestum, præter censuram quæ manet, actis etiam Urbis continetur. Cinnamolgos perinde Arabiæ avis in excellentissimis lucis texit nidos è fruticibus cinnamorum: ad quos quoniam non est pervenire propter ramorum altitudinem & fragilitatem, accolæ illas congeries plumbatis petunt jaculis, dejectasque pretiis vendunt amplioribus, quòd hoc cinnamum magis quàm alia mercatores probent. Arabes longe lateque diffusi, diversis moribus vivunt & cultibus. Plurimis crinis intonsus, mitrata capita, pars rasa in cutem barba. Commerciis student, aliena non emunt, vendunt sua: quippe & silvis, & mari divites. Umbræ, quæ nobis dexteræ sunt, illis sinistræ. Pars eorum, quibus asper victus est, angues edunt, nulla vel animi cura vel corporis, ac propterea ophiophagi nominantur. Ex istius littoris sinu Polycrati regi advecta sardonyx gemma, prima in orbe nostro luxuriæ excitavit facem. Nec multum de ea differendum puto, adeo sardonyx in omnium venit conscientiam. Superficies ejus probatur, si meraciùs rubeat: arguitur, si fuerit fæculentior: medietas circumitur limite candidante: optima est, si nec colorem suum spargat in proximum, nec ipse ex altero mutuetur: reliqua nigro finiuntur. Quod si transluceat, vitio vertitur: si perspicuitatem arceat, proficit ad decorem. Et molochitem Arabs invenit, virentem crassiùs quàm smaragdus, contra infantum pericula ingenita vi resistentem. Invenit & iridem in mari rubro, sicut crystallum sexangulatam: quæ radiis icta solis, rutilo aëris repercussu cælestis arcus ex sese jacit speciem. Androdamantem iidem legunt Arabes nitoris argentei, lateribus æqualiter quadris, quem de adamante nonnihil mutuatum putes. Datum illi nomen ex eo censent, quòd animorum calentium mollit impetus, & tumentes refrenat iras. Pæderotem & Arabicam inde sumimus. Arabica aspectu eburnea est, radi abnuit: contra nervorum molestias prodest habentibus. In pæderote congruit quicquid eximium est, quadam decoris prærogativa: crystallinum lucet, rubet purpuram, in orarum extimis corona crocea velut è liquido renidente: hac suavitate oculos adficit, visum illicit, detinet intuentes: hac etiam gratia Indis placet. Hoc Arabiæ sat est: hinc ad Pelusium repatriemus.

CAPUT XXXIV.

Regio Ostracina. Joppe oppidum. Andromedæ vincula.

A Pelusio Casius mons est, & delubrum Jovis Casii, atque ita Ostracinæ locus Pompeji Magni sepulcro inclytus. Idumæa inde incipit palmis opima. Deinde Joppe oppidum antiquissimum orbe toto, utpote ante inundationem terrarum conditum. Id oppidum saxum ostentat, quod vinculorum Andromedæ vestigia adhuc retinet: quam expositam beluæ non irritus rumor circumtulit: quippe ossa monstri illius M. Scaurus inter alia miracula in ædilitate sua Romæ publicavit. Annalibus nota res est: mensuræ quoque veracibus libris continentur, scilicet quòd costarum longitudo excesserit pedes quadraginta, sublimitas autem elephantis Indicis eminentior fuerit: porro verticuli spinæ ipsius latitudine semipedem sint supergressi.

CAPUT XXXV.

Judæa. In ea de Asphaltite lacu, de balsamo arbore, de gente Essenorum.

Judæa illustris est aquis, sed natura non eadem aquarum omnium. Jordanes amnis eximiæ suavitatis. Paneade fonte demissus, regiones præterfluit amœnissimas, mox in Asphaltiten lacum mersus stagno corrumpitur: qui Asphaltites

A tes gignit bitumen, animal non habet, nihil in eum mergi potest: tauri etiam camelique impunè ibi fluvitant. Est & lacus Genesara extentus passuum sedecim milibus, circumsessus urbibus plurimis, & celebribus, ipse par optimis. Sed lacus Tiberiadis omnibus anteponitur, salubris ingenuo æstu, & ad sanitatem usu efficaci. Judææ caput fuit Hierosolyma, sed excisa est. Successit Hiericus: & hæc desivit, Artaxerxis bello subacta. Callirrhoë Hierosolymis proxima, fons calore medico probatissimus, &
B ex ipso aquarum præconio sic vocatus est. In hac terra balsamum nascitur, quæ silva intra terminos viginti jugerum usque ad victoriam nostram fuit: ac cùm Judæa potiti sumus, ita luci illi propagati sunt, ut jam nobis latissimi colles sudent balsama. Similes vitibus stirpes habet, malleolis digeruntur, rastris nitescunt, aqua gaudent, amant amputari, tenacibus foliis sempiterno inumbrantur. Lignum caudicis attrectatum ferro sine mora emoritur: ea propter aut vitro, aut cultellis osseis, sed in solo cortice artifici plaga vulneratur, ex qua eximiæ suavitatis gutta manat. Post lacrimam secundum in pretiis locum poma obtinent, cortex tertium, ultimus honos ligno. Longo
C ab Hierosolymis recessu tristis sinus panditur, quem de cœlo tactum testatur humus nigra, & in cinerem soluta. Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrum, apud quæ pomum quod gignitur, habeat licet specimen maturitatis, mandi tamen non potest: nam fuliginem intrinsecus favillaciam ambitio tantùm extimæ cutis cohibet, quæ vel levi pressa tactu fumum exhalat, & fatiscit in vagum pulverem. Interiora Iudææ quæ occidentem contuentur, Esseni tenent, qui præditi memorabili disciplina recesserunt à more gentium universarum, majestatis, ut reor, pro-
D videntia ad hunc morem destinati. Nulla ibi fœmina. Venere se penitus abdicarunt. Pecuniam nesciunt. Palmis victitant. Nemo ibi nascitur, nec tamen deficit hominum multitudo. Locus ipse addictus pudicitiæ est: ad quem plurimi licet undique gentium properent, nullus admittitur, nisi quem castitatis fides, & innocentiæ meritum prosequatur: nam qui reus est vel levis culpæ, quamvis summa ope adipisci ingressum velit, divinitus summovetur. Ita per immensum spatium sæculorum, incredibile dictu, æterna gens est cessantibus puerperiis. Engadda oppidum infra Essenos fuit, sed excisum est. Verùm inclytis nemoribus adhuc durat decus, lucisque palmarum eminentissimis nihil vel ævo vel bello derogatum. Judææ terminus Massada castellum.
E

CAPUT XXXVI.

De Scythopoli oppido. De monte Casio.

TRANSEO Damascum, Philadelphiam, Raphianam, Scythopoli primos incolas, & auctorem dabo. Liber pater cùm humo nutricem tradidisset, condidit hoc oppidum, ut sepulturæ titulum etiam urbis mœnibus ampliaret. Incolæ deerant: è comitibus suis Scythas delegit, quos ut animi firmaret ad
F promptam resistendi volentiam, præmium loci nomen dedit. In Seleucia alter Casius mons est, Antiochiæ propinquus, cujus è vertice vigilia adhuc quarta conspicitur globus solis, & brevi corporis circumactu radiis caliginem dissipantibus illinc nox, hinc dies cernitur. Talis è Casio specula est, ut lucem prius videas quàm auspicetur dies.

CAPUT XXXVII.

G *De fluminibus Tigri & Euphrate. De lapidibus zmilanthi, sagda, myrrhite, mithridace, tecolitho, hammochryso, aëtite, pyrite, chalasia, echite, dionysia, glossopetra, gemma solis, crine Veneris, selenite, meconite, myrmecite, chalcophthongo, siderite, phlogite, anthracia, enydro.*

EUPHRATEM fundit Armenia major, ortum supra Zizamam sub radicibus montis, quem Capoten accolæ nominant, Scythis proximum. Hic receptis in se aliquot amnibus convalescit, & stipatus convenis aquis luctatur

cum

cum Tauri montis objectu, quem apud Elegeam scindit, resistat licet duodecim A
milibus passuum latitudine: longisque excursibus dextera Comagenen, Arabiam
læva relinquit: deinde prælabens plurimas gentes, Babyloniam quondam Chal-
dæorum caput dividit. Mesopotamiam opimat inundationis annuæ excessibus, ad
instar Ægyptii amnis terras contegens, invecta soli fœcunditate, isdem fermè tem-
poribus, quibus Nilus exit, sole scilicet in parte cancri vicesima constituto: tenua-
tur cùm jam leone decurso, ad extima Virginis curricula facit transitum. Quod
gnomonici similibus parallelis accidere contendunt, quos pares in terrarum positio- B
ne æqualitas normalis efficit lineæ. Unde apparet ista duo flumina ad modulum
ejusdem perpendiculi constituta, licet diversis manent plagis, easdem incrementi
causas habere. De Tigri quoque dicere hoc loco par est. In Armeniæ regione caput
tollit mirè quàm lucidum, conspicuo fonte, in loco edito, qui Elegos nominatur.
Nec ab exordio statim totus est. Primo pigrè fluit, nec cum suo nomine: at cum fines
Medorum invectus est, Tigris statim dicitur: ita enim nominant Medi sagittam.
Influit in Arethisam lacum omnia pondera sustinentem: cujus pisces nunquam se al-
veo Tigridis miscent, sicut nec amnici pisces in stagnum transeunt Arethisæ, per
quem dissimilis colore volucri meat cursu. Mox Tauro resistente in profundum spe- C
cum mergitur, quem subterlabens in altero ejus latere apud Zomadam emicat, ul-
vas & purgamenta plurima secum trahens: deinde identidem absconditur, rursusque
redditur, Adiabenos Arabesque præterfluit: Mesopotamiam amplectitur: amnem
nobilissimum Choaspem accipit: Euphratem defert in sinum Persicum. Quæ-
cunque Euphratem bibunt gentes, diverso nitent lapide. Zmilantis in ipso Euphra-
tæ alveo legitur, gemma ad imaginem marmoris Proconnensis, nisi quod in medio D
umbilico lapidis istius glaucum, ut oculi pupula, internitet. Sagda à Chaldæis usque
ad nos fluxit, haud facilis repertu, nisi ut perhibent ipsa se capessendam daret: nam-
que ingenita spiritus efficacia supermeantes naves è profundo petit, & carinis ita te-
naciter adcorporatur, ut nisi abrasa parte ligni ægrè separetur. Ea sagda apud Chal-
dæos propter effectus, quos ex ea sciunt, habetur in loco principe, ceteris propter
gratiam magis complacet jucundissimè virens. Myrrhites Parthis familiaris est. Hunc
si visu æstimes, myrrhæ color est, & non habet quo afficiat aspectum: si penitus ex-
plores, & attritu incites ad calorem, spirat nardi suavitatem. In Perside lapidum E
tanta copia est, tantaque diversitas, ut longum pænè sit ipsis vocabulis immorari.
Mithridax sole percussa coloribus micat variis. Tecolithos nucleo olivæ similis sper-
nitur cùm videtur, sed remediis bonus vincit aliorum pulcritudinem: solutus quip-
pe, & haustus, pulsis calculis, renium dolores ac vesicæ levat. Hammochry-
sos arenis auro intermixtis, nunc bractearum, nunc pulveris habet quadrulas. Aë-
tites & fulvus est, & tereti positione alterum lapidem intrinsecus cohibens: cujus
crepitu sonorus est cum movetur, quamlibet tinnitum illum non internum scrupu-
lum facere, sed spiritum scientissimi dicant. Hunc aëtitem Zoroastres præfert F
omnibus, maximamque illi tribuit potestatem. Invenitur aut in nidis aquilæ, aut in
littoribus oceani: in Perside tamen plurimus. Subnexus spem uteri defendit à fluxi-
bus abortivis. Pyrites fulvus est, tenerique se vehementiùs non permittit: ac si quan-
do artiori manu premitur, digitos adurit. Chalazias grandinis & candorem præfert
& figuram, duritia robustissima & invicta. Echites vipereas habet maculas. Dionysias
fuscus est, rubentibus notis sparsus. Idem si aquæ mixtus conteratur, vinum fragrat,
&, quod in illo odore mirificum est, ebrietati resistit. Glossopetra deficientibus lunis
cœlo cadit, linguæ similis humanæ, non modicæ, ut magi ferunt, potestatis, qui G
ex ea lunareis motus excitari putant. Solis gemma percandida est ad speciem fulgidi si-
deris, rutilosque ex se jacit radios. Veneris crinis nitet nigro, internis ductibus
ostentans ruforum crinium similitudinem. Selenites translucet fulgore candido mel-
leoque, continens lunæ imaginem, quam juxta cursum astri ipsius perhibent die-
bus singulis vel minui vel augeri. Meconites papavera exprimit. Myrmecites reptan-
tis formicæ effigie notatur. Chalcophthongos resonat ut pulsata æra: pudicè ha-
bitus servat vocis claritatem. Siderites à contemplatione ferri nihil dissonat, ve-
rùm maleficus quoquò inferatur, discordiam excitat. Phlogites ostentat intra
se

A ſe quaſi flammas æſtuantes. Anthracias coruſcat velut ſcintillantibus ſtellis. Enydros exudat, ut clauſam in eo putes fontaneam ſcaturriginem.

CAPUT XXXVIII.

Cicilia. In ea Cydnus amnis, antrum Corycium, mons Taurus.

B
CILICIAM, qua de agitur, ſi, ut nunc eſt, loquamur, derogaſſe videbimur fidei vetuſtatis: ſi terminos ſequimur, quos habuit olim, abſonum eſt à contemplatione rerum præſentium. Ergo inter utramque culpam factu optimum eſt, amborum temporum ſtatum perſequi. Cilicia antea uſque Peluſium Ægypti pertinebat, Lydis, Medis, Armeniis, Pamphilia, Cappadocia ſub imperio Cilicum conſtitutis: mox ab Aſſyriis ſubacta, in breviorem modum ſcripta eſt. Plurima jacet campo, ſinu lato recipiens mare Iſſicum, à tergo montium Tauri & Amani
C jugis clauſa. A Cilice nomen trahit, quem ætas priſtina pænè ultra ævum memoriæ abſcondit. Hunc Phœnice ortum, qui antiquior Jove de primis terræ alumnis habetur. Matrem urbium habet Tarſon, quam Danaæ proles nobiliſſima Perſeus locavit. Hanc urbem interſecat Cydnus amnis. Hunc Cydnum alii præcipitari Tauro, alii derivari ex alveo Choaſpis tradiderunt. Qui Choaſpes ita dulcis eſt, ut Perſici reges, quamdiu intra ripas Perſidis fluat, ſolis ſibi ex eo pocula vindicaverint, & cùm eundum peregrè eſſet, aquas ejus ſecum vectitarent. Ex illo igitur parente Cydnus miram trahit ſuavitatem. Quicquid candidum eſt, illinc homines Cydnum dicunt: un-
D de amni huic nomen datum. Tumet vere cùm liquuntur nives, reliqua parte anni tenuis & quietus. Circa Corycum Ciliciæ crocum plurimum, optimumque: det licet Sicilia, det Cyrenæa, det & Lycia, hoc primum eſt: ſpirat fragrantiùs, colore plus aureo eſt, ſucci ope citiùs proficit ad medelam. Ibi Corycos oppidum eſt & ſpecus, qui montem impoſitum mari à ſummo cavat vertice, patulus hiatu ampliſſimo: nam dejectis lateribus in terræ profundum, nemoroſo orbe amplectitur mediam inanitatem, virens introrſus lucis pendentibus. Deſcenſus in eum per duo milia &
E quingentos paſſus, non ſine largo die, hinc inde fontium aſſiduo ſcaturrigine. Ubi perventum ad ima primi ſinus, alter rurſus ſpecus panditur: quod antrum latis primùm patet faucibus, poſtmodum in proceſſu per anguſtias obſcuratur. In eo ſacrum eſt Jovis fanum, in cujus receſſu intimo Typhonis gigantis cubile poſitum qui volunt, credunt. Heliopolis antiquum oppidum Ciliciæ fuit, patria Chryſippi Stoicæ ſapientiæ potentiſſimi: quod à Tigrane Armenio ſubactum, & diu ſolum, Pompejopolim devictis Cilicibus, Cn. Magnus cognominavit. Mons Taurus ab Indico primò mari ſurgit: deinde à ſcopulis Chelidoniis inter Ægyptium & Pamphylium pelagus objectus ſeptentrioni dextero latere, lævo meridianæ plagæ, occidenti obverſus
F fronte profuſa. Prorſus palam eſt terras eum continuare voluiſſe penetrato mari, niſi profundis reſiſtentibus extendere radices ſuas vetaretur. Denique qui periclitantur naturas locorum, tentaſſe eum omnes exitus promontoriis probant: nam quoquorſum mari alluitur, procedit in prominentias: ſed modò intercluditur Phœnicio, modò Pontico ſinu, interdum Caſpio vel Hyrcano: quibus renitentibus ſubinde fractus, contra Mæoticum lacum flectitur, multiſque difficultatibus fatigatus, Riphæis ſe jugis annectit. Pro gentium ac linguarum varietate plurifariam nominatus, apud Indos Imaus, mox Paropaniſus, Choatras apud Parthos, poſt Niphates, in-
G de Taurus: atque ubi excelſiſſima conſurgit ſublimitate, Caucaſus. Interea etiam à populis appellationem trahit: à dextro latere Caſpius dicitur vel Hyrcanus, à lævo Amazonicus, Moſchicus, Scythicus: Ad hæc, vocabula habet alia multa. Ubi dehiſcit hiulcis jugis, facit portas quarum primæ ſunt Armeniæ, tum Caſpiæ, poſt Ciliciæ. In Græciam verticem exerit, ubi Ceraunius prædicatur. A Ciliciæ finibus Africum limitem diſpeſcit, quantus meridiem videt, ſole æſtuat: quicquid ſeptentrioni oppoſitum eſt, vento tunditur & pruina: quod ſilveſtris eſt, efferatur plurimis beſtiis & leonibus immaniſſimis.

 A

CAPUT XXXIX.

Lycia. In ea mons Chimæra.

QUOD in Campania Vesuvius, in Sicilia Ætna, hoc in Lycia mons Chimæra est. Hic mons nocturnis æstibus fumidum exhalat. Unde fabula triformis monstri in vulgum data est, quod Chimæram animal putaverunt. Et quoniam natura ibidem subest ignea, Vulcano urbem proximam Lycii B dicarunt, quam de vocabulo sui nominis Hephæstiam vocant. Olympos quoque inter alia ibi oppidum fuit nobile, sed intercidit: nunc castellum est, infra quod aquæ regiæ ob insigne fluoris spectaculo sunt visentibus.

CAPUT XL.

Asia, Phrygia, Lydia, Teuthrania. In his de urbe Epheso, de monte Mimante, de inlustribus viris, de Homeri & Hesiodi temporibus, de animali bonnaco, de sepulcris Ajacis & Memnonis, de Memnoniis avibus, de chamæleonte, de ciconiis. C

SEQUITUR Asia: sed non eam Asiam loquor, quæ in tertio orbis divortio terminos amnes habet, ab Ægyptio mari Nilum, à Mæotio lacu Tanaim: verùm eam quæ à Telmesso Lyciæ incipit, unde etiam Carpathius auspicatur sinus. Eam igitur Asiam ab oriente Lycia includit & Phrygia, ab occidente Ægæa littora: à meridie mare Ægyptium, Paphlagonia à septentrione. Ephesos in ea urbs D clarissima est: Epheso decus templum Dianæ, Amazonum fabrica, adeo magnificum, ut Xerxes cum omnia Asiatica templa igni daret, huic uni pepercerit: sed hæc Xerxi clementia sacras ædes non diu à malo vindicavit: namque Herostratus, ut nominis sui memoriam fama sceleris extenderet, incendium nobilis fabricæ manu sua struxit: sicut ipse fassus est, voto adipiscendæ famæ latioris. Notatur ergo eadem die conflagravisse templum Ephesi, qua Alexander Magnus Pellæ natus est. Qui oritur, ut Nepos edidit, Marco Fabio Ambusto, Tito Quintio Capitolino COSS. post Romam E conditam anno trecentesimo octogesimo quinto. Id templum cùm postmodum ad cultum augustiorem Ephesii reformarent, faber operi Dinocrates præfuit: quem Dinocratem Alexandri jussu Alexandriam in Ægypto præmetatum suprà exposuimus. Nusquam orbe toto tam assiduos terræ motus, & tam crebras urbium demersiones, quàm in Asia esse, cladibus Asiaticis patuit, cùm Tiberio principe urbes duodecim simul una ruina occiderint. Ingenia Asiatica inclyta per gentes fuere. Poë- F tæ Anacreon inde, Mimnermus, & Antimachus, deinde Hipponax, deinde Alcæus, inter quos etiam Sappho mulier: at historiæ conditores, Xanthus, Hecatæus, Herodotus: cum quibus Ephorus, & Theopompus. Namque de septem sapientia præditis, Bias, Thales, Pittacus: Cleanthes, Stoicæ eminentissimus: Anaxagoras naturæ indagator: Heraclitus etiam subtilioris doctrinæ arcanis immoratus. Asiam excipit Phrygia, in qua Celæne, quæ antiquato priori nomine in Apamiam transit, oppidum à rege Seleuco postmodum constitutum. Istic Marsyas ortus, istic & sepultus: unde qui proximat fluvius, Marsyas dicitur: nam sacrilegi certaminis factum, & audaces in deum tibias testatur non procul cum fonte vallis, quæ G eventum gestæ rei signat, & ab Apamia decem milibus passuum separata, Aulucrene usque adhuc dicitur. Ex arce hujusce oppidi Mæander amnis caput tollit, qui recurrentibus ripis flexuosus inter Cariam & Joniam præcipitat in sinum, qui Miletum dividit & Prienam. Ipsa Phrygia Troadi superjecta est, aquilonia parte Galatiæ collimitanea: meridiana Lycaoniæ, Pisidiæ, Mygdoniæque contermina: eidem ab oriente vicina Lydia: à septentrione Mœsiæ: Cariæ à parte qua dies medius est. Mons Lydiæ Tmolus croco florentissimus: amnis Pactolus, quem aurato fluore incitum, aliter & Chrysorrhoan vocant. In his locis animal nascitur, quod bonnacum dicunt,

cui

A cui taurinum caput ac deinçeps corpus omne: tantùm juba equina: cornua autem
ita multiplici flexu in se recurrentia, ut si quis in ea offenderit, non vulneretur. Sed
quicquid præsidii monstro illi frons negat, alvus sufficit: nam cùm in fugam ver-
tit, proluvie citi ventris fimum egerit per longitudinem trium jugerum, cujus ar-
dor quicquid attigerit, amburit: ita egerie noxia summovet insequentes. Miletos
Joniæ caput, Cadmi olim domus, sed ejus qui primus invenit prosæ orationis disci-
plinam. Non longè Ephesum Colophon civitas, nobilis oraculo Clarii Apollinis.
B Unde haud procul Mimas surgit, cujus vertices de nubilis supervolantibus futuræ
tempestatis significant qualitatem. Caput Mæoniæ Sypilus excipit, Tantalis antea
dictus, & in illam vocabuli memoriam orbitatibus datus Niobæ. Smyrnam Meles
circunfluit inter flumina Asiatica facilè præcipuus amnis. Smyrnæos vero campos
fluvius Hermus secat, qui ortus à Dorylao Phrygiæ, Phrygiam scindit à Caria. Hunc
quoque Hermum fluctibus aureis æstuasse antiquitas credidit. Smyrna, unde præ-
cipuè nitet, Homero vati patria extitit, qui post Ilium captum anno ducentesimo
C septuagesimo secundo humanis rebus excessit, Agrippa Sylvio Tyberini filio Albæ
regnante, anno ante Urbem conditam centesimo sexagesimo. Inter quem & Hesio-
dum poëtam, qui in auspiciis olympiadis primæ obiit, centum triginta octo anni
medii fuerunt. In Rhœteo littore Athenienses & Mitylenæi ad tumulum ducis Thes-
sali Achillion oppidum condiderunt, quod propemodum interiit: deinde interpo-
sitis quadraginta fermè stadiis, in altero cornu ejusdem littoris ob honorem Salami-
nis Aiacis alterum oppidum, cui Æantio datum nomen est, Rhodii extruxerunt.
At juxta Ilium Memnonis stat aliud sepulcrum, ad quod sempiternò ex Æthiopia
D catervatim aves advolant, quas Ilienses Memnonias vocant. Cremutius auctor est
has easdem anno quinto in Æthiopia catervatim coire, & undique versum quod us-
quam gentium sit, ad regiam Memnonis convenire. Mediterranea, quæ sunt su-
pra Troadis partem, Teutrania tenet regio, quæ prima Mœsorum fuit patria. Hæc
Teutrania perfunditur Caïco flumine. Per omnem Asiam chamæleon plurimus, ani-
mal quadrupes, facie qua lacertæ, nisi crura recta & longiora ventri jungerentur:
prolixa cauda, eademque in vertiginem torta: hamati ungues subtili aduncitate: in-
E cessus piger, & ferè idem qui testudinum motus: corpus asperum squamosa cute,
qualem in crocodilis deprehendimus: subducti oculi, & recessu concavo introrsum
recepti, quos nunquam nictatione obnubit. Visum denique non circumlatis pu-
pulis, sed obtutu rigidi orbis intentat. Hiatus ejus æternus, ac sine ullius usus mi-
nisterio: quippe cùm neque cibum capiat, neque potu alatur, nec alimento alio,
quàm haustu aëris vivat. Color varius, & in momenta mutabilis, ita ut cuicun-
que se rei conjunxerit, concolor ei fiat. Colores duo sunt quos fingere non valet,
F rubrus & candidus: ceteros facilè mentitur. Corpus pænè sine carne, vitalia sine
liene: nec nisi in corculo pauxillum sanguinis deprehenditur. Latet hieme, pro-
ducitur vere. Impetibilis est coraci, à quo cùm interfectus est, victorem suum per-
imit interemptus: nam si vel modicum ales ex eo ederit, illicò moritur: sed corax
quoque habet præsidium ad medelam, natura manum porrigente: nam cùm affli-
ctum se intelligit, sumpta fronde laurea recuperat sanitatem. Pythonos Come in
Asia locus est campis patentibus, ubi primo adventus sui tempore ciconiæ advolant,
G & eam, quæ ultima advenerit, lancinant universæ. Aves istas ferunt linguas non
habere, verùm sonum, quo crepitant, oris potius quàm vocis esse. Eximia illis
inest pietas: etenim quantum temporis impenderint fœtibus educandis, tantum &
ipsæ à pullis suis invicem aluntur: ita enim impensè nidos fovent, ut incubitus assi-
duitate plumas exuant. Noceri eas, omnibus quidem locis nefas ducunt, sed in
Thessalia vel maximè, ubi serpentum immanis copia est, quos dum escandi gratia
insectantur, regionibus Thessalicis plurimum mali detrahunt.

CAPUT XLI. A

Galatia.

GALATIAM primis ſeculis priſcæ Gallorum gentes occupaverunt: Toliſtobogi, Veturi, & Ambitoti: quæ vocabula adhuc permanent: quamvis Galatia unde dicta ſit, ipſo ſonat nomine.

B

CAPUT XLII.

Bithynia. In ea Hannibalis exitus, & ſepulcrum.

BITHYNIA in Ponti exordio ad partem ſolis orientis adverſa Thraciæ, opulenta ac dives urbium, à fontibus Sangarii fluminis primos fines habet: ante Bebrycia dicta: deinde Mygdonia: mox à Bithyno rege Bithynia. In ea Pruſiadem urbem alluit Hylas flumen, & perſpergit Hylas lacus, in quo reſediſſe credunt delicias Herculi Hylam puerum, Nymphis rapinam: in cujus memoriam uſque ad- C
huc ſollemni curſitatione lacum populus circumit, & Hylam voce clamant. In Bithyno quoque agro Lybyſſa locus Nicomediæ proximus, ſepulcro Hannibalis famæ datus: qui poſt Carthaginenſe judicium transfuga ad regem Antiochum, deinde poſt Antiochi apud Thermopylas pugnatam malam pugnam, fractumque regem fortunæ vicibus, in hoſpitium Pruſiæ devolutus, ne traderetur Tito Quintio ob hanc cauſam in Bithyniam miſſo, captivuſque Romam veniret, veneni mali poculo animam expulit, & ab Romanis ſe vinculis morte defendit.

D

CAPUT XLIII.

Acone portus. Acheruſius ſpecus.

IN ora Pontica poſt Boſphori fauces, & Rheſum amnem, portumque Calpas, Sagaris fluvius ortus in Phrygia, dictuſque à pleriſque Sangarius, exordium facit Maryandini ſinus, in quo oppidum Heraclea adpoſitum Lyco flumini: & Aco- E
ne portus, qui proventu malorum graminum uſque eo celebris eſt, ut noxias herbas aconita illinc nominemus. Proximus inde Acheruſius ſpecus, quem foraminis cæci profundo ad uſque inferna ajunt patere.

CAPUT XLIV.

Paphlagonia. F

PAPHLAGONIAM limes à tergo Galaticus amplectitur. Ea Paphlagonia Carambi promontorio ſpectat Tauricam, conſurgit Cytoro monte porrecto in ſpatium paſſuum trium & ſexaginta milium, inſignis loco Heneto: à quo (ut Cornelius Nepos perhibet) Paphlagones in Italiam tranſvecti, mox Veneti ſunt nominati. Plurimas in ea regione urbes Mileſii condiderunt, Eupatoriam Mithridates: quo ſubacto à Pompejo, Pompejopolis eſt dicta.

G

CAPUT XLV.

Cappadocia. In ea de equis.

CAPPADOCIA gentium univerſarum, quæ Pontum accolunt, præcipuè introrſus recedit. Latere lævo utraſque Armenias, & Comagenem ſimul tranſit: dextro plurimis Aſiæ populis circumfuſa. Attollitur ad Tauri juga & ſolis ortus. Præterit Lycaoniam, Piſidiam, Ciliciam. Vadit ſuper tractum Syriæ Antiochiæ,

A parte regionis alterius in Scythiam pertendens, ab Armenia majore divisa Euphrate amne: quæ Armenia, unde Parydri montes sunt, auspicatur. Multæ in Cappadocia urbes inclytæ: verum, ut ab aliis referamus pedem, coloniam Archelaïdem, quam deduxit Claudius Cæsar, Halys præterfluit: Neocæsaream fluvius Lycus alluit: Melitam Semiramis condidit: Mazacam sub Argæo sitam Cappadoces matrem habent urbium: qui Argæus nivalibus jugis arduus, ne æstivo quidem torrente B pruinis caret, quemque indidem populi habitari deo credunt. Terra illa ante alias altrix equorum, & proventui equino accommodatissima est: quorum hoc in loco ingenium persequemur: nam equis inesse judicium documentis plurimis patefactum est, cum jam aliquot inventi sint, qui nonnisi primos dominos recognoscerent, obliti mansuetudinis siquando mutassent consueta servitia. Inimicos partis suæ norunt, adeo ut inter prælia hostes morsu petant. Sed illud majus est, quod rectoribus perditis quos diligebant, arcessunt fame mortem. Verum hi mores in genere equorum præstantissimo reperiuntur: nam qui infra nobilitatem sati sunt, nulC la documenta sui præbuerunt. Sed ne quid videamur dicendi licentia contra fidem arrogasse, exemplum frequens dabimus. Alexandri Magni equus Bucephalus dictus, sive de aspectus torvitate, seu ab insigni, quod taurinum caput armo inustum gerebat, seu quod de fronte ejus quædam corniculorum protuberabant minæ, cum ab equario suo alias etiam molliter sederetur, accepto regio stratu neminem unquam alium præter dominum vehere dignatus est. Documenta ejus in præliis plura sunt, quibus Alexandrum è durissimis certaminibus sospitem ope sua extulit: quo merito effectum, ut defuncto in India exequias rex duceret, & suprema ornaret sepulcro: urbem etiam conderet, quam in nominis memoriam Bucephalam nominavit. Equus D C. Cæsaris nullum præter Cæsarem dorso recepit: cujus primores pedes facie vestigii humani tradunt fuisse, sicuti ante Veneris genitricis ædem hac effigie locatus est. Regem Scytharum, cum singulari certamine interemptum adversarius victor spoliare vellet, ab equo ejus calcibus morsuque est lancinatus. Agrigentina etiam regio frequens est equorum sepulcris, quod munus supremorum meritis datum creditur. Voluptatem his inesse Circi spectacula prodiderunr: quidam enim equorum cantibus tibiarum, quidam saltationibus, quidam colorum varietate, nonnulli E etiam accensis facibus ad cursus provocantur. Affectum equinum lacrimæ probant. Denique interfecto Nicomede rege, equus ejus vitam inedia expulit. Cum prælio Antiochus Galatas subegisset, Cintareti nomine ducis, qui in acie ceciderat, equum insiluit ovaturus, isque adeo sprevit lupatos, ut de industria cernuatus, ruina pariter & se & equitem affligeret. Ingenia equorum etiam Claudii Cæsaris Circenses probaverunt, cum effuso rectore, quadrigæ currus æmulos non minus astu quam velocitate præverterent, & post decursa legitima spatia, ad locum palmæ sponte consisterent, velutque victoriæ præmium postularent. Excusso quoque auriga, F quem Rutumannam nominabant, relicto certamine ad Capitolium quadriga prosiluit, nec ante substitit, quamlibet obviis occursibus impedita, quam Tarpejum Jovem terna dextratione lustraret. In hujusce animalis genere ætas longior maribus: nam legimus equum ad usque annos septuaginta vixisse. Jam illud non venit in ambiguum, quod in annum tertium & tricesimum generant, utpote qui etiam post vicesimum mittatur ad subolem reficiendam. Notatum etiam advertimus Opuntem nomine equum ad gregariam Venerem durasse in annos quadraginta. Equarum liG bido extinguitur jubis tonsis. In quarum partu amoris nascitur veneficium, quod frontibus præferunt recens editi, furvo colore, cicatricis simile, hippomanes nominatum: quod si præreptum statim fuerit, nequaquam mater pullo ubera præbet felitanda. Quo quis acrior fuerit, speique majoris, eo profundius nares mersitat in bibendo. Mas ad bella nunquam producitur apud Scythas, eo quod fœminæ exonerare vesicas etiam in fuga possint. Edunt equæ ex ventis conceptos: sed hi nunquam ultra triennium ævum trahunt.

A

CAPUT XLVI.

Aßyria. In ea de unguentorum origine, de arbore Medica.

ASSYRIORUM initium Adiabene facit: in cujus parte Arbelitis re-
gio est: quem locum victoria Alexandri Magni non sinit præteriri: nam
ibi copias Darii fudit, ipsumque subegit, expugnatisque ejus castris in reli-
quo apparatu regis reperit scrinium unguentis refertum, unde primum Romana luxu- B
ria fecit ingressum ad odores peregrinos. Aliquantisper nos tamen virtute veterum ab
hac vitiorum illecebra defensi sumus, atque adeò in censuram Publii Crassi, & Julii
Cæsaris: qui edixerunt anno Urbis conditæ sexcentesimo sexagesimo quinto, ne quis
unguenta inveheret peregrina. Postmodum vicerunt nostra vitia, & senatui adeò pla-
cuit odorum delicia, ut ea etiam in pœnalibus tenebris uteretur: sicut L. Plotium fra-
trem L. Planci bis consulis proscriptum à Triumviris in Salernitana latebra unguenti
odor prodidit. Hos terrarum ductus excipit Media, cujus arbor inclaruit etiam car-
minibus Mantuanis. Ingens ipsa, cui tale fermè quale unedonibus folium est: tantum C
eo differt, quod spinosis fastigiis hispida turgescat. Malum inimicum venenis, sapo-
re aspero, & amaritudinis meræ: odoris autem fragrantia plus quàm jucundum, lon-
geque sensibile. Verùm pomorum illi tanta ubertas inest, ut onere proventus semper
gravetur: nam protinus atque poma ejus deciderunt maturitate, alia protuberant,
eaque tantùm est opimitati mora, fœtus ut decidant antè nati. Usurpare sibi nemora
ista optaverunt & aliæ nationes per industriam tralati germinis, sed beneficium soli
Mediæ datum, natura resistente terra alia non potuit mutuari.

D

CAPUT XLVII.

Portæ Caspiæ.

CASPIÆ portæ panduntur itinere manu facto, longo octo milibus passuum:
nam latitudo vix est plaustro permeabilis. In his angustiis etiam illud aspe-
rum, quod præcisorum laterum saxa liquentibus inter se salis venis, exun- E
dant humorem affluentissimum, qui constrictus vi caloris, velut in æstivam glaciem
corporatur: ita labes invia accessum negat. Præterea octo & viginti milium passuum
tractus omnis, quoquo inde pergitur, nullis puteis vel fontibus, sine præsidio sitit:
tum serpentes undique gentium convenæ, à verno statim die illuc confluunt. Ita pe-
riculi ac difficultatis concordia, ad Caspios, nisi hieme, accessus negatur.

CAPUT XLVIII.

F

Direum locus. Margiane regio.

A CASPIIS ad orientem versus est locus quod Direum appellatur, cujus
ubertati non est quod uspiam comparari queat. Hunc circunsident Tapyri,
Naricli, Hyrcani. Proximat ei Margiane regio, inclyta cœli ac soli com-
modis, adeò ut in toto illo latifundo vitibus sola gaudeat. In faciem theatralem
montibus clauditur, ambitu stadiorum mille quingentorum, pænè inaccessa ob in-
commodum arenosæ solitudinis, quæ per centum & viginti milia passuum undique
versum circumfusa est. Regionis hujus amœnitatem Alexander Magnus usque adeò G
miratus est, ut ibi primùm Alexandriam conderet: quam mox à barbaris excisam,
Antiochus Seleuci filius reformavit, & de nuncupatione domus suæ dixit Seleuciam:
cujus urbis circuitus diffunditur in stadia septuaginta quinque. In hanc Orodes Ro-
manos captos Crassiana clade deduxit. Et aliud in Caspiis Alexander oppidum excita-
vit, idque Heraclea dictum, dum manebat, sed hoc quoque ab iisdem eversum gentibus:
deinde ab Antiocho restitutum, ut ille maluit, Achaïs postmodum nominatum est.

CAPUT

A

CAPUT XLIX.

Gentes circum Oxum amnem. Terminus itinerum Liberi patris & Herculis. Item regiones cum gentibus: ſimul de camelorum natura.

B OXUS amnis oritur de lacu Oxo, cujus oras hinc inde Bateni & Oxiſtace accolunt: ſed præcipuam partem Bactri tenent. Bactris præterea eſt proprius amnis Bactros: unde & oppidum, quod incolunt, Bactrum. Gentis hujus quæ ponè ſunt, Paropamiſi jugis ambiuntur: quæ averſa, Indi fontibus terminantur: reliqua includit Oxus flumen. Ultra hos Panda oppidum Sogdianorum, in quorum finibus Alexander Magnùs tertiam Alexandriam condidit ad conteſtandos itineris ſui terminos. Hic enim locus eſt, in quo primùm à Libero patre, poſt ab Hercule, deinde à Semiramide, poſtremò etiam à Cyro aræ ſunt conſtitutæ, quòd proximum gloriæ omnes duxerint, illo uſque promoviſſe itineris ſui metas. Univerſi ejus ductus dumtaxat ab illa terrarum parte Jaxartes fluvius ſecat fines, quem tamen Jaxartem ſoli
C vocant Bactri: nam Scythæ Silin nominant. Hunc eundem eſſe Tanain exercitus Alexandri Magni crediderunt: verum Demodamas dux Seleuci, & Antiochi, ſatis idoneus vero auctor, tranſvectus amnem iſtum, titulos omnium ſupergreſſus eſt, aliumque eſſe quàm Tanain deprehendit. Ob cujus gloriæ inſigne dedit nomini ſuo, ut altaria ibi ſtatueret Apollini Didymæo. Hoc eſt collimitium, in quo limes Perſicus Scythis jungitur: quos Scythas Perſæ lingua ſua Sacas dicunt, & invicem Scythæ Perſas Chorſacos nominant, montemque Caucaſum Croucaſſim, id eſt, nivibus candidantem.
D Denſiſſima hîc populorum frequentia, cùm Parthis legem placiti ab exordio moris incorrupta cuſtodit diſciplina. E quibus celeberrimi ſunt Maſſagetæ, Eſſedones, Satarchæ & Apalæi. Poſt quos immaniſſimis Barbaris interjacentibus de ritu aliarum nationum pænè inconſtanter definitum advertimus. Bactri camelos fortiſſimos mittunt, licet & Arabia plurimos gignat. Verùm hoc differunt, quòd Arabici bina tubera in dorſo habent, ſingula Bactriani. Hi nunquam pedes atterunt: ſunt enim illis reciprocis quibuſdam pulmunculis veſtigia carnulenta. Unde & contraria eſt labes ambulantibus, nullo favente præſidio ad niſum inſiſtendi. Habentur in duplex miniſterium.
E Sunt alii oneri ferundo accommodati, alii perniciores: ſed nec illi ultra juſtum pondera recipiunt, nec iſti amplius quà ſolita ſpatia volunt egredi. Genituræ cupidine efferantur adeo ut ſæviant cùm Venerem requirunt. Oderunt equinum genus. Sitim etiam in quatriduum tolerant: Verum cùm occaſio bibendi data eſt, tantum implentur, quantum & ſatiet deſideria præterita, & in futurum diu proſit. Lutulentas aquas captant, puras refugiunt. Denique niſi cœnoſior liquor fuerit, ipſi aſſidua proculcatione limum excitant, ut turbidetur. Durant in annos centum, niſi forte tralati in peregrina, inſolentia mutati aëris morbos trahant. Ad bella fœminæ præparantur, in-
F ventumque eſt, ut deſiderium ejus coïtionis quadam caſtratione exſecaretur: putant enim fieri validiores, ſi à coitibus arceantur.

CAPUT L.

Seres, item vellus Sericum.

QUA ab Scythico Oceano, & mari Caſpio in Oceanum Eoum curſus inflectitur, ab exordio hujuſce plagæ profundæ nives: mox longa deſerta: poſt
G Anthropophagi, gens aſperrima, dein ſpatia ſæviſſimis beſtiis efferata, fermè dimidiam itineris partem impenetrabilem reddiderunt. Quarum difficultatum terminum facit jugum mari imminens, quod Tabim barbari dicunt: poſt quæ adhuc longinquæ ſolitudines. Sic in tractu ejus oræ, quæ ſpectat æſtivum orientem, ultra inhumanos ſitus primos hominum Seres cognoſcimus, qui aquarum aſpergine inundatis frondibus, vellera arborum adminiculo depectunt liquoris, & lanuginis teneram ſubtilitatem humore domant ad obſequium. Hoc illud eſt Sericum,

in usum publicum damno severitatis admissum, & quo ostendere potius corpora, A
quam vestire primo fœminis, nunc etiam viris luxuriæ persuasit libido. Seres ipsi
quidem mites, & inter se quietissimi, & qui reliquorum mortalium cœtus refu-
giant, adeo ut ceterarum gentium commercia abnuant. Primum eorum fluvium
mercatores ipsi transeunt, in cujus ripis nullo inter partes linguæ commercio, sed
depositarum rerum pretia oculis æstimantibus sua tradunt, nostra non emunt.
B

CAPUT LI.

Gens Attacorum.

SEQUITUR Attacenus sinus, & gens hominum Attacorum, quibus tempe-
ries prærogativa miram aëris clementiam sumministrat. Arcent sanè afflatum
noxium colles, qui salubri apricitate undique secus objecti prohibent auras pe- C
stilentis: atque ideo, ut Amometus affirmat, par illis & Hyperboreis genus vitæ est.
Inter hos & Indiam gnarissimi Ciconas locaverunt.

CAPUT LII.

India. In ea de ritu hominum & qualitate, de cœli clementia, de natura soli, de serpentibus Indicis, de leocrocotta bestia, de eale bestia, de tauris Indicis, de manticħora bestia, de bubalis Indicis, de monocerote bestia, de anguillis Gangeticis, de Gangeticis vermibus, de balæna Indica, de physetere, de ave psittaco, de Indicis lucis, de ficu Indica, de Indis harundinibus, de arboribus in insula Indiæ, de piperis arbore, de ebeno, de calamo odorato, de adamante, de magnete lapide, de lychnite lapide, de beryllo lapide, de chrysoberyllo lapide, de chrysopraso lapide, de hyacinthizonte lapide. D

AB Emodis montibus auspicatur India, à meridiano mari porrecta ad Eo,
favonii spiritu saluberrima. In anno bis æstatem habet, bis legit frugem,
vice hiemis etesias patitur auras. Hanc Posidonius adversam Galliæ statuit.
Sane nec quicquam ex ea dubium: nam Alexandri Magni armis comperta, & alio-
rum postmodum regum diligentia peragrata penitus cognitioni nostræ addicta est. E
Megasthenes sane apud Indicos reges aliquantisper moratus, res Indicas scripsit, ut
fidem, quam oculis subjecerat, memoriæ daret. Dionysius quoque, qui & ipse à
Philadelpho rege spectator missus est, gratia periclitandæ veritatis, paria prodidit.
Tradunt ergo in India fuisse quinque milia oppidorum præcipua capacitate, popu-
lorum novem milia. Diu etiam credita est tertia pars esse terrarum. Nec mirum
sit, vel de hominum, vel de urbium copia, cum soli Indi nunquam à natali solo
recesserint. Indiam Liber pater primus ingressus est, utpote qui Indis subactis o-
mnium primus triumphavit. Ab hoc ad Alexandrum Magnum numerantur anno- F
rum sex milia quadringenti quinquaginta unus, additis & amplius tribus mensi-
bus, habita per reges computatione, qui centum quinquaginta tres tenuisse medium
ævum deprehenduntur. Maximi in ea amnes Ganges, & Indus: quorum Gan-
gen quidam fontibus incertis nasci, & Nili modo exultare contendunt: alii vo-
lunt à Scythicis montibus exoriri. Hypanis etiam ibi nobilissimus fluvius, qui
Alexandri Magni iter terminavit, sicuti aræ in ripa ejus positæ probant. Minima
Gangis latitudo per octo milia passuum, maxima per viginti patet: altitudo, ubi G
vadosissimus est, mensuram centum pedum devorat. Gangarides extimus est
Indiæ populus: cujus rex equites mille, elephantos septingentos, peditum sexa-
ginta milia in apparatu belli habet. Indorum quidam agros exercent, militiam
plurimi, merces alii: optimi ditissimique Rempublicam curant, reddunt judicia,
assident regibus. Quietum ibi eminentissimæ sapientiæ genus est, vita repletos
incen-

A incensis rogis mortem accersere. Qui verò ferociori sectæ se dediderunt, & silvestrem agunt vitam, elephantos venantur, quibus perdomitis ad mansuetudinem aut arant, aut vehuntur. In Gange insula est populosissima, amplissimam continens gentem, quorum rex peditum quinquaginta milia, equitum quatuor milia in armis habet. Omnes sanè quicunque præditi sunt regia potestate, non sine maximo elephantorum, equitum, peditumque numero militarem agitant disciplinam. Prasia gens validissima Palibotram urbem incolunt, unde quidem gentem ipsam Palibotros no-
B minarunt. Quorum rex peditum sexaginta milia, equitum triginta milia, elephantorum octo milia omnibus diebus ad stipendium vocat. Ultra Palibotram mons Maleus: in quo umbræ hieme in septentriones, æstate in austros cadunt, vicissitudine hac durante mensibus senis. Septentriones in eo tractu in anno semel, nec ultra quindecim dies parent, sicut auctor est Beton, qui perhibet hoc in plurimis Indiæ locis evenire. Indo flumini proximantes, versa ad meridiem plaga, ultra alios torrentur calore: denique vim sideris prodit hominum color. Montana
C Pygmæi tenent. At ii, quibus est vicinus Oceanus, sine regibus degunt. Pandæa gens à fœminis regitur, cui reginam primam assignant Herculis filiam. Et Nysa urbs regioni isti datur. Mons etiam Jovi sacer, Meros nomine, in cujus specu nutritum Liberum patrem veteres Indi affirmant: ex cujus vocabuli argumento lascivienti famæ creditur Liberum patrem fœmina natum. Extra Indi ostium sunt insulæ duæ Chryse & Argyre, adeo fœcundæ copia metallorum, ut plerique eas aurea sola prodiderint habere & argentea. Indis omnibus promissa cæsaries, non sine fuco cæruli aut crocei coloris. Cultus præcipuus in gemmis. Nullus funerum ap-
D paratus. Præterea, ut Jubæ & Archelai regum libris editum est, in quantum mores populorum dissonant, habitus quoque discrepantissimus est: alii lineis, alii laneis peplis vestiuntur, pars nudi, pars obscœna tantùm amiculati, plurimi etiam flexibilibus libris circundati. Quidam populi adeo proceri, ut elephantos, velut equos, facillima insultatione transiliant. Plurimis placet, neque animal occidere, neque vesci carnibus. Plerique tantùm piscibus aluntur, & è mari vivunt. Sunt qui proximos, parentesque priusquam annis aut ægritudine in maciem eant, velut hostias cædunt, deinde peremptorum viscera epulas habent: quod ibi non sceleris sed pietatis loco numerant. Sunt etiam qui cum incubuere morbi, procul à ceteris
E in secreta abeunt, nihil anxiè mortem expectantes. Astacanorum gens laureis viret silvis, lucis buxeis: vitium verò, & arborum universarum, quibus gratia dulcis est, proventibus copiosissima. Philosophos habent Indi, Gymnosophistas vocant, qui ab exortu ad usque solis occasum contentis oculis orbem candentissimi sideris contuentur, in globo igneo rimantes secreta quædam, arenisque ferventibus perpetem diem alternis pedibus insistunt. Ad montem, qui Nulo dicitur, habitant quibus aversæ plantæ sunt, & octoni digiti in plantis singulis. Megasthenes per diversos Indiæ montes esse scribit nationes capitibus caninis, armatas unguibus, amictas vestitu
F tergorum, ad sermonem humanum nulla voce, sed latratibus tantum sonantes, asperis rictibus. Apud Ctesiam legitur quasdam fœminas ibi semel parere, natosque canos illico fieri. Esse rursum gentem alteram, quæ in juventa cana sit, nigrescat in senectute, ultra ævi nostri terminos perennantem. Legimus monocolos quoque ibi nasci singulis cruribus, & singulari pernicitate: qui ubi defendi se velint à calore, resupinati plantarum suarum magnitudine inumbrentur. Gangis fontem qui accolunt, nullius
G ad escam opis indigi, odore vivunt pomorum silvestrium, longiusque pergentes eadem illa in præsidio gerunt, ut olfactu alantur. Quod si tetriorem spiritum fortè traxerint, exanimari eos certum est. Perhibent esse & gentem fœminarum, quæ quinquennes concipiant, sed ultra octavum annum vivendi spatium non protrahunt. Sunt qui cervicibus carent, & in humeris habent oculos. Sunt qui silvestres, hirti corpora, caninis dentibus, stridore terrifico. Apud eos verò quibus ad vivendi rationem exactior cura est, multæ uxores in ejusdem viri coëunt matrimonium, & cum maritus homine decesserit, apud gravissimos judices suam quæque de meritis agunt causam, & quæ officiosior ceteris sententia judicum vicerit, hoc palmæ refert præmium, ut arbitratu suo accendat rogum conjugis, & supremis ejus semetipsam det inferias:

ceteræ

ceteræ in nota vivunt. Enormitas in ſerpentibus tanta eſt, ut cervos & animantium A
alia ad parem molem tota hauriant: quinetiam Oceanum Indicum, quantus eſt, pe-
netrent, & inſulas magno ſpatio à continenti ſeparatas pabulandi petant gratia. Id-
que ipſum palam eſt non qualibet magnitudine evenire, ut per tantam ſali latitudi-
nem ad loca permeent deſtinata. Sunt illic multæ ac mirabiles beſtiæ, quarum par-
tem perſequemur. Leucrocotta velocitate præcedit feras univerſas: ipſa aſini feri
magnitudine, cervi clunibus, pectore ac cruribus leoninis, capite melium, biſul-
ca ungula, ore ad uſque aures dehiſcente, dentium locis oſſe perpetuo. Hæc quod B
ad formam: voce autem loquentium hominum ſonos æmulatur. Eſt & eale, ut
equus cetera, cauda verò elephanti, nigro colore maxillis aprugnis, præferens cor-
nua ultra cubitalem modum longa, ad obſequium cujus velit motus accommodata:
neque enim rigent, ſed moventur, ut uſus exigit præliandi: quorum alterum quo
cum pugnat, protendit, alterum replicat, ut ſi niſu aliquo fuerit alterius acumen
obtuſum, acies ſuccedat alterius. Hippopotamis comparatur: & ipſa ſanè aquis flu-
minum gaudet. Indicis tauris color fulvus eſt, volucris pernicitas, pilus in contra-
rium verſus, hiatus omne quod caput. Hi quoque circumferunt cornua flexibilita- C
te qua volunt, tergi duritia omne telum reſpuunt, & tam immiti ferocitate, ut capti
animas projiciant furore. Mantichora quoque nomine inter hæc naſcitur, triplici
dentium verſu coëunte ordinibus alternis, facie hominis, glaucis oculis, ſanguineo
colore, corpore leonino, cauda veluti ſcorpionis aculeo ſpiculata, voce tam ſibila
ut imitetur modulos fiſtularum, tubarumque concinentum. Humanas carnes avi-
diſſimè affectat. Pedibus ſic viget, ſaltu ſic poteſt, ut morari eam nec extentiſſima
ſpatia poſſint, nec obſtacula altiſſima. Sunt præterea boves unicornes & tricornes,
ſolidis ungulis nec bifiſſis. Sed atrociſſimum eſt monoceros, monſtrum mugitu hor- D
rido, equino corpore, elephanti pedibus, cauda ſuilla, capite cervino. Cornu è
media fronte ejus protenditur, ſplendore mirifico, ad longitudinem pedum quatuor,
ita acutum, ut quidquid impetat, facilè ictu ejus perforetur. Vivus non venit in homi-
num poteſtatem: & interimi quidem poteſt, capi non poteſt. Aquæ etiam gignunt
miracula non minora. Anguillas ad tricenos pedes longas educat Ganges: quem Sta-
tius Seboſus inter miracula præcipua ait vermibus abundare cæruleis nomine & colo-
re. Hi bina habent brachia longitudinis cubitorum non minus ſenûm, adeo robuſtis E
viribus, ut elephantos ad potum ventitantes, mordicus comprehenſos ipſorum ma-
nu rapiant in profundum. Indica maria balænas habent ultra ſpatia quatuor juge-
rum: ſed & quos phyſeteras nuncupant, qui enormes ſupra molem ingentium co-
lumnarum ultra antennas ſe navium extollunt, hauſtoſque fiſtulis fluctus ita eru-
ctant, ut nimboſa alluvie plerumque deprimant alveos navigantium. Sola India
mittit avem pſittacum colore viridem, torque puniceo, cujus roſtri tanta duritia eſt,
ut cum è ſublimi præcipitat in ſaxum, niſu ſe oris excipiat, & quodam quaſi funda- F
mento utatur extraordinariæ firmitatis: caput verò tam valens, ut ſi quando ad di-
ſcendum plagis ſiet admonendus, nam ſtudet ut quod homines alloquatur, ferrea cla-
vicula ſit verberandus. Dum in pullo eſt, atque adeo intra alterum ætatis ſuæ annum,
quæ monſtrata ſunt, & citius diſcit, & retinet tenaciùs: major pullo, eſt & oblivio-
ſus, & indocilis. Inter nobiles & ignobiles diſcretionem digitorum facit nume-
rus: qui præſtant, quinos in pedes habent digitos, ceteri ternos: lingua lata, mul-
toque latior quàm ceteris avibus: unde perficitur, ut articulata verba penitus elo-
quatur. Quod ingenium ita Romæ deliciæ miratæ ſunt, ut barbaris pſittacos mer-
cem fecerint. Indorum nemora in tam proceram ſublimantur excelſitatem, ut G
transjaci ne ſagittis quidem poſſint. Pomaria ficus habent, quarum codices in or-
bem ſpatio ſexaginta paſſuum extuberantur: ramorum umbræ ambitu bina ſtadia
conſumunt: foliorum latitudo formæ Amazonicæ peltæ comparatur: pomum
eximiæ ſuavitatis. Quæ paluſtria ſunt, arundinem creant ita craſſam, ut fiſſis
internodiis lembi vice vectitet navigantes. E radicibus ejus exprimitur humor
dulcis ad melleam ſuavitatem. Tylos Indiæ inſula eſt: ea fert palmas, oleam cre-
at, vineis abundat. Terras omnes hoc miraculo ſola vincit, quòd quæcun-
que in ea arbos naſcitur, nunquam caret folio. Mons Caucaſus inde incipit,

qui

A qui maximam orbis partem perpetuis jugis penetrat. Idem fronte qua ſoli obverſus
eſt, arbores piperis oſtentat, quas ad juniperi ſimilitudinem diverſos fructus edere
aſſeverant: eorum qui primus erumpit, velut corylorum fimbria, dicitur piper lon-
gum: qui deinde caducus torretur fervido ſole, vocamen trahit de colore: at qui
ex ipſa arbore ſtringitur, ut eſt, album piper dicitur. Sed ut piper ſola India, ita
& hebenum ſola mittit, nec tamen univerſa, verùm exigua ſui parte ſilvas hoc genus
edit. Arbor eſt plerunque tenuis, & frequentior vimine, raro in craſſitudinem cau-
B dicis extuberatur, hiulco cortice & admodum reticulato, dehiſcentibus venis, adeo
ut per ipſos ſinus pars intima vix tenui libro contegatur: lignum omne atque media-
le eadem fermè & facie & nitore, qui eſt in lapide gagate. Indi reges ex eo ſceptra
ſumunt, & quaſcunque deorum imagines nonniſi ex hebeno habent. Idem ferunt
materia iſta liquorem noxium non contineri, & quicquid maleficum fuerit, tactu
ejus averti: hac gratia pocula ex hebeno habent. Ita nihil mirum, ſi peregrè ſit in
pretio, quod etiam ipſi, quibus provenit, honorantur. Hebenum Romæ Mithri-
datico triumpho primum Magnus Pompejus exhibuit. Mittit India & calamos odo-
C ratos, potentes adverſum inteſtinæ ægritudinis incommoda: Dat & multa alia fra-
grantia mirifici ſpiritus ſuavitate. Indicorum lapidum in adamantibus dignitas pri-
ma, utpote qui limphationes abigunt, venenis reſiſtunt, & pavitantium vanos me-
tus pellunt. Hæc primum de iis prædicari oportuit, quæ reſpicere ad utilitatem vi-
debamus: nunc reddemus quæ adamantum ſint ſpecies, & quis colos cuique eximius.
In quodam cryſtalli genere invenitur, materiæ in qua naſcitur adæquè ſimilis, ſplen-
dore liquidiſſimo, in mucronem ſexangulum utrinque ſecus leniter turbinatus, nec
D unquam ultra magnitudinem nuclei avellanæ repertus. Huic proximus in excellen-
tiſſimo auro deprehenditur, pallidior, ac magis ad argenti colorem renitens. Ter-
tius in venis cupri apparet, propior ad æream faciem. Quartus in metallis ferrariis
legitur, pondere ceteros antecedens, non tamen & poteſtate: nam & hi, & qui in
cupro deprehenduntur, frangi queunt, plerique etiam adamante altero perforantur:
at illi quos primos ſignificavimus, nec ferro vincuntur, nec igne domantur. Ve-
rum tamen ſi diu in ſanguine hircino macerentur, non aliter quàm ſi calido vel re-
centi, malleis aliquot ante fractis, & incudibus diſſipatis, aliquando cedunt, atque
in particulas diſſiliunt: quæ fragmenta ſcalptoribus in uſum inſigniendæ cujuſcunque
E modi gemmæ expetuntur. Inter adamantem & magnetem eſt quædam naturæ oc-
culta diſſenſio, adeò ut juxta poſitus non ſinat magnetem capere ferrum: vel, ſi ad-
motus magnes ferrum traxerit, quaſi prædam quandam adamas magneti rapiat, at-
que auferat. Lychnitem perinde fert India, cujus lucis vigorem ardor excitat lucer-
narum, qua ex cauſa lychniten Græci vocaverunt. Duplex ei facies: aut enim pur-
purea emicat claritate, aut meracius ſuffunditur cocci rubore, per omne intimum
ſui, ſiquidem pura ſit, inoffenſam admittens perſpicuitatem: at ſi excanduit radiis
ſolis incita, vel ad calorem digitorum attritu excitata eſt, aut palearum caſſa aut char-
F tarum fila ad ſe rapit, contumaciter ſcalpturis reſiſtens: ac ſi quando inſignita eſt,
dum ſigna exprimit, quaſi quodam animali morſu partem ceræ retentat. Beryllos
in ſexangulas formas Indi atterunt, ut hebetem coloris lenitatem angulorum reper-
cuſſu excitent ad vigorem. Beryllorum genus dividitur in ſpeciem multifariam: ex-
imii intervirente glauci & cæruli temperamento, quandam præferunt puri maris
gratiam. Infra hos ſunt chryſoberylli, qui languidius micantes nube aurea circun-
funduntur. Chryſopraſos quoque ex auro & porraceo mixtam lucem trahentes,
G æquè beryllorum generi adjudicaverunt. Hyacinthizontas, ſcilicet qui hyacinthos
prope referant, & ipſos probent: eos verò qui cryſtallo ſimiles, capillamentis inter-
currentibus obſcurantur, hoc enim vitio illorum nomen eſt, ſcientiſſimi lapidum
plebi dederunt. Indici reges hoc genus gemmas in longiſſimos cylindros amant fin-
gere, eoſque perforatos elephantorum ſetis ſuſpendunt, ac monilia habent, aut ex
utroque capite inſerunt aureos umbilicos, ut marcentem faciem ad nitelam incendant
pinguiorem, quo per induſtriam metallo hinc inde addito fulgentiorem trahant
lucem.

 A

CAPUT LIII.

Taprobane. In ea de qualitate hominum, de ſideribus, de natura maris & nationis diſciplina, de teſtudinum magnitudine, de margaritis.

TAPROBANEM inſulam, antequam temeritas humana exquiſito penitus mari fidem panderet, diu orbem alterum putaverunt, & quidem eum quem habitare Antichthones crederentur. Verùm Alexandri Magni virtus
ignorantiam publici erroris extinxit, dum in hæc uſque ſecreta propagavit nominis ſui B
gloriam. Miſſus igitur Oneſicritos præfectus claſſi Macedonicæ, terram iſtam quanta
eſſet, quid gigneret, quomodo haberetur, exquiſitam notitiæ noſtræ dedit. Patet in
longitudinem ſtadiûm ſeptem milia, in latitudinem quinque milia. Scinditur amni
interfluo. Nam pars ejus beſtiis & elephantis repleta eſt, majoribus multò quàm fert
India: partem homines tenent. Margaritis ſcatet, & gemmis. Sita eſt inter ortum &
occaſum. Ab Eoo mari incipit, prætenta Indiæ. A Praſia Indorum gente, dierum viginti
primò in eam fuit curſus, ſed hoc cùm papyraceis & Nili navibus illo pergere- C
tur: mox navibus noſtris ſeptem dierum iter factum eſt. Mare vadoſum interjacet altitudinis
non amplius ſenûm paſſuum, certis autem canalibus depreſſum adeo, ut nullæ
unquam ancoræ ad profundi illius ima potuerint pervenire. Nulla in navigando
ſiderum obſervatio: nam neque ſeptentriones illic conſpiciuntur, nec vergiliæ apparent.
Lunam ab octava in ſextam decimam tantum ſupra terram vident. Lucet ibi Canopos,
ſidus clarum & ampliſſimum. Solem orientem dextera habent, occidentem ſiniſtra.
Obſervatione itaque navigandi nulla ſuppetente, ut ad deſtinatum pergentes lo- D
cum capiant, vehunt alites, quarum meatus terram petentium, magiſtros habent regendi
curſus. Quaternis non amplius menſibus in anno navigatur. Ad uſque Claudii
principatum de Taprobane hæc tantùm noveramus: tunc enim fortuna patefecit ſcientiæ
viam latiorem. Nam libertus Anni Plocami, qui tunc rubri maris vectigal adminiſtrabat,
Arabiam petens, aquilonibus præter Carmaniam raptus, quinto decimo demum
die appulſus eſt ad hoc littus, portumque invectus, qui Hippuros nominatur.
Sex deinde menſibus ſermonem perdoctus, ductuſque ad colloquia regis, quæ comper.
erat, reportavit. Stupuiſſe ſcilicet regem, pecuniam, quæ capta cum ipſo erat, quod E
tametſi ſignata diſparibus foret vultibus, parem tamen haberet modum ponderis: cujus
æqualitatis contemplatione, cum Romanam amicitiam flagrantius concupiviſſet,
Rachia principe legatos nos aduſque tranſmiſit, à quibus cognita ſunt univerſa. Ergo
inde homines corporum magnitudine alios omnes antecedunt: crines fuco imbuunt,
cæruleis oculis ac truci viſu, terrifico ſono vocis. Quibus immatura mors eſt, in annos
centum ævum trahunt: aliis omnibus annoſa ætas, & extenta pænè ultra humanam
fragilitatem. Nullus aut ante diem, aut per diem ſomnus: noctis partem quieti
deſtinant: lucis ortum vigilia antevertunt. Ædificia modica ab humo tollunt. An- F
nonà pari ſemper tenore. Vites neſciunt: pomis abundant. Colunt Herculem. In
regis electione non nobilitas prævalet, ſed ſuffragium univerſorum. Populus eligit
ſpectatum moribus, & inveteratæ clementiæ, annis etiam gravem. Sed hoc in eo quæritur,
cui liberi nulli ſint: nam qui pater ſit, etiam ſi vita ſpectetur, non admittitur
ad regendum: & ſi fortè dum regnat, ſubolem velit edere, exuit poteſtatem. Idque
eo maximè cuſtoditur, ne fiat hæreditarium regnum. Deinde etiam ſi rex maximam
præferat æquitatem, nolunt ei totum licere: quadraginta ergo rectores accipit, ne in
cauſis capitum ſolus judicet: & ſic quoque ſi diſplicuerit judicatum, ad populum G
provocatur: à quo datis judicibus ſeptuaginta fertur ſententia, cui neceſſariò acquieſcitur.
Cultu rex diſſimilis à ceteris veſtitur ſyrmate, ut eſt habitus, quo Liberum patrem
amiciri videmus. Quod ſi etiam ipſe in peccato aliquo arguitur, morte multatur:
non tamen ut cujuſquam attrectetur manu, ſed conſenſu publico rerum omnium interdicitur
ei facultas: etiam colloquii poteſtas punito negatur. Culturæ ſtudent univerſi.
Interdum venatibus indulgent, nec plebeias agunt prædas, quippe cum tigres aut elephanti
tantùm requirantur. Maria quoque ſagaciſſimè expiſcantur: marinas teſtudines
capere gaudent, quarum tanta eſt magnitudo, ut ſuperficies earum domum faciat, &
nume-

A numeroſam familiam non artè receptet. Major pars hujus inſulæ calore ambuſta eſt, & in vaſtas deſinit ſolitudines. Latus ejus mare alluit perviridi colore fruticoſum, ita ut jubæ arborum plerunque gubernaculis atterantur. Cernunt latus Sericum de montium ſuorum jugis. Mirantur aurum, & ad gratiam poculorum omnium gemmarum adhibent apparatum. Secant marmora teſtudinea varietate. Margaritas legunt plurimas, maximaſque: conchæ ſunt, in quibus reperiuntur, quæ certo anni tempore luxuriante conceptu, ſitiunt rorem velut maritum cujus deſiderio hiant: & cum maximè lunares liquuntur aſpergines, oſcitatione quadam hauriunt humorem cupitum: B ſic concipiunt, gravidæque fiunt, & de ſaginæ qualitate reddunt habitus unionum: nam ſi purum fuit quod acceperant, candicant orbiculi lapillorum: ſi turbidum, aut pallore langueſcunt, aut rufo innubilantur. Ita magis de cœlo, quàm de mari partus habent. Denique quoties excipiunt matutini aëris ſemen, fit clarior margarita: quoties veſpere, fit obſcurior: quantoque magis hauſerit, tanto magis proficit lapidum magnitudo. Si repentè micaverit coruſcatio, intempeſtivo metu comprimuntur, clauſæque ſubita formidine vitia contrahunt abortiva: aut enim perparvuli fiunt ſcrupuli, aut inanes. Conchis ipſis ineſt ſenſus: partus ſuos maculari timent: cumque C flagrantioribus radiis excanduit dies, ne fucentur lapides ſolis calore, ſubſidunt in profundum, & ſe gurgitibus ab æſtu vindicant. Huic tamen providentiæ ætas opitulatur: nam candor ſenecta diſperit, & grandeſcentibus conchis flaveſcunt margaritæ. Lapis iſte in aqua mollis eſt, duratur eviſceratus. Nunquam duo ſimul reperiuntur: unde unionibus nomen datum. Ultra ſemunciales inventos negant. Piſcantium inſidias timent conchæ: inde eſt, ut aut inter ſcopulos, aut inter marinos canes plurimum deliteſcant. Gregatim natant: certa examini dux eſt: illa ſi capta ſit, etiam quæ evaſerint, in plagas revertuntur: Dat & India margaritas, dat & littus Britannicum: D ſicut divus Julius thoracem, quem Veneri genitrici in templum ejus dicavit, ex Britannicis margaritis factum, ſubjecta inſcriptione teſtatus eſt. Lolliam Paulinam Caii principis conjugem vulgatum eſt habuiſſe tunicam ex margaritis, ſeſtertio tunc quadringenties æſtimatam: cujus parandæ avaritiæ pater ipſius M. Lollius, ſpoliatis orientis regionibus, offendi ſperavit Cajum Cæſarem Auguſti filium, interdictaque amicitia principis, veneno interiit. Illud quoque expreſſit vetus diligentia, quod Sullanis primum temporibus Romam illati ſunt uniones.

E

CAPUT LIV.

Itinerarium Indicum. Sinus Perſicus & Arabicus. Azanium mare.

AB inſulenſi, ut conſequens eſt, ad continentem. Igitur à Taprobane in Indiam revertamur: convenit enim res Indicas videre. Sed ſi in his aut urbibus aut nationibus reſiſtamus, egrediemur repromiſſæ concinnitatis mo- F dum. Proxumam Indo flumini urbem habuere Caphuſam, quam Cyrus diruit. Arachoſiam Erumando amni impoſitam Semiramis condidit. Cadruſia oppidum ab Alexandro Magno ad Caucaſum conſtitutum eſt, ubi & Alexandria, quæ patet amplitudinis ſtadia triginta. Multa & alia ſunt, ſed hæc cum eminentiſſimis. Poſt Indos montanas regiones Ichthyophagi tenent, quos ſubactos Alexander Magnus in reliquum abſtinere juſſit à piſcibus: nam antea ſic alebantur. Ultra hos deſerta Carmaniæ, Perſis deinde, atque ita navigatio: in qua ſolis inſula rubens ſemper, & omni G animantium generi inacceſſa, quippe quæ nullum non animal illatum necet. Ex India revertentes ab Azario Carmaniæ flumine ſeptentriones primum vident. Achæmenides in hoc tractu ſedes fecerunt. Inter Carmaniæ promontorium & Arabiam quinquaginta milia paſſuum interjacent: deinde tres inſulæ, circa quas hydri marini egrediuntur vicenûm cubitûm longitudinem. Dicendum hoc loco, quatenus ab Alexandria Ægypti pergatur in uſque Indiam. Nilo vehente Copton uſque eteſiis flatibus curſus eſt: deinde terreſtre iter Hydreum tenus: poſt tranſactis aliquot manſionibus Berenicen pervenitur, ubi rubri maris portus eſt. Inde Ocelis Arabiæ portus tangitur. Proximum Indiæ emporium excipit Zmirim infame

piraticis latronibus. Deinde per diverſos portus Cottonare pervenitur, ad quam monoxylis lintribus piper convehunt. Petentes Indiam, ante exortum canis, aut protinus poſt exortum, navigia media æſtate ſolvunt. Revertentes navigant Decembri menſe. Secundus ex India ventus eſt vulturnus: at cum ventum eſt in rubrum mare, aut africus, aut auſter vehunt. Spatium Indiæ decies ſepties quinquaginta milia paſſuum proditur: ac Carmaniæ centum milia, cujus pars non caret vitibus. Præterea habet genus hominum, qui non alia quam teſtudinis carne vivunt, hirſuti omnia facie tenus, quæ ſola lævis eſt. Idem coriis piſcium veſtiuntur, Chelonophagi cognominati. Irrumpit hæc littora rubrum mare, idque in duos ſinus ſcinditur: quorum qui ab oriente eſt Perſicus appellatur, quandoquidem oram illam habitavere Perſidis populi, vicies & ſexagies centena milia paſſuum circuitu patens: ex adverſo, unde Arabia eſt, alter Arabicus vocatur: Oceanum verò qui ibi influit, Azanium nominarunt. Carmaniæ Perſis annectitur, quæ incipit ab inſula Aphrodiſiæ variarum opum dives, tranſlata quondam in Parthicum nomen, littore quo occaſui objacet, porrecta milia paſſuum quingenta quinquaginta. Oppidum ejus nobiliſſimum Suſa, in quo templum Suſiæ Dianæ. A Suſis Babytace oppidum centum triginta quinque milibus paſſuum diſtat, in quo mortales univerſi odio auri coëmunt hoc genus metallum, & abjiciunt in terrarum profunda, ne polluti uſu ejus avaritia corrumpant æquitatem. Hic inconſtantiſſimus eſt menſurarum modus: nec immeritò, cùm aliæ circa Perſidem nationes ſchœnis, aliæ paraſangis, aliæ incomperta diſciplina terras metiantur, & incertam fidem faciat menſuræ ratio diſcors.

A B C

CAPUT LV.

Parthia, & circa Parthiam regiones. Item Cyri ſepulcrum.

PARTHIA quanta omnis eſt, à meridie rubrum mare, à ſeptentrione Hyrcanum ſatum claudit. In ea regna duodeviginti dividuntur in duas partes. Undecim, quæ vocantur ſuperiora, incipiunt ab Armenico limite, & Caſpio littore, porrecta ad terras Scytharum, quibuſcum concorditer degunt: reliqua ſeptem inferiora, ſic enim vocitant, habent ab ortu Arios Arianoſque, Carmaniam a medio die, Medos ab occidui ſolis plaga, à ſeptentrione Hyrcanos. Ipſa autem Media ab occaſu tranſverſa, utraque Parthiæ regna amplectitur: à ſeptentrione Armenia circundatur: ab ortu Caſpios videt: à meridie Perſidem. Deinde tractus hic procedit uſque ad caſtellum, quod Magi obtinent Paſſargada nomine. Hic Cyri ſepulcrum.

D E

CAPUT LVI.

Babylon. Deinde recurſus ad Oceanum Atlanticum, in quo inſulæ Gorgades, Heſperides, Fortunatæ.

CHALDÆÆ genti caput Babylonia Semiramidi condita, tam nobilis, ut propter eam & Aſſyrii & Meſopotamia in Babyloniæ nomen tranſierint. Urbs eſt ſexaginta milia paſſuum circuitu patens, muris circundata, quorum altitudo ducentos pedes detinet, latitudo quinquaginta, in ſingulos pedes ternis digitis ultra quàm menſura noſtra eſt altioribus. Amni interluitur Euphrate. Beli ibi Jovis templum, quem inventorem cœleſtis diſciplinæ tradidit etiam ipſa religio, quæ deum credit. In æmulationem urbis hujus Cteſiphontem Parthi condiderunt. Tempus eſt ad Oceani oras reverti, repreſſo in Æthiopiam ſtilo: namque ut Atlanticos æſtus occipere ab occidente & Hiſpania dudum dixeramus; ab his quoque partibus mundi, unde primum Atlantici nomen induat, exprimi par eſt. Pelagus Azanium uſque Æthiopum littora promovetur Æthiopicum ad Moſſylicum promontorium: inde rurſus oceanus Atlanticus. Juba igitur univerſæ partis, quam plurimi propter

F G

A solis ardorem perviam negaverunt, facta etiam, vel gentium, vel insularum commemoratione ad firmandæ fidei argumentum, omne illud mare ab India ad usque Gadis voluit intelligi navigabile, cori tamen flatibus: cujus spiritus præter Arabiam, Ægyptum, Mauritaniam, evehere quamvis queant classem, dummodo ab eo promontorio Indiæ cursus dirigatur, quod alii Lepten acran, alii Drepanum nominaverunt. Addidit & loca stationum, & spatiorum modum: nam ab Indica prominentia ad Malichu insulam affirmat esse quindecies centena milia passuum: à Mali-
B chu ad Sceneon ducenta viginti quinque milia: inde ad insulam Adanu centum quinquaginta milia: sic confici ad apertum mare decies octies centena & septuaginta quinque milia. Idem opinioni plurimorum, qui ob solis flagrantiam maximam partis istius regionem ferunt humano generi inaccessam, sic reluctatur, ut mercantium ibi transitus infestari ex Arabicis insulis dicat: quas Ascitæ habent Arabes, quibus e re nata datum nomen: nam bubulis utribus contabulatas crates superponunt, vectatique hoc ratis genere prætereuntes infestant sagittis venenatis. Habitari etiam addit Æthiopiæ adusta. Troglodytarum & Ichthyophagorum nationibus: quorum
C Troglodytæ tanta pernicitate pollent, ut feras, quas agitant, cursu pedum assequantur: Ichthyophagi non secùs quàm marinæ beluæ nando in mari valent. Ita exquisito Atlantico mari usque in occasum, etiam Gorgadum meminit insularum. Gorgades insulæ, ut accepimus, obversæ sunt promontorio, quod vocamus Hesperuceras. Has incoluerunt Gorgones monstra, & sanè usque adhuc monstrosa gens habitat. Distant à continente bidui navigatione. Prodidit denique Xenophon Lampsacenus Hannonem Pœnorum regem in eas permeavisse, repertasque ibi fœminas aliti pernicitate, atque ex omnibus quæ apparuerant, duas captas tam hirto at-
D que aspero corpore, ut ad argumentum spectandæ rei duarum cutes miraculi gratia inter donaria Junonis suspenderit: quæ duravere usque in tempora excidii Carthaginensis. Ultra Gorgadas Hesperidum insulæ, sicut Sebosus affirmat, dierum quadraginta navigatione in intimos maris sinus recesserunt. Fortunatas insulas certè contra lævam Mauritaniæ tradunt jacere, quas Juba sub meridie quidem sitas, sed proximas occasui dicit. De harum nominibus expectari magna non miror, sed infra famam vocabuli res est. In prima earum, cui nomen Norion, ædificia nec sunt, nec fuerunt. Juga montium stagnis madescunt. Ferulæ ibi surgunt ad arboris magni-
E tudinem: earum quæ nigræ sunt, expressæ liquorem reddunt amarissimum: quæ candidæ, aquas revomunt etiam potui accommodatas. Alteram insulam Junoniam appellari ferunt, in qua pauxilla ædes ignobiliter ad culmen fastigata. Tertia huic proximat eodem nomine, nuda omnia. Quarta Capraria appellatur, enormibus lacertis plus quam referta. Sequitur Nivaria nebuloso aëre, & coacto, ac propterea semper nivalis. Deinde Canaria repleta canibus forma eminentissimis: inde etiam duo exhibiti Jubæ regi. In ea ædificiorum durant vestigia. Avium magna copia, nemora pomifera, palmeta caryotas feritantia, multa nux pinea, larga mellatio, amnes siluris piscibus abundantes. Perhibent etiam exspui in eam undoso
F mari beluas, deinde cùm monstra illa putredine tabefacta sunt, omnia illic infici tetro odore: ideoque non penitus ad nuncupationem sui congruere insularum qualitatem.

FINIS.

CLAUDII

CLAUDII SALMASII

PLINIANÆ EXERCITATIONES

IN

C. JULII SOLINI

POLYHISTORA.



CLAUDII SALMASII PLINIANÆ EXERCITATIONES IN C. JULII SOLINI POLYHISTORA.

AD I. EPISTOLAM.



PLINIUM emendare, explicare, & castigare his exercitationibus proposui, sed eo ordine quo compilavit eum Solinus: quem & ipsum eadem quoque opera non solum meliorem facere, verum etiam, quam malus sit auctor, ostendere, pars est instituti nostri. Ut hinc ergo ordiamur, hæc Epistola ADVENTO inscripta in antiquis omnibus libris legitur. Quæ si vera est inscriptio, falsum est, quod sequens similiter ADVENTO inscriptum præfert, cum satis constet diversis has duas epistolas ab auctore missas, ac dedicatas fuisse: idque ex fine hujus prioris liquido probari potest his verbis: *collata igitur hac epistola cum ea, quæ auspicium scriptionis facit, intelligis eodem te loco habitum, quo eum, cui laboris nostri summam dedicavimus.* Diversis igitur palam est inscribi debere, cum tamen utramque eidem ADVENTO inscribant libri veteres. Nemo plures vidit, & nullus ex illis, quos vidimus, non ita scriptum habet: nec aliter habent quos alii inspexere. Duas editiones, quod hæc dedicatoria docet, hujus operis auctor edidit. In secunda multa mutavit, inter alia & titulum COLLECTANEORUM: indicemque præterea capitum addidit. Illum indicem *Advento*, sive quis alius est, in hac posteriori editione dedicavit: nam summam totius operis alteri, quem *Adventum* tamen etiam nominant libri, jam dicaverat. Quam Epistolam solam, qua summa operis dedicabatur, quæque scriptionis auspicium faciebat, prior editio habuit. At si liberè licet, id quod res est, suspicari, solam illam Epistolam nomen *Adventi* verè præferre censeam, quod imperiti librarii etiam huic inscripserunt, aliqua etiam fortassean nominis similitudine inducti, cum hæc *Avito*, illa *Advento* esset inscripta. Ut ut est, ex librariorum imperitia, & geminæ editionis confusione, ut infinitos alios in hoc opere errores, ita & hanc inscriptionis turbationem manavisse certum. Nos *Adventum* in utraque retinuimus, ea re permoti magis, quod ita libri omnes haberent, quam quod eos verè ita habere mihi persuaderem. Sed hariolari nostrum non erat. Hanc sibi licentiam ut sumant, fanaticis relinquo. Profecto stulti est de re incerta aliquid certi pronuntiare velle. *Adventus* nomen Romanum est, cujus & apud Herodianum mentio, sed ille Αὔδεντον vocat, Græcorum more, qui *Adventus* est. Sic Αὔδενα in Basilicis & Basilicorum Glossis, est *Advena*. *Antius*, quod in vulgatis legitur, nihil habet

A Romani. *Auctius* Latinum magis esset. Verùm cum nulla exemplaria ita scriptum exhibeant, merito expunximus, & omnium codicum lectionem in ejus locum reposuimus.

Corpusculum sententia mea digestum, ut nosceres, misi.] Sic libri omnes legunt: sic priores editiones aliquot: & Camertis, atque ita omnino legi oportuit, non ut in vulgatis est, *opusculum*. Per *corpusculum* intelligit digestam capitum & in unum corpus collectam seriem, huic editioni secundæ præmissam, & *Advento* B dedicatam. Nam summam operis altera Epistola, quæ scriptionis auspicium facit in priori editione, jam alii dedicaverat. Hæc vero epistola, capitum corpusculo, quo totius dispositionis tenor comprehenditur, præfixa fuit. Quod verba sequentia indicant: *primo quod referendus ad industriam tuam fuit tenor dispositionis*; nam tenor dispositionis totius operis illis capitibus in unum corpusculum digestis continetur. Et in hoc Plinii simiolum egit Solinus, qui magni operis librum primum indicem voluit esse. Hanc igitur Epistolam statim index sequi debuit, sicut nos edidimus. C Cujus indicis cum hac Epistola in quibusdam libris antiquis, nec vola nec vestigium extat, quos ex priore editione constat exemplatos fuisse: siquidem in aliis plerisque habentur, qui ex posteriore & emendata sunt propagati. *Corpusculum* igitur de indice ex multis capitibus constante. Sic *corpusculum* de opere suo dixit Justinus in præfatione: *Et omissis his, quæ nec cognoscendi voluptate jucunda, nec exemplo erant necessaria, breve veluti florum corpusculum feci.* Ut corpus ex multis membris constat, sic Latini *corpus* de opere usurparunt, quod in multas esset digestum partes, plu- D resque libros contineret. Firmicus opus suum de mathesi, quod multis libris explicatur, *corpus* appellat, & singulari libro opponit, lib. IV. cap. XIIII. his verbis: *quæ omnia licet in hoc corpore sparsim dicta sint, specialiter tamen in singulari libro, quem de domino genituræ, atque chronocratore ad Mutinum nostrum scripsimus, & comprehensa sunt & explicata.* Ita enim libri veteres eo loci legunt, *in hoc corpore*: vulgati, *in hoc opere*. Ita *corpus Theodosium* vocatur in Codice Theodosii. Sic *corpus Justinianeum* in Codice. Et *corpus juris* hodieque vo- E camus. Græci σωμάτιον similiter vocant, σωμάτιον ἰλιάδος, & σωμάτιον ὀδυσσείας. Longino περὶ ὕψους. Vide quæ ad Historiam Augustam notavimus.

Erit igitur operi isti titulus, POLYHISTOR.] Hunc titulum emendatæ, & à se recognitæ Editionis esse voluit Solinus, cum prioris COLLECTANEA RERUM MEMORABILIUM, titulus fuerit:

 quem

quem obliterari cum aliis, quæ improbavit in ſecundis curis, ſibi placuiſſe dicit auctor. Scriptores tamen ex veteribus, qui Solini teſtimonio utuntur, ſæpius eum ex *Collectaneis* citant, raro ex *Polyhiſtore*. Priſcianus ferè ſemper in *Memorabilibus*, ſemel tantum in *Collectaneis vel Polyhiſtore*. Diguilus Grammaticus, cujus excerpta ex Solino & Plinio in membranis extant, Solinum in *Collectaneis* ſemper laudat. Variant libri veteres Solini. In quodam ita legitur: SOLINI COLLECTANEA, vel POLYHISTOR, vel MEMORABILIA. Vinetus hunc titulum ex ſuis refert: *Julii Solini Grammatici Polyhiſtor ab ipſo editus & recognitus, de ſitu orbis terrarum, & de ſingulis mirabilibus, quæ in mundo habentur.* Illud notandum *de mirabilibus*; nam & Priſcianus ſemel Solinum in *Admirabilibus* citavit. Exemplaria porro, quæ ex priori editione ſumpta fuerunt, hanc Epigraphen ferè agnoſcunt: COLLECTANEA RERUM MEMORABILIUM. Quæ vero ex recentata & recognita, inſcriptionem ita fermè concipiunt, quemadmodum eam immutavit ipſe Solinus: C. JULII SOLINI POLYHISTOR AB IPSO EDITUS ET RECOGNITUS. Nec dubitamus, quin ita opus ipſe ſuum inſcripſerit; nam priorem editionem priuſquam ſummam manum accepiſſet, interceptam, & proditam verius quam ab ſe editam intelligi voluit. Qui titulum operi ſuo indiderit, POLYHISTOR ex veteribus, quâ Græcis, quâ Latinis ſcriptoribus nunc

A ſcio neminem, multos *Polyhiſtoras* cognominatos ſcio. In Epitome Chronicorum *C. Julius Hyginus Polyhiſtor illuſtris* habetur. Alexandri *Polyhiſtoris* mentio apud Joſephum in antiquitatibus Judaïcis, Stephanum & alios. Appion quoque Alexandrinus cognomento *Polyhiſtor* notus ex Gellio aliiſque. Liber Πολυΐςωρ, ut πανδέκτης.

Nam quem in exordio deſignaveram.] Dicit tantum deſignaſſe, quia priorem editionem videri vult ſeſe inſcio & invito exiiſſe, rudemque etiam tum atque impolitam in medium datam eſſe, priuſquam ſupremam manum illi impoſuiſſet.

Collata igitur hac epiſtola cum ea, quæ auſpicium ſcriptionis facit.] B An non hæc Epiſtola auſpicium ſcriptionis facit? ſanè præcedit, ſequitur altera: ab hac igitur potius, quæ priore loco eſt, auſpicium ſumit ſcriptio, quam ab illa, quæ ſubjicitur. Sed ſcriptionis auſpicium facere ſequentem Epiſtolam ideo dicit auctor, quod operi ipſi præfixa, totius ſcriptionis auſpicium principiumque ſtatuat. Hæc autem licet prior ſit, non tamen ſummæ operis, ſed indicis corpuſculo præmittitur, & dedicatoria eſt non opuſculi ipſius, ſed indicis tantùm. C Ex quibus patet, Indicem capitulorum ab ipſo auctore concinnatum digeſtumque fuiſſe, & huic Epiſtolæ ſubjectum: ut falli eos conſtet, qui dubitant utrum Solinus opus ſuum in capita diviſerit, an librarii. Quod in aliis auctoribus factitarunt.

AD II. EPISTOLAM.



E benevolentia tua nihil temerè præceperim.] Ita correximus pro eo, quod erat in editionibus, *perceperim*, ſuadente ſententia, & librorum conſenſu.

Fermentum cognitionis magis ei ineſſe quam bratteas eloquentiæ,] Eleganter & propriè cognitionem, id eſt doctrinam, fermento comparat; eloquentiam bracteis, & ſic fermentum bracteis opponit: ut doctrinam cognitionemque rerum, ornatui verborum & eloquentiæ. Ita doctrinam ab eloquentia ſeparat Suetonius in Caligula: *C. Eloquentiæ multum attendit doctrinæ parum.* Fermentum maſſam, cui admiſcetur, auctiorem & ὀγκωδεςέραν reddit: brattea vero quibus rebus inlinitur, nihil amplius confert, quam tenue πέταλον & extimæ cutis fucum. Sic rerum cognitio animum alit & inſtruit, eloquentia ornatum tantum præſtat, & levem in verbis nitorem. Hinc *fermentum cognitionis*, & *bratteas eloquentiæ* oppoſitè dixit. Hinc & *bracteata eloquentia* Fulgentio.

Suo quæque ordine redderemus.] Peccant qui legunt, *ſuo quæque ordini redderemus.* Apud hunc ſcriptorem, alioſque optimos Latinitatis auctores *reddere* abſolutè poſitum. Sic infra: *nunc de incolis reddam.* Idem alibi: *nunc de moribus reddam.* Ita paſſim apud alios.

Quod cum primis induſtriæ tuæ inſinuatum velim.] Ita Solinus in hoc Polyhiſtore ab ipſo recognito, pro quibus verbis in priori editione ſic poſuerat: *quod ante omnia demittere in pectus tuum velim.*

Quod intactum ad hoc uſque ævi permaneret.] Ita libri. Ita nos edidimus. Vulgo, *perſeveret.* Prior editio Solini habuit, *quid enim adferre novum poſſimus*, pro his quæ nunc legimus, *quid enim proprium noſtrum eſſe poſſit.*

Si qua ex iſtis ſecus quam opto in animum tuum venerint.] Correxit ita ſeipſum Solinus, cum prius ſcripſiſſet: *ſecus quam opto acceperis.*

Quandoquidem] Libri, *Quoniamquidem.* Et ita ſæpe apud Solinum pro *quandoquidem.*

Poſtpoſitis quæ reliqua ſunt, ante omnia effigiant modum capitis.] Verba iſta, *poſtpoſitis quæ reliqua ſunt*, Codex Regius omnium ſine controverſia optimus, non agnoſcit, & ſanè videntur ex prioris editionis lectione huc intruſa, quæ quidem prior editio ſic habuit: *ſicut ergo qui corporum formas æmulantur, poſtpoſitis quæ reliqua ſunt, effigiant modum capitis.* Quæ in δευτέρᾳ, & hac noſtra

D ἐκ δόσει ita mutavit Solinus: *ſicut ergo qui corporum formas æmulantur, ante omnia effigiant modum capitis.* Nam *ante omnia*, eandem planè ſententiam continet, quam illa, *poſtpoſitis quæ reliqua ſunt.* Sic quod alibi pluries in hoc opere admiſſum eſt, hoc quoque loco utraque lectio in contextum à librariis recepta. Nihil verius.

Nec prius lineas deſtinant in alia membra.] Id eſt, nec prius in alia membra delineanda penicilli ductum deſtinant. *Linea* in pictura, nihil aliud eſt quam penicilli ductus. Monjocoſius, qui de veterum ſcalptura & pictura ingenioſè nonnulla ſcripſit, multis diſputat, *lineas* in pictura, quæ coloribus peragitur & penicillo E exercetur, non dici, nec adeo locum habere, ſed in ſolis monochromatis, quæ ex albo vel nigro ſcribuntur, vulgo vocamus *Crayon*: totamque illam diſputationem adverſus Plinium inſtituit, quaſi, quid linea eſſet in pictura, minus intellexerit. Narrat Plinius lib. XXXV. cap. XIII. Apellem, cum Rhodum adnavigaſſet cognoſcendi Protogenis cauſa, qui ibi agebat, ad ejus domum ventitaſſe, quem cum domi non offendiſſet, arrepto penicillo lineam ex colore duxiſſe ſummæ tenuitatis per tabulam, quæ fortè in machina proſtabat, quamque anus aſſervabat, ut Protogenes ſic F intelligeret à quo quæſitus eſſet: reverſum Protogenem, & lineam contemplatum non dubitaſſe, quin Apelles veniſſet, ipſumque alio colore in eadem illa linea aliam multo ſubtiliorem duxiſſe, eamque poſtea tertio colore ab alia linea ſectam ab Apelle, ſic ut nullum amplius relinqueret ſubtilitati locum. Tabulam illam avide à ſe ſpectatam refert ibidem Plinius, cum miraculo eſſent lineæ pæne viſum effugientes. Negat Monjocoſius lineas dici de coloritia pictura: negat certamen fuiſſe inter Apellem & Protogenem de linearum ſubtilitate; lineas linearumque adeo tenuitatem in pin- G gendo nihil facere, nec neceſſariam eſſe contendit: negatque omnino Plinium vidiſſe quod viderit. Ad ea, quæ ille pluribus & ſubtilius quam verius contendit, paucis ego reſponderim. Primum omnia illa, quæ Plinius in ea hiſtoria narranda perſequutus eſt, ex Græcorum Latinorumque commentariis hauſiſſe, & eorum auctorum, qui non tantum de Pictura ſcripſerunt, ſed & ipſi nobiliſſimi pictores extiterunt, ut Apelles & Melanthius. Quare ſi Plinius erravit, alii ante ipſum ſimiliter erraverint neceſſe eſt. Deinde falſum prorſus eſt, linearum nomen picturæ, quæ coloribus inducitur, minimè convenire. Sanè ſi lineas pictura coloria non habet, nec ulla erunt corporum vultuſque lineamenta

quorum formas pingendi ars æmulatur. Quid enim aliud *lineamentum* quam lineæ ductio? *lineamenta* porro vultus & corporis lineis imitatur & exprimit pictura, quarum aliæ extremitates corporum circumscribunt, quæ extremæ lineæ dicuntur: aliæ media corpora per partes exprimunt, & delineant, quæ interiores & mediæ appellantur. Hinc pictura ipsa *linearis* appellata, quæ primo sine coloribus lineas intus spargebat, postea etiam colores lineis induxit. Primis enim picturæ incunabulis umbram hominis lineis circumducebant, nullas intus lineas ad exprimenda lineamenta ducebant. Plinius lib. xxxv. cap. III. *Græci autem alii Sicyone, alii apud Corinthios repertam, summis umbra hominis lineis circumducta. Itaque talem primam fuisse. Secundam singulis coloribus, & monochromaton dictam postquam operosior inventa erat. Inventam linearem dicunt à Philocle Ægyptio vel Cleanthe Corinthio. Primi exercuere Ardices Corinthius & Telephanes Sicyonius sine ullo etiamnum colore, jam tamen spargentes lineas intus. Ideo & quos pingerent adscribere institutum. Primus invenit eas colorare testa, ut ferunt, trita Cleophantus Corinthius.* Vides *linearem picturam* eam dici, quæ ad hominem exprimendum non solam ejus umbram lineis circumscribit, & adterminat, quod primi picturæ inventores faciebant, sed quæ intus etiam lineas spargens, lineamenta corporea effingit, quæ & initio quidem sine colore absolvebatur, quum & ascribere cogebantur quos pingerent, postea coloribus expedita est, & colorum usu percrebrescente ars perfecta, & iconici homines pingi cœpti. *Linearis* igitur pictura propriè de coloria, & lineæ in eo pingendi genere dictæ tam extremæ, quam internæ. In lineis extremis, & circum cæsura corporum finienda palmam Parrhasio veteres dederunt. Plinius lib. xxxv. cap. x. *primus symmetriam picturæ dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus. Hæc est in pictura summa sublimitas. Corpora enim pingere, & media rerum, est quidem magni operis, sed in quo multi gloriam tulerint. Extrema corporum facere, & desinentis picturæ modum includere, rarum in successu artis invenitur.* Quid in re nota pluribus opus est? linea non est in pictura idem quod in Geometria, sine latitudine longitudo, sed est penicilli ductus, unde *lineamentum*, lineas sive lineamenta vultus & corporis *tractus* appellamus, ut & in pictura. Horatius:

Nulla dies abeat quin linea ducta supersit,

Quod proverbium ex Apelle natum, cui *perpetua consuetudo fuit, nunquam tam occupatam diem agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem.* Γραμμὴν ἕλκειν Græci dicunt de pictoribus: nam & γράφειν, à quo γραμμὴ factum, propriè Græcis pingere est, & γραφεῖς pictores, & γράμμα opus pictum. Inde & *liniare* pro exprimere & effingere Apulejo, lib. x. *quam quidem laciniam curiosulus ventus satis amanter nunc lasciviens reflabat; ut dimota pateret flos ætatulæ: nunc luxurians adspirabat; ut adhærens pressulè membrum voluptatis graphicè liniaret.* Ita omnino legendus ille locus. Vulgo scribunt, *membrorum voluptatem graphicè liciniaret*, & pejus interpretantur, obvelaret. Ventus nunc reflans laciniam tunicæ dimovebat, & pubem Deæ ostendebat: nunc adspirans ita pressulè corpori eam jungebat,

A ut typum & liniamenta membri voluptatis graphicè effingeret. *Membrum voluptatis* illud est, quo fœminæ censentur. *Liniare* igitur verbum pictorum, ut lineæ & lineamenta. Plinius de Veneris Coæ tabula, quam Apelles imperfectam reliquit: *Apelles inchoaverat & aliam Venerem Cois, superaturus etiam illam suam priorem. Invidit mors peracta parte: nec qui succederet operi ad præscripta lineamenta inventus est.* Et alibi: *Illud vero per quam rarum ac memoria dignum etiam suprema opera artificum, imperfectasque tabulas in majori admiratione esse quam perfectas. Quippe in iis lineamenta reliqua, ipsæque cogitationes artificum spectantur.* Quintilianus in

B eadem re exponenda *linearum* nomine usus est, non repertum scilicet, qui præscriptas ab Apelle lineas posset absolvere. Inde *omnibus lineis absolutum opus* de consummatissimo: quod ex pictura tractum. Arnobius de pictura: *quæ pares lineas principali ab ore traducat.* Dioscorides: τὸ δὲ κιννάβαρι τοῦτο κομίζεται μὲν ἀπὸ Λιβύης, πιπράσκεται δὲ πολλοῦ, καὶ τοσοῦτόν ἐστιν, ὡς μόλις ἐξαρκεῖν τοῖς ζωγράφοις εἰς τὴν ἐν ταῖς γραμμαῖς ποικιλίαν. Vides varietatem linearum in pictura coloria dici? ἀκριβῆ διαγραμμίαν Græci etiam appellant, de re per quam scitè & exquisitè picta. Quod autem negat Monjocosius lineam ex colore ductam alia tenuiore linea secari posse, penitus eum ratio fugisse videtur.

C Quis enim nescit delicata & suspensa manu ductum penicillum longè subtiliorem lineam efficere, quam si idem pressiore nisu per tabulam trahatur? Hoc si verum est, quid ni & subtilior linea per minus tenuem duci queat, eamque dividere? Linearum porro subtilitas non tantum requiritur in extremitatibus circumscribendis, sed etiam in multis aliis interioribus lineamentis effigiandis. Qui subtilitatem & minutias capillamenti exactè repræsentari volet pictor, an non linearum tenuitate cum ipso capillo certare opus habebit? nihil sanè tenuius aut delicatius capillo. Jam vero illud quale est, quam frivolum, quod illos pictores non de subtilitate linearum certasse vult, sed de commissuris, & transitu colorum, quem *harmogen* dicebant? Sed nos manum tandem de tabula, ne ultra

D crepidam. Occasione data, non potuimus facere quin Plinium ab inscitiæ & ablepsiæ crimine, quod illi impactum ivit Monjocosius, vindicaremus.

Quod in novum nostrum præconium possit suscitari] aliis libris deest *novum*, aliis *nostrum*. Optimos sequuti sumus, qui exhibent utrumque. Nihil, inquit, reliqui fecerunt auctores, quod suscitare possimus ad novum nostrum præconium, quod ut novum à nobis prædicari laudarique possit. Legebat Delrius: *quod ignotum præconium possit suscitare.* Atque ita li-

E bros veteres habuisse dicit. Nescio quos libros jactet, nullus eorum, quos vidi, ita habuit. In altero Regio legebatur: quod *innotuum*, pro *in novum*: quod fortasse Delrius accepit pro *ignotum*, cum sic liber ejus legeret. Quid sit *ignotum præconium suscitare* planè nescio. Ad oram codicis optimi R. B. hæc varia lectio adscripta erat: *quamvis nihil super ea re reliqui fecerint auctores doctissimi, quod in præconium subitum possit suscitari.* Quam lectionem prioris editionis fuisse non va-

F nè conjecto. At *ignotum præconium* prorsus ineptè. Res ignotæ plerumque præconio notæ fiunt: præconium non est, nec dicitur, si ignotum est.

C A P U T I.

De origine urbis Romæ, & temporibus ejus. De diebus intercalaribus. De genitura hominis, & his, quæ memorabilia in hominibus fuere. De alectorio lapide.



Agina I A. *Romam Græcè Valentiam nominatam.*] Ῥώμη Græcè propriè est *Valentia* Latinè. Nam ἐῤῥῶσθαι est valere. Glossæ: Ῥώμη, *Valentia.* Ita vocarunt *robur* corporis, quod & ipsum ex eadem origine venit. Nam ῥῶμος, & ῥώμη, ἀπὸ τοῦ ῥώεσθαι. Æolicum ῥῶμορ & ῥῶβος, ut βύρμαξ, μύρμαξ. Inde Latinum *robur*. Inde

G etiam dicti Ῥῶμος Ῥωμύλος, ῥῶμος enim vir fortis, ut μῶμος irrisio dicitur, & qui irridet. Μῖμος imitatio & qui imitatur. Sic Ῥῶμος & fortitudo & vir fortis. Latinis *Remus*. Ut *Apello* ὁ Ἀπόλλων: à ῥῶμος Ῥωμύλος, ut à ψεῦδος ψεύδυλος. Unde *Pseudolus* Plautinus. A Φεῖδος Φείδυλος: ab ἧδος ἥδυλος & similia. Inde Latinis priscis *Romulus*. Festus: *Romulus & Remus à virtute, hoc est robore appellati.* Veteres Romani *virtutem* proprie de viribus corporis & robore dixerunt. Ita *virtus* accipitur in versu quodam Ennii apud Nonium. Phædrus:

Virtuti semper prævalet sapientia.

Hyginus in Astronomico Poëtico: *Hegesianax autem Thesea dicit esse, qui Troezene saxum extollere videtur: quod existimatur Ægeus sub eo saxo Ellopium ensem posuisse, & Æthræ Thesei matri prædixisse, ne ante eum Athenas mitteret, quam sua virtute lapide sublato, potuisset gladium patri referre.* Vide quæ ad Hist. Aug. notavimus. Ἀνδρείαν quoque sic vocaverunt, ut Græci etiam ῥώμην. Glossographi Græci ὑγείαν etiam interpretantur, quasi tu dicas *valetudinem* pro *valentia*. Ὑγείαν siquidem pro valentia usurparunt, quum propriè sit valetudo. Hinc ὑγιεινότατοι τῶν γιγάντων Aristoteli & Stephano περὶ ἐθνικῶν in voce μύκονος. Hinc Ῥώμην Æsculapii filiam finxerunt, cui Æsculapio adsestrices & comites Ἰασώ, Ὑγείαν, Πανάκειαν dedere. Ab illa porro Roma Æsculapii filia Romæ urbi nomen impositum tradiderunt, ut Marinus, sive Marianus Lupercaliorum poëta, cujus hi versus, qui apud Servium leguntur ad Eclogam I. ita digerendi sunt & concipiendi:

Roma ante Romulum fuit,
Et ab ea nomen Romulus
Adquisivit ....
Sed diva flava & candida
Roma Æsculapi filia
Novum nomen Latio facit.
Hanc conditricis nomine
Ab ipso omnes Romam vocant.

Hos eosdem versus refert Philargyrius ex Servio, ut apparet, sumptos: nec enim animadvertit verba illa, *Roma ante Romulum fuit*, non esse Servii, sed Mariani versum. Perperam autem, *Settæa flava & candida*, vir doctus, qui versus illos constituere voluit, legisse videtur. Nec enim Roma filia Æsculapii eadem fuit cum illa *Settæa* captiva Trojana, quæ classem Æneæ incendit. Concedamus captivam illam, quod verum est, ab aliis *Romen* vocatam, ab aliis *Settæam*, non tamen una duplex nomen habuit, nec *Settæa Roma* à quoquam est appellitata.

Ut tutissima urbium, arces vocarentur.] Hic Grammaticus *arces* ab Arcadibus vult nominatas, quoniam in excelsa parte montis habitarint Arcades. Quod est ineptissimum & Grammaticale. Nec illi melius, qui ab arcendis hostibus hoc nomen derivant. Ἕρκος Græcè est locus munitus & tutus: inde arx. Sic πόλος, puls: γάλανος pro βάλανος, *glans*. Nam Siculi dicebant ἄρκος: ut ἄρταμις pro ἄρτεμις, & similia. Aut sanè ἄκελς, *arcs*. Nam & ἀκροπόλεις *arces* dicuntur ceteris Græcis. Sic ἀρετὶς, *ars*. Ita Siculi, quæ aliis ἀρετὴ.

Pag. I. B. *Posuisse sedes, struxisse mœnia,*] Scripti omnes: *instruxisse mœnia.* Ex quo bonus Delrius faciebat: *inde struxisse mœnia.* Sed injuriam illi viro faciunt insignitè magnam, qui eum pro critico habent. *Instruxisse* rectum est, nec mutandum. *Instruere* est ἐπικτίζειν, ut inædificare. Inde *instructura* apud veteres rei Agrimensoriæ auctores, ἡ ἐπίκτισις, lapidum nempe structura ad muri vicem pro termino; quod genus terminus *Epictiticus*, & *Epictiticalis* passim in illorum scriptis appellatur. Ita enim ubique corrigendum pro *Epetecticus* & *Epetecticalis*, ut vulgo habetur. Frontinus de coloniis in Foronovanus: *variis autem locis per instructuras, arcas, rivorum vel fluminum cursus: sed & juga montium & supercilia fines servantur.* Instructuræ ibi sunt termini Epictitici, muri scilicet pro terminis ad finiendos agros constructi: quos *finitimos muros* idem alibi vocavit. Faustus & Valerius in fragmentis: *& in aliquibus locis murum de lapide fecimus construere, ex calce & harena, fundamenta cummaxime.* Apud Hyginum in figura picta Epictiticalis termini murum visere est lapidibus constructum triangularem, in trifinio ponendum: ut arcæ erant quadratæ structuræ lapideæ in quadrifinio pro terminis collocandæ, quas *instructas arcas* vocavit Frontinus in voce Carseolis: *in campis vero terminos quadratos, Tiburtinos, spatulas cursorias. Interjectis vero locis per arcas instructas, & monumenta finitur.* Ubi *instructæ arcæ* sunt ex lapidibus ad instar muri structæ. Incertus auctor de limitibus: *Terminus si aliquid fictum habuerit super se, ærum aut plumbum aut stannum Epictiticum, hoc est massatim fabricatum, quod est inter censam centuriæ.* Ita locus ille

A legendus est, qui ex interpreratione *fabricatum* satis ostendit ἐπικτιτικὸν esse scribendum.

Proprium Romæ nomen, & verum magis, quod nunquam in vulgum venit, sed vetitum publicari.] Ita ex scriptis edidimus. Vulgo est tantùm: *traditur etiam proprium Romæ nomen, verum tamen vetitum publicari.* Rem habet ex Plinio lib. III. cap. V. verba ipsa paulum immutavit.

Quominus enuntiaretur.] Editio Camertis: *quominus inclaresceret.* Quam lectionem margini optimi Codicis adpositam reperimus; nec dubium priorem Solini editionem ita habuisse, quod mutavit in secunda; non enim glossa est illud *inclarescere*, sed eo verbo sæpius auctor utitur, pro innotescere.

B Pag. I. C. *Cærimoniarum arcana sanxerunt.*] Plinius: *cujus nomen alterum dicere arcanis cærimoniarum nefas habetur.*

Ob meritum profanæ vocis, neci datum.] Varia lectio ex priori editione: *neci destinatum*: id sic mutatum in posteriore. Plinius: *luitque mox pœnas.*

Sacellum colitur Angeronæ.] Sacellum proprium non habuit Angerona, sed in sacello Volupiæ sacrum ei faciebant Pontifices, cujus & simulacrum in ara Volupiæ collocatum erat. Videndus Macrobius lib. IX. cap. X. Præterea hæc loquutio haud satis adlubescit; C ut *sacellum Angeronæ coli* dicatur pro ipsa Angerona. Nam *sacellum* est locus sacer: & quidem quasi sacra cella, ut quidam imperiti Grammatici pronuntiarunt. Melius videretur, si esset *sacrum colitur Angeronæ.* Sic *Herculei sacri cultor* Poëtæ, & sacra *coli* passim apud Auctores. Unde & *sacricola.* Fuit & cum legendum putarem: *sacello colitur Angerona.* Nunc nihil muto.

Cui sacrificatur ante diem duodecimum Kal. Jan.] Ita loquebantur *ante diem quartum*; *ante diem tertium, ante diem pridie Kalendarum, & Iduum.* Ita & hoc loco scripserat Plinius, quem sequitur Solinus, sed malè apud eum hodie legitur: *namque diva Angerona, cui* D *sacrificatur ad diem* XII. *Kal. Januarii ore obligato, obsignatoque simulacrum habet.* Scripserat Plinius, *A. d.* XII. *Kal.* hoc est, ante diem duodecimum Kalendarum.

Quæ diva præsul silentii istius.] Veteres editiones, & ex scriptis plerique habent, *silentii ipsius*, qua lectione universim silentii præses Angerona significatur. Quo sensu Glossæ *Angeroniam* exponunt, τὴν θεὸν τῆς βουλῆς καὶ καιρῶν. Nam bona consilia nisi tacita sint, plerumque pessima evadunt.

Quippe si resciverint inimici consilium tuum
Tuopte tibi consilio occludunt linguam, & constringunt manus.

E Optimi tamen libri legunt, *istius.* Non omnis enim silentii præses Angerona, sed illius, quo nomen alterum Romæ taceri, tegique religio jubebat; siquidem ob hoc ipsum Angerona dea facta est, & obligato signatoque ore statuta. Plinius: *non alienum videtur inserere hoc loco exemplum religionis antiquæ ob hoc maximè silentium institutæ.* De Angerona loquitur, & de proprio Romæ nomine, quod vulgari nefas erat. Unde & *Angeronam* quidam numen tutelare Romæ esse tradiderunt, cujus etiam nomen ne publicaretur arcanis cærimoniarum erat sancitum, haud minus quam Romæ. F Servius ad Aen. I. 281. *Nam verum nomen ejus numinis quod urbi Romæ præesset, sciri sacrorum lege prohibetur. Quod ausus quidam tribunus plebis enuntiare, in crucem levatus est.* Atque inde dicta *Angerona*, quod quasi angeret & cohiberet os loqui volentium, silentiumque indiceret. Non tamen *Angenora*, ut vult Scaliger, dicenda ab angendo ore, sed simpliciter ab angendo vel angerendo. *Angero* ab ango dicebant veteres, ut *lambero*, à lambo. Inde *Angerona*, vel *Angeronia.* Verrius quasi *Angoroniam* ab angoribus depellendis. Juxta Pli- G nium & Solinum hoc loco, Angerona, diva tantum illius silentii fuit, quod vero nomini urbis Romæ supprimendo debebatur, & cujus tenendi quasi quandam necessitatem denuntiabat Angerona. Glossæ: *ancti*, ἀγαγκασθέντες, ἀγχόμενοι.

Prænexo obsignatoque ore simulacrum habet.] Plinius: *ore obligato obsignatoque simulachrum habet.* Macrobius: *Masurius adjicit simulachrum hujus deæ ore obligato atque signato in ara Volupiæ collocatum.* Sed quomodo signatum, aut quibus vinculis obligatum os Angeronæ in simu-

ſimulacro? digito ſcilicet, quo labris admoto comprimebat os, & quodam quaſi ſigillo ſignabat, & per hoc ἐχεμυθίαν aliis indicebat. Ita etiam Harpocratis ſimulacra fingebantur. Macrobius: *ſunt qui Angeronam, quæ digito ad os admoto ſilentium denuntiat*, non aliter os prænexum habebat quam digito. Hoc erat oris ſignaculum. Theognis

----- *γλώττῃ σφραγὶς ἐπικείσθω.*

Ergo rectè apud Tertullianum emendabamus olim: *idcirco & aditu prius cruciant, diutius initiant cum os ſignant, cum Epoptas ante quinquennium inſtituunt.* Os ſignabant in magnis myſteriis epoptæ, quibus ſilentii neceſſitas indicta. Idem Tertullianus: *ceterum poſt tot ſuſpiria epoptarum, totum ſignaculum linguæ ſimulacrum membri virilis revelatur.* Græcum μύειν, os cohibere & ſignare.

Pag. 1. D. *Aram Hercules, quam voverat, ſi amiſſas boves reperiſſet.*] Multis Camers contendit aram hanc, quam Hercules Jovi Inventori dicavit, repertis bobus & occiſo Caco diverſam eſſe ab illa, quam paulo poſt ſcribit Solinus Herculem ſuo numini ſtatuiſſe & Maximam appellatam eſſe. Fallitur ſanè Camers, nec minus fortean falſus Solinus ipſe. Errat Camers, quod cum rectè cenſeat has diverſas eſſe aras apud Solinum, & utramque ab Hercule diverſis temporibus & locis inſtitutas, unam Jovi Inventori, alteram ſibi, putaverit tamen de hac eadem ara, quàm hîc Solinus intelligit, Livium loqui lib. I. 7. Virgilium Æneid. VIII. 271. Ovidium Faſt. I. Propertium denique eleg. 10. lib. IV. Omnes illi de ara Maxima intellexerunt, quam aut Evander Herculi, aut ipſi ſibi Hercules, ut alii auctores ſunt, cum ſe immortalem fore comperiſſet ex Carmentis vaticinio, conſecravit. Propertius.

Maxima quæ gregibus devota eſt ara repertis,
Ara per has, inquit, Maxima facta manus.

Et hæc ara eſt quam hîc dicit Solinus Herculem voviſſe, ſi boves reperiſſet. Et ſanè auctores non duas aras Maximas, ſed unam tantum memorant, in hoc ſolo diſcrepantes, quod alii Inventori Jovi ab Hercule hanc aram conſecratam, alii ab Evandro Herculi, alii verò ab ipſo Hercule ſibi, ſuóque numini poſitam. Auctor incertus de origine urbis Romæ ex Caſſio: *Tum Recaranus* (qui & idem Hercules. Servius *Caranum* ex Verrio vocat) *ſub Aventino Inventori patri aram dedicavit, appellavitque Maximam, & apud eam decimam ſui pecoris profanavit ſub Aventino.* Ad portam ſcilicet Trigeminam, quæ ſub Aventino fuit. Idem ex libris Pontificalium: *Cum ergo Recaranus ſive Hercules, patri inventori aram Maximam conſecraſſet; duos ex Italiâ, quos eadem ſacra certò ritu adminiſtranda edoceret, adſcivit Potinum & Pinarium.* Malè ergo Onuphrius, qui in XI. Regione urbis, Aram Maximam Herculis, & aram Jovis Inventoris recenſet quaſi diverſas, cum una eademque ſit. Falſus etiam hîc Solinus, qui cum heîc de ara Jovis Inventoris loquutus ſit, paulo poſt addit: *ſuo quoque numini idem Hercules inſtituit aram, quæ Maxima apud Pontifices habetur.* Ad quem locum plura.

Fruſtratus vincula, & unde venerat redux, præſidiis amplioribus.] ita ex libris repoſuimus. Vulgo: *fruſtratus vincula, unde venerat redux, & præſidiis amplioribus occupato circa Vulturnum, & Campaniam regno.* Haud æque benè.

Dum attrectat etiam ea.] Ita noſtri meliores: vulgati: *dum etiam ea attrectare auderet.* Quam prioris editionis eſſe lectionem puto.

Pag. 2. A. *Suo quoque numini Hercules inſtituit aram, quæ Maxima.*] Delrius edidit: *ſuo quoque nomini*, contra anteriorum editionum fidem, & ſcriptorum codicum auctoritatem. Quare hoc illi placuerit neſcio. *Suo numini*, id eſt, ſibi tanquam deo. At *ſuo nomini* minus rectè. Non enim Herculis nomini inſcripta hæc ara, ſed ſimpliciter *Ara Maxima.* Inſcribebantur autem aræ nominibus eorum divorum, quibus erant conſecratæ. Servius ad lib. III. maximi operis: *alii in templo Apollinis aram fuiſſe inſcriptam,* πατρῴου Ἀπόλλωνος. Zoſimus, βωμὸς εὑρέθη ἐν ᾧ γεγράμμαται λιῶ, ᾅδου καὶ Περσεφόνης. Ara Maxima nullius numinis præferebat nomen, inde *Ara Maxima* tantum proſcribitur apud Victorem & Rufum. Sincerum incruſtavit Onuphrius qui *Herculis aram Maximam*, in urbis Romæ deſcriptione

A ſcripſit. Quod ſi Herculis nomen inſcriptum habuiſſet, nemini poterat eſſe dubium, quin Herculi fuerit conſecrata, quum multi ex veteribus Jovi Inventori vel Victori ab Hercule fuiſſe dedicatam dixerint.

Suo quoque numini.] Solinus diverſam hanc aram facit, quam ſibi conſtruxit Hercules, quæque Maxima appellata eſt, ab ea quam ſuprà dicit ab eodem Hercule Jovi Inventori devotam, quod boves amiſſas reperiſſet, cum plerique confundant, & eandem Maximam tradant: alii ab Hercule Jovi Inventori, alii Herculi ipſi ab Evandro conſecratam, alii ab Hercule ſibimetipſi, ſuoque numini. Narrat Ovidius Herculem occiſo Caco, & reciperatis bubus, quos ille
B averterat, Jovi Victori, vel ut alii volunt, Inventori, taurum immolaſſe, convivioque adhibitis agreſtibus cum Evandro, Aram Maximam ſibi conſtituiſſe. Faſtor: I.

Immolat ex illis taurum tibi Juppiter unum
Victor: & Evandrum ruricolaſque vocat.
Conſtituitque ſibi, quæ Maxima dicitur, aram.

Ergo Jovi prius immolavit, quam aram maximam conſtitueret ſibi: ita enim ordo poſtulat, quo utitur Ovidius. Aliàs prius erat aram conſtitui, deinde taurum immolari. Ara igitur illa, ad quam Jovi victori
C taurum immolavit Hercules occiſo Caco, & receptis bubus, alia fuit ab Maxima, & de fortuito, ut par eſt, ceſpite ſtructa. Hæc eſt fortaſſe, quam Jovi Inventori, ſi boves amiſſas reperiſſet, votam ab Hercule, poſtmodumque dedicatam paulo ſupra refert Solinus. Ceteri tamen, ut dixi, occiſo Caco, aram conditam dicatamque ab Hercule, bovemque de grege eximiam ad eam immolatam, primum volunt, quæ Maxima ſit appellata, nec aliam præter hanc memorant: quod narrationi Livii convenit lib. I. & iis, quæ Virgilius Æneid. VIII. refert: nec ab his etiam fortaſſe diſcrepat Ovidius loco, quem ſuperius adduximus, ſi ὕστερον
D πρότερον admittamus, quod non eſt infrequens Poëtis. De loco etiam, ubi ara illa Maxima conſtituta, non uſquequaque auctoribus inter ſe convenire video: Ovidius in foro Boario eam collocat:

Conſtituitque ſibi, quæ Maxima dicitur, aram,
Hic ubi pars urbis de bove nomen habet.

Forum autem Boarium in octava urbis regione. Ceteri Aram Maximam in undecima regione urbis conſtituunt ad Circum Maximum. Ut P. Victor & Sex. Rufus. Servius ad illud Æneid. VIII.

----- *& erit quæ Maxima ſemper.*

Ingens eſt enim ara Herculis, ſicut videmus hodieque poſt januas Circi maximi.] Apud Victorem non longè à por-
E ta Trigemina in XI. regione, quæ Circi maximi eſt, ponitur: *Porta Trigemina. Salinæ. Apollo Cœliſpex. Ædes Portumni. Hercules Olivari. Ara maxima.* Cacum habitaviſſe locum, ubi poſtea Trigemina fuit porta, ſuprà indicavit Solinus, & pæne ſignificavit eodem loco dicatam ab Hercule Inventori Jovi aram, quam eidem voverat, ſi amiſſas boves reperiſſet. *Quippe aram Hercules, quam voverat, ſi amiſſas boves reperiſſet, punito Caco patri Inventori dicavit: qui Cacus habitavit locum, cui Salinæ nomen eſt: ubi Trigemina nunc porta.* Herculis quoque Victoris ædes ad portam Trigeminam fuit, eaque
F diverſa ab altera æde ejuſdem Herculis Victoris, quæ in foro Boario. Macrobius Saturn. III. 6. *Romæ autem Victoris Herculis ædes duæ ſunt; una ad portam Trigeminam, altera in foro boario. Hujus cognomenti cauſam Maſſurius Sabinus Memorialium libro ſecundo aliter exponit.* Perperam apud Macrobium hodie legitur, *hujus commenti.* De cognomento *Victoris* loquitur, cujus cauſam adfert ibi Maſſurius, & *Epitheton* vocatur in ejus verbis à Macrobio citatis. Sex. Rufus: *Ædes Herculis victoris duæ, altera ad portam Trigeminam, altera in*
G *foro Boario parva & rotunda.* An ut duæ ædes Herculis Victoris, ita quoque duæ aræ maximæ, una prope Circum Maximum ad portam Trigeminam, altera in foro Boario? Neutiquam. Nam unam tantum celebrant auctores. Quibus igitur potius credemus? utrum Ovidio, qui in foro Boario eam collocat, an aliis qui ad Circum Maximum? aut quid de Servio dicemus, qui ſua ætate etiam extitiſſe poſt januas Circi Maximi poſitam adfirmat? Sequitur hîc apud Solinum: *conſeptum etiam, intra quod ritus ſacrorum, factis bovicidiis docuit*

cuit Potitios: Hoc sacellum Herculis in foro Boario est. Ex his verbis colligere est aram Maximam non fuisse in foro Boario. Cum enim dicat Herculem sibi aram Maximam constituisse, & ædem etiam, intra quam quo ritu coli vellet, docuerit Potitios, eam autem ædem in foro Boario esse signanter profiteatur, palam est eum intelligere aram Maximam non ibi fuisse, quæ intra ædem illam scilicet non erat. Dionysius non in foro Boario fuisse dicit aram Maximam, sed prope forum boarium: ὁ δὲ βωμὸς ἐφ' οὗ τὰς δεκάτας ἐπέθυσεν Ἡρακλῆς, καλεῖται μὲν ὑπὸ Ῥωμαίων, Μέγιστος, ἔστι δὲ βοαρίας λεγομένης ἀγορᾶς πλησίον. Inter forum boarium, & circum maximum, vicum tantum unum intercessisse, qui velis intendebatur tempore ludorum, scribit alicubi Plutarchus. Sic ara Maxima, quæ post januas Circi maximi fuit, prope forum boarium à Dionysio collocatur. Ædes autem ipsa in foro boario erat. Immo ut duæ ædes Herculis Romæ, altera in foro boario, altera ad portam Trigeminam in regione Circi Maximi, ita & duæ aræ major, & minor. Majorem propriè vocabant *Maximam*. Plutarchus in Quæstionibus Romanis: διὰ τί δυοῖν βωμῶν Ἡρακλέους ὄντων, οὐ μεταλαμβάνουσι γυναῖκες οὐδὲ γεύονται τῶν ἐπὶ τοῦ μείζονος θυομένων; Hinc error Solini, & aliorum, qui confuderunt. Quod enim Camers, superiorem illam aram Jovi Inventori dicatam ab Hercule ad portam Trigeminam statuit, istam autem Maximam in foro boario, fugit eum plane ratio.

Quæ maxima apud Pontifices habetur] Interpretatur Grammaticus, quare Maxima dicta sit ara illa. Nec enim sic dictam vult, quod amplæ & magnæ fuerit structuræ, sed quod maximo in honore haberetur: quæ Dionysii sententia est. In quibusdam libris legitur: *quæ maximè apud Pontifices habetur.* Forte legendum: *quæ maximi apud Pontifices habetur*, hoc est maximi fit, maximi ducitur. Servius ad 8. Æneid. de ara Maxima: *ingens enim est ara Herculis, sicut videmus, hodieque post januas Circi maximi. Alii Maximam ideo dicunt, quia illo tempore omnibus erat honore potior.* Hæc ratio Solino placuit.

Cum se ex Nicostrata immortalem comperisset fore] aliis deest verbum *fore*. Servius: *Hanc aram sibi Hercules, postquam se à matre Evandri Jovis filium esse & immortalem futurum cognovit, statuit.*

Conseptum etiam] *Conseptum* est περίβολος. Glossæ: *conseptum*, περίβολος. Græci περίβολον proprie vocant certum agri modum circum templa vacantem, vitibus aut arboribus consitum & muro clausum, deóque, cujus id templum erat dicatum, & sacerdotum usibus proficientem. Περίβολον τοῦ νεὼ Authores Græci frequenter dicunt. Ælianus lib. XVII. cap. XLVI. Hist. animal. οὐκοῦν ἐν τῷ τοῦ νεὼ περιβόλῳ τιθασοὺς ὄρνιθας πολλοὺς τρέφεσθαί φησι. Sic Latini *Templi conseptum.* Apuleius lib. XI. *ædibusque conductis intra conseptum templi larem temporarium mihi constituo.* Arnobius lib. VI. *Dairas & Immanarchus fratres, in Eleusino consepto, quod civitati subjectum est.* Non illi intra templum sepulti, sed in consepto templi. In Græcis Clementis erat: ἐν τῷ περιβόλῳ τοῦ Ἐλευσινίου, τοῦ ὑπὸ τῇ Ἀκροπόλει, hoc est, in consepto templi Cereris Eleusinæ. Nam τὸ Ἐλευσίνιον est templum Cereris Eleusinæ, ut τὸ Ὀλύμπιον templum Jovis Olympii. At Arnobius reddidit *in consepto Eleusino*, quasi legisset, ἐν τῷ περιβόλῳ τῷ Ἐλευσινίῳ. Vulgo legitur apud Arnobium: *in Eleusinis consepto.* Sed Regius codex habet: *Eleusino.* Quod est pro *Eleusinio* & *Eleusina Ceres.* Aliud igitur templum, aliud templi conseptum. At hoc loco *Conseptum* idem quod templum vel ædes; sequitur enim: *hoc sacellum Herculis in foro boario est.* Ubi *sacellum* vocat quod heîc *conseptum.* Sic περίβολον Græci pro ipso templo plerumque ponunt. Et νεὼν περιβάλλεσθαι est templum inędificare. Alias *sacellum* Latinis etiam pro loco sacro, & clauso, qui tectum non habet, quod proprie *conseptum.* Græci etiam περίβολον dicunt eodem sensu. De quo nos infra.

Factis bovicidiis] *Bovicidia*, βουθυσίαι. *Buthysiæ* vocabulo etiam usus Suetonius. Sic *fordicidia* Varroni de L. L. θυσίαι ἐγκύμονος βοός. Nam fordæ boves gravidæ, αἱ φορᾶδες. Inde enim dictæ. Ταυροβόλια etiam bovicidia, aut tauricidia liceat vetere. Unde *taurobolium* matris deum, quod tauri in ejus sacro cædebantur.

Hoc sacellum Herculis in foro Boario est] Ædem Herculis in foro Boario fuisse suprà notavimus ex P. Victore & Macrobio. Parvam & rotundam eam fuisse docet Victor. Hinc sacellum heîc dicitur Solino. Quidam Codices, & pleræque vetustæ editiones ante Delrianam legebant: *Sacellum Herculis in foro boario est.* Ita prima habet editio, quæ Venetiis prodiit Anno CIↃ CCCCLXXIII. Ita Camers edidit: Ita Vinetus.] Quasi hoc sacellum diversa res sit ab illo consepto, cujus mentio præcessit. Perperam conseptum, hoc est περίβολον de templo, vel æde sacra dici suprà ostendimus. Hujus ædis Herculis, quæ in foro Boario, & miraculi, quo neque muscæ, neque canes in illam intrabant, meminit etiam Plinius lib. X. cap. XXIX. *Romæ in ædem Herculis in foro Boario nec muscæ, nec canes intrant.* Atque inde Solinus habet. Quæri tamen non injuria possit, an hæc ædes Herculis, cujus Plinius & Solinus meminerunt, eadem sit cum æde Herculis cognomento Victoris, quam cum P. Victore Macrobius & Servius in foro Boario fuisse dicunt: cum enim heîc doceat Solinus ædem illam ab ipso Hercule constitutam fuisse, & in ea argumenta convivii & majestatis ipsius remanere, longè recentior esse videtur ædis Herculis Victoris constructio consecratioque, quam ut ad ea tempora referri queat, quibus Hercules in Italiam venit: siquidem longè aliam, ac magis recentem hujus cognomenti causam refert Massurius Sabinus apud Macrobium lib. III. Sat. Is narrat ibi Octavium quemdam Hersennium, cum in mari à prędonibus circumventus, fortissimè pugnasset, victorque recessisset, somnio monitum ab Hercule, quod ipsius opera servatus esset, impetrato à magistratibus loco, ędem ac signum sacravisse, Victoremq; literis incisis appellavisse: *Dedit ergo*, inquit Massurius, *Epitheton deo, quo & argumentum veterum victoriarum Herculis, & commemoratio novæ historiæ, quæ recenti Romano sacro causam dedit, contineretur.* Vide & Servium lib. VIII. Æneidos, ad illa --- *Hæc limina victor,*

Alcides subiit.

Ubi & similiter dicit duas Herculis Victoris ædes Romæ fuisse, unam ad portam Trigeminam, alteram ad forum Boarium, & de Octavio Hersennio eadem habet quæ Macrobius, non nominato tamen Massurio Sabino. Scribit porro Plinius lib. XXXIV. cap. VII. Herculem ab Evandro sacratum in foro Boario, qui *Triumphalis* vocabatur, quique per triumphum amiciri solitus erat habitu triumphali. An idem Triumphalis Hercules cum Victore? uterque sanè in foro Boario. Sed heîc rursus alia auctorum dividia est. Triumphalis ille, quem Plinius in foro Boario locat, hoc est in VIII. urbis regione, à P. Victore statuitur in XI. ad portam Trigeminam. Sic enim ille: *Ara Maxima, Hercules Triumphalis.* Rufus quoque Herculem Triumphalem cum ara Maxima in regione Circi Maximi ponit: *Templum Herculis. Hercules Triumphalis. Circus Maximus. Hercules Olivarius. Ara maxima.* Hanc eandem difficultatem suprà ventilabamus de situ aræ maximæ, quam Ovidius in foro Boario statuisse videtur, cum alii ad Circum Maximum eam locatam fuisse dicant. Illud constat in una eademque regione urbis & Triumphalem Herculem & aram Maximam fuisse sitam. Onuphrius in XI. regione urbis suæ recenset, *templum Herculis Victoris in foro Boario*, sed multis modis fallitur. Primùm nullum templum Herculis Victoris fuit, sed ædes tantum parva, & sacellum. Deinde forum Boarium non in undecima regione Urbis, sed in octava. Postremo Rufus *templum Herculis* in undecima regione, ubi Circus Maximus, nominat tantum, non etiam Victoris. Omnino puto Triumphalem & Victorem fuisse idem cognomentum. Sic *triumphales*, & *victrices* lauros poëtæ dicunt. Cum *triumphalis* igitur, sive *Victor* Hercules, tam in foro Boario, quam ad portam Trigeminam fuerit, facile conciliari sic potest Plinius cum P. Victore. Optimæ membranæ: *Hoc Herculi sacellum.* Herculi pro Herculis: & ita semper apud hunc auctorem. Ἀρχαϊκῶς Herculi, Achilli, Ulissi. Virgilius: ---- *Comes infelicis Ulissi.*

In quo argumenta, & convivii & majestatis ipsius remanent]. Antea legebatur: *& latæ majestatis ipsius.* Nos ex-

expunximus illud *latæ*, auctoribus libris. Petrus Danielus Aurelianensis in libro, quem cum codice manuscripto S. Maximini Mitracensis contulerat, ad oram adnotavit, lectum in eo Codice prius fuisse, *& convivii*, postea eo expuncto repositum, *& conivia*. Ipse legit, *coniæ*. Κονία inquit, certamen: unde *conia* apud Latinos ἀπὸ τοῦ κονίζειν, id est certare. Sed neque κονία apud Græcos certamen significat, neque ad hunc locum quidquam facit. Idem etiam ibidem adnotat Fulgentium in Mythologicis *conubia* & *connivia* dixisse, ubi Apulejum citat. Locus Fulgentii, quem Danielius intelligit, hic est ex libro III. de Psyche, & Cupidine: *denique duabus majoribus quæ erant temperata specie, connubio venere.* Ita hodie locus ille Fulgentii legitur. Danielus qui vetera exemplaria viderat, in iis reperisse videtur: *conubia venere.* Omnino scribendum: *connubia evenere.* Ex Apulejo fabulam Psyches ibi refert Fulgentius, & de duabus Psyches majoribus sororibus loquitur, quæ licet mediocri pulchritudine præditæ maritos tamen invenerant. Vide Apulejum. Nihil illæ *conubia* ad rem, quæ tam istic, quam illic in mendo cubant. Rectum igitur heic est, *& convivii*: Convivium intelligit, quod Hercules post cædem Caci, & repertas boves celebravit, immolato opimo tauro, & ad hoc epulum invitatis agrestibus cum Evandro. Unde postea perpetuæ epulationis mos in sacris Herculis institutus, quæ per Potitios administrabantur.

Etenim cum visceratione m sacricolis daret] Varie lectus est hic locus. In editione Aldina & Conæi legitur: *cum visceratione m sacrificii libaret*: quæ lectio manifestariè falsa est. Peracto sacrificio libabant vinum in aram, non sacrificium aut visceratio sacrificii libari dicebatur. Prima editio Veneta, & ea quam accuravit Vinetus, habent: *visceratione m sacrificii litaret.* Quæ lectio superiore quidem melior, quia magis latina, non verior tamen. *Hostiæ, sacra, exta litari* dicuntur. Virgilius ---- *sacrisque litatis.* Propertius: *Pastor & ad calamos exta litabat ovis.* Justinus: *hostiisque litatis.* Litare proprie est καλλιερεῖν. Antiqui *lutare* dicebant, quod frequentativa forma ἀπὸ τοῦ luere factum est. Sic *optumus, maxumus, lunter*, quæ postea per iota scripta sunt. Varro apud Nonium, ἑκατόμβη ἢ περὶ θυσιῶν: *Habes qui, & cujus rei causa fecerim hecatomben, in quo, ego ut puto, quoniam est luere, solvere, lutavi.* Lutare est solvere. *Luere sacra* & *solvere* dicebant. Servius ad Aen. VIII. *Sub monte Palatino est quædam spelunca, in qua de capro luebatur, id est sacrificabatur: unde Lupercal dictum nonnulli putant.* Ibidem: *sanè hoc sacrum pollutum vocatur, quod populo annis singulis luitur.* Et alibi: *sacra persolvere.* Lutare igitur & luere sacra idem. Homines enim tanquam debitores diis censentur natura, vel lege, vel ex voto proprio, quos propterea quasi omnium bonorum datores ac creditores suos, sacrificiis placant ac propitiant. Hinc *cæremoniarum debita conficere* Arnobio. Quoniam autem, quod in solutum datur à debitore, ut solutio fit, in acceptum ferri debet à creditore, ita nulla lutatio est, sive litatio, hoc est, sacrorum solutio, nisi Dii grata acceptaque habeant, quæ ab hominibus offeruntur. Catullus:

Acceptum face, redditumque votum.

Litant igitur homines Diis, ut debitores creditoribus solvunt. Litantur hostiæ & sacrificia Diis, ut pecunia ac debitum solvitur creditoribus. Virgilius:

---- *Sacrisque litatis.*

Ad quem locum Servius: *Diis litatis debuit dicere. Non enim sacra, sed deos sacris litamus, id est placamus. Ergo nove dixit.* Ineptè: & *sacra litari diis, hostiæque*, dicuntur, ut paulo ante confirmavimus, & *deo litari.* Plinius: *statim ac litatum est illi deo.* Sed & *Dii litari* dicebantur, id est placari, ut *creditores liberari.* Nam *liberare creditorem* in jure dicitur, qui sese liberat à creditore, eumque placat. *Litare* autem & *lutare* propriè est solvere. Sic *liberare sacra* apud Ciceronem olim notavimus pro *libare. Liberare angustias* apud Frontinum, pro liberare se & expedire ab angustiis. Et Hygino *liberare flumen*, est transire. cap. CCLVII. *qui cum duceretur, vix tandem Mœrus liberato flumine, consequitur carnificem.* Petronius: *vix januæ limen liberaveram.* Ubi male edunt *libaveram.* Apulejus lib. IX. dimittit Philesictærum,

A *qui intro limine liberato, securus sui, clausa domo*, &c. Qui locus etiam hodie corruptus editur: dicimus vulgo *franchir*, hoc est, liberare. Simili loquutione, & *oram solvi* dicebantur, quum navem à portu & ora solvebant. Quintilianus: *& oram solventibus benè precemur.* Ita igitur & *liberari creditor*, cui solvitur, & *litari Dii*, quibus luitur sacrificium. Hinc *lutare* vel *litare* est καλλιερεῖν. Ut rectum sit, *hostiam Diis litare*, non tamen *visceratione m sacrificii litare*, hoc loco satis convenit: & causam mox dicam. Delrius postremo edidit: *cum visceratione m sacrificolis daret.* Quod hausisse fatetur è libris. Sanè membranarum optimæ, quas nos vidimus, aut alii viderunt, partim habent *sacriscolis*, partim *sacricollis*. An Delrianæ habuerint *sacrificolis* nescio, illud scio hanc vocem, quam ille in textum admittere ausus est, Latinam non esse. Quid enim est, quæso, *sacrificolus*? Rex sacrificulus Romæ dicebatur, qui ea sacra, quæ Reges facere consueverant, faceret: sed nec multi erant sacrificuli reges, nec illis solis visceratione m dedisse censendus Hercules, qui & Evandrum, & reliquos ruricolas epulo suo & viscerationi adhibuisse dicitur: nec *sacrificolus* pro eo, qui sacra facerct, in cœlo Latino unquam auditus est. *Sacrificum* sane, & *sacrificulum* pro eo, qui sacra facit, & immolat, Latine dici non dubitem; sed eam significationem hic locus non recipit. Nos melius ex vestigiis scripturæ antiquæ restituimus: *cum visceratione m sacricolis daret*, id est, cum epulum daret Evandro & ceteris rusticis, qui sacro interfuerant. *Sacricola*, sacri cultor. Omnes qui sacris faciundis intersunt, *sacricolæ* dici possunt, & ita heic vox hæc accipitur, non de solis sacerdotibus. Ammianus, qui multas ex Solino dictiones, & loquendi genera mutuatus, hanc vocem de Juliano imperatore usurpavit lib. XXII. *Idemque victimarius pro sacricola dicebatur ad crebritatem hostiarum alludentibus multis.* Visceratio autem est epulum vel convivium. Glossæ: *visceratio*, εὐφρασία. Ubi εὐφρασία est epulatio. Græci enim εὐφραίνεσθαι pro epulari dixerunt, Glossæ: εὐφραίνομαι, *lætor, epulor.* Viscerationem sacri Herculei ita expressit Virgilius lib. VIII.

Tunc lecti juvenes certatim, araque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque ministrant,
Vescitur Æneas simul & Trojana juventus
Perpetui tergo bovis, & lustralibus extis.

Servius ad illud VII. Æneid.

---- *populique Latini.*

Qui intererant Albani montis viscerationi. Epulum, quod ex visceribus, id est carnibus immolatarum hostiarum inter sacricolas agitabatur, ita vocabant.

Myagrum deum dicitur imprecatus.] Libri omnes in hujus dei nomine concipiendo mendosi. Plerique habent: *Migarum.* Atque ita etiam vetutissimi & optimi. Camertis editio cum aliis nonnullis: *muscarum deum.* Alii quidam libri: *myagrum*, quo modo edidere Delrius, & Vinetus. At ne id quidem sine vitio. Nam *myagrus* non est muscarum venator deus, sed murium. Legendum itaque: *Mujagrum*, aut *Myjagrum*, hoc est μυίαγρον, non μύαγρον. Putant *Myjoden* Plinio dici lib. XXIX. cap. VI. his verbis: *Nullum animal minus docile existimatur, minorisve intellectus: quo mirabilius est Olympio sacro certamine, nubes earum immolato tauro deo, quem Myjoden vocant, extra territorium id abire.* De muscis loquitur. Is est, quem Ἀπόμυιον Δία vocatum, cultumque apud Eleos tradit Pausanias in Eliacis, ὡς ἐλαύνοντα τῆς Ἠλείας Ὀλυμπίας τὰς μυίας. Sed nihil tam contrariæ significationis, quam μυιώδης & ἀπόμυιος. Μυιώδης, siquidem propriè dicatur locus, quem multitudo muscarum infestat: ἀπόμυιος est muscarum abigeus, quasi ἀπελαύνων τὰς μυίας. Alias ἀπόμυιος esset, qui muscis abstineret, aut quem muscæ non tangerent, ut ἀπίχθυς. Legendum in Plinio puto: *quem Apomyjon Dia vocant*, hoc est, Ἀπόμυιον Δία: Aut etiam, Μυιῶν Δία; id est Jovem muscarum, aut Muscarium: ut Apollo παρνοπίων, & σμινθεύς. Quippe & muscis ipsis Olympiæ ante omnia sacrificari solitum, ut inde abirent, & in posterum molestæ non essent scribit Antiphanes Comicus apud Athenæum his versibus, qui ita in numeros suos restituendi sunt:

---- ὥστε

---- οὗτοι δ' τῶν ἐν τῇ πόλει
Τὰ δεῖπν' ἀφορῶσι, καὶ πέτονται δεξιῶς
Ἐπὶ ταῦτ' ἄκλητοι οἷσιν ἐκ κοινῶν ἔδει
Πορεῖν τροφὴν τὸν δῆμον, ἀεὶ θ' ὡσπερεὶ
Ὀλυμπίασι φασὶ ταῖς μυίαις ποιεῖν,
Βοῦν τοῖς ἀκλήτοις προκατακόπτειν πανταχοῦ.

Licet & μυιώδη retineamus in illo Plinii loco, male tamen docti viri sentiunt, qui hunc Myjoden eundem censent cum Myjagro, cujus mentio lib. x. cap. XXVIII. In vulgatis Plinii exemplaribus hoc modo: *invocant & Ægyptii Ibes suas contra serpentium adventum: & Elei Myjagron Deum muscarum multitudine pestilentiam adferente; quæ protinus intereunt, qua litatum est illi die.* Res in totum diversa. Apud Olympiam Eleam, tempore tantum sacri certaminis, quum Jovi Olympiaco sacra fiebant, Jovi etiam quem Ἀπόμυιον vocabant, sacrificabatur, non ut muscæ interirent, sed ut extra territorium abirent. Hinc Ἀπόμυιος Deus ille indigitabatur, quasi muscarum expulsor. At hîc apud Eleos *Myjagros* deus placabatur, ut muscas internecioni daret, quarum multitudo pestilentiam quotannis regioni adferebat. Non igitur eadem historia potest esse, nec idem dei cognomentum, cujus diversæ sunt potestates, cum alter muscas extinguat, alter expellat. Adde, quod scripta exemplaria Plinii longe magis ostendunt diversitatem, quæ nec *Eleorum*, nec *Myjagri* dei in hoc loco mentionem ullam expressam habent, sed eum ita fermè concipiunt: *invocant & Ægyptii Ibes suas contra serpentium adventum: & evisnysacoren deum.* Ita liber optimus & vetustissimus V. C. Nicolai Rigaltii, & alter Regius legunt: nec ab hac scriptura divertunt, quos alii inspexerunt. Ad oram Regii Codicis adscriptum est pro varia lectione: *Ebeusinu agoren deum.* Unde quidam videntur fecisse: *& Cyrenaici Acorem deum:* quam longè à vestigiis priscæ lectionis: & tamen multi sunt, qui hanc solam veram esse lectionem sibi persuaserunt, atque Acorem Deum, esse τὸν Ἀκκαρῶν θεὸν, Deum Accaranitarum, cujus in sacra scriptura mentio, tam temerè, quàm falso crediderunt. Unde Accaronitarum deus apud Cyrenenses in cultu? Hoc primum, deinde quis *Acorem*, & *Accaron* eundem esse dicat? postremo quis credat Cyrenaicos dixisse pro Cyrenensibus, aut Cyrenæis? Sanè Cyrenaïcis κτητικὸν est, non ἐθνικόν. Cogitent igitur docti homines de vera lectione apud Plinium eo loco. Nam nobis facilius falsas refutare, quam veram indicare. Nihil tamen tentare nocebit. Puto ex vestigiis, ac ductu literarum scripturæ priscæ legi posse: *Elii Myjacoren Deum*, pro illis *evisnysacoren*, hoc est, Ἠλεῖοι τὸν Μυιακόρην vel Μυιοκόρην, Deum scilicet muscarum everritorem ἀπὸ τοῦ καθαίρειν καὶ κορεῖν τὰς μυίας, qui alius est ab illo Jove Ἀπομυίῳ, qui Olympiæ tantum colebatur ad expellendas muscas, quæ tempore sacri certaminis propter sacrificia magna multitudine Olympiam advolabant, quod singulis tantum lustris factitari solebat. At Elii, sive Elidenses quotannis sacra faciebant Deo Μυιακόρῃ, ut muscas exterminaret, quarum multitudo aëris tractum pestilenti spiritu corrumpebat. Regiones autem illas muscis vehementer infestas fuisse, vel inde liceat colligere, quod Arcades Eleis contermini Μύαγρον etiam Deum colerent, ut importuni & improbi animalis molestia liberarentur. Non repugnabo etiam, si quis vulgatam censuerit non mutandam. Nam *Myjagoron*, & *Myjagoren* pro *Myjagron* vitioso & tralatitio scribendi genere obrepsisse videri possit. Alii laurum admordeant, & melius divinent. Illud certum erit quod volebam, Plinium sibi constare, nec eundem Deum alibi *Myjagron*, alibi *Myjoden* appellasse, quæ doctissimi viri sententia fuit. Legendum etiam, est in Plinio loco suprà citato: *quæ protinus intereunt, quam litatum est ei Deo.* Vulgo est: *qua litatum est illi die.* Clemens porro Alexandrinus in Protreptico scribit Romanis Ἀπόμυιον Herculem cultum fuisse, ut apud Eleos in cultu fuit Ἀπόμυιος Juppiter. Nullum tamen isto cognomento Herculem Romæ sacratum fuisse satis constat. Ex facto quidem Hercules ille, qui in foro Boario ædem habeat, Ἀπόμυιος dici potuit, quod in ejus ædem muscæ non intrarent, non tamen ita dictus est; quin

A
& Ἀπόκυων eadem ratione fuerat appellandus; nam nec canes in illud sacellum ingrediebantur.

Pag. 2. B. *Habitaculum Carmentis fuit*] Libri: *Carmente*, quod est pro Carmentæ aut Carmenti. Nam *Carmentis & Carmenta* dicebatur. Sic autem alibi loquitur: *habitaculum Syphaci fuit.* Ita hoc loco: *habitaculum Carmenti fuit.*

Palanteum oppidum] Notat Delrio veteres omnes libros heîc legere *Palantum.* Nescio an plures viderit: hoc scio non illi visos fuisse, quos vidimus, nam omnes habent *Pallanteum* cum duplici labda. Vinetus quoque in suis *Pallanteum* reperit. Virgilius:

B
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.

Nam *Pallas*, unde *Pallanteum* apud Poëtam, avus Evandri fuit. In libro de Origine urbis Romæ: *exædificatis domiciliis in eo monte, quem primo tum illi à Pallante Pallanteum, postea nos Palatium diximus.* Citat idem Delrio Παλάντιον ex Stephano, quasi illud Παλάντιον idem sit cum hoc Pallanteo: sed Παλάντιον ibi apud Stephanum Arcadiæ urbs. Παλάντιον πόλις Ἀρκαδίας, ἀπὸ Πάλαντος ἑνὸς τῶν Λυκάονος παίδων, ὡς Ἡσίοδος. Sed legendum quoque in Stephano, Παλλάντιον, ἀπὸ τοῦ Πάλλαντος. Nam Πάλλας, non Πάλας nomen proprium Græcis.

C
Gigas, quem Minerva occidit, unde & cognomen Palladis accepisse Grammatici volunt, *Pallas* vocatur Apollodoro. Ex quatuor Pandionis filiis, unus Πάλλας dicitur apud eundem lib. III. Ita Evandri avus & filius vocabantur. Παλλάντιος quoque Juppiter Trapezunte colebatur. *Pallanteum* autem hoc loco, & apud Virgilium. Τὸ Παλλάντειον, non τὸ Παλλάντιον.

Quod aliquandiu Aborigines habitatum, propter incommodum] Sic ex libris reponi placuit. Vulgo editur: *quod aliquandiu Aborigines habitarunt, sed propter incommodum vicinæ paludis reliquerunt.*

D
Sunt qui velint à balatibus ovium mutata littera.] καὶ ἀντίστοιχον: Servius VIII. Æneid. *Alii à balatu Balanteum volunt dictum, & exinde per antistoëchon Pallanteum dictum.* Ita legendum. *Per antistoëchon*, id est mutata litera.

Pag. 2. C. *A Palantho Hyperborei filia*] *Palantho* Græcum est ἡ Παλανθώ, non ἡ Παλλαντώ ut vult Scaliger. Φαλάνθη est ἐρίκεροι. Φαλανθὸς, canus vel calvus. Unde σιλπνὸν & φαλανθὸν κάρα Silenorum in Græco scriptore, ubi perperam legitur φίλανθον. Et inde vir doctus in libro de satyra florum amantes Silenos sibi fingit, quasi φίλανθον Græcum esse possit, pro φιλανθές. Φαλανθὸς *calvus.* Unde ἀναφαλανθίας, *recalvus.*

E
Φάλανθος nomen urbis & montis Arcadiæ à Phalanto quodam. Phalanthus ab Hercule octavus cum Partheniis Laconibus Tarentum auxit & habitavit. Vide Servium IV. Georgicῶn. Φαλανθὼ igitur nomen proprium mulieris, ut φάλανθος viri. Paulus Festi abbreviator: *alii quod ibi Hyperborei filia Palanto habitaverit, quæ ex Hercule Latinum peperit.* Notat Antonius Augustinus in veteribus libris legi *Palante*, nos *Palanta* in veterrimo codice scriptum reperimus: quod esset ἡ Φαλανθὼ. Sed quis ille *Hyperboreus* cujus filia *Palantho*, vel *Palanthe?* an nomen pro-

F
prium? an gentile? Dionysius: Ὑπερβορεΐδα κόρην appellat, hoc est ex Hyperboreorum regione: Λαπῖνον δ' ἐκ τινὸς Ὑπερβορεΐδος κόρης, ἣν πατρὸς εἰς ὁμήρειαν δόντος ἐπήγετο. Hyperboreus igitur ille homo fuit ex Hyperboreorum regione. Ita tamen loquuntur Festus & Solinus, quasi nomen esset proprium, quum scribere debuissent, *cujusdam Hyperborei filia.* Apollo *Hyperboreus* colebatur à Scythis. Servius: *secundum Varronem & alios à filia Evandri Palantia ab Hercule vi-*

G
tiata, & postea illic sepulta. Alia causa, & aliud nomen. *Pallantia* ἀπὸ τοῦ Πάλλας. Varro *Pallantiam* hanc uxorem Latini facit, lib. IV. de L. L. *sed hoc alii à Pallanta uxore Latini putarunt.* Nisi quis dicat *Palantham* tam apud Varronem, quàm apud Servium esse legendum, τὴν Φαλάνθην. Nam Varro *Palantham* uxorem Latini esse vult, & filiam Evandri, quam Festus Latini matrem, & Hyperborei filiam. *Palantia* pro Palantha vitiosè scriptum. Scribit autem heîc Solinus Aborigines, cum aliquandiu Pallanteum habitassent, propter incommodum vicinæ paludis, id postea reliquisse, &

& Reate profectos esse: at contrarium planè legitur apud Varronem, Aborigenes nempe ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, venisse & ibi consedisse, ubi Palatium Romæ appellatum est postea.

Marte genitus & Rhea Sylvia, vel ut alii, Marte & Ilia.] Servilia, hoc est Σερβήλεια vocabatur in στυλοπινακίοις Cijziceni templi, quod matri Attali, & Eumenis erat dedicatum, quæ varias anaglyphas historias continebant cum Epigrammatis subjectis. Inter alias unius στυλοπινακίου hæc erat περιοχὴ ἐν ᾗ τῷ ιθ' στυλοπινακίῳ. Ῥῆμος καὶ Ῥωμύλος ἐκ τῆς Ἀμολίου κολάσεως ῥυόμενοι τὴν μητέρα Σερβηλίαν ὄνομα. Ταύτην γὰρ ὁ Ἄρης φθείρας ἐξ αὐτῆς τούτους ἐγέννησεν, καὶ ἐκτεθέντας αὐτοὺς λύκαινα ἔθρεψεν. Ἀνδρωθέντες οὖν τὴν μητέρα τῶν δεσμῶν ἔλυσαν, Ῥώμην δὲ κτίσαντες Νυμήτορι τὴν βασιλείαν ἀποκατέστησαν. Quod nescio an uspiam temerè reperiundum sit. Certè non alibi mihi lectum est.

Dictaque est primum Roma quadrata.] Versus Ennii in fragmentis Festi: *Et qui se sperat Romæ regnare quadratæ.* Ita feliciter restituimus ex vestigiis veteris scripturæ, quæ habet, *& quis est erat.* In membranis scriptis sæpe t & p confundi satis sciunt, qui eas aliquando tractant. Vulgo corrigunt: *Et quis extiterat.* Ceterum dicit hîc Solinus Romam à Romulo conditam, quadratamque dictam fuisse, quod ad æquilibrium foret posita: quibus verbis patet eum intelligere totam urbem Romæ, qualem Romulus condidit, appellatam esse quadratam. Qua in re manifestariè falsus deprehenditur, & ex antiquariis nostris plerique, qui ita senserunt. Nam locus Romæ ita dictus, in Palatino colle à Romulo ædificatus in quadratam speciem munitus, unde & *Roma quadrata*, hoc est, τετράγωνος, est appellatus. Longè igitur errant docti viri, qui scribunt Romam à Romulo quadratam conditam fuisse, & inde cognomen ductum, ut *quadrata Roma* diceretur urbs prima in Palatini montis radicibus pomœrio ducto condita. Sed Solinum, à quo in errorem inducti videntur, corrigere potius, & insectari, quàm sequi debuerunt. Primum locus ille, qui *quadratæ Romæ* nomen habuit, non in radicibus Palatini montis, sed in ipso monte constitutus & munitus. Deinde structus fuit à Romulo, priusquam urbi condendæ duceret sulcum, quum adhuc inter fratres de loco, ubi urbs poneretur, dividia ac certamen esset. Plutarchus, in vita Romuli: Ῥωμύλος μὲν οὖν τὴν καλουμένην Ῥώμην κουαδράτην, ὅπερ ἐστὶ τετράγωνον ἔκτισε, καὶ ἐκεῖνον ἐβούλετο κτίζειν τὸν τόπον. Ῥῶμος δὲ χωρίον τι τοῦ Ἀβεντίνου καρτερόν, ὃ δι' ἐκεῖνον μὲν ὠνομάσθη Ῥεμωρία, νῦν δὲ Ῥιγνάριον καλεῖται. Uterque locus etiam Romæ extabat tempore Victoris, qui in decima regione Urbis, hoc est, in Palatio *Romam quadratam* ponit: in decima tertia, in Aventino *Remuriam.* Fragmenta Festi: *sed & locus in summo Aventino Remoria dicitur, ubi Remus de urbe condenda fuerat auspicatus.* Sic & locus in Palatino monte à Romulo in quadratam speciem structus, unde & ipse de condenda urbe auspicatus est, *Roma quadrata* à Romuli nomine, & forma structuræ. Quare non magis urbs fuit Roma illa quadrata, quam Remuria. Etenim adhuc de urbe condenda, & loco urbis contendebant fratres, quum loca illa alter in Palatino, alter in Aventino monte condiderunt. Post illa, quum contentionem suam avium judicio remisissent, addicentibus & faventibus Romulo avibus, cœpit ille sulcum ducere urbi constituendæ. Idem Plutarchus: Καὶ τοῦ Ῥωμύλου τάφρον ὀρύττοντος, ᾗ τὸ τεῖχος ἔμελλε κυκλοῦσθαι, ὁ Ῥῶμος τὰ μὲν ἐχλεύαζε τῶν ἔργων, τοῖς δὲ ἐμποδὼν ἐγίνετο. Scio Livium scribere lib. I. *Palatinum a Romulo primum, in quo ipse educatus erat, munitum fuisse*, & intelligere illum puto de Roma quadrata, quam in illo monte ædificavit, non de urbe nova Roma, quam auspicato postea condidit, & cui pomœrium addidit. Roma quadrata locus fuit in Palatino monte munitus, non urbs Roma ea figura primum à Romulo posita. Vehementer etiam erravit doctissimus Onuphrius scribens Romulum urbi novæ à se figura quadrata cum tribus portis positæ pomœrium more Etrusco addidisse, *ut auctores sunt*, inquit, *Dionysius, Solinus, Plinius & Plutarchus.* Ut supra vidimus, Plutarchus aperte distinguit Romam quadratam ab urbe, cujus figuram non quadratam fuisse, sed rotundam verba illa satis ostendunt, ᾗ τὸ τεῖχος ἔμελλε κυκλοῦσθαι. Plinius Romæ quadratæ non meminit, sed lib. III. cap. V. scribit, urbem Romam à Romulo cum tribus portis, aut quatuor relictam. Verum illa Roma longe diversa à Roma quadrata, qui locus in Palatino monte fuit. Dionysius porro initio lib. II. ait Romulum Palatium, & Capitolium muris & fossa mœnisse; sed urbem illam eandem fuisse cum Roma quadrata nusquam dicit Dionysius, immo contrarium ex ejus scriptis elucescit. Gellius lib. XIII. cap. XIV. scribit: *antiquissimum pomœrium, quod à Romulo institutum est, Palatini montis radicibus terminabatur.* Nam ille dicit, non aliam constitutam à Romulo Romam præter eam, quæ quadrata dicta est, nec aliud ab eo institutum pomœrium, quæ sententia hujus Solini est. Romulus, quum in Palatino monte locum illum Romæ quadratæ nomine appellitatum mœnivit, non urbem munitionem illam esse voluit, sed urbem in eodem loco condere adversus fratrem contendebat, qui malebat in Aventino. Plutarchus: τὴν καλουμένην Ῥώμην κουαδράτην ἔκτισε, καὶ ἐκεῖνον ἐβούλετο κτίζειν τὸν τόπον. Nondum igitur urbem condiderat, nec pomœrium urbis definiverat. Postquam victor in augurio capiendo fuit, id quod volebat, fecit, & totum Palatinum montem mœnibus, & fossa cinxit. Alii præter Palatinum, etiam Capitolinum fossa, & muris instruxisse volunt: & omnino variæ de pomœrio Romuli veteris auctorum fuere sententiæ. Vide & Tacitum lib. XII. At quod vult Solinus, novam urbem à Romulo conditam, quòd figura quadrata esset, dictam fuisse quadratam, nec aliam urbem à Romulo constitutam, id contra omnium auctorum consensum scripsisse illum judico. Quin & Solini temporibus extabat adhuc in monte Palatino locus ille, cui nomen Romæ quadratæ Romulus imposuerat. Pompejus Festus: *quadrata Roma in Palatio ante templum Apollinis dicitur, ubi reposita sunt, quæ solent boni ominis gratia in urbe condenda adhiberi, quia saxo munitus est initio in speciem quadratam. Ejus loci Ennius meminit, cum ait:*

Et qui se sperat Romæ regnare quadratæ.

Versum Ennii suprà restituimus. De Tatio fortasse loquebatur, qui, cum Capitolium, quod ab initio ceperat, teneret, & Quirinalem collem, etiam Palatini montis, in quo Roma quadrata, & regia Romuli armis se potiturum sperabat. A parte igitur totum montem intellexit poëtarum more.

Quod ad æquilibrium foret posita] Quadrata, inquit, Roma primum appellata, quod ad æquilibrium foret posita. Non unam hæc verba interpretationem admittere videntur posse. Plutarchus Romam quadratam τετράγωνον interpretatur; qua interpretatione quadratam a specie structuræ quadratæ dictam ostendit. Hoc idem sentit Festus, qui in speciem quadratam munitum olim locum illum fuisse scribit. Hos auctores tametsi sequeretur Solinus, *ad æquilibrium positam*, pro quadrata haud scio tamen an accipere possemus. Nec enim ad libram quadraturæ exiguntur, sed ad normam, quam vulgo vocamus *squadram:* demus vero ædificium æqualiter quadrilaterum dici posse *æquilibre*, aut *ad æquilibrium positam*, aliud heîc velle Solinum palam est. Plutarchus & Festus Romam quadratam de loco, quem munivit Romulus, priusquam urbem conderet à forma fabricæ sic appellato posuerunt: Solinus quadratam Romam de urbe ipsa, quam condidit Romulus, accepit. Atqui Romam urbem à forma structuræ, aut positionis quadratam appellari haud poterat dicere, quum sciret omnia oppida apud veteres in rotundo commœniri solita, atque ita Romam ab Romulo septam. Varro lib. IV. *oppida condebant in Latio Etrusco ritu multa, id est, junctis bubus, tauro & vacca interiore aratro circumagebant sulcum.* Et paulo post: *terram unde exscalpserant, fossam vocabant, & introrsum factum murum. Postea quod fiebat orbis, urbs. Quare & oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe & urbo Urbes: & ideo Coloniæ nostræ omnes in literis antiquis scribuntur urbes; quod item conditæ, ut Roma.* Urbes igitur ab orbe, sic Græci πόλεις à voce πόλος, quæ κύκλον significat. Unde & πόλις pro insula Græcis, quod mari circumdatur.

Ita

Ita & Roma condita circumducto in orbem sulco, & mœnibus in rotundum positis. Plutarchus in vita Romuli: καὶ τοῦ Ῥωμύλου τάφρον ὀρύττοντος, ᾗ τὸ τεῖχος ἔμελλε κυκλοῦσθαι. Quocirca ridendi, qui veteris Romæ, qualis Romulo condita est, ichnographiam delinearunt, dum eam quadratam figura exhibent, ut Marlianus. Præterea libramentum, aut æquilibrium nihil ad exæquandas quadraturas pertinebat, sed ad ea, quæ in plano sita sunt, dirigenda, quam libram, aut libellam nos *nivellum* nunc dicimus. Atque ita ipsa Solinus hac voce utitur, infra cap. XXIV. *quod solum in inferiore licet libra depressius, nunquam tamen accessus freti superlabitur.* Ut æquilibrium est, cum libra ita justa dirigitur, ut neutram in partem subsidat, aut levetur, sic in solo *æquilibrium* dicitur, quum planities ita exæquatur, ut nullam partem habeat proclinatam. Vitruvius lib. V. cap. XII. *isque pulvinus exæquata struatur planitie minus quam dimidiæ partis: reliquum, quod est proximè littus, proclinatum latus habeat, deinde ad ipsam aquam, & latera pulvini circiter sesquipedales margines struantur æquilibres ei planitiæ, quæ supra scripta est.* Ita ad æquilibrium positam Romam dicit auctor, quæ in planitia ad libram exæquata esset posita: quæ tamen interpretatio Solini haud scio an voci *quadrata* conveniat: nisi quod quæ inter se conveniunt, & exæquata sunt, *quadrare* dicimus. Præterea cum in monte totam constituat quadratam illam Romam, quomodo ad æquilibrium posita videri queat, non ipse video. *Æquilibrium* itaque usurpasse videtur de quadrangula, & quadrata. Magnam cum in rebus, tum in verbis oscitantiam ubique prodit auctor, ut in sequentibus passim observabimus.

Pag. 2. D. *L. Taruntius*] Membranæ partim, *sicut Arruntius*: partim, *sicut L. Arruntius.* Lege: *sicut Tarruntius.* Græcis Ταῤῥούτιος. Nec propterea Tarrutius Latine efferendum hoc nomen, ut sibi persuadent. Nam Græci Ταῤῥούτιος scribunt, qui Latinis est *Tarruntius*: ut Ὀρτήσιος, qui *Hortensius*: Πούδης, qui *Prudens.* E contrario Latini nominibus, quæ ex Græco sumpserunt, plerumque n addunt. Ut *Thensaurus*, θησαυρός. Et in nominibus propriis *Rhuncus* pro *Rhucus*, qui Græcis Ῥοῖκος. Nævius in carmine belli Punici primo: *inerant signa expressa, quomodo Titani bicorpores, gigantes, magnique Atlantes Rhuncus, atque Purpureus filii Terras.* Rhuncus & Purpureus, Ῥοῖκος καὶ Πορφυρίων.

Jove in piscibus.] Dio in excerptis manuscriptis: ὥρᾳ τῆς Ῥώμης ὅτε Ῥωμύλος ταύτην ἤρξατο κτίζειν, ὥρᾳ δευτέρᾳ περὶ τρίτης ὡς Ταῤῥούτιος ὁ μαθηματικὸς κατεστήριξε, Διὸς μὲν ἰχθύσι, Κρόνου δὲ καὶ Ἀφροδίτης καὶ Ἄρεος καὶ Ἑρμοῦ σκορπίῳ ἡλίου τε ταύρῳ καὶ σελήνης ζυγῷ.

Pag. 2. E. *Septima & vigesima Olympiade.*] Nulla scripturæ diversitas in libris. Ita & Priscianus citat, quomodo tamen hoc stare possit non video. Dicit Tatium anno quinto, postquam ingressus urbem fuerat, à Laurentibus interemptum septima & vigesima Olympiade decessisse. Atqui Tatius urbem ingressus est anno secundo octavæ Olympiadis secundum Eusebium, quibus adde annos quinque, nonæ Olympiadis anno tertio decesserit oportet hic Tatius. Quam longè hoc ab Olympiade septima & vigesima? cujus septimæ & vigesimæ Olympiadis anno secundo Tullum Hostilium regnare cœpisse tradit Dionysius, & Eusebius sub finem sextæ, & vigesimæ. Fortasse, quum vellet dicere, septimo & vigesimo anno Romuli Tatium decessisse: dormitans aut aliud agens Solinus septimam & vigesimam Olympiadem posuit. Nam annus ille ætatis Romuli fermè convenit cum decessu Tatii.

Hominem exivit.] Ita libri, & Priscianus, qui notat, Solinum *exivit* pro *exiit* dixisse. *Hominem exivit*, pro *homine exivit*, *ut exire portam*, *egredi urbem*, & *cutem egredi*, ad Tertulliani Pallium observabamus. Ut heîc *hominem exire*, sic infrà *ex homine decedere*, quæ eadem est loquutio.

Obiit Olympiade quinta & trigesima.] Libri: *quinta & XL. id est*, quinta & quadragesima: malè.

Pag. 2. F. *Servius Tullius Esquiliis suprà clivum Urbicum.*] Libri plerique: *Servius Tullius Esquilinus suprà clivum Urbium.* Forte: *Servius Tullius Esquilino suprà clivum urbium*, Id est, in Esquilino monte habitavit.

A Ex Principio vocis sequentis sigma adhæsit ad finem præcedentis. In aliis: *Esquilinius.* Et ita infrà: *Tarquinius superbus, & ipse Esquilinius.* Forte scribendum *Esquilinis.* Nam Esquiliæ montes plures. Varro: *Esquiliæ duo montes habiti, quod pars Cispius mons suo antiquo nomine etiam in sacris appellatur.* Omnes autem libri heîc habent, *suprà clivum Urbium*, non *Urbicum*, ut editum est. Camertis Editio & Frobenii in textu legunt, *clivum Olbium*, ad oram notant, alias legi, *Urbicum.*

Cincio.] Perperam in Delriana, & Vineti editio-
B nibus: *Cintio.*

Pag. 2. G. *Invenimus Olympiade septima incipiente Romam conditam.*] Onuphrius in urbe Roma Solinum inter eos auctores recenset, qui Olympiadis sextæ anno quarto Romam conditam scripsere, cum aperte heîc profiteatur sese existimare collatis Romanis & Græcorum temporibus, eam anno primo Olympiadis septimæ conditam fuisse: & perperam etiam ibidem notat, Lutatio & Eratostheni placere Olympiadis septimæ anno primo conditam, cum anno tantum secundo illi voluerint, ut Solinus heîc testatur.

Iphitus filius ejus instauravit.] Ita Delriana editio cum
C aliis plerisque omnino mendosè. Rectè Vinetus: *Iphitus Eleus*, quomodo & in optimis exemplaribus scriptum inveni. Delrius, qui *Iphitus* pro *Iphiclus*, quod anteriores editiones occupabat, reposuit, alterum item corrigere debuit, æque enim falsum de Iphito Herculis filio, ac de Iphiclo. Iphitus Ἡρακλείδης, non Herculis filius. Fragmentum à Scaligero editum, περὶ θέσεως τοῦ ἀγῶνος τῶν Ὀλυμπίων: μεθ' ὃν Πέλοπα εἰς λιμὴν τῷ Πατρίῳ Διὶ ἀγαγεῖν, εἶτα Ἡρακλέα τὸν Ἀλκμήνης καὶ Διός, ἀφ' οὗ γενεὰς δέκα τυγχάνειν, οἱ δὲ τὰς τελείας τρεῖς φασὶν ἐπὶ Ἴφιτον τὸν ἀνανεωσάμενον τὸν ἀγῶνα. Τοῦτον γὰρ Ἠλεῖον ὄντα καὶ
D περινοούμενον τῆς Ἑλλάδος, &c. Notandum, quod ait decem γενεὰς ab Hercule ad Iphitum, aut tres secundum alios intercessisse. Sed verius illi, qui decem ponebant. Etenim Iphitus Eleus certamen illud Olympicum cum Lycurgo Lacedæmonio cognato suo instauravit, uterque autem ex descendentibus ab Hercule. Idem fragmentum: τούτου χάριν Ἴφιτος, ἀπήγγειλε τὴν ἐκεχειρίαν, καὶ τὸν ἀγῶνα ἐπετέλεσε σὺν Λυκούργῳ τῷ Λακεδαιμονίῳ συγγενεῖ τυγχάνοντι. Ἀμφότεροι γὰρ ἀφ' Ἡρακλέους. At Lycurgus ille decimus ab Hercule fuit, hoc modo: Hercules habuit Hyllum, Hyllus Cleodæum, Cleodæus Aristomachum, Aristomachus Aristodemum,
E Aristodemus Proclem, Procles Sosum, Sosus Europum, Europus Prytanin, Prytanis Lycurgum, qui Lycurgus Iphiti συγγενής. Quem Iphitum verisimile est non propriore gradu contigisse ultimum generis auctorem Herculem, quàm Lycurgum. Phlegon Trallianus περὶ Ὀλυμπίων: Ἴφιτος ὁ Αἵμονος, ὡς δὲ ἔνιοι Πραξωνίδου ἑνὸς τῶν ἀπὸ Ἡρακλέους, Ἠλεῖος. Sic decem γενεαὶ ab Hercule ad Iphitum, tantum abest ut Iphitus Herculis filius fuerit. Quidam etiam Codices heîc habebant, *Picus filius ejus.*

Pag. 3. A. *Quadringentos annos & triginta tres.*] Ita libri. Inter exortum urbis, & Trojæ excidium nume-
F rat annos quadringentos & triginta tres: Romam conditam septima Olympiade incipiente asserit; si sex medias Olympiadas tollas, hoc est annos viginti quatuor, ab excidio Trojæ ad Olympiadem primam erunt anni secundum Solinum CCCCIX. Alii aliter hoc intervallum definiunt. Hieronymus, CCCCV. Eusebius, CCCCVI. Diodorus annis, CCCCVIII. Quod proprius ad Solini numerum accedit. In schedis Palatinis habetur: *quadringentos annos, & triginta duos*: qui numerus planè concinit sententiæ Diodori. Atque ita omnino heîc scribendum.

Et Q. Verannius Nepos.] Illud *Nepos* addidit de suo
G Delrius, cum eo careant omnes libri. Addit rationem ineptam & falsam: si Pompejo inquit, cognomen adposuit, cur non, & Verannio? quasi vero hoc sit necesse: & quasi auctores in paribus Consulum ponendis semper illis cognomina adjungant. Atqui nec prænomen quidem huic Verannio plerique libri veteres addunt, qui habent: *C. Pompejus Gallus & Veranius.* Ita Palatini. In reliquis: *& Quintus Veranius.*

Tacitus lib. XII. in hoc pari consulum, neutri cognomen dedit. Sic Suetonius de Augusto: *natus est M. Tullio Cicerone & Antonio Coss.* Hic *Antonius* vocabatur, *C. Antonius Nepos.* Sic alii passim loquuntur.

De quibus septima Olympiade.] Mirum in plerisque editionibus ita reperiri excusum, quum falsissima hæc sit lectio. In Camertiana legitur: *quibus se prima Olympiadis*, in Vineti: *quibus septima Olympiade.* Omnes pessimè: transponenda tantum verba sunt: *quibus de septima Olympiade adnectendus primus est annus.* Dicit octingentis viginti quatuor annis, qui ab Olympiade prima ad consulatum C. Pompeii & Q. Veranii intercessere, quorum in consulatu numerata est Olympias septima & ducentesima, de septima Olympiade primum annum, quo Roma condita est, adnectendum esse, ut in solido colligantur anni octingenti viginti quinque. Miror hoc tantillum non vidisse Delrium: immo non miror, quid enim ille vidit?

Pag. 3. B. *In qua regnatum est annis ducentis quadraginta tribus.*] Florus noster: *prima ætas sub regibus fuit, prope ducentos quinquaginta per annos, quibus circum ipsam matrem suam cum finitimis luctatus est.* Dicit *prope*, nec enim in solido ducenti quinquaginta.

Pag. 3. C. *Consul Augustus creatus est nonum decimum annum agens.*] Sic edidit Delrius ille, quasi ex libris. Quod ad Suetonii traditionem, inquit, propius accedit, qui de Augusto agens scribit eum vigesimo ætatis anno consulatum invasisse. Οὐδὲν ὑγιές. Omnes libri scripti, quos habuimus, omnes editiones uno consensu legunt, *decimum octavum annum agens.* Falsum tamen est, Augustum octavo decimo anno consulem factum esse. Nam, ut scribit Suetonius, annum vigesimum agens consulatum invasit. Ergo falsum etiam de nono decimo. Natus quippe Augustus M. Tullio Cicerone & Antonio Coss. anno urbis conditæ DCXCI. Creatus ipse consul post mortem Pansæ & Hirtii, Anno urbis conditæ DCCXII. Quare & mirum illud genus loquendi hoc loco, quo Solinus utitur, Augustum consulem creatum fuisse consulatu Hirtii & Pansæ: quasi dicas Hirtio & Pansa Coss. factum esse consulem Augustum. Quid ineptius? scio quid possit opponi de suffecto consule: unde ille jocus Ciceronis, *hoc consequutum esse Revilium, ut quæreretur, quibus consulibus consul fuerit.* Sed malim heic legere: *quorum a consulatu*, id est, post quorum consulatum. Immo totum hunc sic legerim, ac distinxerim: *quorum consulatu Cæsar Augustus est consul creatus: qui decimum octavum annum agens ita imperium ingressus est*, &c. Augusti imperii initium ab anno Julianæ cædis cum aliis quampluribus deducere videtur, qui erat annus Urbis decimus & septingentesimus, ætatis verò Augusti decimus octavus. Nam Cajus Cæsar Idibus Juliis occisus est: Augustus IX Kalendas Octobris ejusdem anni ingressus est nonum & decimum ætatis suæ. Alii Augustum iniisse principatum tum demum volunt, quum Lepidi & Antonii arma in ipsum cessere, quo tempore remp. civilibus discordiis fessam sub nomine principis cepit regendam.

Ne inerti justitio languerent opera virt.] Reposuimus ex libris: *Langueret opera virtutis*, quod vel ex conjectura reponendum fuerat. *Opera virtutis*, id est, opera, quæ virtuti datur, ἡ περὶ τὴν ἀρετὴν σπουδή. Τὰ opera virtutis sunt τὰ ἔργα, acta ipsa τοῦ ἐναρέτου, quæ languescere dici non possunt. At languet opera virtutis, cum rari sunt, qui in virtute colenda operam suam ac studium ponant. Rectè, *inerti justitio*: & eleganter Glossæ: *justitium*, ἀπραξία, quod interpretamentum huic loco unicè convenit. Aliud est in aliis Glossis: *Justidium*, ἀρχοντικὴ ἡμέρα. *Justidium* sunt justi dies, quibus jus reddere licet. At *justitium*, quum jura stant, ac silent, quod verbi sic factum est ut *solstitium*. Igitur legendum: *ne langueret opera virtutis*: ne studium & exercitium virtutis jaceret.

Tunc ergo primum cursus anni.] Novum heic caput incipiunt editiones, *de divisionibus anni, & diebus intercalaribus.* Nos ex librorum auctoritate aliter hæc ordinavimus.

Quia apud Ægyptios.] Lege: *incerto modo annum computabant: qui apud Ægyptios quatuor mensibus terminabatur.* Perperam in omnibus excusis, *quia.* Plinius non quatuor mensibus Ægyptios annum terminasse, ut heîc Solinus, sed Lunæ senio, hoc est mensis spatio definivisse tradit: aliunde hæc igitur Solinus quam ex Plinii scriptis hausit. Censorinus antiquissimum Ægyptiorum annum bimenstrem fuisse asserit, alii, ut Plinius, menstruum, lib. VII. cap. XLVIII. Quo loco narrat ex hac annorum diversitate, & temporum inscitia factum, ut aliqui singula millia annorum vixisse existimati sint. Inter alia scribit: *Xenophon in Periplo maritimorum regem CCCCCC vixisse, atque, ut parcè mentitus, filium ejus octingentis.* Quis ille Rex maritimorum? Libri scripti habent: *in Petriplu Lutmiorum insulæ regem.* Omnino legendum: *Xenophon in Periplu Latmiorum insulæ regem.* Et corrigendus similiter in hac eadem historia Valerius lib. VIII. c. XIII. *Sed multo liberalius Xenophon, cujus περίπλους legitur, insulæ enim Lachmiorum regem octingentis vitæ annis donavit. Ac ne pater ejus parum benignè acceptus videretur, ei quoque sexcentos assignavit annos.* Ita edidit Pighius. Vulgo erat: *Latinorum regem.* Lege: *Latmiorum.* Sic *Cypriorum insulam* alibi dixit Plinius. *Latmus* vel urbs, vel insula, unde sinus *Latmicus.* Strabo urbem cum portu dicit à vicino monte sic appellatam. Mirum verò Plinium, & Valerium, cum ex eodem hauserint fonte, tam diversa prodere. Plinius ex Xenophonte refert Latmiorum regem sexcentis annis vixisse, filium octingentis. Valerius eundem laudans auctorem tradit regem Latmiorum octingentos vixisse annos, patrem verò ejus sexcentos. Utri fidem arbitrabimur? fieri potest ut uterque verum dixerit, hoc modo. Qui Plinio rex est insulæ Latmiorum, is Valerio pater est regis: & quem Plinius filium regis vocat, Valerius regem facit Latmiorum insulæ. Neuter falsus est. Nam pater & filius reges fuere illius insulæ. Atque hæc obiter.

Pag. 3. D. *In Italiâ apud Lavinios.*] Nullus ex nostris præfert, *Latinos*, ut in suo fuisse monet Delrius. Censorinus de die natali cap. XX. *Nam ut alium Ferentini, alium Lavinii, itemque Albani, vel Romani habuerunt annum, ita & aliæ gentes.*

Adeo, ut ejus die prima de aris Vestalibus accenderent ignes.] Ovidius Fast. III. hoc eodem argumento, ut ostendat veteres Romanos annum à mense Martio auspicatos esse:

Adde, quod arcana fieri novus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Fortean & apud hunc Solinum vox *novos* deest: *de aris Vestalibus novos accenderent ignes.* Novabatur enim ignis in ara Vestali. Macrobius, qui habet ex Solino: *Hujus etiam die prima in ignem novum Vestæ aris accendebant.* Ut pateat eum heic legisse: *de aris Vestæ novos accenderent ignes.* Ex *Vestæ novus*, quod videtur in libris fuisse, fecerunt *Vestalibus.* Quæ vox huic loco necessaria est; nec enim ignis in ara Vestæ accendebatur, cum ante non fuisset, sed de vetere novus fiebat.

Mutarent veteribus virides laureas.] Sic libri ferè omnes tam editi quam scripti. At contra est: nam viridibus, & novis mutabantur veteres Laureæ. Rectè mutavit Delrius, πολλάκι καὶ κηπουρὸς ἀνήρ. Posset tamen legi minori mutatione: *mutarent veteres viridibus laureas.* Ovidius.

Laurea Flaminibus quæ toto perstitit anno
Tollitur, & frondes sunt in honore novæ.

Etenim & in domibus Flaminum, & in curiis, & in regia novæ laureæ illo die ponebantur. Sed Solinus videtur heîc de laureis tantum aræ Vestalis intellexisse, quæ & novis laureis tunc velabatur. Ovidius:

Vesta quoque ut niteat folio velata recenti,
Cedit ab Iliacis laurea cana focis.

Ut honore promptius obsequium provocarent.] Liber I. Petavii senatoris Parisiensis, quem vidit v. c. Josias Mercerus, habuit, *ut per honores.* Atque ita in libro Delrii fuit. Optimus Regius & reliqui nostri, *honore.* Quod confirmat Macrobius, qui hunc locum expressit: *ita ut principio anni ad promptum obsequium honore servos provocarent.* Illa itaque varietas, *per honores*, ex προεκδόσεως videtur manasse.

Hi, quasi gratiam repensarent perfecti laboris.] Macrobius: *hi quasi gratiam perfecti operis exsolverent.* Ita legendum in Macrobio, ubi perperam habetur hodie: *hi quia.*

B Maximè

A *Maximè hunc mensem principem testantur fuisse, quod.*] Quinam hoc testantur? omnino legendum fuit, ut edi jussimus: *Maximeque hoc mensem testatur fuisse, quod, qui ab hoc quintus erat, Quintilis dictus est.* Id scilicet testatur fuisse, quod Quintilis vocabatur, qui ab hoc quintus. Macrobius: *quem mensem anni primum fuisse vel ex hoc maxime probatur, quod ab ipso Quintilis quintus est.*

Pag. 3. E. *December sollemnem circuitum finiebat.*] Περίοδον κύκλον. Nos ita edidimus ex libris. Vulgo erat: *sollemnem circum.* Etsi sciam *circulum*, parvum κύκλον à principali *circus* ὑποκορίζεσθαι, & *circare* τὸ κυκλοῦν, verbum ab eodem, non tamen Latini *cir-
B cum* de quolibet circulo temerè usurpant, sed de illo spatio, in quo celebrantur circenses, quem ἱππόδρομον, & ἱππικὸν dicunt Græci. Glossæ: *circus*, κύκλος ἐν ᾧ ἱπποδρομίαι γίνονται, Apollonius Rhodius: καὶ εὐρέα κύκλον ἀγῶνος. Circum intelligit, hoc est ἱππόδρομον. At nullus liber *circum* heîc legit, omnes *circuitum.* Schedæ etiam Palatinæ, *circitem.* Quod retineri heîc posset, & fortassean ita in sua προεκδόσει scripserit Solinus. Sic vocantur majores circuli. Varro: *Tempus, à bruma ad brumam dum sol redit, vocatur annus: quod ut parvi circuli annuli, sic magni dicebantur circites anni.* Non otiosa ibi vox est *circites*, nec delenda, ut censet
C vir magnus. Noluit dicere Varro magnos circulos, quia vox circulus diminutivam habet, non auctivam significationem. Falluntur & qui reponunt *circi* pro circitibus. Nam *circos* Latini in eo significatu non ponunt. Hinc *circitellus*, vel *circitillus* circulus, quem superponit capiti, qui aliquid laturus est in capite. Perperam *cesticillus* legitur apud Paulum breviatorem Festi.

Quatuor reliqui tricenis, & singulis expedirentur.] Sic Delriana, cum retro editiones habuissent, *explicarentur.* Delrianam sequutus sum, quod ita in pluribus reperissem. In vetustissimo tamen Petri
D Danielis exemplari scriptum erat, *expedirentur*, & suprà eadem manu, *expertirentur*: quod verbi in schedis Palatinis planè, & expressè scriptum offendimus, cum hac nota ad marginem, *id est expedirentur.* An verbo *expertiri* usus est Solinus pro *impertiri*? Sic sanè *explere* & *implere* idem ferè significant. Sic idem Solinus *expersus* infrà dixit pro *inspersus.* Sic *expers* cum ἄπειρον, tum ἔμπειρον designabat. Glossæ: *expers*, ἄπειρος ἢ ἔμπειρος. Hoc propemodum probare ausim. Nam vulgata lectio haud satis placet. Quippe magis expediti videantur menses illi, qui paucioribus diebus absoluti.

Eosque quinquaginta istis & uni adjunxerunt.] Ita Del-
E rius. In Regio: *quinquaginta istis & uno diebus adjuncxerunt.* Et ad oram: *adnexuerunt.* Quod in aliis libris, & quibusdam editionibus in contextum receptum est. Quæ varia lectio ex προεκδόσει. Sic suprà loquutus est: *quibus de septima Olympiade adnectendus est primus annus.* *Uno* pro *uni* ἀρχαϊκὸν tralatitium est. *Adjuncxerunt* autem in optimo illo libro scriptum, ut *sancxerunt* suprà. Atque ita passim. Quam scripturam in antiquissimo libro Arnobii multis in locis notavimus: *uncxerunt*, *sancxerunt*, & *Cincxiam* pro *Cinxia* hoc loco lib. VI. *Ramum pro Cincxia Thespios, lignum Carios pro Diana indolatum.* Vulgo est: *procinxia.* Error, ut dixi, ortus ex
F illa scribendi consuetudine, quæ in veteribus inscriptionibus frequens occurrit.

Alter XXVIII *dies detinebat.*] Ita libri. Vulgo: *continebat.* Ita infrà: *quo pacto regradati menses stata ordinis sui tempora detinerent.* Regius Codex ad oram notat variam lectionem: *diebus agebantur*, pro *dies detinebant*: quod ita nimirum haberet προέκδοσις. Sic suprà annum diebus ferri dixit: *quorum annus trecentis septuaginta & quatuor diebus ferebatur.* Sic Græci ἐλαυνομένους μῆνας, ἐνιαυτοὺς, & περιπλομένους dicunt.

Pag. 3. F. *Quadrantem illum & decem dies addiderunt.*] Quinam addiderunt? de Romanis loquitur, & de eo-
G rum anno, qualis à Numa institutus, aut restitutus potius fuit. Annus ille, ut ipse hoc loco tradit Solinus, dies habuit quinque & quinquaginta, & trecentos. At quia Sol cursum suum diebus trecentis sexaginta quinque, accedente insuper quarta diei parte, ut exæquarent tunc annum cum solis cursu, dicit eos adjecisse dies decem, & illum quadrantem. Quod falsum est; quid enim opus fuisset Cæsaris reformatione, si tunc id, quod deerat ad solis cursum, anno suo recta intercalatione addidissent? Non igitur decem dies & quadrantem tunc addiderunt, ut ad liquidum annus CCCLXV diebus, & quadrante constaret, sed alternis annis modo viginti duo, modo viginti tres dies intercalabant, hoc est singulis annis alternatim undecim & duodecim, quo pacto civiles anni majores erant naturalibus. Quod delictum primus Cæsar correxit. Nugatur heîc Solinus, quod illi solemne.

Pag. 3. G. *Græci singulis annis* XI *dies & quadrantem detrahebant.*] Immo non detrahebant, sed quum anno lunari uterentur, qui Solari minor est diebus undecim, & quadrante, ut civilem annum ad naturalem exæquarent, undecim illos dies & quadrantem, qui deerant, octies multiplicatos principio noni cujusque anni, aut in fine octavi intercalabant.

Diis superis, & Januarius dicatur, & Martius: propter pares Februarius.] Ita nos ex libris. Macrobius: *sed solus Februarius viginti & octo retinuit dies: quasi inferis & deminutio, & par numerus conveniret.* Censorinus cap. XX. *atque ita omnes menses pleni, & impari dierum numero esse cœperunt, excepto Februario qui, solus cavus, & ob hoc ceteris infaustior est habitus.* Cavum, id est κενὸν hunc mensem vocant propter paris numeri ναστότητα. Græci: ὁ δύο ἀριθμὸς οὐ καθαρὸς πρῶτον μὲν ὅτι κενός ἐστι καὶ οὐ ναστὸς, τόδε μὴ πλῆρες οὐ καθαρόν. Joannes Lydus de deminutione Februarii mensis: τὸν Φεβρουάριον ἐπίτηδες, φασὶ τοὺς Τούσκους ἐλαττῶσαι, ἐπειδὴ ταῖς τῶν καταχθονίων ἑορταῖς φαίνεται πρὸς τοὔνομα προσχωρηθεὶς, καὶ οὐ θεμιτὸν ἦν ἴσα τοῖς οὐρανίοις αὐτὸν τιμᾶσθαι. Οὐρανίους menses vocat, qui diis superis dicati. Hujus ἐλαττώσεως, sive κολοβώσεως aliam causam, eamque miram reperi in excerptis Dionis manuscriptis: Φεβρουάριος φθονήσας Καμίλλῳ μελέτην τυραννίδος αὐτοῦ κατηγόρησε, τοῦ δὲ διωχθέντος καὶ αὖθις καθόδου τυχόντος οἷς πολιορκουμένῃ τῇ πατρίδι κατὰ τὴν φυγὴν ἐβοήθησεν, εἰς δὲ ἔτασιν Φεβρουάριος ἄγεται καὶ διώκεται, Κάμιλλος δὲ καὶ τὸν ἐπώνυμον αὐτοῦ μῆνα παρὰ τοὺς ἄλλους κολόβωσε.

Quasi ominosus.] Vinctus edidit: *quasi abominosus.* Atque ita in aliis editionibus præter Delrianam. Quam lectionem inscitia procudit, quasi *ominosus* non esset ἀπαίσιος, & mali ominis. At abominosus Latinum non est.

Cum itaque hæc definitio toto orbe placuisset.] Sic edidimus cum antiquis. Vulgo est: *toto orbi.*

Eosque octies multiplicatos in annum nonum reservabant.] In Palatinis Schedis legitur, *referebant*: & ad oram: *reservabant.* Altera lectio ex προεκδόσει. Macrobius non in nonum annum relatos, aut reservatos hos dies, sed octavo quoque anno insertos scribit: intercalares stata ratione commenti sunt: *ita ut octavo quoque anno nonaginta dies, ex quibus tres menses tricenûm dierum composuerunt, intercalarent.* At Solinus nono quoque anno. Idem tamen uterque auctor dicit. Macrobius ex Glaucippo refert illos dies ab Atheniensibus ad finem octavi cujusque anni confecto ultimo mense fuisse intercalatos. Solinus, qui alium sequitur auctorem, ad principium noni anni relatos vult.

Quos ἐμβολισμοὺς, vel ὑπερβάλλοντας nominabant.] Inepta lectio & falsa. Nec enim Græcum, dies aut mensis ἐμβολισμός. Quæ vox intercalationem potius significat, quam diem, aut mensem intercalarem. Ita tamen libri. Regius habet supra scriptum: *vel embolema.* Omnino scribendum: *quos ἐμβολίμους, vel ὑπερβάλλοντας nominant.* Idem error apud Macrobium, qui similiter corrigendus. Sed distinguit Macrobius, & dies quidem ὑπερβαίνοντας, menses vero ἐμβολίμους (ita legendum, non ἐμβολισμοὺς) appellitari scribit. Hoc minutum est, sed ratione non caret. Dies illos nonaginta ὑπερβάλλοντας, qui nono anno intercalandi erant, in tres menses tricenûm singulos dierum distribuebant. Quia menses igitur tres intercalabant, vult menses ipsos ἐμβολίμους dictos, non dies. Hoc voluit Macrobius. Sed dies etiam ipsi ἐμβόλιμοι, ut Solinus vult; nam ex his & menses illi constabant. Hesychius: ἐμβόλιμον τὸν μῆνα, καὶ τὴν ἡμέραν. Sic ἐμβόλιμα ἔπη dicebantur versus auctorum, quos insertitios & spurios critici judicabant, quos ἐκβολίμους faciebant.

Plutarchus

Plutarchus quoque ἐμβολίμους μῆνας & ἐμβολίμους ἡμέρας vocat.

Pag. 4. A *Contemplatione parilis numeri neglectum brevi perdiderunt.*] Legebatur prius: *contemplatione numeri parilis offensi.* Sed illud *offensi* libris auctoribus expunximus: & natum videtur ex varia lectione προεκδόσεως, quæ habuit: *quod cum initio Romani probassent, parili numero offensi, neglectum brevi perdiderunt.* Pro quo in δευτερώσει, *contemplatione parilis numeri.* Sic mille loci in hoc auctore à librariis corrupti fuere. Parilem numerum apud Romanos mali ominis habitum sciunt omnes. Joannes Laurentius Lydus: παρ' Ἰταλοῖς ὁ δυϊκὸς ἀριθμὸς ἀποφράζεται. Σεκοῦνδον δὲ αὐτὸν, οἱονεὶ δευτυχῆ πατρίως καλοῦσι κατ' εὐφημισμὸν, ὡς Εὐμενίδας καὶ Ἀδράσειαν, καὶ Πάρκας κατ' αὐτὰς τὰς μηδενὸς φειδομένας μοίρας. Hinc vitabant dicere, *ante diem secundum Kalendas*, aut *Idus*, sed pro eo dicebant, *ante diem pridie.* Græci: ἔστω δὲ παράδειγμα, ὥσπερ ὅταν πεμπταῖαι ὦσιν αἱ νόνναι, τὴν τρίτην πρὸ τριῶν νόννων, τὴν δὲ τετάρτην πρὸ μιᾶς νόννων διὰ τὸ ἀποφράζεσθαι τὴν δυάδα.

Contemplatione numeri parilis.] Falsum: nec enim hac contemplatione factum est, ut Romani morem illum intercalandi desererent, quum utique semper parilem numerum in anni sui computatione vitaverint: nam statim à Numa, qui annum Romuli correxit, unus dies abundavit, aut per imprudentiam, aut ea superstitione, inquit Censorinus, qua impar numerus plenus & faustior habebatur. Annus Græcorum habebat trecentos quinquaginta quatuor dies, qui lunaris est annus. In Romanorum anno uno die plus fuit ob vitationem parilis numeri. Quin & Solinus oblitus videtur eorum, quæ suprà scripsit, annum, ut à Numa institutus est, habere cœpisse quinque atque quinquaginta & trecentos dies. Sic ipse sibi contrarius it, & numerus impar in illo anno. Græci, ut annum suum ad cursum Solis exæquarent, quod operosum esset undecim dies, qui deerant, cum quadrante, singulis annis intercalare, nonaginta dies nono quoque anno intercalabant. Quod undecim dies cum quadrante octies ducti eum numerum efficiant dierum. Ita Græci. Quod quum, inquit Solinus, in initio Romani probassent, contemplatione parilis numeri neglectum brevi perdiderunt. Hoc falsissimum. Nonus quisque annus apud Græcos propter intercalationem nonaginta dierum, dies habebat quadringentos quadraginta quatuor, pari numero: annus eorum lunaris trecentis quinquaginta quatuor diebus constabat, parili quoque numero. Nihil tale apud Latinos, quorum in anno fuere dies quinque & quinquaginta cum trecentis, qui numerus est impar. Alternis annis intercalabant merkedonium mensem, viginti duûm, vel viginti trium dierum. Cum mensis viginti duûm dierum intercalabatur, annus ille numerabat dies trecentos septuaginta septem numero impari: qui vero intercalarium mensem viginti trium dierum habebat annus, pari quidem erat numero dierum, verum hæc ratio non fecit, ut ille modus intercalandi omitteretur, ut ineptè censet Solinus, sed quod animadversum sit, rationem illam non convenire cum Solis cursu, civilesque non congruere cum naturalibus annis. Etenim cum annus Romanorum, uno die superaret annum Græcorum, tamen Romani alternis annis modo viginti duo, modo viginti tres dies intercalando, intra octo annos eundem numerum dierum intercalasse reperiebantur, quem Græci nono quoque anno, sic fiebat, ut octo diebus solidis Romana intercalatio superaret Græcam intercalationem, cum tamen Græca ad liquidum cum solis cursu conveniret. Quæ animadversio, non autem parilis numeri contemplatio, adegit, ut illa ratio intercalandi relinqueretur, potestas que omnis & pontificium ejus rei in sacerdotes transferretur.

Qui plerumque gratificantes rationibus publicanorum.] Hæc Ammianus pæne ad verbum ex Solino, ut alia multa, lib. XXVI. *Tunc magis errorum profunda caligine fluctuabant, quum in sacerdotes potestatem transtulissent intercalandi: qui libenter gratificantes publicanorum, vel litigantium commodis ad arbitrium suum detrahebant tempora, vel augebant.*

A *Modo æstivum, modo auctumnale tempus inciderent.*] Ita libri, & rectè. Editiones: *modo in æstivum, modo in autumnale.* Quod ab imperitis ita repositum esse liquet. *Inciderent æstivum tempus*, pro caderent in æstivum tempus. Sic *incidere laqueos*, pro cadere in laqueos. Sic *adstituor tribunal*, statuor ad tribunal Apulejo. Apud eumdem, *assidere pedes*, pro sedere ad pedes. Et lib. II. *fortunam scævam, an sævam dixerim, incidit.* Ita hoc loco, *inciderent æstivum tempus.* Hoc genus loquendi notavimus ante annum ad Tertullian. de Pallio.

Pag. 4. B. *Dies XXI. & quadrantem intercalavit.*] Mira heîc auctoris, ut in aliis quamplurimis halluci-
B natio, quam etiam majorem, magisque miram videri fortassean faciat librariorum imperitia: Nam & hæc corrupta esse penitus mihi persuadeo. Neque heîc sibi, neque aliis concinit Solinus. Dicit Cæsarem, ut turbationem temporum incideret, & inconstantiam anni sisteret, dies unum & viginti cum quadrante intercalasse. Hoc primum de viginti & uno diebus cum quadrante simul intercalatis quam falsum? Et quando enim unquam habita ratio quadrantis in intercalationibus? Hoc profecto ineptum, & ἄλογον, falsumque. Tradit Censorinus cap. XX. Cæsarem, quo re-
C tro delictum corrigeret, duos menses intercalarios dierum sexaginta septem in mensem Novembrem & Decembrem interposuisse, cum jam mense Februario dies tres & viginti intercalasset. Quam diversa illa Censorina Cæsaris intercalatio ab hac Soliniana! sic Solino cum aliis non convenit. Pergit idem: *ille ergo annus solus trecentos quadraginta quatuor dies habuit.* Hoc vero longè mirissimum, & ab omni maximè ratione alienum. Cæsar unum & viginti dies cum quadrante intercalavit, & tamen ille annus habuit tantum trecentos quadraginta quatuor dies. Quid si à Cæsare anno illo intercalatum non esset? habiturus
D utique fuisset ille annus dies trecentos viginti duos cum tribus quadrantibus: quibus si addas dies XXI, & quadrantem efficies trecentos XLIIII: quot habuit annus iste priscæ confusionis ultimus. At qualis annus ille Romanus dierum trecentûm viginti duûm & trium quadrantium, ante intercalatos illos à Cæsare viginti & unum dies cum quadrante? Hæc tanta sanè absurditas est, ut eam, licet talpa cæcior, tamen ex parte videre quitus sit Dionysius Cercoëtius. Is Animadversionibus in Epiphanium notare dignatus est hunc Solini locum, aut inscitia librariorum, aut scriptoris hallucinatione malè habitum esse. Verissimè
E hoc quidem Cercoëtius, quod illi raro contigit, atque ut est non harum modo nugarum acris æstimator, sed totius etiam antiquitatis egregius instaurator. Huic malè affecto loco remediari conatur, aitque illam verissimam suspicionem esse Solinum CCCCXLIV, non CCCXLIV scripsisse. Euge Cercoëti, bene procedebat critica, doleo Theologum te esse factum. Sed quod in nostris scriptis quasi jure tuo tibi vindicas, hoc in tuis idem ne nobis sumamus, merito prohibere non poteris, quin ea expendamus. Igitur videamus, an ea suspicio tua, quam Solino adpingis, & quam verissimam asseris, auctoris rationi conveniat & menti.
F Scis quippe, si & hoc quoque scis, nihil esse conjecturam, quam sensus scriptoris refutat. Legis in Solino: *ille ergo annus solus quadringentos XLIV dies habuit.* Annus Romanus erat dierum trecentorum quinquaginta quinque. Scribit Solinus, Cæsarem intercalavisse dies XXI & quadrantem. Ergo juxta calculum Solini legendum esset: *ille ergo annus solus trecentos septuaginta sex, & quadrantem.* Nam si ad dies CCCLV addideris dies XXI & quadrantem, hunc numerum efficies, non eum, quem tu reponis. At annum confusionis præter ordinarios CCCLV, qui fuit anni Romani modus, dies habuit insertitios LXVII, ut Dio te-
G statur: sed quid hoc ad Solinum? nunquid Solinus idem hoc loco scripsit quod Dio? si non scripsit, an intellexisse putabimus, & hoc apud illum subaudiendum? verum age, ut tuam gratiam non parvi facere me scias, demus Solinum dixisse, quod non dixit, addamus & hunc numerum. Adjiciamus, inquam, illos sexaginta septem dies Dionis ad numerum anni Romani, & XXI dies intercalarios Cæsaris cum qua-

drante, ſurgent dies CCCCXLIII, & quadrans diei, at tu volebas dies CCCCXLIV plenos. Quid igitur fiet tribus illis quadrantibus? Putas Solinum, quum dixit dies unum & viginti cum quadrante acceſſiſſe, reſpicere ad Merkedonium. Verum quî id potuit, rogo te? an dies XXI, & quadrans erunt XXII, aut XXIII, quot dies Merkedonio imputabantur? Donemus hoc etiam tibi, ut te minus iracundo utamur, vicenos & unum dies eſſe vicenos binos, aut vicenos ternos. Si dabimus Merkedonium illius anni vicenos binos dies habuiſſe, numerus quidem tuus conſtabit, ſed repugnabit ratio Cenſorini, qui illius anni menſe Februario dies tres & viginti intercalatos fuiſſe docet, annumque illum facit dierum quadringentorum quadraginta quinque. Profectò quoquo te vertas, videre potes ſuſpicionem illam tuam, nec cum Solini calculo, nec cum rei veritate quadrare poſſe. Id & quoque, quod ego miror, vidiſti: nam ſub finem Animadverſionis pronuntias amplius de hoc Solini loco eſſe cogitandum, atqui paulò ante dicebas veriſſimam iſtam eſſe ſuſpicionem; ſi veriſſima, quid amplius dubitandum, aut cogitandum? ſed quorſum attinebat tot nugas effutire de quadrante illo horario cum Merkedonio προληπτικῶς inſillo, ut veram adſtrueres ſententiam, quam ipſe ſubita dubitatione deſtruxiſti? ubi & inſulsè pro diei quadrante, *horarium quadrantem* vocas, qui quadrans unius eſt horæ. Quis enim præter Cercopetavium, cui omnia licent, dixerit *horarium quadrantem* de diei quadrante? quod idem planè eſt, ac ſi quis horarium ſpatium intelligeret de diei unius ſpatio, & mora. Ad Solinum redeamus. Hic locus, quem in manibus habemus, abſque dubio mendoſus, ſed non ea parte, qua viſum eſt Cercoëtio. Ait Solinus dies viginti & unum cum quadrante intercalatos in eum annum, *quo pacto*, inquit, *regradati menſes de cetero ſtatuta ordinis ſui tempora detinerent*. Mirum vero, ſi hoc pacto, hoc eſt intercalatione unius & viginti dierum regradati videri poſſint menſes, cùm diminutioni potius, quàm additioni id verbi conveniat, quod ὑπόβασιν ſignificat, non ὑπέρβασιν. Præterea nova iſta eſt, atque inaudita ratio intercalandi, quæ quadrantem adjicit, & longè abſurdior ratio Cercoëtii, qui putavit auctorem reſpexiſſe ad Merkedonium menſem. Etſi multis in rebus hallucinatorem, & ineptum ſcio fuiſſe hunc auctorem, non tamen tam Cercoëtius fuit, ut exiſtimarit eundem numerum eſſe viginti tres dies cum uno & viginti adjecto quadrante. Poſtremo, quum dicat annum illum trecentos quadraginta quatuor dies habuiſſe, & in hoc numero omnes invicem ſibi concinant libri, qualis ea anni Romani fuiſſet forma, in quo trecenti dies & viginti duo cum tribus quadrantibus numerati eſſent? Nihil autem mutandum eſſe in hoc Solini numero de trecentis quadraginta quatuor diebus ipſius indicant verba hoc modo concepta, ut legenda ſunt: *Ille ergo annus ſolos trecentos quadraginta quatuor dies habuit: alii deinceps trecentenos ſexagenos quinos, & quadrantem.* Vulgo legitur: *Ille ergo annus ſolus:* Quod falſum eſt; nam hic anni Romani modus erat, cui dies unus adjectus ex ſuperſtitione vitandi paris numeri. Si ſolos trecentos quadraginta quatuor dies ille annus habuit, falſiſſima deprehendetur illa veriſſima ſuſpicio Cercoëtii, quæ reponit *quadringentos* pro *trecentis*. Nullum igitur vitium in numero apud Solinum, ſed in verbo *intercalavit*, quod non ſolum abſurdiſſimam, ſed etiam planè contrariam auctoris menti ſententiam efficit. Hic, ut videtur, dicere voluit annum illum trecentos XLIV dies habuiſſe, hoc eſt uno & viginti diebus & quadrante minus quàm annus habet ſolaris. Nam ſi ad dies CCCLXIV addideris dies XXI, & quadrantem, ſurget numerus anni Solaris, CCCLXV cum quadrante. Dixit ergo Cæſarem expunxiſſe illo anno XXI & quadrantem, & ſic remanſiſſe dies CCCXLIV: quos ſolos habuit annus ille, alios vero deinceps habuiſſe trecentenos ſexagenos quinos, & quadrantem. Hanc mentem fuiſſe Solini auſim præſtare, veram eſſe non pollicear. Legendum igitur *intercidit* pro illo *intercalavit*, quod mutatum à ſciolis, qui legerant apud auctores intercalatis pluribus diebus, non expunctis annum illum à Cæſare reformatum fuiſſe. Sed aliud voluit Solinus, vel alios auctores ſequutus, vel ipſe hallucinatus: quod propius veritatem eſt. Ante Cæſarem, quum intercalandi poteſtas penes ſacerdotes erat, pro libidine ſua ad gratiam publicanorum, modò ſubtrahebant tempora, modò augebant: & plures interdum quam oportebat, interdum pauciores dies intercalabant. Quibus rebus fiebat, ut aliquando menſes hiemales in autumni tempus referrentur, aliquando in æſtivum, ſive vernum tempus inciderent pro modo intercalandi imminutiore, aut cumulatiore. Quod ſi incertum eſſet, quo remedio Cæſar illam turbationem primùm compoſuerit, utrum additione, an detractione, poſſemus heîc ſublevare Solinum, & ejus peccato aliquam veniam alicunde corrogare. Sed quum omnes omnino tradant auctores, in annum illum primum correctionis non paucos dies à Cæſare adjectos fuiſſe, nihil jam eſt, quo defendi queat. Suetonius tres menſes adjeciſſe Cæſarem dicit, quando illam temporum correctionem auſpicatus eſt. Dio præter ordinarios ſexagenis ſeptenis diebus plus habuiſſe annum illum ſcribit. Cenſorinus, præter illos ſexaginta ſeptem in menſem Novembrem, & Decembrem à Cæſare interpoſitos, tradit eundem Cæſarem menſe Februario ejuſdem anni dies tres & viginti intercalaſſe, quod miror. Utut ſit, certum eſt, non fuiſſe ordinariam illam intercalationem eo tempore, ſed à Cæſare tum renovatam, meditanti reformationem. Certe Dio ſeptem & ſexaginta dies tantùm additos memorat, ὅσαιπερ, inquit, εἰς τὴν ἀπαρτιλογίαν παρέφερον. Additque, licet quidam plures adjectos fuiſſe velint, τὸ δ' ἀληθὲς οὕτως ἔχει. Nulli dies igitur intercalati menſe Februario. Nugatur itaque more ſuo Cercopithecus noſter, qui Merkedonium in eum annum commodum incidiſſe ſcribit. Jampridem quippe factum, quum ille intercalandi modus exoleverat, tranſlata in ſacerdotum arbitrium tota intercalandi ratione, qui pro libitu ſuo eam exercebant, nulla temporis, aut modi lege præſcripta, ut auctores ſunt Cenſorinus, Macrobius, & hic noſter Solinus: qui tamen aliam hoc loco, quam illi, dum tuetur opinionem, alios, ut videtur, habuit, quos ſequeretur, auctores. Non igitur adjectione dierum, ſed detractione, regradatis nempe menſibus, qui fortaſſe exorbitaverant abnormi intercalatione ſacerdotum, annum illum contraxiſſe, ut de cetero ſtata ordinis ſui tempora obtineret. Quot dies detraxerit, ita nobis inſinuat. Annus Romanus dierum fuit CCCLV. Annum illum confuſionis Cæſar ex Solini ſententia voluit eſſe dierum CCCXLIV. Ergo dies detraxit ex anno Romano undecim. Sed annum ſolarem ſibi fingit Solinus, & ad eum rationes ſuas accommodat: itaque Cæſarem detraxiſſe, ſive intercidiſſe ſcribit dies XXI, & quadrantem; quia tot dies nimirum deſiderantur, & quarta pars inſuper diei ex illo numero CCCXLIV dierum, quos ſolos habuit annus ille Cæſaris, ad explendum ſolis per zodiacum decurſum. Sic ſupra planè loquutus eſt; quum enim Athenienſes annum lunarem haberent dierum quatuor & quadraginta & trecentorum, cui dies undecim cum quadrante deſunt ad ſolis annum, ut civiles anni cum ſolaribus ad liquidum exæquarentur, ſolebant undecim illos dies, qui deerant cum quadrante octies multiplicatos anno octavo interſerere. Ibi Solinus dicit eos undecim dies cum quadrante ſingulis annis ab Athenienſibus fuiſſe detractos, ut in annum nonum octies multiplicati reponerentur. Quomodo detracti, qui deſiderabantur? ſi aderant, cur detrahendi, ut poſt octavum annum contracti in unum referrentur? ſed detractos dicit ſingulis annis, quia in ſingulos annos non intercalabantur. Vera dicere Solinum hoc loco aſſeret qui volet, nos ita eum ſenſiſſe, ac ſcripſiſſe fidenter affirmamus: immo & turpiter hallucinatum eſſe.

Pag. 4. B. *Alii deinceps trecentenos ſexagenos quinos, & quadrantem*] Falſum. Nam alii deinceps poſt reformationem trecentenos ſexagenos quinos habuerunt abſque quadrante, qui ſingulis luſtris conſummatus addebatur, & diem unum reddebat: ſic quartus quiſque annus

annus trecentenos sexagenos senos dies habebat, ceteri trecentenos sexagenos quinos. Supinitatem, ac negligentiam in loquendo magnam ubique hic auctor prodit. Rem ipsam eum heîc videmus intellexisse, sed male narrare. Alii inquit, consequentes anni trecentenos sexagenos quinos dies habuere, & quadrantem: præceptum erat, ut anno quarto dies unus intercalaretur. Hinc necessario sequitur quartum illum annum trecentos sexaginta sex dies habuisse cum quadrante. At si ex aliis annis detrahebatur quadrans, ut quarto anno partes consummatæ diem unum efficerent, qui intercalabatur, nullus annus habuit illum quadrantem. Hæc vel pueri non ignorant.

Quod deprehensum Augustus reformavit] Omnes libri Solini; *reprehensum.* Macrobius tamen, qui hunc locum exscripsit, paucis mutatis *deprehensum* legit.

Pag. 4. C. *Ut tres illi dies qui ultra novem necessarios*] Ita necessario fuerat corrigendum ex libris, & nimis patienter retro correctores heic tulerunt lectionem vulgatam: *ut tres illi dies, qui ultra novenarios temere fuerant intercalati.* Quod Latinum non erat.

Qui pæne solus sine exemplo rerum potitus est] Expunximus *solus* auctoribus libris.

Tanta & tot inveniuntur adversa] Totus hic locus de adversis Augusti ex Plinio lib. VII. cap. XLV. Solinus: *tanta & tot in ejus vita inveniuntur adversa, ut non sit facile discernere, calamitosior an beatior fuerit.* Plinius: *in divo quoque Augusto, quem universa mortalitas in hac censura nuncupat, si diligenter æstimetur, quam magna sortis humanæ reperiuntur volumina?* Ita legimus illum Plinii locum. Vulgo est: *si diligenter æstimentur cuncta, magna sortis humanæ reperiantur volumina.* Optimi quique codices habebant, *nunquam magna.* Postea ab aliis incrustatum, & additum: *si diligenter æstimentur cuncta, nunquam tam magna.* Per *sortis humanæ volumina* intelligit auctor variantes, & volubiles fortunæ vices.

In petitione magisterii equitum prælatus est ei Lepidus Tribunus] Non habet à Plinio tribunum fuisse hunc Lepidum, qui inter adversa Augusti primo loco numerat, *repulsam in magisterio equitum apud avunculum, & contra petitionem ejus prælatus Lepidus.* An Tribunus erat hic Lepidus; cum à Cæsare Dictatore Magister equitum creatus est? Certè tunc Tribuni plebis sumebantur ex senatoribus. Antonius ipse, qui postea triumvir, Tribunus fuit. Cæsar Augustus quoque, referente Suetonio, *quo constantius cetera exsequeretur, in locum Trib. plebis forte demortui candidatum se ostendit.* Qua de re nos alibi. An præstat legere, *prælatus est ei Lepidus Triumvir*, id est, ille Lepidus, qui postea Triumvir fuit? Sed quod addit heîc Solinus, hanc prælationem Lepidi Augusto accidisse, cum quadam auspicantium cœptorum nota, quî verum potest esse? quid enim novi tunc cœptabat, aut moliebatur id ætatis, & avunculo etiam tum vivente? verius est mutandam esse distinctionem, & legendum hoc modo: *prælatus est ei Lepidus Tribunus: cum quadam auspicantium cœptorum nota, mox triumviratus collegium*, quod est certissimum: Triumviratus collegium quandam notam, & maculam inussisse auspicantibus Augusti cœptis, inita cum pessimis civibus societate, & proscriptione in eo triumviratu acerbius exercita. Plinius: *contra petitionem ejus prælatus Lepidus: proscriptionis invidia, collegium in Triumviratu pessimorum civium.* Omnia exemplaria scripta Plinii habent: *Proscriptionis invidiam.* Forte scribendum: *ad proscriptionis invidiam, collegium in Triumviratu pessimorum civium*, id est, præter proscriptionis invidiam inita societas cum pessimis civibus. Ita & alibi loquitur Plinius, estque loquutio Græcanica, *ad invidiam*, πρὸς τῷ φθόνῳ. Nec enim proscriptio præcessit Triumviratum, sed post initum Triumviratum processit: in quo etiam aliquandiu collegis restitisse Augustum scribit Suetonius, ne qua fieret proscriptio.

Prægravi potestate Antonii] Plinius: *collegium in Triumviratu pessimorum civium, nec æqua saltem portione, sed prægravi Antonio.* Ubi & quidam codices, *prægravante.* Metaphora à lancibus ponderariis, in quibus pars, quæ præponderat, leviorem prægravat, καθέλκει. Horatius

--- *qui prægravat artes*
Infra se positas.

A Nulla ibi ὑπερβεβηκυιῶν, aut ἀποβεβηκυιῶν τεχνῶν, de quibus apud Aristotelem, significatio, sed præstantiores intelligit artifices, qui ceteros in eodem artificio prægravant, & fulgore suo eos urunt, invidiaque macerant. Sic *grave* pro pretioso, & caro accipiunt Latini. Unde *grave & gratum* Plauto: *grave donum* Symmacho. Ita Græci βαρὺ: ut βαρύτιμον.

Pag. 4. D. *Philippensis inde proscriptionis invidia*] Plinius, unde habet, proscriptionis quoque invidiam cum Triumviratu conjungit, sed eam non vocat Philippensem: & mirum, cur iste Philippensem appellet. Unde enim Philippensis ea proscriptio? aut quid habet
B commune cum Philippensi bello; id bellum quidem Augustus in Triumviratu duobus præliis transegit, ut & ipsam proscriptionem peregit in eodem Triumviratu, non propterea tamen bellum Philippense idem sit cum proscriptione, aut proscriptio rectè dicatur Philippensis. An, quod proscriptionem insequutum est statim bellum Philippense, & post illud bellum finem accepit, ideo Philippensem eam nuncupavit? Hæc nisi sit ratio, nullam aliam video: quæ tamen non satis idonea est. Certe nemo eam proscriptionem hoc nomine vocitavit. Camers ediderat: *Philippensis prælio inde*
C *proscriptionis invidia.* Verum aliter omnes libri, & princeps editio. Plinius, cujus hîc noster malus est simius, adversa Augusti enumerans, primo loco prælationem Lepidi apud Avunculum, mox invidiam proscriptionis & triumviratum, deinde Philippensi prælio morbum & fugam. Hic vero prælationem Lepidi, Triumviratum, & Philippensem proscriptionem, quasi Philippense bellum eadem res fuerit cum proscriptione. Plinii locus ita ex libris legendus: *Philippensi prælio morbus, fuga, & triduo in palude ægroti, &, ut fatentur Agrippa & Mœcenas, aqua subter cutem fusa turgidi, latebra.* Vulgo habetur: *aqua subter cutem fusa,*
D *turgida latera.* Quasi aqua subter cutem fusa latera turgescant. Invalidum & ægrum prælio Philippensi fuisse scribit & Suetonius. Quo genere morbi Agrippa & Mœcenas dixerunt, aqua nempe subter cutem fusa turgidum, hoc est ὑδρωπα. Glossæ: *aqua sub cute*, ὑδρωψ. *Morbum subcutaneum* vocat alter Victor in Hadriano: *hic morbo succutaneo quam diu placide pertulerat victus.* Ita liber vetustissimus R. B. cum in vulgatis habeatur, *subtercutaneo.*

Abdicatio Postumi Agrippæ post adoptionem.] Rationem temporum in his adversis Augusti recensendis in quantum licet, observat Plinius, quod hic non facit,
E oscitantiæ suæ ac supinitatis ubique vestigia ostendens. Ut hîc, rem extremorum Augusti temporum, abdicationem Postumi Agrippæ, cum iis memorat, & priore quidem loco, quæ initio principatus ejus acciderunt. Nam naufragia Sicula, & bellum Perusinum, & alia multa, quæ post ponit, longè ante istam abdicationem.

Nec minore dedecore neptis infamia, incusatæ de morte filiorum.] Hæc vulgata hujus loci lectio, qua nihil inquinatius aut falsius: eam Delrius, si in mente oculos habuisset, ut in corpore, poterat ex libro suo emendare, in quo ita se legisse testatur: *Neptis infamia incusatæ,*
F *mortes filiorum, & amissis liberis non solus orbitatis dolor.* Ita & nostri. Quantuli erat laboris, aut ingenii interpunctionem mutare & legere? *Neptis infamia: incusatæ mortes filiorum, & amissis liberis non solus orbitatis dolor.* Hæc neptis Augusti Julia est, ex Agrippa & Julia, quæ L. Paullo Censoris filio nupta fuit, quam pater adulterii convictam relegavit in insulam Trimerum, in qua viginti annis exilium cum tolerasset, ibidem defuncta est. Hæc ejus infamia adulterium, non mors filiorum, quos habuit nullos, quos nullos occidit. Itaque istæ incusatæ liberorum mortes nihil ad illam attinuere. Clarissimè Plinius: *incusatæ liberorum mortes*
G *luctusque non tantum orbitate tristis: adulterium filiæ, consilia parricidæ palam facta: aliud neptis adulterium.* Hi liberi porro sunt, Lucius & Cajus Cæsares, Augusti nepotes ex Julia & Agrippa, filii vero per adoptionem: quorum incusatæ mortes, quod eos veneno subvertisse suspecta Livia. Ideo hîc dicit Augusto ex morte liberorum non solum orbitatis dolorem, sed ex causa & genere mortis alium dolorem accessisse.

Et amiſſis liberis non ſolum orbitatis dolor, ſed urbis peſtilentia.] Delrianæ editionis hæc lectio, quæ & aliis invenitur, excepta principe editione Veneta, in qua illud *ſed* non habetur: quod ab imperitis infartum eſt, qui non videbant, quid dolendum Auguſto fuerit amiſſis liberis præter orbitatem. Nos ſuprà id explicavimus. Legendum etiam ex libris: *& amiſſis liberis non ſolus orbitatis dolor.* Plinius: *incuſatæ mortes liberorum, luctuſque non tantum orbitate triſtis.* Ita ſcribimus, non *triſtes.* Luctus Auguſti non tantum triſtis orbitate, ſed etiam ob incuſatas mortes liberorum.

Urbis peſtilentia, fames Italiæ bello Illyrico.] Nihil variant libri. Verum tamen eſt hanc lectionem nihil veri continere. Nam fames Italiæ, & bellum Illyricum mala fuere diverſa. Præterea nihil tale apud Plinium, cujus hæc verba ſunt: *peſtilentia urbis, fames, ſitiſque Italiæ, deſtinatio expirandi.* Delenda illa ſunt apud Plinium, *ſitiſque*, quæ in libris antiquis non habentur. Et ſanè ridiculum de ſiti: quaſi inter publica mala etiam ſitis timenda ſit, tot ſalientibus in propatulo aquis, tot è cœlo deſcendentibus. Hoc metuent, quos ἐκπύρωσις continget. Legendum autem heîc, & diſtinguendum: *Urbis peſtilentia, fames Italiæ, rebellio Illyrica.* Inter mala Auguſti temporum etiam rebellionem Illyrici ponit Plinius: *juncta deinde tot mala: inopia ſtipendii, rebellio Illyrici, ſervitiorum delectus.* Fortaſſe nihil mutandum: nam illud bellum Illyricum in maxima frugum inopia, ſummiſque rerum difficultatibus geſtum ſcribit Suetonius lib. III. Hinc bello Illyrico famem Italiæ notat noſter. Tamen illa fames Italiæ, quam Plinius intelligit, longè anterior fuit Illyrici defectione, & belli Siculi tempore extitit, cum Pompejus maria teneret.

Contumelioſa diſſenſio privigni Neronis, uxoris & Tiberii cogitationes parum fidæ.] Ut hæc à Solino poſita ſunt, haud aliter dicas, quam Neronem & Tiberium diverſos eſſe. Atqui Tiberius Nero idem, qui & privignus Auguſti. Hoc inde accidiſſe videtur, quod cum ipſamet Plinii verba Solinus uſurpet, res diverſiſſimorum temporum ſimul jungit, quas Plinius ex temporum ordine, longo interſito ſpatio diſparatim narravit. Ut ecce Plinio, *adulterium Juliæ palam factum*, & *ſeceſſus Tiberii*, junctim narrantur, quæ & temporibus non multum diſſident. Nam & tædio uxoris eum ſeceſſiſſe quidam dicebant: & haud multo poſt in ſeceſſu ipſo accepit Juliam uxorem ob libidines & adulteria ab Auguſto damnatam. Hæc deſcribens Neronem eum vocat Plinius: *Juliæ adulterium, & conſilia parricidæ palam facta: contumelioſus privigni Neronis ſeceſſus.* Multis deinde interjectis rebus & verbis ad extrema tempora Auguſti veniens de cogitationibus uxoris & Tiberii loquitur ac ſuprema ejus cura; quo loco Tiberium nominavit, non Neronem. At Solinus, qui utramque hiſtoriam conjunxit, abſurdè & ineptè fecit, diverſis nominibus Tiberium appellando. Quod idem eſt ac ſi quis diceret, *Octavium Cæſarem hoc & hoc feciſſe, Cæſarem autem Auguſtum illud & illud dixiſſe.*

Contumelioſa diſſenſio privigni Neronis.] An *ſeceſſionem* voluit dicere? nam *diſſenſio*, ineptum. An ſcripſit, *diſceſſio*? Ita putem ſcripſiſſe. *Seceſſum* Plinius dixit. Suetonius: *Tot proſperis confluentibus, integra ætate ac valitudine, ſtatuit repente ſecedere.* Sed contumelioſus hîc ſeceſſus Auguſto, an ipſi Tiberio? contumelioſum ipſi Tiberio fuiſſe, nihil dubium eſt. Suetonius: *Remanſit ergo Rhodi* contra voluntatem: *vix per matrem conſequutus, ut ad velandam ignominiam quaſi legatus ab Auguſto abeſſet.* Verùm illa ignominia Tiberii nihil ad Auguſtum, nec ejus adverſis adnumeranda. Præterea ſeceſſus ille Tiberio non pro ignominia inflictus, ſed ipſe voluit ſecedere. Et hæc ipſa Tiberii ſeceſſio voluntaria, Auguſto contumelioſa, quia filiæ ejus tædio, quam uxorem habuit Tiberius, id feciſſe exiſtimabatur, cum illius probra & propudia ferre non poſſet. Quod non obſcurè innuit Plinius his verbis, quæ jam ſuprà retulimus: *Juliæ adulterium & conſilia parricidæ palam facta: contumelioſus privigni Neronis ſeceſſus.* Quaſi videlicet, ob hoc ipſum ſeceſſiſſet, idque contumelioſum Auguſto.

Uxoris etiam, & Tiberii cogitationes parum fidæ.] In quibuſdam libris: *parum fideles.* Hæc ex Plinio Solinus, cujus hæc ſunt verba: *abdicatio Poſtumi Agrippæ poſt adoptionem, deſiderium poſt relegationem: inde ſuſpicio in Fabium, arcanorumque proditionem: hinc uxoris & Tiberii cogitationes ſuprema ejus cura.* Hanc rem ita narrat Tacitus initio libri primi. Auguſtus paulo ante exceſſum, comite uno Fabio Planaſiam tranſiit, quò Poſtumum Agrippam projecerat: cui & multa ſigna charitatis oſtendit, & ſpem reditus fecit. Quod Maximus Fabius uxori Martiæ aperuit, illa Liviæ. Idque Cæſari innotuit, & paulo poſt extinctus Maximus, quod arcana prodidiſſet. Legendum in verbis Plinii: *Inde ſuſpicio in Fabium arcanorum proditorem*, aut ſanè: *arca-*
B *norum proditionis.* Nam vulgata vitio non caret. Sequitur apud Plinium: *hinc uxoris & Tiberii cogitationes ſuprema ejus cura.* Quæ ſenſum idoneum nullum efficiunt, ſic diſtincta. Quare interpungendum: *hinc uxoris & Tiberii cogitationes: ſuprema ejus cura.* Ita Plinius loqui amat ἀσυνδέτως. Quales illæ cogitationes non exprimit, ſed intelligi obvium eſt, quales par erat fuiſſe ejus, quæ filio pararet imperium, & illius qui cuperet imperare: *parum fidas* Solinus interpretatus eſt. Has cogitationes, ſequuta eſt ſuprema ejus cura, voluntate ſcilicet uxoris ordinata. Vide Tacitum lib. I. & Suetonium lib. III.

C *Atque in hunc modum plura*] Multa omiſit, quæ apud Plinium habentur, & quædam etiam præcipua. Quæ non omiſit, ea perturbate, nec ſervato temporum ordine retulit. Inter omiſſa & illud eſt: *Pannonici belli ruina è turri.* Veteres omnes ibi legunt, *Pannonicis.* Omnino legendum: *Pannonicis bellis ruina è turri.* Suetonius: *ut tamen quibuſdam Pannonicis bellis, atque Germanicis, aut interveniret, aut non longe abeſſet.* Alii non è turri, ſed è ponte, nec Pannonicis bellis, ſed Dalmatico cecidiſſe volunt. Suetonius altera acie Dalmatici belli, crus & utrumque brachium ruina pontis con-
D ſauciatum. Florus noſter bello Illyrico quum lubricus multitudine pons ſuccidiſſet, ſaucium manibus & cruribus terga hoſtium percecidiſſe. Perperam legitur apud Florum: *quum Illyricus multitudine pontem ſuccidiſſet.* In quibuſdam Plinii codicibus ſcriptum eſt: *ruina in curru.* Vetus Rigaltianum: *ruinæ curri.* Rectum eſt: *ruina è turri.*

Pag. 4. E. *Hujus tamen ſuprema quaſi lugeret ſæculum*] Suprema heîc Auguſti, vocat obitum ejus, quia Plinii verbo uſus eſt, alias ubique in hoc auctore *ſuprema* ſunt, τὰ λείψανα, & reliquiæ.

Nam Fauſta quædam ex plebe] Plinius lib. VII. cap.
E III. *Proximè ſupremis Divi Auguſti, Fauſta quædam è plebe, Oſtiæ duos mares, totidem fœminas enixa, famem, quæ conſequuta eſt, portendit haud dubiè.* Ita in Plinio lego, ubi peſſimè vulgo legitur, *annis proximis ſupremis Divi Auguſti.* Illud *annis* perperam pro *amnis*, hoc modo: *præterquam in Ægypto, ubi fœtifer potu Nilus amnis. Proximè ſupremis Divi Auguſti.* Nilus amnis, Νεῖλος ποταμός. Sic infra, *Meles amnis.*

Partu uno edidit quater geminos] Libri omnes: *quatuor geminos.* Rectè. Sic *ſeptemgemini, octogemini*, ἑπτάδυμοι, ὀκτώδυμοι. Ita & *quatuor gemini*, τετράδυμοι.

Monſtroſa fœcunditate] Plinius trigeminos naſci cer-
F tum eſſe dicit exemplo Horatiorum, Curiatiorumque: *ſuper, inter oſtenta, adducitur.* Ita ibi legendum ex libris.

Sed etiam hominum materna fœcundat arva] Ita edidimus, voce neceſſaria reſtituta, quæ ab omnibus editionibus exulat; nam etſi vox *homines*, etiam de ſequiori ſexu uſurpetur, haud tamen *arva hominum* pro genitalibus mulierum arvis dicantur. Neceſſario igitur *materna* ex libris addidimus. *Marterna arva*, ut Poëtæ:

---- *genitalia conſerit arva*,

& Græcum Oraculum: Μὴ σπεῖρε τέκνων ἄλοκα, δαιμόνων βίᾳ.

G *Legimus Cn. Pompejum Eutychidem fœminam Aſia exhibitam*] Mira heîc hallucinatio Solini. Scribit Plinius, Pompejum in ornamentis theatri ſui mirabiles fama effigies poſuiſſe, magnorum artificum manu elaboratas, & inter eas Eutychidem, quam fama erat à viginti liberis rogo illatam Trallibus, quum triginta partus enixa eſſet. Effigiem igitur Eutychidis inter ornamenta theatri ſui poſuerat. Nam Eutychidem ipſam qui potuit,

tuit, multo ante mortuam Trallibus, & rogo illatam à viginti liberis? At Solinus illam ipsam fœminam, à Pompejo Asia exhibitam, & in theatro suo publicatam cùm viginti liberis tradit, incredunda prorsus ac stupenda ablepsia. Quid clarius his verbis Plinii? *inter quas, (effigies* scilicet) *legitur Eutychis à viginti liberis rogo illata Trallibus enixa triginta partus.*

Eutychidem fœminam] Perperam apud Plinium in vulgariis editionibus vocatur, *Eutyche:* quod Græcum non est. Εὔτυχος nomen proprium, unde fœmineum, Εὐτυχὶς, non Εὐτύχη. Et sanè scripta Plinii exemplaria, *Eutycis* præferunt, hoc est Εὐτυχὶς. Sic *Eutycus* Latinè plerumque scriptum reperitur pro *Eutychus.* Hinc *Cytico Agitatori* apud Suetonium perperam pro *Eutyco.* In Vineti Editione vitiosè vulgatum est: *Eutychiden fœminam Asiæ, exhibitam,* Eutychiden esset, τὴν Εὐτυχίδην, non τὴν Εὐτυχίδα. *Asia exhibitam*, est ex Asia productam. De qua voce vide quæ ad Historiam Augustam notavimus.

Cum viginti ejus liberis in theatro suo publicasse.] Non publicè ostensa in theatro Pompeji cum viginti liberis hæc fœmina, sed à viginti liberis rogo inlata Trallibus, qui soli supererant, ex triginta quos ediderat. Propterea illius effigiem, quod res esset memorabilis in ornamentis theatri sui posuerat Pompejus Magnus. Sed magis Hermocratea in Epigrammate Antipatri nondum edito, quæ novem & viginti liberos enixa, nullius interitum vidit. Epigramma ipsum lubet adscribere:

Εἴκοσιν Ἑρμοκρατέα, καὶ ἐννέα τέκνα τεκοῦσα,
Οὐδ' ἑνὸς, οὔτε μιῆς ἠυγασάμην θάνατον.
Οὐ γὰρ ἀπωΐστευσεν ἐμοὺς υἱῆας Ἀπόλλων,
Οὐ βαρυπενθήτους Ἄρτεμις εἷλε κόρας.
Ἔμπαλι δ' ἃ μὲν ἔλυσεν ἐμῶν ὠδῖνα μολοῦσα,
Φοῖβος δ' εἰς ἥβαν ἄρσενας ἤγαγετο
Ἀβλαβέας νούσοισιν· ἴδ' ὡς νίκημι δικαίως
Παισί τε καὶ γλώσσῃ σώφρονι Ταντάλιδα.

Pag. 4. F. *Unde competens hoc loco duco super hominis generatione tractare.*] Vel ex hoc loco constat, sectionem capitum, quam editiones heîc habent, auctoris non esse: nec sequens caput ab hoc dividendum, cum utique ostendat his verbis, uno eodemque capite, hoc loco, se tractaturum de hominis generatione. *Hoc loco,* inquit, *competens duco super hominis generatione tractare.* Ergo non diversis, nec divisis capitibus.

Itaque ut Democritus Physicus ostendit.] Προεκδόσεἰ: *ut Democritus Physicus insinuat.* Quod idem est. Nam *insinuare est* διδάσκειν, ἐμφανίζειν. Inde nostrum, *enseigner.* Macrobius lib. I. *famulabor tamen arbitrio jubentis; & insinuabo primum de Saturnalibus, post de ceteris.*

Mulier solum animal menstruale est.] Plinius lib. VII. cap. XV. *Solum autem animal menstruale mulier est: inde unius utero quas appellaverunt molas.* Caro est, ut ipse explicat, informis & inanima. Græci μύλην appellant, & μυλόσαρκα; sed & μυλόκρεος. Unde Latinum vetus *molucrus,* vel *molucrum.* Versus Afranii: *- Virgini*
Excrescit uterus tanquam gravidæ mulieri:
Molucrum vocatur, transit sine doloribus.
In his versibus *molucrum* est μυλόσαρξ, vel quod idem, μυλόκρεος. Verba autem Festi sic legenda sunt: *molucrium dicitur, & quo molæ verruntur, quod Græci* μυληκόρον *vocant, & tumor ventris.* Perperam vulgo legitur: *quod Græci* μύλικρον. Nec rectè Scaliger: μύλακρον. Est autem μυληκόρον, quo molæ verruntur. Corrigendum etiam in sequentibus Plinii verbis: *movetur, sistitque menses ut partus: alias letalis, alias una senescens, aliquando alvo citatior excidens.* Extitit hac ætate mulier nobilis, quæ per totum vitæ spatium, gravidam sese suspicata, quasique quotannis paritura, molam hujusmodi in utero gestitabat.

Contactæ his fruges non germinabunt.] Hæc ex Plinio omnia, loco jam suprà citato, apud quem aliquid varietatis in lectione, & nonnihil difficultatis. Sic enim legunt vulgati: *sed nihil facile reperietur mulierum profluvio magis monstrificum. Acescunt superventu musta, sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita.* &c. Quam lectionem cum expresserit Solinus, ita videtur in suis codicibus reperisse. In optimo Rigaltiano scriptum extat: *Acescunt superventu morta, sterilescunt jactæ fruges.* In uno Regio ita quoque scriptum. In altero ad oram adscriptum

A eadem manu: *Acescunt superventu musta, orta sterilis contactæ fruges moriuntur.* Illud *orta*, aut *morta* in omnibus comparet. Profecto acescentia illa musta, ut non carent suspicione falsi, sic nec, etsi vera sint, difficultate. Quomodo enim acescent musta sanguine menstruo? ut contactæ fruges hoc profluvio non germinant, an & contacta musta acescunt? ita videtur sentire Solinus, qui vitium ex contactu omnibus istis imputat: *contactæ his fruges non germinabunt, acescent musta, morientur herbæ, amittent arbores fœtus, ferrum rubigo corripiet, nigrescent æra:* cum enim præmiserit fruges menstruis contactas sterilescere, necesse est & cetera, quæ subdidit, eodem
B contactu vitiata similiter intelligi. Ergo, & his profluviis contacta musta acescent, contactæ arbores fœtus amittent, contactum ferrum rubigine corripietur, contacta æra nigrescent. Sed quomodo mustum intelligimus contactum? an si vas musti sanguine illo tactum fuerit? Hoc modo *contacta musta* vix dici queant. Nam *contactas fruges* heîc accipere debemus, illitas & aspersas: ut *pocula circum mellis liquore contacta* Lucretio: ut *oculi tacti olivo* Persio. Sic enim *tactum* & *contactum* Latini plerumque usurpant. An *contacta musta* accipiemus, si vas musti mulier menstruo inquinata tetigerit? An si de illo sanguine jactum in vasa fuerit. Hæc omnia &
C absurditatem habent, & verbis mentique Plinii contraria sunt, quam non est assequutus Solinus. Dicit Plinius, ut habetur in editis: *Acescunt superventu musta, sterilescunt tactæ fruges.* Ergo alio modo sterilescunt fruges, tactæ nempe illo profluvio mulierum, alio modo musta acescunt, superventu scilicet. Solinus utrumque male confudit dicendo, *contactæ his profluviis fruges non germinabunt, acescent musta.* Nunc verba Plinii consideremus. *Acescunt,* inquit, *superventu musta.* Quid heîc est *superventus*? Haud sanè possimus aliter intelligere, quam de superventu mulieris, cui menses fluunt: igi-
D tur si supervenerit talis mulier, quum mustum fit, aut ubi conditum est, acescit protinus.

Contactæ fruges non germinabunt] Utrum tactę à fœmina, quæ in menstruis est, an vero ipso menstruo contactæ? utrumque ex Plinio potest adstrui. Superventu mulieris ipsius ait acescere musta, si videlicet, cum musta fluunt, aut conduntur supervenerit: tactas vero fruges, & insita, & hortorum germina mori. At in optimo libro scriptum est, *jactas fruges*, quod pro semente accipiemus. Ergo & superventu hujusmodi mulieris sementis in agris arescet, & non germinabit. Nam & libro XXVIII. cap. VII. scribit, si mulieres profluvio naturali
E laborantes eant per segetem post solis ortum, sementem arescere: *tactu vero ejus vites novellas in perpetuum lædi: rutam, & ederam illico mori.* Tactu menstrui, an tactu mulieris menstruosæ? sanè quum idem Plinius ibidem dicit, equas, si sint gravidæ, tactas abortum pati, de tactu mulieris intelligit: subjungit enim: *quin & aspectu omnino, quamvis procul visas.* Idem scribit, strumas, parotidas, panos, furunculos, epiphoras tractatu earum mulierum leniri. Ut hinc scias multum posse etiam solum earum tactum. Solinus, quum dicit *contactas*, de menstruo ipso intellexit, & *tactas fruges* in Plinio legit. Sic & apud eundem Plinium, *tactis menstruo postibus*,
F pro illitis.

Morientur herbæ] Plinius: *moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, fructus arborum, quibus incidere decidunt.* Ita legendum ἀσυνδέτως. *Insita*, sunt τὰ ἔμφυτα, ut Glossæ interpretantur. Novellas arbores intelligit per insitionem plantatas. *Intas* vel *Entas* dicimus, quasi *insitas.*

Ferrum rubigo corripiet, nigrescent æra] Plinius: *æs etiam ac ferrum rubigo protinus corripit, odorque dirus aëra.* Expungenda vox *aëra*, optimis libris auctoribus, qui eam non habent. Æs & ferrum menstruo contacta,
G non tantum rubigine corripi, sed etiam odore diro. Idem Plinius lib. XXVIII. cap. VII. *sed præter illa certum est, æs contactum grave virus odoris accipere, & æruginem.* Frustra igitur de illa voce in aliam mutanda solliciti sunt docti viri, cum prorsus tollenda sit. Pincianus legebat: *odorque dirus viri.* Verum nihil necesse. Sunt qui legant: *odorque dirus æra.* Quod absurdum; nam æs jam nominavit.

Æra nigrescunt] Plinius loco suprà citato dicit, æs con-

contactum menstruo æruginem accipere. Atqui ærugo non est nigra, sed viridis, unde *viride æris*, hodieque eam vocamus. Hic vero nigrorem facit propriè vitium æris, ut rubiginem ferri, ob colorem Plinius rubiginem tam æri, quam ferro tribuit, quum rubigo propria sit ferri. *Æs etiam*, inquit, *ac ferrum rubigo protinus corripit, odorque dirus.* Nisi forte dixeris, rubiginem ad ferrum, odorem dirum ad æs referri. Etenim æs ærugine infectum mali est odoris, quæ ærugo dirissimum tunc odorem haberet, quum ex contactu menstruorum in æs venerit. Sed & Columella *æneam rubiginem* alicubi dixit. Ærugo porro viridis est obscuri, unde & nigrescere dici queat: ut rubigo rubei coloris ad nigrum inclinantis, unde & *ferrugineum* μέλαν & κυάνεον interpretantur. *Ferrugo* autem ἰὸς σιδήρου. Idem Plinius lib. XXVIII. cap. VII. scribit lina nigrescere, cum ea, quibus tundantur, mallei nempe stuparii; menstruo inquinata sunt. Ita autem verba ejus sunt emendanda: *multa diximus de hac violentia: sed præter illa certum est, apes tactis alveariis fugere, lina, cum quibus cudantur, inquinantur nigrescere.* Vulgo est: *linaque cum coquantur, nigrescere.* Quis coqui lina meminit? aut cui rei coquantur? veteres legunt: *lina eum quibus cogantur, inquinantur.* Scriptum erat, *codantur*, pro *cudantur.* Inde fecerunt, *coquantur.* Legi etiam posset: *tundantur.* Tundebantur autem lina malleo stupario, ut excorticarentur.

Nocituri morsibus, quibus limphaticos faciunt] Ὑδροφόβους intelligit. Glossæ: Limfatici, ἐνθουσιαζόμενοι. Plinium explicat, qui ita scribit: *& in rabiem aguntur gustato eo canes, atque insanabili veneno morsus infigitur.* Vulgo legitur in editis *inficitur*, sed libri omnes habent, ut scripsimus. Nec bene viri, qui *infligitur* rescribunt, quasi *morsum infigere* non sit Latinum. *Insanabile venenum* morsui rabiosæ canis inesse dicit, ut alibi, *rabiem canis homini pestiferam letali aquæ metu.* Ovidius:

Solvere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis ulla medetur aquis.

Huic tamen malo remedium repertum oraculi monitu ætate sua scribit idem Plinius, ex radice rosæ sylvestris, quæ *Cynorrhoda* appellatur. Hodie alia sunt remedia, & nos de Hydrophobia alibi.

Pag. 4. G. *Parva hæc sunt: in bitumen Judæa Asphaltites gignit lacus*] Ita libri. Vulgo erat: *Bitumen nascitur, quod Asphaltites gignit lacus.* In aliis non habentur illa: *parva hæc sunt.* Quæ addidisse videtur auctor in editione à se recognita. Pro his Plinius: *Quin etiam bituminum sequax alioqui, ac lenta natura in lacu Judææ, qui vocatur Asphaltites, sed certo tempore anni supernatans, non quit sibi avelli, ad omnem contactum adhærens, præter quam filorum, quæ tale virus infecerit.* Ita legendus ille Plinii locus. Vulgo legitur: *præterquam filo, quod tale virus infecerit.* Perperam. In libris, *que* & *quem*, ad omnem, inquit, contactum adhæret bitumen, præterquam si filis contingas, quæ infecta sint cruore menstruo. Atque ita se in Plinio legisse ostendit Solinus his verbis: *sed ubi admota fuerint cruore illo polluta fila, sponte dispergitur.* Sic ad contactum filorum menstruo infectorum non adhæret, sed dispergitur. Legi etiam posset: *ad omnem contactum adhærens præterquam fili.*

Et adplicata tabe diducitur paulo ante corpus unum] Delrius ex suis profert *labe.* Idem malè *deducitur* edidit, quum omnes ante editiones rectè habuerint, *diducitur.* Satis notum est quid intersit, inter *deducere*, & *diducere: degredi* ac *digredi*, & similia. Excerpta Solini versibus reddita, quæ à Marquardo Frehero, τῷ μακαρίτῃ olim habuimus:

--- *linaque si prædicta tabe cruenta*
Admoveas, omne sparsum diducitur ab se,
Quodque tenax fuerat nimium, se sponte recidit.

Deducere est καθαιρεῖν: *diducere*, διαιρεῖν. Scripsere omnes tenacitatem bituminis filis menstruo pollutis, aut etiam lotio diduci, ac dissolvi. Atqui contrarium planè apud Strabonem ex Posidonio refertur lib. XVI. ubi ait dicere Posidonium, quasi hoc ipsum narrantibus Judæis, incantationibus quibusdam, & lotii, menstruorumque adspersione, bitumen τὴν πῆξιν accipere, & in duritiem cogi, ac sic deinde incidi, ac diduci, securibus scilicet aut dolabris: γόητας δὲ ὄντας σκήπτεσθαι φησὶν ἐπῳδὰς ὁ Ποσειδώνιος τοὺς ἀνθρώπους καὶ οὖρα καὶ ἄλλα δυσώδη, ἃ περικαταχέαντας καὶ ἐκπιάσαντας πήττειν τὴν ἄσφαλτον, εἶτα τέμνειν. Hanc fuisse Posidonii sententiam declarant Strabonis, quæ sequuntur, quibus docet, id fortasse acceptum referri debere facultati, ac naturæ lotii, utpote quæ in vesica calculos, & lapides formare idonea sit, quum etiam ex urina puerorum chrysocolla coaguletur. Nihil erat igitur causæ, cur ad eum locum Strabonis vir magnus adduceret verba Josephi quasi idem confirmantia, quum ex diametro contraria sint. Scribit Josephus, τὴν ἄσφαλτον διαλύεσθαι ἐμμηνίῳ γυναικῶν αἵματι καὶ οὔρῳ οἷς μόνοις εἴκει: Posidonius apud Strabonem Judæos πήττειν τὴν ἄσφαλτον οὖρα περικαταχέαντας καὶ ἄλλα δυσώδη ὑγρά, ut sunt menstrua mulierum. Quæ differentia est inter πήττειν, & διαλύειν, eadem prorsus est inter Posidonii Judæos, & Josephum. Tacitus vero in quinto Historiarum scriptum reliquit bitumen non lotio, aut menstruo ut Posidonius, sed sparso aceto spissari, & in densitatem coire, abscindi autem cruore, quo fœminæ per menses exsolvuntur. Sed hanc fuisse veterum opinionem ibidem dicit: ceterum gnaros locorum tradere, *undantes bitumine moles pelli, manuque trahi ad littus; mox ubi vapore terræ vi solis inaruerint, securibus cuneisque ut trabes aut saxa discindi.* Eadem Strabonis sententia, quod ad κοπὴν καὶ τομὴν attinet, sed aliam causam planeque pugnantem τῆς πήξεως ejus & concretionis allegat. Vult Tacitus vapore terræ, & vi solis in duritiem lapidis bitumen cogi, Strabo id frigore aquæ fieri contendit. Πάλιν δὲ, inquit, μεταβάλλουσα εἰς πάγον ἰσχυρὸν ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ ὕδατος, οἷόν ἐστι τὸ τῆς λίμνης ὕδωρ, ὥστε τομῆς καὶ κοπῆς δεῖσθαι. Quid tam diversum? Vir tamen maximus Strabonem, & Tacitum in eadem sententia esse affirmavit. Mirum vero adeo diversas, & inter se pugnantes super bituminis natura extare auctorum assertiones, quam propius noscere, atque oculis etiam usurpare licuit.

Pag. 5. A. *Ita ut hebetetur visu fulgor ostensus*] Plinius: *speculorum fulgor adspectu ipso hebetatur.* Idem lib. XXVIII. cap. VII. *Bythus Dyrrachinus hebetata adspectu specula recipere nitorem tradit, iisdem aversa rursus contuentibus.* Legendum, *Bithus.* Latinus enim ille scriptor, quem & inter auctores Romanos idem Plinius in indice, ubi & *Bithus* scriptum habet optimus liber. Et idem nomen est illius gladiatoris, de quo apud Horatium:

--- *uti non*
Compositus melius cum Bitho Baccius.

Ut *seculorum fulgorem hebetari* dixit Plinius, sic & *aciem cultrorum hebetari*, eodem libro & capite: *aciem in cultris tonsorum hebetari.* Ita libri. Vulgo *hebetescere.*

Post quinquagesimum fœcunditas omnium conquiescit] Plinius lib. VII. cap. XIV. *Mulier post quinquagesimum annum non gignit, majorque pars quadragesimo profluvium genitale sistit.* Quæ καταμήνια Aristoteli, Plinius vocat *profluvium genitale* in fœminis, non ineptè, ut vir doctus arguit, sed aptissimè & rectè, ideo enim genitale illud profluvium, quia eo cessante conquiescit facultas genitalis in mulieribus, & fœcunditas.

Nam in annum octogesimum viri generant] Aristoteles lib. VII. Hist. animal. cap. VI. Οἱ δ᾽ ἄνδρες οἱ μὲν πλεῖστοι γεννῶσι μέχρις ἑξήκοντα ἐτῶν, Ἐὰν δὲ ὑπερβάλῃ ταῦτα μέχρις ἑβδομήκοντα, καὶ ἤδη τινὲς γεγεννήκασιν ἑβδομήκοντα ἐτῶν ὄντες. Aristotelis ætate non extabat exemplum viri, qui octogenarius generasset, sicut ævo Plinii. Quædam, nec ignobilia usque ad hoc ævi hujus generationis reperiebantur exempla, ut Masinissæ, qui post octogesimum sextum; Catonis Censorii, qui octogesimo exacto filios generaverant. Non propterea tamen Plinius pronuntiavit, quod hic noster facit, in annum octogesimum viros generare, quia sciebat aliter ab Aristotele pronuntiatum. Et sanè τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ Philosophus sequitur, non ex raro contingentibus assertionem ducit, & axioma facit. Sic cum idem Aristoteles scribat mulierum fœcunditatem anno quinquagesimo stare, & nullam post hoc tempus gignere, quod & Plinius ex illo asserit, habemus tamen hodie exempla mulierum, quæ post quinquagesimum quartum partus tulerunt ac pertulerunt. Verum quia id raro contingit, non malè Philosophus, qui omnium pariendi facultatem quinquagesimo sisti pronuntiet, quod ita nempe sit ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

Masinissa rex Mathumannum filium] Ita scripsi, quod ita

ita in omnibus libris Solini repererim. Nec longè abeunt scripti Pliniani, in quibus legitur *Methymannum:* in quibusdam etiam, *Methymatnum.* Τȣ̃ a in e facilis & frequens mutatio, & τȣ̃ u in y, ut *Thule*, *Thyle* & similia. Vulgo, *Methymnum* heîc legebatur, quod nomen Græcum est potius quam barbarum.

Ex filia Salonii clientis] Optimi libri: *Saloni*, quod est pro *Salonii*: in aliis, *Salonis*, & *Solonis*. Sane in duobus antiquissimis Plinii codicibus, *Salonis* scriptum reperi.

Pag. 5. B. *Cum intercessit paullulum temporis, uterque residet*] Dicit inter duos conceptus, quum paululum temporis intercessit, utrumque residere. Clarus quidem sensus ex Plinio, & Aristotele, quum inter duos conceptus non multum temporis intercessit, utrumque ad maturitatem pervenire, & vitalem esse, sed verbum residere haud scio quam bene hoc exprimat. Plinii verba: *sed ubi paululum temporis inter duos conceptus intercessit, uterque perfertur.* Libri scripti eo loco præferunt: *utrumque perfectus.* Scribendum: *utrumque perfertur*, id est, utrumque puerperium: quæ vox præcessit apud Plinium. Aristoteles: ἐὰν δὲ ἐγγὺς ἡ σύλληψις ἐγένετο τὸ ἐπικυηθὲν ἐξήνεγκαν, καὶ τίκτουσιν ὥσπερ δίδυμα. Sic alibi loquitur Plinius, *quædam non perferunt partus:* ἔνιαι οὐκ ἐκφέρουσι τὰ κυηθέντα. *Residere*, quod in hac significatione apud Solinum heîc legitur, non satis aptum videtur. Forte scripserat auctor, *restet*, aut *restitet*. *Compertum & illud est, quod inter duos conceptus, cum intercessit paullulum temporis, uterque restitet.* Restare verbum vetus, idem quod perstare, & permanere ac resistere. Propertius:

Dum vincunt Graji, dum restat barbarus Hector.

Arnobius lib. III. *Neque enim restare sine assertoribus non potest religio Christiana.* Ita enim liber Regius. Vel *restare* pro simplici stare ἀρχαϊκῶς: ut *reddere* pro dare. Ennio:

--- atque Ilia reddita nuptum.

Restare hic puerperium dicitur, quod perfertur, nec abortu egeritur: quod fit cum inter duos conceptus plusculum temporis intercessit. Aristoteles: τὰ μὲν ἐν ὑστέρον πολλῷ χρόνῳ συλληφθέντα οὐδὲν λαμβάνει τὸ τέλος, ἀλλὰ πόνον παρέχοντα συνδιαφθείρει τὸ προϋπάρχον. Videri tamen possit eodem significatu hîc positum à Solino, *residet*, ut diversa notione partus residere dicatur, qui remanet, & perfertur, ab eo qui fluxu abortivo excidit, nec hæret aut residet in utero usque ad finem exactorum mensium. Sic *remanere* eodem sensu dixit infra: *è geminis si remanente altero, abortivo fluxu exciderit alter, qui legitimè natus est, Vopiscus nominatur.* Nihil verius.

Sicut in Hercule, & Iphicle apparuit.] Sic reposuimus, *Iphicle*, inquam, pro *Iphiclo*, quod hactenus editiones insederat. *Iphicles*, non *Iphiclus* vocabatur Herculis frater. Corrigendus etiam Plinius, apud quem simili mendo legitur, *ut in Hercule & Iphiclo fratre ejus apparuit.* Nam rectè ibi libri scribunt, *Iphicle.* Aristoteles, unde Plinius accepit: καὶ τίκτουσιν ὥσπερ δίδυμα γόνῳ, καθάπερ καὶ τὸν Ἰφικλέα καὶ τὸν Ἡρακλέα μυθολογοῦσι. Scio apud Servium *Iphiclum* extare, sed cum vitio, vel ipsius Grammatici, vel exscriptorum ejus. Ἴφικλος & Ἰφικλῆς diversa sunt nomina. Ἰφικλῆς filius Amphitryonis, Herculis frater. Apollodorus lib. II. Ἀλκμήνη δὲ δύο ἐγέννησε παῖδας. Διὶ μὲν Ἡρακλέα μιᾷ νυκτὶ πρεσβύτερον, Ἀμφιτρύωνι δὲ Ἰφικλέα. *Iphiclus* autem eidem Apollodoro unus ex Thestii filiis. Ἴφικλος etiam Phylaci filius. Sic Πρόκλος & Προκλῆς. Ἄνδροκλος, & Ἀνδροκλῆς, Πάτροκλος, & Πατροκλῆς, diversa nomina.

Intervallis tamen, quibus concepti fuerant, nati videntur.] Nihil de istis intervallis apud Plinium. Hæc sua Grammatica Solinum docuit. Apollodorus:

Διὶ μὲν Ἡρακλέα μιᾷ νυκτὶ πρεσβύτερον,

Theocritus:

----- καὶ νυκτὶ νεώτερον Ἰφικλῆα.

Pindarus μιᾷ ἐν ὥρᾳ genitos scribit. Aristoteles διδύμους γόνῳ, non χρόνῳ fuisse scribit. Eodem utero gestatos, non simul, nec eodem tempore editos. Ἐὰν δὲ ἐγγὺς ἡ σύλληψις ἐγένετο τὸ ἐπικυηθὲν ἐξήνεγκαν, καὶ τίκτουσιν ὥσπερ δίδυμα γόνῳ, καθάπερ καὶ τὸν Ἰφικλέα καὶ τὸν Ἡρακλέα μυθολογοῦσι. Cum priorem Iphiclem nominet, videtur

A prius natum intellexisse, quam Herculem. Ergo & prius conceptum. Nam intervallis, quibus concepti fuerant, natos volunt. Alii Herculem πρεσβύτερον faciunt, ut Apollodorus. At plerique veterum priorem natu Iphiclem tradunt. Ex Amphytrione prius quam ex Jove gravidam fuisse fabulæ narrant. Ideo nocte uno πρεσβύτερος Iphicles.

Et de Proconnesia ancilla.] Ita Plinius. ἡ Προκοννησία. Sed vetustissimi quique Solini libri, *Proconensi.* Sic *Peloponense* dicebant, ἀντὶ τοῦ Πελοποννήσιον: quod erat pro *Peloponesense.* Ita *Proconense* pro *Proconesense.* Nam à voce *Peloponesus* ἐθνικὸν, Latinum *Peloponesense*, quod
B contractum est in *Peloponense*, quæ scriptura sæpe in libris occurrit. Sic & *Proconense.*

Hic Iphicles Jolaum creat.] Perperam in Delriana *Iphitus*, cum aliæ omnes editiones habeant *Iphiclus.* Legendum autem *Iphicles*, ut suprà. Ineptè vero & alieno prorsus loco, hæc de Jolao, & Sardinia, atque Olbiæ urbis origine heîc à Solino inserta sunt, ubi de hominis generatione tantum tractare proposuerat, quæ aptius retulisset infrà cap. IV. ubi Sardiniam describit.

Olbiam, atque alia Græca oppida.] Multæ urbes hoc nomine, etiam Sardiniæ: cujus tamen Plinius non meminit. Stephanus in Olbiarum enumeratione: ἕκτη
C Σαρδοῦς. Hujus mentio apud Florum nostrum loco corruptissimo, quem olim ex parte emendavimus, nunc quod superest corrigendum. Sic igitur ille lib. II. cap. II. *Lucio Cornelio Scipione quum jam Sicilia suburbana esset populi Romani provincia, serpente latius bello Sardiniam adnexamque Corsicam transiit: Olbiæ hîc, ibi Aleriæ urbis excidio incolas terruit.* Ita legendum docuimus ex vestigiis veteris scripturæ, quæ habuit: *Olbia hic Baleria urbis.* In Sardiniam, inquit, & adjunctam Corsicam transiit: Hîc, *in Sardinia*, Olbiam urbem: ibi, *in Corsica*, Aleriam urbem excidit. De Aleria urbe
D Corsicæ à L. Scipione expugnata fidem facit vetustissima ejusdem Scipionis inscriptio ad portam Capenam annis proximè præteritis effossa:

HIC. CEPIT. CORSICA. ALERIAQUE. URBE.
DEDET. TEMPESTATIBUS. AEDE. MERETO.

Vulgo legitur apud Florum: *ubi & sic Calaræ urbis excidio incolas terruit.* *Aleriæ* porro in Corsica meminit Ptolemæus, Ἀλερίαν κολωνίαν vocat.

Jolenses.] Ἰολαεῖς. Ab *Jolas*, non ab Jolaus. Nam Jolas, ut Archesilas, Agesilas & similia. Unde & Ἰολεῖα, ὁ ἀγών. Perperam *Ilienses* Plinio, qui sunt *Jolenses*, in Sardinia memorantur. Idem mendum infra cap. IV.
E notabimus.

Sternutatio post coitus cavenda.] Plinius lib. VII. cap. VI. *Oscitatio quidem in enixu letalis est, sicut sternuisse à coitu abortivum.* Partem hujus Pliniani loci heîc retulit Solinus, partem infrà reddet, sic furta sua tegi posse sperans. *Sternuere* autem, & *sternumentum* semper apud Plinium in scriptis; pro quibus ubique *sternutare*, & *sternutamenta* corrigunt. Perperam.

Pag. 5. C. *Quod si naturalis materia hæserit.*] Ad oram Regii Codicis: *natalis.* Sic *semen genitale* dicitur. Ex παρεκδόσει illa lectio.

Dolore gravidas admonebit.] Non rectè illi codices,
F qui habent, *doloris gravidas admonebit.* Non enim gravidæ doloris tunc admonentur, quis enim dolorem non sentiat, etiam non admonitus; sed dolor eas admonet τῆς κυήσεως, si decimo à conceptu die sentiatur. Plinius: *A conceptu decimo die dolores capitis, oculorum vertigines tenebræque.* Sed dolor hic, quo gravidas admoneri dicit Solinus, totius est corporis: nam sequitur de inquietudine capitis. Aristoteles: μετὰ δὲ τὰς συλλήψεις αἱ γυναῖκες βαρύνονται τὸ σῶμα πᾶν καὶ σκότοι περὶ τῶν ὀμμάτων, καὶ ἐν τῇ κεφαλῇ γίνονται πόνοι. Ταῦτα δὲ ταῖς μὲν θᾶττον καὶ σχεδὸν δεκαταίαις γίνονται. Sed & *admoneri dolore* simpliciter pro urgeri, & stimulari dolore. Sic *admonere fla-*
G *gello equos* Martiali. Sic *admonere otium palati*, incitare & exstimulare Arnobio lib. VII. *frustilla hæc parvula pro suavibus mateolis sumunt, non quibus famem sedent, sed ut palati admoneant otium, seque ipsos plenæ adpetitu voracitatis instigent.* Editur in vulgatis: *ut palatis admoveant otium*, nullo sensu. Nos ex Regio Codice ita emendavimus, in quo scriptum habetur: *ut palatia admoneant otium.*

Dein minui: ex ossibus spinas.] Sic in optimis, & vetustissimis

A stiſſimis exemplaribus legi. Ex univerſa carne dicit cor primum formari: ex oſſibus ſpinas. Mendosè in altero Regio: *dein minutas oſſibus ſpinas.* Quomodo & librum ſuum habuiſſe teſtatur Delrius, qui & locum hunc integrum non eſſe falsò ſuſpicatur.

Capital eſt, ſi pars alterutra noceantur.] Ita reſtituendum fuit, quia mutaverat Delrius. Quæ tamen eſt lectio omnium antiquitus editorum, ſcriptorumque. Loquendo genus ipſum adprimè Latinum, & bonis auctoribus uſurpatum, quo *noceri aliquis* dicebatur, & *nocere aliquem* pro lædere. Phœdrus:

----nocuit eum protinus.

B ἔϐλαψεν. Alibi plura exempla congeſſimus.

Melior eſt color gravidis, & pronior partitudo uteri.] Εὐχροώτεραι αἱ ἐγκυμονοῦσαι, καὶ ῥᾷον ἀπαλλάττουσι.

Pag. 6. D. *Crura quoque præpedit languida tarditate.*] Plinius lib. VII. cap. VI. *ingeſtabile onus, crurum & inguinum levis tumor.* Scribendum ex veteri libro: *& inguinis lævi tumor.* Hæc Plinius ex Ariſtotele, qui tamen inguinis lævi non meminit. Verba Ariſtotelis, quæ Plinius expreſſit, hæc ſunt lib. VII. cap. IV. hiſt. animal. Ἀχρωέστεραι γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ βαρύτερον διάγουσι καὶ πολλαῖς περὶ τὰ σκέλη οἰδήματα, ἢ ἐπάρσεις γίνονται τῆς σαρκός. Ubi ἐπάρσεις τῆς σαρκὸς videtur accepiſſe

C pro tumoribus inguinis, ex alio loco capitis III. ejuſdem libri, qui ita habet: ὅταν δὲ συλλάβωσιν, αἴσθησις μάλιστα ἐγγίνεται ἐν τοῖς λαγόσιν. Ἐνίαις γὰρ γίνονται πληρέστεραι εὐθύς, μᾶλλον δὲ ἐπιδήλως τοῦτο συμβαίνει ταῖς ἰσχναῖς, καὶ ἐπὶ τοῖς βουβῶσιν. Pleniores circa latera & inguina fieri, nihil de lævo inguine dicit. Sequitur ſtatim: ἐπὶ μὲν τῶν ἀρρένων ἐν τῷ δεξιῷ μᾶλλον περὶ τὰς τετταράκοντα ἡμέρας γίνεται ἡ κίνησις, τῶν δὲ θηλειῶν ἐν τῷ ἀριστερῷ περὶ ἐννενήκονθ' ἡμέρας. Plinius abſque dubio ἐν τῷ δεξιῷ βουβῶνι accepit, quia proximè præceſſerit, ἐπὶ τοῖς βουβῶσιν, quum ad λαγόνας potius referri debeat, &

D σχῆμα ſit, quod vocant πρὸς τὸ σημαινόμενον, quaſi πλευρᾷ dixiſſet: aut τὸ δεξιὸν καὶ ἀριστερὸν abſolutè pro dextera, & læva parte, poſuit. Ita Plinium, ut diximus, intellexiſſe, illud argumento eſt, quod nonageſimo die primum motum fieri, in ſequiore ſexu geſtando dicat, nec addat quo in latere: *crurum*, inquit, *& inguinis lævi tumor, primus autem nonageſimo die motus.* Ariſtoteles: τῶν δὲ θηλειῶν ἐν τῷ ἀριστερῷ περὶ ἐννενήκονθ' ἡμέρας.

In utroque ſexu cum capilli germinant.] Videtur legiſſe apud Plinium: *ſed plurimum languoris in utroque ſexu capillo germinante partus*, id eſt, cum capillus τοῦ κυήματος germinat. Atque ita in quibuſdam antiquis Plinii libris legitur. Vulgo habent: *capillum germinante partu.*

E Ita verbum *germinare* in ſignificatione patiendi ſumebant. Solinus ſuprà: *contactæ fruges non germinabunt.* Hinc compoſitum *congerminaſcere* apud Nonium, quod ipſe interpretatur *coaleſcere*, & *conjungi*, hoc eſt συμφύεσθαι. Perperam hodie in Nonio legitur *congermanaſcere.* Quadrigarius: *facite exempla eorum, ut vos cum illis congerminaſcere ſciatur.* Varro Rerum Human. lib. III. *poſtea cum his una Remp. conjuncti, & congerminati tenuere.* Ita ſcribendum. Vulgo: *congermani tenuere.* Quod Latinum non eſt, nedum Varronianum. Legi etiam poſſet, *congermini*, συμφυεῖς. Notabis autem

F in ſuperius allatis Plinii verbis *partum* poni pro Embryo, quod eſt in utero: *capillum germinante partu.* Mira ſane loquutio: *partus*, pro fœtu, qui nondum eſt editus. Ita etiam loquutus Vitruv. II. 9. Sic enim ibi legunt omnes vetuſtiſſimi libri: *uti etiam corpora muliebria cum conceperint ad fœtus a partu non judicantur integra.* Ubi manifeſto *partum* uſurpavit ἀντὶ τοῦ κυήματος: *fœtum* autem dixit de puerperio. Hinc *fœta*, quæ peperit, Latine etiam dicitur.

Pag. 5. E. *Et cum capilli germinant, incommodum majus eſt.*] Languorem Plinius vocat. Ariſtoteles, ἄσην. Μάλιστα δὲ ἀσῶνται, ὅταν ἄρχωνται τὰ παιδία τρίχας ποιεῖν.

G Ἄσην Proprie Græci dicunt animi quandam moleſtiam & languorem, quo nobis omnia diſplicent, ubi rerum hominumque nos ſatietas tenet. Ἀηδίαν & λύπην Grammatici exponunt. Pollux: βαρυθυμία, ἀχθηδὼν ἄση, ἄλις.

Quod tempus etiam editis ſemper nocet.] Legit Delrius: *quod tempus etiam editis recens nocet.* Ineptè. Plinius: *quod tempus editos quoque infantes præcipuè infeſtat.* Quod Plinio *præcipuè*, Solino *ſemper*.

Cum ſalſiores eſcas edit gravida, unguiculis caret partus.] Plinius lib. VII. cap. VI. *adeoque inceſſus, atque omne quidquid dici poteſt in gravida refert: ut ſalſioribus cibis uſæ carentem unguiculis partum edant.* Quid inceſſus ad cibos ſalſiores pertinet? multum ſanè refert, quomodo incedat gravida, nam ſi cadat, abortionis incurrit periculum. Verum hoc nihil ad hunc locum, qui de Ariſtotele expreſſus eſt, cujus hæc ſunt verba: καὶ τῶν ἐδεσμάτων δὲ τῶν προσφερομένων πλεῖστον φαίνεται πολλάκις. Τῷ ἁλὶ δὲ δαψιλεστέρῳ χρησαμένων οὐκ ἔχοντα γίνεται τὰ παιδία ὄνυχας. Omnino in Plinio ſcribendum: *adeoque, & ineſus, atque omne quidquid dici poteſt.* Ineſum dixit pro eſu. Optimus Rigaltii liber habet *incenſus*, & ſuprà correctum, *inceſſus.* *Inedere* pro ſimplici edere: ut *inaudire*, *incingere*, hoc eſt audire, & cingere, & alia ſexcenta. Sic Græci ἐμφαγεῖν, & ἐμπιεῖν pro ſimplicibus πιεῖν, & φαγεῖν.

At cum prope ad uterum liberandum.] Hinc *deliberari* hodie dicimus propriè de gravidis, quæ partu liberantur. Nam & *deliberare* poſtima Latinitas dixit pro liberare: Græci ἀπαλλάττειν. Ariſtoteles: ῥᾷον ἀπαλλάττουσιν αἱ τὰ ἄρρενα κύουσαι: *facilius liberantur, quæ mares geſtant.* Et δυσαπαλλακτότεραι, quæ difficilius enituntur.

Enitenti ſpiritum retinere plurimum congruit.] Hæc ex Ariſtotele, non enim ex Plinio. Sic autem ille lib. VII. cap. IX. Ταῖς δὲ γυναιξὶ συμβαίνουσιν οἱ πόνοι ἰσχυρότεροι καὶ μάλιστα ταῖς ἑδραίαις, καὶ ὅσαι μὴ ἔμπλευροι, μηδὲ δύνανται κατέχειν τὸ πνεῦμα. Ideo autem parturientibus expedit ſpiritum retinere, quia faciliores habent nixus, quæ animam cohibent. At ratio, quam ſubjicit Solinus, non eſt Philoſophi, ſed Solini ipſius: *quoniam quidem*, inquit, *letali mora oſcitatio ſuſpendit puerperia.* Quaſi vero, quæ ſpiritum retinere non queunt, omnimodo oſcitandi neceſſitate teneantur. Fœminæ, quæ inter enitendum collectum ſpiritum cum impetu emittere cogebantur, eas difficiliori defungi partitudine ſcribit Ariſtoteles eodem loco: δυστοκοῦσι δὲ μᾶλλον καὶ ἐὰν μεταξὺ ἀποπνεύσωσιν ἀποβιαζόμεναι τῷ πνεύματι. Graviores ſuſtinent in pariendo labores fœminæ illæ, quibus facultas non ſuppetit retinendi ſpiritus; quæ vero eum cohibere volentes, repente vi victæ reſpiraverint, eas longè gravius laboraturas, & ægrius enixuras tradit Philoſophus. Hoc idem Plinius his verbis: *adeoque inceſſus, atque omne quidquid dici poteſt, in gravida refert: ut ſalſioribus cibis uſæ, carentem unguiculis partum edant: & ſi reſpiravere, difficilius enitantur.* Sequitur protinus apud Plinium: *Oſcitatio quidem in enixa letalis eſt, ſicut ſternuiſſe abortivum.* Oſcitationem à reſpiratione ſeparat. Quæ ſpiritum retinere non poteſt, nihil pejus conſequitur, quam ut eum emittat, ac reſpiret: quo facto difficilius enititur. Plinius certe non dicit oſcitatione ſuſpendi puerperium, ſed ſimpliciter eam letalem eſſe in enixu ſciſcit. Optimus liber habet, *in enixa*, longe diverſo ſenſu, id eſt, in ea, quæ enixa eſt, poſt partum nimirum: ut ſternutatio poſt coitum abortiva. Utrum verius ſit, viderint obſtetrices, & medicorum filii. Solinus certè *in enixu* videtur legiſſe. Quem video quid moverit, ut ſpiritum ideo retineri diceret à nixurientibus, quia oſcitatio letalis eſſet. Hominibus, qui morbo eo tenentur, quem vocant oſcedinem, plurimum congruit ſpiritum retinere. Id enim ei malo unicum eſſe remedium aliquis Ariſtophani præcipit in convivio Platonis. Quia autem oſcitatio in partu letalis, ne in eam inciderent parientes, eas putavit Solinus ideo ſpiritum cohibere ſolitas, ac vetitas reſpirare. Hoc illum non dubito in mente habuiſſe. Sed heîc etiam eum non minus quam in aliis ratio fugit. Etenim illa ſpiritus repreſſio ei cum maximè conducit, cui oſcitandi neceſſitas incumbit, quique jam ea tenetur: at ne hoc vitio tenearis, priuſquam inciderit, ſpiritum propterea velle retinere, vanum & irritum. Non igitur ea re ſpiritum retinebant enixus tempore gravidæ, ne in letalem oſcitationem inciderent, ſed ut facilius eniterentur: cujus rei ratio in promptu apud naturæ ſtudioſos. Oſcitationi vero quæ inter enitendum gravidæ contigerit, ſerum remedium in ſpiritus cohibitione, utpote malo letali, illo in tempore, & illo in loco.

Con-

Contra naturam est in pedes procedere nascentes] Vetustissimus liber Plinii: *in pedes procidere nascentem, contra naturam est*, quod verum puto. Cadere, & procidere de nascentibus pueris olim dictum, quod in terram caderent, eamque tangere prius sinerentur, quam incunabulis exciperentur. Statius:

----cadentem
Excepi gremio.

Nec apud me controversum est, quin ita in Solino reponi debeat. Plinius eo allusit in præfatione lib. VII. *Hominem tantum nudum, & in nuda humo natali die statim abicit ad vagitus, & ploratum.*

Quapropter, velut ægrè parti, appellantur Agrippæ] Libri meliores, *velut ægri parti.* An unica voce, *velut ægriparti?* Plinius: *eos appellavere Agrippas, ut ægrè partos.* In libris: *ægrè partus.* Unde sunt, qui faciant, *ægri partus*, quos non audio. Solinus in Plinio legit, *ægrè partos.* *Ægri partos* autem potius dixit, ut ad vocem *Agrippa* propius accederet. Nam veteres *ægri* & *ægrè*: ut *peregri*, & *peregrè*: *præfiscine* & *præfiscini*, indifferenter usurpabant. Sic *primi cata* Plauto, pro *primè cata.* Ita *ægri parti* hoc loco, pro *ægrè parti.* Gellius lib. XVI. cap. XVI. *Quorum in nascendo non caput, sed pedes primi extiterant, qui partus difficillimus, ægerrimusque habetur, Agrippæ appellati; vocabulo ab ægritudine, & pedibus conficto.* Immo, *ab ægritudine partus conficto.* Atque ita omnino scripsisse Gellium autumamus. Nam ridiculum est illud de pedibus, cum Agrippam non à pedum ægritudine, sed ab ægro partu dictum voluerint. Sed & index capitis sic scripsisse Gellium arguit: *Agrippas à partus ægri, & improsperi vitio appellatos.* Ceterum nonne ridiculi & absurdi veteres illi, quamlibet doctissimi homines, qui *Agrippam*, quasi ægrè partum dici somniarunt, cum vocabulum sit merè Græcum, ὁ Ἀγρίππας? Strato Sardianus antiquissimus Epigrammatarius delicii sui Agrippæ vocati meminit hoc epigrammate nondum edito:

Αἰετὸς ἐν πτερύγεσσιν Ἀγρίππαν τὸν καλὸν ἡμῖν
Ἤδη πρὸς μακάρων ἦγε διηκονίας.

Ἀγρίππας Judæus non Latino, sed Græco nomine sic appellatus. Sosipater Grammaticus Ἀγρίππαν inter nomina merè Græca recenset his verbis: *sed tum primi ordinis, quum genitivum Græcum habuerint per ου: ut ὁ Αἰνείας Αἰνείου, hujus Æneæ: ὁ Ἀγρίππας τοῦ Ἀγρίππου, hujus Agrippæ: ὁ Ἄντας τοῦ Ἄντου, licet Attici τοῦ Ἀγρίππα dicant.* Lege: ὁ Ἀνίας τοῦ Ἀνίου. Τοῦ Ἀγρίππας, ut nominis Græci meminit alicubi vetus Scholiastes Theocriti. Ex Græcia igitur hoc nomen, ut alia infinita, sumpsere Latini. Olim prænomen illis fuit, postea cognomen. Nec ita cognominatum Marcum Agrippam existimo, quod pedibus in nascendo primis exierit, aut, si ita natus est, non propterea hoc cognominis nactum fuisse. Puto magis Plinium ex solo cognomine conjecisse ita natum esse. Ut ut sit, Ἀγρίππας Græcum nomen, ἀπὸ τοῦ ἀγρεῖν & ἵππος.

Et de vita ævo breviori decedunt] Ita Delriana, & aliæ editiones. Quæ concinnata lectio est è duabus. Solinus in προεκδόσει scripserat: *& vita breviori decedunt.* Mutavit in διασκευῇ, & scripsit: *& de vita ævo brevi cedunt.* Ex utraque compacta est, quæ vulgatur. Reposuimus igitur eam, quam nobis constitit ex emendata editione esse. *De vita cedere ævo brevi* elegantius putavit, quam quod prius posuerat, *vita breviori decedere.* Horatius:

Vive memor quam sis ævi brevis.

Inde longævi, qui longo ævo de vita cedunt. *Decedere* simpliciter, & absolutè idem est, quod de vita cedere, & mori. Ut hinc pateat vitiosam esse lectionem editam, quæ habet, *de vita decedunt.*

Nam & misera pedum valetudine] Miseram valetudinem dixit pro mala, & adversa: valdè propriè. Nam & *miser locus*, ὁ πεπονθώς, & *miserum latus* Horatio: *misera bucca* Plauto: *dens miser* Marcello. *Miser* autem ex Græco μογερὸς, quod Æoles μυγερὸς dicebant. Latini enim τὸ γάμμα in σίγμα frequenter vertebant in his vocibus, quas ex Græco mutuabantur, ut alibi dicam. Legendum apud Plinium de hoc eodem Agrippa: *Qualiter & M. Agrippam ferunt genitum unico prope felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum genitis. Quam is quoque adversa pedum valetudine misera juventa*, &c. Sic enim distinguimus, at vulgo interpungunt: *adversa pedum valetudine, misera juventa.* Dicit miseram juventam Agrippæ fuisse adversa pedum valetudine. Nec aliquis de podagra accipiat, eoque adjiciat, senes ea tantum infestari: nam ordine procedit in enumerandis Agrippæ adversis. Sequitur apud eumdem: *exercito ævo inter arma mortesque, ad noxia successu.* Quis ille successus ad noxia, aut quomodo sumendus? scribe: *obnoxio secessu.* Etenim in libris, *adnoxio.* Intelligit secessum Agrippæ, cum ille ex levi frigoris suspicione, & quod Marcellus sibi anteferretur, relictis omnibus Mitylenas se contulit. Quem secessum *obnoxium* vocat: Suetonius lib. III. de Tiberio in secessu Rhodi: *Enimvero tunc non privatum modo, sed etiam obnoxium, & trepidum egit, mediterraneis agris abditus.* Et de Claudio: *nec eo minus obnoxius vixit.* Vocem *contumelius* addiderunt, qui, quid esset obnoxius, nesciebant. Sic Seneca de Beneficiis hominem animal esse *obnoxium* dixit, ubi & inferserunt *malo* homines imperiti, qua voce carent antiqua exemplaria. Sed de hujus vocabuli significatione nos alibi plura. Nobis heic satis est Plinii locum correxisse.

Præposteri ortus omen luit] Sic libri, & Plinius. Vulgo erat: *retroversi ortus.* Varro apud Gellium *perversos* vocat hujusmodi ortus, ut *rectos*, qui ritu naturæ veniebant, hoc est, qui capite gignebantur. Rectis partibus præsidebat *Prorsa* dea: ut præposteris *Postversa*, sive *Postvorta.* *Prorsus* autem veteres dicebant ἀντὶ τοῦ *provorsus*, id est antevorsus: cui contrarium est *postvorsus*, vel *postvortus*: ut *mertus*, & *mersus.*

Si concretum virginal fuerit] Ita libri omnes, quod & Plinius confirmat, lib. VII. cap. XVI. *Quasdam concreto genitali gigni infausto omine Cornelia Gracchorum mater indicio est.* Quid igitur sibi voluit Delrius, qui *consertum* in editione sua posuit? illud saltem rectè, quod *virginal* pro *virginale* reposuit.

Rursum necatis matribus natus est auspicatior] natus, ὁ γεννηθεὶς, atque ita nostri. Inter lineas Regii codicis glossæ vicem adscriptum erat, *id est, ortus.* Quod editiones, quia glossa erat, prætulerunt. Plinius lib. VII. cap. IX. *Auspicatius enecta parente gignuntur.* Libri Pliniani ibi habent: *enecata parente.* Lege: *Auspicatius è necata parente gignuntur.* Atque ita omnino legisse videtur Solinus.

Sicut Scipio Africanus prior] scilicet, natus est. At in Plinio scribi debet: *Auspicatius è necata parente gignuntur. Sic Scipio Africanus prior natus, primusque Cæsarum ab cæso matris utero dictus.* Rectè hic cepit Plinium Solinus. Hoc enim planè dicit, Scipionem Africanum priorem natum esse è necata parente, primùmque Cæsarum ita vocatum, quod excisus utero matris fuerit. Quod tamen falsum est: nam ante bellum Samniticum *Claudius* quidam *Cæsar* extitit. Falsa etiam nominis ratio: nec enim *Cæsar* à cæso utero dictus: id de *Cæsone* potius verum esset. Sed *Cæsar* antiqua vox Latina, quæ τὸν κχελῶνα significat; unde *Cæsaries*, vel *Cæsaria*, ἡ κόμη κχελῶσα. Et qui putant *Cæsarem* à cæsarie appellatum, falluntur, cum è contrario *cæsaries* à voce *Cæsar* sit deducta. Verùm de his aliàs.

Pag. 5. F. *E geminis si remanente altero alter abortivo fluxu exciderit*] Legendum; *E geminis si remanente altero, alter abortivo fluxu exciderit, qui legitimè natus est, Vopiscus nominatur.* Perperam repetitum est, *alter, qui legitimè natus est.* Nonius: *Vopiscus, qui ex duobus conceptis uno aborsu excluso, ad partum legitimum deducitur.* Ubi *exclusum abortu* ejectum dixit, & abortivo fluxu egestum. Sic apud Vopiscum in Aureliano: *vestis nova veterem excludat.* *Remanere* autem heic dixit de partu, qui in utero retinetur, ut suprà *residere*, Plinius *retineri.* Lib. VII. cap. X. *Vopiscos appellabant è geminis, qui retenti utero nascerentur, altero intercepto abortu.* Sequitur apud Plinium: *namque maxima, etsi rara, circa hoc exempla existunt.* Sic enim legimus è libris, vulgo edunt: *maxima, & rara.* Rarum certè est, ut ex duobus puerperiis uno conceptu formatis, abortu alterum excidat, alterum legitimè nascatur: nam γινομένης τοῦ ἑνὸς διαφθορᾶς συνδιαφθείρει τὸ περιὸν ὑπάρχον: & sic neuter residet.

det. Quod de duobus intervallo conceptis dixit Aristoteles, hoc idem de geminorum conceptu dici potest.

Alter abortivo fluxu exciderit] Verbo Aristotelis usus est, ἐκπεσόη. Ita enim ille lib. VII. cap. V. ἤδη γὰρ γυναικός τινος διαφθορᾶς, καὶ δέκα συνέβη καὶ δώδεκα ἐκπεσεῖν τὰ ἐπικυηθέντα. Quæ Plinius ita reddidit: *extat in monumentis & medicorum, & quibus talia consectari curæ fuit, uno abortu duodecim puerperia egesta.*

Vopiscus nominatur] Nullam hujus nominationis video rationem, cur enim *Vopiscus*, qui de duobus unà conceptis in utero remansit, altero per abortum egesto? aut unde hæc ἐτυμότης? Immane quantum in veriloquiis horum nominum eruendis à vero aberret Grammaticorum curiositas: nunquam scopum feriunt. Vopisci originatio, unde eam veteres arcessunt, prorsum falsa est. Græca enim est, ut complurium fermè Romanorum nominum. Ὦπις utriusque sexus commune nomen, ut Ἶφις, Νύμφις & similia. Vetus epigramma Simonidis nondum editum:

Πατρίδα κυδαίνων ἱερὴν πόλιν Ὦπις Ἀθάνας
Τέκνον μελλαίνης γῆς χαρίεντας αὐλὰς.

Unde ὑποκοριστικὸν Ὠπίσκος, ut Μύσκος, Φιλίσκος, addito digamma Æolico βοπίσκος, *Vopiscus.* Nihil certius. Valerii Maximi fragmentum de nominum ratione: *Vopiscus, qui in utero matris geminus conceptus altero abortu ejecto incolumis editus erat. Hostus prænomen fuit in eo, qui peregrè apud hospitem natus erat.* Similis nugatio de Hosto. *Hostus, quasi apud hospitem natus.* Vox Latina *hostus*, unde *hostorium*, quo modius æquatur, & cumulus deruitur, & verbum *hostire*, quod est æquare, & *hostimentum*, ἀμοιβή. Unde & *redhostire*, par pari referre. *Hostus* igitur æquum, vel æquatum significat, inde *inhostus* pro iniquo & injusto. Quam vocem Arnobio ex scriptis alibi restituimus. Ea etiam usus Tacitus lib. II. Hist. Vitellius *ventri & gulæ sibi inhostus.* Ita enim in Florentino extare scriptum adnotavit Pichena. Sic lib. XV. Annal. *pacem inhostam* pro iniqua dixit: *bellum anceps, an pax inhosta placeret.* Ubi vulgo editum est, *an pax in hoste placeret. Hostus* χωστός. *Hostus*, æquus: *hostio*, exæquo: *inhostus*, iniquus. Sic *obœdus*, *obœdio*, & *inobœdus*, qui non obœdit. Arnob. VII. *Apud quem causa tanti fuerat motus, & inobœda cessatio.* Ita eo loco scribit vetustissimus codex regiæ bibliothecæ. Sic apud eundem, *inimica cessatio.*

Continui ossis armantur soliditate] Μονόδοντες vocabantur, quod unum os haberent dentium loco, quasi unum haberent dentem.

Quos cynodontas vocant, quibus gemini prodeunt] Planiore sensu dixisset; *quibus gemini prodeunt, à dextra parte, quos cynodontas vocant.* Ne sic quidem satis plane eloquutus esset. Omnes libri cum veterrimis editionibus interserunt particulam &, hoc modo: *quos cynodontas vocant, & quibus gemini procedunt.* Hinc non vana mihi suspicio scripsisse Solinum: *Ipsum dentium numerum discernit qualitas sexus, cùm in viris plures sint, in fœminis pauciores, quos cynodontas vocant, & quibus gemini procedunt à dextera parte, fortunæ blandimenta promittunt, quibus ab læva versa vice.* Ita inquam scripsit, & distinxit Solinus. Et nisi eum scirem esse, qui plura & majora soleat peccare, non illi hunc errorem imputarem, putavit ille non dentium numero simpliciter discerni qualitatem sexus, sed eorum dentium speciatim, quos *caninos* vocant Latini, κυνόδοντας Græci: ut pauciores in fœminis fuerint hujusmodi, in viris plures. Qui textum, ac structuram orationis ejus consideraverit, haud aliter pronuntiabit, quam ita eum sensisse. Hoc tamen falsissimum. Quis negat? Hic vero auctor nugacissimus, ac futilissimus, quod nemo negaverit, aliud agens, aut dormitans verba Aristotelis, aut Plinii legebat, ut minus mirum sit male intellexisse. Sic Aristoteles lib. II. cap. III. de Hist. animal. Ὀρίζουσι δὲ τοὺς τε ὀξεῖς καὶ τοὺς πλατεῖς οἱ καλούμενοι κυνόδοντες, ἀμφοτέρων μετέχοντες τῆς μορφῆς. Ἄνωθεν μὲν γὰρ εἰσὶ πλατεῖς, κάτωθεν δὲ εἰσὶν ὀξεῖς. Ἔχουσι δὲ πλείους οἱ ἄῤῥενες τῶν θηλειῶν ὀδόντας. Verba ista, ἔχουσι δὲ πλείους οἱ ἄῤῥενες τῶν θηλειῶν, omissa voce ὀδόντας, videtur Solinus retulisse ad κυνόδοντας. Si quis eum sublevare vellet, scripsisse diceret: *quos κυνόδοντας vocant, eis quibus gemini prodeunt à dextera parte, fortunæ blandimenta promittunt.* Verum, si sic scripsisset, ansam Isidoro præcidisset non ferendæ hallucinationis, qua portentosorum hominum speciem ex hoc loco finxit, qui *cynodontes* vocarentur, quibus gemini nimirum procederent dentes. Sic ille lib. XI. Originum, cap. de portentis: *Alii magnitudine partium, veluti capite informi, aut superfluis membrorum partibus, ut bicipites, & trimani: vel Cynodontes, quibus gemini procedunt dentes.* Quem errorem hausit hinc, ubi & veteres libri *procedunt*, non *prodeunt.* Atque ita edidimus. Ita igitur heîc Isidorus legebat: *Cynodontas vocant, & quibus gemini procedunt.* Considerari etiam merentur hæc verba Solini: *ipsum dentium numerum discernit qualitas sexus.* Immo ipse dentium numerus discernit qualitatem sexus, cum plures in viris, quam in fœminis. Non aliter tamen libri. Qualitas sexus etiam discernit numerum dentium. Nam major numerus dentium in viris: minor in fœminis. Hæc illius argutatio fuit. Verba hæc ipsa Solini Isidorus transtulit in cap. I. lib. XI. de homine, & partibus ejus: *dentium autem numerum discernit qualitas sexus. Nam in viris plures, in fœminis pauciores existunt.* Ut pateat ab eo totum hunc Solini locum sic lectum fuisse, ac distinctum: *ipsum dentium numerum discernit qualitas sexus, cum in viris plures sint, in fœminis pauciores. Cynodontas vocant, quibus gemini procedunt à dextera parte.*

Quibus gemini procedunt à dextera parte.] Ita libri & Isidorus. Nam vulgo, *prodeunt.* Procedunt autem extra ordinem ceterornm dentium, & prominent. Lucillius: ... *quid*

Broncus novi lanius dente adverso eminulo uno?

Intelligit igitur Solinus fortunæ blandimenta iis promitti, quibus gemini dentes, quos caninos vocant, à dextra parte procedunt, tam in superiore scilicet, quam inferiore maxilla: quum enim in totum quatuor sint, bini in unaquaque maxilla, utrinque singuli, quidvidunt τοὺς πλατεῖς ἀπὸ τῶν ὀξέων, gemini à dextra parte secundum Solinum procedunt, unus in superno dentium ordine, alter inferiore. Aliter Plinius, ut ejus verba sonant, quæ ita concepta sunt: *quibus in dextera parte gemini supernè à canibus cognominati fortunæ blandimenta pollicentur.* Nulla varietas in libris, quos inspeximus. Hoc est, quibus in dextera parte, supernè, id est, ἄνωθεν in superna oris parte, gemini Cynodontes fuerint, iis fortunæ gratiam ac favorem promitti. Duo ἄνωθεν κυνόδοντες: duo κάτωθεν, utrinque singuli, ergo de his intelligit Plinius, qui non singulos, in dextra parte supernè habuerint caninos, sed qui binos, vel geminos. Haud aliter liceat interpretari. Scio viros doctos *superant*, pro *superne* reponere apud Plinium, & *superant* accipere pro eminent, quod Solinus dixit *procedunt.* Primum id contrà libros: deinde *superare* vix illo sensu positum reperias. Quis enim dentem superare dixerit, qui emineat? Quid si Solinus eadem mente, qua Plinius, geminos caninos in dextera parte procedere dixit? immo certum est, idem eum sensisse. Sic *procedere* Solini prominere non erit, sed ἐκφύεσθαι. Vox *gemini* aperte ostendit ita accipiendum esse in Plinio, ut in nostro, quibus gemini procedunt, in dextera parte canini, non singuli. Et hæc causa est, quæ in errorem impulit Solinum, ut crederet Plinium dixisse plures caninos in viris esse, quam in fœminis. Scribit Plinius: *fœminis minor numerus: quibus in dextra parte gemini supernè, à canibus cognominati, fortunæ blandimenta pollicentur, ut in Agrippina Domitii Neronis matre: contra in læva.* Ita Plinium interpretatus est, quasi vellet fœminis minorem numerum esse dentium, qui canini cognominantur, quam viris: binos quippe utrimque in superna oris parte viris inesse, fœminis tantum singulos: quibus autem fœminis gemini procederent in dextra parte superne, iis fortuna blandiente prosperos evenire successus, ut Agrippinæ, Domitii Neronis matri. Hanc omnino mihi liquet mentem Solini fuisse.

Nascentium vox prima vagitus est.] Ex Plinio in præfatione lib. VII. cujus locus ita interpungendus: *Hominem tantum nudum, & in nuda humo, natali die abicit ad vagitus statim, & ploratum, nullumque animalium aliud, ad lacrimas & has statim vitæ principio.* Hominem, inquit, tantum, nullumque animalium aliud, abicit ad vagitus statim

ſtatim & ploratum, ad lacrimas, & has ſtatim vitæ principio. Vulgo male interpungunt, quæ cauſa extitit Hermolao legendi, *nullumque animalium aliud pronius ad lacrimas.* Ad vagitus, & ploratum, ad lacrimas. Ita Plinius loqui amat.

Lætitiæ enim ſenſus differtur in quadrageſimum diem.] Riſum ita vocare palam eſt. Hoc tamen ſic ſimpliciter enuntiatum, falſum. Nam & intra quadrageſimum diem infantibus accidere tradit Ariſtoteles, ut rideant, ſed dormientibus. Ita ille lib. VII. cap. X. Τὰ δὲ παιδία πρὶν γένωνται, περὶ τετταράκοντα ἡμερῶν, ἐγρηγορότα μὲν οὔτε γελᾷ, οὔτε δακρύει, νύκτωρ δὲ ἐνίοτε ἄμφω. Sic riſus tantum vigilantium differtur in quadrageſimum diem.

Pag. 5. G. *Scilicet Zoroaſtrem.*] In plerìſque libris habetur ſcriptum: *Zoroaſtrem*, *Socratem.* Atque ita etiam in optimis. Quarum lectionum διττογραφία, aut ex ipſo auctore eſt, quum in priori editione *Socratem* pro *Zoroaſtre* poſuiſſet, atque inde poſtea librarius utriuſque lectionem more ſuo adpoſuit: aut ſanè à bonis viris hæc emendatio manavit, qui non potuerunt ferre Zoroaſtrem heìc appellari *optimarum artium peritiſſimum*, qui magicarum auctor fuit: itaque in locum Zoroaſtris Socratem repoſuerunt. Sanè monachus ille, qui Solinum verſibus reddidit, ante hos ſexcentos plus minus annos, *Socratem* hìc legere maluit, quam *Zoroaſtrem*:

Mox natus Socrates riſit, ſi credere fas eſt,
Quem non adverſæ, non res domuere ſecundæ.

Et profecto mirum magicas artes à Solino optimarum elogio donari. Melius Plinius, unde accepit, lib. VII. cap. XVI: *riſiſſe eodem die, quo genitus eſſet, unum hominem accepimus Zoroaſtrem: eidem cerebrum ita palpitaſſe, ut impoſitam repelleret manum, futuræ præſagio ſcientiæ.* Præterea, quum dicat Solinus, eadem hora, qua natus eſt, Zoroaſtrem riſiſſe, mox omnium artium peritiſſimum, peritiæ illius præſagium, non palpitationi cerebri, ut Plinius, ſed riſui videtur attribuere. Qua in re tam longe à veritate, quàm à Plinii abiit opinione.

Agelaſtus cognominabatur] Ita libri vulgo: *fertur Agelaſtus cognominatus.* Pro, *at Craſſus*, quidam libri habent, *Aulus Craſſus*, an Aulus prænomen habuerit ille Craſſus, neſcio. Plinius Craſſum tantum nominat, alii, niſi fallor, M. Craſſum. Qui Solinum verſu reddit, Craſſum.

Ejus avus Craſſi, quem Parthica bella tulerunt.
Dictus item Craſſus, nunquam riſiſſe probatur.

Adverſus omnem dolorem, & miſericordiam] Sic legimus omnibus libris adſtipulantibus, non *miſeriam*, ut habent vulgo editiones, quod ineptum eſt. Nam dolor ipſe miſeria eſt, vel ex miſeria dolor. At ἀπαθεῖς illi philoſophorum, qui omnes affectus animo exturbandos docebant, etiam τὸ ἔλεος, quod eſt πάθος, quo alienis malis, & dolori συμπάσχειν à natura jubemur, penitus exterminandum præcipiebant. Plinii verba ſic legenda ſunt lib. VII. cap. XIX. *Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quendam torvitatemque naturæ duram & inflexibilem, affectuſque humanos adimit; quales apathis Græci vocant, multos ejus generis experti, quod mirum ſit, auctores maximè ſapientiæ, Diogenem Cynicum, Pyrrhonem, Heraclitum, Timonem, hunc quidem etiam in odium generis humani evectum.* Apathis, ἀπαθεῖς. Vulgo *apathes.* Reliqua ex libris interpunximus, & legimus. Verum hæc levia, præ eo quod ſequitur: *ſed hæc pravæ naturæ inſignia in multis varia cognoſcuntur: ut in Antonia Druſi nunquam exſpuiſſe, in Pomponio Conſulari nunquam ructaſſe.* Quid? An pravæ naturæ inſigne, non ſpuere, non ructare? Ergo naturam ſuam depravabant olim Perſæ, qui propter exercitationes, quibus à puero aſſueverant, eam conſequebantur corporum ſiccitatem, ut neque ſpuerent, neque emungerentur, ut inquit Varro. Immo vero, quo exercitatiora corpora, eo minus hujuſmodi pravitatibus, ac vitiis naturæ obnoxia. Quare legendum in Plinio, ut habetur in libris: *ſed hæc parva naturæ inſignia in multis varia cognoſcuntur.* Narraverat Plinius in præcedentibus eodem capite aliquot magna naturæ inſignia, ut de Craſſo, qui nunquam riſerat: de Socrate, qui eodem ſemper vultu viſus eſt: de Heraclito, Diogene, Pyrrhone & aliis philoſophis, qui torvitate quadam naturæ rigida, & inflexibi-

A li adverſum omnes affectus uniformi propoſito animum induraverant. Hæc magna inquam naturæ inſignia, nunquam riſiſſe, nunquam vultus vertiſſe, non dolore, aut miſericordia tangi: parva vero illa, quæ deinceps exſequitur, quæque in multis varia cognoſci ſcribit, *nunquam ſpuiſſe, nunquam ructaſſe*, quorum & exempla adfert.

Pag. 6. A. *Nunquam ſpuiſſe*] Libri: *non ſpuiſſe.* Apud Plinium: *nunquam expuiſſe.*

Qualis Syracuſanus fertur Lygdamus] Exemplum Lygdami à Plinio non refertur. *Lygdamis* autem hic pancratiaſtes, non *Lygdamus* nominatur in laterculo
B Olympionicarum, quem edidit Scaliger, & apud Pauſaniam. Lygdamis etiam ſecundum quoſdam dicebatur, qui templum Epheſiæ Dianæ incendit. Heſychius: Λύγδαμις, οὗτος ἔκαυσεν τὸν ναὸν τῆς Ἀρτέμιδος. Hunc vero Lygdamin Solini tertia, ac trigemina Olympiade pancratium viciſſe omnium primum, cum Solino teſtatur Ὀλυμπιονικῶν ἀναγραφὴ Scaligeri edita: Ολ. λγʹ. Λύγδαμις Συρακούσιος πρῶτος παγκράτιον ἐνίκησε καί τινας ὃς στάδιον ἐξεμέτρησε τοῖς ἑαυτοῦ ποσὶ, μόνας ἑξακοσίας παραθέσεις ποιησάμενος. Ex eo nempe Lygdamis iſte proceritudine Herculem æquaviſſe creditus eſt, quod pedis, plan-
C tæque ſpatium æque magnum, ac Hercules habuiſſet, nec plures quam ille παραθέσεις in Olympico ſtadia metando inſumpſiſſet. Παραθέσεις autem ποδῶν ideo dictæ, quod, qui pedibus aliquod ſpatium metiuntur, pedem ἕνα παρ' ἕνα ponere ſoliti ſunt. Theodorus in Epiſtola ad Theophilum de dimenſione umbræ, quæ pedibus fit, ad deſignandas horas: δεῖ σε τοιγαροῦν σημειοῦσθαι οὕτως τὰς ὥρας μετροῦντα τὴν ἑαυτοῦ σκιὰν τοῖς ἰδίοις ποσὶν ἐν τῷ μετατιθέναι ἕνα παρ' ἕνα πόδα ἕως τοῦ τόπου ἔνθα ἔτυχε τὸ ἄκρον τῆς κεφαλῆς σου ἐν τῷ ἵστασθαί σε ὄρθον, καταντῆσαι διὰ τῆς σκιᾶς. Hæc proprie παράθεσις, ποδὸς ἑνὸς παρ' ἕνα θέσις, pedis alterna ad pedem poſitio.
D *Qui tertia & trigeſima Olympiade primus pancratii coronam reportavit.*] Hac primum Olympiade pancratium adjectum fuiſſe Olympico certamini, & in eo viciſſe Lygdamin Syracuſanum, tradit auctor Olympionicarum ἀναγραφῆς, qui in Bibliotheca Regis extat, & quem Scaliger edidit in Euſebianis: τριακοστὴ τρίτη προσετέθη παγκράτιον, καὶ ἐνίκα Λύγδαμις Συρακούσιος ὑπερμεγέθης. Alii vigeſima octava Olympiade pancratiaſten additum, & omnes, qui pancratio decertaturi ſe obtulerunt, ab hoc Lygdami Syracuſano confectos ſcripſe-
E re. Vide ἀναγραφὴν τῶν Ὀλυμπιονικῶν, quam Scaliger ex Pauſania, & aliis compilavit. Leucarum Acarnanem primum pancratio ἐντέχνως decertaſſe notavit ex Ariſtotele Scholiaſtes Pindari in Nemeonicis, Ode III. Ἀριστοτέλης δὲ Λεύκαρόν φησι τὸν Ἀκαρνᾶνα πρῶτον ἔντεχνον τὸ παγκράτιον ποιῆσαι. Redegerit ille primus in artem τὸ παγκράτιον, at Lygdamis primus ex Olympico certamine pancratii coronam retulit. Sed de his alio loco commodius, & plenius. Ut obiter autem hoc moneam, Λύγδαμις, non Λύγδαμος Græcum, & ubicunque apud Latinos ſcriptores *Lygdamus* lectum eſt, id ſcias librariorum, aut correctorum imperitia eveniſſe, ut ita legeretur; quare ubique mutandum in *Lygdamis*: nuſquam enim Λύγδαμος apud Græcos reperitur.
F *Varro in relatione prodigioſæ fortitudinis*] Ita nimirum Solinus legit in Plinio, quomodo & hodie excuditur, *auctor eſt Varro in prodigioſa virium relatione.* Quam lectionem docti viri Plinio reſtituerunt ex hoc Solini loco; nam vetuſti codices omnes Plinii, & antiquæ editiones ibi mira conſtantia, atque conſenſu ſcribunt: *auctor eſt Varro, prodigioſa virium elatione.* Vult Solinus, Varronem illud de Tritanno adnotaſſe in prodigioſæ fortitudinis relatione. Ergo etiam legiſſe videtur apud Plinium, *in prodigioſarum virium relatione.* Sed vereor, ne quod ſolens ſæpe facit noſter, etiam heìc falſus ſit.
G Non dubito quidem quin *relatione* legi debeat, ſed verba Plinii non rectè accepit. Sic igitur ille lib. VII. cap. XX. *Corpore veſco, ſed eximiis viribus Tritanum in gladiatorio ludo Samnitium armatura celebrem, filiumque ejus militem Magni Pompeii, & rectos & transverſos cancellatim toto corpore habuiſſe nervos in brachiis etiam, manibuſque auctor eſt Varro, prodigioſa virium relatione; atque etiam hoſtem ab eo ex provocatione dimicantem.* Inſitivam illam particulam delevimus auctoribus libris, *in prodigioſa.* Atque hic ſen-
ſus

ſus eſt: Tritannum gladiatorem, & filium ejus rectis ac transverſis cancellatim fuiſſe nervis, auctor eſt Varro, prodigioſa virium relatione; ut prodigii ſimile ſit ſcilicet, quod de viribus ejus retulit: quale illud eſt nimirum, quod hoſtem à quo provocatus erat, inermi dextra ſuperavit; & uno digito correptum in caſtra Pompeji tranſtulit. Hæc prodigioſa virium ejus relatio, quam Varro fecit. Si *elatione* retineretur, id eſſet ὑπερβολῇ. *Prodigioſa virium elatione*, θαυμαστῇ καὶ ἐξαισίᾳ τῆς ῥώμης ὑπερβολῇ. Sed *relatione* legit Solinus, & malè intellexit, ideoque addidit *in*. Quam particulam docti auctoritate Solini adducti, in Plinii orationem inſerſerunt. Quod ait Plinius Tritannum *veſco corpore, ſed eximiis viribus fuiſſe, veſcum corpus* pro ſicco, & exſucco, macilento & gracili accipiendum. Id enim ſignificat *veſcum*. Afranius in ſororibus:

Ah puer eſt veſcus, imbecillus viribus,

id eſt, macilentus, & gracilis. Perperam in Nonio legitur:

Ah puer eſt veſcis imbecillus viribus.

Veſcus non à veſcor, ſed à *ve* & *eſca*. Ut *vegrandis*, *vecors*, *veſanus*, *vemens* & ſimilia. Sic *veſcus*, qui non bene paſcitur, & inde pro macro. Cui contrarium eſt *paſtus*, pro pingui. Gloſſæ: *paſtus*, πιμελὴς, λιπαρός. Unde apud Phædrum *corpore præpaſto canis*, id eſt præpingui. Et *paſtæ* abſolutè in veteri cenſuario Rhemenſi, Gallinæ pingues, & altiles. Gloſſæ: *veſcus*, ὀλιγόσιτος, ὀλιγοδεής. Hic *veſcis* etiam dicebatur. *Veſcis*, ὀλιγόσιτος. Hinc & veſcum pro faſtidioſo, & tædulo, qui Græcis σικχός. Heſychius: Σικχὸς ὁ μικρόσιτος, ἢ ὁ ἀηδής. Ita legendum. Lucillius:

Veſcum, & faſtidioſum cum claſtidio vivere.

In relatione prodigioſæ fortitudinis] Schedæ Palatinæ, cum aliis ejuſdem Bibliothecæ membranis: *prodigioſæ fortunitatis*. Fortean ſcripſerit auctor: *prodigioſæ fortitatis*, fortitas pro fortitudine: ut *neceſſitas* pro neceſſitudine: *viciſſitas* pro viciſſitudine. Sic & *magnitas*, *dulcitas*, *longitas*, veteres protulere, & Labeoni, *malitas*.

Tritanum gladiatorem natura Samnitem fuiſſe] *Trittannum* ſcribunt hoc loco libri. Vetuſta Plinii exemplaria, *Tributanum* vocant. Qui Solinum verſibus expreſſit, *Tritannum*.

Viribus eſt rumor nimium valuiſſe Tritannum.

Atque ita Vopiſco nominatur in veteribus libris, ubi de Firmo Tyranno hæc dicit: *vini non multum bibit, aqua plurimum, mente firmiſſimus, nervis robuſtiſſimus, adeo ut Tritannum vinceret, cujus Varro meminit.* Nullus porro liber eſt ſcriptus, editio nulla, quin heîc habeat: *Tritannum gladiatorem natura Samnitem.* Pro quibus, inverſo ordine placitum Delrio edere: *Tritannum Samnitem, gladiatorem natura fuiſſe.* Et ſic interpretatur: *Tritannum* Samnitem non arte, ſed naturali quodam habitu ad gladiatoriam aptum extitiſſe. Nec mirum, inquit, cum Samnis foret, qui eo nomine malè audiebant. Quæ abſurdiſſima ſunt, & falſiſſima. Vult hunc Tritannum non arte, ſed natura gladiatorem fuiſſe: ſic ſanè dici poſſet natura, non arte ſtultum fuiſſe Delrium. Atqui Plinius, quem Solinus exſcribit, ſatis oſtendit arte etiam gladiatorem extitiſſe, quum & in ludo gladiatorio verſatum docet, & armaturam gladiatoris illi tribuit. Delrius Samnitem oriundo facit Tritannum. Contra ſtat idem Plinius, qui Samnitium tantum armatura ornatum in ludo gladiatorio ſcribit. *Samnites populi*, inquit Delrius, *naturali quodam habitu ad gladiatoriam apti, eoque nomine malè audiebant.* Immo *Samnites* in ludo genus gladiatorum, qui & diverſam ab aliis, ſibique peculiarem armaturam habebant. Dicti autem *Samnites* in ludo gladiatores hoc nomine, quod Samnitium populorum armatura uterentur, non quod eſſent origine, & patria Samnites, nec quod Samnites ullam naturalem aptitudinem haberent ad gladiatoriam. Sed omnem omnino impudentiam ſuperat, quod idem Delrius aſſerit, eam, quam repoſuit, omnium eſſe librorum lectionem. Si ullus liber ita habet, aut ulla editio ita legit, nihil recuſo, quin ſim vel Cercoëtius, vel alicui hujuſmodi bubalo ſimilis. Scripti omnes, ut dixi, cum editionibus præferunt: *Tritannum gladiatorem natura Samnitem fuiſſe.* Nemo ſanus dubitaverit quin vera ſit conjectura noſtra,

A qua legebamus: *Tritannum gladiatorem ornatura Samnitem fuiſſe.* Idem omnino eſt, quod Plinius dixit, *Tritannum in gladiatorio ludo Samnitum armatura celebrem. Ornatura* idem quod *armatura*, ἡ σκευή. Livius: *Campani ab ſuperbia, & odio Samnitium, gladiatores quod ſpectaculum inter epulas erat, eo ornatu armarunt, Samnitiumque nomine appellarunt.* Ornatus Livio, ut *ornatura* huic Solino. Hinc *ornamenta gladiatorum*, τὰ ὅπλα Suetonio, & Senecæ, ut jam viri eruditi obſervarunt. Scio me aliter olim ſuper hujus loci emendatione ſenſiſſe, ſed priores ſecundis, cum utique potiores ſunt, fas eſt cogitationes cedere.

B *Omnes adverſarios levi tactu, & pæne ſecuris congreſſionibus*] Ita legebatur. Sed, ſi levi tactu vincebat adverſarios, utique ſecuris omnino congreſſionibus κατηγωνίσατο. Quid enim metueret ab illis, quos levi tactu conficiebat? Itaque edidimus: *omnes adverſarios levi tactu, bene ſecuris congreſſionibus vicerit.* Nam & veteres libri particulam *ac* non agnoſcunt. *Bene ſecuris*, id eſt valdè ſecuris. Quod vetus eſt genus loquendi: ut *bene magnus*, *bene longus*. Idque nobis etiam ita frequens, ut *benè malum* dicamus pro valdè malo. Cicero:

---- *bene tempeſtate ſerena.*

C Ammianus, qui Solini loquutiones non raro uſurpat, *bene pertinacem* dixit, lib. XIV. *Quibus occurrere bene pertinax miles explicatis ordinibus parans.* *At levi tactu vincere* ductum è palæſtra, & verbum artis eſt, ut vocant, proprium. Sic *levi ſudore* Ammiano lib. XV. *Hæ regiones, præcipueque confines Italicis, paulatim levi ſudore ſub imperium venere Romanum.* Vulgo malè excuſum eſt: *levis odore ſub imperium venire.* Sic *uno ſudore vincere* apud Capitolinum in Maximinis: *Tum ille more ſolito ſeptem fortiſſimos uno ſudore vicit.* Uno verbo hoc Græcis συγκατειργάσασθαι. Pauſanias de Lygdami Pancratiaſte: τοὺς εἰσελθόντας ἐπὶ τὸ παγκράτιον ὁ Λύγδαμις συγκατειργάσατο Συρακούσιος, id eſt, *omnes ſimul confecit, & uno ſudore vicit.*

D Nam κατεργάσασθαι eſt καταγωνίσασθαι. In lucta, & pancratio qui facillime vincebant, id dicebantur facere ἀκονιτὶ, hoc eſt, ut explicat Plinius, *citra pulveris tactum*. Sic enim legendum lib. XXXV. cap. XI. *Alcimachus Dioxippum, qui pancration Olympiæ citra pulveris tactum, quod vocant ἀκονιτὶ, vicit. Cœnus ſcammata.* Ita locus emendandus. *Pulveris tactus*, eſt ἡ ἁφὴ, & κόνισις. Perperam vulgo *pulveris jactum* ibi legas; & *cœnus ſtemmata*. Corruptiſſimè.

Pag. 6. B. *Ut inermi eum dextra, & ſuperaret, & captum digito uno in caſtra Imperatoris ſui reportaret*] Hæc ex Plinio eo, quem ſuperius jam adduximus, loco: *at-*

E *que etiam hoſtem ab eo ex provocatione dimicantem inermi dextera uno digito ſuperatum, & poſtremo correptum, in caſtra tranſlatum.* Ita libri Plinii abſque ulla varietate, docti viri tamen Plinium, quod ſæpe faciunt, ex Solino corrigunt, leguntque ſic: *inermi dextera ſuperatum, & uno digito poſtremo correptum, et in caſtra tranſlatum.* At qui nihil mutaturos eos in Plinio fuiſſe certus ſum, ſi cogitaſſent, multo levius, ac factu facilius eſſe adverſarium una dextera inermi uno digito ſuperaſſe, quam uno digito correptum in caſtra tranſportaſſe. Profecto, ſi miles ille Pompeji adverſarium ſuum uno digito correptum, ut Solinus exiſtimat, in caſtra ſui imperatoris transferre

F potuit, facile etiam uno digito ſuperavit; cum illud ſit longè difficilius. Sed nec in Plinio quicquam mutandum. Nec Solinus ad illum ſenſum capiendus, ut putarit adverſarium uno digito correptum in caſtra Pompeji ab illo milite fuiſſe tranſlatum, tam fortaſſe ſtultus non fuit. Hoc enim τῶν ἀδυνάτων unum: ut aliquis uno digito corripi poſſit, & uno digito portari. Quid? ſtabat ille ſcilicet, quiſquis fuit adverſarius, in digito militis illius, à quo victus eſt, ſtabat inquam, an ſedebat in illius digito, dum transferebatur, nec ſe movebat magis, quam ſignum aheneum ſi eſſet,

G aut lapideum? Id de inanimi corpore, aut ſimulacro aliquo cogitari poſſet; de homine vivo, licet victo, qui poteſt? Inermi igitur dextera uno digito ſuperatum intelligamus, poſtremo correptum, manibus ſcilicet, & brachiorum complexu in caſtra tranſlatum. Nec aliter fortaſſe Solinus accipiendus, qui inermi dextra ſuperatum, & uno digito captum dixit, id eſt, uno digito in poteſtatem redactum, ut corripi poſtea poſſet & transferri, non etiam correptum, & tranſ-

translatum uno digito. At, si aliter sensit, more suo solens nugatus est. Aliud autem est capi, aliud corripi. Militis Pompejani factum ita accipi debet, ut illud Tarchontis Æneid. XI.

Dereptumque ab equo dextrà complectitur hostem,
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.

Et paulo post:

---- *volat igneus æquore Tarchon*
Arma virumque ferens.

Similes duas historias ad eum locum refert Servius: quarum alteram huc apponam, quia ad rem pertinet, tum ut emendatiorem reddam: *Varro cum de suo nomine disputaret, ait eum, qui primus Varro sit appellatus, in Illyrico hostem Varronem nomine quod rapuerat, & ad suos portaverat, insigne ex facto meruisse.* Malè apud Servium legitur, *ad vos portaverat, & ex insigni facta meruisse. Insigne*, & *signum* pro cognomento dicebant, ut ad Hist. Augustam notavimus.

Milonem quoque Crotoniensem egisse suprà quam homo valet: etiam hoc proditur.] Ut ita scriberemus, libri auctores fuere. Nec aliter princeps editio Veneta. Proditur Milonem Crotoniensem egisse supra quam homo valet, etiam hoc, quod nudæ manus ictu taurum victimaverit. Huic orationi quasi aliquid deesset, editiones reliquæ infertis aliquot vocibus eam sic contaminaverunt: *Milonem quoque Crotoniensem ferunt egisse suprà quam homo valet. De quo etiam hoc proditur.*

Super hoc nihil dubium: nam factum elogium extat.] Nullum, inquit, super hoc dubium, quin Milon Crotoniates taurum ictu nudæ manus dejecerit, eumque solidum ea ipsa, qua mactaverat, die non gravatim absumpserit, nam factum extat elogium. Epigramma nempe Doriei poëtæ, quo id ipsum persequutus est, & quem ad hujus rei testimonium citat Athenæus ex Phylarcho lib. X. Φύλαρχος δέ φησιν ἐν τῇ τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν, τὸν Μίλωνα ταῦρον καταφαγεῖν κατακλιθέντα παρὰ τοῦ βωμοῦ Διός, διὸ καὶ ποιῆσαι εἰς αὐτὸν Δωριέα τὸν ποιητὴν τάδε. Et hoc Epigramma respiciebat Solinus, cum factum hujus rei elogium extare dixit. Epigramma autem ipsum ideo conditum, ut subscriberetur statuæ Milonis, & sic habet:

Τοῖος ἔην Μίλων ὅτ᾽ ἀπὸ χθονὸς ἤρατο βρῖθος,
Τετραετῆ δάμαλιν ἐν Διὸς εἰλαπίναις.
Ὤμοις δὲ κτῆνος τὸ πελώριον ὡς νέον ἄρνα
Ἤνεγκεν δι᾽ ὅλης κοῦφα πανηγύρεως.
Καὶ θάμβος μὲν ἀτὰρ τοῦ δὲ πλέον ἤνυσε θαῦμα
Πρόσθεν Πισαίης, ξεῖνε, θυηπολίης,
Ὃν γὰρ ἐπόμπευσεν βοῦν ἄζυγον, εἰς κρέα τόνδε
Κόψας, πάντα καθ᾽ ἓν μοῦνος ἐδαίσατό νιν.

At mirè festivi eruditi homines, qui istud elogium extare in verbis Solini, quæ sequuntur, sibi persuaserunt, atque ideo ea sic distinxere: *Nam factum elogium extat, Victor ille omnium certaminum obiit.* Scilicet hæc verba. VICTOR ILLE OMNIUM CERTAMINUM OBIIT, elogium illud Milonis esse, cujus meminit Solinus. Ita primus, quod sciam, Camers interpretatus, omnibus deinceps interpretationem suam approbavit. Sed quis istius elogii meminit? aut ubi scriptum extabat? in statua, inquiunt, ænea, quæ Olympiæ illi posita. Atqui hæc epigraphe monumenti potius videtur, quam statuæ. Ceterum quis hoc prodidit? ita esse concedamus, & id elogium statuæ Milonis subscriptum fuisse, nihil ad rem heîc positum pertinet, nec id probat, cujus rei gratia productum est ab auctore. Milo Crotoniensis, inquit, ictu nudæ manus taurum mactavit, eodemque die totum solus absumsit. Nemo super hoc dubitare potest, quin sit verum: Quare? quia factum elogium extat. Quod elogium? *Victor ille omnium certaminum obiit*. Aliud ne quæramus. Certissima, & effectissima ex hoc elogio apodixis. Nempe, quod omnium certaminum Victor Milo proscriptus sit, inde sequitur, & opimam bovem uno die solidam absumpsisse, quam ictu nudæ manus prius confecerat. Plura verba non perdam, ut ineptiam prodam hujus sententiæ. Non aliud elogium intellexit Solinus, sed illud ipsum, quod suprà posuimus. Scribit porro Athenæus, Titormum Ætolum eidem Miloni διηριστήσασθαι βοῦν, hoc est, cum eo contendisse,

A uter bovem uno prandio citius ederet. Τίτορμος δὲ ὁ Αἰτωλὸς διηριστήσατο αὐτῷ βοῦν, ὡς ἱστορεῖ ὁ Αἰτωλὸς Ἀλέξανδρος. Sic enim legi in veteribus annotavit Casaubonus: sed διαριστήσασθαι malè explicat, *prandere*, & Titormum cum Milone inter prandium bovem absumsisse. Immo διαριστήσασθαι est prandendo certare, & διαριστήσασθαι τινὶ βοῦν, cum aliquo certare de bove solido inter prandium comedendo. Sic διαξιφίζεσθαι, gladiis certare: διακερατίζεσθαι, cornibus pugnare: διαδορατίζεσθαι τινὶ, hastis cum aliquo velitari. Sic διαπίνειν potu contendere. Hedylus:

Ἡ διαπινομένη Καλλίστιον ἀνδράσι, θαῦμα
Κοὐ ψευδὲς νήστις τρεῖς χόας ἐξέπιεν.

B Ἡ διαπινομένη ἀνδράσι, quæ viros potando provocaret fœmina. Sic fortior, ac νεανικώτερος degulator Milone Titormus. Ille bovem intra unius diei spatium potuit consumere, iste eum provocavit de edendo inter unum prandium.

Victor omnium certaminum, quæ obivit, Alectoria usus traditur.] Ita scripsimus, itaque plane scriptum in vetustissimis membranis offendimus, nisi quod *Alectorius traditur*, pro *Alectorio usus* scriberent plerique, distinctionem nos ipsi fecimus. Nihil verius tum emendatione nostra, tum interpunctione. C Victor, inquit, ille Milo omnium certaminum, quæ obivit, Alectorio usus traditur, eoque scilicet invictus in omnibus certaminibus fuit. Plinius lib. XXXVII. cap. X. *Alectorias vocant in ventriculis Gallinaceorum inventas, crystallina specie, magnitudine fabæ, quibus Milonem Crotoniensem usum in certaminibus invictum fuisse videri volunt. Alectoria* quum dicitur, subintelligitur gemma: quum *Alectorius*, lapis. *Obire certamina & pugnas*, tralatitium. Virgilius, quem sæpe noster imitatur.

Qui lituo pugnas insignis obibat & hasta.

Editiones, quæ ante Delrianam, legebant: D *Victor omnium certaminum obiit. Sanè Alectorius traditur lapis, qui crystallina specie.* Delrius, ut aliquid sapere plus, quam ceteri videretur, edidit: *Sanè Alectore traditur usus, qui specie crystallina.* Quam lectionem partim ex conjectura, partim ex libris ait sibi concinnatam. Sanè nec bonis libris usus est, & pessimam conjecturam usurpavit. Jam quale illud est, *Alector* pro Alectorio lapide? Hoc est gallinaceus pro lapide, qui in ejus ventre invenitur. Habebit heîc tamen, certus sum, defensorem aliquem Cercoëtium. Excerpta Solini metrica:

Est & Alectorius gallorum in ventre lapillus,
Ut faba, crystalli specie pugnantibus aptus.

E *Qui lapis specie crystallina.*] Ita libri: *Alectoria usus traditur: qui lapis.* Vulgo editi: *sanè Alectorius traditur lapis, qui crystallina specie.*

Victor omnium certaminum, quæ obivit.] Πάντων ἀγώνων, οὓς περιώδευσεν. Glossæ: *Obit*, κυκλεύει. Græci περιοδονίκην appellabant eum Athletam, qui Pythia, Isthmia, Nemea, Olympia vicerat. Quod Milo fecerat, & quidem compluries. Victoriæ ejus ita recensentur in Olympionicarum ἀναγραφῇ, ad Olympiadem secundam & sexagesimam. Μίλων Κροτωνιάτης πάλην, ὃς νικᾷ Ὀλύμπια ἑξάκις, Πύθια ἑξάκις, Ἴσθμια δεκάκις, Νέμεα ἐννάκις. Sed τὴν περίοδον νικᾶν de solis illis quatuor F certaminibus dicebatur. Plutarchus: οὐ μόνον τὴν περίοδον νενικηκώς, ἀλλὰ καὶ πολλοὺς ἀγῶνας. *Obivit* heîc malim accipere simpliciter pro ingressus est, & adiit, ut superius explicare memini.

Pag. 6. C. *Milo porro Tarquinii Prisci temporibus emicuit.*] Hanc scripturam admisi, quia plurimorum, optimorumque codicum auctoritate niteretur. Prima editio habet: *Tarquinii Superbi.* Quidam scripti: *Tarquinii Superbi Prisci.* Schedæ Palatinæ: *Tarquinii Superbi priscis temporibus emicuit.* Omnino manavit hæc diversitas ex geminatæ editionis diversa lectione. In priore editione G scripserat Solinus, *Tarquinii Superbi*: in posteriore scripsit, *Tarquinii Prisci*, aut contrà. Hinc librarii, quod in sexcentis aliis fecerunt, utriusque editionis scripturam in contextum recepere. Notatur in Ὀλυμπιονικῶν ἀναγραφῇ Milonem luctam vicisse Olympiade sexagesima secunda. Tarquinius Superbus regnum iniit Olympiadis primæ & sexagesimæ anno quarto. Additur in illa ἀναγραφῇ de Milone, ὃς ἑξάκις νικᾷ Ὀλύμπια. Non prima igitur illa fuit ejus corona Olympica, sed

ſed poſtrema, qua adepta ſexies Olympico certamine coronatum fuiſſe illum notavit auctor ἀναγραφῆς. Si conſequenter ſex illas victorias reportavit, ut retro aſcendamus Olympiade quinquageſima ſexta, primam ex Olympico certamine luctæ coronam eum reportaſſe oportet. At Gellius Olympiade quinquageſima coronatum eſſe Milonem tradit. Quod ſi verum eſt, non ontinenter ſex ſequentibus Olympiadibus palmas ſuas obtinuerit. Verba Gellii lib. xv: cap. xvi: *Milo Crotonienſis athleta illuſtris, quem in chronicis ſcriptum eſt Olympiade quinquageſima coronatum eſſe.* Editur hodie in Gellio, *Olympiade prima.* Quod falſiſſimum. Sed error inde ductus, quod ſcriptum erat, *Olympiade L.* Eamque literam accepere pro I. Sic prima pro quinquageſima facta eſt. Sciunt, qui veteres libros evolverunt, Lambda & Iota indiſcretæ pene figuræ eſſe, in his præſertim libris, qui capitalibus, ut vocant literis, ſcripti ſunt. Quinquageſima porro & prima Olympiade mortem obiit Tarquinius Priſcus. Sic Milo inclareſcere jam cœperat ſub Tarquinio Priſco, & coronam in Olympico certamine meruerat. Certè, ſive quinquageſimæ Olympiadis fine, ſive quinquageſimæ primæ initio diem obierit Tarquinius Priſcus, certum eſt ante mortem ejus emicuiſſe Milonem. Tunc enim γνωρίζεσθαι incœpit. At ſub Tarquinio Superbo celeberrimum nomen ejus, utpote qui certamina omnia viciſſet. Nam Tarquinii Superbi anno ſecundo poſtremam Olympicarum palmarum, quæ ſex numero fuere, retulit. Nec quemquam movere debet, quod auctor vetuſtæ ἀναγραφῆς ad eam Olympiadem notavit Milonem ἑξάκις νικᾷν Ὀλύμπια præſenti tempore, quaſi qui nondum viciſſet, ſed poſtea vicerit ſexies Olympico certamine. Νικᾷ ibi poſitum eſt pro ἐνίκησε. Quod in elogiis athletarum frequens eſt apud poëtas. Phalæcus:

Νικᾷ δίαυλον, ἀλλ' ἐγὼ παλαίων,
Ἐγὼ δὲ πεντάεθλον, ἀλλ' ἐγὼ πύξ.
Καὶ τίς τὺ, Τιμόδημος. Ἀλλ' ἐγὼ Κρὴς
Ἐγὼ δὲ Κρηθεὺς, ἀλλ' ἐγὼ Διοκλῆς.

Et ita in aliis. Sed verum eſt, quod ſuprà dixi, Solinum in una editione *Tarquinii Priſci* ſcripſiſſe: in altera, *Tarquinii Superbi.* In optimo Regio ſcriptum: *Priſci Tarquinii temporibus emicuit.*

Milo] Veteres *Milon*, quod Græcum eſt Μίλων. Ita *Platon* apud Apulejum, & alios. Iidem *emicuit*, pro *enituit*, quod in pleriſque editionibus. Ammianus hoc verbo uſus, qui Solinianorum amator eſt verborum, lib. xxii. *Inter quos Chalcenterus emicuit Didymus, multiplicis ſcientiæ, cœpti memorabilis.* Alii edunt *eminuit.*

Jam vero qui deflexum animum referat] Ab his novum caput auſpicantur ceteræ editiones; quæ continuata eſſe ab auctore cum ſuperioribus non interrupta ſerie, patet ex ejus indice, & veteribus libris, qui hæc minimè dividunt, quos ſequi debuimus.

Interdum enim ad genus ſpectant] Valerius Maximus lib. ix. cap. xiiii. de ſimilitudine formæ: *eorumque alii in ea ſunt opinione, ut exiſtiment illam origini, & contextui ſanguinis reſpondere.* Et ſanè magnum, & varium hcîc artificis naturæ ingenium. Mulierum aliæ ſibi ſimiles puellas, pueros patribus edunt: aliæ contra: quædam mixtæ ſimilitudinis, & ex utroque temperatæ puerperia reddunt: quædam nec viro, nec ſibi pariunt ſimilia, ſed alicui externo fortaſſe, quem avidè conſpexerint, & ſæpe: aut qui ſubito viſus τὴν φαντασίαν earum percuſſerit. Qua in re & tabulæ pictæ nonnihil momenti afferunt, & alia quam multa. Scribit Ariſtoteles lib. vii. cap. vi. εἰσὶ δὲ καὶ γυναῖκες ἐοικότα αὑταῖς γεννῶσαι. Αἱ δὲ τῷ ἀνδρὶ, ὥσπερ ἡ ἐν Φαρσάλῳ ἵππος ἡ δικαία καλουμένη. Vertunt: *Ut equa in Pharſalo, quæ cognominabatur juſta.* Inſtitutus ab Ariſtotele ſermo de mulieribus, & puerperiorum ſimilitudine, cumque exemplo firmat ab equis petito. Nonne hoc ridiculum? ſcribendum: ὥσπερ ἐν Φαρσάλῳ ἡ Ποσιδικαία καλουμένη.

Sicut plerumque parvuli, modo nævos, modo cicatrices] Plinius lib. vii. cap. xi. *ſigna quædam, nævoſque, & cicatrices etiam regenerari.* Solinus ex Plinio, Plinius ex Ariſtotele, lib. vii. cap. vi. de hiſt. anim. Καὶ ὅλως τὰ

A παρὰ φύσιν ἐοικότες πολλάκις, καὶ σημεῖα ἔχοντες συγγενῆ, οἷον φύματα καὶ ἕλας. Solinus *originis notas* vocat, quæ Ariſtoteles σημεῖα συγγενῆ. *Genitivæ notæ* dicuntur Suetonio in Auguſto. *Nævos* Plinius cum Solino, τὰ φύματα Ariſtoteles. Gloſſæ: *Nævi*, ἀκροχυρδόνες. Item: *Nævus*, φακὸς προσώπου. Minus rectè. Nam φῦμα, ſive nævus id omne eſt, quod ἐπανάστασιν in cute habet. Melius in aliis: *nævus*, ὑπερσάρκωσις. *Gnævum* veteres dicebant, & *Gnæum*. Feſtus: *Gnæus corporis inſigne, & prænomen à generando dicta eſſe, & ea ipſa ex Græco γίγνεσθαι apparet.* Ut *gnævus* nimirum, aut *gnæus* ſit genitiva nota. Perperam. Græcum eſt κνάϊος ἀπὸ τοῦ κναίω, quæ πάθος & φῦμα ſignificat. Unde *gnævus* Latinum, ut ὠὸν, *ovum*. In Re-
B gio optimo codice antiquarius adſcripſerat huic voci gloſſam, *nævos, id eſt volos.* Voli ſunt βόλοι, ἐκφύσεις nempe, & φύματα in corpore. Alii ἐκβολὰς vocant, ut auctores Veterinarii Græci multis locis. Ineptè autem in Delriana, & aliis editionibus ſcriptum erat hoc loco *nervos* pro *nævos*.

Modo qualeſcunque originis ſuæ notas ferunt] Plinius: *quarto partu Dacorum originis nota in bracchio redditur.* Ariſtoteles: ἤδη δὲ ἀπέδωκε τῶν τοιούτων τι καὶ διὰ τριῶν. Οἷον ἔχοντός τινος στίγμα ἐν τῷ βραχίονι, ὁ μὲν υἱὸς οὐκ ἐγένετο, ὁ δὲ υἱιδοῦς ἔχων ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ συγκεχυμένον μέλαν. Non
C quarto partu, ſed, tertio reddita illa nota. Præterea non dicit Ariſtoteles origine Dacum illum fuiſſe, cujus nepos notam eandem in bracchio regeneravit ex atramento confuſam. Quidam, inquit, στίγμα in bracchio habuit, hujus filius ſtigmate illo caruit, nepos vero eandem notam retulit. Daci non in bracchio tantum, nec una nota compuncti. Deinde Dacorum uxores ſolæ compunctæ notis, non ipſi, ut ex Valerio Flacco conſtat, & ex Phanocle his verſibus, de Thracibus:

Ποινὰς δ' Ὀρφῆϊ κταμένῳ στίζουσι γυναῖκας
Εἰσέτι νῦν κείνης εἵνεκεν ἀμπλακίης.

Poſtremo, ut demus etiam Dacos iiſdem ſtigmaſin
D inuri ſolitos, non originis illa ſtigmata in Dacis, ſed artis. Nec enim ita naſcebantur. Oportet igitur eum, cujus Ariſtoteles meminit, qui notam ex atramento in bracchio inuſtam habuit, eam ex alia cauſa, nec quod Dacus oriundo fuerit, habuiſſe. Milites Romani priuſquam matriculis eorum nomina infererentur, ſtigmata in bracchio, vel manu accipiebant. In lege Arcadii & Honorii: *ſtigmata, id eſt nota publica fabricenſium bracchiis ad imitationem tironum infligantur.* Aëtius & Vegetius horum ſtigmatum, quæ militibus inurebantur, meminere. An apud Græcos idem mos ſtigmatizandi fuerit, neſcio, ita potuit eſſe. Atque
E ut alia ferè omnia, ſic etiam hoc à Græcis acceperint Romani. Sanè quacunque ex cauſa compunctus ille ſit, cujus apud Ariſtotelem mentio, non poſſum mihi perſuadere Plinium, quod Ariſtoteles στίγμα, *Dacorum originis notam* vocaſſe: quum Dacorum ſtigmata non ob origine, ſed ab arte inuſta. Puto Plinium ſcripſiſſe: *quarto partu Dacorum uriginis nota in bracchio redditur.* Quæ certiſſima eſt conjectura. Quod Ariſtoteli στίγμα, id Plinio eleganti circumloquutione, *Dacorum uriginis nota*, quales nempe Daci ſibi inurunt. Nam Daci ἐστίζοντο. Plinius lib. xxii. cap. i. *mareſque etiam apud Dacos corpora ſua inſcribunt.* Ex eo genere notarum
F quum aliquis compunctum haberet bracchium, eandem notam reddidit ejus nepos. *Urigo* eſt ἔγκαυσις. Unde *inurere notam* Latinum, & *urere coloribus* περὶ τῆς ἐγκαυστικῆς. Et Ovidio: *Navis picta coloribus uſtis*, τῇ ἐγκαυστικῇ picta. Atramentum quoque ἔγκαυστον dictum. Gloſſæ: *incautum*, ἐγκεκαυμένον, ἠσφαλισμένον. *Originis notam* videtur legiſſe in Plinio Solinus, vitioſa nactus exemplaria. Sic *origo Semeleja* apud Arnobium, ubi *urigo* ſcribi debet.

Vel in Byzantio nobili pugile] Sic optimus Regius: quomodo & in omnibus, quæ videre potuit, vetuſtis exemplaribus ſcriptum reſtare teſtatur Camers. Alter
G Regius: *vel in Byzantio nobilis pycta.* Cui reliqui ex noſtris conſentiunt: ut & Danielis, & Merceri. Altera Solini editio ita nimirum habuit: *vel in Byzantio nobili pycta.* Sic & Plinius *indubitatum eſt exemplum Nicæi nobilis pyctæ Byzantii geniti.* Πύκτης, *pycta*: ποιητὴς *poëta.* Nam illa etiam voce pro pugile uſi Latini. Unde *pyctalis* παράγωγον, & *pyctale certamen* pro pugillatu apud Servium, ὁ πυκτικὸς ἀγών. *Byzantius* autem pro *Byzantinus.* Nam & Græcum eſt ἐθνικὸν Βυζάντιος.

Ipſe

Ipse in Æthiopem avum degeneravit] Omnes codices scripti, & editio princeps Venetiis cusa: *regeneravit*. In promptu esset legere: *ipse Æthiopem avum regeneravit*. Nam ita Plinius: *qui adulterio Æthiopis nata matre nihil à ceteris colore differente, ipse avum regeneravit Æthiopem*. Sed quum omnia exemplaria in retinenda particula *in* conspirent, vix facio dubitandum quin scripserit Solinus: *ipse in Æthiope avum regeneravit*. Elegans loquutio ipse in Æthiope, ἐν τῷ Αἰθίοπι, ἐν Αἰθίοπος εἴδει, Æthiops nempe natus avum regneravit, qui Æthiops erat. Sic *in pullo esse*, qui pullus est, dixit infra de psittacis cap. LII, *dum in pullo est, atque adeo intra alterum ætatis suæ annum, quæ monstrata sunt, citius discit*. Haud dissimile loquendi genus, quo aliquis *in Hercule, in Amazone* dicitur aliquid agere, qui habitu Herculis, aut Amazonis id agit. Sic in Æthiope avum regeneravit, qui in Æthiopis forma faciem avi repræsentat, qui fuit Æthiops. Patrem & matrem filii, aut avum nepotes regenerare dicuntur, qui eorum mores, vel ora referunt. Plinius lib. XIV. cap. XXII, de Tiberio principe: *sed ipsi juventa ad merum pronior fuerat. Nec alio magis Drusus Cæsar regenerasse patrem ferebatur.*

Pag. 6. D. *Regem Antiochum Artemon quidam*] Ita edidimus ex nostris libris: nec aliter princeps editio, & Camertis. Aliæ quædam: *Arteom*. Delrio ex suis edidit: *Antemon*. Si quid boni suasissent, bonos sequutus non esset. At scire debuit, si quid scisset, *Antemon* non esse Græcum. Plinio *Artemon* dicitur, & Valerio Maximo. Qui excerpta è Solino versificavit:

Emeruit regi Antiocho successor haberi
Artemon, faciem regis dum reddidit in se.

Græcum id esse nomen vel proverbio testatum habemus, quo celebratur, ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων.

Ex plebe Syriaca] *E plebe Syriatica*. Ita libri. Ὁ Συελάτης ἐθνικόν, inde Συελατικός. Sic *Syriaticum bellum*, apud Florum olim observabamus. Quæ sequuntur, & quæ præcedunt exempla similitudinum, omnia ex Plinii lib. VII. cap. XII.

Armentarius Mirmillo] Apud Plinium editur: *Cassio Severo celebri oratori armentarii Mirmillonis objecta est similitudo*. Perperam. Lege, *Armentarii Myrmillonis*. Armentarius nomen proprium Myrmillonis illius. *Myrmillo*, ut notum est, genus gladiatoris. In scriptis Plinii semper *Murmillo* reperitur, aut *Murmilio*. Atque ita apud Festi abbreviatorem in antiquissimo exemplari inveni scriptum, *murmulionica scuta*, & alibi: *Retiario adversus Murmilionem pugnanti*, & *Murmilionicum armaturæ genus Gallicum est*. Quod de propinquo vocis istius originem ostendit. Nam Μορμυρέωνες Græcè dicti videntur hoc genus gladiatores, quod μόρμυρον piscem in galeis effictum gestarent. Hinc Retiarius, qui adversus Murmilionem pugnabat, cantare solitus erat. *Non te peto, piscem peto, quid me fugis Galle?* Nam *murmillones*, ut notat Festus, antea *Galli* vocabantur, quod genere armaturæ Gallico uterentur. Sic *Samnites* gladiatores ab eadem causa dicti, quod Samnitum ornatu erant armati. Cujus piscis effigiem in galeis haberent Myrmillones, non proditum ab antiquis: sed ex notatione nominis planè liquet mihi mormyron fuisse. Nam inde dictus μορμυρέων, *murmilio*: ut λείριον, *lilium*. Ovidius:

----- *picta mormyres, & auri*
Chrysophrys imitata decus.

Atque inde fortasse cum Myrmilionibus compositi, quasi qui piscem, quo ornata erat galea Myrmilionum, captarent, dum eos rete impedire studebant. Verùm hæc alias. Heîc satis sit, quomodo hoc nomen, & cur ita scriberetur, ostendisse. *Myrmillonis* heîc scribunt libri Solini. Sic *Thyle, centyrio, gyla acolythi* scribebant.

Pag. 6. E. *M. Messala Censorius, & Menogenes ex fæce vulgari*] Constanter in nostris, ac Delrianis: *effigie vulgari*. Quid si, inquit, legamus, ex *fæce vulgi*? Haud multum sic profeceris, & sanè festivus est: ubi nullam diversitatem ostendunt libri, id mutare satagit: ubi dissentiunt à vulgatis, retinet vulgatam. Ut veterem retineamus, & locum restituamus, verba tantum transponenda sunt, ac legendum: *M. Messala Censorius, & Menogenes vulgaris, effigie fuerunt uterque quod singuli*. Nec enim in omnibus omnino fuerunt uterque quod singuli, sed effigie tantum, quam indiscretæ similitudi-

A nis inter se habuere. Argutiam autem captavit ex antithesi censorii, & vulgaris. Nam *censorius* ejus ætate hominem honoratum, & ἀξιωματικὸν designabat, cui opponitur vulgaris & plebejus. Sic *censorium funus* à vulgari funere distinguebatur. *Censorius* sanè est τιμητικός; *vulgaris*, unus è vulgo. Sic *popularis* suprà, unus è populo. Hic Menogenes, quem *vulgarem* vocat, ut *Censorio* opponeret, histrio fuit, præ similitudine vultus, hoc fuisse utrumque, quod singulos dicit Messalam & Menogenem. Sic ob eandem similitudinem scribit Plinius in Scipione fuisse Serapionem, qui suarii negotiatoris servus erat, unde & cognominatus est. *Scipioni*, inquit,
B *Serapion inerat suarii negotiatoris vile mancipium. Ejusdem familiæ Scipioni post eum cognomen Salutio mimus dedit.* Vulgo legitur apud Plinium: *Scipioni Serapionis: is erat suarii negotiatoris vile mancipium*. Sed omnes libri ibi agnoscunt, *inerat*. Scribi etiam posset: *Scipioni Serapioni inerat*. Nam Scipio ille Serapion cognominabatur. Dicit igitur in eo Scipione, cui Serapion erat cognomentum, fuisse vile mancipium suarii negotiantis, quod eum forma referret.

Nec alium Messalam quam Menogenem] Scripti omnes, cum editis: *hoc uterque fuerunt, quod singuli: nec alium*
C *Messalam quam Menogenem, nec Menogenem alium quam Messalam, putaverunt*. Quod cur Delrio displicuerit, nescio. Edidit ille: *ut nec alium, &c. putarent.*

Proconsuli Suræ] Quædam exemplaria Solini, atque etiam de vetustissimis: *Syriæ*. Origo vitii, quod *Syræ* scriptum erat, pro *Suræ*. Inde *Syriæ* imperiti librarii fecerunt. Edidimus paulo post, ut in iisdem scriptis reperimus: *ita in eadem vocis impedimenta, & tardatæ sonum linguæ naturalibus offendiculis congruebant*. Quibus verbis expressit ista Plinii: *Suræ quidem Proconsulis etiam rictum in loquendo, contractionemque linguæ & sermonis tumultum, non imaginem modo piscator quidam in Sicilia reddidit.* Singula comparemus. *Rictum in loquendo* Plinius dixit:
D *rictum oris* Solinus. *Rictum* Glossæ mensuram oris interpretantur. Rictus ille varius in loquendo apud plerosque, & variè formatur. Os alii distorquent, dum loquuntur, alii magis, alii minus aperiunt. Sic male igitur illi, qui apud Plinium *ritum in loquendo* legunt. Solinus: *tardatæ sonum linguæ*. Plinius: *contractionem linguæ*. Sed aliud tardata in sono proferendo lingua, aliud contracta. Pincianus, ut congruerent, legebat in Plinio: *cunctationem linguæ*. Scripti, quos vidimus, habent, *intractionem linguæ*. Quæ verissima est lectio. *Intractionem* dixit, ut suprà, *inesum* pro esu: *intrahere* & *trahere*: ut *in-*
E *sepire, inaudire*. Linguæ porro intractio, pro tarditate & cunctatione linguæ, quæ sonos scilicet trahit, & loquitur tractim. Sic *ægros trahere* dicitur medicus, qui sanitatem eorum moratur, & in longum ducit apud Celsum, & *trahere litem* de triconibus. Sequitur apud Plinium: *& sermonis tumultum*. Pro quo Solinus, *impedimenta vocis* posuit. *Sermone tumultuari* dixit Tertullianus, quod Græci παφλάζειν dicunt.

Sed etiam inter conductos ex diversissima parte orbis] Vinetus edidit: *inter deductos*. Sed illud præferunt, tam scripti, quam editi. In unum conductos, & compulsos ex diversissima, ac deductissima parte orbis intelli-
F git, ut erant gemini, de quibus sequitur, quorum alter in Asia genitus, alter trans Alpes.

Pag. 6. F. *Toranius quidam*] Cur non, id quod erat, cum appellavit, ut Plinius mangonem? *Toranius mango Antonio jam triumviro*. Ita enim libri Pliniani in membranis. Hujus mangonis mentio apud Macrobium lib. II. cap. IV. Sed perperam ibi vocatur *Toronius* pro *Toranius*: *delectatus inter cœnam erat symphoniacis Toronii Flacci mangonis, atque eos frumento donaverat*. Lege: *Toranii*. In scriptis Solini, & Plinii legitur *Thoranius* cum adspiratione. Græcum esset Θώραξ, & Θωράνιος. Unus ex Metelli legatis ad debellandum Sertorium missus
G Θωράνιος dicitur Plutarcho in vita Sertorii. *Thorium* vocat Florus, ut olim observabamus. At *Toranius* Latinum? *Torarius* & *Toranius*: ut *pedarius*, & *pedanius*. Ita nominabant deducta voce à toris, id est ulnis, quem Græci παιδαγωγὸν & τροφέα Glossæ: *Torarius*, ὠλενοτρόφος. Perperam editur: *Toranus* ὠλενος, τρόφος. Eædem Glossæ: *Tolarius*: πλεονοτρόφος. Scribe: *Torarius*, ὠλενοτρόφος. In iisdem: *Torus*, ὠλένη. *Torum*, ὠλένην. Comicus: *quem tantillum*

in ulnis ego gestavi meis. Infima ætas *bajulum* dixit. Eleganter Græcis ὠλενοτρόφος, qui in ulnis suis assiduè gestitando alumnum nutricaret. Hinc *geraria* nutrix Plauto. Ubi fortasse etiam legendum, *toraria.* Nam librorum scriptura varia, & partim habent *ceraria*, partim *teraria.* Sed de his alibi. D. Augusti tutor vocabatur, *C. Toranius.*

Adeoque una res viderentur, ut solus sermo fidem panderet] Sic scripsimus, quia sic in scriptis. Vulgo: *nisi solus sermo fidem panderet.* Adeo, inquit, una res videbantur, quod ad similitudinem totius corporis, ut solus sermo fidem faceret, eos non esse geminos, quum alter Græcè, alter Gallicè loqueretur. Non admittendæ igitur conjecturæ doctorum virorum, *adeoque fratres viderentur.* Vel *adeoque uterini.* Hoc enim parum esset de iis, qui gemini putabantur, cum multi fratres, & uterini nequaquam sibi similes nascantur, immo nec gemini interdum. At isti, quos pro geminis vendiderat mango, adeo videbantur gemini, & uterque idem quod singuli, ut solus sermo eos discerneret. Plinius: *eximios forma pueros, alterum in Asia genitum, alterum trans Alpes, ut geminos vendidit: tanta unitas erat: postquam deinde sermone puerorum detecta fraude à furente increpitus est Antonio.* Sic suprà idem Solinus de mira similitudine: *hoc uterque fuerunt quod singuli*, id est, una res fuerunt.

Atque ideo irrisum se Antonius gravaretur.] Prius legebatur: *atque ideo cum irrisum.* Quod ejecimus ex librorum auctoritate. Satis enim intelligitur ex superiore: *denique cum Antonio jam triumviro.* Ἠπροέκδοσις habuit: *atque ideo se Antonius lusum gravaretur.*

Id vel præcipuè, quod emptor criminabatur, pretiosius probavit.] Plinius: *respondit versutus ingenii mango, id ipsum se tanti vendidisse.* Id ipsum, scilicet, similitudinem adeo geminam in duobus tam diverso orbe natis. Vulgariæ Plinii editiones legunt: *ob id ipsum se tanti vendidisse.* Non tam benè. De pretio non conveniunt Solinus & Plinius. *Trecenta* sunt *sestertia* Solino, *ducenta* Plinio. Magnitudinem pretii conquerebatur Antonius, ut verior propterea videatur summa Solini. Atque etiam ita legerit in Plinii codicibus: nec enim ab alio habuit. Trecenta sestertia, vel, quod idem est, trecenta millia sestertiûm numûm, efficiunt monetæ nostræ quingentos, ac septemdecim millia coronatorum. Plinius lib. VII. cap. XXXIX *pretium hominis in servitio geniti maximum ad hanc diem, quod equidem compererim, fuit Grammaticæ artis Daphni, Natio Pisaurense vendente, & M. Scauro principe civitatis* IIS. DCC. *licente.* Corruptissimum illum Plinii locum, ut in vulgatis est, sic integritati suæ restituimus veterum membranarum adjutorio. Primum malè *Daphnidis* legitur. *Daphni* rectè habent libri. *Pretium fuit Daphni Grammaticæ artis.* Deinde perperam scriptum *Gn. Pisaurensi.* Natius nomen proprium illius, qui Daphnidem vendidit, qui & Pisaurensis fuit. Summa vero ipsa pretii longè intricatior in editis, quæ & hujus ætatis viros summopere habuit exercitos. Scripti omnes Plinii eo loco præferunt: *& M. Scauro principi civitatis* III DCC. *licente.* Ex quo fecerunt ediones III M DCC sestertiis licente. Hinc dividia eruditorum in illa summa extricanda. Omnino scribendum, ut posuimus: IIS DCC. *licente.* Hoc est, sestertiis *quingentis licente.* Nota porro illa IIS pro sestertiis plus mille locis in Plinio corrupta invenitur. Sic paulo post, ubi legitur de Roscio histrione, meruisse illum annua sestertia quingenta, quod & aliunde scimus esse verum, iidem libri ita scriptum exhibebant: *quippe cum jam apud majores nostros Roscius histrio* III *d. annua meritasse prodatur.* Ubi idem vitium est, pro IIS D, hoc est, *sestertia quingenta.* Suetonius planè confirmat nostram Pliniani illius loci correctionem: nam in libro de Grammaticis, & Rhetoribus scribit hunc ipsum Daphnidem DCC millibus emptum fuisse à M. Scauro. Ita enim habent saniores libri, non *ducentis millibus.* Septingenta porrò millia sestertium αὐτόχρημα sunt *septingenta sestertia* Plinii. Hæc ad rationem, qua hodie utimur, computata, septemdecim millia aureorum & quingentos reddunt. Non tanto hodie in pretio, & honore Grammatici. Hunc Daphnidem Lenæus Melissus referente eodem Suetonio, *per cavillationem nominis* πανὸς ἄγημα dicebat. Scaliger scribebat, δαπάνης ἄγημα, vel δαπάνημα, vel δαπανίδης, ut esset aliqua ad nomen ejus allusio, & ad immanitatem pretii, quo redemptus est. Casaubonus, δάνυς ἄγρεδμα, aut δάνυς ὄφλημα Immo omnino retinenda vulgaris scriptura, πανὸς ἄγημα, quam libri omnes tuentur. Quod enim ea lectione nullam fieri ad nomen Daphnidis allusionem putant doctissimi viri, manifesto falluntur. Daphnis ille fabulis decantatus Panis fuit delicium. Meleager:

Αἰπολικαὶ σύριγγες ἐν οὔρεσι μηκέτι Δάφνιν
Φωνεῖτ' αἰγιβάτῃ Πανὶ χαριζόμεναι.

Pan autem pecoribus præerat, & pecorum magistris. Hinc per cavillationem nominis πανὸς ἄγημα eum dicebat, non Panis delicias, ut Daphnis fuit, sed pecus. Virgilius:

----*Pan curat oves, oviumque magistros.*

Fortasse etiam asinum intelligere voluit, qui Arcadiæ peculiaris, quæ in tutela Panis. *Pan deus Arcadiæ.* Ne tamen illi conjecturæ satis fidem facit, quod ἄγημα non singulare aliquod animal significat, sed gregem, vel τάγμα. Quidam libri eo loco legunt, *Panos agasema.* An legendum, ἄγασμα? Ad solum nomen Daphnidis videtur allusisse, qui Pani fuit in deliciis, & amoribus. Legi etiam posset, Πανὸς ἄγαλμα. Ut puer delicatus in Epigrammate, ἄγαλμα πόθιον. Atque hæc obiter. Restant de pretio servorum duo adhuc loca in eodem Plinii capite emaculanda: *nisi si quis in hoc loco desiderat Armeniaci belli paulo ante propter Tiridatem gesti dispensatorem, quem Nero* III. CXXX. *manumisit.* Ita libri. Repone: *quem Nero* IIS. CXXX, hoc est, sestertiis centum & triginta. Modica tamen hæc summa, si cum cæteris comparetur: ut fortasse scripserit auctor: *sestertiis* CCCC. Sed dispensator ille tantum fuit, nullo artificio commendabilis. Et amplitudinem conquestus est Antonius, quum duos eximia forma pueros, ut geminos, ducentis sestertiis emisset: aureorum nostrorum millibus quinque. Præterea hoc dedit pro libertate. Sequitur apud Plinium: *sed hoc pretium belli, non hominis fuit, tam hercule quam libidinis non formæ Pæzontem è spadonibus Sejani* III. *M. D. mercante Sutorio Prisco.* Ita vulgati. In scriptis: III. *d.* pro, IIS. D, hoc est, sestertiis quingentis, vel, quod est idem, sestertiûm quingentis millibus. Nam ita etiam illæ notæ possunt accipi. L. Heros Merula Medicus clinicus, chirurgus, ocularius in veteri inscriptione dat pro libertate, HS. IↃↃↃ. sestertiûm scilicet quinquaginta millia, sive, quod idem est, quinquaginta sestertia. De pretio vulgarium servorum, & artificum habemus in jure. Quæ heîc observavimus super hac re, ad hunc locum pertinebant, & Plinium, quod præcipuè spectavimus, emendant.

Neque enim mirum, si pares forent gemini.] Plinius: *quoniam non esset mira similitudo in ullis eodem utero editis.* Vult dicere, non fore miram similitudinem in verè geminis. At eodem utero editi dici possunt etiam fratres & uterini, non gemini: Nam idem uterus eos tulerit. Scriptum reperi in optimo Rigaltiano: *quoniam non esset mira similitudo in ullis chorum no utero editis.* Placeret rescribi: *in ullis eorum uno utero editis.* Quæ indubitatè vera est lectio. Uno utero editi sunt gemini: *nais d'une ventrée.*

Illud nullis posse taxationibus æstimari.] Πάσης τιμῆς κρεῖττον εἶναι. Plinius: *super omnem taxationem esse.*

Nihil habere carius in substantia sua jactitaret.] Scripti illud *sua* non agnoscunt. Sic Plinius *in censu* dixit, quod hic, *in substantia.*

Pag. 6. G. *Decus veteris proceritudinis perdidisse.*] Hoc meum facinus fateor esse, quod conjecturam in locum editæ lectionis admiserim quamlibet adversantibus libris. Concurrant omnes licet, atque in me incurrant Cercoëtii, ita faciendum fuit. Non de pulcritudine heîc, sed de procertudine quæstio est, quam in dies minorem fieri, ac deperire queritur, quum antiquo in ævo longe proceriore forma homines nascerentur. *Proceritudinem* dixit, ut paulo post *proceritatem.* Nam quum de formis hominum hîc requirere se ait, per formam non intelligit pulcritudinem, sed staturam. Ut paulo post: *sed ante Augustum annis fermè mille non apparuit forma hujusmodi, sicut nec post Claudium visa est.* Sic

Sic *justa forma* apud Suetonium pro justa statura. Totus autem hic Solini locus ex Pliniano expressus lib. VII. cap. XVI: qui sic habet, ut à nobis emendatus est: *In trimatu suo cuique dimidiam esse mensuram futuræ, certum est. In plenum autem cuncto mortalium generi minorem in dies fieri, propemodum observatur: rarosque patribus proceriores, consumente ubertatem seminum exustione, in cujus vices nunc vergat ævum.* Dicit cuique in trimatu suo dimidiam esse mensuram futuræ, id est, ejus mensuræ, quæ futura est in homine. Vulgo legitur, *statuere*, pro quo corrigunt *staturæ*. Sed statura non tantum hominis, verum etiam infantis, & nani dicitur, & quamlibet designat mensuram. *In plenum autem*, inquit, ea mensura cuncto mortalium generi minor in dies fit. *In plenum autem*, ὅλως δέ. Sic lib. XVI. cap. XL: *in plenum dici potest, utique quæ odore præcellant eas & æternitate præstare.* In plenum ὅλως καθόλε, συνελόντι εἰπεῖν. Quem & locum obiter emendavimus ex vestigiis veteris scripturæ, quæ habet: *ea sed æternitate præstare.* Eas materias, quæ odore præcellunt, & æternitate præstare. Quod autem formæ hominum in dies decrescant, ac subinde per nascentium detrimenta fiant breviores, causam petit ex ecpyrosi, in quam vergere ævum dicit. Hæc mundi quædam æstas fingitur à philosophis Stoicis, ut hyems cataclysmos, illam ardore omnia torrere, atque exurere: istam diluvio inundare. Cùm igitur ad illam ecpyrosim jam vergat, & inclinet ævum, ubertatem seminum, atque humorem exsiccante, atque consumente jam illa exustione, eo deteri, ac decrescere hominum corpora, nec tam grandia provenire, ut ante, & paulò post cataclysmum, quum uberiora semina, atque humectiora procerioribus gignendis hominibus causam dabant.

Per nascentium detrimenta:] Puto legendum: *per nascentium decrementa.* Gellius lib. III. cap. X: *nisi si, ut Homerus opinatus est, vastiora, prolixioraque fuerint corpora antiquorum hominum: & nunc, quasi jam mundo senescente rerum, atque hominum decrementa sunt.* Nam *decrementum* contrarium τῷ *incremento.* Juvenalis:

Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero.

Phlegon Traillanus paria pene habet, Gellii verbis de hoc hominum staturæ decremento: διὸ ἐ χρὴ τέτοις ἀπιστεῖν, ἐννοεμένες ὅτι κατ' ἀρχὰς μὲν ἡ φύσις ἐκμάζεσα ἅπαντα ἐγγὺς θεῶν ἐκτρέφει. Μαραινομένε δὲ τε χρόνε συμμεμάρανται, καὶ τὰ μεγέθη τῶν φύσεων. Alias *decrementum*, & *detrimentum* idem: ut *retrimentum*, & *recrementum*: & alterum pro altero in Glossis exponitur. Propriè tamen aliud *decrementum* & *detrimentum*.

Definiant nullum excedere posse longitudinem VII. *pedum.*] Varro apud Gellium lib. III. cap. X *modum esse dixit summum adolescendi humani corporis septem pedes.* Rationem addit Solinus, *quod intra mensuram istam fuerit Hercules.* Veteres omnes septem pedes proceritatis habuisse Herculem consentiunt. Scholiastes Pindari Isthmionica quarta de Hercule: Ἡρόδωρος γε̃ν ἐν Οἰδίποδι φησὶ τῶν ἄλλων περιτλθεῖν, ὥστε τὸ ὅλον σῶμα πηχῶν εἶναι τεσσάρων καὶ ποδός. Quatuor cubita cum pede uno septem pedes efficiunt. Lycophronis Scholiastes: τεσσάρων δὲ πηχέων ἦν ὁ Ἡρακλῆς καὶ ποδὸς ἑνὸς, καθάπερ ὁ Ποντικὸς Ἡρόδοτος ἱστορεῖ. Meminit Philostratus in vita Herodis Attici cujusdam adolescentis, qui, quod pedes octo longus esset, vocabatur Herodis Hercules: δοκεῖ γάρ μοι, inquit, τὸ ῥῆξαι τὸν ἰσθμὸν Ποσειδῶνος δεῖσθαι ἢ ἀνδρὸς, ὃν ἐκάλεν οἱ πολλοὶ Ἡρώδε Ἡρακλέα, νεανίας ἦν ἐν ὑπήνῃ πρώτῃ Κελτῷ μεγάλῳ ἴσος καὶ εἰς ὀκτὼ πόδας τὸ μέγεθος. Hinc autem septipedem hominem pro maximo dicebant, quod mensura ista longissimi hominis esse crederetur: ut *septipedes Burgundiones* perpetuo epitheto dicuntur Sidonio Apollinari, quasi longissimi ac procerissimi.

Deprensum tamen est Romanis temporibus, sub Augusto.] Diceres hunc auctorem, ut heîc loquutus est, non vixisse Romanis temporibus, aut Romanum non fuisse. Quidam codices non habent, *Romanis*: aliis deest, *temporibus*. Ex duabus sinceris geminæ editionis lectionibus hæc vitiosa concinnata est: quod sexcentis in locis factum apud hunc auctorem observavimus. Ex duabus igitur hujus operis editionibus una habuit: *deprehensum tamen est Romanis sub Augusto, Pusionem & Secundillam denos pedes habuisse proceritatis.* In

A altera fuit: *deprehensum est temporibus D. Augusti Pusionem & Secundillam.* Hinc ex utriusque cinno facta vulgaris. Utra autem harum lectionum recognitæ editionis fuerit, nescio, nisi quod utramque rectam censeo, & utralibet poterat in textum recipi pro vulgata, quæ manifesto vitio laborat.

Pusionem & Secundillam denos pedes & amplius proceritatis habuisse.] Denos pedes & quadrantem, sive tres uncias. Scribit Plinius Gabbaram novem pedum, & totidem unciarum fuisse: Pusionem autem, & Secundillam semipede longiores. Sic Pusio & Secundilla denos pedes, & quadrantem habuere longitudinis.

B *Quorum reliquiæ adhuc in conditorio Sallustianorum videntur.*] Sallustianorum hortorum. Ita enim apud Plinium. In horreis autem, & conditoriis principis raræ hujusmodi, & inusitatæ res reponebantur. Phlegon Trallianus de rebus mirabilibus: ἐν δὲ τῇ προειρημένῃ πόλει Σαύνῃ ἐλέγοντο καὶ ἕτεροι εἶναι ἱπποκένταυροι. Τόνδε πεμφθέντα εἰς Ῥώμην εἴ τις ἀπιστεῖ, δύναται ἱστορῆσαι. Ἀπόκειται γὰρ ἐν τοῖς ὡρείοις τε αὐτοκράτορος τεταριχευμένος, ὡς προεῖπον. Id est, *in horreis Imperatoris*: non ut vulgo vertunt eruditissimi viri: *in finibus Imperatoris.* De voce ὁρεῖον & ὡρεῖον videnda, quæ observavimus ad Hist. Aug.

C *Gabbarum nomine.*] In optimo Regio: *Gabbara nomine*, & ad oram, *Gabarum.* In altero: *Gabbaram.* In quibusdam Plinii scriptis codicibus legi *Gabborem.* Sed melius *Gabbaram*, ut plures & antiquiores habent Solini codices, ὁ Γαββάρας.

Pag. 7. A. *Quis enim jam ævo isto non minor parentibus suis nascitur.*] Juvenalis:

Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.

Sic suprà dixit: *corruptam degeneri successione subolem nostri temporis per nascentium decrementa decus veteris proceritudinis perdidisse.*

D *Priscorum autem testantur molem Orestis suprema*] Per Orestis suprema intelligit Orestis reliquias, καὶ τὰ λείψανα. Sic alibi loquitur cap. XLVI, *quo merito effectum est, ut defuncto in India exequias rex duceret, & suprema ornaret sepulcro.* Ammianus Marcellinus, qui Solini loquutionibus frequenter utitur, hoc sensu *suprema* multis locis posuit. lib. XV. *Cum Juliani supremis Procopius mittitur ea, ut, superstes ille mandarat, humaturus in suburbio Tarsensi.* Et lib. XXII. *Iisdemque cadaveribus subito igne crematis, cineres projecit in mare, id metuens, ut clamabat, ne collectis supremis ædes illis exstruerentur, ut reliquis.* Atque ita alibi. Sic in Græco Epigrammate, quod Aureoli Tyranni, qui sub Claudio extitit,

E sepulcro insculptum est, τὰ σώματος ἔσχατα sunt cineres, & reliquiæ, ut ad Historiæ Augustæ auctores nobis observatum:

Κεῖνος δ' οἰκτίρμων, καὶ σώματος ἔσχατ' ὀπίζων
Ἀυρεόλε γεφύραν εἴσατο, τὴν δὲ ταφήν.

Scripta quæ ex antiquitate] Ita hunc locum scripsimus ex libris. Vulgo sic edebatur: *Scripta quoque ex antiquitate memorias arcessunt in fidem veri: quibus receptum est, quod bello Cretico*, &c. Duplex hujus loci lectio fuit ex duplici editione. Prima habuit: *scriptos quoque, quæ ex antiquitate memorias accersunt in fidem veri receptum est.* In altera, quam ipse recognovit,

F editum est: *Scripta, quæ ex antiquitate memorias accersunt, in fidem veri hoc etiam receperunt.* Perperam in nostro irrepsit, *scripta quoque.* Nam illud *quoque* expungendum.

Bello Cretico quum elata flumina terras rupissent] Hanc historiam aliunde sumpsit, quam ex Plinio, Solinus, & alium sequitur auctorem. Nihil enim tale apud Plinium. Scribit ille quidem capite eodem, unde omnia, quæ heîc habet, hausit Solinus, in Creta terræ motu rupto monte inventum esse corpus stans quadraginta sex cubitorum, quod alii Orionis, alii Oti fuisse traderent, sed illud simile non est istis Solinianis. Terræ

G motu ruptum montem dicit Plinius: at Solinus, terras ruptas abundatione fluminum. Concedamus parvi momenti hanc esse varietatem. Quæ de Metello, & L. Flacco ejus legato narrat Solinus, quibus inspectatum illud cadaver dicit, non habentur apud Plinium, ut ea omnino ex alio auctore habere Solinum sit necesse. Adde, quod Pliniana illa de reperto cadavere stante quadraginta sex cubitorum in Creta insula, rupto

monte terræ motu, vereor, ut satis Pliniana sint. Nam in vetustissimo libro extra textum ad marginem, idque aliena manu posita reperiuntur. Quæ apparet ab aliquo studioso lectore ad oram Plinii adtexta fuisse, alibi lecta. Quibus paria sunt, quæ ex Theopompo Sinopensi refert Phlegon in libro de Mirabilibus: ἐν τῷ Κιμμερίῳ Βοσπόρῳ σεισμοῦ γενομένου τὸν παρ' αὐτοῖς τινὰ ἀναῤῥαγῆναι λόφον, καὶ ἀναβαλεῖν ὀστᾶ ὑπερμεγέθη, ὥστε τὴν σύνθεσιν τοῦ σκελετοῦ πηχῶν εὑρεθῆναι εἰκοσιτεσσάρων.

Quum elata flumina plusquam vi amnica terras rupissent] Sic à nobis repositum, quum omnes retro cusi haberent: *quum elata flumina, impetu plus, quam vi amnica, invecta terras rupissent.* Quem locum corruperat eadem, quæ alios sexcentos in hoc scriptore causa: mixta nimirum ex utraque editione scriptura. Lectio τῆς προεκδόσεως hæc fuerat: *quum flumina impetu amnico invecta terris forent.* Hoc mutavit in recognoscendo opere, ac scripsit: *cum elata flumina plus quam vi amnica terras rupissent*, quomodo nos edidimus. Nam vulgata ex utroque corrupta. Exceprta Solini versibus:

Constat & humanum per Cretica bella repertum
Corpus, subversa violento flumine terra.

Inter plurima humi discidia] Κατὰ πολλὰς τῆς γῆς διαστάσεις. Ita in scriptore Græco fuit, ex quo Solinus hæc descripsit. Sic de Rebus Mirabilibus, in simili historia: ἔπαθον δὲ καὶ τῆς Σικελίας ἐκ τοῦ σεισμοῦ οὐκ ὀλίγαι πόλεις, καὶ τὰ πλησίον Ῥηγίου. Ἐσείσθη δὲ οὐκ ὀλίγα καὶ τῶν ἐν Πόντῳ ἐθνῶν. Κατὰ δὲ τῆς γῆς τὰς διαστάσεις ἐφάνη σωμάτων μεγέθη. Nam διάστασις propriè discidium. Glossæ: διάστασις, *distantia, divortium.* Aliæ: *discidium*, διαχωρισμὸς, διάστασις, διαίρεσις.

Non omiserim Salamine Euthymenis filium] Parum refert, utrum *Salaminæ* legas, an *Salamine.* Nam idem est. Salamina quippe, & Salamin dicebatur. Illud magis Latinum est, siquidem ex quarto casu Græcorum, τὴν Σαλαμῖνα, factus est Latinis primus, *hæc Salamina*, ut in aliis sexcentis. Servius: *Salamina insula est Arcadiæ in continenti.* Intelligendum igitur in insula Salamine filium Euthymenis in triennio tria cubita crevisse. Male editiones Solini, quæ *Salamiam* legunt, ut nomine isto fuerit ille Euthymenis filius. Apud Plinium scribitur in vetustis exemplaribus: *invenimus in monumentis Salaminæ Euthymenis filium.* Fortean, in monumentis Salaminæ, vel Salaminis insulæ id inveniri dicat Plinius, apud eos nempe auctores, qui de rebus Salaminiorum scripserunt. Aristoteles, ut aliarum gentium πολιτείας scripserat, ita & τὴν Σαλαμινίων. Sic suprà idem Plinius: *extat in monumentis medicorum, & quibus talia consectari curæ fuit.*

Pag. 7. B. *Crevisse in triennio tria cubita sublimitatis*] Sublimitatem heîc posuit pro longitudine, & proceritate, vel altitudine: ut altum hominem dicimus longum, & procerum. Plinius: *in tria cubita triennio adolevisse.* Scripti Plinii legunt: *adcrevisse.* Atque ita videtur legisse Solinus.

Incessu tardum, sensu hebetem] Ita scripti, & confirmat Plinius. Vulgo: *incessu tardo, sensu hebeti.*

Robusta voce, pubertate festina] Melius Plinius: *puberem etiam factum robusta voce.* Notare enim voluit non solum puberem eum factum quoad speciem & corporis habitum, sed etiam vocem robustiorem & crassiorem, ut puberes solent, habuisse. Nec minus mirum de voce, immo etiam magis, ut puer in trimatu non solum pubem, sed etiam vocem robustam habuerit. Vocem crassiorem, & fortiorem fieri pubescere incipientibus notum est. Solinus nec Plinii, nec rei ipsius, quam scribebat, satis intelligens hæc scripsit: nisi forte scripserit: *robusta voce, pubertate festina.* Ut dicat robustam illi vocem factam esse festina pubertate. Sic enim potest sublevari.

Statimque obsessum morbis plurimis] Ut hæc Solini sunt, intelligas filium illum Euthymenis variis morbis vexatam vitam diu traxisse, & sic immoderatis ægritudinum suppliciis pensasse incrementi celeritatem. Atqui non ita est: nec Plinium, quem sequebatur, assequutus est. Intra triennium tria cubita adcrevit, puber etiam factus est: at triennio circumacto subita membrorum contractione absumptus est. Verba Plinii: *Invenimus in monumentis Salaminæ Euthymenis filium in tria cubita triennio adcrevisse, incessu tardum, sensu hebetem: & jam puberem factum voce robusta, absumptum contractione membrorum subita triennio circumacto.* Nihil planius. Ut Pincianus Plinium ex Solino sic emendabat: *absumptum contractione morborum subita*: quia Solinus scribat, obsessum eum morbis plurimis, immoderatis ægritudinum suppliciis compensasse tam festinum incrementum. Sed fallitur ille, nec Solinum novit, qui prius falsus est. Sine dubio verba Plinii ita accepit, quasi dixisset, cum Euthymenis filium, qui tria cubita creverat in triennio etiam ad pubertatis annos venisse, & puberem jam factum triennio circumacto, hoc est post triennii spatium, absumptum contractione membrorum, qua subito correptus fuerat. Sic toto triennio illum hac ægritudine laborasse, & circumacto triennio eadem extinctо. Haud dubium est, quin ita intellexerit Solinus. Ceterum Plinii verba, ut eo sensu accipiantur, quo accipi debent, ita distinguenda sunt: *Euthymenis filium in tria cubita triennio adolevisse, incessu tardum, sensu hebetem, etiam puberem factum, voce robusta, absumptum contractione membrorum subita.* Etenim intelligit triennio illo, quo tria cubita crevit, puberem eum etiam factum. Idque confirmant optimæ membranæ, quæ legunt: *puberem etiam factum*, pro eo, quod vulgatum est: *& jam puberem factum.* Simile est, quod ex Cratero Antigoni regis fratre narrat Phlegon, Cratero illi notum hominem fuisse, qui intra septennium puer, adolescens, vir, maritus etiam susceptis liberis, & senex decesserit. Eadem omnia, quæ, in Euthymenis filio, præter pubertatem se in filio Cornelii Taciti equitis vidisse narrat ibidem Plinius.

Pag. 7. C. *Ideoque physici hominem minorem mundum judicaverunt*] Μικρόκοσμον. Sed an ideo physici minorem mundum hominem esse judicaverunt, quod, quantus modus est manibus expansis inter longissimos digitos, tantum sit inter calces ejus, & verticem spatium? Hoc non memini apud ullum auctorem legisse. Plinius sanè id etiam scribit, quod sit homini spatium à vestigio ad verticem, id esse passis manibus inter longissimos digitos: verùm non addit ille, quod additum Solino, ea de causa physicos hominem minorem mundum judicavisse. Video tamen propemodum quid ille, aut illi, quos est sequutus, voluerint. Pars dextra mundi in oriente statuitur à physicis: sinistra in occidente. Vertex constituitur septentrio, qui in nostra sphæra semper elatus & sublimis. Pars Australis, quæ depressa est, vestigio non male respondeat. Quantum autem ab Oriente spatii est ad Occidentem, hoc est, à dextera mundi ad sinistram, tantum esse dignoscitur à Septentrione ad meridiem, vel à vertice mundi ad calces. Hoc idem in homine, & mensuræ ejus ratio sic convenit: ideo jure μικρόκοσμος judicatus.

Parti dextræ habilior ascribitur motus, lævæ firmitas major] Nec Plinium heîc sequitur, qui contrarium planè tradit, *vires* nempe *dextra parte majores, quibusdam æquas, aliquibus læva manu præcipuas: nec id unquam in fœminis.* Non igitur hæc ex Plinio Solinus, ut censet Camers. Quod ait hîc auctor lævæ firmitatem esse majorem, quia sit oneri ferundo accommodatior: immo eo ipso imbecillior ostenditur. Nam in onere ferundo læva incumbit quodammodo dexteræ, quæ quasi fulcimentum, & basim præstat onustæ lævæ, eamque ut firmior sublevat. At enim quod dextera faciendis gestibus habilior, & promptior, id ex assuetudine venit: quippe qui à puero magis læva uti assueverunt, eam etiam habiliorem dextera habent. Nec dubium est, quin aliquis scævola gesticulationes læva manu promptius, ac citius faceret quam dextera. Et quemadmodum corpora exercitio frequenti durata, etiam fortiora fiunt, ita læva exercitatior, quum aliquis eam frequentius movere, quam dextram instit, firmior atque habilior quoque evadit. Natura tamen sinistram imbecilliorem esse dextra philosopho credimus, atque etiam inhabiliorem.

Verum jam ad pernicitatis titulum transeamus] Ita editiones, quæ & novi capitis initium faciunt post hæc verba sub titulo, *de velocitate.* Et malè viri eruditione magni, qui *titulum* heîc pro capitulo accipiebant, vel capitis ἐπιγραφῆ, cum sit laudis titulus, & elogium. Sic infra: *quod attinet ad titulum felicitatis, necdum repertus*

pertus eſt, qui felix cenſeri jure debuerit. Atqui nullum ibi caput, aut titulus de felicitate. Rectè igitur heîc veteres libri nullam capitis habent diſtinctionem, ſed hæc uno ſpiritu continuata ſic legunt: *Verum ut ad pernicitatis titulum tranſeamus, primam palmam velocitatis Ladas quidam adeptus eſt.* Atque ita nos reſtituimus.

Ut in arenis pendentibus nulla indicia] Sic ſcribendum fuit ex libris; vulgati: *ut harenis pendentibus, nulla relinqueret veſtigiorum.*

Polymneſtor Mileſius puer] Libri: *Polymeſtor.* Atque ita in Græca Olympionicarum ἀναγραφῇ. Πολυμήστωρ Μιλήσιος παίδων στάδιον. Utrumque nomen Græcum, ut & μνήστωρ, & μήστωρ.

Pag. 7. D. *Ludicro leporem conſequutus eſt*] Ὃς αἰπολῶν λαγὼν κατέλαβε.

Victor in ſtadio meruit coronam] In ſtadio puerorum. Nam Chryſamaxus victor in ſtadio virorum coronatus eſt, eadem Olympiade: Laterculus ὀλυμπιονικῶν· Τεσσαρακοστῇ ἕκτῃ. Χρυσάμαξος Λάκων στάδιον καὶ Πολυμήστωρ Μιλήσιος παίδων στάδιον. Cum hunc Polymeſtorem puerum vocarit Solinus, ſatis dixit inter pueros hunc viciſſe.

Philippides biduo mille centum quadraginta ſtadia] *Phidippides*, non *Philippides* hic curſor vocabatur, Φειδιππίδης. Atque ita in Plinio reponendum, ubi & perperam *Philippides* ſcribitur. Camers expungit *biduo.* Perperam. Id omnes libri retinent, & verum eſt hunc Phidippidem biduo Athenis Lacedæmonem perveniſſe. Herodotus lib. VI. δευτεραῖος ἐκ τοῦ Ἀθηναίων ἄστεος ἦν ἐν Σπάρτῃ. Hoc iter mille centum quadraginta ſtadiis definiunt editiones. Ita Plinium, & optima Solini exemplaria habere teſtatur Delrius. Sed, cur illi viro credamus, cauſæ non eſt, quem toties fallacem deprehendimus. Omnes Soliniani codices, quos vidimus, & quos alii videre, unanimiter legunt: *mille ducenta quadraginta ſtadia.* Atque ita in vetuſtis Plinii exemplaribus reperitur. Qui excerpta ex Solino verſibus reddidit, eumdem numerum exhibet.

Quid vero curſum memorabo Philippidis illum,
Qui quadraginta ſtadia plus mille ducenta
Per biduum currens venit Lacedæmonis urbem.

Sic & prima habet editio, & reliquæ ſequentes uſque ad Delrianam. Quare mutaverit, neſcio: cum ex Ptolemæo jam obſervaſſet Hermolaus Barbarus hanc menſuram itineris ab Athenis, Lacedæmonem vero propiorem eſſe.

Aniſtis Lacon, & Philonides] Rectius in noſtris: *Anyſtis.* Græcum eſt, Ἄνυστις, non item *Aniſtis.* In quibuſdam. *Aniſtius:* ut infra *Anapius*, qui eſt Anapis, ὁ Ἄναπις.

Elim ab uſquè Sicyone mille ducenta ſtadia] Scripta Plinii exemplaria: *mille trecenta quinque ſtadia.* At lib. II. cap. LXXII mille & ducenta tantum, ut hîc, ſtadia numerat: & memorabile eſt, quod illic narrat. Philonides Alexandri curſor cum ex Sicyone Elim petebat, illud ſpatium, quod mille & ducentûm erat ſtadiorum, vel, quod idem eſt, centum & ſexaginta milliariûm, novem diei conficiebat horis. Cum vero ex Elide Sicyonem revertebatur, declive licet iter, ac per hoc brevius, non niſi quindecim horis emetiri poterat. Cauſam hanc facit Plinius, quod eunti cum ſole iter erat, at remeans ſolem obvium contrario prævertebat occurſu. Eum vide. Nam locum illum vulgò malè interpretantur.

Fontejo, Vipſanioque conſſ.] Scripti omnes Solini: *Fontejo Vipſanoque.* In Plinii ſcriptis hoc loco: *Vipſtano*, aut *Vipiſtano.* At lib. II. cap. LXX. *Vipſano & Fontejo Coſſ.* Ubi optimus codex legit, *Vipiſano* pro *Vipſano.* Aliis *Vipſanius* dicitur.

In Italia octo annos natus puer.] Libri: VIIII *annos*, id eſt, novem annos. Quomodo hunc numerum ſcribebant. Atque ita apud Plinium. Licet in ſcriptis ejus reperiatur VIII: pro VIIII.

Quem perſpexiſſe per centum XXXV. *m. p. Varro ſignificat.*] Libri conſtanter: *ſuperſpexiſſe.* Quod eſt, in ſuperiore loco ſtantem perſpicere. Sic *ſuperſtare.* Alioquin impoſſible eſt, vel in mari ut centum ac triginta millia quiſquam pervideat. Nam in terra prorſus ἀδύνατον, cum nulla planities ad libramentum exæquata reperiri poſſit adeo extentæ longitudinis. At in mari ratio elementi ad ſphæricam rotunditatem intumeſcentis viſum ex plano pœne prohibet, per tantam præſertim ſpatii amplitudinem. Quare Strabo ille in ſpecula Lilybitana poſitus naves portu Carthaginenſi exeuntes pervidebat. Quod *ſuperſpicere* vocat Solinus. A Lilybæo de Sicilia Carthaginem numerabantur maritimo itinere ſtadia mille quingenta, hoc eſt, millia paſſûm ducenta, ut conſtat ex itinerario maritimo Antonini.

Pag. 7. E. *Cicero tradit Iliada Homeri ita ſubtiliter in membranis ſcriptam.*] Noſtri omnes: *Iliadam omnem*, id eſt, integram & totam. Plinius: *in nuce incluſam Iliada Homeri carmen in membrana ſcriptum tradidit Cicero.* Delrius ex Solino corrigebat: *in nuce incluſam Iliada Homeri omnem in membrana ſcriptam tradidit.* Verum bonus Delrius non didicerat correcturas. Diſtinguendum, ac ſcribendum in Plinio: *In nuce incluſam Iliada, Homeri carmen, in membrana ſcriptam tradidit Cicero.* Per parentheſin interjecit, *Homeri carmen*, ut illam Iliadem intelligere ſignificaret, quam Homerus ſcripſit, ac diſtingueret à parva Iliade, cujus auctor Leptines. Aliquando etiam fuit, cum verba illa, quaſi ex gloſſa marginis accepta, cenſerem expungenda.

Callicrates formicas ex ebore ſic ſculpſit.] Meliora, ac vetuſtiora Solini exemplaria *ſcalpſit* heîc præferunt. Quæ ſcriptura apud alios auctores, & Plinium frequenter occurrit in plutéariis membranis. De qua voce ſemel dicam quod eſt dicendum, licet has minutias aſpernetur Cercoëtius; ſed ejus palato non ſcribimus, *Scalpo*, & *ſculpo* ejuſdem ſunt ſignificationis, ut γλάφω, & γλύφω Græca, unde habent originem. Æoles trajectionibus gaudebant. Γύλφω & γάλφω dicebant, ſigma etiam addebant tam ipſi, quam Siculi: Ut σμῦς, σμυγερὸς, σφαλάγγιον, σκῦλα, unde Latinum *ſcruta.* Sic σγύλφω, & σγάλφω: atque inde *ſculpo* & *ſcalpo.* Heſychius: γλάψαι, κοιλᾶναι, γλύψαι, βαθῦναι. Inde *ſculptores*, & *ſcalptores* lapidum, qui & *cavatores*, & *cavitarii.* De quibus nos alibi. Gloſſæ optimæ: *ſcalpit*, γλύφει, κολάπτει. Aliæ Gloſſæ: *ſcalptura*, γλυφή. Inde *ſcalprum*, τὸ γλύφανον. Ineptè ſcioli Grammatici hæc duo verba diſtingunt.

Ut portio earum à ceteris ſecerni nequiverit.] Sic, inquit, formicas ex ebore ſcalpſerat Myrmecides, ut portio earum à ceteris ſecerni non quiverit. Malè profecto ſic ſculptæ, immo ne ſculptæ quidem, ſi partes earum indiſcretæ. Quid enim in illis ſculptum? At formicæ non fuerint, niſi & partes omnes formicarum diſtinctas, ac diſcretas habuerint. Nec magnæ fuerit artis, quamlibet ſubtiliſſimum ex ebore opus feciſſe, cujus partes indigeſtæ, atque indiſtinctæ. Aliter Plinius: *Callicrates ex ebore formicas, & alia tam parva fecit animalia, ut partes eorum à ceteris cerni non poſſent.* Quorum hic ſenſus eſt: eorum animalium partes tam ſubtiles, ac tam parvas fuiſſe, ut à ceteris cerni non poſſent, ſed à ſolo artifice, qui ea fecerat. Nam qui ſatis clara oculorum acie fuerat in illis partibus tam parvorum animalum ſubtiliſſimè ſculpendis, utique etiam ſculptas facile cernebat, quas ceteri videre non poterant. Ideo & hujuſmodi operum exempla non ad probandam artificii excellentiam à Plinio producta, ſed ad mirabilem oculorum aciem in artifice oſtendendam. Quinetiam, ut ea operum minutalia facilius cernerentur, admovebantur ſetæ nigræ, ut candor eboris oppoſito ſetarum nigrore, oculorum aciem magis adverteret: ut teſtatur Varro lib. VI. de L. L. Ergo, qui Plinium ex Solino emendant, doctiſſimi viri, contrarium ejus faciunt, quod erat faciendum. Heîc antiquum ſuum obtinet Solinus, & male Plinii mentem eſt aſſequutus. Locus Plinii de eo Callicrate ſic legendus: *Callicrates ex ebore formicas, & alia tam parva fecit animalia, ut partes eorum à ceteris cerni poſſent. Myrmecides quidem in eodem genere inclaruit, quadriga ex eadem materia, quam muſca integeret alis, fabricata: & nave, quam apicula pinnis abſconderet.*

In Scythia fœminas naſci, quæ Bythiæ vocantur.] Mirè deſultorius hic auctor, ac levis & miſcellio. Ut heîc, cum exemplis acutiſſimi viſus, exempla narrat gentium oculos effaſcinatores habentium, ac ſolo viſu nocentium; mox tranſit ad fortitudinem, & eos, qui

ea

A ea prævaluerunt. Et quum omnia furto habeat ex Plinii libris, non eodem ordine, quo ille, res persequitur: immo nullum ordinem sequitur: facitque quod fures domestici solent, qui ut ne furta eorum pateant, hinc inde resculas aliquot suppilant, nec omnia ex eodem loco, nec una serie. Hæc de Bituis habet Plinius lib. VII. cap. I. de mirabilibus gentium figuris.

Fœminas nasci, quæ Bithyæ vocantur.] Scripta Plinii exemplaria fere consentiunt cum Solinianis in harum fœminarum nomine concipiendo, habentque *Vitiæ.* Optimus Regius: *Bitiæ.* Ex quo legendum conjecimus, B *bituæ*, hoc est, δίκοροι. Nam proprium hujusmodi fœminarum binas in oculis pupulas habere, unde Græcis δίκοροι: Quas Plinius, & ex eo Solinus reddiderunt, *Bituas.* Pupilla enim est, ἡ κόρη, qua videmus, ac tuemur. Hesychius: κόρη, ἡ ὄψις. Ovidius de Saga:

Hanc ego nocturnas versam volitare per umbras
Suspicor, & pluma corpus anile tegi;
Suspicor & fama est: oculis quoque pupula duplex
Fulminat, & geminum lumen ab orbe venit.

Hæc verba, *geminum lumen ab orbe venit*, planè designant *bituam*, hoc est, δίκορον. Plinius: *Notabilius esse, quod pupillas binas in oculis singulis habeant. Hujus ge-* C *neris & fœminas in Scythia, quæ Bituæ vocantur, prodit Apollonides.* Αἱ δίκοροι καλοῦνται. Ita scripserat Apollonides. Solinus: *Apollonides perhibet in Scythia fœminas nasci, quæ bituæ vocantur: eas in oculis pupillas geminas habere.* Paret omnino hinc vocatas, quod in oculis singulis duplicem haberent pupillam; nec nomen esse gentis Scythicæ. Addit Solinus: *Hæ sunt & in Sardinia.* Quæ verba tamen in optimis exemplaribus non extant. Plinius ibidem tradit, fœminas omnes ubique visu nocere, quæ duplices pupillas habeant. Habetur apud eumdem de Thibiis in Ponto eadem virtute, ac nota ge- D minæ pupillæ præditis. Hi Græcè Θιβίοι: atque ita apud Stephanum scribendum esse ex literarum serie constat. Dicti autem à loco *Thiba* sic appellato de Amazone quadam ibi occisa ab Hercule. Stephanus: Θιβὶς, τόπος περὶ τῷ Πόντῳ ἀπὸ μιᾶς τῶν Ἀμαζόνων ὑφ' Ἡρακλέους ἀναιρεθείσης κληθεῖσα. Ita legendum, non Θηβαὶς, ut vulgo editum est. Et paulo post: ὁ τοπίτης Θίβιος, ὡς ἀπὸ τῆς Θίβης εὐθείας. Ἔστι δὲ ἔθνος βασκανικὸν, καὶ φθοροποιὸν, ὡς Δίδυμος ἐν δευτέρῳ συμποσιακῶν. Θανατοῖ δὲ τὸ πνεῦμα αὐτῶν, οἷς ἂν πλησιάζῃ, τὰ δὲ σώματα αὐτῶν ῥιφέντα εἰς θάλασσαν οὐ καταδύουσι. Eustathius καὶ περὶ τῷ Πόντῳ δὲ Θίβα τόπος δηλοῦται ἔχων τὴν παραλήγουσαν, ἀπὸ μιᾶς τῶν ὑφ' Ἡρακλέους ἀναιρεθεισῶν Ἀμαζόνων E σχοῦσα τὴν κλῆσιν. Nomen hujus Amazonis ex Arriano Θίβαν dicit fuisse, quomodo & apud Stephanum scribendum, non Θήβαν. Horum *Thibiorum* etiam mentio apud Plutarchum in Symposiacis quæsitis, lib. V. cap. VII. Sed perperam Θηβεῖς appellantur pro Θιβεῖς. Ex qua vitiosa scriptura perperam *Thebios* apud Plinium censebat appellandos doctissimus Turnebus. Plutarchus: ἦ τοι τούς γε περὶ τὸν Πόντον οἰκοῦντας πάλαι Θιβεῖς προσαγορευομένους ἱστορεῖ Φύλαρχος οὐ παιδίοις μόνον ἀλλὰ καὶ τελείοις ὀλεθρίους εἶναι. Eumdem laudat auctorem Phylarchum, quem & Plinius. Θιβεῦς, & Θίβιος ἀπὸ τῆς Θί- F βας. Hesychius: Θιβεῖς, γόητες τινές. Ita scribimus apud Hesychium. Sequitur apud Plutarchum: καὶ γὰρ τὸ βλέμμα, καὶ τὴν ἀναπνοὴν, καὶ τὴν διάλεκτον αὐτῶν παραδεχομένους τήκεσθαι καὶ νοσεῖν, ᾔσθοντο δὲ ὡς ἔοικεν τὸ γινόμενον οἱ μιγάδες, οἰκέτας ἐκεῖθεν ὠνίους ἐξάγοντες. Qui sunt isti μιγάδες, qui servos inde venales exportabant? omnino scribendum, μαγγάδες. Græcum est μαγγὰς & μάγγων, pro venalitiario mercatore. Unde & Latinum *mango*. Sed quum Thibios eos ex Phylarcho vocet Plinius, & non Thibenses, ita videntur & apud Plutarchum nominandi: Θιβίοι, inquam, non Θιβεῖς. Atque ita sanè in G veteri libro scriptum reperi. Quod autem venales inde exportari solitos à mangonibus tradit idem Plutarchus, vereor ut Θιβίους, ἀντὶ τῶν Τιβίων acceperit. Nam Τίβιος nomen servi apud veteres comicos, ut Δᾶος, Σύρος & Γέτας: Qui *Tibii* diversi à *Thibiis*, nec ex Pontica regione ut isti, sed ex Phrygiæ loco veniebant. Idem Stephanus: Τίβιον, ὄρος Φρυγίας ἀπὸ Τιβίου τινός. Ἐκ τούτου καὶ Τιβίους τοὺς δούλους καλοῦσι. Lucianus in Timone: ἀντὶ δὲ τέως Πυῤῥίου ἢ Δρόμωνος ἢ Τιβίου, Μεγακλῆς ἢ Μεγάβυζος ἢ Πρώταρχος ὀνομαζόμενος. Hi sunt Tibii, quorum meminit Galenus lib. I. methodi, ut servorum emptitiorum, non Pontici Thibii. Metrodorus Scepsius in Epigrammatis Arithmeticis:

Ὀγδώκοντα Σύρος, Δᾶος τρία, Τίβιος ὀκτώ.

Perperam in membranis, Τίμιος. Idem error apud Theophrastum in characteribus, περὶ ἀναισχυντίας: εὐωχοῦ Τίβιε, *vescere Tibie.* Ibi vulgo editum est, Τίμιε. Nec benè vir eruditissimus, *honorate* vertit; de servo enim accipiendum est. Nec sanè ego unquam Thibiis illis Ponticis pro mancipiis usos esse veteres crediderim, quorum tam nocens visus, tamque pestifer halitus erat, ut utroque interimerent. Manifestè patet Plutarchum *Thibios* cum *Tibiis* confudisse. Quod enim Tibiorum mancipiorum ejus ætate nullus esset amplius usus, nec nomen quidem, persuasit sibi inde servos venales esse ideo desisse, quod visu & halitu nocivo, ac pestilenti essent: idque quasi dubitans proponit, ᾔσθοντο ὡς ἔοικε, τὸ γινόμενον οἱ μαγγάδες, οἰκέτας ἐκεῖθεν ὠνίους ἐξάγοντες. Atqui nunquam ex illis locis importata in Græciam mancipia mihi persuasum est: nec Θιβίοι vocabantur servi, quibus antiquitus usa est Græcia, sed Τιβίοι. Similes porro Thibiis Ponticis in Æthiopia fuere, qui Φαρμακεῖς dicebantur, quod corpore venenato essent, ac sudore suo tabem contactis corporibus afferrent. Ita enim legendum in Plinio: *Haud dissimile his genus Pharmaceûm in Æthiopia prodidit Damon, quorum sudor tabem contactis corporibus afferat.* Τὸ γένος τῶν Φαρμακέων. Aliud Φαρμακὸς, aliud Φαρμακεύς. Φαρμακεῖς propriè sunt venenarii. At Φαρμακὸς, homo piacularis, qui urbis alicujus purgamento devotus extra fines ejiciebatur. Quæ significatio minimè convenit illi generi Æthiopico, cujus meminit Plinius. At *Bituæ* fœminæ in eodem Plinio, & Solino sunt δίκοροι. Sic *omnituus*, ὁ πανδερκής: *aditus*, qui ædem tuetur.

Prævaluisse fortitudine apud Romanos L. Siccium Dentatum.] Cum princeps editio Solini, ceterique omnes scripti, editique libri, *Sicinium* heîc legerent, maluit Delrius *Siccium* edere, quia eum ita vocet Dionysius: quasi non & multi *Sicinium.* Ita etiam infrà legitur in omnibus Solini exemplaribus: *quantum inter milites Sicinius, aut Sergius:* Valerius Maximus *Sicinium* etiam appellat. Nec aliter eum antiquæ Gellii editiones indigetant. Nam in novitiis reposuerunt *Siccium.* Plinii meliores libri *Sicium* nominant duobus locis. Fulgentius de prisco sermone ex Varrone *Sitium*, pro *Sicium.* Apud Festum in voce *Obsidionalis* etiam vocatur *Sicinius*: & apud Ammianum Marcellinum, duobus locis. Ita enim veteres libros Marcellini habere notarunt eruditi. Et auctor ille est, quem multa ex Solino hausisse observavimus. At Plinii meliores libri *Sicium* nominant heîc & lib. XXII. cap. V. Fulgentius de prisco sermone ex Varrone *Sitium* pro Sicio. Mentio apud Livium lib. III. L. Sicii fortissimi viri, qui in Sabinis per insidias ab suis obtruncatus est fraude Decemvirorum, quod in eorum invidiam sermones ad populum sereret de creandis Tribunis plebis. Hic ipse L. Sicius Dentatus. At lib. VI. idem meminit L. Sicinii Tribuni plebis. Sanè gens Romæ *Sicia* fuit, & *Sicinia.* Titus Sicinius Sabinus consul fuit cum G. Aquilio Tusco. Verùm hæc alibi fusius.

S. Tarpejo, A. Haterio Coss.] Libri nostri etiam antiquissimi absque adspiratione, *Aterio.* Ita Græcis, Ἀτέριος. Apud Plinium in vetustis libris *Aternus* scribitur vitiosè, pro *Aterius.*

XL & quinque adversas habuit cicatrices, in tergo nullam notam.] Codex recentior Palatinus, sed ex optimo descriptus, *notam* non habuit, & certè melius abesset. Plinius XLV. *cicatricibus adverso corpore insignis nulla in tergo.* Fulgentius: *cicatrices habuisse è contra quadraginta quinque, post tergum nullam.* Gellius: *cicatricem aversam nullam, adversas quinque & quadraginta tulisse.*

Pag. 7. F. *Spolia ex hoste tricies & quater cepit.*] Plinius: *idem spolia cepit triginta quatuor.* Apud Gellium in narranda hujus Sicii fortitudine locus, qui de spoliis agebat, mirificè corruptus est. Ita enim vulgo scribitur: *phaleris item donatus est quinquies viciesque. Populi dona militaria*

litaria habuit multijuga; in his provocatoria pleraque. Non populus militibus dona militaria dabat, sed imperator, sub quo fortiter fecerant. Praeterea *dona militaria* ab hoc loco aliena sunt. Jam enim de his praecessit, phalerae quippe, armillae, torques, coronae, hastae, dona sunt militaria, quibus donatum fuisse Sicium in praecedentibus scripsit Gellius. Puto igitur has duas voces, *dona militaria*, ex margine irrepsisse, quae lector aliquis notaverat ad illam phalerarum, & coronarum mentionem: nullo sanè pacto huc possunt pertinere. Deinde ita scribendum arbitror: *spolia habuit multijuga; in his provocatoria pleraque.* Valerius: *quatuor & triginta spolia ex hostibus retulisse, quorum in numero octo fuisse, cum quibus inspectant utroque exercitu ex provocatione dimicasset.* Spolia provocatoria Gellio, quae ex hoste provocato tulit Sicius. Plinius de eodem: *centies vicies praeliatus, octies ex provocatione victor.* *Dona militaria* dicuntur, non *spolia militaria*. Nam spolia caesorum hostium, dona imperatorum militaria. Ita Livio.

Pag. 7. F. *In phaleris hastis puris, &c. trecenta* XII *dona meruit*] Numerus constat donorum, ut speciatim apud Plinium enumerantur. In hastis duodeviginti, phaleris XXV, torquibus tribus & octoginta, armillis sexaginta & centum, sunt dona ducenta octoginta quinque: quibus adde sex & viginti coronas, habebis numerum Solinianum, duodecim & trecenta. Legendum porro apud Plinium: *Coronis viginti sex: in civicis quatuordecim, aureis octo, muralibus tribus, obsidionali una.* Ita enim libri. At Valerius, torques CLXXXIII recenset, cum à Plinio & Gellio LXXXIII tantum ponantur. Quare corrigendus ille ad hoc computum. Post haec dona addit Plinius: *fisco aeris, x. captivis & xx. simul bubus.* Inter dona, quibus donabantur milites ab imperatoribus suis, nec boves, nec captivos reperio. Praeterea fiscum aeris, pro certa aeris quantitate non legi. Adde, quod lectionem illam suspectam faciunt libri Pliniani, qui pro XX. *simul bobus*, constanter habent, *viginti milibus.* Puto scribendum: *è fisco aeris* X, *capti aeris* XX *milibus.* Ut dicat è fisco, id est aerario, donatum esse Sicium decem aeris. Aeris autem capti, sive captivi, è praeda nimirum, viginti millibus. Quod praedaticium aes militibus ante triumphum solebant elargiri imperatores pro dignitate cujusque, & meritis. *Aes captum* vocat ex hoste, priusquam in aerarium publicum redactum esset. Duplex igitur hîc honos Dentati, & quod à populo donatus ex aerario decem milibus aeris, & quod ab imperatore suo viginti milibus. Haec pluribus alibi confirmabimus. Scribit Plinius ibidem T. Romulio uni ex ducibus suis diem dictum ab eodem Sicio, & condemnatum eum malè acti imperii militaris. *Praeterea, quod optimum in operibus ejus reor, uno ex ducibus T. Romulio ex consulatu ad populum convicto male acti imperii militaris.* Quid vocat *male actum imperium militare?* Certum est ex Livio lib. III. T. illum Romulium cum collega C. Veturio damnatum fuisse, quod hostibus caesis, magna praeda parta, eam praedam propter inopiam aerarii vendidissent. Quae res ad exercitum magnae invidiae fuit. Nullum heic imperium militare malè actum. Libri Plinii hac parte mendosissimi. Sic enim scribunt: *male imperitatis ejus militaris.* Unde tamen haud paulo meliorem, quam quae vulgata est, lectionem elicueris: *malè in imperio actae rei militaris*, quod verissimum. Cum exercitu missi ambo consules, Aequis profligatis praedam partam vendiderunt. Hinc rei militaris in imperio malè actae convicti. T. Romulio non L. Sicinium diem dixisse, sed C. Claudium Ciceronem scribit Livius. Illo anno tamen constat Trib. plebis fuisse L. Sicinium.

Post hunc M. Sergius duobus stipendiis primis] Ita scripsimus ex auctoritate veteris scripturae. Hactenus vulgati pessimè: *post hunc M. Sergius duobus stipendiis, primo, adverso corpore ter & vicies vulneratus.* Quod etiam falsissimum. Nec enim primo stipendio ter & vicies vulneratus est Sergius, sed duobus stipendiis primis, secundo autem stipendio etiam dextram perdidit. Plinius: *secundo stipendio dexteram manum perdidit; stipendiis duobus ter & vicies vulneratus est.* Quod primis duobus stipendiis interpretatur Solinus, & verum est. Plinius: *ob id neutra manu, neutro pedè satis utilis, plurimis postea stipendiis debilis miles.*

Qua de causa postea ferream sibi manum fecit] Addidimus, *postea*, ex libris. *Ferream manum sibi fecit*, id est, faciendam curavit. Ita & Plinius. Hoc idem genus loquutionis observabamus in Historia Augusta apud Trebellium, *gemmata vasa fecit*, id est, facienda curavit. Capitolinus in Maximinis: *usus est clypeo gemmato inaurato, & hasta inaurata. Fecit & spathas argenteas; fecit etiam a[illegible]eas.* Sic loquutus & Apulejus, aliique.

Nisi haeres in posteritatis ejus successione Catilina] Illud *haeres* additum ex libris, quo carent omnes editi. Hunc locum, ut alia pleraque paucis mutatis, mutuatus est Ammianus Marcellinus lib. XXV. *Miretur super his Sergium, qui vicies & ter vulneratus est in variis pugnis, ut fertur: cujus posteritatis ultimus Catilina claras gloriarum adoreas sempiternis maculis obumbravit.* At Solinus ex Plinio, si non verba, sententiam sumpsit: *M. Sergio, ut equidem arbitror, nemo quemquam hominum jure praetulerit; licet pronepos Catilina gratiam nomini deroget.*

Pag. 7. G. *A Trasimenno, Trebia, Ticinoque coronas civicas retulit*] A Trasimenno, Trebia, Ticinoque, & Cannensi praelio civicas coronas retulisse Sergium, non dicit Plinius: & malè, ut saepe, mentem ejus cepit Solinus. Omnia fortia facta Sergii enumerans Plinius, non meminit coronarum: ut duobus stipendiis ter & vicies vulneratus sit; ut secundo stipendio dextram manum perdiderit: ut bis ab Hannibale captus, bis vincula ejus profugerit: ut sinistra manu sola quater pugnaverit: Cremonam obsidione liberaverit: Placentiam tutatus sit: duodena castra hostium in Gallia ceperit. Haec omnia memorans, de civicis coronis nullum verbum facit: sed addit, plurimum referre, in quae cujusque virtus tempora incidat: non enim cum quolibet hoste, sed cum Hannibale rem Sergio fuisse: cui Sergio si contigisset cum alio hoste rem habere, quos coronarum acervos constructurus fuit? *Quas enim*, inquit, *Trebia, Ticinu que, aut Trasimenus civicas dedere? quae Cannis corona merita? unde fugisse virtutis summum opus fuit.* Quod negat Plinius, quemquam ex illis locis, ac praeliis coronas civicas reportasse, inde collegit noster, reportasse Sergium. Non eo illa dixit auctor, sed ostendere volens, qualis hostis Hannibal fuerit, ut magis mirum sit adversus talem hostem, tot ac tanta cuiquam egregia facta facinora fuisse edita, quanta Sergius edidit.

Hujus ductibus undecies centum & nonaginta duo millia] Codices quidam prioris, ut certum est, editionis habent tantum: *undecies C. & triginta duo millia.* Reliqui, & in his optimus Regius: *undecies cxc & II millia*, hoc est, undecies centena, nonaginta & duo millia. Ita enim haec interpretanda sunt, non undecies centum. Decies aeris, & undecies, absolutè dicebant, pro decies centenis, & undecies centenis. Atque ita in aliis. Nec enim integrè dicebant decies centum millia, sed decies centena millia. Verùm haec minuta sunt. Hic posterior porro numerus cum Plinii calculo congruit, cujus ista sunt ex lib. VII. cap. XXV. *Nam praeter civiles victorias, undecies c. & XCII. M. hominum occisa praeliis ab eo, non equidem in gloria posuerim, tantam etiam coactam humani generis injuriam.* Postrema haec verba, qui mihi explicet, quaero. Sed quaerendus potius, qui emendet. Hoc enim indigent. Lego: *undecies centena, & octoginta duo millia hominum occisa praeliis ab eo non equidem in gloria posuerim, tantum etiam coacta, in humani generis injuria.* Tantum, inquit, abest ut tot millia ab eo occisa in parte gloriae deputare velim, ut etiam tantum coacta in humani generis injuria deputarem. Si tantam hominum multitudinem coëgisset, ac ex diversis orbis partibus in unum conduxisset, quantam variis praeliis occidit, hoc tamen sine injuria, & incommoditate generis humani non fecisset, quid dicendum de occisa? *cogere copias, cogere exercitum* Latina esse sciunt etiam pueri Cercoëtiorum.

Pag. 8. A. *Quantum bellis civilibus fuderit, noluit annotari*] Immo, *adnotare*, ut habent meliores libri. Quod Plinius confirmat: *quod ita esse confessus est ipse, bellorum civilium stragem non prodendo.*

Quaternas etiam epistolas perhibetur simul dictasse] Aut etiam septenas, si nihil aliud ageret, Plinio adtestante, his verbis: *Scribere & legere simul, dictare & audire solitum accepimus: epistolas vero tantarum rerum quaternas pariter*

librarius

librariis dictare : aut etiam, si nihil aliud ageret, septenas. Sed verba illa, *librariis dictare, aut etiam, si nihil aliud ageret, septenas*, in optimo, & antiquissimo Rigaltii codice ad marginem extra textum habentur scripta, & alia quidem manu, ut inde nonparva sit suspicio supposititia esse. Sanè nec videtur ea in suis libris Solinus reperisse, nec aliter existimabit, qui hæc subtilius perpendet. Hoc magnum vigoris, & celeritatis in Cæsare exemplum, quod simul legeret, dictaret, scriberet, & audiret: cum hæc omnia simul faceret, etiam quaternas epistolas dictare solitum quis credat? Tunc quaternas, ut videtur, dictabat, quum aliud nihil ageret. Scribendum igitur ex veteri codice: *scribere & legere simul, dictare, & audire solitum accepimus : epistolas vero tantarum rerum quaternas pariter.* Repetendum ex superioribus, *dictare.* Quod verbum quia desiderari putabant scioli, ideo locum sic interpolarunt. Non aliter legit in Plinio Solinus:

Cyrus memoriæ bono inclaruit] Heîc novum caput incipit in editionibus. Nos, ut credimus auctorem factitasse, cum præcedentibus una serie connexuimus. Qua in re favet nobis veterum librorum patrocinium, qui hæc cum superioribus continuant. Plinius distinctis capitibus, ac titulis ista tractaverat: quæ omnia Solinus uno capite complexus est, & simul ordinem Plinii perturbavit, hinc inde decerpens, ut sic melius furta sua dissimularentur. *Inclaruit* autem pro *claruit* reposuimus, quod ita passim loquatur auctor, & ille, quem passim compilat, Plinius. Ita etiam antiqui libri legunt. Plinius : *Myrmecides quidem in eo genere inclaruit, quadriga ex eadem materia, quam musca integeret alis, fabricata.* Et lib. XXXV. cap. IV. *Marmore scalpendo primi omnium inclaruerunt Dipœnus & Scyllis.* Et alibi : *mirum in auro cœlando inclaruisse neminem, in argento multos.* Atque ita passim Solinus ipse infrà : *Lycæus & Mænalus diis alumnis inclaruerunt.* Et cap. XLVI. *Hos terrarum ductus excipit Media, cujus arbor inclaruit carminibus Mantuanis.* Ammianus Marcellinus, qui Solini loquutiones frequens usurpat lib. XVII: *ni pari proposito post excessum Constantii mirandis actibus inclaruisset.*

Cyneas Pyrrhi legatus] Immo, *Cineas.* Est enim Κινέας Græcum, non Κυνέας. In antiquissimis membranis, quæ servantur in Regia Bibliotheca, scriptum est *Ceineas.*

Pag. 8.B. *Memoriam & arte fieri*] Quædam editiones : *ex arte fieri.* Quod habetur in margine Regii Codicis.

Sicut Metrodorus Philosophus, qui temporibus Diogenis Cynici fuit.] Plinium sequitur, ut semper, Solinus. An idem, quod ille, dicat, videamus. Plinius lib. VII. cap. XXIV. *Ars postremo ejus rei facta, & inventa est à Simonide Melico, consummata Metrodoro Scepsio, ut nihil non iisdem verbis redderetur auditum.* Pro Metrodoro Scepsio Solinus maluit dicere, *Metrodorum Philosophum, qui Diogenis temporibus fuit*, hoc est, maluit errare. Nam Metrodorus Scepsius longè inferior Cynici Diogenis ævo, utpote qui Mithridatis Pontici ætate vixerit, & quem Cicero modo fuisse, quum illa scriberet in prima Tusculana dixit : *quanta memoria nuper Charmadas, quanta, qui modo fuit, Scepsius Metrodorus.* At lib. II. de oratore scribit quidem Metrodotum Scepsium se vidisse in Asia, atque etiam tum vivere, quum illa literis mandaret, sed sub persona Antonii illa dicuntur, quem senem Cicero adolescentulus vidit. Quod fefellit hîc Camertem, qui Metrodorum Scepsium Ciceroni visum, & Carneadem notat. Nam de Carneade qui verum esse possit, qui legatus ad senatum missus est cum Diogene Stoico, & Critolao Peripatetico Catonis Censorii tempore? Verba Ciceronis, quæ Antonium facit dicere lib. II. de oratore : *vidi enim ego summos homines, & divina prope memoria, Athenis Carneadem, in Asia, quem hodie vivere ajunt, Scepsium Metrodorum.* Nec Carneadem potuit videre Antonius, quare scribendum ibi *Charmadan*, ut & in Tusculanis loco, quem supra attulimus. *Charmadan*, inquam, non *Carmadan*, ut corrigit ex libris suis Turnebus. Nec enim Græcum est Καρμάδας, sed Χαρμάδας. Atque ita planè scriptum est in antiquissimo Tusculanarum libro. Ita legendum in Plinio : *Charmadas quidam in Græcia quæ quis exegerat volumina legentis modo repræsentavit.* Libri habent, *Carmadas.* Græcum est ὁ Χάρμης, & Χάρμας, unde Χαρμάδας : ut Χαρμίδης ἀπὸ τοῦ Χάρμις. Nomen pictoris similiter corruptum est lib. XXXV. cap. VIII apud eundem : *simul apparet multo vetustiora principia esse, eosque qui monochromata pinxerunt, quorum ætas non traditur aliquanto ante fuisse, Hygiemonem, Dinian, Charmadam, qui primus in pictura marem fœmina discrevit, Eumarum etiam Atheniensem.* Totus ille locus sic est concipiendus ex vestigiis antiquæ scripturæ. Atque hæc obiter. Solinum igitur, qui Metrodorum Scepsium Diogenis Cynici temporibus vixisse dicit, magnopere dicamus hallucinatum fuisse. Existimat Camers eum deceptum, quod pro Diogene Stoico, Cynicum Diogenem acceperit. Atqui nec Diogenis illius Stoici tempore vixit Metrodorus Scepsius : ut pote haud paulo antiquioris. Et ipse Camers deceptus est, qui putavit Diogenem illum Stoicum cum Carneade, & Critolao ab Atheniensibus ad senatum legatum missum Ciceroni visum fuisse, inductus, ut apparet, male intellecto Ciceronis loco, & depravata ejusdem loci scriptura, quæ Carneadem pro Charmada exhibet. Verius est, ut Solinus Metrodorum Atheniensem acceperit pro Scepsio Metrodoro. Metrodorus Atheniensis philosophus, auditor Epicuri fuit, qui & ante Epicurum ipsum decessit, & Diogenis temporibus extremis vixit. Nam Diogenes Cynicus mortuus est Olympiade quarta decima ac centesima, quando jam natus erat, ut verisimile est, iste Metrodorus. Nam Epicurus ipse Olympiade nona & centesima natus est. At de illo Metrodoro Atheniensi nemo dixit, eum arte mnemonica inclaruisse, sed omnes de Scepsio id tradiderunt, qui longè ab Diogenis Cynici ætate distitit. Verum nova res non est, aut mira, quum Solinus hallucinatur : solens id facit.

Sed etiam verborum ordinibus retineret] Scripti, *detineret.* Quod verbum est Solinianum. Eo enim utitur passim, & pro continere, & pro retinere, & pro obtinere.

Nihil tamen in homine aut metu, aut casu, aut morbo facilius intercipi sæpe perspectum est.] Plinius : *nec aliud æquè fragile est in homine : morborum & casus injuriam, atque etiam metus sentit, alias particulatim, alias universa.* Ita legendum, & distinguendum apud Plinium ex veteri libro, qui habet, *sentit* non *sentiens.* Ita inquam fuerit legendum, si retinemus illam lectionem, *nec aliud est æquè fragile.* Sed quum libri nonnulli habeant, *facile* pro *fragile*, iique etiam satis vetusti & boni; putarit fortasse aliquis locum illum sic concipi melius posse, & scribi : *nec aliud est æquè facile in homine, morborum, & casus injurias atque etiam metus sentiens* : pro, nec aliud est in homine æque facile sentiens morborum, & casus injurias. Et quia vetera exemplaria partim *sentias* præferunt, partim *sentit*, nulli *sentiens*, permoveor ut censeam scribendum : *nec aliud æque facile in homine morborum, & casus injurias, atque etiam metus sentiat, alias particulatim, alias universa.* Cui lectioni adstipulari videtur heîc Solinus, quum dicit, nihil facilius aut casu, aut metu, aut morbo intercipi. Et sine dubio ita legit apud Plinium, ut posuimus. Sequitur in eodem Plinio : *itaque æpe deficere tentat, ac meditatur, vel quieto corpore & valido.* Quæ verba sonum quidem habent, sed sensu carent. Quid enim est, quod ait, memoriam in valido etiam, & quieto corpore tentare, ac meditari deficere? Locus inquinatissimus, perpauxillo negotio corrigendus. Scriptum erat vitiosè, *se peficere*, unde emendatores Plinii fecerunt, *sæpe deficere*, cum debuissent, *se reficere.* Nam *p* & *r* in veteribus libris sæpe confunduntur. Emendandum igitur : *itaque se reficere tentata meditatur, vel quieto corpore & valido.* Plinius in iis, quæ præcedunt, exemplis aliquot confirmaverat, memoriam casu & morbis intercipi. Addit etiam in corpore valido, & imperturbato tentari aliquando, & laborare consuevisse, quo tempore meditatur se reficere, ac recolligere. Nihil verius nostra conjectura. Scribe etiam in sequentibus : *somno quoque serpente amputatur, ut inanis mens quærat, ubi sit loci.* In ægrotis memoria penitus intercipitur, in sanis & validis plerumque tentatur, in dormientibus amputatur, ita ut mens in somno nesciat,

sciat, ubi sit loci. Vulgo editur: *somno quoque serpente computat, ut inanis mens quærat.* Perperam.

Pag.8. C. *Invicem vocis interdum est incitamentum.*] Ut erat in libris, ita hoc loco edendum curavimus, vulgares cum habeant editiones: *memoriam metus perimit. Invicem timor vocis est incitamentum.* Rectè etiam edidit Vinetus.

Victor Cyrus intrasset Asiæ oppidum Sardis.] In Vineti editione, & Camertis, & aliis plerisque legitur: *Asiæ oppidum Sardas.* Nec aliter prima editio Veneta. In optimo quoque Regio Codice antiquarii manu adnotatum est alias legi; *Sardas.* Quod tamen vitiosum esse constat; nisi *Sardias* scripsisse auctorem dicamus, τὰς Σαρδίας Ionicè, ut Σάρδιες pro Σάρδεις Alcman.

Σάρδιες ἀρχαίων πατέρων νόμ⊙. ----

Atis filius regis.] Scripti, *Athys.* Scribe: *Atys.* Est enim Græcum Ἄτυς. Quod nomen in plerisque Latinorum auctorum scriptis confundi video cum Attide amasio matris deûm, sed vitio semper librariorum, quod nimis patienter hactenus tolerarunt eruditi viri: ut apud Arnobium lib. I. *Nonne illum Athym Phrygem abscisum & spoliatum viro Magnæ matris in adytis, deum propitium, deum sanctum Gallorum conclamatione testamini.* Ubi rectè *Attin* præferunt scriptum libri antiqui: & lib. v. *Atydem cum nominamus, solem, inquit, significamus & dicimus. Sed si Atys sol est, quemadmodum connumeratis & dicitis, quis erit Atys ille, quem in Phrygia genitum vestræ produnt, atque indicant literæ.* Scribe, *Attidem*, & *Attis*, ut habet codex Regius. Sexcentis aliis apud eumdem locis hæc eadem pravitas scripturæ occurrit similiter corrigenda. Apud Martialem etiam in castigatissima editione, lib. x. Epig. IV.

Quid tibi raptus Hylas, quid Parthenopæus & Atys.

Quod ferre non potest versus, prima in *Atys* brevi. Sed scribendum est, *Attis.* Ἄτυς nomen Lydum est, quo nomine aliquot Lydiæ reges vocati sunt. Pater Lydi, à quo Lydia denominata est, vocabatur Ἄτυς. *Manes* ejusdem Lydiæ rex patrem nisi fallor habuit hoc nomine. Filius Croësi *Atys* hic fuit. *Attis* vero nomen Phrygii Ephebi, quem dilexit mater deûm. *Attidem*, & *Attinem*, & *Attin* in declinationibus tam Græci, quam Latini dixere. Inscriptiones: ATTIDI MENOTYRANNO. Græca inscriptio:

Ἄττει δ' ὑψίστῳ καὶ συνέχοντι τὸ πᾶν.

Alia inscriptio Latina:

Qui colitis Cybelen, & qui Phryga plangitis Attin.

Alii protulerunt *Attin* in casu nominandi, ut δελφὶν: ut δελφὶς & δελφὶν, Τελλὶς & Τελλίν. Qui primus τὰ γελοῖα versibus scripsit, unde *Tellinæ nugæ.* Sic Ἀττὶς & Ἀττίν. Persius:

Claudere sic didicit versum Berecynthius Attin.

Macrobius: *Solem vero sub nomine Attinis ornant fistula & virga.* Dio: ἐκιθαρῴδησεν Ἄττινα, ἢ βάκχας. Non allusit ad versum Neronis, ut voluit vir eruditissimus: sed ita declinavit. Ἄττης Nicandro pro Ἀττὶς. Nam dixit in patrio casu, Ἄττεω: ---- καὶ ὀργαστήριον Ἄττεω.

Hesychius ita Lacones eum appellare notavit. Ἄττης, τὸν Ἀττὶν λέγουσιν οἱ Λάκωνες. Sic enim scribendum est apud Hesychium. De hujus nominis etymo ita garrit Arnobius lib. v: *repertum nescio quis sumit Phorbas, lacte alit hirquino: & quoniam Lydia scitulos sic vocat, vel quia hircos Phryges suis Attagos eloquutionibus nuncupant, inde Attis nomen ut sortiretur, effluxit.* Ita legendus Arnobii locus. Ἀδηγὲς hircos, si benè memini, Ionibus significare notavit alicubi ex Aristarcho Eustathius. Verùm hæc alibi. Ex his constat, quid intersit Atyn inter & Attida. Hæc dicet esse Grammaticalia, & inepta Cercoëtius. Quid aliud dicturus sit homo ἀγεάμματ⊙?

Tractare de moribus superest, quorum excellentia in duobus enituit] Rem habet à Plinio, ea nimirum, quæ sequuntur, exempla: de suo ipse alium ordinem, ac dispositionem adjecit, ut furti vestigia aboleret. Sed miror, cur speciatim sub titulo de moribus sequentia retulerit? quod enim orator optimus Cato ille, hoc nihil ad mores, sed eloquentiam spectat. Quod idem optimus imperator, tantumdem. Senatorem optimum multæ aliæ res, non soli mores boni faciunt. An respexit ad significationem optimi, qua virum optimum dicimus τὸν χρηστὸν, & bonis moribus præditum; & innocentia vitæ commendabilem? Sanè ita videtur, & to-

A tus hîc sermo ejus id ostendit. Excellentia morum, inquit, duo præcipuè enituere, Cato Censorius & Scipio Æmilianus. Cato princeps Porciæ gentis senator optimus, orator optimus, imperator optimus, caussam tamen quadragies & quater dixit. Si diis placet, hæc ita intellexit, ut Cato viri optimi officio & in senatu, & in imperio, & in caussis orandis functus, ac sic per omnia vir probus, caussam tamen quadragies & quater dixerit. Sic accepisse etiam sequentibus declaratur, cum dicit præter illa bona, quibus claruit Cato, Scipionem Æmilianum amore publico præcessisse, Nasicam autem Scipionem non privato tantum testi-
B monio virum optimum, sed totius senatus sacramento judicatum fuisse. Nisi ita interpretatus sit, non video, cur tres illæ virtutes, quæ summæ in Catone fuerunt, oratoris, senatoris & imperatoris optimi, magis ad titulum morum, καὶ τὴν ἠθικὴν pertineant, quam fortitudo, clementia, benignitas, pietas, quarum exempla supra retulit, alio quam morum titulo. *Tractare*, inquit, *de moribus superest.* Diceres velle interpretem agere τῶν Νικομαχείων Aristotelis. Quid adferet hic promissor? Cato optimus orator, optimus senator, optimus imperator. Hæc omnia etiam in Scipione, & amor
C præterea populi. Tota tractatio de moribus his duobus exemplis peracta est. Quid absurdius? Vir innocentissimus, & integerrimus Cato ille fuerit, non ea re & optimum senatorem, & optimum imperatorem, & optimum oratorem egisse dicit eum Plinius. Quam multi enim innocentissimæ, atque integerrimæ vitæ viri, qui nec oratores boni, nec imperatores, nec senatores fuere. Sed cum ceteris virtutum generibus multi variè præstantes fuerint, Cato primus Porciæ gentis tres summas in homine res præstitisse existimatus est juxta Plinium, optimus orator, optimus imperator, optimus senator: id est, in unoquoque
D eorum munerum genere præstantissimus. Titulus illius capitis in indice scripto Pliniano: *tres summæ virtutes in eodem.* Sequitur alia capitis distinctio cum hoc titulo, *innocentia summa*, qui ad Scipionem Æmilianum pertinet. Nam is præter illas summas tres Catonis virtutes, etiam innocentia & amore omnium clarus fuit, nec unquam postulatus est. Titulus, ut obiter hoc addam, cap. XXXI. lib. VII apud Plinium ita concipitur vulgo: *de morum majestate.* Sequitur ipsum caput: *Reliquis animi bonis, præstitere ceteros mortales sapientia, ob id Cati, Corculi, apud Romanos cognominati.* Horum verborum sententia intricata est, interpunctione malè po-
E sita. Sic igitur lege, ac distingue: *reliquis animi bonis præstitere ceteri mortales: sapientia, ob id Cati, Corculi apud Romanos cognominati: apud Græcos Socrates oraculo Apollinis Pythii prælatus cunctis.* Ceteri, inquit, mortales præstitere reliquis animi bonis, ut fortitudine, eloquentia, memoria, patientia, aliisque: at sapientia apud Romanos, qui *Cati* & *Corculi* ob id sunt cognominati: apud Græcos Socrates, qui oraculo Apollinis prælatus est cunctis. Fuit cum putarem initium illius capitis fuisse partem ipsius tituli, qui ita concipiendus videbatur: *de majestate morum, & reliquis animi bonis.* Sed titulus ille non est Plinii, nec convenit. Pro quo in indice ma-
F nuscripto hic extat: *qui sapientissimi.* Sed hæc alias.

Pag. 8. D. *Scipionis Æmiliani laus propensior*] id est, laus major & prolixior. Ita enim hac voce propense utitur in hoc significatu Solinus. Sic *claritas propensior*, infrà. Et *notæ propensiores*, id est largiores, cap. XV. *quanto quis altero præstat, tanto propensiore nota tingitur.* Et cap. XXV. *quamobrem nunquam invadunt nisi potu gravatos, ut venis propensius irrigatis majorem sumant de oppressis satietatem*, pro, venis largius irrigatis. Sic *propensius tendere* apud Hyginum Gromaticum de castrametatione: *sicut pari numero dispositi decuriones, & reliqui principales eorum binos equos possidentes propensius tendant.* Laxius ten-
G dere pro eodem paulo post dixit. Sic *propensior natura* apud Julium Capitolinum de improbiore, & enormiore pudendo. Ita enim nunc malim interpretari, quam quomodo placebat olim: *quem vulgo jocantes quod esset natura propensiore, Priapum, non Priamum sæpe vocitarunt.* De Gordiano juniore loquitur. Ita enim lego ex veteri scriptura. *Natura* ibi, τὸ αἰδοῖον.

Cui præcipuè religionis crederetur ministerium] Quod ita in

in libris, & editione principe extaret, hoc loco reposuimus pro eo, quod in aliis editionibus fuit, atque etiam Delriana, *mysterium*, ineptè. Nec enim mysterium religionis, ut hierophantæ alicui creditum est, sed ministerium excipiendæ Divæ, quæ Pessinunte arcessita erat. Valerius Maximus lib. VIII. cap. XV. *ejus namque manibus, & penatibus nondum quæstorii senatus Pythii Apollinis monitu Pessinunte arcessitam deam excipi voluit: quia eodem oraculo præceptum erat, ut hæc ministeria matri Deûm à sanctissimio viro præstarentur.* Scripsimus etiam paulo post apud Solinum, *cum oraculum moneret arcessi sacra Deûm Matris Pessinunte*, pro vulgato, *matris Pessinuntiæ*. Quod ita haberent nostri libri. Idque confirmat Valerius.

Familia Curionum, in qua tres serie continua oratores] Hoc exemplum iisdem verbis refertur apud Plinium lib. VII. cap. XLI sub titulo, *de felicitate summa*. Sed non perspicio, quæ summa sit felicitas, si tres oratores in eadem familia continua serie extiterint. Non hominem enim tangit, sed familiam ista felicitas. Nec felicior, ut opinor, summus aliquis orator, si patrem habuerit æquè summum oratorem, quam si hominis infantissimi filius fuerit. Ita de ceteris. Titulus ille *de felicitate summa* pertinet ad præcedens caput, quo disputat Plinius non esse humani judicii estimare, cui homini precipua fuerit felicitas, cum prosperitatem ipsam alius alio modo, & suopte ingenio quisq; definiat. At hujus capitis titulus in membranis, & in indice ipso Pliniano manuscripto ita concipitur: *Raritas continuationis in familiis.* Respondet titulo caput ipsum, de tribus regibus, tribus Olympionicis, tribus oratoribus, tribus principibus senatus, in una familia continuis.

Pag. 8. E. *Magnum hoc habitum est eo sæculo*] Tres oratores in una familia continua serie extitisse magnum, inquit Solinus, habitum est eo sæculo, quo facundiam præcipuè & humana, & divina mirata sunt: quippe tunc, inquit, percussores Archilochi poëtæ Apollo prodidit, & latronum facinus deo coarguente detectum. Ita videlicet juxta Solinum eodem sæculo, quo tres oratores in familia Curionum extitere continui, latronum facinus, qui Archilochum interfecerant, detectum, & mors ejus vindicata. Quod ego mirarer, nisi Solinum cogitarem talia, non dicam majora, peccare solitum. Quis tamen non hæc miretur? Archilochus floruit sub Tarquinio Superbo: unus de illis tribus Curionibus sub Cæsare, qui postea dictator, quot annorum spatio inter utriusque tempora medio? Simile est, non tamen æquè immaniter enorme, quod sub idem sæculum mortis Sophoclis tempus revocat, qui Archilocho plusquam duobus sæculis posterius vixit. Hic est Solinus, qui nihil pensi habet, dum furetur, & furti notitiam auferat, perversis & inversis notis, quibus detegi possit. Sic aliquot exempla heîc diversorum, ut hominum, ita & rerum, concumulavit, quæ dispersa apud Plinium sub variis titulis leguntur. Diceres eum quasi dedita opera, consultoque consilio hallucinari & errare, ut non posset dici ab alio accepisse, cum alius non reperiretur æquè hallucinator.

Quippe tunc percussores Archilochi poëtæ Apollo prodidit] Hinc apparet legisse apud Plinium, *interfectores*. Lib. VII. cap. XXIX. *Archilochi poëtæ interfectores Apollo arguit Delphis.* Ubi eruditis placet rescribi, *interfectorem*, quia ab uno interfectus Archilochus in prælio, quem alii *Archian*, alii *Calondan* vocitant. Sed interfectores potuit dixisse, licet unus fuerit. At quod addit Solinus, *latronum facinus deo coarguente detectum*, illud de *latronibus* magis Ibyco conveniret: quem ut è vita latrones sustulerunt, sic librarii è chronico Eusebii nomen ejus expunxerunt, & *Hippicum* carminum scriptorem pro eo substituerunt ad annum MCCCCLXXVII. Ita igitur ibi repone, *Ibycus carminum scriptor agnoscitur*, & simul ride æstum viri magni super illo *Hippico* vulgato. *Ipycus*, aut *Ipicus* vitiose scriptum erat ab antiquario. Unde *Hippicum* fecerunt ceteri, sed hæc alibi. Latronum facinus Ibyco, non Archilocho prorsus convenit.

Cognito qui obisset diem] Ita nostri optimi vulgo: *quis obiisset*. Plinius: *Requisivit Rex, quis supremum diem Athenis obisset.* Reponendum etiam paulo post ex libris: *usque dum congruè supremis talibus exequiæ ducerentur.* Ubi *suprema* sunt reliquiæ, καὶ τὰ λείψανα, ut suprà.

Pindarum Lyricum è convivii loco] Et hic Solini error,

A non librariorum ejus. Pindaro attribuit, quod Simonidi accidisse quantum est auctorum uno ore tradunt. Sed voluntarium, an μνημονικὸν hoc σφάλμα, nescio. Illud potius videtur. Eodem quippe Plinii capite, quo præcipua aliquot ingenia narrantur, ex quo & superiora duo exempla Archilochi, & Sophoclis desumpsit Solinus, additur & de Pindaro, cujus familiæ, penatibusque jussit parci Alexander Magnus, cum Thebas raperet, sed ne furtum nimis clarè notesceret, si & hoc de Pindaro ab eodem sumptum sic poneret, aliam historiam quasi ejusdem adscripsit, vel memoria lapsus, vel de industria; quodcunque sit, eo consilio, ut suspicionem furti averteret.
B Quod & in aliis eum factitasse deprehendimus.

Pag. 8. F. *Sententia propria cessit januæ literarum*] Restituenda vera lectio Plinio ex hoc Solini loco, & vetustis exemplaribus, lib. VII. cap. XXX. *Cn. Pompejus confecto Mithridatico bello intraturus Posidonii sapientiæ professione clari domum, forem percuti de more à lictore vetuit; & fasces literarum januæ submisit is, cui se Oriens Occidensque submiserat.* Ubi vulgo excusum est, *& fasces lictorios januæ submisit is.*

Uticensis Cato unum ex tribunatu militum] Ad verbum ex Plinio capite, quo suprà, nisi quod *advexit*, heîc legitur pro eo, quod apud Plinium est, *deportavit*. Quanta, inquit Plinius, morum mutatio? Cato Censorius
C urbe pellendos semper censuit Græcos; pronepos ejus Cato Uticensis unum ex tribunatu militum philosophum, alterum ex Cypria legatione reportavit. Addit: *eam denique linguam ex duobus Catonibus, in illo abegisse, in hoc importasse memorabile est.* Ita enim scribimus. Vulgo est: *eamdemque linguam.*

Alterum ex Cypria legatione] Libri Solini heîc habent, *alium*. Hoc mutaverit ex verbis Plinii. Alium pro altero, & alterum pro alio invicem poni ex lectione auctorum ævi præsertim medii alibi notamus:

Advexit] In aliis, *adduxit*. Et mox, *quamlibet pro-*
D *avus ejus.*

Pag. 8. G. *Egredientem in littore occurrens honoratus est*] Quis non ita reposuisset, tot consentientibus præsertim in hanc scripturam libris, qua manu exaratis, qua editis? Delrius ex suo libro, ut professus est, edidit: *egrediente in littore occurrens, honoravit eum.* Si non mentitur, in mala lectione illi codici credidit, quem in bonis nunquam sequutus est, certè loquutio illa monachum potius, quam Grammaticum sapit. *Honoratus est*, heîc positum, pro honoravit. Dionysius cum quadrigis albis occurrens in littore Platonem egredientem de navi honoratus est. Nempe hoc ipso honoravit, quod
E cum quadrigis è nave descendenti in littore occurrit. Plinius: *ipse quadrigis albis egredientem in littore excepit.* Sic infrà, *honoratus* posuit pro honorans: *cujus devotionis mysterium munificentia senatus honorata, Hirpis perpetuo consulto omnium munerum vacationem dedit.* Quem locum similiter ob hujus loquutionis ignorationem corruperant. Lucius Ampelius, quem manuscriptum habemus cap. de duodecim signis: *Leonem interfecit, ejusque pellem pro tegumento habuit. Ob id factum Junoni odio esse cœpit, quæ leonem cœlesti dignitate est honorata*, id est, honoravit. *Adoratus* est, pro adoravit, Valerio Maximo cap. VII. lib. IV. *Hephæstionemque, quia ei & statura, &*
F *forma præstabat, more Persarum adorata salutavit.* Ubi perperam edunt, ac defendunt, *adulata*. Et lib. VI. cap. III. *Athenienses autem Timagoram inter officium salutationis Darium regem more gentis illius adoratum capitali supplicio affecerunt.* Ibi etiam pari mendæ indole legunt, *adulatum*. Quis ignorat adoratos fuisse Persarum reges? Quis item nescit, aliud esse *adulari*, aliud *adorare*? *Timagoras adoratus regem*, id est, qui regem adoraverat. Sic *fluctuatus est*, pro fluctuavit apud eumdem Valerium: & *cœnatus est*, pro cœnavit. Ita *destinatus est*, pro destinavit. Colloquia puerilia: *uno animo destinati, aut perire, aut punire Alexandrum*, id est, uno animo desti-
G nantes, aut cum unà destinassemus. Nec enim ibi *destinati* pro obstinati, ut censent docti. Sic *tonsus est crines*, pro totondit apud hunc eumdem Solinum infrà de Archelao. Et *compilatus* est, pro compilavit in Glossis. Ita enim legendum: *compilatus est*, ἐσύλησεν. *Propulsus est*, ἀντὶ τοῦ propulit, vel propulsavit in Apologia Apulei: *etiam Menelai socios putabis magos fuisse, quos ait poëta præcipuus flexis hamulis apud Pharum insulam famem propulsos esse.* Ita enim scripti, non *propulsasse*, ut

ut editi. Constantinus Imp. leg. 1. Cod. Theod. sine censu vel rel. fund. comp. *cognovimus hanc esse causam maximè reliquorum, quod nonnulli captati aliquorum momentarias necessitates sub hac conditione fundos opimos comparent*, id est, quum captassent. Sed quid plura congerimus? Talia sexcenta apud auctores omnis ævi, & nonnulla jam ad Historiam Augustam observavimus, inque sequentibus alia notabimus.

Nobilius quidem in Metellorum domo refulsit.] Imitatur heîc Plinium: *quæ mihi omnia, etiam si non prius, attamen clarius refulsisse in Scipione Æmiliano videntur.*

Cum ad patrem qui supplicii causa.] Nulla editio, nullus exaratus manu codex Solini non ita habuit, priusquam id Delrius mutaret, qui in editione sua legi voluit, *cum ad parentem, quæ supplicii causa claustris pœnalibus continebatur.* Fœminam quidem esse, non virum, hoc est matrem, non patrem, cui hoc officium filia puerpera præstitit, jam ante viderat Camers ex Plinio, & Valerio Maximo: sed tam audax non fuerat, ut tot mutationes in Solino faceret adversus omnium librorum unanimem consensum. Delrius, qui id ausus est, à secta non descivit. At scire debuerunt Solinum, quum hæc è Plinio sumeret, dedita opera, quæ Plinio mater est, patrem in suo scripto esse voluisse, ne posset videri, quod semper facit, Plinium compilasse.

Exquisita sæpius à janitoribus.] Plinius: *carcere inclusa matre cum impetrasset aditum, à janitore semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam.* Libri tres, quos vidimus, habent; *à janitore semper curante.* An scripserat: *janitore semper exquirente, ne quid inferret cibi.* Ita suadeat Solinus. Sed &, *curante* possit eodem sensu retineri. Quid si scripserit? *cum impetrasset aditum, à janitore semper excussa ante, ne quid inferret cibi.* Inde *curante* in libris. Non refugit autem hujusmodi hiatus Plinius, sed sæpe consectatur.

Pag. 9. A. *E centum probatissimis haud temere delecta est.*] E Plinio lib. VII. cap. XXXV, cujus hæc verba: *electa ex centum præcipuis, quæ simulacrum Veneris ex Sibyllinis libris dedicaret.* Plinii libri omnes scripti eo loco legunt: *electa ex centum præceptis.* An scribendum, *receptis?* ut probatissimas intelligat, ut Solinus heîc locutus est. Sic *receptissimi* auctores apud eumdem sunt probatissimi. In præfatione: *quorumque auctoritas de auctoribus manat receptissimis.* Sed *præceptis*, retinendum. Ut *præcipuus* est ἐξαίρετος. Sic *præcipere* est, ἐξαιρεῖν: & *præceptus*, ἐξαιρεθείς. Glossæ: *præceptio*, ἐξαιρέτου δόσις. *Præcepit*, ὑπεξεῖλε. Ex omni matronarum numero centum præceptæ fuerant, oraculi Sibyllini monitu, quæ dedicationi simulacri Veneris interessent, una autem ex illis centum præceptis ceterarum sententia electa est, quæ simulacrum dedicaret.

Namque Cornelius Sulla dictus est potius quam fuit felix.] Verba Plinii, unde hæc adumbrata sunt, quæque vulgo corruptissima circumferuntur in editis, sic ex conjectura doceo legenda: *unus hominum ad hoc ævi Felicis sibi cognomen asseruit L. Sulla, civili nempe sanguine, ac patriæ oppugnatione adoptatum: sed quibus felicitatis inductus argumentis? quod proscribere tot millia civium, ac trucidare potuisset.* Ineptè vulgo: *adoptatus, & quibus:* ut ad Sullam referatur. Quod est absurdissimum. At *adoptatum cognomen*, rectè. Horatius:

---- *& optivo cognomine crescit.*

Ipse porro Sulla, qui cognomentum Felicis assumpsit, in iis litteris, quas ad Græcos dabat, ἐπαφρόδιτον pro illo cognomine Latino sese inscribebat. Tropæa etiam Mithridatica, & alia, quæ in Græcia fixit, sic ab eo fuere inscripta. Rationem addit hanc Plutarchus, sive quisquis auctor est libri de fortuna Romanorum: πλεῖστον γὰρ Ἀφροδίτης ἡ νὺξ κατὰ Μένανδρον ἀλλὰ τύχη μεθέστηκεν. Sed viderit ille. Ἀφροδίτην in talorum jactu invocabant veteres, ut secundaret τοὺς βόλους. Quin & felicissimus jactus dicebatur *Venus.* Hinc & venustum Latini non tantum formosum, & amabilem dicebant, sed etiam felicem, & cui omnia prosperè affluerent: Græci similiter ἐπαφρόδιτον. Unde & *invenustum* Terentius in Andria cum infelici junxit. *Adeone hominem esse invenustum, aut infelicem, ut ego sum.* Et in Hecyra. *Quis me fortunatior, venustatisque adeo plenior.* Ἐπαφρόδιτος igitur propriè ὁ εὔβολος, cui Venus in talorum jactu favet, quique Venerem frequenter jacit: contrà *invenustus*, ὁ δύσβολος. Inde ad alia traductum, & sic dictus ad quælibet δυστυχής, aut δυσυχής.

CAPUT II.

De Italia. In ea de boa angue, de lupis, de lyncibus, de lyngurio lapide, de lapide Curalio, de gemma Syrtite, de Vejentana gemma, de mutis cicadis, de Diomedis avibus.



Pag. 9. C. *De homine satis dictum habeo.*] In aliis: *satis dictum habe.* Heîc secundum caput incipit; & apparet ex his omnia, quæ de homine dici potuerunt, uno capite complexum esse, quod totum è Plinio, quantum ad res, & sententias attinet, formatum est: quantum ad verba, pœne totum. Nunc transit ad locorum commemorationem, quam auspicatur ab Italia. At Plinius locis, & gentibus commemoratis de homine dixit. Hic contrà. Urbium porro Italicarum origines, quas hoc capite persequitur noster, unde unde habeat, Plinio certè non debet. Hyginus scripserat de originibus urbium Italicarum, & Cato in originibus, quem aliquoties citat. Hunc videtur auctorem præcipuè habuisse, aut alium aliquem, qui Catonem erat sequutus. Nam quosvis potius compilat, quam quibus testimonium denuntiat.

Tanta cura omnibus dicta est, præcipuè M. Catoni.] Ita libri. Vulgo: *tanta cura ab omnibus dicta est, præcipuè à M. Catone.* Sic alibi loquitur, infrà cap. XXV. de Antæo: *genitus matre terra, ibidem Herculi victus est.* Et cap. XXIV: *ibi oppidum Olisippone Ulixi conditum.* Atque ita semper: quod ubique mutatum est à correctoribus.

Cœli temperiem, ubertatem soli, aprica collium.] Ipsissima verba Plinii sunt ex lib. III. cap. V: *jam verò tota ea vitalis, ac perennis salubritas, talis cœli temperies, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam opaca nemora, tam munifica sylvarum genera, tot montium afflatus, tanta frugum, & vitium, olearumque fertilitas.* Ita enim priora illa legenda sunt, ubi vulgatum est: *jam vero tota ea vitalis, ac perennis salubritatis cœli temperies est.* In Italia Campaniæ oram specialiter, ac præcipuè prius laudaverat. Deinde addit, totius Italiæ eam esse salubritatem, talem cœli temperiem, ut merito omnibus provinciis sit præferenda. *Tota* autem pro totius, antiquum & tralaticium. Et confirmat Solinus hoc loco conjecturam nostram: *dum scriptores præstantissimi reputant locorum salubritatem, cœli temperiem.* Sed quid in illis verbis Plinii proximè citatis, *tot montium afflatus?* Nam quis nescit montes ab ea parte, qua oppositi sunt, ventorum afflatus arcere potius, quam afflare? Pelisserius legebat; *tot montium anfractus.* Sed profecto montes, aut montium anfractus in laude alicujus regionis vix ita nude ponantur, nisi aliqua ex his utilitas ostendatur provinciæ accedere, ut vel innoxios flatus defendant, vel eam muniant ab hostium vicinorum incursu, aut aliquid tale. Idem auctor scribit in præfatione lib. XXXVI, montes natura sibi fecisse ad quasdam compages in telluris visceribus densandas, simul ad impetus fluminum domandos, & minimè quietas partes coërcendas. At libri ult. cap. ult. montes quoque in laudibus Italiæ ponit, hoc modo: *aquarum copia, nemorum salubritate, montium articulis, ferorum animalium innocentia, soli fertilitate:* & heîc difficultas oritur in his montium articulis enodandis. Scio quidem, & pedes, & suras montium dici; dorsa etiam ac juga, scapulas, verticesque. Sed quid articuli montium faciunt ad laudem Italiæ, aut cui bono illi articuli? nemorum salubritatem dixit, pabuli ubertatem, soli fertilitatem, ferorum animalium innocentiam, oportebat & aliquid dici de montibus, quod eorum utilitatem, & commodum ostentaret. Notant eruditi viri in antiquis Codicibus legi, *montium obstaculis.* Nam quibus usi sumus, illa parte carebant. Quod omnino rectum est. *Obstacula*

ibi sunt munimenta, & propugnacula. Sic in veteri chronico Vallis Mauriacensis: *erat enim ipse locus ita in circuitu suo præmunitus, ut cum modicis obstaculis posset undique protegi, aut cum stipitibus, maceriave, vel peribolo.* Sic dixit Satyricus ad defensionem Italiæ naturam opposuisse, *Alpesque nivemque.* At quid erit remedii in illis montium afflatibus? Nemo aliter mihi persuaserit, quin mendum sit in illis verbis; *tot montium afflatus.* Quasi aut afflatus è montibus, aut totidem afflatus, quot montes. Quod absurdissimum. Aut omnino fallor, aut scribendum: *tot marium afflatus.* Hoc mirum prima facie videri cuipiam posset, sed in recessu rimantibus verum fortasse reperietur. Maris afflatus non solum ad soli salubritatem, sed etiam ad arborum, frugumque fertilitatem plurimis in locis pertinet. Quod ex Plinio passim colligere est. Idem lib. XVII. cap. IV. *Similis & in maritimis causa. Quibusdam locis afflatus maris noxii, in plurimis iidem utiles: quibusdam satis è longinquo aspicere maria jucundum: propius admoveri satis halitum inutile.* Et alibi pro eo, quod Dioscorides habet, *ἐν τοῖς παραθαλασσίοις*, idem reddere solet, *in maris afflatu.* Non solum ergo natura cœli, solique, sed etiam maris afflatus frugibus conducit. Italia non unius maris habet afflatum, sed plurium. Nec enim uno mari alluitur. Ideo dixit, *tot marium afflatus.* Nec obstat, quod habetur in sequentibus, *tot maria, tot portus.* Nam de commerciis ibi loquitur, & navigatione. Sciolus aliquis cum ignoraret, quid esset *marium afflatus*, correxit *montium.* Quod est absurdissimum. Libro ultimo, capite ultimo, inter laudes Italiæ etiam benignum ventorum afflatum recenset his verbis: *jam situs salubritate, cœli temperie, accessu cunctarum gentium facili, littoribus portuosis, benigno ventorum afflatu, etenim contingit excurrentis positio in partem utilissimam, & inter ortus occasusque mediam.* Ventorum igitur sunt afflatus, & marium, non montium. Idem lib. XVI. cap. II. *Aquilone maximè gaudent, densiores ab afflatu ejus, lætioresque, & materiæ firmioris.*

Pag. 9. D. *Nobilia pecuaria.*] Ita vel pœne puer legendum videram, cum hunc auctorem in Germania ad scriptos codices conferrem. Idem & in ora libri sui adnotaverat v. c. Josias Mercerus. Vulgo editur: *ovilia pecuaria.* Quasi pecuariis non etiam ovilia comprehendantur. Plinius eo loco, qui heîc expressus est à Solino: *tam nobilia pecori vellera, tam opima tauris colla.* At Solinus per *pecuaria*, non solum oves, sed etiam pecus equinum, & bucerum intellexit. Nam his tribus Italia nobilis juxta eumdem Plinium lib. ult. cap. ult. de laudibus Italiæ: *fruges, vinum, olea, vellera, lina, vestes, juvenci; ne equos quidem in trigariis præferri ullos vernaculis animadverto.* *Trigarium* locus est, in quo equi exercentur, nec à triga deducitur, quod est *τείπωλον*, sed *strigarium* dicitur, & pro eo *trigarium.* Glossæ: *trigarium, τόπος, ὅπȣ ἵπποι γυμνάζονται.* Vulgo *manegium* vocamus, & *strigarium* à striga castrensi vocabulo dictum, in qua equi ordine dispositi tenebantur in castris. Nam & milites per strigam sub papilionibus tendebant, ut pluribus dicam ad Hygini Gromaticum de Castrametatione. Striga enim spatium erat in castris longum pedes CXX, latum pedes LX, quod in duo semistrigia dividebatur latitudine singula pedum XXIV. Ex quibus decem dabantur papilionis tensuræ: quinque, armis: jumentis, novem. Inter duo semistrigia pedes patebant duodecim, qui conversantium spatio sufficerent. Sic striga integra lata erat pedes LX: Per longitudinem vero semistrigiorum ab utroque latere tendebantur decem papiliones, qui singuli decem pedes occupabant, & pro incremento tensuræ, ut intervallo aliquo separarentur, pedes binos, fiunt pedes CXX: quæ longitudo erat unius semistrigii, atque strigæ. Sic dimidio longior fuit striga, quam latior. In agris quoque dividundis *strigam* vocabant, quod in longitudine dimidio plus haberet, quam in latitudine: ut *scamnum* contra, quod latius esset dimidio quam longius. Hyginus de limitibus constituendis: *omnem mensuræ hujus quadraturam dimidio longiorem, sive latiorem facere debebimus; & quod in latitudinem longius fuerit, scamnum appellare; quod in longitudinem, strigam.* Ab hujusmodi strigis castrensibus, *strigaria septa*, in quibus exerceri, docerique consueverant equi, quos circo præparabant. Nec aliunde dicta *trigaria septa*, quæ in nona regione urbis apud Victorem ponuntur, quibus ideo vicina Equiria. *Septa trigaria. Equiria.* In illis quoque strigariis, ut ego arbitror, equi vænales habebantur à mangonibus. *Trigarium* autem pro *strigario*, ut *capisterium* apud Adelinum pro scaphisterio. *Capellare* in antiquis legibus pro scapellare a scapello, quod est bacillum. Et *casteria* apud Plautum pro scasteria. *Piracula Ditis* in antiquissimis Virgilii exemplaribus teste Servio pro spiracula. Sic *perulam* pro sperula dicebant, id est parva spera. Ita enim sphæram recentiores appellarunt. Inde *perulas* uniones dicimus, ut Græci *σφαιρία.* Ita & Græcis *μάργαρ⟨ος⟩*, *φαιρίζειν.* *Strigarium* etiam rectè, & integrè legitur apud Plinium in vetustis codicibus lib. XXVIII. cap. XVII. *Feruntque & Neronem principem hac potione recreari solitum, cum sic quoque strigario approbare vellet.* Ita enim habet optimus liber eruditissimi Rigaltii, ubi vulgati legunt: *cum sic quoque se trigario approbare vellet:* unde Lipsius conjiciebat, *se trigarium approbare vellet.* Ut *trigarius* esset, trigarum agitator. Scribe: *cum sic quoque strigario approbari vellet.* Ubi *strigarium* est *τὸ γυμνάσιον* equorum currilium. Lectio vulgata etiam recta esse potest: nam *trigarium* pro eodem dixit libro ultimo; sed veterem, veramque scripturam dissimulare nolui. Varro lib. II. cap. VII. de re Rustica: *ab eo tempore mediocriter strigandum, & cum sudarit, perunguendum oleo.* De equulorum domatione loquitur. Vulgo extat: *exercendum.* Sed quum ibi omnis antiquus liber habet *extriandum*, inde pronum nobis fuit facere, *strigandum.* Sic *expectare* pro *spectare* in libris non rarenter occurrit, & *exqualleo*, pro squalleo. Charisius Sosipater strigam ait esse turmarum intervallum, *in quo equi strigantur.* Sed & equi ipsi *strigare* dicebantur, quum interquiescebant, quod veluti in striga positi cessarent. Hoc verbum perperam in hunc Propertianum versum intrudere voluerunt duo summi viri:

> *Striga. Nam taceo Volsi carpenta nepotis,*
> *Atque armillatos colla Molossa canes.*

Nam prima in *strigare* brevis est. Parodia Virgiliana, quæ ex puris jambis constat:

> ---- *læva, sive dextera*
> *Strigare mula, sive utrinque cœperat.*

Quam vocem & nos olim in Phœdro primi restituimus, fabella de musca & mula:

> *Namque ubi strigandum est, & ubi currendum est, scio.*

Ubi vulgo, *tricandum.* In Propertiano versu scribendum:

> *Syrica nam taceo Volsi carpenta nepotis.*

Intelligit carpenta miniata, & Syrico inducta. Alii Syricum hoc genus pigmenti appellant. Inde illa differentia apud Isidorum de *syrico*, & serico. Atque hæc obiter. Quod igitur in striga equi quiescerent, hinc *strigare* pro pausare, & moram facere. *Striga*, inquit Festus, *est ordo & series rerum inter se conjunctarum.* Sanè strigæ sunt *σίχες.* Nam quod Græci dicunt, *κατὰ ςίχον ἢ ζυγὸν*, hoc Latinis est, *per strigam & scamnum.* Scamna enim sunt *ζυγά.* Verùm de his alibi. Videndum tamen, ne *strigarium* non à striga castrensi, in qua equi dispositi tenebantur, sed à *striga*, quæ *ψήκτρα*, aut *ξύςρα* significat, denominationem potius habeat, ut sit *ψηκτήριον*, in quo scilicet equi destringuntur, vel, quod idem est, strigantur. *Striga* est *ψῆκτρα* ab antiquo *strigo* pro stringo: quod inter alia & *ψήχειν* significat. Inde deminutivum *strigula* & *strigla*, *ἡ ξύςρα*, à quo *striglata*, *τὰ ξυςρωτά.* *Strigam* etiam Latini cimoliam ab eadem ratione vocaverunt, qua utebantur ad desquamandas, & poliendas vestes apud fullonem. A *striga*, *τῇ ψήκτρᾳ* dictus equus *strigosus*, male habitus, & impolitus, qui striga nimirum opus habet, *ὁ ψηκτιῶν*: ut *κȣριῶν*, *ὁ τῆς κȣρᾶς δεόμενος.* *Strigare* igitur *equum*, est *θεραπεύειν τὸν ἵππον.* Inde *strigarium* locus, in quo strigatur, & reliquis exercitiis curatur. Inde & *strigare* videri posset dictum pro cessare, & quiescere. Nec enim currendo, sed stando curantur equi. Verum ut varias *τὸ stringere* habet significationes, sic & *strigare*, quod pro eodem dixerunt veteres: ut *fodare*, & *fodere*, & similia sexcenta. Ita & *strigare* resistere, & restringere cursum. Nec enim de equis tantum dicitur, sed etiam de hominibus. Plinius lib. XVIII. cap. XIX. *In arando versum peragi, nec strigare in*

in actu spiritus. Ita enim rectè scripsere docti viri: ut & apud Senecam lib. IV. epist. XXXI: *rursus ad honesta nitentes quanto magis incubuerint, minusque sibi vinci & strigare permiserint, admirabor, & clamabo, tanto melior, surge & inspira, & clivum istum uno, si potes, spiritu exupera.* A principali *strigare* deductum forma diminutionis *strigillare*, cum eadem significatione. Ut *striga*, *strigula*, & *strigilla*, sic *strigare*, & *strigillare*. Inde compositum *obstrigillare*, quod obstare significat, & impedimento esse. *Ennius* apud Nonium Satyr. lib. II. ---- *restitant*

Occurrunt, obstant, obstrigillant, obagitant.

Et varro apud eumdem de vita P. R. lib. IV. *Quod Curio quum id fecisset, dicebat amicis, at renuntiaretur se obstrigillaturum: ne triumphus decerneretur, aut ne iterum fieret consul.* Inde *obstrigillum*, anuli pala, qua cohibetur, & obstringitur gemma. De quo ad Historiam Augustam. Et *obstrigilla* soccorum apud Plinium lib. IX. cap. XXXVI de margaritis: *nec crepidarum tantum obstrigillis, sed totis socculis addunt.* Vulgo, *obstragulis.* Sunt ansulæ, vel corrigiæ, quibus adstringuntur crepidæ; Græci ὑσκλὰς vocant: unde ὑσκλωτὰ ὑποδήματα, apud Dicæarchum, non ἰσκλωτὰ, ut censet vir magnus. Si quis autem ab equis magis translatum volet illud strigare, qui à cursu postquam requievere, strigantur & fricantur, velle per me, quod mavult, potest. Sane hæc Capri Grammatici sententia est de verbis dubiis, qui *strigam* interpretatur locum in turma, *ubi equi destringuntur.* Ita legendum. *Destringi* autem equi dicuntur, qui strigile fricantur, ut & homines in balneis strigilibus destringebantur olim. Horatius: ---- *curvo destringere ferro.*

Hæc dicenda fuere, ut, quid esset *strigarium* apud Plinium, explicaremus.

Tepentes fontibus Bajas] Firmicus lib. I. cap. III. *Nam ad collocandam sedem amœnum sibi Campaniæ civitatis solum elegisse narratur, ubi semper aëris quieta moderatio cunctos incolas salubri vectatione sustentat, ubi nec vis hiemis, nec flagrantis solis accensio, sed composita temperies ex utroque moderatur, ubi ægritudine aliqua laborantibus hominibus ingenito fontium calore, & fervescentium aquarum salutari fomento conciliata sanitas irrigatur.* Quem locum non uno loco partim ex conjectura, partim ex librorum auctoritate castigavimus.

Totius postmodum Græciæ advenæ] Quum omnes editiones retineant, *totius postremo Græciæ advenæ*, quod & principe editione, & scriptis plerisque comprobatur, nescio quare libuerit Delrio id mutare in *postmodum*, ut præfert ejus editio: quod nequaquam huic loco convenit. Si viveret, codicem credo suum allegaret. Ut *postremo* heîc, sic *ultimo*, apud Suetonium, & apud Arnobium lib. II. *quid sit cubus, aut dynamis, sesquioctavus aut sesquitertius ultimo*, id est, postremò quid sesquioctavus, aut sesquitertius. Qui locus vulgo corruptissimus, & valdè vexatus à doctis, dum inter alia quærunt, quid sit ibi, *sesquitertius ultimus.*

Ad hæc littorum portuosa, orasque habet] Illud *habet* expunximus, quod nec in scriptis paret. Pendet autem ex superiori verbo: *dum scriptores præstantissimi reputant locorum salubritatem, cœli temperiem,* &c. *ad hæc, littorum portuosa, orasque patentibus gremiis commercio orbis accommodatas.* Et postremam hanc periodum ex duobus Plinii locis concinnavit Solinus, ut scias furatrinam illum optimè calluisse. Lib. III. cap. V. sic habet: *tot maria, portus, gremiumque terrarum commercio patens undique.* Idem libro ultimo cap. ult. laudes ejusdem Italiæ repetens: *accessu cunctarum gentium facili, littoribus portuosis.* Libri autem omnes Solini constanter heîc habent, *laterum portuosa*, non *littorum.* Quod rectum est. Sic infra: *Britannicum, & Gallicum latus* vocavit: & cap. LIII. *cernunt Sericum latus de montium suorum jugis:* & apud Martianum Capellam lib. VI. de Italia, *Lucanum latus*, in antiquis scriptum extat, non *littus*: hoc modo: *Mox Campania, Picentesque, ac Lucanum latus, Bruttiumque conjungitur.* Sic hodie loquimur. Latus Anglicum, *la coste d'Angleterre*, latus Armoricum, latus Pictavicum, & similia. *Laterum portuosa*, Græca loquutio, τῶν ἠϊόνων εὔορμοι. De qua ad Pallium Tertullianum ante annum plura diximus.

Et parcius depavita levibus vestigiis inviare] In editionibus erat: *& parcius depasta*, sed cum in ora optimi co- A dicis adscriptum invenissem, *depavita*: & in textu alterius æquè vetusti planis literis ita scriptum, non dubitavi id, quasi verum, admittere, quod non solum huic loco melius, quam *depasta*, sed etiam unice convenit cum *inviare*: quod significat ὁδίζειν, cui simile est *insemitare* apud Fulgentium, in semitam redigere. *Parcius depavita*, τὰ ἐπιδεέστερον ἐδαφισθέντα. *Viam depavire*, est munire, sternere. Unde *pavimentum*, τὸ ἔδαφος: & *paviculæ*, instrumenta, quibus viæ depaviuntur. Glossæ: *paviclat*, ἐδαφίζει. Παίω Æoles divisim dicebant, quod ceteri Græci παίω: & cum digamma παϜίω, unde Latinum *pavio*, & composita, *obpuvio*, & *depuvio*: ut calco, *inculco.* B Sed & Æoles πύω etiam dixere, & πυϜίω, unde *puvio.* Nam α in ο mutabant. Ut πόϊς, & πὸϊρ ἀντὶ τοῦ παῖς, unde *puer* Latinum.

Pag. 9. E. *A Danae Ardeam*] Danaem in Italiam venisse cum duobus filiis Argo & Argeo, & ab Argo Argiletum dictum fuisse Romæ notat, nisi fallor, Servius ad octavum magni operis; verum poëta ipse Ardeam à Danae conditam lib. VII. scribit hoc versu de Ardea:

----*quam dicitur olim*

Acrisioneis Danae fundasse colonis.

C Ubi perperam idem Servius *Acrisioneis* asserit patronymicum esse, & male jungi cum *colonis.* Fallitur. Acrisius pater Danaes. Unde ipsa πατρωνυμικῶς Ἀκρισιώνη. Ut Αἰνειώνη in inscriptione Regillæ, quæ ab Ænea descendit, Καδμειώνη à Cadmo: & Οὐρανιώνη Cœli, vel Urani filia: ab Acrisione autem Ἀκρισιωναῖος, ut ἀπὸ τῆς Διώνης, ὁ Διωναῖος.

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum,

& ἀπὸ τῆς Θυώνης, Θυωναῖος. Inde *Acrisionæi coloni.* At *Acrisioneis* nullo modo potest esse patronymicum: cum sit legendum apud Poëtam *Acrisionæis*, quod possessivum est ab Acrisione, id est Danae. Mira etiam ibidem ejusdem Servii hallucinatio tradentis Ovidium in Me- D tamorphosi dicere incensam ab Hannibale Ardeam in avem hujus nominis esse conversam: immo ab Ænea, ut disertim scribit Ovidius, urbe illa incensa post mortem Turni, ex medio cinerum acervo evolavit avis Ardea. Vide lib. XIV. Metamorph. Nec prohibet, quin hæc eadem urbs ab Hannibale postea eversa, ac denuo incensa fuerit. Nam instaurata est post primam deflagrationem, quæ sub Ænea contigit: & Ardeæ Rutulorum urbis meminit Livius sub Tarquinio. Hyginus in urbibus Italicis dictam urbem ab augurio avis ardeæ scripserat. Ovidius autem ab urbe, quod ex ejus incensæ cineribus enata esset. Quod fabulosum. Ardea ex Græco ἐρωδιός, Siculi ἀρωδιός, un- E de Latinum *ardeus*, & *ardea*: ut merulus, & merula: luscinius & luscinia. Ἀρωδιός, *ardeus*, ut γάλανος, *glans* & similia. *Ardeam* esse ἐρωδιὸν, certum est.

A comitibus Herculis Polyden.] Urbem istoc nomine in Italia nullam scio. Martianus Capella, cum hunc locum ex Solino describeret, hæc de Polyde præteriit, quod æquè ignoraret. Sic enim lib. VI. de Italia: *à Iano Ianiculum, à Saturno Latium, à Danae Ardeam, ab Hercule Pompejos, cum pompam boum duceret Iberorum.* Ita libri scripti Capellæ Nam vulgati sincerum incrustant, qui mala manu additum habent: *ab Hercule Herculanium ad radicem Vesuvii, à quo haud procul Pompe-* F *jos.* Quæ expungenda esse clarè ostendit hoc loco Solinus. Etenim Capella verba ista tantùm omisit, *à comitibus Herculis Polyden.* Quidam Codices, & in his omnium optimus Regius legunt, *Polyclen.* An *Polieon?* Πολίειον Stephano urbs Italiæ, quæ Siris antea vocabatur. Idem Sirim urbem prope Metapontum collocat, quæ Πολίειον transnominata est à Minerva Poliade, quæ in Ilio colebatur. Hanc urbem Sirin, quæ & Polieon nominata est, Heracleam etiam fuisse vocatam testis Plinius his verbis: *similiter est inter Sirin & Acirin Heraclea, aliquando Siris vocata.* Strabo libro sexto Sirim urbem à Rhodiis conditam scribit, ex quorumdam opinio- G ne, Antiochum autem scribere Tarantinos cum Thuriis, & Cleandria ex Lacedæmone profugo ob Siritidem pugnantes, una convenisse, & coloniam Tarantinis adjudicatam fuisse, quæ postea *Heraclea* vocitata est, μεταβαλοῦσα καὶ τὄνομα καὶ τὸν τόπον. Vicinam etiam facit Metapontio, ut Stephanus. Idem paulo suprà ita scripserat, εἶθ' Ἡρακλεόπολις μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης καὶ ποταμοὶ δύο πλωτοὶ Ἄκιρις καὶ Σῖρις, ἐφ' οὗ

 πόλις

πόλις ἦν ὁμώνυμ☉ Τρωικὴ. Χρόνῳ δὲ τῆς Ἡρακλείας ἐντεῦθεν οἰκισθείσης ὑπὸ Ταραντίνων ἐπίνειον αὐτὴ τῶν Ἡρακλεωτῶν ὑπῆρξε. Male editur in Strabone, Πολίιον. Siris igitur urbs Italiæ à Trojanis condita, postea Πολίειον à Chonibus dicta, postremo Heraclea nominata. Ab Herculis comitibus hoc nomen habuisse tradit hoc loco Solinus, apud quem nullus dubito quin sit corrigendum, *Policon* pro *Polyden*. Scholiastes Lycophronis de Siri urbe: ἡ πρῶτα μὲν ἐκαλεῖτο Πολίειον, εἶτα Ἡράκλειον, εἶτα Σῖρις. Hæc contraria sunt iis, quæ Strabo scripsit, qui Sirim prius, deinde Polieon, postremo Heracleam vult vocitatam. Sed & Lycophron scribit Trojanos in loca circa Sirim advenisse, & Jones, qui ante Troica in Italiam venerant, Sirimque condiderant, Crotoniensium auxilio expulisse. E contrario Strabo dicit Jones fugientes Lydorum imperium, ad Sirim accessisse, quam Trojani tenebant, eamque expugnasse. Sic variè produntur auctoribus origines urbium. His omnibus addendus Aristoteles in Admirandis, qui Heracleam à Tarantinis dicit vocatam, quum Polieon vocaretur Jonum tempore, & ante Jonas Siris. Ejus hæc verba sunt, ut emendatè legi debent. Λέγεται δὲ μετὰ παραβαλεῖν τοὺς Ταραντίνους, Ἡράκλειαν τὸν τόπον καλεῖσθαι, ὃν νῦν κατοικοῦσιν. Ἐν δὲ τοῖς ἄνω χρόνοις τῶν Ἰώνων κατεχόντων, Πολίειον. Ἔτι δὲ ἐκείνων ἔμπροσθεν ὑπὸ τῶν πρώτων κατασχόντων αὐτὴν Σεῖριν ὠνομάσθαι. Corruptissimè hodie apud Aristotelem legitur, Πλεῖον, pro Πολίειον: & Σίγειον pro Σεῖριν. Heraclea igitur dicta à Tarantinis, qui Tarantini ab Heraclidis conditi. Nam Phalanthus Tarenti conditor octavus ab Hercule, unde Herculeum Tarentum. Inde est fortasse, quod Polieon, id est Heracleam, ab Herculis comitibus conditum hoc loco scripsit Solinus, qui ineptè *Polieon* nominat, cum *Heracleam* debuisset dicere. Nec enim *Polieon* nominaverunt, sed *Heracleam*. Hæc Heraclea porro sita ad Sirim fluvium, à quo & urbs primitus Siris vocabatur. Prima pugna Romanorum cum Pyrrho haud longè ab hac urbe pugnata est. Ἐν πεδίῳ inquit Plutarchus, τῷ μεταξὺ Πανδοσίας καὶ Ἡρακλείας. Florus noster, *apud Heracleam, & Campaniæ fluvium Lirim*, manifesto errore. Legendum: *apud Heracleam, & fluvium Sirim*, nisi sit error ipsius auctoris, qui Heracleam cum Herculanio confundit, τὸ Ἡράκλειον, καὶ τὴν Ἡράκλειαν, & Sirim fluvium cum Liri. Nulla enim in Campania Heraclea, sed Herculanium prope Pompejos, quod Græci Ἡράκλειον vocant, non Ἡράκλειαν, *Herculanium*, non *Heracleum*.

In Liguria quoque lapidarios campos] Λιθώδεις, vel λιθίνους. In Narbonensi alii eos collocant, Plinius, Mela, Strabo. Et Strabo quidem eos ponit inter Massiliam, & ἐκβολὰς τοῦ Ῥοδανοῦ: qui tamen ex fabula Æschyli, quæ Προμηθεὺς λυόμεν☉ inscribebatur, versus refert, quibus ex pugna Herculis cum Liguribus, lapidum pluvia in gratiam Herculis de cœlo lapsa, lapideos factos esse campos illos traditur. Ergo secundum Æschyli sententiam in Liguria ille campus. Qui in Narbonensi ponunt, non adversum Ligures pugnam Herculi fuisse, sed contra Neptuni liberos Albionem, & Bergiona, tradunt, ut Mela. Versus Æschyli ita legendi apud Strabonem:

Νεφέλην δ' ὑποσχὼν, νιφάδι στρογγύλων πετρῶν
Ὑπόσκιον θήσει χθόν' οἷς ἔπειτα σὺ
Βαλὼν διώξεις ῥαδίως Λιγὺν στρατόν.

Vulgo legitur, --- οἷς ἔπειτα συμβαλὼν δηώσεις. Hyginus in Astronomico citans eosdem Æschyli versus: *Iovem autem misertum filii curasse, ut circum eum magna esset lapidum copia: quibus se Herculem defendisse & hostes fugasse.* Legebat igitur in Æschylo, διώξεις. Sed & malè ὑπερσχὼν, pro ὑποσχὼν corrigebat in iisdem versibus vir magnus.

Quod ibi eo dimicante creduntur saxa pluisse] Cum in optimis codicibus ita scriptum reperissem, ita quoque libuit edere. Vulgo: *quod à Jove eo dimicante.* Quæ scriptura nec ipsa damnanda. Nam constat à Jove pluisse illa saxa juxta fabulam. Sed quod libri habent, id sequuti sumus. Martianus Capella, qui pæne ad verbum, ut in aliis, sic quoque Solinum in his expressit; *in Liguria campi lapidarii sunt appellati, quod eodem dimicante saxis ferunt pluisse cœlum.* In Palatinis schedis lectum mibi est, *quod Jovi eo dimicante.* Quomodo &
A Vinetus in suis, & clarissimus Mercerus invenerunt. Quam lectionem puto factam ex corrupta *ivi*, pro *ibi*, ut rectè habent optimi duo Regii: qui & *pluvisse* legunt, ἀρχαϊκῶς pro pluisse; nam à *pluvo*, pluvia.

Regionem Jonicam ab Jone Naulochi filia] Regionem Jonicam in Italia novi nullam. Eam mecum, & juxta cum ignoratissimis scire visus est etiam Capella, qui, cum hunc locum exscriberet, *Ionicam regionem* mutavit in mare Jonium. Sic ecim scribit: *idem Ionio nomen dedit: nam Ionen Aulochi filiam obsidentem vias latrocinaliter interemit.* Editur quidem passim apud Martianum, *idem Ioniæ nomen dedit*, sed omnia scripta ejus
B exemplaria legunt, *Ionio*. Aliud voluit Solinus. Jonium ab Jone Italo, alii ab Jonio Illyrio, inquit Stephanus dictum volunt. Servius Jonium istum insulæ Regem fuisse dicit contra Illyricum. Nihil hoc ad Jonicam regionem. Præterea, quis ille *Naulochus*, cujus filia Jone, vel, ut alii libri, appellant *Aulochus*: In scriptis libris Martiani Capellæ dicitur, *Autoclus*. Posset esse Αὔτοκλ☉, ut Οἴνοκλ☉, Ἄνδροκλ☉. Melius tamen scribi putem, *Autolyci filiam*: qui fur insignis ex fabulis notus, & filiam sibi similem habuit Jonem procaciter vias insidentem. Ἰόνη una ex Nereidibus apud Apollodorum. Adhuc tamen hæsitamus in Jonica re-
C gione. Quid si *Chonica* scripserat Solinus, & *chone*? Chonica regio, ἡ Χωνικὴ, ab urbe Chone Italiæ, unde & ipsi populi Chones, χῶνες dicti. Quidam Oenotriæ populum faciunt, alii ab Oenotris separant. Strabo lib. VI refert ex sententia quorumdam, Philoctetem Chonen urbem in Italiam condidisse, à qua populi χῶνες. Aristoteles ait eos tenuisse, τὸ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν καὶ τὸν Ἰόνιον. Χωνίαν eorum regionem vocat Lycophron.

Ἄρδων βαθεῖαν Χωνίας παγκληρίαν.

Hæc Chonica regio Solino: quam à Chone Autolyci filia dictam suos sequutus auctores asserit. Jones in
D Italiam venisse, & urbes condidisse ex Lycophrone, & Strabone suprà notabamus, sed Jonicam ullam regionem ab illis denominatam nemo unus scripsit, nec hoc dicit heîc Solinus. Levis autem, ac de facili lapsus *Jonicam* ex *Chonica* facere, præcipuè Chonicam ignoranti, & notiorem reponenti.

Procaciter insidentem vias] Quod fortasse viatores secum concumbere cogeret, eosque spoliaret. Martianus: *obsidentem vias latrocinaliter.*

Archippen à Marsya rege Lydorum] Ab hac Archippe, quæ in lacum Fucinum dissoluta est, Archippi regis illorum locorum nomen finxit Virgilius lib. VII.

E *Quin & Marrubia venit de gente sacerdos,*
Fronde super galeam, & felici comptus oliva
Archippi regis missu.

Nam Marrubii circa Fucinum lacum habitabant, an Archippe urbs potius ab illo Archippo rege vocata? sic videtur potius. Nam doctissimus poëta nomen illius regis ex historia sumpsit. Nec obstat, quod Archippe dicitur hîc ab Lydorum rege Marsya condita. Quis enim nescit eandem urbem, ut varia nomina, & varios habuisse conditores? vel una urbs *Polieon*, de qua supra, id satis indicarit. Legendum apud Pli-
F nium: *Gellianus auctor est: lacu Fucino haustum Marsorum oppidum Archippen, conditum à Marsya duce Lydorum.* Hic est Gellianus, qui perperam in indice Pliniano ad librum tertium vocatur *C. Ælianus.* Ubi vetus codex scribit, *Cellianus.* Nusquam alibi hunc Gellianum citavit Plinius.

Quod hiatu terræ haustum, dissolutum est in lacum Fucinum.] Ex Plinio, loco, quem paulo ante adduximus. Sed Plinius simpliciter dicit haustum lacu Fucino illud oppidum, hoc est, Fucini exundatione absorptum, qui plerumque sic intumescebat, ut ad montana usque efferretur. Vide Strabonem. Nulla
G apud Plinium hiatus terræ mentio. At ex verbis Solini hanc etiam possis sententiam elicere, ex illo hiatu terræ, quo oppidum Archippe haustum est, enatum esse Fucinum lacum. Id non dicit Plinius.

Ab Jasone templum Junonis Argivæ.] Frustra sunt, qui disputant, an heîc *Junonis Acrææ* legendum sit. Strabo lib. VI. μετὰ δὲ τὸ στόμα τοῦ Σιλαρίδ☉ Λευκανία, καὶ τὸ τῆς Ἥρας ἱερὸν τῆς Ἀργονίας, Ἰάσον☉ ἵδρυμα. Lege: τῆς Ἀργολίας, aut Ἀργολίδ☉, id est, Argivæ. Nam Ἀργόλας

λας ἐθνικὸν ab Ἀργὸς. Unde Ἀργολὶς, & Ἀργόλιος, & Ἀργολικὸς. Plinius: *à Surrento ad Silarim amnem triginta millia passuum ager Picentinus fuit Oscorum, templo Junonis Argivæ ab Jasone conditæ insignis.* Ita legendus ille locus. In vulgatis habetur pessimè; *ager Picentinus fuit Tuscorum.* Nam illi Picentini nihil cum Tuscis habuere commune. Malebat præterea Casaubonus Ἀργώαν in Strabone scribere, & apud Plinium *Argoam*, quia ab Jasone consecrata. Hoc sensu posset retineri vulgata apud Strabonem lectio, Ἀργονίας. Nam ab Ἀργὼ τῆς Ἀργόνος, Ἀργονία. Ut Σαρδὼ Σαρδόνος, Σαρδονία. Et Γοργὼ Γοργόνος, Γοργονία, & similia.

A Pelopidis, Pisas.] Notat Camers in veteribus, quibus usus est, libris fuisse, *à Pelope Pisas.* Omnes nostri: *à Pelopidis.* Unus tantum Palatinus habuit *à Pelope dispisas.* Corruptè. Nec sanè à Pelope conditæ Pisæ in Italia. Nec id intellexit Plinius, cum dixit, à Pelope, Pisisque Pisas Italiæ ortas. Quia Peloponnesus à Pelope, qui Pisatæ ex Peloponneso conditores Pisarum Italicarum. Strabo: ἡ δὲ Πίσα κτίσμα ἐστὶ τῶν ἐν τῇ Πελοποννήσῳ Πισατῶν. Servius ad x. Æneid. *Sane Pisas antiquitus conditas a Peloponneso profectis, vel ab his, qui cum Pelope Elidem venerunt.* Certum tamen est malè Solinum dixisse, Pisas istas à Pelopidis conditas, licet enim ex Peloponneso originem traxerint, non tamen aut Pisatæ, aut Peloponneso profecti, omnino etiam Pelopidæ fuerunt: cum hoc nomine patronymico soli è Pelope descendentes intelligantur. Profecto nec Strabo, nec Plinius, nec Servius, nec quisquam alius auctor à Pelopidis Pisas conditas dixit. Pro illis verbis apud Servium, *vel ab his, qui cum Pelope Lidem venerunt.* Legi fortasse debet, *qui cum Nestore ad Ilium venerunt.* Strabo: ἡ δὲ Πίσα κτίσμα ἐστὶ τῶν ἐν τῇ Πελοποννήσῳ Πισατῶν, οἱ μετὰ Νέστορος ἐπὶ Ἴλιον στρατεύσαντες κατὰ τὸν ἀνάπλουν ἐπλανήθησαν. Plinius: *Pisæ inter amnes Auserem & Arnum, ortæ a Pelope Pisisque, sive Atintanis Græca gente.* Atintanes sunt populi Macedoniæ, quos heîc intelligi non puto. Nam & libri Plinii veteres, *Teutanis* hîc legunt pro *Atintanis.* Confirmat Servius ex Catone hanc lectionem, cujus hæc verba sunt: *Cato originum* I *qui Pisas tenuerunt ante adventum Etruscorum negat sibi compertum, sed inveniri Tarconem Tyrrheno oriundum, postquam eorum locorum dominium cepertt, Pisas condidisse, cum ante regionem eamdem Teutanes quidam Græcè loquentes possederit.* Ita enim scribo, non *Teutones.* Nec de Teutonibus Germaniæ populis cogitandum. Sequitur post paulo apud eumdem Servium: *alii incolas hujus oppidi Teutanas fuisse, & ipsum oppidum Teutam nominatum, quod postea Pisas Lydi lingua sua singularem portum significare dixerunt.* Sed qui sunt illi Teutanes, aut Teutani Græci? *Titana* locus Sicyoniæ, quod & *Teutana* dicebatur. Stephanus Τίτανα χωρίον τῆς Σικυωνίας. Νῦν δὲ Τευτάνιον καλεῖται. Sicyon autem in Peloponneso, ut notum est. Inde Teutanos quidam, non Pisatas auctores Pisarum in Italia esse dixerunt: utrique ex Peloponneso. *Teuthea* etiam urbs Elidis. Straboni, Τευθέα: Stephano, Τευθίς. Hinc nomen urbis Teuthæ in Italia, quæ postea Pisa. Fluvius etiam Teutheas in Peloponneso. Ab ea urbe Teuthani fortasse dicti, quos conditores Pisarum quidam tradiderunt.

A Cleolao Minois filio, Daunios.] Immo à Dauno, Diomedis socero. Plinius: *Hinc Apulia Dauniorum cognomine à duce Diomedis socero.* Servius: *Daunia a Dauno rege Apuliæ, à quo Diomedem quidam hospitio receptum dicunt.* Nec video profecto, quomodo à Cleolao Daunii denominari potuerint. De Dauniis porro corrigendus insignis locus apud Symmachum in epistolis, qui doctos viros multum vexavit. Lib. II. epist. XXXI ita editum est: *Adornare te reditum, quod sacra deæ matris appeterent, arbitrabar. Tu indevotus iter promoves, nosque, & patriam post tergum relinquis.* Ubi Regiæ Bibliothecæ codex scribit: *tuenda unius.* In aliis: *Tu inda unius.* Scribe: *tu in Daunios iter promoves.*

Pag. 9. F. *Japygas, ab Japyge.*] Antiquos libros habere, *Japidas ab Japide*, notavit Delrius. Haud scio quam antiquos, & quam multos viderit, sed certus sum omnes nostros, & quidem antiquissimos, cum omnibus editionibus, habuisse *Japygas.* In optimo Regio legitur, *Japitas.* Sic plerumque scriptum in veteribus, *i* pro *g*: ut *toia* pro *toga*: *foltora* apud Arnobium pro *fulgora.* *Ilyc*-

A *cias* apud Suetonium pro Glycias. Sic supra, *Jonica regio* pro *Gonica*, aut *Chonica.* Præterea *Japides* prorsus alie-
ni ab hoc loco. *Japidia* pars Venetiæ, *Japygia*, Apuliæ.
Quos *Japides* Latini vocarunt, Græci Ἰάποδες. Et *Japidia*, Ἰαποδία, ut κόνις, *cinis.* Stephanus: Ἰάποδες, ἔθνος
Κελτικὸν πρὸς τῇ Ἰλλυρίᾳ. Vide Strabonem. Scio quosdam imperitè confudisse *Japygas* cum *Japidibus*, unde &
apud Virgilium etiam nonnulli scribebant: & *Japigis ora Timavi.* Sed *Iapygas* Apulos, de quibus heîc loqui-
tur Solinus, qui *Iapidas* vocaverit, præter Codices Del-
rii; nec librum ullum, nec auctorem novi. Ἰάπυξ Dæ-
dali filius, à quo Japyges. Strabo lib. VI. Ἰάπυγας δὲ
B λεχθῆναι πάντας φασὶ μέχρι τῆς Δαυνίας ἀπὸ Ἰάπυγος, ὃν
ἐκ Κρήσσης γυναικὸς Δαιδάλῳ γενέσθαι φασί. At Japides, ut
dixi, sunt Ἰάποδες, ut Numidæ, Νομάδες. Unde *Iapidia*, ἡ τῶν Ἰαπόδων χώρα, ut Numidia, τῶν Νομάδων. Sal-
lustius apud Servium: *primam modo Iapidiam ingressus.*
Vide & Plinium. Idem Plinius de Japygia: ante Japyx
à Dædali filio, à quo Japygia.
Coram à Dardanis.] In optimo codice scriptum ad
oram fuit: *vel Dardano.* Quod verius. Plinius: *Corani
à Dardano Trojano orti.* Martianus Capella: *Coram, Dardanus.* Atqui ille habet à Solino.
C *Agyllam a Pelasgis.*] Ita nos rectè. Nam Græcis
Ἀγύλλα. Atque ita in libris, cum vulgo edatur, *Agilla.*
Schedæ Palatinæ, *Agyllinam.* Sic habent scripti codi-
ces Martiani Capellæ: *Coram Dardanus, Agyllinam Pelasgi*, & subintelligendum *urbem.* Ita Servius: *sane hanc
Agyllinam quidam a Pelasgo conditam dicunt, alii à Telegono.* Poëta: *Urbis Agyllinæ sedes ----* Sic Ἀγυλλῖνον
χαλκὸν, ἀπὸ τῆς Ἀγύλλης dixerat Rhianus. Quod addit
Solinus, conditam hanc urbem à Pelasgis, qui literas in
Latium intulerunt, more suo sciens prudensque nuga-
tur. Plinius quidem, aliique scriptores dixerunt Agyl-
lam à Pelasgis conditam, lib. III. cap. V. Idem Plinius
D alibi scripsit Pelasgos in Latium litteras intulisse, ut lib.
VII. cap. LVI. *In Latium eas attulerunt Pelasgi.* Sed ne-
que Plinius, nec alius quisquam prodidit, literas in
Latium allatas ab illis Pelasgis, qui Agyllam condi-
derunt. Varii fuere Pelasgi ex Thessalia, & Arca-
dia. Nam & Arcadia Πελασγία dicta est, & ex qua-
tuor partibus Thessaliæ, una Πελασγιῶτις est appel-
lata. Omnes hi Pelasgi multum vagi & errones, ut
aliis in locis quam plurimis, sic in Italia varias diversis
temporibus colonias instruxere. Agyllinæ in Tuscia
conditores Pelasgos ex Thessalia fuisse convenit inter
auctores. Stephanus: Ἀγύλλα κτίσμα τῶν ἐκ Θετταλίας Πε-
E λασγῶν. Vide & Strabonem lib. V. & Servium lib. III.
Æneid. Hosque ante Evandrum in Italiam advenisse
testatur ibidem Poëta:

Qui primi fines aliquando habuere Latinos.

Pelasgi vero, qui in Latium literas invexere, Arca-
des erant, Evander nimirum, & mater ejus Carmen-
ta. Nam Pelasgi secundum Ephorum, τὸ ἀνέκαθεν Ἀρ-
κάδες. Marcus Victorinus: *Repertores literarum Cadmus
ex Phœnice in Græciam, & Evander ad nos transtulerunt,
literas* XVI. Antiqui versus de repertoribus litera-
rum:

Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas,
F *Quas Latini scriptitamus edidit Nicostrata.*

Nicostrata, ut omnes tenent, mater Evandri, quæ
alio nomine Carmentis. Diversi igitur generis Pe-
lasgi, qui Agyllam constituerunt: & ineptè Soli-
nus, nihil tamen præter solitum fecit, qui utrosque
miscuit. Nomen Carmentæ prorsus etiam Græcum:
Æolium χαρμίττα, vel χαρμίτη, unde Latinum pri-
scum *Charmenta.* Græca sunt nomina propria, χάρ-
μης, χάρμας & χάρμις, & fœminium χαρμίττα.
Ab Haleso Argivo Faliscam.] Plinius lib. III. cap. V.
*Falisca Argis orta, ut auctor est Varro, quæ cognominatur
G Etruscorum.* Ergo alia Falisca, à qua, ut hæc distingue-
retur, ei cognomentum additum est Etruscorum. Il-
la vero alia, ut opinor, & verum est, dicebatur Æquo-
rum. Inde *Æqui Falisci* Virgilio:

Et Fescenninas acies, Æquosque Faliscos.

Æqui Falisci, ut distinguantur ab Etruscis Faliscis,
quicquid dicant, qui aliter sentiunt. Et rectè olim ita
Strabonis locum emendavit Hermolaus ex lib. V.
οἱ δὲ Αἶκον Φαλίσκον λέγουσιν ἐπὶ τῇ Φλαμινίᾳ ὁδῷ κείμενον
μεταξὺ

μεταξὺ Ὀκελκόλων καὶ Ῥώμης. Ubi legerim potius: οἱ δὲ Αἴκων Φαλίσκον, id est, *Æquorum Faliscam.* Apud Diodorum quoque similiter corrigo, Φαλίσκος πόλις ἀπὸ τοῦ Αἴκων ἔθνους, quo loco perperam scribitur, ἀπὸ τοῦ Φαλαίκων ἔθνους, quod absurdum est: nam nullum ἔθνος Φαλαίκων. Illa autem Falisca Etruscorum fuit, quæ Halesum Argivum conditorem habuit. Ovidius:

Cum mihi pomiferis conjux foret orta Faliscis,
Mœnia contigimus victa Camille tibi.

Et paulo post:

---- his patrias junxit Halesus opes
Ille suos docuit Junonia sacra Faliscos,

Sed quomodo Falisci ab Haleso dicti? Servius: *Faliscos Halesus condidit. Hi autem immutata H in F, Falisci dicti sunt: sicut febris dicitur, quæ antè hebris dicebatur: Formiæ, quæ Hormiæ fuerunt,* ἀπὸ τῆς ὁρμῆς. *Nam posteritas in multis nominibus F pro H posuit.* Ridiculè in voce Halesus, si H in F mutes, non fiet *Fali*cus, sed *Falesus.* Ab Haleso prius Falesii & ὑποκοριστικῶς, ut nomina gentium apud veteres plerumque concipi solebant, *Falesisci.* Sic *Syrisci, Dacisci, Hunnisci, Teutisci,* pro *Teutis,* inde contractè *Falici.* Qui Falesii autem prius ab Haleso, mox Falerii dicti sunt, ut *Valesii,* postea *Valerii,* & *Leucesia, Leuceria,* & similia sexcenta. Falerii vero urbs dicta Faliscorum. Nam Falisci populi, Falerii urbs, utrumque ab eadem origine, nempe ab Haleso. Certè apud Livium lib. VII. Faliscis bellum indixere Romani, quod eos, qui Falerios perfugerant, cum male pugnatum esset, repetentibus fetialibus reddere noluissent. Ergo Falerii urbs Faliscorum, quæ & Falisca dicta est, ut si quis Lutetiam Parisiorum urbem, aut civitatem Parisiensem appellaret. Sic Falisci illi Etruscorum eodem modo à Faleriis differunt, quo Parisii à Luteria. Nam & Plinius, qui Faliscam nominavit Etruscorum, nullam Faleriorum fecit mentionem, quia Falisca urbs, & Falerii idem. Nugatur itaque Solinus hoc loco, qui cum Faliscam ab Haleso Argivo conditam dixisset, addidit, *& Falerios à Falerio Argivo.* Nullus enim Falerius Argivus, sed Falerii dicti ab Haleso, qui olim Falesii. Ceterum diversa ab hac Etruscorum Falisca, & Faleriis Falisca Æquorum, quæ res turbationem induxit plerisque auctoribus, dum alii diversam statuunt Falerios, & Faliscos, alii eosdem faciunt, quidam etiam Falerios Etruscos negant, & cum Æquis Faliscis confundunt. Strabo non dissimulavit hanc auctorum dividiam lib. V. Ἔνιοι δὲ οὐ Τυῤῥηνούς φασι τοὺς Φαλερίους, ἀλλὰ Φαλίσκους. Ἴδιον ἔθνος τινὲς τοὺς Φαλίσκους καὶ πόλιν ἰδιόγλωσσον. Οἱ δὲ Αἴκουμ Φαλίσκον, &c. Sic legenda & distinguenda verba Strabonis, quæ vulgo pessimè habent.

Fescennium quoque ab Argivis.] Libri omnes: *Fescenninum quoque.* Nec aliter veteres editiones: & subauditur, oppidum. Sic suprà *Agyllinam* dixit pro Agylla. Plinio *Fescennia* dicitur. Servius non ab Argivis, sed ab Atheniensibus conditum scribit.

Portum Parthenium a Phocensibus.] Plinius: *Portus Parthenius Phocensium, sinus Vibonensis.* Sed in optimis, & antiquissimis libris Plinii scriptum extat: *portus Parthenius, & Phocensium.* Quasi diversi sint portus, Parthenius & Phocensium. Aliter legit Solinus.

Cum omni fœtu ver sacrum missus.] De vere sacro pridem est cum observarunt viri docti quid esset. Illud non puto observasse, ἔτος ἱερὸν Græcis dici, quod Latinis ver sacrum. Ita vocat Strabo. Idem lib. V. Σαβῖνοι πολὺν χρόνον πρὸς τοὺς Ὀμβρικοὺς πολεμοῦντες, εὔξαντο καθάπερ τῶν Ἑλλήνων τινὲς, τὰ γενόμενα τῷ ἔτει τούτῳ καθιερῶσαι. Nec opus est rescribere τῷ ἔαρι τούτῳ, quod vir doctissimus malle se dicit. Nam, ut diximus, alibi id vocat ἔτος ἱερόν. Cum enim vovebant, quidquid proximo vere nasceretur, unius anni fœtus Deo sacrabatur. Clarè Dionysius Halicarnassensis lib. I. Ἀρχαιολογίας: θεῶν ὅτῳ δὴ καθιεροῦντες ἀνθρώπων ἐτείους γονὰς ἐξέπεμπον ὅπλοις κοσμήσαντες ἐκ τῆς σφετέρας. Solinus: *cum omni fœtu ver sacrum missus,* σὺν πάσῃ γονῇ illius anni scilicet.

Qui depulsis ex oppido Siciliæ veteribus Sicanis.] De Tibure loquitur, oppido Romæ perquam vicino à tribus fratribus, Tiburto, Cora, Catillo Argivis condito, ac de Tiburti fratris majoris nomine appellato. Quid heîc igitur oppidum Siciliæ, aut veteres Sicani faciunt? Sanum putamus fuisse Solinum, cum hæc

A scriberet? Quis Siciliam pro Italia sanus dixit? Servius *de Græcia tres fratres venerunt ad Italiam: Catillus, Coras: Tibur, vel Tiburnus. Hi simul omnes unam fecere civitatem, & eam de fratris majoris nomine Tibur appellaverunt.* Scio Sicanos Italiam olim tenuisse, atque inde pulsos insulam duce Siculo occupavisse, quæ Sicilia postea ab eo dicta est. Hæc enim traduntur. Sed Italiam dictam fuisse Siciliam nemo, quod sciam, prodidit. Falsissimum igitur, & absurdissimum est, quod heîc narrat Solinus. Sed fortasse ita scripserat: *qui depulsis veteribus Sicanis, à nomine Tiburti fratris natu maximi urbem vocaverunt.* Cum sciolus aliquis heîc Sicanos lege-
B ret, ad oram videtur addidisse, *ex oppido Siciliæ.* Quia scilicet putaret Sicanos non alibi, quam in Sicilia fuisse. Atqui Sicani in Italia fuere, & quidem ea etiam loca tenuere, ubi postea Roma condita est. Vide Servium ad illud Poëtæ:

---- veteresque Sicani.

Æneid. VII. Idem alibi: *Sicani duce Siculo venerunt ad Italiam, & eam tenuerunt exclusis Aboriginibus. Mox ipsi pulsi ab illis, quos ante pepulerant, insulam vicinam Italiæ occupaverunt, & eam Sicaniam à gentis nomine, Siciliam vero à ducis dixerunt.* Quinimmo Siculos illos veteres Tibur oppidum tenuisse scribit Dionysius lib. I. παρ' οἷς,
C inquit, καὶ ἐς τόδε χρόνου, μέρος τι τῆς πόλεως ὀνομάζεται Σικελιών. Additque mox Pelasgos, qui Thessaliam incolebant, ad ea loca venisse, & junctos cum Aboriginibus bellum Siculis fecisse. Hoc est, quod ait hoc loco Solinus, Argivos, depulsis ex oppido veteribus Sicanis, Tibur condidisse. Nam Siculi illud oppidum tenuere. At quod additum est *Siciliæ,* prorsus falsum est, & ratione caret, patetque ab imperitis adjectum fuisse. Sic defendi Solinum posse arbitror, ut culpam in alios transferamus.

Pag. 9. G. *Mox in Bruttiis extructum templum Miner-*
D *væ.*] A Tibure transit ad Bruttios, mox à Bruttiis, & insulis Sirenarum Neapolim redit, inde Præneste, & sic mera facit mapalia nullo servato locorum ordine. Intelligit porro Sirenum, vel Sirenusarum promontorium, in quo templum Minervæ ab Ulixe extructum. Strabo lib. V. συνεχὴς δὲ ἐστὶ τῇ Πομπηΐᾳ τὸ Συρρεντὸν τῶν Καμπανῶν. Ὅθεν προέκειται τὸ Ἀθήναιον, ὅ τινες Σειρηνουσσῶν ἀκρωτήριον καλοῦσιν. Ἐστὶ δὲ ἐπ' ἄκρῳ μὲν Ἀθηνᾶς ἱερὸν, ἵδρυμα Ὀδυσσέως. Plinius lib. III. cap. V. *Surrentum cum promontorio Minervæ, Sirenum quondam sede.* Ubi juxta Plinium sedes Sirenarum in ipso promontorio Minervæ, quod & Sirenusarum propterea dicebatur.
E Stephanus: Σειρηνοῦσσαι νῆσοι ἐν τῇ Ἰταλίᾳ περὶ τὸν πορθμὸν ἐπὶ αὐτῆς τῆς ἄκρας κείμεναι τοῦ περιπεπλωκότος τόπου, καὶ διαλαμβάνοντος τοὺς κόλπους, τόν τε περιέχοντα τὴν Κύμην, καὶ τὸν διειληφότα τὴν καλουμένην Ποσειδωνίαν. Ita legimus apud Stephanum, ubi vulgo scribitur corruptissimè, ac nullo sensu: καὶ διαλαμβάνοντος τοῖς κόλποις, τὸν περιέχοντα Κύμην. Simili modo corrigendus Aristoteles in Admirandis, cujus locum pæne ad verbum descripsit Stephanus: Φασὶ τὰς Σειρηνούσσας νήσους, κεῖσθαι μὲν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ περὶ τὸν πορθμὸν ἐπ' αὐτῆς τῆς ἄκρας τοῦ περιπεπλωκότος τόπου, καὶ διαλαμβάνοντος τοὺς κόλπους, τόν τε περιέχοντα τὴν Κύμην, καὶ τὸν διειληφότα τὴν καλουμένην Ποσειδωνίαν.
F Vulgo perperam legitur, ὃς κεῖται, & περὶ τοῦ πεπλωκότος, & διακυμαίνοντος τοῖς κόλποις. Sic promontorium Minervæ, quod Ἀθήναιον Græci vocant, & promontorium τῶν Σειρηνουσσῶν idem: Nam Σειρηνοῦσσαι ἐπ' αὐτῆς ἄκρας κείμεναι. Strabo libro VI. τῆς δὲ νήσου προκεῖται τὸ ἀκρωτήριον τῶν Σειρηνουσσῶν, καὶ ποιοῦν τὸν Ποσειδωνιάτην κόλπον. Sic verba Strabonis sunt emendanda: nam in editis male est: τὸ ἀκρωτήριον τῆς Σειρηνούσσαις. Sed notandum est Aristotelem, & ex eo Stephanum loco, quem suprà adduximus, τὰς Σειρηνούσσας locare in ipso promontorio, ἐπ' αὐτῆς τῆς ἄκρας, ut nimirum ἀκρωτή-
G ριον, & Σειρηνοῦσσαι res eadem fuerit, proinde malè reddunt docti viri in illo Aristotelis loco, ἐπ' αὐτῆς τῆς ἄκρας, *in ipso freti vertice,* cum verti debeat, *in ipso promontorio.* Strabo libro I. hanc fuisse quorumdam sententiam disertim scribit: τὰς γοῦν Σειρῆνας inquit, τοὺς μὲν ἐπὶ τῆς Πελωριάδος καθιδρύειν, τοὺς δὲ ἐπὶ τῶν Σειρηνουσσῶν πλείους ἢ δισχιλίους διεχουσῶν σταδίους. Εἶναι δ' αὐτὰς σκόπελον τρικόρυφον, διείργοντα τὸν Κυμαῖον, καὶ Ποσειδωνιάτην κόλπον. Hæc αὐτόχρημα Aristotelis opinio est: qui τόπον περιπεπλωκότα vocat, spatium

ſpatium anguſtum terrarum in mare excurrens, & prominens, in cujus extremo, ἐπ' αὐτῆς τῆς ἄκρας collocat τὰς Σειρηνούσσας, tricipiti vertice excelſas, quæ in vicem promontorii Cumanum, & Pæſtanum ſinum dividebant. Qui τριπετηλώκως τόπος Ariſtoteli & Stephano, Strabo eum appellat, ἀγκῶνα περικείμενον μακρὸν καὶ στενόν; quem à Surrento uſque ad fretum, quod eſt juxta Capreas, ait pertingere, & ab uno latere habuiſſe fanum Sirenum, ab altero ad Pæſtanum ſinum, tres parvas inſulas deſertas, ac ſaxoſas, quæ *Sirenides*, aut *Sirenuſæ* appellabantur: in ipſo autem freto, hoc eſt, ἐπὶ τῆς ἄκρας, templum Minervæ, τὸ Ἀθήναιον, inquit idem, ᾧ συνονυμεῖ καὶ ἀγκὼν αὐτός. Sic ſecundum Ariſtotelem & promontorium Minervæ, & Sirenuſæ inſulæ, templumque Sirenum res eadem. Nam in ipſa prominentia ponit Sirenuſas, in Sirenuſis autem fanum Sirenum. At juxta Strabonem, ab una parte illius prominentis anguli fanum Sirenum, ab altera tres parvæ inſulæ, in ipſo vero freto promontorium Minervæ cum templo. Hinc idem lib. v poſt circumflexum promontorii Minervæ, Sirenuſas occurrere dicit: κάμψαντι δὲ τὴν ἄκραν, νησῖδές εἰσιν ἔρημοι πετρώδεις, ἃς καλοῦσι Σειρῆνας. Etenim Σειρῆνες, & Σειρηνίδες, & Σειρηνοῦσαι illæ inſulæ dicebantur. Hæ Sirenum petræ etiam dictæ, & Pomponio Melæ diſtinctæ à promontorio Minervæ: *Petræ, quas Sirenes habitavere, Minervæ promontorium.* Apud Plinium quoque antiqui libri ita ſcribunt: *Surrentum, cum promontorio Minervæ, Sirenum quondam ſedes.* Atque ita ſane ſcribendum, diſtinguendumque in Plinio. *Sirenum ſedes*, vocat, τὰς Σειρηνούσσας, hoc eſt, ut ait Mela, petras, quas habitavere quondam Sirenes, quæ & diverſæ à promontorio Minervæ, ſic tamen ut non longè diſtarent. Hinc & Σειρηνουσσῶν ἀκρωτήριον dicebatur id promontorium, Dionyſius Periegetes Σειρηνίδα πέτραν vocavit.

Πρὸς δὲ νότον μάλα πολλὸν ὑπὲρ Σειρηνίδα πέτρην
Φαίνονται προχοαὶ Πευκεντίνου Σιλάροιο.

Ibi Σειρηνὶς πέτρη eſt promontorium Minervæ. Et ridiculè Euſtathius, & Feſtus Avienus de Neapoli accipiunt, ſive Parthenope, cujus mentio præceſſit in ſuperiori verſu. At πέτραι Σειρηνίδες, vel petræ Sirenum, ſunt ipſæ inſulæ Σειρηνοῦσσαι, non promontorium, ſed quæ promontorio propter vicinitatem nomen dederint, ut vocaretur, τῶν Σειρηνουσσῶν. Ridiculè verò de his Sirenum petris ineptus auctor Tzetzes:

Οἱ μὲν γὰρ πέτρας λέγουσιν εἶναι τὰς Σειρηνίδας
Εὐτρήτους κἂν τοῖς κύμασιν ᾠδὴν ἀποτελούσας.

Magis etiam ridiculè doctus interpres, qui πέτρας Σειρηνίδας ibi vertit, *petras catenatas.* Saxa Sirenum infrà memorat Solinus, quæ ad hunc locum pertinebant. Cur enim tam locis vicina, tanto intervallo in opere ſuo diſparavit?

Inſula Ligea appellata abjecto ibi corpore Sirenis] Nulla, quod ego meminerim, hoc nomine inſula vocata eſt. Plures ex noſtris legebant *Lyncea.* Ad oram optimi codicis Regii repoſitum, *Ligea.* Ita quidem una Sirenum dicta, ſed inſulam aliquam ſic appellatam neſcio. Nam Sirenuſſæ inſulæ pro indiviſo à nomine Sirenum appellatæ, nulla ſeparatim aut Ligea, aut Leucoſia, aut Parthenope, quæ nomina fuere Sirenum. Leucoſia quidem inſula haud longè ab illis locis, quam & Strabo ab una Sirenum appellatam ſcribit, quæ ibi ejecta eſt. Sed illa inſula ex tribus Sirenuſis non fuit una: & ſunt, qui à Leucoſia Æneæ conſobrina dictam volunt, non ab Leucoſia Sirene, quam ſententiam & noſter hic tuetur infrà. Unde ergo accepit de Ligea inſula? Lycophron *Terinam* vocat, non *Ligeam*, ad quam Ligeæ Sirenis corpus ejectum eſt:

Λίγεια δ' εἰς Τέρειναν ἐκναυσθλώσεται
Κλύδωνα χελλύσσουσα, τὴν δὲ ναυβάται
Κρόκαισι ταρχύσουσιν, ἐν παρακτίαις,
Ὠκινάρου δίναισιν ἀγχιτέρμονα.

Hanc *Terinam* inſulam eſſe Stephanus ex Lycophronis ſententia ſcribit, in voce Τέρινα: τινὲς δὲ νῆσον αὐτήν, εἰς ἣν ἐξεβράσθη Λίγεια ἡ Σειρήν, ὡς Λυκόφρων. An Terinam illam etiam Ligeam quidam vocaverunt? Nam πρὶν & λιγὺ idem: & τέρεινα ᾠδὴ ἡ λίγεια. Sed fallitur Stephanus, nec enim inſulam Terinam Lycophron ullam in-

A tellexit, ſed Italiæ urbem hoc nomine, cujus & alio loco meminit, his verſibus:

Οἱ δ' αὖ Τέρειναν, ἔνθα μυδαίνει ποτοῖς
Ὠκίναρος γῆν, φοῖβον ἐκβράσσων ὕδωρ,
Ἄλη κατοικήσουσι κάμνοντες πικρᾷ.

Stephanus: Τέρινα πόλις Ἰταλίας, καὶ ποταμὸς ὁμώνυμος· κτίσμα Κροτωνιατῶν. Hunc fluvium vocat Ὠκίναρον Lycophron. Strabo propè Temeſam eum collocat. Plinius: *Oppidum Temſa à Græcis Temeſe dictum, & Crotonienſium Terina, ſinuſque ingens Terinæus.* Ad mare igitur ſita Terina, à qua & *ſinus Terinæus*: & ibi ejectum eſt
B corpus Ligeæ Sirenis, juxta Lycophronem. Sic nulla inſula Terina, nec Ligea. Sirenuſæ, tres inſulæ fuerunt, trium Sirenum ſedes, dum viverent. Quæ poſtquam in mare ſe præcipitavere, earum corpora defunctarum variis littoribus, ac locis illata ſunt. Parthenopes corpus in ea loca ejectum eſt, ubi poſtea Neapolis condita eſt: Φαλήρου τύρσις dicitur Lycophroni. Stephanus urbem Opicorum eſſe tradit: Φάληρον πόλις ἐν Ὀπικοῖς εἰς ἣν ἐξεβράσθη Παρθενόπη ἡ Σειρήν, ἣ καλεῖται Νεάπολις. Leucoſiæ, ad eam inſulam, quæ inde nomen accepit. Ligea, ad Terinam urbem, ubi & ſepulta eſt. Solinus inſula Ligeam nominat, auctore nullo.
C Scribendum porro in verbis Solini hoc loco: *inſula Ligea ab ejecto ibi corpore Sirenis ita nominata.* Vulgo eſt in libris omnibus: *abjecto ibi corpore Sirenis.* Loquutio autem Soliniana, *ejecto ibi.* Sic, *dejecta in labris æneis*, infrà: &, *ibi convolant ciconiæ.* Proprium vero huic rei verbum, *ejectum*, ἐκβρασθὲν, ἐκπεσόν. Strabo de Leucoſia: νῆσος Λευκωσία ἐπώνυμος μιᾶς τῶν Σειρήνων, ἐκπεσούσης δεῦρο μετὰ τὴν μυθευομένην ῥίψιν αὐτῶν εἰς τὸν βυθόν. Lycophron de Parthenope:

Τὴν μὲν Φαλήρου τύρσις ἐκβεβρασμένην,
Γλάνις δὲ ῥείθροις δέξεται τέγγων χθόνα.

Parthenope à Parthenopes Sirenis ſepulchro] Duo opti-
D mi Regii, *Parthenopis à Parthenope Sirenis.* Haud ſcio, an *Parthenopida* dixerit pro Parthenope more Græcorum. Sic Θεσπιὰς pro Θεσπία, in Epigrammate:

Λήματι τῶν αὐχεῖ Θεσπιὰς εὐρύχορος.

Hoc & in nominibus provinciarum frequens. Ovidius:

Imperiumque peti totius Achaïdos addit.

Achaïs, pro Achaja. Sic Atthis, pro Attica. Sic *Daphnidem* pro Daphne poſuit Trebellius Pollio, de Balliſta tyranno: *in agro ſuo, quem apud Daphnidem comparaverat, interemptum.* Ad quem locum vide, quæ notamus. Sic *Parthenopis* hoc loco eſt Parthenope, ἡ Παρθενόπη.
E Res ipſa ex Plinio: *Littore autem Neapolis Chalcidenſium, & ipſa Parthenope à tumulo Sirenis appellata.* Quod addit Solinus, *quam Auguſtus poſtea Neapolim eſſe maluit*, nec Plinii eſt, nec cujuſquam ſani auctoris, ſed merè Solinianum eſt. Et quis enim præter ipſum poterat dicere Neapolim ab Auguſto nominatam, quæ prius fuit Parthenope? Longe quippe ante Auguſti tempora id nominis habuit. Strabo: μετὰ δὲ Δικαιαρχίαν ἐστὶ Νεάπολις Κυμαίων, ὕστερον δὲ καὶ Χαλκιδεῖς ἐπῴκισαν, καὶ Πιθηκουσαίων τινὲς, καὶ Χαλκιδέων, ὥστε καὶ Νεάπολις ἐκλήθη διὰ τοῦτο. Marcianus Heracleotes in περιηγήσει:

Καὶ Μασσαλιωτῶν, Φωκαέων τε Νεάπολις
F Ἣν ἔκτισαν φυγόντες ὑπὸ τὰ Περσικά
Οἱ Φωκαεῖς, οὗ κερβερεῖόν τι δείκνυται
Ὑπὸ χθονὶ μαντεῖον.

Et paulo poſt:

Ἐκ τῆς δὲ Κύμης τῆς πρὸς Ἀόρνῳ κειμένης
Κτίσιν κατὰ χρησμὸν ἔλαβεν ἡ Νεάπολις.

Vide & Vellejum lib. I. Hæc ſufficiunt, ut notum ſit Neapolim ab Auguſto hoc nomen non accepiſſe, & quis hoc non novit?

Præneſte, à Præneſte Vlixis nepote, Latini filio] Stephanus, περὶ ἐθνικῶν. Πραίνεστος πόλις Ἰταλίας, ἀπὸ Πραινέστου τοῦ Λατίνου τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης υἱοῦ. Latinus filius Vlixis, &
G Circes, cujus Latini filius Præneſtus Vlixis nepos. Legerim autem hoc loco, *à Præneſto Vlixis nepote.* Nam qui Græcis Πραίνεστος, Latinis *Præneſtus* debet eſſe. Niſi quis malit, *hic Præneſtis.* Sic ἔγχωρος, *Enchoris*: ἀπρόκοπος, *aprocopis.* Urbis quoque ipſius nomen, quod Græcis eſt Πραίνεστος, Latini *Præneſtis* efferunt, aut *Præneſte.* Servius: *dicimus autem & hoc Præneſte, & hæc Præneſtis.* Martianus Capella ex hoc loco: *Præneſte ab Vlixis nepote Præneſte.* Cato, quod montibus præſtaret, dictam

dictam autumabat Præneste, in Originibus: *Quia is locus montibus præstet, Præneste oppido nomen dedit.* Πολυστέφανος quondam dicebatur. Corrigendus Plinius: *Prænestini, urbe quondam Polystephano dicta.* Vulgo perperam: *urbe quondam Stephani dicta.* Strabo: Πραίνεστον γοῦν Πολυστέφανον καλεῖσθαι πρότερον. Ex quo nomine vincit Strabo urbem εὐλωίδα fuisse. Πολυστέφανον autem significat valdè munitam. Nam στέφανοι dicebantur & urbium muri. Pindarus: Ἴλιῳ μέλλοντες ἐπὶ στέφανον τεῦξαι. Anacreon: νῦν δ᾽ ἀπὸ μὲν πόλεως στέφανος ὄλωλεν. Unde Κρότων εὐστέφανος Dionysio.

Quem juxta ignes fortuitos invenerunt Digitiorum sorores.] Marcianus Capella: *Licet alii velint Cæculum conditorem, quem pignus asserunt fuisse flammarum.* Rem habet à Solino, ut alia fermè omnia toto illo libro, sed *Digitios* prætermisit, nescius quid essent. Et qui verò sunt Digitii? placebat olim: *Digitorum sorores.* Atque ita in schedis Palatinis scriptum reperi. *Digiti* essent Δάκτυλοι Ἰδαῖοι. Nam sic eos Latini nominant. Arnobius lib. III. de laribus: *In diversis Nigidius scriptis modo tectorum domuumque Custodes, modo Curetas illos, qui occultasse perhibentur Iovis æribus aliquando vagitum, modo Digitos Samothracios, quos quinque indicant Græci Idæos Dactulos nuncupari.* Ita enim planè scriptum exhibet optimum exemplar Regiæ bibliothecæ, ubi vulgares habent libri. *Indigites Samothracios*, pro illis, *modo Digitos Samothracios.* Quo magis mirum ex tot commentatoribus, qui libro illo usi sunt, manibusque & oculis diu tractaverunt, neminem unum id animadvertisse. Sed & in fine ejusdem libri eosdem *Digitos* servarunt vetustissimæ membranæ, ubi *indigetes* substituerunt editiones: *aut si Curetas pro laribus invocaro, quos Digitos Samothracios pars vestrorum asseverat auctorum.* Apud Ciceronem quoque de Natura deorum *Digitos Idæos* scribi, non *Dactylos*, ex veteribus libris jam observarunt eruditissimi viri. Nec dubium, quin huic loco conveniant *Digiti Idæi*, quos & pro Laribus nonnulli veterum accepere. Verùm illud obstat, quod in omnibus vetustioribus ac melioribus libris *Digidiorum* legitur, non *Digitorum*: quidam etiam *Digitiorum*, ut ad oram Regii codicis adscriptum fuit. Præterea, quod maximè me movet, nunquam *Digiti* absolutè, sed semper *Digiti Idæi*, aut *Digiti Samothracii* appellantur. Sic *Mater Idæa*, aut *mater Deûm*, nunquam verò simpliciter *mater*. Igitur non vana me suspicio tenet scripsisse Solinum, deûm *Igidiorum sorores*: aut simpliciter, *igidiorum sorores*. Igidii pro *icidii* hoc est οἰκίδιοι. Sic *picile*, *mire*, *metici*, ποικίλη, μοῖραι, μέτοικοι. Lares Græci vocant θεοὺς οἰκιδίους, aut κατοικιδίους. Glossæ: *lares*, θεοὶ κατοικίδιοι. *Lares*, ἥρωες, κατοικίδιοι. Priscianus: *lar quando significat* κατοικίδιον θεόν, *facit laris in genitivo.* Glossæ: *penates.* Πατρῷοι θεοί, κατοικίδιοι. Glossæ nostræ manu scriptæ: θεοὶ οἰκίδιοι, *Dii penates.* Colloquia Græco Latina nondum edita; καὶ ἐκέλευσεν τὸν ἱερόν, κύρησι τε καὶ Κορύβασι τιμὴν ἔδωκεν, ἵνα θεοὶ κατοικίδιοι λέγωνται: *Curetibus autem & Corybantibus honorem dedit, ut Dii penates dicantur.* *Oecidios* autem voce Græca, τοὺς οἰκιδίους dixisse Solinum non mirandum est. Sic *coracem* infrà dixit pro corvo: & *diacecaumenen*, pro zona torrida. *Oecidii* igitur sunt lares familiares, quorum sorores juxta focos fortuitos Cæculum invenerunt. Servius Rex eodem, quo Cæculus modo, genitus fertur: Plinius lib. XXXVI. cap. ult. *Non prætéribo & unum foci exemplum Romanis literis clarum. Tarquinio Prisco regnante tradunt, repente in foco comparuisse genitale è cinere masculini sexus, eamque quæ insederat ibi Tanaquilis Reginæ ancillam, Ocrisiam captivam consurrexisse gravidam.* Addit Plinius, inde creditum Servium Laris familiaris esse filium. Servius de Cæculo, & Prænestina urbe: *ibi erant Pontifices & dii indigetes, sicut etiam Romæ: erant etiam duo fratres, qui divi appellabantur. Horum soror dum ad focum sederet, exiliens scintilla ejus uterum percussit: inde dicitur concepisse.* Divos fratres appellatos scribit Servius, quos οἰκιδίους hic vocat Solinus, hoc est Lares familiares. Nec quicquam mutandum in verbis Servii. Nam *divi* propriè, qui ex hominibus facti dii, quales erant Heroes, Penates, & Lares diique indigetes. Arnobius lib. I. *appellatis indigetes atque divos.* Hi erant, quos animales deos vocabant. Labeo apud Servium: *sunt quædam sacra, quibus humanæ animæ vertuntur in deos, qui appellantur animales, quod de animis fiant: hi autem sunt dii penates & viales.* Per viales intelligit lares. Festus: *Lares, animæ putabantur esse hominum redactæ in numerum Deorum.* Idem Arnobius de Laribus, qui gravidam Ocrisiam in foco fecerunt, unde natus rex Servius: *Corniculæ inde imperavisse captivæ, ut intelligeret & agnosceret, quid sibi res vellent: Ocrisiam prudentissimam fœminam divos inseruisse genitali; explicuisse motus certos.* Eosdem paulo ante *conserentes* nuncupavit: sic enim scribendum judicamus, non *conferentes*, ut vulgo hactenus lectum est: *sed & Deos conserentes pari more, ac dissimulatione taceamus, quos cum ceteris scribit Flaccus, in humani penis similitudinem versos obruisse se ciheri, qui sub ollula fuerat factus extorum.* Conserentes, à conserendo. Lucretius:

---- *genitalia conserit arva.*

Et *conserentes* ab effectu, nam conseruerunt alvum Ocrisiæ.

Arpos & Beneventum à Diomede.] De Arpis res nota. Ἄργος ἵππιον, deinde Ἀργυρίππα, postea, *Arpi.* Sed Æoles, pro Ἄργος dicebant Ἄρβος. Inde *Arpos* Latini pronuntiavere pro Argis. Æoles enim γ in β, & contra mutant. γλέφαρον pro βλέφαρον, γάλανος pro βάλανος, unde Latinum *glans*, πρεσγὺς pro πρεσβύς, φλίγω pro θλίβω, unde Latinum verbum *fligo.* *Arpi* igitur sunt *Argi.* Servius: *Non una est Argos: fuit enim & in Italia, quam Diomedes condidit: quæ primo Argi, post Argyrippa, post Arpi dicta est.* Arpi, ut diximus, pro Argi, quod Ætoli dicebant Ἄρβοι.

Et Beneventum.] Non erat Beneventum, cum à Diomede condita est, sed *Maleventum.* Plinius: *colonia Beneventum auspicatius mutato nomine, quæ quondam appellata Maleventum.* Sed nec Maleventum Græcam originem de specie ipsa ostendit. Quæ ratio Procopium induxit, ut Maleventum crederet dictam à malo vento, quo infestatur, utpote contra Dalmatiam in edito posita. Quod est ineptissimum. Sed deceptus est inflectione Latina qui *Maleventum* dixerunt, quod erat Græcè Μαλόεντος. Sic enim urbs illa vocabatur. Sic Ἄορνον, *Avernum*, inserto digamma Æolico, & mutato o in e. Stephanus: Βενεβεντὸς χωρίον Διομήδους ἐν Ἰταλίᾳ. Οἱ δ᾽ ὅτι κτίσμα Διομήδους ἦν καὶ Μαλόεντος ἐλέγετο. Abbreviator Festi: *Beneventum colonia quum deduceretur, appellari cœptum est melioris ominis causa. Namque eam urbem antea Græci incolentes* Μαλόεντον *appellarunt.* Ita enim ex vestigiis priscæ lectionis scribendum, quæ habet *Maleton*, aut *Malenton*, cum in editis pessimè legatur, Μαλοῖπον. Græca vox Μαλόεις ἀπὸ τῶν Μάλων Æolicè, hoc est μήλων, ob ovibus. Apuliam ovibus, & lana nobilem esse, quæ inde Apula dicebatur, satis notum est. Hinc Μαλόεις urbs illa, quam ibi condidit Diomedes ὁ Μαλόεις, τοῦ Μαλόεντος. Ætoli verò more suo, ὁ Μαλόεντος, τοῦ Μαλόεντου. Nam ex genitivo casu aliorum suum nominandi faciebant. Ut ὁ μάρτυρος τοῦ μαρτύρου, ὁ Μάκαρος τοῦ μακάρου. Apollo Μαλόεις colebatur in Lesbo insula, καὶ ὁ τόπος τοῦ ἱεροῦ Μαλόεις, ἀπὸ τοῦ Μήλου τῆς Μαντοῦς, inquit Stephanus ex Hellanico, immo potius ἀπὸ τῶν μήλων, quæ ibi immolabantur.

Metapontem a Pylis.] Ad oram vetutissimi codicis notatum alias legi, *Gyliis*, κτίσμα Πυλίων Metapontus. Vide Strabonem. Fragmentum historiæ Velleji hinc incipit: *Tempestate distractus à duce suo Nestore, Metapontum condidit.* Quæ verba de Epeo omnino intelligenda: nec enim accipi possunt de Metabo, licet ita etiam videatur Lipsio. Metabum, à quo Metapontum conditum est, Sisyphi filium, Æoli nepotem Stephanus ita vocatum à barbaris dicit, quum verum nomen ejus esset Μετάποντος. Τὸν γὰρ Μετάποντον οἱ βάρβαροι Μέταβον ἔλεγον. Quod an verum sit, addubito. Græci auctores Μέταβον cum passim appellant. Strabo lib. VI. τήν τε Μελανίππην, ὡς πρὸς τοῦτον, ἀλλὰ πρὸς Δῖον κομισθῆναι, ἐλέγχειν ἡρῷον τοῦ Μετάβου. Et paulo post: ὡς πρὸς ἐκεῖνον ἀχθεῖσαν τὴν Μελανίππην, ὡς πρὸς τὸν Μέταβον. Idem Stephanus in voce Καυλωνία Metabum nominat: cur non Metapontum, si ita vocandus? ἀπὸ γὰρ τῆς αὐλῶνος ὕστερον μετωνομάσθη Καυλωνία, ὡς ἀπὸ τοῦ Μετάβου, τὸ Μεταπόντιον. Immo vel hic locus apertè ostendit, Μέταβον verum illius Herois fuisse nomen, à quo per depravationem Μεταπόντιον urbs dicta est, quæ dici debuit Μεταβόντιον.

ταβόντιον: ut Καυλωνία; quam Αὐλωνίαν magis dictam oportuit, quia ἀπὸ τῆς αὐλῶνος. His accedit, quod Antiochus apud Strabonem urbem hanc Μέταβον primo nominatam fuisse asserit, postea παρονομασθῆναι Μεταπόντιον. A quibus παρονομάσθη, nisi à barbaris, qui Μεταπόντιον vocaverunt, quæ Μέταβος fuit à nomine conditoris appellata? Nam παρονομασθῆναι est à vero nomine deflecti. Servius: *Metabus nomen sumptum de historia: Metabus enim dux fuit Graci agminis, qui juxta Adriaticum mare urbem Metapontum condidit.* Adde, quod Μετάποντος, licet speciem Græci nominis habeat, non est Græcum, haud sanè magis quam Διάποντος, aut Περίποντος. Nulla enim propria nomina ad hunc modum facta. Διαπόντιος quidem, & μεταπόντιος Græca sunt, & transmarinum significant. Μέταβος nomen proprium ejus, qui condidit Metapontum; quod Μεταβόεις & Μεταβοῦς dicebatur prius, ut Ὀπόεις Ὀποῦς. Pro quo loci incolæ dixerunt Μεταποῦς Μεταποῦντος, ut Ὀποῦς Ὀποῦντος. Inde *Metapontus*. Τὸ ἐθνικὸν Μεταπόντιοι, ut Ὀπόντιοι, unde Μεταπόντιον. Quod Græci, ut Græcam sic magis formam haberet, dixerunt Μεταπόντιον, pro Μεταποέντιον. Sic Ταυρόεις, & Ταυροέντιον idem. Et notandum est Græcos scriptores nunquam aliter hujus urbis nomen enuntiare solitos. Nam, ut dixi, Μετάποντος, aut Μετάποντον Græcum non est. At Latini *Metapontum* vocant τὸν Μεταποῦντα: ut *Hydruntum*, τὸν Ὑδροῦντα, *Opuntum*, τὸν Ὀποῦντα: Buxentum τὸν Πυξοῦντα. Μέταβος Græcum ab antiquo verbo μεταβῶ, quod est μεταβαίνω: unde μεταβῶν, μετάγων Hesychio. Sed hæc alias pluribus.

Pag. 10. A. *Scyllaceum ab Atheniensibus*] Melius cum unico l, *Scylaceum*, à quo infra *Scylacea regio*. Græci Σκυλάκειον. Strabo: μετὰ δὲ ταύτην, Σκυλλήτιον ἄποικος Ἀθηναίων τῶν μετὰ Μενεσθέως, νῦν δὲ Σκυλάκιον καλεῖται. Lege: Σκυλάκειον. Virgilius:

> *Caulonisque arces, & navifragum Scylaceum.*

Ita scribendum, non *Scylacæum*. Nec enim Σκυλάκαιον, sed Σκυλάκειον est. Servius ad eum locum: *alii ab Atheniensibus, qui cum Menestheo duce venerant, & à Libya redierant conditum tradunt.* De hoc Scylacio Vellejus: *Fabrateria deducta est ab hinc annos fermè centum quinquaginta, & post annum Scylacium, Minervium, Tarentum.*

Sybarim à Trœzeniis, & à Sagari Ajacis Locri filio] Achæi cum Trœzeniis Sybarim condidere. Aristoteles lib. v. de Rep. Τροιζηνίοις Ἀχαιοὶ συνῴκισαν Σύβαριν. Εἶτα πλείους Ἀχαιοὶ γενόμενοι ἐξέβαλον τοὺς Τροιζηνίους. Ὅθεν τὸ ἄγος συνέβη τοῖς Συβαρίταις. De Sagari Ajacis Locri filio nihil legi. Sagaris quidem nomen proprium Græcum in antiquis Inscriptionibus occurrit, & in illo versu Martialis:

> *Possum te Sagarim jure vocare meo.*

Quem alibi explicamus. Ἰσελικοὺς Straboni Sybaridis οἰκιστής.

Sallentinos à Lyctiis] Sic correximus corruptam omnium librorum scripturam, *Sallentinos Sallectiis, aut Sallictus.* Conjiciebat Delrius, *à Salesiis*: quia Stephano Σαλήσιοι gens Pæonum. Sed quis Delrio auctor est, Salesios illos Pæonas condidisse Sallentinos? De Lyctiis auctorem habemus Poëtam, cujus hæc sunt lib. III.

> *Et Sallentinos obsedit milite campos*
> *Lyctius Idomeneus.*

Strabo: τοὺς δὲ Σαλεντίνους, Κρητῶν ἀποίκους φασίν. Lyctus autem urbs Cretæ, ut omnes norunt. Vulgatæ editiones: *à Lyciis.* Quod vero proximum erat.

Gabios à Galatio, & Bio Siculis fratribus] Ex duobus optimis Codicibus Regiis, alter *Galato* legit, alter *Galito*. Eadem differentia in aliis. Non dubitem quin verius sit, *Galato*. Nam *Galitus* corruptè pro *Galatus*: nisi sit eodem planè modo, quo *Catinam* dicebant, quæ Græcis Κατάνη, & similia sexcenta. Γάλατος proprium nomen Siculum. Unde & Γαλάτεια Nymphæ nomen celeberrimæ. Γάλατος propriè album significat, à voce γάλα. Inde & Γαλάτας Græci vocaverunt Gallos à lacteo candore: ut contra Μαύρους & Αἴθυας à nigrore. Nam ut γαλάτης, & γάλατος candidum significat; ita λίβυς & μαυρὸς nigrum. Plures autem ex nostris, & fideliores codices etiam heîc legunt, *& Byo*, non *Bio*. Nec Bius, nec Byus Græca sunt in propriis nominibus: & *Byus* heîc scriptum est pro *Boëus*, hoc est, Βοῖος. Sic *Tryzeniis* supra idem libri habebant pro *Trœzeniis.* Sic *meiyci* apud Frontinum pro *metœcis.* Ut contra τὸν γῦρον scribebant *gœrum:* τὸν κύβον, *cœbum.* Βοῖος nomen proprium, ut Κοῖος: à quo diminutivum Βοΐσκος, ut Κοΐσκος, nomina etiam propria. Βοῖος etiam Βοιωτὸς τετράγωνον. Sic ἀναγράφεται stadiodromus, qui centesima sexagesima quarta Olympiade vicit in stadio, Βοιωτὸς Σικυώνιος. Βοιωτὸς etiam Itoni filius, Amphictyonis nepos, à quo Bœoti populi dicti; vel, ut alii volunt, Arnes & Neptuni. Βοῖον quoque urbs Dorica: & Βοιαὶ urbs in Creta insula. Βοῖος itaque nomen proprium, qui heîc *Byus*. Nam, ut dixi, nec Βίος, nec Βύος pro nominibus propria Græca habentur.

Insulam Tensam ab Ionibus] Multum circumvehatur auctores Geographiæ oportet, qui Tensam insulam reperire volet: sed ne ulla quidem circumvectione eam repertur est, quæ fuit nusquam, cujusque meminit nemo. *Temsa* urbs Italiæ, quæ Græcis auctoribus Τεμέση. Plinius: *oppidum Temsa, à Gracis Temese dictum.* Ab Ausonibus primo conditum, post & Ætolis, quos ejecerunt Bruttii. Strabo: ἀπὸ γὰρ Λάου πρώτη πόλις ἐστὶ τῆς Βρεττίας Τεμέση, Τέμψαν δὲ οἱ νῦν καλοῦσιν, Αὐσόνων κτίσμα, ὕστερον δὲ καὶ Αἰτωλῶν. Lycophron:

> Τοῦ κρατοβρῶτος παιδὸς ἀτρέστου κάπρου
> Τῶν Ναυβολείων τ' εἰς Τέμεσαν ἐκγόνων
> Ναῦται καταβλώξουσιν.

Idem dicit quod Strabo: Ætolos cum Phocensibus Temesen condidisse. Solinus *ab Ionibus* dicit. An scribendum, *ab Ausonibus*? Ita Strabo. Profecto hanc Temesen, seu Tempsam necesse est heîc intelligi. *Tensa* autem pro *Tempsa*: ut *tentare* & *temptare* idem. Qui præter urbem istam, vel in Italia, vel circa Italiam quæret insulam Temsam, is frustrà quæret. Bruttii peninsulam incolebant. Strabo: ὑπὲρ δὲ τούτων, Βρέττιοι χερρόνησον οἰκοῦντες. Horum urbs Temsa, in littore. Hinc fortasse insulam eam vocaverit. Quomodocunque sit, certe erravit.

Pæstum à Dorensibus] Græcis Ποσειδωνία, quæ Latinis *Pæstum.* Et qui his Pæstanus sinus, illis Ποσειδωνιάτης. Nec tamen diversa sunt nomina Ποσειδωνία & *Pæstum*: sed Latinum nomen ex Græco corruptum. Ποσείδειον & Ποσειδώνιον idem. Ex Ποσείδειον, per contractionem factum *Pestum.* Pæstum à Sybaritis conditum scribit Marcianus Heracleota:

> Προσεχεῖς δὲ τούτοις εἰσὶ πάλιν Οἰνωτρέοι
> Μέχρι τῆς Ποσειδωνιάδος ὠνομασμένης
> Ἣν φασι Συβαρίτας ἀποικίσαι ποτέ.

Ita legendum in Marciano. Vide Strabonem. Ipsi autem Sybaritæ Achæorum coloni.

Myscello Achæo Crotonam] Marcianus:

> Ἑξῆς τε ταύτης ἡ πρὶν εὐτυχεστάτη
> Εὐανδροτάτη πόλις τε γενομένη Κρότων,
> Μύσκελλος Ἀχαιὸς ἣν ἀποικίσαι δοκεῖ.

Cauloniam & Terinam à Crotoniensibus] Idem Marcianus:

> Ἔχεται δὲ τούτων πρῶτα μὲν Καυλωνία,
> Ἐκ τοῦ Κρότωνος ἥτις ἔσχ' ἀποικίαν,
> Ἀπὸ τοῦ συνεγγὺς κειμένου τε τῇ πόλει
> Αὐλῶνος αὐτὸ τοὔνομ' ἔχουσ', εἰς ὕστερον
> Μετωνομάσθη τῷ χρόνῳ Καυλωνία.

Ita legendi hi versus apud Marcianum, qui vulgo plus quam uno loco corrupti. De Terina habetur apud eundem his versibus, quos & corrigemus:

> Ἑλληνικὰς δ' ἐν παραθαλαττίους ἔχει
> Πόλεις, Τέριναν πρῶτον, ἣν ἀπῴκισαν
> Κροτωνιᾶται πρότερον, αἷς τὰς πλησίον
> Ἱππώνιον καὶ Μέδμαν ᾤκισαν Λοκροί.

Μέδμα Stephano. Straboni Μέδαμα, cujus locus obiter emendandus lib. VI. ἐν δὲ τῷ μεταξὺ τούτῳ Μέδαμα πόλις Λοκρῶν τῶν αὐτῶν, ὁμώνυμος κρήνῃ μεγάλῃ, πλησίον ἔχουσα ἐπίνειον καλούμενον Ἐμπόριον, vel, quod etiam verius: ὁμώνυμος κρήνῃ, ἡ μέγαλον πλησίον ἔχουσα ἐπίνειον, καλούμενον Ἐμπόριον.

A Naryciis Locros] Ineptè. Quasi inter generalem Locrorum distinctionem, ulli Narycii sint Locri. In Græcia erant Locri Ozolæ, Opuntii, & Epicnemidii.

Ozolæ

Ozolæ vocabantur etiam Heſperii. Ita Strabo, Epicnemidios ab Opuntiis diſtinguens. Alibi tamen Ὀποῦντα facit τῶν Ἐπικνημιδίων metropolim. Nec aliter Plinius, qui Opuntios, & Epicnemidios Locros eoſdem facit. Præter hos Græciæ Locros in Italia fuere Epizephyrii à Zephyrio promontorio, quos ἀποίκους conſtat fuiſſe τῶν in Græcia Λοκρῶν. Alii ab Opuntiis, alii ab Ozolis originem habuiſſe tradiderunt. Virgilius Narycios vocans ab Opuntiis eos deducit. Sic enim de Locris Italicis ait:

Heîc & Narycii poſuerunt mœnia Locri.

Et poëticè quidem Narycios vocat τοὺς Ὀπουντίους à Naryce urbe Opuntiorum: quinimmo Opuntem quidam Νάρυκα olim dictam fuiſſe produnt. Servius: *alii Narycios Opuntios eoſdem, & Epicnemidios dicunt: namque prius Naryx, Opuns poſtea dicta, eadem & Epicnemidia vocatur.* Falſum tamen Narycem, & Opuntem eaſdem fuiſſe. Νάρυξ patria fuit Ajacis Locri, quæ Opuntiis imperavit. Stephanus: Νάρυξ πόλις Λοκρίδος, τινὲς δὲ Νάρυκον τὴν πόλιν φασίν, ἐξ ἧς Αἴας. Ita legendum in Stephano. Strabo lib. IX. de Patroclo, qui Opuntius fuit oriundo: οὐ μὴν ἐβασίλευε γὰρ ἐκεῖνος τῶν Ὀπουντίων, ἀλλ' Αἴας ὁ Λοκρὸς, πατρίδος ὢν, ὥς φασι, Ναρύκου. Ita ſcribimus. Perperam vulgo ſcribitur: ὥς φασιν Ἀρύκου. Corrigendus ſimiliter in hujus urbis nomine Diodorus lib. XIV. καταστρατοπεδεύοντος δὲ αὐτοῦ εἰς Νάρυκα τῆς Λοκρίδος, ἐξ ἧς φασὶ τὸν Αἴαντα γεγενῆσθαι. Vitioſe editur: εἰς Ἄρυκας. Νάρυξ, & Ναρύκη, & Νάρυκος. Ab iſta igitur urbe, quæ patria fuit Ajacis Opuntiorum Locrorum Ducis, *Narycios Locros*, τοὺς Ὀπουντίους poëticè vocavit Virgilius. *Narycius Ajax* Ovidio dicitur. At Solinus, qui poëtice non ſcribit, ſed hiſtoricè, *Opuntios* dicere debuit pro *Naryciis*. Nemo enim Græcorum Locrenſes, qui in Italia ſunt, oriundos à Naryciis dixit, ſed aut ab Ozolis, aut Opuntiis. Martianus Heracleotes:

---- οἱ δὲ λεγόμενοι
Ἐπιζεφύριοι πλησίον κεῖνται Λοκροὶ
Εἰσὶν δ' ἄποικοι τῶν Ὀπουντίων Λοκρῶν.
Ἔνιοι δὲ Λοκρῶν φασὶ τῶν ἐν Ὀζόλαις.

Ephorus ab Opuntiis, quem ſequitur Virgilius, reprehendit Strabo. Epizephirii dicti Italici Locrenſes à promontorio Italiæ Zephyrio, ἔχοντι, ut ait Strabo, τοῖς ἑσπερίοις ἀνέμοις λιμένα. Cum hæc ita ſint, mirum eſt, quod tradit Servius, Epizephyrios & Ozolas ſocios Ajacis Oïlei fuiſſe: *ſed poſt tempeſtatem*, inquit, *Споharei montis, Epizephyrii tenuerunt Bruttios, Ozolæ vero Pentapolim.* Quaſi nimirum hoc nomen ex Græcia in Italiam attulerint Epizephyrii, aut quaſi ulli in Græcia Epizephyrii Locri. Ita certè ipſum ſenſiſſe clarius ex his, quæ ſequuntur, eluceſcit: *Eſt enim Cnemis promontorium, in quo Opuntii Locri poſiti ſunt, à quibus originem trahunt, qui in Italia ſunt, & appellantur Epizephyrii, quod Zephyrium promontorium vocatur à Græcis, in quo ſunt conditi Locri, qui in Græcia ſunt. Hi vero, qui juxta Delphos, Ozolæ nuncupantur.* Eadem videtur fuiſſe Stephani ſententia: Λοκρῶν μοῖραι τρεῖς εἰσὶν, Ἐπικνημίδιοι, Ἐπιζεφύριοι οἱ καὶ Ὀπούντιοι, ὧν ἦν Αἴας οἱ δὲ Ὀζόλαι. Vult nimirum Epizephyrios in Græcia Locros eoſdem cum Opuntiis fuiſſe. Hinc Servius ſocios eos Ajacis vocat, qui dux fuit Opuntiorum. Atqui nulli in Græcia Epizephyrii Locri, nullum promontorium Zephyrium, ſed in Italia. Quod aliquandiu tenuere Locri, vel Opuntii, vel Ozolæ, poſtquam in Italiam acceſſerunt: indeque ſunt nominati Epizephyrii. Videre tamen videor, quid eos in hunc errorem induxerit. In Græcia ἑσπέριοι Λοκροὶ dicti ſunt Parnaſſi montis accolæ ex parte occidentali. Hinc *Epizephyrios* eos etiam appellatos interpretati ſunt, quia Zephyrus ἐκ τοῦ ἑσπερίου μέρους flat. Nam & inde quoque Ζεφυρίου promontorium Italiæ nuncupatum eſt, quod portum haberet, τοῖς ἑσπερίοις ἀνέμοις obverſum. Atqui non Opuntii Locri Heſperii vocati ſunt, ſed Ozolæ: Nec illi Heſperii ἐπιζεφύριοι unquam à Græcis nominati ſunt, ſed illi tantum, qui promontorium Italiæ inſederunt, Ζεφύριον. *Naryciam* autem vocat Ovidius Locrenſium Italicorum terram, quod à Naryciis Locris:

---- *Caulonaque, Naryciamque.*

Nam Locri Cauloniæ vicini. Mela:

Cauloniam Locroſque circumdat.

Martianus:

---- πλησίον κεῖνται Λοκροί.
Ἔχεται δὲ τούτων πρώτη μὲν Καυλωνία.

Refert Servius ex Tacito Naſamones à Naryciis oriundos eſſe, quod excuſaverit Solinum, ſi modo Tacitus ſic loquutus eſt, & non ipſe Servius ex Virgilio. Nam, ut dixi, poetica prorſus loquutio eſt, Narycios pro Opuntiis Locris dicêre, quum Opus metropolis fuerit Opuntiorum, non Naryx.

Heretum à Græcis in honorem Heræ.] Servius ad illud Poëtæ:

Hereti manus omnis ---

Oppidum eſt dictum à Junone, id eſt Ἥρας, *quæ illic colitur.* Ἥρητος Stephano.

Aritiam ab Archilocho Siculo, unde & nomen.] Scribe, *Ariciam*. Nam ita Græci, Ἀρίκειαν. Unde *Aricinum nemus*, & *Aricina Diana*. Sed quomodo Ariciæ nomen ab Archilocho deductum ſit, quod Heminæ placebat, non video. An primo *Archilochia*, poſtea contractione dicta *Arichia*, & *Aricia?* Quis ille præterea Archilochus Siculus? Archias quidam legitur Syracuſarum conditor. Quid ſi ab illo Archia conditam Ariciam voluit Caſſius? Nomen certè magis co alludit, ut ab Archia Aricia, quam ab Archilocho ſit appellata. Hic Myſcellum etiam in condenda Crotona adjuvit, & Achæus fuit, non Siculus.

Simulacrum Scythicæ Dianæ, quod de Taurica extulerat.] Strabo: τὸ δ' Ἀρτεμίσιον, ὃ καλοῦσι Νέμος, ἐκ τοῦ ἐν ἀριστερᾷ μέρους τῆς ὁδοῦ τῆς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαινούσης. Τῆς δ' Ἀρικίνης τὸ ἱερόν. Λέγουσι δ' εἶναι ἀφίδρυμα τῆς Ταυροπόλου. Ita diſtinximus, ac emendavimus inſignem magni ſcriptoris locum, vulgo ab interpunctione & lectione corruptiſſimum. Τὸ Ἀρτεμίσιον, ut vel pueri ſciunt Cercoëtiani, templum eſt Dianæ, ut Ἀσκληπιεῖον, Æſculapii: Ἰσίειον, Iſidis templum. Non igitur Ἀρτεμίσιον νέμος, junctim legendum eſt: nec Latinè vertendum erat, *Dianæ quod vocant nemus*. Etſi enim antiquiſſimi Græci voce νέμος uſi ſunt in eadem notione, qua Latini *nemus*: non tamen putandum eſt Straboni antiquum & obſoletum hoc verbum uſurpatum fuiſſe pro vulgato ἄλσος. Sic igitur diſtinguendum fuerat, ut nos poſuimus: τὸ δ' Ἀρτεμίσιον, ὃ καλοῦσι Νέμος: *templum vero Dianæ, quod vocant Nemus*. Latini ſcilicet Aricinæ Dianæ templum ita propriè vocabant, *Nemus*: unde & ipſa Diana *Nemorenſis* indigetabatur: & ſacerdos ejus *rex Nemorenſis* dicebatur, ut eſt apud Suetonium. Plinius lib. XXXV. cap. VII. *Pingi autem gladiatoria, atque in publico exponi cœpta à C. Terentio Lucano. Is mortuo avo ſuo, à quo adoptatus fuerat, triginta paria in foro per triduum dedit, tabulamque pictam in Nemore Dianæ poſuit* id eſt, ἐν τῷ Ἀρτεμισίῳ, quod *Nemus* vocabatur. Vitruvius lib. IV. cap. VII. *item generibus aliis conſtituuntur ædes, ex iiſdem ſymmetriis ordinatæ, & alio genere diſpoſitiones habentes, uti eſt Caſtoris in Circo Flaminio, & inter duos Lucos Vejovis: item argutius in Nemore Dianæ, columnis adjectis dextra ac ſiniſtra ad humeros pronai.* Ex his locis conſtat *Nemus* propriè vocatum fuiſſe templum illud Dianæ Aricinæ, quod in nemoribus poſitum eſſet. Ovidius:

Ecce ſuburbanæ templum Nemorenſe Dianæ.

De eodem loquitur. Silius Italicus lib. VIII. *Quique immite Nemus Triviæ.* Strabo autem explicat, quod ſit illud Ἀρτεμίσιον, vocatum Nemus. Τῆς δ' Ἀρικίνης, inquit, τὸ ἱερόν. Vulgo ſcriptum eſt: τῆς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσιν, εἰς τὴν δ' Ἀρικίνην τὸ ἱερόν. Nec meliorem reponit vir doctiſſimus, qui emendat, τοῖς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσι εἰς τὸ τῆς Ἀρικίνης ἱερόν. Quæ lectio diverſa facit τὸ Ἀρτεμίσιον, & τὸ τῆς Ἀρικίνης ἱερὸν, quæ eadem ſunt. Nam τὸ ἱερὸν τῆς Ἀρικίνης eſt templum Dianæ, quod Græcis Ἀρτεμίσιον dicitur; Latini vero *Nemus* propriè vocabant à nemore, in quo erat ſitum. Perperam etiam in Strabone legitur, λέγουσι δ' εἶναι ἀφιδρύματα τῆς Ταυροπόλου, cum legendum ſit ἀφίδρυμα; nam unicum erat. Ἀφίδρυμα τῆς Ταυροπόλου eſt, ut heîc Solinus vocat, *ſimulacrum Scythicæ Dianæ*.

Pag. 10. B. *A Locrenſibus Metapontum, quod nunc Vibo dicitur.*] Metaponti jam ſuprà meminit à Pyliis conditi: ecquod iſtud alterum Metapontum? Sic tamen omnes libri. Ad oram Regii codicis adnotavit anti-

antiquarius alias scribi, *hypontum*. Ex qua vitiosa scriptura non mihi dubium est, quin correctores vulgatam lectionem omnium librorum effinxerint. At minima mutatione corrigendum fuerat, *Hipponium*, ex *hypontum*. Urbs Bruttiorum fuit, quam Græci Ἱππώνιον, Latini *Vibonem Valentiam* dixere, colonia deducta. Ab ea Vibonensis sinus, quem Græci scriptores vocant Ἱππωνιάτην. Hæc à Locrensibus condita. Martianus:

Ἱππώνιον καὶ Μέδμαν ἔκτισαν Λοκροί.

Videtur etiam Græcis dicta Ἱππὼν, unde vox Latina *Vibo*. Nam præposito digamma, & Π mutato in Β, ut πύξος, *buxus*, & Πύῤῥος, *burrus*, sic ἱππὼν *Vibbo*, & quia consonantes non geminabant, *Vibo*. Mela: *Hippo, nunc Vibo*. Græci tamen nunquam Ἱππῶνα vocant hanc urbem, semper Ἱππώνιον. Ut contrà duas urbes, quæ in Africa sunt hoc nomine, cognomento vero Regii & Diarrhyti distincta: nunquam Ἱππώνια, semper Ἱππῶνας. Falluntur autem, qui putant hoc Ἱππώνιον Bruttiorum, Vibonem à Romanis vocatum fuisse, tunc cum illud oppidum in potestatem suam redegerunt, & coloniam fecerunt: *Vibonem* semper appellarunt, quod Græci Ἱππώνιον. Et quis enim nescit in Græcarum urbium nominibus concipiendis similes, & majores παραφθορὰς commisisse Romanos. *Buxentum* appellarunt, qui Græcis Πυξοῦς. *Pæstum*, qui Ποσίδειον. *Sipuntum*, qui Σηπιοῦς. *Tarentum* qui Τάρας: *Maleventum* qui Μαλόεντος. Sic *Vibonem* vocitarunt, qui Græcis, Ἱππὼν, aut Ἱππώνιον. Non rectè igitur Solinus, qui scribit: *a Locrensibus Hipponium, quod nunc Vibo dicitur*. Nam semper Latinis dictus Vibo, qui Græcis Ἱππών. Ut Vesper semper iisdem, qui Græcis ἕσπερος: & *vinum*, οἶνος. Parum cautè etiam Mela: *Hippo, nunc Vibo*. At melius, ac prudentius Plinius. *Hippo*, inquit, *quod nunc Vibonem Valentiam appellamus*. Vibonem Romani, quum Bruttiis eripuissent, colonia deducta, nominarunt *Valentiam*. De ista Valentia intelligit Vellejus lib. I. *Proximo anno Torquato Sempronioque Consulibus Brundusium, & post triennium Spoletium: postque biennium deducta Valentia.* Quæ, ut distingueretur ab aliis coloniis hoc nomine, quas plures deduxerunt Romani, nam & *Valentia* in Hispania citeriore colonia, hanc cum prisco suo nomine appellarunt *Vibonem Valentiam*. Stephanus: Ἱππώνιον πόλις Βρεττίων ἀπὸ ἥρωος, ἣ μετωνομάσθη ὑπὸ Ῥωμαίων Οὐιβωβαλεντία. Ita scribendum ex antiquo codice: nam male Xylander edidit, Οὐίβων καὶ Οὐαλεντία. Strabo: Βρεττίους δὲ κατέχοντας ἀφείλοντο Ῥωμαῖοι, καὶ μετωνόμασαν Οὐιβῶνα Οὐαλεντίαν.

Gallorum veterum propaginem Umbros esse.] Servius ad XII. Æneid. *Umbria pars Tusciæ est. Sane Umbros Gallorum veterum propaginem esse Marcus Antonius refert: hos eosdem, quod tempore aquosæ cladis imbribus superfuerunt, Ombros cognominatos.* Quæ hinc sumpta liquet, & simul licet videre negligentiam veterum Grammaticorum in citandis auctorum locis. Nam duas diversas opiniones uni M. Antonio tribuit, quum Bocchum nominet Solinus, qui alterius auctor fuerit. Præterea, ubi Servius habet, *Umbrios cognominatos*, rectius heîc apud Solinum est, *Umbrios Græce nominatos*. Ita enim libri. Vulgo edunt Ὄμβριοι, Græci nec ὄμβροις, nec Ὄμβρους vocant, sed Ὀμβρικούς. Scylax Caryandenus: μετὰ δὲ Δαυνίτας ἔθνος ἐστὶν Ὀμβρικοί. Ita semper Strabo. Non rectè igitur corrigebat Scaliger apud Martianum, ut versum integraret,

Μεσαίτατον δ' οἰκοῦσιν Ὀμβρικοὶ λεώ.

Nam Ὀμβρικοὶ absolute Græcis dicuntur Umbri. Melius scriberetur:

Μεσαίτατον δ' οἰκοῦσιν Οὐμβρικοὶ πέδον.

Stephanus: Ὀμβρικοὶ ἔθνος Ἰταλικὸν περὶ τὸν Ἀδριακὸν κόλπον. Λέγονται Οὔμβροι παρὰ τοῖς Ἰταλικοῖς συγγραφεῦσι.

Par sententia est inter auctores] Hæc habentur in vetustissimo Regio. In aliis plerisque desunt. Qui hæc non habent, verba ista agnoscunt, quæ sequuntur: *perspicuè inter omnes convenit*, quæ in Regio desiderantur. Ex duabus editionibus hæc differentia, quarum una sic habuit: *Par sententia est inter auctores, à gubernatore Æneæ appellatum Palinurum, a tubicine Misenum, a consobrina Leucosiam insulam, a nutrice Cajetam, ab uxore Lavinium.* Altera vero sic: *inter omnes promiscue convenit, à gubernatore Æneæ appellatum Palinurum, &c.* Quod in aliis infinitis locis factum, utraque lectio in vulgarias

A editiones recepta est, cum alterutra esset admittenda. Nos scripturam optimi Regii codicis sequi maluimus. Si quis alteram præfert, per me licet, dum modo legat, *inter omnes promiscuè convenit*. Sic enim meliores libri, non *perspicuè*.

A consobrina Leucosiam insulam] Ita reposuimus, quod ita haberent omnes editiones antiquæ, & omnes libri scripti. Delrius contra Camertem velitatur legendum potius esse *Leucasiam*. Atque ita dictum factum, rescripsit in sua editione. Quare? quia sic Dionysius eam nominat. Numquid aliud? Quia, inquit, in manuscripto meo reperi, *Leocatiam*. Quid si ego in meis legi, *Leo-*

B *cotiam*. Ita sane fuit in utroque Regio, schedis Palatinis, libris Danielis, & Petaviano, quem vidit v. c. Josias Mercerus. Ad oram Regii adscriptum: *vel Leucosia*. Quæ vera est scriptura. Festus: *Lectosia insula dicta a consobrina Æneæ ibidem sepulta.* Omnio ibi *Lectosia* pro *Leucosia* scriptum. Non disputabimus testimoniis, illud in dubium revocari non potest, quin ex tribus Sirenibus uni *Leucosia* nomen fuerit, ea Λευκωσία à Græcis vocatur, non Λευκασία. Ita enim Aristoteles, Strabo, Stephanus, Tzetzes, omnes denique, eam nominarunt, non Λευκασίαν. Lycophron:

C Ἀκτὴν δὲ τὴν προὔχουσαν εἰς Ἐνίπεως
Λευκωσία ῥιφεῖσα τὴν ἐπώνυμον
Πέτραν ὀχήσει.

Ibi & Leucosiam insulam, & Leucosiam Sirena apertè nominat. Nec Λευκασία in illo versu locum habere potest, secunda brevi. Cum igitur ab illa Sirene sic nominata, insulæ nomen datam plures auctores sint, *Leucosiam* insulam esse dicendam, non *Leucasiam*, satis inde constare potest. Nec enim duæ sunt diversæ insulæ *Leucasia* & *Leucosia*, quarum illa ab Æneæ consobrina, hæc ab una Sirenum nomen sortita sit. Sed eamdem insulam, unamque Leucosiam alii ab Æneæ

D consobrina ibi sepulta, alii à Sirene Leucosia in illud littus ejecta dictam scripsere. Strabo lib. VI. ἐντεῦθεν ἐκπλέοντι τὸν πόντον, νῆσος Λευκωσία μικρὸν ἔχουσα πρὸς τὴν ἤπειρον διάπλουν, ἐπώνυμος μιᾶς τῶν Σειρήνων ἐκπεσούσης δεῦρο. At sicubi Strabo Λευκασίαν vocat, ut lib. II. quem locum citat Delrius, id vitio librariorum accidisse certum est. Idem error etiam irrepsit in libris Dionysii, ubi Λευκασία pro Λευκωσία scribitur. Idem Delrius corrigit apud Silium lib. VIII.

---- *nunc sese ostendere miles*
Leucasiæ è populis.

Peccat dupliciter, & quod *Leucasiæ* reponit pro *Leuco-*

E *siæ*, & quod *è populis* rescribit, pro *è scopulis*. Scopulosam fuisse Leucosiam vel unus testimonio potest esse Lycophron, qui πέτραν Λευκωσίαν appellat. At *Leucosiam* licentia poëtica cum secunda brevi posuit Italicus, quasi Λευκοσία Græcè scriberetur, non Λευκωσία. Sic primam in σώρακος breviavit Horatius. Λευκωσία postremo Græcum est, non Λευκασία. Λευκῶσαι est albare, unde λεύκωσις, & Λευκωσία proprium nomen: λεύκωμα, *album*.

Pag. 10. C. *Ab uxore Lavinium*] Ita scripti. Vulgo: *ab uxore Lavinia Lavinium esse nuncupatum*. Quæ lacinia addita à correctoribus. Stephanus: Λαουίνιον, μητρόπολις

F τῶν Λατίνων. Editur vulgo: Λαουΐνιον.

Simulacrum, quod secum ex Sicilia advexerat, dedicat Veneri matri] Ecquod istud simulacrum fuit, aut cujus dei, quod ex Sicilia advectum Æneas in agro Laurente Veneri matri dedicavit? Hominum quidem simulacra solebant alicui numini consecrari. Quem morem jam docti observarunt. At numinis alicujus simulacrum non legimus alii numini solitum dedicari. Nullius autem numinis, aut hominis ex Sicilia in Italiam simulacrum advexit Æneas, quam Veneris ipsius. Legendum igitur hoc loco: *ubi dum simulacrum, quod secum ex Sicilia advexerat, dedicat Veneris matris.* Veneris

G matris simulacrum, quod secum ex Sicilia advexerat, in agro Laurente dedicavit. Hæc indubitanter vera est lectio. Cognomentum illius Veneris *Frutim* dicit fuisse Solinus: *Veneris matris, quæ Frutis dicitur.* Ita enim plerique, & antiquissimi libri. Sed unde *Frutis* Venus in Sicilia, aut quare sic dicta? Nomen Græcum oportet hoc fuisse, quando hoc nomine colebatur in Sicilia Venus. Putabat Scaliger, *Frutis* detortum

tum esse ex Ἀφροδίτη. Hoc non procederet. *Venus* Latinis dicitur, quam Græci Ἀφροδίτην vocant; *Frutis* etiamest Ἀφροδίτη. Sic Venerem cognomento Venerem dedicasset Æneas ex Sicilia secum advectam. Quod absurdum est. Cognomina dii sortiuntur, aut ab ἐθνικοῖς locorum, in quibus coluntur, ut Venus Gnidia, Paphia, Idalia, Zephyritis, Colias: aut ab attributo rei alicujus. Ut Venus viscata, Verticordia, Placida, Lubentina, victrix, & similia. Ita *Venus Frutis*, aut à loco dici debuit, aut ab aliqua re hoc epitheton habuit. Cum dicat ex Sicilia advectam ab Ænea, & in Italia dedicatam, non potest hoc cognomen Latinum esse. Veneris *Frutis* meminit abbreviator Festi in his verbis: *Frutinal, templum Veneris Fruti.* Eadem est, ajunt, quæ apud Solinum *Frutis* dicitur. Id si concedamus, tum illud erit etiam concedendum, in Sicilia cultam fuisse hoc nomine Venerem, quandoquidem inde eam secum adportasse Æneam tradit Solinus. Augustinus ejusdem meminit lib. IV. cap. XXI. de civitate Dei, & *Fruti Sejam* vocat. Verba Augustini ponamus: *Diis agrestibus supplicant, ut uberrimos fructus capiant, & ipsi maximæ divæ Fruti Sejæ.* Ibi *Frutis Seja* vocatur, non *Frutis Venus*, & quod notandum, inter agrestes, & fructibus præsidentes deas numeratur. Hoc si verum est, tum à fruendo dicta fuerit *Frutis*, unde & *fruges*, & *frumenta*, & *fructus* appellata videntur. Sed non diffitebor locum illum Divi Augustini suspectum mihi falsi videri: cum unam deam nominat, cui præcipuè pagani supplicabant, ut uberrimos fructus caperent, cur duarum nomina ibi in unum confusa leguntur, Frutis & Sejæ? Nam & *Seja* dicebatur dea, quæ sationi præerat. Scripti codices Augustini, quos in Germania olim vidimus, habebant: *atque ipsi maximè Divæ frutes seæ.* In aliis erat: *frutiseæ.* Scripsisse Augustinum opinior: *atque ipsi maximè Divæ frugis, Sejæ.* Seam vel Sejam vocat deam frugis, cui maximè Agricolæ supplicabant, ut ubertatem fructuum secundaret. Hanc idem D. Augustinus ex Varrone dicit alibi segetibus præpositam fuisse, quamdiu sub terra essent. Plinius à serendo Sejam dictam autumant. Hinc illi divæ præcipuum cultum exhibebant agricolæ. Nulla igitur *Dea Frutis* apud Augustinum, quo unico argumento, etsi haud satis idoneo, *Venerem Frutim* defendunt. An Venus sic cognominata sit, eaque præsertim, quam ex Sicilia attulit, ac dedicavit Æneas, merito possit ambigi. Cum pura puta hæc vox sit Latina, quis Venerem credat isthoc nomine appellatam, cultamque in Sicilia? *Erycina* Venus in Sicilia dicebatur, & colebatur, quæ in monte Siciliæ Eryce templum habuit. Stephanus: Ἔρυξ πόλις Σικελίας, ἀπὸ Ἔρυκος τοῦ Ἀφροδίτης, καὶ Βύτου. Τὸ ἐθνικὸν Ἐρυκῖνος. Καὶ Ἐρυκίνη Ἀφροδίτη ἐν Ῥώμῃ, καὶ Σικελίᾳ. Hujus *Veneris Erycinæ* templa, & ædes Romæ fuere, & *Erucinam* vocabant, ut *Erucum* pro Eryce. Cogitandum igitur, an hoc loco legi queat, *Veneris matris, quæ Erucis dicitur*, ἡ Ἐρυκὶς, quod idem est cum Ἐρυκίνη, aut certè *Eruci* dimidiatè scriptum pro *Erucina*. Sic enim in veteri nummo Considi Noniani E R U C. scriptum pro Erucina. Profecto si Veneris simulacrum ex Sicilia attulit in Latium Æneas, Erycinam eam fuisse, cujus simulacrum secum advexerit, plus quam verisimile est. Nam de *Venere Fruti* nugæ sunt. Etiamsi aliqua Venus apud Romanos *Frutis* dicta sit, non illa tamen fuerit, cujus ex Sicilia simulacrum advectum est. Eadem scripturæ mendosæ ratione videtur apud Festum *Frutinal* pro *Erucinal* irrepsisse. Nam & libri veteres quidam *Frucinal* ibi legunt. In vitiosos igitur codices incidit Festus, aut ejus abbreviator Paulus, qui *Frucinal*, aut *Frutinal*, pro *Erucinal* habuerunt. Nihil facilius invicem mutari, quam has duas inter se literas, F & E, sciunt satis, qui manu exaratos libros manibus versant. Quod enim ait: *Frutinal templum esse Veneris Fruti.* Primùm, si ulla *Venus Frutis*, non *Frutinal* ejus templum diceretur, sed *Frutal.* Ut *Minerval*, Minervæ; *Volcanal*, Volcani, & similia. Sic *Furinalia* sacra Deæ Furinæ. *Frutinal* ergo esset deæ *Frutinæ* templum, non *Frutis*. Sic *Lupercal* à Lupercis. Deinde, nullum Romæ templum *Veneris Frutis*, sed Erucinæ. Præterea, quod ait Scaliger, Venerem fuisse cogno-

A mine *Frutim*, eo argumento, quod avis *Frutilla* Latinis dicta est, Ἴυγξ, quia Veneri dicata sit, id argumentum planè nugatorium, & nulli rei, falsamque habet pro fundamento lectionem. Scribitur in Glossis Græcolatinis, Ἴυγξ, *futilla.* Ita enim editur. Sed in veteri libro, quem vidi, rectè exaratum est, Ἴυγξ, *fritilla, avis quæ assiduè caudam quatit*, nihil verius. *Fritinnire* est moveri, & subsilire. Inde nomen *fritinnus*, motio & subsultatio, à quo diminutivum, *fritillus*, & *fritillum*. Sic vocarunt Latini pyxidem, qua tesseræ concutiebantur, priusquam in pyrgum mitterentur. Græci ψηφοβόλον vocabant. Pyrgus enim & fritillum differebant. Pyrgus erat turris B lignea in modum modii facta, quæ in parte alveoli hærebat, in summo aperta, & gradus intus excisos habens, in imo vero foramen, quo tesseræ effundebantur in tabulam. At *fritillum* erat pyxis, quæ manu tenebatur, & movebatur cum tesseris, quæ inde in pyrgum mittebantur, ut per scamillos intus excisos crebro subsultantes in tabulam demum exciderent: atque ex eo dictum *fritillum*, à concutiendis tesseris, & *fritilla* avis, quod caudam crebro quatiat, *motacilla* etiam appellata, & Græcis, σεισοπυγὶς, & σαλοπύγιον, ἀπὸ τοῦ σαλεύειν τὴν πυγήν. Catullus: *Di boni salopugium disertum!* C Ita enim scribendum ex veteribus Catulli, & Senecæ membranis, quæ *salupucium* habent. Vox composita à σάλος, quæ κίνησιν significat, & πυγή. Inde σαλίζειν motitare, & Latinum *salissatio*, ὁ παλμός. Sic vocavit ille Calvum pusillum hominem assiduè subsultantem, & fringutientem, ab ave illa *fritilla*, quam Græci σαλοπύγιον dixere. Inde & nostrum *fretiller.* Non igitur *Frutilla* avis à *Venere Fruti*, sed *Fritilla* à fritinniendo, & fritillando. Nullane vero, inquies, dea *Frutis*? ut aliquam fuisse nobis persuaderent, testimonio præcipuè Augustini nitebantur, quod nihil ad rem facere supra ostendimus, D etiam si rectè *Frutis* nomen apud illum conciperetur: Nam inter Agrestes deas eam *Frutim* recenset, nec Venerem nominat. Hinc fit, ut suspicer cum docto viro, Festum vitiosa exemplaria nactum, *Frutinal* aut *Frucinal*, pro Erucinali, & *Frucinam* Venerem pro Erucina nobis obtrusisse. Etenim, ut suprà notavimus, E & F in scriptura Romana propter figuræ affinitatem crebro confundi solebant ab imperitis librariis. Hinc *fructatis* pro *eructatis* apud Symmachum lib. IV. epist. XVIII loco, qui ita legendus est ex vestigiis veteris lectionis: *Acres herbas olet rusticus, vino anhelus est ganeo, nauteam insequitur gravidas; vos amici Camoënarum florem eructatis Heliconis.* Libri omnes legebant, *fructatis* eo loco, & E inter ceteros optimus Regius, quem contulimus. Sic apud eumdem epist. LVIII *frenata* pro *è re nata*, ut jampridem viri docti adverterunt. Quod vitium tamen in omnibus ex æquo libris adhæserat. Sic lib. III. epist. XXV *farum* pro *earum*, quod in *parum* degeneraverat: *quid de mediocritate earum sentias, ipse videris.* Earum scilicet vestium: ita enim scribendum erat ex mendosa scriptura *farum*, ex quo *parum* & *parium* factum est in editionibus. Atque hæc obiter. Quod autem in Festo legitur, *Veneris Fruti*, imperfectè scriptum est pro *Frutinæ.* Nec enim *Venus Fruti* dicitur, quidquid argutetur summus Scaliger. Hoc fortasse & Solinum deceF perit, qui *Frutim* pro Erucide hîc scripsit. In altero Regio scribitur, *fructus.* Illud verò certissimum, non aliud simulacrum è Sicilia secum extulisse Æneam, quam Veneris Erucinæ. At *Frutis* epitheton si diceretur, ita conveniat Veneri, quo modo & Cereri, à fruendo nimirum sic appellata. Nam Cererem, Isim, Venerem, & Lunam pro eodem numine sacra veterum accipiebant. Apulejus de Iside: *Me primigenii Phryges Pessinuntiam nominant Deûm matrem, Autochthones Attici Cecropiam Minervam, fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem, Eleusinii vetustam deam Cererem.* G Hinc in optimis Glossis *Erucina*, Isis exponitur: *Erucina* Ἴσιδος. Venus in sacris veterum semper genitrix indigetabatur, ut testatur Macrobius. Vix tamen extorqueri mihi sivero, quin *Frutis* heîc pro *Frucis* culpa librariorum descriptum existimem, & hoc pro *Erucis*, id est ἡ Ἐρυκὶς, quæ est Ἐρυκίνη. & apud Festum *Frucinal* pro *Erucinal*. Nullam aliam Venerem fuisse *Frutim* unicè hic locus Solini ostendit, qui ejus simulacrum ex Sicilia advectum, & in agro Laurente dedicatum

dedicatum disertim scribit. Atqui non aliud esse potest illud, quam Ἐρυκίδ☉, aut Ἐρυκίνης. Sanè in Laurente agro, ubi simulacrum Veneris ab Ænea dedicatum fuisse memorat Solinus, templum fuit Veneris, ut dicit Servius ad illud VII. Æneid.

Hunc Fauno, & Nympha genitum Laurente Marica

Verba Servii: *Dicunt alii per Maricam, Venerem intelligi debere, cujus fuit sacellum juxta Maricam, in quo erat scriptum*, ΝΑΟΣ ΤΗΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ. Non tamen ab Ænea consecratum dicit, quæ fuit, ut videtur, quorumdam sententia, qui Veneris Erucinæ simulacrum, quod de Sicilia extulerat, ab Ænea dedicatum scripsere. Variis in locis dum à Troja in Italiam navigaret Æneas, Veneris matris simulacra dedicavit. Nam & in Leucade, & in Actio, quum ad ea appulisset loca, Veneris cognomento Αἰνειάδ☉ posuit ædes. Et in Sicilia aram Veneris eodem cognomine dedicavit in ipso montis Eryci vertice. Ἔλυμον vocavit Dionysius: περιφανέστατῳ δὲ τῆς Αἰνειάδ☉. Ἀφροδίτης βωμὸς ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τῆ Ἐλύμε ἱδρυμβ☉. Virgilius in quinto:

Tunc vicina astris Erucino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ.

Hinc *Erucis*. Venus ab eodem Ænea dedicata in agro Laurente, quæ aliis *Erucina*.

Patrisque Indigetis ei nomen datum] Non solum *Pater Indiges*, sed etiam *Pater deus Indiges* nominatus est post mortem Æneas. De patre Indigete heîc habemus. De Deo Indigete ita Servius: *Ascanius filius ejus victo Mezentio cum ceteris Trojanis credens, & jactitans inter numina receptum, sive patrem volens consecrare, templum ei constituit, quod Dei Indigetis appellari jussit.* Utrumque simul complexus est Dionysius: καὶ αὐτῷ κατασκευάζουσιν οἱ Λατῖνοι ἡρῷον ἐπιγραφῇ τοιᾷδε κοσμέμενον, Πατρὸς θεῦ χθονίε, ὃς ποτάμε Νεμικίε ῥεῦμα διέπει id est, *Patris Dei Indigetis*. Qui Latinè *Indiges*, Græcè Dionysius reddidit, χθόνιον. Quo sensu? χθόνιοι θεοὶ sunt inferi, ut in Inscriptione Herodis: μάρτυς δαίμων ἡ Ἐνοδία, καὶ κίονες Δήμητρ☉, καὶ Κόρης ἀνάθημα καὶ χθονίων θεῶν: & in altera ejusdem inscriptione, quam explicavimus, χθόνι☉ βασιλεὺς, est Dis pater, Deus Inferorum. Iidem & καταχθόνιοι. Sed hoc sensu χθόνιον θεὸν, pro deo indigete non dixerit Dionysius. Nec enim *indigetes* Latini Deos inferos appellarunt. χθόνι☉ non solum τὸν ὑπόγειον, sed etiam τὸν ἐπίγειον significat. Hesychius: χθονίων, ἐπιγείων. Sic χθόνι☉ θεὸς est, ἐπίγει☉ *Deus Indiges*. *Indigetes* vocabant propriè, si credimus Grammaticis, Deos ex hominibus factos: cujus nominis & varias reddunt rationes: quasi in diis agentes, quasi nullius rei indigos, aut qui indigetari debeant, id est invocari. Nugantur. *Deus indiges* propriè est, quem Græci θεὸν ἐγχώριον vocant. Poëta,

Dii patrii, Indigetes, quorum sub numine Roma est.

Θεοὶ πατρῷοί τε καὶ ἐγχώριοι. *Indiges* dictus ab *Indu* & *ago*. Sic *Indigena*, ὁ αὐθιγενὴς, qui ibi genitus est: *Indiges* qui ibi agit, & incolit, ὁ ἐνναέτης. Apollonius:

---- ἀλλὰ καὶ αὐτὴ
Νῆσος ὅμως κεχάροιτο, καὶ οἳ λάχον ὄργια κεῖνα
Δαίμονες ἐνναέται.

De Samothraciis Diis loquitur. Δαίμονες ἐνναέται ad verbum sunt Dii Indigetes. Glossæ. *Indigetes*, ἡμίθεοι κέρητες. Iidem & τοπικοὶ, & locales. Servius: *Dii topici, id est, locales ad alias regiones nunquam transeunt.* Ammianus Marcellinus lib. XIX. *Oppidum est Abydum in Thebaidis parte situm extrema: hic Besæ dei localiter appellati oraculum quondam futura pandebat.* Besa θεὸς ἐγχώρι☉, καὶ τοπικὸς Abydi. Idem est χθόνι☉ θεὸς, Deus in ipso solo factus, & degens. Et doctè χθόνιον θεὸν reddidit Dionysius *Indigetem*. Sic χθονίες ἰναχίδας Tragicus quidam dixerat, τὰς αὐτόχθονας. Hesychius χθονίες ἰναχίδας, αὐτόχθονας καὶ οὐκ ἐπήλυδας. Χθόνιοι igitur sunt indigetes, καὶ ἐγχώριοι. Ἐντόπιοι θεοὶ Platoni dicuntur in Phædro. Et notandum *indigetem* non simpliciter, & absolutè dici, sed *deum Indigetem*: quod confirmat nostram sententiam. *Indiges* igitur adjectivum, ut *patrius*. Sic enim *Deus patrius*, θεὸς πατρῷ☉; ut *Deus indiges*, θεὸς ἐντόπι☉. Atque ita Æneas post obitum dictus est Deus Indiges amnis Numici, θεὸς ἐνναέτης ποτάμε Νεμικίε. Atque hæc videtur etiam fuisse Dionysii sententia, qui *Indigetem* χθόνιον vertit. Videnda & alia ἐτυμότης, de qua olim

A cogitavimus. *Dicare* est ἱερῶσαι & ὁσιῶν. Hinc compositum, *dedicare* ἀφιερῶσαι. Et alterum etiam compositum, *indicare*, idem quod *dicare*, ut *coquere*, *incoquere*, *sepire*, *insepire*, & similia sexcenta. Ab *indico*, quod est ἐνιερῶ, verbum *indices*, *indicetis*, ὁ ἀφιερωθεὶς, inter deos scilicet consecratus, qui postea dictus est *indiges*. Veteres certè *Indices* dixerunt, non *indiges*. Nam & *Cabino* dicebant pro *Gabino*, & *lece*, pro *lege*. Hinc *indigitare* diminutivum pro *Indicitare*, ab indico, quod est invocare & imprecari. Breviator Festi: *indiganto*, *imprecanto*. Ita in optimo libro legi scriptum. Ubi vulgo, *Indigitanto*. Hinc *Indigitamenta*

B τὰ ἱερατικὰ βιβλία, quæ dedicationum ritus continebant, & deorum, dearumque nomina, atque hominum in deos receptorum. Sanè omnes Grammatici veteres in eo consentiunt, *Indigetes* dici, qui ex hominibus dii erant facti. Arnobius: *Indigetes dicitis, atque, divos*. Indicetes igitur sive, *Indigetes*, propriè fuere homines consecrati & dicati. Nec alia fortassean fuerit opinio Dionysii, dum χθόνιον θεὸν, vocavit indigetem, θεὸν scilicet ἐπίγειον, ex homine terreno deum factum. Idque omnino verum esse mihi persuadeo.

Deinde constitutæ ab Ascanio longa Alba, Fidenæ, Antium] Constitutam ab Ascanio longam Albam omnes

C Historici testantur. De Antio, & Fidenis omnes silent. Fidenas Albanorum coloniam fuisse tradit Dionysius lib. II: ab Ascanio conditam non dicit. Antium, quæ urbs primaria fuit Volscorum, nec ab Ascanio, nec ab Albanis constitutam quisquam auctor scripsit. Nullum heîc fortasse Solini peccatum, sed librorum mendum. Libri certè heîc habent: *deinde constituta ab Ascanio longa Alba, Fidenæ aritia*. Qua lectione sola Alba ab Ascanio constituta intelligitur, quod verum est. Sed quid illis fiet. *Fidenæ*, *Aritia*, aut *Aricia*, ut in aliis legitur? an cum sequentibus jungenda,

D & sic locus interpungendus? deinde constituta ab Ascanio *longa Alba*: *Fidenæ*, *Aricia*, *Nola a Tyriis*. Ut Fidenas nimirum, Ariciam, & Nolam Tyrii condiderint. Sed Fidenas ab Albanis conditas constat. Deinde de Aricia jam suprà dixit, eam ab Archilocho Siculo fuisse locatam, atque inde traxisse nomen. Procul dubio sub illis *Aritia* latet nomen illius, qui Fidenas condidit. Scribit Dionysius lib. II. uno tempore tres urbes ab tribus Albanis fratribus constructas fuisse, Nomentum, Crustumerium, & Fidenas, quorum fratrum ὁ πρεσβύτατος τὴν Φιδήνην ἔκτισεν. Fratrum nomina non apposuit. Vetus auctor de origine gentis

E Romanæ Crustumeriam Latino Silvio regnante ab Albanis coloniam deductam esse vult. Ergo & Nomentum, & Fidenæ; siquidem eodem tempore fuere deductæ. Fortasse scriptum fuit: *Fidenæ a Ræcia*. Ut *Ræcias*, Ῥοικίας nomen illius fuerit, qui Fidenas condidit. Sed hoc divinare est. Illud certum est, nec ab Ascanio conditas fuisse Fidenas: nec Aritiam, aut Anium heîc locum habere posse.

Pag. 10. D. *Nolam à Tyriis*.] Tyrios in Italia colonias condidisse nusquam mihi lectum. Scribendum: *Nola a Thuriis*. Οἱ Θέριοι, ab Oppido Thurio, quod inter Crathin, & Sybarin amnes situm erat, olim & ipsum

F Sybaris dictum. Stephanus: Θέριοι πόλις Ἰταλίας, ἡ πρότερον Σύβαρις. *Thurinos* vocat Justinius. *Thyrios* autem heîc pro *Thuriis* scripserant librarii, ut *Tylen* pro *Thule*, & similia. Nolanos Chalcidensium colonos fuisse scribit Justinus lib. XX. non Thuriorum. *Jam Falisci, Nolani, Abellani, nonne Chalcidensium coloni sunt?*

Ab Eubœensibus Cumæ.] Libri: *Eubœnsibus*. Lege *Eubœensibus*. Ita enim Græcis Εὐβοεῖς potius quam Εὐβοϊκοὶ. Vide Stephanum περὶ ἐθνικῶν. Martianus Heracleota:

Μετὰ δὲ Λατίνες ἐςὶν ἐν Ὀπικοῖς πόλις
Κύμη, πρότερον ἣν Χαλκιδεῖς ἀπῴκισαν,

G Εἶτ' Αἰολεῖς, μάλιςα τ' εὐανδρεμβύη
Ἡ καὶ Ἀσιανὴ Κύμη 'ςὶ κειμβύη πόλις.

Ita legendi, ac distinguendi illi versus. Martianum hallucinari adnotavit Scaliger, quod dicat Cymen istam Opicam, sive Cumas à Chalcidensibus primo, mox ab Æolensibus conditam, semel enim conditam fuisse à Chalcidensibus Cumanis, qui erant Æoles. Sed ipse potius, parcant mihi tanti viri manes, errat Scali-

Scaliger. Nam Chalcidenses ex Euboëa, qui Cumas in Italia condiderunt, non erant Æoles: præterea nulli Chalcidenses Cumani. Chalcis Euboëæ metropolis, ex qua coloni missi, Cumas Italicas exstruxere. Verum hi Chalcidenses, nec Cumani fuere, nec Æoles. Postremò Cumani ἐθνικῶς non alii dicebantur præter Italicos. Hic enim τύπος Græcus non est, ἀπὸ τῆς Κύμης, sed Κυμαῖος. Κύμη quidem urbs etiam Euboëæ, sed non illi Cumæi Cumis Italicis nomen dederunt, quum clarè dicat Martianus Æoles ex Cume Æolide coloniam illam deduxisse. Primò igitur Chalcidenses Euboici, postea Cumæi Æolenses ex Asia secundum Martiani sententiam, condidere Cumas. Strabo à Martiano dissentiens, sub idem tempus à Cumæis simul, & Chalcidensibus conditam scribit, ducibus Hippocle Cumæo, & Megasthene Chalcidense, quibus ita inter se convenerit, ut Chalcidenses coloniæ haberentur auctores, Cumæi coloniæ nomen imponerent. Sed quinam illi Cumæi, utrum Euboënses, an ex Cuma Æoliorum Asiatica? Disertè Martianus Cumæos Æolios ex Asia intelligit. Vult Scaliger ὁ πάνυ colonos ex Cume Æolide in Euboëam trajectos Κύμην ἐν τῇ Ἰταλίᾳ condidisse. Hoc prorsus ἀνιστόρητον. Scimus quidem ex Strabone quosdam Æoliorum ἀπὸ τῆς Πενθέλε στρατιᾶς in hac insula resedisse. Hic Penthilus Orestis filius octogessimo post Trojam captam anno sub ipsum descensum Heraclidarum Æoliorum colonias deduxit. Atqui Cumas Italicas ante Troica conditas fuisse constat. Ergo si ab Æolis conditæ, non alii esse possint, quam qui ex Æolide Cume profecti sunt. Dionysius Cumas Chalcidensium, & Eretriensium coloniam esse scribit lib. VII. Utraque urbs Euboëæ, Chalcis, & Eretria, quas ante Trojana Athenienses colonis occupavere, ut Strabo, & Vellejus testantur. Nec multo post, ut idem asserit Vellejus, Chalcidenses orti Atticis Cumas in Italia condidere. Certè cum Æneas in Italiam venit, Cumæ jam erant conditæ. Strabo: Κύμη Χαλκιδέων καὶ Κυμαίων παλαιότατον κτίσμα. Πασῶν γὰρ ἐστὶ πρεσβυτάτη τῶν τε Σικελικῶν καὶ τῶν Ἰταλιωτίδων. Ergo ante τὰ Τρωϊκά. Apud Martianum ita vulgo scribitur: ἣν Χαλκιδεῖς ἀπῴκισαν.

> Εἶτ' Αἰολεῖς μάλιστα τ' ἐξανδρωμένη
> Κατὰ τὴν Ἀσίαν Κύμη ἐς κειμένη πόλις.

Atque ita etiam hos versus citavit Scaliger, nullo idoneo sensu. Cur enim Cymen Asiaticam inter Italicas urbes referret? sed hoc vult, Æolenses, & Cumam Asiaticam, id est Æolenses ex Cuma Asiatica condidisse, ac nominasse Italicas Cumas. Nec dubium, quin Κύμη ἐν Ἰταλίᾳ nomen habuerit, ἀπὸ τῆς κατ' Ἀσίαν Κύμης. Alii ἀπὸ τῶν κυμάτων dictam voluere: Alii, ut notat Servius à gravidæ mulieris augurio, quæ Græcè ἔγκυος dicitur. Sed quomodo κύμη, ab ἔγκυος? saltem ἐγκύμων dixisset, sic propius esset. Ne sic quidem Κύμη ἀπὸ τῆς ἐγκύμονος. Κύειν dicitur mulier, quæ uterum gestat. Unde κύημα, fœtus, & per synæresim: Κῦμα, τὸ κατὰ γαστρὸς καὶ ἡ προβολὴ τῶν φυτῶν. Ex quo Latinum *cyma*, vel *cuma* pro coliculorum summitate, quod alias Græci ὄρμενον vocant. Quæsiverunt olim Grammatici, utrum *hæc Cyma* fœminino genere, an *hoc cyma* dicendum esset. *Plerique*, inquit Sosipater, *putant neutri generis esse, idque persuadere tentant, quod cyma coliculi summi esse videatur.* Rationem hanc non capio. Omnino scribendum: *quod* κύημα *coliculi summi esse videatur.* Hoc improbat Charisius, atque addit: *sed ego rem ineptissimam duco, Latino nomini Græcum etymum accommodare.* Putavit nimirum *Cyma* merè Latinam esse vocem. Sequitur apud eumdem: *Nam quum Græci* πελνὲς ὄρμενον *dicant, quod nos cyma appellamus, quomodo potest Romano nomini peregrina cognatio immitti.* Etiam illa corruptissima sunt: *quum Græci* πελνὲς ὄρμενον *dicant.* Scribe, *quum Græci* ἥμερον ὄρμενον *dicant.* Erat ἥμερος ὄρμενος, erat & ἀκανθίας. Quem Græci ἥμερον ὄρμενον, Latini, inquit ille Grammaticus, *Cyma* vocabant. Τῆς κράμβης τὸν ἀσφάραγον. Sic appellabant τὸ τῆς κράμβης κύημα, brassicæ cyma. Hesychius: ὄρμενος οἱ μὲν τῆς κράμβης τὸ ἐντὸς κύημα, οἱ δὲ τὸν ἄγρον ἀσφάραγον. Legi etiam posset in verbis Sosipatri νέον ὄρμενον. Alii vocant πρῶτον ὄρμενον, novellum scilicet cauliculum brassicæ, qui primus erumpit. Suidas: καὶ ἁπλῶς τὰ τῶν λαχάνων ὄρμενα πρῶτα ἀσφαράγους καλοῦσι. Propriè

A tamen Attici brassicæ primum cauliculum, hoc est, τὸ κύημα, vocarunt ὄρμενον: quem & ἀπὸ κράμβης ἀσφάραγον dixere. Et unica voce quidam κραμβοασπάραγον. Alii sunt asparagi proprio, ac suo nomine sic vocati, qui in ἐλείους, & πετραίους, & κηπευτοὺς distinguuntur. De quibus nos alibi. Plinius hos asparagos confudit cum cymis, sive brassicæ asparagis, ut dicam alio loco. Ineptit ille Grammaticus, qui *Cyma* purè Latinam vocem fuisse somniat, nec ullam cognationem cum Græco habere. Interpres Apollonii τὸ κῦμα contractum ait esse ex κύημα, ut κῶμα ex κοίμημα. Fallitur. Κυεῖν & κύειν dicebatur diversa conjugatione. Τὸ κύημα ἀπὸ τοῦ κυῶ deducitur, ut ποίημα ἀπὸ τοῦ ποιῶ. Sed τὸ κῦμα, ἀπὸ τοῦ κύω: ut φῦμα, à verbo

B φύω. Inde Latinum *cyma*, quod fœminino, & neutro genere dici potest, ut hæc *schema*, & hoc *schema*. Glossæ: *cuma* ἀσπάραγος, κράμβα, σπάραγος. Lege unica voce, κραμβασπάραγος. Quod est, ὁ τῆς κράμβης ἀσπάραγος. Ab illo κῦμα, quod κύημα significat, καὶ τὸ ἔμβρυον, mulier prægnans dicitur, κυμάς, κυμάδος. Hesychius: κυμάδας, ἐγκύους. Hoc vocabulum respexerunt, qui Κύμην Italicam a gravidæ mulieris augurio dictam scripsere, ἀπὸ τῆς κυμάδος. Inde ἐγκύμων pro eodem, & verbum ἐγκυμονεῖν. Strabo postquam ἀπὸ τῶν κυμάτων dictam dixit ex quorumdam opinione, adjicit: εἰσὶ δὲ καὶ κητεῖαι παρ' αὐτοῖς

C ἄγραι. Ita enim emendandum rectè docuit vir summus. Sed corrigendus item Plinius, ubi eadem de his littoribus memorat, lib. III. cap. V. *Hæc littora fontibus calidis rigantur, præterque cete in toto mari, conchylio & pisce nobili adnatantur.* Vulgo editum est, *præterque cetera in toto mari, conchylio & pisce nobili adnatantur.* Littora conchylio, & pisce adnatari eleganter dictum. Sic Martialis:

> *Sacris piscibus hæ natantur undæ.*

Sed hæc alibi.

Ibidem Sibyllæ sacellum est, sed ejus, quæ rebus Romanis quinquagesima Olympiade interfuit] Ex hoc loco Baronius in Apparatu sectione XXVI adstruit Cumæam

D omnium Sibyllarum ultimam fuisse, utpote quæ quinquagesima Olympiade vixerit. Hunc reprehendit nuperus exercitator Anglus, qui Cumæam cum Cumana Sibylla non vult confundi, idque testimonio Solini evincit, quod Cumanam Sibyllam, non Cumæam vocaverit. Profecto sæpe cum suo auctore miserè errant, qui Solini auctoritatem tanti faciunt, ut eum in rebus alicujus momenti audiant. Hoc nunc videamus. Cumæa, inquiunt, Sibylla erat, quæ Trojani belli tempore Cumis in Asia vaticinabatur. Jam hoc primum errant, quod Cumas Asiæ vocent, quum Italica urbs

E sic appellaretur, Asiatica vero Κύμη, *Cume.* Hæc Sibylla Cumæa ex Asia in Italiam commigravit. Qui, aut quando id factum? Cumæ Italicæ longe ante Trojana tempora conditæ à Chalcidensibus, & Cumæis Asiaticis, ut vult Martianus. Si ex Cume Asiatica in Italiam commigravit Sibylla Cumæa, necesse est tunc commigrasse, cum ceteri Cumæi ex civitate Æolide profecti, Cumas in Italia condiderunt. Atqui id factum paulo supra docuimus ante Trojani belli tempora. Non igitur amplius vaticinabatur apud Cumam in Asia Cumæa Sibylla, quo tempore Trojanum bellum cœptum est, sed apud Cumas Italicas. Quapropter rectè

F omnino, & ex ordine temporum summus poëta Æneam, quum in Italiam venit, hujus Sibyllæ consilio, & oraculo usum inducit. Quem sequitur Ovidius lib. XVI. Metamorph. Hanc solam volunt Cumæam dici, Cumanam autem alteram, quæ rebus Romanis quinquagesima Olympiade interfuit, ut heic scribit Solinus, & quæ Tarquinio Superbo libros obtulit, quibus fata Romana continebantur, quos libros per quindecimviros in rebus dubiis consulebant Romani. Hanc sic sibi persuadent optimè, ac solidè constituisse differentiam Cumææ Sibyllæ, & Cumanæ: quam ego

G paucis, sed certis argumentis destruam. Primùm in nomine gentilitatis, quod ponunt discrimen, nullum est. Cumæa illa, quum apud Cumas Italicas belli Iliaci temporibus jam vaticinaretur, cum specum ibi haberet, sive θάλαμον, in quo oracula reddebat, quis neget Cumanam quoque dici posse? Aristoteles in Admirandis: ἐν τῇ Κύμῃ τῇ περὶ τὴν Ἰταλίαν, δείκνυταί τις, ὡς ἔοικε, θάλαμος κατάγειος Σιβύλλης τῆς χρησμολόγου, ἣν πολυχρονιωτάτην γενομένην, παρθένον διαμεῖναι φασίν, οὖσαν μὲν

μὲν Ἐρυθραίαν, ὑπό τινων δὲ τὴν Ἰταλίαν κατοικούντων Κυμαίαν, ὑπὸ δέ τινων Μελαγκραίναν καλουμένην. Verba hæc quantivis pretii ad id evincendum, quod volumus. Apertè docet Philosophus hanc Sibyllam, cum oriundo esset Erythræa, ab Italicis vocatam Κυμαίαν, unde nisi à Cumis Italiæ, in quibus morabatur, & oracula reddebat. Nam & Græcis Κυμαῖος ἐθνικὸν factum est, ἀπὸ τῆς ἐν Ἰταλίᾳ Κύμης, id est Cumanus. Cumæam quoque urbem de Cumis Italicis Latini ipsi dixerunt. Virgilius III.

Huc ubi delatus Cumæam accesseris urbem,
Divinosque lacus, & Averna sonantia sylvis.

Lutatius apud Junium Philargyrium: *Eam postquam ob locorum ubertatem, amœnitatemque magis cœptum sit frequentari, veritos ne Cumæam desererent inisse consilium Parthenopen diruendi.* Cumæam vocat urbem, Cumas. Sic & Cumana illa Sibylla, quam fingunt, Cumæa dici potuerit. Nulla ergo differentia, quantum ad ἐθνικὸν, inter Cumæam & Cumanam. Rem nunc attingamus ipsam. Ait hoc loco Solinus Sibyllam Cumanam Tarquinio Superbo tres libros obtulisse, & priores duos, quod parcius daret pretium, ipsam exussisse, tertium eodem pretio, quod pro tribus postulabat, ei vendidisse. Nota historia. Hanc Cumanam pertendunt diversam ab ea Cumæa fuisse, quæ belli Trojani tempore Cumis Italiæ vaticinia edebat. Quo argumento, vel quo auctore? An quod illa Cumæa, hæc Cumana? Atqui & Cumana illa dici potuit, etiam dicta est. Nam quam Κυμαίαν ab Italicis vocatam tradit Aristoteles, certum est verti debere *Cumanam.* Præter Solinum vero auctorem habent alium nullum. An & hunc habent? Apud Cumas, inquit, Sibyllæ sacellum est. Hoc sacellum, κατάγειος ille θάλαμος, Cumææ Sibyllæ, de quo Aristoteles. *Sed ejus*, inquit Solinus, *quæ rebus Romanis quinquagesima Olympiade interfuit.* Hic vero vertitur tota hallucinatio Solini, qui vel illam Sibyllam usque ad tempora Tarquinii ævum extendisse putaverit, vel duas Cumanas Sibyllas, non minori errore sibi finxerit, unam quæ Cumis responsa dabat sub Iliaci belli tempore, alteram quæ Tarquinio Sibyllinos obtulit libros. Utrumvis cogitaverit, pariter erravit. Sed fortasse verius sit priori modo hallucinatum esse. Quem ejus errorem obiter tangit, & arguit Servius his verbis: *Multæ*, inquit, *fuerunt Sibyllæ, quas omnes Varro commemorat, & requirit, à qua sint fata Romana conscripta: & multi sequentes Virgilium, ob hoc Cumanam dicunt: atqui licet longæva legatur, tamen non valdè congruit eam usque ad Tarquinii tempora durasse, cui Sibyllinos libros constat oblatos.* Manifesto tangit hunc Solini locum. Etenim solet ille Grammaticus hujus auctoris verbis non raro uti, aliquando etiam testimonio nominatim. Et sanè ratione caret, licet longæva fuerit hæc Sibylla, ut usque ad Tarquinii tempora ætatem prorogarit. *Longæva sacerdos* Poëtæ dicitur, jam tunc cum oracula dabat Æneæ. Ipsa de se apud Ovidium dicit se mille annos victuram, & septingentesimum jam attigisse. Sic enim eam loquentem inducit ad Aeneam:

---- nam jam mihi sæcula septem
Acta vides: superest, numeros ut pulveris æquem,
Tercentum messes; tercentum musta videre.

Hoc idem de Erythræa alii tradiderunt, ut dicam paulo post. Licet annos mille vixerit, non potuisse tamen ad Tarquinium durare, hinc liquet. Præterea ex auctoribus, qui historiam illam narrant, de Sibyllinis libris Tarquinio oblatis, nemo est qui à Cumana Sibylla oblatos eos scripserit. Ne Sibyllam quidem fuisse, quæ illos vendiderit, certo liceat pronuntiare ex iis, quæ scripta super hoc reliquerunt idonei auctores. Dionysius Halicarnasseus scriptor diligentissimus, ac doctissimus, γυναῖκα οὐκ ἐπιχωρίαν tantum nominat lib. IV. γυνή τις ἀφίκετο πρὸς τὸν τύραννον, οὐκ ἐπιχωρία, βίβλους ἐννέα μεστὰς Σιβυλλείων χρησμῶν ἀπεμπολῆσαι θέλουσα. Gellius: *in antiquis annalibus memoria super libris Sibyllinis hæc prodita est. Anus hospita, atque incognita ad Tarquinium Superbum regem adiit, novem libros ferens, quos esse dicebat divina oracula, eos velle venundare.* Nec composuisse eam anum libros Sibyllinos, ne Sibyllam quidem ipsam fuisse dicunt, tantum abest, ut Cumanam

A dixerint. Servius: *Sibyllina responsa incertum est cujus Sibyllæ fuerint: quamquam Cumanam Virgilius dicat, Varro Erythræam esse. Constat autem regnante Tarquinio quamdam mulierem, quæ se Malteam diceret, obtulisse ei novem libros, in quibus diceret fata, & remedia Romana.* Cumanam eam Sibyllam fuisse, quæ libros obtulit, non dicit Servius, immo nominat aliter, *Amaltheam* fortasse, quam & ipsam inter Sibyllas retulerunt. Sibyllam quidem dicit Plinius ad Tarquinium Superbum libros attulisse, sed Cumanam non nominat. Verba ejus hæc sunt lib. XIII. cap. XIII. *Inter omnes vero convenit Sibyllam ad Tarquinium Superbum tres libros attulisse, ex quibus*
B *igni duo cremati ab ipsa, tertius cum Capitolio Sullanis temporibus.* Anum illam extraneam & incognitam, quod Sibyllinos libros attulisset, ideo fortasse Sibyllam vocavit Plinius, Amaltheam Servius nominat, quæ & ipsa fuit Sibylla. De ea Tibullus:

Quidquid Amalthea, quidquid Marpessia dixit,
Herophile Phœbo grata quod admonuit.

Ceterum nomen ejus anus, quæ Sibyllinos libros attulit ad Tarquinium, in veteribus Annalibus non erat vulgatum. Solinus, qui Plinii locum illum, ut fermè omnia, compilavit, de suo addidit *Cumanam*, quum Plinius *Sybillam* tantum dixisset. Certè si de eo consti-
C tisset, quod heîc memorat Solinus, Cumanam Sibyllam libros eos Tarquinio obtulisse, eamdemque composuisse, frustra dubitasset doctissimus Romanorum, cujus Sibyllæ essent Sibyllina oracula. Nihil erat istic dubitandum. Virgilius, inquit Servius, Cumanæ dat, Varro Erythrææ. At certum est, eam Cumanam Virgilii usque ad Tarquinium vitam extendere non potuisse. Non igitur ea fuit, quæ Tarquinio libros obtulit. Recentiorem Cumanam fuisse oportet. Si ulla tunc extitit hoc nomine Sibylla, non ea esse possit, quam Sibyllina oracula composuisse poëta vult. Sed dixerit
D aliquis, Poëtæ fidem non esse arbitrandam: poëtæ esse mentiri, & fingere. Illum igitur, quæcunque de Sibylla Cumæa scripsit, confinxisse licentia poëtarum. Certum est, Æneam in Italiam venisse. Hoc non finxit, sed ex historia sumpsit. Certum est, & Sibyllam quamdam Cumis vaticinatam esse. Neque hoc ipse commentus est. Aristoteles, aliique auctores Virgilio longè antiquiores de ea scripsere. Cumis appulsum Æneam etiam constat. Ne in tempore quidem fortasse fingendo ἀδείᾳ sua usus est. Et vivebat adhuc, degebatque Cumis tunc Sibylla, cum eo applicuit Æneas. Cetera finxit, Sibyllæ cum Ænea colloquium, eadem
E duce descensum Æneæ ad inferos, & alia, quæ libro sexto divini operis continentur. Quod igitur ille Sibyllina fata, quæ publice asservabantur apud Romanos, Cumææ Sibyllæ attribuit, id historicè fecit, non poëticè, & auctores certos habuit, quos sequeretur. Varro mavult Erythrææ fuisse. Rem conciliat Aristoteles, qui Erythræam Cumis vaticinia respondisse scribit, eamque ab Italicis Κυμαίαν inde esse vocatam, id est, *Cumanam.* Lepidum est porro, quod firmandæ suæ opinioni adducit Anglus Exercitator, exusto Capitolio, non ulterius Cumanæ Sibyllæ, hoc est, Italicæ carmina, sed Asiaticarum Erythris, & aliunde pe-
F tita asservata esse. Inde poëtam, cum de versibus fatidicis illis loquitur, qui in templo Apollinis custodiebantur, *Cumæum Carmen* vocare, & *Cumæam Sibyllam*, non Cumanam. Hoc ridiculum. Cumana primo volunt fuisse oracula, quia Cumanæ Sibyllæ. His incensis cum Capitolio repente extitisse Cumæa. Quare? quia petita ex civitate Cumæa in Asia. Quis hoc dixit, aut finxit unquam? post amissionem Sibyllinorum, cum undique conquirerentur, & describerentur Sibyllini libri missis ex Senatusconsulto legatis, partim ex Italię urbibus, partim ex Erythris Asiæ comportatis exemplaribus, sic jacturam priorum sarcierunt. Dionysius Halicarnasseus lib: IV.
G οἱ δὲ νῦν ὄντες ἐκ πολλῶν εἰσὶ σύμφοροι τόπων. Οἱ μὲν ἐκ τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων κομισθέντες, οἱ δ' ἐξ Ἐρυθρῶν τῶν ἐν Ἀσίᾳ κατὰ δόγμα βουλῆς ἀποσταλέντων πρεσβευτῶν ἐπὶ τὴν ἀντιγραφήν. Hęc fatetur ex libris Varronis hausisse *rerum divinarum.* Erythras in Asia solas nominat, quibus petita sunt, non Cymen. Præterea, cum dicat ex urbibus etiam Italicis allata fuisse Sibyllina, Cumas manifesto inter eas urbes intelligi necesse est: nec verisimile eam omissam urbem, cum

Sibyllina conquirerentur, in qua Sibyllam vixisse, & oracula edidisse tam celebris erat fama. Sic posteriora Sibyllina Cumana utique etiam fuerint, non Cumæa, quia ex Cumis Italicis accersita. Plusquam ergo ridiculum putare eruditissimum poëtarum distinctionem observasse aliquam inter *Cumaeum*, & *Cumanum*. Græci scriptores Cumas Italicas passim κύμην appellant, & inde ἐθνικὸν Κυμαῖος. Nunquam enim Κυμανὸν, licet hoc τύπος sit Italicus, ab urbe Cumis dicunt. Hos poëtæ Latini sequuntur, & *Cumaeum* pro *Cumano* semper fere ponunt. Hinc *Cumaea* Sibylla Virgilio, & Ovidio est Cumana. Et *Cumaea urbs*, Cumæ. Varro eo maximè argumento credidit priora Σιβύλλεια Erythrææ fuisse, quia cum post Capitolii, in quo erant, conflagrationem alia quærerentur, paria prioribus apud Erythras inventa sint. Servius: *Ducitur autem Varro, ut Erythraeam credat scripsisse, quia post incensum Apollinis templum, in quo fuerant, apud Erythras insulam ipsa inventa sunt carmina.* Sanè præter quam quod Aristoteles Erythræam, & Cumæam, sive Cumanam confundit, paria pæne de Erythræa, & Cumana traduntur. Πολυχρονιωτάτην fuisse Erythræam, sive Cumanam memorat Aristoteles. Ovidius Cumæam decem sæcula vixisse canit, hoc est, annos mille. Erythrææ versus profert Phlegon in Longævis, quibus ipsa profitetur se decem γενεὰς, hoc est, sæcula decem inter mortales futuram. Σίβυλλα ἡ Ἐρυθραία ἐβίωσεν ἔτη ὀλίγον ἀποδέοντα τῶν χιλίων ὡς αὐτή φησιν ἐν τοῖς χρησμοῖς τόνδε τρόπον. Versus, quibus hoc dicit, quia vulgo corruptissimi circumferuntur, emendatos heîc adponam:

Ἐν δεκάτῃ γενεᾷ χαλεπὸν κατὰ γῆρας ἔχουσα
Μαινομένη μὲν ἐνὶ θνητοῖς καὶ ἄπιστα λέγουσα,
Πάντα δ' ὑπὲρ προϊδοῦσα βροτῶν δυσανάσχετα κήδη,
Καὶ τότε μοι φθονέσας Λητοῦς ἐρικυδέος υἱὸς
Μαντοσύνης, παθέων δὲ κατοικτήσας ὀλοὸν κῆρ;
Ψυχὴν ἐκλύσει δεσμευομένην ἐνὶ λυγρῷ
Σώματι, σαρκοσύπῃ διοϊστεύσας γεγαῖαν.

Hoc oraculo adscripto subdit Phlegon, διὰ τούτου τοῦ χρησμοῦ ἀποδείκνυται δέκα γενεὰς αὐτὴν κατ' ἀνθρώπους γεγονέναι. At in editionibus, nullum illi versus præferunt δέκα γενεῶν vestigium, sic enim scribitur:

Ἐκνεάομαι ἀεὶ χαλεπὸν κατὰ γῆρας ἔχουσα.

Qui sine dubio versus licet profligatissimus, continere nobis visus est illam de decem sæculis, sive γενεαῖς sententiam, & legendus, ut posuimus. Perperam etiam editur ultimo versu:

Σώματι σαρκοτύπιδι ὀϊστεύσας γεγάϊον.

Σαρκοτύπην vocant sagittam, qua se extinctum iri ab Apolline prædicit. Decem porrò generationes, mille annos efficere probat idem Phlegon ex ipsius Sibyllæ verbis, quæ in alio oraculo τὴν γενεὰν determinat centum annis: τὴν δὲ γενεὰν, inquit, Σίβυλλα ἱστορεῖ ἐτῶν ἑκατὸν δέκα ἐν τῷ χρησμῷ, τῷ περὶ Ῥωμαίους περὶ τῶν αἰωνίων θεῶν ἃ Ῥωμαῖοι Σηκουλάρια καλοῦσι. Versus deinde ipsos ex oraculo ponit, qui sic habent:

Ἀλλ' ὁπότ' ἂν μήκιστος ἵκῃ χρόνος ἀνθρώποισι
Ζωῆς εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύσας
Μεμνῆσθαι Ῥωμαῖε, &c.

Sed turpissimo mendo, tam in Sibyllæ versibus, quam in Phlegontis verbis ἑκατὸν δέκα legitur. Sanè si γενεὰ decem, ac centum annis terminatur, Sibylla quæ decem γενεὰς vixit, non mille tantum annos, sed centum ac mille vixerit. Atqui Phlegon ipse tradit eam vixisse ἔτη ὀλίγον ἀποδέοντα τῶν χιλίων, non mille integros implevisse. Nam cum in decimo sæculo mortem obierit, ἐν τῇ δεκάτῃ γενεῇ, ante impletam videtur decessisse. Præterea αἰώνιοι θεωρίαι, vel ludi sæculares, quos celebrandos Romanis indicit illo oraculo Sibylla, non centum, ac decem annis definiebantur, sed centum rotundis. Unde *centenarius agon* dicitur Hieronymo. Omnino scribendum apud Phlegontem: τὴν δὲ γενεὰν Σίβυλλα ἱστορεῖ ἐτῶν ἑκατοντάδα. Et ita legendum in Sibyllæ versu:

Ἀλλ' ὁπόταν μήκιστος ἵῃ χρόνος ἀνθρώποισι
Ζωῆς, εἰς ἐτέων ἑκατοντάδα κύκλον ὁδεύσας.

Nihil verius, ἐτῶν ἑκατοντὰς est sæculum, γενεὰ, αἰών. Μήκιστος χρόνος ζωῆς ἀνθρώπων κύκλον ὁδεύσας εἰς ἐτέων ἑκατοντάδα. Aliter non procedit ἡ σύνταξις. Ita de Sibylla Cumæa, & Erythræa idem narratur, ut non

A mirum sit Aristotelem eandem facere cum Erythræa Cumæam, quæ Erythræa à loco originis, Cumæa vero à Cumis Italicis, ubi prophetavit, appellata sit. Justinus vero martyr non Erythræam oriundo, ut Aristoteles, sed Babyloniam Berosi filiam fuisse scribit Sibyllam Cumæam, εἰς δὲ τὰ μέρη τῆς Καμπανίας οὐκ οἶδ' ὅπως διαβαίνουσαν ἐκεῖ τοὺς χρησμοὺς ἐξαγορεύειν ἐν τινὶ Κύμῃ λεγομένῃ. Ex his omnibus constat nullam extitisse Cumæam Sibyllam, Cume Asiatica Æolide oriundam, sed eam, quæ sic vocata, aut Erythris, aut Babylone, ut quidam scripsere, progenitam in Campaniæ urbem Cumas commigrasse, atque ibi, quum diu vaticinata
B sit, Cumanam, vel Cumæam appellatam. Si Cumana Sibylla fuit, quæ libros Sibyllinos obtulit Tarquinio; duas utique oportet fuisse Sibyllas Cumanas, cum auctores omnes unicam tantùm recenseant, & ridere libet hodiernos pictores, qui tabulas passim proponunt, Cumanæ, Cumææ & Erythrææ, quasi trium diversarum Sibyllarum, quum una eademque fuerit Cumana, Cumæa, & Erythræa ex plurium, ac vetustissimorum auctorum sententia. Quidam Cumæam ab Erythræa fecere diversam ex veteribus, sed Cumæam, & Cumanam nemo. Pausanias in Phocicis: τὴν δὲ ἐπὶ ταύτῃ χρησμοὺς κατὰ ταῦτα εἴποδσαν ἐκ Κύμης τῆς ἐν Ὀπι-
C κοῖς εἶναι, καλεῖσθαι δὲ αὐτὴν Δημὼ συνέγραψεν Ὑπέροχος ἀνὴρ Κυμαῖος. Non Cume Æolide, sed Cumis Campanis natam dicit, & Hyperochus ille Κυμαῖος, Cumanus fuit, non Cumæus ex Asia. Ceterum de Sibyllis nos alio opere. Hæc plus satis hoc loco, quæ pertinere visa sunt ad arguendum Solini errorem, & Anglum revincendum, ceterosque deterrendos, ne futilissimi scriptoris testimonio, tanquam receptissimi auctoris ad firmandam veritatem deinceps uti velint.

Quæ rebus Romanis quinquagesima Olympiade interfuit]
D Ain tu? quinquagesima Olympiade Sibylla Cumana Tarquinio Superbo Sibyllina θέσφατα obtulit? Atqui Tarquinius Superbus sexagesimæ primæ Olympiadis anno quarto regnare cœpit, hoc est, annis fermè octo & quadraginta post quinquagesimam Olympiadem. Certè & Dionysius, & Agellius, Pliniusque Tarquinio Superbo oblatos Sibyllinos libros scripsere, sed quinquagesima Olympiade id factum neutiquam adjiciunt. Vides futilitatem & μετεωρίαν inepti scriptoris. Ille ipse suprà scriptum reliquit Ancum Martium objisse Olympiade prima & quadragesima, Tarquinium Priscum regnasse annos septem & triginta, quod tempus incidit in Olympiadem quinquagesimam, quaternis
E scilicet annis, ut ipse præcipit, unicuique Olympiadi imputatis. Post Tarquinium priscum, annos quatuor & quadraginta regni tribuit Servio Tullio. Non conferenda culpa in librarios, sed in Solinum ipsum, qui ita solens hallucinatur.

Tunc enim una cum Capitolio absumptus est.] Ante Sullam Sibyllinorum fatorum liber in Capitolini Jovis æde servabatur, in arca lapidea reconditus, ubi & exustus est cum Capitolio Sullanis temporibus. Quid igitur ista sibi volunt apud Servium? *ducitur tamen Varro, ut Erythraam credat scripsiße, quia post incensum Apollinis templum, in quo fuerant, apud Erythram in Asia*
F *ipsa inventa sunt carmina.* Sanè constat non in templo Apollinis fuisse Sibyllinos libros, sed in Capitolini Jovis, quum Sullæ tempore exusti sunt: Dionysius, Plinius, alii. Non puto ita apud Varronem scriptum esse, sed error est Servii, qui ad ætatem suam respexit. Tunc enim in templo Apollinis servabantur. Idem Servius postquam recitavit historiam de Sibyllinis libris à Tarquinio emptis, addit: *qui libri in templo Apollinis servabantur: nec ipsi tantum, sed Martiorum, & Bygois nymphæ, quæ artem scripserat fulguritarum arborum apud Tuscos.* Immo in templo Jovis Capitolini. Ibi enim
G servati sunt usque ad Capitolii conflagrationem, quæ Sullanis temporibus contigit. Martiorum autem fratrum, ut Sibyllarum, extabant responsa fatidica. Martii vatis mentio apud Livium. Scribendum in Servio: Et *Bygoës Nymphæ*. Ἡ Βυγόη: quæ & Βυγόεια, ut Καλλιόπη, Καλλιόπεια. Hæc est, quæ *Vegoia* dicitur in fragmentis Agrimensorum. Nam V in E sæpe mutant Latini, ut ματτύη, *mattea*: *megalinæ pelles* pro *mygalinis*. Fragmentum libri ejusdem ad Arruntem

Vertumnum

Vertumnum habetur apud Agrimensores. Sic enim titulus concipiendus est: *Item Vegoia Arrunti Vertumno.* Arruns, nomen Etruscum. Vertumnus quoque numen Tuscum. Vide Propertium. Fragmentum vero ita incipit: *Scias mare ex æthere remotum. Cum autem Jupiter terram Hetruriæ sibi vindicavit, constituit jussitque metiri campos.* Hæc, ut apparet, etiam de terminis scripserat. Ceterum, ut ad rem redeamus, primus Augustus, referente Suetonio, libros Sibyllinos condidit duobus forulis auratis sub Apollinis Palatini basi, quum antea in Capitolio servarentur. Quinimo templum illud Palatini Apollinis, in quo jam inde ab Augusto servari cœpta fata Sibyllina, idem exstruxit Augustus. Eoque allusit poëta, apud quem ita Sibyllam alloquitur Æneas in sexto:

Tum Phœbo, & Triviæ solido de marmore templa
Instituam, festosque dies de nomine Phœbi.
Hic ego namque tuas sortes, arcanaque fata
Dicta meæ genti ponam.

Heic, in templo Apollinis, quod ad Augustum pertinet, qui & templum illud condidit in Palatio, & sortes Sibyllinas sub Apollinis Palatini basi eodem templo posuit, quæ antea in Capitolini Jovis æde custodiebantur. Servius ad eum locum: *ut solet, miscet historiam: nam hoc templum in Palatio ab Augusto factum est: sed quia Augustus cohæret Julio, qui ab Ænea ducebat originem, vult ergo Augustum parentum vota solvisse.* Quomodo igitur stare poterit, quod idem alibi asserit Servius incenso templo Apollinis Sullanis temporibus, eodem igne exustos Sibyllinorum libros? Hujusmodi sunt deliramenta veterum Grammaticorum. Narrat Ammianus lib. XXIII. sub Juliano Apostata templum Apollinis Palatini conflagrasse, & eodem incendio pæne consumpta fuisse Cumana carmina. Hoc fortasse Servium decepit. Mire etiam hallucinatur Exercitator Anglus, Exercit. IV. sect. V. ubi dicit carmina Sibyllina incendio Capitolii conflagrasse, *nam ibidem*, inquit, *Sibyllæ sacellum* fuit: & auctorem Solinum citat hoc capite. Non Romæ, sed Cumis Sibyllæ sacellum fuisse dicit heîc Solinus: *ab Euboënsibus Cumæ. Ibidem Sibyllæ sacellum est.* Quid apertius? In Capitolio nullum Sibyllæ sacellum, sed libri Sibyllini in delubro Junonis in arca lapidea, cella subterranea servabantur. Plinius lib. XXXIV. cap. V. Sibyllæ juxta rostra tres statuas fuisse dicit, positas Tarquinii Prisci ætate: quod miror, cum scripserit idem Sibyllam ad Tarquinium Superbum libros fatidicos attulisse. Sed de his alias.

Hanc Herophile Erythræa annis aliquot consecuta est.] Ita Delrius edidit: Ita Vinetus, & Camers. Ita pleræque editiones. Quasi Erythræa Sibylla, Herophile dicta fuerit proprio nomine. Libri contra omnes legunt: *hanc Herophilen Erythræa annis aliquot intercedentibus consequuta est.* Quæ lectio vera est. Ut Herophile nomen fuerit Delphicæ Sibyllæ. Alii Samiam sic dictam volunt. Eusebius ad Olympiadem XVI. Σίβυλλα Σαμία χρησμῳδὸς ἡ καὶ Ἡροφίλη ἐγνωρίζετο. Erythræam vero ponit Olympiade nona. Clemens Cumanam antiquiorem Erythræa facit. Strabo duas Erythræas memorat Sibyllas, unam antiquissimam, cujus nomen non adscripsit, alteram recentiorem, Athenaïdem nomine, quæ Alexandri Magni ætate vixerit, utramque ex civitate Asiæ Ionica Erythris oriundam. De hac urbe Stephanus: Ἐρυθραὶ, πόλις Ἰώνων. Ἑκαταῖος Ἀσίᾳ. Ἐκαλεῖτο δὲ Κνώπου πόλις, ἀπὸ Κνώπου. Vide Strabonem lib. XIII. Dionysius ab Erythris Phrygiæ oppidulo prope Idam montem posito Erythræam Sibyllam appellatam docet: ὡς δ᾽ ἕτεροι γράφουσιν ἐν Ἐρυθραῖς σχεδὸν τῆς Ἴδης, ἔνθα ᾤκει Σίβυλλα ἐπιχωρεία νύμφη χρησμῳδός. Stephanus Mermessum hanc urbem Phrygiæ vocat: Μερμησσὸς, πόλις Τρωϊκὴ ἀφ᾽ ἧς ἡ Ἐρυθραῖα Σίβυλλα. Ἦν γὰρ ἡ πόλις αὐτὴ ἐρυθρὰ τῷ χρώματι. Quid istis sibi vult? Mermessum urbem Erythren esse dictam, quod colore esset rubra? De his Erythris habes apud Pausaniam, sed perperam apud eum Μαρπησσὸς legitur, cum Μαρπησσὸς sit mons Pari. Unde *Marpessium* marmor, & *Marpessia cautes* apud Poëtam. Μαρπησσὸς quoque perperam scriptum in ipsius Sibyllæ versibus, quibus de patria sua hæc profiteur,

Εἰμὶ δ᾽ ἐγὼ γεγαυῖα μέσον θνητοῦ τε θεᾶς τε

A Νύμφης δ᾽ ἀθανάτης, πατρὸς δ᾽ αὖ κητοφάγοιο.
Μητρόθεν ἰδογενής. Πατρὶς δέ μοι ἐστὶν Ἐρυθρὴ
Μαρπησσὸς ματρὸς ἱερὴ, ποταμὸς δ᾽ ἀϊδονεύς.

Ad hoc carmen respexit Stephanus, cum Μερμησσὸν patriam Sibyllæ Erythrææ esse dixit. Nec dubium, quin Μερμησσὸς legerit in illis versibus pro Μαρπησσὸς. Ἐρυθρὴν etiam Μερμησσὸν ἐπιθετικῶς appellatam intellexit, quod ἐρυθρὰ esset τῷ χρώματι. Profecto & Dionysius, & Pausanias, ceterique qui Ἐρυθρὰν Phrygiæ urbem fuisse scripserunt, ex qua oriunda esset Sibylla Erythræa, non alia videntur auctoritate id affirmasse, quam illorum versuum testimonio, quibus Sibylla ipsa B genus suum, & originem declaravit. Quos tamen vereor, ut satis rectè acceperint. Nec enim Ἐρυθρὴ urbs ulla Phrygiæ, sed Μερμησσὸς, quæ ἐπιθετικῶς Ἐρυθρὴ dicitur, quia ἐρυθρόγεως erat. Erythræi, qui Sibyllam illam sibi vindicabant ex ejus versibus, postremum istum minimè agnoscere volebant, sed expungebant:

Μερμησσὸς μητρὸς ἱερὴ, ποταμὸς δ᾽ Ἀϊδωνεύς.

Et in proximè præcedente versu legebant:

---- πατρὶς δέ μοι ἐστὶν Ἐρυθρή.

Ut de urbe Erythris intelligeretur. Potuerunt tamen & illum versum agnoscendo, sic asserere sibi Sibyllæ solum natale, mutata tantùm distinctione ad hunc C modum:

Μητρόθεν ἰδογενής. Πατρὶς δέ μοι ἐστὶν Ἐρυθρὴ,
Μερμησσὸς μητρὸς ἱερὴ, ποταμὸς δ᾽ Ἀϊδωνεύς.

Ut dicat sese μητρόθεν esse ἰδογενῆ, hoc est, matrem habuisse Idæam ex Ida Trojæ oriundam, patriam vero Erythram, natam nimirum fuisse in urbe Erythra Ionica, ex qua scilicet pater fuerit. Quomodo μητρόθεν sit ἰδογενής, explicat dicens, Μερμησσὸς μητρὸς ἱερὴ, matri nempe, quæ nympha fuit, & immortalis, sacram fuisse Mermessum urbem Phrygiæ in Ida monte. Legi etiam posset, Μερμησσὸς μητρὶς ἱερή. Sic in oraculo, quod Ho- D mero editum est, hæc eadem statuitur differentia πατρίδος & μητρίδος:

Ὄλβιε καὶ δύσδαιμον, ἔφυς γὰρ ἐπ᾽ ἀμφοτέροισι,
Πατρίδα δίζηαι, μητρὶς δέ τοι οὐ πατρὶς ἐστὶ,
Ἔστιν Ἴος νῆσος μητρὸς πατρίς.

Ad hoc planè instar Ἐρυθρὰ Ionica patria fuerit Sibyllæ Erythrææ, ἡ πατρίς. Mermessus vero Phrygia ἡ μητρὶς, matris patria scilicet. Idem sensus existit è vulgata lectione, Μερμησσὸς μητρὸς ἱερή. Nugantur igitur, qui Erythræam Sibyllam Mermesso Phrygiæ oriundam dixere, hac sola ratione ducti, quia terra circa illam urbem rubri coloris fuerit. Ἐρυθραῖα urbis ἐθνικὸν, & E hoc procederet, si urbs illa Phrygiæ Ἐρυθρὴ absolutè, non Μερμησσὸς dicta fuisset. Multæ urbes Ἐρυθραὶ dictæ, sed nulla in Phrygia hoc nomine. Quod oraculum Sibyllæ Μερμησσὸν ἐρυθρὴν appellet, non ex eo sequi potest civem aliquem urbis Mermessi Ἐρυθραῖον inde appellandum. Quod ratione prorsus caret, & absurditatis ὑπερβολὴν non relinquit. Veteres tamen quidam hoc scriptum reliquere, quibus non ideo credendum, quia veteres sunt. Martianus Capella lib. II. *Sibylla vel Erythræa quæque Cumæa est, vel Phrygia: quas non decem, ut asserunt, sed duas fuisse non nescis, id est Herophylam Trojanam Marmensi filiam, & Symmachiam Hippotensis filiam, quæ Erythræa progenita, etiam Cumis est vaticinata.* Quas Si- F byllas heîc tantum agnoscit: *Erythræam*, Erythra progenitam, quæ & *Cumæa*, vel *Cumana*, quod Cumis vaticinata sit, & Trojanam Marmensi filiam, quæ Herophyle vocata est. Sic Herophilen ab Erythræa separat, ut Eusebius, & noster hoc loco, cum Pausanias, & alii Herophilen dicant eam appellatam, quam Erythræi sibi vindicabant, quæ & Trojana juxta quosdam ex urbe Idæ Mermesso. Legendum in Martiano, *& Trojanam Mermessi filiam pro Marmensi.* Eadem vitii origine *Marpessiam* pro *Mermessia* apud Tibullum promul- G garunt in hoc versu:

Quidquid Amalthea, quidquid Mermessia dixit,
Herophile Phœbo grata quod admonuit.

Ita legendum, non *Marpessia.* Et malè apud Pausaniam Μαρπησσὸς item scribitur, pro Μαρμησσὸς, vel Μερμησσός. Mermessiam Sibyllam ab Herophile diversam facit Tibullus, quam eamdem vult esse Martianus, qui & patrem ejus Mermessum vocat, quum patriam hoc nomine habuerit. *Phœbo gratam* dicit Tibullus

lus, quia νεώκορος fuit τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Σμινθέως. Sed hoc de Herophile, quæ & Mermessia or...ndo, tradit Pausanias. Servius ab Erythra insula Sibyllæ Erythrææ originem ducit. *Ducitur*, inquit, *Varro, ut Erythræam credat scripsisse, quia post incensum Apollinis templum, in quo fuerant, apud Erythram insulam ipsa inventa sunt carmina.* Corrigebam, apud *Erythram in Asia.* Sed alio loco *Erythræam insulam* quoque nominat, Sibyllæ patriam his verbis, ad illud Poëtæ:

Olli sic breviter fata est longæva sacerdos.

Sibyllam Apollo pio amore dilexit, & ei obtulit poscendi, quod vellet, arbitrium. Illa hausit arenam manibus, & tam longam vitam poposcit. Cui Apollo respondit id posse fieri, si Erythræam, in qua habitabat, insulam relinqueret, & eam nunquam videret. Profecta igitur Cumas tenuit: & illic defecta corporis viribus vitam in sola voce retinuit. Quænam insula illa Erythræa, vel Erythra? *Erythræam insulam* infra apud Solinum habemus in Hispania, sed vitiose pro *Erytnea*, ut ibi legendum docebimus. Sine dubio Erythras intelligit Ionicam urbem, ex qua Erythræam Sibyllam major pars auctorum oriundam esse tradiderunt: insulam eam vocat, quod ad mare siti Erythræi peninsulæ isthmum incolerent. Strabo lib. XIV. εἶτα Χαλκιδεῖς, ὁ τῆς χερρονήσου ἰσθμὸς τῆς Τηΐων καὶ Ἐρυθραίων. Ἐντὸς μὲν οὖν τοῦ ἰσθμοῦ οἰκοῦσιν οὗτοι, ἐπ' αὐτῷ δὲ τῷ ἰσθμῷ, Τήϊοι καὶ Κλαζομένιοι. Erythræa igitur, & Cumæa, sive Cumana eadem. Paria tradit Ovidius de Cumæa: quod pulverem manibus hauserit, ac tot annos optaverit, quod denique præ senio defecta viribus, vitam in voce retinuerit:

Usque adeo mutata ferar, nullique videnda
Voce tamen noscar: vocem mihi fata relinquent.

Addit Servius: *quod cum cives ejus cognovissent, sive invidia, sive miseratione commoti, ei epistolam antiquo more creta signatam miserunt: qua visa, quia erat de ejus insula, in mortem soluta est.* Apollo promiserat Sibyllæ Erythrææ, tot annos victuram, quot grana pulveris manu hausisset, dummodo patriam Erythras relinqueret, nec unquam eam videret. Cum ideo Cumas secessisset, & illic defecta viribus mori non posset, cives ejus miserunt ei epistolam creta Erythræa signatam, sic visa patria terra exspiravit. Nec enim aliter mori potuisset, nisi visa terra patria, quam tunc vidit in signaculo epistolæ. Creta signabantur olim epistolæ, de quo more nos alibi. Videtur tamen Servius, aut quisquis auctor illius commenti extitit, *Erythræam cretam* pro Eretria accepisse. Nulla quippe Erythrææ cretæ apud veteres mentio, sed Eretriæ. Ἐρετριάδα γῆν vocat Dioscorides. Herodotus, σημαντρίδα γῆν appellat, qua epistolæ, & res aliæ signabantur. Erythræam terram ad hunc usum adhibitam nemo auctor dixit. Verum de his alibi. Erythræa ipsa in oraculo, quod apud Phlegontem extat, de vita exituram se prædicit post sæcula decem, invidia, vel miseratione Apollinis, qui ejus animam de corpore soluturus erat:

Καὶ τότε μοι φθονέσας Λητοῦς ἐρικυδέος υἱὸς
Μαντοσύνης, παθέων δὲ κατοικτίσας ὀλοὸν κῆρ,
Ψυχὴν ἐκλύσει δεσμευομένην ἐνὶ λυγρῷ
Σώματι.

Perperam legitur, κατοικήσας ὀλοὸν κῆρ. Sequitur apud Servium: *unde nonnulli hanc esse dicunt, quæ Romana fata conscripsit, quod incenso Apollinis templo, inde Romam allati sunt libri, unde hæc fuerat.* De incenso Ap...linis templo jam suprà diximus errare Grammaticum. Nec enim tunc in Apollinis templo servabantur, sed in Capitolini Jovis æde. Erythræam conscripsisse fata Romana, plurium est auctorum sententia, eamdemque fuisse Cumanam. Sed quia non una Erythræa apud auctores, hinc non mirum est, si ab aliis eadem cum Cumæa, ab aliis diversa: & modo posterior, modo antiquior, hæc aut illa statuitur. Erythræa, quæ κατ' Ἀλέξανδρον vixit, & Athenais vocabatur, posterior omnino Cumana fuit. Antiquissimam igitur Erythræam eamdem cum Cumæa fuisse statuendum. Nihil est quod æquè diversè prodiderint antiqui scriptores, quam Sibyllarum ætatem, patriam, nomina. De quibus nos peculiari opere.

Pag. 10 E. *Sibyllaque appellata est de scientiæ parilitate*] Idem vult nimirum, quod ceteri Grammatici, Sibyllam dictam esse quasi σιοῦ βουλὴν, dei sententiam, quia Æolici σιοὺς deos appellarent. Id multimodis ineptum, atque etiam falsum. Σίβυλλα simplex nomen est, non compositum. Deinde Σιὸς pro θεὸς, non est Æolicum, sed Laconicum. Hesychius: Σιὸρ θεὸς Λάκωνες. Eorumdem est Laconum, Ἀσάνα pro Ἀθάνα. At Æoles θ in φ mutabant, ut θερμὸς, φερμός: unde Latinum, *formus*, calidus: θύτης, φύτης: inde Latinum *popa*, victimarius; θῆρες, φῆρες: θύλλις, φύλλις: inde *follis*: θηλᾶν, φηλᾶν, à quo Latinum *felare*. Et sexcenta talia. Præterea, nulla Sibylla Æolica, ut hoc nomen ex Æolicis vocibus componi debuerit. Nam Cumæa Sibylla, non ex Cyme Æolide, sed ex Italicis Cumis. Postremo βύλλα pro βουλὴ in hoc nomine nec Æolicum, nec omnino Græcum est. Σίβυλλα, ut dixi, nomen proprium diminutivæ formæ, à principali σίβη, quod Æolicum est pro σίδη: ut βελφῖνες, pro δελφῖνες. Βέλφυς pro δέλφυς, ἡ μήτρα, inde Latinum, *vulva*. Ἀπὸ τῆς σίβης σίβυλλα, ut ἀπὸ τῆς Ἥβης ἡ βύλλα: a σηκὸς σηκύλλα. Hesychius: σηκύλλαι αἱ ζάμειαι πυγίδισκαι. Ab Ἥρα, Ἡρύλλα; & similia. Prima autem mulier divinatrix quum Σίβυλλα proprio nomine vocaretur, ceteris postea mulieribus vaticinandi arte claris idem nominis adtributum est de parilitate scientiæ: ut viris Bacidis. Nam tres numerantur Bacides, à primo qui scientia divinandi inclaruit, sic nominati. Plinius unam tantum Sibyllam agnoscit, lib. VII. cap. XXXIII. de divinatione: *Divinitas, & quædam cælitum societas nobilissima ex fœminis in Sibylla fuit: ex viris in Melampode apud Græcos, apud Romanos in Martio.* Ubi Sibyllam nomen proprium mulieris fatidicæ ita facere videtur apud Græcos, ut viri Melampodem, & apud Romanos, Martium. Sic lib. XXXV Sibyllæ tres statuas juxta rostra Romæ fuisse dicit. Et alibi, Sibyllam ad Tarquinium tres libros attulisse. Quænam igitur illa Sibylla proprio nomine sic appellata, aut unde domo, quum tot fuerint? Erythræam intelligi debere puto. Disertè hoc significant verba hæc Strabonis lib. XIV. Ἐκ δὲ Ἐρυθρῶν Σίβυλλά ἐστιν ἔνθεος καὶ μαντικὴ γυνὴ τῶν ἀρχαίων τις. Κατ' Ἀλέξανδρον δὲ ἄλλη ἦν τὸν αὐτὸν τρόπον μαντικὴ, καλουμένη Ἀθηναΐς. Si quid Græcè scio, his verbis dicit, Erythris urbe oriundam esse Sibyllam, fatidicam apud antiquos mulierem, ex eadem porro urbe, & aliam ortum habuisse ætate Alexandri, pari vaticinandi arte præditam, quæ Athenaïs vocabatur. Cum antiquæ Erythrææ aliud nomen non reddat, Sibyllam vocatam fuisse ostendit. Clarè etiam lib. XVII idem innuit ad hunc modum: περὶ δὲ τῆς εὐγενείας καὶ τὴν Ἐρυθραίαν Ἀθηναΐδα φασὶν ἀνειπεῖν. Καὶ γὰρ ταύτην ὁμοίαν γεγονέναι τῇ παλαιᾷ Σιβύλλῃ τῇ Ἐρυθραίᾳ. Hæc Erythræa antiqua eadem cum Cumæa vel Cumana. Hæc eadem est cujus Plato meminit tum in Phædro, tum alibi. Celeberrima enim fuit apud Græcos. Justinus Martyr Babyloniam mavult esse, cujus Plato meminirit. Sed eam rursus cum Cumana eamdem facit, οὐκ οἶδ' ὅπως εἰς τὰς Κύμας τῆς Καμπανίας διαβαίνουσαν. Quod de Erythræa omnes tradiderunt, non de Chaldaica. Ceterum, si Erythræa illa vetus Sibylla, & Cumana eadem, rectè Solinus fecerit, qui locum Plinii compilans, ubi dicit Sibyllam ad Tarquinium Superbum Sibyllinos libros attulisse, de Cumana interpretatus est. Etenim quum tribus omnino locis Sibyllam nominarit Plinius, de Erythræa, κατ' ἐξοχὴν eum intellexisse palam est, quæ & Romana fata composuit, & Sibylla propriè vocata est, Cumanaque dicta, quod Cumas incoluerit. An usque ad tempora Tarquinii Superbi duraverit, quæstio est. Decima Olympiade eam claruisse scribit Eusebius. Tarquinius Superbus sexagesima imperium arripuit. Ut ut sit, Plinii, non Solini hic fuerit error. Hallucinatus tamen in eo Solinus, qui Cumanam diversam ab Erythræa fecerit, quod Plinii, quem sequitur, menti est contrarium, qui unicam tantum Sibyllam agnoscit, eamque, ut certum est, Erythræam, sive Cumanam. At non rectè illi, qui ex Solino adstruere conati sunt, duas fuisse Sibyllas diversas, Cumæam, & Cumanam.

Universa consurgit à jugis Alpium.] Ex Pomponio Mela: *ab Alpibus incipit in altum excedere, atque ut procedit, media se perpetuo Apennini montis jugo attollens inter Adriaticum*

ticum & Tuscum, sive, ut aliter eadem appellantur, inter superum mare, & inferum excurrit. Comparatio vero querni folii ex Plinio.

Similis querno folio, proceritate amplior, quam latitudine] Mira acyrologia. Procerum enim dicitur, quod in erecto longum est, non quod in constrato. Hinc *proceritas* corporis, quæ & celsitudo. Hinc & *proceræ* arbores. Virgilius:

---- *atque solo proceras erigit alnos.*

Idem igitur est, ac si diceret, Italiam celsitudine, quam latitudine ampliorem esse. Quod esset ineptum. Non errat heîc tamen Solinus sine auctore: nam Plinium sequitur, cujus & verba usurpat. Ita ille lib. III. cap. V. *Est ergo folio maximè querno assimilata, multo proceritate amplior, quam latitudine.* Quod in Plinio miror. Hoc genus loquendi Grammatici videntur induxisse, qui *procerum*, prolixum interpretantur, *& in longum productum, quasi ex cera, ob ejus facilitatem.* Juxta quam ἐτυμότητα, *procerum* etiam fuerit, τὸ ἐν ἐπιπέδῳ extentum. Nugantur in hoc, ut in ceteris. Purum putum Græcum est. Græcè προεχὴς dicitur, qui in re aliqua eminet. Æolicè προεχὴρ, προὐχὴρ, πρωχὴρ, unde *procerus*. Ut προεχὲς, προεχὲρ, *procer*. Nam ex eadem origine *procer* & *procerus*. Sic κέλης, κέληρ, *celer*. *Celeres* enim sunt κέλητες. Procer igitur & procerus idem est quod eminens, & excelsus, & in erecto longus. Inde *proceres* pro optimatibus, & summatibus. Et in ædificiis mutuli, & capita trabium eminentium, *proceres* nominabantur secundum Varronem, qui ab illis trabium capitibus, principes civitatis, *proceres* dictos fuisse vult. Perperam. *Proceres* in civitate sunt οἱ προεχεῖς cives: & *proceres* in ædificiis, προεχεῖς & eminentes trabes. Ita & *procerus*, propriè qui supereminet, & ceteris erectior est.

Pag. 10. F. *Ubi longius processit, in duo cornua scinditur.*] Veteres nostri: *Ubi longius abiit.* In Regio ita quoque legitur, & inter lineas additum glossæ vice, *id est processit.* Verba sunt ipsissima Pomponii: *verum ubi longe abiit, in cornua duo scinditur, respicitque altero Siculum pelagus, altero Ionium.*

Ionium respectat æquor.] Sic libri. Vulgo, *spectat.* Martianus: *cujus promontorium Meridiem, Austrumque respectans in mare procurrit.* Mela, unde sumpsit: *respicitque altero Siculum pelagus.*

Inter quas prominentias non uno margine accessum insinuati freti recipit.] Hæc etiam adumbrata, & pæne ad verbum expressa ex istis Pomponianis: *ceterum mare, quod inter utraque admisit, tenuibus promontoriis semel iterumque distinguens non uno margine circuit, nec diffusum patensque, sed per sinus recipit.*

Sed linguis sæpius projectis.] Ita priscæ editiones, & libri scripti. Delrius partim malos libros male sequutus, partim ineptè suæ conjecturæ indulgens, edendum curaverat: *sed longius a se projectis, ac procurrentibus distinctum promontoriis.* Quidam ex nostris etiam habebant, *longis* & *longius*, pro *linguis*, sed pessimi, & infideliores. *Linguæ* hîc sunt, quos Græci ἀγκῶνας vocant, terrarum scilicet mucronati flexus in mare projecti, qui plerumque in promontoria desinunt. Sic linguæ hoc loco diversæ à promontoriis. Ammianus lib. XIV. *& hæ quidem regiones velut in prominenti terrarum lingua positæ ab orbe Eoo monte Amano disparantur.* Linguarum illarum, ut dixi, extremitates plerumque promontoria sunt, quæ Græcis ἄκραι. Linguas pro ipsis promontoriis posuit Ovidius de Sicilia:

---- *tribus hæc excurrit in æquora linguis.*

Pessimè hunc locum depravaverat Delrius.

Pelagus accipit.] Ita libri. Vulgo, *admittit.* In optimo Regio additum inter lineas, *id est, admittit.* Ut in aliis sexcentis glossa pro vera lectione recepta.

Ibi, ut sparsim notemus, arces Tarentinæ.] Sic in libris optimis scriptum offendimus. Editum est vulgo: *ut obvia passim notemus.* Sparsim, σποράδην.

Scylacea regio, cum Scyllæo oppido, & Crateide flumine Scyllæ matre.] Delriana editio, cum aliis: *Scyllæa regio, cum Scyllæo oppido.* Sed quantum est librorum scriptorum, ita habent ut edidimus. *Scylacea regio cum Scyllæo oppido.* Nec aliter princeps editio Veneta. In quibus omnibus malè scriptum erat, *Scyllacea*, cum Græcè

A sit Σκυλάκιον. *Scylacea* regio dicta à *Scylacio* oppido, de quo supra diximus. Verùm, quod hîc jungit Scylaceam regionem cum Scyllæo oppido Solinus, error ipsius est. Longè enim Scylacium à Scylla, & Scyllæo oppido. Rectè quidem Scyllæum oppidum cum Cratæide flumine jungitur: nam ita Plinius; *Oppidum Scyllæum, Cratæis flumen, mater, ut dixere, Scyllæ, dein columna Regia.* At malè Scylacea regio cum Scyllæo oppido ponitur. Mela: *secundus sinus Scylaceus inter promontoria Lacinium & Zephyrium: in quo est Petelia, Cœcinum, Scylaceum Mustiæ.* Ita legendum apud Melam, non *Scyllaceus* & *Scyllaceum.* At in Bruttio sunt juxta eum-

B dem columna Regia, Rhegium, Scyllæum, Taurianum. Servius ad illud Virgilii:

---- *& navifragum Scylaceum:*

Dictum Scylaceum, aut a tractu, aut à periculi similitudine. Nam inde Scylla longè est. Σκύλλειν trahere est. Σκύλαξ autem Græcis est catulus, idem quod σκύλαξ. Σκυλάκιον, ἀπὸ τοῦ σκύλαξ, quod prius dicebatur, Σκυλλήτιον. Inde quoque Scylla dicta, quod canibus esset succincta. Hoc est, quod dicit à periculi similitudine, *Scylaceon* dictum. Alias Scyllæum longè erat à Scylacio. Σκυλλαῖον Strabo scribit πέτραν esse χερρονησίζουσαν, quam mœnibus instruxit, & navale fecit Anaxilas

C Rheginorum tyrannus. Inde oppidum *Scyllæum* Plinio, & huic nostro, sed male cum Scylacea regione heîc positum. Recentior codex Palatinus legebat: *Scylacea regio, cum Scylaceo oppido.* Quod esset verum, siquidem ita scripsisse Solinum constaret. Quod enim addit, *& Crataide flumine, Scyllæ matre*, indicio est scripsisse, *& Scyllæo oppido.* Nam Scylaceum longe à Crateide & Scyllæo. Martianus Capella ex hoc loco: *Cetera Italiæ memoranda nec poëtæ tacent, ut Scyllæum oppidum cum Crataide flumine, quæ Scyllæ mater fuit.* Ubi tamen optimi libri, quos vidimus, scribunt, *Sylletum*: sine dubio,

D pro *Sylletium*, quod idem est cum Scylacio. Nam ita prius dicebatur. Id tamen, ut diximus, longè à Cratæide. Præterea Plinii locus, quem Solinus expressit, *Scyllæum* in Solino legendum esse ostendit. De Scylacio Plinius lib. III. cap. X. *Dein sinus Scylacius, & Scylacium, Scylletium Atheniensibus, cum conderent, dictum.* Ita scribendus ille Plinii locus ex antiquis codicibus. Corruptè apud Ovidium *Scyllæa litora* pro Scylaceis leguntur hoc versu:

---- *præterque Lacinia templa*
Nobilitata dea, Scyllæaque littora fertur.

Omnino scribendum,

E ---- *Scylaceaque littora fertur.* Virgilius:
---- *attollit se diva Lacinia contra*
Caulonisque arces, ac navifragum Scylaceum.

Ptolemæus: Ἐν δὲ τῷ κατὰ Σκυλάκιον κόλπῳ πόλις Σκυλάκιον, ὁ μυχὸς τοῦ κόλπου Σκυλακείου, Λακίνιον ἄκρον. At Scyllæum longè inde, in Bruttio nimirum littore. Idem Ptolemæus: ἐν τῇ παραλίᾳ Βρυττίων, Ταυριανὸς σκόπελος, ἱππωνιάτης κόλπος, Σκυλλαῖον ἄκρον. Sic diversa *Scyllæum* & *Scylacium*, & malè hoc loco Solinus *Scylaciam regionem* cum Scyllæo oppido fuisse dicit. Perperam etiam vir summus ad Virgilianam Cirim, Σκυλλαῖον, & Σκυλακαῖον, idem esse asserit: & male scribit Σκυλάκαιον, cum sit Σκυ-

F λάκειον, *Scylaceum* & *Scylacium.* *Scyllacium* etiam haud rectè scriptum in itinerario Antonini pro *Scylacium.* Servius de urbe Scylacio: *alii dicunt Ulixem post naufragium in Italia de navium fragmentis civitatem ibi fecisse, quam Scylaceum nominavit.* Ita scribendum. Ineptè vulgo: *quam navifragum Scylaceum*, quæ verba sunt poëtæ perperam repetita. *Scylaceum* vult dictum, quod de fragmentis navium sit conditum: ἀπὸ τῶν σκύλων scilicet τῶν νηῶν. Nam σκῦλον significat spolium, ῥάκος, τελεβώνιον, fragmentum. Qui locus satis ostendit, Σκυλάκιον esse scribendum cum unico Labda, ἀπὸ τῶν σκύλων.

G *Crateide flumine Scyllæ matre.*] Lege: *Cratæide.* Est enim ἡ Κραταιΐς. Hesychius: Κραταιΐς, προπαροξυτονεῖται κύριον ὄνομα τῆς μητρὸς τῆς Σκύλλης. Martianus Capella: *Scyllæum oppidum cum Cratæide flumine, quæ Scyllæ mater fuit.* Ita legendum ex scriptis codicibus. Nam vulgo editur: *qui Scyllæ pater fuit.* Hyginus: *Scylla Cratæis fluminis filia, virgo formosissima, hanc Glaucus amavit.* Ita scribimus. Servio Phorci & Cratæis Nymphæ filia dicitur.

Pæsta-

Pæstanæ valles, Sirenum saxa.] Martianus: *Pæstana rosaria, scopulos Sirenarum.* Πέτραι Σειρηνίδες Græcis. Martianus Heracleota:

> Μετὰ τὴν Σικελίαν νῆσον αἵ τε πρὶν ποτὲ
> Σειρηνίδες, Κίρκης τε νῆσοι λεγόμεναι

Sireniani montes dicuntur Frontino in libro de Coloniis: *Surrentinum oppidum. Ager ejus ex occupatione tenebatur à Græcis ob consecrationem Minervæ. Sed & circa montes Sirenianos limitibus pro parte Augustanis est assignatus.* Surrentini porro montes diversi à Sirenianis, quos malè quidam confundunt. Nec quicquam eos juverit Mela, vel Plinius. Vide, quæ suprà notavimus. Surrentini montes, circa Surrentum. Epigramma Macedonii:

> Συρρέντου τρηχεῖα μυρίπνοε χαῖρε κονίη,
> Καὶ Πολλεντίνων. Γαῖα μελιχροτάτη.
> Ἐστὲ γὰρ αἱ τερπόθητοι, ἀφ' ὧν βρομιώδεα πηλὸν
> Φύρησαν βάκχῳ τερζυγέες χάριτες.

Per Συρρέντου τρηχεῖαν κονίην, intelligit Surrentinos montes, vitibus nobiles. At Sireniani scopuli, sive montes, tres parvæ insulæ desertæ, πετρώδεις, quæ & Σειρηνοῦσσαι dicebantur, de quibus Strabo lib. I. Statius Surrentinum villam Pollii, inter Sirenum montes, & promontorium Minervæ sitam fuisse docet, in montibus nimirum Surrentinis. Sic ille:

> *Est inter notos Sirenum nomine muros,*
> *Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ*
> *Celsa Dicarchæi speculatrix villa profundi.*
> *Qua Bromio dilectus ager collesque per altos*
> *Uritur, & prælis non invidet uva Falernis.*

Per muros Sirenum nomine notos intelligi debere certum est Sirenianos montes. Alibi rupes idem vocat in Hercule Surrentino:

> ---- *notas Sirenum nomine rupes,*
> *Facundique larem Polli non hospes habebam.*

Sirenum scopuli Virgilio, & suprà huic nostro, *Sirenum saxa.* Frontinus de coloniis in voce *Surrentum*: *ceterum in soluto remansit. Iter populo debetur pedibus* XV. *Ubi Sirenæ.* Ita legendum. Αἱ Σειρῆνες. Nam sic & Græci vocarunt, τὰς Σειρηνίδας.

Amœnissimus Campaniæ tractus] Martianus Capella ex hoc Solini loco: *hinc Campaniæ amœnissimi tractus, Phlegræi dehinc campi, habitatioque Circeja.* Corruptissimè editiones Martiani legunt: *In Campaniæ amœnis antiquitus nemora, Phlegræi campi dehinc.* Ita corrigendus è Solino, quem in eo toto libro sequitur. Sequitur, *Circæ domus*: *Circa*, ut *Semela.*

Tarracina insula, ante circumflua immenso mari] Distingue: *Tarracina insula ante circumflua immenso mari, nunc ævo nectente addita continenti.* Quod confirmatur his verbis Martiani, quæ sic sunt legenda: *Terracina prius insula, nunc conjuncta: Rheginique ab Siciliæ continenti separati, eaque in compensationem connexæ telluris in insulam relegata.* Hunc locum partim conjectura, partim librorum auctoritate ita correximus, cum vulgo corruptissimè editus sit. Dicit Terracinam prius insulam, postea conjunctam, & continenti adnexam. In cujus rei compensationem Siciliam, quæ antea continens erat, in insulam relegatam, Rheginosque ab ejus continente separatos. Eleganter *conjunctam* terram opponit insulæ. *Conjuncta* idem est, quod continens, vel continua. Ovidius:

> *Leucada continuam veteres habuere coloni,*
> *Nunc freta circumeunt.*

Nam continens, vel continua terra est nullo mari interrupta. Mela: *alias insulæ videntur, alias una & continens terra.* Ubi *terra continens* dicitur, quæ continenter juncta est, quam & absolutè *continentem* dixere. Sic *continenter sedere*, conjunctim & uno tenore:

> *An continenter quod sedetis insulsi*
> *Centum aut ducenti.*

Et *in continenti aliquid facere*, statim & nulla interposita mora. Hinc dicimus *incontinenti* pro statim. In Pervigilio Veneris:

> *De tenenti tota nox est perviglanda canticis.*

Id est, continenter tota nox pervigilanda, uno tenore, ac de uno tenenti, ut vulgo loquimur. Sic *conjuncta* Terracina Martiano: ut *continua* Leucas Ovidio. Hanc porro Tarracinam τραχινὴν à Græcis ait dictam Strabo. Τραχινή, *Tarracina*, ut Ἀλκμήνη, *Al-*
A *cumena*: Τεκμήσση, *Tecumessa*: Κροκόττας *Corocotta*: λύχνος, *Lycinus*: & similia. Inde est quod Ταρραχίνη scribitur apud Stephanum. Ταρραχίνη, πόλις Ἰταλίας. Nec alia est ab Tarracina, quæ apud eumdem vocatur Ταρρακινά, ut censet vir doctus perperam.

Pag. 10. G. *Multa præterea pollentissimis ingeniis edissertata*] Ita libri vulgo, *edisserta.* Hoc verbum *edissertare* in Historia Augusta aliquot locis restituimus.

Italiæ longitudo, quæ ab Augusta prætoria per urbem, Capuamque porrigitur] Ita emendavimus. Vulgo legebatur: *per urbem Capuam porrigitur.* Ut reposuimus, ita etiam aliquot editiones habuerunt, & inter ceteras
B princeps Veneta. Intellige per urbem Romam, & Capuam porrigi Italiæ longitudinem à prætoria Augusta usque ad Rhegium. Plinius: *patet longitudine ab Alpino fine Prætoriæ Augustæ per urbem, Capuamque cursu meante Rhegium oppidum.* Martianus Capella similiter corrigendus in his: *unde cum longa sit ab Alpibus Prætoriæ Augustæ per urbem Capuam, & Rhegium oppidum absque recurvo flexu.* Quæ inquinatissima sunt. Scribe: *cum longa sit ab Alpibus Prætoriæ Augustæ per urbem, & Capuam, Rhegium usque absque recurvo flexu, decies centena & viginti millia passuum.* Id est, nisi flexus incideret, qui
C à Rhegio incipit, longe amplior esset ejus mensura. Vide Plinium, cujus hæc de longitudine Italiæ sententia est, quem sequuntur Solinus, & Martianus. At Theodosii missi, qui quindecimo imperii ejus anno omnes provincias orbis Romani mensuraverunt, de Italiæ longitudine ac latitudine hæc retulerunt: *Italia finitur ab Oriente mari Ionio, ab Occidente Alpibus, & flumine Taro, à Septentrione mari Adriatico, & flumine Arsia, à Meridie mari Tyrrhenico. Longitudo decies centum. Latitudo,* CCCCXX. *qua contrahitur,* LX. Quæ à Plinii podismatione aliquantum discrepant.

D *Neque enim excedit quadraginta millia*] Martianus Capella: *angustior plurimum est ad portum, quem Hannibalis castra dicunt: nam vix ibi viginti millia passuum lata est.* Nimis angustus hic numerus, quem extendere debes ad podismum Solini, cujus verba exscripsit hoc loco Martianus. Et ita in Plinio, quem Solinus compilat, scripti codices habent: *& in ea portus, qui vocatur castra Hannibalis, nusquam angustiore Italia.* XL. *M. passuum latitudo est.* Sic etiam fortassean & in libro Missorum Theodosii reformandus calculus: *qua contrahitur,* XL. *millia*, pro LX. Quod proclive est.

Pag. 11. A. *Circuitus universi vicies quadragies noviesque centena sunt*] Id est, vicies centena quadraginta
E novem millia, ut explicat Martianus. Quomodo etiam apud Plinium scribendum: *universæ ambitus à Varro ad Arsiam, vicies centena quadraginta novem millia.* Malim etiam hic legere, ut in Plinio est: *circuitus universæ*, id est universæ Italiæ circuitus. Quod confirmat Martianus: *Verum omnis Italiæ circuitus.*

In quo ambitu adversa Locrensium fronte ortus à Gadibus finitur Europæ sinus primus.] Hæc in Gadium mentione locum habebant, & enumeratione sinuum Europæ. Sed sic res amat turbare, ut furta sua tegere possit hic noster miscellio. Plinius lib. III. cap. I. Mare illud, quod Europam permeat, & Gades intrat, in quatuor
F præcipuos sinus dividit: *quorum primus*, inquit, *à Calpe Hispaniæ extimo monte, Locros, Bruttium usque promontorium immenso ambitu amplectitur.* Ita omnino scribendum, ubi vulgati legunt: *Locros, & Bruttium usque promontorium immenso ambitu flectitur.* Quæ vix Latina sunt, & Geographiæ peritum offendunt. Scripti codices particulam & non agnoscunt. Hinc nobis facile fuit cetera ex conjectura emendare. Particularis sinus, quo præcipuus & primus ille sinus Europæ finitur, inter Zephyrium promontorium, & Bruttium jacens, Consilinum, Cauloniam, & Locros circumdat,
G ut scriptum Pomponio Melæ. Sic rectè Plinius primum Europæ sinum à Gadibus ortum immenso ambitu Locros usque ad Bruttium promontorium amplecti, & circumdare dixit. Solinus ex eo adversa Locrensium fronte terminari, id est Bruttio promontorio, quod est contraversum Locrensibus.

Secundus à Lacinio auspicatus in Acrocerauniis metas habet] Libri: *in agro Ceraunio.* Quod quis dubitet esse pro *Acroceraunio*? Delrius tamen, quum ita in libris suis

ſuis ſcriptum reperiſſet, audet aſſerere, *agrum Ceraunium* ſic dixiſſe Solinum, quemadmodum Plinius *montes Ceraunios* dixit. Qua ejus ſtupiditate nulla major fingi poteſt. Quaſi ager ullus fuerit Ceraunius: aut quaſi agris finiantur, ac determinentur ſinus maritimi. Plinius: *à Lacinio promontorio ſecundus Europæ ſinus incipit magno ambitu flexus, & Acroceraunio Epiri finitur promontorio.* Hic aliquis Cercoëtius, ut Delrii Manes ſodalis ſui vindicet, agrum Ceraunium etiam ſomniabit, quia ita in libris quibuſdam Plinii ſcribitur.

Veſulus ſuperantiſſimus inter juga Alpium] Plinius: *Padus è gremio Veſuli montis celſiſſimum in cacumen Alpium elati.* Deeſt vox *Alpium* in vulgatis Plinii editionibus, quæ ex Solino, & antiquis libris reſtituenda eſt. Strabo de Padi ortu: ἐκ δὲ τῆς ἑτέρας, πολὺ ταπεινότερος τῶν χωρίων τούτων ἀναδίδωσιν αὐτὸς ὁ Πάδος πολύς τε καὶ ὀξύς. Quæ verba manifeſto mendoſa ſunt. Sic ea corrigebat Caſaubonus: ἐκ δὲ τῆς ἑτέρας πολὺ ταπεινοτέρας διὰ χωρίων τούτων ἀναδίδωσιν. Padumque ex loco humili originem trahere confirmat teſtimonio Melæ, qui Padum ex imis Veſuli montis radicibus ait exoriri. Ut Melam omittamus, id ἐκ διαμέτρου contrarium Strabonis verbis. Primum ait Padum ὀξύν τε καὶ πολὺν ab origine fluere, quod ſignum non eſt fluminis ex humili loco manantis. Addit deinde in progreſſu majorem fieri, ac placidiorem. Ubi vero in planitiem devenerit, ἐν δὲ τοῖς πεδιάσι ἤδη γινόμενον, tum dilatari, & violentiam rheumatis ejus imminui. Non igitur ex locis humilibus, ſed ex montanis, & excelſis ſe proruit Padus. Id clarè, ac diſertè tradit Strabo. Scribit enim Vocontios, Siconios, & Tricorios, Medulloſque altiſſimis cacuminibus Alpium inſidere. Ἀνώ τε, inquit, ἔν τισι κοίλοις χωρίοις λίμνη τε συνίσταται μεγάλη, καὶ πηγαὶ δύο οὐ πολὺ ἄπωθεν ἀλλήλων. Ex uno illorum fontium Druentia oritur, & Durias: ex altero Padus ipſe. Fons igitur Padi in ſuperiore loco. Quod confirmat Plinius, Padum Veſuli montis inter Alpes altiſſimi gremio fundi aſſerens. Scribe igitur in Strabone: ἐκ δὲ τῆς ἑτέρας, οὐ ταπεινότερος τούτων ἀναδίδωσιν αὐτὸς ὁ Πάδος: ex altero fonte non humilior, aut exilior iſtis profluit Padus. Id eſt fluviis nominatis, Druentia & Duria, qui ex vicino fonte ortum capiunt. Ex quibus Durias etiam Pado miſcetur. Ταπεινοὶ ποταμοὶ dicuntur humiles, & exiles. Vox χωρίων addita fuit ab imperitis, qui hujus loci mentem aſſequi non poterant. Nihil verius noſtra emendatione, & explicatione. Vide locum, & fateberis.

Viſendo fonte in Ligurum finibus] Codices ſcripti, partim *viſenno*, partim *viſennio*, in quibuſdam etiam, *viſcntio*. Quaſi nomen proprium eſſet fontis, unde Padus oritur. Perperam. *Viſenno*, pro *viſendo* vitioſo ſcribendi more, qui in multis obtinuit. Sic *Solondius* & *Solonnius* apud Florum: *diſtennere* pro *diſtendere*: & *pennere* pro pendere, unde *arvipennium* pro *arvipendium*. Plinius de Pado: *finibus Ligurum Vagiennorum, viſendo fonte profluens.* Eo fortaſſe viſendus fons Padi, quod in alto. Martianus Capella, qui Solinum tranſcribit, *mirabilem* dixit.

Rurſus in agro Vibonenſi extollitur] Nullus ager Vibonenſis in Italia præter eum, qui à Vibone Valentia dicitur. At ille longè ab his locis. Forovibienſium agrum nominat Plinius, in quo iterum exoritur, & extollitur Padus. An ita heîc reponendum? *in agro Forovibienſi.* An curtatè pro eodem, *Vibienſi*? Forum Vibii, Vibiforum hanc urbem vocat Plinius. An error Solini eſt, qui Vibonenſem pro Forovibienſi aliud agens, & hallucinans ſcripſerit? Certè Martianus, qui Solinum exſcribit, ut Solinus ipſe Plinium, *Bibonenſem agrum* vocat in ſcriptis codicibus, pro Vibonenſi ſcilicet. Ita enim ſcribit de Pado: *ac dehinc fluvius merſus in penita telluris, in parte agri Vibonenſis emergit, canis ortu diffuſior.* Editiones habent *Vibienis*. Sed ſcripti omnes, ut dixi, *Bibonenſis* legunt. Qui Solino æquior eſſe volet, ſcripſiſſe eum contenderit, *in agro Vibienſi*. Erraſſe verius eſt.

Intumeſcit exortu canis, tabefactis nivibus] Plinius: *augetur ad canis ortus liquatis nivibus agris quam navigiis torrentior, nihil tamen ex rapto ſibi vindicans, atque ubi liquit agros, ubertate largior.* Quid illa ſibi volunt, *agris, quam navigiis torrentior*? An fluvii ita ſunt agris torrentes, ut non ſint navigiis? Imo quid eſt fluvius torrens navigiis,

A aut agris? ſcripti omnes legunt, *agris quamvis torrentior.* Hinc optima conjectura lego: *agris, quamvis torrentior nihil tamen ex rapto vindicans, atque ubi liquit, etiam ubertate largior.* Nam & ſcripti, *agros* non repetunt. Hæc natura torrentium fluviorum, ut aliis agris aliquid ex rapto vindicent, & adjudicent, aliis vero adimant, & tollant. Quod negat facere Padum Plinius, quamvis torrentiorem, affirmat tamen Lucanus his verſibus:

Illos terra fugit dominos, his terra colonis
Accedit donante Pado.

B Juriſconſultus ait flumina cenſitorum vice fungi, & ex privato in publicum, ex publico in privatum addicere. Perperam igitur apud Plinium legitur, *nihil ex rapto ſibi vindicans*, quod loci corrumpendi anſam præbuit. Optimus codex Rigaltii noſtri habet, *ibi vindicans.* Unde veriſſimè emendamus, *abjudicans.* Non injurius eſt torrens illis agris, quibus aliquid adjicit per alluvionem, ſed quibus quid ex rapto abjudicat, & tollit, vice iniqui cenſitoris. Dicit Plinius Padum quamvis torrentiorem, agris tamen nihil ex rapto abjudicare, atque etiam ubi liquit, ubertatis largitorem eſſe. Sic agris eum non nocere, immo etiam prodeſſe.

C *Et liquentibus brumæ pruinis*] Libri plerique: *relinquentibus* pro *reliquentibus* videlicet. *Reliqueſcere*, ut liqueſcere.

Auctuſque aquarum acceſſione] Varia lectio ex ϖροεκδόσει, *aquarum agminibus.* Aquarum, & fluviorum agmen dici, præſertim apud Poëtas, pluſquam notum eſt. Virgilius:

---- cœlo venit agmen aquarum.

Grammatici interpretantur *impetum.* Sed *agmen* ſignificat ſimpliciter fluentis aquæ motum. Nam & *leni agmine fluere* dicitur fluvius: Sic apud Poëtam, *extremaque agmina caudæ.* Ceterùm *aquarum agmina* etiam infra dixit noſter: *multis aquarum agminibus auctum.*

D Pag. 11. B. *E memorabilibus inclytum*] Ita libri. Vulgo: *eſt è memorabilibus inclytum.*

Perpaucæ familiæ ſunt in agro Faliſcorum, quos Hirpos vocant] Faliſci iſti in vicino urbis tractu via Flaminia, diverſi à Faliſcis Etruſcis. Hi ſunt qui dicebantur *Æqui Faliſci.* Strabo: οἱ δ᾽ Αἴκουμ Φαλίσκον λέγουσιν ἐπὶ τῇ Φλαμινίᾳ ὁδῷ κείμενον μεταξὺ Ὀκρίκλων καὶ Ῥώμης. Prope Soractem ſcilicet montem, ad quem Hirpi iſti in Faliſcorum agro poſiti annuum ſacrificium Apollini faciebant. Servius: *Soractis mons eſt Hirpinorum in via Flaminia collocatus.* Vitruvius agri Faliſci in

E via Flaminia meminit lib. VIII. *Agro autem Faliſco via Flaminia in campo Corneto eſt lucus, in quo fons oritur, ubi anguium, ac lacertarum, reliquarumque ſerpentium oſſa jacentia apparent.* Perperam apud Vitruvium editur hodie: *via campania*, nulla enim via Campania. Hi Faliſci viæ Flaminiæ, alii, ut jam dixi, à Faliſcis Tuſciæ: quorum urbs Falerium, & colonia Faliſca, cognomine Etruſcorum, quæ & *colonia Junonia* dicebatur. Frontinus: *Colonia Junonia, quæ appellatur Faliſcos.* Junonia autem dicta, quod Junonem impendio colerent illi Faliſci. Ovidius:

Ille ſuos docuit Junonia ſacra Faliſcos:

F *Quos Hirpos vocant.*] Plinius lib. VII. cap. I. *Haud procul urbe Roma in Faliſcorum agro familiæ ſunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ: quæ ſacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes, non aduruntur.* Hirpios vocat, qui Solino Hirpi. Sed in optimo Codice ita legitur: *perpaucæ familiæ ſunt, quæ vocantur Hirpiæ: ſacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem.* Lege: *quæ vocantur Hirpi: hæ ſacrificio annuo*, &c. Sic & Solinus hoc loco: *quos Hirpos vocant: hi ſacrificium annuum ad montem Soractem Apollini faciunt.* Hi igitur Hirpi familiæ ſunt in agro Faliſcorum, eæque perpaucæ, non populi: & diverſi ſunt ab Hirpinis populis Samnitium vicinis, Lucanorumque. Male ergo

G Servius Hirpinos populos cum Hirpis confundit. *Soractis*, inquit, *mons eſt Hirpinorum in Flaminia collocatus.* Immo Hirpini longè à Soracte, nec Soracte mons Hirpinorum. Quæ ſcribit ibidem de ſacro Ditis patris, & de lupis, qui Sabinorum lingua *Hirpi* vocati, deque ſpecu peſtiferum halitum ex ſe emittente, ad Hirpinos Samnites omnia referenda. Non Sabini, ſed Samnites Lupum, *hirpum* vocabant. Strabo: ἑξῆς δ᾽ εἰσὶν

Ἱρπῖνοι

Ἱρπῖνοι κ᾽ αὐτοὶ Σαννῖται· τοὔνομα δ᾽ ἔσχον ἀπὸ τοῦ ἡγησαμένου λύκου τῆς ἀποικίας, ἵρπον γὰρ καλοῦσιν οἱ Σαννῖται τὸν λύκον. Ἅρπος vox antiqua Græca, quæ lupum significabat, à rapacitate. Nam ἅρπω rapio, inde & ἅρπη, milvus, avis rapax. Latine *Hirpus*, ut ἅρπαξ. *Hirpex*. Ita & Samnites vocarunt. Specus autem ille pestifer, cujus spiritus juxta stantes necabat, apud Hirpinos erat. Plinius lib. II. cap. XCIII. *Item in Hirpinis Amsancti, ad Mephitis ædem locum, quem qui intravere moriuntur.* Hujus mentio apud Virgilium:

Est locus Hesperiæ in medio, sub montibus altis
Nobilis, & fama multis memoratus in oris
Amsancti valles.

Quem locum Servius esse dicit in latere Campaniæ, & Apuliæ, ubi Hirpini sunt. Ait autem Donatum dicere Lucaniæ esse. Sanè Hirpini Lucanis vicini. Strabo de Hirpinis: συνάπτουσι δὲ Λευκανοῖς τοῖς μεσογαίοις. Hi sunt & Hirpini, de quibus Livius lib. XXV. *eadem æstate ab Nola, quam præsidio tenebat, crebras excursiones in agrum Hirpinum, & Samnites Caudinos fecit.* In monte vero illorum Hirpinorum, ubi Amsancti, sacrum Diti persolvebatur quotannis: Nam spiracula Ditis, & aditum inferorum ibi collocabant. Nihil itaque illi commune habuere Hirpini cum familiis Hirporum, quæ in agro Falisco annuum sacrum Apollini ad montem Soractis faciebant. Miraculum, quod heîc narratur. Ejus fidem ut elevaret, aut eluderet potius Varro, Hirpos ambulaturos per ignem certo medicamento plantas sibi ungere solitos esse scripsit. Hic cum medicamentum quoddam describeret, *eo*, inquit, *uti solent Hirpini, qui ambulaturi per ignem medicamento plantas ungunt.* Ita legendum apud Servium Varronis verba citantem, qui Hirpinos etiam vocavit pro Hirpis, nisi Servius imponit. De Hirpinis tamen Samnitibus certum est non posse intelligi. Nec enim illi ad Soractem montem habitabant, à quo longe dissiti, nec in agro Falisco morabantur; nec iidem omnino cum Hirpis erant.

Ad montem Soractis] Ita libri. Sic *torrens Vercelli*, Floro. Sic *herba Lapathi* Horatius.

Id operantes gesticulationibus religiosis.] Vulgo: *idque operantes.* In uno Regio, *adoperantes.* In alio: *id operantes.* Quomodo reposuimus. Distinguendum etiam: *id operantes gesticulationibus religiosis, impune insultant ardentibus lignorum struibus.* Strabo: γυμνοῖς ποσὶ διεξίασιν ἀνθρακιὰν καὶ σποδιὰν μεγάλην οἱ κατεχόμενοι ὑπὸ τῆς δαίμονος ταύτης ἀπαθεῖς. Sed divæ Feroniæ cærimoniam illam fieri dicit, & θαυμαστὸν ἱεροποιΐαν vocat. Et notandum, quod per ἀνθρακιὰν & σποδιὰν tantum eos ambulare scribit, postquam scilicet jam desedisset lignorum ardentium strues in carbonem & cineres. Quod & Virgilius sequitur:

---- *& medium freti pietate per ignem*
Cultores, multa premimus vestigia pruna.

Unde & Varro religionis illusor, medicamento quodam plantas eos illinere dicebat, quod igni resisteret. Plinius quoque, *super ambustam ligni struem ambulantes eos non aduri* dixit. Igitur cum jam ambusta erat ligni strues, nihilque præter carbones & prunam supererat, tunc pedibus nudis per eam ambulabant. Solinus Plinii simius aliud tamen quam Plinius hoc loco dicit, dum ardentibus lignorum struibus Hirpos insultare scribit. Aliud *lignorum strues ardens*, ἡ ἁπτομένη πυρά, aliud *ambusta*; cum jam scilicet consumpta est, & in prunas soluta. Aliud, ambulare per mediam prunam ambusti lignorum acervi. Aliud, insultare ardenti adhuc pyræ. Medicamentum, quo sibi plantas ungebant Hirpini ambulaturi per ignem, nihil profuisset insultantibus medio ardentium lignorum acervo: Nec enim pedibus tantùm fuisset ab igne periculum metuendum: Sed is est Solinus: verba tantummodo curat, rerum securus, quas digerit, miræ ubique ablepsiæ incusandus.

In honorem rei divinæ flammis parcentibus] Quis hanc lectionem jure possit improbare? immo quis non merito probet? in libris tamen omnibus, quos videre potuimus, legebatur: *in honorem rei divinæ flammis parentibus.* Ad marginem optimi Regii adscriptum: *vel, parcentibus.* Quod verum puto. Cornelius Severus in Ætna:

A ---- *ac nullis parsura incendia pascunt*
Vel solis parsura piis.

Cujus devotionis mysterium munificentia senatus honorata.] Ita reposuimus ex libris. *Honorata* activè pro honorans, vel cum honorasset. Sic suprà: *egredientem in littore occurrens honoratus est.* Ad quem locum vide, quæ observavimus. Ex iisdem libris addidimus, *Hirpis perpetuo consulto omnium munerum vacationem dedit.* Cum in vulgatis hactenus, *perpetuò* tantum legeretur. Plinius: *& ob id perpetuo senatusconsulto militiæ, omniumque aliorum munerum vacationem habent.*

B *A Circa filio hi genus ducunt.*] Sic libri rectè. Non *Circes.* Sic enim veteres hæc Græca nomina Latinè extulerunt, *Circa, Nioba, Semela.* Ita & Plinius hoc loco in vetustis exemplaribus: *simile & in Italia Marsorum gentis durat; quos a Circæ filio ortos ferunt.* Paulo ante Solinus: *Phlegræi campi, Circæ domus.*

Pag. 11. C. *Æeta tres filias Angitiam, Medeam, & Circen.* Circe est Κίρκη Græce: Medea, Μήδεια. *Angitiam* quomodo Græci nominabant? si una hæc fuit ex tribus Æetæ filiabus, oportet eam Græcos novisse, sed non isto nomine, quod merè Latinum est. Rectius illi, qui Medeam ab Italis Angitiam vocatam fuisse volunt. C Eam Marsi, & Marrubii hoc nomine coluerunt. Glossæ: *Angicia*, Μήδεια. *Angicia*, propriè est ἡ ἐχῖτις, ἡ Ἐχιδναῖα, quod potestatem in serpentes haberet, ut omnes habent φαρμακεῖς. *Anguis*, ex Græco ἔχις. Siculi Dores dicebant ἄχις: ut ἄρταμις, ὄναιρον. Addito N, ut mos erat Latinorum, *anguis.* Sic ἔγχελυς, *anguilla.* Mutabant autem, X in G, ut ἄγχω *ango*: δοχὴ, *doga*: χαλβάνη, *Galbanum.* Sic *angis* ἔχις: *Angitia*, ἡ ἐχῖτις.

Circen Circejos insedisse montes.] Editi vulgo: *Circæos.* Libri nostri, & Latini fere omnes scriptores. *Circejos*, quasi Κιρκήϊος Græci dixerint, ut à Semele, Σεμελήϊος, D unde *Semeleïa proles*, Bacchus: *Dioneïa* de Venere apud Arnobium. At Græci Κιρκαῖον, & Κιρκαίους passim nominant.

Cum dedisset hominem vivere, deam habitam.] Hæc lectio omnium membranarum, cujus hic sensus est: Angitiam salutaribus remediis morbos evincentem, cum homini jam desperato, & pæne conclamato vitam reddidisset, pro dea habitam fuisse. Loquutio poëtica, & Virgiliana, qualis sæpe usurpatur:

---- *tu das epulis accumbere vitam.*

At quod prius vulgabatur, *cum dedisset hominem vivere*, Latinum non erat, nec ferendum.

E *Denique Amunclas, quas Amyclas ante Græci condiderant.*] Et heîc lectionem, quam habuere vetustiores membranæ, reposuimus. Serpentes, inquit, in Italia fugavere Amunclas, quas Græci ante condiderant, & Amyclas vocarant à Laconicis Amyclis. In transitu notat hic Grammaticus, quas Amyclas Græci vocabant, *Amunclas* Romanis appellatas. Sic multis nominibus Græcis literam N inserebant. Ut *Rhuncus* Nævio, qui Ῥοῖκος. *Thensaurus*, nam ita scribebant, θησαυρὸς, Λυντὴρ, *Lunter.* Et similia. Notum alias urbium majoris Græciæ nomina leviter immutata Latinos pronuntiasse. Ἱππώνιον, *Vibo.* Τάρας, *Tarentum.* Σηπιοῦς, F *Siputum.* Μαλόεντος, *Maleventum.* Sic Ἀμύκλαι *Amunclæ.* Hoc indicare voluit Solinus à professione non recedens. Alias pronum erat legere: *denique Amyclas, quas ante Græci condiderant, serpentes fugavere.* Amyclas pro Amyclæis. Sic Plinius, quem imitatur: *& ibi fuere Amyclæ à serpentibus deletæ.* Vulgo legebatur ex correctorum conjectura: *denique habitatores ab Amyclis serpentes fugavere.*

Pag. 11. D. *Calabria chelydris frequentissima.*] Editiones ante Delrianam habebant *chersydris.* Quod & schedæ Palatinæ, & alii quidam scripti retinent. Ex Virgilio legi oportere *chelydris* affirmat Delrius. G Quam bene, nescio. Mentio *chelydrorum* apud Virgilium Georg. III. Sed ibi Servius *chelydros*, quasi *chersydros* dictos ait. Nugatur quidem ille Grammaticus: verum ex eo constat chelydros, & chersydros eosdem esse. Et Isidorus: *chelydros serpens, qui & chersydros dicitur.* χέρσυδρος quidem dictus, quod in aquis, & terris moretur. Sic ὑδρόχερσον θηρίον Pisidæ, τὸ ἀμφίβιον. Ita enim crocodilum appellat. At χέλυδρος ab asperitate testudinei

dinei tergi, vel, quod more testudinis, quæ χέλυς dicitur, in aquis & terris vivat. Distinguit tamen Lucanus chelydros à chersydris:

Chersydros, tractique via fumante chelydri.

De his chelydris intelligit Macer, cujus & versus sunt ita legendi: ---- *seu terga exspirant fumantia virus*
Seu terra infumat, qua tæter labitur anguis.

Meliores libri heîc apud Solinum *Chelydris* legunt. Certè vetustissimi scriptores Chelydros à chersydris distinxere, quos recentior ætas auctorum perperam confundit. Nicandro Χέλυδρος est δρυΐνης, & fortasse à χέλυς & δρῦς nomen habet. At χέρσυδρος idem quod ὕδρος, qui & in terra degit. Interpres Nicandri: ὁ χέρσυδρος ὕδρος πρότερον ἐκαλεῖτο, ὕστερον δὲ χέρσυδρος, διὰ τὸ ἐν ὕδατι καὶ ἐν χέρσῳ διατρίβειν.

Et Boam gignit.] Plinius *Boam* dictam autumat, quod alatur bubuli lactis succo. Falsa ἐτυμότης. Nec enim hoc proprium Boæ, sed omnium serpentium esse sciunt nostræ rusticæ. Lactis omnes avidæ sunt, & colubri plerumque in pastu, pedibus vaccarum circumvoluti posterioribus, lac ex uberibus usque ad sanguinem sugunt. Festus, Boam aquatilem esse serpentem, quem Græci ὕδρον vocant, à qua icti obturgescunt. Unde tumor crurum viæ labore collectus *boa* quoque dicitur. Hæc nihilo veriora. Boa serpens aquatilis ex Greco δύης, quod idem est, ac δύτης. Æoles Bœotii dicebant, βύης, inde *boa*, ut φύπης, *popa*. Δύης & δύτης, idem est quod κολυμβητὴς. Hesychius: δύπτης, κολυμβητὴς, δύτης. Dicebatur & δύης pro eodem. Sic ἀμμοδύης & ἀμμοδύτης, idem alterum genus serpentis, qui Græcè sciunt, norunt me verum loqui. Natricem eamdem cum boa faciunt Glossæ: *Natrix, boa*, ἔχιος εἶδος. Ita scribendum. *Boa* vero pro tumore, qui ex labore viæ in cruribus colligitur, aliam habet originem, sed æquè Græcam. Δύη est κακοπάθεια, πόνος, ταλαιπωρία. Æolicè βύη. Latinè *boa*. Sic δερτὺρ, βερπὺρ *Verber*. Δέλφυς, βέλφυς, *vulva*. Κλάδα, κλάβα *clava*. Iidem & βύπλην dicebant, qui aliis δύπλης.

Ad immensam molem ferunt convalescere.] Ita scripti. Quod vereor, ne sit pro *conalescere*: & *coalescere* dicebant. Ut *cohivus*, & *conivus*. Unde *conivere*, & *cohivere*. Sic *conauditum*. Festus: *conauditum, coauditum; sicut conangustatum dicitur*. Glossæ: *conadunare*, συναγαγεῖν. Sic *coninquere*, & *coinquere*. Idem Festus: *coinquere, deputare*. Ita enim legendum ex veteri libro. *Deputare* autem idem quod simplex putare. Idem alibi: *coinquere, cohercere*. Ita etiam scribendum ex eodem veteri codice. Idem est autem *coninquere*, & *coinquere*, deputare, & cohercere arbores. Vetus inscriptio apud Gruterum: *earumque arborum adolefactarum & coinquendarum, ut in eo luco aliæ sint reposita*. Trebatius apud Servium, lib. de Religionibus septimo: *Luci, qui sunt in agris, qui concilio capti sunt, hos lucos eadem cærimonia coinquiri, haberique oportet, ut ceteros lucos, qui in antiquo agro sunt*. Perperam, *conquiri* legitur. At pro *coinquere* dixerunt etiam *quinquere*: ut *quaxare* apud Festum pro *coaxare*. Inde Sosipater, *quinquatrus* dicit dictas, *à quinquendo, id est, lustrando, quod eo die arma Ancilia lustrari sint solita*. Pro *quinquere*, rursus vitiosiore scriptura, *cincere*, & *cingere*. Unde *cingere arbores* in jure. Quod manifestè positum est pro *quinquere* & *coinquere*. De qua voce nos alibi plura. Ut *coinquere*, sic *conalescere*. Plinius, adolescere dixit in eadem re: *Megasthenes scribit, in India serpentes in tantam magnitudinem adolescere, ut solidos hauriant cervos, taurosque*. Retineri tamen potest, *convalescere*. Sic infra de Euphrate, *receptis in se aliquot amnibus convalescit*. Qua de re in sequentibus dicam. Ita & crocodilum ad viginti ulnas magnitudinis evalescere, alibi scribit.

Suctuque continuo saginata] Plinius de Boa: *aluntur primo bubuli lactis succo*. Quid est, primus bubuli lactis succus? An *primò* accipiendum adverbialiter? ut dicat primò quidem eas ali bubuli lactis succo, deinde depopulatis ipsis animantibus, regiones totas vastare? Ita quidem Solinus. Apud Plinium nihil tale. In occisæ Boæ alvo repertum esse solidum infantem scribit. Ergo & infantes solidos hauriebant: sed postquam longa saginatione bubuli lactis in magnam molem exierant. Primò igitur bubuli lactis succo alebantur. In quibusdam scriptis codicibus ajunt reperiri *trivo*, pro *primo*. Forte fuerit: *aluntur privo bubuli lactis succo*. Ut privum, ac peculiare alimentum boæ sit lac bubulum: unde & nomen eis datum. Juvenalis quoque in hac voce corrigendus lib. III. sat. VIII.

---- *privum aliquid da*
Quod possim titulis incidere præter honores.

Aliquid da, quod tuum sit. Nam quæ tua majores præclare gesserunt, tibi adscribi non debent. Male editum est, *primum aliquid da*. Horatius: ---- *turdus*
Sive aliquid privum dabitur tibi, devolet illuc.

Ita fellebri satietate] Scribendum: *felebri*. Θηλᾶν Græcum. Æolicum, φηλᾶν. Ut θῆρες, φῆρες. Unde Latinum, *felare*. A verbo *felo*, *felebre*, τὸ θηλάσιμον, θηλατόν. Ut ab *alo* θρέφω, *alebre* τὸ θρέψιμον. Festus: *Alebria, bene alentia*. Glossæ: *alebris*, εὔτροφος, θρέψιμος, τροφεύς. Ita legendum. Isidorus: *alebria, bona, quibus alimur. Alebre, alimentum*. Sic ergo & *felebre*, quod felat & sugit. Isidorus: *Felebrem, adhuc lacte viventem*. Sic legendum.

Denique Claudio principe, ubi Vaticanus ager est] Hæc una ex Solini elegantiis, *ubi Vaticanus ager est*, pro eo, quod apud Plinium legerat, *in Vaticano*. Addiderant in editionibus correctores de suo penu: *in loco, ubi Vaticanus ager est*.

Italia lupos habet, quod cum ceteris simile non sit, homo, quem prius viderint, conticescit] Editum in prioribus: *qui cum ceteris similes non sint*. Inepte. Quasi lupi Italici ceteris similes non sint. Hoc habent, quod cum ceteris simile non est: homo, quem prius viderint, loqui non quit. Genus loquendi haud protritum, *similem esse cum aliquo*, eoque heîc ab imperitis malè acceptum. Florus: *habent quiddam simile barbari cum nivibus suis*. Melius etiam fortasse legeris hoc loco. *In Italia lupus habet, quod cum ceteris simile non sit: homo, quem prius viderit, conticescit*: & verissimum puto. Id habet peculiare in Italia lupus, & quod cum ceteris simile non sit. Plinius confirmat: *Sed in Italia quoque creditur luporum visus esse noxius; vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad præsens*. Inter auguria lupus ad dextram commeans, præciso itinere, & ore pleno, omen præstantissimum. Plinius: *si pleno id ore fecerit, nullum ominum præstantius*. Ita scribimus. Vulgo: *nullum omnium*. Nec melius corrigunt: *nullum omnino*. Scripti: *nullum hominum*.

Pag. 11. E. *Et anticipatus obtutu nocentis adspectus*] Hæc lectio librorum. Vulgo erat tantum: *& anticipatus obtutu nocentis*. Saltem legi debuit: *obtutu nocenti*. Rectum est quod edidimus. *Adspectum nocentem* dixit, ut Plinius, *noxium visum*: & *obtutum* pro verbo *contemplari*, quo usus est Plinius:

Spectatissimum illud est: caudæ hujus animalis] Libros sequi placuit. In excusis legebatur: *spectatissimum illud est, quod caudæ hujus animalis*.

Quem spontivo damno amittit, cum capi metuit] Et hanc ex libris lectionem restituimus. Vulgatorum hæc erat: *quem spontaneo damno abjicit*. Nec video, quare à sponte deduci non possit *spontivus*. Quod ad rem ipsam attinet, è Plinio habet, cujus hæc verba sunt, *quin & caudæ hujus animalis creditur vulgo inesse amatorium virus exiguo in villo, eique qui captatur, abjici, nec idem pollere nisi viventi direptum*. Aliter habetur apud Plinium in impressis: sed quam posuimus scripturam, conjectura elicuimus ex vetustis, qui habent: *eumque, qui capiatur, abjici*. Abjici eum villum ait lupo, qui captatur, quod omnibus animalibus invidentibus naturale est. Solinus ait, eum abicere, cum capi metuit. Id satis intelligitur ex Plinianis. Vulgata apud Plinium dicit, tunc abjicere cum capitur. Qui captatur, is est, qui capi metuit.

Pag. 11. F. *In hoc animalium genere numerantur & lynces*] Libri: *nominantur*. Vulgatam firmare videtur Isidorus: *Lynx dictus, quia in luporum genere numeratur*. Quod habet ex hoc Solini loco. Sed quis unquam prodidit in luporum genere lyncas numerari? Quæ similitudo lyncis, & lupi? Aliqua saltem in nomine Græco. Λύκος & λύγξ. Ita interpretatur Isidorus: *unde & iste lycus, iste lynx*. Deinde, quid lynces ad hoc caput, quo res Italicæ narrantur? Lupi ad Italiam pertinebant aliquatenus, quia peculiare aliquid habent Italici præter ceteros. In luporum genere, ut ait Plinius, cervarii,

jam nihil isti ad Italiam. Lynces, multo minus. Quorum historiam ut adtexeret huic capiti, finxit eos ex luporum genere esse. Quod est absurdissimum. Sed hoc in Solino jam mirari desii. Hoc habeat saltem simile lupo cervario lynx, quod maculis similiter distinctus est. Non propterea in luporum genere. Certè Plinius, à quo hæc omnia de lyncibus, deque lupis mutuatus est, nusquam hoc scripsit.

At hi, quos cervarios dicimus] Perperam persuasum viris doctis lupos cervarios esse, quos Græci θῶας vocant. Quod est falsissimum, ut pluribus alibi ostendam. Plinius: *sunt in eo genere, qui cervarii dicuntur: qualem è Gallia in Pompeji Magni harena spectatum diximus.* Id vero dixit cap. XIX. ejusdem libri his verbis: *Pompeji Magni primum ludi ostenderunt Chama, quem Galli Rufium vocabant, effigie lupi, pardorum maculis.* Ita libri scriptum exhibent. In Indice tamen habetur, *De Chao. De cephis.* Ut planè legendum sit: *ostenderunt Chaum.* Chaus igitur nomen lupi cervarii, quem Galli vocabant *Rufium.* Plurimi hodieque in Gallia lupi cervarii, nulli Thoes, qui variis Græciæ locis frequentes. Ideo è Gallia advectus ille lupus cervarius, quem harena Pompeji primum exhibuit. Thoas alibi descripsit Plinius ex Aristotele, quem vide cap. XXXIII. Plura porro Thoum genera: ex panthera & lupo mixto genere fieri tradunt Græci. Unde λυκοπανθῆρες eos vocarunt Græci recentiores. Alii ex hyæna, & lupo concipi eos dixere. Hesychius: Θῶας, θῆρας ἐξ ὑαίνης καὶ λύκου γινομένους. At in Gallia nullæ nec hyænæ, nec pantheræ, quæ tamen lupos cervarios habet multos. Falluntur & qui *Genetam* putant esse. De qua infrà.

Quarum urinas coire in duritiem pretiosi calculi.] Λιθοῦσθαι ἅμα τῷ ἐξουρηθῆναι. Dioscorides. Plinius lib. VIII. cap. XXXIX. *Lyncum humor ita redditus ubi gignitur, glaciatur arescitve in gemmas carbunculis similes & igneo colore fulgentes, lyngurium appellant.* Nugantur, qui legunt, *glaciatur, concrescitve.* Dubitat Plinius utrum humor, quem reddunt lynces, frigore concrescat, an calore. Quæ frigore indurantur, *glaciari* propriè dicuntur. Quæ calore densantur, *inarescere.* Sic *salem inarescere* scribit, qui solis ardore concrescit. Sic *bitumen inarescere* dixit Tacitus *vapore terræ, & vi solis.* Quod tamen frigore congelari alii putarunt.

Arenarum cumulis quantum valent contegunt] Constanter libri: *arenarum tumulis.* Rectè. Nam *tumulus* propriè est, collectio aggestæ terræ. Glossæ: *tumuli,* βουνοί, λόφοι, τύμβοι, σωροὶ γῆς. Festus: *Grumus, terræ collectio minor tumulo.* Glossæ: *Grumi,* τύμβοι. Eædem Glossæ: *Grumili,* οἱ διορίζοντες σωροὶ λίθων. Ita scribendum. Nec enim lapides *grumili*, sed lapidum acervi, aut etiam terræ ad disterminandos agros. Glossæ Isidori: *grumulus, agger.* Hinc & *grumulus* pro qualibet coacervatione. Paulinus epist. III. ad Severum: *& ut totam juxta dei verbum confectionem prophetici panis impleret, lentem quoque & hordeum & viciam miscuisset in grumulum*, id est, in acervum, & struem miscuisset. Ita legendum ex veteri scriptura; quæ *Crumilum*, & *Crubilum* habet. *Grumulus* est quælibet aggestio. *Tumulus* propriè tumor terræ. *Terrarum tumores* in agrimensoriæ auctoribus pro terminis, quos & *Butuntinos* appellabant, quia apud Butuntos hujusmodi terræ tumuli, sive tumores pro terminis haberentur. *Butunti* Italiæ populi. Martialis:

Hæc malo quoque Flacce quam Butuntos.

Bitunti dicuntur in tabula Peutingeriana. Inde *Butuntinus ager* apud Frontinum. De his nos alibi. *Tumuli* igitur *arenarum* nihil aliud sunt, quam arenarum & terræ aggestus, quibus urinam operiunt lynces.

Invidæ scilicet ne talis egeries.] Antiqui libri: *invidiæ scilicet.* Fortè, *invidia scilicet.* Græca loquutio. Ita scripsisse Solinum testis Isidorus, qui hæc ad verbum transcripsit, ac transtulit in suas Origines: *nam egestum liquorem arenis in quantum potuerint, contegunt: invidia quadam naturæ, ne talis egestio transeat in usum humanum.*

Ut Theophrastus perhibet.] In libro περὶ τῶν λεγομένων ζώων φθονεῖν. Cujus adhuc fragmentum extat, in quo hæc de lynce: καὶ ἡ λὺγξ κατακρύπτει τὸ οὖρον, ὅτι πρὸς τὰς σφραγῖδας, καὶ πρὸς ἄλλας χρείας ἐπιτήδειον. Hunc locum intelligebat Solinus.

Lapidi isti ad succinum color est] An non sic melius, & A elegantius libri? Vulgo: *lapidi isti succini color est.* Græca porro hæc loquutio. Τῷ λίθῳ τούτῳ πρὸς ἤλεκτρον τὸ ἐστί. Ita passim loquitur noster. Infrà: *honore, & pretio ad smaragdos.* Τῇ τιμῇ πρὸς σμαράγδους. Sic *Grammaticus ad Scaurum: Rhetor ad Fabium.* Apollonius: ἔρια φύει πρὸς Μιλήσια τῇ μαλακότητι.

Pariter spiritu attrahit propinquantia.] Plinius: *ceterum attritu digitorum accepta vi caloris attrahunt in se paleas, ac folia arida, & quæ levia sunt, ac ut magnes lapis, ferri ramenta quoque. Succina oleo addito flagrant dilucidius, diutiusque, quam lini medulla.* Sic lego Plinii verba illa ex scripturæ veteris vestigiis. De succino loquitur, quo B ferri ramenta quoque attrahi scribit Theophrastus περὶ λίθων, ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ ἤλεκτρον λίθος. Καὶ γὰρ ὀρυκτὸν περὶ Λιγυστικήν. Καὶ τούτῳ ἂν ἡ τοῦ ἕλκειν δύναμις ἀκολουθοίη, μάλιστα δὲ ἐπίδηλος, καὶ φανερωτάτη ἡ τὸν σίδηρον ἄγουσα. Rarum esse illud succinum ibidem dicit. Sed quid est, quod in illis Plinii verbis habetur, succina oleo addito dilucidius, ac diutius flagrare, quam lini medulla? Haud video, quam bene comparetur lini medulla cum succino. Lini medullæ mentio quidem apud Plinium lib. XIX. capite de lino. Sed stuppæ, non medullæ usus ad lucernarum lumina, ut ex eodem Plinio liquet. Præterea, non video, quam recta possit institui comparatio C succini accensi, cum lini medulla ardente. Quare scribendum auguror. *Quam pini medulla*, & verum est augurium. Ad faces, tædasque, ac nocturna lumina pinei generis arbores multo in usu veteribus. Harum medulla præsertim huic rei experita, quia maximè ἔνδαδος, ac resinosa. Theophrastus de arboribus tædiferis: τοὺς δὲ ἐξαιρεῖν αὐτοῦ τὴν καρδίαν. Τοῦτο γὰρ μάλιστα δᾳδῶδες. De pinu loquitur. Medullam arboris Latinè dici τὴν καρδίαν tralatitium est. Succinum porrò manare ex pinei generis arbore creditum veteribus, quod & facile accenditur. Dicit igitur succinum oleo addito D dilucidius, ac diutius flagrare, quam pini medullam. Atque hæc obiter. Lyngurium quoque ut succinum pariter attrahere proximantia tradit Plinius his verbis, quæ ita legimus: *nec folia tantum, aut stramenta, ad se rapere, sed æris tantum, ac ferri laminas Diocli Teophrastus credidit.* Dioclem non vidit Plinius, nec eum citat in indice, sed eum auctorem allegat Theophrastus in Lyngurii historia. Ἕλκει γὰρ, inquit, ὥσπερ τὸ ἤλεκτρον. Οἱ δὲ φασὶν οὐ μόνον κάρφη, καὶ φύλλα, ἀλλὰ καὶ χαλκὸν, καὶ σίδηρον, ἐὰν ᾖ λεπτὸς, ὥσπερ καὶ Διοκλῆς ἔλεγεν. In hoc nomen capillos conjugis suæ Poppææ adaptavisse Neronem scribit idem Plinius, *succinos* appellando in E quodam carmine. Sic legi placet apud Plinium, non *succina.* Nec aliter libri veteres. Nec enim succina capillos Poppææ appellaverat Nero, sed ἐπιθετικῶς, *succinos crines*, quasi qui colore succini essent. *Succinus* pro succineus. Sic *electrus* pro electrinus: *aurochalca vasa* pro aurochalcinis olim notavimus ad historiam Augustam. Sic & σουκινοι δάκτυλοι apud Artemidorum, *succini anuli*, qui ex succino: & *succina gemma* Martiali:

Repsit in obstantem succina gemma feram.

Lyngurium Græcè dicitur.] Ita nostri libri sine ulla varietate. Apud Theophrastum quoque, & Dioscoridem λυγγούριον appellatur. Λύγγους etiam, qui aliis λύγκες sunt, F vocat Artemidorus. Glossæ: λύγξ θηρίον, *lyngus.* Melius tamen λυγκούριον. Hesychius: λυγκούριον, τὸ ἤλεκτρον. Nam quidam Lyngurium cum succino confudere. Hunc porro lapidem *Ligurium* etiam quidam appellarunt. Ita vocatur Isidoro. Nec mendum est. Epiphanius: λίθος λιγύριον. Τούτου δὲ τὴν εὕρεσιν οὐδαμῶς ἔγνωμεν, οὔτε παρὰ φυσιολόγοις, οὔτε παρὰ τοῖσιν ἀρχαίοις περὶ τούτων μεμνημένοισιν. Bardus ille Cercopithecus, qui Epiphanium magis voluit, quam potuit illustrare, adnotat legendum esse λυγκούριον. Reperit scilicet, quod alii quærebant. Λιγύριον etiam vocat Josephus. Nec dubium est, quin & sic vocarint quidam, ab ea opinione, quod in Li- G guria inveniri credebatur. Theophrastus in Liguria effodi dixit, ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ ἤλεκτρον λίθος, καὶ γὰρ ὀρυκτὸν περὶ τὴν Λιγυστικήν. De Succino loquitur, sed cum Lyngurio, ut dixi, confundebant. Plinius: *alii dixere langurium, & esse in Italia bestias Languras. Zenothemis Langas vocat easdem, & circa Padum his vitam assignat. Sudines arborem, quæ gignat in Liguria. In eadem sententia & Metrodorus fuit.* Ex his cognoscere potes, quare λιγύριον huic lapidi

lapidi nomen fuerit, quod & λαγγύριον etiam dixere. Addit Epiphanius: εὕρισκεται ἢ λαγγύριον ὅτω καλέμϑμον λίθον, ὅν τινες τῇ τραχῇ διαλέκτῳ λαγγύριον καλῦσι. Καὶ τάχα οἶμαι τῦτο ἔιναι τὸ λιγύριον. Ita hic scribendus locus ex codice vetusto. Et rectè Epiphanius. Nam λιγύριον idem esse cum λαγγυρίῳ ex Plinio colligi potest. Hæc Plinium utique illustrant. Sed hæc plenius in nostro commentario de lapidibus.

Cicadæ apud Rheginos mutæ, nec usquam alibi] Mirus est vetustiorum librorum consensus legentium: *Cicadæ apud Rheginos mutæ, nec usquam alibi cicadæ quam Rhegio mutæ.* Hanc repetitionem auctoris esse, & aliquam inde elegantiam sermonis captasse an dicemus? Verius putem conflatam ex duabus lectionibus, ut in altera editione fuerit, *cicadæ apud Rheginos mutæ, nec usquam alibi:* in altera, *cicadæ nusquam alibi quam Rhegio mutæ.* Plus mille locis hoc fraudi fuisse huic auctori hæ notæ ostendunt. Alii codices habent, *in Rhegio.* Quod est Græcanicum. Ἐν Ῥηγίῳ.

Pag. 11. G. *Cum obmurmurarent illic Herculi quiescenti*] Ita legendum fuerat. Male vulgati. Antigonus in Mirabilibus: Ἡρακλῆς ἐν τινὶ τόπῳ τῆς χώρας τῶν Ῥηγινῶν κατακοιμηθεὶς, καὶ ἐνοχλέμϑμος ὑπὸ τῶν τεττίγων ηὔξατο αὐτὲς ἀφώνες γρυέθαι. Sequitur: *ultra cæteras sonent.* Proprie ἠχεῖν, unde ἠχέτας τέττιξ.

Ubi in supera attolluntur, naturalibus saxis derogati lapides fiunt] Hunc locum eadem, quæ sexcentos alios in hoc auctore, causa corruperat, ex utraque nimirum editione lectiones in unam confusæ. Quam reposuimus, eam fatemur in duobus optimis Regiis codicibus invenisse: quibus accedebat & codex Petri Danielis, & Petavianus, quem Mercerus vidit. Antiquissimus Regius ad oram adscriptum præfert: *genuinis natalibus derogatis lapis fiunt.* Quæ lectio fuit τῆς προεκδόσεως. Ex his duabus facta est vulgata quarumdam editionum, *natalibus derogatis lapides fiunt.* In aliis libris etiam depravatiores extant scripturæ. *Naturalia saxa* vocat noster, saxa in fundo maris, sub quibus, aut inter quæ nascitur curalium: & *naturale* huic auctori idem quod natale, vel genitale. Sic suprà *naturalem humorem* dixit, *quod si naturalis humor hæserit, decimus à conceptu dies dolore gravidas admonebit,* pro genitali materia. *Derogati naturalibus saxis,* detracti & exempti. *Derogare* Glossæ μειῶσαι interpretantur, ἐλλεῖψαι, χρεοκοπεῖν. Hoc verbum Solinus de curalio ideo usurpavit, quia, ut extrahatur fundo maris, ferramento præciditur, ut ait Plinius. Derogati igitur naturalibus saxis, decisi ac detracti natalibus saxis, & fundo maris saxeo: Festus: *derogare, detrahere est.* Unde & *derogare legi.* Ex eadem origine & *erogare* ἐξοδιάζειν, expendere, ac de summa detrahere. *Prærogare* quoque pro eodem, de quibus alias.

Nam puniceo protinus rubescunt] Plinius: *bacca ejus candidæ sub aqua ac molles: exemptæ confestim durantur, & rubescunt, quâ corna sativa, specie ac magnitudine.* Sic lego pro eo, quod editur: *quasi corna sativa specie ac magnitudine.* Sic Plinius loquitur, & noster hic Plinii simius. Id est, specie ac magnitudine, qua corna sativa. Solinus infra de solifuga: *animal perexiguum, qua aranei forma,* id est, forma, qua aranei. Notandus porro in illis Plinii verbis jocularis error, qui putavit rotunda grana illa, quæ vulgo etiam hodie tornantur ex corallio, baccas esse fruticis ipsius ita nascentes. Tale quid apud auctores, qui de Corallio scripserunt, nusquam reperitur. Commentum igitur Plinii est, ut alia infinita eadem moneta percussa.

Pag. 12. A. *Excuduntur ex illis multa gestamina*] Quidam libri: *excluduntur.* Perperam. Nec melius, qui legunt: *exsculpuntur.* Glossæ: *Excudo,* ἐκγλύφω, ἐκκολάπτω. Omnia autem, quæ gestantur ad ornatum, aut indutum, gestamina sunt. Plinius de corallio: *Aruspices eorum, vatesque, in primis religiosum id gestamen amoliendis periculis arbitrantur.* Idem de gemma quadam Indiæ: *hoc vectigal, hocque gestamen in cervice, & digitis gratissimum.* Sic multa ex corallio excuduntur gestamina. Vestes quoque hoc nomine appellantur, ut Græci φορήματα. Recentiores Græci φορεσίας vocant quælibet vestimenta.

Corallium alias dicunt] Meliores libri: *Curalium.* Atque ita in Plinianis. Græcum est κυράλιον. Ita vetustiores Græci appellaverunt. Ita apud Theophrastum scribitur. De Latinis quoque antiquiores quique. Ovidius:

> *Sic & curalium, quo primum contigit auras*
> *Tempore, durescit.*

Sic enim scribendum versus lege ostenditur, non *Coralium.* Dionysius:

> Πάντη γὰρ λίθος ἐςὶν ἐρυθρῦ κυραλίοιο.

Recentiores Græci, Latinique, κοράλλιον. Arrianus sic scribit in Periplu maris Erythræi. Hesychius: κοράλλιον, λίθος θαλάσσιος, ἐρυθρός. Glossæ: κοράλλιον, *margella. Corallia* apud Nemesianum. *Coralla* etiam dixit Avienus:

> ---- *fulvo tamen invenere corallo*
> *Quærere vivendi commercia.*

Plinius: *ajunt tactu protinus lapidescere si vivat, itaque occupari evellique retibus, aut acri ferramento præcidi: Qua de causa curalium vocitatum interpretantur.* Curalium ille, hoc est, κυράλιον ἀπὸ τῆς κυρᾶς, quod ferramento præcidatur, ac veluti tondeatur in mari; quæ interpretatio nullo modo possit convenire voci, κοράλλιον, ut recentiores id appellarunt. Κυράλιον, & κοράλλιον Græci vocant parvam κόρην. Pupæ maxime, & imagunculæ, quibus ludit puellaris ætas, ita vocantur. Hesychius: δαγύς, κυράλιον, νύμφη λευκόκηρος. Κυράλια quoque dicuntur Luciano, ut olim observavimus. Dioni Chrysostomo in Rhodiaca κόρας ὁμοίως δίδοτε τὲς ἀνδριάντας, ὥσπερ οἱ τὰς κόρας ταύτας ὠνέμϑμοι τοῖς παισίν. Hesychius: γελγία κυράλλια. Vitiose pro γέλγια. Idem alio loco: γέλγια, πήνη, σπάθαι, κυράλια. Græci proprie γέλγην vocant minutas merces omne genus, quas παντοπῶλαι circumferunt. Κυράλλιον igitur & κοράλλιον idem. Parva nempe puella, nec alia ratione moti recentiores, quod veteribus erat κυράλιον, dixere, κοράλλιον. Nam κύρη, & κόρη idem. Grammatici: τὸ ἢ κυράλιον ἐκ τῆς γοργόνος αἵματος ἀποςάξαι μυθεύεται, ἀφ' ἧς οἷα κόρης ὄσης, ἡ κλῆσις τῷ λίθῳ ἐνεκάθισεν. Inde & Γοργία quoque appellatum.

Metrodorus Gorgian nominat] Γοργείην. *Gorgonia* dicitur Plinio lib. XXXVII. cap. X. *Gorgonia nihil aliud est quam curalium. Nominis causâ, quod in duritiem lapidis mutatur. Emollit maria. Fulminibus, & typhonibus resistere affirmant.* Quid? curalium amollit maria? ergo nunquam non mollia, & pacata esse debent maria, in quibus provenit. Ridiculè. Scripti omnes legunt eo loco: *e mollit marina.* Unde bella nostra emendatio: *nominis causa, quod in duritiem lapidis mutatur è molli marina.* Gorgonia inquit ideo sic vocatur, quod è molli marina, dura fit & lapidea extra mare posita. Ἐξ ἐναλίε μαλακῦ ἔξαλον γινόμϑμον ἀπολιθῦται. Nihil verius. *Gorgonia,* & *Gorgia* idem. Illud ἀπὸ τῆς γοργόνος, hoc ἀπὸ τῆς γοργῦς. Unde apud Poëtam:

> ---- γοργείη κεφαλὴ δεινοῖο πελώρε.

Ex Pliniano porro indice corallii quoddam genus *pyriten* vocari adstruxerunt viri docti. Ita enim libri XXXVI. cap. XIX. titulus concipitur, ut in Indice, *de curalio vel pyrite.* In toto capite nihil de curalio. Caput ipsum sic incipit: *Molarem quidam pyriten vocant.* Error ex eo manavit, quod in veteri libro scriptum erat: *olarium quidam pyriten vocant.* Spatium primæ literæ in albo relictum fuerat, ut majore forma, & miniata scriberetur. Deinde transpositione facta in describendo exemplari *oralium* perperam irrepsit. Ex quo deinde factum *coralium.* Quæ menda etiam in Indicem propagata est. Scripserat Plinius: *Molarium quidam pyriten vocant.* Et in Indicis libro: *de molariis lapidibus pyritis.* Nam in optimo exemplari Rigaltiano extat scriptum: *de moraliis lapidibus.* Inde ergo, ut dixi, origo vitii, quo *molarius* lapis in *coralium* transiit. *Molarius* & *molaris:* ut *vulgarius* & *vulgaris.* In libro Hygini de constituendis limitibus Scriveriano nuper *molarium lapidem* legebamus pro molari: *omnibus tamen mediis tetrantibus lapides designemus ex saxo silice, aut molario, aut ne deteriore.*

Facie adeo jucunda, ut languentes intrinsecus stellas] Calamistris inussit, quæ simpliciora apud Plinium, & veriora: *Syrtiten è melleo colore croco refulgentem, stellas intus continere languidas.* Sensus Plinii est: Syrtitæ melleum colorem in croci fulgorem exire. Quæ non est assequutus Solinus cum istis verborum cincinnis: *Syrtites*

tites facie adeo jucunda, ut languentes intrinsecus stellas croceo colore perfundat. Nec dicit hæc, nec dicere voluit Plinius. Aliud est in gemma color, aliud fulgor. Color est, quem prima ἔμφασις exhibet, quo aut viridis, aut rubra, aut cærulea dicitur. Fulgor vero, qui in suspectu vel despectu, luce aliter, & aliter accepta variè nunc igne, nunc sole, nunc inclinatione excitatur, & radiat. Sic Syrtitæ color melleus, fulgor croceus. Sed de his alibi in nostro commentario de gemmis. Isidorus Plinii verba, & Solini miscuit ad hunc modum: *color ejus croceus, intus stellas continens elanguidas sub nubilo renitentes.*

Syrtites vocatur] Apud Plinium in antiquo codice: *Syrtides in littore Syrtium, jam quidem & in Lucania inveniuntur.* Vulgo: *Syrtitæ*, sed idem est, συρτίτης & συρτίς. Ut λυχνίτης & λυχνίς. Nam *Lychnides* dicuntur, & *Lychnitæ*. Κοχλίτης & κοχλὶς, *Cochlides*, gemmæ. Hoc etiam in aliis, ut Δυκάτης, & Δυκάς. Ἐμβάτης, & ἐμβὰς ἐμβάδος. *Syrtites* gemma non rectè dicatur, sed *Syrtis, Syrtidis*, ἡ Συρτίς. Ὁ Συρτίτης λίθος.

Cui nigricolor facies propria] Ita placuit edere ex antiqua scriptura, *cui nigri color facies propria.* Nigricolor ad verbum est μελάγχρους. Sic compositum ut *nocticolor, multicolor* & similia. Vulgo legebatur: *cui nigri coloris superficies.* Sequitur: *quam ad gratiam varietatis albi limites intersecant, notis candicantibus.* Nihil istorum Plinius. Sed simpliciter in Vejentana, *nigram materiam distingui limite albo* ait. Non plures igitur in ea limites albi, sed unus tantum: nec ullæ notæ candicantes. Ita elegans, ac disertus videri cupit, ut veritatis studium deserat, & ab eo semper discedat, quem sequi vult. Isidorus partim Solinum, partim Plinium compilavit, ut solet in hujus gemmæ descriptione: *Vejentana Italica gemma est Vejis reperta nigra facie, albis intermicantibus notis.* Aliud *notæ*, aliud *limites*, ut aliud *puncta*, aliud *lineæ* in gemmis, ut dicam alibi. Servius porro Jurisconsultus gemmas à lapillis eo distinguebat, quod gemmæ essent pellucidæ materiæ, ut smaragdi, carbunculi, amethysti, lapilli autem non pellucidæ, ut Obsidiani, & Vejentani. Ergo Vejentanus lapis, non gemma, quia non tralucidus. Sic & Obsidianus. Et *lapidem Obsidianum* vocat Plinius, non gemmam lib. XXXVI. cap. XXVI. Aliquando tamen etiam transluci di reperiebantur. Idem: *in genere vitri & Obsidiana numerantur ad similitudinem lapidis, quem in Æthiopia invenit Obsidius nigerrimi coloris, aliquando & translucidi crassiore visu.* Obsidiana illa, quæ Plinius memorat, factitia erant, ad similitudinem lapidis Obsidiani, & in genere vitri reponebantur. Sic & murrina fiebant arte in urbe Diospoli, ad imitationem verorum murrinorum. Fiebat & Obsidianum rubens ad escaria vasa. Idem Plinius: *fit & tinctura ex genere Obsidiani, ad escaria vasa totum rubens vitrum, atque non translucens, hæmaticum appellatum, fit & album & murrinum.* Ita legendus ille locus, qui vulgo in editis corruptissimus. At verus Osidianus lapis in Æthiopia repertus ab Obsidio, ut inquit Plinius, unde illi nomen. Nugatur. Græci ὀψιανὸν vocant, nunquam ὀψιδιανόν. Arrianus in periplu de insulis Æthiopiæ: ἄμμος ἐστὶ πολλὴ κεχυμένη, καθ' ἧς ἐν βάθει κεχωσμένος εὑρίσκεται ὁ ὀψιανὸς λίθος, ἐν ἐκείνῃ μόνῃ τοπικῶς γινόμενος. Incertus auctor de lapidibus nondum editus: ὀψιανὸς λίθος, μέλας οὐ λίαν, ἀλλ' ὑπόχλωρος εὑρισκόμενος ἐν τῇ Φρυγίᾳ, ὃς καὶ πίσσα καλεῖται, διὰ τὸ προστριβόμενον αὐτὸν ὀσμὴν παρέχειν πίσσης. Χρήσιμος δὲ ἐστὶ φορούμενος τοῖς κατὰ θάλασσαν καὶ ποταμοὺς τὴν πορείαν ποιουμένοις. Quatuor, aut quinque locis apud Plinium capite supra scripto *Opsiana* scribunt pro *Obsidianis* veteres libri. In Indice tamen, *de Opsidianis.* Certè ὀψιανὸς λίθος dictus ἀπὸ τῆς ὄψεως. Crassiore visu dicit esse Plinius, atque in speculis parietum pro imagine umbras reddere. Vocis ὄψις diminutivum τὸ ὀψίδιον. Unde ὀψιδιανὰ dici potuere. Græci tamen, ut dixi, semper ὀψιανὸν vocant. Scribitur apud eundem Plinium: *multi ex eo gemmas faciunt.* Heîc *gemmæ* sunt lapides annulorum, & sic proprie vocabantur gemmæ Latine. Quidquid Lapidum ad ornatum induceretur, Æolicè τὸ γέμμα, Græci σφραγῖδας appellant, qui & pretiosis lapidibus hoc nominis dederunt, quia ad hunc usum præcipuè converterentur. At nostri jurisconsulti gemmas à lapillis distinguunt pelluciditate. Græci non habent nomen, quo sic eas materias discernant. Λίθους vocant tam pellucidos, quam cæcos. Διαφανεῖς λίθους adjecto epitheto vocant, quas Jurisconsultus *gemmas* censet appellandas: Sed *gemma*, ut dixi, propriè τὴν σφραγῖδα significat. Et multæ σφραγῖδες etiam ex lapidibus pretiosis non pellucidis fiebant. Brevitate præcipuè, & raritate intelliguntur gemmæ: magnitudine, & vilitate lapides vel lapilli. Verùm de his infrà pluribus.

Pag. 12. B. *Et Diomedeas aves sola nutrit*] Plinius lib. X. cap. XLIV. *Nec Diomedeas præteribo aves: Juba cataractas vocat, & eis esse dentes, oculosque igneo colore, cetero candidis tradens.* Libri: *candidas.* Lege: *cetera candidas tradens.* Sic Poëtæ: *cetera Grajus.* Quod etiam verius censeam, ita scripserim: *& eis esse dentes oculosque igneos, colore cetero candidas tradens.* Hæc certissima conjectura: quam asserit Solinus hoc loco: *color candidus, igneis oculi, ora dentata.* Quod cataractas ait Plinius Jubæ vocari, id epitheton omnium esse possit rapacium, & impetejarum avium; nec est avis ullius nomen proprium. Videtur autem Juba ex Aristotelis verbis id cognominis imposuisse Diomedeis avibus. Ita ille in Admirandis de hoc avitio: τούτους λέγουσιν, ἐὰν μὲν Ἕλληνες ἀποβαίνωσιν εἰς τὸν τόπον, ἡσυχίαν ἔχειν. Ἐὰν δὲ τῶν βαρβάρων τινὲς τῶν περιοίκων, ἀναπέτασθαι καὶ αἰωρουμένους καταῤῥάσσειν αὐτοὺς εἰς τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, καὶ τοῖς ῥύγχεσιν τιτρώσκοντας ἀποκτείνειν. Καταῤῥάκται igitur ἀπὸ τοῦ καταῤῥάσσειν. Quod prædatricum avium proprium, quæ ex alto se proruunt, atque impetibili lapsu in subjectam prędam descendunt, & terræ affligunt. Aquilam ita vocaverat Sophocles in Laocoonte, & Harpyjas in Phineo. Hesychius: καταῤῥάκτης, ὀχετὸς ῥύαξ. Καὶ ἀετὸν Σοφοκλῆς Λαοκόοντι, καὶ τὰς ἁρπυίας ἐν Φινεῖ. Lycophron: κίρκον καταῤῥάκτηρα similiter vocat.

Τὸν δ' αὖ τέταρτον αὐθόμαιμον ὄψεται
Κίρκου καταῤῥάκτηρος.

Ab eadem notione & καταῤῥάκτης Nilus ab impetu descensus, & *Cataractæ* portarum. Καταῤῥάκτης tamen avis species marinæ sic propriè dictæ apud Aristotelem: ὁ δὲ καταῤῥάκτης ζῇ περὶ θάλασσαν. Ὅταν δὲ καθῇ ἑαυτὸν εἰς τὸ βάθος, μένει χρόνον οὐκ ἐλάττονα ἢ ὅσον, πλέθρον διέλθοι τις. Sed minorem accipitre eam volucrem facit. Quod Diomedearum alitum instar non est, quæ specie & magnitudine sunt, qua erodii. Ita enim ab omnibus traditur. Forma etiam earum juxta Ovidium,

Ut non cycnorum, sic albis proxima cygnis.

Lycophron de Diomedeis:

---- οἱ θαλασσίαν
Δίαιταν αἰνήσουσι πορκέων δίκην
Κύκνοισιν ἰνδαλθέντες εὐγλήνοις δομήν.

Si cycnis corpore similes longe majores oportet fuisse illo catarracte, qui describitur ab Aristotele.

Forma illis pæne quæ fulicis] Plinius: *Fulicarum similes.* Plinio fulicæ sunt ἐρωδιοί. Nam & lib. XVIII. cap. ult de avibus, quæ tempestates prænuntiant: *& fulicæ matutino clangore.* Quod Theophrastus: καὶ ἐρωδιὸς ὀρθεινὸν φθεγγόμενος. Glossæ ἐρωδιὸς, *erodius, fulica.* Idem tamen Plinius eodem capite ardeam quasi diversam à fulica avem nominat in præsagio tempestatis. Atqui constat ardeam esse ἐρωδιὸν, vel indicio nominis. Nam *ardea*, vel, ut scriptum in libris, *ardia* est ἐρωδιός. Plinius ipse in descriptione *ardeolarum* ita eas vocat, qui Aristoteli ἐρωδιοί. Idem lib. XI. cap. quæ inter se diffideant, & conveniant: *Sorices, & ardiolæ invicem fœtibus insidiantes.* Per ardiolas intelligit ἐρωδιούς. Ita enim reddidit Aristotelem in his verbis: Πίπῳ δὲ καὶ ἐρωδιῷ. Τὰ γὰρ ᾠὰ κατεσθίει καὶ τοὺς νεοττοὺς τοῦ ἐρωδιοῦ. Sauricem, vel soricem vertit Plinius, qui apud Philosophum est πίπος. Cave quadrupedem exiguam intelligas: saurix avis est. Marius Victorinus: *Sorix, aut Saurix avis tributa Saturno ab auguribus: quia tarditati, & vetustati, & senectuti convenit: nam & in veteranis maximè versatur locis, & noctium est, & noctis maxime primæ: & quia tempestatis nuncius, atque index parvi laris.* Hæc avis est, quæ inimicitiam habet cum ardeola. Græcis σαύρα etiam dicitur. Hesychius: πιπαλὶς ἡ παρά τισι χαλκὶς, σαύρα δὲ ἐνίοις σαύρα. Πιπαλὶς autem, & πιπὼ eadem. Hesychius: πιπὼ, ὄρνεον πολεμικὸν ὡς τινὲς ἐρωδιῷ. Quod ait chalcidem eamdem esse cum σαύρα, id valde convenit

convenit sauricis descriptioni apud Marium. Nam Aristoteles χαλκίδα scribit quosdam putare eamdem esse cum πωΰγγι, quæ interdiu non apparet, διὰ τὸ μὴ βλέπειν ὀξὺ, τὰς δὲ νύκτας θηρεύει, ὥσπερ οἱ ἀετοί. Ita legendum apud Aristotelem. Apparet igitur Plinium πιπαλίδα, & πίπον pro eadem avi accepisse, & *sauricem* vertisse. Hæc alibi pluribus. Idem Plinius cornici, & ardeolæ amicitiam esse docet. Aristoteles: κορώνη δὲ καὶ ἐρωδιὸς φίλοι. Quare *ardeola*, ἐρωδιὸς. At Virgilius rursum ardeas, & fulicas distinguit:

---- cumque marinæ
In sicco ludunt fulicæ, notasque paludes
Deserit, atque altam supra volat ardea nubem.

Græcos versus Arati expressit, & quæ Arato Αἴθυιαι, ipse reddidit *fulicas*. Qui Græco poëtæ ἐρωδιὸς, vertit ardeam. Aratus:

---- ἢ εἰν ἁλὶ δειναὶ
Αἴθυιαι χερσαῖα τινάσσονται πτερύγεσσι.

Ad verbum transtulit. Ἐν ἁλὶ δειναὶ αἴθυιαι, *marinæ fulicæ*. Χερσαῖα τινάσσονται πτερύγεσσι, *in sicco ludunt*. Ἐν χέρσῳ τινάσσεσθαι πτερύγεσσιν, *in sicco alis plaudere, ac ludere*. Sequitur: *notasque plaudes*

Deserit, atque altam suprà volat ardea nubem.

Quæ manifesto ex illis Arateïs ad verbum sunt expressa:

Καὶ δ᾽ ἂν ἐπὶ ξηρὴν ὅτ᾽ ἐρωδιὸς οὐ κατὰ κόσμον
Ἐξ ἁλὸς ἔρχηται φωνῇ περὶ πολλὰ λεληκὼς
Κινυμένου κε θάλασσαν ὑπερφορέοιτ᾽ ἀνέμοιο.

Notas paludes deserit ardea, quæ ἐξ ἁλὸς ἔρχεται ἐπὶ ξηρὴν. Et *suprà altam nubem volat*, quæ ὑπὲρ θάλασσαν φορεῖται ἀνέμου κινυμένου. Ardea igitur Virgilio ἐρωδιὸς. At doctissimus Turnebus verba illa de Ardea malebat è Græco isto versu Arateo translata esse:

Καὶ ποτὲ καὶ κέπφοι ὁπότ᾽ ἔνδιοι ποτέωνται
Ἀντία μελλόντων ἀνέμων εἰληδὰ φέρονται.

Sed fallitur. Hos versus de mergis accepit, & reddidit poëta:

Cum medio celeres revolant ex æquore mergi,
Clamoremque ferunt ad littora.

Sic κέπφοι mergi sunt Virgilio: αἴθυιαι, fulicæ: ἐρωδιοὶ, ardeæ. Lucanus in prognostico tempestatis, quum idem vellet dicere, quod Virgilius, maluit mergos vertere, quas Græcus αἰθυίας appellat, quam fulicas.

Aut siccum quod mergus amat, quodque ausa volare.
Ardea sublimis, pennæ confisa natanti.

Et sanè αἴθυια mergus est, quam fulicam appellat Virgilius. Avienus in Arateïs convertendis modo *fulicem*, modo *ardeam* vocat, τὸν ἐρωδιὸν Arati, quasi fulix, & ardea eadem sit avis. Plinius porro, cum cirros in capite plumeos fulici tribuit, ἐρωδιὸν intelligit. Et hoc loco, cum Diomedeas aves fulicis similes scribit, palam est de erodiis sensisse. Nam Græci Diomedeas illas aves non tantum erodiis similes jactant, sed αὐτόχρημα ἐρωδιούς. Stephanus: νῆσος ἡ Διομήδεια, ἐν ᾗ ἐρωδιοὶ χειροήθεις προσπεπόμενοι, καὶ εἰς τοὺς κόλπους δυόντες οὓς φασὶν, ὅτι τοὺς ἑταίρους Διομήδους, ἐκεῖ εἰς ὄρνιθας μετασχηματισθῆναι. Antigonus in Mirabilibus ἐρωδιοὺς etiam vocat. Servius: *hodieque Latinè Diomedeæ vocantur. Græci erodios dicunt*. Cygnis similes post Lycophronem dicit Ovidius. Candidas esse inter omnes convenit. In genere ardeolarum, ἐρωδιῶν, una est species candidarum. Λευκὸν ἐρωδιὸν Græci appellant. Fulica igitur & ardea, eadem avis, quæ Græcè ἐρωδιὸς, sed vide inconstantiam auctorum, alii *fulicam*, λάρον interpretati sunt. Atqui λάρος longè diversus ab ardeola. Est quam *gaviam* Latini appellant. Quod & ipsum nomen è Græco. Nam καύηξ & καύης dicebatur. Hipponax.

Κίκων δ᾽ ὁ παντάλητος ἄμμορος καύης.

Καύης καύεος, & in quarto casu καύεα. Unde Latinum *gavia*. Καύηξ, λάρος. *Fulicam* grammatici exponunt. Sosipater. *Fulica*, λάρος. Glossæ: *fulica*, λάρος, ἢ φάκαλις. Aliæ glossæ: λάρος, *fulica*, *gavia*. Unde hæ vero tam diversæ ejusdem vocis interpretationes, nisi ex ignoratione quid propriè significaret? Nam Plinius ipse, qui *fulicam* ἐρωδιὸν vertit, & *ardeam* ἐρωδιὸν, quasi diversas tamen ponere videtur ardeam, & fulicam. At gavia, & larus longè differentis ab ardeola formæ. Profecto nec ardeolam esse, nec gaviam fulicam arbitror, sed diversum planè genus. *Fulica* dicebatur, &

A *fulix*. Ea est quæ Græcis φώϊξ, Latinè *fuix*, & ad vitandum vocalium concursum interserta consonante, *fulix*, ut in sexcentis aliis solebant: νυὸς, *nurus*, & similia. Aristoteles tractat eodem capite, περὶ ἐρωδιῶν καὶ φώϊκος. Ubi dicit inimicam esse harpæ: καὶ γὰρ ἐκείνῃ ὁμοιόβιος. Ergo avis marina, ἡ φώϊξ: nam & talis harpe. Idem Aristoteles *de discidiis & concordia animalium*: ἔτι οἱ ἀπὸ τῆς θαλάττης ζῶντες, ἀλλήλοις οἷον βρένθος, καὶ λάρος, καὶ ἅρπη. Quæ vero scribitur in Aristotele φώϊξ, scribi debet πώϋξ auctore Hesychio: πώϋξ ποιὸς ὄρνις, ὁ Ἀριστοτέλης, ἐν τῷ περὶ ζώων. Correximus supra eumdem in hac voce. Nam ubi legitur de

B chalcide, φασὶ δὲ τινὲς εἶναι τὸν αὐτὸν τοῦτον ὄρνιθα τῷ πτυγγὶ. Omnino me auctore reponendum, τῷ πώϋκι, aut πωΰγγι. Suidas in etymologico: πώϋκες αἴθυιαι ἐκλήθησαν βΰγγες παρὰ τὸ βοὴν καὶ τὸ ἰϋγὴν. Αἱ αὐταὶ γὰρ δύπται πλεονασμῷ τοῦ π. Mergos esse vult. Lucanus quoque versibus, quos ante attulimus, mergos vocat, quas Virgilius fulicas. Πώϋξ igitur in Aristotele rescribendum, & nihilominus manet etymon. Nam Π in F mutari sciunt, etiam qui nihil sciunt.

Congreges volitant] Καθ᾽ ἀγέλας πέτονται. Quidam libri habent: *congregatæ*. Forte pro *congregæ*. Nam & *con-*

C *gregus* dicebatur. Sic autem de Delphinis infrà: *conjuges evagantur*. Plinius: *conjugi vagantur*. κατὰ συζυγίαν. Ineptus est Delrius, qui heic legi vellet, *gregatim volitant*.

Nec sine ratione pergendi: duces duo sunt] Mutavimus distinctionem, & lectionem, quæ antea fuerat: illam ex conjectura, hanc ex libris, & Plinio. Legebatur: *nec sine ratione, pergendi duces duæ sunt*. Ex iisdem scriptis etiam fecimus: *qui regant cursum*.

Cum fœtificum adest tempus] Ita nostri, & quædam editiones. Delrius notat suos habuisse: *cum fœticum*. Malos habuit, quos & malè sequitur. Plinius: *scrobes excavare rostro, inde crate consternere, & operire terra, quæ*

D *ante fuerit egesta: in his fœtificare*. Inde *fœtificum tempus* sumpsit Solinus.

Deinde surculis in versum superpositis imitantur texta cratium] Simplicius, & breviter Plinius: *crate consternunt*. Hic calamistros adhibet, & fucum. Malè in Delriana, & quibusdam: *surculis inversum superpositis*. Rectè: *in versum*. Κατὰ στίχον, στιχηδόν. Sic Plinius: *mensæ in venam crispæ, & in vortices*, id est, venatim, & vorticatim crispæ. Et apud Virgilium: *loricæ in plumam textæ*: & *specus in antrum factus*. Ita hoc loco, *surculi in versum superpositi*.

Pag. 12. C. *Si forte lignorum cassa venti auferunt.*] Ineptè ante in omnibus editis: *si fortè lignorum casas venti au-*

E *ferrent*. Quæ enim lignorum illæ casæ? Per lignorum cassa intelligit tenues, & cassos lignorum surculos, quibus scrobes suas contegunt Diomedeæ. Soliniana phrasis, *lignorum cassa*, pro cassa ligna. Sic suprà *littorum portuosa*; & infrà: *asperi surculorum*, asperi surculi, & *lignorum cassa* alibi quoque dixit.

Terra cum egesserant, cum puteos excitassent] Ita libri omnes, & prima editio. Ante fuit: *cum puteos excavarent*. Sed tribus retro lineis dixerat jam: *rostro scrobes excavant*: &, *contegunt subtercavata*. Mirum tamen, ac novum loquendi genus, *puteos excitare*. Excitantur, quæ è solo surgunt, & in altum tolluntur, ut muri, turres, & alia ædificia. Puteos deprimi,

F cavari citius dixeris, quam excitari. Immo nec rectè ita dixeris. Præterea altera acyrologia *putei* pro scrobibus. Nec puteus, quælibet scrobs, sed ea quæ cum aqua est, aut quæ foditur ad aquam reperiundam. *Puteus*, φρέαρ. An puteos ideo excitari dixit, quia terra, quæ egeritur in fodienda scrobe ad labra scrobis aggesta, & excitata, puteum quodammodo imitatur, qui margines habet è solo levatos. Tales ubique scrobes, quas excavant Diomedeæ. Legebam olim: *cum pluteos excitassent*. Plutei sunt,

G προθέματα. Ita vocaverit terram aggestam ad oras scrobis. Sic *puteus* apud Arnobium vitiosè scribitur, pro pluteus: *puteum Samios pro Junone*. Nos tamen infrà probamus Solinum scripsisse: *cum puteos excisassent*. Id est, excidissent. Quod Græci ἐκκόπτειν φρέαρ, & ἐκκοπὴν φρέατος dicunt de puteo, qui excavatur.

Bifori accessu] Libri quidam: *biformi accessu*. Perperam. Plinius: *fores binas omnium scrobibus*. Bifori, διθύρῳ.

Verſus occaſui eſt] Ita libri. Ante erat: *occaſum verſus eſt.*

Velut civem blandius adulantur] Sic etiam in libris, ἀρχαϊκῶς. In editis: *velut civi.*

Pag. 12. D. *Ædem ſacram omni die celebrant ſtudio ejuſmodi*] Plinius breviter: *ædemque eam quotidie pleno gutture, ac madentibus pinnis perluunt, atque purificant.* Ita legendum. At totum hunc locum verbatim Solinus expreſſiſſe videtur ex verbis Arriani, qui eadem ferè narrat de Achillis æde in Leuce inſula, & avibus eam perluentibus. Sic igitur ille: οἱ ὄρνιθες θεραπεύουσι τοῦ Ἀχιλλέως τὸν νεών. Ἕωθεν ὁσημέραι καταπέτονται εἰς τὴν θάλασσαν, ἔπειτα ἀπὸ τῆς θαλάσσης βεβρεγμένοι τὰ πτερὰ σπουδῇ αὖ εἰσπέτονται εἰς τὸν νεὼν, καὶ ῥαίνουσιν, ἐπειδὰν ἤδη καλῶς ἔχῃ, οἱ δὲ ἐκκαλλύνουσιν αὖ τὸ ἔδαφος τοῖς πτεροῖς. Singula videamus. *Ædem celebrant omni die*: θεραπεύουσι τὸν νεὼν ὁσημέραι. *Alis impendio madefactis confluunt rorulentæ*: ἀπὸ τῆς θαλάσσης βεβρεγμένοι τὰ πτερὰ εἰσπέτονται εἰς τὸν νεών. *Ædem excuſſo humore purificant: tunc pinnulis ſuperplaudunt*: καὶ ῥαίνουσι τὸν νεὼν, ἐπειδ' ἂν καλῶς ἔχῃ, οἱ δὲ ἐκκαλλύνουσιν αὖ τὸ ἔδαφος τοῖς πτεροῖς.

Nomen Diomedeæ non habebant] Ita ſcripſimus ex antiqua ſcriptura omnium librorum, *Diomedæ.* Διομήδειαι. Eſt loquutio Græca. *Diomedæ* etiam poſſet eſſe, pro Diomedis. Sic *Herodæ, Thucididæ, Heraclidæ Pontici.* Et ſimilia. Sed illud verius.

Pag. 12. E. *In qua Phocenſes quondam fugati*] Nihil mutandum. Error eſt communis Latinorum ſcriptorum, Phocenſes, qui Phocaenſes erant, appellantium. Phocaenſes ab urbe Aſiæ Phocæa condiderunt Maſſiliam, non Phocenſes à Phocide, regione circa Parnaſſum. Illi Φωκαιεῖς, vel Φοκαεῖς dicti: iſti, Φωκεῖς. Stephanus, ut alios omittam: Μασσαλία πόλις τῆς Λιγυστικῆς κατὰ τὴν Κελτικὴν, ἄποικος τῶν Φωκαέων. Id utcunque tolerandum, *Phocænſes* contractè dixiſſe pro *Phocaënſes.* Sic ab urbe Νικαία ἐθνικὸν Græcè Νικαηνὸς, *Nicaënus,* quod poſtea Latinis, *Nicænus.* Sic *Phæthon* pro *Phaëthonte.* Sed quod *Phocidem* pro *Phocaïde* paſſim dixere, id nullo modo ferendum. Lucanus de Maſſilienſibus lib. III.

Eſt poſt tralatas exuſtæ Phocidos arces.

Quomodo enim ἡ Φωκὶς poſſit eſſe Φωκαῒς, aut Φωκαΐς. Atqui idem Lucanus paulo ante *Phocaïda juventutem* de Maſſilitanis dixerat:

Phocaïs in dubiis auſa eſt ſervare juventus
Non Graca levitate fidem.

Quaſi idem eſſet, Φωκαῒς, & Φωκίς. Id etiam feramus Phocida pro Phocaïde, quis vero æquanimè patiatur, quod idem Lucanus *Phocaïcum* κτητικῶς uſurpavit pro Phocico à regione Phocide, quæ circa Parnaſſum?

---- *crineſque in terga ſolutos*
Candida Phocaïca complectitur inſula lauro.

Ubi *Phocaïca laurus* manifeſte pro Parnaſſia, & Phocica. Qua ratione fieri poſſit, Φωκαϊκὸν ἀπὸ τῶν Φωκέων non video. Nec enim Φωκεῖς, ἐθνικὸν Φωκαῖος facere queant, atqui à Φωκαῖος, Φωκαϊκὸς. Ut ab ἀρχαῖος, ἀρχαϊκὸς: ab Ἀχαιὸς, Ἀχαϊκὸς. Ἀπὸ τῶν Φωκέων, ὁ Φωκικὸς. Ut Φωκικὸς πόλεμος, Φωκικὴ ἀπόνοια. Idem *Phocaïcas manus* pro Phocicis dixit lib. III.

Phocaïcas Amphiſſa manus, ſcopuloſaque Cyrrha,
Parnaſſuſque jugo miſit deſertus utroque.

Apparet eum τὴν Φωκαίαν Ionicam urbem in Aſia confudiſſe, & τὴν Φωκίδα Achaïæ regionem, inſanum quam magno errore. Phocæi Aſiatici colonias etiam in Corſicam deduxerunt. Unde Seneca in epigrammate:

Corſica Phocaïco tellus habitata colono.

Ita legendum ex vetuſtiſſimo codice, non *Phocaïo.* Nam aut *Phocæo,* aut *Phocaïco* ſcribendum. Fallitur etiam vir magnus, quod in partem hujus hallucinationis Græcos quoque vocare conatur. Nec hilum facit verſus Callimachi, in quo non Φωκείων, ſed Φωκαέων ſcribendum:

Φωκαέων μέχρις γε μένη μέγας εἰν ἁλὶ μύδρος.

Certè nunquam Græci confuderunt, τοὺς Φοκεῖς καὶ τοὺς Φωκαεῖς: τὴν Φωκαίαν, καὶ τὴν Φωκίδα. Quod apud Euſtathium commentario in Dionyſium, ubi de Maſſilia loquitur, Φωκεῖς aliquoties nominantur, erratum eſt non ipſius auctoris, ſed librarii, qui Φωκαεῖς ſcribere debuit. Etenim, cum Stephanum ſequatur Euſtathius, qui Maſſiliam Phocaënſium, τῶν Φωκαέων, coloniam eſſe ſcribit; & verba etiam ejus exſcribat, quod Φωκεῖς in eo legitur, id palam eſt librarios peccaſſe. Hoc igitur Latinorum peccatum, non Græcorum. Et quod jure mireris, etiam apud Plinium, ita legas in libris membranaceis: *At in ora Maſſilia Græcorum Phocenſium fœderata.* Sic & hoc loco ſimia ejus *Phocenſes,* pro Phocaënſibus dixit.

B *Factis manu foſſis invitavit mare*] Plinius: *ultra foſſæ ex Rhodano C. Marii opere, & nomine.* Ita libri. Vulgo: *foſſa.* Sequitur apud Plinium, ut nos legendum cenſemus: *inſigne ſtagno Maſtramela oppidum, Maritima Avaticorum.* Oppidum ſtagno Maſtramela inſigne, vocabatur & ipſum Maſtramella, ab illo ſtagno ſcilicet. Stephanus: Μασραμέλη πόλις, καὶ λίμνη τῆς Κελτικῆς. Male hodie diſtinguitur in editionibus Plinii. Nec meliores virorum doctorum illius loci interpunctiones. *Foſſam Marianam* numero ſingulorum vocat Pomponius, aliique.

C *Occurſantium aquarum agmina ſecum trahens*] Sic ſuprà ex priore editione de Pado: *auctuſque aquarum agminibus triginta flumina in Adriaticum defert.*

Niſi quod fretum ventis excitatur, Rhodanus ſævit] Diſtinctionem, & lectionem priorum editionum ſic reformavimus, ut non ſine ratione, ſic nec ſine auctoritate. Rhodanus, inquit, ipſo freto, quod intrat, turbulentior. Hæc tamen differentia eſt, quod mare non aliter turbulentat, niſi ventis excitetur; Rhodanus etiam cum ſerenum eſt, cùm nulli venti turbant, ſævit. Antea erat: *ipſo, quod invadit, freto turbulentior, niſi cum ventis excitatur. Rhodanus ſævit, & cum ſerenum eſt, atque ideo.* Nullo ſenſu.

D *Aquæ quoque Sextiæ eo loco claruerunt*] Conſtanter, in libris: *Sextiliæ.* Ἑλληνίζει noſter in multis. In Græco igitur ſcriptore, cum reperiſſet Σεξτίλια ὕδατα, reddidit *Sextilias aquas.* Plutarchus in Mario: οὕτω δὴ προϊόντες ἐγένοντο πρὸς τοῖς καλουμένοις ὕδασι Σεξτιλίοις. Fallitur Grammaticus. Σεξτίλιος non eſt *Sextilius* Latinè, ſed *Sextilis.* A Sextio aquæ illæ denominatæ, aut *Sextiæ* ὁμωνύμως τῷ πρωτοτύπῳ, aut *Sextiles.* Plutarchus, & ceteri ſcriptores *Sextilem* non aliter Græcè efferunt, quam Σεξτίλιον. Sic *quintilis*, & *ſextilis* menſes, Κυϊντίλιος, & Σεξτίλιος. Sic *Illuſtris*, Ἰλλούστριος: & ſimilia. E Plinius de Aquis Sextiis: *Oppida Latina, Aquæ Sextiæ Salluviorum, Avenio Cavarum.* Ita ſcripti. Latini vocarunt *Saluvios*, qui Græcis Σάλυες.

Pag. 12. F. *Per tempora evaporavit*] Mirus corruptelæ, ac vitii conſenſus veteribus ſcribentibus: *per teporem vaporavit.* An verum eſt, *per teporem evaporavit?* ut dicat earum aquarum calorem olim acriorem tepore mutatum eſſe, & evaporatum: ſic ex acriter calidis factas eſſe tepidas, nec jam reſpondere priori famæ? ita velle videtur. Strabo non tepidas tantum ex calentibus, ſed frigidas factas ſcribit: ὧν τινὰ μεταβεβληκέναι φασὶν εἰς ψυχρά. Vulgatam non ſollicitamus. F Origo vitii inde, quod ſcriptum fuit initio, *per tempora evaporavit.* Poſtea, *per tempore:* ex quo poſtremò fecerunt, *per teporem.*

Græcias cogitemus] Sic apud Catullum:

Mavult quam Syrias, Britanniaſque.

Propertius:

Dic alias iterum naviget Illyrias.

Ita Græci:

Καὶ νησιώτας, καὶ μακρὰς Εὐρωπίας.

Euripides. Atque ita alii. Erat vulgo: *ſi Græcos cogitamus.*

G *Achájam deſtinantibus citiſſima navigatio eſt*] Edebatur antea: *Achajam curſum deſtinantibus.* Quod Latinum non erat: nam dicendum fuit, *in Achajam curſum deſtinantibus.* At *Achajam deſtinare* ſic dictum, ut *Italiam cogitare.* Florus: *ut ne amplius inſulam eam cogitarent.* Mutavimus auctoribus libris.

CAPUT III.

Corsica. In ea de catochite lapide.



Ag. 12. G. FLECTENDUS *hinc stilus est*] Heic novum caput auspicatur. Sequitur, ut reposuimus: *terrarum vocant aliæ.* Quod in prioribus fuit vix Latinum: *terrarumque vocant alia.* Græca loquutio est: τῶν ἠπείρων ἄλλαι. Aristophanes: Τῆς ἀθάρης πολλὴν ἔφλα. *Variæ quæstionum* Ulpiano. Hic noster plenus talium loquutionum.

Et longum est, ut moratim omnium insularum oras legamus] Sanè, quod cum mora fit, longum est. Quis dubitet? Prior editio habuit, *longum est, ut oratim omnes insulas legamus.* Oratim, ut *vicatim, pagatim, oppidatim, viritim,* per oras scilicet. Mutavit in δευτέρᾳ, & scripsisse maluit: *longum est, ut omnium insularum oras legamus.* Illud *oratim* additum in secundam ex prima, & mutatum in *moratim.* Quod qui retinere volet, sic factum sciat, ut *gravatim,* & *occultim;* quæ infrà habemus.

Sed quantum residendum est, si per quamdam desidiam] Et hic locus eandem, quam superior, fortunam videtur expertus. Scripserat auctor in προεκδόσει: *sed quantum est, si dilatis per quamdam desidiam, quæ præcipua sunt, aut Pandatariam, aut Proclytam dicamus.* In ea, quam recognovit, scriptum voluit: *sed quantum residendum est, si dilatis, quæ præcipua sunt, aut Pandatariam, aut Prochytam dicamus.* In quibusdam libris: *quantum desiderandum est.* Quod idem est.

Pag. 13. A. *Aut Pandatariam*] Libri nostri: *Pandatoriam.* Ita Ptolemæo dicitur. In scriptis codicibus Plinii, *Pandateria* vocatur. Dioni Πανδατηρία. Stephano in vetustis, Πανδατεία. Nam vulgati habent, Πανδαταρία.

Aut ferri Iluam feracem] Servius: *quidam Iluam Ithacem dictam volunt.* Scribe: *Æthalen dictam volunt.* Ita Græci vocant, quæ Latinis Ilua est. Αἰθάλη Αἰθάλεια. Stephanus: Αἰθάλη, νῆσος Τυρσηνῶν. Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ. Ἔοικε δὲ κεκλῆσθαι διὰ τὸ σίδηρον ἔχειν τὴν ἐν Αἰθάλῃ τὴν ἐργασίαν ἔχοντα. Ita scribendum. Quod in carbone, & cinere ferri opus exercetur. Dicta est & Αἰθαλία. Lemnon quoque ab eadem ratione Αἰθάλειαν appellaverunt Græci. Αἰθάλη, τέφρα σποδὸς, τὸ ἐκ καμίνου μέλαν. Malè igitur Ptolemæus, qui *Iluam* & *Æthalen* diversas facit. *Ilua* Latinum ex Græco factum. Latini mutant θ in B, ut οὖθαρ, *uber*: & diphthongum αι in I. Sic Αἰθάλη, *Ibla*: ut γάλανος *glans*, & per transpositionem, *Ilba*, & *Ilua*.

Aut Caprariam, quam Græci Αἴγιλον *vocant*] Ita libri Soliniani, aut Αἴγυλον. In Plinianis: *Ægilion. Amplior Urgo, & Capraria, quam Græci Ægilion dixere. Item Igilium & Dianium, quam Artemisiam, ambæ contra Cosanum littus.* Ita optimæ Plinii membranæ, quas vidimus. Ergo *Igilion,* & *Ægilium* diversæ. Mela: *ultra aliquot sunt parvæ, Dianium, Iginium, Carbania, Urgo, Ilua, Capraria.* In Palatinis schedis scriptum extat, *Ygilium,* non *Iginium.* Utique pro *Igilium.* Immo potius *Ygilium* videtur scriptum pro *Ægilium.* Itinerarium maritimum Antonini: *Insula Ilua de Tuscia, à Populonio stadia* DC. *Insula Planasia, inter Iluam & Planasiam sunt stadia* XC. *Insula Ægilium, a Cosa stadia* XC. Per *Ægilium* intelligit eam, quæ Plinio, & Pomponio, *Igilium.* In aliis libris legitur, ut annotarunt homines docti, *Egilum* & *Igilum.* Hinc fit, ut valdè verear, ne ulla alia sit Ægilion insula præter eam, quæ Pomponio sic nominatur, & diversa erat à Capraria. Græci quidem ratione nominis inducti crediderint eamdem esse cum Capraria. Hos sequutus Plinius dixerit *Caprariam* esse, quam Græci *Ægilion* vocarunt: deinde aliam hoc nomine agnoverit, haud longe à Dianio, atque ambas contra Cosanum littus. Duas eodem nomine insulas agnoscere Plinium patet ex ejus verbis, si rectè capian-

A tur: *Capraria,* inquit, *quam Græci Ægilion dixere. Item Ægilium & Dianium.* Quasi dicat, item aliud Ægilium, contra Cosanum littus, diversum ab Ægilio, quæ Capraria. Sed puto eum errare, & unum esse Ægilium, Αἰθάλην & Ἴλουαν. Ptolemæus distinguit, quæ una, eademque est. Martianus Capella, ut habetur in pluteariis ejus libris: *Urgo item & Capraria, quam Græci Ægion dixere: item Egelium, Dianium.* Ægion, est Αἴγειον, ad verbum Caprarium. *Egelium* scriptum pro *Ægilium,* vel *Ægylium.* Nam ita scribi debet. Αἴξ, & diminutivum αἰγύλη parva capra. Inde, Αἰγύλιον, Capraria. B Αἰγυλὶς, est genus virgulti, quod capræ consectantur. Disertè etiam in optimo Regio Codice, Αἴγυλον scribebatur. In Pomponii Melæ scriptis exemplaribus *Ygilium* perperam pro *Igylium,* vel *Ægylium.*

Planasiam de facie supinitatis, vel Ulixi erroribus sic vocatam] Hanc lectionem ex antiqua scriptura eruimus. Nam, quæ vulgabatur, & inepta erat, & falsa: *de facie supina freti.* Nec enim facies supina freti nomen Insulæ dedit, sed ipsius insulæ supinitas, & planities æquata fecit, ut ita vocata sit. Fallitur vero, & nugatur Solinus. Si Planasia ab Ulixis erroribus vocata, Græcum utique nomen sit: & sanè est. Πλανασία, nempe, C vel πλανησία. Quomodo igitur ab æquali facie, & plana nomen adipisci potuit? Plinius lib. III. cap. VI. *Intra sexaginta millia passuum à Corsica Planaria à specie dicta, æqualis freto, ideoque navigiis fallax.* Rectè Plinius. *Planaria* à specie dicta, quod plana sit, & æqualis freto. Ut à primo, *primarius*: & à pleno, *plenarius*: sic à plano, *planarius.* Inde insula *Planaria,* quæ plana est. Insularum aliæ altæ sunt, aliæ planæ. Servius ad illud Poëtæ, *Prochyta alta tremit,* hæc ponit: *atqui hæc insula plana est. Epitheton igitur de præterito traxit.* Adi sis illum, & vide. Idem Plinius capite de Fortunatis, unam fuisse nominatam docet *Planariam* æquè à specie, quod plana esset, scilicet. Græci ὑπτίας vocant, καὶ ταπεινάς. D *Planaria* igitur vox Latina; *Planasia,* Græca, ἡ Πλανασία, vel πλανησία. Quid Solinum fefellerit, dicam. Plinius suprascripto cap. VI. lib. III. *Planariæ* insulæ meminit, & *Planasiæ.* Et Planariam quidem à specie plana dictam, quod æqualis esset freto, autumat sexaginta miliarijs infra Corsicam. Et paulo post de Planasia hæc ingerit: *Ilua cum ferri metallis circuitus centum millium, a Populonio decem, ab ea Planasia* XXXVIII. M. Solinus unam putavit, & duo diversa Etyma quasi uni attribuit. Nam *Planasiam* Græci ab Ulixis erroribus dictam prodidere: *Planaria* vero à specie supinitatis planæ appellata. Erravit hunc eundem errorem E Martianus, & *Planariam, Planasiamque* in illo capite Plinii pro una accepit, sed cavit, ne Planasiam à specie plana vocatam assereret: quippe qui videret Græco vocabulo Etymum Latinum dari non posse. Planasiam igitur dictam dicit, quod navigantes falleret, & propinquitatem mentiretur. Sic enim apud eum scribendum, *Planasia fallax navigantium, mentiensque propinquitatis.* Fallax navigantium est, quæ fallit navigantes: *mentiens propinquitatis,* ut *fugitans litium.* Πλάνος Græcè est impostor. Inde verbum πλανάζειν, decipere & imponere. Ex eo Πλανασίαν vult insulam appellatam. Et vide, quam hæc diversa F sint. Solino *Planasia* dicitur, quod plana sit, & supina. Martiano, quod mentiatur propinquitatem, & sic imponat navigantibus. Alta igitur insula, non plana, quæ à longè videtur, ut qui vident, propinquam putent. An mentientem propinquitatis dixit, quod propter speciem freto æqualem non à longinquo videatur, ideoque propinqua navigantibus appareat, quum longè adhuc putant abesse? Hic sensus magis ad Plinii mentem facit, qui Planariam freto æqualem esse dicit, eoque navigiis fallacem. Aliter tamen intellexit: nec G ad Etymum respexit fallendi, cum fallacem navigiis dixit. Planaria, inquit, à specie, quod æqualis freto sit: quod situ nimirum plano, & supino sit. Hæc est

est ἐτυμότης. Addit: *eoque navigiis fallax.* Propter brevia & syrtes, quibus impingunt navigia, ad has insulas appellentia. Sciunt satis, qui hodie navigant, quam fallaces sint navigiis, & in accessu insidiosæ hujuscemodi planariæ insulæ. Hæc Planasia decepit Solinum, & Martianum, qui eam cum Planaria confudere. Planasiæ certè tantùm meminere ceteri auctores in illo mari, non etiam Planariæ, cujus apud solum Plinium mentio. Et verisimile est propter nominum affinitatem multis fuisse confusas. Strabo Planasiæ insulæ mentionem facit prope Lerinam, & Leronem, in mari Massiliotico, quam præter eum nominat nemo. Idem & Planasiæ insulæ meminit circa Carthaginem.

Ithacesiam, Ulixi ut proditur speculam] Ex Plinio, qui tamen Ithacesias vocat: *contra Vibonem parvæ quæ vocantur Ithacesiæ, Ulyssis specula.*

Vel Columbariam avium hoc nominis matrem] Ita libri: *hoc nominis*, ut *hoc ætatis*, & *hoc noctis*, apud Plautum. Editiones habent: *hujus nominis.* Quod mutarunt, qui hunc ἀρχαϊσμὸν ignorabant. *Avium matrem*, ut apud Poëtam, μητέρα μήλων.

Vel Ænariam, Inarimen Homero nominatam] Et hæc lectio ex libris, quum editi retinerent: *vel Ænariam, & Inarimen ab Homero nominatam.* Quasi diversæ: *Ænaria*, & *Inarime.* Atqui hoc vult *Ænariam*, Homero nominari *Inarimen.* Plinius: *Ænaria à statione navium Æneæ, Homero Inarime dicta: Pithecusa, non à simiarum multitudine, ut aliqui existimavere, sed à figlinis doliorum.* Ita lego hunc Plinii locum. Vulgo scribitur: *Inarime dicta, Græcis Pithecusa.* Sed illud *Græcis* non agnoscunt libri. Vulgatæ lectionis sensus, Ænariam Græcis dici *Pithecusam*, Homero *Inarimen.* Hæc multorum sententia est, non Plinii, qui manifestè hoc loco distinguit Inarimen à Pithecusa. Quem & sequitur heic Solinus. Ovidius lib. XIV.

Inarimen, Prochytenque legit, sterilique locatas
Colle Pithecusas.

Mela quoque Ænariam, hoc est, Inarimen apertè diversam facit à Pithecusa his verbis: *At Pithecusa, Leucothea, Ænaria, Sinonia, Capreæ, Prochyta*, &c. Alii confundunt, & Latinè quidem *Ænariam* dici, Græcè *Pithecusam* asserunt. Hi sunt, qui *Enariam* scribunt. Atque ita apud Solinum in optimis libris exaratur: *Enaria* quod ab Enaribus, id est, simiis incolatur. Nam *Enaris* simius, id est, sine naribus. Et propterea etiam *simius* dictus, quod simus. Ovidius:

---- *naresque a fronte resimas*
Contudit, & rugis peraravit anilibus ora.

De Cercopibus loquitur in simias mutatis, & in Pithecusam insulam missis, quæ ab illis sic dicta, Πιθηκοῦσαι. Servius: *Inarime, nunc Enaria dicitur, & sæpe fulgoribus petitur ob hoc quod Typhœum premat, & quia in eam ad contumeliam simiæ missæ sunt, quas Grajorum lingua ἄρειμα, id est, enarias dicunt, ob quam causam Pithecusam etiam vocitant, licet diversi auctores variè dicant.* Verba Servii sic legenda sunt. Vulgo est: *simiæ missæ sunt, quas Atorum lingua narias dicunt.* Scribi etiam & fortasse verius posset, *quas Etruscorum lingua arimos dicunt.* Tradit Strabo lib. XIII lingua Etrusca πιθήκους dici ἀρίμους. Inde πιθηκοῦσαι & ἄριμα eadem, quæ Latinis *Inarime.* Ἄλλοι δ' ἐν Κιλικίᾳ, τινὲς δ' ἐν Συρίᾳ πλάττουσι τὸν μῦθον τοῦτον. Οἱ δ' ἐν πιθηκούσαις, οἳ καὶ τοὺς πιθήκους φασὶ παρὰ τοῖς Τυῤῥηνοῖς ἀρίμους λέγεσθαι. Ita & *Enaria* & *Inarime*, eadem cum Pithecusia. Et *Enaria* quidem ab Enaribus, qui sunt πίθηκοι. *Enares* simii, ut *ecaudes*, *elingues*, *enodes*, & similia. Plinius, qui diversas vult fuisse *Ænariam* ab Æneæ statione, *Pithecusam*, ἀπὸ τῶν πίθων, à doliis dictas contendit. Utrumque falsum. Nam *Ænearia* esset dicenda, non *Ænaria.* Immo ne illud quidem; sed Αἴνεια potius Græca forma, ut urbes ceteræ ab eodem Ænea nominatæ. At Πιθηκοῦσαι nullo modo, ἀπὸ τῶν πίθων deduci potest: nam Πιθοῦσσαι potius dici deberet. Ut Ἑρικοῦσσαι ἀπὸ τῶν ἐρίκων: Σειρηνοῦσαι ἀπὸ τῶν Σειρηνῶν: Φοινικοῦσσαι ἀπὸ τῶν φοινίκων: sic omnino Πιθηκοῦσσαι ἀπὸ τῶν πιθήκων, quod contractum ex Πιθηκόεσσαι. Hanc insulam Typhoëo ingestam narrant Græci. Scholiastes Apollonii, τὴν Πιθηκοῦσσαν αὐτῷ περιῤῥιφῆναι νῆσον Φερεκύδης ἐν τῇ Θεογονίᾳ ἱστορεῖ. Hoc de Inarime tradit poëta, quæ eadem est cum Enaria. Sic Enaria, & Pithecusa eadem.

Illud constat ex Plinio Inarimen esse Enarien. Hic longè vetustiorum quam Plinius est, Latinorum scriptorum error, qui ex Homerico εἰν Ἀρίμοις, fecerunt unicam vocem *Enarimen*, aut *Inarimen*, & similitudine vocabuli inducti, eamdem putarunt esse quæ *Enarie*, Latinè vocabatur insula Tyrreni maris. Quem errorem adjuvit, quod fabula de Typhœo à quibusdam huic insulæ Enariæ attribueretur, quam Homerus εἰν Ἀρίμοις ponit. Non primus Virgilius hujus culpæ affinis, sed ab antiquis hausit: nedum sit reprehendendus Plinius, quod *Inarimen* post tot idoneos dixerit. Livius *Inarimen* vocavit, quæ Homero sunt, τὰ Ἄριμα. Servius: *Livius in libro nonagesimo quarto, Inarimen in Mæoniæ partibus esse dicit, ubi per quinquaginta millia terræ igni exustæ sunt. Hoc etiam Homerum significasse vult.* Corruptissima hæc sunt in Servii codicibus. Vides eumdem errorem. Inarimen vocat τὰ Ἄριμα. Quæ alii in Cilicia, alii in Syria, ipse in Mœonia collocat, & κατακεκαυμένην regionem intelligit. Martianus: *Ænaria, Inarime à Græcis dicta: Pithecusa*, &c.

Plurimi in dicendo latius circumvecti sunt] Virgiliana loquutio:

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus,
Singula dum capti circumvectamur amore.

Idem in culice, vel Ciri:

---- *circumvehar omnia verbis.*

Circumvehi ad verbum est, περιηγεῖσθαι, dicendo circumvehi, & singula enarrare, ut illi solent, qui, ut omnia curiosè contemplentur, per singula eunt. Hinc περιήγησις, exacta & morosa descriptio, præcipuè locorum, sed & rei cujuslibet. Unde περιήγησις τοῦ φοίνικος, Phœnicis avis descriptio Herodoto: ἐς τὰ μάλιστα αἰετῷ περιήγησιν ὁμοιότατος, καὶ τὸ μέγεθος. Ubi περιήγησις est formæ descriptio. Sed in singulari partium descriptione, non est similis aquilæ phœnix: nam & de colore multum dissimiles. Περιήγησις igitur est formæ circumscriptio. *Circumcæsuram* Latini dixerunt. Lucretius:

Extima membrorum circumcæsura tamen se
Incolumem præstat, nec desit corporis hilum.

Arnobius: *At vero vos Deos parum est quod amplectimini mensione, filo & adterminatis humano: & quod indignius multo est, terrenorum corporum circumcæsura finitis.* Ubi circumcæsura ad magnitudinem spectat, ut περιήγησις apud Herodotum. Unde περιηγεῖν est ζωγραφεῖν, lineis circumscribere, ut pictores solent, formarum magnitudines. Hesychius: περιήγει, ἐζωγράφει. Περιηγητὸς χιτὼν, purpura, circumtexta tunica, ὁ περιπόρφυρος. Περιηγὴς, rotundus, κυκλοτερής. Parmenidis versus apud Stobæum ita legendus in Physicis, titulo περὶ σχημάτων:

Ἀλλ' ὅγε πάντοθεν ἶσος ἐὼν, καὶ πάμπαν ἄπειρος
Σφαῖρος, κυκλοτερὴς, δίνῃ περιήγεϊ γαίων.

Alii Empedocli tribuunt. Igitur *omnia latius dicendo circumvehi*, τὰ πάντα κατὰ πλάτος περιηγεῖσθαι, nihil in dicendo omittere, & circa patulum orbem morari, κύκλῳ λέγειν, καὶ περιοδεύειν ἕκαστα τῷ λόγῳ. Cui opponitur, τὸ τέπῳ. Hæc alibi.

Quod retractanti non sit supervacuum.] Sic in libris, non *retractari*, ut in editis.

Ut colonias ibi deduxerint Marius & Sulla] Nota: *Colonias ibi deduxerint*, pro in eam deduxerint. Sic infrà: *Pythonis Come locus est in Asia, campis patentibus, ubi primo adventus sui tempore ciconiæ advolant.* Pro, *quo advolant.* Idem: *in profundo revertuntur*, pro in profundum. Lampridius in Avidio Cassio: *Liberam evagandi ubi vellent potestatem dedit.* Siculus Flaccus de Conditionib. Agr. *Colonias autem omnes maritimas appellaverunt, vel, quod in maritimis deducerentur.* Ita scribendum. Vulgo est: *vel, quod mare in his deduceretur.* Ita & loquitur paulo post: *in his ergo littoribus Romani colonos miserunt, ut supra diximus, qui oras Italiæ tuerentur.* Hæc pluribus infra. Coloniam Sylla in Corsicam deduxit Aleriam: Marius Marianam. Mela: *Duæ grandes, fretoque divisæ: quarum Corsica littori propior inter latera tenuis & longa: præterquam ubi Aleria, & Mariana Coloniæ sunt, a barbaris colitur.* Sic legendum, & distinguendum. Martiani verba de Corsica ita quoque distinguenda: *à Surrento in octavo milliario Caprea: item Leucothea. Jam Africum mare*

re spectans à Corsica in octavo Sardinia est. Vulgata corruptissima. Sardiniam octo tantum miliaribus à Corsica distare tradit etiam Plinius: *extraque in conspectu pelagus Africum attingens Sardinia. Minus octo millibus à Corsicæ extremis, etiam angustias eas arctantibus insulis parvis, quæ Cuniculariæ appellantur.* Libri omnes Plinii: *extra quem conspectum.* Ex quibus fecimus: *extraque in conspectu.* Nam Sardinia etiam in conspectu urbis. Strabo: καταπλέουσι δὲ ἀπὸ τῆς πόλεως πόῤῥωθεν μὲν καὶ μόλις ἡ Σαρδώ. Iidem libri: *minus octo millibus.* Strabo sexaginta stadia numerat. Sic octo justa stadia in milliare imputes, erunt paulo plus quam octo milliaria. Sin septem cum semistadio tribuas milliari, juste octo inerunt milliaria. Plinius tamen minus octo millibus dicit, qui Sardiniam extra Corsicam, & tamen in conspectu esse scribit.

Pag. 13. B. *Quem catochiten dicunt lapidem*] Libri literis Græcis hoc nomen scribunt, *quem* κατοχίτην *dicunt.*

Nec tam gemma, quam cautes] Quia major sit ceteris, qui ad ornatum destinantur, cautem potius esse dicit, quam gemmam. Ergo, qui majores erant, quam ut κόσμε χάριν gestari possent, non propriè gemmæ, sed lapides. Æoles γέμμα dicebant, quidquid ad ornatum induitur. Reliqui Græci εἷμα, Æolice ἔμμα, & addito digamma, γέμμα. Inde Latini videri queant fecisse vocem *gemma* de lapillo pretioso, ac pellucido, qui auribus, collo, & digitis induitur ad ornatum. Τὸ γέμμα, hæc *gemma*: ut, τὸ σχῆμα, hæc *schema*: τὸ φλέγμα, Æolicè φλέμμα, Siculè φλάμμα, hæc *flamma.* Gemma igitur parvus lapillus, & rarus, non tantum lævis, nitidus, durus, sed etiam pellucidus. Sic *lapillos* à *gemmis* distinguunt Jurisconsulti nostri, quod *lapilli* cæci, & obscuri, *gemmæ* vero tralucidæ materiæ sunt, hoc est, διαφανεῖς. Nec ἔμφασιν tantum habent, sed etiam διάφασιν. Ex his patet non solùm τὸ λεῖον, τὸ πυκνὸν, τὸ στιλπνὸν καὶ τὸ διαφανὲς, lapidem, ut gemma sit, facere, sed etiam τὸ σπάνιον καὶ τὸ μικρόν. Nisi ea sit magnitudine, ut commode gestari possit, cautes potius, vel lapis, quam gemma. Nam multi lapides lævore, nitore, duritie & pellucida materia commendantur, sed quia grandioris sunt formæ marmoribus potius, quam gemmis adnumerandi veniunt. Theophrastus de lapidibus: ἔνιοι δὲ καὶ σπάνιοι πάμπαν εἰσὶ, καὶ σμικροὶ, καθάπερ ἥτε σμάραγδος, καὶ τὸ σάρδιον, καὶ ὁ ἄνθραξ, καὶ σχεδὸν λόγῳ τῶν εἰς τὰ σφραγίδια γλυπτῶν. Sic legendus ille locus. Hujusmodi parvi, & rari lapilli, qui propriè gemmæ sunt, ad annulos præcipuè sculpebantur. Ideo dicit, σχεδὸν τοὺς εἰς τὰ σφραγίδια γλυπτὰς, quibus fermè comprehendit hoc genus τῶν σπανίων πάμπαν, καὶ σμικρῶν. Hinc grammatici veteres Græci amethystum, sapphirum, carbunculum, & alias hujusmodi gemmas, σφραγῖδας interpretantur. Ἀμέθυσος, εἶδος σφραγῖδος. Παιδέρως, εἶδος σφραγῖδος, & ita de aliis. Hesychius: σαρδώ, ἐν Πασιφάῃ τὸ σαρδόνιον, ἡ σφραγὶς εἴρηται. Hic primus, & vetustissimus apud Græcos usus horum minimæ formæ lapillorum, ut sculperentur, & auro includerentur, digitoque gestarentur ad signandum. Proinde *gemma* est propriè σφραγίς. Plinius de obsidiano lapide: *multi & gemmas ex eo faciunt.* Πολλοὶ δὲ τὰ σφραγίδια γλύφουσιν ἐξ αὐτοῦ. Theophrastus de smaragdo: διὸ καὶ τὰ σφραγίδια γλύφουσιν ἐξ αὐτῆς. Ἔστι δὲ σπάνια καὶ τὸ μέγεθος οὐ μεγάλη. Et in sequentibus de eodem lapide: εὑρίσκονται δὲ σπάνιαι μέγεθος ἔχουσαι σφραγῖδος, ἀλλ' ἐλάττους αἱ πολλαί. Latine reddere liceret: *raræ reperiuntur, quæ magnitudinem gemmæ habeant, multæ etiam minores.* Certa igitur, & stata tunc erat magnitudo earum gemmarum, quæ ad annulos & σφραγῖδας expetebantur, quibus nec minima forma, nec grandior conveniebat. Hinc quoddam genus Sardæ gemmæ, quæ paullo amplior esset, δίσημον vocabant, quasi magnitudinem haberet duplicis σφραγῖδος. Græci porro non habent vocem, qua gemmam à lapillo discernant, ut nostri fecere Jurisconsulti, sed διαφανεῖς λίθους vocant omnes lapides pretiosos, qui pellucidi sunt: λίθους ceteros, qui non pellucent, unde λιθίζοντας appellant in genere translucentium, qui obscuriores sunt, ac cæco visu. Sed & λίθους absolute omnes gemmas. Unde διάλιθον & λιθόκολλον σκεῦος *vas gemmatum.*

Ita se junctis corporibus adnectens] Ita hæc sejunximus, vulgo conjunctim legebatur: *ita sejunctis corporibus*, & mox ex iisdem libris scripsimus: *ut cum ipso hæreant, quibus tangitur.* Ut corpora nempe, quibus tangitur, cum ipso hæreant. Soliniana loquutio: *quibus tangitur.* Quæ & Plinio frequens, ut in his: *eique, qui captatur, abjici.* Sequentia quoque non rectè sic leguntur in editis: *nescio quid par atque gummi.* Scribendum, ut habent optimi codices: *de glutino lentiore nescio quid pareve gummi.* In aliis, *pareque.* Nescio quid de glutino lentiore, vel pare gummi. Plinius simpliciter: *impositas manus veluti gummi retinens.* Quæ iste opere tessellato variavit, ut dominus suum non agnosceret. Quod ait hoc loco Democritum Abderiten ostentatione hujus lapidis frequenter usum, ad probandam occultam naturæ potentiam in certaminibus, quæ contra Magos habuit, unde id acceperit, aut expiscatus sit nescio, certè non hausit ex Plinio, qui tale nihil habet in hujus lapidis mentione. Immo contrarium ubique asserit, Democritum Magorum vanitati in his rebus addictum adprime fuisse, tantum abest, ut contra illos steterit, aut certaverit lib. XXIV. cap. XVII. *In promisso herbarum mirabilium occurrit aliqua dicere & de Magicis: quæ enim mirabiliores sunt? Primi eas in nostro orbe celebravere Pythagoras, atque Democritus consectati Magos.* Si Magos Democritus consectatus est in adstruenda occulta herbarum potentia, nec in virtute lapidum asserenda dissensit à Magis: immo in omnibus Magorum fuisse studiosissimum post Pythagoram eodem capite docet: *Democriti certe Chirocmeta esse constat. At in his ille post Pythagoram Magorum studiosissimus quanto portentosiora tradit?* Vel hic locus sufficit Solini fraudi, & imposturæ detegendæ, de certaminibus Democriti contra Magos. Toti quippe Magi in occulta potentia lapidibus, & herbis adfingenda, quos utique in libris suis sequutus est Democritus, quibus eadem portenta, prodigiaque naturæ adstruxit, quæ Magi mentiebantur.

CAPUT IV.

Sardinia. In ea de solifuga, & herba, quæ Sardonia dicitur. De admirandis aquarum viribus.



PAg. 13. C. *Sardinia quoque*] Cum Græcis Σαρδὼ dicatur, unde Latinum *Sardinia*? Græcis etiam est ἡ Σαρδὼν Σαρδόνος, à quo ἐθνικὸν Σαρδόνιος. Inde νῆσος Σαρδονία, Latinè *Sardinia insula.* Sic λάπιδες, *lapides*: κόνις, *cinis.* Ita Græcarum insularum nomina plerumque extulere Latini per gentilia παράγωγα. *Ceam*, dixere τὴν Κέαν, quæ est Κέως: *Coam*, quæ est Κῶς: sic Σαρδονία, *Sardinia.*

Apud Timæum Sandaliotin legimus] Græcis literis scribitur in membranis Σανδαλιῶτιν. Hesychius: Σανδαλιῶτις, ἡ Σαρδὼ πάλαι. Ita scribendum.

Ichnusam apud Crispum] Ita omnino reponendum fuerat adstipulantibus omnibus libris. Nam de Chrysippo nugæ: non ille γεωγραφούμενα scripsit. Sine dubio respexit ad illum Sallustii locum, qui in fragmentis Historicis hujus auctoris etiamnum extat. De industria Crispum nominavit pro Myrsilo, qui apud Plinium nominatur, ut sic nesciremus cum sumpsisse ex Plinio. At ineptum in Græci nominis notatione alium quam è Græcia auctorem allegare.

Pag. 13. D. *A Norace Noræ oppido*] Perperam in vulgatis: *Noro oppido.* Nora dicitur hoc oppidum Siciliæ. Stephanus: Νῶρα, πόλις ἐν Σαρδοῖ τῇ νήσῳ, Τὸ ἐθνικὸν νωρανὸς, ὡς νωλανός. Nora quoque Ptolemæo.

A

A *A Sardo terra*] Hujus Sardi fanum celeberrimum in Sardinia, quod Σαρδοπάτορος ἱερὸν indigetat Ptolemæus. Σαρδοπάτωρ, id est, Σάρδος πατήρ. Nam, ut notat Servius, veteres omnes deos patres dicebant. Sic suprà, *Æneas pater indiges.* Ut compositum Σαρδοπάτωρ, pro Sardo patre, sic Latinis *Juppiter*, Jovis pater, Ζωπάτωρ. *Marspiter*, Mars pater, *Diespiter*, Διϊπάτωρ. Sic *Semipater* pro Semone patre.

Mox Aristæum regnando his proximum] Vult Aristæum post Noracem, & Sardum in Sardinia regnasse, & sejuges antea populos in unum congregasse, ac conciliasse. Aristoteles contra, primum omnium in Sardinia imperasse tradit Aristæum; quum ea insula tota
B multis, & grandibus avibus teneretur. Τὸν Ἀρισταῖον ὃν φασι γεωργικώτατον εἶναι, ἐπὶ τῶν ἀρχαίων τόπων τούτων ἄρξαι φασὶ μυθολογοῦσιν, ὑπὸ μεγάλων ὀρνέων ἔμπροσθεν καὶ πολλῶν κατεχομένων. Sallustius apud Servium dicit Aristæum cum Dædalo in Sardiniam transivisse: *Hic post laniatum à canibus Actæonem Thebas reliquit, & Ceam insulam tenuit primo hominibus adhuc vacuam: post ea relicta cum Dædalo ad Sardiniam transitum fecit.* Addit Servius huic opinioni refragari Pindarum, qui canit eum de Cea insula in Arcadiam migrasse, ibique vitam coluisse, & apud Arcadas pro Jove cultum. Apollonius Rhodius è con-
C tra Aristæum Arcadia relicta Ceon tenuisse, & ibi Jovis *Icmæi* templum statuisse, scribit secundo Argonauticῶν. Quod de Aristæo hîc dicit Solinus, suprà de Jolao dixit, cap. I.

In urbe Caralis] Sic libri. Ita suprà: *ad montem Soractis.* Florus: *in torrente Vergelli.*

Sed ut hæc & Jolaum, qui ad id locorum agros ibi insedit] Hoc saltem rectè Delrius. Nam ita nostri. Vulgabatur antea: *Sed & hic Aristæus Jolaum creat.* Quæ lectio corruptissima, & falsissima. *Ad id locorum*, idem est quod per id tempus. Ita supra: *Atys mutus ad id locorum.* Sic Tertullianus: *Si Diogenes tunc locorum de dolio latras-*
D *set.* Falsum id tamen. Nam Aristæus antiquior Jolao. Supra cap. I. scripsit Jolaum Sardiniam ingressum palantes incolarum animos ad concordiam eblanditum esse: idem prorsus hoc loco scribit de Aristæo. Sic parum sibi convenit auctor ipse.

Præterea & Ilienses, & Locrenses transeam] Omnino scribendum, *Iolenses.* Idem error similiter corrigendus apud Melam: *in ea antiquissimi populorum sunt Ilienses.* Scribe, *Iolenses.* Etenim falsum antiquissimos Sardiniæ populos esse Ilienses, sive Trojanos. Qui ab Jolao dicti sunt Ἰολαεῖς longè antiquiores. Præterea schedæ
E Palatinæ *Hiolenses* heic planè exhibent. Ita etiam in Plinio legendum: *celeberrimi in ea populorum Iolenses, Balari, Corsi.* Solinus suprà: *Iolenses ab eo dicti.* Corrigendus quoque Livius, ubi perperam *Ilienses* vocantur. Straboni sunt Ἰολαεῖς, quod esset Jolaenses. An Latinis *Iolenses*, ut φωκαεῖς, sunt Phocenses. Iolenses Latinorum non ab Iolao, sed ab Iola. Nam Iolaus, Iolas: ut Arcesilaus, Arcesilas. Menelaus, Menelas. Agesilaus, Agesilas. Ita quoque Græci, Ἀγησίλας, & Ἰόλας, inde igitur Ἰολεῖς, ut Ἰόλεια: quæ aliter Ἰολάεια, Ἰολείων ἀγῶνος sæpe mentio apud Scholiasten Pindari. Ἰόλεως etiam dicebatur, ut Μενέλεως. Unde *Violeus* pro
F *Jolaus* apud Terentianum Maurum hoc versu:

Et Iolaus, Violeus fit, crede Marco Tullio.

Iolaus addito digamma fit *Violaus.* Quod *Violeus* dixit Grammaticus, ut versui consuleret. Nam & Ἰόλεως Græci, ut Μενέλεως. Ergo & *Violeus.* Graviter errat vir summus, qui *Violans* legit apud Terentianum, & inde *Violantillam* autumat dictam τὴν Ἰανθίδα. Primùm non *Violans*, sed *Violaus*, aut *Violeus* scribitur in Terentiano. Deinde Iolaus nomen nihil habet cum viola commune, nisi quod compositum est ex ἴον, quæ vox violam significat, & λαός. Postremo *Violantilla* nomen
G Romanum nihil ex Græco habet, & purum putum est ex Latio. *Violantius*, & *Violantia*, ut *Vigilantius*, *Florentius*, *Prudentius*, nomina propria Romana à verbis deducta. Inde *Violantilla* ὑποκοριστικόν. Sic vocabatur Stellæ Poëtæ conjux. Martialis, aliique tunc temporis Poëtæ Stellæ amici, quasi hoc nomen à violis duceretur, Græcum finxerunt Ἰανθίδα, quo illud Latinum exprimerent, Violantillæ ipsi faventes potius, quam veritati velificantes.

Sed quod aliis locis serpens, hoc solifuga Sardis agris] Solifugam propriam facit, privamque Sardiniæ, quod nec Plinius, nec alius quisquam prodidit. Idem Plinius refert circa Cynamolgos Æthiopas late desertam vacare regionem, *sublatis incolis a scorpionibus, & solifugis.* Lucanus præterea inter alia Africæ venenata etiam *solipugas* recenset. Ut de solipugis hoc loco tractaret, Sardiniæ eas quasi peculiares vindicavit. Ita superius Lyncas de luporum genere dixit esse, quo simul ibi posset historiam de lyngurio adnectere. Præterea *solifugas* vocat, vel vitiosam sequutus scripturam, vel mendosos nactus codices, quæ *solipugæ* erant dicendæ. Certè aliquot locis apud Plinium, etiam in scriptis exemplaribus, *solifugæ* pro solipugis reperiuntur. Ut hoc loco lib. VIII. cap. XXX. *Circa Cynamolgos Æthiopas latè deserta regio est, a scorpionibus, & solipugis gente sublata.* Ibi in libris habetur: *a scorpionibus, & solifugis.* Solifugarum quoque Arnobius meminit duobus locis, quæ *solipugæ* sunt. Sic *Pugela* urbs τὰ Πύγελα, Latinè *Fugela* hoc vitioso scribendi more, qui & falsum etymum suggessit Pomponio Melæ, quasi à fugitivis fuerit condita, quum Græci ἀπὸ τῆς πυγῆς sic dictam interpretentur. Et vide rationes Grammaticorum, quam sint absurdæ. Ex nominis sono naturas rebus accommodant, quas non habent, cum ex natura, quam habent, nomina sint rebus indita. Qui *solifugas* scribunt, ita dictas asserunt, quod solem fugiant, ut hoc loco Solinus: qui *solipugas*, quod in sole vehementius pungant, appellatas arbitrantur, ut Festus. In eadem sententia est Glossarum veterum auctor, qui *solipugam*, ἡλιοκεντρίδα exponit, & scripsisse *solipugam*, non *solipagam* hac interpretatione fatetur. Atqui si in sole pungunt acrius, non solem fugiunt. Nugæ istæ sunt. *Solipuga* dicta ἡ ὁλοκεντρὶς, quod minutulum animal ita acriter pungat, ut totum videatur esse punctura. Sic *soliferreum*, τὸ ὁλοσίδηρον, *solipuga*, quod ὅλη sit κέντρον. Lucillius *Solipugam* etiam videtur à sole, & pungendo derivasse: nam contraria compositione nomen obscænum finxit, *noctipuga.* Quod virile fascinum significat, quod nocte scilicet pungeret. Festus: *noctipugam Lucillius cum dixit, obscænum significat.* Sic enim scribendum, non ut in editis, *noctiluca.* Vetus codex V. cl. Mercerii disertè scriptum exhibet, *noctinuga.* Ex quo factu fuit facile divinare *noctipuga.* Sed & veteres Glossæ Palatinæ, quas penes me habeo, hoc confirmant, in quibus legitur: *noctipugam, obscænum, quod quasi noctibus compungat.* Noctipuga νυκτικεντρον. Sic eam partem κέντρον vocaverit hoc versu Sotades: εἰς σὴν ὀσφὺν τρυμαλιὴν τὸ κέντρον ὠθεῖ. Apulejus de Psyche gravida: *crescentes dies, & menses exeuntes anxia numerat, & sarcinæ nescia rudimenta miratur, de brevi punctulo tantum incrementulum locupletis uteri.* Plinius ait *solipugas* Ciceroni vocari, Bæticis *salpugas*, lib. XXIX. cap. IV. *Est & formicarum genus venenatum, non ferè in Italia: solipugas appellat Cicero, salpugas Bætica.* Ita concipienda sunt Plinii verba. Hinc Lucanus vocabulo gentis suæ *salpugas* dixit:

Quique tuas calcare timens salpuga latebras.

Ita meliores libri Lucani, nec rescribendum, *solpuga.* Isidorus & ipse Hispanus: *salpuga serpens est, quæ non videtur.* Verum hujus animalculi nomen, *solipuga*, ὁλοκεντρὶς, quod depravatum efferunt, qui *salpugas*, & qui *solifugas* scribunt.

Pag. 13. E. *Qua aranei forma*] Ita scripsimus ex depravata librorum lectione, qui partim habuere, *quæ araneis forma*: partim, *quam aranei.* Sic Plinius: *qua corna sativa specie.* Legi etiam posset: *quæ aranei forma.* Ita supra: *forma illis quæ fulicis.* Editi hactenus: *similemque araneis forma.* Ait porro *solipugam* aranei formam habere: Plinius, formicarum genus esse: auctor Glossarum, μυίας εἶδος. Ecquis scit quod animalculi genus hoc sit, & quomodo Græcis vocetur? Nam ἡλιοκεντρὶς, ut Glossæ exponunt, fictitium est, & ex sono Latinæ vocis expressum. *Solipugam* veteres Latini dixerunt, quod Græcis φαλάγγιον. Plura phalangiorum genera, ut & araneorum philosopho teste. Ἀράχνιον Latinè est *araneus.* Cui simile phalangium. Quod in Latio nomen non habet nisi Græcum. Ex Phalangiis alia innoxia sunt, & telas araneorum more faciunt, alia δηκτικά. Τῶν δηκτικῶν duo genera. Aristoteli, unum quod

quod lupi nomine distinguit, ἐξὺ τε ἢ πηδητικὸν, unde & Ψύλλα vocabatur: alterum majus, τῇ κινήσει νωθρὸν ἢ βαδίζον ἠρέμα. Hæc definitio unicè convenit solipugæ, quæ occultim reptat, & per imprudentiam superſedentibus peſtem facit. Certè *ſolipuga* eſt Φαλάγγιον δηκτικὸν, quod tota pungat, & ex phalangiorum genere. Solinus heîc ſcribit ſolipugam eſſe aranei forma. Plinius *Phalangion*, *beſtiola aranei generis.* Heſychius: Φαλάγξ, ζῶον παραπλήσιον ἀράχνῃ. Plinius de ſolipuga, *formicæ genus eſſe venenatum ſcribit.* Idem de Phalangio *ſimile formicæ* tradit eſſe, *ſed multo majus.* Solipugam in Italia non reperiri idem affirmat. Similiter & phalangium. *Phalangium eſt*, inquit, *ignotum Italiæ, & plurium generum.* Item lib. XXII. cap. ult. *& leguminibus innaſcuntur beſtiolæ venenatæ, quæ manus pungunt, & periculum vitæ afferunt, ſolipugarum generis.* Lib. XVIII. cap. XVII. *Naſcitur & phalangion in ervo, beſtiola aranei generis.* Lib. VIII. cap. XXIX narrat, *citra Cynamolgos Æthiopas latè deſertam eſſe regionem, à ſcorpionibus & ſolipugis gente ſublata.* In Græco ſcriptore liquet fuiſſe, ὑπὸ τῶν σκορπίων, καὶ φαλαγγίων. Et fortaſſe is eſt Agatarchides. Sic enim ille de hac regione Acridophagis Æthiopibus vicina: Ἀκριδοφάγων ἀσυγγείτων χώρα πολλῇ ἐν νομὰς ἔχουσα ποικιλίᾳ διαφερούσας. Ἔρημος δὲ πλείως ἐστὶ τοῖς περιοίκοις ἄβατος, οὐκ ἀπ' ἀρχῆς σπανίσασα ἀνθρωπίνου γένους, ἀλλ' ὑπὸ πλήθους ἀπίστου σκορπίων καὶ φαλαγγίων, ἃς τετραγνάθους ἐπονομάζουσιν ἔνιοι. Citra Æthiopas Cynamolgos hanc regionem eſſe dicit Plinius, quia Cynamolgi omnium ultimi τῶν πρὸς μεσημβρίαν οἰκούντων. Vide Plinium τὰ φαλάγγια *ſolipugas* vertere. Et tamen, quod mireris, in phalangiorum deſcriptione ſolipugas non nominat. Immo quaſi toto genere ſint à phalangiis diverſæ, ſeorſum earum facit mentionem. Atqui ex multis aliis locis patet eum *ſolipugas* vocaſſe, quæ Græcis φαλάγγια, ut cum ſcribit leguminibus innaſci *venenatas beſtiolas, ſolipugarum generis*: τοῦ φαλαγγίων γένους, intellexiſſe clarum eſt ex alio loco, ubi phalangia nominat ea animalcula, quæ ervo innaſcuntur, cum aquoſa eſt hyems. Ἐξ ἐπομβρίας, abundare id genus beſtiolas, ſcriptum etiam Agatharchidæ. Τοῦτο γὰρ τὸ φῦλον ἐκ τινὸς ἐπομβρίας λέγουσιν ἐπιπολάσαι. Ceterum τετράγναθοι, quas idem nominat auctor in genere phalangiorum, etiam Plinio nominatæ: *tetragnathi duo genera habent.* Ita ſcribendum: non *tetragnathii.* Ex his conſtat *ſolipugas* veteribus Latinis vocatas à pungendo, quæ Græcis φαλάγγια ſunt, ex genere τῶν δηκτικῶν. Quod nemo hactenus animadverterat. Hinc etiam colligi poteſt, quam rectè ſcribat Solinus, Sardis agris id eſſe ſolipugam, quod aliis in regionibus eſt ſerpens, quaſi nuſquam alibi præterquam in Sardinia inſula naſcantur ſolipugæ, & phalangia. Quod ſi ſolifugas à ſolipugis diverſas putavit, non minus erraverit. Ex genere porro ſolipugarum, ſive Phalangiorum *Tarentulam* eſſe conſtat, Apuliæ peculiarem, quæ ex terræ cavernis obrepens per improviſum in ſummo æſtu meſſoribus perniciem creat. Unde & *Solipuga* vocari poteſt, quod in ſole pungat vehementius. Hinc etiam falſi Plinius convincitur, qui *Phalangium* & alia generis hujus venenata animalia Italiæ ignota aſſerit.

Nam ſolum illud argenti dives eſt] In quibuſdam: *argento*, ſed illud melius. Nam ita antiqui, & Virgilius ſæpe, quem ſequitur noſter in multis.

> ---- *dives pictaï veſtis, & auri.*

Paulo poſt, *occultim exreptat*, quidam libri. Alii, *occultum reptat.* Quod Solinianum eſt.

Et herba Sardonia] Ἡ Σαρδονία. Quod ἐθνικὸν Græcum eſt. Nam Latini frequentius, *Sardoum.* Unde herba hæc *Sardoa* dicitur Salluſtio, & Virgilio. Schedæ Palatinæ vetuſtiſſimæ heîc legunt, *herba Sardinia.* Qui minus autem *herba Sardinia*, ἡ Σαρδονία πόα, quam *Sardinia inſula*, Σαρδονία νῆσος? Sic Γοργονία λίθος à Γοργὼ, & Ἀργονία Ἥρα, *Juno Argoa*, ab Ἀργώ. Vide quæ ſupra notavimus.

Quæ in defluviis fontaneis provenit] Ἐν ταῖς πηγιμαίαις ἀπορρύσεσι.

Ea ſi edulio fuerit neſcientibus, nervos contrahit.] Id eſt, ſi neſcientes, & imprudentes eam ederint. Macrobius: *ſi quis aconitum neſciens hauſerit, non nego eum hauſtu plu-*

A *rimi meri ſolere curari.* Nemo enim edit ſciens, quod noxium eſt. Ineptè antea in omnibus editionibus vulgatum: *ea ſi edulio fuerit, veſcentibus nervos contrahit.* Herbam hanc porro Dioſcorides βατραχίου εἶδος facit. In deſcriptione vero Batrachii ſecundam ejus ſpeciem dicit eſſe herbam Sardoniam, ὃ δὴ καὶ σέλινον ἄγριον καλοῦσι. Latini *Apiaſtrum* vocant agreſte apium. Ut enim *piraſtrum* eſt pirum ſylveſtre, ſic *apiaſtrum*, apium ſylveſtre. Gloſſæ: *piraſtrum*, ἀχράς. Salluſtius apud Servium herbam Sardoniam ſimilem eſſe apiaſtro ſcribit, hoc eſt, ἀγρίῳ σελίνῳ. Idem Servius: *non dicit cicutam, quæ omnibus nota eſt: ſed illam Sardoniam, quæ apiaſtri ſi-*
B *milis homines decipit.* Apiaſtrum venenatum in Sardinia naſci teſtatur, quæ eſt herba Sardoa, vel apium agreſte. Toto genere ab hoc apiaſtro diverſa eſt alia herba, quam Romani veteres *apiaſtrum* etiam dixere ab apibus, quæ Græcis μελισσόφυλλον, aut μελίτταινα, aut μελίφυλλον. Gloſſæ optimæ: *apitra*, τὰ μελίφυλλα, ὡς πίτυινος. Perperam hodie legitur, *aptra* ἀμπελόφυλλα. Dicebatur & *apiaſtrum.* Diverſum hoc tamen erit ab apiaſtro, quod eſt ἄγριον σέλινον. Iſtud ab apio, quod Græcè dicitur σέλινον, derivatum eſt: illud ab apibus, & eſt μελισσόφυλλον, quo apes impensè delectantur. Sic *apiaſtræ* aves dictæ, quæ apes comedebant.
C Servius: *oſtendit etiam aves eſſe meropes. Sunt autem virides, & vocantur apiaſtræ, quia apes comedunt.* At immani errore Plinius *apiaſtrum* τὸ μελισσόφυλλον cum apiaſtro τῷ ἀγρίῳ σελίνῳ confundit. Nam inter apii genera *apiaſtrum* referens ſic ait: *apiaſtrum Hyginus quidem meliſſophyllon appellat, ſed in confeſſa damnatione eſt venenatum in Sardinia.* Atqui *apiaſtrum*, quod venenatum in Sardinia naſcitur, eſt ἄγριοσέλινον, non μελισσόφυλλον. *Apiaſtrum* vero, cujus flos gratus apibus, quique in coronamenta etiam venit, nihil prorſus habet cum illo apiaſtro ſimile. Virgilius:
D

> ---- *huc tu juſſos aſperge ſapores,*
> *Trita meliſphylla, & cerinthæ ignobile gramen.*

Meliſphylla dixit verſus gratia quæ μελίφυλλα. Nicander:

> Τὴν ἤτοι μελίφυλλον ἐπικλείουσι βοτῆρες,
> Οἱ δὲ μελικταίναν.

Perperam hodie in Virgilio ſcribitur, *meliphylla.* Phylargyrus ad eum locum: *Meliſphyllon herba eſt, quam, ut ait Varro, alii apiaſtrum, alii melinen appellant.* Ita emendandus Varro: *cytiſo obſeviſſe & apiaſtro, quod alii meliphyllon, alii meliſſophyllon, quidam melinen appellant.*
E Nam, ut ſcimus teſtimonio doctiſſimi Victorii, vetus liber habebat, *mellinen.* Græcum eſt, ἡ μελίνη. Non igitur Hyginus primus *apiaſtrum* meliſſophyllon appellari docuit, falſo opinatus Plinius, ſed longè ante Hyginum ſic appellavit Varro. Plinius lib. XXI. cap. IX. *Ergo in coronamenta folio venere Melothrum Smerea, Origanum, Cneorum quod Caſiam Hyginus vocat, & quod cunilaginem, conyza; meliſſophyllum, quod apiaſtrum; melitoton, quod nos ſertulam Campanam vocamus.* Sic ille Plinii legendus locus. *Cneorum*, inquit, quod Hyginus caſiam vocat: & *Conyza*, quod idem appellat cunilaginem. Hic eſt etiam Hyginus, qui meliſſophyllum Latinè apiaſtrum vocari docebat, ab apibus
F ſcilicet, non ab apio quod eſt ἀγριοσέλινον & herba Sardonia. Apiaſtri, ſive meliſſophylli flore olim etiam coronari ſolitæ deorum aræ. Virgilius:

> *Eſt etiam flos in pratis cui nomen amello.*

Amellum ibi eſt μελισσόφυλλον. Gloſſæ: *Amellum*, μελίφυλλον. Quem florem ita deſcribit:

> *Aureus ipſe, ſed in foliis quæ plurima circum*
> *Funduntur, violæ ſublucet purpura nigræ.*
> *Sæpe deûm nexis ornatæ torquibus aræ.*

Florem vocat apices illos croceos, vel aureos, qui in
G medio ſunt calice, folia vero calicem ipſum, qui purpureus eſt. Sic Ovidius de Narciſſo:

> ---- *croceum pro corpore florem*
> *Inveniunt, foliis medium cingentibus albis.*

Flos Narciſſi albus eſt, in medio luteus, & falluntur, qui Narciſſos nobis luteos obtrudunt. Sed florem proprie vocat Narciſſi, quod intus eſt croceum in Narciſſo. Dioſcorides: ἐφ' οὗ ἄνθος λευκὸν, ἐν μέσῳ δὲ κροκῶδες,

ἐνίων

ἐνίων ἢ πορφυροειδὲς. Vopiscus in Aureliano: *rosas in cortice exisse purpureas, floris aurei.* Ubi *florem aureum* vocat luteos apices, qui sunt in medio calice rosæ, ut ibi docuimus. Plinius de rosa: *quo mox intumescente, & in virides alabastros fastigato, paulatim rubescens dehiscit, ac sese pandit in calices, medio sui stantes amplexa luteos apices.* Ita legendum in Plinio: nam rosa primum in alabastros fastigatur, deinde in calices se pandit. Florus *pyramidas* vocat, qui Plinio *alabastri*, & *calathos*, quos ille *calices*. De rosis:

---- prima dies ostendit spicula florum,
Altera pyramidas nodo majore tumentes,
Tertia jam calathos.

Sed hæc obiter. Crocos igitur florum propriè Latini *flores* appellarunt. Aliter de Narcisso Plinius. Calicem vocat, qui in medio est croceus; florem, quæ in ambitu sunt, folia candida, *Narcissum vocant: hujus alterum genus flore candido calice purpureo.* Quod autem ait Narcissi genus alterum, *flore esse candido, calice purpureo*, non potius dicendum fuit: *calice candido, flore purpureo?* Ita videretur ex his, quæ suprà diximus. Verum hoc aliter obtinet in Narcisso: nam purpureum illud, vel croceum, quod intus habet, effigie calicis est, & velut corona, quæ in orbem currit croceum. Quare frustra Plinium reprehendunt, quasi calicem vocaverit, quod in medio floris extat, idque fecerit nullius auctoris exemplo. Calix, inquam, in medio Narcissi purpureus, aut croceus visitur. Sed ipsi potius reprehendendi, qui calicem in flore quid sit nesciunt. Putant esse ex Græco κάλυξ, & falluntur. Κάλυξ inter alia significat florem rosæ adhuc conniventem, & nondum apertum. Hesychius: κάλυξ τὸ ἄνθος ἢ ῥόδα τὸ μὴ ἐκπεπτασθέν. Glossæ: *conivum*, κάλυξ ῥόδα, μεμυκός. Ita cum Plinii sententia minimè congrueret, qui rosam, quando dehiscit, & aperitur, *in calices sese pandere* dixit. Sed *calices* ibi non sunt κάλυκες, sed κύλικες, vasa nempe, quibus bibitur. Qui Latinè *calices*. Ab hujusmodi calicum similitudine dicti in floribus *calices*. *Calathos* etiam aliter dixere. Nam *calathi* iidem quod *calices*. Virgilius:

Vina novum fundum calathis Arvisia nectar.

Servius *calices* interpretatur. Plinius de lilio: *candor ejus eximius, foris striati, & ab angustiis in latitudinem paulatim sese laxantis effigie calathi, resupinis per ambitum labris.* Ita legendum. Paulo post *calicem* vocat: *ita odor, colorque duplex, & alius calicis, alius staminis differentia angusta.* In Narcisso non folia, quæ candida sunt, calicis figuram reddunt. Nimis quippe resupinantur, sed qui in medio est purpureus, aut croceus circulus, hoc instar habet. Nam in aliis purpureus, in aliis croceus. Plinius de purpureo jam dixit: sequitur de croceo: *alteri generi cetera eadem, calix herbaceus.* Posuit herbaceum pro eo, quod in Dioscoride est, κροκῶδες. Itaque ajunt Plinium legisse apud Dioscoridem ποῶδες. Falluntur. Lege in verbis Plinii: *calix helvacius.* Idem mendum infrà cap. XIX. *Narcissi duo genera in usum medici recipiunt: unum purpureo flore, & alterum herbaceum.* Scribendum, *helvaceum*: Color helvaceus, & *helveus* est inter rufum, & album. Ita Festus: hic planè est melinus, & luteus color, vel croceus. Ut ad rem tandem redeamus, flos Amelli purpureus, cum crocis intus, quos aurei floris nomine donat Virgilius. Idem scribit Amellum, ex imo cespite ingentem sylvam tollere. Hoc etiam proprium melissophylli, quod multos caules ex una radice spargere, & valde fruticosum esse sciunt herbarii. Ballotæ, vel marrubio nigro, quod μέγα πράσιον Græci vocant, simile esse scribit Dioscorides. Atque inde πράσιον quoque dictum. Hesychius: μελίφυλλον βοτάνη τις ἣ καὶ μελισσόφυλλον καὶ πράσιον. Magno errore Plinius πράσον, & πράσιον confundit, porrum, & marrubium, quum dicit balloten alio nomine *nigrum porrum* vocari. Ita enim ejus libri. Ceterum nulla marrubii nigri similitudo cum apio sylvestri, nulla melissophylli cum batrachio. Plinius non potest credere Hygino melissophyllum Latinè vocari apiastrum: etenim capite XII. lib. XXI scribens, hortis, coronamentisque maximè alvearia, & apes convenire, addit: *harum ergo causa serere oportet, thymum, apiastrum, rosam, violas, lilium, cytisum, fabam, ervilium, cunilam, pa-*

A *paver, conyzam, casiam, melilotum, melissophyllum, cerintham.* Ubi apertè distinguit melissophyllum ab apiastro. Non tamen illi auctori Glossarum credendum, quem rei Herbariæ imperitissimum fuisse constat. Solo nominis sono persuasus *Amellum* putavit esse Græcorum μελίφυλλον, quasi à *melle* nominatum esset, ut hoc Græcum ἀπὸ τῆς μέλιτ☉. Diversæ plane herbæ *Melissphyllum* & *Amellum*. Placet doctissimis Herbariis Amellum esse ἀστέρα Ἀττικόν, sed illi viderint. Ne Apiastri quidem sive Melissophylli species quas producunt, satis conveniunt cum Dioscoridis, & veterum μελισσοφύλλῳ, quod esse marrubio simile dicunt cauliculis &
B foliis. Adeo nimirum imbiberat apiastrum esse ἄγριον σέλινον. Atqui Varroni credere debuit, à quo Hyginus accepit. Columella etiam Melissophyllum ab Apiastro separat, & similiter errat. Apiastrum igitur est ἄγριον σέλινον, est & μελισσόφυλλον, diversa utrumque origine. Sic uno, eodemque nomine diversissimi generis herbas Latini appellavere. Optimæ Glossæ huic voci utramque significationem apponunt: *apiastrum*, μελισσόφυλλον, ὀλυσαθρον, ἱπποσέλινον. Perperam, ἐρύσιμθρον, scribitur.

Rictu diducit ora] Sallustius apud Servium: *hominum*
C *rictus dolore contrahit.* An non hæc contraria sunt, *rictus contrahi*, & *rictu ora diduci?* Sallustius *rictus* pro labiis posuit, quæ contrahuntur esu Sardoniæ. Dioscorides: καὶ σπάσματα μετὰ συνολκῆς χειλέων. Hesychius in voce Σάρδιον· Ὡς καὶ τῶν χειλέων καὶ στόματος συσπλέντων, ἐκ τοῦ ποιῆτε σπασμοῦ γυμνοῦσθαι λοιπὸν καὶ τοὺς ὀδόντας. Sic *ricta* Lucretio sunt labiæ:

Mollia ricta tremunt duros nudantia dentes.

At *rictus* propriè dicitur ea oris conformatio, qua labia diducuntur, ut solent fictè ridentes, aut verè ringentes, quod Græci dicunt σεσηρέναι. Nam *rictus* à ringendo. Festus: *rictus, rixæ, ringitur dici videntur, quia in di-*
D *versum rumpantur, contrariaque sint recto.* Titinnius: *exporge frontem, habeas semper facito rictus.* Ita legendum. Pomponius: *rictum & labeas cum considero.* Varro: *rictus parvissimus, ut refrenato risu roseo*, id est, parva oris apertio. Nam *rictus*, ut dixi, στόματ☉ ἄνοιξις, ut σεσηρότων. Igitur, quibus labra contrahuntur, ut his, qui Sardoniam comederunt, rictu solent ora diducere. Nam labra sic contracta renudant dentes, & rictum faciunt. *Ringi* est σεσηρέναι τοὺς ὀδόσι, quod canes irritatæ faciunt. Inde & pro labiis ipsis, & pro toto ore rictus usurpatus est, quod in bestiis, ῥύγχ☉.

Ut qui mortem oppetunt, facie ridentium intereant] Du-
E plex heîc lectio fuit ex diversis editionibus. Prima videtur habuisse: *ut qui mortem oppetant, veluti ridentes intereant.* Sic Sallustius de hac eadem herba: *hac comesa hominum rictus dolore contrahit, & quasi ridentes interimit.* In altera, quæ ab ipso recognita est, posuit: *ut qui mortem oppetant, intereant facie ridentium.* Quod ex Græco est, τῇ τῶν γελώντων φαντασίᾳ. Dioscorides: ὥστε γέλωτ☉ φαντασίαν παρέχειν. Hesychius: ὡς γέλωτ☉ φαντασίαν δεικνύσθαι τοῖς ὁρῶσι. Quod edebatur antea, conflatum ex utroque: *velut facie ridentium intereant.*

De imbrido cœlo] Recentior Palatinus, qui tamen
F ex optimo descriptus videbatur, habebat: *imbridoco.* Quæ admonitio est librarii in aliis lectum fuisse, *imbrido*, in aliis *imbrico.* Sic utrumque solet auctor usurpare, *candidare* & *candicare.* Festus: *imbrica tempestate, pluviam videtur significare.* Ceteri omnes Solini codices legunt, *imbrido.* Sic *albicus*, & *albidus.*

Hoc collectaneum deparcitur] Diu est, quum ita in Solino legi, edique debuit. Vulgati: *depascitur.* Ineptè. Sardi homines collectanea aquæ imbricæ deparcebant, ac conservabant per hyemem, ut sufficerent æstate defectis fontibus, & Jove non impluente. *Deparcere*, ut *imparcere*, & *comparcere.* Festus: *comparsit Terentius pro*
G *compersit.* Ita legendum. Vulgo ineptè, *compescuit.* Notat Festus Terentium posuisse *comparsit* pro *compersit*, cum à parco compositum deberet esse potius *comperco*: ut conspergo, à spargo. Terentii verba: *quod ille de demenso suo suum defrudans genium comparsit miser.* Id est, parcendo conservavit de demenso suo. Quibus verbis significatio vocis *compescuit* nullo modo convenit. Scribi etiam posset, pro *compepercit.* Sic notat Catonem *parsi* dixisse, pro *peperci.* Deparcere collectaneum hoc loco est ταμιεύειν

παμιδᾶν, conſervare. Sic *parcere linguam* pro continere dicebant in ſacrificiis. Feſtus: *parcito linguam in ſacrificiis dicebatur, id eſt, coërceto, contineto, taceto.* Perperam legitur, *Paſcito linguam*, quod ineptum eſt. *Compeſcere* quidem dicitur coërcere: quod propriè ſit in idem paſcuum cogere animalia, & compellere: cui contrarium *diſpeſcere*. Sed *paſcere* ſimpliciter pro coërcere inauditum eſt. *Parcere linguam*, φείδεϑ τῆς γλώσσης, tacere, abſtinere linguam. *Deparcere* idem quod ſimplex parcere. Sic *deparcus* Suetonio pro valdè parco. *Comparcere* infrà habemus eodem ſenſu.

Pag. 13. F. *Ubi defecerint ſcaturigines*] In quibuſdam deeſt vox *ſcaturigines*, & poteſt abeſſe ita diſtinguendo: *ut ſufficiat uſui, ubi defecerint fontes. Sanè calidi, & ſalubres aliquot* locis *effervescunt*. Sed verius variam & heìc fuiſſe lectionem ex duplici lectione. In πϱοεκδόσει fuit hoc *collectaneum deparcitur, ut ſufficiat uſui, ubi defecerint, quæ ad victum uſurpari ſolent*, id eſt, collectaneum aquarum pluviarum deparcitur, ut uſui eſſe poſſit, quum defecerint illæ aquæ, quæ ad victum ſolent uſurpari, ut ſunt fontaneæ. In recognita editione pro illis ſcripſit, *ubi defecerint ſcaturigines*.

Fontes calidi, & ſalubres aliquot effervescunt] Hoc de Sicilia omnes ſcripſere, non de Sardinia. Strabo: Θερμῶν γοῦν ὑδάτων ἐκβολὰς καὶ πολλὰς ἔχει τόπους ἡ νῆσος. Diodorus Siculus: Οὐ μόνον γὰρ περὶ ὑγίειαν τῶν νοσούντων τὰ κατ' αὐτὴν λουτρὰ πολλὰ συμβάλλεται, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν ἐκ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἰδιότητα παρέχεται τέρψιν καὶ ἀπόλαυσιν οὐ τὴν τυχοῦσαν. Διόπερ πολλοὶ τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ὑπὸ νόσων ἰδιοτρόπων ἐνοχλούμενοι καταντῶσιν, εἰς αὐτὴν καὶ τοῖς λουτροῖς χρώμενοι παραδόξως ὑγιεῖς καθίστανται. Silius Italicus de Sicilia:

Heic & Pæonios æterno ſulfure fontes.

Vetus Epigramma Philippi Theſſalonicenſis ἀνέκδοτον Siciliæ ὕδατα Παιώνια ſic prædicat:

Ἡ χηΐς ἡ χερνῆτις, ἡ γυρὴ πόδας
Πύστιν καὶ ἐσθλὴν ὕδατος Παιωνίου
Ἦλθεν ποθ' ἑρπύζουσα σὺν δρυὸς ξύλῳ
Τὸ μὲν δισκήπτρῳ τὴν πετρωμένην.
Οἶκτος δ' ἑ νύμφας εἷλεν. Αἱ τ' ὀρεινόμοι
Αἴτνης παρωρείησιν Εὐμέθου πατρὸς
Ἔχουσι δινήεντος ὑγρὸν οἰκίον.
Καὶ τῆς μὲν ἀμφίκωλον ἄρτεμὲς σκέλος
Θερμὴ διεσήρεξεν Αἰτναίη λιβάς.
Νύμφαις δ' ἔλειπε βάκτρον, αἳ δ' ἐπήνεσαν
Πέμπειν μὲν ἀσκήρικτον ἥσθεῖσαι δόσει.

Legendum autem in Epigrammate,

Αἴτνης παρωρείησι Συμαίθου πατρός.

Symæthus flumen in Sicilia. Fontes igitur Pæonii, & medicati in Sicilia, non in Sardinia. Et unde tales in Sardinia inſalubri, & peſtilenti aëre adeo famoſa? Ita quidem ut illius inſulæ nomen de mera peſtilentia vulgo uſurpatum ſit. Hinc illa:

A ---- *in medio Tibure Sardinia eſt.*

Nugatur Solinus, quum Sardiniæ adjudicat, quod Siciliæ eſt. Utrum aliud agens, an hoc ipſum agens, ac de induſtria mentiens, non diſputo.

Qui oculis medentur, & coarguendis valent furibus] Quod ſequitur de fonte, qui fures coarguit, & ſacramenti fidem probat. Eadem futilitate Sardiniæ adſcribit auctor, qua pæonios calidos fontes, cum utrumque ſit Siciliæ. Palicorum lacus in Sicilia, vel Deilorum, qui fratres Palicorum habebantur, hoc exigendi ſacramenti miraculo inclaruere. De his vide Macrobium, & Stephanum.

B *Quiſquis ſacramento raptum negat*] Macrobius: *cum furti negati, vel ejuſmodi rei fides quæritur, & jusjurandum a ſuſpecto petitur, uterque ab omni contagione mundi ad crateras accedunt.* Vide locum. Ad pœnam perjurii quod attinet, Macrobius falſum juratorem vitam amittere dicit: Stephanus, πηρωθῆναι: noſter perjurum cæcitate damnari vult. Idem ſcribit Diodorus Siculus lib. XI. Τοιαύτης δ', inquit, θεοπρεπείας οὔσης περὶ τὸ τέμενος οἱ μέγιστοι τῶν ὅρκων ἐνταῦθα συντελοῦνται, καὶ τοῖς ἐπιορκήσασι σύντομος ἡ τοῦ δαιμονίου κόλασις ἀκολουθεῖ. Τινὲς γὰρ τῆς ὁράσεως στερηθέντες τὴν ἐκ τοῦ τεμένους ἄφοδον ποιοῦνται μεγάλης

C δ' οὔσης δεισιδαιμονίας· οἱ τὰς ἀμφισβητήσεις ἔχοντες, ὅταν ἀπό τινος ὑπεροχῆς καταισχύνωνται, τῇ διὰ τῶν ὅρκων τούτων ἀναφορᾷ κρίνονται. Hæc Diodorus de Paliceno Siciliæ fonte, quæ noſter in Sardiniam tranſtulit. De cujus levitate, oſcitantia, futilitate nihil dici poteſt pro merito. Itaque tacere malim, quam parum dicere.

Aut ſolidant oſſa fracta] Arnobius: *ſi exos humanum genus velut vermiculi naſceremur, Oſſipago ſolidatrix oſſium nomen proprium non haberet.* Ea eſt, quam alibi vocat *oſſipaginam*, à pangendis & ſolidandis oſſibus: Græci κολλᾶν dicunt. Unde ὀστεόκολλος herba, quæ aliis σύμφυτος, à virtute oſſium ſolidandorum, qua prædita eſt, & vulnerum conglutinandorum. Πήκτην eodem ſenſu hanc

D herbam Græci recentiores indigetarunt, quam Latini vocant *conſolidam* ab eodem effectu. Neophytus: Σύμφυτον, οἱ δὲ πήκτην καλοῦσι. Herbam ὀστεόκολλον Latinè liceat *oſſipaginam* dicere. Vaſa quoque fracta, & tectoria *ſolidari* dicta Latinis, quæ ferruminantur. Quod verbum hodieque hac ſignificatione uſurpamus. Sed de his infrà.

Et captus oculis, admiſſum tenebris fatetur] In pleriſque librorum τὸ *tenebris* deſideratur. Ex πϱοεκδόσει videtur manaſſe, quæ habuerit, *& admiſſum tenebris fatetur.* pro quo in διασκευῇ, *& captus oculis, admiſſum fatetur.* Idem ſenſus. Ea re quod oculis captus eſt, declarat, & manifeſtum facit reatum. Fateri, ut ſuprà, declarare

E & pandere. *Tenebræ* pro cæcitate poëticum, ut Græcis σκότος. Ovidius:

---- *tenebras & cladem lucis ademptæ*
Objicit ----

C A P U T V.

Sicilia. In ea memorabilia ſoli, & aquarum. Item de achate lapide.



Pag. 14. A. *In Romanum arbitratum*] Alias: *in Romanam poteſtatem.* Ex eo, quod eodem anno M. Valerius Sardiniam, C. Flaminius Siciliam prætores ſortiti ſunt, vult eas inſulas iiſdem temporibus provincias eſſe factas. Quod non procedit. Nam hinc etiam ſequeretur eodem anno in provinciæ formam ambas fuiſſe redactas. Quod falſum. Scribe igitur: *primò quod utraque inſula in Romanum arbitratum redacta, iiſdem temporibus facta eſt provincia: tum eodem anno Sardiniam M. Valerius, alteram C. Flaminius prætor ſortiti ſunt.* Vulgo legitur: *cum eodem anno.*

Pag. 14. B. *Excipitur nomen Sardi maris*] *Nomen Sardi maris* pro Sardo mari. Ut *nomen virginis* Arnobio: *nomen agelli* pro agello Virgilio.

Aſpectus in Peloponneſum, & Meridianam plagam dirigit] Ita priſcæ omnes editiones, quæ Delrianam anteceſſere. Nam ipſe malè mutavit in ſua, *in Peloponenſem, & Meridianam plagam.* Quaſi libri, quo uſus eſt, ductu. Noſtri *Peloponnenſum* habebant. Strabo de Pachyno ad Eoam plagam eum dirigi, & Peloponneſum reſpi-

F cere dicit: Πάχυνος δ' ἡ ἐκκειμένη πρὸς ἕω, βλέπουσα πρὸς τὴν Πελοπόννησον. Servius à Solino ſtat. *Pachynus*, inquit, *promontorium eſt Auſtrum ſpectans.* Polybius quoque, qui πρὸς μεσημβρίαν νεύειν hoc promontorium teſtatur. Rationem hujus diverſitatis pete ex ipſo Strabone lib. VI.

Pelorias averſa veſpero, Italiam videt] Sic correximus ex conjectura primum, deinde ex libris. Solent in deſignandis adſpectibus hujuſmodi prominentiarum plagam cœli, & terræ regionem notare, ut paulo ſuprà: Pachynus Meridiem, & Peloponneſum ſpectat. Præterea Sicilia adverſa veſpero, vel occidenti non eſt, qua parte Italiam videt: Nam Sicilia ad meridiem Italiæ ſita eſt,

G ergo Italia ad Septentrionem Siciliæ. Confirmat & Martianus Capella: Quod autem Peloriadem adverſam veſpero ſtatuit, ab omnibus diſſentit, qui ad Arctos proſpicere affirmant, & ita neceſſe eſt, ſi Italiam videt, quæ ad Septentrionem Siciliæ jacet. Dionyſius:

----- αὐτὰρ ἐπ' ἄρκτους
Ἡ νεμόεσσα Πελωρὶς, ἐς Αὐσονίην ὁρόωσα.

Ptolemæus: Βορείας πλευρᾶς τὸ μέσον, τὸ ὀξύτατον καὶ βορειότατον ὃ καλεῖται Πελωρὶς ἄκρα. Strabo: ἡ Πελωριὰς ἀρκτικωτάτη λέγοιτ' ἂν τῶν τριῶν γωνιῶν. Latus quidem Siciliæ, quod

quod à Lilybæo ad Peloriadem circumflectitur, versus ortum incurvari, ita ut inter Septentrionem, & vesperum respiciat, scribit Strabo. Sed addit idem Septentrionem versus habere Italiam, ad occasum autem Tyrrhenum mare, & Æolias insulas objectas. Πρὸς ἄρκτον μὲν ἔχουσα τὴν Ἰταλίαν, πρὸς δύσιν δὲ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος καὶ τὰς Αἰόλου νήσους. Sic falsissimum, quod heîc scribit Solinus, Pelorum vespero adversum Italiam videre. Nam qua Italiam prospectat, Septentrioni obversum est. Similiter erravit suprà dicens Pachynum in Peloponnesum, & Meridianam plagam dirigere aspectus. Verum quidem est, & Meridianam simul & Orientalem plagam respicere, sed qua Meridianæ adversus est, non videt Peloponnesum, quam aspicit ad Orientem. Martianus Capella Solinum in utroque sequitur, ut & in omnibus toto illo sexto libro.

Laudata unico soli temperamento] Ita nostri. Editiones vulgo: *soli temperamento egregia.* Quod ex prima est editione.

Neque fatiscat in pulverem siccitate] Respondet, & ἰσόκωλον est membro superiori: *neque humido in lutum madefiat.* Vulgo erat, *neque fatiscat in vagum pulverem.* Vocem superfluam ejecimus libris jubentibus.

Quod ei proximans condensus arbustis] Et hoc ex libris illis est. Nam retro editi: *quod ei proximus condensis arbustis.* Proximare verbum illorum temporum, quod frequens apud Tertullianum.

Pag. 14. C. *Numeratur inter eximia*] Προέκδοσις: *inter memorabilia numeratur.*

Quantamque sui partem gurgiti intimaverit] Sic reposuimus. Nam quod prius in editionibus propagatum est, *quantamque sui partem ingurgitaverit*, lectio est τῆς προεκδόσεως: & rectè mutavit auctor. Nam *ingurgitare* alio sensu Latini dicunt. Hic pro eo posuerat, quod Græci dicunt ἐμβυθίζειν. Hanc vocem infrà eadem significatione etiam usurpaverat in priori sua editione. Sic enim scripserat de margaritis: *subsidunt, & se profundis ingurgitant, ut ab æstu vindicentur.* Quod mutavit inter recognoscendum, & posuit: *subsidunt in profundum, & se gurgitibus ab æstu vindicant.*

Quam longissimè jecisse lineam] Hoc melius vulgato hactenus: *quam longissimam poterat jecisse lineam.*

Colonia Tauromenia, quam prisci Naxum vocabant] Plinius: *colonia Tauromenium, quæ antea Naxos.* Dissentit Strabo, qui Tauromenium à Naxo facit diversam. Ἔπειτα Ταυρομένιον, καὶ Κατάνη, καὶ Συρακοῦσαι· αἱ δὲ μεταξὺ Κατάνης, καὶ Συρακουσῶν ἐκλελοίπασι, Νάξος καὶ Μέγαρα. Idem sentit Martianus Heracleota:

Στάσεως δ᾽ ἐν αὐτοῖς γινομένης, οἱ Καλκιδεῖς
Κτίζουσι Νάξον, οἱ Μεγαρεῖς δὲ τὴν Ὕβλαν.

Ita scribendum. Et paulo post:

Εἶθ᾽ Ἱμέρα καὶ Ταυρομένιον ἐχομένη,
Εἰσὶν δὲ πᾶσαι Χαλκιδεῖς αὗται πόλεις.

Scylax Caryandæus: πόλεις δὲ εἰσὶν ἐπὶ Πελωριάδος Ἑλληνίδες αἵδε. Μεσσήνη καὶ λιμήν. Ταυρομένιον, Νάξος, Κατάνη, Λεοντῖνοι. Mela in ora Peloritana *Messanam, Tauromenium, Catinam & Megarida recenset.* De Naxo nihil dicit, an quia non amplius erat? Sed & Megarida, quam in his numerat, jam pridem fuisse scribit Strabo cum Naxo. An sub Tauromenii nomine Naxum comprehendit, quasi eamdem? Hæc sententia quoque Plinii est. Contra stant Græci. Utraque à Chalcidensibus condita. Ideo confudere.

Pag. 14. D. *Colonia Tauromenia, oppido Messana, Rhegio Italiæ opposita*] Dicit oram Peloritanam habitari colonia Tauromenitana, oppido Messana, quæ Rhegio Italiæ opposita est. Nihil notius, aut certius. Nos ita distinximus, atque emendavimus. Nam in anterioribus editionibus extabat: *Oppidum Messana Rhegio Italiæ oppositum est: quod Rhegium*, &c. Corruptissimè.

Quod Rhegium à dehiscendi argumento] Plinii verba sunt: *ab hoc dehiscendi argumento Rhegium Græci nomen dedere oppido in margine Italiæ sito.*

Pachyno multa Thynnorum inest copia, ac propterea captura larga] Lectio prioris editionis hæc fuit: *Pachynum thunnis, & omnibus mari nantibus pisculentissimum.* Correxit id in posteriore, & pro eo posuit: *Pachyno multa thynnorum inest copia, ac propterea captura larga.* Unde in editiones vulgarias hæ duæ simul lectiones sunt propagatæ. *Pachyno multa thynnorum inest copia, echinis & omnibus mari nantibus pisculentissimum, ac propterea captura semper larga.* Corrupta etiam altera. *Echynis* pro *thynnis.* Nos eam reposuimus, quam certo scimus fuisse recentatæ, ac recognitæ ἐκδόσεως, rejecta ea, quam auctor ipse damnavit. *Omnibus mari nantibus* loquutio Soliniana, licet eam hic mutaverit. Sic infrà: *qui student cultui, dentibus mari nantium belluarum insigniunt ensium capulos.*

Lilybitano Lilybæum oppidum decus est, Lilybæo Sibyllæ sepulcrum] Multos vidimus codices scriptos. Nullus hujus loci sinceram lectionem nobis exhibuit. Quam nunc exhibemus, & veram putamus, eam ex vestigiis multarum diversè corruptarum confecimus. Lilybitano promontorio decus esse dicit Lilybæum oppidum, ipsi oppido sepulcrum Sibyllæ. Sic infrà loquitur: *Epidauro decus est Æsculapii sacellum.* Sibyllam porro intelligit Cumanam, quam suprà dixit sepulcrum in Sicilia habere.

Post Siculus Neptuni filius] Post Sicanum scilicet, qui Sicaniæ nomen fecerat, Siculus eidem insulæ nomen dedit, & Siciliam appellavit. Restituimus hoc loco omnium editionum lectionem, ac distinctionem, quam pravo judicio mutavit in sua Delrius. Sic enim curavit edendum: *post Siculum Neptuni filium, in hanc plurimi Corinthiorum, Argivorum, Iliensium, Cretensium confluxerunt.* Martianus Capella, qui Solinum compilavit, nostram confirmat cùm lectionem, tum interpunctionem: *Sicania à Sicano rege, qui cum Iberica manu in eandem terram ante bella Trojana pervenit: dehinc Siculus Neptuni filius, à quo nomen eidem commutatum.* Solinus ipse è Silio, cujus hæc sunt:

Post dirum Antipathæ sceptrum, & Cyclopea saxa
Vomere verterunt primum nova rura Sicano.
Pyrene misit populos, qui nomen ab amne
Ascitum patrio terræ imposuere vacanti.
Mox Ligurum pubes, Siculo ductore, novavit
Possessis bello mutata vocabula regnis.

In hanc porro varii confluxere] Scylax Caryandæus: ἐν δὲ Σικελίᾳ ἔθνη βάρβαρα τάδε ἐστὶν, Τυῤῥηνοὶ, Σικανοὶ, Σικελοὶ, Φοίνικες, Τρῶες. De Græcis, qui eò colonias deduxerunt, Argivis, Corinthiis, Cretensibus. Vide auctores.

Cretensium] Cum Minoe. Silius:

---- *mox accola Minos*
Duxerat & Cretum non fausta ad bella cohortes,
Dædaleam repetens pœnam.

Pag. 14. E. *Etiam cum hiberno conduntur serena*] *Hibernum*, hiems. Unde nostrum. Sic *vernum* pro vere. *Hiberna, verna & autumni.* Tertullianus: *Serenum* vero absolutè, τὸ αἴθριον, serenitas. Sic Poëtæ, *aperta serena*: & alibi, *fallax serenum.*

Deceptus toties fallacis fraude sereni.

& apud Cyprianum: *nubilis serena suspendi.* Mens igitur Solini, etiam cum hiemat annus, nullo non die solem conspici Syracusis. Plinius dixit: *Rhodi, & Syracusis nunquam tanta nubila obduci, ut non aliqua hora sol cernatur.*

Intra viscera terræ diu volvitur] Sic legimus pro vulgato, *devolvitur.* Sequitur: *nec se prius globi flammarum attollunt.* Virgilium imitatur, cujus est de Ætna & istud:

Attollitque globos flammarum, & sidera lambit.

Quod duriter, & ἀκύρως à poëta dictum volebat Phavorinus.

Mistas ignibus nives præfert] Sic edendum fuit, non, ut editum est, *profert.*

Apicis canitie perpetua brumalem detinet faciem] Ita editiones, quæ præcessere Delrianam, & rectè. Silius:

Summo cana jugo cohibet, mirabile dictu,
Vicinam flammis faciem, æternoque rigore
Ardentes horrent scopuli, stat vertice celsi
Collis hiems, calidamque nivem tegit atra favilla.

Quæ Solinus sic breviter, & eleganter expressit: *apicis canitie perpetua brumalem detinet faciem.* Delrius edidit in sua: *aprica canitie perpetuo brumalem detinet faciem.* Ideo fecit scilicet quod in codicibus scriptis reperisset: *aprici canitie perpetua.* Nam ita & in nostris invenimus scriptum. Quidvis ille potius fuerit quam bonus criticus. *Apicis* retinemus. Si stemus scriptæ omnium librorum lectioni,

lectioni, ſenſus erit, Ætnæ verticem, quamvis vaſtis exundet incendiis, etiam ubi apricus eſt, ſolique & illis flammis expoſitus, canitie tamen perpetua brumalem faciem obtinere. *Caniciem aprici perpetuam* vocat nivem, quæ in aprico, hoc eſt, τῷ ὑπηλίῳ verticis perpetuo canescit. Celerius decedunt nives ex apricis locis, quam ex umbroſis, & hoc miraculum adauget. Exundat incendiis Ætnæ vertex, & apricus eſt, ſic tamen nives perpetuas ſervat.

Pag. 14. F. *Sunt alii montes duo*] Hæc lectio πρωτεκδόσεως. In recognita ſcripſit: *laudant alios montes duos Nebroden, & Neptunium.* Sic infrà de ſmaragdis: *laudant auſteros: mero & viridi proficiunt oleo*, & ſuprà: *Pelorias laudata egregio ſoli temperamento.*

Nebroden dammulæ & hinnuli] In ſcriptis, *Dammæ, & inulei.* Gloſſæ: *inulei*, νεβροί. Heſychius: ἰνουλέος, νεβρὸς ἐνικῶς, voces latinas ille interdum inſerit Lexico ſuo. Diminutivum eſt ex voce Græca ἶννος, quæ & παῖδα ſignificat. Idem: ἴννους, παῖδας. *Innulus*, vel *innuleus*, παῖς ἐλάφου. Ita enim Græci loquuntur, πῶλοι, παῖδες ἵππων. Sic Latini filios, & liberos. Iſidorus: *Innuli filii ſunt cervorum, ab innuere dicti.* Idem: *catuli abuſive dicuntur quarumlibet beſtiarum filii*, Græci etiam βρέφη de catulis animalium dixerunt. Hinc hodie *fantem cervi*, quaſi infantem de innuleo dicimus. Ἶννος Græcè quoque πῶλον ſignificat ἐξ ὄνου, καὶ ἵππου. Latinis *inni*, & *innuli.* Gloſſæ: *innuli*, οἱ ἐξ ἵππου καὶ ὄνου. Sed ἶννος, ut dixi, etiam παῖς. Unde ἴννη, ἡ κόρη, apud Heſychium. Sine adſpiratione ſcribi debet hæc vox.

Inde Nebrodes] Brevius in πρωτεκδόσει *Nebrodi Dammarum copia nomen addit.* Sed νεβροὺς *dammas* interpretabatur. Perperam. Ideo correxit, *Nebroden Dammæ & innulei pervagantur: inde Nebrodes.* Nam *inulei* νεβροὶ, unde νεβρώδης. At *Dammæ*, aliud genus, in adverſum adunca habent cornua, ut rupicapræ retro. Vide Plinium. Gloſſæ: *dammæ*, δορκάδες, κεμμάδες. Κεμμὰς, Siculis, καμμὰ, unde Latini *Tamma*, & *Damma*, Nam T & K invicem mutantur apud Siculos. Sic κάλχα, *caltha*: ὄρνιθες, ὄρνιχες. Libri ſemper hoc nomen ſcribunt cum duplici m. Perperam apud Strabonem hi montes, ἐρηνώδη appellantur, & malè interpres *montes nervoſos* vertit.

Quidquid Sicilia gignit ſive ſoli, ſive hominis ingenio] Hæc à Silio, cujus hæc ſunt lib. XIV. Sicilia:

> *Multa ſolo virtus jam reddere fœnus aratris,*
> *Jam montes umbrare olea, dare nomina Baccho,*
> *Cornipedemque citum lituis generaſſe ferendis,*
> *Nectare Cecropias Hyblæo accedere ceras.*

Ita ſcribendum apud Silium, non *accendere.* Ait mel Hyblæum Hymettio proximum eſſe bonitate. Hinc noſter ſumpſit, quidquid Sicilia gignit proximum eſſe his, quæ optima judicantur.

Niſi quod fœtus terræ Centuripino croco vincitur] Neminem hæc arbitror intelligere, quia nihil ſignificant. Ait, quidquid in Sicilia gignitur, optimo proximum eſſe, *niſi quod fœtus terræ centuripino croco vincitur.* Hæc ſunt buttubatta Nævii. Nulla varietas in libris, niſi quod quidam habent, *fretus terræ.* Scripſerim non dubia conjectura: *niſi quod fœtus terræ Centuripinæ Corycio vincitur.* Vel eodem planè ſenſu: *niſi quod fœtu terra Centuripina Coryco vincitur.* Fœtus terræ Centuripinæ eſt crocum, quod multum ibi provenit. Sed Corycio vincitur, quod omnium optimum eſt. In aliis inquit, Sicilia quidquid gignit, proximè id accedit, quod preſtantiſſimum habetur: in croci fœtura, qui apud Centuripas Siciliæ naſcitur, cedit. Nam tertiò tantum loco Centuripinus crocus numeratur. Plinius, cujus & verba obiter hic emendabimus: *prima nobilitas Cilicio, & ibi in Coryco monte: dein Lyciæ Olympo: mox Centuripino Siciliæ.* Ita ſcribendum. Dioſcorides: δεύτερεύει ὁ ἐκ τῆς πρὸς Κιλικίαν Κωρύκου, ὁ ἐκ τοῦ Λυκιακοῦ ὀλύμπου. Εἶτα ὁ ἐξ Αἰγῶν τῆς Αἰτωλίας. Ὁ δὲ Κυρηναικὸς, καὶ ὁ ἐκ Κεντορίπων τῶν κατὰ τὴν Σικελίαν ἀσθενεῖς, λαχανώδεις ὄντες πάντες. Sic Dioſcoridis verba ſunt legenda, quæ vulgo corruptiſſima. Plinius Centuripinum tertio loco numerat, Dioſcorides Ægæum. Sequuntur apud Plinium: *aliqui Phlegræo ſecundum locum dedere.* Turnebus corrigebat *Ægæo.* Perperam. Nec enim Dioſcoridem hic ſecutus eſt Plinius. Libri veteres partim habent *Hereo*, par-

A tim *Dhereo.* Lege: *Theræo.* Ex Thera inſula una Sporadum. Scribit ibidem Plinius: *Crocum ſilveſtre optimum. Serere in Italia minimè expedit, ad ſcripula uſque ſingula arcis decoquentibus.* Hoc quid ſit neſcio: inquinatiſſima eſſe tantum ſcio. Nec ignoro quomodo explicent. Optimum, ac vetuſtiſſimum exemplar Bibliothecæ Thuanæ diſertim ſcriptum præfert, *arcis* pro *areis.* Omnino legendum: *ad ſcripula uſque ſingula arcis decoquens.* Seges comparatur debitori, qui ſi bonum nomen eſt, cum fœnore reddit, quod accepit: ſi minus, creditori ſuo decoquit. Columella: *jam res ipſa domino decoxit.* Plinius: *dummodo notum ſit eum, qui acceperit hoc cognomen, de-*
B *coxiſſe debitoribus ſuis.* Seneca: *debitor tibi decoxit.* Ita igitur, & croci ſeges arcis decoquere dicitur eleganter, quæ impenſam domini fruſtratur. Ait crocum decoquere *ad ſcripula uſque ſingula.* Quomodo hoc intelligendum? nimis vagè laxeque hoc concipi videtur, & loquutio ipſa vix ſatis mihi probatur. Nullum proprius eſt nummi genus, quod reſolvi poſſit in ſcripula, quam denarius. Ita ergo intellexerit. Tria argenti ſcripula in denario, ſive drachma. Croci ſeges mala nomina imitatur, & tertia parte minus reddit, quam creditum eſt. Sic uſque ad ſcripula ſingula decoquit, cum in Ita-
C lia ſeritur, & pro tribus, quæ impenſa ſunt, ſcripula tantùm reddit bina. Sed hoc ſenſu melius legerim: *ad ſcripula uſque in ſingul.* x. in ſingulos denarios uſque ad ſcripula decoquit. Nihil verius. Nota denarii loco corrumpendo anſam præbuit, quæ ſexcentis locis apud Plinium poſita olim à librariis, vel correctoribus depravata eſt. Arcæ porro receptacula nummorum. Juvenalis:

> ----- *poſita ſed luditur arca.*

Inde duplex ſolvendæ pecuniæ ratio, domi ex arca, aut in foro de menſa. Ab arca, qui pecuniam diſpenſat, *arcarius* dictus. Valerius Maximus lib. IX. cap. I.
D *Inde ab Oceani littoribus attracti piſces, inde infuſæ culinis arcæ, cenſibuſque edendi, atque bibendi voluptas reperta.* Qui locus editur corruptiſſimè. Perſiſtit in eadem metaphora Plinius de croco, additque: *ſativum latius, majuſque, & nitidius, ſed multo lenius; denegans ubique, nec fœcundum. Etiam Cyrenis, ubi ſemper flores laudatiſſimi.* Denegat creditum malus debitor, & decoctor. Sic crocum non tantum in Italia decoquere arcis ejus, à quo ſeritur, ſed ubique denegare dicit, etiam Cyrenis, ubi flores laudatiſſimi. Hodie legitur: *ſativum latius, majuſque & nitidius, ſed levius degenerans. Sed nec ubique fœcundum, etiam Cyrenis.* De probatione ſinceri ita etiam emendandus ex veſtigiis veteris ſcripturæ:
E *probatio ſinceri, ſi impoſita manu crepitet, veluti fragile: humidum enim quod evenit adulteratione ſidit.* In optimo exemplari ſcriptum erat, *crepiti & ſedit.* Unde malè Turnebus, *Silet.* Sincerum crocum, quod eſt ἄθρεπτον, ſi impoſita manu prematur, ſtatim crepitat, velut fragile, & rumpitur. Quod humidum eſt ex adulteratione, manu preſſum ſubſidit, nec crepitat velut fragile. Seqentia ita etiam legenda ex corruptiſſima veteri ſcriptura: *altera probatio, ſi manu impoſita, & relata ad ora leniter faciem oculoſque mordeat.* Quæ ſequuntur haud minus egent emendatione. Sic enim vulgo con-
F cipiuntur: *eſt per ſe genus ſativi blandiſſimum vulgo cum ſit medio candidum, dialeucon vocant.* Scribe ex libris: *eſt per ſe genus ſativi blandiſſimum vulgo, cum ſit mediocre: dialeucon vocant.* Genus illud ſativi blandiſſimum vulgo eſſe dicit, cum tamen ſit mediocre, id eſt, cum de optimis non ſit. Quare dialeucon vocatum ſit, non addit, quia notum ex vocabulo. Immo addit, quum dicit: *Contra Cyrenaico vitium, quod omni croco nigrius.* Dioſcorides: κράτιστος ὁ Κωρύκιος πρόσφατος τε καὶ εὔχρους, ὀλίγον τὸ λευκὸν ἔχων ἐπὶ τῆς ἕλικος. Qui majore albo diſtinctus, διάλευκος dictus. Subjicit Plinius: *optimum ubique, quod pinguiſſimum, & brevis capilli.* In
G Dioſcoride videtur legiſſe, εὐθρεπτος, ἐνλιπής. Ἐνλιπὴς, aut ἐλλιπὴς, ut ἐλόγιμος, pinguis. *Capillum* in croco vocat fila aurea, quæ in medio ſunt. Poetæ Latini *ſpicam* appellarunt, quod in multos quaſi capillos, & ariſtas ſpicæ more inciſa ſit. Ovidius:

> *Et ſonet acceſſis ſpica Ciliſſa focis.*

Et falluntur, qui ſpicam croci pro bulbo accipiunt, viri eruditiſſimi. Sic *inſpicare faces* nihil aliud eſt, quam incidere κατὰ σχίζας & in ramarum minutias. Servius:

vius: *incidere ad spici, & aristarum similitudinem.* Hujusmodi capillacea, & mucronata fila ἀθέρχες Græci vocant. Dioscorides de epithymo: ἔχει δὲ κεφάλια λεπτὰ κοῦφα ἀθέρχες ἔχοντα ὡς τρίχας. Ita in vetustissimo codice Regiæ Bibliothecæ scriptum reperi, pro quo vitiosè habent editi: ἀθραγὺς ἔχοντα. Nec malè olim Scaliger ὁ πάνυ conjecerat ἀθελαχὺς. Nam ἀθεχὸς, & ἀθελαχὸς idem. Sed male etiam legebat, ὡς στιχάς. Epithymum flos est thymi durioris, & thymbræ, sive saturejæ similis. Thymbra στάχυν habet, in quo flores. Epithymum, sive flos illius generis thymi capitula habet cum cuspidibus, sive filis mucronatis ad instar aristarum, sive capillorum. Nec enim tota spica epithymi ἀθελαχὸς dicitur, ut censet Scaliger, sed fila, vel capilli, qui in singulis sunt capitulis. Aristæ, quæ in spica frumenti, vel hordei sunt, ἀθελαχοὶ, vel ἀθραχοὶ dici possunt. At fila crocea, quæ in medio flore croci existunt, velut multæ aristæ junctæ instar spicæ reddunt. Unde *spica Cilissa* poëtis crocum dicitur ob illa capillamenta & fila, qualia in spicis aristatis cernuntur. Σταχυότριχα Græci dicerent. Ita enim poëtæ Nardum appellant ἐπιθετικῶς. Meleager in corona pancarpia:

> Ναὶ μὴν καὶ Συρίην σταχυότριχα θνήκατο νάρδον
> Ὑμνοθέταν Ἑρμῆ δῶρον ἀειδόμενον.

Comæ hujusmodi, & capilli spicam videri, dicique in croco fecerunt. Κόμας κρόκȣ vocat idem Meleager quodam Epigrammate:

> Χρυσάνθη δὲ κόμαισι κρόκον Θήρωνα συνῆψεν.

Nec enim in croco spica vocatur id, quod in allio, ut perperam viri docti censent. Sed hæc alibi. Plinius in sequentibus: *gaudet & adteri, pereundoque melius provenit. Ideo juxta semitas, ac fontes lætissimum.* Theophrastus: διὸ καὶ περὶ τὰς ὁδὰς, καὶ ἐν τοῖς κροτητοῖς κράτιστ☉. Turnebus asserit Theophrastum scripsisse, ἐν τοῖς κρȣνοῖς, atque ita legisse Plinium, quia verterit juxta fontes. Fallitur. Aliud ἐν τοῖς κρȣνοῖς, *in fontibus*, aliud *juxta fontes*. In fontibus proveniunt herbæ aquaticæ, ut *crecio*, & aliæ. Quod Theophrastus dixit, ἐν τοῖς κροτητοῖς eleganter, ac verè reddidit Plinius, *juxta fontes*. Quia loca circa fontes κροτητὰ sunt, & πεπατημένα, & trita pedibus euntium ad fontes & inde aquantium. Semitæ pedibus euntium, ac redeuntium tritæ sunt, loca circa fontes etiam commorantium & consistentium, quod propriè est κροτητόν. Croci multus usus in theatris apud veteres Romanos præcipuè Cyrenaïci, & Centuripini, quibus utebantur in ea sparsione. Κροκόραντον Græci vocant. Hoc notum est. Dioscorides de Centuripino: ἀσθενὴς κατὰ δύναμιν, διὰ μέντοι τὸ πολύχυλον, καὶ εὔχρȣν οἱ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ τὴν θέαν βάπτοντες τȣ́τῳ χρῶνται, πολὺ δὲ παραδόσκεται διὰ τȣ̃το, εἰς δὲ τὰ φάρμακα ὁ προκεχαμμέν☉. Sic lego totum illum locum, ac distinguo. Ineptè scribitur vulgo, οἱ ἐν Ἰταλίᾳ τὴν θυίαν βάπτοντες. Quod ineptius defendunt doctissimi medicorum. Ἡ θέα ἐβάπτετο, quæ spargebatur, & tingebatur illo imbre croceo. Plinius: *sed vino mire congruit præcipuè dulci tritum ad theatra replenda.* Ἡ θέα theatrum. Corycium crocum, ut præstantissimum, in medicina tantum locum habebat: Centuripinum ex Sicilia, quod multi succi esset, & valde coloratum, theatris replendis, & inficiendis adhibebatur in Italia. De croco verba etiam ad hoc caput pertinent, quæ perperam ad sequentis initium traducta sunt. *Trojanis temporibus jam erat honos ei. Hos certe flores Homerus tres laudavit, loton, crocon, hyacinthum.* Corrigam & obiter insignem locum eodem libro, capite de croci medicinis, qui sic in editis habetur: *Collyrio uni etiam nomen dedit, ex eo quoque expressio unguento crocino, quod crocomagma appellant. Habet suas utilitates contra suffusiones oculorum.* In codice Rigaltiano scribitur: *ex quoque expressi.* Lego, & interpungo: *Collyrio uni etiam nomen dedit. Fæx quoque expressi unguento crocino, quod crocomagma appellant, habet suas utilitates contra suffusiones oculorum.* Fæx croci expressi unguento crocino κροκόμαγμα dicebatur, & utilis erat contra suffusiones oculorum. Sequitur: *urinas magis excalfacit.* Haud scio, an aliqua δύναμις exquiratur in medicina calefaciendis urinis. Certe medici negabunt. Nihil tamen variant libri. Scripserim: *habet suas utilitates contra suffusiones oculorum, urinas. Magis excalfacit quam crocum ipsum.* Habet utilitates contra urinas, id est, ȣ̓ρητικὴν

A ἔχει δύναμιν. Nisi & legendum sit, *urinas cit.* Excalfacere autem ait, quia δύναμιν ἔχει θερμαντικήν. Dioscorides: δύναμιν δὲ ἔχει σμηκτικὴν τῶν ἐπισκοτȣ́ντων ταῖς κόραις, ȣ̓ρητικήν, μαλακτικήν, πεπτικήν, θερμαντικήν. Non tamen magis excalfacere, quam crocum ipsum, dicit Dioscorides, sed ἀναλογεῖν κατὰ ποσὸν τῇ τȣ̃ κρόκȣ δυνάμει, πλεῖστον γὰρ τȣ́τȣ μετείληφεν. Longe igitur magis excalfacit crocum ipsum. Sed majorem ei excalfaciendi potestatem tribuit Plinius quam croco ipsi, propter alias aromaticas species longè croco calidiores, quæ in crocinum unguentum ineunt, & simul exprimuntur: unde fit crocomagma. Sic Plinium defendi posse puto:

B cujus caput de croco illustrasse occasione sumpta non pœnitet. Hoc enim fine & proposito Solinum suscepimus emendandum, ut & Plinium meliorem faceremus.

Heic primum inventa comœdia est] Ab Epicharmo Syracusio: Theocritus civis ejus, quem emendamus in his versibus:

> Ἅ τε φωνὰ Δώρι☉, χὠνὴρ ὁ τὰν κωμῳδίαν
> Εὑρὼν Ἐπίχαρμ☉
> Ὦ Βάκχε χάλκεον νιν ἀντ' ἀλαθινȣ̃
> Τὶν ὧδ' ἀνέθηκαν
> Οἱ Συρακȣ́σσαις ἐνίδρυνται πελωρίστᾳ πόλει
> Ὡς ἀνδρὶ πολίτᾳ.

C *Hic & cavillatio mimica stetit in scena*] Malim legere: *hinc & cavillatio mimica.* Per cavillationem autem mimicam intelligit mimos: Ovidius:

> ---- *mimos obscœna jocantes.*

Ammianus, qui Solinianas loquutiones crebro usurpat, lib. XXVI. *Hastatusque purpureum itidem pannulum læva manu gestabat, ut in theatrali scœna simulacrum quoddam insigne per aulæum, & mimicam cavillationem subito putares emersum.* Et lib. XXX cavillationes Philistionis appellat, qui mimos scripsit: *& judices patiuntur interdum doctos ex Philistionis, aut Æsopi cavillationibus, quam ex*

D *Aristidis illius justi, vel Catonis disciplina productos.* Verum, ut auctor Comœdiæ ex quorumdam sententia apud Siculos Epicharmus, quis mimologiæ apud eosdem auctor, actorve primus extitit, ut inde steterit in scœna mimus? aut quod genus mimi primum ibi inventum? Sophron Syracusanus celeberrimus fuit mimorum poëta, quos assiduè lectitabat Plato. Hic mimos scripsit γυναικείȣς, & ἀνδρείȣς, sed καταλογάδην. Citantur passim veteribus. Non dubito quin ad hunc respexerit Solinus, quum scripsit ex Sicilia cavillationem mimicam in scœna stetisse. Sic & comœdiam in-

E didem venisse dicit propter Epicharmum. Sed Sophronem primum fuisse mimorum scriptorem, aut actorem, & hoc genus apud Siculos repertum, ex veteribus nemo, quod sciam, prodidit. Mimologiæ variæ species, & nomina apud varias gentes, ut omittam tragœdiam & comœdiam, quæ & ipsæ μιμήσει constant, & sub hoc genus cadunt. Lacones δεικηλιστὰς vocabant. Nam δείκηλον est ὁμοίωμα. Athenæus: παρὰ δὲ τοῖς Λάκωσι κωμικῆς παιδιᾶς ἦν τις τρόπος παλαιὸς ὥς φησι Σωσίβιος ... τοῖς ἐκαλȣ̃ντο δὲ οἱ μετιόντες τὴν τοιαύτην παιδιὰν παρὰ τοῖς Λάκωσι δικηλισταί, ὡς ἄν τις σκευοποιȣ̀ς εἴπῃ καὶ μιμητάς. Hesychius interpretatur μιμολόγȣς. Δίκηλον, μίμημα, εἴδωλον, ὅθεν παρὰ Λάκωσι δικηλίκτης ὁ μιμολόγος. Idem alibi

F δεικελισταί, μιμηταὶ παρὰ Λάκωσι. Genus μιμήσεως hoc erat: populari, & vili sermone hortorum furem imitabantur in hoc ludicro, aut medicum externum præcepta sua ægrotis dantem. Κωμικῆς παιδιᾶς τρόπον παλαιὸν vocat Athenæus hanc mimologiæ speciem. Idem ait à Sicyoniis Φαλλοφόρȣς vocari, ab aliis αὐτοκαβδάλȣς, quod ludicra, non præmeditata ex tempore funditarent, risus captandi gratia, ab Italis magnæ Græciæ, φλύακας. Rhinthon Tarantinus φλυακογράφ☉, τὰ τραγικὰ μεταρρυθμίζων εἰς τὸ γελοῖον. Suidas ἱλαροτραγῳδίας vocat. Ῥίνθων κωμικός, ἀρχηγὸς τῆς καλȣμένης ἱλαροτραγῳδίας, ὅ ἐστι φλυακογραφία. Idem alibi φλύακας interpre-

G tatur κιναίδȣς. Sane κιναιδολογία continebat μίμησιν ἀγωγῆς τῶν περὶ τοῖς κιναίδοις διαλέκτων, καὶ τῆς ὑποκρίσεως. Sotadem primum auspicatum esse τὸ κιναιδολογεῖν tradit Strabo, & post eum Alexandrum Ætolum, pedestri utrumque sermone. Suidas de Sotade: ἔγραψε φλύακας ἢ κιναίδȣς. Post eos Lysis, & Simus etiam carmine. Unde Σιμῳδοί, & Λυσιῳδοὶ dicti. De quibus Athenæus lib. XIV. Perperam Lysiodos censet appellatos vir magnus, quod in Lysiis festis, & initiis, eæ fabulæ peragerentur, cum

cum ab auctore Lyside nomen acceperint. Ἱλαρῳδὰς eosdem appellatos, qui & Σιμῳδοὶ, narrat idem Athenæus: καὶ οἱ καλέμενοι δὲ ἱλαρῳδοὶ, ὃς νῦν τινὲς Σιμῳδὰς καλῦσι, διὰ τὸν Μάγνητα Σῖμον διαπρέψαι μᾶλλον τῶν διὰ τῦ ἱλαρῳδεῖν ποιητῶν. Lysiodi autem iidem erant cum Magodis. Addit Athenæus ex Aristoxeno, τῶν μὲν ἀνδρεῖα γυναικείοις προσώποις ὑποκρινόμενον Μαγῳδὸν καλεῖσθαι, τὸν δὲ γυναικεῖα ἀνδρείοις Λυσιῳδόν: cetera omnia esse eadem. Ἱλαρῳδίαν eamdem fuisse suspicor cum Ἱλαροτραγῳδία, quæ & Φλυακογραφία. Aristoxenus apud Athenæum memorat, Ἱλαρῳδίαν minus gravem, ac severam esse, quam tragœdiam, ut Μαγῳδίαν lasciviorem, & obscæniorem comœdia. Hic est sensus verborum Aristoxeni, quæ malè accipiunt docti interpretes: τὴν μὲν Ἱλαρῳδίαν σεμνὴν ὖσαν παρὰ τὴν τραγῳδίαν, εἶναι, τὴν δὲ Μαγῳδίαν παρὰ τὴν κωμῳδίαν. Sic Ἱλαρῳδία & Ἱλαροτραγῳδία eadem. Argumenta Magodiæ aliquando mulier, mœchi, & lenones: aliquando vir temulentus ad amicam comissatum vadens. Quas κωμικὰς ὑποθέσεις suo modo, moreque tractat, omnia turpius, & lascivius repræsentans, quam comœdia. Hæc eadem mimorum Latinorum argumenta, adulteria, lenocinia, perpotationes, & similia. Ovidius:

Mimica spectasti latus adulteria.

Præter hæc multa etiam κιναιδολογία in mimis virilibus, & muliebribus Sophronis. Græci mimum sic definiunt: μῖμός ἐστι μίμησις βίε, τάτε συγκεχωρημένα, καὶ ἀσυγχώρητα περιέχων. Diomedes ita: *Mimus est sermonis cujuslibet, motusque sine reverentia, vel factorum turpium cum lascivia imitatio.* Athenæus de Magodia: κινίζεταί τε καὶ πάντα ποιεῖ ἔξω κόσμε ὑποκρινόμενος, ποτὲ μὲν γυναῖκα καὶ μοιχὲς καὶ μαστροπές. Mimus dictus ἀπὸ τῦ μιμεῖσθαι, quasi solus imitetur, cum & alia poëmata idem faciant, sed solus quasi privilegio quodam, quod commune fuit, possedit. Donatus mimos ait dictos *ab diurna imitatione vilium rerum, & vilium personarum.* Unde *mimica vilitas.* Idem scribit fabulas Terentii eo esse temperatu, *ut neque extumescant ad tragicam celsitudinem, neque abiciantur ad mimicam vilitatem.* Inde centunculis amicti mimi. Apulejus: *num ex eo argumentarere uti me consuesse tragœdi syrmate, histrionis crocota, mimi centunculo.* Ex eo, ut videtur, *planipedes* Latinis dicebantur. Nam *planipes* est mimus. Diomedes: *quarta species est planipedis, qui Græcè dicitur mimus.* Perperam auctor ad Terentium, qui Donatus est, *planipediam* à mimis distinguit. Nam Donatus in enumerandis fabularum generibus mimos tantum posuit, qui sunt planipedes. Sic autem dictos autumant, quod planis pedibus, id est, nudis agerent, non soccati, ut comici, nec cothurnati, ut tragici actores. Alii ab humilitate argumenti, & personarum vilitate sic appellatos volunt. Licet fabula nomen generale sit, propriè tamen mimus differt à fabula, sive dramate. Fabula est comprehensio rei gestæ, seu quasi gestæ, cum quadam œconomia narrationis, explicatis quæ implicata sunt ad certum exitum tendens, lætiorem ut comœdia, tristiorum ut tragœdia. Mimus nec λύσιν habet plerumque, nec exitum. Cicero in ea pro Cœlio: *mimi ergo est jam exitus, non fabulæ: in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis è manibus, deinde scabella concrepant, aulæum tollitur.* Multa alia sunt, quibus differunt. Hinc *planipedes*, & *fabulones* distinguit eruditè Macrobius, hoc est, mimos, & fabularum actores lib. II. *hæc nobis literata lætitia, & docta cavillatio vicem planipedis, aut fabulonis impudica, & prætextata verba jacientis ad pudorem, ac modestiam versus imitata.* Ita enim primi legendum docuimus, cum vulgo scriberetur, *fabulonis.* In cetero fabularum genere certus erat modus imitandi, & honesti decorique habebatur ratio. Planipes quodcunque, & quomodocunque imitaretur, partes suas agebat. Sic mimus est propriè rei turpis turpior imitatio. Hinc ἐθελοντὰς eos. Thebani vocabant, alii αὐτοκαβδάλες, Itali φλύακας. Φλυάσειν est nugari, unde φλύαξ nugator, & γελοιαστής. Non omnis tamen φλυακογραφία mimus. Nam Rhinthonica fabula à mimo distabat, quæ φλυακογραφία etiam dicebatur. Ea propior, ac similior fuit Atellanæ. Nam Latina Atellana à Græca Satyrica eo tantum differe-

A bat, quod in Satyrica Satyrorum ferè personæ inducebantur, aut aliæ æquè ridiculæ, in Atellanis Oscæ, ut Maccus. Rhinthonica autem est ἱλαροτραγῳδία, vel ἱλαρῳδία. Et quid aliud est Σατυρικὸν δρᾶμα, quam ἱλαροτραγῳδία? Hujus auctor Rhinthon Tarentinus. Unde apparet hoc genus in majore Græcia viguisse, atque inde Oscorum Atellanæ, similes Rhinthonicis. Magodiæ vero mimo propior quam ἱλαρῳδία. Nam ut est ἱλαρῳδία ad τραγῳδίαν, ita est μαγῳδία ad κωμῳδίαν. Sic μαγῳδία αὐτόχρημα mimus. Mimos in locum comœdiæ successisse scribit Marcus Philosophus imperator in libris de vita.
B Et sanè quas hodie agunt, & vocant Itali comœdias, mimi sunt, & planipedes verius quam comœdiæ: personas tantum habent ex comœdia. Nam antiquitus cum variæ species agerentur fabularum, diversæ personæ in singulis locum habebant, ut in togatis Romanæ, in palliatis Græcæ, privatæ quidem, sed honestæ. In mimo abjectæ tantum, & viles. At postquam tota res ad mimos rediit, personæ etiam induci in mimos cœptæ, quæ comœdiæ erant propriæ pedestri sermone componuntur, ut Sophronis mimi. At quos in exitu Tragœdiarum reponunt Gallici histriones, & *farcias* appellant, puri puti sunt mimi. Hæc de mimica satis.
C

Hinc domo Archimedes] Sic reposuimus ex conjectura, cum libri haberent, *hinc domus Archimedis.* Vulgo editur: *hic domus Archimedis.* Verum esse quod reposuimus negaverit nemo. *Quod genus, unde domo?* genus loquendi tritissimum.

Qui juxta siderum disciplinam machinarius commentor fuit] Quid? an siderum disciplina, & astrologia ad machinas faciendas necessaria est? putabam ego Geometriæ tantum opus esse. Plinius: *Grande & Archimedi Geometricæ, ac Machinalis scientiæ testimonium M. Marcelli contigit, interdictu cum Syracusæ caperentur, ne violaretur unus.*
D Geometricæ igitur, ac machinariæ scientiæ nihil commune cum siderum disciplina. Scio tamen, quid voluerit noster. Archimedes Sphæram machinatus fuerat, in qua cœlum movebatur juxta siderum disciplinam. Absurdè tamen pronuntiat juxta siderum disciplinam commentorem fuisse machinarium Archimedem, quasi nullas machinas fecerit unquam nisi juxta cœlestem disciplinam, aut quasi μηχανοποιοὶ cœlum intueantur, cum machinas suas fabricant.

Hinc Lais illa] Ita legendum, non ut vulgo. Neanthes ἐν τῷ περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν, apud Stephanum, ex Crasti
E Siciliæ urbe oriundam Laidem fuisse vult. Alii ex Hyccaris urbe item Siciliæ. Unde ὑκκάρικον ἀνδράποδον Synesio dicitur. Delrius Neanthem, Anthum vocat nescio quare, aut unde. Ἄνθος de proprio nomine Græcè non dicitur, Ἄνθης vero est, & citatur etiam veteribus.

Pag. 14. G. *Gentem Cyclopum vasti testantur specus*] In προεκδόσει posuerat, *gentem coclitum.* Ita veteres Latinos vocasse certum est, qui Græcis κύκλωπες, Et sane *Cocles* ex Græco κύκλωψ factum. Κύκλοπος, *coclitis.* Nam T & P invicem apud Æoles mutabantur. Κύκλοψ,
F *cocleps, cocles.*

Magistra sationis fructuariæ] Ita libri pro vulgato, *frumentariæ.* Atque ita loquitur noster. *Fructus* ei sunt propriè οἱ σῖτοι. Sic *fructuarios proventus* alibi vocat τὰς σιτηρὰς. Et Ammiano Marcellino, *fructuarii & arborei fœtus*, οἱ σιτηροὶ, καὶ δενδρῖται καρποί. Solinum ille imitatur in multis.

Campus Ennensis] Libri cum aspiratione, *Hennensis.* Ita scripsisse fatetur Pliniana descriptio Siciliæ populornm per ordinem litterarum concepta. Sic enim ille: *Halesini, Hennenses, Hyblenses, Herbitenses, Herbesenses*, &c.
G

In floribus semper, & in omni vernus die] Ex Cicerone: *quem circa lacus, lucique sunt plurimi, & lectissimi flores omni tempore anni.*

Quem propter demersum est foramen] Hæc ad verbum ex Diodoro Siculo, cujus hæc sunt: Ἔχει δὲ πλησίον ἄλση, καὶ λειμῶνας, καὶ παραδείσους, καὶ περὶ ταῦτα ἕλη, καὶ σπήλαιον εὐμεγέθες ἔχον χάσμα κατάγειον πρὸς τὴν ἄρκτον νενευκὸς, δι' ὗ μυθολογῦσι τὸν Πλέτωνα μεθ' ἅρματος εἰσελθόντα ποιήσασθαι τὴν ἁρπαγὴν

ἁρπαγὴν τῆς κόρης. Κόρη est *Libera*, filia nempe Cereris. Sic Κόρος *Liber*, Bacchus Cereris filius. Nam *Liberi* sunt κόροι. Cicero VI. in Verrem: *propter est spelunca quadam, conversa ad aquilonem, qua Ditem patrem ferunt repente extitisse cum curru*, &c.

Fama est lucem hausum] Id est, fama est lucem hausisse. Malè retro editi, *in lucem ausum*. Non melius Delriana: *luce hac usum*. Cum in suis libris reperisse fateatur, *luce hausum*. Hausum esse pro hausisse posuit: ut suprà, *honoratus est*, pro honoravit: & infrà, *esa sunt* pro ederunt. Sic Valerio Maximo *sermones habitum*, pro sermones habuisse. Hygino *certati sunt*, pro certaverunt: *Gymnicos, in quibus certati sunt cursu Nestor Nelei filius, Helenus Priami filius*, &c. Vide quæ suprà notavimus.

Inter Catinam & Syracusas] Sic omnes libri omnium auctorum, qui Latinè scripserunt. Delrius ediderat, *Catanam*, atque ita repositum vellet apud omnes scriptores, in quorum libris habetur, *Catina*, quia ita Græci. Ineptè, quia Græcis Ἀκράγας dicitur, etiam in Latinis auctoribus ita nimirum legi debere præciperet, non *Agrigentum*. Et quia iidem Græci Μασσαλίαν dicunt, Latinè quoque *Massaliam* pro *Massilia* dicendum esse probaret. Quid absurdius, aut falsius? Latini ut in ceteris, ita & in nominibus urbium, & populorum à Græco deflexerunt. Inde est nimirum, quod *Numidas* dicunt, qui Græcè Νομάδες: *Iapides*, qui Ἰάποδες: & *Massiliam*, quæ Μασσαλία. Sic & *Catinam*, quæ Græcè Κατάνη, ut πατάνη, *patina*, τῆς κατάνης. Hoc etymon refert Stephanus: κέκληται δὲ οὕτως, ἐπειδὴ κατέβη περὶ τὸν Ἀμελιανὸν ποταμὸν ἡ Θεοκλέους τοῦ Χαλκιδέως ναῦς, ἣν Δωριεῖς χωρὶς τοῦ ν νᾶν φασί. Quod non adeo mirum videri debuit viro doctrina illustri. Sic Hesychius: κατὰ νᾶν, κατὰ ναῦν. Ita legendum. Sed & Æschylus Ἑλέναν dictam interpretatur, quasi ἑλέναυν, ut ἑλέπολιν, in Agamemnone ἑλέπτολιν, ἑλέναν, quod naves Græcorum perdidisset:

----- Τὰν δοριγαμβρον
Ἀμφινεικῆ θ' Ἑλέναν ἐπεὶ πρεπόντως
Ἑλένας, ἕλανδρος. ἑλέπτολις ἐκ τῶν ἁβροπήνων
Προκαλυμμάτων ἔπλευσεν
Ζεφύρου γίγαντος αὔρᾳ.

Ἑλέναν dictam putavit, quasi ἑλέναυν, *navium expugnatricem*. Ergo ἑλένας pro ἑλέναυς. Hæc non assequuntur.

Anapis fuit & Amphinomus] Græcè Ἄναπις. Ita repone apud Strabonem: τὸν Ἀμφίνομον καὶ τὸν Ἄναπιν. Perperam heîc in Solino *Anapius* eodem prorsus modo, quo *Anystius* supra, qui est *Anystis*. Valerio *Amphinomus, & Anapus*. Ubi *Anapis* esse debet. Sic *Lygdamus* corruptum pro *Lygdamis*. In Claudiano quoque legendum:

Cur non Amphinomo, cur non tibi, fortis Anapi.

Ὦ Ἄναπι. In στυλοπινακίοις templi Apolloniadis Eumenis, & Attali Regum matris, quod apud Cyzicum fuit, tabula etiam Anapis, & Amphinomi insculpta erat cum epigrammate, cujus hoc lemma extat in antiquissimis membranis. Nam Epigramma ipsum periit: ἐν δὲ τῷ ιζ Ἄναπις καὶ Ἀμφίνομος, οἳ ἐκφερόντων τῶν κατὰ Σικελίαν κρατήρων διὰ τοῦ πυρὸς οὐδὲν ἕτερον ἢ τοὺς ἑαυτῶν γονεῖς βαστάσαντες ἔσωσαν. Sequebatur in decimo & octavo stylopinacio, Κλέοβις καὶ Βίτων. Sic fratrum hæc paria jungunt Valerius Maximus lib. V. cap. IV, & Hyginus in fabulis.

Si quod malunt Syracusæ, Emantiam putabimus, & Critonem] Delrius edidit. *Æmanthiam*. Quod Græcum non est. In nostris scriptum, *Emantiam*. Scribendum: *Ematiam*, hoc est, Ἡματίαν. Nisi *Emantiam* sit pro *Imantiam*, Ἱμαντίαν. Iidem libri etiam nobis suggerebant, *Cretonem*. An *Crethonem*? τὸν Κρήθωνα. Nam Κρήθων nomen est Græcum. Mirum autem quam diversus abeat à ceteris auctoribus Hyginus in horum fratrum nominibus concipiendis. *Damonem* & *Pythiam* vocat, qui de alia historia sunt, Sicula tamen. Nam qui se vadem pro amici reditu dederat Dionysio tyranno, & amicus ille qui rediit, ut alterum vadimonio mortis liberaret, istis nominibus alii auctores nuncupant. At Hyginus par istud amicorum *Mœrum* & *Selinuntium* appellat, fratres autem Catinenses, *Damonem* & *Pythiam*. Ubi & *Pythias* perperam scribitur,

A qui *Pinthias* scribi debet. Nam Siculum nomen φιντίας, & fœmininum φιντίς. A verbo φιλαθῆναι, φιλτὸς amabilis. Unde & φίλτρον amatorium. Inde nomen proprium φιλτίας, quod Siculi dicebant φιντίας: ut φίντατος pro φίλτατος, & φίντερος & φιντὸς pro φιλτός. Ita corrigendum apud Valerium, in quo etiam malè *Pythias* legitur pro *Phintia*. Hoc nomen similiter apud alios depravatum circumfertur.

Pag. 15. A. *Campus piorum*] Εὐσεβῶν χῶρος.

Si habitus impudice hauserit] Ita legendum ex veteri scriptura, quæ habuit: *si habitus impudicæ*. Ex qua conjectura infelix Delrius conjiciebat: *si manus impudice*
B *hauserint*. Græca loquutio, quales in isto frequentes. *Habitus impudicè*, ἀναγνῶς ἔχων, οὐχ ἁγνῶς ἔχων. Quod autem heîc dicit Solinus Dianam fontem ad Camerinam fluere, intelligit urbem Siciliæ Camerinam, juxta quam hic fons fluit. Priscianus de Camerina palude intellexit, & aliter legit: sic enim in poëmate suo posuit:

Dianæ fons est, Camerina gignitur unda.

Quod hausit ex hoc loco ita nimirum legens, *Dianam, qui ab Camarina fluit*: vel, *qui ex Camerina*. At de urbe Camarina Solinus intelligebat. Stephanus: Καμαρίνα πόλις καὶ λίμνη ἐν Σικελίᾳ.

C *Apud Segestanos Helbesus in medio flumine*] Ita libri omnes: *Helbesus*, inquam, non *Erbessus*, ut contra librorum fidem, & veritatem ipsam repositum ivit Delrius. Ἐρβησσὸς urbs Siciliæ Stephano, & Ptolemæo, & longè à Segestanis. Heîc Helbesus fons est, qui in medio flumine subita exæstuatione fervescit. Ab Erbesso, *Erbessenses* Plinio. Quod ad *Segestanos* attinet, ita omnes heîc habent libri. Apud Plinium in quibusdam exemplaribus *Ægestanos* legi testantur. Duæ urbes in Sicilia fuere, *Acesta*, & *Ægesta*. Stephanus: Ἀκέστη πόλις Σικελίας ὡς Αἰγέστα παρὰ τὸν Ἀκέστην, ὁ πολίτης Ἀκεσταῖος.
D Ab Acesta Plinio *Acestæi*, ab Ægesta *Ægestani*. Utri horum erunt Segestani? Virgilius:

Urbem appellabunt permisso nomine Acestam.

Ibi Servius:

Acestæ scilicet. Dicta autem Acesta Segesta.

Idem lib. I Æneidos scribit Ægestam Hippotæ Trojani filiam ad Siciliam delatam à Crimniso flumine in canem converso stupratam edidisse *Ægestum*, quem Virgilius *Acesten* vocat, qui ex matris nomine civitatem Trojanis condidit, *quæ ante Ægesta, postea Segesta dicta est*. Sic *Acesta*, & *Ægesta* eadem erit, & utraque eadem etiam cum *Segesta*: quia Acestes idem, qui Æ-
E gestus. Alibi ad VI Æneidos hanc historiam ita narrat. Verba ipsa referemus, ut emendentur: *Hippotes filiam suam Egestam, ne ad cetos religaretur, superposuit naviculæ, & misit, quo fors tulisset: qua delata ad Siciliam Crimisus fluvius concubuit cum ea versus in canem, unde Acestes natus est, vel, ut quibusdam videtur, Egestus: hujus rei ut esset indicium, nummum effigie canis percussum habuerunt*. Strabo Αἴγεστον Trojanum nominat, qui à Philoctete missus in Siciliam Ægestam condidit. Dionysius Halicarnasseus Αἴγεστον quoque memorat τῶν Τρώων, & Αἰγέστην urbem ab eo in Sicilia conditam. Certè Αἴγεστος
F nomen proprium apud Græcos. Αἰγεσταῖοι populi Thesprotiæ apud Stephanum, sic dicti à duce quodam Ægesto, ἀπό τινος Αἰγέστου στρατηγοῦ. Et Αἴγεστος Numitoris filius apud Dionysium. Item alius Αἴγεστος apud eumdem deûm Penatium Pontifex Lavinii. Lycophron de Ægesto Troe:

Αἴγεστε τλῆμον, σοὶ δὲ δαιμόνων φραδαῖς.
Πένθος μέγιστον.

Ita legendum, non Αἰγέστα. Fœmininum ab Αἴγεστος, Αἰγέστη Hippotæ filia. Quod satis ostendit Αἴγεστον in masculino proprio debere dici. Nam si Αἰγέστης diceretur,
G fœminæ proprium esset Αἰγεστίς. Αἴγεστος autem, ut Ἔθνεστος. Sic vocabatur unus ex libris Neoptolemi. Et Πραίνεστος Ulixis Nepos. Nam πραινὴς Æoles dicebant, quod Græci ceteri πελωής. Aliud nomen est Ἀκέστης, ergo & alia urbs Ἀκέστα, quam Αἰγέστα. Latini sine diphthongo hoc nomen enuntiarunt, *Egesta*. Et ita etiam Græci. Sic enim scribitur apud Thucydidem. Stephanus: Ἐγέστα πόλις Σικελίας ἔνθα θερμὰ ὕδατα ὡς Φίλων ἀπὸ Ἐγέστου Τρωός. Τὸ ἐθνικὸν Ἐγεσταῖος. Inde Latini *Segestam* ad vitandum τὸ δύσφημον, καὶ τὸ δυσοιωνὸν nominis *Egestæ*. Vide

Vide Festum. *Ægesta* ergo, vel *Egesta* ea est, quæ Latinis dicta *Segesta*. Stephanus ex Philone observat in ea urbe fuisse θερμὰ ὕδατα. Strabo vocat Αἰγεσταῖα. Diodorus Siculus Ἐγεσταῖα. Plinius meminit calidorum fontium in Egesta Siciliæ. Hic fons est, quem in medio flumine subita exæstuatione effervescere dicit Solinus apud Segestanos. Qui fons Erbessus esse non potest, ut jam diximus, cum urbs sit hoc nomine in mediterraneo longè à Segestanis, qui ad mare in littore Occidentali Siciliæ positi, in ora quæ Pelorum, & Lilybæum interjacet. Ibi Αἰγεσταίων ἐμπόριον collocat Strabo, & Ptolemæus ἐμπόριον Σεγεστάνων. Et Strabo quidem, postquam scripsit latus illud insulæ habitari Alæsis Tyndaride, Ægestanorum emporio Panhormo, subjungit Ægestam conditam ab illis, qui in Crotoniensem agrum cum Philoctete transierant; & missi ab ipso in Siciliam fuerant Ægesto Trojano duce. Deinde addit, ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ τὴν μὲν Ἔνναν, ἐν ᾗ ἱερὸν τῆς Δήμητρος ἔχουσιν ὀλίγοι. Ergo Ægesta, sive Segesta urbs maritima, & emporium. Unde Αἰγεσταίων ἐμπόριον dicta est. Sic Ἀκράγας, *Agrigentum*, quod inter Lilybæum, & Pachynum à Pomponio ponitur, Ἀκραγαντίνων ἐμπόριον Straboni, & Ptolemæo dicitur, quod eorum urbs emporium esset. Pomponius: *Inter Pachynum, & Lilybæum Acragas est, Heraclea, & Thermæ.* Ptolemæus: Ἡράκλεια, Ὕψα ποταμοῦ ἐκβολαί, Ἀκραγαντίνων ἐμπόριον. Agrigentum ad mare esse testantur hæc Ciceronis verba de Verre: *ad mare infra mœnia ante oppidum exspectabat.* Oppidum illud Acragas. Ptolemæus tamen Ἀκραγαντίνων ἐμπόριον in ora ponit, Ἀκράγαντα oppidum intus, & ἐν ταῖς μεσογείοις recenset. Forte quod emporium, & portus Agrigentinorum urbis ad mare esset, ipsum oppidum paulo à mari remotius. Sic Σεγεστανῶν ἐμπόριον, & Σεγέσταν separavit, illud in ora, hanc intus in mediterraneis recensens. Simili modo & in Judæa describenda seorsim numerat Ἰαμνιτῶν λιμένα in ora maritima, & Ἰάμνειαν in mediterraneo. Nunc de Acesta videamus. Hæc alia ab Ægesta, sive Segesta. Plinius *Acestæos* vocat, & intus collocat. Stephanus quoque Ἀκέσαν & Ἐγέσαν diversas habet. Et sanè diversa nomina conditorum Ἀκέσης, & Αἴγεστος vel Ἔγεστος, ut necesse sit & diversas urbes fuisse, quarum auctores nominibus, & origine nominis differunt. Quidquid dicant, ita censeo. Αἴγεστος nomen, ut Σέργεστος, Ἔθνεστος, Πραίνεστος. Ab Acesta Ἀκεσαῖοι ὄχοι, apud veterem poëtam. Hesychius: Ἀγεσταῖοι ὄχοι, Σικελικὰ ὀχήματα. Et paulo post: λέγεται δὲ ὀχήματα Σικελικὰ ἀπὸ πόλεως Σικελίας. Ptolemæus enumeratis maritimis Siciliæ urbibus inter μεσογείους & interiores recenset Σεγέσταν, quæ non potest eadem esse cum ea, quam supra habuimus. Nisi si Ptolemæus Segestam urbem à Segestanorum emporio distinxerit, ut hoc quidem maritimum, illa vero fuerit mediterranea, & interior. Idem & de Agrigento, & Agrigentinorum emporio apud eumdem colligere est. Verum & idem Ptolemæus recensitis urbibus lateris orientalis Siciliæ, subjicit hæc verba: καὶ κατέχουσιν αὐτῆς τὰ μὲν ἀρκτικὰ Μεσσήνιοι, τὰ δὲ μέσα Ὀρβῖται, καὶ Καταναῖοι, τὰ δὲ μεσημβρινὰ Σεγεστανοὶ καὶ Συρακόσιοι. Interpretes, & tabularum conscribillatores Ptolemaïcarum hæc ita acceperunt, quasi totius insulæ ἀρκτικὰ incolerent Messenii, media, hoc est, interiora Orbitæ, & Catanæi: Austrina vero Syracusii & Segestani. Quod est falsissimum, & absurdissimum. Oræ illius Siculæ orientalis, quam descripsit, τὰ ἀρκτικὰ Messeniis habitari dixit: τὰ μέσα τῆς πλευρᾶς, quæ ad ortus hibernos spectant, Orbitis, & Catinensibus: τὰ μεσημβρινὰ, ad Pachynum scilicet, & meridiem vergentia, Syracusanis, & Segestanis. Lateris illius, quod à Peloriade ad Pachynum tendit, quæ Peloriadi proximant, Septentrioni objacent: quæ Pachyno, ad meridiem spectant, media inter Pelorum & Pachynum, orienti hiberno sunt adversa. Segestani porro isti, qui cum Syracusiis lateris orientalis Siciliæ τὰ μεσημβρινὰ colunt, non possunt iidem esse cum Segestanis illis, quorum ἐμπόριον in latere occidentali ad mare positum legimus. Thucidides Elymorum urbes in Sicilia duas esse dicit Erycem & Egestam. Ἔλυμα vocat Dionysius pro Eryce: Αἰγέσταν καὶ Ἔλυμα. Quinimmo Ἔλυμον appellat montem, qui aliis Ἔρυξ: Mons autem Eryx, in qua urbs Eryce, supra Drepanum.

A Servius: *Eryx mons Siciliæ supra Drepanum.* Haud longe inde Ægesta. Ptolemæus: Δρέπανον, Ἐμπόριον Σεγεστάνων. Qui sunt igitur illi Segestani in littore oppositi apud Ptolemæum? aut quæ illa Σεγέστα ab eodem inter urbes μεσογείους relata? Ἀκράγας, Μότυκα, Σεγέστα. Segesta enim ad mare, & longè ab Agrigento. Scribit Dionysius Siculus cum Hercules τὴν παράλιον Siciliæ circuiret, nymphas in ejus gratiam balnea aquarum calentium solo suscitasse, quibus lassitudinem itineris levaret: τούτων δὲ, inquit, διττῶν ὄντων τὰ μὲν Ἱμεραῖα, τάδε Ἐγεσταῖα ἀπὸ τῶν τόπων προσαγορεύεται. Ergo Egesta in littore. Ergo duas urbes hoc nomine oportet in

B Sicilia fuisse. Certè, ut mos fuit Latinis efferendi Græca urbium nomina, Αἰγέσαν & Ἀκέσαν diversas urbes possunt videri uno vocabulo *Segestam* appellasse. Inde Segestani tam diversi apud Ptolemæum. Sed *Acesta*, si Poëtæ credimus, in iisdem locis condita est, quibus Ægesta. Nam Æneas ad Drepanum appulit, & non longe ab Eryce civitatem illam condidit. Quinimmo eadem omnino fuerit Acesta cum Ægesta, ut Ægestus cum Aceste. Cicero: *Segesta est oppidum pervetus in Sicilia, quod ab Ænea fugiente a Troja, atque in hæc loca veniente, conditum esse demonstrant.* Alii, cum Æneas in Siciliam venit, Ægestam jam tum fuisse conditam

C tradunt, in quibus est Strabo, qui scribit Æneam ad Ægestam Siciliæ appulisse cum Elymo Troe, Erycemque & Lilybæum tenuisse, & fluvios circa Ægestam Scamandri, & Simoentis nominibus appellasse. Alii ab Elymo, alii ab Ægesto Troe, ante Æneæ adventum Segestam extructam volunt. Inter hanc varietatem sententiarum, cum duas urbes in Sicilia fuisse constet, *Ægestam* quæ Segesta, & *Acestam*, illam ab Ægesto Troe, istam ab Aceste positam, verisimile est Virgilium *Acesten* cum *Ægesto*, & *Acestam* cum *Ægesta* confudisse. *Ægestanos* Latinæ conditionis fuisse

D scribit Plinius, *Acestæos* stipendiarios. Cicero Segestanos socios semper, atque amicos Pop. R. etiam cognatos dicit fuisse, quia nimirum ab Ænea conditi. Acestæi, qui nullam talem cognationem præferre poterant, stipendiarii. Idem Cicero *Segestam* immunem civitatem vocat, à qua Segestani. *Segestenses* ab his Segestanis distinguit Cicero: quorum Segestensium agri vectigales erant, & decumas persolvebant Act. v. in Verrem: *atque in hoc genere audaciæ multo etiam impudentius in decumis Segestensium versatus est.* Sequitur aliquot post paginis de Segestanis immunibus: *Segestam item ad immunem civitatem Venerius Symmachus decumanus immittitur*,

E & Segestanos ibi vocat ab hac Segesta. Non ignoro viros doctos pro Segestensibus *Ecestenses* reponere apud Ciceronem, quos non audio. Nam quum Ptolemæus duas Segestas noverit, & non unos Segestanos, non immerito suspicari sit distinctionis gratia *Segestenses* alios, alios *Segestanos* Ciceronem appellavisse: quorum Segestenses stipendiarii, Segestani liberi, & immunes. Atqui apud Plinium *Ecestienses* vocantur, & in libris *Echestienses*, hi sunt dicendi Echetlienses ab Echetla urbe Siciliæ. Stephanus: Ἐχέτλα πόλις Σικελίας, ὁ πολίτης Ἐχετλιάτης. Plinio *Echetlienses.* Qui sunt igitur illi Se-

F gestenses Ciceronis? Hi nimirum, quos Plinius *Acestæos* vocat Græca nuncupatione. Ut *Segestani* sunt Latinè, qui Αἰγεσταῖοι Græcè. Nam Ἀκέσαν, *Segestam* videntur Latini appellasse. *Segestanos* porro, non *Ægestanos* in Plinio scribendum ostendit series literarum. Etenim per ordinem alphabeti posuit nomina populorum Siciliæ. Segestanos ἐν μεσογείῳ collocat Plinius, Strabo, aliique ad mare. Haud longè sanè à mari positam fuisse liquet, ubi & emporium & portum habuere.

Apud Segestanos Helbesus in medio flumine fervet] De aquis calidis Segestanis loqui apparet, quæ Αἰγεσταῖα ὕδατα Straboni, Ἐγεσταῖα Diodoro, & Philoni apud

G Stephanum. Strabo de Sicilia: θερμῶν γοῦν ὑδάτων ἐκβολὰς κατὰ πολλοὺς ἔχει τόπους ἡ νῆσος. Ὧν τὰ μὲν Σελινούντια κατὰ Ἱμέραν ἁλμυρά ἐστι, τάδε Αἰγεσταῖα πότιμα. Diodorus Siculus Ἱμεραῖα vocat, quæ κατὰ Ἱμέραν sunt. Perperam editum in ejus libris. Ἡμεραῖα. Et malè interpretes, *Hemeræa.* Hic scribit Helbesum fluvium subita exæstuatione apud Segestanos in medio flumine fervere. Quis Helbesi fluminis in Segestano agro meminit? Duo circa Segestam flumina, quibus Æneas, quum in

in illa loca advenisset, Simoentis, & Scamandri indidit nomina Strabone teste. Scamandri mentio etiam apud Diodorum Siculum. At Herbessus, unde Herbessenses Plinio, urbs ἐν μεσογείοις, longè ab Segesta. Huic auctori, quum toties in falso deprehenderim, nihil ego accredere decrevi.

Acin demissum Ætna] Libri: *ac idem demissum Ætna*, pro *Acidem*. Ἄκις Ἄκιδος. Delrius, quod in suis *ac eumdem* repererit, eam lectionem admittit, ut etiam istud de Erbesso dicatur. Absurdè. Quasi Helbesus idem fuerit calidissimus, & frigidissimus. Aut quasi fluvius Ætna demissus ad Segestanos flueret. Imperiti librarii, qui *ac idem* in antiquis exemplaribus scriptum invenerant, & duas esse voces putabant, ne Prisciano obnoxii fierent, *ac eumdem* fecerunt. Ex eo æstimare liceat bonitatem librorum, quibus usus bonus Delrius. *Acis* Ætna demittitur. Hesychius: Ἄκις, ποταμὸς ἐν Κατάνῃ. Silius:

Quippe per Ætnæos Acis petit æquora fines.

Non est *Acis* apud Plinium, ut quidam libri præferunt in hoc loco: *Thermæ colonia, amnes Atys & Hypsa, Selinus oppidum.* Libri scripti ibi legunt: *Agathemater Hypsa.* Scribe: *Achates, Himera, Hypsa.* Achates, ut notum est, Siciliæ fluvius. Silius lib. XIV.

Nec non qui potant Hypsamque Alabinque sonoros,
Et perlucentem splendenti gurgite Achatem.

Legi etiam posset *Acithus.* Nam Ἀκίθιον flumen in illis locis ponitur à Ptolemæo. De Himera neminem turbare debet, quod paulo post sequitur, *Himera cum fluvio.* Nam Himera fluvius Nebrode monte descendens in duas dividitur partes, quarum altera juxta Thermas, & Selinuntem oppidum in mare exoneratur latere Siciliæ meridionali, altera in occiduum currens juxta Himeram oppidum, mari influit. Ita & Ptolemæus duobus in locis meminit ἐκβολῶν ποταμοῦ Ἱμέρα.

Himeram cœlestes mutant plagæ] In omnibus libris *Himeraum*, id est, τὸν Ἱμεραῖον ποταμὸν, *Himeræum* fluvium. Sic Ἱμεραῖα ὕδατα Diodoro. Sic Ῥῆβας flumen Ponticum, aliis Ῥηβαῖος dicitur, ut Apollonio, nisi fallit memoria. Ait heic Solinus Himeram mutari cœlestibus plagis, & dum in Aquilonem fluit amarum esse, ubi in meridiem flectitur, fluere dulcem. Quod ut prodigio simile est, ita ineptum est. Sic loquitur quasi de uno flumine, qui eodem cursu, dum versus septentrionem fluit, salsus est: ubi ad meridiem convertitur, dulcis existit. Cujus diversitatis causam adscribit cœlestibus plagis. Rei falsæ ratio falsissima. Himeras, ut suprà tetigimus, ex uno dividuus fonte, partes duas facit, hoc est, duo flumina. Quarum quæ per eam currit terram, unde sales effodiuntur, amarum concipit saporem, altera haustu dulcis est. Non cœlestes igitur plagæ, sed terrestres, per quas profluit, in causa sunt diversarum hujus amnis qualitatum. Vide Vitruvium. Silius:

Littora Thermarum prisca dotata camœna
Armavere suos, qua mergitur Himera ponto
Æolio: nam dividuas se scindit in oras,
Nec minus occasus petit incita quam petit ortus.
Nebrodes gemini nutrit divortia fontis.

Silius Himeram occasus, & ortus petere dicit. Solinus septentrionem, & meridiem. Ecce altera auctorum dividia. Silius Thermas in occiduo latere Siciliæ ponit inter Pelorum, & Lilybæum, qua Himeras Æolio ponto mergitur. Nam in eo mari Æoliæ insulæ. Ptolemæus cum Silio facit, qui urbem Thermarum ἐν δυτικῇ πλευρᾷ locat. Ἱμέρα ποταμοῦ ἐκβολαί. Θερμαὶ Ἱμέραι πόλις. Lege: Θερμαὶ Ἱμεραῖαι, πόλις. Contrà stat Plinius, qui Thermas in austrino latere statuit inter Pachynum, & Lilybæum. Ita enim insulæ periplum peragit: *fluvius Gelas, oppidum Acragas, Thermæ colonia, amnes Achates, Himera, Hypsa, Selinus oppidum, Lilybæum ab eo promontorium.* Deinde in alterius lateris periplu post Lilybæum Drepana ponit, montem Erycem, Panhormum, Solentum, Himeram cum fluvio. Cum Plinio videtur facere Strabo his verbis: Θερμῶν ὑδάτων ἐκβολὰς κατὰ πολλὰς ἔχει πάσας ἡ νῆσος, ὧν τὰ μὲν Σελινούντια καὶ Ἱμέραια ἁλμυρά ἐστι, τὰ δὲ Αἰγεσταῖα πότιμα. Thermarum urbem ab illis thermis nomen acce-

A pisse certum est, quæ Σελινούντια καὶ Ἱμέραια vocat Strabo, Diodorus ea vocitat Ἱμεραῖα. Non solum calidas esse, sed & salsas, Strabo dicit. Eæ sunt igitur Himeræ thermæ, quæ coloniæ nomen dederunt prope Selinuntem oppidum. Quæ Plinii sententia est. Contrarium rursus elicias ex Solino, qui Himeram, ubi ad meridiem flectitur, fluere dulcem memorat. Ergo ἐκβολαὶ Himeræ fluvii ad meridiem, neque salsæ, neque calidæ, sed ab altera parte tales, qua in occiduo latere, versus Septentrionem in mare effunditur. Quare Thermæ ibi collocandæ, ex opinione Ptolemæi,

B & Silii. At Vitruvius eorum adjuvat sententiam, qui Thermas Himeræas in ora meridionali ponunt. Ait enim partem Himeræ, quæ salsum habet saporem, per eam terram currere, unde sal effoditur. In occidua plaga, qua Himeras in mare præcipitat, nulla salinarum metalla sunt. At sunt in Notia prope Agrigentum nimirum, ubi & Thermas sitas esse docet Plinius: *Acragas, quod Agrigentum nostri dixere, Thermæ colonia.* Atque hoc verius videtur. Alia exoritur dubitandi ratio. Plinius, qui coloniam Thermas ἐν τῇ νοτίᾳ πλευρᾷ constituit inter Selinuntem, & Agrigentum, idem Himeram urbem alii lateri accenset inter

C Soluntem, & Cephalœdium, quo loco Thermæ Himeræ ponuntur à Ptolemæo. Plinii verba sunt: *Solus, Himera cum fluvio, Cephalœdis.* In Ptolemæo ita scribendum: Κεφαλοιδίς. Ἱμέρα ποταμοῦ ἐκβολαί. Θερμαὶ Ἱμεραῖαι πόλις. Σολοῦς πόλις. Perperam hodie scribitur, ὀλεσίς. Atqui constat ex Diodoro Siculo Himeram urbem Agrigento, & Selinunti fuisse vicinam, quo loco coloniam Thermarum fuisse vult Plinius. Is Diodorus lib. XIII scribit Hannibalem ab expugnatione Selinuntis statim transisse ad obsidionem Himeræ puta vicinæ. Idem aliis in locis Ἀκραγαντίνους & Ἱμεραίους, ut vicinos populos junctim commemorat. Sed

D & Ἱμεραῖα ὕδατα vocat ab urbe Himera, ut Αἰγεσταῖα, ab Ægesta, quæ Straboni Σελινούντια dicuntur καὶ Ἱμέραια, id est, juxta Himeram urbem. Himera urbs igitur vicina Selinunti. Ibi & Thermæ quoque colonia. Himeram Hannibal captam funditus delevit, & solo æquavit. In ejus locum Romani coloniam deduxere, & Thermas appellavere ab aquis calidis Himeræis, quæ ibi erant. *Thermas* Latini dicunt subaudiendo aquas. Græci Θερμὰ, dum subintelligunt, ὕδατα. Stephanus: Θερμὰ, χωρίον Σικελίας, φίλιστος τρίτῳ. Χωρίον vocat, non πόλιν, quia urbs nondum erat, & intelligit Ἱμεραῖα

E Θερμὰ, ubi postea Romani coloniam Thermas condiderunt. Male igitur Plinius, qui Himeram urbem in occidentali latere Siciliæ collocat. Malè etiam Ptolemæus, qui Thermas coloniam ibidem statuit: cum satis constet θερμὰ, quæ Thermis urbi nomen fecere, prope Selinuntem fuisse, quo loco urbs olim Himera fuit.

Himeræum cœlestes mutant plagæ] Melior Grammaticus hic noster est, quam Philosophus. Tradunt quidam philosophi proprietates humorum in singulis terris, & saporum varietates ad solis potestatem temperari, inclinationemque mundi, & solis meatum propius, aut

F longius cursum facientis tales, aut tales efficere terræ humores. Quod & ipsum tamen multis argumentis posset revinci. Nam sub diversa inclinatione mundi, multa non similia tantum, sed pæne eadem reperiuntur. Hoc in animo habuit Solinus, quum scripsit Himeræum cœlestibus mutari plagis, & modo dulcem fluere, modo amarum, prout Aquilonem versus, aut meridiem cursum dirigit. Quod ineptissimum. Terra quidem haurit è cœlo naturam eam, qua censetur: aqua vero, quæ per terræ venas manat, non a cœlo, sed è terra concipit, quam habet qualitatem.

G *Amarus denique est*] Amarum pro salso posuit, quia ita Virgilius:

Doris amara suam non intermisceat undam.

Alias amarum, & salsum differunt, ut πικρὸν & ἁλυκὸν Græcis. Utrumque dulci opponitur. Amaræ porro quædam sunt terræ, & quædam salsæ, sapore differenti: utræque ingratæ, & incertæ. Virgilius:

Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix, ea nec mansuescit arando.

An

An intelligit ſalſam eſſe terram, quæ & amara perhibetur? Nam poëta amarum pro ſalſo uſurpat. Columella eas diſtinguit. Siculus Flaccus: *ſi quid amari, & incerti ſoli eſt, id aſſignatione non datur.* Valeriano in Homiliis, *terræ ingrati, & amari ſoli.* Plinius ſalſæ, & amaræ duobus diverſis locis meminit, ex quibus tamen non liqueat, utrum eandem faciat, an confundat Lib. XVII. cap. IV. *Salſæque terræ multa melius creduntur: tutior à vitiis innaſcentium animalium.* Ita legerim eo loco, ac diſtinxerim. De amara capite ſequenti, *Terram amaram, ſive macram ſi quis probare velit, demonſtrant eam atræ, degeneresque herbæ.* Quæ corruptiſſima videntur, quaſi amara, & macra terra eadem dicatur. Aliter hæc in libris, hoc nempe modo: *Terram amaram probaverim demonſtrante aſatræ, degeneriſque herbæ.* Totum locum ſic emendo ex veſtigiis ſcripturæ veteris: *Terram amaram probaverim demonſtrantia raræ, degeneriſque herbæ: frigidam autem retorridè nata: item uliginoſam, triſtitia rubricam oculis: argillam, quæ operi difficillima, quæque raſtros, aut vomeres ingentibus glebis oneret, quamquam non quod operi, hoc fructui adverſum: item è contrario cinericiam, & ſabulum album.* In duobus antiquiſſimis, atque omnium optimis Thuanæo, ac Rigaltiano ſcriptum eſt: *amaram probaverim demonſtrant eas atræ, degenereſque herbæ.* Reliqua vero ſic habent ferè, ut poſuimus. Ex eo fecimus: *amaram probaverim demonſtrantia raræ, degeneriſque herbæ.* Quam lectionem & ſequentia confirmant. Alias in promptu fuiſſet emendare: *amaram probaverim demonſtrante rara, degenerique herba:* Sed omnes, ut dixi, habent, *atræ, degenereſque herbæ.* In quibuſdam, *aræ.* Conjectura noſtra proximè ad veſtigia veteris accedit ſcripturæ, in qua S & R confundi ſciunt, qui frequentes eam verſant. Ait probari amaram terram demonſtrantia raræ, degeneriſque herbæ. *Demonſtrantia* vox Pliniana, ut *ſignificantia* apud Nonium, & *noſcentia* Symmacho pro notitia, & ſimilia. Rara, & degener herba terram amaram demonſtrat. Sequitur: *frigidam autem retorridè nata*, hoc eſt, herba retorridè nata probaverim terram frigidam, ut amaram raræ, ac degeneris demonſtrantia. Sic amat Plinius ſtilum variare. *Uliginoſam triſtitia.* Ita libri, & repetendum, *probaverim.* Triſtitiam vocat triſtem ſoli habitum, in quo nihil lætum proveniat, nihil vireat herbarum. Sic *herba læte virens* eidem Plinio. Mela: *herbæ non modo latæ, ſed dulces.* In Agrimenſoribus: *latiores cupreſſus;* id eſt, lætius virentes. *Rubricam oculis* ſcilicet, probaverim. Atque ita in omnibus libris, non, ut habent vulgati, *oculi.* Sequitur: *argillam, quæ operi difficillima, quæque raſtros, aut vomeres ingentibus glebis oneret.* Idem verbi ſubintelligendum, à quo omnia dependent ſequentia. Probaverim argillam eam eſſe, quæ operi difficillima ſit, quæque raſtros oneret ingentibus glebis. E contrario probatur cineritia, & ſabulum album; nam & operi faciles ſunt hæ terræ, nec raſtros gravant, aut vomeres morantur. Locus hic vulgo erat contaminatiſſimus. Amarum autem, & ſalſum tam in aquis, quam in terris differunt. Vitruvius partem Himeræi fluminis, quæ per ſalinas tranſit, ſalſam eſſe dicit. Idem ſcribit ibidem eſſe ex amaro ſucco terræ fontes exeuntes vehementer amaros, ut in Ponto eſt flumen Hypanis, qui fonticulo admixto totus amarus redditur. Herodotus: ἐκδιδοῖ γὰρ εἰς αὐτὸν κρήνη πικρή. Rationem addit Vitruvius: *ideo quod per id genus terræ & venas, unde Sandaracha foditur, ea aqua manando perficitur amara.* Plinius lib. XXXI. cap. III. de aquis: *ante omnia autem damnantur amaræ, & quæ ſcrobem ſtatim implent: quod evenit Troëzene: nam nitroſas, atque ſalmacidas in deſertis Rubrum mare petentes addita polenta utiles intra duas horas faciunt, ipſaque veſcuntur polenta.* Amaras à ſalmacidis, quæ ſunt ἁλυκαὶ, diſtinguit. Quæ vero illæ ſunt aquæ, quæ ſcrobem ſtatim implent? Liber optimus habet: *quæ ſorbem.* Lege: *quæ ſorbiæ ſtatim implent.* Pro *ſalmacidas* idem vetus liber exhibet *ſedinacidas.* Nimirum *ſalinacidæ* ſunt dicendæ, non *ſalmacidæ*, ut perperam hodie paſſim hoc nomen ſcribitur. *Salinacidæ* non ſunt ſimpliciter αἱ ἁλμυρίδες, aut ἁλυκίδες, ut Græci vocant fontes ſalſos, ſed acidi ſimul & ſalſi, acidæ nimirum ſalinæ. Nam hac mixtura fontes reperiuntur, qui utrumque ſaporem præferunt. Plinius: *aliæ ſulphuris, aliæ ſalis, aliæ nitri, aliæ bituminis,*

A *nonnullæ etiam acida, ſalſave mixtura.* Uno verbo *ſalinacidas* has Latini vocarunt. Gloſſæ: *ſalmacidus*, ἁλμυρὸς: *ſalmacidum*, ἁλμυρόν. Lege, *ſalinacidus*, & *ſalinacidum.* Nec eſt ἁλμυρὸν, ſed ὀξαλυκὸν, vel ὀξάλμυρον. Sic enim ὀξάλμην Græci compoſuerunt de acida muria. Ita & *dulcacidum* Latinè componitur. Gloſſæ: *dulcacidum*, ὀξύγλυκον. Athenæus lib. II. πολλαχοῦ δ᾽ εἰσὶ κρῆναι πολιμώτεραι, καὶ οἰνωδεστέραι, ὡς ἡ περὶ Παφλαγονίαν. Ἁλμώδεις δὲ ἅμα τῷ ὀξεῖ ἐν Σικάνοις Σικελίας. Fontes illi ἁλμώδεις ἅμα τῷ ὀξεῖ, ſunt ſalinacidi. *Salinaceum* auctor Gloſſarum perperam confundit cum *ſalinacido.* Nam *ſalinacium*, *vel ſalinaceum* ſimpliciter eſt ἁλμυρὸν à ſalinis. Sed malè in B iiſdem Gloſſis *ſalmacium* pro *ſalinacium* ſcriptum. Florus lib. IV. cap. X. *Infeſta primum ſiti regio, tum quibuſdam ſalinacidis; fluvius infeſtior noviſſime, qui jam ab invalidis & avide hauriebatur.* Ita legendus, & interpungendus locus ille. Pravo igitur judicio utuntur viri docti, qui in verſu Ennii conjunctim legunt, *ſalmacida ſpolia*, cum de viro molli, & Salmacide loquatur, qui daret ſpolia de ſe hoſtibus ſine ſanguine, & ſudore. Ceterùm, ut ad rem redeam, amaræ & ſalſæ aquæ diverſo ſunt ſapore: non neſcio tamen πικρὰς ἁλμυρίδας Græcè dici, quæ vehementer ſalſæ ſunt, & πικρὰς ἅλας, C amaros ſales, auſteros, & acriter ſalſos. Ἐντόνους vocat Dioſcorides. Sic in coloribus *auſterum*, & *amarum* quemque generis maximè ſaturum, & intenſum appellarunt. Plinius: *ad obſonium & cibum utilior quiſquis maximè liqueſcit, item humidior, minorem enim amaritudinem habent.* Acres ſtatim vocat, qui habent amaritudinem: *ſervandis carnibus aptior acer, & ſiccus, ut Megaricus.* Talis dicitur, qui valdè ſalſus eſt, cui opponitur ſuavis. Idem, *ſalſiſſimus ſal, qui ſicciſſimus: ſuaviſſimus omnium Tarentinus atque candidiſſimus.* Ἡδὺς Græcè, cui πικρὸς, id eſt, amarus contraverſus eſt. Eratoſthenes ſales ἡδυντῆρας vocavit. Igitur amarus ſal, eſt acriter ſalſus. Inde *amaram Dorida* Virgilius valdè ſalſam. D Quod Solinum non excuſat, qui *amarum flumen* pro ſalſo uſurpavit. Amarum, & auſterum in ſalſo vehementer ſalſum eſt. Amarum ſimpliciter aliud à ſalſo.

Pag. 15. B. *Salem Agrigentinum ſi igni junxeris*] Non dicit Plinius ſalem Agrigentinum, ſi igni admoveris, liqueſcere, & diſſolvi: hoc enim planè contrarium naturæ ſalis. Sed ſimpliciter ignium patientem eſſe, hoc eſt, in igne non crepitare, nec exilire: at in aqua poſitum, aut aqua aſperſum exilire: *Agrigentinus*, inquit, *ignium patiens, ex aqua exilit.* Dixerat ante, in igne nec exilire, nec crepitare Tragaſæum ſalem, neque Acanthium: nec ullius ſpumam, nec eum, qui ad ramen- E tum tenuis, ac minutus eſt. Hoc verò plus habere Agrigentinum, quod cum patienter ignes ferat, ſine crepitu & exultatione, ex aqua tamen exiliat. Scripſimus autem in Plinio: *in igne nec crepitat, nec exilit Tragaſæus, neque Acanthius ab oppido appellatus: nec ullius ſpuma, aut ad ramenta tenuis.* Vulgo editur: *aut ramentum, aut tenuis.* At quid aliud ſalis ramentum, niſi ſal tenue. Scripti habent: *aut atramento*, ex quo fecimus, *aut ad ramenta.* Salem ad ramenta tenuem vocat inſtar ramenti. Nullum igitur ſalem ſic attenuatum exilire in igne, nec ullius ſpumam. *Tenues ſales*, λεπτὰς ἅλας F Græci vocant. Ceterum, quod ait noſter ſalem Agrigentinum igne liqueſcere, id habet ex Antigono Caryſtio cap. CLXXXIII, qui ita ſcribit: παραπλήσιον δὲ τούτῳ ἐράτῳ γινόμενον ἐξ ἁλός. Ἐδωρήσατο γὰρ ἡμῖν Σικελὸς ξένος τοιοῦτον, ὃ ἐν μὲν τῷ πυρὶ ἐτήκετο, ἐν δὲ τῷ ὕδατι ἥλλετο. De Agrigentino ſale id intelligendum. Sed Plinius tantum dixerat ignium patientem eum eſſe, hoc eſt, non exilire, nec crepitare igni admotum: plus hic dicit, igne etiam diſſolvi, & liqueſcere. Quem vidit, ut hinc apparet, Solinus. Falluntur, qui in Plinio reſcribi volunt. *Ignis impatiens.* Ideo impatientem ignis dici pu- G tant, quia igne liqueſcat. Immo patiens ignis, qui non exilit, nec crepitat in igne poſitus, ſed tacitus liqueſcit, & diſſolvitur.

Purpureum Enna mittit: in Pachyno tranſlucidus invenitur] Ita libri noſtri. Hæc, ut ſuperiora, ex Plinio, ſed non bona fide relata. Ille Centuripinum ſalem purpureum eſſe docet, hic Ennenſem, cujus nec verbo meminit Plinius. Quidam porro ex libris noſtris hoc loco legunt *Ætnæum*, ſed ſalem in illis locis non fuiſ-

ſe

se ex Virtuvio probari potest, qui partem Himeræ fluminis, quæ contra Ætnam profluit, dulcem esse ideo affirmat, quod per terræ dulcem succum percurrat. De industria hæc omnia pervertit, & mutat noster, ut reconditos, & incognitos vulgo auctores legisse videatur, & ex his opus suum compilasse. Et hoc est, quod in epistola profitetur, impendio studuisse se, ut à notioribus pedem referret, & remotis largius immoraretur. Calumniam hanc non esse, fidem fecerint quæ ante observavimus, & quæ in sequentibus observaturi sumus. Certè salinas non fuisse circa Ætnam, nec circa Ennam, aliis quampluribus possem argumentis ostendere, si opus esset.

In Pachyno translucidus invenitur] Et hoc Solini est. Pachynus, ut omnes sciunt, Siciliæ promontorium, in quo salem inveniri nec puto, nec quisquam id veterum prodidit. Plinius loco, quem hic compilat, translucidum salem in Cappadocia effodi dicit. Verba Plinii: *Circa Gelam in eadem Sicilia tanti splendoris, ut imaginem recipiat. In Cappadocia crocinus effoditur, translucidus, & odoratissimus.* Solinus more suo, quod sali Cappadociæ adscribit Plinius, Pachynio, qui nullus est in rerum natura, transscripsit. Sal porro Gelous, qui imagines recipit, ἔμφασιν ποιεῖ. Cappadox, qui translucidus est, διάφασιν. Corruptè in omnibus Plinianis libris scribitur, *uti magnitudinem recipiat.* Forte: *ut imaginum similitudinem recipiat.*

Funguntur cautium ministerio] Hic locus est, in quo manifestè imponit Solinus. Salinarum metalla circa Agrigentum, & Centuripas esse dicit, quæ cautium ministerio funguntur, ex quibus nimirum, ut ex lapidicinis sal cæditur, quo simulacra hominum, deorumque formantur, tanquam aliquo scilicet marmore porphyretico. Nam Centuripinum salem pupureum esse tradit Plinius. Impudentissimum mendacium. Hujusmodi cautes, & montes salis in India tantum reperiri testantur auctores, Strabo, Plinius, alii. Plinii verba hæc sunt lib. XXXI. cap. VII. *Sunt & montes nativi salis, ut in Indis Oromenus, in quo lapidicinarum modo cæditur renascens.* Hos montes salis ex India in Siciliam transtulit noster miro prodigio. In Sicilia effodiuntur ex terra sales circa Agrigentum, & Centuripas, & aliis in locis, non ex montibus cæduntur. Fossilis salis massis Arabes etiam domos extruunt, ita grandes eruuntur. Specularium quoque lapidum modo cæditur in Cappadocia magni ponderis glebis, *quas micas appellant*, inquit Plinius. Qui hæc omnia tam sollicitè, & accuratè narrat, an velut indignum memoratu præterisset, si scivisset, aut alicubi legisset, in Sicilia salis montes esse, ex quibus lapides cæderentur, simulacris hominum, deorumque excudendis satis grandes? sed ex Africa in Siciliam more suo hanc historiam transtulit noster: nam de sale, qui Uticæ effodiebatur, hoc scriptum reliquit Aristoteles in Admirandis, & acceptum refert Punicis Annalibus: τῆς δὲ Λιβύης ἐν Ἰτύκῃ γίνεσθαι φασὶν ἅλας ὀρυκτοὺς ἐπὶ τρεῖς ὀργυιὰς τὸ βάθος, τῇ ὄψει λευκοὺς, καὶ οὐ στερεοὺς, ἀλλ' ὁμοίους τῷ γλισχροτάτῳ γλοιῷ, καὶ ὅταν ἀνενεχθῶσιν εἰς τὸν ἥλιον ἀποστερεοῦσθαι, καὶ γίνεσθαι ὁμοίους τῷ Παρίῳ λίθῳ. Γλύφεσθαι δὲ ἐξ αὐτῶν λέγουσι ζώδια καὶ ἄλλα σκεύη. Ipsissima res est, si Libyam pro Sicilia ponas, & Uticam pro Agrigento, vel Centuripis. Consulto consilio locorum regionem mutavit Solinus, ut in aliis solet, Ζώδια vertit, *signa ad facies hominum & deorum.* Glossæ: Ζώδια *signa* & *sigilla* exponunt, & ἀνδριαντάρια.

Nam illinc excuduntur signa] Excuduntur, exsculpuntur, ut supra: *multa ex eo gestamina excuduntur.* Minus rectè vulgati, *exciduntur.* In Græco γλύφεται ζώδια.

Thermitanis locis insula est harundinum ferax] De Thermis suprà diximus. In Thermitanis locis an insula fuerit harundinum auleticarum ferax, fides sit penes eum, qui dicit. Illud mirum, harum harundinum nullam apud Plinium haberi mentionem, qui tamen lib. XVI. cap. XXXVI omnium generum, & locorum harundines diligenter enumerat, adeo ut Panhormitanas ex eadem Sicilia non omiserit, quas aucupio aptas laudat. At illud certum est, quod Plinius ex Theophrasto de Orchomenii lacus harundine refert, id Solinum ad Thermitanam transferre. Quem morem perpetuo tenet, ut rem ipsam cum è Plinio mutuatus sit, regiones mutet, & in locis variet, quo dissimulet authorem, unde habet. Falsum vero, quod ait in Thermitanis locis nasci harundines ad omnem tibiarum sonum accommodatas. Nam jam Plinii temporibus non amplius ex harundine tibiæ fiebant, ut apud veterem solitum erat musicam. In Thermitanis tamen locis harundines provenire ad hunc usum idoneas colligere fortassean possis ex his versibus Silii Italici:

Littora Thermarum prisca dotata camœna
Armavere suos.

Silium poëtam multum legendo contrivisse videtur noster, quem & in multis sequitur. Hos igitur versus sic fortassean acceperit de harundinibus in littore Thermarum nascentibus, quibus prisca camœna, id est, vetus musica instruebatur, quæ tibias inde faciebat. Harundines autem etiam aptæ bellicis usibus habentur, sagittario inde calamo. Hoc est, quod dixit poëta, littora Thermarum suos armavisse harundinibus ibi provenientibus. Sed nugatur Solinus, ut solitus est.

Littora Thermarum prisca dotata camœna,

Dicuntur propter Stesichorum, qui Himeræus oriundo fuit: & Thermæ illæ Himeræ eo loco conditæ colonia deducta, ubi olim Himera. Sed postulat hic locus, ut Plinii locum de tibiali harundine illustremus. Tibiarum materia antiquitus harundines. An prima fuerit, incertum habeo. Ex ossibus hinnuleorum primam omnium à Minerva factam, sunt qui tradant. Ceterùm apud veteres tibia ut plurimum ex harundine. Pollux: ἡ δὲ ὕλη τῶν αὐλῶν κάλαμος ἢ χαλκὸς, ἢ λωτὸς, ἢ πυξός. Primo loco nominat κάλαμον, velut antiquissimam materiam tibiarum. Hinc κάλαμος apud antiquos scriptores Græcos pro tibia. Pindarus: σὺν καλάμοιο δὲ βοᾷ δέχονται, *cum tibiæ cantu excipiunt.* Ubi perperam interpretes, *fistulæ.* Fistula non potest esse calamus. Nam ex pluribus calamis compingebatur veterum fistula. Epigramma:

Οὐδὲ πρὸς εὐτρήτοιο μέλος καλάμοιο χορεύει.

Scholiastes Pindari miraculum cujusdam tibicinis refert, qui in agone cum excidissent tibiales ligulæ, μόνοις ᾖσε τοῖς καλάμοις, solis harundinibus cantum peregit. Unde & καλαμαῦλαι dicebantur οἱ μόναυλοι, qui unicam tibiam, sive harundinem inflabant. Apulejus de puero Critia monaulo.

Quod si aulum inspires, dona & jam carmina nostra
Cedent victa tuo dulciloquo calamo.

Ita scribendum. Vulgo, *quod si animam inspires.* Ineptè, tibiæ inspirari, & inflari dicuntur. *Aulum* pro tibia, Græcam vocem, ut *auleticus* & *auloedus*, usurpavit. Inter varii generis harundineta, quibus abundabat Orchomenius lacus, harundinem tibialis calami, qui vocabatur auleticus, etiam gignebat. Hujus calami duo genera. Ζευγίτης erat, & βομβυκίας. *Zeugita*, quod ex uno ejus internodio binæ tibiæ, dextra & sinistra, quod est tribiarum ζεῦγος, formabantur. *Bombycia*, quod ex eo bombyces, genus quoddam tibiæ, fierent. Nunc verba Plinii videamus: *tertia arundo est tibialis calami, quem auleticon dicebant. Nono hic anno dicebatur. Nam & lacus incrementa hoc temporis spatio servabat, prodigiosus si quando amplitudinem biennio extendisset. Quod notatum apud Cheroniam infausto Atheniensium prælio, & apud Lebadiam sæpe notatur influente Cephisso.* Non satis sincera hæc esse, sensus inopia testatur: quid enim hæc sibi volunt? *& apud Lebadiam sæpe notatur influente Cephisso.* Nihil horum apud Theophrastum, & veteres libri longè aliam præferunt scripturam, in quibus legitur: *quod notatum apud Cheroniam infausto Atheniensium est ape lacbaida vocatur influente Cephisso.* Ita in optimo Thuanæ Bibliothecæ libro, à quo ceteri parum dissentiunt. Legebam: *quod notatum apud Cheroniam infausto Atheniensium exitu, & sæpe Copaida vocatur influente Cephisso.* Ut dicat Orchomenium illum lacum Copaïdem vocari, in quem influit Cephisus. Et verum quidem Κωπαΐδα λίμνην appellari. Strabo: δηλοῖ δὲ καὶ ὁ Κηφισὸς τοῦτο μάλιστα, τὴν Κωπαΐδα λίμνην πληρῶν. Et alibi dicit Cephisum per Orchomenium agrum, & Coroniacum in Copaïdem paludem influere. Olim quidem

quidem hic lacus, qui maximus est, eodem teste Strabone ab adsitis urbibus varia cognomina sortiebatur, & Haliartius, & Orchomenius dicebatur, postea in nomen Copaïdis totus concessit, *Copaïda* autem est Κωπαῒς, ut *Elida*, Ἦλις, *Persida*, Περσὶς, & similia. Sed cum cogito Plinium ex Theophrastro totum illud fermè de harundinibus caput transcripsisse, magis inducor, ut censeam scribendum ex eodem Theophrasto: *quod notatum apud Cheroniam infausto Atheniensium exitu. Pelecania vocatur, influente Cephiso.* Ut sit sensus eam partem lacus, ubi optimi nascuntur auletici calami, Pelecaniam vocari, qua parte etiam influit in paludem Cephisus. Theophrastus: Φύεται δὲ πλεῖστος μὲν μεταξὺ τοῦ Κηφισοῦ καὶ τοῦ Μέλανος, οὗτος δὲ ὁ τόπος προσαγορεύεται Πελεκάνια, τοῦτο ἐστὶν ἅττα χύτροι καλούμενοι, βαθύσματα τῆς λίμνης. Lege: προσαγορεύεται Πελικάνια. Ταῦτ' ἐστὶν ἅττα χυτρίνους καλοῦσι, βαθύσματα τῆς λίμνης. Πελικὰν est genus vasis, aut pelvis. Hesychius: Πελικὰν εἶδος ἐστὶ ποτηρίου ξυλίνου, ἀπὸ τοῦ πεπελεκίσθαι. Ἄλλοι ξυλίνη λεκάνη. Inde Πελεκάνια vocata loca profundiora paludis, à pelvis profunditate, quos & χυτρίνους dicebant, vel χύτρους, ab eadem ratione. Hesychius: χυτρῖνοι τὰ κοῖλα τῆς γῆς, δι' ὧν αἱ πηγαὶ ἐνίενται. Arriano κυθρῖνοι dicuntur loca fluminis magis profunda, & cava. In periplu maris Erythræ: ἀρχομένης μὲν πλήμμης αἴροντες, ἑστημένης δὲ διορμίζοντες κατὰ τινὰς ὅρμους καὶ κυθρίνους. Οἱ δὲ κυθρῖνοι τόποι εἰσὶν τοῦ ποταμοῦ βαθύτεροι μέχρι Βαρυγάζων. κυθρῖνοι Ionicum est pro χυτρῖνοι: ut κύθρα pro χύτρα. Sed & χύτροι in Theophrasto retinendi. Nam & κύθρον alibi κοῖλον τόπον interpretatur, & idem est quod χύθρος, inde κυθρῖνοι, & χυθρῖνοι fossæ, & canales ad aquam deducendam. Hesychius: Λίθων χυαὶ, αἱ διὰ λίθων ἐκχύσεις καὶ χυτρῖνοι. Χοὰς δὲ ἐκ λίθων, ὑπονόμους, καὶ χυτρίνους, καὶ διώρυγας. Mentio apud Antigonum τοῦ Κώων χυτρίνου, qui vaporem pestiferum exhalabat. Vide eum cap. CLXXVI. Capite sequenti ὀχετὸν, & ἐδυμάπιον vocat, quem in præcedenti χυτρῖνον dixerat. Sic tam naturalem, quam manufactum rivum χυτρῖνον, vel χύτρον vocabant. Ammianus Marcellinus lib. XXII de Ægyptiis: *sunt therma lutra, quæ Cythras indigenæ vocant.* Κύθρους, qui sunt χύτροι. Perperam apud Theophrastum Κίθρος pro κύθρος. Sequitur aqud Plinium: *cum igitur anno permansit inundatio, proficiunt in aucupatoriam quoque amplitudinem, vocabantur Zeugitæ.* Theophrasti mentem non percepit. Nec enim si anno, sed si biennio permansit inundatio, in eam amplitudinem, quæ requiritur, proficere dicit. Φασὶ γὰρ καὶ δοκεῖ βαθυνομένης τῆς λίμνης μείναντα τοῦ ἐπιόντα ἐνιαυτὸν ἁδρύνεσθαι. *Si in annum alterum permanserit inundatio.* Ἐπιὼν ἐνιαυτὸς est secundus annus. Sic ἐπιοῦσα ἡμέρα. Euripides:

> Εἰ σ' ἐπιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ
> Θανεῖ

Quod poëta Latinus vetus ita reddidit:

> *Si te secundo lumine heic offendero*
> *Moriere.*

Idem Theophrastus paulo ante scripserat inundantem aquam biennio minimùm residere debere, ut esset utilis calamus auleticus. Si plus permansisset, eo meliorem esse. Γίνεται δὲ ὅταν ἐπομβρίας γενομένης διεμμείνῃ τὸ ὕδωρ, διετὲς τουλάχιστον ἂν πλείω, καὶ κάλλιω. Addit Theophrastus: καὶ γίνεσθαι τὸν μὲν ἁδρυνθέντα ζευγίτην· οὗ δ' ἂν μὴ παραμείνῃ τὸ ὕδωρ, βομβυκίαν. Quæ Plinius ita reddidit: *proficiunt in aucupatoriam amplitudinem. Vocabantur Zeugitæ. Contra bombyciæ maturius reciproco.* Ubi scilicet non biennio integro aqua permansisset, sed maturius recessisset, harundinem non bonam fieri τοῖς ζεύγεσι, paribus tibiarum, sed tantum βομβυξί. Nescio, quid Plinium moverit, ut calamum ζευγίτην aucupatorium verteret, cum in aliis τὰ ζεύγη rectè expresserit de tibia dextra & sinistra, deque armamentis tibiarum. In aucupio, quod calamis peragebatur, harundo ad harundinem sic adtexi, jungique consueverat, ut sensim cresceret, donec alitis ejus, quæ captabatur, alas viscum tangeret. Hinc *harundo crescens* hoc genus aucupii vocabatur. Martialis sub lemmate *aucupatorii calami:*

> *Non tantum calamis, sed cantu vincitur ales,*
> *Callida dum tacita crescit harundo manu.*

Ἰξευτικοὺς καλάμους Græci vocant. In Epigrammate

A Græco σύνθεσις ἀκλινέων καλάμων, de crescente harundine, & καλαμὶς ὀρνεόφοιτος. Epigramma adscribam, quia nondum editum est:

> Εἴ τε σύγ' ὀρνεόφοιτον ὑπὲρ καλαμῖδα πολύνας
> Ἰξῷ ὀρειβατέεις, εἴτε λαγοκτενέεις
> Πᾶνα κάλει, κοινὴ Πᾶν λασίου ποδὸς ἴχνια φαίνει,
> Σύνθεσιν ἀκλινέων Πᾶν ἀνάγει καλάμων.

Ubi σύνθεσις ἀκλινῶν καλάμων est crescens harundo, quæ tacita manu ἀνάγεται, & crescit, usque dum avem, quam petit, adtingat. Δονακόεις δόλος in alio Epigrammate dicitur etiam ἀνεκδοτῷ:

> Δονακόεντα Κρίτων σύνθεις δόλον εἷλεν ἀοιδὸν
B
> Ἠέρος οὐκ ἰδίην ἰξοβολῶν μελέτην.

Petronius: *textis arundinibus aves captabamus.* De crescente harundine intellexit, de qua nos alibi pluribus. Perperam apud Petronium corrigunt *tectis* editiones. De ea & Moschus hoc versu:

> Τὼς καλάμως ἅμα πάντας ἐπ' ἀλλήλοισι συνάπτων.

De aucupe. Quod igitur in eo genere aucupii harundo harundini jungeretur, & componeretur, Plinius ζευγίτην κάλαμον de aucupatorio interpretatus est, insigni errore. Reliqua persequamur, priusquam τὰ ζεύγη, καὶ τὸν βομβυκίαν explicemus. Sequitur: *Graciles fœminarum, latiore folio, atque candidiore, modica lanugi-*
C
ne: aut omnino nulla spadonum nomine insignibus. Theophrastus postquam de calami tibialis generatione tradidit, formam ejus describit, dicitque in universum differre ab aliis harundinibus. Τῇ ἀτροφίᾳ τῆς φύσεως, ἀπληθέστερον γὰρ εἶναι καὶ ἀσαρκότερον. Ita scribendum in Theophrasto. Malè est hodie, τῇ εὐτροφίᾳ. Nec rectè Gaza, qui *præstantiam nutricationis* vertit. Cui ut sequentia responderent, εὐπληθέστερον, & εὐσαρκότερον legit. Ἀτροφίαν legisse Plinium ex eo palam est, quod *gracilem* reddit, τὸν ἄσαρκον nimirum καὶ ἀπληθέστερον. Verba Plinii sic legenda, & distinguenda sunt: *graci-*
D
libus fœminarum, latiore folio atque candidiore, modica lanugine: aut omnino nulla, spadonum nomine insignibus. Fœminarum nomine insignibus, quæ graciles sunt, modica lanugine: quæ verò nulla, spadonum. Hæc paulo aliter penes Theophrastum. Harundinem ille in genere, ut cetera, in mares dividit & fœminas. Ubi ad species, & differentias venit, τὸν αὐλητικὸν distare facit à ceteris, τῇ ἀτροφίᾳ φύσεως, quod inanior, & gracilior sit, καὶ ὅλως θῆλυς τῇ προσόψει. Nam & latius folium habere, & candidius, minus etiam lanuginis quam ceteræ: etiam reperiri, quæ nihil habeat, οὓς καὶ προσαγορεύουσιν εὐνουχίας. Addit Theophrastus ex istis, quæ
E
spadonum nomine insignes sunt, optima fieri tribiarum paria. Ἐξ ὧν ἄριστα μὲν φασί τινες γίνεσθαι τὰ ζεύγη, κατορθοῦν δὲ ὀλίγα περὶ τὴν ἐργασίαν. Quæ Plinius expressit his verbis: *Hinc erant armamenta ad inclusos cantus.* Longè alia, quam Theophrastus, sententia. Ille ex specie speciem optimè fieri dicit: Plinius ex genere genus fieri. Ex auletico nempe calamo tibias formari; cum Theophrastus ex certa specie, qui Eunuchias dicitur, præstantissima fingi paria tibiarum intelligat. Aliud ζεῦγος in tibiis, aliud βόμβυκες, quæ ipse tibiæ sunt. *Armamenta ad inclusos cantus* sunt tibiæ. *Inclusi* autem *cantus* sunt tibiales. Inclusi nempe tibiis, ad differentiam assæ vocis, quæ cantus statim in aërem effundit,
F
non instrumentis inclusos habet. Plinius Theophrastum non reddidit, cum armamenta tibiarum τὰ ζεύγη vertit. Nam βόμβυκες non sunt ζεύγη, & tamen armamenta quoque sunt ad inclusos cantus, sed Græcos expressit, qui ἔντεα αὐλῶν dixerunt de tibiis. Pindarus: ἡδυπνόων ἐν ἔντεσιν αὐλῶν. Ubi interpres notat ἔντεα αὐλῶν dixisse Pindarum, διὰ τὸ τοὺς αὐλοὺς ἐντὸς ἔχειν τὴν φωνήν. Ἔντεα sunt ὅπλα, σκεύη. Sic ad verbum ἔντεα αὐλῶν, sunt *armamenta ad inclusos cantus.* Ineptè etiam Gaza, qui *ζευγίτην κάλαμον armamentarium* vertit ex
G
Plinio, quum ζευγίτης non omnibus armamentis aptus esset, sed solis ζεύγεσι. Ζεῦγος est par tibiarum, dextra & sinistra simul junctæ, simul inflatæ. Martialis de tibicina:

> *Sæpe duas inflat, sæpe monaulon habet.*

Nam μόναυλος dicitur singularis tibia, ad differentiam τῶν ζευγῶν, cum binæ simul inflantur. Plinius: *fistulam, & monaulon Pan Mercurii: obliquam tibiam Midas in Phrygia: geminas tibias Marsyas in eadem gente.*

Pollux:

A

Pollux: μόναυλος εὕρημα μέν ἐστιν Αἰγυπτίων, αὐλεῖ δὲ μάλιστα τὸν γαμήλιον. Athenæus: Ἰόβας Αἰγυπτίους φησὶ λέγειν, τὸν μόναυλον Ὀσίριδος εἶναι εὕρημα. Κάλαμος etiam dicebatur. Unde & καλαμαύλης, qui monaulum inflabat. At ζεῦγος, tibiarum biga, quæ simul inflabantur. De his diximus ad Historiam Augustam. Ex uno porro internodio harundinis utræque sumebantur. Unum quippe internodium in duas partes æqualiter cæsum duas tibias concinnabat æquales. Vide Theophrastum, & Plinium. Calamus igitur, ex quo hæc tibiarum paria fiebant, ζευγίτης dicebatur, qui, ut aptus esse posset πρὸς ζευγοποιΐαν, crassior & longior

B

evadere debebat, inundatione per biennium manente. Sic enim in majorem adolescebat amplitudinem. Si vero aqua minori temporis spatio mansisset, calamus inde minus grandescebat, minusque propterea idoneus existebat paribus faciendis. Ex eo calamo factitari solitæ tibiæ bombyces. Unde nomen illi calami generi βομβυκίας. Βόμβυκες longissimæ tibiæ genus, eoque ad inflandum difficilis. Nec enim duæ ex uno internodio, ut in zeugite, sed una tantum capiebatur. Ideo æquè longa hæc erat tibia, ac duæ ceteræ, qualia erant ζεύγη. Aristoteles περὶ ἀκουστῶν. Πάντες γὰρ χαλεπῶς πλη-

C

ροῦσι τοὺς βόμβυκας, καὶ μετὰ συντονίας πολλῆς διὰ τὸ μῆκος τῆς ἀποστάσεως. In orgiis hujusmodi tibia utebantur. Pollux: τόδε τῶν βομβύκων, ἔνθεον καὶ μανικὸν αὔλημα, πρέπον ὀργίοις. Primum Hyagnidem duas tibias uno spiritu animasse, *lævaque, & dextra acuto tinnitu, gravi bombo concentum musicum miscuisse*, scribit Apulejus in Floridis. Inde ζεύγη, geminæ tibiæ. Plinius inventionem obliquæ tibiæ Midæ tribuit in Phrygia: *geminas tibias Marsyam invenisse in eadem gente.* Τὰ ζεύγη. Alii Hyagnidem volunt. Poëta Græcus in Epigrammate, Αὐλοὶ τοῦ Φρυγὸς ἔργον Ὑάγνιδος. Sub finem addit de Marsya.

Ἦ δὲ Κελαινείτης ποιμὴν πάρος οἷσπερ ἀείσας

D

Ἐγνώσθη Φοίβου κεῖνον ἔδειξεν ἔρις.

Olim cum simplici adhuc musica uterentur, ita tibiæ erant comparatæ, & factæ, ut singulis paribus unici tantum, & singulares canerentur modi. Sic pro varietate modorum variæ etiam tibiæ factitatæ. Aliæ erant, quæ Phrygium: aliæ quæ Dorium: & diversæ ab utrisque, quibus Lydium incinebant. Marsyas, qui primus geminas tibias inflavit, Phrygium his duntaxat canebat. Nec in Dorium aut Lydium animam vertere, aut cantum inflectere poterat. Hinc in certamine, quod cum Apolline habuit, cum victor judicum sententia pronuntiatus jam discederet, *Apollo citharam versare cœpit*, inquit Hyginus, *idemque sonus erat*: quod *Marsyas*

E

tibiis facere non potuit, itaque victus est. Apollo citharam versavit, dum ad aliud modulationis genus citharam accommodavit, & temperavit. Quod cum tibiis facere non potuisset Marsyas, quia ad Phrygiam tantum harmoniam erant accommodatæ, nec ad aliam eas convertere dabatur, nondum reperto iisdem tibiis omne modorum genus modulari, inferior recessit. Inde explicandus Hyginus. Primus Pronomus Thebanus tibias invenit, quæ ad omnimodam modulationem versarentur. Pausanias in Boëticis: Πρόνομος δὲ ἦν ὃς πρῶτος ἐπενόησεν αὐλοὺς εἰς ἅπαν ἁρμονίας ἔχοντας ἐπιτηδείως. Πρῶ-

F

τος δὲ διαφορᾷ ἐς τοσοῦτον μέλη ὑπ' αὐτοῖς ἤυλησε τοῖς αὐλοῖς. Athenæus lib. XIV. Τὸ δὲ παλαιὸν ἐτηρεῖτο περὶ τὴν μουσικὴν τὸ καλὸν, καὶ πάντ' εἶχε κατὰ τὴν τέχνην τὸν οἰκεῖον αὐτοῖς κόσμον. Διόπερ ἦσαν ἴδιοι καθ' ἑκάστην ἁρμονίαν αὐλοὶ καὶ ἑκάστοις αὐλητῶν ὑπῆρχον αὐλοὶ ἑκάστῃ ἁρμονίᾳ πρόσφοροι ἐν τοῖς ἀγῶσιν. Πρόνομος δὲ ὁ Θηβαῖος πρῶτος ηὔλησεν ἀπὸ τῶν αὐτῶν αὐλῶν τὰς τρεῖς ἁρμονίας. Tres harmoniæ auleticæ, Δωριστὶ, Φρυγιστὶ, & Λύδιος. Ἡ Φρυγιστὶ tibiis maxime conveniebat. Nam, ut scribit Aristoteles lib. VIII πολιτικῶν. Phrygius inter concentus eamdem vim habet, quam inter reliqua instrumenta habere putatur tibia. Ἔχει γὰρ τὴν αὐτὴν δύναμιν ἡ Φρυγιστὶ τῶν ἁρμονιῶν,

G

ἥνπερ αὐλὸς ἐν τοῖς ὀργάνοις. Harmonia ἡ δωριστὶ trium gravissima. Deinde ἡ φρυγιστὶ, acutissima Lydia. *Querulum Lydium* vocat Apulejus, Thelestes ὀξύφωνον. Bacchii Isagogice, ὁ δώριος τρόπος βαρύτερος τοῦ μὲν Φρυγίου τόνῳ, τοῦ δὲ Λυδίου διτόνῳ. Ante Pronomum igitur cum tibicen à Phrygio transire volebat ad Lydium, aut à Lydio ad Dorium, mutabat tibias, & eas sumebat, quæ illi modo erant factæ. Pausanias: τέως μέν γε ἰδέας αὐλῶν τρεῖς ἐκτῶντο οἱ αὐληταί. Καὶ τοῖς μὲν αὔλημα ηὔλουν τὸ Δώριον. Διάφοροι δὲ αὖθις εἰς ἁρμονίαν τὴν Φρύγιον ἐπεποίηντο αὐλοί. Τὸ δὲ καλούμενον Λύδιον ἐν αὐλοῖς ηὐλεῖτο ἀλλοίοις. Geminis, ut dixi, canebant tibiis, dextra & sinistra. Ζεῦγος appellat Theophrastus. Utrum igitur τὰ ζεύγη variabantur pro diversitate modorum, & dextræ pariter, sinistræque diversis modulis habebantur compositæ? verbi gratia, ut aliæ fuerint dextræ, sinistræque canendis Doriis modis, aliæ Phrygiis, aliæ Lydiis? Hoc suadere videantur verba Pausaniæ: verum aliter res se habuit. Romani antiquum musicæ morem in theatris diu retinuerunt, etiam post inventionem Pronomi. Carmina canticorum in veteribus comœdiis ad tibiam fiebant. Modis temperabantur ab aliquo artis musicæ perito. Nec iisdem modis in uno cantico omnia agebantur, sed sæpe mutatis. Hæc canebantur ad tibias. Ergo mutabantur & tibiæ. Dextera tibia gravem bombum emittebat, sinistra acutum tinnitum. Dextra, & sinistra simul inflatæ, ex acuto, & gravi mixtum edebant concentum. Quare Dorius, qui gravissimus erat, duabus dextris incinebatur: Lydius, qui acutissimus, duabus sinistris. Phrygius, qui Dorio acutior, Lydio gravior, gravitate simul, & acumine temperatus, dextra & sinistra tibia modulabatur. Hinc Apulejus Hyagnidem Phrygem primum geminas tibias inflasse dicit dexteram, & lævam, lævisque, ac dextris foraminibus, acuto tinnitu, gravi bombo concentum musicum miscuisse. Non aliter tibiæ mutabantur. Dextera, & sinistra *impares* dicebantur, quia & impari erant foraminum numero, & soni diversi. *Pares*, duæ dextræ, item sinistræ. Quod ad Historiam Augustam docuimus. Nec mirum, si Græci, Latinique Grammatici de paribus, & imparibus tibiis tam varia, & incerta, falsaque prorsus de paribus, & imparibus tibiis prodiderunt; quod enim ad temporum suorum morem respicerent, quibus una eademque dextra, & sinistra, hoc est, uno ζεύγει, omnimodos concentus insonabant tibicines, à scopo aberrarunt. Donatus dextras tibias, quæ sua gravitate seriam Comœdiæ dictionem pronuntiabant, *Lydias* ait vocatas, quod miror, cum sinistris potius hoc nominis conveniat, quæ acuminis levitate jocum in comœdia ostendebant. Non respexit scilicet ad Λύδιον τρόπον, qui acutissimus, sed ad Tyrrhenos, qui Lydi erant. Quorum tibiæ sacrificæ fuere gravissimi soni. *Ubi autem dextra, & sinistra acta fabula inscribebatur, mixtim joci, & gravitates denuntiabantur*, inquit idem Donatus. Hujusmodi inscriptio novæ musicæ institutis locum minimè habuisset. Nam unis, iisdemque tibiis, dextera, ac sinistra omnigenæ modulationis varietas edebatur. Hinc ἁρμοστὸς αὐλὸν, ut citharam, dici vulgo notavit Plutarchus in Symposiacis. Qui una tibia modorum omnium, modulationumque genera canere primi instituerunt, hoc assequuti sunt singularum in tibiis qualitate, & foraminum multitudine. Antiquæ tibiæ paucis foraminibus erant apertæ. Servius ex Varrone observat dexteram Phrygiam unum foramen habuisse, sinistram duo. Pollux: καὶ τέως μὲν τέτταρα τρυπήματα εἶχεν ὁ αὐλὸς, πολύτρητον δὲ αὐτὸν ἐποίησεν Διόδωρος ὁ Θηβαῖος πλαγίας ἀνοίξας τῷ πνεύματι τὰς ὁδούς. Diodoro Thebano videtur id attribuere, quod Athenæus, & Pausanias Pronomo Thebano, Theophrastus vero Antigenidæ indidem oriundo. Hinc πολύτρητος κάλαμος in Epigrammate, *multiforatilis harundo*, hoc est, tibia. Apulejus: *Hyagnis fuit, ut fando accepimus, Marsyæ tibicinis pater, & magister, rudibus adhuc Musicæ seculis, solus ante alios catus canere: nondum quidem tam flexanimo sono, nec tam pluriformi modo, nec tam multiforatili tibia*, πολυτρήτῳ. Horatius:

Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubæque
Æmula, sed tenuis, simplexque foramine pauco.

Hac foraminum multitudine efficiebatur, ut quoties mutanda esset modulationis idea, aliis obturatis, aliis apertis foraminibus, id facile procederet. Quod in antiquis tibiis fieri non licebat, quæ non plura habuere foramina, quam quibus apertis opus esset, ad unum aliquem ex tribus modum insonandum. Arcadius Grammaticus: καθάπερ οἱ τοῖς αὐλοῖς τὰ τρήματα διειργμένοις

μένοι, ἐπιφράττειν αὐτὰ καὶ ἀπανοίγειν ὁπότε βούλοιντο κέρασι τισὶν ἢ βόμβυξιν ὑφορκίοις ἐπετεχνάσαντο, ἄνω τε καὶ κάτω, καὶ ἔνδον τε, καὶ ἔξω στρέφοντες. Lege: ἢ βόμβυξι, καὶ ὑφολμίοις. Βόμβυξ pars tibiæ, ut & ὑφόλμιον. Pollux: τῶν δὲ ἄλλων αὐλῶν τὰ μέρη γλῶτται καὶ τρυπήματα. Καὶ βόμβυκες ὅλμοι καὶ ὑφόλμια. Melius tamen legeretur in Polluce, καὶ βόμβυκος ὅλμοι, καὶ ὑφόλμια. Aliarum tibiarum partes esse dicit lingulas, & foramina: bombycis vero, genus tibiæ est, ὅλμους & ὑφόλμια. Ut præter γλώττας, & τρυπήματα in bombyce præterea fuerint ὅλμοι, & ὑφόλμια. Ὅλμος in bombyce videtur esse τὸ στόμα. Nam ὅλμος ἐν ταῖς ἀπογλέπισιν ἑκατέρωθεν κοῖλον. Forte scribendum apud Hesychium, ἐν ταῖς γλωττίσιν, ἑκατέρωθεν κοῖλον. Γλωττίδες sunt lingulæ tibiarum. Inde ὑφόλμιον pars sub lingulis. Idem Hesychius: ὑφόλμιον μέρος τι τοῦ αὐλοῦ πρὸς τῷ στόματι, ἢ αἱ γλωττίδες. Idem Arcadius κέρατα in tibiis comparat notis illis, quibus adspirationes in vocibus designantur. Ταῦτα οὕτω κἀκείνοις ὥσπερ κέρατα, τὰ σημεῖα ἐποιήσατο τῷ πνεύματι, ἔν τι σχῆμα ἑκατέρῳ σημειωσάμενος. τοῦτο δὴ ὂν ὥσπερ αὐλῷ ἐοικὸς ὅπερ ἔνδον καὶ ἔξω στρέφων ἐπιφράττειν καὶ ἀπανοίγειν τὸ πνεῦμα ἐδίδαξεν. Videntur esse paxilli cornei, quibus immissis foramina tibiarum obturabantur, iisdemque exemptis aperiebantur: ut in imaginibus tibiarum, quæ in antiquis monumentis insculptæ visuntur, etiam nunc apparet. Quintilianus: *Nam tibiæ eodem spiritu accepto, alium clausis, alium apertis foraminibus, alium satis purgatæ, alium quassæ sonitum reddunt.* Ibidem: *illa vero jam pene apertis, ut ajunt, tibiis.* Acutius sonabant, quæ apertis: gravius, quæ clausis foraminibus inflabantur. Ideo antiquitus rudi adhuc musica sinistræ tibiæ plura foramina quam dextræ habebant. Addit Apulejus de veteri musica: *nec tam pluriformi modo.* Sanè. Quia ad uniformem tantum modum erant instructa singula tibiarum paria. Duabus dextris. Dorius concentus canebatur: duabus sinistris, Lydius: dextra & sinistra, Phrygius. Hi olim modi in simplice musica. Olympi & Hyagnidis nomi Phrygii, & Lydii tantum. Alii postea additi. Apulejus de Antigenida: *Tibicen quidam fuit Antigenidas, omnis voculæ melleus modulator, & idem omnis modi peritus modificator. Seu tu velles Æolium simplex, seu Jastium varium, seu Lydium querulum, seu Phrygium religiosum, seu Dorium bellicosum.* Σύντονον addit Pollux ad auleticos modos. Ὑποδώριον Athenæus, & ita de ceteris. Perperam apud Apulejum editur, *& omnimodis peritus modificator.* Modus est τρόπος, ut Dorius, Phrygius, Lydius. Vocis modulatio ἡ μελῳδία, cujus tria sunt genera, ἐναρμόνιον, χρῶμα, καὶ διάτονον. Adjicit postremo Apulejus veterem tibiarum musicam, *non tam flexanimo sono* cani solitam. Ut *vox assa* in cantu cum flectitur, varietatem facit modulationis, ita spiritus artificis in tibiarum cantu vertitur, ut varios edat sonitus. Flectitur autem vox in cantionibus, cum in alicujus sonitus finitione consistit, deinde in alterius, & id ultro, citroque crebrè faciendo constans auribus apparet. Ita & anima tibicinis. Plautus:

> *Nimis nihili tibicen siem, animam vertere nequeo.*

Κάμπτειν Græci explicant τὸ ἐν τῇ ᾠδῇ καμπὰς ποιεῖν. Tibullus:

> ---- *voces inflectere cantu.*

Unde φωνάριον καμπτικὸν apud Pollucem, & ᾀσματοκάμπται Græcis, qui cantilenas inflectebant. Et μέλη πολυκαμπέα, quæ & δυσκολόκαμπτα. Sic & in tibicinio. Atque inde πολυκάμπτης αὐλὸς, qui flexanimo sono inflatur. Quo pluribus enim cavis aperta esset tibia, eo & plures animæ flexus, dum inspirabatur, poterat recipere, & majorem sonorum varietatem reddere. Ita & cithara, quo pluribus instructa est chordis, eo plura sonorum, numerorumque discrimina, pluresque vocum flexus admiserit. Unde & Timotheum ferre non potuerunt Lacedæmonii, cum undecim pro septem chordis citharam intendisset, & condemnarunt eo nomine, quod veterem Musicam corrumperet, τὴν πολυφωνίαν εἰσάγων, διά τε τᾶς πολυχορδίας, καὶ τᾶς κενότατος τῶ μέλεος ἀγεννῆ, καὶ ποικίλαν ἀντὶ ἁπλέας, καὶ τεταγμένας ἀμφιέννυται τὰν μῶαν. Verba sunt edicti Ephororum adversus Timotheum Milesium. Sic & πολύχορδον αὐλὸν appellat Plato τὸν πολύτρητον, quia foramina tibiæ respondent chordis citharæ. Inde & ἡρμοσμένος αὐλὸν, ut citharam dicebant. Igitur cum à simplicitate veteris Musicæ recesserunt, τὸ ποίκιλον, καὶ τὸ πολύτροπον, καὶ πολυκαμπὲς consectati sunt in omni instrumentorum genere. Theophrastus de tempestiva harundinum ad tibias cæsione: τήνδε τομὴν ὡραίαν, πρὸ Ἀντιγενίδου μὲν, ἡνίκ' ηὔλουν ἀπλάστως, ὑπ' Ἀρκτοῦρον Βοηδρομιῶνος μηνός. Quæ Plinius ita reddidit. *Cædi solebant tempestivæ, usque ad Antigeniden cum adhuc simplici musica uterentur sub Arcturo.* Ergo ante Antigeniden simplici adhuc musica utebantur. Et ἀπλάστως αὐλεῖν, & simplici musica uti. Addit Theophrastus: τὸν γὰρ οὕτω τμηθέντα συχνοῖς μὲν ἔτεσιν ὕστερον γίνεσθαι χρήσιμον. Καὶ προκαταυλήσεως δεῖσθαι πολλῆς. Συμμύειν δὲ τὸ στόμα τῶν γλωττῶν, ὃ πρὸς τὴν διακτορίαν εἶναι χρήσιμον. Vertit Plinius, ut legendum est: *sic præparatæ aliquot post annos utiles esse incipiebant: tunc quoque multa domandæ excercitatione, & canere tibiæ ipsæ edocendæ, comprimentibus se lingulis, quod erat illis theatrorum moribus utilius.* τὴν διακτορίαν in sua versione non expressit Plinius. Nam illi mores theatrorum sunt antiqui, quales erant ante Antigeniden, cum adhuc simplex Musica in theatris vigeret. Verùm his non exprimitur, quid sit propriè διακτορία. Subjungit Theophrastus: ἐπειδὲ εἰς τὴν πλάσιν μετέβησαν, ἡ τομὴ μετεκινήθη. Plinius: *postquam varietas accessit, & cantus quoque luxuria, cædi ante solstitia cœpta.* Πλάσις est varietas cantus, καὶ τὸ πολύτροπον. Sequitur apud Theophrastum: καὶ κατασπάσματα τὰς γλώττας ἔχειν. τοῦτο δὲ ἀναγκαῖον τοῖς μετὰ πλάσματος αὐλοῦσι. Plinius sic hæc reddidit: *apertioribus earum ligulis ad flectendos sonos.* Ergo μετὰ πλάσματος αὐλεῖν est *flexanimo*, ut loquitur Apulejus, *sono canere.* Phonasci ἄπλαστον φωνὴν vocabant facilem, tractabilemque, & quæ per omnes intentionum, remissionumque numeros flecti, ducique posset. Ut contrà ἄπλαστον rigidam, & monotonon, quæ variari, versarique non poterat. Plutarchus in Cicerone: ἡ φωνὴ πολλὴ καὶ ἀγαθὴ, σκληρὰ δὲ καὶ ἄπλαστος. Inde & πλάσις φωνῆς, & φωνὴ λαμβάνουσα πλάσιν. Sed & πλάσμα. Pro hujusmodi voce, quæ sic eliquata, & mollis esset, ut per omnes sonos, intentionesque variari posset, hoc sensu apud Quintilianum ponitur, & in his Persii verbus, qui ita legendi sunt, & distinguendi:

> *Scilicet hæc populo, pexusque togaque recenti,*
> *Et natalitia tandem cum sardonyche albus,*
> *Sede legens celsa liquido cum plasmate guttur*
> *Mobile collueris, patranti fractus ocello,*
> *Heic neque more probo videas, neque voce serena*
> *Ingentes trepidare Titos.*

Hæc sede legens celsa cum liquida voce & bene flexibili pronuntiaveris, patrantibus oculis, heic videas ingentes Titos trepidare. Quod *liquido plasmate guttur colluere*, heîc dicit paulo infrà: *eliquare, & tenero palato verba supplantare* dixit. At malè vir eruditissimus, qui plasma ibi accepit pro medicamenti genere leniendis faucibus facto: sic μετὰ πλάσματος αὐλεῖν Theophrasto est πολυκάμπτως αὐλεῖν & πολυτρόπως, cui contrarium ἀπλάστως αὐλεῖν, sine ulla sonorum varietate, & flexu. Pollux: αὔλημα ὄρθιον, στερεὸν, πλῆρες, ἐμμελὲς, μονόκλονον, μονόκωλον, πολύτροπον, εὔκαμπὲς, πολύκαμπτον. Opponit πολύκαμπτον, & flexanimum αὔλημα τῷ μονοτρόπῳ καὶ μονοκλόνῳ, quale fuit veteris musicæ. Διακτορίαν, & πλάσιν similiter inter se opposuit Theophrastus. Πλάσις, ut rectè intepretatur Plinius, est varietas, flexusque sonorum, & luxuria cantus: διακτορία contrarium. Est enim clara, & elata, simplexque pronuntiatio, ἀπαγγελία: ut solent nuntii, quos διακτόρους Græci dicunt, qui res non solum simpliciter, & apertè narrant, ut gestæ sunt, sed etiam clara, & elata voce. Homerus: διάκτορος ἀργειφόντης. Græci Grammatici, ὁ οἷον διακτόρως, καὶ σαφῶς διαλεγόμενος ἄγγελος. Sed quia vox poëtica est διάκτορος, videndum an διατορίαν in Theophrasto potius scribi debeat. Διάτορον est ὄρθιον, καὶ ἐξάκουστον, καὶ σαφὲς. In tibiarum, & assæ vocis cantu, qui καμπὰς affectant, & minuritiones, vocem submittere coguntur, ut eam cum spiritu possint per varios sonorum flexus dispensare. E contrà qui διατόρως, & elatè canere volunt, effuso largius spiritu, tot flexibus lascivire, tamque varie voce ludere, ac luxuriari non queunt. Ut illi qui submissius canunt. Hinc διατορία, & πλάσις opponuntur apud Theophrastum. Profecto διάτορος vox & πλαστὴ rectè opponuntur. Recta illa vox, & simplex, & qualis naturaliter pronuntiatur;

nuntiatur: Hæc ficta & falsa, ut in cantionibus inflecti solet. Ita Cicero falsas voculas à certis, & severis distinguit lib. III. de Oratore: *Quanto molliores sunt, & delicatiores in cantu flexiones, & falsæ voculæ, quam certæ, ac severæ? Quibus tamen non modo austeri, sed, si sæpius fiunt, multitudo ipsa reclamat.* Theophrastum hæc planè interpretantur. Voces certæ, & severæ, αἱ ἁπλαῖ: falsæ, & inflexæ, αἱ πλαστὴ καὶ πλάσιν ἔχουσαι. Et Pollux τὸ ὄρθιον αὔλημα στερεὸν, πλῆρες, ἐμμελὲς, μονόκλονον videtur opponere, τῷ πολυτρόπῳ, εὐκαμπεῖ, ψυχαγωγῷ, & πολυκάμπτῳ. Non solum autem numerum foraminum, sed etiam lingulas ad flectendos in tibiis sonos facere constat ex Theophrasto apertiores, ad id aptiores. *Quæ inde sunt & hodie*, inquit Plinius. Nam antiquitus compressiores fiebant, cum soni non flectebantur. Et olim quidem ex harundine ipsæ tibiæ, postea ex argento, ut plurimum & buxo, ossibusque asininis, ac loto. Plinius: *Nunc sacrificæ Tuscorum è buxo, ludicræ vero loto, ossibusque asininis, & argento fiunt.* Ludicræ tibiæ sunt agonales, quibus & in agonibus auletarum, & in theatris utebantur. Sic *ludicræ coronæ* eidem Plinio, quas Servius *agonales* vocat. Plinius lib. XXI. cap. III. *Alias in usu promiscuo ne ludicræ quidem erant.* Turnebus legit, *Ludiæ*, atque ita in membranis vetustis ait se reperisse. Sanè in illis, quas vidit Turnebus, legitur, *ludiæ*. Sed in optimis, ac vetustissimis schedis è Thuana Bibliotheca *ludricæ* scriptum est, pro *ludicræ*. Et *ludicras* vocat coronas, ut heîc *ludicras tibias*. Servius: *aliæ coronæ erant murales, aliæ agonales, id est, lemniscatæ.* Nam ludicræ erant cum lemniscis. Plinius: *Crassus dives primus argento, auroque folia imitatus, ludis suis coronas dedit, accesseruntque & lemnisci.* Tertullianus etiam tribuit lemniscos triumphalibus ex auro, in libro de Corona Militis: *Triumphi laurea foliis struitur, hinc adverbis lemniscis inauratur lamnulis, unguentis delibuitur, à lacrimis conjugum & matrum.* Quem locum sic vulgo corruptissimum ex parte olim emendavimus legendo: *unguentis delibuitur, an lacrimis conjugum & matrum.* Reliqua non potuimus absque meliore codice, quo tum carebamus. Postea ex vetustissimo Agobardi exemplari ita corrigendum totum ante biennium vidimus, insigni ac certa conjectura: *Triumphi laurea foliis struitur, an cadaveribus? Lemniscis ornatur, an bustis? unguentis delibuitur, an lacrimis conjugum, & matrum, fortasse & quorumdam Christianorum.* Scribitur in membranis Agobardi: *folii ..... cadaveribus lemnis ornatur an bustis.* Certè Triumphalis laurea quodammodo ex genere agonalium fuit coronarum, quarum proprii lemnisci. Poëticæ quoque laureæ agonales. Ausonius:

Et quæ jamdudum tibi palma poëtica pollet
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret

Lemnisci igitur ornamenta coronarum agonalium, fasciæ nempe, sive tæniæ coloriæ ex his dependentes. De quibus alibi diximus. Idem Plinius *ludicras*, & agonales coronas ludicro, id est, agone quæsitas dixit ibidem. *Semper tamen auctoritas vel ludicro quæsitarum fuit. Namque ad certamina in circum per ludos & ipsi descendebant, & servos suos quisque mittebant.* Libri scripti ibi habent: *quosque mittebant.* Lege: *servos suos, equosque mittebant.* Confirmant sequentia. *Inde illa duodecim tabularum lex: Qui coronam parit, ipse pecuniave ejus, virtutisve ergo duitur ei.* Ita legenda apud Plinium verba illa legis, quæ variè fuere vexata conjecturis doctorum hominum. Ita enim planè, & expressè scriptum reperi in libro Thuani. In aliis, qui deterioris notæ sunt, legitur: *virtutisve arguitur ei. Duitur* pro datur ἀρχαϊκῶς. Addit Plinius interpretans verba legis: *quam servi equive meruissent, pecunia partam lege dici nemo dubitavit.* Constat igitur legendum in superioribus: *servos suos, equosque mittebant.* Sequentia ita etiam obiter corrigenda: *quis ergo honos? ut ipsi mortuo, parentibusque ejus, dum positus esset, forisve ferretur, sine fraude esset imposita.* Ex eadem lege Plinius explicat, quis honos fuerit coronarum ludicro quæsitarum. Nempe ut ei, qui eas peperisset, & parenti ejus, dum positus est, aut foris effertur, sine fraude imposita sit. Perperam est apud Plinium, *dum intus positus esset.* Libri habent, *dum impositus.* Positi dicebantur mortui, qui ad fores erant collocati versis in publicum pedibus, usque dum efferrentur. Πρόθεσιν Græci vocant. Glossæ:

A *conlocatus*, εἶδος νεκροῦ, Ita scribendum. Coronam igitur virtute partam, & ei qui peperisset, & ejus parenti sine fraude esse impositam lex jubet, & dum positus est, id est, collocatus, & dum foris effertur. Ex Plinio porro constat totam legem his verbis fuisse conceptam: *qui coronam parit ipse pecuniave ejus, virtutisve ergo duitur ei, ut ipsi mortuo parentique ejus, dum positus escit, forisve feretur, sine fraude siet imposita.* Atque hæc obiter. Ludicræ ergo tibiæ sunt agonales. Ἐναγωνίους, & ἀγωνίους Græci vocant.

Seu præcentorias facias] *Præcentorias*, quibus præcinebant ad pulvinaria, distinguit à sacrificis, & turariis, quarum locus erat ad aras canendi, cum sacrificabatur, aut tus in aram imponebatur. Plinius tibias duûm tantùm generum facit, *sacrificas* & *ludicras*. Et sanè licet diversos modos cani solitos ad aras, & ad pulvinaria Deorum concedamus, quis credat illo præsertim tempore diversas usurpatas tibias, cum una, eademque tibia omne genus modorum sonari posset? per pulvinaria autem intelligit deorum epulum. Horatius:

---- nunc saliaribus
Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus sodales.

C Atqui deorum pulvinaribus non tibiæ præcinebant apud veteres, sed fides. Cicero IV. Tuscul. *Nec vero illud non eruditorum temporum argumentum est, quod & Deorum pulvinaribus, & epulis magistratuum fides præcinunt, quod proprium ejus fuit, de quo loquar, disciplinæ.* Pulvinaribus igitur fides, non tibiæ adhibitæ. At sacrificia, & apertiones templorum collatis ad vocem tibiis celebrabantur.

Pag. 15. C. *Seu vascas*] Non rectè faciunt qui vastas legunt. Mentio vascæ in Glossis: *vasca* μελετητικὸς αὐλός. Alibi tamen *vasta* scribitur, cum eodem interpretamento. Μελετᾶν proprium tibicinum, qui condiscunt. Hyginus: *quas tibias Marsyas Oeagri filius pastor unus ex satyris invenit, quibus assiduè commeletando sonum suaviorem in dies faciebat, adeo ut Apollinem ad citharæ cantum provocaret.* Usus hoc verbo *meletari* & Fulgentius. Ismenias tibicen discipulo suo, ὃς ἐμελέτα μέγα αὐλεῖν, dixit, οὐκ ἐν τῷ μέγα εἶναι τὸ εὖ, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ, τὸ μέγα. Servius, quem Græci πλαγίαυλον vocant, Latinis esse *vascam* tibiam alicubi observat. *Curva tibia* Virgilio, & symphoniacorum tibiam esse idem ibi Servius notavit. *Obliqua tibia* Plinio, & Midæ Phrygis inventum facit. Alii Pani tribuunt. Theocritus:

E Ὡς εὗρεν πλαγίαυλον ὁ Πὰν, ὡς αὐλὸν Ἀθήνη.

Pollux ex loto, & apud Lybias primum factam scribit. Αὐλῶν ἢ εἴδη, πλάγιος, λώτινος Λιβύων τὸ εὕρημα. Πλαγίαυλον ἢ αὐτὸν Λίβυες καλοῦσι. Athenæus de plagiaulis, qui & φώτιγγες dicebantur: κατασκευάζοντα ἢ ἐκ τοῦ λωτοῦ καλουμένου. Ξύλον ἢ ἐστὶ τοῦτο γινόμενον ἐν Λιβύῃ. Unde & λώτινοι αὐλοὶ iidem vocabantur: & λωτὸς pro tibia Græcis, Latinisque poëtis. Ovidius lib. II Remediorum:

Enervant animos citharæ, lotusque, lyræque.

Ita scribendum ex scriptura veteri, quæ habet, *lutusque*. In vulgatis est, *cantusque*. Plagiaulos igitur fuerit diversa à tibia Phrygia, quæ tamen & ipsa quoque

F curva, sive obliqua. Græcè ἔλυμος dicebatur. Idem Pollux: Ἔλυμος τὴν μὲν ὕλην πύξινος, πόδε εὕρημα Φρυγῶν. Κέρας ἢ ἑκατέροις τοῖς αὐλοῖς ἀνανεῦον πρόσεστιν, αὐλεῖται τῇ Φρυγίᾳ θεῷ. Athenæus etiam Ἐλύμους Φρυγίους αὐλοὺς interpretatur. Dicit Pollux, τοῖς ἑκατέροις αὐλοῖς, hoc est, tam plagiaulo, quam elymo additum esse κέρας ἀνανεῦον. Athenæus de Phrygio rhythmo: βαρὺς ὁ ἦχος, παρ' ὃ καὶ τὸ κέρας αὐτῷ προσάπτουσι. Inde est, quod cornu appellant poëtæ, cum de Phrygia tibia loquuntur. Horatius:

---- sæva tene cum Berecynthio
Cornu tympana.

G Ovidius:

---- Pentheus ait: ærane tantum
Ære repulsa valent, & adunco tibia cornu.

Phrygium cornum hanc tibiam vocat Varro hoc versu, qui apud Nonium non uno loco corruptus occurrit:

Phrygius per ossa cornus liquida canit anima.

Male corrigunt docti, *Phrygios per ossa cantus.* Phrygius cornus pro Phrygium cornu. Sic Lucano; *cornus finister. Tibia*

tibia ipsa, vel ex buxo, vel ex osse: cui additum ad orificium cornu repandum. Hinc dicit, *Phrygium cornum per ossa canere.* Græci quoque κέρας eam tibiam appellarunt, & κεραῦλαι tibicines, qui ea canerent. Pollux: ἡ δὲ ὕλη τῶν αὐλῶν κάλαμος, ἢ χαλκὸς, ἢ λωτὸς, ἢ πύξος, ἢ κέρας, ἢ ὀστοῦν. Et paulo post: ὁ δὲ τοῖς αὐλοῖς χρώμενος αὐλητὴς, καὶ κεραύλης. Apulejus de Deo Socratis: *uti Ægyptia numina fermè plangoribus, Græca plerumque choreis, barbara autem strepitu cymbalistarum, tympanistarum, & choraularum.* Omnino scribendum, *ceraularum*. Nam *choraulæ* ad choros, & choreas pertinent, quæ Græcorum sacris conveniebant, non barbarorum. At *ceraulæ* cum cymbalistis, & tympanistis, ad sacra phrygia & barbara adhibiti. Et *ceraulæ* sunt, qui tibias Phrygias inflabant. Hesychius: ἐγκεραυλῆσαι, τὸ αὐτὸ προσκειμένου γὰρ τοῦ κέρατος τοῖς αὐλοῖς ᾖδον, ὅθεν καὶ ἐγκεραύλης. Scio & κεραύλας, & κερατταύλας etiam dictos cornicines, & Græcis κέρατα, quæ Latinis cornua: tubæ nimirum genus ex ære incurvæ. Hinc *salpistæ*, & *cerataulæ* apud Vopiscum. Certè tibia Phrygia tubæ Tyrrhenicæ, quantum ad formam, similis. Eustathius de tubarum generibus: ἕκτη Τυρσηνικὴ, ἧς εὕρεται Τυρσηνοὶ ὁμοία Φρυγίῳ αὐλῷ τὸν κώδωνα κεκλασμένον ἔχουσα. Athenæus de Phrygia tibia: κέρας αὐτῷ προσάπτουσιν ἀνάλογον τῷ τῶν σαλπίγγων κώδωνι. Κώδων propriè est cymbalum, vel parva potius ex ære nola. Hinc & tubarum orificia, qua spiritus emittitur, quod eam referant formam, sensimque sese in exitu dilatantia repandis per ambitum labris aperiantur, κώδωνες etiam appellati. Quos & hodiernæ habent tubæ. Κεκλασμένον κώδωνα vocat Eustathius, quod labra in ambitu repanda, & replicata haberet. Tibiis Phrygiis, quæ ex buxo, aut etiam ex ossibus fiebant, hujusmodi κώδωνες ex cornu facti addebantur, ad instar tubæ, ut clarius, & acutius insonarent. Tales habent hodieque & nostræ tibiæ, quas vocamus *altibuxias*. Ceteræ tibiæ his carebant, & ea parte similes erant illi generi fistularum, quas dulces vocamus. Plagiaulos, id est, Libyca tibia codonem similiter è cornu habebat: sed incurva erat, Phrygia recta. Igitur cum *adunco cornu tibiam* vocat Ovidius in sacris Bacchi, de plagiaulo accipi par est, non de Phrygia. Virgilius:

Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi.

Utramque tibiam, plagiaulon, & Phrygiam, implexas in antiquis monumentis visere est, ubi sacra Deûm matris insculpta habentur, & utramque quidem cum codonibus. Pollux: κέρας δὲ ἑκατέροις τοῖς αὐλοῖς πρόσεστιν, καὶ αὐλεῖται τῇ Φρυγίᾳ θεῷ. Ex Hesychio colligi posse videtur sinistram tantum tibiam in Phrygiis tibiis cornu adnexum habuisse. Sic enim apud eum lego: ἐγκεραύλης, ὁ τοῖς Φρυγίοις αὐλῶν: ἔχει γὰρ ὁ ἀριστερὸς προσκείμενον κέρας. Inde est fortasse, quod in illis antiquis lapidibus, qui expressa exhibent instrumenta, & initia sacrorum Matris Idææ, geminæ tibiæ implicatæ præferuntur: altera recta, quæ dextra est, altera incurva, quæ sinistra, cui cornu revera adnexum est. Hinc *Berecynthium cornu*, & *Phrygium cornu* apud poëtas etiam de tibia Phrygia, quod cornu haberet adjunctum. Id cornu eo additum volunt, ut esset ὀξυφωνότερος αὐλός. Hoc sinistræ convenit, quæ dextra acutius insonare debebat. Ex geminis igitur Phrygiis sinistra tantum hoc cornu adjunctum habebat: dextra vero etiam τὸν κώδωνα, tubæ instar. Athenæus tamen κέρας illud, quod Phrygiis addebatur, ἀνάλογον fuisse dicit τῷ τῶν σαλπίγγων κώδωνι. Κώδων non aliud est, quam quod suprà diximus. Is ex cornu erat, nec incurvam tibiam reddebat, & profecto tam plagiaulo, quæ incurva fuit, quam rectæ Phrygiæ illi κώδωνες ex cornu adfingebantur, ut constat ex Polluce. Athenæus lib. XIV. Λίβυν δὲ τὸν αὐλὸν προσαγορεύουσιν οἱ ποιηταὶ, φησὶ Δοῦρις ἐν δευτέρῳ τῶν περὶ Ἀγαθοκλέα, ἐπειδὴ Σειρίτης, ὅς δοκεῖ, πρῶτον εὑρεῖν τὴν αὐλητικὴν, Λίβυς ἦν τῶν Νομάδων, ὃς κατηύλησε τὰ μητρῷα πρῶτος. Poetæ λίβυν αὐλὸν vocant τὸν λώτινον. Hesychius: λίβυς τε λωτὸς, ὁ ἀπὸ τῆς Λιβύης αὐλός. Est πλαγίαυλος. Hanc etiam differentiam statuit Pollux inter Phrygiam, & Libycam tibiam, hoc est, plagiaulon, quod Phrygia ex buxo, Libyca ex loto. Siriten Libyn primum inventorem tibicinæ artis, & τὰ μητρῷα primum καταυλῆσαι vult Duris. Τὰ μητρῷα sunt sacra matris

A deûm. Καταυλεῖν τὰ μητρῷα est *in sacris deûm matris tibia canere.* Inepte Dalecampius: *Cerealium hymnorum cantor.* Primum Hyagnidem Phrygem ἐν τοῖς μητρῴοις cecinisse alii volunt. Dioscorides:

Αὐλοὶ δὲ Φρυγὸς ἔργον Ὑάγνιδος, ἡνίκα μήτηρ
Ἱερὰ τὰν Κυβέλοις πρῶτ' ἀνίδειξε θεῶν,
Καὶ πρὸς ἐμὸν φώνημα καλὴν ἀνεσείσατο χαίτην
Ἔκφρων Ἰδαίης ἀμφίπολος θαλάμης.

Hinc non mirum, si & curvæ tibiæ inventionem quidam Libyæ, alii Phrygiæ assignent. Si plagiaulos vasca tibia est, ut asserit Servius, non video quomodo ex harundine fieri potuerit, ut vult hoc loco Solinus. E B loto, aut buxo fieri solitam veteres scribunt. Sed cum harundines in omnem sonum tibiarum accommodatas dixisset, temere, ac sine judicio omne genus tibias congessit, etiam eas, quæ nunquam ex harundine concinnatæ sunt, nec adeo concinnari potuerunt. *Vascæ* porro dictæ à vasco sono, quem edebant. Quid esset *vascum* diximus ad Historiam Augustam. Hac voce usus est Gellius lib. XIX. cap. IX. *Sed ne nos, id est, nomen Latinum, tanquam profecto vascos quosdam, & insubidos* ἀναφροδισίας *condemnetis.* Malè scriptum habent editiones, *vastos quosdam.* Sic & *vasta* perperam pro *vasca* C tibia in Glossis. *Inertes & insubidos* idem alibi dixit: & *vasco insubidoque ingenio.* Livius: *omnia velut forte congregata turba, vasca & temeraria esse.* Ita enim ibi reponendum ex vetustissimo codice Puteanæ Bibliothecæ.

Seu puellatorias] Schedæ Palatinæ, *puellarias.* Quod rectius videtur. Ceteri tamen omnes, *puellatorias.* Παρθενίους αὐλοὺς intelligit, qui clarissimi soni. Aristoteles lib. VII. cap. I. Ἀλλ' ἐστὶν ἡ φωνὴ ὀξυτέρα τῶν θηλειῶν παίδων, ἢ τῶν ἀρρένων, καὶ ὁ παρθένιος αὐλὸς τοῦ παιδικοῦ ὀξύτερος: Dicti παρθένιοι αὐλοὶ, quibus αἱ παρθένοι προσεχόρευον: ut παιδικοὶ, quibus οἱ παῖδες. *A sono clariore* nomen D iis inditum vult Solinus. Sonus clarior est, ὀξύτερος. Sic etiam in coloribus, quem Græci ὀξὺν vocant, Latini *clarum.* Unde *claræ purpuræ* αἱ ὀξεῖαι. Cui contrariæ, αἱ βαρύχροι καὶ αὐστηραί. Ut etiam τὸ βαρὺ in sonis opponitur τῷ ὀξεῖ. Cum puellarias tibias commemoret Solinus, id est, τοὺς παρθενίους, cur τοὺς παιδικοὺς, καὶ τοὺς ἀνδρείους omisit?

Sive Gingrinas] Græcè γίγγρας, & γιγγραῖνος αὐλός. Alii tibiæ genus esse, quo Phœnices lugebant Adonim, qui γίγγρας apud ipsos dicebatur: alii ab imitatione soni, quem anseres faciunt. Hesychius: γίγγρα, ἐπιφώνημά τι κατὰ χηνῶν λεγόμενον. Ita legendum. Inde E γιγγράζειν, & γιγγρίζειν. Latinis, *gingrire*: quod anserum proprium. Sic Græci χλωίζειν de tibicinibus. Athenæus: χλωίζειν λέγεται ἐπὶ τῶν αὐλούντων. Inde & *gingritor* tibicen, apud Festum.

Milvinas, quæ in accentus exeunt acutissimos] Ut *gingrinæ* ab anserum voce, sic *milvinæ* à milvorum. *Jugere* milvorum proprium. Glossæ: *jugit*, ἰκτῖν βοᾷ. Inde & tibiæ jugere Apulejo dicuntur Milesia quinta ex correctione Scaligeri: *Jubet citharam loqui, psallitur: tibias jugere, sonatur: choros canere, cantatur.* Jugere tamen non omnibus tibiis conveniat, sed iis tantum, quæ in accentus exeunt acutissimos, ut acutissimus est milvi F clangor. Tales erant milvinæ. Non mutanda igitur vulgata, quæ habet, *tibias agere.* Ut *loqui* de cithara dixit: *canere* de choro, sic *agere* de tibia. Quia inter instrumenta maximè ὀργιαστικὸν καὶ παθητικὸν, tibia. Aristoteles in Politicis: ἔχει γὰρ τὴν αὐτὴν δύναμιν ἡ φρυγιστὶ τῶν ἁρμονιῶν, ἥνπερ αὐλὸς ἐν τοῖς ὀργάνοις. Ἄμφω γὰρ ὀργιαστικὰ, καὶ παθητικά. Δηλοῖ δ' ἡ ποίησις. Πᾶσα γὰρ βακχεία, καὶ πᾶσα ἡ τοιαύτη κίνησις μάλιστα τῶν ὀργάνων ἐστὶν ἐν τοῖς αὐλοῖς. Plura non addam. Hinc satis patet, quare *agere* dixerit Apulejus.

Aut Lydias, quas & turarias dicunt] Sunt *sacrificæ* G *Thuscorum*, ut eas Plinius appellat, quæ non ex harundine, sed è buxo fiebant, ut habetur apud eundem Plinium. Ex ebore etiam, ut est in hoc versu poëtæ:

Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras.

Servius: *Tibiarum, quibus in aurem sacerdotis cani solebat.* Noti etiam Græcis ἐλεφάντινοι αὐλοί. *Lydiæ* porro dicebantur, quia Lydii Tyrrheni. *Turariæ*, quia his canebatur, cum tus in aram libabant. Σπονδειακοὶ ad verbum

Græcis, *Spondiacæ*. Et *spondaulæ*, οἱ σπονδαῦλαι tibicines, qui hujusmodi tibias inflabant: ut πυθαῦλαι, qui Pythicas. De quibus diximus ad Hist. Aug. quæ ibi vide. Sed & σπόνδαυλος hæc tibia dicebatur, ut ὕδραυλος, μόναυλος, πλαγίαυλος. Inde σπονδαύλιος, & σπονδαύλιον μέλος. Cicero lib. II. de Oratore: *tamen in hoc genere sæpe ipse vidi, cum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur, spondaulia illa dicentis: segregare abs te ausus, aut sine illo Salaminem ingredi.* Nam *spondalia*, quod vulgo legitur, nullo modo ferri potest, aut fieri à spondæo. Diomedes: *cum aulis paribus ture incensis altaribus musicus choros geminis gressibus explicaret, & æquipedi sono tibicen spondaulium canere juberet, ut duabus longis melodiis quasi duplicibus, & jugibus votis prospera deorum voluntas firmaretur.* Eodem errore, & *spondalium* ibi legitur. *Spondaulium* est σπονδαύλιον. His tibiis locus erat inter sacrificandum canendi, ne quid ominosi audiretur. Plinius: *alium præponi, qui favere linguis jubeat, tibicinem canere, ne quid aliud exaudiatur.* Diomedes de spondæo: *dictus* παρὰ τὴν σπονδὴν, *quia in templis hoc pede quædam carmina componebantur, scilicet ut libantes sonum vocis ominosæ audire non possent.* Male *abominosæ* legitur. *Ominosa* ἡ δύσφημος. Ἵνα μὴ τῆς θυσίας οὔσης δύσφημος φωνὴ ἀναφέρηται. Ita Scholiastes Apollonii. Ideoque in aurem sacerdotis canebatur, ne quid aliud audire posset. Hæ tibiæ *dextræ pares* dicebantur. Donatus: *Dextræ autem, & Lydiæ sua gravitate seriam comœdiæ dictionem pronuntiabant: Sinistræ & Serranæ acuminis levitate jocum in comœdia ostendebant.* Ita scribendum ex veteri codice. Nam vulgo legitur: *dextræ autem tibiæ.* Idem in prologo Adelphorum: *Modulata est autem tibiis dextris, id est, Lydiis ob seriam gravitatem.* Lydiæ sunt Tyrrhenæ. Alias λύδιος ἁρμονία acutissima, & sinistris tantum conveniens. *Lydiæ* igitur, & dextræ gravissimæ. Quibus spondaulia canebantur, gravissima mele. Ut contrà *Serranæ*, & sinistræ acutissimæ. *Serranæ* sunt Tyriæ. Et malè Turnebus, qui à serræ stridore sic dictas censet. *Serrana* purpura, vel *Sarrana*, Tyria. Αὐλοὶ γιγγραῖνοι, quibus Phœnices utebantur, acutissimi. Inde & sinistræ tibiæ, quæ subtilioribus modis insonabant, *Serranæ* appellatæ. Vel etiam species tibiæ fuerit, τύρρος ut & σύριγξ. De qua vide Pollucem.

Corinthias, vel Ægyptias] Ecquas propriè tibias intelligit Ægyptiarum nomine? Certè non unum genus memoratur apud veteres. Pollux: παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις, πολύφθογγος αὐλὸς Ὀσίριδος εὕρημα ἐκ καλάμης κριθίνης. Tibia ex stipula hordeacea. Inde erat & pastorum tibicinium. *Tenuis avena* poëtæ dicitur, & *calamus agrestis*, & *stipula*:

Stridenti miserum stipula disperdere carmen.

Cui opponitur fistula juncta disparibus cannis, ἡ σύριγξ. Græci etiam ῥαπταύλας vocabant, qui in stipula tibicinarunt. Nam ῥαπάτη est καλάμη. Vide Hesychium, & Athenæum. Monaulon Ægyptiorum esse inventum scribit idem Pollux. Athenæus ex Juba refert Ægyptios dicere μόναυλον, & πλαγίαυλον ab Osiride inventa. Tibiarum Phrygiarum, quas ἐλύμους dicebant, multus apud Alexandrinos usus eodem Athenæo teste. Γίγγλαρος etiam μικρός τις αὐλίσκος Αἰγύπτιος apud Pollucem.

In Halesina regione fons alias quietus] De hoc fonte nihil apud auctores reperio. Fons ille Siciliæ, cujus in Admirandis meminit Aristoteles cap. LII nihil habet simile. Minus dissimile est, quod de insulis Nympharum in Lydia scribunt auctores. Martianus Capella lib. IX. *Nonne ipsius vetustatis persuasione compertum in Lydia Nympharum insulas dici, quas etiam recentior asserentium Varro se vidisse testatur, quæ in medium stagnum à continenti procedentes, cantu tibiarum primo in circulum motæ, dehinc ad littora revertuntur.* Varro lib. III. de R. R. *cum eodem tempore insulas Ludiano ritu ibi ὀρχούσας vidisses.* Ita legendum ex vestigiis scriptæ lectionis. Nisi si quis ex Martiano Capella scribendum potius contendit, *insulas Nympharum.* Quod nimis longiter recedit ab edita scriptave lectione, quæ habet *Ludianorum* & *Ludoanorum.* Unde male Scaliger *Ludianorum.* Quasi *Lydiani* pro Lydis dicantur. Demus dici. Non Lydianorum insulæ illæ vocabantur, sed Nympharum, cum de Lydia præcesserit, addatque, *ibi vidisses*: quid opus adjecisse, *Lydianorum.* Harum insularum meminit & Plinius, & *saliares* vocat. Ita enim scribimus: *sunt & in Nymphæo saliares dictæ, quoniam in symphoniæ cantu ad ictum modulantium pedum moventur.* Vulgo legitur: *saltuares*, Quod ineptum est. Optimi libri eam lectionem non dubie præferunt, quam posuimus. *Saliares* sunt ὀρχηστρίδες, χορητίδες à saliis, qui sunt ὀρχησταί. Virgilius:

Hinc salii ad cantus incensa altaria circum.

Herculi tribuit Salios. Quia *salius* est ὀρχηστὴς, à salio: ut *mergus* à mergo: *condus* à condo. Et similia sexcenta. Et nugantur Grammatici, qui à Salio Arcade deducunt. *Salius* quilibet ὀρχηστὴς, & κατ' ἐξοχὴν ita dicti Martis sacerdotes. Non ad cantum tibiarum insulas illas moveri dicit Plinius, nec ad symphoniæ cantum, sed ad ictum pedum, qui in symphoniæ cantu fieri solet: *in symphoniæ cantu ad ictum modulantium pedum moventur.* Κτύπον συμφωνίας vocat Sotion: τούτων δὲ ἐπιτελουμένων ἐπειδὰν ἐπὶ τῆς ἠϊόνος κτύπος συμφωνίας γένηται, πάντες οἱ κάλαμοι χορεύουσιν. Per κτύπον συμφωνίας, non cantum symphoniæ intelligit, sed ictum modulantium pedum. Nam, ut alibi observamus, qui in choro modum canentibus dabat, pede terram percutiebat. Ποδοψόφοι, & ποδοκτύποι Græcè dicuntur. Sed quid est, quod apud Plinium legitur, in Nymphæo insulas illas saliares extare? aut ubi locorum illud Nymphæum? præcessit apud eum mentio de Calaminis insulis. *In Lydia*, inquit, *quæ vocantur Calaminæ, non ventis solum, sed etiam contis quo libeat impulsæ, multorum civium Mithridatico bello salus. Sunt & in Nymphæo parvæ saliares dictæ.* Non solum Calaminas insulas à Saliaribus facit diversas, sed & Nymphæum alibi, quam in Lydia, ponere videtur. Nymphæum urbs est Tauricæ apud Strabonem, inter Panticapæum, & Theodosiam. Est & Nymphæi crater in agro Apolloniatarum in Illyrio: cujus mentio apud eundem Plinium lib. II. cap. CVI. & CVI. *In Nymphæo exit è petra flamma, quæ pluviis accenditur.* Non potest illud Nymphæum hoc loco intellexisse. Quid tamen voluerit nescio. Illud constat, insulas ὀρχηστρίδας in Lydia fuisse. Νυμφαῖον nomen lacus, vel stagni, in quo illæ insulæ, sic dicti, quod Nymphis sacrum esset. Sotion: ἐν Λυδίᾳ ἐστὶ λίμνη Καλαμίνη καλουμένη, ἱερὰ δ' οὖσα νυμφῶν ἣ φέρει καλάμων πλῆθος. Ergo eædem insulæ Calaminæ, & quæ in Nymphæo. *Insulas Nympharum* eas appellat Martianus. Et quænam vero illæ insulæ? dicit idem eas *in medium stagnum à continenti procedere ad cantum tibiarum, primo in circulum motas, deinde ad littora reverti.* Mirum vero, si insulæ in continenti sunt, aut littoribus tenentur. Sed insulæ illæ Calami sunt in littoribus Nymphæi lacus nascentes. Hi ab littore in medium stagnum procedunt, & ad littus redeunt, vel ventis, vel contis impulsi, & fluitantium insularum speciem præbent. Græci πλοάδας νήσους vocant, quales in multis stagnis circa Ægyptum, & alibi reperiri auctor est Theophrastus. Ex Sotione colligere est, in medio stagno enasci illas harundines, & ad littus venire incinente symphonia, mox in medium reverti. Plinius igitur quum in aliquo auctore legisset de Calaminis in Lydia insulis, quæ non solum ventis, sed etiam contis, quo quis vellet, impellebantur, & apud alium scriptorem reperisset in Nymphæo lacu saliares, id est, χορητίδας insulas dici, quæ ad Symphoniæ cantum moverentur, diversas utique putavit *Saliares*, & *Calaminas*. Atqui Nymphæum Lydiæ stagnum erat, in quo insulæ illæ Calaminæ, & Saliares dictæ habebantur. Hoc in sexcentis aliis facere solitus est Plinius. Theophrastus Σκυθικὴν vocat, quam alii γλυκύρριζαν. Plinius ex Theophrasto Scythicen recenset, ex Dioscoride Glycyrrhizam, quasi diversas herbas. Qua de re nos infrà.

Exultabundus ad cantus elevatur] Utriusque editionis lectiones heic adpositæ. In una videtur fuisse: *fons alias quietus, & tranquillus, si insonent tibiæ, exultabundus ad cantus elevatur.* In altera: *si insonent tibiæ, quasi miretur dulcedinem vocis, ultra margines intumescit.* Quæ, ut apparet, recognitæ editionis scriptura est. Utramque expressit Priscianus, cum hunc locum versificaret.

Tibia quem extollit cantu, saltare putatur
Musicus, & ripis lætans excurrere plenis.

Ita

Ita distinguendi sunt versus. Schedæ Palatinæ habent: *si sonuntur tibiæ*.

Gelonium stagnum] Fons Gelon, cujus meminit Plinius, non procul à Celænarum oppido, nihil ad hunc locum, & male eum *Gelonem* pro *Gelonte* vocat Camers. Regius codex habet *Celonium*: Schedæ Palatinæ: *Geleonium*. In aliis corruptius: *Gedeleonium*. Gelonium stagnum à Gelone videtur dictum. An potius à Gela urbe, *Geloum*? urbem ipsam Gelam à Gelone Ætnæ, & Hymari filio dictam Proxenus, & Hellanicus apud Stephanum tradunt. Stagna ab urbibus nominantur: ut *Agrigentinum*, *Petrense* & similia.

Ibi & fontes duo: alter si sterilis sumpserit] Ita edidit Delrius, cum anteriores editiones haberent: *ibi & fontes duo: alterum si sterilis sumpserit fœcunda fiet: alterum si fœcunda hauserit*. Longè melius. At scripti plerique legunt: *ibi & fontes duo: alterum, de quo si sterilis sumpserit, fœcunda fiet: alterum, quem si fœcunda hauserit*. Quod ferri non potest ex regulis Grammaticæ. Sed notandum est hanc lectionem, quæ in plerisque reperitur, ex duabus editionibus fuisse concinnatam. In altera erat: *ibi & fontes duos itemque accepimus: alterum, de quo si sterilis sumpserit: alterum, quem si fœcunda hauserit*. Ita planè Freherani. In altera vero: *ibi & fontes duo: alter, de quo si sterilis sumpserit: alter, quem si fœcunda*, &c. Atque ita in Palatinis Schedis offendi scriptum. Reliqui miscuere has lectiones, & partem ex una, partem ex altera sumpsere. Utramvis reponas nihil refert.

Pag. 15. D. *In lacu Agrigentino oleum supernatat*] Non oleum, sed liquidum bitumen, quo vice olei utuntur Siculi: nec in lacu Agrigentino, sed in fonte quodam Agrigentini agri supernatare Dioscorides, & Plinius scripsere. Tale quid tamen inesse & lacui Agrigentino natura lacus arguit, quam hujusmodi esse tradit Strabo, ut etiam nandi imperiti in eo mergi non possint. Περὶ Ἀκράγαντα δὲ λίμναι τὴν μὲν γεῦσιν ἔχουσι θαλάττης, τὴν δὲ φύσιν διάφορον. Οὐδὲ γὰρ τοῖς ἀκολύμβοις βαπτίζεσθαι συμβαίνει ξύλων τρόπον ἐπιπολάζουσι. Cujus rei causam bitumini palam est tribui debere, quod in illis lacubus supernatat. Nam idem in Asphaltite lacu Judææ usu venit, ut ἀκόλυμβοι in eo fluitent, nec mergantur. Vide eumdem Strabonem lib. XVI. Sed fontem esse, non lacum in Sicilia, cui bitumen liquidum olei instar supernatat, omnes scribunt. Athenæus cum fontem ἐν τῇ Καρχηδονίων ἐπικρατείᾳ collocat. Sine dubio eam intelligit Siciliæ partem, quam Carthaginenses tenuere. Quod ejus hæc verba planissimè indicant: ἁλμώδεις δὲ ἅμα τῷ ὄξει ἐν Σικανοῖς τῆς Σικελίας. Ἐν τῇ Καρχηδονίων δὲ ἐπικρατείᾳ κρήνη ἐστὶν, ᾗ τὸ ἐφιστάμενον ἐλαίῳ ἐστὶν ὅμοιον, μελάντερον τὴν χρόαν, ὃ ἀποσφαιρίζοντες χρῶνται πρὸς τὰ πρόβατα καὶ τὰ κτήνη. Eundem fontem designat. Nam & oleum fontis illius adversus jumentorum morbos, & scabiem valere Dioscorides, & Plinius tradunt, & ἀποσφαιροῦσθαι dicit, id est, volutatis in summa aqua harundinum panniculis adhærescere, ac sic colligi. Antigonus ait fontem in Sicanis acetum ferre, quo in cibis utantur, τὴν δὲ ἐν Κυπσεράτῳ οἷον ἔλαιον ῥεῖν. Idem dicit quod Athenæus, qui salinacidum fontem in Sicanis fluere dicit: in ditione autem Carthaginensium alterum oleo manare. Pro Κυψεράτῳ rectè legendum viderunt, ἐν Μυησεράτῳ. Quod in Sicilia oppidum fuit ditionis Carthaginensium. Hinc male Stephanus Μυησερατον πολίχνιον esse scribit περὶ Καρχηδόνα, non circa Carthaginem in Sicilia ditionis Carthaginensium. Eodem errore seductus Vitruvius fontem illum, cui oleum supernatans colligitur, Carthagine esse prodit, qui fuit ἐν τῇ ἐπικρατείᾳ τῶν Καρχηδονίων. Sic ille lib. III. Item *Carthagini fons est, in quo natat insuper oleum odore uti scobe citreo, quo oleo etiam pecora solent ungi*. Selinuntem, Himeram, Camarinam, Agrigentum tenuere Carthaginenses. In Agrigentino agro fontem eum ponunt Dioscorides & Plinius. Solinus more suo, ut aliquid novi diceret, lacui *Agrigentino* adscripsit, quod proprium erat fontis.

Oleum supernatat] Plinius lib. XXXV. cap. XV de bituminis generibus: *gignitur & pingue liquorisque oleacei in Sicilia Agragantino fonte inficiens rivum*. In libro veteri scribitur: *gignitur & pingue dieique liquoris in Sicilia*. Scri-

A be: *gignitur & pinguedinei quoque liquoris in Sicilia Agragantino fonte, inficiens rivum*. Sic legendum & distinguendum. *Pinguedinei liquoris* dixit, quod Dioscorides ὑγρόν. Γίνεται δὲ καὶ περὶ τὴν Ἀκραγαντίνων χώραν τῆς Σικελίας, ἐπινηχόμενον ταῖς κρήναις. Quibus ex verbis Dioscoridis lubenter in Plinio legerim: *gignitur & pinguedinei quoque liquoris in Sicilia Agragantino, fontium inficiens rivum*. Nec enim in uno fonte gigni, sed in pluribus tradit Græcus scriptor. *In Sicilia Agragantino*, scilicet agro, vel tractu. Atque ita loquitur Plinius. *Fontium inficiens rivum* est, quod Dioscorides dixit, ἐπινηχόμενον ταῖς κρήναις. *Rivus fontium est* ὀχετὸς, & ῥεῖθρον, sive fluxus,

B qui inficitur supernatante liquore. *Pinguedineum* à pinguedo: ut *livedineum* à livedo apud Apulejum in Floridis: *si quis igitur ex illis livedineis splendidissimo huic auditorio velut quædam macula se immiscuit*. Ita enim ibi scribi debet ex veteri codice. Et *livedinei* sunt lividi, vel invidi. Nam & *livere* pro invidere dixerunt. Et Milesia IX. *Dii boni quales homunculi vibicibus livedineis totam cutem depicti*. Sic enim & ibi corrigendum. Ita *Cupidineus* Propertio à Cupidine, *Cupidinea sagitta*.

Hoc pingue hæret harundinum comis de assiduo volutabro] id est, assiduè volutando harundinum comas in aqua pingue illud sic colligitur adhærescens harundinum ca-

C pillamentis. Legendum igitur: *quarum capillamentis legitur unguentum medicum adversus armentarios morbos*. Nam id pingue contra scabiem jumentorum efficax erat, & legebatur ex fontibus, harundinum capillamentis. Plinius: *incolæ id harundinum paniculis colligunt, citissime his adhærescens*. Ita scribendum in Plinio. Nam malè scriptum in vulgatis: *citissime sic adhærescens*. Comas & *capillamenta* harundinum vocat Solinus, quas Plinius *paniculas*. Theophrastus, ἀνθήλην appellat. Alio loco Plinius *lanuginem*. Quod de barba dicitur.

D Et Græci sanè ἀνθήλην interpretantur πώγωνα. Φόβην etiam appellat idem Theophrastus, id est, comam, ut habent τὰ κεγχρώδη. Ἡ γὰρ καλαμώδης ἀπόφυσις φόβη. *Jubas* Plinius vocat in milio his verbis, ex cap. VII. lib. XVIII. *Milium intra hos decem annos ex India in Italiam invectum est, nigrum colore, amplum grano, harundineum culmo, adolescit ad pedes altitudine septem, prægrandibus culmis, lobas vocant*. Hæc postrema corruptissima. Video Scaligerum corrigentem, *phobas vocant*. Sed culmi non sunt φόβαι. Præterea non dicit à Græcis ita vocari. Omnino legendum: *prægrandibus comis, jubas vocant*. Præter rem ipsam conjecturæ nostræ fundus extitit veteres libri, in quibus legitur, *cumis*. Grandissi-

E mæ comæ, jubæ sunt. Et *Juba* est, quæ Græcis φόβη. Nec credendum Græca voce usum esse Plinium, cum obvia esset Latina. *Joba* scriptum erat, unde *loba* manavit. Errat æquè vir eruditissimus, qui Conjectaneis in Varronem panicas in milio à paniculis facit diversas, cum *paniculæ* sint πολύπαιδες, *panicæ* à Græco manarit. Nam πηνίκη αἱ τρίχες, καὶ ἡ κόμη. Hæc falsissima sunt. *Panicula* tam in milio, quam in harundine ἡ ἀπόφυσις τριχώδης. *Panica* non dicitur. A paniculis hujusmodi dictum esse *panicum* scribit Plinius. Nam Græcè ἔλυμος & μελίνη dicitur. *Panicula* autem diminutivum à

F voce panus, quæ πολύπην significat. A figura igitur, ac similitudine glomi dictæ illæ ἀποφύσεις τῶν καλάμων, καὶ τῶν κεγχρωδῶν. Plinius: *sunt & panico genera: mammosum è pano, parvis racemata paniculis, & cacumine gemino*. *Panum* vocat panici φόβην: totam illam scilicet ἀπόφυσιν, quæ pano similis est, fuso nimirum subtemine involuto. *Paniculas* autem appellat parvas παραφυάδας, quæ in pano sunt mammosi panici, ut racemi sunt in uva. Ideo dicit *hujusmodi panici panum racematum esse paniculis*. Nam uva ἡ σταφυλὴ, racemis constat, racemi acinis, quæ grana sunt racemorum. Racemi vero sunt παραφυάδες. Glossæ: *racemus*, παραφυὰς τῆς σταφυλῆς. Servius: *racemus botryonis est pars, & botryo*

G *Græcum est*. Ut panicula est in pano panici, sic in botryone & uva racemus. Alii racemum cum uva confundunt, perperam. *Panus* proprie est tramæ involucrum, quo trama scilicet involvitur. Ita Nonius. Inde *panus*, inguinum tumor. Et *panicula* diminutivum, *panus* ἡ πολύπη, & Græcum est πῆνος. Unde & πηνίκη θρὶξ, καὶ ἐμπλοκὴ, globus scilicet crinium implexorum. Quod *panum* in panico vocavit hic Plinius, paulo

paulo ante *offam* vocaverat. Ita enim scribendum: *panicum à paniculis dictum, cacumine languidè nutante paulatim extenuato culmo pene in surculum, prædensis acervatur granis cum longissima pedali offa.* Libri omnes eo loci scribunt: *cum longissima pedali obfamiliæ comæ granum complexa.* Quia nimirum scriptum fuerat antiquitus: *cum pedali offa milii comæ granum complexa.* Offam à similitudine vocavit, ut infrà *panum.* Nihil est aliud *panus*, quam *longa offa.* Glossæ: *offa*, μάζα. Sic τολύπη Græcis utrumque significat & μάζαν, & glomum. Hesychius: τολύπαι, τὰ περιφυράματα τῶν μαζῶν, ἃ καὶ βήρηκας καλοῦσι, καὶ ἀγαθίδιον σήμον. Idem: βάρηκες, τὰ περιφυράματα τῆς μάζης, ἀττικοὶ δὲ βήρηκας. Δηλοῖ δὲ τὴν τολύπην. Sic emendandus Hesychius. Idem: βόρβαξ ἱέραξ παρὰ λίβυσι, καὶ φύραμα στρογγύλον ἀφ' οὗ αἱ καὶ μάζαι γίνονται, καὶ ἐρίων τολύπαι. Et alibi: βήραξ μάζα μεγάλη. Clemens Alexandrinus: οὐ σησαμαῖ ταῦτα καὶ πυραμίδες, καὶ τολύπαι, καὶ πόπανα πολυόμφαλα. *Offa* proprie μάζα. Ex Græco ὄμπη, Æolicè ὄππη, Latinè, *offa.* Pollux: προσφέρειν ψαιστὰ, πόπανα ἔμπην. Hesychius interpretatur, θύματα μέλιτι δεδευμένα. Postea & de carnis frusto *offam*, & *ofellam* usurparunt. Viris eruditis non ausculto, qui in Plinio rescribunt, *cum longissima pedali foba.* Nec enim verisimile est tam disertum auctorem Græca voce uti voluisse, minimè usitata. Nec Turnebum sequor, qui *Juba* malebat. In milio grandissimas comas, id est, jubas agnoscit Plinius. In panico *panum*, id est, longam offam. Qui utrumque leguminis genus viderunt, sciunt hoc verum esse. *Panus* igitur & *paniculæ*, à forma, & à lanugine. Nam lanæ paniculæ, & pani χνοώδεις sunt, & lanugine obsiti.

In hanc congeriem cum proficias intulerunt] Ita distinximus. Vulgo interpungunt editiones: *ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem.* Quod ad rem ipsam attinet, de Gnatia oppido, sive Egnatia hoc idem narrant reliqui scriptores, quod noster de colle Vulcanio Siciliæ. Horatii versus super ea re noti sunt:

> ---- *dehinc Gnatia Lymphis*
> *Iratis exstructa dedit, risusque jocosque*
> *Dum flamma sine thura liquescere limine sacro*
> *Persuadere cupit.*

Plinius lib. II. cap. CVII scribit, *in Sallentino oppido Egnatia imposito ligno in saxum quoddam ibi sacrum protinus flammam existere.* Possit itaque videri Solinus, quæ de Egnatia Sallentinorum dicuntur ab auctoribus, more suo ad Siciliam transtulisse, & de saxo illo sacro, quod Egnatiæ erat, collem Vulcanium Siciliæ fecisse. Nam hujusmodi loca, quæ sponte ignem concipiebant, Vulcano veteres sacra ducebant. An collis aliquis Vulcanius fuerit in Sicilia, haud longe ab Agrigento, quærant studiosi. Nondum ego eum inveni.

Cum proficias intulerunt] Turnebus, & quædam editiones, *porricias.* Ita edidit & Vinetus. *Proficias* rectum est, & libris firmatum. Proficiæ partes sunt extorum, quæ prosecantur, & diis porriciuntur. Dictæ & *præficiæ.* Ita enim vocat Arnobius, nec mutandum. Festus: *proficium, quod præsecatum porricitur.* Ita enim in vetustissimo libro. *Proficare*, & *præficare* idem, ut *proludere*, & *præludere.* Male autem *proicitur* scriptum in Festo. Quod præsecabatur ex hostiarum extis, ut aræ porriceretur, *præficium*, vel *proficium* dictum, & *proficies*, & *proficia.* Servius: *exta proiciuntur in fluctus. Aris porriciuntur, id est, porriguntur.* Ita igitur vocabant partem, quæ ante omnia præficabatur, & diis reddebatur. Hinc Glossæ *proficias* θυμάτων ἀπαρχὰς interpretantur, & ἀκροθίνια. Varro rerum divinarum lib. XI *proficiem extorum vel in mensam porricere.* Ita lego, non *projicere*, aut *porrigere.* Aut totæ, & solidæ hostiæ diis concremabantur, aut partes extorum desectæ. Hoc ex Magorum instituto, qui numen immolatæ hostiæ anima contentum esse credebant, ideo aut nihil omnino prosecabant, aut minutum quid: nunquam vero *holocaustum* faciebant. Ita vocabatur sacrificium, quo totæ hostiæ in sacrorum flamma consumebantur. Strabo lib. XV. Θύουσι δ' ἐν καθαρῷ τόπῳ κατευξάμενοι, καὶ παραστησάμενοι τὸ ἱερεῖον ἐστεμμένον. Μερίσαντος δὲ τοῦ μάγου τὰ κρέα τοῦ ὑφηγουμένου τὴν ἱερουργίαν, ἄπιασι διελόμενοι, τοῖς

A θεοῖς οὐδὲν ἀπολείποντες μέρος. Τῆς γὰρ ψυχῆς φασὶ τοῦ ἱερείου δεῖσθαι τὸν θεὸν, ἄλλου δ' οὐδενός· ὅμως δ' ἐνίοτε τοῦ ἐπίπλου τι μικρὸν τιθέασιν, ὡς λέγουσί τινες ἐπὶ τὸ πῦρ. Pars illa omenti, quæ in igne consumenda ponitur, *proficia* est. Hinc exponendus Arnobius lib. VII, cujus hæc sunt: *sed si magnificum videtur, atque amplum jugulare diis tauros, si illibata, si solida concremari animantium viscera, quid sibi reliqua hæc volunt Magorum cohærentia disciplinis, quæ in sacrorum reconditis legibus Pontificalia restituere mysteria, & rebus inseruere divinis.* Sequitur deinde de particulis extorum, & intestinorum, proficiis variisque farciminum & liborum generibus, quæ diis solebant offerri,
B & in ara comburi. Quod Magorum disciplinis cohærere dicit Arnobius, qui non solida, & illibata taurorum viscera diis concremabant, sed omentorum tantum partes, & proficias. At viri docti ita verba Arnobii accipiunt, quasi proficiarum illa vocabula, quæ in sequentibus enarrantur, tenebrosa & barbara essent, qualia erant ea, quibus Magi utebantur. Nihil tam menti Arnobii contrarium. Catullus de disciplina Magorum:

> *Gnatus ut accepto veneretur carmine divos*
> *Omentum in flamma pingue liquefaciens.*

Si pulchrum est, inquit Arnobius, & magnificum tauros diis immolare, & solidas eorum carnes iis concre-
C mare, quid sibi volunt reliqua hæc, Magorum cohærentia disciplinis, hæ particulæ nimirum extorum, & viscerum, quas separatim diis offertis, & in ara ponitis? *quid, inquam, sibi hæc volunt, apexaones, hirciæ, silicernia, longavi?* Non petit ista sibi explicari Arnobius, sed quærit, cur cum solida victimarum viscera, & illibata, semel in honorem deorum comburi debeant, per partes, & minutias dissecta, separatim offerantur, & aris dentur. Ita porro legenda verba illa, quæ superius adduximus ex optimo codice Bibliothecæ Regiæ. Vulgo enim legitur: *quid sibi hæc volunt,*
D *apexaones, isicia.* Clarè idem liber præfert, *hirciæ.* Explicat Arnobius, quid sint hirciæ: *quæ sunt nomina, & farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus.* Hircia igitur genus farciminis hircino sanguine inculcatum. *Irceus* apud Festum dicitur. *Ircei, genus farciminis in sacrificiis.* Et, *Irceus, genus farciminis.* Sequitur apud Arnobium locus longe corruptissimus, quem obiter emendabimus. *Quid tæda? quid nænia? quid offa? non vulgi, sed quibus est nomen, appellatioque penitæ. Ex quibus quod primum est in exiguas arvina est miculas, at illa minutim insecta de more: quod in secundo situm est, intestini est porrectio.* Non insultabo vi-
E ris doctis, qui ea dum emendant, corrumpunt magis. In optimo codice scriptum est: *in exiguas arvina est miculas catilla minuam insecta de more.* Omnino scribendum: *ex quibus quod primum est, in exiguas arvina est miculas catillaminum insecta de more.* Arvina in exiguas miculas insecta de more catillaminum. *Catillones* dicebantur gulones à lingendis catillis. Hinc verbum *catillare*, ligurrire. Inde *catillatio* de his, qui provincias expoliabant. Plautus: *Uxoris operam pollicear foras, quasi catillatum.* Ex eo *catillamen*, cuppedia & deliciosa mattea. Sed propriè ita videntur vocasse farcimina, aut botulos minutis carnibus inculcatos, quod avide à catillonibus expeterentur. Hoc sensu & *catillamenta* posuit
F lib. II, *ut spirulas & botulos facerent, isicia, catillamenta Lucanica, suminatam cum his carnem, & glaciali conditione tucceta.* Sic enim ibi corrigimus, cum vulgo legatur, *castellamenta Lucanica.* Quod prorsus ferri non potest, ut nec doctorum expositio, qui πυραμίδας ex Clemente interpretantur, quod libi genus est, non farciminis. Ideo cum τολύπαις, & σησαμαῖς, & ποπάνοις πυραμίδας ponit ibi Alexandrinus scriptor. *Catillamenta* ibi, ut hic *catillamina*, fartus sunt ex carne minuta-
G tim, & per miculas insecta. Ceterum *tædas* Arnobius dicit esse arvinam in exiguas miculas insectam. Quis *tædas* in hac significatione legit? scripsit Arnobius: *quid taxiæ? quid næniæ?* vitiosè scriptum fuerat, *taeciæ*, aut *tacciæ.* Unde *tædæ* ab imperitis factæ. Nam *c* & *i* juncta sæpe literam D reddunt in antiquis libris. *Taxea*, vel *taxia* est arvina, vel lardum. Afranius in Prosa:

> *Gallum sagatum pingui pastum taxia.*

Sed hæc alibi. Postquam igitur Arnobius varias farciminum,

minum, & liborum species, & viscerum, extorumque particulas enumeravit, sic infert: *quod si omnes has partes, quas præsicias dicitis, accipere dii amant, quid intercedit, quid prohibet, ut non semel hæc omnia totis cum animantibus inferatis?* Ergo omnes illæ partes, quas ante retulit, *præsiciæ* vocabantur, sive *prosiciæ*: θυμάτων ἀπαρχαὶ Glossis. Macrobius *geli prosicias* dixit pro frustis, & particulis. Addit statim: *quæ causa, quæ ratio est, ut caro strebula separatim, ruma, cauda, & plasea separatim, iræ solæ, omentumque solum augmentorum adjiciantur in causam?* Ita corrigendus ille locus, ac distinguendus, ut alibi pluribus ostendam. Hunc porro sacrificii morem à Prometheo originem duxisse volunt, quo partem hostiæ in ignem conjicere soliti sunt, partem ad suum victum abuti, quum antea tota hostiarum, & illibata viscera igne consumerentur. Partem igitur extorum prosicatam aræ superimponebant, & diis adolebant, partem vescebantur, qui sacrificio intererant. Et exta quidem prius mandebant, quam reliquam carnem. Unde illud de Pinariis, qui in sacrificio Herculis, extis jam adesis, ad ceteram venerunt dapem. Vide Livium. Quapropter institutum, ut Pinarii deinceps arcerentur extorum communione, & ad reliquam admitterentur viscerationem. Dionysius: Ποτιτίων μὲν ἡγεμένων τῆς ἱερεργίας, καὶ τῶν ἐμπύρων ἀπαρχομένων. Πιναρίων δὲ σπλάγχων τε μετουσίας εἰργομένων. Ἐμπύρων ἀπάρχεσθαι dicuntur, qui ἀπαρχὰς, id est, *prosicias* in ignem inferunt. Quo facto reliquis extis vescebantur. Hæc malè accipiunt eruditi. Hanc ignominiam ideo Pinariis impositam dicit Dionysius, quod ad tempus præsto non fuissent, venissentque. Ἐσπλαγχνευμένων ἤδη τῶν ἱερῶν, Livius vertit: *extis jam adesis.* Servius: *extis jam redditis.* Dicebantur *reddi*, quæ prosecta diis porriciebantur. Idem Servius Æneid. VI ad illud:

Et solida imponunt taurorum viscera flammis.

Solida viscera holocaustum significant: quod detractis extis aræ superimponebantur, quæ nonnunquam abluta, elixa etiam ipsa reddebantur. Ait in holocaustis carnes immolatarum hostiarum concremari solitas tantum, non etiam exta. Nam *viscera* sunt propriè, quidquid inter ossa, & cutem est. Interdum tamen etiam exta una cum reliquis carnibus aræ superimponi, & comburi. Idem alibi: *reddi exta dicebantur, cum probata, & elixa aræ superponebantur.* Suetonius in Augusto: *cum rem divinam Marti faceret, nuntiata repente hostis incursione semicruda exta rapta foco prosecuit: atque ita prælium ingressus victor rediit. Decretum etiam extabat, quo cavebatur, ut in posterum quoque simili modo exta Marti redderentur, reliquiæque ad Octavios referrentur.* Sic exta *reddi*, & *prosecari* idem. Reliquiis extorum, quæ non erant prosecata, partim vescebantur, qui sacro intererant, partim etiam ad eos referebantur, qui non adfuissent, quibus hic honos habebatur. Σπλαγχνεύσασθαι Græcis uno verbo. Arrianus in periplu Ponti Euxini: ἀλλὰ τῶν τραπεζεντίων αὐτῶν παρασκευασάντων ἱερεῖον σὺν ἀγῶνες, καὶ ἐσπλαγχνευσάμεθα αὐτόθι, καὶ ἐπὶ τοῖς σπλάγχνοις ἐπεσπείσαμεν. Verbo σπλαγχνεύσασθαι ritus omnis continetur, quo exta inspiciuntur, probantur, aræ imponuntur, & quæ edulio sunt, comeduntur. Quibus peractis tus, & vinum in aram libabant. Ideo adjicit, καὶ ἐπὶ τοῖς σπλάγχνοις ἐπεσπείσαμεν, id est, post σπλάγχνευσιν. De quo nos alibi. Σπλάγχνων ἀπάρξασθαι dicebatur, quum extorum prosicias in aram inferebant. Nam prosiciæ extorum propriè sunt σπλάγχνων ἀπαρχαί. Extorum in extispicina primum, præcipuumque jecur. Etsi pulmonem quoque, & cor, ceteraque inspicerent. Quin immo extorum nomine plerumque jecur intelligebant. Virgilius:

Tristibus aut extis fibræ apparere minaces.

Fibræ, jecoris sunt extremitates, λοβοὶ τοῦ ἥπατος. Apulejus: *somniis conformandis, extis fissiculandis.* Exta de jecore, cujus propriè *fissum* dicebatur, eratque quod Græci πύλην vocabant. Galenus in Lexico Hippocratis interpretatur, καθ' ὃ σχίζονται οἱ λοβοὶ τοῦ ἥπατος. Hoc est *fissum.* Græci τεῖχα in jecore dixerunt. Galenus: θρὶξ εἴρηται μὲν καὶ ἐπὶ τοῦ ἥπατος. Γέγραπται ἐν πλείοσι μὲν θρὶξ, δηλοῖ δὲ τὸ μέρος τοῦ ἥπατος καθ' ὃ ἀπ' ἀλλήλων σχίζονται οἱ λοβοί. At πύλας in jecore alii vocarunt venarum discursus, ac vias, quas diligenter in-

A spiciebant aruspices. Hesychius: σπλάγχνα ἧπαρ ἔσκατα: sic κατ' ἐξοχὴν exta jecur appellabant. Hoc, postquam rite exploratum fuisset, & probatum, in ara ponebatur. Hyginus: *ipse Prometheus immolat tauros duos. Prius vero, eorum jocinora cum in ara posuisset, reliquam carnem ex utroque tauro in unum compositam corio bubulo texit.* In jecore imponendo, quod ex immolata hostia defectum quasi auctarii vice simul imponebatur, *augmentum* appellitabant. Varro: *Augmentum, quod ex immolata hostia defectum in jecore imponendo, augendi causa.* Arnobius lib. VII. *Quæ ratio, quæ causa est, ut*
B *caro strebula separatim, ruma, cauda, & plasea separatim, iræ solæ, omentumque solum augmentorum adjiciantur in causam.* Ergo & caro strebula, & ruma, & cauda, & plasea, & iræ, & omentum in causam augmentorum altaribus superimponebantur, cum jecore hostiæ immolatæ. Quas omnes partes ex hostia præsecatas vocaverunt *prosicias*, vel etiam *præsicias*: ut ipse Arnobius vocat. Si quid plus adjiceretur, id *magmentum* appellabant, quasi majus augmentum: ut *mactus*, est magis auctus. Varro, *Magmentum à magis: quod ad religionem magis pertinet. Itaque propter hoc magmentaria cana constituta locis certis, quo id imponeretur.* Ita emendamus ex
C veteri codice, quæ corruptissima habentur in editis, & longe adhuc depravatiora fiunt doctorum hominum conjecturis. In libris scribitur: *mentarea fana.* Ex quo *montana fana* fecerunt editores. *Cana magmentaria* sunt canistra, vel lances, quibus magmenta imponebantur, ut in aram inferrentur. Κάνα Græci μαγίδας τευτλία. *Canistra* Virgilius:

Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris.

Festus: *Cana dicunt Græci, nos canistra, & per diminutionem canistella.* Ab hac voce *canum*, quum suam usu jam fecissent, Latini diminutivum deduxerunt *caniculum*, & pro atramentario usurparunt recentiores, in quo
D sacrum encaustum reponebatur. Inde præpositus caniculi, ὁ ἐπὶ κανικλείου. Ineptè sic dictum censent, quod caniculi formam, effigiemque præ se ferret. Quid enim est *caniculus?* certè Latinum non est pro catello. Huc adde, quod *caniculum*, non *caniculus* dicebatur. Et Græci ostendunt, qui κανικλεῖον vocant: ut κουβουκλεῖον, quod Latinis est *cubiculum.* Hinc κανίκλωμα in novellis posteriorum Imperatorum subscriptio manu imperatoris ex murice. Ita enim habent pleræque Novellæ in fine ἔχε τὸ σύνηθες κανίκλωμα. Verum hæc alterius sunt loci. *Cana magmentaria* quid essent jam diximus. Glossæ: *magmentarium*, ἐφ' οὗ τὰ σπλάγχνα
E ἡψημένα τοῖς βωμοῖς προσφέρονται. Lances ad hunc usum apud poëtam:

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Hujusmodi lances *saturæ* vocabantur, quod refertæ multis, variisque primitiis in sacro inferebantur. Vide Diomedem. De prosectis, & prosiciis summatim hæc explicare libuit, ut quid esset *prosicias inferre* hoc loco sciretur.

Si adest deus, si sacrum probatur] Ita scripsimus adstipulantibus libris omnibus. Prima editio, & sequentes, usque ad Delrium legebant, *si adest deus, sic sacrum*
F *probatur.* Corruptè quidem, sed quod nullo negotio poterat corrigi. Ipse maluit: *si adest deus sacrorum probator*, & hanc antiquam, germanamque esse lectionem audet asseverare. Hoc socii ejus crediderint, non ego, qui certus sum nullo in libro ita extare scriptum. *Sacrum* vero pro sacrificio dici, ac re divina tralatitium est. Tibullus:

Hoc sollemne sacrum, multos hoc sumet in annos.

Minutius Fœlix: *ipsum credo docuisse sanguinis fœdere conjurare Catilinam: & Bellonam sacrum suum haustu humani sanguinis cruoris imbuere.* Ita scribendum ex Regio codice: nam vulgo edunt *servum suum*, nec melius corrigunt,
G *sacratum suum.* Sic Græci τὸ ἱερὸν, & pro loco sacro, & pro re divina.

Nullo inflagrante halitu ab ipso numine fit accendium.] Ita reponi placuit ex meliorum librorum recognitæ editionis auctoritate. Alii libri habent: *nullo inflagrante, à litato numine fit accendium.* Quomodo & pleræque editiones retinent, etiam prima. Quod ex lectione τῆς προεκδόσεως fluxisse opinor. *Accendium* autem, ut *incendium.* Quod properam mutarunt.

H 4 Pag.

Pag. 15. E. *Eructat limosas scaturigines*] In agro Agrigentino terram terra evomit æterna rejectatione, solo nunquam deficiente, & limosæ eructantur scaturigines; hæc omnia quo pertineant, aut quid velint, nescio. Ergo in illis locis terra eruebatur, & in effossæ locum semper alia subenascente, sic nunquam scaturigo terrea deficiebat. Oportet in medicaminibus fuisse terram Agrigentinam, & ad usum aliquem effodi solitam, ut Lemniam, Chiam, Eretriam, & alias ejusmodi. Selinusiæ ex eadem Sicilia meminit Plinius. Usus, & effectus idem, qui & Samiæ. Quis Agrigentinæ terræ mentionem facit? quod autem ait limosas scaturigines eructari in agro Agrigentino, id omnino ad bituminis naturam, aut aluminis referendum. *Bitumen*, inquit Plinius, *alibi limus, alibi terra. Limus è Judææ lacu emergens: terra in Syria circa Sidonem.* Strabo, γῆς βῶλος ὑγραινομένη, ἢ διαχεομένη. Hujusmodi limosas bituminis ebullitiones, & scaturigines multis in locis rejectari, & evomi auctores pervolutantibus notum est. In Siciliæ Agrigentino lacubus, & fontibus supernatare liquidum bitumen suprà notavimus. An terræ quoque ibidem bitumen eructaverint, nescio. Verisimile est ita intelligi debere Solinum. Strabo in Apolloniatarum agro bitumen similiter egeri, solo nunquam deficiente scribit lib. VII. Ἐν δὲ τῇ χώρᾳ τῶν Ἀπολλωνιατῶν καλεῖταί τι Νυμφαῖον, πέτρα δ' ἐστὶ πῦρ ἀναδιδοῦσα. Ὑπ' αὐτῇ δὲ κρῆναι ῥέουσι χλιαροῦ ἀσφάλτου, καιομένης ὡς εἰκὸς τῆς βώλου τῆς ἀσφαλτίτιδος. Μέταλλον δ' ἐστὶν αὐτῆς πλησίον ἐπὶ λόφου. Τὸ δὲ τμηθὲν ἐκπληροῦται πάλιν, τῷ χρόνῳ τῆς ἐγχωννυμένης εἰς τὰ ὀρύγματα γῆς μεταβαλλούσης εἰς ἄσφαλτον. Quæ locum hunc non parum illustrant, & valde similia sunt. Genus terræ non nominat Solinus, sed palam est de bituminosa soli natura accipi oportere. Alumen quoque ex aqua & limo fit, hoc est, limosa scaturigine. Hoc gignebatur in insulis Siciliæ vicinis, Sardinia, Lipara & Strongyle.

In Achatis fluminis ripa repertum] Libri: *in Achate.* Lege: *in Achatæ fluminis ripis.* Addit: *non vilem, cum ibi tantum nasceretur.* Forte: *nobilem, quum ibi tantum.* Sed nihil mutandum. *Non vilis*, est carus. Theophrasti temporibus nondum erat vilis. Καλὸς δὲ λίθος ὁ Ἀχάτης ὁ ἀπὸ τοῦ Ἀχάτου ποταμοῦ τοῦ ἐν Σικελίᾳ, καὶ πωλεῖται τίμιος. Plinius: *Achates in magna fuit auctoritate, nunc in nulla: reperta primum in Sicilia juxta flumen ejusdem nominis, postea plurimis locis, excedens amplitudine, varietatibus numerosa. Multa & cognomina ejus: vocatur enim jaspachates, cerachates, sardachates.* Ita scribendum in Plinio. Nam phassachates, aut psaphachates, ut alii habent libri, non rectum est. Vitium inde ortum, quod scriptum fuit, *Jasphacates.* Sic & *Sardachates.* Obscuriora Achatis cognomina explicavit Plinius, ut in *dendrachate*, & *stactachate.* Reliqua minus obscura tantum recensuit. Jaspachates, achates est Jaspidi similis. Orpheus de achate.

Πολλὰ μὲν οὖν ῥέα γ' ἐστὶν Ἀχάτου χρώματ' ἰδέσθαι.
Ἐν γὰρ οἱ δήεις ἐρόων ὑάλωπιν ἴασπιν,
Σάρδιά αἱματόεντα καὶ αἰγλήεντα μάραγδον.

Vides his Orphei versibus *Jaspachatem*, & *Sardachatem* describi. Quæ nostram in Plinio conjecturam luculenter confirmant. Ut *Jaspachates*, sic *Jasponyx* apud eumdem de Jaspide, quæ Onychi similis est cap. IX. *Est & Onychi, Jasponyxque vocatur: est & stellata rutilis punctis: est & salem imitata.* Ita concipiendus ille locus, qui vulgo contaminatissimus. *Est & Onychi*, subaudi *similis.* Præcessit, *quæ ex his smaragdo similis est.* Sic *Jaspopallius*, Jaspis Opallio similis, aut Opallius Jaspidi. Epiphanius de duodecim gemmis: καὶ ἄλλος Ἰασποπάλλιος καλούμενος, ὅμοιος ἢ χιόνι ἢ ἀφρῷ θαλάσσης. Vitiose legitur: καὶ ἄλλος ἴασπις ὁ παλαιὸς καλούμενος. Egregius interpres, & commentator locum esse corruptum, vel inde advertere debuerat, quod ἴασπις in sequiore genere semper enuntiatur Epiphanio. Ὀπάλλιος dicitur Orpheo, quem Plinius & alii *Opallum.* Vitia opalli dicit esse Plinius, si color in florem Heliotropii exeat, aut crystallum, aut grandinem. Ἰασποπάλλιον vocatum ait Epiphanius, qui nivi, aut spumæ similis est, quæ opali vitiosi notæ sunt, ut scabritia, & sal. Servius ad I. Æneidos scribit in naturali historia Plinii lectum esse, *quod si quis achatem in annulo habuerit, ad custodiam ejus* A *proficit, & gratior esse videatur.* Hoc de Achate nusquam in Plinio legi sum certus, sed de Jaspide. De qua Isidorus: *volunt autem quidam Jaspidem gemmam, & gratiæ, & tutelæ esse gestantibus.* Plinius: *Totus vero Oriens pro amuleto eam traditur gestare. Quæ ex his smaragdo similis est, per transversum linea alba præcingitur, & grammatias vocatur: quæ pluribus, polygrammos.* Ita legenda, & interpungenda Plinii verba. Nam, ut vulgo distinguuntur, hanc habent sententiam, quasi sola ex Jaspidibus, quæ smaragdo similis est, pro amuleto gestetur, cum omnis Jaspis amuletum fuerit. Dioscorides: λέγονται δὲ πάντες εἶναι φυλακτήρια περίαπτα. Hoc igitur B ad custodiam, & tutelam proficit, quod pro amuleto gestatur. Concionantibus utilem esse Magi quoque adfirmabant, ut testis est Plinius. Jam ad gratiam valet. Amuleti vicem erat præcipuè adversus phasmata. Dionysius:

—— ἴδ' ἠερόεσσαν Ἴασπιν
Ἐχθρὴν ἐμπάσῃσι καὶ ἄλλοις εἰδώλοισι.

Ἠερόεσσαν appellat, quæ ἀερίζουσα vocabatur, hoc est, cælini coloris, quem & *aërinum* dicebat. Epiphanius scribit ἄκος εἶναι φαντασιῶν. Ubi φαντασίας vocat mostella, & phantasmata. Hæc enim confundebant. Hanc virtutem ἀεριζούσῃ tribuit Dionysius. Epiphanius τῇ C κρυσταλλώδῃ, quam ὑδατόεσσαν vocat idem Dionysius. Quæ inter vitiosas Plinio numeratur his verbis: *sed omnes in vitio cæruleæ, aut crystallo similes, aut myxis.* Ajunt Plinium deceptum fuisse ambigua voce τῆς μύξης. Ipsi falluntur. Scripsit Plinius: *aut muccis.* Dioscorides: ὁ δὲ κρυσταλλώδης, ἐοικὼς φλέγματι. Pituitæ scilicet de naribus descendenti. Hoc est muccis. Epiphanius: ἄλλη δὲ κρυστάλλῳ ὕδατος ὁμοία. Sic legendum ex veteri, ubi vulgo κρυστάλλου ὕδατι. Κρύσταλλον ὕδατος vocat glaciem, vel aquam glaciatam, ad differentiam crystalli gemmæ. Inter nigras gemmas Achatem recenset Isi- D dorus, quem habere dicit in medio circulos nigros & albos, junctos & variatos. Ab illis arculis albis περιλεύκιον dictum esse Epiphanius autumat. Λίθος Ἀχάτης. Οὗτος ὑπελήφθη εἶναι, ὁ περιλεύκιος καλούμενος, ὃς ὑπὸ τὸν ὑάκινθον εὑρίσκεται. Ita legendum. Inter genera Hyacinthi posuerat περιλεύκιον. Explicat in sequentibus, quare περιλεύκιος dicatur. Θαυμαστὸς δὲ ἐπὶ τῷ εἴδει ὑποκυανίζων, ἔξωθεν περιφέρειαν λευκὴν ἔχων μαρμάρου τρόπον, ἢ ἐλεφαντίνου: ubi ἐλεφάντινον est ebur, subintelligendo κέρας, aut ὀδόντα. Nec opus erat, ut bubulcus emendaret, ἢ ἐλέφαντος. Sic enim recentiores loquuti sunt, ἐλέφαντα animal ipsum appellantes, ebur ἐλεφάντινον, aliter quam veteres. E *Perileucos* apud Plinium gemma est, *filo ab oris gemmæ ad radicem usque candido descendente.* Ita emendamus vulgo, *ab ore.* At *perileucon* Epiphanius cum Achate confundit, quod in ambitu lineam habeat candidam.

Pag. 15. F. *Non impressis figuris*] Immo nec expressis.

Non ignobilis famæ fuit] Plinius: *post hunc annulum in egregia fama est gemma Pyrrhi illius, qui bellum cum Romanis gessit.* Ita legendum, & sic loqui Plinius amat. Idem: *Egregia etiamnunc Topazio gloria est.*

Dat Creta, quem Curaliachatem vocant]. Ita libri, & mox, *curalio similem*, Ut suprà. Sic Græci κουράλιον. F Gratius:

Et vivum lapidem, & circa Melitensia nectunt
Curalia.

Ita scribendum non *Coralia.* Sequitur: *sed illitum guttis auro micantibus.* Plinius: *Curaliachates guttis aureis Sapphiri modo distincta.* In codice Regio scribitur: *guttis aureis sapphiri modo pars.* Lege: *sapphiri modo sparsa.* Ita scripsisse Plinium arguit Solinus, qui *guttis illitum* dixit, quod ille *sparsum guttis aureis.* Græci χρυσόπαστον dicunt. Ut de Sapphiro Theophrastus. Καὶ ἡ σάπφειρος, αὕτη δ' ἐστὶν ὥσπερ χρυσόπαστος. Sic *pallium auro sparsum* in G Historia Augusta, τὸ χρυσόπαστον. Ita & Græci ῥαντὸν ἀντὶ ποικίλου ponunt. Glossæ: *aspersus*, εἶδος ἰχθύος καταστικτου. Comico *puella sparso ore*, ἡ φακοψις, & lentiginosa. Sapphirum aureis guttis sparsum χρυσοστιγῆ vocat Epiphanius. Ἔστι γὰρ ὁ βασιλικὸς χρυσοστιγὴς, οὐ πάνυ δὲ αὐτὸς θαυμαζόμενος, ὡς ὁ δι' ὅλου πορφυρίζων. Alius auctor de gemmis: Σάπφειρος λίθος ἔχων σπιλάδας χρυσίου ὡς ἐν στίγμασι. Guttæ, & puncta idem sunt. Guttas aureas, sive puncta Sapphiro tribuit Plinius: pulverem

verem aureum cyano. Sic enim de cyano: *inest ei aliquando & aureus pulvis, non qualis in sapphirinis. Sapphirus enim, & aureis punctis collucet. Cæruleæ, & sapphiri raroque cum purpura.* Nihil in his sani, aut sinceri. Quod enim ait rarò cum purpura esse sapphiros, hoc falsissimum. Raræ siquidem sine purpura. Sed aliæ totæ sunt cæruleæ, & purpureæ, aliæ punctis etiam aureis collucent, quæ minus habentur pretiosæ. Epiphanius: λίθος σάπφειρ☉ πορφυρίζων ὡς βλάτ]ης πορφυρῆς τῆς μελαίνης τὸ εἶδ☉. Alius auctor: λίθος φαιὸς λαζουρόχρο☉, id est, cæruleus. Verba Plinii ex vestigiis veteris scripturæ sic emendanda sunt: *inest & aliquando ei aureus pulvis, non qualis in sapphirinis. In sapphiris enim aurum punctis collucet. Cæruleæ sapphirorum cum purpura optimæ apud Medos, nusquam tam pellucidæ.* Cæruleas sapphirorum cum purpura apud Medos optimas reperiri dicit, nusquam tamen pellucidas. *Cæruleæ sapphirorum, & cum purpura*, αἱ κυανίζουσαι τῶν σαπφείρων, καὶ πορφυρίζουσαι. An non cyaneus color, & cæruleus idem? certè *cæruleum* Latini vocant, qui Græcis κυάνε☉. Paulo post tamen idem Plinius tradit, *quæ sunt ex iis cyanei coloris, mares existimatas.* Quod profectò ego miror. Theophrastus: καὶ ἣν καλοῦσι σάπφειρον. Αὕτη γὰρ μέλαινα, οὐκ ἄγαν πόῤῥω τοῦ κυανοῦ τοῦ ἄῤῥεν☉. Per nigram sapphirum utrum intelligit cyaneam, an purpuream? Certè κυάνεον Græci ἀντὶ τοῦ μέλαν☉ ponunt. Hesychius: κυάνεον, μέλαν κυανέη, μέλαινα, φαιά. Præterea cyaneas ex sapphiris mares esse Plinius ait. Gemmarum, quæ in mares, ac fœminas distinguuntur, colore semper austeriore sunt mares, ac nigriore. Plinius: *præterea in omni genere masculi appellantur acrius, ac fœminæ languidius refulgentes.* Ita scribendum. Et de sandastro: *& hic mares austeritas distinguit: siquidem vigor apposita tinguens indicat: quidam etiam hebetare visus dicuntur. Blandior fœminis flamma alliciens magis, quam accendens.* Theophrastus: καλεῖται δὲ καὶ κυανὸς, ὁ μὲν ἄῤῥεν, ὁ δὲ θῆλυ. Μελάντερ☉ δὲ ὁ ἄῤῥεν. Ita & de Sardio. Τοῦ γὰρ Σαρδίου τὸ μὲν διαφανὲς, ἐρυθρότερον δὲ καὶ καλεῖται θῆλυ, τὸ δὲ διαφανὲς μὲν, μελάντερον δὲ καὶ ἄρσεν. Vetus auctor: Σάπφειρ☉, λίθος φαιὸς λαζουρόχρο☉. Color lazurii est cyaneus. Ergo cyaneæ sapphiri nigriores purpureis, & masculæ. Contrarium colligas ex Epiphanio, qui sapphirum nigra purpura scribit purpurascere, ὡς βλάτ]ης πορφυρῆς τῆς μελαίνης τὸ εἶδ☉. Ea igitur sit, quam Theophrastus μέλαιναν appellat: ideo & mascula. Nam cæruleæ blandiores, & remissius coloratæ. Certè cæruleum pro purpura dilutiore posuit idem Plinius. Ex tribus purpuræ gradibus conchylium illi ultimum est, quod & ipsum in tres gradus dividit, quorum qui dilutissimi coloris est, in heliotropii flore ait considerari. Quem florem alibi *cæruleum* appellat. Dioscorides, ὑπoπόρφυρον. Apulejus, *velut pupureum.* Plinius in vitiis opalli numerat, cum purpura ejus in florem heliotropii exit. Grammatici *cæruleum*, quasi cælinum dictum interpretantur. Græci quoque κυανὸν, οὐρανοειδὲς χρῶμα exponunt. Qui color aërinus longè dilutior est, & extinctior quam purpura nigra. Solinus infrà *cærulum nitorem* in hyacintho vocat purpuram dilutiorem. Ergo purpurea sapphirus mascula est, non cyanea, ut vult Plinius, vel ex ejus definitione, & ea est, quæ μέλαινα Theophrasto. Verum quia sapphirum nigram idem auctor similem facit cyano gemmæ masculæ, quæ μελαντέρα est, sapphirum quoque cyaneam fusciorem esse, & masculam existimandum est. Et de cyaneo valdè saturo accipiendum, qui purpuræ nigræ proximat. Dioscorides ex cyani, id est, cæruli generibus, τὴν σφόδρα κατάκορη deligendam monet. Vetus auctor, φαιὸν λαζουρόχροον vocat. Epiphanius, qui πορφυρίζοντα σάπφειρον nigrantis purpuræ lumen habere dicit, non meminit τοῦ κυανέου, sed nomine τῆς μελαίνης πορφύρας complexus est, ut videtur, τὸ κυάνεον κατάκορες. Isidorus: *sapphirus cæruleus est cum purpura, habens pulveres aureos sparsos.* Legisse ergo in verbis Plinii apparet: *cæruleæ sapphirorum cum purpura optimæ apud Medos*, ut supra correximus. Alias interpungendum videretur: *cæruleus est, cum purpura habens pulveres aureos sparsos.* Ut præter cæruleum, id est, purpureum colorem, aureis etiam pulveribus sparsum intelligamus. Sed aliter suadent Plinii verba. Incertus auctor

A de Gemmis: *Lapis Sapphirus est cæruleus cum purpura, habens pulveres aureos aspersos. Optimus apud Medos. Nusquam tamen pellucidus invenitur. Dicitur autem apud quosdam Oriniscum.* Infima ætas *Orinum* dixit pro aurino, vel aureo. Unde & nostrum *Orin*, quod est aureum. Hinc *Oriniscus* sapphirus, qui aureis guttis sparsus est, quem Græci χρυσόπαστον vocant. Hoc genus sapphiri in cæruleo colore, & igni sulphuris simili, purpureum etiam nitorem ostendebat. At qui cyanei coloris erant toti, mares eos existimatos refert Plinius, qui aperte distinxit cyaneas sapphiros ab iis, quæ cæruleæ sunt

B cum purpura, & κατακόρως κυανίζουσας intellexit vel cyano masculæ similes. Has sapphiros Theophrastus μελαίνας appellavit. Alias κυάνεον, & πορφύρεον Græci sæpè confundunt, & alterum pro altero ponunt. Ut ecce κύαν☉ genus floris est. Plinius *Cyanum* vocat. Quare sic dictus, aut cujus sit coloris nomen indicat. Plinius lib. XXI. cap. VIII. *In nomine & Cyani colos: item helychryso: omnes autem hi flores non fuere in usu Alexandri Magni ætate.* Ita legendum, non *helichrysi.* Dioscoridis antiquissimum exemplar ἑλίχρυσον vocat. Hesychius: ἑλίχρυσος τὸ ἀρσενικὸν, οἱ δὲ ἔχρυσου τινὸς βοτάνης τὸ ἄνθος. Theophrasto dicitur ἐλειόχρυσος. Plinius heliocryson ex eo describit. Nugantur, qui ἡλιόχρυσον scri-

C bendum Græcè autumant. Sed hæc alibi. Cyani floris etiam alibi meminit. Hunc florem Meleager πορφύρεον appellat in corona epigrammatum:

Τοῖς δ' ἅμ' Ἀλεξάνδροιο νέος ὄρπηκας ἐλαίης,
Ἠδὲ Πολυκλείτου πορφυρέην κυάνον.

Verùm nos de his alio loco. Ceterùm longè majus est, de quo Plinium accusant viri eruditi, quod nusquam pellucidas sapphiros extare dixerit. Tam graviter peccasse tantum virum nollent. Parcius ista objectarent, si scirent, quid sit pellucidum. Est idem, quod translucidum, & Græcè διαφανές. Non alias agnoscit sap-

D phiros Plinius nisi guttulis aureis, sive punctis sparsas. Tales cum sint, non possunt esse διαφανεῖς. Nam puncta illa aurea, sive in cute gemmæ, sive in corpore sint, τὴν διάφασιν prohibent. Eadem est ratio, quare κυανὸν extra διαφανῶν album ponere videatur Theophrastus, quia similiter auratili pulvisculo sit interspersa. Cum enim non pertransit aspectus, sed aliquid aut intus, aut in cute occurrit, quod visum sistat, & ἔμφασιν faciat, tunc pellucidum, vel translucidum id dici non potest: Scribit Plinius de Persicis smaragdis translucidos non esse, *sed jucundi tenoris, visum implere, quem non admittant: & radiare non perspici*, id est pellucidos non esse, nec transmittere aspectum. In san-

E dareso gemma aureæ quoque insunt guttæ, sed ignis obtentu tralucent celantque sese, & sic minimè impediunt, quo minus in pellucidarum numero habeatur sandaresus. Sic autem ejus de sandareso verba legenda sunt: *summa ejus commendatio, quod velut in translucido, ignis intus celantesque se transfulgent aureæ guttæ, semper in corpore, nunquam in cute.* Hinc summopere commendari ait, quod aureæ guttæ, quas intus habet, velut in translucido, & sese celantes transfulgeant. Non ex toto tamen pellucidum illum lapidem esse propter illas guttas res ipsa ostendit. At sapphirus, in qua non transfulgent guttæ, quibus stillata est, ideo non pellucet, ut

F nec cyanus. Præterea guttas habent in cute, non in corpore, unde χρυσόπαστος. Non aliam sapphirum agnovisse Plinium præter eam, quæ stillis aureis compuncta est, vel inde liquet, quod pronuntiarit nusquam inveniri pellucidas, hoc est, διαφανεῖς. Puncta sanè illa aurea velut maculæ sunt, quæ τὴν διάφασιν arcent. Vetus auctor de sapphiro: λίθος ὡραῖ☉ ἔχων σπιλάδας χρυσίου: ὡς ἐν στίγμασι. Diu in pretio fuisse sapphirum χρυσοστιγῆ ex eo constat, quod βασιλικὸς cognominatus sit. Epiphanius: ἔστι γὰρ ὁ βασιλικὸς χρυσοστιγής. Addit: οὐ

G πάνυ δὲ οὗτ☉ θαυμαζόμεν☉, ὡς ὁ δι' ὅλου πορφυρίζων. Atqui hæc est planè translucida, quæ punctis aureis caret, δι' ὅλου πορφυρίζουσα, & carior, quam Plinius non novit. In India & Æthiopia tales reperiri idem Epiphanius subjicit. Plinius optimas in Media gigni dicit, τὰς χρυσοστιγεῖς. Quæ punctis aureis collucent, hodie rariores sunt. Ceterùm in eo Plinium hallucinatum esse volunt, quod sapphiro tribuerit, quæ de cyano gemma sunt audienda. Hallucinari ipsos ex iis, quæ diximus,

diximus, constat. Perparvam esse inter has gemmas differentiam inde scire est, quod Theophrastus sapphirum cyano masculo similem dicit. Utraque præterea aureis guttis stellata. Hoc discrimen tantum statuit Plinius, quod in sapphiro puncta sunt aurea: in cyano, aureus pulvis. Hodie gemmarii nostri nomen non habent, quo cyanum à sapphiro distinguunt: & cyanum fœminam albæ sapphiri nomine appellant. Non ferendum est autem, quod in Theophrasti verbis de suo inserere audent: καὶ ἡ Σάπφειρ@, καὶ ἡ Κυανὸς, αὐτὴ ϗ ἐςὶν ὥσπερ χρυσόπασ@. Quasi nulla sit sapphirus χρυσόπασ@, & de cyano intelligi debeat, ideo addenda censent hæc verba, καὶ κυανὸς. Importunè.

Dat India reddentem nunc nemorum, nunc animalium facies] Plinius: *& in India inventæ contra eadem pollent, & aliis magnis miraculis: reddunt enim species fluminum, nemorum, & jumentorum. Jam & hederas, staticula, equorum ornamenta.* Solinus contentus fuit dixisse, *nemorum, & animalium.* Apud Plinium *staticula* quid significant? staticuli sunt chori, vel saliares motus, χοροςασίαι. Hesychius: ςάσις, χορός. Hinc ἀριςεροςάτης in choro, qui lævum latus ducit, δεξιοςάτης, qui dextrum: & τελτοςάτης, qui tertium in choro locum tenet. Hinc *staticuli* pro motibus saltatoriis. Cato apud Macrobium de Cælio senatore: *descendit de cantherio, inde staticulos dare, ridicularia fundere.* Et in eundem: *cantat ubi collibuit, interdum Græcos versus agit, jocos dicit, voces demutat, staticulos dat.* Χορεύει. Plautus in Sticho.

---- *nunc omnes voco cinædos contra*
Staticulos stare non magis potis sint quam fungus imbri.

Inde & *in choro stare*, & χορὸν ςήσασθαι. Sed an *staticula* apud Plinium idem sunt, quod *staticuli*? ergo choros ducentium effigies in illo genere achatis expressa. Sed staticuli ὀρχήματα potius sunt, quam χοροὶ, vel turba χορευόντων. *Staticulos dare*, ut *motus dare* Virgilio:

Dat motus incompositos, & carmina dicit.

Sic *staticulos dare.* At *staticula* Plinio sunt statuæ. Ita hanc vocem sumit Tertullianus adversus Gnosticos: *effodietis aras earum, evertetis & comminuetis staticula earum.* Quorum verborum loco in vulgata habetur cap. XII. Deuteron. *Dissipate aras earum, & confringite statuas.* Idem lib. I. adversus Nationes: *quod si de hoc differentia intersedit, quanto distinguitur à crucis stipite Pallas Attica, & Ceres Pharia, quæ sine forma, rudi palo, & solo staticulo ligni informis dedicatur.* Ita refingendus ille locus, quem è venerandæ vetustatis codice sic edidit doctissimus amicus noster: quæ sine formarum dipalo, & solistaticulo ligni informis dedicatur. Ubi *staticulum ligni informis* pro statumine ligni posuit, ut infrà: *huic igitur exordio, & veluti statumini argilla desuper intexitur.* Pro eo rescripsit in Apologetico: *quæ sine effigie, rudi palo, & informi ligno prostat.* Heic *staticulum ligni* in cruce appellat lignum illud, quod erecta statione defigitur. Quod explicat his verbis protinus: *pars crucis & quidem major est omne robur, quod erecta statione defigitur.* Ita enim legendum. *Staticulum ligni* hæc designant, & ostendunt id esse, quidquid erectum statuitur. Inde & *staticulum* pro statua. Hieronymus: *uxor Loth in staticulum salis conversa est.* Staticula igitur in achate ingenitis figuris expressa sunt ἀνδριαντέλα, & sigilla hominum facies reddentia. Non aliter liceat exponere.

Pag. 15. G. *Quem vidisse oculis favet*] Plinius: *spectasse etiam prodest oculis.* Aliud *vidisse*, aliud *spectasse.* Non vidisse tantum prodest oculis, sed spectasse.

Intra os receptus sedat sitim] Plinius: *sitim quoque sedant in os additæ.*

Sunt & qui usti redolent myrrhæ odorem] Plinius: *dendrachates, velut arbuscula insignis: Anthachates, cum uritur, myrrham redolens.* Nulla myrrhæ notio in *antachate.* Libri quidam: *authachates.* Ne id quidem verum. Scribendum omnino est: *stactachates.* Stacte pretiosissima myrrhæ gutta. Hesychius: ἰσοςάσιον μύρον, ἡ ςακτὴ, ἡ σμύρνα. Quod argento contra rependeretur. *Stactachates* igitur dictus, quod stactæ odorem, id est, myrrhæ haberet ustus. De Dendrachate Plinius ait sic appellari, *qui arbuscula insignis est.* Orpheus non una, sed pluribus arbusculis insigniri canit, adeo ut viridarii speciem, vel nemoris præferat. Versus ejus hi sunt, quibus eum describit:

A Εἰ καὶ δενδροφύτοιο φέροις τεῦφ@ ἐν χερὶ πέτρης,
Μᾶλλον καὶ τέρποιτο θεῶν νό@ αἰὲν ἐόντων.
Δένδρεα γὰρ μάλα πολλὰ κατέψεαι ὡς ἐνὶ κήπῳ
Ἀνθεμοέντα, κλάδοισιν ἐπασσυτέροις κομόωντα.
Τοὔνεκα οἱ καὶ φῶτες Ἀχάτη δενδρηέντι
Θῆκαν ἐπωνυμίην, ὅτι οἱ τὸ μὲν ἔπλετ' Ἀχάτου,
Ἄλλο δ' ἔχει λασίης ὕλης δέμας εἰσορέασθαι.

Hæc descriptio δενδρίτου, vel δενδρήεντ@ achatis planè convenit cum eo, quem Plinius ait in India repertum nemoris speciem reddere: *& in India inventæ contra eadem omnia pollent, & aliis magnis miraculis: reddunt enim species nemorum, & fluminum, & jumentorum.* Hæc,
B quæ nemorum speciem reddit, Orphei δενδραχάτης αὐτόχρημα est, qui λασίης ὕλης δέμας expressum ostendit. Quæ & δενδρόφυτ@ πέτρη eidem dicitur, & δενδρήεις Ἀχάτης. Plinius tamen à dendrachate separat eos achates, qui nemorum instar in India reddunt. Sed ita ille solet diversa constituere, quæ ex diversis habuit auctoribus, licet eadem sint, si modo in iis describendis vel tantillum variaverint.

Achates sanguineis maculis irrubescit] Cum ita omnes antiquæ editiones haberent, & ita scriptum extaret in omnibus libris, id ausi sumus restituere. Audacior fuerat Delrius, qui contra librorum, & editionum
C auctoritatem ejecerat, nec dubitavit affirmare antiquam hanc esse lectionem, *hæmachates.* Inter achatis species *hæmachates* recensetur à Plinio, sed, an huic loco conveniret, videre prius debuit Criticus. Quæ sequuntur ostendunt auctorem non loqui de hæmachate, sed de achate: *sed qui maximè probantur,* inquit, *vitream habent perspicuitatem.* Quæso te, an hæmachates, quæ certa species est achatis, sic dicta, quod sanguineo colore rubescat, perspicuitatem vitream potest habere? quod subjicitur, id etiam magis arguit: *nam qui sunt facie cerea, abundantes trivialiter, negliguntur.*
D An ulli hæmachates cerea facie possunt esse? si ea facie sint, non amplius hæmachates dicendi, sed cerachates, quod alterum genus est achatis. Communiter achates rubentibus, & albis venis distinguitur. Et nos plures vidimus. Hoc est, quod hîc ait noster, achatem sanguineis maculis irrubescere. Plinius de variarum nationum achate: *Phrygiæ viridia non habent: Thebis Ægyptiis repertæ carent rubentibus venis, & albis.* Ergo ceteri achates hujusmodi venas habent albas, & rubentes. At hæmachates sic videtur appellatus, quod totus esset sanguinei coloris, at non distinctus rubentibus, & candidis maculis. Sic cerachates, qui toti
E cerea facie, & triviales erant. Vera igitur hîc lectio, *achates*, non *hæmachates.* In Indice quoque nulla hæmachatis mentio.

Qui maximè probantur, vitream habent perspicuitatem, ut Cyprius] Plinius: *eadem auctoritas Cypriis est. Sunt qui maximè probent vitream perspicuitatem. Repeiuntur & hæ in Thracia.* Ita libri. Non dicit Plinius Cyprios habere vitream perspicuitatem, sed quum scripsisset Thebæas in Ægypto carere rubentibus, & albis venis, & has contra scorpiones quoque validas esse, adjunxit, eamdem etiam Cypriis auctoritatem tribui. Deinde subjicit probari à quibusdam in achate vitream
F perspicuitatem. Addit postremo reperiri & has in Thracia, & circa Oetam, & in Parnasso, &c. Nihil de Cypriorum colore dicit. Præterea etsi ita posset accipi Plinius, falsum quod hic asserit, maximè ex omnibus achatibus probari Cyprios, quia vitrea sint perspicuitate. Certè Indici, qui nemorum, & animalium facies reddunt, & alia multa miracula, longe majore in pretio, & auctoritate habendi. Achates Thebæi contra scorpiones valent. Similiter & Cyprii. Sunt, *qui maximè probent,* inquit Plinius, *vitream perspicuitatem in his.* Ergo in Cypriis tantum
G maximè probatur illa perspicuitas vitrea, non qui tales sunt, inter omnia genera maximè probantur. Utut sit, mentem Plinii non est assequutus noster. Si Plinius generaliter de omnibus achatibus loquitur, & in his maximè probari dicit vitream pelluciditatem: falsum est quod infert Solinus de Cyprio, quasi hoc habuerit peculiare. Si de Cypriis tantum hoc intellexit Plinius, falsissimum, quod colligit Grammaticus, maximè probari vitri instar perspicuos, ut contrà negligi,

gligi, qui facie ſunt cerea, quia trivialiter abundent, inde enim ſequeretur Cyprios omnibus præferri. Profecto Plinius in genere de omni achate loquitur, cum dicit nonnullos in his maximè probare vitream perſpicuitatem. Τὴν ὑαλίνην διάφασιν, ut vitreo ſimul colore ſint, & nitore perſpicui. Tales enim contra ſcorpios efficaciſſimè prodeſſe. Epiphanius: θαυμαστὸς δὲ ἐστὶ τῷ εἴδει ὑποκυανίζων, ἔξωθεν περιφέρειαν λευκὴν ἔχων, id eſt, *maximè vero mirantur eum, qui coloris eſt ſubcærulei.* Ineptè reddunt, & contrà mentem auctoris: *mirabilis eſt gemma coloris ſubcærulei.* Quaſi in illa varietate omnes achates ſint ὑποκυανίζοντες. At dicit maximè commendari, & in admiratione eſſe τὸν ὑποκυανίζοντα. Et talis erat vitreus, perſpicuè nimirum cæruleus. Sic *vitreum* pellucidum, & cæruleum interpretatur Philargyrus. Talis etiam fuit jaſpachates. Orpheus de achate:

> Πολλὰ μὲν οὖν ῥέα γ᾽. ἐστὶν ἀχάτου χρώματ᾽ ἰδέσθαι
> Ἐν γὰρ οἱ δήεις ὁρόων ὑάλωπιν ἴασπιν.

Ὑάλωπις ἴασπις, quæ vitreæ perſpicuitatis eſt. Ceterum ὑποκυανίζον pro nigro accepit Iſidorus, quia Græci κυάνεον ἀντὶ τοῦ μέλανος ſæpe numero ponunt. Ita enim achatem depingit: *nigra eſt habens in medio circulos nigros, & albos ſimiles hæmatiti.* Atqui inter achatis genera, quæ recenſent cognominibus ſuis, & coloribus Orpheus, & Plinius, nulla invenitur nigra albo diſtincta. Sed ὑποκυανίζον pro nigro ſumpſit, & cum περιφέρειαν λευκὴν habeat, ſic nigris, & albis circulis diſtinctus fuerit hic achates. Perperam. Dicit circulos habere ſimiles hæmatiti: non circulos habet hæmatites, ſed διαζώματα, & διαφύσεις, & κτηδόνας ἐπ᾽ εὐθείας, hoc eſt, venas recto diſcurſu cum diſtinguentes. Sed nec verus hæmatites hujuſmodi venis diſtinctus eſt, quæ in falſo tantùm deprehenduntur. Sequitur apud Plinium: *Leoninæ pellis ſimiles habere potentiam contra ſerpentes dicuntur.* Epiphanius: ἐστὶ δὲ ἐκ τούτων τῶν λίθων ἀχάτης χρῶμα ἔχων λεόντων. Τριβόμενος δὲ μεθ᾽ ὕδατος καὶ χριόμενος ἐπὶ δήγματος θηρίου, ἀποτρέπει ἰὸν σκορπίου, καὶ ἐχίδνης. Orpheus inter omnes achatum ſpecies præſtantiſſimam, & maxima prædicat potentia præditam, quæ ſerpentis ſpeciem habet ingenitam, quem & λεοντοσέρην autumat appellatum:

> Ἀλλ᾽ οὗτος πάντων προφερέστατος εἴκε μιν εὕροις
> Εἶδος ἔχοντα δαφοινὸν ἀμαιμακέτοιο δράκοντος,
> Τῷ καὶ μιν προτέροισι λεοντοσέρην ὀνομῆναι
> Ἥνδανεν ἡμιθέοισι, κατάστικτον σπιλάδεσσι
> Πυρσαῖσι λευκαῖς τε, μελαινομέναις χλοεραῖς τε.

Dicit eum εἶδος ἔχειν δαφοινὸν δράκοντος, ſpeciem draconis referre. τῷ καὶ μιν λεοντοσέρην ὠνόμαζον. An ideo λεοντοσέρην nuncuparunt, quod ad ſpeciem draconis inſignitus eſſet? Hoc profecto ridiculum. Quid enim draconis forma ſimile habet leoni? πάντων ἀχατῶν προφερέστατον eum prædicavit: & ſubjicit ob eam cauſam veteres heroës, id eſt, Magos λεοντοσέρην ei cognomen indidiſſe, non ab effigie, ſed à virtute & potentia, quam habet ſiſtendi, frænandique leonum, & ceterarum ferarum iras, & impetus. Σειρὴ idem quod σειρά, vinculum, cingulum. Heſychius: σειρός, ἅλυσις, δεσμός. Σειρίδας, τὰς σειράς. Idem σειρὴ & σειρίς. Gloſſæ ejuſdem: σειρὶς, ζωστὴρ, σειρίδες, σειραί. Inde verbum σειρίζω, *ligo*, *fræno*, *vincio*, σειρίζω. Ita legendum apud Heſychium, non σμηρίζω. Inde λεοντοσέρης ἀχάτης, à domanda, & ſubjuganda leonum ferocitate. Notum, qui dicantur ἵπποι σειραφόροι, & σειραῖοι, funarii nimirum, & in curru juncti. Non dubito quin auctores fuerint, qui ἀχάτην λεοντοσέρην interpretati ſunt de achate leoninæ pellis ſimili. Nam κατάστικτον σπιλάδεσσι πυρσαῖσιν eum deſcribit Orpheus. Qui color eſſe leoninæ pellis. Unde *fulvi leones*, πυρσοὶ λέοντες.

A Præterea σειρὴ, & σειρὸν etiam pro pallio virili ſumitur apud Græcos: hinc λεοντοσέρην pelli ſimilem achatem accipere quidam potuerint. Colore leonis eſſe tantùm eum achatem dicit Epiphanius, & Plinius leoninæ pelli ſimilem. Et mira heſc Orphei, & Plinii dividia. Orpheus achatem draconis ſpecie inſignitum adverſus leonum impetus valere ſcribit. Plinius leoninæ pelli ſimilem potentiam habere contra ſerpentes. Fuiſſe & hyænæ pelli ſimilem ibidem tradit, quam abominabantur, diſcordialem domibus. Hæ fuerunt achatis apud Magos differentiæ, quos προτέρους ἡμιθέους vocat Orpheus. Sequitur apud Plinium:
B *eam vero, quæ unius coloris ſit, invictam athletis eſſe. Argumentum ejus, quod in olla plena olei cocta cum pigmentis, & inter duas horas ſubfervefacta unum colorem ex omnibus faciat minii.* Quæ unius coloris erat, invictos reddebat athletas. Nihilne intererat cujus coloris? Argumentum hujus rei hoc refert, quod in olla plena olei cum aliis pigmentis cocta, & ſubfervefacta intra duas horas, ex omnibus pigmentorum coloribus unum colorem minii faceret. Sic ergo invictos præſtabat athletas, à quibus geſtabatur, ut ipſa omnium pigmentorum colores ad ſuum cogebat. Sed quid ſi viridis, aut cæruleus, aut albus erat achates ille, quem unius
C coloris eſſe volunt, numquid poterat ad minii colorem pertrahere, & conciliare reliquorum pigmentorum una incoctorum colores? Puto certè in Plinio legendum eſſe: *eam vero quæ minii coloris ſit invictam athletis eſſe.* Quæ neceſſaria emendatio eſt. Hæc omnia pigmenta, cum quibus incoquebatur, intra duas horas colorem ſuum, hoc eſt, miniaceum capere adigebat, eo argumento & invictam athletis eſſe pronuntiarunt. Achatem porro quemdam eſſe minii coloris etiam tradidit Orpheus:

> Ἐν δ᾽ ὅγε μιλτοπάρηος, ἀτὰρ καὶ χαλκὸν ἐν αὐτῷ
> Δήεις, καὶ χροιὴν ἐαροτρεφέος μήλοιο.

D Quod noſtram in Plinio conjecturam unice probat.

Nam qui ſunt facie cerea, abundantes trivialiter, negliguntur] Ita interpunximus. Qui facie cerea ſunt, trivialiter abundare, ideo negligi dicit: *Cerachates* intelligit. Vulgo erat: *nam qui ſunt facie cerea abundantes, trivialiter negliguntur.* Χυδαίως exprimit.

Stadiorum tribus milibus] Sunt milia paſſuum cccc. Quam longè à Plinii ſententia, qui ex Agrippæ menſuratione Siciliam circuitu patere dicit DCXVIII. Quæ ſunt ſtadiorum quinque millia cum ſexcentis, & triginta quinque, etiam minima computatione, qua ſin-
E gulis milliariis ſeptem ſtadia cum dimidio dantur. Poſidonius apud Strabonem Siciliæ περίπλουν ſtatuit eſſe σταδίων τετρακοσίων ἐπὶ τοῖς τετρακισχιλίοις. Diodorus ſtad. IIIICCCLX minus quam Plinius, ſed multo plus, quam hic Solinus. Hyginus de maximis inſulis: *Sicilia in triſcelo poſita, circuitu ſtadia* XXXDLXX. Quæ ſine meliori codice emendari non poſſunt, præſertim in tanta opinionum varietate. Aut Poſidonii numerus, aut Diodori reponendus, & legendum *in triſceli*, ἐν τῷ τρισκελεῖ, id eſt, triquetra forma poſita. Sic de inſulis minimè anguloſis dicit, *in rotundo poſitas eſſe.* In multis nummis Siculis τρισκελὲς, hoc eſt, tricrurium in
F averſa parte viſitur, quæ tria ſunt hominis crura, ad deſignanda tria promontoria. *Triſcelum* Græcum non eſt. Heſychius: τελεσκελῆ, χαλκία. Iſidorus: *Triſceles Græcè, Latinè tripedes:* ſic enim ibi legendum, non *triſales*. Scylax: ἔστι δὲ ἡ Σικελία τρίγωνος, τὸ δὲ καλὸν ἕκαστον αὐτῆς ἐστὶ μάλιστα στάδια μ φ. Lege: τὸ δὲ κῶλον ἕκαστον: & στάδια β φ, id eſt, ſtadium bis mille & quingentorum. Κῶλα vocat, hoc eſt, crura ſingula latera Siciliæ, quæ τρίκωλος eſt, ſive in tricrurio poſita, atque hæc obiter. De Siciliæ ambitu Solini error. Nam ita in omnibus ejus libris.

CAPUT

CAPUT VI.

Volcaniæ insulæ.



Hephæstiæ insulæ XXV *milibus ab Italia absunt*] Corrigendus ex hoc loco Plinius: *citra Siciliam ex adverso Metauri amnis* XXV *millibus fermè passuum ab Italia septem Æoliæ appellatæ.* Ita & scripti ejus codices. Vulgo scribitur: XII *millibus p.* Martianus: *in vigesimo quinto ab Italia septem Æoliæ, appellatæ à nostris Vulcaniæ.* Ita libri. Et sic loquitur auctor ille. *A Corsica in octavo Sardinia est.* Et alibi: *A Surrento in octavo miliario Caprea.* Qui loci hodie ab interpunctis laborant.

Pag. 16. A. *Itali Vulcanias vocant*] Ita loquitur, quasi Italus non esset. Plinius: *Eædem Liparæorum, & Hephæstiades à Græcis: à nostris Vulcaniæ: Æoliæ, quod Æolus Iliacis temporibus ibi regnavit.* Sic lego. Editur: *à nostris Vulcani.* Martianus quoque: *appellatæ à nostris Vulcaniæ.*

Pag. 16. B. *Ea præcipuè Vulcano sacra est*] Inde ἱερὰ dicebatur. Plinius: *antea Therasia, nunc Hiera, quia Vulcano sacra est.* Scholiastes Apollonii: τῶν ἐν Αἰόλȣ νήσων ἱερὰ καλȣμένη, ἐν ἧ φασὶν τὸν Ἥφαιστον χαλκεύειν. Hæc est, quæ Ἡφαίςȣ νῆσος propriè vocabatur. Quam Ptolemæus fecit ab Hiera diversam. Perperam. Sic Strongyle ex septem his Æoliis Æolo peculiariter dicata, & Æoli domus dicta. Inde & Ptolemæus idem Αἰόλȣ νῆσον condidit ab aliis separatam. Sic *Æthaliam*, & *Ilvam* quasi diversas posuit, quæ eædem fuere.

A

Et plurimum colle eminentissimo nocte ardet] In περιεκδόσει sic fuit: *ea præcipuè Vulcano sacro colle eminens ardet noctibus.* Utraque è Plinii adumbrata his verbis: *quia sacra Vulcano est, colle in ea nocturnas evomente flammas.*

Quod ex ejus fumo incolæ præsentiscunt] Diodorus de Æolis: καὶ ἀπὸ τῆς ȣ πυρὸς παρασημασίας προειπεῖν τȣς ἐγχωρίȣς ἀνέμȣς ἀψεύστως. Ubi male interpres vir doctissimus emendat, ἐκ ȣ ἀέρος. Martianus: *& à flamma in proximo prorumpente, vel ejus fumo, qui ventus flaturus esset, intellexisse, quod hodieque ejus loci incolas certum est præsentire.* Iisdem auctoribus libris mox correxi: *quinam flatus in triduo pertendat*, id est, quinam flatus in triduo perseveraturus sit, quis flatus continuato triduo futurus. Hoc enim est *pertendere.* Vulgo erat, *portendantur.* Ineptè. Non hoc tamen Plinius voluit, sed ex fumo incolas prædicere in triduum, qui venti flaturi sint, non qui toto triduo continuatim sint flaturi.

B

Ericusam, Phœnicusam] Ἐρικȣ̃σσαν, Φοινικȣ̃σσαν, quæ aliis Ἐρικώδης, & Φοινικώδης. Mirum tamen in omnibus libris constanter haberi *Eriphusam.* Et in Martiani scriptis codicibus, *Erepusam.*

C

Dictas habemus] in aliis: *dictas habe.* Quod melius.

CAPUT VII.

Europæ sinus tertius. In eo de Græciæ locorum admirabilibus. De fluminibus, de fontibus, de merulis, de perdicibus, de lapide galactite, de lapide Asbesto, de Arione.



Pag. 16. C. *Tomarus mons est*] Libri: *Tabarus.* Plinius: *Tomarus mons circa radices, centum fontibus circa radices Theopompo celebratus.* Scripti codices Pliniani legunt: *Talarus.* An *Tamarus* inter montes Epiri Straboni nominatur lib. VII. Τότε μὲν ὡς εἶπον, καὶ περ ȣ̃σα τραχεῖα καὶ ὀρῶν πλήρης, Ταμάρȣ, καὶ Πολυάνȣ, καὶ ἄλλων πλειόνων ὅμως εὐανδρεῖ, ἡ ȣ̃ Ἠπειρος πᾶσα καὶ ἡ Ἰλλυρὶς. An idem cum Tomaro? certè ubi Dodonæi Jovis templum est, *Tomarus* dicitur. Strabo & alii: Τόμαρος, ἤ Τμαρὸς λέγεται, ὑφ᾽ ᾧ κεῖται τὸ ἱερὸν. Solinus hunc *Tamarum*, vel *Tomarum* à Tmaro videtur distinguere. Ita enim paulo post: *Dodone Tmaro celsa est.* Sic enim ibi legendum ex libris. Theopompus Τάμαρον pro Tomaro dixit. Atque ita Plinius.

Si procul ac sine igni admoveas] Ex Plinio. Sed non dicit Plinius, si procul admoveas. Immo è longinquo non accendit extinctas faces, sed propius, ac sine igne admotas. Verba Plinii: *In Dodone Jovis fons cum sit gelidus, & immersas faces extinguat, si extinctæ admoveantur, extinguit.* An *procul* ἀρχαϊκῶς noster posuit, ἀντὶ ȣ̃ *prope?* Ita videtur. Glossæ: *procul*, ἐγγὺς, καὶ μακρὰν, καὶ πόῤῥωθεν. Terentius in Hecyra: *procul hinc stans accepi uxor.* Ibi Donatus, *procul, nunc prope.* Mela: *ubi sine igne procul admoventur, accendit.* Ab eo igitur sumpsit. Plinius in Dodone hunc fontem esse dicit. Solinus in Epiro. Plinius simpliciter gelidum vocat, & hoc satis ad miraculum. Noster ultra omnes aquas frigidum facit, quod præter historiam est, & furti tegendi gratia additum. Omisit ejusdem fontis aliud miraculum, quod Plinio ponitur. Scribit enim eum fontem semper meridie deficere, qua de causa ἀναπαυόμενον incolæ vocant. *Mox increscens ad medium noctis exuberat, rursus sensim deficit.* Ita legendum. Ἀναπαυόμενος autem ideo dictus, quod meridie cessaret, & veluti requiesceret, quod soliti veteres, & *meridiari* id dicebant Romani. Varro de R. R. *tamen æstivum diem si non diffinderem meo*

D

insititio somno meridie, vivere non possum. Ita scribi debet, ac interpungi. Male est in editis: *æstivo die.* Sic lib. III. *æstate diem dividere meridie* dixit, somno scilicet meridiano. Ita & *diffindere diem æstivum somno.* Quod vir illustris idem esse putat apud Æschylum, ὕπνȣ πεδὶ ἀνήμολπον ἐντέμνων ἄκος. Fallitur, & nihil simile est. Ἐντέμνειν ἄκος ibi dicitur, remedium reperire ad fallendum somnum, vice cantionis. Et ἐντέμνειν tralaticium ἀπὸ τῶν ῥιζοτομῶν, qui herbas, & radices secant ad medendum efficaces. Unde ἀντίτομον idem est, quod ἀλεξιφάρμακον. Unde & τέμνειν ἄκη apud Sophoclem. Apud Theocritum Pan, τὸ μεσημβρινὸν καθεύδει. Sed hæc alibi.

E

Pag. 16. D. *Dodone Tmaro celsa est*] Hæc vera lectio est. Exemplaria pleraque, *ut maro.* In optimo Regio expressè: *Dodone Tmaro celsa est.* Tmarus idem cum Tomaro, vel Tamaro. Alium tamen, ut videtur, Solinus facit. Cur enim heîc *Tmarum* vocaret, quem supra Tamarum? Sed hoc parum. Cur de Tmaro iterum redderet, quem paulo ante commemoravit? Inepte porro, qui, *ut Marco dicit*, heîc legendum adstruunt, nec melius: *Ismaro celsa est.*

F

Delphi Cephiso flumine] A Dodone ad Delphos, hoc est, ab Epiro in Phocida vadit, mox redit ad Acarnanas, deinde repetit Aetolos, ut ordinem situs terrarum, sic vestigia furtorum suorum confundens.

Galactites inveniatur, qui calculus ipse ater] Et hoc habet à Plinio. Et vide genium hujus auctoris. Plinius hunc lapidem colore lactis esse dicit, hic atrum facit. Hic locus evidentissimè fidem faciet, qua fide noster scripserit. Hinc sanè constabit, cum sæpe scienter

G

falsum loqui. Plinius capite, quo gemmas per ordinem literarum describit, *Galaxiam*, & *Galactitem* quasi diversos lapides recenset, & Galaxiam quidem similem proximè dictis ait, *sed intercurrentibus sanguineis, aut albis venis.* Superius autem ab illo nominati lapides nigri sunt. Ergo & Galaxias niger, quem & Galactiten quibusdam vocari dicit. At de alio Galactite mox tractans, quem mittit Achelous amnis, & cujus

jus heic apud Solinum mentio, apertè tradit colore lactis esse. Quod & alia ejus cognomina ostendunt. Nam & λευκόγαια, & λευκογραφὶς dicebatur idem. Verba Plinii: *Galactites ex vino colore lactis est.* In quibusdam codicibus: *ex uno.* Utrumque insincerissimum. Lege: *Galactites è Nilo colore lactis est.* Quod mirum non vidisse tot Plinii correctores. Quæ sequuntur, id evincunt: *mittit eam & Achelous amnis.* Et Solinus de hoc lapide: *quem post Nilum Achelous dat, nec alter alius.* Ergo Galactites è Nilo, & Acheloo. Sequitur apud Plinium: *eamdem dicunt leucam, & leucographiam appellant, & synephiten.* Quæ corrupta esse indicat lectionum varietas. Libri quidam pro *leucam* habent *leucam* & *leucogageam.* Scribe. *Leucogaam*, λευκόγαιαν, aut λευκογαίαν: & *leucographidem.* Ἡ λευκογραφὶς Dioscoridi, Pro *synephiten* iidem libri scribunt, *smetitin.* Scribendum, *smetiden*, vel *smetridem*, σμηκτρίδα. Σμηκτὶς, aut σμητὶς dicta est, quod ea uterentur ad dealbanda, ac pumicanda vestimenta. Dioscorides: ᾧ καὶ οἱ ὀθονοποιοὶ πρὸς λεύκωσιν τῶν ἱματίων χρῶνται. Idem μαλακὸν, καὶ εὐάνετον esse dicit, ut terra sit potius, quam lapis. Unde & λευκόγαια vocitata est. Sic σμηκτρίδα γῆν Nicocharis Comicus dixit de Cimolia. Ex his constat Plinium errore nominum inductum *Galactitem*, & *Galaxiam* confudisse. Hic lapis, qui *leucographidis*, & *leucogaæ*, & *smectidis* nominibus vocitabatur, *Galaxia* est Dioscoridi, & *Morocthus*, qui assumebatur poliendis, & dealbandis vestimentis. Hunc Nilus dabat. Nam ἐν Αἰγύπτῳ γεννᾶσθαι scribit Dioscorides. Colore lactis erat, unde & γαλαξίας dicebatur, & λευκόγαια. Hic diversus ab eo Galactite, cui nomen dedit non color lactis, sed succus lacteus, quem reddebat. Nam lapis ipse cinericei coloris. Dioscorides: ὁ δὲ γαλακτίτης ὀνόμασθαι ἀπὸ τῆς γαλακτῶδες ἀνιέναι. Ἐστὶ μέντοι ἄλλως ἐντεφρὸς τὴν χρόαν. Lactis etiam sapore est, γλυκὺς πρὸς τὴν γεῦσιν. Orpheus de lapidibus:

Δεύτερον εὔχομαί τοι ἀρήγονα λᾶαν ὀπάσσω
Θεσπεσίοιο γάλακτος ἐνίπλεον ἠΰτε μαζὸν
Πρωτοτόκε νύμφης, ἢ μηκάδος ἀθανεόσης.

Addit vocitatum fuisse ab antiquis ἀναγκίτην ἀδάμαντα. Sic enim scribendum:

Τόνδε παλαιγενέες μὲν ἀναγκίτην ἀδάμαντα
Κλεῖον ὅτι γνάμπτει μακάρων νόον, ὄφρα θυηλὰς
Ἀζόμενοι ἐθέλωσιν ἐπιχθονίης ἐλεαίρειν.

Auctor vetus ἀνέκδοτος de lapidibus: *lapis Galactites lacteus est, tritus dat succum album ad lactis saporem. Hunc quidam vocant ananchiten, alii leucographidem, alii Galactiten. Continet enim omnia, quæ destinaveris, solus omnium lapidum. Dicitur autem Galactites, eo quod mulieribus lacte deficientibus in potu datus lacte plurimo facit abundare.* De Ananchite dicemus infrà. Quod lacteum esse dicit, æquè fallitur. Tritus lactis succum reddebat, non erat lacteus. Et perperam confundit cum Galaxia, sive leucographide, cum quo nihil habet commune, nisi si fortè & nomen. Nam & Galaxias etiam Γαλακτίτης quibusdam dictus est. Quæ res Plinium decepit. Inde Galactiti tribuit, quæ Galaxiæ lapidi conveniunt, colorem, patriam, cognomina. Longe immanius erravit, quum de lapide herbam fecit, & in censum herbarum rettulit leucographidem; quod unum est ex cognomentis lapidis Galaxiæ. Sic enim scribit lib. XXVII. cap. XI. *Leucographis qualis esset, scriptum non reperi: quod eo magis miror, quoniam utilis proditur sanguinem excreantibus*, &c. Profecto non mirum nihil de eo reperisse scriptum, quod nusquam extaret. Nec enim herba λευκογραφίς. At illud mirum, quæ sequuntur, verbis Dioscoridis descriptas esse, qui lapidi, non herbæ eas adscribit. Verba Plinii: *utilis proditur sanguinem excreantibus tribus obolis cum croco: item cœliacis trita ex aqua & apposita: profluvio fœminarum, oculorum quoque medicamentis.* Rectè hæc distincta libri non habent, *ex aqua.* Lege, ac interpunge: *utilis proditur sanguinem excreantibus tribus obolis cum croco, item cœliacis: trita & apposita profluvio fœminarum.* Dioscorides: ἁρμόζων ἐπὶ αἱμοπτοϊκῶν, καὶ κοιλιακῶν καὶ ῥοϊκοῖς ὁμοίως, καὶ ἐν προσθέμασι. Sequitur apud Plinium: *oculorum quoque medicamentis, & explendis ulceribus, quæ fiunt in teneris partibus.* Dioscoridem ad plenum non est assequutus, cujus hæc sunt: ἐς τε τὰ μαλακὰ ὀφθαλμικὰ μίγνυνται. Πληροῖ δὲ τὰ κοιλώματα, καὶ ῥεύματα ἵστησι, σὺν δὲ κηρωτῇ ἀναληφθεὶς τὰ τρύφερα τῶν ἑλκῶν ἀπουλοῖ. Misceri medicamentis oculorum ad explenda eorum κοιλώματα, & sistendos fluxus. Κοιλώματα sunt in oculis cava, & rotunda ulcera. Ῥεύματα quoque inter affectiones oculorum. Malè *destillationes* vertunt, nec rectè distinguunt. Eadem porro leucographis etiam teneriora ulcera, vel in teneris partibus, ad cicatricem conducere valent. Talia sunt ἐλωτικὰ diversa utique ab his, quæ ulceribus explendis faciunt. Quæ Plinius heic confudit. Tria porro huic erant lapidi nomina, Μορόχθος, Γαλαξίας, & Λευκογραφίς. Sub Μορόχθε nomine remedia ex eo recenset Dioscorides. At Plinius, cum utilitates ejus in Adversaria sua retulisset sub nomine, ac titulo leucographidis, oblitus lapidem esse, inter herbas, quas ordine literarum recensebat, eam posuit. Nec mirum, si descriptionem hujus herbæ, quæ leucographis diceretur, nusquam potuit reperire. Stultè agere puto, & frustra operam ponere, qui Plinium heic defendunt.

Reddit succum album ad lactis saporem] Ineptum est dicere, *succum album ad lactis saporem*, cum differant color, & sapor. Plinius: *succo, & sapore lactis notabilis.* Puto itaque legendum: *reddit succum album, ac lactis sapore.* Putaret etiam aliquis: *succum album ad lac, & sapore.* Ita loquitur noster suprà: *lapidi isti ad succinum color est.* Et alibi: *Callaïs ad smaragdum viret.* Ita hoc loco: *reddit succum album, & sapore ad lac.* Isidorus vulgatam tuetur, quam & contumax aliquis possit contendere retinendam.

Pag. 16. E. *Memoriæ bonum perimit*] Regius codex: *memoriam interficit, bonum perimit.* Ex utriusque editionis lectionibus confusis, quarum prior habuit: *cum solvitur, memoriam interficit:* posterior: *memoriæ bonum perimit.* Plinius: *eumdem memoriam adimere dicunt.* Ex antiqua elegantia est *memoriam interficere*, pro adimere. Catullus:

---- *nasorum interfice pestem.*

Virgilius, *interfice messes.* Apulejus, *nova nupta interfectæ virginitatis*, & *sermonem singultu crebro interficere* lib. IX. Idem de Deo Socratis: *sicubi tamen interfectis sapientiæ officiis non consilio, sed præsagio indigebat.* Virgilius.

Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice messes.

Quem post Nilum Achelous dat, tertium nemo] Ita vulgati. In Regio: *nec alter alius, tertius nemo.* More suo posuit illius libri antiquarius utriusque editionis scripturam. In aliis libris est: *nec alter alius.* Quæ προεκδόσεως videtur lectio, quam, ut apparet, mutavit in recognita, quia alter de secundo tantum dicitur, non de tertio. Pro eo igitur scripsit: *tertius nemo.* Malè in editionibus: *tertium nemo.* Nilus Galactiten dat, dat & Achelous secundus: qui eam gignat nemo est tertius.

Scioessa locus novem collium opacitate umbrosus] Qui Solinum defendere parati erunt, hic patrocinium suum illi debent. Hic locus est tamen, in quo indefensus perire periclitatur. Adeo nulla cuiquam suppetere potest ejus protegendi via. Plinius ex novem montibus, qui in Achaïa sunt, Scioessam notissimum esse dicit. *In Achaia, novem montium Scioessa notissimus, fons Cymothoe.* Quæ Solinus ita accepit, quasi Scioessa locus esset in Achaia notissimus, idcirco quod ex undecim collibus constaret, quorum opacitate umbrosus esset, atque inde nomen. Ita inquam accepit, quasi Plinius dixisset Scioessam novem esse montium, hoc est, novem montes habere, à quibus umbraretur. At de Achaïa loquitur, quæ novem montes haberet, quorum notissimus Scioessa. Sic paulo post: *ibi regio Messenia, duodeviginti montium.* Hoc etiam erravit noster, quod montes in colles vertit. Sed hæc in Solino mirari jam pridem desii, qui totus ex his prodigiis conflatus est, quantus quantus est.

In Laconia] Scripti: *in Laconica.* Quod melius, ἐν τῇ Λακωνικῇ, Græci enim ita potius quam Λακωνίαν dicunt. Mela: *in Peloponneso, Argolis, Laconice, Messenia.* Ἡ Λακωνική. *Laconidem* etiam vocat τὴν Λακωνίδα γῆν. *In Laconide Therapne, Lacedæmon.* Nisi & ibi legendum, *in Laconice.* Servius tamen, & Diomedes *Laconiam* dixere. Martianus: *Achaïa, Messenia, Laconia, Argolis.*

Quem Delphine eo advectum imago testis est] Vide Pausaniam,

ſaniam. Epigramma, quod ſubjectum erat imagini, refert Ælianus in hunc modum:

Ἀθανάτων πομπαῖσιν Ἀρίονα Κυκλέος υἱὸν
Ἐκ Σικελοῦ πελάγους σῶσεν ὄχημα τόδε.

Ita enim ſcribendum Κυκλέος υἱὸν, non Κυκλῶνος. Κυκλεὺς vocabatur pater Arionis.

Ad caſus effigiem, & veri operis] Varia lectio ex προεκδόσει: *ad caſus effigiem, & fidem rerum*. Illud *caſus effigiem* ex Virgilianis iſtis effinxit Solinus:

Ter conatus erat caſus effingere in auro.

Poëtam ſæpe imitatur noſter.

Olympiade undetriceſima] Euſebius hanc Arionis hiſtoriam Tænarum uſque Delphino vecti ad quadrageſimam Olympiadem rejicit, annis XLV poſterius, ubi Scaliger rectè eam referri ad tempora Periandri obſervat, non tamen ad rectum annum, quem ex hoc Solini loco undetriceſimæ Olympiadis primum fuiſſe vult. Quomodo id poſſit procedere, nullus video. Periander obiit, ut ex Laërtio idem Scaliger obſervat, anno ultimo Olympiadis octavæ & quadrageſimæ. Tyrannidem obtinuit annos XL. Sic regnare cœpit anno primo Olympiadis octavæ & trigeſimæ. Quo tempore annum vitæ agebat quadrageſimum. Octoginta autem vixit annos eodem auctore Laërtio. Ergo undetriceſimæ Olympiadis anno primo quinquennis erat Periander, ut puta natus Olympiadis primo anno duodetriceſimæ. Quod nullo modo quadraverit. Etenim amicum jam, & amatum Periandri regis fuiſſe Arionem, cum relicta Corintho Siciliam petiit, inter omnes fermè convenit. Non rectè igitur hujus geſti tempus aſſignatur undetriceſimæ Olympiadi. Aliquid eſſet veriſimilius, ſi undequadrageſimæ legeretur. Narrat Laërtius Periandrum inclaruiſſe circa octavam & trigeſimam Olympiadem.

Leuctra non obſcura] Sic omnes libri, & editiones Delriana anteriores. Correxit ille, *Leuctram non obſcuram*. Verùm quis neſcit hanc generum, & numerorum Enallagen in nominibus urbium à veteribus frequentatam. Τὰ Ἱεροσόλυμα, & *Hieroſolymam*, & *Hieroſolymas* dicunt, atque ita in ceteris.

Lacedæmoniorum fœdo exitu] Sic Plinius: *notatum Athenienſium infauſto exitu*. Ut ſuprà emendare memini.

Amyclæ ſilentio ſuo quondam peſſundatæ] Laconicis Amyclis tribuit, quod Italicis omnes. An auctorem habeat neſcio, illud ſcio id moris eum habere, & conſtanter ubique retinere, ut nihil ſani dicat.

Pitane, quam Arceſilas Philoſophus] Et heîc ſibi ſimilis Solinus deprehenditur. Ex Pitane Laconica oriundum facit Arceſilaum, qui fuit ex Æolide. Ἀρκεσίλαος Πιταναῖος τῆς Αἰολίδος. Nec verius, quod Stoicum tradit, qui fuit Academicus, τῆς μέσης Ἀκαδημίας κατάρξας πρῶτος. Plerique, & vetuſtiſſimi codices *ſophicum* pro Stoico ſcribunt. An hac voce uſus eſt pro philoſopho? *ſophum* etiam dixere Latini.

---- *tum victor ſophus*.

Phædrus. Inde *Sophicus*. Sed melius fortaſſe, *ſcepticus*. Nam & Pyrrhonis æmulator fuit Arceſilas, & σκεπτικός. Ita ſanè legendum puto. Quidam libri *Archelas* præferunt. Sed nec ille Pitanæus. Ineptè porro faciunt, qui inter Arceſilan, & Arceſilaum diſtiguunt. Διὰ τὸ περὶ πάντων ἐπέχειν. Nihil cum ſcripti reliquiſſe tradit Laërtius. Inde *Scepticus* heîc vocatur.

Anthea & Cardamyle] Male in editis *Cardamylæ*. Libri, ἡ Καρδαμύλη, καὶ Ἄνθεια. Apud Plinium ita quoque legendum: *atque ubi fuere Cardamyle, Pitane, Anthia*. Nam ſcripti *Antiane*, & *Anxiane*, quam Thucidides Ἀνθήνην appellat, diverſa eſt ab Ἄνθεια. Ea eſt, quæ Ἀνθάνα Stephano, πόλις Λακωνικὴ μία τῶν ἑκατόν. At Anthia tempore Thucididis non erat amplius, ſed quæ Homero Ἄνθεια, poſtea Θυρέα dicta eſt, & vicina Cardamylæ. Strabo: Καρδαμύλη, εἶτα Φηραὶ ὅμορος τῇ Θυρέᾳ, καὶ Γερηνίᾳ, ἀφ᾽ ἧς τόπου Γερήνιον τὸν Νέστορα κληθῆναι φασί. Idem infrà: Ἄνθειαν δὲ οἱ μὲν αὐτὴν τὴν Θυρέαν φασίν. Αἴπειαν δὲ τὴν Μεθώνην. Idem eſt apud Pauſaniam, qui etiam notat, quæ Ἐνόπη Homero dicitur, dictam poſtea fuiſſe Γερηνίαν. Quare Plinium, qui in editis vitioſiſſimè concipitur, ſic cenſeo emaculandum: *atque ubi fuere Cardamyle, Pitane, Antheja, nunc locus Thuria, Gerenia*. Ita ſcripſiſſe Plinium manifeſtè indi-

A cat Solinus hoc loco, ſi legatur, ut in veteribus libris extat, in hunc modum: *Anthea, & Cardamyle ubi quondam fuere, Thyrea nunc locus dicitur*. Ita in omnibus libris Solini exaratum eſt, nos interpunctionem tantùm mutavimus. Nam malè hactenus vulgatum eſt: *Anthia & Cardamyle, ubi quondam fuit Thyrra nunc Locus dicitur*. Quæ dici vix poſſit, quot modis erant vitiata. Primùm hoc habet auctor noſter, ut nomina urbium nuda non proponat, ſed aliquo inſigni, aut elogio eas ornet. Nec enim alias ferè urbes ſolet recenſere, quam quæ re aliqua memorabili, aut viris inclytis inclaruere. Deinde *Locum* dici, quæ antea *Thyrea* ſit appellata,

B ratione caret. *Locus* nec proprium loci nomen eſt, nec Græcum. Nunc verba Plinii perpendamus. Dicit, ubi Cardamyle, & Pitane, & Anthea fuerunt, nunc eſſe locum Thuriam, & Gereniam. Certe Cardamyle, & Anthea vicinæ, Homero nominatæ in propinquo. Similiter Thuria, & Gerenia, ut ex Strabone vidimus. Sed de Pitane qui poteſt id verum eſſe? Pitane urbs τῆς Ἠλείας prope Olympiam, inter quam, & Pheam alteram Elidis urbem Alpheus in mare exonerat. Nulla tamen poteſt eſſe mendi probabilis ſuſpicio. Nam Pitanen in Laconica ex illo Plinii loco recenſet Solinus. Πέλανα magis convenirent, de

C quibus Strabo: Ἐνόπην δ᾽ οἱ μὲν τὰ Πέλανα φασίν. Οἱ δὲ τόπον τινὰ περὶ Καρδαμύλην, οἱ δὲ τὴν Γερηνίαν. Hoc vult Plinius, Cardamylen, Pitanen, & Anthiam non amplius extare, & in eorum loco eſſe Thuriam, & Gereniam. Utraque urbs ad mare ſita, ut & illæ quondam. A Thuria, κόλπος Θουριάτης. Hanc alii non Ἄνθειαν, ſed eam quæ Αἴπεια Homero nominatur, eſſe volebant: & magna in his auctorum dividia eſt. Male autem apud Plinium *Gerania* pro *Gerenia* editur. *Gerania* mons eſt inter Megara, & Corinthum, de quo Simonides hoc Epigrammate nondum edito, & valde

D corrupto in membranis:

Ἠερίη Γεράνεια κακὸν λέπας, ὤφελες Ἴστρον
Τῆλε, καὶ ἐκ Σκυθέων μακρὸν ὁρᾶν Τάναϊν,
Μηδὲ πέλας ναίειν Σκειρωνικὸν οἶδμα θαλάσσης
Ἄγκεα νειφομένας ἀμφὶ Μεθουριάδος.

Apud Callimachum in Hymno Dianæ non eſt πάγος Γεράνειος ſed Κερύνειος. Sic enim de cerva æripede:

---- Πάγος Κερύνειος ἔδεκτο.

Male hodie legitur Κεραύνιος. Nec legendum Γεράνειος. Mons eſt Arcadiæ Κερύνεια. Unde Κερυνῖτις illa cerva cognominata eſt. Servius: *vicit autem cervam Cerynitim dictam à loco*. Male *Cerinitum*. Apud Hyginum

E quoque id nomen corruptum, & *in Ceryneo monte* legendum, vel *Cerynio* pro *Ceranio*. De *Gerania* porro certum eſt aliam ab ea eſſe τὴν Γερηνίαν, & Γεράνειαν.

Thyrea nunc locus dicitur] Hæc omnium editionum, & librorum ſcriptura eſt, diſtinctio noſtra, hallucinatio Solini, qui Thyream pro Thuria accepit apud Plinium. Delrius ediderat: *ubi quondam fuit Thyrra, nunc Locus dicitur*. Imperitè. Quaſi *Locus* poſtea dicta ſit, quæ antea *Thyrea* dicebatur. Plinius ex emendatione noſtra: *ubi fuere Cardamyle, Anthia, nunc locus Thuria, Gerenia*. Scriptum in Plinio *Thyrea* cor-

F ruptè: ut *Thyle* pro *Thule*. Inde Solinus Θυρέαν eſſe putavit, quæ eſt Θυρέα. Θυρέα olim Ἄνθεια, in littore ſita, unde Θυριάτης κόλπος, vicina Gereniæ. At Θυρέα locus in collimitio Argolidis, & Laconicæ; de quo certamen inter Argivos, & Laconas in fama eſt. Vide Strabonem. Stephanus: Θυρέα περὶ ἧς Ἀργεῖοι καὶ Λακεδαιμόνιοι ἐπολέμησαν. Ἔστι δὲ καὶ τῆς Καιναργίας γῆς, μεθορία δὲ τῆς Ἀργείας, καὶ Λακεδαιμονίας. Quæ ſunt inquinatiſſima. Ea ſic emenda: ἔστι δὲ τῆς Κυνουρίας γῆς ἐν μεθορίᾳ τῆς Ἀργείας καὶ Λακεδαιμονίας. Thucydides lib. IV. Περὶ τῆς Κυνουρίας γῆς, ἧς ἀεὶ πέρι διαφέρονται, μεθορίας οὔσης. Ἔχει

G δ᾽ ἐν αὐτῇ Θυρέαν καὶ Ἀνθήνην πόλιν. Thyrea, & Anthene in Cynuria regione Argolica, quę dicta eſt à Cynuro urbe Argolidis. Ex quibus videre eſt, quam parum proſperè in Plinio repoſitum ſit nomen Anthanæ urbis pro Anthia, & quam malè hodie apud eundem legatur *Thyrea* pro *Thuria*. Locum Plinius Thuriam vocat, quod oppidum non eſſet, ſed vicus tantum & κατοικία, ſive κώμη. Eodem capite: *locus Pharæ*, id eſt, κώμη. Ibidem: *oppidum Olenum, colonia Dyme, Loca Bupraſium, Hermione*, hoc eſt, κατοικίαι. Stephanus: Βουπράσιον, κατοικία ἀξιόλογος τῆς

τῆς Ἤλιδος. Sic infra Solinus: *Pythonis come in Asia locus.* Valerius Maximus lib. v. cap. III. de Theseo: *ille locatim dispersos cives suos in unam urbem contraxit.* Ita veteres libri. Reposuere, *vicatim dispersos.* Pravo judicio. *Locatim dispersos*, κωμηδὸν διεσπαρέντας. Nam locus est κώμη, vel pagus. De tempore Thyreatici belli vide Scaligerum ad Eusebium.

Pag. 16. G. *Æsculapii sacellum, cui incubantes*] Non sacello incubabant; qui remedia capessebant, quî enim id pote? sed in sacello lectis, aut stramentis. Plautus in Curculione:

Ideo fit, quia hic leno ægrotus incubat
In Æsculapii fano.

Sic Græci ἐν τῷ ναῷ ἐγκοιμᾶσθαι: & οἱ ἐν τῷ ναῷ ἐγκοιμώμενοι. Ita Aristoteles in Admirandis, ἐν τῷ σπηλαίῳ ἐγκοιμᾶσθαι. Fortasse *sacello incubare* dixit noster, pro *in sacello cubare.*

Monitis somniorum] Hinc illa crebro in antiquis inscriptionum monumentis, *somnio monitus.*

Pallanteum Arcadiæ] Stephanus: Παλλάντιον πόλις Ἀρκαδίας. Ita enim scribendum, non Παλάντιον. Vitio etiam librariorum Παλάντιον scribitur apud Dionysium, & Πάλας, pro Πάλλας. Plinius: *Pallantium, unde Palatium urbium.*

Pag. 17. A. *Ille Herculis pugna, hic Pane clara sunt*] Egregiè hunc locum restituimus, qui vitam nostræ conjecturæ debet. Legebatur antea: *Inter flumina Erymanthus Erymantho monte demissus est, & Ladon ille. Herculis pugnæ hîc plane clarescunt.* Nec meliora libri suggerebant. Nisi quod *clara sunt* in illis reperi. Reliqua ut in editis. Inter flumina Arcadiæ clara esse dicit Erymanthum Erymantho monte demissum, & Ladonem: illum, nempe Erymanthum Herculis pugna clarum cum Erymanthio apro: hunc, Ladonem scilicet, Pane, ob Syringa Panis amatam, quæ ad hunc amnem in harundines versa est, de quibus Pan fistulam fecit.

Fontem in Arcadia esse, cujus interimat haustus] Στυγὸς ὕδωρ intelligit, quod apud Nonacrin Arcadiæ profluit. Cur nomen ejus non adscripsit? an quia notior, quam ut indicari deberet? habet à Plinio, & tamen auctorem citat Varronem. Plinius lib. II. cap. CIII. *Juxta Nonacrim in Arcadia Styx nec odore differens, nec colore, epota illico necat.*

Cum aliis locis merula furva sit] Plinius: *Merulæ circa Cyllenen Arcadiæ, nec usquam alibi candidæ.* Genus hoc loquendi imitatus est in alia re noster, suprà de cicadis. *Cicadæ apud Rheginos, nec usquam alibi, mutæ.*

Asbesto nomen est ferri colore] Ex Plinio, qui in montibus Arcadiæ nasci scribit. Hic accensus extingui nequit. *Apsictos* nomen quoque lapidis apud eumdem Plinium, qui semel excalefactus nequit refrigerari. Ἄψυκτος. In optimo libro *Aspictos* scribitur, ut *Spycharion*, *Microspychus.* Malè in editis *Asyctos* vocatur.

Quod sinibus quinque Peloponnesi oræ alluuntur] Ait quinquennales ludos apud Isthmum ea propter institutos, quod quinque sinibus Peloponnesi oræ alluuntur. Quæ jocularis & festiva hallucinatio est, ex Plinii verbis malè acceptis concepta. Plinius lib. IV. cap. V cum regiones omnes Peloponnesi, urbesque, & sinus enumerasset, circuitu facto totius peninsulæ, quem ab uno Isthmi latere, ubi Lechæum auspicatus est, altera parte, ubi sunt Cenchreæ, terminavit, ubi in hæc verba desinit: *&, quas suprà diximus Cenchreæ, Isthmi pars altera cum delubro Neptuni quinquennalibus incluto ludis.* His dictis, & periplu Peloponnesi absoluto, subjicit: *Tot sinus Peloponnesi oram lancinant, tot maria allatrant. Siquidem à Septentrione Ionium irrumpit,* &c. Solinus putavit eum dicere, tot sinus, id est, quinque Peloponnesi oram alluere, & ab eo numero sinuum quinquennales ludos propterea institutos. Quod absurditatis, & supinitatis, ablepsiæque ὑπερβολὴν nullam relinquit. Sinus omnes, quibus ora Peloponnesi alluitur, toto illo capite recensuit Plinius, ideo in fine subjecit, *tot sinus Peloponnesi oram lancinant.* Et videamus, an quinque tantum sint. Corinthiacus primus sinus ad Isthmum ipsum, Chelonates sinus, Cyparissius, Asinæus, Coronæus, Laconi-

A cus, Ægylodes, Gytheates, Argolicus, Saronicus, hi sunt decem. His sinibus memoratis, addit: *Tot sinus Peloponnesi oram lancinant.* Sequitur de maribus: *tot maria allatrant, siquidem à Septentrione Ionium irrumpit, ab Occidente Siculo pulsatur, à Meridie Cretico urgetur, ab Oriente brumali Ægæo, ab Oriente solstitiali Myrtoo, quod à Megarico incipiens sinu totam Atticam alluit.* Heîc quinque maria sunt, quæ à sinibus distinxit Plinius, quæque pro sinibus accepit Solinus, putido, pudendoque errore. Vereor etiam, ut numerus marium possit illi constare. In optimis Plinii codicibus sic scriptum reperitur, *à meridie Cretico urgetur, ab Oriente solstitiali*
B *Myrtoo*, omissis illis, *ab Oriente brumali Ægæo.* Quæ verba, ut insitiva, prorsus expungenda sunt, & explodenda. Nam mare Myrtoum, quod à Megarico sinu incipit, & totam Atticam alluit, pars est Ægæi, qua Peloponnesus ab Oriente solstitiali urgetur, nec alia parte Ægæi maris ulla ora potest Peloponnesi allatrari. Solinus, ut numerum quinque sinuum efficeret, addidit *à brumali Occidente Ægeum.* Quod falsissimum est. Unde enim Ægæum à brumali occidente Peloponnesi? à Septentrione Ionio alluitur, ab occidente non solum æquinoctiali, sed & brumali, & solstitiali Siculo
C mari, & Libyco alluitur: nullumque ab eo latere Ægæum. Ita tamen omnes libri sine varietate. Tolerabilius utcumque esset, si legeretur, *à brumali oriente Ægæo.* Quod nec ipsum tamen potest locum habere, quum addat de Myrtoo, quod pars est Ægæi, & incipit à sinu Megarico, qui & Saronicus, quo tota Attica alluitur. Dionysius περιηγητὴς Isthmum gemino mari circumsonari dicit, Corinthiaco ab occidente, Saronico ab oriente:

Νέρθε γε μὴν Ἰσθμοῖο πρὸς αὐγὰς Ἀτθικὸν ὕδας.

Mirus igitur hoc loco auctoris nostri stupor. Quis enim præter eum dixit ideo quinquennales institutos ludos Isthmicos, quod quinque sinibus allueretur Pe-
D loponnesus? Olympiaci ante Isthmicos instituti, & quidem quinquennales, ergo ob eamdem etiam rationem, si Solino credimus: cujus hoc commento nihil ineptius, & ἀλογώτερον fingi potest, & magis inauditum. Isthmia trieterica fuisse, non pentaeterica, ex aliis auctoribus scimus. Quod magis revincit Solini ridiculum errorem. Verum de his alibi.

Pag. 17. B. *Quod quinque sinibus Peloponnesi ora alluitur*] Longe pluribus, ut dixi, sinibus ora Peloponnesi alluebatur, & aliud sunt sinus, aliud maria. Ut Græcis aliud κόλποι, aliud πελάγη. Strabo de sinibus Peloponnesi: κόλποι δ' εἰσὶν ἐνταῦθα ὅ τε Μεσσηνιακὸς, καὶ ὁ Λακωνικὸς, καὶ τρίτος ὁ Ἀργολικὸς, τέταρτος δ' ὁ Ἑρμιο-
E νικὸς καὶ ὁ Σαρωνικὸς, ὃν δ' Σαλαμινιακὸν καλοῦσιν. Ὧν τοὺς μὲν ἡ Λιβυκὴ, τοὺς δ' ἡ Κρητικὴ θάλασσα πληροῖ, καὶ τὸ Μυρτῷον πέλαγος. Hi sunt sinus ab eo latere Peloponnesi: hæc maria, quæ illos sinus intrant. Nullum ex his Ægæum præter Myrtoum, quo sinus Saronicus, quem & Salaminiacum vocabant, mpletur. Vide Strabonem lib. IX. & Melam.

Olympiade quadragesima nona] Eusebius ad hanc Olympiadem: *Isthmia post Melicerten, & Pythia primum acta.*

Recessibus, & prominentiis figurata] In libris: *& promi-*
F *nentibus.* Ita solet vocare. In προεκδόσει fuit: *per recessus, & prominentias.* Recessus sunt κόλποι, quos faciunt prominentiæ. Mela: *Peloponnesi oram sinus, & promontoria lacerant.* Plinius, *Lancinant.* Idem Mela: *Peloponnesos, ob sinus & promontoria, queis, ut fibris, littora ejus incisa sunt, platani folio simillima.* Ubi *fibræ* sunt, ut fimbriæ. Nec mutandum. Extremitates foliorum, & radicum *fibras* dici notat Servius, atque ita apud Ciceronem legit: *fibræ cincinnorum madentes.* Sic incisorum foliorum extremitates fibræ sunt, & fimbriæ. Unde *fimbriata folia*, & in vestibus *fimbriæ* ab eadem origine. Nonius: *Fimbriæ, omnis extremitas.* Κράσπεδον, *lacinia*, dicta à
G *lacino*, quod idem est ac *lancino.* Ita enim scripti codices Solini *lacinare*, ac *dilacinare.* Antiquum & πρωτότυπον *laco* ex Græco λακῶ, quod est in pannulos, & frusta discindo. Nam λάκος Græcè idem quod ῥάκος. Hesychius: λάκη, ῥάκη: & λακίς, ῥαφὴ, σχίσμα, σπάραγμα ἱματίων. Ab illo verbo *laco* deducta *lacero*, & *lacino.* Inde *lacinia* vestis & lacina. *Lacinam viæ facere* in antiquis legibus Langobardicis pro impedire viam, & eunti

 moram

moram facere. Græca interpretatio vetus ὀδοντωτὸν vertit. Hinc *lacinioſa veſtis*, ὀδοντωτὸν: & *lacinioſæ ſarcinæ* Valerio, non expeditæ, nec ſuccinctæ. Peloponneſus laciniatim ſinibus adluitur quamplurimis, quia multis eam locis incurrunt, & laciniant, ſcinduntque. Eadem ratio fecit, ut *ſinus Craſpedites* vocaretur, de quo Plinius & Græci. κράσπεδον, *lacinia, fimbria.* Ita Gloſſæ: *in laciniis aſſignari* dicuntur agri apud auctorem de Coloniis, qui non per univerſitatem, ſed viritim per portiunculas aſſignantur. Et *limites interciſivi* dicti, & *proportionales*, quibus hujuſmodi aſſignatio peragebatur. *Interciſuris aſſignatus ager*, his proportionalibus terminis finitus dicebatur. De his alias.

Quatuor non amplius millibus diſpeſcens utrumque littus] Mela: *quinque millium ſpatio Ægæum mare ab Ionio ſubmovens.* Martianus quoque: *in quinque millibus paſſuum maria utrinque collidunt, ac latera meatu ſubradunt.* Ita ſcribendum. Malè vulgo: *meatus abradunt.* Paulo poſt idem Martianus corrigendus in his verbis: *colonia eſt Corinthus, ſexagenis ab utroque littore ſtadiis à Piſa ſumma arce, quæ dicitur Acrocorinthos, utrumque mare proſpectans.* Quæ vitio laborant. In ſcriptis eſt: *ab utroque littore ſtadiis à ſumma arce.* Scribe: *ſexagenis ab utroque littore ſtadiis à ſumma arce, quæ vocatur Acrocorinthos utrumque mare proſpectans.* Et confirmat Plinius. Τετλαράκοντα porro ſtadia Iſthmo tribuit Strabo, quæ ſunt quinque millia, ſi octo ſtadia des miliari, ut quidam faciunt. Sin ſeptem tantum cum dimidio, erunt quinque ſemiſtadia minus. At quatuor paſſuum millia, quod ſpatium Iſthmo aſſignat Solinus, triginta tantum ſtadia efficiunt. Sed ille hoc habet, ut ſemper à notioribus, & certis recedat, nec præter promiſſum facit.

Hinc Hellas incipit] Omnes Hellada ab Iſthmi anguſtiis incipere faciunt. Quo uſque protenderetur, variæ inter Græcos ipſos fuere ſententiæ. Phileas Magneſia Græciam terminabat, quo nomine à multis reprehenſus, quod Magneſiam Helladis nomine excluderet. Dicæarchus:

Ἡ δ᾽ Ἑλλὰς ἀπὸ τῆς Ἀμβρακίας εἶναι δοκεῖ
Μάλιστα συνεχὴς, τὸ πέρας αὐτῆς ἔρχεται
Ἐπὶ τὸν ποταμὸν Πηνειὸν, ὡς Φιλέας γράφει
Ὄρος τε Μαγνήτων Ὁμόλην κεκλημένον,
Τινὲς δὲ τὴν Μαγνησίαν τῆς Ἑλλάδος
Λέγουσιν εἶναι, τόνδε Φιλέαν ἀγνοεῖν
Ἀποχωρίσαντα.

Ita legendi hi verſus. Phileæ ſententiam probat, & ſequitur Dicæarchus his verbis: τὴν μὲν οὖν Ἑλλάδα ἀπὸ Πελοποννήσου τὴν ἀρχὴν λαβὼν μέχρι τοῦ Μαγνήτων ἀφορίζω Ὁμολίου. Ita ſcribi debet pro eo, quod editum eſt: ἀφορίζω σάμπου. Et forte etiam ſcribendum, στομίου. Paulo poſt: τὴν δὲ Ἑλλάδα ἀφορίσαντες ἕως τοῦ τῶν Θετταλῶν στομίου, καὶ τοῦ Μαγνήτων Ὁμολίου, τὴν διήγησιν πεποιημένοι καταπαύομεν τὸν λόγον. Theſſalorum στόμιον vocare videtur oſtium Penei, qua Tempe ingreditur, quod & στόμιον Μαγνήτων dici queat. Nam inde incipiebat Magneſia, ubi & deſinebat Theſſalia. Ibi etiam ſita *Homole*, vel *Homolium*, in collimitio ſitum Magneſiæ & Theſſaliæ. Unde alii Theſſalis adſcribunt, alii Magnetibus. Magnetes autem habitabant intra Tempe, ab initio Penei, quà per Tempe ſeſe evolvit, quod στόμιον appellat Dicæarchus, Plinius, *oſtium Penei*, uſque ad Pelion. Quidam Græcorum ne Theſſaliam quidem Helladis nomine cenſendam putaverunt, quos idem Dicæarchus reprehendit, oſtenditque Theſſaliæ id nomen magis proprie convenire, quoniam Ἑλλὰς antiquitus urbs Theſſaliæ fuerit, condita ab Hellene Æoli filio, unde Ἕλληνες Græci dicti, & Ἑλλὰς Græcia. Teſtem vero producit Poſidippum Comicum, qui Athenienſes incuſat, quod urbem ſuam, & linguam Græcam maximè habendam ubique jactabant. Verſus Poſidippi emendatiores heîc ponam.

Ἑλλὰς μέν ἐστι μία, πόλεις δὲ πλείονες,
Σὺ μὲν ἀττικίζεις ἡνίκ᾽ ἂν φωνὴν λέγῃς
Αὐτοῦ τιν᾽, οἱ δ᾽ Ἕλληνες ἑλληνίζομεν.

Theſſalus aliquis, ut apparet, in terra Attica natum his verſibus alloquitur, aitque, ut Attici ἀττικίζειν dici debent, quum ſua lingua loquuntur, ita ceteros Græcos ἑλληνίζειν. Addit Dicæarchus: πρὸς μὲν τοὺς

A οὐχ ὑπολαμβάνοντας εἶναι τὴν Θετταλίαν τῆς Ἑλλάδος, οὐδὲ τοὺς Θετταλοὺς Ἕλληνος ἀπογόνους ὄντας Ἑλληνίζειν ἐπὶ τοσοῦτον εἰρήσθω. Sed quid ſibi vult Suidas, cum ſcribit, Σικυὼν, ἡ νῦν Ἑλλὰς καλουμένη? Quid item Cedrenus, quum Σικυωνίους Ἑλλαδικοὺς vocat, & Peloponneſios Ἕλληνας? βασιλεία Ἑλλήνων ἤτοι Πελοποννησίων. Iſidorus: *Helladis autem duæ ſunt provinciæ, Bœotia & Peloponneſus.* Et paulo poſt: *Peloponneſus, ſecunda pars Helladis à Pelope regnata*, Ἑλλάδα & Ἕλληνας Græci veteres eos ſolos vocabant, qui extra Peloponneſum, ab ipſis Iſthmi anguſtiis, initium ſumebant. *Achaja* provincia Peloponneſi prima, quæ ſtatim ab Iſthmo auſpicabatur, in qua urbs Sicyon.
B *Antea*, inquit Plinius, *Ægialos vocabatur propter urbes in littore per ordinem diſpoſitas.* Alii ab Ægialeo Sicyonis rege Sicyonem ipſam ſic dictam tradunt, quæ poſtea à Sicyone altero rege nomen ſortita eſt. Euſebius: *Sicyon, à quo Sicyonii nuncupati ſunt, qui primum Ægialei vocabantur.* Totam Peloponneſum Ægialeam vocatam ſunt qui ſcribant. Joannes Antiochenſis περὶ ἀρχαιολογίας: ἀπὸ Αἰγιάλεως βασίλεως Σικύωνος. Αἰγιάλεια ἡ νῦν Πελοπόννησος. Vetus poëta apud Quintilianum. *Ægialea paret*, de Peloponneſo. Αἰγιαλὸν τῶν Ἀχαιῶν. Strabo vocat provinciam illam Peloponneſi, quæ & Αἰγιάλεια dicta eſt. Achæi illi origine erant
C Phtiotæ. Phtiam autem quidam, ut Strabo refert, cenſebant τὴν αὐτὴν εἶναι τῇ Ἑλλάδι καὶ Ἀχαΐᾳ. Non propterea tamen Sicyonios, & Achæos Peloponneſi Ἕλληνας fuiſſe vocatos crediderim, ne quis me cenſeat. Sed quum Latini ſcriptores Ἀχαΐαν & Ἑλλάδα confunderent: Ἀχαιοὺς & Ἕλληνας pro iiſdem acciperent. Hinc factum, ut antiqua Græcorum Ἑλλὰς, quæ ab Iſthmo Peloponneſi incipiebat, & Theſſalia terminabatur, *Achaja* nominata ſit, quia Romani Græcos *Achæos* vocabant. Et vice verſa Ἀχαΐα Peloponneſi, quam Græci
D veteres ita vocabant, nomen Ἑλλάδος ſumpſerit. Unde & tota Peloponneſus *Hellas* appellata recentioribus Græcis. Ptolemæus, qui nomina urbium, ac provinciarum non alia recenſet, quam quæ Romanis uſitata eſſent, Ἀχαΐαν vocat τὴν Ἑλλάδα antiquorum: τῆς Ἀχαΐας ἡ μὲν συνημμένη ταῖς εἰρημέναις ἐπαρχίαις μέχρι τοῦ ἰσθμοῦ τῆς Πελοποννήσου, ἣν Ἑλλάδα καλοῦσιν, ὁρίζεται ἀπὸ μὲν δύσεως τῇ Ἠπείρῳ, &c. Ambigi poſſet, utrum Peloponneſum Ἑλλάδα vocari dicat, an eam Achaïam, quæ ſupraſcriptis provinciis finitur, & uſque ad Peloponneſi Iſthmum extenditur. Sed omnino oportet Achaïam appellatam Ἑλλάδα intelligamus. Hic locus ſolus potuit in errorem inducere omnes ſequen-
E tis, ac ſequioris ævi ſcriptores, qui Peloponneſum propriè vocitatam Hellada hinc ſibi perſuaſerint: τῆς Πελοποννήσου ἣν καλοῦσιν Ἑλλάδα. Atqui hæc referri convenit ad Ἀχαΐας nomen.

Hellas incipit, quam propriè volunt eſſe Græciam] Sic altera habuit editio Solini. In altera fuit, priore, an poſteriore neſcio, *quam propriè habent Græciam.* Quinam vero ſunt iſti, quibus Hellas habetur Græcia: Latini nimirum. Plinius: *ab Iſthmi anguſtiis Hellas incipit, à noſtris Græcia appellata.* Martianus Capella: *ab ipſius Iſthmi anguſtiis Hellas, incipit à noſtris Græcia dicta.* Plinius, & Martianus Latinos ſuos vocant, quia La-
F tini ipſi, ſive Romani. Iſte nunquam. Sed & paulo ante, ubi Plinius *noſtros* dixerat de Romanis, *Italos* hic appellavit. Græcum natione oportet fuiſſe, qui ſic loquatur, an Afrum? Afri tamen, ut Martianus Capella, Latinos etiam ſuos nominabant. Sed de his alio loco.

Pag. 17. C. *Saxa Scironia porrecta ſex millibus paſſuum*] Plinius: *Scironia ſaxa* III. M. *longitudine.* Corrige ad hoc exemplum: VI. M. *longitudine.* Nam ita ejus libri. Martianus: *in ora autem portus, cui nomen Scironia ſaxa viginti ſex longitudine.* Quæ depravatiſſima ſic emendanda:
G *in ora portus Schœnus, Scironia ſaxa milium ſex longitudine.* Plinius: *in ora autem portus Schœnus, oppidum Crommyon, Scironia ſaxa.* Ita enim verba Plinii lego ex veſtigiis ſcripturæ veteris. Vulgo eſt: *oppida Sidus, Crommyon.* At *Sidus* ibi non eſt. Quæ ſequuntur apud Martianum, etiam vitioſiſſima ex Plinio ita reſtitui debent: *Pireus, & Phalera quinque* M. *paſſuum muro recedentibus Athenis juncta.* Cujus lectionis haud dubia veſtigia in libris reperi, qui *myrro* habent pro *myrtoo.*

Nec

Nec ideo Enneacrunon fontem nulli rei] Callirhoen & Enneacrunon eumdem eſſe fontem jampridem doctis obſervatum ex Thucydide, & aliis. Plinius tamen videtur diſtinguere, quem noſter ſequitur. Niſi quis putet legi debere apud Plinium, *Callirhoe Enneacrunos.* Καλλιρόη ἐννεάκρουνος. Ita enim ἐπιθετικῶς dicta Callirhoe, quod ἐννέα κρουνοὺς haberet. Sic δωδεκάκρουνον στόμα Ariſtophani. Miro tamen conſenſu in omnibus libris Solini, & antiquis editionibus legitur: *nec ideo Croneſon fontem alterum nullæ rei numerant.* De quo ut quærant eruditis in medio relinquo. Mihi videtur, *ideocruneſon*, corruptum eſſe pro *Enneacrunon.* Unde eſſet legendum: *Nec Enneacrunon, fontem alterum nullæ rei numerant.* Errantem Plinium, ut ſæpe, ſequutus eſt, qui diverſos facit Callirhoen, & Enneacrunon. Certe *Cruneſon* Græcum non eſt. In ſchedis Palatinis *Cruneſcon* legebatur. In aliis bonitate proximis, *Crineſcon.* Vidi etiam in quibus ſcriberetur, *Croneſeon.* Forte: Κρουνίσκον. Ut inter fontes, qui Athenis multi, unus hoc nomine fuerit. Plurimùm moveor tot librorum conſenſu, ut hoc verius exiſtimem.

Pag. 17. D. *Arios pagos*] Ita libri. Vulgo: *Ariopagus.* Perperam. Nam locus ipſe Ἄρειος πάγος, τὸ τοπικὸν Ἀρειοπαγίτης. Sic Ἄρειον πεδίον. Campus Martius Romæ. Τὸ ἐθνικὸν Ἀρειοπεδιεύς, & Ἀρειοπεδίτης. Servius: *unde locus, ubi judices ſederunt, Areios Pagos, judices Athenienſium Areopagitæ.* Ita etiam in Cicerone ſcribi debet, *aſcendit in Arium pagum*, ubi vulgo eſt, *in Ariopagum.*

Opinione prælii cruentiſſimi] Opinionem pro fama poſuit. Unde *in opinione eſſe*, in fama, & in nomine. Hinc bonæ, & malæ opinionis homines, οἱ εὐυπόληπτοι, καὶ δυσυπόληπτοι. Vetuſtiſſima verſio Concilii Chalcedonenſis nondum edita, *Synodicas literas his tantum dari convenit, qui bonæ opinionis eſſe videntur.* Τοῖς ἐν ὑπολήψει οὖσι, *qui in opinione ſunt, opinatis.* Nam & *opinatum* pro viro probo, & bonæ exiſtimationis poſuere. *Opinari* Latinis, τὸ φημίζειν. Nec enim eſt aliquid intra ſe ſentire tantum, ſed etiam exprimere, quod ſentias, & loqui. Suetonius: *quod malè opinari de Cæſare ſoleret*, id eſt, malè loqui: & ibidem: *ſervum graviſſimè de ſe opinantem non ultra quam compedibus coercuit.* Valerius de Daphida: *hic cum ejus ſtudii eſſet, cujus profeſſores ſophiſtæ vocantur, ineptæ & mordacis opinationis, Apollinem Delphis irridendi cauſa conſuluit.* Malæ linguæ homines ita vocavit. Inde *opinio* ἡ φήμη, quod omnes paſſim loquuntur, & jactant. De Marathone autem hic locus è Mela ſumptus, cujus verba ſic interpungenda: *Marathon magnarum, multarumque virtutum teſtis jam inde à Theſeo, Perſarum maximè clade pernotus.*

Cos, Ceos] Mirarer, ſi alius eſſet auctor quam Solinus, Coam inſulam à quoquam inter Atticæ ſuburbanas poſſe numerari. Quod verum eſt, ſi Caria ſuburbana. Nam Cos in Caria. De Ceo nihil verius, quæ una Cycladum eſt, & Atticæ maximè vicina. Dicæarchus:

> Τὰς δὲ Κυκλάδας νήσους ἐρῶμεν κειμένας
> Ὑπὲρ Γεραίστου. Πρὸς δὲ τὴν μεσημβρίαν
> Οὔσας ἐν Εὐβοίᾳ, περιεχούσας δὲ τὸ
> Πέλαγος, τὸ Μυρτῷον λεγόμενον, ἔτι δὲ καὶ
> Τῆς Ἀττικῆς χώρας μετεχούσας παντελῶς,
> Ἐγγὺς Κέως πρώτη τετράπολις, Σούνιον
> Νῆσος ὑπόκειται καὶ λιμὴν, ἔχεται Κύθνος.

Geographiæ magnam imperitiam oſtendit Solinus, qui *Coum*, & *Ceum* inſulas in eodem ponit, quaſi Atticæ ſuburbanas, quæ tam longè ab invicem ſunt diſſitæ. In ſcriptis Solini exemplaribus hoc ordine leguntur: *Coos, Coos.* Non, ut habent vulgati, *Cos, Ceos.* Plinius lib. IV. cap. XII Varrone auctore ex Cea inſula profectam delicatiorem fœminis veſtem dicit. Ergo heic ſcribendum: *Coos, Ceos, quæ, ut Varro teſtis eſt, ſubtilioris veſtis amicula arte lanificæ ſcientiæ prima in ornatum fœminarum dedit.* Libri tamen, ut dixi, omnes aliter: qui Ceon Coo anteponunt, ut Coos nempe, non Ceos arte lanificæ ſcientiæ inclaruerit. Ita in Solini libris lectum fuiſſe ſuo tempore teſtatur Iſidorus his verbis: *Coos inſula adjacens provinciæ Atticæ, in qua*

A *Hippocrates medicus natus eſt, quæ, ut Varro teſtis eſt, arte lanificii prima in ornamentum fœminarum inclaruit.* Quæ à Solino ſunt, errore indidem hauſto de Coo vicina Atticæ. Plinius tamen lib. IV. cap. XII apertè ex Ceo, non ex Coo delicatiorem fœminis veſtem profectam eſſe Varronis auctoritate teſtatur. Idem lib. XI. cap. XXII de bombycina veſte: *prima eas redordiri, rurſuſque texere invenit in Ceo mulier Pamphile Latoi filia, non fraudanda gloria excogitatæ rationis, ut denudet fœminas veſtis.* Libri habent *Coo.* De Ceo tamen accipiendum eſſe conſtat ex his, quæ ſequuntur ſtatim: *Bombycas & in Coo inſula naſci tradunt.* Ex quibus bombycibus B Coam veſtem fieri tradit. In Coo inſula naſcuntur bombyces, ex quibus texitur Coa veſtis, quam etiam viri uſurparunt. In Ceo mulier Pamphile veſtes bombycinas ex Aſſyria bombyce textas redordiri, rurſuſque texere prima invenit, unde fœminis delicatior veſtis facta. In illo capite Plinius de Aſſyria bombyce loquitur, ex qua bombycinæ veſtes, quas redordiri, rurſuſque delicatiori tela texere in Ceo inventum ibidem tradit. Hæc eſt delicatior fœminarum veſtis, quam ex Ceo profectam Varro eodem Plinio referente auctor eſt. Hæc veſtis à Coa diverſa, quæ ex Cois bombycibus. Nec mirum eſt, non fieri mentionem apud C veteres Ceæ veſtis, ſed Coæ tantum. Nam artificium in Ceo quidem ipſum inventum retexendarum veſtium ex Aſſyria bombyce, delicatiuſque texendarum, materia ipſa bombyx Aſſyria. Unde Ἀσσυρίαι ἐσθῆτες dictæ. Eædem porro cum ſericis. Etenim Romanæ fœminæ ſericas veſtes inde allatas filatim reſolvebant, iterumque ſubtiliori ſtamine texebant. Idem Plinius: *unde fœminis noſtris labor geminus, redordiendi fila, rurſuſque texendi.* De quo ad Pallium Tertulliani plura ſuperiore anno. Hanc rationem in Ceo inſula excogitatam fuiſſe vult Plinius, Pamphilæ ingenio, *quæ invenit, quemadmodum fœminas veſtis denudaret.* Ita & de Serica D veſte ſic retexta dixit: *tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona tranſluceat.* Igitur fœminarum tantum propriæ hæ Sericæ, Aſſyriæque veſtes Plinii temporibus: at Coæ ex Coa bombyce etiam virorum. Ita Plinium, & Varronem intelligi debere, quum de veſte fœminarum delicatiori ex inſula Ceo profecta loquuntur, exploratum eſt. Verba Ariſtotelis, quæ Plinius vertit, an ea rectè acceperit nunc eſt videndum. Ἐκ δὲ τούτου τοῦ ζώου καὶ τὰ βομβύκια ἀναλύουσι τῶν γυναικῶν τινὲς ἀναπηνιζόμεναι, κἄπειτα ὑφαίνουσι. De illo artificio intellexiſſe Plinium conſtat, quo ſole- E bant Romanæ mulieres, Bombycina Aſſyria, & Serica reſolvere, & ſubtiliora rurſum texere; nam ἀναπηνίζεσθαι *redordiri*, vel *retorquere* dixit, κἄπειτα ὑφαίνειν *rurſum texere*, quomodo & de Sericis dixerat. Sed & τὰ βομβύκια, ἀντὶ τῶν βομβυκίνων accepit. Ariſtoteles verò τὰ βομβύκια vocavit bombyces ipſas lanicio oppletas. Quod lanicium mulieres ἀναπηνιζόμεναι reſolvebant. Πηνίον eſt fuſus ſtamine involutus, quod ἀναπηνίζεσθαι dicitur, cum evolvitur. Sic τὰ βομβύκια ἀναλύεσθαι, & ἀναπηνίζεσθαι dicuntur, quum ſtamen, quo ſunt involuti, reſolvitur, & in fila tenuatur. Addit Ariſtoteles, κἄπειτα ὑφαίνουσιν, id eſt, filis ſic reſolutis, & tenuatis telam F texunt, ex qua veſtes bombycinæ. At Plinius reddidit: *rurſuſque texunt*, dum intelligit ſcilicet de arte illa redordiendi ſericarum veſtium, rurſumque texendi. Subjicit Ariſtoteles: πρώτη δὲ λέγεται ὑφῆναι ἐν Κῷ Παμφίλη Λατώου θυγάτηρ. Ἐν Κῷ. Plinius interpretatur, *in Ceo.* Atqui Κῶς eſt Coa inſula, non Cea. Stephanus: Κῶς, πόλις καὶ νῆσος, ἡ Μεροπὶς ἐκαλεῖτο, ἀπὸ γηγενοῦς Μέροπος. Græci tamen ἐν Κῷ dicunt etiam de Ceo. Diodorus Siculus lib. IV. Τὸν Ἀρισταῖον φασὶ μετὰ τὴν Ἀκταίωνος τελευτὴν ἐλθεῖν εἰς τὸ χρηστήριον τοῦ πατρὸς, καὶ τὸν Ἀπόλλωνα προειπεῖν αὐτῷ τὴν εἰς Κῷ νῆσον μετάβασιν ἐσομένην αὐτοῦ, καὶ τὰς ἐσομένας παρὰ τοῖς Κείοις τιμάς. G Male interpres vir doctiſſimus *apud Coos* vertit. De Ceis enim intelligendum. Et paulo poſt: λέγουσι δὲ τὸν Ἀρισταῖον ἐγγόνους ἐν τῇ Κῷ καταλιπεῖν. Ἐν τῇ Κῷ, *in Cea inſula.* Et malè iterum interpres *in Co.* Ariſtæum poſt mortem Actæonis Ceam inſulam tenuiſſe conſentiunt auctores. Virgilius:

> ---- *& cultor nemorum, cui pinguia Ceæ*
> *Tercentum nivei tondent dumeta juvenci.*

Ariſtæum

Ariſtæum invocat, qui in Cea inſula vixit poſt filii Actæonis interitum. Vide ibi Servium. Hyginus in Sphæra: *præterea canicula exoriens æſtu Ceorum loca, & agros fructibus orbabat: & ipſos morbo affectos pœnas Icario cum dolore ſufferre cogebat, quod latrones recepiſſent. Quorum rex Ariſtæus Apollinis, & Cyrenes filius petit à parente, quo pacto à calamitate civitatem poſſet liberare.* Ita legendum in Hygino. Vulgatur in editis: *æſtu eorum loca.* Attici agreſtes, qui Icarium patrem Erigones interfecerant, quod ab eo novo genere potionis, vino tum primum reperto, inebriati eſſent, in inſulam Ceum, ubi Ariſtæus regnabat, ſe receperunt. Idem Hyginus: *interfectores ejus animi conſcientia permoti ſtatim ſe fugæ mandaverunt, & in inſulam Ætolorum pervenerunt.* Ita ediderunt, quum ſit in antiquis codicibus: *in inſulam Egeum devenerunt.* Scribe: *in inſulam Ceum.* Quod ex ſequentibus conſtat. Attici illi latrones vicinam Atticæ inſulam Ceum petierunt, non Coum. Apollonius Rhodius de Ariſtæo:

---- λίπεν δ' ὅγε πατρὸς ἐφετμῇ
φθίην, ἐν δὲ Κέῳ κατενάσσατο λαὸν ἀγείρας.
Παῤῥάσιον.

Cei quotannis caniculæ ſacra faciebant, circa ejus exortum, quo tempore Eteſiæ flare incipiunt, idque ex Ariſtæi inſtitutione, ad liberandam peſte terram Græciam, & præcipuè Cycladas inſulas. Vide Diodorum, & Hyginum. Theophraſtus de ventis Eteſiis: εἰ δὲ ποτ' ἐξέλειπεν, καὶ Ἀρισταῖος αὐτοὺς ἀνεκαλέσατο θύσας τὰς ἐν Κέῳ θυσίας τῷ Διί, καθάπερ μυθολογοῦσι. Apollonius:

---- Κέῳ δ' ἔτι νῦν ἱερῆες
Ἀντολέων προπάροιθε κυνὸς ῥέζουσι θυηλάς.

Ubi Scholiaſtes: ἐνομοθέτησε γὰρ τοῖς Κώοις κατ' ἐνιαυτὸν ἐπιτηρεῖν ἐπιτολὴν τοῦ κυνὸς καὶ θύειν αὐτῷ. Lege: τοῖς Κείοις. Nam ἐν Κέῳ dixit poëta. Idem tamen etiam mendum in ſuperioribus: καὶ ἐνομοθέτησε κατ' ἐνιαυτὸν τοῖς Κώοις μεθ' ὅπλων ἐπιτηρεῖν τὴν ἐπιτολὴν τοῦ κυνὸς καὶ θύειν αὐτῷ, ὅθεν οἱ Ἐτησίαι πνέουσι καταψύχοντες τῷ θέρει τὴν γῆν, καὶ αὐχμοῦ ἀπηλλάγησαν οἱ Ἕλληνες. Corrigendum, τοῖς Κείοις, niſi ſit error Græci Scholiaſtæ. Cicero lib. I. de Divinatione: *ut enim Ceos accepimus ortum Caniculæ diligenter quotannis ſolere ſervare, conjecturamque capere, ut ſcribit Ponticus Heraclides, ſalubriſne, an peſtilens annus futurus eſſet.* Hoc ſcripſerat Ponticus Heraclides ἐν τῇ Κείων πολιτείᾳ, cujus & hodie quædam excerpta extant inter reliqua Πολιτειῶν fragmenta. Sed inſcriptio mendosè concepta eſt, Κώων pro Κείων, quia τὴν Κῶ appellet. Διὸ καὶ ἀκρωτήριον τῆς Κῶ, id eſt, *Ceæ inſulæ*, non Coæ. Quæ ibi deſcribuntur omnia Ceæ conveniunt, ut hæc: ἐκαλεῖτο μὲν Ὑδροῦσα ἡ νῆσος. Plinius de Ceo: *Dein Ceos ab ea totidem, quam noſtri quidam dixere Ceam, Græci & Hydraſſam.* Dicit ibidem Heraclides à Ceo nominatam fuiſſe, qui de Naupacto in hanc tranſierat. Quæ de Ariſtæo ibi habentur, ad eamdem pertinent. Sed falſum eſt, quod dicitur, luem ſtirpibus, & animantibus magnam in ea inſula contigiſſe, propter continuos Eteſiarum flatus. Immo contra eſt, cum cœli vitio, & nimiis ardoribus ſata omnia conflagrarent, & homines perirent, impetravit Ariſtæus à Jove flatum Eteſiarum per quadraginta dies ab ortu caniculæ ſpirantium ad levandum æſtum, quo omnia exurebantur. Sic igitur hæc ejus verba ſunt emendanda: Ἀρισταῖον δέ φασι μαθεῖν παρὰ Νυμφῶν τὴν τῶν προβάτων καὶ βοῶν ἐπιστήμην, παρὰ δὲ Βρισῶν τὴν μελιτουργίαν, φθορᾶς οὔσης φυτῶν καὶ ζώων Δία ᾐτήσατο τὸ πνεῖν Ἐτησίας. Perperam eſt in editis: φθορᾶς οὔσης φυτῶν καὶ ζώων διὰ τὸ πνεῖν ἐτησίας. Scribit in illis fragmentis Heraclides, illius inſulæ incolas, priuſquam ad extremam, & decrepitam ſenectutem perveniant, mortem cicuta ſponte accerſere, ἀλλὰ πρὶν ἀσθενῆσαι ἢ πηρωθῆναί τι, αἱ μὲν μήκωνι, οἱ δὲ κωνείῳ ἑαυτοὺς ἐξάγουσι. Hic mos apud Ceos, non apud Coos. Unde illa Menandri:

Καλὸν τὸ Κείων νόμιμον ἐστὶ Φανία·
Ὁ μὴ δυνάμενος ζῆν καλῶς, οὐ ζῇ κακῶς.

Quos verſus refert Stephanus in voce Ἰουλίς, quæ urbs fuit Ceæ inſulæ, una ex quatuor. Quibus verſibus ſubdit hæc verba Stephanus: προσέταττε γὰρ τοὺς ὑπὲρ ἑξήκοντα ἔτη κωνειάζεσθαι, τοῦ διαρκεῖν τοῖς ἄλλοις τὴν τροφήν. Legitur in Stephano, ἀγωνίζεσθαι, apertiſſimo, ſed &

A turpiſſimo mendo. Ubi & vides aliam rationem illius inſtituti. Ἐν Κῷ igitur, & εἰς Κῶ, pro Cea inſula. Scholiaſtes Pindari ad illas: ἐν Κέῳ ἀμφιρύτῳ σὺν ὑμνήσω καὶ τὴν Κῶ, καί σε ὦ Δῆλε. Et ſanè ſic Κόως, Κῶς, ut Κέως, Κῶς. Κῶς igitur & de Coo, & de Ceo. Hinc & multi Coos, & Ceos confuderunt. Ea propter & Κῶν Μεροπίδα Græci inſulam Cariæ plerumque appellant, ut Κῶν Atticæ ab ea diſtinguant. Stephanus utramque manifeſtè confundit his verbis: λέγεται καὶ Κόως, καὶ Κόος διὰ δύο ο. Ἔοικεν οὖν τὸ πρωτότυπον Κέως. Οὕτω γὰρ καὶ ὁ κτίστης τῆς Κέω. Τὸ ἐθνικὸν Κεῖος, ἢ ἐκτάσει Κήϊος. Ὡς τῆς Τέω Τεῖος, καὶ Τήϊος, καὶ Κεῖον διὰ διφθόγγου. B Τῆς δὲ Κῶς μονοσυλλάβου Κῷος, καὶ Κώϊος, ὡς Μινῷος. Οὕτω δὲ ἐχρημάτιζον Ἱπποκράτης καὶ Ἐρασίστρατος Ἰατροί. Nihil pote fieri manifeſtius. Κῶς monoſyllabum tam à Κέως, quam à Κόως. Τῆς Κέω ἐθνικὸν Κεῖος. Τῆς Κέω ἐθνικὸν Κῷος. At τῆς Κῶ ſive Attica ſit, ſive Carica inſula Κῷος. Nam Κῷοι audiebant Hippocrates, & Eraſiſtratus. Atqui Hippocrates ex Co Meropide oriundus: Eraſiſtratus ex Ceo. Nam Ἰουλιήτης fuit, quæ urbs erat τῆς Κέω. Ita & Κώους vocaverit Scholiaſtes Apollonii Rhodii incolas τῆς Κέω, quod duobus locis apud eum legitur. De patria Eraſiſtrati vide Strabonem, & Stephanum in voce, Ἰουλίς. Sed & Coum inſulam Cariæ *Ceum* etiam dictam eſſe C colligere aliquis poſſet ex illis Stephani, quæ paulo ante adduximus. Eadem dicunt & iſta Plinii de Coo Meropide: *Nobiliſſima autem in eo ſinu Cos, ab Halicarnaſſo quindecim millibus diſtans, Merope vocata: Cos, ut Staphylus, Meropis, ut Dionyſius; dein Nymphæa.* Liber ſcriptus optimus habet, *Chea*, ut *Staphylus.* *Chea* pro *Cea.* Κεῖα. Sed hæc in medio relinquo. Ceterum ex his, quæ notavimus, dubium videri poſſet, utrum de Coa, an de Cea inſula Ariſtoteles capiendus ſit, cum ἐν Κῷ dicit bombycinas veſtes ex vermiculo bombyce à mulieribus texi ſolitas. Varro de Ceo videtur acce- D piſſe. Plinius utique de Ceo, ſed quum putaret Ariſtotelem de bombycibus Aſſyriis agere, deceptus altero ejuſdem Ariſtotelis loco, ubi τῶν ἐν Ἀσσυρίᾳ βομβύκων meminit, ad artificium retulit, quo Aſſyrias & Sericas veſtes craſſiore Minerva ab indigenis eorum locorum mulieribus textas retexere ſolebant Romanæ, Græcæque, & delicatiores inde veſtes parare. At βόμβυκες Ἀσσυρίαι, quorum alio loco mentionem fecit Philoſophus, ex veſparum genere ſunt. De quo errore Plinii nos alibi monuimus. Quum igitur certum ſit bombyces in Coo inſula naſci, nec de Ceo quiſquam id tradiderit, Pamphile illa, quæ prima invenit E bombycina ex his fila ducere, & inde veſtes texere, Coa utique fuit, non Cea. Nec in bombycibus Aſſyriis, quod ridiculum eſt ac falſum, ſed in Cois ars illa primum inventa eſt. Inde *Coa*, & *Coæ* veſtes paſſim Romanis ſcriptoribus, quas qui in Ceas mutant, toto cœlo errant. Sic ἐν Κῷ apud Ariſtotelem eſt in Coo. Atque, ut dicam, quod ſentiam, quidquid garriant Grammatici, Κῶς per contractionem non ex Κέως, aut Κόως fit, ſed ex Κόος. Nam nec ex Τέως, Τῶς dicitur: nec τὴν Τῶ pro Τέω. Male itaque auctores, qui τὴν Κῶ ſcribunt, & de Ceo intelligunt. Quod multis auctorum locis vitio librariorum potuit accidere. Certè F antiquiſſimi dicunt ἐν Κέῳ, ut Theophraſtus. At ἐν Κῷ de Coo, ut Ariſtoteles. Tertullianus *Co* unica ſyllaba inſulam Coon. Quod eſt Græcanicum Κῶ. In Apologetico cap. XL. *Legimus Hieram Napæam, & Delon, & Rhodon, & Co inſulas multis cum millibus hominum peſſum abiſſe.* Ita libri vetuſtiſſimi: *& Co* τὴν Κῶ. Κῶς igitur eſt Coos, non Ceos. Nec Cos eſt Ceos. Et nominibus hæ inſulæ quam regionibus viciniores.

Urbs iſta numinibus apud ſe ortis gloriatur] Reſpexit ad hos Sophoclis verſus:

Θήβας λέγεις μοι τὰς πύλας ἑπταστόμους
Οὗ δὴ μόνον τίκτουσιν αἱ θνηταὶ θεούς.

G Ita legendum, non, ut vulgo, τὰς πύλας ἑπταστόμους.

Pag. 17. E. *Dum rimatur, quænam inſideret loca*] Ita libri veteres. Editi: *quænam adiſſet loca.* Quæ lectio eſt προεκδόσεως, in qua fuit, *dum inquirit, quænam adiſſet loca, quoniam equeſtri exploratione primus reperit, incenſa eſt licentia poëtarum &c.*

Et quod aperta foret alitis equi ungula] Ita omnes antiquitus editi non diſſentientibus veteribus libris. Delrius

rius edidit: *& quod aperti forent alitis equi ungula.* Citat libros auctores. Si benè, malos certè. Nullus nostrorum ita habuit. Et falsum est hos duos fontes Aganippen, & Hippocrenen Pegasi ungula apertos fuisse. De sola Hippocrene id traditum. Inde & nomen fonti. Igitur *quod aperta foret alitis equi ungula*, ad solam Hippocrenen referendum. *Quod poti inspirationem facerent literarum*, ad utrumque. Nam uterque fons hoc nomine celebratur à poëtis. Lectio porro τῆς πρεκδόσεως hæc fuit: *incensa est licentia Poëtarum, ut pariter utrumque vulgarent, scilicet, quod eorum alter alitis equi ungula sollicitatus foret, alter potus facundia animas irrigaret.* In recognita eam reposuit, quam edidimus. Veteres editiones, & quidam libri utramque habent.

Euboea insula laterum objectu efficit Aulidis portum] Loquutio Virgiliana, quales apud nostrum frequentes:

> ---- *insula portum*
> *Efficit objectu laterum.*

Bœoti idem sunt qui Leleges fuerunt] Plinius: *Locri deinde Epicnemidii cognominantur, olim Leleges appellati, per quos Cephisus defertur in mare.* Quod Plinius de Locris, hic de Bœotis. Certum est & Lelegas in Bœotia habitasse. Strabo de Aristotele, & Lelegibus: κατασχεῖν δὲ καὶ τὴν Βοιωτίαν αὐτοὺς φησίν. Sed Bœotos dictos aliquando fuisse Lelegas non legi. De Locris quod ita olim dicti sint fidem facere possunt hi versus Hesiodi, qui extant apud Strabonem:

> Ἤτοι γὰρ Λοκρὸς Λελέγων ἡγήσατο λαῶν,
> Τοὺς ῥά ποτε Κρονίδης Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδὼς
> Λεκτοὺς ἐκ γαίης ἀλέους πόρε Δευκαλίωνος.

Strabo interpretatur: τῇ γὰρ ἐτυμολογίᾳ τὸ συλλεκτοὺς γεγονέναι τινὰς ἐκ παλαιοῦ αἰνίττεσθαί μοι δοκεῖ. Sic λεκτοὺς accipit apud Hesiodum, ἀντὶ τῶν συλλέκτων, ἢ μιγάδων. Tales enim Leleges fuere, qui & errones varia Græciæ tenuere loca. Sed hic non est Poëtæ sensus. Λέλεγας quasi λογάδας, & λεκτοὺς dictos censet, quod ex electis, & eximiis lapidibus, quos Deucalion jaciebat, nati sunt. Ita igitur legendum in ultimo versu:

> Λεκτοὺς ἐκ γαίης λάας πόρε Δευκαλίωνι.

Et Λέλεγας λάας interpretatur λεκτοὺς λάας. Hesychius: λεκτοί, ἀριστεῖς. Idem: λογάδες, οἱ ἐπίλεκτοι. Legi etiam posset:

> Λεκτοὺς ἐκ γαίης λαέων πόρε Δευκαλίωνος.

Quod & verius existimo. Λαοὺς autem idem Hesiodus ἀπὸ τῶν λάων, à lapidibus, quos reformando generi humano post tergum jaciebat Deucalion, scribit appellatos. Ex præcipuis, & egregiis formatos vult τοὺς Λέλεγας, atque inde dictos. Locri igitur Leleges, quorum dux Locrus. Nam & Opuntem eos tenuisse, unde Opuntii Locri, scripserat ἐν τῇ Ὀπουντίων πολιτείᾳ Aristoteles. Plinius per Locros Cephisum in mare deferri dicit. Solinus per Bœotos defluentem in maria condi. Utrumque verum. Nam à Lilæa exordium sumens per Elateam, & Parapotamios, & Phanotenses Phocicas urbes usque ad Cheroniam Bœotiæ urbem delapsus, per Orchemoniorum agrum, & Coroniacum, transiens in Copaïdem paludem Bœotiæ influit. Hactenus non male dissensit à Plinio Solinus. Sed quod sequitur, quis putet ferendum? ponit in eadem continentia Opuntium sinum, Delphos, Rhamnuntem, & addit in Bœotia duo esse flumina natura dispari, quasi illa omnia Bœotiæ sint. Quum Solinum cogito, hæc non miror.

Pag. 17. F. *In hac continentia Opuntius sinus, Larissa oppidum*] Ubi finit Bœotiæ ora maritima ad Eubœam spectans, inde incipit Opuntius sinus. Hoc est, quod in eadem continentia Opuntium sinum positum esse dicit. Strabo: ἐφεξῆς τοίνυν ταῖς ἄλλαις εἰς ἃς κατέληξεν ἡ Βοιωτικὴ παραλία ἡ πρὸς Εὐβοίᾳ τὸν Ὀπούντιον κόλπον συμβαίνει κεῖσθαι. Sed in illa continentia nullum oppidum Larissa. Larymnam puto voluisse dicere. Duæ fuerunt hoc nomine, altera in regione Bœotorum, altera in Locris. Plinius: *rursus Locrorum ora, in qua Larymna Thronium.* De hac Larymna heic intelligendum. Ceterum ætas illa Latinitatis *continentiam* dixit cujuslibet rei capacitatem, & ambitum, complexumque. Græci περιοχὴν vocant. Æthici cosmographia in Editis: *Hanc quadripartitam totius terræ continentiam hi*

A *qui dimensi sunt majores tripartitam reputari definierunt.* Hinc apud Julium Oratorem in Cosmographia manuscripta: *Continentia oceani*, pro ambitu oceani, & complexu. *Orientalis oceani continentia explicit: incipit continentia oceani occidentalis.* Atque ita passim. Continentiam heic Solinus eodem sensu usurpavit.

Delphi, Rhamnus quoque] Mira res, Rhamnuntem, qui pagus est Atticæ prope Delphos, collocari in continentia Bœotiæ, & Locridis. Solinum in errorem induxit Mela, qui à Pagasæo portu, unde navem solverunt Argonautæ, oram sequutus usque ad Sunium, ita scribit: *ab eo ad Sunium tendentibus illa*

B *prætervaviganda, Maliacus & Opuntius, grandes sinus, & in his cæsorum etiam Laconum tropæa Thermopylæ, Opoes, Scarphia, Cnemides, Alope, Anthedon, Larymna, Aulis, Agamemnonia Grajorumque classis in Trojam conjurantium statio: Marathon magnarum multarumque virtutum testis jam inde à Theseo, Persica maximè clade pernotus: Rhamnus parva, illustris tamen, quod in ea fanum est Amphiarai, & Phidiaca Nemesis: Thoricos & Brauron olim urbes, jam tantum nomina: Sunium promontorium: finitque id latus Hellados, quod ad orientem spectat.* Ita Melæ verba emendamus. Nam male edunt: *Sunium promontorium est.* Ex tota hac παραλίᾳ, & littorali continen-

C tia, quæ describitur à Pomponio, sumpsit Solinus Opuntium sinum, & Larymnam, quam Larissam vocat, & Rhamnuntem, prima jungens ultimis, & omnia Bœotiæ adscribens imperitissimè. Cur vero etiam Delphos in ea continentia numerat? Nam Delphi longè à mari. Nec in illo περίπλῳ recenset eos Pomponius. Cur vicinum eis facit Rhamnuntem, tam procul dissitum?

Rhamnus quoque, in qua Amphiarai fanum] Habet ex Mela: *Rhamnus parva, illustris tamen, quod in ea fanum est Amphiarai, & Phidiaca Nemesis.* At pro Nemesi Dianam sciens nominavit noster. In Braurone simula-

D crum Dianæ fuit, in Rhamnunte Nemesis. Strabo, Pausanias, ceteri. Hoc idem facit in sexcentis alijs. Hallucinatio autem Pomponii, qui in Rhamnunte fanum Amphiarai collocat. Pincianus legere tentabat in Pomponio: *Rhamnus & Oropus parvæ, illustres tamen, quod in hac fanum est Amphiarai.* Quod non recipimus. Nec enim in Oropo fanum Amphiarai, haud magis quam in Rhamnunte. Dicæarchus: ἐντεῦθεν, id est, ἐξ Ἀθηνῶν, εἰς Ὠρωπὸν διὰ Δαφνιδὸς καὶ τοῦ Ἀμφιαράου Διὸς ἱεροῦ ὁδὸς ἐλευθέρῳ βαδίζοντι σχεδὸν ἡμέρας. Vides fanum Amphiarai in itinere situm esse, quod Athenis Oropum dirigit. Mendum autem est in illis Dicæ-

E archi, διὰ Δαφνιδὸς. An legendum, διὰ Ψαφίδος? Strabo: εἶτα Ῥαμνοῦς τὸ τῆς Νεμέσεως ἱερόν, εἶτα Ψαφὶς ἡ τῶν Ὠρωπίων, ἐνταῦθα δέ που καὶ τὸ Ἀμφιάρειον ἐστὶ τετιμημένον ποτὲ μαντεῖον, Ὠρωπὸς δὲ ἐν ἀμφισβητησίμῳ γεγένηται πολλάκις. Ἵδρυται γὰρ ἐν μεθορίῳ τῆς τε Ἀττικῆς καὶ τῆς Βοιωτίας. Ex his etiam liquet diversa loca esse Amphiarai fanum, & Oropum, utcunque vicina fuisse constet. Idem Strabo: καὶ ἡ Γραῖα δὲ ἐστὶ τόπος Ὠρωποῦ πλησίον, καὶ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀμφιαράου. Pausanias duodecim stadiis ab Oropo ait distare. Non igitur in Rhamnunte. Sed & illud advertendum, parvam Rhamnuntem Pomponio dici. Atqui ὁ Ῥαμνοῦς di-

F cebatur, & erat Atticæ pagus sic appellatus ἀπὸ τῶν ῥάμνων, ὁ Ῥαμνόεις, Ῥαμνοῦς. In antiquis Melæ codicibus scriptum est, *Thamnis* & *Thamne.* In omnibus Solini exemplaribus legitur, *Rhamnæ quoque, in qua Amphiarai fanum.* Unde suspicio non vana percussit animum, legi posse, *Harma quoque, in qua Amphiarai fanum.* Græcum est τὸ Ἅρμα. Latinè hæc *Harma.* Inde *Rhama*, & *Rhamna.* Harma locus prope Oropum à curru Amphiarai dictus, ubi & Ἀμφιάρειον. Strabo: τὸ Ἀμφιάρειον, ὅπου φυγόντα τὸν Ἀμφιάραον, ὥς φησι Σοφοκλῆς.

> Ἐδέξατο ῥαγεῖσα Θηβαία κόνις
> Αὐτοῖσιν ὅπλοις, καὶ τετρωρίστῳ δίφρῳ.

G Atqui Thebæ satis longe ab Oropo. Sed tradit idem Strabo fanum illud Amphiarai ex Cnopia Thebaïca traductum in eum locum, Oropo & Tanagræ vicinum. Sic enim scribit: καὶ ἡ Γραῖα δὲ ἐστὶ τόπος Ὠρωποῦ πλησίον, καὶ ἱερὸν τοῦ Ἀμφιαράου. Additque paulo post: ἐκ Κνωπίας δὲ τῆς Θηβαϊκῆς μεθιδρυμένον δεῦρο τὸ Ἀμφιάρειον. Quo loco perperam vertunt interpretes, *fanum Amphiarai imita-*

imitatione ejus, quod est ad Cnopiam Thebaicam, fuisse dedicatum. Duo hoc nomine loca fuere, unum in Attica Tanagræ vicinum, alterum Bœotiæ Tanagricæ. Vide Strabonem, qui Amphiarai fanum facit ab Harmate diversum. Stephanus: Ἅρμα πόλις Βοιωτίας τῆς Ταναγρικῆς ἀπὸ Ἀμφιαράου τοῦ ἅρματος. Et paulo post: ἔστι καὶ τῆς Ἀττικῆς Ἅρμα περὶ τὴν Φυλὴν καλουμένην, ὑπάρχει δὲ οὗτος δῆμος ἔχων φρούριον ὀχυρὸν ὅμορον τῇ Ταναγρικῇ. Καλεῖται καὶ λουτρὰ Ἀμφιαράου. Quæ è Strabone sumpta sunt, exceptis istis, καλεῖται καὶ λουτρὰ Ἀμφιαράου. Non bene conveniunt inter se auctores super hoc fano Amphiarai, & rem incertam faciunt diversè narrando. Eam heîc explicavero, & dividiam auctorum ostendam. Μαντεῖον Amphiarai celeberrimum fuit in Bœotia, quod & ἱερὸν Ἀμφιαράου Græci scriptores vocant. Eo loco id fuisse volunt, quo terra discessit fugienti Amphiarao, ipsumque cum curru absorpsit. Unde & Ἅρμα loco nomen impositum. Sed ubi hoc acciderit, non usquequaque veteres consentiebant, & alia Tanagræorum, alia Thebanorum opinio fuit. Tanagræi id contigisse contendebant in via, quæ Thebis Chalcidem ducit, quo loco urbs, vel vicus Ἅρμα nomine olim extitit, prope Mycalessum. Pausanias in Bœoticis: ἑξῆς δὲ πόλεως ἐρείπια ἐστὶν Ἅρματος καὶ Μυκαλησσοῦ. Καὶ τῇ μὲν τὸ ὄνομα ἐγένετο ἀφανισθέντος ὡς οἱ Ταναγραῖοί φασιν ἐνταῦθα Ἀμφιαράῳ τοῦ ἅρματος, καὶ οὐχ ὅπου λέγουσιν οἱ Θηβαῖοι. Non dicit fanum & oraculum ibi fuisse, nec sanè fuit. Hoc Ἅρμα, est quod Βοιωτικὸν appellat Strabo lib. IX, & locat in via, quæ Thebis Chalcida ducit. Καὶ Μυκαλησσὸς δὲ κώμη τῆς Ταναγρικῆς. Κεῖται δὲ παρ' ὁδὸν Θηβαίων εἰς Χαλκίδα. Ὡς δ' αὔτως καὶ τὸ Ἅρμα κώμη ἔρημος περὶ Μυκαλησσὸν ἀπὸ τοῦ Ἀμφιαράου ἅρματος λαβοῦσα τοὔνομα: & diversum hoc Harma facit ab Attico Tanagræ vicino, de quo locum Stephani suprà adduximus. De Bœotico illo Harmate scribit ibidem Strabo quosdam dicere, cum Amphiaraus inter pugnam curru excidisset eo loco, ubi nunc ejus fanum est, vacuum currum delatum esse περὶ τὸν ὁμώνυμον τόπον, qui Ἅρμα inde cognominatum est. Ergo diversis locis, τὸ Ἅρμα, καὶ τὸ ἱερὸν Ἀμφιαράου. Ceterum curru excidisse Amphiaraum eo loci dicit, ὅπου νῦν τὸ ἱερὸν Ἀμφιαράου. Atqui in agro Thebano cecidit, non in Tanagrico Amphiaraus, & sacellum ejus in Tanagrico erat prope Græan, vel Oropon, non in Thebanorum regione. Verisimile quippe est curru excussum in eo agro, ubi & pugna commissa est, si quidem inter præliandum excidit. Nam alii volunt fugientem è pugna simul cum curru absorptum fuisse. Cui absorptioni varia loca assignantur. Sophocles in agro Thebano hunc casum adscribit his versibus de Amphiarao, quem

Ἐδέξατο ῥαγεῖσα Θηβαία κόνις
Αὐτοῖσιν ὅπλοις καὶ τετρωρίστῳ δίφρῳ.

Ergo Thebanum solum, non Tanagricum hiatu terræ currum hausit Amphiarai. Sed, quod mireris, hos versus citat Strabo, ubi narrat fanum Amphiarai oraculis quondam celeberrimum fuisse in agro Oropiorum, ὅπου inquit, φυγόντα τὸν Ἀμφιάρεων ἐδέξατο, ὥς φησι Σοφοκλῆς.

Ἐδέξατο ῥαγεῖσα Θηβαία κόνις.

At quomodo Θηβαία κόνις, Thebanum solum in Oropia regione? sacellum & μαντεῖον Amphiarai prope Oropum, ubi eum teste Sophocle Thebana terra hiatu absorbuit. Hic est illorum sensus, quem non concoquo, nihil enim cohæret. Hinc est tamen, quod alibi dicit, juxta quorumdam sententiam cecidisse curru Amphiaraum, κατὰ τὸν τόπον οὗ νῦν ἐστὶ ἱερὸν αὐτοῦ, currum autem ipsum inanem ad eum locum delatum fuisse, qui cognomen ab eo sumpsit, & Ἅρμα vocitatum est. Certe verba illa κατὰ τὸν τόπον οὗ νῦν ἐστὶ ἱερὸν αὐτοῦ, de Oropo accipienda sunt, à quo oppido non longè fuit τὸ ἱερὸν Ἀμφιαράου. Sed ipse sibi non constat Strabo, & diversas historias miscet, saltem loca, ubi accidisse narrantur, confundit. Thebani contendebant in agro suo discessisse terram, quæ Amphiaraum hiatu mersit. Pausanias: ἐκ δὲ τῶν Ποτνιῶν ἰοῦσιν ἐς Θήβας ἐστὶν ἐν δεξιᾷ περίβολος τῆς ὁδοῦ τε οὐ μέγας, καὶ κίονες ἐν αὐτῷ. Διαστῆναι δὲ Ἀμφιαράῳ τὴν γῆν ταύτην νομίζουσιν. Περίβολος est locus conseptus, sine tecto, & sacer. Latini *sacellum* appellant Festus: *sacella dicuntur, loca diis sacrata sine tecto.* Muro tantum claudebantur. Περίβολος, *conseptum.* In agro

A igitur Thebano sacellum Amphiarai prope Potnias. Sed nec templum ejus ibi fuit, nec oracula reddebantur. Hoc fortasse est, quod tradidit Strabo, traductum Amphiarai ἱερὸν ἀπὸ τῆς Κνωπίας Θηβαϊκῆς in eum locum, ubi erat juxta Oropum, vel Græam. Et dubitari potest, an apud eum legendum sit, ἐκ δὲ Ποτνίας τῆς Θηβαϊκῆς μεθιδρυμένον δεῦρο τὸ Ἀμφιάρειον. Nam nulla Κνωπία Θηβαϊκή. Τὴν Ποτνίαν vocat, quæ aliis Ποτνίαι. Juxta quas ex Thebanorum sententia terra voratus fuerat Amphiaraus, qui locus muro septus, & columnis ornatus, consecratusque habebatur. Atque inde translatum τὸ Ἀμφιάρειον intellexit Strabo. Thebanorum

B opinioni accedebat Sophocles, cum dixit, Amphiaraum recepisse ῥαγεῖσαν τὴν Θηβαίαν κόνιν. Tanagræi hoc factum regioni suæ assignabant eo loco, ubi conditum Ἅρμα oppidum prope Mycalessum, in via quæ à Thebis Chalcidem ferebat. Sed nec templum ullum eo loco Amphiarao consecratum memoratur, nec oraculorum ejus ulla memoria celebrata. Tertia demum opinio extitit Amphiaraum ibi telluris hiatu exceptum asseverantium, ubi templum ei postea conditum est, oraculorum fama diu nobilitatum, duodecimo ab urbe Oropo stadio, Pausanias in Atticis de Oropo: ἀπέχει δὲ δώδεκα τῆς πόλεως σταδίους μάλιστα, ἱερὸν τοῦ Ἀμφιαράου.

C Λέγεται δὲ Ἀμφιαράῳ φεύγοντι ἐκ Θηβῶν διαστῆναι τὴν γῆν, καὶ ὡς αὐτὸν ὁμοῦ καὶ τὸ ἅρμα ὑπεδέξατο. Οἱ δὲ οὐ ταύτῃ συμβῆναί φασιν· ἀλλὰ ἐστὶν ἐκ Θηβῶν ἰοῦσι ἐς Χαλκίδα τὸ Ἅρμα καλούμενον. De fano Amphiarai, unde oracula olim petita sunt, hoc constat duodecim stadiis ab urbe Oropo abfuisse. De loco, ubi Amphiaraus cum curru absorptus est, tres fuere diversæ opiniones, quas ordine suprà recensui. Primos Græcorum Oropios honorem Amphiarai memoriæ habuisse, & templum eidem condidisse testis est Pausanias. Oropus oppidum ad mare, in confinio terræ Atticæ, & Bœotiorum agri Tanagrici. Propter eam, cum diu pugnatum esset ab A-

D thenienfibus, & Bœotiis, tandem in Atheniensium redacta est potestatem, & Attici soli facta. Ὠρωπίους Ἀθηναίων ὑπηκόους vocat Thucidydes. Templum ipsum Amphiarai in via fuit, quæ ab Athenis Oropum ducebat, duodecim stadiis ab Oropo distans, quod totum iter unius diei erat. Dicæarchus, cujus verba superius adduximus. Sic inter Athenas, & Oropum, sed propius Oropo fanum illud Amphiarai fuit. Ἅρμα etiam vocatum fuisse locum illum, in quo fanum erat, etsi auctores taceant, non vanè auguror. Currum Amphiarai cum ipso, eo loci haustum fuisse quidam affirmant. Inde ergo & Ἅρμα loco nomen inditum. At-

E que illud Ἅρμα esse puto, quod Atticum Strabo appellat, & à Bœotico distinguit. Oropus in confinio Atticæ, & Bœotiæ, & sub imperio Atheniensium. Τὸ Ἀμφιάρειον duodecim stadiis ab Oropo distans Athenas versus, & in Attico agro. Harma illud Atticum Ἀμφιαράου λουτρὰ vocari auctor est Stephanus: ἔστι καὶ τῆς Ἀττικῆς δῆμος Ἅρμα περὶ τὴν Φυλὴν καλουμένην. Ὑπάρχει δὲ οὗτος δῆμος ἔχων φρούριον ὀχυρὸν ὅμορον τῇ Ταναγρικῇ. Καλεῖται καὶ λουτρὰ Ἀμφιαράου. Pausanias juxta templum Amphiarai fontem fuisse ait, qui similiter Amphiarai cognominabatur. Ἔστιν δὲ Ὠρωπίοις πηγὴ πλησίον τοῦ ναοῦ, ἣν Ἀμφιαράου καλοῦσιν, οὔτε θύοντες οὐδὲν εἰς αὐτὴν, οὐδὲ ἐπὶ

F καθαρσίοις ἢ χέρνιβι χρῆσθαι νομίζοντες. Hunc fontem Amphiarai, etiam λουτρὰ Ἀμφιαράου vocasse quosdam arbitror, quod in eo lavari Amphiaraus crederetur. Et quod certius, cum Euphorion, τὰ Ἀμφιαράου λουτρὰ facit Oropo vicina in hoc versu:

Αὐλίς, ἰδ' Ὠρωπός τε καὶ Ἀμφιάρεια λοετρά.

Profecto πηγὴ Ἀμφιαράου, & Ἀμφιάρεια λοετρὰ nisi idem sint, unus omnium fallor maximè. Si Harma illud Atticum nomen etiam habuit τῶν Ἀμφιαράου λουτρῶν, vix dubium cuiquam esse possit, quin verum sit, quod affirmavimus paulo ante de templo Amphiarai. Περὶ Φυλὴν esse illud Ἅρμα refert Strabo, & ex eo Stephanus.

G Pagum illum Atticæ Tanagræ vicinum fuisse dicit idem Strabo: περὶ Φυλὴν δῆμον τῆς Ἀττικῆς ὅμορον τῇ Τανάγρᾳ. At Tanagra paulo longiuscule ab Oropo distita. Dicæarchus Oropum ab Tanagra distare stadiis centum ac triginta auctor est. Stephanus non Phylen ait vicinam esse Tanagræ, ut Strabo, sed φρούριον habere τῇ Ταναγρικῇ propinquum, quod verius est. Oropus

pus urbs erat Bœotiæ ad mare Euboëæ sita. Hinc Stephanus Ὠρωπὸν confingit Euboëæ oppidum, postquam scripsit Ὠρωπὸν esse Bœotiæ quoque urbem, subjicit: ἐστὶ καὶ ἄλλη Εὐβοίας. Ἀριστοτέλης γοῦν τὸν Ὠρωπὸν Γραϊκὴν φησὶ λέγεσθαι. Ἡ δὲ Γραῖα τόπος τῆς Ὠρωπίας, πρὸς τῇ θαλάσσῃ, καὶ Ἐρετρίας, ἢ Εὐβοίας κειμένη. Atqui Græca illa, quam Aristoteles Oropum esse volebat, non Euboëæ oppidum, sed in Bœotia ad mare Euboëæ positum. Videntur itaque verba illa temerè insulta, ἐστὶ καὶ ἄλλη Εὐβοίας. Cum enim plures hoc nomine urbes recenseat, primam Macedoniæ esse dicit, secundam Bœotiæ, tum addit, ἐστὶ καὶ ἄλλη Εὐβοίας. Ergo hæc tertia est. Subjicit tamen, quasi tertiam non nominarit, ἐστὶ καὶ τρίτη ἐν Συρίᾳ. Atque ita deinceps ceteras recenset. Quod satis evincit verba illa spuria esse. Aristoteles Oropon esse volebat, quæ Homero Græca dicitur. Alii Tanagram. Stephanus: Τάναγρα πόλις Βοιωτίας, ἣν Ὅμηρος Γραῖαν καλεῖ, διὰ τὸ πλησίον εἶναι. Inde alii Tanagram, & Oropum eandem esse. Nam Plinius Tanagram pro Oropo recenset magno errore. In ora maritima Bœotiæ infrà Thebas aliquot urbes recensens, inter eas & Tanagram ponit: *Tanagra liber populus, & in ipsis faucibus Euripi, quem facit objecta insula Eubœa, Aulis capaci nobilis portu.* Sic legenda illa sunt. Tanagram, & Aulida in ora ponit, ubi Oropum pro Tanagra debuit. Ptolemæus: Ὠρωπὸς, Αὐλίς. Euphorion: Αὐλὶς, ἰδ' Ὠρωπός. Nam Tanagra ἐν τῇ μεσογείῳ. Hoc loco Solini legendum, *Delphi, Harma, in quo Amphiarai fanum*: pro eo, quod est in scriptis veteribus, *Delphi ramnæ*, aut *rama*. Habet è Mela, qui Ῥαμνοῦντα, & Ἅρμα confudit. Nam in Rhamnunte signum Phidiacæ Dianæ: in Harmate, fanum Amphiarai. Ille utrumque Harmati tribuit. Et de Harmate quidem Attico intelligendum. Nec enim fanum Amphiarai in Bœotio Harmate. Idque confirmat conjecturam nostram, qua opinamur in Harmate Attico Oropiis vicino fuisse fanum Amphiarai, & oraculum τῶν ἐγκοιμωμένων. Ubi & Ἀμφιαράου λουτρὰ, vel πηγὴ Ἀμφιαράου. Hesychius: Ἅρμα πόλις Βοιωτίας. De altero proverbium emanarat, δι' Ἅρματος ἀστράψῃ.

Pulli fieri coloris quod induerit] Nihil mutavimus, licet vitium manifestum videremus. Sed nihil variant libri, nisi quod habent *pullum fieri.* Scribendum opinor: *quorum alterum si ovillum pecus debibat, pullum fieri, coloris quod candidi erit: alterius haustu, quacunque vellerum fusca sunt in candidum verti.* Quam verissimam conjecturam arbitror.

Varro opinatur duo in Bœotia esse flumina] *Opinatur*: narrat, dicit. Ut *opinio* est, quod vulgatur, ἡ φήμη. Sic benè, aut malè de aliquo opinari, φημίζειν. Vide quæ suprà dixi. Varronem citat auctorem, quum ex Plinio habeat. Nomina fluminum *Melas*, & *Cephissus.* Vide Plinium lib. II. cap. CIII. Cur eorum nomina tacuit noster? Sic suprà: *Varro prohibet fontem in Arcadia esse, cujus interimat haustus.* Styx est in Arcadia, ut ibi observamus. Et ex Plinio id hauserat, non ex Varrone. Plagiarius hic magnus fuit, & præterea insignis impostor.

In Bœotia non sunt, nec cum volant, sui juris] Ne quidem cum volant, in Bœotia sui juris esse perdices dicit. Antea legebatur: *cum ubique liberæ sint, ut aves universæ, in Bœotia non sunt: nec cum volant, sui sunt juris.* Scripsimus etiam: *sed in ipso aëre, quas transire non audeant, metas habent.* Ineptum est, quod imaginatur de metis in aëre. Nam Bœotiæ fines tam pedibus, quam volatu transire poterant perdices. Βαρεῖς γὰρ εἰσὶ, καὶ οὐ πτητικοί.

Pag. 17. G. *Nec in Atticum solum transmeant*] Plinius: *Perdices non transvolant Bœotiæ fines in Atticam.* Ita scribendum. Nec sine vitio est, quod editur: *in Attica.* Hæc ita porro dicuntur à Plinio, & ejus simia Solino, quasi in Attica perdices non sint, sed tantum in Bœotia, quæ nunquam in Atticam transvolent, nec Bœotiæ fines transgrediantur. At in Attica perdices esse omnes testantur, & Atticas quidem Bœoticis vocaliores facit Antigonus in Admirandis cap. VI. Πιθανὸν δ' ἂν τὸ γένος τῆς διαλογῆς εἰς τοὺς λεγομένους ἐν τῇ Ἀττικῇ, καὶ Βοιωτίᾳ πέρδικας. Ὧν τοὺς μὲν εὐφώνους· τοὺς δὲ πλέως ἰσχνοφώνους ὁμολογεῖται γίγνεσθαι. Et quibus potius, quam Atticis scri-

A ptoribus credendum super hac re? Athenæus: Θεόφραστος γοῦν ἐν τῷ περὶ ἑτεροφωνίας τῶν ὁμογενῶν, Ἀθήνησι φησὶ, πέρδικες ἐπὶ τάδε τοῦ κορυδαλλοῦ πρὸς τὸ ἄστυ, κακκαβίζουσι, οἱ δὲ ἐπέκεινα τιττυβίζουσι. Ergo in Attica perdices. Hoc solum inde colligi queat, diversos fuisse Atticos à Bœoticis: &, qui minus εὔφωνοι sunt, τιττυβίζειν: alteros, cum vocem emittunt, dicere κακκαβεῖ: alteros τιττυβεῖ. Quæ voces sunt ὀνοματοπεποιημέναι, de vario perdicum sono. An eadem differentia est perdicum Atticorum, & Bœotiorum, qualis est apud nos inter rubras, & cinereas, quas *grisas* vocamus? Solo vocis sono distare Bœoticos ab Atticis scribit Athenæus: οἱ δὲ

B περὶ τὴν Βοιωτίαν ἢ οὐ διαβαίνουσιν εἰς τὴν Ἀττικὴν, ἢ διαβαίνοντες τῇ φωνῇ διάδηλοι γίνονται, *aut si quando transeunt, voce dignoscuntur.* Sed an voce tantum? non sola voce, quam emittunt, inter se differunt duo illa genera, quorum ante meminimus. *Rubræ* dicuntur, quæ pedes, & rostrum habent punicea, & paulo majusculæ sunt formæ. Montosis gaudent locis, & vineis magis. Hinc *vinearum gallinas* eas Germani indigetant. Hæ sunt, quæ κακκαβίζουσι. Aristoteles lib. IV. Hist. Animal. cap. IX. Ἡ δὲ ἐν τοῖς ἄρθροις φωνὴ ἣν ἄν τις ὥσπερ διάλεκτον εἴπειεν, καὶ τῶν ἄλλων ζώων διαφέρει, καὶ τῶν ἐν ταυτῷ γένει ζώων κατὰ

C τόπους, οἷον τὸ τῶν περδίκων οἱ μὲν κακκαβίζουσιν, οἱ δὲ τρίζουσι. Τρίζειν dixit, quod alii τιττυβίζειν, & τρίζειν non est stridere, sed vox quoque ὀνοματοπεποιημένη de certa specie perdicum, cum vocem emittunt. Quas grisas, sive leucophæas appellamus, hoc planè sono censentur, dicunt enim *tierri*, quod τρίζειν Aristoteles dixit. Idem lib. IX. cap. VIII. Οὐ μόνον δὲ ὁ πέρδιξ ᾄδει, ἀλλὰ καὶ τριγμὸν ἀφίησι καὶ ἄλλας φωνάς. De perdicibus in genere loquitur, quorum aliæ τρίζουσιν, aliæ, κακκαβίζουσι. Iidem porro τρίζουσι, qui & τιττυβίζουσι, & tales sunt οἱ ἰσχνόφωνοι Apollonio. Nam τρίζειν est λεπτόν τι φωνεῖν:

D alias τρίζειν de vespertilionibus propriè dicunt Græci, ut τιττυβίζειν de hirundinibus. Ergo non sono discrepant è Bœotia perdices ab Atticis, sed etiam forma, & colore. Nam apud nos quæ τρίζουσιν, nec rostro sunt, nec pedibus puniceis, & colore etiam divertunt. Glossarum auctor Perdices, & Gallinas rusticas eadem facit: Πέρδιξ, *Perdix, Gallina rustica.* An Latini perdicum nomine propriè rubras intellexere, & rusticas Gallinas appellavere cinereas perdices, quod gallinis forma similiores essent, quam rubræ? Martialis:

Ponitur Ausoniis perdix rarissima mensis:
Hanc in lautorum condere sæpe soles.

Idem de Rusticula:

E *Rustica sim, an perdix quid refert si sapor idem est?*
Carior est perdix. Sic sapit illa magis.

Certè gulones hodie nostri, qui palato sapiunt, etsi sapore non multum dissimili utrumque genus esse velint, palmam tamen de gustu tribuunt leucophææ. Ergo fuerint in Italia frequentiores, ut contra rariores rubræ, eoque cariores. Athenæus lib. IX. Τῶν δὲ περδίκων ἐστὶν ἕτερον γένος ἐν Ἰταλίᾳ ἀμαυρὸν τῇ πτερώσει, καὶ μικρότερον τῇ ἕξει τὸ ῥύγχος οὐκ ἔχει κινναβάρινον ἔχον. Hæ fuerint igitur, quas Latini *Gallinas Rusticas* propriè appellarint ejusdem saporis cum perdicibus, sed quas ideo magis sapere judicabant nepotes, quia cariores essent. Ita-

F que *Rusticæ Gallinæ* in Italia frequentes, atque ideo viliores habitæ. Contrarium suadere videatur Varro, qui lib. III. de R. R. scribit Gallinas Rusticas in urbe raras esse, & in ornatibus publicis spectandas exhiberi simul cum psittacis, & merulis albis, atque aliis id genus inusitatis. Addit tamen ibidem Gallinariam insulam in mari Tusco ab his appellatam, & in silvis plurimum degere. Certè vix ambigendum est, quin per *Gallinas Rusticas* Varro intellexerit, quas vulgo *silvestres Gelinottas* vocamus. Nam & silvas amant, & nomen respondet. Columella *Gallinas silvestres* vocat. *Rusti-*

G *culas* uno verbo etiam dixere Latini. Atque ita in lemmate Martialis. Plinius: *currunt ut perdices, rusticulæ.* Græci vocant Ἀτταγῆνας. Optimè veteres Glossæ: *Gallina Rustica,* Ἀτταγῶν. Plinius: *Attagen maximè celeber Ionius, & vocalis alias, captus vero obmutescens, quondam existimatus inter raras aves. Jam & in Gallia, Hispaniaque capitur, & per Alpes etiam.* In Gallia hodieque capiuntur multæ Rusticulæ, & præcipuè in Burgundiæ silvestribus locis, & apud Segusianos, & aliis partibus.

tibus. Certè nullam hodie in Gallia habemus avem, A quam dicere possimus æquè bene respondere, ac convenire Attagenis formæ, ac descriptioni, ut hanc Rusticulam nostram, sive *Gelinottam*. Athenæus de Attagene: Ἀλέξανδρος δὲ ὁ Μύνδιός φησιν ὅτι μικρῷ μὲν μείζων ἐστὶ πέρδικος, ὅλος δὲ κατάγραφος τὰ περὶ τὸ νῶτον, κεραμεοῦς τὴν χρόαν, ὑποπυρρίζων μᾶλλον. Hæc forma, & hic color in nostris rusticulis. Aristoteles: ὁ Σκολόπαξ δὲ ἐν τοῖς κήποις ἁλίσκεται ἄρκυσι. Τὸ μέγεθος ὅσον ἀλεκτορὸς, τὸ ῥύγχος μακρὸν, τὸ χρῶμα ὅμοιον ἀτταγῆνι. Ita legendum. Σκολόπαξ est, quam *becaciam* vulgo vocamus à longitudine rostri, quod Galli vocant *becum*. Σκολόπαξ Græcis ab eadem ratione, quod habeat ro- B strum æquè longum, ut σκόλοψ. Qua voce lignum significatur in acumen desinens & longum. Hanc avem de colore similem esse Attageni dicit Aristoteles. Rusticulæ nostræ, scolopaci, hoc est, becaciæ prorsus colorem similem habent. Nihil sanè verius, quam *Attagenem* Græcorum, *Rusticulam* esse Latinorum, & nostram *Gelinotam*, Italorumque *Francolinum*. Nec enim Græci aliud nomen habent, quo Rusticulam Latinorum exprimant, nec Latini, quo Græcorum Ἀτταγῆνα. Nec obstare debet huic sententiæ, quod Plinius, & Martialis Attagenem à Rusticula diversum faciunt. Attagenem Ionicum illi maximè celebrant, & sapore inter C omnes aliorum locorum Attagenas commendatum prædicant. Plinius, *Attagen, maximè Ionius, celeber.* Martialis.

Inter sapores fertur alitum primus
Ionicarum gustus Attagenarum.

Nec mirum, aut novum gustu, & forma differre idem genus, pro patriæ diversitate. Phasiani Colchici non statuunt diversum genus à nostris, sed forma tamen aliquantum differunt. Nam & plumeas aures in temporibus habent, quas subrigunt, ac demittunt, quibus carent nostri. Idem de ceteris quadrupedibus, atque alitibus quamplurimis dici potest, quæ cum ὁμογενεῖς sunt, pro varietate locorum, quibus nascun- D tur, non parvam in sapore, aut forma differitatem ostendunt. Bœotiæ, & Atticæ perdices ὁμογενεῖς, quæ voce tamen, & forma non parum discrepabant: aliæ siquidem κακκαβίζειν dicebantur, aliæ τιττυβίζειν. Quinimmo & rubræ perdices Græcanicæ forma, & voce quadam tenus à nostris rubris dissident. Nam & majores sunt, & κακκαβὶ suum sæpius iterant, quod nostræ non dicunt, quæ κοκκερίζειν potius dici debeant, quam κακκαβίζειν. Et hæc fortasse sola differentia fuit inter Atticas, & Bœoticas perdices. Nullum quippe præter ἑτεροφωνίας discrimen in iis notat Theophrastus. E Scribitque Athenæus, aut non transire Bœotias in Atticum solum, aut si transeant, τῇ φωνῇ διαδήλους γίνεσθαι, sola voce dignosci. *Cothurno* vocant Itali hujusmodi majores perdices rubras, quæ κακκαβίζουσι. Ita est & de Attagenis. Indigenas Attagenas Romani *Gallinas Rusticas*, & *Rusticulas* appellarunt, qui multùm cedebant Ionicis, quas Græca sua voce Attagenas propriè dixere. Profectò *Rusticulas* ὁμογενεῖς esse τῶν ἀτταγήνων nemo possit negare, vel mediocriter harum rerum intelligens, & naturæ avium peritus. Etenim vel juxta utriusque instar, Attagenis & Rusticulæ, quod exhibent nobis eruditi, non tantum inter se distare deprehenduntur, quantum rubræ perdices ab aliis. Quod F autem de Bœotiæ perdicibus heîc refert Solinus, solas eas liberas non esse, & metas in aëre habere, quas non transeant, æquè & istud de Atticis dici queat. Nam ut Bœoticæ in Atticam, ita nec Atticæ in Bœotiam transibant. Nec omnino transire negavit Athenæus, sed, si quando transgrediantur, apparere discrimen ἐξ ἑτεροφωνίας. Certos etiam fines habent, & regionum metas apud nos perdices rubræ, quæ plurimùm montana colunt, raroque in planitiem descendunt.

Pag. 17. G. *Spineis enim fruticibus, ac surculis receptus suos vestiunt*] Plinius: *Perdices spina, ac frutice sic mu-* G *niunt receptaculum.* Ex hoc Solini loco aliquis pertenderet in Plinio rescribendum: *perdices spineo frutice sic muniunt receptaculum.* Sed Plinius Aristotelem expressit: ἐπηλυγασάμενοι ἄκανθάν τινα, καὶ ὕλην, id est, spinam, & alios frutices obtendentes, sic muniunt receptaculum. Ὕλη sunt ligna cassa, & surculi.

Ut animalia, quæ infestant, arceantur asperis surculorum] Plinius: *ut contra feras abundè vallentur.* Ubi libri habent, *contra feram.* Aristoteles: Τῆς πρὸς τοὺς ἱέρακας ἕνεκα, καὶ τοὺς ἀετοὺς ἀλεωρᾶς. *Asperi surculorum* loquutio Soliniana, pro asperis surculis. Sic ante, *portuosa littorum, lignorum cassa.* Legebatur: *a spinis surculorum.*

Ovis stragulum pulvis est] Plinius: *ovis stragulum molli pulvere contumulant.* In Plinii libris: *molle.* Scribe: *molli è pulvere contumulant.* Aristoteles: ἐν τῷ λείῳ κονίστραν ποιοῦνται. *Pulveris contumulatio*, ἡ κονίστρα. Sic *arenarum tumuli* suprà apud nostrum, ἡ κονιορτοῦ ἐπισώρευσις.

Ne indicium loci conversatio frequens facit] Ait clanculò perdices ad ova sua reverti, ne indicium loci conversatio frequens faciat. Aliter Plinius, cujus & verba sic lego, & interpungo: *nec, in quo loco peperere, incubant: ne cui frequentior conversatio suspecta sit, transferunt alio. Illæ quidem & maritos suos fallunt.* Dicit perdices, quo in loco ova peperere, non & eodem incubare. Ergo ova transferunt alio. Contrarium ex Aristotele potest adstrui. Sic enim ille: ἀλλ' ὅταν ποιήσωνται ἐν τῷ λείῳ κονίστραν, ἐπηλυγασάμενοι ἄκανθάν τινα καὶ ὕλην, ἐνταῦθα τίκτουσι, καὶ ἐπῳάζουσιν. Ergo in eodem loco, & ova pariunt, & incubant perdices. Et sanè inauditum est, quod ova transferant. Nec enim digitos habent ovis complectendis, & transferendis accommodatos, nec rostro id possunt facere. Cui rei argumento est etiam, quod ait Aristoteles, perdices plerumque instante, ac premente parturiendi tempore ova etiam mare præsenti quolibet loco ejicere, quamvis alias marem semper, quando pariunt, fallere conentur. Ad ea ova, quæ sic in conspectu maris ediderit, nunquam accedere perdicem dicit, ὅπως σώσηται ἀθρόα, οὐκ ἔρχεται πρὸς αὐτά, ut ea scilicet universa possit conservare, quæ clam masculo pepererit. Nam si ad ea singula fovenda, & incubanda veniret, quæ in præsentia ejicere coacta est præ pariendi impatientia, cetera cogeretur perdere, quæ uno in loco, nidoque congessit. Ex quo facile colligere est, ova transferri à perdicibus non posse. Siquidem, & illa transferret, quæ coram mare solet edere, & cum ceteris in nidum adgregaret similiter incubanda. Unde igitur Plinius accepit, non quo loco peperere perdices, in eo & incubare, & ova transferre solitas? nimirum ex his Aristotelis verbis, quæ statim sequuntur. Postquam enim dixit Aristoteles, perdices concinnato nido, & munito, ἐνταῦθα τίκτειν, καὶ ἐπῳάζειν, statim addit: ἔπειτα ἐκλέψαντες εὐθὺς ἐξάγουσι τοὺς νεοττοὺς, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι τῇ πτήσει πορίζειν αὐτοὺς τροφήν, ἀναπαύονται δ' ὑφ' ἑαυτοὺς ἀγόμενοι τοὺς νεοττοὺς, καὶ οἱ ὄρτυγες καὶ οἱ πέρδικες, ὥσπερ αἱ ἀλεκτορίδες, καὶ οὐκ ἐν τῷ αὐτῷ τίκτουσι, καὶ ἐπῳάζουσιν, ἵνα μή τις κατανοήσῃ τὸν τόπον, πλείω χρόνον προσεδρευόντων. Si quis attentè, & pensiculatè hæc verba Aristotelis consideret, facile mecum judicabit, abesse illa debere, τίκτουσι καὶ ἐπῳάζουσι. De partu & incubatu jam supra dixerat. Heic de pullis exclusis tantùm loquitur. Ubi primum exclusi sunt, pullos, inquit, matres educunt, eos gallinarum more sub se fovent, & requiescunt, καὶ οὐκ ἐν τῷ αὐτῷ, nec in eodem quidem semper loco, ne ex assiduitate uno in loco fovendi, & frequentiori conversatione, locum aliquis advertat, & insidias matri, pullisque struat. Hoc de pullis, non de ovis intelligendum esse, quilibet videat. Nemo enim ovis perdicum insidias molitur auceps, sed pullis, quod statim sequitur, id ostendit, ὅταν δέ τις θηρεύῃ περιπεσὼν τῇ νεοττιᾷ, προκυλινδεῖται ἡ πέρδιξ τοῦ θηρεύοντος, ὡς ἐπίληπτος οὖσα, καὶ ἐπισπᾶται ὡς ληψόμενον ἐφ' ἑαυτήν, ἕως ἂν διαδράσῃ τῶν νεοττῶν ἕκαστος. *Si quis casu inciderit venator in locum, ubi pullos mater congregatos fovet*, hoc est, εἰς νεοττιάν. Ridicula autem illa ratio est, perdicem ideo ova transferre, ne indicium loci frequentior conversatio faciat. Etsi enim demus alio loco parere, alio incubare, donec excludantur, an non vel solum pariendi tempus, vel solum incubandi satis longum est, ut suspecta inde fieri possit conversatio? Sic igitur verba Aristotelis legenda, & intelligenda sunt: ἀναπαύονται δ' ὑφ' ἑαυτοὺς ἀγόμενοι τοὺς νεοττοὺς, καὶ οὐκ ἐν τῷ αὐτῷ, ἵνα μή τις κατανοήσῃ τὸν τόπον, πλείω χρόνον προσεδρευόντων. Illa vero, τίκτουσι, καὶ ἐπῳάζουσι, quæ post τῷ αὐτῷ addita sunt, inserta videntur ab his, qui Aristotelis libros situ corruptos emendare conati sunt, & publicarunt. Quæ

tamen

tamen & ipsa retineri possunt, si legamus: καὶ οὐκ ἐν τῷ αὐτῷ, ᾧ τίκτουσι, καὶ ἐπῳάζουσιν, ut dicat matres perdicum pullos suos non in eodem loco fovere solitas, quo ova ediderunt, & incubarunt, ne assidua conversatio plusculi temporis faciat suspicionem, & locum indicet. Hoc omnino verum esse arbitror. Tantilla menda Plinium fefellit, & falsum scribere adegit.

Fœminæ transferunt partus, ut mares fallant] Partus sunt ova. De hac translatione, quam falsa sit, sed & impossibilis diximus superiori animadversione. Dicit heîc Solinus fœminas perdices ova transferre, ut maritos suos fallant. Hoc non dicit Aristoteles. Diffugere narrat, & clanculo parere, & sic maritos falli, ne ova frangant. ἡ δὲ θήλεια ἀντιμηχανωμένη, ἀποδιδράσκουσα τίκτει. Nihil heîc de transferendis ovis. Et contrarium ex eodem colligi potest. Athenæus: ἀφροδισιαστικὸν τὸ ζῶον, διὸ καὶ τὰ ᾠὰ τῆς θηλείας συντρίβει, ἵνα ἀπολαύῃ τῶν ἀφροδισίων. Ὅθεν ἡ θήλεια γιγνώσκουσα ἀποδιδράσκουσα τίκτει. Ne id quidem dictum Plinio, licet ovorum translationem agnoscat. Nec enim propterea transferri memorat, ut mares fallantur, sed ne assidua conversatio suspecta sit venantibus. Sic enim Plinii locus distingui debet: *nec, in quo loco peperere, incubant: ne cui frequentior conversatio suspecta sit, transferunt alio. Illæ quidem & maritos fallunt*, in pariendo scilicet, & quod Aristoteles dicit, ἀποδιδράσκουσαι τίκτουσι. Et hoc præter mentem Plinii Solinus.

Qui eos sæpissime affligunt, impatientius adulantes] Ita transposuimus, pro eo quod erat in editis: *qui eos impatientius affligunt, sæpissimè adulantes.* Quod ineptum est. Non sine libris id fecimus. Ova frangi à maribus, intemperantia libidinis, ne fœminæ incubando detineantur, scripsere Aristoteles, Plinius, aliique. Sed an hoc idem voluit Solinus? *Impatientius adulari*, non est impatientius libidinari, καὶ ἀφροδισιάζεσθαι. Deinde *affligere ova*, pro frangere & conterere vix Latinum est. Adfligi quidem humo dicitur, quod solo adliditur, sed ova perdicum in ipso solo sunt: pervolvi, ut frangantur, possunt. Aristoteles: τὰ ᾠὰ διακυλινδοῦσι, καὶ συντρίβουσιν. Hoc non est adfligere. Hoc voluit fortasse, non ova, sed pullos à matribus plerumque transvehi, ad fallendos mares. Quod pulli sæpissimè à maribus soleant affligi impatientius adulantibus. Sic partus non ova, sed fœtus dixerit, & pullos ipsos. Ita enim semper partus pro fœtibus usurpat noster. Huic sententiæ favent, quæ de perdicibus narrat Antigonus, qui pullos ipsos à patribus, quum primum educti fuerint, ὀχεύεσθαι dicit his verbis: τοὺς δὲ πέρδικας ποιεῖσθαι σηκοὺς τῶν ᾠῶν: καὶ ἐπῳάζειν, καὶ τρέφειν ἑκατέρους, καὶ τοὺς νεοττοὺς, ὅταν πρῶτον ἐξαγάγωσιν, ὀχεύειν αὐτοὺς, τοὺς δὲ πρὸς ἀλλήλους μάχεσθαι. Hoc idem scribit Aristoteles lib. VI. cap. VIII. Καὶ τοὺς νεοττοὺς ὅταν πρῶτον ἐξάγῃ, ὀχεύει αὐτοὺς ὁ ἄῤῥην. Minimè igitur jam dubium est, quin Solinus de pullis intellexerit, qui à maribus subiguntur, & affliguntur, impatientius adulantibus. Nihil enim noster de ovorum transvectione. Et hoc melius quam Plinius. Sed quod ait à fœminis pullos plerumque transvehi, ne à maribus affligantur, contra hoc multa dici possent, quæ heîc omittimus. Aristotelem noster sequitur, nec Plinium, sed ex utroque sumens, hanc historiam concinnat elegantem magis, quam veram. Camers vero heîc nugatur.

Impatientius adulantes] Hæc adulatio ad impatientiam libidinis, & coïtum spectat. Quod auguror eum expressisse ex Aristotelicis istis: καὶ τῶν περδίκων δ' οἱ τιθασσοὶ τοὺς ἀγρίους πέρδικας ὀχεύουσι, καὶ ἐπικορίζουσι, καὶ ὑβρίζουσι. Ubi ἐπικορίζειν videtur accepisse, pro ὑποκορίζειν, vel ὑποκορίζεσθαι, quod est adulari. Hesychius: ὑποκορίζεσθαι, κολακεύειν. Sed ἐπικορίζειν apud Aristotelem

A scriptum, pro ἐπικοῤῥίζειν, quod est ἐπὶ κόῤῥης τύπτειν. Sic κατωμαδίζειν, κατὰ τῶν ὤμων τύπτειν, quod Latini dixere, *catomidiare.* Feras perdices à cicuribus non solùm iniri, sed etiam verberari dicit Aristoteles, καὶ ὑβρίζεσθαι.

Dimicatur circa connubium] Quid est, *dimicare circa connubium*? non enim propter fœminas dimicant, sed dum fœminæ incubando detinentur, qui ex maribus vidui sunt, quos χήρους vocant, inter se dimicant, & victus victori fœminæ vicem præstat, & venerem patitur. Hoc est, quod ait noster, circa connubium eos dimicare. Obscurè.

B *Venerem sustinere.*] Plinius: *victum ajunt venerem pati.*

Si ventus à masculis flaverit, fiant prægnantes odore] Antigonus Carystius: τοὺς δὲ πέρδικας ἐὰν κατ' ἀνέμων στῶσιν αἱ θήλειαι τῶν ἀῤῥένων, ἐγκύους γίνεσθαι. Plinius: *si contra mares fœminæ steterint, aura ab his flante prægnantes fiunt. Hiantes autem exerta lingua per id tempus æstuant. Concipiunt & supervolantium afflatu, sæpe voce tantum audita masculi.* Sic verba illa Plinii legenda sunt: sicque distingui debent. Quod enim ex Aristotele *olfactu* legunt pro *adflatu*, necesse non est. Odor siquidem per adflatum fertur. Ut hoc loco fieri dicuntur prægnantes odore, si ventus à masculis flaverit, id est, si adflatus

C masculi eas attigerit. Athenæus: φασὶ δὲ καὶ τὰς ἀγομένας θηλείας πέρδικας ἐπὶ θήραν, ὁπόταν ἴδωσιν ἢ ὀσφρωνται τῶν ἀῤῥένων κατ' ἀνέμων στάντων ἢ ὑπερπετομένων ἐγκύους γίνεσθαι. Legendum in eodem Plinio ibidem: *rabie quidem tanta feruntur, ut in capite aucupantium sæpe cæcæ velut sedeant.* Male est, quod editur: *cæca metu.*

Pag. 18. A. *Tunc si quis hominum ubi incubant propinquabit*] Dixit fieri prægnantes odore masculorum perdices fœminas. *Tunc si quis*, inquit, *ubi incubant propinquabit*, id est, ad locum accesserit, in quo incubant. Atqui non incubant tum, cum prægnantes

D fiunt. Nec enim exiguum intercedit spatium inter utrumque tempus, quo prægnantes fiunt, & quo incubare incipiunt. Prægnantes fiunt, deinde ova pariunt. Postquam omnia pepererunt, tum demum incubant. Non bene igitur hoc interjunctum positum, nec inter se hæc cohærent. Sed Solinum esse meminisse debemus.

Quasi statim capi possint] Græca ad verbum expressit. Ὡς ἐπίληπτοι ὄντες. Aristoteles: προκυλινδεῖται τοῦ θηρεύοντος, καὶ ἐπισπᾶται ὡς ἐπίληπτος ὤν. Antigonus Carystius: τοὺς δὲ πέρδικας, ὅταν θηρεύῃ τις τοὺς νεοττοὺς, προκυλίεσθαι τοῦ θηρεύοντος, ὡς ἐπιλήπτους ὄντας, *quasi sta-*

E *tim capi possint.* At vir Græcè doctissimus in his interpretandis dixit, *quasi caduco laborantes morbo.* Sanè ἐπίληπτος hoc etiam significat. Hesychius: ἐπιλήπτῳ, ὑπαιτίῳ, δαιμονιζομένῳ, & ἐπίληπτος, ὁ τῇ ἱερᾷ νόσῳ κατεχόμενος. Atque hoc planè sensu Plinius, τὸν ἐπίληπτον apud Aristotelem accepit, loco ante citato. Sic enim vertit: *subitoque in procursu, aut brevi aliquo volatu cadit, fracta ut ala, aut pedibus.* Ita illa reddit, ὡς ἐπίληπτος ὤν, cadit quasi fracta ala, aut pedibus. Nam quæ sequuntur, *at procurrit iterum jam jam prehensurum effugiens*, respondent illis Aristotelicis: καὶ ἐπισπᾶται ὡς ληψόμενον ἐφ' ἑαυτὸν ἕως ἂν διαδράσῃ. At rec-

F tius hîc noster quam Plinius. Nam ἐπίληπτος hoc loco dicitur, qui in eo est, ut statim capi possit. Sic περίληπτος apud Plutarchum de fluminibus. Περίληπτον ἑαυτὸν ἰδὼν, cum se videret in eo esse, ut statim comprehendi posset.

Resupinati glebulas pedibus attollunt] Hoc Plinius non de pullis, sed de matre ipsa.

Ut lateant etiam deprehensi] Atqui, si deprehensi sunt, latere non possunt, si latent, deprehensi dici nequeunt.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Thessalia, & Magnesia. Philippus oculum damnatus.



A *Quo reges Hellenes nominati*] Immo, *a quo rege Hellenes nominati.* Nam Ἕλληνες à rege Hellene Æoli filio. At nulli reges Hellenes. Plinius: *ibi genitus rex nomine Græcus, à quo Græcia: ibi Hellen, à quo Hellenes.* Eadem & Martianus, apud quem scribendum: *ibi Hellen, à quo Hellenes appellati.* Dicæarchus, ἀφ' Ἕλληνος τοῦ Αἰόλου. Hesiodus in primo catalogo Promethei, & Pyrrhæ filium hunc Hellenem faciebat. Alii Deucalionis & Pyrrhæ. Stephanus de urbe Hellade Thessaliæ: ἐκλήθη ἀπὸ Ἕλληνος τοῦ Δευκαλίωνος, ἀλλὰ τοῦ Φθίου καὶ Χρυσίππης τῆς Ἴρου. Hunc Phtium, Achæi filium facit. Hæc alii disquirant.

Hujus à tergo Pieria] Plinius: *oppida Pheræ, quarum à tergo Pieris ad Macedoniam protenditur.* Ita legendum in Plinio, quomodo & legisse Solinum patet. Vulgo est, *Pierus.* Plinius vocat *Pieridem* τὴν Πιερίδα, quam Solinus *Pieriam.* Sic *Laconis* Melæ, ἡ Λακωνίς, quæ aliis *Laconia.* Plinius à tergo Pherarum, quod oppidum est Thessaliæ, Pieriam usque ad Macedoniam protendi dicit: Solinus à tergo Thessaliæ ipsius. Quod non idem est. Montem ipsum Pieridem quoque vocavit Plinius: *Olympus, Pieris, Ossa.* Ita enim libri, non *Pierus.* Græci & Πιερίδα, & Πιερίαν etiam montem vocant. Et ita apud Strabonem.

Phtia, Larisa, Thessalia, & Thebæ] In Thessalia nullum oppidum, quod Thessalia vocetur. Scribe itaque: *Phtia, Larissa, Thessalæ Thebæ.* Dictæ Thessalæ Thebæ ad distinctionem earum, quæ in Bœotia, *Thebæque Bœotiæ* cognominantur. Plinius: *Larissa, Gomphi, Thebæ Thessalæ.* Eo etiam ducebant vestigia veteris scripturæ, quæ in Solini libris: *Larissa Thessala, & Thebæ.* Nisi quis inde fecisse mallet: *Larissa Thessala, & Thebæ.* Nam & multæ urbes Larissæ. Et Solinus more suo, ne Plinium sequi videatur, ita mutaverit. Certè hoc solens facit.

Pag. 18. C. *Collibus dextra, lævaque molliter curvis*] In Regio: *colle dextra, lævaque molliter curvo.* Plinius: *attollentibus se dextra, lævaque leniter convexis jugis.* Totus vero locus Plinii, quo Tempe Thessalica describuntur, & per ea *defluens* Peneus, ita legendus, atque interpungendus: *interque Ossam, & Olympum nemorosa convalle defluens, quingentis stadiis dimidio ejus spatio navigabilis. In eo cursu Tempe vocantur quinque millium longitudine, & fermè sesquijugeri latitudine, ultra visum hominis attollentibus se dextra, lævaque leniter convexis jugis. Intus sub luco viridante adlabitur Peneus, vitreis calculis, amœno circa ripas gramine, canoro avium concentu.* Peneus vitreis calculis, amœno gramine, canoro concentu, loquutio Pliniana. Ut *domus sanie, dapibusque cruentis.* Et Floro: *urbs inclyto portu.* Perperam in editis: *intus sua luce viridante.* Per *lucum* intelligunt nemus sacrum, & incæduum. Mela: *heic sacro nemore nobilia Tempe.* Adlabitur Peneus hinc inde convexis jugis, & sub luco viridante, propter arbores, quæ alveo fluminis impendent, & incumbunt. Legi porro etiam posset: *viridis calculis, amœnus circa ripas gramine, canorus avium concentu.* Sed priorem malo. Liber Rigaltii habet *amœnis*, & *canorum.* Omnino locum illum contaminarunt correctores, qui sic restituendus est, ut suprà diximus.

Nam Olympum ab Homero celebratum] Ex nostris co-

A dicibus alii hanc Olympi descriptionem hoc loco ponunt, alii in sequens caput rejiciunt, & Macedoniæ assignant. Vetustiores quique, & meliores sequenti cum capite inter Macedoniæ montes collocant: quorum auctoritate & ibi legi voluimus. Apparet ex editionum diversitate hanc processisse varietatem. Aliter igitur habuere exemplaria, quæ ex priore, aliter ea, quæ ex posteriore editione propagata sunt. Quomodo positum fuerit in recognita, affirmare non possum. Plinius capite de Thessalia Olympi meminit. Strabo Ὄσσαν, καὶ Ὄλυμπον, Θεσσαλικὰ ὄρη vocat. Nec putandum duos fuisse diversos montes hoc nomine, in

B Thessalia unum, in Macedonia alterum. Sed eumdem alii Thessaliæ, alii Macedoniæ adscribunt. Strabo in Epitome septimi: καὶ ἔστιν ὁ μὲν Ὄλυμπος τῆς Μακεδονίας, ἡ δὲ Ὄσσα, καὶ Πήλιον τῆς Θεσσαλίας. Alibi Plinius Olympum Macedoniæ montem vocat. Pomponius Mela de Macedonia tractans: *hinc non longè est Olympus, hic Pelion, heic Ossa.* Et paulo post sic Thessaliam Macedoniæ accenset, ut Græciæ Dorida, Locrida, Phocida, Bœotiam, & reliquas. Index capitulorum ab ipso auctore concinnatus, quo προέκδοσιν caruit, Olympum Macedoniæ contribuit. Ex quo

C clarum est in emendata editione, in eum locum rejecisse Olympi montis mentionem, in quem à nobis rejecta est, quum in priore hoc loco legeretur.

Pag. 18. D. *In regione Magnesia Methone oppidum est*] Libri: *Mothona.* Ita vocatur & Justino. Ita scripsisse nomen hujus urbis Latinos planè mihi constat. Μεθώνη, *Mothona.* Sic quæ Græcis Κέρκυρα, *Corcyram* nominant: & *Beronicen*, quæ Græce est Βερενίκη. Prologus lib. VII. Historiæ Trogi: *ipsius Philippi res gestæ, usque ad captam urbem Mothonem.*

D *Damnatus est oculum jactu sagittæ*] Sic in libris loquutione Græcanica, quam & Latini auctores usurpant. Erat vulgo: *damnatus est oculo.* Eamdem & in indice hujus capituli retinuit: *Thessalia, & Magnesia, & Philippus Rex oculum damnatus.*

Inscriptam suo nomine, locoque vulneris, quem petebat] In veteribus: *suo nomine, loco vulneris, nomine quem petebat.* Quod rectum est, id est, nomine ejus quem petebat. Nisi quis legat, *homine quem petebat*, id est, Philippo. Hunc versum inscriptum habuit sagitta.

Ἀστὴρ Φιλίππῳ θανάσιμον πέμπει βέλος.

Sic nominibus ejus, qui jaciebat, & qui petebatur, inscripta erat. Locus vulneris expressus non est, nisi

E quatenus in eum locum destinari intellexit, qui percussus mortem afferret. Sed videtur fuisse in sagitta scriptum:

Ἀστὴρ Φιλίππου ὄμμασιν πέμπει βέλος.

Ita verum fuerit, quod ait Solinus.

Populum istum callere arte sagittaria] Sic vetustæ editiones, & libri. Sic apud Spartianum, *callere peritia cœlestium.* Ammianus, qui Solinum in multis imitatur, lib. XVI. *Alios item bellandi usu diutino callentes aptius ordinans his exhortationibus adjuvabat.*

Melibœa in hoc pede computatur] Id est, in hoc tractu. Prior editio habuit: *Melibœa isthic habetur.*

F *Fons Libethrus & ipse Magnesiæ est*] Libri: *fons Libethrius.* Κρήνη Λειβηθρία. Sic *flumen Himeræum* suprà pro Himera. Plinio: *fons Libethra.* Τὰ Λείβηθρα. Martianus: *Magnesia, cujus fons est Libethris.* Ἡ Λειβηθρίς. Servio: *Fons Libethros.*

CAPUT IX.

De Macedonia cum regibus, & natura Olympi montis, & lapide pæanite.



PAg. 18. E. *Qui Edonii olim populi*] Scribe: *Edoni.* Græcè Ἠδωνοί. Stephanus: Ἠδωνοὶ ἔθνος Θρᾴκης, ἀπὸ Ἠδωνοῦ, τοῦ Μύγδονος ἀδελφοῦ. Τὸ θηλυκὸν Ἠδωνὴ, καὶ Ἠδωναί. Inde *Edonus Coreas* Virgilio, & *Edonæ hyemes* Statio:

Dulcius Edonas hyemes, Arctonque frementem
Insonat.

Ita enim in Statio legendum, non *Edonias.* Quod stare per legem versus non posset, Ἠδωνίδες. Adde quod nec ita Græci dicunt, sed Ἠδωνάς, ut ex Stephano notavimus. Apud Lucanum lib. I.

Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo.

Non est ἡ Ἠδωνὶς, nec systolem fecit poëta, Ἠδονὶς scribens pro Ἠδωνὶς, ut vult Servius, sed legendum, *Odonis*, ἡ Ὠδονὶς. *Odones* Thraciæ populus, ut *Cistones.* Inde Ὠδονὶς mulier, ut Βιςονίς. Dionysius in Bassaricis:

Μαίδων τ' ἄγελα φῦλα, καὶ Ὠδονὲς ἑλκεσίπεπλοι.

Vel Emathium] Perperam editi retro, etiam Delriana: *Æmathium.* Est enim Ἠμαθία.

A vesperali plaga Dardani, & Illyrii] Martianus ex hoc loco emendandus, nam & hinc sumpsit: *Hæc in Thracium limitem terminum ducit: à meridie Epirotis habitatur; à vespera Dardanis & Illyriis.*

Pag. 18. F. *Pæonia, ac Pelagonia*] In quibusdam libris, *Paphlagonia.* Quæ lectio & in Plinianis repetitur, utrobique vitiosa. Hic autem interpungendum: *quà Septentrione tunduntur, Pæonia, ac Pelagonia protegitur à Triballis, montanis excessibus aquilonio frigori objecta.* Plinius: *partem ejus Septentrionalem Pœonia, ac Pelagonia protegunt à Triballis.*

Strymon amnis facit terminum] Plinius: *dein Macedoniæ terminus amnis Strymon ortus in Hæmo.*

Qui ab Hæmi jugis irrigatur] Ineptè. Nec enim amnes irrigantur, sed irrigant. Lege: *qui ab Hæmi jugis irrigat* Nam ita & libri. Martianus: *ab Hæmi montis vertice defluens.*

Continentique abscissum mille quingentorum passuum longitudine] Plinius: *fretum, quo montem Athon rex Persarum continenti abscidit, in longitudine passuum* MCCCCC.

Populi sunt, qui ut Orestæ dicerentur] Malè antea *Orestidæ*, quod πατρωνυμικὸν est de Orestis filiis. *Orestæ* populi ab Oreste, ut *Ægestæ* ab Ægeste. Orestas dicendos esse ostendit *Orestis* regio, ἡ Ὀρεςίς. Plinius: *& liberi Amantini, atque Orestæ.* Vide Stephanum. Nugatur bonus Delrius, qui Ὀρέςειον urbem, cujus apud Euripidem mentio in Oreste, ad hos Orestas transfert: quod verum sit, si Arcadia in Macedonia est, versus Euripidis: ---- σὲ δ' αὖ χρεὼν

Ὀρέστα γαίας τῆσδ' ὑπερβάλλονθ' ὅρους
Παῤῥάσιον οἰκεῖν δάπεδον, ἐνιαυτοῦ κύκλον
Κεκλήσεται δὲ σῆς φυγῆς ἐπώνυμον
Ἀζᾶσιν Ἀρκάσιν τ' Ὀρέσειον καλεῖν.

Orestæ populi Macedoniæ ab Oreste Orestis filio sic dicti. *Oresteum* urbs Arcadiæ, quæ *Orestia* ab ipso Oreste appellata. Stephanus: αὐτὸς δὲ ὑπὸ ἐχίδνης θνήσκει εἰς χωρίον τῆς Ἀρκαδίας, τὸ λεγόμενον Ὀρέςιον. Idem paulo post: ἔςι καὶ ἄλλη ἐν Ἀρκαδίᾳ Ὀρεςία, ἣν Εὐδαίμων καὶ Ὦρος διὰ τῆς διφθόγγου γράφουσι τὴν Ὀρέσειον.

Pag. 18. G. *Rumor est militia mundi dimicatum*] In quibusdam, quod & Camers observat, *militiam mundi dimicatam cum gigantibus.* Quomodo Solinus sæpè loquitur, pro *militiam mundi dimicavisse cum gigantibus.* Sic *certati sunt*, pro certaverunt. *Mundus* heîc propriè cœlum, ut ferè veteres utuntur. Et *militia mundi*, militia cœlestis.

Quantis probationibus ibidem imperii] Corruptissima hæc esse omnes vident, nec ullam provident medicinam libri, qui omnes sic habent. Rectè me puto divinasse: *ut penitus persequamur quantis probationibus ab inde temporis indicia divinæ expeditionis in hoc sæculo perseveraverint.* Nihil aptius ad loci sensum potuit excogitari, quodque propius accederet vestigia corruptæ lectionis. *Inde temporis*, ut *inde loci.*

A Pag. 19. A. *Quæ sunt ad instar corporis humani*] Partes non sunt ad instar totius, nec ossa ad instar corporis. Libri scriptum exhibent uno consensu: *ad instar quæ sunt è corporibus humanis*, id est, ad instar eorum ossium, quæ sunt è corporibus humanis. Sic alibi loquitur, ut paulo ante: *inscriptam suo nomine, loco vulneris, nomine quem petebat*, id est, nomine ejus, quem petebat.

Quibus oppugnandum impetitum cœlum crediderunt] Ita libri omnes, quod & admisimus, id est, quibus impetitum cœlum crediderunt, quod erat oppugnandum; quod Gigantes oppugnare decreverant, crediderit aliquis ex utraque editione lectiones simul appositas, quarum una habuerit, *quibus oppugnandum cœlum crediderunt:* (B) altera, *quibus impetitum cœlum.* Quod factum sexcentis in locis.

Quæ in Thessaliam & Æmoniam porriguntur] Libri: quæ in *Thessaliam, & Athamaniam contendunt.* Optimus Regius: *& Amoniam.* Æmoniam, & Thessaliam eamdem esse suprà dixit. Cur heîc diceret Thessaliam, & Æmoniam. Legendum igitur, *& Athamaniam.* Athamaniam quidam Illyriæ, quidam Thessaliæ attribuebant. Stephanus: Ἀθαμανία, χώρα Ἰλλυρίας, οἱ δὲ Θεσσαλίας. Hic Athamania Thessaliæ intelligitur, quæ Perrhæbis vicina, haud longè ab Ossa monte. Ab ea (C) parte montes altissimi. Τὰ περὶ τὴν Ἀθαμανίαν ὄρη Straboni dicuntur lib. IX.

Pag. 19. B. *Inaccessas reliquit*] Antea erat, *intactas.*

Quæ fluctuum confligiis tunc adesa sunt] Malim: *conflugiis*, συῤῥοίαις τῶν κυμάτων. Festus: *confluges loca dicuntur, in quæ undique confluunt venti.* Ita scribendum esse, non *conflages* Grammatici verba ostendunt, qui à confluendo deducit. Nonio *confluges, loca in quæ diversi rivi confluant.* Τῶν ὑδάτων καὶ ὀχετῶν συῤῥοίαι. Livius Andromeda: *confluges, ubi conventu campum totum inhumigant.* *Confluges* à confluo, ut *fruges* à fruo: inde *conflugium* συῤῥοία. Quod de ventis etiam usurparunt, pro (D) loco scilicet, in quem venti confluunt. Sic *confluvium ventorum* Cornelio Severo in Ætna:

Donec confluvio resolutis æstibus amnis
Exilit.

Heîc *conflugia fluctuum* sunt, ut dixi, συῤῥοίαι τῶν κυμάτων.

Reduviæ conchyliorum] Τὰ κογχυλιώδη τὰ χηραμίδων τυπώματα. Strabo: εἰδέναι πολλαχῆ πόρρω τῆς θαλάττης λίθους τε κογχυλιώδεις, καὶ τὰ κτενώδεα, καὶ χηραμίδων τυπώματα. Solinus: *reluvias conchyliorum* heic vocat fragmenta, & λείψανα conchyliorum, & ostreorum, no- (E) va certè significatione. Notum enim, quid sit *reduvia.* Sic infrà *reluvias escarum* eodem sensu dixit: *Trochilos avis parvula est: dum reluvias escarum affectat, os belluæ hujusce penetrat.* Vocat *reluvias* parva frustra escarum, quæ in dentibus crocodili resederunt, quæ Solino heîc *reduviæ conchyliorum*, Mela Pomponius *muricum, ostreorumque fragmenta* appellat in eadem re. De qua voce nos infrà.

Quæ affatim mari expuuntur] Θαλάσσης ἀναβράσματα, *maris ejectamenta.* Apulejus: *quæ ubique littorum ventis expelluntur, salo expuuntur.*

F *Nam Olympum ab Homero*] Hæc de Olympo quare in hunc locum retulerim, rationem ante reddidi. Certè libros emendatæ editionis sequutus sum. Nam alii, qui ex προεκδόσει exemplati fuere, in Thessalia describenda hunc montem ponunt. Geographus Anonymus ἀνέκδοτος: *Julius Solinus de Thessalia narrans de monte Olympo ista retulit.* In exemplaria τῆς προεκδόσεως hic inciderat. Servius Olympum montem Macedoniæ esse ait. Plinius: *in Olympo Macedoniæ monte non sunt lupi.* Ὄλυμπος Straboni Μακεδονικὸν ὄρος.

Ara est in cacumine dicata] Quæ de Olympo Solinus heîc narrat, (G) Pomponius de Atho: *Athos mons est adeo elatus, ut credatur altius, quam unde imbres cadunt, surgere. Capit opinio fidem, quia de aris, quas in vertice sustinet, non abluitur cinis, sed quo relinquitur aggere, manet.* Alios sequutus fuerit auctores noster, qui hoc idem de Olympo tradiderint, nihil contra dico, dum

A

ſciamus morem hunc ejus eſſe perpetuum, ut hiſtorias ab aliis acceptas narret, locorum regionibus mutatis. Cujus rei exempla non pauca in ſuperioribus notata nobis ſunt.

Cujus altaribus, ſi qua de extis inferuntur] Mirum genus loquendi: *ara eſt, cujus altaribus ſi qua de extis inferuntur.* Quaſi altaria partes ſint ararum. Aras, & altaria Grammatici ita diſtinguunt, ut *aræ* ſint tam inferorum, quam ſuperorum deorum: *altaria* tantum ſuperorum. An *altaria ἀντὶ τοῦ ἐπιπύρου* uſurpavit? ἐπίπυρον pars eſt aræ ſumma, & media, in qua ignis accenditur, & exta comburuntur. Servius altaria etiam dici notat, quæ in ara ponuntur. Sed hæc nihil ad rem.

B

An *cujus* ad Jovem referendum? *ara Jovi dicata eſt, cujus Jovis altaribus quæ inferuntur.* Ne ſic quidem ſana loquutio fuerit, ſed ita noſter loquitur. Supra: *hoc pingue hæret harundinum comis: quarum capillamentis unguentum legitur.* Atqui comæ, & capillamenta idem ſunt, ut hoc loco aræ, & altaria.

Si qua de extis inferuntur, non difflantur] Nec minus hæc miror, quam ſuperiora, immo etiam magis. Quæ exta inferuntur in aram, quam ſummo vertice mons Olympus, non difflantur ventis, nec pluviis diluuntur, ſed cujuſmodi relicta fuerint, ejuſmodi reperiuntur anno volvente.

C

Atqui non exta ſic poſita in ara relinquebantur, ſed igne cremabantur. Nec de extis, ſed de cineribus extorum, lignorumque quibus concremata fuerant exta, hoc traditum, non eos difflari, nec ventis dilui. Mela loco ſuperius citato: *de aris non abluitur cinis, ſed, quo relinquitur aggere, manet.* Quo argumento ſupra ventos, ac nubes eſſe verticem montis illius oſtenditur. Extorum proſiciæ in ara comburi ſolebant, ut dixi. Quibus combuſtis, in cinerem libabant. Agger cinerum ſic relinquebatur, quem volvente anno, ut relictus fuerat, inveniebant, non diſſipatum, nec dilutum.

D

At minus mirum fuerit, non difflari exta, & omenta in ara poſita, & ſic relicta. Quid voluerit Solinus, neſcio. In ſchedis Palatinis legitur, *difflaminantur* pro *difflantur.*

Pag. 19. C. *Nec humentibus pluviis diluuntur*] Ita edidit Delrius, quod fatetur addidiſſe ex ſuo libro, ut epithetum ſuum ſit pluviis, ut ſpiritibus. Simile non eſt. *Ventoſi ſpiritus* ſunt venti. Si *ſpiritus* abſque epitheto legeretur, vix de ventis poſſet intelligi. Libri certè omnes, quos vidimus, & quos alii viderunt, quorum habuimus teſtimonium, carent illa voce *humentibus.*

E

In quibuſdam reperi, *humoribus.* Quod verum puto. Sic *pluvios humores* dixit pro pluvia, ut *ventoſos ſpiritus* pro vento. Horatius: *qua nebulæ, pluviique rores.*

Quidquid ibi ſemel eſt Deo conſecratum] Quid intellexerit, neſcio. Nihil ibi deo conſecrabatur. Perfecto ſacrificio, & concrematis extis, cinis in ara manebat, in aggerem cumulatus. Volvente anno cum eadem cærimonia ſacrificiorum peragebatur, cinerum aggeres, quo relicti cumulo fuerant, reperiebant, nec à ventis diſturbatos, nec à pluviis in lutum ſolutos.

Literæ in cinere ſcriptæ] Heîc aliquid tandem de cinere. Sed rem diverſam facere videtur hunc cinerem, & exta, quæ in aram ibi inferri, & conſecrari

F

ſolita dicit. Atqui cinis iſte ab illis extis igne conſumptis, & in cinerem redactis. Quo in cinere ſcriptæ literæ uſque ad alteram cærimoniam permanebant, adeo nihil ab auris, & aëris injuria patiebatur ille locus. Mela ſimpliciter ait cinerem, quo relictus erat, aggere permanere. Sciendum tamen eſt hanc periodum de cinere, & literis in eo ſcriptis, non extare in pleriſque exemplaribus. Quare certum eſt in alterutra editione ea verba non fuiſſe. Quæ fortean addiderit in ſecunda, & recognita, quum in priore non haberentur.

G

Emathius, qui primus in Emathia accepit principatum] Libri quidam: *occepit. Emathus* etiam melius ſcriberetur, nam ita dictus ille, à quo Emathia nominata eſt. Unde & Ἠμαθὶς ἡ χώρα. Græcus poëta:

---- Ἤμαθος ἥρως.

Perperam heîc in Delriana excuſum fuerat, *Æmathius,* & *Æmathia.* Juſtino dicitur *Emathion,* Ἠμαθίων.

Genuinus terræ habetur] Γηγενής.

Poſt hunc in Macedonis exortum Emathiæ nomen perſtitit] Ab Ematho nomen Emathiæ permanſit uſque ad Macedonis exortum, qui de ſuo nomine Macedoniam appellavit. Ineptè omnes editiones habebant ante: *in Macedoniis exortum.* Macedo hîc fuit Thyjæ Deucalionis natæ filius, & ſic maternus Deucalionis nepos, ut à Solino dicitur. Stephanus: Μακεδονία ἀπὸ Μακεδόνος τοῦ Διὸς, καὶ Θυίας τῆς Δευκαλίωνος. Ita legi debet, non ἀπὸ Μακεδονίας.

Qui juxta reſponſum datum à deo] Libri: *dictum deo,* id eſt, quod deus dixit. Sic alibi: *Peloponeſum Pelopi regnatam. Dictum* autem propriè de oraculi reſponſo. Unde & *dictio* pro oraculo, ὁ χρησμός. Pacuvius:

Flexa, non falſa autumare dictio Delphis ſolet.

Et apud Accium: *apertè fatur dictio.* Ὁ χρησμός. Sic *dictum,* τὸ χρησθέν.

Pag. 19. D. *Dixit Ægas, in qua ſepeliri reges mos erat*] Plinius: *Oppida, Ægæ, in qua ſepeliri mos reges.* In Plinii libris ſcribitur, *Ægiæ.* Græcum eſt: Αἴγειαι. Utroque enim modo dicebatur & Αἰγαὶ, & Αἴγειαι. Latinè *Ægiæ,* vel *Ægeæ.* A diſyllabo ἐθνικὸν Αἰγαῖος, à triſyllabo Αἰγεάτης. Juſtinus de Carano: *urbem Edeſſam ob memoriam muneris Ægeas, populum Ægeatas vocavit.* Ita ſcribimus, non *Ægeadas,* ut editum eſt Αἰγεάτας. Stephanus in voce Αἰγαί. Τὸ ἐθνικὸν ἀπὸ μὲν τοῦ δισυλλάβου, ἀπὸ δὲ τρισυλλάβου, ἀρσενικῷ καὶ οὕτως, Αἰγεάτης. Ita diſtinguendum. Dicit etiam reperiri hujus urbis nomen triſyllabum, hoc eſt, Αἴγειαι, à quo gentile, *Ægeates.* Sic Ægeas Ciliciæ, *Ægeas* etiam appellat Sammonicus:

Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum.

Τὸ αἴγειον eſt caprarium, unde urbs iſta Αἰγεῖαι, vel Αἰγαί, id eſt, caprariæ. *Ægia* in codice quodam Plinii, id eſt, Αἰγεῖα.

Succeſſit Carano Perdicca] Ita & Juſtinus. Alii Perdiccam quartum faciunt à primo Carano. Vide Euſebium, & Scaligeri canonum Iſagogicorum librum tertium. Sed & nos hæc alibi diſcutiemus. Nam mira auctorum diſſenſio ſuper Macedonum regum ſucceſſione. Primum in Macedonia regem nominatum fuiſſe Perdiccam ſcribit heîc Solinus. Alii Caranum primum regem Macedoniæ numerant. Auſonius:

Et Caranus, Pellæa dedit qui nomina regum.

Juſtinus, Euſebius, aliique complures in hac opinione. Perdiccam nonnulli primum volunt fuiſſe. Inter quos eſt Herodotus, qui Περδίκκην πρῶτον κτήσασθαι τὴν ἀρχὴν τῆς Μακεδονίας contendit. Sed ille Caranum non nominat, & Perdiccæ tribuit, quod Solinus, aliique Carano. Peloponneſiæ multitudinis ducem facit Caranum Solinus, Perdiccam Herodotus τῶν Τημενιδῶν, qui ex Peloponneſo venerant. Cum igitur ſucceſſorem Carani fuiſſe Perdiccam dicat noſter, perperam adjicit primum eum in Macedonia regem nominatum, quæ ſententia eorum eſt, qui Perdiccam primum Macedoniæ regem conſtituebant. Jam obſervavimus in multis hoc agere ſæpe Solinum, ut diverſas ſcriptorum opiniones ὑπὸ μίαν σύνοψιν comprehendat.

II & XX *Olympiade*] Euſebius Perdiccam regnare cœpiſſe notat anno ſecundo undecimæ Olympiadis.

Primus in Macedonia rex nominatus] Ita libri noſtri. Nec erat, cur illa verba expungeret Delrius, *in Macedonia.* Si libros ſuos audiit, nos & noſtris auſcultavimus. Sed in mala eum exemplaria incidiſſe, quibus uſus eſt in hoc auctore caſtigando, ex multis conjecturam fecimus. Nec meliori judicio uſum, etiam palam eſt.

Cui Alexander Amyntæ] Perdiccæ ſucceſſiſſe Alexandrum Amyntæ filium vult. Diximus, & verum eſt variare auctores in ordine, & tempore ſucceſſionis Macedonum Regum. Sed nemo auctor Perdiccæ illi primo ſucceſſorem dedit Alexandrum. Amyntæ quippe filius fuit, cui & ſucceſſit. Herodotus ſcribit Perdiccam ἕβδομον γενέτορα fuiſſe. Euſebius quoque ſeptimum à Perdicca hunc Alexandrum numerat. Juſtinus ſextum, omiſſo Alceta. Diodorus etiam Alexandrum patri Amyntæ ſucceſſiſſe tradit. Verum ex ipſo Solino oſtendamus graviter hallucinari Solinum. Perdiccæ ſucceſſorem dat Alexandrum, Alexandro Archelaum.

Per-

Perdiccas secunda & vigesima Olympiade regnum accepit: Archelaus hic regnare cœpit ineunte Olympiade octava & octogesima. Nam hic est Archelaus vel ipso auctore Solino, qui Euripidem poëtam summum amicum habuit. Unum autem Alexandrum inter Perdiccam & Archelaum ponit, sic Perdiccam cum Alexandro regnasse oportet annos CCLXIV vel ipsius Solini calculo. Eusebius ab exitu regni Perdiccæ ad initium Archelai computat annos CCLIII, quot annos regnasse oporteret Alexandrum, siquidem regnum ab Perdicca accepisset, & reliquisset Archelao. Quod non potest esse. Sic sibi semper similis deprehenditur Solinus. Cui auctori qui fidem suam obstringunt, parum securè ambulant.

Successus ejus ampliandis opibus proficiebant] Hæc verba restituimus auctoribus libris, *ampliandis opibus*, quæ ex librorum auctoritate se ejecisse fatetur Delrius. Nostrorum, ut opinor, auctoritas debet prævalere. Alexandrum Amyntæ filium divitem habitum fuisse dicit. Nec immerito, inquit, nam successus ejus ampliandis opibus affluenter proficiebant. Et verba illa omnino necessaria sunt. Etenim designant, quinam successus Alexandro fluxerint. Argentarii nimirum, καὶ οἱ χρηματισμοί.

Pag. 19. E. *Donis tenuerit liberalibus*] Tenere aliquem donis liberalibus, est fovere, sustentare. Et *tolerare vitam*, sic & *tenere* aliquis artificio suo dicitur, & *tenere se*. Quod perperam mutant apud Suetonium: *Hoc artificio se tenebat*, id est, se sustentabat, & alebat. Haud dissimiles loqutiones, quibus *roborari* aliquis stipendiis dicitur, & *fulciri*. De quibus ad Historiam Augustam. Sic ἐρείδειν Græci, de quo nos alibi. *Tenuit* autem heîc habent libri, non *tenuerit*. Et sic loquitur alibi noster de equo Cæsaris: *primores ejus pedes vestigii humani effigie tradunt fuisse: sicut ante Veneris genitricis ædem locatus est.* Et alibi: *postmodum vicerunt vitia nostra, & senatui adeo placuit odorum delitia, ut ea etiam in pœnalibus tenebris uteretur: sicut L. Plotium L. Planci bis consulis fratrem, proscriptum à triumviris, in Salernitana latebra unguenti odor prodidit.* Et cap. LIII. *Dat & India Margaritas, dat & littus Britannicum: Sicut divus Julius thoracem, quem Veneri genitrici in templum ejus dicavit, è Britannicis margaritis factum, subjecta inscriptione testatus est.* Ita hoc loco: *voluptati aurium deditus: sicut plurimos, qui fidibus sciebant, in usum oblectamenti donis tenuit liberalibus.* Ὡς καὶ. Voluptati aurium deditus, ut testatur, quod plurimos tenuit donis liberalibus, qui fidibus sciebant. Non obvia hæc loquutio, nec communis usus.

Ab hoc Archelaus regnum excepit] Non ab Alexandro regnum excepit Archelaus, sed à Perdicca, qui Alexandro successit. Neque in hoc dissentiunt auctores. Archelaus Perdiccæ filius, ut Perdiccas Alexandri. Quem Perdiccam octo & viginti annos regnasse auctor est Eusebius. Archelaum regnum accepisse anno ultimo septimæ & octogesimæ Olympiadis, Aminonis magistratu, quo anno Pericles mortuus. Ἐπὶ Ἀμείνονος ἄρχοντος. Perperam Ἐπαμείνονα ἄρχοντα indigetant libri quidam. Athenæus: Περικλῆς ὁ ἀποθνήσκει κατὰ τὸ τέταρτον ἔτος τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου, ἐπ' Ἀμείνονος ἄρχοντος. Malè editum est Ἐπαμείνονος. Scholiastes Euripidis in argumento Hippolyti: ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος ὑπόκειται ἐν Θήβαις, Ὀλυμπιάδι ὀγδοηκοστῇ ἑβδόμῃ ἐπὶ Ἀμείνονος ἄρχοντος. Corrumpunt, dum corrigunt, Ἐπαμείνονος ἄρχοντος. Nunquam Græci ita loquuntur. Hoc enim esset, *Epaminone regnante.* At Ἄρχων magistratus nomen. Itaque semper dicunt, ἐπὶ Ἄρχοντος τοῦ δεῖνα & δεῖνα, sub illo, aut illo Magistratu. Nunquam aliter Græcos auctores loqui reperies. Ἀμείνων nomen proprium, ut Latinis, *Melior.* Corrigendum quoque apud Laërtium, Πλάτων ὁ ἐπὶ Ἀμείνονος γέγονεν. Perperam vulgo est Ἀμεινίου, quod Græcum non est; Nam Ἀμυνίας, non Ἀμεινίας dicitur. Haud negem tamen,

A quin Græcum sit Ἐπαμείνων, à quo addita syllaba nomen proprium Bœotium Ἐπαμεινώνδας. Sic Ἥρων, Ἡρώνδας. Poëta fuit, cujus scazontas sæpe citant Athenæus, & Stobæus. Χάρων, Χαρώνδας. Καλλίων, Καλλιώνδας. Sic vocabatur frater Arati poëtæ. Κλέων, Κλεώνδας. Et similia.

Quam regali gloria illa præ se tulit] Non pejus est, quod habuerunt editiones Delriana priores. *Græco potius animo quam regali, gloriam illam præ se tulit.* Nam quod in libris legitur, *gloria illa*, vitio factum librariorum, qui sæpe hanc literam omittunt. Ut infrà: *in Thracia pergere*, pro *in Thraciam*. Ita igitur lege, ut est in antiqui-

B tus editis. Quod ait autem noster Archelaum Pythias, & Olympicas palmas quadrigis adeptum fuisse, vereor ne more suo Arcesilaum cum Archelao confundat: regem Cyrenæorum cum rege Macedonum. Arcesilaus ultimus Battiadarum Olympiade octogesima victoriam Olympiæ reportavit ἅρματι. Idem & Pythicam palmam adeptus quadrigis, prima & trigesima Pythiade, cui ἐπινίκια scripsit Pindarus. De Archelao id nemo prodidit.

Pag. 19. F. *Perdiccæ primo data copia*] Libri alii *primo*, alii *primum*. Malim, *primo*. Ex tribus Amyntæ

C filiis major natu Alexander, quo exempto, ex duobus reliquis primus Perdiccas, cui & successionis propterea facta est copia.

Coitu draconis consatam affirmaret] Sic libri, & editiones, quod mutatum non oportuit. Ita in libris Ponticōn erat loquutus:

--- *placido dea prosata mundo.*

Pag. 19. G. *Forma supra hominem augustiore*] Ex duabus hæc lectio concinnata. Quarum altera fuit: *forma suprà hominem, cervice celsa.* Altera: *forma augustiore, cervice celsa.* Sexcenta in hoc auctore talia sunt.

Sic morbo vinulentiæ] Libri omnes, *sicut.* Et paulo

D post: *exemptus est.* Ita igitur distinguendum: *vino, & ira victus sicut morbo vinulentiæ apud Babylonem humiliore, quam vixerat, fortuna exemptus est.* Ita loquutus est paulo ante: *voluptati aurium indulgentissime deditus: sicut plurimos, qui fidibus sciebant, dum vivit, donis tenuit liberalibus.* Ita enim ibi scriptum præferebant veteres libri. Vide quæ ibi notamus.

Pag. 20. A. *Lapidem gignit, quem Pæantidem vocant*] Scripti omnes Soliniani habent, *Pæaniten.* Pliniani: *Pæantidem.* Scribe: *Pæonidem.* Vel certè *Pæaniten.* Nam nihil refert. Παιήων deus medendi, qui & Παιάν: ut Ποσειδάων, Ποσειδάν: Ἀλκμάων, Ἀλκμάν. *Pæonites*,

E vel *Pæanites* dictus hic lapis, quod medeatur parturientibus. Idem & ἐγκυμονίτης, vel ἐγκυμονὶς, quod concipere ipse, & parere putaretur. Sic enim fortasse emendandus Plinius in hujus lapidis nomine vulgo corruptissimus: *Pæonides, quas quidam encymonidas vocant, prægnantes fieri, & parere dicuntur, mederique parturientibus.* Ἐγκύμων γυνὴ, mulier prægnans. Hinc ἐγκυμονὶς lapis, aut etiam κυμονίδες. Nam & κυμάδες dicuntur γυναῖκες ἔγκυοι. In vulgatis legitur *gemonides.* Sed libri ibi legunt, *geannides.* Et in Indice: *Pheantides, sive Ceanides*, pro *ceantides*, quod est κυαντίδες. Κυαίνειν est κύειν, parturire. Inde κυάντης & κυαντὶς. An φυνίδες, vel φυνη-

F τίδες? de *Pæanide*, vel *Pæanite* vix est dubium quin verum sit, παιὼν, παιάν: ut ποσειδὼν, ποσειδάν. Hinc *pæoniæ artes*, Medicæ. Et παιωνία herbæ genus. Inde παιανίτης λίθος, vel παιανὶς, sive παιωνὶς. Scripsimus hoc loco: *hunc eumdem & concipere, & parere, & parturientibus opitulari fama prodiga est.* Quod & veteres quædam editiones retinent, non solùm libri: & Plinius confirmat. Ediderat Delrius cum pejoribus: *hunc eumdem & concipientibus, & parientibus opitulari fama prodiga est.* At fama non nimium veri prodiga esset, si lapidem parientibus tantum opitulari diceret. Lapidum parien-

G tium extat apud Plinium non una mentio. An *Pæonites*, à Pæonia Macedoniæ?

CAPUT X.

Thracia cum moribus gentium. In ea de gruibus, de hirundinibus, de Isthmo.



Pag. 20. B. *Nunc in Thraciam locus pergere*] Libri: *in Thracia*, ut suprà: *gloria illa*, pro gloriam illam. Sequitur: *& ad validissimas Europæ gentes vela obvertere.* In Palatino quodam libro, *stilum obvertere* legebatur. In Regio est: *vel avertere.* Ut scribendum videatur: *vela vertere.* Plautus: *ut ventus in alto est, ita velum vertitur.* Et *versoria* apud eumdem, quo velum vertitur.

Hic ventus nunc secundus est, cape modo versoriam.

Ita *pedem* vocabant. Nam *pedem tenere* in navi dicebatur, qui præerat tendendis, proferendis, vertendisque velis. Servius: *per sortem divisi ad officia remigandi, quis proreta esset, quis pedem teneret*, id est, quis versoriam teneret. Inde *facere pedem* pro navigare. Inde & proverbium Græcum, ὑπέχειν μεθεὶς, τὸν πόδα διώκεις. Quid sit *pes veli* nos infrà dicemus.

Luctuosa sunt puerperia] Palatinæ schedæ: *luctus sunt puerperia.* Ex Mela: *lugentur apud quosdam puerperia.*

Et honoris loco judicatur multiplex matrimonium] In priori editione lectum fuit: *honoris loco judicatur redundantia conjugum.* In vulgatis erat: *honoris loco ducunt multiplex conjugium.* De hac multiplicitate conjugiorum apud Thracas elegantissimi Menandri versus apud Strabonem, nec satis emendati leguntur, quos huc afferam, ut legendi sunt, & distinguendi. Sic loquitur apud eum aliquis oriundo Geta:

Γαμεῖ γὰρ ἡμῶν οὐδὲ εἷς εἰ μὴ δέκ', ἢ
Ἕνδεκα γυναῖκας, δώδεκα δ' ἢ πλείους τινές.
Ἂν τέτταρας δ' ἢ πέντε γεγαμηκὼς, τύχῃ
Καταστρέφῃ τις, ἀνύμφευτος, ἄθλιος
Ἄνυμφος οὗτος ἐπικαλεῖτ' ἐν τοῖς ἐκεῖ.

Si cui forte, inquit, mori contigerit quatuor, aut quinque tantum uxoribus relictis, hic infelix censetur. Καταστρέφειν est mori: & καταστροφὴ, exitus & finis. Quæ heîc habet noster de moribus Thracum è Pomponio Mela expressit.

Quæ præ aliis specie valent subhastari volunt] Hæc vera lectio est, quam Delrius nullo prorsus judicio in sua editione mutaverat in *subarrari.* Exempla, quæ adducit huic scripturæ confirmandæ, nihil ad rem faciunt. More Romano uxores à viris subarrantur, cum arris sponsalitiis donantur, quod ἀῤῥαβωνίζεσθαι Græci recentiores, & ὁρμάζεσθαι dixerunt, ut alibi explicavimus. Quod erat idem ac μνηστεύεσθαι, sive desponsari. At hoc peculiare apud Getas, quod virgines earum sub hasta venumdabantur. An non hoc satis ostendit, quod sequitur? *& licentia taxationis admissa non moribus nubunt, sed præmiis.* Mela, a quo accepit: *nupturæ virgines non à parentibus viris traduntur, sed publicè, aut locantur ducendæ, aut væneunt.* Quis ignorat *subhastari* esse sub hasta vendi? Firmicus de errore Prof. Rel. *vendebatur Deus, ut prodesset emptori, & emptor suppliciter adorabat, quidquid paulo ante viderat subhastatum.*

Herbarum, quas habent, semine ignibus superjacto] Et hic locus ex Pomponio Mela expressus: *vini usus quibusdam ignotus est: epulantibus tamen ubi super ignes, quos circumsident, quædam semina ingesta sunt, similis ebrietati hilaritas ex nidore contingit.*

Strymonem accolunt dextro latere Denselatæ] In altero Regio: *Denseletæ.* Ita & Plinio vocantur, *amnem Strymonem accolunt dextro latere Denseletæ, & Mædi.* Græcis scriptoribus Δανθαλῆται. Ita enim Theopompo vocatos notavit Stephanus. Ptolemæo Δανθηλῆται, & regio eorum, Δανθηληκή. Romani, qui *Denseletas* dixerunt, more Laconum fecerunt. Nam & hi Δανσηλήτας appellant, ut Ἀσάνα & σιὸς, pro ἀθάνα & θεός. Corrige Martianum: *& qui a dextra parte Strymonis degunt Bessi, & Denseletæ usque ad Nestum amnem, qui Pangæum ambit.*

Pag. 20. D. *Bessorum quoque multa nomina*] Denseletas ait Strymonem accolere dextro latere, Bessorum

A quoque multa nomina, cum tamen ex Plinio certum sit Bessos non dexterum latus Strymonis accolere, sed lævum. *Lævo*, inquit, *Digerri, Bessorumque multa nomina ad Nestum amnem ima Pangæi montis ambientem.* Sed hæc curat scilicet Solinus.

Adusque Nestum amnem] Libri omnes Solini: *Mestum.* Et ita in veteribus Plinii. Nec aliter scripta exemplaria Martiani; vitiosè tamen. Ptolemæus *Nessum* appellat, aitque Macedoniam, & Thraciam disterminare. Νεσσὸν quoque vocat auctor Epitomes Strabonis. Strabo ipse Νεσόν. Hic fluvius non potest idem esse cum

B Nesto Illyrici, à quo regio Νεστὶς, & populi Νεστοί. Stephanus: Νέστος πόλις, καὶ ποταμὸς Ἰλλυρίας. Scylax Caryandæus: ἀπὸ δὲ Νεστῶν ἐστὶν ὁ Νάρων ποταμός. Longè ab illis locis *Nessus* Thraciæ, qui in mare influit prope Abdera, & Maroneam. Νέσσος fortasse ille Thracicus, Νέστος Illyricus amnis dicendus. Confundunt tamen hæc nomina auctores, & Νέσον etiam vocant τὸν Θρᾳκικόν. Reapse vero confundendi non sunt, ut vulgo faciunt eruditi, diversi enim sunt. Theophrasto ὁ Νέστος ἐν τῇ Ἀβδηρίτιδι hic est.

Hebrum Odrysarum solum fundit] Lege, & distingue apud Plinium: *inde Brysas, Sapæos, Odomantes. Odrysarum gens fundit Hebrum, accolentibus Carbiletis, Pyroge-*

C *ris*, &c.

Briantas] Veteres editiones: *Priantas.* Atque ita Plinio. Herodoto Βρίαντες. Hæ literæ sæpe mutantur invicem. Πρίαντες in Perrhæbica, qui alii sunt.

Doloncos] Male edebant: *Dolongios.* Δόλογκοι Stephano ἀπὸ Δολόγκου, qui Bithyni frater. *Doloncæ* Plinio οἱ Δολόγκαι.

Thynos] Libri: *Thunos.* Sunt Θῦνοι. Doloncos, & Thynos jungit. Thrace Titanis ex Jove habuit Bithyn, à quo Bithyni: ex Saturno Doloncum, à quo Dolonci. Bithyni & Thyni populi olim Thraciæ, qui in Asiam commigrarunt. Vide Strabonem lib. VII. &

D XII. Diversi sunt ab his Θῦνοι, *Thunni* Sarmatæ, vicini Caspiis, de quibus Dionysius:

Θῦνοι δ' ἑξείης ἐπὶ δ' αὐτοῖς Κάσπιοι ἄνδρες.

Priscianus:

Hinc Thunus sequitur, post fortis Caspia proles.

Hi sunt, qui & *Chuni* dicti sunt, & *Hunni*, Χοῦνοι, Ptolemæo Οὖνοι, & Θῦνοι iidem sunt, diversi, ut dixi, ab his Thraciæ Thynis.

Corpili] Plinio *Corpilli.* Sunt Κολπίλοι Græcè. Stephanus: Κολπίλοι Θρᾳκῶν ἔθνος. Ἡ χώρα Κολπιλική. Ἡ γὰρ Αἶνος κεῖται κατὰ τὴν πρότερον Ἀψινθιάδα, νῦν δὲ Κολπιλικὴν λεγομένην. Ita scribendum apud Stephanum.

E Ptolemæo Κορπιαλική dicitur, forte Κορπιλλική. Κορπίλλας quoque vocasse & Κορπιλικήν series literarum in Stephano probat.

Sithonia gens, quæ nato ibi Orpheo vate] Apollonius Rhodius prope Pimpleam natum auctor est:

---- τόν ῥά ποτ' αὐτὴ
Καλλιόπη Θρήικι φατίζεται εὐνηθεῖσα
Οἰάγρῳ σκοπιῆς Πιμπληΐδος ἄγχι τεκέσθαι.

Hanc Pimpleam alii montem Thraciæ, alii fontem, alii locum juxta Pieriam esse volunt. Πίπλαν, & Πίπλειαν Græci plerumque scribunt, unde *Pipletes vates* Orpheus dicitur Apulejo lib. II. Milesiarum his verbis, quæ ha-

F ctenus eruditorum virorum conjecturis multum vexata nihilo emendatiora relicta sunt. Sic ea igitur ex vestigiis antiquarum editionum, & librorum emaculanda: *sic in modum superbi juvenis Aonis, vel Musæi vatis Pipletis laceratus, atque discerptus domo proturbor.* Superbus juvenis Aonius est Pentheus. *Aon*, & *Aonius* quare dicatur notum est. Nam & *Aoniæ Thebæ* dictæ. Et *Musæus vates Pipletes* est Orpheus à Pipla Thraciæ loco, ubi natus est. Πιπλίτης. *Piplites.* At *Piplitis*, τοῦ Πιπλίτου. Ut *Menditis*

G apud Suetonium, τοῦ Μενδίτου. *In Apollonii Menditis libris θεολογουμένων.* Ἀπολλωνίου τοῦ Μενδίτου. A Piplea, *Pipleides* musæ apud Varronem lib. VI. de L.L. Acron etiam *Pipleadas* aliquibus à peplo genere vestis dictas adnotat. Certe

Certe in antiquis Strabonis exemplaribus Πίπλαν & Πίπλειαν scriptum extare notarunt eruditi. Hesychius: Πιπλίαι αἱ μοῦσαι ἐν τῷ Μακεδονικῷ Ὀλύμπῳ, ἀπὸ κρήνης Πιπλίας. Ita scripsisse arguit series literarum. Inde vates Pipletes Orpheus. Apud Sithonos eum natum noster habet à Plinio: *circa Ponti littora Moriseni Sithoniique Orphei vatis genitores obtinent.*

Quæ nato ibi Orpheo inter principes judicatur] Ita optimus Regius cum aliis æquè vetustis, & ad oram: *decus addit nomini.* Quæ lectio est παρεκδόσεως.

Sive sacrorum, sive cantuum secreta in Serrio promontorio] Scripti nostri optimi, *Sperchivo.* Schedæ Palatinæ: *Spergivo.* In prima editione, *Sparchino.* Ceteræ editiones: *Sperchio.* Martianus, qui hinc habet: *Nam in Spartio promontorio ille vitam aut sacris impendit, aut fidibus.* Scripti ejus codices, quos vidimus, ibi habent, *Spertio*, & *Sperchio.* Sanè *Sperchivum*, aut *Sperchium* est Σπερχεῖον. Sed promontorium hoc nomine in illis locis nullum est, quod sciam. Ptolemæus Σπερχεῖαν urbem in Phtiotide memorat ad sinum Pelasgicum, non longè ab ostiis fluminis Sperchii. An promontorium inde Sperchium, aut Sperchivum finxerit noster, meum non est divinare. Cum multa è Pomponio sumpserit, & hoc etiam ab illo mutuatus est. Sed qua fide videamus. Eadem certè, qua & in aliis solitus est. Sic ille scribit: *deinde promontorium Serrium, ex quo canentem Orphea secuta narrantur nemora, & Zone.* Ita hodie legitur apud Melam ex emendatione Hermolai. Nam ante Hermolaum legebatur: *deinde promontorium Seripium.* Atque ita hodie scriptum præferunt quantum est ubique veterum exemplarium. Quin tamen recte ab Hermolao ita fuerit emendatum, nemo ausit dubitare. Serrium & Zonem Plinius etiam junctim, & in propinquo ponit: *Mons Serrium, Zone tum locus Doriscus.* Scriptum antiquitus in Mela fuisse videtur, *Serphium* pro *Serrhium*. Ut P & R sæpe confunduntur. Sic in Historia Augusta *Arpianus* pro *Arrianus* scriptum offendi. Inde igitur *Seriphium* pro *Serrium* propagatum est. Quomodo apud Pomponium legerit Solinus, nescio, sed apparet eum in mendosos codices incidisse, aut certè *Sperchium* pro Serrio somniavisse. Verùm his finibus non se tenuit oscitantis ejus animi hallucinatio. Ex Serrio nemora sequuta esse canentem Orphea, quasi res valde memoratu digna narratur. Atqui verisimile est non ex Serrio tantum, sed ex locis circumcirca vicinis nemora eum sequuta esse, & ad cantum ejus accessisse. Intelligunt fortasse in Serrio cecinisse. Ergo ita potius dixisset Pomponius quam *ex Serrio.* Ne tempus teram otiosè, scripta Pomponii exemplaria, quæ inspexi, sic locum illum legendum monstrant: *deinde promontorium Serrium, & quo canentem Orphea sequuta narrantur etiam nemora Zone.* Nec enim una litera minus insignitum habent. Ex Pieria Zonen usque nemora canendo attraxit Orpheus. Ergo Zonen usque sequuta sunt nemora canentem Orphea. Sine dubio Mela respexit cum illa scripsit, ad hæc Apollonii:

---- κείνης ἔτι σήματα μολπῆς
Ἀκτῆς Θρηϊκίης Ζώνης ἔπι τηλεθόωσαι
Ἑξείης στιχόωσιν ἐπήτριμοι, ἅς ὅγ' ἐπιπρὸ
Θελγομένας φόρμιγγι κατήγαγε Πιερίηθεν.

Adhuc, inquit, stant in littore Threicio, quod Zone appellatur, ordine plantatæ arbores, quæ ex Pieria eo usque canentem Orphea sequutæ fuerant. In acta igitur, quæ *Zone* appellatur, illæ arbores, quæ canentem Orphea sequutæ sunt, non in promontorio Serrio. Nicander quoque in Zone promontorio arbores illas Orphei collocat:

Ἔζετ' ἵνα Ζωναῖα τ' ὄρη χιόνεσσι φάληρα
Καὶ δρύες Οἰαγρίδαο:

Idem alio loco:

Καὶ μὲν ὑπὸ Ζωναῖον ὄρος δρύες ἀμφί τε φηγοὶ
Ῥίζοθι δινήθησαν, ἀνέστησάν τε χορείαν
Οἷον παρθενικαί.

Sic non una animadvertenda est hoc loco exerratio Solini. *Sperchium* pro Serrio dixit. Deinde Serrio tribuit ex male acceptis Pomponii verbis, quod ille de Zone scripsit. Præterea non Serrium solum, si forte & illud, sed & Pieriam, & Pimplam, & Hæmum, & Rhodopen cantibus, & sacris suis celebrasse fertur Orpheus. Mela ibidem: *montes interior attollit Hæmum, & Rhodopen, & Orbelon sacris Liberi patris, & cœtu Mænadum, Orpheo primum initiante celebratos.* Quæ Solinus ad Sperchium inauditum promontorium transtulit.

Regio Maronea, in qua Tinda oppidum fuit] Quantum est librorum Solini, habent omnes, *Tirida.* Nec secus Pliniani. In Martiani quidem editis est *Tinda*, sed qui manuscripti sunt, exhibent *Tirda.* Pro *Tirida* nimirum, Si *Tirida* scripsisset, esset Τίρζα. Sic Λαζοί, *Ladi*: τραπέζια, *trapedia*: Κυζικὸς, *Cydicus.* Sed Τίρζα in Paphlagonia ponit Stephanus. Nec Ptolemæi Τίρσα possit esse, quod tamen volunt eruditi quidam. Etenim Ptolemæus eas tantum urbes recenset, quæ suo tempore extabant. Tiridam jampridem extitisse, nec amplius esse scribit Plinius, & ex eo noster. Preterea loca non respondent. *Tinda* igitur Plinius scripserit, quæ vitio librariorum disjuncta, ac divisa litera in duas postea facta est *Tirida.* Quod in aliis multis animadverti. Hoc mendum in Plinii codicibus jam Solini ævo hæsisse verisimile est. Τίνδη urbs Thraciæ, quam Chalcidenses condiderunt, inquit Stephanus. Eo tempore Chalcidenses hanc coloniam extruxisse videntur, quo Clazomenii, & Teji Abderam. Sic Tindam, & Abderam vicinas inde liquet fuisse, quæ ab his Asiæ populis, Chalcidensibus, & Clazomeniis sunt occupatæ, cum in Thraciam migraverunt, dominium Persarum minimè tolerantes. Turrem Diomedis hanc urbem vocare videtur Mela: *Turris, quam Diomedis vocant, signum fabulæ remanet.* Nec quidquam reor mutandum in verbis Pomponii. Ex eo enim habere Solinum palam est, quod hic scribit, urbem Diomedæam Tiridam ævo cessisse, solumque turris vestigium adhuc durare. Qui tamen Pomponii sensus non est. Ex Plinio sumpsit nomen urbis, reliqua de turris vestigio, & Pomponii verbis rectè sibi adaptare est visus. Sed si Tinda heic legimus, quum eam à Chalcidensibus conditam esse constet, longe utique post Diomedis tempora, non id oppidum Diomedis fuisse potuit, nisi dicamus instauratam tantum à Chalcidensibus colonia deducta, retento priore nomine, sicut Abdera Teji condiderunt. Dicit Plinius in illis locis fuisse oppidum Tindam Diomedis equorum stabulis dirum, hoc significare, non amplius extare. *Nunc sunt*, inquit, *Dicaea, Ismaron, locus Parthenion, Phalesina, Maronea, prius Ortagorea dicta.* At noster heic in Maronea regione Tirida oppidum Diomedis situm fuisse docet. Quod est falsum, & absurdum. Maroneamquippe urbem, non regionem nominant auctores. Ptolemæus: Ἄβδηρα, Μαρώνεια. Stephanus: Μαρώνεια, πόλις Κικονίας κατὰ τὴν ἐν Θράκῃ χερρόνησον. Ἐν ᾗ λίμνη Μάρις, ἐν ᾗ Μαρώνεια πόλις. Demus regionem circa urbem Maroneam eodem nomine fuisse appellatam, certè non in ea fuit Tirida. Mela: *Tum Schœnas fluvius, & ripis ejus adjacent Maronia. Regio ulterior Diomedem tulit, immanibus equis mandendos solitum objectare advenas, & iisdem ab Hercule objectum. Turris, quam Diomedis vocant, signum fabulæ remanet.* Vides ripis Schœnæ fluvii adjacere Maroniam urbem, regionem vero ulteriorem tulisse Diomedem, in qua & urbs ejus fuit, tantum abest ut in Maronia regione fuerit, cum ex his satis constet nullam fuisse Maroneam regionem. Certo tamen certius hanc Maroneam regionem è Pomponio hausisse Solinum, ita nimirum legendo: *& ripis ejus adjacens Maronea regio ulterior Diomedem tulit.* Ita decipi, & errare novum non est Solino, immo mos est. *Schœnon* fluvium vocat Mela, cui adjacet urbs Maronea. In scriptis vocatur *Stenos.* A Bistonio stagno non longè erat. Martianus Heracleota:

---- ἐν ᾗ τῶν πρὸς ἀνατολὴν
Μερῶν, λαβοῦσα τοὔνομ' ἀπὸ τῶν Βιστόνων
Θρακῶν παραμήκης ἐστὶ λίμνη Βιστονίς,
Εἶτεν Μαρώνει' ἣ κατοικήσαι τὸ πρὶν
Τοὺς Κίκονας ἱστοροῦσι τοὺς ἐν Ἰσμάρῳ,
Ἀυτή δε Χίων ἐγένεθ' ὕστερον κτίσις.

Strabo: ἡ ὑπέρκειται λίμνη μεγάλη ἡ Βιστονὶς, εἶτα πόλις Μαρώνεια. Incertus auctor apud Stephanum Μαρίδα vocat: ἐν ᾗ λίμνη Μαρὶς, ἐν ᾗ πόλις Μαρώνεια. Solinus, qui Pomponium hoc loco legit, & exscripsit: *deinde stagnum Bistonium: nec longe regio Maronea.* Ita legisse apud

apud Melam videtur. Et certè ita emendaverim, *stagnum Bistonum*, aut *Bistonis*. Quo nos ducunt manifesta vestigia veteris scripturæ. Vox *fluvius* à sciolis addita est. Sed hæc ad Pomponium ipsum pluribus.

Pag. 20. E. *Quam Diomedis soror condidit, & à se vocavit*] Ergo Ἀβδήρα vocabatur soror Diomedis. Alii ab Abdero Herculis delicio dictam volunt, quem Diomedis equi discerpserunt. Auctor Epitomes Strabonis. Stephanus, cujus verba ita emendanda: Ἄβδηρα πόλεις δύο, ἡ μὲν Θρᾴκης ἀπὸ Ἀβδήρου τοῦ Ἑρμοῦ, Ἡρακλέους ἐρωμένου, ὃν αἱ Διομήδους ἵπποι διεσπάσαντο. Appollonius lib. II. Τῶν δὲ Βιστόνων ἐπιβοηθέντων τὰς μὲν ἵππους παρέδωκεν τῷ Ἀβδήρῳ φυλάσσειν, αὐτὸς δὲ τὴν Ἑρμοῦ παῖς Ἡρακλέους ἐρώμενος, ὃν αἱ ἵπποι διέφθειραν ἐπισπασάμεναι. Hyginus Abderum Diomedis famulum, & ab Hercule interfectum dicit: *Diomedem regem Thraciæ, & equos quatuor ejus, qui carne humana vescebantur cum Abdero famulo interfecit.* Sed constantia veri non est in fabulis requirenda. Tzetzes ab Hercule conditam Abderam memorat, occiso Diomede. Idem Abderum Ἡλίου filium vocat. Corrige, Ἑρμοῦ.

Ἄβδηρον τὸν Ἑρμοῦ δὲ τὸν Ἡρακλέους φίλον.

Martianus:

Τῶν δ' ἐπὶ θαλάττῃ κειμένων ἐστὶν πόλις
Ἄβδηρ' ἀπ' Ἀβδήρου μὲν ὠνομασμένη
Τοῦ καὶ κτίσαντος πρότερον αὐτὴν, ὃς δοκεῖ
Ὑπὸ τῶν Διομήδους ὕστερον ξενοκτόνων
Ἵππων φθαρῆναι. Τήιοι δὲ τὴν πόλιν
Συνῴκισαν φυγόντες ὑπὸ τὰ Περσικά.

Clazomenii ex Asia] Immo Τήιοι. Unde proverbium:

Ἄβδηρα καλὴ Τηΐων ἀποικία.

Vicini quidem ambo hi populi. Sed Tejorum, non Clazomeniorum colonia fuit Abdera. Prima & trigesima Olympiade hanc coloniam conditam scribit hoc loco Solinus, quod convenit cum Eusebii rationibus, qui eadem hac olympiade Lampsacum, & Abderam refert conditas. Sed vereor, ut satis utrique cum veritate conveniat. Strabo tradit Tejos patriam suam reliquisse, & in Thraciam commigrasse, ubi Abdera constituerunt, οὐ φέροντας τὴν τῶν Περσῶν ὕβριν. At prima & trigesima Olympiade nulla Persarum in Asia adhuc mentio, nec nomen audiebatur centum plus minus annis, antequam Cyrus Medorum everso imperio Persicum instituisset. Constat enim Tejos expugnata sua urbe ab Harpago Cyri præfecto navibus conscensis in Thraciam trajecisse, & Abderam construxisse. Sub idem tempus & Phocæi ab eodem Harpago expugnati patriis sedibus relictis Massiliam in Viennensi condiderunt. At Massiliam Eusebius refert conditam Olympiade quinta & quadragesima. Non potest vetustior esse conditio urbis Abderæ in Thracia. Herodotus lib. I. de Tejis: ἐπεί τε σφέων εἷλε χώματι τὸ τεῖχος, ἐσβάντες πάντες ἐς τὰ πλοῖα, οἴχοντο πλέοντες ἐπὶ τῆς Θρηΐκης καὶ ἐνταῦθα ἔκτισαν πόλιν Ἄβδηρα. Addit, antequam Teji illo accederent, jam condi cœptam fuisse Abderam à Timesio Clazomenio, qui à Thracibus pulsus, τιμὰς νῦν ὑπὸ Τηΐων ἐν Ἀβδήροισιν, ὡς Ἥρως ἔχει. Hinc est, quod à Clazomeniis conditam heîc narrat Solinus. Et fieri potest, ut prior illa κτίσις τῶν Ἀβδήρων à Timesio Clazomenio inciderit in primam & trigesimam Olympiadem. Nam de posteriore, quam Teji fecerunt adventu Persarum fugati, nullo modo verum esse potest. Rectè igitur Eusebius, si de priore intelligit Clazomeniorum, secus, si de secunda Tejorum. Sed prior illa non successit, cujus auctor Timesius, & falsum est, quod heîc prodit noster Clazomenios Abderam suo nomini vindicasse. Herodotus: ἔκτισαν πόλιν Ἄβδηρα τὴν πρότερος τούτων Κλαζομένιος Τιμήσιος κτίσας, οὐκ ἀπώνητο, ὑπὸ Θρηΐκων ἐξελαθεὶς. Sic Abdera Tejorum, non Clazomeniorum. Per idem tempus Tinda à Chalcidensibus ibidem videtur condita. Stephanus: ἔστι καὶ Τίνδη Θρᾴκης Χαλκιδικὴ πόλις. Teji, Clazomenii, & Chalcidenses vicini.

Polydori tumulum ostendit Æmus] Nonne monstri simile est, quod heîc legitur? *Æmus*, inquit, *Polydori tumulum ostendit in ea parte, quam Aroteres Scythæ celebrant.* De Æmo monte intellexit. At de Æno urbe id scripserunt auctores. Plinius: *Oppidum Ænos libe-*

A *rum, cum Polydori tumulo.* Ex poëta constat lib. III. Polydori tumulum juxta Ænum fuisse:

Æneadasque meo nomen de nomine fingo.

Ibi Servius: *modo Ænum intelligit.* Sallustius: *Ænum, & Maroneam, viamque militarem.* Sequitur statim de Polydori tumulo: *Forte fuit juxta tumulus.* Mela etiam Ænon ab Ænea conditam asserit: *eximia est Ænos ab Ænea profugo condita.* Sed falluntur. Αἶνος non condita ab Ænea, sed Αἴνεια. Ex Æneo auxilia ad Trojam venisse Homerus dicit. Præterea ab Æno *Æneades* ἐθνικὸν formari non potest, sed Αἴνιος. Virgilius urbem illam, quam condidit Æneas, *Æneadas* vocat, quia
B Græci τὰς Αἰνειάδας eam vocarunt. Theon in commentariis ad Lycophronem: Αἰνείας δὲ μετὰ τὴν Ἰλίου πόρθησιν εἰς Θρᾴκην παρεγένετο, καὶ ἔκτισε πόλιν Αἰνειάδας, ὅπου τὸν πατέρα ἔθαψε. Sic Αἰνειάδες Theoni, quæ *Æneadas* Virgilio. Hæc eadem urbs dicebatur, & Αἴνεια. Stephanus: Αἴνεια τόπος Θρᾴκης, ὡς Αἴπεια, ἀπ' Αἰνείου. Dionysius Halicarnasseus Αἴνειαν etiam vocat, & in Cherroneso conditam dicit, cui nomen Pallene, quam peninsulam Crusæi barbari tenebant. Id oppidum durasse ait usque ad imperium successorum Alexandri Macedonis, quum Cassander eo diruto Æneatas Thes-
C salonicam transtulit tum recens extructam. Lubet animadvertere heîc magnam auctorum in harum urbium nominibus confundendis, & historia turbanda inconstantiam. Αἶνος, & Αἴνεια duæ urbes diversæ. Αἶνος contra Cherroneson Thracicam, in Melane sinu, ad ostia Hebri fluminis, longè ante Æneam condita, utpote quæ auxilia ad Trojam miserit. Callimachus, & Euphorion à socio Ulixis dictam scripsere illic sepulto eo tempore, quo missus est ad frumenta portanda, ut refert Servius. Hæc Ænos in propinquo Polydori tumulum habuit à Polymestore occisi, qui eam Cherroneson obtinebat. Euripides:

D Πολυμήστορος πρὸς δῶμα Θρηκίου ξένου
Ὃς τὴν ἀρίστην Χερρονησίαν πλάκα
Σπείρει φίλιππον λαὸν εὐθύνων δορί.

Αἴνεια vero urbs ab Ænea nominata, & ab eodem extructa in Cherroneso, quæ Pallene vocabatur, ad Thermæum sinum haud longè à Thessalonica, ut luculenter testatur gravis auctor Dionysius. Eam Cherronesum Cruseos barbaros tenuisse dicit, qui Mygdoniæ erant populi. Cum igitur Cassander Thessalonicen conderet, vicina oppida destruxit, & in novam urbem eorum incolas migrare fecit. Hoc idem affirmat & Strabo in Epitome his verbis de Thessalonica: κτίσμα ἐστὶν Κασσάν-
E δρου. Ὃς ἐπὶ τῷ ὀνόματι τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς, παιδὸς δὲ Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου ὠνόμασεν. Μετῴκισεν δὲ τὰ πέριξ πολίχνια εἰς αὐτὴν οἷον Χαλάστραν, Αἴνειαν, Κισσὸν, καὶ ἄλλα τινά. Græci scriptores disertim distinguunt Αἶνον, & Αἴνειαν, ut & duas illas peninsulas Thracicas, quarum una ad Melana sinum; altera ad Thermæum, quæ & Macedonica. Hæc discrimina Latini auctores strenuè confundunt. Virgilius *Æneadas*, vel Αἴνειαν in eo loco condi facit ab Ænea profugo, ubi erat Ænus. Mela Ænon ab Ænea conditam scribit. Auctor de origine gentis Romanæ: *Æneam primum Thraciam appulsum Ænum ex suo nomine condidisse.* Perperam. Nec
F enim Ænus ab Ænea condita, sed Αἴνεια. Nec Αἰνεάται ab Æno, sed ab urbe Αἴνεια. Livius *Æneatas* vocat incolas ejus urbis, quam Æneas construxit. Sic & Αἴνεια in Latio ab Ænea. Canon in narrationibus, Αἴνειαν primum, postea Αἶνον vocatam esse scripserat: ᾗ κτίζει πόλιν ἣ τότε μὲν Αἴνεια ἀπὸ τοῦ κτίσαντος, ὕστερον δὲ παρενεχθέντος τοῦ ὀνόματος, Αἶνος ἐκλήθη. Quod falsum est, diversa enim oppida Αἶνος & Αἴνεια. Ænea, ut Dionysius, & Strabo testantur, cum aliis oppidis vicinis, contributa est à Cassandro in nomen Thessalonicæ, quum ab eo conderetur. Hinc apud Geogra-
G phos nulla τῆς Αἰνείας mentio. Αἶνος usque ad extrema Græciæ tempora permansit. Ptolemæus etiam Ænum recenset. Ἕβρου ποταμοῦ ἐκβολαί. Αἶνος πόλις. Sallustius: *Ænum, & Maroneam, viamque militarem.* Hæc Αἶνος cum Polydori tumulo. De qua urbe montem Æmum fecit Solinus. Nec unum hoc tantum in tam paucis ab illo prodigium, sed & Scythas aroteres in monte Æmo collocat. *Polydori tumulum, inquit, ostendit Æmus in parte, quam Aroteres Scythæ celebrant.* Æmi

Æmi averſa Sarmatas, & Scythas Areatas obtinere dixit Plinius. An inde finxit Aroteres Scythas Æmum celebrare? Verius eſt hunc locum ab interpunctionibus laborare, & corruptum etiam eſſe. Quare ſic legimus totum, & diſtinguimus: *Polydori tumulum oſtendit Ænus. In parte, quam Aroteres Scythæ celebrant, quondam urbem Geraniam, Cattizon barbari vocant: unde à gruibus Pygmæos ferunt pulſos.* Nihil certius hac emendatione. Plinius: *totum eum tractum Scythæ Aroteres cognominati tenuere. Eorum oppida Aphrodiſius. Libiſtos, Zigere, Borcobe, Eumenia, Parthenopolis, Gerania, ubi Pygmæorum gens fuiſſe traditur, Catizos barbari vocabant.* Ergo Gerania in eo tractu, & in ea parte, quam Aroteres Scythæ celebrabant: *Aratores Scythas* vocant Solini exemplaria ſcripta, non *Aroteres.* Oblitus eram monere verba de Æno apud Melam ſic eſſe interpunctionibus ſananda: *Eximia eſt Ænos ab Ænea profugo condita circa Hebrum. Cicones trans eumdem. Doriſcos, ubi Xerxem copias ſuas, quia numero non poterat, ſpatio menſum ferunt.* Nam Ænos circa Hebrum. Strabo apud Stephanum: ἐν δὲ τῇ ἐκβολῇ τοῦ Ἕβρου διςόμου ὄντος, πόλις Αἶνος.

Quondam urbem Geraniam, Cattuzan barbari vocant] Plinius Pygmæos Catizos à barbaris vocatos ſignificare videtur his verbis: *Gerania, ubi Pygmæorum gens fuiſſe proditur, Catizos barbari vocabant; creduntque à gruibus fugatos.* Certè Plinius Geraniam à Cattuzis diſtinguit. Non enim dicit Geraniam Cattuzan vocatam fuiſſe, ut accepit Solinus, ſed Gerania nominata, Cattizos vocari addit à barbaris, ubi Pygmæorum gens fuit. Sic diverſa loca Gerania, & Cattuza. *Gerania*, ut videtur, locus dicebatur, unde contra Pygmæos veniebant grues: *Cattuza* vero, ubi Pygmæi degebant. Stephanus, qui hac parte auctior eſt in ſcriptis codicibus: Κάτθουζα πόλις Θράκης, ἐν ᾗ κατῴκουν οἱ Πυγμαῖοι. οἱ οἰκήτορες Κάτθουζοι. Ὅθεν δὲ τὰς γεράνους ὁρμᾶν, τὸ χωρίον Ῥακώλην προσαγορεύεσθαι. Locum, unde procedebant grues cum Pygmæis bellaturæ, Ῥακώλην dicebant barbari Græci, ut apparet, Γεράνειαν. At Κάτθουζα, ubi habitabant Pygmæi, qui Κάτθουζοι dicebantur à barbaris. Non igitur Cattuza eadem cum Gerania. Nec certè *Geraniam* Cattuzam vocatam ſcripſit Plinius, ſed Pygmæos *Cattuzos.* Ita enim legendum apud Plinium. In Solini exemplaribus habetur ſcriptum: *Catizon barbari vocant.* Ut fortaſſe ita legerit apud Plinium: *ubi fuiſſe Pygmæorum gens proditur, Cattuzon barbari vocant.* Vulgo eſt, *quos Cattizos*, ſed *quos* non agnoſcunt libri. Et veriſſima hæc lectio eſt. Certè *Cattuzon*, ſive *Cattuza* à Gerania diverſum.

Pag. 20. F. *Contendunt in altiſſima*] Plinius lib. x. cap. XIII. *Volant ad proſpiciendum altè*, id eſt, altè volant ad proſpiciendum. Quod hic explicavit, ut de excelſiori ſpecula metentur, quas petant, terras. Quod ineptum eſt, nec mens eſt hæc Plinii. Semper altè volant grues, nec ex tam longinquo metantur, quas petant, terras, cum ex Scythicis regionibus ad ſuperiora Ægypti contendant. Præterea non dixit ad deſpiciendum eas altè volare, ſed ad proſpiciendum. Aves, quas metentur, terras ex alto deſpiciunt. Virgilius:

Aut capere, aut captas jam deſpectare videntur.

Ad proſpiciendum, πρὸς τὸ καθορᾶν τὰ πόῤῥω. Ariſtoteles: εἰς ὕψος πέτονται πρὸς τὸ καθορᾶν τὰ πόῤῥω. Καὶ ἐὰν ἴδωσι νέφη, καὶ χειμέρια, καταπτᾶσαι ἡσυχάζουσι. Ideo igitur proſpiciunt. Nam ſi tempeſtatem, & nubes à longè viderint, in terram devolant, & quieſcunt.

Fidens meatu præit catervas, ut cogat agmen] Antiquæ editiones habebant: *fidens meatu præit catervas, volatus deſidiam caſtigat; voceque cogit agmen.* Nec aliter in libris. Critica ſua Delrio ſuaſit, ut legeret, atque editum etiam vellet: *fidens meatu præit catervas, ut volatus deſidiam caſtiget, voceque cogat agmen.* Quaſi qui præit catervam, & dux eſt, cogere agmen poſſit, & deſidiam tardè volantium caſtigare. Sed ille vir bonus neſciſſe videtur, quid eſſet agmen cogere; nec enim confudiſſet οὐραγὸν, & ἡγεμόνα. Lege: *fidens meatu præit catervas: volatus deſidiam caſtigat voce, quæ cogit agmen.* Plinius: *ducem, quem ſequantur, eligunt: in extremo agmine per vices, qui acclament, diſpoſitos habent, & qui voce gregem contineant.* In extremo agmine eſt, qui

A cogit agmen: dux eſt, qui præit. Ad continendum agmen adclamare poſtremos, qui hoc munus per vices ſortiuntur, ſcribit Plinius. Noſter ad caſtigandam volatus deſidiam. Longè alio ſenſu. Ariſtotelem Plinius expreſſit, cujus hæc ſunt de gruibus: ἔτι δὲ τὸ ἔχειν ἡγεμόνα τε, καὶ τοὺς ἐπισυρίττοντας ἐν τοῖς ἐσχάτοις, ὥστε ἀκούεσθαι τὴν φωνήν. Qui ducit agmen, ſilet: nam videtur ab omnibus. Qui in extremo ſunt agmine, adclamant: ut vox audiatur, ut, ſi quæ ex præcedentibus à grege aberrarint, in ordinem redeant. Sic continetur agmen, nec diſſipatur, aliis præeuntibus, aliis, quæ agmen cogunt, adclamantibus, & revocantibus B diſperſos à grege. Solinus ſciens, ſolenſque à Plinii ſententia diſceſſit.

Et quidem eas, nam promptum eſt oculis deprehendere] In libris non habetur illa cauſativa particula; legerim, ac diſtinxerim: *pontum tranſituræ anguſtias captant, ut quidem eas promptum eſt deprehendere, quæ inter Tauricam ſunt, & Caphlagoniam.* Dicit grues pontum tranſituras captare anguſtias, quæ inter Tauricam, & Paphlagoniam, & quidem promptum eſſe eas oculis deprehendere, quum id faciunt. Plinius: *certum eſt, Contum tranſvolaturas, primum omnium anguſtias petere, inter duo promontoria Criumetopon, & Carambin, mox ſaburra* C *ſtabiliri.* Ex eo, quod Plinius ſcribit certum eſſe id eas facere, noſter promptum eſſe eas oculis deprehendere dixit, nihil enim magis certum, quam quod oculis deprehenditur.

Pag. 20. G. *Cum trans medium alveum adventaſſe ſe ſciunt*] In libris: *cum contra medium alveum.* Plinius: *cum medium tranſierint*, id eſt, medium Pontum. At *alveus* de fluminibus dicitur.

Arenas non prius revomunt, quam ſecuræ ſedis ſuæ fuerint] Quam ad eas ſedes, quas petunt, pervenerint. Non hic eſt Plinii ſenſus, cujus hæc ſunt verba: *cum medium* D *tranſierint, abjici lapillos è pedibus: cum attigerint continentem, & è gutture arenam.* Grues tranſvolaturæ Pontum primum anguſtias captant, inter duo promontoria: deinde ſaburra ſtabiliuntur, arenis devoratis, & lapidibus ſublatis, quas pedibus retinent. Cum medium Pontum tranſierunt, lapillos è pedibus abjiciunt: cum continentem attigerunt, arenam etiam è gutture revomunt. Nec enim ſaburrari opus habent, niſi cum Pontum tranſmeant. Cum terras ſupervolant, ſi ventus nimius ingruat, aut ſi tempeſtatem proſpiciant, à volando ceſſant, & humi requieſcunt. In Ponto, ubi id facere non poſſunt, ſaburram accipiunt, ne à ven- E tis auferantur: quam, ubi continentem tetigere, abjiciunt. Et hoc faciunt, ſive ex Septentrione Eoum mare petant, ſive ex Eoo mari in Septentrionem redeant. Pontum utique in itu, & reditu tranſvolant. Hîc vero dicit, non prius arenam è gutture revomere, quam ad ſedes ſuas pervenerint. Cur igitur in medio Ponti alveo lapillos projiciunt? ſuprà quoque dixerat, pergentes ad deſtinata grues, ne vis flatuum renitatur, arenam devorare ſolitas, & lapillos pedibus tollere. Atqui id facere conſuetas tantum, cum Pontum tranſire volunt, ſcribit Plinius.

Concors cura omnium pro fatigatis] Hoc de ciconiis, F non de gruibus eodem capite Plinius: *colla imponunt præcedentibus: feſſos duces ad terga recipiunt.*

Pag. 21. A *Quæ ſi forte exciderint, ſomnum coarguant*] Regius: *ſomnium coarguant.* Fortè: *ſomni coarguant*, Plinius: *qui laxatus ſomno, & decidens indiligentiam coarguant.*

Quod cavendum erit, clangor indicat] Libri: *clangore indicant.* Hoc non de omnibus, ſed de ſola duce Plinius, & Ariſtoteles ſcribunt. Ariſtoteles: ὁ δὲ ἡγεμὼν γυμνὴν ἔχων τὴν κεφαλὴν προορᾷ, καὶ ὅταν αἴσθηταί τι σημαίνει βοῶν. Ad verbum Solinus: *clangore indicat.* Plinius: *& prædicit.* Plinius excubias habere nocturnis G temporibus ait, lapillum pede ſuſtinentes, qui decidens indiligentiam coarguat. Hoc de omnibus dicit. Solinus excubiarum verbo motus, ut in vera militia ſolet, ita facere illas commentus eſt: excubias nocte dividere, exſomnem eſſe decimam quamque; cui vigilia ſorte cecidit, ponduſcula digitis amplecti, quæ ſi forte deciderint, ſomnum coarguant, & quod cavendum erit eam clangore indicare. Hoc de ſolis ducibus Pli-

Plinius, & Aristoteles prodidere. Ceteras enim capite subtèr alam condito dormire, alternis pedibus insistentes: ducem erecto providere collo, & clangore indicare, si quid cavendum est.

Nigrescunt senectute] Plinius lib. x. cap. XXIX. *quod in grandiore alitum genere grues tantùm, eæ enim senectute nigrescunt.*

Veniamus ad promontorium Χρυσόκερας] In libris: *ceras Chryseon*. Ita & Martianus ex hoc loco: *illic promontorium Ceras Chryseon, Byzantio oppido celebratum.* In Plinio scribitur: *Promontorium Chrysonecaras.* Scribe: *Chryseon Ceras.* Hodie editur Chrysoceras, sicut in Solino edebatur. Græcis, Χρυσοῦν κέρας, non Χρυσόκερας. Plinius alibi *aureum cornum* appellat lib. IX. cap. XV. *Hujus aspectu repente territi, semper adversum Byzantii promontorium ex ea causa appellatum Aurei cornus præcipiti petunt agmine.* De captura Thynnorum loquitur. In editionibus Plinii vulgatur: *ex ea causa appellatum auri cornu.* Sed omnia exemplaria manuscripta habent, *aurei cornus*, id est, τοῦ χρυσοῦ κέρατος. Nam *cornum* pro cornu aliis locis usurpavit Plinius, & ex eo simius ejus Solinus. Et sanè promontorium illud, in quo Byzantium, non vocatur ipsum χρυσοῦν κέρας, sed sinus circa Byzantium hoc nomine appellabatur. Ergo promontorio illi nomen promontorium τοῦ χρυσοῦ κέρατος, *aurei cornus.* Sinus inquam, in quo Byzantium vocabatur Κέρας, quod multis ramis in sinus reductis scinderetur ad instar cornu cervini. Polybius, qui exactissimè hoc fretum persequutus est, Byzantium sinum ait Κέρας appellatum. Nec aliter Strabo, apud quem ita legendum: ἐντεῦθεν δ' ἐπὶ τὸ Κέρας τῶν Βυζαντίων πέντε. Ἔστι δὲ τὸ Κέρας προσεχὴς τῷ Βυζαντίων τείχει κόλπος ἀνέχων ὡς πρὸς δύσιν ἐπὶ σταδίους ἑξήκοντα, ἐοικὼς ἐλάφου κέρατι. Εἰς γὰρ πλείστους σχίζεται κόλπους, ὡς κλάδους τινάς, εἰς οὓς ἐμπίπτουσα ἡ Πηλαμὺς ῥᾳδίως ἁλίσκεται. Perperam legitur: ἔστι δὲ τὸ Κέρας προσεχές. Sinus igitur Byzantinus, qui contiguus erat muro Byzantii oppidi, κέρας dicebatur, & χρυσοῦν ἐπιθετικῶς propter largam pelamydum capturam, unde proventus dives Byzantinis accedebat. Strabo: ἣ παρέχει τοῖς Βυζαντίοις καὶ τῷ δήμῳ τῶν Ῥωμαίων πρόσοδον ἀξιόλογον. Promontorium vocat Plinius partem littoris excelsiorem, & in mare prominentem. Sed rationem non video, quare vocari debuerit κέρας χρύσεον, quæ appellatio vel sinui convenit, vel certè toti littori laciniatim scisso in modum cornus cervini. Ideo rectè alibi vocat *promontorium cornus aurei*, τοῦ χρυσοῦ κέρατος. Sic enim sinus vocabatur. In eo promontorio turris erat constructa ad prælucendum navibus. Ammianus lib. XXII. *Constantinopolis, vetus Byzantium Atticorum colonia, & promontorium Ceras, prælucentem navibus vehens constructam celsius turrim, quapropter pharos appellatur.* Certe *pharos* vulgo nuncupabantur hujusmodi turres ad hoc ministerium in portubus locatæ, sed *Ceras* dicit appellatum illud promontorium, nec legi vocatum pharon. Præterea aliter scribunt libri, qui habent: *quapropter Elatas appellatur.* Legerim: *quapropter Ceratos appellatur*, id est, promontorium Ceratos. Nam certè ita vocabatur, non *Ceras.* Ammianus ideo sic appellatum videtur sentire, quod pharon in summo præferret navibus prælucentem. Lampades erant, quæ intra cornu lucebant. Olympiodorus in Meteorologica: ὥσπερ οἱ λαμπτῆρες, τουτέστι τὰ διαφανῆ κέρατα, ἐν οἷς ἐντίθενται αἱ λάμπαδες νύκτωρ. Plautus: *Vulcanum intra cornu conclusum gero.* Martialis *laterna cornea.* Verùm de his alibi. Promontorium ipsum etiam κέρας appellatum, quia vox κέρας sæpe ἄκραν, & prominens saxum significat, ut Ἑσπέρου κέρας. Nullum est promontorium, ubi Byzantium. Et sinus, non promontorium Κέρας vocabatur. Verum videntur promontorii nomine appellasse Latini, quidquid prominet in æquor, ut linguas terrarum in mare excurrentes, quæ sinus faciunt. Ita igitur linguam illam, in qua situm Byyantium, appellaverit promontorium aurei cornus, ἀκτήν, vel ἄκραν τοῦ χρυσοῦ Κέρατος, quod ita vocaretur sinus, qui Byzantina mœnia alluit. Revera tamen littus illud potius, quam promontorium, quod multis ramulis scissum incurrentis maris, sinum efficit cornui cervino similem. Inde nomen. Sic videtur Plinius significatione vocis Κέρας inductus, quod promontorium sæpe significat, pro sinu aliud agens promontorium dixisse. Ita *Hesperu Ceras* promontorium est. Et vox Κέρας ἄκραν proprie designat.

Byzantio oppido nobile, antea Lygos dictum] Ut hæc verba digeruntur, videtur auctor dicere Κέρας χρυσοῦν, Byzantio oppido nobile esse, & antea Lygos dictum fuisse. Atqui Byzantium ipsum, non promontorium Lygos dicebatur. Plinius; *promontorium Chryseon Ceras, in quo oppidum Byzantium liberæ conditionis, antea Lygos dictum.* Claudianus: *Constantina Lygos*, de Byzantio. Nisi Solinus solens erraverit, legendum est: *Ceras Chryseon, in quo Byzantium oppidum nobile, antea Lygos dictum:* aut; *Byzantio oppido nobile antea Lygo dicto.* Sed tam sæpe hallucinatur Solinus, ut & heîc putem antiquum obtinere.

In Cænica regione non longè à Flaviopoli colonia Byziæ oppidum] Libri: in *Ceniensi.* Lege, *Cæniensi.* Καινικὴ στρατηγία Ptolemæo, ἀπὸ τῶν Καινῶν, qui sunt populi Thraciæ. Sed quod in Cœnica Bizyen oppidum collocat, more suo facit, id est, hallucinatur. Diversæ quippe erant strategiæ Καινικὴ, & Ἀστική. Bizye in Astica regione, non in Cænica. Stephanus: Βιζύη, πόλις Θρᾴκης τὸ τῶν Ἀστῶν βασίλειον. Plinius: *intus Bizye arx regum Thraciæ. Regio Cænica, colonia Flaviopolis, ubi antea Zela oppidum vocabatur.* Bizyen non collocat in Cænica regione. Zelam autem in illis locis ullam fuisse non scio. Libri habent *Calam*, & *cælica regio.* Lege: *ubi antea Cæna oppidum vocabatur.* *Cæna*, à qua Cænica regio, & populi *Cæni.* Quæ postea *Flaviopolis.* Schedæ autem Palatinæ hoc loco scribunt: *non longè Flaviopolim Coloniam.* Quod & confirmat Regius Codex, in quo scribitur: *Flaviopolini.* Sic suprà loquutus est.

Byziæ oppidum quondam arx Terei regis] Lege: *Bizye.* Est enim Βιζύη. Et ita corrigendum apud Plinium: *intus Bizye arx regum Thraciæ.* Et paulo post: *& à Bizye* CLXXXVIIII. M. *passuum Apros colonia.* Suadentibus vestigiis scriptæ lectionis. Heîc Solini exemplaria mendosa sunt, quæ habent: *ara Teri regis invisum hirundinibus, & deinceps alitibus illis inaccessum.* In altero regio: *quondam mare aticum regis, invisum hirundinibus.* Ab omnibus abest *hinc*, quod habent editi. Nihil subit melius, quam quomodo edidimus: *arx Terei regis, invisum hirundinibus, & deinceps alitibus illis inaccessum.* Plinius: *arx regum Thraciæ, a Terei nefasto crimine, invisa hirundinibus.* Stephanus: Βιζύη, πόλις Θρᾴκης, τὸ τῶν Ἀστῶν βασίλειον. Astæ populi Thraciæ, unde Ἀστικὴ regio. Pausanias in Daulide Phocidis hanc fabulam, & facinus Terei ponit: & inde esse quod in illa regione Χελιδόνες οὔτε τίκτουσιν, οὔτε ἐκλέπουσί γε τὰ ᾠά. Plinius lib. x. cap. XXIV de hirundinibus: *Thebarum tecta subire negantur, quoniam urbs illa sæpius capta sit: nec Biziæ in Thracia propter scelera Terei.* Libri: *nec Bissos.* Lege: *nec Bizyes in Thracia.*

Negent subire] In nostris, *negentur*, ut apud Plinium. Quædam editiones: *aspernentur subire.*

Pag. 21. B. *Habere illas quiddam præscium*] Plinius de eo genere hirundinum, quæ *ripariolæ* dicebantur, quod excavatis ripis fluminum ibi nidificarent: *non faciunt hæ nidos, migrantque multis diebus ante, si futurum est, ut auctus amnis eas attingat.* Ita legendum. Paulo post lege in Solino: *quod lapsura non petunt culmina.* Male in Delriana, *appetunt.*

Cibos nunquam sumunt residentes] Nostri: *cibos non sumunt resistentes*, id est, non resistunt, ut cibos capiant. *Resistere* Solino est stare, & à currendo cessare. Sic infrà: *resistunt ingrui fluctus.* Ovidius: *sæpe resistere equos.* Et alibi:

Ad metam fessus sæpe resistit equus.

Plinius, cujus verba ita sunt interpungenda: *volucrum soli hirundini flexuosi volatus velox celeritas, quibus ex caussis neque rapinæ ceterarum alitum obnoxia est. Ea denique sola avium non nisi in volatu pascitur.* Sic lego. Solinus hirundines à cæteris avibus non impeti dicit, quia sacræ sint. Plinius, quia in flexuoso volatu mira velocitate sint prę ditæ. Cum cetera è Plinio sumeret, in hoc dissensit, ne ab eo videretur sumpsisse. Perperam in Plinio interpungunt: *volucrum soli hirundini, flexuosi volatus, velox celeritas.* Multæ aliæ sunt aves, quæ & flexuose volent? & celeritate præstent, sed flexuosum volatum, quæ tanta velocitate expediant, nullæ sunt.

Similibus angustiis, & pari latitudine arti maris] Hoc non dicit Plinius parem latitudinem ibi habere artum mare. Quod quid sit, nescio. Verba Plinii: *alius namque ibi Isthmos, angustia similis est, eodem nomine, & pari latitudine. Illustrant duæ urbes utrinque littora.* Ut vides, nihil heîc de latitudine arti maris Plinius, quod à Solino additum. Illud tamen in Plinio turbat, quod addit, Isthmon esse pari latitudine. Atqui si similibus angustiis, utique & pari latitudine. Quid opus bis idem dicere? Scripti codices ita illum locum concipiunt: *alius namque ibi Isthmos angustias similis eodem nomine est, pari latitudine. Illustrant duæ urbes utrinque littora, haud dissimili modo tenuere.* Nec habent, sicut est in vulgatis, *quæ haud dissimili modo.* Aut omnes meæ me conjecturæ fallent, aut totus locus ita constituendus: *alius namque ibi Isthmos angustia similis, eodem nomine est: pari latitudine illustrant duæ urbes utrinque littora: haud dissimili modo tenuere, Pactye à Propontide, Cardia à Melane sinu.* Hoc indubitate verum est. Dicit non tantum Isthmi angustias similes esse, sed etiam utrimque urbes in pari latitudine sitas, ut in Isthmo Corinthiaco. Vitiosa Pliniani illius loci interpunctio Solinum fefellit, ut in aliis sexcentis. Distinguendum heîc etiam in Solino: *cujus littora urbes utrimque secus ostentant: Propontidis oram insignit Pactye, Melanem sinum Cardia.* Quæ sequuntur apud Plinium, leviter corrupta sunt. De Cardia, & Pactye loquitur: *utraque comprehensæ postea Lysimachia quinque millibus passuum a longis muris.* Lege: *utraque comprehensæ postea Lysimachia quinque millibus passuum longis muris.* Dicit Cardiam, & Pactyen Lysimachia comprehensas fuisse muris longis quinque millibus passuum. Μακρὸν τεῖχος intelligit, quod Cardiam, & Pactyen utrinque in littoribus sitas, & Lysimachiam in medio comprehendebat. Idem paulo ante: *Macron Teichos dictum, quia a Propontide ad Melanem sinum inter duo maria porrectis muris, procurrentem excurrit Cherronesum.* Cardia ad Melanem sinum, Pactye ad Propontidem, in medio πρὸς τῇ μεσογείᾳ, Lysimachia. Murus à Propontide ductus ad Melanem has tres urbes comprehendebat, longus quinque millibus passuum. Hæc erat Isthmi latitudo. Strabo: μῆκος δ' ἰσθμοῦ σάδια μ. Hinc est, quod Cardiam postea Lysimachiam dictam fuisse scribit Stephanus. Λυσιμαχία πόλις τῆς ἐν Θρᾴκῃ Χεῤῥονήσου, ἡ πρότερον Καρδία.

Omnis autem magnus Hellespontus] Quare magnum Hellespontum dicat nescio, qui tam arctus est. An fama magnum intelligit? an alludit ad Homericum epitheton? quo πλατὺς Ἕλλης πόντος dicitur? in προεκδόσει scripserat: *ille autem magnus Hellespontus.* In emendata correxit: *omnis Hellespontus stringitur in stadia septem.* Ex ambabus concinnata est, quæ vulgatur: *omnis autem Magnus Hellespontus.* Ita esse certo scimus ex libris. Plinius: *Hellespontus septem, ut diximus, stadiis Europam ab Asia dividens.* An scripserat Solinus, *ille haud magnus Hellespontus?* pro illis, *ille autem magnus.* Martianus hanc lectionem videtur adstruere his verbis, quæ ex Solino expressit: *illic Hellespontus angustior, per stadia septem ab Europa Asiam dividit.* Ut fortasse etiam legerit in Solino: *illic haud magnus Hellespontus.*

Contraria inter se promontoria, Cherronnesi Mastusia] Et hinc Martianus accepit ista, quæ quia apud eum cor-

A ruptissima sunt, ita ex hoc loco emendanda: *deinde promontoria contraria, Mastusia Cherronesi, in quo terminatur Europæ sinus tertius, & Sigeum Asiæ.* Vulgo deest vox *Mastusia*, & legitur, *Asiæ Ægeum.*

Pag. 21. E. *Sigeum Asiæ, in quo tumulus est Cynossema*] Et heîc idem Solinus, qui semper. Ex male intellectis Plinii verbis Cynossema Hecubæ tumulum, & delubrum Protesilai, quæ in Europa fuere, & in Cherroneso Thracica, transtulit in Asiam ad Sigeum. Plinius: *Deinde promontorium Cherronesi Mastusia adversum Sigeo, in cujus fronte obliqua Cynossema. Ita appellatur Hecubæ tumulus; statio Achæorum.* Non dicit in Si-

B geo tumulum esse Hecubæ, sed in obliqua fronte Mastusiæ, quod est promontorium Cherronesi. In Cherroneso fuisse Hecubæ tumulum, non in Sigeo omnibus in confesso est. Mela de locis Cherronesi memorabilibus: *est Cynossema tumulus Hecubæ, est Macidos, est Eleus, quæ finit Hellespontum.* Strabo lib. XIII. Μεταξὺ δ' ὁ Ῥόδιος ἐκπίπτει ποταμὸς καθ' ὃν ἐν τῇ Χεῤῥονήσῳ τὸ Κυνὸς σῆμα ἐστὶν ὅ φασιν Ἑκάβης εἶναι τάφον. Quod addit Plinius in Cherroneso esse Achæorum stationem, non de statione Achivorum bellantium accipiendum. Nam illa in Asia ad Sigeum, ubi & Ἀχαιῶν λιμὴν, de qua idem Plinius lib. V. cap. XXX. & Mela lib. I. cap. XVIII.

C *Heîc Sigeum fuit oppidum: hic Achivorum bellantium statio.* Sed de statione intelligit, quam Achæi Troja capta, quum classem solvissent ab Iliacis littoribus, in Cherroneso fecerunt. Ibi enim aliquot dies commorati sunt, dum Polyxenam Achillis Manibus immolant, & alias res ad discessum necessarias constituunt. Argumentum Hecubæ Euripidis: μετὰ τὴν Τροίας ἅλωσιν ἄραντες οἱ Ἕλληνες, καθωρμίσθησαν ἐν τῇ ἀντιπέραν Χεῤῥονήσῳ τῆς Θρᾴκης, ἧς Πολυμήστωρ ἦρχεν. Vide totum. Illic etiam Hecuba necem Polydori filii in oculos Polymestoris,

D quo occisus fuerit, vindicavit, & ipsa quoque ibidem mortua, tumulum sortita est nomine κυνὸς σῆμα. Ita enim Polymestor ad eam dicit in Tragœdia cognomine:

----- τύμβῳ δ' ὄνομα σῷ κεκλήσεται
κυνὸς ταλαίνης σῆμα ναυτίλοις τέκμαρ.

Inde videtur deceptus Solinus, quod stationem Achæorum legens, de statione bellantium, non discedentium Achivorum intellexit. Solinum sequitur Martianus Capella.

Et turris Protesilai delubro data] In aliis: *dicta.* Apud Plinium scribendum est: *Hecubæ tumulus, statio Achæorum, & turris delubrum Protesilai.* Malè vulgo: *Turris*

E *& delubrum Protesilai.* Sed & malè interpungunt. Turris ibi fuit, quæ & delubrum Protesilai. Hinc turrem datam esse delubro Protesilai dicit noster. Mela: *sunt Protesilai ossa consecrata delubra.* In Cherroneso scilicet. Nam quod heîc dicitur in Sigeo fuisse, error est Solini, qui de Sigeo loqui putavit Plinium, quum de Cherroneso verba faceret. Strabo: μετὰ δὲ τὴν Σιγειάδα ἄκραν ἐστὶν ἐν τῇ Χεῤῥονήσῳ τὸ Πρωτεσιλάειον καὶ ἡ Ἐλεοῦς περὶ εἰρήκαμεν ἐν τοῖς Θρᾳκίοις.

Finibus Thraciæ a Septentrione Ister obtenditur] Missi Theodosii: *Macedonia, Thracia, Hellespontus & pars sinistrior Ponti. Hæc finiuntur ab Oriente mari Pontico, ab*

F *Occidente desertis Dardaniæ, à Septentrione flumine Histro, patent in longitudinem* MPM DCCXX. *in latitudinem,* CCCLXXXI.

CAPUT

CAPUT XI.

Claræ insulæ, & in insulis clara. In Creta herba alimos; animal phalangium, lapis Idæus dactylus. In Carystio aves Carystiæ, item carbasum. In Delo tempora diluviorum, & aves coturnices. Euboea, Paros & lapis Sarda. Naxos, Icaros, Melos, Carpathus, Rhodos, Lemnos.



PAg.21.D. *Inter Tenedum & Chium, qua Ægæus sinus panditur*] Legebatur antea: *inter Tenedum, & Chium est Claros insula, qua Ægæus sinus panditur.* Quæ falsissima erat lectio. Nec enim Claros insula inter Tenedum, & Chium sita est. Immo inter Chium, & Coam insulam longè propinquior Coæ. Vinetus ediderat *inter Tenedum, & Chium est Claros insula. Qua Ægæus sinus panditur, ab dextera Antandrum navigantibus.* Nihilo melius. Libri meliores illa non habent, *est Claros insula.* Et palam est ea verba ex tituli corruptelis manasse, qui scriptum vitiose habebat, *insula Claros* pro *insulæ Claræ.* Ita enim in libris fidelioribus concipitur: *Claræ insulæ, in insulis clara.* In editione Delriana sic concipiebatur: *Insulæ Claros, cujus facies Ægæo mari nomen dedit.* Nihil contaminatius potest fingi. Sic igitur hic locus restituendus: *Inter Tenedum, & Chium, qua Ægæus sinus panditur, ab dextera Antandron navigantibus saxum est, hoc enim verius quam insula meruit cognominari: id quoniam visentibus procul capræ simile creditur, quam αἶγα Græci nuncupant, Ægæus ab eo sinus dictus.* Ipsissima hæc sunt Plinii verba, quæ paulum immutavit hic ejus simius. Sic autem ille: *Ægæo mari nomen dedit scopulus inter Tenedum, & Chium verius quam insula. Et Æx nomine a specie capræ, quæ ita Græcis appellatur è medio mari exiliens. Cernunt eum à dextera parte Antandron navigantes ab Achaia dirum, ac pestiferum.* Non rectè est in Plinii editionibus: *cernunt eum à dextra parte Andrum navigantes.* Quod ex Solino corrigendum. Malè etiam libri Plinii *inter Tenum, & Chium*, legunt. *Tenedum* veram esse lectionem Solinus docet, & Martianus, qui in hac parte, qua Solinum expressit, vulgo inemendatissimus circumfertur, & sic, ut mendis liberetur, legendus est: *in confinio insulæ Tenedos, à qua usque in Chium diffusior sinus interiacet. Cujus à dextera versus Antandron exigua est insula Æx nomine, quæ à navigantibus capræ similitudine divulgatur, ab eaque Ægæum pelagus appellatur.* Edita si cum istis conferas, quid intersit, videbis.

A Phalacro Corcyræ promontorio] Non libri solum Pliniani, sed Soliniani omnes legunt hoc loco *Phalario.* Nec aliter Capella. Græcis tamen Φάλακρον. Ut alios omittam, Stephanus: ἔστι καὶ Φάλακρον ἀκρωτήριον Κερκύρας ὡς Ἀρτεμίδωρος. Strabo, Ptolemæus, alii sic appellant.

Pag. 21. E. *Pronius est Cretam dicere*] Delrius mallet, *protinus.* Malè. Nihil pejus pote. Immo heîc ferri prorsus non potest. Quidam ex nostris, *prius est.* Alii: *potius est.* In quibusdam omnium pessimis, ac recentissimis, *protinus.*

Ut dum alia aliis inferunt, pæne oblimaverint universa] Oblimare est limo obducere, ut *obhumare*, τὸ περιχῶσαι, quod verbum Tertulliano restituimus. Sed heic *oblimare* parum convenit. Scripsisse puto Solinum, *obliniaverint*, id est, obleverint, & interleverint omnia. *Obliniare* pro oblinere, vel lineis ductis delere. Sic *inliniare.* Glossæ: *inliniati*, ἠσβολωθέντες, fuligine inliti. Perperam legitur: *inlimati.* Sic *os subliniare* Symmacho epist. III. lib. I. *næ ego sum stultus, ac nihili, si os subliniatum mihi esse non sentio.* Libri omnes eo loci legunt: *sublimatum.* Quod vitiosè scriptum est pro *subliniatum.* Ita & *delimatum* in Agrimensoribus aliquot locis, pro *deliniatum.* Quod autem plerique omnes vulgo dicunt, scribuntque, *collimare ad scopum*, Latinum id non esse satis constat, & dicendum est, *colliniare ad scopum.* Apulejus in Floridis: *colliniato pro fronte situ, & cohibentibus ad regulam lineis.* Solinus infra: *non guttis aspersæ sunt, sed longis colorum ductibus liniantur.* Ita enim ibi scribendum docemus. Igitur *obliniare* est lineas superducere, & oblinere, priores

A *oblitterare.* Sic *oblitterare* contrarium τοῦ *litterare*, quod est γράψαι. At illud est ἐξαλεῖψαι, & obducere. Quidam libri heîc habebant, *obduxerint.*

Quanta possumus tamen fide] Duæ heîc lectiones ex duabus editionibus. Una: *quanta pote tamen in designando fide operam locabimus.* Altera: *quantam potest tamen in designanda operam locabimus.* Utra sit τῆς προεκδόσεως, nescio, nisi quod codices emendatæ editionis eam, quam priore loco posuimus, ostentant.

Hinc Græcia, illinc Cyrenis objacentibus] Μεταξὺ τῆς Κυρηναίας καὶ τῆς Ἑλλάδος κεῖσθαι dicit Strabo.

A Septentrione Ægæis, & Creticis æstibus] Ex eodem
B Strabone expressa hæc diceres, ita ad verbum sunt reddita: κλύζεται δὲ ἀπὸ μὲν ἄρκτων τῷ Αἰγαίῳ πελάγει, καὶ τῷ Κρητικῷ, ἀπὸ δὲ τοῦ νότου τῷ Λιβυκῷ τῷ συνάπτοντι πρὸς τὸ Αἰγύπτιον πέλαγος.

Pag. 21. F. *Qui prodigè lingua largiti sunt*] Plautina loquutio. *Lingua largiri* de his, qui mendaciis loquendis lingua liberales sunt.

Principatus penes Gortynam, Cydona] *Cydoneam* omnes libri. Et ita Græci passim vocant Κυδωνίαν. Florus: *urbium matrem Cydoneam.* Græci eam nec Κύδωνα dicunt, nec Κυδώνην. Falsum igitur, *Cydona.* Urbs Κυδωνία, τὸ ἐθνικὸν Κύδων. Stephanus: Κυδωνία, πόλις Κρήτης. Strabo:
C Κρήτης πλείους μὲν, μέγισται δὲ καὶ ἐπιφανέσταται τρεῖς, Κνωσσὸς, Γόρτυνα, Κυδωνία. Scylax Caryandæus? πρὸς νότον δὲ Ὑρτακίνη, Κυδωνία καὶ λιμὴν κλειστός. Lege igitur apud Plinium in urbibus Cretæ: *Pergamum, Cydonia, Minoum.* Ita enim ejus libri, non *Cydon*, ut est in vulgatis. Et paulo infrà rectè: *contra Cydoniam Leuce, & duæ Budoræ.*

Therapnas, Scylissum] Variè corruptum hujus urbis Creticæ nomen in antiquis libris. Alii habent *Scylisson*, alii *Scyliosum.* Nondum reperi quid sit. Atqui reperissem, si licere id mihi voluissem, quod sumpsit
D Delrius, qui *Dium Lyctum* in editione sua pro illis mendosis vulgavit. Nobis non licet esse tam disertis. In Plinio non dubiæ & hujus lectionis notæ extant, in scriptis dico, non in editis. Ubi enim vulgo editum est; *Therapnæ, Marathusa, Cytinos*, libri scribunt, *Marathusa, Gylysos.* Eamdem urbem esse, quam heic posuerat Solinus, vel proximitas urbis Therapnæ indicat. Nam mediam *Marathusam* omisit noster. *Scylletion* qui reponebant, ut in multis editionibus habetur, legerant apud Stephanum Σκυλλήτιον esse ὄρος Κρήτης. Quod nomen in vitio cubat. Scribit enim: Σκυλλήτιον ὄρος Κρήτης, οἱ παροικοῦντες Σκυλλαῖοι. At Σκυλλαῖοι de-
E duci non possunt ἀπὸ τοῦ Σκυλλήτιον. Sed quia præcedebat Σκυλλήτιον, quæ urbs est Siciliæ, inde & sequens nomen vitium traxit. Scribe apud Stephanum: Σκύλλιον, ὄρος Κρήτης. Οἱ παροικοῦντες Σκύλλιοι. Σκύλλιος γὰρ ὁ Ζεὺς αὐτοῦ λέγεται ἔνθα φασὶν τοὺς Κουρῆτας μετὰ τῶν Κορυβάντων τὸν Δία. Et ita fortasse hîc rescribendum *Scyllios*, aut *Scyllion*, ut montis illius accolas intelligat. Eo sanè ducunt vestigia antiquæ scripturæ. Nam plures, melioresque libri habent *Scylioson.* Quod potest videri ex
F varia lectione manasse, cum enim in aliis scriberetur *Scylios*, in aliis *Scylion*, antiquarius de eo monuit, utrumque adscribendo hoc modo: *Scyliosøn.* Confirmat hanc conjecturam, quod Camers testatur, esse exemplaria, in quibus legatur, *Scylion*, & *Cylion.* Vix jam dubitamus de hac lectione. Qui *Olyßon* emendabant, ex mendosa Strabonis scriptura hanc correctionem hausere. Sic enim ille in descriptione Cretæ insulæ: καὶ Ὀλύασην δὲ τῆς Φαισίας, quum illic scribendum sit, καὶ ὁ Λισσὴς δὲ τῆς Φαισίας. Stephanus: ἔστι τῆς Φαιστίαδος καὶ ὁ καλούμενος Λισσὴς. Ὅμηρος.

Ἔστι δέ τις Λισσὴς αἰπεῖά τε εἰς ἅλα πέτρη.

G Ptolemæo Λισσὸς urbs est à Lycto diversa.

Dosiades eam a Crete Nympha Hesperidis filia] Plinius lib. IV. cap. XII. *Dosiades eam à Creta Nympha Hesperidis filia*

filia, Anaximander à rege Curetum, Philistides, Mallotes Crates primum Aëriam dictam, deinde postea Curetin. Quæ omnia cum verbis ipsis in suum hoc loco transtulit Solinus exceptis duabus vocibus, *Philistides, Mallotes.* Cur hunc Philistidem prætermisit? quæri potius debet, cur duos auctores citaverit Plinius ad unius rei probationem. Hoc nunquam facit. Præterea scripsisset, *Philistides, & Crates Aëriam primum dictam.* Sed locus ille Plinii malè interpunctus, quod fraudi fuit Solino, ut sæpe. Sic igitur interpunge, ac lege: *Dosiades eam à Crete Nympha, Hesperidis filia Anaximander, à rege Curetum Philistides Mallotes: Crates Aeriam primum dictam,* &c. Dosiades, qui Κρητικὰ scripserat, Cretam à Crete nympha indigena scilicet vocatam dixerat. Anaximander à Crete Hesperidis filia. Alii à Crete Jovis, & Idææ Nymphæ filio. Stephanus: οἱ δὲ ἀπὸ Κρητὸς τοῦ Διὸς, καὶ Ἰδαίης νύμφης. Οἱ δ' ἀπὸ Κρήτης μιᾶς τῶν Ἑσπερίδων. Dosiades à Crete Nympha, Anaximander Creten illam, à qua Creta insula nomen accepit, Hesperidis filiam esse scripserat. Quidam legunt, *Hesperi filia,* id est, Hesperide. Nam Stephanus, ἀπὸ μιᾶς τῶν Ἑσπερίδων dictam dicit. Inter Hesperidas nulla hoc nomine, ut ab Apollodoro, recensentur. Philistides autem Mallotes, & ita inscribitur in indice hujus libri, quo nomina auctorum continentur, quibus utitur testibus: *Dosiade, Anaximandro, Philistide Mallote.* Nominatus ibidem paulo ante Crates Grammaticus, qui & ipse Mallotes fuit, sed quia notior quam Philistides, hunc solum Malloten appellavit.

Anaxymander à Crete rege Curetum] Hieronymus, *apud Cretam regnavit Cres indigena, à quo Creta appellata.* Κρὴς αὐτόχθων Martianus Heracleotes de Ephoro:

--- εἶναι φησί τε
Ἐπώνυμον τὴν νῆσον ἀπὸ Κρητός τινὸς
Τοῦ δὴ γενομένου βασίλεως αὐτόχθονος.

Sed αὐτόχθονα negat fuisse ex Stephano Scaliger, qui ex Jove, & Ida nympha natum memorat. Hoc nihil prohibet, quin αὐτόχθων fuerit, aliud quippe αὐτόχθων, aliud γηγενής. Athenienses αὐτόχθονας se esse jactabant, qui γηγενεῖς non erant. Indigenam fuisse regem illum volunt, qui Cretæ nomen dedit, non extraneum, sed in ipsa insula natum. Hoc significat αὐτόχθων. Poëta Comicus:

---- λάχανα τῶν αὐτοχθόνων.

Indigenum olus, & ex ipso solo natum, non aliunde petitum. Glossæ: Indigenæ αὐτόχθονες. Hesychius: αὐτόχθοσι, τοῖς ἐν ἰδίᾳ γῇ, ἢ τόπῳ οἰκοῦσι. Idem: αὐτόχθων, ἐντόπιος, ἐγχώριος, πολίτης, γνήσιος. Quare fallitur vir magnus, qui αὐτόχθονα, & γηγενῆ confundit. Αὐτόχθων, qui ex ipso solo, cui opponitur ὁ ἔπηλυς, & peregrinus. Sic lapides in ipso solo natos, quos αὐτόχθονας dicere liceat, ut λάχανα αὐτόχθονα. Auctor de limitibus: *eo quod non invenimus lapides peregrinos, quos poneremus, ex ipso metallo saxum à ferro assignavimus.* Αὐτομέταλλον, αὐτόχθονα λίθον. *Enchores lapides* dicuntur Frontino de Coloniis: *termini Tiburtini affixi sunt, sed & lapides enchores signati sunt.* Ἔγχωρος Græce idem, quod ἐγχώριος. Lycophron:

---- θάμβος ἐγχώροις μέγα.

Et Ἔγχωρε Τίφη. Ex Græco igitur ἔγχωρος, Latinum *enchoris.* Ut ἀπρόκοπος, *aprocopis.* Julius Firmicus lib. III. *inefficaces, & aprocopes reddunt, & qui nihil agere possint.* Ita optime in libris. Vulgo est, *apocopos.* Sic *diacones,* οἱ διάκονοι. Et *Neocores* apud eundem Firmicum pro neocori. Ita enim libro IV, *seu certè Neocores, vel sacerdotum principes.* Sic enim vetus Codex. In vitis patrum: *dixit quidam senex, quia duo fratres erant vicini, unus peregrinus, & unus enchoris.* Isidorus: *aliæ enchoræ, quæ manent semper in locis, ut struthio: aliæ adventitiæ, quæ propriis temporibus revertuntur.*

Prima mari potuit remis, & sagittis] Quia optimi remiges Cretenses, & optimi τοξόται. Legebatur, *prima mari potuit navibus, & sagittis.* Quam reposuimus, ea librorum est lectio. Præcipuus ad sagittas calamus Creticus, unde & ipsi Cretes præstantissimi sagittarii. Plinius lib. XVI. cap. XXXVI. Quem & obiter emendavero. Sic enim legendum: *præcipuus hic visus in Creta bellatores suos præcipitavit. Sed in hoc quoque, ut ceteris in rebus, vicit Italia: quando nullus sagittis aptior calamus;*

A *quam in Rheno Bononiensi amne, cui plurima inest medulla, pondusque volucre, & contra flatus quoque pervicax. Libra quippe, non eadem gratia Belgicis, & Creticis commendatioribus.* Postquam dixit Italicas harundines pondus habere volatile, & contra flatus quoque pertendens: addit libram quidem, & pondus inesse Belgicis, ut Italicis, sed gratia carere, qua ea maximè commendentur Cretici. In eo ergo vincere Italicos, quod & pondus habeant, ut Belgici: & formæ gratiam, ut Cretici. Certè τοξικὸς κάλαμος, καὶ ἐξοχὴν ὁ Κρητικός. Theophrastus ἴδιος δὲ ὁ τοξικὸς ὃν δὴ Κρητικόν τινες καλοῦσι. Plinius, quod palmam daret Italico, hæc sic immutavit: *suum*

B *genus sagittario calamo, sed Cretico longissimis internodiis, obsequiumque quo libeat flecti calefacto.* Ita enim scribendum. Ὀλιγόνατός τε καὶ μάλιστα κάμψιν δεχόμενος, καὶ ὅλως ἄγεσθαι δυνάμενος ὡς ἂν θέλῃ τις θερμαινόμενος. Atque hæc hactenus. Quod ait Cretam primam mari potuisse remis, & sagittis, id sumptum è Silio, cujus & multa imitatur. Sic enim ille de navi, quæ remigibus, & sagittariis valebat:

Jamque super Rutula, super & Garamantide pinu
Ibat ovans melior remo, meliorque sagitta.

A temperie cœli μακαρώνησον] Libri *macaronneson,* id

C est, μακάρων νῆσον: Plinius: *nonnulli & macaron à temperie cœli appellatam existimavere.* Τῶν μακάρων, subaudiendo insulam. Nam de insula loquitur. Sic Mela de insulis, quæ vocabantur μακάρων νῆσοι: *& quo dicentur ordine ad promontorium Tauri montis exposita, quas quidam dici putavere μακάρων.*

Pyrrichen docuit Pyrrho repertore equestres turmas.] Creta prima docuit equestres turmas lascivas vertigines implicare, eademque docuit Pyrrichen Pyrrho repertore. Plinius, quem imitatur lib. VII. cap. LVI. *Saltationem armatam Curetes docuere, Pyrrhicen Pyrrhus, utramque in Creta.* Ergo Solinus *armatam saltationem*

D acceperit de equestrium turmarum lascivis implicationibus, & explicationibus: & *Pyrrhicen* pro saltatione. Quod non procedit, & contra est. Sciri debet hanc, quæ hodie in editionibus ostentatur, Camertis lectionem esse, quam & ipse invexisse fatetur, quum anteriores haberent: *prima literis jura junxit Pyrrho repertore. Equestres turmas prima docuit lascivas vertigines implicare.* Absunt ab omnibus verba illa: *Pyrrhicen docuit.* Decem & plura manu exarata vidimus exemplaria optima, & vetustissima in eamdem scripturam conspirantia, quorum fide palam est legendum esse: *prima litteris jura junxit. Pyrrhico repertore equestres turmas prima docuit lascivas vertigines implicare.* Utrumque Plinius in Creta in-

E ventum scripsit *saltationem armatam,* hoc est, τὴν ἐνόπλιον ὄρχησιν, & *Pyrrhicen.* Alterum tantum posuit Solinus, & Pyrrichen pro equestri lusu accepit, & qui *Troja* dicebatur. Et sanè ita necesse est apud Plinium intelligi. Nam *saltatio armata,* ἡ ἐν ὅπλοις κίνησις, pedestris erat: *Pyrrhice,* equestris. Suetonius apud Servium: *lusus ipse, quem vulgo Pyrrhicen appellant, Troja vocatur.* Herodianus lib. IV. Πᾶν τε τὸ ἱππικὸν τάγμα περιθεῖ κύκλῳ μετά τινος εὐταξίας, καὶ ἀνακυκλώσεως, πυῤῥιχίῳ δρόμῳ καὶ ῥυθμῷ. De Trojæ lusu intelligit, quæ & Pyrriche. Strabo quoque τὴν ἐνόπλιον ὄρχησιν, quam Curetes invenerunt, separat à Pyrrhica, cujus auctor Pyr-

F rhicus lib. X. Ἡ δὲ ἐνόπλιος ὄρχησις στρατιωτική, καὶ ἡ Πυῤῥίχη. Et paulo post de Cretensibus: ἀσκεῖν δὲ καὶ τοξικῇ, καὶ ἐνοπλίῳ ὀρχήσει, ἣν καταδεῖξαι Κούρητα πρῶτον, ὕστερον δὲ καὶ Πύῤῥιχον, τὸν καὶ συντάξαντα τὴν κληθεῖσαν ἀπ' αὐτοῦ πυῤῥίχην. Pyrrhice, sive Troja eodem cursu, & rythmo in equis peragebatur, quo armata saltatio pedestris. Certè Pyrrhicen pro equestri lusu, qui Troja dicebatur, Solinum in Plinio accepisse plus quam manifestum est. Omnes alii auctores Pyrrhicen pro saltatione armata ponunt, & in Creta inventam tradunt, Pyrricho repertore. Dionysius Halicarnasseus lib. VII.

G Ἑλληνικὸν δὲ ἄρα καὶ τοῦτο ἦν ἐν τοῖς πάνυ παλαιὸν ἐπιτήδευμα ἐν ὅπλοις ὄρχησις, ἡ καλουμένη πυῤῥίχη. Ergo armata saltatio, & Pyrricha idem. Nicolaus Damascenus apud Stobæum: τὴν ἐνόπλιον πυῤῥίχην ἐκπονοῦντες, ἥντινα πρῶτος εὗρε Πύῤῥιχος Κυδωνιάτης, Κρὴς τὸ γένος. Theon in Aratum: ὁ δὲ μῦθος βούλεται ταύτας ἀναπτεροφηκέναι ἐν Κρήτῃ, ὅτε τὴν πυῤῥίχην ἡ ἐστιν ἐνόπλιος ὄρχησις εὑρεθῆναι λέγεται, ἣν ὀρχούμενοι οἱ Κορύβαντες ἐπὶ ὅλον ἐνιαυτὸν

ἐνιαυτὸν τὸν Δία ἔθρεψαν, λανθάνοντες τὸν Κρόνον. Pollux: ἐνόπλιοι ὀρχήσεις, Πυῤῥίχη τε καὶ Τελεσίας ἐπώνυμοι δύο Κρητῶν ὀρχηστῶν, Πυῤῥίχου τε καὶ Τελεσίου. Ineptè legitur, δύο κριτῶν. Ineptius vertunt, *judicum saltatorum*. Πυῤῥίχην omnes Græci, Latinique saltationem esse dicunt. Si saltatio est, non fuerit equestris lusus. Quid igitur faciemus Straboni, & Plinio, qui armatam saltationem à Pyrricha distinguunt? respondebimus Curetas primos eam saltationem saltasse, Pyrrichum postea in ordinem, & artem redegisse ex eadem insula oriundum. Hic sensus verborum Strabonis de saltatione armata, ἣν καταδεῖξαι Κουρῆτα πρῶτον, ὕστερον δὲ καὶ Πύῤῥιχον τὸν συντάξαντα κληθεῖσαν ὑπ' αὐτοῦ πυῤῥίχην. Et certum est de saltatione intelligere Strabonem, non de equestri lusu. Eustathius ita intellexit ad Iliad. I. τὴν ἐνόπλιον ὄρχησιν, ἥτις ὑπὸ Κουρήτων κατεδείχθη Πύῤῥιχος συντάξας, πυῤῥίχην ἀφ' ἑαυτοῦ ἐκάλεσεν. Scholiastes Pindari ad Pythionicas: ἔνιοι μὲν οὖν φασὶ πρῶτον Κουρῆτας τὴν ἔνοπλον ὀρχήσασθαι ὄρχησιν, αὖθις δὲ Πύῤῥιχον Κρῆτα συντάξασθαι, Θάλητα δὲ πρῶτον τὰ εἰς αὐτὴν ὑπορχήματα. Sic distinguendum. Ita ergo & Plinium interpretabimur, non Pyrricham apud eum de Trojæ ludo capiemus, ut fecit Solinus, quæ expositio prorsum falsa est, & contrà auctorum omnium consensum. Legendum porro heic & in Plinianis, *Pyrrichus*. Nam Cretensis ille, à quo Pyrrichen compositam volunt, Πύῤῥιχος dicebatur. Alii Pyrrho Achillis filio hujus saltationis inventionem tribuunt. Quemcumque habuerit auctorem, saltatio est, eaque pedestris, diversa utique à Trojæ ludicro, quod ἱπποδρομίας genus fuit, & in equis exercebatur, per lascivas vertigines, ac gyros implicantium se, & explicantium puerorum. Potuerit vulgus hunc lusum Pyrrichæ nomine donare, quod Pyrrichio pede, & modulo agitari soleret. Certè Pyrricha illa, quæ propriè sic dicta est, & quam in Creta Pyrchus instituit, sive, ut alii Pyrrhus, saltatio fuit armata, longè diversa à Troja. De Pyrricha diximus ad Historiam Augustam.

Pag. 21. G. *Ex qua disciplina bellicæ rei usus datus*] In optimo Regio: *ex qua disciplina bellicæ rei ratio convaluit usus datus.* More suo illius exemplaris antiquarius utriusque editionis scripturam apposuit: quarum altera habuit, *ex qua disciplina bellicæ rei ratio convaluit*: altera, *ex qua disciplina bellicæ rei usus datus.* Ceterum quod heîc ait ex illius equestris ludi disciplina rationem rei bellicæ convaluisse, de saltatione in armis, quæ Pyrricha dicebatur, non de hac equestris cursus lascivia, hoc veteres testati sunt. Strabo: ἡ δὲ ἐνόπλιος ὄρχησις στρατιωτική, καὶ ἡ πυῤῥίχη. Δηλοῖ δὲ καὶ ὁ Πύῤῥιχος, ὃν φασιν εὑρετὴν εἶναι τῆς τοιαύτης ἀσκήσεως ἐπὶ τὰ στρατιωτικά. Paulo post de eadem saltatione loquens, dicit παιδιὰν μὴ ἄμοιρον εἶναι τῶν πρὸς τὸν πόλεμον χρησίμων. Unde & πολεμικὴν ὄρχησιν appellarunt. At Trojæ lusus nihil ad bellicæ rei usum, aut exercitationem conferebat, utpote qui à pueris nobilibus, & inermibus celebraretur, equestri studio plus conducens, quam rei militari.

Cum Idæi Dactyli modulos crepitu, ac tinnitu æris deprehensos] Diomedes Grammaticus de dactylo pede: *ab Idæis Dactylis, quos Curetas, sive Corybantas poëtæ appellant. Hi namque in insula Creta Jovem custodiendo, ne vagitu se parvulus proderet, lusus excogitato genere, clypeolis æneis inter se concurrentes, tinnitu æris illisi, rythmica etiam pedis dactyli compositione celavere vocem infantis.* Propter pedem dactylum ab Idæis Dactylis inventum. Musicæ studium ex Creta insula ortum fuisse vult noster. Cur omisit Creticum pedem? hic magis ad rem pertinebat, & de eo certius argumentum. Idem Diomedes: *Creticus quoque, quia Cretes saltando rythmica ejus compositione utebantur.* Scribit Strabo Thaletem primum in Creta τοῖς ῥυθμοῖς Κρητικοῖς usum esse κατὰ τὰς ᾠδὰς συντονωτάτοις οὖσι, quos & invenit. Scholiastes Pindari hunc eumdem Thaletem τὰ ὑπορχήματα primum composuisse in Pyrrichen, quæ saltatio Κρητικὴ dicebatur. Et omne genus ὑπορχήματα, Κρητικὰ dicenda censebat Sosibius eodem Scholiaste referente.

Albet jugis montium Dictynnæi, & Cadischi] Libri omnes: *Cadisti*, nec secus Pliniani. *Montes Cadistus, Idæus, Dictæus, Corycus.* In aliis *Cadisthus.* Iidem libri apud Plinium *Dictinnæus* legunt, ut legisse Solinum certa fides est. Martianus quoque de Creta: *montibus Idæo & Dictynnæo sublimis.* Dictynnæum cum Dictæo confundunt. Nec enim Dictæum omisisset Plinius. Quæ sententia fuit Callimachi, qui Britomartem Minois vim fugientem è monte Dictæo sese præcipitem dedisse scripserat, & retibus piscatorum exceptam fuisse, unde Dictynna dicta est, & mons Dicte. Ergo Dictæus, & Dictynnæus juxta Callimachum idem. Hunc reprehendit Strabo, & falsum esse docet. Strabonis verba ita sunt legenda: ἐξ οὗ δὲ ταύτην αὐτὴν μὲν Δίκτυννα ὑπὸ τῶν Κυδωνιατῶν προσαγορευθῆναι, Δίκτην δὲ τὸ ὄρος. Sic distinguendum esse docet ipse Callimachus hoc versu:

Νύμφαν μὲν Δίκτυνναν ὄρος δ' ὅθεν ἥλατο νύμφη
Δικταῖον καλέουσι.

Idem Strabo refert in Tityro monte Cydoniæ templum esse Dictynnæ, τὸ Δικτυνναῖον, & hunc fortasse montem Δικτυνναῖον vocat, diversum à Dictæo, cum dicit Melum insulam distare à Dictynnæo septingentis stadiis. Τοσούτους δὲ σχεδόν τι καὶ οὗ Δικτυνναίου. Promontorium Cretæ ibi vocatur Δικτυνναῖον. An eo nomine tantum reprehensus à Strabone Callimachus, non quod dixerit Dictynnam à monte Dicte in retia piscatorum desiluisse, atque ex eo nomen ipsam, montemque invenisse, sed quod dixerit à Cydoniatis ita vocatam fuisse; ita est potius. Ex ratione, quam subjicit, id clarum est. Οὐδὲ γὰρ ὅλως ἐκ γειτόνων τοῖς τόποις τούτοις ἡ Κυδωνία. Certè non vicina Cydonia Dictæo monti, sed Κύδωνας Callimachus poëtarum more pro Cretensibus dixit. Nam Cydonia urbium mater in Creta insula. Sic & *Cydonia tela* pro sagittis Creticis poëtæ appellant.

---- ὅθεν μετέπειτα Κύδωνες
Νύμφαν μὲν Δίκτυνναν, ὄρος δ' ὅθεν ἥλατο νύμφη
Δικταῖον καλέουσιν.

Κύδωνες ibi sunt οἱ Κρῆτες, non Κυδωνιάται. Adde, quod Strabo ipse non est, qui reprehendit, sed ait reprehensum: οὐκ εὖ δὲ οὐδὲ τὸν Καλλίμαχόν φασι λέγειν. Quodcumque sit, certum est aliud esse Dictynnæum, & Dictæum. Ait Strabo Dicten mille passibus ab Idæo distare, πρὸς τὸν ἥλιον ἀνίσχοντα. Ergo ad orientem Cretæ mons Dictæus. At Dictynnæus ad occidentem. Dicæarchus de Cretæ montibus:

Ὀρός τε Δικτυνναῖον ἐπὶ δυσμὰς φέρον

Tityros mons, in quo Dictynnæ templum τὸ Δικτυνναῖον fuisse memorat Strabo, ad occidentem, ut & ipsi Cydoniatæ. Dictynnæum ad mare, & promontorium, non Dictæum.

Quia ita excandescunt, ut eminus navigantes putent nubila] Jugis montium Dictynnæi, & Cadisti albere Cretam insulam dicit. Hoc de Albis montibus in Creta sic dictis, non de Dictæo, & Cadisto auctores prodidere. Græcis Λευκὰ ὄρη. Ptolemæus inter famosos Cretæ montes ponit, τὰ Λευκὰ ὄρη καλούμενα, Idam, & Dicten. Albi montes appellati à nive, quæ nunquam deserit eorum juga. Horum meminit & Strabo. Theophrastus quoque, & ex eo Plinius. Theophrastus lib. IV. cap. I. Hist. Plant. Ἐν Κρήτῃ γοῦν φασὶν ἐν τοῖς Ἰδαίοις ὄρεσι καὶ ἐν τοῖς Λευκοῖς καλουμένοις ἐπὶ τῶν ἄκρων, οὗπερ οὐδέποτε ἐπιλείπει χιών, κυπάριττον εἶναι. Plinius lib. XVI. cap. XXXIII. *Maximeque in Idæis montibus, & quos Albos vocant, summisque in iis, unde nunquam nives absunt.* Sic legimus ex veteri codice pro eo, quod est editum, *summisque jugis.* De summis Albis montibus intelligit, unde nunquam nives absunt, & inde Albi dicti. Græca ἐν τοῖς Λευκοῖς ἐπὶ τῶν ἄκρων. Perperam igitur Solinus quod proprium, ac peculiare fuit Alborum in Creta montium, ad Dictynnæum, & Cadistum transtulit, eo scilicet more, quem habet perpetuum in hoc opere.

Ante ceteros Ida est, qui ante solis ortum solem videt] De Ida monte Phrygiæ, non de Cretensi id proditum ab auctoribus. Plinius lib. II. cap. XI. Idam tantum nominat, & Phrygiam intelligit.

In opere, quod est de Littoralibus] Ita è libris reposuimus. Hunc librum Varronis non memini ab antiquis citatum. *Littoralia* sunt, τὰ παράλια. Puto tamen idem scriptum esse, quod Servio citatur sub *oræ maritimæ* titulo. Sic enim ille ad I. Æneid. *Vada*, τὰ βραχέα. *Varro de ora maritima lib. I. ubi ab aqua summa non alte est terram*

ra, *dicitur vadus.* Ora maritima, ἡ παραλία, *littoralia*, & παράλια. Festus Avienus librum *de ora Maritima* scripserat, cujus & fragmentum extat. Oppida omnia, & gentes toto orbe, quæ ἐν τῇ παραλίᾳ colunt, descripserat. Fortasse & Varro. *Vadus* Græcum ὁ βατὸς τόπος: *vadum*, τὸ βατὸν: ut αἶπος, *ædis*.

Sepulcrum Jovis ibi visitatum] Cum hoc titulo.

Ἔνθα μέγας κεῖται Ζὰν, ὃν Δία κικλήσκουσι.

Britomartem gentiliter nominantes] Sic è libris scripsimus. Vulgo erat, Βελθομάρτιν. Perperam. Nam Græcè Βριτόμαρτις, Strabo, Pausanias, alii. Hesychius: Βριτόμαρτις ἡ Ἄρτεμις ἐν Κρήτῃ. Id nomen sonare virginem dulcem ait Solinus. Βριτὺς, lingua Cretica est dulcis, ut Grammaticis adnotatum est. Βριτὺς ὁ γλυκὺς, ὡς Κρῆτες. Ergo Μάρτις eorumdem dialecto virgo erat. Stephanus scribit Cretes virginem vocare μάρναν in voce Γάζα. Ἔνθεν καὶ τὸ τοῦ Κρηταγενοῦς Διὸς παρ' αὐτοῖς εἶναι ὃ καὶ καθ' ἡμᾶς ἐκάλουν Μάρναν ἑρμηνευόμενον Κρηταγενῆ. Τὰς παρθένους γὰρ οὕτω Κρῆτες προσαγορεύουσι, μαρνάν. Fallitur. Μαρτὶς, non μαρνὰν virgo apud Cretenses. De Marna Gazæo numine diximus ad Historiam Augustam. Græcè μορτὸς ἄνθρωπος. Unde μορτοβάτην ναῦν, τὴν ἀνθρωποβάτην exponit Hesychius. Μορτὶς, mulier. Cretes qui ο in α, & contra mutare solebant, μαρτὶς. Hinc Βριτόμαρτις dulcis puella.

Pag. 22. A. *Gortynam amnis Lethæus præterfluit*] Nullus liber extat Solini, in quo non legatur *Lenæus*, aut *Leniæus*, aut *Lemnæus*. Verum est *Lethæus*. Strabo de Gortynæa: ὅλην δ' αὐτὴν διαρρεῖ ποταμὸς ὁ Ληθαῖος. Inde *flumina Lethæa* Virgilio in Ciri:

Per te, & sacra precor per flumina Lethaea.

Ληθαῖος, & τοπικὸν Ληθαῖος. Carme est, quæ illam sic obtestatur, ex Creta & Britomartis mater. Sic & eam paulo ante adjurat per Dictynnam. Ut *flumina Lethaea*, sic *Caratea* paulo suprà:

Carpathium fugiens & flumina Caratea.

Τὸν Καιράτειον ποταμόν. Nec probanda est conjectura magni viri legentis, *flumina Curetea*. Callimachus:

Χαῖρε δὲ Καίρατος ποταμὸς μέγα ----

Lege apud Strabonem: ἐκαλεῖτο δ' ἡ Κνωσσὸς Καίρατος πρότερον ὁμώνυμος τῷ παραρρέοντι ποταμῷ.

Quo Europam tauri dorso Gortyni ferunt vectitatam] Græci: κτίσμα δ' ἡ Γόρτυν Ταύρου ἐκείνου τοῦ τὴν Φοίνισσαν Εὐρώπην ἁρπάσαντος ὃς Κρήτης ἦν βασιλεύς. Inde & Gortynam Ἑλλωτίαν vocatam ferunt, quod Europam ita nominarent Cretes. Stephanus noster auctior: Γόρτυν πόλις Κρήτης, οὕτω δὲ διὰ τοῦ ν, ἀπὸ ἥρωος Γόρτυνος. Ἐκαλεῖτο δ' ἡ Λάρισα. Πρότερον γὰρ ἐκαλεῖτο Ἑλλωτίς. Οὕτω γὰρ τὴν Κρῆσιν, Εὐρώπη. Inde & Ἑλλωτία ἑορτὴ Εὐρώπης ἐν Κρήτῃ. Hesychius: Ἑλλωτὶς, Εὐρώπη, στέφανος πλεκόμενος πηχῶν εἴκοσι. Legi etiam posset: Ἑλλωτὶς, Εὐρώπη στέφανος πλεκόμενος. Theophrastus scribit lib. I. cap. XV ἐν τῇ Γορτυνίᾳ platanum unam esse, quæ nunquam folia dimittat, sub qua fabulantur Jovem cum Europa concubuisse. Plinius Gortynæ eam esse dicit.

Iidem Gortyni Atymnum colunt Europæ fratrem] Ita scripsimus, quod ita haberent omnes libri. *Adymnum* inquam omnes legunt, ex quo *Atymnum* fecimus. Quod Græcum est, Ἄτυμνος. Cadmum quidem Europæ fratrem fuisse omnes consentiunt, sed eum Gortynæ resedisse nemo tradidit. Præterea, si de Cadmo intellexisset auctor, neutiquam addidisset, ita memorare Gortynios. Ergo præter communem illud erat omnium opinionem, quod Gortyni memorabant de *Atymno* Europæ fratre. Nam de Cadmo nihil à ceteris dissensisset. *Atymnum* Jovis & Cassiepiæ fratrem recenset Apollodorus in Bibliotheca, propter cujus amorem Europæ liberi certamen & inter se habuerunt, & cum Sarpedone, qui eum amabat. Sic enim scribit de Sarpedone. ἐνίοι δ' αὐτὸν ἐρασθῆναι λέγουσιν Ἀτύμνου τοῦ Διὸς καὶ Κασσιεπείας, καὶ διὰ τοῦτον στασιάσαι. Scripserat paulo ante Miletum puerum in causa fuisse, ut inter se contenderent. At Gortyni *Atymnum* Europæ fratrem esse memorabant, eumque hoc nomine colebant. Falsa igitur lectio, quæ hactenus editiones detinuit, *Cadmus* pro *Atymno*.

Cervo eget] Habet cervos, sed non abundat. Plinius in ea insula cervos non esse, præterquam in Cydoniatarum regione.

A *Serpens nulla*] de serpentibus non dicit Plinius, nisi in genere, qui omnino nullum maleficum animal in ea insula videri dicit. Aristoteles & serpentes ἔχεις in Creta esse negat. Ita & Diodorus Siculus.

Pag. 22. B. *Arborarii proventus*] Sic *fructuarii proventus* infra, σιτηροὶ καρποί. *Arborei fœtus*, Ammiano lib. XXIII. *Fructuariis, arboreisque fœtibus culta.* Cornificius apud Servium, *fruges arboreas: ut folia, quæ frugibus arboreis tegmina gignuntur.* Græci δενδρίτας καρποὺς vocant. Ita sæpe Theophrastus.

In hujus tantum insulæ parte repullulant cæsæ Cupressi]

B In omni Creta plurima provenit Cupressus, adeo ut Cupresso patriam esse Cretam dicat Plinius, sed in ulla ejus parte succisam renasci nusquam meminit. De Ænaria insula hoc memorat: *& in Ænaria succiso regerminat.* Ænariam videatur accepisse Solinus pro parte Cretæ, quia de Creta ibi plurimus sermo. Locum Plinii, quia vitiatus est plus vice simplici, operæ fuerit emendare. Sic eum legimus: *Huic patria insula Creta, quum Cato Tarentinam eam appellet, credo quod primum eo venerit. Et in Ænaria succisa regerminat. Sed in Tarento quocumque in loco terram moverit quispiam, si naturalis hæc gignitur, protinusque emigrat: in illa vero etiam non appellato solo è sponso, maxi-*

C *meque in Idæis montibus, & quos Albos vocant.* Nihil, aut parum recessimus ab antiqua scriptura, nisi quod *in Tarento* pro *in Creta* rescripsimus, ita necessario flagitante sententia. Plinius cupresso Cretam dat patriam, Cato Tarentinum agrum assignabat. Differentiam ostendit Plinius. In Tarento, inquit, quocumque in loco terram moverit quispiam, serendæ scilicet Cupresso, si naturalis hæc terra ei fuerit, gignitur & protinus è solo in aërem migrat. *Naturalis terra* est οἰκεία, ut vocat Theophrastus de eadem re loquens. Nam ut & ibidem scribit Plinius, *naturæ*

D *circa has plurimum refert.* Sic *naturalia saxa* Solinus vocavit suprà, in quibus nascitur Curalium. *Naturalibus saxis derogatis.* Τοῖς οἰκείοις τόποις. Ergo non ubique in Tarentino agro optime veniebant cupressi, sed in ea tantum parte, ubi occurreret naturalis cupresso terra. In illa vero, hoc est, in Creta, *etiam non appellato solo è sponso.* Ita egregiè emendavimus insinceram editionum scripturam, *non appellato solo, ac sponte.* In Thuanæo vetustissimo codice scriptum est: *non appellato solo, ac sponso.* Ex quo fecerunt, *ac sponte*, nos è *sponso*. Dicit Cupressum in Creta provenire etiam non appellato solo è sponso, id est, non requisita naturali terra, sed quocunque in loco ejus

E insulæ solum gignendæ cupresso bonæ esse fidei, nec è sponso appellandum. Quod vulgo dicimus, *appeller a garant.* Non omnis tellus omnia fert. Ea demum naturalis alicui frugi terra dicitur, quæ illi gignendæ apta est. Virgilius:

---- *& patrios cultusque habitusque locorum.*

Patrios *naturales* exponit Servius. Naturalis terra è sponso appellanda est, nisi reddit bona fide semina, quæ sibi convenientia acceperit. Hoc enim quasi spondere videtur soli natura, ut ea optimè ferat, quibus ferendis naturaliter idonea est. At Cupres-

F sus in Creta ubique felicissimè provenit, etiam in non sua, ac minimè naturali terra: qualis è sponso appellari non potest. Nec enim id promittit feliciter reddere, cui gignendo minus apta est. Cupressus autem cum alibi non nisi in tepore, & calidis locis proveniat, apud Cretam insulam summis montium jugis nascitur, à quibus nunquam nives absunt, quod mirandum merito ait Plinius. Hoc est igitur, quod dicit, *non appellato solo è sponso* in Creta provenire, id est, in solo etiam minimè naturali, quod ex sponso appellari non possit. E sponso appellatur, qui pro alio spopondit. Terra & sponsoris, & debitoris

G vicem obtinet. Unde & semina reddere cum fœnore dicitur, & respondere, & audire, ut bona nomina solent. Phœdrus:

Avarus nomen dum locat sponso improbo.

Ita enim ibi scribendum. Posset etiam legi, *sponsu improbo.* Et in Plinii verbis supra: *appellato solo è sponsu.* Nam *sponsus* & *sponsum* dicitur. In sequentibus apud Plinium etiam legendum: *nec*

nec terræ tantum natura circa has refert, aut perpetua cœli, verum & quadam temporaria vis, imbre aliquo plerumque semina afferente. Certè fluunt genere aliquando etiam incognito: quod accidit Cyrenaicæ regioni. Sed quandoquidem heîc se dat occasio, unum & alterum locum de Cupressu ex eodem capite Plinii nos emendare non indignabitur lector. *Nunc vero tonsilis facta in densitate parietum, coërcitaque gracilitate perpetuo tenera.* Liber optimus, *tere* habet pro *tenera.* Lege: *coërcitaque gracilitate perpetuo teres.* Sequitur: *trahitur etiam in picturas opere historiali, venatus classésve, & imagines rerum, tenui folio brevique, & virente supervestiens.* Ecquod nam illud *opus historiale*? mendam tinniunt libri, qui præferunt: *opere historiarum.* Altiorem mendi originem, & fontem ipsum prodit optimus Thuanæus, in quo exaratur: *operistoriari.* Unde optima conjectura est, *operis topiarii.* Nam R & P sæpe confundunt libri. Scribe etiam: *tenui folio, brevique, & virente semper vestiens.* Quod sequitur: non de leviter corruptis est. Ita legitur: *utraque autem immittitur in perticas asseresve amputatione ramorum, qui xiij anno denarius singulis væneunt, quæstuosissima in satus ratione silva: vulgoque dotem filiarum antiqui plantaria appellabant.* Plantaria appellasse antiquos dotem filiarum id vero mirum est, nec usquam lectum. Libri scribunt: *vulgoque dotem filia antiqui plantarie appellabant.* Scribe tu: *vulgoque dotem filiæ antiqui plantari appellabant*, vel, *plantare.* Utriusque notam incertus, ac dubitans adscripsit librarius. Quod erat quæstuosissima illa ratio Cupressuum plantandarum ad perticas, & asseres, cum eas pangebant, vulgo dictitabant antiqui dotem filiæ plantare se. Magis tamen probarem legi: *vulgoque dotem filiæ plantari a se ajebant.*

Herba alimos dicitur: ea admorsa famem prohibet] Sic habent libri, quod retinuimus. Vulgo incrustarunt: *herba ibi est, quæ ἄλιμος dicitur.* Quid enim illis additis opus, quum sequatur, *proinde hæc cretica est.* Quæ verba erunt supervacua, si heîc legamus, *Herba ibi est.* Sic Plinius loquitur, & noster imitatur lib. XXI. cap. V. *Narcissum vocant: hujus alterum genus flore candido, calice purpureo.* De cetero, magno in errore sunt eruditi viri, qui hanc *alimon* Solini, & *Halimon*, quod à Dioscoride, Plinioque describitur, eamdem putant herbam esse, sed variè de ea prodi ab auctoribus. Non re minus quam nomine hæc inter se differunt. *Halimon* Plinii cum aspiratione scribendum est, τὸ ἅλιμον Theophrasto & Dioscoridi. Ratio nominis, quod salsum sit, & in maritimis nascatur. Nam ἅλιμον maritimum, aut salsum significat. Hesychius: ἅλιμα, θαλάσσια. Ἅλιμον πλησίον θαλάσσης γινόμενον. Idem: ἁλίμοις, καὶ ἁλισμοῖς βοτάναις δενδροειδέσιν ἐπὶ θαλάσσῃ γινομένοις, ἢ ξηροῖς τόποις. Præterea τὸ ἅλιμον frutex est, θάμνος φρυγανίτης, non herba. Plinius lib. XXII. cap. XXII cum scripsisset asphodelon quosdam existimasse Halimon ab Hesiodo appellari: addit id sibi falsum videri: *nam Halimon esse suo nomine non parvi & ipsum erroris inter auctores.* Duas deinde de eo sententias refert. *Alii*, inquit, *fruticem esse dicunt densum, candidum, sine spina, foliis oleæ sed mollioribus, coqui hæc ciborum gratia, radice tormina discuti.* Ita scribendum è libris, in quibus extat: *coci hæc.* Coquebantur eim folia Halimi. Dioscorides, cujus hæc de Halimo, quam Plinius narravit, opinio est: λαχανεύεται δὲ αὐτῆς τὰ φύλλα ἑψόμενα εἰς βρῶσιν. Et secundum hanc Dioscoridis sententiam, ἡ ἅλιμος cum adspiratu enuncianda, etenim φύεται ἐν παραθαλασσίοις. *Alii*, subjicit Plinius, *olus maritimum esse dixere salsum, & inde nomen, foliis in rotunditatem longis, laudatum in cibis.* Nihil in hoc vocabulo est, quod trahi possit ad Alimon herbam, quæ sitim sedat: nam ἅλιμον, salsum, aut maritimum est. Et rectè *Halimon* scribitur in vetustioribus Plinii exemplaribus. Falsò etiam, ac temere sibi persuaserunt hoc superiore ævo homines docti τὸ ἅλιμον Græcorum, Latinè vocari *Aurionem.* Inde & Gaza Ἅλιμον apud Theophrastum vertit *aurionem.* Atqui vix verisimile hunc fruticem penes Latinos habuisse nomen, de quo ne inter ipsos quidem Græcos satis constaret, quod genus herbæ, vel fruticis esset. Præterea in ea planta describenda, ubi & varias refert super ea sententias auctorum, nomen ejus Latinum, si ullum esset, minimè omisisset. Sed hoc nihili nomen hauserunt ex depravato ejusdem Plinii loco, qui habetur lib. XVII. cap. XXIV in hunc modum: *necant invicem inter sese umbra, vel densitate, atque alimenti rapina. Necat & edera vinciens. Nec viscum prodest & Cytisus. Nec auro, quod halimon vocant Græci.* Ita hodie legitur. Unde & qui Plinianum Indicem consarcinarunt, *Alimon auro inimicum*, proscripsere. Quod monstrum ineptiæ est. Superioris ævi homines eo loci legerunt, *nec aurio, quod alimon vocant.* Ita Gaza, Hermolaus Barbarus, aliique: qui etiam intellexerunt *aurionem* Latinè appellari, quod Græci ἅλιμον vocarent. Hic locus è Theophrasteo B expressis lib. V. de causis Plant. cap. XXII. Plantas necare invicem sese vel umbra, & densitate, atque alimenti rapina dicit Plinius. Hederam necare adsita vincientem, περιπλεκόμενον: nec viscum prodesse. Quod ita Theophrastus: ἐπεὶ καὶ ἡ ἰξία δοκεῖ καὶ ὅλως τὰ ἐμβλαστάνοντα φθείρειν. Sequitur apud Theophrastum: ὁ δὲ κύτισος, καὶ τὸ ἅλιμον τῇ τε πολυτροφίᾳ. Καὶ τῇ ἁλμυρίδι τῇ περὶ αὐτά. Plinius videtur legisse in illis Theophrasti verbis, ὁ δὲ κύτισος. Certè lib. V. hist. plant. cap. XX scribit idem & hederam, & cytisum adsita necare. Cytiso tamen esse valentius Halimon. Nam quum omnia necet cytisus, ipsum ab Halimo necari. Ubi & Gaza red- C dit: *sed eo valentior Auro est.* Quasi *Auro* sit, τὸ ἅλιμον· Ἰσχυρότερον δὲ τούτου τὸ ἅλιμον. Quo nihil falsius fingi potest: verùm, ut dixi, ex depravata Pliniana lectione sumptus hic error. Nam pro illis, *& cytisus nec aurio, quod Halimon Græci vocant*, scribendum: *& cytisus necat viro, & quod halimon Græci vocant.* Vel ita etiam distinguendum: *nec viscum prodest, & cytisus: necat viro, quod Halimon Græci vocant.* Est, quod Theophrastus dixit, Cytisum & Halimon necare τῇ πολυτροφίᾳ, καὶ τῇ ἁλμυρίδι τῇ περὶ αὐτά. Additque ideo cytiso valentius esse Halimon. Διὰ τὸ πλείω ἔχειν subaudi ἁλμυρίδα. Inde enim ἅλιμον appellatum. Ergo τὴν ἁλμυρίδα Plinius reddidit *virus*, suc- D cum salsum nimirum Halimi, qui virus est ceteris plantis Halimo adnatis. Sed & *virus* pro salsugine dixit Lucretius in hoc versu:

Ionium glaucis aspergit virus ab undis.

Nihil verius emendatione nostra. Necant inter se plantæ sese densitate, & umbra, & alimenti rapina. Necat hedera amplexu, & vinciendo. Necat cytisus, & halimon τῇ ἁλμυρίδι, & succi virtute. Quod *virus* Plinius appellavit. Sed & *virus* idem Lucretius posuit pro herbarum succo, & virtute naturali.

Concoctosque suo contactos perdere viro.

E Quod & huic loco Plinii convenit, nam illis de halimo subjicit statim Theophrastus: ἔνια δὲ οὐ φθείρει μέν. Χείρω δὲ ποιεῖ ταῖς δυνάμεσι τῶν χυλῶν, καὶ τῶν ὀσμῶν. Et Plinius: *quorundam natura non necat quidem, sed lædit odore, aut succi mistura.* Ἡ τοῦ χυλοῦ δύναμις est *virus.* Sic halimon adsitas plantas viro necat, τῇ τοῦ ἁλμυροῦ χυλοῦ δυνάμει. *Malum & bonum virus* dixisse veteres adnotat Servius. Nemo negaverit, quamlibet iniquus sit, Plinium heîc à nobis egregie restitutum, quare deinceps inter herbas *aurionem* herbarii nostri non referent. Ex his etiam potest non omnino cæco constare, nihil habere commune, & herciscundum τὸ ἅλιμον cum herba, quæ heîc ἄλιμος F à Solino dicitur. Admorsa Alimos diurnam famen prohibet. Folia Halimi cocta edulio sunt. Græci ἄλιμα, & ἄδιψα vocant, quæ sitim, & famem arcent pharmaca. Inde ἄλιμος huic herbæ nomen. Sic *adipsos* palmæ genus Ægyptiæ, quæ gustata sitim sedat. Glycyrrhizam puto esse, quam Ἄλιμον ab effectu heîc vocat noster. In Græcorum commentariis legi ἄλιμον eam appellatam. Plinius lib. XI. capite ultimo: *quædam exiguo gustu famem, ac sitim sedant, conservantque vires, ut butyrum, hippace, glycyrrhiza.* Idem lib. XXII. cap. IX de eadem: *hac diximus sitim, famemque sedari, ob id quidam adipson appellavere eam.* Si *adipsos* dicta, quod sitim se- G det, quidni & *alimos*, quod famem. Meminit Athenæus lib. II ex Hermippo, τῆς ἀλίμου, quam & ἄδιψον vocatam asserit. Ἕρμιππος δὲ ὁ Καλλιμάχειος, καὶ εἰς τὴν καλουμένην φησὶν ἄλιμον, προσέτι τε ἄδιψον ἐμβάλλεσθαι τὴν μαλάχην οὖσαν χρησιμωτάτην. Verùm ἄλιμος ibi non est herbæ nomen, sed τῆς ἀντιδότου adversus famem, quæ & contra sitim valebat, cui admiscebatur malva. Hæc etiam ἄδιψος vocabatur. Hoc & de sola Glycyrrhiza, quæ

quæ & ἄδιψος simul, & ἄλιμος. Plinius lib. xxv. cap. viii. de Schythice herba ita scribit: *Scythia primum eam, quæ Scythice vocatur circa Bœotiam nascens, prædulcis. Aliam utilissimam ad ea quæ spasmata vocant. Magna & ea commendatio, quod in ore eam habentes sitim, famemque non sentiunt.* Quæ de Scythice heîc habet, hausit è Theophrasto. Hæc herba Glycyrrhiza est, quam Plinius quasi diversam multis locis memorat, cum Glycyrrhizam alio loco descripserit. Sed ita solitus est ille: herbam, aut arborem, aut lapidem, si quæ pluribus nominibus censetur, quæque alio, atque alio nomine diversis auctoribus recensetur, eam quasi non eadem sit, pro appellationum suarum varietate, variis etiam locis referre consuevit. Sic Σκυθικὴν hoc loco è Theophrasto, alibi γλυκύῤῥιζαν è Dioscoride reponit, quasi diversæ sint, quæ eædem sunt. Theophrastus de radicibus, quæ dulces sunt: γλυκεῖα δὲ ἡ Σκυθική, καὶ ἔνιοι γε καλοῦσιν αὐτὴν ἄδιψογλυκεῖαν αὐτήν. Lege: καὶ ἔνιοι γε καλοῦσιν εὐθὺ γλυκεῖαν αὐτήν. *Inter radices, etiam dulcis Scythica, & nonnulli recte eam dulcem cognominant.* De radice loquitur, quam & dulcem καθ᾽ ἐξοχὴν nominari dicit, hoc est, γλυκεῖαν ῥίζαν. Eam composito nomine recentiores dixere γλυκύῤῥιζαν. Et falluntur, qui γλυκυῤῥίζας nomen apud Theophrastum non extare pertendunt. Quid aliud enim γλυκεῖα ῥίζα, quam γλυκύῤῥιζα? Legendum autem in Plinio: *Scythia primum eam, quæ Scythica vocatur, circa Mæotim nascens, prædulcem alias, utilissimamque ad ea, quæ asthmata vocant.* In libris scribitur, *spartama.* Ex quo fecerant, *spasmata.* Theophrastus: χρησίμη τε πρός τε τὰ ἄσθματα, καὶ πρὸς βῆχα ξηρὰν. Male etiam in libris, *circa Bœotiam nascens.* Nam & in præfatione lib. xxvii Scythicam herbam à Mæotis paludibus ait peti, ut Euphorbiam è monte Atlante. Et Theophrastus: γίνεται δὲ περὶ Μαιῶτιν. Dioscorides in Ponto, & Cappadocia plurimam nasci. Sed benè latam Plinii hallucinationem deprehendas licet in his sequentibus: *magna & ea commendatio, quod in ore eam habentes sitim, famemque non sentiunt. Idem præstat apud eos Hippice dicta, quod in equis quoque eumdem effectum habeat. Traduntque his duabus herbis Scythas etiam in duodenos dies durare in fame, sitique.* Pro *Hippice dicta* liber Rigaltianus legit, *Ipsace distincta.* Omnino scribendum, *Hippace sic dicta.* Festivè ex Theophrasteis malè intellectis nomen herbæ finxit, quæ in rerum natura non est, & quod mirum est, rationem etiam confinxit, quare sic diceretur. Verba Theophrasti de Scythice: δύναται δὲ καὶ τὴν δίψαν παύειν, ἐάν τις ἐν τῷ στόματι ἔχῃ. Διὸ ταύτῃ τε καὶ τῇ ἱππάκῃ διάγειν φασὶ τοὺς Σκύθας ἡμέρας καὶ ἕνδεκα, καὶ δώδεκα. Duæ res sunt, quibus Scythæ sitim tolerant vel in duodecimum usque diem, radix Scythica, vel Glycyrrhiza, & Hippace. Hippacen pro herbæ nomine accepit, quæ lac equinum concretum significat, quod Scythæ sedandæ siti hauriebant. Ita Hesychius: Ἱππάκη Σκυθικὸν βρῶμα ἐξ ἵππου γάλακτος, οἱ δὲ ὀξύγαλα ἵππειον ᾧ χρῶνται Σκύθαι, πίνεται δὲ καὶ ἐσθίεσθαι πηγνύμενον ὡς Θεόπομπος ἐν τρίτῳ αὐτοῦ λόγῳ. Meminit ἱππάκης, si bene memini, & Hippocrates. Fortasse & ἱππάκη Scytharum fuit, de qua hoc versu:

Et lac concretum cum sanguine potat equino.

At Plinius Hippacen herbam commentus sic dictam, quod equorum sitim sedaret, nihilo secius quam hominum, quod ridiculum est commentum. Hippaces alibi meminit ut optimæ ad famem, ac sitim arcendam: *quædam rursus exiguo gustu famem, ac sitim sedant, conservantque vires, ut butyrum, hippace, glycyrrhiza.* Incertum an & heîc hippacen pro herba sumpserit. Non ita sensit auctor ille, unde sumpsit. De Glycyrrhiza tractat lib. xxii. cap. ix, & veluti diversam à Scythica radice describit, & inter aculeatas recenset, non ex male intellectis, sed malè lectis Dioscoridis verbis. Sic igitur habet: *& ipsa sine dubio inter aculeatas est, foliis echinatis, pinguibus, tactuque gummosis, fructicosa, binûm cubitorum altitudine, flore hyacinthi, fructu pilularum, platani magnitudinis.* Hæc ad verbum omnia è Dioscoride: ἔστι δὲ θαμνίσκος ῥάβδους ἔχων διπήχεις, περὶ οὓς τὰ φύλλα πύκνα ἐοικότα σχίνῳ λιπαρὰ καὶ κομμώδη ἀψαμένῳ. Τὸ δὲ ἄνθος ὑακίνθῳ ὅμοιον, καρπὸς δὲ πλατάνου σφαιρίων μέγεθος. Pro illis, τὰ φύλλα ἐοικότα σχίνῳ, Plinius legit ἐοικότα ἐχίνῳ vel suis oculis malè usus, vel alienis malè credulus, vel

A certè vitio corrupti exemplaris seductus. Vetustissimum
Bibliothecæ exemplar σχίνῳ disertè scriptum præfert. In
illis antiquis, & grandioribus literis Græcis nulla ferè
discretio est inter Ε & Σ. Utraque siquidem semicircu-
li figura depinguntur. Exiguo tantum apice, qui in
medio fere ponitur, distingui solet Ἐψιλόν. Sic facile
surrepere Plinio potuit ἐχῖνος pro σχῖνος. Sed medio-
criter attendenti, & Græcæ linguæ intelligenti facile
vitium suboluisset φύλλα ἐχίνῳ ὅμοια. Quæ similitudo
echini cum foliis? si aculeatas intellexisset, ἀκανθώδη
dixisset, aut ἐχινώδη. Sed illud potius, ut semper.
B Nec enim ἐχινῶδες propter solos aculeos, nisi & instar
accedat. Nucis castaneæ calix revera ἐχινώδης, vel ἐχί-
νῳ ὅμοιος. Idem Plinius de nucibus Castaneis: *arma-
tum iis echinato calice vallum.* Revera inquam echinatus
calix, qui undique aculeis horret, ad instar echini
ἀμφάκανθος. Inde *echinos* etiam castanearum operimen-
ta dixere, adeo echinis similes sunt. *Virides echini* Cal-
purnio. Servius ad illud, *Castaneæ hirsutæ: adhuc intra
suos echinos locatæ.* Sic de spinæ albæ aculeato in vertice
capitulo Dioscorides: ἐπ᾽ ἄκρου δὲ αὐτοῦ κεφαλὴ προσέστιν
ἀκανθώδης, ἐχίνῳ θαλασσίῳ ἐμφερής. Non solum ἀκαν-
θώδης, & aculeatus ille vertex, sed etiam marino echi-
C no aculeorum dispositione, situque, & forma similis.
Ita & de capite Dipsaci: κεφαλὴ μία, ἐοικυῖα ἐχίνῳ. *Ca-
put unum echinatum, vel echino simile.* De foliis aculea-
tarum nusquam hoc dixit, nec verum esse potest. Ete-
nim propter unum, aut alterum aculeum, non pos-
sunt instar echini obtinere. At folium glycyrrhizæ pror-
sus caret aculeis, tantum abest, ut echinatum, aut
echino simile dici mereatur. Perpetuum est apud scri-
ptores historiæ plantarum, ut cujuslibet plantæ fo-
liis similitudinem quærant ad aliarum plantarum fo-
lium, cui proximè accedunt. Quare glycyrrhizæ
folium lentisco simile, σχίνῳ non ἐχίνῳ. At falsa illa
D lectione inductus Plinius Glycyrrhizam ubique inter
aculeatas, & spinosas refert: ut lib. xxi. cap. xv.
*Quædam spinosa foliata sunt, ut carduus, eryngе, gly-
cyrrhiza, urtica.* Ita libri. Corrigunt, *quædam spinoso
folio sunt.* Melius scripserim: *spinoso foliata sunt.* Τῷ
ἀκανθώδει πεφύλλωται, τὸ ἀκανθῶδες ἐν τοῖς φύλλοις ἔχουσι.
Id explicat paulo post: *iis enim omnibus foliis inest acu-
leata mordacitas.* Sed falsum de Glycyrrhiza. Hanc
alimon, ut & adipson vocatam crediderim, sed Cre-
tæ peculiarem non faciunt auctores, cui eam vindi-
cat noster. Quid igitur velit nescio. Theophrastus
aliud genus dulcis radicis Nyphææ nominatæ cum
E glycyrrhiza recenset, quam in Creta insula plurimam
provenire scribit. Sed nec illa alimos, nec quæ alia
sit herba hoc nomine vocata præter Glycyrrhizam
novi. Fides sit igitur penes auctorem, qui turbare
solet omnia, & indiscreta habere. Hesychius Aspho-
delon dictam etiam ἄλιμον notat a fame sedanda. Σφέ-
δελος, ἡ ἄλιμος. Plinius eam vocem confudit cum
ἁλίμῳ, quod est salsum olus. Et *Halimum* a quibusdam
appellatum Asphodelum inde scripsit, & more suo hal-
lucinatus est. Videndum igitur, an de Asphodelo ca-
piendus sit hic Solini locus, qui *Alimon* facit peculia-
F rem Cretæ plantam. Sed de *Alimo* & *Halimo* nos infra.
Halimum, hoc est, τὸ ἅλιμον, quod significat salsum
olus, hodie in Creta plurimum reperiri ajunt, & vo-
cari vulgariter, *Halimatia.* Quod ad Glycyrrhizam
attinet, neoterici duo ejus genera statuunt, alterum
quod fructum fert pilularum platani magnitudine, sed
asperiorem atque hirsutum, ex plurimis siliquis, sive
valvulis lentium modo pusillis constantem. Hanc vo-
lunt esse Dioscoridis γλυκύῤῥιζαν. Alterum siliquis ob-
longis, non asperis, nec hirsutis, nec conglobatis, sed
quæ singulæ suis adhærescant pediculis. Hanc vulga-
rem esse glycyrrhizam. Profecto si vera illi tradunt, &
G si recte mentem Dioscoridis interpretantur, utrumque
ille genus confuderit oportet. Sic enim scribit, ut etiam
legitur in antiquissimo codice: καρπὸς δὲ πλατάνου σφαι-
ρίων μέγεθος, τραχύτερος λοβοὺς ἔχων ὡς φακοῦ, πυῤῥοὺς,
μακρούς. Hæc ultima verba designant secundum genus
glycyrrhizæ: siliquis lenticulæ rufis, longis. Fru-
stra enim sunt, qui legere postulant μικροὺς contra
omnium librorum fidem. At priora illa verba alteram
speciem constituunt: καρπὸς δὲ πλατάνου σφαιρίων μέγεθος.

Hæc sola autem Plinius transtulit: *Flore hyacinthi, fructu pilularum platani magnitudine.* Atqui unum tantum genus agnoscit Dioscorides, cui non posse competere videntur illa duo ex recentiorum descriptione siliquæ oblongæ siliquis lenticulæ similes, & fructus magnitudine pilularum platani. Ceterum pilulas illas glycyrrhizæ ex multis echinatis folliculis constantes vix mihi possum persuadere καρπȣ̃ nomine a Dioscoride intellectas. Semina ipsa nuda semper ille καρπὸς vocat, non siliquas, aut folliculos, quibus semen continetur. Hinc καρπὸς ἔλλοβος apud Theophrastum semen siliquis inclusum, qui & ipse passim καρπὸν vocat semen merum, ac nudum cujusque plantæ. Non potest tamen semen glycyrrhizæ hoc sensu acceptum magnitudine pilularum platani esse. Aliter igitur exponendum. Nihil sane aliud video quod dici possit, nisi Dioscoridem dicamus utrumque genus confudisse. Ex aliquo auctore sumpsit illa de altera specie, καρπὸς ἢ σφαιρίων πλατάνȣ μέγεθος. Quæ & Plinius indidem hausit. Quum alterum porro genus vidisset αὐτοπτικῶς Dioscorides, & unam tantum esse γλυκυῤῥίζης speciem putaret, priorum descriptioni hæc adtexuit, λοβȣ̀ς ἔχων ὡς φακȣ̃ πυῤῥȣ̀ς, μακρȣ̀ς. Sane antiquus Herbarius in codice Dioscoridis summæ vetustatis secundum genus glycyrrhizæ delineandum curavit cum longis siliquis rubris.

Phalangion aranei genus est] Libri omnes: *Sphalangion.* Ita & Græci scripserunt, Σφαλάγγιον, in multis nominibus addito S quod Æolicæ est dialecti. Sic σμῦς, qui aliis μῦς: σμογερὸς, qui μογερὸς. Hoc Latini in multis imitati. Γρῦτα *Scruta*, quia σγρῦτα dicebant Æoles. *Sphalangion* apud Vegetium, & Hieroclem scribitur. Latinè *solipugam* propriè vocari suprà notavimus. Glossæ nostræ: *sphalangion, musca venenata.* Glossæ: *solipuga, μυίας εἶδος.* Nicander phalangia cantharidibus similia dicit, & reperiri in leguminum segetibus.

Χειροδρόποι δ᾽ ἵνα φῶτες ἀτερ δρεπάνοιο λέγοντες
Ὄσπρεα χέδροπα τ᾽ ἄλλα μεσοχλόȣ ἐντὸς ἀρέζης
Ἔνθα δ᾽ ἐπασσύτερα φλογερῇ εἰλυμένα χροιῇ
Ἴκελα κανθαρίδεσσι φαλάγγια τυτθὰ δίενται.

Plinius lib. XXII. cap. ultimo: *& leguminibus innascuntur bestiolæ venenatæ, quæ manus pungunt, & vitæ periculum afferunt, solipugarum generis.* Sic *solipuga* est φαλάγγιον. Serpentem in Creta non esse, esse phalangion Plinius, aliique scripsere, & ex illis rectè heîc noster. Hoc idem de Sardinia insula scripserat suprà, quod in aliis locis est serpens, id esse solipugam Sardis agris, sed nullo auctore, & more suo, quo omnia miscet, & confundit.

Idæus dactylus istius insulæ familiaris] Scripserat in προεκδόσει: *istius insulæ alumnus.* Quod & in vulgariis editionibus hactenus mansit. Plinius: *Idæi dactyli in Creta, ferreo colore pollicem humanum exprimunt.* Lege, ut legisse apparet Solinum, *Idæi dactyli in Creta ferreo colore, pollicem humanum exprimunt.* Nec enim ferreus in illis color est, qui pollicem humanum exprimit, sed cum sint ferrei coloris, pollici humano similem habent faciem.

Noctuam Creta non habet, & si invehatur, emoritur] Plinius lib. X. cap. XXIX. Cujus hæc verba ita legenda sunt è libris: *sed in secessu avium, & noctuæ paucis diebus latere traduntur, quarum genus in Creta insula non est, etiam si qua invecta sit emori: nam heîc quoque mira naturæ differentia: alia aliis locis negat, tanquam genera frugum, fruticumque, sic & animalium. Non nasci ea translaticium, invecta emori mirum. Quod illud est unius generis saluti adversum? quæve ista naturæ invidia?* Tralaticium inquit, & ordinarium est, ut quædam animalia certis locis non nascantur, mirum est emori eo invecta, ubi nasci non solent. *Translaticium* quid sit omnes sciunt; quare ita dicatur, pauci, vel nemo. Latini eo sensu *tralaticium* usurpant, quo Græci ἐγκύκλιον. Hesychius: ἐγκύκλιον τὸ πανταχȣ̃ κυκλȣ̃ν. Idem: ἔγκυκλα, τὰ ἐγκυκλȣ́μενα τῷ βίῳ, ἢ συνήθη. Ad verbum, *tralatitia.* Hinc ἐγκύκλιοι ἐπιστολαὶ, quæ eadem forma ad plures scribuntur. Quas & *formales* Latini vocant, *tralaticias* etiam liceat dicere. Hinc *translatum* in scena Latina, quod in Græca, τὸ ἐγκύκλημα, καὶ ἐγκύκληθρον. Valerius Maximus eo loco, quem frustrà emendare conantur docti, quum explicandus sit: *translatum antea Pœniceis indutum tunicis M. Scaurus exquisito genere vestis cultum induxit.* Translatum est machina, qua dii in scenam aliquid loquuturi, aut acturi transferebantur, πελακτοῖς machinis. Ita deos ipsos appellat Valerius, quos, quum antea induerentur puniceis tunicis, exquisito genere vestium induxit in scenam Scaurus. Phœdrus: *Dii sunt loquuti more translatitio*, ut solet in translato. *Translatum* igitur, τὸ ἐγκύκλημα, ἢ πελακτος. Scio quomodo distinguant Græci τὸ ἐγκύκλημα ἀπὸ τῆς μηχανῆς. Sed Dii etiam per ἐγκύκλημα solebant in scenam induci, quos μηχανὴ ferre non poterat. Ipsi quoque ἐγκυκλεῖν, & εἰσκυκλεῖν dicti, qui eo modo in scenam inducti. Et Latini *translatum* appellarunt hujusmodi machinam transferendis in scenam, & è scena Diis aptam. Valerius Deos ipsos, qui transferebantur, eleganter appellavit. Ut *spectacula* pro spectatoribus; & *consessum caveæ*, pro iis, qui in cavea theatri consident: & *orchestram* pro senatoribus in orchestra sedentibus. Inde *tralaticium* de re maximè vulgata, jactataque omnium sermonibus, & factis. Ita Græci & πελακτον usurpant. Plutarchus in vita Syllæ sub finem: ἐκπεφδυγὼς τȣ̃το τὸ πελάκτον, οἶκοι λέοντες, ἐν ὑπαίθρῳ δ᾽ ἀλώπεκες. *Hoc tralaticium.*

Carystos aquas calentes habet] In parvo spatio multi, magnique paralogismi. Caryston pro insula numerat, quæ urbs erat Eubœæ insulæ. Dicit habuisse aquas calentes, quæ Ellopiæ vocarentur. Ellopia locus in Eubœa à Carysto diversus, nec Ellopia in Carysto. Scribit Carystum, & Chalcidem eamdem habitam fuisse apud priscos. Hoc de Eubœa, non de Carysto omnes scripsere. Cum Carystum, & Chalcidem eamdem dixerit, addit quasi diversæ sint, Briareo rem divinam Carystios facere, Ægeoni Chalcidenses. Et sane Chalcis Eubœæ civitas, ut Carystos. Non igitur Carystos eadem apud priscos habita cum Chalcide. Quam multa in paucis verbis non tantùm falsa, sed etiam inter se pugnantia? Martianus, qui toto in libro sexto vestigia Solini premit, heîc ab eo deflexit, scribitque de Eubœa: *hujus oppidum Chalcida ex adverso Aulidis, & Carystos marmoreis fluctibus concolora.* Lege: *& Carystos marmore fluctibus concolora.* Quæ marmor habet viride, & fluctibus concolor. Statius de Carystio marmore:

---- *& concolor alto*
Vena mari.

Vide ad Hist. Aug. Martialis de gemmis viridibus:

Et concolores fluctibus maris gemmas.

Carystos aquas calentes habet] Non Carystos in Eubœa, sed Ædepsos alterum Eubœæ oppidum aquas habet calentes. Stephanus: κεῖται ἢ ἡ Αἴδηψον τῆς Εὐβοίας, ὅπȣ τὰ θερμὰ λȣτρὰ Ἡρακλέȣς. Quæ verba sunt Strabonis ex libro IX. Idem lib. X in Eubœæ campo Lelanto aquarum calidarum eruptiones scribit existere haud longè à Chalcidensium urbe, πρὸς θεραπείαν νόσων εὐφυεῖς οἷς ἐχρήσατο καὶ Σύλλας. Plutarchus in vita Sullæ ex eodem Strabone refert in commentariis historicis Syllam, quum pedibus æger esset, aquas calidas Ædepsi petiisse. Διαπλεύσας ȣ̃ν εἰς Αἴδηψον ἐχρῆτο τοῖς θερμοῖς ὕδασι. Non igitur ad Caryston illæ aquæ, sed ad Ædepson in Lelanto campo. Non amplius extitisse sua ætate notat Strabo. Plinius *Ellopias* vocatas scribit, ab Ellopia scilicet loco in eadem insula non longè ab Ædepso & Lelanto: *flumine Lelanto, aquisque calidis, quæ Ellopiæ vocantur, nobilis, notior tamen marmore Carystio.* Non tamen Ellopiæ in Carysto, sed in Eubœa. Quæ & ipsa Ἐλλοπία appellata est. Callimachus:

---- καὶ Μακρὶς Ἀβαντιὰς Ἐλλοπιήων.

Idem Plinius lib. XXXI. cap. II aquarum calidarum meminit in Eubœa Delio: *item calidæ aquæ in Eubœa Delio.* Sed nullum in Eubœa Delium. Oppidum fuit Bœotiæ Tanagricæ hoc nomine. Scripti habent: *in Eubbo debio.* Scribe: *in Eubœa Dio*, vel *Dieo.* Δῖον Eubœæ oppidum haud longe ab Ellopia & Ædepso.

Et Carystias aves, quæ flammas impune involant] De Carystiis avibus nihil mihi lectum. Qui hujusmodi aves in rerum natura esse Solino narranti crediderit, ut multi jam fecere, næ ille credere id, quod non est, nec

nec fuit unquam, periclitetur. Sic auctor iſte mihi cognitus eſt. Pyrallides animalia pennata, haud multo majora muſcis, quæ in ærariis fornacibus Cypri inſulæ vivunt inter ignes. Plinius lib. XI. cap. XXXVI. *In Cypri ærariis fornacibus, & medio ignium majoris muſca magnitidinis volat pinnatum quadrupes: appellatur Pyrallis, à quibuſdam Pyrauſta.* Ita ſcripſerim apud Plinium. Vulgo eſt, *è medio igni.* Ariſtoteles, ἐν πυρί. In Caryſto, ut in Cypro, hujuſmodi Pyrallides inveniebantur in ferrariis fornacibus. Antigonus in Admirandis cap. XC. εἶναι δὲ καὶ ἐν χιόνι ζῶα σκωληκοειδῆ δασέα. Ἐν Κύπρῳ οὗ χαλκίτης λίθος καίεται γίνεται θηρίον, μικρῷ μεῖζον μυῶν. Τὸ αὐτὸ δὲ καὶ ἐν τοῖς Καρυςίων σιδηρείοις, ἀποθνήσκειν δὲ τὰ μὲν τῆς χιόνος, τάδε τοῦ πυρὸς χωριζόμενα. Ita correximus Antigoni verba in editionibus haud ſatis ſana. Nam & μυῶν ibi legitur, & male interpres de muribus intellexit. Item ἐν τοῖς Καρυςίων θηρίοις. Ærarias, & ferrarias fornaces in Eubœa fuiſſe Strabo aſſerit utroque metallo in ea inſula abundante. Non dubium eſt, quin *Caryſtias aves* vocaverit Solinus hujuſmodi animalcula pinnata. Ineptè. *Volucres* quidem de muſcis dixit Ammianus, ſed volucre dici poteſt quidquid pinnatum eſt, etiam quadrupes. Nam *volucre* τὸ πτηνὸν, quod volat. *Avis* eſt ὄρνις, vel ὄρνεον. Muſcas, aut papiliones, qui ὄρνιθας, aut οἰωνοὺς Græcè vocaret, non pejus faceret, quam qui *aves* Latinè hæc eadem animalia diceret. Præterea, quod ait aves illas impune flammas involare, ne id quidem ſatis rectè dictum. Immo non evolant impune ab ignibus. Nam, ut ſcribit Antigonus, τοῦ πυρὸς χωριζόμενα ἀποθνήσκει. Plinius: *quamdiu eſt in igne, vivit: cum evaſit longiore paulo volatu, emoritur.* Πυραυςὴς Græcis etiam vocatur papilionis genus, quod lucernas accenſas circumvolitat, & adſultat ſua plerumque cum pernicie. Unde μωρὸς πυραυςοῦ μόρος Æſchylo. Meminit & Strabo lib. XI animalium in igne ærariarum fornacum naſcentium, & κώνωπας appellat, ſimulque etiam eorum mentionem facit, quæ in nive gignuntur. Plinii verba de hujuſmodi vermiculis in nive naſcentibus ita concipienda ſunt, & digerenda: *quippe cum & in Media in nive candidi inveniantur vermiculi, & vetuſtiore quidem rutili, nam & ipſa nix vetuſtate rubeſcit, hirti pilis grandiores, torpenteſque.* Quæ verba vulgo perturbatiſſima, & corruptiſſima ſunt. Alibi emendationis noſtræ, ſi quis requirit, rationem reddemus. Interim adeatur Ariſtoteles lib. V. cap. XIX. de Hiſt. animal.

Carbaſa etiam quæ inter ignes valent] De Caryſtio lapide intelligit, ex cujus filamentis laneis, ἐριώδεις ἀποφύσεις vocat Apollonius, texebantur mantelia, & mappæ, quæ in igne non comburebantur, immo in ignem mittebantur, ut à ſordibus nitidarentur. Nam ignis eas mundas reddebat, παραπλησίως τῇ πλύσει, inquit Strabo. Improprie igitur *carbaſa* appellat, ſive pro velis lineis accipias, ut plerumque Latini, ſive pro lino. Quamvis enim lineis ſimilia eſſent, quæ ex eo lapide texebantur, non tamen linum erat, multo minus carbaſus. Plinius: *at Hiſpania citerior ſplendore lini præcipua, torrentis, in quo politur, natura, qui alluit Tarraconem: & tenuitas mira ibi primum carbaſis repertis.* Atqui nec carbaſa ex eo lapide, nec ipſe lapis carbaſus. Mappæ, ut dixi, ex eo potiſſimùm fiebant, τὰ χειρεκμαγεῖα Strabo, Sotacus apud Apollonium, aliique. Plutarchus addit, καὶ δίκτυα, καὶ κεκρυφάλους. Lucernarum etiam funiculi, τὰ ἐλλύχνια exinde torquebantur, quæ non conſumebantur ardendo. Athenis lychnus aureus Minervæ conſecratus pendebat, à Callimacho factus, cujus ἡ θρυαλλὶς ex hoc lapide. Καρπάσιον λίνον vocat Pauſanias in Atticis: Καὶ οἱ ἐκ καρπασίου λίνου θρυαλλὶς ἔνεστιν. Ὃ δὴ πυρὶ μόνον λίνον οὐκ ἔστιν ἁλώσιμον. Ex hoc, aut alio ſimili ſcriptore, qui καρπάσιον λίνον vocavit, *carbaſa* de hujuſmodi linteis, quæ flammis invicta erat, uſurpavit noſter. At καρπάσιον λίνον dicitur Pauſaniæ ab urbe Cypri Carpaſo, aut Carpaſia, in qua inſula, ut in Caryſto hic lapis multus inveniebatur. Sotacus apud Apollonium: γίγνεται δὲ ὁ λίθος οὗτος, καὶ ἐν Καρύστῳ μὲν ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα ἔλαβεν, πολὺς δὲ ἐν Κύπρῳ, καταβαινόντων ἀπὸ τοῦ Γερανδρου ὡς ἐπὶ Σόλους πορευομένοις ἐν ἀριστερᾷ. Videtur & in Carpaſo urbe, aut non longè hujus lapidis metallum extitiſſe. Sed valde

A impropriè λίνον apud appellat Pauſanias, quod metallum eſt, & lapis. Dioſcorides: λίθος ἀμίαντος γεννᾶται μὲν ἐν Κύπρῳ συμπληρίᾳ σχιστῇ ἐοικώς, ὃν ἐργαζόμενοι ὑφάσματα ποιοῦσιν ἐξ αὐτοῦ, ὄντος ἱμαντώδους πρὸς θέαν ἃ βληθέντα εἰς πῦρ φλογοῦνται μὲν, λαμπρότερα δὲ ἐξέρχονται μὴ κατακαιόμενα. Non dicit Dioſcorides vela ex eo texi ſpectaculi gratia, ut vertit Hieronymus Mercurialis, ſed lapidem illum ἱμαντώδη eſſe πρὸς θέαν, id eſt, ſpeciem habere panni, & veſtimenti lanei. Non linum igitur, ſed lapis, nec Strabo linum Caryſtium vocat, ut idem Mercurialis aſſerit, ſed λίθον Καρύστιον. Sotacus: ὁ Καρύστιος λεγόμενος λίθος ἐπιφύσεις ἔχει ἐριώδεις. Lini genus
B fuit, quod Græci Ἄσβεστον, vel Asbeſtinon vocavere, ejuſdem cum hoc Cyprio, & Caryſtio lapide virtutis. Nam ex eo texta ignibus reſiſtebant, & ex igne clariora, & ſplendidiora exiſtebant. Quod lini genus in India naſcebatur, in deſertis, & aduſtis igne locis, ut ſcribit Plinius lib. XIX. cap. I, qui & illud ibidem deſcribit, longè utique diverſum à lapide Caryſtio, licet eamdem vim habuerit. Malè itaque, & imperitè faciunt, qui Plinium eo nomine reprehenderunt, quod linum vocaverit, qui lapis erat potius. Nam Plinius de lino revera loquitur, quod ἐπιθετικῶς vivum, & asbeſtinon dicebatur, & in India proveniebat. Multo imperitius
C agunt, inter quos eſt Mercurialis, qui Plinium ſic defendit, ut non neget quidem linum ab eo lapidem Caryſtium appellatum fuiſſe, ſed Græcorum id auctorum exemplo feciſſe contendat, quandoquidem & Pauſanias ante ipſum Carpaſium linum nominarit, & Strabo Caryſtium. De Strabone falſum eſt, ut ſuprà oſtendimus. Pauſanias quidem vocat Καρπάσιον λίνον, ſed impropriè, ſiquidem intelligit de Cyprio lapide. Profectò videtur confudiſſe linum asbeſton cum Cyprio lapide, ea re inductus, quod ſimili poteſtate contra ignes utraque eſſet prædita. Ceterum, quod à Plinio deſcribitur
D Indicum linum, toto genere, ac cœlo diverſum à Caryſtio, ſive Cyprio lapide.

Chalcis eadem habita eſt apud priſcos] Non Caryſtos, ſed Eubœa. Plinius de Eubœa: *antea vocata eſt Chalcodontis, aut Macris, ut Dionyſius, & Ephorus tradunt: ut Ariſtides Macra; ut Callidemus Chalcis ære primum ibi reperto.* Hic de Caryſto accepit, nihil præter ſolitum faciens.

Pag. 22. C. *Briareo rem divinam faciunt Caryſtii*] Briareum ab Ægæone diverſum facit, quem plerique omnes eumdem. Heſychius: Αἰγαίων ἐνάλιος θεός. Οἱ δὲ ὁ Βριάρεως καὶ ὁ Ποσειδῶν. Scholiaſtes Apollonii: Κό-
E νων δὲ ἐν τῇ Ἡρακλείᾳ φησὶν, ὅτι Αἰγαίων καταγωνισθεὶς ὑπὸ Ποσειδῶνος κατεποντίσθη εἰς τὸ νῦν λεγόμενον ὑπὸ τοῦ Ἀπολλωνίου ἔριον Αἰγαίωνος, τὸν αὐτὸν καὶ Βριάρεων καλῶν. Idem paulo poſt: Βριάρεως δὲ καὶ Αἰγαίων, καὶ Γύγης ὁ αὐτὸς λέγεται. Servius ad illud: *Ægæon qualis: ipſe eſt qui & Briareus.* Item ad illud: *Et centum geminus Briareus: centies duplex: ſecundum fabulas ipſe dictus eſt Ægæon.* Ad hunc locum pertinet, quod Tarræus ad Apollonium obſervabat, ὅτι Αἰγαίων γίγας ὢν καὶ φυγὼν ἐκ τῆς Εὐβοίας ἀφίκετο εἰς Φρυγίαν, κακεῖ ἐτελεύτησε. Quod autem heîc ait Solinus Caryſtios Briareo rem divinam facere: Ægæoni Chalcidenſes, Briareum eumdem eſ-
F ſe cum Ægæone, eumque cui rem divinam faciebant Caryſtii, Ægæonem fuiſſe inde maximè conſtat, quod *Ægæa* Caryſtos ab ejus nomine ſit olim appellata. Stephanus in voce Κάρυστος: ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Αἰγία, ἀπὸ Αἴγωνος τοῦ δυναστεύοντος. Αἴγων & Αἰγαίων idem. Ut enim Αἰγαίων pro mari Ægæo, ſic & Αἴγων. Statius lib. V.

Dii pelagi ventiſque & Cycladas Ægæoni
Amplexo.

Eodem libro:

---- *Quas ſpumifer adſilit Ægon.*

Heſychius: Αἰγαίων, τὸ περὶ τὰς κυκλάδας πέλαγος. Huc
G facit, quod ab Ægæa illa Caryſtia, quæ ab Ægone appellata eſt, nomen Ægæo mari inditum fuiſſe quidam veterum prodiderint. Conon lib. III. περὶ τῆς Νησιάδος apud Scholiaſten Apollonii: τὸ Αἰγαῖον πέλαγος οἱ μὲν ἀπὸ τῆς Περκανίας Αἰνὸς ἐπώνυμον γεγονέναι φασὶν, οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Καρυςίας τῆς Αἰγαίης ὀνομαζομένης. Sic Briareus, cui ſacra faciebant Caryſtii, idem & Ægon, vel Ægæon, à quo & ipſa *Ægæa* olim nominata.

Et orbem κύκλον *Grai loquuntur*] Ita libri. In Regio adſcri-

ſcriptum, *vel ferunt.* Quod erat in editionibus. *Loqui* eſt vocare. Sic infra: *quoad in Creticis permanſit legibus Minojam loquebantur.* Ita & Græci recentiores λαλεῖν pro καλεῖν ponunt.

Ios Homeri tumulo ceteras antecedit] Omnes libri Solini habent, *Chios.* Nec aliter princeps editio. Ita etiam in Indice: *Chios, Delos, in ea de temporibus diluviorum.* Et in altero indice: *Chios in ea Homeri ſepulcrum.* De Io tamen conſtat in ea fuiſſe Homeri tumulum. Vide Stephanum. Strabo: Ἴος ἐν ᾗ κεκηδεῦσθαι Ὅμηρόν φασι. Martianus, qui è Plinio, & Solino Geographicum ſuum librum compilavit, neutrum heîc ſequitur, & Naxon pro Io nominat: *item Sporades, quarum Naxos Homeri ſepulcro memoranda.* Eum in errorem induxerunt Plinii verba, quæ ſic habent: *Ios à Naxo viginti quatuor millibus paſſuum, Homeri ſepulcro memoranda.* De Naxo accepit, quod erat de Io dictum. Chion pro Io ut poneret, quid moverit Solinum, neſcio. Sanè & Chii Homerum ſibi vindicaverunt, ſed non Homeri ſepulcrum. Præterea Chios non fuit una Cycladum, ſed inter Ionicas inſulas recenſetur. Ios ipſa non de Cycladibus, ſed de Sporadibus. Nam & Plinius inter Sporadas collocat, & Dicæarchus his verſibus:

Αὗται μὲν εἰσι Κυκλάδες, ἑτέραι λεγόμεναι
Σποράδες, ἐν αἷς Κίμωλος, εἶπεν οὐ πολὺ
Ἀπέχουσα Θήρα νῆσος, εἶπεν οὐ πολὺ
Ἴος, εἶτα Νάξος, εἶπεν ἡ Πελασγία
Σκῦρος, καὶ Εὔβοιαν δ' ὁρῶμεν κειμένην
Αὐτήν, ἀπὸ ταύτης ἐστὶν ἀπέχουσ' οὐ πολὺ
Νῆσος Πεπάρηθος ἡ τρίπολις καλουμένη.

Ita legendi, ac digerendi hi verſus. Πελασγία Σκῦρος dicebatur à Pelaſgis, qui eam olim incoluerunt. Καὶ Εὔβοιαν κειμένην, contra Eubœam, eratque Cycladum, & Sporadum extima. Plinius: *Pagaſicus ſinus ante ſe habet Eutychiam, Cicynethum, Scyrum ſuprà dictam, ſed Cycladum, & Sporadum extimam.* In ſupra ſcriptis apud Plinium non occurrit Scyri mentio, niſi hoc loco: *ceteræ Myconos cum monte Dimaſto à Delo quindecim millibus, Scyros, Siphnus ante Meropia & Acis nominata.* Verùm non poteſt ibi Scyrus hærere in mentione Cycladum tam prope à Delo, præcipuè cum Cycladas ordine perſequatur Plinius, & quidam etiam nec inter Sporadas, nedum inter Cycladas, poſuerint Scyron. Adde quod nec libri Pliniani Scyron eo loco agnoſcunt. Quare inde expungenda, & reponenda paulo poſt inter Sporadas, uti habetur in iiſdem libris ad hunc modum: *nec deinde ſervari poteſt ordo. Acervatim ergo ponentur reliquæ, Scyros, Ios à Naxo viginti quatuor millibus paſſuum, Homeri ſepulcro memoranda.* Legendum apud Melam in numero Cycladum: *Rhene, Paros, Syros, Tenos.* Non *Scyros.* Ita enim libri & Plinius. Sed hæc ad Pomponium ipſum.

Pag. 22. D. *Inter Ogygum, & Deucalionem*] Ita repoſuimus. Græce Ὤγυγος, vel Ὠγύγης. Vulgo erat, *Ogygium.* Euſebius inter Ogygen & Deucalionem annos intereſſe facit ducentos tantum & viginti novem, hic ſexcentos annos. Fortè ſcripſerat, *medium ſpatium* CC *annis datur.*

Nunc a venatibus Lagia, vel Cynethus] Libri: *Cynetho.* Forte: ἡ Κυναιθώ. Quod nomen factum eſt ab ardore canum venaticorum. Κύναιθα urbs Arcadiæ, ſed à Cynætho Lycaonis filio. Plinius de Deli variis nominibus: *alii Ortygiam, Aſteriam, Lagiam, Chlamydiam, Cynethum.* Lege: *Cynæthum*, aut *Cynætho* ex noſtro. Quod *Cynthum* ibi ſcribunt, caret ratione: nam ſuprà jam *Cynthiam* ab Agloſthene vocatam notavit. *Cynthia* & *Cynthus* idem.

Pyrpole etiam, quod ignitabula ibi & ignis inventa ſunt] Malè in libris: *Pyrpyle*, aut *Pirpile.* Quamvis ita etiam in Plinianis. Nam verum eſt *Pyrpole*, ἡ Πυρπόλη. Græcè πυρπολεῖν eſt ignem accendere. Ita vocata, quod ignitabula & ignis ibi inventa ſint. Plinius ſimpliciter, *igne ibi invento.* Sed ex ignitabulis ignis. *Ignitabula* ſunt propriè, quæ Græci πυρεῖα vocant. Diodorus Siculus de Prometheo: τῶν πυρείων εὑρετὴς, ἐξ ὧν πῦρ ἐκκαίεται. Plinius lib 7. cap. LVI. *Ignem è ſilice Pyrodes Cilix.* Silex hujuſmodi, unde ignis excuſus, πυρίτης Græcè. Aliud eſt πυρεῖον. Ita proprie appellabant lignum, quod altero ligno tamdiu terebrabatur, donec

A ignem conciperet. Hoc πυρεῖον Græce, Latinè *ignitabulum.* Scholiaſtes Apollonii ad illud:

---- τοὶ δ' ἀμφὶ πυρήια δινεύεσκον.

Ἀντὶ τοῦ ἔστρεφον, παρέτριβον. Τὰ γὰρ ξύλα παρέτριβον, καὶ ἀπ' αὐτῶν πῦρ ἔβαλλον. Πυρεῖα γὰρ ταῦτά φησι τὰ περιστριβόμενα ἀλλήλοις πρὸς ἄλληλα τὸ πῦρ ἐκφέρειν. Ὧν τὸ μὲν ἐστὶν ὕπτιον, ὃ καλεῖται στορεὺς, θάτερον δὲ παραπλήσιον τρυπάνῳ, ὅπερ ἐπιτρίβοντες τῷ στορεῖ στρέφουσι. Lignum, quod ſubſternebatur, στορεὺς: alterum, quo vici perforaculi utebantur, τρύπανον. Theophraſtus ἐσχάραν vocat, qui στορεὺς veteri ſcholiaſtæ, lib. v. Hiſtoria-
B rum cap. x. Πυρεῖον δὲ φασὶν ἄριστον μὲν ἐκ τῆς ἀθραγένης καλουμένης ὑπό τινων. Τοῦτο δὲ ἐστὶ τὸ δένδρον ὅμοιον τῇ ἀμπέλῳ, καὶ τῇ οἰνάνθῃ τῇ ἀγρίᾳ, ὥσπερ ἐκεῖνα καὶ τοῦτο ἀναβαίνει πρὸς τὰ δένδρα. Δεῖ δὲ τὴν ἐσχάραν ἐκ τούτου ποιεῖν. Τὸ δὲ τρύπανον ἐκ δάφνης. Οὐ γὰρ ἐκ τοῦ αὐτοῦ τὸ ποιεῖν ἢ τὸ πάσχον. Ita legendum, non πυρίον, quod igniculum ſignificaret. Sed τὸ πυρεῖον *ignitabulum*, vel, ut Plinius vertit, *igniarium.* Hinc diviſim Apollonio, πυρήιον. Plinius: *ſed nihil edera præſtantius quæ teratur, lauro quæ terat. Probatur & vitis ſilveſtris alia quam labruſca, & ipſa ederæ modo arborem ſcandens.* Lignum, quod terit, eſt τρύπανον: quod teritur, ἐσχάρα, vel στορεὺς, quia alteri
C ſubjicitur, ac ſubſternitur. Non dicit Theophraſtus athragenam vitem eſſe ſilveſtrem, ſed viti ſimilem eſſe hanc arborem, aut labruſcæ, & pariter arbores ſcandere. Sed ita Plinius ſolet. Sic ſemen quoddam hyperico ſimile, quo adulterabatur olim balſamum, hypericum ipſe alibi vocat. Scribitur autem in ejus libris: *probatur & vitis è ſilveſtribus.* Verba Theophraſti Græca mendoſa ſunt: ὅμοιον τῇ ἀμπέλῳ καὶ τῇ οἰνάνθῃ τῇ ἀγρίᾳ. Nec enim οἰνάνθην Græci dicunt de labruſca, ſed labruſcæ florem ita vocant. Scribendum igitur: ὅμοιον τῇ ἀμπέλῳ τῇ ἀγρίᾳ. Vitis ſilveſtris ſic Græce vocatur. An Græci ipſi οἰνάνθην pro tota vite ſilveſtri dixerint,
D neſcio. Poſſet hoc aliquis adſtruere ex verſu Meleagri in corona Pancarpia Epigrammatum:

Νάρκισσον δὲ χορῶν Μελανιππίδου ἔγκυον ὕμνων,
Καὶ νέον οἰνάνθης κλῆμα Σιμωνίδεω.

Tum legendum eſſet, ὅμοιον τῇ οἰνάνθῃ, hoc eſt, ſimilem labruſcæ. Verba illa, ἀμπέλῳ τῇ ἀγρίᾳ è gloſſa videri poſſent addita. Sed οἰνάνθης κλῆμα Meleagro nihil aliud eſt, quam flos labruſcæ è palmite ſuo dependens. Mox legendum: ὥσπερ ἐκείνη καὶ τοῦτο ἀναβαίνει. Ita & Plinius legit. Aliud etiam genus vitis ſilveſtris à labruſca diverſum, quod arbores ſcandit, & implicat hederæ, modo & *bryonia* vocatur. An ἀθραγένης nomine
E hoc intellexerit Theophraſtus, quærunt eruditi herbarii. Heſychius: οἰνάνθη ἡ ἔκφυσις τῆς ἀμπέλου, καὶ ἕτερόν τι φυτὸν οὕτω λεγόμενον. Herba eſt œnanthe coronaria, cujus Plinius duobus locis meminit è Theophraſto, & Dioſcoride, quaſi diverſæ ſint, ut ſemper ſolet. Et male docti diverſas eſſe inde argutantur, quam inter coronamenta retulit, & quam ex Dioſcoride deſcripſit cap. XXIV. lib. XXI. Atqui eadem ſunt. Cap. XI ejuſdem libri ita ſcribit è Theophraſto: *ſequitur Oenanthe, melanion, ex ſilveſtribus helochryſos.* Theophraſtus: ἔτι δὲ τούτοις οἰνάνθη, καὶ μελάνιον. Ita vulgo eſt, quum
F ſcribendum ſit disjunctim, καὶ μέλαν ἴον, & *roſa nigra.* Plinius, cum ignoraret μελάνιον, *melanthium* reſcripſit. Nam ita ejus libri habent: *ſequitur Oenanthe, melanthion.* Et in Indice hujus loci: *de Oenanthe & melanthio.* Ineptiſſime. Μελάνθιον Latini *Gith* vocant. Μέλαν ἴον eſt roſa nigra, cujus multis locis meminit Theophraſtus, Meleager:

Ἐν δ' ἄρα Δαμάγητον ἴον μέλαν ----

Sed hæc alibi. Ad rem redeamus. Ignem veteres eliciebant, lignum ligno terentes, & inter ſe vertentes. Hinc πυρέστροφον appellat vetus Gloſſarum auctor *ignitabulum.* Sic enim ſcribit: *ignitabulum*, δᾳδὸς ἐναύσιον,
G πυρόστροφον. Ita diſtinguo. Eſt πυρεῖον. Simplicius in Ariſtotelem: ἀπὸ ξύλων δὲ πῦρ ἐκβάλλουσι θάτερον τῶν ξύλων ὡς τέρετρον ἐν θατέρῳ περιστρέφοντες. Nam quod addit, δᾳδὸς ἐναύσιον, pro fomite etiam accipit, ut Græci πυρεῖον. Heſychius: ἀγχάλκευστα τρύπανα, τὰ Φρύγια, πυρεῖα Σοφοκλῆς ἐν Φινεῖ δευτέρῳ. Ita diſtinguo verba Heſychii. Junctim poſita, ut vulgo habentur, viro doctiſſimo falſam ſententiam excuſſerunt, quaſi Phryges primi inventores extiterint τῶν πυρείων, quæ & inde Φρύγια appellata.

appellata. Φρύγια propriè ſunt ligna arida, vel aſſulæ ambuſtæ, quibus ignis fovetur. *Cremia* Latini appellant, & *fomites*. Unde *cremiales arbores*. Φρύγανον ejuſdem originis & ſignificationis. Gloſſæ: *fomites*, φρύγανα. Heſychius: φρύγιον, ξυλὸν ξηρὸν. Sophocles ἀχάλκευτα τρύπανα vocaverat hujuſmodi ignitabula, ſive ligna, quibus terebrandis ignem gignebant. Rhamno, aut lauro ut plurimum ad hoc utebantur. Heſychius: στορεὺς τὸ ἀντὶ τοῦ σιδήρου τρυπάνου ἐμβαλλόμενον ξύλῳ ῥάμνου, ἢ δάφνης. De his igniariis intelligit. Sed στορεὺς dicebatur, quod alteri ligno terebranti ſubjiciebatur, non quod in alterum inibat terebræ vice. Fortius, & durius lignum quærebatur, ex quo terebra fieret, levius, & rarius quod tabulæ, vel ἐσχάρας, vel στορέως uſum præſtabat. Vide Theophraſtum. Terrea etiam terebra utebantur ad hoc veteres: & hoc igniarii genus inventum Mercurio canit Homerus in ejus hymno:

Δάφνης ἀγλαὸν ὄζον ἑλὼν ἐπέλεψε σιδήρῳ
Ἀρ[illegible]μὸν ἐν παλάμῃ, ἀνὰ δ' ἄμπνυτο θαιὸς ἀϋτμήν.

Et hæc πυρεῖα primum illum hoc modo excogitaſſe ibi ſcribit. Lignum ligno ibi non teritur, ſed lignum ferro terebratur. At inventionem lignum ligno terendi ad ignem eliciendum paſtoribus, & caſtrorum exploratoribus aſſerit Plinius: *calidæ*, inquit, *& morus, laurus, & edera, & omnes è quibus igniaria fiunt; exploratorum hoc uſus in caſtris, paſtorumque reperit, quoniam ad excudendum ignem non ſemper lapidis occaſio eſt*. Gloſſæ Iſidori: *Igniarium, ignem concipiens*. Τὸ πυρεῖον. Sequuntur apud eundem verba, quæ ſic corrigenda ſunt: *teritur lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi, vel foliorum. Facillimi conceptus, & nihil edera præſtantius, quæ teratur, lauro quæ terat*. Ita legimus, ex veteri ſcriptura quæ habet: *facillimè conceptu. Sed nihil edera*. Non caret vitio vulgata lectio. Nam ignem concipiunt ligna invicem trita, excipiunt excuſſum fomites, & arida alia materia ſuppoſita. Veſtales non ligni ad lignum attritu ignem æternum reparabant, ſi quando defecerat, ſed materia ligni felicis, quam ferro terebrabant. Feſtus: *his mos erat, tabulam felicis materiæ tamdiu terebrare, quouſque exceptum ignem cribro igneo virgo in ædem ferret*. Non mutanda *tabula* in clavulam. Tabula eſt στορεὺς, vel ἐσχάρα, lignum quadratum felicis materiæ, quod ad excudendum ignem terebra perforabant. Sed quod additur apud Feſtum, ignem exceptum cribro æneo ferri in ædem Veſtæ, id mihi ſuſpectum eſt. Nec enim cribrum ad hanc rem aptum, nec cribrum ex ære. Σκαφεῖα χαλκᾶ vocat Plutarchus in Numa, licet paulo aliter narret ignis veſtalis extincti reſuſcitandi morem. Scribe: *in cavo æneo*, aut in *cavo æno*. Certè in veteri libro ſcriptum eſt, *cribo*. Macrobius lib. III. cap. VIII. *Æſtimavit fomitem eſſe quemdam, & ignitabulum ingenii virtutiſque, ſi mens & corpus hominis vino flagret*. Apud Gellium, a quo locum illum mutuatus eſt, *incitabulum* legitur. Fomes eſt materia levis, & arida, quo excipitur, & fovetur ignis excuſſus, & excuſus ab ignitabulo. Heic Macrobio *ignitabulum* eſt ὑπέκκαυμα. *Fomites*, inquit Servius, *ſunt aſſulæ, quæ ab arboribus cadunt, quando incenduntur, quod foveant ignem*. Lege: *quando cæduntur*. Ita & Feſtus, qui & ſubjicit: *at Opilius aduſtas jam vites vocari exiſtimat fomites. Alii vocari putant ſcintillas*. Nugæ ſunt de vitibus. Scribendum, ut in vetuſtiſſimo libro legitur: *at Opilius aduſtas jam fomites vocari exiſtimat. Fomites alii vocari putant ſcintillas, quæ ex ferro candenti malleis excutiuntur*. Dixerat fomites aſſulas eſſe ex arboribus dum cæduntur, excuſſas. Opilius non aſſulas, quæ ex arboribus excuterentur inter cædendum, ſed jam aduſtas exiſtimabat vocari fomites. Servius ex libro commentariorum Clodii quarto: *fomites aſſulæ ambuſtæ, ligna excavata à fungis nomine excepto*. Hoc dicit, quia fungi pro fomitibus in uſu erant, & *eſcas* vocabant. Unde apud recentiores Græciæ medicos ἴσκαι, hoc eſt, *eſcæ* propriè appellantur fungi arboribus innaſcentes, quod fomitum uſum præberent. *Fomites* etiam vocabant τὰ πελεκίσματα, aſſulas, quæ ſunt ſecuribus excuſſæ. Sed & *fomo* vetus verbum, quod eſt πελεκίζω, & dolo. Gloſſæ: πελεκῶ, *dolo, fomo*. Et alibi: ἀποπελεκίζω, *defomo, dedolo*. Ita enim emendo. Inde & *confomare* in hoc carmine Catulli:

---- *Ruſtica confomata ſecuri*.

Ubi perperam hodie ſcribitur, *conformata*. Atque hæc hactenus de fomitibus, & ignitabulis.

Adveniendi habent tempora æſtate depulſa] Hoc falſum. Nam ſi coturnices ſunt, ut eſſe conſtat, quas Calias vocamus, ad nos adveniunt, hoc eſt, in Europam, non ætate depulſa, ſed hyeme, ineunte ſcilicet vere. Ex male acceptis Plinii verbis hanc ſententiam concepit noſter. Plinius lib. X. cap. XXIII. *Coturnices*, inquit, *ante etiam ſemper adveniunt quam grues*. Atqui paulo ante dixerat grues hyemis advenas eſſe. Hinc collegit Solinus æſtate depulſa advenire, quia tunc adveniant grues. Quod eſt falſiſſimum. Et ſi rectè ille colligit, certè Plinius errat, nec Ariſtotelem aſſequitur. Scribit Philoſophus lib. VIII. cap. XII. de hiſt. anim. Ποιεῖται δ' ἀεὶ τὰ πρῶτα τὴν μετάβασιν τὰ ἀσθενέστερα καθ' ἑκατέραν ὑπερβολήν· Οἷον οἱ μὲν σκόμβροι τῶν θύννων, οἱ δ' ὄρτυγες τῶν γεράνων. Τὰ μὲν γὰρ μεταβάλλει τοῦ Βοηδρομιῶνος, τάδε τοῦ Μαιμακτηριῶνος. De utraque migratione loquitur, ſive ex frigidis locis migrent, ſive ex calidis. Ideo & Plinius dixit coturnices ſemper ante grues advenire, utramque intelligens migrationem. Aves ut idem Ariſtoteles tradit, partim circa auctumnale æquinoctium migrant, partim circa vernum. Vere migrantes frigidiora loca petunt propter imminentes graviores æſtus, quum autumno diſcedunt, vim hyemis metuunt ingruentem. Bœdromion, & Mæmacterion menſes Attici ita ſe ſubſequuntur, ut Romani September, & October. Nam Bædromion circa æquinoctium autumnale, quando oritur arcturus. Uno menſe ante migrant coturnices, quam grues. Illæ Bœdromione, qui Septembri reſpondet: hæ Mæmacterione, qui Octobri. Utræque eodem tempore migrationem faciunt ἐκ τῶν ψυχρῶν. Sed tunc ad nos adveniunt grues, quæ Pontum, & Scythicas regiones relinquunt, ut Ægyptum petant. Nam, ut Ariſtoteles ſcribit, migrant ἀπὸ τῶν ἐσχάτων εἰς τὰ ἔσχατα. Coturnices etiam ἐκ τῶν ψυχρῶν migrant, quo tempore à nobis abeunt. Sic eodem tempore, & propter eaſdem cauſas adveniunt grues, & diſcedunt coturnices. Et falſum eſt, quod paulo ante ſcripſit Solinus de gruibus, eas hyeme in Septentrionalem plagam frequentiſſimas convolare, ubi & Pygmæos collocat. Et ſanè, quia grues in Septentrionalibus æſtate degunt, hyeme regiones ad meridiem petunt, auctores utrobique Pygmæos poſuerunt in Septentrionali plaga, & in meridionali, quia bellum eos cum gruibus exercere vulgo perſuaſum erat. Hyeme igitur adpetente Pontum relinquunt, quo tempore in Græcia apparent. Sub idem fermè tempus & coturnices adpropinquante hyeme, æſtate præcipitante, diſcedunt à nobis, ut in loca tepidiora migrent. Idque uno menſe maturius faciunt, quam grues. Ariſtoteles de coturnicibus: ἐστὶ δ' πίτερα πάντα, ὅταν ἐκ τῶν ψυχρῶν τόπων μεταβάλλῃ, ἢ ὅταν ἐκ τῶν θερμῶν, οἷον οἱ ὄρτυγες τοῦ φθινοπώρου μᾶλλον. Autumno, quum à nobis abeunt coturnices, tunc pinguiores ſunt, cum vere adveniunt macriores. Æque autem nimium æſtum fugitant, quam nimium frigus. Cum vere adveniunt, ex locis calidioribus eas adventare certum eſt: cum autummo emigrant, cœlum noſtrum, ut frigidius relinquunt. Quæ omnia clare ibidem, & diſertè explicat Philoſophus. Non igitur depulſa æſtate adveniunt coturnices, ſed abeunt, & depulſa hyeme redeunt. Si aliter intellexit Plinius, æquè erravit. Certè nihil falſius, quam quod heic à Solino ponitur, coturnices non ſemper apparere, ſed adveniendi habere tempora æſtate depulſa. Quod ſi eſſet, hyeme apud nos tantùm apparerent, non æſtate. Quod contrà fit.

Cum maria tranant, impetus differunt] Quid hæc ſignificent, neſcio. Sanè nec apud Ariſtotelem, nec apud Plinium quidquam tale extat. Plinius iter his eſſe dicit per hoſpitia certa, ergo pauſas, & ſtationes faciunt. An hoc eſt, quod heic dicere voluit, impetus eas differre, & metu ſpatii longioris vires ſuas nutrire tarditate?

Pag. 22. E. *Coeunt catervatim, deinde globatæ properant*] Nihil tale Ariſtoteles, aut Plinius. Συνδυάζεσθαι

eas tradit Græcus auctor. Plinius: *advolant & hæ simili modo.* Agminatim scilicet, ut grues, de quibus præcessit. At catervatim, & globatim volare proprium sturnorum. Idem Plinius: *sturnorum generi proprium catervatim volare, & quodam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus.* Hoc ad coturnices transtulit noster.

Accidit enim noctibus ut vela incidant] An *insidant* legendum? Ita Plinius: *quippe velis sæpe insidunt, & hoc semper noctu, merguntque navigia.* Sed legisse in Plinio videtur Solinus, *incidunt.* Atque ita etiam in scriptis Plinii exemplaribus extat. *Vela incidere* dixit pro velis incidere, vel in vela cadere. Sic & suprà loquutus. Apulejus: *fortunam sævam incidere.*

Et præponderatis finibus alveos mergant] Libri omnes, *vergant.* Utique pro vergere faciant, & inclinare, an potius, *vertant*? id est, invertant. Sic Ammianus: *advertenda sibi opposita natus.* Ἡ προέκδοσις habuit: *impulsis finibus alveos mergant.* Plinius: *navigia mergunt.*

Ortygomtera dicitur, quæ gregem ductitat, eam terræ proximantem accipiter speculatus rapit] Paulo aliter Plinius in his verbis: *Aquilone ergo maximè volant ortygometra duce. Primam earum terræ appropinquantem accipiter rapit.* Ortygometram ab ea coturnice, quæ prima terræ propinquaverit, separat. Solinus confundit. An legerat apud Plinium, *volant ortygometra duce, primam eam terræ appropinquantem accipiter rapit.* Et sanè verisimile est ducem, quæ est ortygometra, primam terra appropinquare. Ita intellexisse oportet Solinum, & Plinium scripsisse, qui ortygometram avem ex corpore ipso, ac genere coturnicum videtur agnoscere. Hesychius: ὀρτυγόμητρα, ὄρτυξ ὑπερμεγέθης. Aristoteles contra ὀρτυγόμητραν diversi generis avem facit, quæ abeuntes coturnices comitatur. Ὅταν δ' ἐντεῦθεν ἀπαίρωσιν, ἥ τε γλωττὶς συναπαίρει, καὶ ἡ ὀρτυγόμητρα, καὶ ὁ ὦτος καὶ ὁ κύχραμος. Deinde & formam ejus describit, avium palustrium similem, tantum abest, ut sit coturnix. At Plinius inter externi generis aves, quæ hinc recedentes coturnices prosequuntur, Glottidem, & Otum, & Cychramum tantùm numerat, quo argumento vincitur ortygometram coturnicem esse, & totius gregis ducem putavisse. Ergo legendum in Plinio: *volant ortygometra duce, primam eam terræ adpropinquantem accipiter rapit.*

Ut sollicitent ducem generis externi] Plinius: *semper hinc remeantes comitatum sollicitant: abeuntque unà persuasæ Glottis, & Otus, & Cychramus.* Aliud est sollicitare, qui duces sint, aliud comites invitare. Sed ἡγεμόνας dixit Aristoteles: ὅταν μὲν οὖν ἐκεῖθεν προσβάλλωσιν οὐκ ἔχουσιν ἡγεμόνας, ὅταν δ' ἐντεῦθεν ἀπαίρωσιν, ἥ τε γλωττὶς συναπαίρει, καὶ ἡ ὀρτυγόμητρα, καὶ ὁ ὦτος, καὶ ὁ κύχραμος, ὅσπερ αὐτοὺς καὶ ἀνακαλεῖται νύκτωρ. Cum adveniunt, duces non habent externi generis, & prima earum, quæ terræ proximaverit, prædæ est accipitri. Cum hinc abeunt, in comitatu habent aves alieni generis, qui & ipsis ducatum præbent, quod vel ex ortygometra constat. Videtur Solinus hoc loco non tantum Plinium, sed & auctorem Græcum consuluisse.

Pag. 22. F. *Nam latere, quem vocant Euripon, terræ ponte jungitur*] Mira hoc loco in libris scripturæ differentia ab edita lectione. Omnes habent: *nam late quam vocant terræ ponte jungitur, & per fabricam,* &c. An scribendum? *nam lata, quam vocant, terræ ponte jungitur.* Ut latam terram vocet continentem, quam & continuam Ovidius, & Martianus conjunctam dixere? An potius in illis, *terræ ponte*, latet vox *Euripon* sub mendo. Sic igitur legendum esset: *& latere, quem vocant Euripon, per fabricam brevissimæ machinæ aditur pede.* Sic pontem περιφραστικῶς extulit. Nec credibile est ponte jam expresso, fabrica brevissimæ machinæ rem eam eamdem bis dixisse. Plinius: *tam modico interfluente Euripo, ut ponte jungatur.* Immo auguror, quod sexcentis aliis locis accidit, duarum heîc editionum lectiones simul adscriptas fuisse.

Caphareus] Libri: *Caphereus.* Ita & in Plinii exemplaribus scribitur. Et Græcum est, Καφηρεύς.

Pag. 22. G. *Marmore Paros nobilis à Delo oppido frequentissima*] Hoc quid sit nescio. In libris est: *marmore Paros nobilis, Abdelo oppido frequentissima.* Jam video quid sit. Jocularis est hallucinatio Solini. Plinius scribit: *Paros cum oppido ab Delo* XXXVIII *marmore nobilis.* Quæ verba id significant, Paron insulam cum oppido ejusdem nominis distare ab Delo insula triginta octo millibus passuum. Ita ille accepit, quasi dixisset Paron cum oppido Abdelo, ut Abdelos sit nomen oppidi in Paro. Inde dixit Paron frequentissimam esse oppido Abdelo. De menda nulla heîc potest adhærere suspicio, sed manifesto deprehensus tenetur auctor in turpi hallucinatione. Græci scriptores, cum de insulis tradunt, quæ urbes habent cognomines, ita loqui solent, Πάρος νῆσος, καὶ πόλις. Κίμωλος νῆσος, καὶ πόλις. Quod Plinius dixit, Paros cum oppido.

Præter marmor dat & Sardam lapidem] Diligentissimus Camers ad hunc locum notat, Plinium referentem loca plurima, in quibus hic lapis proveniat, nullam facere de Paro insula mentionem. Certe Camertis ætate in Plinii editionibus ita legebatur: *sed inveniuntur pluribus locis, sicut in Ephyra & Asso.* Ubi hodie ex emendatione Gelenii habetur, *sicut in Paro, & Asso.* Quod ex libris suis se profitetur reposuisse. Fides sit penes auctorem. Quos vidi, & quos alii inspexerunt, habent, *sicut in Epiro.* Pronum esset inde facere: *sicut in Ephiro.* Quod verum arbitror. Nam & in Epiro inveniebantur circa Leucadem. Paulo post: *inveniuntur & circa Leucada Epiri, & circa Ægyptum, quæ bractea aurea sublinuntur.* Existimet aliquis Solinum in Plinio legisse, *in Paro.* Quomodo legerit, nescio: parum illi fidei habendum esse satis scio. Plinius scribit *Sardam* gemmam Sardibus primùm repertam esse, atque inde nomen. Ex nomine tamen ipso argumentum duci potest, in Sardinia potius quam Sardibus inventam esse primo. Nam *Sarda* gemma dicta est, ut *Sarda terra* à Sardinia. Plinius: *Nam Sarda, quæ affertur è Sardinia, candidis tantum assumitur, inutilis versicoloribus.* Sic *Sardus homo* apud hunc nostrum. Et *Sardus ager* Sardiniæ. Ἡ Σάρδη γῆ, Σάρδη λίθος. Quod ἐθνικὸν ab urbe Σάρδεις non possit deduci, Græcum nomen hujus gemmæ idem testatur. Σαρδὼ, & Σαρδόνιον etiam dicebatur Græcis. Hesychius Σαρδὼ ἐν Πασιφάῃ τὸ Σαρδόνιον ἡ σφραγὶς εἴρηται. Quod ab insula Sardinia, non ab urbe Sardibus factum est. Ut σαρδόνιος γέλως; & σαρδόνια πόα. Nam ipsa insula Σαρδὼ Græcè, & Σαρδών. Unde illa ἐθνικά. Hæc gemma Græcè Σάρδιον etiam dicitur. Et hoc è Sardinia insula ductum. Nam & Σάρδιον dicebatur venenata herba, quæ in Sardinia proveniebat. Hesychius: Σάρδιον βοτάνη δηλητήριος. Quæ aliis Σαρδονία πόα. Ut σαρδόνιον etiam gemma vocabatur. Quibus omnibus facile vincor, ut corrigendum in Plinio censeam: *Ipsa gemma vulgaris, & primùm Sardis reperta*, id est, ab hominibus Sardiniæ insulæ. *Sardos* dixit, ut viciniore nota nominis ratio magis innotesçeret. Ita legit Isidorus: *Sardius dicta eo; quod primum reperta sit à Sardis.* Et ex eo Marbodæus in Dactyliotheca:

Sardius à Sardis est, à quibus ante repertus.

Emendandus & ibidem Plinius, ubi de generibus Sardæ tractat: *In India trium generum: rubrum, & quod demium vocant à pinguedine.* Libri habent: *& quod diamum vocant à magnitudine.* Alii, *diemum.* Alii, *dianium.* Omnino scribendum: *& quod disemum vocant à magnitudine.* Δίσημον, quod ea magnitudine erat, ut duæ σφραγῖδες ex eo fieri possent. Σημεῖον, & σφραγὶς idem. Et σημεῖον annuli gemma. Hesychius: σημεῖον, πέρας, ἡ σφραγίς. Certa magnitudo deligebatur in gemmis, ut ad annulos aptari possent. Theophrastus de Chalcedoniis smaragdis: εὑρίσκονται δὲ σπανίως μέγεθος ἔχουσαι σφραγῖδος. Διὸ πρὸς κόλλησιν αὐτῇ χρῶνται χρυσίῳ. Sic etiam Bactriani, quia minores erant, quam ut gemmis annulorum usui esse possent, εἰς τὰ λιθόκολλα convertebantur, eodem Theophrasto teste, ad pocula insignienda aurea: quæ gemmata dicebantur. Latinis *Sarda*, ἡ Σάρδη λίθος. Græcè Σάρδιον. Malè Gilbertus *Sardium*, & *Sardam* distinguit, & altero cornalinam albam, altero rubram significari scribit. Scribendum autem in Epiphanio auctoribus membranis: πρῶτος λίθος Σάρδιον ὁ Βαβυλώνιον, οὕτω καλούμενον. Ἐστὶ μὲν πυρωπὸς τῷ εἴδει καὶ αἱματοειδής, διὸ καὶ σάρδιον λέγεται ἀπὸ τοῦ εἴδους λαβὼν τὸ ἐπώνυμον. Male legitur Σάρδιος, quod Græcum non est. Nam τὸ Σάρδιον, ὑποκοριστικὸν à Σάρδη. Ineptè porro Epiphanius hujus lapidis originationem nominis à Sarda pisce repetit, quod ejus colorem falsi præ-

præferat. Nihil abſurdius. *Sarda* nomen piſcis Latinum eſt, Græcè Πηλαμύς. Plinius: *Sarda, ita vocatur Pelamys longa ex Oceano veniens.* Gloſſæ: Πηλαμύς, *Sarda.* Nugatur etiam interpres, qui *Sardio piſci* vertit. Latinum *Sarda*, quod Græci recentiores Σάρδιον more ſuo dixerunt. Τῆς Σάρδας pro piſce etiam apud Athenæum mentio, ſed quod Latinum eſſe cenſeo, ut & *Sardinas*, quas Græci θρίσσας. Orpheo Σάρδια αἱματόεντα dicuntur, quæ αἱματοειδῆ Epiphanio. Hunc colorem ſanguineum vix eſt, ut præferat ſalſamentum.

Præter marmor] Parium marmor notiſſimum, ἡ Παρία λίθος, quæ & Λύγδος. Huic ſimile marmoris genus quoddam, quod Πῶρος dicebatur, tophi levitate. Theophraſtus: καὶ ὁ Πῶρος ὅμοιος τῷ χρώματι καὶ τῇ πυκνότητι τῷ Παρίῳ, τὴν δὲ κουφότητα μόνον ἔχων τοῦ πώρου. Ex eo Poro multa veteribus opera fiebant, quæ πώρινα dicebantur, ut Πάρια, quæ ex Pario marmore. Ammonius: ἄγαλμα δὲ τὸ πώρινον, ἢ ἐκ τινὸς ἑτέρου λίθου κατεσκευασμένον. Hinc πώρινος Σειληνὸς apud Plutarchum in vita Andocidis, ſimulacrum Sileni ex Poro lapide facti: ἡ νικήσασα ἀνέθηκε τρίποδα ἐφ' ὑψηλοῦ ἄντικρυς τοῦ πωρίνου Σειληνοῦ. Ubi perperam legitur, Πωρίνου Σελίνου. Et ridiculè interpretes, *Porinum Selinum*, reddunt.

Naxon] Dicæarchus eam inter Sporadas recenſet. Stephanus: Νάξος νῆσος τῶν Κυκλάδων διάσημος ἀπὸ τοῦ Νάξου Καρῶν ἡγεμόνος, ἄλλοι δὲ ἀπὸ Νάξου τοῦ Ἐνδυμίωνος. Εὐφορίων παρὰ τὸ νάξαι ὅ φασι θύσαι τινές. Νάξαι apud Græcos poni pro ſacrificare non legi. Ita tamen etiam legit ex Stephano Euſtathius, & rationem addit, διὰ τὰς θυσίας ἐξαιρέτους τινὰς ἐκεῖ γινομένας. Sed fallitur, mendoſa Stephani lectione deceptus. Nec enim dubium quin ſcripſerit: παρὰ τὸ νάξαι ὅ φασι βύσαι τινές. Nam νάξαι, ut & βύσαι implere, farcire, & ſtipare ſignificat. Heſychius: νάξαι, σάξαι, βύσαι. Idem: σάξαι, καθάπτειν, νάξαι, νάσσειν. A quo verbo nomen, νακτὴς, Latinè *nacta*, hoc eſt, fullo à premendo, & denſando. Et falluntur, qui *nacca* ſcribunt. Inde *nactina* fullonis uxor apud Apulejum. Inde & τὰ νακτὰ, coactilia. Idem Heſychius: νακτὰ, πίλους, ἐμπίλια. Idem & βύσαι ſignificat, implere, ſtipare, infercire. A quo βυθὸς & βυσσὸς fundus, & quidquid impleri poteſt. Inde & βύταλος τὸ βύσμα, farcimen. Ex quo vox Latina *botulus*. Ut Ἰταλὸς vitulus. Ἀπὸ τοῦ βύω βύλλω diminutivum, ut βδύλλω a βδύω & ſimilia. Ὁ βύλλων addenſator, unde Latinum *fullo*. Ut βασκία, *faſcia*: βάσκανος, *faſcinus*. Heſychius: βυλλὰ, τὰ βεβυσμένα. Ex his conſtat legendum in Stephano βύσαι, non θύσαι. Rationem ex Euphorione, quare Νάξος ἀπὸ τοῦ νάξαι, id eſt, βύσαι diceretur, non addidit. Forte ob multitudinem ſacrificiorum, & donorum, quibus onerabantur aræ. Inſula illa Libero ſacra.

In qua Strongyle oppidum] Et heîc falſus eſt: falſumque dixit Grammaticus. Nec enim oppidum Naxi Strongyle, ſed ipſa inſula ſic olim vocabatur. Plinium perversè, ut ſolet, accepit, cujus hæc verba ſunt: *Naxus à Delo* XVIII *cum oppido, quam Strongylen, deinde Diam, mox Dionyſiada à vinearum fertilitate; alii Siciliam minorem, aut Callipolim appellarunt.* Cum Plinius dicit Naxum cum oppido, intelligit oppidum inſulæ eſſe cognomine. Ita enim Græcos loquutos ſupra obſervavimus, Νάξος νῆσος, καὶ πόλις, Solinus ſic cepit, quaſi Strongyle oppidum vocatum fuerit. De inſula Plinium loqui, quæ ſequuntur probant. Nam & Dia, Dionyſias, & Sicilia minor dicta eſt eadem quæ & Strongyle. Ita igitur interpunxiſſe videtur, *cum oppido, quam Strongylen, dein Diam*, &c. Sed cur Strongylen de oppido, Dionyſiada de inſula intellexit, cum nullum faciat diſcrimen Plinius? jam non miror id in Solino.

Pag. 23. A. *Ob inhumana littorum*] Ita ſuprà: *littorum portuoſa.* Strabo: Ἰκαρία ἔρημός ἐστι.

Melos, quam Callimachus Mimallida dixit] Libri *Memallidam.* Lege: *Mimalida.* Μιμαλίς. Heſychius: Μιμαλὶς, ἡ νῦν Μῆλος. Plinius: *Melos cum oppido, quam Ariſtides Byblida appellat, Ariſtoteles Zephyriam, Callimachus Mimalida.* Jam ante notavi, cum dicit Plinius inſulam eſſe cum oppido, intelligere illud oppidum ὁμώνυμον eſſe τῇ νήσῳ. Quod non intellectum multis locis in errorem induxit Solinum. Stephanus: Μῆλος νῆσος μία τῶν Κυκλάδων ὁμώνυμον ἔχουσα τὴν πόλιν. Hoc eſt, quod breviter Plinius: *Melos cum oppido*, Μῆλος νῆσος, καὶ πόλις. Ubi legitur in Plinio, *quam Ariſtides Byblida appellat*, libri habent, *Mimblida.* Heſychius: Μεμβλὶς, Μῆλος ἡ νῆσος. Byblon eam vocatam fuiſſe notat Stephanus, quod à Bybliis Phœnicibus primùm fuerit condita. Φοίνικες οὖν πρότερον οἰκίσαι ὅθεν καὶ Βύβλος ἐκλήθη ἀπὸ τῶν Βυβλίων Φοινίκων. Forte ſcribendum: ὅθεν καὶ Βυβλὶς ἐκλήθη.

Rotundiſſima eſt juxta Æoliam] Unam ex Æoli inſulis, quæ Strongyle vocabatur à ſitus rotunditate. Naxus quoque στρογγύλη ab eadem ratione appellata.

Nam Carpathus, à qua Carpathium ſinum dicimus] Ita libri. Vulgo erat: *nam Carpathus* ipſa eſt. Melius etiam legi ducerem, *jam Carpathus.* Aut quod magis probarem, *Carpathus, à qua Carpathium ſinum dicimus.* Ut illud *nam*, vel *jam* ex fine præcedentis vocis adhæſerit repetitum.

Pag. 23. B. *Præterea oppidum Myrina*] Μυρίνη. Μυρῖνα. Delrius ediderat *Myrrhina*, quod ita liber ejus haberet: quaſi libri etiam, quum malè monſtrant, ſequendi ſint. Græci Μυρίναν appellant, non Μυῤῥίνην. Apollonius Argonauticῶν I.

> Αὐτίκα πανσυδίῃ πλέων ἔκποθι Μυρίνης
> Δήϊα τείχεα δῦσαι ἐς αἰγιαλὸν προχέοντο.

In forum Myrinæ urbis Athon montem ejaculari umbram etiam Plinius ſcribit, à quo noſter. Apollonius de Atho:

> Ἀκροτάτῃ κορυφῇ σκιάει, καὶ ἔσαχε Μυρίνης.

Idem Poëta tantum diſtare ait Athon à Lemno inſula, cujus oppidum Myrina, quantum expedita navis ab ortu ſolis ad meridiem curſu poſſet conficere.

> Ὅσσον ἐς ἔνδιόν κεν ἐΰστολος ὁλκὰς ἀνύσσαι.

Græci περαιεσίδιον πλοῦν vocant, ut Scylax Caryandæus ſæpe. Cujus inconſtans, & incerta menſura, niſi de die æquinoctiali accipiatur. Plinius ab Icaro Samum uſque triginta quinque millia paſſuum numerat. Scylax hoc ſpatium vocat περαιεσίδιον πλοῦν. Si milliare ὀκταστάδιον facimus, ut plerique, erunt ſtadia octoginginta cum ducentis. Si tertiam adhuc addimus ſtadii partem, quam Polybii ſupputationem fuiſſe ſcribit Strabo, exiſtent trecenta ſtadia minus decem. Stephanus Athon umbram jacere uſque ad trecenta ſtadia dicit. Βάλλει δὲ ἡ σκιὰ τοῦ ὄρους ἐπὶ σταδίους τριακοσίους. Qui eſt περαιεσίδιος πλοῦς Scylacis, καὶ εἰς ἔνδιον Apollonii. Certe idem Scylax ἡμερήσιον πλοῦν quingentis ſtadiis definit his verbis: λογιζόμενος ὅσαι γεγραμμέναι εἰσὶ νύκτες ἀντὶ τούτων ἡμέρας, καὶ ὅπου στάδιοί εἰσι γεγραμμένοι. Ἀντὶ τῶν φ' σταδίων ἡμερήσιον τὸν πλοῦν. Ita ille locus legendus, ubi de periplu Europæ agit. Arrianus ἡμερήσιον δρόμον vocat. Ergo in mille ſtadiis legitima navigatio τοῦ νυχθημέρου δρόμου. Eadem erat Theophili ſententia apud Ptolemæum: καὶ τοῦ Θεοφίλου τοῦ τοῦ νυχθημέρου φορὸν πλοῦν χιλίων ὑποτιθεμένου σταδίων. Sic περαιεσάδιος πλοῦς ducentis quinquaginta ſtadiis perficietur, proſpera navigatione, & ferentibus ventis, quem φορὸν πλοῦν vocat Theophilus. At Plinius Lemnon ab Atho ſeptem & octoginta paſſuum millibus ſeparari tradit, & ex eo Solinus heîc ſex & octoginta millibus, altero tanto plus. Non igitur Lemnon uſque umbra montis Atho poterat pervenire, quæ ad trecenta tantum ſtadia porrigebatur, vel quantum expedita navis antemeridiano curſu conficiebat. Sophocles dixit tantum:

> Ἄθως σκιάζει νῶτα Λημνίας βοός.

Ut altior æſtimetur; quam unde imbres cadunt] Ipſiſſima ſunt Melæ verba: *Athos mons eſt adeo elatus, ut credatur altius, quam unde imbres cadunt, ſurgere.* Scripſerat ἐν τῇ προεκδόσει: *eſt ſanè Athos ſublimis, adeo ut nubes ſupervadat.*

Quæ opinio eo fidem concepit] Mela: *capit opinio fidem, quia de aris, quas in vertice ſuſtinet, non abluitur cinis, ſed quo relinquitur aggere, manet.*

In ſummo Acrothon oppidum fuit] Lege: *Acroathon.* Nam Græci Ἀκροάθων. Stephanus: Ἀκρόαθωοι, πόλις ἐπὶ τῆς ἄκρας τοῦ Ἄθω. Τὸ δὲ ἐθνικὸν Ἀκροάθωος, καὶ Ἀκροαθωΐτης, quæ corruptiſſima ſunt apud Stephanum. *Acrothon* pro *Acroathon* vitioſa ſcriptura, ut *acroma* pro *acroama.* Apud Strabonem quoq; legendum, Ἀκροάθωοι pro Ἀκρέθωοι.

Longior, quam in aliis terris, incolentium ætas] Hæc lectio propior verbis Melæ, quæ expreſſit: *in quo dimidio longior, quam in aliis terris, ætas habitantium erat.* In priore editione fuit: *longior quam alias terras habitantibus ætas porrigebatur.*

CAPUT.

C A P U T XII.

Hellespontus. Propontis. Bosporos. In his de Delphinis, de Thynnis.



QVartus Europæ sinus] E Plinii lib. IV. cap. XII. *Quartus è magnis Europæ sinibus ab Hellesponto incipiens. Mæotis ostio finitur.* Martianus, cum ab utroque sumat, Solini verba ipsa heic posuit. Quem vide.

Pag. 23. D. *Hic est Hellespontus: hac Xerxes*]. Ita scripsimus è libris. Et confirmat Plinius, quem ad verbum compilat: *primas angustias Hellespontum vocant: hac Xerxes constrato navibus ponte duxit exercitum.* Martianus: *ubi Xerxes Persidis Rex ponte constructo exercitum duxit.* Vulgo legebatur, *quem Xerxes.*

Ad Asiæ urbem Priapum, qua Magnus Alexander] Sic etiam reposuimus jubentibus libris. Antea non rectè lectum: *quam Magnus Alexander.* Plinius: *porrigitur inde tenuis Euripus* CXXXVI. *M. P. ad Priapum urbem Asiæ, qua Magnus Alexander transcendit.* Nec enim urbem Priapum transcendit, sed mare ad illam urbem.

Pag. 23. E. *Quoquo eant conjuges evagantur*] Plinii verba, quæ hoc loco usurpat, vel imitatur Solinus, haud vulgo satis sincera. Sic enim habent: *agunt fere conjugia: pariunt catulos binos.* Unde legunt quidam: *agunt vera conjugia.* In optimis libris ea ita scribi invenio: *tantaque vi exsiliunt, ut plerumque vela travolent o aguntur ferè conjugia.* In aliis, ut minus antiquis, ita jam & correctione depravatioribus: *Ut plerumque vela transvolent vento, aguntur vere conjugia.* Scribe è vestigiis antiquæ scriptionis: *ut plerumque vela transvolent. Vagantur fere conjugi. Pariunt catulos decimo mense* Quomodo & legisse Solinum certa fides est. *Conjugus*, & *sejugus*, tralatitia. Aristoteles de Delphinis: διατελοῦσι δὲ μετ' ἀλλήλων κατὰ συζυγίας. Ad verbum, *conjuges*, vel *conjugi vagantur.* Sic idem Plinius de serpentibus loquutus est: *conjugæ fermè vagantur, nec nisi cum pari vita est.*

Et vitales auras nonnisi in aëre reciperare] Melius esset: *reciprocare.* Atque ita scripsisse puto. *Auras reciprocare* est anhelitum reddere, ac per vices recipere, ut ait ibidem Plinius. Sic maria reciprocare dixit idem, quæ quasi anhelitum reddunt, recipiuntque æstibus. Sic *reciprocare serram* Tertullianus.

Pag. 23. F. *Nam propriè Simones nominantur*] Mirum in omnibus libris legi *Sinomones*, & ad oram optimi Regii notatum, *Synomones.* Ex Plinio tamen constat *Simones* rectam esse lectionem. Ita appellari gaudere, quod simi sint, dicit. In asmate Arionis apud Ælianum: σιμοὶ, φελξάνχενες ὠκυδρύμοι σκύλακες, φιλόμουσοι δελφῖνες.

Mulcentur musica: gaudent cantibus tibiarum] Patet ex his legendum in Plinio esse: *Delphinus non hominis tantum amicum animal, verum ex musica arte mulcetur, symphoniæ cantu, & præcipuè hydrauli sono.*

Pag. 23. G. *Desiderii mærore Delphin interiit*] Hæc lectio est τῆς προεκδόσεως, fortasse etiam mendosa, pro *desiderio, & mærore Delphin interiit.* Emendata habuit: *desiderio ejus delphin interiit.* Plinius: *tristis & mærenti similis, ipse quoque, quod nemo dubitarit, desiderio expiravit.* Agellius lib. VII. cap. VIII in simili historia ex Appione: *Postea, inquit, idem ille puer delfino amœnus morbo affectus obiit suum diem. At ille amans ubi sæpe ad littus solitum adnavit, & puer, qui in primo vado adventum ejus opperiri consuerat, nusquam fuit, desiderio tabuit, exanimatusque est.* Quæ planè confirmant legi heîc debere, *desiderio, ac mœrore Delphin interiit.* Sed in illis verbis Agellii semper hæc mihi suspecta fuere: *ille puer delphino amœnus.* Pro quibus in optimo codice scriptum reperi planis, & expressis literis: *ille puer delphineromenus.* Græcam vocem retinuit Agellius ex Græco scri-

A ptore, quod eleganter facta esset, Δελφινερώμενος, id est, delphini puer delicatus, Δελφῖνος ἐρώμενος. Quod non vidisse miror, qui vitam suam meliorem contecerunt in Agellio emendando.

Apud Jasum urbem Babylonem puerum Delphinus adamavit] Ita nostri omnes ad unum sine ulla varietate. Ita & princeps editio. Aliæ habent, *Jasum urbem Babyloniæ.* Unde arripuit Hermolaus ansam Solini carpendi, quasi Jasum putaverit urbem esse Babyloniæ, quæ fuit Cariæ. Delrius vir bonus asserit manuscriptis deesse hoc loco vocem, *Babylonem.* Quam verè id affirmet, alii viderint. Nos sæpe eum mentiri scimus.

B Quod verba hæc in alium locum transfert, & sic legit, *Alexander Magnus amorem illum numinis fuisse interpretatus, præfecit puerum Babylone Neptuni sacerdotio*, id nullo modo ferendum. At Jovem silicem sese paratum esse ait jurare, ita hunc locum à Solino literis mandatum fuisse. Silice stupidiorem esse oporteat, & qui sic juret, sed multo magis, qui juranti credat. Primum ea lectio contra omnium librorum scripturam, atque editionum concepta est. Deinde nihil absurdius, aut ineptius. Jasus urbs Cariæ, apud quam Delphinus puerum adamavit. Quod Alexandro Magno, cum illic esset, innotuit. Is amorem illum numinis propitii

C fuisse interpretatus, puerum Neptuni sacerdotio præfecit: ubi? Babylone. Certè non valde propitium numen puero illi Alexander ipse fuerit, qui tam longe à patria eum seduxit. An nulla Neptuni templa in Græcia, aut minore Asia fuere, quorum alicui posset præfici? Multa alia habeo, quæ opponam, quæque hanc rem de Babylone urbe quam sit absurda, possint ostendere. Verum ita clara est absurditas, ut verbis non egeat. Nihil dubium est, quin Solinus *Babylonem* de nomine pueri acceperit. Verba Plinii sunt hæc: *puerum Alexander Magnus Babylone Neptuni sacerdotio præfecit.* Legisse videtur Solinus *Babylonem.* Βάβυλος &

D Βαβυλὼν, atque etiam Βαβυλᾶς propria nomina. Terentius:

Dinumeret illi Babylo triginta minas.

Ubi Babylo nomen est dispensatoris, aut arcarii. Nec pro liberali, aut prodigo, ut censet Donatus positum. Scripserat igitur Plinius: *puerum Alexander Magnus Babylonem nomine, Neptuni sacerdotio præfecit.* Ex quo postea *Babylone* factum est. Sanè ita scripsisse Plinium, & Solinum legisse tam jurare fas est, quam dubitare nefas. Similis historia, quæ apud eum sequitur in eadem urbe de alio puero, cujus & nomen similiter ad-

E scripsit, manifesto id arguit: *in eadem urbe Jasso Hegesidemus scribit & alium puerum Hermian nomine, similiter maria perequitantem, cum repentinæ procellæ fluctibus exanimatus esset, relatum.* In eadem igitur urbe Jasso, ubi & res acciderat, puerum Babylonem nomine Neptuni sacerdotio præfecit Alexander Magnus.

Pag. 24. A. *Nec reverti voluit amplius in profunda*] Libri: *in profundo.* Quæ loquutio Soliniana, quum *in profundum* dicere debuisset. Sic *dejecta in labris æneis.*

Pag. 24. B. *A majoribus datur adultior gregi custos*] Illud *gregi* addidimus è libris. Alias legendum fuisset:

F *è majoribus datur adultior custos.* Plinius: *quin & parvos semper aliquis grandior comitatur, ut custos.*

Quamquam ibi præter phocas rara bellua est] Quidam libri: *quanquam in Ponto.* Plinius: *sed in Pontum nulla intrat bestia piscibus malefica, præter vitulos, & parvos delphinos.* Vituli, ut notum est, sunt Phocæ.

Intrant dextero littore] Reposuimus hanc lectionem omnium editionum omnibus nostris confirmatam. Delrius ex suis maluit, *dextro latere.* Plinium sequitur Solinus, qui Thunnos dextra ripa intrare, exire læva scribit.

G Non bonis libris, nec bene usum esse Delrium in hoc opere constat.

CAPUT XIII.

Flumen Histrum. Fiber Ponticus. Gemma Pontica.



Pag. 24. C. *Effusus monte, qui Rauracos Galliæ spectat*] Ita Libri. Rauraci Galliæ populi prope supercilia Rheni. Unde Augusta Rauracorum. *Rauricum* Plinio dicitur lib. IV. cap. XII de Istro: *ortus hic in Germania jugis montis Abnobæ ex adverso Raurici Galliæ oppidi.* Ptolemæo Ῥαυρικῶν Αὐγέστα. Rauracum Ammiano lib. XIV. *Ubi prope Rauracum ventum est ad supercilia fluminis Rheni.* Rauracum & Rauricum idem, ut Massalia, & Massilia. Idem Ammianus de Istri origine lib. XXII. *Amnis vero Danubius oriens prope Rauracos monte, confine limitibus Rhæticis.* Ita scribendum. Male est in editis, *prope Rauracos montes.* Nulli Rauraci montes. Sed Solinum nostrum expressit in his verbis, *effusus monte, qui Rauracos Galliæ adspectat.* Is mons *Abnoba* Plinio. Αὔνοβα Ptolemæo. Corrigendus Martianus in hac voce: *Ister fluvius ortus in Germania de cacumine montis ad novem sexaginta amnes assumens.* Lege: *de cacumine montis Abnovæ, sexaginta amnes assumens.* Plinius, qui ex adverso Raurici Galliæ oppidi montem Abnovam, unde Ister oritur, esse dicit, non intelligit Rauracis vicinum esse. Ex eo Solinus *Rauracos spectare* scribit. Ammianus montem, qui Istrum effundit Rauracis propinquum, & Rhætis confinem tradens, à Solini sententia, quem tamen sequitur, discedit. Nam multis ultra Alpes millibus Istrum oriri Plinius ait. Sed Danubium, & Rhenum ex Rhætia originem capere scripsere quidam. Claudianus:

> *Prominet Hercyniæ confinis Rhætia sylvæ,*
> *Quæ se Danubii jactat, Rhenique parentem.*

Dionysius:

> Ῥήνῳ δ' ἐξείης ἐπιτέλλεται ἱερὸς Ἴςρος.

Quæ opinio est Ammiani. Nam Rhenus haud longe à Rauracis oritur. Malè has opiniones ex recentioribus plerique confuderunt, & Plinium, Solinum, Ammianumque idem dicere sibi persuaserunt. Sed de his nos alibi.

Secundum Naracustoma] Ammianus: *secundum Naracustoma.* Plinius: *secundum ostium Naracustoma appellatur.* Ναρακὸν στόμα. Arrianus: Καὶ ἀπὸ τοῦ καλοῦ ἐπὶ τὸ Νάρακον, ὧδε ὀνομαζόμενον στόμα. Scribe: ἐπὶ τὸ Ναρακὸν. Corrigendus & Apollonius Rhodius de hoc ostio Istri. Sic enim lib. IV in duo ostia scindi Danubium scribit:

> ---- ἀμφὶ δὲ δοιαὶ
> Σχίζονται προχοαί· τὴν μὲν καλέουσι Νάρηκος,
> Τὴν δ' ὑπὸ τῇ νεάτῃ καλὸν στόμα ----

Vulgo scribitur: τὴν μὲν καλέουσιν ἄρηκος. Interpres legit Ἄρηκος. Omnino legendum esse Νάρηκος constat. Ὁ Νάρηξ, & ὁ Νάρηκος. Unde τὸ Ναρακὸν στόμα. Ptolemæus Ναράκιον vocat. Ita enim legendum, ἐκβάλλει εἰς τὸν Πόντον στόματι τῷ καλουμένῳ Ναρακίῳ. Est vulgo: ἱναρακίῳ.

Tertium Kalon stoma] Perperam in editionibus erat unica voce, *Calostoma.* Emendandus etiam Plinius ex libris: *tertium Calon stoma juxta insulam Sarmaticam.* Recte apud Ammianum, *tertium Calonstoma.* Arrianus in periplu Ponti: ἐνθένδε ἐπὶ τὸ καλὸν καλούμενον στόμα. Ptolemæus: στόματι καλουμένῳ καλῷ.

Boreon stoma] Ita & correximus è libris. Ante excudebatur: *Boreostoma.* Sic lege & in Plinio. Ammianus ex hoc loco: *nam Boreonstoma, ac deinde stenonstoma longè minora sunt ceteris.* In scriptis heic legitur, *Borion stoma,* βόρειον στόμα. Ptolemæus: στόματι καλουμένῳ βορείῳ.

Ac deinde stenonstoma] Sic Ammianus ex hoc loco, & plerique librorum. In aliis, *spolion stoma.* In excerptis vetustissimis, *spilon stoma.* Quomodo & quædam exemplaria τῆς προεκδόσεως. *Spilon stoma* scriptum esse puto, pro *psilon.* Sic enim & *pseudostoma* pro *pseudostoma* paulo ante. Sic *Spylli* apud Martianum Capellam in vetustis libris sunt *Psylli.* Et *Spycharion* in antiquis in-

A scriptionibus, ἀντὶ τοῦ ψυχάριον. Ostium Istri, quod alii στενὸν appellarunt, ψιλὸν etiam dictum est. Arrianus: ἀπὸ δὲ τοῦ ψιλοῦ καλουμένου στόματος τοῦ Ἴστρου, εἰς τὸ δεύτερον στόμα στάδιοι ἑξήκοντα. Similiter in Plinio emendandum, ubi hodie legitur *Boreostoma, & spireostoma.* Legendum inquam, *Boreonstoma,* & *spilon stoma.* Id est Psilon stoma.

Pag. 24. D. *Septimum vero pigrum, ac palustri specie*] Ammianus hinc habet: *septimum ingens, ac palustri specie pigrum.*

Ut per longitudinem quadraginta millium passuum] In excerptis: *per longitudinem* CCCC *passuum.* Editam ceteri libri & Plinius confirmant.

B *Non misceantur æquori*] Hoc non dicit Plinius, nec verum, flumina illa, sive ostia Danubii non misceri Ponto, & saporem suum incorruptum obtinere, sed tanta esse prodit, ut per quadraginta millia passuum mixtura eorum mare vincatur, & dulcis haustus intelligatur. Tam magna nimirum sunt, & tantam dulcis aquæ copiam in mare invehunt, ut per tot millium spatium mare illud dulce reddant, idque haustu intelligatur. At Plinium non intellexit Solinus, quod illi sæpissime accidit. Mare Ponticum dulcius esse quam

C cetera, ob multitudinem fluminum dulces aquas inferentium omnes tradunt.

Dulcemque haustum incorrupto detineant sapore] Reperimus & eamdem lectionem in nostris, quam in suis Delrius: *dulcemque haustu incorrupto detineant saporem.* Utrovis modo legas, sensus idem, & à Plinii mente diversus, cujus hæc verba sunt: *singula autem ora tanta sunt, ut prodatur in quadraginta millia passuum longitudinis vinci mare, dulcemque intelligi haustum.* In quibus fortè melius scriberetur, *dulceque intelligi haustu.* Mare vincitur illis fluminibus, & dulce intelligitur haustu. Et hoc omnino verum censeo.

D *Per universum Pontum fiber plurimus*] Ajunt Grammatici *fibrum* dici ab extremitatibus fluminum, in quibus versatur: nam *fibrum* extremum Latinos dicere. Unde *fibræ crinium, fibræ jecoris,* extremitates. Nugantur. Φιβρὸς Græcum est, quæ vox ἁπαλὸν, & τρυφερὸν significat. Æolicum, φιβρὸς: ut θερμὸς, φερμός. Inde *fiber* à mollicie pili dictus. Plinius de lutra, & fibro: *utrumque aquaticum: utrique mollior pluma pilus.* Hoc verum de fibro tantùm, non etiam de lutra. Eadem etiam origo fibrarum, sive fibriarum in vestibus, quod enim extremis vestibus assuebatur ornamenti gratia, φιβρὸν Græci Æoles. Et ornamenta illa vestium

E φιβρίας videnter appellasse. Nam θιβρὸς, καλὸς & φιλόκοσμος exponitur. Adde, quod ornamenta illa vestium extremitatibus assui solita, cirris ac filamentis tenuibus, ac mollibus constabant. Κροσσοὺς Græci dicunt. Unde *bicerres,* & *cirratæ* vestes αἱ κροσσωταί. *Bebrus* est fiber infimis Latinis. Inde nostrum *bieure.* Vetus interpres Juvenalis ad Sat. XII. *Castorem bebrum dicit.* Idem ad Sat. II. *Bebriaci campi* legit & Pontici interpretatur, a bebris, qui sunt Pontici fibri, sive Castores: Alias *Bebriaci Pontici, unde pelles bebrinæ. Galba enim Ponticus fuit.* Ridicule.

F Sed bebrinæ pelles a bebro, qui est fiber. De eodem intelligendum epigramma Claudiani, quod & sic legendum:

> *Nominis umbra manet veteris, nam dicere Bebrum.*
> *Si Castor niteat, castoreum nequeo.*

In voce *Bebrus* nominis veteris manet umbra; quod fuit *fiber.* De *birro* veste non posse accipi palam est. Vulgatum quippe & omnibus notum de veste *birri* vocabulum. At *bebrum* pro castore non adeo protritæ fuisse notitiæ ibidem judicat.

> *Sex emptus solidis, quid sit jam scire potestis.*

G

> *Si mihi nulla fides, credite vel pretio.*

Quem alio vocabulo dicunt Castorem] Plinius lib. XXXII. cap. III. *sicut & fibris, quos Castoras vocant.*

Lutræ similis est] Libri: *lytris similis est.* Quod propius est origini. Nec enim lytra, ut vult Varro, quod succidere dicatur arborum radices in ripa, atque eas dissol-

dissolvere, sed è Græco venit. Ἐνύδρης Græcè appellatur, Æolice Ἐλύδρης, quod etiam Atticum est. Inde *lytra*, & *lutra*. Sic λίτρον dicebant Attici, quod alii νίτρον: sic πλεύμων, quod reliqui πνεύμων, unde Latinum *pulmo*: sic *Lymphas* Latini dixere, quas Græci νύμφας, quod Æoles λύμφας vocarent; unde *lymphatici* οἱ νυμφόληπτοι. Ita ἀλάβαστρος vas, quo aliquid gestatur, cum deberet esse communius ἀνάβαστρος, à ferendo, quod Græci ἀναβάσαι: unde & βαστάζειν. Perticæ quoque, & falangæ, quibus onera portabant bajuli, ἀλάβαστροι dictæ pro ἀνάβαστροι. Ita ἐνύδρης, ἐλύδρης, *lutra*. Hesychius: ἔνυδρος ζῶον ποτάμιον ἀμφίβιον ὅμοιον κάστορι. Dicebatur & ἐνύδρης, & ἐνυδρίς. Herodoto ἔνυδρις.

Conventum dentium non prius laxet] Plinius: *non prius morsus resolvat.*

Ipse geminos suos devorat] Διδύμους. Ita enim & Græci testiculos vocant. Ammianus lib. XVI. *Captus à finitimis hostibus etiam tum parvulus abstractis geminis Romanis mercatoribus venundatus ad palatium Constantini deducitur.* Sic legendum. Nam vulgo non bene, *abstractus geminis.* Τῶν διδύμων ἀφαιρεθέντων. *Abstractis geminis*, castratus.

Pag. 24. E. *Aliæ aureas, aliæ sanguineas habent stellas*] Ergo legendum in Plinio: *Ponticarum plura sunt genera. Est stellata nunc sanguineis, nunc aureis guttis, quæ inter sacras habetur.* Editum est: *nunc atris guttis.* Isidorus: *Ponticæ à Ponto dicuntur genere diverso, nunc sanguineis, nunc auratis guttis micantes.*

Et hæ quidem inter sacras habentur] Hæ scilicet, quæ aureas, aut sanguineas habent stellas, atque hoc dicit Plinius. Depravaverat hunc locum Delrius ex suis libris, legendo: *hæ quidem, quæ inter sacras habentur, non*

A *guttis aspersæ sunt, sed longis colorum ductibus liniuntur: indeque ostentationi potius, quam usui deliguntur.* Quod contra omnium editionum fidem fecit, & librorum, quos quidem viderimus, auctoritatem. Immo & contra Plinii sententiam, quam Solinus expressit. Is enim apertè, & planè scribit, inter sacras haberi, quæ sanguineis, aut aureis guttis stellata sit. Præterea cum in libro suo fuisse ipse dicat, *namque ostentationi potius, quam usui deliguntur*, cur pro eo scripsit, *indeque.* Libri omnes, & anteriores editiones habebant: *& hæ quidem inter sa-*
B *cras habentur: namque ostentationi potius, quam usui deliguntur. Non guttis aspersæ sunt, sed longis colorum ductibus liniuntur.* Ex quibus fecimus: *nam quæ ostentationi potius, quam usui deliguntur, non guttis aspersæ sunt, sed longis colorum ductibus liniantur.* Sacras guttis aspersas, & stellatas dicit, ut & Plinius. Atque hæ sunt, quas usui esse vult. Quod amuleti scilicet vice gestarentur. Aliæ, quæ ad ornatum tantum, & ostentationem habebantur, lineis erant distinctæ, non guttis stellatæ. Nihil falsius, aut absurdius lectione Delriana. Quæ sacræ
C sunt, non guttis aspersæ, sed lineis distinctæ. Hoc falsum. Nam contrarium ex Plinio verum. *Indeque ostentationi potius, quam usui deliguntur.* Bona certè ratio. Quia sacræ habeantur, ideo ad ostentationem tantum deliguntur. Quem igitur usum habebunt, quæ sacræ non erunt? an ideo ostentationi delectæ, quod longis colorum ductibus interstinctæ? Nihilo melius. Hæc digna Delrio sunt.

Longis colorum ductibus liniuntur] Omnino legendum: *liniantur.* Ita enim scribebant, ut suprà ostendimus.
D *Liniari, liniamenta.* Plinius: *alias pro stellis ejusdem coloris lineas habet.* Isidorus: *aliæ habentes stellas, aliæ longis colorum ductibus lineatæ.*

CAPUT XIV.

Amnis Hypanis, & fons Exampeus.



Pag. 24. F. *Usque dum Callipodum terminis inferatur*] Sic omnes nostri, non *Callipidum*, ut Delrius suos habere asserit, haud scio, an credendus. Nec aliter princeps editio. Ita & Vinetus edidit ex suis. Græcè tamen Καλλιπίδαι. Atque ita Herodotus vocat. Quid si Καλλίποδας eos vocare libuit Solino, quasi sic vocandos crediderit Græco nomine, à pulcris pedibus? Sane *Callipidarum* scribere debuit, si de Callipidis intellexit: nam Græcis
E Καλλιπίδης, & Καλλιπίδαι. Mela Hypanim Callipodas includere scribit, non usque ad Callipodas dulcem fluere.

Amara scaturigine] Amara, πικρή, non salsa. Ovidius tamen de eodem fonte:

---- *salibus vitiatur amaris.*

Sales quidem valdè salsi, amari. Aliud tamen salsum, aliud amarum. Hunc fontem per venas sandarachæ transire tradit Vitruvius, atque inde τὴν πικρίαν concipere.

Adeo ut sibi dissimilis in maria condatur] Mela: *ut ipse quoque jam sui dissimilis hinc defluat.*

CAPUT XV.

De flumine, Borysthene, & in eo piscibus. Scythicarum gentium varia miracula. In his de natura canum, de Smaragdo lapide, de Cyaneo lapide, de Crystallo.



Pag. 24. G. *Apud Neuros nascitur Borysthenes*] Mirum est legi in omnibus libris Solini, *apud Neutros*: & paulo post: *verum Neutri ut accepimus.* Scripti quoque apud Martianum ita exhibent: *& Neutri, apud quos Borysthenes.* Hoc notamus, ut constet, quam vetustæ mendæ libris inoleverint.

In quo pisces egregii saporis] Ex Mela: *alit lætissima pabula, magnosque pisces, quibus & optimus sapor, & nulla ossa sunt.* Ἀντακαίους vocat Herodotus. Ἀντακαῖοι, ἰχθύες κητώδεες.

Æstatis temporibus in lupos transfigurantur] Quis non videat scribendum esse, *statis temporibus?* hoc tamen mendum in omnibus excusis usque adhuc stetit. Mela, à quo sumpsit noster: *Neuris statum singulis tempus est, quo si velint in lupos, iterumque in eos, qui fuere, mutentur.* Herodotus: ἔτεος ἑκάστου ἅπαξ. Scriptum erat, *estatis* pro *statis*, tralatitio more. Sic *esqualeo* pro *squalleo*:
F *Estoria* pro *storia*, & similia sexcenta. Corrigam obiter in simili loquutione Arnobium loco, qui nunc venit in mentem, ubi hodie scribitur lib. IV. *Numquid parricidii causa vinctum esse Saturnum, & ab his diebus tantis vinculorum ponderibus elevari?* Quæ sine dubio corruptissima sunt. In Regio codice legitur: *& ablui diebus tantis.* Unde optima emendatione lego: *parricidii causa vinctum esse Saturnum, & ablui diebus statis, vinculorum ponderibus & levari.* De septem diebus Saturnalium loquitur. Verbum Arnobii *ablui*, pro absolvi. Sic *diluere* apud Ciceronem in libris de amicitia, ubi monet *dilui debere amicitias, non discindi.* Ita enim libri omnes scribunt. Quod editiones mutarunt in *diffui.* At *diluere* positum pro dissolvere. Atque hæc obiter.
G Pag. 25. A. *Populis istis Deus Mars est*] Totus hic locus ex Mela non adumbratus, sed expressus: *Mars omnium Deus, ei pro simulacris enses & tentoria dedicant, hominesque pro victimis feriunt.* Sed, quod dicitur tentoria ab his dedicari pro simulacris, an caret mendo? Vix putem. Cum enim enses pro simulacris dedicent, quid habent

habent tentoria simile cum ensibus? Herodotus ἀκινάκας tantum nominat. Bella heîc etiam erit emendatio nostra: *pro simulacris enses, & tinctoria dedicant.* Tinctoria sunt gladii, quod sanguine tinguantur. Ad verbum, σφαγῖα. Isidori Glossæ: *tinctorium, gladius.* Quam vocem olim restituimus in hoc versu elegia incerti de spe, qui vulgo depravatissimus est.

Et cui detenta in jugulo tinctoria muto
Spem, quamvis lecto, jam referatur, habet.

Hinc *tinctoria mens* Plinio, pro cruenta, & cædibus gaudente lib. VII. cap. VII. *Tu, cujus semper tinctoria est mens, tu qui te deum credis, aliquo successu tumens tanti perire potuisti.* Ita enim ex libris reposuit doctissimus Turnebus. *Cinctorium* & pro eodem scribitur à cingendo. Glossæ, *cinctorium*, παραζώνιον. Martialis de parazonio:

Arma Tribunicium cingere digna latus.

Μικρὰν μάχαιραν Græci exponunt. Certè nihil dubii est, quin apud Pomponium pro tentoriis *cinctoria*, aut *tinctoria* reponi debeant. Et malim *cinctoria.* Nam C & T sæpe invicem mutantur. Libentius quoque, si meus sit arbitratus, in Plinii loco legerim: *tu, cujus semper in cinctorio est mens;* σὺ ᾗ ὁ νοῦς ἀεὶ ἐστὶν ἐν τῷ παραζωνίῳ. Cujus mens in cædibus, & gladiis semper versatur, qui nihil nisi cruentum, ac crudele cogitas. Quod imperitis non intellectum mutatum est in eas lectiones, quas editi, scriptique præferunt: quorum hi legunt: *semper tinctoria est mens.* Illi scribunt: *in victoria est mens.* Terentius simili loquutione: *Jamdudum tibi animus est in patinis.* Et Aristophanes:

Τῷ χεὶρ ἐν Αἰτωλοῖς, ὁ νοῦς δ' ἐν Κλωπιδῶν.

Homines victimas habent, ossibus adolent ignes] Interpunge *pro simulacris enses colunt, homines victimas habent. Ossibus adolent ignes focorum.* Mela: *alicubi usque eo steriles ad cetera, ut, qui habitant, lignorum egentes ignes ossibus alant.* Ossibus animalium, quæ victus causa ab his cæduntur. Solinus heîc Solinum egit. Quod Pomponius de omnibus in genere Scythis tradidit, de Neuris solis hoc noster refert. Pomponius expositis moribus variorum Scythiæ populorum, ex quibus ultimi recensentur Neuri, subjicit: *Mars omnium Deus, ei pro simulacris enses & cinctoria dedicant, hominesque pro victimis feriunt.* Quod de omnibus Scythiæ populis generatim utique accipiendum esse patet, non de solis Neuris. Nam & Herodotus, quem sequitur Mela, de Scythis id narrat, non de Neuris. Addit statim Mela: *Terræ latè patent, & ob excedentia ripas suas flumina, nusquam non ad pabula fertiles: alicubi usque eo steriles, ut qui habitant, lignorum egentes ignes ossibus alant.* Quod de terris universæ Scythiæ Europææ, quæ illo capite tractatur, non de Neurorum regione intelligendum. Nec enim Neuri soli, sed Scythæ ossibus victimarum adolent ignes. Herodotus: τῆς δὲ γῆς τῆς Σκυθικῆς αἰνῶς ἀξύλου ἐούσης ὧδέ σφι ἐς τὴν ἕψησιν τῶν κρεῶν ἐξεύρηται. Ita, quod omnium fuit, unius populi proprium fecit: quod ut faceret, sollemnis ejus ablepsia in causa fuit. Quod enim Neuri in proximo præcederent, ad eos retulit omnia, quæ sequebantur, quum ad omnes essent referenda.

De hostium cutibus & sibi indumenta faciunt] Mela: *Geloni hostium cutibus equos, seque velant: illos reliqui corporis, se capitum.* E cute capitis mantilia faciunt, quæ ante pectora habent. Plinius lib. VII. cap. II aliquando & χλαίνας ex tota cute sibi consuunt. Quod addit noster ex Pomponio, *& equis suis tegmina*, id ita explicat Herodotus: πολλοὶ δὲ καὶ ὅλους ἄνδρας ἐκδείραντες καὶ διατείναντες ἐπὶ ξύλων, ἐφ' ἵππων περιφέρουσι. Quæ Herodotus de Scythis, non de Gelonis scribit. Immo Gelonos τὸ ἀρχαῖον Ἕλληνας fuisse γῆς ἐργάτας, καὶ σιτοφάγους, καὶ κήπους ἐκτημένους dicit. Quæ ex diametro pugnant cum Melæ de his sententia. Plinius quoque eos populos, qui de cute hostium sibi mantilia faciunt, non Gelonos vocat, sed Anthropophagos. Quod miror, cum Herodotum in his sequatur Mela. Ammianus, ut solet, Solinum hoc loco imitatur lib. XXXI. *Post quos Budini sunt, & Geloni perquam feri, qui detractis peremptorum hostium cutibus indumenta sibi, equisque tegmina conficiunt.*

Gelonis Agathyrsi collimitantur, cærulo picti] Ammianus ex hoc loco: *Gelonis Agathyrsi collimitant, interstincti colore cæruleo corpora simul & crines.* De notis cæruleis Agathyrsorum nihil Græci. Latini eas aliunde non habent, qui de his loquuti sunt, quam ex hoc poëtæ versu:

Cretesque, Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi.

Quod epitheton Agathyrsorum variè exposuerunt Grammatici. Quidam ita dictos interpretati sunt, quod notis compuncti essent cæruleis, ut Britanniæ populi, qui & *picti* propterea appellati sunt. In ea sententia fuisse videtur Mela. Hoc negat verum Servius his verbis ad eum versum: *picti autem, non stigmata habentes, sicut gens in Britannia, sed pulchri, hoc est, cyanea coma placentes.* Sanè Plinius, qui Græcos auctores diligenter excussit, de capillo tantum cæruleo Agathyrsorum memorat, nihil de notis corporis habet: *Budini, Basilidæ, & cæruleo capillo Agathyrsi.* Pulcras comas hyacinthi flori comparat Homerus, qui cæruleus est:

---- ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας

Dionysius Periegetes Indorum capillum hyacintho similem esse canit:

---- ἐειδομένας δ' ὑακίνθῳ
Πιοτάτας φορέουσιν ἐπὶ κρατεσφιν ἐθείρας.

Grammatici κυανέας, & μελαίνας exponunt. Festus Avienus:

---- *his coma semper*
Effluа, liventes imitatur crine hyacinthos.

Corpus quoque eos cyaneum habere, id est, nigrum ibidem dicit:

Τῶ γαίης νάετῃ μὲν ὑπὸ χρόα κυανέουσι
Θεσπέσιον λιπόωντες.

Naturaliter ita eos esse, cute, & capillo vehementer nigris intelligit, quod sole adusti sint. De Agathyrsis, qui crinem cæruleum habebant, pictura ita eos sibi conciliare intelligendum. Festus Avienus *pictos Agathyrsos* apud Virgilium de pictura vestis accipiebat. Sic enim in paraphrasi Dionysii posuit:

Præcinctique sagis semper pictis Agathyrsi.

Ut *pictos* autem Agathyrsos Virgilius, ita & *pictos Gelonos* indigetavit hoc versu ex II. Georgicῶn.

Eoasque domos Arabum, pictosque Gelonos.

Ubi Servius sui oblitus, *stigmata habentes* interpretatur, ut, *pictique Agathyrsi.* Certè, si ex verbis poëtæ, quibus *picti Agathyrsi* nuncupantur, notis compunctos, & picturatos accipere debemus, non dubium quin & Geloni similiter picti debeant accipi. Quod scriptores tamen Latini de illis, ut de Agathyrsis, non tradidere. Herodotus de Budinis loquens, quos Græci cum Gelonis eosdem habebant, nam urbs Geloni apud Budinos, sic ait: ἔθνος μέγα καὶ πολλὸν γλαυκόν τε πᾶν ἰσχυρῶς ἐστὶ καὶ πυῤῥόν. Ad oculorum colorem referunt. Ego ad totum corpus retulerim glauco, vel cærulo pictum, & ruso. Unde *picti Geloni* Virgilio, ut Agathyrsi. Gelonus enim Agathyrsi frater: ambo Herculis filii. Stephanus: Γελωνὸν, πόλις Σαρματίας ἀπὸ Γελωνοῦ τοῦ Ἡρακλέους, τοῦ Ἀγαθύρσου ἀδελφοῦ. Et sanè pictos sive Agathyrsos, sive Gelonos, haud aliter interpretari liceat, quam aliquo colore fucatos. Sic *picti Scottobrigantes* Senecæ. Et *picti* populi Britanniæ ab eadem ratione dicti. Sic *picta vestis*, coloribus variata. Et *pictæ volucres* apud poëtam.

Quanto quis altero præstat] In optimo regio: *Quanto quis altero præstat anteit.* In altero: *quanto quis altero anteit.*

Tanto propensiore nota tinguitur]. Id est, majore & latiore nota. Sic multis locis hanc vocem usurpat. Rem ipsam à Mela sumpsit. Sic enim ille: *Agathyrsi ora, artusque pingunt: ut quique majoribus præstant, ita magis vel minus: ceterum iisdem omnes notis, & sic ut ablui nequeant.* Quem locum sic reformarim, ut fuisse Solini temporibus verisimile est: *ut quique præstant, ita majoribus, ceterum iisdem omnes notis.* Pingunt artus Agathyrsi, iisdem omnes notis, sed majoribus, ut quique præstant. Verba illa, *magis vel minus*, ex glossa irrepsere. Ut quisque anteiret, & præstaret, ita propensiore, & majore nota pingi heic scribit Solinus, quem adumbrat Ammianus his verbis, quæ sic legenda sunt: *humiles & quidem minutis, atque raris, nobiles vero latius fucatis, & densioribus notis.* Malè est in vulgatis: *latis fucatis.*

Quibus execrandi cibi sunt humana viscera] Ex Mela: *apud Anthropophagos ipsæ etiam epulæ humanis visceribus apparantur.* Viscera humana, ἀνθρώπεια κρέα.

Terrarum prodit tristissima solitudo] E Plinio: *ideo juxta*

vastæ solitudines, ferarumque multitudo, haud dissimilis hominum immanitati, obsidens. Ita legendum. Juxta solitudines, & eas obsidens ferarum multitudo hominum immanitati haud dissimilis. Vulgo legitur: *ferarumque multitudo, haud dissimilem hominem immanitatem obsidens.* Ineptissimè.

Quas ob nefarium ritum finitimæ nationes] Ammianus hinc habet: *quibus ob hæc alimenta nefanda desertis, finitimi omnes longa petiere terrarum.*

Pag. 25. B. *Usque ad maris jugum, quod Tabin vocant*] Hæc à Delrio correctio est. Nec multo aliter olim legendum sibi videri dixerat Camers. Qui melius tamen quam Delrius legendum censebat, *usque ad jugum mari imminens.* At ineptè Delrius reposuerat, *usque ad jugum maris.* Aliud est, *jugum mari incumbens*: aliud, *jugum maris.* Certè, quid sit *jugum maris*, nescio. Rectè quidem Camers, si auctorem ita scripsisse constaret.

Invitum qui servat, idem facit occidenti.

Omnes editiones habent: *usque ad mare, quod Tabin vocant.* Quomodo & omnes libri uno consensu. Iterum heîc sollemnia peccavit Solinus malè acceptis his Plinii verbis: *iterumque deserta cum belluis usque ad jugum incumbens mari, quod vocant Tabin.* Solinus ita id intellexit, quasi mare Tabin vocari dicat, quum de jugo, quod imminet mari, loquatur.

Ejus oræ, quæ æstivo orienti objacet] Ammianus ad verbum ex hoc loco: *ideoque plaga omnis Orienti æstivo objecta, usque dum venitur ad Seras, inhabitabilis mansit.*

Chalibes & Dahæ] Dahæ quidem in Asiatica Scythia, sed Chalybes nec ad Europæam, nec ad Asiaticam pertinent. Chalybes populi ad Pontum, Paphlagonibus proximi, quorum urbes clarissimæ Pomponio teste, Amisos & Sinope, quas urbes in Galatia recenset Ptolemæus.

At Albani in ora agentes] Plinius lib. VI. cap. XXXIII. *Dein per oram Albani, ut ferunt, ab Jasone orti.* Per oram intelligit Plinius Caspii maris, cujus fauces ad mucronem ipsum Udinos tenere dicit Scythiæ populum, dein per oram Albanos: ante quos mare quod est, vocatur Albanum. At heîc minus bene ponitur, quia nihil præcedit, aut sequitur, quo referri queat. Nec enim in ora Asiaticæ Scythiæ degebant Albani. Mela capite de Scythia: *intus sunt ad Caspium sinum Caspii & Amazones: ad Hyrcanum Albani, & Moschi.*

Ergo capitis color] Ita libri. Vulgo, *Capillorum.* Delrius: *Capillitii.* Hac de capitis canitie, & glauca oculorum pupula, quæ universæ Albanorum genti tribuit Solinus, quorumdam tantum in Albania propria esse ex Isigono tradit Plinius his verbis: *idem in Albania gigni quosdam glauca oculorum acie, à pueritia statim canos, qui noctu plus, quam interdiu cernant.* Non passim omnes Albanos ita nasci scribit, sed quosdam. Gellius: *in ultima quadam terra, quæ Albania dicitur, gigni homines, qui in pueritia canescant, & plus cernant oculis per noctem, quam inter diem.* Non idem igitur dicit noster, quod Plinius. Et falsum est, quod adjuit à capitis colore ita appellatos fuisse: Nullos quippe ex illis ultimis populis invenire est, qui nomen habeant Latinum, sed Græcis ferè nominibus, aut barbaris appellantur. Præterea non omnes Albani à pueritia statim cani, sed quidam apud Albanos hoc peculiare habere memorantur. Postremo album, aut albanum pro cano Latini non dicunt. Et *album hominem* de cutis colore magis solent dicere. Justinus Albanos Herculem ex Italia ab Albano monte secutos narrat, cum Geryone extincto armenta ejus per Italiam duceret, atque inde dictos. Alii ab Albano flumine. Non igitur à capillorum canitie, ut nugatur Solinus. Ctesias in Indicis montibus nasci homines prodit, qui à pueris statim cani fiant, in senectute autem nigrescant.

Glauca inest pupula, ideo plus nocte cernunt] Ut feles, qui quod glauca oculorum acie sunt præditi, ideo plus nocte cernunt. Tales & nocturni. Servius in III. Georg. *Glauci sunt felineis oculis, id est, splendore perfusis.* Glossæ: *Glaucis oculis, id est, cattineis.* Quod ait noster de Albanis glaucam pupulam eos habere, id falsum, nec Plinio proditum, qui simpliciter glauca oculorum acie nasci, id est, glaucis oculis dixit, quod iste de pupula intellexit. Ne feles quidem, qui cetera glaucos habent oculos, & clarius noctu cernunt, quam interdiu, pupulam glaucam gerunt, sed nigram, ut omnia animalia. Nullum enim est omnium omnino animalium, quin pupulam habeat nigram. Qui eam ambit circulus, ἶρειν Græci vocant, coloribus variat. Oculum Aristoteles dividit, εἰς τὸ λϵυκὸν, καὶ τὸ καλούμενον μέλαν, lib. I. de Hist. animal. cap. X. Τοῦ μέλανος nomine comprehendit tam pupillam, quam iridem. Τὸ λϵυκὸν in omnibus animalibus simile. Τὸ μέλαν διαφέρει. Nam, ut idem scribit philosophus, τοῖς μὲν ἐστὶ μέλαν, τοῖς δὲ σφόδρα γλαυκὸν, τοῖς δὲ χαροπὸν, ἐνίοις δὲ αἰγωπόν. Et multam præcipuè in oculis hominum differentiam colorum intervenire tradit. Μάλιστα γὰρ τῶν ἄλλων ζώων ἄνθρωπος τὰ ὄμματα πολύχρους ἐστί. Et animalium ceterorum post hominem equus. Sed hæc colorum differentia non in pupilla, sed in iride, quæ pars est τοῦ μέλανος. Vide eum & de Animal. generat. lib. V. cap. 1, ubi & γλαυκὰ ὄμματα interdiu minus ὀξυωπὰ esse scribit, per noctem vero acutius cernere. Cujus rei & rationem ibi reddit. Tales igitur apud Albanos illi homines, quibus γλαυκὸν erat τὸ μέλαν, non ἡ κόρη. Plinius oculorum acie glauca eos nasci dixit, non pupilla glauca γλαυκωπούς. *Pupillam* proprie vocant Latini, ut Græci κόρην, in medio oculo punctum illud, in quo vis videndi consistit, & quod imagines reddit, non totum μέλαν. Quæ pupilla, ut diximus, in omnibus animalibus, & hominibus ejusdem coloris. In morituris triduo ante non apparere Physici tradunt Servio teste. Capitolinus in Pertinace: *negabant in oculis ejus pupillas cum imaginibus, quas reddunt spectantibus, visas.* Scilicet in morituris punctum illud nigrum, quod in medio fulgurat, triduo ante cum corona, sive iride confunditur, & indiscreti coloris apparet, nec imagines reddit amplius. Pollux: ὀμμάτων δὲ τὸ μὲν ἐν μέσῳ μέλαν κόρη. Ἧς ἡ αὐγὴ γλήνη. Καὶ ὁ περιθέων αὐτὴν κύκλος γραμμὴ κυκλοτερὴς, καὶ ἶρις. Hesychius inter cetera ἶριν interpretatur, τὸν τοῦ ὀφθαλμοῦ περὶ τὴν κόρην κύκλον. Nihil notius. Idem Hesychius: διαστύεργοι, οἱ τὴν μὲν κόρην, καὶ τὴν ἅλω μέλαιναν ἔχοντες, τὴν δὲ ἶριν ἔνωχρον. Ergo ἶρις est, non κόρη, quæ varios colores in oculis hominum recipit, cum ista semper nigra sit. Pollux ἅλω esse dicit, τὸν ὑπὸ τὴν ἶριν κύκλον, τὸν τῷ λϵυκῷ προσιόντα, *iridis circumferentiam, quæ albo proprior est.* Extimum igitur circulum iridis sic vocabant. Quid igitur Solino faciemus? Excusabimus, si possumus. Græci κόρην vocant, non tantum illud punctulum præcipui nigroris, quod in oculi meditullio est, sed etiam totum id, quod ab oculi parte candicante discernitur. Pollux: τὸ δὲ μετὰ τὴν κόρην λϵυκὸν ἅπαν, σφενδόνη ἢ λογάς. Comprehendit hoc nomine totam pupulam cum iride, & area. Ita etiam vocem κόρην accepit Dioscorides de nucibus Ponticis, vel avellanis loquens, ubi dicit putamen crematum, tritumque, γλαυκοφθάλμων παιδίων μελαίνειν τὰς κόρας, si sinciput inungatur. Τὰς κόρας intelligit non propriè pupulas, nam arte ulla nigriores fieri non queant, sed iridem, quæ maximam τῆς κόρης partem constituit. Ita γλαυκόφθαλμοι fuerint, quibus glauca inest oculis pupula. Hoc tamen improprie dicitur. Δίκοροι porro qui dicebantur, tam viri quam mulieres à duplici pupilla, non ideo sic dicti, quod in eorum oculis congeminaret illud breve punctum, quo tuemur, sed qui iridem ipsam duplici colore haberent. Nam exterior iridis circulus, qui album contingit, in illis niger erat, & ejusdem coloris, cujus & pupilla. Hinc duplicem pupillam habere crediti. Hi sunt, quos διαστυεργοὺς etiam vocatos scribit Hesychius. Nam τὴν ἅλω nigram habent, hoc est, extimum iridis circulum, iridem ipsam cæsiam, aut alio colore, pupulam nigram. Notabis interim ex Dioscoride hoc laboratum veteribus, ut cæsios puerorum oculos arte, & cura redderent nigros, qui color in oculis pulcrior habitus. *Nigris oculis, nigroque crine decorum.* Vetus Epigramma:

Οὐδὲ κόρας ξανθὰς περιγράπτεμπομαι, ἀλλὰ περισσῶς
Τὰς μελανοφθάλμους, αἰγλοφανεῖς τε φιλῶ.

Ita & κόρην pro toto oculo usurpant; vel pro ea parte saltem, quæ separatur ab albo. Hinc κόρας ξανθὰς, γλαυκὰς, & aliorum colorum habere dicti, qui eam partem

tem hujus coloris haberent, quæ hanc colorum varietatem recipit. Ita Græci μελανοφθάλμους, αἰγοφθάλμους, & γλαυκοφθάλμους appellant. Ita *pupulam* infrà pro iride oculi noster usurpavit: *in medio umbilico lapidis istius, glauci velut oculi pupula internitet.* Plinius simpliciter dixit, *medio colore glauco.* Aristænetus: τὸ δὲ μέλαν αὐτῶν, αἱ κόραι μελάντατοι, καὶ τὸ κύκλῳ λευκὸν αἱ γλῆναι λευκότατοι. Pupillam cum iride τῆς κόρης nomine intellexit, quod μέλαν τοῦ ὀφθαλμοῦ appellant. In quibus iris ad nigrum accedit, hi μελανόφθαλμοι Græcis dicuntur, non à pupillæ colore.

Feris omnibus anteponuntur] Libri omnes: *feris anteponuntur.*

Pag. 25. C. *Quorum alter sues sibi & ursos oblatos*] De suibus nihil mirum. Sed cur sues dixit, quos Plinius apros? *cujus specie delectatus jussit ursos, mox apros, deinde damas emitti.*

Ignavo similis diu accubaret] Plinius: *jussit ursos mox apros, deinde damas emitti, contemptim immobili jacente eo. Qua segnitie tanti corporis offensus imperator generosi spiritus, eum jussit interimi.* Ita distinguendum è veteribus libris & hoc loco.

Mox viso Elephanto notabiliter exultans] Plinius: *postea elephantum jussit induci, haud alio magis spectaculo lætatus, horrentibus quippe villis per totum corpus ingenti primum latratu intonuit.* Hæc verba Plinii, *haud alio magis spectaculo lætatus*, quæ de Alexandro ipso dicuntur, Solinus de cane accepit, quem viso elephanto, qui inductus fuerat, lætatum esse, & notabiliter exultasse vult. Quidam libri ex priore editione habent: *viso Elephanto nota in lite exultans.*

Cum summo spectantium horrore terræ affixit] Libri: *afflixit.* Atque ita Plinius: *ingenti primum latratu intonuit, mox increvit assultans, contraque bellum exsurgens hinc & illinc artifici dimicatione, qua maxime opus esset, infestans atque evitans, donec assidua rotatum vertigine adflixit.* Ita legendus ille locus. Florus: *afflictos humo infantes.*

Ultrà rugitus leonum insonantes] Veteres *leonum* non habent. Nec opus est. Leonum esse rugitus, etiamsi non addatur, satis notum.

Pag. 25. D. *Jasone Lycio interfecto*] Libri nostri omnes: *Jaso Lycio.*

Colophonii, & Castabalenses] In libris Solini: *Castabadenses.* Perperam. Καϛαβαλεῖς.

Ap. Junio, P. Silio] Ita habent Plinii codices. In Solinianis omnibus, *P. Sicinio.* Quod etiam Camers testatur, dubitatque utrubi verior sit scriptura. Plinii vera est. Ap. Junius Silanus, & P. Silius Nerva sub Tiberio coss. fuere anno U.C. DCCLXXXI. De quo pari consulum heîc intelligendum. Vide Tacitum Annal. IV, & Plinium hoc loco. De industria nomen consulis mutavit, ut alibi solet.

Pag. 25. E. *Canes soli nomina sua recognoscunt*] Ita libri. Plinius: *soli nomina sua, soli vocem domesticam agnoscunt.* Ediderat Delrius nescio unde inserta voce: *soli nomina sua sequuntur, & recognoscunt.*

In saltibus canes fœminas religant] Ita Plinius: *è Tigribus Indi eos volunt concipi, & ob id in sylvis coitus tempore fœminas alligant.* Vide Aristotelem. In omnibus nostris scriptum: *relegant.* Gratius:

Sed non Hyrcanæ satis est vehementia genti,
Tanta suis petiere ultro fera semina sylvis.
Dat Venus accessus, & blando fœdere jungit.
Tunc & mansuetis tuto ferus errat adulter
In stabulis, ultroque gravem succedere Tigrim
Ausa canis, majore tulit de sanguine fœtum.

Numerantur Essedones] In quibusdam reperi scriptum: *Assedones.* Ita Alcmanem solum eos vocasse notant veteres. Stephanus: Ἰσσηδόνες, ἔθνος Σκυθικόν. Ἑκαταῖος, Ἀσία. Ἀλκμὰν δὲ μόνος αὐτοὺς Ἀσσεδόνας φησί. Dicebantur & Ἐσσηδόνες, ut Latini ferè eos vocant. Mela eos in Europæa Scythia locat.

Qui & ipsi nefandis funestantur inter se cibis] Optimus Regius: *qui etsi nefandis polluuntur funestantur inter se cibis.* Utriusque editionis adposita scriptura.

Pag. 25. F. *Capitum etiam ossa auro incincta in poculorum tradere ministerium*] Ex Pomponio: *capita, ubi fabrè expolivere, auro cincta pro poculis gerunt.* Ubi auro cincta sunt aurata, κεχρυσωμένα, Herodotus. Sic *auro ju-*

A *gata cornua* apud Spartianum, τὰ κεχρυσωμένα. De his intelligebat Gellius Historicus, cujus hæc verba citantur à Grammaticis: *Calvariaque ejus ipsum ossum expurgaverunt, inauraveruntque.*

Axiacæ] Libri: *Asiatæ.* Perperam. Sequitur: *neque mirantur aliena, neque sua diligunt.* Mela de iisdem: *ideòque nec sua custodiunt, nec aliena contingunt.*

Satarchæ usu auri, argentique damnato] In quibusdam *Satorchæi.* Atque ita Græcis Σατορχαῖοι. Stephanus: τάφραι, ἡ τάφρη ἑνικῶς, χώρα Ταφροδῆθεισα περὶ τὴν Μαιώτιδα λίμνην. Et paulo post: ταύτην τὴν χώραν κατοικῆσαι Σατορχαίους. In aliis: *auro, argentoque damnato.* Mela

B hoc de Sarmatis: *Sarmatæ auri, & argenti maximarum pestium ignari, vice rerum commercia exercent.* Quo loco Mariangelus, & Pintianus Satarchas pro Sarmatis reponunt è Solino, me non refragante: nam in scriptis codicibus Pomponii legitur, *Sarthæ*, pro *Satarchæ*, Quam vocem quoque pro Sarmatis apud Ammianum ex veteribus libris restituimus.

Specus incolunt] Hoc non de interius habitantibus, sed de Sarmatis dicit Mela: *atque ob sæva hyemis admodum assidua demersis in humum sedibus specus, aut suffossa habitant.* Sequitur apud eumdem post paulo: *intus habitantium ritus asperior, & incultior regio est. Bella, cædesque*

C *amant.* Quæ noster sumpsit, & in hunc locum transtulit, quibusdam mutatis, ut fures solent. Sed nihil apud Melam de specubus illo loco.

Pocula, non ut Essedones, sed de inimicorum capitibus] Mela: *pocula, ut Essedones parentum, ita inimicissimorum capitibus expoliunt.* Quæ verba sic legit Pintianus, *pocula inimicissimorum capitibus expoliunt:* & reliqua putat invectitia. Neque enim Essedones pocula ex parentum capitibus expolire, sed simulacra facere. Verum retinenda esse patet ex hoc Solini loco. Præterea quod negat Essedones pocula ex parentum capitibus face-

D re, revincitur ipsius Melæ testimonio, cujus hæc verba sunt: *corpora ipsa parentum laniata, & cæsis pecorum visceribus immixta epulando consumunt. Capita, ubi fabre expolivere, auro vincta pro poculis gerunt.* Sed ibi legit idem ex Herodoto: *auro vincta pro icunculis gerunt.* Certè Herodotus Issedonas capita parentum fabrè expolita, & inaurata pro simulacris habere scribit, non pro poculis: τὴν δὲ κεφαλὴν αὐτοῦ ψιλώσαντες καὶ ἐκκαθήραντες καταχρυσοῦσι, καὶ ἔπειτα ἅτε ἀγάλματι χρέωνται, θυσίας μεγάλας ἐπετέας ἐπιτελέοντες. Quin verba Herodoti reddiderit Mela, dubium non est, quam bene ea acceperit, incertum. Emendatio Pintiani non placet.

E Nihil mutandum esse in verbis Melæ Solinus ostendit, qui pocula apud eum legisse clare fatetur ita scribendo de Essedonibus ex eodem Mela; *capitum etiam ossa auro incincta in poculorum tradere ministerium.* Sed & hic locus, qui in manibus est, id evincit, quo dicitur Scythas interiores pocula, non ut Essedones è parentum capitibus expolire, sed inimicorum. Melam igitur sequutus est Solinus in exprimendo Herodoto. Quid Pomponius sequutus sit, nescio. Nam apertè Græcus auctor caput parentis politum, & inauratum pro simulacro apud Issedonas haberi, & coli, eique anniversaria sacra fieri scribit. Ἄγαλμα Pomponius non pro si-

F mulacro, sed pro ornamento videtur accepisse, & inde pro poculo. Nam ex capite ita expolito non aliud ferè ornamentum fingi queat præter poculum, forma ipsa capitis eo ducente. Præsertim, quum alii in eadem Scythia populi ex capitibus hostium similiter pocula fabricarent. Verisimile præterea Pomponio visum est Essedones, quum parentum defunctorum carnes epulando consumerent, & eorum capita expolirent, & inaurarent, non alium ad usum id facere, quam ut in iis biberent, & pro ornamento etiam circumferrent. Etenim, cum apud eos populos eodem teste honos præ-

G cipuus duceretur plura siccare pocula, ita & præcipuum ornamentum in poculis ponebatur. Sic hodieque penes potatores populos præcipua ornamenta pocula sunt. Certè ἄγαλμα non pro simulacro, sed pro ornamento apud Herodotum interpretatus est Mela, atque, ut res ipsa suadebat, pro poculo. Quod & ipsa Græca verba innuere videntur, ἅτε ἀγάλματι χρέωνται, quæ ministerium, & usum quemdam denotant, qui ex simulacro nullus. Hæc, ut apparet, in eam sententiam duxere

duxere Pomponium. Nihil addubito tamen, quin verius sit de simulacro accipi, propter illa quæ sequuntur, θυσίας μεγάλας ἐπιτελέοντες, παῖς δὲ πατρὶ τοῦτο ποιέει κατάπερ οἱ Ἕλληνες τὰ γενέσια. Parentum carnibus consumptis, capita expolita, & auro inducta pro simulacris habent, & annuis sacrificiis venerantur.

Pag. 25. G. *Numero cædium honor crescit*] Mela: *ut quisque plures interemerit, ita apud eos habetur eximius.* Et paulo post: *Inter epulas, quot quisque interfecerit, referre, lætissima & frequentissima mentio: binisque poculis, qui plurimos retulere, perpotatis interlocantur. Is honos præcipuus est.* De recta hujus loci tum expositione, tum lectione ætas est, quum disputant docti. Pintianus legebat: *interjungunt.* Non placet, & nimis longulè dissidet à scriptura veteri, quæ habet: *interlocant.* An scribendum? *binisque poculis, qui plurimos retulere perpotatis, inter jocantes honos præcipuus est.* Ut dicat lætissimam esse inter epulas mentionem apud eam gentem, narrare quot quisque interfecerit. Præcipuumque honorem inter jocantes, & epulantes ei haberi, qui plures cædes à se factas retulisset, eumque honorem in binis perpotatis poculis consistere. *Interlocantis* scriptum fuerat, pro *inter Jocantis.* Sed ne sic quidem Græcorum sensus satis rectè exprimitur. Nec enim bina tantum pocula perpotabant, quibus hic honos habebatur, sed duobus poculis junctis, & combinatis simul bibebant. Herodotus, quem Pomponius vertit: ὅσοι δὲ ἂν αὐτῶν καὶ κάρτα πολλοὺς ἄνδρας ἀνηρηκότες ἔωσι, οὗτοι δὲ σύνδυο κύλικας ἔχοντες, πίνουσιν ὁμοῦ. Ita legendum, ac distinguendum. Σύνδυο κύλικας ἔχοντες, juncta & combinata duo tenentes pocula: πίνουσιν ὁμοῦ, sic pariter junctis bibunt. Quærendus, aut faciendus hic sensus in verbis Pomponii, quem vulgata lectio non exhibet. Pro *interlocant is*, quod habent veteres libri, puto corrigendum *interjugatis*, vel *interjugatim.* Vitioso, sed antiquo scribendi more librarius exaraverat, *interjocatis.* Inde *interlocant is* corruptum à recentioribus antiquariis. Sic *locarius equus* apud Hyginum, qui *jugarius* esse debet, quia scilicet *Jocarius* more illo scribendi inoleverat. Bina igitur pocula interjugata, hoc est, juncta pariter, & combinata perpotabant, qui plures occiderant, & hic honos apud illam gentem præcipuus. Græcus auctor dixit σύνδυο, hoc est, jugata, vel juncta inter se. Nam duo jugum faciunt. Sic Apulejo *consponsæ factionis jugum.* Et Græcis ζεῦγος de duobus, & ζυγὴν recentiores pro pari dixere. Ut ζυγὴ *inaurium* Constantino de administrando Imperio: καὶ τὴν ζυγὴν τὰ χολαρίκια. Et ζυγὴ incedere dicuntur, qui bini incedunt, quod antiquis Græcis σύνδυο. Ita & σύντρεις. Homerus, σύντρεις αἰνύμενος, quod Grammatici exponunt, ὁμοῦ τρεῖς συλλαμβάνων. Legendum igitur in Pomponio: *binisque poculis qui plurimos retulere, perpotatis interjugatim, honos præcipuus est.*

Anno post Ilium captum sexcentesimo quarto] Olympiade nona annum post Ilium captum cucurrisse vult sexcentesimum quartum. Fallitur. Cum enim ipse antea scripserit primam Olympiadem ab Iphito numeratam fuisse, anno post excidium Trojæ quadringentesimo octavo, necesse est, ut annus quartus & sexcentesimus post Trojam captam inciderit in primum annum Olympiadis quinquagesimæ. Præterea falsum est, quod ait hoc bellum inter Alyattem, & Astyagem gestum esse Olympiade quadragesima nona. Sex annos id bellum tractum fuisse scribit Herodotus. Jura pacis inter eos firmata sunt statim post solis defectionem, quæ contigit anno tertio Olympiadis quadragesimæ octavæ. Vide omnino Scaligerum Animadversionibus in Eusebium.

Inter Alyattem Lydum] Perperam in nostris, *Aduatem.* Quomodo & in suis omnibus se reperisse testatur Camers. Scribe, *Aluattem.* Sic suprà *Castabadenses* pro *Castabalenses.*

Colchorum urbem Dioscuriadem] Stephanus in voce Διοσκουριάς. Ἔστι καὶ ἑτέρα περὶ Πόντον, ἥτις καὶ Σεβαστόπολις καλεῖται. Καὶ πρότερον δὲ Αἶα ἐκικλήσκετο, ὡς Νικάνωρ. Plures Sebastopoles: una in Æolide, quæ & Cyme: alia in Cappadociæ Colopena. Item alia apud Apsilas Lazis vicinos, castellum potius, quam civitas. Plinius: *gens Apsilæ, castellum Sebastopolis.* Hæc est, quam eamdem

A cum Sebastopoli esse volebat Nicanor. Ut Æa quidem prius dicta sit, postea Dioscurias, postremo Sebastopolis. Arrianus in periplu Ponti Euxini: ἀπὸ τραπεζοῦντος εἰς Διοσκουριάδα, τὴν νῦν Σεβαστόπολιν καλουμένην. Plinius tamen & Æam, & hanc Sebastopolim à Dioscuriade facit diversas. Sanè Dioscuriada quasi suo adhuc tempore notam memorat Ammianus: *& Dioscurias nunc usque nota.*

Amphitus, & Thelchius aurigæ Castoris] Libri nostri partim *Cercius*, partim *Circius*: in quibusdam etiam *Certius.* In libris Ammiani, ut notat doctissimus Lindenbrochius, *Cercius.* Atqui habet ille à nostro
B lib. XXII. *Et Dioscurias nunc usque nota, cujus auctores Amphitus, & Cercius Spartani traduntur aurigæ Castoris, & Pollucis, a quibus Heniochorum natio est instituta.* In editis habetur, *Telchius.* Forte scibendum, *Rhecius.* Nam Straboni, Ῥέκας & Ἀμφίστρατος dicuntur. Plinio *Thelcius*, ut videtur, pro *Rhecius.* Justinus lib. XLII. *Fraudium, & Ampistratum*: ut quidem libri præferunt. *Fraudius*, aut *Frudius* esset Φρούδιος. Antiquitus impressi *Phrygius*, manifestis vestigiis veræ lectionis, quæ est *Rhecius.*

Pag. 26. A. *Qui Mithridati latebram*] Non dicit, cui Mithridati. Bonus Camers de Mithridate Pontico acci-
C pit. Perperam. Hic Mithridates, cui latebram Sauromatæ præbuere, Claudii Principis temporibus fuit Iberiæ rex. De quo vide Tacitum Annali sexto. Plinius lib. VI. cap. V. *Post quem Sauromatæ: ad hos profugerat Mithridates Claudio principe.*

Confines sunt Thali his nationibus, quas ab Oriente contingunt Caspii maris fauces] Quæ sunt istæ nationes sine nomine? si nomen habuerunt, cur non reddidit? ut solet, Plinii verba prave accepit. Dicit Plinius Mithridatem, qui ad Sauromatas Claudio principe profugerat, narravisse his Sauromatis vicinos esse Thalos, qui ab
D Oriente Caspii maris fauces attingerent. Plinii verba: *ad hos Sauromatas profugerat Mithridates Claudio principe, narravitque Thalos his esse vicinos, qui ab Oriente Caspii maris fauces attingerent.* Thali vicini Sauromatis, qui Thalii Caspii maris fauces attingebant. Solinus ex his, qui maris Caspii fauces attingebant, nationes finxit innominatas, & incognitas.

Quæ fauces maciantur imbribus, crescunt æstibus] Ita libri constanter, quum in vulgatis sit, *vacuantur imbribus.* Quid velit, nescio. Plinius dicit eas fauces siccari æstu recedente. Ergo accedente æstu replentur mari. At quid est, quod heîc dicit, *maciari imbribus, crescere æstibus?*
E Sanè æstus, ἡ πλημμυρὶς, quæ accedit, & recedit. Quum recedit, ἄμπωτις vocatur: *maciem aquarum* infra appellat τὴν ἄμπωτιν: *adeo ut vicissitudines inter maciem aquarum, & plenitudinem respiciant ad auctus ejus, vel deliquia.* Ubi *macies aquarum* est ἄμπωτις: & *plenitudo* ἡ πλημμυρίς. Sic Græci ξηρασίαν vocant, id est, maciem. Ξηροὶ de macris. Ut contrà, ἔγχυλοι de pinguibus, & succulentis. Hesychius: ἄμπωτις, ἀνάπαυσις, ξηρασία, ὅταν ἀναποδίζει τὸ ὕδωρ. Ξηρασία, & ξηρότης ad verbum *macies aquarum.* Sed quomodo maciari imbribus; aut quo sensu dicantur fauces illæ, quæ æstu recedente siccantur, non concipio. Nam imbres non maciant, aut siccant, sed au-
F gent etiam, & adjuvant aquarum plenitudinem. Locum hunc à sciolis interpolatum fuisse suspicari esset, atque ita auctorem scripsisse: *quæ fauces mirum in modum maciantur, & crescunt æstibus.* Qui maciari æstibus loca illa non posse sibi persuaserat, quia *æstus* propriè sunt πλημμυρίδες, emblema istud de suo infulsit. Æstu recedente fauces maciantur, accedente crescunt. Sic maciantur, & crescunt æstibus. Ita dicerem; si alius auctor esset. Sed cum Solinus sit, & libri illud *imbribus* constantissimè retineant, jam non in controverso posuerim, quin error ab auctore ipso manet conceptus ex Plinii verbis, ut ferè semper solet, malè acceptis. Pli-
G nius scripsit eas fauces *siccari æstu recedente.* Procul dubio æstum ibi accepit pro calore. Ita apud Gellium: *& æstu anni, & sidere autumni flagrantissimo.* Recedente autem æstu, pluviæ fermè solent ingruere, quod in multis locis accidit æstate depulsa. Quo tempore putavit noster fauces illas Caspii maris siccari. Ideo dixit siccari, & maciari eas imbribus, quia scilicet æstu recedente, & pluvia tempestate succedente siccantur

tur: increscere verò per æstus, & calores; vix dubium est, quin verba Plinii ita intellexerit. Quo nihil absurdius, & falsius. Sed, qui Solinum noverit, hæc non mirabitur.

Heniochorum montes Araxem fundunt] Fallitur, & falsum est, Pliniumque non capit, quod illi sollemne est. Araxes quidem eodem monte oritur, quo Euphrates, sed Heniochii montes eos non fundunt. Plinius lib. VI. cap. IX. *Cyrus oritur in Heniochiis montibus, quos alii Coraxicos vocant: Araxes eodem monte, quo Euphrates, VI millium passuum intervallo.* Cyrum amnem oriri dicit in Heniochiis montibus, Euphratem autem, & Araxem eodem monte, sed diverso ab Heniochiis, sive Coraxicis. At Solinus oscitans, & hallucinanti similis, certè aliud agens, eumdem illum montem Heniochium esse interpretatus est. Araxem eodem monte fundi, quo Euphratem heîc agnoscit. Atqui Euphratem infra sub radicibus montis, quem Capoten dicunt, ex Plinio notavit, qui mons est Armeniæ majoris. Ex eodem monte Araxes. Ergo non ab Heniochiis, aut Coraxicis montibus. Græci: μετὰ δὲ τὸν ἐνθένδε Νιφάταν Ἄκος ὄρος, ἐξ οὗ ὁ Εὐφράτης τε ῥέει, καὶ Ἀράξης. Plinius corrigendus lib. V. cap. XXIV de Euphrate: *Oritur in præfectura Armeniæ majoris Caranitide, ut prodidere ex iis, qui proximè viderant; Domitius Corbulo in monte Aca, Lycinius Mutianus sub radicibus montis, quem Capotem appellant.* Vulgo legitur: *in monte Aba.* Scripti, *Aga* pro *Aca.* Græcè: Ἄκος & Ἄκης. Rectius tamen Ἄβος, in Græcis legi, & in Plinianis *Aba* nos infra docebimus.

Πτεροφόρον *dicunt.*] Regio πτεροφόρος dicta ab assiduo nivium casu, quæ pinnis similes sunt. Unde *nives plumeas* appellat Arnobius lib. II. *Quod guttatim faciat pluviam labi, quod imbres, ac nives plumeas, & Eoli ora dilatarit.* Quo loco Regius liber habet, *& foliora dilatarit.* Qua ex lectione ut aliquid boni eliciat, dici non potest, quid effutiat ineptiarum talionis auctor adversus Casauboni exercitationes, & quod etiam mirere magis loco prorsus alieno, sed inflare illum buccas sinamus cum latis illis Pholi centauri oribus. *Foliora* scriptum pro *folgora.* Sic *toja* in libris sæpe occurrit pro *toga.* Sic *Ilycias* pueri nomen apud Suetonium pro *Glycias.* Servius ad I. Georgicῶν: *glandem mutavit arista, ita ait, ut cojam paludamento mutavit.* Scribe: *togam paludamento mutavit.* Hæc obiter in Retaliatorem. Ut *nives plumeæ* Arnobio, sic πτερόεσσα χιὼν Æschylo de Pterophoro regione. Vide Plinium, de quo sumpta omnia, quæ Solinus heîc habet, usque ad finem capitis.

Damnata pars mundi] Ipsissima Plinii verba: *pars mundi damnata à rerum natura, & densa mersa caligine.*

Pag. 26. B. *Ipsisque prorsus Aquilonis conceptaculis rigentissima*] Ad oram Regii: *Aquilonis conflatibus rigentissima.* Quod ex priori editione est. Plinius: *neque in alio, quam rigoris opere, gelidisque Aquilonis conceptaculis.* Videtur legisse Solinus: *neque in alio, quam rigoris opere gelidis Aquilonis conceptaculis.* Dicit enim rigentissimam eam esse Aquilonis conceptaculis. *Conceptacula Aquilonis* ὁρμητήρια, ἐργαστήρια, οἰκητήρια τοῦ Βορέου. Græci Thracen, quod rigentissima esset, Βορέου ἐργαστήριον vocabant. Interpres Apollonii: Διονυσοφάνης δὲ βόθρον φησὶν εἶναι ἐν τῇ Θρᾴκῃ ἐξ οὗ φυσήματα ἀνέμων γίνεσθαι, καὶ μυθευθῆναι οὕτω Θρᾴκην ἀνέμων οἰκητήριον, ventorum conceptaculum.

Arimaspi cum his dimicant, ut intercipiant lapides] Hoc fingit noster, ut locum heîc sibi faceret de lapidibus tractandi. Nec enim Arimaspi cum grypibus dimicant, ut intercipiant lapides, sed aurum ut rapiant, quod servant grypes χρυσοφύλακες. Certè nihil de gemmis produnt Herodotus, & Plinius, ceterique. Smaragdi quidem in Scythia optimi, sed non ex illis locis rapiuntur, quæ grypes obtinent, ut nec cyaneæ, nec crystallus. Verùm, ut dixi, non captavit, sed raptavit hic occasionem de his lapidibus differendi, & quoniam res ipsa non suggerebat, eam sibi manu fecit.

Pag. 26. C. *Smaragdis hic locus patria est*] Smaragdos cum auro rapi ab Arimaspis, & possideri à grypibus auctores non dicunt, in Scythia tamen optimos reperiri smaragdos omnes consentiunt.

Quibus tertiam inter lapides dignitatem Theophrastus dedit] In libro de lapidibus hoc debuit dicere, qui & extat hodie, etsi non satis integer. Nihil tamen in eo tale reperitur. Nec puto ætate Theophrasti hos dignitatum ordines in lapidibus jam tum signatos fuisse, multis adhuc incognitis lapidibus, & raris. Romana tempora hanc dignitatis discretionem lapidibus invexerunt, & Plinius, non Theophrastus tertiam inter lapides smaragdo datam dignitatem tradit, ex sui scilicet ævi testimonio, non Theophrasti, quem nec nominavit. Maximum pretium non solum inter gemmas, sed etiam in rebus humanis adamantem habere scribit lib. XXXVII. cap. IV. *Proximum*, inquit, *apud nos Indicis, Arabicisque margaritis pretium est. Tertia auctoritas smaragdis perhibetur pluribus de causis.* Apud nos, id est, apud Romanos. Non igitur Theophrastus, sed Romani secundum locum inter gemmas margaritis dedere, ut tertium smaragdis. Ex Romana luxuria, qualis erat temporibus Plinii, ita distinctæ lapidum auctoritates, & pretia. Eum vide lib. IX. cap. XXXV *de margaritis.* Theophrastus de his hæc tantum dicit: τῶν σπουδαζομένων δὲ λίθων ἐστὶ καὶ ὁ μαργαρίτης καλούμενος, διαφανὴς μὲν τῇ φύσει, ποιοῦσι δ' ἐξ αὐτοῦ τοὺς πολυτελεῖς ὅρμους. Solinus, ut furtum celaret, fecit, ut fures solent ferè deprehensi, alium auctorem nominant, à quo sese illud accepisse dicant, quod alteri surripuerunt. Præterea falsum etiam illud, quod heîc ait, Scythicis smaragdis tertiam datam dignitatem. Smaragdo enim simpliciter, & absolutè hæc inter gemmas data dignitas, non Scythico licet inter smaragdos præcipuo. Scribit enim idem Plinius, quantum smaragdi à gemmis distant, tantum Scythicos à ceteris smaragdis distare pretio, & auctoritate.

Licet sint Ægyptii & Chalcedonii] Ægyptiis tertium locum dat inter smaragdos Plinius, Chalcedonios semper vilissimos, & minimos fuisse tradens, sed *Carchedonios* nominat, vitiosè ut arbitror. Carchedonii quidem carbunculi ex Carchedone, sive Carthagine; sed Chalcedonii smaragdi à Chalcedone. Plinius: *Carchedonii nescio an in totum exoleverint, postquam metalla æris ibi defecerunt, & semper tamen viles fuere minimique.* Lege: *Chalcedonii.* Nam apud Chalcedonem metalla æris olim in insula saltem propinqua. Theophrastus de smaragdo: γίνεται δὲ ἐν τοῖς ἐφικτοῖς καὶ γνωρίμοις τόποις, διτταχοῦ μάλιστα περί τε Κύπρον ἐν τοῖς χαλκορυχείοις, καὶ ἐν τῇ νήσῳ τῇ ἐπικειμένῃ Καρχηδόνι. Idem mendum est. Scribe: Χαλκηδόνι, vel, ut etiam scribebant, Καλχηδόνι. Emendandus & Plinius ibidem: *mons juxta Carchedonem, in quo legebatur, smaragdites vocatus est.* Ne dubita legere: *juxta Chalcedonem.* Insulæ juxta Chalcedonem, quæ æraria metalla habebat, in quibus smaragdi reperiebantur, nomen erat Demonesus. Hesychius duas insulas hoc nomine agnoscit juxta Byzantium, quarum altera *Chalcitis*, altera *Pityusa* dicebatur propria appellatione. Δημονήσιος χαλκός. Δύο εἰσὶ πρὸς τῷ Βυζαντίῳ νῆσοι. Κοινῇ δὲ Δημόνησοι λεγόμεναι, ἰδίᾳ δὲ διαλλάττουσαι, ἡ μὲν γὰρ Χαλκίτης, ἡ δὲ Πιτυοῦσα. Antigonus Carystius cap. CXLVI. Ἐκ δὲ τῆς κατὰ Δημόνησον τὴν Καλχηδονίων τοὺς κολυμβητὰς ἀναφέρειν ἐν δύο ὀργυιαῖς χαλκὸν ἐξ οὗ καὶ τοὺς ἐν Φενεῷ τοὺς ὑπὸ Ἡρακλέους ἀνατεθέντας ἀνδριάντας εἰργάσθαι. Mendosè legitur in editis: ἐκ τῆς κατὰ Δῆλον νῆσον τὴν Καρχηδονίων. Nec melius interpretes de insula Carthaginensium accipiunt. Quod vitium tamen etiam hæret in libris Aristotelis περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων: Δημόνησος ἡ Καρχηδονίων νῆσος. Cum scribendum esse constet, ἡ Καλχηδονίων νῆσος ex Stephano, cujus hæc sunt: Δημόνησος περὶ Χαλκηδόνα νῆσος ἀπὸ Δημονήσου τινός. Ἔχει δὲ ὁ τόπος κυανοῦ μέταλλον, καὶ χρυσοκόλλας, καὶ χρυσίον εὑρίσκεται τίμιον, ὀφθαλμῶν τε φαρμακόν ἐστι. Hæc ab Aristotele sumpsit loco suprà citato, sed mirum est quam malè Græcus auctor Græcum auctorem acceperit, ne miremur de Latinis. Verba Aristotelis: Ἔχει δὲ ὁ τόπος κυανοῦ τὸ μέταλλον, καὶ χρυσοκόλλης. Ταύτης δὲ ἡ καλλίστη πρὸς χρυσίον εὑρίσκει τιμήν, καὶ γὰρ φαρμακὸν ὀφθαλμῶν ἐστί. Ait præstantissimam Chrysocollam, quæ ibi invenitur, contra aurum vænire, πρὸς χρυσίον τιμὴν εὑρίσκειν. De qua loquutione nos ad Historiam Augustam. Stephanus hæc sic interpretatus, quasi κάλλιστον χρυσίον, aurum optimum eo loci nasceretur, oculorum medelæ conducens. In ærariis metallis Demonesi Chalcedonensium insulæ non solum Chry-

Chryſocolla, ſed etiam ſmaragdi. Quinimmo & eo ſmaragdo utebantur Chryſocollæ vice, ut teſtatur Theophraſtus. Πρὸς τὴν κόλλησιν αὐτῇ χρῶνται τοῦ χρυσίου. Κολλᾷ γὰρ ὥσπερ ἡ χρυσόκολλα. Eamdem utriuſque naturam eſſe quoſdam tradere ibidem ait. Καὶ γὰρ τὴν χρόαν παρόμοια τυγχάνουσιν. De quo infrà. Chalcedonios ſmaragdos ita Plinius deſcribit: *Iidem fragiles, ſed colore incerti, & virenti in caudis pavonum, columbarumque in collo plumæ ſimiles.* Ita legendus ille locus, qui vulgo non ſanus cum hac ſcriptura. *Et virentium in caudis pavonum, columbarumque collo plumis ſimiles.* Dicit Chalcedonios ſmaragdos coloris incerti eſſe, & ſimiles plumæ, quæ viret in caudis pavonum, & in collo columbarum. Ea quippe ad inclinationem variat, nec eumdem ſemper tenorem auſteræ viriditatis obtinet. Quæ ſequuntur, haud minus corrupta ſunt: *Peculiare erat in his vitium ſarcicon appellatum, hoc eſt, quædam gemmæ caro.* In libris eſt: *peculiare in his vitium minoſartion appellatum.* Scribe: *inoſarcion appellatum.* Hoc eſt, ἰνοσάρκιον. Nam littera M repetita ex fine præcedentis vocis. Ἰνοσάρκιον, caruncula eſt venoſa, vel carnoſa vena. Venoſum fuiſſe hoc genus ſmaragdi ex eodem Plinio liquet: *ad inclinationem magis aut minus lucidi, venoſi quidem, ſquamoſique.* Vitium igitur eorum, quo carnoſi erant & venoſi, ἰνοσάρκιον vocabatur.

Medici & Laconici] Plinius: *Complures vero è proximo Laconicos in Taygeto monte erui Medicis ſimiles, & alios in Sicilia.* Ita legendum. Id eſt, complures vero è proximo erui, ut Laconicos in Taygeto monte, & alios in Sicilia. E proximo, ἐκ τῶν γειτόνων. Nulli enim ſmaragdi magis è proximo eruebantur.

Præcipuus eſt honos Scythicis] Hinc *Scythica gemma* propriè, & κατ᾽ ἐξοχὴν de ſmaragdis. Martialis:

Gemmatum Scythicis ut lucet in ignibus aurum,
Aſpice quot digitos exuit iſte calix.

Scythici ignes ſunt ſmaragdi, quibus præcipuè pocula aurea inſigniebant. Plinius: *ſmaragdis teximus calyces.* Alibi vocat: *Scythidas.* Sic Martianus *Scythidem* pro ſmaragdo poſuit, τὴν Σκυθίδα lib. I. *Nam neque Scythidis vireta, nec Ceraunorum vibrans, fulguranſque lumen, nec flucticolor hyacinthi credebatur abeſſe profunditas.* Scythis eſt ſmaragdus.

Nihil his jucundius, nihil utilius vident oculi] Plinius: *nulli coloris aſpectus jucundior eſt.*

In primis virent ultra irrigua gramina, ultra amnicas herbas] Libri: *ultra aquaticum gramen, ultra amnicas herbas.* Quod eſt ex altera editione, & poſteriore. Viridiſſima eſſe aquatica gramina, & amnicas herbas notum eſt. Plinius: *herbas quoque virentes, frondeſque avide ſpectamus, ſmaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil omnino viridis comparatum illis viret.* Ita ſcribo: *nihil viridis*, ut nihil pretioſi. Nihil eſt tam viride, quod ſmaragdo comparatum virere dici queat. Vulgo legitur, *nihil viridius.* Perperam. Græci ποάζειν τῷ χρώματι, & πρασίζειν dicunt. Σμάραγδος, λίθος πράσινος, χλωρίζων καὶ πρὸς φύσιν κατὰ τὴν χρόαν ὑπερβάλλων. Chryſocollam & ſmaragdum ejuſdem coloris eſſe tradit Theophraſtus. Chryſocollam Dioſcorides probat, τὴν κατακόρως πρασίζουσαν, id eſt, *ſaturè praſinam.* Plinius ſummam commendationis eſſe in Chryſocolla dicit, *ut colorem herbæ ſegetis læte virenti quam ſimillimè reddat.* Hunc colorem *praſinum* Latini propriè vocarunt ex Græco. Unde praſini factio. Et ſmaragdus quoque, *praſina gemma.* Ita paſſim vocatur apud Anaſtaſium. Epiphanius: λίθος σμάραγδος, ὅτος καλεῖται καὶ πράσινος. Colorem maris etiam his attribuunt. Nam de ſmaragdis intelligit Martialis hoc verſu:

Tres concolores fluctibus maris gemmas.

Plinius de Cypriis ſmaragdis: *Doſque eorum eſt nec in colore liquido, nec diluto, verum ex humido pingui, quaque perſpicitur, imitante tralucidum maris.* Martianus Capella: *Calceos autem ſmaragdinæ fluctu viriditatis herboſos veſtigiis ejus Tellus annexuit.* Eamdem cum ſmaragdis naturam Beryllos habere Plinius multis videri tradit, & horum probatiſſimos eſſe, qui puri maris viriditatem imitantur. Idem *ſmaragdorum virens* mare alibi vocat, de Opallis: *in his & carbunculi tenuior ignis, & amethyſti fulgens purpura, & ſmaragdi virens mare.* Smaragdum tamen Cercoëtius conchyliati coloris eſſe primus docuit.

Nam viſus quos alterius gemmæ fulgor retuderit] Ex Plinio: *quin & ab intentione alia obſcurata aſpectu ſmaragdi recreatur acies, ſcalpentibuſque gemmas, non alia gratior oculorum refectio eſt.*

Placuit, ut non ſculperentur] De concavis hoc tantum dicit Plinius: *Iidem plerumque & concavi, ut viſum colligant, quapropter decreto hominum iis parciter ſcalpi vetitis.* Qui concavi ſunt, quod viſum colligant, & colligendo magis aciem recreent, & juvent, ideo tales non ſcalpi placere. At noſter in univerſum ſmaragdos ſcalpi non ſolitos idcirco facit, ne oſtenſum decus imaginum ſcalpturæ cavis corrumperetur. Quaſi ad hoc tantum expetiti fuerint ſmaragdi olim, ut imagines redderent, quod ſpecula melius faciunt. Præterea, qui concavi ſunt, imagines non rectè reddunt, ſed quorum planities extenta, & reſupina, ut idem Plinius oſtendit. Hæc igitur ex æquo & à veritate, & Plinii mente diſcedunt.

Ne offenſum decus imaginum lacunis corrumperetur] In quibuſdam, *imaginis.* In Freheranis etiam, aſperitate pro *lacunis.* Lacunæ cavationes ſunt, quas ſcalptura facit. Unde & *cavari* lapides dicebantur, qui ſcalperentur: & *cavitarius* lapidum ſculptor. Græci recentiores καβιδάριον. Quam vocem nos primi expoſuimus. *Cavatores* etiam dicebantur. Ita exponendi in veteri inſcriptione, *cabatores de via ſacra.* Liber Græcus inſcriptus, μέθοδος δι᾽ ἧς ἀποτελεῖται σφαιροειδὴς ἡ χάλαζα. Ubi χάλαζα vocatur margaritum: Ἔπειτα σίλβωσον αὐτὸ καθὸ καὶ οἱ λίθοι σιλβοῦνται παρὰ τῶν καβαρίων.

Quamquam, qui verus eſt, difficulter vulneretur] Plinius: *quamquam Scythicorum, Ægyptiorumque durities tanta eſt, ut nequeant vulnerari.* Veri lapides diſtinguuntur à fractitiis. Sic *veri jaſpides* Martiali. At Scythici, Ægyptiique inter veros ſmaragdos præſtantiſſimi à patria ſic dicti, non à qualitate.

Si aſpectus tranſmittant] Plinius: *ſemperque ſenſim radiantes, & viſum admittentes ad craſſitudinem ſui facilitate tranſlucida, quod etiam in aquis nos juvat.* Sic lego è libris. Nam vulgata ferri non poteſt: *quod etiam in aquis non fit.* In aquis hoc etiam juvare ait, & delectare, ſi vitrea perſpicuitate viſum ad imum uſque fundum admittant. Hinc illa de fonte apud poëtam:

---- Vitreis pellucidus undis.

Et apud alium,

ô fons Blanduſiæ ſplendidior vitro.

Sic paulo poſt optimum ſmaragdum è Cypriis, qua perſpicitur, tranſlucidum maris imitari dixit.

Si cum globoſi ſunt, proxima ſibi inficiant aëre repercuſſo] Hoc globoſorum non facit proprium Plinius, ut inficiant circa ſe repercuſſum aëra, ſed omnibus dat. Ita enim de ſmaragdis loquitur, cujuſcunque ſint figuræ: *præterea longinquo amplificantur viſu, inficientes circa ſe repercuſſum aëra, non ſole mutati, non umbra, non lucernis.* Amplificari viſu longinquo ſcribit, quia aërem ſibi vicinum inficientes, quæ proxima ſunt, immo etiam longinqua, videnda tradant oculis viridi colore infecta. Idem de Sandareſo gemma: *& hic mares auſteritas diſtinguit, ſiquidem vigor appoſita tingens indicat.* Hic vero, ut globoſis hanc proprietatem adſcribit inficiendi repercuſſum, ita concavis imagines reddendi. Quo nihil falſius, & à Plinii mente alienius. Tam globoſi, quam concavi figuras reddunt, utique corruptas, ut concava, & globoſa ſpecula. Certe de concavis neutiquam hoc perhibet Plinius, quod imagines reddant, ut neque de globoſis, quod inficiant ſibi proximantia aëre repercuſſo. Sic nugatur ubique Solinus.

Aut cum concavi ſunt, inſpectantium facies æmulantur] Falſa hæc nota concavorum: nec enim inſpectantium facies æmulantur, quas perverſo reddunt, non ſecus ac concava ſpecula. Plinius hoc de concavis non prodidit, ſed viſum eos colligere dixit, quod verum eſt. At planis, & extentis id tribuit, ut rerum imagines æmulentur, non concavis. Sic enim ait: *quorum vero corpus extentum eſt, eadem qua ſpecula ratione imagines rerum reddunt.* Epiphanius de ſmaragdo: ἡ γὰρ δύναμις αὐτὸ τοῦ λίθου, φημὶ δὴ τοῦ σμαράγδου πρὸς τὸ ἐσοπτρίζεσθαι τὸ πρόσωπον. Ut ſpecula plana, & extenta imaginem rectè repræſentant, ita ſmaragdi, quorum facies reſupina,

pina, & extenta. Ab auctore, quem ubique compilat, tam longè abire Solinum mirarer, nisi de industria id faceret. Sed hoc ipsum etiam mirandum.

Pag. 26. D. *Optimos sortiuntur situs, quibus facies resupina*] Quibus smaragdis facies resupina, & extenta, optimos sortiri situs dixit. Aliter quam Plinius, qui imagines rerum reddere eos scribit, quorum corpus extentum est, & resupinum, nec plus addit.

Si neque umbra, neque lucernis, neque sole mutentur] Hoc idem iisdem verbis Plinius. Multi lapidum aliter in umbra refulgent, aliter in sole radiant, atque alio denique modo contra lucernas vibrant. Sed aliter atque aliter excitantur, aut remittunt in dejectu, suspectuve. Optimi smaragdi nec umbra, nec lucernis, nec sole mutantur, sed ubique, & semper tenorem fulgoris eumdem servant, & austeræ viriditatis.

Inveniuntur Etesiis flantibus] Hæc à Plinio Solinus, quæ à Theophrasto Plinius. Sed neuter auctoris sui mentem fideliter expressit. Theophrastus enumeratis aliquot Græciæ locis, in quibus gemmæ reperiebantur, ad ultimum sic scribit: καὶ ἐν Κύπρῳ ἥτε Σμάραγδ☉, ἡ ἴασπις. οἷς δὲ εἰς τὰ λιθόκολλα χρῶνται ἐκ τῆς Βακτριανῆς εἰσὶ πρὸς τῇ ἐρήμῳ. Συλλέγουσι δ' αὐτὰς ὑπὸ τοὺς ἐτησίας, ἱππεῖς ἐξιόντες, τότε γὰρ ἐμφανεῖς γίνονται, κινουμένης τῆς ἄμμου, διὰ τὸ μέγεθος τῶν πνευμάτων. Εἰσὶ δὲ μικροὶ καὶ οὐ μεγάλοι. Quæ verba de carbunculis accipiunt, quia proximè ante memoratas Cypri smaragdos præcesserat carbunculorum mentio. Plinius de smaragdis interpretatur, qui in Bactriana regione inveniebantur, quibus & secundum inter smaragdos pretium adjudicat. Meminit & Bactrianorum smaragdorum eodem in libro Theophrastus. Τῶν δὲ Βακτριανῶν καλουμένων ὑπὸ πολλῶν, ἡ ἐν Τύρῳ μεγίστη. Ita igitur Theophrasti locum reddidit Plinius: *Proximam laudem habent sicut & sedem Bactriani. In commissuris saxorum colligere eos dicuntur Etesiis flantibus: tunc enim tellure aperta nitent, quia iis ventis maximè arenæ moventur.* Ita legimus. Quod est vulgo, *tunc enim tellure internitent.* In libris plerisque habetur *tersa*, aliis *terta.* Solinus: *tunc enim detecto solo facillimè internitent.* Isidorus: *tunc enim tellure deoperta intermicant.* Ex quibus videre est legisse eos apud Plinium, *tellure aperta.* Quod ait Plinius eos smaragdos colligi in commissuris saxorum Etesiis flantibus, nullum de his saxorum commissuris vestigium extat in verbis Theophrasti. Ita tamen Plinium scripsisse fidem faciat Isidorus, qui eum locum descripsit ad hunc modum in suis Originibus: *secundum locum tenent Bactriani. Colliguntur enim in commissuris saxorum, flante Aquilone.* Etesiis flantibus colligebantur, quia Etesiæ emota funditus arena interlucentes smaragdos aperiebant in desertis Bactrianæ. Nulla ibi saxa, nullæ saxorum commissuræ. Unde igitur illas extudit Plinius? Certè ex Theophrasti potius verbis, quam ex mente. τὰ λιθόκολλα apud Theophrastum pro commissuris saxorum videtur accepisse. Immo nihil verius, quam ita accepisse. Λιθόκολλαν Græci vocant, quo marmoris, & lapidum fragmenta inter se committuntur. Ea conficiebatur ex marmore, aut Pario lapide confuso cum tauri glutino. At τὰ λιθόκολλα pro commissuris saxorum dici putavit Plinius. Εἰς τὰ λιθόκολλα. More, quo Græci plerumque loquuntur, pro ἐν τοῖς λιθοκόλλοις. Sic & λίθους κολλᾶσθαι iidem in ædificiis dicunt, quum inter se coagmentantur. Theophrastus eodem libro de lapidibus sub finem: χρῶνται πρός τε τὰ οἰκοδομήματα τοῦτον τὸν λίθον περιέχοντες. Κἂν τι ἄλλο βούλωνται πιστὸν κολλῆσαι. Inde λιθόκολλα, *saxorum commissura*, ut quidem Plinius aliud agens sibi persuasit. Nihil enim tam diductum, ac dissitum à Theophrasti sententia. Is non dicit εἰς τὰ λιθόκολλα, vel ἐν τοῖς λιθοκόλλοις hujusmodi lapides reperiri, sed eos lapides, οἷς χρῶνται εἰς τὰ λιθόκολλα, in arena inveniri ventis Etesiis emota, detectòque solo intermicantes. Nunc quærendum, quid sit εἰς τὰ λιθόκολλα, quod summus auctor non intellexit. Smaragdis usos fuisse veteres chrysocollæ vice tradit Theophrastus. An & iisdem usi sunt ad lithocollam, qua fragmina lapidum pretiosorum ferruminarentur, & inter se solidarentur? Hoc verum videri posset, si scripsisset auctor, εἰς τὴν λιθόκολλαν. Sed aliud est τὸ λιθόκολλον, aliud ἡ λιθόκολλα. Hæc ita dicitur, quæ lapides conglutinat: il-

A lud, quod ex lapidibus vinctum est, & coagmentatum. Τὰ λιθόκολλα igitur vasa sunt lapidibus pretiosis vincta, quæ & λιθοκόλλητα dicebantur. Menander:

Χρυσοῦν ἐποίησας, εἶθε λιθοκόλλητον ἦν.
Καλὸν γὰρ ἦν.

Λιθόκολλον, & λιθοκόλλητον idem. Sic ἀμφίκολλ☉ κλίνη, ἡ κατακεκολλημένη apud Pollucem. Sic ἀρτίκολλον, τὸ ἀρτι κεκολλημένον Æschylo, & σύγκολλον, τὸ συγκεκολλημένον. Ita & χρυσόκολλον σκεῦ☉ Euripidi, τὸ χρυσοκόλλητον, & πυξόκολλ☉, & κερόκολλ☉. Λιθόκολλα igitur sunt pocula gemmis intexta, quæ & διάλιθα dicebantur, ita

B & χρυσοκόλλητα, aureis emblematis intertexta, quæ & χρυσένδετα. Smaragdis ut plurimum utebantur, ad pocula insignienda. Nec alia ferè gemmis ornabant, nisi aurea. Unde *aurum gemmatum.* Et quia viridis color optimè cum auro convenit, gemmas viridantes inoculandis poculis ut plurimum adhibebant, inter quas smaragdus tenet primatum. Plinius lib. XXXIII in præfatione: *nec hoc fuit satis, turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calyces, ac temulentiæ causa tenere Indiam juvat, & aurum jam accessio est.* Martialis sub lemmate, *calices gemmati*:

Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum,

C *Adspice quot digitos exuit iste calix.*

Smaragdos intelligit. Beryllus quoque, quia viridis ad hunc usum translata. Juvenalis.

---- *& inæquales beryllo*
Virro tenet phialas.

Id est, beryllo textas, & per hoc inæquales, asperitate & extuberantia gemmarum. Hodie perperam legitur, ac distinguitur:

---- *& inæquales beryllos,*
Virro tenet phialas.

Beryllos optimos viriditatem puri maris imitari dicit Plinius. Callais etiam ex viridibus gemmis, & sma-

D ragdo similis in ornamentis aureorum poculorum plurima. Solinus infrà de Callaide gemma: *honore, & pretio ad smaragdos: viret pallidum: nihil jucundius aurum decet*, id est, aurum poculorum, ut ibi exponemus. Quod *aurum gemmatum* propriè dicebatur. Bactrianos smaragdos: qui in arena flantibus Etesiis inveniebantur, ad hanc rem frequenter, ut videtur, usurparunt veteres, ut eos vasis aureis includerent, & intexerent. Hæc mens est horum Theophrasti verborum: οἷς δὲ εἰς τὰ λιθόκολλα, χρῶνται ἐκ τῆς Βακτριανῆς εἰσὶ πρὸς τῇ ἐρήμῳ, id est, *quibus utuntur ad vasa aurea gemmis cludenda.* Parvi erant hi smaragdi, ut idem testatur. Quapropter in

E hunc usum maximè sumebantur. Quam rectè expresserit Plinius Theophrastum, jam vidimus: nunc quam bene Plinium Solinus assequatur, reliquum est, ut perspiciamus. Scripsit Plinius ex Theophrasti verbis perperam intellectis, Bactrianos smaragdos, qui bonitate, & pretio secundi sunt, in saxorum commissuris inveniri flantibus Etesiis aperta tellure, & dimotis arenis. Ægyptios autem, qui tertium locum habent, erui circa Copton in collibus, & cautibus. Ceteros in metallis ærariis reperiri. Solinus ait optimos, qui Scythici sunt, inveniri Etesiis flantibus. Tunc enim detecto solo facillimè internitere. Alios minus nobiles in com-

F missuris saxorum, vel in metallis ærariis apparere. Nihil tam diversum. Jurasse credas, ut ab auctore, quem ubique sequitur, semper dissentiret. Dat primis smaragdis, quod Plinius secundis: & quod secundis idem Plinius tribuit, hoc tertiis, & vilioribus assignat. Eosdem Plinius in commissuris saxorum, & Etesiis flantibus in arena inveniri scribit, nempe Bactrianos. Hic Scythicos, & optimos Etesiis flantibus sic reperiri ait. Viliores, & minus nobiles in commissuris saxorum. Ita diversa facit genera eorum, qui in commissuris saxorum, & qui Etesiis flantibus invenirentur contra Plinii sententiam. Hæc in Solino non mirari jam pridem

G didici.

Alii minus nobiles in commissuris saxorum.] Hoc de Bactrianis Plinius, qui secundam dignitatem habebant, obtinentibus primam Scythicis. Eosdem Bactrianos Etesiis flantibus in commissuris saxorum inveniri tradit idem. Hæc separat noster, & optimos quidem Etesiis flantibus inveniri, minus nobiles autem in commissuris saxorum prodit. Igitur quod Plinius de Ægyptiis

M 4 loquens

loquens dixit, eos erui *in collibus, & cautibus*, pro eo heîc Solinus memorat, minus nobiles in ſaxorum commiſſuris apparere. Quaſi idem eſſet. Atqui Plinius commiſſuras illas ſaxorum hauſit è Theophraſto, verbis alium in ſenſum ductis, & male acceptis, ut ante docuimus. Plinius de Ægyptiis: *tertium locum Ægyptii habent, qui eruuntur circa Copton in collibus & cautibus.* Quare colles, & cautes heic diſtinguat neſcio. Nam & cautes in collibus, & ex cautibus colles plerumque. Siquidem & lapidei colles, & terrei. Ferri poſſet utcumque, niſi aliud haberet vetus ſcriptura, quæ legit: *in collibus extantibus*, & ad oram *ex cautibus.* Omnino ſcribendum: *qui eruuntur circa Copton incolis ex cautibus.* Qui eruuntur ex cautibus ab incolis circa Copton. *Eruuntur incolis*, Pliniana loquutio, & Solino frequenter uſurpata. Sic de lupis ſupra: *eique, qui capiatur, abjici*, id eſt, abjici ab eo, qui capiatur. Ex cautibus circa Copton incolæ ſmaragdos eruunt. Retineri etiam poſſet, *in collibus ex cautibus.* Ut dicat ex cautibus erui in collibus, qui circa Copton ſunt. Nam cautes ſunt ſaxa. Pro cautibus *ſaxorum commiſſuras* heîc dixit Solinus.

Vel in ærariis metallis; quos chalcoſmaragdos nuncupant] Falſum hoc, nec ex Plinii mente. Non enim chalcoſmaragdi dicebantur ſmaragdi omnes, qui in ærariis metallis inventi. Certum ſmaragdi genus viliſſimum hoc nomine nuncupabant, quod æreis venis erat turbidum. Plinius: *inſeritur ſmaragdis & quæ vocatur Tanos è Perſis veniens gemma, ingratè viridis, atque intus ſordida: item Chalcoſmaragdus è Cypro turbida æreis venis.* Vix cum ſmaragdis inſeri dicit. Duodecim ſmaragdorum genera ponit. Omnia exceptis tribus, Scythicis nempe, Bactrianis, & Ægyptiis, in metallis ærariis inveniri ſcribit. Horum omnium, quæ in metallis ærariis inveniebantur, principatus erat penes Cyprios, ut idem affirmat. Non igitur chalcoſmaragdi omnes, qui ἐν χαλκωρυχείοις reperiebantur, ſed veri etiam, bonæque notæ ſmaragdi. Chalcoſmaragdos verò etiam è Cypro, viliſſimi generis. Inter vitia ſmaragdorum numerat æris colorem. Ita enim ſcribit: *omnium horum etiamnum vitium, quod fellis colorem, aut æris habent, in ſole dilucidi quidem, & liquidi, ſed non virides.* Melius tamen ibi ſcriberetur ex libris: *quod fellis colorem, aut acris olei habent.* Acre oleum eſt, quod Græcis ὀμφάκινον, Latinis *viride oleum.* Et acre oleum, quod ex acri, & amara olea premebatur. Cujus color viridis, ſed non auſterus, in aureum deſcendens, qualis & felli color. Hinc χολοβάφινα ad auri ſimilitudinem infecta. Vel certe felle taurino tincta, quod auri colorem imitatur. De quibus infra. Et χολὸς, vel χολὴ genus ſmaragdi fellei coloris. Idem Plinius: *Juba eſt auctor ſmaragdum, quem cholon vocant in Arabia, ædificiorum ornamentis includi, & lapidem, quem Alabaſtritem vocant.* Libri quidem habent, *Cholan.* Fruſtra eſt, quod *Chloeron*, aut *Chloron* ſcribendum quidam exiſtimant. Nam hoc proprium omnium ſmaragdorum.

Vel plumbo, vel capillamentis, vel ſali ſimiles] Hæc corporis vitia, non coloris. Ideo dicit intrinſecus quaſdam ſordes habere. Plinius: *hæc coloris vitia, illa corporis, capillamentum, ſal, plumbago.* Sed hæc ad Plinium pluribus.

Laudantur auſteri; ſed mero & viridi proficiunt oleo] Egregiè hunc locum reſtituimus, abſit invidia dicto, quem turpiſſimè depravarat Delrius ſic edendo: *laudantur autem duri, & mere virides: proficiunt oleo.* Quum tamen veſtigia veræ lectionis in ſuis membranis inveniſſet, quas ita continere notat: *laudantur auſteres, & mero viridi proficiunt oleo.* Eamdem pæne & in noſtris optimis offendimus. Sic enim habebant: *laudantur auſteris, & mero viridi proficiunt oleo.* Alii aliter minus, aut magis vitiosè. Quam repoſuimus, prorſus vera eſt. Laudari auſteros dicit, id eſt, acriter virides. Auſteritatem in his commendat Plinius: *nobiliſſimi Scythici: nullis major auſteritas, nec minus vitii.* Idem paulo poſt: *Ergo Cyprii variè glauci, magiſque, ac minus in eodem ſmaragdo tenorem illum Scythicæ auſteritatis. non ſemper cuſtodiunt.* Ita enim legendum pro *auctoritatis.* Auſterum in coloribus eſt, quod Græci βαρὺ vocant, quod opponitur τῷ ὀξεῖ. Nec in coloribus tantum, ſed in vocibus, in guſtu, & aliis rebus. Βαρὺ igitur in coloribus, eſt maximè preſſum, & ſaturum, & quadam coloris triſtitia profundum: ὀξὺ clarum eſt, & vegetum, & multo lumine excitatum. Quales ſunt læti omnes, & floridi colores, quos εὐανθεῖς Græci appellant, & ab auſteris diſtinguunt. Hinc ὀξεῖαι πορφύραι, quas Latini *claras purpuras* vocant. Inde oxyblatteum, oxyporphyrum, oxypæderotinum, oxyphœniceum, & ſimilia. Hinc corrigendus Nicandri verſus apud Athenæum lib. XV ex Georgicis de Lychnide flore.

Σύνπερ τ' ὀξεία χροιῇ λυχνὶς οὐδὲ θρυαλλὶς

Perperam emendant docti, σὺν καὶ πορφυρέα. Quod nimis longe eſt. Vulgo editur: σύνπερ δ' ὀξεία. Sic de anemone idem ita ſcripſit paulo poſt.

Αὐται δ' ἠΐθεαι ἀνεμωνίδες ἀςράπτουσι
Τήλοθεν ὀξυτέρῃσιν ἐφελκόμεναι χροιῇσι.

Plinius lib. XXXV. cap. VI. *Sunt autem colores auſteri, & floridi. Utrumque natura, aut miſtura evenit. Floridi ſunt, quos dominus pingenti præſtat, Minium, Armenium, Cinnabaris, Chryſocolla, Indicum, Purpuriſſum. Ceteri auſteri.* Auſteri colores ſunt βαρεῖς καὶ πικροί: floridi ὀξεῖς, καὶ εὐανθεῖς. Ἀνθηρὰ χρώματα Græci vocant, quos Plinius floridos colores. In verbis Plinii, quibus floridos ab auſteris diſtinxit, quædam ſunt animadvertenda. Floridorum definitionem his terminis incluſit, *quos dominus pingenti præſtat.* Quia cariſſimi erant, & ideo quod pretioſi eſſent, legibus excipiebantur, ut à domino, non à redemptore repræſentarentur. Ita Vitruvius, qui floridorum, aut auſterorum non meminit. Et certè non bona hæc definitio colorum floridorum, quum pretium non ex coloris qualitate, ſed ex pigmenti raritate, & patria longinqua accendatur. Inter floridos ſex numerat tantum, Minium, Armenium, Cinnabari, Chryſocolla, Indicum, Purpuriſſum. Hos colores dominus propter caritatem pingenti præſtabat. Nunc videamus, an quia cariſſimi, ideo & inter floridos computandi. Cinnabari floridis accenſet, Dioſcorides auſteris. Ita enim de Hæmatite loquitur: ὁ δὲ αἱματίτης οὐχ οὕτως ἔχει ἐν τῇ χρόᾳ ὁ μὲν γὰρ εὐανθῆ ἀνίησιν, ὁ δὲ αἱματίτης βαθυτέραν, ἢ τῷ κινναβάρει ὁμοίαν. Ergo Cinnabari βαθύχρουν, non εὐανθές. Atqui εὐανθὲς χρῶμα eſt floridus color, quod ἀπὸ τοῦ βαθυχρόου diſtinguit. Idem de Cinnabari: ἔστι δὲ καὶ βαρύχρουν, ἢ βαθύχρουν, ὅθεν ἐνόμισάν τινες αὐτὸ εἶναι αἷμα δράκοντος. Βαρύχρουν eſt auſterum, idem quod βαθύχρουν. At minium, quod Græcè ἄμμιον, floridum. Dioſcorides eodem capite falli eos aſſerit, qui minium cum cinnabari idem faciebant. Ἐν δὲ τῇ χώνῃ, inquit, μεταβάλλει εἰς εὐανθέστατον, καὶ φλογωδέστατον χρῶμα. Ergo εὐανθὲς, & floridum minium: βαρύχρουν, & auſterum Cinnabari. Ideo & ſanguinem draconis eſſe quoſdam exiſtimaſſe dicit Dioſcorides. De reliquis Indicum non magis floridum, quam cæruleum, vel cyanus. Carius tamen, quia ab India veniret, cyanus autem, vel cæruleum è Cypro peteretur. Ideo illum colorem præſtare cogebatur dominus, hunc redemptor. Chryſocolla quoque cariſſima, non propterea florida. Quæ optima erat, ea ſmaragdi colorem præferebat. Τὴν κατακόρως πρασίζουσαν probat Dioſcorides, hoc eſt, auſterè viridem. Plinius ipſe ſmaragdis auſteritatem tribuit. Ex definitione Pliniana oſtrum de coloribus floridis unus eſſet. Nam inter eos à Vitruvio recenſetur, qui propter caritatem legibus erant excepti. Certè Vitruvii verbis inductus videtur, ut eos ſolos floridos colores haberet, quos dominus pingenti præſtare tenebatur. Sic enim ille lib. VII. cap. V. *At nunc paſſim minio plerumque toti parietes inducuntur. Accedit huc Chryſocolla, Oſtrum, Armenium: hæc vero cum inducuntur, etſi non ab arte ſunt poſita, fulgentes tamen oculorum reddunt viſus, & ideo, quod pretioſa ſunt, legibus excipiuntur, ut à domino, non à redemptore repræſententur.* Qui in opere poſiti fulgentes oculorum redderent viſus, eos pro floridis habuit. Nam εὐανθῆ Græci vocant, quod vegeti, & excitati fulgoris eſt. Reliquos, qui non tantum refulgerent, auſteros appellavit. Atqui oblitus eſt Plinius *auſteritatem* alibi ſe poſuiſſe pro illo vigore fulgoris, qui ex coloribus, & lapidibus in oculos vibrat. Quid enim hæc ſibi volunt de buccino, capite de purpura?

Pelagio admodum alligantur, nimiaque ejus nigritia dat austeritatem illam, nitoremque, qui quæritur, cocci. Ita permistis viribus alterum altero excitatur, aut adstringitur. Austeritatem, & nitorem manifesto vocat, id quo color excitatur, nigritiam quo astringitur. Sic austeritate, & nitore buccini Pelagium excitari, & nigritia Pelagii buccinum adstringi, & pressiùs fieri. Quare nulla inter austerum, & floridum differentia, quum austeritatem vocet affectum, qui sequitur colores vegetiores, & luminis excitatissimi, quem & presso, saturoque opponit lib. XXXVII. cap. VII. de Sandareso gemma: *& heic mares austeritas distinguit, siquidem vigor apposita tingens indicat: quidam etiam hebetare visus dicuntur. Blandior fœminis flamma alliciens magis, quam accendens.* Austeritas heîc appellatur, ut apparet, vigor ille lucis, qui visus hebetat, excitatius radians, & in aciem oculorum vibrans. Nec dubium, quin austeritatem in smaragdis eo sensu agnoscendam posuerit. Hac notione & austera fuerit Chrysocolla, & minium austerum, & reliqui illi fulgentissimi colores, quos pictori, tectorique dominus præbebat. Plurimum enim austeritatis habent, & nitoris. Cur igitur eos, aut quo nomine separavit ab austeris? *Ceteri*, inquit, *austeri.* Quinam illi? Ochra, Sandaracha, Sandyx, Scyricum, sal Atticum, cæruleum, auripigmentum, sinopis, rubrica, & reliqui minus lucidi, floridique, nec tam vegeti, intensique luminis. Hi sunt, quos *austeros* vocavit, obtusius nimirum, pinguiusque relucentes. Et sanè *florere* pro lucere, & fulgere ponebant. Lucretius:

---- *florentia lumina flammis:*

Sic ἄνθος πυρὸς Græcis. Tertullianus de gemmis: *sic substruuntur, ut floreant*, ut luceant, & splendeant. Ἄνθος πορφύρας. Latini purpuræ lumen appellant. Cui igitur austeritatem in aliis pro summo nitore posuit? non unam significationem ideo habere videtur hæc vox, quia plus quam una re translatitie ducitur. Communicant inter se sensus proprietates suas, & quod unius proprium est, vocibus translatis alii tribuitur. Exempli gratia, fuscam, & candidam vocem ἐν τῷ αἰσθητῷ τῆς ἀκοῆς dicimus, quod sumptum est, ἀπὸ τοῦ αἰσθητοῦ τῆς ὁράσεως. Similiter in voce, quæ proprium est αἰσθητὸν auditus, acutos, & graves sonos βαρεῖς, καὶ ὀξεῖς appellamus, ducta metaphora ab iis rebus, quæ circa tactum versantur. Nam ὀξὺ, & acutum propriè est, quod tactum pungit, & stimulat: grave, quod contundit, & premit. Ita & de voce acuta & gravi. Asperum, & lene tam in gustu, quam in tactu locum habet. Amarum, quod gustus proprium est, ad tactum transfertur, pro gravi ponitur. Unde *amara sarcina* pro gravi, & premente apud Valerium Maximum: *tanquam amaram sarcinam celeriter abjecit.* In odoratu *graves*, & *leves* odores metaphoricè dicuntur à rebus tactus. Et graves quidem sunt fœtidi, leves suaves, & blandi. Sallustius: *apud Corduenos amomum, & alii leves odores gignuntur.* Plura observare est. Multa & ab animo transferuntur ad sensibilia. Ut *tristis* sapor dicitur pro amaro. *Tristis* color pro obscuro, & nigricante, & nimis saturo. Ut contra lætus pro acuto, & claro. Ut *segetes læte virentes* Plinio: quem coloris affectum appellamus etiam vulgo lætum. Idem est & *floridus*, & quem Græci εὐανθῆ vocant. Idem & *clarus*, hoc est, λαμπρὸς, & *acutus* Græcè ὀξὺς, qui multo lumine radians oculos exhilarat, & tamen simul pungit, & extimulat. Huic oppositus *austerus* tristior, & obtusior, colore magis, quam lumine satiatus, adstrictus, & pressus. Græcè αὐστηρὸς ὁ σκυθρωπός. Idem & βαρὺς dicitur. Nam ut ὀξεῖα vox aures, & auditum quasi scindendo penetrat, ita ὀξὺς color oculos, visumque fulgore suo quasi punctim ferit. Contra, ut βαρεῖα vox obtundit aures, & exsurdat: ita βαρὺς color, & austerus oculorum aciem veluti contundit, & specie surda verberat. Unde & *surdus color* Plinio, qui minus acutus, & splendidus. *Ad hoc quibusdam intercurrit umbra, surdusque fit color, qui improbatur etiam dilucidior.* Denique in re auditus quæ differentia est inter fuscam vocem, & candidam, ea est fere in re visus inter austerum, & floridum colorem. Et quemadmodum vox acutis sonis intenditur, gravioribus remittitur, ita in coloribus ὀξὺς, & floridus dicitur, qui acuitur, & incen-

A ditur, βαρὺς & austerus, qui ex acumine summo descendit, & nigro infuscatur. Hinc acutius, & splendidius fulgentes colores *floridos* appellavit Plinius, *austeros* vero remissius, & surdius relucentes. Ut colores è musica vocabula quædam mutuantur, ita & musica è coloribus. Inde χρωματικὸν genus, & κεχρωσμένα μέλη. De quibus alias. Ceterum in eo videtur lapsus Plinius, quod diversa colorum genera his quasi differentiis separavit, ut alii *floridi* dicantur, alii *austeri.* Cum una, eademque coloris species, eorum saltem, qui factitii sunt, alias florida, alias austera possit fieri: eorum vero qui nascuntur, & effodiun-
B tur, unum idemqne genus alibi floridius, alibi austerius inveniatur. Exempli gratia: purpurarum aliæ nigricantiores, & magis austeræ: aliæ floridiores, & luminis magis vegeti. In viridi colore si incenditur, & acuitur, fit læte virens, quod *viride lætum* vulgo vocatur, si nigro infuscatur, austerum fit, quod *viride brunum*, id est, obscurum dicimus, quæ differentes sunt species unius generis. Plinius Chrysocollam læte virenti segeti simillimam debere esse ait, quæ optima est: Dioscorides, τὴν κατακόρως πρασίζουσαν, id est, *saturè virentem* appellat. Idem Plinius smaragdos *alacriter virides* appellat,
C τοὺς κατακόρως πρασίζοντας. *Æthiopici laudantur à Copto dierum trium itinere, ut auctor est Juba, alacriter virides, sed non facile puri, aut concolores.* Ita legendum è libris, ubi vulgo est, *acriter virides.* Hanc viroris alacritatem mirum quam diversæ notionis vocabulo significaverit appellando *austeritatem.* Quid enim tam contrarium, quam alacritas, & austeritas? idem tamen utroque exprimere voluit. Nam austeritatem in smaragdis vocat alacritatem, vigoremque viriditatis summum. Ita de Sandareso gemma *austeritatem*, & *vigorem* lucis pro eodem posuit: & austeritatem, nitoremque cocci alibi dixit, quo vegetissi-
D mum, & nitidissimum in cocco ruborem expressit. Austeritatis nomine impermixtam, & meracam, acremque & maximè vegetam coloris, & lucis exuperantiam, metaphora à saporibus ducta. Nam austerus in gustu sapor blando, & leni opponitur: amarus, acerbusque dulci. Sic *vinum austerum* diluto, lenique contrarium. Τὸν αὐστηρὸν τῷ οἰνώδει. Homo quoque austerus de rigido, & gravi, qui nihil remittit, nec blanditur. Ita blandos, & languidos colores vegetis, & austeris opponit Plinius, Sandaresos gemmas fœminas blandiorem habere flammam dicens, mares verò austeros esse, & vegetos. Κατακορὲς hoc Græci dicunt,
E quod plenè, puréque aliquo colore imbutum est. Hinc *κατακόρως μέλαν, quod ad plenum nigricat:* κατακόρως πρασίζον, quod plenè, & saturanter viride est. Et ita de ceteris. Hoc modo ὀξὺ & αὐστηρὸν in coloribus idem. Quod & πικρὸν dicebant à saporibus, ut dixi, sumpta tralatione. Epiphanius de smaragdo: καὶ ὁ μὲν Νερωνιανὸς πικρὸς ἐστι τῷ εἴδει, σφόδρα χλωρίζων, διειδὴς καὶ στίλβων. Ubi πικρὸς τῷ εἴδει, *colore austerus.* Bubulcus ille, qui Epiphanium nuper edidit, corrigebat μικρὸς τῷ εἴδει. Ita enim ad marginem adscripsit, ne nescire possemus hanc ejus esse conjecturam, ac ne existimaremus diversam esse lectionem alterius codicis, de hoc
F ipso nos admonere dignum duxit. Imperitè, quum τὸ εἶδος de colore semper accipiatur in illo libro. Λίθος τοπάζιον, ἐρυθρὸς τῷ εἴδει. Σάρδιον πυρωπὸν τῷ εἴδει λίθος ἄνθραξ, εἶδος ὀξυφοίνικον ἔχει, *colorem habet oxyphœniceum.* Λίθος ἴασπις, τῷ εἴδει σμαραγδίζων, colore smaragdino. Atque ita ubique, ut stupidum esse oporteat, qui hoc non adverterit. Ita πικρὸς τῷ εἴδει est austerus colore, & viriditate acerba. Sic Plutarchus in vita Sullæ πικρὰν & ἄκρατον γλαυκότητα dixit, *meram, & amaram glaucitatem.* De oculis Sullæ: τὴν δὲ τῶν ὀμμάτων γλαυκότητα δεινῶς, καὶ πικρὰν, ἣ ἄκρατον ἐσαν ἡ χρόα
G τοῦ προσώπου φοβερωτέραν ἐποίει προσιδεῖν. Isidorus ex hoc Epiphanii loco *amarum*, hoc est, πικρὸν pro valdè viridi positum notavit. Sic πικροὺς ἅλας τοὺς αὐστηροὺς, & vehementer salsos. Alias amarum, & salsum in gustu differunt. Isidorus igitur smaragdum quasi amarum, id est, valde viridem dici notat. Ita enim scribunt hunc ejus locum veteres libri: *smaragdus a nimia viriditate dicitur. Omne enim satis viride amarum dicitur. Nullis enim gemmis, vel herbis major hoc austeritas est. Satis viride* pro

pro valde viridi dixit loquutione illis temporibus familiari. Sed fallitur, quod amarum, sive austerum propriè de viridi arbitratur dici, quum de omnibus saturis, & meracis usurpetur. Quod Plinio *austerum* est, Epiphanio πικρὸν, Isidoro *amarum*. Apud Virgilium *tristes succos*, *amaros*, *austeros* interpretantur Grammatici.

Mero, & viridi proficiunt oleo] Veritatem emendationis nostræ possumus è Plinio probare, cujus hæc verba sunt: *qui non omnino virides nascuntur, vino & oleo meliores fiunt.* Rectè igitur reposuimus, *qui minus natura imbuuntur.* In omnibus legebatur: *quamvis natura imbuantur.* Qui minus natura imbuuntur, hi sunt, qui minus virides nascuntur, quos mero, & viridi oleo proficere dicit Solinus ex Plinio. Conjecturam nostram unicè etiam confirmat Isidorus, qui ipsa verba Solini transcripsit hoc modo: *smaragdi autem mero, & viridi proficiunt oleo, quamvis natura imbuantur.* Oleo meliores fieri smaragdos notavit & Epiphanius, qui optimam speciem smaragdi hoc pacto procuratam scribit, & Neronianam appellatam, vel ab Imperatore Nerone, vel à quodam gemmarum expolitore hoc nomine. Verba ejus, quia in editione Cercoëtii mutila, & corrupta habentur, heîc ponam ut legi debent: Καὶ ὁ μὲν Νερωνιανὸς πικρὸς ἐστὶ τῷ εἴδει σφόδρα χλωρίζων, διειδὴς καὶ στίλβων. Καλεῖσθαι δὲ αὐτὸν Νερωνιανὸν λέγουσιν, ἤτοι Δομετιανὸν διὰ τοιαύτην αἰτίαν· Ὅτι φασὶ ἔλαιον Νέρωνα, ἤτοι Δομετιανὸν ἐν σκεύεσι χαλκοῖς Νικαίνοις, καὶ ἐκ τοῦ ἰοῦ τῷ χρόνῳ χλωραίνεσθαι τὸ ἔλαιον, καὶ ἐκ τούτου τὴν πέτραν πολιζομένην περιοσσοτέρως ἐξανθεῖν τῇ χροιᾷ. Ἄλλοι δέ φασὶ Νέρωνά τινα τεχνίτην τῶν παλαιῶν πιναροποιὸν, ἤτοι λιθουργὸν ἐφευρεῖν τὸν ἀναγκαιότατον σμάραγδον, καὶ ἐκ τούτου Νερωνιανὸν καλεῖσθαι. Pretiosissimus smaragdus vocabatur *Neronianus*, vel à Nerone imperatore, vel ab artifice lapidario, qui primus eum invenit. Scribit Plinius Neronem principem gladiatorum pugnas spectasse smaragdo. Ἀναγκαιότατος σμάραγδος est pretiosissimus smaragdus. Quam vocem bubulci male semper in Epiphanio exponunt, cum pretiosum significet. Ἀναγκαῖοι λίθοι apud Palladium sunt lapides pretiosi, sive gemmæ. Λίθοι ἀναγκαῖοι, σμάραγδοι καὶ ὑάκινθοι ἐμπεπλώκασί μοι. Hac significatione sæpe apud Epiphanium occurrit vox ista, male semper ab interprete Cercoëtio accepta. Πιναροποιὸς autem est expolitor gemmarum, qui λίθους πιναροὺς facit, id est, politos, & nitidos. Nam πιναρὸς, & ἐμπινὴς, & εὐπινὴς politum, nitidumque significat, metaphora ab oleo palæstritarum, quo perfusi nitescebant. Hinc εὐπίνεια apud rhetores Græcos, & εὐπινὲς politum, & ornatum dicendi genus, cui contrarium, quod Cicero in Oratore vocat, *sine nitore, & palæstra.* Quod multis probavimus ad Pallium, quidquid contra mulinentur improbi juxta, & imperiti latratores. Λίθων σμηκτὰς, & στιλβωτὰς vocant ceteri, quos πιναροποιοὺς Epiphanius.

Et Cyaneus è Scythia est optimus] Plinio *Cyanos* dicitur, & Theophrasto κυανός. Et certè hîc legendum quoque *Cyanus*. Nam adjectiva nomina gemmarum sequiori semper effert genere noster Grammaticus, ut *Vejentana*, *Pontica*, *Callaina*, ut subintelligatur gemma. At *Cyanus* substantivum, ut nomen gemmæ proprium, ut achates, smaragdus, sapphirus. A quo *cyaneus* color, ut à smaragdo *smaragdinus*, ab amethysto *amethystinus*. Plinius: *reddetur & per se cyanos accommodato paulo ante jaspidis nomine colore cæruleo.* Hæc vitiosissime concepta, quid enim est, quod ait, Cyano accommodari nomen Jaspidis? Inter Jaspides una fuit species coloris cærulei, vel cyanei. Cujus jaspidis color accommodari non potest Cyano gemmæ, quæ principale nomen obtinet, de quo cetera ejusdem coloris mutuata sunt appellationem. E librorum scriptura conjicimus legendum: *reddetur & per se Cyanos accommodata gratia è paulo ante nominato colore cæruleo.* Color cæruleus, vel cærulum pigmentum est, quod Græcis κυανὸς dicitur eodem cum gemma nomine. Λαζούριον recentiores Græci vocarunt, nostri *Azurium*. Hujus mentionem fecit Plinius lib. XXXIII. cap. XIII. Nunc ait Cyanon gemmam per se reddere accommodata illi gratia ex illo ante nominato pigmento, sive colore cæruleo, qui & Cyanos dicitur Græce. Hæc vera illius Pliniani loci lectio, & expositio. *Cyanos* pigmentum est. Græci χρῶμα appellant. *Cyanos* etiam gemma est eadem, qua pigmentum illud, coloris gratia. Sequitur apud Plinium: *Optima Scythica, dein Cypria, postremo Ægyptia. Adulteratur maximè tinctura, idque in gloria regis Ægyptii adscribitur, qui primus eam tinxit.* Et hic locus non leviter corruptus. Lege, ac distingue: *adulteratur maximè tinctura, idque in gloria Regi Ægypti adscribitur, qui primus tinxit.* Cyanum adulterari tinctura dicit, idque *esse in gloria*, id est, in æstimatione, & fama, cum ceteræ factitiæ, & adulteræ gemmæ viles habeantur. Sic *egregiam Topazio gloriam esse* scribit: & opalum *in pretiosissimarum gemmarum gloria esse.* In illis verbis animadvertendus error Plinii gravissimus, qui de Cyano gemma ea scribit, quæ Cyano pigmento conveniunt: quod tria ejus genera sunt, Scythicum, Cyprium & Ægyptium: quod adulteratur tinctura: quod Rex Ægypti primus eam tinxit. De Cyano colore, non de gemma prodidit Theophrastus, unde sumpsit Plinius. Nihil clarius his Theophrasti verbis, ut mirum sit ea tam perversè transtulisse, & accepisse: ἔστι δὲ ὥσπερ καὶ μίλτος, ἡ μὲν αὐτόματος, ἡ δὲ τεχνική. Καὶ κυανὸς ὁ μὲν αὐτοφυὴς, ὁ δὲ σκευαστὸς ὥσπερ ἐν Αἰγύπτῳ. Γένη δὲ κυανοῦ τρία. Ὁ Αἰγύπτιος, καὶ Σκύθης, καὶ τρίτος Κύπριος. Βέλτιστος δὲ ὁ Αἰγύπτιος εἰς τὰ ἄκρατα λειώματα, ὁ δὲ Σκύθης εἰς τὰ ὑδαρέστερα. Σκευαστὸς δὲ ὁ Αἰγύπτιος, καὶ οἱ γράφοντες τὰ περὶ τοὺς βασιλεῖς καὶ τοῦτο γράφουσι τίς πρῶτος βασιλεὺς ἐποίησε τεχνητὸν κυανὸν μιμησάμενος τὸν αὐτοφυῆ. Quis aliter quam de colore, sive pigmento hæc possit accipere, quamtumvis oscitet? Ægyptium, qui factitius est, optimum esse vult, εἰς τὰ ἄκρατα λειώματα: Scythicum, εἰς τὰ ὑδαρέστερα· Λειώματα non sunt *lomenta*, ut vertunt Interpretes, sed politiones, sive inductiones è pictura in parietibus, & ἀκρατέστερα, quæ meracioris, & saturi sunt coloris: ὑδαρέστερα, quæ dilutioris. *Lomentum* est πλύσμα, non λείωμα. Vide Plinium lib. XXXIII. cap. ult. Ab illa voce Græca λειοῦν, *liare* fecerunt Latini, quod est tectoria inducere, & polire: unde *liare cisternas* Tertulliano, & nomen *liaculum* τὸ λείωμα. Quod nos verbum primi restituimus Vitruvio lib. VII. cap. III. *Sed & baculorum subactionibus fundatæ soliditates, marmorisque candore firmo levigatæ, coloribus cum politionibus inductis nitidos exprimunt splendores.* Libri Palatini, quos, cum ibi essem, vidi, habebant, *sed & jaculorum subactionibus*, litera prima in litura cubante. Ex quo non dubitavi tunc scriptum ab auctore fuisse, *liaculorum subactionibus.* Quod & nuper mihi confirmavit liber Regiæ bibliothecæ, in quo planè expressum est *liaculorum.* Liacula sunt politiones, sive tectoria, quibus inducebantur colores. Paulo post: *quæ autem fundata arenationis, & marmoris soliditate sunt crassitudine spissa, cum sunt politionibus crebris subacta, non modo fiunt nitentia, sed etiam imagines expressas aspicientibus ex eo opere remittunt.* Ut *liaculorum subactiones* supra dixerat. Ita heîc *politionibus subacta.* Glossæ: *liaculum*, λιαντήρ. Pro instrumento accepit, quo liantur parietes. Apud Vitruvium est, λείωμα, vel politio. Λιοῦν, & λιαίνειν scribebant. *Politiones* etiam de coloribus dicit. Ut *politionem miniaceam*, τὸ λείωμα ex minio. Ita apud Theophrastum τὰ λειώματα ex Cyano, expolitiones Cyaneæ. Quæ sequuntur apud eumdem de colore esse interpretandum manifesto indicant: δῶρα δὲ πέμπεσθαι παρά ἄλλων τε καὶ ἐκ Φοινίκης φόρον Κυανοῦ, τοῦ μὲν ἀπύρου, τοῦ δὲ πεπυρωμένου. Φασὶ δὲ οἱ τὰ φάρμακα τρίβοντες, τὸν μὲν κυανὸν ἐξ ἑαυτοῦ ποιεῖν χρώματα τέτταρα. Rem satis probatam per se pluribus firmandam credidi propter hodierna cavillatorum ingenia, qui ludum, jocumque habent sophisticis nugis veritatem convellere. Scribit Vitruvius cæruli temperationes Alexandriæ primum inventas esse, de Cyano factitio intelligens, quem ab Ægypti rege primum arte factum fuisse auctor Theophrastus. Hanc vide lib. VII. cap. XI. Aliud itaque agens *Cyanôn* gemmam cum *Cyano* pigmento confudit Plinius, & de utroque idem scripsit. Nonnulli porro hominum doctorum Cyanon, sive Cyaneam gemmam eamdem volunt esse cum ea, quam vulgo *Turcesiam* vocamus. Falluntur. Nam Cyanos è translucidis, & sapphiro simillima: unde fit, ut hodie à gemmariis nostris utraque gemma indiscreto nomine Sapphirus appellctur.

Melius

Melius illi, qui Turcicam gemmam Jaſpidis ſpeciem eſſe putant, eamque, quam Græci ἀερίζουσαν appellabant, cœlo autumnali matutino ſimilem, ut ait Plinius, qui & *Boream* à Græcis vocitatam notat: quod ejus ſcilicet coloris ſit, quo cœlum ſolet eſſe, cum flat Boreas. Planè noſtra eſt Turcica. Felicem hanc gemmam hodie habent, & boni ominis. Olim & pro amuleto eam geſtabant. Dionyſius ἠερόεσσαν ἴασπιν canit eſſe,

Ἐχθρὴν ἐμπάζουσι καὶ ἄλλοις εἰδώλοισι.

Orpheus ἀερόχροον ἴασπιν appellat:

Καὶ γλαφυρὸν κομίσας ἀερόχροον αἴκεν Ἴασπιν
Ἱερὰ ῥέζοι τις μακάρων ἰαίνεται ἦτορ.
Καὶ οἱ καρφαλέας νεφέλαις κορέσωσιν ἀρούρας.

Et multa ibi narrat de Jaſpidis aërinæ potentia, & felicitate. Male ἐαρόχροον legitur apud Orpheum. *Aërinus*, & *cœlinus* color idem. Ovidius:

Aëris ecce color, tum cum ſine nubibus aër,
Nec pluvius tepidas concitat auſter aquas.

Et talis eſt flante borea. *Aërinum* hunc colorem vocat Tertullianus de Habitu muliebri: *non placet Deo, quod ipſe non produxit, niſi ſi non potuit purpureas & aërinas oves naſci jubere.* Male vulgo excudunt *earinas*, & virides interpretantur, quo nomine nullus color eſt dictus. Etenim ver variis florum coloribus pingitur, non ſolo viridi herbarum. Libri, & veteres editiones præferunt *Erinas* manifeſto, pro *aërinas*, ut ibi dicam. *Cœlina veſtis* Cypriano pro eodem. Οὐρανοειδὲς χρῶμα Græci. Heſychius: κυανὸς εἶδος χρώματος οὐρανοειδές. De cæruli pigmento intelligit. Hinc *cœli cærula templa* poëtis Latinis. Sic ἀερίζουσα Ἴασπις, & cælina eadem quæ eſt *Turkeſia* noſtra. Pollux lib. IV. cap. XVIII ἀερίνην ἐσθῆτα vocat, quæ coloris eſt aërini: ἡ δὲ γυναικῶν ἐσθὴς κωμικῶν, ἡ μὲν τῶν γραῶν μελίνη, ἢ ἀερίνη, πλὴν ἱερειῶν: aut lutea eſt, aut aërina. Hac terminatione gaudent pleraque colorum nomina. Sic & γαλάκτινον apud Democratem de Iberide coloris lactei,

---- ἄνθος τῇ χροιᾷ γαλάκτινον.

Fruſtra igitur ſunt, qui pertendunt aeris colorem nullum eſſe proprium. Aer in hac ſignificatione, qua *color aerinus* dicitur, pro cœlo accipitur.

Pag. 26. E. *Fœminis nitor purus eſt, mares punctillis interlucent*] Cyanos Plinius, & ante eum Theophraſtus in mares, & fœminas dividunt, ſed his notis ſexum non diſtinxere, ut fœminis nitor purus ſit, maſculis punctillis interlucentibus aureus pulvis variet. Theophraſtus marem nigriorem eſſe dicit, quod in omnibus lapidibus obtinet ſexu ſeparatis. Καλεῖται δὲ καὶ κυανὸς ὁ μὲν ἄῤῥεν, ὁ δὲ θῆλυ, μελάντερος δὲ ὁ ἄῤῥεν. Idem alibi Sapphirum nigram Cyano maſculo quam ſimillimam tradit. Plinius de Cyano gemma: *dividitur autem & hæc in mares fœminaſque. Ineſt ei aliquando & aureus pulvis, non qualis in ſapphiris.* Non dicit hanc notionem maris eſſe, ut aureo pulvere ſit interſtinctus. Sed aliquando Cyanum inveniri aureo pulvere ſparſum, tam marem ſcilicet, quam fœminam, cum ea ſemper notatione, ut mas ſit nigricantior. Præterea, quod ait punctillis interlucentibus auratili pulvere Cyanum maſculum variari, duas res diverſas miſcet. Clarè enim Plinius puncta in gemmis à pulvere ſeparat, & hoc maximè in loco, ubi dicit, ineſſe aliquando aureum pulverem Cyanis, non qualis in Sapphiris extat: ſapphirum enim aureis punctis collucere. Ergo aliud puncta in gemmis, aliud pulvis. *Puncta* guttæ ſunt, rarius, ac diſtinctius notatæ, & quaſi ſtellæ interſparſæ. Hinc ſtellatæ gemmæ aureis guttis, ſive punctis. Ita erat Sapphirus, χρυσοστιγής. *Pulvis* grana ſunt minutiora, ſpiſſius denſiuſque, & quaſi continuatim ſparſa in modum pulveris, qualia in Cyano apparent.

Iſtic & Cryſtallus] id eſt, in Scythia. Plinius tamen Scythiam non nominat inter patrias Cryſtalli. Poſtquam de murrinis tractavit, quæ mittit Oriens, cryſtallum etiam oriente mitti dicit. *Oriens*, inquit, & *hanc mittit, ſed Indicæ nulla præfertur.* Legiſſe videtur Solinus, & veriſimile eſt ita legi debere: *ſed Scythicæ nulla præfertur.* Sciolus aliquis propter mentionem Orientis, *Indicæ* pro *Scythicæ* repoſuit: quaſi Scythia in Oriente non eſſet, cum utique ſit & Scythia Orientalis. Vulgata lectio Plinianæ ſententiæ repugnat,

A qui Cryſtallum alibi, quam ubi maximè hibernæ nives rigent, reperiri negat, locis tamen ad meridiem ſpectantibus. Hodie quoque obſervant in tota India Cryſtallum non naſci. Dionyſius Periegetes ſcribit apud Caſpios naſci, in Scythia nempe Orientali. Ita enim de Caſpia.

Φύει μὲν κρύσταλλον, ἰδὲ ἠερόεσσαν Ἴασπιν.

Ex Plinio tamen conſtat nihil mutandum. Nam & lib. XXXVI. cap. XXVI ſcribit, *vitrum in India è cryſtallo fracta fieri, & ob id nullum comparari Indico.* Sed & hoc loco apertiſſimè oſtendit cryſtallum in India naſci: *Idem Xenocrates auctor eſt vas amphorale viſum: & aliqui ex In-*
B *dia cryſtallum ſextariorum quatuor.* Lege: *& aliqui ex India cryſtalli*, id eſt, vas cryſtalli ex India. Sic enim in libris. Et rectè quidem Plinius dicit, cum Oriens cryſtallum mittat, nullam Indicæ præferri: nam India Orientis. At ineptè, & abſurdè Solinus: *Iſtic & cryſtallus, quem licet pars major Europæ, & particula Aſiæ ſubminiſtret, pretioſiſſimum tamen Scythia edit.* Ut enim hæc concepta ſunt, videatur Scythia nihil, nec cum Europa, nec cum Aſia habere commune. Atqui & Aſiæ eſt, & Europæ Scythia. Alia enim Europæa, alia Aſiatica. Plinius: *naſcitur & in Aſia viliſſima circa Alabanda, & Orthoſiadem finitimiſque montibus. Item in Cypro. Lau-*
C *data & in Europa Alpium jugis.* At noſter quod ſcribat, & quomodo ſcribat, nihil penſi ducit.

Quamlibet nihil aliud, quam frigidum pati poſſit] Legebatur prius in editionibus: *multus ad pocula deſtinatur: nam fert calorem præcipuè, quamlibet nihil aliud, quam frigidum pati poſſit.* Quæ lectiones ſunt duarum editionum ſimul poſitæ. In προεκδόσει cum ſcripſiſſet, *multus ad pocula deſtinatur, nam fert calorem præcipuè.* Correxit ſe in poſteriore, & ſcripſit ex ſententia Plinii, *quamlibet nihil aliud, quam frigidum pati poſſit.* Contrario plane ſenſu. Optimus Codex Regius, qui aut in textu, aut
D ad oram adſcriptas paſſim præfert prioris editionis lectiones, hîc ad marginem habet: *nam fert calorem præcipuè.* Quod falſum erat. Plinius de cryſtallo: *cœleſti humore, parvaque nive id fieri neceſſe eſt. Ideo caloris impatiens, non niſi frigido potui dicatur.* Ita enim in Plinio legendum iſtis, *potui dicatur.* Librarii antiqui tranſpoſitis literis fecerint, *potu adicitur.* Ita libri veteres. Idem paulo poſt: *eandemque omnia hæc quam gemmæ auctoritatem, ſanè majorem aliquibus de cauſis cryſtallina & murrina, frigidi potus utraque.* Martialis de Vitreis:

Nos ſumus audaces, plebeja toreumata vitri
Noſtra, nec ardenti gemma feritur aqua.

E Hoc dicit, quia cryſtallina ardenti, id eſt, calida aqua vitiabantur, non item vitrea. Quod ait murrina quoque frigidi potus eſſe, contrarium ex hoc Martialis diſticho conſtat, ſub lemmate *murrinorum.*

Si calidum potas, ardenti Murra falerno
Convenit, & melior fit ſapor inde mero.

Quos verſus, qui de vino myrrato accipiunt, doctiſſimi viri magno in errore verſantur. Nec minus falluntur illi, qui *myrrham*, aut *myrrhina* ſcribunt. At ſuprà omnes turpiſſimè labitur Baronius, qui *myrrhina* pocula à myrrha aromate deducit, & de myrrha facta interpretatur. Quod alii jam ſatis refutarunt. Præter ceteras,
F quas illi jam attulere, hæc una potentiſſima ratio eſt. Si *myrrhina* à myrrha dicerentur Latinè, Græci ſimiliter ἀπὸ τῆς σμύρνης, ſic enim myrrham vocant, σμύρνεια, aut σμύρνια ea dicerent. Atqui μόῤῥαν hunc lapidem paſſim vocant, etiam qui diſertiſſimè ſcribunt, atque Atticiſſant. Pauſanias in Arcadicis: Ἄλλως μὲν γε καὶ κρύσταλλος, καὶ μόῤῥα καὶ ὅσα ἐστὶν ἀνθρώποις ἄλλα λίθου ποιήματα, καὶ τῶν σκευῶν τὰ κεράμεα. Perperam legitur, καὶ μοῤῥία: & perperam emendant, μυῤῥία. Ut κρύσταλλος Pauſaniæ, unde *cryſtallina* pocula, ita & μόῤῥα lapis ipſe, ex quo pocula *murrea*, & *murrina.* Latini *murram* appellant. Martialis:

---- *maculoſæ pocula murræ.*

G Statius in Coma Earini:

---- *hic pocula magno*
Prima duci, murraſque graves, cryſtallaque portat
Candidiore manu.

Ita enim ubique legendum, non *myrrha.* Græci, ut dixi, μόῤῥαν & μόῤῥινα. Arriano λιθία μοῤῥίνη. Quod perperam corrigunt. Sed nec minore ſunt in errore, qui

qui *murrina* veterum ex onychiis gemmis factitata fuisse sibi persuadent. Ut multa alia omittam, quæ opponi possunt, si murrina veterum ex onyche gemma fuerunt, cur murrina vocata sunt, aut quæ hujus appellationis ratio? cur denique murrina ab onychinis ubique distinguunt? Lampridius in Heliogabalo: *in murrinis, & onychinis minxit.* Verùm ita huic objectioni obviam eunt: onychina ibi accipiunt, non quæ ex onyche gemma, sed quæ ex onychite marmore sculpta sunt vasa: murrhina autem esse ex onyche gemma. Quod est absurdissimum. Inde enim sequeretur murrham veteribus dictam fuisse onychem gemmam. De quo altum in tota antiquitate silentium. Et profecto oportet tam murrhina, quam onychina ignorata fuisse antiquis, siquidem concedimus murrina ex onyche facta. Arrianus in Periplu ὀνυχίνην λιθίαν & μυῤῥίνην planè distinguit: ἀφ' ἧς πάντα τὰ πρὸς εὐθηνίαν τῆς χώρας εἰς Βαρύγαζα καταφέρεται, καὶ τὰ πρὸς ἐμπορίαν τὴν ἡμετέραν, ὀνυχίνη λιθία, καὶ μυῤῥίνη. An & ibi λιθία ὀνυχίνη de marmore onychite, non de gemma onyche accipietur? nugæ. Nihil sanè vero propius, quam antiqua murrina esse *porcellanea* nostra, quocunque modo hodie fiant. Quod enim ex luto quodam albo, & in fornacibus cocto apud Chinas porcellanea vasa hodierna fieri contendunt, hoc nihil prohibet, quin veterum murrhina fuerint. Quod enim veteres quidam lapidem esse *murram* scripserunt, alii humorem sub terra densatum, certè ex eo patet ignorasse illos, quid essent, aut quomodo fierent murrina. Non rectè porro inde colligitur diversa esse porcellanea, & murrina. Sericum omnis antiquitas passim habuit, & gestavit: quis ex veteribus novit, quomodo sericum proveniret, & qua fieret arte? An non omnes arborum lanuginem depecti crediderunt? Sub Justiniano cognitum est demum vermes sericum apud Seres nere, non ex foliis arborum lanuginosis depecti. Meminit Arrianus τῆς μοῤῥίνης, quæ in Diospoli fiebat. Cave putes intelligi de illa pretiosa murra, quæ ex Carmania, & India advehebatur, sed vitrum murrhinum accipiendum, quod in Diospoli Ægyptii ad imitationem murrinorum fiebat: Sic enim scribit: καὶ λιθίας ὑαλῆς πλείονα γένη καὶ ἄλλης μοῤῥίνης τῆς γενομένης ἐν Διοσπόλει. Dicit ἄλλην μοῤῥίνην. Aliud murrhinum ad distinctionem veri murrini. Sed omnino persuadeo mihi legendum esse in Arriano, καὶ ὑαλῆς μοῤῥίνης. Meminit Plinius hujus murrini vitri, ut & opsidiani, quod etiam imitabatur lapidem opsidianum in Æthiopia inventum, quem Græci ὀψιανὸν vocabant, quod nigerrimi esset splendoris, & imagines redderet, ut ὄψις, & oculi pupilla. Hesychius: κόρη, ὄψις. Verùm de his alibi. Plinius tam crystallina, quam murrina frigidi potus esse dixit, ergo calidum pati non posse intellexit. Contrà Martialis de murrinis, calido potui ea convenire asserit. Certè si contrariæ causæ crystallum, & murram faciunt frigus & calor, contrariis etiam affectibus censeantur oportet. Si crystallus ideo caloris impatiens, & calidi potus, quia ex gelu vehementiore concreta sit, necesse est, ut murrina, quæ calore sub terra densantur, juxtà eamdem rationem calido potui ferendo potius, quam frigido apta videantur. Sed nec veteres satis exploratè videntur novisse, qua ratione formarentur murrina, quove modo fierent: & scripsere nonnulli crystallum non frigore, sed calore densari. Quod alii relinquo disputandum, & Plinium cum Martiale conciliandum.

Qui eligunt, purissimum captant] Plinius: *est & rufa aliequi rubigo: aliis capillamentum rimæ simile. Hoc artifices cælatura occultant. Quæ vero sine vitio sunt, puras esse malunt, acenteta appellantes nec spumei coloris limpidæ aquæ.* Lege: *nec spumæ colore, sed limpidæ aquæ.* Nam vulgata lectio corruptissima. Solinus hoc loco: *ne quid rufum, ne nubilum, vel spumis obsitum arceat perspicuitatem.* Hi purissimi erant, quos & ἀκεντήτους appellabant, quia cælabantur tantum vitiosi. Apulejus *impunctum crystallum* appellat τὸν ἀκέντητον de pretiosissimo: *hic vitrum fabre sigillatum, ibi crystallum impunctum, argentum alibi clarum, & aurum fulgurans, & succinum mire cavatum.* Quod perperam mutant. Inter vitia crystalli Plinius & *salem* nominat: *infestantur plurimis vitiis, scabro ferrumine, maculosa nube, occulta aliqua vomica, præduro, fragilique centro item sale appellato.* Martialis *nitrum* vocat, quem Plinius *salem*:

Et turbata levi questus crystallina nitro.

Malè est in vulgatis *vitro*. Et rectè quidem ex libris *nitro* agnoverunt eruditi, sed perperam accipiunt de vitri coctura, & conflatura, cui nitrum miscebatur, quasi crystallus factitia sit, aut vitrea eadem sint cum crystallinis. Certè hodie *crystallina* vocamus vitrea in candido translucentia, quam proxima crystalli similitudine. Non ita veteres. Præterea heic *nitrum* est crystalli vitium. At nitrum sine vitro non conflabatur: & res tota dissimilis. Nitrum igitur in crystallinis est sal, vitium nempe sali simile. Quod vitium & in aliis gemmis hoc eodem nomine appellabatur. Salem porro etiam nitrum vocabant. Græci ἀλόνιτρον.

Et duritia justo propensior] Id est, justo major. *Propensum* pro nimio apud hunc auctorem sæpe poni alibi observamus. Mirum vero quod hic ait, ideo non durissimum requiri crystallum, quia nimia in eo duritia fragilitati obnoxium faciat, quasi magis duri magis sint fragiles. Nihil tale apud Plinium de crystallo legas. Videor tamen assequi, quid velit. Crystallus cælabatur argenti modo: qui nimis durus esset, & sculpturæ resisteret, sæpe frangebatur inter cælandum. Qui capillamentum habebant rimæ simile, hi ferè cælari solebant, ut vitium occultaretur. Nam qui sine vitio erant, puros eos esse malebant, ut testatur Plinius. Inde *diatreta* pocula fiebant, quæ & à cælatura sic dicebantur. Diatreti enim calices erant crystallini cælati, qui & cum cælarentur, sæpe frangebantur, præcipuè si nimia crystalli duritia esset, quæque cælo resisteret. Hoc vult Solinus. De quo nos alibi. Certe tam κρυστάλλινα, quam κρυσταλλοφανῆ, hoc est, vitrea cælabantur, & diatreta fiebant.

Putant glaciem coire, & in crystallum corporari] Sane putant, & inde nomen. Nam κρύσταλλος proprie est aqua concreta frigore. Hesychius: κρύσταλλος, τὸ πεπηγὸς ὕδωρ ὑπὸ κρύους. Inde & vox Latinorum *Crusta.* Hinc κρύσταλλος ὕδατος Epiphanio aqua glaciata, ad differentiam κρυστάλλου λίθου. Ἄσακτον ὕδωρ apud eumdem pro eodem de onychitis, quos ex aqu frigore concreta formari scribit: τινὲς δὲ φασὶν αὐτοὺς ἐξ ὕδατος ἀσάκτου πεπῆχθαι. Ita legendum. Vulgo male est, ἐξ ὕδατος ἀτμήκτου. Quod quid sit, vellem nobis explicasset bonus Cercoëtius. Sic κρύσταλλος ἀσαγὴς Sophocli apud Stobæum. Plinii porro sententia est, aliorumque veterum, glaciem coïre, & in crystallum corporari. Et sanè non controversum est, quin humor perspicuus frigore concretus crystallum generet. Hoc negat verum Solinus, & hac ratione nititur: *nam si ita foret*, inquit, *nec Alabanda Asiæ, nec Cyprus insula hanc materiam procrearent, quibus regionibus incitatissimus calor.* Quod absurdissimum, & æquè falsum. Nec enim incitatior Alabandis, aut in Cypro calor, quam in aliis Asiæ plerisque regionibus, in quibus tamen crystallus non nascitur: multæ præterea sunt regiones Cypro, & Alabandis æstu ferventiores, quæ crystallum non edunt, ut Æthiopia. Postremo cum dicat pretiosissimum crystallum in Scythia edi, vilissimum autem apud Alabanda, & in Cypro provenire constet, ex eo potest liquere frigus potius, quam calorem in causa esse τῆς κρυστάλλου πήξεως, cum pretiosissimus nascatur in rigentissimis regionibus. Denique Plinius tuto affirmare se posse asserit in cautibus Alpium nasci, ubi maximè hibernæ nives rigent. Ideo cœlesti humore, parvaque nive id fieri pronunciat. Quid igitur voluit noster? calore nimirum; non frigore densari crystallum? si ita foret, non nasceretur in regionibus prægelidis, nec in Alpium cautibus. Diodorum testem citant eruditi homines, qui in eadem opinione fuerit, crediderit que crystallum caloris divini vi cogi, & congelari. Quam frustra sint, allatis Diodori verbis constabit. Sic ille lib. 11. τοὺς γὰρ κρυστάλλους λίθους ἔχειν τὴν σύστασιν ἐξ ὕδατος καθαροῦ παγέντος οὐχ ὑπὸ ψύχους, ἀλλ' ὑπὸ θείου πυρὸς δυνάμεως, δι' ἣν ἀσήπτους μὲν αὐτοὺς διαμένειν, βαφῆναι δὲ πολυμόρφως ἀναθυμιάσει πνεύματος. Nihil his verbis apertius, si de crystallo, cujus heic mentio, loqueretur. Sed multa obstant. Loquitur de Arabiæ lapidibus, in qua Arabia crystallus non gignitur.

gignitur. Dicit ἀσίπῆας διαμένειν. Hoc cryſtallo non convenit, quem fragilem eſſe conſtat. Adjicit πολυμόρφως βαφῆναι ἀναθυμιάσει πνεύματος. Quod nec congruere poteſt cryſtallo, qui uniformis eſt, nec pluribus coloribus natura imbuitur, cum in candido tantum traluceat. Præterea cum pretioſiſſimos lapides ibi recenſeat, primo loco numerat κρυςάλλους λίθους, ſecundo ſmaragdos, & beryllos, deinde chryſolithos, & carbunculos, unde quiſque eorum colorem, & formam acceperit tradens. Atqui cryſtallum non nominaſſet ante ſmaragdos. Poſtremo cryſtallum non dixiſſet vi caloris concreſcere, quem omnes alii ὁμοθυμαδὸν ſcribunt frigore, & longæva nive denſari. Statius:

Raraque longævis nivibus cryſtalla gelari.

Hinc & *perſpicuas nives* idem pro cryſtallo dixit:

Perſpicuæque nives, Maſſylaque robora, & Indi
Dentis honos, uni parent commiſſa magiſtro.

Τὰ κρυςάλλινα intelligit. Calvus:

Atque imitata nives lucens legitur cryſtallus.

Quid igitur Diodorus per κρυςάλλους λίθους intelligit? Certè non cryſtallos, ſed adamantas. Quod ne mirùm videatur, ſciendum eſt, inter adamantum genera Indicum, & Arabicum cenſeri, & cryſtalli quadam cognatione naſci. *Siquidem*, ut ait Plinius, *& colore tranſlucido non differt, & laterum lævore ſexangulo turbinatur in mucronem.* De cryſtallo idem: *quare ſexangulis naſcatur lateribus, non facilè ratio iniri poteſt, eo magis quod neque mucronibus eadem ſpecies, & ita abſolutus eſt laterum levor, ut nulla id arte poſſit æquari.* Iſidorus capite de cryſtallis adamantem recenſet, pluresque alios lapides ſub eumdem titulum retulit, qui aliquid ſimile cryſtallo habent. Non omnis tamen adamas cryſtallo ad amuſſim ſimilis, ſed præcipuè Indicus, & Arabicus, qui & ſexangulis lateribus naſcuntur, & cryſtallus colore tralucido non differunt. De Arabicis autem lapidibus eo loco agit Diodorus. Ideo κρυςάλλους λίθους de adamantibus dixit, quos & ἀσίπῆας διαμένειν ſcribit, quia invicti ſunt ignibus. Sed quod ait, eos πολυμόρφως τῇ ἀναθυμιάσει πνεύματος βαφῆναι, id in adamanta non cadit haud magis, quam in cryſtallum, nec enim colore à natura tincti. Quid ſi legamus, παγῆναι ἢ πολυμόρφως ἀναθυμιάσει πνεύματος, ut de angulorum facie diverſa, qua naſcuntur adamantes, & cryſtalli, intelligamus? Quid ſi etiam κρυςάλλους λίθους de omnibus gemmis in modum vitri tralucidis uſurpavit, quas generatim ex humore perſpicuo, & vi caloris divini coacto formari dicit, variis autem coloribus imbui, hoc eſt, πολυμόρφως βαφῆναι ἀναθυμιάσει πνεύματος. Id per ſpecies deinde explicat, ut in ſmaragdis, beryllis, chryſolithis, & carbunculis: τὰς γὰρ σμαράγδους, inquit, καὶ τὰ βηρύλλια διὰ τὴν ἀπὸ τῶν θείων βαφὴν καὶ συγχρώζεσθαι. Ergo & ſmaragdi, & berylli, ceterique, qui ibi nominantur, κρυςάλλοι λίθοι, id eſt, tranſlucidi, ſed variè colorati ac tincti, prout variis inficiuntur ſolis exhalationibus. Τὴν ἀπὸ τῶν θείων βαφὴν vocat à divinis tincturam, non à ſulphure, ut vulgo vertunt. Ita chryſolithos, quæ fumidæ ſunt, vapore ſolis creari, atque ὑπὸ καπνώδους ἀναθυμιάσεως in hunc colorem indui. Chryſolithos intelligit, quæ καπνίαι vocabantur. Plinius de chryſolithis: *ſunt in hoc genere capniæ, ſunt & vitreis ſimiles, veluti croco refulgentes. Vitrei à veris viſu diſcerni non poſſunt, tactus deprehendit tepidior in vitreis.* Vitrei chryſolithi ſunt, quos ψευδοχρυσολίθους vocat Diodorus. Διὸ καὶ τοὺς ὀνομαζομένους ψευδοχρύσους κατασκευάζεσθαι διὰ τοῦ θνητοῦ, ὑπ᾽ ἀνθρώπων γεγονότος πυρὸς βαπτομένων τῶν κρυςάλλων. Ubi κρυςάλλους vocat vitrum, quo adulterantur crhyſolithi factitii. Quos *vitreos* vocat Plinius, ψευδοχρύσους ſubaudi λίθους Diodorus. Certè materiam tam verorum, quam falſorum lapidum κρύςαλλον appellat. Sed veri lapidis cryſtallum ab igne divino colorari ſcribit: factitiarum vero, & adulterinarum gemmarum cryſtallum, id eſt, vitrum colores accipere ex igne mortali manu facto. Non igitur dubium poteſt eſſe, quin κρυςάλλων λίθων nomine intellexerit Diodorus tranſlucentes, & pellucidos lapillos, cum & κρυςάλλους de vitro dixerit. Tractat autem eo loco, cur in Arabia, & Æthiopia, locisque calidioribus, & vicinioribus ſoli animalia naſcantur, aves, lapides, magis coloribus variata, quam in locis frigidis, oſtenditque ſoli, & igni divino hujus rei cauſam adſcribi debere, qui ea vi ſua, & vapore ſic coloret, ac tinguat. De cryſtallo igitur ſic propriè appellato, ac ne adamante quidem id poteſt accipi, quæ nullo colore imbuta ſunt, nec πολυμόρφως βάπτονται. De cryſtallo certe neutiquam ſumi queat, quum & in prægelidis regionibus inveniatur, & quidem præſtantiſſimus.

Pag. 26. F. *Quibus regionibus incitatiſſimus calor eſt*] Pro his verbis poſuerat auctor in priore editione: *quibus admodum calor jugis eſt.* Quod eorum opinioni ἐκ διαμέτρου opponitur, qui cryſtallum in illis locis plurimum naſci tradiderunt, ubi frigus admodum juge eſſet, nivem enim eſſe glacie duratam per multos annos: At falſum de Alabandis, & Cypro, calorem in illis locis aut jugem admodum eſſe, & perpetuum, aut incitatiſſimum. Cum falſum dixiſſet in προεκδόσει, non minus in poſteriore mentitus eſt. Nec habet hoc à Plinio.

Ad magnitudinem centum quinquaginta librarum] In Plinio legitur tantum, *quinquaginta librarum.* Ex hoc loco corrigendus fortaſſe. *Magnitudo ampliſſima adhuc viſa nobis erat, quam in Capitolio Livia Auguſta dedicaverat, librarum circiter quinquaginta.* An *librarum centum quinquaginta*? An potius ex libris, *librarum circiter* CL. Legitur etiam in Plinianis exemplaribus: *quam Divus Auguſtus dicaverat.*

C A P U T XVI.

De Hyperboreis, & Hyperboreæ regionis ſitu.



PAg. 26. G. *Sed cum probiſſimi auctores, & ſatis vero idonei*] Ita libri, & editiones antiquæ, nec erat cur repoſitum vellet Delrius, *probatiſſimi auctores.* Idoneos vero auctores Grammatici neotericis auctoribus opponunt. Atque ita ſemper Servius. Idoneos, & probos auctores, receptoſque ab neotericis diſtinguit, qui dubiæ erant auctoritatis.

De Hyperboreis rem loquimur] id eſt, loquimur, quod res eſt, veritatem ipſam dicimus. Sic autem repoſuimus è libris, quum in editionibus eſſet, *de Hyperboreis itaque loquemur.*

Incolunt pone Pterophoron] Immo pone Riphæos montes. Atque ita Plinius: *pone eos montes, ultraque Aquilonem gens felix, ſi credimus, quos Hyperboreos appellavere, annoſo degit ævo.* Mela: *in Aſiatico littore primi Hyperborei ſuper Aquilonem, Riphæoſque montes.* Sed quia Plinius Riphæos montes, & Pterophoron regionem ſimul nominavit, noſter parum referre putavit Pterophoron pro Riphæis montibus ponere. Atqui pone Riphæos montes, non pone Pterophoron incolebant Hyperborei. Stephanus: Ῥιπαῖα, ὄρος τῶν Ὑπερβορέων. Clemens: Τοὺς δὲ Ὑπερβορέους Ἑλλάνικος ὑπὲρ τὰ Ῥίπαια ὄρη οἰκεῖν ἱστορεῖ. Videndus & Scholiaſtes Apollonii. Libri omnes Solini heîc habent: *incolunt prone Pterophoron.* Martianus: *poſt eoſdem montes trans aquilonem Hyperborei.*

Quem ultra Aquilonem accipimus jacere] Ad quid refertur iſtud *quem?* An ad *Pterophoron?* Ergo ſcribendum: *quam ultra Aquilonem accipimus jacere.* Nam πτεροφόρος, ἡ χώρα, *regio Pterophoros.* Libri tamen omnes aliter. In uno Regio, *quæ ultra Aquilonem.*

Eam Aſiæ quidam magis, quam Europæ dederunt] Plinius: *quidam eos in prima parte Aſiæ littorum poſuere, non in Europa, qui ſunt ibi ſimilitudine & ſitus, Atacorum nomine.* Quæ ſunt turpiter inquinata. Scribe: *quia ſunt ibi ſimili habitudine, & ſitu gens Attacorum nomine.* Præferunt ex libris, *ſimili conſuetudine.* Quod nec repudiaverim. Quod autem legunt, *Atacori nomine,* id recipi non poteſt. Gens Attacorum in Aſia, à qua ſinus Attacenus, de quo infrà. Eadem, qua Hyperboreos, tem-

A temperie eos degere scribit. Plinius lib. VI. cap. XVII. Quo loco & gravissimum hæsit mendum: ita enim scribitur: *ab Attacoris, gentes Thyri, & Tochari.* Inde Attacoros populos heîc nobis reddiderunt. Atqui legendum est: *ab Attacorum gente, Thyni & Tochari.* Sed de his infrà. Hæc de Hyperboreis partim à Plinio, partim à Pomponio sumpsit Solinus.

Alii statuunt mediam inter utrumque solem] Plinius: *alii medios fecere eos inter utrumque solem, Antipodum occasum, exorientemque nostrum.*

Pag. 27. A. *Tam vasto mari duos orbes interfluente*] Plinius: *tam vasto mari interveniente.*

Sunt igitur in Europa] Plinium sequitur, qui Hy-
B perboreos in Europa ponit. Mela in Asia eos locat his verbis: *in Asiatico littore primi Hyperborei.* Ergo de Pomponio intelligebat Plinius, cum scriberet, *quosdam eos in prima parte Asiæ littorum posuisse.* In Europa esse ideo videtur asserere Solinus, quia apud eos mundi cardines esse creduntur. Ita enim scribit. Quasi mundi cardines Europæ magis sint, quam Asiæ. E contra Pomponius, qui in Asiatico littore eos statuit, sub ipso siderum cardine jacere eos etiam memorat.

Quamquam existant, qui putent, non quotidie ibi so-
C *lem*] Nihil absurdius fingi potest, quam quod heîc à Solino dicitur. Pro certo, & comperto ponit semestrem lucem apud Hyperboreos esse, aversum tantum uno die solem. Cum hæc ita sint, tamen existere ait, qui putent, non quotidie ibi solem, ut nobis, sed vernali æquinoctio exoriri, autumnali occidere. Atqui si semestrem habent lucem, quid certius, quam non posse iis quotidie solem exoriri, ut nobis? Hoc enim modo sex mensibus dies illis longus est, & totidem aliis nox continua. Cum Melam, & Plinium heic sublegeret, & utrumque exscriberet, non discretis
D amborum sententiis, in hanc absurditatem prolapsus est. Scribit Mela de Hyperboreis: *Ibi sol, non quotidie ut nobis, sed primum verno æquinoctio exortus, autumnali demum occidit, & ideo sex mensibus dies, & totidem aliis nox usque continua est.* Per hæc verba semestrem apud Hyperboreos lucem Pomponius agnoscit. Ergo & juxta hanc sententiam nec quotidie Hyperboreis sol exoritur. Quare nec diversa eorum opinio, qui semestrem lucem apud Hyperboreos constituunt, & eorum, qui asserunt non quotidie ibi solem, ut nobis exoriri, sed vernali tantum æquinoctio exortum, autumnali occidere. Quod stultè pu-
E tavit heîc noster. Quid enim aliud semestris lux, quam sex mensibus infinitus dies? Quæ tamen absurdè, quasi diversa sint, distinxit Grammaticus. Plinius semestri quoque luce Hyperboreos censeri dicit, & nihilominus imperitiæ eos accersit, qui cum Pomponio dixere, solem Hyperboreis primum verno æquinoctio exortum, autumnali demum occidere, quia non ab æquinoctio verno in autumnale semestrem iis lucem continuari vult, sed à solstitio in brumam. Verba Plinii ita distinguenda: *Ibi creduntur esse cardines mundi, extremique siderum ambitus, semestri lu-*
F *ce, & una die solis aversi, non, ut imperiti dixere, ab æquinoctio verno in autumnum: semel in anno solstitio oriuntur in his soles, brumaque semel occidunt.* Quem locum Plinii varie vexarunt, ut corrumperent magis, quam corrigerent viri docti. Constabat apud veteres semestrem apud Hyperboreos esse lucem: ergo & semestrem noctem: semel in anno solem iis oriri, semel occidere. Sed alii aliud tempus huic rei statuebant. Quidam, inter quos Pomponius, æquinoctio verno solem iis oriri, autumnali occidere volebant. Ergo ab æquinoctio verno in autumnale semestrem illis lucem dabant: noctem ab æquinoctio autumnali usque ad vernum æquinoctium. Imperitiæ insimu-
G lat, qui ita censerent, Plinius, & à solstitio æstivo ad brumam semestris lucis tempus illis determinat. Nam solstitio soles apud eos oriri, bruma occidere. Plinium tamen hallucinari, & verum esse, quod asserit Mela, ex Sphæra constat. Mendum etiam residere in illis Plinii certum est: *semestri luce, & una die solis aversi.* Quum enim semestrem lucem habuerint, & semestrem noctem, semel in anno solem exorientem, semel occidentem, quid hæc sibi volunt, *solem uno die illis aversum esse*? Quo tempore solem aversum habent, nox illis est, & quidem sex totis mensibus usque continua. Sol aversus noctem facit, non diem. His rationibus moti quidam in Plinio legebant, *semestri luce, & una nocte.* Alii aliter de illo loco statuerunt. Frustra omnes. Scribendum enim apud Plinium: *semestri luce, & una die solis adversi, non, ut imperiti dixere, ab æquinoctio verno in autumnum.* Semestris lux illis una dies est, solemque adversum habebant, ut Pomponius scribit, quem Plinius reprehendit, ab æquinoctio verno in autumnum: ut ipse Plinius mavult, ab solstitio in brumam. Profecto, si juxta Melæ sententiam, quæ suggillatur à Plinio, sol oriebatur Hyperboreis æquinoctio verno, autumnali vero occidebat, solem utique adversum, non aversum toto eo tempore habuere. Sic semestris lux, & una dies solis adversi ab æquinoctio verno in æquinoctium autumnale. Solinum ita legisse in libris Plinii, *solis adversi*, non *aversi*, fidem fecerint omnia ejus scripta exemplaria, in quibus constanter exaratum extat: *semestrem lucem, adversum tantum uno die solem.* Quod quid sit, nemo explicaverit. Plinii mentem minimè percepisse satis clarum est ex his, quæ ante diximus. Unum tantum diem, & unam noctem habent Hyperborei, & hanc, & illum semestrem. Martianus de Hyperboreis: *gens moribus, prolixitate vitæ, deorum cultu, aëris clementia, semestri die, fine etiam habitationis humanæ prædicanda.* Sic sol adversus illis erat totos sex menses, totidemque aversus. Quod nec Solinus intellexit, nec, qui Plinium emendare tentarunt, homines docti.

De cœlo magnam clementiam spirant auræ salubriter] Lege, ac distingue: *de cœlo magna clementia, spirant auræ salubriter, nihil noxii flatus habent.* Plinius: *regio aprica, felici temperie, omni afflatu noxio carens.* In libro Rigaltiano scriptum: *felicis axe temperiæ*, id est, axe felicis temperiæ. *Axem* pro climate posuit. Pro quo Solinus dixit, *de cœlo magna clementia.* Pomponius: *regio angusta, aprica, per se fertilis.* Unde in Plinio forte scribendum: *regio aprica, felici à se temperie, omni flatu noxio carens.* Quod propemodum verum arbitror. Nam *axis* de climate nimis poëticum. Multæ autem regiones per se, situque ipso satis temperatæ, quæ tamen noxiis afflatibus infestantur. Hyperboreorum vero regionem, tum à se felicis esse temperiæ, & fertilem; tum omni noxio flatu carere. Idem de Attacis, qui eadem temperie degebant, qua Hyperborei: *& gens hominum Attacorum apricis ab omni noxio afflatu seclusa collibus, eadem, qua Hyperborei degunt, temperie.* Apud Attacos noxium afflatum arcebant colles, quibus undique secus erant septi: in Hyperboreorum regione spirabant auræ salubriter, & ipsa terra omni noxio flatu carebat, eoque per se felicis erat temperiæ, non collium adminiculo noxios afflatus arcentium. Hic Plinii, ut reor, sensus.

In diem victum arbores subministrant] Plinius: *Qui non alibi, quam in semestri luce, constituere eos, serere matutinis, meridie metere, occidente sole fœtus arborum decerpere, noctibus in specus condi tradiderunt.* Victus illis in diem subministratur, quandoquidem matutinis serunt, meridie fructus colligunt, fœtus autem arborum occidente sole decerpunt. Sed mendum est in verbis Plinii, & tollenda negatio, quam nec libri agnoscunt, legendumque: *qui alibi, quam in semestri luce, constituêre eos.* Quod enim heîc narratur, non potest convenire cum eorum opinione, qui eos in semestri luce constituerunt. Etenim in semestri luce constituti diem unum, & noctem unam tantum habuerint oportet. Qui igitur serere matutinis, & meridie metere possent? Absurdè itaque Solinus, qui cum in semestri luce Hyperboreos constituat, nec alterius opinionis meminerit, victum tamen illis in diem subministrari dicat. Quî fieri id poterat? Hoc illi soli prodidere, qui solem his, ut nobis, quotidie oriri, & alibi sitos esse, quam in semestri luce, volunt.

Discordiam nesciunt, ægritudine non inquietantur] Plinius: *discordia ignota, & ægritudo omnis.* Mela: *non bella novere, non jurgia.*

Ad innocentiam omnibus æquale votum] Mela: *cultores justissimi.* Plinius: *& deorum cultus viritim, gregatimque.*

Pag.

Pag. 27. B. *Quos satietas tenet vitæ*] Libri quidam, & pleræque editiones: *quos satias vitæ tenet.* Mela: *& ubi eos vivendi satietas, magisque tædium cepit, hilares redimiti sertis semetipsos in pelagus ex certa rupe præcipites dant.* Omnino scribi debet: *ubi eos vivendi satietas magis, quam tædium cepit.* Aliud satietas, aliud tædium. Non tædio vitæ gens felix, & beata mortem sponte accersebat, sed satietate: in longa vita quantumlibet fœlici, etiam satietas vivendi intervenit. Καὶ μέλιτος κόρος ἐστί. In misera, & exercita quamvis brevissima, tædium tamen vivendi sæpe obrepit. Ut è convivio saturi, ita illi è vita sponte recedebant, postquam se satis vixisse æstimaverant, voluntario interitu castigantes obeundi tarditatem.

Epulati, delibutique è rupe notâ præcipitem casum in maria destinant] Ita libri omnes, & editiones. Mela: *è rupe certa.* Delrius edidit: *è quadam rupe.* Quod in libro suo reperisset *erumpunt ac*, manifestis vestigiis vulgatæ lectionis, quam perperam mutavit. Etsi sciam Plinium scribere, *è rupe quadam.* Verba Plinii, quia corruptissima sunt, heîc adscribam, ut emendentur: *mors non nisi satietate vitæ epulatis, delibutisque senibus luxu ex quadam rupe in mare salientibus.* De senibus nec Mela, nec Solinus loquuntur. Deinde quid est, *delibutis luxu?* Præterea aliud præferunt libri, in quibus legitur: *epulatis, delibutoque senio luxu.* Quę, licet editis corruptiora, digitum tamen intenderunt nobis ad emendationem certam. Sic ergo legendum, *mors non nisi satietate vitæ epulatis, delibutisque, serio luxu, ex quadam rupe in mare salientibus.* Pro *serio* tralaticia mutatione perperam scriptum fuit *senio.* Nam R & N in veteribus libris crebro mutantur. Inde & *delibuto* correxerant, ut cum *senio* conveniret. Nihil certius conjectura nostra. Luxus erat unguentis perfundi, sertisque redimiri. At serius ille luxus eorum, qui epulati, delibutique, & coronis redimiti mortem accersebant, de rupe quadam in mare salientes. Eleganter, & emphaticè serium luxum hoc appellavit.

Præcipitem casum in maria destinant] Optimus regius: *in profundum mare maria destinant.* Quæ varietas est lectionis ex utraque editione. Nam & in aliis scriptum est: *præcipitem casum in profundum mare destinant.*

Primitias frugum Apollini Delio missitare] Libri omnes, *primitiva, aut primitiba.* Nec aliter princeps editio. Su-A spicor, & verum est auctorem scripsisse; *præmetiva.* Glossæ: *præmetivum*, ἡ πρὸ θερισμοῦ Δημήτρος θυσία. Dicebatur & *præmetium.* Festus: *præmetium, quod prælibationis causa ante præmetitur.* Ἱερὰ δράγματα vocat Callimachus præmetiva illa frugum, quæ ab Hyperboreis Apollini Delio per virgines missitabantur. *Primitias frugum* appellat Plinius. Non primitias tamen frugum, nec spicas, aut præmetia missitabant Hyperborei Delum, sed sacrorum primitias, ἱερῶν ἀπαρχάς, stipula triticea involutas. Et rectè Pomponius sacrorum primitias, non frugum eas indigetat: *sacris operati maximè Apollinis, quorum primitias Delon misisse, initio per virgines suas, deinde per populos subinde tradentes*
B *ulterioribus, moremque eum diu, & donec vitio gentium temeratus est, servasse referuntur.* Nihil aliud sunt *sacrorum primitiæ*, quam θυμάτων ἀπαρχαί, prosiciæ scilicet ex immolata hostia, extorumque partes. Has innexas stipula frumenti Delum mittebant. Herodoto ἱερὰ ἐνδεδυμένα ἐν καλάμῃ πυρῶν. Ubi ἱερὰ vocat ἱερῶν ἀπαρχάς. Simile esse ait, quod Threiciæ, & Pæonides mulieres, quum Dianæ sacra faciebant, οὐκ ἄνευ πυρῶν καλάμης ἔθυον τὰ ἱερά. Ἱερὰ sunt victimæ. Ita sæpe apud Dionysium Halicarnasseum. Ἐσπλαγχνευμένων ἤδη τῶν ἱερῶν. Et ἱερῶν ἀπάρξασθαι, *victimarum exta prosicare,*
C *prosicias aræ imponere.* Nam & *prosicias* ἀπαρχὰς θυμάτων interpretantur Grammatici, ἢ ἀπαρχὰς ἱερῶν. Hujusmodi sacrorum primitias occultatas in fascibus stipularum missitabant quotannis in insulam Delum. Pausanias in Atticis: τὰς δὲ ἀπαρχὰς κεκρύφθαι μὲν ἐν καλάμῃ πυρῶν, γιγνώσκεσθαι δὲ ὑπ' οὐδένων. Alii non stipularum manipulis, sed spicarum obvolutas, & obtectas fuisse volunt. Servius: *quidam dicunt Opin, & Hecaergen primas ex Hyperboreis sacra in insulam Delon occultata in fascibus mergitum pertulisse.* Mergites, ut omnes sciunt, sunt spicarum manipuli. Callimachus:

D Οἱ μέν τοι καλάμην τε καὶ ἱερὰ δράγματα πρῶτοι
Ἀσταχύων φορέουσι.

Δράγματα ἀσταχύων sunt mergites. In illis mergitibus sacrorum primitiæ erant occultatæ, non ipsi mergites pro frugum primitiis perlati. Quod Plinium fefellit, & ex eo Solinum, qui *præmetiva frugum* vocat. Et sanè magnum discrimen est inter primitias frugum, quæ in spicis offeruntur, & primitias sacrorum, quæ in spicarum manipulis occultatæ adferuntur.

C A P U T XVII.

De Arimphæis, & aliis Scytharum gentibus, de tigribus, de pantheris, de pardis.



Pag. 27. C. *Altera in Asia gens est ad initium orientis æstivi*] Ad initium Orientis æstivi Arimphæos collocat. Quod nec Herodotus, nec Mela, nec Plinius, nec quisquam dixit. A Plinio tamen hæc habet, quem suo more ita semper imitatur, ut nunquam exprimat. Ait igitur Plinius ab extremo Aquilone ad initium Orientis æstivi Scythas esse. Extra eos, & ultra Aquilonis initia Hyperboreos à quibusdam poni à pluribus in Europa. Ubi vero deficiunt Riphæorum montium juga, ibi Arimphæos esse. Quos Arimphæos nec Scythas esse, licet veste Scythicæ simili utantur, ex lectione Herodoti constat. Non igitur illi ad initium Orientis æstivi. Vide omnino Herodotum lib. IV. & Plinium lib. VI. cap. XIII.

Ubi deficiunt Riphæorum montium juga] Plinius: *fluvius Carambucis, ubi lassata cum siderum vi Riphæorum montium deficiunt juga. Ibique Arimphæos quosdam accipimus, haud dissimilem Hyperboreis gentem.* Pro quibus verbis legunt quidam: *ubi lassata considere videntur vi Riphæorum montium deficientia juga.* Quos non audio. Intelligit, ubi montium Riphæorum juga deficiunt, ibi quoque vim siderum rigentium lassari, & majorem esse aëris temperiem. Sic paulo ante loquitur: *verùm Asiæ quoque magna portio apposita Septentrioni, injuria sideris rigentis vastas solitudines habet.*

E *Hyperboreis similis: dicunt Arimphæos*] Ita libri, atque ita loquitur sæpe noster. *Arimphæi* etiam in omnibus libris. In Plinianis, *Aremphæi.* Martiano, *Ariphæi.* Herodotus vocat Ἀργιππαίους, lib. IV. οὔνομα δὲ σφι ἐστὶν Ἀργιππαῖοι. Sed scribendum reor apud Herodotum Ἀργιμπαῖοι, *Argimpæi.* Zenobius Ὀργιμπαίους appellat, quod idem est. Verum igitur eorum nomen *Argimpæi*, qui corrupte apud Latinos scriptores *Arimphæi*: ut Ῥιπαῖοι, *Riphæi.* *Aremphæi* quoque scribuntur in libris scriptis Melæ.

F *Et ipsi gaudent frondibus arbustorum, baccas edunt*] Sub frondibus arbustorum degunt. Plinius: *sedes illis nemora, alimenta baccæ.* Habet à Pomponio: *Nemora pro domibus, alimenta baccæ.* Herodotus: ὑπὸ δενδρέῳ δὲ ἕκαστος κατοίκηται. Per hyemem, cum frondibus arbores carent, nihilominus sub iis habitant, tegmine albo, & firmo contectis. Idem Herodotus: τὸν μὲν χειμῶνα, ἐπὰν τὸ δένδρεον περικαλύψῃ πίλῳ στεγνῷ καὶ λευκῷ, τὸ δὲ θέρος ἄνευ πίλου. Recte igitur Pomponius, & Plinius Herodotum interpretati sunt, qui nemora illis pro sedibus, ac domibus esse dixerunt. Nam omni tempore
G in nemoribus degebant. Quod non expressit Solinus dicendo, *arbustorum frondibus eos gaudere.* Alimenta quidem etiam illis arborum baccæ, ut ex Herodoto Pomponius, ac Plinius scripsere, sed non sic ac simpliciter eas edunt, ut ait noster. Succum ex his saccatum, & lacte mixtum pro alimento habent. Herodotus: ζῶντες δὲ ἀπὸ δενδρέων. Ποντικὸν μὲν οὔνομα τῷ δενδρέῳ, ἀφ' οὗ ζῶσι. Καρπὸν δὲ φορέει κυάμῳ ἴσον, πυρῆνα δὲ ἔχει. τοῦτο ἐπεὰν γένηται

γλύηται πέπον σακκέεσιν ἱματίοισιν. Ἀποῤῥέει δὲ ἀπ' αὐτοῦ παχὺ καὶ μέλαν. Σακκεῖν est, quod Latini *saccare*, sacco colare. Ut πιλεῖν, *pilare*: καλεῖν, *calare*: βαλλεῖν, *ballare*, & similia. Hæc idcirco adnotanda fuere, ut constaret Græcos auctores non legisse Solinum, sed ex Plinio omnia fermè hausisse.

Uterque sexus comas tondet] Mela: *& maribus, & fœminis nuda sunt capita.* Ab eo Plinius: *capillus juxta fœminis, virisque in probro existimatur.* Ex Plinio Solinus sexum utrumque comas tondere dixit. Falsus est, & falsum scripsit, quia originem non adiit. Quomodo enim comas tonderent, quas non habent? Herodotus, quem Mela sequitur, ita de Arimphæis scribit: ἄνθρωποι λεγόμενοι εἶναι πάντες φαλακροὶ ἐκ γενετῆς γινόμενοι καὶ ἄρσενες, καὶ θηλέαι ὁμοίως. Si natura calvi tam mares, quam fœminæ, certè comas non habent, quas tondeant. Ideo nuda illis capita esse dicit Pomponius, qua viris, qua fœminis, id est, calva. Cum omnes calvi nascantur, capillus merito apud eos in opprobrio ducitur, ut ait Plinius: cui lectum fuisse Herodotum in hoc ipso loco nobis ex aliis constat. Solinus vero, qui Plinium tantum legit, nec intellexisse videtur, & res palam est.

Pag. 27. D. *Sacri habentur*] Plinius: *itaque sacros haberi narrant, inviolatosque esse etiam feris accolarum populorum.* Ita legendum è libris, non, ut vulgo est, *feris accolarum populis.* Græca loquutio est, τοῖς ἀγρίοις τῶν περιοικούντων ἐθνῶν. Sic *portuosa littorum*, *inhumana littorum*, *asperi surculorum*, *lignorum cassa*, huic nostro Plinii magno simio.

Ultra hos Cimmerii, & gens Amazonum] Plinius: *ultra eos planè jam Scythæ, Cimmerii, Ciciantbi, Georgi, Amazonum gens. Hæc usque ad Caspium, & Hircanum mare.* Martianus è Solino: *ultra hos Cimmerii, & Amazones ad Caspium mare.*

Quod delapsum per Asiaticæ plagæ terga Scythicum irrumpit Oceanum] Ita libri *delapsum*, non *dilapsum*. Mira porro sententia nostri auctoris. Vult mare Caspium more fluminis delapsum per Asiæ terga irrumpere in Oceanum Scythicum. Contrà à Scythico Oceano mare illud recipi, ac prorumpere in terras plerique veterum existimavere. Solinum, ut in aliis, & heìc sequitur Martianus his verbis: *Amazones ad Caspium mare quod in confinio ortum est, ibi Scythicum perrumpit Oceanum.* Quæ sunt deploratissima, nihil variantibus libris, nisi quod habent, *ortus.* Scribe: *Caspium mare, quod in confinio ortus æstivi Scythicum perrumpit Oceanum.* Quæ optima conjectura est. Atqui Caspium mare non irrumpit Scythicum Oceanum, sed erumpit è Scythico. Dionysius:

Δεύτερος αὖτ' ὀλίγος μὲν περιφερέστατος ἄλλων,
Ὅστ' ἀποκιδνάμενος κρονίης ἁλὸς ἐκ βορέαο
Κασπίη αἰπὺ ῥέεθρον ἐπιπροΐησι θαλάσσῃ.

Hoc mare Scythicus effundit Oceanus, non in ipsum effunditur. Plinium videamus, qui unicus Solino auctor est: *Hæc usque ad Caspium, & Hyrcanum mare: namque id erumpit Scythico Oceano in aversa Asiæ, pluribus nominibus accolarum appellatum.* Libri Pliniani veteres eo loco scribunt: *Nam & inrumpit è Scythico Oceano in aversa Asiæ.* Omnino scribendum: *nam id irrumpit è Scythico Oceano.* Horum loco videtur legisse Solinus, *irrumpit Scythicum Oceanum*, Certe putavit ita legi debere. Ineptè. Hunc sequutus Martianus. Irrumpere ex Oceano maria dicuntur, quæ terris infusa. Idem Plinius de eodem mari paulo post: *irrumpit autem arctis faucibus, & in longitudinem spatiosis.* Atque ita passim loquitur. Irrumpit autem non Oceanum, è quo profluit, sed terras, quibus influit. Noster capite sequenti de ortu marium internorum, non alium eorum tradit originem esse, *quam eliquia irrumpentis Oceani.* Et de Gaditano freto loquens, ait Oceanum esse *ab occasu solis irrumpentem.* Cur igitur heìc dicit Caspio mari Scythicum irrumpi Oceanum, cum vice versa Scythicus Oceanus ea parte irrumpat, & Caspium mare terris immittat? Hæc tamen de Caspio mari veterum quorumdam opinio, non omnium. Nam magna pars censuere nihil habere cum Oceano commercii Caspium mare. Utriusque sententiæ suffragiis vapulare heìc debet Solinus.

Ostia Oxi fluminis Hyrcani habent] Falsum est, nec A hoc Plinius dicit, ostia fluminis Oxi Hyrcanos habere. Verum quidem est Hyrcaniam à Septentrione terminari ea parte Hyrcani maris, quæ à Mediæ finibus ad Oxi fluminis ostia pertendit, Ptolemæo teste. Strabo de periplu Caspii maris: τὸν δὲ παράπλουν τὸν Ἀναριακῶν, καὶ Μάρδων, καὶ Ὑρκανῶν μέχρι τοῦ στόματος τοῦ Ὤξου ποταμοῦ τετρακισχιλίων καὶ ὀκτακοσίων. Ergo ab illo latere Hyrcani maris usque ad Oxi fluminis ostium pertinebant Hyrcani. Plinius in eodem periplu describendo: *inde per Anariacas, Amardos, Hyrcanos ad ostium Oxi fluminis quater mille octingenta stadia.* Ita omnino legendum in Plinio, nec aliter legisse Solinum apparet, siquidem B ex hoc loco statuit Hyrcanos ostia Oxi fluminis habere. Vulgo scribitur, *Zoni fluminis*, & *Ariaticos*, & *Amarbos.* Corruptissimè. Ostium fluminis Oxi in extremitatibus Hyrcaniæ est: nec tota Hyrcania circa illius fluminis ostia. Quinimmo infrà Oxi fluminis ora hinc inde Batenos tenere scribit, & Oxios: maximam vero partem Bactrianos. Inter Amardos Hyrcaniæ gentem, & Pæsicas in mare Oxum influere dicit Pomponius. Ad quem locum nos plura.

Gens sylvis aspera, copiosa immanibus feris] Ammianus Marcellinus lib. XXIII de Hyrcanis: *apud quos glebæ maximæ auro intermicantes, ruris colendi cura est levior: sed* C *vescuntur venatibus, quorum varietate immane quantum exuberant: ubi etiam tigrium multa millia cernuntur, feræque bestiæ plures.* Quibus postremis verbis expressit hæc nostri, *copiosa immanibus feris, fœta tigribus.* Sed locum præcipuè attuli, ut eum fœdissimis mendis, quibus inquinatus est, liberarem. Nam nugæ sunt maximæ illæ glebæ auro intermicantes. Scripti codices ibi habent, ut notavit Lindenbrogius: *apud quos glebæ macie intermicantes ementes.* Unde longe diversam ab edita sententiam elicio, legendo: *apud quos glebæ macie internecante sementes ruris colendi cura est levior.* Ideo colendi agri cu- D ram apud Hyrcanos leviorem esse dicit, quia glebæ macies internecet sementes. Nihil verius: *glebæ macies*, & *uber pingue glebæ* opposita sunt. Ita scripsisse Ammianum utar ipso teste, sic enim statim subjicit: *nec ideo tamen stivam ignorant, sed seminibus teguntur aliquæ partes, ubi solum est pinguius.*

Hoc fulvum nigrantibus segmentis interundatum] Segmenta vocat maculas tigrium, quia longis ductibus erant lineatæ. Hinc mensas citreas venatim crispas, & oblongo discursu variatas, *tigrinas* appellabant. Ῥάβδους, & ῥαβδωτὰς σπίλους hujusmodi oblongas macularum notas vocabant. Unde *virgatæ tigres* Latinis Poëtis. Ταινίας E appellat Oppianus. Vestium segmenta ῥάβδοι etiam Græcis.

Pag. 27. E. *Maximè potentia eorum probatur, cum maternis curis incitantur*] Hæc adumbrata è Plinianis istis: *Tigrin Hyrcani, & Indi ferunt, animal velocitatis tremendæ, & maximè cognitæ, dum capitur. Totus enim fœtus, qui semper numerosus est, ab insidiante rapitur equo quam maximè pernici.* Ait maximè cognosci velocitatem tigridis, dum capitur. Mirum sanè. Nam magis inde intelligi deberet, si non caperetur. In libris legitur, *totus ejus fœtus.* Locus interpunctione tantum vitiosus est, quem ita sanamus: *velocitatis tremendæ, & maximè* F *cognitæ, dum capitur totus ejus fœtus, qui semper numerosus est. Ab insidiante rapitur equo quam maximè pernici, atque in recentes subinde transfertur.* Profecto velocitas tigris tum maximè probatur, non cum ipsa capitur, sed cum ejus fœtus, & quidem totus. Conjecturam nostram confirmat & Solinus hoc loco, qui potentiam earum, id est, velocitatem maximè spectari ait, cum catulorum insistunt raptoribus.

Et astu quantolibet amoliri prædam velint] Nullo heìc astu opus, sed celeritate. In Regio scriptum est: *& fuga quantalibet, astu quantolibet amoliri prædam velint.* Quod retinendum est. Astus in eo est, quod sequenti tigri- G di, ac pæne consequutæ semper unum ex universo fœtu, quem rapuerat, projiciebat raptor, quem illa collectum dum referret in cubile, hac mora salutem lucrifaciebat, & sic tamen vix unum ex toto fœtu auferebat. Mela: *causa ex eo est, quod ubi ille interceptos earum catulos cœpit avehere, rabiem appropinquantium frustraturus, & astu unum de pluribus amittit, hæ projectum accipiunt, & ad cubilia sua referunt*, &c. Vide locum. Ambrosius in Hexaemero

Hexaemero alterius technæ meminit, qua uti solebant raptores illi. Cum enim tigridem appropinquare ex fremitu sentiebant, projecta vitrea pila, cujus imagine contemplanda retardaretur, sic evadebant in tutum. Quo allusit & Claudianus hoc versu:

---- *& vitreæ tardatur imagine formæ.*

Sed hanc technam posterius inventam fuisse ex eo clarum est, quod nec Plinius, nec Mela, aut alii antiquiores hujus meminerunt.

Si quando latrones suos asportatis catulis renavigantes vident] In multis exemplaribus, quæ ex priore editione propagata esse liquet, habetur tantum: *si quando latrones renavigantes vident.* Sed latrones non sunt, qui tigridis catulos rapiunt. *Raptores* eos propriè vocabant veteres. Hoc cum viderat, mutavit in recognita, & temperavit hac additione: *si quando latrones suos asportatis catulis renavigantes vident.* Quod haud paulo melius. Nam latrones tigridi sunt, qui catulos ejus rapiunt, & asportant, non simpliciter sunt latrones. Perperam in editionibus legebatur: *si quando latrones suis asportatis catulis renavigantes vident.*

In littore irrita rabie cernuari] Plinius simpliciter: *donec in navem regresso irrita rabies sævit in littore.* An hic plus dicit? Nam *cernuari* est pronum cadere, & solo allidi. Delrius interpretatur, eo usque sævire, donec se mortuas ad terram affligant. Quod verum non putem, & ineptum est. Nec enim mortuæ sese ad terram affligere dici possunt. Voluntaria quippe ruina, & adhuc vivæ cernuabant. Sequitur enim, *velut propriam tarditatem voluntaria castigantes ruina.* Ruere in faciem, & cernuari idem est. Non igitur mortuæ, sed viventes cernuabantur, & humo sese affligebant. Nec aliter poterant. An ex illa spontanea ruina, & cernuatione moriebantur? Nec hoc dicit Solinus, aut Plinius, nec verum est. Et ruina heîc non mortem, aut interitum significat, sed cernuationem, qua rabiem suam incassum exercet tigris præ dolore amissorum catulorum. Sic *ruina equi* dicitur, quum cernuat, & in faciem cadit, qui tamen non interit. Virgilius:

---- *Ejectoque incumbit cernuus armo.*

Ibi Servius: *& hoc dicit, postquam respiravit, & mentem recepit post turbationem ex equi venientem ruina.* Solinus infra de equo: *isque adeo sprevit lupatos, ut de industria cernuatus ruina pariter & se, & equitem affligeret.* Hîc ruina tigridis, & cernuatio idem est. Irritam rabiem solo se allidentis, & frustrà sævientis intelligit, nec plus dicit quam Plinius. Interpretationem suam Philostrati verbis confirmari putat Delrius tradentis, illas ὠρύεσθαι πρὸς τῇ θαλάττῃ, καὶ ἐνίοτε ἀποθνήσκειν. Mori interdum eas dicit in littore, inedia scilicet præ dolore amissi fœtus, non, ut sponte mortem accersant cernuando, vel mortuas se solo affligant. Idem faciunt plerumque & homines belluini, cum acri dolore perciti sunt. Julius Capitolinus in Maximini vita: *ubi hoc Senatusconsultum Maximinus accepit homo natura ferus, sic exarsit, ut non hominem, sed belluam putares: jaciebat se in parietes, nonnunquam terræ se prosternebat, exclamabat inconditè.* Putes hæc dicta de trigride fœtus sibi raptos, & asportatos indignante: cujus proprium in tali casu ὠρύεσθαι, cernuari, ac solo se prosternere: & irrita rabie sævire. *Cernuare* propriè est καταπελωίζειν, & *cernuus*, καταπελωής. Ita vocabantur & petauristæ, qui de machina in caput se jaciebant, quod Græci κυβιστᾷν dicunt. Glossæ: *cernulus*, πεταυριστής. *Cernui*, πεταυρισταί. Perperam scribitur: *cernuit*, πεπεταύρισται. Servius: *cernuus dicitur equus, qui cadit in faciem, quasi in eam partem cadens, quam cernimus; unde & pueros, quos in ludis videmus ea parte, qua cernunt,* κυβιστῶντες *cernui vocantur, ut etiam Varro in ludis theatralibus docet.* Sic legimus in Servio. Glossæ: *cernulat*, κυβιστᾷ. *Cernuus* autem, & *cernulus* dicebatur, unde *cernulare.* Sic *commiscuus* & *commisculus.* Glossæ: *commisculus*, κοινός. Quod mutandum non est. Nam & *misculus* simplex dicebatur. Unde ἀποκοινεισικὸν *miscellus*, & verbum *misculare*, *misclare*: ex quo Italicum & nostrum. *Cernui* boves vocabantur, quorum cornua terram spectant: *Licini* contra, qui sursum versum habent reflexa. De quibus alibi.

Quamquam de fœtu universo vix unus queat subtrahi] A Hæc erat vera lectio, quam & princeps editio, & sequentes usque ad Delrium retinuere. Ipse voluit editum: *quamquam defectu universæ viæ vix unus queat subtrahi.* Quod quid sit, vellem nobis exposuisset. Mendosum librum suum, more suo, nullo judicio sequutus est. Nam & idem mendum in plerisque nostrorum invenimus. Et natum videtur ex eo, quod scripserat auctor, *quamquam de fœtu universo vix vix unus queat subtrahi.* Cujus lectionis elegantiam, quia æstimare nesciebant, corruperunt. *Vix vix*, ut *modo modo* apud Martialem:

---- *modo modo ad Cladi mensam*
Oppigneravit annulum: unde cœnaret.

B Qui locus etiam hodie corruptissimus in editionibus habetur. *Cladus* nomen proprium trapezitæ, ut alibi dicam, & Græcum est Κλάδος. Qui unum ex tigridis catulis volebant servare raptores, universum fœtum, qui numerosus erat, raptum ibant, ut sequenti matri subinde unum jaciendo, sic eam morarentur, donec ad mare pervenissent. Ita faciendo vix vix tamen ex universo fœtu unum poterant subtrahere. Plinius quoque totum fœtum ejus rapi dixit. Atque hic est Solini sensus. Recentiores raptores aliam artem videntur excogitasse: nam pro catulis vitreas sphæras C currenti subinde abjiciebant, quibus ejus impetus tardaretur. De quibus suprà.

Pag. 27. F. *Pantheræ minutis orbiculis superpictæ*] Hinc mensæ citreæ, quæ in vortices parvos erant crispæ, vocabantur pantherinæ. Plinius: *Pantheris in candido breves macularum oculi.* Σφραγῖδας vocat Oppianus, id est, orbiculos. Solinus dicit oculatis ex fulvo circulis, vel cærulam, vel albam distingui tergi supellectilem. Pantheræ dicebantur propriè, quibus cutis candida oculatis maculis erat distincta. Pardi vero, qui tergum cæruleum fulvis orbiculis superpictum habebant. Ita quidam eas distinxere ex veteribus. Plinius de pardis: *quidam ab his pantheras solo candore discernunt.* Quia sciliD cet pantheris in candido maculæ, pardis in cærulo. Alii pardos mares esse, pantheras fœminas credidere. Idem Plinius: *Nunc varias, & pardos, qui mares sunt, appellant in eo omni genere creberrimo in Africa, Syriaque.* Quod verum est. Pardi masculi, & in cærulo oculatis maculis varii: pantheræ fœminæ, & in candido notatæ orbiculis. Ex pardo, & leæna leopardi. Certi vox *pardus* ex Græco πάρδαλις, quæ pantheram significat. Et ipsa ab antiquo πάρδος producta est. Græci inter πόρδαλιν, & πάρδαλιν ita distinguunt; ut mas dicatur πόρδαλις, qui Latine *pardus:* fœmina verò πάρδαλις, quam E Latini propriè *pantheran* vocant. Apud Athenæum lib. v in pompa Philadelphi παρδάλεις, & πάνθηρες quasi diversæ seorsim procedunt: παρδάλεις δεκατέσσαρες, πάνθηρες δέκα ἕξ. Pollux: παρδάλεις τε καὶ πάνθηρες. Sed aliud discrimen non est præter illud, quod Plinio notatum. Latini *pantheras* passim vertunt, quas Græci παρδάλεις vocant. Πάνθηρ videtur appellatus, quasi Πανὸς θὴρ, Panis fera. Quia in deliciis Pani, & Baccho, ut lynces, & tigres. Πάνθηρ, ut σατυρόθηρ. Arcadius Grammaticus: καὶ τὸ πάνθηρ, καὶ σατυρόθηρ ἀπὸ μονοσυλλάβων. In scenis veterum versatilibus semper ante Bacchi pedes fingebatur parva panthera. Hero περὶ αὐτοματοποιητικῆς: F ἐν μέσῳ τοῦ ναΐσκου ζῴδιον Διονύσου ἐφέστηκεν, ἐν μὲν τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ θύρσον κατέχον, ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ σκύφον· Παρακαθίζεται δὲ πανθηρίσκος πρὸς τοῖς τοῦ Διονύσου ποσίν. Et paulo post: καὶ ἐκ μὲν τοῦ θύρσου τοῦ Διονύσου ἤτοι γάλα ἢ ὕδωρ ἐκπυτισθήσεται, ἐκ δὲ τοῦ σκύφου οἶνος ἐκχυθήσεται ἐπὶ τὸν ὑποκείμενον πανθηρίσκον. Inter Satyricas porro vestes, & pantherinam pellem recenset Pollux τὴν παρδαλῆν. Ἡ δὲ σατυρικὴ ἐσθὴς νεβρίς. Αἰγῆ δὲ καὶ ἰξαλῆν ἐκάλουν, καὶ τραγῆ, καὶ που καὶ παρδαλῆν ἐνυφασμένην. Ita enim ille locus legendus. Quia raræ pantherinæ pelles, nec semper ad manum, harum loco sumebant textiles, quæ macularum varietate veras pantherinas imitarentur. Πάρδαλιν itaque Græci G vocant, quæ Latinis *panthera*, quam vocem frequentius usurpant, quam τὸ πάνθηρ, quæ idem illis significat. Videntur & eam vocasse σατυρόθηρα ab eadem ratione, & Poëtæ præcipuè, quorum est & illud πάνθηρ. Malè ergo, qui pardos à pantheris toto genere faciunt diversos, quod paulò post pluribus.

Aconito carnes illinunt.] Plinius: *Pantheras perfricatas carnes aconito, venenum id est, barbari venantur.* Ita libri. Cor-

correxerunt: *perfricata carne aconito.* Non debuere. *Fricare carnes aconito* rectum est, fricando, καὶ τῇ τρίψει perducere. Ita potius, quam quod posuit Solinus, *illinere.* Herba ipsa aconito fricabant carnes, non illinebant, quod unguinis proprium. *Tangere aconito carnes*, alibi dixit Plinius. Pollux aconitum misceri carnibus solitum ait, & pantheras τῇ διαῤῥοίᾳ κενοῦσθαι, cum ceteri omnes scribant, angina ex eo perire. Unde παρδαλιαγχὲς aconito nomen. Καὶ φάρμακον ἀκόνιτον παραμίξαντες σιτίοις, τὸ μὲν θηρίον διαῤῥοίᾳ κενοῦται.

Atque ita per compita spargunt semitarum] Compita semitarum vocat loca, ubi multæ competunt, & concurrunt semitæ. Atque inde *compitum*, quasi *competum* à competo. In antiquissimis membranis Prudentii semper *competum* scribitur. Sed & *compito* pro *competo* dicebant veteres, ut *pertisus*, & *distisus*. Idem alibi *concurrentium viarum compita* dixit, quo multæ scilicet viæ competerent, ut trivia, & quadrivia. Glossæ: *competit*, συνορμᾷ, συντρέχει. Junius Philargyrus: *compitum, ut Trebatio placet, locus ex pluribus partibus in se, vel in easdem partes ex se vias, atque itinera dirigens, sive is cum ara, sive sine ara, sive sub tecto, sive sub divo sit, ubi pagani agrestes buccina convocati solent certa inire concilia. Hinc & lares compitalicii, & feriæ compitaliciæ.* Quæ verba Trebatii apud Philargyrum vulgo depravatissima sic emendavimus. In triviis, & quadriviis ædes erant positæ in tres partes, si trivium esset; in quatuor, si quadrivium, apertæ, ad quas conveniebant pagani ex locis vicinis sacra facturi. Hæc & *compita* dicebantur. Unde *pertusa compita* Persio pervia, & in plures partes patentia. Vetus Scholiastes compita interpretatur *loca in quadriviis quasi turres, ubi sacrificia finita agricultura rustici celebrabant.* Hinc τριόπιον Herodis in via Appia sic appellatum, quod in trivio constitutum in tres partes pateret, & tres ὀπὰς haberet, ut alibi explicavimus, & nihil verius. Nam, ut idem vetus interpres notat, *compita non solum sunt in urbe loca, sed etiam viæ publicæ, ac diverticula aliquorum confinium, ubi ædiculæ consecrantur patentes.* Quia vero τελόπια in Græcia loca erant à Triopa denominata, Herodes in carmine, quo consecrationem loci sui peregit, τελόπιον illud ἐπώνυμον finxit antiqui Triopæ, quem Ceres ob excisum nemus sibi sacrum fame affecit. Hoc enim de Triopa ipso, non de Erysicthone tradunt Diodorus Siculus, & Hyginus. Quod ibi monere omisimus. At τελόπιον revera dictum, quod in tres partes esset pervium, & in trivio constitutum.

Pag. 27. G. *Quam ubi esa sunt*] Ita reposuimus è libris, id est, quas ubi ederunt. Sic *census est* pro censuit: & suprà, *crines tonsus est* pro totondit. In plerisque codicibus scriptum erat, *quæ sublaſa sunt*, expressis vestigiis veræ lectionis.

Ideo gramen Παρδαλιαγχὲς *appellaverunt*] Libri: *ideo gramini nomen Pardalianchen dederunt.* Sic videtur παρδαλιάγχην aconitum vocasse, hoc est, pantherarum anginam, ut κυνάγχη dicebatur canum angina. Græci παρδαλιαγχὲς adjective vocant, Nicander Dioscorides, alii. At ἡ παρδαλιάγχη, angina, vel angor pardorum.

Adeo ut ejectis interaneis mortem diu differant] Plinius: *alias vivacitatis adeo lentæ, ut ejectis interaneis diu pugnet.* Ita libri. Nam formis excusi habent tantum: *ut ejectis interaneis pugnet.* Ex eo noster mortem diu differre eas scripsit, quod non idem est.

In his silvestribus & pardi sunt] Silvestria vocat, & ἄγρια. *Silvatica* alii. Unde nostrum *sauvage*. Nam *selvaticum*, & *salvaticum* etiam infima ætas scripsit. Trebellius Pollio de Odenato: *qui à prima ætate capiendis leonibus, & pardis, & ursis, ceterisque silvestribus, sudorem officii virilis impendit.* Pardos autem diversi generis à pantheris facit, in eoque à Plinio, & veritate dissentit, & secum ipse pugnat. Nam cum suprà dicat pantherarum tergum vel cærulum, vel album oculatis ex fulvo circulis distingui, tam pardos, quam pantheras comprehendit. Siquidem pantheræ propriè acceptæ candidam tergi supellectilem habent fulvis orbiculis pictam. Ideo Plinius ex quorumdam sententia pantheras à pardis solo candore discerni tradit, nec aliam esse differentiam. Sanè non aliud discrimen inter pardum, & pan-

A theram, quam quod Græci ponunt inter πάρδαλιν, & πάνθηρα. Athenæus: παρδάλεις δεκατέσσαρες, πάνθηρες δεκὰ ἕξ. Nam πάρδαλις est pardus: πάνθηρ, panthera. At passim Latini τὰς παρδάλεις etiam pantheras reddunt. Pardi, sive παρδάλεις pellem cæruleam fulvis oculis variatam gestant. Unde *virides Pardi* Claudiano, id est, cærulei. Atque hi mares erant, ut plerisque visum. Idem Claudianus de leopardis loquens:

---- cum forte leænæ
Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter.

Ἐυχλοῦν πάρδαλιν Pollux dici notat, quod de cæruleo pardo accipiendum.
B Romani teste Plinio *varias*, & *pardos* in eo genere appellabant mares: fœminas vero *pantheras*. Et *varias* quidem κατ' ἐξοχὴν pardos mares sic vocabant, quia pulchriores, & magis coloribus variati. Glossæ: *varia*, πάρδαλις, ποικίλη. Legitur apud eumdem Plinium: *primum Scaurum Ædilitate sua varias centum quinquaginta universas misisse, Pompejum Magnum quadringentas decem, Divum quadringentas viginti.* Hoc magnum *tot varias*, id est, tot pardos, & mares omnes misisse. Ideo notatum. Magis enim magnificum, quam si totidem fœminæ, id est, pantheræ una missione essent editæ. Et alias missio hujusmodi silvestrium animalium per sexus discreta fiebat.
C Hinc in vitis imperatorum sæpe legere est, centum leones una missione editos, & centum leænas. Ut apud Vopiscum in Probo: *editi centum leopardi Libyci: centum deinde Syri: editæ centum leænæ.* Additur ibidem: *edidit alia die in Amphitheatro una missione centum leones jubatos.* Sic *variæ* sunt pardi, pantherarum scilicet masculi. Certè πάρδαλιν Latini *pantheram* vertunt. Παρδαλιαγχὲς Græcis aconitum dicitur, quo pantheræ necantur. Ita Plinius, aliique. Horatius:

Diversum panthera genus confusa camelo.

Camelopardalim intelligit. Ergo πάρδαλις, panthera.
D Glossæ: πάρδαλις, *panthera.* At πάρδαλιν, & pardum eumdem esse ratio nominis probat. Sic pardus & panthera, idem genus, non diversum, ut Solinus autumat, qui & sibi ipsi contradicit. Pardos porro etiam vocabant ex pardo, & leæna genitos, qui proprè *leopardi.* Hi leonis colore maculas habebant ut pardi. Claudianus:

Obvia fulminei properent ad vulnera pardi
Semine permixto geniti. Et paulo post:
Hi maculis patres referunt, & robore matres.

Lampridius in Heliogabalo: *ebrios amicos plerumque*
E *claudebat, & subito nocte leones, & leopardos, & ursos exarmatos immittebat, ita ut expergefacti in cubiculo eodem leones, ursos, pardos cum luce invenirent.* Pardos, & leopardos pro eodem animali posuit. Nec dubium est hoc loco Solinum pardos pro leopardis usurpasse, cum dixit pardos à pantheris secundum genus esse. Nam certè leopardi secundum à pantheris genus, ex pardo quippe & leæna geniti. Secundum etiam genus à leonibus ex utroque genere mixti. Sic muli secundum genus sunt ab equis, & asinis. Sed quod sequitur adulterinis eorum coïtibus degenerari partus leænarum, id pardis, hoc est, τοῖς παρδάλεσι, non leopardis
F convenit. Sic dare solet auctor iste: diversas res & sententias sæpe in unum miscet. Circulatores etiam hodierni, qui animalia exotica circumferunt, leopardos pro pardis, & pantheris, & contra nobis obtrudunt.

Degenerantur partus leænarum] Novè dictum, id est, corrumpuntur & degeneres fiunt. Ergo *degenerare* huic auctori est, non degenerem fieri, sed facere, in activa significatione. Ita & loquutus est Capitolinus in Opilio Macrino: *siquidem solus Marcus nomen illud sanctum vitæ genere auxisse videtur, verus autem degenerasse.* Ita nunc malim, quam quod olim placuit, *degeniasse.*
G Idem in Gordianis: *vita sua hac tamen fortitudinem animo nunquam degeneravit.* His locis *degenerare* est degenerem reddere.

Et leones quidem procreantur, sed ignobiles] Non leones, sed leopardi, qui & pardi dicti, quod patres pardos haberent, matres leænas. Nec leones unquam tales appellati. Sed, ut solet, aliorsum Plinii verba interpretatus est, qui ita scribit: *leoni præcipua generositas, tunc*

tunc cum colla, armosque vestiuns juba. Id enim ætate contingit leone conceptis. Quos vero pardi generavere semper insigni hoc carent, simili modo fœminæ. Non dicit Plinius leones esse, aut appellari, quos pardi generavere, ut hic accepit. Παρδάλεων nomine apud Græcos comprehenduntur, ut Latinè etiam pardi solent vocari. Macu-
A losi enim sunt, ut pardi. Vox autem *leopardus* tota est Latina, non Græca, ex duabus Latinis composita, *lea* & *pardus*. Nam *leam* pro leæna dixerunt veteres. Glossæ: *lea*, λέαινα. Ita scribendum. Λεοντοπάρδαλις tamen etiam apud Græcos legi, sed leones appellari absolutè non legi, nec verum est.

CAPUT XVIII.

Unde mediterranea maria Oriantur.



PAg. 28. A. *Quoniam in Ponticis rebus sumus*] Vide ineptiam, & ἀβλεψίαν nostri auctoris. Hæc de ortu marium internorum, ut cetera omnia habet à Plinio, qui libri IV. cap. XIII de Ponti insulis tractans, ubi aliquot ex his enumeravit, statim subjicit: *non est omittenda multorum opinio, priusquam digrediamur à Ponto, qui maria omnia interiora illo capite nasci, non Gaditano freto existimavere.* Et rectè quidem ille, nam in Ponto est, & de rebus Ponticis loquitur. Hic vero superiori capite cum de Hyperboreis, Riphæis montibus, Hyrcanis, & Arimphæis tantum disseruerit, nihil de Ponto, aut Ponticis nationibus dixerit, aliena loquitur, & mentitur, asserens in Ponticis se rebus esse. Nec dicendum, quoniam hoc capite de Ponto tractaturus sit, ideo hac illum uti oratione: etenim toto capite nihil narratur, quod ad Pontum pertineat præter Apolloniatarum insulæ, & Achillis mentionem. Sed non solum res, verum & verba ipsa ita à Plinio mutuatur, ut plerumque nullo judicio utraque usurpet, & non suo loco ponat.

Quam eliquia irrumpentis Oceani] Sic habent meliores libri: nam quod habetur in editionibus, *quam inundationem irrumpentis Oceani*, ex παρεκδόσει est. Quod & ipsum rectum. Sic & paulo post loquitur: *omnem illum fluorem ajunt à Ponticis faucibus inundare.* Quod mu-
B tavit, quia nimis in propinquo repetitum. *Eliquia* sunt διυλισμοί. *Eliquare*, διυλίζω, & διηθεῖσθαι, percolare nimirum, & sacco purgare. Glossæ: *liquatur*, διηθᾶται. Seneca lib. III. Nat. Quæst. de quodam fonte: *fœda quadam turbidus ex imo fundit, donec liberatus, eliquatusque est.* Maria ex Oceano arctis faucibus terras intrantia quasi eliquari, & colari dicit. Hinc *eliquia irrumpentis Oceani* ea vocavit. Certè *eliquia* appellat, quæ Græcè ἐκρύσεις. Hanc enim vocem in eadem re designanda usurparunt, & *inundationes* ἀναχύσεις θαλάττης. Qua voce Plinius & pro accessibus maris utitur.

C *Cujus spiritu pervadente*] Eorum opinionem sequitur, qui Oceanum quasi corpus quoddam vivum spirare, mundique nares in ejus profundis constitutas existimabant, ex eaque spiritus reciprocatione accessus, & recessus fieri in maribus internis. Qua de re videndus Strabo. Ex hac sententia *mare molle spirans* appellavit idem in versibus Ponticon, quorum extat fragmentum cum hoc initio:

Tethya marmoreo fœcundam pandere Ponto,
Et salis æquoreas spirantis molle catervas.

D Ita legendum: nam malè editum est:

Et salis æquorei spirantes mole catervas.

Quod ineptum est. Nam *sal æquoreus* idem est, ac si dicas: *mare æquoreum.* Hinc terras, quæ maris æstibus alluuntur, *mari adspirari* infra dicit.

Pag. 28. B. *Quod æstus è ponto profluus nunquam reciprocetur*] Plinius: *haud improbabili argumento, quoniam æstus semper è Ponto profluens nunquam reciprocetur.*

CAPUT XIX.

De insulis Scythicis, de Oceano Septemtrionali, de spatiis inter Scythas & Indos, de formis hominum, de cervis, de tragelaphis.



PAg. 28. C. *Insula Apollinitarum*] Scribe: *Apolloniatarum.* Nam Græci Ἀπολλωνιάτης. Plinius: *citra Istrum Apolloniatarum una* LXXX M. *A Bosporo Thracio, ex qua M. Lucullus Capitolinum Apollinem advexit.* Ita loquitur, quasi plures sint insulæ Apolloniatarum. Ex Apollonia Ponti urbe simulacrum illud, sive Colossum Apollinis Capitolini à Lucullo translatum fuisse idem Plinius alio loco memorat. Apolloniam illam insulam nemo, quod sciam, appellat. Mela: *atque ubi Pontus alterum sui flexum angulo finit magna Apollonia.* Ptolemæus hujus Apolloniæ in Thracia meminit, & inter urbes recenset, non insulam dicit fuisse. Rem decidere videtur Strabo tradens Apolloniam, τὸ πλέον τοῦ κτίσματος ἱδρυμένον ἔχειν ἐν νησίῳ τινὶ, ὅπερ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος. Ex eo Stephanus in voce Ἀπολλωνία, ubi plures hoc nomine urbes recenset, δευτέρα, inquit, ἐν νήσῳ πρὸς τῇ Σαλμυδησσῷ ἀποικία Μιλησίων καὶ Ῥοδίων. De ista intelligit. Ἐν νήσῳ esse dicit, non νῆσον appellat. Et certè, ut jam dixi, nemo veterum Apolloniam illam insulam appellavit. Libri veteres apud Stephanum verba illa non habent, ἐν νήσῳ. Sed quænam ea insula, aut quo nomine fuit, quæ Salmydesso propinqua, & templum Apollinis habuit? Etenim si Apollonia urbs in insula erat, celebrem, & nominatam eam oportet insulam fuisse. An Apollonia vocabatur eodem cum ipsa urbe nomine? Ita quidem videtur sentire Plinius, qui Apolloniatarum
E insulam vocat. Sed & lib. VI. cap. XII insulas Ponti, quæ & in Asiæ littoribus sunt, numerans ita scribit: *Cyaneæ, deinde Apollonia Thynias dicta, ut distingueretur ab ea, quæ in Europa*, id est, ab hac Apolloniatarum insula, quam in manibus habemus. Atqui non insulam, nec in insula sitam hanc Apolloniam Europæ tradit Strabo, sed τὸ πλέον τοῦ κτίσματος in parva insula habere, magna sui parte in insula conditam esse. Ergo reliqua pars in continente fuit. Sic parte sui insula, parte vero terra continua fuerit Apollonia. Quod ego
F demiror. Restat illud quærendum, quo nomine dicta sit illa insula, in qua Apollonia dimidiata condita est. Quid sentiam, paucis absolvam. Apollonia Thynias insula Ponti in Asia sic appellata, quod esse Apollini sacra. In ea Apollini aram statuisse Argonautas canit Apollonius lib. II. Hujus meminit Arrianus in Periplu Ponti: ἀπὸ Ῥόης εἰς Ἀπολλωνίαν νῆσον μικρὰν, ὀλίγον ἀπέχουσαν τῆς ἠπείρου. *Thynias* dicitur Pomponio lib. II. cap. VII. *Thynias Mariandynorum finibus proxima, urbem habet, quam quia Bithyni incolunt, Bithynida appellant.* Aliis
G *Apollonia Thynias* ad distinctionem alterius Apolloniæ, quæ in Europa, ut inquit Plinius. Ceterum Apollonia illa Europæa, non insula fuit, ut ista, nec opus hac distinctione, & fallitur Plinius. Apolloniæ porro Ponticæ urbi in Europa sitæ, quam & Magnam indigetat Mela, Thynias vicina fuit, non insula, sed promontorium. Θυνιὰς ἄκρα Ptolemæo: Arriano: Θυνιὰς ἀκτή. Hæc Apolloniatarum finibus contermina. Marcianus Heracleota:

Εἶτ' Ἀλμυδησσὸς ἄκρα συνάπτει Θυνιάς,

Τῆς Ἀσιανῆς Θρᾴκης ὑπάρχουσ' ἐσχάτη.
Μεθ' ἣν πόλις ἐστὶ σύνορος ἡ Ἀπολλωνία,
Ταύτην δὲ πρότερον ἔτεσι πεντήκοντά που
Κτίζουσι τῆς Κύρου βασιλείας τὴν πόλιν
Εἰς τοὺς τόπους ἐλθόντες οἱ Μιλήσιοι.

Nusquam heîc memorat Apolloniatarum insulam Martianus. Thyniadem Strabo Apolloniatarum in regione ponit his verbis: ἐν δὲ τῷ μεταξὺ ἥτε Θυνιὰς ἡ Ἀπολλωνιατῶν χώρα, καὶ Ἀγχιάλη καὶ αὐτὴ Ἀπολλωνιατῶν. Ovidius:

Thyniadosque sinus, & ab his per Apollinis urbem
Vecta sub Anchiali mœnia findat iter.

Ita scribendum, non *Thyniacos*. Ubi promontoria, ibi & sinus: nam promontoria sinus faciunt. *Thyniados sinus*, οἱ κόλποι τῆς Θυνιάδος ἄκρας. Littus illud, & promontorium juxta Strabonem in Apolloniatarum finibus. Suspicor igitur, cum idem Strabo dixit Apolloniam majore sui parte in parva insula positam fuisse, nominis errore inductum ita scripsisse, ac de altera Thyniade cogitasse, quæ & parva insula fuit, μικρὰν νῆσον vocat Arrianus. In qua & Apollinis ἱερὸν, à quo & ipsa insula Apollonia appellata. Inde & Plinius errorem hausit de Apolloniatarum insula, quam & quidem non unam vult fuisse. Certè nullus veterum extat, qui insulæ ullius meminerit, vel Apolloniæ urbi, vel illis locis vicinæ. Urbem maritimam fuisse, non insulam inter omnes convenit. Arrianus, qui diligentissimè periplum Ponti persequutus est, & locorum stadiasmos apposuit, nullam insulam prope Apolloniam agnoscit. Cherronesum sexaginta stadiis ab ea collocat, his verbis: ἐκ δὲ Ἀπολλωνίας εἰς Χεῤῥόνησον στάδιοι ἑξήκοντα, ὅρμος ναυσίν. Καὶ ἐκ Χεῤῥονήσου εἰς Αὐλαίου τεῖχος, πεντήκοντα καὶ διακόσιοι. Ἐνθένδε εἰς Θυνιάδα ἄκτην εἴκοσι καὶ ἑκατόν. Urbis erat hoc nomine in littore, ut videtur, χεῤῥονησίζοντι. Inter Apolloniam, & Thyniada ponit Cherronesum illam, & Αὐλαίου τεῖχος. Ptolemæus vero pro Cherroneso, & Αὐλαίου τείχει, in eo spatio recenset Τόνζον, & Περοντικὸν hoc modo: Ἀγχίαλος. Ἀπολλωνία, Τόνζου, Περονλικόν, Θυνιὰς ἄκρα. Quæ corruptissima esse nemo possit dubitare. Τόνζος urbs Thraciæ, sed mediterranea, cujus & paulo post ἐν τοῖς μεσογείοις meminit. Puto igitur apud Ptolemæum reponenda locorum nomina, quæ ponuntur ab Arriano inter Thyniadem, & Apolloniam. Nec enim alia possunt esse. Quare sic scribendum: Ἀπολλωνία. Χεῤῥόν. Αὐλαίου τεῖχος. Θυνιὰς ἄκρα. Breviatum illud χεῤῥόν. Pro χεῤῥόνησος, ut sæpe apud Græcos. Sic ποτ' pro ποταμός. Ut ad rem redeam, nequaquam mihi dubium est, quin Strabo, & Plinius Apolloniam, & Thyniadem Europæam cum Apollonia Thyniade Asiatica aliud agentes confuderint, cum hæc insula fuerit, illa vero maritima urbs tantùm. Ammianus lib. XXII de Europæa: *Istros quondam potentissima civitas, & Tomi, & Apollonia, & Anchialos, & Odissos, aliæ præterea multæ, quas littora continent Thraciarum.* Dixerit aliquis fortasse per insulam Apolloniatarum intellexisse Plinium Χεῤῥόνησον illam, quæ vicina Apolloniæ ab Arriano statuitur. Nam cum Θυνιάδα, quæ longius ab Apollonia remota est, in Apolloniatarum agro censeat Strabo, Cherronesum longè propinquiorem ad eosdem spectasse verisimile sit, & auctores plerumque peninsulas pro insulis numerant. Multa tamen sunt, quæ opponi possunt. Hæc discutiant alii, quibus abundat otium.

Ante Borysthenem Achillis insula est] Hic locus ex duobus Plinianis factus. Vide lib. IV. cap. XIII. & lib. X. cap. XXIX.

Quam ædem nulla ingreditur ales] Contrarium ex Arriano constat, qui in Periplu Ponti scribit aves quotidie intrare ædem Achilli sacram, eamque pennis suis rorulentis aspergere. Et aves illas dicit esse, gavias, mergos, & marinas cornices. Ὄρνιθες δὲ πολλοὶ, inquit, αὐλίζονται ἐν τῇ νήσῳ, λάροι, καὶ αἴθυιαι, καὶ κορῶναι αἱ θαλάσσιοι τὸ πλῆθος οὐ σταθμητοί. Οὗτοι οἱ ὄρνιθες θεραπεύουσι τοῦ Ἀχιλλέως τὸν ναόν. Ἕωθεν ὁσημέραι καταπέτονται εἰς τὴν θάλασσαν. Ἔπειτα ἀπὸ τῆς θαλάσσης βεβρεγμένοι τὰ πτερὰ σπουδῇ αὖ εἰσπέτονται εἰς τὸν νεὼν καὶ ῥαίνουσι. Quid tam è diverso pugnans? Sed nec Plinius hoc dicit, aves nullas ingredi ædem Achillis, à quo tamen habet, quidquid habet noster. Verba ejus hæc sunt: *perdices non*

A *transvolant Bœotiæ fines in Atticam: nulla avis in Ponto insula, qua sepultus est Achilles, sacratam ei ædem.* Repetendum ex superioribus, *transvolant.* Ait igitur nullam avem transvolare ædem Achilli sacram, id est, volatu transcendere, ὑπερπέτεσθαι. In ædem ingrediuntur aves, sed eam nunquam supervolitant. Quidam libri manu correctorum interpolati verbum *infestant* insertum habent hoc modo: *infestat sacratam ei ædem.* Sed libri meliores eam non agnoscunt. Et rectè. Antigonus Carystius cap. CXXXIV. Ἱστορεῖται δὲ καὶ περὶ τὴν Λευκὴν νῆσον μηδὲν ὑπεραίρειν δύνασθαι τῶν ὀρνέων τῇ νήσῳ τὸν τοῦ Ἀχιλλέως. *Nullam avium volatu transcendere posse*
B *Achillis ædem in Leuce insula.* Quæ Plinii sententia est, à qua longè abit Solinus. Ex his potest perspici, quid fidei, & auctoritatis mereatur noster Grammaticus.

Oceanum Septentrionalem] Ineptè antea in editionibus habebatur; *Oceanum Septentrionalem ex ea parte, qua à Paropaniso amne Scythiæ alluitur.* Quasi Oceanus, aut maria dicantur fluminibus allui, quo nihil absurdius. Reposuimus, ut in libris fuit: *qua à Paropaniso amne Scythia alluitur.* Et confirmat Plinius his verbis, quæ Solinus transcripsit: *Septentrionalis Oceanus, Amalchium eum Hecatæus appellat, à Paropaniso amne, qua Scythiam al-*
C *luit, quod nomen ejus gentis significat congelatum.* Sequentia etiam ab eodem Plinio, loco eodem.

Pag. 28. D. *Ultra Rubeas, id quidquid est, Cronium nominant*] Libri: *Cronium nominat.* Idem nimirum Philemon, non enim Scythæ. Plinius: *ultra deinde Cronium.*

Mare autem Caspium] A Ponto ad Septentrionalem Oceanum, ab Oceano ad mare Caspium, deinde à Caspio in Septentrionem, & Europam transilit, & omnia desultorio more transigit, eodem tempore in Asiam ex Europa, & ex Asia in Europam migrans, & remigrans.

Ultra Maßagetas, & Apellæos Scythas] Cur ex innu-
D meris ferè populis, qui in illo tractu sunt, & quos Plinius recenset, solos heîc memorat Massagetas, & Apellæos Scythas, præcipuè quum Apellæos ibi interiisse idem Plinius dicat? *Ibi Napæi interiisse dicuntur, & Apellæi.* Præterea, quomodo intelligendum, quod ait ex altero Ponti latere mare Caspium esse ultra Massagetas, & Apellæos? An inter Pontum, & Caspium mare Massagetæ? Ita sonant hæc illius verba. Atqui contrarium in vero est. Nam ultra Caspium versus Orientem Massagetæ. Strabo, Ptolemæus, Dionysius, alii. Vide Plinium lib. VI. cap. XIII. Errat Solinus.

Et Apellæos Scythas] Libri omnes nostri: *Apalæos.*
E Plinio *Apellæi.* Notat Vinetus in antiquis codicibus Plinii *Apalæos*, & *Apulæos* scribi. Legi apud Græcos, Ἀπαλαίους. Solinus infrà *Apalæos* quoque vocavit cap. XLIX. *E quibus celeberrimi sunt Maßagetæ, Eßedones, Satarchæ, & Apalæi.* Ita enim libri ibi legunt, & de iisdem intelligit populis.

Dulce haustu Alexandro Magno probatum est] Inculpati libri, & fideliori manu scripti præferunt: *Esse in Asiatica plaga duce Alexandro Magno probatum est.* Qui mangonum manu attrectati, & contaminati sunt, habent: *dulce haustu sicut duce Alexandro Magno probatum est.* Alii
F aliter. Scribe: *dulce Alexandro Magno probatum est.* Sic Sallustius de mari Pontico: *mare Ponticum dulcius, quam cetera.* Sequitur statim: *Mox Pompejo Magno, qui ipsis haustibus periclitari fidem voluit.* Ita variavit, quod Plinius sic conceperat: *Haustum ipsius maris dulcem esse, & Alexander Magnus prodidit, & Marcus Varro talem perlatum Pompejo juxta res gerenti, periclitari fidem voluit.* Ad oram Regii, *pernoscere fidem voluit.* Quod vel ex glossa est ex priore editione. Hoc verius. *Periclitari naturas locorum* supra dixit.

Per idem tempus eidem Magno licuit ex India diebus octo à Bactris usque Icarum flumen pervenire] Pompejum
G Magnum in Indiam navigasse, & ex India septem, aut octo diebus ad Bactros rediisse, nusquam in historia Romana mihi lectum est, nec id Plinius dicit, quem Solinus non intellexit. Sic enim ille: *adjicit idem Varro, Pompeji ductu exploratum in Bactros septem diebus ex India perveniri ad Icarum flumen, quod in Oxum influat.* Mens Plinii est, cum Romani ductu Pompeji ibi locorum ad Caspium scilicet mare cum Mithridate, vel Tigrane bellum gererent, exploratum illis esse

septem

septem diebus ex India Bactros usque ad Icarum flumen perveniri posse. Quod Solinus ita accepit, quasi Pompejus ipse cum exercitu ex India in Bactros septem diebus pervenerit. Quod prorsus ἀνιστόρητον est. Præter auctoris hallucinationem multis aliis vitiis hic locus inquinatus est. Nec enim gravi menda caret, quod heîc dicitur, ex India à Bactris septem diebus perveniri. Numquid Bactri in India? Ita tamen omnes editi, quod jure mireris. Legendum è Plinio, & libris: *ex India diebus octo ad Bactros usque ad Icarum flumen pervenire.* Ne fluminis quidem nomen satis sincerè concipi arbitror: nullus quippe amnis Icarus ἐν Βακτριανῇ. Ita vocatur & Plinio. Sed quis Plinium audeat satis sanum asserere, præsertim cum aliter in ejus libris hujus fluminis nomen scriptum extet. Ita enim in optimo Rigaltiano scribitur: *perveniri ad Achrum flumen, quod in Oxum influit.* Conjiceret aliquis emendandum: *ad Ochum flumen.* Nam Ochus, Ὦχος Bactrianæ flumen, quod influit in Oxum. Aliter tamen legisse Solinum certum est, si fides ejus libris, qui omnes partim *Dalierum*, partim *Dalerum* exhibent. Ergo ita legerit in Plinio: *perveniri Dalierum flumen, quod in Oxum influit.* Sic certe authores hoc verbo utuntur sine præpositione:

Ovidius: ---- *pervenire aliquem locum.*

---- *aures non pervenientia nostras.*

Sed ubi apud Bactros *Dalierus* amnis? Eum esse puto, quem Δάργιδον vocat Ptolemæus, & influere in Oxum dicit: καὶ ὁ Δάργιδος ὃς συμβάλλει τῷ Ὄξῳ. *Dalgedus*, aut *Dalgidus* corruptè in libris inolevit, *Dalierus*. Nam I & G sæpe invicem mutari alibi observamus. Et fortè Δάργιλος apud Ptolemæum vocari debet, ut Δ & Λ sæpenumero confunduntur. Inde transpositis literis, ut amat fieri in istis locorum nominibus *Dalgerus*, & inde *Dalierus*.

Pag. 28. E. *Itinere terreno subvectis navibus*] Prodigiosè mirum est, quod heîc legitur. Plinius scribit ex flumine Dargilo, quod in Oxum influit, Indicas merces per Caspium mare subvehi posse in Cyrum amnem, qui fines Iberiæ, & Armeniæ interluit. Ex Cyro porro amne quinque dierum tantum iter esse terenum usque ad Phasin: inde in Pontum devehi. Verba ejus hæc sunt: *& ex eo per Caspium in Cyrum subvectas quinque non amplius dierum terreno itinere ad Phasin in Pontum Indicas posse devehi merces.* Mari semper, aut fluviis merces illas Indicas subvehi dicit, excepto quinque dierum tantum itinere, quod terra faciundum à Cyro fluvio usque ad Phasidem. Quæ noster Grammaticus ita heîc expressit: *itaque à Cyro diebus non amplius quinque, itinere terreno subvectis navibus ad alveum Phasidis pertendi.* Sic enim scribendum, non *pertendit*, ut perperam habetur in omnibus excusis. Nimirum intellexit à Cyro ad Phasim terrestri itinere quinque dierum naves ipsas subvehi. Nec enim aliter ejus verba capere licet. Monstranda stupiditas, & par utique monstro. Navibus merces subvehuntur per mare ad flumina, aut per flumina ad mare, non autem subvehuntur naves terrestri itinere. Argonautas Poëtæ canunt duodecim dierum itinere navem suam de mari in mare subvectasse. An inde exemplum subvehendarum terra navium sumpserit Grammaticus, nescio. Illud scio, suprà quam dici possit, hallucinatum esse, ac ludibrium debere.

In Pontum usque Indos advehi] Non Indos, sed Indicas merces advehi solitas ex Varrone tradit Plinius. Quorum magna differentia est. Refert ex Varrone Plinius Mithridatico bello juxta Caspium mare res gerente Pompejo, exploratum esse diebus septem ex India perveniri in Bactros ad flumen Dalgirum, quod in Oxum influit, ut ipse Oxus in Caspium. Eo explorato observabat Varro merces Indicas eo itinere in solum Romanum apportari posse. Nam ex Oxo per Caspium mare in Cyrum flumen subvectas, quinque non amplius diebus terreno itinere ad Phasim in Pontum posse devehi. Non dicit aliquando sic devectas fuisse, tantum abest, ut per Phasidis excursus in Pontum usque Indos advehi liquido probatum esse ferat, quod hic asserit. Concedamus, quod verum tamen non est, merces Indicas eo cataplo per Pontum aliquando Romanis importari solitas, non ipsos Indos eas advexisse

A credendum est, sed mercatores in Indiam navigantes; quos Ἰνδοδρόμους Græci vocarunt. Ridiculum itaque, & falsum, quod de Indis advectis in Pontum heic dicitur. Vinetus ediderat: *per cujus excursus in Pontum usque venientes India liquido probatum est invehi posse.* Ita & Camers. Reliquæ editiones: *venientes in India*, quæ somnia sunt correctorum. Princeps editio, & libri habent, ut nunc edimus: *Indos advehi liquido probatum est.* Nec aliter in suis invenit Delrius. Hoc itaque adnumeretur Solini παροράμασι. Quæ notamus jam, non miramur.

A littore Scytharum in insulam Balthiam] Jam de Asia
B in Europam. Libri Soliniani scribunt, *Abalciam insulam.* Excerpta Plinii, quæ vidimus antiqua, *Balciam.* Nec secus scripta manu exemplaria.

Nec longe Oonas separari] Camers dictas autumat, quod earum incolæ ovis avium marinarum victitarent, ἀπὸ τῶν Ὠῶν. Cur non potius ab avenis, quibus etiam vescebantur? Huic interpretationi repugnat scripta lectio Plinianorum, & Solini exemplarium, in quibus legitur, *Oæonas.* Quædam: *Oeones.* In excerptis Plinii *Oeocenæ insulæ* vocantur. Apud Pomponium Melam in antiquitus editis, *Cenæ.* Quod correxit Hermo-
C laus in *Oonas.* Quasi Ὠῶναι dictæ fuerint ἀπὸ τῶν Ὠῶν. Perperam. Veteres libri eo loci habent, *Oeneas.* Scribe *Oonæas*, sicut habetur in melioribus Solini codicibus.

Et avenis vulgo nascentibus] Plinius: *ovis avium, & avenis incolæ vivunt.* Mela: *in his esse & Oæonas, qui ovis avium palustrium, & avenis tantum alantur.* De avenis illis sponte, ac vulgo nascentibus nihil Plinius, nec Mela; sed ex alio Plinii loco id sumpsit, ubi scribit ab Orientis parte intima gentem esse ore concreto, & naribus carentem, quæ *uno tantum foramine spirat, potumque calamis avenæ trahit, & grana ejusdem avenæ sponte provenientis ad vescendum.* lib. VI. cap. XXX. Quod de Orien-
D tali populo dixit Plinius, ubi sponte avenæ proveniunt, ad Scythicam istam, sive Germanicam nationem transferre non debuit. Nam si Oæones avenis sponte nascentibus victitassent, æquè de his hoc memorassent auctores illi, ac de Orientali gente. Germaniæ populos avenam serere; neque alia pulte vivere traditum Plinio lib. XVIII. cap. XVII, quam pultem ex avena mirifice hodieque in deliciis habent Germani. In Thracia quoque avenas fructuosas esse, ac proinde seri, notat Servius ad Eclogam V. *Steriles autem avenas secundum situm Italiæ dixit. Nam in Thracia fructuosæ sunt.* At sponte provenientes, ut in Italia, nihil frugis habent, nec quid-
E quam, quod possit alere. Apud veteres Latinos *avenæ* nomen in frumenti vitio tantùm est habita, nusquam inter fruges computata. Inde est, quod nihil de ejus satione legitur apud auctores hujus linguæ, qui agriculturæ præcepta conscripserunt. Glossæ: *avena*, βρόμος, αἶρα. Ita scribendum. Αἶρα est lolium, quod ex æquo inter frumenti vitia ab his numeratur, ut avena. At βρόμος avena. Sic tamen Græci propriè vocant frugiferam, & sativam, qualis nostra est, non sterilem, ac sponte provenientem, quæ iisdem Græcis αἰγίλωψ magis dicitur. Plinius *avenam* promiscuè solet verte-
F re, tam αἰγίλωπα, quam βρόμον, quum tamen diversa sint. Lib. XVIII. cap. XVII, sic scribit: *primùm omnium frumenti vitium avena est, & hordeum in eam degenerat: sic ut ipsa frumenti sit instar: quippe cum Germaniæ populi serant eam, nec alia pulte vivant.* Quæ frumenti vitium est, & in quam hordeum degenerat, αἰγίλωψ est: quam Germani serunt, & ex qua pultem faciunt, βρόμος. Et malè hæc confundit. Theophrastus αἰγίλωπα, & αἶραν jungit, hoc est, lolium. Et αἰγίλωπα hordei vitium facit, ut αἶραν tritici, lib. VIII. de Historia, cap. VIII. Ἡ αἶρα, ἐκ τῶν πυρῶν, καὶ κριθῶν διαφθειρομένων, ἢ εἰ μὴ τοῦτο ἀλλὰ φιλεῖ γε μάλιστα ἐν τοῖς πυροῖς γίνεσθαι. Et paulo post: ἐπεὶ καὶ ὁ αἰγίλωψ δοκεῖ μᾶλλον ἐν ταῖς κριθαῖς.
G Ergo triticum in lolium degenerat, hoc est, αἶραν: hordeum in avenam sterilem, quæ est αἰγίλωψ. Utrumque alibi jungit, ut cap. VII eodem libro de lolio: ἡ γὰρ δασύτης καὶ ταύτης καὶ τοῦ αἰγίλωπος ὑπάρχει τοῦ ἦρος. Junctim etiam ea posuit poëta:

Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ.

Ἡ αἶρα, καὶ ὁ αἰγίλωψ. Nullam aliam avenam Romani noverant præter hanc sterilem, ac sponte provenientem,

tem, inter frumenti vitia numerandam, quæ, ut dixi, Græcis propriè αἰγίλωψ. Idem Plinius alibi βρόμον *avenam* reddit. Et rectè. Nam βρόμος avena est frugifera. Dioscorides βρόμον inter fruges recenset lib. II. cap. LXXXV. Ubi perperam legitur βρῶμος. Nam vetustissimus codex scribit βρόμος. Et frustra sunt, qui βρῶμον, & βρόμον distinguunt, ut βρόμος de herba dicatur, quam idem Dioscorides refert lib. IV. cap. CXXXV. Sed caput illud Dioscoridis supposititium est, ac spurium, nec comparet in optimis exemplaribus. Uno quippe tantum loco de bromo tractavit inter fruges: & βρόμον vocat, non βρῶμον, ut perperam habent editiones. Plinius lib. XVIII. cap. III. *Tunicæ frumento plures. Hordeum maximè nudum, & arinca, sed præcipuè avena.* Hæc expressa ex Theophrasto lib. VIII. Historiæ, cap. IV de frumenti, & hordei differentia: ἅμα δὲ καὶ ὁ μὲν ἐν χιτῶσι πολλοῖς. Ἡ δὲ γυμνή. Μάλιστα δὲ δὴ γυμνοσπέρματον ἡ κριθή. Πολύλοβον δὲ ἥ τε τίφη καὶ ἡ ὄλυρα, καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα, καὶ μάλιστα πάντων ὡς εἰπεῖν ὁ βρόμος. *Avenam* vertit βρόμον. Sed in diversum à Græcis scinditur, quem expressit sensum. Theophrastus dicit omnium maximè vestitum esse τὸν βρόμον. Plinius præcipuè nudam avenam, etiam magis quam hordeum. Quod non potest verum esse. Nam & levi folliculo tegitur quodam avena, quo caret hordeum. Præter tenuem illum, ac leviculum folliculum, bifidum & hiantem, quo semitectum apparet avenæ granum, glumam etiam bene spissam, sive tunicam crassam, & corpori stricte adhærentem habet, quo involvitur. Ideo μάλιστα πολύλοπον τὸν βρόμον asserit Theophrastus. Ita in eo legendum, non πολύλοβον. Nam aliud λοβὸς, aliud λόπος. Ad legumina λοβὸς pertinet, & siliquam significat. Plinius vero, qui avenam maximè nudam esse affirmat, aut nescivit, quid esset avena, ut valde verisimile est, aut in grano ejus tunicam illam crassam, qua operitur, quasi cutem tantum consideravit grani. Hoc si sit, haud negandum est, avenam inter γυμνόσπερμα referri debere. Etenim folliculi illi volantes, quibus ambitur, ejus semen, non granum ipsum pressulè operiunt, sed nudum ostendunt. Sic igitur ille acceperit, & contrariam ideo mentem Theophrasto instituerit. Idem alibi *Bromon* Græca voce nominat, & diversam speciem facit ab oriente invectam. Ita enim scribit de generibus frumenti: *adjiciuntur his genera, bromos, siligo excepticia, & tragos, externa omnia ab Oriente invecta oryzæ similia.* Heic, ut videtur, *bromos* non est avena. Sed quid ibi vocat *siliginem excepticiam?* An verum est, quod interpretantur à reliquo genere siliginis exceptam, id est, sejunctam & separatam? Nugæ. Libri habent, *siligo excepta.* Quæ verba ex præcedenti periodo perperam sunt repetita: *Far sine arista est. Item siligo, excepta quæ Laconica vocatur.* Ita rectè editur. At libri legunt: *Item siligo excepta, quæ Laconica vocatur.* Quomodo & Turnebus legi voluerat, quia in libris repererat. Sed est sine sensu. Dicit far sine aristis esse, & siliginem, excepta quæ Laconica vocatur. Ergo Laconica siligo aristas habebat. Hæc igitur verba, *siligo excepta*, librariorum manu exerrante repetita perperam in sequenti versiculo. Siligo autem non orientis tantùm peculiaris, sed plurimis terris communis, ut ex eodem Plinio scire est cap. VIII. Nugæ igitur illæ sunt maximæ de siligine excepta, vel excepticia. Bromos itaque, & tragos externa Italiæ, Græciæ propria. Et *Bromos* avena est frugifera, ac sativa. Alibi eum ex Dioscoride describit idem lib. XXII. cap. ultimo, in hæc verba: *Bromos semen est spicam ferentis herbæ. Nascitur inter vitia segetis, avenæ genere: folio & stipula triticum imitatur. In cacuminibus dependentes parvulas velut locustas habet.* Negligenter admodum hæc expressa è Græcis. Nasci inter vitia segetis nusquam in Græco habetur. Immo inter fruges Græcas recenset, & pultem ex eo fieri scribit. Præterea non ex avenæ genere est, sed αὐτόχρημα avena. Scripserat fortè Plinius: *Bromos semen est spicam ferentis herbæ, nascentis inter vitia segetis avenæ genere;* ut Bromon de genere esse dicat avenæ inter vitia segetis nascentis. Et sanè non aliam avenam noverant Latini, præter eam, quæ inter vitia segetis nascitur. Huic similis & genere idem Bromos, quæ avena est frugifera, & sativa. *Græcam avenam* alibi eam Plinius vocat. Jam vero quam parùm aptè, nec satis plenè, reddita illa ex Græcis; *In cacuminibus dependentes parvulas velut locustas habet.* Græca sic habent: καρπὸν δὲ ἔχει ἐπ' ἄκρῳ ὥσπερ ἀκρίδια δίκωλα ἐν οἷς τὸ σπέρμα. Nulla in versione mentio bicrurium locustarum, & seminis inter illas existentis, quod minimè prætereundum fuit. Sed nihil ad rem facere mihi videntur locustæ illæ bicrures. Quid enim hoc ad imaginem seminis avenæ? ἀκρίδια δίκωλα propriè sunt locustæ binis cruribus. Nihil ad hanc speciem video in avenæ grano. Vertunt vulgo: *duplici crure divaricatas.* Verùm illa crurum divaricatio non habetur in Græcis. Non sequitur, ut quidquid δίκωλον est, etiam divaricatum sit. His omnibus adde, quod in vetustissimis Dioscoridis exemplaribus non ἀκρίδια scriptum est, sed planis & expressis literis, ἀκρέα. Ita in illo longè antiquissimo legitur codice, quem Regia Bibliotheca servat: Καρπὸν δὲ ἔχει ἐπ' ἄκρῳ ὥσπερ ἀκρέα δίκωλα, ἐν οἷς τὸ σπέρμα. Ad verbum esset: *fructum habet in cacumine, ut parvulas locustas binis cruribus, in quibus semen est.* Quod est ineptum. Nec ἀκρέον locusta est parvula, ut perperam Plinius videtur accepisse, qui nescivit, quid esset ἀκρέον. Ut nec illi sciverunt, qui correxerunt ἀκρίδια, pro ἀκρέα. Verbum porro hoc est Hippocratis, quod multis locis etiam usurpat Galenus, qui extremas animalium partes sic appellat τὰ ἀκρέα μόρια. Profecto ἀκρέον nihil aliud est quam τὸ ἄκρον, extremitas, vel apex cujuscunque rei. Galenus in Lexico Hippocratis: λέγνα, τὰ ἀκρέα τοῦ στομίου τῆς ὑστέρας. Idem ἀκρεολέα, ἀκρέα. Et alibi: τὰ ἀκρέα γλώττης extremam linguæ partem vocat. Est ubi de pedibus animalium vocem eam accipit. Latini trunculos vocarunt, Græci alii ἀκροκώλια, *acrones* Vegetius. Græci quoque artis veterinariæ auctores ἄκρωνας, & ἀκρωνάρια eo sensu sæpe vocant. Ut Theomnestus cap. DXXXXVII περὶ πνευμονίας. Εἰ δὲ μὴ καιρὸς εἴη γάλακτος, ἄκρωνα χοίρεια πόδια ὀπτὰ καθεψήσας. Et Emeritus cap. DLXIV Χοίρειον ἀκρωνάριον. Mentio etiam apud Absyrtum: περὶ θείων ἀκρωναρίων. Aliud est ἀκρῶον, quod pro intestinis posuerunt. Hesychius: ἀκρῶα, σπλάγχνα, ἔντερα ἀκρῶα. *Gigeria* avium, vel gallinarum ita videntur vocasse. Glossæ: *Gigeras*, τὰ ἀκρῶον τῶν ὀρνίθων. Ita scribendum, non τὸ ἄκρον. Vetus poëta apud Charisium:

Gigeriis fumat calido cum farre catinus.

Malè *jugeribus.* Sic *gigeria*, τὰ ἀκρῶα. Aliud *acreones.* Hesychius: ἄκελον, πόδιον. Ita lego, pro eo quod est, πῶον. Idem ἀκρέον & ἀκρέον. Latinè *petiolus.* Sic parvum pedem dixere. Afranius apud Nonium: *atque adeo nolo nudo petiolo æstu.* Glossæ: *Petiolus*, ποδάριον, καὶ πόδιον τῶν γραμμάτων, καὶ πάσης ὀπώρας τὸ ξυλῶδες καθ' ὃ ἐξήρτηται τοῦ κλάδου. Ita scribendum. Vulgo legitur *Pacciolus.* Corruptè pro *Paciolus.* Et hoc pro *Peciolus.* Ita scripsisse auctorem apparet ex serie præcedentis, & sequentis vocis, *peccat. Pecuosus.* At illud *Peciolus* perperam scriptum pro *Petiolus*, ut T & C sæpe invicem in scriptura veteri mutantur. *Petiolos*, id est, parvos pedes etiam in arboribus vocarunt, quibus folium, aut pomum sustinetur, & arbori adhæret. *Pediculos* vocat Plinius. Ἀκρέα etiam Græcè liceat dixisse. Μίσχους vulgo dicunt. Sic apud Dioscoridem ὥσπερ ἀκρέα δίκωλα, in quibus est semen avenæ, *tanquam petiolos bicrures*, aut *bifidos* interpretari convenit. Nam quasi petioli sunt illi avenæ folliculi, bifariam divisi, qui granum in medio amplectuntur. Liceat etiam *bifidos apices* exponere. Τὸ ἀκρέον idem est, quod ἄκρον. Sed quum ἀκρέα propriè Græcis significare notaverimus animalium petiolos, & trunculos, & δίκωλα ἀκρέα Dioscorides dicat, magis placet, ut *petiolos* reddamus. Nugatur vero Plinius, qui ἀκρέα reddidit *locustas.* Hesychius de Bromo; βρόμος βοτάνη ὁμοία σίτῳ, μὴ ἔχουσα γόνατα. Contrà Dioscorides, γόνασιν ἐνδιειλημμένον dicit. Ita libri. Idem Hesychius interpretatur, σπέρμα λεπτῆς κριθῆς. Julianus in Epigrammate de potu facticio vinum imitante, quod ex hordeo fiebat:

---- τὸν βρόμου, οὐ βρέμιον.

Ita legendum, non τὸν βρόμον. Quod ex bromo fit. Apud Auctores Veterinariæ rei Græcos sæpe mentio occurrit

occurrit βρόμυ, hoc est, avenæ, quæ præbetur equis aut in pabulo, aut in potu, præcipuè ægrotantibus.

Perinde alias propter constitutas æquè insulas] Restituimus hanc omnium editionum lectionem, librorum æquè omnium consensu probatam. Pendet oratio è superioribus. *Xenophon auctor est.* Delrius ait ordinem verborum, atque adeo verba ipsa sic sibi placere immutari: *deinde sunt & aliæ propter constitutæ insulæ.* Atque ita planè immutavit in editione sua. Nescio quare. Adjicit quidem veteres libros à vulgata lectione recedere, sed non dicit quomodo, nec ullam addit rationem. Nos scimus, atque adeo asserere possumus mentiri illum: nec enim scripti ab editis hac in parte differunt. Deinde, si ita scribamus, ut ille legi voluit, quid istis fiet, quæ statim sequuntur, *esse illic & Fannesiorum gentem?* Unde pendebunt? Hæc omnia ad Xenophontem Lampsacenum refert Solinus, quasi unus, idemque auctor sit, *à littore Scytharum in insulam Balciam triduo navigari: nec longe Oaonas separari: perinde alias propter constitutas insulas: cum incolis Hippopodibus: esse & Phanesiorum.* Ita enim distinguendum, & legendum hoc loco. At Plinius de Balcia tantum insula auctorem citat Lampsacenum illum. De reliquis addit: *feruntur & Oaonæ.* Sed hoc novum Solino non est mendaciis, & fucis furta sua contegere, haud secus ac Panotii cetera membra auribus.

Pag. 28. F. *Esse illic & Fanesiorum gentem*] Libri meliores: *esse & Fanesiorum.* Rectius. Subaudiendum enim *insulas.* Plinius: *aliæ*, insulæ scilicet, *in quibus equinis pedibus homines nascantur: Fanesiorum aliæ, in quibus nuda alioquin corpora prægrandes ipsorum aures tota contegant.* Quod ad *Fanesiorum* nomen attinet, vix dubitare audeam, quin exierit in libros vice *Panotiorum* tam apud Plinium, quam apud nostrum. Isidori exemplaria verum retinuerunt, quæ Panotios vocant. Οἱ Πανῶτιοι. Idem longè vitiosius conceptum est in libris Pomponii, qui *Sannalos, aut Sannatlos* exhibent. *Sannatli* pro *Fannatli.* Idque pro *Panuati*, πανέατοι, literarum mutationibus è propinquo. Qui *Otomegalos* correxere, præter quam quod magis recedunt à vestigiis antiquæ scripturæ, etiam ignorant Græcorum morem in nominibus componendis, qui semper substantivum subjiciunt adjectivo. *Megalotii*, aut Μεγαλώατοι essent dicendi: nam ἐρυθόθριξ dicunt, non τρίχορυθρ☉ & στεφανόπυς, non ποδοστεφανὸς, & μακροκέφαλ☉, non κεφαλόμακρ☉. Atque ita de ceteris. Falluntur ergo viri eruditissimi, qui germanam hanc lectionem Pomponii affirmare non dubitant, quam Græcam constat non esse. Liberum quidem est, quod velis sentire, sed nollem sic edidissent. Πανώατοι, ut μονώατοι, & μεγαλώατοι Straboni. Ita & μονόμματοι. Sic enim vocat Strabo, qui aliis μονόφθαλμοι. At isti ἐνωτοκοῖται.

Ut viscerum illis reliqua contegant] Ergo & aures inter viscera. Viscus propriè veteres vocarunt, quidquid inter cutem est, & ossa, & quidquid sub corio. Unde *visceratio*, ἡ κρεωδαισία. Ita *viscera* heic sunt membra. Sic infrà de Britannis, qui corpus pingunt: *inscriptisque visceribus hominis incremento pigmenti notæ crescunt.* Cicero in Tusculanis de μαστιγώσει Laconum: *sanguis è visceribus diffluens.* Non ex intestinis, sed ex summo corpore.

Quam ut membra membranis aurium vestiant] Scripserat in πρεκδόσει: *quam ut membra membris vestiant.* Satis argutè, ut tum sibi visus est. Nam aures membra sunt, quibus cetera membra ambiebant, ac vestiebant. Si quidem ποδήρη illis ὦτα, ad talos usque demissas aures tribuit Strabo, quibus & incubabant. Unde ἐνωτοκοῖται dicti. In posteriore ac recognita mutavit ad hanc formam, qua hodie legitur.

Quænam feræ sint peculiares Scythiæ] Priusquam à Scythia digrediatur, dicturum se pollicetur, quænam sint feræ peculiares Scythiæ, quas religioni sibi esse ait præterire. Atqui de cervis tantum loquitur, qui peculiares Scythiæ non sunt: ubivis terrarum visuntur, exceptis paucis provinciis, aut insulis. Plinius cervos Africam propemodum solam non gignere testatur. Ex eo, quod cervi in Scythia, inde ansam arripit de cervis hoc loco disserendi Solinus, quæ omnia ex variis Plinii locis compilavit. Quod autem ait plurimos cervos in ea terra esse, vereor ut verum sit. Plinius lib.

A viii. capite, *de Scythicis animalibus & Septentrionalibus*, hoc non dicit. Quinimmo scribit paucissima animalia Scythiam gignere inopia fruticum: pauca conterminam illi Germaniam. Tradit autem paulo post idem Solinus cervas enixas fœtus suos abscondere inter profunda fruticum, vel herbarum.

Saviunt rabie libidinis efferati] Tum sævire ait cervos, cum statum tempus venerem incitavit. Hoc quidem verum, sed tunc præcipuè, cum fœminæ sese ab his post conceptum separarunt. Atque ita Plinius: *à conceptu separant se, ut mares relicti rabie libidinis sæviunt, fodiuntque scrobes.* Aristoteles: ἐπειδὰν δ' ἐμπλησθῶσιν

B αἱ θήλειαι ἐκκλίνονται, καὶ οἱ ἄῤῥενες καθ' ἑαυτοὺς, καὶ διὰ τὴν ὁρμὴν τὴν τῶν ἀφροδισίων ἕκαστ☉ μονούμεν☉ βόθρους ὀρύττει, καὶ βρωμᾶται, ὥσπερ οἱ τράγοι. Ita distinguenda verba Aristotelis, ut & Plinius distinxit. Malè hodie legitur, ἐκκλίνονται οἱ ἄῤῥενες. Nec enim sponte mares sese separant, sed fœminæ: quibus segregatis tunc mares quoque καθ' ἑαυτούς.

Absconditos inter profunda fruticum] Ἐν τοῖς βάθεσι τῆς ὕλης. Homerus:

—— βαθείης τάρφεσιν ὕλης.

Aristoteles: ἐν τοῖς δάσεσι. Hæc in Plinio non leguntur.

C Scribit Aristoteles cervam recens editos fœtus ἄγειν ἐπὶ σταθμοὺς, ἐθίζουσα οὗ δεῖ ποιεῖσθαι τὰς ἀποφυγάς. Hunc σταθμὸν, sive cubile saxum esse undique præruptum, πέτραν ἀποῤῥῶγα. Alio loco πέτραν περιῤῥαγεῖσαν appellat, μίαν ἔχουσαν εἴσοδον. Pollux: τὸν δὲ νεβρὸν οἱ γονεῖς ἀγαγόντες ἐπὶ τὴν εὐνὴν ἐπὶ πέτρας ἀποῤῥῶγος περίδρομ☉ παρέχει ἐκ θατέρου μέρους ἀσφαλῆ. Itl aegenda verba Pollucis vulgo corruptissima. Antigonus: ἄγειν δὲ καὶ τὰ τέκνα ἐπὶ τὸν σταθμὸν, ἐθίζουσαν οὗ δεῖ ἀποφεύγειν. Εἶναι δὲ τοῦτον πέτραν ἀποῤῥῶγα μίαν ἔχουσαν ἔξοδον. Ita scribendum. Venatores nostri hodie vocant *le fort.* Quod munimentum in rupe prærupta, sed & in profundis fruticum habent plerumque. Σπήλαιον Apollonii Scholiastæ.

D Pag. 28. G. *Et assuescunt salire per abrupta*] Hoc proprium caprarum sylvestrium, & ibicum salire per abrupta, non cervorum. Et hanc falsam sententiam traxit auctor ex male intellectis Plinii verbis; quæ sic habent: *editos partus exercent cursu, & fugam meditari docent: ad prærupta ducunt, saltumque demonstrant.* Solinus *saltum* heic pro saliendi actu accepit. Ineptissimè. *Saltus* ibi est cubile, & lustrum, σταθμὸς, καὶ εὐνή. Et patet Plinii sententia ex superiori adnotatione. Verba Aristotelis, quæ Plinius reddidit, hæc sunt: ἔτι δὲ τὰ τέκνα ἄγει ἐπὶ τὸν σταθμὸν ἐθίζουσα οὗ δεῖ ποιεῖσθαι τὰς ἀποφυγάς. Ἔστι δὲ τοῦτο πέτρα ἀποῤῥὼξ μίαν ἔχουσα εἴσοδον. Sal-

E tus, & cubile cervæ præruptum saxum. Ad illa prærupta editos partus ducunt, & saltum illis demonstrant, τὸν σταθμὸν scilicet, ostendentes illis, quo refugiendum sit, si premantur: οὗ δεῖ ποιεῖσθαι τὰς ἀποφυγάς. Quæ verba vix effugiat Plinius, quin & ipse male vertisse existimandus sit reddendo: *exercent cursu, & fugam meditari docent.* Quasi scripserit Aristoteles, ἐθίζουσα ὡς δεῖ ποιεῖσθαι τὰς ἀποφυγάς. Idem Aristoteles alio loco: ἐθίζουσι δὲ ἄγειν τοὺς νεβροὺς ἐπὶ τοὺς σταθμοὺς, ἐστὶ δὲ τοῦτο τὸ χωρίον αὐτοῖς καταφυγὴ, πέτρα περιῤῥαγεῖσα μίαν ἔχουσα εἴσοδον. Quæ apertè arguunt, non rectè cepisse mentem Aristotelis Plinium. Sed longius aberravit à Pliniana Solinus. *Saltus* est locus editus, & arboribus, fruticibusque condensus, in quibus cubile suum, & refugium habent cervi.

Ut odor cum ipsis recedat] Plinius: *ut vestigia cum ipsis abeant.* Vestigiis persequi feras dicuntur, qui odorem earum sequuntur. Hinc *vestigia* pro odore Plinius.

Mirantur sibilum fistularum] Plinius: *mulcentur fistula pastorali, & cantu.* Aristoteles: ἁλίσκονται δὲ θηρευόμεναι αἱ ἔλαφοι συριττόντων, καὶ ᾀδόντων, ὥστε καὶ κατακηλεῖσθαι ὑπὸ τῆς ἡδονῆς, δύο δὲ ὄντων, ὁ μὲν φανερῶς ᾄδει ἢ συρίττει, ὁ δὲ ἐκ τοῦ ὄπισθεν βάλλει. Antigonus: ἀλί-

G σκεσθαι δὲ ἐλάφους καὶ συριττόντων καὶ ᾀδόντων, ὥστε καὶ κατακλίνεσθαι ὑπὸ τῆς ἡδονῆς. Melius apud Aristotelem legatur, ὥστε καὶ κατακλίνονται. Plinius συρίττειν de pastorali fistula accepit. Et sanè *sibilare* propriè de fistulis dicitur. Hinc *pastoria sibila*, quæ fistulis pastores emittunt. Inde & σῦριγξ fistula Græcis ἀπὸ τοῦ συρίττειν. Sed non omnis sibilus fistula editur. Græci συρίττειν cum dicunt, de sibilo non fistulari, sed qui ore solo editur, intelli-

telligunt. Hodieque sunt, qui solius oris sibilo omne genus cantilenas modulantur. Hujusmodi sibilis mulceri cervos etiam hodierni venatores testantur. Nec de alio genere sibili Aristoteles capiendus, cum cervos capi sibilo cantu scripsit, συριττόντων ἢ ᾀδόντων. Utrumque asso ore fit absque organo. Ita etiam ceperim verba Lampridii de Commodo, *saltavit, cantavit, sibilavit.* Quæ olim de fistulæ cantu placuit accipi. Plinium fefellit, quod συρίζειν Græci pro fistula canere propriè dicunt. Unde συρίσδειν apud Theocritum sæpe. Verum aliud est συρίττειν, quod propriè sibilare significat. Ut enim à voce σάλπιγξ verbum σαλπίζειν, & σαλπιστής, tubicen: sic à voce συριγξ verbum συρίζειν, & συριστὴς fistulator. At συρίττειν generale est de quolibet sibilo, quæ differentia observanda. Συρίσδειν, ut dixi, apud Theocritum est canere fistula. Quod est συρίζειν. At nunquam συρίττειν. Recentiores συρίζειν etiam ἀντὶ τοῦ συρίττειν usurparunt, quia & fistularum sonus sibilus dicitur: & Cicero *pastoritiam fistulam* pro sibilo, καὶ συριγμῷ, quo explodebantur ridiculi actores, posuit. Συρίκτης quidem apud Theocritum pro fistulatore, sed ἀπὸ τοῦ συρίζειν Doricum est, non ἀπὸ τοῦ συρίττειν. Sic παικτὴς ἀπὸ τοῦ παίζω: & τρηματίκτης à τρηματίζω: σαλπικτὴς à σαλπίζω. Differunt igitur συρίττω, & συρίζω. Plinius συρίττειν apud Aristotelem ἀντὶ τοῦ συρίζειν, sibilare pro fistulare, quia sibilant fistulæ pastorales. *Sibilare in palma* dicimus, cùm manu cavata, & ori admota sibilamus, quo genere sibili cervos gaudere ajunt, qui de venatione hodierna scripserunt. Quare non fistularum tantum sibilum, sed quemlibet mirantur, & amant: & sibilo, non fistulis captabantur. Fistulis vero aves olim capi, sive decipi solitas legitur apud veteres. In aucupio crescentis arundinis fistulæ etiam locum habebant. Nam dum in manu aucupis calamus ad calamum junctus tacite crescebat, donec ad alitem perveniret, alius interim fistula canebat. De quo genere intelligit Martialis:

> *Non solum calamis, sed cantu fallitur ales,*
> *Callida dum tacita crescit arundo manu.*

Martianus Capella:

> *Fistulis aves allici comprobatum.*

Dionysius Cato in Distichis:

> *Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.*

Sed de his alibi fusius.

Dextrum efficacius ad medellam] Plinius: *Latent amissis cornibus velut inermes, sed & hi bono suo invidentes. Dexterum cornu negant inveniri, ceu medicamento aliquo præditum.* Quæ vitio verba non carent. Quid enim significant ista, *sed & hi bono suo invidentes?* Cui bono suo invident cervi? Scribe, ac interpunge: *Latent amissis velut inermes. Sed & heîc bonum suum invident: dexterum cornu negant inveniri.* Legi etiam posset: *bona sua invident.* Cervi cum cornua amittunt, dexterum defodiunt, quòd multis in rebus efficacius ad medelam esse creditum. Sic bona sua invident cervi, non bono suo: nec enim hoc illis prodest, sed ne homini prosit, ideo putantur subtrahere. Theophrastus: ὁ γαλεώτης, φασὶ φθονῶν τῆς ὠφελείας τοῖς ἀνθρώποις καταπίνει τὸ δέρμα ὅταν ἐκδύνηται. Καὶ ὁ ἔλαφος τὸ δεξιὸν κατορύττει κέρας, πρός τε τὰ τῆς φρύνης φάρμακα: καὶ πρὸς ἄλλα πολλὰ χρήσιμον. Antigonus Carystius φθαρτικὰ τῶν ὠφελούντων hujusmodi vocat animalia, quæ homini invident sua bona, eaque occulunt.

Si fugare angues gestias, utrum, velis uras] Ex Plinio, ut reliqua hujus capitis. Verba Plinii: *accensis autem utrislibet, odore serpentes fugantur, & comitiales morbi deprehenduntur.* Libri carent illis duabus vocibus, *serpentes fugantur*, & præterea legunt: *accensis autem utriusque libet odore comitiales morbi deprehenduntur.* Nec aliter princeps editio. Adjecere verba illa, *serpentes fugantur*, ex hoc Solini loco. Scribe apud Plinium: *accensi autem utriuslibet odore & comitiales morbi deprehenduntur.* Nec opus hoc loco inserta illa de serpentibus fugandis, cum paulo post sequatur eodem capite: *ideo singulare abigendis serpentibus odor adusto cervino cornu.* Ex quibus duobus locis istum concinnavit Solinus.

Pag. 29. A. *Pro ætate ramulos augent*] Plinius: *indicia quoque ætatis in cornibus gerunt, singulos annis adjicientibus ramos usque ad sexennes.* Lege: *singulis annis adjicientibus ramos.* Nam falsum est singulos tantum quotannis ramos adjici cervorum cornibus. Usque ad sexennes id incrementum perseverat. In trimatu ramosa habere cornua incipiunt. Ergo singuli anni adjiciunt ramos, non singulos. Nam sexennes usque ad sedecim cornicula, sive ramos capite gestant. Inde cessat augmentum ramulorum. Græci quoque κλάδους vocant in cornibus cervorum, ut Latini *ramos.* Strabo: ἔστι δὲ τὸ Κέρας, προσεχὴς τῷ Βυζαντίων τείχει, κόλπος ἀνέχων ὡς πρὸς δύσιν ἐπὶ σταδίους ἑξήκοντα, ἐοικὼς ἐλάφου κέρατι, εἰς γὰρ πλείονας σχίζεται κόλπους ὡς ἂν κλάδους τινάς. Primo anno nihil cornuum emittit, nisi ὥσπερ σημεῖα χάειν, ἀρχήν τινα, inquit Philosophus. *Tuber* vocant venatores. Τοῦτο δ' ἐστὶ βραχὺ, καὶ δασὺ, ut ait idem. Cum anniculi sunt, νεβροὶ propriè appellantur Græcis, Latine *hinnulei.* Secundo anno cornua edunt, sed recta & simplicia, καθάπερ πατταλους. Διὸ καὶ καλοῦσι τότε πατταλίας αὐτούς. Plinius *ferulas* vocat, cujus locus ita interpungendus: *Erumpunt autem renascentibus tuberibus primo aridæ cutis similia: eadem teneris increscunt ferulis, harundineas in panniculas molli plumata lanugine.* Plumata molli languine in panniculas harundineas, id est, ad instar pannicularum harundinearum. Sic apud eumdem *in venam crispa mensa:* &, *in vertices parvos crispa.* Sic *specus in antrum cavatus* Virgilio: & *squama in plumam nexa*, ad instar plumarum. De renascentibus ibi loquitur veterum cervorum cornibus. Sed idem est de teneris primum nascentibus, & Aristoteles de his loquitur. Tum vocabantur & σπαθίναι. Hesychius: σπαθίνης, τῶν ἐλάφων τις οὕτω καλεῖται, καὶ ἡλικία ἐλάφου. Rectum istud, quod in ultimo positum. Nam ut pro ætate cornua diversè habuere, ita & diversa cognomina. Et σπαθίνης quidem dictus ἀπὸ τῶν σπαθῶν, à gladiis. Nostri similiter *daguas* vocant bimorum cervulorum cornua, id est, spathas, vel gladios, vel ab radio textorio, quem Græci σπάθην appellant. Eosdem & Ἀχαΐνας vocitarunt. Scholiastes Apollonii: Ἀχαΐα ἐστὶ Κρήτης πόλις ἐν ᾗ γίνονται Ἀχαΐνεαι ἔλαφοι, αἳ καὶ σπαθίνεαι λέγονται. Quod ab urbe Achæa deducit, nugatur ut Grammaticus. Ætatis enim nomen est, & satis id ostendit Apollonii locus, quem interpretatur:

> Ὅσση δ' ῥινὸς βόος ἤνιος, ἢ ἐλάφοιο.
> Γίγνεται, ἥντ' ἀγρῶσται ἀχαιΐνεην καλέουσιν,
> Τόσσον ἔην πάντη χρύσεον ἐφύπερθεν ἄωτον.

Dicit ὑπὸ τῶν ἀγρωστῶν, à venatoribus ita appellari. Ergo nomen artis, ut vocant. Nam si gentile esset loci alicujus id nomen, non ab venatoribus inditum diceret. Præterea βοῦν ἤνιν, & ἔλαφον ἀχαιΐνεην in æquo ponit, & invicem comparat, dicitque pellem aurei arietis æqualem amplitudine fuisse corio bovis anniculi, & cervi ἀχαΐνου. Grammatici βοῦν ἤνιν interpretantur ἐνιαυσίαν, καὶ ἀδάμαστον. Tales enim indomitæ. Ergo & ἀχαΐνης ἔλαφος, cervus anniculus, aut ad summum διετής. Hesychius: ἀχαΐναι, νεβρῶν ἐλάφων ἡλικία. Ita legendum. Et sane oportet juvenculum esse cervum τὸν ἀχαΐνην ex verbis Apollonii: nec enim arietis pellis pellem cervi jam perfecti æquare posset. Unde igitur ἀχαΐναι cervi dicti? Græci ἀχαιὰ lanas molles appellant. Hesychius: ἀχαιὰ, ἔρια μαλακά. Quod etiam interpretamentum inveni in antiquis Theocriti scholiis ἀνεκδότοις. Inde ἀχαΐνης ἔλαφος, cui tenera adhuc cornua, & mollis ad instar velleris lanuginosa. Plinius, *in panniculas harundineas molli lanugine plumata* vocat. Aristoteles simpliciter δασέα. Talia sunt, & cum primulum nascuntur bimulis, & quum decidua renascuntur. Anniculi cornua non emittunt, sed tuber habent tantum. Τοῦτο δ' ἐστὶ βραχὺ, καὶ δασύ. In secundo anno cornua primum edunt simplicia, ac recta, molliaque eadem, ac lanugine vestita, hinc σπαθίναι & ἀχαΐναι tunc vocantur, hoc à mollitie & lanugine, illud à recto cornuum rigore. Nisi quis malit & σπαθίνας ab eadem causa dictos. Nam σπάθη radius est textorius lana involutus. Ab ea similitudine, & lanugine plumata cornuum cerva, & instar σπάθης protuberantia dicta videri queant. Sed & ἀχαΐνας ab Achaïa urbe, vel provincia appellatos posset aliquis evincere Aristoteli creditum ex his verbis ejus, quæ habentur in Admirandis, cap. v. φασὶ τινὰς ἐν Ἀχαΐᾳ τῶν ἐλάφων, ὅταν ἀποβάλωσι τὰ κέρατα, εἰς τούτους τοὺς τόπους ἔρχεσθαι, ὥστε μὴ ῥᾳδίως εὑρεθῆναι. Sed cuivis vel mediocriter Græcè erudito

erudito patet legendum esse: φασὶ τινὲς ἀχαΐνας τῶν ἐλάφων. Vulgata quippe lectio Græca non est. Οἱ ἀχαΐναι τῶν ἐλάφων, qui ex cervis Achaïnæ adhuc sunt. Sic eos alibi vocat: & ex eo Antigonus: ἤδη δὲ ἑάλωσαν ἀχαΐνης ἔλαφος ἐπὶ τῶν κεράτων κιττὸν ἔχων πολὺν πεφυκότα, χλωρὸν ὡς ἁπαλῶν ὄντων τῶν κεράτων ἐμφυῶναι, ὥσπερ ἐν ξύλῳ χλωρῷ. Perperam apud Philosophum legitur, ἀχαΐτης ἔλαφος. Antigonus ex Aristotele notat, ἤδη δὲ εἰλῆφθαι ἀχαΐνην ἔλαφον κιττὸν ἔχουσαν ἐπὶ τῶν κεράτων, ὡς ἂν ἐνύγρων ὄντων. Ergo ἀχαΐναι ἔλαφοι dictæ, dum adhuc gerunt mollia, ac tenera cornua, & lanuguine instar velleris vestita. Plinius videtur verba Aristotelis cepisse de cervis, quibus cornua renascuntur. Ita enim scribit: *ubi placuit robur, in aperta prodeunt, captique jam sunt hedera in cornibus viridante ex attritu arborum, ut in aliquo ligno teneris dum experiuntur innata.* Quæ præcedunt apud Aristotelem, de his quidem cervis accipienda, quibus cornua jam decidunt, & renascuntur. In Admirandis quoque exemplum de hedera teneris cornibus innata ad eos cervos refert, quibus cornua jam decidunt, quos & ἀχαΐνας vocat. Certè & quum primulum cervis nascuntur cornua, & quum vetulis jam renascuntur, eadem mollitie, & lanugine sunt prædita. Ideo & ἀχαΐνας videntur vocasse cervos, quibus cornua renascuntur, tantisper dum ea adhuc tenella, & lanugine obsita haberent. Quod confirmat interpretationem nostram, qua cervos, ἀχαΐνέας ἀπὸ τῶν ἀχαιῶν, id est, à lanis mollibus, & lanugine, quam in teneris cornibus præferunt, dictos esse docuimus. Et propriè quidem sic vocati sunt, quibus primitus talia nascebantur. Inde & quibus renascebantur cum hujusmodi lanugine, dum adhuc essent talia. Quod verissimum esse facilè deprehendes: ἀχαΐναι igitur ἔλαφοι, & σπαθῖναι iidem. Quas voces nemo hactenus intellexerat, sed ne veterum quidem quisquam explicaverat. Nec quemquam porro movere debet, quod τὴν ἀχαΐνην ἔλαφον Apollonius Rhodius, & Antigonus sequiori genere dixerint, quasi de cerva fœmina intelligi oporteat, quæ cornua non habet. Græci scriptores τὴν ἔλαφον etiam de cervo dicunt, & Aristoteles ipse. Nunquam aliter Antigonus, ut cap. XXIV. Τὴν δὲ ἔλαφον τὸ δεξιὸν κέρας κατορύσσειν. Ubi ridiculè interpres vir doctus vertit, *cervam dextrum cornu defodere.* Quasi cervæ habeant cornua. Ἡ ἔλαφος est cervus non cerva. Anacreon κερόεσσαν ἔλαφον dixerat teste Polluce, qui eum errasse observat, quia in cervis ἄκερως ἡ θήλεια. Καὶ Ἀνακρέων σφάλλεται μὲν κερόεσσαν ἔλαφον εἰρηκώς. Fallitur ipse. Nam poëtæ passim Græci veteres, nec poëtæ tantum, sed etiam πεζογράφοι, τὴν ἔλαφον de cervo dixerunt. At Sophocles lapsus est, qui cervam Telephi nutricem, κερόεσσαν indigetavit. Nugantur & Grammatici, qui ex eo, quod ἔλαφον κερόεσσαν Poëtæ nominarunt, æripedem cervum illum, qui inter Herculis labores de cerva interpretati sunt, quæ cornua haberet. In idiomate nostro diversis nominibus utrumque sexum distinguimus. Nam fœminas *bicas*, mares autem *cervos* appellamus. Nomen illud, quo cervam appellamus, satis vetustum est, & legitur in Concilio Altissiodorensi, *biculam, vel cervulum facere.* Ita enim scribendum, nec de vitulæ accipiendum, aut cervi sacrificio, ut boni viri arbitrantur. Genus erat sollemnis, & tralatitii ludicri apud paganos in multis urbibus Galliæ, quod & Christiani usurparunt. Unde proverbium manavit, *n'en faire que le cerf.* De quo nos alibi plura. Sic ἀχαΐνέαι, & σπαθῖναι ἔλαφοι cervi, non cervæ. Quod annotandum obiter fuit, ne quis istic offenderet. Qui σπαθῖναι, aut πατταλίαι Græcis, eos Plinius *subulones* videtur vocasse his verbis lib. XI. cap. XXXVII. *Sparsit hæc in ramos ut cervorum: aliis simplicia tribuit, ut in eodem genere subulonibus ex argumento dictis. Subulones* sunt οἱ σπαθῖναι, vel παττάλιαι. Vulgo dicimus *brocards*: nam *brocæ* nobis sunt verua. Et caprearum quoque cornua, cum recta, & simplicia sunt, *brocas* vocant nostri venatores, ut in cervis *daguas*. Latini *subulas*, & *ferulas*: Græci σπάθας, & παττάλους. Glossarum veterum auctor *subulones* eo Plinii loco accepit pro his feris, quæ Græcè ὄρυγες vocantur. Ita enim scribit: *sublones*, ὄρυγες, θηρία. Sic *sublam* pro

A *subula* posuit suprà: *subla*, πτρόνη, ὀπήτιον. Oryx animal est unicorne. Aristoteles lib. II. de Hist. Animal. Μονοκέρατα δὲ καὶ μώνυχα ὀλίγα, οἷον ὁ Ἰνδικὸς ὄνος μονόκερως. Μονόκερων δὲ καὶ δίχηλον ὄρυξ. Et lib. III. cap. II. ἐστὶ δὲ καὶ μονοκέρατα, ὅτε ὄρυξ καὶ ὁ Ἰνδικὸς καλέμενος ὄνος. Et fallitur Bellonius, qui Orygem veterum putat esse, quam vulgo *Gazellam* vocant. Nam Gazellæ bina habent cornua in se recurrentia, Oryx vero unicorne. Plinius hoc loco de qualitate cornuum loquitur: *aliis*, inquit, *ramosa data sunt, aliis palmata, aliis simplicia*, id est, ὀρθὰ, καὶ ἁπλᾶ, absque palmis, & ramis.

B Talia sunt subulonum in genere cervino, hoc est, τῶν διετῶν cervorum, ut placet doctis. Sequitur apud eumdem alia differentia cornuum: *aliis singula, & hac medio capite, aut naribus, ut diximus.* Inter animalia quibus singula cornua, Oryges sunt, ut idem Plinius alibi testatur. Herodoto ὄρυες dicuntur ex quorum cornibus citharis, quæ φοίνικες Græcè appellantur, cubita fieri scribit lib. II. Καὶ ὄρυες τῶν τὰ κέρεα τοῖσι φοίνιξιν οἱ πήχεες ποιεῦνται. Notam quid sit πῆχυς in veteri cithara. Eum locum pessimè intelligunt interpretes, qui de Phœnicibus populis accipiunt, aut de palmis. Φοινικα instrumentum πήχεις, hoc est ἀγκῶνας habuisse constat ex Athenæo. Fiebant ex cornu Orygis. Orus

C Apollo in Hieroglyphicis scribit Orygem ab Ægyptiis depingi ἀκαθαρσίαν γράφειν volentibus. Rationes apud eum vide. Male ὄρτυξ editur pro ὄρυξ. Scribit idem: διὸ καὶ οἱ ἱερεῖς τοῦτο μόνον τῶν πηλῶν ἀσφράγιστον ἐσθίουσιν. Verba illa τῶν πηλῶν effecerunt, ut quadrupes in alitem verteretur, ac de Oryge fieret coturnix. Corrige: τοῦτο μόνον τῶν κτηνῶν ἀσφράγιστον ἐσθίουσιν. Ἀσφράγιστον victimam Scaliger exponit, cujus frons cultro signata non fuerit, ex more Romano, cum de Ægyptio sit intelligendum. Quid sit ἀσφράγιστον, & ἀσήμαντον κτῆνος, & quomodo soliti sint Ægyptii sa-

D cerdotes probare, ac signare victimas suas docet Herodotus lib. II. cap. XXXVIII. Nullum κτῆνος ἀσήμαντον edere licebat excepto oryge. *Subulones*, ut dixi, in Plinio de cervis accipiunt, quibus cornua primum nascuntur: non de nihilo tamen vetus Glossarum auctor *subulones* exponit ὄρυγας. Ita dictus videtur Oryx, quod unum cornu in capite quasi subulam habeat. Nec alia est nominis Græci ratio. Ὄρυξ propriè Græcis dicitur instrumentum fossorium, & acutum, quo terra eruitur, & lapides fodiuntur. *Opopa* ὄρυξ exponitur in Glossis, cujus *upupa* usus

E in lapidicinis apud Plautum. Hesychius ὄρυγα exponit λαοξοϊκὸν σκεῦος, ἢ σκαφίς εἶδος, instrumentum scilicet ferreum acutum, quo lapides primo rudimento punguntur, priusquam poliantur. *Subulas* quoque Latini appellarunt. Unde *subulis impoliti lapides* apud auctores de limitibus. Nam subulis signati, & compuncti adhuc sunt impoliti. Auctor incertus: *terminus, si superius politus fuerit, & inferius subulis impolitus, monumentalis est.* Hinc *subulo* Latinè fera, quæ Græcis ὄρυξ: cujus caput cum unico cornu quasi subula, non malè refert illius, quod dixi ferramenti, formam. De his subulonibus videndum, an & intelle-

F xisse Plinium putari queat. Simplicia ait his tribuisse naturam cornua. Quod singula habuerint cornua, hoc non vetat, quin & simplicia, hoc est, recta & uniformia eadem fuerint. In genere cervorum eos ponit. Alibi lib. VIII. cap. LIII in genere caprarum. Hesychius scribit animal esse, τὸν ὄρυγα, δορκάδι κατὰ τὴν χροιὰν παραπλήσιον. At longe majus caprea fuisse auctor Herodotus, qui κατὰ βοῦν magnitudinem ejus esse docet. Interpres Juvenalis: *Oryx, animal minus quam bubalus.* Ergo propior cervo de magnitudine, quam capreæ. Nec mirum idem animal ab aliis in genere

G caprearum censeri, ab aliis in cervorum. Columella cum cervis recenset: *Feræ pecudes, ut capreoli dammæque, nec minus Orygum, cervorumque genera.* Sic *platycerotas* Varro inter capreas reponit: *ut in Samothrace caprearum, quas platycerotas vocant.* Alii inter cervos malunt ponere. Unde *cervi palmati* vocantur apud Capitolinum in Gordianis. Et sanè ut major caprea platyceros, ita & minor cervo. *Dammas* vulgo vocamus impropriè. Sic Plinius modo cervis, modo capris orygem, id est, *subulonem* accenset. Ex argumento *subulones* dictos

O autu-

autumat, quia ſimplex cornu habent, & rectum ut ſubula, atque etiam acutum: quod non eſt in cervis, quibus cornua naſcuntur: acumen enim non habent, ſed obtuſa ſunt. Unde πατζάλ8ς vocant, & ſi forte σπάθας à radio textorio, Latini *ferulas*, cornua bimulis naſcentia. Quare viros doctos, qui *ſubulones* accipiunt à Plinio dici cervos bimulos, quos πατ]αλίας vocat Ariſtoteles, quique πατ]αλίας apud eumdem philoſophum, *ſubulones* reddunt, graviter errare ſuſpicor. Loquitur Plinius de cornuum mira varietate, qua in animalium armis luſit natura. Cervi διετεῖς ſimplicia quidem geſtant cornua, ſed uno tantum anno ſic ea geſtant. Nam anno tertio in furcas exeunt, atque ita ſubinde quotannis in plures ramos ſparguntur, uſque ad ſexennium, quo formam ſtatam accipiunt. Quod ſi horum cornuum meminiſſet Plinius, qualia in bimatu habent, debuerit utique & omnium ætatum in cervis feciſſe mentionem, ad cornuum ſignandas differentias. Etenim uſque ad ſexennes pro ætate variè formata ſingulis annis cornua præferunt. Cum igitur dicit *ſubulonibus* ſimplicia cornua naturam tribuiſſe, non de his cornibus oportet intellexiſſe, quæ uno tantum anno ſic ſimplicia permaneant, ſed de perpetuo duraturis in eadem forma, & ſtatu. Præterea cum adjiciat in eodem genere eſſe *ſubulones*, quo cervos; de bimulis cervis id neutiquam accipi queat. Nec enim ſunt in genere cervorum οἱ πατ]αλίαι, ſed αὐτόχρημα cervi, licet nondum τέλειοι. Quis vitulos, aut juvencos dixerit in genere bucero eſſe? Quis equuleos in equino? Ætate, non ſpecie diſtinguuntur. *Subulones* in genere cervorum ſic debent eſſe, ut ſpecies ὁμογενὴς. Eodem quippe modo diverſam eos ſpeciem facit, cervorum genere comprehenſam, ut & platycerotas, de quibus ſequitur. Sic enim infit ſcribere: *ſparſit hæc in ramos, ut cervorum: aliis ſimplicia tribuit, ut in eodem genere ſubulonibus ex argumento dictis: aliorum fudit in palmas, digitoſque emiſit ex iis, unde platycerotas vocant.* *Subulones*, id eſt, oryges, & platycerotes cervorum generi vindicat, quia majoris formæ ſunt, quam capræ. Subjicit deinde de cornibus caprarum omne genus caprearum, arietum, rupicaprarum, dammarum, ſtrepſicerotum, & ſimilium, quæ minoris ſunt formæ. Ex his conſtat perperam à Gallis *dammas* vocari veterum platycerotes, cum diverſi ſint. *Rupicapris*, inquit Plinius, *in dorſum adunca cornua, dammis in adverſum.* Nec melius Ariſtotelis interpretes, qui *dammam* vertunt, qui philoſopho eſt πρὸξ: cum πρὸξ ſit, quem alii πλατυκέρωτα vocant. Græci hodie *platonias* appellant. Damma veterum eſt, quem noſtri vocant *Iſarum* aut *Sarrium*. Vox *Iſarus* ſumpta ex Græco ἴξαλος, ἴξαλ8, αἰγός. Πηδητικὴν interpretantur Grammatici. Ἴσαλον recentiores dixere. Unde ἰσάλη, pellis capræ ſylveſtris. Atque inde *Iſarus* noſtris. Rupicapras autem vocamus *Camoſſos*. Quidem *Yſardos*. Verum de his alibi. Veriſſime itaque, ut ad rem redeam, vetus Grammaticus Gloſſarum auctor, *ſubulones* apud Plinium de oryge interpretatur: errantque doctiſſimi viri, qui de cervo διετεῖ acceperunt. Quod ſi omnia conſiderentur, ratione prorſus caret. Oryx porro veterum menſis receptus, ut hæc Satyrici teſtantur:

Et Scythicæ volucres, & phœnicopterus ingens,
Et Getulus Oryx.

Ut ad cervorum cornua, & ætatis gradus revertamur, unde ſumus digreſſi, primo anno νεβροὶ, Latinè *hinnulei*: ſecundo πατζαλίαι, ἀχαΐναι & σπαθίναι: tertio δικροῖται, cum ſimplicia cornua bimulorum in furcam exeunt. Ariſtoteles: τῷ δὲ τρίτῳ ἔτει δίκρουν φύουσι. Quarto κλαδίαι. Tunc enim ramoſa fieri incipiunt. Τῷ δὲ τετάρτῳ τραχύτερον, inquit Philoſophus. At κεράσται dicebantur, cum perfecta erat forma cornuum, & ipſi magni cervi facti. Interpres Apollonii: οἱ δὲ κέρατα μεγάλα ἔχοντες ἔλαφοι κεράσται. Has cornuum cervinorum differentias longè exactius numerant, nominantque noſtri venatores, quæ ex ipſis ſcire licet, & eorum ſcriptis haurire.

Id incrementum in ſexennes perſeverat] Ita reſtituimus ex librorum auctoritate, cum fuerit vulgo, *id incrementum per ſex annos perſeverat.* Plinius: *indicia ætatis in illis gerunt, ſingulis annis adjicientibus ramos, uſque ad ſexennes.*

Caſtratis nunquam creſcunt, nec tamen excidunt] Melius, quod in iiſdem libris reperi: *nec tamen decidunt.* Nec aliter omnes editiones excepta Delriana. Cur *excidunt* magis probaverit, neſcio. Plinius: *non decidunt caſtratis cornua, nec naſcuntur*: & lib. XI. cap. XXXVII. *dedit ramoſa capreis, ſed parva, nec fecit decidua.* Falſum eſt. Nam capreis cornua decidunt, ut cervis.

Dictamnum ipſi prodiderunt] Plinius lib. VIII. cap. XXVII. *Dictamnum herbam extrahendis ſagittis cervi monſtravere, percuſſi eo telo, paſtuque ejus herbæ ejecto.* Quæ ſunt corruptiſſima, nec ſenſum habent. Scribe: *Dictamnum herbam extrahendis ſagittis cervi monſtravere percuſſi, telo paſtu ejus herbæ ejecto.* Idem lib. XXV. cap. VIII. *Cervæ dictamnum oſtendere, ut indicavimus, vulneratæ, paſtu ſtatim decidentibus telis.* Ita ibi quoque legendum, ac diſtinguendum. Malè eſt in editis: *dictamnum oſtendêre vulneratæ paſtæ, ſtatim decidentibus telis.* Legitur ibidem & alius locus æquè vitioſe: Sic enim habet: *ſimplicius cervæ monſtravere elaphoboſcon, de qua diximus; item ſeſeli enixæ à partu.* Hæc battologia eſt, *enixæ à partu.* Nam quæ enixæ ſunt, à partu ſunt: & quæ à partu ſunt, enixæ dicuntur. Hæc lectio correctorum eſt. Nam primæ editiones Plinianæ, & ſcripta ejus exemplaria legunt: *Item helxine a partu.* Corrige: *item helxinen à partu.* Falſum eſt ſeſeli cervas oſtendiſſe à partu, aut enixas. Etenim ante partum, ut facilius eo defungerentur, id expetebant. Plinius lib. XX. cap. V. de ſeſeli: *ſunt & folia utilia, ut quæ partus adjuvent etiam quadrupedum. Hoc maximè paſci dicuntur cervæ pituræ.* Depravate etiam ibi ſcribitur: *contexemus & de ſili: ſed hoc eſt vulgaris notitiæ.* Emenda: *contexemus & de ſeſeli, hoc eſt vulgatæ notitiæ. Optimum Maſſilienſe.* Ex *ſeſeli*, vel *ſeſedi*, manavit vitium lectionis vulgatæ, *ſili ſed.* Poteſt etiam legi: *conteximus & de ſili. Eſt hoc & vulgaris notitiæ.* Sane Romani *Sili* etiam vocarunt Græcorum σέσελι. Unde & *ſilatum* veteres dicebant jentaculum, *quia vinum ſili conditum jejuni abſorbebant.* Quod de Seſeli intelligendum. In Pliniano Indice *Sile* ſcribitur: *Gingidion. Siſere* XI. *Sile* XII. Græcis quoque antiquis, ut Hippocrati σίλι & σέσελι. Inde Σίλι Κύπριον Herodoto, quod aliis Σέσελι κύπριον. De quo infra. Ergo cervæ pituræ ſeſeli oſtendêre, & ante partum: non enixæ, nec à partu. Et ratio in promptu, quare cervæ pituræ gramen illud conſectentur. Quippe quod facere ad partus quadrupedum ſolvendos etiam Dioſcorides obſervat, his verbis de ſeſeli Maſſilitano: δίδοται καὶ αἰξὶ καὶ τοῖς λοιποῖς κτήνεσι πρὸς εὐτοκίαν ποτόν. Idem Plinius lib. VIII. cap. XXXII. de cervis: *fœminæ autem ante partum purgantur herba quadam, quæ ſeſelis dicitur, faciliore ita utentes utero. A partu duas habent herbas, quæ aros & ſeſelis appellantur: paſtæ redeunt ad fœtum.* Multa heic animadverſione digna, & emendatione. Seſelim & à partu & ante partum cervas paſci. Quod non mihi fit veriſimile. Et verba Plinii ſatis clarè oſtendunt diverſam eſſe herbam utramque, quam poſt partum paſcuntur cervæ ab ea, qua ante partum purgantur. Seſeli eſſe, qua purgantur ante partum, vix dubium eſt ex his, quæ ſupra attulimus. Alia igitur herba eſt, quam ſeſeli, qua poſt partum paſcuntur. Helxinen eam appellat lib. XXV, ut habent libri ſcripti. Iidem libri hoc loco ſic ſcribunt: *à partu duas, quæ tamo, & ſiſelicis appellantur: paſtæ redeunt ad fœtum: illis imbui lactis primos volunt ſuccos quacunque de cauſa.* Carent enim illis verbis, *herbas habent.* Puto ſcribendum: *à partu duas, quæ tamus, & ſideritis appellantur, paſtæ redeunt ad fœtum.* Libri quidam *ſiſelicis*, alii *ſiſelitis* ſcribunt. Unde faciendum judico, *ſideritis.* De ſeſeli certum eſt ex Plinii ſententia locum heîc eam habere non poſſe. Multæ ſunt ſpecies ſideritis. At helxine etiam ſideritis appellabatur. Dioſcorides: ἑλξίνην οἱ δὲ παρθένιον, οἱ δὲ σιδηρῖτιν οἱ δὲ ἡράκλειαν καλοῦσι. Ita Paulus Ægineta, Nicandri interpres, Apulejus, alii. Quam Plinius ſideritin heîc vocat; helxinen vocavit libro XXV. Quare helxinen, aut ſideritin expetant à partu cervæ, aut illa herba lactis primos imbui ſuccos velint, ignota cauſa eſt. Ideo ſubjicit Plinius, *quacun-*

cunque de causa. Scio apud Aristotelem scribi cervas enixas, ad seseli currere, eoque pastas ad fœtum redire. Οἷον τέκη ἐσθίει τὸ χόριον πρῶτον, καὶ ἐπὶ τὴν σέσελιν τρέχουσι, ἢ φαγοῦσαι, οὕτως ἔρχονται πρὸς τὰ τέκνα. Sed Aristotelem Plinius non sequitur, aut Aristoteles in hac voce mendosus. Et fortassean scripserit, ἐπὶ τὴν ἑλξίνην ἢ τρέχουσι. Constat vero heîc Plinium alios auctores habere, quam Aristotelem. Etenim seseli à cervis parituris appeti disertè scripsit, non ab enixis, ut Aristoteles. De aro, quæ altera herba est in editionibus, quam cervæ à partu petunt, æquè falsi damnatur ab exemplaribus, quæ *tamum* ejus loco asferunt. Aron ursi post latitationem devorant. Plinius: *exeuntes herbam quamdam aron nomine laxandis intestinis alioquin concretis devorant.* Ubi tamen in omnibus libris constanter legitur: *herbam quamdam caram nomine.* An herba est, ex cujus radice panes conficiebant Cæsaris milites? De bello civili lib. III. *Genus radicis, quod appellatur cara.* Ita enim scribendum, non *chara.* Per diminutionem hodie dicimus *carottam*, ut alibi ostendam. Caram non dissimilem fuisse, immo congenerem pastinacis, & daucis constat ex Paulo Ægineta, & Dioscoride. Paulus: σταφυλῖνος ἢ καὶ δαῦκος, καρῶ αἱ ῥίζαι ὀλιγωτροφώτεραι τῶν γογγυλίδων εἰσί. Dioscorides: ἡ ῥίζα ἑφθὴ ἐδώδιμος ὥσπερ σταφυλῖνος. Legendum apud Paulum καροῦ à καρῶ. Et sic apud Dioscoridem: Καρῶ, σπερμάτιον. Inde Καρῶον, quod Plinio *Careum*, & male à Caribus populis deducit. Sed diversa illa Καρῶ Græcorum à carotta nostra. Estque quam Arabes vocant *Karvia*. Ceterum *Cari*, vel *Caræ* herbæ nusquam alibi meminit Plinius. Ergo in Aristotele legerit: ἐπὶ τοῦτο πρῶτον ἐξίασιν γεύσασθαι τοῦ καρῶ. Ubi vulgati Aristotelis exhibent libri, τοῦ ἄρου. Certè omnes Pliniani veteres, ut dixi, *caram* præferunt. De *tamo*, quem pro aro substituunt iidem libri, ejus mentio est apud eumdem Plinium lib. XXI. cap. XV de herbis sponte nascentibus: *in Italia paucissimas novimus, fraga, tamum, ruscum, batin murinam.* Ubi optimi libri legunt: *fraga, tamnum.* In vulgatis enim malè, *tanum.* In aliis exemplaribus, *tamum.* Legendum ubique, *thamnum.* Ita corrigendum & apud Columellam:

---- *Jam thamni sponte virescunt.*

Ubi vulgo editur, *thani.* Libri *Thami*, pro *Thamni.* Optimum Glossarium: *Thamnus*, ἕλιξ, βοτάνης εἶδος. Ἕλιξ Theophrasto inter θαμνώδη refertur, estque genus hederæ Dioscoridi ac Plinio, ipsique Theophrasto. Cujus Helicis multæ etiam species. At *thamnus*, ut proprie Latini vocabant, genus herbæ, vel oleris, quod sale condiebatur & servabatur ad cibos. Columella lib. XII. cap. VII *asparagi, & rusci, & thamni, & digitelli, & Pulegi, & Nepetæ, & Lapsanæ.* Ita ibi scribendum pro *thanni.* Et paulo post: *sed vitis alba, ruscus, & thamnus, & asparagus, lapsana, & pastinaca, & nepete, & batis, generatim in alveos componuntur, & sale conspersa biduo sub umbra, dum consident, reponuntur.* Male etiam ibi scriptum, *thannum.* Quærant porro Herbarii, quod genus herbæ Latini vocarint *thamnum*, nomine apud Græcos omnibus fruticibus communi. Nugatur vetus auctor, qui ἕλικα interpretatur. Hesychius θάμνον inter alia & βάτον, & ξύλον ἀκανθῶδες exponit. Falsus etiam Turnebus, qui eam vocem censet reponendam lib. XIX. cap. XII ejusdem Plinii in his verbis: *acuti tantum cunilæ.* Ubi libri quidam habent: *acuti tami cunilæ.* Cave inquam reponendum sic censeas, aut de thamno intelligendum. Scribi enim ibi oportet: *acuti, thumi, cunilæ.* In libro vetustissimo Bibliothecæ Thuaneæ disertè scriptum est, *tumi*, hoc est, θύμου, *thumi.* Loquitur de saporibus, & acutos esse sapores ait thumi, & cunilæ, id est, τοῦ θύμου, καὶ τῆς θύμβρας. Cunilam thymo similem esse, καὶ ὅμοια δύναμις auctor est Dioscorides. Hinc utriusque sapor, & succus acutus, καὶ δριμύς. *Cuniculam* hanc pro cunila indigetant libri. Glossæ: *cunebulam.* Græcum est antiquum, κονίλη. Perperam igitur heîc Turnebus *Tami* legebat pro *thumi*, hoc est, θύμου. Neoterici quidam Herbarii *Thamnum*, vel *Tamnum*, volunt esse vitem nigram, quæ & βρυωνία, & ἄμπελος μέλαινα. Hodie *Tamaro* ab Hetruscis ajunt vocari corrupto vocabulo à *tamnum*, quasi *tamnari.* Eam ipsam esse, quæ vulgo Latinis dicebatur *uva*

A *Taminia.* Vix probant. Primum *Thamnus* cum aspiratione scribitur: *Taminia* uva absque adspiratione. Præterea *Thamniam* dixissent, non *Taminiam.* Nec enim *Tamnium* eam viticulam appellarunt, sed *Thamnum.* Postremo loquendi usus, qui summus est rerum magister, aliud omnino genus intellexit *uvæ Taminiæ* nomine, quam vitem nigram. Plinius lib. XXIII. cap. I notat staphida agriam Græcorum, sive herbam pedicularem nomine uvæ Taminiæ quibusdam venisse: *Astaphis Agria, sive staphis, quam uvam Taminiam aliqui vocant falsò.* Ibidem rationem addit, cur non esse videatur. Inter alia, quæ dissimilia sunt, staphidis agriæ

B folliculos, sive acinos maturos nigrescere dicit, *cum taminiæ*, inquit, *rubentes norimus acinos, sciamusque illam in apricis nasci, hanc non nisi in apricis.* Idem paulo post eodem capite putat, quam vulgus Latinum *uvam Taminiam* vocaret, eam esse, quæ Græcis ἄμπελος ἀγρία. Eam forte rubentes uvas cocci modo. Sane Grammatici veteres *Taminiam* dictam volunt, quod tam rubra sit quam minium: & silvestrem uvam interpretantur, hoc est, ἀγρίαν ἄμπελον. Festus: *Taminia uva silvestris generis videtur Verrio dicta, quod tam rubra sit quam minium.* Ita legendum. Ridiculum quidem Etymum, sed ex eo constat, cujus sit coloris uva

C Tamnia. Certè ἄμπελος ἀγρία teste Dioscoride fructum etiam producit, βοτρυδίοις μικροῖς ὅμοιον πεπαινόμενον ἐρυθρόν. Atqui vitis etiam alba similiter rubentes fert acinos, & illa, quam Etrusci vocant *Tamaro.* Scribonius Largus cap. LXXXV *uva Taminia ruberrima, & in vepribus nascitur ad impetigines.* Male editum est: *Aminea.* Longe quippe differt *Aminea vitis* à Taminia uva. Nec satis sanus videtur fuisse vir Magnus, quum ad illum Festi locum de Taminia uva notaret Verrium, vel Festum legisse in versu Virgilii:

Sunt & Taminiæ vites, firmissima vina.

D Notum est alias esse Aminæas vites, quæ vinum ferunt, nec quicquam habere commune cum uva Taminia silvestris viticulæ. Vetustissimi libri apud Plinium *Aminnæas* scribunt hujusmodi vites. Alii contra *Ammineas*, ut Ausonius:

---- *Chium miscet & Ammineum.*

Sed de his alibi. Omnia autem illa viticularum silvestrium genera ἕλικας habent, sive capreolos, quibus adsitos frutices adprehendunt, scanduntque more vitis. Dioscorides de vite alba, & nigra: καὶ ἐμπλέκεται τοῖς παρακειμένοις θάμνοις ἐπιλαμβανομένη ταῖς ἕλιξι. Fortasse inde κατὰ παραφθορὰν *Taminia uva*, quasi *Thamnia*, quod

E thamnis adhærescat, & adrepat. Hoc mihi tamen non satis arridet. *Uvam Taminiam* invenio semper dici, non vitem. Haud scio tamen, an id in mente habuerit auctor Glossarum, qui *Thamnum*, exponit ἕλικα. Sed ille fallitur, & in Græce reddendis herbarum Latinis nominibus semper nugatur.

Herbam quoque, quam Cynaren vocant] Ita libri, vel *cinerem.* Plinius: *cervus herba cinare venenatis pabulis resistit.* Scribe, *herba cinaræ.* Sic Horatio *herba lapathi.* Nam κινάρα dicitur Græce, non κινάρη. Glossæ: *carduus*, κινάρα. Aliæ: *cardi*, κινάραι. Carduus, ut notum est, herbæ spinosæ genus, quod in plures spe-

F cies dividitur. *Cardones* hodie dicimus. Sed quum *carduum* καθ' ἐξοχὴν vocant Latini, de hortensi, & sativo loquuntur, quem vulgo *articactum* appellamus, vel *articoccum*, qui pomum habet; sive capitulum squamatim compactum ad instar nucis pineæ, & aculeatum. Græci κινάραν. Athenæus lib. II. Τίς ἢ τόπος οὐχὶ πειθόμενος θαρρῶν ἂν εἴποι τὴν κάκτον εἶναι ταύτην τὴν ὑπὸ Ῥωμαίων μὲν καλουμένην κάρδον, οὐ μακρὰν ὄντων τῆς Σικελίας, περιφανῶς ἢ ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων, ἀλλαγῇ γὰρ δύο γραμμάτων κάρδος, καὶ κάκτος ταὐτὸν ἐνείη. Ex his constat *cardos* Latinis appellatos, non *carduos.* Et scripsisse ap-

G paret Athenæum, τὴν λεγομένην κάρδον, non κάρδουον, ut perperam editur. Sic Glossæ *cardos* vocant. Capitolinus: *lactucas & cardos.* Qui igitur *carduus* Latinis, propriè Græcis κινάρα. Columella in Horto:

Horrida ponatur cinara.

Κινάρα, inquam, non κύναρα, Et male utrumque confundit auctor Excerptorum Athenæi, vel Athenæus ipse. Κινάραν scribit, sed omnia exempla auctorum, quæ subjiciuntur, ubi κυνάρα ἄκανθα vocatur de

de carduo isto eduli accipi non queunt, ut dicam paulo post. Sub finem addit, ἀλλὰ μίαν ἡ κινάραν ὠνόμασε παραπλησίως ἡμῖν Σώπατρος ὁ Πάφιος γεγονὼς τοῖς χρόνοις κατ' Ἀλέξανδρον τοῦ Φιλίππου, ἐπιβιοὺς δὲ καὶ ἕως τοῦ δευτέρου τῆς Αἰγύπτου βασιλέως. Refert ibidem verba Ptolemæi Euergetis, qui Aristarchi discipulus fuit, ubi & κινάραν nominavit: πολλῆς δὲ ἐν τοῖς τόποις κινάρας φυομένης οἵ τε συνακολουθοῦντες ἡμῖν στρατιῶται πάντες δρεπόμενοι συνέποντο, καὶ ἡμῖν προσέφερον ψιλοῦντες τῶν ἀκανθῶν. Legisse, ac scripsisse κινάραν fides sumitur ex eo, quod sequitur: οἶδα δὲ καὶ κίναρον καλουμένην νῆσον ἧς μνημονεύει Σῆμος. Cynaram eam insulam vocat Plinius, sed legendum Cinaram. *Articoccum*, vel *Articoccalum* quidam hodie vocant, quidam etiam *alcoccalum*. Unde doctissimi Herbariorum sibi vulgo persuadent ita appellari, quod nucis pineæ, quam cocalum vocatam putant, speciem referat. Errant latissime. Nam κόκκαλος Græce nux pinea non dicitur, sed nucleus pineus, ὁ πυρὴν nucis pineæ. Athenæus: Ἱπποκράτης δὲ ἐν τῷ περὶ πτισάνης, τοῦ τὰς ἐκ τοῦ ἡμίσεος μὲν νοθεύεται, ὑπ' ἐνίων δὲ καὶ ὅλον κόκκαλος, οἱ πολλοὶ δὲ πυρῆνας. Hesychius: κόκκαλος, στρόμβος, στρόβιλος πεύκης. Ita legendum. Στροβίλους etiam vocarunt nucleos pineos, ut alibi observavimus. Galenus ex Hippocrate exponit τὸν πυρῆνα τοῦ στροβίλου. Et sane κόκκαλος à κόκκος deductum est, quæ vox granum, & nucleum significat. Hinc & κοκκῶνες nuclei olivarum. Hesychius: κοκκόνοι οἱ πυρῆνες τῶν ἐλαιῶν. Κοκκῶνες οἱ κόκκοι τῆς ῥοιᾶς. Galenus in Lexico: κοκκῶνα, κόκκον, τὸν κοινῶς ὀνομαζόμενον. Inde & τὰ κοκονάρια, & κουκουνάρια apud Myrepsum nuclei pinei. Quæ vox ab antiqua κοκκῶνες diminutione facta est, non corrupta pro κωνάρια, nec nuces pineas significat, sed nucleos, quos antiqui κοκκάλους vocabant. Nos pronuntiamus in idiotismo nostro *artichaut*, quasi *articactus* esset. Siculi dicebant *cactum*. Hodie vocant *Cacozole*, ab illa antiqua voce Κάκτος. Latini & vocem *Cactum* usurparunt, ut ad Tertulliani Pallium observavi. Arabes vocant *Harsaf*, vel *Harxaf*, aut *Harsciaf*. De qua plura in Pliniana præexercitatione. Plinii locus, ubi *Cactum* ex Theophrasto describit, ita ex veteribus libris constituendus est, ut in meliore sit statu: *Cactos quoque in Sicilia tantum nascitur, suæ proprietatis & ipse. In terra serpunt caules à radice emissi lato folio, & spinoso: caules vocant* κάκτους, *nec fastidiunt in cibis, inveteratosque. Unum autem caulem rectum habent, quem vocant* πτέρνικα, *ejusdem suavitatis, sed vetustatis impatientem. Semen ei lanuginis, quam pappum vocant, quo detracto & cortice, teneritas similis cerebro palmæ est: vocant Ascalian.* Non pote melius describi noster Articactus. Descriptionem ejus in his Plinianis verbis habes graphicè factam. Sed fallitur, quod sui generis esse, & in Sicilia tantum nasci scribit. Nam carduus Romanorum, & cactus Siciliæ res eadem. Verum Græca Theophrasti expressit, qui κάκτον in Græcia non esse tradit, ἀλλὰ περὶ τὴν Σικελίαν μόνον. Certè si nec cactus in Hellade non fuit, nec Cinara. Ita Græci vocarunt, quam Siculi κάκτον, sed alibi, quam in Græcia, nascentem. Hinc antiquorum Grammaticorum dividiæ circa hanc vocem κινάρας. Antiquissimi aliud κυνάραν vocabant ἄκανθαν: Recentiores aliud κινάραν absolutè. Vide excerpta Athenæi lib. 11. Ad Plinii locum redeamus. *Caules vocant* κάκτους. Ita reposuimus ex veteri *Cactus*. Nam *Cactos* singulari posuit numero ὁ κάκτος. Hæc levia sunt, ut multa alia, quæ mutavimus auctoribus libris. Illud majoris momenti, quod sequitur, ut in quo non leviter errarit Plinius vertendis Græcis: *Semen ei lanuginis, quam pappum vocant, quo detracto & cortice teneritas similis cerebro palmæ est.* Theophrastus: τὸ δὲ περικάρπιον ἐν ᾧ τὸ σπέρμα τὴν μὲν μορφὴν ἀκανθῶδες, ἀφαιρεθέντων δὲ τῶν παππωδῶν ἐδώδιμον καὶ τοῦτο καὶ ἐμφερὲς τῷ τοῦ φοίνικος ἐγκεφάλῳ. Περικάρπιον vocat pomum ipsum. Ita enim Latinè liceat vocare. Pomum, inquam, squamatim compactum, & pineæ nuci simile, quod intus semen παππῶδες inclusum gerit, περικάρπιον appellavit in cacto, quia semen propriè est καρπός. Quidquid circa semen, περικάρπιον. *Semen ei lanuginis, quam pappum vocant*, τὸ παππῶδες σπερμάτιον. *Quo detracto & cortice, teneritas similis cerebro palmæ est.* Quo semine nimirum detracto. Lanuginem illam etiam hodieque detrahimus, abjicimus, & fœnum vocamus. Sed non ex-

A pectatur, donec in semen eat. Quod ait etiam corticem detrahi, quid velit nescio. Nullus ibi cortex detrahendus. Nec de eo quidquam apud Theophrastum. Certe caulis ipse cortice detracto mandebatur περιλεπόμενος, ut auctor est idem Theophrastus. In cujus verbis vertendis omisit Plinius corticis detractionem, ubi necessaria erat, eamque reponit, ubi locum non habet. Deceptus videtur τῷ πολυσήμῳ hujus vocis περικάρπιον, quæ pro fructuum diversitate aliud, atque aliud significat, quum tamen in omnibus eadem sit nominis ratio. In nuce juglande τὸ περικάρπιον est calix ille viridis, quo nux continetur, qui edulis non B est. Et ratio est, quia nux ipsa semen, & καρπὸς habetur. Quod eam ambit, περικάρπιον jure vocatur. Theophrastus: καλυκῶδες περικάρπιον vocat. Hinc apud Hesychium περικάρπιον, λέπυρον, & σκέπασμα exponitur, id est, cortex. At in malis pyris, & ceteris id genus, τὸ περικάρπιον caro ipsa pomi est, quæ manditur, quia τὸν καρπὸν circumdat, id est, semen. Hoc enim propriè fructus arboris intelligitur, unde & seritur. Theophrastus καρπὸν esse dicit τὸ συγκείμενον σπέρμα μετὰ περικαρπίου. Caro pomi, hoc est, περικάρπιον cum semine ipso καρπὸν constituit. Verum, ut dixi, καρπὸς propriè semen. Unde περικάρπιον, quod in pomo C extra est, & semen circumdat. Hoc in aliis edule est, in aliis abjicitur pro natura, & genere pomorum. In Cacto τὸ περικάρπιον pomum ipsum est, in quo semen habetur inclusum, non cortex, qui detrahitur. Hoc Plinium fefellit. Detracta igitur lanugine, & semine adhærente, quod reliquum est, simile esse dicit Theophrastus τῷ ἐγκεφάλῳ φοίνικος, palmæ cerebro. Plinius ad teneritatem cerebri palmæ retulit. Theophrastus de forma intelligit. Et heîc alter error Plinii. Verba Theophrasti ita citat Athenæus lib. 11. Τὸ δὲ περικάρπιον ἀφαιρεθέντων τῶν παππωδῶν, ἐμφερὲς τῷ D τοῦ φοίνικος ἐγκεφάλῳ. Ἐδώδιμον καὶ τοῦτο. Id est: *Pomum ipsum detractis, quæ in eo lanuginosa sunt, instar habet cerebri palmæ. Et hoc edule est.* Interpres Plinium malè sequutus est, vertendo: *detractis pappis, tenellisque seminibus edulis est, gustu qualis est cerebro palmarum.* Ridiculè, quasi idem sit gustus cerebri palmæ, & articocci, vel cardui. Quod nec Plinius dixit, qui sola teneritate similia inter se esse scripsit. Neutrum voluit Theophrastus, sed exemptis pappis τὸ περικάρπιον τῆς κάκτου ἐμφερὲς εἶναι τῷ ἐγκεφάλῳ φοίνικος. Propter solam quippe teneritatem non videtur comparationem tam longè fuisse quæsiturus, quum tam multa ex edu- E libus ad manum essent, eadem teneritudine prædita, præcipuè ubi cocta sunt. Si de crudo accipiamus, ut etiam novellorum carduorum poma eduntur, non sanè præcipua illa teneritas. Consideranda & illa Plinii verba, & cum Græcis comparanda: *Nec fastidiunt in cibis, inveteratosque.* Ita libri. De caulibus cacti loquitur. Theophrastus sic habet: καλοῦσι δὲ τοὺς καυλοὺς κάκτους. Ἐδώδιμοι δὲ εἰσὶ περιλεπόμενοι, μικρὸν ὑπόπικροι, καὶ θησαυρίζουσιν αὐτοὺς ἐν ἅλμῃ. Theophrasti sensus est, edules esse caules illos detracto cortice, subamaros, & muria condiri, condique solitos. Quia scilicet subamari essent, ideo sale macerabantur, F nec aliter propterea videntur edules fuisse, nisi muria domitii, & macerati. Ita intellexisse Theophrastum patet ex sequentibus istis: ἕτερον δὲ καυλὸν ἀφίησιν, ὃν καλοῦσι πτέρνικα. Γίνεται δὲ καὶ οὗτος ἐδώδιμος, πλὴν ἀθησαύριστος. Ceteri caules cacti non aliter edebantur nisi θησαυριστοί, & postquam ætatem in sale tulerant, hic qui vocabatur pternix, etiam edebatur, sed ἀθησαύριστος. Ergo recens tantum mandebatur, non quia muria similiter condiri non posset, ac servari, sed quia recens melior. At Plinius heîc vertit: *unum caulem rectum habent, quem vocant pternica, ejusdem suavitatis, sed vetustatis impatientem.* Cur vetustatis G impatiens? nihil certè est, quod vetustatem ferre non possit, dummodo sale condiatur. Cur iste caulis in muria servari non queat, quum ceteri possint? Nihil sanè rationis video. Sed verum est omnino, quod suspicor: quum Plinius totum eum locum de cacto in Adversaria sua transferret, omisit fortè properans, ut sæpe fit, verba illa, ἐν ἅλμῃ, quæ calami acumen fugerunt. Nobis enim constat, dum silvam sibi ad scriben-

scribendum compararet, omnia quæcunque apud auctores super unaquaque materia legebat, certis titulis assignasse, interdum serie alphabetica redegisse, herbarum, arborum, lapidum, piscium, & medicinarum ex iis nomina, atque inde sumpsisse, quum scriptioni manum admoliri cœpit. Cum igitur de Adversariis locum illum transcriberet, ac verteret, in eo videtur legisse tantum, sicut properabundus scripserat: ἐδώδιμοι δ' εἰσὶ περιλεπόμενοι, μικρὸν ὑπόπικροι, καὶ θησαυρίζουσιν αὐτοὺς, prætermissis illis ἐν ἅλμῃ. Ideo nec illa in versione expressit, quum reddidit: *Nec fastidium in cibis, inveteratosque*. Quod alioquin oportuit. Nec enim *inveterari* est, ἐν ἅλμῃ ἀποθησαυρίζεσθαι, sed simpliciter ἀποθησαυρίζεσθαι. Multæ herbæ reponuntur, ut inveterari possint, & vetustatem ferant, quæ sale opus non habent. Immo inveterari propriè de his dicitur, quæ servantur, & conduntur absque adminiculo salis. Nam quæ vetustatem ferre nequeunt, ea sale, vel muria condita sic servantur, quod ἁλμεύειν Græci dicunt. Theophrastus ἀποθησαυρίζειν ἐν ἅλμῃ. Dioscorides ταριχεύειν εἰς ἁλμαίας. At *inveterare* simpliciter de iis, quæ sine sale servantur, usurpavit Plinius lib. XIX. cap. V. *Quod si diutius allium, capamque inveterare libeat, aqua salsa tepida unguenda sunt, ita diuturniora fient, melioraque usui, sed in satu sterilia*. Allium, & cepa inveterantur absque sale, sed ut diuturniora fiant, aqua salsa unguenda sunt. Ita libri: non, ut habent editi, *intingenda*. Hoc nihil ad ἁλμεύσιν, qua condiuntur herbarum multæ. Etenim aliæ virides, & recentes esui sunt: aliæ reponuntur, & servantur, ut siccæ usui esse possint. *Sicca* vocat Apicius: *de siccis hæc: Lasaris radices, menta, Nepeta, Salvia, Cupressum, Origanum*, &c. Cepas, & allia in eo albo recenset. Atque *inveterari* hæc propriè dicebantur, quia non virides, & recentes, sed siccæ & inveteratæ sumebantur. Παλαιωθῆναι Græci de iisdem dicunt. Aliæ porro in muria, & aceto servabantur condita. Patet igitur Plinium legisse in Theophrasti verbis, θησαυρίζουσιν, non θησαυρίζουσιν ἐν ἅλμῃ. Ideo ἀθησαύριστον vertit *vetustatis impatientem*. Graviter etiam errant hujus ætatis eruditi ferè omnes Herbarii, qui σκόλυμον Græcorum persuadere nobis cupiunt fuisse, quem Latini propriè *carduum* vocabant, nos Articactum. Hanc saltem differentiam agnoscunt, quod Σκόλυμος agrestis sit, carduus sativus. Ego genere distingui censeo. Σκόλυμος vox Græca est, quæ nomen in Latio non habet, ideo *Scolymus* Latinè sua voce vocandus venit, non *carduus*, ut faciunt vulgo, apud Theophrastum, & Dioscoridem. Græci omnes, non solum Paulus & Aëtius: verum etiam Dioscorides ipse κινάραν, & σκόλυμον separant. Atqui certum est κινάραν Græcis dici, quem Latini vocant *carduum*, Siculi κάκτον. Dioscorides de Chamæleonte albo dicit eum habere folia similia σιλύβῳ ἢ σκολύμῳ: caulem non emittere, verum ex medio ἄκανθαν ὁμοίαν ἐχίνῳ θαλασσίῳ ἢ κινάρᾳ. Ita in optimo, ac vetustissimo libro scribitur, non κυνάρᾳ. Per ἄκανθαν intelligit κεφαλὴν ἀκανθώδη. Cinara igitur, & scolymus diversa. Scolymus Græciæ notissimus, unde illud Hesiodi, & ex eo Aristotelis ἦμος σκόλυμος. Hoc florente mulieres libidinis avidissimæ. Scolymum in cibis Oriens & tota Græcia receperat. Plinius lib. XXII. cap. XXII. *Scolymum quoque in cibos recipit Oriens, & alio nomine Limoniam appellavit. Frutex est nunquam cubitali altior, cristisque foliorum, ac radice nigra, sed dulci. Eratostheni quoque laudata in pauperis cœna*. Ita legendum. Theophrastus: Σκόλυμος ἢ καὶ λειμωνία. Perperam vertunt: *Carduus, & beta silvestris*. Aliud λειμώνιον, aliud λειμωνία. Radix igitur scolymi edulis tantùm. Theophrastus: τοῦ σκολύμου δὲ τοῦτο μόνον ἴδιον, ὅτι τὴν ῥίζαν ἐδώδιμον ἔχει καὶ ἑφθὴν καὶ ὠμήν. Plinius: *Scolymus carduorum generis ab his distat, quod radix ejus vescendo est decocta*. Hinc Hesychius σκόλυμον βολβὸν interpretatur. At Dioscorides herbam ipsam scolymi, dum adhuc tenella est, vescendo esse decoctam scribit, haud secus atque asparagos. Ἡ δὲ πόα, inquit, ἀρτιφυὴς οὖσα λαχανεύεται ἑφθὴ ὥσπερ ἀσπάραγος. Ita de sillybo scripserat, quod etiam de genere carduorum est in Syria, ac Phœnice proveniens: ἀρτιφυὴς ἐσθίε-

A ται ἑφθὴ σὺν ἐλαίῳ καὶ ἁλσί. At κινάρα Græciæ ignota prorsus. Theophrastus: ἡ δὲ κάκτος καλουμένη ἐν τῇ Ἑλλάδι οὐκ ἔστι. Cactum, & carduum eumdem esse suprà ex Athenæo ostendimus. Græci veteres poëtæ, pedestresve, qui τῆς κυνάρας meminerunt, aut κυνάρας ἀκάνθης, de carduo eduli, sive cacto minimè intellexerunt. Aut enim carduum agrestem hoc nomine appellarunt, aut cynosbaton, sive sentem caninam. Sophocles:

κύναρος ἀκάνθη πάντα πληθύει γύην.

Virgilius:

---- *segnisque horreret in arvis*
B *Carduus*.

Quod enim silvestrem carduum Græcè σκόλυμον appellari censent, sativum autem & hortensem κινάραν, nec aliud inter utrumque discriminis esse, tota errant regione. *Carduum silvaticum* Romani vocarunt, qui Græcis chamæleon niger. Album etiam chamæleontem ita vocarunt. Vide Herbarium, quod sub Apuleji nomine vulgatur. Idem Plinius carduum etiam vocat chamæleonta album. De illo quippe carduo intelligit, cum dicit, lib. XX. cap. XXIV *manducatus carduus odorem commendat oris*. Sed longè alia in libris lectio. Nam pro his habet optimus Rigaltianus: C *Mastetha carduis odorem commendat oris*. Unde verissima emendatione lego, *Mastiche cardui odorem commendat oris*. Vel etiam: *Mastiche cardui silvestris*. Scriptum erat: *cardui s*. Id est, cardui silvestris. Eam lectionem mihi planè confirmavit Apulejus meus, qui habet, *Mastiche carduis oris odorem commendat*. Intelligit, ut dixi, Mastichen chamæleontis albi, qui & ἰξίας propterea cognominatus est, διὰ τὸ ἐν τόποις τισὶν ἰξὸν εὑρίσκεσθαι πρὸς ταῖς ῥίζαις αὐτοῦ, ᾧ καὶ ἀντὶ μαστίχης χρῶνται αἱ γυναῖκες. Theophrastus ἰξίνην vocat ἄκανθαν, unde μαστίχη. Sic chaD mæleon albus etiam silvestris carduus. Nam *carduus* absolutè de sativo. Spinam albam cardui quoque silvestris generibus adscripserunt. Ἀγρίαν κινάραν Græci dicunt. Plinius similiter inter silvestres carduos, quorum duo genera facit, & scolymum recenset, at *carduos* absolutè vocat sativos & hortenses. Ut ut sit, certè errant, qui σκόλυμον *carduum* vertunt, quum propriè Latini sic vocarint sativum, qui à scolymo diversus est tota antiquitate suffragante. Veteres Grammatici semper κινάραν Græcè reddunt, nunquam σκόλυμον, qui Latinè est *carduus*. Veterum Glossarum auctor capite περὶ λαE χάνων: *carduus*, κινάρα. Cardui olim non plebejus cibus. Plinius lib. XIX. *Mirum esset non licere pecori carduis vesci, non licet plebei*. Ideo valdè priscis illis ganeonibus expetiti, sicut hodieque nostris, & res erat tunc maximi quæstus. Idem lib. XIX. cap. VIII. *Poterant videri dicta omnia, quæ in pretio sunt, nisi restaret res maximi quæstus, non sine pudore dicenda. Certum est, quippe carduos apud Carthaginem magnam, Cordubamque præcipuè, sestertia sena millia, ut par ejus reddere*. Corrupta hæc postrema verba plus quam simpliciter, quod vel numerus nummorum, ut conceptus est, satis arguit, etiamsi aliud indicium non esset. LaF tini *mille sestertia* dicunt, aut *sestertiorum*, videlicet nummorum tot ac tot millia. An intelligit proventum unius anni carduorum apud Carthaginem mille sestertia reddere, hoc est, decies centena millia nummûm? Certe cum rem maximi quæstus esse dicat, & cum pudore quidem memorandam, nimis parum esset legere, sestertiûm sena millia. Sed alio nos ducunt libri, in quibus scribitur: *sestertia sena millia e parvis reddere eis*. Ita in vetustissimo Thuanæo, cui & reliqui adstipulantur. Inde optima, ut mihi videtur, conjectura nostra est, legendum esse: *certum est quippe carduos apud CarthagiG nem magnam, Cordubamque præcipuè, sestertiûm sena millia e parvis reddere areis*. Singulas areas, easque parvas carduorum apud Carthaginem magnam, & Cordubam reddere quotannis sestertiûm sena millia dicit, hoc est, centenos quinquagenos præter propter nostri nomismatis aureos. Qui ingens quæstus erat. Areæ hortorum sunt πρασιαί. Hic cardui κινάραι sunt Græcorum, & κάκτοι Siculorum. Legitur Epigramma vetus γελοῖον, εἰς κινάραν, quod hesc apponam:

Ἐγκέφαλον

Ἐγκέφαλον φορέω κεφαλῆς ἄτερ, εἰμὶ δὲ χλωρὴ
Λυχένος ἐκ δολιχῆς γήθεν ἀειρομένη.
Σφαίρη δ' ὡς ὑπὲρ αὐλὸν ἐείδομαι. Ἦν δὲ ματεύσῃς
Ἔνδον ἐμῶν λαγόνων, μητρὸς ἔχω πατέρα.

Sic legendum Epigramma. Ἐγκέφαλον illud est, quod ἐγκεφάλῳ φοίνικος in cacto simile esse scribit Theophrastus. Ut hinc etiam constet cactum, & κινάραν esse idem. Dicit κεφαλῆς ἄτερ. Atqui κεφαλὴν in carduo, & congeneribus spinis vocat Dioscorides, quod in summo caule σφαιροειδὲς habent. Σφαῖραν auctor Epigrammatis vocat. *Pomum* dicimus. Theophrastus μῆλον. Plinius *malum cardui*. Semen porro quod intus est, pater est matris. Nam inde planta seritur, & nascitur. Ceterum de hac Cinara, sive carduo vix est, ut possit in Plinio accipi, ubi dicitur cervos herbæ cinaræ pastu recreari, quando noxia ederunt gramina. Et mirum est, Plinium nusquam alibi, præterquam hoc loco, Cinaræ meminisse. Græci, ut suprà notavimus, religiosè hoc observant, ut κινάραν vocent per jota, carduum edulem, & hortensem, non κυνάραν, quæ aliud est. Scribit Dioscorides ἀκάνθαν λευκὴν τοῖς ἑρπετοδήκτοις proficere, & adversus venenata gestari amuleti vice. Hanc vetus auctor additamentorum ἀγριοκινάραν vocari notat, hoc est, silvaticum carduum. De hac fortasse intellexit Plinius, vel auctor ille, unde sumpsit, quem non dubito scripsisse κυνάραν. Ita enim silvestrem carduum vocarunt, ut sativum & edulem κινάραν. Et fallitur omnino Athenæus scribens, Κινάρα. Ταύτην Σοφοκλῆς ἐν Κολχίσι κυνάραν καλεῖ. Certè κινάρα inter edulia est, quam ibi recenset, & rectè scribit per Iota. Sed quod ait κυνάραν Sophocli vocari, iterum dicam fallitur. De carduo silvestri debere accipi jam observavimus. Versus Sophoclis è Phœnice: Κύναρος ἀκάνθα πάντα πληθύει γύην. *Canina spina toto inhorret vomere.* De aratri vomere loquitur, qui carduis, & spinis obsitam terram proscindens iis implebatur. Hæc κύναρος ἀκάνθα etiam aliis dicta est: & simpliciter κύναρος, & κυνάρα. Hesychius: κύναρος, φυτὸν τι. Καὶ μήποτε ἡ κυνόσβατος διὰ τὸ τραχὺ, καὶ ἀκανθῶδες. Κυνα γὰρ ξυλίνην τὴν κυνόσβατον ὁ Θεόφραστος λέγει. Fallitur ille Grammaticus. Nec enim Theophrastus est, qui κυνόσβατον sic vocavit in scriptis suis; sed Pythia in oraculo quodam ita vocaverat. Locrus enim jussus urbem ibi condere, ubi morsus esset ὑπὸ κυνὸς ξυλίνης, καταμυχθεὶς τὴν κνήμην ὑπὸ κυνοσβάτε, ἔκτισε τὴν πόλιν. Una voce κυνόξυλον dicebatur. In additamentis Dioscoridis legitur κυνόξυλον dici, quem Romani carduum nigrum vocabant. Ceteri Græci χαμαιλέοντα μέλανα. Longè tamen aliud κυνόσβατος. Didymi porro sententiam, qui κύναρον ἀκάνθαν apud Sophoclem de cynosbato exponebat, unice confirmat Hecathæi Milesii locus, qui ab Athenæo refertur his verbis: ἐν δὲ τοῖσιν ὄρεσι

A δένδρεα ἔνι ἄγρια, ἀκάνθα κυνάρα, ἰτέα, μυρίκη. Ibi ἀκάνθα κυνάρα, quæ inter arbores refertur, de carduo silvestri, qui herba est, accipi non quit. Ergo κυνόσβατον ita vocavit, quem Theophrastus μεταξὺ θάμνε, καὶ δένδρε, inter arborem, & fruticem esse scribit. Rosa est, ut vocant, canina, vel silvestris, quæ & κυνόῤῥοδον. Alii tamen ea distinguunt, ut alibi reddam. At in sequenti Scylacis, vel Polemonis exemplo κυνάρα herba est: ἐν δὲ τοῖς ὄρεσι πέφυκε κυνάρα, καὶ βοτάνη ἄλλη. Carduum silvestrem, aut aliud spinæ genus sic vocaverunt, quasi caninam dicas à mordacitate spinarum,
B & aculeorum. At carduum edulem, & sativum κινάραν dixerunt, litera fortasse mutata ad vitandam δυσφημίαν canini nominis, vel ab alia ratione, quam nescire me profiteor. Κινάραν eo sensu vocatam notant Sopatro cuidam, qui circa Alexandri Magni tempora vixit, & Ptolemæo Euergeti.

Pag. 29. B. *Eadem pæne specie sunt, quos tragelaphos dicunt*] Quem Bellonius pro tragelapho veterum nobis exhibet, is tragelaphus non est, nihil ferè habens cervi, vel hirci. Certè nec barba illi hircina, nec cervi cornua, quæ notæ tragelaphum constituunt præcipuæ. Visus mihi ante annos quindecim verus tragela-
C phus Lutetiæ Parisiorum. Is cornua planè cervina gerebat, mentum promissa hirtum barba, & villosos armos, velocissimi in primo cursu impetus, sed cito deficientis. Hircum Barbariæ eum nominabant, qui circumferebant. Inveni scriptum in antiquo Glossario Bibliothecæ Puteanæ tragelaphum *Elcum* vocari. Sic enim illæ glossæ habebant: *tragelaphus bestia, quem Elcum vocamus.*

Tantum quod illi villosos habent armos] Ita libri nostri, & editiones pleræque. Camertis: *tantumque.* Vitiosè. Elegans, & antiquum loquendi genus: *tantum quod*, πλὴν ὅτι. Tertullianus in Apologetico: *Bonus vir Cajus*
D *Sejus, tantum quod Christianus.* Ἀγαθὸς ἀνὴρ Γάϊος Σήϊος, πλὴν ὅτι Χριστιανός. *Tantum quod*, idem quod tantummodo. Lucretius:

Tantum quod nomen mutatum dicere possis.

Et Ciceronis illud: *tantum quod hominem non nominat.* Ita etiam loquitur Apulejus, sed locus nunc non est ad manum. Eadem porro loquutio, cum accipitur pro commodum. *Tantum quod exoriente sole*, ἀρτίως ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου. Cum sol tantum exoriretur, *le soleil ne faisoit que se lever.* Glossæ: *tantum quod*, ἀρτίως. *Tantùm quod egrediebar, je ne ne faisois que sortir.* Ita nos ex-
E primere solemus illud *tantum quod.* Et nihil aliud significat, quam tantùm, vel solùm modo. Plinius hoc loco: *Est eadem specie, barba tantum, & armorum villo distans.* Noster eleganter: *eadem specie sunt, quos tragelaphos dicunt: tantùm quod illi villosos habent armos, & menta promissis hirta barbis.*

CAPUT XX.

Germania. In ea, de avibus Hercyniis, de bisontibus, de uris, de alce. Item de alce Gangaviæ insulæ, de Succino, de Callaïco lapide, de Ceraunio albo.



Ag. 29. D. *Hunc Ingevones tenent*] Libri Solini, *Inguæones.* Ita quoque excerpta Plinii. Exemplaria quædam Pliniana: *Incyæones.* Ptolemæo dicuntur Ἰγγλαίωνες. Corruptè. Nam legendum est, Ἰγγαίωνες. Μέχρι τῶν Ἀλαυνῶν ὑφ' οὓς Ἰγγαίωνες, εἶτα Κοσσβῶνοι. Tacito *Ingævones.* Melius *Inguæones.*

Albis, Gutallus, Vistula] In libris, *Alba*, & *Guthalus.* Alba quoque Vopisco vocatur in Probo: *reliquias ultra Nicrum fluvium & Albam removit.* Ita & Spartiano in Juliani vita: *Germaniæ populis, qui Albam fluvium accolunt.* Sic enim habere veteres libros ibi notare memini. Græcis tamen scriptoribus Ἄλβις.

Vistula] Libri omnes: *Viscla.* Ita scribebant pro *Vistula*, *Vistla*: & quia C melius sonat sequente L *Viscla.* Sic *sextula, sextla, & sescla.* Sic *situlus, sitlus, & siclus.* Unde *siclones.* Eodem prorsus & *viclum* scripsere pro
F *vitlo*, sive vitulo. Glossæ veteres: *biclus*, φώκη. Quod scriptum est pro *viclus.* Vitulum marinum intelligit, qui Græcis φώκη, Latinis etiam absolutè *vitulus*, ut apud Plinium. *Hiustia* pro *Vistla* legitur in Brevi Missorum Thodosii: *Germania omnis, & Gotthia finiuntur ab Oriente flumine Hiustia: ab Occidente flumine Rheno: a Septentrione Oceano, à Meridie, flumine Danubio. Patet in longitudinem M P M circiter* DCCC. *in latitudinem,* CCCLXXXIIII. Scribe: *Vistla.*

Saltus Hercynius aves gignit] Plinius lib. x. cap. XLVII.
G *In Hercynio Germaniæ saltu invisitata genera alitum accepimus, quarum plumæ ignium modo colluceant noctibus.* Ita corrige. Nam minus rectè legitur, *inusitata.* Quod verbum & aliis locis pro illo positum frequens occurrit.

Quamvis obtenta nox denset tenebras] Ita scripsimus suadentibus libris. Et est loquutio Virgiliana:

--- & obtenta densantur nocte tenebræ.

Antea fuit in editionibus: *quamvis obtenta nox obtegat, & denset tenebras.* Ineptè. Quid enim est, quod hæc

heîc dicitur, noctem tenebras obtegere?

Pag. 29. E. *Rationem viæ moderentur*] In προεκδόσει scripserat auctor: *viæ ordinem illustrent indicio plumarum refulgentium.*

Bisontes frequentissimi] Libri nostri *Visontes* scribunt. Perperam apud Oppianum βίσωνες, pro βίσωντες, multum indignante versu. Quod tamen tuentur, & agnoscunt docti. Βίσωνες Pausaniæ.

Qui bovis feri similes] Ita legimus ex libris, & antiquis editionibus, quæ habent: *qui boves feris similes.* Et paulo post: *ultra tauros pernicitate*, expuncta voce *vigentes*, quam iidem libri non agnoscunt.

Sunt & uri, quos imperitum vulgus vocat bubalos] Et bisontes, & uros inter boves feros numerat Plinius, qui βοάγροι Græcis unica voce, ut ὄναγροι, idem lib. VIII. cap. XV. *Excellentique & vi, & velocitate uros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit, cum id gignat Africa vituli potius, cervive quadam similitudine.* Ita quidem editur apud Plinium. Pro quibus heîc scripsit Solinus: *cum bubali pæne ad cervinam faciem in Africa procreentur.* Et sanè non ea inter vitulum & cervum similitudo, ut dicere potuisse videatur Plinius, bubalos in Africa similes esse vitulo, cervove. Libri nihil variant, nisi quod habent: *vituli cervice quadam similitude.* Omnino legendum: *vituli, cervique quadam similitudine.* Hoc dicit, bubalos Africæ vituli simul, & cervi quodammodo instar habuisse, ut cervina facie fuerint, & vitulis tamen haud multo majores. Vulgus imperitum uros Germaniæ boves agrestes, bubalos vocabat. Quod usque hodie in usu nomen remansit hac significatione. Agathias: ταῦρος ὑλόνομος, καὶ ὄρειος, καὶ τοῖς κέρασι τὸ ἀντίπαλον διαφθείρων, βουβάλους οἶμαι τόδε τὸ γένος καλοῦσι. At *bubali* proprie dicebantur animalia quædam in Africa nascentia, cervina facie, sed cervis minora. De hoc genere animalis vocem βούβαλος Græci omnes usurparunt, non, ut imperitum vulgus, de bubus Germanicis, qui uri dicebantur. Hesychius: βούβαλος δορκάδιον. Herodotus lib. IV. Κατὰ τοὺς Νομάδας δὲ ἐστὶ τουτέων οὐδὲν, ἀλλ' ἄλλα τάδε πύγαργοι, καὶ ζορκάδες βουβάλιες. Ubi ζορκάδες sunt capreoli, πύγαργοι capræ quoque sylvestris genus, ut docet Plinius. Interpres Juvenalis: *pygargus fera est specie cervi, quæ retriores partes albas habet.* Veteres Glossæ, quæ penes me sunt, dammam interpretantur: *pygargos, damma.* Inter has, & βουβάλιες capreis similes. Βουβαλίδες Oppiano dicuntur. Hesychius: βουβάλιες, οἱ βούβαλοι. Ammianus Marcellinus lib. XXII de Ægypto: *& in aridis quidem capreoli vescuntur, & bubali, & spinturnicia.* Ita legendum, non *bucali.* Nec de bubus feris accipiendum, sed de eo animali, quod suprà diximus. Ut Herodoto ζορκάδες, καὶ βουβάλιες, sic Ammiano, *capreoli, & bubali.* Nam capreoli sunt ζορκάδες. Non tamen ratione prorsus caruisse videtur vulgus, cum uris Germanicis nomen indidit bubalis. Βούβαλον Græci non tantum illud genus animalis, quod cervo, vel capreæ simile in Africa gignitur, vocarunt, sed etiam quidquid magnum, & amplum esset, hoc eodem nomine insigniverunt. Hesychius: βούβαλος, δορκάδιον, καὶ μέγα, καὶ πολύ. Βούβαρον pro eodem dixerunt. Βούβαρος ὁ μέγας, καὶ ἀναίσθητος ἄνθρωπος. Βούβαρα, μεγάλα. Βουβάραι, μεγάλαι. Sed & βούπαλον pro magno posuerunt. Idem: βούπαλον μέγα, καὶ ὄνομα. Sic enim vocabatur, quem Hipponax laceravit carminibus suis. Ita βούβαλος, & βούπαλος idem pro magno, & amplo. Et βουβαλίδες, & βουπάλιδες genus periscelidis, & ornamenti muliebris. Hinc & βουβάλιον genus cucumeris sylvestris ab amplitudine. Et βουβάλιον membrum, quo mulieres sunt. Inde igitur genus illud bovis Germanici ferocitate, & formæ magnitudine præcipuum, βούβαλον ex Græco appellaverunt. Uri Germanicè nominabantur. Græcum Epigramma:

---- καὶ βόος οὔρου
Ἀσκητὸν χρυσῷ παμφανόωντι κέρας.

Ita enim emendavimus, cum vulgo legeretur καὶ βόος οὔρων. Quod nec Suidas intellexit.

Ut inter regias mensas potuum gerula fiant] Isidorus ex hoc loco: *Uri agrestes boves sunt in Germania habentes cornua in tantum protensa, ut regiis mensis insigni capacitate ex eis gerulæ fiant.* Gerulas vocat vasa vini, aut cujus-

A libet humoris capacia. Quod & in Glossis veteribus mihi lectum est. *Gerlas* hodieque nostri Burgundiones rustici appellant vasa ampla lactis, aut aquæ gerula ex ligno facta. Non puto eum tamen ita in Solino legisse. Sumptus autem hic locus è Plinio lib. XI. cap. XXXVII. *Urorum cornibus barbari Septentrionales potant, urnisque bina capitis unius cornua implent.* Ita scribo ex vestigiis veteris scripturæ, quæ habet: *putantur, nisi quæ bina capitis unius.* Vulgo ediderunt: *urnasque binas capitis unius cornua implent*, falsa prorsus lectione. Nec enim cornibus urnas implent, sed urnis cornua ad potandum. Præterea non binas urnas, sed amphoram
B dixisset. Nam duæ urnæ sunt in amphora. Julius Africanus in fragmento περὶ μέτρων. Ὁ δὲ οἴνου ἀμφορεὺς ὃν καὶ μετρητὴν λέγουσι πολλοὶ, ἡμιαμφόρια μὲν ἔχει δύο, ἃ καλοῦσι κάδδους ὀνόματι κοινῷ, οἱ δὲ Ῥωμαῖοι οὔρνας. Cum bina porro cornua unius capitis urnis impleri dicit, ostendit urna opus esse ad bina implenda, non ut integram urnam singula capiant, bina amphoram. Quæ nimis prodigiosa esset magnitudo cornuum. Amphora quippe, quæ Romanis *quadrantal*, octoginta pendebat aquæ libras, & duodequinquaginta sextarios tenebat. Africanus: ὥστε τὸν ἀμφορέα εἶναι ξεστῶν μη. Vide & Festum in voce *quadrantal:* cujus verba ita legenda
C sunt è veteri libro: *quadrantal vocabant antiqui amphoram, quod vas pedis quadrati octo & quadraginta capiat sextarios.* legitur vulgo: *quam ex Græco ἀμφορέαν dicunt.* Ridiculè. Sequitur apud Plinium de cornibus urorum: *alii præfixa hastilia cuspidant.* Quo loci libri legunt: *alii præfixa haspila cuspidant.* Quis non videt emendandum? *alii præfixa his pila cuspidant.* Eget etiam manu emendatrice, quod sequitur: *multasque alias ad delicias conferuntur, nunc tincta, nunc sublita, nunc quæ cerostrata picturæ genere dicuntur.* Ubi cerostrata exponunt, tessellis cornuum vario colore pictis cerostrata
D fieri. Lege, ut habent libri, *quæ cestrota picturæ genere dicuntur.* Κεστρωτά. Genus encaustices fuit, qua cestro, id est, vericulo pingebatur in ebore, & cornu. Ignito vericulo ebur pingebatur & cornu, quod genus κεστρωτὸν vocabant, & ἔγκαυτον. Quidquid in acumen exibat, κέστρον Græci vocarunt: Κεστρωτὸν ξύλον, præusta sudes. Hesychius: κεστρωτὸν ξύλον, βαρὺ ἔχον τὸ κέντρον. Οὐκ ἔχει δὲ σίδηρον, οὐδὲ ἀκμήν. Εἰώθασι δὲ οἱ βοτῆρες πυροῦν τὰ ἄκρα τῶν ξύλων ἕνεκα τοῦ πεπολῶσθαι πυρίκαυστα. Ita scribendus ille locus, ac distinguendus. Κεστρωτὸν ξύλον ex Poëta aliquo. *Sudes præustas*, τὰ κεστρωτὰ ξύλα Virgilius dixit. Κέστρος genus teli. Idem, κέστρος, ἡ πρώτη ἔκφυσις σπερ-
E μάτων, καὶ ἀκόντισμα. Glossæ: *tragula*, κέστρος: καὶ ὄχημα δίχα τροχῶν. Ita scribimus. Malè in vulgatis, *traducit. Tragula* est jaculum, & κέστρος. Genus etiam currus significat sine rotis. Nam *tragulam* pro trahula, vel parva trahea usurparunt. Quæ vox & hac notione legitur apud Jornandem, & alios. Sic *tragum* pro traho dixerunt, id est, everriculo. Isidorus: *tragum, verriculum.* Sic *vertrahum*, & *vertragum* de genere canis venatici. Κέστρα etiam malleus, ἡ σφύρα, sed & genus piscis ita dictum, quem Græci σφύραν quoque, & σφύραιναν appellarunt, Latini *sudem*, & *sudenam.* Varro lib. IV. de L. L. *Vernacula ad similitudinem sudenæ, pectunculi,*
F *ungues.* Ita enim scribimus. Vitium est in vulgata, *surenæ.* Ad similitudinem sudis dicta *sudena*, ut Græcis eadem κέστρα, & σφύρα, sive σφύραινα. Glossæ: *sudena*, σφύραινα. Male *suadena.* Et in mendosos libros incidit compilator. Aliæ Glossæ: σφύραινα ἰχθὺς, *sudis.* Item: *sudis*, σφύραινα ἰχθὺς, καὶ σκόλοψ. Propriè σκόλοψ, ut *sudis* Latine, ξύλον ὀξύ. Κέστρος etiam veruculum, quo ignito κεστρωτὰ opera in ebore, vel cornu fiebant. Κεστὸς ab eadem origine τὸ κεντητὸν significat. Unde κεστὸς ἱμάς: & πολύκεστον, τὸ πολυκέντητον. Ab antiquo verbo κῶ, quod est κοιλαίνων, ut tradunt veteres Grammatici, qui & τὴν ἐγκαυστικὴν dum ab isto verbo deducunt, de hac picturæ encausticæ
G specie intelligere palam est, quæ cestro peragitur. Hoc genere & forium ornamenta pingi solebant apud veteres. Vitruvius lib. IV. cap. VI. *Ipsaque forium ornamenta non fiunt cestrota, neque bifora, sed valvata, & aperturas habent in exteriores partes.* Eadem mendæ indole, quam in Plinio castigavimus, scribitur hodie & apud Vitruvium, *cerostrata.* Animalium cornibus tinctis, & cestrotis, ebore quoque similiter picto lignum di-

 stin-

stinguebant, in lectis, mensis & foribus. Plinius lib. XVI. cap. XLIV: *excogitatæ sunt & ligni bracteæ, nec satis: cœpere tingi animalium cornua, dentes secari, lignumque ebore distingui, mox operiri.* Ebur illud, & cornu, quo lignum operiebatur, & distinguebatur, cestro etiam inuri solebat, & cestrotum fieri. Inde *cestrota forium ornamenta* Vitruvio. Alias ceris etiam inurebantur fores. Quod alterum erat encaustices genus. Ausonius:

Ceris inurens januarum limina,
Et atriorum pegmata.

Unde ἔγκαυσις θυρῶν in veteri inscriptione. Dicæarchus de Tanagra: τοῖς δὲ τῶν οἰκιῶν προθύροις, καὶ ἐγκαύμασιν ἀναθεματικοῖς κάλλιστα κατασκευασμένη. Si *cerostrata* apud Vitruvium retinendum esset, non ramentis, & tessellis insertorum cornuum picta, ut placet doctis hominibus, explicari oporteret, sed ceris fusis, & stratis inusta: κηρόστρωτα, non κερώστρωτα. Nam κηρόστρωτα rectè dici queant, quæ ceris inducta sunt, ut μαρμαρόστρωτα, & λιθόστρωτα, Græci tamen ἔγκαυστα dicunt, non κηρόστρωτα, quæ sic picta sunt. Tria encaustices genera apud veteres fuisse ex Plinio observari potest. Unum, quo tabulam discoloribus ceris inducebant, & insternebant ad quidlibet exprimendum, pingendumque: quas postea ceras inurebant, ut lævigarent, & exæquarent. In hoc genere penicilli nullus erat usus. Itaque Plinius *penicillo pingere*, & *ceris pingere*, quasi diversa statuit de Pausia, qui optimus cerarum ἐγκαυστὴς fuit: *pinxit & ipse penicillo parietes Thespiis, cum reficerentur quondam à Polygnoto picti: multumque comparatione superatus existimabatur, quoniam non suo genere certasset*, id est, quoniam encaustica non certasset, in qua excellebat. Encausto pingere, & penicillo pingere diversum. Illud ceris, hoc coloribus. Varro lib. III. de R. R. cap. ult. *Nam ut Pausias, & ceteri pictores ejusdem generis loculatas magnas habent arculas, ubi discolores sunt ceræ, sic hi loculatas habent piscinas, ubi dispares disclusos habent pisces.* Ceræ illæ discolores ad encausticam pertinent, in qua primum nobilis extitit Pausias, & *ceteri pictores ejusdem generis* de, his qui encausto pingunt. Plinius de eodem Pausia: *idem & lacunaria primus & pingere instituit, & cameras, nec ante eum taliter adornari mos fuit.* De encaustica quoque intelligendum. Nam cameras ceris inustis pingi solitas ex Procopio observavimus ad Historiam Augustam. Cum igitur ex his, quæ diximus, certum sit in hoc genere pingendi encausto veteres pictores penicillo usos non fuisse, illud etiam constet oportet, non liquidas, & igne resolutas ceras tabulæ ingessisse, sed, sicut erant, posuisse, & explicasse, quas postea inurebant, & igni peræquabant. Alterum genus encaustices, quod in ebore, & cornu veruculo, sive cestro inurebatur: quod κεστρωτὸν inde vocabant. Tertium his duobus accessit genus liquefactis igne ceris penicillo utendi. *Quæ pictura navibus nec sole, nec sale, ventisque corrumpitur*, inquit Plinius. Ovidius:

---- *& picta coloribus ustis:*
Puppis ut Ægæas concava findit aquas.

Navem pictam hac specie ἐγκαύστως intelligit. Procopius cameras similiter pingi solitas testatur lib. I. de Ædificiis Justiniani: ἐναβρύνεται δὲ ταῖς γραφαῖς ἡ ὀροφὴ οὐ τῷ κηρῷ ἐντακέντι, ἢ διαλυθέντι ἐνταῦθα παγεῖσα. Ἀλλὰ ἐναρμοσθεῖσα ψηφῖσι λεπταῖς τε καὶ χρώμασιν ὡραϊσμέναις παντοδαποῖς. Miniatis parietibus loricam è cera punica sic inducebant ad colorem, & fulgorem conservandum, & ἔγκαυσιν vocabant. Vitruvius lib. VII. cap. IX. *Ceram Punicam igni liquefactam paulo oleo temperatam seta inducat, deinde postea carbonibus in ferreo vase compositis, eam ceram apprimè cum pariete calefaciendo sudare cogat, fiatque, ut peræquetur. Postea cum candela, linteisque puris subigat, uti signa marmorea curantur. Hæc ἔγκαυσις Græcè dicitur.* Ita scribendum; mendosè enim legitur: *hæc autem καῦσις Græcè dicitur.* Sic tertius ἐγκαυστὸς modus curabatur, ceris igne remissis, & penicillo inductis. In priore, quem Pausias, & ceteri ejus generis, ac temporis pictores celebrarunt, nullus usus penicilli, quia liquefactæ ceræ non inducebantur, sed positæ in tabula postea inurebantur. Plinius, de illo genere: *ceris pingere, ac picturam inurere quis primus excogitaverit, non constat.* Ceris igitur primùm pingebant, deinde picturam eam inurebant, hoc est, igne ceras peræquabant. Hæc omnia pingendi genera nunc exolevere, & tota encaustice hodie evanuit, ea præcipuè, quæ ceris inurebatur. Nec alium exitum invenit ἡ κέστρωσις, qua imagines in ebore, vel cornu pingebantur veruculo, sive cestro. Unde *cestrota.* Quæ ut exponerem, & Plinio adstruerem, hæc dicenda fuere.

Est & alces mulis comparanda] Ita libri, non *alce.* Græci ἀλκὴν vocant. Atque ita Pausanias, ἡ ἄλκη, αἱ ἄλκαι, de hac fera. Latinis *hæc alces.* Sic *Alces, Alcis* declinatur. Capitolinus in sylva Gordiani: *Oves feræ C. Alces X.* Mirum vero, quantum de alce inter se dissentiant scriptores. Plinius, *ni proceritas aurium & cervices distinguat, jumento similem* facit. Solinus mulis dicit esse comparandam. Jumentum nimirum pro mula accepit. Præterea propenso adeo labro superiore esse scribit, ut nisi recedens in posteriora vestigia pasci non queat. Hoc Plinius non de Alce, sed de Machli memorat, quæ fera est Scandinaviæ insulæ, similis Alci. Cæsar Alcis figuram capreis consimilem jactat, eadem pellis varietate, sed magnitudine paulo antecedere. Legendum apud Cæsarem *capreis*, non *capris*: *Harum est consimilis capreis figura, & varietas pellium.* Nec enim capræ varietate pellis insignitæ, sed capreæ. Pausanias alcis figuram describit, ἐλάφου καὶ καμήλου μεταξύ. Quod ait ἐλάφου, hoc utcunque cum Cæsare convenit. Nam capreæ, & cervi nisi magnitudine haud fermè distant. Et varietas pellium in capreolis, & hinnuleis eadem. Quod addit de facie cameli, id cum Plinio facere videtur, qui proceritatem cervicis alci tribuit. Talis proceritas cervicis in camelo. Cæsar Alces cornibus mutilas tradit. Pausanias contrà, ἄλκαι μὲν γὰρ καὶ κέρατα ἐπὶ ταῖς ὀφρύσιν ἔχουσιν οἱ ἄρρενες: τὸ δὲ θῆλυ οὐ φύει τὸ παράπαν. Cum Cæsare hac in parte melius convenit Plinio, quam cum Pausania. Etenim narrat excepta cervicis proceritate, & aurium, similem jumento esse alcem: nihil dicit de cornibus. At in eo diversi Cæsar, & Plinius, quod hic Machlin nullo suffraginum flexu esse prodit, Cæsar alcem. Has auctorum inter se dividias libuit scrupulosius adnotare. Cetero non dissimilem esse Machlin alci fatetur idem Plinius, cujus verba ita legenda sunt: *item natam in Scandinavia insula, nec unquam visam in hac urbe multis tamen narratam machlin haud dissimilem illi.* Quidam libri *achlin* nominant. Quæ vox barbara est, & nationis ejus, apud quam id animalis nascitur. Et nugantur, qui *aclin* dictam somniant, quod non cubet. Sic Alcem nominatam fortasse vellent à vi, & fortitudine.

Adeo propenso labro superiore] Propensum est amplum, & prægrande. In cujus vocis usum διεπίφορος noster. Sic *propensæ notæ, propensa largitas*, & similia sexcenta. Sic *propensa natura* Capitolino pro magna. Alci autem tribuit Solinus, quod Plinius Machli. Quæ transmutationes illi solemnes sunt. Si causam quæris, quare id fecerit, furta sua celari sic voluit, & putavit. At boni viri, auctoritate Solini permoti scilicet, trajecta verba apud Plinium esse sibi falso persuaserunt. Nos haud ita nostrum novimus.

Pag. 29. F. *Scandinavia insula*] Ita ex Plinio reposuerant, quum omnes Solini libri sine varietate habeant, *Gangavia.* Excerpta vetera Solini, & Plinii *Candaviam* nominant: *Germanicarum insularum Candavia maxima est.* Ea est, quam Ptolemæus Σκάνδειαν vocat. Qui præter tres parvas hoc eodem nomine unam μεγίστην facit, καὶ ἀνατολικωτάτην. Plinius *Scandinaviam* habitari scribit *ab Hillevionum gente quingentis pagis.* Hi sunt, qui Αἰλευαίωνες eidem Ptolemæo dicuntur, & fortasse etiam scribendum Ἰλλευαίωνες: sed in insula eos non ponit. Idem Λευῶνες nominat, qui τὰ μέσα insulæ Scandiæ tenent. Atque hi potius fuerint, quos *Illevones* vocat Plinius. Hæc insula est, quam Mela appellat *Codanoniam* lib. III. cap. VI. *In illo sinu, quem Codanum diximus. Ex iis Codanonia, quam adhuc Teutoni tenent, ut magnitudine alias, ita fecunditate antistat.* Libri *Codanoviam* appellant. Ea est Plinii *Scandinavia*, quam & in sinu Codano collocat. Idem Plinius *Scandiam* ab hac diversam facit, manifesto errore. Atque ita mos est ejus. Quum

Quum enim è diversis opus suum compilarit, sæpenumero res easdem, quas varii auctores diversè nominarunt, ipse separat, ac sejungit. Sic autem scribit de insulis Oceani Britannici: *Sunt qui alias prodant Scandiam, Dumnam, Bergam.* Atqui Scandia eadem cum Scandinavia, quam superiore capite memoravit. Sic *Scandinavia, Scandia, Candavia, Gangavia, & Codanovia*, ejusdem insulæ varia sunt nomina.

Sed cui suffragines, ut elephantis, flecti nequeunt] Libri: *sed cujus.* Plinius: *sed nullo suffraginum flexu.* Qui elephantis comparatione non utitur, ut hic, nec quidquam tale alibi tradidit. Atqui id ignorare non potuit, qui quotidie elephantos videbat. Et profecto falsum est elephanti suffragines non flecti. Quem veterem errorem ipse etiam sugillat Aristoteles. Ὁ δ' ἐλέφας, inquit, οὐχ οὕτως ὥς λέγουσί τινες, ἀλλὰ συγκαθίζει, καὶ κάμπτει τὰ σκέλη. Incertus auctor, qui excerpta ex Plinio, & Solino consarcinavit, Solinum etiam hoc nomine reprehendit, ac revincit testimonio, ἢ αὐτοψίᾳ totius Gallicani populi. *Idem*, inquit, *Iulius de Germania, insulisque ejus narrando, unum de insulis mentiens falso loquitur, dicens elephantum nunquam jacere, dum ille, sicut bos certissimè jacet, ut populi communiter regni Francorum elephantum in tempore Imperatoris Caroli viderunt. Sed forsitan ideo hoc de elephanto æstimatum est, eo quod genua ac suffragines ejus, nisi quando jacet, non apparent.*

Tamen somnulentam arbor sustinet] Plinius: *Ideoque non cubantem, sed acclinem arbori in somno.* Ita legendum, non *adclivem*. Locus *adclivis*, aut *declivis* dicitur, ἐπιρρεπὴς ἐπαρθεὶς, ἢ κατωφερής. *Adclinis*, qui adclinatur. Glossæ: *adclinis*, προσανακλιμένος. Cæsar de alce: *ad eas se applicant, atque ita paulummodo reclinatæ quietem capiunt.*

Quæ ad prope casuram secatur] id est, eo usque secatur, donec prope casura sit. Excerpta Solini: *quæ prope casuram secatur.* Quod & ferri potest. Quæ ita secatur, ut proxima caturæ sit. Sed illud melius, & magis ad Solinianum loquendi morem. *Ad prope casuram secatur*, ad instar prope casuræ. Sic *ad smaragdum viret*, paulo post, instar smaragdi. Et suprà: *ad succinum ei color est*, id est, succino similis. Plinius: *eaque incisa ad insidias capi.* Incisam arborem ad insidias dicit, quæ ita inciditur ad prope casuram, ad insidias illi feræ faciendas. Sic enim capitur. Non probo, qui legunt, *eaque incisâ, ab insidiis capi.*

Dum assuetis fulcimentis innititur] Libri: *fulmentis.* Quod est ἀρχαϊκώτερον. Notum est proverbium vetus apud Varronem: *fulmenta lectum scandunt.* Fulmenta sunt fulcra lecti, non gradus ad scandendum in lectum, ut falso opinatur vir eruditissimus. Nam ab eadem utrumque origine *fulcrum*, & *fulmentum.* Lucillius apud Nonium:

Subjicit huic fulcrum, fulmentas quatuor addit.

Ita enim scribendum, & in altero ejusdem Lucillii versu:

Fulmentas senis, ac tinis subducere.

Tinæ vasa sunt vinaria. *Tina* ex Græco δεῖνος, quod est genus vasis vinarii. Hesychius: δεῖνος, εἶδος ἐκπώματος. Athenæo δεῖνος μέγας de poculo. Inde *tina.* Varro: *antiquissimi in convivium utres vini primo, postea tinas ponebant.* *Senum* quoque vas vini. Ita enim libri scribunt pro sino. Varro apud Nonium: *ubi erat vinum in mensa positum galeola, aut sena. Senum*, ut dixi, semper scribunt libri. Varro de re rustica: *demittatur per sena ad vasa olearia, ac trapetas.* Corruptissimè apud Nonium legitur in Lucillii versu:

Fulmentas æneis, atque æneis subducere.

Fulmenta quoque soccorum dicebantur. Plautus: *fulmenta jubeam suppingi soccos.* Sic lege. Τῷ καττύματι. Corruptus, & in hac voce Hyginus de limitibus constituendis. Nam ubi hodie legitur; *advocandum est gnomonices summæ, ac divinæ artis elementum*, libri partim habent *frumentum*, partim *flumentum.* Atque ita planè in vetustissimo Codice eruditissimi Scriverii habetur. Unde scribendum conjicio, *fulmentum.* Hoc etiam loco *flumentis*, pro *fulmentis*, excerpta vetera Solini præferebant. *Advocare fulmentum divinæ artis*, id est, subsidium, & auxilium advocare, est quod vulgo dicimus, *l'appuy.* Ut *momentum*, & *momen*

A idem est, sic *fulmentum*, & *fulmen*; nam hoc veteres pro *fulcimen* dicebant. Unde compositum *subfulmen* idem quod *subfulcimen*, ὑπέρεισμα, pro quo corruptum est, *subflamen.* Glossæ interpretantur, τροχῶν ἀγκύλιον, βοήθειαν, κώφισμα ἁμάξης, ὑπέρεισμα, ὑποστήριγμα. Certè in Glossis, ubi vulgo scribitur *sufflamen*, series literarum ostendit scripsisse auctorem, *suffulmen.* Ita ergo concipi debet: *suffuderit, suffulmen, suffusio.* Sic propriè appellatur, quo rotæ suffulciuntur. Ergo *suffulmen*, non *sufflamen.* Inde & verbum *suffulminare*, non *sufflaminare*, ut vulgo pronuntiant. Hæc depravatio in multis aliis vocibus irrepsit, & invaluit, vel

B librariorum vitio, vel mala consuetudine. Sic *coalescere*, pro *coolescere* dicimus: *soboles* pro *suboles: laqueare* pro *lacuare:* Unde *sublaqueare*, ὀρύττειν: *perstringo* pro *præstinguo: sollicito* pro *sublicito: solvo* pro *subluo:* & infinita ejusmodi. Sic *masturbare*, quum scribi deberet, *manstuprare.* Ita *lucar* scribebant, quod est *locar*, τὸ θεωρικόν, merces pro loco in spectaculis. Ex ea depravata scribendi consuetudine *lucar* à lucis deducunt. Ineptissimè. Inde *locarii*, qui sedes in theatro locabant. Martialis:

Hermes deliciæ locariorum.

C Varro *locarium* dici notat, quod datur in stabulo, & taberna, qui consistant. *Locar*, quod datur in theatro, τὸ θεωρικόν. Nihil verius. Sic *sufflamen* pro *suffulmen* ab eo depravato more. Nam *fulmen*, & *fulmentum* a fulcio; ut *tormen* & *tormentum*, à torqueo: *ramen*, & *ramentum* à rado: *vermen* à verto ὁ στρόφος: *momen* & *momentum* à moveo.

Alioqui difficile est, eam mancipari] Sic libri. *Mancupare* usurpavit pro capere. Cum propriè sit ἀνδραποδίζειν. Nam *mancupium* ἀνδράποδον.

D *Glesaria dat crystallum, & succinum*] In libris *Glæsaria*, & *glæsum.* Atque ita in Plinianis. Tacito *Glesum.* Germani gentiliter succinum sic vocabant. Inde hodieque fortasse vitrum *glasum* appellant. Nam succinum vitream habet perspicuitatem. Certè qui à *glasto* voce supposititia derivant, quantopere fallantur, infrà dicam. Milites autem Romani insulam illam *Glæsariam* nominarunt à glæso, id est, succino, cum ab ipsis Germanis vocaretur Austravia. Plinius: *item Glæsaria à succino militi appellata, barbaris Austravia.* Ita scribi debet pro pro vulgato: *à succino militiæ appellata.* Ge-

E nus loquendi Plinianum, *militi appellata*, id est, appellata à milite. Nihil frequentius apud Solinum hac loquutione. Idem Plinius lib. XXXVII. cap. III. *Certum est gigni in insulis Septentrionalis Oceani, & à Germanis appellari glæsum: itaque & à nostris unam insularum ob id appellatam Glæsariam, Germanico Cæsare ibi res gerente, Austraviam a barbaris dictam.* A nostris, id est, à milite Romano.

Qualitas materiæ hujus summatim antea] Aliquid videtur deesse. Qualitas, inquit, hujus materiæ summatim antea: Germanico autem Cæsare rem gerente in Germania, comperta est arbor pinei generis. Vult dicere summatim antea, & leviter cognitam esse ma-

F teriæ hujus qualitatem, postea sub Germanico Cæsare, quum Germaniæ oras scrutaretur, penitus compertam fuisse. Sed comperta est arbor pinei generis, quod antea nesciebatur. Nihil itaque deest. *Summatim* est, ἄκρως, κεφαλαιωδῶς. *Summatim doctus*, ἀκρόσοφος. *Summatim tangere*, ἀκροθιγῶς. Marcello, *panis summatim fermentatus*, ἀκρόζυμος. *Summatim tinctum*, ἀκροβαφὲς, quod in summa cute, ac leviter coloratum est.

Pag. 29. G. *Cujus mediale autumni tempore succino lacrimat*] Legendum ex Plinio videretur, *autumni tempore.* Sic enim scribit: *erumpit humoris abundantia: den-*

G *satur rigore, vel tepore autumnali.* Sed aliam lectionem præferunt libri, qui omnes legunt, *aut mari.* Iidem etiam *erupti* habent, non *erumpit.* Totum locum sic lege, ac distingue: *erupti humoris abundantia densatur rigore, vel tepore, aut mari, cum intumescens æstus rapuit ex insulis: certe in littora expellitur ita volubile, ut pendere videatur, atque non sidere in vado.* Perperam etiam legitur, *atque considere in vado.* Nihil verius hac emendatione. Tres rationes affert, quare succinum, cum sit gummi ex arboribus pinei generis defluens, in lapidem densetur,

densetur. Aut frigore ait densari, aut calore, vel certè mari, quum crescens æstus illud gummi ex insulis rapuit, inde in littore expelli tam volubile, ut pendere videatur, non sidere in vado. Nam præ nimia volubilitate, non hæret in uno loco, nec sidit, sed semper agitatur, ita ut pendere videatur. Vulgata lectio contrarium Plinianæ menti sensum reddit. Metaphora à navibus, quæ in vado sidere dicuntur, quum in sicco hærent fixæ. Eædem pendent, & fluctuant, cum ἐπὶ σάλου ὁρμῶσι. Propertius:

---- *puppis sidit onusta vadis.*

Quintilianus: *cum in vado sidit navis.* Sic Græcis, καθίζεσθαι ἐπὶ βράχεσι. Inter vada porro, atque in littore succinum Germanos legere auctor est Tacitus de Moribus Germanorum. Pliniana autem loquutio, *atque non*, ut passim apud eum observare est. Lib. XXXVII. cap. VI. *Arabicæ excellunt candore circuli perlucido, atque non gracili.* Et alibi de Jaspide: *in Cappadocia ex purpura cærulea, atque non refulgens.* Et de Obsidiano vitro: *totum rubens vitrum, atque non translucens.* Et de sale: *omnis est talis sal minutus, atque non gleba.* Ita hoc loco: *atque non sidere in vado.* Rectè etiam correximus, *erupti humoris abundantiam.* Sic *proruptus sudor* apud poëtam, & similia. Succinum porro frigore in lapidem coïre mavult Philosophus, ut omnes succos, qui ex arboribus lacrimarum instar manant: καὶ γὰρ τὸ ἤλεκτρον, καὶ ὅσα λέγεται ὡς δάκρυα, ψύξει ἐστὶν οἷον σμύρνα, λιβανωτὸς κόμμι. Sic de crystallo variant sententiæ, utrum frigore, an calore indurescat. *Tepore* igitur legendum in Plinio, non tempore autumnali. At tempore autumni fluere succinum ideo dixit noster, quia tunc temporis gummi è cerasis, & prunis manat, cui simile est succinum. Plinii verba de succino, quæ Solinus hoc loco imitatur: *nascitur autem defluens è medulla in pinei generis arboribus, ut gummi in cerasis, ac prunis: erupti humoris abundantia densatur frigore, vel tepore, aut mari.* Ita inquam collegimus scribendum ex veteris scripturæ vestigiis, quæ *pyris*, aut *puris* præfert, & vocem *resina* non habet. Nam legitur in editis: *ut gummi in cerasis, resina pineis.* Gummi è prunis, ut è cerasis sudari satis certum est. Et Plinius id multis locis testatur. Perperam etiam apud eum scribitur: *nascitur defluente medulla.* Solinus heîc: *arbor est pinei generis, cujus mediale succino lacrimat.* Ergo *mediale* arboris, & *medulla* idem. Sed fortassean legerit in Plinio Solinus: *nascitur defluens è mediali.* Nam propriè aliud *medulla*, aliud *mediale* in arboribus. Mediale quippe etiam habent, quæ medulla carent. Sambucus plurimam habet medullam, cornus non habet. In corno tamen mediale inest: estque durissimum arboris. In arboribus, quæ medullam habent, idem est mediale, & medulla. In aliis mediale est, non medulla. Græci *mediale*, τὸ μέσον τοῦ ξύλου, τὸ μέλαν δρυὸς, & ἐγκάρδιον appellant; & uno verbo ἐντεριώνην, vel ἐντερονίαν. Ita etiam vocarunt τὸ μεσαίτατον τῆς νεώς. Latini *interamenta navis.* Sic enim quodam in loco apud Livium reponendum pro armamentis. Pineæ autem arbores medulla carent. Quare succinum è mediali arboris, non è medulla lacrimatur. Sed medullam passim pro mediali usurpant, ut Plinius alibi *medullam pini* dixit.

Succum esse arboris de nominis qualitate capessas] In aliis: *de significatione nominis capessas.* Alii libri: *de nominis capessas qualitate.* Quod διπλογραφούμενον ex diversitate alterius, & alterius editionis natum est. *Significationem* suprà pro etymo posuit: *Paliliorum significationem de partu Iliæ tractam volunt.* Sic *interpretatio* pro etymo apud Ciceronem lib. I. de divinatione. Ita hoc loco *significatio* nominis est ἐτυμότης. Puto eum ita scripsisse in editione recentata, & recognita. Nec glossa est, ut quidam arbitrantur. *Significatio nominis* pro etymo apud Nonium sæpe occurrit. Et *vocabulorum significationes* τῶν ῥημάτων ἐτυμότητες. Arnobius lib. IV. *Et ipsius nominis significantiam traxit.*

Pinum vero, unde sit genitum, si usseris, odor indicabit] Et duplicem heic lectionem invenio, ex duplici nimirum editione. In quibusdam legitur: *pinum vero, unde sit gignitum, si usseris, odor indicabit.* Quam scripturam prioris editionis esse non vanè auguror. Eam quippe in iis exemplaribus reperi, quæ ex προεκδόσεως descri-

A pta fuisse certo scio. *Gignitum*, pro *genitum* non abhorret à genio Solini. Altera lectio habet: *verum, unde profluit, si usseris, odor indicabit.* Succum arboris esse ostendit nominis etymon: verùm unde profluit, id est, ex qua arbore manat, si id usseris, odor indicabit. Odor quippe pineus, & resinaceus fatetur ex pinei generis arbore profluere. Ita planè scriptum in optimo libro Regiæ Bibliothecæ. Sic autem hæ geminæ lectiones signanter distinguendæ sunt: nam multi pejoris notæ codices ex utraque mixtas proferunt, aut utramque simul exhibent.

Pretium operæ est ire longius, ne Padanæ silvæ] Hæc lectio est anteriorum editionum, quam restituimus. B Nec alia est librorum veterum. Delrius ex conjectura ediderat: *pretium operæ est id scire, ne longius Padaneæ silvæ credantur hunc lapidem flevisse.* Ad hanc conjecturam levi admodum re impulsus, quod in libro suo *scire* pro *ire* scriptum erat. Nihil absurdius hac lectione, nihil falsius. Primùm *longius* hoc sensu vix est Latinum. *Ne longius credatur*, pro ne ulterius, ne amplius credatur. Ita marrucini loquantur. Estque ex idiomate Gallico, puto & Hispanico. Præterea non satis est id scire, quod præcessit, pineam nimirum arborem esse, unde C fluit succinum, ne Padanæ silvæ credantur hunc lapidem flere. Quid si enim & inter Padanas silvas pinei generis arbores fuere, quæ hunc lapidem fleverint? ita sanè potuit esse. Sed longius eundum esse dicit, ut hic error evellatur, & ostendendum, quæ causa huic fabulæ, & vulgari opinioni dederit originem. Hoc est, quod narratur in sequentibus: hanc speciem à Germanis in Illyricum primo pervenisse, deinde per Pannonica commercia ad Transpadanos homines devolutam, quod ibi primùm Romani eam viderint, ibi & natam putavisse.

D *Per Panonica commercia usque ad Transpadanos homines foret devoluta*] Locus Plinii, quem heîc adumbravit Solinus, pessimè in editionibus depravatus est. Vestigia sequutus veteris lectionis, ita eum emendandum censeo: *affertur à Germanis in Pannoniam, ideo maximè appetitam provinciam, & inde ad Venetos primùm, quos Græci Henetos vocabant. Hi rei famam fecere proximi Pannoniæ, id accipientes circa mare Adriaticum.* Perperam in libris *affirmatur*, pro *affertur.* In iisdem, *& inde advectos primum.* Unde nos fecimus *ad Venetos.* Ideo maximè appetitam illam provinciam scribit, luxuriam suorum temporum denotans. Propter succinum E appetebatur, quod ex Germania illò primùm invehatur. Quæ sequuntur nihilo corruptiora, ita castiganda: *Pado vero adnexa fabula evidente causa, hodieque Transpadanarum agrestibus, monilium vice succinum gestantibus maximè decoris gratia, sed & medicinæ.* Confer cum vulgatis. *Transpadanarum agrestes*, sunt agrestes Transpadanæ. Vulgo additur, *fœminis.* Sequentia vero longe contaminatissima in his: *quando tonsillis creditur resistere, & faucium vitiis, vario genere aquarum juxta illos infestante guttur, ac vicinas carnes.* Nihil in his sani: nec quicquam in libris auxilii. Optimè tamen emendasse me puto: *vario genere aquarum juxta iis infestante* F *guttura, ac vicinis Carnis.* Dicit Transpadanis fœminis æque guttura infestari, ac vicinis Carnis, propterea succinum eas gestare. Carni vicini Transpadanis in Adriatici maris sinu intimo. Strabo lib. IV. μετὰ δὲ τούτους οἱ ἐγγὺς τοῦ Ἀδριατικοῦ μυχοῦ, καὶ τῶν κατὰ Ἀκυληΐαν τόπων οἰκοῦσι. Νωρικῶν τέ τινες οἱ Κάρνοι· τῶν δὲ Νωρικῶν εἰσὶ καὶ οἱ Ταυρίσκοι.

Apparatus omnis succino inornatus est] Plinius: *Tanta copia invecta, ut retia arcendis feris podium protegentia succinis nodarentur, arma vero, & Libitina, totusque unius diei apparatus esset è succino.* Legitur in libris: *succina nodarentur.* Lege: *succino nodarentur.* Arma omnia gladia-G toria, & vasa è ludo composita erant succino. Capitolinus in Pertinace de Commodi auctione: *& toga, armaque gladiatoria gemmis, auroque composita, & macharas Herculaneas, & torques gladiatorias, vasaque è ludo auro, ebore, argento, citroque composita.* In munere Neronis hæc omnia erant è succino. Retia porro, quæ podium protegebant, succino erant nodata, id est, nodos habebant è succino, vel loco nodorum succinum. *Nodosa retia* Tibullo. Retibus totum amphitheatri podium præ-

prætendebatur ad arcendas feras. Hic mos obtinuiſſe videtur Plinii temporibus. Poſtea *rutulis*, id eſt, verſatilibus lignis obduxerunt, quæ feras adſultantes vertigine ſua excuterent. Calpurnius de podio:

Et coït in rutulum, tereti qui lubricus axe
Impoſitos ſubita vertigine falleret ungues,
Excuteretque feras.

Ita olim emendavimus. Ex hujuſmodi rutulis, & verſatilibus repagulis compoſitæ quoque fuere caveæ ferarum. Gloſſæ: *rutlus*, ϛροφεὺς γαλεάγρας. Baſilius: ὥσπερ δὲ τῶν θηρίων τὰ μισανθρωπότατα, ἐπειδὰν τοῖς ζωγρείοις ἀναποκλεισθῇ, περιβρύχεται τοῖς κυλίνδροις, τὸ πικρὸν καὶ ἀνήμερον τῆς φύσεως ἐνδεικνύμενα. Qui Baſilio κυλίνδροι, *verſatilia repagula* ſunt Ammiano: *utque dentatæ in caveis beſtiæ, tetro pædore acerbius efferatæ, evadendi ſpe repagulis verſatilibus illiduntur.* Περιβρυχῶνται τοῖς κυλίνδροις. Gloſſæ Palatinæ: *Clatri, ligna volubilia in caveis.* Sic *rutili, clatri*, & *verſatilia repagula* in caveis idem ſunt: Græce ϛροφεῖς, & κύλινδροι. Quod primi omnium docuimus.

Cum per idem tempus XIII *millia librarum rex Germaniæ donum ei miſerit*] Ex omnibus admirabilibus hoc maximè ſtupendum: tredecim millia librarum ſuccini à rege Germaniæ Neroni dono miſſa. Quantam oportet copiam ſuccini fuiſſe in materia minimè ponderoſa? ſed magis mirum eſt, cum omnia, quæ hîc habentur, à Plinio habeat Solinus, nihil tale apud Plinium extare. Inter magnam copiam ſuccini, quæ invecta eſt ab illis, qui munus Neronis curabant, unde & totus unius diei apparatus ſuccino compoſitus eſt, glebam fuiſſe allatam tredecim librarum narrat Plinius: *maximum pondus is glebæ attulit* XIII *librarum.* Rarum eſt eo pondere glebam ſuccini inveniri, ideo notavit. At Solinus ita verba Plinii accepit, quaſi maximum pondus ſuccini is attuliſſet, quod tredecim millia librarum penderet: adfinxitque de ſuo donum Germaniæ regis eſſe. Hoc à Solini genio non ita alienum videri debet, ut non magis unice convenire exiſtimandum ſit.

Rude primum naſcitur, & corticoſum] Hoc de omni ſuccino generatim dicit, quod Plinius de Indico ſcribit ex Archelai teſtimonio. Sic igitur ille: *naſci & in India certum eſt. Archelaus, qui regnavit in Cappadocia, illinc pineo cortice inhærente ſcribit advehi rude, polirique adipe ſuis lactentis incoctum.* Ita ſcribendum. Hoc de ſuccino, quod è Germania afferebatur, falſum. At noſter de alio non loquitur. Si Germanicum, quod unum Græci, Latinique noverant, cum cortice pineo inhærente allatum vulgo eſſet, pineæ arboris lacrimam eſſe dubitatum non fuiſſet. Rude etiam, & informe è Germania perferebatur, ut ſcribit Tacitus: ſed minime corticoſum, quod de Indico Archelaus ſcripſit.

Pro facie habet nomina; melleum dicitur & falernum] Libri omnes Solini legunt: *pro facie habet nomen, à melleum dicitur, & falernum.* Perperam. Falerna quidem à vini colore dicta Plinius aſſerit, additque, *ſunt & in quibus decocti mellis lenitas placeat.* Non mellea appellari ſcribit. Nec enim melleus ſimpliciter color in illis commendabatur, ſed mellis decocti. Alius autem color mellis crudi, & puri, alius decocti. *Faciem* autem heîc pro colore poſuit. *Pro facie habet nomina*, id eſt, pro colore. Sic Græcis εἶδος. Epiphanius, Σάρδιον πυρωπὸς τῷ εἴδει καὶ αἱματοειδές. Λίθος ἄνθραξ, αὐτὸς εἶδος ὀξυφοινικοῦν ἔχει. Ubi perperam Marrucinus emendat, ὀξυφοίνικος. Et alibi paſſim. Τοπάζιον λίθος ἐρυθρὸς τῷ εἴδει. Λίθος ἴασπις τῷ εἴδει σμαραγδίζει.

Pag. 30. B. *Nam in Germaniæ continentibus Callaïs reperitur*] Libri omnes ad unum ſcribunt hoc loco, *Callaïca*. Plinio *Callaïna* dicitur. Ita enim & ejus libri: *Comitatur eam ſimilitudine propior, quam auctoritate, Callaïna è viridi pallens.* In indice manuſcripto *Galliana* ſcribitur pro *Callaïna*. Ita enim habetur in optimo libro Rigaltii: *de topazo, genera ejus* II *de Galliana: de Praſia.* Callaïca, & Callaïna idem: & ſubaudiendum, gemma. A colore ſic dicta eſt. In aliis pleriſque gemmis color ab ipſis nomen habet, ut *amethyſtinus* ab amethyſto: *hyacinthinus* ab hyacintho: *pæderotinus* à pæderote. At *callaïca* gemma, vel *Callaïna*, à colore callaïno. Principale eſt καλλαῖον. Unde καλλαϊκὸν, & καλλάϊνον. Sic ab ἀρχαῖος, ἀρχαϊκὸς: ab Ἀχαιὸς, Ἀχαϊκὸς & ſimilia. Sed & verbum καλλαΐζειν: ut ἀρχαΐζειν. Unde & καλλαΐζον χρῶμα. Ἡ καλλαῒς nomen quoque gemmæ. Nam *Callaïs* à Plinio refertur inter gemmas ordine alphabeti ab ipſo deſcriptas, quaſi diverſa ſit à Callaïca, ſive Callaïna. De qua paulo poſt. Heſychius: Κάλλαια οἱ τῶν ἀλεκτρυόνων πώγωνες, καὶ πᾶν πορφυροειδὲς χρῶμα. Ἔνιοι δὲ τὰ ποικίλα, καὶ παρ' Αἰγυπτίοις χρῶμα καλλάϊνον. Κάλλαια τὰ βαπτὰ ἔρια. Etymologicum magnum: Κάλλαια καλοῦνται τὰ κάτωθεν τῶν ἀλεκτρυόνων ὥσπερ γένεια, διὰ τὸ εἶναι ἀνθηρὰ καὶ πορφυρώδη. Idem: ἔνθα καὶ τὸ καλλάϊνον ἐστὶ δὲ τὸ χρῶμα ἀνθηρὸν ἢ τὸ βένετον οὕτω καλούμενον. Nihil dubii eſt, quin τὸ καλλαϊκὸν, ἢ τὸ καλλάϊνον χρῶμα ἀπὸ τοῦ καλλαῒς deducatur. Ait auctor ille, ſignificari hoc nomine colorem ἀνθηρὸν, vel venetum. Per ἀνθηρὸν intelligit τὸν πορφυρώδη. Nam Græci ἀνθηρὸν, & ἀνθηρικὸν χρῶμα de purpureo, & puniceo uſurpant. Significat & venetum; hoc eſt, pallide virentem. Inde *Callaïca*, ſive *Callaïna* gemma hoc loco appellata è viridi pallens. Solinus: *pallidum viret.* Optimum eſſe in ea ſmaragdi colorem dicit Plinius. Gloſſæ: καλλάϊνον, *venetum.* Porphyrius in tetrabiblon Ptolemæi, περὶ τῆς τῶν ἱματίων χροιᾶς· Ὁ Κρόνος τῆς καστορίζούσης. Ἡ Ἀφροδίτη, λευκῆς χροιᾶς. Ὁ Ζεὺς γαλαΐζουσης ἐπὶ τὸ λευκὸν ῥεπούσης μικρόν. Ὁ Ἄρης πυῤῥίνης, φλογίνης ἀληθινῆς. Ἥλιος χρυσοκιτρίνης. Ἡ Σελήνη πρασίνου. Γαλαΐζουσαν dixit τὴν καλλαΐζουσαν. Incertus auctor de circo: Οἱ δὲ Βένετοι Κρόνῳ ἢ Ποσειδῶνι. Βένετοι δὲ ἐκλήθησαν ἀπὸ τῶν περὶ Ἀδρίαν Ἐνετῶν τοιαύταις ἐσθῆσι χρωμένων. Βένετον δὲ οἱ Ῥωμαῖοι τὸ παρ' ἡμῖν καλλάϊνον χρῶμα προσαγορεύουσιν. *Viride marinum* vulgo vocamus hunc colorem. Nicetas καλλάϊνον βαφὴν, & γεράνειον pro eadem ponit. At Callaïs apud eumdem Plinium quaſi diverſa ab hac Callaïca recenſetur capite, quo gemmas deſcripſit per ſeriem literarum. *Callaïs*, inquit, *ſapphirum imitatur, candidior; & littoroſo mari ſimilis.* Certè aliam oportet eſſe à Callaïca, vel veneti coloris gemma. Sapphirus purpurea eſt, vel cærulea. Hæc callaïs, quæ ſapphirum imitatur, candidior eſt, hoc eſt, purpuræ dilutioris, & littoroſo mari, nec ita profundo ſimilis. Nam altum mare, πορφύρεον, & κυανέον. Unde Grammatici πορφυροῦν de mari, βαθὺ exponunt. Et καλλαῒς inde etiam dicta, quia καλλαῖον purpureum colorem etiam ſignificat, ut ſuprà notavimus. *Callaïca* vero, vel *Callaïna* gemma, coloris veneti, atque è viridi pallentis. Quare diverſa eſt à Callaïde. At nemo unus eſt hodie eruditorum, quin Callaïdem pro Callaïca accipiat. Quin etiam omnes ſibi perſuadent paſſim callaïdem eſſe, quam *Turqueſiam* vocamus. Quorum errorem ſuprà caſtigavimus. Plinius porro in eodem ordine litteræ C recenſet etiam Callaïcam à Callaïde utique diverſam. Sic enim libri ſcribunt: *Callaïca è turbido calamo ferunt plures conjunctas inveniri.* In editis ita tantum habetur: *Callainas plures ferunt conjunctas inveniri.* In Indice Callaïca etiam ſcribitur hoc modo: *Callaïs, Cappadocia, Callaïca.* Sed illa corruptiſſima ſunt, *è turbido calamo.* Inde & in ſcriptis quibuſdam nomen ipſius gemmæ corruperunt antiquarii pro *Callaïca* ſcribentes, *Calamitis è turbido calamo.* Quid ſit, bene conjicere neſcio, niſi legendum ſit: *Callaïca, è turbido calaïno:* vel, *è turbido calaïna.* Callaïcam dicit callaïni coloris eſſe, ſed turbidi. *Callainum* enim Latini pro Veneto etiam uſurparunt. Martialis:

Indueras albas, exuis callainas.

Recentiores hoc nomen plerumque ſcribunt cum unico L, ut & Græci γαλαΐζον, & γαλάϊνον. Hanc Callaïcam non dubito eamdem eſſe cum ea, quam alibi Callaïnam vocavit, & quæ ex eo Callaïca heîc à Solino vocatur. Sed cum ex diverſis auctoribus opus ſuum compilavit, de eadem re plerumque diverſis in locis tradit. Sic Arabicum lapidem, & Arabicam gemmam, quum ſit eadem, duobus tamen locis poſuit. Callaïcam heîc ſcribit è turbido callaïno eſſe. Quod convenit & Callaïnæ, quam capite VIII ſcribit reperiri apud accolas Caucaſi montis fiſtuloſam, & ſordium plenam. Callaïca igitur, & Callaïna eadem, & diverſa à Callaïde, quod nos nunc primi oſtendimus. Hoc niſi ſit, in Plinio culpa hærebit, qui diverſos facit. Auctor Periplı Erythræi Καλλάϊνον λίθον vocat. Sed male in eo legitur Καλλεανὸς. & ſic legendum: νάρδος, καὶ καλλάϊνος λίθος, καὶ σάπφειρος. De portu Indico Barbaricæ loquitur.

In

A *In Germaniæ continentibus Callaica reperitur*] Incidit Solinus in mendosos Plinii codices, qui *Germaniæ* pro *Carmaniæ* præferebant. Ita hodieque scribunt vetera quædam Plinii exemplaria, quæ non inculpata esse ex Plinio ipso potest constare. De Callaïca ita scribit lib. XXXVII. cap. VIII. *Nascitur post aversa Indiæ apud incolas Caucasi montis Phicaros, ac Asdatas amplitudine conspicua, sed fistulosa, ac sordium plena. Sincerior multo, præstantiorque, quæ in Carmania. Utrobique autem in rupibus inviis, & gelata, oculi figura extuberans, leviterque adhærens, nec, ut adnata petris, sed ut apposita; quapropter scandere ad eam pigritia pedum equestres populos tædet simul, &* B *periculum terret.* Equestres populos de Carmanis præcipuè intelligit, non de Caucasi montis incolis. Unde enim equestres populi in montibus? At Carmani Persis vicini haud secus ac Persæ equestres, quamvis Strabo scribat equorum penuria Carmanos in bello asinis uti. Certè de Germanis hoc dictum videri non potest. Nec enim hi magis equestres, quam pedites. Penes peditem plus esse roboris apud Germanos Tacitus tradit; ceterùm equitibus pedites mixtos pugnare, Nearchus apud Strabonem scribit, τὰ πλεῖστα ἔθη καὶ τὴν διάλεκτον τῶν Καρμανιτῶν Περσικά τε καὶ Μηδικὰ εἶναι. Præterea in Germania perraræ gemmæ nascuntur, immo C nullæ. In Carmania præter hanc Callaïcam aliæ multæ. Nam & Astrios, & Asterios, & Ceraunium candidum, aliæque ibi inveniuntur, ut & in vicinis provinciis, Media, & Perside. Igitur aut perperam legit *Germaniam* pro Carmania, aut ita ipse consulto consilio scripsit. Quod non abhorret ab ejus consuetudine. Isidorus simile mendum habet: *Callaïca*, inquit, *colore viridis, sed pallens, & crassa, nihil jucundius aurum decens, unde & appellata. Nascitur in India, vel Germania.* Lege: *Carmania.* Legisse *Callaïcam*, non *Callaïn* apud Plinium apparet. Nam hic ejus locus de Callaïca ex D Solini, & Plinii verbis compositus est. Et *Callaïcam* ideo dictam scribit, quia aurum præcipuè deceat. *Callaïcum* aurum dicebatur: & *Callaïcum metallum* Martiali de auro. Sed tales sunt Isidori orignationes. *Callaïcum* aurum à gente Lusitaniæ. Nam καλλαïκοὶ Græcis, quos Latini *Gallæcos* vocant. At *Callaïca* gemma à colore callaïno. *Callaïcus lapis* dicitur in Indice Solini: *de Callaïco lapide, de Ceraunio albo.* An *Callaïcam* ἀπὸ τοῦ κάλλους interpretatur dictam Isidorus, quod aurum maxime deceat? Utrumque falsum.

Arabes quidem dicunt, non alibi eam deprehendi, quam in nidis avium] Non hoc dicit Plinius dicere Arabes, E non alibi deprehendi Callaïcam, quam in nidis avium, quos melancoryphos vocant. Et ineptum est. Quid enim sciunt Arabes, an non alibi nascatur, quam in nidis melancoryphorum? De his, quæ in Arabia reperiuntur, hoc possunt scire, ac dicere. De aliis quî possunt? Quod sequitur æquè ineptum, ac falsum. *Quod nullus*, inquit, *recipit, cum apud Germaniæ populos, quamvis rara, in saxis tamen pareat.* Nec enim in Germania eruitur, sed in Carmania: nec ibi tantum, sed etiam apud incolas montis Caucasi. Hæc omnia eo consilio inversa, & mutata, ut dissimularet, unde accepit. Plinii verba: *Sunt qui in Arabia inveniri eas dicant in ni-* F *dis avium, quos melancoryphos vocant.* Quam diversus hic fons à rivulo suo: hic homo quam dissimilis isti simiæ.

In nidis avium, quas melancoryphos vocant] Mira constantia librorum, etiam optimorum legentium, *quas melanchorytos vocant.* Forte rectum est, *melancorythos*, μελαγκορύθους. Quod idem est. Sic enim vocantur, quod caput nigrum habeant, vel in capite quasi galeam nigram. Non una opinio apud veteres de melancoryphis. Aristoteles de ficedula melancoryphum fieri tradit: Γίνεται δὲ ἡ συκαλὶς περὶ τὴν ὀπώραν. Ὁ δὲ μελαγκόρυφος εὐθέως μετὰ τὸ φθινόπωρον. Plinius: *Alia ratio ficedulis:* G *nam formam simul, coloremque mutant. Hoc nomen nonnisi autumno habent, postea melancoryphi vocantur.* Hæc sic satis rectè, nisi haberent libri: *hoc nomen autumno non habent, postea melancoryphi vocantur.* Mutata tantùm interpunctione sanus aliter fiet locus: *Hoc nomen autumno: non habent postea: melancoryphi vocantur.* Alii diversas species ejusdem generis esse volunt συκαλίδας, & μελαγκορύφους. Quod magis probandum est. Quia Sycallides post autumnum non apparent, & tunc melancoryphi videntur, inde persuasum vulgo Sycallidas mutare colorem, & capite nigro fieri post autumno. Quod falsum est. Alexander Myndius apud Athenæum: ἄπειρος τῶν αἰγιθαλῶν, ὑφ' ὧν μὲν ἐλαιὸς καλεῖται, ὑπὸ δὲ τινῶν πιρίας, συκαλὶς δ' ὅταν ἀκμάζῃ τὰ σῦκα. Δύο δ' εἶναι γένη αὐτοῦ, συκαλίδα, καὶ μελαγκόρυφον. Non placet mihi vir summus, qui emendat, ac supplet: Συκαλὶς, ὅτι ἁλίσκεται, ὅταν ἀκμάζῃ τὰ σῦκα. Græcè αἰγιθαλὸς, Latine *parus*, ea est avis, quam vulgo vocamus *mesangiam*. Plures quidem ejus species, sed inter alias una est, quæ caput habet nigrum. Ea est, quam ab aliis ἐλαιὸν dici, ab aliis πυῤῥίαν dicit ille Myndius. Sed pro ἐλαιὸς, legendum puto ἐλαιὰς. Hesychius: ἐλεὰς, ὀρνέου εἶδος. Aristophani quoque ἐλεὰς in avibus comœdia:

Κίττα, τρύγων, κορυδὸς, ἐλεὰς, ὑποθυμὶς, περιστερά.

Ubi interpres adnotat: ὁ δὲ ἐλεᾶς μήποτε ἐλείας ἐστὶν ἐν τοῖς Καλλιμάχου ἀναγραφομένοις. Φησὶ γὰρ, Ἐλέα μικρὸν, φωνὴ ἀγαθόν. Philosopho dicitur ἐλέα. Alia est ἐλεὸς, quæ inter aves nocturnas ab eodem recensetur. Ἐλειὸς Hesychio εἶδος ἱέρακος. Artemidoro aves nocturnæ numerantur, Γλαὺξ, ἐλεὸς, βύας, αἰγωλιὸς, σκὼψ, νυκτικόραξ. Ita scribendum. Quod ait Alexander, ὑπὸ τινῶν δὲ πιρίας. Omnino ita scriptum est pro πυρίας, & πυῤῥίας. Et planè confundit duo genera μελαγκορύφων. Inter Ægythalos unum genus est, quod caput habet nigrum. Eam vocari dicit à quibusdam ἐλαιᾶν. Sic enim emendandum, ὑφ' ὧν μὲν ἐλαιὰς καλεῖται. Alii ἐλεάς. Si ἐλαιὰς rectum, ita dicta sit ab olivaceo colore. Nam Mesangia illa, quæ caput nigrum gerit, plumas habet viridis olivacei, vel certe, quod olivas edat. Quod ait, ὑπὸ τινῶν δὲ πυρίας, vel πυῤῥίας, hoc ad aliud genus pertinet, quod etiam nigrum habet verticem, sed rufum pectus, unde & πυῤῥίας. Aristoteli πυῤῥούλας vulgo appellatur, sed voce mendosa. Scribendum quippe πυῤῥάλης, aut πυῤῥόλας. Hesychius: πυῤῥάλης, ὄρνις ποιός. Aut etiam πυῤῥαλὶς. *Pivoniam* vulgo appellamus. Sic duo genera diversa avium confundit Myndius, quia utrumque μελαγκόρυφον. Addit eamdem ab aliis appellari συκαλίδα, quando ficus maturæ sunt. Certè συκαλίδα, & μελαγκόρυφον invicem mutari prodidit Aristoteles: ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ συκαλίδες, καὶ οἱ μελαγκόρυφοι, καὶ γὰρ οὗτοι μεταβάλλουσιν εἰς ἀλλήλους. Constat autem ex Alexandro Myndio αἰγιθάλου genus alterum etiam μελαγκόρυφον cognominatum. Et mesangia nostra est, quæ ficedulæ magnitudine, & colore ferè similis est, nisi quod caput habet nigrum. Tempore ficorum apparere solent ficedulæ, quia his vescuntur. Post autumnum discedunt, & tum prodeunt melancoryphi pari, sive mesangiæ nostræ. Inde nata opinio apud vulgum, vicibus inter se commutari has alites. Quam opinionem sequutus est Aristoteles. Quod non debuit. Nam αἰγιθαλὸν à melancorypho distinguit. Atqui de ægithalo melancorypho vulgus intelligebat, qui melancoryphum pro ficedula substitui capite nigro post autumnum facto putabat. Quod ex illo Alexandro didicimus, qui vulgo hac in re non assentitur, sed duas species esse generis ejusdem scribit αἰγιθαλὸν μελαγκόρυφον, mesangiam atricapillam, & ficedulam. Ridiculus est & Bellonius, qui *pivoniam* nostram veterum ficedulam esse sibi persuasit, & aliis persuasum voluit, quia pivonia etiam melancoryphus. Simile porro est de hac avium mutatione coloris, & formæ, quod idem Aristoteles ex Æschylo observat de upupa, quam & ipsam immutari in aliam avem credidit: μεταβάλλει δὲ, inquit, καὶ ὁ ἔποψ τὸ χρῶμα, καὶ τὴν ἰδέαν, ὥσπερ ὁ Αἴσχυλος πεποίηκεν ἐν τοῖς δὲ. Prorsus inquam simile est. Cucullus vere procedit, æstate discedit, quo tempore upupa apparere incipit. Hinc canit Æschylus, & credit Aristoteles eamdem esse upupam cum cucullo, mutata pro tempore forma, & colore. Versus Æschyli hi sunt:

Τοῦτον δ' ἐπόπτην Ἔποπα τῶν αὐτοῦ κακῶν
Πεποικίλωκε κἀποδηλώσας ἔχει
Θρασὺν πετρωτὸν ὄρνιν ἐν παντευχίᾳ.

Ita legimus hos versus. Male hactenus lectum est, Θρασὺν πετραῖον ὄρνιν. Eleganter upupam πετρωτὸν ὄρνιν ἐν θρασὺν παντευχίᾳ propter plumarum variegaturam, quæ

quæ vesti Thraciæ comparatur variis pictæ liciis. Notis etiam compuncti Thraces, & varias vestes gerebant. Hesychius: Ἰσριανά, Ἀριστοφάνης ἐν Βαβυλωνίοις τὰ μέτωπα τῶν οἰκετῶν ἰστιανὰ φησὶν ἐπειδὴ ἐστιγμένοι εἰσὶν, οἱ γὰρ περὶ τῷ Ἴστρῳ οἰκοῦντες στίζονται, καὶ ποικίλαις ἐσθῆσεσι χρῶνται. Hinc picti Agathyrsi, picti Geloni, virgati Dahæ, passim apud poëtas. Upupæ quoque cristam habent in capite, qualem gerebant in galeis, οἱ πελταστὴ Θρᾷκες. Hoc etiam facit ad Θρᾷσσαν παντόλχαν. Sequitur apud Æschylum de upupa:

Ὃς ἦρι μὲν φαίνοντι διαπάλλει πτερὸν
Κίρκου λεπαργοῦ, δύο γὰρ οὖν μορφὰς φέρει
Παιδός τ' ἀπ' αὐτοῦ, νηδύος μιᾶς ἄπο.

Sic scribendum. Nec assentior Scaligero reponenti φαιόν τι. Contrarium est epitheto, quod illi attribuitur, λεπαργός. Glossæ Græcorum interpretantur, οὐ λαπαρὰς λευκὰς ἔχοντα, ἢ ὅλον τὸ δέρμα. Planè hic vult dicere upupam vere ineunte, ἦρι φαίνοντι accipitris λεπαργοῦ formam habere, hoc est, cucullum esse. Nam cucullus accipitri similis, eumque de accipitre fieri quidam etiam crediderunt. Vide Plinium. Pergit Æschylus:

Νέας δ' ὀπώρας ἡνίκα ξανθὴ στάχυς,
Στικτή νιν αὖθις ἀμφιέννυσι πτέρυξ.

Ita prorsus emendandum erat. Quis enim ferat vulgatam, quæ hactenus tolerata est?

Τίκτει νιν αὖθις καμφινωμένη πτέρυξ.

Autumno rursus incipiente, cum flavescunt segetes, iterum fit upupa, varia pictaque pluma iterum ornatur. Στικτὴ πτέρυξ, ἡ ποικίλη, variegata pluma, æqualem esse upupæ omnes sciunt. Ergo ex cucullo fit upupa juxta sententiam Æschyli. Hesychius, σιγμάζει, ποικίλματα, eadem metaphora, qua supra. Rectè sanè, & convenienter avi Thraciæ, & ex homine Thrace: juxta fabulas poëtarum, mutatæ, & varia pluma pictæ τὴν Θρᾷσσαν παντόλχαν, & στικτὴν πτέρυγα tribuit poëta, quia στικτοὶ Thraces, & versicoloribus ornati vestibus. Reliqui duo versus Æschyli sic vulgo leguntur apud Aristotelem:

Ἀεὶ δὲ μίσει τὸν δ' ἐπ' ἄλλον εἰς τόπον
Δρυμοὺς ἐρήμους ὑπάγους ἀποικίσει.

Scaliger emendabat:

Ἀεὶ δὲ μίσει οὐ δὲ Παλλήνης τόπους,
Δρυμοὺς ἐρήμους, ἢ πάγους ἀποικίσει.

Quanto melius nos ad hunc modum?

Ἄση δὲ μισεῖ, τῶν δὲ Παλλήνης τόπων
Δρυμοὺς ἐρήμους καὶ πάγους ἀποικίσει.

Urbes fugitat, & odit, ac Pallenes saltus desertos, & montes incolit. Nihil verius. At tam falsum est, ex cucullo fieri upupam, quam falsissimum ex sycalide, vel ficedula melancoryphum, sive de mesangia nostra accipias, sive de pivonio, nam utraque μελαγκόρυφος.

Honore, & pretio ad smaragdos viret. Pallidum nihil jucundius aurum decet] Hæc interpunctio Delrianæ editionis nihil recti. Scribe: *Honore, & pretio ad smaragdos viret pallidum: nihil jucundius aurum decet.* Τῇ τιμῇ, καὶ ἀξιότητι πρὸς σμαράγδους. Græca loquutio. Sic Apollonius: Ἔελα τῇ μαλακότητι πρὸς Μιλήσια. Falsum, quod heîc scribitur à Solino, Callaïcam pretio, & honore smaragdis parem esse. Nihil tale apud Plinium, unde hic locus expressus. Immo ex eodem constat longè infrà smaragdos Callaïcam jacuisse. Dicit quidem Plinius optimum in ea colorem esse smaragdi. Hoc non significat pretio, & honore cum smaragdis contendere. *Optimus color smaragdi: ut tamen apparet, ex alieno est, quod placent.* Fragilis erat hæc gemma. Idem Plinius: *sectura formantur, alias fragiles.* Earum pulcherrimæ oleo, unguento, & mero colorem deperdebant, ut idem testatur. Quæ omnia secus in smaragdis. Nam è contra oleo, & mero proficiebant, quæ natura minus erant virides. Ut scias, quam falsum sit, Callaïcam pari in pretio habitam cum smaragdis fuisse apud veteres, ne topazio quidem comparandam eam esse tradit Plinius. Atqui topazion multum infrà smaragdos, quibus tertium in gemmis locum veteres dabant. Ita enim de topazio: *Comitatur eam similitudine propior quam auctoritate callaina è viridi pallens.* Hoc ordine autem ibant pretii, & honoris gemmæ. Primum locum obtinebant adamantes, deinde margaritæ, postea smaragdi, opali, carbunculi, topazia. Si topazio callaïca similitudine propior, quam auctoritate, & pretio, multum abest, ut smaragdos honore, & dignitate æquaverit, quæ ne cum topazio quidem ex pari ambularit. Similem topazio callaïcam facit Plinius, de colore scilicet. Topazion suo virentem genere dicit idem, hoc est, ἰδιοτρόπως χλοάζουσαν. Alexander Polyhistor colorem olei recentis habere topazium dixerat. Stephanus: Ἀλέξανδρος ὁ Πολυΐστωρ φησὶν δ' εἶσθαι, καὶ ἐν τῇ τῶν τοπαζίων νήσῳ λίθον ὁμώνυμον, ὅμοιον τῇ χροιᾷ τῇ τοῦ νέου ἐλαίου. Recens oleum ita viride est, ut tamen ex aureo colore aliquid trahat. Agatharchides: Ἐν ταύτῃ γίνεται τῇ νήσῳ καὶ τὸ καλούμενον τοπάζιον. Ἔστι δὲ τοῦτο λίθος διαφαινόμενος ὑάλῳ προσεμφερὴς, ἡδεῖαν ἐν χρυσῷ θεωρίαν ἀποδιδούς. Quid hæc significant, ἡδεῖαν ἐν χρυσῷ θεωρίαν ἀποδιδούς. An auro inclusum decere maximè dicit, ut de callaica Solinus ait? Sic omnes virides gemmas auro decorando impensè convenire creditum veteribus. An melius est legi? ἡδεῖαν ἔγχρυσον θεωρίαν ἀποδιδούς? Ἔγχρυσος θεωρία, *aureus color.* Sic Hesychius, ἑλίχρυσον, ἄνθος ἔγχρυσον τῆς βοτάνης. Εἶδος dicit Epiphanius pro colore, Agatharchides θεωρίαν, Solinus sæpe *faciem*, Diodorus πρόσοψιν. Ita enim de topazio loquitur iisdem pæne verbis, quibus Agatharchides: Τοπάζιον ὅπερ ἐστὶ λίθος διαφαινόμενος, ἐπιτερπὴς ὑάλῳ παρεμφερὴς, καὶ θαυμαστὴν ἔγχρυσον πρόσοψιν ἀποδιδοῦς. Strabo topazium, χρυσοειδὲς ἀπολάμπειν φέγγος scribit lib. XVII. Ex viridi, hoc est, hyalino colore, & aureo refulgebat. Orpheus ὑαλοειδέας τοπάζους vocat. Virgilius:

---- Hyali saturo fucata colore.

Servius ibi vitreum, & viridem interpretatur. Ex duobus topazii generibus unum erat, quod *chrysopteron* vocabatur, ab aureo scilicet colore cum viridi mixto, id est, pallidè virenti. Chrysopraso similem esse ait. Ubi & libri *chrysoteron* scribunt. Esset χρυσότερον in comparativo gradu. Sed putem legendum, χρυσόπετρον. Amplissima hæc gemmarum. Ideo χρυσόπετρος dicta. Sic χρυσόλιθος, gemma aurea cum marini coloris similitudine. Πέτρον, & πτερὸν sæpe invicem mutantur. Sic πετροείμονες in oraculo Sibyllæ pro πτεροείμονες. Ita vocantur aves pennis indutæ. Contrà πτερίνῳ κοίτῃ in Ovo Simmiæ pro πετρίνῳ. Alterum genus topazii, πρασοειδὲς dictum. Hæc cum ita sint, quis non miretur Epiphanium topazium gemma rubentem facere, & quidem suprà carbunculos? Sic enim memorat: Λίθος τοπάζιον ἐρυθρὸς τῷ εἴδει ὑπὲρ τὸν ἄνθρακα καλούμενον λίθον. Et paulo post: Οὐκ ἀποδίδωσι δὲ τὸ χρῶμα τὸν γλοιὸν, ἀλλὰ γαλακτώδη. Nugatur Epiphanius, cum lapidem è virentium genere rubrum facit. De inventione hujus lapidis locus apud eumdem corruptissimus. Ita enim vulgo excusus est: Γίνεται δὲ ἐν Τοπάζῃ πόλει τῆς Ἰνδίας ὑπὸ τῶν ἐκεῖσε ποτὲ λίθους λατομούντων, ἐν καρδίᾳ ἑτέρου λίθου. Ὃν οἱ λατομήσαντες θεασάμενοι φαιδρὸν, καὶ ὑποδείξαντες ἀλάβαστρόν τισιν, ἀπέδοντο ὀλίγου λήμματος Θηβαῖοι, οἱ δὲ προσήνεγκαν τῇ κατ' ἐκεῖνον καιρὸν βασιλίσσῃ. Caprimulgus legendum forte ascribit; ὑποδείξαντες ὡς ἀλάβαστρον. Hoc unum omisit, quod conjecturam suam nobis non explicavit. Ex veteri libro scribendum, ac supplendum est: Ὃν οἱ λατομήσαντες θεασάμενοι φαιδρὸν, καὶ ὑποδείξαντες Ἀλαβάστροις τισὶν ἀπέδοντο ὀλίγου λήμματος. Ἀλάβαστροι δὲ Θηβαίοις πεπράκασι πολυτιμότερον λήμματος. Θηβαῖοι δὲ προσήνεγκαν τῇ κατ' ἐκεῖνο καιροῦ βασιλίσσῃ. *Alabastri* populi sunt, qui Ἀλάβαστρα oppidum Thebaïdis incolunt, quod Plinio *Alabastrum*, à quo Ἀλαβαστρῖτις regio eidem Epiphanio: quidquid Marrucinus ibi musinetur. Ἀλάβαστροι autem dicti ab oppido Alabastro, ut Παλιμβόθροι ab urbe, quæ Παλιμβόθρα: & Βάκτροι ἀπὸ τῶν Βάκτρων. Stephanus: Βάκτρα, πόλις. Τὸ ἐθνικὸν Βάκτροι, καὶ Βάκτριοι. Regina illa, cui topazion primum oblata est eruta in Topazio insula, Berenice fuit, mater secundi Ptolemæi: inde factam statuam Arsinoæ Philadelphi uxori cubitorum quatuor tradit Plinius: unde & amplissimam gemmarum hanc dixit. Nec mirum inde χρυσόπετρον appellatum alterum ex duobus ejus generibus. Cautes enim revera, & petra potius, quam gemma. Apud Alabastrum Thebaïdis etiam nasci ex recentissimorum auctorum

ctorum traditione narrat idem. Quæ causa est, ut Alabastros cum Thebæis in historia hujus gemmæ commemoret Epiphanius. Similis ergo topazio Callaïca. Hyalini coloris illa, hæc Callaïni: illa vitrei, hæc Veneti. Vitreus, & Venetus colores affines. Lampridius in Heliogabalo: *Deinde æstiva convivia coloribus exhibuit, ut hodie prasinum vitreum, alia die venetum deinceps exhiberet.* Τὸ πράσινον, ὑάλινον καὶ καλλάϊνον, vitreum etiam ἰσατώδες Græci dicunt. Sed hæc alibi.

Nihil jucundius aurum decet] Plinius: *Inclusa decorantur auro, nullaque magis aurum decent.* Agatharcides de topazio, quæ viridis est: ἡδεῖαν ἐν χρυσῷ θεωρίαν ἀποδιδῶς. Virides gemmas auro decorando maximè convenire persuasum veteribus. Quapropter eas præcipuè poculis aureis includebant, quæ λιθοκόλλητα, & διάλιθα Græcis, *aurum gemmatum* Latinis. Martialis.

Et virides picto gemmas numeravit in auro.

Idem:

Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Juppiter.

Intelligit *aurum gemmatum*, quod virebat Scythicis smaragdis, quibus textum erat. Sequitur enim:

Hæc sunt pocula, quæ decent tonantem.

Vide, quæ supra notavimus. Aliud *gemmeum* poculum, aliud *gemmatum*. Gemmeum ex una gemma in poculum cavata, ut apud poëtam: *hic gemma bibat.* Martialis:

Cum potes amethystino trientes,

id est, poculo ex amethysto gemma facto. Perperam hodie in omnibus editis:

A *Cum potes amethystinos trientes.*

At *gemmatum*, κατάλιθον, aureum totum, & gemmis intextum. Aurum igitur heîc non annulorum intelligendum, sed poculorum, quod *aurum gemmatum* vocabatur.

Cerauniorum Germanicum candidum est] Et heîc *Germanicum* pro *Carmanico*. Plinius: *Est inter candidas, & quæ Ceraunia vocatur, fulgorem siderum rapiens. Ipsa crystallina, splendoris cærulei, in Carmania nascens. Albam esse Zenothemis fatetur, sed habere intus stellam concursantem.* Solinus legit, *in Germania nascens.* Ita etiam, ne quid dissimulem: reperi scriptum in veteri Plinii exemplari. B Minimè tamen apud me controversum, quin legendum sit, *in Carmania.* Proclivis lapsus de Carmania Germaniam facere, præcipuè antiquis librariis, qui G pro C plerumque usurpant. Latino etiam more, ut *Gallæci* pro *Callaicis*, & A in E sæpenumero mutant, ut κατάνη, *Catena*: πατάνη, *patena*, & similia. Carmania multorum lapidum mater. Idem Plinius de Asteria: *Indicæ præfertur in Carmania nata.* Et de Astrio: *Optimam in Carmania gigni, nullique obnoxiam vitio: Ceraunium enim vocari, quæ sit deterior.* Isidorus agnoscit, *in Carmania.* Codices igitur Plinianos temC poribus Solini jam tum vitiosos fuisse apparet. Apud Martianum Capellam aliquot locis *Germaniæ* nomen pro *Carmaniæ* etiam in veterrimis exemplaribus manu descriptis reperi. Unum, aut alteram afferam. Cap. de India: *Hypanis Germaniæ fluvius.* Ita libri pro Carmaniæ. Et paulo post: *Carmania quoque Persis adjungitur.* Ibi quoque libri: *Germania.*

C A P U T XXI.

De Gallia, & ex ea itinerarium. Item de oleo Medico.



Ag. 30. C. *Galliæ inter Rhenum & Pirenæum*] Missi Theodosii: *Gallia Comata cum Britannicis insulis finitur ab oriente, flumine Rheno: ab occidente, Pyrenæo: à septentrione, Oceano mari: à meridie, Rhodano, & montibus Cebennicis longitudine* M. P. DCCC XXVIII. *latitudine*, CCCLXIII. Vide Plinium in numero aliquantulum dissentientem. De Narbonensi Provincia, sic iidem Missi: *Provincia Narbonensis ab occidente, saltu Pyrenæo: à septentrione finibus Viennensium, & montibus Cebennicis: à meridie, mari Gallico, longitudo* MPM. CCC XXXIIII: *latitudo* CLXXXVIII. At juxta Plinium, longitudinem provinciæ Narbonensis CCCLXX passuum Agrippa tradidit, latitudinem CCCXLVIII. Sed de his alibi.

Gebennam, & Juram] Scripti, *Cebennam:* Rectè. Missi Theodosii *Cebennicos montes* vocant, hodie, *les Cevenes.* Mons *Jura* Ptolemæo Ἰούρας ὄρος, Ita legendum, non Ἰουράσσος. Nam, qui Latinis *hic Iura*, Græci non aliter enuntiare possunt, quam ὁ Ἰούρας.

Pag. 30. D. *Detestabili sacrorum ritu, injuria religionis*] Sic libri. Vulgo: *non ad honorem, sed potius ad injuriam religionis.*

Inde Noricus, qua subducitur à jugis Alpium] Ut edidimus, ita erat in melioribus libris. Lectionem editionum vulgarium ad marginem præferebat optimus Regius: alter Regius, & alii nonnulli in textu ipso exhibebant, sed quos ex priori editione exemplatos fuisse mihi constat. In anterioribus igitur fuit: *Inde Noricus frigidus, & parcius fructuosus, qua subducitur à jugis Alpium*, &c. Quæ lectio est τῆς πρεκδόσεως.

Dehinc Pannonia solo plano, uberique] Antea legebatur. *Tum Pannonia viro fortis, & solo plano læta, atque uber.* Sic habuit πρεκδοσις. Eodem autem ordine, quo Plinius has provincias heîc jungit, Rhætos, Noricum, Pannoniam & Mæsiam. Vide lib. III. cap. XXIV. & sequentibus.

Mox Mœsiæ] Ita libri. Græcis Μυσία. Sic *Abœdus*, quæ Græcè Ἄβυδος infra. *Gœrus*, *Cœbus*, & similia.

Pag. 30. E. *Apparet herba, qua inficitur oleum, quod vocant Medicum*] Ita scribendum. Nam perperam in D editione Delriana, *quod vocant medicum.* Nec medicum oleum est, ut supra *unguentum medicum*, sed τὸ Μηδικόν. Ammianus Marcellinus lib. XXIII. *In hac regione*, id est, Perside, *oleum conficitur Medicum, quo illitum telum si emissum lentius laxiore arcu, nam ictu extinguitur rapido, hæserit uspiam, tenaciter cremat: & si aqua voluerit obruere quisquam, æstus excitat acriores incendiorum.* Ita lege ex hoc loco. Nam male vulgo est: *si aqua voluerit abluere quisquam.* Ex Solino habet: *hoc ad incendium excitatum si obruere aqua gestias, ardet magis.* Ergo *Medicum* dicebatur, quod in regione Medorum conficeretur. InterE pres Nicandri de pharico veneno: Ἱστορεῖ δὲ Πραξαγόρας κληθῆναι αὐτὸ ἀπὸ Φαρικοῦ τινὸς Κρητὸς τοῦ ἐξευρόντος αὐτό. Τοῦτο φησὶν ἐν Φάραις Ἀρκαδίας εὑρεθῆναι, καλεῖται δὲ καὶ Μηδικόν. Quod ait, ἀπὸ Φαρικοῦ τινὸς Κρητὸς. Pharicus non est nomen proprium viri, sed gentile urbis Creticæ. Nam Φαραὶ apud Stephanum urbs Cretæ, ἄποικος τῆς ἐν Μεσσήνῃ. Certè Φαρικὸν videtur ab urbe aliqua, aut gente, ubi nascebatur, dictum. Φαρακὸν dicitur apud Athenæum lib. III ex verbis Phylarchi, Historiarum sexto: Τὸ γ᾽ οὖν Φαρακὸν φάρμακον ἐμβληθὲν φησιν εἰς ῥίσκον ἔτι ὀδωδότα ἀπὸ τῆς τῶν μήλων τούτων συνθέσεως, ἐξίτηλον γενέσθαι μὴ τηρῆσαν τὴν ἰδίαν δύναμιν. De cotoneis loquitur. F Ῥόισκον esse volunt calathum punico malo similem. Malè. Lege: εἰς ῥίσκον. Græcè ῥίσκος est arca, vel cista. Pollux ῥίσκον esse dicit, in quo vestimenta reponuntur. Terentius: *In risco est. Odiosa, cessas.* Donatus *cistam pelle contectam* interpretatur, & nomen esse Phrygium tradit. Δερματίνους ῥίσκους Græci similiter appellant, quod pelle essent contecti. Hesychius: Θαλιοποιοὶ οἱ τὰ σκυτέμενα κιβώτια, καὶ τοὺς δερματίνους ῥίσκους ἐργαζόμενοι. Θαλία igitur etiam pro risco, vel cistula. Saccum etiam, & marsyppium ita vocabant. Idem: Θαλλία σάκκους εἶδος. Θαλλὶς μάρσιππος μακρός. Inde explicandus Dioscoridis locus, in quo exponendo misere hactenus se cruciarunt eruditissimi viri. De cneG co loquitur, quem dicit habere καύλους διπήχεις, ἐφ᾽ ὧν κεφάλια κατὰ μέγεθος θαλλίας, id est, *capitula sacculi, vel marsuppii magnitudine*, Olivam vulgo vertunt. Atqui θαλλία non id significat, sed id, quod diximus. In antiquissimo libro sic planè legitur, & figura marsuppii istis capitulis cneci vetus pictura, quæ ibidem expressa est, tribuit. Sed hæc alibi. Ῥίσκου nomen usurpatum

tum notat Pollux pro cista, vel arcula. Diogeni Laërtio in testamento cujusdam philosophi ῥίσκων ζεῦγος, ubi similiter hoc nomen corruptum est. Pro φαρλακὸν legendum φαρικὸν, aut φαρεϊκὸν, quod est κτηλικὸν, ab urbe Arcadiæ Φαραί. Et legendum apud eum Scholiasten: ἐν Φαραῖς Ἀρκαδίας, pro Φάροις. Alii Μεσσηνίας regionis eam urbem faciunt. *Medeæ oleum*, non *Medicum* quidam vocarunt. Nicander:

Ἢν δὲ τὸ Μηδείης Κολχηΐδος ἐχθόμενον πῦρ
Κεῖνο ποτὸν δέξηται ἐφήμερον.

Procopius lib. IV Gotthicorum: ἀγγεῖα θείου τε καὶ ἀσφάλτου ἐμπλησάμενοι, καὶ φαρμάκου, ὅπερ Μῆδοι μὲν νάφθαν καλοῦσιν, Ἕλληνες δὲ Μηδείας ἔλαιον. Oleum Medeæ vocarunt Græci, quia eo genere olei Medea coronam deliburat, quo pellicem cremavit. Plinius lib. II. *cap.* CV. *Similis est natura Naphthæ: ita appellatur circa Babylonem, & in Astacene Parthiæ profluens bituminis liquidi modo. Huic magna cognatio ignium, transeuntque protinus in eam undecunque visam. Ita fertur à Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat, corona igne rapta.* Sic scribi debet apud Plinium, *in Astacene Parthiæ*. Perperam editur, *in Austagenis*. Ἀστακηνὴ provincia est regni Parthorum. Per Parthiam igitur intellexit Plinius, τὴν τῶν Πάρθων ἐπικράτειαν. Alias Ἀστακηνὴ diversa à Parthia propriè dicta, quæ Παρθυηνὴ Græcis. Isidorus Characenus in mansionibus Parthicis: Ἀστακηνῆς σχοῖνοι ξ. Παρθυηνῆς σχοῖνοι κε. Perperam editum est: Ἀσταυηνῆς & Παρθυηνοῖς. Et infrà: Ἐντεῦθεν Ἀστακηνή, σχοῖνοι ξ. Ἐν ᾗ κῶμαι ιβ. Ἐν αἷς σταθμοί. Πόλις δὲ Ἀσάκ, ἐν ᾗ Ἀρσάκης πρῶτος βασιλεὺς ἀπεδείχθη, καὶ φυλάττεται ἐνταῦθα πῦρ ἀθάνατον. Astacene igitur ab urbe Astace. Malè Ἀσαὰκ scriptum, & Ἀσαβηνή. Fortè etiam Ἄστακα pro Ἀσαάκ. Ammiano inter urbes Parthiæ recensentur *Astaca*, lib. XXIII. *Et hæc potiora residuis sunt oppida Genonia, Charax, Apamia, Artacana, & Hecatompylos*. Scribe: *Astaca, & Hecatompylos*. Sequitur apud Isidorum: ἐντεῦθεν Παρθυηνή, σχοῖνοι κε. Lege: Παρθυηνή. Hæc vicina Astacenæ. Parthi ipsi Παρθυαῖοι Græcis, & regio eorum, Παρθυαία, & Παρθυηνή. Stephanus: Παρθυαῖα ἡ χώρα καὶ Παρθυηνὴ καὶ Παρθυηνός. Inde Παρθυηνικὰ Arriani. Ita enim sæpe veteres libri indigetant, quæ in vulgatis Παρθικά. At Ptolemæus τὴν Παρθυηνὴν ἀπὸ τῆς Παρθίας distinguit, & Παρθυηνὴν regionem facit τῆς Παρθίας unam, ut & Ἀστακηνήν. Ita enim scribit: Καλεῖται δὲ τῆς Παρθίας ἡ μὲν πρὸς τὴν Ὑρκανίαν Κομισηνή. Ἡ δὲ ὑπὸ ταύτην Παρθυηνή. Εἶτα ἡ Χοαρηνή, καὶ ὑπὸ ταύτην Ἀστακηνή. Malè editur apud Ptolemæum Χοροανή, & Ἀρτικινή. Nec enim dubium, quin scribi debeat Ἀστακηνή. Rectè itaque Plinius in Astacene Parthiæ Naphthan profluere dixit. In Media provincia sic propriè dicta naphthan ebullire nemo prodidit. Quod *Medicum* igitur oleum appellarunt quidam è Latinis, Græcisque, puto errore id accidisse, cum ἔλαιον Μηδίας legerent, quod erat ἔλαιον Μηδείας. Sic de Mediæ oleo acceperunt, & Medicum inde vocarunt, cum à Medea nomen haberet, ἔλαιον Μηδείας. Certè ita Græci vocarunt, quod νάφθα Barbaris. Ἐφήμερον etiam vocatum Nicander asserit, quod intra unius diei spatium hominem absumeret. Scholiastes vetus: Τὸ ἐφήμερον σκευαστικόν ἐστι φάρμακον, ὃ καὶ οἱ βάρβαροι νάφθαν καλοῦσιν, ᾧ χριόμενοι, ἢ ἱμάτιον ἀληλιμμένον ὑπ' αὐτοῦ φοροῦντες, ἢ ἄλλο τι ἐὰν ἐναντίῳ ἡλίου στῶσιν, ὡς ὑπὸ πυρὸς κατεσθίονται δαπανώμενοι. Inde ἔλαιον Μηδείας dictum, quod eo Medea pellicem cremasset. Μηδείης πῦρ Nicander vocat. Νάφθαν porro Græci etiam ἄφθαν dixere. Auctor Strabonis Epitomes: Ὅτι λέγεται ὁ ἄφθας, καὶ ἡ ἄφθα, καὶ ἡ νάφθα, καὶ τὸ νάφθα. Constantinus de Administratione Imperii: Ἰστέον ὅτι ἔξω τοῦ κάστρου Μάταρχα πολλαὶ πηγαὶ ὑπάρχουσιν ἄφθαν ἀναδιδοῦσαι, id est, *fontes naphthan ebullientes*. Doctus interpres indoctè reddit, *fontes, qui bibentibus ulcera in summo ore excitent*. Nam & Græci ἄφθας vocant ulcera circa os. Sed ἄφθα heîc est νάφθα. Oleum paulo post vocat: ἐν ᾧ κατοικοῦσι Ζηχοί· ἐννέα πηγαί εἰσιν ἄφθαν ἀναδιδοῦσαι, πλὴν οὐχ ὁμοχροοῦσι τῶν ἐννέα πηγῶν τὰ ἔλαια, ἀλλὰ τὰ μὲν ἐξ αὐτῶν εἰσὶν ἐρυθρά, τάδε ξανθά, τάδε μελανώπερα. Nigri, & candidi Naphthæ fontes in Babylonia fuisse scribit Strabo. Scholiastes Nicandri ἔλαιον Μηδείας vult idem esse cum Colchico, & Pharico, ac Medicum ait appellatum: in quo manifeste hallucinatur. Oleum Medicum, vel Medeæ

A Naphtha est, vel ejusdem cum Naphtha potestatis, ac virtutis. Naphtha oleum est venæ naturalis, quod bituminis liquidi generi quidam adscripserunt. Idem Nicander φαρικὸν apertè separat ab oleo Medeæ, & alio loco seorsim de eo tradit. Sed ratio præsto est, cur ἔλαιον Μηδείης, & Κολχικὸν, & φαρικὸν, hæc tria δηλητηρίων genera pro uno acceperit, ac confuderit vetus ejus interpres. Ἔλαιον Μηδείης, Κολχικὸν vocari putavit, quia Medea Colchica. Ἐφήμερον eidem Nicandro appellatur, quia intra unius diei moram tollat, qui gustaverint. De Pharico idem scribit:

---- ἐν δ' ἐμονήρει
B Ῥηϊδίως ἀκτῖνι βαρὺν κατεναίρεται ἄνδρα.

Ἐπὶ μιᾷ ἡμέρᾳ, ergo ἐφήμερον. Inde Pharicon, & oleum Medeæ unum putavit, quia utraque ἐφήμερα, id est, eodem die jugulantia. Omnia ferè præsentaria venena sic appellata sunt. Κολχικὸν, quod genus bulbi venenati, in Colchide plurimum nascentis hoc nomine donaverunt. Dioscorides: Κολχικὸν, οἱ δὲ ἐφήμερον, οἱ δὲ βολβὸν ἄγριον. Et in proëmio lib. VI. Ἐφήμερον ὃ ἔνιοι Κολχικὸν διὰ τὸ Κολχίδι γίνεσθαι. Cicutam quoque ἐφήμερον dictam esse ostendit Hesychius. Ἐφήμερον, κώνειον. Idem Scholiastes ἶριν etiam appellari hoc ephemeron C Colchicon observat, ut unum, idemque sit Κολχικὸν, ἶρις, & ἐφήμερον. Iterum fallitur. Duo genera ephemeri, unum venenatum, quod & Colchicum dicebatur, alterum inter medicas herbas à Dioscoride, & Plinio repositum, quod & ἶρις ἀγρία dicebatur. Paulus Ægineta: Ἐφήμερον, οὐ δηλητήριον, ἀλλ' ὅπερ ἶρις ἀγρία καλεῖται. At ille Græcus utrumque Ephemerum confundit, & venenatum iris nomine comprehendit. Duplex Ephemerum, unum venenatum, quod & Κολχικὸν dicebatur, quod in Colchide plurimum proveniret. De eo scribendum in Dioscoridis descriptione: καρπὸν ἔχοντα πυῤῥὸν ἐν τῷ μέλανι, D ῥίζαν φλοιὸν ἔχουσαν ὑπόκιῤῥον. Ita enim scribit vetustissimus, & optimus codex. Aliud genus minimè deleterion, quod ἐφήμερον ἄλλο vocat idem Dioscorides in illo antiquissimo exemplari ἐφήμερον ἄλλο, ὃ δὲ ἶριν ἀγρίαν. Hæc cum ita sint, miror Græcos interpretes usque adeo ἀβλεψίᾳ laborasse, ut πῦρ Μηδείας de oleo Medico, vel Medeæ apud Nicandrum interpretarentur. Quæ expositio toto cœlo aliena est, ac menti Nicandri contraria. Ἔλαιον Μηδείας compositítium est, & factitium. At Nicander toto opere suo nonnisi de simplicibus venenis tractat. De vera naphtha, quæ vena erat naturalis liquidi bituminis, ne accipere possimus, nimium multa ob- E stant, ne dicam omnia. Nicander eo loco herbarum venena recenset, cicutæ, dorycnii, toxici, ixiæ, inter quæ & πῦρ Μηδείας numerat. Præterea quis veterum prodidit naphthan, aut oleum Medeæ in potu sumptum vim lethalem habere, & ea symptomata facere, quæ describuntur à Nicandro? immo quis vel inter venena recensuit, ac δηλητήρια; Ridiculè igitur vetus enarrator τὸ ἐφήμερον, σκευαστικὸν φάρμακον exponit, ὃ καὶ οἱ βάρβαροι νάφθα καλοῦσιν. Verum ad eam interpretationem verbis ipsis Nicandri quasi manu ducti videntur, qui πῦρ Μηδείης ἐχθόμενον vocat τὸ ἐφήμερον. Naphthan sic vocari putaverunt & oleum Medicum, propter F vim ardentem ignium. Nicander de eodem Colchico loquitur, de quo est apud Dioscoridem, quod & *Ephemeron* vocabatur. Quia vero duæ Ephemeri species, altera venenata, altera innoxia, Nicander ut de venenato significet se loqui, ita scribit, ἢν δὲ κεῖνο ἐφήμερον ποτὸν δέξηται, τὸ Μηδείης Κολχηΐδος πῦρ ἐχθόμενον. Si quis in potu sumpserit illud Ephemerum, quod Colchicum vocatur, venenum scilicet ardens, & causticum Medeæ Colchicæ. Poëticè *Ephemerum* ἐχθόμενον πῦρ appellat Medeæ Colchicæ, quod vim causticam haberet, & quidem tantam, ut eodem die jugularet. Causticam illi veneno vim inesse de- G clarant symptomata, quæ ibidem à Nicandro enumerantur. Vide & Dioscoridem lib. VI. Ex quo planè constat vim πυρωτικὴν illi veneno inesse. Cum in Colchica autem plurimum proveniret, verisimile est & Medeam, quæ inde fuit, & omnium venenorum notitiam habuit, nec hoc venenum adeo præsentarium ignorasse, eoque sæpe usam fuisse in venenis suis conficiendis. Hinc Μηδείας Κολχηΐδος πῦρ

 ap-

appellat, & virtutem ejus, & patriam his verbis oſtendens. Hæc veriſſima interpretatio. Remedia multa præcipit Nicander adverſus potionem Colchici, de quibus nihil Dioſcorides, eadem tantum dari jubens, quæ ab eſu fungorum propinantur. Hoc unum tamen ſimile, quod lac bubulum optimum eſſe his, qui Colchicum biberint, tradat Dioſcorides, inter cetera hoc etiam, ut bibatur adverſus Ephemerum, præcipiente Nicandro. Putavi etiam, τὸ ἐφήμερον Nicandro Μηδείης Κολχηΐδος πῦρ, per appoſitionem ideo appellari, quod eo inficere ſoleret oleum illud ſuum ardens, quod quidam ab ejus nomine, alii *Medicum* à gente vocaverunt. Oleum Medeæ, ut diximus, facticium erat. Herba in Ponto naſcente infici ſolitum ſcribit hoc loco Solinus, nec addit, quo nomine illa herba fuerit. Ephemerum eſſe è Nicandro colligi poſſe exiſtimabam, eamque apparere in parte Mœſiæ, quæ Pontica eſt. Ita etiam legebam in Dioſcoride: γίνεται δὲ πλεῖστον ἐν Μησίᾳ καὶ Κόλχοις. Ubi vulgo editur, ἐν Μεσσηνίᾳ: verùm nihil neceſſe, nam & Colchi Ponto vicini. Ammianus Marcellinus oleum Medicum hoc modo parari tradit: *Oleum uſus communis, herba quadam infectum condiunt harum rerum periti ad diuturnitatem ſervantes, & coaleſcens durat ex materia venæ naturalis, ſimilis oleo craſſiori, quæ ſpecies gignitur apud Perſas, quam Napthan vocabulo appellavere gentili.* Sic oleum Medicum, non αὐτόχρημα Naphta, ſed ex oleo communi herba quadam infecto compoſitum, cui addebatur naphta. Eam herbam Ephemerum, vel Colchicum fuiſſe nihil prohibet. Certe Nicander τὸ ἐφήμερον Κολχικὸν illis verſibus deſcripſit, quod Dioſcoridi deſcribitur. Et Κολχηΐδος ἐχθόμενον πῦρ διὰ τὸ πυρωτικὸν vocat. Non enim de oleo Medeæ loquitur. Andromachus Senior in Elegia de compoſitione Theriacæ apud Galenum hoc Κολχικὸν, ſive ἐφήμερον vocavit ὠκύμορον πόμα Μήδης. Ita enim legendum:

Ἢ θέρμην θαψόν τε, ἢ ὠκύμορον πόμα Μήδης.

Colchicum plane intelligit. Μήδην Poëtice dixit pro Μήδεια. Sic Εὐρώπη Εὐρώπεια, Καλλιόπη Καλλιόπεια. Sed in his Καλλιόπεια dicitur pro Καλλιόπη παραγωγικῶς. At contra eſt in illo, Μήδη, quod contractum eſt pro Μήδεια. Ita πρέσβη pro πρέσβεια: βασίλη pro πρέσβεια: βασίλη pro βασίλεια: apud Hecatæum Μαντίνη pro Μαντίνεια. Stephanus in Ἀγάμεια. Λέγεται δὲ καὶ Ἀγάμη ὡς πρέσβεια, πρέσβη, καὶ τὸ βασίλεια κατὰ συναλοιφὴν βασίλη. Ita ergo & Μήδη pro Μήδεια. Et in epigrammate Ἀκαδήμη pro Ἀκαδήμεια Sic apud auctores Veterinariæ Græcos Ἀριστολόχη pro Ἀριστολόχεια in quodam tetraſticho cap. DCXC.

Οὐκ ἀφυῶς ὁ Κόϊντος ἀνθέρατο τέσσαρα ταῦτα
Γεντιάνην, δάφνας, σμύρναν, ἀριστολόχην.

Priſcianus Dionyſii interpres herbam illam, qua condiebatur oleum Medeæ, perverſè Medicam appellat, quum oleum ea herba infectum ſic vocaretur:

Ignipotens oleo commixto gignitur herba,
Medica cui nomen, cujus compeſcere flammas
Si quis aqua cupiat, plus ignis paſcitur illa.

Μηδικὸν etiam vetus Interpres Nicandri τὸ Κολχικὸν, qui eo nomine herbam non intellexit, ſed oleum. *Herba Medica*, ἡ Μηδικὴ πόα, quam Græci vocant, longè diverſa ab ea, qua Medicum oleum inficiebatur. Strabo de Media provincia: καὶ τὴν βοτάνην δὲ τὴν μάλιστα τρέφουσαν τοὺς ἵππους, ἀπὸ τοῦ πλεονάζειν ἐνταῦθα, ἰδίως Μηδικὴν καλοῦμεν. Stephanus: καὶ τὴν βοτάνην τὴν μάλιστα τρέφουσαν τοὺς ἵππους, ἣν Μηδικὴν καλοῦμεν. Videtur non diſſimilis, aut omnino eadem eſſe illa, quam *fœni Burgundici*, aut *Sancti fœni* nominibus vulgo nuncupamus. Heſychius: Μηδικὴ πόα τρίφυλλον, οἱ δὲ λωτὸν ἁρμόζον τοῖς κτήνεσι. Dicit ab aliis τρίφυλλον appellari, ab aliis λωτόν. Idem alio loco: Τρίφυλλα, πολύφυλλα, καὶ πόα δέ τις Μηδικὴ οὕτω καλεῖται. Atqui Τρίφυλλον & πόα Μηδικὴ & λωτὸς inter ſe differunt. Quod Græci τρίφυλλον abſolutè vocant, odoratum eſt & bitumen reſipiens. Unde ἀσφάλτιον cognominatur. Dicebatur & μινυανθές. Ita ſcribendum, non μηνιανθές. Et ineptè docti quidam Herbarii μηνιανθὲς dictum arbitrantur, quod flore ſuo ſe indicet. Hoc nomen reſpuit verſus apud Nicandrum, ubi tamen ſic vulgo ſcribitur τὴν ἤτοι μηνιανθές. Lege:

Τὴν ἤτοι μινυανθὲς, ὁ δὲ τριπέτηλον ἐνίσπει.

A Legendum etiam apud eumdem:

Ναὶ μὴν καὶ τρίσφυλλον ὀπάζεο.

Verſus gratia τρίσφυλλον pro τρίφυλλον, ut μελίσφυλλον pro μελίφυλλον Virgilio: *Trita meliſphylla.* Μινυανθὲς porro appellatum eſt à colore phœniceo, vel purpureo floris. Nam ἄνθος πορφυροῦν illi tribuunt. Μίνυον Heſychio τὸ κιννάβαρι, unde *minium* Latinorum. Sed nomen illud Hiſpanum, nec puto veteribus cognitum fuiſſe: nec enim admodum vetuſta res minii inventio apud Græcos. Verius igitur μινυανθὲς dictum à brevitate floris, vel quod parvo tempore floreat. Μινυανθὲς, ut μινυώριον τὸ ὀλιγοχρόνιον. Ab antiquo μίνυον, unde & B μινύθω, & μινύω Latine *minuo*. Μινυανθὲς, ut ὀψιανθὲς, πρωϊανθὲς & ſimilia. Et hoc verum. Corrige etiam Theophraſtum, qui vocat μηνανθὲς pro μινυανθές. Dicebatur & ὀξύφυλλον, & κνήκιον à ſimilitudine ſeminis. Dioſcorides: Τρίφυλλον, οἱ δὲ μινυανθὲς, οἱ δὲ ἀσφάλτιον, οἱ δὲ κνήκιον, οἱ δὲ ὀξύφυλλον καλοῦσι. Ita legendum ex vetuſtiſſimo libro. Plinius ex tribus epithetis ejuſdem herbæ tria genera facit contra omnium ſcriptorum, cùm Græcorum, tum Latinorum auctoritatem. *Folio*, inquit, *coronat & trifolium; Tria ejus genera. Minyanthes vocant Græci, ac aſphaltion majore folio, quo utuntur coronarii. Alterum acuto, oxytriphyllon. Tertium ex* C *omnibus minutiſſimum.* Perperam. Nam idem genus, quod ὀξύφυλλον, vel ὀξυτρίφυλλον ab acutis foliis appellatur, μινυανθὲς etiam dicitur à flore: ἀσφάλτιον ab odore: κνήκιον à ſeminis figura. Nihilque omnino eſt in illis tribus attributis, quod generis ullam differentiam ſignet. An auctores ſuos habuerit, neſcio: certè ſic ſæpenumero hallucinatur, ut de balſamo infrà notabimus. Ab hoc trifolio diverſum pratenſe, & vulgare trifolium, quod Dioſcorides λωτὸν τρίφυλλον appellat. Ita enim de loto agreſti ſcribit: φύλλα ὅμοια λωτῷ τῷ τριφύλλῳ τῷ ἐν χορτοκοπίοις γινομένῳ. Item de Cytiſo: πέριξ οὖν τὰ φύλλα ὅμοια τήλιδι ἢ λωτῷ τῷ τρι- D φύλλῳ. Sic ſcribit vetuſtiſſimus liber Regiæ Bibliothecæ. Et malè vulgo vertunt: *lotove, aut trifolio:* ut diſtinguerent ab illo trifolio, τριφύλλῳ, quod ſuprà poſuimus, quodque abſolutè ita vocabatur. Hoc pratenſe trifolium vocarunt λωτὸν τρίφυλλον, *lotum trifolium.* Immo etiam & λωτὸν appellabant. Apud Homerum equi λωτὸν ἐρέπτοντες μελιηδέα, *pratenſe trifolium.* Heſychius: λωτὸς, καὶ δένδρον, καὶ πόα, κυρίως δὲ τὸ ἐν τοῖς λιβάσι φυόμενον, *quod in pratis naſcitur.* Dioſcorides tamen Loton tam agreſtem, quam ſativum ab hoc trifolio pratenſi diſtinguit, licet λωτὸν τὸν ἐν E παραδείσοις φυόμενον, à quibuſdam etiam τρίφυλλον vocari dicat. Uterque folia trifolio pratenſi ſimilia habet. Ab his omnibus diverſa Medica herba, jumentorum pabulo olim in primis commendata. Τρίφυλλον, aut λωτὸν eam eſſe juxta quorumdam ſententiam notavit Heſychius. Eam vero eſſe, quam vulgo dicimus *Sanctum fœnum*, ex deſcriptione ipſa patebit. Dioſcorides de Medica: ἔοικε μὲν ἀρχὴ φυομένη τριφύλλῳ τῷ ἐν χορτοκοπίοις. Nunquam trifolium pratenſe ſubſtantivè vocat τὸ τρίφυλλον, ſed aut λωτὸν τρίφυλλον, aut πόαν τρίφυλλον, ut hoc loco. Ἡ τρίφυλλος ſubintelligitur πόα, aut βοτάνη, ſicut in voce Μηδική. F *Fœnum Burgundicum* & hoc planè habet, quum recens prodit, folia pratenſi trifolio ſimilia, præcipuè quæ in extremitatibus ſunt caulium, ordine trino digeſta ſimiliter præfert. Προάγουσα δὲ στενοφυλλοτέρα γίνεται. Plinius: *quidquid in caulem aſurgit, folia contrahuntur.* Dioſcorides: καυλοὺς ἀνιεῖσα τριπήχεις, ἐφ' οἷς τὸ σπέρμα προσπέφυκε φακοῦ τὸ μέγεθος, ἐπεστραμμένον ὡς κεράτιον. Nihil ſimilius fieri poteſt. In fœno ſancto ſemen caulibus adhæret lenticulæ magnitudine, inflexum ad inſtar corniculorum, vel ſiliquarum. Græcè κεράτιον utrumque ſignificat, & Sic κεράτιον dicta ſiliqua à corniculorum inflexione. G & fœnum Græcum ab eadem ſeminis curvatura, κεράτιον Græcè, & βούκερως, Latinè *ſilicula*, vel *ſilicla* appellatur. Ita enim apud Plinium ſcribendum pro *ſilicia.* Varro *ſiliculam* pro parva ſiliqua dixit, lib. I. cap. XXIII. *Lupinum, quando minus ſiliculam cepit.* Ita lego ex veteri ſcriptura, quæ habet, *quum dominus ſiliculam cepit.* Inde *ſilicla*, ut *circli, arclæ, nauclæ*, & ſimilia ſexcenta. Pro eo *Silicia* ſemper apud Plinium

Plinium scribitur, & mendosius etiam *Sicilia.* Sic fœnum Græcum Latini dixerunt, *Siliclam* inquam, quasi *siliculam*, vel parvam siliquam. Trifolii quoque semen ὥσπερ κεραίαν habere notat Dioscorides. Certè Medicæ discriptio Dioscoridis planè convenit cum nostro sancto fœno. Nec cetera disconcinunt, quod ea herba jumenta cito pinguescant, & quod ex uno satu in plures annos perduret. Alia sunt, quæ dissident. Plinius de Medica: *secatur incipiens florere, & quotiens refloruit. Id sexies evenit per annos, & quum minimum, quater.* Servius ad illud:

---- & te quoque Medica putres
Accipiunt sulci.

Naturam herbæ respicit, quæ uno anno frequenter secatur, & sexies, & amplius. Fœnum sanctum semel tantum secatur, & quum defloruit, inque semen abiit. Ibidem notat Servius: *Hæc à Medis translata est in Græciam, quo tempore eam Xerxes invaserat. Hujus plena Venetia est, &, ut dicit Dionysius, trium foliorum est, semperque virens.* Idem ibi notat *Sillam* vulgo vocari hanc herbam. An *siliclam* dicere voluit, & fœnum Græcum cum hac confudit? Nostrum sanctum fœnum plurium foliorum est, & solam germinum extremitatem habet trifolio similem, pari foliorum ordine, & numero. Is est Dionysius, qui Magonis Carthaginensis libros in Græcum transtulerat. De Medica ille non loquebatur, sed de loto agresti, quem plerosque non dubito cum Medica confudisse. Hinc Hesychius Μηδικὴν, aliis τρίφυλλον, aliis λωτὸν placere esse scripsit. Dioscorides trifolio pratensi folia similia habere æque ac Medicam scripsit. Hic lotos in Africa plurimus proveniebat, & pabuli usum equis etiam præstabat. Dioscorides de loto agresti: φύεται δὲ πλεῖςος ἐν Λιβύῃ. Vix ambigo, quin Dionysius Magonem vertendo hunc λωτὸν ἄγριον, de quo tractabat Mago, Græcis Μηδικὴν πόαν vocari scripserit, aut ita Græcè verterit. In Hispania etiam plurima est hæc species, quam equis pro pabulo præbent. Fœni Burgundici nomine quidam etiam eam donavere, & quater in anno secatur. Fos illi subcæruleus, semen ad instar fœni Græci, sed longè minus. Herba etiam

A est, quandoquidem hoc agimus, quam Græci Μήδιον vocant, alia à Medica. Quis nomini non crederet eamdem esse? Σκυθικὴ πόα Theophrasto glycyrrhiza dicitur: eam Σκύθιον vocari tradit Dioscorides. Sic τὸ Πέρσιον, & ἡ Περσικὴ idem, malus Persica. Diversæ tamen sunt τὸ Μήδιον, & ἡ Μηδικὴ. Et nugantur Græculi recentiores, qui ad eum Dioscoridis locum de Medio ascripserunt, eam quoque τρίφυλλον, & Μηδικὴν appellari, & Latinis *juncum odoratum.* Quod sola nominis ratione ducti pronuntiarunt, ut in aliis sexcentis,
B nimis temerè. Nec enim ab ulla similitudine, quam habet cum Medica, dictum est τὸ Μήδιον, sed quod à Medis quoque venisset, ut & Medica. Sic τὸ Σκύθιον herba, quæ à Scythis: τὸ Πέρσιον, quod à Persis, malum nempe Persicum. Sic Λύκιον spinæ genus in Lycia nascens. Nihil sanè in descriptione Μηδίε, quod cum Medica conveniat. Dioscorides: ἔχει φύλλα ὅμοια ἴερδι. Lege ex optimo codice: ἔχει ὅμοια σέριδι. Corrigendus & Plinius: *Medion folia habet seridis sativæ.* Male est, *iridis sativæ.* Libri *hiridos*, & *heridis.* Et paulo post in
C eodem scribendum: *florem grandem purpureum, semen cneci, radicem semipedalem.* Dioscorides: καρπὸς μικρὸς ἐοικὼς κνήκῳ. Vulgo editur, *semine minuto.* Libri habent, *semine nuto*, pro semen cneti, vel cneci. Atque hæc hactenus. *Medica herba* perperam Prisciano vocatur, qua oleum Medicum conficitur.

Nec alio sopitur, quam jactu pulveris] Ammianus ex hoc loco: *nec remedio ullo, quam jactu pulveris consopitur.* Sic maltha, genus est limi flagrantis certis locis ebulliens, terra extinguitur, aquis accenditur. Plinius lib. II. cap. CIV. *Aquis accenditur, terra tantum restingui docuere experimenta.* Sic πῦρ ἀθάνατον montis Chi-
D mæræ apud Phaselitas restinguebatur. Antigonus in Mirandis ex Ctesia scribit, τοῦτο δὲ ἐὰν μὲν τις ὕδωρ ἐμβάλῃ καίεσθαι βέλτιον, ἐὰν δὲ φορυτὸν ἐπιβάλῃ, σβέννυσθαι. Ita scribendum. Perperam editur, ἐὰν δὲ φορτίον. Græcorum ὑγρὸν πῦρ, quod siphonibus ejaculabantur, ita etiam restingui solebat, jactu nempe pulveris, & φορυτοῦ. *Ignem Graciensem* hodieque vocamus: eoque etiam modo sopiri consuevit.

C A P U T XXII.

Britannia. In ea de lapide Gagate, & gentibus Barbaris, insulisque circa eam claris.



PAg. 30. F. *Nisi Britannia insula non qualibet amplitudine*] Male Camers negationem tollebat, legendo, *nisi Britannia insula qualibet amplitudine.* Sensum hujus loci non vidit, nec vim hujus vocis. *Qualibet*, est ὁ τυχὼν. *Non qualibet amplitudine*, οὐ τῇ τυχούσῃ. Præcipuam igitur intelligit. Sic Plinius loquitur de Sergio: *Bis ab Annibale captus: neque enim cum quolibet hoste res fuit, bis vinculorum ejus profugus.*

Manifestat ara Græcis literis scripta votum] Ita libri. Malè in editionibus: *inscripta voto.* Quæ literis Græcis votum inscriptum haberet, rectè dicitur *inscripta*, aut *scripta votum.*

Pag. 30. G. *Fas, ac nefas eodem loco ducunt*] Ita scripsi ex libris. Ἐν ἴσῳ ἡγοῦνται, ἐν ταὐτῷ. Vulgo erat: *eodem animo ducunt.* Strabo explicat de Hibernis ita loquens: Τούς τε πατέρας κατεσθίειν ἐν καλῷ τιθέμενοι, καὶ φανερῶς μίσγεσθαι ταῖς τε ἄλλαις γυναιξὶ, καὶ μητράσι, καὶ ἀδελφαῖς.

Auspicium alimentorum leviter infercit] In os infercit. Sic reposuimus libris auctoribus, pro vulgato, *leviter infert.*

Dentibus mari nantium belluarum] Ita scribendum disjunctim, *mari nantium*; ἐν τῇ θαλάσσῃ νηχομένων, non, ut Vineto placuit edi, *marinantium*, quasi id positum esset pro marinarum. Sic suprà ex priori editione: *Echinis, & omnibus mari nantibus pisculentissimum.* Cicero Tuscul. lib. V. *Namque alias bestias nantes aquarum incolas esse voluit: alias volucres cœlo frui libero, serpentes quasdam.*

E *Candicant enim ad eburnam claritatem*] Multa etiam eburna gestamina è Romano solo in Britanniam importabantur. Strabo lib. IV de Britannis: Τέλη δὲ οὕτως ὑπομένουσι βαρέα τῶν τε ἐξαγομένων εἰς τὴν Κελτικὴν ἐκεῖθεν, καὶ τῶν εἰσαγομένων, ἐνθένδε. Ταῦτα δὲ ἐστιν ἐλεφάντινα ψάλια, καὶ περιαυχένια, καὶ λυγγούρια, καὶ ὑαλᾶ σκεύη, καὶ ἄλλος ῥῶπος τοιοῦτος. Hæ omnes mictiles, & minutæ merces, ornamenta equorum eburnea, torques, succina, & vitrea pocula è Romano solo in Britanniam importari solebant, & referri debent ad illud tantùm, quod in ultimo positum est, τῶν εἰσαγομένων ἐνθένδε, quæ
F ex his locis in Britanniam invehuntur. Nihil enim horum, quæ ibi numerantur, è Britannia afferebatur. Obscurè itaque, & malè interpres doctus: *& vectigalia tolerant, jam non difficilia à rebus, quæ à Gallia & Britannia ultro citroque vehuntur. Sunt autem eburnea frena, & torques.* Quasi ejusmodi merces à Britannia, & Gallia ultro citroque veherentur. Quod est falsum. Nec melius vir præstantissimus, qui ψάλια Britannorum non eburnea fuisse; sed eburnis similia ex hoc Solini loco asserit. Res in plenum diversa. Mens est Strabonis, Britannos tum admodum levia vectigalia pendisse tam ἐξαγωγίμων, quam εἰσαγωγίμων. Non dicit, qualia fuerint Britanniæ ἐξαγώγιμα, quia paulo superius id dixe-
G rat his verbis: φέρει δὲ σῖτον, καὶ βοσκήματα, καὶ χρυσὸν, καὶ ἄργυρον, καὶ σίδηρον. Ταῦτα δὴ κομίζεται ἐξ αὐτῆς, καὶ δέρματα καὶ ἀνδράποδα, καὶ κύνες εὐφυεῖς πρὸς τὰς κυνηγεσίας. Hæ merces igitur Britanniæ, quæ exportabantur, pelles, canes venatici venales, aurum, argentum, & ferrum. Quæ importarentur vero, has fuisse scribit, ἐλεφάντινα ψάλια, & cetera. Eburna igitur ψάλια, quibus utebantur

bantur Britanni inter invectitias merces. At dentes belluarum marinarum ad eburneam claritatem candicantes, quibus insigniebant ensium capulos, non aliunde importabantur, & eburnis similia, non erant eburnea. Præterea de Hiberniæ populis loquitur Solinus, de Britannis Strabo. Postremo de capulis ensium Solinus, quæ dentibus ornabantur belluarum: Strabo de viriolis eburneis. Nam ψάλια sunt viriolæ, & cum torquibus eas jungit: ἐλεφάντινα ψάλια, ϗ περιαυχένια. Malè interpretes reddunt *frenos*. Scio Græcos grammaticos vulgo distinguere inter ψάλια, & ψέλια: ut ψάλιον de fræno equi dicatur, ψέλιον de viriola. Sed auctores hæc discrimina sæpe insuper habent. Hesychius: ψάλια, κρίκοι, δακτύλιοι. In Epigrammate Græco:

---- ὁ ψελιῶσας ἵππον.

Equum frenans. Latini *viriolas* vocant. Glossæ: *viriola*, κλανίον, ψέλιον, περιχέριον. Viriolæ sunt κρίκοι, ex ebore plerumque fieri soliti, ut ex hoc loco Strabonis constat.

Apes nusquam. Advectum inde pulverem] Hæc lectio vulgarium editionum, quam & libri quidam agnoscunt. In aliis habetur: *interea apes non habent. Advecto inde seu pulvere, seu lapillo, si quid sparseris inter alvearia, examina favos deserunt.* Quam optimus Regius Codex in textu præfert, superiore ad marginem adscripta. Quo fit, ut hanc lectionem suspicer secundæ editionis esse, non primæ. Quæ & leviter mendosa est, & sic emendanda: *inter ea apes non habent, de advecto inde seu pulvere, seu lapillo, si quid sparseris inter alvearia.*

Pag. 31. A. *Toto in anno non nisi æstivis pauculis diebus est navigabile*] Quidam libri: *toto in anno nisi pauculis diebus est navigabile.* Atque hi fermè meliores, & recognitæ editionis codices. Legendum: *toto in anno non nisi pauculis diebus est navigabile.* Fuit autem in προεκδόσει, *toto anno non nisi æstivis diebus navigatur.*

Navigant autem vimineis alveis. Plinius: *vitilibus* lib. VII. cap. LVI. *Etiam nunc in Britannico Oceano vitiles corio circumsutæ fiunt.* Aliud tamen *vitile*, aliud *vimineum.* Quidquid è vimine est, etiam est vitile, non contra. *Vimineum*, quod è vimine textum est. Vimen autem virgultum viendo aptum, ὁ λύγος. At *vitile* dicitur, quidquid viendo factum est. Nam & funes, & corollæ, & alia quæcunque plexili opere fiunt, vieri dicuntur. *Vitiles alvei* apum Varroni, qui ex viminibus facti. Perperam Victorius *vitile* exponit lentum, & quod facile flectitur. Immo *vitile* est τὸ πλεκτὸν, quod ex vimine, & viendo factum est. Nam *viere* est πλέκειν. Sic *sutile* non est, quod sui potest, sed quod sutum est, τὸ ῥαπτὸν. Sic *apertile*, τὸ ἀνοικτὸν, & similia. Plinius lib. XIII. cap. IV de foliis palmæ: *Nunc ad funes, vitiliumque nexus, & capitum levia umbracula funduntur*, πρὸς τὰ τῶν πλεκτῶν ἅμματα. Strabo de palma lib. XVII. Καὶ μέλι, καὶ ἄλφιτα, τά τε πλεκτὰ παντοῖα ἐξ αὐτοῦ; *vitilia omne genus.* Hesychius: Κοῖκει, ἐν Αἰθιοπίᾳ Φοινίκων εἶδος, καὶ τὰ πεπλεγμένα ἐκ τῶν φύλλων τοῦ δένδρου σκεύη. Ceterum, ut *sutor* & *sutilis*, sic *vitilis*, & *vitor*, ὁ πλέκτης. Glossæ: *vitor*, καλοπλόκος. Perperam corrigunt, *vietor.* Nec enim *vietile* dicitur, sed *vitile* τὸ πλεκτόν: sic *vitex* herba inde dicta: Græcis λύγος. *Vitor* quoque in veteri inscriptione scribitur. Corrigendus & Arnobius in hac voce lib. II. *Quid bigarios, salinatores, bolonas, unguentarios, aurifices, aucupes, vannorum, sirpiarumque vinctores.* Lege: *sirpiarumque vitores.* Οἱ πλέκται. Ita enim legit & Regius Codex. Ibidem etiam scribendum: *cybiarios salinatores.* Scriptum erat *quibiaros*, ex quo fecerunt, *quid bigarios.* Sciunt, qui libros veteres terunt, *Quinegium*, *Quizicus*, solere scribi pro *Cynegio*, & *Cyzico.* Sic in Epistolis Paulini antiqui libri præferunt inscriptum. *Paulinus Ausonio triquinon*, hoc est, τρίκινον, trina salutatio. Quasi diceret, ter salvere jubeo. Κινεῖν est ἀσπάζεσθαι. Unde κινόστομον, quod vulgo dicimus, *baise-main*, labratum, vel ἀσπαστικόν. Ita vocarunt Græci τὸ κινόστομον, ut alibi dicam. *Cybiarii* sunt, qui cybia vendunt, & rectè junguntur cum salinatoribus, & balonis. Atque hæc obiter. Ut *vitor* est πλέκτης, sic *vitrix* ἡ πλέκτρια. Plinius lib. XXXV. cap. XI de Pausia pictore: *amavit in juventa Glyceram inventricem corollarum, certandoque imitatione ejus ad nu-*

A *merosissimam florum varietatem perduxit artem illam.* Nemo prodidit veterum Glyceram illam, quam amavit Pausias, inventricem fuisse coronarum. Στεφανοπλόκος fuit. Lege itaque: *Glyceram vitricem coronarum.* Vetus versiculus: *ibant malaci viere veneri corollam.* Inter Veneris cognomina hoc unum fuit. Nam *vitrix* etiam vocabatur à ligando. *Vio* à Græco μίω, quod est, ligo & plico. Æoles dicebant βίω. Ut βύρμαξ pro μύρμηξ. Hesychius: μίσασθαι, μιτώσασθαι. Nam μίτος, & μίτρα, ab illo antiquo μίω deducta. Sic μίττος, Æolicè βίττος, vitta. Idem Hesychius: μίττος, τάξις, σπιρά, τόνος. Hæc alibi pluribus.

B *Quos circumdant ambitione tergorum bubulorum.* Perperam in editis, *Bubalorum.* Hoc loco *ambitio* est, ἡ περιβολή. Sic apud Tertullianum in libro de Pallio: *cum latioris purpuræ ambitio, & Galatici ruboris superjectio Saturnum commendat.* Ibi *ambitio latioris purpuræ* est lati clavi tunica, qua corpus ambitur: ut *Galatici ruboris superjectio*, pallium coccineum, quod humeris superjicitur. Ita nunc interpretari malim.

Navigantes escis abstinent] Ait mare, quod Iberniam, & Britanniam interluit, inquietum esse, & undosum, & paucis diebus navigabile. Navigari autem vimineis navibus corio circumsutis. Quantocunque tempore C cursus tenebit, navigantes escis abstinere. Id fretum viginti millibus passuum latum esse. Hic sensus totius hujus loci. Lectiones vero τῆς προεκδόσεως, & recognitæ editionis diversæ fuere. Inde illa in libris, quos vidimus, varietas. Scriptum in optimis, ac vetustissimis: *quantocumque tempore cursus tenebit, navigantes escis abstinent: freti latitudinem in viginti millia passuum diffundi, qui fidem ad verum ratiocinati sunt, æstimarunt.* Ita etiam pleræque omnes editiones ante Delrianam. Ita scripsisse Solinum in editione, quam recognovit, & emendavit, certissima fides. In προεκδόσει sic posuerat: D *navigantes escis abstinent: idque in viginti millia passuum latitudinis diffundi, qui fidem ad verum ratiocinati sunt, æstimarunt.* Quomodo & quidam ex nostris libris præferunt. Τὸ *idque* referebatur ad illud, *mare, quod Hiberniam, & Britanniam interluit.* Quia verò nimis multa intercedebant, quam ut commode, & ex propinquo id intelligeretur, ideo mutavit in ἐξηγήσει, & pro *idque* rescripsit, *freti latitudinem.* Propagatis porro utriusque editionis exemplaribus inde factum, sicut in aliis sexcentis, ut codices descripti fuerint ab antiquariis, qui utramque lectionem continerent. Hinc in multis libris hodie reperitur scriptum: *navigantes escis abstinent:* E *freti latitudinem, idque.* In aliis: *freti latitudine, idque in* XX. M. *latitudinis diffundi.* Quam scripturam cum & Delrius in suis invenisset, nec satis inde se extricare posset, lectionem quam ederet, ita commentus est: *navigantes escis abstinent pro freti latitudine: idque in viginti millia paßuum diffundi.* Quæ nec sensu sana sunt, nec dictione. Præpositio *pro* in nullis libris comparet. Apud auctorem veterum excerptorum è Plinio, & Solino ita legitur: *sed mare, quod inter hanc, & Britanniam interluit undosum, inquietumque toto anno non nisi pauculis diebus est navigabile: idque in centum viginti millia passuum latitudinis diffunditur.* Priore editione Solini usum esse F auctorem compilationis hujus inde colligitur, quod *collectanea* Solini semper citat, qui titulus fuit τῆς προεκδόσεως. Perperam autem in eo scribitur, *centum viginti millia passuum.* Viginti tantùm millibus transitum illum patere à Silurum gente scribit Plinius.

Siluram quoque insulam] Ita libri nostri, & omnium optimus Regius, qui ad oram adscriptum habebat: *Sillinas quoque insulas.* Meminit Sillinarum insularum Sulpicius Severus, quo hæreticos quosdam, si mihi constat mnemonicum, relegaverat Maximus. Nam liber nunc ad manum non est. Puto esse, quæ *Silimnus* Plinio dicitur, & Ptolemæo λίμνου νῆσος ἔρημος pro G Σιλίμνου. Inter Britanniam, ac Hiberniam ponit eam Plinius. Ediderat Camers: *Silurum quoque insulas.* Quod non potest ferri. Silures populi Britanniæ Tacito. Ptolemæo Σίλυρες. In ora Britanniæ. Quomodo igitur Silures ab ora Britannica freto distincti? Heîc igitur legerim, *Silinnas quoque insulas*, vel *Silimnum insulam.*

Ab ora, quam gens Britanna Dumnani tenent] Sic

repoiuit

repoſuit Delrius. *Quid ſi legamus*, inquit, *Dumnani tenent? Dumnæ incolæ Dumnani dicuntur.* Dictum factum, ut ſomniatum, ita editum eſt. Dumna inſula circa Britanniam. Ejus incolæ Dumnani, at non illi Britanni. Solinus inſulas, quæ à Britannia modicis æſtuariis ſeparantur, tangit, non eas, quæ à Dumna inſula. Præterea qualis qualis eſt hæc imaginatio, Camerti eam debet, quem ubique indignis probris proſcindit. Libri noſtri partim legunt: *ab ora, quam gens Britanna dudum non tenent.* In aliis, *dum non tenent.* Forte: *Dubuni tenent.* Δοβοῦνοι Ptolemæo. Hi ad Sabrianæ æſtuarium degunt: & *Glocestriam* eſſe docti volunt. Sed in veteri ſcriptura literarum ductus contemplanti nihil propius videtur, quam legendum eſſe: *ab ora, quam gens Britanna Dumnonii tenent.* Dumnoni non ab inſula Dumna, nam Dumnani dicerentur, ſed populi ſunt Britanniæ ita dicti. Δουμνόνιοι Ptolemæo, qui oram Britanniæ δυσμικωτάτην tenent. Certè vel *Dubuni*, vel *Dumnonii* heic reſtituendi. Sed hoc verius, & propius ad veterem ſcripturam, *Dumnon tenent.*

Turbidum fretum diſtinguit] Altera lectio, prioris, an poſterioris editionis neſcio: *turbidus ſinus diſtinet.*

Pag. 31. D. *Nundinas, ac nummum refutant*] In libris tantum eſt: *nummum refutant.* Et ſanè cum dent res, & accipiant, mutationibuſque neceſſaria ad victum parent, ſic etiam nundinantur. Vetuſta quippe nundinatio peragebatur permutatione, non pecunia numerata. Nam ad res invicem permutandas nundinis etiam opus haud ſecus, quam ad pretio comparandas. Adde, quod emptionem, & venditionem etiam contrahi permutatione rerum Juriſconſulti putaverunt. Quidam etiam ex his in alia re, quam in nummo pretium conſiſtere. Non igitur nundinas refutant, ac rejiciunt, qui res permutant, ſed nummum. *Refutare* hoc loco non eſt ἐλέγχειν, ſed rejicere, & nolle accipere. Gloſſæ ἀποδοκιμάζειν, & ἐκβάλλειν, & ἀποτρέπειν exponunt. Capitolinus in Antonino Pio: *Circenſes natali ſuo dicatos non reſpuit, aliis honoribus refutatis.* Ita loquitur & Ammianus. Novella Theod. XXV. *Solidum aureum integri ponderis refutandum.*

Thanatos inſula] Optimus liber *Adtanatis inſula.* Lege: *at Tanatis inſula alluitur freto Gallico.* Hodie *Tenet* dicitur. *Thanatos* Iſidoro, qui dictam Thanaton nugatur à morte ſerpentum. *Tanatis* verum hujus inſulæ nomen. Hac terminatione & Ἴκτις in illo Oceano apud Diodorum Siculum. Plinio *Vectis*. Ptolemæo, Οὔικτις. Ita enim ſcribendum: νῆσος Οὔικτις ἧς τὸ μέσον ἐπέχει μοίρας. Malè in editis: Οὐίκλησις. Eadem eſt, quam Plinius ex Timæo *Mictim* vocat, *Timæus hiſtoricus à Britannia introrſus ſex dierum navigatione abeſſe dicit inſulam Mictim, in qua candidum plumbum proveniat.* Legi puto debere, *Ictim.* Ea eſt enim, de qua Diodorus: ἀποτυποῦντες δ' εἰς ἀστραγάλων ῥυθμοὺς κομίζουσιν εἴς τινα νῆσον, προκειμένην μὲν τῆς Βρεττανικῆς, ὀνομαζομένην δ' Ἴκτιν. Non ſtannum in ea provenire, ſed eo à Britannis deportari tradit. Sane Ἴκτις & Οὔικτις eadem, fortaſſe & Μίκτις, ut *Emudæ*, & *Ebudæ*: *Cebenni*, & *Cemenni.* Ipſa eſt, quæ & *Vectis* Plinio, aliis *Vecta.*

Alluitur freto Gallico] Mirum eſt in omnibus pæne Solini exemplaribus ſcriptum extare: *freto Gallico adſpiratur.* In optimo Regio inter lineas notatum, vel *alluitur.* Mare ſpirare dixerat noſter in libris Ponticῶn:

Et maris æquoreas ſpirantis molle catervas.

Et capite ſequenti ex ſententia quorundam philoſophorum adſtruit, mundum animal eſſe, quod in profundis Oceani nares habeat conſtitutas, per quas emiſſi anhelitus, & reducti modo inflant maria, modo revocant; & hanc eſſe æſtuum cauſam accedentium, recedentiumque. Hinc aſpirari freto inſulam hoc loco dicit. Quæ accedente æſtu maris quaſi adſpiratione quadam ejus afflatur, & alluitur. Alias loca mari vicina, mari afflari etiam Plinius dixit lib. XX. cap. XIX. *Quidam hoc genus Glaucion vocant, alii paralion, naſcitur enim in afflatu maris, aut nitroſo loco.* Dioſcorides: φύεται ἐν παραθαλασσίοις τόποις, καὶ τραχέσι. Legendum itaque in Plinio: *aut in petroſo loco.* Τὰ παραθαλάσσια igitur reddit Plinius *maris afflatum.* Sed aliter intellexit, quam Solinus. Nec enim quæ mari alluuntur, ſed quæ marinæ auræ adflatum haberent, ſic appellavit. Solinus tamen

A ex ſua mente Plinium interpretatus ejus imitatione ita loquutus eſt.

A Britanniæ continente æſtuario tenui ſeparata] Erat in παρεκδόσει: *Euripo tenui ſeparata.* Iſidorus: *Thanatos inſula Oceani freto Gallico à Britannia eſt varia, tenuis ſeparata.* Scribe: *à Britannia æſtuario tenui ſeparata.* Sequitur: *frumentariis campis, & gleba uberi.* Ita libri: & Iſidorus. Nam vulgati legunt, *frumentariis campis felix.* Satis eſt dixiſſe frumentarios campos, ut de felicitate ſoli conſtet, præcipuè cum addat, *& gleba uberi.* Quod ſolum pingue eſſe, & frumento fertile indicat.

E quibus Thule ultima] Omnes libri: *Thyle.* Ita & B & Martiani. Nec ſecus in Plinianis, *Thyle.* Græci tamen Θούλη. Sed ſic *Thyrii* ſupra pro *Thurii*, & ſimilia.

Brumali ſolſtitio perinde nullus dies, ut ortus junctus ſit occaſui] Manifeſto heîc duarum editionum lectiones in unam coaluerunt, quod in aliis locis factum plus ſexcentis. Verba illa, *ut ortus junctus ſit occaſui*, ex altera editione ſunt, quæ habuit: *brumali ſolſtitio dies adeo conductus, ut ortus junctus ſit occaſui.* Ita in optimo Regio ſcriptum extat. Nec aliter in editione Camertis excuſum eſt. Significat bruma diem adeo contractum fuiſſe, ut occaſus & ortus juncti eſſent. In altera fuit: *in qua æſtivo ſolſtitio, ſole de cancri ſidere tranſi-* C *tum faciente, nox pæne nulla: brumali ſolſtitio perinde nullus dies.* Quæ ſenſum habent integrum, nec quidquam addendum ad ſententiam. *Nox nulla, perinde nullus dies*, id eſt, ſimiliter nullus dies. Florus: *cœlum atrox, perinde ingenia.* Gloſſæ: *perinde*, παραπλησίως, ὁμοίως. Plinius: *Thule in qua ſolſtitio nullas eſſe noctes indicavimus, nulloſque per brumam dies.* Hæc ſcriptura prorſus ex Pliniana expreſſa eſt. Utra utrius ſit editionis, non facile pronuntiem, niſi ſuſpicor, quam priore loco poſuimus, poſterioris editionis fuiſſe, utpote quæ longius abeat à verbis Plinii. Præterea codex vetuſtiſſimus τῆς δευτέρας eam habebat, altera illa ad marginem D adſcripta. Solinus porro hoc loco antiquariè non eſt locutus, cum *ſolſtitium æſtivum*, & *ſolſtitium brumale* dixit. Veteres *ſolſtitium*, & *brumam* dixiſſent, ut Plinius. Plinium ſequutus Martianus: *ultima omnium Thule, in qua ſolſtitiali tempore continuus dies, brumalique nox perennis exigitur.* Antiqui *ſolſtitium* τροπὴν θερινὴν propriè vocabant, *brumam* τὴν χειμερινήν. Gloſſæ: *ſolſtitium*, τροπὴ θερινή. Eædem: *Bruma*, πλείας, τροπὴ χειμερινή. Horatius:

Pænula ſolſtitio, campeſtre nivalibus auris.

Virgilius lib. I. Georgicῶn.

E *Humida ſolſtitia, atque hyemes optate ſerenas*
Agricolæ.

Per *humida ſolſtitia* intelligit æſtates humidas optandas eſſe agricolis, ut contra hyemes, hoc eſt, brumas ſerenas. Ibi multimodis nugatur Servius de duobus ſolſtitiis, æſtivo, & hiemali. Inde *ſolſtitialis herba* Plauto, & Auſonio, quæ vix ſolo prodiit, & ſtatim æſtatis caloribus exareſcit, ea nimirum, quæ ſolſtitio naſcitur, circa τροπὰς θερινάς. Solinus ipſe infrà *ſolſtitialem plagam* vocat orientis æſtivi: *è provinciis Mauritanis Tingitana, qua ſolſtitiali plagæ obvia eſt*, id eſt, ad orientis æſtivi plagam. Verborum hîc auctor proprietatis adprime F obſervans, & maximè antiquarius, quo fit, ut ſuſpicer eum ſcripſiſſe: *in qua ſolſtitio nox pæne nulla: bruma perinde nullus dies.* Certè *æſtivo ſolſtitio*, & *brumali ſolſtitio* gloſſam ſapiunt. Ut ut ſit, nunquam aliter loquuntur boni, & idonei auctores. *Bruma* quaſi *brevima dies*, id eſt, breviſſima. Inde *breuma* & *bruma.* Ita veteres dicebant, *brevis, brevior, brevimus.* Sic *plus, plurior, plurimus.* Ita *clarus, clarior, clarimus*, pro clariſſimus. Gloſſæ Iſidori: *clarimum, clariſſimum.* Ita legendum. Nam vulgo, *clarimum.* Sic *ocimè*, pro ociſſimè. Sic *minor, minimus.* Ergo & *brevima dies*, breviſſima. Inde *bruma*, ἡ τροπὴ χειμερινή.

G Pag. 31. C. *Ultra Thulen accipimus pigrum eſſe, & concretum mare*] Hæc verba hoc loco deſiderantur in aliquot codicibus, ſed infra reponuntur, poſt illa: *certum matrimonium nulli.*

Bidui navigatio eſt. Inde excipiunt Hæbudes inſulæ] In Regio: *bidui navigatione perfecta excipiunt Ebudes inſulæ*, melius. Ἔβουδαι Ptolemæo, qui & numero quinque eſſe ſcribit, ut Solinus. Melæ, *ſeptem Emodes, triginta*

Orchades. Plinio, *ſeptem Acmodæ, triginta Ebudes.* Scribe: *ſeptem Æmodæ.* Ebudes Pomponius nullas recenſet, & nullas Emodas Ptolemæus. Vix ſanè mihi dubium eſt, quin *Emodæ* vel *Emudæ*, & *Ebudæ*, eædem ſint. Hoc fefellerit Plinium, qui, cum *Emodas* alibi, apud alios *Ebudas* reperiſſet, diverſas putavit. Sic *Cebennæ* montes, Ptolemæo Κεμμένοι. Ita legendum pro Κεμμένοι. Ne *Emodæ*, & *Ebudæ* eædem ſint, illud videtur obſtare juxta Hermolai obſervationem, quod Emodas contra Germaniam conſtituit Mela, Ebudes vero contra Galliam potius habentur, ut eas Ptolemæus ſitas docet. Hoc nihil eſt. Quod enim ita legitur apud Pomponium, *ſeptem Emodes contra Germaniam projectæ*, ſcriptum in Palatino codice, *contra Germaniam vectæ.* Quare corrigendum, *ſeptem Emodes, contra Germaniam Vecta.* Inſula hoc nomine in illo Oceano, quæ aliis *Vectis.* Sed hæc ad Pomnium ipſum fuſius.

Omnes anguſta interluvie dividuntur] Mela: *anguſtis inter ſe diductæ ſpatiis.* Plinius: *modicis inter ſe diſcretæ ſpatiis.* Sic *interluvies* eſt mare, vel fretum, quod illas inſulas interluit:

Ad æquitatem certis legibus ſtringitur] Ita Regius unus. In altero: *cunctis legibus.* Quæ & in aliis reperitur. Quaſi cunctæ leges ibi regem ſtringant ad æquitatem. An legendum, *ad æquitatem conſtitutis legibus ſtringitur?* Sed *certis* retinemus, ut in optimo ſcriptum. *Cunctis* ex priore editione eſt.

In quamcunque commotus fuerit] Melius ſcriberetur: *in quacumque commotus fuerit.* In uſu ita loquebantur: ægrum eſſe in aliqua, pallidum eſſe, perditum eſſe, commotum eſſe. Terentius:

Quid ego ejus tibi nunc faciem prædicem, aut laudem
Antipho:
In hac commotus ſum.

Nam *commotus* ὁ μανεὶς, ὁ παρακεκινηκὼς, ut alibi, *ego te commotum reddam.* Sic *commotus in aliqua*, ὁ μανεὶς ἐπί τινι. Apud Ovidium:

---- *deus arſit in illa.*

Idem:

Pallidus in Lynce ſylvis errabat Orion.
Pallidus in lenta Najade Daphnis erat.

Et lib. III. Amorum:

Inachus in Melia Bithynide pallidus iſſe
Dicitur, & gelidis incaluiſſe vadis.

Et paulo poſt:

Fertur in Evadne collectam Æſopide flammam
Vincere gurgitibus non potuiſſe ſuis.

Colligere flammam in aliqua. Propertius:

Perditus in quadam tardis palleſcere curis
Incipis, & primo lapſus abire gradu.

Plura reperient ſimilia, quibus otium, aut memoria ſuppeditabit.

In quacumque commotus ſit, uſurariam ſumit] Ita libri. Et rectè. Ridiculus eſt Delrius, qui id, quod ab uxoribus ſubditorum rex capiebat, veteres *uſuram* vocaſſe ad hunc locum obſervat. Cum privatus privati uxore utitur tanquam ſua, an non hæc uxor ejus uſuraria eſt? Nec recte Turnebus à mutuatitiæ pecuniæ uſura tralatum dicit. *Uſura* heîc idem quod uſus. Lucillius:

---- *& in uſura omnia poni*
Non magna: proprium vero nil neminem habere.

Eadem eſt ſententia, quam alius ſic expreſſit, *nil cuiquam datum eſſe mancupio, omnia omnibus uſu.* Accius in Oenomao: *atque hanc poſtremo ſolis uſuram cape.* Sic & Plautus: *ejuſque uſuram corporis cepit ſibi*, id eſt, ea uſus eſt, uſum ejus corporis cepit. Hinc *mulier uſuraria*, quam quis ad uſum habet tantùm, idque ad tempus. Ideo propriam, & uſurariam mulierem hoc loco diſtinguit Solinus. Mulier quaſi fundus eſt. In ea proprietatem alius habet, interdum alius uſum. Proprietas mariti eſt, veluti legitimi domini, uſus adulteri. Quod ad fructum attinet, ſemper marito imputatur. Virgilius:

Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo.

Ibi Servius: *dicendo propriam, adulterii removet ſuſpicionem.* Nam certe propria non eſt viri, quæ promiſcuè patet adultero. Non tantum ergo contractu, & legitimis nuptiis propria cuiquam fit uxor, ſed affectu. Uſu etiam apud veteres nuptiæ fiebant, *cum ſcilicet mulier uno anno cum viro licet ſine legibus fuiſſet*, inquit Ser-

A

vius. Hæ mulieres *uſurariæ*, vel *uſuariæ* dici poterant, atque etiam dictæ ſunt. *Propriæ* vero, quæ coemptione, atque in manum conventione ducebantur. Solinus paulo poſt: *utuntur fœminis vulgo, certum matrimonium nulli*, id eſt, uxores habent uſurarias omnes, propriam nullus. In ſumma, qui aliqua muliere utitur tanquam ſua, hæc ejus uxor uſuraria eſt. Nam *uſura* idem, quod uſus. Cicero: *unius uſuram horæ iſti gladiatori non dediſſet.* Sic *curſus* & *curſura*, & alia ſexcenta. *Uſionem* etiam pro uſu dixere veteres, Cato, Varro, alii. Corrigam obiter inſignem Arnobii locum, qui in hac voce mendoſus habetur lib. VII ad hunc modum: *Æſculapii geritur,*

B

celebraturque vindemia. Colunt enim dii vineas, & ab ſuaſionibus contracti exprimunt vindemiatoribus vinum. Nemo non videt hæc eſſe inquinatiſſima. Scriptum ſaltem in Regio codice: *& ad ſuaſionibus contractis.* Inde indubitata conjectura legerim: *colunt enim dii vineas, & ad ſuas uſiones contractis exprimunt vindemiatoribus vinum.* Quod eſt, & contractis vindemiatoribus vinum exprimunt ad ſuos uſus. Varro apud Nonium: *Diogenem literas ſciſſe tum, uſioni quod ſatis eſſet.* Legitur & apud Catonem de Re Ruſtica.

Secundam a continenti ſtationem Orchades præbent] Si quis locus in hoc auctore male acceptus, hic eſt. Quid enim hæc ſibi volunt, *ſecundam a continenti ſtationem*

C

præbere Orchades? Nec enim à continenti hæc navigatio, ſed ab inſula Britannia ad inſulam Thulen. In qua navigatione à promontorio Caledoniæ Thulen petentibus bidui curſu perfecto prima ſtatione occurrunt Ebudes. Poſt Ebudes ſecundam ſtationem præbent Orchades ſeptem dierum, ac totidem noctium curſu ab Ebudibus diſtantes, ab Orchadibus Thulen uſque quinque dierum, ac noctium navigatio eſt. Ita Solinus. Quænam igitur hæc ſecunda à continenti ſtatio? In optimo exemplari ſcriptum eſt: *ſecundam continenti ſtationem præbent Orchades.* In aliis: *ſecundam euntibus rationem Orchades præbent.* Nonnulli ſunt denique, qui

D

utrumque agnoſcant hoc modo: *ſecundam continenti ſtationem euntibus Orchades præbent.* Sic ſcriptum erat in vetuſtis ſchedis Palatinis. Duplex & heic lectio, ut duplex editio. Harum altera habuit: *ſecundam continanti ſtationem Orchades præbent.* Ita enim omnino ſcribendum pro *continenti. Continare* eſt continenter ire, & iter ſuum continuare. Sic *continari* pro continuari apud Symmachum lib. I. epiſt. LIII. *In ſilvis continaris Apollinem.* Ita libri ſcriptum præferunt. Et lib. IIII. epiſt. XLIV. *Nam me in ſilvis laurentibus continatus eſt, rurali inhærentem quieti.* Sic & ibi legit optimum exemplar Regiæ Bibliothecæ. Martianus Capella lib. I. *Nam Urania ſtellantis mundi ſphæram*

E

extimam continatur, quæ acuto raptabatur ſonora tinnitu. Editi habent: *ſphæram extimam concinit.* Quam poſuimus, eam è libris hauſimus. Iidem ita etiam ſuggerebant ſcribendum lib. IX his verbis: *Juppiter Harmonien venire, quam ſuggeſtum eſt ſolam Mercurialium ſupereſſe, præcepit, tuncque alias in ordinem continari.* Iidem & *continum* ſcribunt eodem libro: *omnis vox in duo genera dividitur, continum atque diviſum: continum eſt velut juge colloquium.* Sic *dividus*, *promiſcus*, & ſimilia. Gloſſæ: *continuat, quod & continat dicimus*, συνάπτει, πυκνάζει. Sic ſcribi debet. *Continuari*, vel *continari*, eſt proximè, & in-

F

dividuè comitari. Ad verbum etiam ſignificat id, quod vulgo dicimus in idiomate noſtro, *joindre quelqu'un*, aliquem continuari. Siſenna apud Nonium: *Marius oſtio Liris evehitur, adque Ænariam ſuos continatur. alla joindre les ſiens vers Ænaria.* Hoc loco *continare* poſuit Solinus pro continenter ire. Quo ſenſu & infra: *prope Panchaiam continat in Solis urbem.* Sic enim ibi legendum docemus. In altera editione pro *continanti* ſcriptum fuit: *ſecundam eunti ſtationem præbent.*

Pag. 31. D. *Quæ ab Ebudibus porro ſunt*] Libri: *ſed Orchades ab Ebudibus porro ſunt ſeptem dierum, totidemque noctium curſu.* Notandum heîc *porro* poſitum pro

G

longè, quod Græcum eſt πόῤῥω. Gloſſæ: porro, ἑξῆς. Λοιπὸν πόῤῥω, καὶ ἔπειτα, καὶ πάλιν. In Palatino recentiore ſcriptum erat: *quæ ab Ebudibus procul ſunt.* Quod gloſſamentum eſt illius *porro.* Servius ad illud VI. Æneid.

---- *Quæ ſint ea flumina porro.*

Interpretatur *longè remota*, & eſſe Græcum adverbium dicit πόῤῥω.

Tres numero] Tres tantùm Orchadas ponit contra omnium

omnium ſcriptorum ſententiam, qui licet inter ſe diſcrepent, conſentiunt tamen in numero longe majori. Plinius & Martianus quadraginta. Mela, triginta. Ptolemæus περὶ τεσσαράκοντα. Iſidorus viginti tres, quarum duodecim deſertæ ſunt, tredecim coluntur.

Tantum junceis herbis inhorreſcunt] Junceæ herbæ *juncina* una voce dicuntur auctori veteri de caſis literarum: *aqua viva ſub ſe ſignificat juncina, & foras aquivergia.* Ita ſcribendum. Innocentius in eadem litera, *cannicias & res paluſtres* dixit. *Sub ſe cannicias, & res paluſtres habet, & foris aquivergia.* Veteres Gloſſæ: ἀνθήλη, *canna, juncina, ulva.* Paulo poſt ſcribitur in membranis: *cetera earum nudæ arenæ.* Τὰ λοιπὰ αὐτῶν, ἄμμ☉. Oraculum:

Καὶ ψάμαθ☉ Σάμ☉ ἐςί.

Vulgo legitur: *cetera earum arenæ & rupes tenent.*

Sed Thule larga, & diutina pomona copioſa eſt] Male in quibuſdam libris *Pomana.* Pomona eſt pomorum proventus, ut *annona* unius anni fœtus, quod de omnibus fructibus dicitur, ſed proprie, & κατ᾽ ἐξοχὴν de frugibus; ὁ σιτηρὸς ἐνιαυτὸς. Ita enim loquebantur. Sic πολυγλαγέ☉ ἐνιαυτὸς apud Aratum, de larga lactis annona. Ἡ εὐθηνία cujuſcunque rei. Ἐνετηρίαν & εὐετίαν Græci dicunt. Ex eorum vetuſto proverbio hæc loquutio manavit, ἔτος φέρει ἐχ᾽ ἄρȣρα. *Haud ſeges eſt fœcunda, ſed annus.* Cujus meminit Theophraſtus. Inde εὐετία de anno bono, & fœcundo. Metrodorus de Vaccæis: Ταύρη χθὼν βόεσς ὄνομ᾽ ἀπ᾽ εὐετίας. Sic correximus pro eo, quod erat in membranis εὐεπίας. Eandem vocem reſtituimus in loco inſigni Apuleii XI. Mileſiarum, ubi uſque adhuc lectum eſt: *indidem de ſublimi ſuggeſtu, de libro, de literis fauſta vota præfatus, principi magno, ſenatuique, & equiti, totoque Romano populo, nauticis navibus, quique ſub imperio mundi noſtratis reguntur, renuntiat ſermone, rituque Græcienſi ita,* Λαοῖς ἄφεσις. Pro his poſtremis, *ita* λαοῖς ἄφεσις: libri, quos vidimus, habent: *itaoistia.* In Florentinis notant ſcribi *λοια ἐφεσια.* Inde conjecimus legendum eſſe: *renuntiat ſermone, rituque Græcienſi,* λαοῖς εὐετία. Legi etiam poſſet εὐεσία, ἀπὸ τȣ̃ εὖ εἶναι. Idem ſignificat, εὐεςώ. Unde apud Hippocratem εὐεσίης ἐνιαυτὸς, ὁ τῆς εὐφορίας ἀπεργαςικός. Et εὐεσίη ἡ ἀγαθὴ τȣ̃ σώματ☉ ἕξις, eidem Hippocrati. Malè εὐθεσίη legitur. Nihil verius. Quod enim de ἀφέσει, & miſſione ibi putant agi, ſtrenuè nugantur. Λαοῖς εὐετία, id eſt, *bonus annus populis.* Confirmat eam unicè lectionem id, quod ſequitur, & interpretamenti vice ſubjicitur: *qua voce feliciter cunctis evenire ſignavit populi clamor inſecutus.* Ita enim ſcribendum auctoribus libris, non *quam vocem.* Ea voce Græca, hoc eſt, λαοῖς εὐετία, feliciter cunctis evenire ſignificari populi clamor inſecutus probavit. Exinde gaudio delibuti populares, verbenas, & corollas ferentes, & exoſculatis Deæ veſtigiis diſceſſerunt. Ex annona porro, ut & Pomona dearum nomina finxerunt. *Pomona* τῆς ὀπώρας θεὰ, ut *Annona* τῆς εὐθηνίας, καὶ εὐετίας. Hinc inſcriptio vetus DIVÆ ANNONÆ.

Papulis vivunt] Ποηφαγȣ̃σι.

In hiemem compercunt arborum fructus] Ita repoſuimus ex libris, qui habebant, *compergunt.* Cum ita in ſuis reperiſſet Delrius, quo acumine fuit, & εὐςοχίᾳ in talibus, ex ea fecit *congerunt.* Nec rectè antea excuſi: *in hiemem conferunt arborum fructus.* Sic ſuprà: *hoc collectaneum deparcitur.* Apud Comicum: *quod comparſit miſer.* Dicebant & *exparcere,* & *exparcinare.* Ut *intrico, intricino.* Inde noſtrum, *eſpargner.*

Certum matrimonium nulli] Poſt hæc verba ſubjiciunt libri: *Ultra Thylen pigrum & concretum, & mare.* Quæ melius hoc loco leguntur, quam quo habentur in editis. Deſcripta navigatione à Britannia ad Thulen, quæ ultra Thulen ſunt adjicit. Plinius: *a Thule unius diei navigatione mare concretum, a nonnullis Cronium appellatum.*

Pag. 31. E. *Circuitus Britanniæ quadragies octies ſeptuaginta quinque millia*] Plinius: *circuitu vero patere tricies octies centena viginti quinque millia Pytheas, & Iſidorus tradunt. Triginta prope annis jam notitiam ejus Romanis armis non ultra vicinitatem Caledoniæ ſilvæ propagantibus.* An poſteaquam magis explorata eſt, & in clariorem notitiam pervenit, circuitum ejus quadragies octies ſeptuaginta quinque millia patere inventum eſt, ut heîc So-

A linus narrat, hoc eſt, decies centenis, & quinquaginta millibus plus quam Pliniana Pytheæ dimenſione continetur? At Strabo lib. 11. ex Pytheæ relatione Britanniæ περίμετρον tradit eſſe πλειόνων τετ]άρων μυριάδων, patere plus quam quadraginta millibus ſtadiorum. Perperam vertunt, *quadraginta millibus.* Quam longe hoc à Plinii calculo, qui eumdem Pythea auctorem allegat! Τέτ]αρες μυριάδες ςαδίων ſunt quinquagies centena millia paſſuum, cum Plinius tricies octies centena viginti quinque millia numeret tantùm, hoc eſt, triginta millia ſtadiorum cum ſexcentis. Solini numerus longè propius accedit ad Pytheæ ſtadiaſmum, quam Plinii:
B nam viginti quinque & centum milliaribus minus tantum dicit. Ita quidem, ſi milliare ὀκτάςαδιον numeres, ut plerique faciunt. Ceterùm operæ pretium eſt addere, quæ ſuper hoc loco de circuitu Britanniæ commentatur incertus auctor in excerptis Solini: *circuitus Britanniæ quadragies octies* LXXV *ſunt. Si quis voluerit ipſius circuitus menſuram ſcriptam ab Julio facilius intelligere* CCCC DCCCC *es, ſive* DCCCC CCCC *es fore cognoſcat. Sed ſi alicui tardanti ingenio hæc dimenſio non ſatisfecerit, milliaria ſigna in fine ſingulorum millium, verbi cauſa milliarios lapides eſſe fingat, in quibus* XXX *lapidum, &* DC *ſimpliciter lapides fieri*
C *quis dubitabit?* Hanc ego arithmeticam non aſſequor, nec methodum capio. *Quadragies octies ſeptuaginta quinque millia,* ſunt quadragies octies centena ſeptuaginta quinque millia paſſuum. Quod ſi in fine ſingulorum millium lapides milliarios eſſe ſibi fingat aliquis, non fierent, ut auctor ille aſſerit, triginta millia lapidum, & ſexcenti lapides, ſed quatuor millia, octingenti & ſeptuaginta quinque. Tot enim milliariorum millia, cum octingentis ſeptuaginta quinque, circuitum Britanniæ juxta Solinum conſtituunt. Nihil facilius computatu. Decies centena millia paſſuum ſunt mille
D milliaria.

Opiparo exculti apparatu] Ita legendum, etſi libri plerique habeant, *exculpti.*

Nunquam caneſcunt in favillas] Scripſerat in προεκδόσει, *caſſeſcunt.* Multus in hac dictione noſter: *caſſa lignorum, caſſa ſurculorum, caſſa cinerum,* τὰ κενὰ τὰ κȣ̃φα. Inde *caſeſcere in favillas.*

Gagates hic plurimus optimuſque lapis] Lapidem Gagaten, & Gangiten, τὸν γαγάτlω, καὶ τὸν Γαγγίτlω video viros eruditiſſimos magno errore confudiſſe. Gagates dicitur ἀπὸ τῶν Γαγῶν Lyciæ urbe. Stephano: Γάγαι πόλις Λυκίας, τὸ ἐθνικὸν Γαγαῖ☉. Dioſcoridi Γάγας locus, vel
E fluvius in Lycia, ad quem hic lapis reperitur. Inde Γαγάτης dictus. Plinius lib. XXXVI. cap. XIX. *Gagates lapis nomen habet loci, & amnis Gagis Lyciæ.* At Γαγγίτης alius. Strabo lib. XVII ſcribit τlὼ Γαγγῖτιν λίθον, in Meſopotamia reperiri. Φέρει ἢ ἡ τὸν νάφθαν, καὶ τὴν Γαγγῖτιν λίθον, ἣν φεύγει τὰ ἑρπετά. Gagaten lapidem intelligunt, ſed falluntur, licet Gagates etiam fuget ſerpentes. Plinius lib. x. cap. III. *Tribus primis, & quinto generi aquilarum inædificatur nido lapis aëtites, quem aliqui dixere Gagaten, ad multa remedia utilis, nihil igne deperdens.* Lapis hic, quem cum aëtite eundem facere ali-
F quos ait Plinius, non poteſt eſſe Gagates. Libri certè omnes Plinii partim *Gagiten* ſcribunt, partim *Gagyten.* Ut inde manifeſtum ſit legi debere, *Gangiten.* Nec poteſt mihi eripi, quin cenſeam in mendo cubare verba illa, *quinto aquilarum generi inædificatur nido lapis aëtites.* Scripſerim libenter, ſi libri faverent: *generi aquilarum fœtificanti ſubditur in nido lapis aetites.* Certè non ſatis perſpicio, quo ſenſu lapis unus inædificari aquilæ nido dici queat. Legebam aliquando: *quinto aquilarum generi in fœtificatu additur nido lapis aëtites.* Verbum eſt, quo Plinius frequens utitur, *fœtificare.* Sine hoc lapide non parere aquilas alibi ſcribit idem. Lucanus:

---- *& fœta tepefacta ſub alite ſaxa.*

G De Diomedeis avibus: *Scrobes excavare roſtro, inde crate conſternere, & operire terra, quæ ante fuerit egeſta. In his fœtificare.* Ergo in fœtificatu lapidem hunc nido addunt aquilæ. Sed poſſit cuipiam videri longius à veſtigiis veteris lectionis hæc emendatio abſiſtere. Scribit Orus Apollo in Hieroglyphicis Ægyptios ſignificare volentes aliquem in tuto, ac ſtabili loco colentem, pingere aquilam, quæ lapidem pedibus geſtitet: ἐκεῖν☉ γὰρ ἀπὸ θαλάσσης ἢ ἀπὸ γῆς λίθον ἐπαίρει, καὶ τίθησιν εἰς

τlὼ

τὴν ἰδίαν νεοσσιὰν, διὰ τὸ ἀσφαλῶς μένειν. Ergo secundum hanc hieroglyphicam sententiam nido suo lapidem inædificat aquila, ut firmiter hæreat, & tutò possit in eo consistere. Si huc respexit Plinius, nihil in ejus lectione mutandum. Sed quis mihi præstare possit hanc illi mentem fuisse, & eo allusisse? Primum non video, quid firmitatis possit conferre lapis unus, & pusillus nido magno, qualis est aquilarum. Pone binos lapides in singulis nidis reperiri; nam id ex Plinio constat binos inveniri, marem & fœminam. *Nec sine his parere aquilas, & ideo binos tantum.* Hæc sunt verba Plinii, quibus manifesto colligitur hunc lapidem nido suo aquilas inferre non ad eum stabiliendum, sed ad partus facilitatem ipsis conciliandam, aut faciendum, ne abortiva pariant, & ὑπηνέμια. Inde hæc duplex virtus lapidi ipsi inesse creditur. Ὠκυτόκιος enim est, & κατόχιος τῶν ἐμβρύων. Servius aquilas nimii caloris esse dicit, adeo ut ova, quibus incubant, coquere possent, nisi lapidem aëtiten, qui frigidissimus est, admoverent. Ideo igitur admoveri. Libenter itaque in Plinio legerem: *quinto aquilarum generi innidificatur nido lapis aëtites.* Innidificatur nido, id est, imponitur, & insternitur nido, in nidificando admovetur. Verbo *nidificare* etiam alibi utitur Plinius. Inde *innidificare.* Immo etiam legi posset, & fortasse debet: *innidificatur lapis aëtites*, absque illa voce *nido*. Lapidem innidificari dicit, qui in nidificando, vel nido faciendo adhibetur. Et hoc verissimum deputo. Ex illo *innidificatur* factum ab imperitis *inædificatur*. Hunc porro lapidem *aëtiten* dictum aliqui dixere *gangiten*. Qualitatem hujus hanc notat Plinius, quod nihil igne deperdat. Id de gagate nemo prodidit, & experientia falsum docet. Non solum facile accenditur, isque optimus, qui facillimè, sed etiam igne consumitur. De gangite igitur, non de gagate sunt ista Nicandri:

Ἄλλοτε δ' ἀζαλέην καίων ἐγγαγγίδα πέτρην
Ἣν οὐδὲ κρατεροῖο πυρὸς περικαίνυται ὁρμή.

Ubi rectè quidem vetus Scholiastes ἐγγαγγίδα πέτρην τὴν γαγγίτην λίθον exponit, sed malè cum gagate confundit. Ἐν Γάγγαις γὰρ τῆς Λυκίας εὑρίσκεται. Τὰς δὲ Γάγγας πόλιν τῆς Λυκίας καὶ Γαγγίδα φασίν. Nugatur. Non Γάγγαι, sed Γάγαι urbs illa Lyciæ dicebatur. Γαγγίτης λίθος Straboni nominatur, diversa utique à gagate. Τὰ ἑρπετὰ φεύγειν dicit. Hanc eamdem illi virtutem tribuit Nicander. Nihil igne eam deperdere tradit Plinius, hoc idem asserente Nicandro, quod minime gagati convenit. Gangiten cum aëtite eumdem facere multos Plinius scribit. Hoc nec in gagaten potest quadrare. Gangites ἢ Γαγγίτης λίθος, ut ratio nominis fatetur, à Gange dictus, quod in Gangis fluminis ripis inveniatur. Aëtiten in fluminibus etiam reperiri candidum, ac rotundum Plinius memorat. Orus τὸν ἀετίτην aquilas ait sumere ἀπὸ θαλάττης, καὶ ἀπὸ γῆς. Sanè & gagaten in ostio fluminis Lycii, qua in mare devolvitur, reperiri auctores tradunt, non tamen iidem sunt γαγάτης & ἀετίτης. Atqui γαγγίτην cum aëtite quidam eumdem fecere. Forma etiam planè repugnat, nec minus color. Gagates planus, & πλακώδης, nigerque. Orpheus de gagate: χροιῇ δ' αἰθαλόεις πλατὺς οὐ μέγας. Aëtites vero rotundus, subrutilus, aut candidus. Servius de aquila: *per naturam nimii est caloris, adeo ut etiam ova, quibus superfidit, possit coquere, nisi admoveat gagaten lapidem frigidissimum.* Hoc de gagate dici non quit. Nec enim frigidus est. In membranis Fuldensibus scribitur, *Agathen.* Emendes licet, *aëtiten*, vel certè *gangiten.* Frigidissimum esse lapidem ex eo constet, quod igne vinci non potest, ut de eo canit Nicander. Quod de gagate falsissimum est. Nam & facile accenditur, atque igne statim eo redigitur, ut in pulverem teri possit. Multa utrique lapidi communia, quod fuget serpentes, odorem bituminis, dum uritur, exhalet. Vereor tamen, ne Nicander nominum similitudine deceptus τοῦ γαγγίτου, καὶ τοῦ γαγάτου, diversorum lapidum proprietates uni tribuerit. Indomitum esse ab igne, & nihil urendo deperdere proprium gangitis, cetera gagatis. Sanè Dioscorides verba Nicandri de gagate accepit, non tamen de eo scribit invictum esse ignibus, quia id notum habebat veritati repugnare. Nec Plinius in virtutibus gagatis narrandis hanc numeravit, non eam utique omissurus tam minimè omittendam. Falsus igitur Nicander, qui γαγάτην & γαγγίτην, quem ἐγγαγγίδα vocat, pro eodem accipit. Talia multa peccare illum auctorem nos alibi observamus. Sic Περσέαν & τὴν Περσικὴν μηλέαν confundit. Athenæus eum reprehendit quodam loco, quod στρουθία mala, & κυδώνια eadem esse tradiderat. Νίκανδρος δὲ ὁ Θυατειρηνὸς τὰ κυδώνια μῆλα στρούθιά φησι καλεῖσθαι ἀγνοῶν. Theon, Plutarchus, & Demetrius Phalereus, qui τὰ θηριακὰ ejus commentationibus suis illustrarant, multis eum locis reprehendebant, ut alibi ostendam. Dioscorides de gagate: γίνεται δὲ ἐν Λυκίᾳ κατά τινα ποταμοῦ εἴσρυσιν εἰς θάλασσαν ἐκχεομένου. Ἔστι δὲ πλησίον τῆς πλαγιοπόλεως. Nusquam reperio hanc πλαγιόπολιν. Omnino scribendum, τῆς παλαιοπόλεως. Notum est Græce intelligentibus Λ & Α sæpe invicem mutari in eorum scriptura. Ea urbs Lyciæ vocabatur & παλαιὸν τεῖχος. Stephanus: Γάγαι πόλις Λυκίας, ἣν καὶ παλαιὸν τεῖχος, καὶ χώραν φησὶν Ἀλέξανδρος ἐν πρώτῃ Λυκιακῶν. Sic παλαιὸν τεῖχος, & παλαιόπολις. In Lycia urbis ejusdem nomen, quæ & Γάγαι. At Dioscorides fluvium, vel locum prope Palæopolim sic vocatum scribit, ubi reperiebatur gagates. Καλεῖται δὲ ὁ τόπος, ἢ ὁ ποταμὸς Γάγας παρ' οὗ τῷ στόματι εὑρίσκονται οὗτοι οἱ λίθοι. Plinius: *Gagates lapis nomen habet loci, & amnis Gagis Lyciæ.* Scribe: *loci, aut amnis*, τόπου, ἢ ποταμοῦ. Alexander in Lyciacis χώραν etiam, vel χῶρον Lyciæ sic vocari scripserat. Legitur etiam in libris: *loci & amnis gagatis.* Quasi ὁ Γάγας Γάγατος declinetur. Addit Plinius: *ajunt & in Leucola expelli mari, atque infrà XIII stadia colligi.* Lege *Leucolla.* Straboni Λεύκολλα λιμήν. Plinio in Lycio mari insula cum oppido. Ἀρσινόη πόλις, καὶ λιμήν. Εἶτ' ἄλλος λιμὴν Λεύκολλα. Non est insula Straboni. Alibi eidem Plinio Leucolla promontorium in Pamphylia, qui potest esse portus Strabonis. Quidni etiam idem sit cum insula? Nam ita solet Plinius, prout auctorum, quos compilat, sententiæ variant, ita etiam res, quas tractat, diversè signare. Sequitur apud eum de gagate: *deprehendit sonticum morbum, & virginitatem suffitus.* Τὴν ἱερὰν νόσον, hoc est, morbum comitialem intelligit. Ita enim duodecim Tabulæ eum vocarunt. Glossæ: *sonticus morbus*, ἱερὰ νόσος. Ita etiam accepit Apulejus in Apologia: *Quod si magnum putarem caducum dejicere, quid opus carmine fuit, cum incensus gagates lapis, ut apud Physicos lego pulcrè, & facile hunc morbum exploret: cujus odore etiam in venaliciis vulgo sanitatem, aut morbum venalium experiantur.* Pulcherrimi etiam super hac re versus apud Orpheum de lapidibus, sed fœdissimè vulgo corrupti, quos sic emendo de gagate scriptos:

Καρφαλέη δ' ἴκελον πεύκῃ φλόγα δαῖαν ὀρίνει,
Ἀλλ' ὀλοὸν ποτὶ ῥῖνας ἄγει μένος, οὐδ' ὅγε φωτὸς
Λήσεται ὧν γ' ἐθέλοις ἱερὴν ἀπὸ νοῦσον ἐλέγξαι
Γνάμψει γὰρ σφέας αἶψα χαμαὶ περιπηνέας ἕλκων,
Οἱ δ' ἂρ ἀπὸ σφετέρου πεπαλαγμένοι ἀφρῷ στομίοιο
Στρωφῶντ' ἔνθα καὶ ἔνθα κυλινδόμενοι κατὰ γαῖαν.

Conferenti hæc cum vulgatis patebit, quid præstiterim.

Si decorem requiras, nigro gemmeus] Notant veteres libri alias legi, *si faciem requiras.* Ita fortassean scripserit in προεκδόσει. *Faciem* suprà pro colore posuit: *pro facie habet nomina, melleum aut falernum dicitur.* Ita & hoc loco. Sic & Græci εἶδος pro colore, ut suprà observavimus. *Gemmeum* heîc dixit pro nitido, ac lucente. Hanc in aliis scribitur, *nigro lucidus.* Quod ex glossa est, vel ex prioris editionis lectione.

Si qualitatem, nullius fere ponderis] Hæc verba desunt in omnibus fermè codicibus: & profecto desint oportet. Hoc additum à correctoribus, qui eadem officina

na & illa cuderant, quæ in aliquot editionibus habentur: *si beneficium, hydropicis illum portantibus beneficia præstat.* Qualitas propriè non spectatur in pondere. Tria heîc in lapide isto consideranda proponit: decorem, vel faciem, qua niger est, & lucidus: naturam, quæ ardet aqua, oleo restinguitur: & potestatem, qua attritu calefactus adplicita detinet. Natura, & qualitas idem. Sic infra de ceraunio lapide: *hujus ceraunii color est è pyropo, qualitas igni probatur, quem si sine detrimento sui perferat, adversum vim fulgurum creditur opitulari.* Tria & heîc in ceraunio, uti in gagate describit: colorem, vel faciem è pyropo: qualitatem, sive naturam, ignes sine sui detrimento perferentem: & potestatem adversus vim fulgurum opitulantem. Sic Græcis τὸ εἶδος, ἡ φύσις, ἡ δύναμις, ἡ φύσις est ποιότης φυσική. Plinius de gagate: *hoc dicunt, uti magi in ea, quam vocant axinomantiam, & peruri negant, si eventurum sit quod aliquis optet.* Interpretantur *axinomantiam*, cum gagates uritur super securi ardenti. Quod est ridiculum. Scribe: *in eam, quam vocant, causimomantiam.* Ἡ καυσιμομάντεια apud magos est μαντεία τῶν καυσίμων, rerum scilicet, quæ uri possunt. Si aliquid τῶν καυσίμων in ignem injectum peruri nequiret, significabat id eventurum, quod quis in votis haberet. Inter καύσιμα gagates lapis, quo maximè utebantur magi in hanc καυσιμαντίαν. Alia erat πυρομαντία.

Si naturam, aqua ardet, oleo restinguitur] Plinius: *mirumque accenditur aqua, oleo restinguitur.* Sed fallitur cum auctore suo Solinus. Nec enim de gagate, sed de Thracio lapide hoc prodidit Nicander his versibus:

Ἠὲ σύ γε Θρηΐσσαν ἐνὶ φλέξας πυρὶ λᾶαν,
Ἥ θ' ὕδατι βρεχθεῖσα σελάσσεται, ἔσβεσε δ' αὐτὴν
Τυτθὸν ὅτ' ὀδμήσηται ἐπιρρανθέντος ἐλαίου.

Idem & Dioscorides de Thracia: ἱστορεῖται δὲ ἐκκαίεσθαι μὲν αὐτὸν ὕδατι, σβέννυσθαι δὲ ὑπ' ἐλαίου, τοῦτο καὶ ἐπὶ τῆς ἀσφάλτου γίνεται. Aristoteles ἐν θαυμασίοις. Φασὶ δὲ τὸν ἐν τῇ Θρᾴκῃ λίθον τὸν καλούμενον σπῖνον διακοπέντα καίεσθαι, καὶ συντεθέντα πρὸς ἑαυτὸν, ὥσπερ τὸν μαρίλην, οὕτως κἀκεῖνον εἰς ἑαυτὸν τεθέντα καὶ ἐπιρραινόμενον ὕδατι καίεσθαι. Non dubium, quin de eodem lapide, qui Thracius vocabatur, intelligat. Ἡ μαρίλη sunt minuti carbones, qui in fornace fabri ferrarii in unum subinde adgregantur, & aqua adsperguntur, ut magis ardeant. Perperam legitur apud Philosophum τὴν σμαρίλην, quam interpretes reddunt *smarilen.* Addit Aristoteles: τὸ δὲ αὐτὸ ποιεῖν καὶ τὸν Μαλθᾶν. Lege: καὶ τὸν νάφθαν. Naphtas aqua respersus magis accenditur: similiter & bitumen. Quinimmo & Naphtan genus esse bituminis liquidi passim affirmatur. Vox μαλθᾶν prorsus vitiosa. Hic lapis tamen, quem Aristoteles σπῖνον vocari dicit, non is est, de quo legitur apud Dioscoridem, & Nicandrum; qui Θρᾳκίας vocatur. Nicandro Θρηΐσσα λίθος. Hujus Thracii lapidis meminit alio loco idem Aristoteles in Admirandis ad hunc modum: λέγεται δὲ καὶ περὶ τὴν τῶν Σιντῶν, καὶ Μαιδῶν χώραν καλουμένην τῆς Θρᾴκης ποταμὸν ἦναι Πόντον προσονομαζόμενον, ἐν ᾧ καταφέρεσθαί τινας λίθους οἳ καίονται, καὶ τοὐναντίον πάσχουσι τοῖς ἐκ τῶν ξύλων ἄνθραξι. Ῥιπιζόμενοι γὰρ σβέννυνται ταχέως. Ὕδασι δὲ ῥαινόμενοι ἀναλάμπουσι καὶ ἀνάπτουσι κάλλιον. Hic planè lapis Thracius Dioscoridis. Ὁ δὲ λεγόμενος Θρᾳκίας, γεννᾶται μὲν ἐν Σκυθίᾳ ἐν ποταμῷ τῷ λεγομένῳ Πόντῳ. Sed grave mendum in illis Dioscoridis verbis nemo adhuc animadvertit. Atqui corrigendum est: γεννᾶται μὲν ἐν Σιντίᾳ. Aristoteles: περὶ τὴν τῶν Σιντῶν, καὶ Μαιδῶν χώραν. Stephano: Σιντία πόλις Μακεδονίας πρὸς τῇ Θρᾴκῃ, οἱ οἰκοῦντες Σιντοὶ ὀξυτόνως. Immo videtur scribendum, πόλις Μαιδίας πρὸς τῇ Θρᾴκῃ. Mædi tamen illi vicini Macedoniæ. Idem: Μαιδοὶ ἔθνος Θρᾴκης πλησίον Μακεδονίας. Eorum regio Μαιδικὴ dicitur Græcis auctoribus, aliquando etiam Μηδική, sed vitiosè. In voce Σιντία refert Stephanus locum Aristotelis de lapide illo Thracio. Antigonus Carystius habet eam historiam in Admirabilibus, sed Ἀγρίους Θρᾷκας vocat, non Σιντοὺς, aut Μαιδοὺς populos illos, apud quod amnis Pontus lapides hujus generis defert: περὶ δὲ τὴν τῶν Ἀγρίων Θρᾳκῶν χώραν φησὶ ποταμὸν προσαγορευόμενον Πόντον καταφέρειν λίθους ἀνθρακώδεις, τούτους δὲ καίεσθαι μὲν, πᾶν δὲ τοὐναντίον πάσχειν τοῖς τῶν ξύλων ἀνθρακουμένοις, ὑπὸ μὲν γὰρ τῶν ῥιπίδων πνευματιζομένους σβέννυσθαι,

A τῷ δ' ὕδατι ῥαινομένους βέλτιον καίεσθαι. Ex Theophrasto hoc ita se referre profitetur. Ille igitur Ἀγρίους Θρᾷκας vocavit, quod proprium nomen est Thraciæ populi. Et malè interpres vir doctus vertit, *Agrii, id est, feri.* Hi dicebantur Ἀγρίαι, Ἀγραῖοι, Ἀγρεῖς, & Ἀγριᾶνες. Vide Stephanum in voce Ἀγρίαι, qui gentem Παιονίας esse scribit inter Hæmum, & Rhodopen. Mædi autem, & Pæones contermini. Aristoteles in Admirandis: ἐν τῇ Παιονίᾳ φασὶν ἐν τῷ ὄρει τῷ Μαρσάνῳ ὃ τὴν Παιονικὴν, καὶ τὴν Μαιδικὴν ὁρίζει. Ita lege non Μηδικὴν. Melius etiam legeretur in verbis Theophrasti apud Antigonum, Ἀγριέων Θρᾳκῶν, aut Ἀγραίων. Correximus ibidem; τοῖς τῶν ξύλων ἀνθρακουμένοις, ubi est vulgo τοῖς ἐκ τῶν ξύλων ἀνθρακουμένοις. Τὰ ἀνθρακούμενα τῶν ξύλων, ligna sunt acapna, quæ in carbones rediguntur. Πνευματίζεσθαι ὑπὸ τῶν ῥιπίδων Antigono, vel Theophrasto, quod Aristoteles unico verbo dixit ῥιπίζεσθαι, quod & flabellari, ab instrumento, quo ignis ventilatur, quod ῥιπὶς dicebatur. Hesychius: ῥιπίζεται, ἀνακαίεται. Male scribitur ἀνακλίνεται. Sic etiam vocabant tabellam, cujus motu ventulum sibi faciebant in æstu mulieres. *Tabellam* duobus locis appellat Ovidius:

Nec pudeat ventum mota fecisse tabella.

C Et alibi:

Ut faciat ventos mota tabella manu.

Ita libri. Nam vulgo edunt *flabello*, & *flabella.* Quod legi versus adversatur. Alias *flabellum* etiam vocabatur τὸ ῥιπίδιον, quæ tabella erat, vel πλέγμα aliquod, unde ῥιπίς. Veteres illi dixere lapidem Thracium aqua accendi, & flabellatione restingui, non oleo, ut recentiores. Plinius ex Dioscoride: *Calx aqua accenditur & Thracius lapis, idemque oleo restinguitur.* Immo excitatus flabello restinguitur, ῥιπιζόμενος ἢ ὑπὸ τῶν ῥιπίδων πνευματιζόμενος. Bitumen oleo restingui etiam tradiderunt. Hic lapis odorem bitumini similem reddit, cum accenditur, ὅταν δὲ δὴ καίωνται πονηρὸν ὄζουσι καὶ παραπλήσιον ἀσφάλτῳ. Sed nihil prohibet & flabellatione simul, & oleo quoque eumdem restingui. Ceterùm lapis ille alter, quem in Thracia inveniri tradit Aristoteles, qui dissectus accenditur, & rursus in se compositus, & aqua aspersus ardet carbonum instar, carbo metallicus est, & lapideus, quo hodieque fabri ferrarii in fornacibus suis utuntur. In quibusdam libris legitur, ἐν Βιθυνίᾳ τῆς Θρᾴκης ἐν τοῖς μετάλλοις γίνεσθαι. Sanè & ex metallis hodie multis locis eruitur. Σπῖνον ait vocari Aristoteles. Malim scribi σπίλον. Hesychius: σπίλος, πηλός, κηλὶς, πέτρα πωρώδης, χοιράς, γῆ κεραμική. Unde περάγωγον σπιλὰς, quæ scopulum in mari, & saxum sub fluctibus latens significat. Sed & σπίλαξ μῶλος ὁ πλατανώδης eidem Hesychio. Scribe: μῶλος, πλαταμών. Vel μῶλος ὁ πλαταμονώδης. Nam πλαταμῶνα interpretantur, τόπον μέγαν, ἢ πλατὺν ἐπιθαλάττιον, & λεωπετρίαν, & ὀλισθηρὰν πέτραν. Idem planè & σπίλαξ. At μῶλος Græcobarbaris petra, vel saxum ex Latino *moles.* Reprehendunt Jonem Grammatici veteres, quod σπῖλον Παρνασσίαν dixerit, pro rupe Parnassia, nam σπιλάδα saxum significare, non σπῖλον. Hesychius: Σπῖλον Παρνασσίαν Ἴων Ὀμφάλῃ, οὐκ εὖ, σπιλάδες γὰρ πέτραι. Idem tamen σπίλον ibidem interpretatur πέτραν, & χοιράδα: & σπίλοι, τραχεῖς τόποι. Inde apud Arrianum, vel quisquis alius est Erythræi maris peripli auctor, ταινία τραχεῖα, καὶ διάσπιλος, id est, σπίλοις, petris nimirum, saxisque asperis distincta: ἀλλ' ἐκ μὲν τῶν δεξιῶν κατ' αὐτὸ στόμα τοῦ κόλπου ταινία τραχεῖα, καὶ διάσπιλος Ἡρώνη λεγομένη. Hinc etiam σπίλος lapis ille dictus, qui in metallis Thraciis aptus accendi carbonum instar reperiebatur. Sic scribendum, non σπῖνος.

Applicita detinet æque, ut succinum] Sic reponere placuit correctoribus. Nam libri meliores omnes: *applicita detinet atque succinum.* In aliis: *adque succinum.* Fortasse scripserat Noster: *adplicita detinet ad succinum,* id est, succini modo. Sic loquitur Plinius, & post illum simius ejus. *Honore, & pretio ad smaragdos.* Et paulo ante: *succum reddit ad lactis saporem.* Et cap. 11. *Lapidi isti ad succinum color est, & spiritu pariter attrahit propinquantia.* Verius tamen legi, *atque*, eo sensu, quo & Plinius de bromo: *semen utile ad cataplasmata,*

plasmata, atque hordeum. Dioscorides: τὸ σπέρμα χρήσιμον εἰς καταπλάσματα, ὡς ἡ κριθή. Auctor Priapejorum.

Quæ succo caret atque petra pumex.

At, quod heic tradit idem de gagate, æquè quam succinum, si calefaciatur attritu, applicita trahere falsum prorsus est, nec Dioscoridi, nec Plinio proditum, sed & experientia contrarium probatur.

Pag. 31. F. *Quibus per artifices plagarum figuras*] In quibusdam libris: *quibus per artifices, plagarum figuris jam inde à pueris varia animalium effigies incorporantur.* Sed non illi optimi. *Artifices figuræ*, arte factæ. Sic infrà: *artifex plagæ temperamentum.* Sic artifex vultus Persio:

Artificemque tuo duxti sub pollice vultum.

Et *artifex nodus*, artificio factus Macrobio. Apud Ennodium *artifex* sæpe hoc sensu positum reperitur.

Inscriptisque visceribus] Στίζεσθαι eos indicat. Plinius lib. XXII. cap. I. *Mares etiam apud Dacos, & Sarmatas corpora sua inscribunt*, στίζονται. Inde *inscripti*, οἱ στιγματίαι.

Quatuor inscripti portabant vile cadaver.

Et apud Satyricum *inscripta ergastula.* Et apud Plinium *inscripta gagate fictilia*, ἐστιγμένα τῷ γαγάτῃ, γαγατόστικτα, ut χρυσόστικτα, quæ & χρυσόγραφα dicebantur. Unde *chrysographata scuta* apud Lampridium. *Fictilia ex eo inscripta non delentur.* Perperam corrigunt, *insculpta.*

Pigmenti notæ crescunt] Pigmentum illud è vitro herba, quæ cæruleum colorem efficit. Viris doctis vixdum persuadere quitus est Turnebus, ita scribendum esse in Cæsare, ac Pomponio Mela. Cæsar: *Omnes se Britanni vitro inficiunt, quod efficit cæruleum colorem.* Qui *luteo* reponunt, contrà omnium librorum lectionem eunt, & contra ipsius Cæsaris mentem. Quomodo enim luteum potest efficere cæruleum colorem? Hoc solus aliquis Cercoëtius affirmaverit. Sanè hoc verum fuerit, si luteus, & cæruleus color idem sint. Qui *glasto* rescripsere, & qui retinuere, æquè falsi. Supposititia hæc vox, & nihili, quam hausere è quodam Plinii loco, qui impuro glossamento inquinatus est. Ita enim vulgo scribitur de lactucis silvestribus: *tertium genus est in silvis nascens, Isatin vocant. Hujus folia trita cum polenta vulneribus prosunt. Quarto infectores lanarum utuntur, quod glastum vocant.* Hæ voces, *quod glastum vocant*, in nullis codicibus apparent. Apulejus, cujus librum habemus de remediis herbarum salutaribus, totum ex Plinio compilatum, & Plinianis verbis contextum, nec illa verba agnoscit capite de lactuca: *alterum genus est, quod Græci Cesapum. Tertium* Ἴσατιν *vocant. Quarto infectores lanarum utuntur. Id lapatho silvestri simile est.* Ad ea igitur Plinii, *quarto infectores lanarum utuntur*, aliquis adscripserat in margine studiosus, *quod guastum vocant*, vel *guasdum.* Ex altero nimirum Plinii loco, ubi *guastum* in Gallia vocari dicit, quo Britannorum conjuges corpora sua inficiebant. Atqui illud est Latinorum *vitrum*, & Græcorum ἴσατις. Plinius lib. XXII. cap. I. *Simile plantagini guastum in Gallia vocatur, quo Britannorum conjuges, nurusque toto corpore oblitæ, quibusdam in sacris, & nudæ incedunt.* Ita scribendum in verbis Plinii esse, non *glastum*, ut vulgo extat, satis ostendit nomen, quo hodieque hæc herba vocatur, *guesdum.* Quod ex illo antiquo vocabulo Gallorum leviter tantum deflexum est, & immutatum. Isatim esse sativam, qua infectores lanarum utebantur, vero verius est. Plinius *guastum* plantagini simile esse dicit. Dioscorides: ἴσατις ἥμερος, ᾗ οἱ βαφεῖς χρῶνται, φύλλον ἔχει ἀρνογλώσσῳ ἐμφερές. At lib. XX. cap. VII. Isatim, qua infectores utuntur similem esse ait lapatho silvestri, nisi quod folia plura habeat, & nigriora. Silvestre lapathum, τὸ ἄγριον λάπαθον, τῷ ἀρνογλώσσῳ παρόμοιον, scribit esse Dioscorides. Cetero falsum est, quod ibi scribitur, infectores lanarum vocare illud genus *guastum*, quæ vox erat Gallica. Sic ἴσατις, & *vitrum*, Gallorumque *guastum*, quæ nunc *guesdum*, vel *pastellum*, eadem herba. De *glasto* nugæ, quo nomine etiam vitrum Germanis vocari argutantur. Igitur, quæ Græcis ἴσατις, Latinis *vitrum.* Et *vitrum* quidem eam herbam videntur vocasse Latini, quod vitreo colore tinguat. Græcis *hyalinus* color, id est, vitreus pro cæruleo. Hinc helxine *vitrago* appellata, quasi quæ vitro herbæ similis esset, vel simili virtute prædita. Ita à Romanis vocari tradit Oribasius. Alii tamen *vitrariam*, & *vitreolam* vocant, quia apta sit abstergendis vitreis vasis. Hæc etiam *urceolaris* dicta ab eadem ratione. De qua plura nos diximus in præexercitatione in Plinium. Arabes Isatidem vocant *Nil*, ut ibidem dicam. Dioscorides: ἴσατις ἣ βαφεῖς χρῶνται. Additiția Dioscoridis à Romanis ἐξ῀ζον vocari scribunt. Scribendum fortasse ὕιτρον. Et falluntur, qui λοῦτον corrigunt. Nam *lutum*, & *isatis*, sive *vitrum* diversæ sunt herbæ. Hæc cæruleo colore inficit, illa luteo. Similiter emendandus Apulejus. *Græci*, inquit, *isatim: Prophetæ apision: Latini alutam appellavere.* An legendum,

B *Latini vitrum appellavere?* Scriptum erat *ultrum*, inde *ultum*, & *alutam* corrupta. In alia tamen sum sententia, quia vetustissimus liber *alutam* retinet, & magis ad hanc scripturam accedit lectio additamentorum Dioscoridis, ἐξ῀ζον, quam potius ex Apulejo censeo corrigendam in ἀλοῦτον. Quare ita sentiam, nunc aperiendum. Aliena vox est, & mutuò aliunde sumpta, qua Latini Græcorum ἴσατιν appellavere. *Vitrum* siquidem dixere, quia colorem facit vitri in tinctorum cortinis. Similiter & *alutam* videntur alii vocitasse, quod alutæ colore inficeret. *Aluta* idem est, quod alumen. Glossæ: *aluta*, συπτηρία. Vide, quæ infrà notamus.

C Duplex genus aluminis ad tingendas lanas, candidum & nigrum. *Inficiendis claro colore lanis candidum, liquidumque utilissimum, contraque fuscis, aut obscuris nigrum.* Verba sunt Plinii. Ergo fusco, & obscuro colore nigrum alumen tingebat, sive nigra aluta. Inde *isatim* hoc nomine quoque appellaverunt, quod cæruleo, & nigro colore tinguat. Nam cæruleus color ad fuscum, & obscurum inclinat. Et Græci κυάνεον interpretantur μέλαν. Plinius scribit Britannorum conjuges, nurusque gasti herbæ tinctura, qua corpora sua oblinunt, imitari colorem Æthiopum. Atqui *gastum*

D Galli vocabant, quod Romani *vitrum*, Græci ἴσατιν. Pari de causa etiam *alutam* dixere, qua & vitrum. Quæ vox multis auctorum locis depravata reperitur librariorum ignorantia. Mela: *Britanni incertum ob decorem, an quid aliud, ultro corpora infecti.* Ita libri omnes pro *vitro*, quæ est verissima lectio. Plinius lib. XXXV. cap. VI. *Qui adulterant, vero Indico stercora columbina, aut cretam Selinusiam, vel annulariam ultro inficiunt.* Legendum: *qui adulterant, vero Indico tinguunt stercora columbina, aut cretam Selinusiam, vel annulariam vitro inficiunt.* Illud *tinguunt* ex libris addidimus, qui omnes *ultro* vitiosè scribunt pro *vitro.* Creta Selinusia, vel an-

E nularia vitro infecta Indicum imitabatur, cujus color κυανοειδής. Vitruvius: *Item qui propter inopiam coloris Indici cretam Selinusiam, aut annulariam, vitrumque, quod Græci ἴσατιν appellant, inficientes, imitationem faciunt Indici coloris.* Hæc sunt corruptissima. Libri scribunt, *ultroque*, & *Issalim.* Scribendum, quod etiam vidit Turnebus: *cretam Selinusiam vitro, quod Græci ἴσατιν appellant, inficientes, imitationem faciunt Indici coloris.* Nec enim vitrum inficiunt, sed cretam Selinusiam vitro tinguunt, ut imitatio sit coloris Indici, qui cæruleus est. *Indicum* inquit Plinius, *quum teritur, nigrum, at in diluendo mixturam purpuræ, cærulique mirabilem reddit.* At

F in terendo simul etiam diluunt. Libri habent partim *cernatur*, partim *secernitur.* Omnino legendum *cernitur*, aut *succernitur.* Dicit *Indicum ex India venire, harundinum spuma adhærescente limo, cum cernitur, nigrum.* Terebatur, & cernebatur, hoc est, cribro succernebatur, priusquam dilueretur. Hoc *cernere* etiam dicebant. Vitruvius de sandaraca: *sunt loci, unde effoditur parata, quam nec molere, nec cernere opus est, sed sic est subtilis, quemadmodum si qua est manu contusa, & subcreta.* Glossæ: *cerniculum*, σύγκλεισις. Cum cernitur, nigrum apparet, at cum diluitur, mirabilem mixturam præfert

G cœruli, & purpuræ. Ab hoc Indico Plinius aliud Indicum recenset inter atramentorum genera, quod inexploratæ sibi inventionis esse fatetur. Ita enim de atramentis: *apportatur & Indicum ex India, inexploratæ adhuc inventionis mihi.* Hoc Indicum atramentum perperam viri docti confundunt cum Indico, cujus paulo infra meminit, post purpurissi mentionem. Nec enim hæc Plinii sententia. Sed Plinius sanè hallucinatus est, qui, cum apud auctorem aliquem legisset, Ἰνδικὸν μέλαν appellari,

appellari, quod alii ſimpliciter Ἰνδικὸν dicerent, putavit genus eſſe diverſum, & Indicum atramentum ſomniavit. Et rectè quidem inexploratum ſibi eſſe dicit: quomodo enim exploraſſet, quod nuſquam eſt? Sic alibi cum λευκογραφίδα inter herbas retuliſſet, quæ lapis eſt, mirari ſe dixit, quod de ea herba nihil apud auctores reperiſſet. Ἰνδικὸν μέλαν veterum aliquis appellavit, quod ceteri abſolutè Ἰνδικὸν. Et hoc propriè de vero Indico, quod eſſe ἔκβρασμα harundinum Indicarum auctores produnt, quaſi ebullitionem dicas. Plinius *ſpumam* vertit *adhæreſcente limo*. Minus fortaſſe rectè. Spuma eſt ἐπανθισμὸς, aliud quam ἔκβρασμα. Ut ut eſt, illud Indicum colore nigrum erat, & atramento ferè ſimile, præcipuè, cum terebatur, ac ſuccernebatur, priuſquam dilueretur. Hinc Ἰνδικὸν μέλαν quidam appellarunt, quod idem prorſus eſt cum Indico ſic abſolutè dicto. Auctor Peripli Erythræi μέλαν Ἰνδικὸν vocat, quod de Indico hoc intelligendum. Item Zoſimus Panopolitanus & μέλαν Ἰνδικὸν jungit cum iſatide, in tinctura hyacinthi gemmæ, ut infra dicam. Paulus Ægineta Ἰνδικὸν μέλαν appellat, quod Dioſcoridi ſimpliciter Ἰνδικὸν dicitur. Nam in mentione Ἰνδικοῦ μέλανος citat Dioſcoridem auctorem, qui Ἰνδικὸν nominavit. Arabes hoc Indicum vocant *Nir*, vel *Nil*. Quod vocabulum videtur eſſe factum ex Latino *Nigrum*. Sic ex *Jocale*, vel *Jocarium* fecerunt *Jobor* pro gemma. Antiqui noſtrates dicebant *Ner* pro nigro. Quod hodie ſcribimus *Noir*. Color Indici cæruleus obſcurus, quod & Græci μέλαν dicunt. Ut ἴον μέλαν, κρίνον μέλαν, μελαίνη ὑάκινθος, μέλαν θύμων. Gloſſæ Heſychii, κυάνεον, μέλαν. Inde & μέλαν Ἰνδικὸν. Quod Arabibus *Nir*, vel *Nil*. Ex herba ſimili iſatidi parari hodie Indicum apud Indos compertum eſt. Antiqui rationem, quomodo fieret, ignorarunt. De quo infra. *Alterum genus ejus eſt in purpurariis officinis innatans cortinis, & eſt purpuræ ſpuma.* Βαφικὸν appellat Dioſcorides, apud quem ſic legendum eſt: τὸ δὲ βαφικόν ἐστιν ἐπανθισμὸς πορφύρας ἐπιπωρούμενος τοῖς χαλκίοις. Malè ſcribitur, ἐπανθισμὸς πορφυροῦς ἀπηωρημένος. Inepte etiam ſcribitur in lemmate, περὶ Ἰνδικοῦ λίθου. Nec melius interpretes, qui lapidem eſſe volunt ex duobus Indici generibus; neutrum lapis eſt. Hoc alterum genus, quod ἐπανθισμὸς eſt πορφύρας ex purpurariis officinis ſumptum, *purpuriſſum* etiam liceat vocare. Diſtinguit tamen Plinius *purpuriſſum* ab utroque genere Indici. Vox Græca eſt, vel ex Græca, τὸ πορφυρίζον, Latinè *purpuriſſum*, ut ὄβρυζον, *obruſſum*. Purpuriſſum ita deſcribit: *è reliquis coloribus, quos a dominis dari diximus, propter magnitudinem pretii, ante omnes eſt purpuriſſum. Creta argentaria cum purpuris pariter tingitur, bibitque eum colorem celerius lanis.* Ita diſtinguendum. Male interpungunt, leguntque vulgo: *ante omnes eſt purpuriſſum è creta argentaria. Cum purpuris pariter tingitur.* Creta igitur argentaria tincta cum purpuris *purpuriſſum* faciebat, τὸ πορφυρίζον χρῶμα. Huic auctoritate proximum Indicum, quod creta quoque Selinuſia, vel annularia vitro infecta imitabatur. Sic herba lutea cærulum inficientes τὸν κυανὸν chryſocollam imitabantur, quæ viridiſſimi coloris erat. Idem Vitruvius eodem capite: *Item qui non poſſunt Chryſocolla propter caritatem uti herba, quæ lutum appellatur, cærulum inficiunt, & utuntur viridiſſimo colore.* Ita ſcribendum vulgo: *quæ luteum appellatur.* Sic etiam in Plinio corrigendum lib. XXXIII. cap. V de chryſocolla: *luteam appellant à luto herba dictam, quam ipſam cærulo ſubtritam pro chryſocolla inducunt.* In editis eſt, *a lutea herba.* Sed libri ſcribunt *lotam*, alii *loton*. Virgilius de herba intellexit, cum cecinit:

---- jam croceo mutabit vellera luto
Sponte ſua ſandyx paſcentes veſtiet agnos.

Ut croceum *lutum* herba eſt, ita & ſandyx. De quo nos alibi. Ab herba igitur luto, color luteus. Vox *lutum* ex Græco λευκὸν, *leutum* & *lutum*. Sic κάλχα, *caltha*. Λευκέτια Græcis, *Lutetia*. Λευκὸν apud Græcos primigenia ſua notione ſignificat τὸ λαμπρὸν à verbo λεύσσω, quod eſt, video. Quia color albus è longinquo videtur, & multa luce ſplendet, hinc λευκὸν appellaverunt, ut Latini *candidum*, quod candeat. Sic γλαυκὸν à γλαύσσω: quod etiam, ἀντὶ τοῦ λαμπροῦ, καὶ λευκοῦ poſuerunt. Heſychius: γλαυκὸς, λευκός: γλαυκή, λευκή: & γλαυκόν, λαμπρόν. Nam & γλαύσσειν, λάμπειν, φαίνειν ſignificat. Ita & Græci τὸ λαμπρὸν non ſolum de candido, ſed etiam de igneo, & purpureo colore uſurpant. Et λευκὸν τὸ λαμπρὸν idem Heſychius exponit. Λευκά, φαιδρά, λαμπρά. Colorem omnem eximiè ſplendentem λευκὸν appellare fas ſit. Inde eſt quod poëtæ, quia purpura inter colores eximiè ſplendet, ac floret, *purpurea* etiam vocaverunt, quæ eximii ſunt candoris inter albicantia, ut *purpuream nivem*, *purpureos olores*, & ſimilia. Antiqui Latini ex Græco λευκὸν *lutum* fecerunt, & colorem non parvi fulgoris ſic appellarunt, quem Græci μήλινον. Herbam ſanè eo propriè nomine appellarunt, quia ejuſmodi eſſet coloris. Nec porro mirum eſt vocem è Græco traductam aliter uſurpaſſe Latinos, quam Græci ipſi ſolent. Hoc in ſexcentis aliis fecerunt. Græci ξυστὸν aliter appellant, aliter Latini *xyſtum*. Aliud eſt nucis genus Græcis Διὸς βάλανος, & Latinis *juglans*, & ſimilia, quæ alibi obſervamus. Γλαυκὸν porro, quod Græcis idem ſignificat ac λευκὸν, iidem Græci de colore cæruleo uſurparunt, multa luce perfuſo. Ita & λευκὸν fortaſſean quidam dixerint de colore rufo dilutiore, ac lucidiore. Certè Latini ipſi vocem *lutum* è Græca formarunt, qua id genus coloris exprimerent. Junius Philargyrus: *Glaucus cæruleus color eſt, id eſt, ſubviridis albo mixtus, & quaſi clarus.* Optimè. Nam γλαυκὸς propriè Græcis idem, quod λευκός, φαιδρὸς, λαμπρός. Servius: *Glauci ſunt felineis, id eſt, quodam ſplendore perfuſis, nam glaucum veteres dicebant album.* Sic luteus color eſt rufus albo mixtus, & quaſi clarus à *luto*, quod eſt λευκόν. Hoc indubitate verum eſt. Agellius: *Luteus color eſt rufus dilucidior, unde ejus quoque nomen factum videtur.* Legendum: *color eſt rufus dilutior.* Quod patet ex originatione. Nam luteum dici vult, quaſi dilutum. Scriptum fuit more antiquo, ſed vitioſo librariorum, *dilucior*: unde *dilucidior* fecerunt. Sic *elucius* apud Horatium:

---- irriguo nihil eſt elucius horto.

Ita enim veteres libri. In qua voce exponenda, neſcio quid, pervorsè argutantur doctiſſimi viri, quum ſcriptum id ſit pro *elutius*. Græci, ut dixi, μήλινον vocant, quem Latini *luteum*. Gloſſæ: *luteum*, μήλινον χρῶμα. *Luteus*, μήλινος. Ita ſcribendum. *Gilvum* aliter dici docti cenſent, quia legunt apud Servium, Gilvum eſſe melinum colorem. Ex eo Iſidorus: *Gilvus melinus color eſt ſubalbidus.* Color hic eſſet, quem vulgo *Iſabellum* vocamus. Nam de equis loquuntur. Aliter Gloſſæ *gilvum* exponunt σποδιαῖον. *Gilvus*, σποδιαῖος. Talis eſt aſinorum color. Simonides:

Τὴν δ' ἐκ τε σποδιῆς καὶ παλιντριβέος ὄνου.

Ἡ σποδιὴ ὄνος, quæ coloris eſt cinericei & gilvi. Qui color in equis deterrimus etiamnunc habetur. Virgilius:

---- color deterrimus albis
Et gilvo

Iſidorus: *Doſinus autem dictus, quod ſit color ejus de aſino. Idem & cinereus.* Loquitur de equis. Heſychius: Γαλονὶς, χρῶμα ἵππων ὀνοειδὲς. At Servius, qui gilvum melinum eſſe ſcribit, ſine dubio eum colorem confundit cum *helvo*, qui eſt inter rufum, & album. Vide Feſtum. Hæc enim nota eſt coloris lutei, vel melini, ex albo, & rufo mixti. Unde τὸ κροκῶδες *helvaceum* vertit Plinius. Et *lutea aurora* Poëtæ ἡ κροκόπεπλος, & *croceum lutum*, τὸ κροκῶδες. *Gilvus* igitur color, & *helvus* inter ſe multum differunt, quos ille Grammaticus perperam confundit. Perſuaſum porro viris eruditis omnibus melinum colorem, qui luteus eſt, à Melino pigmento dici, quod in Melo inſula effodiebatur. Nemo non hactenus id credidit. Falſi omnes. Quomodo enim μήλινος, ſive luteus color à Melino, quod erat album, ſive candidum? Plinius lib. XXXV. cap. VII de antiquis pictoribus: *quatuor coloribus ſolis immortalia illa opera fecere, ex albis Melino, ex ſilaceis Attico, ex rubris Sinopide Pontica, ex nigris atramento.* Si album melinum, non ex eo nomen habere potuit color μήλινος, qui luteus eſt. Notum quippe lippis, ac tonſoribus etiam, non fortaſſe Cercoëtio, qui ad colores cæcus eſt, album à luteo diverſum eſſe. Idem Plinius cap. VI. *Melinum candidum, & ipſum eſt optimum in Melo inſula. In Samo naſcitur: ſed eo non utuntur pictores propter pinguitudinem.* Vide interim, ac nota tibi hallucinationem Plinii. Locum illum debet Theophraſto,

sto, à quo accepit. Non ille dicit Melinum etiam in Samo nasci, sed varia terræ genera, quæ in Asiæ insulis reperiebantur, percensens, tres aut quatuor numerat, quæ nativæ essent, & aliquem usum ad vitam adferrent. Ἀι δ᾽ αὐτοφυεῖς, inquit, καὶ ἅμα τῷ πλείστῳ τὸ χρήσιμον ἔχουσαι σχεδὸν τρεῖς εἰσὶν ἢ τέτταρες· Ἡ τε Μηλιὰς καὶ ἡ Κιμωλία, καὶ ἡ Σαμία, καὶ ἡ Τυμφαϊκὴ τετάρτη παρὰ ταύτας, ἡ γύψος. Sic lego. Ex his quatuor generibus ait pictores Melina uti tantùm, non etiam Samia, quia nimis esset pinguis: χρῶνται γὰρ οἱ γραφεῖς τῇ Μηλιάδι μόνον, τῇ Σαμίᾳ δ᾽ οὔ, καίπερ οὔσῃ καλῇ διὰ τὸ λίπος ἔχειν, καὶ πυκνότητα καὶ λειότητα. Ita legendum, τῇ Μηλιάδι μόνον, non, ut editur, τῇ Μηλίᾳ δὴ μόνον. Μηλιάδα alibi vocat passim hanc terram, ut & Hippocrates. Non ex his colligi potest, quod adstruit Plinius, Melinum etiam in Samo nasci. Alias etiam dici posset, & in Cimolo, & apud Tymphæos Melinum reperiri, quod absurdum est. Varia terræ genera sunt, Samia, & Melia, ut & Cimolia, & Tymphaïca, & Eretria, ac reliquæ similes. Eadem quippe Samia est illa Theophrasti cum ea, quam alibi ex Dioscoride describit, & cujus duo genera facit, collyrion & asterem. Propter pinguitudinem ea pictores non utebantur. Τὸ γὰρ ἀραιὸν, καὶ ἠρέμα τραχῶδες καὶ ἄλιπες ἐπὶ τῆς γραφῆς ἁρμόττει μόνον, ὅπερ ἡ Μηλιὰς ἔχει. Ideo usus ejus erat pictoribus. At Samia ἔγχυλος, & pinguis. Dioscorides de Samia inter alia probandam dicit, τὴν ἔγχυλον, καὶ μαλακὴν, καὶ ψαθυρὴν, οἵα ἐστὶν ἣν ἔνιοι κολλύριον καλοῦσι. Ita quippe scribendum. Id est, *pinguem, sive succosam, & mollem.* Vulgo edunt, εὔχυλον, & *boni succi* interpretantur. Legendum statim apud Theophrastum: ἐν τῷ Φαρίῳ εἰσὶ καὶ ἐν τῇ Μήλῳ, καὶ ἐν τῇ Σάμῳ διαφοραὶ τῆς γῆς πλείους. Diversæ igitur terræ Samia, & Melina, nec Melinum in Samo effoditur, ut placet Plinio, non sanè magis, quam Melia in Samo. Non idem etiam color utriusque. Melinum Plinius candidum esse vult, at Dioscorides cinereum. Ἡ γὰρ Μηλία τὴν μὲν χρόαν καὶ αὐτή ἐστιν ἐμφερὴς Ἐρετριάδι τῇ σποδοειδεῖ, ἔντραχυς δὲ κνμή. Nam optima Eretria τῇ χροίᾳ σποδίζει: altera est candida. Inde est fortasse, quod Servius gilvum, qui cinereus est, *Melinum* interpretatur à Meliæ terræ colore. Sed non dubium est, quin gilvum pro helvo acceperit. Samia vero candida. Nihil prohibet & fuisse Meliam candidam. Nam & plures fuisse terræ differentias, ἐν τῇ Μήλῳ, καὶ ἐν τῇ Σάμῳ tradit Theophrastus. Candidam fuisse oportet, qua usi pictores, qui quatuor tantum coloribus opera sua absolvebant. Sic & candida fuit, & cinerea, licet σποδοειδῆ tantum agnoscat Dioscorides, & Plinius duntaxat candidam. Samiam quoque tum cineream, tum candidam puto fuisse, quod enim alterum genus ejus κολλύριον vocatum annotat Dioscorides, & ex eo Plinius, ad colorem cinereum hoc cognomen referri fortasse possit. Plinius ita dictam videtur existimasse, quod oculorum medicamentis misceretur, quæ κολλύρια vulgo appellant. De utroque Samiæ genere hoc dixit; *emplastris, quæ siccandi causa componuntur; oculorum quoque medicamentis miscentur.* De neutra hoc prodidit Dioscorides, sed de lapide Samio, qui in illa terra reperitur, quem tradit efficacem esse πρὸς τὰ ἐν ὀφθαλμοῖς ῥεύματα; collyriis non miscebatur. Et sanè terram Samiam medicamentis oculorum misceri non aliunde expiscatus est, quam ex illo cognomine κολλύριον. Ita enim apud eum scribendum ex veteri codice: *Samiæ duæ sunt, quæ collyrion, & quæ aster appellatur.* Quæ aster vocabatur, candidam fuisse dicit. Altera æquè a colore cinereo κολλύριον. Hesychius: κολλύρα, θερμοσποδίας ἐπὶ τῶν ἐκ τέφρας πεπλασμένων. Panis genus κολλύραν dixere, quod in cinere coquebatur, atque inde cineribus sordidum. Certè genus avis κολλυρίων à cinereo colore nomen invenisse planè videtur, licet hoc non dicat Aristoteles. Κολλύρια quoque oculorum medicamenta inde appellationem sortita sunt, quæ ex spodio fiebant. Unde & ἀντισπόδια. Quid sit σποδὸς, & ἀντίσποδον Plinius, & Dioscorides te docebunt. Hæc oculorum medicamenta propriè κολλύρια. Postea quælibet etiam sic appellata sunt. At propriè sic vocata, quæ σποδὸς, & τέφρα, quæ ex cinere essent, & coloris cinerei. Alia sunt in medicina τὰ κολλύρια. Quæ perperam tamen eruditissimi medici confundunt, qui insignis error est. Τὸ κολλύριον est medicamentum rotundum, & oblongum, & altera parte crassius. Oribasius muris caudæ truncatæ id comparat. Inde nomen κόλουρον, cui cauda curta est, à quo κολλύριον. Ut fistulis immitti possent, & naribus, aliisque συριγγώδεσιν, ea forma fiebant, & longe distant ἀπὸ τῶν κολλυρίων. Hinc *coluria* apud Sidonium pro semicolumniis, ab una parte in acumen desinentibus lib. II. epist. II. *Ab ortu lacum porticus intuetur, magis rotundatis fulta coluriis, quam columnis invidiosa volubilibus.* Male editum est, *collyriis.* Et multis locis hæc vox similiter corrupta est apud Græcos, Latinosque scriptores. De quo nos alibi latius. Perperam igitur κολλύρια, & κολλύρια pro eodem accipiunt. Verùm, ut absolvam tandem μήλινον χρῶμα, quod est Latine *luteum*, mutuari nomen non potuit à terra Melia, sive Melino pigmento, vel candido, vel cinereo. A colore malorum appellationem itaque sumpsit, ἀπὸ τῶν μήλων, qualem nempe habent mala matura, quæ à sole rubescunt, & colorem rutilum, sed pallidum induunt. Inde μήλινος ἀχάτης, qui μήλων χροιὰν habet Orphæo, & τὸ μηλίζον χρῶμα Dioscoridi. Græci μηλοειδὲς χρῶμα vocant, & μήλοψ. Hesychius: μήλοπα, μηλοειδῆ τῷ χρώματι, τοιοῦτος γὰρ ἐστιν ὁ πυρός. Idem: μήλοπα καρπὸν, τὸν πυρὸν, ὅτι μηλοειδής. Frumentum ita vocari notant à colore melino. Quem colorem Græci etiam vocent σιτόχρουν, qui *helvus* est. Unde *helvolæ uvæ*, κιῤῥοί. Boum esse colorem inter album, & rufum notat Festus. Inde boves hujusmodi *frumenteos*, aut *frumentinos* bubulci nostri vocant, coloris helvacei, vel melini. Hæc notanda fuere, ut sciretur, quid intersit inter vitreum colorem, & luteum, sive μήλινον: tantum sane quantum inter lutum, vel luteam herbam, & vitrum, quæ est isatis. Nam luteus color à luto, ὁ μήλινος: ut vitreus idem, qui & cæruleus à vitro, vel isatide herba. Græci ἰσατῶδες hunc colorem vocant, quem Latini vitreum. Medici Græci de urinis: καὶ χλωρὸν ὅποιον τὸ πράσινον ὑφ᾽ ᾧ ἐστὶ τὸ ἰῶδες, τὸ σμαραγδίζον, καὶ τὸ ἰσατῶδες. Πράσινα γὰρ ταῦτα ὑφειμένα τοῦ χρώματος. Ἰσατῶδες ibi species est viridis coloris, quæ prasino subest, ab herba ipsa, quæ insigni virore est prædita: ut πράσινον ἀπὸ τοῦ πράσου, & ποῶδες ἀπὸ τῆς πόας, *viride herbaceum. Vitreum* quoque propriè viride est, non cæruleum, tam ab herba vitro, quam ab illa specie, qua constant vasa. Sed succus ipse herbæ vitri, vel isatidis, qua vestes tinguuntur, cæruleum efficit colorem, sic vitreus ab herba vitro tam viridis, quam cæruleus color dici potest. Apud Capitolinum, ubi mentio *prasini*, *vitrei*, & *veneti* coloris, quasi diversorum, vitreus pro viridi debet accipi remissiore, & clariore, τὸ ἰσατῶδες, vel τὸ ὑάλινον, at vitro tinctas vestes, vel infecta corpora de cæruleo obscuriore par est interpretari. Nec enim aliter tingit, aut inficit vitrum, sive isatis. Sed hæc discrimina passim negligunt auctores, qui omnia confundunt. Quærendum porro, cur Plinius isatim, qua tinctores utuntur, retulerit inter genera lactucarum silvestrium, ac sponte nascentium. Nam isatis illa tinctoria non sponte nascitur, ut ea, quæ dicitur ἀγρία, sed sativa est. Ita enim scribit: *quarto tinctores lanarum utuntur. Similis est lapatho silvestri foliis.* In Indice *Lactucam silvaticam* vocat. Sic habet: *Lactuca Caprina, Cesapo, isati, Lactuca silvatica, Hieracia.* Ubi lactuca silvatica est, quam in ipso capite generi quarto adscribit, quo infectores utuntur. Atqui, ut dixi, ea isatis sativa est Dioscoridis. Ἴσατις ἥμερος ᾗ οἱ βαφεῖς χρῶνται. At *isatim* idem Plinius vocandam tantum censet, quæ agrestis est. *Tertium genus est*, inquit, *in silvis nascens, isatim vocant.* Ex eo Apulejus: *Tertium genus isatim vocant.* Quasi genus illud quartum, quo utuntur lanarum infectores, nomen isatis non habeat, immo & quasi silvestris sit, quasique lactucæ aliquid habeat comparandum. Silvestri lapatho folia habere similia dicit, nisi plura haberet, & nigriora. Dioscorides isatidis sativæ, qua utuntur infectores, folia esse scribit ἀρνογλώσσῳ similia. Ipse quoque Plinius *gastum*, vel *glastum* Gallorum, quo Britannorum mulieres corpora inficiebant cæruleo, vel Æthiopico colore, foliis simile facit

cit plantagini. Et ſanè idem eſt illud guaſtum cum iſatide ſativa infectorum. Atque, ut ſcias vetus illud nomen eſſe, Germani etiam hodieque ſic vocant, non tantum Galli. An igitur ab iis diverſum quartum hoc genus lactucæ ſilvaticæ, quo infectores uti docet Plinius, & cui folium ſimile agreſti lapatho tribuit? Nequaquam. Lapathum ſilveſtre ſimile eſſe plantagini ſcribunt auctores herbarii. Dioſcorides: τρίτον ἐστὶν ἄγριον μικρὸν, παρόμοιον ἀρνογλώσσῳ. Eadem igitur illa lactuca ſilvatica Pliniana, qua infectores utuntur cum iſatide. In auctorem ille incidit, qui genus quoddam eſſe lactucæ ſilveſtris tradebat, quo ad inficiendas veſtes uterentur tinctores. De ſilveſtri iſatide ille auctor ſine dubio intelligebat, quæ ſativæ per omnia ſimilis eſt, niſi quod folia habeat longè majora, & ad inſtar lactucæ, cum ſativæ plantaginem magis referant. Dioſcorides: Ἴσατις ἀγρία παραπλήσιος οὔσα ἢ βαφεῖς χρῶνται· φύλλα ἔχει μείζονα πρὸς τὰ τῆς θριδακος. Hinc Plinius, qui ex diverſis ſcriptoribus opus compilavit, cum in Adverſaria ſua utriuſque auctoris locos retuliſſet, tum ſilveſtrem illam lactucam illius auctoris, tum iſatim ſilveſtrem Dioſcoridis quaſi diverſas in numero lactucarum agreſtium, & ſponte naſcentium repoſuit. Atqui lactuca illa agreſtis, qua tinctores utuntur, eadem cum iſatide ſilveſtri, quam cum iſatide ſativa confuderat, ut apparet, auctor ille aliquis. Talium hallucinationum plenus eſt Plinius. Sed quodnam illud ſecundum genus ſponte naſcentium lactucarum, quod *Eſopum* editiones ibi vocant? De Oeſopo ſanè nugantur eruditi herbarii. Plinii libri omnes legunt *Ceſapon*. Ita etiam in noſtro Apulejo ſcriptum fuit literis Græcis; CEΣAPON. Inde *Ceſapon* fecerunt pro eo, quod erat Σέσαρον. Sic in eodem Apulejo antiquiſſimo ſcribitur paulo poſt, *Epiophoros*, pro *Eriophoros*. Σέσαρος, vel Σίσαρος eſt, quod Latinè *Siſer* vocatum eſt. Quo in genere etiam agreſte fuit. Σίσαρον, vel Σέσαρον illum ἄγριον ex alicujus ſcriptoris auctoritate in numero ſilvaticarum lactucarum recenſet. Certum tamen eſt Σίσαρον non eſſe ex genere lactucarum. Sane nec iſatis, quam in hunc cenſum dedicavit Plinius. Ea lapatho agreſti folia habet ſimilia. Dioſcorides poſt ſiſeris deſcriptionem ſtatim ſubjungit lapathi hiſtoriam. Tale aliquid ſequutus & iſatidem, quæ foliis eſt lapathi ſimilibus, & σίσαρον inter lactucas retulit. Nunc nihil aliud expiſcari queo quo illud *Ceſapon* explicem. Cæſar porro, ac Mela Britannos omnes vitro, hoc eſt, cærulo colore corpora ſua inficere tantum dicunt, quod ſic intelligendum patet, quaſi totum corpus ſibi uno illo pigmento abſque ulla figurarum varietate oblinant. Quod & Plinii verba indicant, quæ ſuperius attulimus: *ſimile plantagini*, inquit, *guaſtum in Gallia vocatur, quo Britannorum conjuges, nuruſque toto corpore oblitæ quibuſdam in ſacris, & nudæ incedunt, Æthiopum colorem imitantes.* Solinus Britannis per artifices plagarum figuras varias animalium formas incorporarià pueris dicit. Similiter & Herodianus lib. III. Τὰ σώματα στίζονται γραφαῖς, ποικίλων ζώων παντοδαπῶν εἰκόσιν.

C A P U T XXIII.

Hiſpania. In ea de Ceraunio rubro, de Gaditano freto, & mediterraneo mari, de Oceano.



PAg. 31. G. *Reverſum ad continentem res Hiſpanicæ vocant*] Libri *reverſus*. Lege: *reverſos*. Ex illo *reverſus* ſcriptum in quibuſdam, *rurſus*. Paulo poſt, *res Hiſpanienſes*.

Nulli poſthabenda frugum copia, & ſoli ubere] Ita in vetuſtiſſimo Regio. *Soli uber*, ut *glebæ uber*. Et proverbium vetus, *ubi tuber, ibi uber*. Idem liber ad marginem habebat: *nulli poſthabenda frugis, & ſoli copia.* Quæ lectio eſt vulgatarum editionum, & προεκδόσεως, & inepta eſt: fortaſſe etiam mendoſa. Quid enim ſignificat, *frugis & ſoli copia*? Quaſi frugibus, & ſolo abundent: putem ſcripſiſſe, *frugis è ſolo copia.* Et frugem è ſolo vocabat, τοὺς σιτηροὺς καρποὺς, ad diſtinctionem vineariorum, & arborariorum fœtuum, qui ex vineis, & arboribus non immediatè carpuntur è ſolo, ut fruges, quas propterea γηΐνους, & ἐγγείους καρποὺς propriè vocant Græci. Cum hac porro lectione non convenit, quod ſequitur, *ſive vinearios proventus reſpicere, ſive arborarios velis.* Nam fruges è ſolo diverſæ ab arborariis, & vineariis proventibus. Ergo ita ſcripſerat: *nulli poſthabenda frugis è ſolo copia: ſive vinearios proventus reſpicere, ſive arborarios velis, non cedit vitibus, & vincit olea.* Hæc verba in editionibus alieno loco habentur infrà poſt metallorum mentionem, quæ huc retrahenda. At cum ea ſcriptura, quam repoſuimus, poſſunt ea abeſſe legendo in hunc modum: *nulli poſthabenda frugum copia, & ſoli ubere, ſive vinearum proventus reſpicere, ſive arborarios velis.* Nam ſoli uber ad omnium frugum proventus facit. Sanè libri, qui hanc lectionem oſtentant, carent etiam illis, *nec cedit vitibus, & vincit olea.*

Quæcunque aut pretio ambitioſa eſt, aut uſu neceſſaria] In aliis: *quæcunque aut pretio cara eſt.* Quod ex priore eſt editione. Ambitionem heîc à neceſſitate diſtinxit, ut Tertullianus in libro de Pallio: *primùm tegendo homini quà neceſſitas præceſſit: dehinc & ornando, immo & inflando, qua ambitio ſucceſſit.* Quæ ad ambitionem habentur, cara ſunt, nec enim de facili parabilia, aut in promptu poſita. Ideo dixit, *quæcumque pretio ambitioſa eſt.* Immo, quæ pretioſa, & magis rara, eoque cara ſunt, ea ſolet ambitio conſectari. E contrà, quod uſui neceſſarium eſt, homini proximum, & obvium natura poſuit. Græci tamen ævi medii τὸ ἀναγκαῖον pro caro, & pretioſo uſurparunt. Ut ἀναγκαῖοι λίθοι, lapides ſunt pretioſi; & ἀναγκαῖος σμάραγδος, pretioſus. Et hæc ratio eſt. Quæcunque neceſſaria nobis ſunt, & ſine quibus eſſe non poſſumus, ut magni facienda, ſic etiam plerumque emenda magno. Sed quocunque ſtent pretio, habenda tamen. Hinc τὸ ἀναγκαῖον ἀντὶ τιμίου. Sine quo non poſſumus vivere, ἀναγκαῖον, hoc etiam τίμιον.

Ferrariis nunquam deficit] Hæc in optimo non ſunt. Subaudiendum eſſet, *metallis*. Sed noſter non ſic loquitur. Præterea *ferrariis deficere* vix Latinum. Puto fuiſſe: *ferrum, & æs nunquam deficit.* Ut ferro, ita & ære abundabat Hiſpania. Mela: *viris, equis, plumbo, ære abundans.* Plinius: *metallis plumbi, ferri, æris, argenti, auri, tota fermè Hiſpania ſcatet, citerior ſpecularibus lapidibus.* In libris: *& ſpeculari lapidi.* Scribe: *& ſpeculari lapide.* Hoc lapide utebantur veteres ad ſpecularia. Ita vocabant, quæ *vitrea* in feneſtris vocamus. Græci διόπτρας dicebant. Quare hic lapis διοπτρικὸς dici poteſt Græcè; qui Latinè *ſpecularis*. Græci etiam vocant διαφανῆ λίθον; ſed & διόπτρος poteſt dici. Heſychius: διαυθρον, διαφανὲς, διόπτρον. In Hiſpania & Cappadocia hic optimus olim reperiebatur. Plinius: *præferendum tamen omnibus Hiſpaniæ, & Cappadociæ, molliſſimum, & maximum, ſed obſcurum.* Ita legenda illa Plinii verba lib. XXXVI. cap. XXII. Strabo de Cappadocico lib. XII. Ἦν δέ τις τόπος καὶ λευκοῦ λίθου, τῷ ἐλέφαντι κατὰ τὴν χροιὰν ἐμφερής, ὥσπερ ἀκόνας τινὰς οὐ μεγάλας ἐκφέρων, ἄλλος δὲ τὰς διόπτρας βώλους μεγάλας ἐκδιδοὺς, ὥστε καὶ ἔξω κομίζεσθαι. Hæc Græca non ſunt, ergo corrupta. Lege: ἄλλος δὲ τῆς διόπτρας βώλους μεγάλας ἐκφέρων: *alius qui magnas glebas ſpecularibus faciendis ederet.* De lapide ſpeculari loquitur. Ineptè vertunt, *ſpeculorum materiæ.* Διόπτρα eſt *ſpecular*, per quod videtur: κάτοπτρον *ſpeculum*, in quo videtur. Sed & τὰς διόπτρας βώλους fortean legi poſſet, hoc eſt, διαφανεῖς; ex Heſychio qui διόπτρον διαφανὲς intepretatur, illud tamen melius. Διάφασιν facit ſpecular, ſpeculum ἔμφασιν. Hæc differentia eſt διόπτρας & κατόπτρου, ſpecularis & ſpeculi. Apud nos è vitro ſpecularia fiunt, apud veteres è lapide, qui ſpecularis inde dictus eſt, ſed è vitro etiam. Unde

vitreum ſpecular apud Sympoſium in titulo ænigmatis LXVIII. Ita enim vetuſtiſſimæ, quæ penes me ſunt, membranæ:

Perſpicio penitus, nec luminis arceo viſus,
Tranſmittens oculos intra mea membra meantes,
Nec me tranſit hyems, ſed ſol tamen emicat in me.

At ſpecularia è lapide ſol non tranſibat. Martialis:

----ſpecularia puras
Admittunt luces, & ſine ſole diem.

Plinius de Fortunæ æde à Nerone conſtructa è lapide phengite: *quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio, quam ſpecularium modo, tanquam incluſa luce non tranſmiſſa.* An ſpecularia lucem tantum includunt, non tranſmittunt? Contrarium ex his quæ poſuimus, elucet. Scribitur in antiquis: *claritas diurna, alioquin ſpecularium modo.* Scribendum igitur: *quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, alio, quam ſpecularium modo, tanquam incluſa luce non tranſmiſſa.* Tota domus è marmore illo phengite ſtructa erat. Clauſis foribus, & feneſtris, nihilominus diurna claritate illuſtrabatur, tanquam incluſa, non tranſmiſſa luce, alio quàm ſpecularium modo, qui lucem tranſmittunt, non includunt, & tranſmiſſa luce domum illuminant. Addit idem Plinius: *in Arabia quoque eſſe lapidem vitri modo tranſlucidum, quo utuntur pro ſpecularibus, ἀντὶ τῶν διοπτρῶν.* *Cornei ſpecularis* mentio apud Tertullianum, quod erat è cornu, ſed obſcurius. *Gypſino metallo ornatas feneſtras* aliquot locis legere eſt apud Anaſtaſium in vitis Pontificum, & de ſpecularibus è gypſo, vel ſpeculari lapide factis intelligendum. Quibus omnibus locis *Cyprinum metallum* pro gypſino repoſuere correctores, & auctores editionis, contra librorum etiam, quibus niſi ſunt, auctoritatem. Optimum gypſum, ut ſcribit Plinius, è ſpeculari lapide fiebat. Hinc *metallum gypſinum* pro ſpeculari lapide.

Nec cedit vitibus, vincit olea] Cum tribus ante lineis dixerit vinearum proventibus, & arborum nulli poſthabendam Hiſpaniam, cur heîc repetit de vitibus, & oleis, poſt metallorum mentionem? Optimus codex hæc verba non agnoſcit. Habet tantum, *vincit olea.* In aliis *oleas*, in aliis *oleo*, & *oleis.* Adnectenda hæc eſſe ſuperioribus, unde divulſa fuere, ſuprà oſtendimus hoc modo: *ſive vinearum proventus reſpicere, ſive arborarios velis, non cedit vitibus, vincit olea.* Nulli poſthabenda frumentorum copia, & ſoli ubere: in vinearum vero proventu, & arborum nulli cedit. Olea vero etiam vincit omnes. Juſtinus: *hic non frumenti tantum copia magna eſt, verum etiam vini, mellis, oleique.*

Dividua eſt provinciis tribus]. Conſtantinus de Adminiſt. Imp. πρότερον μὲν οὖν ἡ Ἰβηρία εἰς δύο διῃρεῖτο ὑπὸ Ῥωμαίων, νυνὶ δὲ εἰς τρία. Ὡς Μαρκιανὸς ἐν τῷ περίπλῳ αὐτῆς, Βαιτικὴν, Λυσιτανίαν, καὶ Ταῤῥακωνησίαν. Ita ſcribendus ille locus ex veteri codice. At poſt Conſtantinum magnum ſex provinciis dividua facta eſt. Unde apparet auctorum noſtrum ante Conſtantinopolim conditam vixiſſe.

Pag. 32. A. *Etiam quæ arida ſunt, ac ſterilia*] Libri omnes: *ab ſterilitate.* Quod videtur tamen ferri non poſſe. Nec enim arida ab ſterilitate loca ſunt: immo contra, ariditas ſterilitatis cauſa: & melius dici poſſet: *quæ ab ariditate ſterilia ſunt.* Mela, de quo hunc locum expreſſit: *adeo fertilis, ut ſicubi ob penuriam aquarum effœta, & ſui diſſimilis eſt, linum tamen, aut ſpartum alat.* Ergo effœta, & ſterilis ob aquarum penuriam, & ariditatem. Fortaſſe diſtinguendum: *etiam quæ arida ſunt, ab ſterilitate rudentum materias nauticis ſubminiſtrant.* Etiam ab ipſa ſterilitate aridorum locorum materies nauticis ſubminiſtratur. Sed rectius legatur, *quæ arida ſunt ad ſterilitatem, etiam rudentum materiam nauticis ſubminiſtrant.* Atque ita planè reperi ſcriptum in veterum Gloſſarum libro, quæ hunc locum citabant. Non omnia arida loca etiam ſterilia ſunt. Dixit ergo *arida ad ſterilitatem*, quæ adeo arida ſunt, ut etiam ſterilia exiſtant. Non multùm diſſimili loquutione *Grammaticus ad Scaurum* Auſonio dicitur, qui adeo in Grammatica excellit, ut Scaurum accedat. Hiſpaniæ arida, ac ſterilitate effœta loca linum tamen, & ſpartum alere ſcribit Mela. De ſparto verum eſt in ſterili, & quæ nihil aliud ferat, provenire. De lino minus prudenter hoc dixit. Plinius lib. XVIII. cap. XVII. *Quid in quoque genere terræ debeat ſeri*, præcipit in pingui ſolo ſerenda eſſe, quæ cibi ſunt majoris, ut olus, triticum, ſiliginem, linum. Idem tamen lib. XIX. cap. I linum in ſabuloſis maximè ſeri dicit, unoque ſulco; ſed illa ſabuloſa non penitus ariditate effœta, ac ſterilia oportet eſſe. Lini ſegetem campum urere canit poëta, quod ſatis indicio eſt majoris eam eſſe cibi, & pinguius ſabulum requirere. Plinius eodem loco, de lini ſatione: *propterea ut ſciamus faviſſe pœnas, nihil gignitur facilius: ut ſentiamus nolente ſeri natura, urit agrum, deterioremque etiam terram facit.* Ita legenda, ac diſtinguenda, quæ peſſimè in vulgatis interpuncta ſunt. Nonnulla alia ſunt in ea præfatione, quæ manu egent correctrice, & quia elegantiſſima ſunt, atque ad rem pertinent, non differam in aliud tempus. Ita in editis leguntur hæc verba declamitantis adverſum velorum è lino inventionem: *Audax vita ſcelerum plena, aliquid ſeri, ut ventos, procellaſque recipiat, & parum eſſe, & fluctibus ſolis vehi.* In optimis libris ſcriptum eſt: *audax vita ſcelerum plenum aliquid ſeri ut ventos procellas ut capiat.* Omnino emendandum: *Audax id, at ſcelerum plenum aliquid ſeri ut ventos, procellas ut capiat, nec parum eſſe, & fluctibus ſolis vehi. Jam vero nec vela ſatis eſſe majora navigiis, ſed quamvis amplitudini antemnarum ſingulæ arbores ſufficiant, ſuper eas tamen addi velorum alia vela, præter quæ in proris, & alia in puppibus pandi, ac tot modis provocari mortem.* Ita etiam hæc poſtrema emendari oportet. In editis, *præterque alia in proris.* Sed ſcriptis abeſt vox *alia.* Sequitur: *denique tam parvo ſemine naſci, quod orbem terrarum ultro, citroque portet, tam gracili avena, tam non alte à terra tolli.* In Thuanæo codice: *tam non altè ad tellure tolli.* Pronum eſt legere: *tam non alte ab tellure tolli.* Sed hoc leve. Quæ ſequuntur corruptiora longè, & gravioris momenti, quæ ſic concipiuntur: *neque id viribus ſuis necti, ſed paſſum, tuſumque, & in mollitiem lanæ coactum injuria naturæ, ac ſumma audacia, & quo pervenire nulla execratio ſufficit contrà inventorem dictum ſuo loco a nobis, cui ſatis non fuit hominem in terra mori, niſi periret & inſepultus.* Thuanæus omnium optimus, ac vetuſtiſſimus pro *necti*, habet *netti*, pro *paſſum*, *pretium.* Cui adſtipulatur & Rigaltianus, ceterique. Omnes carent illa voce *naturæ.* Nec illud *quo* agnoſcunt. Sic igitur totus locus conſtituendus: *neque id viribus ſuis niti, ſed fractum, tuſumque, & in mollitiem lanæ coactum injuria, ac ſumma audacia eo pervenire. Nulla execratio ſufficit contra inventorem dictum ſuo loco nobis, cui ſatis non fuit*, &c. Linum inquit, non ſuis viribus nititur, ut orbem terrarum ultro, citroque portet, ſed eo pervenit injuria ſui, & hominum audacia ſumma. Injuria ſui, quod frangitur, tunditur, & in mollitiem lanæ cogitur. Semper enim injuria fit melius. Audacia ſumma hominum, qui ad tales uſus id converterunt. *Illi robur, & æs triplex.* Nulla execratio ſufficit contra inventorem dictum ſuo loco nobis; ſic planè interpungendum fuit. Linum, & retia inveniſſe Arachnen tradit capite, *quæ quis invenerit in vita.* Sed eam heîc non intelligit. Icarum vela inveniſſe ibidem ſcribit, quem hoc loco deſignari puto. Apulejus de Remediis ſalutaribus totum illum Plinianum locum ſic compilavit: *parvo ergo ſemine naſcitur, quod orbem terrarum ultro citro portat, tam gracili avena, tam non alte à tellure ſublata. Nec viribus ſuis nixum, ſed fractum, tunſumque, & in mollitiem lanæ coactum.* Ergo *fractum* legit, ubi hodie legimus *paſſum*, quo loco noſtri libri ſcripti habent *praetium.* Videtur fuiſſe ſcriptum *practum* primò, pro *fractum*, deinde creſcentibus vitiis, *praetum*: unde poſtea correctores fecerunt *prætium.* Legebam aliquando *preſſum, tuſumque.* Nam & ſcribebant *preſſum.* Idem Plinius capite ſequenti de lino: *deinde poſt meſſem triticeam virgæ ipſæ merguntur in aquam ſolibus tepefactam pondere aliquo depreſſæ.* Sed vera omnino lectio *fractum.* Sequitur paulo poſt: *At nos priore libro imbres, & flatus cavendos frugum cauſa, victuſque præmonebamus, ecce ſeritur hominis manu, metitur ejuſdem hominis ingenio,*

ingenio, quod ventos in mari optet. Ita distinguendum. Præterea liber optimus scribit, *quod ventos in mari oportet.* An legendum, *quod ventos in mari portet?* sed vulgata melior. Atque hæc obiter. Ut ad rem redeam, linum & spartum in aridis, & effœtis Hispaniæ regionibus nasci, quod ait Pomponius, hoc Solinus ita expressit: *etiam quæ arida sunt ad sterilitatem, rudentum materias nauticis subministrant.* Quasi linum etiam, ut spartum, rudentibus materiam suppeditaret. Atqui linum Hispanicum, quod erat tenuissimum, ac candidissimum vix unquam funibus faciendis usum præstitisse putaverim: velis & carbasis tantùm, plagisque impendebatur. Plinius: *Et Hispania citerior habet splendorem lini præcipuum, torrentis, in quo politur, natura, qui alluit Tarraconem. Et tenuitas mira, ibi primum carbasis repertis.* Qui locus etiam non leviter mendosus. Liber Thuanæ Bibliothecæ habet: *& ad Hispania citerior habet splendore lini præcipua torrentis in quo politur natura.* Legerim: *& id Hispania citerior habet, splendore præcipuo, torrentis, in quo politur, natura.* Quod est verissimum. Addit Plinius: *non dudum ex eadem Hispania Zœlicum venit in Italiam plagis utilissimum.* Ex illo lino Hispanico quis putet rudentes navium tortos unquam fuisse? Nugatur itaque Solinus, nec enim id dixit Mela. Ex lino tamen armamenta navium etiam olim fuisse, eruditioribus placuisse ibidem notat Plinius, qui versum Homeri ita interpretabantur, *quoniam cum sparta dixit, significaverit sata.* Quæ non intelligo. Quasi necesse sit τῶν σπάρτων nomine linum accipi, quia significaverit sata. An non & cannabis sativa, de qua τὰ σπάρτα, id est, sata in illo Homeri loco possumus interpretari. Sed nec de rudentibus, aut navium armamentis ille versus Homeri potest exponi, ut infrà pluribus ostendam. Nugatur igitur Solinus, nisi dicamus eum sub materie rudentum spartum tantum comprehendisse, non etiam linum Hispanicum, quod nec in sterili solo nascitur, sed in rudentum, aut navium armamentorum usum vertitur. In Hispania citeriore nascebatur linum, ut & spartum, sed locorum regione differente. Siquidem Carthaginiensis Hispaniæ citerioris portio spartum tantum ferebat, nec hæc quidem tota, ut ait Plinius, cujus hæc verba sunt de spatio illius regionis, in quo spartum proveniebat: *Ad hos omnes usus quæ sufficiant, minus triginta millia passuum in latitudinem à littore Carthaginis novæ, minusque in longitudinem esse reperientur.* Mirum ita in omnibus libris hodie reperiri scriptum etiam antiquissimis, ut hinc liquere possit antiquissimas esse plerasque librorum mendas. Designare voluit Plinius, quid in latitudine, ac longitudine haberet regio illa citerioris Hispaniæ, quæ spartum gignebat. At quis credat minus in longitudine fuisse, quàm in latitudine? Hoc enim latitudini dandum esset, in quo minus est. Rectam Plinii lectionem nobis conservavit Apulejus in Herbario suo, quod totum ex Plinianis rebus, ac verbis concinnatum est. In vetustissimo ejus exemplari ita scriptum reperi: *ad quos omnis usus minus triginta passuum in latitudinem à littore Carthaginis novæ in Spaniam usque: Centum in longitudinem nascitur.* Legendum itaque in Plinio constat: *minusque in longitudinem centum reperientur.* Scriptum erat *minusque in longitudinem* c *reperientur.* Postea pro c, factum e, quod alii *esse* interpretati sunt. *Triginta passuum* pro triginta millibus passuum. Atque ita passim apud Plinium occurrit. Et *centum passuum* pro centum millibus. Sed quid est, quod ait Apulejus, regionem σπαρτοφόρον à littore Carthaginis novæ in Hispaniam usque porrigi? An non Carthago illa nova Hispaniæ urbs fuit? Certè Tarraconensis & citerioris Hispaniæ illa civitas erat, & quidem maritima. Videtur Carthaginem novam accepisse de Carthagine Africæ, quam destruxere, & instauravere postea Romani. Ideo putavit à littore illius Carthaginis in Hispaniam usque procedere regionem sparti feracem. Quod est maximè ridiculum. Stephanus de Africana Carthagine: ἐκαλεῖτο δὲ καινὴ πόλις καὶ Καδμεία. Et paulo post: ἔστι δὲ καὶ ἄλλη Καρχηδὼν πόλις Ἰβηρίας. Ἐκαλεῖτο δὲ καὶ αὐτὴ καινὴ πόλις. Inde falsus est Apulejus. Hæc Carthago Hispanica σπαρτοφόρος etiam propterea dicebatur. Ubi dixit Plinius, minus triginta millia passuum in latitudine, & minus centum in longitudine, τὴν σπαρτοφόρον extendi, subjicit: *longius vehi impendia prohibent.* Quo sensu dicantur ista, nullus video. Carthaginiensis in Hispania citeriore regionis parvam portionem spartum gignere dixit: eum tractum, qui spartum ferret, triginta minus millibus passuum in latitudine, & minus centum in longitudine habuisse scribit, & adjicit, *longius vehi impendia prohibere.* Atqui nulla heîc evectionis, aut translationis sparti mentio. An legendum, *longius seri?* At sponte sua spartum proveniebat, non satione. Auguror, & verum est verba illa Plinii non esse, sed alicujus scioli, qui putabat illîc agi de translatione spartariæ mercis in alias regiones, Pliniumque determinare, quousque veheretur: ideo addidit, *longius vehi impendia prohibent.* Quia in superioribus legerat, multo impendio constare sparti collectionem, & curaturam. Profecto nullo modo cohærere illa possunt, & convenire cum Plinii mente, & iis, quæ præcesserunt. Nam spartum ex Hispania in omnes gentes exportari, & præcipuè in Italiam auctor est Strabo. Præterea additamentum illud neutiquam agnoscit Apulejus. Verba Strabonis lib. III. Κατὰ μικρὸν ἀφίσταται τῆς θαλάττης, καὶ συνάπτει τῷ Σπαρταρίῳ, ὡς ἂν Σχοινοῦντι καλουμένῳ πεδίῳ. Τοῦτο δ' ἐστὶ μέγα καὶ ἄνυδρον τὴν σχοινοπλοκικὴν φύον σπάρτον, ἐξαγωγὴν ἔχουσαν εἰς πάντα τόπον, καὶ μάλιστα εἰς τὴν Ἰταλίαν. Ex his constat spartum in arido & sterili provenire, ἐν τῷ ἀνύδρῳ. Plinius *juncum esse aridi soli* de sparto dixit. Σπαρτάριον πεδίον quasi σχοινοῦντα Græce dici interpretatur Strabo. Perperam porro de hoc eodem sparto exponunt Strabonis locum eruditissimi viri, qui ibidem in hæc verba concipitur de Emporitanis: χώραν δὲ τὴν μὲν μεσόγαιαν ἔχουσι, τὴν μὲν ἀγαθὴν, τὴν δὲ σπαρτοφόρον, τῆς ἀχρηστοτέρας, καὶ ἑλείας σχοίνου, καλοῦσι δὲ Ἰουγκάριον πεδίον. Ita vulgo legitur. Corrigit vir summus: τῆς εὐχρηστοτέρας, καὶ λείας σχοίνου. Et de sparto interpretatur, quod ad multos usus aptum esse constat ex Plinio. De junco loquitur ibi Strabo, quem Græci σχοῖνον proprie vocant. Hinc & campum illum Ἰουγκάριον ab illis vocari notat, manifestoque distingit ἀπὸ τοῦ σπαρταρίου πεδίου, cujus paulo post meminit. Et sanè *Juncarius*, & *Spartarius* campi in Hispania citeriore diversi. Nec moveor, quod spartum Plinus juncum esse aridi soli tradiderit, nec quod Strabo *Spartarium campum*, quasi σχοινοῦντα, id est, campum juncis obsitum interpretetur. Alia res *juncus*, ὁ σχοῖνος, alia *spartum* sic propriè appellatum. *Juncus* marina planè res, & in palustribus nascens: *spartum* è contra aridi soli fœtus. Quid tam diversum? Theophrastus σχοῖνον ἐν τοῖς ἐνύδροις recenset, & tria ejus genera facit. At *spartum*, ut suprà vidimus, ἐν τῷ ἀνύδρῳ gignitur. Σχοῖνος proprie juncus, non spartum. Theophrastus lib. I. Historiarum cap. XIII. Οἷον σχοῖνος, τίφη κύπειρος, καὶ ὅλως εἴ τι τῶν λιμνωδῶν. Ubi σχοῖνος est juncus. Nam *spartum* nondum erat cognitum Græcis tempore Theophrasti. Non probaverim etiam in Strabone corrigi, τῆς εὐχρηστοτέρας, καὶ λείας σχοίνου, quantumvis libri sic scribant. Εὐχρηστοτέρας reponi non prorsus abnuerim. Nam juncus etiam ad multa utilis, & funes ex eo torquebantur. Sed λείας, pro ἑλείας substitui nullo modo feram. Quod enim Dioscoridis auctoritate eam emendationem stabiliunt, male facere puto, qui è corrupta similiter scriptura testimonium emendicant. Verba Dioscoridis auctore libro vetustissimo sic sunt legenda de hoc junco: σχοίνου ἑλείας τὸ μὲν ἡ ὀξύσχοινος, ἄπεξυς ἐπ' ἄκρῳ. Διαστὸν δὲ καὶ ταύτης εἶδος, ἡ μὲν γὰρ ἄκαρπος, ἡ δὲ καρπὸν μέλανα ἔχει περιφερῆ. Perperam in editis: ὀξύσχοινος, τὸ μέντοι αὐτὸ καλεῖται σχοῖνος λεία. Quæ falsissima est lectio. Quam Theophrastus σχοῖνον absolutè vocat, & τοῖς ἐνύδροις, καὶ λιμνώδεσιν assignat, eam Dioscorides σχοῖνον ἑλείαν, ut & Strabo: Galenus quoque ἕλειον σχοῖνον. Romani *juncum marinum* vocabant. Plinius: *alterum genus juncorum facit, quod marinum, & à Græcis oxyschœnon vocari invenio.* Marinus juncus Plinii est ἑλεία σχοῖνος Dioscoridis, & σχοῖνος Theophrasti. Sequitur apud Plinium: *Tria genera*

ra ejus: *acuti sterilis, quem marem, & oxyn Græci vocant: reliqua fœminini ferentis semen nigrum, quem Melancranin vocant.* Libri habent, *acutæ sterilis.* Lege: *acuti, & sterilis.* Et paulo post in iisdem libris: *quem Melancrantam appellant.* Scribe: *quem melancraniam appellant.* Ita etiam in Theophrasto emendandum: ὅτε ὀξὺς, καὶ ἄκαρπος, ὃν δὴ καλοῦσιν ἄῤῥενα, καὶ ὁ κάρπιμος ὃν μελαγκρανίαν καλοῦμεν. Male est in Græcis, ὃν μελαγκρανισμόν. Dicitur etiam μελαγκρανὶς. Quod ait Plinius, *reliqua fœminini, semen ferentis nigrum.* Reliqua duo genera intelligit, quæ semen ferunt nigrum, ideo fœminini generis esse dicit. Nam ὁλόσχοινος, quod erat tertium genus, semen etiam nigrum ferebat. Dioscorides: ἔστι δὲ καὶ τρίτη πολλῷ σαρκωδεστέρα, καὶ παχυτέρα τοῖν δυοῖν ὁλόσχοινος καλουμένη, ἔχει δὲ καὶ αὐτὴ καρπὸν ὅμοιον τῇ περὶ αὐτῆς. Non tamen μελαγκρανὶς hæc dicebatur, ut perperam innuere videtur Plinius. Duo omnino genera γενικώτατα junci marini, ἐλείας σχοίνου. Unum ὀξύσχοινος dicebatur, alteri nomen ὁλόσχοινος. At ὀξυσχοίνου duæ species, altera ἄκαρπος: is est, quem ὀξὺν propriè vocarunt, & marem intelligunt: altera, quæ in summo habet semen nigrum. Hæc est, quæ μελαγκρανὶς vocatur, quod in summitate nigra esset propter semen, ut σχοῖνος Græcè modo masculino, modo fœminino genere enuntiatur, ita modo σχοῖνος μελαγκρανίας, modo σχοῖνος μελαγκρανὶς dicitur, & μελαγκράνη. Inde adjectivum μελαγκράνιον Straboni, quod ex junco *melancrano* factum est. Sic enim apud eum legendum, σφενδόνας μελαγκρανίας, & in versu Philetæ:

> Αἰγιαλέος δὲ χιτὼν πεπινωμένος, ἀμφὶ δ' ἀραιὴν
> Ἰξὺν εἰλεῖται ἄμμα μελαγκράνιον.

Perperam scribitur κόμμα μελαγκρίνον, & σφενδόνας μελαγκραίνας. Fundæ μελαγκρανίαι, quæ ex Melancrano junco plexæ, ut τελχῖναι, & νεφέλαι ibidem. Hesychius: μελαγκρανὶς, ὀξύσχοινος, ἡ τὰ ἄκρα μελανίζουσα. Sic scribendum: nam μελαγκρανὶς genus alterum ὀξυσχοίνου. Male autem Plinius ab hoc genere juncorum distinguit eum juncum, qui *Mariscus* dicebatur. Nec melius Κύπειρον, & Κύπερον, de quibus nos alibi. Ut ad nostra redeam, longè diversus apud Strabonem *Spartarius campus* in Hispania, & *Juncarius*, qui æquè invicem differunt, ut juncus, & spartum. Nec obstat, quod idem Strabo Juncarium illum campum σπαρτοφόρον esse dixerit τῆς ἀχρηστοτέρας, καὶ ἐλείας σχοίνου. Nam vel ex his verbis liquido constat, hanc ἀχρηστοτέραν, & ἐλείαν σχοῖνον, ab illo utiliore sparto, quod in eadem Hispania sitientibus locis nascebatur, quam σχοινοπλοκικὴν σπαρτὸν appellat, eamque à junci similitudine licet toto genere differret, σχοῖνον etiam videtur appellare, & *spartarium* πεδίον, quasi σχοινοῦντα dici interpretatur. E contra ἐλείαν σχοῖνον etiam σπαρτὸν vocat, dum regionem junci hujus feracem σπαρτοφόρον indigetat. Ita hæc nomina indiscreta posuit. Sciendum porro est, ut σχοίνια Græci funes vocant, ita materiam omnem junceam, vel junco similem, unde funes parantur, etiam σχοῖνον vocare. Σπάρταν quoque & σπάρτην appellare solent funiculos, vel restes, inde & σπαρτὸν vulgo nominant omnem herbam, quæ usum præstat torquendis restibus, & funibus. Inde σπαρτίον illi vocant Latinorum genistam, quia ad hunc usum idonea est, quæ longè utique diversa ab Hispanico sparto. Ideoque Græci veteres, ut eam ab Hispanico sparto distinguant, fere addere solent σπαρτὸς ᾧ τὰς ἀμπέλους δεσμοῦσι. Ita Galenus, Paulus, aliique. Genistam ligandis vitibus servire etiam constat ex Plinio. Dioscorides σπαρτίον vocat. Et falluntur viri docti, qui *Spartum* etiam Latinè appellant, quum hoc nomen Latini de solo Hispanico, vel Africano sparto usurpaverint. Dubitat Plinius, an genista sit, quod Græci sparton appellant. Atqui dubium non est, esse. Quidquid vinculorum usum præberet, & ad nexus aptum esset, ita vocarunt. Ideo & Hispanicam herbam, ex qua funes nectebantur, postquam ejus notitiam habuere, etiam σπαρτὸν appellavere. Inde & Latini *spartum*, quod nomen de solo Hispanico retinuere. At Græci σπαρτὸν etiam genistam dixere, & juncum marinum, ut Strabo, quia vinculi, viendique præstaret usum. Hinc λινόσπαρτον genus quoddam lini, quo ad ligandum utebantur. Theophrastus: καὶ τῶν μὲν πολύλοπος, οἷον φιλύρας, ἐλάτης, ἀμπέλου, λινοσπάρτου, κρομμύων. Legebat Gaza, λίνου, σπάρτου, vertitque, *lini, genistæ.* At disertè monet Plinius, nusquam Theophrastum meminisse sparti, quamvis magna cura in omnibus ejus scriptis id persequutum esse se dicat. Junco itaque Græcos veteres ad funes usos fuisse nomini credendum esse probat, quo herbam eam appellant. Translatum ad eos à Pœnis sparti usum ibidem docet. Atqui vox ea, qua spartum appellatur, merè Græca est, non Punica, vel Latina. Juncos quippe ipsos, & genistas, & quidquid denique ad funes nectendos, & aliquid ligandum verti posset, σπαρτὸν vocavere. Hinc & λινόσπαρτον, non quo lintea, aut carbasa texerentur, sed crassius linum, aut cannabim, quo funes tantum torquerentur, quod equidem verissimum esse puto. Σπαρτόλινον vocavit Dioscorides, hoc est, linum, unde τὰ σπάρτα fiunt, funes, vel funiculi. Scribit Thymelæam vocari quibusdam λίνον, διὰ τὸ εἶναι τῷ σπαρτολίνῳ θάμνον τῇ φύσει παρόμοιον. Male hodie apud Dioscoridem legitur, τῷ σπαρτῷ λίνῳ; & sativum linum interpretantur. Atqui σπαρτόλινον Dioscoridi est λινόσπαρτον Theophrasti. De sativo tamen lino alibi exponimus Dioscoridis locum. Fortasse & Theophrastus ita legi, ac sumi potest. Tum falsus fuerit Plinius, qui lini mentionem apud Theophrastum nusquam apparere affirmat. Plinius de genista: *dubito an hæc sit, quam Græci auctores sparton appellavere, cum ex ea lina piscatoria apud eos factitari docuerim, & numquid hanc designaverit Homerus, quum navium sparta dissoluta dixit.* In utroque dubitatio ejus inepta, & dum ambigit, an genista sit, quam Græci σπαρτὸν appellavere, nam certum est eamdem esse, & quum dubitat, numquid designaverit hanc Homerus dicendo navium sparta dissoluta, verissimum quippe est de genista non intellexisse Homerum, hoc versu:

> Καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν καὶ σπάρτα λέλυνται.

Addit Plinius: *Nondum enim fuisse Africanum, vel Hispanum spartum in usu certum est: & quum fierent sutiles naves, lino tamen, non sparto unquam sutas.* Videamus, quas habuit dubitandi rationes. Dixit alio loco, *in Asia è genista fieri lina ad retia præcipua, in piscando durantia, frutice madefacto x. diebus.* Ita scripsit lib. XIX. cap. II. Græcus auctor, unde illa transcripsit, ἐκ τῆς σπάρτου habuit: quod Plinius vertit, *è genista.* At hoc loco dubitat, an σπαρτὸς Græcorum genista sit, quia lina piscatoria ex ea fieri apud Græcos alibi docuerit, eo nempe loco, quem paulo ante adduximus. Hæc ratio est. Ἐκ τῆς σπάρτου retia fiunt ad piscandum, ergo σπαρτὸς non est genista. Ad ligandum enim, & vinculorum usum bona est genista, non retibus nectendis idonea. Certè Græcus ille scriptor, qui σπαρτὸν ad retia facienda dixit adhiberi, de genista neutiquam intellexit, sed de lini quodam genere, & fortassean illo, quod Theophrastus λινόσπαρτον appellat. Græci autem vocem σπαρτὸν de herbis omnibus ab vitilia, nexilia, textiliaque aptis usurparunt, ut suprà diximus. Alias σπαρτὸν, vel σπαρτίον etiam vocavere, quam Latini genistam, quod vel unius Dioscoridis descriptio pervicerit in hæc verba: Σπαρτίον θάμνος ἐστὶ φέρων ῥάβδους μακρὰς, ἀφύλλους, στερεὰς, δυσθραύστους, αἷς τὰς ἀμπέλους δεσμοῦσι, φέρει δὲ λοβοὺς ὥσπερ φασήλους, ἐν οἷς σπερμάτια φακοειδῆ, ἄνθος μήλινον ὥσπερ λευκοΐου. Nemo genistam vidit, quin huic descriptioni convenire judicet. Plinius ipse qui dubitat, ita de genistæ semine scribit: *semen ejus, quod Græci eodem nomine appellant, in folliculis fassiolorum modo nascens purgat hellebori vice.* Quod autem Dioscorides ἀφύλλους esse tradit virgas genistæ, hoc ita explicari potest, ut de conyza altera, quam ἄφυλλον vocat Hesychius, quod brevissima, & angusta habeat folia. Talia sunt genistæ. Sed genistæ genus in Græcia tantum nascentis esse tradunt, quod prorsus foliis caret. De quo alibi. Videntur porro & quidam apud Homerum τὰ σπάρτα νεῶν de genista accepisse, quia σπαρτὸν eam vocant Græci. Ridiculè vero illi. Nec rectè Plinius dubitat, an verum sit. Quid enim certius quàm de genista non posse accipi? Spartum Hispanicum non designari palam est, quia nondum notus erat usus ejus apud Græcos. De genista non posse intelligi etiam Plinius asserit, quia cum sutiles fierent naves, lino

lino tantum, non sparto suebantur. Eadem ratio est, qua & retia ex sparto apud Græcos factitata è genista fieri nolebat, quia retia ex lino fiunt, unde & *lina* absolutè dicuntur. Sic naves olim, quum sutiles fiebant, non sparto, nec genista, quam & ipsam σπαρτὸν Græci appellant, sed lino suebantur. Eapropter τὰ σπάρτα apud Homerum, quibus naves suuntur, non de sparto, aut genista, sed de lino vult accipi. Huic expositioni utcunque consentaneum est, quod lib. XIX dixit, capite de lino his verbis: *Hinc fuisse & navium armamenta apud eumdem interpretantur eruditiores, quoniam cum sparta dixit, significaverit sata.* Multa tamen heîc animadvertenda. *Armamenta* ὅπλα sunt funes, vel rudentes nautici. Hesychius: ὅπλα, τὰ τῆς νεὼς σχοινία. Ex stuppa, cannabe, & sparto vulgo fiebant, non solum ex lino. Græcorum Glossæ: ὅπλα, κάλοι ἀπὸ συμπαίου, ἢ λίνου, ἢ καννάβεως. Quia Homerus σπάρτα νεῶν dixit, non inde consequens est de lino intelligi debere. An ideo quia significaverit *sata*? Atque sativa etiam cannabis, unde torquentur funes. Præterea non de armamentis navis, aut rudentibus τὰ σπάρτα Homerus dixit, sed τὰ ῥάμματα intellexit, quibus sutæ naves. Tum enim sutiles fiebant naves. Armamenta autem navium non ex lino, sed è sparto, & cannabe ut plurimum fieri solita. Τὰ ῥάμματα vero etiam è lino, sed nec minus è sparto: quinimo & è loris etiam fiebant. Hesychius σπάρτα interpretatur ῥάμματα, & versum illum Homericum exponit, σπαρτὶς ῥάμματος. Idem: σπάρτα, σχοίνια, ῥάμματα. Profectò in illo Homerico versu, quo navium σπάρτα dissoluta dixit, τὰ ῥάμματα intelligenda, quibus sutæ, & condensatæ naves, non armamenta, aut rudentes, quibus instructæ. Nugatur igitur Plinius cum illis suis eruditioribus, qui armamenta navium è lino olim fieri solita illo Homeri versu colligebant, quo σπάρτα, id est *sata*, appellavit eos funes, quibus suebantur naves. Longè alia sententia fuit doctissimi Romanorum, Varronis inquam illius, quem ex quinto Humanarum citat Agellius, de isto Homeri verbo sic exponentem: *Ego sparta apud Homerum non plus spartum significare puto, quam σπάρτους, qui dicuntur in agro Thebano nati. In Græcia sparti copia modo cœpit esse ex Hispania: neque ea ipsa facultate usi Liburni, sed hi plerasque naves loris suebant, Græci magis cannabo, & stupa, ceterisque sativis rebus, à quibus σπάρτα appellabant.* Hæc verba quantivis pretii. Τὰ σπάρτα apud Homerum non de armamentis, ac rudentibus explicat, sed sutilium navium ῥάμματα ea voce accipit. Nec ex lino tantum ea vulgo apud Græcos factitata docet, sed cannabo, & stuppa, ceterisque sativis rebus, in quibus & linum. At Liburni, qui nautica, & piratica inclaruere, naves suas loris suebant. Verùm tralatitius hic error omnium ferè olim eruditorum, præsertim Latinorum; qui τὰ σπάρτα in Homeri versu *sata*, aut *sativa* interpretabantur, aut certè funes ex rebus sativis factos, ut lino, cannabe, & ceteris hujusmodi. Quod ignorantiæ profectò imputandum est. Quid enim aliud dixeris? σπαρτὸν Græci, & σπάρτην passim appellarunt quemcunque funem etiam ex juncis & genistis factum. Inde sequeretur & juncos, & genistas, quæ non seruntur, & passim proveniunt, res tamen sativas esse: quod est ridiculum. Strabo juncum marinum, τὴν ἑλείαν σχοῖνον etiam vocavit σπάρτον, an juncos esse sativos, ac seri dicendum est? Genistam, quæ passim sponte nascitur, nec seritur, σπαρτὸν quoque vocitaverunt. Quinetiam herbam illam Hispanicam faciendis funibus aptam, quæ seri non potest, Romani tamen voce Græca *spartum* nominaverunt. Ex vi, ac notione vocabuli sequeretur eam herbam sativam esse. Quod tamen veteres negant, & verum est. Σπάρτος, ut dixi, funiculus est, vel linea, qua colore aliquo inlita signabant, ac dirigebant lignum, aut lapidem antiqui τέκτονες. Inde vetus proverbium Laconicum, ποτὶ λίθον σπάρτον ἄγειν. Vocabant etiam στάθμην. Hesychius: Σπάρτη, πόλις καὶ στάθμη τεκτονική. Unde proverbium λευκὴ στάθμη ἐν λευκῷ λίθῳ. Latini *lineam* dixere, quod ex lino necteretur. Unde *alba linea*. Glossæ: *linea, funis.* Alibi στερρὰν ἑρμιὰν διεξβήτην interpretantur. Σχοῖνος μεμιλτωμένος Græcorum etiam *linea* Latinè & μήρινθος δειμαλέη,

A *linea.* Græcè, ut dixi, σπάρτος, & σπάρτη, & σπάρτον, & σπαρτίον funiculus. Hesychius: στάθμη, σπάρτος ἐν ᾗ ἀπευθύνουσιν οἱ τέκτονες. Inde σπαρτίον *funiculus.* Et ὑποδήματα σαπροῖς σπαρτίοις ἐνημμένα Athenæo: *calcei funiculis putridis consuti.* Inde σπαρτοπλόκος apud Pollucem, qui funes nectit. Idem σπάρτα, σπάρτη, σπάρτος, σπαρτίνη ἡ μήρινθος. Idem alibi: εἰ δὲ καὶ πλέγμα τὴν σπάρτην ἐθέλεις καλεῖν, καὶ τοῦτο Κρατῖνος ἐν Νεμέσει λέγει, σπάρτην δὲ λέγω καὶ σπάρτινον. Idem inter instrumenta piscatoris recenset λίνα, σπάρτα, σπαρτίνας, μολυβδαίνας. Inde est fortasse, quod Plinius notat Græcos è sparto, id est, genista factitasse retia ad pi- B scandum. Nam σπάρτα & σπαρτίναι, in instrumento piscatoris. Et putavit ille retia esse ex sparto, id est, genista, quia Græci σπαρτὸν vocant genistam. Sed quodlibet πλέγμα, & ex quacunque materia nexum sic vocaverunt, & σπάρτος, vel σπαρτίνη linea est piscatoria. Nam & μήρινθον idem Pollux alibi exposuit. Unde igitur σπάρτοι, & σπάρτα Græcis pro funibus? An quod ex rebus sativis fierent? Nihil minus. Verbum σπείρω Græcis duas res significat, ut Latinis *sero*, quod inde factum est. *Serere*, quod facit *sertum*, aliud significat C quam *serere*, quod habet in declinationibus *situm.* Quis enim ignorat illud *sero*, à quo *sertum*, significationem habere jungendi aliquid inter se, ac nectendi una serie? Hinc ab illo *sero* nomen *series*, ἡ συνάφεια, εἱρμὸς, ἅλυσις, ὁρμαθὸς, τάξις, & similia. Inde *serti flores*, invicem nexi in coronam, junctique, qui solutis opponuntur. Apulejus Milesia II. *rosa serta, & rosa soluta in sinu tuberante.* Ubi *rosa serta*, τὸ ῥόδον στεφάνοις συμπεπλεγμένον: *rosa soluta*, ῥόδον λελυμένον. Lucano *coronæ nardo serta*, id est, implexæ:

Accipiunt sertas nardo florente coronas.

D Et absolutè *serta*, τὰ στέμματα. Glossæ: *Serta*, στέφανοι, στέμματα. *Sertat*, στεφανοῖ. *Sertis*, στέμμασι. Plinius de coronis: *cum vero è floribus fierent, serta à serendo, serieve appellabantur.* Ita enim scribendum. Illud *serere* συνάπτειν, & συνείρειν ibi significat, non σπείρειν, & terræ semen committere. Inde & *serta* funiculus, vel restis. Propertius:

---- *texunt umbracula sertis:*

Palladius: *cum serta, qua appensa sunt, auferantur,* ἡ σπάρτος, τὸ σχοινίον. Quis dixerit inde *sertam* de funiculo dici, quod ex rebus sativis necteretur? Inde composita *inserere* ἐνράπτειν; & *insertitium* τὸ ἐνερραμμένον; & *consere-* E *re*, τὸ συρράπτειν, & *consertum tegmen spinis* poëtæ συνερραμμένον. Aliud *conserere*, τὸ καταφυτεύειν. Ita Græcis verbum σπείρειν utrumque significat, terræ semen mandare, & texere aliquid, vel inter se nectere. Ab eo verbo σπεῖρα, quæ funem involutum designat, & τὴν στρὰν, & σπεῖρον, ῥάκος, & σύστρεμμα ἐκ σχοινίου. Ab eo etiam σπάρτα, σπάρτοι, & σπάρται funiculi, vel lineæ, non quod ex herbis sativis nectantur, quod est ineptum. Τὸ σπαρτὸν est sativum, vel quod seri potest. At σπάρτον est funis, qui seritur, id est, nectitur, quasi dicas *sertile*, vel *sertitium*. Hesychius ex veteri poëta refert ἄσπαρτος ἱστὸς, οὗ μήτε ἀραιὸς, μήτε πυκνὸς ὁ στήμων τυγχάνει, id est, F bene, & attemperate texta tela, cujus nec nimis densum est stamen, nec nimis rarum. Retia piscatorum σπάρτα, vel σπαρτίνα similiter vocare potuerint, non quod ex sparto, vel genista fierent, sed quod quamlibet texturam, nexumque staminis ad subtemen sic appellarent. Homerus ergo σπάρτα νεῶν appellavit funiculos è lino, vel cannabe, quibus suebantur naves, non quod è sativis herbis necterentur. Nam σπείρειν est ῥάπτειν, & partes inter se condensare, & jungere. Unde σπεῖρον. ῥακὸς, *consertum tegmen spinis*, & σπεῖραι funium convolutiones. Pacuvius in Niptris *serilia* vocavit, quæ Homerus σπάρτα. Ut enim ab *edo edule*, G & *edile*, ita *serile*, vel *serule* secunda producta à *sero*, quod est jungo, ac invicem necto:

Nec ulla subscus cohibet compagem alvei,
Sed suta lino & sparteis serulibus.

Serulia, vel *serilia* sunt σπάρτα νεῶν: Homerica ad verbum sic expressa, τὰ ῥάμματα τῶν νεῶν. *Spartea* illa vocat, quia ex sparto Hispanico facta, cujus copiam habuere jam tum Romani ex Hispania advecti. *Spartea serilia*, τὰ σπάρτα ἐκ τῆς σπάρτου σχοινοπλοκικῆς. Sed hoc spartum Homeri tempore Græcis notum non erat. Ex

alia igitur materia tum fiebant ea navium σπαρτα, è lino utpote, vel cannabe, vel etiam junco. Verrius autem volebat *ſerilia* Pacuvio appellari navigia ipſa Iſtrica, & Liburnica, quæ lino, ac ſparto condenſantur à conſerendo, & contexendo dicta. Perperam, quum funiculos ipſos ſic dixerit. Liburni præterea non lino, aut funiculis ſpartis, ſed loris navigia ſua ſuebant, ut ex loco Varronis apparet, quem ſuperius adduximus. Ex his porro, quæ diximus, conſtat σπάρτα Græcis funiculos ſignificare, quia σπείρειν nectere, & complicare apud eoſdem denotet. Inde etiam herbas eas, quæ funiculis conſerendis, & retibus, aliiſque rebus texendis aliquem uſum exhibent hoc eodem nomine donaverunt. Nam & juncum, σπάρτον vocaverunt, & geniſtam, quia vinculorum uſum ipſis præſtabat. Hiſpanicum quoque juncum, qui in arido, ac ſitiente ſolo naſcebatur, ſic appellaverunt poſtea, quia funes ex eo necterentur. Romani tamen majorem ejus uſum, notitiamque habuere quam Græci, quia Hiſpaniæ viciniores, & σπάρτον propriè κατ' ἐξοχὴν vocaverunt, quum Græci ipſi σπαρτὸν de geniſta magis uſurpaverint. Nec novum eſt, ut eadem voce aliud Latini, aliud Græci intellexerint. Hoc in ſexcentis aliis idem factitaſſe obſervavimus. Σπαρτὸς Græcis propriè geniſta. *Spartum* Latinis Hiſpanici junci genus. Διὸς βάλανος Græcis nux eſt pontica: nux juglans Latinis eſt Baſilica, vel Perſica. Alia herba eſt, quam Græci ξίφιον, vel φασγάνιον vocitant, alia quam Latini *gladiolum*. In eo tamen errore omnes hactenus herbarii verſati ſunt, ξίφιον Græcorum eſſe, quem Latini gladiolum appellant. Sed falluntur. Latinis *gladiolus* dicitur, quæ Græcis ἶρις ἀγρία, vel ξυρὶς. Diſertè hoc oſtendunt Dioſcoridis verba, quæ ex antiquiſſimo codice ita ſunt legenda: Ξυρὶς, οἱ δὲ ξυρίδα, οἱ δὲ ἶριν ἀγρίαν, Ῥωμαῖοι δὲ γλαδίολον. Eſſe noſtrum gladiolum deſcriptio fidem facit: καυλὸν δὲ ἐκ μέσων τῶν φύλλων πηχυαῖον ἱκανῶς παχὺν ἐφ' οὗ λόβοι τρίγωνοι καὶ ἐπ' αὐτῶν ἄνθος πορφυροῦν. Τὸ δὲ ἐν μέσῳ φοινικοῦν, καρπὸς δὲ ἐν θυλακίοις σικύοις ὁμοίοις, στρόγγυλος. At quod Græci ξίφιον vocant, & φασγάνιον, toto genere diverſum eſt, nec Latini *gladiolum* id genus appellarunt, ſed Græco nomine xiphion, & phaſganion. Dioſcorides in eo ita corrigendus ex eodem codice: Ξίφιον οἱ δὲ φασγάνιον, οἱ δὲ μαχαιρώνα καλοῦσι διὰ τὸ τοῦ φύλλου σχῆμα. Ἔοικε γὰρ ἴριδι. Reliqua omnia, ut ſpuria ſunt rejicienda. At viri doctiſſimi falſo hactenus crediderunt, quem Plinius multis locis gladiolum nominat, eumdem eſſe cum illo xiphio, vel phaſganio, quod ex profeſſo deſcribit lib. xxv. cap. xi. Nec enim ibi Latini *gladiolum* vocari monet, nec aliis in locis, ubi medicinas ex eo refert, aliter vocat quam xiphion, nuſquam gladiolum nominat, at *cypiron*, τὴν κύπειρον, gladiolum ubique interpretatur, & ſeparat à cypero junco. Ut aliud ſit κύπερος, aliud κύπειρος, hic gladiolus, ille juncus, unde & πλέγματα fiebant. Heſychius: Κύπερα, τὰ ἐκ κυπείρου σχοίνου πεπλεγμένα. Idem alibi ſcribit cypirum eſſe alterum gladiolum. Ergo iris ſilveſtris alter gladiolus. Et tamen alio loco ξίφιον Theophraſti vertit *gladiolum*; quaſi ξίφιον Dioſcoridis, & Theophraſti diverſa ſint: de quo alibi viderimus. Illud ſanè conſtat quod volumus, aliam herbam ξίφιον Græcis vocari, aliam *gladiolum* Latinis. Nunc Plinii verba de ſparto Hiſpanico explicanda, & emendanda, quæ ſic vulgo leguntur: *ad reliquos uſus laborioſè evellitur, ocreatis cruribus, manibuſque tectis manicis, convolutum oſſeis ligneiſve conamentis. Nunc jam in hiemem vix, facillime tamen ab Idibus Maiis in Iunias: hoc maturitatis tempus.* Nemo aliter dixerit, quin hæc ſint contaminatiſſima, nec multum opis in libris, qui parum ab hac ſcriptura variant. Scribunt tamen, *manu textiſque manicis*, & *juxta* pro *vix*. Totum eum locum ſic concipi mihi placet: *ad reliquos uſus laborioſè vellitur ocreatis cruribus, manuque textis manicis convoluta, oßeis ligneiſve nucamentis: nunquam in hieme, in æſtu: facillimè tamen ab Idibus Maiis in Iunias: hoc maturitatis tempus.* Scriptum erat *nocamentis* pro *nucamentis*. Inde factum facili tranſpoſitione *conamentis*. Nucamenta propriè ſunt, quæ callo ſquamatim compactili dependent è ramis juglandum, & picearum. Ad hanc formam oſſeis, & ligneis nucamentis manicæ texebantur, quibus manum convolvebant, quibus vellendum erat ſpartum. Laborioſe igitur admodum vellebatur, ocreatis cruribus, & manu convoluta manicis textis oſſeis, ligneiſve nucamentis. Hoc indubitatè verum eſt. Sequitur: *nunquam in hieme, in æſtu*. Ita ſæpe ἀσυνδέτως loquitur Plinius, quod ubique corruptum correctoribus. Sic autem emendavimus pro eo, quod eſt in libris: *nunc jam in hiemem juxta*. Quod mendum irrepſit ex veteri ſcriptura non ſatis emendata, *nuncam* pro *nunquam*: Unde fecerunt librarii, *nunc jam*. Scriptum erat deinde, *in hieme, in axtu*. Unde proclive fuit indoctis librariis reſcribere, *in hiemem juxta*. Sic in antiquiſſimo codice Apuleji de Remediis herbarum, qui ex Plinio totus compilatus eſt, ſæpe reperio ſcriptum *extate* pro *æſtate*. Dicit igitur ſpartum nunquam velli in hieme, nec in æſtu, id eſt, per ſummos calores. Cum per æſtum non vellatur, ut nec per hiemem, adjicit facillime tamen velli ab Idibus Maiis in Junias, & hoc eſſe maturitatis ejus tempus; paulo ante quam æſtas incipiat, & ſummus anni æſtus. Quæ ſequuntur, etiam medelam requirunt, ut hodie concepta ſunt: *vulſum faſcibus in acervo animatum biduo, tertio reſolutum, ſpargitur in ſole, ſiccaturque & rurſus in faſcibus redit ſub tecta.* Quid enim illud ſibi vult *animatum*. Veteri Thuanæo deeſt vox *faſcibus* priore loco, & ſic legit: *Volſum in acervo animatum biduo.* Eadem tranſpoſitione, quam ſuprà in voce *nocamentis* notavimus, hic etiam locus corruptus fuit. Scriptum quippe in antiquioribus erant, *maniatum*. Unde factum eſt *animatum*. Et nihil facilius. At *maniatum* pro *manuatum*, ut *bitiæ* pro *bituæ*: *miſcus* pro *muſcus* & ſimilia. *Manua* idem quod manipulus, quod olim primi indicavimus ad Hiſtoriam Auguſtam: quum ea vox ubique corrupta legatur. Vetus interpres Juvenalis *manuas fœni* dixit. Gloſſæ: δέσμη, *manua*, *faſcis*. Aliæ Gloſſæ: δράγμα, *manipulus*, *manua*. Et nondum editæ Latinæ: *manua*, *manipulus*. Plinius *manuales faſces* dixit de lino: *tum evolſum, & in faſciculos manuales colligatum ſiccatur in ſole*. Inde & *ſpartum in acervo manuatum* hoc loco dixit, hoc eſt, in manuas, ſive manuales faſciculos colligatum. Confirmat eam conjecturam, quod ſequitur: *tertio reſolutum ſpargitur in ſole, ſiccaturque, & rurſus in faſcibus redit ſub tecta*, id eſt, & rurſus manuatum. Nam primo in acervo manuatur per biduum, deinde tertio die reſolvitur, & ſparſum in ſole ſiccatur, poſtea rurſum in faſciculos manuales colligatur, atque ita redit ſub tecta. Græci δράγμα interpretantur, ὅσον περιλαμβάνει τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ ὁ θερίζων. Iidem alibi: δράγματα δέσμας καὶ ὅπερ ἡ χεὶρ δράξηται. Ad verbum *manuæ* ſunt, ſive manipuli, & faſciculi manuales. Hactenus de ſparto.

Non coquunt ibi ſales, ſed effodiunt] Libri: *non cogunt ibi ſales*. Ita in omnibus ſummo conſenſu. Et verum eſt. Οὐχ ἅλας πήττουσιν, ἀλλ' ὀρύττουσιν. Unde ἁλοπηγοὶ, qui ſalem cogebant, & ἁλοπήγια ſalinæ, in quibus ſal cogebatur. De factitio ſale intelligit, cujus varia quidem genera, ſed *vulgaris, plurimuſque in ſalinis mari adfuſo non ſine aquæ dulcis riguis, ſed imbre juvante, ac ſuper omnia ſole multo, non aliter inareſcens.* Ita Plinius. Hunc morem ſalis cogendi ſic deſcribit Nicander in Alexipharmacis:

Πολλάκι δ' ἢ ἅλα πηκτὸν ὁμιλαδὸν ἢ ἅλος ἄχνην
Ἐμπίσαις, τὸ δ' αἰὲν ἀνὴρ ἁλοπηγὸς ἀγείρει
Νειόθ' ὑφισταμένην, ὁπόθ' ὕδασιν ὕδατα μίξῃ.

Sic fit ſal coactilis, quem ἅλα πηκτὸν Nicander vocat, aqua marina in dulcem affuſa per ἁλοπηγοὺς. Gemina cauſa ſalis omnis tam factitii, quam ſponte naſcentis, coactus humor, aut ſiccatus, ut cenſet Plinius. Inter ſponte naſcentia genera ſiccatur ſole in ſtagnis & lacubus: denſatur, id eſt, cogitur rore ſpuma maris in extremis littoribus relicta: denſatur quoque in fluminibus, quorum ſumma in glaciem coguntur ſalis, reliquo amne quaſi ſub gelu fluente. Qui effoditur è terra, humore quoque denſato, & coacto naſcitur. Eadem cauſa & montibus nativi ſalis, denſatio ſcilicet. Quod ad factitium attinet, qui ex mari in ſalinas infuſo fit, ſole præcipuè multo opus habet, quo inareſcat. Ergo ſiccato humore, non coacto fieri juxta Plinium ſtatuendum eſt. Græci tamen ἁλοπήγια

hujuſ-

hujuſmodi ſalinas vocant: & ἁλοπηγὸν, qui aquam marinam dulci affundit ad cogendum ſalem: & ἅλα πηκτὸν, qui ſic confectus eſt. Ἁλοπήγια etiam vocant, quum ſal inareſcit, ac ſole ſiccatur in ſtagnorum, ac lacuum ſuperficie, & πήγνυσθαι ſalem, qui ſic denſatur. Strabo lib. XI. λίμνην ἣ ἔχει τὴν Σπαῦτα, ἐν ᾗ ἅλες ἐπανθοῦντες πήγνυνται: *in quo ſales effloreſcentes denſantur.* Et ſub finem ejuſdem libri meminit λίμνης in Armenia, quæ ἁλοπήγια hujuſmodi habeat. Non rectè igitur Plinius differentiam ſtatuit inter ſole ſiccatum ſalem, & coactum, ſive denſatum. Etenim quocumque modo ſal fiat, aut gignatur, πήγνυσθαι Græcè dicitur, cui denſando, ſive cogendo unica cauſa eſt calor, τὸ θερμόν. Fabianus in cauſis naturalibus apud Soſipatrum: *cur ſal aliud perlucidius, aliud inquinatius, & nigrius? quia ſal ex arido congelatum eſt.* Sic ſcribendum: *quia ſal ex ardido congelatum eſt*, ἐκ τοῦ θερμοῦ. Aliud *aridum*, aliud *ardidum*. Salem ὑπὸ θερμοῦ πήγνυσθαι Ariſtoteles Meteorologicorum lib. IIII tradit. Ideo aqua diſſolvitur. Cum igitur calore denſetur, ex ardido congelari rectè dicatur. *Ardidum*, τὸ θερμόν. Hinc apud Gellium, *ſole ardido*. Ubi male etiam arido legitur. Qui magis *calidus* à caleo, aut *aridus* ab areo, quam *ardidus* ab ardeo? *Ardes* etiam dicebatur pro ardore: unde *ardidus*, ὁ θερμός. Varro lib. III. de R. R. *In Bajano autem tanta ardes, ut architecto permiſerit, velut ſuam pecuniam conſumeret, dummodo perduceret ſpecus è piſcinis in mare.* Vulgo editur, *in Bajano tanta ardebat cura.* Sed quæ à nobis repoſita eſt, innititur veteris ſcripturæ auctoritati, quam ab hac lectione haud longe abeſſe eruditiſſimi viri teſtimonio ſcimus. Accius apud Nonium. *Arde fœta lampade*, id eſt, ardoris plena. Ipſe male legit, *ardefœta lampade* unica voce. Sic *loca fœta furentibus auſtris* apud poëtam. *Ardes*, ut *tabes*, *labes*, & ſimilia. Inde igitur. *Ex ardido ſal congelatum.* Solinus infrà de ſale: *qui conſtrictus vi caloris velut in æſtivam glaciem corporatur.* Haud malè tamen etiam *ex arido congelatum*, quod ſiccato, & areſacto humore congelatur. Nam ἐξικμάσει καὶ ἀποστάσει ὑγροῦ ſal concreſcit. Vera autem heîc lectio *non cogunt ibi ſales*, non cogendos & denſandos curant in ἁλοπηγίοις, ſed effodiunt. *Cogere*, πηγνύειν. Unde *cogi* veſtimenta apud fullonem dicuntur: & *coacta lanæ* τὰ πιλωτά: & *murrea coacta* apud Propertium.

Murreaque in Parthis pocla coacta ſuis.

Vulgo quidem editum eſt, *pocula cocta focis.* Sed veteres libri habent, *ſuis.* Præterea non coquuntur murrina apud Parthos, ſed humore ſub terra denſantur, & coguntur. Quod nec potuit ignorare Propertius. Alia ab his fuere murrina ex vitri imitatione facta, & cocta, quorum apud Peripli auctorem mentio, & nos de his alio loco diximus. Forte utraque confuderit Propertius Parthica, ſive Carmanica murrina cum vitreis murrinis, quæ in Ægypto coquebantur. De quibus infra. Salis cogendi ἐν τοῖς ἁλοπηγίοις plurimus, vulgariſque uſus, non coquendi. Coquitur ſal, qui ex fontium ſalſorum aqua decocta conficitur. Plinius: *in Chaonia excoquunt aquam ex fonte, refrigerandoque ſalem faciunt inertem, ſed candidum.* Antigonus: ἐκ δὲ τῆς περὶ Χαονίαν πηγῆς, ὅταν ἀφεψηθῇ τὸ ὕδωρ, ἅλας γίνεσθαι, *quum excocta aqua fuerit.* Perperam vertunt: *cujus aqua elixando in ſalem mutetur.* Elixa dicuntur, quæ in aqua coguntur; ſed aqua ipſa ſola quum fervet, excoqui, & decoqui dicitur. Inde veterum *decocta.* Hujuſmodi ſales, qui ex fontium ſalſorum aqua excocta parantur, multis in locis etiam hodieque reperiuntur, & candidi ſunt, ſed ignavi.

Depurgant in minium nitelas pulveris] *Nitela pulveris*, ἄμμος λαμπυρίζουσα. Ita vocat Theophraſtus, ex qua minium curabatur in urbe Epheſo. At in Hiſpania parabatur, ἐκ λίθου τινὸς μεμιγμένου τῇ ἀργυρίτιδι ψάμμῳ. Ita Dioſcorides, qui ἄμμιον vocat, ſed quantum exiſtimo voce corrupta, quum legendum ſit μίνιον, aut μίνυον. Sic igitur apud eum ſcribo. Κιννάβαρι οἴονταί τινες ταὐτὸν ὑπάρχειν τῷ καλουμένῳ μινίῳ, πλανώμενοι, τὸ γὰρ μίνιον σκευάζεται ἐν Ἰσπανίᾳ ἐκ λίθου τινὸς, &c. Malè ſcribitur, τῷ καλουμένῳ ἀμμίῳ. Quis enim ſic vocat? Atqui de nomine vulgari, ac tralatitio loquitur. Et capite ſequenti idem mendum inolevit: ὑδράργυρος δὲ σκευάζεται ἐκ τοῦ μίνυος λεγομένου, καταχρηστικῶς δὲ καὶ τοῦτο κινναβάρεως λεγ-

A μένου. Perperam editur, ἐκ τοῦ ἀμμίου. Heſychius: μίνυον, τὸ βλῆτον, λάχανον, ἢ κιννάβαρι. Idem: μίνυον χρωματικόν τι. Græci veteres κιννάβαρι vocaverunt minium, priuſquam Hiſpanici ullam haberent notitiam. Sic vocat Theophraſtus. At *minium* ab Hiſpaniæ fluvio dictum vult Vitruvius. *Minium*, inquit, & *Indicum nominibus ipſis indicant, quibus in locis procreentur.* Contra Juſtinus minium metallum amni nomen dediſſe ſcribit, quod in vicino effoderetur. Diverſa eſt à minio rubrica, quam Græci μίλτον vocarunt. Docti homines ex corrupto Plinii loco perperam pertendunt minium Græcis vocatum fuiſſe μίλτον. Plinii verba: *Milton vocant*
B *Græci minium, quidam cinnabari.* Sed vitioſa diſtinctione in illo loco peccatum eſt. De minio loquitur: *auctoritatem*, inquit, *colori fuiſſe non miror. Jam enim Trojanis temporibus rubrica in honore erat, qui naves ea commendat, alias circa picturas, pigmentaque rarus. Milton vocant Græci: minium quidam cinnabari.* Ita diſtinguendum fuerit, ſi vulgatam retinemus, ſed quum in libris repererim, *minium qui cinnabari*, præſtat reſcribere: *milton vocant Græci, miniumque cinnabari.* Rubricam milton Græci vocant, & minium cinnabari. Auctoritatem minio fuiſſe mirandum non eſſe dicit, quum Trojanis temporibus Homero teſte jam eſſet in honore ru-
C brica. Græcos eam μίλτον vocare: minium vero quoſdam cinnabarim. Nihil certius. Νῆας μιλτοπαρῄους Homerus vocat. At Homeri temporibus minium nondum erat cognitum, nec nomen habebat. Quod inventum primo à Callia Athenienſi nonaginta circiter annis ante Theophraſti tempora, & appellatum à quibuſdam cinnabari, Indici cinnabaris nomine. Sic etiam legenda, ac interpungenda verba, quæ ſequuntur apud Plinium: *minium quidam cinnabari, unde natus error. Indico nomine.* Ita libri. Quidam Græcorum minium vocaverunt cinnabari Indico nomine, quo illi ſaniem
D draconis eliſi vocabant. Gummi tamen Indicæ arboris eſſe Arrianus novit, & verum eſt. Idem Plinius ibidem addit quoſdam medicos, quia minium cinnabarin vocarent, pro cinnabari Indico minium uſurpaſſe, magno errore, & certa ægrotantium pernicie. Nam minium venenum eſt. At cinnabari Indicum arboris gummi. Inde igitur natus error. Invento primum minio in Epheſo, quam adhuc eſſet ſine nomine, Græci quod colore Indicum cinnabari referret, ita etiam vocarunt, & poſtea hæc appellatio manſit. Gloſſæ: *minium*, κιννάβαρι. Sed καταχρηστικῶς. Latini dixere *minium* voce Hiſpanica. Inde enim ad Romanos tantum invehebatur: & omnia ferè metalla nomen nacta ſunt è locis,
E ubi proveniunt,

Fucant vellera, ut ad ruborem merum deputent cocci venenum] Ita ſcripſi propitiis, ac volentibus libris, cum eſſet vulgo, *ut ad ruborem mirum.* Ἄκρατον ἐρύθημα, *rubor merus.* Ut enim merum vinum dicitur, quod diluto opponitur, ita merus color dilutiori. Sic ἄκρατον μέλαν Ariſtoteli in libro de coloribus. Et Theophraſto ἄκρατα λειώματα κυανοῦ, quæ τοῖς ὑδαρεστέροις opponuntur, merè ceruleæ ſexpolitioribus, pallidioribus. Incertus auctor de marmoribus: ὁ δὲ Βυθινὸς ἀκράτῳ χρῆται τῷ μέλανι. Ὁ δὲ Πεντέλησιν λευκός ἐστιν, ὥσπερ γάλα.
F Latini etiam *meraca.* Philargyrus: *in conſuetudine dicimus meracius ſatura, quæ purius & meracius lucent.* Ceterum locus hic non ex toto perſanatus. Quid enim hæc ſignificant, *deputare cocci venenum ad ruborem merum?* Scriptum ſuſpicor fuiſſe *eputent* pro *epotent*, unde *deputent* à correctoribus procuſum. Scribe itaque: *fucant vellera, ut ad ruborem merum epotent cocci venenum.* Hoc plus quam conjectura eſt: nihil enim certius. *Vellera, quæ cocci venenum potant ad ruborem merum.* Sic apud Lampridium: *purpureis ad plenum colorem cornibus.* Plinius de purpura tingenda: *quinis lana potat horis, rurſuſque mergitur carminata, donec omnem ebibat ſaniem.*
G Hinc ebriæ, & ſaturæ lanæ, quæ multum potavere. Mattius in mimiambis:

Et tonſiles tapetes ebrii fuco. Alius Poëta:

Vellera, quæ Tyrios epotavere cruores.

Cocci venenum] Colorem. Ita Græci φάρμακον ἀντὶ τοῦ βάμματος. Unde φαρμακῶνες, τὰ βαφεῖα. Et φαρμάσσειν, tingere, βάψαι. Sic Latinis *venenare.* Mattius: *Quos concha purpura imbuens venenavit*, id eſt, tinxit, ἐφάρμαξε.

ἐφάρμαξε. Inde *venenatum*, pallium infectum, quo Flaminica veteri cærimoniarum jure operta esse debebat. Servius: *veteri cærimoniarum jure præceptum est, ut Flaminica venenato operta sit.* Item alio loco: *præterea Flaminicam habere præcipitur arculum, ricam, venenatum, fibulam.* Hoc *venenatum* dicebatur, quod flammeo veneno, id est, colore tinctum esset. Nam flammeum etiam vocabatur à colore flammeo. Festus: *Flammeo amicitur nubens ominis boni causa, quod eo assiduè utebatur Flaminica, cui non licebat facere divortium.* Idem: *Flammeo vestimento Flaminica utebatur, id est, Flaminis Dialis uxor, & Jovis sacerdos, cui telum fulminis eodem erat colore.* Ergo *flammeum*, & *venenatum* idem: βαπτὸν περιβόλαιον.

Cocci venenum] De cocco notabilis Plinii locus lib. XVI. cap. VIII. *Omnes tamen has ejus dotes ilex solo provocat cocco. Granum hoc primoque ceu scapus fruticis parvæ aquifoliæ ilicis: cusculeum vocant. Pensionem alteram tributi, pauperibus Hispaniæ donat.* Corruptissima hæc nemo negaverit, jam & tentata doctis. Turnebus ex parte etiam emendavit. Nos ad plenum sanabimus, & explicabimus. Scribitur in vetustissimo codice Thuanæ Bibliothecæ: *granum hic primoque ceu scaptes fruticis parvi aquifoliæ ilicis.* Scribe: *granum hic, primoque ceu scabies fruticis parvi, aquifoliæ ilicis: coscylium vocant.* Hic coccus, inquit, & primo ceu scabies parvi fruticis, aquifoliæ nempe ilicis, & coscylion vocatur. Ilicem solo cocco provocare omnes roboris dotes ait. Non omnis ilex coccum βαφικὸν fert, sed aquifolia. Ilex, hoc est, πρῖνος inter glandiferas arbores, sed præter glandem producit etiam κόκκον φοινικοῦν. Theophrastus de ilice: φέρει δὲ καὶ παρὰ τὴν βάλανον κόκκον τινὰ φοινικοῦν. Hic coccus inter fructus ilicis proprios, fert enim præterea viscum & hyphear dictum, non sua germina. Hic ilicis arboris fructus, coccus ille puniceus non is est, quo infectores utebantur, sed in parvo frutice nascitur, primo quasi scabies cortici inhærens, parvarum instar vesicarum. Hunc fruticem *aquifoliam ilicem* Plinius vocat, quia de genere sit aquifoliarum ilicum. *Aquifolia* ilex ea est, quæ folia habet aculeata, & pungentia. *Aquifolium* Latini vocant, quod Græci ἀκανθόφυλλον, vel ὀξύφυλλον. Sic *aquipes*, ὀξύπους. Lucillius: *aquipes vocem mittere cœpit.* Nam *acipes* pro *aquipes*. Scriptum inde *agipes* corruptum. Glossæ: *aquipedium*, ὀξυποδία. Festus *acupedium* interpretatur, *cui præcipuum in currendo acumen pedum.* Nam ὀξυποδεῖν Græci dicunt de his, qui velociter currunt. Scriptum porro *aquifolium*, & *aquipedium* pro *acuifolium*, & *acuipedium.* Antiquum *acus* ab acuo, ὀξύς. Unde & *acumen* pro *acuimen*. Inde igitur *aquifolia ilex* Plinio ἡ ὀξύφυλλος πρῖνος, ut *latifolia quercus*, ἡ πλατύφυλλος. Diversa verò ab aquifolia ilice arbor, quam absolutè *aquifolium* dixere Latini. Plinius sic vocat, & distinguit ab ilicibus aquifoliis lib. XVI. ca. XXIIII, *folia aculeata aquifolio, & ilicum generi.* Vides genus ilicum, quæ aquifoliæ sunt, id est, quæ aculeata habent folia, separari ab *aquifolio*, sic absolutè nominato. *Aquifolium* Plinio est, quæ Theophrasto ὀξυάκανθος. Ita enim ubique reddit. Apud Theophrastum inter arbores, quibus non decidunt folia, recensentur istæ: φελλόδρυς, κήλαστρον, ὀξυάκανθος, πρῖνος, μυρίκη. Plinius cap. XXI silvestrium generis folia non decidere ait, *larici, pinastro, junipero, cedro, buxo, ilici, aquifolio, suberi, taxo, tamarici.* Easdem arbores nominat, quas Theophrastus, & ὀξυάκανθον reddit *aquifolium.* Et cap. XXV ejusdem libri de arboribus, quæ vere ineunte germinant. *Cetera vere cœpturo, aquifolium, terebinthus, paliurus, castanea, juglans.* Theophrastus: τὰ δὲ ἄλλα περὶ ἐνισταμένου τοῦ ἦρος, οἷον ἐλνεὸς, φιλύκη, ὀξυάκανθος, παλίουρος, τέρμινθος, καρύα, διὸς βάλανος. Atque ita in aliis locis. Idem lib. XXIV. cap. XIII *aquifoliam arborem* appellat, & inter varia spinarum genera medicinas ex ea recenset. *Aquifolia arbor in domo, aut villa sata veneficia arcet, flore ejus aquam glaciari Pythagoras tradit.* Præcedunt, ac sequuntur ibidem remedia ex pyracantho spina, paliuro, & ruborum. In Indice capitis *aquifolium* vocatur. Ita enim index manu exaratus: *spina appendice, II: pyracantha, I: paliuro, X: aquifolio, X: taxo, I: rubis, II.* Sic *aquifolia arbor*, & *aquifolium* spinæ genus, quæ Græcis ὀξυάκανθος. Idem lib. XV. cap. XXIV aquifolio ac spinæ baccas esse tradit sine succo, hoc est, ὀξυακάνθῳ καὶ ἀκάνθῃ. Ita enim & Theophrastus

A eas jungit. Dioscorides oxyacantham fructum ferre scribit, μυρτῷ ἐμφερῆ, ἁδρὸν, ἐρυθρὸν, εὔθρυπτον, ἔνδοθεν πυρῆνα ἔχοντα. Hæ sunt aquifolii baccæ Plinio, quæ succo carent. Cum igitur Plinius multis locis *aquifolium* verterit τὴν ὀξυάκανθον, idem tamen lib. XXVII. cap. VIII cratæogonon herbam describens hæc verba in fine subjicit: *Theophrastus arboris genus intelligi voluit, cratæogonon, sive cratæogona, quam Itali aquifolium vocant.* Ita enim libri scribunt, non *aquifoliam*, quod tamen idem esset. Et falluntur eruditissimi vulgo Herbarii, qui *aquifolium*, vel *aquifoliam* Plinii putant esse ἀγρίαν Theophrasti, quæ ilicis aquifoliæ species est. Multas

B tamen Plinii hallucinationes in eo loco animadvertere licet. Cratæogonon, vel cratægonon herbam Dioscoridis eamdem facit cum cratægo, vel cratægone Theophrasti, quæ arbor est, & quam silvestrem mespilum ille intelligi voluit. Κραταιγὸν autem vocat, non κραταιγόνον: additque vocari quibusdam κραταιγόνα. Hæc ejus verba sunt: Κραταιγὸς δ᾽ ἐστίν. Οἱ δὲ κραταιγόνα καλοῦσιν, ἔχει δὲ τὸ μὲν φύλλον ὅμοιον μεσπίλῃ. Fructum habere rotundum dicit, κατὰ τὴν γεῦσιν, καὶ τὸν χυλὸν μεσπιλώδη, tandemque pronuntiat, silvaticam mespilum esse videri. Κραταιγὸς igitur, & κραταιγὼν nomen illius arboris: at κραταιόγονον vel κραταίγονον herbæ.

C Atque ita rectè distinguit Hesychius his verbis: Κραταίγονον, βοτάνη μεθ᾽ ἧς πλέκουσι. Κραταιγὸς, δένδρον. Dioscoridis antiquissimus codex κραταιόγονον appellat herbam. Plinii vetusta exemplaria *cratægonon*, ut Hesychius, & melius, ut κραταιγύαλος, κραταίπεδον, & κραταίλεον, ac similia. Hoc nominis nacta est propter virtutem, quam obtinet ἐν τῇ γονῇ. Nam pota facere potis est, ut mulier virilis sexus puerum pariat. At nulla vis talis est in cratægo arbore, nec eam nomine præfert. De cratægono lege apud Dioscoridem: Κραταιόγονον φύλλα ἔχει ὅμοια τοῖς τοῦ πυροῦ. Ita habet liber vetustissimus, non τοῖς τοῦ μελαμπύρου. Plinius: *Cratægonon spica tritici simile*

D *est.* Multum dissimili sensu. Forte legendum: *specie tritici simile est.* Τὸ εἶδος ὅμοιον τῷ πυρῷ. Sed ab aliis habet. Scribe etiam in Dioscoride: φύεται ἐν συσκίοις, καὶ φραγμώδεσιν, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τόποις. Hæc differentia est cratægi arboris & cratægoni herbæ, quas tamen etiam alibi confundit Plinius, ut lib. XXVI. cap. X in satyrii descriptone: *in totum quidem Græci cum concitationem hanc volunt significare, satyrion appellant, sic & cratægon cognominantes, & thelygonon, quarum semen testium simile est.* Sic apud eum legendum, non crategin. Speciem cratægoni alibi dixit *thelygonon* appellari, quæ mulieres θηλυγόνους redderet, ut κραταιόγονον reddebat

E ἀῤῥενογόνους. *Est & alia cratægonos, quæ thelygonos vocatur; intelligitur lenitate gustus.* Hic cratægon pro cratægono posuit. Falsum etiam cratægonon cognominatum esse satyrion. Falsum quoque semen cratægoni, aut thelygoni testium esse simile. Herba ὄρχις est sic dicta, quod ejus radix gemina sit, & geminorum speciem referat. De ea scribit Dioscorides narrari vulgo, τὴν μὲν μείζονα ὑπ᾽ ἀνδρῶν ἐσθιομένην ἀῤῥενογονεῖν, τὴν δὲ ἐλάττονα ὑπὸ γυναικῶν θηλυγονεῖν. Hæc orcheos species etiam cynosorchis dicebatur. Hoc idem de satyrio & de cynosorchi scripsit Plinius, & sanè satyrion etiam utrum-

F que cognominarunt. Apulejus: *Græcis dicitur satyrion, aliis cynosorchis, aliis entaticon.* Θηλυγόνος igitur ὄρχις altera, item ἀῤῥενογόνος, una, eademque radice utraque hac virtute prædita. At κραταιόγονον planè ἀῤῥενόγονον, quod & confudisse videntur quidam cum orchi ἀῤῥενογόνῳ. Inde & speciem facit cratægoni Plinius τὴν θηλύγονον, & cognominatum utrumque satyrion dicit, & omnia miscet. Sed illud omnium pessimè, quod cratægon vocat, & arboris nomen cum herba confundit. Illud item nec rectè, quod cratægon arborem Theophrasti ab Italis *aquifolium* vocari censet. Atqui aquifolium inter spinosas arbores alibi recensuit, & Græcorum

G ὀξυάκανθον sic expresserat, & rectius, ut nomen ejus indicat, quod περιακανθίζον folii designat, vel ὀξύφυλλον. Cratægus Theophrasti, quæ mespilus est silvestris, spinis caret. Nam τὴν μεσπίλην Theophrastus ἀνάκανθον esse tradit. Nonnulla sunt tamen, quæ Plinium induxerunt ad ita sentiendum: immo, ut crederet ὀξυάκανθον, & ἀγρίαν μέσπιλον eamdem esse. Dioscorides tradit, ὀξυάκανθαν esse δένδρον ἀγρίῳ παραπλήσιον, μικρότερον δὲ, καὶ ἀκανθῶδες ἄγαν. Pyro silvatico similem, minorem tantum &

& totam spinis horridam. Idem tradit πυρίνην subaudi ἄκανθαν, & πυρακάνθαν appellari. Sic enim verba ejus legenda sunt: ὀξυακάνθαν, οἱ δὲ πυρίνην, οἱ δὲ πυρακάνθην καλοῦσι. Malè πυρακάνθην legunt. Ἄκανθα, ut notum est, spinam significat, at ὀξυακάνθης nomen auget, & intendit spinosæ, & aculeatæ arboris significationem. Inde & πυρακάνθαν pro eodem dixere, quasi igneam dixeris, & valdè urentem, pungentemque spinam. Mespili porro genus est apud eumdem Dioscoridem, quod aculeatum esse, & folia πυρακάνθῃ similia habere dicit. Μέσπιλον τὸ δένδρον, ὃ παρ' ἐνίοις ἀρωνία καλεῖται, ἀκανθῶδές ἐστιν, ὅμοιον τοῖς φύλλοις πυρακάνθῃ, καρπὸν φέρον μικρῷ μήλῳ ὅμοιον. Cum scripserit igitur Theophrastus κραταιγὸν esse ἀγρίαν μέσπιλην, tradatque Dioscorides μέσπιλον esse ἀκανθῶδες, & folia pyracanthæ, vel oxyacanthæ similia habere, inde Plinius ὀξυάκανθον vertit aquifolium, & esse dicit, quam Græci κραταιγὸν vocant, quasi ὀξυακάνθαν Græci appellarint genus silvaticæ mespili, quæ spinis horret. Nam ὀξυάκανθον pirastro similem Græci tradunt, & mespila iidem Græci pirorum generi adscribunt. *Pyracanthæ* quoque meminit inter spinas Plinius lib. XXIIII. cap. decimo tertio, ubi perperam scribitur *pyxacanthæ.* Sed libri ibi legunt *pyrracanthi.* In indice tamen, & & aliis libris *thyrracantha* dicitur pro *pyrracantha*, vel Pyracantha. *Pyrracantha baccæ contra serpentium ictus bibuntur. Paliurus quoque spinæ genus.* Ea est quam πυρακάνθην multis locis vocat Dioscorides, quasi πυρίνην ἄκανθαν, ut de oxyacantha dixit. An πυῤῥάκανθα ea potius dicenda, ut suadere videtur scriptura Pliniana, quasi rubra spina? ut λευκάκανθα alba spina dicitur. Certè lignum oxyacanthæ ad hunc colorem inclinat. Aliter tamen Dioscorides, qui πυρίνην ἄκανθαν, & πυράκανθαν ubique vocat. Ubi perperam rescribunt πυξακάνθαν. Nicander quoque in versu πυρακάνθαν dixit. Hæc viderint Herbarii nostri. Alia est πυξάκανθα. Sic enim vocabatur spinæ genus in Lycia proveniens, sic dictum, quod folia haberet similia buxo. Hoc & Λύκιον dicebatur. Oxyacantha vocabatur etiam πυράκανθα. Mespilum ἀκανθῶδες simile foliis erat τῇ πυρακάνθῃ. Cratægus silvestris est mespilus. Hinc *aquifolium* Italorum, quę est ὀξυάκανθος, κραταιγὸν esse Græcorum pronuntiavit Plinius. Nihil tamen de spinis cratægi meminit Theophrastus. Verùm de mespilis, de sorbis, & de toto hoc genere nos alibi. Aquifolium porro inter arbores infelices recensetur Tarquitio Prisco apud Macrobium in ostentario Arborario his verbis: *alaternum, sanguinum, filicem, ficum atram, quæque baccam nigram, nigrosque fructus ferunt, itemque acrifolium, pirum silvaticum, ruscum, rubum, sentesque.* Ita omnino scribendum: *acrifolium*, vel *aquifolium*, non, ut editur in vulgatis, *acrifolium.* Et fortassean illud *pirum silvaticum* ex glossa profectum est antiqui lectoris, qui *aquifolium* pirum esse silvaticum ad oram notaverat. Nam ὀξυάκανθον, quæ aquifolium est, piro silvatico, τῇ ἀχράδι similem esse Dioscorides scribit. Hæc arbor in Italia vulgo nascebatur, cui Plinius, cum in Græcia nomen quæreret, verisimilibus notis inductus alibi ὀξυάκανθον Græcorum, alibi κραταιγὸν Theophrasti esse scripsit, cum tamen κραταιγὸς, & ὀξυάκανθος diversæ sunt. Spinosam esse arborem ex nomine constat, & ex illo Tarquitii loco, qui inter spinas numerat, ut etiam Plinius. Proprie igitur, & καθ' ἐξοχὴν *aquifolium* hæc arbor appellatur διὰ τὸ τῶν φύλλων παρακανθίζον. Negat Theophrastus de foliorum differentiis tractans ἐν τοῖς δένδροις ullum omnino existere, quod sit φυλλάκανθον, quodque spinas pro foliis habeat, ut in fruticibus parvis, & omni carduorum genere. At in arboribus παρακανθίζοντα folia vocat, quæ aculeata, vel acuta sunt, tum in extremo, tum in lateribus. Τὰ δὲ, inquit, παρακανθίζοντα, καὶ ἐκ τοῦ ἄκρου, καὶ ἐκ τῶν πλαγίων. Οἷον τὰ τῆς ἀρίας, τὰ τῆς φελλόδρυος, καὶ βάτου, καὶ παλιούρου, καὶ τὰ τῶν ἄλλων. Ita scribendus ille locus. Malè etiam hodie legitur τὰ δὲ ἢ παρακανθίζοντα. Et pessime vertunt: quædam *cum extremo, tum lateribus sinuata.* Plinius vertit, *folia aculeata aquifolio, & ilicum generi.* Eam lectionem ipse confirmat Theophrastus sub finem capitis, ubi omnes foliorum differentias in summam sic recolligit: ἁπλῶς δὲ αἱ

A διαφοραὶ τῶν φύλλων, ἢ μεγέθει, ἢ πλήθει, ἢ σχήματι, ἢ πλατύτητι, ἢ κοιλότητι, ἢ στενότητι, ἢ τραχύτητι, ἢ λειότητι, καὶ τῷ παρακανθίζειν, ἢ μή. Plinio placet *aquifolium* esse ὀξυάκανθον Græcorum, sed malè cum cratægo confundit. Placet herbariis nostris ὀξυάκανθον Græcorum eamdem esse, quæ officinis *berberis*, Gallis vero *spina vinetta* dicitur. Sed omnino falluntur, licet hoc verissimum, & exploratissimum videri velint. Nimis multa sunt, quæ contra faciunt. Oxyacantha piro silvatico similis. Nihil tale in spina vinetta, quæ lignum habet tenerum, & medullaceum. Fructus ipse utriusque multum dissimilis. Oxyacantha rotundum habet ad instar
B baccarum myrti. Spina vinetta, teretem, & oblongum, minutumque, & racemosum. Foliorum forma multum etiam dissidet, ut ex iis constabit, quæ paulo post dicturus sum. Discorides rhamnum, paliurum, *oxyacanthon*, & *cynosbatum*, quasi congeneres spinosas arbores simul recenset, ex quibus sepes vivæ olim fiebant. Ex his quatuor non video, quæ melius albæ spinæ nostræ convenire queat præter oxyacantham. Rhamnum, *albam spinam* quidam ex veteribus vocarunt. Sed ea non est alba spina nostra. Certè folium repugnat, quod Græci rhamno tribuunt, μικρὸν ὑπομήκες, ὑπολίπαρον, μαλακόν. Paliurus non est, quem
C veteres tradunt fructum habere in siliqua. Nec est etiam cynosbatus, sive sentes canina. Oxyacantham esse multa suadent. Dioscorides fructum eam habere scribit μύρτῳ ἐμφερῆ, ἐρυθρὸν, εὔθρυπτον, ἔνδοθεν πυρῆνα ἔχοντα. Talem fert fructum alba spina nostra. Hæc eadem & pyracantha. Dioscorides mespili quoddam genus folia habere dicit similia pyracanthæ. Ea est mespilus, cui folium Theophrastus tribuit, πολυσχιδὲς, καὶ ἐν ἄκρῳ σελινοειδὲς, μείζοσι σχήμασι τεμνόν, ἰνῶδες, λεπτότερον σελίνου, καὶ περιμηκέστερον, καὶ τὸ ὅλον κατασχίσμασι περικεχαραγμένον. Mespilo nostrati hoc genus folii neu-
D tiquam convenit, sed planè respondet albæ spinæ nostræ foliis. Aliud genus mespili in Italia nasci, & σητάνιον vocari, & malo arbori de foliis simile esse ibidem notat, quod melius ad nostrum mespilum facit. Cratægum, quod mespili silvaticæ genus esse statuit idem Theophrastus, simile mespilo folium habere dicit, πλὴν μεῖζον ἐκείνου καὶ πλατύτερον, καὶ περιμηκέστερον, τὸν δὲ χαραγμὸν οὐκ ἔχον, ὥσπερ κακεῖνο. Mespilus igitur illa, quæ folia incisuris charaxata habet, & apio similia, planè figuram refert foliorum albæ spinæ nostræ, quam ex eo constat esse veterum Græcorum ὀξυάκανθον. Una res obstare tantùm videtur, quod Theophrastus ὀξυάκανθον inter eas arbores silvestres recenset, quibus nunquam
E folia decidant. At certum est decidere albæ spinę nostræ. Sciendum tamen est, in multis Græciæ calidioribus locis, ut & in Ægypto multas arborum, quæ alibi folia amittunt, ibi perpetuas servare, adeo quidem ut & circa Memphim vites perpetua coma virescant. Scitum est ejusdem Theophrasti, ἔνια δὲ οὐκ ὄντα τῇ φύσει διὰ τὸν τόπον ἐστὶν ἀείφυλλα. Idem & rhamnum, & rubum, & cynosbatum, quæ oxyacanthæ congeneres quodammodo sunt spinæ, etiam inter ἀείφυλλα recenset. Hoc nisi sit, dicendum certè est, aliam esse ὀξυάκανθον Theophrasti, & ὀξυακάνθαν Dioscoridis. Quod mirum
F videri non debet. Nam & λευκόϊον apud Theophrastum planè diversum est ab eo leucoïo, quod ponit Dioscorides. Quod & in aliis multis observare est. Præterea hoc nomen ὀξυακάνθας diversis spinæ generibus tribuerunt. Etenim & rhamnum, & paliurum quidam sic appellarunt. Et utrumque hoc spinæ genus *albæ spinæ* nomine quidam etiam veterum donaverunt. Ἄκανθα Græcè est spina: ἄκανθος, *acanthus.* Inde ὀξυάκανθος Theophrasto, aculeata acanthus. Duo autem acanthi genera veteribus, *unum aculeatum, & crispum, quod brevius: alterum læve, quod aliqui pæderota vocant, & me-*
G *lamphyllum.* Hæc verba Plinii. Quæ Plinio aculeata acanthos, ea Dioscoridi ἄκανθος ἀγρία, quam & ἀκανθώδη, & scolymo similem esse dicit, & distinguit ἀπὸ τῆς κηπαίας. *Spinam agrestem* Latinis vocari notat auctor Additamentorum. Eam esse verisimile est, quam Theophrastus ὀξυάκανθον appellat, τὴν ὀξεῖαν nimirum ἄκανθον. Ideo inter agrestes numerat. Hæc ὀξυάκανθος ἀείφυλλος. Alias ὀξυάκανθος, & ὀξυάκανθα idem. Et Theophrastus ὀξυάκανθον cum paliuro aliquot locis numerat.

numerat. Diophanes de Re Rustica cydonia inseri dicit εἰς ὀξυάκανθον: & ὀξυακάνθαν intelligit, sive albam spinam, quam vocamus. Eclogæ de re Rustica inter spinas, ex quibus veteres sæpem vivam faciebant, βάτον, hoc est, rubum, & paliurum, ὀξυακάνθην numerant. Hodieque ex alba spina sæpes fiunt sæpissime, & nulla communior spina sæpibus vivis faciendis. Præterea ὀξεῖα ἄκανθος, sive acanthus silvestris frutex est, ὀξυάκανθα vel arbor, vel θάμνος δενδρώδες. Sed ὀξυάκανθα non est ἀείφυλλος, nec aquifolia. Quod utrumque habet ἡ ὀξεῖα ἄκανθος. Nam folia aculeata habet, ut scolymus. Huic opinioni utcunque videtur suffragari, quod Myrepsus, aliique recentiores brancam ursinam de berberi interpretantur. In Antidoto διὰ κασσίας. Βράντζε ὀρσίνα, ἤτοι βέρβερις. Sane branca ursina est acanthus. Ita ibi legit Fuchsius. Sed in Græco codice, quem vidi, longe aliter habetur, hoc nempe modo: ὠκίμου σπέρματος, μπράτζε ὀρσίνα τουτέστι ..... βέρβερι ἤτοι ὀξυάκανθον, δίκταμνον, ἀριστολοχίαν μακράν. In verbis illis Myrepsi deest expositio, qua Græce explicabat nomen brancæ ursinæ. Nec dubito debere suppleri, τουτέστιν ἄκανθον βέρβερις ἤτοι ὀξυάκανθον. Multis aliis locis idem Myrepsus spinam berberis ὀξυάκανθον interpretatur. Quæ tamen non est ὀξυάκανθος Dioscoridis, nec Theophrasti. Non dubium tamen spinam berberis ἀκανθίζειν τοῖς φύλλοις, aculeos in foliis habere, & proinde dici etiam posse ὀξυάκανθον, & Latine *aquifolium*. In Lexico Græco Arabico lego: βέρβερις τὸ ὀξυλάπαθον. Forte scribendum: τὸ ὀξυάκανθον. Alias par gustus, & æque acidus in folio berberis, & rumicis. Certè ὀξυάκανθα Dioscoridis non est *aquifolium* Latinorum, nec enim aculeatis prædita est foliis. At illud & constare debet, ὀξυάκανθον non esse *spinam vinettam* nostram, quæ nec ipsa sempiternum decus obtinet foliorum. Sed nec ὀξυάκανθα est, ut suprà probavimus. Plinius ὀξυάκανθον Theophrasti vertit *aquifolium*. Quod rectè convenir, ut explicavimus. At cum oxyacantha Dioscoridis neutiquam conveniat. Alibi *aquifolium* de rhamno videtur accipere. Sic enim alicubi, *aquifoliam arborem in domo, vel villa satam veneficia arcere* scribit. Hoc de alba spina tradunt etiam vetulæ nostrates. Ovidius *albam spinam* malas noxas a foribus pellere canit. Hoc ῥάμνῳ veteres Græci tribuunt, quam & ἀλεξιάρην ideo nominant. Dioscorides tradit τὴν ῥάμνον ἔχειν ὀρθὰς, καὶ ὀξείας ἀκάνθας, ὥσπερ ἡ ὀξυάκανθα. At *aquifolium* veteres inter arbores infelices retulere, quibus portenta, ac prodigia comburi solebant. Quidam porro τὸν κυνόσβατον etiam ὀξυακάνθαν vocaverunt Dioscoride teste. Illud planè constat Dioscoridis ὀξυακάνθαν esse albam spinam nostram, quæ & pyro silvatico quantum ad ligni formam, & arboris effigiem planè similis est. Quod si est, non erit *aquifolium* Latinorum, ἡ ὀξυάκανθα Græcorum. Nec enim aculeata folia sunt albæ spinæ nostræ, vel ὀξυάκανθα: at *aquifolium*, ut nomen ipsum præfert, aculeata, & pungentia folia gerit. Sic ὀξυάκανθα non est aquifolium: fortasse est ὀξυάκανθος. Multo minus erit cratægus. Folia παρακανθίζοντα βάτῳ, & παλιούρῳ tribuit Theophrastus. Et de bato, sive rubo constat. Aculeos enim foliis præfert. Forte Latini veteres *aquifolium* dixere, quem Græci παλίουρον. Paliurum Græca voce alii etiam appellarunt. Paliurum albam spinam vocasse quosdam notat Servius. Sed hæc alibi. Aquifolia vero ilex in totum ab aquifolio alia est. Ἐπιθετικῶς sic dicta est ilicis species, cui aculeata folia. Plinium porro docti carpunt, quod aquifoliam ilicem cum smilace confundat, quæ aculeata non habet folia. Scribit enim Theophrastus, τὸν σμίλακα οὐκ ἔχειν φύλλα ἀκανθώδη. Videamus Plinii verba: *ilicis duo genera, ex iis in Italia folio non multum ab oleis distant, smilaces à quibusdam Græcis dictæ, in provinciis aquifoliæ. Ilicis glans utrinsque brevior.* Putant Plinium dicere, quas Græci smilaces vocant, eas in provinciis appellari *aquifolias*. Non ea Plinii mens. Scribunt antiqua ejus exemplaria: *in provinciis aquifoliæ sunt.* Scribendum, ac distinguendum: *ex iis in Italia folio non multum ob oleis distant, smilaces à quibusdam Græcis dictæ: in provinciis aquifoliæ sunt ilices. Glans utriusque brevior, gracilior.* Duo genera ilicis facit, & utrumque describit. Ex iis esse in Italia, folio non multum ab oleis diverso: ergo nec aculeato: in provinciis vero aquifolias ilices ab aculeatis nimirum foliis sic dictas. Sub duo genera redigit ilicem arborem: aliæ sunt, inquit, folio minimè aculeato, & oleis simili, quæ Græcis quibusdam σμίλακες dicuntur. Ita enim Arcades eas vocabant, non omnes Græci. Theophrastus: οἱ δὲ περὶ Ἀρκαδίαν δένδρον τι σμίλακα καλοῦσιν. Ὅ ἐστιν ὅμοιον τῷ πρίνῳ, τὰ δὲ φύλλα οὐκ ἀκανθώδη ἔχει. Hoc genus ilicis in Italia etiam nascebatur. Alias esse dicit *aquifolias ilices*, quæ in provinciis proveniebant, quæque aculeatis erant foliis. Addit: *glans utriusque brevior*, tam smilacum scilicet, quam aquifoliarum ilicum: utriusque nimirum generis. Et per hæc de utroque genere se loquutum esse fatetur, aculeato, & non aculeato. Nomine autem aquifoliarum ilicum comprehendit omne genus ilicis, quæ aculeata folia habet. Hæc Latine ilex propriè, & absolutè, Græci πρῖνος. Theophrastus: ὁ δὲ πρῖνος φύλλον μὲν ἔχει δρυῶδες, ἔλαττον δὲ, ἐπακανθίζον. Nec in genere porro aquifoliarum ilicum species illa erat, quam propriè, & absolute *aquifolium* vocat. Nec ea est, quam Dores ἀγρίαν, Arcades φελλόδρυν nominabant. Multum igitur distant apud Plinium *aquifolia ilex*, & *aquifolium*. *Aquifolia ilex* genus est omnes ilices comprehendens, quæ aculeato sunt folio: *aquifolium* spinæ genus. Cum itaque heic scribit coccum βαφικὸν granum esse, vel scabiem potius parvi fruticis, ilicis aquifoliæ, non hoc dicit aquifoliam illicem eamdem esse cum ea arbore, quam alibi *aquifolium* simpliciter nuncupat, ut perperam viri docti interpretantur, verum illud ostendit fruticem hunc parvum, in quo granum infectorium nascitur, speciem esse ilicis aquifoliæ. Quod est verissimum. Frutex, qui κόκκον βαφικὸν producit, semper frutex est, & quidem parvus, nunquam vero arborescit. Ilex vero sic propriè dicta multis in locis pumila est, ac frutici similis, sed in magnam arborem evadit, cum solum accommodum nacta est. Fert & illa κόκκον τινὰ φοινικοῦν, sed minimè infectoribus utilem, ut jam diximus. Κόκκος vero βαφικὴ, θάμνος ἐστὶ μικρὸς φρυγανώδης, ᾧ προσήκειν ταῖς οἱ κόκκοι ὡς φακοί. Adhærent igitur cortici, tanquam lenticulæ. Plinius ait primo quasi scabiem esse, & *cosculium* vocari. Ita scribendum. Græcum est κοσκύλιον. Perperam vero *quisquilium* legunt. Κοσκύλλειν propriè est minutias excrescentes præsecare. Inde κοσκύλματα, & κοσκυλμάτια, præsegmina pellium, quæ sutores è corio resecabant. Hinc ergo & κοσκύλια grana illa vesicarum more in fruticis cortice extumescentia, quæ abradebantur ad tingendas lanas. Grana autem illa, sive κόκκοι scatent intus parvis vermiculis, quorum sanies coccino tingendo præclara est, & eximium illum colorem, quem nos miramur, & adorarunt veteres, efficit. Hinc *vermiculum* pro ipso cocco dixerunt. Glossæ nostræ: κόκκος, *vermiculus*. Editæ: κόκκος, βάμμα, *vermicula, hoc coccum*. Hinc *emblema vermiculatum* Lucillio, coccineo colore tinctum. Nam tessellæ illæ, quibus pavimenta variabant, diversis coloribus erant tinctæ. Falluntur, qui aliter exponunt. Apud Hieronymum in epistolis *pelles vermiculatæ*, quas alio loco *coccineas* dixerat. Plinius lib. XXIV. cap. IV de cocco ilicis: *est autem genus ex eo in Africa fere & Asia nascens celerrime in vermiculum se mutans, quod ideo scolecion vocant, improbantque.* Pausanias de cocco Galatica: γίνεται δέ τοι ἐν τῷ καρπῷ τῆς κόκκου βραχὺ ζῷον. Τοῦτο εἰ ἀφίκοιτο εἰς τὸν ἀέρα πεπανθέντος τοῦ καρποῦ πέτεται αὐτίκα, καὶ ἐοικὸς κώνωπι φαίνοιτο ἄν. Νῦν δὲ πρότερον πρὶν ἢ τὸ ζῷον κινηθῆναι, συλλέγουσι τῆς κόκκου τὸν καρπὸν, καὶ ἐστὶ τοῖς ἐρίοις ἡ βαφὴ τὸ αἷμα τοῦ ζῴου. Ab eo vermiculo hodieque quicquid rubet, *vermiculum* dicimus, *vermeil*. Et minium, *vermiculonem*, *vermillon*. Hunc fruticem Discorides, & Pausanias κόκκον vocant, ut & Plinius alio loco. De Pausania miror eum scribere fruticem hunc à Galatis vocari ὕσγην. Constat porro coccum optimum fuisse habitum Galaticum. Plinius: *gignitur & in Galatia, Africa, Pisidia, Cilicia, pessimum in Sardinia.* Et primam nominavit Galatiam, quia ibi præstantissimus. Et alio loco: *atque ut sileamus Galatiæ, Africæ, Lusitaniæ cocci granum imperatoriis dicatum paludamentis.* Coccum hic vocat fruticem ipsum, ut Græci. Sic enim legendum. Inde *Galaticus ruber* Tertulliano

pro

pro coccino. τὴν δὲ θάμνον ταύτην, inquit Pauſanias, Ἴωνες μὲν καὶ τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν κόκκον, Γαλάται δὲ οἱ ὑπὲρ Φρυγίας φωνῇ τῇ ἐπιχωρίῳ σφίσιν ὀνομάζουσιν ὕσγην. Atqui ſi ὕσγην & κόκκος idem frutex, *coccinum* & *hyſginum* idem color fuerit, quos tamen colores tota diſtinxit antiquitas. Plinius lib. IX. cap. XLII. *Quin & terrena miſcere, coccoque tinctum Tyrio tingere, ut fieret hyſginum. Coccum Galatiæ rubens granum, ut dicemus in terreſtribus, aut circa Emeritam Hiſpaniæ in maxima laude eſt.* Apertè coccum ab hyſgino ſeparat. Si cocco tinctum Tyria purpura tingebant, ut fieret hyſginum, color hyſginus inter purpureum, & coccinum fuerit oportet, ut autem ex coccino purpura ſupertincto fiebat hyſginum, ſic purpureus color aliquando parabatur ex creta infecta rubra radice, quam Græci ἐρυθρόδανον vocant, & hyſgino. Vitruvius: *fiunt etiam purpurei colores infecta creta rubra radice, & hyſgino.* Paulus quoque Juriſconſultus *hyſginum* à *coccino* diſtinguit. Quod ſi ad Græcos provocet Pauſanias, domeſtico etiam teſtimonio ſuorum convincetur. Vetus epigramma Myrini nondum editum:

Τὰ κόκκου βαφθέντα, καὶ ὑσγίνοιο θέλεσθαι,
Καὶ τοὺς ναρδολιπεῖς ἀπαλοτρίχας πλοκάμους.

Cum inter purpureum, & coccinum hic color ſit, non mirum alios pro cocco, alios pro purpura hyſginum uſurpaſſe. Heſychius: βυσσὸς χρῶμα ἀντὶ τῆς ὕσγης παραλαμβανόμενον. Idem βύσσινα interpretatur πορφυρᾶ. Hyſginum magis ad purpuram inclinabat, quam ad coccum. Scribit Plinius hyacintho in Gallia hyſginum tingi lib. XXI. cap. XXVI. *Hyacinthus in Gallia optimè provenit. Hoc ibi locorum hyſginum tingunt.* Ita ſcribo pro eo, quod editum eſt: *hoc ibi pro cocco hyſginum tingitur. Hyacinthinus* autem color purpureus. Idem de tribus præcipuis coloribus: *amethyſtum, qui è viola, & ipſe in purpureum, quemque hyacinthinum appellavimus.* Idem lib. XXVI. cap. XVIII vaccinium, id eſt, hyacinthum in Gallia ſeri dicit tingendæ purpuræ ad ſervorum veſtes: *item vaccinia Italiæ mancupiis ſata, Galliæ vero etiam purpuræ tingendæ ad ſervitiorum veſtes.* Dixerat ſupra in Gallia hyacintho hyſginum tingi, hic purpuram vaccinio infici ſcribit. Atqui hyacinthus, & vaccinium idem. Ergo purpureus, & hyſginus color idem, qui & hyacinthinus. Vaccinium, & hyacinthum eſſe idem jam docti norunt. Græcè ὑάκινθος, & ὑακίνθιον. Inde Latinum *vacindium*, & *vacinnium*, ut *arvipendium*, & *arvipennium*, poſtea *vacinium.* Vaccinium Italiæ mancupiis ſeri ait; utile enim mangonibus, ad coërcendam vænalium pubertatem. Idem de hyacintho: *radix eſt bubalcea mangonibus vænalitiis pulcrè nota, quæ è vino dulci illita pubertatem coërcet, & non patitur erumpere.* Sic legendum è veteri codice, qui habet *magoniſviſu analici.* Editur vulgo: *Mangonicis vænalitiis. Mangones vænalitii* ſunt σωματέμποροι. Dicebantur & *vænalitii* ſimpliciter, qui *vænales* ſcilicet vendebant. Iidem & *mangones* propriè. Cicero in Corneliana: *neque divitiæ me movent, quibus omnes Africanos, & Lælios multi vænalitii, mercatoreſque ſuperarunt.* Plautus in Trinummo: *mercaturam, an vænales habuit. Qui vænales habent, vænalitii ſunt, & mangones:* quos Plinius junctim *vænalitios mangones* appellat. Seneca: *mercator urbibus prodeſt, medicus ægris, mango vænalibus.* Gloſſæ: *vænalitiarius*, σωματέμπορος. Immo *vænalitius.* Sed quamvis *vaccinium*, & *hyacinthus* idem ſint, & purpureo affinis hyſginus color, non tamen propterea dicendum eſt hyſginum id eſſe, quod vaccinium, & hyacinthum, ut placere video doctiſſimis hominibus. Diverſa enim ſunt ὕσγη, & ὑάκινθος, licet ὑσγινον, & ὑακίνθινον ſint affines tincturæ. Cum ſcribit Plinius hyacintho hyſginum tingi in Gallia, an non ſic manifeſtè ſeparat hyſgen ab hyacintho? Vitruvius quoque, qui infecta creta rubiæ radice, & hyſgino purpureum fieri colorem monſtrarat, eodem capite creta quoque vaccinii ſucco infecta, & lacte purpuram elegantem facere *tectores* dicit. Ita enim ibi ſcribendum, non *tinctores.* Tectoribus enim ſcribit, id eſt, parietum expolitoribus, & pictoribus, non tinctoribus. *Itaque tectores cum volunt ſil Atticum imitari*, &c. Omnes quæ ab eo deſcribuntur, colorum temperationes, non veſtibus tingendis, ſed tectoriis ſerviunt expoliendis. Tantum igitur abeſt, ut hyſginum idem ſit cum coccino, vel hyſge cum cocco, quod vult Pauſanias, ut magis ad purpuram accedat.

A Nicandri interpres; ὕσγινον φυτὸν, ξανθὸν τῷ χρώματι eſſe notat, à quo ὑσγινοβαφῆ veſtimenta eo colore tincta. Perperam eruditi de quadam arbuſcula, quæ flavum lignum habeat, intelligunt, quod vulgo *magaleb* vocatur. Ξανθὸν Græci pro rubro, & ruſſo ſæpe ponunt. Unde ξανθὸν πῦρ, & ξανθὴν πορφύραν appellant. Pollux de ſanie conchylii: καὶ τὸ μὲν ξανθίζεται, τὸ δὲ κυαναυγὲς γίγνεται: *aliud rutileſcit, aliud cæruleum fit.* Gloſſæ: rubrum, πυῤῥὸν, ξανθόν. Sic ἀμέθυσον ξανθότερον vocat Epiphanius, qui vineo colore magis eſt, quam violaceus: ὁμοιάζουσα τῇ ἀπὸ αἵματος κόχλου πορφύρᾳ, διαυγεστέρα μᾶλλον ὥσπερ οἴνῳ ὁμοιάζουσα, ἡ ἀμεθύσῳ ξανθοτέρῳ. Qui vini magis colo-
B rem refert, quam violæ, is ξανθότερος ἀμέθυσος dicitur. Et ita legendus ille Epiphanii locus. Gloſſæ: ξανθὸν, *rubrum, rubeum.* Fructum palmarum Theophraſtus ξανθὸν vocat, Plinius vertit *rubentem.* Ab *hyſgino*, vel *hyſigino*, ut ſcribebant, vix mihi dubium eſt, quin *zynzolinum* colorem fecerint noſtri, licet pro purpureo nomen id magis uſurpaſſe veteres conſtet. Sed de his alias. Hæc cum ita ſint, nihil tamen vetare dicat aliquis, quin verum ſit, quod tradit Pauſanias, coccum à Galatis ὕσγην vocari. Cum coccum tinctorium multis in locis naſceretur: preſtantiſſimum Galatæ dabant, & ὕσγην vocabant lingua ſua. Hæc coccinum colorem effecerit, Ty-
C riæ purpuræ, ac dibaphæ proximantem. Nam in optima purpura nitor, & auſteritas cocci quærebatur. Plinius de buccino: *pelagio admodum alligatur: nimiaque ejus nigritiæ dat auſteritatem illam, nitoremque, qui quæritur cocci.* Idem lib. XXI. cap. VIII. Ubi narrat tres in veſtibus colores eſſe principales, quibus luxuria eos flores provocavit, qui colore commendantur: *hos animadverto tres eſſe principales: ut rubentem in cocco, qui à roſis, nigrante gratia: his trahitur ſuſpectu & in Tyrias dibaphaſque, ac Laconicas.* Ita nunc eum locum conſtituo, libri melioris auctoritate. Tyria ergo purpura ſuſpectu ruborem nitoremque præferebat cocci. Cocco porro tincta rurſus Tyrio tin-
D gebant, ut fieret hyſginum, eodem Plinio teſte. Atque hic videtur proprius Galatici grani color fuiſſe, quod ὕσγην Galatæ vocabant, cum coccum aliis in locis proveniens magis ruberet. Hinc ergo *coccinum*, & *hyſginum* auctores diſtinxerint, quia vulgare coccum maximè puniceum eſſet, Galaticum vero, & hyſginum ad purpuram Tyriam magis vergeret. Ideo & *hyſginum* pro purpureo uſurparint plerique. Nec mirum eſſe, ſi coccum non in omnibus locis, quibus naſcitur, unius generis colorem habet, cum & conchylium, è quo purpura olim inficiebatur, pro littorum diverſitate, in quibus reperi-
E tur, varios quoque colores referret, & modo aliis in locis atrum, aliis lividum, aliis violaceum, aliis rubrum inveniretur. Hæc dici poſſunt tuendo Pauſaniæ. Sed Vitruvius, & Plinius de hyſgino quaſi tinctura nota, ac diverſa à coccino loquuntur. Scribit hic laudari Puteolanum purpuriſſum potius, quam Tyrium, aut Gætulicum, vel Laconicum, unde pretioſiſſimæ purpuræ: *cauſa eſt, inquit, quod hyſgino maxime inficitur, cogiturque rubiam ſorbere.* Sic egregium purpuriſſum ex rubiæ radice, & hyſgino fiebat. Plantæ igitur in totum diverſæ κόκκος & ὕσγη, & colores diverſi hyſginus, & coccinus: ille purpureus, hic phœniceus. Pauſaniæ in multis non
F bene credi oſtendam alias. In deſcriptione cocci fruticis, folia eum habere tradit ἐοικότα τῇ σχίνῳ, fructum vero ſimilem τῷ καρπῷ τῆς στρύχνου. Hæc nonnihil diſcrepant ab aliorum auctorum de grani tinctorii frutice ſententia. Aquifoliæ ilicis ſpeciem eſſe inter omnes convenit, & folia habere aculeata, cum hic ſcribat μελάντερα cocco eſſe καὶ μαλακώτερα ἢ οἱ τῇ σχίνῳ. Per στρύχνον intelligit halicaccabum, quæ è duobus ſtrychni generibus alterum eſt, cui granoſi folliculi, acini coccinei. Vide Plinium. Sed ὕσγην fortaſſe deſcribit, non κόκκον, & perperam cum cocco confundit. Ita porro apud eum legendum in Pho-
G cicis ſub finem: ἄμπελοι, δὲ τὸ πολὺ εἰσὶ τοῦ πεδίου καὶ ὕσγαι τῶν Ἀμβρυσέων. Συνεχεῖς μὲν ὥσπερ αἱ ἄμπελοι πεφύκασιν οἱ θάμνοι. Addit hunc fruticem Galatis vocari ὕσγην, ceteris Græcis κόκκον. Verum, ut dixi, fallitur. Quædam in ejus deſcriptione τῆς ὕσγης cum cocco conveniunt, quædam fortaſſe cum hyſge. Notant quidam in veteribus Pauſaniæ exemplaribus legi, φύλλα ἐοικότα πρίνῳ, non σχίνῳ. Quæ ſi vera eſt ſcriptura, ut eſſe autumant, illa hyſge Galatica, eadem ſit cum Galatico cocco.

Simonides referente Plutarcho dicit, velum, quod Ægeus Theseo dedit, cum Cretam abiret, puniceum fuisse, liquida tinctura ilicis infectum. Σιμωνίδης οὐ λευκόν φησιν εἶναι τὸ δοθὲν ὑπὸ τοῦ Αἰγέως, ἀλλὰ φοινίκεον ἱστίον ὑγρῷ πεφυρμένον πρίνου ἄνθει ἐριθάλλου, καὶ τοῦτο τῆς σωτηρίας αὐτοῦ ποιήσασθαι σημεῖον. Coccineum absque dubio intelligit colorem ex ilice aquifolia. Ὑγρὸν ἄνθος non est flos, ut vertunt, sed liquidus color è cocco ilicis expressus. Nam ἄνθος Græcis χρῶμα. *Succum* vocat Plinius de cocco: anniculo grano *languidus succus, idem à quadrimo evanidus.* Est quod Simonides vocavit ὑγρὸν ἄνθος πρίνου. Dioscorides ait in Cilicia quercini generis arboribus parvæ instar cochleæ innasci, quod à mulieribus ad tincturam colligitur, & coccum vocatur. Sed locus ejus vitiosè excusus est hoc modo: γίνεται δὲ ἡ ἐν Κιλικίᾳ ἐν ταῖς δρυσὶν ὁμοίως κοχλίᾳ μικρῷ, ἣν αἱ τῇδε γυναῖκες τῷ στόματι ἀναλέγουσαι κόκκον καλοῦσι. Scribe: ἣν τῇδε γυναῖκες εἰς τὰ στύμματα ἀναλέγουσαι, κόκκον καλοῦσι. Vel etiam, εἰς τὸ στύμμα ἀναλέγουσαι. Nihil inquinatius vulgata. Τὸ στύμμα idem quod βάμμα. Glossæ: *infectum*, ἐνεστυμμένον. *Infectus*, βεβαμμένος, ἐνεστυμμένος. Harpocration: κηκὶς, βάμμα τι, καὶ στύμμα ἢ καρπὸς τῆς δρυὸς, ἐπιτήδειος εἰς βαφήν. Nam & galla cujusdam generis veteres ad lanas tingendas usi sunt. Theophrastus de galla nigra: φέρει δὲ καὶ τὴν ἑτέραν τὴν μέλαιναν, ᾗ τὰ ἔρια βάπτουσι. Hinc & κηκὶς pro quolibet stymmate. Æschylus in Agamemnone:

--- πορφύρας
Κηκῖδα παγκαίνιστον.

id est, πορφύρας στύμμα, vel βάμμα. Vetus igitur ea menda in Dioscoridis libris hæsit, quam liber vetustissimus retinet, qui totum eum locum sic concipit: γίνεται δὲ καὶ ἐν Κιλικίᾳ, ἐν ταῖς δρυσὶν ὅμοιον κοχλίᾳ μικρὸν ὃ τῷ στόματι αἱ τῇδε γυναῖκες ἀναλέγουσαι κόκκον καλοῦσι. Quæ longe alium efficiunt sensum quam vulgata, quæ habent, γίνεται δὲ ἡ ἐν Κιλικίᾳ. Inter varia fruticis coccum ferentis genera Cilicium etiam recenset Dioscorides, cui secundum dat locum his verbis, quæ sic ex eodem optimo codice legenda sunt: ἀρίστη δὲ ἐστὶν ἡ Γαλατικὴ καὶ Ἀρμενιακὴ, ἔπειτα ἡ Ἀσιανὴ, καὶ Κιλίκιος, ἐσχάτη δὲ πασῶν ἡ Σπανή. Cilicium illud coccum simile est ceteris, eodemque modo colligitur, nisi quod bonitatis secundas tantum obtinet. Præter illud coccum Cilicium, quod in frutice sic appellato colligitur, in eadem Ciliciæ provincia, mulieres aliud nescio quid in quercubus nascens sublegebant, quod coccum vocabant. Hæc mens est lectionis, quam ex veteri codice restituimus. At edita hoc vult τὸν Κιλίκιον κόκκον eam esse, quæ in quercubus Ciliciæ nascitur, similis cochleæ parvæ. Corrigendum porro in illa veteri lectione: γίνεται δὲ καὶ ἐν Κιλικίᾳ ἐν ταῖς δρυσὶν ὅμοιον κοχλίᾳ μικρῷ, ὃ τῷ στύματι ἀναλέγουσαι. Τῷ στύματι, vel τῷ στύμματι ἀναλέγουσαι, id est, εἰς τὸ στύμμα, *ad tincturam.* Nihil verius. Στύμα pro στύμμα, ut πᾶμα pro πάμμα, & similia. Sic enim veteres scribebant. Scribitur etiam in eodem veterrimo exemplari: Κόκκος βαφικὴ θάμνος ἐστὶ φρυγανώδης, ᾧ προσήκειται οἱονεὶ φακοί. Legitur vulgò: θάμνος ἐστὶ μικρὸς, φρυγανώδης ᾧ προσήκειται οἱ κόκκοι, ὡς φακοί. Sed illo auctore delendum μικρός. Nam θάμνος φρυγανώδης cum dicitur, satis per hoc intelligitur parvum esse fruticem. Τῶν θάμνων alii sunt δενδρώδεις, qui majusculi sunt, & arbuscularum instar: alii vero φρυγανώδεις, humiles, & parvi. Columella *exiguum fruticem* vocat τὸν φρυγανώδη, at *majoris incrementi surculum*, τὸν θαμνώδη. Ceterum ἡ κόκκος fœmineo genere nomen est fruticis, quæ granum tinctorium fert, hoc est, coccum. Nam grana, quæ frutici ipsi lenticularum modo adhærent, οἱ κόκκοι. Atque inde frutex ipse ἡ κόκκος. Genus esse aquifoliæ ilicis placet Plinio, & hodiernis herbariis. Hoc non dicit Dioscorides. Et peccat immaniter Plinius, qui coccum puniceum ilicis arboris cum cocco infectorio parvi fruticis, quam arbusculam Græci κόκκον βαφικὴν vocant, nullo discrimine confundit. Sic enim de robore loquitur, quod præter glandem multa gallæ genera fert: *omnes has ejus dotes ilex solo provocat cocco.* Deinde subjungit descriptionem cocci, sive grani tingendis vestibus pretiosi, quod in parvo frutice nascitur aquifoliarum, ut volunt, ilicum generis, non in ilice. Eam Græci κόκκον vocant, non πρῖνον. At quæ πρῖνος Græcis, ea Latinis ilex, quæ arbor

A est, & quidem grandis, non frutex. Alibi vix ultra fruticis magnitudinem excrescit, non tamen coccum fert, sive granum infectorium. At ilex arbor præter glandem, quam ἄκυλον Græci appellant, etiam κόκκον τινὰ φοινικοῦν producit, hoc est, baccam quamdam puniceam, quæ non est eadem cum cocco baphico, ut perperam visus existimare Plinius. Theophrastus de ilice, hoc est, πρίνῳ: φέρει δὲ καὶ παρὰ τὴν βάλανον κόκκον τινὰ φοινικοῦν, ἴσχει δὲ καὶ ἰξίαν καὶ ὑφέαρ. Coccum tingendo Græci etiam vetustissimi vocarunt absolutè κόκκον, & κοκκοβαφὲς, quod ex eo tinctum erat. Atque ita etiam ipse Theophrastus. Dixisset igitur, siquidem de nobilissimo grano

B tinctorum intellexisset, φέρει δὲ καὶ παρὰ τὴν βάλανον, τὸν κόκκον. Ac cum dixit κόκκον τινὰ φοινικοῦν, *granum quoddam puniceum*, vel *baccam quamdam puniceam*, manifestè ostendit aliud esse à cocco infectorum, quem Græci, Latinique absolutè sic vocarunt. Notat Galenus in Lexico Hippocratis κόκκων dici τὸν κόκκον Κνίδιον, aliquando etiam, τὸν κόκκον. Ubi κόκκος κατ' ἐξοχὴν est coccum, Certum sanè est ilicem arborem præter glandem baccam quamdam ferre puniceam, quæ nihil confert infectoribus, & in totum diversa est à cocco. Nos in ilice arbore hujusmodi grana punicea vidimus ad instar parvarum cerasi baccarum. Plinius hunc ilicis κόκκον

C φοινικοῦν magno errore cum cocco confundit. Ut ecce lib. XXIV. cap. IV medicinas, ac remedia recensens ex galla, & visco, & glande, & pilulis, aliisque rebus, quas ferunt robora, de cocco ilicis etiam hæc scribit: *Coccum ilicis vulneribus recentibus ex aceto imponitur.* Coccum ilicis est κόκκος ille φοινικοῦς τῆς πρίνου Theophrasti. Remedia tamen sunt cocci tinctorii, quod ἐν τῇ κόκκῳ βαφικῇ nascitur. Dioscorides de cocco: δύναμιν δὲ ἔχει στυπτικὴν, ἁρμόζουσαν τραύμασι καὶ νεύρων τρώσεσι λεία μετ' ὄξους καταπλαττομένη. Utrumque Plinius confundit, imperitissime. Ilex est arbor, quæ κόκκον illum puniceum, tanquam baccam, & proprium fructum fert præter glandem. Theophra-

D stus de ilice: συμβαίνει τέτταρας ἅμα καρποὺς ἔχειν αὐτὴν, δύο μὲν τοὺς ἑαυτῆς, δύο δ' ἄλλους, τόν τε τῆς ἰξίας, καὶ τοῦ ὑφέαρος. Duos fructus proprios edit ilex arbor, glandem & baccam puniceam; duos adscititios & alienos, viscum & hyphear. At in frutice, qui coccum creat, coccum ipsum fructus non est, sed tanquam scabies fruticis, & excrescens tumor, qui cortici, & ramis adhærescit instar lenticulæ. Quod verum esse omnes norunt. Hic frutex nunquam arborescit, sed semper manet frutex, & ubicunque provenit, coccum illud suum fert tingendis aptum lanis. At ilex arbor alicubi etiam fru-

E tex est, quando minimè solum idoneum nacta est, sed tunc nullum fert fructum, nec coccum puniceum illum, cujus meminit Theophrastus, qui infectoribus nulli est usui. At Plinius utriusque ilicis coccum, arboris & fruticis idem facit. Sic enim de cocco ilicis scribens loquitur lib. XXIV. cap. IV. *Est autem genus ex eo in Attica fere & Asia nascens celerrime in vermiculum se mutans, quod ideo scolecion vocant, improbantque.* Libri habent, *scolechilum.* Lege: *scolecinum*, σκωλήκινον, hoc est, *vermicularem.* Atqui hoc est coccum infectorium fruticis ilicis, quod totum vermiculis scatet parvis, quorum sanies pretiosum illum in

F tinctura colorem facit. Inde *vermiculum* hodie quoque vocant hujusmodi coccum. In Asia ferè nasci ait. Hæc erit Ἀσιανὴ κόκκος, cui secundum locum dat Dioscorides, Galatica & Armeniaca primum tenentibus. At κόκκος φοινικοῦς ilicis majoris, nec in vermiculum se mutat, nec succum alium habet, quo tingi possint vestes. Apparet Plinium cum aliis quibusdam veterum, ὁμωνυμίᾳ τῶν κόκκων, καὶ ὁμοιότητι τῶν φυτῶν coccum ilicis arboris cum cocco ilicis fruticis confudisse. Ita planè Simonides, qui φοινίκεον ἱστίον ὑγρῷ πεφυρμένον πρίνου ἄνθει ἐριθάλλου dicit. Κόκκον πρίνου φοινίκεον accepit ἀντὶ τοῦ κόκκου βαφικοῦ, qui in minore ilice gignitur. Cave

G etiam putes cum viris doctissimis λεπύριον ἀπὸ πρίνου de colore coccineo accipiendum in his Theocriti versibus:

Οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἀκύλοις ὀρμαλίδες αἱ μὲν ἔχονται,
Λεπτὸν ἀπὸ πρίνοιο λεπύριον, αἱ δὲ μελιχραί.

Non comparandas esse ait ilicis glandes, quas Græci vocant ἀκύλους cum ὀρμαλίσι, quæ genus sunt mali silvatici. Illas enim habere λεπτὸν ἀπὸ πρίνου λεπύριον, asperum

rum ab ilice corticem, has autem gustu suaves esse. Columella inter frutices pastionibus apum accommodos etiam minorem ilicem recenset, & prolixiorem improbari refert: *itemque semper virens tinus, & minor ilex, nam prolixior ab omnibus improbatur.* Hæc minor est nempe ilex, quæ fert κόκκον βαφικὸν, quem fruticem Græci κόκκον vocant, Galatæ, si fides est Pausaniæ, ὗσγην. Non meminere tamen veteres τῆς κόκκȣ Italicæ. Hæc alii disquirant. Græci recentiores passim πρινόκοκκον, & πρινόκȣκιν vocant granum tinctorium, qui veteribus κόκκος βαφικός. Vetus Lexicon Græco arabicum: κόκκος βαφικὸς, τὸ πρινοκȣ̃κιν. Unde apud Myrepsum μετάξιον πρινοκοκκωτὸν, sericum filum cocco tinctum. In Antidoto CXI. & alibi: μεταξίȣ πρινοκοκκάτȣ. Ita enim in Græcis. Hoc est Arabicum *Chermes*, ex nomine *vermis* corruptum. Græcè σκώληξ. Democritus in Physicis: ἐστὶ δὲ ὁ τῆς Γαλατίας σκώληξ καὶ τὸ τῆς Ἀχαΐας ἄνθος, ὃ καλȣ̃σι λάγχαν. Aliud est *Chermesinum.* Quod à similitudine coloris dictum est. Id paratur ex granulis, vel pilulis quibusdam adnascentibus pimpinellæ radici, quibus serica tinguntur roseo colore. Coccum ilicis parvæ vulgo *granam* vocant. Veteres etiam *granum* dixere, ut *Galaticum granum.* Hoc est *Chermes* Arabum. At *Chermesinum* ex radice pimpinellæ decerpitur. Hunc colorem Græci ῥόδινον vocarunt, unde unde pararetur. *Rhodino tincta vestes* in Codice leguntur. Democritus in Physicis inter colores ῥόδιον recenset: φυλάνθιον τὸ δυτικὸν, σκώληξ ὁ πορφύρεος, ῥόδιον τὸ ἰταλικόν. Apud Æginetam in Galeni ἀντεμβαλλομένοις pigmenti genus memoratur, τὸ ῥοδοειδὲς. Ἀντὶ ῥοδοειδȣ̃ς σινωπὶ, ἀντὶ κινναβάρεως ῥοδοειδὲς. In Authentica Charta sub Leone: *Vela Tramosirica Leucorodina* II: *vela Tramosirica Leucoporphyra* II. Item paulo post: *duo vela Paragaudata Persica clavatura leucorodina.* Ἔκλȣκον ὑάκινθος ῥόδινον intelligit, hoc est, rhodinum dilutius. Ῥόδινος ὑάκινθος inter species hyacinthorum refertur ab Epiphanio. Alius color ξηρορόδινος, qualis est in rosis siccis, ut ξηρομπέλινος. Color ille roseus in serico tingendo olim conficiebatur ex tuberculis adnatis radici pimpinellæ, nunc etiam fit è quibusdam seminibus allatis ex India occidentali, quæ similia sunt cimicibus, quibus demptum caput. In myrtis etiam vesiculas quasdam inveniri tradunt vivo animalculo plenas, cujus sanie coccinum tingitur. Sed de his alibi. Dicit porro Plinius coccum *pensionem alteram tributi pauperibus Hispaniæ donare.* Quo sensu duplex fuit tributum, alterum capitis, alterum soli. Hoc pro modo facultatum, & prædiorum imponebatur. Illud ex æquo pauperes, divitesque attinebat. Qui agrum habebat, ager pro domino pendebat: qui non habebat, nec eo tenebatur. Pensioni alteri capitis omnes erant obnoxii, quà dites, quà pauperes. Qui nihil omnino in censu habebant, invenire tamen cogebantur, unde illam tributi pensionem solverent. Pauperes in Hispania coccum passim nascentibus fruticibus decerpebant, atque inde corradebant, unde tributum capitulare, sive capitationem penderent. Hæc est, quam heic vocat pensionem alteram tributi. Eam donabat Hispaniæ pauperibus coccum, quia illis dabat, unde eam pensitare possent. Festus notat *tributorum collationem aliam in capite fuisse, aliam in censu.* Eadem mente Plinius alibi dixit herbas, quæ in hortis nascuntur, pensionem esse pauperum, quia ex eo reditu pauperes extundebant, unde censum solverent. Verba ejus hæc sunt lib. XIX. cap. IV. *Itaque Hercule nullum macelli vectigal majus fuit Romæ; clamore plebis incusantis apud omnes principes, donec portorium remissum est hujus mercis, compertumque non aliter quæstuosius censum haberi, aut tutius, ac minore fortunæ jure, cum credatur pensio ea pauperum. Is in solo sponsor est & sub dio reditus, superficiesque cælo quocunque gaudens.* Strabo de Turditania: καὶ κηρὸς δὲ καὶ μέλι καὶ πίττα ἐξάγεται, καὶ κόκκος πολὺς καὶ μίλτος.

Hoc cælum, terras, & maria distinguit] Scripti: *cælum, terras, maria distinguit.* Sic Plinius: *terras, maria, cælum disterminans.*

Quod à circuitu ejus incipiunt Oceanus Gallicus, & frons

A *Septentrionalis*] Libris in omnibus Solini, fons Scripti quoque Pliniani sic legunt. Sed Plinii locus, unde hic effigiatus est, pessimè in editionibus accipitur, ubi sic habet lib. IV. cap. XXI. *Excurrit deinde in altum vasto cornu promontorium, quod aliqui Artabrum appellavere, alii magnum, multi Olisiponense ab oppido, terras, maria, cælum disterminans, illo finitur Hispaniæ latus, & à circuitu ejus incipit frons.* Sequitur deinde aliud caput cum hoc titulo, *insula in Oceano*, quod ita incipit: *Septentrio hinc Oceanusque Gallicus, occasus & Oceanus Atlanticus.* Quæ ita disjecta sunt, ac dissipata, ut integri corporis umbra vix appareat. Sic ergo glutinanda, ac reconcinnanda sunt: B *illo finitur Hispaniæ latus, & circuitu ejus: hinc incipit frons Septentrionis, Oceanusque Gallicus: occasus illinc & Oceanus Atlanticus.* Titulus autem supra scriptus *insulæ in Oceano Atlantico*, ita enim integrè legi debet, reponendus est infrà ante illa verba: *Ex adverso Celtiberiæ complures sunt insulæ.* Inde novum caput auspicandum est. Promontorium Artabrum vasto cornu in altum excurrens, terras, maria, cælum ait disterminare. Finit Hispaniæ latus, sic terras dividit. Maria vero & cælum ita distinguit: ab una parte circuitus ejus incipit Septentrio, & Oceanus Gallicus: ab altera occasus, & Oceanus Atlan-C ticus. Inter occasum itaque, ac Septentrionem, interque Atlanticum Oceanum & Gallicum, in mare excurrit promontorium Artabrum. Hæc Plinii quidem de Artabro sententia est, quam tamen falsissimam esse constat, & ipse fallitur, qui alios reprehendit. Promontorium Artabrum idem facit cum Olisiponensi, & Magno. Hoc si verum est, illud falsum, quod ait ab Artabro terras, maria, cælum disterminari. Nam Olisiponense promontorium in omni circuitu suo Oceanum habet Atlanticum, & Hispaniæ terras. Olisipo autem ad Tagum. A Tago ad Du-D rium, quo Lusitania terminatur Septentrionem versus, Lusitania est. Sic promontorium illud ultra, citraque Lusitaniam habet. A Durii fluminis ostiis incipit Tarraconensis, usque ad angulum, in quo Artabrorum promontorium ponunt multi scriptores, ut Strabo, Ptolemæus, alii. Quo promontorio finitur occiduum, & Septentrionale latus Hispaniæ. De illo dici posset, terras, maria, & cœlum dividere, non de eo, quod Olisiponense & Magnum vocabatur. Strabo lib. III. Ὕστατοι δὲ οἰκȣ̃σιν Ἀρτάβροι περὶ τὴν ἄκραν, ἣ καλεῖται Νέριον, ἣ καὶ τῆς ἑσπερίȣ πλευρᾶς, καὶ τῆς βορείȣ πέρας ἐστὶ, περιοικȣ̃σι δ' αὐτὴν Κελτικοί. Inde & *Celti-*E *cum* quoque promontorium appellatum. Qui Celtici sunt, quos *Nerienses* cognomine dicit vocatos Plinius, à promontorio scilicet Nerio, ut ab aliis Celticis distinguerentur, qui *Pasamarei* dicebantur. Inter Artabros porro, & Tagum, ubi Olisipo, & Olisiponense promontorium quinquaginta populos incolere scribit Strabo. At Plinius *Arotrebarum promontorium* vocat, quod Strabo Artabrorum, idem nimirum quod & *Celticum* cap. ult. lib. III. *E regione Arotrebarum promontorii, Beorum sex quas aliqui Fortunatas appellavere.* Strabo *Artabros*, & *Arotrebas* eosdem facit. Οἱ δὲ νῦν, inquit, τȣ̀ς Ἀρτάβρȣς Ἀροτρέβας καλȣ̃σι. Ergo Artabrorum, & F Arotrebarum promontorium idem, quo finitur Hispaniæ latus: quo terræ, maria, cælum disterminantur, non Olisiponensi, aut Magno. Fœdo igitur errore Plinius hæc confundit. De Artabro, quod cum Olisiponensi idem facit, addit: *ibi gentem, quæ nunquam fuit, manifesto errore. Arotrebas enim, quos ante Celticum diximus promontorium, hoc in loco posuere, literis permutatis.* Falli dicit, qui Artabros populos ad promontorium Olisiponense posuere. Auctorum, qui hodie extant, neminem hujus erroris incusari posse scio. Gentem ipsam Artabrorum nunquam fuisse ait. Qui Artabri olim vocabantur, *Arotrebas* dictos sua ætate as-G serit Strabo. Eos si quis ad Olisiponense promontorium posuit, sanè falsus est. Nam circa promontorium Celticum incolebant. Sed cum dicat aliquos Artabrum appellasse promontorium Olisiponense, oportet eosdem illos ita appellasse, qui & Artabros populos ibi posuerunt. Unde enim Artabrum nisi ab Artabris populis? æquè igitur illi in errore, qui *Artabrum* appellarunt. Ipse vero maximè errat, qui cum videret à quibusdam

buſdam Artabrum id promontorium appellari, & Artabros cum Arotrebis confundi, de Oliſiponenſi promontorio id tradiderit, quod de Arotrebarum, id eſt, Artabrorum promontorio ab aliis traditum eſt, inductus eorum errore, qui Oliſiponenſe promontorium Artabrum vocaverunt, quique Artabros ibidem collocarunt. Legitur apud Varronem lib. II. de R. R. equas certo tempore à vento concipere in Luſitaniæ ea regione, *ubi eſt oppidum Oliſippo, monte Tagro.* Ita enim ſcribitur in omnibus vetuſtis exemplaribus. Pronum fuit doctis *in monte ſacro* corrigere ex Columella, qui tradit in Sacro monte Hiſpaniæ frequenter equas concipere abſque coitu. De Oliſipone ille nihil. Varro Oliſiponis meminit prope montem Tagrum. Atqui certum eſt longè à Sacro promontorio diſtare Oliſiponem. Et propior multo hæc urbs magno promontorio, quod & Oliſiponenſe dicebatur, quam Sacro. Mela: *ſequens Sacrum vocant. Magnum quod ulterius eſt.* Paulo poſt: *ſinus interſunt, & eſt in proximo Salacia: in altero Oliſippo.* In ſinu magni promontorii ſita Oliſippo, quod & ab ipſa nomen accepit. Vix dubito, quin de hoc promontorio loqui velit Varro. Βαρβάριον Ptolemæus vocat. Λυσιτανῶν βαρβάριον ἄκρον, Ὀλισιπωῶν. *Artabrum* ab nonnullis vocatum tradit Plinius. Quid ſi ſcripſit Varro? *Ubi eſt oppidum Oliſippo, monte Artabro.* De Sacro certum eſt ibi locum habere non poſſe. Scriptum fuit, *Artagro.*

Oceano Atlantico, & occaſu terminatis] Nihil mutandum. Dicit frontem Septentrionalem, & Gallicum Oceanum à circuitu Artabri promontorii incipere, cum eodum circuitu terminentur Oceanus Atlanticus, & occaſus. Sic ejus promontorii ambitus incipit à Septentrione, & Gallico Oceano, deſinit in occaſum, & Oceanum Atlanticum, vel contra. Martianus Capella, qui hinc habet: *promontorium, quod maria, terraſque diſtinguit: nam ab ejus ambitu inchoat mare Gallicum, & facies Septentrionalis Oceani, Atlanticus vero, & occiduus terminatur Oceanus: tum Hiſpaniæ limitat excurſus.* Ita enim legendum: vulgo editur: *qui tum Hiſpaniæ limitatur excurſibus.* Maria, ac terras tantum illo promontorio diſtingui ait: maria, Gallicum, & Atlanticum Oceanum dividendo: terras, Hiſpaniæ excurſus limitando. Scribi etiam poſſet: *tum Hiſpaniæ limitat latus excurſibus*, in mare ſcilicet excurrendo.

Ibi oppidum Uliſſipo] Qui ita ſcripſere, mirum quin repoſuerunt, *Uliſſipolis*, vel *Odyſſeopolis.* Sic magis Græcati eſſent. Libri omnes: *ibi oppidum Oliſipone.* More ſui ævi loquitur Solinus, quo nomina urbium caſu ſexto proferebant, & indeclinabilia volebant eſſe. Vopiſcus in Aureliano: *Copto & Ptolemaide urbes cepit.* Ad quem locum vide, quæ notavimus. Itinerarium, quod Ant. Auguſti nomine publicatur, ſic omnia ferè urbium vocabula concipiebat, quod mutatum non oportuit à doctis viris. *Oliſipo* autem omnes omnium auctorum antiqui codices hujus urbis nomen ſcribunt. Apud Ptolemæum quoque reponendum Ὀλισιπωῶν pro vulgato, Ὀλίγος ἱπωῶν.

Pag. 32. B. *Tagum ob auriferas arenas*] Juſtinus lib. XLIV de amnibus Hiſpaniæ: *plerique etiam divites auro, quod in paludibus vehunt.* Quæ, malum, iſtæ paludes, in quibus aurum vehitur? Legendum, ſi quid divinare ſcio: *quod in balucibus vehunt*: ὅπερ ἐν ψήγμασι καταφέρουσι. Strabo de Hiſpania: ὁ χρυσὸς οὐ μεταλλεύεται μόνον, ἀλλὰ καὶ σύρεται. Καταφέρουσι δ᾽ οἱ ποταμοὶ, καὶ οἱ χείμαρροι τὴν χρυσῖτιν ἄμμον. *Balux* eſt χρυσῖτις ἄμμος. Plinius de auro, & Hiſpanis: *idem, quod minutum eſt, balucem vocant.* Minuta igitur ramenta *baluces*, vel *baluca.* Gloſſæ: χρυσάμμος, *baluca.* Græcum eſt βάλλεξ, Latine *ballux.* Ut Βρέττιοι, *Bruttii*: Βρενδέσιον, *Brunduſium*: Σικελὸς, *Siculus.* Heſychius: βάλλεκα, ψῆφον. Minutus igitur auri calculus, *balux.* Idem prorſus mendum, quod mireris, & Martialis verſum occupavit, in quo vulgo legitur:

> *Illinc paludis malleator Hiſpanæ,*
> *Tritum nitenti fuſte verberat ſaxum.*

Similiter igitur & perſanandum legendo:

> *Illinc balucis malleator Hiſpanæ.*

Nihil ad corrumpendum proclivius. Nam C & T ſæpe confundunt Latini librarii, & P cum B. Fallitur

A Turnebus, qui *baluces* auri maſſas ex Plinio interpretatur. Intelligit Martialis auri monetarium ex baluca Hiſpana. Idem enim eſt, ac ſi dixiſſet, Hiſpani auri malleatorem. Vetus inſcriptio: SIGNAT. SUPPOSTORES. MALLIATORES. MONETÆ. CÆSARIS. N. *Malleatores* erant, qui monetam feriebant, & malleis formas incudebat. Inde illa, *ære, argento, auro flando feriundo.* Sed de his alibi.

Nam ſpirante Favonio vento concipiunt] Altera lectio, fortè τῆς δευτέρας ἐκδόσεως: *nam adſpiratæ favoniis concipiunt.* Mira porro loquutio, quæ ſequitur, de equis: *& ſitientes viros aurarum ſpiritu maritantur.* Sic infra de conchis margaritiferis: *certo anni tempore luxuriante conceptu,*
B *ſitiunt rorem velut maritum.* Virgilium ex parte imitatur:

> — — *& pecori dixere maritum.*

Poëticum etiam nimis eſt *viros* pro equis dicere. Sic poëta *virum gregis* de capro dixit. Martianus hunc locum imitatus eſt: *in ejus quoque confinio equarum fœtura ventis maritantibus inoleſcit.* Auctor pervigilii veneris, quem Catullum eſſe nullo judicio volunt eruditi, cum ſit mediæ ætatis, & Solino ſupparis:

> *Tum cruore de ſuperno, ſpumeo Pontus globo*
> *Cærulas inter catervas, inter & bipedes equos,*
> *Fecit undantem Dionem de maritis imbribus.*

C Ita legendus ille locus. *Fecit*, id eſt, procreavit. Idiotiſmus illius ævi.

Luſitanum littus floret gemma ceraunio] Non hæc è Plinio Solinus, ut falſo opinatur Camers, nihil enim tale de ceraunio Plinius, nec in Luſitania reperiri ſcribit. Præterea, quod hic ait ceraunium Luſitaniæ præferri Indicis, nuſquam Plinius meminit Indicorum cerauniorum; ſed carbunculum pro ceraunio accepit, vel de carbunculo ceraunium fecit. Inter genera carbunculorum, Indici nobiles. Inveniebantur & Oliſipone in Luſitania. Plinius cap. VII de carbunculis: *Maſſiliæ*
D *quoque importari Boccus, & Oliſippone ſcripſit magno labore ob argillam ſole aduſtis ſaltibus.* Saltus heîc pro montibus, ut *ſaltus Pyrenæus* Livio. Sed libri hunc locum aliter ſcribunt, hoc nempe modo: *& in Olyſippone erui ſcripſit magno labore ob argillam ſoli.* Omnino putem ſcribendum: *& in Olyſippone erui ſcripſit, magno labore ob argillam ſoli aduſti ſolibus.* Difficulter erui carbunculos in Luſitano littore dicit, ob ſolum argillaceum ſolibus aduſtum. Difficile admodum foditur argilla, quæ ſolibus indurata eſt. Nihil verius. Hoc corruptum ab illis, qui legerant in antiquis: *ob argillam Sole aduſtis ſolibus.* Nihil etiam certius, quam ceraunium heîc pro carbunculo Soli-
E num poſuiſſe. Epiphanius de carbunculo: ὀλίγου δὲ καὶ ὁ κεραύνιος λίθος αὐτῷ ἔοικε. Ita ſcribendum ex veteri codice, ſententia ſic jubente. Ὀλίγον ἔοικε idem ſignificat, quod *parum ſimilis eſt.* At ὀλίγου ἔοικε eſt, *minimum abeſt quin ſimilis ſit.* ὀλίγου δεῖν ἔοικε. Sic Latini *minimo* dixerunt. Capitolinus: *addens minimo ſe ægrè mortem ferre filium ſuperſtitem relinquens.* Ita olim correximus pro *minimè.* Quod longè diverſam efficit ſententiam. Ita Græci: ὀλίγου δὲ κύνες διεδηλήσαντο. Sic ergo ὀλίγου ἔοικε, qui forma non abſimilis eſt. Addit Epiphanius: τὸν δὲ κεραύνιον καλοῦσιν οἰνωπόν τινες. Sic etiam legendum. Ex his conſtat recentiores *Ceraunium* propriè vocaſſe gem-
F mam rubram, carbunculo ſimilem. Tertullianus de anima: *Cerauniis gemmis non ideo ſubſtantia ignita eſt, quod coruſcent rutilato rubore.* Idem de habitu muliebri: *margaritæ canderent, ceraunia coruſcarent.* Inde ceraunium pro carbunculo uſurpavit hoc loco noſter. At Plinius inter candicantes gemmas ceraunium reponit, quamvis & nigræ, rubentiſque genus etiam è Sotaco agnoſcat. *Per illas, quæ nigræ ſunt, & rotundæ, urbes expugnari & claſſes, eaſque Bætulos vocari.* Ita legendum. Βαιτύλοι & βαιτύλια Græcis, de quibus ad Hiſtoriam Auguſtam diximus.

G *Hujus ceraunii color eſt è pyropo*] Apparet ceraunium vocaſſe, qui Plinio carbunculus. Ab ignium ſimilitudine quidam & hos pyropos appellavere: *Principatum habent carbunculi, à ſimilitudine ignium vocati, cum ipſi non ſentiant ignes, ob id à quibuſdam pyropi appellati.* Sic lege corruptiſſimum in editionibus locum. Ita enim ſcribitur: *cum ipſi non ſentiant ignes, ob id à quibuſdam apyroti vocati.* Non dicit apyrotos vocatos, quod ignes non ſentiant, ſed pyropos ab ignium ſimilitudine: carbun-

carbunculi, inquit, à similitudine ignium vocati, cum tamen ignes non sentiant: *ob id*, id est, ob eam ignium similitudinem pyropi à quibusdam vocati, id est, *πυρωποὶ*. Quæ vox melius eam similitudinem ignium exprimit, quam ἄνθραξ, vel carbunculus. Male igitur conjiciunt, qui *acaustos* legunt. Scribitur etiam in quibusdam exemplaribus, *cum ipsi non sentiantur*. Cujus lectionis hic esset sensus, carbunculos ab ignium similitudine appellari, cum tamen ipsi non sentiantur igniti, ut carbones, sed instar tantum ignium ardere, unde & *pyropi* quibusdam dicti. Quam sententiam fortassean aliquis præferret. Ovidius:

Clara micante auro, flammasque imitante pyropo.

Epiphanius de sarda: ἔστι δὲ πυρωπὸς τῷ εἴδει καὶ αἱματώδης. Nam sarda inter ardentes gemmas, quarum omnium principatum habebant carbunculi. At ceraunium inter ardentes non recenset Plinius, qui cap. VII omnium ardentium gemmarum naturam explicavit. Sed inter candidas cerauniam refert cap. IX, licet & ceauniæ duo genera, nigræ rubentisque è Sotaco ibidem indicet. Ceraunium igitur heîc pro carbunculo. Atque ita recentiores. Claudianus:

— Pyrenæisque sub antro
Ignea fulmineæ legere ceraunia nymphæ.

Martianus Capella: *nam neque Scythidis vireta, nec ceauniorum vibrans fulguransque lumen, nec flucticolor hyacinthi credebatur abesse profunditas.* Ita & hoc loco *ceraunii color è pyropo*. Quare manifesto ceraunium inter ardentes, & ignitas gemmas retulere contra veterum sententiam, quibus Plinius utitur auctoribus. Et sic ceraunium cum carbunculo confudere. Epiphanius de carbunculo: ὅτος εἶδος ξυφοίνικον ἔχει. Lege: ὅτος εἶδος ὀξυφοινικοῦν ἔχει, id est, *acuto puniceo colore ardet*. Sic *oxyblatteum* in codice: & *oxypæderotinum* apud Vopiscum. Cercoëtius corrigebat. Οὗτος εἶδος ὀξυφοίνικος ἔχει. Quid sit ὀξυφοίνιξ docere etiam nos debuit.

Pag. 32. C. *Qualitas igni probatur*] Hoc Plinius de carbunculis: *à similitudine ignium appellati, cum ipsi non sentiant ignes.* Et paulo post: *nascuntur & in Thracia coloris ejusdem, ignem minime sentientes.* Hoc idem & de adamante dixerat; *ignium victrix natura, minimeque incalescens.* Ceraunium noster substituit in locum carbunculi, ut dissimularetur auctor, quem morem perpetua religione servat.

Cassiterides insulæ spectant adversum Celtiberiæ latus] Plinius lib. IV. cap. ult. *Ex adverso Celtiberiæ complures sunt insulæ Cassiterides dictæ Græcis à fertilitate plumbi.* Qui apud Plinium legunt, ex *adverso Celtici*, hoc Solini loco refutantur.

Sunt & tres Fortunatæ] Libri: *& tres Fortunatæ*, hoc sensu, quasi tres Fortunatæ, ut & Cassiterides adversum Celtiberiæ latus spectarint. Qui Solini error est. Plinius Cassiterides ex adverso Celtiberiæ sitas facit: Fortunatas vero è regione Arotrebarum promontorii, quod *Celticum* dicebatur. Hinc putavit hic Grammaticus Celticum promontorium in Celtiberia esse, & rem eamdem. Atqui promontorium illud à Celticis populis dictum, qui Nerion promontorium accolebant, quod Arotrebarum promontorium vocat Plinius, Strabo Ἀρταβρων. At Celtiberia in Tarraconensi. Extremus ille angulus, in quo Celticum promontorium situm est, quo latus occiduum Hispaniæ à Septentrionali disterminatur, Tarraconensi provinciæ datur. Ex adverso illius promontorii Septentrionem versus positæ Cassiterides. Ergo & ex adverso sunt Celtiberiæ, quæ in Tarraconensi. Celtiberia tamen longè ab illa ora introrsum recedit, & Balearici maris littori propior. Quare suspicor Plinium heîc Celtiberiam posuisse pro Celticorum regione, qui oram illam Tarraconensis incolebant ad promontorium Celticum, quod & Arotrebarum dicebatur, vel Artabrorum. Strabo: ὁμοίως δὲ καὶ ταῖς Ἀρτάβροις ἀντίκεινται πρὸς ἄρκτον αἱ Καττιτερίδες καλούμεναι νῆσοι. Mela in Celticis eas ponit, quod ex adverso Celticorum essent: *In Celticis aliquot sunt, quas quia plumbo abundant, uno omnes nomine Cassiterides appellant.* Profecto pro his Celticis Celtiberos alibi nominasse videtur idem Plinius lib. III. cap. I de Celticis, qui Lusitaniam attingunt ad Anam fluvium: *Celticos à Celtiberis & Lusitania advenisse manifestum est.* Nam regio, quæ à Bæti ad Anam tendit, in duas fuisse divisam gentes scribit, Turdulos & Celticos. Atque hi sunt Celtici, quos è Celtiberis Lusitaniæ advenisse scribit Plinius. Hos porro Celtiberos, Celticos esse, qui in angulo Occidentalis, & Septentrionalis oræ communi degunt, docti homines volunt. Strabo sanè Celticos istos, qui promontorium Celticum, & oram illam accolunt è Celticis Bæticis ortos fuisse vult: περιοικοῦσι δ' αὐτὴν Κελτικοὶ συγγενεῖς τῶν ἐπὶ τῷ Ἀνᾳ. Vide locum. At Plinius Anenses Celticos ex Celtiberis Lusitaniæ oriundos facit. Si Celtiberos pro Celticis posuit, ut opinantur eruditi, contrarium Straboni scripserit. Quod tamen mirum videri non deberet, nisi aliud esset, quo credere vetamur Celtiberos Plinium pro Celticis dixisse. *Celticos à Celtiberis ex Lusitania advenisse manifestum est sacris, lingua, oppidorum vocabulis, quæ cognominibus in Bætica distinguuntur.* Argumentum inter alia hoc habet Plinius, quare Celtici Bæticæ è Celtiberis orti putentur, quod oppidorum vocabula in utraque gente communia cognominibus distinguantur in Bætica: *Seria dicitur Fama Julia.* Seriam Ptolemæus in Turditanis, sive Turdulis ponit: sed Turduli & Celtici populi affines in Bæturia Bæticæ. *Vertobriga*, inquit, *Concordia Julia.* Ergo *Vertobriga* etiam apud Celtiberos, sed Concordiæ Juliæ cognomine distinguitur apud Celticos Bæticos. Sed legendum *Nertobriga.* Hæc in Turditanis etiam à Ptolemæo, qui Celticis contermini. Urbs eodem nomine in Celtiberia, Ptolemæo, Appiano & Floro nominata. Addit Plinius, *Segide, Restituta Julia.* Apud Celticos Bæticæ urbs Segide cum cognomine *Restitutæ Juliæ.* Ptolemæo quoque *Segida* urbs in Turdulis Σέγιδα, Πτῦκκι. Ita legendum non Σίπιδα. Hoc eodem nomine urbs apud Celtiberos, Σεγιδὴ Appiano. Plinius Turdulorum oppida pro Celticis numerat. Veri igitur Celtiberi apud Plinium intelligendi, non Celtici. Sed quare Celticos à Celtiberis ex Lusitania advenisse dicit, cum Celtici isti Lusitaniæ vicinores sint, quam Celtiberi? nec enim Lusitaniæ Celtiberi adscripti unquam fuere. Immo Celtici, & Turduli pæne Lusitani ob vicinitatem, & multæ eorum urbes in Lusitania. Ptolemæus in Τερδητανοῖς, & Κελτικοῖς recenset, qui iidem sunt cum iis, quorum in Bætica meminit, & Βαιτικοὺς Κελτικοὺς nominavit. Urbes enim, ut dixi, & Turdulorum & Celticorum multæ in Lusitania. Sic intelligenda verba Ptolemæi: Τερδητανοί, ἐν οἷς αἱ ἐν τῇ Λυσιτανίᾳ πόλεις μεσόγειοι. Κελτικοὶ ἐν οἷς αἱ ἐν τῇ Λυσιτανίᾳ πόλεις. Celtici isti ad Anam, qui Bæticam & Lusitaniam disterminabat. Legendum ergo apud Plinium: *Celticos à Celtiberis Lusitaniam advenisse manifestum est.* Quare juxta Plinii sententiam Celtici Bæticæ à Celtiberis, Celtici vero Tarraconenses à Celticis Bæticis orti, secundum Strabonem. Qui Celtici Tarraconenses cognominibus Neriorum & Pæsamarcorum distinguebantur. Et extimam oram incolebant ad angulum Septentrionalis, & Occidentalis lateris, ubi promontorium Celticum, & Ἀρταβρων λιμὴν, qui *Arotrebarum portus* Pomponio Melæ, ut sic constet magis Artabros, & Arotrebas eosdem esse. Nam qui Straboni, & Ptolemæo Ἀρτάβρων λιμὴν, Melæ is est *Arotebrarum portus*, quem Strabo Ἀρτάβρων ἄκραν appellat, Plinius *Arotebrarum promontorium.* Ex his constat non Celtiberiam pro Celtica regione posuisse Plinium, nec Celtiberos pro Celticis dixisse, quum Celtiberas ubique à Celticis distinguat, & hoc loco maximè, quo Cassiterides ex adverso Celtiberiæ statuit, Fortunatas autem insulas è regione Arotebrarum promontorii, quod Celtici accolebant, & Celticum inde dicebatur. Celtiberiam igitur pro Tarraconensi posuit: nam scribit Ptolemæus, παράκειται τῇ Ταρρακωνησίᾳ τὰς Κασσιτερίδας ἐν τῷ δυτικῷ ὠκεανῷ. Strabo πρὸς ἄρκτον, è regione Arotrebarum eas collocat. Fortunatæ è regione quidem etiam Arotrebarum juxta Plinium, sed ad Occidentem. Idem Strabo Beronas vicinos

vicinos Celtiberis facit versus Septentrionem, Cantabris quoque confinitimos, καὶ αὐτοὺς γεγονότας ἐκ Κελτικοῦ στόλου, qui & ipsi è Celtarum regione advenerunt. Malè interpretes, *Gallico utentes vestitu reddunt.* Hinc Cassiterides, quæ ad Septentrionem Tarraconensis Hispaniæ, adversum Celtiberiæ littus spectare dixit Plinius.

Ebusus è Balearibus, quæ à Dianeo abest] Ita libri constanter. Falsum tamen Ebusum è Balearibus esse. Omnès distinguunt. Dionysius:

Τούτων δ' ἐξείης Γυμνησίαι, ἄγχι δ' Ἔβουσος.

Γυμνησίαι sunt Baleares. Plinius ipse lib. III. cap. V. *Insulæ per hæc maria primæ omnium Pityusæ Græcis dictæ à frutice pineo, nunc Ebusus vocatur utraque, civitate fœderata, angusto freto interluente.* Ita interpungendum. Nam male legunt: *nunc Ebusus vocatur utraque civitate fœderata.* Strabo Πιτυούσας duas facit, sed unam ex his Ἔβυσον, alteram Ὀφιοῦσαν vocat. At Plinius *Colubrariam*, id est, Ὀφιοῦσαν ab his distinguit, ut & Avienus in ora Maritima. Mela unam tantum Ebusum ponit, insulam & oppidum ita vocari significans. Diodorus quoque unam Πιτυοῦσαν agnoscit cum oppido Ἐρεσῷ. Πόλιν ἣ ἔχει τὴν ὀνομαζομένην Ἐρεσὸν. Scribendum Ἐβεσὸν. Nam Ἔβεσος, quoque pro Ἐβυσὸς scribitur apud Dionem. Inde *Ebsus* hæc insula vocatur in scriptis exemplaribus Martiani. Quod est moris Latinorum: nam υ Græcum in E mutant: ut ματτύη, *mattea*, ῥυμὸς *remus.* Ita vocabant lorum tubæ: ῥυμουλκὸς *remulcus.* Ceterum fallitur Plinius, qui cum Colubrariam à Pityusis diversam statuat, duas tamen Πιτυούσας agnoscat. Quibus duæ sunt Πιτυοῦσαι, illi Colubrariam, hoc est, Ὀφιοῦσαν unam faciunt, alteram Ἐβουσόν. Pityusas à frutice pineo dictas ait. Martianus fruticem pro silva accepit. *Transeo*, inquit, *Pityußas à silva pinea memoratas.* Silva interdum pro frutice. Ut Virgilius de amello: *cui plurima silva*, fruticosum intelligit, καὶ ὑλώδη. Frutex pro silva, vel nemore nunquam legitur. Per pineam silvam intellexit Martianus pinearum arborum silvam, cum Plinius de frutice, quem Græci θάμνον, vel φρύγανον vocant, loquatur. Eruditi *pinum* τὴν χαμαίπιτυν interpretantur hoc versu Virgilii in culice:

Bumastusque virens, & semper florida pinus.

De eodem IV Georgycῶn:

Ipse thymum, pinosque ferens.

Ibi Philargyrus: *legitur & tinos. Est autem laurus silvestris cærulea bacca.* Utrum pinos, an tinos laurum esse vult silvestrem? de tino capiendum. Plinius lib. XV. cap. ult. de lauro: *postea accessere genera: tinus, hanc silvestrem laurum aliqui intelligunt, nonnulli sui generis arborem: differt color: est enim cærulea bacca.* Pinum igitur de Græcorum chamæpitye accipiunt. Verùm multa video, quæ obstent. Chamæpityn Græcorum Latine *pinum* vocari nemo veterum tradidit. Plinius chamæpityn Latinè *abigam* dici notat propter abortus, flore pinus & odore. Atqui pinum non florere alibi scripsit. Cautius Dioscorides: ὀσμὴν ἔχοντα πίτυος, ἄνθη λευκὰ ἢ μήλινα, de foliis chamæpityos. *Semper floridam pinum* vocat Virgilius. Columella ex eo *semper virentem.* Chamæpityn semper virere nemini, quod sciam, proditum, nec verum est. Præterea chamæpitys herba est, πόαν vocat Dioscorides. Plinius tribus chamæpityos generibus enumeratis subdit, *omnes herbæ, sed propter cognationem nominis non differendæ.* At *pinus semper virens* Columellæ frutex est, & quidem majoris surculi. Nam postquam minores frutices, & herbas apibus amicas descripsit, sic subjicit: *post hæc frequens sit incrementi majoris surculus, ut ros marinus, & utraque cytisus, & semper virens pinus, & minor ilex, nam prolixior ab omnibus improbatur.* Pinum, ut heic vides, inter frutices reponit: nam & ros marinus, & cytisus, & minor ilex frutices sunt, non herbæ. Addit deinde de arboribus: *arbores vero sunt probatissimæ*, &c. Plinius quoque quum à pineo frutice dictas Pityussas memorat, ut de pinu arbore intelligere non potuit, quæ frutex non est, ita nec de chamæpitye, quæ herba est, non frutex. Præterea πίτυν Græci non appellant τὴν χαμαίπιτυν: nec Πιτυοῦσαι videri queant dictæ ἀπὸ τῆς χαμαιπίτυος, sed ἀπὸ τῆς πίτυος. Quis igitur ille frutex, quem pineum Plinius vocat? Non alius esse queat, quam πιτυοῦσα. De quo idem lib. XXIV. cap. VI. *Cum honore & pityusa simili de causa dicetur, quam quidam in tithymali genere numerant. Frutex est similis piceæ, flore parvo purpureo.* Dioscorides: φύλλοις ὄξεσι λεπτοῖς, ἐμφέρεσι τοῖς τῆς πίτυος. Grandem esse fruticem κατὰ τόπους idem adnotat. Ab hoc frutice pityusa insulas Pityusas appellatas dicit, & *fruticem pineum* appellat, quod pineæ arbori similis sit. Sed nugatur Plinius. Nam à frutice πιτυοῦσα insulæ Πιτυουσαῖοι, non Πιτυοῦσαι dictæ essent. Ergo ἀπὸ τῆς πίτυος dictæ potius Πιτυόεσσαι, Πιτυοῦσαι: ut Φοινικοῦσαι pro Φοινικόεσσαι, ἀπὸ τῶν φοινίκων: Ἐρικόεσσαι, & inde Ἐρικοῦσαι ἀπὸ τῶν ἐρείκων. Sic de aliis sexcentis. Πιτυώδεις eas Alcman indigetavit ab eadem ratione. Sic Φοινικοῦσαι insulæ ἀπὸ τῶν φοινίκων & Ἐρικοῦσα ἀπὸ τῶν ἐρίκων, quæ & Ἐρικώδης: ut Φοινικώδης una ex Æoliis, quam etiam Φοινικοῦσαν dixere. Ita & Πιθηκοῦσαι à simiis. Nunc quærendum an de hoc pineo frutice, qui πιτυοῦσα Græcis, intelligi par sit semper virentem Virgilii, & Columellæ pinum, quandoquidem de chamæpitye non posse accipi constat. Non pauca sunt, quæ ita sentienti noceant. Primum pityusa nomen apud Latinos non habet. *Pineum fruticem* Plinius appellat à pineæ arboris similitudine; non vocat pinum, cum pinus sit πίτυς, non πιτυοῦσα. Itaque *Pityusam* eam nominat Græco vocabulo. Frutex est, qui præter folia piceæ similia, cetera tithymalus est, quam *herbam lactariam* Latini vocavere. Præterea inter coronamenta *pinum semper floridam* recenset Virgilius, in quibus locum non habet pityusa, quæ tithymali species est. Postremo, quod omnium maximè repugnat, pinus illa Virgilio, & Columellæ frutex est, τῶν ἀειθαλῶν, inter arbores & pinus, & picea τῶν ἀειφύλλων; sed talis non est inter frutices ἡ πιτυοῦσα, quæ piceæ nihil habet simile præter folia, quæ nec sempiternè virent. His omnibus permotus, & certa veritatis persuasione adductus, legendum apud Columellam credo, *semperque virens tinus, & minor ilex.* Et apud Virgilium:

---- *& semper florida tinus.*

Qui vocem *tinus*, quid vellet, ignorabant, facile in notiorem mutaverunt. Præterea P & T sæpè invicem mutari solita penes antiquos librarios. Sic *pipita* Glossarum auctori, pro *pitita.* Et *ruplum*, pro *rutlum.* Verior etiam apud Virgilium lectio, *Sæpe thymum, tinosque ferens*; quam notavit Philargyrus. Nam *pinos* ibi nec de pinis arboribus, nec de chamæpitye, nec de pityusa exponere licet. Rationes supra exposui. *Pinus* Latinè dicitur de arbore tantum. Si de alia arbore, aut frutice dicta est, quæ non sit pinei generis, epitheto aliquo, aut productione nominis, aut alia denique nota distingui oportuit, ut apud Græcos χαμαίπιτυς, & πιτυοῦσα. Nam *semper virentis* epithetón etiam pinus arboris proprium, cui folia nunquam decidunt. Idem Virgilius paulo post:

---- *illi tiliæ, atque uberrima pinus.*

Heîc duplicem fuisse scripturam ipsius Virgilii manu annotat Philargyrus *pinus* & *tinus*, his verbis: *ipsius autem manu duplex fuit scriptura, pinus, & tinus. Uberrima heîc pro plurima: fructum enim nullum fert tinus, sed multa semina facit.* Ita distinguendum. Per *semina* intelligit baccas cærulas. Certè in illo Virgilii loco aut de pinu arbore accipiendum, aut *tinus* legendum. Vir magnus, qui pinum ibi chamæpityn esse contendit, non est audiendus. In Culice vero, & apud Columellam, cum de pinu arbore minime conveniat intelligi, nec alia sit pinus, de qua locus capi possit, necessario *tinus* reponi debet. Lauri silvestris genus est, ideo semper virens, & minor lauro, ut silvestria omnia urbanis ferè minora, sic frutex magis quam arbos. Aliis placet sui generis arborem esse. Idcirco *laurum*, & *tinum* Virgilius ibi separatim nominavit. Tinum esse, non pinum alius Columellæ locus ostendit lib. IX. cap. V. *Conseri deinde circa apiarium debent arbusculæ incrementi parvi, maximeque propter salubritatem: nam sunt etiam remedio languentibus cythisi, tum deinde casiæ, atque pini, & ros marinus, quin etiam cunilæ, & thymi frutices.* Quis mihi heîc persuaserit, pinum arborem locum habere posse inter arbusculas incrementi parvi, quæ circa apiaria conserendæ sunt, casias, cythisos, cunilam & thymum? quis igitur non videt scribendum esse, *casiæ atque tini?* sed

sed est etiam aliud, quo vincere possim veram hanc esse lectionem, & omnibus illis locis Virgilii, ac Columellæ, quæ suprà indicavi, pro pino reponendam esse *tinum*. Plinius lib. XVII. cap. X de ratione serendæ lauri ita loquitur: *namque & laurus pluribus modis seritur. Genera ejus diximus. Ex his augusta, & baccalis, & tinus simili modo servatur.* Ibi *tinus* vera lectio, & sic habent vulgati. Sed nullus est liber manu exaratus, quin habeat, *& baccalis & pinus.* Etiam antiquissimus Thuanæus sic legit. Unde manifesto colligi potest, non uno hoc tantùm loco sic fuisse depravatum.

Bocchoris regnum Baleares fuerunt] Latinis *Baleares*, vel *Baliares*, quæ Græcis Γυμνησίαι. Utriusque vocis eadem significatio. Nec enim dictæ Γυμνησίαι, quod populi earum nudi incedant, ut argutantur auctores. Γυμνῆτες propriè Græcis sunt funditores, & ceteræ levis armaturæ, quos ψιλοὺς vocant. Hesychius: γυμνῆτες, οἱ μὴ ἔχοντες ὅπλα, οἱ δὲ τοὺς σφενδονητὰς, οἱ δὲ τοὺς γυμνοὺς μαχομένους. Inde insulæ Γυμνησίαι, ἀπὸ τῶν γυμνήτων, à funditoribus. Latini ab eadem ratione *Baliares*. Antiquum verbum erat *balio* à βάλλω, ut *alius* ab ἄλλος: salio ab ἅλλω: *Thalia*, vel *Talea*, θαλλὸς: φύλλον, *folium*. Inde *Baliaris*, jaculator, & funditor. Stephanus: ἐκλήθησαν δὲ καὶ Βαλιαρίδες ἀφ' οὗ Βαλιαρεῖς. Τὸ ἐθνικὸν, ὅ ἐστι σφενδονῆται. Plinius: *Baleares funda bellicosas, Græci Gymnesias dixere.*

Bocchoris regnum Baleares fuere] Cur dicat regnum Bocchoris Baleares fuisse nescio. Mirum est è Plinio habere, qui hoc non dicit. Sic enim de majori Balearide scribit: *Major centum longitudine, circuitu vero CCCLXXX milia. Oppida habet civium Romanorum Palmam, & Pollentiam, Latina, Cinium, & Cunici, & fœderatum Bochri fuit.* Sic hodie legitur ex correctione Gelenii, qui *Bochri* vult nomen fuisse oppidi fœderati Romanorum, sed intercidisse. Prius legebatur: *Latina Cinium & Cunici, quod fœderatum Bochorum fuit.* In Rigaltiano scriptum extat: *Latina Civium, & Tucim, & fœderatum Hocchorum fuit.* In aliis, *Bocchorum*. Vera igitur lectio *Bocchorum*. Totus igitur locus sic legendus, ac constituendus: *oppida habet civium Romanorum Palmam & Pollentiam: Latina Cinium & Tucim: & fœderatum Bocchorum fuit.* A Palma & Pollentia coloniæ Romanæ in majori Balearide. Latinæ vero conditionis, *Cinium* & *Tucim*. Addit: *& fœderatum Bocchorum fuit.* Quibus ostendit Bocchorum etiam ibi fuisse oppidum fœderatum, nunc non esse. *Bocchorum*, τὸ Βόκχορον nomen oppidi. Ita porro loquitur Plinius de urbibus, quæ intercidere. Ut lib. IV. cap. X. *Oppidum in cacumine fuit Acroathon, nunc sunt Uranopolis.* Et sic alibi passim. Fœderatum porro intelligit fuisse Romanis. Sic paulo ante de Ebuso: *utraque civitate fœderata.* Solinus verba Plinii sic accepit, quasi diceret fœderatum fuisse regum Mauritaniæ, qui *Bocchores* dicebantur. Ita enim illa interpretatus est, *& fœderatum Bocchorum fuit.* Quo nihil absurdius. Et quo magis sese segregaret ab omni veritate, inde etiam finxit Baleares regnum Bocchoris fuisse. Si oppidum unum, demus hoc fuisse, fœderatum Bocchorum fuit in una Balearium, an inde sequitur Balearibus imperitasse Bocchores, & in his insulis regnasse? coloniæ Romanorum, & Latinæ conditionis oppida τὴν ἐπικράτειαν Romanorum in illis insulis magis testantur quam Bocchorum. *Bocchor*, & *Bocchus* regum Mauritanorum nomina, sed & *Bogus*. Jugurthæ temporibus Bocchus Mauris imperabat, de quo multa apud Sallustium. Βόγου mentio apud Strabonem locis aliquot, ubi malè interpretes *Bocchum* reddunt, nam Βόγος, & Βόκχος diversa nomina, ut ex eodem Strabone constat lib. XVII de Mauritania: μικρὸν μὲν οὖν πρὸ ἡμῶν οἱ περὶ Βόγον βασιλεῖς, καὶ Βόκχον κατεῖχον αὐτὴν φίλοι Ῥωμαίων ὄντες. Ἐκλιπόντων δὲ τούτων, Ἰούβας παρέλαβε τὴν ἀρχὴν δόντος τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος καὶ ταύτην αὐτῷ τὴν ἀρχὴν πρὸς τῇ πατρῴᾳ. Ergo Bogi, & Bocchi ante Jubam Mauritaniæ imperitabant. Qui Græcis Βόγος, is Latinis *Bogud*. Romani enim βαρβαρικώτερον enuntiabant hæc barbara nomina, quam Græci. Sic *Hannibal*, *Hamilcar* dicebant, quæ Græci Ἀννίβας, Ἀμίλκας, græcatiore, ut ita dicam, pronuntiatione. Strabo lib. VIII scribit Βόγον Maurorum regem, qui in partibus Antonii fuerat, ab Agrippa occisum fuisse bello Actiaco. Is est, qui *Bogud* Livio dictus in CXIII. *Cassius gessisset cum Trebonio bellum, si Bogudem trahere in societatem*

A *furoris potuisset.* Priscianus, apud quem hic legitur locus, barbarum nomen Maurorum regis esse dicit. Ergo Βόγος, & *Bogud* idem nomen. Sic Βόκχος, & *Bocchor*, Latinum istud, ut illud Græcum. Licet Romani etiam Bocchum dicant. Virgilius in Culice:

Bumastusque virens, & semper florida tinus,
Et Bocchi regis Libyæ memor.

Floris, aut herbæ nomen designat à Boccho rege vocatæ. Ea est, quam Hesychius βῶχ appellat. Βῶχ, βοτάνης εἶδος. *Bocchor* etiam Maurorum regis nomen idem cum Bocchus. Juvenalis:

Propter quod Roma cum Bocchore nemo lavatur.

B Ita scribe, non *Boccare*, ut vulgo excusum est. Arnobius lib. I. *Tisianes & Bucures Mauri, & ovorum progenies Dioscuri.* Quot verba, tot mendæ. Lege: *Titanes, & Bocchores Mauri, & ovorum progenies Dii Syri.* Titanes in Africa pro diis culti, ut & ipsorum mater Titæa. Vide Diodorum lib. III. Mauritani autem etiam regulos suos pro diis colebant. Tertullianus: *ut Africa cœlestis, ut Mauritaniæ reguli sui.* Jubam pro Deo à Mauritanis adoratum tradit Athenagoras. Ante Jubam in Mauritania regnabant Bogudes, & Bocchores, Βόγοι, καὶ Βόκχοι.
C Sic Bocchor, & Βόκχος idem. Βόκχορις etiam nomen Ægyptiorum regis. Quod sequitur apud Arnobium, *& ovorum progenies Dii Syri*, è veteri libro sic emendavimus. Quod enim editum est, *Dioscuri* pro *Dii Syri*, correctorum manus est prorsus ab auctoris mente aliena. Tribus lineis ante nominavit *Tyndaridas Castores*, cur heic repeteret *Dioscuros*, qui iidem sunt? per Deos Syros intelligit Deam Syriam, quam ex ovo genitam crediderunt. Incertus in Germanici Aratæa Phænomena: *Nigidius hos pisces dicit in flumine Euphrate fuisse, & ibi ovum invenisse miræ magnitudinis, quod volventes ejecerunt in terram, atque ita columbam insedisse, & post ali-*
D *quot dies exclusisse Deam Syriam, quæ dicitur Venus.* Lucius Ampelius in libro ad Macrinum: *dicitur & in Euphrate fluvio ovum piscis columba adsedisse dies plurimos, & exclusisse deam benignam, & misericordem hominibus ad bonam vitam.* Inde nec columbas in cibis attingebant Syri, quia columba ovum piscis fovisset, è quo nata dea Syria, quam Venerem dicebant. Ἀστάρτην & Δερκετώ aliam esse alibi dicam. Ex his constat Deos Syros, quorum mentio frequens in veteribus inscriptionibus, de dea Syria, hoc est, Venere, & ejus filio Cupidine esse intelligendos, fortasse etiam de Adonide,
E qui Veneri πάρεδρος, & pariter à Syris cultus. Persius Deos etiam Syros intelligit, cum dicit:

Incussere Deos inflantes corpora. ----

Ovorum progeniem deos Syros dicit Arnobius, quasi non sola Venus ex ovo edita, sed etiam filius ejus ita natus sit. Venerem certè cum filio in Syriam ad Euphratem metu Typhonis venisse, & figuram piscium forma mutasse scribit Hyginus. *Itaque*, inquit, *postea Syros, qui in his locis sunt proximi, destitisse pisces esitare, quod vereantur eos capere: ne simili causa aut deorum præsidia impugnare videantur, aut eos ipsos captare. Eratosthenes*
F *autem ex eo pisce natos hos dicit*, id est, hos deos, Venerem & Cupidinem. Sic enim libri eo loco legunt: pro quo ediderunt, *ex eo pisce natos homines dicit.* Absurdissimè. Si ex pisce nati Venus, & Cupido apud Syros, ovorum planè sunt progenies. Sic Dii Syri Venus & Cupido. Germanicus Arati interpres piscium cœlestium par, *duo Syriæ numina* vocat:

---- *& Syriæ duo numina pisces.*

Quasi pisces illi duo cœlestes Veneris, & Cupidinis instar referant, quos fabulæ volunt piscium figuram ad Euphratem sumpsisse Typhonis metu. Hi igitur Syri Dii, & ovorum quidem progenies, quia pisces ex ovis
G nascuntur. Verùm hæc alibi fusius, quæ heîc obiter signavimus occasione data.

Usque ad eversionem frugum cuniculis animalibus copiosæ] Ita scripsimus ex libris scriptis, & aliquot editionibus. Perperam in Delriana: *usque ad eversionem Phrygum.* Quod ineptissimum, odio Camertis, rectè monentem eum audire noluit. An quod ita in libro suo invenisset. Certè ita in quibusdam reperi, *frygum* pro *frugum*: ut *gyla* pro *gula* scribebant: *acolythos*, qui ἀκόλουθοι sunt, *centyriones* pro centurionibus: *Thylen* denique pro

pro *Thule*. Malim etiam legere: *Baleares fuerunt ad eversionem frugum cuniculis animalis quondam copiosæ*. Copiosæ cuniculis ad eversionem frugum: ita copiosæ cuniculis, ut fruges earum popularentur, & everterent. Sic loquitur noster paulo supra: quæ *arida sunt ad sterilitatem*, id est, quæ adeo arida sunt, ut etiam sterilia existant. Ita Plinio, *sales ad ramenta tenues*, ita tenues, ut instar sint ramentorum. Idem Plinius: *nec cuniculos Ebusus gignit, populantes Balearium messes*. Vide Strabonem lib. III, qui γεωρύχους λαγιδεῖς vocat, & λεβηρίδας quibusdam vocatos ait. Erotianus Massiliensium hanc vocem esse dicit in Hippocratis Lexico: Τηλέμαχος ὁ γραμματικὸς εὐηθέστερον φησὶ δυσανταγωνίστου καὶ λιμοποιοῦ ζώου ὄνομα εἶναι λεβηρίδα μικρῷ λαγωῷ ὅμοιον, ὃ Ῥωμαῖοι μὲν κούνικλόν φασι, Μασσαλιῶται δὲ λεβηρίδα. At λεβηρὶς Græcis aliud significabat. Ex illo λεβηρὶς, quod cuniculum lepusculi genus significat, facta vox *laurix*, qua fœtus cuniculorum vocarunt. Plinius de cuniculis: *fœtus ventre exectos, vel uberibus ablatos non repurgatis interaneis, gratissimo in cibatu habent: laurices vocant*. Λεβηρὶς, *Laberis, Laurix*, ut πρίστις, *pristix*: Αἴας, *Ajax*: Τιγρὶς, *Tigrix* in veteri inscriptione. At λεβηρὶς antiquis Græcis τὸ τῆς ὄφεως γῆρας, exuviæ serpentis, aut fabæ folliculus. Hesychius: τινὲς δὲ ἄνδρα λέβηριν γενέσθαι πτωχόν. Hinc vetus illud proverbium, γυμνότερος λεβηρίδος. Concham vacuam quidam sic vocarunt. Ridiculus itaque ille Grammaticus, qui λεβηρίδα de cuniculo animali accipiebat apud Hippocratem. Certè veteres Græci cuniculi animalis vix ullam videntur habuisse notitiam: nec enim habent nomen, quo id à leporibus distinguant, forte quod animalis hoc genus in Græcia non gigneretur. Videtur igitur olim hoc leporis genus Hispaniæ tantùm, & vicinarum insularum peculiare fuisse. Ideo & Hispani nomen huic animali fecerunt. Plinius: *leporum generis sunt, & quos Hispania cuniculos vocat*. Ab effodiendis sub terra cuniculis sic vocarunt. Strabo γεωρύχους λαγίδας vocat, quia vocem Græcam, qua eos uno verbo vocaret, non habuit. Sic talpæ γεωρυχίδες dictæ. Polybius in duodecimo Historiarum κούνικλον voce Hispanica appellavit. Ejus verba hæc sunt, ut habentur apud Athenæum lib. IX. Ὁ δὲ κούνικλος καλούμενος πόρρωθεν μὲν ὁρώμενος εἶναι δοκεῖ λαγὼς μικρός: ὅταν δ' εἰς χεῖρας λάβῃ τις, μεγάλην ἔχει διαφορὰν καὶ κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν, καὶ κατὰ βρῶσιν. Γίνεται δὲ τὸ πλεῖον κατὰ γῆς. Si notum Græcis antiquis fuisset hoc leporis genus, nomen etiam utique habuissent, quo eum censerent. Quod si Græcam ejus appellationem scisset Polybius, non κούνικλον appellasset. Δασύπους apud Atticos, & veteres scriptores non est cuniculus, ut multi sibi persuadent, sed lepus. Nunquam aliter leporem vocat Aristoteles. Unicus apud eum locus extat, quo δασύποδα videtur distinguere ἀπὸ τοῦ λαγωοῦ. Is est lib. I. Hist. Animal. cap. I. Τὰ δὲ φρόνιμα καὶ δειλὰ, οἷον ἔλαφος, καὶ λαγὼς, δασύπους. Sed quis non videt illud λαγὼς è glossa esse? omnino legendum: οἷον ἔλαφος, καὶ δασύπους. Aliquis pro glossamento ad oram adscripsit λαγώς. Attici antiqui scriptores δασύποδα leporem semper vocant. Hesychius: δασύπους, λαγώς. Pollux: διὰ τοῦτό μοι δοκεῖ δασύποδα τὸν λαγὼν ἄλλοι τε καὶ Κρατῖνος καλεῖν ὄνομα ποιούμενος τῷ ζώῳ τὴν φύσιν. Alcæus in Callisto:

Κορίαννον ἔν τι λεπτὸν ἵνα τοὺς δασύποδας,
Οὓς ἂν λάβωμεν ἁλσὶ διαπάττειν ἔχεις.

Et proverbium vetus, δασύπους κρέων ἐπιθυμεῖς. Quod Latini Comici sic reddiderunt, *tute lepus es, & pulpamentum quæris*. Medii ævi Græci auctores, qui Romanis temporibus scripserunt, cuniculum tum cognitum δασύποδα, aut λαγίδαν unica voce appellarunt, utraque valdè impropria. Nam δασύπους Attica vox, & antiqua, quæ τὸν λαγὼν significat. Λαγίδης autem est fætus leporis, ut λυκίδης, ἀλωπεκίδης & similla. Sic vocarunt *cuniculum*, quia lepusculo, sive parvo lepori similis est. Plinius dasypoda, & leporem sic distinxit, ut dasypus sit cuniculus. Quod ex Græcorum recentiorum usurpatione habet. *Lepus*, inquit, *omnium prædæ nascens, solus præter dasypodem superfœtat, aliud educans, aliud in utero pilis vestitum, aliud implume, aliud inchoatum gerens pariter*. Locum hunc ex Herodoto imitatus est lib. III: ubi simpliciter ille de lepore dixit, ἐπικυΐσκεται μοῦνον πάντων τῶν θηρίων. Plinius dasypodem excepit, ex usu loquendi temporum suorum, qui dasypodem à lepore distinguebant, cuniculum sic vocantes, quem Herodotus ignoravit. Locus, quem vertit Plinius, sic habet: καὶ τὸ μὲν δασὺ τῶν τέκνων ἐν τῇ γαστρὶ, τὸ δὲ ψιλὸν, τὸ δὲ ἐν τῇσι μήτρῃσι πλάσσεται, τὸ δὲ ἀναιρέεται. Nunc cum Græcis Pliniana comparemus. Τὸ μὲν δασὺ τῶν τέκνων, *aliud in utero pilis vestitum*, τὸ δὲ ψιλὸν, *aliud implume*. Hoc improprium. Nec enim plumas habent, sed pilos. *Implume*, ἄπτιλον de avibus. An scripserat Plinius, aliud *impile*? certè *impilis*, ut *implumis*, *impubis*, *imberbis*, & similia. Hoc verum puto. Τὸ δὲ ἐν τῇσι μήτρῃσι πλάσσεται, *aliud inchoatum gerens*. Sequitur, τὸ δὲ ἀναιρέεται, quod Plinius primo loco posuit, & vertit, *aliud educans*. Sed aliud volunt Græca, quorum hic sensus est. Lepus eo tempore, quo in utero fœtum alium pilis vestitum gerit, alium impilem, alium adhuc inchoatum, nihilominus alium adhuc suscipit, vel concipit. Hoc enim significat ἀναιρέεται. Apud Athenæum, qui verba illa citat Herodoti, legitur ἐπαναιρέεται. Et melius, id est, ἐπικυΐσκει, super omnes illos fœtus, quos in ventre habet, adhuc alium suscipit. Græci: ἀναίρειν, κρύπτειν, τὸ ἐν γαστρὶ συλλαβεῖν, τὸ τεχθὲν ἀνατρέφειν, καὶ κυΐσκειν, καὶ ἁμιλλᾶσθαι. Ita legendum non ἀναιρεῖν, quod occidere, & interficere significat. Cum igitur diversas significationes habeat hoc verbum ἀναίρειν, Plinius pro educare accepit, & primo loco posuit, cum ἐπαναίρειν apud Herodotum sit ἐπικυΐσκειν, ut ἀναίρειν, est fætum suscipere, vel concipere. Ideo ultimo loco hoc adscripsit Herodotus à perfectioribus incipiens, & ad imperfectiora, & initium ipsum conceptionis progrediens in superfœtatione leporis notanda. Perfectior est leporis fœtus in utero, qui pilis jam vestitus est, deinde qui adhuc impilis est, sed perfectè formatus est, tum qui adhuc formatur, omnium vero imperfectissimus, qui ἐπαναίρεται, id est, concipitur, quod initium generationis est. At Plinius ἐπαναίρεται pro *educatur* accepit. Excusationem haberet, si ἀναίρεται scripsisset Herodotus. Nam & Græci ἀναίρειν pro nutricare, vel educare ponunt, ut Latini veteres *tollere*. Unde illa Comici: ---- *quidquid esset, decreverunt tollere*, ἀναίρειν, educare. Item illud:

Nam quod peperisset, jussit tolli,

ἀναίρεσθαι. Ideo præmisit Plinius, *aliud educans*, quia auspicatur à perfectissimis. Liber tamen vetustissimus ibi habet: *aliunde ducens*. Puto scripsisse: *aliud educens*, ἀρχαϊκῶς hoc posuit pro *educans*. Virgilius: *eduxit silvis regem*. Comicus: *illum eduxi à parvulo*. Pollux de superfœtatione leporum: τὸ μὲν ἤδη τέτεκται, τὸ δὲ μέλλει, τὸ δὲ κύεται, τὸ δὲ ἔτι πλάττεται. Ita legendum, non ἐπιπλάττεται. Aristoteles θηλαζομένην συλλαβεῖν dixit: *dum adhuc educat, alium fœtum concipere*. Scribit ibidem Plinius: *Archelaus auctor est, quot sint corporis cavernæ ad excrementa lepori, totidem esse annos ætatis*. Idem tradit Pollux his verbis: ὅσων δὲ ἂν ἐτῶν εἴη, τοσαύτας ἔχει τῶν ἀπὸ τοῦ σώματος ἐξχωρούντων ὑπὸ τὴν οὐρὰν ὀπάς. Ubi ridiculè interpres vertit: *quot vero annorum fuerit, tot habet sub cauda corpori incidentia foramina*. Quod nec animadvertit vir ille doctus, qui culpas ejus omnes studiosè notavit. Lege in Græcis: τοσαύτας ἔχει τῶν ἀπὸ τοῦ σώματος ἐκχωρούντων ὀπάς: *tot habet sub cauda excrementorum cavernas*, τὰ ἐκχωροῦντα ἀπὸ τοῦ σώματος sunt excrementa, quæ ἐκχωρήματα, & ἀποχωρήματα dicuntur. Atque hæc obiter. Plinius igitur, ut vidimus more Græcorum illius ævi δασύποδα & λαγωὸν separat. At non sic usus fuit apud veteres. Strabo notat λεβηρίδα quosdam vocasse, qui cuniculus Hispanis, vel Latinis. Massiliensium hanc vocem fuisse alii volunt, quæ Græca est, sed in alia significatione. Et sanè notandum est non cuniculum ea voce propriè appellasse, sed cuniculi fœtum adhuc impilem, quem ventre matris exectum in lautissimis cibis habebant. In manifesto Plinius ostendit, qui *lauricem* vocatum ostendit. *Laurix* est λεβηρίς. Atqui λεβηρὶς propriè Græcis concha est levis, vel superficies serpentis, & quidquid denique pilo caret, & nudum est, atque tegmine suo spoliatum. Hinc fœtus cuniculi adhuc impiles, & nudos, quos ventre matris exectos mandebant, λεβηρίδας propriè appellarunt, Plinius *laurices* voce inde facta. Zenobius: κυρίως δὲ λεβηρὶς ᾧ περιέχεται τὸ ἔμβρυον τοῦ βοός. Et paulo post: καὶ συνόλως ἐπὶ τῶν ἀποδυομένων τὸ γῆρας. Quod ad vocabulum leporis attinet, Varro monuit Æolicum esse. Græcis λέπους dicitur, qui velociter pedibus

pedibus it, ἀπὸ νέειν, vel νεῖν τοῖς ποσί. Unde & poëtæ νέποδας vocarunt à celeritate natatus, quamvis careant pedibus. Æoles, ut Attici ν in λ mutabant, & dicebant λέπυς pro νέπυς: ut ἐλύδρης pro ἐνύδρης, unde Latinum *lutra*: πλεύμων pro πνεύμων, unde *pulmo*. Sic νέπυς, λέπυς. Λέπυς, λέποδος, *lepus*, *leporis*, ut κώδιον, *corium*. Verum de his alibi.

Insula à continenti septingentis passibus separatur] Notavit è libro suo veram lectionem Delrius, nec sequutus est. Ita solet. Legendum igitur: *à continenti septingentis pedibus separatur.* Plinius de Gadibus: *abest a continente proxima parte minus passus* DCC, *reliqua plus septem.* Scribendum ibi quoque è veteribus libris: *minus pedes septingentos.* Strabo: καθ' ὃ δὴ μάλιστα τῇ ἠπείρῳ συνάπτουσα τυγχάνει ἡ νῆσος, ὅσον σταδιαῖον πορθμὸν ἀπολείπουσα. Stadium pedes habet juxta Heronem Philetæreos sexcentos: Italicos viginti & septingentos.

Quam Tyrii a rubro profecti mari Erythræam] Omnes Græci, Latinique Ἐρύθειαν vocant. Libri hîc habent: *Erytran.* Scribe: *Erythiam.* Dicebatur & Ἐρύθη. Sic Καλλιόπη, Καλλιόπεια: Εὐρώπη, Εὐρώπεια: Πηνελόπη, Πηνελόπεια. Sic Ἐρύθη, Ἐρύθεια. Et fallitur Stephanus, qui κατὰ συναλοιφὴν sic dictam putat. Gades porro & Erythiam eamdem esse noster sciscit contra Plinii sententiam, qui diserte Gades ab Erythia distinguit. Postquam enim Gadium historiam peregit, & inter alia dixit in ipso capite Bæticæ eam esse, quæ verba & noster usurpavit, ad Erythiam describendam transit his verbis: *ab eo latere, quo Hispaniam spectat, passibus ferè centum altera insula est longa* III. M. P. M *lata in qua prius oppidum Gadium fuit. Vocatur ab Ephoro, & Philistide Erythia, a Timæo & Sileno Aphrodisias, ab indigenis Junonis,* Erythea igitur hæc, quæ & Ἀφροδισιάς, & Ἥρας νῆσος diversa à Gadibus. Stephanus in voce Ἀφροδισιάς: τρίτη νῆσος, ἡ πρότερον Ἐρύθεια, μεταξὺ Ἰβηρίας καὶ Γαδείρων. Subjicit Plinius: *Majorem Timæus Cotinusam apud eos vocatam ait: nostri Tartesson appellant, Pœni Gadir, ita Punica lingua sæpem significante. Erythea dicta est, quoniam Tyrii ab origine eorum orti ab Erythræo mari ferebantur.* Hæc verba in errorem induxere Solinum: putavit quippe Plinium dicere Cotinusam, Tartesson, Gadir & Erytheam diversis nominibus eamdem rem esse. Verùm ille positis duabus insulis, Gadibus & Erythea, majorem, id est, Gades, quam & priore loco nominavit, Cotinusam, & Tartesson, & Gadir vocatam dicit: minorem vero, id est, Erytheam ita nuncupatam esse, quod Tyrii, à quibus condita, ab Erythræo mari orti essent. Inde Ἐρύθεια. Nam ἔρυθος dicebatur Græcè pro rubore, & ἐρυθαίνειν, & ἐρυθῖνοι pisces ab eodem colore. Æolicum porro ἔρυθαρ, unde Latinum *rubor*, ut οὖθαρ, *uber*. Sed verba Plinii non satis sana videntur hoc modo concepta: *Erythea dicta est, quoniam Tyrii ab origine eorum orti ab Erythræo mari ferebantur.* Balbuties, & battologia hæc mera est, *ab origine eorum orti.* Nec Latinum est satis, pro *ab origine sua orti.* Libri nihil adjuvant, nisi quod habent, *ab origine earum.* Ne dubita emendare: *Erythea dicta est, quoniam Tyrii aborigines earum orti ab Erythræo mari ferebantur.* Tyrii auctores, ac conditores tam Gadium, quam Erytheæ. Ideo *Erytheam* nominatam dicit, quod earum insularum aborigines ab Erythræo mari orti. Vocem *aborigines* heîc usurpavit pro conditoribus, & originis auctoribus. Hujus vocis hanc significationem esse notat Dionysius lib. I. τὴν δὲ ὀνομασίαν αὐτοῖς τὴν πρώτην φασὶ τεθῆναι διὰ τὸ γενέσεως τοῖς μεθ' αὐτοὺς ἄρξαι, ὥσπερ ἂν ἡμεῖς εἴποιμεν γενάρχας, ἢ πρωτογόνους. Ergo aborigines hoc loco Pliniano sunt πρωτόγονοι, vel γενάρχαι. Non dubium ita accepisse, & certissimum est sic corrigendum esse. Male itaque Solinus Gades & Erythean ex Plinio confundit, quas ille separat. Scio Græcorum quosdam τὰ Γάδειρα etiam appellasse Ἐρύθειαν, sed hoc eum culpa non liberat. Strabo: Ἐρύθειαν δὲ τὰ Γάδειρα ἔοικε λέγειν ὁ Φερεκύδης, ἐν ᾗ τὰ περὶ τὸν Γηρυόνην μυθεύουσιν. Ἄλλοι δὲ τὴν παραβεβλημένην ταύτῃ τῇ πόλει νῆσον, πορθμῷ σταδιαίῳ διειργομένην. Non mirum è loci vicinitate. Adde, quod Plinius in Erythea oppidum Gadium prius fuisse scribit, τὰ Γάδειρα. Veteres itaque confundebant. Strabo: ἐοίκασι δὲ οἱ παλαιοὶ καλεῖν τὸν Βαῖτιν Ταρτησσόν, τὰ δὲ Γάδειρα, καὶ τὰς πρὸς αὐτῇ νήσους Ἐρύθειαν.

A Tam Gades, quam vicinas Gadibus insulas *Erythean* veteres vocarunt. At distinxere recentiores. Martiani de Erythea & Gadibus versus corruptissimos heîc emendatos adscribam:

> Εἶτ' ἐχομένη ἐστὶ νῆσος ἡ καλουμένη
> Ἐρύθεια, μεγέθει μὲν βραχεῖα παντελῶς,
> Βοῶν ἀγέλας ἔχουσα καὶ βοσκημάτων.
> Προσεμφερεῖς ταύρους τε τοῖς Αἰγυπτίοις
> Καὶ τοῖς κατὰ τὴν ἤπειρον ἔτι Θεσπρωτίοις.
> Προσαστερεῖς Αἰθίοπας οἰκιστὰς ἔχειν.
> Λέγουσιν αὐτὴν γινομένης ἀποικίας.
> Ταύτης συνέγγυς ἐστὶ νῆσος ἐσχάτη
B
> Λαβοῦσα Τυρίων ἐμπόρων ἀποικίαν.
> Γάδειρ' ὅπου μέγιστα γίνεσθαι λέγω
> Κήτη. -----

Si conferas hæc cum editis, quid præstitum sit à nobis, senties. Corruptum in Plinii editionibus nomen urbis Gaditanæ: sic enim editur: *habet oppidum civium Romanorum, quod appellatur Augusta urbs Julia Gaditana.* In libris legitur: *appellatur Augustani urbe.* Scribe: *oppidum civium Romanorum, appellatum Augustam, sive Juliam Gaditanam.* Quod Julius Cæsar, & Augustus coloniam eam diversis temporibus deduxissent, ab aliis Julia Gaditana, ab aliis Augusta Gaditana vocabatur.

C Pag. 32. D. *Pœni lingua sua Gadir, id est, sæpem nominarunt*] Optimus liber *sæpe*, & supra additum *t*, ut esset *sæpte.* In altero Regio, *Gadir, id est, vii nominarunt.* Quasi *septem* legeretur. Apud Plinium in scriptis etiam *sæpe* legitur: *Pœni Gadir ita Punica lingua sæpe significante.* Et fortasse *hoc sæpe* veteres dixerint, ut *hoc præsæpe*, quod inde compositum est. Syriacum esse notum est גדר Hesychius: Γάδειρα τὰ περιφράγματα Φοίνικες. Avienus:

Pœnus namque locum Gadir vocat undique septum.

D Tartessum Grecorum à Tyriis colonis nomine mutato Gaddir dictam fuisse Sallustius scribebat lib. II. Histor: cujus hoc fragmentum citatur Grammaticis: *Tartessum Hispaniæ civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gaddir habent.* Plinius quoque Tartessum Gaddir à Pœnis vocatam dicit, sed eamdem cum Gadibus facit, cum certum sit Tartessum aliam à Gadibus fuisse, nec Gadium urbem Tartessum unquam nominatam esse. Multam apud veteres super nominibus Gadium, & urbis Tartessi opinionum differitatem reperio. Quæ res turbationes non parvas his literis intulit, nondum cuiquam satis explicatas. Tres insulas nomine Gadium, vel Γαδείρων vocitatas fuisse veteribus invenio, Tartesson, Gades, & Erythiam. Quæ cum diversæ sint insulæ, uno, eodemque nomine Erythiæ, & Gadium confusas in veterum scriptis deprehendere est. Strabo hoc agnoscit his verbis: ἐοίκασι δὲ οἱ παλαιοὶ καλεῖν τὸν Βαῖτιν Ταρτησσόν, τὰ δὲ Γάδειρα, καὶ τὰς πρὸς αὐτῇ νήσους Ἐρύθειαν. Nihil mutandum, ut censet vir eruditus. Intelligit Tartessum, & Erythiam insulas τοῖς Γαδείροις vicinas, quæ tres simul Erythiæ nomine apud antiquos veniebant. Ex his tribus cum Plinius Erythiam à Gadibus rectè distinxerit, Tartesson cum Gadibus perperam confundit. Tartessos juxta veterum sententiam Bætis fluvius dictus est, qui duobus ostiis in mare Atlanticum exoneratur. Inter duo illa ostia urbs eodem nomine Tartessos antiquitus condita. Atque hæc est Tartessos, quam Tyrii coloni postea nominarunt *Gadir*, non alia de causa, quam quod undique aquis sæpta esset, ut interamna ἀντίχειμα civitas, & prorsus insula. Strabo lib. III. Pausanias in Eliacis. Festus Avienus in ora maritima de urbe Tartesso, quæ & Gaddir:

E
F

> ---- *sed insulam*
> *Tartessus amnis ex Libystico lacu*
> *Per aperta fusus undique ablapsu ligat.*

G Hæc insula vel urbs potius circumflua, & interamna Tartessos duobus Bætis amnis ostiis, & mari consæpta, quam *Gadir* Tyrii nominarunt, diversa utique ab illa insula, quæ in capite est Bæticæ, quam Latini *Gadium* nomine, Græci Γαδείρων indigetarunt. Vocem quidem Γάδειρα Græci ex illo Punico, vel Tyrio *Gaddir* produxerunt, sed aliam insulam sic nuncuparunt, quam quæ à Tyriis istud nominis acceperat. Latini Græcos sequuti sunt, & *Gades* dixerunt, quæ illis Γάδειρα. Gaddir nomen urbis amne Bæti circumfluæ, & quasi aquis undique sæptæ, quæ urbs olim Tartessos vocabatur, amni

amni, quo cingebatur, cognominis, qui & Bætis postea dictus. Græci vero hoc nomen alterius insulæ oppido dederunt, quæ tota mari cingebatur, insulamque ipsam hac eadem appellatione donaverunt. Dionysius:

---- ἐρατόεντα Γάδειρα
Νήσῳ ἐν ἀμφιρύτῃ.

Plinius quoque vetus oppidum Gadium, hoc est, τὰ Γάδειρα, *Gadir* in Erythia insula, quæ diversa est à Gadibus, prius fuisse dicit. Sic tres insulas diversas Tartesson, Erythiam, & Gades inter se vicinas sub una appellatione τῶν Γαδείρων, & τῆς Ἐρυθείας involverunt. Et cum Tartessus *Gaddir* sola propriè vocata esset, effectum hoc errore, ut Gades insula Tartesso aliquot millibus separata, hoc vocabulum quasi proprium possideret. Inde etiam accidit, ut auctores eamdem Tartessum, & Gades putaverint, quoniam Tartesson legebant à Tyriis *Gaddir* nuncupatum fuisse, & Γάδειρα Græcis vocari videbant aliam insulam, Erythiæ vicinam. Atqui, ut dixi, non parum dissita hæc Tartessus ab illa insula, quam *Gades* vocavere, certè tantum dissidet, quantùm Bætis amnis ostia ab Gadibus sunt disjuncta. Strabo ex veterum sententia Ταρτησσίδα regionem eam olim vocitatam scribit, quam incolebant Turditani. Magnopere igitur errant, qui Tartesson, id est, Gaddir cum Gadibus insula eamdem faciunt. Quod si facimus, dicendum quoque fuerit eamdem Erythiam cum Gadibus fuisse, & utramque cum Tartesso, quia veterum quidam sic existimarunt. Heic alia exoritur circa Tartessi urbis nomen, & situm ambiguitas, quæ plerisque antiquorum similiter errandi causam, & ansam præbuit. Credidere quidam è veteribus *Cartejam* Hispaniæ urbem, quæ prope Calpen sita est, olim fuisse appellatam Tartesson. Hoc errore inductus Eratosthenes ibi quoque Erythiam collocabat, quem eo nomine merito reprehendit Artemidorus. Strabo lib. III. Καὶ Ἐρατοσθένης δὲ τὴν συνεχῆ τῇ Κάλπῃ Ταρτησσίδα καλεῖσθαί φησι, καὶ Ἐρύθειαν νῆσον εὐδαίμονα. Πρὸς ὃν Ἀρτεμίδωρος ἀντιλέγων ταῦτά φησι ψευδῶς λέγεσθαι ὑπ' αὐτοῦ. Ad quem locum notat vir magnus iniquè fecisse Artemidorum, quod Eratosthenem ob eam rem peccare dixerit. Quid mirum enim, inquit, agrum Calpæ vicinum Ταρτησσίδα γῆν vocari, quum Carteja ad Calpen sita antiquitus Tartessos dicta sit? Immo fallitur ipse. Certè hæc quorumdam fuit opinio, Cartejam Calpæ vicinam fuisse veterem Tartesson, sed non omnium. Hoc vero peccavit Eratosthenes, quod cum in hac opinione fuerit, istam Ταρτησσίδα eamdem cum Erythia putarit esse, & Erythiam in agro Tartessiorum collocarit ad Calpen, quæ ultra fretum in Oceano ipso fuit. Huic errori affinis est hallucinatio Artemidori Geographi, qui Γάδειρα ad Calpen ponebat, quæ ultra fretum in Oceano ab omnibus collocantur. Martianus Heracleota: οἱ μὲν γὰρ κατὰ Κάλπην τὸ ὄρος ὅπερ ἐνδοτέρω τῶν Ἡρακλείων στενῶν κεῖται τὰς στήλας εἶναι φασίν. Οἱ δὲ τὰ Γάδειρα τὴν νῆσον ὥσπερ καὶ Ἀρτεμίδωρος ὁ γεωγράφος. Hæc planè fuit Eratosthenis sententia, qui Erythiam, & Tartesson ad Calpem statuebat. Sed malim legere apud Martianum: οἱ δὲ κατὰ Γάδειρα τὴν νῆσον. Columnas Herculis alios ultra fretum statuisse dicit ad Gades insulam, alios juxta Calpen montem, ὅπερ ἐνδοτέρω κεῖται τῶν Ἡρακλείων στενῶν. Ceterum antiquam Tartesson multi veterum & Erythian, & Gadira iisdem nominibus appellantes, miram Geographiæ obscuritatem attulere. Stesichorus de Geryonis armento natum illud fuisse canebat, σχεδὸν ἀντιπέραν κλεινᾶς Ἐρυθείας Ταρτησσοῦ ποταμοῦ παρὰ πηγὰς ἀπείρονας ἀργυροῤῥίζους ἐν κευθμώνων πέτραις. Duplex itaque veterum de Tartesso antiqua extitit opinio. Quidam intra duo Bætis ostia, qui & Tartessus olim dicebatur, eam sitam esse memorant, undique flumine, & mari circumfusam, eamque à Tyriis postea *Gaddir* appellatam. Unde & Γάδειρα Græci, & Ἐρύθειαν propter vicinitatem cum ea confuderunt. Alii Cartejam ad Calpen eam esse existimarunt, quæ olim Tartessos dicta est. Ut illam porro ad Bætim Tartessum plerique ex antiquis auctoribus cum Gadibus eamdem fecere, ita nulli, excepto uno Eratosthene, hanc Tartesson, quæ & Carteja vocitata est, cum Erythia, aut Gadibus aliquid habere affinitatis dixere. Hanc Cartejam Καρτησσὸν, & Καρτησσὸν Græci quidam vocaverunt, qua re permoti alii Ταρτησσὸν antiquitus etiam fuisse sibi persuaserunt. Strabo: ἔνιοι δὲ Ταρτησσὸν τὴν νῦν Καρτηΐαν προσαγορεύουσι. Appianus: καὶ Ταρτησσός μοι δοκεῖ ποτε εἶναι πόλις ἐπὶ θαλάσσης, ἣ νῦν Καρπησσὸς ὀνομάζεται. Sola nominum affinitate inducti videntur, qui ita senserunt. Mela: *in eoque freto Carteja, ut quidam putant, aliquando Tartessos, & quam transvecti ex Africa Phœnices habitant.* Atqui Tartessos illa, quam transvecti ex Africa Phœnices condidere, & *Gaddir* vocavere, longè diversa à Carteja, utpote ad Bætim sita: eaque est, quam cum Gadibus eamdem faciunt plerique. Avienus in ora Maritima:

Hic Gaddir urbs est, dicta Tartessus prius.

Idem alio loco:

---- Gaddir heic est oppidum:
Nam Punicorum lingua conseptum locum
Gaddir vocabat. Ipsa Tartessus prius
Cognominata est: multa & opulens civitas
Ævo vetusto, nunc egena, nunc brevis,
Nunc destituta, nunc ruinarum agger est.

Gades designat, non Cartejam. Et paulo post:

---- sed insulam
Tartessus amnis ex Libystico lacu
Per operta lapsus undique ablapsu ligat.

Hæc non conveniunt Gadibus insulæ, quæ Atlantico Oceano circumfunditur, non amne Tartesso. Vellejus: *ea tempestate & Tyria classis, plurimum pollens mari, in ultimo Hispaniæ tractu, in extremo nostri orbis termino, insulam circumfusam Oceano Gades condidit.* In Tartessum vero urbem quadrant eximiè, quam intra duo Tartessi amnis, hoc est, Bætis ostia conditam fuisse tradunt veteres, & *Gaddir* à Phœnicibus conditoribus cognominatam. Lacum autem intelligit, quem Bætis facit haud longè à mari: è quo lacu quasi ex uno fonte geminus exoritur, *quantusque simplici alveo venerat, tantus singulis effluit*, inquit Pomponius. Quem vide lib. III. cap. I. Ad lacum illum mons Ἀργυροῦς, unde geminus oritur Bætis, qui amplexu suo Tartessum insulam faciebat. Cur illum porro lacum *Ligusticum*, aut *Libusticum* vocet Avienus, nescio. Forte legendum:

---- qui exilit vasto lacu.

Grandem lacum esse dicit Mela. Sed legitur apud Stephanum: Λιγυστίνη, πόλις Λιγύων τῆς δυτικῆς Ἰβηρίας ἐγγὺς, καὶ τῆς Ταρτησσοῦ πλησίον. Οἱ οἰκοῦντες Λίγυες καλοῦνται. Sic scribi debet è Palatino codice: nam vulgo est, καὶ τῆς Ταρσοῦ πλησίον. Ab illis quiqui sunt, *Ligustinus lacus.* Ceterum hæc insula longè abest, ut eadem possit esse cum Gadibus. Et turbat hîc Festus, miscetque diversas sententias, sequiturque veteres, qui Tartessum illam Bætis fluentis circumclusam eamdem cum Gadibus insula statuunt Oceano cincta, hoc uno ducti argumento, quod Tartessum urbem *Gaddir* Tyrii vocaverint, Græci vero Γάδειρα aliam insulam vicinam. Et proclivior inde errandi occasio data, quod utriusque insulæ conditores Phœnices. Sequitur apud Avienum:

At mons paludem incumbit Argentarius
Sic à vetustis dictus à specie sui:
Stanno iste namque latera plurimo nitet.

Ὄρος ἀργυροῦν intelligit, ex quo Bætim, qui & Tartessus, fluere quidam scripsere. Strabo: οὐ πολὺ δ' ἀπωθεν τῆς Κασταλῶνος ἐστὶ καὶ τὸ ὄρος, ἐξ οὗ ῥεῖν φασὶ τὸν Βαῖτιν, ὃ καλοῦσιν Ἀργυροῦν. Stephanus: Ταρτησσὸς πόλις Ἰβηρίας ἀπὸ ποταμοῦ τοῦ ἀπὸ τοῦ Ἀργυροῦ ὄρους ῥέοντος, ὅστις ποταμὸς καὶ κασσίτερον ἐν Ταρτησσῷ καταφέρει. Tartesson manifesto vocat qui Straboni Bætis, & de ea Tartesso intelligit, quæ ad Bætim interamnat, non de Carteja. At de Carteja loquitur Martianus Heracleota his versibus, quibus à Gadibus bidui navigatione Tartesson distare ait:

---- μετ' αὐτὴν δ' ἐστὶν ἡμερῶν δυοῖν
Τελέσαντι πλοῦν ἐμπόριον εὐτυχέστατον
Ἡ λεγομένη Ταρτησσὸς ἐπιφανὴς πόλις
Χρυσόν τε καὶ χαλκὸν φέρουσα πλείονα.
Ἔπειτα χώρα Κελτικὴ καλουμένη.

Confundit duas Tartessos, Cartejam & Gaddir. Nam Κασσίτερος ille ποταμόῤῥυτος ad Tartessum Bæticam pertinet, cui stannum plurimum defert amnis Tartessus, sive Bætis ex monte Argentario profluens. Inde ἀργυροπέζους πηγὰς Ταρτησσοῦ vocavit Stesichorus, quod oritur è pede montis ἀργυροῦ.

In

In hac Geryonem habitasse] Libri: *avum agitavisse.* In aliis, *habitasse.* Apparet duplicis editionis scripturam esse. Plinius: *in hac Geryones habitasse à quibusdam existimatur.*

Ex alia insula abduxisse, quæ Lusitaniam contuetur] Plinius: *sunt qui aliam eße eam & contra Lusitaniam arbitrentur, eodemque nomine quondam ibi appellatam*, nempe Ἐρύθειαν. De Tartesso non dubium est intelligere, quæ insula fuit amne Bæti circumflua. Eam etiam Ἐρύθειαν vocaverunt, & ex ea boves Geryonis abduxisse Herculem fabulati sunt quidam. Stesichorus apud Strabonem τὸ βουκόλιον Geryonis scribit γεννηθῆναι σχεδὸν ἀντιπέρας κλεινᾶς Ἐρυθείας, Ταρτησσοῦ ποταμοῦ παρὰ πηγάς, quæ Strabo explicat de Tartesso, quam insulam efficiunt duo fluminis Bætis ostia. Hæc Lusitaniam contuetur, & alia est ab hac Erythia, quæ vicina Gadibus. Sed veteres Tartesson, Gades, & Erythiam uno, eodemque Erythiæ nomine appellarunt. Fallitur Camers, qui de Hypate insula interpretatur, è qua Geryonis armenta abduxisse Herculem scribit apud Ælianum Aristoteles. Hypate illa locus τῆς Αἰνιακῆς χώρας, longè à Lusitania, & Hispania. Vide Aristotelem ipsum in Admirandis cap. CXXX.

Sed Gaditanum fretum à Gadibus dictum Atlanticus] Prava distinctio, nec minus lectio. Lege: *sed Gaditanum fretum Atlanticus æstus in nostrum mare discidio immittit orbis.* Dicit Atlanticum Oceanum discidio orbis in nostrum mare immittere fretum Gaditanum, discinditur enim, ac dividitur illa parte orbis, qua Atlanticus æstus in nostrum mare immittit. Vulgo legitur: *in nostrum mare discidium immittit orbis.* Non tamen in plenum mihi satisfacit hæc oratio, *Atlanticus Oceanus fretum immittit in nostrum mare.* Immo nostrum mare, id est, mediterraneum ex illo Oceano. Quare licet omnes libri renuant, & refutent hanc lectionem, non dubitarim scribere: *per Gaditanum fretum à Gadibus dictum Atlanticus æstus nostrum mare discidio immittit orbis.* Per fretum illud, quasi per ἠθμὸν quemdam immittitur ex Oceano in terras nostrum mare, & veluti per colum eliquatur. Sic supra sinus maris interni eliquia esse irrumpentis Oceani è Gaditano freto. Legi etiam commodè posset: *sed è Gaditano freto à Gadibus dicto Atlanticus æstus nostrum mare discidio immittit orbis.* Quod ego malim, & nihil verius. Suprà: *existimant enim quidam sinus istos à Gaditano freto nasci, nec aliam eße originem, quam eliquia irrumpentis Oceani.*

Scissisque Calpe, & Abila montibus] Scripti omnes: *Calpe, & Abinna montibus.* Neo aliter Martianus: *nam ab Europa Calpe, Africa Abyla monte despicitur.* Ibi libri scribunt, *Abethna*, pro *Abenna*, vel *Abinna.* Ita etiam vocat Lucius Ampelius in descriptione orbis: *ad occasum magnum mare, idem Atlanticum, quod commerciis totius humani peragitur. Hoc intrat in fretum Gaditanum inter duos montes clarissimos Abinnam, atque Calpen ob impositas Herculis columnas.* Eustathius ad Dionysium Periegeten notat, nescio quem sequutus, Calpen, & Abylen eamdem esse, quæ vero vocetur *Abenna* à Barbaris, κυνηγετικὴν Græce dici. Ἔστι δὲ αὐτῶν ἡ μὲν Εὐρωπαία Κάλπη καλουμένη βαρβαρικῶς, Ἀλύβη δὲ καθ᾽ Ἕλληνας. Ἡ Λιβυκή, κατὰ βαρβάρους μὲν Ἄβεννα καλουμένη, ἑλληνικῶς δὲ κυνηγετική. Alii omnes Abylen Africanam esse dicunt. Ergo eamdem cum Abinna. Quod autem ait Calpen à barbaris vocari, ab aliis etiam dissentit, qui Græco vocabulo sic nominatam volunt, quoniam esset concavus instar vasis, quod Græci vocant κάλπην. Mela: *Abyla & Calpe: uterque quidem, sed Calpe magis & pæne totus in mare prominens. Is mirum in modum concavus.* Id significat quod diximus. Avienus in ora maritima:

Calpeque rursum in Græcia species cavi,
Teretisque visu nuncupatur urcei.

Ita emendandum. Græcis: κάλπη: στάμνος ὑδρεία. Glossæ: στάμνος, *urceus.* Inde *Calpar* Latinis genus vasis fictilis. Idem Avienus *Abilam* Pœnis significare tradit montem altum: ---- *Calpe in Hispano solo,*

Maurusiorum est Abila, namque Abilam vocant,
Gens Punicorum, mons quod altus Garbaro,
Id est, Latino.

Dicebatur & Ἀβίλυξ & Ἀβιλύκη. Hesychius: Ἀβιλύκη, στήλη ἐν Λιβύῃ.

Pag. 32. E. *Inde Creticus, qui in Pamphyliam, & Ægyptum pertendit*] Sic edidimus sententia hujus loci jubente, & libris adjuvantibus. Vulgo edebatur: *qui in Pamphyliam, & Ægyptium protenditur mare.*

Pag. 32. F. *Euxinus, Axinus ante appellatus*] Ita legendum erat, atque ita libri. Vulgo Ἄξενος. Ut *Euxinus* Græce est Εὔξεινος, ita *Axinus* Ἄξεινος. Sic vocabatur, ut πολύξεινος. Scholiastes Apollonii: Ἄξεινον τὸν Εὔξεινον πόντον φησὶν οἱονεὶ κακόξεινον. Πρότερον γὰρ ὑπὸ λῃστῶν περιοικούμενος Ἄξεινος ἐκαλεῖτο. At apud Ovidium *Axenus* scribendum, nec enim versus ferre potest Axinus:

Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.

Ἄξενος. *Axinus* esset Ἄξεινος, quod versus refutat. Nugatur ergo Delrius.

Pag. 32. G. *Gallicus, Atlanticus, Libycus, Æthiopicus*] Sic scribendum: non, ut edidit Delrius, Ægyptius. Ita in libro suo repererat, & confirmat altero loco supra, ubi est: *Excipitur Ægyptio mari.* Addo etiam legi paulo ante: *Ægyptium pelagus Asiæ datur.* Quo plura quis hujus generis congeret, eo magis inde vincet nugas egisse Delrium. Ibi de interni maris finibus loquitur, inter quos & Ægyptium mare nomen habet. Hic de Oceano, qui extimas orbis oras amplectitur, ubi nullus est Ægyptius Oceanus, sed Æthiopicus. Martianus Heracleota: τῶν δὲ μεγίστων κόλπων πρῶτος μέν ἐστιν ὁ Γαγγητικός, δεύτερος δὲ ὁ Περσικός, τρίτος δὲ ὁ καλούμενος οὕτω μέγας, τέταρτος δὲ Ἀράβιος, πέμπτος δὲ ὁ Αἰθιοπικός. Hæc firmanda fuere, quia libri fermè omnes Soliniani habent *Ægyptius.*

Sive quod suspensus altius tollatur] Ita libri sine varietate, & uniformiter omnes editiones excepta Delriana, cujus auctor maluit: *sive quod impensius tollatur vi caloris.* Quia scilicet in libro suo invenerat, *suspensius sustollatur.* Sic malo libro, & pessimo judicio in sua editione usus est.

Rursus in se resîdat] Sic legendum, non *recidat*, ut habebant vulgati. Mela: *quo reciproca maria resîdant.*

Sed omisso ancipiti concurrentium quæstionum] Quantum est librorum Solini scriptorum, sic habent. *Omisso ancipiti* absolutè, ut *omisso dubio.* Sic *in ancipiti* res esse dicitur, de qua dubitatur. Editiones ante habebant, *omissa ancipiti concurrentium quæstione.* Quam lectionem è scriptura veteri modesti correctores extuderant. Audacior Delrius addidit, ediditque: *omissa ancipiti concurrentium quæstionum ambage.* Fides sit penes ejus libros, quos citat auctores. Nos tam disertos non vidimus.

Physici ajunt mundum animal esse] Habet à Mela: *neque adhuc satis cognitum est, anhelitune suo id mundus efficiat, retractamque cum spiritu regerat undam, undique, si, ut doctoribus placet, unum animal est*, lib. III. cap. I.

Pag. 33. A. *Modo inflent maria, modo revocent*] Sic libri, non *efflent.* Inflantur maria, cum intumescunt æstu accedente.

Inter maciem aquarum, & plenitudinem] Maciem aquarum pro siccitate posuit, ut *maciari* pro siccari suprà, καὶ ξηραίνεσθαι. Contra *siccum* pro macilento Latini, & exsucco plerumque dicunt, & Græci ξηρόν. Unde ξηρὶς avis appellata à crurum macie, & siccitate. Virgilius de Ceiri: ---- *minioque infecta rubenti*

Crura nova macie subduxit squalida pellis.

Plenitudinem igitur aquarum, & maciem opponit. Ut *plenus* macilento opponitur, nam *plenum* Latini etiam de pingui, & crasso usurpant. Ovidius: *Si qua plenior est*, id est, habitior, & pingui corpore. Idem:

---- *pleno velamina filo.*

id est, pingui, & crasso filo. Ineptè tamen, & κακοζήλως noster *maciem aquarum* pro siccitate posuit. Quia *plenitudo* significat id, quod maciei contrarium est, & *aquarum plenitudo* ἡ πλημμυρὶς, vel πλήμη. Hinc *maciem* è diverso dici putavit eleganter τὴν ἀνάπωτιν, cum sicca, & nuda littora relinquit æstus recedens, quod putidæ est affectationis. *Plenitudo* apud Plinium pro crassitudine, ἡ παχύτης, lib. XI. cap. XXXVII. *Homo crescit in longitudinem ad annos usque ter septenos, tum deinde in plenitudinem.* Hinc aquarum plenitudinem, & maciem opposuit noster, quia plenus, & macilentus opponerentur, ὁ παχὺς, καὶ λεπτός. Quod *accessus æstus* veteribus, recentiores *accessam* pro æstu accedente dixere. Servius in I. Æneid. *Hoc intelligi volunt, quod tanta est in illis lo-*

cis

A *cis accessa, quæ dicitur mare, ut per ora Timavi, id est, usque ad initium fontis mare ascendat.* Et paulo post: *constat autem & in illo loco accesam maris usque ad montem perveniˀre.* Ita legendum: Itinerarium Burdegalense; *Civitas Burdegala, ubi est fluvius Garumna, per quem facit mare Oceanum accessam, & recessam per leucas plus minus centum.* Male *accessa*, & *recessa* in editionibus. *Accessa* pro accessione, ut *remissa* pro remissione. Sic *exposita*, vel *sposita* pro expositione in veteri Codice Theodosiano aliquot Novellis subjectum legitur: *prædicta lex sposita non eget*, id est, expositione. In veteri Calendario *ascensa Domini* B pro Ascensione. Vetus fragmentum, quod Salicæ legi præfixum est, *Letunam* & *Malinam* vocat accessum maris, & recessum. *Liduna* legitur apud Marcellum Empiricum. *Maream* hodie vocamus æstum maris.

Pag. 33. B. *Sed prout illa aut mergatur, aut surgat*] Verba sunt Pomponii Melæ, de quo locum hunc mutuo sumpsit: *sed ut illa surgit, ac demergitur, ita recedere, atque adventare comperimus.* In aliis Codicibus scribitur: *sed prout illa aut minuatur, aut crescat, variari alternantes recursus.* Et sic in optimo Regio, qui vulgatam repræsentat in margine, quæ varietas è duplici editione.

CAPUT XXIV.

Libya. Horti Hesperidum. Mons Atlas.



NAm *Belone progressos ultra interjacens fretum Tingi excipit*] Beloni Bæticæ urbi opposita ultra fretum Tingi Mauritaniæ. Itinerarium Antonini: *de Hispaniis à Belone trajectus in Tingi Mauritaniæ stadia* CCXX. Depravatissimus hodie locus apud Melam habetur lib. II. cap. VI. *In eoque Carteja, ut quidam putant, aliquando Tartessus, & quam transvecti ex Africa Phœnices habitant: atque unde nos sumus cingente freto Mellaria & Belo.* Hæc verba variis variè corrigere aggressis inutili conatu, tandem vir egregius ad Strabonem ita putavit emendari: *atque unde nos sumus Tingi contraria Mellaria.* Quod multis de rebus probare non possum. Primum id longius recedit ab omni scripta lectione, quæ habet: *atque unde nos sumus tingentera tum Mellaria.* Sic enim & in Palatino Codice. Deinde non Mellaria Tingi contraria, sed Belo. D Nec vicinitas Mellariæ, & Belonis quidquam juvat. Æquè facilè dixisset Mela Belonem Tingi contrariam. Nec enim indigenam, & locorum peritum in istis vel minimum à vero decuit aberrare. Strabo: εἶτα Μελλαρία ταριχείας ἔχουσα, καὶ μετὰ ταῦτα Βελὼν πόλις. Ἐντεῦθεν οἱ διάπλοι μάλιστά εἰσιν εἰς Τίγγιν τῆς Μαυρετανίας. Sic à Belone, non à Mellaria trajectus in Tingi. A Belone Mellariam non plus centum quadraginta stadia spatii patere scribit Martianus. Ut περιήγησιν Melæ considero, E urbis nomen eo loci desideratur, quæ inter Cartejam sit, & Mellariam. Post Cartejam Geographi in illis locis *Barbesola* recensent, post Barbesola *Transductam*, deinde *Mellariam* & *Belonem*. Nec alias urbes in illa ora numerant inter Cartejam, & Mellariam. Vide Ptolemæum, & Martianum Heracleotam. His positis, & vestigia, ductusque veteris scripturæ pressius calcanti videtur mihi scribendum: *atque unde nos sumus Tingi altera, tum Mellaria & Belo.* Nam scripti omnes, ut dixi, legunt: *Tingentera, tum Mellaria.* Pomponius *Tingi alteram* vocat, quam alii omnes Geographi *Transductam*, quæ inter Cartejam, & Mellariam. F Ptolemæus: Βελὼν, Μενλαρία, Τρανσδοῦκτα, Βαρβησόλα, Καρτηΐα. Tingitanos ex Mauritania transduxerunt in hanc Bæticæ urbem Romani, & inde *Transductam* nominarunt. Strabo: ἦν δὲ καὶ Ζῆλις τῆς Τίγγος ἀστυγείτων, ἀλλὰ μετῴκισαν ταύτην εἰς τὴν περαίαν Ῥωμαῖοι, καὶ ἐκ τῆς Τίγγιος προσλαβόντες τινάς. Ἔπεμψαν δὲ καὶ παρ' ἑαυτῶν ἐποίκους, καὶ ὠνόμασαν Ἰουλίαν Ἰόζαν τὴν πόλιν. Hujus Ἰουλίας Ἰόζας nemo meminit veterum. Nec Ἰόζα quid sit, scio, quum Latinum nomen debeat esse. *Juliam Transductam* intelligit, atque ita reponendum Ἰουλίαν Τρανσδούκταν. De ea Plinius lib. V. cap. I. *Nunc est Tingi, quondam ab Antæo conditum, postea à Claudio Cæsare, cum coloniam faceret, appellatum Julia Traducta.* G Obscurè hæc Plinius, & fortassean falsè. Nec enim *Traducta* in Mauritania fuit, sed in Hispania Bætica. Ibi enim omnes *Traductam* collocant. Martianus: ἀπὸ δὲ Καρτηΐας εἰς Βαρβησόλα στάδια ρ. ἀπὸ δὲ Βαρβησόλων εἰς Τρανσδοῦκτα στάδια οὐ πλεῖον, ἀπὸ δὲ Τρανσδούκτων εἰς Μενλαρίαν στάδια οὐ πλεῖον ριε. Sic *Traducta* Bæticæ urbs, & colonia, non Mauritaniæ. Sed videtur ita factum, cum Claudius Cæsar coloniam civium Romanorum Tingi deduceret, ut locus sufficeret novis colonis, Tingitanos incolas transduxit. Ultra fretum in Hispaniam, locumque urbi C condendæ his assignavit, quæ acceptis etiam è Latio colonis, *Julia Traducta* inde appellata est. Falsus ergo Plinius, qui Tingi ipsam *Juliam Traductam* dixit, cum ita appellata fuerit, quæ è transductis Tingitanis in Hispania facta est, & condita. Præterea antiquiorem Claudio Cæsare hanc coloniam oportet esse, cujus meminerit Strabo, & quæ *Juliæ* cognomen non à Claudio Cæsare, sed à Julio acceperit. Tingi coloniam deduxisse Claudium fortasse dubitari non potest. Cæsaream certè vocatam à Claudio Cæsare verisimile est. Nam Ptolemæo dicitur Τίγγι Καισάρεια. *Cæsarea* igitur hæc Tingis, non *Julia Traducta* est appellata, quæ urbs in Hispania Bætica hoc nomine fuit. Hanc Mela *Tingi* D *alteram* vocavit ad discrimen Tingis Mauritaniæ, & quod ex illa hæc ducta sit. Sic *altera Pergama* Virgilio. Et *altera Salamis*, *ambigua Salamis*, de Cypri Salamine. Atque, ut certius sit de hac urbe *Transducta* loquutum esse, & intellexisse Pomponium, locus ejus, si rectè distinguatur, id magis evincet. Sic igitur interpungendus: *in eoque Carteja, ut quidam putant, aliquando Tartessus: & quam transvecti ex Africa Phœnices habitant, atque, unde nos sumus, Tingi altera: tum Mellaria, & Belo.* Juliam Transductam his verbis apertè designavit, *& quam transvecti ex Africa Pœni habitant.* Nec enim possunt ad Cartejam referri ex vulgarium E editionum fide. Tartessum ad Bætim condidere Phœnices, non Cartejam, licet quidam Cartejam vocatam aliquando Tartesson voluerint, inducti Græci nominis errore, quo Καρπησσὸς & Καρτησσὸς dicta est. Illa Tartessos, quam condidere Phœnices, *Gaddir* ab iisdem appellata est, quam & Gadibus eamdem faciunt plerique veterum; diversa utique ab Carteja. Strabo de Carteja scribens non dicit à Phœnicibus conditam, sed Iberorum navale olim extitisse, juxta Timosthenis sententiam, Ἡρακλέους κτίσμα. Præterea præsentis temporis verbo loquutus est Mela: *& quam transvecti ex Africa Phœnices habitant.* Quod falsum de Car- F teja: nec enim tunc temporis eam habitabant Phœnices, si unquam: sed nec unquam habitarunt. De Tyriis antiquæ Tartessi conditoribus multo minus possit accipi. Amplius tunc non erant, ut nec Tartessus. Et *Gaddir* dicta est, non *Carteja*, quam illi constituerant. Postremo non transvecti ex Africa Phœnices Tartessum condidere, vel Gades, sed Tyria classis Phœnicum, qui plurimum mari poterant è Tyro profectorum. Vide Vellejum lib. I. Orationis denique contextus satis ostendit hæc verba cum sequentibus esse connectenda, non cum præcedentibus: *Et quam* G *ex Africa transvecti Phœnices habitant, atque, unde nos sumus, Tingi altera: tum Mellaria, & Belo.* Palam est loqui de Tingitanis, & Zelitanis, qui ex Africa transvecti inde dictam *Transductam* habitabant, quam Transductam *Tingi alteram* à nobiliori oppido nominavit. Sed unde Tingitani aut Zelitani Phœnices? Mauri potius. An etiam Phœnices illorum auctores oppidorum? neminem memini qui dixerit. Constat tamen Phœnices totam illam oram Oceani frequentibus coloniis illustrasse. Mitto Erithiam, Tartessum, Gades, sinum Emporicum ab illis dictum in Mauritania. Multas quoque

quoque ibi *παπινίας* Φοινίκων fuisse testis Strabo. Lixon Mauritaniæ urbem φοινίκων πόλιν fuisse tradit Scylax Caryandæus. Ita Zelis, aut Tingi iidem etiam fortasse conditores fuerint. Quod melius sciverit Pomponius, qui inde fuit. Nam Phœnices pro Pœnis accipi, quod placere quibusdam video, mihi non placet. Ferè tamen probarem delendam esse hanc vocem, velut additam ab his, qui Melam de Tartesso loqui putabant, & sic legendum: *& quam transvecti ex Africa habitant, atque, unde nos sumus, Tingi altera.* Transvecti ex Africa, Zelitani nempe, & Tingitani. Nihil exploratius. Plinius de Zeli: *Zelis regum ditioni exempta, & jura in Bæticam petere jussa.* Sic Melæ patriam reddidimus, & luculentissimum locum restituimus.

Pag. 33. C. *Trium & triginta millium passuum*] Plinius triginta computat tantum: *abest à Belone oppido proximo trajectu* XXX. M. P. Itinerarii auctor CCXX stadia numerat. Si milliario septem stadia cum semisse tribuas, triginta milliá passuum ducentis viginti quinque stadiis inerunt. Si ὀκταστάδιον milliare facias, CCXL stadia triginta millibus passuum competent. *Belonem* Stephanus Βῆλον, vel Μῆλον vocat, *Mellariam*, Μηλαρίαν. Βῆλος ἢ καὶ Μῆλος περὶ ταῖς Ἡρακλείαις στήλαις, ἀμφοτέρων ἐτύμως λεγομένων. Certum est de Belone intelligere, quæ ceteris Græcis Βελών. Idem paulo post: Μῆλος ἢ καὶ Μηλαρία δύο πόλεις ἐπὶ τοῖς πέρασι, τὴν αὐτὴν ἔμφασιν ἔχουσιν ἀπὸ τῆς κλήσεως τῶν Μήλων. De Belone, & Mellaria loquitur. Ptolemæo non solum Μενλαρία scribitur, sed etiam Martiano Heracleotæ. Nec aliud est, quam *Mellaria*, more scribendi Græco. Sic Μινσώελον pro Μισώελον scribebant: πρόκενσος, & σύκενσος, *processus* & *successus*. Falluntur itaque, qui *Menlaria* in Ptolemæo Latinè vertunt.

Qui implicandis, explicandisque nexibus humi melius sciens] Nemo veterum melius, disertiusque explicavit luctandi modum, quo prævaluit Antæus. Lucta tota in explicandis, & complicandis nexibus, sed in ea, quæ humi excercebatur, peritissimus habitus Antæus. Hieronymus: *dicitur autem Antæus terræ filius, quia solorum palæstricæ artis certaminum, quæ in terra exercentur, scientissimus erat.* τρόπους χαμαὶ hujusmodi luctandi modos vocabant palæstritæ. Græca Eusebii: τὸν λεγόμενον γηγενῆ, διὰ τὸ ἐπιστήμονα εἶναι τῶν λεγομένων παρὰ τοῖς παλαισταῖς τρόπων χαμαὶ, ὡς ἀπὸ τῆς μητρὸς γῆς βοηθεῖσθαι δοκεῖν. Ita emendamus. Nam mendosè apud Scaligerum scribitur: τὸν λεγόμενον παρὰ τοῖς παλαισταῖς τρόπον χαμαί. Sequentia etiam depravata, quæ sic leguntur: ὃν Ἡρακλῆς ἰσχυρὸς ὢν μὴ προσδεηθεὶς, ζώσας τὸν Ἀνταῖον τοῖς ἅμμασι καὶ μετεωρίσας διεχρήσατο. Scaliger corrigebat: ὃν Ἡρακλῆς ἰσχυρὸς ὢν μηδενὸς δεηθεὶς ζώσας τοῖς ἅμμασι καὶ μετεωρίσας διεχρήσατο. Perperam. Tu scribe, si emendata vis: ὢν Ἡρακλῆς ἰσχυρὸς ὢν μὴ προσδεηθεὶς &c. id est, ὢν τρόπων χαμαὶ μὴ προσδεηθείς. Dicit Herculem nativis pollentem viribus, arte illa palæstrica, & modis luctandi, qui humi exercentur, non indiguisse, & comprehensum Antæum, qui nexuum humi complicandorum peritus erat, sublimem, ita ut terram non amplius tangeret, sublatum interfecisse. Hinc creditum terra parente editum fuisse, quia terræ adjutorium in luctando petebat, cum viribus inferior ad illos luctandi modos, qui humi peraguntur, decurreret. Sciendum porro est, hujusmodi τοὺς χαμαὶ τρόπους non ad luctam, sed ad pancratium solum pertinuisse, quod genus certaminis ex lucta, & pugilatu mixtum erat. Per certamina itaque palæstricæ artis, quæ in terra exercentur, τὸ παγκράτιον intelligendum. Omnis luctæ ratio ad victoriam in subvertendo adversario consistebat. Ὠθισμοῖς τε καὶ περιτροπαῖς ἀλλήλων, luctam constare ait Plutarchus. Idem lib. II Symposiacῶν, cap. IV. Ἡ γὰρ πάλη δοκεῖ μοι ἀπὸ τοῦ παλαίειν, ὅπερ ἐστὶ δι' ἀπάτης, καὶ δόλου καταβάλλειν κεκλῆσθαι. Finis luctæ τὸ καταβάλλειν. Unde responsum Laconis de antagonista, à quo Olympiæ victus fuerat, οὐ μᾶλλον κρείττων, ἀλλὰ καββαλικώτερος. Inter stantes igitur, & rectos hoc certamen agebatur. Nec enim nisi stantem dejicere, ac solo illidere liceat. Quod ῥῖξαι propriè dicebant. Sic soli pancratiastæ humi nexus implicabant, & explicabant, non παλαισταί. Theocritus luculente hæc tria certaminum genera luctam, pugilatum, & pancratium distinxit his versibus in Ἡρακλίσκῳ:

A Ὅσσα δ' ἀπὸ σκελέων ἑδροστρόφοι Ἀργόθεν ἄνδρες
Ἀλλήλους σφάλλουσι παλαίσμασιν, ὅσσα τε πύκται
Δεινοὶ ἐν ἱμάντεσσιν, ἅ τ' εἰς γαῖαν προπεσόντες
Πυγμάχοι ἐξεύροντο παλαίσματα σύμφορα τέχνᾳ.

Ἐκ σκελέων ἑδροστρόφοι *luctatores* sunt, quorum proprium supplantare, & subvertere. Qua in arte primi Argivi olim habiti. Πύκται δεινοὶ ἐν ἱμάντεσσι sunt *pugiles*, qui cestibus, & loris utuntur, iisque se contundunt. At εἰς γαῖαν προπεσόντες πυγμάχοι *pancratiastæ*, qui hanc artem habebant, ut vincerent velut in terram cadentes, ac resupinantes sese. Atque hi sunt οἱ τρόποι χαμαὶ, quos in illo certamine adhibebant, qui pugnabant arte magis,
B quam viribus. Πυγμάχους autem eos vocat, & παλαίσματα simul illis tribuit, quia ex pugillatu, & lucta compositum genus agonis illud erat, quod & παγκράτιον inde dicebatur. Philostratus in Arrichione. Οἱ παγκρατιάζοντες, ὦ παῖ, κεκινδυνευμένῃ προσχρῶνται τῇ πάλῃ. Δεῖ γὰρ αὐτοῖς ὑπτιασμῶν τινῶν μὴ ἀσφαλῶν τῷ παλαίοντι καὶ συμπλοκῶν ἐν αἷς περιγίνεσθαι χρὴ οἷον πίπτοντα. Melius tamen ut videtur, in illis Theocriti versibus scriberetur;

----- ἅ τ' εἰς γαῖαν προπεσόντες
Πάμμαχοι ἐξεύροντο.

Ita vocabantur pancratiastæ. Pollux de pancratiastis: ἐπὶ δὲ τούτων εἴποις ἂν ὡς εἰσὶ πάμμαχοι. Plato in Euthyde-
C mo: ὅτι ἔγωγε οὐκ ᾔδειν περὶ τοῦ ὅτι εἶεν οἱ παγκρατιασταί. Τοῦτο γὰρ ἐστὶν κομιδῇ παμμάχω. Οὐ κατὰ τὼ Ἀκαρνᾶνε τὼ παγκρατιαστὰ ἀδελφώ. Verùm sic ferri potest cum expositione nostra. Ὑπτιασμοὺς illos, quibus utebantur pancratio pugnantes, non tutos ait esse luctantibus. Quia præcipuum in lucta, primumque, stare firmiter inconcussum, atque non cadere. At qui sese resupinat, ut in pendenti est, facile impelli potest, & lapsui obnoxium se magis facit. Quod in lucta intutum est, in pancratio artis pars non parva. De his pancratii ὑπτιασμοῖς Pindarus ἰσθμιονίκαις Ode. IV. Τόλμᾳ γὰρ ἐοικὼς θυμὸν ἐριβρεμέταν θηρῶν λεόντων ἐν πόνῳ. Μῆτιν δ' ἀλώπηξ αἰετοῦ ἅ τ' ἀ-
D ναπιτναμένα ῥόμβον ἴσχει. Loquitur de pancratiaste, qui arte sola majorem viribus adversarium superavit, & comparat vulpi, quæ aquilæ impetum sustinet, ac repellit, ἅ τε ἀναπιτναμένα, quasi supina cadens. Omnino alludit ad ὑπτιασμοὺς, & χαμαὶ τρόπους pancratiastarum. Scholiastes vetus ad eum locum: ἔοικε δὲ διδάσκειν αὐτοῦ τὸ πάλαισμα ὡς χαμαὶ κειμένος, καὶ τὸν μείζονα τέχνῃ νενικηκότος. Καὶ γὰρ ἡ ἀλώπηξ ὑπτία τοῖς ποσὶν ἀμύνεται, τὰ μὲν συλλαβομένη, τὰ δὲ ἀμύσσουσα. Verba illa ὡς χαμαὶ κειμένος, τοὺς χαμαὶ τρόπους disertè designant. Sequitur paulo post apud
E eumdem Scholiasten: διὰ γὰρ τοῦτον παρίστησιν, ὅτι κυλιστικὸς ἦν ὁ Μέλισσος, καὶ ἑαυτὸν ἐξυπτιάσας περιεγένετο. Addit Philostratus: καὶ τῶν συμπλοκῶν ἐν αἷς περιγίνεσθαι χρὴ οἷον πίπτοντα. Hæ συμπλοκαὶ nexus sunt humi explicandi, & implicandi à pancratiastis, quasi πίπτουσι καὶ χαμαὶ κειμένοις. Qui in hac arte valebant κυλιστικοὶ vocabantur ab illis nexibus in terra complicandis. Hinc τὸ παγκράτιον. Plutarchus περὶ τὰς κυλίσεις plurimum versari dicit lib. II. cap. IV Symposiacῶν: οὔτε γὰρ δρόμον, οὔτε πυγμὴν ἐν παλαίστραις διαπονοῦσιν, ἀλλὰ πάλης καὶ παγκρατίου τὸ περὶ τὰς κυλίσεις. Ὅτι γὰρ μέμικται τὸ παγκράτιον ἔκ τε πυγμῆς καὶ πάλης δῆλον. Ex quibus Hieronymus Mercurialis Italorum
F cymbalum malè collegit duo genera pancratii fuisse, unum, quod *volutatorium* appellat: alterum, quod ex pugillatu & lucta constabat. Una tantum pancratii species è lucta, pugillatuque constantis, in qua locum habet ἡ κύλισις, οἱ ἐξυπτιασμοί, οἱ τρόποι χαμαί, αἱ συμπλοκαὶ οἷον εἰς γῆν πίπτοντων, *nexus humi explicati & implicati*: Quæ omnia ejusdem artis appellatione censentur in pancratio exerceri solitæ. De pancratio intelligit Anthyllus apud Oribasium collect. VI. cap. XXVII: ubi duplicis luctæ meminit, alterius erectæ, alterius supinæ in pavimento: nam lucta super pavimento, ἡ χαμαὶ κειμένη, pancratium est. Martialis idem intellexit hoc disticho
G sub lemmate, Palæstritæ:

Hunc amo, qui vincit, sed qui succumbere novit,
Et melius didicit τὴν ἀνακλινοπάλην.

Contrario sensu, & quem poëtæ mens non recipit, hodie legitur. *Non amo, qui vincit.* Cur enim palæstritam amare se diceret non vincentem? dicit amare se quidem hunc palæstritam, qui vincit, sed qui etiam novit succumbere, hoc est, qui succumbendo vincit, qui περιγίνεται ἀναπιτνάμενος, ut inquit Pindarus, καὶ οἷον πίπτων.

Magis commendari innuit palæstritam, qui arte vincit, quam qui viribus, qui τοὺς ἀποσπασμοὺς novit καὶ τοὺς χαμαὶ τρόπους, quæ Theocritus σύμφορα παλαίσματα τέχνα, nimirum τῶν εἰς γαῖαν περιπεσόντων. Κλινοπάλη Domitiani nihil cum hac ἀνακλινοπάλῃ habet commune. Sic ille vocabat assiduitatem concubitus, Veneream nempe palæstram, quæ in lecto exercetur. Quam vocem non intellexere uterque Victor. At Martialis ἀνακλινοπάλη pancratium dicebatur, quod ἐν τῷ ἀνακλίνεσθαι, καὶ ἀπλάζεσθαι plerumque exerceretur, ad distinctionem τῆς ὀρθίας πάλης, id est, luctæ, quæ & ὀρθοπάλη unica voce dicebatur, atque ita Luciano vocatur in Lexiphane, quod à stantibus, & erectis pugnaretur, in qua vicisse erat adversarium solo dejecisse: ut contrà victi ignominia, cecidisse. Secus omnia in pancratio, in quo & succubuisse erat artis: nam & humi volutantes nexus suos expediebant, impediebantque, viribusque superiores adversarios sæpenumero sic vincebant. Non aliter quippe victus quispiam putabatur in pancratii lucta, nisi animum despondere, ac victum se fateretur. Etenim dejectus, & solo prostratus pancratiastes, pugnabat tamen, & qua mordendo, qua depilando, qua fauces stringendo, pedis digitos defringendo sæpe victorem antagonistam adigebat victum se confiteri. Ideo luctatori cavendos ἀποσπασμοὺς ipsi ab arte affectabant, nec enim ut in lucta qui cadebat victus erat, sed qui prior animum desponderat. Eusebius: Ἀῤῥιχίων Φιγαλεὺς τὸ τρίτον νικῶν παγκράτιον ψηλισθεὶς ἀπέθανεν, νεκρὸς τε ἐστέφθη φθάσαντος ἀπείπασθαι τοῦ ἀνταγωνιστοῦ Κλεομήδους τοῦ ποδὸς δακτύλου ὑπ' αὐτοῦ κλασθέντος. Pausanias: καὶ Ἀῤῥιχίων τε τὴν ψυχὴν ἀφίησιν ἀγχόμενος, καὶ ὁ ἄγχων τὸν Ἀῤῥιχίωνα ὑπὸ τοῦ δακτύλου τῆς ὀδύνης κατὰ τὸν καιρὸν ἀπαγορεύει τὸν αὐτόν. Sublatione digiti victos se fatebantur. Plutarchus alicubi scribit Lacedæmoniis certamina id genus improbata, in quibus oporteret δάκτυλον ἀνατείνασθαι, id est, digito sublato confessionem victi de se dare. Plutarchi locum non rectè cepere interpretes, nec viri doctissimi intellexere. Hujusmodi certamia, quæ Lacedæmonii improbabant, fuere *pugillatus*, & *pancratium*. Seneca lib. v de Beneficiis, cap. III. *Lacedæmonii vetant suos pancratio, aut cestu decernere, ubi inferiorem ostendit victi confessio.* Et paulo post: *cum invictos esse Lacedæmonii cives suos magno æstimarent, ab his certaminibus removerunt, in quibus victorem facit non judex, non per se ipse exitus, sed vox cedentis, & trahere jubentis.* Digiti sublatio sine voce idem faciebat. Ergo in pugillatu, & pancratio, usque ad ἀπαγόρευσιν certabatur. In lucta non item. Ter dejectus ab adversario victus habebatur. Idem Seneca ibidem: *cursor metam prior contingit: velocitate alium, non animo antecessit. Luctator ter abjectus perdidit palmam, non tradidit.* Epigramma vetus de Milone, qui cum in certamen luctæ descendisset, nec antagonistam reperisset, & vocaretur ad accipiendam palmam, forte lapsus est: quem coronandum non esse cum multi clamarent, quod cecidisset:

> Ἀντὰς δ' ἐν μέσσοισιν ἀνέκραγεν, οὐχὶ τρὶ ἐστίν.
> Ἓν κεῖμαι, λοιπὸν τἄλλα με τὶς βαλέτω.

Sic enim distinguendum: *semel cecidi, non ter*: οὐχὶ τρὶ ἐστίν, subaudi πτώματα. Ceterum, inquit, si quis est, qui me victum pronuntiare ausit, accedat, & quod reliquum est ad victoriam de me referendam peragat, & cum jam semel cediderim, bis me dejiciat, ut τρία sint πτώματα, victusque sic videri possim. Nec enim, ut dixi, victus quisquam inter luctandum censebatur, nisi ter cecidisset. Sensum Epigrammatis non est assequutus vir magnus ad Theocritum. Sed nec Planudes, qui hoc epigramma retulit sub titulum ignavorum pugilum. Τριάξαι, & ἀποτριάξαι dicebatur, qui ter dejecerat adversarium. Τριαχθῆναι, & ἀποτριαχθῆναι contra, qui ter dejectus fuerat. Ideo τριάξαι est vincere, τριαχθῆναι vinci. Unde ἀτρίακτος ἄτη Æschylo, quæ expugnari non potest. Glossæ Grammaticorum, τριάσσειν τὸ νικᾶν ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν παλαιστῶν, ἐν ταῖς τρισὶ πάλαις τὴν νίκην καρπουμένων. Immo in trinis dejectionibus. Eædem: τριαχθῆναι λέγουσι οἱ παλαιστρικοὶ ἀντὶ τοῦ τρὶς πεσεῖν. Alii de pentathlis hoc propriè dictum volunt: qui stadium diaulon, & dolichon vicerat, ἀποτριάξαι dicebant: ut è contra, qui in his tribus victus erat, ἀποτριαχθῆναι. Pollux: ἐπὶ δὲ πενταθλοῦ ἀποτριάξαι

A νικῆσαι λέγουσιν. Etymologicum magnum: τριαχθῆναι λέγουσιν οἱ παλαιστρικοὶ ἀντὶ τοῦ τρὶς πεσεῖν, ἢ τὸ τρὶς τροχάσαντα νικηθῆναι, στάδιον, δίαυλον, δόλιχον. Hesychius: ἀποτριάξαι, τρεῖς πληγὰς δοῦναι. Immo ter dejicere, aut tres ictus infligere, qui adversarium prosternant, & solo adlidant. Æschylus in Eumenisin:

> Ἓν μὲν πέδ' ἐστὶν τῶν τριῶν παλαισμάτων.

Interpres vetus: ἐκπέπτωκας. Ἡ μεταφορὰ δ' ἐστὶν ἀπὸ τῶν παλαιόντων, οἳ ἐπὶ τρισὶ πτώμασιν ὁρίζουσι τὴν ἧτταν. Aliud epigramma de Clitomacho invicto luctatore.

> Τὸ τρίτον οὐκ ἐκόνισεν ἐπωμίδας, ἀλλὰ παλαίσας
> Ἁπλῶς τοὺς τρισσοὺς Ἰσθμόθεν εἷλε πόνους.

B Qui non tertio cecidit, non pulvere humeros inquinavit. Sophocles de Venere:

> Τίν' οὐ παλαίουσ' ἐς τρὶς ἐκβάλλει θεῶν.

Quem non vicit deorum? metaphora ducta à luctatoribus, qui ter dejiciendo adversarios vincunt. Parcam plura congerere. Sic τὰ πτώματα cavenda luctatoribus, non pancratiastis. Sic ὀρθία πάλη de lucta propriè sumpta: quæ humi volutando exercebatur, pancratium erat: cum luctam & pugillatum participaret. De lucta habebat τὰς συμπλοκάς, & nexus, quod in pugillatu non licebat. De pugillatu vero plagas, &

C vulnera mutuabatur absque cestibus tamen, quibus pugiles contundebant se. Nudis itaque manibus pungebant, lacerabant, angebant, suffocabant, pedibus quoque insultabant, calces ducebant, pugnis verberabant pancratiastæ. De quibus nos alibi plura. Ex his omnibus constat *nexus humi implicandos, & explicandos* ad pancratium, non ad luctam pertinuisse, & pancratio victum Antæum ab Hercule. *Nexus*, & *nodus* propriæ luctaminis, & pancratii voces. Græcis ἅμματα. Glossæ: *nexum*, ἅμμα ἐπὶ πάλης δεσμός. Ammianus Marcellinus lib. xv. *Et Paulo quidem ut relatum est*

D *suprà, Catenæ inditum est cognomentum, eo quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis, miram in nodorum varietatem sese dispendens, ut in colluctationibus callere nimis quidam artifices solent palestritæ.* Hanc lectionem elicuimus è vestigiis scripturæ, nam quæ editur nimis spurcè concepta est hoc modo: *quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis tetra venena ferens, varieque disperdens, ut in colluctationibus calce tenere quidam solent artifices palæstritæ.*

Ibidem ab Hercule victus, & extinctus est] Libri: *ibidem Herculi victus est.* Loquutio Solini. Sic supra: *oppidum Olisippo Ulixi conditum.* Plinius: *eique, qui captatur, abjici.* Plura notavimus ante.

E Pag. 33. D. *Ne famæ licentia vulneretur, fides & ratio hæc est*] Immo scribendum: *ne famæ licentia vulneretur fides, ratio hæc est.* Quid planius? Ne famæ licentia fidem historiæ vulneret, de pervigili dracone, & hortis Hesperidum. *Hæc ratio est*, τοῦ μυθολογήματος θεραπεία.

Flexuoso meatu æstuarium è mari fertur] Mendosè habent omnes libri: *æstuario in mare fertur.* Mendum ex eo natum videtur, quod scripserat auctor: *æstuarium è mare fertur*, ἀρχαϊκῶς pro *mari*. Varro:

> ---- *Lybico mare, flumine Nilo.*

Sic Plauto, *à mare* pro *à mari*. Plinius: *affunditur æstuarium è mari flexuoso meatu.* Propriè loquutus est. Nam

F ἀναχύσεις θαλάττης Græci vocant hujusmodi æstuaria, quæ è mari affunduntur. Meminit hujus æstuarii idem Plinius & lib. xix. cap. iv: & malvas ibi arborescere dicit, sed verbis adeo depravatis, ut pudeat ea diutius in vitio relinquere. Sic leguntur vulgo: *quædam vocitabimus ferulacea, ut anethum, malvas. Namque tradunt auctores in Arabia malvas septimo mense arborescere, baculorum usum præbere extemplo. Sed & arbor est malva in Mauritania Lixi oppidi æstuario, ubi Hesperidum horti fuisse produntur.* Nihili sunt illa, *baculorum usum præbere extemplo.* Malvas intra sex, aut septem menses arborescere, &

G baculorum usum præbere scribit: ὡς τε μῆκος, καὶ πάχος δορατίαιον γίνεσθαι. Διὸ καὶ βακτηρίαις αὐταῖς χρῶνται. Libri habent, *exemplo.* Scribe igitur: *malvas septimo mense arborescere, baculorumque usum præbere. Exemplo sit arbor è malva in Mauritania Lixi oppidi æstuario.* Arboris è malva factæ in Mauritania exemplum adfert, quæ altitudinis erat xx pedum, crassitudinis quam circumplecti nemo possit. *Arbor è malva*, μαλάχη δενδρωμένη.

Unde pomorum custodem interpretantes] In libris est: *pomorum*

morum custodes. Libenter legerim: *unde pomorum custodis instar interpretantes.* Vox *instar* heîc desideratur, quæ ob sequentis similitudinem confusa periit. In Plinio quoque legendum: *affunditur æstuarium è mari flexuoso meatu, in quo draconis custodis instar fuisse nunc interpretantur.* Non rectè editum est: *draconis custodiæ.* In eo æstuario flexuosis meatibus recurrente draconis custodis instar fuisse interpretabantur, τὸ ἀφομοίωμα ἢ φύλακ☉ δράκοντ☉. Glossæ: *instar, similitudo*, ὁμοίωμα, ἀπεικόνισμα. Apulejus, *Psittacus Indiæ avis est: instar illi minimo minus quam columbarum.* Ubi *instar* pro facie, & figura. Legendum heic igitur, *custodis instar interpretantes.*

Insinuata sinibus alvei recurrentis] Ita scripsi è libris, pro vulgato, *sinibus alvei procurrentis*: quod rectum non erat. *Alveus recurrens*, flexuosus, qui multas spiras facit, & sæpe in se recurrit. Sic infra de Mæandro: *recurrentibus ripis flexuosus inter Cariam, & Joniam præcipitat in mare.* Scripsimus etiam *insinuata*, pro *sinuata*. Plinius: *amplectitur intra se insulam.*

Verum ultra frutices aureos, & metalla frondentia] Virgilius de ramo aureo:

---- *& simili frondescit virga metallo.*

Sed hoc falsum, & plus quam mythicum. Aurea quidem mala Hesperidum fuisse fabulæ dicunt, sed non arbores aureas, quæ mala illa ferebant: Plinius *auriferum nemus* vocat, quod poma aurea ferret, non aureum: *extat in ea & ara Herculis, nec præter oleastros aliud ex narrato illo aurifero nemore.* Præterea absurde *frutices* dixit de mala ferentibus arboribus.

Quod solum inferiore licet libra depressius est] Librata planicies dicitur, quæ ad libram exæquata est, ita ut nec inferior, nec superior pars ulla in solo pareat. Hinc *loca ad æquilibrium posita*, ad libramentum exæquata: & *libratæ collocationes* Vitruvio. Aqua quoque librari dicitur, cujus altitudo peræquatur è loco, unde oritur ad locum, quo deducenda est.

Nunquam accessus freti superlabitur] Libri omnes summo consensu: *nunquam accessu freti superlabitur.* Sed verbum *superlabi* passive positum vix mihi persuaserim. Putabam itaque legendum: *nunquam accessa freti superlabitur.* Nam *accessam* recentiores dixere pro accessu. Solinus tamen *accessus* semper dicit. Nunc scribendum contendo: *nunquam accessu freti superluitur.* Græca ad verbum expressit, ἐχ ὑπὸ τῆς πλημμυρίδ☉ ἐπικλύζεται. *Superlui* est ἐπικλύζεσθαι: ut *allui*, προσκλύζεσθαι: *dilui*, κατακλύζεσθ.

Stantia currenti diluerentur aqua.

Inde *diluvies & diluvium*, κατακλυσμὸς. Sic *interlui* apud hunc μεταξὺ κλύζεσθ. Unde *interluvies* ὁ μεταξὺ πορθμὸς interluens fretum. Nihl verius.

Pag. 33. E. *Et intimis orarum superciliis fluctus ingruentes sistuntur*] Legebatur prius: *in gyrum resistunt.* Delrius notat in libro suo fuisse: *fluctus ingruere sistuntur.* Ex quo edidit: *ingruentes sistuntur.* Nos melius: *fluctus ingrui resistunt.* Certè in optimo Regio disertim est: *ingrui resistuntur.* Sed *resistunt* verum est. *Ingruus*, ut *congruus.* Licet fluctus velut ingruant, & impendeant ex loco altiore in depressiorem, resistunt tamen, nec ultra progrediuntur. Ovidius:

---- *ad plausum sæpe resistere equos.*

Et alibi:

---- *noster sæpe resistit equus*

Ita loquutus est ante noster. Quæ sequuntur mirè perturbata in libris extant. Habent nostri meliores *fluctus ingrui resistuntur. Spectandum nimirum ingenio loci, planities manet sicca, quamvis prona superveniant sala. Oppidum imminet Salæ flumini.* Ita etiam libri, quos alii contulere. Palatinæ Schedæ: *spectanda nimirum ingenio loci planicies, manet sicca, quamvis prona æquora superveniant.* Quomodo & in Freheranis reperi. Dictionem *æquora* sustulerunt, qui vocem *Sala*, quæ sequitur, maria significare crediderant. Sic igitur totum hunc locum constituo: *sed obstaculo naturalis repaguli in ipsis marginibus hæret unda, & in extimis orarum superciliis ingrui fluctus resistunt: spectandum nimirum ingenium loci! planities manet sicca, quamvis prona superveniant æquora.* Nec negem commodè etiam legi posse, *spectando nimirum ingenio loci planities manet sicca, quamvis prona superveniant æquora.* Verum illud melius. *In extimis orarum superciliis* è conjectura repo-

A suimus, cum omnes libri haberent, *intimis.* Ita necessario legendum est. *Extimæ superciliûm oræ* sunt margines altiores, in quibus tamen hærebat unda, & fluctus ingruentes resistebant. Hoc jam dixerat: sed multis περιφρασεσι, quæ Plinius in pauca, ac simplicia verba hæc contulit: *amplectitur intra se insulam, quam solam è vicino tractu aliquanto excelsiore, non tamen æstus inundat.* Strabo: ταπεινὸν, ἢ ὁμαλὸν χωρίον ὅπερ ἐκ ἐπικλύζεσθ φασιν ὑπὸ τῆς πλημμυρίδ☉. *Extimæ oræ*, ut Apulejo in Floridis, ubi hodie sic legitur: *non è meo monte lapidem directim cæsum afferam, probe omnifariam complanatum, læviter ex optimis oris ad unguem coæquatum.* Ita nuper edide-

B runt è Florentinis. Scribendum, *læviter extimis oris ad unguem coæquatum:* Vel *extimas oras*, ut quidam libri, quos vidi, exhibent. Ceterum & altera hujus loci lectio notata in margine antiquorum exemplarium, quam è priori editione exceptam fuisse non dubia fides. Sic autem scribitur: *& immites orarum superciliis pendent fluctus, nec tamen defluunt: Ita spectando loci ingenio planities manet*, &c. Vulgaris ex duplici conflata est: *ita spectando loci ingenio nimirum.*

Ab hoc per Autolûm gentem] Libri ferè omnes *Autolorum.* In Regio eadem manu correctum: *Rutulorum.* Perperam. *Autololes* Plinio, Silio, & Claudiano. Pto-

C lemæo Αὐτόλαλα. Urbs Africæ ἐν τῷ πελαγίῳ ... τμήμαλ. Insula etiam hoc eodem nomine ἐν τῷ δυτικῷ ὠκεανῷ. Utrobique scribendum, Αὐτόλολα ab istis Autololis.

E media arenarum consurgit vastitate] Altera lectio παρεκδόσεως: *exurgit in medio tractu arenarum.* Plinius: *è mediis hunc arenis in cœlum attolli prodiderunt.*

Et eductus in vicina lunaris circuli] Ita libri. Nec aliter Pliniani: *præterque horrorem elati super nubila, atque in vicina lunaris circuli.* Vulgo: *in viciniam.* Cum super nubila, & in viciniam lunaris circuli Atlantem caput attollere dicat è Plinio Solinus, mirum est quod

D addit verticem ejus semper nivalem esse. Atqui si altior ejus est vertex, quam unde imbres, & nives cadunt, quomodo nivibus obsitus dici potest? Hæc duo inter se contraria sunt, ut verticem ultra nubila condat, & tamen nivibus albescat. Et meritò sanè, cum cœlum vertice sustinere, ac fulcire fingatur à poëtis, ultra nubes eum elatum habere debeat, ideoque nivibus carentem. Virgilius humeros ejus, non verticem nivibus operiri dixit:

Nix humeros infusa tegit.

E Cum tamen piniferum caput vento, & imbribus pulsari canat. Plinius tamen, quod mirere, qui Atlantem ultra nubes attolli usque in viciniam lunaris circuli scripserat, paulo post, sed ex relatione Paulini Suetonii tradit verticem ejus etiam æstate semper nivibus opertum. Prudentius multo, & cautius Mela, usque in nubila erigi dicit: *qui quod altius quam conspici potest, usque in nubila erigitur, cœlum & sidera non modo tangere vertice, sed sustinere quoque dictus est.*

Manat fontibus, nemoribus inhorrescit] Delrio venerat in mentem corrigere, *vacat fontibus.* Et sic argumentatur? squaloris, & sterilitatis causam esse nimiam siccitatem: tradere autem Solinum hanc Atlan-

F tis partem jejunio squalere: ergo sequi legendum esse, *vacat fontibus.* Non capio rationem. Certum quippe est è saxis, & cautibus jejunis, ac sterilibus etiam fontes scaturire. Præterea cùm dicat hanc eamdem partem montis nemoribus inhorrescere, quidni & fontibus scatere possit? omnes postremò libri *manat* heîc agnoscunt, & Martianus id firmat. Sed cum scribit noster Atlantem ea parte, qua ad Oceanum extenditur, manare fontibus, nemoribus inhorrescere, rupibus asperari, squalere jejunio: ab altera autem, quâ Africam spectat, felicem esse nascentibus sponte frugibus, ostendit Plinii locum ita sibi lectum,

G ac distinctum fuisse: *è mediis hunc arenis in cœlum attolli prodiderunt, asperum, squalentem, qua vergat ad littora Oceani, cui cognomen imposuit, eumdem opacum, nemorosumque, & scatebris fontium riguum, quâ spectat Africam, fructibus omnium generum sponte ita subnascentibus, ut nunquam satias voluptatibus desit.* Solinum sequitur Martianus his verbis: *qua ab occasus parte littora prospectat Oceani, nemorosus, fontibus scatens, sed rupibus infœcundus:* quâ

quâ vero Africam spectat, opimus omnia. Ita enim libri scribunt. Vulgo: *opimus omnis.* Sic *sanctus omnia; felix omnia, candidus omnia.* Quæ alibi observamus. Verùm prava interpunctio verborum Plinii imposuit scriptori nostro. Nam certum est rectè distingui in vulgatis editionibus; *asperum, squalentem, quâ vergat ad littora Oceani, cui cognomen imposuit: eumdem opacum, nemorosum, & scatebris fontium riguum, quâ spectat Africam, fructibus omnium generum ita sponte subnascentibus,* &c. Non igitur ab ea parte, qua squallet, atque aridus est mons Atlas, fontibus manat, & nemoribus inhorrescit, sed ab altera, quà Africam spectat, quaque fructibus omnium generum abundat.

Squalet jejunio, humo nuda nec herbida] Excerpta Solini: *squalet jejuna humo, nuda nec herbida.* Notatur in Regio exemplari legi alias: *squalet jejunio, humo nudi, & infelicis soli.* Quæ lectio, ut opinor, τῆς παρεκδόσεως. Sed puto scriptum fuisse: *squalet jejunio nudi, & infelicis soli.* Quam ideo videtur mutasse, quod statim sequatur: *felix nascentibus sponte frugibus.* Fortè heîc fuerit: *squalet jejuna humo, nudaque.*

Quâ Africam contrà versus est] Constanter, & consentienter in veteribus: *qua Africæ controversus est.* Scripserim unica voce: *qua Africæ contraversus est,* id est, contrarius, & adversus. Sic *contraversum,* è contrario: *denique recens natum fletu parens excipit: contraversum læta sunt funera.* Apulejus in Apologia: *num, ut ait Epicurus, profectæ à nobis imagines, velut quædam exuviæ, jugi fluore à corporibus manantes, cum læve aliquid, & solidum offenderunt, illisæ reflectantur, & retro expressæ contraversim respondeant,* id est, ex adverso respondeant. Ita libri. Male factum est, quod ediderunt nuper; *contra versis respondeant.* Ammianus, qui Solini loquutiones sæpenumero usurpat, hac voce frequens utitur. Lib. XVIII *spiranti zephyro contraversa Grumathenam contingit.* Quod editi legunt *controversa,* mendosum puto. Et lib. XIV *littoribus Cypriis contigui navigabant, qua Isauriæ scopulis sunt contraversa.* Et alibi passim: tædet enim plura adscribere. Quibus omnibus locis *controversa* perperam scribitur, quod sine controversia vitiosum est.

Felix nascentibus sponte frugibus] Plinius: *fructibus omnium generum sponte ita subnascentibus, ut nunquam satias voluptatibus desit.* Per fructus omnium generum, arborarios præcipuè intellexit, quales in monte provenire verisimile est. At Solinus dicendo *frugibus sponte nascentibus* de solis frumentis, ac leguminibus loqui videtur, quæ propriè sola frugum nomine continebantur. Græci σίτους & σιτηροὺς καρποὺς vocant. Accius in Troadibus:

Nocturna saxo fruges frendes torridas.

Virgilius:

---frugesque receptas
Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Multi ne frumenta quidem frugum nomine censeri volebant, sed sola legumina, & sic frumenta à frugibus discernebant. Sed Ciceronem notat dixisse Servius, cum de leguminibus loqueretur, *olei & frugum minutarum.* Minutas fruges ad legumina refert, ut panicum, milium, sesama, papaver, quæ multo minutiora grana frumentis habent. Sic dictæ fuerint ad differentiam frumentorum, quæ majusculæ sunt fruges. Atqui quædam legumina sunt multo majora frumentis, ut fabæ, lupini, fasioli, & similia. Ergo & fruges de frumentis. Et minutæ fruges, tam frumenta, quam legumina dicebantur ad discretionem majorum frugum, ut sunt arboreæ. Nam *arboreas fruges* Cornificius dixit arborarios fructus. Ammianus Marcellinus lib. XXIII *littoribus proxima Persis habebatur, minutis frugibus dives & palmite.* Per *minutas fruges* intelligere palam est frumenta, & legumina. Λεπτοὺς καρποὺς Græci appellant. Absolutè vero, & propriè *fruges* cum dicuntur, de solis frumentis, & leguminibus accipi par est. Vide Plinium lib. XVIII. cap. VII. Ineptè ergo Solinus *fructuum omne genus in monte Atlante subnascentium* de solis frugibus apud Plinium interpretatus est: aut imperitè frugum nomine etiam arborum fructus comprehendi voluit. Idem tamen *fruges* alibi à vineariis, & arborariis proventibus distinxit. Non dubium igitur sit, quin *fructus* in Plinio

A pro frugibus ceperit, quia *subnascentes* dixit. Sic de frumentis, & leguminibus intellexit, quæ sub arboribus nascerentur in monte Atlante: tantam scilicet esse fertilitatem. Qui Plinium non solum legendo suum fecerat, sed etiam scribendo, legerat apud eum lib. XVIII. cap. XXII de fertilitate Tacapæ urbis, quam felici super omne miraculum, & riguo solo fuisse dicit auctor. *Palmæ,* inquit, *ibi prægrandi subditur olea, huic ficus, fico punica, illi vitis: sub vite seritur frumentum, mox legumen, deinde olus, omnia eodem anno, omniaque eadem umbra aluntur.* Cum similiter in Atlantis descriptione legeret, riguum eum esse scatebris fontium, opacum,
B nemorosum, fructibus sponte subnascentibus felicem, fructus illos subnascentes putavit de frugibus dici, hoc est, frumentis, ac leguminibus, quæ sub arboribus sponte nascerentur. Sed Plinii mentem, ut semper alias, nec hîc cepit. Dicit Atlantem fructibus omnium generum ita sponte subnascentibus esse felicem, ut nunquam desit satias voluptatibus. Ita fructus nimirum omne genus, alii super alios in eo monte nascuntur, ut nunquam deficiant. Hoc propriè est *subnasci,* ut natis aliis alia subnascantur. Certè *fructus,* ut *fruges* sæpe etiam apud recentiores pro frumentis accipiuntur. Unde *fructuarii proventus,* οἱ
C σιτηροὶ καρποί. Ammianus: *adhibentes vomeri curam, & proventibus fructuariis victitantes.* Et lib. XXIIII *fructuarios fœtus,* id est, fruges ab arboreis discrevit, quos Græci δενδρίτας καρποὺς vocant, & ξυλικοὺς. *fructuariis, arboreisque fœtibus culta.* Ita & sæpe loquitur Solinus. Hinc *fructus* pro frugibus solis apud Plinium intellexit. Sanè & *fructus,* & *fruges,* & *frumenta* ab eadem origine, nempe fruor. Sed non parum erravit, cum *fructuum omne genus* de solis frugibus est interpretatus.

Pag. 33. F. *Arboribus proceris opacissimus, quarum odor gravis*] Non hoc ibi dicit Plinius montem A-
D tlantem, qua spectat Africam, hujusmodi arboribus, quales heîc describuntur, opacissimum esse, sed alio loco ex narratione Paulini, & Suetonii refert imas radices Atlantis talibus arboribus repletas esse.

Quarum odor gravis, comæ cupressi similes] Plinius: *frondes cupressis similes, præterque gravitatem odoris tenui eas obduci lanugine.* Lege: *fronde cupressis similes, præterque gravitate odoris: tenui eas obduci lanugine.* Similes fronde dicit cupressis esse, & præterea odoris gravitate. Sic omnino scribendum. Sic alibi sæpe loquitur: *præterque, rugas & sinus invenit.* Item alibi: *præterque, jus temperatur aquâ.* Græcum est, καὶ πρόσγε.
E Item lib. XI. capite vigesimo sexto, de stellionibus: *rore tantùm viventes, præterque araneis.* Cypressi porro etiam odor gravis. Ideo dicit arbores illas Atlanticas fronde similes esse cypresso, præterque gravitate odoris. Non tamen ita videtur legisse Solinus, qui odoris gravitatem earum arborum separat à similitudine cypressi: *quarum,* inquit, *odor gravis, coma cupressi similes.* Legerit ergo in Plinio: *frondes cupressi similes, præterquam gravitate odoris.* Excepta gravitate odoris frondes earum arborum similes cypressi esse dixit. Hoc Solinus intellexit, quasi gravis odor
F esset in illis frondibus, qui in cypresso non est. Ego potius acceperim frondes illas cypressi frondibus esse similes, nec tamen habere gravitatem odoris, quam folia cypressi præferunt. Verba ipsa, ut concepta sunt, sic accipiendum ostendunt. Præterea certum est cypressi gravem esse odorem. Plinius de cypresso: *odore violenta.* Scribitur in libris, *præter qua gravitate odoris.* Unde constat corrigendum: *præter quam gravitate odoris.* Sic de sparto: *animalibus noxium, præter quam cacuminum teneritate.* At vulgata lectio, *præterque gravitatem odoris,* prorsus mendosa est. Quod attinet ad illas arbores in imis Atlantis radicibus nascentes, quæ
G cypresso similes habent frondes, videndum est, an non sit arbor citri tantopere ad mensas veteribus commendata. Scio Plinium peculiarem illam montis Atlantis arborem facere, & à citro distinguere. Ita enim scribit: *Atlas mons peculiari proditur silva, de qua diximus. Confines ei Mauri, quibus plurima arbor citri, & mensarum insania.* Verum, ut eam peculiarem Atlantis montis arborem describit, planè constat eamdem esse

cum

cum citro. Spectabilem eis proceritatem tribuit, & frondes cypressis similes. Hoc proditum refert à Suetonio Paulino, quem primum Romanorum ducum transgressum esse Atlantem montem dicit. Incognitum sibi esse genus illud arborum, quo repletæ sunt imæ radices Atlantis, Paulinus memorabat. Sanè, quia citrum arborem numquam viderat. Θύαν Græci vocant, eamque Theophrastus folia, & ramos habere cypressi similes ait, ita de citri arbore memorans: τὴν μὲν μορφὴν ὅμοιον κυπαρίττῳ καὶ τοῖς φύλλοις, καὶ τοῖς κλάδοις, καὶ τῷ στελέχει, καὶ τῷ καρπῷ, μᾶλλον δὲ ὥσπερ κυπάρισσος ἀγρία. Circa Ammonem, & in Cyrenæa nasci dicit. Plinius apud Mauros Atlanti monti confines. Alii in Atlante ipso. Unde *Atlantica munera* vocat Martialis mensas citreas.

Accipe fœlices, Atlantica munera, silvæ:
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Alibi *Mauræ silvæ filiam* appellat citrum. Magnam, & proceram fuisse arborem oportet, è cujus radice mensæ fierent, quæque materiem suppeditaret contignationibus faciendis satis longam. Idem Plinius de arboribus citri: *sunt autem cypresso fœminæ, etiamnum silvestri, similes folio, odore, caudice.* Nihil de odore tradit Theophrastus. Ibidem dicit amplitudinem earum arborum æstimari posse ex radice, & orbibus, qui inde fiebant. Ex his omnibus colligi potest, incognitum illud genus arborum, proceritatis spectabilis, & enodi nitore cypressis folio & ramo similium, quibus refertas esse montis Atlantis radices retulit Paulinus, citri arborem fuisse. Non hoc dixit Paulinus, quia citrum arborem qua forma esset ignorabat, sed ex descriptione facile colligere Plinio fuerat, citri arborem esse, quæ non solum in Atlante, sed in aliis multis Mauritaniæ montibus nascebatur. Atlantem montem & loca monti illi vicina fatetur, & miratur simul Plinius Romanis adeo incomperta, & incognita fuisse, quum tamen sub Claudio Principe Romana arma in Mauritania bellaverint, multique equites, & senatorii ordinis, quidam etiam consulatu perfuncti Atlantem penetravisse in gloria posuerint. *Sed id*, inquit, *fallacissimum experimento deprehenditur, quia dignitates cum indagare vera pigeat, ignorantiæ pudore mentiri non piget: haud alio fidei proniore lapsu, quam ubi falsæ rei gravis auctor existit.* Subjicit protinus: *& quidem minus miror incomperta quædam esse equestris ordinis viris, jam vero & senatorii, nihil demirantibus, quam luxuriam cujus efficacissima vis sentitur, atque maxima cum ebori, citroque silvæ exquirantur, omnes scopuli Gætuli muricibus, ac purpuris.* Hæc corruptissima esse vel inde liquet, quod sententiam reddunt Plinianæ menti prorsus contrariam. Minus mirari se dicit incomperta quædam esse equestribus viris, ac senatorii ordinis, qui nihil demirantur quam luxuriam. Quare? quia luxuriæ efficacissima vis, & maxima, cum ubique citro, & ebori silvæ Mauritaniæ exquirantur, & Gætula littora muricibus, & purpuris. Atqui tanto magis par erat demirari aliquid incompertum fuisse ejusmodi viris luxuriæ tantopere addictis, quæ omnia sedulo rimatur, & exquirit ad rem suam facientia. Libri habent: *jam vero & senatum inde intrantibus quam luxuriæ.* Inde optime emendamus: *Et quidem minus miror incomperta quædam esse equestris ordinis viris, jam vero & senatum inde intrantibus, quam luxuriæ, cujus efficacissima vis sentitur atque maxima, cum ebori, citroque silvæ exquirantur*, &c. Minus mirari se dicit incomperta quædam esse equestris ordinis viris, jam & ex eo ordine senatum intrantibus, id est, senatoribus, quam luxuriæ aliquid esse incompertum, cujus potentissima vis, & maxima in exquirendis silvis ebori, & citro: littoribus murici, & purpuræ. Multo magis mirandum esse aliquid inexploratum reliquisse luxuriam illam, cujus tanta vis est in scrutandis, & indagandis, quæ ad rem suam faciunt. De citro nos infrà pluribus.

Vestiuntur lanugine sericis velleribus nihilo viliore] Sequitur Solinum Martianus: arbores præterea gignit cypressis similes, odore graves, quæ lana obducuntur instar serici pretiosa. Minus rectè hodie legitur: *qui lanam obducunt.* Plinius: *tenui eas obduci languine, quibus addita arte posse quales è bombyce vestes confici.* Scribe: *cui addita arte.* Nec enim ipsis arboribus arte addita vestes
A confici posse ait, sed lanugini, qua erant opertæ. Æ-
tate Solini, & Martiani Capellæ sericum à bombyci-
no non discernebatur. Nam sericum è bombyce fieri
omnibus tunc persuasum fuit, nec bombycini alterius
usus. At Plinii tempora sericum à bombycino distin-
guebant, & bombycinum vocabant, quod ex bom-
byce Coa texebatur. Sericum, quod à Seribus inve-
ctum longè in majore pretio fuit, quam bombycinum,
quod in insula Coa parabatur. Bombycinæ vestes vi-
rorum, mulierumque tunc promiscuæ. Sericas solæ
fœminæ gestabant. Quod disertè Plinius testatur, &
nos alibi observavimus. Præterea serica vellera ex ar-
B borum lanugine depecti, non à bombycibus texi Pli-
nii ætas credidit. Solini ævo sericæ vestes viris, mu-
lieribusque communes, ut infra scribit cap. L: nec bom-
bycinum amplius in usu, ideo bombycinas, & sericas
vestes promiscuè vocabant, quod sericum vellus à
bombycibus neri jam scirent. Hinc Solinus, & Mar-
tianus *sericum* dixere pro vestibus è bombyce, ut Pli-
nius dixit: cum tamen ejus tempore magna esset bom-
bycini, & serici differentia. *Bombycem* vocavere non
solum, quæ ex vermibus bombycibus dictis nebatur,
sed molliorem omnem lanæ, linique lanuginem. Ex
illa voce *bombyx* recentiores fecerunt *bombax*, & *bam-*
C *bax*: eamque vocem de gossypio, vel lana xylina pro-
priè usurparunt. Itali *bambagginem* vocant. Græci
recentiores βάμβακα. Onirocritica Achmetis: εἰ δὲ ἴδῃ
ὅτι εὗρε βάμβακος, εὑρήσει πλοῦτον ἐλάσσονα ἀπὸ ἀνθρώπων
μετρίων. Ἐλάττων γὰρ ἡ βάμβαξ τοῦ ἐρίου. Et alibi: ἐὰν ἴδῃ
τις ὅτι φορεῖ ἱμάτιον ἔχον ἀντὶ βάμβακος μετάξην. *Erioxy-*
lon intelligit. Glossarium Arabico-Latinum: *Mam-*
bax, idest, bombyx, gossypium. Ita scriptum pro *bam-*
bax. Lanam fibrinam sic etiam vocarunt. *Fibri, bom-*
byx. Hodie *cottonum* vocamus. Avicenæ dicitur *co-*
thon. Alii *bombassum.* Quæ vox, ut dixi, ab antiqua
D *bombyx* facta est. *Bombyx, bombax*, & *bambax*: ut μά-
ζυξ, *mazax*: & παροψὶς, *parapsis*: *solpuga, salpaga*, &
similia. Plinius *bombycem* dixit de erioxylo lib. XIX. cap.
I. *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruti-*
cem, quam aliqui gossypion vocant, plures xylon, & ideo
lina inde facta xylina. Parvus est, similemque barbatæ nucis
defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur. Nec
ulla sunt eis candore, mollitiave præferenda. Interiorem
gossypii lanuginem vocat *bombycem*, quam sequior ætas
inde *bombacem* dixit. Verba porro illa desunt Plinianis
exemplaribus, *similemque barbatæ nucis defert fructum.*
Sed habent tantum: *parvus est, cujus ex interiore bom-*
E *byce lanucetur.* Forte: *lana netur.* Pro illis autem, *nec*
ulla sunt eis candore, mollitiave præferenda, sic iidem li-
bri exhibent, *nec nulla sunt cum candore molliore pixfo-*
ra. Quæ depravatissima esse omnes vident. Ego sic
emendanda esse video: *nec ulla sunt cum candore mol-*
liora, & spissiora. Quæ indubitatissima correctio est.
Non solum mollitie, & candore præcipua lana xylina,
sed etiam spissa est. Τὸ πάχος eidem quoque tri-
buit Pollux: ἤδη δὲ καὶ παρ' Αἰγυπτίοις ἀπὸ ξύλου τι ἔριον
γίγνεται, ἐξ οὗ τὴν ἐσθῆτα, λινῷ ἂν τις μᾶλλον φαίη προσ-
εοικέναι, πλὴν τοῦ πάχους, ἐστὶ γὰρ παχυτέρα. Ita legen-
dum, ac distinguendum. Lineæ similem esse ve-
F stem dicit, quæ ex gossypii lanugine texitur, nisi
quod sit spissior. Ergo præter candorem, & mol-
litiem lini peculiare habet τὸ πάχος gossipium, quod
non inest lino. Hoc est, quod dicit Plinius. Se-
quentia verba Pollucis sic legenda sunt: τῷ δένδρῳ
καρπὸς ἐπιφύεται, καρύῳ μάλιστα προσεοικώς, τριπλῆ
τὴν διάφυσιν, ἧς διαστάσης ἐπειδὰν πεπανθῇ τὸ κάρυον, ἔν-
δοθεν ἐξαίρεταί τι ὥσπερ ἔριον, ἀφ' οὗ κρόκη γίγνεται,
τὸν δὲ στήμονα ὑφιστᾶσιν αὐτῷ λινοῦν. Nux vulgaris du-
plicem tantum habet divisionem, sive διαφυὴν. At
nux gossypii, quæ lanam intus gerit, τριπλοῦς ἐστι
τὴν διάφυσιν, trifariam divisa est, & trifidam habet
G putaminis carinam. Male vulgo vertunt: *triplici mu-*
nitum cortice. Cum maturescit nux illa dehiscenti-
bus dissepimentis, apparet lana, quæ intus extrahi-
tur. Ita & de arboribus Tyli insulæ, quæ lanam
ferunt, Theophrastus tradit: ἐν ᾧ δὲ τὸ ἔριον, ἡ-
λικὸν μῆλον ἐαρινὸν συμμεμυκός, ὅταν δὲ ὡραῖον ᾖ
ἐκπετάννυσθαι, καὶ ἐξαίρειν τὸ ἔριον, ἐξ οὗ τὰς σινδό-
νας ὑφαίνουσι τὰς μὲν εὐτελεῖς, τὰς δὲ πολυτελεστάτας.

Plinius de iisdem arboribus Indiæ laniferis ex Theophrasto: *ferunt mali Cotonei amplitudine cucurbitas, quæ maturitate ruptæ ostendunt lanuginis pilas, ex quibus vestes pretioso linteo faciunt*. Non meminit cucurbitarum Theophrastus. Et μῆλα ἐαρινὰ cucurbitis similia non sunt, sed nec mala cydonea. Et multum inter se differunt ἐαρινὰ μῆλα, & κυδώνια. Nam κυδώνια sunt χειμερινά. Sed res duas diversas ibi junxit Plinius, quas alibi distinxit: Arabes linum ex cucurbitis laniferis colligere in arboribus genitis: Indos & Æthiopes ex malis. Idem lib. XIX. capite de lino: *Æthiopes, Indique è malis, Arabes cucurbitis in arboribus, ut diximus, genitis.* Ibi, ut vides, distinguit mala Indorum lanifera à cucurbitis Arabum similiter linigeris. At hîc dicit Tyli Persicæ arbores ferre cotonei mali amplitudine cucurbitas, quæ maturitate ruptæ lanuginis pilas ostendunt. Quæ verba tamen ex Theophrasto transtulisse manifestum est. Theophrastus de Tyli insulæ arboribus: φέρει δὲ τὴν νῆσον καὶ τὰ δένδρα τὰ ἐριοφόρα πολλά, ταῦτα δὲ φύλλον μὲν ἔχειν ὅμοιον τῇ ἀμπέλῳ πλὴν μικρόν, καρπὸν δὲ οὐδένα φέρειν. Ἐν ᾧ δὲ τὸ ἔριον ἡλικὸν μῆλον ἐαρινὸν συμμεμυκός. Quæ ipse sic reddidit: *Ejusdem insulæ excelsiore suggestu lanigeræ arbores alio modo quam Serum. His folia infœcunda quæ ni minora essent, vitium poterant videri. Ferunt mali cotonei amplitudine cucurbitas.* Addit Theophrastus: γίνεται δὲ τοῦτο καὶ ἐν Ἰνδοῖς, ὥσπερ ἐλέχθη καὶ ἐν Ἀραβίᾳ. At de Indicis lanigeris paulo ante ita scripserat: ἐξ ὧν δὲ τὰ ἱμάτια ποιοῦσι, τὸ μὲν φύλλον ἔχει ὅμοιον τῇ συκαμίνῳ. Τὸ δ' ὅλον φυτὸν τοῖς κυνοῤῥόδοις. Φυτεύουσι δὲ ἐν τοῖς πεδίοις αὐτὰ κατ' ὄρχους. Διὸ καὶ πόῤῥωθεν ἀφορῶσιν ἄμπελοι φαίνονται. De hoc loco intellexit Theophrastus, cum heîc dicit tales etiam in India nasci, de quibus alibi scripsit. Hæc longè à cucurbitarum, & cotoneorum similitudine. Locum illum sic vertit Plinius cap. VI. *Sed unde vestes lineas faciunt, foliis mori simile, calice pomi cynorrhodo.* Non calix pomi cynorrhodo similis, sed ὅλον τὸ φυτὸν, ut scribit Theophrastus. Pomum, vel calicem pomi, in quo lana, simile esse in Indicis, & Tyli insulæ lanigeris arboribus ex Theophrasto adstrui posse videtur. Sed nec folio dissimiles esse. Cynorrhodi, sive cynosbati calicem, Πυρῆνι ἐλαίας ἐοικότα, ἐν τῷ πεπαίνεσθαι Πυῤῥὸν, τὰ δ' ἐντὸς ἐριώδη. Silvestrem rosam talem πυρῆνα habere, lanugine intus refertum, quum maturus est, norunt omnes. Πυρῆνα quoque arborum Indiæ laniferarum vocat Aristobulus, ut infrà dicam. Non magnam arborem, sed fruticem esse id, quod apud Indos lanam fert, inde constat. Plinius omnia confundit. Quin & manifesta ejus hallucinatio deprehenditur in illis Theophrasti verbis vertendis, quæ superius attuli. Nam verba illa, καρπὸν δὲ οὐδένα φέρειν, ad folia retulit. Quasi folia earum arborum nullum ferre fructum dixerit Theophrastus. Fructum autem foliorum eam lanuginem interpretatus est, qualis in sericarum arborum foliis ostenditur. Ideo dixit alio modo lanigeras esse illas Indorum arbores, quàm Serum. Nam Serum arbores lanata folia habent, & lanugine obducta, unde vestes sericæ texuntur. At Indorum lanigeræ lanam habent in cucurbitis, aut malis. Quod infrugiferas eas Indorum arbores dixit esse Theophrastus, ideo ad foliorum naturam Plinius retulit, quia mala illa, sive cucurbitas lanigeras, quæ in illis arboribus gignuntur, fructum putavit esse harum arborum. Ταῦτα φύλλον μὲν ἔχειν ὅμοιον τῇ ἀμπέλῳ μικρὸν, καρπὸν δὲ οὐδένα φέρειν: has folium habere vitibus simile nisi minus esset, fructum autem nullum in foliis gerere, hoc est, lanata folia non habere. Ita verba Theophrasti Plinius sic accepit, qui vertit: *his folia infœcunda.* Sed toto cœlo aberravit. Arbores ipsas infœcundas esse, ac nullum fructum ferre intellexit Theophrastus. Ἐν ᾧ δὲ, inquit, τὸ ἔριον ἡλικὸν μῆλον ἐαρινὸν συμμεμυκός: *illud vero, in quo habent lanam, magnitudine est mali verni.* Non dicit malum cotoneum esse, aut cucurbitam, id in quo lanam ferunt, nec pro fructu arboris hoc numerat, sed nescio quid esse, quod magnitudinem habeat malorum vernorum. Quæ non magna sunt, nec cydoneorum, aut cucurbitarum instar. Silvestria poma, τὰ ἄγρια μῆλα vernis esse similia tradidit Discorides, & μικρὰ vocat. *Verna mala* sunt, quæ hodie *poma paradisi* vocamus, quæ majora non sunt nucibus, quæ viride suum habent putamen. Ut inde constet gossypii fruticis nucem, & horum arborum pomum non multum inter se discrepare. Pilæ istæ sunt quædam, & σφαιρία, quæ intus lanam cohibent, quàm ostendunt maturitate ruptæ, ac dehiscentes. Nihil autem edule habent, nullum semen, nihil aliud quare arboris fructus propriè censeri debeat. Arrianus in libro Indicarum: ἐσθῆτι δὲ Ἰνδοὶ λινέῃ χρέονται, καθάπερ λέγει Νέαρχος, λίνου τοῦ ἀπὸ τῶν δενδρέων, ὑπὲρ ὅτου μοι ἤδη λέλεκται. Nusquam eo libro meminit lanigerarum, vel linigerarum Indiæ arborum, nisi uno loco, qui sic habet in ante dictis: σιτέονται δὲ τῶν δενδρέων τὸν φλοιόν. Καλέεσθαι δὲ τὰ δένδρεα ταῦτα τῇ Ἰνδῶν φωνῇ τάλα. Καὶ φύεσθαι ἐπ' αὐτῶν, καθάπερ τῶν φοινίκων ἐπὶ τῇσι κορυφῇσιν, οἱάπερ τολύπας. Atqui hoc loco, si interpretes audias, nihil habetur, quod referre queas ad arborum linum, aut lanam; sic enim reddunt: *innascitur iis quemadmodum in summitatibus palmarum carnosum quiddam.* Nugantur. Τολύπαι proprie glomi sunt putatæ lanæ. Glossæ Græcorum: τολύπαι, κατειργασμένον ἔριον. Alibi τολύπας, ἀγαθίδια, σήμονος interpretantur. Glossæ Latinorum: *glomera, & glomus*, ἀγαθίς. Pilas lanigeras in summitate arborum lanigerarum venientes τολύπας vocavit Arrianus, & locum hunc designavit, quum scripsit superius se dixisse de arboribus Indicis, quæ linum ferunt. Linum, & lana in his idem. Hinc Græci λῖνον ἔριον interpretantur. Nicander: ὄτε λιτῷ λίνῳ: Grammatici exponunt ἐρίῳ. Hesychius: λίνον ἔριον. Quod autem ait καθάπερ τῶν φοινίκων ἐπὶ τῇσι κορυφῇσι, tanquam in summitatibus palmarum, ita in earum arborum vertice τολύπας eas provenire, non hoc dicere voluit, aut summitates palmarum ejusmodi laneas pilas gerere, aut in illis arboribus summis, nescio quid, simile palmularum fructui innasci, sed ait τολύπας illas, sive lanæ glomera in summitate earum arborum lanigerarum sic vulgo provenire, ut palmulæ nascuntur in summo vertice palmarum arborum. Nam palmæ arbores ἀκρόκαρποι, & pomum tantum gerunt in summitatibus. Præterea pomum illud aliquam habet similitudinem cum nucleis illis, sive nucibus laniferarum arborum. Nam involucro tectum est, quod connivet, & clausum habetur priusquam maturescat palmula, deinde expanditur maturitate, ac dehiscit. Ita in arboribus liniferis calix ille, quo inclusas lanæ pilas gerunt, conivus est ante maturitatem, mox maturitate ruptus dehiscit, & panditur. Ceterum cucurbitas illas laniferas Indicarum arborum alicunde expiscatus Plinius, non ipse commentus videtur. Differunt autem hæ cucurbitæ à nuce barbata gossypii, vel fruticis erioxyli. Recentiorum porro scripta produnt in Java insula reperiri arborem lanigeram, cujus fructus instar siliquæ, semipedem longus, & quinque uncias in ambitu crassus, mollissimo intus tomento refertus est, cujus lana culcitas farciunt indigenæ. Hic fructus ἐριοφόρος à forma cucurbitæ non multum distat. De hoc igitur intellexit Plinius, aut simili aliquo. Talam eam arborem vocat Arrianus, quæ & lanam fert, & cujus cortice vescuntur Indi. Plinius *palam* quoque vocat arborem Indicam, quæ pomum è cortice emittat, quo vescuntur Indorum Sapientes. *Major, inquit, alia pomo, & suavitate præcellentior, quo sapientes Indorum vivunt. Folium alis avium imitatur, longitudine trium cubitorum, latitudine duum, fructum cortice emittit admirabilem succi dulcedine, ut uno quaternos satiet. Arbori nomen palæ, pomo arienæ.* Non multum absimilia nomina *pala* & *tala*, præcipuè quum utraque arbor sit Indica, & ex scriptoribus, qui Alexandri res scripsere, utramque habeat, tum Arrianus, tum Plinius. *Tala* cortice Indos vesci scribit Arrianus, quæ fructum non fert, sed lanæ glomos in summitate. Palæ pomo, quod è cortice enascitur, vivere Indos sapientes tradit Plinius. Theophrastus varias Indiæ arbores enumerans, ita scribit: ἐστὶ δὲ καὶ ἕτερον δένδρον, καὶ τῷ μεγέθει μέγα, καὶ τροφῇ ἡδύκαρπον θαυμαστῶς, καὶ μεγαλόκαρπον. Καὶ χρῶνται τροφῇ τῶν Ἰνδῶν οἱ σοφοὶ, καὶ ἀπεχόμενοι. Hæc est arbor illa pomo, & suavitate præcellens, quo sapientes Indorum vivunt. Inde enim habet Plinius. Legendum in Theophrasto putarim, τῶν Ἰνδῶν οἱ σοφοὶ οὐκ ἀμπεχόμενοι. Indorum Gymnosophistas intelligit, qui non vestiuntur, sed nudi agunt. Sequitur protinus apud eundem:

dem: ἕτερον δὲ, οὗ τὸ φύλλον περιμήκες τοῖς τῶν στρουθῶν πτεροῖς ὅμοιον ἃ περιτίθενται περὶ τὰ κράνη. Diversa hæc arbor ab illa, cujus pomo victitant Indorum Sapientes. Plinius eamdem fecit magno errore. Præterea non minore, στρουθῶν πτερὰ vertit *alas avium*, quia Græci στρουθὸν avem quamlibet vocare consueverunt. Sed Attici veteres τὰς στρουθοὺς propriè de struthocamelis dicunt. Hesychius: στρουθὸς ὁ καταφερὴς, καὶ λάγνος, Ἀττικοὶ δὲ τὰς στρουθοκαμήλους. Ita accepisse Theophrastum nota apposita ostendit: ἃ περιτίθενται περὶ τὰ κράνη, *quæ galeis imponuntur.* Plumis struthocamelorum etiam hodie pilei, & galeæ ornantur. Et male πτερὰ vertit alas, quum sint plumæ. E cauda enim struthocamelorum, non ex alis sumuntur illæ plumæ. Cum talia peccaverit, & ex duabus Theophrasti arboribus unam fecerit, nomen illi arbori dicit esse palæ, pomo arienæ. Hoc ex aliis habet, nec enim hujus arboris nomen memorat Theophrastus. Sed ita moris erat Plinio, cum ex diversis auctoribus omnia, quæ de una quaque re dixerant, in Adversaria congessisset, ea postea literis, ac stilo mandabat, turbato ordine, & indigestis singulorum scriptorum sententiis, & sic plerumque res ὁμογενεῖς separabat, ἑτερογενεῖς, & ἀσυμφύλους componebat. Theophrastus Tyli insulæ arbores laniferas illud, quo lanam ferunt, habere dixit, ἡλίκον μῆλον ἐαρινόν. Plinius ἀντὶ τοῦ μήλου χειμερινοῦ accepit, & de malo cotoneo interpretatur, & nescio quas cucurbitas sibi finxit, forte quia meminerat legisse Ἰνδικὴν cucurbitam apud auctores. Hujus frequens mentio in Græcis scriptoribus. Nam inter cucurbitarum species τὴν Ἰνδικὴν recensent. Addit Theophrastus, γίνεται δὲ τοῦτο καὶ ἐν Ἰνδοῖς, ὥσπερ ἐλέχθη καὶ ἐν Ἀραβίᾳ. Inde Plinius argumentatus est Indiæ laniferas lanam ferre in malis cotoneis, quum Theophrastus alibi dixerit cynorrhodo similes Indicas esse illas plantas, quæ lanam ferunt. At id, quod lanam fert verni mali magnitudine, Strabo ex Aristobulo ἄνθος vocat pilas illas, sive glomos laneos Indicarum arborum lib. XV. Καὶ τῶν ἐριοφόρων δένδρων φησὶν οὕτως τὸ ἄνθος ἔχειν πυρῆνα, & ἐξαιρεθέντος δὲ τούτου ξαίνεσθαι τὸ λοιπὸν ὁμοίως ταῖς ἐρέαις. Incertum est, utrum πυρῆνα vocet tegmen illud, quo includitur τὸ ἐριῶδες in illis arboribus. Theophrastus vel potius ex Theophrasto Plinius calicem pomi earum arborum cynorrhodo similem esse dicit, cujus fructum Dioscorides nuclei olivæ figuram referre scribit. Hoc igitur πυρῆνα vocet Aristobulus: alii κάρυον, alii μῆλον. Ἄνθος autem τὸ ἐριῶδες, quod in nucleo inclusum habetur, & quod maturitate ruptum dehiscit, ac lanuginis pilas ostendit. Sic in carduis quod in summo caule est capitulum in pappos lanuginosos sese aperiens quum maturescit, flos habetur ipsius cardui, cui nuclei subsunt, sive semina. Ad hoc instar Nearchus ἄνθος vocat pilas lanuginosas Indicæ arboris, quibus nucleus aliquis ligneus subest, quod extrahitur, & abjicitur. Scribit eodem libro Strabo de Indicis arboribus: ἐκ τούτου δὲ Νέαρχός φησι τὰς εὐητρίους ὑφαίνεσθαι σινδόνας. Τοὺς δὲ Μακέδονας ἀντὶ κναφάλων αὐτοῖς χρῆσθαι, καὶ τῆς σαγματοσάγης. Ita legendum. Haud scio an eadem ἄνθη intelligat arborum laniferarum, de quibus paulo post refert ex Aristobulo. Ἐπανθεῖν ἔριον τοῖς δένδροις dici potest, quod floris instar arborum summitatibus innascitur in laneis pilulis, quæ ἄνθη Aristobulo dicuntur. Alio modo ἐπανθεῖν ἔριον accipere possumus de lanugine, qua obducuntur folia arborum, & cortices, quemadmodum sericum ex arboribus depecti crediderunt veteres. Quod etiam ad exemplum subjicit Strabo: τοιαῦτα δὲ Σηρικὰ ἔν τινων φλοιῶν ξαινομένης βύσσου. Atqui certum est Nearchum τὴν ἐπάνθησιν τῶν ἐρίων in arboribus Indicis eodem modo accepisse, quo ἄνθη vocat earumdem arborum Aristobulus, pilas nempe illas, sive τολύπας lanuginis, quæ in summis arboribus efflorescunt. Quod & Arrianus satis firmare queat, qui ex iisdem hausit auctoribus. At exemplum serici, quod Strabo subjicit, planè dissimile est. Nam Serum notitiam nullam habuerunt Alexandri comites, & colligendi ejus in totum dissimilis ratio. Arborum foliis depecti lanuginem illam vulgo credidisse veteres certum est. Plinius: *ne quis jam sericarum arborum lanata folia miretur.* Ideo dixit hoc loco arbores Indorum alio modo lanigeras esse, quam Serum. Nam Serum arbores in frondibus, quæ lanugine obtectæ sunt, habere lanam, Indorum vero in cucurbitis, aut malis inclusam. Sic frondes arborum Libycarum, quæ cupressis similes sunt, lanugine vestiri dicit heîc Solinus sericis velleribus haud viliore. Sed non videtur intellexisse Strabo sericum ex illa frondium lanugine depecti, quum scribit, ἔκ τινων φλοιῶν τὴν βύσσον ξαίνεσθαι. De quo infrà pluribus. Plinius de arboribus illis Indicis laniferis subjicit: *Arbores vocant gossampinos, fertiliore etiam Tylo minore.* Libri habent *gossympinon.* Puto esse, *goßypinon.* Manifesto confundit fruticem gossypion, quod in Ægypto nascitur Arabiam versus, cum istis arboribus Indicis & Arabicis ἐριοφόροις. Nam & frutex ille etiam ἐριοφόρος, & in nuce lanam fert. Theophrastus, unde habet illa, nihil de arborum nomine dicit. Quod habetur in lemmate capitis, *de goßampinis, & arboribus, ex quibus vestes fiunt*, hoc suppositum, & spurium. In Indice manuscripto ita scribitur: *Arbores, Persici maris. Insularum arbores. Gorsidinum arbor. Chynas arbos.* At in ipso textu scriptum est, *Arbores vocant Gossympinum.* Omnino legendum, *gossypinon.* Idem est, quod *goßypion* vocavit lib. XIX de eryoxylo: *superior pars Ægypti in Arabiam vergens fruticem gignit: aliqui goßypion vocant.* Sic fruticem illum ἐριοφόρον Ægypti, quem aliqui gossypion, confundit cum arboribus ἐριοφόροις Indorum. Nec res certè multum diversa, nisi quod ibi arbores lanam gerunt, hîc frutex est. Subjungit Plinius: *Juba circa fruticem lanugines esse tradit, linteaque ea Indicis præstantiora.* Frutex ille Jubæ est gossypion, vel erioxylon. Ita Plinius arborem Indiæ laniferam alibi gossypion vocari scribit, alibi fruticem Ægypti, vel diversos sequutus auctores, vel ipse parum sibi concinens, atque, ut solet, varia miscens. Quum enim ex diversis auctoribus loca varia de eadem re congereret in Adversariis suis, postea inter scribendum, quæ inde sumebat parum circumspectè, dum laborat tantum de stilo, sententias inter se pugnantes plerumque adunavit, ac confudit. Ut ad rem regrediar, *bombyx* veteribus, & *bambax* recentioribus dicta est lana τῶν ἐριοφόρων δένδρων. Meminit Dioscorides τῆς βαμβακοειδοῦς vestis, quæ ex acanthio spina texeretur. Sed ibi βομβυκοειδῆ semper legendum judicavi, quod & nuper mihi confirmavit antiquissimus codex Regiæ Bibliothecæ, cujus ope totum eum locum Dioscoridis sic restituendum esse comperi: Ἀκάνθιον ἐμφερῆ τὰ φύλλα ἔχει τῇ λευκῇ ἀκάνθῃ, ἐπ' ἄκρῳ δὲ ἔχει ἀκανθώδεις ἐξοχάς. Οὗ συλλεγομένου ὕφην τινὰ βομβυκοειδῆ γίνεσθαί φασι. Vulgo editur, οὗ συλλεγομένου, καὶ ὑφ' ἓν τιθεμένου βαμβακοειδὴς γίνεται. Plinius hæc Dioscoridis verba sic reddidit lib. XXIV. cap. XII de spina alba: *Huic similis, quam Græci acanthion vocant, minoribus multo foliis, aculeatis per extremitates, & araneosa lanugine obductis, qua collecta etiam vestes quædam bombycinis similes fiunt in oriente.* Ex his constat Plinium legisse βομβυκοειδῆ ὕφην, non βαμβακοειδῆ, sed in ceteris mentem Græci scriptoris non est assequutus. Dicit auctor Græcus acanthion folia habere similia albæ spinæ, τῇ λευκῇ ἀκάνθῃ. Hoc satis est dictum de foliis. Notum quippe, qualia sint folia albæ spinæ. Addit: ἐπ' ἄκρῳ δὲ ἔχει ἀκανθώδεις ἐξοχάς: *in summo habet aculeatas eminentias.* Plinius ἐπ' ἄκρῳ, accepit de foliorum extremitatibus, quasi subintelligendum foret, ἐπ' ἄκρῳ τῶν φύλλων. Atqui hæc mens non est Dioscoridis. Hoc ipso, quod dixit acanthion folia habere similia albę spinæ, satis ostendit aculeata ea esse. Illud ἐπ' ἄκρῳ, de summitate caulis accipiendum planè constat. Et sic alibi loquitur, ut de melanthio: φύλλα ἔχει μικρὰ ὥσπερ ἠριγέροντος, λεπτότερα δὲ πολλῷ. Καὶ κεφάλιον ἐπ' ἄκρῳ ἔχει μικρὸν, ὡς μήκωνος. Idem de alba spina: ἐπ' ἄκρῳ δὲ αὐτῆς κεφαλὴ περίεστιν ἀκανθώδης ἐχίνῳ θαλασσίῳ ἐμφερής. Multas ibi spinarum, & carduorum species ὁμογενεῖς recenset, quæ omnes ἄκρον illud habent, sive capitulum ἀκανθῶδες. Inter eas & *acanthion* locum habet, quæ ἐπ' ἄκρῳ, id est, in summo capitulo habet aculeatas ἐξοχάς. Subdit Dioscorides, οὗ συλλεγομένου ὕφην τινὰ βομβυκοειδῆ γίνεσθαί φασι. Nulla heîc lacuna, nec quicquam deest, ut perperam sibi persuadent, οὗ συλλεγομένου, id est, οὗ ἄκρου συλλεγομένου, *quæ summitas acanthii colligitur, & inde vestis texitur bombycinæ similis.* In carduis, & congeneribus acanthii spinis summum capitulum floris instar obtinet, immo flos αὐτὸ χρῆμα est. Et hic flos, quum senescit, in

in lanuginosos pappos abit. Plinius de cacto: *semen ei lanuginis, quam pappon vocant.* In acanthio τὸ ἄκρον illud similiter ἐκπαππῶται. Sed ejus lanugo colligitur, & inde vestes fiunt. Hoc est, quod intellexit Dioscorides, cum τὸ ἄκρον τῆς ἀκανθίδος colligi dixit, & verissimum est. Sed Plinius cum minimè hæc intelligeret, & ἄκρον de extremitate foliorum accepisset, nec sciret, quid ex acanthio spina ad texturam sumeretur, imaginatus est eadem folia acanthii lanugine obducta esse, & eam lanuginem depecti, ut ex foliis arborum sericarum, delicatæ vesti texendæ. Hoc in acanthio similiter esse putavit, ut in carduo, *qui folia, & caules spinosa lanuginis habet*, ut ipse scribit lib. XXI. cap. XVI. Dioscorides quoque de poterio, quod cardui genus est, dixit, ὅλος ὁ θάμνος περιέχεται πολὺν χνοῦν ἐριώδη. Ita libri. Verùm nihil tale in acanthio, cujus τὸ ἄκρον colligitur, id est, flos ipse lanuginosus, qui in summo habetur, quod ἄκρον aculeatas habet extremitates, quibus demptis lanugo senescens, & matura decerpebatur ad vestes faciendas, quæ inde dictæ sunt *acanthinæ* ab acanthio spina. Insignis extat super his vestibus locus Varronis in membranis Fuldensibus apud Servium his verbis ad illa Virgilii:

Et circumtextum croceo velamen acantho.

Ibi Servius: *herba acantho, id est, flexibili virgulto.* Varro ita refert: *Ctesias ait in India esse arbores, quæ lanam ferant, item Epicadus in Sicilia, quarum floribus, quum dempti sunt aculei, ex his implicitis mulieres multiplicem conficere vestem. Hinc vestimenta acanthina appellata.* Ita constituendus ille locus, qui vulgo corruptissimus habetur. Arbores illæ, quæ in Sicilia lanam ferunt juxta Epicadum, *acanthia* sunt, spinæ genus. Nec arbor est, sed herba. Ex floribus, ubi dempti erant aculei, multiplicem vestem mulieres conficiebant. Intelligit lanuginem παππώδη, quæ ἐπὶ τῷ ἄκρῳ acanthii. Ex ea lanugine confieri solitæ vestes, demptis aculeis. Nam aculeos, sive ἀκανθώδεις ἐξοχὰς habere illud ἄκρον scribit Dioscorides. Est & altera lectio in Fuldensibus, *demptis nucleis.* Quæ & ipsa potest ferri, immo & melior est. Intelligenda semina, quæ lanugini illi παππώδει adhærent, ut in carduis, & hujus generis spinis. Aristobulus in arboribus Indicis laniferis & τὸ ἄνθος, καὶ τὸν πυρῆνα agnoscit, quod supra explicavimus. Verùm de his arboribus, aut frutice erioxylo Epicadum interpretari non datur, quum in Sicilia non nasceretur hujusmodi frutex, vel arbor lanam ferens. Necessariò igitur de acanthio spina id accipiendum esse suadet, quod sequitur. *Vestimenta acanthina* inde appellata, sive Varronis verba hæc sint, sive Servii. Hujus Grammatici notabis heîc interim tibi non levem errorem, qui Virgilii versum, quo *velamen croceo acantho circumtextum* dicitur, de vestibus his acanthinis interpretatur. Quod caret ratione. *Acanthina vestimenta* tota ex lanugine florum acanthii texta erant. *Velamen croceo acantho circumtextum* apud poëtam, tunica est per extremitatem oræ infimæ limbum habens croceum, ad instar acanthi flexibilis virgulti. Immo ἄκανθον Græci etiam vocavere hujusmodi limbos vestium. Hesychius: ἄκανθος, περίσαμμα ὑφάσματος. Præterea aliud *acanthus*, aliud ἀκάνθιον, à quo vestes *acanthinæ*. Convenit igitur Dioscoridi cùm Epicado Grammatico de ratione texendæ vestis ex acanthio spina. Uterque ex floribus lanuginosis, quæ in summitate acanthii nascuntur, eas fieri prodidit. Et Dioscoridis mentem non percepit Plinius, qui lanugine eas parari scripsit, qua obducta sunt acanthii folia. Meminit etiam Strabo τῶν ἀκανθίνων ὑφασμάτων, sed ea ex spinæ cortice fieri narrat, longe alio modo, quam vel Plinius, vel Dioscorides. Sic enim scribit lib. III. Περὶ δὲ Νέαν Καρχηδόνα, δένδρον ἐξ ἀκάνθης φλοιὸν ἀφιέναι, ἐξ οὗ ὑφάσματα γίνεται. Hæc arbor in Hispania. Subjungit paulo post: τὰ δ' ἀκάνθινα ὑφαίνεται καὶ ἐν Καππαδοκίᾳ. Φέρει δ' οὐδὲν δένδρον τὴν ἄκανθαν, ἐξ ἧς ὁ φλοιὸς, ἀλλὰ χαμαίζηλος ἡ βοτάνη. Hæc est ἀκάνθιον spina Dioscoridis, & Plinii. Sed è cortice hujusmodi spinæ tam arboris, quam herbæ telam texi vult. Eodem planè modo, quo ex cortice lini, cannabis, & byssi texebantur olim telæ, & hodieque texi mos est. Urticæ genus corticem telæ faciendæ

A bonum habere etiam nunc compertum est. Quin & sericas vestes veterum è corticibus quibusdam confici solitas ejusdem Strabonis sententia est lib. XV. Τοιαῦτα δὲ τὰ σηρικὰ ἔκ τινων φλοιῶν ξαινομένης βύσσου. *Tales & sericæ vestes, bysso scilicet ex quibusdam corticibus carminata, ac neta.* Nam byssus genus lini delicatissimi, cujus cortex linteis texendis aptus. Hanc fuisse quorumdam de serico opinionem testatur etiam Pausanias in Eliacis, ut hæc ejus verba ostendunt: τὴν μὲν δὴ καννάβιδα, καὶ λίνον, καὶ τὴν βύσσον σπείρουσιν, ὅσοις ἡ γῆ τρέφειν ἐστὶν ἐπιτήδειος. Οἱ μίτοι δὲ ἀφ' ὧν τὰς ἐσθῆτας ποιοῦσιν οἱ Σῆρες, ἀπὸ οὐδενὸς φλοιοῦ, τρόπον δὲ ἕτερον γίνονται τοιόνδε. Cum
B de cannabide, lino, & bysso loqueretur, quarum herbarum cortex ad lintea texenda, & vestes faciendas demitur, occasione data subjicit, non ex ullo cortice serica fila parari, ut quorumdam erat opinio, sed alio modo, quem ibi describit. At Plinius, & plerique alii veterum ex lanugine fieri crediderunt, qua Indicarum arborum & sericarum folia erant obducta, ut nostratium arborum pleræque lanata folia habent. Idem Plinius de genere quodam vitis, cujus folia lanata: *quintum genus lanata, ne Seres miremur, aut Indos, adeo lanugo eam vestit.* Alii ea fila vermes nere bombycum generis tradi-
C dere. Sic tres fuerunt diversæ veterum de serico sententiæ, quarum hanc ultimam veriorem esse tempora Justiniani in plenum deprehenderunt. Ab illis bombycibus, qui & in Co insula nascebantur, à quibus & bombycina Coa. Molliorem omnem lanuginem faciendis idoneam vestibus *bombycem* appellarunt veteres, recentiores autem Græci, Latinique *bambacem*.

Proficit ad ocularia claritatem] Post hæc verba legebatur in editionibus: *& multiplex præsidium sanitatis.* Quæ expunximus auctoritate librorum, & Plinii, qui Euphorbiæ succum oculorum claritati prodesse, & contra venena efficacem esse tantùm scripsit, non aliud
D sanitatis præsidium ei impertiens. Hæc verba adtexuit studiosus aliquis, qui apud Dioscoridem legerat, Euphorbiam etiam aliis pollere ad sanitatem virtutibus. Scribit porro Dioscorides Euphorbiam gigni ἐν τῷ κατὰ Μαυρουσιάδα Τμώλῳ, cum nullus in Mauritania Tmolus sit, & in Atlante nasci Euphorbiam satis constet. Puto etiam constare legendum esse: γεννώμενον ἐν τῷ κατὰ Μαυρουσίαν Ἄτλαντι, ὅλον ὄπου μεστὸν δριμυτάτου. Ex illis ἄτλαντι ὅλον factum τμώλῳ aut τμώλω. Hoc certissimum mihi esset, nisi longè diversam reperissem scripturam in antiquissimo codice Regiæ Bibliothecæ, qui sic disertim legit: γεννώμενον ἐν τῷ κατὰ Μαυρουσιάδα Αὐτο-
E μολίᾳ. De mendo nulla quamlibet tenuis potest animum percutere suspicio, ut pro Ἄτλαντι ita scriptum fuisse putemus. Fabulosissimum Africæ montem Atlantem esse prodit Plinius. Sed nec qua in parte Africæ fuerit, inter auctores satis convenit, ut ex eodem constat Plinio. Ptolemæus duos montes hoc nomine recenset, minorem & majorem: & hunc in extremis Mauritaniæ constituit. Αὐτομόλους Æthiopes habet Herodotus lib. II. An igitur scribendum apud Dioscoridem, ἐν τῇ κατὰ Μαυρουσιάδα Αὐτομολίᾳ, ut de eorum Automolorum regione intelligamus? sed longè à
F Mauris dissiti Automoli, nec de his accipi potest hoc loco. Verius est una mutata litera legendum esse, ἐν τῇ κατὰ Μαυρουσιάδα Αὐτολολίᾳ. Autololes maxima gens Mauritaniæ vicini. Plinius: *proxima illi Masæsylorum fuerat: simili modo extincta est. Gætulæ nunc tenent gentes, Banjurri, multóque validissimi Autololes.* Sed & quod magis id rem facit, per illos Autololes iter erat ad Atlantem montem. Idem Plinius: *multo magis Autololum gente, per quam iter est ad montem Africæ, vel fabulosissimum Atlantem.* Hi ergo Atlanti monti vicini. Et fortean τὴν Αὐτολολίαν Dioscorides appellavit eum mon-
G tem, qui minor Atlas Ptolemæo dicitur. Certè aut alitem quem Autololum montem τὴν Αὐτολολίαν dixit; aut τὴν Αὐτολολίαν de eorumdem regione. Et proclivis lapsus est Αὐτομολίαν pro Αὐτολολίαν scribere. In Atlante herbam eam inventam multis locis repetit Plinius. Gætulos eam legere alicubi scribit. Gætulis Autololes vicini. De ea in plenum Plinius lib. XXV. cap. VII. Sed quia plus simplici vice corruptus locus, heîc obiter cum si emendavero, nihil alienum à proposito videbor aggressus: *Juba volumen quoque extat* de

de ea herba, & clarum praconium. Invenit eam in monte Atlante: spectatur foliis achantinis. Scriptum in Rigaltiano: *spectetur si foliis achantinis.* Inde bella emendatio: *specie thyrsi, foliis achantinis.* Θύρσος & νάρθηξ idem. Dioscorides: δένδρον ἐστὶ ναρθηκοειδές. Sequitur apud Plinium: *vis tanta est, ut è longinquo succus excipiatur: incisæ conto subditur excipulus ventriculo hœdino.* Corruptissimè. Inde, ut par est, variarum lectionum agmen, *subitur, suditur, suscipitur.* Et *expulso*, tum *excipulo*. In antiquioribus, ut Rigaltiano, *subitur.* Totum locum sic lego, ac distinguo: *vis tanta est, ut è longinquo succus excipiatur incisæ conto, subitus excipulo ventriculo hœdino.* Ita loqui amat Plinius. Scribi tamen etiam potest: *subdito excipulo, ventriculo hœdino.* Ventriculus hœdinus excipuli vice subditur. *Excipulum*, ἐνδοχεῖον. Ita Glossæ interpretantur. Paulo aliter Dioscorides, cujus verba sic legenda sunt: κοιλίας γῦν προβατείας πεπλωμένας περιδήσαντες τῷ δένδρῳ, μακρόθεν ἀκοντίοις διαιροῦσιν αὐτοῦ τὸν καυλόν. Legendum statim apud Plinium: *humor lactis videtur defluens: siccatus cum coiit, turis effigiem habet.* Male est in editis: *humor lactis videtur effluere.* Cum defluit, humor lactis videtur: ubi defluxit, & siccatus coiit, turi similis est. *Defluere* pro *defluens* scriptum erat. Unde in libris *defluere.* Sic *ascaliari* pro *ascalian* alibi scriptum. Aliter etiam heîc Dioscorides: ἔστι δὲ δύο γένη τοῦ ὀποῦ, τὸ μὲν διαυγὲς ὡς σαρκοκόλλα κατὰ μέγεθος ὀρόβων. Τόδε τι ἐν ταῖς κοιλίαις ὑλισματῶδες καὶ συνεστός. Sic restituendus ille Dioscoridis locus ex antiquissimo codice. Nam malè hactenus vulgatum est, ὑελῶδες καὶ συνεστός. Atqui idem fermè ὑελῶδες quod διαυγής. Duo genera succi facit ex herba euphorbia, alterum quod est simile sarcocollæ, & translucidum. Sarcocolla lacrima est arboris, quæ turis pollinis effigiem habet. Hic succus est, qui in terram defluit, ἐξακοντιζόμενον. Nam qui purior est, vehementius exilit, & ultra ventriculos, qui ad excipiendum succum incisæ appositi erant, sese ejaculatur. Atque hic est etiam, quam turis effigiem habere dicit Plinius. Magnitudine ervi, τῶν ὀρόβων eum reperiri Dioscorides ait. Et tus ὀροβίας dicitur eadem magnitudine. Qui ventriculis excipitur, ut crassior & fœculentior, ὑλισματώδης Dioscoridi appellatur. Ὕλισμα fæx est rerum, quæ sacco expressæ sunt, & colatæ. Inde ὑλισματῶδες, fœculentum. Addit Plinius: *ibi Gætuli qui legunt, hœdino lacte adulterant.* In Rigaltiano codice legitur, *tedi, lacte.* In aliis, *tepido.* Et heîc alium adulterandi hujus succi modum narrat Græcus auctor. Δολοῦται δὲ, inquit, καὶ τῇ σαρκοκόλλῃ, καὶ κόμμει μιγνυμένοις. Sic lege ex vetusto codice, qui habet κόμει. Vulgo scribitur, κόλλῃ, id est, glutino. Atqui sciunt eruditi in hujusmodi succis, & lacrimis arborum, quæ concrescunt, adulterandis multum esse usum gummi, non glutini. Adjicit Plinius: *multum infra hunc succum est, qui in Gallia fit ex herba Chamælea, granum cocci ferente.* Granum cocci proprie dicitur de eo cocco, quo vestes tinguntur. Et sic alibi loquutus est Plinius: *atque, ut sileamus Galatiæ, Africæ, Lusitaniæ granum cocci imperatoriis dicatum paludamentis.* Ita enim ibi legendum. At chamælea non fert granum cocci absolutè dictum, sed coccum Cnidium. Κόκκον enim καὶ ἐξοχὴν Græci vocant granum, quo infectores utuntur, ut Latini *coccum*, vel *granum*, vel *granum cocci.* Nam arbor κόκκος Græcè dicitur. Tertulliano *Galatiæ rubens granum.* At granum, quod chamælea fert non absolutè κόκκον, sed Κνίδιον κόκκον omnes vocant. *Granum cocci* pro grano Cnidio heîc sui oblitus dixit Plinius. Nam alibi *granum Cnidium* appellat, ut Græci κόκκον Κνίδιον: lib. XIII. cap. XXI. *& in quo nascitur granum Gnidium, quod aliqui linum vocant, fruticem vero thymelæam, alii vero chamælæam.* Quærendum porro, quomodo exponi debeat, quod heîc dicit infra euphorbiæ succum esse, quod ex chamælea herba fit in Gallia. Oportet succum aliquem è chamælea colligi solitum euphorbiæ succo similem, sed virtute multum inferiorem. Nihil de eo proditum Dioscoridi, qui tradit multos falsò credere Gnidium granum fructum esse chamælææ, ἀπατωμένους διὰ τὸ τῶν φύλλων ὁμοειδές. Cui errori heîc videri possit affinis Plinius, qui dicit chamælæam granum cocci ferre. Sed nec ex thymelæa, nec ex chamælea talem succum fieri, aut colligi, qualis est euphorbiæ succus,

A usquam legi. Vereor igitur, ne Plinius aliud agens, & nominum vicinitate inductus chamælean acceperit pro ea herba, quæ chamæleon dicitur. Genus mastiches è chamæleonte albo colligebatur, quæ turi similis erat, aut similiter manabat. Plinius idem de chamæleonte albo: *quibusdam in locis viscum gignit album sub alis foliorum, maximè circa canis ortum, quomodo tura nasci dicuntur, unde & ixia appellatur.* Dioscorides: ἰξίαν δὲ τὸν ἐκάλεσαν διὰ τὸ ἐν τισὶ τόποις ἰξὸν εὑρίσκεσθαι πρὸς ταῖς ῥίζαις αὐτοῦ ᾧ καὶ ἀντὶ μαστίχης χρῶνται αἱ γυναῖκες. Ad radicem chamæleontis hunc viscum, vel mastichen reperiri tradit Dioscorides, Plinius sub alis foliorum. Theophrastus hanc

B spinam vocat ἰξίνην, & distinguit chamæleonte: ὀνόπυξος, ἰξίνη, χαμαιλέων. Non dubium tamen, quin ἰξίνη Theophrasto, qui ἰξίας Dioscoridi. Sic ille dicit cognominatum chamæleontem, qui candidior est. Qui χαμαιλέων igitur Theophrasto dicitur, is est chamæleon niger. Non in omnibus locis mastichen illam, sive viscum in chamæleonte reperiri tradit Dioscorides. Theophrastus quoque narrat, τὴν ἰξίνην φύεσθαι οὐ πολλαχοῦ. Ita vocat propriè eam spinam, quæ viscum illud producit. At ubi non id producit, non est ἰξίνη, nec ἰξίας. Ideo à chamæleonte eam separat, quia non ubique chamæleon mastichen illam generat, sed certis

C tantum locis. Quare ἰξίας tantum, & ἰξίνη dicenda, ubi ἰξὸν emittit. Ἰξίνης descriptio Theophrastea plane convenit cum chamæleonte ἰξία Dioscoridis. Ἡ δὲ ἰξίνη οὐ φύεται πανταχοῦ. Ῥιζόφυλλον δὲ ἐστι. Ἀπὸ δὲ τῆς ῥίζης μέσης ὁ σπερματικὸς ἄκανος ἐπιπέφυκεν, ὥσπερ μῆλον δὲ μάλα ἐπικεκρυμμένον ἐπὶ τῶν φύλλων. Οὗτος δὲ ἐπὶ τοῦ ἄκρου φέρει τὸ δάκρυον εὔοσμον. Καὶ τοῦτό ἐστιν ἡ ἀκανθικὴ μαστίχη. Dioscorides caulem non habere dicit, sed caput statim è medio emittere echini modo spinis tectum, cinaræ simile. Hic est ἄκανος σπερματικός, mali specie, quem totum foliis contegi Theophrastus scribit. Ex illo capitulo summo

D lacrimam, sive viscum manare hic tradit. Plinius sub alarum foliis, quia folia hunc verticem tegunt, unde mastiche emanat. Dioscorides πρὸς ταῖς ῥίζαις ἰξὸν illum habere dicit. Et sanè verum est, quia caulem non habet, & in terra serpit, & è radice statim caput illud erigit foliis contectum. Quin & ῥιζόφυλλον esse memorat idem Theophrastus. Sic conciliandi sunt illi auctores. At Plinius, cum locum Theophrasti verteret de ixine, noluit ἰξίνην esse, sed pro ea *helxinem* substituit, lib. XXI. cap. XVI: *quadam æstate florent, tetraelix & helxine.* Apud Theophrastum est ἰξίνη. Et paulo post: *Helxine rara visu est, neque in omnibus terris, a radice foliosa ex qua media veluti malum extuberat, contectum sua fronde. Hujus*

E *vertex summus lacrimam continet jucundi saporis, acanthicen mastichen appellatam.* Theophrasti verba, unde hæc expressa sunt, paulo ante adduximus. Dicat aliquis reponendam esse *ixinem* pro *helxine*, nec mutationem hanc magnam, aut nimis violentam videri debere. Primum omnes libri contra stant, qui *helsine*, & *helxine* scribunt, deinde index ipse manu exaratus, qui *helsinen* vocat. Sed multo magis Plinius ipse, qui *helxinem* fatetur scripsisse. Nam libro sequenti capite XVII, ubi de *helxine* tradit, quæ perdicium, & sideritis, & parthenium, quæque vera est Ἑλξίνη Græcorum, de

F ea ita scribit: *semina in capitibus lappaceis adhærentia vestibus, unde & helxinem dictam volunt. Sed nos, qualis vera esset helxine, diximus priori libro.* Librum præcedentem intelligit, ubi helxinem appellavit, quæ ἰξίνη Theophrasti est, quam veram putavit ἑλξίνην. Quod est falsissimum. Sed videtur ex Adversariis suis locum eum Theophrasti descripsisse Plinius, in quibus perperam ἑλξίνην pro ἰξίνη notaverat, nimis properante usus aut oculo, aut calamo. Hoc alii jam observaverunt. Alio loco mastichen cardui silvestris odorem oris commendare dixit, quem locum supra correximus: *mastiche cardui odorem commendat oris.* Ex aliquo auctore id

G sumpsit, qui verba Theophrasti, aut alterius Græci scriptoris ita fuerat interpretatus, τὸ δάκρυον εὔστομον. At hîc ea verba de jucundo odore accepit, & *lacrimam odoris jucundi* reddit. De eadem quippe mastiche, sive cardui lacrima intelligendum. Εὔστομα Græci vocant non tantum quæ bona sunt ad edendum, sed etiam quæ odorem oris commendant, atque, ut vulgo loquimur: bonum os faciunt. Dioscorides de cydoniis malis: τὰ δὲ

δὲ σὺν τῷ μέλιτι ἑψόμενα εὐςόμαχα, καὶ εὔςομα. Quasi dicas boni ſtomachi & boni oris, propter odoris ſuavitatem, quam ori conciliant. Ita accipiendum δάκρυον εὔςομον apud Theophraſtum de maſtiche cardui chamæleontis, vel ixines, quæ odorem ori conciliat, & bonum os facit. Alias quæ odorata, non eadem in guſtu jucunda. Nec enim ſunt pariter odor, & ſapor. Non negarim tamen etiam εὔςομον de ſapore aliquando uſurpari, ut ita vocetur, quod ori gratum eſt, & ſapidum. Sic Dioſcorides de acido punico, id ἄςομον, καὶ δηκτικὸν eſſe ſcribit, id eſt, ori, & guſtui ingratum. Verum hæc alibi. Ceterum idem Plinius lib. XII. cap. XVII, herbæ meminit in Aſia, Græciaque naſcentis, quæ inciſa maſtichen reddit. Sic eam deſcribit: *Sed maſtiche quoque gemina eſt: quoniam & in Aſia, Græciaque reperitur herba, radice folia emittens, & carduum ſimilem malo, ſeminis plenum: lacrimaque erumpit inciſa parte ſumma, vix ut dignoſci poſſit à maſtiche vera.* Hæc herba, quam Plinius heic non nominat, ἰξίνη eſt Theophraſti, & chamæleon ἰξίας Dioſcoridis. Eam tamen diverſam habet, quia de diverſo habet auctore. Herbam hanc radice folia emittere dicit. Theophraſtus ἰξίνην ῥιζόφυλλον eſſe ſcribit, & ex eo Plinius, *ab radice folioſam.* Carduum ferre dicit ſimilem malo. Hoc vero mirum eſt, immo mendoſum. Scribendum igitur: *& carduo ſimile malum, ſeminis plenum.* Carduus eſt κινάρα, ut ſuprà multis docuimus. Huic ſimile fert malum, ſive pomum chamæleon ixias. Dioſcorides: ἀλλ' ἀφίησιν ἐκ τοῦ μέσου ἄκανθαν ὁμοίαν ἐχίνῳ θαλασσίῳ, ἢ κινάρᾳ. Theophraſtus ἰξίνῃ tribuit σπερματικὸν ἄκανον ὥσπερ μῆλον. Plinius huic herbæ, quæ ἰξίνη eſt, *malum carduo ſimile, ſeminis plenum*: nam & carduus, hoc eſt, κινάρα malum habet ſquamatim compactum, quod & pomum hodie vocamus. Libri porro heic legunt, *lacrimaque*, non *lacrimaque.* Inde ſcribendum autumo: *& carduo ſimile malum, ſeminis plenum lacrimæque, quæ erumpit inciſa parte ſumma.* Non tamen ſollicitanda videtur vulgata lectio. Inciſionis non meminit Theophraſtus, ſed nec Dioſcorides. Quatuor locis mentionem facit Plinius hujus acanthicæ maſtiches, & in his omnibus, quod mireris, quaſi de diverſis herbis, vel ſpinis loquitur, quum una, eademque ſit. Heic dicit herbam eſſe in Aſia, Græciaque reperiundam, quæ maſtichen ferat. Alio loco maſtichen cardui ſilveſtris *odorem oris commendare* ſcribit. Alibi tradit ixian chamæleontem *viſcum album gignere.* Rurſus eſt, ubi memoret helxinen *ſummo vertice continere lacrimam jucundi odoris.* Tot modis variam ſibi finxit hanc herbam, & ex ea maſtichen, quot auctores legit, qui aliquid de illa tradiderunt. Ut cumulum adderet errori, chamæleam heîc fortaſſe nominat pro chamæleonte, ex qua ſuccum in Gallia fieri dicit, multùm inferiorem euphorbiæ ſucco. Nihil tamen habet ſimile chamæleonis viſcum cum euphorbii ſucco. Hic urentis acrimoniæ. At maſtiche ixiæ chamæleonis ad oris ſuavitatem faciendam commendata olim non tam acris, & cauſtica fuerit. Aliud igitur quærendum, quod in errorem impulerit Plinium. Et forte auctorem heic habuit ſuum. Is, niſi fallor, Sexius Niger fuit, qui euphorbium ſuccum eſſe chamelææ in Italia naſcentis tradiderat, ut refert Dioſcorides. Ὁ γοῦν διαπρεπὴς δοκῶν εἶναι ἐν αὐτοῖς Νίγερ τὸ εὐφόρβιον φησὶν ὀπὸν εἶναι χαμελαίας γεννωμένης ἐν Ἰταλίᾳ. Forte legit Plinius, ἐν Γαλλίᾳ. Atque ita legendum ſit in Dioſcoride. Certum tamen eſt in Italia etiam naſci chamelæam. Unus hic itaque ex erroribus Nigri notatus Dioſcoridi, quem ſequutus eſt Plinius. Euphorbium putavit eſſe ſuccum chamelææ. Chamelæa vehementiſſimæ, atque acerrimæ virtutis in dejiciendis humoribus. Euphorbium quoque validiſſimum detrahendæ pituitæ, & præcipue aquoſis per alvum citandis. Hinc Niger ſibi perſuaſit ob hanc poteſtatis ſimilitudinem euphorbium ex chamelæa ſumi, ac colligi. Plerique autem veterum chamæleontem cum chamelæa confuderunt. Non illi ſane graves, & idonei auctores, ſed tamen antiqui. Herbarium vetus, quod Apuleji nomine inſcribitur, chamelæam & chamæleontem eumdem facit. Cap. XXV hunc titulum habet: *Nomina chamelææ, & virtutes ejuſdem.* Sequitur deinde: *chamelæan quidam Græcorum nominant, alii crocodilion, alii dipſada, alii onocardion, alii cneoron, prophetæ aphrodites luter, Itali labrum Veneris.* Miſcuit, ut vides, cognomina chamelææ & chamæleontis velut ejuſdem herbæ. Nam cneoron chamelææ, vel thymelææ cognomen. At dipſas, & onocardion, & labrum Veneris, & crocodilium cognomina ſunt chamæleontis, quem cum dipſaco carduo fecerunt eumdem. Alii Græci: δίψακος, οἱ δὲ κροκοδείλιον, οἱ δὲ χαμαιλέων, οἱ δὲ Ἀφροδίτης λουτρόν. In eadem culpa deprehenditur Græcus idem ille auctor, qui auctuarium ſynonymorum Dioſcoridis libris adjecit: nam inter varia chamæleontis cognomenta, κόκκον κνίδιον etiam dictum fuiſſe adnotat: οἱ δὲ ἰξίαν, οἱ δὲ κυνόμαζον, οἱ δὲ ὠκιμοειδὲς, οἱ δὲ κνίδιον κόκκον. Hoc ultimum unum eſt ex chamelææ cognominibus. Dioſcorides: χαμέλαια, οἱ δὲ πυρὸς ἄχνην, ἢ ἄκνηστον, ἢ κόκκον κνίδιον. Cetera, quibus euphorbium deſcribit Plinius, nec ſimilia Dioſcoridi habet, & ab alio, ut videtur, accepit. Unum illi debet, quod de remedio ejus hoc ſcribit: *contra ſerpentes medetur quacumque parte percuſſa, vertice inciſo, & medicamento addito.* Mirabili brevitate expreſſit Græca hæc: ἱστοροῦσι δὲ τινες μηδὲν παρακολουθεῖν δυσχερὲς τοῖς ἑρπετοδήκτοις, ἐάν τις ἐγκόψας αὐτῷ ἄχρι ὀστέου, τὸ δέρμα τῆς κεφαλῆς ἔνθη τὸν ὀπὸν λεῖον καὶ ῥάψῃ τὸ τραῦμα. Ita legendum apud Dioſcoridem ex vetuſtiſſimo codice. Hoc non inconſuetum Plinio, ut eamdem hiſtoriam ex pluribus concinnatam auctoribus detexat, & omnium ſententias pariter miſceat. Quod autem ſcribit idem Gætulos qui legunt hœdino lacte adulterare, ſed igne diſcerni: id enim, quod ſincerum non eſt, faſtidiendum odorem habere. Male heîc eum reprehendunt, quaſi *ignem* dixerit, quæ πύρωσις Dioſcoridis, id eſt, ignea & urens acrimonia, quæ vel levi guſtu diu os accenſum detineat. Tota alia res eſt, & aliunde habet Plinius, ut nonnulla quædam in hac euphorbii hiſtoria.

Saltus ejus quadrupedes, ac ſerpentes feræ, & cum his] Scribe: *ſaltus ejus quadrupedes, ac ſerpentes, & feræ, & cum his elephanti occupavere.* Aut certè diſtinguendum: *quadrupedes ac ſerpentes; feræ & cum his elephanti occupavere.* De ſaltibus Atlantis montis loquitur Solinus. At Plinius, unde accepit, de ſaltibus, quos inhabitant Canarii, Nigri fluvio proximi. *Decumis eo ſe perveniſſe caſtris*, id eſt, ad Atlantem, *& ultra ad fluvium, qui Niger vocatur, per ſolitudines nigri pulveris, eminentibus interdum velut exuſtis cautibus, loca inhabitabilia fervore, quamquam hiberno tempore expertum, qui proximos inhabitent ſaltus refertos elephantorum, ferarumque, & ſerpentium omni genere, Canarios appellari.* Quæ perperam Solinus, ſed, ut ſolitus eſt, ad ſaltus Atlantis retulit. Ineptè etiam quadrupedes à feris, & elephantis diſtinguit, quaſi feræ, & elephanti quadrupedes non ſint. Plinius *quadrupedes feras* ſæpe vocat, ut diſcernat à ſerpentibus, quæ θηρία etiam vocantur, & à volaticis. Forte heîc ſcripſerat: *ſaltus ejus quadrupedes feræ, ac ſerpentes, & cum his elephanti occupaverunt.* Canarios autem Plinius ſic autumat dictos, non quod carnibus caninis victitent, ſed quod caninum uſurpent victum, & ferarum viſceribus veſcantur: *quippe victum ejus animalis his promiſcuum eſſe, & dividua ferarum viſcera.* Victus canis ferina caro. Qui victus promiſcuus cum ſit Canariis, dividua ferarum viſcera cum canibus habent, & partiario cum his vivunt. Græcorum Ἀγριοφάγους, an Κυναμολγοὺς intelligit?

A Lixa abeſt quinque & ducentis] Libri: *à Lixo.* Ita Plinius ſemper, & Græci quoque Λίξος. Eadem & *Lix*, Græcè Λὶγξ. Vide Strabonem. Stephanus: Λὶξ πόλις Λιβύης, ὡς Ἀλέξανδρος ἐν πρώτῳ Λιβυκῶν ἀπὸ Λίξου ποταμοῦ. Ita ſcribendum, non Λίξα. Ita Λὶξ dicebatur, ut Latinis *Lix.* Λύγξ etiam & Λυγξῶ. Idem Stephanus: καὶ νῆσος Ἄτλαντος καὶ πόλις, Λυγξῶ, ex Artemidoro. Strabo tamen ſcribit Artemidoro vocatam fuiſſe Λίγγα, lib. XVII. Λίγγα δ' Ἀρτεμίδωρος προσηγόρευκε, Ἐρατοσθένης δὲ Λίξον. Idem paulo poſt tradit Eratoſthenem ab Artemidoro reprehenſum, quod *Lixum* illam urbem pro *Lince* vocaſſet: διότι Λίξον τινὰ πόλιν φησὶ περὶ τὰ ἄκρα τῆς Μαυρουσίας τὰ ἑσπέρια ἀντὶ Λιγκός. Scylaci Caryandæo Λίξος. Ἀπὸ δὲ τῆς Ἑρμαίας ἄκρας ποταμός ἐστιν Ἀδωνίδος. Ἐξίησι δὲ οὗτος εἰς λίμνην μεγάλην. Μετὰ δ' Ἀδωνίδα ἐστὶν ἄλλος ποταμὸς μέγας Λίξος, καὶ πόλις Φοινίκων Λίξος. Ita ſcribenda hæc verba. Melæ quoque Lynxo: *& Lixo flumini Lunxo proxima.* Lix

Lix à Gaditano freto centum duodecim millibus] Ita Plinius lib. v. cap. I ex computatione Agrippæ. Strabo octingentis stadiis à freto distare Lixum tradit, quæ centum sunt millia passuum, si ὀκταςάδιον milliare numeres. Si septem stadia cum semisse des milliari, efficient centum & septem milliaria, paulo minus.

Pag. 33. G. *Qua spectat occasum, inter ipsum & flumen Anatim*] Nemo tam insanus fautor hujus auctoris, qui venia dignum eum heîc judicet. Plinius scribit Scipione Æmiliano res in Africa gerente, Polybium Annalium conditorem accepta ab eo classe scrutandi illius orbis causa circumvectum prodidisse à monte Atlante ad occasum versus saltus plenos feris, quas generat Africa. Addit statim ex ejusdem auctoris narratione: *ad flumen Anatim* CCCCLXXXV. M. P. *ab eo Lixum* CCV. *à Gaditano freto* CXII. M. P. *abesse*. Ita legimus expuncto Agrippæ nomine, quod perperam insultum est. Hæc Polybii computatio est, non Agrippæ, ex cujus περιηγήσει ista narrat Plinius. Libri certè vocem *Agrippæ* minimè agnoscunt. Qua spectat occasum mons Atlas, saltus feris plenos esse scripsit Polybius. Ab eodem porro monte ad Anatim flumen versus septentrionem CCCCLXXXV millia passûm: inde ad Lixum CCV. à Lixo ad Gaditanum fretum CXII. Sic ab Atlante ad fretum Gaditanum octingenta, & duo millia esse passuum. Gaditanum autem fretum ad septentrionem Atlantis est. Noster vero quid heîc fecit? τὰ ἀσύγκλωσα planè commisit. Inter flumen Anatim, & montem Atlantem, quà spectat occasum, per quadringenta octoginta sex millia passuum infames bestiis silvas obsidere dixit. Quod à Plinii, Polybiique tam mente, quam scripto longissimè dissidet, & veritati ipsi prorsus contraversum. Anatis fluvius ad occasum Atlantis non est. Præterea inter Atlantem, & Oceanum Occidentalem, cui nomen imposuit Atlantici, non tot millia passuum interjacent, quot vel iste inter Anatim, & Atlantem posuit, Occidentem versus. Mirus nugator est.

Infames bestiis silvæ obsident] Ita legendum, non *obsidentur*, ut habent editi.

Transierunt tamen in quoddam Atlantici montis ministerium] Libri: *nominis*. Quare hæc dicat, nescio. Immo nescit ipse quid dicat. Amnes, inquit, circa eum montem non tacendi. At nec Bambothum, nec Niger, nec Asana circa Atlantem montem sunt. De Bambotho Plinius ex relatione Polybii: *in ora Æthiopas Daraditas, flumen Bambothum crocodilis, & hippopotamis refertum. Ab eo montes perpetuos usque ad eum, quem Theon ochema dicemus. Inde ad promontorium Hesperium navigatione dierum* X. *in medio eo spatio Atlantem locavit, à ceteris omnibus in extremis Mauritaniæ proditum*. Secundum hæc quam longè Bambothum ab Atlante? de Asana ex eodem Plinio constat ducentis millibus ab Atlante abesse. Niger longè magis distat, qui in Gætulia fluit, & Africam ab Æthiopia disterminat. Cum

A igitur hæc flumina tantis intervallis ab Atlante monte separentur, nec minoribus inter se spatiis dissita sint, cur ea transire in Atlantici nominis ministerium quoddam videri queant, non satis scio, & dici mirarer nisi Solinum cogitarem.

Ultra Niger est amnis] Hæc est Delrii lectio, non ab ipso primùm prodita, sed ab alio, quem omni occasione lacerat, Camerte. Quia prava esset, & contra libros, ideo suam videri videtur voluisse: nam ita solet. In omnibus libris legitur, *ultra adhuc amnis:* aut, *utraque adhuc amnis*. Princeps editio: *ultra quem adhuc amnis*. Scripsit Solinus: *ultraque adhuc amnis, qui atro*
B *colore exit per intimas, & exustas solitudines*. Sic designavit fluvium, qui Plinio *Niger* vocatur: *decumis se eo pervenisse castris, & ultra ad fluvium, qui Niger vocatur*. Interpretatus est noster *Nigrum* vocari hunc fluvium, quod nigro esset colore. Ideo non nominavit, sed satis designatum putavit dicendo, *fluvius, qui atro colore exit per solitudines*. Nam fluvius atro colore, niger est. Quo nihil absurdius, aut ridiculum magis, nec fingi poterat, nisi à Solino. *Niger* Plinio dicitur, qui Ptolemæo Νίγειρ, aliis Græcis Νίγρις, quibusdam Νίγρης: à quo Νίγρητες, qui aliis Νιγρῖται. Plinius lib. v. cap. IV. *Tota Gætulia ad flumen Nigrum*. Ita libri, non
C *Nigrin*. Et sanè, cum *Niger* primo casu efferat, non aliter quam *Nigrum* in quarto dicere potuit. Ceterum notandum est, ubi hodie legitur apud Plinium; *ad fluvium, qui Niger vocetur*, scriptos habere quosdam: *qui Ger vocetur*. *Ger* fluvius maximus Libyæ, Ptolemæo Γεὶρ. Sed Solinum *Niger* legisse patet ex hoc loco.

Quæ torrente perpetuo, & sole nimio plus] Scribe: *quæ torrentur perpetuo sole nimio plus quam ignito, & nunquam ab æstu vindicantur*. Vel sola disjunctiva particula remota sic: *quæ torrente perpetuo sole, nimio plus quam ignito, nunquam ab æstu vindicantur*, id est, quæ nunquam
D ab æstu vindicantur, perpetuo sole nimio plus quam ignito eas torrente. *Sol nimio calens & plus quam ignitus*, ὁ ὑπέρπυρώτατος, ὁ θερμότατ☉. *Plus quam sanctus*, ὁ ἁγιώτατ☉. *Plus quam pius*, εὐσεβέστατ☉. Vide Historiam Augustam.

Pag. 34. A. *Hæc de Atlante, quem Mauri Dirim nominant*] Libri omnes *Addirim*, vel *Adderim*. Nec secus Martianus, qui Solinum sequitur. Error est ipsius Solini, qui *Addirim* unica voce in Plinio legit, pro, *ad Dirim*, in his verbis: *mox amnem, quem vocat Fut, ab eo ad Dyrim: hoc enim Atlanti nomen esse eorum lingua convenit*, CC. M. P. In exemplaribus Plinii manu-
E scriptis etiam hodieque reperitur exaratum, *Abdirim*, aut *Addirim*. Straboni Δύρις. Auctor ejus epitomes: ὅτι τὸ ἐν Μαυριτανίᾳ ὄρ☉· τὸν Ἄτλαντα ἐπιλωισὶ καλέμενον οἱ βάρβαροι Δύριον καλοῦσι. Et heîc ridicula hallucinatio Solini.

Juba etiam Ptolemæi filius] Sic libri. Immo Ptolemæi pater. Sic Strabo, Plinius, alii. Dedita opera ita mutaverit noster, quod in sexcentis aliis fecit.

CAPUT XXV.

Mauritania. In ea de elephantis, de pugna eorum, & draconum. Unde cinnabari.



Ag. 34. B. *Quâ sostitiali plagæ obvia est*] Turnebus *solstitialem plagam* de solari plaga, & meridie interpretatur. Non placet, nec verum est: cur enim *solstitialis plaga meridies*? De ortu æstivo accipio, qualis est circa solstitium, hoc est, τὴν θερινὴν τροπήν, solis ortus. Atque ita accipiendum evincit Plinius cap. II hoc loco, qui ita legendus est, ac distinguendus: *Ipsa provincia ab Oriente montuosa fert elephantos, in Abila quoque: ex quo septem fratres à simili altitudine appellati freto imminent*. Vulgo editur: *fert elephantos. In Abila quoque, & quos septem fratres à simili altitudine appellant. Is freto imminent juncti Abilæ.* Igitur qui Plinio *Oriens*, Solino *solstitialis* est *plaga*. Sed

F fallitur Solinus, ut solet. Cum Plinius montuosam Mauritaniam esse dicit ab Oriente, non de Abila intelligit, nec de septem fratribus, qui in septentrionali latere sunt Mauritaniæ, sed de Phocra monte, qui ab Atlante minore protenditur ad Russadium promontorium, & objectus est orienti æquinoctiali. Pessimè etiam cetera accepit: *ipsa provincia ab oriente montuosa fert elephantos*, id est, qua ab oriente montuosa est, fert elephantos: in illis nempe montibus, qui ad orientem sunt. Addit: *in Abila quoque, ex quo septem fratres a simili altitudine appellati*. Non hoc dicit, in Abila quo-
G que monte, & septem fratribus elephantos ferre, ut ineptè Solinus accipit, sed in Abila quoque, & septem fratribus junctis Abilæ, montuosam esse. Ergò non ab oriente tantum esse montuosam, sed etiam à septentrione, ubi mons Abila, & ex eo septem fratres, sic appellati

appellati montes à simili altitudine: quà vero ad orientem montuosa est, fert elephantos. Hæc Plinii sententia, quam sic vidit Solinus, ut cæci solent videre.

Hi montes elephantis frequentissimi sunt] Abila nempe, & Abilæ juncti septem fratres, qui freto imminent. Atqui non hoc Plinius voluit dicere, sed elephantos ferre, ubi ad orientem montuosa est, hoc est, in montibus ad orientem sitis. Abila autem, & septem fratres in septentrionali latere. Sequitur: *monet a principio hoc animantium genus dicere.* Quis monet? libri legunt, *monent.* Qua lectione moneor emendare: *hi montes elephantis frequentissimi summonent a principio hoc genus animantium dicere. Summoneo, ammoneo, & ommoneo* scribebant. Inde corruptus hic locus; *frequentissimi sunt monent*; pro *frequentissimi summonent.* Vide Marium Victorinum.

Pag. 34. C. *Juxta sensum humanum intellectum habent, memoria pollent*] Plinius lib. VIII. cap. I. *Maximum est elephas, proximumque humanis sensibus: quippe intellectus illis sermonis patrii, & imperiorum obedientia, officiorumque, quæ didicere memoria, amoris & gloriæ voluptas.* Quædam heîc animadvertenda. *Obedientia imperiorum,* vix Latinum, nedum Plinianum. Nec rectum videtur *officiorum memoria.* Veteres libri, qui sanioris semper scripturæ retinentissimi, scribunt: *In priorum obedientia.* Ex ea scriptura alii fecere, *in primis*, alii *imperiorum.* Totum locum sic lege: *quippe intellectus illis sermonis patrii, & in priorum obedientia officii, eorum, quæ didicere, memoria, amoris & gloriæ voluptas.* Intellectus, inquit, illis sermonis patrii, & officii in priorum obedientia, τοῦ καθήκοντος ἐν τῷ ὑπακούειν τοῖς πρεσβυτέροις. *Priores* ætate elephantos intelligit, quibus minores obedientiam præstant, officii intelligentes sunt in priorum obedientia. Legi etiam posset: & *in priorum obedientia officium*; τὸ καθῆκον ὑπηρεσία, φρόντισμα. Ita Glossæ. Pulcræ emendationi multum detraherem, si pluribus eam confirmare satagerem.

Siderum servant disciplinam] Plinius: *religio quoque siderum, solisque, ac lunæ veneratio.* Aliud est *religio siderum.* Aliud *observantia disciplinæ siderum.* An disciplinam siderum servent elephanti, nescio: hoc scio, non id voluisse Plinium. Religiosos siderum elephantos esse dicit, qui solem, & lunam venerantur, quæ sidera sunt, & fortassean alia sidera majora. At siderum servat disciplinam, qui ortus & obitus astrorum observat. Sic *disciplina cælestis* infrà. Nugatur noster.

Luna nitescente gregatim amnes petunt] Schedæ Palatinæ: *luna tacescente.* In aliis paulo recentioribus: *luna recrescente.* Vinetus edidit: *luna itaque crescente.* Recrescit luna, cum iterum crescere incipit. Hæc forte fuerit προεκδόσεως lectio. Hoc verbum & Horatio restituendum reor:

---- *& recrescentia ripas*
Flumina prætereunt.

Nam vere solutis nivibus recrescunt, & abundant flumina, ripasque suas superfluunt. Nugas agunt, qui *decrescentia* vulgata notione ibi accipiunt. Si retinendum est, pro simplici crescentibus interpretabimur, ut fecimus. Sic *decoquere, deputare, defrui* & similia. Et hoc verius. Alii libri heîc habent, *nitescente*, ut & Plinius, qui alio sensu quam noster, *nitescente luna nova* dixit. Illud *nova* omittendum non fuit. Alias melius legeretur: *recrescente luna.* Quod idem exprimit ac Plinianum, *nitescente luna nova.*

Mox aspersi liquore] Regius unus: *exspersi liquore.* Sic Petavii senatoris, quem v. c. Josias Mercerus contulit. In altero, *perspersi.* Plinius: *ibique se purificantes sollemniter aqua circumspergi.* Quod ad religionem, & purificationis ritum magis facit. Græcis περιρραίνεσθαι hoc dicunt, id est, *circumspergi.* Inde in templis περιρραντήρια, quæ & ἁγνιστήρια vocabantur, quod ex his circumspersi purificarentur. Hero in Automatorum libris: Θησαυροῦ κατασκευὴ τροχὸν ἔχοντος στρεφόμενον χάλκεον, ὃς καλεῖται ἁγνιστήριον. Τοῦτο γὰρ εἰώθασιν, οἱ εἰς τὰ ἱερὰ εἰσιόντες στρέφειν. Idem: ἐν τοῖς Αἰγυπτίοις ἱεροῖς, παρὰ ταῖς παραστάσεσι τροχοὶ χάλκεοι ἐπίστρεπτοι γίνονται πρὸς τὸ τοὺς εἰσερχομένους ἐπιστρέφειν αὐτοὺς, διὰ τὸ δοκεῖν τὸν χαλκὸν ἁγνίζειν. Ἔστι δὲ καὶ περιρραντήρια πρὸς τοὺς εἰσερχομένους περιρραίνεσθαι δέον ἂν ποιῆσαι, ὥστε ἐπιστραφέντος τοῦ τροχοῦ ὕδωρ ἐξ αὐτοῦ ἀπορρέειν, εἰς τὸ, ὡς εἴρηται, περιρραίνεσθαι. Videtur hîc ἁγνιστήριον, & περιρραντήριον diversa facere, sed idem erat. Θησαυρὸν vocat, & σπονδεῖον, vas aquæ lustralis plenum, quod in ingressu templorum ponebatur. Idem alibi: εἰς ἔνια σπονδεῖα πενταδράχμου νομίσματος ἐμβληθέντος ὕδωρ ἀπορρέει εἰς τὸ περιρραίνεσθαι. Et paulo post: ἔσω σπονδεῖον ἢ θησαυρὸς ὁ αβγδ. Οὗ στόμιον ἔστω τὸ α. Ἀνεστομωμένον. Ἐν δὲ τῷ θησαυρῷ ἀγγεῖον ἔστω τὸ ζηθκ. Ἔχον ὕδωρ καὶ πυξίδα. Hujusmodi θησαυροὶ, sive σπονδεῖα rotulam ex ære habebant versatilem, quam templum intrantes vertebant, & aqua inde effluente sese circumspergebant, & purificabant. Hæc rota ἁγνιστήριον vocabatur. *Circumspergi* ad verbum est περιρραντίζεσθαι.

Pag. 46. E. *Solis exortum, motibus quibus possunt, salutant*] Et hîc divertit ab auctore suo simia. Plinius dicit elephantos nova luna nitescente descendere gregatim ad amnem quemdam, *ibique se purificantes sollemniter aqua circumspergi, atque ita salutato sidere in silvas reverti*, id est, salutata luna. Noster ait, luna nitescente gregatim amnes petere, & liquore aspersos exortum solis salutare. Quod mirum. Sed videtur ita Plinii verba accepisse. Elephantos sentire, cum luna nova est. Ideo dixit *disciplinam siderum* eos servare. Cum igitur novam lunam esse sciunt, agminatim ad aquam descendere, ibique solem, dum exoriatur, operientes, liquore mox perspersos exortum ejus salutare, ac deinde reverti in saltus. Ita *sidus* κατ' ἐξοχὴν de sole accepit in his verbis: *atque ita salutato sidere in silvas reverti.* Quum de luna manifesto capienda sint. Solem quidem eos, & lunam venerari memorat Plinius, sed lunæ veneratio tantùm illi historiæ competit, quam ibi refert. Verius est, hunc fucum Plinii narrationem sic invertisse, more suo perpetuo, furumque tralaticio.

Pariter confringunt utrosque] Libri: *pariter adfligunt utrosque.* Et consentiunt omnes in hac lectione. Cujus verbi notissimas esse vires notat Delrius, sed notum etiam notionem ejus huic loco minimè convenire. Quod magis scietur origine perspecta. Θλίβω Græcum est commune. Æolicum, & ex eo Latinum φλίγω, *fligo.* Nam Æoles non solum θ in φ mutant, θερμός, φερμός: θῆρες, φῆρες; sed etiam β in γ, ut γλέφαρον pro βλέφαρον: γάλανος pro βάλανος; unde Latinum *glans*: πρέσγυς pro πρέσβυς. Quod notavit Hesychius. *Fligo* idem igitur quod θλίβω, hinc compositum *affligo*, deprimo, & opprimo, ut *solo affligere, lecto affligere* & similia. Inde & ad alia traducitur, ut *res, rationes affligere.* Et corporis, animique significat κακοπάθειαν. Heîc verò cum istis significationibus locum non invenit. Plinius in eadem re describenda: *postea fessi impactos arbori frangunt, prædaque se redimunt.* Solinum puto scripsisse: *cum venatu premuntur, pariter adfringunt utrosque.* Forte etiam, *arbori adfringunt utrosque*, τῷ δένδρῳ προσκλῶσι. Scriptum erat *adfringunt* more veteri. Inde *adfligunt* prona harum litterarum mutatione fecere librarii.

Ut ebore damnato non requirantur] Cur damnato? an non rectius scriberetur, *donato*? Venatu pressi, gnarique propter ebur se peti, sponte illud abjiciunt, ac donant venatoribus, ut non requirantur. *Damnare* pro *donare*, & contra, sæpè in libris vitio librariorum reperiri notavit Cujacius, & nos ipsi experti sumus. Nihil itaque verius hac emendatione.

Pag. 34. D. *Ne majorum ingressus alveum atterant*] In libris: *ingressu.* Puto scribendum: *ne majores ingressu alveum atterant, & profundos gurgites depressis vadis faciant.* In priori editione scripserat: *ne majorum ingressu alvei atterantur, & depressum vadis gurgitem faciant.* Plinius: *amnem transituri minimos præmittunt, ne majorum ingressu atterente alveum, crescat gurgitis altitudo.*

Biennio coeunt, quinis nec amplius in anno diebus] Hinc manifestum est nihil mutari in Plinio debere, ubi legitur: *initur autem biennio, quinis, ut ferunt, cujusque anni diebus.* Quidam ibi legere malebant: *initur triennio*, ex Aristotele, ut ajunt: sed, quo sensu, non satis dispicio. *A triennio iniri* nihil aliud posset significare, quàm triennes fœminas iniri incipere. Quem sensum hic locus non recipit, nec Aristotelis mens. Elephanti nec amplius quam semel gignunt, nec plures quam singulos. Aristoteles lib. V. cap. XIV. Πάλιν δὲ βαίνει μετὰ τὴν ὀχείαν

ὀχεύειν διὰ τρίτου ἔτους. Si mas fœminam iniverit, nec concipiat, triennio post denuo eam init. Nam si gravida facta sit, nunquam posthac eam tangit. Aristoteles dixit διὰ τρίτου ἔτους coitum mares repetere. Plinius διὰ δευτέρου, vel, quod idem est, *biennio iniri fœminas*, bienniо nimirum interposito. Falluntur, qui *à biennio*, aut *à triennio* legunt: nec usum norunt Latinè loquendi.

Non prius ad gregarium numerum reversuri] Omnino scribendum: *ad gregalium numerum reversuri*. Plinius: *non ante reduces ad agmen*. Numerus gregalium, & agmen idem. *Gregales* sunt, qui ex eodem grege: ut *tribules*, ex eadem tribu: *cives*, ex eadem civitate. *Gregalium numerus*, est grex: ut *tribulium*, tribus. *Gregarium* heic pro *gregalium* perperam scriptum, ut *arvares fratres* in Glossis, qui *arvales*.

Si per deserta vagabundum hominem] Alii: *per desertum*. Plinius: *elephas homine obvio forte in solitudine, & simpliciter oberrante*. Scribe ibidem: *mirum in plerisque animalium scire, quare petantur, sed & ferè cuncta quid caveant*.

Pag. 34. E. *Itinera sibi blanda, & placida manu faciunt*] Plinius cap. VII. *Ipsius animalis ista narratur clementia contra minus validos, ut in grege pecudum occurrentia manu dimoveat, ne quod obterat imprudens*. Turbam dimovere dicitur, qui viam sibi in turba manu facit. Quod dicimus *fendre la presse*. Hinc *dimoto incedere* apud Lactantium, qui turba dimota incedit. Locum indicarem, si liber esset ad manum. *Submoto incedere* idem significabat. Nam *submovere* verbum lictorum, qui magistratui eunti turbam submovebant, viamque faciebant. Plinius lib. VIII. cap. XLVI de Api bove: *cum se proripuit in cœtus, incedit submoto, grexque puerorum comitatur carmen ejus honori canentium*. Ex glossa est, & additione imperitorum, quod in aliis codicibus adtexitur, *strepitu lictorum*. Absurde etiam editur: *submotu lictorum*. Quasi lictores haberet Apis ad submovendam turbam, cum in cœtus se proripiebat. Populi conferti sponte se dimovebant religione, ac veneratione ducti, & venienti via decedebant. Sic incedebat submoto sine lictoribus, cum religio pro lictore esset. Malim autem in Plinii loco legere suprà citato: *in grege pecudum occurrentium manu dimovet*, id est, cum grex pecudum occurrit, & conferta pecorum multitudo, manu dimovet gregem scilicet. Dimovetur grex, aut turba, cum in duas partes funditur viæ faciendæ. Solinus: *si confertis pecoribus occursitent, itinera sibi blanda, & placida manu faciunt*.

Cum capti venerint in hominum potestatem] Libri nostri: *cum captivitate venerint in hominum potestatem*, αἰχμαλωσίᾳ. Sic edidit Vinetus è suis. Sic & princeps habet editio Veneta. Plinius: *capti mitigantur hordei succo*. In quibus verbis notanda insignis Plinii hallucinatio, qui elephantos mitigari hordei succo perperam adstruit ex istis Græcis Dioscoridis de Zytho, quæ non rectè accepit: εὐεργὴς ᾗ καὶ ὁ ἐλέφας γίνεται βρεχόμενος αὐτῷ. De vivo elephante hoc Plinius interpretatus est, quod de ebore dixit auctor. Utrumque Græci ἐλέφαντα vocant. Ut ἐλέφας πιστός. Molle, ac tractabile in opere ebur fieri succo hordei perfusum Græca significant. De elephante animali non posse accipi debuit Plinium advertere vox εὐεργής. Sed puto eum legisse in Græco auctore, unde sumpsit: Μαλακὸς ᾗ ὁ ἐλέφας γίνεται βρεχόμενος ζύθῳ. Quod ille vertit, *Elephantes mitigantur hordei succo*. Atqui de ebore par fuit intelligere. Plutarchus: καὶ τὸν ἐλέφαντα τῷ ζύθῳ μαλακὸν γινόμενον, ἢ χαλῶντα κάμπτουσι ἢ διασχηματίζουσι. Melius autem legas in Græcis Dioscoridis: εὔεργος ᾗ ὁ ἐλέφας. Aliud quippe εὐεργές, aliud εὔεργον. Quod in opus facile ducitur, ac flectitur, εὔεργον dicitur. Ut εὔεργος ὕλη, & δύσεργος passim apud Theophrastum: εὔεργον & δύσεργον ξύλον, quod facile, aut difficulter in opere tractatur. At εὐεργὲς opus adfabre factum. Hesychius: εὐεργέα, καλῶς κατεσκευασμένα. Ἐυεργέ@ δὲ εἰργασμένος. Simili compositione, ac ratione, opera ἀτικυργῆ, Λυκιυργῆ, & Κοελινθιυργῆ dicuntur.

Et quasi parvitatis suæ conscii aspernantur ab his videri] Libri: *Indicos elephantos Mauritani timent, parvitatis conscii, aspernantur ab his videri*. Scribe, ac distingue: *Indicos Mauritani timent parvitatis conscii, ac spernantur ab his videri*. Sic loquebantur, *spernari* pro *aspernari*. Immo

A illud simplex, hoc compositum: ut *spernere*, & *aspernere*. Glossæ: *spernatus*, ἀποπροεβληθεὶς, ἐξουθενηθείς. Juvenalis:

---- *viduas tantum spernatur adulter*.

At hoc loco *spernari* non est contemnere, ut in glossis, *aspernanda, contemnenda*: & *aspernatur*, ἐξουθενίζει. Quomodo enim contemnerent videre, quos timent? Plinius: *Indicum Afri pavent, nec contueri audent*. Itaque *spernantur videri* hoc loco positum, pro *recusant videri*, nolunt ab his videri. Glossæ: *aspernanda, neganda, aspernatur*, ἀπαναίνεται, ἀπαρνεῖται. Item ἀναξιοπαθεῖ. Idem & simplex *spernatur*.

B Pag. 34. F. *Quæ à masculis contacta sunt*] Libri: *qui musculis*. Solino trita loquutione, & Plinio. Suprà: *Herculi victus*: *Ulyssi conditum oppidum*, & μυρία ὅσα. *Musculi*, τὰ μυΐδια. *Muscillos* Cato dixerat. Festus: *muscillos Cato pro parvis muribus dixit*. Libri, *moscillis* & *parvis moribus*. Perperam. In libris *contracta*. Unde alii, *contrectata*.

C *Durissimum dorso tergus est*] Plinius lib. XI. cap. XXXIX. *Elephantorum quoque tergora impenetrabiles cetras habent*. Ita libri. Mendosè tamen: Nec enim tergora elephantorum *cetras* habent. Alii *cutem* legunt. Ineptè. Nam *tergus* pro cute est. Alii *setas*. Absurdè. Elephanti quippe setas non habent. Scribendum: *Elephantorum quoque è tergore Mauri impenetrabiles cetras habent*. Excidit vox *Mauri* ob similitudinem soni, qui est in præcedente. Mauri, apud quos elephanti plurimi, ex eorum tergore cetras faciebant, quæ erant impenetrabiles. *Cetra* Maurorum clypeus. Juvenalis interpres: *Oryx animal minus quam bubalus, quem Mauri uncem vocant: cujus pellis ad cetras proficit, scuta Maurorum minora*. Sic & elephantorum corio cetras tegebant. Præcessit autem apud Plinium: *Hippopotami crassitudo talis, ut inde tornentur hastæ,*

D *& tamen quædam ingenio medica diligentia*. Ita & elephantorum tergoris crassitiem ex eo probat, quod Mauri inde cetras impenetrabiles haberent. Mela de Tingi oppido Mauritaniæ ab Antæo condito: *extat rei signum parma elephantino tergore tecta ingens, & ob magnitudinem nulli nunc usuro habilis*. Ita emendandus ille locus, in quo multum sudavit Pintianus. Vulgo erat: *elephantino tergore exectо*. Ipse legebat, *excetra*, quod ferri non quit: aut, *ex cetra*, quod nihilo tolerabilius. Legi etiam posset: *elephantino tergore texta*. Strabo de Mauris: οἱ ᾗ πεζοὶ τὰς τῶν ἐλεφάντων δορὰς ὡς ἀσπίδας προβάλλονται. Verum hæc alibi.

E *Inter hos, & dracones jugis discordia*] Plinius cap. XI. *Sed maximos India, bellantesque cum his perpetua discordia dracones, tantæ magnitudinis & ipsos, ut circumplexu facilè ambiant, nexuque nodi præstringant. Commoritur ea dimicatio, victusque corruens complexum elidit pondere*. Quid illa sibi volunt? *commoritur ea dimicatio*. Certè emendationem, nec enim recta sunt. Scribe: *commorituris dimicatio*. Scriptum erat divisim, *commoritur is dimicatio*. Ex quo fecerunt, *commoritur ea dimicatio*, qui Priscianum metuebant imperiti. In quibusdam libris, *commoritura*.

F Respexit ad proverbium: πίπτει νικηθεὶς, ᾗ ὁ νικήσας ἀπώλετο. Sic de basilisco infrà, & mustela: *necant illa simul odore, moriunturque, & naturæ pugna conficitur*. Hæc est dimicatio συναποθνησκόντων, quam Καδμείαν νίκην Græci vocant. Infrà, *dracones opprimi, commorique*. Quæ sequuntur capite sequenti longe majoribus vitiis affecta, & infecta. *Mira animalium pro se cuique sollertia, ut his una scandendi in tantam altitudinem difficultas. Draco itaq; iter ad pabula speculatus ab excelsa se arbore injicit*. De eadem pugna persequitur dicere elephantis, & draconis. Sed locus est inquinatissimus. In libris hæc tantum varietas, quod *arcessendi* habent, *& draconi*. Hæc satis fuere nobis veræ lectioni inveniundæ, quæ est: *mira animalium pro*

G *se cuique sollertia, ut hic una lacessendi tantam altitudinem difficultas draconi: itaque iter ad pabula speculatus ab excelsa se arbore injicit*. Mira, inquit, animalibus sollertia in vitandis, ac declinandis, quæ contraria sunt, & sectandis, quæ utilia: ut heîc, in pugna elephantis, & draconis, una difficultas draconi adoriendi, ac lacessendi tantam altitudinem, quum animal sit per humum repens, ideo impar tam excelsæ bestiæ, ut est elephas, invadendæ. Quid igitur facit, ut hanc difficultatem evincat? speculatus iter quo ad pabula

A eunt elephantes, ex alta arbore se injicit. Reliquas solertias toto capite exsequitur.

Serpentes propter semitas delitescunt] Plinius de dracone: *itaque tritum iter ad pabula speculatus.* Vox *tritum* è libris reponenda, qua carent editiones. Ita legisse Solinum patet ex hoc loco: *propter semitas delitescunt, per quas elephanti assuetis callibus evagantur.* Glossæ *calles* interpretantur *vias pecorum vestigiis tritas.* Livius lib. XXII. *Nos hic pecorum modo per æstivos saltus, & devios calles exercitum ducimus.* Agatharchides de elephantis loquens, τὰς τῶν θηρίων διεξόδους vocat.

Ne qui antecesserunt queant opitulari] Legebatur: *queant* B *ultimis opitulari.* Quod otiosum est, nec in libris habetur. Prætermissis, inquit, prioribus postremos adoriuntur, ne priores opitulari queant. Quid opus voce *ultimis*?

Pag. 34. G. *Vel arboribus se vel saxis applicant*] Plinius: *scit ille imparem sibi luctatum contra nexus. Itaque arborum, aut rupium attritum quærunt.* Allusit ad luctantium nexus, & nodos. Sed mira mihi videtur hæc loquutio, *attritum arborum, aut rupium quærere,* pro rupes, aut arbores quærere, quibus se atterat ad necandos dracones, vel quibus attritos necet. Scripti omnes damnant hanc lectionem scribentes: *arborum, aut rupium, aut criptuum quærunt.* Ita, C inquam, omnes legunt. Legerim ego: *arborem aut rupem adfrictui quærunt.* Arborem quærunt, aut rupem, cui se adfricare possint ad dracones atterendos: *Arbor, aut rupes adfrictui, ut linteum detersui, tunica indutui,* & similia. Nihil Latinius. *Affricare* est προστρίβειν. Nec ullum verbum huic loco magis convenit. Vulgata sanè lectio ferri non potest.

Ut pondere nitibundo attritos necent angues] In aliis deest *nitibundo*, alii codices habent. Pondere ipso dracones necant elephanti, cum draconibus impliciti, & oppressi simul cadentes opprimunt. Plinius: *victusque complexum elidit pondere.* Et lib. XXXIII. cap. VIII de cinnabari: *sic* D *appellant illi saniem draconis elisi elephantorum morientium pondere.* At cum arboribus se affricant, ut complexos dracones atterant, non pondere propriè id faciunt, sed nisu. Ideo additum huic loco, *pondere nitibundo.* Melius etiam scripsisset, *ut nitibundi attritos necent angues.* Sed ille sic mutat, & quod Plinius de una re dicit, hoc ad aliam transfert.

Quod elephantis, ut ajunt, frigidior inest sanguis] Plinius eodem capite: *quam quis aliam tantæ discordiæ causam attulerit, nisi naturæ spectaculum sibi paria componentis? est & alia dimicationis hujus fama: elephantis frigidissimum esse sanguinem, ob id torrente æstu præcipuè à draconibus expeti.* To- E tus hic locus male habet, qua lectione, qua interpunctione. Utrumque sic emendabis: *qua quis aliam tantæ discordiæ causam attulerit, nisi naturam spectaculum sibi ac paria componentem? est & alia dimicationis hujus: fama elephantis frigidissimum esse sanguinem*, &c. Natura, inquit, causa est tantæ discordiæ, quæ spectaculum sibi parat, & paria componit. Quam quis aliam causam attulerit? est alia tamen dimicationis hujus: ajunt elephantis frigidum esse sanguinem, qui expetitur à draconibus. Perperam legitur in editis: *quam quis aliam.* Cetera è scriptis emendavimus. Distinctio tota nostra est, quam fir- F mat Solinus.

Quamobrem nunquam invadunt nisi potu gravatos] Libri quidem: *denique nunquam invadunt.* Plinius: *quamobrem in amnes mersos insidiari bibentibus, artiusque illigata manu morsus in aurem defigere.* Ita legendum. Vulgo: *arctatisque illigata manu.* Multa heîc variat, & immutat Solinus, ut furtum celet. Dicit potu tantum gravatos elephantos draconibus invadi, ut venæ propensius, ac largius irrigatæ plus sanguinis præbeant. Quam rationem non habet Plinius, & inepta est, quasi statim atque biberint, potus in sanguinem vertatur, cum scribat Plinius, etiam dum bibunt, invadi in ipso amne.

Quod is tantum locus, defendi non possit proboscide] Plini- G us: *in aurem morsus defigere, quoniam is tantum locus defendi non possit manu.* Ait dracones in amne mersos insidiari elephantis, dum bibunt, & artius illigata manu aures petere, quia defendi non possunt manu. Quid plus esset, aut quid hoc proficeret elephanto, etiam si defendi possent, cum manu nexibus draconis illigata uti non queant ad ullam corporis partem defendendam? Libri autem hic habent *promuscide.* Atque ita Latini vocarunt, quæ Græcis προβοσκίς.

Pag. 35. A. *Et boves Lucas inde dixit*] Quod in Lucanis primum visi essent. Plinius. Et hæc verissima est sententia. Ridiculus vero Baronius, qui ad annum Christi LVIII scribit *bovem* vocatum *Lucam* ab Italis, allusione facta ad figuram bovis Euangelistæ Lucæ tributam. Primum Itali bovem non appellarunt *Lucam*, sed elephantem vocitarunt *bovem Lucam.* Deinde Euangelistæ Lucæ ætate *bos Luca* pro elephanto non amplius dicebatur ab Italis, sed quo tempore viderunt elephantem, cum nec scirent, quod genus esset animantis. Quia in Lucania primo visus est, *bovem Lucam* indigetarunt. Ergo longè ante natum Christum nata *bovis Lucæ* appellatio, desiitque ante eadem tempora. Nec pro bove unquam usurpata, sed pro elephanto. *Bos Lucans* primo dictus est, id est, bos Lucanus, deinde *Lucas*, & *Luca.* Ut *prægnans* & *prægnas.* Sic *Picens* pro *Picenus*: *Campans* pro *Campanus.* Plautus, *Campans genus.*

Cæsariensi coloniæ Cæsaria inest] Ita omnes editiones, & libri. Mendosè tamen, cum scribendum sit, *Cæsariensi colonia Cæsaria inest.* De Mauritania Tingitana initio capitis dixit, addit nunc de Cæsariensi, in qua colonia Cæsaræa. Sic *Cæsariensem* infra absolutè pro Mauritania Cæsariensi posuit: *deinde in Cæsariensis pede prorumpens amplior eadem indicia præfert.* Non vidisse hoc Delrium miror, immo non miror. Sequentia id confirmant: *Colonia Cæsarea inest à Claudio Cæsare deducta.*

Bocchi regia] Cæsaream Bocchi regiam facit, quam Plinius Jubæ regiam fuisse dicit. Nec Plinius tantum, sed Strabo, Pomponius, alii. Ἀνιστόρητον est, & quod sequitur, dono datam esse Jubæ indulgentia populi Romani. Non Cæsarea data est Jubæ, sed tota Mauritania, quæ prius Bocchi fuit: nec à populo Romano, sed ab Augusto Cæsare. Vide Strabonem lib. XVII. Plinius lib. V. cap. II. *Namque diu regum nomina obtinuere, ut Bogudiana appellaretur, itemque Bocchi, quæ nunc Cæsariensis.* Quia Cæsariensis Mauritania Bocchi regis erat, ideo & *Cæsaream*, quæ toti provinciæ nomen dedit, Bocchi regiam fuisse sibi finxit Solinus, quasi Juba accepto hujusce Mauritaniæ regno, non aliam deligere, aut de novo condere regiam potuerit præter eam, quæ Bocchi fuisset. Et sanè *Iol* ignobilem fuisse, priusquam à Juba conderetur, & pro regia haberetur tradit Mela. *Iol, inquit, ad mare aliquando ignobilis, nunc, quia Jubæ regia fuit, & quod Cæsarea vocitatur, illustris.* Primus Juba eam instauravit, ἐπέκτισε, & Cæsaream vocavit. Strabo: ἦν δ' ἐν τῇ παραλίᾳ Ἰὼλ ὄνομα, ἣν ἐπικτίσας Ἰούβας ὁ τοῦ Πτολεμαίου πατὴρ μετωνόμασε Καισάρειαν. Si ante Jubam Bocchi quoque regia extitisset, non ignobile fuisset oppidum, ut fuisse dicit Mela, priusquam à Juba condita, & nomine Cæsareæ esset nuncupata, qui ex eo illustrem factam scribit, quod Jubæ regia fuerit. Coloniæ postea jure donata est à Claudio Cæsare, deductis in eam veteranis. Nugatur igitur more suo noster Grammaticus. Mauritaniarum duo reges ante Jubam fuere, *Bogud*, & *Bocchus*, vel *Bocchor*: Græcis Βόγος & Βόκχος. Unde *Bogudiana*, quæ extima: at interior Bocchi, quæ postea *Cæsariensis* appellata est. *Bogutianam* vocant Pliniani libri, quasi *Bogut* diceretur. Sic *Putpud* veteres dicebant urbem Africæ, quæ recentioribus *Putput.* Strabo de Mauritania: μικρὸν πρὸ ἡμῶν οἱ περὶ Βόγον βασιλεῖς, καὶ Βόκχον κατεῖχον αὐτήν. Post eorum excessum utraque data Jubæ ab Augusto.

Inest & oppidum Siga, quod habitatum Syphaci] Plinius: *Siga oppidum ex adverso Malachæ in Hispania sitæ Syphacis regia, alterius jam Mauritaniæ.* At Mela Cirtam Syphacis regiam ait fuisse lib. I. cap. VI. *Cirtha procul mari, nunc Sittianorum colonia, quondam regum domus Jubæ, & Syphacis cum foret, opulentissima.* Sed nihil illo loco corruptius. Nam nec Jubæ, nec Syphacis regia fuit Cirta, sed Masinissæ, & successorum. Strabo: Κίρτα δέ ἐστιν ἐν μεσογαίᾳ ἡ Μασινίσσου, καὶ τῶν ἑξῆς διαδόχων βασίλειον. Henricus Stephanus notavit se reperisse in veteri libro: *Cirta procul mari, nunc Sittianorum colonia, quondam regum domus, &, quum Syphacis foret, opulentissima.* Nec longe it ab hac lectione is, quem vidimus. Omnino emendandum: *quondam regum domus: Siga cum Syphacis foret, opulentissima.* Sigæ nomen ibi interciderat. *Cirta* regum domus, Masinissæ

nissæ καὶ τῶν διαδόχων. *Siga*, cum Syphacis foret opulentissima. Nam postea deleta est. Strabo: ἔστι δὲ πόλις Σίγα ἐν χιλίοις σταδίοις ἀπὸ τῶν λεχθέντων ὅρων, καὶ βασίλειον Σύφακος: κατέσπασται δὲ νῦν. Regiam eam tenuit Masinissa post Syphacem, deinde Micipsa, & reliqui successores. Ideo ait opulentissimam fuisse Mela, quum Syphacis foret.

Jaciunt mœnia] Jaci fundamenta dicuntur, sed *jaci mœnia* nondum legeram. Græca est loqutio, τεῖχος βάλλειν, & unica voce τειχοβολεῖν. Ad verbum *mœnia jacere*. Sic *muros ducere* apud poëtam.

---- pars ducere muros,

Moliriqu e arcem.

Sic *fossas ducere*, quod iidem Græci ταφροβολεῖν dicunt. Heic, *jacere mœnia*, ponere & locare est. Sic *jacere salutem* Virgilius:

A *Omnis in hac certam regio jacit arte salutem*,

id est, ponit, collocat. Quia jactis, & congestis lapidibus eriguntur, & struuntur fundamenta, & mœnia jaci quoque ipsa, & duci dicuntur. Sic *jaci agger*, qui materia congesta erigitur. Lucillius:

Aggere in jaciundo si quo est vineis actis opus.

At fossa duci, non jaci rectè diceretur. Nam aliud heîc *ducere*, aliud *jacere*, licet utrumque τῷ βάλλειν Græci exponant. Ducitur fossa, in qua jaciuntur fundamenta, quæ & ipsa ducuntur, ut & mœnia. Βάλλεσθαι ἄστυ, *urbem condere* apud Apollonium. Polysemos est verbum βάλλειν Græcis, ut *ducere* Latinis.

De condentium numero urbi nomen datum] Ἀπὸ τῶν εἴκοσι. Sed Ἰκόσιον Græci hanc urbem vocant, non Εἰκόσιον: nec ἴκοσι dicunt pro viginti, sed εἴκοσι. Sæpe ta-
B men has scripturas confundunt.

C A P U T XXVI.

Numidia. In ea de ursis.



PAg. 35. B. *Quod est à flumine Ambsaga, Numidiæ datur*] Martianus Capella: *ab Absaga Numidia est, Masinissa nomine celebrata. Numidæ, Nomades dicti.* Ita legendum. Addit heîc Solinus Numidiæ incolas, *quamdiu erraru nt pabulationibus vagabundis Nomadas fuisse dictos*, ut ineptus est, videtur sentire *Nomadas* dictos, quum pabula vage, passimque sequerentur, postea *Numidas*. Quasi *Numidæ*, & *Nomades* diversa sint nomina. Nomades, inquit, dicti, quamdiu errarunt; atqui semper vocati Numidæ. Ergo Numidas à Nomadibus distinguit inductus Plinii his verbis: *Numidæ vero Nomades a permutandis pabulis, mapalia sua, hoc est, domus plaustris circumferentes.* Græcum est Νόμαδες. Latinum ex eo parum detortum, *Numidæ*, ut Ἰάπυδες, *Japides*. Sic δρόμαδες cameli, *dromidæ* & *dromedæ* dicti. Rectè Plinius Numidas Nomadas esse dixit, nec distinxit, ut hic nugator.

Quamdiu errarunt pabulationibus vagabundis] Quando igitur vagari desierunt? Aut quod nomen postea habuerunt? Nempe *Numidæ*. Jam hoc ipsum nomen vagabundos, & μεταναστας designat. Atque ita semper appellati, etiam postquam statum, ac civile vitæ genus amplexi sunt. Masinissam primum eos in hunc vivendi morem à pabulationibus vagabundis deduxisse scribit Strabo lib. XVII. Sallustius: *& quia sæpe tentantes agros alia atque alia loca petiverant, semetipsi Numidas appellaverunt.* Sic *Numidas* dici ἀντὶ τῶν Νομάδων. Quod nomen illis remansit. Plinius *mapalia* domus interpretatur. Sosipater καλύβας. Festus *Punicas casas*. Cato lib. IV Originum: *Mapalia vocantur, ubi habitant, ea quasi cohortes rotundæ sunt.* Hæc verba citantur à Festo. At Servius eumdem Catonem citat libro primo originum his verbis: *Magalia ædificia, quasi cohortes rotundas dicunt.* Sic *mapalia* & *magalia* eadem. Idem Servius, *Magar* lingua Pœnica villam significasse notat. Sallustius *mapalia* dicit ædificia fuisse oblonga lateribus incurvis, quasi navium carinas. Hæc ovalis figura est. Cato quasi rotundas cohortes. Et fortassean in ejus verbis legendum: *ædificia quasi cohortes rotunda dicunt.* Et apud Festum: *ea quasi cohortes rotunda sunt.* Ut in villa cohortes ea forma vulgo olim factitatæ sint. Cohors est περίβολος, qua plura ædificia continentur. Varro: *cohors, quod ut in villa ex pluribus tectis conjungitur, ac quiddam sit unum, sic hæc ex manipulis copulatur cohors.* Hinc & *chortem* pro villa dixere quidam. A coërcendo dictam vult idem: additque: *tametsi cohortem in villa Iphicrates dicit esse Græce χόρτον apud poëtas dictam.* Χόρτος est περίβολος τῆς αὐλῆς. Aliter ego sentio. Ex voce Græca χόρτος facta Latina *hortus*. Villam veteres sic vocabant. Plinius lib. XIX. cap. IV. *In XII. tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper in significatione ea hortus, in horti vero hæredium: quam rem comitata est & religio quædam, hortoque & foro tantum contra invidentium effascinationes dicari videmus in remedio satyrica signa, quamquam hortos tutelæ Veneris assi-

C gnante Plauto.* Locus quantivis pretii, vulgo male lectus, interpunctus, intellectus. *Hortus*, inquit, in duodecim tabulis semper pro villa. Quam rem & religio comitata est: nam hodie horto, & foro dicari videmus in remedio contra invidentium effascinationes *satyrica signa*. Perperam editur: *hortosque & fores tantum contra invidentium effascinationes dicari videmus.* Ex eo igitur, quod olim *hortus* villa dicebatur, tralatum hunc morem vult dicandi *satyrica signa* pro amuletis foro tantum, & horto. Cum enim veteres tam in urbe, quam ruri munire se vellent aliquo remedio adversus invidentium effascinationes, in foro tantùm, hoc est, in urbe publicè ea signa conse-
D crabant, & privatim ruri quisque apud se in villa, id est, in horto. Hinc hodieque, inquit, horto tantum, & foro *satyrica signa* dicari videmus. Addit: *quamquam hortos tutelæ Veneris assignante Plauto.* Quanquam, inquit, alia ratio videatur esse, quare hortis dicentur *satyrica signa* in remedio adversus fascinum: nam Plautus hortos Veneris tutelæ assignavit: cui Veneri scilicet *satyrica signa* optimè conveniunt. *Satyrica* porro *signa* non sunt Satyrorum personæ pictæ, fictæve, ut perperam quidam exponunt, sed virilia insignia subrecta, ut ea semper habent Satyri. *Virile signum* est veretrum. Sic *Satyricum signum*, pudendum subrectum instar Satyrici. Hinc mœtinum,
E & signum subrectum pro eodem in hoc Lucillii versu:

Nam quid mœtino, subrectoque huic opus signo?

Perperam autem *mœtino* pro *mœtuno* scribitur. Nam *muttunus*, vel *mutonus* verum ejus nomen. Græcum est μυττός, & μυττών μυττῶνος. Unde hic *muttonus*, & *muttunus*. Tertulliano: *Sterculius & muttunus.* Ita legit in Lucillio auctor glossarum: *muttonus*, πρεβασκάνιον ὡς Λουκίλλιος. Sed μυττὸς Græcis τὸ γυναικεῖον significat, non τὸ ἀνδρεῖον, quum tamen *muttunum*, & *muttonum* ex eo Latini pro virili tantum usurpent. Hesychius: μυττὸς, τὸ γυναικεῖον. Numen erat πριαπῶδες, *Muttuni Tuttuni* no-
F mine, Romanis matronis cultum, quod utriusque obscœni appellationem videtur habuisse. Male apud Festum scribitur *mutini Titini*, pro *muttuni Tutuni*. Arnobius lib. IV. *Etiamne Tutunus, cujus immanibus pudendis, horrentique fascino, vestras inequitare matronas, & auspicabile ducitis, & optatis.* Ita vetustissimus liber Regiæ Bibliothecæ, non *mutunus*, ut vulgo legitur. Paulo post ita scribitur in editis: *& quia non supplices humi procumbimus atque Tutuno.* Sed ibi vetus idem liber habet: *supplices, hoc est, uno procumbimus, atq; est uno.* Quæ cum inquinatissima sint, sic constat emendanda: *Supplices Mutuno procumbimus, atque Tutuno.* Sic duplex ejusdem Dei nomen *Mutunus, Tutu-
G nus.* Ex utroque obscæno videtur appellatio composita. Μυττὸς Siculum, vel Æolicum pro μυχὸς de pudendo muliebri. Inde μυττὼν μυττῶνος, & Romanum *muttonus*. Ποσθὴ & ποσθὼν, qui ingens habet virile, Æolice πόθθων, πόθθωνος, inde Latinum *Puttunus*, & *Tuttunus*. Nam T & P invicem permutabant tam Æoles, quam veteres Latini, ut pluribus alibi monstramus. Utriusq; igitur sexus pudendum habuit hoc numen, vel certe utriusque pudendi simulacrum eodem sacello consecratum. Ideo promiscue *muttu-*

muttunum, *mutoniumque* pro virili usurparunt: & fortasse in versu Lucillii utrumque designatur:

Nam quid mœtuno, subrectoque huic opus signo?

Nam *mœtunum* pro muliebri posuit: *subrectum signum* pro virili. Utrumque ἀντὶ τοῦ προβασκανίου apud veteres, & arcendo fascino in usu fuit. Προβασκάνιον autem remedium dicitur adversus fascinum. *Satyrica signa* olim horto dicata, cum villam significaret, postea eadem religio duravit, ut horto dicarentur etiam tum, cum aliud hac voce significari cœptum est. Hæc Plinii sententia est. *Hortus* igitur veteribus villa, ὁ χόρτος: ut χὴρ, *her heris.* Sic herinaceum vocabant:

---- *spinosi corporis herem.*

Plautus:

I jam venare leporem, nunc herem tenes.

Χελιδὼν, *hirundo*: χειμὰς Æolicè, *hiemis.* Hinc *cohortem* dixere aream cum horto, id est, cum villa junctam. Nam *cohortes* propriè areæ muro, & ædificiis cinctæ, ad villam adjunctæ. Exterior erat, & interior, ut nobis hodieque, quam *altam, & bassam curtam* vocamus. Nam *cohortes* postea *cortes*, & *curtes.* Plura ædificia cum horto juncta sic dicebantur & σύγχορτα. Nam *cohortes* propriè sunt σύγχορτοι. Rotundæ olim erant hujusmodi in villa cohortes. Ab hac enim rotunditatis forma certus numerus militum in legione *cohortis* nomen accepit. Græci ab eadem ratione σπείρας vocarunt, quæ Latinis *cohortes.* Hæc confertæ multitudinis natura est, ut in circulum se stipet, & in orbem conglobet. Hinc *circuli* de multitudine congregata. Hinc multa in militia nomina τάξεων: ἴλαι, σπεῖραι, συστροφαί: Latinè, *globi, drungi, cohortes.* Quod in minore numero fermè videmus obtinuisse. Nam & σπείρας manipulos vocat Polybius. Et hujusmodi in circulum conglobatio ferè frequentius notatur in minori multitudine congregata, quam in majore turba. Ex his intelligere licet, cur *magalia* Pœnorum, quasi cohortes, rotunda esse dixerit Cato. *Attegias* hujusmodi mapalia vocavit Juvenalis: ad verbum καλύβας: *Dirue Maurorum attegias.*

Nec enim Mauritanum verbum, ut vulgo sibi persuadent, sed merè Latinum ab adtegendo, ut καλύβη ἀπὸ τοῦ καλύπτειν. Si *attegia* verbum Maurorum, erit & *castellum* Brigantum. Quod ad *magal*, vel *magar* attinet, à Syriaco מַגָּל quæ vox falcem significat. Hinc ædificium lateribus instar falcis incurvis appellatum *magal*, & *magar.* Sic urbs Ζάγκλη in Sicilia à figura falcis appellata. Nam Siculi ζάγκλον vocabant falcem. Sic insula Phæacia Δρεπάνη à figura dicta. Sic & *Clupea* urbs Africæ, quod instar clypei in rotundo munita esset. Cadmus porro cum literis & multa vocabula, ex Phœnicia sua in Græciam intulit. Vetus enim Græca vox μάγαρον, aut μέγαρον, quæ οἶκον κατάστεγον significat, ab illo *magar*, vel *magal* facta est. Verum de his alibi.

Hujus incolæ quamdiu errarunt] Magno errore distinguere videtur nomen Nomadum, & Numidarum, ut *Nomadas* velit dictos quamdiu errarunt, postea *Numidas*, ubi destiterunt à pabulationum errore vagabundo. Solinum ita novimus, ut hoc ab ejus genio abesse nequaquam arbitremur. Possemus, si alius esset, hac culpa eum levare, & mendum librorum asserere, ut ipse sic scripserit: *Quod est à flumine Ampsaga, Numidiæ datur. Hujus incolæ, quia diu errarunt pabulationibus vagabundis, Nomades dicti sunt.* Sic recta omnia essent, nec magna mutatio est. Aliter tamen omnes libri. In quibusdam legitur: *Hujus incolæ quaquaversum pabulationibus vagabundis.* Sed sic correctum fuisse arbitror ex alia corrupta scriptura veteri, quæ habuit, *quamdiu aversum.* Meliores omnes scribunt, ut est in editis. Aut more suo hallucinatus est, aut reponendum, ut posuimus.

Deinde Chulli purpurario fuco] Libri: *dehinc bulli.* In aliis, *dehinc bulli.* Lege: *dein Chulli.* Ita scribitur in Itinerario Ant. Augusti: *Chulli municipium. Rusicade.* Apud Æthicum in Cosmographia, *Rusicade, Calli Saldis.* Scriptum in nostro libro vetustatis summæ: *Caulli* pro *Chulli.* Apud Plinium tamen *Chullu* libri scribunt cum aspiratione. Ptolemæo Κοῦλλου, utriusque terminationis exempla in urbibus Mauritaniæ, & Numidiæ. Scribendum reor in Ptolemæo Χοῦλλου. Nam libri omnes id nomen adspirant.

Pag. 35. C. *Tyriis velleribus comparata*] Iidem libri; *comparatæ*, quasi & de Cirra loquatur.

Numidici ursi forma ceteris præstant] In quibusdam libris habetur vox *forma*, aliis deest. Hoc accidit ex duplici editione. In una fuit: *Numidici ursi forma ceteris præstant, nam genitura par est; quoquo loco genitis.* In altera: *Numidici ursi ceteris præstant, rabie duntaxat, & villis profundioribus; nam genitura par est.* Priorem lectionem puto fuisse prioris editionis: nam verior est posterior, & emendationem sapit. De Numidicis porro ursis, qui rabie, & villo profundiore ceteris præstabant, aliunde habet quam à Plinio, è quo sumpsit cetera. Plinius quippe in totum negat Africam ursos habuisse, miraturque adscriptum annalibus M. Pisone, & M. Messala Coss. Domitium Ænobarbum Curulem *ursos Numidicos centum* dedisse, cum in Africa ursum non gigni constet. Contra Plinium stant multi testes è veteribus Græci, Latinique, Herodotus, Strabo, Virgilius, Juvenalis, Martialis, & hic Solinus: cujus minimum pondus esset apud me, nisi alii accederent. Omnes suprascripti ursos Africæ dant, & *Lybicos*, *Numidicos* passim vocant. Aristoteles ipse in hunc numerum videtur cogendus, qui inter animalia Africæ negata non meminit ursorum lib. VIII. cap. XXVIII. Hist. Animal: ἐν δὲ Λιβύῃ πάσῃ οὔτε ὗς ἄγριός ἐστιν, οὔτε ἔλαφος, οὔτε αἲξ ἀγρία. Ut vides, in his non numerat ursos. Horum omnium testimonia ratione hac una revincit Lipsius, qua *Numidicos ursos* Latinis leones dictos esse pertendit. Quod telum in Latinos fortasse valeat, non in Græcos: sed & in Latinos frustrà dirigi ostendam. Quin etiam hæc interpretatio, quæ pro Plinio inventa est, ipsum magis premit, & ignorantiæ insimulat; quasi qui nescierit rem suo tempore omnibus notam, *Numidicos ursos* pro leonibus dici. Quod quis credat? Omnia argumenta, quibus nititur, singillatim refellam. Editio Domitii in leone, inquit, enituit: non in urso. Nummus ejus testis, qui in memoriam ædilitatis cusus cum venatore, & leone. In actis annotatum refert Plinius centum Numidicos ursos in ædilitate ejus datos fuisse. Ergo Numidici illi ursi, leones. Plumbeum, & nugatorium argumentum, atque, ita me Deus amet, etiam ridiculum. Quis nescit tralatitium fuisse ædiliciis muneribus, & prætoriis, & consularibus bestiarum omnia genera edi solita? Nec ursos tantum dari, sed etiam leones, & pantheras, & alia visu rariora? Quis porro dubitet Domitium in editione sua tam leones, quam ursos dedisse? præsertim cum satis constet multis ante Domitii munus annis, Romæ datos ursos non pauciores, & leones quoque? Nec igitur dubium, quin acta illa ipsa, quæ notabant Ænobarbum ædilem curulem ursos Numidicos centum in circo dedisse, etiam de leonibus adnotatum habuerint. Quod Plinius omisit monere, quia ad rem nihil faceret, cum de ursis tantum ageret. Nec monuisset de ursis, nisi mirum ipsi visum esset, quod adjectum erat, Numidicos fuisse. Sit igitur in confesso, quod verum est, Domitium in ædilitatis munere, & leones, & ursos dedisse, quia tum moris erat dari. In ædilitatis autem nummo ideo potius leo formatus, quam ursus, quia nobilior fera, & rarior, quæque magnificentiam muneris magis testaretur. Nam ursi passivi tum, & communes. Plinius tradit leonum simul plurium pugnam Romæ principem dedisse Q. Scævolam P. filium in curuli ædilitate. Centum autem jubatorum omnium primum L. Syllam, qui postea dictator fuit, in prætura. Hi ante Domitium. Pompejus quoque in circo sexcentos leones dedit, & in his jubatos quindecim, ac trecentos, idque ante quam Ædilis fieret Domitius Ænobarbus, qui M. Pisone, & M. Messala Coss. munus ædilicium dedit. Quo munere datos fuisse leones si dubitaremus, nummus ejus confirmaret. Quin & ursos simul dederit, vix ac ne vix quidem ambigendum est. Nihil Romæ tunc frequentius, nihil communius. Ex pluribus Europæ locis advehebantur. Alpes ursis refertæ. In propinquo etiam habebant Lucanos ursos. Scribit Livius Scipionem *Ludis circensibus* XL *ursos*, LX *Africanas*, XL *elephantos misisse.* At notatum in annalibus, ursos eos, quos in ædilitate dedit Ænobarbus, Numidicos fuisse, quia rariores. Certè è longinquiori orbe, quam qui ex Europa petiti, atque, ut omnes feræ in Afri-

Africa ferociores, rabie etiam fortasse præstantes, ut heîc Solinus adtestatur, qui suos auctores habet. Jam contra tot testimonia cur pugnemus in Africa ursos non fuisse? quid autem dicemus Virgilio, Juvenali, Martiali, qui Libycos, & Numidas ursos dixere? An *Libystis ursa* duobus locis apud poëtam pro leæna? *Per pellem Libystidis ursæ*, inquit Lipsius, *certum mihi intellexisse leoninam.* Quare? *quia forti, & heroi magis conveniebat, Herculis, veterumque exemplo.* Ridiculè. Tydeum, & Polynicen heroas & ipsos, virosque fortes alterum apri, alterum ursi pelle indutos, sed Tragicorum fabulæ indicant. Unde ἄρκτου, & κάπρου nominibus in oraculo ambo appellati. Nec video, cur pellis ursi heroi, ac viro forti minus convenire existimanda sit. Præterea, cum leas & leænas, leonesque passim nominet poëta, mirum heîc *Libystidem ursam* pro leæna Libystide maluisse dicere, cum posset leænam. Numquid ursa eadem cum leæna? aut ursus cum leone? sed leones primum visos notiori nomine *ursos Numidicos* appellarunt Romani. Quis hoc dixit Romanorum? Scimus eorum ipsorum testimonio, elephantum *bovem lucam* appellitasse: camelopardalim *ovem feram*: struthiocamelum *passerem marinum*. Leonem ursi nomine vocitasse nemo, ut puto, reperietur auctor, qui id prodiderit. Verùm mitto veteres ita potuisse nuncupare, quibus cogniti plurimùm ursi, prorsus verò ignoti, & invisitati leones. At quis sibi persuaserit, illo tempore, quo & leones æquè noti, quam ursi, quotidieque unà cum ursis dabantur in spectaculis, & videbantur, ursorum tamen nomine censos fuisse? quis, inquam, credat Juvenalem, nihil dicam de Virgilio; & Martialem Numidas, & Libycos ursos dixisse, cum leones Libycos vellent intelligi? Hæc porro sententia, quæ auctori suo invidenda potius, quam irridenda videtur, non minus falsa, quam ridicula. Illud etiam mirum, quod ex ea sequitur, Plinium nempe ignorasse frequentatam & tritam suo tempore loquendi formulam, qua *ursos Numidicos* pro leonibus dicebant. Martialis vero epigramma tantùm deest fulcire hanc opinionem, ut unicum planè, & funditus subvertat:

Quod freno Libyci domantur ursi.

Hunc versum Lipsius de leonibus currui junctis interpretari debere pertendit, quia nullum esset miraculum de ursis, qui mites, & dociles ad magis miranda. Aliter sensisset, si totum epigramma legisset, aut saltem attendisset. Non magnum, aut mirandum spectaculum esse ait poëta: pardos videre jugo subditos, & currum trahentes: tigres pariter subjugatos, flagelli patientes: cervos lupata mordentes, ursos frænatos, apros capistratos, bisontes ad essedum junctos: elephantos nihil magistro negantes: hæc omnia inquam, minora esse & protritiora, quam ut spectatorem morari possint, aut stupore defigere:

Hæc transit tamen; ut minora, quisquis
Venatus humiles videt leonum,
Quos velox leporum timor fatigat.
Dimittunt, repetunt, amantque captos,
Et securior est in ore præda.

Quis ex istis dicere possit *Libycos ursos* leones esse, immo quis non contrarium asserat? Hoc spectaculum leonum lepores venantium, & illæsos dimittentium, adeo magnam miramque rem videri vult, ut in comparatione nihil sint ceterarum omnium ferarum mansuefactarum miracula, elephantum, bisontum, aprorum, ursorum, cervorum, tigrium, & pardorum, quæ ibi enumerantur, & nominantur. Credamus igitur annalibus in Numidia ursos fuisse, præsertim cum id tot etiam auctores adtestentur. Sic Numidia inter aliarum ferarum proventum, quibus abundabat, etiam ursos tulerit. Hinc & *Numidæ ursi* Juvenali:

---- quod comminus ursos
Figebat Numidas.

Quos leones interpretari haud magis possumus, quam apud Martialem *Libycos ursos*, leones Libycos accipere. Videtur & Libycos ursos agnoscere Dio in epitome Xiphilini his verbis ex vita Claudii: ἄρκτους τετρακοσίους μεθ' ἑτέρων Λιβυκῶν θηρίων. Hæc significant ursos illos etiam ex Libya fuisse: *ursos quadringentos cum aliis*

A *feris Africanis.* Alibi distinguit θηρία Λιβυκὰ ἀπὸ τῶν ἄρκτων. Sic in vita Gordiani Capitolinus: *feras Libycas una die centum exhibuit, ursos una die mille.* Hæc ratio est, quia etsi ursi ex Libya alioqui importati, longè tamen plures, majoresque ex Europa, & Septentrionali plaga, cum satis constet frigidioribus locis magis gaudere hoc genus animantis. Et fortassean cito defecerint ursi in Numidia, cum pauci ibi gignerentur, & undique tanta diligentia exquirerentur à Romanis, & tot exhiberentur. Certè Numidici ursi non sunt leones, sed ursi. Dedit leones & ursos in ædilitate sua Domitius. Utrumque annotatum in annalibus, dedisse ursos, & leones. An
B ita in acta relatum fuisse putamus, *datos ursos Numidicos, & ursos*? ut *ursi* simpliciter fuerint ursi, cum adjuncto *Numidici ursi*, leones. Nugæ. Hæc ad Plinium pluribus.

Sed apti complexibus mutuis,] id est, conjugati, conjuncti. Nam *aptus* ab antiquo verbo *apo*, quod ligo, & jungo significabat. A quo *amen*, & *amentum* quasi apimentum, τὸ ἅμμα, à Græco ἅπτω, quod est, jungo, συνάπτω: unde *aptus*, ὁ εὐάρμοστος, qui convenienter junctus est. Plinius de ursis: *eorum coïtus hiemis initio, nec vulgari quadrupedum more, sed cubantibus, complexisque.*

Desiderium Veneris hiems suscitat] Coïtum ursorum hiemis initio celebrari locus Plinii, quem paulo ante
C retulimus, indicat. Aristoteles lib. VI. cap. XXX. Hist. Animal: τοῦ μηνὸς τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος τὴν ὀχείαν ποιεῖσθαι ursos tradit. Mensem Ἐλαφηβολιῶνα pro Februario accipit Gaza. Quidam Martio respondere faciunt, quæ major turba est. Alii etiam Aprili. Nulla ex his sententia potest quadrare. Ex duabus quippe posterioribus sequeretur ursos non hibernis mensibus latitare, sed vernis. Nec verior Gazæ, qui *Februarium* reddit, etiamsi verisimilior. Scribit Aristoteles ursos τὴν ὀχείαν ποιεῖσθαι, mense Elaphebolione: per aliquot dies ὀχεία durat, ut in ceteris animalibus. Pariunt trigesimo die matres. Pa-
D riunt autem περὶ τὴν ὥραν τὴν τοῦ φωλεύειν, circa id tempus, quo in specubus suis jam sunt conditi, latentque minimum quadraginta dies; procedunt vere. Si tempus à coïtu numeres usque eo quo latibula sua deserunt, tres circiter menses reperies. Philosophus ait non ante prodire fœminas, quam catulos educaverint. Ὅταν δ' ἐκτρέφῃ τρίτῳ μηνὶ, ἐκφαίνουσιν ἤδη τοῦ ἔαρος: tertio mense procedunt à coïtu scilicet, ἤδη τοῦ ἔαρος, jam vere existente. Sic tertio mense post coïtum, catulis natis, & educatis prodeunt vere fœminæ. Si Ἐλαφηβολιῶνα Martium mensem accipias, eveniet, ut Junio mense demum procedant ursi, vel Julio, atque totis
E vernis mensibus latitarint. Atqui constat hibernis condi, & vere apparere. Propter frigora conduntur. Aristoteles: πότερον δὲ διὰ ψῦχος, ἢ δι' ἄλλο τι ἀμφισβητεῖται. At frigoris causa frustrà in controverso esset, si exactis hibernis mensibus vere ineunte inlatebrarent sese. Ita nec Ἐλαφηβολιὼν de Februario potest accipi, multo minus de Martio, aut Aprili. Plinius de histrice: *hibernis autem se mensibus condit: quæ natura multis, & ante omnia ursis.* Ideo rectè capite sequenti scribit ursorum coïtus esse *hiemis initio.* Quo loco qui corrigendum contendunt, *hieme desinente*, mali sunt correctores. Cum enim coëant ante φωλεύσεως tempus, ursæque
F adeo pariant circa id tempus, quo latent, & vere demum procedant, utique necesse est, ut coïtus tempus incidat in hiemis initium. Et cum tres tantum menses coïtus, fœtus gerendi, egerendi, educandi, latitandique tempus insumat, etiam necessario sequitur, ut qui initio hiemis coëant, initio veris appareant latebris relictis. Clarissimè Aristoteles de ursis fœminis scribit, non ante eas exire, quam tempus sit catulorum in apertum educendi. Τοῦτο δὲ, inquit, ποιεῖ περὶ τρίτον μῆνα ἀπὸ τροπῶν, *tertio mense à bruma.* Ergo coïtus tempus in brumam incidet, quod initium hiemis statuit Plinius. Sed cum idem Plinius scribat
G ursas fœminas quaternis mensibus latere, id ex Aristotele confirmari non potest, qui ternis tantum mensibus latitationem earum definit. Nunc quum illud in confesso sit, hiemis initio coïre ursos, & circa τροπὰς, colligi jam necessario inde, & constare oporteret τὸν Ἐλαφηβολιῶνα μῆνα in brumalis solstitii tempus competere. Quod non potest verum esse. Certum quippe, & exploratum non Ἐλαφηβολιῶνα, sed

Ποσιδεῶνα in illa tempora brumæ cadere, Ἑκατομβαιὼν primus mensis Atticorum, qui statim post τροπὰς θερινὰς incipiebat: sextus ab eo numeratur Ποσιδεὼν Harpocrationi: ergo Ποσιδεὼν in brumales τροπὰς incidebat. Plutarchus: χειμῶνος ἐν τροπαῖς ὄντος ἱσαμένου Ἰανουαρίου μηνὸς, οὗτος δ' ἂν εἴη Ποσιδεὼν Ἀθηναίοις. Fucus ille, qui omnes reprehendit, ab omnibus reprehendendus, quique inter omnes Scaligerum quacunque occasione vexandum arripit, jure an injuria nihil pensi habens, multis contendit ad Epiphanium suum, Ποσιδεῶνα incidere ante solstitium hibernum, Γαμηλιῶνα vero post solstitium. Quo nihil falsius ab homine inepto, & nullius rei intelligente fingi poterat. Si primus mensis Hecatombæon post solstitium æstivum incipit, necesse est, ut Ποσιδεὼν qui sextus est, post hibernum solstitium incipiat, aut saltem in id solstitium incidat, si lunares menses intelligimus. Hoc nisi esset, sequeretur sex menses integros, & exactos inter utrasque τροπὰς intercedere. Quod an fieri possit ipse viderit. Nihil eum juvant Aristotelis verba, qui scribit de Thynnide: ἔστι δὲ ὁ μὲν πρῶτος τόκος περὶ τὸν Ποσιδεῶνα πρὸ τροπῶν. Nec enim ex his colligi potest, totum Ποσιδεῶνα ante τροπὰς fuisse, ut ineptus argutator concludit, sed partem Ποσιδεῶνος ante τροπὰς, partem post τροπὰς incidere. Quod & Plutarchus confirmat, qui Ποσιδεῶνα Januario respondere memorat. Plutarchus, inquit, *Posideonem cum ineunte dumtaxat Januario confert.* Nihil tale Plutarchus. Χειμῶνα ἐν τροπαῖς ὄντα, hoc est, *brumale tempus* in Januarium ineuntem confert, quem Januarium Posideoni respondere facit. Sed concedamus illi, quod vult, non inde colligeretur, quod asserit, Posideonem ante brumam fuisse. Præ studio carpendi cæcus nihil videt. *Posideon*, inquit, *ante solstitium, Gamelion post solstitium.* Ergo solstitium inter Posideonem, & Gamelionem. Peream, si sciam, quid velit, nec ipse fortasse sciebat. Ad hoc commentum struendum quàm miserè trahit Theophrasti verba, quæ nec intellexit. Theophrastus lib. VII. cap. I de diverso sementis hortensium tempore: χειμερινῆς γὰρ ἀρχὴ μετὰ τροπὰς θερινὰς τοῦ Μεταγειτνιῶνος, τοῦ δὲ δευτέρου πάλιν μετὰ ἡλίου τροπὰς χειμερινὰς τοῦ γαμηλιῶνος μηνός. Quid ex istis concludere vis, ô fatue? Mensem Gamelionem post solstitium hibernum esse? Id non negavit Scaliger. Quid ergo est? Statim post solstitium incipere vis? Eadem ratione etiam possis argumentari, Metagitnionem statim post θερινὰς τροπὰς initium ducere, quia Theophrastus dicit hortensium hibernam sationem fieri debere τοῦ Μεταγειτνιῶνος, μετὰ τροπὰς θερινάς. At quis nescit inter θερινὰς τροπὰς, & mensem Metagitnionem intercessisse alterum mensem Hecatombæonem, qui primus Atticorum fuit à solstitio æstivo: eodem modo & Gamelion post τροπὰς χειμερινὰς fuerit, intercedente Posideone, aut magna ejus parte. Eadem temeritate, & imperitia audet adversus Scaligerum pertendere Posideonem mensem non continuo insequutum esse τὸν Μαιμακτηριῶνα, sed medium intervenisse pyanepsionem. Præter Harpocrationis testimonium, qui Μαιμακτηριῶνα quintum mensem facit, Posideonem sextum, auctoritatibus Plutarchi, & Diodori id adeo firmè stabilivit, ut nihil contra possit opponi nisi deliria somniantis Cercoëtii. Locus unicus Diodori id evincit, quem non integre retulit summus ille sophisticarum nugarum architectus; ἀπὸ μηνὸς, ὃν καλοῦσιν Ἀθηναῖοι Μαιμακτηριῶνα τῶν ἑπτὰ, τῶν κατὰ τὸν ἄρκτον ἀστέρων οὐδένα φασὶν ὁρᾶσθαι μέχρι τῆς πρώτης φυλακῆς, τῷ δὲ Ποσιδεῶνι μέχρι δευτέρας. Hæc sola ille recitavit, quæ tamen sunt satis extundendo vel ex lapideo cerebro, Posideonem continenter, & in ordine sequi post Mæmacterionem. Profecto si secunda vigilia sequitur primam, tam necesse est, ut Posideon mensis sequatur Mæmacterionem. Quid fieri potest manifestius? Addit Diodorus: καὶ κατὰ τοὺς ἑξῆς ἐκ καθ' ὀλίγον πλεοναζομένοις, id est, κατὰ τοὺς ἑξῆς μῆνας: & *sic per alios in ordine sequentes menses.* Quibus verbis satis ostendit Μαιμακτηριῶνα, & Ποσειδεῶνα continuo, & in ordine jungi. Hæc verba Diodori ex Agatharchide sumpta, ut ferè omnia illorum librorum. Extant excerpta Agatharchidis apud Photium, in quibus hic locus legitur: ἀπὸ γὰρ Μαιμακτηριῶνος ὃς ἄγεται παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις,

A οὐδεὶς ἀστὴρ τῶν ἑπτὰ φαίνεται μέχρι φυλακῆς πρώτης, ἐν δὲ Ποσειδεῶνι μέχρι δευτέρας, ἐν δὲ τοῖς ἑξῆς τῶν μηνῶν κατὰ λόγον. Quid clarius istis dici potest? Indicant etiam corrigendum in Diodoro: καὶ κατὰ τοὺς ἑξῆς τῶν μηνῶν κατὰ λόγον πλεοναζομένοις. Sed hæc alibi pluribus. Heic libuit in caput audacissimi reprehensoris errorem, quem aliis impingit, refundere, & impudentiam ejus retundere. Mæmacterion igitur partem Novembris, & Decembris detinebat, & in eo mense ἀρχὴν τοῦ χειμῶνος ponit Harpocration. Hunc continuo sequebatur Posideon, qui partem occupabat Decembris, & Januarii, & ultra, citraque solstitium hibernum erat, quod B certissimum vel ex Plutarcho, qui ineuntem Januarium, quo tempore hiemem ἐν ταῖς τροπαῖς fuisse dicit, Posideoni respondere facit. Post Posideonem Gamelion: à Gamelione Anthesterion: deinde Elaphebolion, qui Martium, & Aprilem dividuos habebat, & primus erat mensis post æquinoctium vernum. Hoc mense scribit Aristoteles τὰς ὀχείας ab ursis frequentari. Quod ut verum sit, obtineri non potest, propter rationes superius allatas, quibus nihil est, quod possit opponi. Si τοῦ μηνὸς τοῦ Γαμηλιῶνος legeretur, pro τοῦ μηνὸς τοῦ Ἐλαφηβολιῶνος, omnia constarent. Γαμηλιὼν primus C hibernorum mensium, & proximus ταῖς τροπαῖς. Aristoteles lib. I Meteorol. cap. VI. Μηνὸς Γαμηλιῶνος περὶ τροπὰς ὄντος ἡλίου τὰς χειμερινάς. Hibernum solstitium veterum Græcorum VII Januarii fuit, ut rectè observavit summus Scaliger. Septimus quidem dies Januarii in Posideonem incidebat, sed quia paucis post τροπὰς diebus incipiebat Gamelion, extensivè loquitur Aristoteles, περὶ τροπὰς ὄντος ἡλίου, ut indicaret cometen illum visum esse initio Gamelionis. Sic Plutarchus ἱσαμένου Ἰανουαρίου hiemen ἐν ταῖς τροπαῖς fuisse dicit, quum Romani brumam XXI Decembris constituerent. Nihil igitur certius, compertiusque, quam legendum apud Aristotelem, τοῦ μηνὸς Γαμηλιῶνος. Hic primus mensis hi- D bernorum post τροπάς. Quod Plinius vertit *initio hiemis*, ab eo mense trimestri fere spatio latitantes ursæ verè demum prodeunt τρίτῳ μηνὶ ἀπὸ τροπῶν, ut auctor est Aristoteles. At Plinius *ineunte hieme* dixit, quod Philosophus περὶ τροπάς: quia Romani initium hiemis ducebant à bruma, sive solstitio hiberno, ut tempus æstivum à solstitio æstivo auspicabantur. Apulejus noster in medicinalibus: *incipit tempus æstivum VIII Kalendas Julias. Ipsa hora incrementum fellis admittitur, quod crescit in æquinoctium autumni.* Attici vero initia hiemis, & æstatis mense uno, & dimidiato altero ante solstitia E numerabant, & totidem diebus post utrumque solstitium tam hiemem, quam æstatem finiebant. Idem est de autumno, & vere sentiendum. Aristoteles de quodam genere vesparum, quas opifices vocabant, dicit eos non perennare, sed ab hieme ingruente interfici. Οὐ διετίζουσιν, inquit, ἀλλὰ πάντες ἀποθνήσκουσιν ὅταν χειμὼν ἐπιπέσῃ. Φανερὸν δὲ ἐστὶ τοῦτο. Τοῦ γὰρ χειμῶνος ἀρχομένου μὲν μωροὶ γίνονται οἱ ἐργάται αὐτῶν, περὶ τροπὰς δὲ οὐ φαίνονται ὅλως. Ineunte hieme jam graves, ac languidæ apparent. Circa brumam, hoc est, hieme adulta non videntur omnino, utpote frigore interfectæ. Sic hiems media circa solstitium brumale Atticis. Hoc etiam con- F firmat Harpocration, qui hiemem incipere dicit mense Mæmacterione. Ἀρχὴν δὲ, inquit, λαμβάνοντος τοῦ χειμῶνος, ἐν τούτῳ τῷ μηνὶ ὁ ἀὴρ τρέπεται, καὶ μεταβολὴν ἔχει. Mensem hunc quintum numerat ab Hecatombæone. Hecatombæon primus est mensis, qui statim post æstivum solstitium, id est, mediam æstatem incipiebat. Si totum mensem Hecatombæonem, & dimidium sequentis Metagitnionis ei æstatis parti, quæ superest, dederis, & tres deinde menses sequentes autumno adsignaveris, in mensem devenies Mæmacterionem, quintum ab Hecatombæone: in quo mense hiems G apud Atticos incipiebat juxta Harpocrationem. Ex quibus illud etiam constat, quintum, non quartum ab Hecatombæone mensem fuisse Mæmacterionem, & cum Posideone jungendum. Nam si τέταρτος legas pro πέμπτος, ut vult infrunitus Cercoëtius, hiems inciperet à mense autumnali, nec hoc tantum, sed ab initio hiemis usque ad brumam duo menses cum dimidio intercederent, & sic fieret, ut solstitium hibernum apud Atticos incideret in finem hiemis, quo tempore initium

tium hiemis conſtituebant Romani. Quo nihil abſurdius fingi poteſt. Antiquiſſimi etiam Græci hiemem in tres partes dividebant, & mediam ejus partem brumæ aſſignabant. Galenus de anni partitione ſecundum Hippocratem ita ſcribit in principio Epidemicῶn: οἱ δ᾽ αὐτοὶ καὶ τὸν χειμῶνα τριχῇ τέμνουσι, μέσον μὲν αὐτοῦ ποιοῦντες τὸν περὶ τὰς τροπὰς χρόνον. Ergo juxta Græcos media hiems, & media æſtas circa τροπάς: juxta Romanos utriuſque tempeſtatis initium circa ſolſtitia. Hoc non obſervatum multis eruditis fraudi fuit in conſtituendis hibernis, & æſtivis menſibus Atticorum. Hoc etiam facit, ut Plinio cum Ariſtotele non ſatis conveniat in Hiſtoria τῆς φωλείας urſorum. *Eorum coitus*, inquit Plinius, *hiemis initio*: hoc eſt, circa brumam juxta Plinium: at hieme adulta ſecundum Ariſtotelem. *Deinde ſeceſſus in ſpecus ſeparatim.* Ergo poſt coïtum ſtatim ſecedunt, & abſconduntur, tam mares, quam fœminæ, poſt brumam ſcilicet. *Mares quadragenis diebus latent, & procedunt vere.* Hoc verò non rectè procedit. Nam ſi abſcondi incipiunt ſtatim à bruma, quæ initium hiemis Plinio facit, & poſt quadragenos dies è latibulis ſuis exeunt; quomodo verum erit, quod ſcribit Plinius, vere eos procedere? Initio hiemis inlatebrare ſeſe incipiunt; quadragenis diebus latent, vere procedunt. Ergo vix plus quam menſem unum duret hiems ex hac Plinii ſententia. Quod eſt perquam ridiculum. Ideo videtur & quaternos menſes τῆς φωλείας urſæ fœminæ tribuere pro ternis Ariſtotelis. Cum enim dicat Philoſophus urſam educatis demum catulis prodire è ſpecu, τρίτῳ μηνὶ ἀπὸ τροπῶν ἤδη τοῦ ἔαρος, non de veris initio intelligit, ſed de vere jam adulto. Atqui ſi tres menſes ab initio hiemis numeres, in veris initium incides, & primum ipſum diem. Ἀρχομένου ἔαρος, ἀρχομένου θέρους ſemper ſolet philoſophus dicere de ineunte vere, & æſtate. At τοῦ ἔαρος, & τοῦ θέρους ſimpliciter de adulta. Idcirco igitur *quaternos menſes* Plinius pro ternis videtur poſuiſſe. Sed eum in hanc hallucinationem impegit, quod ignoravit quo in tempore initium hiemis conſtituerent Græci: & ex Romanorum inſtituto à bruma id initium auſpicatus eſt, quum Græci τὸ μέσον ibi ſtatuerent. Gamelione menſe coeunt urſi, qui menſis proxime ſequitur brumam, vel ſolſtitium brumale. Statim à coitu in ſpecus ſeparatim ſe condunt. Ibi & pariunt urſæ, quas nemo deprehendit κυούσας, id eſt, dum uterum gerunt. Nec rectè Plinius *parientes* vertit. Nam poſt coitum, & conceptum ſtatim φωλεύουσιν. Ibi pariunt, ibi & catulos educant, nec ante exeunt, quam tempus videatur eos inde educere in apertum. Ideo ternis menſibus latent, & vere exeunt jam adulto. Etenim ſi à bruma, quæ medium hiemis facit apud Græcos, menſes ternos computes, in medium ver exibunt. Forte legendum apud Plinium: *Ideo mares quadragenis diebus latent fœminæque ternis menſibus.* De maribus non dicit Ariſtoteles vere eos prodire, ſed de fœminis tantùm hoc tradit, quæ τρίτῳ μηνὶ ἀπὸ τροπῶν procedunt, ubi tempeſtivum eſſe vident catulos emittere. Si mares quadragenis diebus latent, ſub hiemis finem, ut eum accipiunt Græci, vel ineunte vere procedunt. Vulgus hodie dicit urſos ſecunda Februarii prodire è ſpelunca, & ſi ſolem viderint, iterum recondi, veluti hoc ſignum habeant hiemis adhuc dies quadraginta duraturæ. Nugæ iſtæ ſunt aniles. Urſi mares tum exeunt, quadrageſimo die à bruma, ut auctor eſt Ariſtoteles, ſuæ φωλείας tempore peracto. Et hoc tempus incidit in Februarii menſis initium. At fœminæ, quæ non ante procedunt quam catulos producere poſſint, φωλείαν ſuam ultra quadraginta adhuc dies, poſtquam exiere maſculi, extendunt: & τρίτῳ μηνὶ ἀπὸ τῶν τροπῶν latebram relinquunt. Inde natus error ille vulgi. Tradit Ariſtoteles urſam parere, περὶ τὴν ὥραν τὴν τοῦ φωλεύειν. Γίγνονται μὲν οὖν περὶ τὸν χρόνον τοῦτον, καὶ ὁ ἄρρην καὶ ἡ θήλεια πιότατοι. Quomodo accipienda illa verba, περὶ τὴν ὥραν τὴν τοῦ φωλεύειν. Ut Græce ſonant, videntur ſic accipi debere, ut fœmina circa id tempus fœtum edat, quo condere ſe incipiunt urſi. Ὥρα τοῦ φωλεύειν, tempus latendi, ut ὥρα τοῦ γαμεῖν, tempus nubendi, quod non de eo tempore accipi par eſt, quo aliquis vitam agit maritam, ſed de eo, quo de uxore ducenda cogitat. Ita Philoſophum interpretatos eſſe veterum quoſdam ex eo colligi poteſt, quod ſcripſere nonnulli, urſos eo tempore pinguiſſimos eſſe, quo in ſpecus condere ſe meditantur, immo etiam tradidere vel propter hoc abſcondi, ut nimiam ſaginam inedia, & jejunio longæ φωλείας ſubtrahant, & corpus minuant. Ælianus id clare oſtendit his verbis de urſo: ὅταν γὰρ αἴσθηται ἑαυτῆς πεπλησμένης, ὑφορωμένη τοῦτο ὡς νόσον ζητεῖ φωλεόν. Ἐντεῦθεν τοι κέκληται τῇ ἄρκτῳ φωλία τὸ πάθος. Et paulo poſt: καὶ παρελθοῦσα ἡσυχάζει καὶ τρόπον τινὰ τὴν ἕξιν ῥινᾷ, *& ſpecum ingreſſa quieſcit, & quodammodo habitum pleniorem, corpulentiamque minuit, ac limat.* Melius in his legeretur. Κέκληται τῇ ἄρκτῳ φωλειᾶν τὸ πάθος. Et apud Plutarchum de ſollertia Animalium: ἡ γὰρ ἄρκτος ὑπὸ τοῦ πάθους, ὃ καλοῦσι φωλιᾷν. Sic mulieres, κιττᾷν. Dicuntur urſæ φωλιᾷν, vel φωλειᾶν, quæ φωλεὸν expetunt: ut φονᾶν, qui cædis avidi ſunt: ἀγρᾷν de canibus, quæ ad venandum ardenter incitatæ ſunt. In Epigrammate Simonidis apud Pollucem:

Ἆ σοῦ καὶ φθιμένας λευκ᾽ ὀστέα τῷδ᾽ ἐνὶ τύμβῳ
Ἴσκω ἔτι τρομέειν, θῆρας, ἀγρῶσσα Λυκάς.

Lycas nomen canis venaticæ, quæ ἀγρῶσσα dicitur ab ardore, & aviditate venandi, ut φονῶσα χείρ, cædis avida, ac ſitiens. Ita & urſæ φωλειᾷν dicuntur, cum tempus inſtat, ut τὸν φωλεὸν avidiſſimè appetant. Circa hoc tempus pinguiſſimi ſunt, atque ideo φωλεύουσιν, ut corpus ſibi detrahant. Hoc eſt, quod ait Ariſtoteles urſos μάλιστα πιοτάτους εἶναι περὶ τὴν ὥραν τοῦ φωλεύειν, cum *tempeſtivum illis eſt abſcondi.* Et propterea abſconduntur, quia nimia ſagina laborant. Quis non videt Ælianum, & quoſdam fortaſſe alios veterum ſic accepiſſe apud Ariſtotelem, τὴν ὥραν τοῦ φωλεύειν? Verum nihil tam contrarium Ariſtotelis menti. Ὥρα τοῦ φωλεύειν eſt, ἡ ὥρα ἐν ᾗ φωλεύουσι, ὥρα τῆς φωλεύσεως. Τὸ φωλεύειν, idem quod φώλευσις, ut τὸ ζῆν pro vita, genere loquendi tralatitio Græcis, Latiniſque, tempus, quo jam latent, & in ſpecu degunt. Sic & Plinius accepit, qui urſas in ſpecu parere dicit. Nam poſt coïtum ſtatim latebras, & ſpecus petunt, tam mares, quam fœminæ, in quibus pariunt trigeſimo die. Hæc expoſitio firmatur altero ejuſdem Ariſtotelis loco, ubi ſcribit urſos condi, ſed ambigi, utrum propter frigus id faciant, an alia de cauſa: tum mares, & fœminas eſſe præpaſti corporis, ita ut vix moveantur. Ἡ δὲ θήλεια, inquit, καὶ τίκτει περὶ τοῦτον τὸν καιρὸν, καὶ φωλεῖ ἕως ἂν ἐξάγειν ὥρα ᾖ τοὺς σκύμνους. Ergo pariunt fœminæ illo ipſo tempore, quo latibula colunt, καθ᾽ ὃν φωλεύουσι: & tum mirum in modum pingues evadunt ſomno, ac torpore, ac deſidia latibuli. Non antequam ſpecum ingrediantur, tales exiſtunt, nec cauſam hanc habent per hiemem deliteſcendi, quieſcendique, ut macie ſaginam levent. Nam è contrario hoc corpus illis facit, & pinguedinem auget, ut & aliis animalibus, quæ ſimili quiete fruuntur hibernis menſibus. Exemplum ibidem adfert Philoſophus muris Pontici, & ἐλειοῦ, qui ſimiliter φωλεύουσι, & latitationis tempore ſaginam contrahunt. Φωλεύει δὲ, inquit, καὶ ὁ ἐλειὸς ἐν αὐτοῖς τοῖς δένδρεσι, καὶ γίνεται παχύτατος. Καὶ ὁ μῦς ὁ Ποντικὸς λευκός. Ergo & urſus, dum latet, pinguiſſimus quoque evadit. Hinc, ubi procedunt vere, præpingues ſunt, ut Plinius auctor eſt. Ἐλειὸν vertunt *glirem* in illis Ariſtotelis verbis. Murem aliquem arboreum intelligi apud Ariſtotelem planè neceſſium eſt. Et fortaſſean eum, quem ſequuta ætas Græciæ μυξὸν indigetavit, de quo infrà dicam. Quos hodie *blerellos* vocamus, haud ſcio, an ita dicti ſint, quaſi *glerelli*. Nam Γ & Β ſæpe confunduntur, ut *galbuli*, *valguli*. Diverſi ſunt tamen à gliribus, ſed ſomno pariter pingueſcunt, quo perpetem hiemem quieſcunt. Sunt, quos vulgo *taxones* nuncupamus priſco, ac Latino vocabulo. Ἐλειὸν Grammatici Græci *ſciurum* interpretantur. Heſychius: ἔστι γὰρ καὶ ζῶον τετράπουν ὁ ἐλειὸς καλούμενος μῦς, ὁ σκίουρος. Ita legenda Heſychii verba vulgo mendoſiſſima. In arboribus ut plurimum degunt ſciuri, & in his quieſcunt. Hinc δενδροβάται etiam dicti Græcis. Veteres Gloſſæ: *Nitela*, δενδροβάτης. Vocarunt igitur & *nitelam* veteres Latini, quem Græci σκίουρον & ἐλειὸν μῦν. Notat Servius *nitelam* eſſe murem agreſtem. Virgilius:

---- ſæpe exiguus mus
Sub terris poſuitque domos, atque horrea fecit.

A Ibi Servius: *Nitela, mus agrestis rubens, cujus Cicero meminit in Sestiana.* Pro Sestio Cicero ita nitelæ meminit: *quum id etiam civitatis fatum fuit, ut illa ex vepreculis extracta nitela rempublicam conaretur arrodere.* Certè murem agrestem intelligit, quem Græci μῦν ἀρουραῖον appelant. *Mulotum* Galli appellant vulgo, & colore rubeus est. Qui color etiam est *sciuri.* Hinc & *nitelam* pro sciuro vetus auctor glossarum interpretatur. De ea nitela accipiendus Martialis in his versibus, quod nemo adhuc animadvertit:

Quæ crine vicit Batici gregis vellus,
Rhenique nodos, auream que nitelam.

B Rutilos, ac rufos puellæ crines comparat Bætico velleri, Germanorum capillis, & nitelæ pilo. Bæticas lanas, rufas, sive rutilas fuisse notissimum est. Emendandus interim de his Plinius capite de lanis, *Hispania nigri velleris præcipuas habet, & Pollentia juxta Alpes. Canusium rutili, quas Erythras vocant, item Bætica. Furvi Tarentum & suæ pulliginis.* Nigræ lanæ Pollentinæ, ut & Hispanicæ. Canusinæ rutilæ, & Bæticæ. Inde *Canusinæ rufæ* apud Martialem ex illa Canusina lana textæ. *Nitela* quoque rutilum habet pilum, & præcipuè sciurus. Ut propterea *nitelam* de sciuro accipere potius

C sit. Nam etsi *mus agrestis* etiam rubeus sit, & rutilus, non tamen, ut cum sciuro sit comparandus. Et *nitela* in glossis est sciurus. Nam δενδροβάτης proprie dicitur. Hinc color *nitelinus* apud Plinium de rubeo, sive rutilo lib. XVI. cap. XXXVII de salicis generibus: *apud nos multi totidem generibus nomina imponunt: viminalem vocant, eamdemque purpuream: alteram nitelinam à colore, quæ sit tenuior: tertiam Gallicam, quæ tenuissima.* Nitelina salix, quæ aliis rubens, à nitelæ, sive sciuri colore. Ut non mirum sit crines ad plenum rufos, & rutilos *nitelæ* comparasse Martialem, & auream vocasse. Salicis genus, unde vincula fiunt, rubeum esse sciunt vinitores nostri. Non quod niteat, *nitela* dicta, sed

D quod nitatur in scandendis arboribus, hinc prima ejus nominis apud poëtam longa est. Nitelas similiter per hiemem dormire tradit Plinius. Sic enim de gliribus: *Conditi enim & hi cubant, rursus æstate juvenescunt, simili & nitelis quiete.* Quantum judico, nitela est, quæ Græcis μῦς ἐλειός. Ita vocarunt non ἀπὸ τῶν ἑλῶν, à paludibus, nihil enim cum his habet commune, qui inter arbores habitat, sed ἀπὸ τῆς ἕλης, quæ solis fulgorem significat. Hesychius: ἑλέα, ἡ ἕλα ἡ τοῦ ἡλίου αὐγή. Unde ἐληθερεῖς, ἐν ἡλίῳ ὑθέμωοι ἢ θερμοὶ apud eumdem. Idem εἵλη & εἱληθερεῖν. Quæ vox adeo vulgata Græcis scri-

E ptoribus omnibus, ut passim ἀείλους τόπους, & προσείλους, loca soli exposita vocent: ubi semper vitio librariorum hodie legimus προσήλους, & ἀήλους, quod ratione caret, & Græcum non est. Verum de his alibi. A colore igitur, & fulgore rutili pili dicti videantur Græce ἐλειοὶ μύες, *aureæ nitelæ.* Hinc & ἑλίχρυσον genus floris, quod aureum habeat fulgorem, qui ἐλειόχρυσος Theophrasto. Nam ἑλέα, & ἕλα idem, ἡ αὐγὴ τοῦ ἡλίου. Non sic dictus iste flos, quod in paludibus nascatur, ut vulgo putant doctissimi herbarii, & male faciunt qui Latinè adspirant *Helichryson*, quum scribendum sit, *Elichryson.* Auripigmentum quoque ἑλίχρυσον appellarunt

F Græci ἀπὸ τῆς ἐγχρύσου ἕλης, ab aureo nitore, & splendore. Verius tamen fortasse, ἐλειοὺς μύας sciuros veteribus Græcis appellari ἀπὸ τῶν ἑλῶν. Nam & ἕλη Græcis etiam sunt loca arboribus densa. Hesychius: ἕλη, σύνδενδροι τόποι. Idem ἕλος, σύμφυτος τόπος. In his locis quia semper degunt sciuri, ideo dicti ἐλειοί, ut & δενδροβάται. Nymphæ ἐλειοὶ Longo non palustres, sed arborum: Ἐλειονόμοι dicuntur Apollonio. Male igitur *glirem* apud Aristotelem vertunt τὸν ἐλειόν. Glossæ tamen etiam glirem sciurum interpretantur. Sic enim legendum: *glis*, ἵππουρος. Græci ἵππουρον vocant τὸν

G σκίουρον à magnitudine caudæ. Hesychius: Σκίουρος ζῶον, ὃ καὶ καμψίουρος, ἄλλοι ἵππουρος. Et certè videtur *glis* ex illo Græco ἐλειὸς factus. Nam Æoles addito digammate γελειὸς dicebant, ut γέλων solis splendorem, quæ aliis ἕλη. Hesychius: γέλαν, αὐγὴν ἡλίου. Sic γελειός, ὁ ἐλειός. Inde Latinum *glis*: ut γάλανος, *glans*: πόλτος, *puls*: & similia. Nec novum hoc apud Latinos, ut acceptam è Græcia vocem alia significatione atque ipsi Græci usurpent. Id in sexcentis eos facere observavimus. Glires de blerellis dicere illos inferius notabimus. Quippe eodem nomine varia animalia perpetem hiemem dormientia, & somno pinguescentia vocarunt. *Glirem* de sciuro dixerunt, & de mure arboreo, sed & taxones *glerellos*, vel *blerellos* vocabulo inde facto vocitarunt. Ἐλειὸς igitur propriè est mus arboreus. Latini *nitelam* tam de hoc arboreo mure, quam de agresti ponunt, quia utriusque pæne idem color, & *mures robeos* vocant. Ad ursos redeamus. Vera videri debet emendatio, qua apud Aristotelem correximus Γαμηλιῶν μὴν pro Ἐλαφηβολιῶνι. Venatores nostri tradunt ursos mense Decembri venere incitari, & coitum eorum quindecim dies durare: post illa abscondi, & quadragenis diebus latere: fœminas Martio mense parere. Et in hoc solo cum Aristotele non congruunt, qui catulos tum eos è specu producere dicit, non parere. Nam triginta tantum dies uterum ferre ursas scribit.

Secreti honore reverentur mares gravidas] Vetustissimum hoc loco mendum inhæsit, puta quod omnes libri tuentur. In schedis Palatinis: *secreti honore verentur mares gravidas.* Paret scribendum esse: *secretione reverentur mares gravidas.* Secernunt se mares à gravidis, & hac secretione quasi eas reverentur. *Secessum* dixit Plinius: *dein secessus in specus separatim.* Scriptum fuerat: *secreti onere verentur.* Inde vitium natum ex correctione.

Pag. 35. D. *Et interdum adpectoratas favent*] Ita scribimus librorum fide. Vulgo: *ad pectora fovent.* Plinius: *fœtus rigentes adprimendo pectori fovent, non alio incubitu quam ova volucres.* Uno verbo dixit Solinus *adpectorare*, ad pectus premere. Sic *expectorare* apud Nonium, ἐκστηθίζειν, ut *adpectorare* προσστηθίζειν.

Enixæ quaternis mensibus latent] Hoc non dixit Plinius, enixas ursas, hoc est, post partum quaternis mensibus latere, sed in totum quaternis mensibus, computato etiam tempore, quo gravidæ latent. Nam gravidam ursam videre, aut capere rarum esse tradit Aristoteles. Verba Plinii: *nec quicquam rarius, quam parientem videre ursam: ideo mares quadragenis diebus latent, fœminæ quaternis mensibus.* Perperam corrigunt: *hieme mares.* Breviori tempore latere mares ideo dicit, quia fœminæ φωλεύουσιν ἕως ἂν ὥρα ᾖ ἐξάγειν τοὺς σκύμνους. Aristoteles. Fortè scribendum, ut suprà monstravimus: *fœminæque ternis mensibus*, quia in totum ternis tantum mensibus latere fœminas Aristoteles tradit, qui terno mense ab solstitio brumali eas procedere scribit. Legitur heic etiam in quibusdam codicibus: *enixæque ternis latent mensibus.* Quod confirmat nostram in Plinio correctionem.

Pag. 35. E. *Ut putes obsitas cæcitate*] Plinius: *oculi eorum hebetantur crebro, qua maximè causa favos appetunt, ut convulneratum ab apibus os levet sanguine gravedinem illam.* Solinus verba Plinii sic interpretatus est, quasi hebetatio illa oculorum, qua interdum laborant ursi, ex insolentia lucis veniat, quam patiuntur, quum in aërem liberum exeunt è speluncis suis. Juvare Solinum videtur, quod apud Plinium in exemplaribus scriptis illud *crebro* non habetur, quæ sic legunt: *exeuntes herbam quamdam aron nomine laxandis intestinis alioquin concretis devorant, circaque surculos sentium prædomantes ora. Oculi eorum hebetantur: qua maximè causa favos expetunt.* Ita ergo accepit, quasi exeuntium è cavernis post longum tempus oculi hebetarentur desuetudine lucis. Verum is Plinii sensus non est. Etsi esset, non eam quam Solinus, affert rationem, lucis nimirum insolentiam: sed gravedinem è sanguine, quo caput oppletum habent. Verba etiam Plinii mendum continent in illis: *circaque surculos sentium prædomantes ora.* Libri: *dentium.* Scribe: *circaque circulos dentientia prædomantes ora.* Aristoteles: καὶ τὰ ξύλα διαμασσώνται ὥσπερ ὀδοντοφυοῦντα. *Dentia* pro *dentientia* scriptum erat, ut sæpe *sentia* pro *sententia.* Inde *dentium* fecerunt librarii correctores. *Dentientia ora* sunt τῶν ὀδοντοφυόντων. Melius etiam scriberetur: *circaque surculos ceu dentientia prædomant ora.*

Vis maxima in brachiis] In veteribus Agrorum metiendorum auctoribus *branca ursi* est brachium: *terminus, sive petra naturalis, si brancam ursi habuerit.* Sic & *branca lupi* ibidem. *Brancam ursinam* esui optimam

optimam esse, & in deliciis fuisse legi apud neotericum quemdam. Ἀ'ρκτου χεῖρα hoc nomine Græci commendant. *Branca ursina* manus est ursi. Inde & bracchia arborum hodie *brancas* vocamus: & *brancarium*, chiramaxium. Vetus Romanensis Gallorum lingua *brancam* pro bracchio dicebat *branc*, ut sæpe mihi lectum est. *Brancolare* inde Itali hodie dicunt, manibus iter prætentare.

Ut pondere defatigentur] In quibusdam: *ut pondere defigant.* Atque ita Palatinæ membranæ. Plinius: *pondere fatigant.*

Pag. 35. F. *Idque spectaculum inter memorabiles titulos adnotatum*] Non hoc Plinius, & falsum est spectacu- A lum, sive munus Ænobarbi inter memorabiles titulos ideo adnotatum, quod ursos in eo dedisset. Plinius simpliciter notatum fuisse annalibus dicit, Domitium Ænobarbum ædilem curulem ursos Numidicos centum dedisse. Quod ipse ideo notavit, quia miraretur additum Numidicos fuisse, cum in Africa ursos non gigni constaret. Ante Domitium Ænobarbum multi ursos Romæ in Circo dederant, nec pauciores. Quare non memorabile munus ejus fuit ab ursorum editione. Sed & in nummo ædilitatis ejus non ursus, sed leo incusus visitur. Sic non solum hæc inepta, sed falsa sunt. Ideo memorandum visum putavit, quia no- B tatum annalibus.

C A P U T XXVII.

Africa cum Cyrenaïca regione. In ea de leonibus, de leontophona, de hyæna, de lapide hyænio, de crocotta, de onagris, de serpentibus, de gemma heliotropio, de Psyllis, de lapide cornu Ammonis, de arbore melopode, de lacte sirpicio, de serpente basilisco, de genere simiarum.



PAg. 35. G. *Omnis Africa à Zeugitano pede incipit*] Plinius cap. IV à *Tusca Zeugitana regio, & quæ proprie vocetur Africa est.* Camers putavit Zeugitanam regionem eam fuisse, quæ propriè vocata sit Africa. Martianus ita sensit, modo rectè scriptum habeat: *interius Zeugitana regio, quæ propriè vocatur Africa.* Sed verius legendum esse: *interius Zeugitana regio, & quæ propriè vocatur Africa:* ut est in Plinio. Certè Solinus Zeugitanam ab Africa propriè dicta heîc secernit, & suprà de Numidia: *omnis hæc regio finibus in Zeugitanum limitem desinit.* Sic Zeugitanus pes heîc pro limite Zeugitano. Ergo *Zeugitania regio* secundum Solinum inter Numidiam, & Africam. Auctor incertus, quem Æthicum vocant in Cosmographia: *Zeugis prius non unius loci cognomentum, sed potius provinciæ fuit, velut in hodiernum ita à prudentibus accipitur.* Et paulo post: *Zeugis est, ubi Carthago civitas constituta est.* Sic Zeugitana eadem fuerit cum Africa propriè nominata, quam & *Africam Carthaginensem*, & *Provinciam proconsularem* dixerunt. Idem tamen, si idem est, alio loco videtur ab Africa separare his verbis: *Oceanus Meridianus habet provincias Ægyptum, Æthiopiam, Gætuliam, Africam, Zeugim, Numidiam, Libyam.* Ita enim scribendum. Vulgo: *Leugi, Numidiam.* Isidorus Zeugitanam, & Carthaginensem eamdem facit: *Zeugis, ubi Carthago magna est. Ipsa est & vera Africa, inter Byzantium, & Numidiam sita.* Victor quoque Uticensis lib. I de persecut. Vand. *Zeugitanam*, & *Proconsularem* provinciam pro eadem videtur accipere: *factum est, ut post obitum Episcopi Carthaginensis Zeugitanæ, & Proconsulari provinciæ episcopos interdiceret ordinandos.* Nec aliter fortasse exponendus Plinius. Et male acceperit Solinus, qui Zeugitanam inter Numidiam, & Africam collocat. Pars certè Zeugitana provinciæ Proconsularis.

Promontorio Apollinis Sardiniæ contraversa] Ita legendum. Male libri, *controversa.* Sic suprà: *qua Africæ contraversus est.* Et alibi: *contraversa siderum disciplina.* Et de Nilo infrà: *& quo impensius contraversi spiritus repugnaverint:* ἐνάντια πνεύματα.

Proinde extenta in duas prominentias] Merus miscellio hic est. Aggressus de Africa propriè dicta narrare, Cyrenaïcam simul confundit, & eam, quæ Λιβύη Græcis dicitur. Africam promontorio Apollinis Sardiniæ contraversam esse, promontorio Mercurii in frontem Sicanam procedere scribit. Et hoc rectè. Nam promontorium Apollinis in Africa adversum Sardiniæ: Mercurii, adversum Siciliæ, ut ex Plinio constat. Quod sequitur, non est satis sanum: *proinde in duas prominentias extenta, quarum altera promontorium Candidum dicitur: alteram, quæ est in Cyrenaïca regione, Phycuntem eam vocant.* Nam falsum est Africam minorem, & quæ propriè hoc nomen habet, extendi usque ad Phycuntem

C Cyrenaïcæ. Tria tantum promontoria Africæ dant scriptores: Candidum, Apollinis, & Mercurii: quæ tria promontoria duos efficiunt sinus. Mela, Plinius, alii. Ergo Africa extenditur inter Candidum promontorium, & Mercurii. Et inde usque ad Syrtem majorem. Quod à Syrte majore usque ad Phycuntem interjacet, Cyrenaïcæ datur, non Africæ minori. Sed eo deceptus videtur, quod Phycuntem Græci Libyæ adscribunt. Stephanus: Φυκοῦς, πόλις Λιβύης. Quod noster de Africa accepit, cum de Pentapoli Libya sit exponendum. Nam Φυκοῦς urbs, & promontorium in Pentapolitana.

D *Eam Phycuntem vocant*] Libri: *Fucuntem.* Græcis, Φυκοῦς.

Ea per sinum Creticum opposita Cretæ insulæ] Utrum de Africa, an Cyrenaica regione accepit? de prominentia Phycunte supra dicta intelligere volebam, suadente Plinio, cujus hæc verba: *mox à* L. M. *promontorium Phycus per Creticum mare excurrit distans* CCCL. M. *passuum à Tænaro Laconicæ promontorio.* Stephanus: κεῖται δὲ ὁ Φυκοῦς κατὰ τὸ Ταίναρον τῆς Πελοποννήσου. Sed de Africa intellexisse Solinum prorsus ostendunt sequentia, ut è libris legenda sunt, ac distinguenda: *ea per sinum Creticum opposita Cretæ insulæ contra Tænaron Laconicæ excurrit:* E *arenis Catabathmi Ægypto insinuata, cui proximi Cyrenenses: extenditur inter duas Syrtes*, &c. De Africa minore hæc omnia capienda esse luce clarius est. Africam extendit usque ad Phycuntem Pentapolitanæ regionis, sive Cyrenaïcæ promontorium. Ut autem paulo ante dixit Africam promontoriis Apollinis, & Mercurii Siciliæ, & Sardiniæ contraversam esse, ita hoc loco scribit eamdem Africam prominentia Phycunte contra Tænaron Laconicæ excurrere per sinum Creticum. Sic Pentapolitanam Libyam confundit cum Africa. Quod sequitur: *arenis Catabathmi Ægypto insinuata, cui* F *proximi Cyrenenses*, immanis error, & major priore. His verbis Africam minorem cum Libya Mareotide planè eamdem facit, ut suprà cum Pentapolitana confuderat. Certè Libya Mareotis, quæ & Marmarice, Ægypto contermina, & Cyrenaïcæ proxima, utpote quæ inter Ægyptum, & Cyrenensem sita sit, sed longè ab Africa posita. Nam Cyrenensis inter Ægyptum, & Africam minorem jacet. Hic vero cum Africam minorem à Cyrenaïca, sive Pentapoli Libye non discernat, & Libyam simul Mareotidem cum Africa eamdem faciat, Cyrenaïcam tamen ab hac Libya Mareotide sejungit. Quibus nihil intricatius, καὶ λαβυρινθωδέστερον.

G *Arenis Catabathmi Ægypto insinuata*] Ita distinximus, ac legimus, cum vulgo editi omnes haberent: *contra Tænarum Laconicæ excurrit arenis. Catabathmos Ægypto insinuata.* Quæ monstra erant lectionum, non tamen animadversa illi correctori, quem pro summo Critici sui habent. Quomodo Phycuntis promontorium arenis excurreret contra Tænaron, cum solum mare Creticum inter duo illa promontoria pateat? deinde *Catabathmos*

bathmos insinuata, de mendo illum advertere debuit, pro *insinuatus* ὁ Κατάβαθμος. Libri omnes meliores habebant: *Catabathmi*. In quibusdam: *Catabathmia*. Certum est Libyam Marmaricam, vel Mareotidem, ab arenis Catabathmi Ægypto insinuari, quam Libyam noster nominis errore inductus Africæ minori adjunxit, quia Africa Græcis etiam Λιβύη. Stephanus: Κατάβαθμος τόπος ἐν Λιβύῃ μεταξὺ τῆς Ἄμμωνος καὶ τῆς Παραιτονίου. Locum arenosum esse inde constat. Terminabat Cyrenaïcam. Ab eo ad Paratonium Libye Μαρμαρικὴ, sive Μαρεῶτις, quam Solinus accenset Africæ.

Ægypto insinuata, cui proximi Cyrenenses] Ita libri. Nos vero eorum ductu sic distinximus. Vulgo erat: *Ægypto insinuata cui proxima Cyrenensis extenditur inter duas Syrtes*. Atqui falsum est, Cyrenensem extendi inter duas Syrtes. Nam à Syrte majori incipiebat Cyrenensis. Philænorum aræ, ut notum est, limitem faciebant Carthaginensium ditionis, hoc est, Africæ minoris, & Cyrenaïcæ regionis. Cyrenenses autem proximi Libyæ Marmaricæ, quam noster confundit cum Africa. Et hoc est, quod dicit heic Cyrenenses proximos esse Africæ, vel, quod illi idem est, Libyæ Mareotidi, quæ arenis Catabathmi Ægypto insinuatur.

Extenditur inter duas Syrtes] De Africa minore intelligendum, non de Cyrenaïca, ut perperam lectio vulgata adstruebat. Regionem porro, quæ inter duas Syrtes extenditur, *Tripolitanam* Libyam propriè vocarunt, & ab Africa separarunt. Eusebius: Λιβύη ἀπὸ Λέπτιος παρεκτείνουσα μικρᾶς Σύρτεως. De Tripolitana intelligit. Incertus auctor: *Tripolis provincia, quæ est & Subventana, vel regio Arzugum, ubi Leptis magna civitas habet ab oriente aras Philænorum inter Syrtem majorem, & minorem*. Alius æquè incertus, *mensuram Tripolitanæ provinciæ inter duas Syrtes, & mensuram Libyæ Cyrenaicæ cum sua Pentapolitana provincia nequaquam adhuc invenire potui secundum Theodosii Missos*. At iidem Theodosii Missi Africam Carthaginensem Syrti minore definiunt ab Oriente his verbis: *Numidia, & Africa Carthaginensis finiuntur ab oriente Syrti minore: ab occidente flumine Amsaga: à septentrione mari Africo: à meridie Oceano. Longitudo* DLXXX: *latitudo* CC. Plinius quoque longitudinem Numidiæ, & Africæ ab Amsaga ad Syrtim minorem totidem passibus metitur, & eamdem latitudinem agnoscit. Miserè totus hic locus mendosus antea, mireque perturbatus in editionibus extabat. Ptolemæus sub Africæ nomine non solum Numidiam, sed etiam utramque Syrtem cum Tripolitana comprehendit.

Pag. 36. A. *Nunc in brevia rescinditur dorsuosa*.] Et hic locus haud secus in scriptis, quam in editis omnibus vitiosè conceptus. Habent quippe antiquitus exarati omnes: *nunc in brevia rescidit*. In uno saltem reperi: *in brevia rescit dorsuosa*. Unde non dubitavi scriptum olim fuisse: *nunc in brevia crescit dorsuosa, nunc æstibus inundatur inquietis*. Ammianus Marcellinus, qui Solini loquutionibus sæpe utitur, lib. XXII. *Et consurgit in brevia dorsuosa limum, globosque aggerente multitudine circumvenientium fluentorum*. Scripserat autem Solinus in πρεκδόσει: *nunc brevibus extollitur, nunc fluctibus inundatur*.

Omnis hæc plaga ab Æthiopia, & terminis Asiæ Nigri flumine.] Heîc de Africa, quæ partem orbis tertiam faciebat, non de particulari Africa loquitur. Sed mirificè hæc turbat, & miscet. Paulò suprà pro Africa tertia orbis parte Libyam dicere sibi placuisse ostenderat, nunc id mutat. Nam Africam pro Libya heîc posuit, quam ab Hispania freto scindi dicit. Titulus hujus capitis, & ordo, quem in Plinio compilando sequitur, Africam tantùm, prout particularis provinciæ nomen est, promittebat. Nec præter promissum capitis ipsius initium factum erat: *Omnis Africa à Zeugitano pede incipit*. Etenim hæc proprie Africa. Plinius: *à Tusca Zeugitana regio, & quæ propriè vocetur Africa est*. Trans Tuscam, quippe Numidia. Atqui hanc ipsam Africam noster extendit usque ad Ægypti confinia, & Catabathmon, quo Cyrenensis terminabatur, & unde incipiebat Libya Mareotis: cum satis constet totam Africam, ut sub posterioribus determinata est, distributaque in sex provincias, finitam

A fuisse Philænorum aris: in quibus terminus erat statutus Africæ, & Cyrenaicæ regionis. Heîc vero Africam accipit pro tota Libya. Quæ sequuntur porro locorum particularium descriptiones, ad Africam minorem omnes spectant. Posteà tamen redit ad Africam, quæ tertiam signat orbis partem. Sic omnia turbat, & confundit simius iste.

Ab Æthiopia, & terminis Asiæ Nigri flumine] Nec quid heîc velit satis scio, nec puto ipse noverat. Nigrim Æthiopiam ab Africa dirimere certum est. Plinius: *Gætulia tota ad flumen Nigrim, qui Æthiopiam ab Africa dirimit*. Idem cap. IX tradit Nilum in Mauri-
B taniæ montibus originem habere, & ex lacu Nilide profluere, mox atque iterum conditum, harenisque receptum, tandem prosilire fonte illo, quem Nigrim vocavere. *Inde*, inquit, *Africam ab Æthiopia dispescens, etiamsi non protinus populis, feris tamen, & belluis frequens, silvarumque opifex medios Æthiopas secat cognominatus Astapus*. Certè ubi vocatur Nigris, quaque Æthiopas ab Africa dirimit, nulli ibi Asiæ termini. Vide Plinium lib. V. cap. VIII: & inde colliges, quam magnus nugarum sit opifex Solinus, dum simiam Plinii agit. Videbis inquam illic, nullos Asiæ terminos esse, quacunque pergit Nigris, nec unde manat. Quæ
C sequuntur particulares locorum descriptiones, ad Africam minorem spectant. Capitis hujus titulus, & ordo, quem in Plinio imitando, vel compilando sequi proposuit, hoc idem postulabat. Tædet talium pigetque.

Fontium inops, & infamis siti] Ξηρολιβύην eam Græci vocarunt. Xerolibyen Servius inter Pentapolim, & Tripolim collocat.

Aquarum larga] Ὕδασι δαψιλής. In aliis codicibus: *aquario larga* pro *aquariorum*, τῶν ὑδρείων. Quod ex altera editione est. *Aquarium*, ὑδρεῖον. Glossæ: *aquarium*, ὑδραγώγιον. In aliis *lacus* exponitur. *Lacus*, ὑδρεῖον,
D λάκκοι. Puteos etiam liceat ita vocare. Plinius: *ad Garamantes iter inexplicabile adhuc fuit, latronibus gentis ejus puteos qui sunt, non alte fodiendi si locorum notitia adsit, harenis operientibus*. Straboni ὑδρεῖα lib. XVII. Νυνὶ δὲ ἡ ὑδρεῖα κατεσκευάκασιν ὀρύξαντι πολὺ βάθος. Καὶ ἐκ τῶν ἐξαινίων, καὶ περ' ὄντων σπανίων ὅμως δεξαμενὰς πεποίηνται. Cisternas, quas δεξαμενὰς vocat, ἀπὸ τῶν ὑδρείων distinguit.

In agro Byzaceno, qui patet passuum ducentis, vel amplius millibus] Plinius cap. IV. *Libyphœnices vocantur, qui Byzacium colunt. Ita appellatur regio* CCL. M. *passuum per circuitum, fertilitatis eximiæ*. Libri scribunt *Byzan-*
E *tium* eo loco: & item altero libri XVII. *Contra in Byzantio Africæ illum centena, & quinquagena fruge fertilem campum*. Ea scriptura cum sæpe in veteribus libris occurrat, & in veteri etiam inscriptione, non est cur eam damnent, aut mirentur eruditi. Βύζαντες vocantur Græcè hi populi Africæ. Herodoto Γύζαντες. Quod Æolicum est, ut γλέφαρον, γάλανος, πέσγυς. In recto Βύζας, ut Γαράμας, Γαμφάσας. Latini dixere *Byzax*, eodem prorsus modo, quo *Ajax*, *Ajacis*, qui Græcis Αἴας, Αἴαντος. Sic *pristix*, quæ Græce πρίστις. Glossæ: *pristis genus belluæ marinæ*, *Accius pristices dixit*. Unde navis *pristix* Virgilio, Græce quoque πρίστις. Hoc idem
F fecerunt & in alio nomine populi Africani, Græcè dicuntur Μάζυες, ὁ Μάζυς. Latini dixere, *Mazux*. Lucanus:

Marmaridæ volucres, æquaturusque sagittas
Medorum, tremulum cum torsit missile Mazux.

Perperam legitur *Mazax*. Et apud Suetonium: *armillata, & phalerata Mazucum turba, atque cursorum*. Τῶν Μαζύων. Nulli sunt in Africa *Mazaces* populi, sed *Mazyces*, aut *Mazices*. Inde & *Marices*. Ita nominantur Ptolemæo, qui vulgarem, & Latinum typum in nominibus urbium, & gentium concipiendis fere semper sequitur. Stephanus: Μάζυες, οἱ Λιβύης Νομάδες. Ἑκαταῖος περιηγήσει. Μάζυς, *Mazux*. Nemesianus:
G
Quemque coloratus Mazux deserta per arva
Pavit, & assiduos docuit tolerare labores.

Malè, *Mazax*. Sic Βύζας, Βύζαντος, Latinis *Byzax*, *Byzacis*. Unde *Byzacium*. Græcis Βυζάκιον. Stephanus: Βύζαντες, Λίβυες περὶ Καρχηδόνα τῆς Λιβύης ἔθνος, ἀφ' ὧν ἡ πόλις Βυζάκιον. & paulò post: Πολύβιος δὲ Βυζακίδα χώραν εἶναί φησι περὶ τὰς Σύρτεις ἐν δωδεκάτῳ, σταδίων μὲν ἔχουσαν τὴν περίμετρον δισχιλίων. Τῷ δὲ σχήματι περιφερῆ τὸ ἔθνος τῶν Γύζαντων

A τύπῳ Βυζακίτης εἴη, νῦν δὲ Γυζακηνοὶ λέγοντι τῷ ἐθνικῷ χαρακτῆρι. Sic legendus vulgo corruptissimus apud Stephanum locus, qui ita in editis legitur: Πολύβιος δὲ Βυσαλάδα χώραν εἶναί φησι περὶ τὰς Σύρτεις, ἐν δυοκαιδεκα σαδίοις μυρίων ἔσαν τὴν περίμετρον, δύο δὲ τῷ σχήματι περιφερής. Citat eumdem Polybium ἐν δωδεκάτῳ, in voce χαλκεῖα, quem locum Libyæ perperam Demosthenes pro urbe acceperat, cum essent χαλκωρυχεῖα. More autem Romano Βυζακίδα regionem vocavit Polybius, quam Græci vetustiores Βυζαντίδα dixissent, per circuitum bis mille stadiis patere scribit; quod convenit cum Plinii computatione. Nam duo stadiorum millia efficiunt ducenta quinquaginta millia passuum. Plinio autem *Byzan-*
B *tium* regio ipsa est, non urbs. *Libyphœnices vocantur, qui Byzantium colunt.* Sic enim scribendum è libris, non *incolunt*, ut habent excusi. Martianus: *est & alia distinctio: Libyphœnices vocantur, qui Byzantium colunt, quæ regio ducentis quinquaginta millibus patet.* Ptolemæus: τῶν δὲ Λιβυφοινίκων ἀπὸ μεσημβρίας ἐστὶν ἡ Βυζακῖτις χώρα. Ita legendum pro ζακῖτις. Non oppidum igitur Βυζάντιον, nec *Byzacium*, sed regio, vel provincia, & falluntur qui aliter censent. Itinerarium sub nomine Antonii Augusti: *Item Carthagine Byzacio Sufetulam usque.* Scribendum è libris: *item Carthagine in Byzantio Suffe-*
C *tulam usque*, id est, in Byzacena regione. Nam *Suffetula* urbs Byzacii. *Byzacium* pro ipsa provincia passim in actis Conciliorum Carthaginensium, nusquam pro urbe. Nec apud quemquam veterum, præterquam apud unicum Stephanum de urbe reperitur dictum. Quod tamen mirum, cum τύπος urbis sit potius, quam regionis: nam regio Βυζακία, aut Βυζαντία videretur magis dicenda. Sed *Byzacium* sit ἡ Βυζακῖτις, ut *Samnium*, ἡ Σαμνῖτις. Nam *Samnium* Latinis est regio Samnitum, ut *Byzacium*, regio Byzacenorum. Sic *Bruttium* regio Bruttiorum. Stephanus Σάμνιον etiam pro urbe ponit. Σάμνιον, πόλις Βρεττανίας, ubi Βρεττανία, est Βρεττία. Sic
D enim loquebantur Græci. Athenæus lib. v verbis Moschionis: τῶν δὲ ἱστῶν ὁ μὲν δεύτερος καὶ τρίτος εὑρέθησαν, δυσχερῶς δὲ ὁ πρῶτος εὑρέθη ἐν τοῖς ὄρεσι τῆς Βρεττανίας. Nihil mutandum. Βρεττανία est Βρεττία, *in montibus Bruttiorum.* Ἐκλογαὶ Diodori Siculi: Ἀννίβας γὰρ κατασκάψας πολλὰς καὶ τὰς πόλεις τῆς Βρεττανίας παραλαβὼν, ὕστερον καὶ τὴν Κρότωνα εἷλε. Olympiodorus in excerptis apud Photium: ὅτι τὸ Ῥήγιον μητρόπολις ἐστὶ Βρεττανίας. *Samnium* Stephanus urbem prodit, quæ regio fuit. Nam nemo unus veterum præter eum Samnii urbis meminit. Idem est & de Byzantio, vel Byzacio Africana regione, quam
E urbem facit solus è veteribus. Nec Isidorum moror, qui *Byzantium* quoque in Byzacena regione urbem memorat. Stephanum sua Grammatica, hoc est, Græcorum movit, ut Βυζάντιον, & Σάμνιον urbes putaret. Nam hic typus urbium apud Græcos usitatus, qui nullam regionem norunt sic terminatam. Latinæ igitur literaturæ est *Byzacium*, *Samnium* pro regionibus. *Byzacium* quoque Varroni regionis est, non oppidi nomen lib. I. de R. R. *In Syria ad Gadara, & in Africa ad Byzacium item ex modio nasci centum.* Ita legendum *ad Byzacium*, pro apud Byzacium. Ἀρχαϊκῶς. Potuit tamen de urbe accepisse, & errasse. Et videtur apud eum magis urbs esse.
F Pag. 36. B. *Externos in ea convenisse*] *In ea* pro *in eam.* Sic loquitur suprà: *nec amplius reverti voluit in profundo.* Item cap. I. *Ut oppida exstructa sint, ut colonias ibi deduxerint.* Et infrà, cap. XXXIX. *Pythonis come locus, ubi primo adventus sui tempore advolant grues.* Libri etiam hoc loco legunt: *externos ibi plurimos conventasse argumentum de urbibus, & locis dabimus.* Sic *ubi* pro *quo* apud Volcatium: *evagandi, ubi vellet, dedit potestatem.*

Hipponem alterum de interfluente freto Diarrhyton nuncu-
G *patum*] Nugæ. Nullum fretum interfluit, ubi Hippo Diarrhytus, nec ea de causa dictus est. Ad mare quidem positus, sed nec minus alter Hippo, qui *Regius* dicebatur. Præterea non is est intellectus vocis διάρρυτος, nec mens Plinii, cujus verba ita sunt legenda: *Hipponensem proximum ab oppido, quod Hipponem Diarrutum vocant, διάρρυτον Græcis dictum propter aquarum rigua.* Perperam scribitur: *dirutum vocant.* Et malè pertinaces in ea lectione asserenda docti quidam, nec melius aliis corrigentibus, *dilutum.* Hipponem hunc *Diarrutum* Latini vocabant voce Græca ad discrimen Hipponis Regii. Græci autem διάρρυτον hunc appellarunt, *propter aquarum rigua.* Ita legunt in Plinio libri, non *irrigua.* Et sic loquitur alibi auctor. Lib. XXXI. cap. VII. *Vulgaris plurimusque in salinis mari adfuso, non sine aquæ dulcis riguis.* Et alibi passim apud eum *aquarum rigua*, αἱ ὀχετεῖαι, οἱ ὀχετοὶ τῶν ὑδάτων. Et Græcis locus ὕδασι διάρρυτος ἢ κατάρρυτος, *aquis irriguus*; ut *irriguus hortus* Horatio. Glossæ: *riguis*, ὀμβρηροῖς, εὐβόλοις. Malè corrigunt, εὐβώλοις. Græci βολὴν de rore dicunt, & δρόσου βολὰς Theophrastus. Unde verbum δροσοβολεῖν. Hinc εὔβολος, locus roscidus. Sed hæc alibi. Aut igitur de industria recessit à Plinio Solinus, aut *aquarum rigua* perperam de interfluente freto accepit. Uterque Hippo mari adpositus, sed hic διάρρυτος ad distinctionem appellatus, quod aquarum riguis abundaret. *Aquæ riguæ* sunt, quæ ad rigandum inducuntur. Ut *flumen riguum, fons riguus.* De quibus infrà.

Clypeam civitatem Siculi exstruunt, & Aspida nominant] Λόφον esse dicit Strabo lib. XVII ἀπὸ τῆς ὁμοιότητος sic dictum, ὅνπερ συνῴκισεν Ἀγαθοκλῆς. Libro VI urbem Ἀσπίδα eamdem cum Clypea facit: καὶ περὶ τῆς Ἀσπίδος Καρχηδονιακῆς πόλεως, ἣν Κλυπέαν καλοῦσιν. Ita legendum. At Ptolemæus *Clupeam* ab Aspide separat. Κλυπέα, Ἑρμαία ἄκρα, Ἀσπίς. Sed hic mos Ptolemæi, quem in multis observavimus; ubi ejusdem urbis, aut loci duo nomina occurrunt, Græcum pariter & Latinum, duo inde loca diversa condere. Ut Αἰθάλη Græcis, quæ Latinis *Ilva.* Ptolemæus duas insulas statuit *Ilvam* & Αἰθάλειαν. Sic Πιθηκοῦσαι Græcis, quæ Latinis *Enaria*: nam Latinè *enares* dicebantur simiæ, quod naribus carerent: unde & dictæ simæ & simiæ. Sic *ecaudis*, qui caret cauda, *elumbis*, *enodis*, & similia. Ptolemæus Πιθηκοῦσαν, & *Enariam* quasi differentes insulas recenset. *Clupeum* autem videtur vocatum prius hoc oppidum, quod Græcè est Ἀσπίς. Nihil frequentius, quam hæ numerorum, generumque enallagæ in urbium nominibus. Τὰ Κλύπεα, Cæsari. Ubi perperam insulam de urbe faciunt. *Clupea Ennio*:

Omnibus at Clupea præstat Mustela marina.

Mustela Clupea, ut *Hospes Zacyntho.* Græci κύκλον τὴν ἀσπίδα vocabant. Æschylus:

Ἄλλῳ δὲ πολλὴν ἀσπίδος, κύκλον λέγω.

Ita distinguendum. Κύκλος, ἀσπίς. Glossæ: Inde Κύκλιον & transpositione literarum, Romanos & aboriginibus suis Æolibus familiari, κλύκιον, *Clupeum*: ut λύκος, *lupus*, σηκὸς, *sepes*: sic ἄμιθρος pro ἀριθμὸς: & ὄλχος pro ὄχλος, addito digammate, βόλχος: unde Latinum *volgus.* Nugantur Grammatici, qui *Clypeum*, & *Clupeum*, genere & scriptione distinguunt, quasi alterum de scuto dicatur, alterum de imagine. In veriloquio hujus vocis etiam ineptiunt.

Veneriam] Ἀφροδίσιον.

Oea, Sabrata, Leptis magna] Haud difficile fuerat Delrio ita reponere. Nam sic omnes libri, etiam princeps editio Veneta, nisi quod habet, *Otea.* Non tamen hujus emendationis auctor est, licet velit videri. Ita Vadianum primum legisse notavit Frobenius. Locum Sillii jam attulerat Camers. Hæ tres urbes, quæ Tripolim constituebant, eodem ordine leguntur in Cosmographia Æthici: *Phileno, Nareta, Oea, Sabrata, Leptis magna.* Lege: *Philenon aræ*, vel *Philenorum aræ.* De Sabrata corrigam obiter nobilem ex Apulei Apologia locum, in quo emendando sudarunt frustrà doctissimi viri. Sic legitur vulgo: *nam equidem hanc fabre technam hesterna die animadverti satis notabiliter in medio foro tibi Æmiliane obructantem.* Nihil attinet referre varias emendationes doctorum, quæ potius sunt varii generis corruptiones. Magis ad rem fuerit ex veteri lectione correxisse: *nam equidem hic Sabratæ eum hesterna die animadverti satis notabiliter*, &c. Vetus autem illa lectio habet: *nam equidem hic sabrate eum externa die.* Ita Florentinæ membranæ, ita omnes libri. Oratio ergo Apulei habita Sabratæ. De Oeensibus alter locus ejusdem Apulei emaculandus, ubi vulgati habent: *nam, ut audio, percensentibus iis qui istum noverunt, nulli deo adhuc ævi supplicavit.* Quæ vitii manifesta sunt. In libris est: *nam, ut audio, partim Oensium.* Scribendum liquet: *nam ut audio partim Oeensium.* Locum corruperunt

runt, qui vetus loquendi genus non observarant. *Ut audio partim Oeensium, ut partim Oensium dicunt, ut ex partim Oeensium auditu accepi*, ἀρχαϊσμοὶ sunt. Sic enim dicebant: *partim hominum venerunt, cum partim hominum venit*. Vide Agellium lib. x. cap. XIII.

Pag. 36. C. *Cum rex Hiarbas rerum in Libya potiretur*] Melius sine aspiratione, *Jarbas*. Nam Græcis Ἰάρβας. Et sic Virgilio. Certùm libri omnes Solini heîc aliam hujus regis denominationem suggerunt, leguntque *cum rex Japon*. Ita Cato vocaverit, qui aliis *Jarbas*. Quidam codices *Lapum*, alii *Japum*. Meliores, vetustissimique, *Japon*. Princeps editio Veneta, *Lapon*.

Rex Jarbas rerum in Lybia potiretur.] Maurusiorum regem facit Poëta. Justinus *Maxitanorum*. Hi sunt qui Græcis Μάξυες. Sic Maxutani, vel *Maxytani*. Eustathius, Νομάδων, καὶ Μαζίκων. Græci isti Μάζυες sunt, Latinè *Mazuces*, & *Mazices*. Unde Μάζικες etiam Græcis recentioribus. Vide, quæ notavimus suprà.

Et Carthadam dixit] Livius nomen *Carthago* lingua Pœnorum novam civitatem significare dixit. Ergo *Carthada*, & *Carthago* idem, sed illud merum Phœnicium, hoc Punicum, id est, jam depravatum Phœnicibus aliquantum temporis in Africa commoratis. Nam Pœni αὐτόχρημα Φοίνικες. Φοίνιξ, *Pœnis* & *Pœnus*, ut *hilaris*, *hilarus*. Unde & *puniceum* τὸ φοινικέον, de colore. Hoc est, quod heîc dicit sermone Phœnicum in morem Punicum verso, de *Carthada* factum esse *Carthago*. Nec dubium, quin Græcum Καρχηδὼν ab eadem origine sit deductum, & inflexum. Quod Siculorum proprium, qui θ mutant in χ. Sic quæ *Carthada*, vel *Carthado* Pœnis, ipsi dixerunt Καρχηδὼ: ut ὄρνιθες, ὄρνιχες. Ipsi Africæ vicini hoc nomen cæteris Græcis transmiserunt. Falluntur igitur autores plerique Græciæ, qui Καρχηδόνα conditam scripsere ἀπὸ Καρχηδόνος τινὸς ἀνδρὸς Φοίνικος. Nam idem nomen Καρχηδών, & *Carthago* deflexum à Punico, vel Phœnicio *Carthado*. Nec ita vocata est à nomine conditoris. Nomen Punicum similiter desinens Διδώ, quod viraginem significabat. Huic rei fidem facit, quod & in Iberia *Carthago*, Καρχηδὼν etiam καινὴ πόλις dicta est. Stephanus: ἔστι δὲ καὶ ἄλλη Καρχηδὼν πόλις Ἰβηρίας, ἐκαλεῖτο δὲ καὶ αὐτὴ καινὴ πόλις. Idem ex Eutropio Græco scriptore refert urbem etiam Armeniæ fuisse Καρχηδόνα. Ibidem inter cognomina Carthaginis quæ recenset, ἐκαλεῖτο δὲ, inquit, καινὴ πόλις, καὶ Καδμεία, καὶ Οἴνουσα, καὶ Κακκάβη. Atqui illud καινὴ πόλις interpretamentum est nominis Καρχηδών. Eustathius: Φασὶ δὲ καὶ ὅτι ὁ ῥηθεὶς Ἰάρβας τὴν πόλιν μετὰ τὴν κτίσιν καθάρας, ἐκάλεσε τῇ Λιβύων φωνῇ καινὴν πόλιν. Ὕστερον δὲ ἐκλήθη Καρχηδών. Nugatur, vel ille, unde habet. Καινὴ πόλις Græca est significatio Punici nominis Καρθάδα, vel Καρθάδω: quod Siculis, ut dixi, Καρχάδω, ceteris Græcis Καρχηδών. Sic Σαρδώ, Σαρδών, Σαρδόνος. Διδώ, Διδών, & similia sexcenta. Ceterùm illud ex ea sententia colligere possumus, *Byrsam*, quæ ἀκρόπολις fuit, à Didone Tyria tantùm fuisse conditam, Jarbam postea novo conditu eam urbem instaurasse, & vocasse Καινὴν πόλιν, Punica, vel Libyca voce, quæ id significaret, id erat *Carthada*, vel *Carthado*: unde κατὰ παραφθορὰν Latinis Carthago, Græci Καρχηδὼν dicta est. Falsa igitur, & nugatoria Græcorum opinio, qui à Carchedone Tyrio conditam, & inde nominatam scripsere. Eusebius apud Hieronymum: *Philistus scribit à Zoro, & Carthagine hoc tempore Carthaginem fuisse conditam. Eosdem autem fuisse Tyrios.* *Carthaginem* vertit, & facit nomen proprium viri, quod in Græcis erat Καρχηδών: quia urbem ipsam Latini *Carthaginem*, Græci Καρχηδόνα vocent. Ineptè. Dicere debuit: *à Zoro & Carchedone*: Appianus: οἰκισταὶ δὲ αὐτῆς ἐγένοντο Ζῶρος καὶ Καρχηδών: ὡς δὲ Ῥωμαῖοι, καὶ αὐτοὶ Καρχηδόνιοι νομίζουσι, Διδώ, γυνὴ Τυρία. Mitto Romanos, sed Carthaginiensibus longè melius de se ac suis auctoribus: quam Græcis credi putem. Nomen proprium viri Tyrii voluerunt, ut esset ὁ Καρχηδών, ut Σαρπηδών. At urbs ipsa non ἡ Καρχηδὼν ab eo fuisset vocitata, sed Καρχηδονία, vel Καρχηδονίς. Illud enim prorsus ratione caret. Igitur Καρχηδὼν Græco more inflexum, & corruptum Punico vocabulo, quod *civitatem novam* designabat. Servius: *Carthago est lingua Pœnorum nova civitas, ut docet Livius.* Καρχηδόνα vero illum commentitium alii patrem Didonis, alii comitem, alii neutrum fuisse volunt. Sic à semetipso destruitur mendacium.

Et hæc Elissa, & illa Carthago dicta est] Hæc non capio. *Elissa* proprio nomine dicta est, quæ Carthadam condidit, domoque Phœnix fuit. *Mox*, inquit, *sermone verso in morem Punicum, & hæc Elissa, & illa Carthago dicta est.* Video, quid mutationis factum sit in voce *Carthago* ex *Carthada*; at in *Elissa* nihil perspicio, quod mutatum videri queat. Libri superius scribunt *Elyssa*, & *Elysa*: hoc loco, *Elissa* & *Elisa*. An hoc intellexit? Ut prius *Elyssa* dicta sit, mox *Elissa*? Aliquid tale oportet somniasse nostrum, quamquam hoc nihil sit. Græci scribunt Ἔλισσα. Atque ita veteres libri Latinorum scriptorum. An scribendum? *Mox sermone verso in morem Punicum, & hæc Dido, & illa Carthago dicta est.* Constat ex auctoribus *Elissam* proprio nomine vocatam fuisse, quæ postea à Pœnis *Dido* nominata est, quod eorum lingua viraginem significat. Vide Servium. Eustathius in Periegeten: Διδὼ δὲ ἐκάλεσαν οἱ πλεονεκτηθέντες τὴν τοιαύτην γυναῖκα ἐπιχωρίᾳ φωνῇ, ὡς ἂν εἴποι τις ἀνδροφόνον. Quod virile facinus ausa esset, in pyram se præcipitando. Ita dictam fuisse notat Servius, quasi viraginem. Eusebius, cum prius *Origo* vocaretur, postea nuncupatam fuisse, Διδώ. Ἐκαλεῖτο δὲ πρὸ τούτου Ὀειγώ. Certè heîc corrigendum omnino censeo: *& hæc Dido, & illa Carthago dicta est.* Nam de Elissa vel error est librariorum, vel Solini hariolatio. Nec enim verisimile est Catonem, quo teste utitur, diversum nomen putasse *Elissam*, & *Elisam*. De Carthagine Servius: *Carthago à Cartha, ut lectum est, quod invenitur in Historia Pœnorum, & Livio.* Scribe: *Carthago, à Carthada.* Nam in historia Pœnorum *Carthada* nomen urbis sic erat conceptum, quæ Latinis *Carthago*, Græcis Καρχηδὼν κατὰ παραφθοράν. De nomine porro viri Didonis etiam inter auctores non convenit. Virgilio *Sichæus*. Græcis Συχχαῖος. Servius *Sicharbam* dictum adnotat. Is erat Ἀχάρβας. Unde *Acervas* Justino dicitur. Latini veteres Sicharbam dixere. Ἀχάρβας, *Sicharbas*: ut ἀριστερὸς *sinister*: ἄνες, *sine*: ἀνέω ἀνῶ, *sino*: ἄκα, *sica*: Ἀκέστα, *Segesta*.

Quæ post annos septingentos triginta septem] Ita Regii. Schedæ Palatinæ: *post annos* DCLXXVII. In Freheranis expressè: *post annos sexcentos septuaginta septem.* Vinetus notavit ita veterem codicem, quo usus est, habuisse. Quæ diversitas ex duplici editione. Cicero sexcentos ferè annos stetisse Carthaginem alicubi dicit: Livii epitome septingentos: anno autem urbis excisam septimo & sexcentesimo. Paterculus quinque & sexaginta annis ante conditam, quam urbs Roma conderetur. Sic fiunt sexcenti septuaginta duo anni. Qui numerus quinque tantum annis minor eo numero, quem in quibusdam Solini codicibus invenire est. Scribit Eusebius Carthaginem sub potestatem Romanorum venisse annis à conditu suo, DCLXVIII: *ut vero alii affirmant*, DCCXLVIII. Ex his constat Solinum alios auctores in priore editione sequutum esse, alios in δευτέρᾳ. Sed has auctorum dividias conciliare non hujus est loci. Vide Scaligerum in Isagogicis canonibus.

Pag. 36. D. *Verùm, ut ad Africam redeam, interna ejus plurimæ bestiæ tenent*] Ita scripsimus faventibus libris. Nullo sensu antea legebant: *verùm, ut ad Africam redeamus, ipsa suo cingitur angulo. Interna ejus plurimæ quidem bestiæ*, &c. Optimi, & emendati libri verba illa non habent, *ipsa suo cingitur angulo*, quæ tamen in aliquot codicibus reperiuntur. Et verò reperi in schedis Palatinis, & Freheranis hoc modo, *ipsa suo cingitur angio*. Mendosè. Puto scriptum fuisse in priori editione: *verùm, ut ad Africam redeamus, ipsa succingitur angulo: interna ejus*, &c. *Angulo succingi* Africam dicit, quæ in angulum desinit, & quà finitur, maximè angusta est. Mela: *longior ipsa quam latior, & qua fluvium attingit, latissima. Utque inde procedit, ita media præcipuè in juga exurgens, pergit incurva ad occasum, fastigatque se molliter, & ideo ex spatio paulatim adductior. Ubi finitur, ibi maximè angusta est.* Hæc Pomponii breviter sic complexus erat Solinus, *ipsa succingitur angulo*: his verbis acumine substringi indicans, & è latiore spatio in acutum eam terminari. Nihil verius. Et notabimus interim, quod jam suprà monuimus, Africam modo pro tertia orbis parte, modo pro illius partis particula, uno eodemque capite accipere auctorem nostrum, & hæc subinde confundere.

Qui

Qui ut Aristoteles perhibet] Hæc periodus in plerisque libris non habetur, in aliis extat. Solos leones ait ex eo genere, quod dentatum vocant, videre protinus atque nascuntur. Hæc non intelligere me fateor. Nam ecquod illud genus est, quod propriè dentatum vocabatur? omnia animalia, quæ cum dentibus nascuntur, dentata dici queunt. At falsum est, solum leonem ex dentato animalium genere, simul ac natum est, visum usurpare. An *dentatum* vocatum est, τὸ τῶν ἀμφωδόντων γένος. Ne id quidem verum erit. An τὰ καρχαρόδοντα simul, & ἀμφώδοντα sic propriè appellata; ita videtur. Ergo leo solus τῶν καρχαροδόντων, simul ac natus est, videt. Nihil tale tamen apud Plinium, haud scio an extet in Aristotele. Nunc non memini, nec otium est quærere. Quod libri quidam hanc periodum non habeant, signo est in editione recognita expunctam ab auctore fuisse. In optimo codice Pauli Petavii senatoris Parisiensis hæc verba ad marginem adscripta erant, ut monuit me v. cl. Josias Mercerus.

At hi, quos creant pardi] Pardi semper apud Plinium pro maribus, pantheræ pro fœminis. Ita Græcis πάρδαλις & πάνθηρ. Cap. xv. *Mirum pardos, pantheras & similia condito in corporis vaginas unguium mucrone, ne refringantur, hebetenturve, ingredi.* Et hoc loco: *quos vero pardi generavere, semper insigni hoc carent.* Hi *leopardi* dicebantur, quasi ex lea, & pardo geniti. Vide quæ suprà notamus.

Pariter omnes à sagina parcunt] Etiamne leopardi? Ita intellexit. Frustra. Nec enim leones sunt. Sed nec de leonibus hoc Plinius, aut Aristoteles. *Parcunt à sagina*, non saginantur, non corpus farciunt, οὐ πιαίνονται. Rationem finxit, quià alternis diebus potum, alternis cibum capiant. Hæc falsa, & absurda. Falsum est alternis potum capere. Nec ex mente Plinii, qui scribit raros in potu esse. Aristoteles ὀλιγόποτον δ' ἐστί. Ratio non magis vera, ideo minimè saginari, quia potum raro usurpent. Immo tanto magis saginam colligere deberent. Nam cicuribus animalibus, quæ saginantur, ut citius pingues evadant, potus subduci solet. Nihilo verius, quod cibum alternis capiant, idcirco non fieri pingues. Leo propensæ voracitatis animal, cum prædam nactus est, usque ad saturitatem, & ultrà impletur: ideo abstinet biduo aut triduo à saturitate. Εἶθ' ἡμέρας δύο ἢ τρεῖς ἀσιτεῖ. Δύναται γὰρ, διὰ τὸ ὑπερπληροῦσθαι. Hæc verba sunt Aristotelis. Non igitur hoc in vescendo morem habet perpetuum leo, ut alternis diebus cibum capiat; sed cum plus justo satiavit se cibis, abstinet biduo, aut triduo. Hæc mens philosophi, quam Plinus sic expressit: *raros in potu, vesci alternis diebus: à saturitate interim triduo abstinere.* Qui alternis diebus vescitur, altero die cibum capit, altero abstinet. De hoc nihil Aristoteles, qui biduo, aut triduo à saturitate leonem dicit abstinere. *Interim* apud Plinium pro interdum. Glossæ: *interim*, ἐσθ' ὅτε ἐν τῷ μεταξύ. Solinus nec Plinii ipsius mentem assequutus est: *alternis cibum capiunt, ac frequenter si digestio non est insequuta, soluti cibationi superponunt diem.* Alternis cibum capere est, sicut dixit, altero die vesci, altero jejunare, si unum superponas diem solitæ cibationi; fit bidui jejunium, non tridui. Triduo utique abstinet, qui per trium dierum spatium impransus manet, quod Aristoteli, τρεῖς ἡμέρας ἀσιτεῖν. Sic & δύο ἡμέρας ἀσιτεῖ leo, qui per biduum integrum cibis caret, non qui diebus alternis vescitur.

Pag. 36. E. *Solitæ cibationi superponunt diem*] In quibusdam deest *solitæ*. Male. Solita cibatio leonum alternis diebus, cui cum superponunt diem, bidui fit abstinentia. *Superponere* est, quod Græcis ὑπερτιθέναι. *Solitæ cibationi superponunt diem*, τῇ συνήθει τροφῇ ἡμέραν ὑπερτιθέασιν. Qui solitæ refectioni diem superponit, utique diem unum jejunus manet. Hinc *superpositio* veteribus Christianis pro jejunio. Concilium Eliberitanum can. XXVI. *Errorem placuit corrigi, ut omnis sabbathi die superpositiones celebremus*, id est, jejunia. Perperam addunt, *jejuniorum superpositiones*. Qua voce carent antiquissimi libri. Cum *superpositio* dicatur, quæ Græcis ὑπέρθεσις, & pro dilatione sumatur, & suspensione, *jejuniorum superpositio* nihil aliud esset, quam *jejuniorum dilatio*, contraria significatione. *Jejuniorum superpositiones* legimus & in altero canone ejusdem Concilii, sed errore librariorum. Sic enim concipitur canon vigesimus quartus: *de temporibus jejuniorum. Jejuniorum superpositiones per*

A *singulos menses placuit observari.* Illud *jejuniorum* perperam repetitum ex titulo canonis. Ita igitur legendum: *de temporibus jejuniorum.* Hic est titulus. Deinde sequuntur verba canonis: *superpositiones per singulos menses placuit observari.* Ut dixi, *superpositiones* sunt jejunia. Potest tamen etiam retineri, *jejuniorum superpositiones.* Cum enim superpositio varia significatione sumatur, ut de jejunio intelligatur, si forte additur, *jejunii superpositio.* Sic apud Cyrillum νηστείας ὑπέρθεσιν legere est, id est, *jejunii superpositionem.* Non tamen jejunium superponitur, sed dies. Cibo dicitur superponi, quod est jejunium. Sed additum, ut dixi, *jejuniorum superpositiones*, ut de

B superpositionibus, quæ jejunia sunt, accipiatur. Hoc verissimum. Cum dies unus cibo superponitur, hoc est, ὑπερτίθεται, diei unius est jejunium. Talia erant veterum jejunia. Integrum, ac solidum diem refectioni superponebant. Inde *superpositio.* Græci quoque ita loquuntur: ὑπερτιθέναι ἡμέραν, de unius diei jejunio. Epiphanius: ἀλλὰ καὶ οἱ σπουδαῖοι διπλᾶς, καὶ τριπλᾶς, καὶ τετραπλᾶς ὑπερτίθενται: *duo, tres, quatuor dies superponunt.* Dionysius Alexandrinus in epistola ad Basiliden: ἐπεὶ μηδὲ τὰς ἓξ τῶν νηστειῶν ἡμέρας ἴσως μηδὲ ὁμοίως πάντες διαμένουσιν· Ἀλλ' οἱ μὲν πάσας ὑπερτιθέασιν, ἄσιτοι διατελοῦντες, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ τρεῖς, οἱ δὲ τέσσαρας, οἱ δὲ οὐδεμίαν. Perperam im-

C peritus Cercoëtius ὑπερτίθεσθαι *cibum differre* exponit. Nec enim ὑπερτίθεσθαι τροφὴν, sed ὑπερτίθεσθαι ἡμέραν dixere. Idem esse putat *superpositionem* Latinè, & tamen in Concilii Eliberitani canonibus legit *jejuniorum superpositiones.* Inde sequeretur, *cibum differre*, & *jejunium differre* idem esse, *ciborum & jejuniorum dilationes.* Quo quid absurdius? Nec cibi igitur, nec jejunii superpositio intelligenda: sed unius diei cibo superpositio, μιᾶς ἡμέρας ὑπέρθεσις. Græci ὑπέρθεσιν, ἀναβολὴν, ὑπέρβασιν interpretantur. Hæc indubitata sunt: eadem prorsus loquutione Solinus hoc loco dixit, *diem cibationi su-*

D *perponere*, μίαν ἡμέραν ἀσιτεῖν. Ea re superpositiones à stationibus differebant. Stationes erant jejuniorum dies stati, quæ hora nona solvebantur, non superposito solido die, ut in aliis jejuniis, quæ *superpositiones* ideo dictæ. Epiphanius, & Dionysius Alexandrinus ὑπερτίθεσθαι ἡμέρας dixere de jejuniis hebdomadis sanctæ, quæ in multam noctem protendebantur. Epiphanius clare: τριπλᾶς, καὶ τετραπλᾶς ὑπερτίθενται, καὶ τὴν ὅλην ἑβδομάδα τινὲς ἄχρις ἀλεκτρυόνων κλαγγῆς. Hæc alibi latius exequemur suo tempore, & loco.

Quod carnes justo amplius devoratas, cum gravantur] Ita scripsimus, ut habuere omnes cum libris editiones,

E excepta Delriana, in qua editum: *tum quod carnes justo amplius devorant, quum gravantur,* &c. Quare mutarit, nescio. Nihil in illa lectione cohæret. Cum gravantur leones, id est, cibis avidius sumptis onerantur, carnes justo amplius devoratas insertis in ora unguibus extrahunt.

Sanè & cum fugiendum est, in satietate idem faciunt] Prava distinctio, quam mutare obliti sumus. Scribe: *sanè & cum fugiendum est in satietate, idem faciunt.* Leones carnes largius devoratas unguibus in ora conjectis extrahunt, vel quando iis gravantur, nec capit aviditatem alvus, vel quum in satietate fugiendum est. Cum nimis saturis evenit, ut fugiendum sit, quo leviores fi-

F ant, & expeditiores, saburram ventris conjectis in ora unguibus sponte protrahunt. Plinius: *quæ possint in mandendo solida devorare: nec capiente aviditatem alvo, conjectis in fauces unguibus extrahere, ut, si fugiendum sit, non in satietatem abeant.* Hæc corruptissima, magis ut sint corrupta, faciunt emendationibus suis. Corrigendum è libris, & ex hoc Solini loco: *aut si fugiendum in satietate habeant.* Extrahit leo, quæ devoravit, si non capit devorata alvus, aut si fugiendum habet in satietate. Tralatitia loquutio. *Fugiendum habet*, cu fugere expedit, vel necesse est. Nihil frequentius apud Plinium juniorem epist. VII. lib. I. *Quæ nunc cum ficis, & boletis certandum habent.* Sic alibi passim.

G *Senectam defectio probat dentium*] Cum dentibus deficiuntur, ex eo senes probantur. Plinius: *vitam iis longam docet argumento, quod plerique dentibus defecti reperiantur.* Ita in Plinio legisse Solinum ex hoc loco constat. Malè corrigunt: *quod plerique dentibus defractis reperiantur.* Ex Aristotele. Is est, quem docere dicit Plinius argumento dentium longam leonibus esse vitam. Verba ejus hæc sunt: καὶ ὁ ληφθεὶς λέων χωλὸς πολλοὺς τῶν ὀδόντων εἶχε κατεαγότας, ᾧ τεκμηρίῳ ἐχρῶντό τινες ὅτι πολλὰ ἔτη

ἔτη ζῶσι. Nihil tamen in Plinio mutandum, nisi si legi debeat: *quod plerique dentibus defectis reperiantur.* Et hoc indubitatè verum. *Dentibus defecti* sunt, qui carent in totum dentibus, quibusque dentes omnes deciderunt. Sed minimè hæc Aristotelis mens est. Quod multis dentium defractis leo repertus esset, senectutis indicium probat esse, non quod nullos haberet. *Defecti dentes* senectute, qui detriti, defracti sunt. Sic *defecta lingua* Ovidio de cygno:

---- defecta modulatur carmina lingua:

Et defecto corpore Tubero, apud Tacitum. *Senex defectus* Phœdro. Sic *defecti dentes*, οἱ κατεαγότες, & ætate fracti.

Multi captivorum aliquot leonibus obviis intacti repatriaverint] Lege, ut habent libri: *aliquot leonibus obvii intacti repatriaverint.* Isidorus ex hoc loco: *prostratis parcunt: captivos obvios repatriare permittunt.* Catullus:

Cæsio veniam obvius leoni.

Gætulæ etiam mulieris nomen Jubæ libris comprehensum est] Nimium quantum hoc loco rivus à fonte suo diversus. Plinius: *credit Libya intellectum pervenire ad eos precum. Captivam certè Gætuliæ reducem audivi multorum in silvis impetum à se mitigatum alloquio.* Atqui nomen Jubæ non aliunde habet noster, quam à Plinio. Nec puto eum hæc commentum esse. Scribendum igitur in Plinio: *tradit Juba intellectum pervenire ad eos precum. Captivam certè è Gætulia reducem audivisse, multorum in silvis impetum à se mitigatum alloquio, ausæ dicere se fœminam profugam*, &c. *Iyba*, & inde *Lyba* scripserant mendosè librarii, ex eo correctores, quod pronum fuit, fecerunt *Libya*. Et quia *tradit* minus conveniebat regioni, pro eo etiam substituerunt, *credit*. Hinc videre est, quam multa in Plinio depravata, non solum profundis, sed etiam inveteratis ulceribus. Qui sequitur locus, haud minore vitio inquinatur. Sic enim legitur: *varia circa hæc opinio ex ingenio cujusque vel casu, mulceri alloquiis feras: quippe ubi etiam serpentes extrahi cantu, cogique in pœnam, verum falsumve sit, vita non decreverit.* Nullus in his sensus. Pro *ubi etiam* libri scribunt *obviam*: & absque negatione, *vita decreverit.* Hinc facilis ad emendationem via: *quippe ubi jam serpentes extrahi cantu, cogique in pœnam, verum falsumne sit, vita decreverit.* An feræ mulceantur alloquiis variam opinionem esse dicit, ex cujusque ingenio, vel casu: præsertim cum jam vita decreverit, verum falsumne sit, serpentes protrahi cantu, & cogi in pœnam. *Vita decrevit*, ὁ βίος κέκρικεν. Communis scilicet hominum consensus sanxit. Verumne id an falsum sit, serpentes cantu mulceri, vita jam decrevit. Nihil verius hac correctione. Ex *obviam* fecimus *ubi jam*.

Quæ obtestata occursantes feras immunis rediit] Etsi ita libri habeant, minimè tamen huic loco convenit, & legendum, *impunis*, id est, sine noxa rediit. Sic infrà: *inter hæc vadosa classem Romanam impune accepimus transfretasse.* At *immunis* significat sine officio, & munere.

Pag. 36. F. *Aversi coëunt, nec hi tantum, sed & linces*] Plinius lib. x. cap. LXIII. *Coitus aversus elephantis, camelis, tigribus, lincibus*, &c. Melius legeris: *coitus aversis.* Atque ita libri. Πυγηδὸν, ὄπισθεν συνιόντα Aristoteli.

Per singulos partus numerum decoquunt] Plinius: *is ergo tradit primo fœtu parere quinque catulos, ac per annos singulos minus ab uno sterilifscere.* Ita scribendum. Aristoteles non de omnibus leonibus hoc scribit, sed de Syriaticis. De leonibus quippe in genere sic tradit: τίκτει δὲ ὡς ἐπιτοπολὺ δύο, τὰ μέντοι πλεῖστα ἕξ· Τίκτει δὲ ἐνίοτε καὶ ἕν. De Syriaticis verò: οἱ δὲ ἐν Συρίᾳ λέοντες τίκτουσι πεντάκις, τὸ πρῶτον πέντε, εἶτα ἀεὶ ἐλάττονα, μετὰ δὲ ταῦτα οὐκέτι οὐδὲν τίκτουσιν, ἀλλ' ἄγονοι διατελοῦσιν. Hæc verba Plinius reddidit, & auctori imputat quasi dicta de universis leonibus. Quæ magna est supinitas. In excerptis Solini pro *numerum decoquunt*, legitur *numerum demunt.* Quod ita immutatum ab auctore compilationis.

Sed postremo cum ad unum fœcunditas recidit] Pleræque editiones habent: *sed postremo, cum ad unum materna fœcunditas recidit, ut ultimo singulos procreent*: quæ lectio composita est ex duarum editionum diversa scriptura. Sic habuit una: *sed cum eo materna fœcunditas recidit, ut ultimo singulos procreent.* Sic vero in altera fuit: *sed postremò cum ad unum materna fœcunditas recidit, sterilifscunt in æternum.* Utramque more suo præferebat codex Regius. Utra vero utrius sit editionis, haud promptum dijudicare.

Sterilifscunt in æternum] Ἄγονοι διατελοῦσιν. In aliis codicibus scriptum, *sterilesiunt in æternum*, unica voce. Atque ita in optimo Regio, & aliis vetustioribus. Inde vulgares editiones: *steriles fiunt.* Optimum vero verbum, *sterilefacere*, & *sterilefieri.* Sic *levefacere* ἐξουθενίζειν. Glossæ: *levefecit*, ἐξουθένισεν. Sic *vilefacere*, ἐξευτελίζειν: & similia sexcenta. In altera editione verbo Plinii usus est, *sterilescere.* In altera *sterilefieri* posuit.

Sicut motus equini de auribus intelliguntur] Nullus è nostris, nèc è Camertis libris eam lectionem habuit, quam fatetur Delrius in suis reperisse, *de naribus intelliguntur.* Librorum ejus fidem valde suspectam habeo, ne dicam ipsius. Quod eam porro scripturam veterum testimoniis adstruere tentat, in eo frustra est. Nam certum heîc legi debere *auribus.* Plinius: *leonum animi index cauda, sicut & equorum aures.* Arrectæ, & micantes aures animosi equi indicium. Poëta:

---- micat auribus, & tremit artus.

Ut micatio aurium animum in equo ostendit, ita caudæ agitatio in leone. Et hæc invicem melius respondent. Sed clarè idem Plinius lib. XI. cap. XXXVII de auribus: *in equis & omnium jumentorum genere indicia animi præferunt.* Quæ satis evincunt Delrium hoc loco delirum esse.

Dedit enim has duas notas generosissimo cuique natura] Absurda lectio. Quasi generosissimo cuique animalium hæ duæ simul notæ à natura datæ sint ad animum significandum, caudæ & aurium: quorum altera leonum propria, equorum altera, & omnium jumentorum. Scribimus igitur è libris, & Plinio: *dedit enim has notas generosissimo cuique natura.* Plinius: *Namque & has notas generosissimo cuique natura tribuit.* Aut generosissimo cuique è leonibus, & equis has notas tribuisse naturam dicit, aut quod potius est, generosissimo cuique animalium hujusmodi notas insitas à natura, quales leoni, & equo. Sequitur apud Plinium: *Immota ergo placidus, clemens, similisque blandienti, quod rarum est.* Hæc mala manu interpolata fuere. Libri: *immota ergo placido clemens blandienti, quod rarum est.* Scribe, ac distingue: *immota ergo placido, clemens blandienti.* Dicit immotam esse caudam leoni placido, clementem autem blandienti. Prorsus immotam habet caudam leo, cum placidus, leniter autem, & blandè eam movet, quum blanditur. *Clemens cauda*, quæ in leni, & blando motu est, ἡ πρᾳονής. Qui nimis festinat, aut iracundè aliquid præcipitat, sæpè dicitur in comœdia, *clementer.* Et apud Comicum in Adelphis clemens vita & otiosa opponitur exercitæ, & in opere rustico actiosæ:

Ego hanc clementem vitam urbanam, & otium
Sequutus sum.

Ubi *clemens vita* pro quieta, & parum agitata. Qui hoc ignorarunt, Plinii locum illum depravarunt. Sequentia sic quoque corrigenda: *clemens blandienti quod rarum est, crebrior enim iracundia, cujus in principio terra verberatur, incremento terga ceu quodam incitamento flagellantur.*

Contemptim recedunt, subsistentisque interdum] Hæc è Plinio, ut omnia, sed Plinii locum integrum afferam, ut emendem: *generositas in periculis maxime deprehenditur. Non in illo tantummodo, quod spernens tela diu se terrore solo tuetur, ac velut cogi testatur, cooriturque non tanquam periculo coactus, sed tanquam amentiæ iratus: illa nobilior animi significatio, quamlibet magna canum & venantium urgente vi, contemptim restitansque cedit in campis & ubi spectari potest.* Generositatem leonis in periculis deprehendi *in illo maximè* dicit. Scribe: *illo maxime*, id est, illare. Ecquod illud vero est, quo deprehenditur generositas leonis in periculis? *Quod spernens tela diu terrore solo se tuetur, ac velut cogi testatur.* Non magna generositas in eo, quod cogi potest, multo minor, quod cogi se testatur. Præterea *cogi* absolutè positum in ea significatione, quæ ibi desideratur, vix Latinè reperiatur. Non longè arcessita, sed ex ipso ductu literarum nata emendatione lego: *quod spernens tela diu se terrore solo tuetur, ac velut cogitat statum.* Aristotelem Plinius planè exprimit, cujus hæc sunt: ἐν δὲ ταῖς θήραις ὁρώμενος μὲν

μὴν οὐδέποτε φεύγει οὐδὲ πτήσσει. Tantum abest à timore, ut diu terrore se tueatur, ac terreat potius, quam timeat: tantum vero abest à fugiendi voluntate, ut statum veluti cogitet: ut de resistendo potius cogitet, quam de fugiendo. *Status* verbum pugnatorum, positura nempe, & situs corporis in pugna ad inferendos, aut declinandos ictus accommodatus. Hinc *statu demovere*, *statum componere*, & similia. Statum igitur cogitat, qui de resistendo, & repugnando agitat. Sic *cogitare secessum*. Sic *insulam cogitare* apud Florum: *ut ne amplius eam insulam cogitarent.* Ita olim reposuimus pro vulgata *concitarent*. Quæ sequuntur verba spuria sunt, & addititia, & sic leguntur in veteribus: *cogiturque non tanquam periculo coactus, sed tanquam amentia iratus.* Nihil in his Plinianum, nihil sanum. Videntur adjecta ab aliquo, qui explicare satagebat illa corrupta, & *veluti cogi testatur.* Rectè igitur ea Pintianus expungebat, cujus sententiæ accedimus. Nihil tale apud Aristotelem, quem ferme κατὰ λέξιν hoc loco reddidit Plinius. Aristoteles: ἐν δὲ ταῖς θήραις ὁρώμενος οὔτε φεύγει, οὔτε πτήσσει. Plinius: *in periculis deprehensus tela spernens diu se terrore solo tuetur, ac veluti cogitat statum.* Sequitur apud Aristotelem: ἀλλ' ἐὰν καὶ διὰ πλῆθος ἀναγκασθῇ τῶν θηρευόντων ὑπαγαγεῖν, βάδην ὑποχωρεῖ καὶ κατὰ σκέλος, καὶ κατὰ βραχὺ ἐπιστρεφόμενος. Sequi ergo debet statim apud Plinium: *illa nobilior animi significatio; quamlibet magna canum, & venantium urgente vi, contemptim restitansque cedit.* Qui Aristotelem leget, & cum Plinio comparabit, vix de emendatione nostra dubitaverit.

In campis nudis, ac patentibus] Ἐν τοῖς ψιλοῖς. Aristotelem expressit. Plinius simpliciter, *in campis.*

Pag. 36. G. *Quasi testem ignaviæ non reformident*] Plinius: *idem ubi virgulta, silvasque penetravit, acerrimo cursu fertur, velut abscondente turpitudinem loco.* Libri legunt: *velut abscondentem turpi loco.* Scripserim: *velut abscondens rem turpem loco.* Et hoc verum existimo. Vel scribendum: *velut abscondente turpe loco.* *Turpe* τὸ αἰσχρὸν, id est, turpitudo. Ut *pingue* pro pinguedine. Idque verius.

Cum insequuntur, nisum saltu adjuvant] Idem Plinius *dum sequitur, insilit saltu, quo in fuga non utitur.* Mirum loquendi genus, *insilit saltu.* Quis enim insilire potest, quin saliat? sed omnino scribendum: *dum sequitur, insilit: saltu in fuga non utitur.* Aristoteles: διώκων ἐπιῤῥίπτει ἑαυτὸν, ὅταν ᾖ πλησίον. Ἐπιῤῥίπτει αὐτὸν, *insilit.* φεύγων οὐ πηδᾷ, *in fuga saltu non utitur.*

Ut non nisi adversis falculis currant] Schedæ Palatinæ: *aversis falculis.* Rectè. Ita Plinius, & reliquæ editiones Solini. Malè Delrius edidit, *adversis*: quod contrarium efficit sensum. Plinius: *aversisque falculis currere, nec nisi adpetendo protendere.* Ungues leonum vocat *falculas* à similitudine. Eas avertunt, cum earum acumina intra corpus retrahunt. Male igitur, *adversis.*

Nunquam limo vident, minimeque se volunt aspici] In aliis *si.* Scribe: *minimeque sic volunt aspici.* Plinius: *nec limis intuentur oculis, aspicique simili modo nolunt.* Aristoteles: ἔστι δὲ τὸ ἦθος οὐχ ὑπόπτης οὐδενὸς, οὐδ' ὑφορώμενος οὐδέν. Videtur Plinius ὑφορᾶσθαι hoc loco accepisse, pro *limis intueri.* Sic enim illa Aristotelis vertit: *ceteri dolis carent, & suspicione, nec limis intuentur oculis.* Et fortasse etiam legit, οὐδ' ὑφορώμενος οὐδένα. Falsus est, si quidem ita accepit. Ὑφορᾶσθαι est suspicari, timere, subvereri. Certè ὑποβλέπεσθαι Græci dicunt, quod Latine *suspicari.* Ὑποβλέπειν autem limis aspicere. Hesychius: ὑφορώμενος, ὑποβλεπόμενος, φοβούμενος, ὑπονοῶν. Item, ὑποβλεπόμενος, ὑπονοῶν, ἐχθραίνων. At ὑποβλέπειν est limo intueri. Callimachus:

Οὔρεσιν ἐν Τμαρίοισιν ὑποβλέπει ἄνδρα λέαινα.

Quo ex versu liquet leones limis adspicere. Leo ὑπόπτης οὐδενὸς, qui adversus neminem suspiciosus est. Οὐδὲν ὑφορᾶται, qui nihil subveretur, aut timet, nihil dolosi suspicatur.

Leontophonos vocari accepimus bestias modicas] Libri: *Leontophanas.* In indice: *de Leontophona.* Latinè dixit, *Leontophona bestia*: ut Græcè apud Aristotelem λεοντοφόνον ζῶον, in Admirandis: καὶ Συρίαν εἶναί τι ζῶον φασὶν, ὃ καλεῖται λεοντοφόνον. Plinio, *Leontophonum animal.*

Ut earum cineris aspergine carnes polluta] Leontophanarum captarum, & exustarum cinere carnes aspersæ leones necant, si ex illis gustaverint vel tantillum.

A Plinius de Leontophona: *ergo corpus ejus adustum aspergunt aliis carnibus polentæ modo insidiantes feræ, necantque etiam cinere: tam contraria est pestis.* Multa heîc digna animadverti. Primùm legendum, *corpus ejus exustum*, non *adustum*. Nam ita libri. Solinus confirmat: *quæ captæ exuruntur.* In Græco Aristotelis ὀπτήσαντες, exurentes, sive torrentes. Aliud *exuri*, aliud *aduri*. Dicit Plinius exustum corpus leontophanæ carnibus aliis adspergi polentæ modo, & necare leones, *etiam cinere.* Quid hoc sibi velit nescio. Tosta leontophona, & polentæ, sive subtilis farinæ modo, ac cineris instar

B molita, carnibus aspergitur. Quid illud est, quod quasi diversum ponit, *etiam cinere.* Rectè Solinus *aspergine cineris*, qui redigitur è leontophonæ corpore exusto, carnes pollui dicit. Et idem est, quod apud Plinium habetur, *polentæ modo.* Nam polenta farina est subtiliter molita, ad instar cineris. Aristoteles, cujus locus ad verbum Plinio expressus est, nihil de cinere. Sic autem habet in Admirandis: ὅταν δὲ συλλαβόντες αὐτὸ οἱ κυνηγέται, καὶ ὀπτήσαντες ὥσπερ ἄλφιτα λευκὰ περιπάσσωσιν τῷ ἄλλῳ ζώῳ τὸ γευσάμενον ἀπόλλυσθαί φασι παραχρῆμα. Nullus hic alius cinis quam leontophoni exusti, & polentæ modo carnibus aspersus. Verba illa

C Græci scriptoris, ὥσπερ ἄλφιτα λευκὰ περιπάσσωσιν, Plinius sic reddidit, *carnibus aliis aspergunt, polentæ modo.* Ἄλφιτα λευκὰ vertit *polentam.* Quomodo præpararetur polenta, tradit idem lib. XVIII. cap. VII. Non simpliciter erat hordei farina, sed ex hordeo tosto prius, deinde subtiliter fracto, & molito fiebat, rebus etiam aliis mixtis. Hæc carnibus aspergi solebat. Unde ἠλφιτωμένα κρέα, *polenta aspersæ carnes.* Ideo dicit Aristoteles exusto leontophonæ corpore, ceu polenta, carnes, quibus necabantur leones, aspergi solitas. Poëta:

---- ἠδ' ἄλφιτα λευκὰ παλύνειν.

D Ἄλφιτα λευκὰ, *polenta*: quæ è Græco παλύντη, Æolice πολυντά, *polenta.* Nam α in ο vertebant. Latini autem ὑψιλὸν in E: ut ματτύη, *mattea*: ῥυμουλκὸς, *remulcus.* Grammatici: παλύνας, τὸ λεπτὸν τῆς γῆς ἐπιβαλὼν, τὴν λεγομένην χυτὴν, εἴρηκε δὲ ἀπὸ τοῦ ἀλεύρου, ἠδ' ἄλφιτα λευκὰ παλύνειν, πάσσειν. Eadem origo vocis *pollen.* Πάλη, τὸ λεπτότατον τοῦ ἀλεύρου. Æolicè πόλη. Latinè *polen* & *pollen.* At *polenta*, παλυντὴ, ab aspergendo. *Farinam conspergere* est ἄλευρον φύρειν. *Farina conspersa*, ἄλευρον πεφυρμένον. Festus: *comptum, genus libaminis, quod ex farina conspersa faciebant*, ἐξ ἀλεύρου πεφυρμένου. *Conspersio farinæ*, τὸ φύραμα. Glossæ:

E *conspersio*, τὸ φύραμα. Hesychius ἄλφιτον interpretatur, τὸ ἀπὸ νέας κριθῆς, ἢ σίτου πεφυρμένον ἄλευρον: *farinam hordei, aut tritici conspersam.* Idem & μάζαν exponit ἄλφιτα πεφυρμένα ὕδατι, καὶ ἐλαίῳ. Sanè polentam ἀντὶ τῆς μάζας posuit Persius de Stoica juventute:

---- *siliquis, & grandi pasta polenta.*

Ubi *grandis polenta* est grandis μάζα. Philosophis Græcis epulæ μάζα καὶ ὕδωρ. Catoni *farinam conspergere & subigere*, φυρᾶν καὶ μάττειν. *Farinam conspersam* sequens Latinitas vocavit *pastam* Græco vocabulo, quod *conspersam* significat. Ἡ πασὴ, nam πάσσειν idem quod παλύνειν, conspergere. Πάστα veteribus Græcis, ἄλφιτα μεθ' ἕψους. Cum

F *farina conspersa* dicitur, aqua conspersa intelligitur. Sic *pulverem conspergere* Suetonio, aqua sparsa de pulvere lutum facere, & sic pulverem sedare. Phædrus:

Alveolo cœpit ligneo conspergere
Humum æstuantem.

sedando scilicet pulveri. *Polenta* igitur Plinio, quæ in Græcis ἄλφιτα λευκὰ, farina scilicet subtilis, & in cinerem molita. In delineando situ Alexandrinæ urbis, cum creta ad manum non esset, Græci tradunt ἀλφίτοις eum descriptum esse: οὐκ ἔχοντες δὲ λευκὴν γῆν, ἀλφίτοις διέγραφον. Curtius vertit *polentam* lib. IV. *Fama est, cum Rex futuris urbis muris polentam, ut Macedonum mos est

G destinasset, avium greges advolasse, & polenta pastas esse.* Ὄρνιθες δὲ καταπτάντες τὰ ἄλφιτα εὐθὺς διήρπασαν. Ubi notandum de more Macedonum polenta urbium condendarum situm delineantium. Quod alibi non reperies. Arrianus ad hanc rem sumptam tradit, ὅσα ἐν τεύχεσιν ἄλφιτα οἱ στρατιῶται ἐκόμιζον. Ubi ἄλφιτα sunt far molitum, sive farina. *Polentam* Latini dicunt. Græci quidem ἄλευρον, & ἄλφιτον sic distinguunt, ut illud de frumento, hoc de hordeo dicatur. Hesychius: ἄλευρα κυρίως τὰ τοῦ σίτου, ἄλφιτα

V 2

ἀλφιτα ἢ τὰ τῶν κελβῶν. Eamdem differentiam constituere videntur Latini inter *farinam*, & *polentam*. Nam *farina* à farre propriè, τὸ ἄλευρον. Glossæ: *farina*, ἄλευρον, *polenta*, farina hordeacea. Nam Plinius *polentam* ex hordeo fieri dicit, & quidem prius tosto. Veteres enim tam far, quam hordeum prius torrebant, deinde molebant. Unde illa Virgilii:

Et torrere parant flammis, & frangere saxo.

Nec ullum ibi ὕστερον πρότερον, ut vulgo sibi persuadent. Ovidius

Bis tosti farris frusta grandia

de pane dixit in Fastis. Quia prius torrebatur, quam moleretur, deinde & coquebatur panis, sic *far bis tostum* panis est. *Tostam polentam* vocat Ovidius, quia ex hordeo prius tosto, deinde molito facta. Nam & Plinius lib. XXII à farina hordei polentam ea tantum distare dicit, quod torreretur. Ovidius de Cyceonis potione, quam anus Attica Cereri propinavit:

---- lymphamque roganti

Dulce dedit tosta quod coxerat ante polenta.

In neotericis legitur, *testa quod coxerat ante.* Quod est ineptum. Cyceonem intelligit, qui potus erat farina, vel polenta commixtus, *Tostam ante polentam* vocat farinam ex hordeo prius tosto, quæ in vinum addebatur. *Adoris potionem* appellat Arnobius in eadem Historia de Baubo, quæ hospitio Cererem accepit: *adulatur officiis mitibus, reficiendi corporis rogat curam ut habeat, sitienti adoris oggerit potionem cinnum, cyceonem quam nuncupat Græcia.* Hanc veram, & elegantem lectionem elicuimus ex veteri codice Regiæ Bibliothecæ, qui habet scriptum, *sitienti adori oggerit potionem.* Nam in editionibus inepte legitur: *sitienti ardori.* Potio adoris est cyceon, cui ador, sive polenta, vel hordei tosti farina erat admixta. κυκεὼν Græcè, sed & κυκητὸν. Inde Latinum *cocetum.* Tertulliano, *Nestoris cocetum*, Νέστορος κυκεὼν. De coceto vide Festum. Verùm, ut ad nostra redeam, non capio Plinium dicentem exusto corpore leontophonæ, & carnibus asperso polentæ modo leones necari, atque etiam cinere. Cum de alio cinere non queat intelligi, præter eum, qui exusta leontophona redigitur, & aspergitur in modum polentæ, hoc est, cineris farinacei: aut omnes me conjectura decipient, aut in Plinio scribendum: *corpus ejus exustum aspergunt carnibus altis polentæ modo insidiantes feræ, necantque etiam in hora, tam contraria est pestis.* Scriptum erat, *etiam in ora*, unde factum *cinere* ab illis, qui hunc loquendi modum minime norant. *In hora*, id est, illa ipsa hora necant, qua gustaverit. Græcum Aristotelis expressit, παραχρῆμα. τὸ χυδαΐζον ἀπόλλυσθαί φασι παραχρῆμα, *necantque etiam in hora.* Ideo addit, *tam contraria est pestis.* Adeo nempe præsentaria, ut illa ipsa hora necet, qua ex illis carnibus aliquid sumpserint. Græci dicunt αὐθωρεὶ, *à l'heure mesme*: & αὔθωρον σύντομον, præsentarium, quod fit in eadem hora. Juvenalis:

---- illa ipsa Sejanum diceret hora

Augustum.

Αὐθωρεὶ. Quintilianus lib. XI. *Cultus non est proprius oratoris aliquis, sed magis in hora conspicitur.* Ita legimus ex vetustissimo codice Bongarsii, qui habebat *in ora.* Vulgo edunt: *sed magis more conspicitur.* Quod sensu caret. Non esse cultum proprium oratoris aliquem dicit, sed magis conspici in hora, qua agit. Nam inter agendum multa in cultu mutat. Alia quippe amictus observatio dum incipit, alia procedente actu, alia cum ad locos, & argumenta ventum est. De quibus vide in sequentibus apud eumdem. Sic non proprius aliquis oratoris cultus, sed in hora conspicitur, idem est, *ad horam.* Idem lib. XII. *sed loquor de oratore, qui non clamorem modo suum causis, sed omnia, quæ profutura sunt, debet. Itaque eum nec inutilem, si ad horam forte constiterit, neque in testationibus faciendis esse imperitum velim.* Ita dictum *ad horam*, ut *ad præsens.* *Ad horam* autem consistit orator, qui ex tempore dicere cogitur, & statim causam agere. Emendandus in hac loquutione Arnobius lib. V. *Cunctis furorem, & insaniam suggerit: conclamant exterriti ad horam Phryges: mammas sibi demetit Galli filia pellicis.* Perperam editum: *conclamant exterriti adorandorum Phryges.* Scriptum fuit: *ad*

A *oram.* Inde vitium vulgatæ. Statim ut suggessit convivantibus insaniam Acdestis, clamarunt exterriti ad horam Phryges, παραχρῆμα, αὐθωρεὶ. Hoc sensu *ad horam* & apud Suetonium legitur. Anastasius in vita Joannis Eleemosynarii: *porro est quando juxta eventum non habet ad horam aliquid quod det à se petenti*, id est, non habet in præsenti. *Ad horam*, & *in hora* idem est: ut, *ad præsens*, & *in præsenti.*

Per compita concurrentium semitarum] Alludit Grammaticus veriloquium *compiti.* Nam *compitum* nihil aliud quam concursus, vel *competentia.* Dicebant veteres *compito*, & *accido* pro accedo. Inde *compitum*, ἡ συντέ-
B χεια: & *compitum viarum*, ubi multæ competunt, & concurrunt viæ: & absolutè, *compitum.* Multi etiam *competum* scribebant.

Pag. 37. A. *Hyænam quoque mittit Africa*] Plinius: *hyænæ plurimæ nascuntur in Africa.* Fallitur Belonius, qui *zibettam*, quam vocamus, putat esse veterum hyænam. Nihil simile. Hyæna in genere luporum. Zibetta in felium potius. Ita hanc vocant Arabes. Nicetæ ζαπέτης, & unguentum ex ea ζαπέτιον. Hyænam ab Arabibus quidam tradunt vocari *Adib.* Certe hyæna in genere luporum ponitur. Alii hyænam Arabice vo-
C cant *Dahab.* Bellunensis scribit *Dahab*, vel *Dabh*, animal esse inter canem, & lupum, qui cadavera comedit, cujus magna in Syria copia. Quod de hyæna intelligendum. Idem tradit *adenani*, id est, babuin animal esse cani simile noctu latrans, & cadavera comedens, & reperiri frequens in Syria inter Damascum, & Berytum. Quod etiam videtur de hyæna accipi debere. Plinius de hyæna tradit ab uno animali sepulcra erui inquisitione corporum. Alii lupum Arabice hoc nomine vocatum docent. Incredibile est, cum hyæna veteribus adeo nota esset, nec illud iis notatum, odore notabili præditam fuisse. Solo argumento Jubæ putat
D eamdem. Quo nihil futilius. Antiqui non meminerunt *zibetæ.* An ideo oportet hyænam esse? sane nec *musci* mentionem faciunt; non tamen muscus est hyæna. Qui *muscum* nominarit, antiquior ex Latinis nunc nemo cognoscitur quam Hieronymus. Dedero ego magis antiquum. Arnobius lib VII. *Altaria super ipsa libamus, & venerabile muscus carbonibus excitamus extinctis.* Explicet mihi aliquis, quid illud sit *venerabile muscus.* Liber Regius habet: *& venerabiles muscus.* Extra controversiam est legi debere: *& venerabiles muscos carbonibus excitamus extinctis.* Ubi *muscus* εὐωδία est, & flagrantia. Pro quo scriptum erat, *muscus*: ut *Thile* pro *Thule*: *Bitiæ* suprà pro *Butuæ*: *Titinus* pro *Tutunus.* Glossæ no-
E stræ: *muscus*, εὐωδία. Aliæ Glossæ: *muscus*, βρύον, φύκος, μόσχος. Per μόσχον intelligit, quod diximus. Græcolatinæ Glossæ: μόσχος, *muscus.* Apulejus multo antiquior Arnobio etiam ea voce usus est. Verba ejus ita legenda sunt ex decima Milesia: *& hercule Orchium bigam pertentem mysci flagrantis, & Chiæ rosaceæ lotionibus expurgatam.* Dixit *mycum* pro *musco.* Male in Florentinis, unde illa addidit Helmenorstius, legitur *hyaci*, pro *mysci.* Cum hic & Arnobius, ne de Hieronymo dicam, *muscum* pro flagrantia usurparit, satis inde constat cognitum veteribus animal fuisse, quod muscum fert: si non ipsum ani-
F mal, certè odoramentum novisse eos oportet. Μόσχον vocant Aëtius, & Paulus: unde & μόσχατα compositiones, quæ ex eo fiunt. Placet viris doctissimis *muscum*, cujus inter odores meminit D. Hieronymus, non esse animalis ullius ἄρωμα, sed odoratum muscum quod Græci βρύον vocant, & βρύον ἀρωματικὸν. Ita censet Hermolaus in corollario suo. Si verum est, quod ille opinatur, quis non & apud Arnobium, & Apulejum de hoc musco censeat accipiendum? Verba Hieronymi hæc sunt ex lib. II adversus Jovinianum: *odoris autem ... & cyphi, & vitas, & diversa thymiamata, & amomum, & cyperus, & œnanthe, & muscus, & peregrini muris pellicula.* Plinius
G lib. XII. cap. XXVIII species aromaticas enumerans, ex quibus unguenta conficiuntur: *Eodem & bryon pertinet, uva populi albæ. Optima circa Cnidum, aut Cariam in sitientibus, aut siccis, asperisque, secunda in Lyciæ cedro. Eodem & œnanthe pertinet.* Βρύον Latinè est *muscus.* Glossæ: *muscus*, βρύον, φύκος. Ergo œnanthe, & *muscus* similiter apud Hieronymum conjunguntur, ut apud Plinium *bryon* & *œnanthe.* Dioscorides βρύον addi unguentis

A tis βαλανίνοις tradit, & odoribus ad vaporandum, quæ θυμιάματα Græci appellant. Non tamen *muscus* in illis auctorum locis est βρύον, sed μόσχος, vel μύσχος, ut ex iis, quæ heîc dicam, constabit. Plinius *bryon* uvam populi albæ heîc scribit esse. Haud scio quam bene. Certè βρύον, vel τὸ βρυῶδες in quibusdam arboribus instar habet uvæ, ut in lauru. Theophrastus lib. III. cap. XI de alba fraxino: φέρει δὲ καὶ ἐπ' αὐτῷ οἷον βρύα, καθάπερ ἡ δάφνη, πλὴν στρυφνότερα καὶ ἕκαστον καθ' αὑτὸ σφαιροειδές. Fortean hæc verba Plinius de populo alba acceperit, quia proximè apud Theophrastum præcedit: τῶν δὲ τῆς λεύκης, καὶ μακρᾶς, καὶ πλείας. De alba fraxino intellexit, B de qua & sequentia dicuntur. Plinius τῆς λεύκης legit, quæ est populus alba. Fraxinum Theophrastus dicit βρύα ferre, καθάπερ ἡ δάφνη. At βρύα lauri βοτρύδια sunt. Hinc *uvam* fortasse vocavit τὸ βρύον albæ populi. Nisi ita vocet, quia βοτρυῶδες esset. Quod verius puto. Idem Plinius lauro *uvas* attribuit, ut Theophrastus βοτρύδια cap. XXIX. lib. XXVIII. *Inter quas laurus uvas suas.* Theophrastus lib. II. cap. VIII. Ἡ πεῦκος τὸν φοινικὸν κόκκον, ἡ δὲ δάφνη τὸ βοτρύδιον. Intelligit τὸ βρύον sterilis laurus, quod instar habet uvæ. Huic simile facit & βρύον albæ populi. Omnia hæc ejusmodi arborum βρύα auctores etiam βοτρύδια passim vocarunt. Sic Galenus C τὰ ἀπὸ καρύας βοτρύδια appellat τὰ βρύα τῆς καρύας lib. X. Medicam: secundum loca: ἀπὸ καρύας τὰ ὡσανεὶ βοτρύδια. Alii ἰούλους, alii βρύα vocant in nuce juglande. Nicander οἰνάνθης βρύα vocat labruscæ uvas. E contra Plinius βρύα populi albæ *uvas* dixit. At lib. XVI. cap. XXIII populi albæ *bryon* ita describit: *populorum foliis grandissima lanugo. Evolat candida (tradita folio numerosiore candida) ut julus.* Hæc sana non esse vel me indicente palam est. In optimo Thuanæo codice ita scriptum reperi: *populorum foliis grandissima lanugo evolat candida, & tradita folio numerosiore candida, & ut villa.* Minima mutatione sic emendaverim: *populorum foliis grandissima lanugo* D *evolat, candidæ, traditæ folio numerosiore, candida, & ut villa.* Dicit populorum foliis in genere grandissimam evolare lanuginem, hoc est, grandissimum βρύον: candidæ vero, traditæ folio numerosiore candidam evolare, & ut villos. *Candida tradita folio numerosiore*, loquutio Pliniana; id est, quæ traditur esse folio numerosiore. Grandissima igitur lanugo, sive βρύον, candidæ populo est instar villorum. Nullus autem intelligo, quod ait Plinius longissimam illam lanuginem evolare è foliis populorum. Populus nigra fert βρύον longum, racemosum, villosa quadam lanugine refertum, sed ex foliis E non oritur. Muscus etiam populis innascitur, ut ceteris arboribus, quod βρύον quoque dicitur. Nec ex foliis hic muscus evolat, sed ex cortice arboris, cui supernascitur. At folia candidæ populi in aversa parte albicant nivea lanugine. Sed non ea longissima. Certum itaque habeo Plinium hanc lanuginem foliorum populi temerè confudisse cum lanugine uvæ ejusdem. Atqui sola candida populus eam præfert villosam lanuginem, qua folia ejus inferne obducta sunt. Nigra vero sola populus alteram illam producit grandissimam lanuginem, quæ ex ramis exit, & suis seorsim pediculis dependet, utrique autem generi innascitur & F tertia illa lanugo, quæ muscus vocatur, qualem habent & ceteræ arbores. Plinius autem hæc omnia genera miscuit, & utrique populo indifferenter eamdem lanuginem attribuit, quam ex foliis grandissimam evolare dicit. Quod est falsissimum. Nunc quærendum, ex quo genere fuerit illud βρύον populeum, & quercinum, quod unguentis addebatur. Populi albæ uvarum usum ubique in unguentis commendat Plinius. Hoc non de musco, sed de flore, vel tanquam flore lanuginoso populi capiendum sit. Ergo & similiter βρύον δρύϊνον, cujus usus in unguentis, interpretandum esset. Quod non procedit. Profecto βρύον illud ἀρωματικὸν, quod unguentis addi solitum, nec ubique odoratum, nec in o- G mnibus arboribus nascebatur. Plinius hoc cap. XXVIII albæ populi *bryon*, quam *uvam* vocat, maximè expetitum ad unguenta tradit, & optimum esse, quod circa Cnidum, aut Cariam proveniebat in sitientibus, aut siccis asperisque: secundum in Lyciæ cedro. Et notanda hæc verba Plinii: *Bryon*, inquit, *eodem pertinet*, *uva populi albæ. Optima circa Cnidum, aut Cariam in sitientibus, aut siccis asperisque: secunda in Lyciæ cedro.* *Bryon* myrepsicum uvam esse dicit populi albæ: optimam in Caria & Cnido inveniri: secundam in Lyciæ cedro. At quomodo fieri possit, ut uva populi albæ in cedro reperiatur, nullus agnosco. Certè βρύον κέδρινον etiam commendat ad odores Dioscorides, sed diversum illud βρύον, nec si uvæ formam habet *bryon* populeum, eadem forma præditum esse oportet cedrinum. Sed nec uva populi albæ in cedro nasci potest. Dioscorides de bryo odorato: διαφέρει δὲ τὸ κέδρινον, δεύτερον δὲ τὸ λεύκινον. At Plinius optimam uvam populi albæ scribit esse, quæ in Caria, aut Cnido nascitur, secundam, quæ in Lyciæ cedro. An legendum, *quæ in Lycia cestro*? vel ad *Lyciæ cestrum*. Cestrus flumen Lyciæ, alii Pamphyliæ dicunt. De loco Lyciæ quodam, ubi secunda bonitas τοῦ βρύου, vel uvæ populeæ nascitur, intelligi debere videatur, nisi Plinium maximæ supinitatis arguere velimus. Certè talis ille in multis, & fere in omnibus. Ut heîc *uvam populi albæ* vocat, quam alio loco longissimam lanuginem foliis candidæ populi candidam evolantem. Ubi *evolare lanuginem* dicit, quæ eminet, & protenditur. Sic *provolantia tabulata* in Mœnianis apud Asconium, quæ prominent, & extra columnas, & mutulos extenduntur. Idem Plinius libro eodem, sed capite XXIII *sphagnon* appellat hoc arborum *bryon*, & quasi res diversa sit ab isto *bryo* populi albæ, alio loco recenset, quia id scilicet ab alio habet auctore. *Sphagnos*, inquit, *intra eos situs in Cyrenaica provincia maxime probatur. Alii bryon vocant. Secundum locum obtinet Cyprius. Tertium Phœnicius. Fertur in Ægypto nasci: quin & in Gallia: nec dubitaverim. Sunt enim hoc nomine cani arborum villi, quales in quercu maximè videmus, sed odore præstantes.* Cedri in Africa optimæ. Eædem, & in Phœnice, & Ægypto. Ideoque de *bryo* cedrino totus hic locus capiendus. Quod addit etiam in Gallia nasci, de quercino *bryo* intelligendum. Nec enim cedri in Gallia. Aut certe de populi albæ *bryo*. In Lycia genus etiam cedri reperitur minoris. Hinc cap. XXVIII secundam palmam dat Lyciæ cedri *bryo*. Cyprium *bryon*, cui secundum locum dat, in piceis fortasse nascebatur, quæ laudatissimæ in Cypro. Nam & Galenus, & Paulus in picea, vel pinu *bryon* proveniri tradunt. Addit Plinius: *sunt hoc nomine arborum villi, quales in quercu maxime videmus, sed odore præstantes.* Ergo *spagnos* ille odoratus, qui in Cyrenaïca, Cypro, Phœnice, & aliis locis invenitur, similis est *bryo* quercino, immo idem cum *bryo*, quod etiam σπλάγχνον appellari Dioscorides testatur. Ita enim apud eum scribitur. Item apud Aetium, & Paulum Aeginetam in antiquissimis libris, non σφάγνον. Forte σπλάγχνον appellatum à longi visceris similitudine. Theophrastus instar ῥακίου μακροῦ, id est, longi panni habere tradit hunc φασκὸν, qui idem est cum aliorum σπλάγχνῳ. Paulus Ægineta in compositione Cyphi Heliaci σπλάγχνον & σφαγνὸν plane distinguit. Si σπλάγχνον est bryon odoratum, diversus erit ab eo σφαγνός. Ergo σφαγνὸς salviæ species, quam & σφακὸν dixere ἔνιοι. Dioscorides: & ἐλελίσφακος, οἱ δὲ σφαγνὸν. Plinius tamen *bryon* odoratum sphagnum ubique vocat. In indice *spagnum* appellatur: *de Hammoniaco, spagno, Cypro.* Hic σφακὸς etiam dicebatur & σφασκὸς. Idem lib. XXXIV. cap. VI. *Sphagnos, sive sphacos, sive bryon, & in Gallia, ut indicavimus, nascitur.* In indice hujus loci, ut habetur in vetustissimo codice, sic legitur: *de spacno, sive spaco, sive bryo.* Σφαγνὸς & σφακὸς, idem & φασκὸς. Hesychius: σφακὸς χορτὸς, ὃν ὁ κτίλων ἐσθίει. Οἱ δὲ τὸ ἐπὶ τῶν δρυῶν ἐπιγεννώμενον, ὃ καλοῦσι βρύον, οὐκ εὖ, ἐκεῖνος γὰρ φασκὸς λέγεται. Sic corrigendus Hesychius. Male legitur: ἐκεῖνος γὰρ φακὸς. Non probat ille Criticus σφακὸν de *bryo* quercino dici, sed φασκὸν. Idem: φασκὸς, τὸ ἐπὶ τῶν δρυῶν γινόμενον. Et rectè sanè Hesychius. Aliud quippe φασκὸς, aliud σφακὸς. Phascos est *bryon* quercinum, σφακὸς vero salvia est, quam & ἐλελίσφακον dixere quidam. Plinius solo nominis sono ductus inter lentis genera eam recenset lib. XXII. cap. ultimo, cujus verba ita legenda sunt: *Est silvestris elelisphacos dicta Græcis, aliis spacos dicta sativa, lente leviore, & folio minore, atque sicciore, & odoratiore. Est & alterum genus ejus silvestrius, odore gravi. Hæc mitior folia habet cotonei mali effigie.* Sic restituimus hunc locum ex veteribus libris, nulla fer-

fermè litera mutata, qui in vulgatis perturbatiſſimus, ac corruptiſſimus. Inter lentis genera refert eleliſphacon, non aliam ob rationem, quam quod φακὸς in ejus eſt nomine, & quod σφακὸς in genere reperitur. Ceterum nihil ſimile, aut σύμφυλον lens habet cum eleliſphaco, vel ſphaco, niſi quod illa φακὸς Græcis, hæc dicitur σφακός. Sed talis ubique Plinius. De paluſtri lente præcedit locus. Subjicit igitur, *eſt ſilveſtris eleliſphacos dicta Græcis.* Vult nimirum ſilveſtrem eſſe lentem eleliſphacon. Scribitur in libro optimo Rigaltii: *eſt ſilveſtris, & eliſphacos dicta Græcis.* Et ſanè in indice manuſcripto libri primi *eliſphacon* nominatim meminit his verbis, quæ ſunt corruptiſſima: *Thaco Epitheimathon, vel Heliaſpiaco, ſive Heliaſpaco, ſive ſphaco, quæ ſalvia* III. quæ ſic emandanda ſunt: *Phaco* ἐπὶ τελμάτων, *vel helia phaco, ſive eliſphaco, ſive ſphaco, quæ & ſalvia.* Φακὸς ἐπὶ τελμάτων eſt lens paluſtris, quam & ἐλείαν φακὸν appellatam monet. Cui ſtatim ſubjungit eleliſphacon, vel eliſphacon: quam ſilveſtrem lentem eſſe vult. Quod eſt perridiculum. Addit: *Aliis ſphacos dicta ſativa lente leviore, & folio minore.* Ita libri, excepto quod habent *phacos.* Sed legendum eſſe *ſphacos* ex indice conſtat. Ubi dixit ſilveſtrem lentem eſſe *eleliſphacon* Græcis ita dictam, ſubjungit aliis *ſphacon* appellari ſativam, quæ lentem habeat leviorem, hoc eſt, λειοτέραν, & folium minus. Hoc ex Theophraſto, qui ἐλελίσφακον & σφακὸν ita diſtinguit, ut alteram mitioris generis, alteram agreſtioris faciat. Male σφακελὸς pro σφακὸς legitur apud Theophraſtum, cujus hæc verba: σφακὸς δὲ καὶ ἐλελίσφακος διαφέρουσιν, ὡς ἂν τὸ μὲν ἥμερον, τόδε ἄγριον. Λειότερον γὰρ τὸ φύλλον τοῦ σφακοῦ, καὶ ἔλαττον καὶ ἧττον αὐχμηρόν. Τὸ δὲ τοῦ ἐλελισφάκου βαρύτερον. Haud dubium eſt, quin σφακὸς reponendum ſit, ut ſcripſimus, pro vulgato σφακελός. Ergo σφακὸς Theophraſto mitis eſt, & ſativus, ἐλελίσφακος agreſtis. Ineptè Plinius σφακὸν cum φακῷ confudit, ſalviam cum lente, & σφακὸν lentem eſſe ſativam ſcribit, lente leviore, & folio minore, cum dicat Theophraſtus ſphacon habere folium levius & minus, λειότερον καὶ ἧττον. Granum, vel ſemen ſimile lenti non habet σφακός, nec ἐλελίσφακος, ſed ormino. Subjicit Plinius: *eſt & alterum genus ejus ſilveſtrius odore gravi.* De eleliſphaco Theophraſti intelligit, quo agreſtem eam facit, & quam βαρύτερον eſſe dicit, quod Plinius vertit, *odore gravi.* Duo genera ſtatuit agreſtis ſalviæ, cum unum ſit. Sequitur apud eumdem: *Hæc mitior folia habet cotonei mali effigie.* Ita nos interpunximus, quæ vulgo ſunt perturbatiſſima. Quænam porro hæc mitior, an *ſpacos*? ita ſanè videtur: agreſtiorem enim ἐλελίσφακον cum Theophraſto vocavit, mitiorem *ſphacon.* Atqui iſta mitior, cui folia tribuit cotonei mali effigie, ſed minora, & candida, ea eſt Dioſcoridis ἐλελίσφακος, cujus locum ſic lego ex optimo codice: φύλλα δὲ μηλέᾳ κυδωνίᾳ ἐοικότα, ἐπιμηκέστερα δὲ μικρότερα, καὶ τραχέα λελειότες ὥσπερ τὰ ἀνάτριπτα τῶν ἱματίων, δασέα ὑπόλευκα, σφοδρῶς εὐώδη, ἔμβρωμα. Quæ totidem verbis in ſcripta ſua tranſtulit Aëtius. Ex Dioſcoride igitur mitioris hujus deſcriptionem ſumpſit Plinius, cum Dioſcorides non tradat, utrum de mitiore, an agreſti loquatur. Eleliſphacon nominat, & unum tantum genus facit, at eleliſphacos Theophraſto agreſtis, σφακὸς mitior, quæ & minora habet folia. Eleliſphacos Dioſcoridis, quæ cydonio malo quantum ad folium ſimilis eſt, magis cum eleliſphaco Theophraſti convenit, quia latiora habet folia, quam cum ſphaco, quæ minora. Plinius ex duobus, aut pluribus auctoribus, quod ſemper facit, unius plantæ hiſtoriam contexens, mirè omnia confudit, & miſcuit. Dioſcorides ἐλελίσφακον etiam σφάγνον nominatam ſcribit, ut & Aëtius, qui Dioſcoridem tranſcripſit. Non dubito, quin ἐλελίσφακον alii σφακὸν appellarint, & σφάγνον. Alii ἐλελίσφακον agreſtem, σφακὸν vel σφάγνον ſativam fecerunt. Nonnulli contrà *ſphacon* pro agreſti ſumpſerunt. Heſychius ex antiquo aliquo poëta citat, σφακώδη κλιτὺν, καθ᾽ ὃν, inquit, ὁ σφακὸς φύεται, ἔστι δὲ ἄγριον φυτόν. Hic eſt σφακός, quem ibidem interpretatur χόρτον, ὃν τὰ κτήνη ἐσθίουσιν. Capræ hujus ſphaci potiſſimum appetentiores, ut ex Eupolide conſtat, qui σφακὸν εὐώδη vocat, inter eas arbores & frutices, quæ pabulum capris ſubminiſtrant. Apule-

A jus, vel herbarium ſub ejus nomine, capite de ſalvia: *quidam Græcorum ciſſion, alii eleliſphacon, alii ſphacon, alii bechion appellavere.* Hæc etiam σφάγνον dicta Dioſcoride auctore. Nunc vide Græcorum ſupinitatem in nominibus herbarum confundendis. Σφακὸς & φάσκος toto genere diverſa ſunt: φάσκος bryon quercinum, σφακὸς genus fruticis, qui ἐλελίσφακος, & σφάγνον etiam dicitur. Quia vero quidam ex nominis vicinitate tranſpoſita una litera σφακὸν pro phaſco dixere, hinc ſphagni nomen de bryo etiam uſurparunt, quum σφάγνον de eleliſphaco tantum, qui & ſphacos, non de phaſco, quod eſt βρύον, diceretur. Hinc φάσκον, & σφακὸν, & σφάγνον quoque appellarunt. Quæ

B eſt magna ſtupiditas. Ut ſciamus, quid ſit φάσκος in quercu, legendus eſt Theophraſtus lib. III. Hiſtoriarum. cap. IX: cujus & verba heîc producere nihil nocebit auctori ipſi, quem eadem opera illuſtrabimus: Ὃ δὲ καλοῦσί τινες φάσκον ὁμοίως τοῖς βραγχίοις ἡ αἰγίλωψ μόνη φέρει πολιὸν καὶ βράχιον. Καὶ γὰρ πηχυαῖον καταχρεμάννυται καθάπερ τρύχος ὀθονίου μακρόν. Φύεται, δὲ τοῦτο ἐκ τοῦ φλοιοῦ, καὶ οὐκ ἐκ τῆς κορύνης ὅθεν ἡ βάλανος, οὐδὲ ἐξ ὀφθαλμοῦ, ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ πλαγίου τῶν ἄνωθεν ὄζων ἔχει. Ægilops genus eſt quercus, quam ſolam hunc φάσκον ferre dicit Theophra-

C ſtus. Fert etiam ἁλίφλοιος genus alterum, ſed in ſummo nigrum & breve. Plinius hunc Theophraſti locum ſic reddidit lib. XVI. cap. VIII. *E glandiferis ſola, quæ vocatur Ægilops, fert pannos arentes muſcoſo villo canos, non è cortice modò verùm & è ramis dependentes cubitali magnitudine, odoratos ut diximus inter unguenta.* Vertunt vulgo apud Theophraſtum, *quod autem penem appellant quidam branchiis ſimile.* Quaſi φάσκος in quercu *penis* ſit, aut figuram penis habeat. Vox Græca retinenda erat, *phaſcos.* Plinius *pannos arentes* vocat, ita enim ſcribendum, non *panos*, quia phaſcos ille ſimilis panno, hoc eſt, longæ veſtis laciniæ. Τρύχος

D ὀθονίου propriè *pannus.* Dependet autem ille phaſcos è quercubus, καθάπερ τρύχος ὀθονίου μακρὸν, *tanquam longus pannus.* Gloſſæ: *pannus*, ῥάκος. Et fortaſſe in Theophraſto legerit Plinius: ὃ δὲ καλοῦσί τινες φάσκον ὁμοίως τοῖς ῥακίοις ἡ αἰγίλωψ μόνη φέρει. Hinc *pannos arentes* eam ferre dicit. Τὰ ῥάκια ſunt panni. Hoc indubitatè verum. Corrupta etiam quæ ſequuntur, πολιὸν καὶ βράχιον. Plinius reddit: *muſcoſo villo canos.* Scripſerat Thophraſtus, πολιὸν καὶ βρύινον. Βρύον eſt muſcus. Quod autem dixerat ægylopem φάσκον ferre ὁμοίως τοῖς ῥακίοις, πολιὸν καὶ βρύινον, id explicat ſtatim, καὶ γὰρ πηχυαῖον καταχρεμάννυται καθάπερ τρύχος ὀθονίου μακρόν. Nam ῥά-

E κιον, & τρύχος ὀθονίου res eadem eſt. Inde τρυχίνη ἐσθής, *pannoſa veſtis*, vel *pannucea.* Heſychius: τρυχίνοις, ῥακίοις. Fortaſſe tamen non ſollicitanda vox βράχιον. Dicit ægilopem φάσκον producere ὁμοίως τοῖς ῥακίοις, πολιὸν καὶ βράχιον, pannis ſimilem, canum, & breviorem, quam panni ſunt ſcilicet. Nam ῥάκιον, ſive pannus eſt longa faſcia ex veſtimento detrito præciſa. Huic ſimilis phaſcos, ſed brevior. Aliter tamen legiſſe videtur Plinius, & quod ſequitur, contra facit, ubi explicat τρύχος ὀθονίου μακρόν. Addit Plinius: *non in cortice modo, verùm & è ramis dependentes.* Ergo legebat in Theophraſto, φύεται δὲ τοῦτο ἐκ τοῦ φλοιοῦ καὶ ἐκ τῆς κορύνης, ὅθεν ἡ βάλα-

F νος: ubi hodie in Græcis legimus cum negatione, φύεται ἐκ τοῦ φλοιοῦ, καὶ οὐκ ἐκ τῆς κορύνης. Plinius κορύνην *ramum* vertit. Et ſane id ſignificat. Undè κορύνη *clava*, hoc eſt, baculus ex ramo cum nodis præciſo. Inde ὄζον Græci, & κλάδον *clavam* Herculis appellant. Vox *clava* quoque inde eſt. Nam κλάδα Græcè ramus, at Æolice κλάβα. Unde Latinum *clava.* Damogeron quoque in Geoponicis κλάδον, & κορύνην pro eodem ponit: ἕτεροι δὲ περὶ ἐνιαυτοῦ ἐπιλεξάμενοι κλάδον ἀπὸ καρύας, ὅθεν βούλονται ἐγκεντρίσαι, στρέφουσι τοῦτον καὶ λυγίζουσι. Τοῦτο γὰρ παθοῦσα ἡ κορύνη, πληρεστάτην τὴν ἐντεριώνην ἕξει. Malè

G vulgo editur, τοῦτο γὰρ παθοῦσα ἡ καρύνη. Sic κορύνη & κλάδος idem. Quo ſenſu igitur accipiendum, quod ait Plinius, phaſcon non in cortice modo naſci, verùm & è ramis pendere? An non & rami corticem habent? *Corticem* accipere videtur pro caudice arboris, & trunco. Nam in eo plurimus cortex. Sic alibi in germinatione rumpi arborum corticem dixit, unde rami ſcilicet prodeunt. Non recta eſt Pliniana apud Theophraſtum lectio, nec recta ejus interpretatio. Quercus glandem ferunt

A ferunt inferioribus præcipuè ramis: nam superiores nullam ferè habent. In ramis inferioribus phascos è cortice nascitur, non è surculo, unde pendet glans. Recta igitur in Theophrasto vulgaris lectio: φύεται δ' τοῦτο ἐκ τοῦ φλοιοῦ, καὶ οὐκ ἐκ τῆς κορύνης, ὅθεν ἡ βάλανος. Cortex autem, hoc est, φλοιὸς, in ramis inferioribus. Addit Theophrastus: οὐδὲ ἐξ ὀφθαλμοῦ, ἀλλ' ἐκ τοῦ πλαγίου τῶν ἄνωθεν ὄζων ἔχει. *Nec ex gemma, sed ex latere habet superiorum ramorum.* Ergo & φλοιὸς, & κορύνη, ὅθεν ἡ βάλανος inferiorum ramorum. Ὀφθαλμὸς in superioribus ramis, quæ glandem non gerunt, respondet τῇ κορύνῃ, ex qua pendet glans in ramis inferioribus. Ideo autem
B Philosophus scribit, nec ex oculo superiorum ramorum, nec ex surculo glandis inferiorum prodire φάσκον, ut eorum opinionem tacitè refellat, qui φάσκον florem quercus, aut pro flore esse censebant. Cum enim ex illis locis non procedat, unde fructus solet enasci, certum est nec florem esse, nec pro flore habendum. De quo ita scribit eodem libro cap. VI. Οἱ μὲν γὰρ καὶ δρῦν ἀνθεῖν οἴονται, καὶ τὴν Ἡρακλεωτικὴν καρύαν καὶ Διὸς βάλανον, ἔτι δὲ πεύκην καὶ πίτυν. Οἱ δὲ οὐδὲν τούτων, ἀλλὰ τὸν ἴουλον τὸν ἐν ταῖς καρύαις, καὶ τὸ βρύον τὸ δρύϊνον, καὶ τὸν κύτταρον τὸν πιτύϊνον ὁμοία, καὶ ἀνὰ λόγον εἶναι τοῖς περιπτώλοις ἐρινεοῖς. Constat igitur φασκὸν, & βρύον δρύϊνον idem
C esse. Quod & alii auctores passim asserunt. Ideo de phasco heîc dicit quosdam ita vocare, ὃ δὲ καλοῦσί τινες φάσκον. Etenim alii βρύον vocabant communi nomine, & aliarum arborum similibus lanuginibus. Hesychius: σφακὸς, τὸ ἐπὶ τῶν δρυῶν γινόμενον, ὃ καλοῦσι βρύον, οὐκ εὖ, ἐκεῖνος γὰρ φάσκος λέγεται. Plinius similiter: & phascon, & bryon, & sphacon facit ejusdem rei synonyma. Hi sunt *cani arborum villi*, quos idem vocat Plinius. Hæc longissima lanugo è foliis populi albæ evolans. Hi arentes panni è cortice, & è ramis ægilopis dependentes muscoso villo tecti. Hoc βρύον δρύϊνον, & λεύκινον Dioscoridis, quem alii σφαγνὸν & σφακὸν voca-
D bant. Falli igitur constat doctissimos herbariorum, qui βρύον istud odoratum, vel φάσκον quercinum, & populeum ex eo genere musci esse arbitrantur, quod in ipsa arborum superficie lanuginosum apparet, quo musco etiam petræ solent obduci. Nulla ferè est arbor, quæ truncum, & ramos id generis musco vestitos non habeat. Nec glandiferæ omnes tantùm hoc musco teguntur, sed etiam aliæ. Præterea muscus hic, qui in superficie quercuum, aliarumque arborum, ut in saxis villosus visitur, non est odoratus. At φάσκος, sive βρύον illud δρύϊνον odore excellit, nec in omni genere
E quercino, nec in omnibus locis nascitur. In totum igitur alia res est, longissima nimirum & candidissima lanugo evolans è quodam quercuum genere, & è populo alba. Et aliis multis arboribus, ut picea, larice, cedro, cujus muscus, sive bryon præcipuæ in unguentis commendationis. Aëtius, & alii Græci recentiores ὕπνον vocitant. Arabes *Usnee*, vel *Asne.* Forte ex illo Græco, nisi potius Græcum ex Arabico, quod non puto. Avisena *Usnee* reperiri docet super arbore ferente glandes, & pinu, & nuce: Græci non meminerunt inveniri in arbore nuce. Nec sane aliud βρύον habet nucis juglandis arbor præter julos suos, quæ &
F βοτρύδεια dicuntur Galeno. Apparet igitur Avisenam βρύον nucinum, quod nux arbor floris instar habet, confundere cum alio genere, quod arboribus innascitur. Antiqua expositio Arabicorum nominum Avisenæ notat *Usnee* esse lanuginem, quæ in arboribus avellanarum nucum invenitur. Τὰ βρύα plane intelligit, atque ἰούλους nucum minutarum. Hujusmodi villosos flores habet etiam nux juglans. Diversi omnino generis hæc βρύα, qui flores sunt, vel instar florum ab illo bryo, quod in quercubus odoratum reperitur, & piceis, & cedris. Βρύον vocatur, quia quidquid ef-
G florescit, ita nominarunt, & βρύειν est florere, non quolibet flore, sed denso & conferto. Hinc muscum, qui in superficie saxorum confertim nascitur, sic appellarunt, quasi flos sit quidam peculiaris, qui τοῖς λίθοις ἐπανθεῖ. Nam βρύειν proprie est scatere, & aliqua re abundare.

Ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Hinc flos condensus, & capillorum instar confertus, & constipatus, propriè βρύον, ut suprà pluribus diximus. Talis utique muscus est saxorum, & arborum; tales & plerique arborum flores, aut ἐξανθήσεις, quæ pro floribus sunt. Talis & φάσκος, unde & βρύον appellatum. Non φάσκον, ut vulgo putant, sed σφακὸν εὐώδη vocat Eupolis in Comœdia Αἶγες, ubi capras inducit omnicarpas de saginæ suæ copia, & varietate sic inter se verba facientes:

Βοσκόμεθ' ὕλης ἀπὸ παντοδαπῆς, ἐλάτης, πρίνου κομάρου τε
Πτόρθους ἁπαλοὺς ἀποτρώγουσαι, καὶ πρὸς τούτοισιν ἔτ' ἄλλα.
Οἴσπιν, κύτισον, σφακὸν εὐώδη, καὶ σμίλακα τὴν πολύφυλλον,
Κότινον, σχῖνον, μελίαν, πεύκην, ἀρίαν, δρῦν κιττὸν, ἐρείκην,
Πρόμαλον, ῥάμνον, φλόμον, ἀνθέρικον, κισθὸν, φηγὸν, θύμα
θύμβραν.

Ita hos versus correximus, distinximus, atque in suos numeros redegimus, qui non valdè numerosi sunt apud Plutarchum, & Macrobium. Sunt autem anapæstici tetrametri catalectici. In his σφακὸν εὐώδη non φάσκον legi lex metri postulat. Quod de hoc odorato bryo non intelligendum est, quem φάσκον vocat Theophrastus, sed sphaco, qui & elelisphacos, de quo supra diximus. Nam & odoratus est, ut scribit Dioscorides, & salvia est agrestis, ut jam inde constet rectè Hesychium eos reprehendere, qui σφακὸν vocitent pro φάσκον. Quidam & σφάγνον vocarunt, ut Dioscorides docet. Fortasse & Paulus Ægineta ita appellat, ubi compositionem Cyphi Heliaci describit. Nam in eandem compositionem σπλάγχνον, & σφάγνον veluti diversa ingredi facit. Atqui ibi σπλάγχνον de bryo aromatico accipiendum. Ergo aliud σφάγνον. De salvia silvestri id nomen videtur intelligi debere, quæ & ipsa σφόδρα εὐώδης. Idem Paulus in Ἀντεμβαλλομένοις Galeni σφάγνου meminit: ἀντὶ καλάμου ἀρωματικοῦ, σφάγνος, & ἀντὶ φοῦ σφάγνος. Quod omnino de hoc sphagno, qui & σφακὸς εὐώδης, intelligendum. In Dioscoridis auctuario legitur ἀσπάλαθον etiam dictum esse σφάγνον. Sed illi parum credo auctori. Plinius σφάγνον poro σπλάγχνῳ accepit, quod est bryon odoratum. Apud Neophytum mentio est σφάγνου ἀρωματικοῦ, quod est σπλάγχνον, *Dabha*, vel *Dabach.* Capras odoratorum fruticum esse appetentissimum animal alibi scribit Plinius. Inde & φακὸν illum εὐώδη inter alia appetunt. De phasco idem: *laus prima candidissimis, atque latissimis, secunda rutilis, nulla nigris.* Ita scribendum, non *altissimis.* Nisi eos intelligat φάσκους, qui in superioribus ramis proveniunt, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὄζων. Candidi maximè probabantur. Nam ἁλίφλοιος nigros producebat, & improbatos. Erant & rutili. At doctissimi medicorum in definitionibus suis de hoc bryo annotant, *esse substantiam quamdam capillatam, villosam, viridem, germinationis modo circa cortices arborum concrescentem.* De musco arborum intelligunt, qui circa cortices earum nascitur villosæ lanuginis, multum diverso ab illo bryo, sive sphagno, quod viride non est, sed candidum, aut rutilum, aut nigrum. Alius doctissimus Herbarius tradit bryon in quercu racemosos villos esse, qui pro flore sunt. Hoc si verum est, tria sunt in quercu genere toto dissidentia, quæ βρύον nomine uno pariter gaudeant, hic racemosus villus, tum muscus, qui circa corticem germinat, & φάσκος Theophrasti, vel σφακὸν, quæ longissima est lanugo panni instar, vel fasciæ candidæ, & quem veteres ἀρωματικοῦ βρύον appellatione constat intellexisse. Distinguenda hæc igitur, quæ veteres ipsi passim confundunt. Uva populi est βρύον, quod pro flore est, uvæ instar longissimæ multis granis albicante lanugine plenis, quæ in pappos evolat, maturescente bacca. Hoc βρύον λεύκινον. Sed & βοτρύδιον dici potest, ut in nuce, & aliis βρυοφόροις. Quercus quoque tale βρύον gignit, quod una cum foliis prodit. Theophrastus βρύον δρύϊνον vocat. Unguentis id genus βρύον vix putem olim addi solitum, licet Plinius tradat, verum alius generis, quod non ex ipsa populo enascitur; Sed cortici ejus innascitur, ut in quercu, cedro, larice, picea, & aliis. Et illud βρύον veterum odoratum. Hic φάσκος Theophrasti, quem & Hesychius βρύον ἐπὶ δρυῶν γινόμενον exponit. Φάσκος, τὸ ἐπὶ τῶν δρυῶν ἐπιγεννώμενον, ὃ καλοῦσι βρύον. Quercubus innasci, non ex quercubus gigni plane indicat. Paulus: βρύον οἱ δὲ σπλάγχνον

ἐν δρυσὶ, καὶ λεύκῃ, καὶ πεύκαις δὲ γινόμενον, καὶ μάλιστα τὸ ἐπὶ τῶν κέδρων. Ad unguenta expetitum maxime, quod ſuper cedris inveniebatur. In quercubus etiam quibuſdam reperiri fertur. Theophraſtus certi tantum generis quercus peculiare tradit. Diverſum igitur hoc βρύον, quod φάσκος dicitur, ab illo βρύῳ quercino, qui floris eſt inſtar, in quercu. Phaſcon porro, ſive bryon hoc quercinum longe diverſi generis eſſe ab illo muſco, quo operiuntur arborum rami, & caudices, id maximè fidem faciat, quod in genere quodam quercus tantum naſcitur, quæ Græcè dicitur αἰγίλωψ, cum muſcum illum omnia quercus genera ferant, arboreſque ceteræ. Latinè vulgo vertunt *cerrum*. Haud ſcio quam benè. Immo prorſus malè. Cerrum non eſſe Græcorum ægilopa, non ex Plinio evincam, qui in eodem capite cerrum, & ægilopem nominat veluti diverſa, ſed res ipſa, & natura utriuſque arboris, id magis probet. Theophraſtus tradit αἰγίλωπα in incultis naſci, & robuſtiſſimam habere materiam, & excelſiſſimam. Ideo ædificiis utiliſſimam eſſe nemo ignoret. Addit quercum latifoliam ſecundas tenere, τῇ ὀρθοφυΐᾳ καὶ τῷ μήκει. Ceterum ædificiis inutilem prorſus eſſe poſt haliphlœon, quæ inutiliſſima. Carbonibus quoque faciendis haud commodam haberi, ut nec ἁλίφλοιον. Cum igitur rectiſſimam, excelſiſſimam, ac præduram habeat materiem ægilops, & ædificationibus præcipuè utilem, quis eamdem cum cerro putet, quem veteres architecti tradunt pervia raritate eſſe, eoque humores facile recipere, & celerrime marceſcere? Vide Vitruvium lib. II. cap. IX. Ἁλίφλοιος potius eſſet, quem craſſum quidem habere corticem tradit Theophraſtus, χαῦνον δὲ, καὶ κοῖλον, διὸ καὶ ἀχρεῖον εἰς οἰκοδομάς. Ἔτι δὲ, inquit, σήπεται τάχιστα. Quod cerro maximè convenit. Rideo doctiſſimos viros, qui ἁλίφλοιον vertunt *ſalſicorticem*, quaſi Græci ita appellarint à ſalſo cortice, quod eſt ridiculum. Ἁλίφλοιος dicta, quod ἅλις φλοιοῦ, hoc eſt, ſatis corticis habeat. Craſſiſſimo enim erat cortice. Eadem & εὔφλοιος dicebatur, quod idem eſt atque ἁλίφλοιος. Theophraſtus, ἁλίφλοιος οἱ δὲ καὶ εὔφλοιον καλοῦσι. Græci ἅλις pro multùm, & valdè ponunt, ut Latini *ſatis*. Non igitur cerrus ægilops, ſed potius ἁλίφλοιος. Plinius: *Excelſiſſima autem ægilops, incultis amica. Ab hac proxima latifoliæ proceritas, ſed minus utilis ædificiis: atque carbone dotata, vitiis obnoxia eſt. Quamobrem ſolida utuntur carboni, ærariorum tantum officinis compendio: quoniam deſinente flatu emoriens protinus recoquitur.* Hic unus eſt de corruptiſſimis apud Plinium locis, quem obiter occaſione data, vel capta heîc emendabimus. Theophraſtus in glandiferarum generibus conſtituendis, duas affert diverſas ſuper eorum generum diviſione opiniones, alteram, qua utebantur Idæ montis accolæ, alteram, qua Macedones. In altera dicit πλατύφυλλον, & ἁλίφλοιον nullas habere in ædificiis utilitates, ſed nec ad carbonem utiles haberi. In altera de aſpri, quem ſic Macedones vocabant, hoc idem tradit, & alia quædam particularia, quæ Plinius hoc loco ad latifoliam tranſtulit, quaſi latifolia Idæorum, & aſpris Macedonum eadem eſſet. Sic igitur legendus, ac interpungendus ille locus, qui utroque vitio inſignite laborat: *ab hac proxima latifoliæ proceritas, ſed minus utilis ædificiis, atque carboni.* Theophraſtus de latifolia, & haliphlœo: φαῦλον δὲ καὶ εἰς τὸ κάειν, καὶ ἀνθρακεύειν, καὶ ἀχρεῖον εἰς τὰς οἰκοδομάς. Eadem narrat de aſpri Macedonum. Sequentia ſic conſtituenda: *dolata, vitiis obnoxia eſt: quamobrem ſolida utuntur.* Hoc de aſpri dicit Theophraſtus: μοχθηρὰ δὲ καὶ τὰ ξύλα. Πελεκηθέντα μὲν ὅλως ἀχρεῖα. Καταρρήγνυται γὰρ καὶ διαπίπτει. Ἀπελέκητα δὲ βελτίω. Διὸ καὶ οὕτω χρῶνται. *Indolatis & ſolidis utuntur*, fabri ſcilicet, οἱ τέκτονες. *Dolata* ſunt πελεκηθέντα. Sequitur, ut legimus: *Carbo in ærariorum tantum officinis compendio; quoniam deſinente flatu emoriens protinus recoquitur.* Theophraſtus: ἀχρεῖος γὰρ ὅλως ὁ ἄνθραξ, πλὴν τοῖς χαλκεῦσι. Τούτοις δὲ χρησιμώτερος τῶν ἄλλων, & cetera, quæ ibi vide. Sic πλατύφυλλον Idæorum & ἄσπριν Macedonum eamdem putavit Plinius, quum tamen ſint diverſæ. Nam Macedones ipſi πλατύφυλλον & ἄσπριν diſtinguebant. Viri docti ægilopa, & aſprim eamdem exiſtimant, nam utramque *cerrum* reddunt, quod non poteſt eſſe verum. Theophraſtus ipſe manifeſtè τὴν ἁλίφλοιον, & τὴν ἄσπριν facit diverſas. Eſt aliud præterea, quod aſprin cerrum eſſe prohibeat videri. Scribit Theophraſtus ἄσπριν ὅλως ἄκαρπον quoſdam tradere, alios fructum adeo nequam, & amarum ferre, ut vix ſues edant. At dulciſſimam eſſe cerream glandem ex Nigidio conſtat. Plinius: *querna diſtuſam, & graviſſimam, & ipſa glandium æquè dulciſſima.* Libri habent, *atque*. Scribendum: *querna diſtuſam: graviſſima & ipſa glandium, atque dulciſſima.* Sequitur: *proximam huic cerream tradit Nigidius, nec ex alia ſolidiorem carnem, ſed duram.* Hæc eadem cauſa prohibeat, ne & *cerrus* ἁλίφλοιος videri queat, quamvis nullum ſit genus apud Græcos, cui melius conveniat. Nam ἁλίφλοιος inter genera glandifera acerbiſſimam habet glandem, teſte Theophraſto, poſt ægilopa tamen. Ex his igitur conſtat cerrum, nec ἁλίφλοιον eſſe, nec αἰγίλωπα, nec ἄσπριν. Sed nec latifolia quercus, nec fagus, nec robur, nec ullum aliud ex his generibus. *Cerrum* Latini vocarunt, quam Græci ὀξύην. Id verum eſſe ex fructu utriuſque conſtabit. Theophraſtus de fructu oxyæ: ὁ δὲ καρπὸς λεῖος βαλανώδης ἐν ἐχίνῳ, πλὴν ἀνάκανθος καὶ οὐχ ὡς ἡ Διὸς βάλανος ἀκανθώδης, προσεμφερὴς δὲ καὶ κατὰ τὴν γλυκύτητα, καὶ κατὰ τὸν χυλὸν ἐκείνῳ. Plinius de glande cerri: *Cerro triſtis & horrida, echinato calice ceu caſtaneæ.* Echinatum habet calicem, hoc eſt, ἐχῖνον triſtem, & horridum, ſed non aculeatum, ut caſtanea. Dulciſſimam eſſe cerream glandem docet apud Plinium Nigidius. Talem eſſe & ὀξύης καρπὸν dicit Theophraſtus, qui tamen inter genera glandiferarum eam non recenſet, ſed μονογενὲς eſſe ait. Latini vero *cerrum*, qui eſt ὀξύη, generi τῶν βαλανηφόρων adſcripſerunt, propter fructum βαλανώδη. Nam & caſtaneas Græci huic eidem generi propter id accenſent, & βαλάνους vocant. Veteres habeo gloſſas, quæ *cerrum* ὀξύην exponunt. In vulgatis legitur, *cerrus* πετρίς: Malè corrigunt πτερίς. Fortaſſe πετρὶς dicta ἡ λευκὴ ὀξύη, quæ in ſaxis, & montibus naſcitur, ἐν τῷ ὄρει. Nigra quippe in campis proveniebat. At πτερὶς eſt filix. Nugantur igitur, qui cerrum eſſe αἰγίλωπα, aut ἄσπριν ſibi perſuadent. Pro *ægilops* in vetuſtiſſimo Plinii libro Thuanæo locis omnibus ſcribitur *ezops*. Ita forte legerit in Theophraſti exemplaribus, ἀείζωψ, vel ἀήζωψ, quod in αἰγίλωψ notiorem vocem mutaverunt correctores. Quæ vox de genere ſterilis avenæ dicitur. Moveor auctoritate antiquiſſimi exemplaris. Rigaltianus quoque codex *ezops* & *ezops* habet. Videant docti Herbarii, ecquod genus quercus ſit, quod Græci hoc nomine vocarunt, in quo naſcebatur φάσκος, & βρύον illud odoratum. De eo bryo addit Plinius: *& in inſulis, petriſque nati improbantur*, ἐν ταῖς νήσοις, καὶ ἐν ταῖς πέτραις, hoc eſt, πετρώδεσι τόποις: arbores inſularum, & quæ in petris naſcuntur, improbatum bryon producunt. Improbanda etiam conjectura Dalecampii legentis, *& in haliphœis pleriſque.* Placet magis, ut mox emendatur: *omneſque quibus plantarum, atque non ſuus odor eſt.* Nam corruptum eſt, quod editur, *quibus palmarum.* Nunc quæſtionis eſt, an de hoc bryo, vel ſphaco debeat accipi *muſcus*, cujus apud Hieronymum inter odoramenta, & unguenta mentio eſt. Hoc putat Hermolaus, ego contra ſentio. *Muſcum* Latinis dicitur ſolum illud βρύον, quod in ſaxis naſcitur. Unde *muſcoſi fontes, muſco circumlita ſaxa*, apud poëtas, & verbum *muſcari* Columellæ pro *muſco* obtegi. At huic *muſco* in odoribus, & ſuffimentis nihil loci. Βρύον vero aromaticum Latini Græco nomine retento *bryon* dixere, ut Plinius, & *ſpagnon*, & *phaſcon* nominibus æque Græcis, quia in Latio appellationem non habent, & res erat, quæ in Latino cælo minimè naſcebatur. Longiſſimæ illæ, ac pannoſæ lanugines quercuum, ac populorum cano, & villoſo *muſco* & ipſæ oblitæ, nam *muſcus* erant. Nam *muſcus* propriè Latinis villoſa, ac viridis ſaxorum lanugo, & arborum, nec in alia ſumitur ſignificatione. Aliud erat bryon illud odoratum. Quidquid Græci βρύον nominant, non ſtatim *muſcus* Latinè id vocari debet. Alioquin & flos oleæ *muſcus* eſſet, quia Græcè βρύον dicitur, & olea βρύειν, quando floret. Theophraſtus de bryo herba, quam *lupulum*

lupulum officinæ vocant: ὁ δὲ καρπὸς, τοῦ μὲν θηλυγόνου ὥσπερ ἐλαίας βρύον, ὠχρότερος δὲ τοῦ ἀῤῥενογόνου οἷόνπερ ἔλαια, ὅταν ἄρτι φύεται ἐκ τοῦ βρύου. Thelygoni fructus similis bryo olivæ, id est, flori arrhenogeni, qualis est oliva deflorescens, cum ex bryo suo, id est, ex flore exit. Dioscorides: τὸ δὲ ἀῤῥενόγονον, τὰ μὲν ἄλλα ὅμοιον τῷ προειρημένῳ, καρπῷ δὲ διαφέρει, ἔχει γὰρ ὅμοιον ἄρτι ἐξηνθηκυίᾳ ἐλαίᾳ, βοτρυώδες. Ita scribendum vel ex conjectura judicabam, quam mihi confirmavit codex vetustissimus. Pessimè legitur vulgo: ἔχει γὰρ ὅμοιον ἄνθει ἐξηνθηκυίας ἐλαίας. Atqui flos non est, quod jam defloruit. Hoc est, quod dixit Theophrastus: οἷόνπερ ἔλαια, ὅταν ἄρτι φύεται ἐκ βρύου. Et flos igitur olivæ, & lupuli herba *musci* nomine appellanda viderentur, quia Græcè βρύα nominantur. Quod ridiculum. Præterea bryon illud odoratum, non tantæ est suavitatis, ut nomen ejus pro fragrantia, vel odore summo debeat usurpari. Unguentis miscebatur, non propter odorem, sed propter στῦψιν. Nec per se unguentum faciebat, nec suffimentum, licet & suffimentis adderetur. Postremo leviculo, ac frigido admodum argumento ductus Barbarus censet *muscum* apud Hieronymum bryon esse, quia cum *œnanthe* jungatur. Nam & bryon similiter junctim cum *œnanthe* exponi apud Plinium. Nihil simile. *Oenanthe* Plinio vitis labruscæ uva est, & bryon quoque uva populi albæ, vel lanugo. At Hieronymo *Oenanthe* unguentum ipsum dicitur, quod & *Oenanthium* Capitolino, & Οἰνανθάρελον vocatur. Ideo inter unguenta & odores cum *musco* refert *Oenanthen*. Qui *muscus* non est βρύον, sed μόσχος Græcorum, qui per se odoramentum facit, idque fragrantissimum. Idcirco & *muscum* pro qualibet fragrantia, vel odoris suavitate & Arnobius, & Apulejus posuere. Quinimo legendum apud Hieronymum videtur, *& Cyphi & Oenanthe, & muscus è peregrini muris pellicula.* Non, ut vulgo legitur, *& peregrini muris pellicula.* Cur enim inter unguenta, & thymiamata pelliculam muris peregrini poneret? videtur quinetiam muscum dictum existimasse, quod à muris pellicula sudaretur. Ut mus sit, unde corraditur, & inde *muscus.* Atqui mus non est, sed animal gazellæ simile in regno Pegu, & in regno Ava Indiæ ultra Gangem, è cujus sanguine muscus extrahitur. Gazella genus est dorcadis, vel silvestris capræ, quam veterum orygem esse perperam velle Bellonium suprà docuimus. Fortasse *muscum* cum *zibetio* confundit, quod etiam odoramentum est, ex sudore animalis similis feli. *Cattum zibetticum* vulgo nominant. Murem appellasse videntur veteres, quia & *mures* passim vocarunt silvestres hujusmodi bestias, ut sunt *martures*, & *fuscinæ*, quarum pellis ad vestitum commendabatur. Alii *catias*, alii *mures* vocant. Moschum, vel muscum cum zibetto frequenter jungunt inferioris ævi Græci. Nicetas in Isacio: ἡ ἠλείφετο μυρίσμασι καὶ δοσμμάτων παντοίων, μόσχον ζαπέτα, ἄμβαρ. Achmes similiter in Onirocritico: ἠλείψατο μόσχῳ ἢ γαλαίῳ πρὸς τὸ εὐωδεῖν. Ubi per γαλαῖον intelligit zebetticum odorem, è muris vel mustellæ peregrinæ pelle per sudorem emanantem. Γαλῆν appellat, quem *murem* Hieronymus, qui muscum, & peregrini muris pelliculam eodem modo videatur junxisse, ut μόσχον & ζαπέτιον, sive γαλαῖον Græci. Avisenæ dicitur *galia*, & *algalia*, cap. CCCXXVII. Lexicon Græco Arabicum: γαλία, ὁ ζαπέτης. Alia videtur esse *galia* apud eundem Avisenam cap. CCCXVI: licet interpretes eandem putent. Ea galia compositio est ex emblicis: *Galia vera est sinia facta ex emblicis. Nunc autem quia adulteratur, sumitur pondus de Gallis & de belba, & fit secundum quod fit Alramech.* Ex his patet compositionem esse hanc galiam ex pluribus speciebus. Nam *ramech* confectio est rebus stypticis constans, cujus descriptio habetur in Antidotario. Duplex ibi describitur galia, pura & aromatica. Ergo aromatica est, cui admixtum aroma, ut muschus. Pura, quæ simplex est ex gallis & dactylis immaturis, emblicisque composita. Avisena: *Quæ pura est, est calida in primo, sicca in secundo: & aromatica calida est in secundo.* Hæc non possunt convenire galiæ zibettinæ, quod aroma est præstantissimum, ac simplex. In Arabico est *Sech*, quæ compositio est, ut in *Sechbagi*. Frequens mentio *galiæ muscatæ* apud Constantinum in Viatico, quæ nihil aliud est quam galia odorata, vel aromatica. Ut *nux muscata.* Lib. II. *Galiæ muscatæ spicæ, nucis muscatæ, rosæ.* Multis aliis locis *galiæ* meminit absque adjuncto *muscatæ.* Apud Myrepsum in Antidoto διὰ λάκκα fit mentio γαλία μοσχάτε, vel γαλιάτε μοσχάτε. Nam ita appellatur eidem compositio quædam in Antidotis: γαλιάτε μοσχάτε σκεύασία. Antidoto CCCCXXIV. In editione Fuchsii, pro quo ipse reddidit Latine: *alia compositio moscata.* Cum autem illa confectio multis rebus constet, & inter alia nucem quoque muscatam recipiat, & cinnamomum, galiam zibettinam non habet. Quæ *galia* per se maximum est odoramentum, & dicta est γαλία ex γαλῆ. Unde & γαλαῖον Achmeti dicitur. Quippe zibetta ex genere γαλῶν. Stercus melis odoratum hoc est ejus ζαλῆς, quam vulgo *fuscinam* vocamus, hoc etiam nomine censeri potest. Longe itaque diversa hæc *galia* zibetti muris ab illa *galia muscata*, sive aromatica Avisenæ. Veram esse tradit siniam factam ex emblicis myrobalanis. Idem *sinios* myrobalanos recenset, cap. CCCCLVII. Qui sunt *Sinenses*, ex regione Sinarum. *Galia* igitur illa composita ex emblicis, gallis, & palmulis immaturis, aliisque speciebus nomen accepit à galia zibettica, quod ea admixta redderetur odorata, ut constat ex eodem Avisena lib. IV. Ubi hanc galiam describit ad denigrandos capillos, ex emblicis & gallis compositam, eamque tradit aromaticam fieri admixto musco, & galia, id est, zibettico strigmento, quæ est γαλία. Rectius itaque γαλιάτην μοσχάτον hæc compositio diceretur, quam γαλία. Apud Myrepsum sane γαλιάτε μοσχάτε σκεύασία de hujusmodi compositione accipi debet, cui galia & muscus admixta sunt, quamvis non meminerit addi. Sed notum est variare hujusmodi compositiones, primigenio nomine retento. Forte & *gallia* verius diceretur illa compositio, quod utique gallas recipiat. Nec enim omnis aromatica fiebat. Et prodente Avisena alia erat pura, alia aromatica. Sola itaque aromatica galiata vel muscata, addito musco, vel galia. Γαλαῖον & μόσχον jungit Achmes, ut & Hieronymus. Sic nihil fuerit, & sic nihil in eo fuerit mutandum. *Pelliculam* vocat, quia ex pellicula emanat hujus animalis multis plagis ad sudorem coacta. Quod & nos vidimus. Muscus vero è vomica gazellæ, vel similis erumpit animalis. Pollux μοσχίων λαγωῶν meminit, qui acerrimum & odoratissimum vestigiorum habent odorem, adeo ut canes maximè proritent & incendant. Οἱ δὲ μοσχίοι τῶν λαγωῶν ὀξύτερον καὶ εὐαισθητότερον ἔχουσι τὸ πνεῦμα, τὸ τῶν ἰχνῶν ὥστε γίγνεσθαι πρὸς αὐτὰ τὰς κύνας ἐκμανεῖς. Meminerat paulo ante τῶν Ἐλυμαίων, qui vulpibus minores non sunt, à gente quam inter Hyrcaniam, & Bactros collocat. Ergo & μοσχίοι, vel μόσχοι lepores à gente sic appellati. Μόσχοι populi sunt Armeniæ Matienis vicini, à quibus & Moschici montes. Stephanus: Μόσχοι, Κόλχων ἔθνος προσεχὲς τοῖς Ματιηνοῖς. Græci μόσχον vocant odoramentum, quod ex umbilico animalis colligitur, quare, aut unde, nescio. Latini *muscum*, cujus vetustior appellatio est, quàm vulgo putant, cum & Arnobius ejus meminerit, & Apulejus. Ut veterum glossarum auctorem omittam, qui & μοσχον Græcè appellat, quum Græci omnes appellent μόσχον. Unde & μοσχάτα Aëtio thymiamata, quibus additur muscus, & μοσχέλαια & μοσχόμυρα Paulo Æginetæ unguenta, quibus similiter muscus admiscetur. Ruffinus, qui Hieronymo fuit contemporaneus lib. III de vitis Patrum *muscata* memorat, quæ ex musco facta sunt aromata: *Quoniam propter thymiamata & muscata, & alia diversa, quibus in sæculari conversatione, sine intermissione fruebar: oportet nunc me dum in hoc corpore sum, istiusmodi sustinere fœtorem.* Ergo & muscus apud Hieronymum non est bryon aromaticum, sed aroma μόσχος. Sed hæc alibi. Zibettam non esse hyænam, quod ab initio probare instituimus, certissimum est. Verius sit è nominis sono cam esse, quam hodie *ginettam*, vel *genettam* nuncupant, in Hispania frequentem. Conveniunt maculæ, & multa alia, & è genere luporum est. *Hyænam* scribebant. Inde cum hypocoristico hodiernis linguis familiari *hyænetta*, & *jenetta*: ut *hyacinthus, jacinthus*: sic *capsetta*, *tabuletta*, & similia plura. Ut hyæna sit genetta, & nomen concurrit, & maculæ,

&

& alia nonnulla. An omnia sic conveniant, alii viderint. Hæc propono, non ut affirmem. Genettam esse thoem falso etiam quidam nobis persuadere nituntur. Hyænam γλάνον quoque nominatam scribit Aristoteles. Quo uno argumento viri quidam doctissimi putant piscem, qui ὕαινα Græcis dicitur, eamdem esse cum alio pisce, qui γλάνος vocatur. Nihil vanius. Γάνος, non γλάνος hyæna dicebatur, atque ita reponendum in Aristotele. Bithyni, & Phryges hyænam sic nuncupabant, uti auctor est Hesychius: Γάνος παράδεισος, χάρμα, φῶς, αὐγὴ, λευκότης, λαμπηδὼν, ἡδονὴ καὶ ὕαινα, ὑπὸ Φρυγῶν καὶ Βιθυνῶν. Hyæna piscis, ὕαινα, is est, quem & ὗν vocabant. Nam ὕαινα fœmininum, ὗς masculinum, ut σμύρος & σμύραινα: σφύρος & σφύραινα: λύκος, λύκαινα: & similia. Porculum marinum hoc nomine censuerunt. Archestratus:

Ἐν δ' Αἴνῳ καὶ τῷ Πόντῳ τὴν ὗν ἀγόραζε
Ἣν καλέουσί τινες θνητῶν ψαμμῖτιν ὀρυκτήν,

Ita scribendum, non, ut editur, ψαμμῖτιν ὀρυκτὴν: & male *fossilem* vertunt, cum sit *fossor*, ὀρύκτης. Ψαμμίτης ὀρύκτης, ut τύχη σωτὴρ, Latinis *auctor diva*. Ὗς igitur, & ὕαινα idem. Sic dictus hic piscis, quod rostro in arena fodiat, ac rimetur, sicut porcus. Latini *porcos marinos* vocant. Isidorus: *Porci marini, qui vulgo vocantur sulli, qui dum escam quærunt more suis terram sub aquis fodiunt. Circa guttur enim habent oris officium, & nisi rostrum arenis immergant, pastum non colligunt.* Non poterat melius rescribi, ψαμμίτης ὀρύκτης Archestrati, nec quare ita vocitetur causa melior assignari, quam quod rostrum arenæ immergat, dum escam quærit. Dictus est ψαμμίτης, & ὀρύκτης, quod more suis id faciat. Ὗς & ὕαινα legitur vulgo apud Isidorum. Vulgo vocantur *sulli*. Perperam. *Suillus* est ὕειος, ut *suilla caro*. At dicti *sulli*, quasi parvæ sues ex Græco ὕλλος. Nam ὗς porcus, diminutivum ὕλλος porculus, quem *sullum*, addito digamma fecerunt. Sic ichneumon Græcis ὕλλος dictus est, quod more suis rostrum semper in terra habeat ad vestigandum. Latini quoque *sullum* dixere. Dracontius:

Præcidit sullus vim cujuscunque veneni.

Ubi similiter *suillus* apud Isidorum scribitur contra legem versus. Vide quæ supra notamus. Hunc piscem *Marsuinum* hodie vocamus, quasi maris suem. Viderit Julius Scaliger, qui delphinem esse putat, cum veteres ὕαιναν, & δελφῖνα diversum faciant. Porci marini, qui & ὕες, circa guttur etiam os habent haud secus ac delphines, sed nec delphines esse, nec de genere delphinum alibi ostendam. Leve argumentum: δέλφακα porcellum vocant, & piscem δελφῖνα, ergo delphin est porculus marinus. Hoc non procedit. Pythicum serpentem Δελφῦν, aut Δελφύνην appellant, mulieris vulvam δελφὺν. Nihil hæc cum porcis habent simile, nisi nominis allusionem. Porci marini meminit ex Apione Plinius lib. XXXII. cap. II. his verbis: *Apion maximum piscium esse tradit porcum, quem Lacedæmonii Orthagoriscum vocant: grunnire eum cum capiatur.* Haud scio utrum ex Apione, an ex suis Adversariis hoc hauserit Plinius, maximum piscium porcum vocari à Lacedæmoniis *Orthragoriscum*. Magis mihi fit istud verisimile. Nam Lacedæmonii lactentem porculum, ὀρθραγορίσκον nuncupabant, quod mane prostarent in foro vænales. Hesychius: ὀρθραγορίσκοι, χοιρίδιοι μικροί. Apud Athenæum in Laconum institutis: θύουσι δὲ καὶ τοὺς γαλαθηνοὺς ὀρθραγορίσκους. Heîc non possunt esse pisces maximi, porci dicti. Molpis ibidem in Lacedæmoniorum πολιτείᾳ. Ἀλλὰ μὴν οὐδ' ὀρθαγορίσκοι, ἐπειδὴ πρὸς ὄρθρον πιπράσκονται. Dicebantur & βορθαγορίσκοι, addito Laconum more digammate. Hesychius: βορθαγορίσκεια χοίρεια κρέα. Καὶ μικροὶ χοῖροι βορθαγορίσκοι Λάκωνες. Ex his constat quid Lacones vocaverint ὀρθραγορίσκους nomine. Sed hæc in Plinio non miramur. *Beluos*, & *beluas* terrestres hyænas vocatas Latinis alibi docuimus. De natura earum, & captura apud Turcas habes apud Busbequium in epistolis Legationum. Ubi, nisi imponit mihi memoria, *Jesef* à Turcis hodie vocari hyænam scribit, Afris ita dici tradit Scaliger, Arabibus, *Dabuh*. Melius scribitur *Dabha*, vel *Dahab*.

Cui cum spina riget, collum continua unitate flecti nequit.] Scribe, ac distingue: *cui cum spina riget collum continua unitate, flectique non quit nisi toto corpore circumacto.* Plinii verba, quæ heîc mutuatus est, ita hodie leguntur: *collum, & juba continuitate spinæ porrigitur, flectique nisi circumactu totius corporis non quit.* At libri scribunt: *collum, & jubam, & unitatem spinæ porrigitur.* Emendo: *collum, & jubam ei unitatem spinæ porrigitur.* Hoc est, quod ait Solinus collum ei cum spina rigere continua unitate. Legi etiam posset, *collum ei jubatæ unitate spinæ porrigitur.* Jubata hyænæ spina, quæ λοφίαν ἔχει δι' ὅλης τῆς ῥάχιος, ut scribit philosophus. Sed idem sensus ex altera. Dicit collum, & jubam unitate spinæ ei porrigi, id est, collum cum spina unum esse, & jubam per totum porrigi.

B *Nisi toto corpore circumacto*] Schedæ Palatinæ: *nisi totius corporis circumactu.* Ita Plinius: & mox: *flectique non quit*, ut & Plinii libri.

Quod exprimere possit imitatione vocis humanæ] Excerpta Solini: *quo exprimere possit imitationem vocis humanæ.* Minus rectè.

Pag. 37. B. *Si venantes umbram ejus contigerint*] Hoc non de omnibus hyænis, sed de certo genere in Arabia nascente tradit Aristoteles in Admirandis: ἐν δὲ τῇ Ἀραβίᾳ ὑαινῶν τι γένος φασὶν εἶναι, ὃ ἐπειδὰν προΐδῃ τι θηρίον ἢ ἀνθρώπῳ ἐπιβῇ ἐπὶ τὴν σκιὰν ἀφωνίαν ἐργάζεται καὶ πῆξιν τοιαύτην, ὥστε μὴ δύνασθαι κινεῖν τὸ σῶμα. Τοῦτο δὲ ποιεῖν, καὶ

C ἐπὶ τῶν κυνῶν. Malè apud Aristotelem legi puto, ἢ ἀνθρώπῳ ἐπιβῇ ἐπὶ τὴν σκιὰν, & nec rectè vertunt: *& super hominis umbram ingredi cœperit.* Scribendum: ἢ ἄνθρωπος ἐπιβῇ ἐπὶ τὴν σκιάν: *& homo umbram ejus contigerit.* Nec enim, si in umbram hominis ingrediatur hyæna, obmutescit homo, sed si hyænæ umbra contactus fuerit. Quod idem & canibus accidit. Plinius: *præterea umbræ ejus contactu canes obmutescere.* Scribendum etiam in Aristotele, ἀφωνίαν ἐργάζεται καὶ πῆξιν τοιαύτην. Πήγνυσθαι heîc, ut Latinis *defigi, stupore defigi.* Valerius Flaccus:

---- *stantes defixerat horror.*

D Glossæ: *defigere*, πῆξαι, verbum magicis rebus usitatum, pro vincire, & ligare. Glossæ: *defixiones*, νεκυομαντίαι, καταδεσμοί. Apulejus de herbis salutaribus: *si quis devotatus, ac defixus nuptiis suis fuerit quomodo resolvatur.* Orpheus πηκτὴν ἀνάγκην vocat illam magicam necessitatem, qua aliquis constringitur, ac defigitur. *Ligaturas* alii vocant, ut Servius. Achaten λεοντοστέρην vocarunt antiqui magi, qui leones sisteret, ac defigeret, ἀπὸ τοῦ στερίζειν, aut στειρίζειν à vinciendis, & ligandis leonibus. Sed hæc alibi.

Lapis invenitur, hyanium dicunt] Melius *hyænia*, siquosdam libros audiamus, & Plinium. Marbodæus:

Tollitur ex oculis lapis extollendus hyænæ
Dictus hyænia, quem veteres ----

E In indice Pliniano. *Hyenia* pro hyænia. Vetera Excerpta Solini: *lapis hyænia invenitur. Hyæniam dicunt prædictam illa potestate.* Sed meliores libri legunt *Hyænium*: & in indice, *de lapide hyænio.* Et sanè lapis *hyænius* dicitur, gemma *hyænia.* Plinius. *Hyæniæ ex oculis hyænæ, & ob id in vase inveniri dicuntur.* Omnino faciendum: *ex oculis hyænæ, & ob id invasæ inveniri dicuntur.* Quasi nisi ob hoc ipsum invadatur hyæna lapis hic, in ejus oculis non sit inveniundus. Non hoc mirabitur, qui magicam potestatem huic animali à veteribus tributam consideraverit. Vulgata caret sensu.

F Pag. 37. C. *Unde nascitur monstrum: crocottæ nomen est*] Ita loquitur noster. Vulgo est, *cui crocottæ nomen est.* Libri autem omnes heîc scribunt, *crocottæ.* Ita & Pliniani: *hujus generis coitu leæna Æthiopia parit corocottam.* Sic etiam scriptum inveni in vetustissimo exemplari Spartiani ad vitam Antonini Pii: *edita munera, in quibus & corocottas, & elephantos, & tigrides exhibuit.* Vulgo, *croccotas.* Græcum tamen κροκόττας. Sed more suo hoc nomen ita extulerunt. Ut Ἀσκληπιός, *Æsculapius*: Ἀλκμήνη, *Alcumena*, & similia. Ex hujus animalis nomine vetus auctor ludicri testamenti cognomen finxit porcelli, *M. Grunnii Corocottæ.* Nec abs re vi-

G detur sic finxisse, allusione facta ad hyænæ nomen, quo genita est corocotta. Immo corocottam hyænam esse Indicam tradit Porphyrius περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. Ἡ δὲ Ἰνδικὴ ὕαινα, ἣν κροκόττα οἱ ἐπιχώριοι καλοῦσι. Nomen ὕαινα ab ὗς; immo idem ferè quod ὗς. Ut enim μύρος, & μύραινα: σφύρα, & σφύραινα: sic ὗς, & ὕαινα. Nam piscis, qui ὕαινα dicebatur, etiam ὗς dictus est. Et videtur hyæna dicta ἀπὸ τῆς λοφιᾶς, quòd porcinæ similem habuit. Nam &

& piſcis ὕαινα λοφιὰν ſimiliter habebat. Archeſtratus de hyæna piſce:

Τὴν λοφιὰν ὀπτᾶν αὐτῆς καὶ τἄλλα τὰ πλεῖστα.

Quod ergo ὕαινα corocotta, inde cognomen porcelli Grunnii Corocottæ. Sic nomen ſororis porcelli Quirinam fecit, alludens ad vocem Græcam χοῖρος, quaſi χοιρείνη. Corocottam porro in Æthiopia è leæna, & hyæna generari dicit heîc Solinus, ut & Plinius loco ante citato, ubi legendum quidam contendunt, *hujus generis coïtu leæna Æthiopica parit leocrocottam*, hoc argumento: quod cap. XXI Plinius crocottam ſcribit ex cane, & lupo concipi: heic vero tradit, ex hyæna & leæna gigni, ſed magnopere falluntur boni viri. Primùm Solinus eos refellit, qui crocottam, non leocrocottam hoc loco legit apud Plinium. Deinde non dixit Plinius cap. XXI crocottam è lupo, & cane concipi, ſed velut conceptam. *Æthiopia*, inquit, *generat crocottas velut ex cane, lupoque conceptas, omnia dentibus frangentes, protinuſque devorata conficientes ventre.* Mens Plinii eſt crocottas mixtam ex lupo, & cane formam habere, quaſi horum duorum animalium mixto ſemine conceptæ eſſent. Verba Græci ſcriptoris, quæ Plinius reddit, eum ſenſum poſtulant. Sic igitur Diodorus lib. III. Ὁ δὲ λεγόμενος παρ' Αἰθίοψι κροκόττας μεμιγμένην ἔχει φύσιν κυνὸς, καὶ λύκου, τὴν δὲ ἀγριότητα φοβερωτέραν ἀμφοτέρων. Τοῖς δὲ ὀδοῦσι πάντων ὑπεράγει. Πᾶν γὰρ ὀστῶν μέγεθος συντρίβει ῥᾳδίως, καὶ τὸ καταποθὲν διὰ τῆς κοιλίας πέττει παραδόξως. Hæc Plinio ad verbum expreſſa. Μεμιγμένην φύσιν λύκου, καὶ κυνὸς habere crocottam dicit, quæ utrique forma ſimilis eſt, velut ex utroque eſſet concepta. Hinc Græci eam κυνόλυκον vocant. De eadem igitur crocotta Æthiopiæ loquitur duobus in locis Plinius. Heîc ſcribit eam ex leæna concipi, quæ coïerit cum hyæna. Eadem porro eſt, quæ formam canis, lupique habet. Nam leænæ canibus ſimiles, hyænæ lupis. Poſtremo leocrocottas, qui alibi apud Plinium deſcribitur, & paulo infrà Solino noſtro, non poteſt heic locum habere. Nec enim leocrocottas dictus, quod ex leæna, & hyæna conceptus ſit, ſed quod caudam, pectus, & collum leonis haberet, & dentium locis os perpetuum ut crocotta. De quo inferius dicetur.

Nunquam connivet aciem urbium] Libri meliores omnes, *cohibet*. Ita ſcribebant. Gloſſæ: *cohibet*, καμμύει, ῥαθυμεῖ, συνέχει. Et *cohibentia*, ῥαθυμία, συνοχή. Diximus alibi. Plinii verba, ut ſolet, male accipit noſter. Ita ille: *acies ei perpetua in utraque parte, oris, nullis gingivis, dente continuo.* Quæ verba ſic interpuncta legit Solinus: *acies ei perpetua: in utraque parte oris gingivis nullis, dente continuo.* Et *aciem perpetuam* pro nunquam connivente interpretatus eſt. Illa autem quæ ſequuntur, *in utraque parte oris gingivis nullis, dente continuo*, ſic poſuit, *in ore gingiva nulla, dens unus, atque perpetuus.* Quis non videt eum, ſicut diximus, expoſuiſſe verba Plinii, & interpunxiſſe? fruſtrà igitur doctiſſimi viri Plinium è Solino ſatagunt emendare, legentes; *acies ei perpetua in utroque orbe, nullis gingivis dente continuo.* Hoc αὐτόσχημα depravare eſt, non corrigere. Nec Solinum illi norunt. Cum dicit Plinius crocottæ aciem eſſe perpetuam in utraque parte oris, gingivis nullis, dente perpetuo, ſatis oſtendit de acie dentium, ὀδόντων αἰχμῇ, intelligere, non de *acie inconniva*, ut perperam Solinus accepit. Hæc acies, ne retunderetur concurſu ſuperioris & inferioris partis, modo capſularum includebatur. Ceterum acies quum pro viſu ponitur, ſemper additur, *oculorum acies.* Sed concedamus, abſolutè uſurpari pro oculis, vix eſt, ut *acies perpetua* dici queat pro oculis perpetuo vigilantibus, & nunquam nictatione obductis. Itaque *acies perpetua in utraque parte oris*, de acie dentium perpetua debet accipi, ac continuo dentium acumine. Hoc indubitatiſſimum.

Inter ea quæ dicunt herbatica] Vopiſcus in vita Probi: *mille ſtruthiones, mille apri, mille cervi, mille dammæ, ibices, oves feræ, & cetera herbatica animalia, quæ vel ali potuerunt, vel inveniri.* Ubi malè ſcribunt *erratica* homines quidam erratici. *Herbatica* ſunt ποηφάγα, quæ diſtinguuntur ἀπὸ σαρκοφάγων.

Eadem Africa onagros habet] Plinio *ſilveſtres aſini.* Et cap. XLIV de onagris: *pullis eorum ceu præſtantibus ſapore*

A *Africa gloriatur, quos laliſiones appellant.* Veſcebantur onagris veteres. Aſinorum verò pullos epulari etiam inſtituerat Mœcenas, qui tunc onagris præferebantur. Auctoritas huic cibo tamdiu fuit, quamdiu ipſe. *Poſt eum*, inquit Plinius, cap. XLIII *interiit auctoritas ſaporis, aſino moriente viſo, celerrimè id genus deficit.* Nihil iſtis corruptius, nec ſanè mirum magis. Si uno moriente aſino totum genus deficiat. Omitto ineptam, & vix Latinam loquutionem, *moriente viſo.* Vulgatæ lectionis abſurditas vix ſatis prædicari poteſt. Libri habent: *interiit auctoritas ſapori. Aſinino moriente viſo.* Pronum eſt inde vel non magna prædito ſagacitate ad verum per-

B venire, legendo: *interiit auctoritas ſapori, laliſionum oriente uſu.* Quomodo & ſibi in mentem veniſſe monuit me V. CL. Nicolaus Rigaltius, qui & ſequentia illa tanquam gloſſema cenſet expungenda, *celerrimè id genus deficit.* Sed totum locum ſic diſtinguendum, ac legendum arbitror: *Pullos earum epulari primus Mœcenas inſtituit, multum eo tempore prælatos onagris: poſt eum interiit auctoritas ſapori: laliſionum oriente uſu celerrimè id genus defecit.* Ante Mœcenatem onagri tantum edebantur, non etiam earum pulli. Primus Mœcenas epulas inſtruxit pullis aſinarum, qui tum præferebantur onagris. Poſt

C eum non in tam magna commendatione eſſe cœperunt, quam fuerant prius, edebantur tamen adhuc. Laliſionum vero oriente uſu, celerrimè id genus defecit, & in totum à menſis receſſit. Laliſiones erant onagrorum pulli, qui hoc nomine gaudebant, quamdiu lacte tantum matris paſcerentur. Corrigam obiter & alium locum ex eodem capite de reditu aſinarum: *quæſtus ex iis opima prædia exuperat notum eſt in Celtiberia ſingulas quadragenis millibus nummorum enixas. Ad mularum maximè partus, aurium referre in his & palpebrarum pilos ajunt.* In libris ſcribitur, *mularum maximè partu.* Totum le-

D ge, ac diſtingue: *notum eſt in Celtiberia ſingulas quadringentena millia nummorum enixas mulorum maximè partu. Aurium referre in his, & palpebrarum pilos ajunt.* Reditus aſinarum in mularum maximè partu conſiſtebat. Sic ſingulæ aſinæ quadringentena millia plerumque reddebant quotannis, mularum maximè partu. Paulo ſuprà de aſinis: *opera ſine dubio geruli mirifica, arando quoque, ſed mularum maximè progeneratione.* Qui locus etiam non uno mendo fœdatus. Legimus è veſtigiis veteris ſcripturæ: *opera ſine dubio generi munifica arando quoque, ſed & mularum maximè progeneratione.* Aſinos dorſo ferre tanquam nimis tralatitium præterit Plinius.

E Huic generi, inquit, præter doſſuariam omnibus notam, opera quoque arando munifica, ſed & mulorum progeneratione. *Geruli* non de aſinis, aut jumentis, ſed de hominibus tantum. Gloſſæ: *geruli*, πραγκτῆρες, χειρισταὶ ἀχθοφόροι. Iidem & *laturarii* dicebantur, qui laturas nempe faciebant dorſo, & humeris. Sic *flaturarii* a flatura monetæ. Firmicus lib. IV. *Operarios reddet, ac ſempiternis laboribus deditos, & qui corpus ſuum ad opus aliquod locare conſueverint, laturarios humeris ac dorſo vitæ ſubſidia quærentes.* Sic legimus è libris, qui habent *laturanos humeris.* Nam vulgo eſt, *laborioſis humeris.* Gloſ-

F ſæ: *latura*, φόρετρον. Vetus interpres Juvenalis ad Sat. III. *& duo fortes: lecticarios ait, quorum laturas locem, & ſecurus Circenſes ſpectem.* Sic legendum. *Geruli*, igitur & *laturarii* de hominibus: *doſſuarii*, νωτοφόροι de jumentis. De laliſionibus, unde ſic vocati ſint onagrorum pulli, non omnibus obvium eſt, Græci ἄλαλον vocant puerum, qui per ætatem nondum poteſt fari. Inde & Latini *infantem.* Strato Sardianus de ætatibus puellorum:

Τὴν ἔτι μὴν γὰρ ἄθικτον ἀκμὴν ἀλάλου ὀνόμαζε.

Ἀλάλου ἀκμὴ infantis ætas. Hinc ἀλαλίζειν infantem agere ætatem: & ἀλαλίζων, qui adhuc infans eſt. In-

G de *laliſo*, & *laliſio* corrupta voce, pullus vel infans onagri. Quod ne mireris infantem etiam appellat Martialis hoc diſticho:

Dum tener eſt onager, ſolaque laliſio matre
Paſcitur, hoc infans ſed breve nomen habet.

Sic multæ voces in Africa & Hiſpania uſitatæ, ex Græco detortæ, quæ cum è Latio in ea loca migraſſent, penes eos populos remanſerunt, vix Latinis agnoſcendæ. Ideo pro Hiſpanis eas habent. *Balluca* ex Græco βάλλεξ

βάλεξ: laurix, λεβηρὶς: vipio, πιπίων, ita vocarunt gruis pullos. Multa alibi observamus.

Ut in editis maribus siqua facultas fuerit] Duæ heîc lectiones multùm diversæ, eodem tamen sensu. In utroque Regio, & aliis plerisque nostrorum legitur: *ut expositos mares, si qua facultas fuerit, truncatos mordicus privent testibus.* Quæ leviter depravata est, ut legendum sit: *truncatis mordicus privent testibus.* Plinius: *morsuque natos mares castrant.* Altera lectio ex altera, ut apparet, editione, habuit: *ut in editis maribus, si qua facultas fuerit, generandi spem morsu detruncent.* Atque ita hactenus editi, excepta Veneta principe. Et hæc scriptura ad marginem multorum è nostris exemplaribus adposita habetur, ut inde certum sit prioris editionis esse.

Pag. 37. D. *Quorum ostentatione velut esca illice*] Libri: *quorum temptatione.* Omnino verum est: *quorum intentatione.* Intentantur cornicula, quæ prominent, & moventur. Sic *intentare alicui manus.* Plinius: *cerastis corpore eminere cornicula sæpe quadrigemina, quorum motu, reliquo corpore occulto, sollicitent ad se aves.* Intentare, προεκτείνειν: *Intentatio* προέκτασις.

Qua invitatis dolo pastibus] In multis exemplaribus legitur, *passibus.* Ita etiam correctum in optimo Regio. Quidam præferunt, *passeribus*, à correctorum manu. Ita tamen edidit Vinetus in sua. Si quid esset mutandum, placeret rescribi: *nisi ex ea parte, qua invitantis dolo pastus necem præpetum aucupetur.* Ut paulo ante dixit *esca illice*: ita heîc *dolo pastus invitantis*, quod idem est. Scriptum erat *invitatis* pro *invitantis.* Unde invitati correctores reposuerunt, & *pastibus*, ut congrueret. Idem mendum inolevit apud Arnobium lib. VI. *Et quid in testulis dii petunt, ut eas sedibus sidereis anteponant? vincti omnes, & propemodum colligati, nobilitatis testulas & cetera, quibus signa confiunt.* Ubi scriptum *nobilitatis* pro *nobilitantis*, hoc est, nobilitantes. Isidorus ex hoc loco: *nec nullum indicium sui prabet, nisi ea parte, qua invitatas aves, vel animalia capit.* An legit, *invitatis passeribus*? nihil minus. *Præpetes* heîc sunt aves, quas aucupatur *cerastes* dolo pastus invitantis, vel esca illice.

Alterum in ea parte, qua cauda] Plinius: *geminum caput amphisbænæ, hoc est, & à cauda, tanquam parum esset uno ore fundi venenum.* Sic lego, quia sic habent libri. Editur vulgariè: *geminum caput amphisbænæ, hoc est, ad caput, & ad caudam.* Quæ infercimenta utique sunt correctorum. Et inepta oratio est, *caput ei ad caput.* Certum est amphisbænam caput habere ea parte, qua ceteræ serpentes. Cum igitur vel diceret, geminum caput esse amphisbænæ, satis habuit addere, *hoc est & à cauda.* Namque si à cauda quoque caput habet, hinc satis liqueat caput ei geminum inesse. Sic paulo ante de asinis. Quod enim vulgatissimum esset, opera dossuaria eos maximè censeri, prudens id omisit quasi rem notam, dixitque hoc genus munificam operam arando quoque præstare, præter eam scilicet quam norunt omnes, hoc est, dossuariam.

Ut capite utrimque nitibundo serpat] Cum in geminum caput consurgat, utrimque capite nititur in serpendo. Hoc est, quod dicit utrimque secus capite nitibundo serpere. Sic suprà: *pondere nitibundo attritos necent.* Frustra est Camers, nec audiendus, qui legit *nutabundo.* Et vitiosi sunt codices, qui habent, *nutibundo.* Sequitur in quibusdam: *serpat tractibus orbiculatis.* Sed circulatis etiam legit Isidorus de amphisbæna. *Currens ex utroque capite, tractu corporis circulato.*

Pag. 37. E. *Scytale tanta refulget tergi varietate*] Hoc de scytale nemo veterum prodidit. Sed nec in hujus nominis notatione quidquam est, quo hæc tergi varietas designetur. Scytale dicta serpens à forma τῆς σκυτάλης, quæ baculum significat. Nicander ita vocatam asserit, quod crassitudinem habeat manubrii ligonis:

---- ἐπεὶ σκυτάλης μὲν ὅσον σμίνοιο τέτυκται
Στειλειῆς πάχετος.

Σκυτάλη στελεὴ, baculum, quod manubrii vice est. Σμίνος idem quod σμινύη. Sic σκυτάλη, στειλειὴ σμίνυ, manubrium bidentis. De tergi varietate nihil ille. Εἴδει ἀμφισβαίνη similem esse dicit. Ἀμφισβαίνη autem περιστικὲς εἶδος tribuit, ubi alii legebant περιστιγὲς, id est, notis compunctum. Hoc fortasse voluerit noster. Verùm id nihil est.

A Nam tanta gratia notarum præditam esse amphisbænam, ut videntes fulgore tergi retardet, nemo dixit. Immo contra est. Nec enim ulla varietate notarum commendatur. Ergo nec scytale, quæ facie amphisbænam refert. Et περιστιχὲς legendum apud veterem Nicandri Scholiastem, quæ vox idem significat quod περιστιβὲς, quod tractibus serpat circulatis amphisbæna; nam στίχειν & στίβειν idem est. Hesychius: περιστίξαι, περιελθεῖν, περιελάσαι, κυκλῶσαι, ἀπὸ τοῦ στίχειν. Non dubium, quin scytalæ attribuerit noster, quod de *cenchri*, vel *cenchrine* veteres tradiderunt. Lucanus lib. IX.

B *Et semper recto lapsurus limite cenchris:*
Pluribus ille notis variatam pingitur alvum,
Quàm parvis tinctus maculis Thebanus ophites.

Sequitur paulo post apud eumdem de scytale:

Et scytale sparsis etiamnum sola pruinis
Exuvias positura suas.

Pleraque in hoc tractatu de serpentibus è Lucano Solinum sumpsisse manifestum est. Sic quod ille ait de cenchri, hic scytalæ assignat. Cenchris igitur, non scytale vario refulget tergi nitore. Nicander in Theriacis:

C Δήεις κεγχρίνεω δολιχὸν τέρας, ὅν τε λέοντα
Αἴολον αὐδάξαντο περίστικτον φολίδεσσι.

Et nomen ipsum hoc indicat. Nam dictus κεγχρίνης, quod instar milii granorum variatum habeat tergum. Inde & verbum κεγχρῶσαι, τὸ ποικίλαι: & τὰ κεγχρώματα, τὰ ποικίλματα. Ita dicebantur in clypeorum ambitu ornamenta granorum instar aspersa. Hesychius: κεγχρώμασι, ταῖς περιφερείαις, ἢ τοῖς καταστρώμασι. Euripides in Phœnissis:

Ἀλλ' ὦ προσῆγον ἀσπίδων κεγχρώμασιν
Ὀφθαλμόν.

D Ibi Scholiastes: κέγχρον καλοῦσι τὸν περὶ τὴν ἴτυν τῆς ἀσπίδος κόσμον· Μικροὶ δὲ ἧλοι εἰσὶν οἱ ἐκ χρυσοῦ γίνονται. Parva clavorum capita ex auro extantia. Transpositione literarum dicebantur & κέρχνοι & κερχνώματα. Nam & κέρχνη vocabatur, quæ alias κέγχρη. Hesychius: κέρχνη, τὸ ἐκ τῆς μηλίνης ἔψημα. Ita scribebant pro κέγχρη. Sic avis quædam κεγχρὶς, & κεγχρίνης nominabatur ab plumarum varietate, ut serpens κεγχρὶς, & κεγχρίνης, à squamarum. Eadem avis & κερχνὶς. Aristophanes:

Πορφυρὶς, κερχνὶς, κολυμβὶς.

E Ubi interpres vetus notat, ἐν ταῖς ἀναγραφαῖς avium κερχνίδα non haberi, sed κερχνῆν. Ἡ πορφυρὶς, inquit, ἀναγέγραπται, κερχνὶς δὲ οὔ, ἀλλὰ κερχνή. Fortè legendum κερχνηΐς. Nam ita alibi vocat eodem libro. Ex Didymo ibidem tradit esse μικρὸν ἱέρακα. Sed scribendum potius κέρχνης. Ita enim vocatur in eadem comœdia, & cum avibus, qui ungues habent aduncos, memorat:

Χωρεῖ δὲ πᾶς τις ὄνυχας ἠγκυλωμένος
Κέρχνης, τελόρχης, γὺψ, κύμινδος, ἀετός.

F Ut κέγχρης & κεγχρὶς de serpente, ita κέρχνης & κερχνὶς de ave. Plinio dicitur *cenchris* lib. XXIX. capite ultimo: *fimum cenchridis: accipitrum generis eam Græci faciunt.* Sic κεγχρὶς & κερχνὶς idem, quam μικρὸν ἱέρακα Didymus esse ajebat. Plinius cenchrida, ut Aristophanes κερχνίδα inter eas recenset, quibus ungues adunci lib. X. cap. LII. *Pennatorum infœcunda sunt, quæ aduncos habent ungues. Cenchris sola ex his supra quaterna edit ova.* Eam esse volunt, quam *tinnunculi* nomine alibi idem Plinius appellat, columbis amicam avem. Non sane id mirum in Plinio, ut diversas nominibus aves faciat, quæ reapse eadem sunt, quia nescivit tinnunculum, & cenchrida esse easdem. Sic *nitelam* & *sciurum* diversis locis nominat veluti diversas, cum tamen Latini *nitelam* vocarint Græcorum σκίουρον, ut suprà notavimus. Certè tin-

G nunculus *crecerella* nostra est; à voce, quam edit inter volandum, sic eam nominarunt, quasi *crepitacillam.* Nam & *crepitacilla* puerorum lignea similiter *crecerella* vocamus è Latino facta dictione. *Tinnunculum*, vel *tinniunculum* Latini ab eadem ratione nominarunt, quod semper tinniat. Forte idem & *pippiunculus* à pipiendo. Isidorus in glossis: *pipiunculus, accipiter, acceptor.* Alibi legi *titiunculum* appellari, ut P & T invicem commutantur. An à *pipionibus* dictus est, quibus amicus dicitur? *Pipiones* sunt columbarum pulli? Columbas

columbas ipsas hodie sic vocamus. Vocem ejus, & aspectum fugere accipitres tradit Plinius. Haud male existimetur κεγχρὶς vel κερχνὶς. Nam colore cinereo est punctis nigris veluti milii granis sparsa. Hinc κεγχρὶς Græcis. Sic κεγχρῖτις gemma auctore Plinio, *milii granis veluti sparsis*. Serpens κεγχρὶς similiter à maculis ita dictus est, qui & κεγχρίνης. Aëtius κεγχρίαν, & κεγχρίτην serpentes facit diversos, & κεγχρίαν quidem eumdem cum hammodyte, quem sic ait appellatum διὰ τὴν σκληρίαν τῆς οὐρᾶς. Punctis nigris eum variari scribit. At κεγχρίτην esse acontian, vel jaculum à colore milii ita vocatum. Hoc alii viderint. Verius κεγχρίαν eumdem esse & κεγχρίδα, & κεγχρίνην, & κεγχρίτην, & à punctis, sive maculis ad instar milii sparsis hoc nomen habere. Hesychius κεγχρίνην interpretatur τελόρχην. Atqui κεγχρίνης idem qui & κεγχρὶς, & diversus utique à triorche, qui de genere quoque accipitrum est, quem Romani *buteonem* vocabant. Cenchris porro non est *miliaria* Latinorum, ut perperam quidam solo nomine decepti existimarunt. *Miliaria* avis est, quæ inter coturnices in aviariis ganeonum milio saginabatur, ut constat ex Varrone. Cenchris accipitrum generis à maculis ita dicta. Eadem & κερχνὶς. Sic κερχνῶδες, & κεγχρῶδες apud Medicos, ut infrà dicam. Ita & κέγχρωμα, & κέρχνωμα in clypeis idem. Hesychius: κερχνώμασι, τραχύσμασι, κυκλώμασι, σιαλισμοῖς, καλοῦσι δὲ οὕτω τὸν περὶ τὰς ἴτυς τῶν ἀσπίδων κόσμον καὶ ποτηρίων ἐπὶ χειλῶν. Ita scribendum. Labra poculorum hujusmodi granis extantibus erant in orbem insignita. Idem: κερχνωτὰ τετορνευμένα, ἀπὸ τοῦ χείλους τῶν ποτηρίων, κερχνοειδῆ, ποικίλα, τραχέα, πολύπαστα, quasi semine milii sparsa. Nummorum quoque in circuitu orbis ex parvis granis factus, & ornamenti gratia additus sic vocabatur. Σιάλωμα in scutis Romanorum apud Polybium idem, quod κέρχνωμα, vel κέγχρωμα. Ærea lamina, vel ferrea ad munimentum simul, & ornamentum ab ima, & summa parte scutis apposita sic dicebatur. Polybius de scuto Romano: ἔχει δὲ περὶ τὴν ἴτυν ἐκ τῶν ἄνωθεν, καὶ κάτωθεν μερῶν σιδηροῦν σιάλωμα, δι' οὗ τάς τε καταφορὰς τῶν μαχαιρῶν ἀσφαλίζεται, καὶ τὰς πρὸς τὴν γῆν ἐξερείσεις. Hæc lamina clavis erat confixa, & asperata, tum ornamenti causa, tum munimenti. Hoc σιάλωμα propriè vocabatur, ut κέρχνωμα. Hesychius σιαλῶσαι ποικίλαι exponit, ut & κερχνῶσαι: & κερχνώματα, σιαλισμοὺς. Ita enim suprà correximus: ubi vulgo legitur, κερχνώμασι, κυκλώμασι, χαλισμοῖς. Σίαλος est sputum: & σιαλίζειν sputo aspergere. Ut ῥαντίζειν Græcis accipitur ἀντὶ τοῦ ποικίλλειν, & ῥαντὸν, aspersum ἀντὶ τοῦ ποικίλου: ita & σιαλίζειν, & σιαλῶσαι. Unde σιαλισμοὶ, & σιαλώματα, τὰ ποικίλματα, eadem cum κερχνώμασιν. Adde quod & genus πτύσματος Medicis dicitur κερχνοειδὲς. Quidam & σιγάλωμα pro eodem dixere, & σιγαλῶσαι: unde & σιγαλόεις ὁ ποικίλος. De quibus alibi. Κεγχρὶς, igitur, & κεγχρίνης serpens à notarum varietate, quibus tergum pingebatur, & pluribus quidem, quam *Thebanus ophites*, ut canit Lucanus, quod erat genus marmoris Ægyptii serpentium maculis simile. Plinius lib. XXXVI. cap. VII. At bonus Isidorus *ophiten* apud Lucanum pro serpente accepit. Ὀφιῆτιδα πέτρην vocat Dionysius, qui beryllum apud Babylonem reperiri scribit, ὀφιήτιδος ἔνδοθι πέτρης, intra ophiten lapidem. Sic & sardam circa Babyloniam, cum lapidicinæ quædam aperirentur, hærentem in saxo, cordis modo repertam fuisse tradit Plinius, quæ omnium erat laudatissima. Ita enim ejus verba scribenda; *sed laudatissima circa Babyloniam, cum lapidicinæ quædam aperirentur, hærens in saxo, cordis modo. Hoc metallum apud Persas defecisse traditur*, id est, hoc genus marmoris, vel saxi, intra quod inveniebantur sardæ gemmæ. Theophrastus de lapidibus: οἱ δὲ καὶ ἐν ἑτέροις εὑρίσκονται διακοπτομένοις: *inveniuntur in aliis saxis, dum cæduntur.* Ita & beryllum intra ophiten lapidem tradit inveniri circa Babyloniam Dionysius:

Τρηχῆς βηρύλλου γλαυκὴν λίθον ἣ περὶ χῶρον
Φύεται ἐν προβολῇς ὀφιήτιδος ἔνδοθι πέτρης.

Mirum tamen, quam malè hæc interpretati sint duo veteres paraphrastæ Avienus, & Priscianus. Ille ὀφιήτιδα πέτρην loci nomen esse putavit, & *arcem ophietida* vertit.

Hic tamen internis Ophietidis arcis in arvis
Inter gemmiferas excrescit creber arenas.

Eodem sensu Prscianus:

Berylli lapidem liquidum, glaucique coloris
Per loca quæ tendunt Ophianæ ad mœnia petræ.

Ita enim legendum, non *Asianæ*. Mirificè uterque nugantur. Ἐν προβολῇς Avienus pro fluviorum ripa intellexit. Vertit enim *inter gemmiferas arenas.* Certè προβολαὶ ποταμῶν, ripæ sunt eminentes fluviorum. Ita & beryllum apud Indos idem poëta reperiri scripsit:

---- ἐπὶ προβολῇσιν ἀναύρων.

Ubi Eustathius προμολὰς ἐκρύσεις ποταμῶν interpretatur. Sed hoc loco προβολαὶ sunt eminentiæ, vel prominentiæ cautium, in quibus cæditur ophites marmor, intrà quod beryllus lapis invenitur. Hesychio προβολὴ, ἐξοχὴ, & πρόβολοι λίθοι. Melius Græcus interpres, quam Latini: τόπος γάρ τις ἐκεῖ ὀφίτης ἐκβάλλων μάρμαρον λίθον, ἐν ᾧ βήρυλλος ἐνθαλαμεύεται. Non locus tamen ipse sic dictus; sed lapis ὀφίτης à serpentium maculis. Ὀφιήτης poëtice dicitur pro ὀφίτης, ut πολιήτης pro πολίτης. De ophite lapide vide Dioscoridem, & Plinium de ophite marmore, & nos infrà.

Hiemales exuvias prima ponit] è Lucano:

Et scytale sparsis etiamnunc sola pruinis
Exuvias positura suas.

Alii serpentes veris initio ponunt, scytale terra adhuc nivibus operta, id est, hieme. Sed quare *hiemales exuvias* serpentis vocat? Sciendum est ex Aristotele serpentes etiam autumno exuvias ponere. Cum igitur vere ἐκδύουσιν, hiemales exuvias tunc ponunt, ut autumno æstivas. *Exuviæ* propriè serpentium superficies, τὸ γῆρας. Nam ἐκδύειν absolute Aristoteles de hoc genere dicit, quum corium exuunt, ἐκδύει ὄφις, ἐκδύει ὁ σαῦρος, ἐκδύουσι χελῶναι. Græcis proprie γῆρας exuviæ, & σῦφαρ. Hesychius: σῦφαρ, γῆρας, τὸ ὑπέρτατον, οἱ δὲ τὸ τοῦ ὄφεως. Ita distinguendum. Τὸ ὑπέρτατον, *superficies*. Sic enim *superficiem serpentis* dicebant, τὸ γῆρας. Ut *superficies testudinis* infrà. Nam etiam γῆρας χελωνῶν, exuviæ. Idem Hesychius: γῆρας, ὄφεως δέρμα. Non solum serpentis, sed omnium, quæ ἐκδύουσι. Bis quotannis illud γῆρας exuebant serpentes. Minus rectè Tertullianus cum senium sentit, tum serpentem dicit exuvias ponere, & squamas cum annis & senectute exuere. Σῦφαρ, Latini veteres *suber*, quod pellem, & exteriorem corticem significat. Atque inde arbori nomen, quæ tota est cortex. Sic οὖφαρ, uber: σύφος, *sibus*. Nam οὖφαρ Æoles dicebant, quod reliqui οὖθαρ: ut θῆρες, φῆρες. Arborem suberis Græci φελλὸν vocant. Σῦφαρ idem quod φελλὸς, ὁ ὑπέρτατος φλοιὸς, inde Latinum *pellis*.

Plures, diversaque aspidum species] Falsam rem dicit, haud scio an ullo auctore. Aspidem genus facit, quod in multas species spargatur. Ut ecce dipsadem, quam aspidis speciem statuit. Dioscorides, & Lucanus, aliique omnes diversam ab aspide ponunt. Lucanus lib. IX.

----*stabant in margine siccæ*
Aspides, in mediis sitiebant dipsades undis.

Adeo diversa species aspis, & dipsas, ut hæc aquatilis sit, illa terrestris. Tres aspidum species facit Galenus, & ex eo Aëtius, χερσαίας, χελιδονίας, & πτυάδας. Quod χερσαῖαι quædam dicantur, non inde sequitur & fluviatiles esse quasdam. Sed χερσαῖαι dictæ, quæ in mediterraneis degebant, cum chelidoniæ circa ripas fluminum colerent, & præcipuè Nili. Aëtius lib. XIII. Αἱ δὲ χελιδόνιαι περὶ τὴν ὄχθην τῶν ποταμῶν, μάλιστα τοῦ Νείλου φωλεύουσι. Circa ripas Nili stabulabantur. Ideo dixit Lucanus *stetisse in margine aquarum siccas Aspides.* Non tamen aquatiles erant, nec flumen ingrediebantur. Tardari aspidum impetum fluminis objectu tradit Plinius. In pugna aspidis & ichneumonis, cauda arreptam mordicus aspidem in aquam trahit hostis, & necat. Non ergo dipsas species aspidis; nec plures quam tres aspidum species numerantur. Isidorus nostrum sequutus, hęmorroidem presterem, sepem, dipsadem, aspidas esse tradit, quod est falsissimum. Inter serpentium varias species, & *aspidum colla intumescere* scribit Plinius, *nullo ictus remedio, nisi confestim partes contactæ amputentur.* Ubi *aspidas* pro serpentibus accepisse Solinum generali nomine infra ostendam. Aspis Africæ peculiaris. Aristoteles: ἥ τε ἀσπὶς ἐν Λιβύῃ γίνεται, ἐξ οὗ ὄφεως τὸ σηπτικὸν, καὶ ἄλλως ἀνίατον. Lucanus de aspide:

Ipsa caloris egens gelidum non transit in orbem,
Sponte sua, Niloque tenus metitur arenas.

Ibi ichneumoni bellum adversus aspidem. *Dipsas* ἔχις, id est, anguis: *aspis*, ὄφις, id est, serpens.

Verum disparis effectus ad nocendum] Ita scribi convenit, non, ut erat in Delriana: *verum dispares effectus.* Quod ille perperam mutavit.

Hypnale quod somno necat, teste etiam Cleopatra] Epitheton aspidis, non species. ὑπναλὴ ἀσπὶς, aspis somniculosa. Cinna:

Somniculosam ut Pœnus aspidem Psyllus.

Ubi *somniculosam* vocat somniferam. Sic *somniculosum mustum*, ὑπνωτικὸν, καρωτικόν. Laberius apud Agellium *adepol mustum somniculosum.* Malè vulgo, *multum.* Lucanus: *Aspida somniferam.* Aspidem sibi apposuisse Cleopatram testantur omnes. Florus: *quæ sic morte quasi somno soluta est.* Qui proprius est effectus aspidis. Lucanus:

At tibi Læve miser fixus præcordia pressit
Niliaca serpente cruor: nulloque dolore
Testatus morsus subita caligine mortem
Accipis, & Stygias somno descendis ad umbras.

Niliaca serpens, id est, Ægyptia propriè aspis. Hæc in sacris Isidis cum tumido collo, caput arduum attollens circumferebatur. Nicander in Theriacis de aspide:

---- ψαφαρὸς δ᾽ ἀναπίμπλαται αὐχὴν
Ἄκριτα ποιφύσσοντ☉.

Hac forma pictam multis locis exhibet Isiaca tabula. De illa Juvenalis Sat. VI.

Et movisse caput visa est argentea serpens.

Scholiastes: *serpens, quæ est in templo Isidis.* Ovidius lib. IX de mysteriis Isiacis:

Sistraque erant, nunquamque satis quæsitus Osiris,
Plenaque somniferis serpens peregrina venenis.

Aspidem intelligit, quæ *serpens peregrina* ei dicitur, quod Ægypto tantum peculiaris. Tertullianus adversus Nationes II. 8 dicit Ægyptios inter Deos recepisse anguem suum, & aspidem intelligit: *Hæc libertas adoptandorum Deorum quibusque profecerit, Ægyptiorum superstitiones docent, qui etiam bestias privatas colunt, feles, crocodilos, & anguem suum.* Ita replendum vacuum spatium veteris libri. Pro *feles* placet viro docto reponere & *aspidem.* Quod prorsus improbandum. Nam per *anguem suum* Ægyptiorum designavit aspidem, quæ serpens Ægyptiis peculiaris. Apulejus de gestaminibus Isidis: *læva vero cymbium dependebat aureum, cujus ansulæ, qua parte conspicua est, insurgebat aspis caput attollens arduum cervicibus late tumescentibus.* Poëtæ quidem omnibus serpentibus, quas iratas, & irritatas faciunt, *tumida colla* tribuunt, sed hæc nota propria, & peculiaris aspidis, ut ex Plinio etiam constat, qui *colla aspidum intumescere* scribit. Lucanus:

Aspida somniferam tumida cervice levavit.

Quantum ad formam, ac potestatem hæc duo in aspide conveniunt, latè tumescens cervix, qualis & visitur in Isiaca tabula, & somni effectus. Ergo & hæc eadem *hypnale* dicta, id est, somnifera, quod nullo sensu doloris, quasi somno solutos extinguat, quos pupugit. Et idem effectus ex morsu trium generum. Aëtius: κοινὰ ἢ συμπτώματα ἢ σημεῖα συμβαίνει τοῖς δηχθεῖσιν ὑπ᾽ αὐτῶν. Inter eas notas, ac signa ponit νωθρείαν, καταφορὰν ὑπνώδη. Aspidem peculiarem esse Ægypti, ac Nili serpentem prodidere multi, nec alibi usquam reperiri. Inde Lucanus:

---- *Niloque tenus metitur arenas.*

Inter Libyæ tamen serpentes eam numerat, nec ultra Nilum inveniri canit, & sic Libyæ tantùm & Ægypti propriam statuit Ammianus lib. XXII. *Quas omnes serpentes magnitudine, & decore aspis facile supereminens, nunquam sponte sua fluenta egreditur Nili.* Hic videtur aquaticam facere aspidem, utpote quæ nunquam egreditur fluenta Nili. An per fluenta Nili regionem Ægypti, quam Nilus alluit, intelligere putabimus? Versum Lucani alluserit.

Niloque tenus metitur arenas.

Sed eum ita fortasse sumpserit, ut Nili alveum egredi neget & in eo morari innuat, inter undas scilicet. Quod falsum est. Strabo aspidem Ægyptiam sui generis esse scribit, & ἴδιόν τι ἔχειν παρὰ τὰς ἐν ἄλλοις. Ergo & in aliis locis aspidas agnoscit. Terrarum eam incolam facit, non aquarum, ut ex verbis colligitur: ζῶα ἐπιχώρια ὁ ἰχνεύμων, ἢ ἡ ἀσπὶς ἡ Αἰγυπτία. Aquatilia, & Nili peculiares pisces ante recensuit. Non aspidem simpliciter Ægypti peculiarem dicit, sed Ægyptiam aspidem, quæ præter ceteras aspides aliquid habeat privum, & sui quodam-

A modo generis. Eam Ægyptiam duplicis etiam generis facit, magnitudine discreti: nam alteram σπιθαμιαίαν, alteram ἐγγὺς ὀργυίας esse tradit. Idque ex auctoritate Nicandri, qui τὰ θηριακὰ scripsit. Nicander unam tantum aspidem describit, cui μῆκ☉ ὀργυιῆ μετελτὸν tribuit: de colore, alias cinereas reperiri tradit, alias luteas, alias fuliginosas & nigras. Versus ipsos adscribam:

Χροιὴ δ᾽ ἄλλοτε μὲν ψαφαρὴ ἐπιδέδρομε νώτοις,
Ἄλλοτε μηλινόεσσα ἢ αἰόλ☉, ἄλλοτε τεφρὴ,
Πολλάκι δ᾽ αἰθαλόεσσα μελαινομένη ὑπὸ βώλῳ
Αἰθιόπων, οἵην τε πολύσπορ☉ εἰς ἅλα Νεῖλ☉
Πλησάμεν☉ κατέχευεν ἄσιν.

B Ex tribus generibus, quæ & nominibus suis distinxit Aëtius, χερσαίας interdum τεφρώδεις, & ὑποχλώρους ait inveniri. Πτυάδες similiter τεφρώδεις εἰσὶ ἢ χερσαῖαι, ἐγχλωροι χρυσίζουσι. Hunc colorem vocat μήλινον, vel μηλινόεντα Nicander. Ita enim apud eum legendum, ἄλλοτε μηλινόεσσα, id est, lutei, vel aurei coloris. At chelidonæas hirundinum colore esse dicit. Αἱ ἢ χελιδονίαι ἢ ἑνὸς πήχεως μείζους εὑρίσκονται, ἢ χροιὰν ὁμοίαν χελιδόνι ἔχουσι. Hæc erit αἰθαλόεσσα Nicandri, quæ limi Ægyptii, quem Nilus in mare defert, coloris similis est. Concolor itaque deprehenditur terræ ipsi, sub qua latitat. Sic autem interpretanda illa Nicandri:

C Πολλάκι δ᾽ αἰθαλόεσσα μελαινομένη ὑπὸ βώλῳ
Αἰθιόπων.

Nigram illam, & fuliginei coloris aspidem delitescere innuit sub gleba Æthiopum, quam Nilus invehit in mare. Hoc est, quod ait Aëtius chelidonæas circa prærripia Nili ut plurimum φωλεύειν. Fuscum esse colorem hirundinum, omnibus notum est, etiam Cercoëtis. *Chelidoniæ* gemmæ ab eodem colore sic appellatæ. Sic *badium colorem* veteres Glossæ exponunt χελιδόνειον. *Badius*, χελιδονιαῖ☉. Colorem hunc in equis vulgo *badium obscurum*, sive *nigrum* appellamus. Ex illis porro

D tribus aspidum speciebus chelidonææ solæ peculiares Ægypti fuisse videntur, utpote quæ in Nili ripis latebras sibi habere solerent. Contrarium tamen ex Strabone ipso colligi potest. Ægyptiarum aspidum duas constituit species, magnitudine sola differentes, alteram σπιθαμιαίαν, quæ duodecim digitorum longitudine sit. Hæc enim spithamæ longitudo, quæ tres habet παλαιστὰς, digitos vero duodecim. Hanc breviorem, morsu etiam esse scribit feraliorem ἢ ὀξυθανατωτέραν. Non dubium est quin chelidonæa hæc sit Aëtii. Raro ultra cubitum longitudinem ejus procedere scribit. Cubitum duas habet σπιθαμὰς & pedes viginti quatuor. Cito necare idem

E scribit. Cum enim chersææ tribus horis hominem morsu peragant ἐπὶ τῆς χελιδονίας συντομώτατος θάνατ☉. Ex ptyadum morsu mors lentior consequebatur. Chelidonæa igitur ea est species, quam σπιθαμιαίαν, & ὀξυθάνατον vocat Strabo. Altera, inquit, ἐγγὺς ὀργυίας ὡς ἢ Νίκανδρ☉, ὁ τὰ θηριακὰ γράψας εἴρηκε. Atqui Nicander in aspidis descriptione, cum coloribus eam variis reperiri scribat, longam ait esse ὀργυιῆς magnitudine. *Ulnam* vulgo vertunt. Cubitum hac voce Solinus noster, & plerique Latinorum intelligunt. Glossæ: *ulna*, πῆχυς. Aliud est ὀργυιά. Quatuor cubita, vel ulnas eam habere docet

F Hero: ἡ ὀργυιὰ ἔχει πήχεις τέσσαρας, πόδας ἕξ, φιλεταιρείους ς. Hesychius tria cubita dat τῇ ὀργυιῇ. Aspis vero, quæ orgyiæ habet longitudinem, aut chersæa est, aut ptyas, quæ hac mensura censentur. Aëtius prodit χερσαίας aliquando inveniri, ἢ ἕως πέντε πηχέων τὸ μῆκ☉. Ergo intra quinque cubita longitudinis mensura earum consistit, quæ ut plurimum quatuor est ulnarum, τῆς ὀργυιῆς. Male *ulnam* vertunt. Sic hæ tres species aspidum Ægypti, vel Libyæ peculiares. Strabo duas tantum videtur agnoscere, & πτυάδας cum chersæis confundere. Sanè & colore similes erant. Πτυὰς dicta, quia insputando perimit, non morsu, sed & tardius conficit. Omnium commune

G σύμπτωμα somnus, & dormiendi libido, ac sine sensu, aut dolore mors. Cum hæc tria tantum aspidum genera veteres censeant, easque Ægypti, aut Libyæ indigenas; mirum cur scripserit Strabo ἴδιόν τι ἔχειν Ægyptiam aspida παρὰ τὰς ἐν ἄλλοις. Atqui præter has species, quas assignat Ægypto, vix aliud genus aspidum ponunt auctores. Dioscorides aspidis unum tantum genus agnoscit, ut & Nicander, quem sequitur, licet coloribus eas distinguat. At Strabo ipse Nicandri ἀσπίδα, cui μετρηνὸν ὀργυιῆ μῆκ☉

μηκ@ dedit, peculiarem Ægypti, & propriam constituit. Ovidius *serpentem peregrinam* vocat aspidem, id est, Ægyptiam, quia in Europa non viseretur. Errore igitur communi ductus Strabo, vel aliud agens, aspidas in aliis regionibus ponit. Hunc sequitur Solinus, & solemniter nugatur. Quas enim vulgo vocamus aspides, nullam habent ferè communem notam cum illis, quas veteres describunt. Anteriorem partem erigunt aspides, & collo sunt tumido: atque ita pinguntur in Isiaca Tabula. Minutius Felix: *Et despicis Isidis ad hirundinem sistrum, & aspersis membris inanem tui Serapidis, sive Osiridis tumulum considera.* Ita vulgo legitur. Legendum: *& adspice sis Isidis ad hirundinem sistrum.* Fortè in Græco scriptore legerat, inter Isidis initia, & insignia numerari χελιδονίαν, σεῖστρον, id est, *chelidoniam aspidem, & sistrum.* Quod ipse vertit *ad hirundinem sistrum*, quasi sistrum similem hirundini sonum crepitaculo faceret, ut κερκίδες, & radii textorii in Græco epigrammate χελιδόσιν εἰκελόφωνοι dicuntur. At chelidonia, ut dixi, aspis est Nili maximè peculiaris, quæ cum sistro & Osiride inter mysteria & initia Isiaca semper pingitur. Ovidius, cujus versus paulo ante attulimus:

Sistraque erant, nunquamque satis quæsitus Osiris,
Plenaque somniferis serpens peregrina venenis.

Tria hæc simul nominantur & in illo Minucii Felicis loco, sistrum, chelidonia, & Osiris, vel Osiridis tumulus. Sed in Isiaca Tabula visitur Isis, cum avitio quodam in capite expansis alis, & cauda. An pro hirundine pictum sit istud alitis, nescio, & ibi id discutiam. Tunc legendum esset eo loci: *& adspice sis Isidis hirundinem & sistrum.* Aëtius, qui τρία εἴδη ἀσπίδων κατὰ τὰς θηριακὰς memorat, non eas facit Ægypti peculiares. Nam quod ait chelidoniam aspidem circa ripas fluminum morari, & maximè Nili, his verbis vel præcipuè indicat etiam in aliorum fluminum marginibus eas φωλεύειν. Sed fortasse id restringendum ad Libyæ regiones. Et cum Strabo dicit Ægyptiam aspidem habere τὸ ἴδιον præter eas, quæ in aliis visitantur locis, id etiam fortasse de Libya tantum intelligi par est. Veteres enim aspidum patriam, & originem Libyæ, & Ægypti finibus circumscripserunt. Lucanus:

---- *Niloque tenus metatur arenas.*

Cetero quid privum habeant Ægyptiæ, nescio. Nam præter illas species, quas tribuit Ægypto, vix aliud genus aspidum cognoscunt auctores. Nicander ipse, quem citat auctorem, aspidem eam, quam describit, in aliquot species colorum varietate distinctam, Ægypti propriam constituit. De hypnale, quam aspidis speciem heic facit Solinus, iterum nugatur. Omnes aspides somno afficiunt, quos pupugerunt. Sed & ipsæ semper oculis sopore plenis, unde & ὑπναλέαι ἐπιθετικῶς dici possunt. Nicander de aspide:

---- ὑπναλέοις δὲ
Αἰὲν ἐπιλλίζουσα φαείνηται ἐνδοκὲς ὄσσοις.

Aliarum virus quoniam medelas admittit, minus famæ meretur] Aliarum scilicet aspidum. Sed vellem nobis dixisset, quænam illæ sint aliæ aspides, quarum nomina minus famæ merentur? Nihil nugacius, aut falsius istis.

Hæmorrois morsu sanguinem elicit] An & hæmorrhois inter aspidum species? Ita accepit Isidorus: *hæmorrhois aspis nuncupatur, eo quod sanguinem sudet, qui ab eo morsus fuerit.* At Dioscorides, & alii τὸν αἱμόῤῥουν specie diversum faciunt ab aspide. An illæ aliæ tantum inter aspides numerandæ, quarum virus medelas admittere dixit, ideoque minus famam mereri? Ita potius. Alias & sequentia serpentium nomina sub genus aspidis essent reducenda. Ut ut sit, nugatur solito suo more Solinus.

Prester quem percusserit, distenditur] Libri meliores: *distennitur.* Inde in aliis plerisque, *discernitur.* Forte quod ἀρχαϊκῶς scriptum erat, *distennitur.* Sic apud Terentium *tennitur* in Phormione: *neque accipitri rete tennitur, neque milvo.* Ita enim Donatus scriptum fuisse annotat. Et *dispennere* apud Plautum.

Pag. 37. F. *Enormique corpulentia necatur extuberatus*] id est, enormi corpulentia extuberatus necatur, quem momorderit prester. Isidorus ita legit, ac distinxit: *prester, quem percusserit, distenditur, enormique corpulentia necatur. Extuberatum enim putredo sequitur.* Sed fortasse culpa non penes ipsum, sed librarios ejus, cum ita ipse scri-

A pserit: *enormique corpulentia necatur extuberatus, ictum sepium putredo sequitur: seps tabificus aspis.* Verùm absurda sunt, quæ de sepe aspide scribit. *Extuberatus*, tumefactus, inflatus. Suprà: *ita fellebri satietate extuberatur* Et ita alibi. τῦφ@ est ἔπαρσις, & τῦφαρ. Unde Latinum *tuber*: ut ὗφαρ *uber*: σῦφαρ *suber.* Inde *extuberari*, ἐκφυσᾶσθαι, distendi.

Sunt & hammodytæ] Male in Delriana, *ammoditæ.* Lucanus: *Concolor exustis, atque indiscretus arenis*
Hammodytes.

Plinius lib. VIII. cap. XXIII. *Quod ad serpentes attinet, vulgatum est colorem ejus plerasque terræ habere, in qua occultentur.*
B Ita eo loco scribendum è libris. Pleræque serpentium ejus terræ, in qua delitescunt, colorem præferunt. Inter eas maxime hammodytes.

Elephantiæ] Putant sic dictos, quod elephantiasim morbum morsu inducant. Censerem potius ita dici dracones, qui cum elephantis perpetua discordia pugnant, ut eorum sanguinem sorbeant, cujus sunt avidissimi. Ἐλεφαντίας igitur epitheton draconis, qui elephantos adgreditur, & eorum sanguinem ebibit. Elephantus etiam piscis ex genere locustarum. *Chamædracontes* humi tantum serpunt, cum dracones elephantiæ arbores etiam inscendant, è quibus speculati in elephantos prætereun-
C tes se injiciunt. Male Camers disjunctim legit, *chamæ, dracontes.*

Habent affectus, non nisi conjuges evagantur] Hoc non de omnibus serpentibus, sed de aspidibus tantùm dixit Plinius: *unus huic tam pestifero animali sensus, vel potius affectus est, conjuga fermè vagantur, nec nisi cum pari vita est.* De aspidibus loquitur, quæ inter serpentes venenatissimæ, ac maximè pestiferæ, ac de his reliqua capitis. Lucanus de aspide:

Plenior huic sanguis & crassi gutta veneni
Decidit: in nulla plus est serpente coactum.

D Cum igitur Pliniana illa, quæ retulimus, ad solas aspides referi debeant, quarum præcessit mentio, ad omne genus retulit. An aspidum nomine apud Plinium varias serpentum species accepit? Ita videtur. Scripsit enim suprà: *plures, diversæque aspidum species.* Quæ summa hallucinatio est.

Uter superfuerit, efferatur] Plinius: *itaque alterutra interempta, incredibilis alteri ultionis cura, persequitur interfectorem.* &c. Cum ab eo hauserit noster, gustu tamen, sensuque multum diversa, quæ heic ponit. Nec enim simpliciter in omnes efferatur capto, vel occiso altero, is qui superfuit, sed adversus interfectorem comparis sui.
E Nec de omni serpente Plinius, sed de aspide hoc prodit.

Subtiliora sunt capita fœminis, alvi tumidiores] Hoc de serpentibus in genere, non de aspidibus traditur. Sic mirum in modum hæc turbat, & miscet.

Igitur anguibus universis hebes visus est] Non de anguibus universis, sed de aspide sola narrat istud Plinius. Angues proprie de aquaticis, ut notat Servius, & ita Plinius sæpe. *Anguium genus pulcherrimum hydri.* Alii tamen confundunt. Plinii verba de aspidibus: *non est fateri, rerum natura largius mala, an remedia genuerit. Jam primum hebetes oculos huic malo dedit.* Non de omnibus loquitur serpentibus, sed de aspidibus solis, constat quippe plerasque
F serpentium, & anguium acutissimi visus esse. At oculi hebetes aspidi. Quod perperam transtulit ad genus omne.

Raro in adversum contuentur] Plinius: *tam primum hebetes oculos huic malo dedit, eosque non in fronte ex adverso cernere, sed in temporibus.* Hæc in vitio jacere liquido liquet. Libri habent: *non in fronte adverso cerneret, sed in temporibus.* Scribo: *eosque non in fronte, ne adverso cerneret, sed in temporibus.* Certa emendatio *adverso*, pro *adversum.* Sic *cetero* ubique apud Plinium, quod aliis *ceterum.* Antiquis *postmodo* pro *postmodum.* Sic *postprincipio* apud Terentium. Horatius:

G ---- *adversum spectantia, nulla retrorsum.*

Igitur *adverso cernere* est in adversum contueri, vel ex adverso ἀντίον. Sic traverso, πλαγίως.

Pag. 37. G. *Adeo ut citius audiant, quam aspiciant*] Sic libri. Et Isidorus. Vulgo: *quam quid aspiciant.* Plinius: *itaque excitatur auditu sæpius, quam visu.* Suspecta mendæ ista Plinii. Primùm ex verbis ipsis, & sensu, quid enim est *excitari visu*? Deinde ex monitu librorum, qui

aliter legunt. In Rigaltiano est: *itaque excitatur sed sæpe jus quam visu.* In aliis: *sed sæpius quam visu.* Legerim fidenter: *itaque ex auditu sentit citius, quam visu.* Hoc est, quod ait heic Solinus, *citius audire, quam aspicere.* Sensum aurium ὀξύτερον habere, quam oculorum. Scriptum erat mendosè: *ex aditu.* Unde factum, *excitatur.* Legi eam posset: *ex auditu serpit potius, quam visu.* Nicander in Theriacis de Aspide:

---- ὑπναλέοις δὲ
Αἰὲν ἐπιλλίζουσι φαείνεται ἔνδοκες ὄσσοις,
Ἀλλ' ὅταν ἢ δοῦπον νέον οὔασιν, ἠὲ λίν' αὐδὴν
Ἀθρήσῃ, νωθρὸν μὲν ἀπὸ ῥέθεος βάλεν ὕπνον
Ὁλκῷ δὲ τροχόωσαν ἅλων εἱλίξατο γυίῳ.

Quæ verba confirmant eam emendationem, qua reponitur, ex *auditu serpit citius, quam visu.* Vulgatam tamen etiam adstruit. Nam audito strepitu, aut sono vocis aliquo, νωθρὸν ἀπὸ ῥέθεος βάλεν ὕπνον, excitatur, & somnum repellit. Non igitur sollicitanda. De aspide porro sola, non de alia serpente hæc Plinium scripsisse, quæ sequuntur fidem faciunt: *habet deinde internecivum bellum cum ichneumone.* Jungenda enim cum superioribus: nec libri illud *habet* agnoscunt. Sic igitur connectenda: *Jam primùm hebetes oculos huic malo dedit, eosque non in fronte, sed in temporibus: deinde internecivum bellum cum ichneumone.* Hæc sunt remedia, quæ natura genuit adversus tam pestiferum animal, qualis est aspis. Primum hebetes oculos huic dedit, ne in adversum contueri posset. Deinde hostem illi addidit, à quo sæpe extinguitur. Is est ichneumon. Atqui non alia serpens naturalem habet discordiam, & internecivum bellum cum ichneumone, quam aspis. De qua re passim auctores. Aristoteles lib. IX. cap. VI. Ὁ δὲ ἰχνεύμων ὁ ἐν Αἰγύπτῳ, ὅταν ἴδῃ τὸν ὄφιν τὴν ἀσπίδα καλουμένην, οὐ πρότερον ἐπιτίθεται, &c. Ex his videre licet, qualis auctor sit Solinus.

Inter Æthiopiam, Africam, Cyprum certamen fuit] Plinius simpliciter: *Heliotropium nascitur in Æthiopia, Africa, Cypro.*

Æthiopicam, aut Libycam palmam tenere] Ex tribus locis, in quibus nascitur heliotropium, dicit Æthiopicam, aut Libycam palmam tenere. Quo auctore? nec enim Plinio, quem tamen hîc solum sequitur. Sed utra tandem palmam habet, Æthiopica, an Libyca? dicit Æthiopicam, aut Libycam. Quo nihil incertius, aut ineptius. Quia Plinius Æthiopiam primam nominavit, deinde Africam, postremam vero Cyprum, hinc Æthiopicæ, aut Libycæ palmam adjudicavit. Sed sic pronuntiare debuit pro Æthiopica sola, quæ priore loco nominata est.

Viridi colore est, non ita acuto] Plinius scribit porracei coloris esse. Is est, quem Græci πράσινον vocant. Nam πράσον est porrum. Atqui viridem acutissimum sic appellant. Exempli gratia, smaragdum κατ' ἐξοχὴν πράσινον λίθον vocarunt, quo nihil viridius, & acutius. Prasina factio Romæ à viridi colore intensissimo. Optimam chrysocollam Plinius in Armenia nasci tradit, ut & Dioscorides: *summam* autem *commendationis esse, ut colorem herbæ segetis læte virentis quam simillimè reddat.* Hic summus, & acutissimus viroris gradus. Dioscorides chrysocollam commendat, τὴν κατακόρως πρασίζουσαν, quæ prasinum, & porraceum colorem ad plenum obtineat.

Non ita acuto, sed nubilo magis, ac represso] Legendum *sed nubilo magis, & presso.* In omni coloris genere *pressum* dicitur σκοτεινὸν, ἀμαυρὸν, nubilum, fuscumque. *Astrictum* Plinius vocat. *Oneratum colorem* vulgo dicimus. Græci etiam βαρύχρουν. Huic opponitur *acutus*, qui clarus est, ὁ τηλαυγὴς, ὁ λαμπρὸς, ὁ εὐανθής. Græcis etiam ὀξὺς, unde ὀξεῖαι πορφύραι: *claræ* & λαμπραί. Unde ὀξυπόρφυρον, & *oxyblatteum* in Codice. Ælianus de puniceis Persarum vestibus: τῶν ἀδομένων δὲ Σαρδιανικῶν ὀξύτεραί τε καὶ τηλαυγέστεραι, *Sardianica* punicea erant & coccina. Hesychius: Σαρδιανικὸν βάμμα, τὸ φοινικοῦν. Hunc colorem ὀξυφοίνικον vocabant. Ἄνθραξ ὀξυφοινικοῦς Epiphanio. Sic ὀξὺ, λαμπρὸν, & εὐανθὲς in coloribus idem. Cui τὸ ὀρφνινον, & μέλαν & ἀμαυρὸν opponuntur. Aristoteles de coloribus cap. V. Τὰ μὲν γὰρ ἐξ ἀρχῆς, ὅταν βάπτοντες τὴν πορφύραν, καθιῶσι τὰς αἱμάτιδας, ὀρφνιαῖ γίνονται, καὶ μέλαιναι, καὶ ἀεροειδεῖς, ὅταν δ' ἄνθος συνεψηθέντος ἱκανῶς, ἀλουργὸν εὐανθὲς γίνεται

A καὶ λαμπρόν. Αἱματίδας τῶν πορφυρῶν vocat purpurarum venas, quas in mediis habent faucibus, quibus continetur pretiosa illa sanies. Hæ in cortinas demittebantur, exemptæ purpuris. Plinius lib. IX. cap. XXXVIII. *Eximitur postea vena, quam diximus.* Vide quæ sequuntur. Et paulo post: *ita despumatis subinde carnibus, quas adhæsisse venis necesse est, decima fermè die liquata cortina elutriatum vellus mergitur in experimentum.* Αἱματὶς igitur vena purpuræ, sanguine plena. Hesychius: αἱματίς, φλέψ. Hujusmodi αἱματίδες mittebantur in cortinam purpuræ tingendæ. Male vertunt interpretes Aristotelis *purpu-*
B *ras sanguinarias.* Nec enim totæ purpuræ in ahenum mittebantur, sed solæ venæ, quæ in faucibus mediis hærent purpurarum, quas αἱματίδας vocat Philosophus. Nec melius corrigebat Gesnerus ἀλουργίδας. Ἀλουργίδες sunt vestes ex purpura marina tinctæ, τῷ ἀλουργῷ χρώματι: ut φοινικίδες puniceo tinctæ. At vestes factas in ahenum tingendas mitti olim moris non erat, sed solas lanas. Nec ἀλουργίδες sunt, priusquam factæ ac tinctæ sint. Hæ igitur αἱματίδες, *venæ purpurarum*, quum in cortinam dejiciebantur, erant ὀρφνιναι, aut μέλαιναι, coloris pressioris, fusciorisque: aut etiam ἀεροειδεῖς, id est, cæruleæ. Postquam vero aliquantisper excoctum fuisset τὸ ἄνθος,
C clarioris, & acutioris luminis evadebat, εὐανθέστερον καὶ λαμπρότερον. Sic ὀξὺ, & εὐανθὲς, & λαμπρὸν in coloribus idem, quum scilicet color lumine intensiore, & clariore excitatur. Latini *hilare, vegetum, floridum, acutum, latum, clarum, excitatum* pro eodem dicunt. Excitatur quippe in coloribus, & acuitur, quod lumine intensiore, & vegetiore accenditur. Ut contra adstringitur, & premitur color, qui nimis oneratur, & saturatur. Hoc fit, quum plus coloris inditur quam luminis. Tum fuscior, & obscurior, atque adeo tristior evadit. Græci βαθὺ, βαρὺ, κατακορὲς, ἄκρατον, αὐστηρὸν, πικρὸν dicunt. Latini *plenum, satu-*
D *rum, meracum, pressum, astrictum, triste, austerum, amarum,* & similia appellant. Interdum vero, quia pleniori, ac saturatiori colori etiam accedit lumen intensius, ac vegetius, ista discrimina confundunt. Nam & saturum, & κατακορὲς vocant, quod multum habet luminis, cum plurimo, ac pleno colore. Sic αὐστηρὸν, & πικρὸν tam tristibus dant, & pleno colore saturis, quam florido, & acuto lumine excitatis. *Austeritatem* Plinius ἀντὶ λαμπρότητος, καὶ ὀξύτητος posuit, quum melius conveniat τῇ βαρύτητι. Ab aliis sensilibus ad colores hæ ductæ metaphoræ, ut supra indicavimus. Vinum austerum τὸν οἰνώδη, καὶ εὔτονον Græci vocant, quod diluto & leni, & imbecillo oppo-
E nitur. Vinum *forte*, & *robustum* vulgo dicimus. Sic austerum in coloribus, quod summum gradum obtinet, & dilutis, blandisque contrarium est. Πικρὰς ἅλας Græci iidem vocant, & εὐτόνους, qui vehementer salsi sunt. Ita πικρὸν in tinctura, vel colore, quod valde coloratum est. Βαρεῖαν ὀσμὴν, & εὔτονον vocat Aëtius odorem acrem, & gravem. *Fortem odorem* vulgo appellamus, ut *fortes herbas*, quæ acres sunt. Symmachus: *acres herbas olet rusticus.* Gravis odor opponitur suavi. Τὸ εὔτονον locum habet tam in suavibus, quam in gravibus. Nam & suaves, cum nimii sunt, aut nimis acres, ingrati & graves existunt, ut *muscus*, cujus τὸ εὔτονον sanguinem
F elicit è naribus, adeo jucundum non est. Ideo Sallustius *leves odores* vocat, qui suaves sunt, & aromatici, & oppositi gravibus. Ἡδεῖς Græci vocant. Hoc & suprà attigimus. Τὸ βαρύχρουν in coloribus idem, quod austerum, & saturum: τὸ εὔτονον scilicet, & intensionem coloris. In aceto: & muria τὸ εὔτονον καὶ τὸ δριμὺ Latini vocant durum. Sic *durum acetum* Sammonico:

Furfuribusque novis durum miscebis acetum.

Alibi *prævalidum* appellat.

Est qui prævalidum nitro sale miscet acetum.

Τὸ εὔτονον ὄξος, τὸ δριμὺ, *forte acetum* dicimus. Sic apud eumdem *durum vinum*, τὸν αὐστηρὸν καὶ εὔτονον:

G *Cumque his Lenæi durum potare fluentum.*

Blando, & molli vino opponitur. Alias *durum* dicitur, quod potui non est idoneum, nec maturum, Græci σκληρὸν dicunt. Ut apud Terentium, *durum est pater*, id est, crucium, & insuave. *Ferum acetum* idem alibi vocat durum, & prævalidum. Sic *dura muria*, ἡ δριμεῖα ἅλμη, acerrima, & salsissima, non quæ durare cibos, & conservare possit, sed διὰ τὸ εὔτονον, ut ἅλες εὔτονοι Græci, qui duri sunt, & valde salsi. Inepte Mercurialis

rialis adversus Turnebum velitatur *muriam duram* dici de quodam genere muriæ, quæ copia salis, & calore solis erat conspissata, quam ideo sic veteres vocaverint, ut à liquida muria separarent. Nugæ. Immo liquidissima fuit illa dura muria, quam sic vocarunt, ut patet ex ejus confectione, quæ traditur Columellæ lib. XII. cap. VI. Sporta juncea, vel spartea sale candido repleta demittebatur in dolium aquæ pluvialis, aut fontaneæ plenum, & soli expositum ore patenti. Quæ tamdiu ibi relinquebatur, donec sal liquesceret. Tum alium, atque alium subinde salem ingerebant, donec in sporta permaneret integer. Ex eo intelligebatur maturam esse muriam. Postea eam in vasa picata diffundebant, & opertam in sole habebant. Hæc erat *dura muria*, acerrima & salsissima, atque etiam liquidissima. Græci Γεωπονικῶν auctores δριμεῖαν ἅλμην vertunt, quæ Columellæ *dura muria*. Meminit idem Columella lib. VII. cap. IV *cælestis aqua sub dio salibus duratæ*, qua greges perluebantur. Inde colligi posse putat Italus medicus *muriam duram* de crassefacta, & conspissata exponendam. Prorsus ridicule. *Aqua durata salibus* ea dicitur, quę dura facta est, id est, salsa, & acida, cui rei plurimum confert sol. In qua duri sales, id est, valde salsi liquefacti sunt, & *dura* dicitur aqua, ac durata, ut dura muria. Inde & *sale durati pisces* pro salitis, vel sale duro, vel muria dura conditis. Et fallitur Turnebus, qui *duram muriam* dictam putat, quia durare possit, & conservare cibos sale. Immo sale durati cibi, qui sale duro vel dura muria salsi sunt. Nec enim duriores efficiuntur pisces, qui saliti sunt, sed interdum etiam liquefacti in muria sic vocabantur. Unde ταριχεύειν, τήκειν Græci exponunt: & ταριχεῦσαι, τῆξαι. Erant quidem & ξηροταριχεῖαι, sed *durum*, aut *durare* de his non propriè dicebatur. Virgilius in Moreto:

---- *sale durus adesso* *Caseus.*

Caseum salsum simpliciter significat sale duro aspersum, sale durum factum, id est, salsum. *Dura* igitur *muria* valde salsa, ἡ εὔτονος καὶ δριμεῖα: ut *durum acetum*, τὸ δριμὺ, τὸ εὔτονον, prævalidum, & forte. *Durus* propriè ὁ ἰσχυρὸς καὶ καρτερὸς: ut *duri agrestes*, *duri agricolæ* apud poëtam. Tales ut plurimum laboris patientes, quia prævalidi & fortes. καρτεροὺς Græci vocant. Hinc *durare*, & *pati* idem. Quod Græcis καρτερεῖν. Et καρτερία, ὑπομονὴ, patientia. Et *durare* absolutè positum, ut apud poëtam:

Durate, & vosmet rebus servate secundis.

καρτερεῖτε. Et apud Comicum:

Quis heic durare, si sic fit, potest?

Τίς ἐνταῦθα καρτερεῖν δύναται. *Pati* absolutè & eadem in significatione posuerunt. Virgilius:

Certum est in silvis, inter spelæa ferarum
Malle pati.

Καρτερεῖν ἐν ταῖς ὕλαις, καὶ σπηλαίοις. Terentius in Hecyra:

---- *denique ubi non quit pati,*
Simulat se a matre accersi ad rem divinam, abiit,

id est, ubi non quit durare in domo socrus. Nugatur ibi Donatus, qui *tolerare*, aut *tolerari* interpretatur, cum absolutum sit eo sensu, quo diximus. Hinc apud auctores ævi medii passim *pati*, pro durare, & manere. Lucanus lib. v.

---- *disce sine armis* *Posse pati.*

Et apud Senecam:

Immane regnum est posse sine regno pati,

vivere, durare posse sine regno, hoc est, καρτερεῖν. Qui non est ἰδιωτισμὸς illorum temporum, sed antiquum, & elegans loquendi genus. Et apud Terentium,

Non possum pati quin dicam patri.

Non possum durare, & καρτερεῖν. Sed ad rem. Ex his constat, quid sit propriè *durum*. Inde vinum, & acetum durum de valido, & robusto, vel austero. Similiter & *dura muria*, ἡ δριμεῖα, ἡ ἐπιτεταμένως ἁλυκή. Nec dubito, quin & *durum* dici possit in coloribus, ut *austerum*, & *amarum*. Quæ omnia ἐπίτασιν coloris indicant. Nam πικρῶς γλαυκὸν est ἐπιτεταμένως γλαυκόν. Et sic de similibus: ut βαρέως γλαυκὸν, & αὐστηρῶς, & similia. At λαμπρὸν, & ὀξὺ, & alia, quæ suprà recensuimus, τὴν ἐπίτασιν lucis, vel luminis ostendunt, quo obscurior, & saturior colos perfusus ita diluitur, ut etiam accendatur, & excitetur. τὸ βαθὺ etiam de intensioribus coloribus dicitur, ut βαθύχρουν, & βαρύχρουν Dioscoridi. Talia sunt τὰ εἰς βάθος κεχρωσμένα, & valde satura. Paulus Silentiarius:

Πῆ μὲν ἅλις χλοάοντα, καὶ οὐ μάλα τῆλε μαράγδου.
Πῆ δὲ βαθυνομένου χλοεροῦ κυανώπιδι μορφῇ.

Duo heic genera viridis coloris: *smaragdinus*, sive prasinus, qui lætè viret multa luce perfusus. *Viride lætum* vulgo dicimus. *Viridem colorem acutum* heîc vocat Solinus. At βαθυνόμενον χλοερὸν κυανώπιδι μορφῇ est, quod hoc loco idem Solinus, *nubilum* & *pressum* vocat: *viridi colore est non ita acuto, sed nubilo magis & presso*: οὐκ ὀξύχλωρον ἐστιν, ἀλλὰ βαθύχλωρον. *Viride obscurum* vocamus hodie. Κυανῶπις μορφὴ in hoc versu Pauli nigra est. Sic βαθύχρουν de austeris, & fuscis coloribus. Alias *colorem altum* appellamus τὸν ὀξὺν, ἢ ἀνθηρόν. Epiphanius de hyacintho: ὅσον βαθύτερος τοσούτῳ ἀναγκαιότερος. Sed hæc dixi sæpe confunduntur. Quæ ἐπιτεταμένως colorata sunt, & saturata Græci πεπεισμένα dicunt, Latini suasa & insuasa: quæ penitus, & εἰς βάθος imbiberunt colorem. Epigramma vetus:

---- χροιῆς βάμματι πειθόμενος.

Et apud Strabonem πεπεισμένως ἐπικεκαῦσθαι lib. XV. Καθ' ὃ καὶ τοὺς Ἰνδοὺς μὴ οὐλοτριχεῖν φαμὲν, μηδ' οὕτω πεπεισμένως ἐπικεκαῦσθαι τὴν χρόαν. *Nec coloris adeo adusti esse.* Πεπεισμένως ἐπικεκαυμένους vocat eleganter, qui penitus adusti sunt, & profunde colorati sole. Latine *insuasos* liceat dicere. Festus: *insuasum appellabant colorem similem luteo, qui fiebat ex fumoso stillicidio.* Alio loco *suasum* vocat. *Colorem infumatum* vulgo appellamus, qui luteo similis est, sed obscuro. Est enim μήλινον χρῶμα τὸ βαθυνόμενον μέλανι. Glossæ: *insuasum*: εἶδος δοκαρίου κεκαπνισμένου. Græci χρῶμα κεκαπνισμένον similiter vocant, qualis est color in tignis, ac trabibus diutino fumo infectis. Genus erat jaspidis, qui καπνίας dicebatur à fumido colore. Dioscorides: ὁ δὲ ἀερίζων, ὁ δὲ καπνίας, ὡσπερεὶ κεκαπνισμένος. Cave sis autem putes *insuasum* propriè dici τὸν κάπνιον colorem, sed *insuasus*, vel *suasus* color, ὁ πεπεισμένως κεκαπνισμένος. Quod de omnibus dici queat, & rectè idem Festus alibi notat, *non deesse, qui dicant omnem colorem, qui fiat inficiendo suasum vocari, quod quasi persuadetur in alium ex albo transire.* Quia vero tignum, quod diutino fumo infectum est, vel ea, quæ ex stillicidio fumoso infecta sunt, colorem eum penitus imbiberunt, eoque prorsum imbuta, ac veluti insuasa, valide retinent, ideo *insuasum* & *suasum* κατ' ἐξοχὴν de hoc fumido colore usurpatum est, quod de omnibus dici potest, ut Græci πειθεσθαι, & πεπεισμένον. In his subtilius examinandis haud inutiliter possunt nobilia ingenia sese exercitare reclamantibus licet omnibus Cercoëtiis.

Stellis puniceis superspersa.] Jurasse diceres, ut auctorem, quem ubique imitandum suscepit, nusquam exprimat. Plinius de heliotropio gemma: *sanguineis venis distincta.* Aliud *vena* in gemmis, aliud *stella*, aliud *distingui*, aliud *spargi*. Lineæ, quæ oblongo, & vario discursu per gemmę corpus eunt instar venarum, *venæ* dicuntur. *Stellæ* vero sunt puncta & guttæ, vel pulveres ad instar stellarum sparsę. Lineis, & venis, & limitibus distingui gemmas passim dicit Plinius: stellis, & punctis, & guttis spargi, vel superspergi. Isidorus utrumque posuit ex Plinio, & Solino. Nam sæpe partem è Plinio sumit, partem è Solino.

Dejecta in labris aneis radios solis mutat sanguineo repercussu] Scriptoris, & eorum temporum sermo, *dejecta in labris æneis*, pro *dejecta in labra ænea*. Plinius: *dejecta in vasa aquæ.* Nec felicius heîc, aut melius quam alibi, quem sequitur, reddidit. Verba Plinii ut edita sunt: *causa nominis, quod dejecta in vas aquæ fulgorem solis accedentem, percussu sanguineo mutat, maximè Æthiopica.* Quæ à correctoribus interpolata esse apparet ex hoc Solini loco. Nam libri Plinii habent: *dejecta in vas aquæ fulgorem solis accendit accedente percussu.* Fortasse vox *sanguineo* deest: *accedente repercussu sanguineo.* Aut certè legendum: *fulgorem solis accendit, sanguineo repercussu.* Ceterum non is Plinii sensus est, quem Solinus adumbravit. Heliotropium dictam hîc fingit, quod radios solis mutet sanguineo repercussu. Non ea mens Plinii. Heliotropium in aquam missa fulgorem solis accendebat, & augebat radios repercussu, contra extra aquam instar speculi solem accipiebat, & deprehendebat ejus defectus subeuntem lunam ostendens. Hoc vice versa quodammodo fiebat, & contra naturam solis. Nam in aqua sol tanquam in speculo videtur, non obstantibus radiis, nec lumini officientibus. Ideo qui solis defectus contemplari volunt, aqua in vas fusa, deficientem eum, lunamque subeuntem otiose, ac secure intuentur, quod oculis in ipsum solem intentis facere non possent, fulgore ejus nimio oculorum aciem præstinguente. At contra accidit, si heliotropium gemmam in vas aquæ dejeceris, nam fulgor solis accenditur. acci-

accidente percuſſu, id eſt, ſi aqua ſole percutiatur. Ita enim legimus. Extra aquam autem vice ſpeculi ſolem exhibet, abſque fulgore ullo, ita ut defectus ejus deprehendere per eam liceat, & ſubeuntem lunam videre. Inde igitur heliotropium dicta, quod naturam ſolis quaſi mutet, & invertat, fulgorem ejus accendens in aquam miſſa, ſine fulgore eum oſtendens extra aquam. Sic quod aliter, atque aliter in aqua, & extra aquam ſolem exhibeat, heliotropium nomen habuit. At noſter ex notatione nominis, & ſanguineis venis, quibus diſtincta eſt, imaginabundus confinxit radios ſolis mutari ſanguineo repercuſſu, heliotropio in aquam dejecto. *Accidente percuſſu*, ſi ſolis percuſſus acciderit, ſi à ſole percuſſa fuerit. Sic idem de ceraunia: *ſub tecto percuſſa ſole, ſpecies & colores arcus cœleſtis in proximos parietes ejaculatur.* Et paulo poſt: *in ſole aperto projectos radios in ſe cadentes diſcutere.* Idem erit & ſi legas *accidente repercuſſu.* Solis eſt percuſſus, repercuſſus autem gemmæ, vel aquæ. Idem tamen etiam ſenſus manebit, quem ſupra expoſuimus, etiam ſi ex Solino ſcripſeris: *fulgorem ſolis accendit ſanguineo repercuſſu.*

Extraque aquam ſplendorem aeris abjicit, & avertit] In libris pleriſque, & antiquis editionibus ſic habetur. In quibuſdam, *ſplendor ejus*, ut in ſchedis Palatinis. In aliis, *ſplendorem ejus*, & ſuprà eadem manu repoſitum *aëris*, ut in vetuſtiſſimo libro Petri Danielis. Atque ita uterque Regius ſine ulla interpolatione. Cum Delrius in ſuo codice ſcriptum reperiſſet, *ejus*, ad hunc locum notat, Plinium facere, ut ex ſcriptis emendet, *ſplendorem ejus.* Haud ſcio, quantum ad hanc rem faciat Plinius, cujus mentem aut non vidit, aut non expreſſit Solinus hoc loco. Verba Plinii ſunt: *extra aquam ſpeculi modo ſolem accipit, deprehenditque defectus ejus, ſubeuntem lunam oſtendens.* Ex his verbis non video, quomodo adſtrui poſſit Delriana emendatio. *Splendorem aëris* vocat Solinus radios ſolis, qui in aërem ſparguntur, & aërem faciunt, ut ſplendeat. Hunc fulgorem aëris abjicit, & avertit heliotropium extra aquam poſita, & ſolem tanquam in ſpeculo videndum exhibet abſque fulgore, & radiis, qui in aëre vibrantur. Radii quippe illi, quos ſol ejaculatur, & quibus aërem percutit, ac ferit, in aciem oculorum incurrentes eam perſtringunt, & obtundunt, ſi quis in eum intueatur. Si quis vero in ſpeculo ſolem vel in aqua contempletur, radii illi fulgidi, qui à ſole per aërem ſparguntur, in imagine ſolis, quam ſpeculum, vel aqua exhibet, non ſunt, nec cum imagine ipſa in oculos reverberantur. Inde fit, ut cum propter radios & ſplendorem illum aëris ſolem rectis oculis intueri non valeamus, in aqua tamen, & ſpeculo rectè conſideremus, non obſtantibus radiorum jaculis, quibus caret imago ſolis in ſpeculo conſpecta. Eodem prorſus modo heliotropium gemma, quæ ſpeculi inſtar ſolem repræſentat, ſplendorem aëris abjicit, & avertit, id eſt, radios ſolis, qui per aërem ſparſi eum illuminant, & accendunt. At *ſplendorem ejus* ideo minus rectè legeremus, quia ſplendor ſolis etiam in heliotropio, ut in ſpeculo conſpicitur: non tamen ille ſplendor, quem in aëre faciunt radii à ſole emiſſi, & ſolido repercuſſi. Hoc eſt, quod *ſplendorem aëris* hoc loco vocat Solinus. Vix dubito tamen, quin prior ejus editio *ſplendorem ejus*, habuerit, quod in recognita mutavit. Et rectè. Atque his verbis Solinus mentem Plinii potius adumbravit, quam expreſſit. At Priſcianus, qui ex profeſſo Solini verba in ſuos verſus tranſcripſit, mentem hujus non tetigit hoc verſu:

Purior at ſoli renitet nudatus ab undis.

Hoc voluit, heliotropium lapidem in aquam miſſum ſolem ſanguineum repercuſſu oſtendere, extra aquam purius renidere, & ſolem purum exhibere.

Ut herba ejuſdem nominis mixta] Scripti: *ejuſdem nominis quod eſt mixta.* Lege: *ejuſdem quo eſt nominis.* Sic antiqui auctores loquuntur. *Pro eodem quod eſt nomine.*

Et præcantationibus legitimis conſecrata] Ergo legendum in Plinio: *quoniam admixta herba heliotropio, quibuſdam quoque additis præcantionibus gerentem conſpici negent.* Nam editur in hodiernis: *additis precationibus.* Sic *præcantrix*, ἡ ἐπαοιδὸς apud Plautum. Sed in libris quibuſdam Plinii etiam *præcantationibus* ſcriptum eſt. *Præcantatio*, ἐπῳδή. Gloſſæ: *præcantat*, ἐπᾴδει. *Præcantationibus*

A *conſecrata*, ταῖς ἐπαοιδαῖς τετελεσμένη. Nunquam enim ſine carminibus, & præcantationibus hæ conſecrationes fiebant. Hoc ſenſu *annuli conſecrati*, οἱ τετελεσμένοι καὶ φαρμακίται. *Statuæ conſecratæ* apud Juvenalis interpretem, *ſtatua Memnonis magice conſecrata*, id eſt, præcantationibus conſecrata. Nam magi, οἱ ἐπαοιδοί. Sic apud Servium Niſus dicitur comam habuiſſe *ita conſecratam, ut tamdiu regno potiretur, quamdiu illam habuiſſet intactam*, ταῖς ἐπαοιδαῖς ὄντως ἀφιερωμένην, καὶ τετελεσμένην. Spartianus: *factis carminibus, & conſecratione.* Proprio igitur uſus eſt verbo Solinus, quum *heliotropium gemmam præcantationibus conſecrari* dixit. Vide quæ notavi- B mus ad Hiſtoriam Auguſtam.

Pag. 38. B. *Contra noxium virus præditi incredibili corporis infirmitate*] Nugatur ſolitus. Non corporis firmitas muniebat Pſyllos adverſus ſerpentium virus, ſed odoris virus ipſorum corpori ingenitum. Plinius, unde accepit lib. VII. cap. II de Pſyllis: *horum corpori ingenitum virus fuit exitiale ſerpentibus, ut hujus odore ſopirent eas.* Tales & circa Parium in Helleſponto, qui Ὀφιογενεῖς dicebantur. Plinius ibidem. Sed lib. XXVIII. cap. III idem in inſula Paro Ophiogenes iſtos collocat his verbis: *quorumdam hominum tota corpora proſunt, ut ex his familiis, quæ ſunt terrori ſerpentibus, tactu ipſo levent per-* C *cuſſos, ſuctuve modico. Quorum è genere ſunt Pſylli, Marſique, & qui Ophiogenes vocantur in inſula Paro.* Ita enim libri ſcribunt, ut Turnebus admonuit, non, ut habent editiones, *in inſula Cypro.* Strabo tamen Ὀφιογενεῖς in urbe Helleſponti Pario ponit, non in Paro inſula. Sed tranſverſum rapuere Plinium verba Varronis iſta, quæ apud Priſcianum leguntur: *ut habent Parii, qui vocantur* Ὀφιογενεῖς, *& in Africa Pſylli.* Ubi *Parios* videtur accepiſſe ἀντὶ τῶν Παρίων. Nam οἱ Πάριοι ſunt incolæ inſulæ Pari. At *Parii* apud Varronem ſignificat in urbe Pario, quæ urbs eſt Helleſponti. Sic *Chii in* D *Chio* apud Vitruvium lib. VII in præfatione de Zoilo: *alii ſcripſerunt à Philadelpho eſſe in crucem fixum, nonnulli Chii in eum lapides eſſe conjectos, alii Smyrnæ vivum in pyram eſſe conjectum.* Ita legendus locus è libris. *Chii* pro in urbe Chio. Sequitur apud eumdem: *ſignum ejus familiæ eſt, ſi adhuc durat, vernis temporibus odoris virus. Atque eorum quotquot ſudor medebatur, non modo ſaliva.* Hæret adhuc vitium in illis Plinii, quæ paulo ante citavimus, *tactu ipſo levant percuſſos, ſuctuve modico.* Libri habent: *ſuctuve tumido.* Corrigunt, *tumidos.* Ego emendem: *ſuctuve humido.* Salivoſum ſuctum ita vocat. Nam ſaliva præcipuè medebantur. Idem de Parianis: *Varro* E *etiamnum ibi eſſe paucos, quorum ſalivæ contra ictus ſerpentium medentur.* Sugebant ictus à ſerpentibus, & inter ſugendum ſalivam quoque imprimebant. Quem *ſuctum humidum vocat.* Arnobius: *Pſyllis labiis, Marſi ve dentibus.* Quem locum ſic primi emendavimus. Labiorum enim miniſterium in ſugendo præcipuum. Legendum etiam proximè: *ex qua familia legatus Euagon nomine.* Εὐάγων, ut ὀρθιάγων. Ita libri. Errorem porro illud quoque facere potuit, quod Παριανὸς ἐθνικὸν tam à Paro inſula, quam à Pario Helleſponti urbe. *Euagon Parianorum legatus*, τῶν Παριανῶν, ex urbe Pario. At Παριανὸς etiam formabat ab inſula Paro Apol- F lonius τεχνικός. Vide Stephanum. Hanc hiſtoriam præterea habuit à Varrone Plinius, cujus Varronis hæc erant: *& Parii, qui vocantur Ophiogenes*: καὶ Πάριοι, οἱ καλοῦνται Ὀφιογενεῖς. Ita acceperit: cum accipiendum eſſet: καὶ ἐν Παρίῳ, οἱ καλοῦνται Ὀφιογενεῖς, ὡς ἐν Λιβύῃ οἱ Ψύλλοι. Strabo poſtquam de Parianis ſerpentigenis tradidit: μυθεύουσι δὲ τὸν ἀρχηγέτην τοῦ γένους ἥρωά τινα μεταβαλεῖν ἐξ ὄφεως. Τάχα δὲ τῶν Ψύλλων τις ἦν τῶν Λιβυκῶν. Videſis illum lib. XIII. Sed cum ſatis conſtet, Parium Helleſpontiacam κτίσμα eſſe τῶν Παρίων inſulanorum, dicere aliquis poſſit ex Paro inſula tranſlatos quoſdam ex illis familiis τῶν Ὀφιογενῶν, & ſic tam in Paro inſula, G quam in urbe Pario Ὀφιογενεῖς fuiſſe. Multo tamen verius hallucinatum eſſe Plinium. Quod illi accidit non raro.

Si eſſent partus adulteri] Ita libri. Sic ſupra: *quorum adulteris coitibus adulterantur partus leænarum.* Et apud Tertullianum, *adulter ſapor.*

Pag. 38. C. *Sed hæc gens interivit à Naſamonibus capta*] Ita libri. Sic loquitur noſter: *hominem exivit*, ut cap. I. *Omnium certaminum, quæ obivit.* Non interiit capta à Naſa-

Nasamonibus gens Psyllorum, sed quum interisset, quomodo narratur ab Herodoto, regionem eorum occupaverunt vicini Nasamones.

Quod Battus Lacedæmonius Olympiade quinta & quadragesima] Sic in libris omnibus nostris, & Camertis: sic etiam in editis universis, qui præcessere Delrianam. Ipse edidit: *Olympiade prima & quadragesima.* Et mox: *anno post Trojam captam sexagesimo octavo.* Ubi libri omnes habent, tum editiones, *octogesimo sexto.* Ex ullius libri auctoritate ita eum reposuisse dici non potest, quum sciamus aliter in omnibus legi, nec ipse dicat ita suos habuisse, sed arripuit conjecturam Camertis, cujus hæc verba sunt: *esset omnino plana, & vera computatio, si sic legeretur apud Solinum: Olympiade prima & quadragesima, anno post Trojam captam sexagesimo octavo condidit. Sed exemplaria omnia, quæ viderim, retinent primum numerum.* Ita Camers, qui lectionem antiquorum exemplarium non mutavit, sed conjecturam suam tantum proposuit. Audacior Delrius tacito nomine Camertis, conjectaneum ejus edendum curavit, contra omnium librorum consensum. Sed de Delrio minus miror. Negligentia vero doctissimorum virorum non excusanda, qui inconsultis aliis editionibus Delrianæ lectionem pro vera, ac germana Solini scriptura amplexi sunt, ut fecit Scaliger in Eusebianis Animadversionibus. Hic idem & in συναγωγῇ Olympionicarum, quam ex diversis auctoribus Græcis, & Latinis compilavit, ad Olympiadem primam & quadragesimam scripsit ad hunc modum: Βάττος Λακεδαιμόνιος Κυρήνην ἐν Λιβύῃ κτίζει. Quod ex hoc Solini loco, ut à Delrio corruptus est, accepit. Quod in errorem & alium doctissimum virum induxit, qui Anonymi scriptoris Græci hæc verba esse sibi persuasit, quæ Scaligeri sunt, ut alia multa in illa compilatione è Latinis auctoribus sumpta, & in Græcum ab eodem conversa. Hoc scire lectorem necesse fuit. Ceterum nihil falsius computatione Camertiana, aut Delriana emendatione. Verissimam esse veterem scripturam ipso auctore Solino probavimus. Capite primo scripsit ab excidio Trojæ ad primam Olympiadem annos numeratos fuisse octo & quadringentos. Heîc scribit Cyrenas à Batto conditas esse, anno post Trojam captam quingentesimo octogesimo sexto. Ergo ab anno octavo & octingentesimo, quo prima Olympias numerata est, ad conditum Cyrenarum anni sunt centum & septuaginta octo: qui numerus annorum quatuor & quadraginta Olympiadas absolutas efficit, & duos præterea annos Olympiadis quintæ & quadragesimæ. Sic juxta Solini sententiam conditæ Cyrenæ anno secundo quintæ & quadragesimæ Olympiadis, qui post Trojam captam octogesimus sextus annus fuit. Huic opinioni una res refragatur, quod heîc additum est Cyrenas conditas rege Marcio res Romanas tenente. Atqui constat vel ex hoc ipso Solino regem Marcium obiisse Olympiade prima & quadragesima. Quod si verum est, non regnabat utique Olympiade quinta & quadragesima. Sed auctor ille, quem heîc sequitur Solinus, videtur ex eorum numero fuisse, quibus Romam conditam duodecima Olympiade placuit, inter quos fuit Cincius. Cum enim ab Roma condita usque ad obitum Marcii centum & triginta sex anni intercesserint, hoc est, Olympiades triginta quattuor, quibus si addideris duodecim, erunt quadraginta sex Olympiades. Juxta hanc rationem adhuc vivebat Olympiade quadragesima quinta Marcius. Nunc alia videamus. Scribit Plinius lib. XIX. cap. III. Cyrenarum oppidum conditum urbis anno centesimo quadragesimo tertio. Ita enim de lasere loquitur: *id apud auctores Græciæ evidentissimos invenimus natum imbre piceo repente madefacta tellure circa Hesperidum hortos, Syrtimque majorem, septem annis ante oppidum Cyrenarum, quod conditum est urbis nostræ anno* CXLIII. Nihil mutandum in his verbis, ut censet vir doctus, qui corrigebat, *anno* CXXXVIII. Annus urbis centesimus & quadragesimus tertius, quadragesimæ & secundæ Olympiadis alter annus fuit. Theophrastus eamdem rem narrans his verbis exsequitur, quæ à Plinio conversa sunt: φασὶ δ' οἱ Κυρηναῖοι φανῆναι τὸ σίλφιον ἔτεσι πρότερον ἢ αὐτοὶ τὴν πόλιν ᾤκισαν ἑπτά. Οἰκοῦσι δὲ μάλιστα περὶ τριακόσια εἰς Σιμωνίδην ἄρχοντα Ἀθήνησι. Simonides

A Archon extitit anno secundo Olympiadis decimæ septimæ & centesimæ, hoc est, anno V. C. quadringentesimo quadragesimo tertio. Si trecentis annis exactè rotundis ante Simonidis magistratum conditæ fuere Cyrenæ, nihil est controversi, quin Olympiadis secundæ & quadragesimæ anno altero conditæ fuerint: tot siquidem anni à quadragesima secunda Olympiade ad decimam septimam cum centesima cucurrerunt. Et certum est ita Plinium accepisse in verbis Theophrasti de annis trecentis rotunde exactis. Sed Theophrastus dixit, μάλιστα περὶ τριακόσια, hoc est, *circiter trecentis.* Cui interpretationi convenire potest Solini sententia,
B qui ad quadragesimam quintam Olympiadem refert τὴν κτίσιν Cyrenarum. Sic trecenti fuerint, duodecim minus. Nam inter quadragesimam quintam, & centesimam decimam septimam anni intercedunt ducenti octoginta octo, hoc est, περὶ τριακόσια, ut Theophrastus loquitur. Igitur huic genuinæ verborum Theophrasti expositioni longè melius quadret Solini, quam Plinii calculus. Nec enim τριακόσια dixit Græcus auctor, sed περὶ τριακόσια. Ita tamen alibi loquutum Theophrastum similiter interpretatus est Plinius. In libro περὶ λίθων, de minii inventione in hunc modum memorat:
C οὐ παλαιὸν δ' ἐστὶν, ἀλλὰ περὶ ἔτη μάλιστα ἐνενήκοντα εἰς ἄρχοντα Πραξίβουλον Ἀθήνησι. Plinius sic reddidit: *Theophrastus* XC *annis ante Praxibulum Atheniensium magistratum, quod tempus exit in urbis nostræ* CXLIX *annum, tradit inventum minium à Callia Atheniense.* Περὶ ἔτη μάλιστα ἐνενήκοντα vertit, *nonaginta annos.* Praxibulus Archon extit anno secundo Olympiadis sextæ decimæ & centesimæ. Si nonaginta annos inde subducamus, incidemus in annum quartum Olympiadis nonagesimæ tertiæ, qui fuit urbis annus trecentesimus quadragesimus nonus: ita enim scribendum apud Plinium CCCXLIX: non CXLIX.
D Græci auctores in loquendo sæpe rotundos numeros ponunt in suis scriptis insuper habita summula excurrente, aut deficiente. Ut Theophrastus περὶ ἐνενήκοντα dixerit, etiam octoginta quinque, & περὶ τριακόσια, ducentos octoginta octo, & similia. Atque ita non raro Latini. Ad hunc locum prorsus pertinet & alius Plinii locus, quem corrigam heic obiter, in tempore designando, quod inter ipsius, & Theophrasti ætatem fluxit. Sic ille scribit lib. XIX. cap. II de Theophrasto: *Sed neque regionem, in qua id fiat, neque quicquam diligentius præterquam* ἐλαφόβοσκον *id appellari in exemplaribus, quæ quidem invenerim, tradit: neque omnino ullam mentionem habet sparti, cuncta cura magna persequutus* CCCCXC
E *annis ante nos, ut alio jam loco diximus.* Dicit scripsisse Theophrastum ante se quadringentis & nonaginta annis. Ita omnes libri hodie habent, etiam vetustissimi, ut hinc colligas, plerasque in libris mendas non hodie atque heri inolevisse. Atqui verum id esse non potest. Plinius opus suum dedicabat anno urbis octingentesimo trigesimo, ut ex præfatione ipsa colligitur, Olympiadis ducentesimæ ac decimæ quartæ anno primo. Idem lib. XXVIII. cap. II octingentos ac triginta annos ab Urbe condita, ad id tempus, quo opus suum componebat, fluxisse his verbis docet: *Cujus sacri precationem, qua solet*
F *præire quindecim virûm collegii magister, si quis legat, profecto vim carminum fateatur, ea omnia approbantibus octingentorum triginta annorum eventibus.* Scribebat igitur Plinius, ut ipsemet testatur, anno urbis octingentesimo trigesimo. Olympiadis, ut dixi, tunc agebatur ducentesimæ & decimæ quartæ annus primus. At Theophrastus Aristoteli in suscipiunda schola successit Olympiade centesima ac decima quarta. Ab eo tempore, quo scholam suscepit Theophrastus, ad id tempus, quo scribebat Plinius, anni sunt rotundi quadringenti. Quid illis faciemus annis nonaginta, qui apud Plinium excurrunt? Nec enim dici queat, annos nonaginta antea, quam scholæ successor existeret, scripsis-
G se Theophrastum. Minus quippe vixit. Si postquam scholæ Aristotelicæ successit, damus scripsisse, minus quadringentis fiet. Libros de historia plantarum eo anno composuisse, quo Simonides Prætor fuit, vel ex ipso colligi potest. Cum enim scribat libro sexto hujus historiæ Cyrenas conditas trecentis annis ante Simonidis magistratum, ex eo loco satis liquet, tum magistratum gessisse Simonidem, quum illa scriberet. Simonides

A monides, ut suprà diximus, magistratum gessit anno v. c. quadringentesimo quadragesimo tertio. Ab eo anno ad annum octingentisimum ac trigesimum, quo Plinius scribebat, anni sunt trecenti nonaginta tres. An ita reponendum apud Plinium? Sed opus ille absolvit anno urbis octingentesimo tricesimo, ut ex præfatione, nec usque ad tricesimum tertium pervenit. Pro CCCCXC *annis* omnino rescribendum, CCCXC *annis ante nos, ut alio jam loco diximus.* Praxibulus Archon extitit anno secundo Olympiadis CXVI: urbis vero conditæ CCCCXXXVIIII. Theophrastus eo gerente magistratum scribebat librum de lapidibus. A Praxibu-B li magistratu ad annum urbis, quem Plinius designat, anni sunt trecenti octoginta novem. Rotundè maluit Plinius ponere trecentos nonaginta. Nam circiter illa tempora scribebat Theophrastus. Ante illum annum libros de lapidibus absolvebat; post eum libros de plantis. Itaque verissime potest dici ab eo tempore, quo scripsit Theophrastus, ad id tempus, quo scripta sua Plinius absolvebat, intercessisse annos trecentos ac nonaginta. Apud Apulejum nostrum in libris de Remediis Salutaribus aliam inveni lectionem hoc modo: *Theophilus atque Theophrastus ante Plinium* CCCL *de bulbo* ἐριοφόρῳ *dicit, cujus inter summum corti-* C *cem, eamque partem, qua vescuntur, esse laneam naturam, ex qua impilia, vestesque conficiantur.* Quod falsum est. Hoc tempus incidit in Olympiadis centesimæ vigesimæ sextæ annum tertium. Non amplius tunc in vivis erat Theophrastus. Nam in regimine scholæ successit ei Straton Olympiade vigesima tertia & centesima. Decessisse jam tum eum oportuit ante Olympiadem vigesimam tertiam & centesimam. Sed disertè idem Plinius lib. XV. cap. I. scribit Theophrastum scripsisse urbis Romæ anno circiter quadringentesimo quadragesimo. Quo ex loco constat heîc esse legendum, CCCXC annis. Ab anno quippe urbis CCCCXL D ad DCCCXXX anni sunt trecenti nonaginta. Locum illum intelligit, quum heîc dicit, id se jam alio loco dixisse.

Pag. 38. D. *Quæ domus Callimacho poëtæ fuit patria*] id est, quæ domus patria fuit Callimacho. Ita scripsimus. Ineptè habebatur: *quæ domus Callimachi poëtæ fuit, & patria.* Nam *domum* pro patria sæpe Latini dicunt. Ut *domo Hispaniensis*, noster suprà de Syracusis: *hinc domo Archimedes.* Inde & *patria domus*, & *patriæ sedes.* Rectè ediderat Camers. Malè Delrius. Quasi domus & patria heîc differant.

Qui humoris nexibus humum favillaticam stringit, & in E *cespitem solidat*] Ita emendavimus ex optimo Regio, cui & alios quosdam consentientes reperi. Vulgo erat: *qui humoris nexibus humum stringit, favillam etiam in cespitem solidat.* Quæ ex priore forsitan editione sunt. *Favillaticam humum*, cineritiam. Plinius lib. XVII. cap. V. *Item è contrario cineritiam, & sabulum album.* A favilla *favillaticus*: ut ab herba *herbaticus*, unde *herbatica animalia*: à scena *scenaticus*, unde *scenatici modi* Varroni: ab aqua, *aquaticus. In cespitem solidare*, ut *in farinam molere: in antrum cavari, in glaciem concrescere.*

F *Hammonis vocant cornu*] Multæ aliæ gemmæ sic nominatæ. Ut *crines veneris*, de qua infrà. Sic Ἀδάδου νεφρὸς, Ἀδάδου ὀφθαλμὸς, Ἀδάδου δάκτυλος. Sic enim legendum cap. XI. lib. XXXVII apud Plinium: *Adadu nephros, ejusdem oculus, & digitus Dei. Et hic colitur à Syris.* Sic depravatissimum vulgo locum è vestigiis veteris libri emendare licet. In indice quamvis corruptissima scriptura recensentur, *Adadu nephros, Adadu opthalmos, Adadu dactylos.* Adadus, vel Adodus Deus apud Syros. Hesychius: Ἄδαδος θεός τις παρὰ Φρυξὶ καλεῖται, ἑρμαφρόδιτος. Immo παρὰ Σύροις. Sed de his alibi.

Prædivina somnia repræsentare dicitur] Θεοπέμπτους ὀνεί-G ρους, præsaga somnia, quæ omnino eventum pronuntiant. Ovidius:

---- *animo prædivinante futura.*

Plinius: *promittitur prædivina somnia repræsentare*, θείους ὀνείρους, θεοπέμπτους, qui futurum prædivinant. Veracia somnia sic vocabant, quia credebantur à diis immitti, quos ὀνειροπομποὺς appellabant. Quibuscunque divinitatem aliquam majorem attribuebant, hac etiam eos potestate donabant somniorum immittendorum. Immo inter alios divinitatis effectus hunc etiam de præcipuis unum ducebant. Lucianus de Hephæstione in Divos referendo: ὑπολαμβάνοντες ἢ οἱ κόλακες τὴν μειρακιώδη ταύτην τοῦ Ἀλεξάνδρου ἐπιθυμίαν προσεξέκαιον εὐθὺς καὶ ἀνεζωπύρουν. Ὀνείρατα διηγούμενοι, τοῦ Ἡφαιστίωνος ἐπιφανείας ἱκανὰς, καὶ ἰάματα προσάπτοντες αὐτῷ καὶ μαντείας ἐπιφημίζοντες, καὶ τέλος ἔθυον παρέδρῳ, καὶ ἀλεξικάκῳ θεῷ. Tres heîc divinitatis notæ, somnia, curationes, oracula, etiam ἐπιφάνειαι his adscribi debent. Sed curationes per somnia plerumque præscriptæ, ut in Æsculapii fanis, & templis. Ἐπιφάνειαι quoque frequentes in somnis, quum divus apparere visus per somnum hæc & illa præcipiebat aut facienda, aut fugienda ad sanitatem tuendam, aut ex morbo reciperandam. Unde σωτηρίαι dicta remedia, quæ à diis somnio data, aut præscripta. Hinc illa, quæ creberrimè occurrunt in veteribus monumentis, SOMNIO MONITUS. Hi divi ἀλεξίκακοι præcipuè habiti. Inde illud de Hephæstione, ἔθυον παρέδρῳ καὶ ἀλεξικάκῳ. Alias πάρεδροι & ὀνειροπομποὶ junctim invocabantur in sacris Magicis. Justinus Martyr: καὶ οἱ λεγόμενοι παρὰ τοῖς μάγοις πάρεδροι καὶ ὀνειροπομποί. Eusebius: ὀνειροπομποῖς τε καὶ παρέδροις ποτὶ δαίμοσι. De quibus, ut & παρέδροις alibi diximus. Diogenes Laërtius in vita Pythagoræ: καὶ τούτους δαίμονάς τε, καὶ ἥρωας νομίζεσθαι, καὶ ὑπὸ τούτων πέμπεσθαι ἀνθρώποις τούς τε ὀνείρους, καὶ τὰ σημεῖα νόσου τε, καὶ ὑγείας. Hi δαίμονες ὀνειροπομποὶ, & ἀλεξίκακοι. Apulejus: *inde ut est cuique tributa provincia, vel somniis conformandis, vel extis fissiculandis, vel præpetibus gubernandis*, &c. Loquitur de hujusmodi potestatibus aëriis, de quibus Pythagoras apud Laërtium. Inde Hercules, qui maximè ἀλεξίκακος apud veteres est creditus, etiam ὀνειροπομποῦ nomine colebatur. Nam omnes ὀνειροπομποὶ utique ἀλεξίκακοι. *Somnialis* cognomine apud Romanos etiam cultus est, quæ vox ὀνειροπομπὸν significat. Vetus inscriptio Romæ nuper reperta.

V. F.
CULTORES. HERCULIS.
SOMNIALIS. DECURIA. I.
DIS. MANIBUS.

SIBI. ET. POSTERISQUE. SUIS.
II. QUI INFRASCRIPTI. SUNT.
Q. CECILIUS. Q. GAL. LUCCEJANUS.
Q. CECILIUS. A. MUNDUS. AUG.
T. FABIUS. SEPPIANUS.
L. ATILIUS MODES.
SEX SCUTARIUS SUCCESSUS.
M. LUCCEJUS BATHYLLUS.
L. LAPPIUS RECEPTUS.
L. ATILIUS SOTERICUS.
A. CECILIUS EUTICUS.
L. OGGIUS VENUSTUS.
T. FABIUS GALÆSUS.
L. CASTRICIUS CARUS.
M. MODIUS MASCULUS.
FUSCUS.
ALIPUS.
PARIS.
DECIMUS COSMUS CICERO.
ALBIUS JANUARIUS.
PETRONIUS EUCAERUS.
..ENTIUS ABASCANTUS.
..... US .... UNDUS.

Somnialis Hercules ὀνειροπομπός. Hujusmodi autem corporatorum Collegia per decurias erant descripta, ut & officia domus Augustæ, de quibus alibi.

Pag. 38. E. *Et arbor est melops nomine*] Quantum est Solini librorum, non aliter legunt. Quos Camers vidit, quos Vinetus, ita exhibent. In duplici indice sic scribitur, de MELOPO ARBORE. Nec aliter legit Isidorus ex hoc nostro, sed *melosos* apud eum habetur scriptum, pro *melopos* tralatitio errore. *Melosos*, inquit, *arbor in Africa Punica lingua vocata, ex qua profluit lentus succus, qui à loco hammoniacus vocatur.*

vocatur. Habet è Solino, qui finxit hoc nomen μήλοπον, quasi sic diceretur hæc arbor, quod succum funderet. Nam μηλέαν Græci pro qualibet arbore usurpant. Plinius *metopon* vocavit, hoc est, μέτωπον. Sic vocabatur. Locus Plinii, quem variè distorquent eruditi, sola interpunctione corrigendus est. Habetur autem lib. XII. cap. XXIII: & ad hunc modum distingui debet: *Ergo Æthiopiæ subjecta Africa hammoniaci lacrimam stillat in arenis suis, inde & nomine etiam ab Hammonis oraculo, juxta quod gignitur arbor, quam metopon vocant, resinæ modo, aut gummi.* Libri *metopon* legunt, non *metopion*, ut est in vulgatis. Sed nondum tamen sic satis locus mendis liberatus. Videtur *hammoniacum* appellatum sentire, quod stillet in arenis, & ab Hammonis oraculo nihilominus deducit. Scribe igitur: *Africa hammoniaci lacrima stillat in harenis suis, inde nomine etiam Hammonis oraculo, juxta quod gignitur arbor, quam metopon appellant, resinæ modo, aut gummi.* Hammoniacum intelligit dictum ab arenis in quibus stillat, inde etiam nomine Hammonis oraculo: inde etiam nimirum datum nomen Hammonis oraculo, ab harenis, in quibus situm est. Certè libri non habent, *ab Hammonis oraculo*, sed tantum, *Hammonis.* Africa, inquit, stillat ammoniaci lacrimam, resinæ modo, & gummi, in arenis suis, inde nomine etiam Hammonis oraculo, juxta quod gignitur arbor, quam metopon appellant. Non *melops* igitur, aut *melopos* arbor dicta, sed *metopon*, aut *metopion.* Sed nec hammoniaci arbor sic vocata. Nam Ἀγάσυλλιν dictam notat Dioscorides: καλεῖται δ' αὐτοῦ ὅλ☉ ὁ θάμν☉ ἀγάσυλλις. Ita vetustissimus liber. Vulgo additur, σὺν τῇ ῥίζῃ. Metopi, aut metopii nusquam ille meminit in descriptione hammoniaci, sed in galbani, cujus succum μετώπιον tradit vocatum: χαλβάνη ὀπός ἐστι νάρθηκ☉ ἐν Συρίᾳ γινομένης, ὃν ἔνιοι μετώπιον καλοῦσι. Ita idem vetus liber, non, ut habetur in vulgatis, ἣν ἔνιοι. Incertum est, utrum ad ὀπὸν, án ad νάρθηκα hoc referri debeat. Sed de succo magis accipi placet. Μετώπιον igitur succus est, non arbor, & galbanum ita vocarunt quidam. At Plinius arborem ferulaceam, quæ ammoniacum stillat, ita vocatam asserit, haud scio, utrum errore proprio, ut semper solet, an aliquo auctore. Dioscorides galbani historiæ subjunxit hammoniaci descriptionem, & tradit ibidem galbanum adulterari admixta resina, faba fresa, & ammoniaci gutta. Similitudine, aut vicinitate inductus potuit attribuere ammoniaco cognomentum galbani. Nam ammoniaci arbor *agasyllus*, at galbani ferula, vel succus ipse *metopium*, μετώπιον. Idem porro Plinius *galbanum* tam ferulam, quam ὀπὸν narrat appellatum. Verba ejus ita legenda ex cap. XXV ejusdem libri: *Dat & galbanum Syria in eodem Amano monte, è ferulaque ejusdem nominis, resinæ modo: stagonitin appellant.* Ineptè legitur: *è ferula, quam ejusdem nominis resinæ modo stagonitin appellant.* Χαλβάνην σταγονῖτιν maximè laudari dicit, quæ ita dicitur, quod guttatim fluit, nam σταγόνες sunt guttæ. *Stagonitin appellant: quod maximè laudant, cartilaginosum, purum.* Ita enim distinguendum. Malè Dalecampius legebat: *resinæ modo, quam stagonitin appellant.* Sic & σταγονίας λίβανὸς dicebatur thus masculum, quod simili modo manaret. Reprehendendus igitur Plinius, quod hammoniaci lacrimam *metopon* potius vocaverit, quam galbani, juxta Dioscoridem. Nisi si & auctores habere potuit, qui hammoniacum ita appellarint. Quod non puto. Græci νέτωπον, aut μέτωπον, vel μετώπιον vocaverunt factitii olei genus ex pluribus speciebus compositi. Hesychius: Νέτωπον, νετώπιον, μύρον συντιθέμενον ἐκ πολλῶν μιγμάτων, οἱ δὲ μετώπιον. Plinius amygdalinum à quibusdam ita vocatum scribit: *amygdalinum quod aliqui metopon vocant, ex amaris nucibus arefactis, & in offam contusis, aspersis aqua, iterumque tusis exprimitur.* Quod habet è Dioscoride. Ita vocatum hoc unguentum tradunt, quod in eo conficiendo galbanum admisceretur, μετώπιον Ægyptiis dictum. Αἰγύπτιον μύρον μετώπιον etiam appellatum notat Galenus. Νέτωπον Hippocrati dicitur. Sic falsus Plinius, qui *metopon* vocavit arborem hammoniaci. Falsior Solinus, qui *melopon.*

Sirpe gignitur odoratis radicibus] Scientem, prudentemque infinita peccasse Solinum vel hinc constat. Historiam ladani, & silphii hîc apertè confundit, cum tamen Plinius lib. XIX. cap. III de silphio tradiderit: de ladano vero lib. XII. cap. XVII tam diversis locis, ac tam diversè tractata miscere nisi voluisset, vix poterat. Odoratas silphii radices esse non meminere veteres Theophrastus, Dioscorides, Plinius. Sed, cum succum, qui ex radice, & caule capiebatur, σμυρνίζειν ἐν τῇ ὀσμῇ dicat Dioscorides, sequitur & talem fuisse radicem. Scholiastes Aristophanis scribit σίλφιον esse ῥίζαν ἡδύοσμον, πρὸς ἄρτυμα. Et alio loco: σίλφιον ῥίζα κατά τινας ἡδύοσμ☉ ἐν Λιβύῃ γινομένη ἀρτυτικὴ, ἢ θεραπευτικὴ, *ad usum mensarum, & medelas.* Inde noster habet, odoratas fuisse sirpis radices. Et malè *radices* pro radice dixit. Quod fatebuntur, qui radicem sirpiciam ex veteribus norunt. Σίρφι porro, aut σίλφι hanc radicem vocasse videntur Cyrenenses, apud quos nascebatur. Barbarum enim vocabulum, ut πέπερι, κόμμι, quæ Græci retinuerunt, aut modicum inflexerunt. Ex σίρφι Latini *sirpe*, Græci σίλφιον fecerunt. In Glossis etiam *silpe* legitur: *silpe*, σίλφιον. Σέλπον ex Græcis quidam appellarunt. Hesychius: σέλπον, σίλφιον. Dictum etiam σίρφι legi, unde *serpe*, & *lac serpicium*, ὁ ὀπὸς τοῦ σιλφίου, quod in modum lactis manat. Inde *laserpicium*, ita enim scribit. *Laserpicium* igitur propriè ὀπὸς σιλφίου, non planta, quasi *lac serpicium.* Atque ita veteres usi sunt. Plautus:

---- *teque oro & quæso, si speras tibi,*
Hoc anno multum futurum sirpe, & laserpicium.

Ubi *sirpe*, ὅλ☉ ὁ θάμν☉ σὺν τῇ ῥίζῃ: *laserpicium*, ὀπὸς. Apud Plinium in his verbis, quæ, ut apparet, ex annalibus habet: *quominus omittendum videtur, C. Valerio, M. Herennio coss. Cyrenis advecta Romam publice laserpicii pondo XXX. Cæsarem vero dictatorem initio belli civilis inter aurum, argentumque protulisse ex ærario laserpicii pondo* CXI. In optimo libro Thuani scriptum: *Laserpici pondo* ∞ D, hoc est, mille quingenta. Atque ita planè in Apuleji libro *de Remediis salutaribus*, quem manuscriptum habemus, altæ vetustatis. *Laserpicium* ibi est ὀπὸς. Nec audiendus Dalecampius, qui duobus illis locis emendat *laseris.* Ex voce *laserpicium* truncata factum *laser*, quod ὀπὸν propriè significat Latinis. Glossæ: *laser*, ὀπὸς, λασάριον. Inde Græci recentiores λάσαρον, & λασάριον, voce Latina ὀπὸν σιλφίου dixerunt, quæ apud vetustiores nusquam legitur. Sic *laserpicium* veteribus propriè ὀπὸς, quasi *lac serpicium.* Postea *laser*, tum *laserpicium* pro ipsa planta usurparunt. Plinius: *auctoritate clarissimum laserpicium, quod Græci σίλφιον vocant.* Et *laserpiciferæ Cyrenæ* Catullo, αἱ σιλφιοφόροι. Ita & σίλφιον Græci aliquando pro succo ipso posuerunt. Unde σιλφιωτὰ lasere inspersa, quæ Latinis *laserata*, ut infrà dicam. Mirum est, quod apud Velium legitur: *laserpicium florem, laser caulem dicimus.* Immo *laser* est ὀπὸς, *laserpicium* ὁ καυλὸς, id est, caulis. Magna in hujus plantæ, & partium nominibus differentia Græcis juxta, Latinisque auctoribus. Plantam totam Græci σίλφιον vocant, ut in proverbio βάττου σίλφιον: & in his Sophocleis, σιλφίου λειμών. Alii Græci σίλφιον pro radice laserpicii propriè posuerunt, καυλὸν pro tota planta. Pollux: τοῦ μέντοι σιλφίου τὸ σπέρμα καλεῖται μαγύδαρις, ἡ δὲ ῥίζα σίλφιον, τὸ δὲ φυτὸν καυλὸς, τὸ δὲ φύλλον μάσπετον. Nec aliter usi hac voce veteres Comici. Alexis ἐν λέβητι:

νάπυ, καυλὸν, σίλφιον.

Malè corrigunt, καυλὸν σιλφίου. Καυλὸς est caulis, hoc est, ipsa planta: σίλφιον radix. Eubulus in Glauco:

---- καὶ καυλὸν ἐκ Καρχηδόν☉,
Καὶ σίλφιον θύμον τε τῶν ὑμηττίων.

Antiphanes ἐν δυσέρωσι de Cyrenaïca regione, cui vale dicebat ille, quisquis apud eum sic loquitur:

---- ἐρρῶσθαι λέγων
Ἅπασιν ἵπποις, σιλφίῳ, συνωρίσι
Κέλησι, καυλῷ, μασπέτοις, πυρετοῖς ὀποῖς.

Quibus verbis σίλφιον, καυλὸν, ὀπὸν, & μάσπετον distinguit, & σίλφιον non pro tota planta, sed pro radice sumit, ut & καυλὸν non pro tota planta, sed pro thyrso. Hæc quoque in laserpicii planta separatim recenset Theophrastus, ῥίζαν, καυλὸν, φύλλον, & σπέρμα, quod vocat μαγύδαριν. Ergo σίλφιον propriè vocabant radicem, καυλὸν vero τὸ φυτὸν, id est, caulem, qui è radice exit. Et hæc ratio est. Σίλφιον nomen est stirpis, quæ, quia in radice fere tota consistit, quotannis caulem producente,

cente, hinc radicem σίλφιον totius plantæ nomine propriè vocarunt. Theophrastus lib. I. cap. XI. Hist. Plant. Τὸ σίλφιον καὶ ἡ καλουμένη μαγύδαρις, ἀμφοτέρων γὰρ τούτων καὶ ἁπάντων τῶν τοιούτων τῆς ῥίζας μᾶλλον ἡ φύσις. Hoc constantissimè apud veteres observatum reperies, ut σίλφιον radicem vocarint, in qua tota ferè planta consistebat, καυλὸν absolutè, de caule ferulaceo, ὀπὸν de succo. Ita Hippocrates passim loquitur, ut & antiquissimi Comici. In libro περὶ διαίτης ὀξέων: ἢ σίλφιον, ἢ ὀπὸς, ἢ καυλός. Et notat hoc pluribus locis Galenus in Lexico Hippocratis. Ἡ μὲν ῥίζα, inquit, τῆς πόας σίλφιον ἰδίως ὀνομάζεται, καυλὸς δὲ, καὶ ὀπὸς ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων. Et alio loco: ὀπὸς ὁ τοῦ σιλφίου κατ' ἐξοχὴν, ὥσπερ καὶ καυλός. Καλεῖ δὲ σίλφιον καὶ τὴν ῥίζαν μόνην. Ita veteres, quorum ætate Cyrenaïcum laserpicium adhuc extabat. Apud recentiores deperdita ea planta, & obscurata ejus notitia, multa in nominibus partium confusio inducta, & aliæ pro aliis appellatæ. Dioscorides de silphio: οὗ ὁ καυλὸς μάσπετον καλεῖται ἐμφερὴς νάρθηκι. Atqui καυλὸς κατ' ἐξοχὴν dicebatur καυλὸς, ut ex iis auctorum locis, quæ supra attulimus, constat; folium autem μάσπετον, ut ex Theophrasto, & aliis didicimus. Ætate Dioscoridis, sicut & Plinii, non amplius in Cyrenæa reperiebatur laserpicii frutex. Addit paulo post Dioscorides: ἔνιοι δὲ τὸν μὲν καυλὸν σίλφιον ἐκάλεσαν, τὴν δὲ ῥίζαν μαγύδαριν, τὰ δὲ φύλλα μάσπετα. De foliis verum est, quæ μάσπετα dicta veteribus. De caule, & radice falsum, hanc appellatam μαγύδαριν, illum σίλφιον. Veteres σίλφιον radicem appellarunt, semen vero μαγύδαριν. Galenus: ὀποῦ καρπὸν, σιλφίου σπέρμα ὅπερ καὶ φύλλον ἑνικῶς καὶ μαγύδαρις ὑπό τινων καλεῖται. Theophrastus: μετὰ ταῦτα δὲ τὸν καυλὸν, ἐκ δὲ τούτου μαγύδαριν, τὸ καλούμενον φύλλον. De semine loquitur, & ita legendum illum locum paulo post ostendam. Plautus in Rudente:

Si tibi confidis fore multam magudarin.

Manifestum est ibi magudarim pro semine poni. Si tibi confidis, inquit, fore multam laserpicii sementem. Cum enim magudaris semen sit, prout multum est, & abundans, ita bona laserpicii annona, laserisque, & contra. Nam ex semine laserpicium nascebatur, ex laserpicio semen, ut in aliis. Priscianus ad eum versum duas apposuit interpretationes de magudari, his verbis: *hoc significat frugis genus, id est, caulis, quod ex ea parte nascitur, cujus radix stirpis avellitur, vel, ut alii dicunt siliginem.* Scribe: *hoc significat fruticis genus, id est, caulis.* Nam καυλὸς frutex. Unde πολύκαυλα, fruticosa. Quid illa velint nescio, *quod ex ea parte nascitur, cujus radix stirpis evellitur.* Forte scripserat: *qua radix stirpis evellitur.* Ex radice, hoc est, silphio caulis nascebatur, & magydarim illum caulem vocatum dicit, quæ est sententia Plinii, qui asserit, ex male acceptis Theophrasti verbis, magydarin caulem esse silphii. Addit Servius: *vel, ut alii volunt, siliginem.* Siligo, ut notum est, frumenti species. Ita vocaverit semen, & καρπὸν silphii, quia siliginis loco Cyrenensibus. Nihil certius, quam μαγύδαριν semen laserpicii vocatum fuisse. Pollux: τὸ δὲ σιλφίου σπέρμα καλεῖται μαγύδαρις. Ecce tamen alius, qui velit hoc nomine appellatum succum, quem ὀπὸν Græci κατ' ἐξοχὴν vocant. Hesychius: μαγύδαρις ὀπὸς σιλφίου, οἱ δὲ ἕτερόν τι σιλφίου εἶναι καὶ μανώτερον. Certè Theophrastus etiam ipse diversam plantam à laserpicio sic vocitatam docet in Syria nascentem. Ἡ δὲ καλουμένη μαγύδαρις ἑτέρα ἐστὶ τοῦ σιλφίου, μανώτερον δὲ καὶ ἧττον δριμύ. Sic magydaris non laserpicii semen tantummodo, sed aliud etiam fruticis genus, quod in Syria, non etiam in Cyrenaïca proveniebat. Theophrastus: περὶ Συρίαν καὶ οὐκ ἐν Κυρήνῃ. Sic legendum, non Κυρλώη. Sic idem alibi Παρ' Ἀμμωνίτε καὶ ἐν Κυρηναίᾳ. Sed tamen retineri potest Κυρλώη, tralaticio loquendi more apud Græcos, qui sæpe nomina urbium ponunt pro urbis ipsius territorio, & agro. Ἐν Κυρλώη igitur est in agro Cyrenensi. Passim ita loquuntur auctores. Verùm de hac magydari Syriaca non potest accipi versus Plautinus, sed de semine laserpicii. Æquè magna auctorum dividia circa significationem vocis μάσπετον. Theophrastus, & Pollux folium sic vocatum tradunt. Dioscorides caulem. Hesychius etiam caulis succum. Μάσπετα, inquit, τὰ πρῶτα τοῦ σιλφίου πέταλα, οἱ δὲ τὸ τοῦ καυλοῦ ὀπόν. Sed quænam

A illa sunt apud grammaticum prima laserpicii folia? Nemo heîc somniet in silphio secunda, aut posteriora folia. Legendum: τὰ βρωτὰ τοῦ σιλφίου πέταλα, *edulia laserpicii folia.* Interpretatio est, atque ἐτυμότης grammaticalis vocis μάσπετον, quam ἀπὸ τοῦ μασᾶσθαι, & πέταλον ineptè deducit, quasi edule sit folium. Sic natura laserpicii diversè ab auctoribus tradita, partesque ejus variè explicatæ, ac nominatæ. Quæ diversitas in hujus plantæ descriptione exponenda longè etiam major, ac mirabilior apparebit ex his, quæ mox dicturi sumus. Pliniana primùm cum Theophrasteis comparanda sunt. Nam inde habet. Duas super silphio diversas opiniones persequitur Græcus auctor, quem Latinus sequitur. A

B priore incipiamus. Sic igitur ille: *radice multa crassaque, caule ferulaceo, haud simili crassitudine.* Immo scribendum: *caule ferulaceo haud absimili crassitudine.* Vel, ut in veteri libro reperi: *aut simili crassitudine.* Theophrastus: τὸν δὲ καυλὸν ἡλικὸν νάρθηξ, σχεδὸν δὲ καὶ τῷ πάχει παραπλήσιον. Sequitur: *semen erat foliaceum, folium ipsum vere deciduum.* Hæc opinio folium in laserpicio agnoscit, apio simile, quod & μάσπετον vocabatur. Τὸ δὲ φύλλον ὃ καλοῦσι μάσπετον, ὅμοιον τῷ σελίνῳ. Et præter hoc folium, semen quoque foliaceum, & planum. Ita & Dioscori-

C des in historia silphii: φύλλα δὲ ἔχει σελίνῳ ὅμοια, σπέρματα πλατύ. Ad marginem vetusti codicis additur, φυλλῶδες, ὃ καλεῖται μαγύδαρις. Semen foliaceum ulmo & à triplici, hoc est, φυλλῶδες. Theophrastus de laserpicio: σπέρμα δ' ἔχει φυλλῶδες, οἷον τὸ καλούμενον φύλλον. Certum est semen silphii vocatum fuisse φύλλον. Sed loqutionem ipsam non satis concoquo. Hoc enim significat, semen silphii foliaceum esse, quale est quod proprie vocatur folium. Verba hæc οἷον τὸ καλούμενον φύλλον non agnoscit Plinius, qui verbatim hæc vertit. Sed nec Dioscorides, qui inde habere videtur. An legendum est, οἷόν τε καλούμενον φύλλον, *& quod solum vocetur fo-*

D *lium.* Folia habet laserpicium, quæ μάσπετα vocantur. At semen ejus, quod foliaceum est, absolutè φύλλον nominatur. Melius scriberetur: σπέρμα πλατὺ φυλλῶδες, τὸ καλούμενον φύλλον. Immo optimum esset hæc verba expungere, οἷον τὸ καλούμενον φύλλον, quæ nec Plinius in codice suo reperit, nec Dioscorides. Accusa huic textui videntur, & è margine adtexta, quæ ibi lector aliquis notaverat, ex posteriore descriptione, ubi τὸ καλούμενον φύλλον silphii semen est. Quod ait Plinius, *folium vere deciduum*, id Theophrastus ita scriptum reliquit: ἅμα μὲν τῷ ἦρι τὸ μάσπετον τοῦτο ἀφίησιν. Nihil tam contrarium. Vere folium emitti, & produci dicit

E Græcus auctor, Latinus vere amitti, ac decidere. Verùm huic interpretationi Plinianæ repugnat universa plantarum natura, quæ omnes autumno, vel post autumnum folia amittunt, vere nova edunt. Theophrastus lib. I. cap. XV. Historiarum: φυλλοβολεῖ δὲ πάντα τοῦ μετοπώρου, καὶ μετὰ τὸ μετόπωρον, πλὴν τὰ μὲν θᾶττον, τὰ δὲ βραδύ. Verbum ἀφιέναι Plinius accepit pro dimittere, & amittere. Nam & ἄφετοι ἀπόλυτοι: & ἄφεσις missio, ἀπόλυσις. Nam & *amittere* etiam Latini dicunt pro dimittere. *E manibus amittere*, id est, dimittere, ἀφιέναι. Longè aliter hoc verbo utitur Theophrastus, qui

F illud semper usurpat pro *edere*, & *emittere.* Ut lib. VIII. cap. III. Διαγελώσης δὲ τῆς ὥρας καυλὸν ἀφίησιν ἐκ τοῦ μέσου, καὶ γονατοῦται, *caulem è medio emittunt.* Et lib. VII. cap. VIII: καὶ τὰ μὲν εὐθὺς ἅμα τῇ βλαστήσει τὸ ἄνθος ἀφίησιν, καθάπερ ἡ ἀφία, *cum germine florem edunt.* Atque ita passim alibi. Sic ergo hoc loco, τὸ μάσπετον ἀφίησιν, folium, sive maspetum edit, non amittit. Dioscorides ἀνίησιν hoc sensu semper posuit, nunquam ἀφίησιν. Ut ἀνίησι καυλὸν, ἀνίησι φύλλον, ἀνίησιν ἄνθος & similia. Quod Plinium fefellit, qui ἀφίησιν accepit apud Theophrastum pro amittit, vel dimittit. Foliis silphii, quæ vere produ-

G cuntur, saginari, & purgari pecora dicit Theophrastus: μετὰ δὲ ταῦτα καυλὸν ἐσθίεσθαι πάντα τρόπον ἀγαθὸν, ἑφθὸν, ὀπτόν. Postea quam scilicet folium absumpserunt pecora, caulem ipsum homines mandunt. At Plinius vertit: *post folia amissa caule ipso & homines vescebantur.* Absurdè. Folia primum dantur pecoribus, quibus purgantur & saginantur, caule ipso deinde homines vescuntur. Hic Plinii error est, peccatum est correctorum, quod in sequentibus hodie sic legitur: *caule ipso & homines vescebantur, decocto asso elixoque. Eorum quoque corpora* XL *pri-*

primis diebus purgante à vitiis omnibus. Purgari copora vescentium silphio simpliciter dixit Græcus auctor, non à vitiis omnibus. Quod ineptum est. Nec enim tanta virtus inest laserpicio. Præterea vitium pro humore peccante & vitiato vix Latinum. Hanc lectionem effinxere correctores è veteri scriptura, quæ habet: *purgant eum his omnibus.* Scribo, ac distinguo: *asso elixoque, eorum quoque corpora* XL *diebus primis purgante. Cum his omnibus succus duobus modis capiebatur è radice, atque caule.* Nihil verius. Folia laserpicii purgando, & saginando pecori optima, caulis ipse hominibus edulis omni modo decoctus, & assus. Cum his omnibus utilitatibus, etiam succus è radice, atque caule capiebatur, pluribus rebus usui futurus. Mendum etiamnum in illis latet, *decocto asso elixoque.* Idem quippe Latinis *decoctum*, & *elixum.* Nam *decoquere* est ἀφεψεῖν. Inde *decocta*, τὸ ἀφεψηθὲν ὕδωρ. Scriptum in optimo Thuaneo: *decocto assoque elixo.* Nihil dubito, quin emendandum sit: *caule ipso homines vescebantur, decocto assoque.* Illud *elixo* è glossa est explicantis τὸ *decocto.* Theophrastus: πάντα τρόπον ἀγαθὸν, ἑφθὸν, ὀπτὸν: *decoctum, assum.* Sequitur apud Plinium: *& hæc duo erant nomina, rhizias atque caulias, vilior ille putrescens.* In Thuanæo, ac Rigaltiano optimis codicibus legitur, *vilior illo, ac putrescens.* Quasi succus caulias, qui è caule nimirum sumitur, vilior sit illo, qui ex radice. In Chiffletiano sic etiam scribi adnotant. Verior tamen lectio vulgata, quam confirmat vetustissimus codex Apuleji nostri capitularibus, ut vocant, literis scriptus. Sic in eo legitur: *succus duobus modis capiebatur è radice, atque caule. Et hæc duo erant nomina,* ῥιζίας *&* καυλίας, *vilior ille, ac putrescens.* Vilior igitur succus ῥιζίας. Sed viliorem esse succum, qui è radice colligebatur, ex Theophrasti verbis male intellectis collegit Plinius. Sic autem Theophrastus: ὀπὸν δὲ διττὸν ἔχει, τὸν μὲν ἀπὸ τοῦ καυλοῦ, τὸν δὲ ἀπὸ τῆς ῥίζης. Διὸ καλοῦσι, τὸν μὲν καυλίαν, τὸν δὲ ῥίζαν. Ἡ δὲ ῥίζα τὸν φλοιὸν ἔχει μέλανα, καὶ τοῦτον περιαιροῦσιν. Ἔστι δὲ ὥσπερ μέτρα τῶν ῥιζοτομιῶν αὐτῆς, ἐξ ὧν ὁπόσον ἂν δοκῇ συμφέρειν ταμιευόμενοι πρὸς τὰς τομὰς, καὶ τὸ ὕπαρχον τέμνουσιν. Οὐκ ἔστι γὰρ οὔτε παρατέμνειν οὔτε πλεῖον τῶν τεταγμένων. Καὶ γὰρ διαφθείρεται καὶ σήπεται τὸ ἀργὸν, ἐὰν χρονίζῃ. Insignis locus, & quem illustrasse non fuerit operæ pœnitendæ. Laserpicii ferula, τῶν ἐπετειοκαύλων, caulem scilicet quotannis emittebat, qui & absumebatur; nam homines eo vescebantur, ut foliis pecora: radix ipsa manebat, quæ caulem singulis annis emittebat. In caule incidendo, ut succus eliceretur, nullum erat periculum. Ideo nullum adhibitum temperamentum. Quidquid inde succi extrahi poterat, extrahebatur. Nec enim ultra annum durabat, quomodocunque relinqueretur. At radicis incidendæ certus erat modus. Ita quippe attemperabant incisionem, ut qui ipsam perire nollent. Ideo nec eam παρατέμνειν, hoc est, oblique incidere, neque plus succi, quam constitutum esset, ex ea capere licebat. Etenim metuebant, ne interiret radix, quæ quotannis novorum caulium, & foliorum, ac seminis generationi sufficiebat. Perperam verba Theophrasti sic distinguuntur vulgo: οὐκ ἔστι γὰρ οὔτε παρατέμνειν, οὔτε πλεῖον τῶν τεταγμένων. Καὶ γὰρ διαφθείρεται, καὶ σήπεται τὸ ἀργὸν, ἐὰν χρονίζῃ. Quæ prava interpunctio Plinium etiam in errorem induxit, quasi succus radicis solus corrumperetur, ac putresceret, si plus justo, ac determinato modo, ac mensura colligeretur, quasique ideo temperamentum illud, ac cautio adhiberetur incidendæ radici ad capiendum succum. Quod ratione prorsus caret, ut ex his, quæ supra præfati sumus, liquet. Ex ea falsa igitur interpunctione commentus est succum radicis viliorem esse, ac putrescentem. Quod est absurdissimum. Cur enim succus radicis potius, quam caulis obnoxius putredini? cur etiam vilior, quum verisimile sit meliorem fuisse, ac præstantiorem? Quinimo diserte testatur idem Theophrastus, succum ex radice longe haberi meliorem, VIII. II: καὶ ἔστι βελτίων ὁ ῥιζίας. Sic porro distinguenda Theophrasti verba: οὐκ ἔστι γὰρ οὔτε παρατέμνειν, οὔτε πλεῖον τῶν τεταγμένων, καὶ γὰρ διαφθείρεται. Καὶ σήπεται τὸ ἀργὸν, ἐὰν χρονίζῃ. Κατεργάζονται δὲ ἄγοντες εἰς τὸν Πειραιᾶ. *Nec oblique radicem incidere, nec plus, aut pluribus in locis, quam constitutum est, licet: alioquin interit. Succus etiam ipse, si rudis diu relinquatur, putrescit. Ideo interpolant, quum evehere volunt, hoc modo.* Verba illa, καὶ γὰρ διαφθείρεται, de radice accipienda sunt, quæ prorsus interit, si plus quam justum est, aut alio modo quam statutum est, incidatur. At illa quæ sequuntur, καὶ σήπεται τὸ ἀργὸν, ἐὰν χρονίζῃ, alio pertinent, & ad succum referenda sunt, non radicis solum, sed etiam eum, qui capitur ex caule. Putrescebat uterque, si diutius rudis permansisset. Ideo quum in longinquas regiones, ac transmarina eum exportare parabant, ad diurnandum sic præparabant, & conficiebant: succum ipsum in vas conjectum, furfure admixto tamdiu concutiebant, donec colorem sumeret. Hoc modo confectus, ac veluti maturefactus perdurabat integer, & incorruptus. Mendum etiam in illis Theophrasti: κατεργάζονται δὲ ἄγοντες εἰς τὸν Πειραιᾶ τόνδε τὸν τρόπον. Quasi in Piræum portum tantummodo deferretur ille succus. Atqui & in Italiam, & Siciliam, & quaslibet alias regiones deportabant mercatores. Scribendum est: κατεργάζονται δὲ ἄγοντες εἰς τὰ πέραια: *perficiunt, & ad maturitatem perducunt, quum in transmarina illum evehunt, hoc modo.* Τὰ πέραια sunt transmarina, ut ἡ περαία. Legi tamen melius posset, & ex usu Græcè loquentium, ἄγοντες εἰς τὰ πέραν. Ex quo illud πειραιᾶ fecerunt correctores. Ut scias ita rectè nos emendare, Plinium dabimus assertorem, quem simul etiam corrigemus, hac in parte corruptissimum. Sic enim vulgo apud eum legitur: *radici cortex niger & ad mercis adulteria Succum ipsum in vasa conjectum admixto furfure, subinde concutiendo ad maturitatem perducebant, ni ita fecissent, putrescentem.* Certissimum in illis vitium, *radici cortex niger & ad mercis adulteria.* Libri hoc tantum mutant, quod particulam & non habent. In Græcis Theophrasti sic habetur: ἡ δὲ ῥίζα τὸν φλοιὸν ἔχει μέλανα καὶ τοῦτον περιαιροῦσι. Radicis usum in adulterando succo aliquem fuisse, nec Theophrastus dicit, nec ipse Plinius, nec alibi legi. Libri Pliniani cum nostro Apulejo sic distinguunt: *Radici cortex niger. Ad mercis adulteria succum ipsum in vasa conjectum admixto furfure,* &c. Nec dubitandum, quin recta sit interpunctio. De lectione ipsa videndum, an satis sincera sit. *Ad mercis adulteria* succum ita præparari, & perfici ait. Atqui certum est, non adulterando succo curam hanc, & operam adhibitam, sed conservando, ut in longinqua posset transferri, qui absque hac curatura putrescebat. *Adulterium mercis* hujus longè alia ratione peragebatur. Gummi, aut sagapenum, aut fabam fractam ad eam rem memorat, & genus alterum laserpicii, quod in Parnasso monte copiosum proveniebat. Quare certissimum est lectionem illam non vacare mendo. Græca Theophrasti attentius perpendenti, quæ ad verbum reddit Plinius, nihil propius videtur, nec verius, quam ut sic scripserit: *ad merces adultera succum ipsum in vasa conjectum admixto furfure subinde concutiendo ad maturitatem perducebant.* In Apuleji antiquissimo codice planissimè legitur, *merces.* His verbatim respondent Theophrastea: κατεργάζονται δὲ ἄγοντες εἰς τὰ πέραν, τόνδε τὸν τρόπον, ὅταν βάλλωσιν εἰς ἀγγεῖα καὶ ἄλευρα μίξωσιν, σείουσι χρόνον συχνόν. Succum ita perficiunt ἄγοντες εἰς τὰ πέραν, *ad merces ad ultera*, id est, quum hujus succi merces in ulteras, & transmarinas regiones deferre volunt. Τὰ πέραν, τὰ πέραια, ut *extera, citera, supera, infera,* quibus passim utitur Plinius. Nec enim video, cur *ultera* dici non possint τὰ πέραν, cum *extera* dicantur τὰ ἔξω. *Ad merces ad ultera,* πρὸς τὰ ἐξαγώγιμα εἰς τὰ πέραν. Arriano τὰ πέραν ἐμπόρια, *ultera marina emporia,* & τὰ περαϊκὰ φορτία, merces, quæ ex transmarinis advehuntur: quibus opponuntur τὰ ἐντόπια, quæ in locis ipsis nascuntur. Hinc λιβανωτὸς ὁ περαϊκὸς apud eumdem, qui aliunde advehitur, nec in ipsa regione nascitur, οὐκ ἐγχώριος, οὐκ ἐντόπιος. *Peregrinas merces* Latini dicunt, τὰς περαϊκάς. Laserpicii succus Cyrenaïcæ regioni ἐντόπιος, aliis ulteris regionibus, ad quas defertur, περαϊκός. Ex his *ad merces ad ultera* facilis fuit ad vitium occasio, & pronus lapsus in illa, *ad mercis adulteria.* Nec probo Plinium τὰ ἄλευρα Latinè *furfures* vertentem, quum sint farinæ. At πίτυρα sunt furfures. Item nescio, quid secutus sit, quum *maturitatem* vocat ἐργασίαν illam, qua laserpicii succus ad vetustatem ferendam præparatur. *Ad maturitatem,*

tatem, inquit, *perducebant.* In Græcis id vocatur κατεργάζεσθαι. Græci ἀργὸν vocant non solum eum, qui non facit, τὸν ἀεργὸν, sed etiam passivè id, quod elaboratum non est, nec perfectum. Theophrastus ὀπὸν ἀργὸν vocat nativum silphii succum, sicut ex caule, vel radice profluxit, cui nulla ars, vel cura adhibita: ἐργαστὸν vero appellat *factitium*, qui certo modo præparatur, ut vetustatis patiens esse queat. Nulla est in hac ἐργασίᾳ maturitatis significatio. Strabo quoque laserpicium, tam Medicum, quam Cyrenaïcum certo modo præparari tradit, ut conservetur, & duret. Hujus verba hæc sunt, quibus rationes affert, quare Medicum laser interdum Cyrenaïco melius, interdum deterius existit: εἴτε τῷ φυτοῦ καθ' εἶδος ἐξαλλάττοντος, εἴτε καὶ παρὰ τοὺς ὀπίζοντας, καὶ σκευάζοντας ὥστε συμμένειν πρὸς τὴν ἀπόθεσιν, καὶ τὴν χρείαν. Ita distinguendum: σκευάζοντες ὥστε συμμένειν πρὸς τὴν ἀπόθεσιν, *qui eum conficiunt, ut durare possit, & reponi ad usum.* Σκευαστὸν igitur laser. Vetus auctor Græcus apud Scholiastem Aristophanis tradit Aristæum reperisse primum mellis, & silphii confectionem: Ἀρισταῖος ὁ ὁ Ἀπόλλωνος, καὶ Κυρήνης πρῶτον τὴν ἐργασίαν τοῦ σιλφίου ἐξεῦρεν, ὥσπερ καὶ τοῦ μέλιτος. Mel quoque res factitia. Quod enim per se fluit ab hexagonis, *crudum* vocamus, ut Græci ἀργόν. Quod fit, nullam habet maturitatis significationem, ut nec laser. Sic tus ἀργὸν Theophrastus vocat, quod affertur sicut ex arbore manavit, naturali lacrima. Ἀργὸς ὁ, inquit, κομίζεται πᾶς ὁ λιβανωτός. Τῆς σμύρνης ὁ, ἡ μὲν στακτή, ἡ ὁ πλαστή. Tus nativum advehitur, myrrha factitia. Eodem modo ex Cyrenaïca succus laserpitii factitius, hoc est, ἐργαστὸς exportabatur. Nam ἀργὸς putrescebat. Ἀργὰ ἔρια Græci similiter dicunt lanas rudes, & impolitas, sicut ex vellere captæ sunt. Ἐργαστὰ, & κατεργαστὰ, quæ putatæ, purgatæ, & carminatæ sunt. Hesychius: τολύπη, ἐργαστὸν ἔριον. Ovidius:

---- *lanas nec finit esse rudes.*

Ἀργὸς γῆ vocatur inculta, κατεργαστὸς culta: & γῆς ἐργασία, *terræ cultus* apud Theophrastum, & alios: & γῆν ἐργάζεσθαι. Argentum ἀργὸν dicitur non factum. Ut contra *facti argenti* nomine intelligitur, quod elaboratum est in vasis, & poculis. Ἀργὸς ὕαλη apud Arrianum in periplo iners & rude vitrum, & quod in massa est: λιθίαν ὕαλον alibi vocat. At κατεργαστὸν vitrum, quod in pocula, & vasa artificio translatum est. Ἀργὸν denique appellatur, quod sine arte est, aut cultu: cui politura accessit, aut artificium, vel quæcunque alia ἐργασία, id amplius ἀργὸν, vel ἀεργὸν dici non quit. Ἀργὸς ἤλεκτρος, nativum succinum, velut ex arbore manavit. *Rude succinum* vocat Plinius: *nasci & in India certum est. Archelaus, qui in Cappadocia regnavit, illinc cortice inhærente tradit advehi rude, polirique adipe suis lactentis incoctum.* Sed quis maturitatis intellectus in rudi & nativo silphii succo, qui arte quadam conficitur, ac medicatur adversus putredinem? Maturitas perfectio quædam est in iis rebus, quibus id nominis competit, sive propritim, ut loquebantur veteres, sive translatim. Eam maturitatem tempus fert. Id ubi tempus attigere, tum perfectæ censentur: deinde retro feruntur, & ab illo gradu perfectionis decidunt. Hinc ὡραῖα Græci vocant, & ὥριμα ἀπὸ τῆς ὥρας. Hoc de fructibus propriè, quos πεπαίνεσθαι Græci dicunt, quum maturescunt. Inde translatum ad alia, *matura ætas*, de perfecta & adulta:

---- *& quum matura adoleverit ætas.*

Sic *matura virgo*, ἡ τελεία: ita & *matura lux* poëtæ plena, & perfecta, vel adulta.

---- *revoluta rubebat*
Matura jam luce dies.

Perfectio porro ἡ τελείωσις corruptioni, & putrefactioni contraria. Hinc *ad maturitatem perduci* dixerit Plinius, quæ ad eam perfectionem perducuntur, ut putrescere non possint? an quia fructus, qui acerbi colliguntur, citius putrescunt, quàm qui maturi? Servius *matura poma* dici ea propriè adnotat, *quæ nec acerba sunt, nec putrida.* Putrefactio omnis ab humido. Acerba poma, humidiora. Matura, ficciora: humor quippe excoquitur maturitate. Ideo putredini minus obnoxia, quæ matura sunt. Sed *putrida* videtur Servius vocare, quæ ex maturis putrida existunt. Hic enim ordo est, acerba poma, deinde matura, mox putri-

A da. Sic apud Philosophum ὑγρὸν πρῶτον, εἶτα ξηρὸν, πλέον γίγνεται τὰ σηπόμενα. Quod & de fructibus dici queat. Sic matura poma sunt inter acerba, & putrida. Ut *matura ætas* inter juvenilem, quæ adhuc acerba est, & senilem, quæ jam σήπεται. *Maturam ætatem* quidam de senecta dixere, & *maturos ævo*, senes. Ita Græci πεπείρους de valde senibus, & ætatis jam provectæ. Ut contra ὠμογέροντας, quibus adhuc cruda, & viridis senectus. Sed hæc omnia κατὰ μεταφορὰν, & improprie. At *matura ætas* in senibus, quæ inter decrepitam, & crudam senectutem. Decrepita quippe τῇ σήψει propior. Quid sit σῆψις propriè, vide apud Philosophum IV Meteorologicωn.

B Maturum dicitur, quidquid est perfectum. Nam, ut idem philosophus, ἡ πέπανσίς ἐστι πέψις τις. Hinc *cocti fructus* de maturis. *Cocta ficus*, maturæ apud Hyginum: & *cocta vindemia*. Contra *cruda*, quæ immatura, ut Græci ὠμά. Cibus quoque in stomacho perfici dicitur, qui concoquitur. Græci similiter dicunt κατεργασθῆναι. At πέψις secundum eundem philosophum τελείωσις. Ὅταν γὰρ πεφθῇ τετελείωταί τε, καὶ γέγονε. Ita & *perfici maturitate fructum* Latini dicunt. Isidorus de palmis: *quæ dum in multis locis nascatur non in omnibus fructus perficit maturitate.*

C Plinius de Medico: *triennio perficitur à satu.* Græci quoque καρπὸν κατεργασθῆναι, ac τελειωθῆναι eodem sensu dicunt de fructu, qui maturitate perficitur. Theophrastus πελείωσιν τῶν ὀψιῶν passim dicit *maturitatem*, aut *ad maturitatem perductionem.* Hæc Plinius, quum meminisset, & in animo haberet, silphii succum κατεργασθέντα, *ad maturitatem productum* interpretatus est, & *maturitatem* ἐργασίαν, qua vindicatur à putredine. Quod profecto absurdum est. Hac eadem ratione & ad maturitatem perduci posset dici Indicum tus, quod ἀργὸν non advehitur, sicut Arabicum, quod naturaliter est rotundum.

D At Indicum, quod natura tale non est, arte efficitur. Myrrha quoque, quæ factitia est, & ladanum factitium, quidquid denique quæcunque arte interpolatum ab naturæ suæ qualitate, vel forma discedit, ad maturitatem ea arte perductum dicere possemus. Ἐργασία illa, quæ opium silphii à putredine defendit, nullam illi confert maturitatem. Nisi quis dixerit maturitatem eam esse ἐργασίαν, quæ vitiosum humorem in succo illo excoquit, quo humore magis obnoxius putrescentiæ, ut in fructibus, & pomis humor putredinis amicus siccatur excoctus maturitate. Hoc longè petitum, & arcessitum. Sic tamen videtur cogitasse, vel ex his quæ sequuntur: *argumentum*, inquit,

E *erat maturitatis color, siccitasque sudore finito.* In pomis maturis & color est, & siccitas. Nam acerba magis uvida. In Græcis tamen nullum verbum de siccitate, aut sudore finito. Succum laserpicii in vasa conjectum adsudore finito. mixta farina tamdiu concuti dicit Theophrastus, donec colorem trahat, è farina scilicet candidum, cum qua concutitur. Σείουσι χρόνον συχνόν. Ὅθεν καὶ χρῶμα λαμβάνει καὶ ἐργασθὲν ἄσηπτον ἤδη διαμένει. Verba hæc postrema de siccitate accepit, cujus argumentum sumi ait ex sudore finito. Fungus revera fuit Plinius, si sic legit, ut hodie habemus, & sic vertit. Sed certior apud me

F fides legisse eum in illis Theophrasti verbis, καὶ ἐξυγρασθὲν ἄσηπτον ἤδη διαμένει. Humor quidam, ut apparet, aquosus in lacte sirpicio inerat, ex quo putredinem facile concipiebat, ut ex humore σῆψις. Ideo in vas conjectum cum farina multum, diuque versabant. Inde & colorem assumebat, & siccitatem, & conditum sic ad vetustatem perdurabat, nec putredinem amplius sentiebat. Hujus siccitatis argumentum sumebant, cum inter concutiendum omnis sudor finitus erat, à farina exhaustus, & concussione. Nihil verius quam ἐξυγρασθὲν legisse Plinium, ubi hodie editur, ἐργασθέν. Nam Hinc imaginem maturitatis concepisse videtur.

G poma acerba, & immatura ὑγρότερα, quæ sole dum percoquuntur, & naturali colore ἐξυγραίνονται, & humorem decoquunt. Hæc tamen inepta sunt. Theophrastus sane alio loco tradit succum caulis humidiorem, esse qui ex radice capitur, ficciorem. Ideo caulian præcipue opus habere illa cura, qua cum farina concutitur, ut sic coagulari possit, & figi. Ὁ ὁ καυλίας ὑγρότερος, καὶ διὰ τοῦτο ἄλευρον αὐτῷ παραπλάττουσι πρὸς τὴν πῆξιν. Hoc est, quod ait heic: ἐξυγρασθέντα ἄσηπτον διαμένει. De quo etiam infra dicam. Hactenus de priore circa silphii

silphii historiam, ac descriptionem opinione. Sequitur altera, quam simili modo illustrabimus. *Alii*, inquit, *tradunt laserpicii radicem fuisse majorem cubitali, tuberque in ea supra terram. Hoc inciso, profluere solitum succum ceu lactis, supernato caule, quem magydarim vocarunt. Folia aurei coloris pro semine fuisse, cadentia à canis ortu austro flante. Ex his laserpicium nasci solitum*, &c. Cum his comparanda Theophrastea, quæ sic habent: οἱ δὲ τοῦ σιλφίου τὴν ῥίζαν φασὶ γίνεσθαι πηχυαίαν ἢ μικρῷ μείζονα, ταύτην δ' ἔχειν ἐπὶ τοῦ μέσου κεφαλὴν, ὃ καὶ μετεωρότατόν ἐστι καὶ σχεδὸν ὑπὲρ γῆς. Ἐξ ἧς δὲ φύεσθαι, καλεῖσθαι δὲ γάλα. Μετὰ ταῦτα δὲ τὸν καυλὸν, ἐκ δὲ τούτου μαγύδαριν, καὶ τὸ καλούμενον φύλλον. Τοῦτο δ' εἶναι σπέρμα, ὃ καὶ ὅταν νότος λαμπρὸς πνεύσῃ μετὰ κύνα διαρρίπτεται. Ἐξ ὧν φύεσθαι τὸ σίλφιον. Aut hæc insigniter corrupta sunt, quæ ætate Plinii emendatiora legebantur, aut in his ille in Latium transferendis plurifariam hallucinatus est, aut utrumque. Quod certè verissimum. Corrupta illa esse nemo dubitaverit, ἐξ ἧς δὲ φύεσθαι, καλεῖσθαι δὲ γάλα. Apparet legisse Plinium, ἐξ ἧς ὀπίζεσθαι, καλεῖσθαι δὲ γάλα. Sic enim vertit: *hoc inciso profluere solitum succum ceu lactis.* Ὀπίζεσθαι dicuntur, quæ inciduntur, ut inde succus effluat. Γάλα vocabatur laserpicii succus. Pro illis, *tuberque in ea supra terram*, scriptum in optimo Thuanæo, *tubertique in ea supra terram.* An legendum, *tuber edique in ea supra terram*, pro *tuberque edi*? Scribendum in Theophrasteis, ταύτην δ' ἔχειν ἐπὶ τοῦ μέσου κεφάλιον, ὃ καὶ μετεωρότατόν ἐστι, καὶ σχεδὸν ὑπὲρ γῆς. Græci librarii more suo scripserant, κεφάλιν. Ita enim & loquuntur vulgo. Ut μελάνιν pro μελάνιον. Hinc κεφαλὴν propagatum. Plinius vertit *tuber.* Sequitur in Græcis: μετὰ ταῦτα δὲ τὸν καυλὸν, ἐκ δὲ τούτου μαγύδαριν. Plinius reddit: *supernato caule, quem magydarim vocarunt.* Melius: *super enato caule.* Caulem vocari magydarim dicit. At Græca disertè sonant, ex caule nasci magydarim. Ergo diversus magydaris à caule. Docuimus supra *magydarim* in silphio semen vocari, non caulem. Ita & hoc loco accipiendum. Sed Theophrasti verba insigniter depravata sic corrigenda sunt, ἐκ δὲ τούτου μαγύδαριν, τὸ καὶ καλούμενον φύλλον. Vitiosè legitur: ἐκ δὲ τούτου μαγύδαριν, καὶ τὸ καλούμενον. Quasi τὸ καλούμενον φύλλον aliud sit à magydari, cum magydaris, & τὸ καλούμενον φύλλον idem sit, semen nimirum laserpicii. Ideo adjicit Theophrastus, τοῦτο δ' εἶναι σπέρμα. Galenus in Lexico Hippocratis: ὀποῦ καρπὸν, σιλφίου σπέρμα. Ὅπερ καὶ φύλλον ἑνικῶς καὶ μαγύδαρις ὑπό τινων καλεῖται. Ergo magydaris semen est silphii, quod & singulari numero φύλλον propriè dicitur. Idque valde notandum. Idem alio loco: φύλλον τὸ τοῦ σιλφίου σπέρμα διὰ τὸ πλατὺ εἶναι, ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν Γυναικείων. Προστίθησι δὲ αὐτὸς ἐν τῷ λόγῳ, ποτὲ μὲν Λιβυκὸν, ποτὲ δὲ Αἰθιοπικόν. Pessimè Plinius totum eum locum accepit, ac reddidit hoc modo: *supernato caule, quem magydarim vocarunt. Folia aurei coloris pro semine fuisse.* Non hoc dicit Theophrastus folia aurei coloris in laserpicio pro semine fuisse. In hac posteriore de silphio opinione ait tradere alios, radicem fieri cubitali majorem, in ea supra terram tuber existere: caulem ex eo nasci: ex caule magydarim, propriè vocatum folium; id esse semen. Atqui in his nihil à priore opinione diversum esse testatur ipse his verbis: οὐδὲν δὲ τούτου ἴδιον, καὶ γὰρ τῶν ἄλλων. Nam dicebant alii σπέρμα φυλλῶδες esse, & πλατύ. Atque inde φύλλον propriè nominatum. In sequentibus ubi studiosè explicat, quibus in rebus utraque opinio invicem dissideat, sic scribit, τὸ δὲ φύλλον τῇ χροιᾷ χρυσοειδὲς εἶναι, ἐναντίον δὲ καὶ τὸ καθαίρεσθαι τὰ πρόβατα τὸ φύλλον ἐσθίοντα. Prioris opinionis auctores dicebant folium silphii *maspetum* vocari, simile esse apio, eo purgari vescentia pecora. Alii contra edissertabant, folium illud aurei coloris esse, nec purgare, sed cibos concoquere. Plinius illud φύλλον χρυσοειδὲς in hac posteriore opinione idem putavit cum τῷ καλουμένῳ φύλλῳ, quod semen est. Ideo hæc dissita, ac disjuncta in Theophrasti narratione sic junxit ipse, & folia aurei coloris pro semine esse dixit, quod alienum prorsus est à Theophrasti mente. Aliud in laserpicio τὰ φύλλα, hoc est, folia; aliud τὸ καλούμενον φύλλον. Hoc semen est, sic dictum, quod foliaceum sit, & planum: illa folia sunt, quæ μάσπετα vocabant. Et rectè Galenus notat τὸ φύλλον, quum de semine silphii accipitur ἑνικῶς tantum dici. Τὰ φύλλα igitur folia sunt à semine diversa, quæ nec pro semine. Hæc μάσπετα propriè vocabantur. Scribe etiam in sequentibus: *Hi & circumfodi solitum prodidere*, non *hoc*: posterioris nempe sententiæ auctores. Id clarum ex Theophrasto, nec aliter vetus liber. Sic etiam illa emendanda auctore eodem libro vetere, & Apulejo nostro: *probatio sinceri prima in colore modice rufo, & cum frangatur candido intus, mox tralucente gutta. Quæque saliva liquescat.* Ergo sinceri lasaris color rufus. Atqui Theophrastus paulo ante scripsit succum eum in vasa conjectum admixta farina concuti solitum, donec & colorem assumeret, & exsiccaretur. Colorem alium ex farina sumere non potuit, nisi candidum. Id faciebant, ut ne putresceret, atque ut in transmarina exportari posset. At modice rufum in extima cute probari Plinius dicit, intus verò candidum. Ideo furfures pro farinis substituisse videtur in convertendo Theophrasti loco, quia furfures rufi, qui color est & frumenti. Inde & hunc colorem capere succum, qui admixto furfure in vase concutiebatur. Quod est absurdum. Cum farina diu in vase versatus, & concussus, humidus silphii succus haud alium trahere colorem poterat, præter candidum, ne cum furfuribus quidem. Naturalis silphii succus, atque ut Theophrastus vocat, ἀργὸς, coloris modice rufi videtur fuisse. Certè Dioscorides scribit optimum haberi τὸν ὑπέρυθρον, καὶ διαυγῆ, modice rufum, & translucidum. Sed quis scit an de Cyrenaïco hoc tradat Dioscorides, & non potius de Medico, aut Persico? Hoc profectò verisimilius. Nam ætate Dioscoridis non amplius ex Cyrenaïca laser advehebatur. At Plinius rectum sic cursum tenere non potuit, cum hæc de colore laseris, ac probationem ex Dioscoride sumpserit, cetera ex Theophrasto. Sic alia solet omnia. Præterea non hoc dicit Dioscorides succum laseris extra modice rufum esse, intus, cum frangitur, candidum, sed simpliciter ὑπέρυθρον, καὶ διαυγῆ. Illud de sagapeno tradidit, non de lasere: διαφέρει δὲ αὐτοῦ τὸ διαυγὲς, ἔξωθεν μὲν κιῤῥὸν, ἐκ δὲ τῶν ἐντὸς λευκόν. Sagapeno quidem adulterabatur laser, non propterea tamen est necesse idem dici debere de lasere. Tradit idem optimum probari laser, τὸ εὐχερῶς διειμένον ἐπὶ τὸ λευκὸν χρῶμα, *quod facile solvitur, & liquescit humore lacteo.* Sane lac vocabatur ille succus. De modo Cyrenaïci laseris interpolandi nihil habet Dioscorides. Nam eo tempore jam ignorabatur laser illud, nec amplius erat in natura rerum, nedum in usu. Ut ut sit, colorem rufum è farina non potuit imbibere, cum qua concutiebatur, sed nec è furfure. Quare de eo colore τὸ χρῶμα λαμβάνειν apud Theophrastum interpretari non possumus. Persico silphio priorem opinionem congruere tradit Plinius. Docti Herbarii corrigi volunt apud Plinium: *Persico silphio posterior opinio congruit.* Quia, inquiunt, priorem opinionem Cyrenaïco silphio convenire apertissimè Theophrastus indicat. Immo nihil tale indicat Theophrastus, sed exposita utraque opinione, utra sit verior non pronuntiat, sed videndum amplius dicit. Ταῦτα μὲν ὁποτέρως ἔχει σκεπτέον. Extant hodieque nummi Cyrenæorum argentei, quorum in aversa facie silphii caulis expressus est. Inde videre licet, utra descriptio prior, an posterior, cum effigie plantæ, quæ in nummo representatur, magis conveniat. De ceteris fides sit penes auctores. Nummum ipsum paulo post proferam. Laserpicii caulem in nummis suis incudendum jam ab antiquo curasse Cyrenenses docti viri docuerunt. Hesychius: Βάττου σίλφιον, παροιμία ἐπὶ τῶν τὰς ὑπερβαλλούσας τιμὰς ἀξιουμένων. Μετενήνεκται δὲ ἀπὸ τοῦ Κυρηναίους ἑνὶ τῶν Βαττιαδῶν μεταδοῦναι ἐξαίρετον τὸ σίλφιον, ὃ τετίμηται παρ' αὐτοῖς, ὥστε καὶ ἐν τῷ νομίσματι, ὅπου μὲν Ἄμμωνα, ὅπου δὲ σίλφιον ἐγκεχαράχθαι. Hujus generis nummi hodie quidam reperiuntur, quorum in altera facie Hammon corniger habetur impressus, in altera caulis laserpicii. Tzetzes tradit in nummis Cyrenensium ipsos Cyrenenses insculptos ostendi silphion Batto offerentes. Falso id eum tradere arguit eruditissimus Scaliger. Nihil enim tale conspici in vetustissimis eorum tetradrachmis. Atqui non Tzetzis, sed Aristotelis hæc traditio,

quam posuerat ἐν τῇ Κυρηναίων πολιτείᾳ. Vetus interpres Aristophanis: Βάττος Κυρήνην ἔκτισεν ἐλθὼν ἀπὸ Θήρας τῆς κατὰ Κρήτην νήσου, ὃν τιμήσαντες Λίβυες ἐχαρίσαντο αὐτῷ τὸ κάλλιστον τῶν λαχάνων τὸ σίλφιον. Καὶ ἐν νομίσματι αὐτὸν ἐχάραξαν τῇ μὲν βασίλειαν, τῇ δὲ σίλφιον παρὰ τῆς πόλεως δεχόμενον ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Κυρηναίων πολιτείᾳ. Ex eo vetere scholiaste habet, quod de ea re scripsit Tzetzes, non ex ipsis Aristotelis libris:


Βάττος δ' ἀνταμειβόμενος προαίρεσιν τὴν τούτων
Ἐν τῷ νομίσματι αὐτοῦ ἐχάραξε τυπώσας
Τοὺς Κυρηναίους φέροντας τὸ σίλφιον ἐκείνῳ.

Vetus alter Scholiastes Aristophanis nummum apud Cyrenæos, ea effigie percussum non dicit urbis Cyrenes in altera parte regnum, in altera caulem silphii Batto offerentis, sed in statua, aut in annulo eam figuram repræsentasse: καὶ οἱ πολῖται οἱ Κυρηναῖοι ἀνταπόδοσιν τῆς εὐεργεσίας, βουλόμενοι χαρίσασθαι τῷ βασιλεῖ, ἐποίησαν εἰκόνα. Ὡς δὲ τινὲς δακτύλιον ἐν ᾧ ἡ πόλις αὐτῶν προσφέρει τῷ βασιλεῖ τὸ σίλφιον. Sed de nummo facile credo. Videre est in aliis nummis quamplurimis urbes, & provincias specie fœminea flores, aut fructus ferentes, & ducibus, regibusque benefactoribus suis eos offerentes. Primo Batto, qui Cyrenen condidit, hunc honorem de silphio habitum auctor est Aristoteles. Et res novella tunc erat ipsis Cyrenensibus silphium. Siquidem septem annis ante urbem eorum conditam imbre piceo madefacta tellure, id natum proditur, quum antea in rerum natura non extaret. Cyrenenses ipsi ita ajebant, ut Theophrastus tradit, ex eo Plinius. Quid de Persico dicemus, an & hoc modo natum? Sed fides sit penes auctores. Alii tradunt Aristæum Apollinis, & Cyrenes filium confecturam mellis & laseris invenisse primum. Quod si verum est, res longè antiquior fuerit quàm Cyrenenses volebant. Quamdiu Battiadarum nomen Cyrenis regnavit, nummos ea forma percussos habuisse videntur, qui ab uno latere Batti imaginem, ab altero Cyrenas regnum, & silphium Batto offerentes præferebant. Inde proverbium τὸ Βάττου σίλφιον. Post extinctam Battiadarum regum familiam, in suis nummis caulem silphii, deinceps & Hammonis effigiem insculpserunt. Hujusmodi nummum viderat Hesychius, sed nihil facit ad explicationem proverbii τὸ βάττου σίλφιον, nec ad honorem Batti quidquam pertinet. Quippe nihil in eo nummo, quod Battum attineat, aut honorem ei habitum in oblato laserpicio. Quod in veteribus nummis repræsentatum fuit, quum adhuc duraret regnum Battiadarum. Sed tempus est nummum illum posteriorem Cyrenæorum heîc producere, ut picturam caulis silphii in eo contemplemur.

NUMMUS CYRENÆORUM ARGENTEUS.



In hoc silphii caule folia sunt, quæ hinc inde è thyrso velut alæ prodeunt, & erumpunt, & caulem ipsum ambiunt, ut in arundine, & ferula, non tamen alternatim, sed ex utraque pariter parte. Apio similia videri neutiquam possunt, tantum quod incisa in extremo, & aliquatenus striata videntur. Cauliculi qui ex mediis foliorum alis exeunt in globulum desinentes, globulus ille, vel granum rotundum semen est. Sed & globosa illa congeries granorum uvæ more sibi connexorum, quæ in summo caule visitur, seminis instar obtinere censenda est. Quod semen quare foliaceum, & πλατὺ tradiderint veteres, nescio. Rotunda illa grana potius apparent, quam plana, aut foliacea, ut est ulmi semen. Sed fortassiean parvæ illæ pilulæ maturitate disruptæ in plura foliacea semina dividebantur, quæ austro flante spargebantur: ut solent etiam ulmi semina vento difflari. Ita necesse est credere, siquidem veterum descriptioni fidem habeamus. Proponam heîc etiam aliam laserpicii plantæ picturam, eamque admodum antiquam, sed quæ nihil prorsus habeat simile cum ea superiore. Nos eam ex codice vetustissimo Dioscoridis Græco ante mille annos ad minimum descripto sumpsimus. In eo exemplari omnes ferme paucis exceptis, plantarum figuræ manu antiquarii, qui librum scripsit, graphicè expressæ sunt. Utrum ad verum, & naturæ fidem eas pinxerit, an ex verbis Dioscoridis ad libitum effinxerit, nescio. Multæ sanè ibi extant ad nativam veritatem delineatæ. Ut ut sit, nihil lædet, plantæ silphii imaginem inde descriptam hîc ob oculos herbariæ rei studiosorum ponere.



In hac figura multa vitia, quæ ad verum expressam credere vetent. Radix non respondet descriptioni veterum. Caulis crassius, ac ferulaceus non est, qualem laserpicio omnes antiqui scriptores tribuunt. Nihil denique in ea pariat cum illa silphii facie, quæ in veteri Cyrenarum nummo conspicitur, quam tamen genuinam, ac germanam esse constare debet. Folium quidem hæc habet apio simile, & semen latum, ac planum, quod pictori antiquario facile fuit ex verbis potius Dioscoridis, quam ex veris fingere. Dicere heîc posset aliquis effigiem hanc esse Syriaci, aut Medici laserpicii, aut etiam Parnassii, non Cyrenaïci. Medicum certè, & Cyrenaïcum κατ' εἶδος ἐξαλλάττειν innuit Strabo. Sed hæc incerta. Pictura Dioscoridis Antiquarii, quæ pro silphio proposita est, plane accedit ad smyrnii descriptionem, sive astrantiæ, quam pro laserpitio veterum quidam hodie nobis obtrudunt Herbarii. In ea sententia fuisse videtur Herbarius ille priscus Dioscoridis, utpote qui smyrnium veterum nobis delinearit in locum laserpitii. *Gallicum laserpitium* quidam vocant. Meminit Syriaci laserpicii Dioscorides. Hoc opinor esse, quod propriè magydaris vocabatur, diversum genus à laserpicio. Theophrastus: ἡ δὲ καλουμένη μαγύδαρις.

μαγύδαεις ἕτερόν ἐστι τοῦ σιλφίου. Sed nec succum habebat. In Syria, non in Libya nascebatur, ut ex Theophrasto antea ostendimus. At Dioscorides hanc magydarim in Libya nasci tradit, & radicem esse ait similem laserpicio: λέγεται δὲ καὶ ἑτέρα μαγύδαρις γεννωμένη ἐν Λιβύῃ, ῥίζα παρομοία σιλφίῳ, ἧττον δὲ παχεῖα, δριμεῖα, καὶ χαύνη. Ποιεῖ δὲ τὰ αὐτὰ τῷ σιλφίῳ. Ea ipsa est, quam describit Theophrastus, qui in Syria, & Parnasso plurimam provenire tradit. Fallitur Dioscorides, qui vult in Libya nasci. Ex nomine natus error. Nam magydarim in Cyrenaïco silphio id vocabant, quod erat semen. Dioscorides radicem ita quosdam vocasse notat. Hinc & μαγύδαριν radicem in Libya nascentem laserpicio similem dixit. Atqui magydaris illa, quæ diversa ab laserpicio planta est, licet similis sit, in Syria nascebatur. Hoc Syriacum laserpicium. Nam & magydarim illam quidam appellabant σίλφιον. Theophrastus: ἔνιοι δὲ σίλφιον τοῦτο καλοῦσι. Perperam igitur Dioscorides τὸ σίλφιον Συριακὸν, & τὴν μαγύδαριν facit diversa. Syriacum illud lasar longe imbecillius Cyrenaïco fuisse omnes consentiunt. Ideo medici veteres duplum Syriacum pro simplici Cyrenaïco pensabant. Scribonius Largus cap. XLIV. *Laseris Cyrenaici denarium pondo duûm, aut Syriaci denarium pondo* IV. Magnopere etiam falsi, qui putant *asam* esse laser ex Syria. Quippe Syriacum laserpicium non habet succum. An Medicum laserpicium *asa* sit quærendum. Strabo ait Μηδικὸν ὀπὸν Cyrenaïco parum cedere, immo & interdum præstantiorem existere. Verba ejus ita scribenda sunt de Media: φέρει δὲ καὶ σίλφιον ἡ χώρα, ἀφ' οὗ ὁ Μηδικὸς καλούμενος ὀπὸς οὐ πολὺ λειπόμενος τοῦ Κυρηναϊκοῦ. Ἔστι δ' ὅτε καὶ διαφέρων ἐκείνου. Male hactenus lectum est, πολὺ λειπόμενος ἐκείνου, contraria sententia, quam & mens Strabonis repudiat. Stephanus apud Strabonem ita legit, ut posuimus. Quem vide in voce Μηδία. Quod ad Cyrenaïcum laser attinet, nunc non est, olim fuit. Plinii ætate nullum jam amplius laser è Cyrenæa afferebatur. Si Medicum laser simile Cyrenaïco, ita ut & aliquando melius existat, *asam* non esse laser Medicum vix ambigendum est. Ad eosdem usus Medicum laser in condimentis locum habebat & Cyrenaïcum. *Asa* condimentaria non est, utpote qua nihil sit fœtidius, aut ingratius, ἢ ἀσομώτερον. Suffocationibus histericis eam hodie adhibent, quibus omnes teterrimi odores amicissimi sunt. Inter Medicum, & Cyrenaïcum laser ita distinguit Dioscorides, ut dicat Cyrenaïcum odoris esse suavissimi, τῇ ὀσμῇ προσηνέστατον, ὥστε γευσαμένῳ τὸ στόμα μηδὲ πνεῖν, εἰ μὴ ἐπ' ὀλίγον: *ut ei qui gustaverit, os ne quidem oleat, nisi parvo tempore.* Blandi odoris, ac suaveolentia hoc faciunt, ut in ore non diu durent, nec sensum sui multum exhalent. Ad suavitatem oris talia pertinent. Acriore contra si qui sunt odore succi, & diutius permanent, & magis sentiuntur exhalando. Ὁ δὲ Μηδικὸς, inquit, καὶ Συριακὸς ἀσθενέστεροι, καὶ βρομωδεστέραν ἔχουσι τὴν ὀσμήν. Non dicit fœtidum, & male olens esse Medicum laser, sed acrioris, ac virosioris esse flagrantiæ, quum gustatur, quam Cyrenaïcum, cum tamen imbecillius reapse sit. Βρομώδης proprie, qui valde, & acriter olet, ac flagrat. Nam βρόμος est ὀσμή. Hesychius: βρόμεον, ὀζόμενον. Haud scio, an hinc *bromosus* immundus in glossis Isidori. Inde *exbromare*, emundare, purgare apud Apicium nostrum in excerptis Vinidarii. Quod ab odore malo traductum. *Bromosus*, resinosus in iisdem glossis exponitur. Βρόμος etiam τὸν ἦχον significat. Hesychius: βρόμος, ἦχος, ὀσμή. Hinc βρομώδης, sonorus. Insigni hallucinatione Apulejus βρόμον pro odore tetro accepit, ubi sonum significat in libro de Mundo his verbis: *Mycetias vocatur tetri odoris.* In Græcis βρόμου fuit, hoc est, fremitus & clamoris, quod de odore interpretatus est. Et falluntur, qui corrigunt, *tetri rudoris.* Aliter omnes libri. Βρόμος igitur ὀσμή. Et βρομώδης idem quod ὀσμώδης, valde odorus, & acris flagrantiæ. Quod de malo odore usurparunt abusivè. Nihil quippe prohibet, eamdem rem esse εὐώδη pariter, & βρομώδη. Dioscorides de salvia, quam Græci vocant ἐλελίσφακον, & σφακὸν, dicit folia eam habere σφόδρα εὐώδη, ἔμβρομα. Atqui ἔμβρομον, & βρομῶδες idem. Quod in gustu diu, ac vehementer halat, ita proprie vocarunt. Passim apud eum leges βρομῶδες ad gustum referri. Ut de canchamo: σμύρνῃ προσεοικός: βρομῶδες ἐν τῇ γεύσει. Et de costo optimo: ἀπηρδόνιστος, ἄβρομος, γεύσει, δηκτικὸς καὶ πυρώδης. Vocat ἄβρομον, qui non gravis sit odoris. Plinius: *radix costi gustu fervens, odore eximio.* Idem de phu, quem agrestem nardum vocabant, commendat radices ejus, quæ sint εὐώδεις, ναρδίζουσαι τῇ ὀσμῇ μετά τινος βάρους βρομώδους. Sic βρομῶδες, & ἔμβρομον odoris gravitatem significat, & vehementiam in rebus odoratis: eamque etiam, quæ gustu sentitur, non fœtorem, & tetrum odorem, qualem exhibet, & exhalat asa. Medicum laser odoratum, & βρομωδέστερον in gustu, quam Cyrenaïcum, qui prorsus erat ἄβρομον. Utrumque tamen odoratum, sed Medicum ἔμβρομον, Cyrenaicum prorsus ἄβρομον. *Leves odores* Latini dixere, quos Græci ἡδεῖς. Hi & blandi, & lenes, qui vehementia sua nec nocent, nec displicent. Sallustius: *apud Corduenos amomum, & alii leves odores gignuntur.* His opponuntur *graves*, quos & Græci βαρεῖς, qui nimis acres sunt & vehementes. *Fortes odores* vulgo vocamus. Græci εὔτονον ὀσμὴν similiter dicunt, quæ gravis. Hæc proprie βρομώδης, vel ἔμβρομος, quasi *odorosam* dicas. Nam βρόμος ὀσμή. Nihil aliud igitur hæc vox significat, quam gravitatem, & nimiam flagrantiam, quæ odiosa, & ingrata est. Hinc βρομῶδες pro malo odore, & graveolente usurparunt. Sic *odor cœni gravis* Virgilio. Dioscorides de nardo Celtica: δολίζεται δὲ συναπτιλλομένης αὐτῇ πόας ἐμφεροῦς, ἣν διὰ τὸ περὶ τὴν ὀσμὴν βρομῶδες, τράγον καλοῦσι. Plinius vertit: *cum Gallico nascitur herba: quæ hirculus vocatur à gravitate odoris.* Apud poëtam *virosa castorea* quidam exponebant *fortia*, à viribus scilicet, & vehementia gravis odoris. Βρομῶδες tamen aliud aliquid in odoribus significat specificum magis, & certam odoris mali qualitatem designat, quam Latini propriè *virosam* dixere. Dioscorides de castoreo dicit probari τὸ βαρύοσμον, βρομῶδες, δριμύ. Vides τὸ βαρύοσμον distingui ἀπὸ τοῦ βρομώδους. Idem agrestem nardum ναρδίζειν τῇ ὀσμῇ tradit, μετά τινος βάρους βρομώδους, cum aliqua gravitate virosa. Aliud igitur βαρὺ, aliud βρομῶδες. Illud γλυκώτερον, hoc magis κατ' εἶδος. Virosa castorea vocat Virgilius τὰ βρομώδη. *Virus* pro malo odore, & fœtore posuerunt veteres. Lucillius: *Anseris herbilis virus.* Inde *virosum* fœtidum, & virus redolens. Hæc significatio fortean fuerit in voce βρόμος: à qua βρομῶδες, quod Latini *virosum* reddunt. Βρόμος & βρότος ab eadem origine. Græcis βρότος significat τὸν ἐκ φόνου λύθρον. Hoc idem & ἰχὼρ, Latinis *virus.* Glossæ: *virus*, ἰὸς ἐχίδνης, καὶ ζώου ἀλόγου, καὶ ἰχώρ. Quod ait καὶ ζώου ἀλόγου, respicit illud poëtæ de equis, *distillat ab inguine virus.* Pessimè olere virus, & tabum docendi non sunt, qui nasum habent. Βρόμος idem quod βρότος. Notat Hesychius, βρόμον etiam dici τὸν τόπον εἰς ὃν ἔρχονται καὶ ἀφοδεύουσιν οἱ ἔλαφοι. Ut ut sit, βρόμος idem quod *virus*, & multas significationes recipit. Inde βρομώδης *virosus.* Latini etiam *bromosum* dixere pro immundo. Isidorus: *bromosus, immundus.* Hoc sensu apud Zenonem Veronensem, & Aldelmum legi. *Exbromare* pro emundare, & purgare apud Apicium nostrum in Excerptis Vinidarii. Hinc & βρόμος de malo odore, ut Latinis *virus.* Non igitur ὀσμὴν tantum significat. Sed nihil vetat eamdem rem esse εὐώδη simul, & βρομώδη. Quæ βρομώδη sunt tantum, ea fœtida. At quæ τὸ βρομῶδες habent ἐν τῇ εὐωδίᾳ, sola vehementia, ac virositate boni odoris displicent. Dioscorides non dicit absolutè βρομώδη esse succum laserpicii Medici, sed βρομωδεστέραν habere τὴν ὀσμὴν, quam Cyrenaicum, utrumque tamen etiam odoratum. Falluntur igitur magnopere, qui putant Medicum laser asam esse fœtidam. Eo lasere passim ad condimenta mensarum usi sunt veteres, ubi Cyrenaicum defecit. Plinius de Cyrenaico: *multis jam annis in ea terra non invenitur.* Et paulo post: *diuque non aliud ad nos invehitur laser, quam quod in Perside, aut Media, & Armenia nascitur, sed multo infra Cyrenaicum. Id quoque adulteratum gummi aut sagapeno, aut faba fracta.* Laser heic vocat succum τὸν ὀπόν. Glossæ, *laser* ὀπός. Ex Perside, Media, & Armenia tunc tantum advehebatur, extincto Cyrenaico. Idem lib. XXII. cap.

cap. XXIII. *Proveniunt omnia hæc imbre & silphium. Venit primo è Cyrenensi. Ex Syria nunc hoc maximè importatur, deterius Parthico, sed Medico melius: extincto omni Cyrenaico, ut diximus.* Notandum est quod heîc ait ex Syria, maximè tum importatum fuisse silphium. De lasere, hoc est, de succo hoc non dixit, quem nullum habet Syriacum silphium. Igitur silphii nomine intelligit radicem laserpicii, vel caulem. Sequitur paulo post de laseris apud eumdem in medicinis usu: *Laser è silphio profluens, quo diximus modo, inter eximia naturæ dona numeratur.* Quare cum legis apud recentiores Græciæ, Latiique scriptores aut in usu mensurarum, aut in medicamentis ὀπὸν aut *laser*, non de Cyrenaico intelligendum memineris, sed de Medico, aut Armeniaco. *Lasere infectas carnes* apud Apulejum, & *lasaratum porcellum*, *lasaratum hædum* apud auctorem, qui vulgatur sub nomine Apicii, legere est. Quod de lasare Parthico, vel Medico capiendum. Idem inter condimenta numerat lasar: *ut condimentis nihil desit, crocum, piper, zingiber, lasar, folium*, &c. Apud Athenagoram mentio est inter condimenta opsoniorum ὀπȣ̃, & μέλιτος. De Cyrenaico accipi non potest, nam vixit ille sub Marco Antonino. Ergo de Medico. Ex his omnibus planè constare oportet, *assam*, quæ res est fœtoris impurissimi, non convenire veterum lasar, licet Arabes ita vocarint. Nec hilum eos juvat, qui ita censent, quod interpres Aristophanis ad Comœdiam Equites silphium dicat esse φυτάλιον, κάκοσμον. Ergo inquiunt duo genera silphii, odoratum, & malè olens. Asa fœtida succus est è graveolenti & fœtida. Nugæ. De Cyrenaico silphio loquitur Aristophanes, quod ἡδύοσμον fuisse inter omnes constat. At nugatur ibi vetus scholiastes, cujus hæc sunt ad eum locum: ἄλλως. Φυτάλιον ἐστὶ κάκοσμον. Ἀρκεσίλαος δὲ ὁ Ἀπόλλωνος καὶ Κυρήνης, πρῶτος τὴν ἐργασίαν τοῦ σιλφίου, ὥσπερ καὶ τοῦ μέλιτος. Jocatur ibi in ea Comœdia aliquis, caulis silphii annonam ideo viliorem procurasse Atheniensibus Cleonem, ut eo largius vescentes sese invicem in concionibus pedendo, ac visiendo enecarent:

Ἐπίτηδες οὗτος αὐτὸν ἐσοδόμησ' ἄξιον ὠνεῖσθαι
Ἵν' ἐσθίοντ' ὠνούμενοι, κἄπειτ' ἐν ἡλιαίᾳ
Βδέοντες ἀλλήλους ἀποκτείνειαν οἱ δικασταί.

De caule silphii loquitur. Hic excalefactoriam vim habet, & flatus excitat, & flatuosas omnes hujus plantæ partes esse scripsit Galenus. Hinc illæ lacrimæ. Non aliam ob causam fortasse κάκοσμον esse φυτάριον caulem silphii pronuntiavit ille Grammaticus, quam quia βδόλων ποιητικόν. Et simul respexit ad sententiam illorum versuum. Fortassean etiam respexit ad silphium Medicum, quod erat in gustu odoris virosioris. Nihil vanius illa sententia. Ex hoc videant, quantopere hallucinentur, qui hujus auctoris testimonio asserunt *asam fœtidam* esse laser. Nec melius alii, qui *asam dulcem* de Cyrenaico lasere interpretantur, quod jam diu è rerum natura exiit, ac esse desiit. Nec certius hariolantur illi, qui *belzo*, sive *benioin*, laser esse ex India somniant. Quippe succum esse ex arbore in India nascente certum est, cum silphium herba sit ferulaceo caule. Laser ex India venire tradit Isidorus. *Laser, inquit, herba nascitur in monte Oscobagi, ubi Ganges fluvius oritur, cujus succus dictus primum lactir, quoniam manat in modum lactis, deinde usu derivante laser nominatum est. Hoc & à quibusdam opium Cyrenaïcum nominatum.* De lasere Indico nihil veteres. De *benzuino* vide Scaligerum Julium in Exercitationibus. Mirum tamen est non recentium tantum hanc fuisse opinionem, sed eandem ante aliquot retro secula penes Græcos, & Latinos, Arabesque auctores obtinuisse, ut laser sit asa fœtida. De Cyrenaïco tamen hoc non posse teneri viderunt, quod suavis odoris esse passim veteres confirmant. Ideo duplex genus laseris fecerunt Arabes, alteurm fœtidum, alterum odoratum. Avisena cap. LIII. *Halthith*, quod est laser, duarum esse ait specierum, unam fœtidam, & alteram odoratam, non gravi odore præditam. Calidiorem haberi, atque vehementiorem, quæ est fœtida. Hujus generis esse, quæ affertur ex regione *Kirvam*. De Cyrenaïca id accipiendum. Atqui compertissimum est ex priscorum consentientibus testimoniis Cyrenaïcum laser jucundi, & suaveolentis odoris fuisse. Gravioris paulo flagrantiæ Medicum, & Syriacum, non tamen, ut accederet ad virus asæ fœtidæ. Græci tamen posterioris ævi *asam fœtidam* ab Italis vocari docent τὸ λάσαρ. Quod & ipsum σκοροδολάσαρον appellant ab odoris gravitate. Nicolaus Myrepsus in Antidoto διὰ καστορίου, σκοροδολάσαρον, τὸ λεγόμενον Ἰταλικῶς ἀσαφητίδα. Atque ita passim. Omnes autem Græci infimæ ætatis σκοροδολάσαρον interpretantur ὀπὸν Κυρηναϊκόν, ut infra pluribus notamus. Glossæ Latinæ veteres ad versionem antiquam Alexandri Jatrosophistæ, qui est Alexander Trallianus: *Opium Quirinatium, id est, lasar, asa fœtida.* Item: *lasar, asa fœtida.* Ita ubique interpretantur τὸν ὀπὸν Κυρηναϊκὸν Græcorum. Constantinus tamen in Viatico *asam fœtidam* distinguit ab opio Quirinatio lib. III. *Opium Quirinatium, blanca fœtida, asa fœtida.* Sed de his infra. Præter succum, caulem, & radicem silphii, folia etiam, & semen utilia medicinis. Vetus Scholiastes Aristophanis de silphio: καὶ τὸ φύλλον δὲ αὐτοῦ, καὶ ὁ καρπὸς, καὶ ὁ καυλὸς, καὶ ὁ ὀπὸς, καὶ ἁπλῶς τὸ πᾶν αὐτοῦ πολλῆς ἡμῖν ἄξιόν ἐστι. Ita legendum, non καὶ ὁ κλάδος. Dioscorides efficacissimum ad medelas dicit τὸν ὀπὸν, εἶτα τὰ φύλλα, εἶτα τὸν καυλόν. Expositis, ad quæ bonus est, succi remediis sub finem capitis hæc adjicit: ὁ δὲ ὀπὸς τῶν φύλλων τὰ αὐτὰ μὲν ποιεῖ, πολὺ δὲ ἔλασσον. De foliorum succo hæc interpretantur vulgo. Atqui veteres non meminere succum ex foliis laserpicii educi solitum, sed ex radice, & caule tantum. Novum caput hîc incipere Græcos quosdam codices notant sub titulo: περὶ ὀποῦ φύλλων. In vetustissimo exemplari Regiæ Bibliothecæ hæc continuantur absque capitis, aut tituli distinctione. Nullam etiam heic ὀπὸν in lectione agnoscit, sed ita planissimè legit. τὸ δὲ φύλλον αὐτοῦ τὰ αὐτὰ μὲν ποιεῖ. Non de foliis, nec de succo foliorum, sed de semine, quod φύλλον absolute dicitur, sequentia testantur. Χρῶνται δὲ, inquit, αὐτῷ καὶ μετὰ θριδάκων ἐσθίοντες ἀντὶ ἁλῶν. Semine illo nimirum, sive folio silphii utebantur ad condiendas lactucas seminis erucæ vicem, quod eumdem usum in condimentis præstabat. Idem Dioscorides de eruca, sive euzomo: χρῶνται δὲ τῷ σπέρματι αὐτοῦ καὶ εἰς τὰς ἀρτύσεις. Ergo & semine silphii ad eam rem utebantur, quod φύλλον singulari numero dicebatur. At τὰ φύλλα folia sunt, τὸ φύλλον semen. Perperam igitur legitur in Dioscoride, ὁ δὲ ὀπὸς τῶν φύλλων. Posset legi unica voce, τὸ δὲ ὀπόφυλλον, ut alibi apud eumdem scribitur. Ὀπόφυλλον est semen laseris. Ita enim ὀπὸν pro ipsa planta usurparunt. Sic Hippocrates ὀποῦ καρπὸν dixit de semine silphii, ut Galenus interpretatur. Eodem prorsus modo *laseris radices* Apicius pro silphii radicibus de siccis condimentis, quæ servari debent, hæc præcipit. *Laseris radices mentam, nepatem, salviam*, &c. Atqui *laser* Latinis propriè est ὀπός. Græci quoque mediæ ætatis passim λάσαρον pro ipsa stirpe usurparunt. Auctores Veterinarii cap. CCCCXXVI. Ὀπὸς λασάρου, ῥίζα λασάρου. Inde Constantinus *laser* pro ipsa planta accipiens ab opio distinguit lib. III. de Lithiasi: *Opium Quirinatium, & laser contritum.* Justinus *opobalsamum* posuit non pro succo balsami, ut vulgo sumitur, sed pro arbore ipsa. Sic μετώπιον vel μέτωπον, tam succum, quam arborem ipsam, quæ galbanum fundit, appellarunt. Φύλλον Λιβυκὸν, & φύλλον Αἰθιοπικὸν Hippocrates semen silphii aliquot locis vocitat. Si φύλλον ibi semen est silphii, ut Galenus interpretatur, sic etiam erit accipiendum apud Dioscoridem. Erat & φύλλον Ἰνδικὸν, quod & absolutè φύλλον dicebant. De quo nos infra in Indicis.

Cujus è culmo exsudat æstatis tempore pingue roscidum] Culmus de laserpicio propriè non dicitur, sed caulis. Et aliud *culmus*, aliud *caulis*. Ut κάλαμος & καυλός. Glossæ: *culmus*, κάλαμη, στάχυς. Spicam, aut spicæ simile nihil habet laserpicii planta. Servius culmum interpretatur *junctionem spicarum*. Sed *culmus* propriè est κάλαμος, qui spicam fert. Stipulam cum ipsa spica quidam sic vocant, ut contra *spicam* alii appellant cum ipso culmo. Ita & Græci κάλαμον, & καλάμην. At *culmum* hodie dicimus stipulam, quæ in segete remansit, è quo desectæ sunt spicæ. Inde verbum *culmare* de

de his, qui culmum cum radice evellunt. κόλομος Æolibus, qui cæteris Græcis κάλαμος. Inde Latinum *culmus*. Cicero de ſenectute: *culmoque erecta geniculato vaginis jam quaſi pubeſcens includitur*. Atqui aliud κάλαμος σιτηρὸς, hoc eſt, *culmus*: aliud νάρθηξ, vel ναρθηκώδης καυλὸς, qualis eſt in laſerpicio, de quo *culmum* impropriè dixit noſter. Præterea non è caule tantum ſilphii, quem heîc ineptè culmum vocat, ſed etiam è radice manat ὀπὸς. Nec eſt pingue roſcidum, ſed lacteus ſuccus, vel lac. Pro *æſtatis tempore* ſcribendum è melioribus libris *ſtato tempore*. Scriptum erat è vitioſa conſuetudine, *eſtato*. In ſchedis Palatinis legebatur, *ſtatuto*.

Idque paſcentium hircorum inhæret barbulis] Hoc ladani proprium, non laſerpicii. Utrumque igitur confundit craſſo errore. De ladano in fama eſt Plinii locus, quem variis interpretationibus, ac correctionibus ἀεροβατοῦντες vexarunt eruditi viri. Quid hactenus effecerint, & quantum profecerint, quæ hîc ſum dicturus, oſtendent. Sic igitur ille lib. XII. cap. XVII. *Sunt qui herbam in Cypro, ex qua id fiat, ledam appellent: Etenim illi ledanum vocant. Hujus pingue inſidere: itaque attractis funiculis herbam eam convolvi, atque ita offas fieri.* Nihil fieri poteſt corruptius. Minima mutatione ſic emendo: *Sunt qui herbam in Cypro, ex qua id fiat, ledam appellent: etenim illi ledanum vocant hujus pingue: ei inſidere: idque attractis funiculis herbam in eam convolvi, atque offas fieri.* Vel etiam hoc modo: *Ledanum vocant hujus pingue inſidere id, atque attractis funiculis*, &c. Herbam, ex qua ladanum fiebat, *ladam* à quibuſdam appellari ſcribit, & *ladanum* à Cypriis hujus herbæ pingue, id eſt, τὸ λίπος, vel τὴν λιπαρίαν, quæ illi herbæ inſidet. *Pingue* abſolutè ἡ λιπαρία. Ut hoc loco Solinus *pingue roſcidum*. Et ſupra: *hoc pingue hæret harundinum comis.* Et rectè *leda* herba, *ledanum*, ἡ λιπαρία, quæ herbæ inſidet. Dioſcoridi λῆδον herba: λάδανον, ἡ λιπαρία. Hoc pingue inſidebat foliis ledæ herbæ. Dioſcorides: μακρότερα δὲ τὰ φύλλα ἔχει καὶ μελάντερα λιπαρίας τινὰς κατὰ τὸ ἔαρ ἐπισπώμενα. Sequitur ex correctione noſtra: *idque attractis funiculis herbam eam convolvi, atque offas fieri.* Id pingue, quod inſidit herbæ ledæ, tractis ad herbam eam funiculis convolvitur, id eſt, circa funiculos volvitur, & inde exemptum in offas formatur. Dioſcorides: ἔνιοι καὶ τὰ σχοινία ἐπισύρουσι τοῖς θάμνοις, καὶ τὸ προσπλασθὲν αὐτοῖς λίπος ἀποξύσαντες, ἀναπλάσσουσι. Ridiculum eſt, quod viri docti ſibi perſuadent, Plinium εἱλίζουσι legiſſe apud Dioſcoridem pro ὑλίζουσι. Nec enim in hoc genere ladani verbum ὑλίζειν locum habebat, ſed in eo, quod ex ex hircorum barbis decerpebatur. Quod enim οἰσυπῶδες eſſet, & ſordium plenum, per colum liquabatur. Præterea εἱλίζειν, pro ἑλίσσειν Græcum non eſt. Pingue verò illud, quod ex foliis colligebatur tractis ad herbam funiculis, circa ipſos funiculos volutum, & inde expreſſum cogebatur in offas. Sed mendoſa Plinii lectio, & interpunctio eos decepit. Non malè etiam legeretur, & eodem ſenſu: *ladanum vocant hujus pingue: inſidere id, atque attractis funiculis herbam eam convolvi.* Tralaticia autem loquutio, *attractis funiculis herbam eam*, pro *tractis funiculis ad eam herbam*. Sic *adſtitutus tribunal, genua advolutus*, & ſimilia. Scribi tamen poſſet: *attractis herbam in eam funiculis.* Sed nihil neceſſe. Idem Plinius lib. XXVI. cap. VIII de confectione ladani in Syria, & Africa: *fit jam in Syria, atque Africa. Nervos enim in arca circumdatos lanis trahunt, adhæreſcente roſcida lanugine.* Nulla iſtic lanugo roſcida. Scribe: *adhæreſcente roſcido lanugini.* Lanæ lanugini adhæreſcebat pingue *roſcidum*; quod abſolutè *roſcidum* hic vocat. Non igitur ipſa herba convolvebatur, ſed pingue ipſum tractis ad herbam funiculis: unde offæ fiebant, Dioſcoridi μαγίδες: μαγίδας ἀναπλάσσουσι. Grammatici παλαθίδα, & ἄρτον interpretantur. *Offa* quoque ex ὄμπη, quod eſt genus panificii, Æolice ὄπφη: unde *offa*. Quod traductum ad alia. Sic & πυρόεντα, πυροῦντα, Latine *turunda* panis caſeati, ſive libi genus. Inde & *turundæ* quælibet μᾶζαι, vel offæ. Ut *turundæ hordeaceæ* Varroni μᾶζαι κριθίνου ἀλεύρου. Ita enim Græci vertunt. Sic *turunda*, & *offa* pro qualibet maſſa, vel globo cujuſcumque ſit materiæ. Hæc alibi pluribus. Unus hic

A colligendi ladani modus in Cypro inſula. Depectebatur & ex hircorum barbis, genibuſque, quibus adhæſerat illud pingue, à paſtu foliorum ejuſdem herbæ. Auctor eſt Dioſcorides. Et hic alter modus ladani legendi, de quo ita Plinius tradit: *ſimiliter & hoc ibi fieri tradunt, & eſſe œſypum hircorum barbis genibuſque villoſis inhærens, ſed hederæ flore deroſo paſtibus matutinis cum eſt rorulenta Cypros.* Dioſcorides utrumque genus è lado frutice fieri ſcribit, & eſſe genus ciſthi. Plinius alterum è lada, quam herbam facit: alterum ex hederæ flore à capris depaſto. Non dubium eſt legiſſe eum in auctore Græco, quem expreſſit, κισσὸν B pro κίσθον. Dioſcoridem eſſe falsò opinantur. Etenim ſi eum ſequutus eſſet, haud poterat iſtic falli, quum ille ſtatim poſt ciſthi, & hypociſthidis ſcriptionem, ſubjiciat & λῆδον, quod alterum εἶδος κίσθου vocat, præterea herbam non vocaſſet, quem Dioſcorides *fruticem*, θάμνον. Poſtremò diſtinctionem ladani in terrenum & factitium; friabile & lentum, aliunde habet quam à Dioſcoride. Nulla denique *ſtrobi* mentio apud Dioſcoridem, quo nomine ladanum, qui ex Arabia veniebat, recentiores appellaſſe dicit. Ex Apollodoro igitur, qui de odoribus ſcripſerat, & quem in hoc ipſo libro citat auctorem, aut ex alio ladani hiſtoriam hau- C ſit. Heſychius λῆδον βοτάνην vocat, ut inde conſtet auctores fuiſſe, qui ledam inter herbas retulerint. Hi ſunt ſine dubio, quos ſequitur Plinius noſter. Nam Dioſcorides λῆδον, ut & κίσθον θάμνους eſſe, id eſt, frutices ſcribit. Placebat ſummo viro in Pliniana ſcriptura corrigere, *ſphærulæ flore deroſo.* Quæ multis modis falſa deprehenditur, & curva correctio. Primùm, quid eſt *ſphærulæ flos?* An pro ſpærulaceo flore? Vix ferri queat. *Corymbi* voce paſſim tanquam ſua uſi ſunt Latini. Demus rectum eſſe *ſphærulæ florem*, τὸ σφαιρίον ἀνθῶν, cujus tandem herbæ, aut fruticis hunc ſphærulæ florem intelli- D gemus? Non magis propria fuerit hæc ſphærula ciſthi, quam hederæ, quam aliarum denique omnium, quibus τὸ κορυμβοειδὲς ἄνθος. Quod hanc conjecturam alia ſimili tuetur, quam in altero Plinii loco excogitavit, ut non pejoris eſt, ſic plane ejuſdem notæ. Et συχνὴ ἐπικουρία dici poteſt. Utraque futilis, & levis. Ex capite de coronamentis hæc verba ejus ſunt: *utuntur & ferulis, & corymbis ederæ flore purpureo.* Similiter ibi emendat, *utuntur & ſphærulis.* Nihil falſius. Si *ſphærula* idem quod *corymbus*, cur ad eamdem rem ſignificandam duas uſurpavit συνωνύμους λέξεις? Scribendum, ut in editis, quibus & concinunt omnes libri: *utuntur & ferulis, &* E *corymbis, & hederæ flore purpureo.* Totum illud caput de coronamentis expreſſit Plinius è capitibus primo & ſecundo ſexti libri Theophraſti. Quo libro tractat περὶ φρυγανικῶν, & ποωδῶν. Et primo quidem περὶ φρυγανικῶν, quo in genere, tam in ςεφανωματικοῖς, quam λαχανηροῖς, ὀλίγον eſſe τὸ ἥμερον tradit. Ut in coronariis *roſæ*; *violæ*, & cetera, quæ ibidem recenſentur? In olerum genere ſimiliter, ut *radix*, *ruta*, & ſimilia. Pergit poſtea utriuſque generis differentias, & ſpecies ἐν τοῖς ἀγρίοις, tam ςεφανωματικοῖς, quam λαχανηροῖς explicare. Νῦν δὲ πρῶτον, inquit, περὶ τῶν ἀγρίων λέγωμεν. Hoc totum genus ſilveſtrium dividit in ἀκανθικὰ, & ἀνάκανθα. Inter ἀνάκανθα F recenſet, κισσὸν, μήλωθρον, ἐρπυλλὸν, σμίρεα, κνέωρον, ὀρίγανον, θύμβραν, φάκελον, ἐλελίσφακον, πράσιον κόνυσαν, μελισσόφυλλον, ἕτερα τοιαῦτα καὶ τὰ τούτοις ὅμοια. Ἔτι τὰ ναρθηκώδη, καὶ νευρόκαυλα. Καθάπερ μάραθρον, ἱππομάραθρον, ναρθηκία, νάρθηξ: καὶ τὸ καλούμενον μυόφωνον. Hunc locum ad verbum reddens ſcripſit: *inter hæc nervoſi cauliculi quibuſdam, ut marathro, hippomarathro, myophono. Utuntur & ferulis, & corymbis.* Vera igitur lectio, *& ferulis*, nec ſollicitanda: ſed error immanis Plinii notandus, qui inter coronamenta recenſuit, quæ nihil minus quam ςεφανωματικὰ. Immo nullum eorum φρυγανικῶν, quæ citato paulo ante Theophraſti loco enumerantur, ςεφα- G νωτικὸν. Certè cap. VI. libri ejuſdem, ubi ſpeciatim tractat περὶ ςεφανωματικῶν, inter ςεφανώματα nullius eorum meminit. Sed hæc alibi latius explicabimus. Dixerit heîc aliquis; an non κισσὸς ςεφανωματικὸν, quæ inter illa vel primo loco numeratur? Inde eſt, quod & *corymbis* coronarios *uti*, *hederæ flore purpureo*; ibidem ſcribit Plinius. Κισσὸν enim legit, ut hodieque legitur in illo Theophraſti loco. Non dubium

tamen est, quin mendosum sit; & scribi debeat κισθός. Κισσὸν ibi locum habere non posse palam est. Primum auctor Atticus κιττὸν semper nominat, nusquam κισσόν. Deinde inter φρυγανικὰ & ποώδη nullus hederæ locus, quam inter δένδρα, & θάμνους locavit. Nam licet hederæ quædam species ἐπίγειος sit, certum tamen est fruticem esse, & θάμνον, quæ & arborescit: heîc vero inter φρυγανικὰ genus universum numerat. Sed specialis descriptio ejus, quæ in sequenti capite tractatur, longe melius evincit de hedera non posse intelligi: καὶ γὰρ κισσοῦ δύο γένη διαιροῦσι, τὸ μὲν ἄῤῥεν, τὸ δὲ θῆλυ. Τῷ τὸ μὲν μεῖζον καὶ σκληρότερον, καὶ λιπαρώτερον φύλλον ἔχειν, καὶ τὸ ἄνθος ἐπιπορφυρίζον. Ἄμφω δ' ὅμοια τοῖς ἀγρίοις, πλὴν ἐλάττω καὶ ἄοσμα. Hæc κισσοῦ divisio in marem & fœminam cistho convenit, non hederæ. Præterea flos masculi ἐπιπορφυρίζων cisthi est, non hederæ proprius. Nulla enim hedera florem habet purpurascentem. Dioscorides de cistho: δασέα ἄνθη ὥσπερ ῥοιᾶς. Ἐπὶ δὲ τοῦ θήλεως λευκά. Punica florem habet purpureum. Plinius de cistho: *duo ejus genera: flos masculo rosaceus, fœminæ albus. Rosaceus* idem, quod ἐπιπορφυρίζων. Nam ῥόδον ὑποπόρφυρον Græcis vocatur. Locus Plinii ex capite de *coronamentis*, quo superiora Theophrasti verba expressa, ita legendus, atque interpungendus est: *utuntur & corymbis ederæ, flore purpureo, & in alio genere earum silvestribus rosis simili. Sed in his quoque color tantum delectat, odor autem abest.* Dicit coronarios uti ferulis, hoc est, ναρθηκώδεσι, ut νάρθηξ & ναρθηκία: & hederæ corymbis, qui florem purpureum habent, & in alio genere silvestribus rosis similem, verum sine odore. An non ex his certo certius colligitur legisse apud Theophrastum: καὶ τὸ ἄνθος ἐπιπορφυρίζον, ἄμφω δ' ὅμοια τοῖς ἀγρίοις ῥόδοις, πλὴν ἐλάττω καὶ ἄοσμα. Aliquid deesse in verbis Theophrasti, ut hodie leguntur, clarissimum est. Ἄμφω δ' ὅμοια τοῖς ἀγρίοις. Atqui utrumque genus κισσοῦ inter ἄγρια recensuit capite superiori. Præterea de floribus κισσοῦ loquitur. Et masculo quidem κισσῷ florem esse ἐπιπορφυρίζοντα. Utrique autem, tam masculo quam fœminæ silvestribus rosis similem. Ceterum ἐλάττω καὶ ἄοσμα, *minorem & inodorum.* Κισσὸς habet florem purpurascentem, & silvestribus rosis similem. An hæc ederæ conveniant, herbarii nostri viderint. Adeo verum est de cistho accipiendum esse hunc κισσὸν Theophrasti, qui florem habet caninæ rosæ similem, ut etiam Latini *caninam rosam* appellarint Græcum cisthon, unde ladanum colligitur. Scribonius Largus cap. XXI. *Hypocisthidos, qui est succus rosæ silvaticæ, quam caninam quidam vocant.* Ex hoc eodem Theophrasti loco inter hederas describendas Plinius earum genus masculo, & fœmina distinguit, quod nec Theophrastus fecit lib. III. cap. XVIII: ubi accuratissimè omnes hederæ differentias, ac species explicavit. Nec Dioscorides, nec adeo quisquam veterum. Hoc enim cisthi proprium. Hesychius: κισθὸς θάμνος οὗ ἄῤῥεν καὶ θῆλύ ἐστι. Vetustissimum igitur vitium oportet esse, quo κισσὸς hodie apud Theophrastum legitur pro κισθός. Certè vetustate ipsa mendi pæne vincor credere mendum non esse. Ita legebatur in libris Theophrasti ætate Plinii: nec aliter ipse reperit scriptum penes eum auctorem, quem in describendo ladano compilavit. Non enim putandum confudisse κισθὸν, & κισσὸν, quum lib. XXV. cap. X clarè distinxerit eos frutices, scribens Græcos vicino κισσοῦ vocabulo *cisthon appellare fruticem majorem thymo, foliis ocimi, sub quo nascatur hypocisthis.* Miror tamen, quum notæ, quas κισσῷ attribuit Theophrastus, adeo ab hedera alienæ sint, quam ubique κιττὸν appellat, pro hedera potuisse eam vocem accipere, virosque doctissimos ita hodieque apud Theophrastum interpretari. Theophrastus nusquam κισθοῦ meminit, nisi hoc loco, ubi κισσὸν pro κισθῷ nominavit, cum alibi hederam κιττὸν semper vocet. Suspicor igitur Atticos vocasse κισσὸν, qui cæteris Græcis κισθὸς vocabatur: & κιττὸν hederam, quem reliqui κισσὸν vocabant. Sic κυσσὸν & κυσθὸν dicebant. Nam à verbo κύω κυσσὸς pars illa, qua mulier est, quam & κύσθον dixere. Interpres Aristophanis: χοῖρος, τὸ αἰδοῖον γυναικεῖον λέγεται. Ἔστι δὲ κύσθος. Dicebatur & κυσσός. Sic à μίω, quod est vincio, μίσσος & μίτλος *tænia, vinculum.* Hoc & μισθὸς vocabatur. Inde μισθὸν pro mercede, quia tæniis donabantur victores. Glossæ: μισθὸς, ἔπαθλον κωμικῶν. Inde & pro quolibet præmio usurpatus. Sic βυσσὸς & βυθὸς, *fundus* à verbo βύω. Verùm, ut dicam quod mihi verius videtur, κισσὸς Laconicum est pro κισθὸς, ita enim Ἀσάνα pro Ἀθάνα dicebant; σίγω pro θίγω: σιὸς pro θεός: & sexcenta talia. Hanc vocem videntur & quidam ex Atticis auctoribus usurpasse, ut Theophrastus, & alius ille, à quo accepit historiam ladani Plinius. Igitur κισσὸς, & κισθὸς idem. At κισσὸς diversus, id est, hedera, quem Attici κιττόν. An accentu solo invicem differebant? Ut κίσσος sit κίσθος, κισσὸς hedera ὀξυτόνως? Non promptum est dicere, quot voces Græcis totidem, & iisdem literis, diverso accepto accentu, significatione dissideant. Βίος est vita, βιὸς est arcus. Sic κισσὸς hedera, κίσσος idem quod κίσθος. Dioscorides: θάμνος, ὃν ἔνιοι κίσθαρον, ἢ κίσσαρον καλοῦσιν. Hæc verba manifeste ostendunt κίσθον etiam vocatum esse κίσσον. Nam ut à voce κίσθος diminutivum est κίσθαρον; sic à κίσσος, & κίσσαρον. Et fallitur vir magnus, qui voces has compositas à κισσὸς, & ἄρον, quod genus herbæ notissimum. Auctuarii ad Dioscoridem auctor hæc verba eadem repetit in voce κισσός. Quasi κισσὸς hedera, & κισθὸς idem genus sint. Certè & κίσσαρον, τὸν κισσὸν apud Hippocratem, hoc est, hederam interpretatus est Galenus in lexico. Κίσσαρον, τὸν κισσόν. Folia hederæ sic vocata fuisse veteribus opinor. Sic enim κίσσαρα, τὰ τῆς κισσοῦ φύλλα, ut οἴναρα τὰ τῆς οἴνης, vitis folia. Hesychius: οἴναρα τὰ τῆς ἀμπέλου φύλλα. Nam οἴνη vitis. Sed & οἶνα dicebant folia, quæ & οἴναρα. Sic & κίσθαρα similiter τὰ τῆς κίσθου φύλλα. Unde & pro ipso frutice usurpata hæc vox, & κίσσαρος dictus, & κίσθος. In indice libri primi Aëtii hæc tria describuntur, κίσθαρος, ἢ κισθὸς, ὑποκισθίς. Κισθὸς ἢ λάδων. In textu ipso scriptum κίσαρος. Sed veteres scripsisse κισθὸν ex Lexico Hesychii constat. Ut autem κίσσος pro κίσθος, ita & κίσσαρος pro κίσθαρος. Quæ vocum ὁμωνυμία adeo turbavit Arabas, & recentiores Græculos, ut ladanum ex hedera fieri passim scripserint. De Plinio igitur mirari non debes. De Avisena notum est, eum cisthon cum hedera confundere, & ladanum ex hedera fieri facere. Græcos recentiores in eodem errore versari colligi potest ex auctore auctuarii Dioscoridis, qui κισσὸν & κισθὸν confundit. Lexicon Iatricum vetus hujus etiam rei fidem facere queat. In quo ita notatum inveni: κίσθαρος ἢ κίσσαρος ὁ χαμαικίσσαρος. Nomine χαμαικισσάρου intelligit τὸν χαμαίκισσον: terrestrem nimirum hederam. Et patet eum putasse κίσθαρον, hoc est, κίσθον genus esse hederæ terrestris. Quod confirmatur & aliis ejusdem auctoris verbis, quibus ladani confectionem describit. Ὑποκισθὶς, inquit, ἐστὶν εἶδος ἄνθους, ὃ γένεται μέσον τῶν χαμοκισσάρων. Οἵτινες γεωργοῦσι τὸ λάδανον, συνάγουσι ταύτην Ἰουλίῳ, καὶ Μαΐῳ, καὶ συνθλῶσι, καὶ ἐκπιέζουσι, καὶ τιθέασιν ἐν ἡλίῳ τὸν ὀπὸν, ἕως ἂν γένηται εἰς σύστασιν ξηράν. Ubi χαμοκίσσαρον vocat τὸν κίσθον, sub quo nascitur hypocisthis: at χαμαικίσσαρος est χαμαίκισσος: ut κίσσαρος est κισσὸς, id est, hedera. Prætera ladanum, quod ex quodam cisthi genere *ledo* vocato colligebatur, confundit cum eo succo, qui exprimebatur ex hypocisthide. Aëtius herbam ledam, ex qua ladanum fiebat, patria tantum distinguit à cistho, nec enim aliud genus esse, sed ille cisthus, qui *ledon* vocabatur, in calidis locis nascebatur. Κισθὸς ἢ λάδων ἐξ οὗ τὸ λάδανον. Aliis dicitur λῆδον. Unde *leda* herba Plinio lib. XIII. At lib. XXVI *ledon* vocatur. Sic enim ibi scribunt libri: *Ledon appellatur herba, ex qua fit ladanum in Cypro barbis caprarum adherescens.* Vulgo editur: *lada.* Haud facile dicas, utrum sit ὁ λήδων, an τὸ λῆδον. In antiquissimo codice Aëtii scribitur λίδων pro λήδων. Apud Hesychium quoque scribendum videtur, τὸ δὲ ἀπὸ τῆς βοτάνης λήδωνος: ubi vulgo legitur, ἀπὸ τῆς βοτάνης ληδῶν. Paulus Ægineta λάδωνα vocat. Alias τὸ λῆδον herba: pingue roscidum, quod ex eo colligebatur λήδανον. Sic enim vulgo vocabatur. Arabibus λάδανον vocari scribit Herodotus Musa tertia: τὸ δὲ λήδανον, τὸ Ἀράβιοι καλέουσι λάδανον. Barbis hircorum, & caprarum adhærescens inveniri ibi tradit: τῶν γὰρ αἰγῶν, καὶ τῶν τράγων ἐν τοῖσι πώγωσι εὑρίσκεται ἐγγινόμενον οἷον γλοιὸς ἀπὸ τῆς ὕλης. Perperam vertunt *veluti mucor ligni.* Immo vertendum erat: *veluti glutinosus humor è silva*, quam depascuntur hirci scilicet. Τὴν ὕλην vocat

vocat fruticum omne genus, quos carpunt capræ. Τὴν παντοδαπὴν eas carpere notissimi versus Eupolidis indicant. Notum etiam ex Plinio, quomodo ille γλοιὸς ἀπὸ τῆς ὕλης intelligendus sit. Avienus de Arabia:

---- *& ladani vim*

Vellera defundunt.

Ladanum ergo Arabicum, si Herodoto credimus. At λήδανον in Cypro vocabatur, ex herba λήδῳ vel λήδωνι collectum. Ea est cisthus Cyprius οὐχ ἕτερος ὢν τῷ γένει à cistho, qui in aliis locis nascebatur. Plinius cisthum illum hederam vocat, quia κίσσον legit in auctore suo pro κίσθῳ, solo fortasse accentu faciente differentiam; cum κίσσος sit κίσθος, κισσὸς autem hedera. Libri tamen omnes veteres etiam κισσὸς & κισθὸς similiter scribunt accentu in ultimam retracto. Nihil tamen ambigendum est, quin κισσὸν aliqui scripserint, qui aliis erat κισθός. Profecto Paulus Ægineta non aliter videtur scripsisse. Cum enim exacte per seriem alphabeti simplicia medicamenta descripserit, servato examussim literarum ordine, post mentionem κίσσηρις statim subnectit de cistho, quem κισσὸν vocavit. Nec enim aliter eo loco sedem, & ordinem habere potuisset. Præterea liber antiquissimus ita plane scriptum exhibet: Κισσὸς, ἢ κίσσαρος συπτικός ἐστι θαμνίσκος, καὶ ψυχρὸς ἠρέμα τὴν δύναμιν. Quod de cistho intelligendum. Sequitur postea, κισσὸς, quæ est hedera. Idem vetustissimus codex κισσὸν scribit, pro κισθὸν in mentione hypocisthidis apud eundem Æginetam: Ὑπόκυσθις χυλός ἐστιν ἐπιφυομένων περὶ τὰς ῥίζας τοῦ κισσοῦ τε καὶ κισσοῦ καλουμένου, οἱ κυτίνων. Nec aliter repererunt Arabes in libris suis, qui unica voce *chasus* ex κισσὸς detorta, tam cisthum, quam hederam comprehenderunt. Vide Avisenam lib. II. cap. CLXXII. In versibus Rufi Ephesii apud Galenum lib. I compositionis φαρμάκων κατὰ τόπους, etiam κισσὸς pro κισθὸς scriptum invenitur de Arabico ladano.

Ἄλλο δέ που κατὰ γαῖαν Ἐρεμβῶν λήδανον εὗροις,
Αἰγῶν ἀμφὶ γένεια, τὸ γὰρ καταθύμιον αἰξὶ,
Κισσοῦ ἀνθήεντος ἐπέδμεναι ἄκρα πέτηλα.

Ubi κισσὸς est κισθὸς. Non mirum igitur, si κισθὸν Plinius cum κισσῷ confundit. Sed & apud Theocritum κισσὸς in omnibus libris scribitur, qui κισθὸς debet intelligi Eidyll. V.

---- Πολλὸς γὰρ ὡς ῥόδα κισσὸς ἐπανθεῖ:

Cisthus est, qui floret, ut rosa, non hedera. Hinc *caninam rosam* cisthi florem Latini appellarunt. Hæc erat dialectus multorum Græciæ populorum. De Laconibus hoc certissimum. Θίνες, σίνες: θίγω, σίγω: θεῖν, σεῖν. Hoc more etiam utebantur Cretenses. Hesychius: σεῖναι, θεῖναι, Κρῆτες. Fortean & Cyprii, qui κισσὸν vocabant κισθὸν. Nec mirum auctores ex Atticis ita etiam vocasse. Nulla quippe apud eos ex nominum similitudine confusio. Utpote qui hederam vocabant κιττὸν: *cisthum* autem κισσόν. Sic cum non uni populi Græciæ κισσὸν dixerint pro κίσθον, nec mirum est auctores quosdam ex Atticis ita quoque vocasse. Addit Plinius de ladano: *Ergo in utraque gente bina genera, terrenum & factitium. Id quod terrenum, est friabile: factitium lentum.* Bina illa genera ladani sunt, quod ex hircorum barbis, & genibus depecti solebat, & quod ex ipsa herba tractis funiculis decerpebatur. Hesychius: λάδανον, τὸ μὲν ἀπὸ τῶν πωγώνων τῶν αἰγῶν καὶ τράγων, τὸ δὲ ἀπὸ τῆς βοτάνης λήδου. Utrum ex his terrenum, & factitium? Vir magnus in postumis epistolis asserit *terrenum* vocatum, quod ex hircorum barbis colligitur, quia ferè οἰσυπῶδες: alterum factitium, quia ingenio hominum, non sponte colligitur. Mecum sentiet, & verius opinabitur, qui contrarium adstruenti favebit. Certè multo verisimilius, *factitium* propriè appellatum, in quo conficiendo plus operæ sumptum fuerit. Tale erat, quod hircorum barbis adhærescebat, quodque è pastu germinum rorulentorum depectebatur, inde postea saccabatur. Ergo hoc propriè factitium. Alterum vero terrenum, quod ex ipsis fruticibus tracto funiculo colligebatur. Hoc simplicissimum, & nullius ferè artis indigum. Colligi tantum oportebat, ex ipso frutice: ideo *terrenum* vocat. Præterea terrenum friabile fuisse dicit, factitium, lentum. Si hircorum ladanum, quod terrenum vocari putat Scaliger, friabile fuit, quomodo verum erit quod tradit Dioscorides, id colo liquari solitum? Τὴν λιπαρίαν, inquit, ἀναλαμβάνουσι τῷ πώγωνι, καὶ τοῖς μηροῖς προσπλαττομένην, διὰ τὸ τυγχάνειν ἰξώδη, ἣν ἀφαιροῦντες ὑλίζουσι. Ergo lentum, & ἰξῶδες, quod ex caprarum villis abstergebatur, & proinde quod *factitium* Plinio dicitur. Id confirmabimus & altero loco Pliniano, quem vulgo viri doctissimi, dum corrigunt, corrumpunt. Is est è libro XXVI. cap. VIII: ubi sic legitur: *& ladano sistitur alvus utroque, quod in segetibus nascitur, contuso & cribrato.* Scaliger in epistola quadam ad Vertunianum restituere se dicit: *& ladano sistitur alvus, vitroque, quod in segetibus nascitur*: qua emendatione nihil legi falsius. Vitrum herba est, quæ contundi quidem, sed quomodo cribrari potest: hoc enim solis friabilibus convenit. Non exagitabo pluribus conjecturæ illius ἄτοπον, quod satis se prodit. Distinguendum in verbis illis Plinii: *& ladano sistitur alvus utroque: quod in segetibus nascitur, contuso & cribrato.* Duplex ladani genus, ut in superioribus vidimus: unum terrenum, alterum factitium: terrenum friabile: factitium, lentum. Utroque ladano alvum sisti dicit: quod in segetibus nascitur, contuso & cribrato, id est, *terreno*, quod friabile esse dixit. Nam factitium, quod lentum erat, καὶ ἐμμάλακτον, nec contundi, nec cribrari poterat. *Segetes* heic arva sunt. Nec enim *seges* frumentum satum dicitur tantum, vel omne, quod in arvo seritur frumenti more, sed etiam terra ipsa. Poëta:

Nec Cereri opportuna seges, nec commoda Baccho.

Lucillius VII. Satyr.

Solam auram adversum segetem immutasse satumque.

Segetem, & satum distinguit, terram & frumentum. Malè apud Nonium legitur, *statum*. Accii versus II. Tusculana:

Proba etsi in segetem sunt deteriorem datæ
Fruges, tamen ipsæ suapte natura enitent.

Nec poëtæ tantum, sed oratores ita loquuti sunt. Cicero in Hortensio: *ut enim segetes agricolæ subigunt aratris multo ante quam serant.* Glossæ: *seges*, ἄρουρα, λήϊον, καὶ θέρος: *segetibus*, καρποῖς, γεννήμασιν, ἀρούραις. Ita in hoc loco Plinii *in segetibus*, significat in arvis. Ladanum quod in segetibus provenit, *terrenum* suprà vocavit, quod in arvo ex frutice ipso colligitur, diversum utique à factitio, quod domi scilicet ex hircorum villis carpitur. Ladanum sanè illud nascitur in arvis, & colligitur foliis fruticum insidens, & floribus ledæ herbæ. Nihil heîc prorsum viderunt eruditissimi viri. Nec possum eos ferre, quum Plinium reprehendunt, quod mammas hederæ tribuerit. Quia enim eadem epistola positum, heîc eadem opera discutiam, & refellam. Verba Plinii capite de hederis περὶ κισσοῦ δενδροειδοῦς: *signa ejus folia maxima, atque latissima mammas erigentia.* Quas mammas habeat hedera nescire se profitentur, quæ animal non parit. Hoc ridiculum. *Bumastus*, quæ dicitur uva, animal non parit, & tamen mammas habet, saltem à mammis dicitur. Locum Plinii primum corrigamus, qui male habet: ita enim vulgo est: *signa ejus folia maxima, atque latissima mammas erigentis, quæ sunt ceteris inflexa: racemi stantes & subrecti.* Scribe vero, ac distingue: *signa ejus maxima, atque latissima: mammas erigentes quæ sunt ceteris inflexæ, racemi stantes ac subrecti.* Dicit eam hederam racemis stantibus, & subrectis esse, erigentibus mammas, quæ sunt ceteris inflexæ. *Mammas* vocat acinos hederæ. Quos qui inspexit, scit mammis similes esse, cum parvo ἀνθρωμασίῳ, quod papillam refert. Inde & *bumastus* uva dicta, quod acinos haberet hederæ mammis, id est, acinis similes. Plinius idem lib. XIV. cap. III. *In pergulis vero seruntur escariæ appellatæ: ederæ acinis albæ nigræque bumasti, totidem coloribus.* Sic enim legendum. Vides bumastum uvam dici, quæ acinos hederæ habet. Ergo acini hederæ Græcis propriè μαστοί. Virgilius:

---- *& tumidis bumaste racemis.*

Bumastus etiam genus herbæ apud Virgilium in Culice:

Bumastusque virens, & semper florida tinus.

Ita enim veteres editiones, non *buphthalmus*. Hesychius: βουμανὲς, εἶδος δὲ βούμαστον εἶδος βοτάνης. Sic dictum, quod à bubus avidè expeteretur. Μάσαι est quærere. Μαστὸς quæsitio, μαστῆρες, ἐρευνηταί. Inde βούμαστον, quod &

& βύπμων βυμανὲς. At bumástus uva à mammis tumidis, & acinis hederæ similibus. In Theophrasti codicibus loco, quem Plinium putant reddidisse, hodie legitur βλαςοῖς. Sic enim ibi Theophrastus de helice: ὐ μόνον τοῖς φύλλοις ὅτι μείζω καὶ πλατύτερα ἔχει, ἀλλὰ καὶ τοῖς βλαςοῖς. Ἐυθὺς γὰρ ὀρθὰς ἔχει ὐχ ὥσπερ κατακεκαμμένη, καὶ διὰ τὴν λεπτότητα, καὶ διὰ τὸ μῆκος. Τῆς δὲ κιττώδους, καὶ βραχύτεροι, καὶ παχύτεροι. Hæc corruptissima. Lege: ὐχ ὥσπερ ἡ ποώδης κεχυμένους, καὶ διὰ τὴν λεπτότητα καὶ διὰ τὸ μῆκος. Helicem quamdam vocat κιττώδη, quæ in hederam evadit, quam & ἀποκιττοῦσθαι dicit. Hanc differre ἀπὸ τῆς ποώδους. Etenim κιττώδη statim ὀρθὰς habere τοὺς βλαςοὺς, non κεχυμένους, ut ποώδης, quæ per terram fusa præ longitudine, & gracilitate habet brachia, cum τῇ κιττώδει breviora sint, & crassiora. Βλαςοὺς Plinius vertit *brachia*. Ut verisimile non sit μαςοὺς temere accepisse, aut legisse ἀντὶ τῶν βλαςῶν. Locum Theophrasti, quem superius retulimus, non convertit Plinius. Nam Græcus de helice, quæ ἀποκιττοῦται, id est, hederascit: Latinus, de candida hedera, quæ ἀποδενδροῦται, id est, arborescit. Notum autem est, Græcos auctores tria genera hederæ facere, in multas deinde species se spargentia, nigræ, candidæ, & quæ vocatur helix. Aliunde igitur quam à Theophrasto habet Plinius hederæ candidæ racemos stantes, & subrectos, mammas erigentes, id est, acinos. Nec dubium est, quin acinos racemorum hedera vocaverit *mammas* à similitudine. Utinam tam facilè defendi posset, quod ἐρευθεδανὸν Theophrasti, id est, rubiæ radicem cum hederæ quodam genere confuderit. Lib. XXIV. cap. X ita scribit de cistho: *sub his maximè nascitur hypocisthis, quam inter hederas dicimus, cissos erythranos ab iisdem appellatur similis hederæ, coxendicibus utilis è vino potus: item lumbis.* Falsum est inter hederas de hypocisthide dixisse. Ineptum est dicere cisson erythranum hederæ similem esse. Nam si erythranos αὐτόχρημα hedera est, ineptè dicatur hederæ similis. Fortè legendum: *sub his maximè nascitur hypocisthis. Jam inter hederas diximus cisson. Erythranos ab his appellatur similis hederæ.* Cissos Plinio propriè dicitur genus hederæ, quæ riget, & sine adminiculo stat. Idem enim capite de hederis: *est & rigens hedera, quæ sine adminiculo stat, sola omnium generum ob id vocata cissos.* Ait igitur heîc sese inter hederę medicinas & de cisso dixisse. Nam κισσὸς hedera est. Quæcunque de medicinis hederæ diximus, & de cisso dicta sunto, quæ species est hederę. Hic sensus Plinii videtur. Nihil quippe attinent ad hoc caput, quo medicinæ ex hederis narrantur, quæcunque de natura hederæ, & differentiis alio capite persequutus est. *Erythranon* heic Gręcis appellari dicit hederæ similem, coxendicibus utilem & lumbis, tantámque vim inesse, ut sanguinem urina detrahat. Sumptum ex Theophrasteis: τὸ δὲ ἐρευθεδανὸν καὶ φύλλον ὅμοιον κιττῷ, πλὴν στρογγυλότερον. Ὀυρητικὴ δὲ διὸ καὶ χρῶνται πρὸς τὰ τῆς ὀσφύος ἀλγήματα, καὶ πρὸς τὰ τῆς ἰσχιάδος. Ἐρευθεδανὸν hoc loco rubia est, quæ & ἐρυθρόδανον dicebatur, sic dicta, quod rubram habeat radicem tingendo aptam. Dioscorides: ῥίζα δὲ ἐστὶν ἐρυθρὰ, βαφική. *Rubram radicem* vocat Vitruvius: lumbis eam prodesse tradit quoque Dioscorides, & urinam ciere aliquando & sanguinem. Cum hæc ita sint, Plinius tamen ἐρυθρανὸν distinguit ἀπὸ τοῦ ἐρευθεδανοῦ. Nam capite sequenti de erythrodano agit, eosdem prope in medicina effectus de ea narrans, quos hîc erythrano cisso attribuit. Certè quod heîc dicit de erythrano, hoc Theophrastus de ereuthedano, quæ rubia est. At quas infra de ereuthedano exposuit medicinas, à Dioscoride accepit. Capite de hederis, ex quorumdam Græcorum sententia, duo genera nigræ hederæ facit, *erythranon* & *chrysocarpon* à colore acinorum. Volo credi Plinio Græcos aliquam hederam vocasse erythranon, quæ sit acinis rubris similis, diversa utique ab ereuthedano Theophrasti, quæ heîc tamen confundit. *Ereuthedanum* à rubra radice dictum, *erythranos* à rubris acinis. Hic hedera est: illud folia hederæ similia tantum habet: φύλλον ὅμοιον κιττῷ, πλὴν στρογγυλότερον. Dalecampius legit apud Theophrastum κισσῷ, & corrigit heîc apud Plinium, *cisthon erythrodanon*. Ineptissimè. Quod medici, herbariique, quorum ille cymbalum fuit, non graviter ferent. Κισθὸς Græcum est, non κισὸς, licet ita scribatur apud Dioscoridem, quod mendosum est. Nullus præterea κισθὸς dictus ἐρυθρόδανος. Haud malè

A aliquis conjicere posset, Plinium ex illo Theophrasti loco, ubi ἐρευθεδανὸν folia hederæ similia habere dicitur, κισσὸν ἐρυθρόδανον confinxisse, & inter hederæ nigræ genera retulisse. Nihil verius. Et omnino legendum hoc loco: *quem inter hederas diximus, cissos erythrodanos ab iisdem appellatur, similis hederæ.* Inter hederas sanè meminit κισσοῦ ἐρυθροδάνου, quem à colore acinorum sic dictum voluit, ut χρυσόκαρπον. Atque ita utrobique legendum, ἐρυθρόδανος. Nam ἐρυθρανὸς Græcum non est. Sic Plinius κισσὸν ἐρυθρανὸν diversum fecit ab ἐρυθροδάνῳ, quæ est rubia, qua lanæ tinguuntur, quod est falsissimum. Ἐρυθρόδανος Græce ruber est. Ad ladanum

B redeamus. Genus illud, quod hircorum villis adhærescat, Plinus recentioribus appellatum dicit *strobum*. Ita vulgati codices. Sed in scriptis legitur: *recentiores ex auctoribus stobolon hoc vocant, traduntque silvas Arabum pastu caprarum infringi, atque ita succo villos inhorrescere.* At *strobon* in eodem capite arbor alia vocatur, quam ad suffitus accendebant Arabes vino palmeo perfusam. *Stobolon*, vel *stabalon* illud genus ladani vocabant, quo villi caprarum inhorrescebant, ac veluti crispabantur. Nam σάβαλον est ὅλον. Hesychius σαβαλοκόμαν, ὁλοκόμαν. Aliis, σραβαλοκόμαν. Æoles στόβολον dicebant. In indice

C scribitur: *de stobolo, enhæmo. Bratus arbor. Stobrum arbor*, ubi *stobolon* est ladanum. Malè igitur editiones, quæ *strobon* indigetant, cum arboris nomen sit. Quæ *bratus arbor* in illo indice dicitur, editiones eam vocant *brutam arborem*, ut hoc etiam obiter addam, quam arborem brutam, bruti quidam Herbarii arborem paradisi volunt esse. Atqui *bratus* vera lectio, vel *brathys*. Verba Plinii sic legenda: *petunt igitur in Elymæos arborem brathyn, cypresso fusæ similem, ex albidis ramis, jucundi odoris accensam, & cum miraculo historiis Claudii Cæsaris prædicatam.* Bratus illa, sive brathys, est Græcorum βράθυς, quam Dioscorides describit, & quam Plinius ipse

D lib. XXIV. cap. XI Latinis *herbam Sabinam* dictam memorat. Sed hoc habet perpetuum Plinius, ut rem eamdem, quam ex diversis auctoribus sumpserit, diversam quoque putare soleat. Quod in sexcentis eum facere deprehendimus. Ex Claudii Cæsaris commentariis arborem βράθυν retulit libro octavo, quam Arabes in Elymæos petebant ad suffitus faciendos. Quia apud Elymæos nasceretur, & inde eam peterent Arabes, putavit esse diversam ab ea brathy, quam ceteri auctores Græci memorarunt, quæ Latinis *Herba Sabinæ* nomine veniebat: quamvis pumila arbor esset, non herba. Duo ejus genera, altera tamarici folium simile habebat, altera cypres-

E so. Hæc erat, quæ Elymæis proveniebat, quam *fusæ cypresso similem* ex Claudio Cæsare narrat Plinius. Dioscorides de hoc genere: τὸ μὲν γὰρ αὐτῆς ἐστι τοῖς φύλλοις ὅμοιον κυπαρίσσῳ, κολοβὸν δὲ τὸ δένδρον καὶ εἰς πλάτος κεχυμένον. Non in altitudinem assurgit, ut cypressus, sed funditur. Ideo fusæ cypresso similem dicit. *Creticam cypressum* appellasse quosdam idem Plinius asserit, & in suffitus pro ture assumptam. Sed de herba Sabina ibi loquitur, quæ eadem prorsus est cum brathy arbore Claudii Cæsaris. *Savinarium* hodie vocant ab antiquo nomine. In multis Galliæ hortis conspicitur instar pumilæ cypressi, & in

F latitudinem potius fusæ, quam in altitudinem elatæ. Sequitur apud Plinium: *nascitur ultra Pasitigrim in finibus oppidi Sitacæ monte Zagro.* Libri habent: *ultra Pasitigrim finibus oppidi Scytræ in monte Schantro.* In Elymaïde ultra Pasitigrim *Sosirate* apposita monti Chalyro, apud eumdem Plinium. Verum de his alibi. *Scytram* non legi, nec *Scanthrum*. Vulgata etiam mendosa, ut alibi ostendam.

Ubi cum arefactum inolevit, guttis stiriacis legitur] Alii *stitiaris* habent: alii *stiriacis*. Lege: *stiriaticis*. A stiria *stiriaticus*: ut à favilla suprà *favillaticus*. Sic à via *viaticus*: unde *viaticum munus* in Epistola Fœlicis: & *viatica be-*

G *nedictio* can. IX. Concilii Barcinonensis: *jubemus in infirmitate positi viaticam benedictionem percipiant.* Perperam hodie legitur, *beaticam* in editionibus. *Viatica benedictio* εὐχαριστία, quæ pro viatico datur. Distinguendum autem hoc loco: *ubi cum arefactum inolevit guttis stiriaticis, legitur ad usum mensarum.* Hoc proprium ladani Arabici, non laserpicii. Plinius: *capras maleficum alias animal, odoratorum vero fruticum appetentius, tanquam intelligant pretia, carpere germinum caules prædulci liquore turgentes, distillantemque ab his succum*

eum improbo barbarum villo abstergere ; hunc glomerari pulvere, incoqui sole. Ita scribendum. Malè vulgo est: *distillantemque ab his casus mixtura succum.* Scripserat ad hunc locum aliquis notandi gratia, *casus mixturæ*, quæ verba in textum recepta sunt. Nullus certè casus in succo distillante ab his germinibus, quæ capræ deroserint. Sed casu, forteque ladanum fieri ibidem scripsit, quia ex pastu caprarum, & succo distillante, ac villis earum adhærescente concinnatur. Inde aliquis ad oram adscripsit: *casus mixturæ.* Legebam aliquando: *distillantemque ab his esus mixtura succum.* Ut sunt omnicarpæ capræ, omnigena edunt germina, ex quibus succum distillantem esus mixtura barbarum villo abstergent. Non è succo unius, certique fruticis, quem capræ deroserint, ladanum in Arabia conficiebatur, sed ex pluribus odoratis germinibus defractis, & derosis, eisque mixtura, succo inde distillante, & barbis hircorum adhærescente. Rufus Ephesius hoc plane confirmat in his versibus, quibus ladanum Arabicum describit, quod barbis caprarum adhærescit. Id ladanum ex variis fruticibus aromaticis, quos depascuntur in Arabia capræ, fieri dicit, eoque ad odorem præstantissimum haberi. Versus leguntur apud Galenum loco, quem supra indicavimus:

Κισσοῦ ἀνθήεντος ἐπέδμεναι ἄκρα πέτηλα,
Τοῦ δ' ἀπὸ λαχνήεντος ἀνεπλήσθησαν ἀλοιφῆς
Αἶγες ὑπαὶ λασίοισι γενείασι, πλοῦρά τε πάντα
Οὐ μὲν δὴ νούσοις τό δε κάλλιον, ἀλλ' ἄρα πνοιῇ
Ἔξοχον, οὕνεκα πολλὰ μεμιγμένα φάρμακ' ἔχουσιν
Ἀμβρόσι' οἷα τε γαῖα φύει πεδίοισιν Ἐρεμβῶν.

Ad medelas non præstantius esse hoc genus, sed in odoribus canit. Græci *τραγοπώγωνα* hoc ladanum vocarunt. Glossæ Medicæ: *τραγοπώγων, τὸ λάδανον.* Galenus lib. I. compositionis medicamentorum secundum loca: *ἀπὸ τραγοπώγωνος γλοιοῦ.* Ipse de ladano explicat. *Τὸ δ' ἀπὸ τραγοπώγωνα γλοιοῦ ἄντικρυς ἡμῖν ἔδοξε περὶ λαδάνου λελέχθαι.* Inde Arabes *Barbam Hircinam* pro cistho nobis obtrudunt, Avisena Rhases, Serapio. Atqui alia herba est Græcis, quæ *τραγοπώγων* dicitur, quæ nihil habet commune, aut *συγγενὲς* cum ladano *τραγοπώγωνι*, dicto, quod adhærescat barbis hircorum. Verba Plinii sic legenda sunt: *Arabia etiamnum & ladano gloriatur: forte casuque hoc, & injuria odoris fieri plures tradidere.* Ita enim libri, nisi quod habent, *& injuria odores.* Injuria odoris fieri ladanum scribit, quia frutices, ex quorum liquore gignitur, carpuntur ab olidissimo animali, & sic fit ladanum ex succo distillante, & hircorum barbis adhærescente. Eadem loquutione Plinii simius supra dixit, *injuria religionis litare hostiis humanis Gallos.* Cetero *improbum barbarum villum* dixit pro grandi, & promisso. Sic *improbiora labra* Velio Longo. Et *podex improbius extans* Marcellino. *Improbe natus* Suetonio de homine enormis proceritatis. Cum hæc igitur ladano conveniant, quod inarefactum guttis stiriaticis hircorum villo adhærescit, falsum est, quod ait Solinus legi ad usum mensarum. Sed de laserpicio loquitur, quod cum ladano confundit. Multus apud veteres laseris usus in condimentis. Apicii excerpta, *in brevi pigmentorum, quæ in domo esse debent, ut condimentis nihil desit*, statim recensent *crocum, piper, zingiber, laser, folium, baccam murtæ, costum, cariophyllum.* Et paulo infrà: *de siccis hoc: laseris radices, menta, nepeta, salvia.* Et apud eumdem: *porcellus laseratus*, lasere conditus: & *hædus laseratus.* Græci *σιλφιωτὰ* dicunt. Diogenes Laërtius in vita Polemonis: *ἦν οὖν ἀστεῖός τις, καὶ γενναῖος, περιηρτημένος, ἅ φησιν Ἀριστοφάνης περὶ Εὐριπίδου, ὀξωτὰ καὶ σιλφιωτά.* Ita enim emendandus insigniter corruptus vulgo locus, qui sic legitur, *ὀξώτας καὶ σιλφώτας.* Notum est, quam malè senserit de stilo Euripidis Aristophanes, qui *τὸ κομψολογικὸν, καὶ λεπτολογικὸν* ejus ubique pipulo differt. Austeritatem, gravitatemque Polemonis in sermonibus, *καὶ ἐν τοῖς ἤθεσιν* laudatam ab antiquis scribit, qui *ὀξωτὰ, καὶ σιλφιωτὰ* fugiebat, & aversabatur, hoc est, orationem fucatam, & jucundo sapore conditam, metaphora à ciborum condimentis sumpta. Scribit enim paulo post de eodem Polemone:

Οὐ γλύξις, οὐδ' ὑπόχυτος, ἀλλὰ Πράμνιος.

Ita enim legendus hic versus. Austeritatem vini Pramnii

A
commendant veteres. Perperam legitur, *γαῦσις.* Veteres *γαῦξις.* Ex quo nos *γλύξις.* Hesychius: *γλύξις ὁ ἀνειμένος οἶνος, καὶ ἄπονος, ὃν ἔνιοι ἁπαλόστομον, οἱ δὲ γλεῦξιν καλοῦσι.* Sic scribendum. *Ὄξος* in condimentis præcipuum locum olim obtinebat. Unde *ἥδος καὶ ἐξοχὴν acetum* Græci vocarunt. *Τὸ σίλφιον* quoque in his multi usus, & commendationis. Inde *ὀξωτὰ*, & *σιλφιωτὰ* jungit, ut apud alium, *ὄξος σίλφιον.* Idem Aristophanes in Avibus:

Ἀλλ' ἐπικνῶσιν, τυρὸν, ἔλαιον,
Σίλφιον, ὄξος, καὶ τρίψαντες
Κατάχυσμ' ἕτερον.

B
Lynceus Samius Theophrasti apud Athenæum describens Ptolemei convivium: *μήτρας τινὸς περιφερομένης ἐν ὄξει καὶ ὀπῷ.* Ubi *ὀξωτὴν*, & *σιλφιωτὴν* vulvam aceto, & lasere conditam intelligit, *laseratam* & *acetatam.* Apicius noster in porcelli lasarati apparatione: *Misces cuminum, paululum laser vivum, lasaris radicem, suffundis acetum, addis nucleos pineos.* Vides in eodem pulpamento condiendo silphium, & acetum simul addi, *ὀξωτὸν* & *σιλφιωτὸν* simul fieri. Sic *ὀξωτὰ, σιλφιωτὰ* de stilo Euripidis dixerat Aristophanes, quod nimis concinne, & opipare esset conditus; quod nimis concinnus, & comptus

C
esset. Simili tralatione de simili loquendi genere dicit Petronius: *sed mellitos verborum globulos, & omnia dicta, factaque, quasi papavere, & sesamo sparsa.* *Σησαμωτὰ καὶ μηκωνωτά.* Nam sesamum, & papaver inter condimentaria semina apud Apicium in excerptis, quæ habemus, numerantur. Recta igitur emendatio nostra Diogenis Laërtii, quæ & confirmatur versibus his Aristophanis, *ἐν τῷ Γήρᾳ.*

Ὀξωτά, σιλφιωτά, βολβός, τεῦτλιον
Περίκομμα, θρίον, ἐγκέφαλος, ὀρίγανον.

Legitur ad usum mensarum, vel medelæ magis] Libri: vel *medelis*, id est, vel ad medelas. Plinii verba sunt:

D
cujus succum vocant laser, magnificum in usu, medicamentisque, & ad pondus argentei denarii pensum. Scribe: *medicamentisque ad pondus argentei denarii pensum.* In medicamentis laser magnificum pondere argentei denarii, hoc est, drachmæ datum. Apulejus noster ex Plinio: *cujus succum vocant laser, medicinis ad pondus argentei denarii repensum.* Plinius *in usu esse* dixit propriè de eo, quo vescebantur. Et Solinus explicavit, *ad usum mensarum.* Servius, *vescum papaver* interpretatur, *quo vescimur: nam aliud est*, inquit, *lethæum*, quo non utimur. Quod autem addit Plinius *ad pondus argentei denarii pensum*, ex eo viri doctissimi, & clarissimi Medici colligunt tam ca-

E
rum fuisse laserpicium, ut argento rependeretur. Falluntur. Pretiosum quidem *καὶ πολυτίμητον* silphium, sed non adeo, ut libra laserpicii libra argentei contra venderetur. Hoc dicit Plinius, in usu mensarum, & in medicamentis magnopere commendatum fuisse laserpicii succum, & ad pondus argentei denarii, hoc est, drachmæ pensum, *τῆς δραχμῆς ὁλκήν.* In medicamenta, quibus adhibebatur, etiam drachmæ pondere additum magnificum, & valde efficacem fuisse intelligit. Per hoc *τὴν δραστικότητα* ejus designat. Ita hunc locum intellexit olim Apulejus, cujus hæc verba sunt in libro de remediis sa-

F
lutaribus: *laserpicium, quod Græci σίλφιον vocant, in Cyrenaica repertum, cujus succus laser vocatur, ad pondus argentei denarii medicinis repensum.* Aliter loquutus esset, si de pretio loqui voluisset. *Argento rependi* simpliciter dixisset. *Πολυτίμητον* fuisse laserpicium, succo, caule, radice, foliis, semine, scribunt veteres. *Καὶ ἁπλῶς τὸ πᾶν αὐτοῦ πολλῆς τιμῆς ἄξιόν ἐστι. Καὶ οἱ Ἀμπελιῶται δὲ ἔθνος Λιβύης εἰς Δελφοὺς ἀνέθεσαν καυλὸν Σιλφίου. Ὡς φησὶν Ἀλεξανδρίδης.* Qui sunt illi Ampeliotæ, Libyes populi? Scribendum puto *Ἀμπελῖται.* *Ἄμπελος* oppidum Cyrenaïcæ. Unde *ἐθνικὸν Ἀμπελῖται.* Vide Stephanum, qui *Ἄμπελον* recenset *ἐν τῇ Κυρηναίᾳ.* Male scribitur, *ἐν τῇ*

G
Κυρήνῃ. Defendi tamen etiam potest, *ἐν Κυρήνῃ*, hoc est, in Cyrenensium regione. Ita enim sæpe loquuntur optimi auctores. Apud eos laserpicium nascebatur. Ideo caulem ejus Delphis dedicarunt, quasi rem magnam. De pretio Cyrenaïci laseris idcirco nihil meminit Plinius, quia non amplius tunc in usu mercium, sed nec in natura rerum.

Laser nominatum] Græci recentiores, *λάσαρον.* Latini in libris veteribus, *lasar.* Græci absolutè *ὀπὸν* dixerunt.

runt: Athenagoras: καὶ γὰρ τὸ μέλι, τὸν καὶ ὀπὸν δοκιμάζοντες, μικρῷ μέρει τοῦ παντὸς, τὸ πᾶν εἰ καλὸν δοκιμάζουσιν. Ita legendum. Nam vulgo malè, ὀρὸν. Per ὀπὸν intelligit *laser*, non Cyrenaïcum; nec enim amplius apud Cyrenenses proveniebat illa in ætate, sed Persicum. Μηδικὸν ὀπὸν vocat Strabo.

Quæ germina initio barbaricæ impressionis vastatis agris] Utrum de germinibus ladani, an laseris hoc intelligendum? Nam utrumque confundit. De laserpicio capiendum. Strabo lib. XVII. Ὁμορεῖ δὲ τῇ Κυρηναίᾳ ἡ τὸ σίλφιον φέρουσα, καὶ τὸν ὀπὸν τὸν Κυρηναϊκὸν ὃν ἐκφέρει τὸ σίλφιον ὀπισθέν. Ἐγγὺς δὲ ἦλθε τοῦ ἐκλιπεῖν ἐπελθόντων τῶν βαρβάρων κατ' ἔχθραν τινὰ καὶ φθειράντων τὰς ῥίζας τοῦ φυτοῦ. Εἰσὶ δὲ Νόμαδες. Inde sumpsit vastationem barbaricæ impressionis quæ laserpicii stirpem pœne abolevit. Quod addit, postea ab incolis erutam propter nimietatem vectigalium, unde id habeat nescio. Plinius, à quo cetera accepit, scribit laserpicium in Cyrenaïca jamdudum non inveniri. *Quoniam publicani, qui pascua conducunt, majus ita lucrum sentientes depopulantur pecorum pabulo.* Quibus ex verbis vectigalium intolerandam nimietatem commentus esse videtur noster. Qui pascua conducebant publicani, pecus in σιλφιοφόρον inigebant, totamque eam vastabant pabulo pecorum, quoniam majus lucrum percipiebant ex pecoribus laserpicio saginandis, quam si id colligendum ad usum mensarum, ac medelarum conduxissent. Non igitur Plinio cum Strabone convenit in causa assignanda, quæ laserpicium, aut pœne, aut penitus pessumdedit, atque extinxit. Ex Plinio etiam illud colligas laserpicium inter pabula pecorum, & in agris pascuis vulgo nasci solitum. Quod contra eos facit, qui in desertam relegant, ac squallentem jejunio terram. Sanè magno opere dissentiunt inter se veteres scriptores de situ laserpiciferæ regionis. Theophrastus laserpicii feracem tractum quatuor stadium millia in Africa dicit occupare, & majorem partem tenere περὶ τὴν Σύρτιν ἀπὸ τῶν Ἑσπερίδων. Ab Hesperidibus oppido, quod in extimo cornu Syrtis situm erat, circa Syrtim omnem extendebatur ἡ σιλφιοφόρος juxta Theophrastum. Nam ab Hesperidibus incipiebat Syrtis. Scylax: ἀπὸ δὲ Ἑσπερίδων κόλπος ἐστὶ μέγας ᾧ ὄνομα Σύρτις. Ergo ab Hesperidibus circa sinum illum Syrticum major pars laserpiciferæ regionis. Alii aliter sentiunt de ejus situ. Herodotus τὴν σιλφιοφόρον facit incipere ab insula Platea, & usque ad Hesperidas protendi. Ita enim scribit lib. IV. Καὶ ἐν τῇ ἠπείρῳ Μενελάϊος λιμήν ἐστι, καὶ Ἄζιρις, τὴν οἱ Κυρηναῖοι οἴκεον. Καὶ τὸ σίλφιον ἄρχεται ἀπὸ τούτου, παρήκει δὲ ἀπὸ Πλατέης νήσου, μέχρι τοῦ στόματος τῆς Σύρτιος τὸ σίλφιον. Τὸ στόμα Syrtis ad Hesperidas erat. Nam inde initium sumebat Syrtis, ut diximus. Scylax Caryandæus idem dicit, quod Herodotus his verbis: ἐν δὲ τῷ μέσῳ Πέτραντος καὶ Χερσονήσου εἰσὶ νῆσοι Διδωνίαι καὶ Πλατεῖαι. Ὕφορμοι δὲ ὑπ' αὐτάς εἰσιν. Ἐντεῦθεν ἄρχεται τὸ σίλφιον φύεσθαι γῆς παρήκει δὲ ἀπὸ Χερρονήσου διὰ τῆς μεσογείας μέχρι Ἑσπερίδων. De Cherroneso magna vide Ptolemæum, qui Ἄξυλιν vocat, quæ Herodoto Ἄζιρις. Non in deserta, sed in culta Cyrenæorum regione laserpicium nasci faciunt. Quod eorum opinionem adjuvat, qui laserpicium quotannis circumfodi solitum scripserunt. Hujus opinionis auctores cultissimum solum attribuere laserpicio; inter quos Herodotus, & Scylax. Alii contrà rem feram, & contumacem esse prodiderunt, ac prorsus agrestem, utpote quæ in deserta fugeret, si coleretur. Theophrastus: ἴδιον δὲ τὸ φεύγειν τὴν ἐργαζομένην. Καὶ δὴ συνεργαζομένης καὶ συνημερουμένης ἐξαναχωρεῖν. Terram cultam semper deserit, ac fugit. Quod non satis rectè Plinius expressit. Hinc sententiæ hujus auctores desertam Libyæ, & maxime aridam regionem laserpicio assignarunt. Theophrastus circa Syrtin magnam partem τῆς σιλφιοφόρου collocat. Strabo τὴν σιλφιοφόρον περίξηρον esse tradit, & τῇ ἀοικήτῳ jungit. Ptolemæu ἐν τῇ ἀοικήτῳ prorsus ponit: καὶ ἐφεξῆς τόποι δὲ, inquit, θηριώδεις, καὶ ἡ σιλφιοφόρος χώρα: Sed id Ptolemæo condonandum. Quum enim ejus ætate penitus interisset in Africa hæc planta, nec jam amplius cognosceretur, τὴν σιλφιοφόρον τῇ ἐρήμῳ καὶ ἀγνώστῳ γῇ vindicavit. Dicit quidem Theophrastus laserpicium secundum quosdam τὴν ἐργάσιμον φεύγειν, non propter-

ea tamen in deserta, ac sterili terra provenire asserit. Deserta, vel ἔρημος dicitur terra, quæ nihil fert. Male igitur Plinius laserpicium *in deserta fugere* dixit, *si coleretur*. Atqui dixerat tantum Theophrastus φεύγειν τὴν ἐργαζομένην καὶ δὴ συνεργαζομένης καὶ συνημερουμένης ἐξαναχωρεῖν, recedere à terra, quæ colitur, & pacatur. Non solum cultam tellurem adversatur silphium, sed etiam cultum. Hoc est, non tantùm coli negat, sed etiam in terra ea provenire, quæ ad alias res colitur. Hæc est, quam συνεργαζομένην & συνημερουμένην dicit. Terra ἐργάσιμος, vel ἐργαζομένη ea est, quæ rastris, aut vomere versatur. Hic terræ cultus ἐργασία proprie Græcis vocatur. Laserpicium ut sponte nascens planta, & in totum agrestis cultum omnem refugiebat, sed & culta loca, ut segetes, ὡς οὐ δεομένη δηλονότι θεραπείας, ἀλλ' ἀγρίως οὖσα. At si coleretur, non fugiebat in deserta, sed à culta, & versata tellure recedebat in pascua, & hujusmodi loca sponte nascentium herbarum feracia. Ita quidam è veteribus. Alii contra terram cultam amare laserpicium, & coli ipsum velle pertendebant, & annuatim circumfodi, hoc nisi fieret, radicem & caulem longè deteriorem evadere. Sic veteres omnes, aut cultissimum solum laserpicio assignavere, aut certè lætum, & herbidum. Hinc τὴν σιλφιοφόρον non in desertis, ac squallentibus aridæ Libyæ campis locarunt, ut fecere recentiores, sed in cultiore Cyrenaïcæ parte, qualis est ab insula Platæa ad Hesperidas, vel Berenicen urbem. Tota certè Cyrenaïca, in qua σιλφιοφόρον veteres ponunt, καλλίκαρπος & ἱπποτρόφος, ut Strabo asserit. Habitata etiam, frequensque ab Hesperidibus vel extimo Syrtis cornu, usque ad intimum ejus recessum, quem μυχὸν Græci vocant. Per hoc spatium laserpiciferam porrigi auctor est Theophrastus. *Colere* est γεωργεῖν, & tellurem ἐργάζεσθαι. Hinc ἐργάσιμος γῆ, γεωργήσιμος eadem. At *colere* etiam Latinis est οἰκεῖν. Unde absolutè *colere* pro habitare: & *coligo* pro domicilio apud Arnobium. Hoc sensu *culta loca* opponuntur *desertis*. Nam *deserta* propriè sunt τὰ ἔρημα, quæ nec hominibus, nec pecoribus frequentantur. At *culta loca* τὰ ἐργάσιμα, quę arantur, aut fodiuntur, non solent opponi *desertis*, sed silvestribus, aut pascuis, τοῖς ὑλοφόροις, ἢ ποηφόροις. Hæc loca laserpicium amare fatentur, etiam qui omnis culturæ, & culti agri inimicum asserunt. Apulejus de laserpicio: *Deprehenditur autem inter pascua hoc signo: si pecus comedit, dormit protinus, capra sternuit crebrius.* Quod habet ex istis Plinianis: *si quando incidit pecus in spem nascentis, hoc deprehenditur signo: ove si comederit dormiente protinus, capra sternuente.* Plinius alio loco agrum Cyrenaïcum partim frugibus, partim arboribus, partim lasere solo fertilem esse tradit. Non laser solum ibi proveniebat, sed herbæ aliæ, nam extincto laserpicio loca illa nihilo secius conducebantur ad pascua. Quæ res laserpicium perdidit. Sed de laserpicifere situ nos infrà.

Pag. 38. F. *Solitudo inculta, squalens, & inaccessa*] Sic reposui è libris. Vulgo fuit: *solitudo inaccessa, incultaque & squalens.*

Serpens est pæne ad semipedem longitudinis] Immo quatuor digitis plus quam semipede longus. Plinius: XII *non amplius digitorum magnitudine.* Et mirum, quum sequatur heîc Plinium, non tamen sequi. Græci τρεῖς παλαιστὰς longitudinis illi tribuunt, hoc est, duodecim digitos. Avisena *duos palmos* ex hoc Solino, vel ex Isidoro, qui Solinum transcripsit: *semipedalis longitudinis.* Nicander longum facit τρία δῶρα, hoc est, tres παλαιστάς.

Alba quasi mitrula lineatus caput] Plinius: *candida in capite macula, quasi diademate insignem.* Isidorus ex utroque, ut solet: *albis maculis lineatus caput.* Hinc βασιλίσκος dictus, quod regio quasi diademate insignitus esset. Maculam candidam in capite habere eum dicit tantum Plinius, non lineam. Macula in longum ducta linea est, ῥαβδωτὸς σπίλος, ut vocat Strabo. Hæc, si circumducatur, coronam efficit, mitrulam, vel diadema. An talis in basilisco fuerit, nescio. Nihil tale ex verbis Plinii potest colligi. Sed quod macula candida, & quod in capite sit, ex eo diadematis insigne in basilisco interpretati videntur. Nam diadema regium fascia erat candida, & lata. Tales erant sacerdotum infulæ. *Infulam* Grammatici interpretantur *fasciam in modum*

dum diadematis, ex qua vitta utrimque dependent, quæ plerumque lata eſt, plerumque tortilis ex albo, & cocco. Hujuſmodi fuere & tæniæ, quibus coronabantur ἱερονῖκαι. Diadema Romanorum imperatorum tale fuit. Quod primus Heliogabalus gemmatum uſurpavit. Diademate poſt Julium uti tentaverat Caligula, poſt Diocletianum vero omnes gemmato uſi ſunt, id erat ex duplici linea margaritarum. Græci διάδημα, στέμμα βασιλικὸν exponunt. Regales porro faſciæ, hoc eſt, diademata, latæ: ſacerdotes, tortiles: & στρόφια propriè vocabantur. Heſychius: στρόφιον, ὃ οἱ ἱερεῖς φέρουσι. Simplex στρόφος. *Lorum* idem interpretatur, ἀπὸ τοῦ στράφθαι, quod tortile eſſet. Inde Latinum vetus, *ſtrupus*. Feſtus: *ſtropus eſt, ut Atejus Philologus exiſtimat, quod Græcè στρόφιον vocatur, & quod ſacerdotes pro inſigni habent in capite, quidam coronam eſſe dicunt, aut quod pro corona inſigne in caput imponatur, quale ſit ſtrophium. Stropus*, & *ſtrupus*, στρόφος, corona ex faſcia tortili. Sed *ſtruppos* ſcribebant, ut paulo poſt dicam. Falluntur, qui *ſtroppos* apud Plinium pro corona florea accipiunt. Locus eſt inſignis, ſed inſigniter depravatus. Lib. XXI. cap. I. de coronamentis, & coronis loquitur: *ſed ne pictura quidem ſufficiente imagini colorum reddendæ, mixturarumque varietati, ſive alterni, atque multiplices nectantur, ſive privatis generum funiculis in orbem, in obliquum, in ambitum. Quædam coronæ per coronas currunt.* Lege, ac diſtingue: *ſive alterni, atque multiplices inter ſe nectantur, ſive privati generis funiculis, in orbem, in obliquum, in ambitum.* De florum varietate, & mixtura, multiplicique uſu in coronis nectendis loquitur, quorum imagini exprimendæ, nec pictura ſufficit, ſive alterni, & multiplices nectantur inter ſe, ſive privati generis funiculis in orbem, in obliquum, in ambitum. Sequitur deinde aliud caput *de ſtrophiolis*. Ita enim veteres libri cum indice: quod caput ſic incipere debet: *Quædam coronæ per coronas currunt: tenuioribus utebantur antiqui, ſtroppos appellantes, unde nata ſtrophiola.* Nihil hæc ad flores, aut è floribus coronas. Duæ aut tres tæniæ invicem tortæ coronam faciebant, quam vocabant *ſtroppum*. Hoc eſt, quod ait, *quaſdam coronas per coronas currere.* Nam totidem coronæ, quot tæniæ tortæ. His uſos fuiſſe antiquos Romanos ſcribit, nondum invento coronas è floribus texere. Quin & ipſum vocabulum *coronæ* tardè communicatum eſſe ſcribit, *inter ſacra tantum & bellicos honores coronis ſuum nomen vindicantibus.* Addit: *cum verò è floribus fierent, ſerta à ſerendo, ſerieve appellabantur.* Ita ſcribo è veteribus, qui habent: *à ſerendo ſerivæ.* A ſerie, id eſt, ordine, vel à ſerendo *ſerta* dicebantur coronæ, quæ è floribus fiebant. Sequitur: *quod apud Græcos quoque non adeo antiquitus placuit.* Ergo nec apud Græcos antiquum coronas è floribus nectere. Ex his conſtat *ſtruppos*, vel *ſtroppos*, quibus utebantur antiqui Romani, non fuiſſe floreas coronas, ſed tortiles ex tæniis implexis. *Inde ſtrophiola nata*, inquit Plinius. Στρόφιον Græci etiam στρογγύλην ζώνην interpretantur. Στροφιόλας, id eſt, *ſtrophiola* ἐν ταῖς σκυτλάσεσιν in veſtium ſcutulaturis recenſet Hero. Quod alibi explicavimus. Lora ſic vocat. *Stroppus* igitur ex voce Græca στρόφος, cujus ὑποκορισικὸν στρόφιον. Heſychius: στρόφος, συνεστραμμένος λῶρος. Sed Latini ſcribebant *ſtroppos*. Ita in antiquis Plinii, & Feſti exemplaribus ſcribitur. Fortè, quod Æoles dicebant στρόπφος, ut ὄπφις, σκύπφος, ut Σαπφώ. Aliud eſt *ſtropus*, & ab alia origine, quo remus ad ſcalmum religabatur. Græcè τρόποι ſunt οἱ ἱμάντες τῶν κωπῶν, ἢ οἱ κατέχοντες τὰς κώπας δεσμοὶ δερμάτινοι, ὅσων ἐλαύνωσιν. οἱ τροπωτῆρες. Inde Latinum addita S. *ſtropus*. Sic γρῦτον, *ſcrutum*: γράφω, *ſcribo*: γλύφω, *ſculpo*: γρώνιον, *ſcrinium*. Sic γορυτὸν, σγορυτὸν: inde Latinum *ſcrotum*, & *ſcrautum*. Feſtus: *Scrautum, pelliceum in quo ſagittæ reconduntur, appellatum ab eadem cauſa, qua ſcrotum.* Ita enim legendum olim judicavi ſola conjectura ductus, quam poſtea mihi ſtabilivit codex vetus v. c. L. Joſiæ Merceri, qui fuit olim Danielis. *Scrautum* inquam habet, non *ſcorteum*, ut vulgo legitur. Gloſſæ veteres: *ſtrautum*, θήκη δερματίνη βελῶν. *Strautum* legit pro *ſcrautum*. Hanc vocem olim etiam reddidimus Propertio in hoc verſu:

Non tot Achæmenus armantur ſcrauta ſagittis.

A Ubi veteres libri ſcribunt *Etruſca* pro *ſcruta*, aut *ſtruta*, vel *ſtrauta*. Sed verum eſt *ſcrautum* ex Græco σγορυτὸς. Heſychius: κωρυκίδιον, ὅπερ οἱ πεζεύοντες δερμάτινον κοίλωμα τῷ ἐπωνύμῳ πήχει περιλήφασιν. At *ſcrautum* pro *ſcrotum*, ut *aurichalcum*, ὀρείχαλκον. Sic τρόπος *ſtropus*, ut γώρυτον, *ſcorutum*, *ſcrautum*. Vitruvius: *& remi circa ſcalmos ſtropis religati.* Idem eſt & τροπωτήρ. Vide Grammaticos. Tanta igitur differentia eſt Latine inter *ſtroppum*, & *ſtropum*, quanta inter τρόπον & στρόφον. Et fortaſſean *ſtroppum*, vel *ſtruppum* de corona dixere ad diſcrimen *ſtropi*, quod vinculum eſt, vel lorum, quo religatur remus. Ceterùm *mitrulam* hoc loco dixit Solinus pro diademate. Nam Græcis μίτρα, ταινία, διάδημα. Latini vero *mitram* & pro pileo uſurparunt. Ut *mitra Phrygia* poëtæ quod erat pileum. Unde & mitræ Epiſcoporum hodieque cenſentur, quæ pilea ſunt. Alioquin multum differt pileum à diademate, μίτρα καὶ πῖλος: ut πιλοφόροι & μιτροφόροι, ut infrà dicam. Sed novum non eſt, ut vocem à Græcis acceptam alia notione Latini uſurparint, quod in ſexcentis fecerunt. Sic aliud *xyſtum* Latini, aliud ξυστὸς Græcis, & ſimilia.

B

Denique extinguit herbas, necat arbores] Parva ſerpens baſiliſcus, nec arbores afflatu poterat necare. Plinius *frutices* dixit: *necat frutices non contactos modo, verum & afflatos: exurit herbas, rumpit ſaxa: talis vis malo eſt.*

C

Cum movetur media corporis parte ſerpit] Plinius: *nec flexu multiplici ut reliquæ corpus impellit, ſed celſus, & erectus in medio incedens.* Corrigunt ex hoc Solini loco: *erectus a medio incedens.* Immo ſcribendum: *celſus & erectus medio incedens.* Scribit Solinus è Plinio, baſiliſcum media parte corporis ſerpere, media erectum & celſum incedere. Ergo legebat in Plinio: *celſus & erectus medio incedens*, id eſt, media parte. Verum ſi ſemipedem tantùm longitudinis habet, & media parte ſerpit, media erectus ingreditur ſolo, non multum poteſt arduus, & excelſius eſſe, qui quartam tantum pedis partem, id eſt, quatuor digitos incedens altus ſit.

D

Quas illinc inferunt cavernis in quibus deliteſcit] Scripti: *quas illis homines inferciunt cavernis, in quibus deliteſcit.* Non mutaverim, *illinc homines*. Sic alibi: *inde gentes, inde reges.* Sed *inferciunt*, verum. Sic *in os infercire* ſuprà. Ita legiſſe apud Plinium patet ex ſcripta lectione, quæ in exemplaribus Plinii invenitur. Sic enim ſcribunt: *atque huic tali monſtro muſtelarum virus exitio eſt: adeo naturæ nihil placuit eſſe ſine pari. Interficiunt eas cavernis, facile cognitis ſoli tabe.* Vulgo legitur: *injiciunt eas cavernis.* Legendum è veteri ſcriptura: *inferciunt eas cavernis.* Per vim ſcilicet eas infulciunt intrare nolentes.

E

Denique baſiliſci reliquias amplo ſeſtertio Pergameni compararunt] De hoc amplo ſeſtertio variè velitati ſunt, ſeſeque vexarunt rei nummariæ ſcriptores; qui & magnas nugas blatteraverunt de differentia ampli, & minoris ſeſtertii. Scaliger *amplo ſeſtertio*, decies ſignificari vult, hoc eſt, decies centena millia nummûm. Sed cur potius decies, quam vigeſies, quam denique centies? In ſchedis Palatini & Freheranis legebatur: *ampliore ſeſtertio.* Quod idem eſt. Ætate Solini *ſeſtertium* pro qualibet pecunia uſurpabant, nullo uſu amplius extante ſeſtertiorum nummûm. *Folles* enim tunc æream pecuniam appellabant, qui in locum ſeſtertiorum ſucceſſerant. Ergo *ſeſtertios* de omni pecuniæ genere dicebant, aureos, æreos, & argenteos. Gloſſæ: δραχμή, *denarius*, *ſeſtertius.* In Hiſtoria Apollonii Tyrii *ſeſtertia aurea* ſunt aurea nomiſmata. Veteres *ſeſtertium* vocabant, qui & *nummus* dicebatur, de certa ſpecie nomiſmatis, quem & *ſeſtertium nummum* appellarunt. Ut autem *nummum* & pro certo genere pecuniæ, & pro qualibet pecunia uſurparunt, ita & *ſeſtertium* Solinus hoc loco, ut & ſequior ætas. *Amplior* igitur *ſeſtertio* poſuit pro ampliore pecunia, vel ampliore pretio. Infrà: *amplioribus pretiis vendunt.* Et alibi: *ampliore pretio.* Ammianus Marcellinus lib. XXIII. *Capturas autem difficiles & periculoſas, & amplitudines pretiorum illa efficit ratio.* Fuit & cum heic legerem: *ampliore pretio*, pro *amplo ſeſtertio*.

F

G

Ædem Apollonis manu inſignem] Graviſſimum hîc mendum

mendum in omnibus editionibus hæsit, & scriptis. Verum est, quod in ora quorumdam codicum adscribitur: *Apellis manu insignem.* Atque ita ex conjectura jam olim reposueram. In illo templo Pergamenorum aliqua tabula erat Apellis manu picta, & magno impendio empta, quam ut ne araneæ intexerent, aut aves proluvie ventris corrumperent, pelle basilisci in æde suspensa effecerunt, quâ fugabantur aves & araneæ. *Manu Apellis* pro pictura Apellis tralaticium est. Propertius:

Sive ebore exacta, seu magis ære manus.

De statuis Solinus ipse alio loco: *ades illa ostentat manus Dædali.* Opera artificum *manus* vocabantur, ut Græcis χεῖρες. Nam χεὶρ ζωγράφου de tabula picta. Vulgata lectio prorsus inepta.

Circa extimum Syrtium cornum] Ita libri pro cornu. Nec aliter Plinius loquitur multis locis suprà: *ut effigiem reddat cornus arietini.* Atque ita apud Plinium. Lucanus, ut citatur à Grammaticis:

---- cornus tibi cura sinistri
Lentule.

Pag. 39. A. *Hanc Berenice munivit*] Libri: *Hanc Berenicen Berenice munivit.* Scripserat: *mœnivit.* Plautus: *Ilium divina mœnitum manu.* Quod alibi notavimus. Priscianus:

---- quam mœnivere Lacones.

Ἔκτισαν, ἐτείχισαν. Hæc porro Berenice, quam de suo nomine vocavit uxor Ptolemæi tertii, dicebatur olim *Hesperis* ἑσπερίς. Stephanus: Ἑσπερίς πόλις Λιβύης, ἡ νῦν Βερενίκη. Ὁ πολίτης Ἑσπερίτης. Καλλίμαχος ἐν τοῖς ἐπιγράμμασιν. Epigramma Callimachi, in quo Ἑσπερίτας nominaverat cives urbis Hesperidis, extat in membranis:

Ὁ Λύκτιος Μενίτας τὰ τόξα ταῦτ᾽ ἐπειπὼν
Ἔθηκε, τῇ Κεράσῳ, δίδωμι καὶ φαρέτρην
Σάραπι, τοὺς δ᾽ ὀϊστοὺς ἔχουσιν Ἑσπερῖται.

Idem Stephanus in voce Βερενίκαι. Ἔκτη ἡ πρότερον Ἑσπερὶς, ἐκλήθη δὲ Βερενίκη ἀπὸ τῆς Πτολεμαίου γυναικὸς Βερενίκης. *Hesperiam* vocat Mela, qui in Cyrenaïca urbes recenset *Hesperiam, Apolloniam, Ptolemaïdem, Arsinoën, & Cyrenem.* Ubi *Hesperia* est quæ reliquis Ἑσπερὶς, quæ postea Berenice. Eadem & Ἑσπερίδες enallage numeri, quod in nominibus urbium sollemne est, ut Κυρήνη, Κυρῆναι. Nam Latini *Cyrenas* dicunt. Sic Ἑσπερὶς & Ἑσπερίδες. Ptolemæus in Cyrenaïcæ descriptione: Βερενίκη, ἡ καὶ Ἑσπερίδες. Ammianus lib. XXII. *Darnis & Berenice, quas Hesperidas appellant.* Græcis antiquis hæc eadem urbs Εὐεσπερὶς & Εὐεσπερίδες dicebatur. Stephanus: Εὐεσπερίδες πόλις Λιβύης, καὶ ἑνικῶς λεγομένη. Λέγεται καὶ χωρὶς τοῦ ευ μορίου Ἑσπερίς. Τὸ ἐθνικὸν Εὐεσπερίτης. Theophrastus lib. VI. cap. III de laserpicio: τὰ πλείονα δὲ φύεσθαι περὶ τὴν Σύρτιν ἀπὸ τῶν Εὐεσπερίδων, id est, *majorem partem colligi circa Syrtin, ab Euesperides oppido.* Nondum erat Berenice tempore Theophrasti, sed Εὐεσπερίδες & Ἑσπερίδες, vel, quod idem est, Εὐεσπερὶς & Ἑσπερίς. Plinius illa Theophrasti verba sic reddidit: *circa Hesperidum hortos Syrtimque majorem.* Quasi Εὐεσπερίδες apud Theophrastum de Hesperidum hortis capi debeant, aut possint. Hesperides illæ fabulosæ Atlantis filiæ, quarum horti ad Oceanum, haud longe à Lixo oppido, à Cyrenaïca longissimè remoti. Idem Plinius alibi: *sed & arbor est malva in Mauritania Lixi oppidi æstuario, ubi Hesperidum horti fuisse produntur.* Cum horti Hesperidum dicuntur, *Hesperides* nymphæ sunt, quibus horti illi tribuuntur. In Cyrenaïca Ἑσπερίδες urbis nomen, quæ & Ἑσπερὶς & Εὐσπερὶς. Quis enim ex Græcis nymphas illas Εὐεσπερίδας dixit? Urbs illa Cyrenaïcæ sic videtur dicta, quod opportuno situ ad hesperum, id est, occidentem locata esset. Inde Ἑσπερὶς & Ἑσπερία & Εὐεσπερὶς vocata: & enallage urbium nominibus familiari, Εὐεσπερίδες & Ἑσπερίδες. Quum hæc ita sint, Plinius tamen etiam alio loco urbem Ἑσπερίδας cum nymphis Hesperidibus confundit, lib. V. cap. V. *Berenice in Syrtis extimo cornu est, quondam vocata Hesperidum supradictarum, vagantibus Græciæ fabulis.* Hesperidum supra dictarum meminit cap. I ejusdem libri de Lixo: *ibi regia Antæi, certamenque cum Hercule, & Hesperidum horti.* Atqui fal-

A sum est urbem Berenicem dictam fuisse Hesperidum, nam Ἑσπερὶς vel Ἑσπερίδες dicebatur. Κῆποι Ἑσπερίδων dicuntur, hoc est, nympharum sic dictarum, Hesperi filiarum. At πόλις Ἑσπερὶς, vel Ἑσπερίδες. Si πόλιν Ἑσπερίδων legimus, ita intelligendum, ut *urbem Romæ, montem Soractis*, & similia. In summa nihil vanius, & mendacius illis fabulis, quæ Hesperidas nymphas, & earum hortos prodidere. Nihil è contra certius, quam fuisse urbem in Cyrenaïca, quæ *Hesperis* diceretur, & *Hesperides*, quæ postea Berenice nominata est, ab uxore Ptolemæi. Fabularum porro auctores Hesperidas illas, quæ mala aurea habuerunt, sub custode dracone circa Oceanum collocant. Apollodorus: ταῦτα δὲ ἦν οὐχ ὥς τινες ἐν Λιβύῃ, ἀλλ᾽ ἐπὶ τοῦ Ἄτλαντος ἐν Ὑπερβορέοις. Hesiodus ultra Oceanum ponit. Non dubito tamen fuisse & ex Græcis auctores, qui nominis errore inducti, quod urbs Ἑσπερίδες in Pentapolitana Libya vocaretur, eo transtulerint, & Hesperidum hortos. Ptolemæus in Cyrenaïca, & Pentapolitana memorat Ἑσπερίδων κήπους, quos tamen diversos statuit ab urbe Berenice, quam ἑσπερίδας dictam autumat. Κατέχουσι δὲ τῆς χώρας τὰ μὲν ὑπὸ μὲν Πεντάπολιν Βαρκῖται, ἀπὸ ἀνατολῶν δὲ κήπους τῶν Ἑσπερίδων. Et paulo post: ὑπὸ δὲ τὸν τῶν Ἑσπερίδων κῆπον εἰσὶν αἱ τοῦ Ἡρακλέους θῖναι, τὰ ὄρη. Scylax Caryandæus in Pentapolitana urbis, & portus Ἑσπερίδων meminit: Ταύχειρα κώμη Ἑσπερίδων πόλις, καὶ λιμήν. Ita enim distinguendum, & legendum. Meminit & Strabo λιμένος Ἑσπερίδων in illis locis, ubi malè corrigunt λίμνης Ἑσπερίδων. Haud longè ab Hesperidibus urbe κήπους Ἑσπερίδων ponit idem Scylax omni genere arborum refertos. Diodorus Siculus περὶ τὴν Ἑσπερίτιν χώραν Hesperi & Atlantis, & Hesperidum filiarum fabulam juxta quorumdam sententiam refert. Ἑσπερῖτις χώρα dicta ab urbe Hesperide Cyrenaïcæ, cujus ἐθνικὸν Ἑσπερίτης suprà ex Stephano, & Callimacho posuimus. Nisi Ἑσπερίτιν χώραν vocat Diodorus ad Occidentalem Oceanum. Virgilius:

Oceani finem juxta, solemque cadentem,
Ultimus Æthiopum locus est, ubi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
Hinc mihi Massylæ gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos.

Quibus versibus manifestum est Hesperidum hortos ad Oceanum à poëta locari ex Græcorum sententia. Servius tamen ad eum locum ita scribit: *sacerdos prædicta, quæ est oriundo Massyla, aliquando horti Hesperidum sacerdos, nunc habitans circa Atlantem. Nam aliter non procedit. Massyla enim mediterranea est. Berenice civitas Libyæ, unde haud longe sunt horti Hesperidum, Atlas vero mons maximus in Mauritania est.* Nugatur ille Grammaticus. Massyli populi Mauritaniæ, aut haud longè à Mauritania. Hortos Hesperidum major pars in Mauritania statuit ad Oceanum, circa Lixon, alii etiam circa Atlantem Mauritaniæ montem. Nam Hesperidas quidam Hesperi filias faciunt, quidam Atlantis ex Hesperide uxore. Nihil prohibet igitur sacerdotem illam templi Hesperidum & Massylam oriundo fuisse, & circa Atlantem habitasse etiam tum quum templi custos esset. Nam aperte Virgilius circa Atlantem collocat Hesperidum hortos, non circa Berenicen Libyæ Pentapolitanæ oppidum. Addit Servius: *quidam tamen hos hortos circa Syrtes positos tradunt.* Sic scribendum. Atqui supra dixerat haud longe esse à Berenice civitate. Quæ Berenice civitas in extimo cornu sita Syrtis majoris. Eadem igitur sententia est, quæ circa Berenicen, & Syrtes positum tradit hortum Hesperidum. Nec diversæ sunt opiniones, ut velle videtur Servius. Errorem, ut dixi, fecit vox Ἑσπερίδες, quo nomine appellata est Pentapolitanæ Libyæ civitas, inde horti urbi vicini dicti Ἑσπερίδων, & confusi cum hortis fabulosarum Hesperidum, qui ad Oceanum. Urbem illam Εὐεσπερίδας, & Εὐεσπερίδα antiqui Græci vocitarunt, quo nomine Hesperidas nymphas nemo unquam indigetavit. Et Plinius gravissimè falsus est, qui ἀπὸ Εὐεσπερίδων in Theophrasto *Hesperidum hortos* reddidit, quum Εὐεσπερίδες urbis nomen sit. Etenim & illi, qui Hesperidum hortos in Cyrenaïcam transtulerunt, κήπους Ἑσπερίδων diversos statuerunt

ſtatuerunt ab ipſa urbe, quæ Ἑσπερίδες, & Εὐεσπερίδες dicebatur. Aliud enim Ἑσπερίδες, aliud Ἑσπερίδων κῆπος. Stephanus: Μάσκωτος πόλις Λιβύης. Ἑκαταῖος περιηγήσει. Ἐστὶ δὲ πλήσιον τῶν Ἑσπερίδων, id eſt, juxta urbem Heſperidas, quæ poſtea Berenice vocata eſt. Κήπου Ἑσπερίδων meminit & Scylax, eumque deſcribit, ſed perperam κόλπος Ἑσπερίδων apud eum legitur. Totus ille locus ſic conſtituendus: ἐνταῦθα ἐστὶν ὁ κῆπος τῶν Ἑσπερίδων, ἐστὶ δὲ τόπος βαθὺς ὀργυιῶν ιη, ἀπότομος κύκλῳ, οὐδαμοῦ ἔχων κατάβασιν, ἐστὶ δὲ δύο σταδίων πανταχῇ οὐκ ἔλαττον εὖρος ἢ μῆκος. Οὗτος ἐστὶ σύσκιος δένδρεσιν ἐμπεπλεγμένοις ἐν ἀλλήλοις, ὡς ὅτι μάλιστα πυκνοτάτοις. Τὰ δένδρα ἐστὶ λωτὸς, μηλέαι παντοδαπαὶ, ῥοαὶ, ἄπιοι, μιμαίκυλα, συκάμινα, ἄμπελοι, μυρσίναι, δάφναι, κισσὸς, ἐλαίαι, κότινοι, ἀμυγδαλαὶ, καρύαι. Τῶν δὲ χωρίων ἃ οὐκ εἴρηται ἐστὶ κατὰ τὸν κῆπον. Ἄμπελος. Ἄπιος ἀπέχουσα στάδια λ Χερρόνησος, κῆποι πλεῖστοι, Ζωεριτὶς, τούχειρα, καυκαλοῦ κώμη, Ἑσπερίδες πόλις καὶ λιμὴν. Hortus ille Ἑσπερίδων dictus eſt ab urbe Heſperidibus, cui vicinus erat. Huic vicina etiam urbs Ampelus, à qua Ampelitæ, qui caulem ſilphii Delphis dedicarunt, ut hinc conſtet circa Heſperidas ſilphii feracem regionem fuiſſe ſitam. Longè ab hoc loco diverſus hortus Heſperidum Nympharum, in quo mala aurea Draconem ſervaſſe fabulantur veteres. Hic ad Oceanum Atlanticum. Quin & *Citria mala*, ἑσπερικὰ, & Ἑσπερίδων μῆλα dixerunt ab illo horto Atlantico. Gloſſæ: *Citrium* ἑσπερίς. Scylax enumerans omnes arbores, quæ in horto Heſperidum Cyrenaïcarum erant, nuſquam meminit τοῦ κιτρίου, niſi id comprehenderit ſub nomine μηλεῶν παντοδαπῶν. Ex hac porro nominum ſimilitudine Ἑσπερίδων urbis, & Ἑσπερίδων Nympharum hos hortos multi veterum confuderunt. Urbem Εὐεσπερίδας vocat Herodotus. Sed hæc hactenus.

Nec quiſquam oſtenſus nomine, cognitionem gravetur] Ita repoſuimus conſentientibus libris. Ita loquuntur auctores. *Gravari aliquid*, ut Græcis τοῦτο βαρύνεσθαι. Vetus epigramma: Μὴ Ζεὺς ἀλγήσῃ τοῦτο βαρυνόμενος,

Ne Juppiter doleat, hoc gravatus.

Corruptus & in hac loquutione Statius lib. III. Sylvarum, Hercule Surrentino. Sic enim legendum eſt:

Forte diem Triviæ dum littore ducimus udo,
Auguſtaſque fores, aſſuetaque tecta gravamur,
Frondibus & patula defendimus arbore ſoles.

Male eſt in editis:

---- *aßuetaque tecta gravamus*
Frondibus.

Quæ diſtinctio, & lectio ſenſum auctoris genuinum corrumpit, dum, inquit, diem feſtum Dianæ in udo littore ducimus, & fores tectaque gravamur, ſed ſolis frondibus, & arborum opacitate ſolem arcemus. Vide locum, & fateberis verum. *Tecta gravantur*, quibus grave eſt tectis ſuccedere.

Plebes ſimiarum in his eſt quas paſſim videmus] Sic erat in libris. In editis: *vulgus ſimiarum.* Græcum Philoſtrati expreſſit. Οὗ δὴ λέγεται πιθήκων οἰκεῖν δῆμος ἐν μυχοῖς. Πιθήκων δῆμος, *ſimiarum plebes.*

Pag. 39. B. *Relicta conſulto viſci unguilla*] Ita in omnibus libris. Sed quid eſt *unguilla viſci*? Vas intelligit, in quo viſcum reponitur. Plinius: *Mira ſolertia viſco inungi, laqueiſque calceari imitatione venantium tradunt.* Breviter ille, quæ Græci latius, & ex illis noſter explicavit. Poſito vaſe aquæ pleno oculos ſibi fricant, & obliniunt venatores ſimiis aſpicientibus, quæ inter arbores ſunt: tum illi recedunt, relicto altero vaſculo viſci pleno: quo viſo deſcendunt ſimiæ, & ſtudio imitandi oculos inungunt ſibi viſco, atque ita capiuntur. Auctor epitomes Strabonis: οἱ πίθηκοι ὑπὸ Ἰνδῶν ἁλίσκονται οὕτως. Θέντες ὕδωρ πρὸ αὐτῶν ἀπονίπτονται τὸ πρόσωπον, καὶ πλησίον ἕτερον τρύβλιον ἔχον ἰξὸν, ἀπονιψάμενοι δὲ ὑποχωροῦσιν. Οἱ δὲ πίθηκοι καθήμενοι μετέωροι ἐπὶ δένδρου καταβάντες μιμοῦνται, καὶ οὕτως ἀπονιπτόμενοι τῷ ἰξῷ ἁλίσκονται. Mira brevitate hæc expreſſit Plinius, viſco eas inungi tradens imitatione venantium. Vide Strabonem lib. XV. Quod igitur in Græcis erat, τρύβλιον ἰξοῦ, *unguillam viſci* vertit Solinus. Græci τρύβλιον ὀξυβάφιον interpretantur. Heſychius: τρύβλιον ὀξυβάφιον. Hoc & ἐμβάφιον appellabant. Idem: ἐμβάφιον, ὀξύβαφον παρὰ Ἱππώνακτι. Eodem ſenſu ἐμβάφια apud Herodotum lib. II. Ἐμβάφιον Solinus ad verbum reddidit *unguillam*, id

A eſt, τρυβλίον. Nam βάπτειν eſt tinguere, vel unguere. Βάμμα oleum Græcis ſignificat, & acetum, id eſt, intinctum. Dioſcorides de radice laſerpicii: εὔστομος δὲ ἐστὶ μιγνυμένη καὶ εἰς βάμματα καὶ εἰς ἅλας. Intelligit τὰ ἐμβάμματα. Heſychius: βάμμα παρὰ Συρακουσίοις τὸ ἔμβαμμα. Aceto præcipuè utebantur, τῷ ἐμβάμματι. Inde βάμμα acetum. Theophraſtus de laſerpicio: ἐσθίεσθαι δὲ καὶ τὰς ῥίζας προσφάτους κατατεμνομένας εἰς ὄξος. Dixit ὄξος, quod Dioſcorides βάμμα. Æoles dicebant βάππα. Inde *vappa* Latinum de vino acetoſo. Inter ſicca condimenta præcipuum locum obtinebant ſales: in liquidis acetum & oleum, quæ propriè βάμματα,

B & ἐμβάμματα, & varia mixtura γαρέλαιον, ὀξύγαρον, & alia hujuſmodi oxypora. Apulejus lib. II. *Fotidem, quæ ſuis dominis parabat viſcum fartim conciſum, & pulpam fruſtatim confectam in abacum ad paſcua jurulenta.* Non eſt locus in toto Apulejo contaminatior. *Viſcum fartim conciſum*, & *pulpa fruſtatim confecta* idem eſt, ut neceſſe ſit alterutrum alterius eſſe gloſſamentum. Notandum interim *viſcum* dixiſſe Apulejum pro viſcere, niſi legendum ſit *viſcus fartim conciſum.* Sic apud Virgilium *fallere viſco.* Nonius *tractu viſceris* exponit, ut *viſcum* ibi ſit idem cum viſcere. Servius pro *viſceratione* poſitum quoſdam ait dicere, & reprehendit, Noniumque

C intelligit. In Florentinis legitur: *& amba compaſcue jurulentum.* Totus locus ita conſtituendus: *quæ ſuis dominis parabat viſcus fartim conciſum, & bamma compaſcue jurulentum.* Vel *embamma*, quod idem eſt. *Bamba* perperam ſcriptum erat pro *bamma.* Corrigendus & in hac voce Columella lib. XII. cap. XXXIIII. *Qui ſcylliticum acetum facere volunt, decem bambatæ in tres amphoras muſti mitis, aceti acris congium.* Lege: *qui ſcylliticum acetum facere volunt ad embammata. In tres amphoras muſti mittis aceti acris congium.* Scyllino aceto ad embammata utebantur. Sic loquitur ille

D infra: *vinum myrtiten ad tormina. Vinum ſcylliten ad coquendum & corpus reficiendum.* Hujuſmodi igitur vaſa, quæ embammati continendo ſerviebant, ὀξύβαφα & ἐμβάφια dicebantur, & τρύβλια. Pollux: τὰ δὲ τῶν ἡδυσμάτων ἀγγεῖα, ὀξίδας μὲν εἰς ἃς καὶ τὸ ὄξος· ἐμβάφια δὲ καὶ τὰ λεκάρια, καὶ λεκάνια, καὶ τρύβλια, καὶ ὀξύβαφα, ἐν οἷς τὰ ἡδύσματα ἢ βρώματα. Hinc *manum* aut *panem intingere* in condimento, aut condimentario, ἐμβάπτειν. Matthæi XXVI. Ὁ μετ' ἐμοῦ ἐμβάψας ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα. Inde ἐμβάφια, & ἐμβαφίαι λοπάδες, ἀπὸ τοῦ ἐμβάπτειν. Ἐμβάφιον quoque appellarunt *atramentale*, vel *atramentarium*, in quo atramentum reponebatur ad in-

E tingendum calamum. Quod & *calamarium* dicebatur. Gloſſæ: *atramentale*, μελανδόχον, *atramentarium*, καλαμάριον. *Caniculum* recentiores Latini dixere voce diminutiva à *canum*, quod ex Græco κανὸν, & κανοῦν. Non caniſtrum tantum textum vimine hoc vocabulo ſignificarunt, ſed etiam τρύβλιον, & μαγίδα. Gloſſæ Græcorum, κανοῦν, τρύβλιον, μαγίς. Inde κανικλεῖον, & κανίκλωμα. De quo nos alibi. Ex his conſtat τρύβλιον idem eſſe quod ἐμβάφιον, Latinis *acetabula*, quæ Græcis ὀξίδες, & ὀξύβαφα. *Unguilla* vero ab oleo, ab *uncto.* Unde apud Perſium: *cœnare ſine uncto.* Et *uncta patella.* Et *unguen* pro oleo.

F *Fœniſecæ ſacro vitiarunt unguine pultes.*

Βάμμα quoque τὸ ἔλαιον, τὸ μύρον interpretantur. Et *pulmentum unctiuſculum* Plauto. Plinius lib. XIX. cap. IV. *Nec caules, ut nunc, maximè probabant, damnantes pulmentaria, quæ egerent alio pulmentario. Id erat oleo parcere. Nam gari deſideria etiam in exprobratione erant. Horti maximè placebant, quia non egerent igni, parcerentque ligno, expedita res ſemper: unde & acetaria appellantur, facilia concoqui, nec oneratura ſenſum cibo, & quæ minime accenderent deſiderium panis.* Inepte *acedaria* legunt, & intelligunt, quę ſine cura provenirent. *Acetaria* dicta λάχανα, quæ cruda in aceto edeban-

G tur. Græci τρώξιμα appellarunt. Optimæ gloſſæ: *acetaria*, τρώξιμα. Alibi *eſcaria* τρώξιμα exponuntur. Notum, quid ſint uvæ τρώξιμοι. Herbas autem, & olera, quæ ex aceto, & ſale comedebantur, hoc nomine appellarunt, ſed & quæ aceto, & ſale condiebantur. Plinius de peplio, ſive portulaca agreſti: *ſtomachum in acetariis ſumpta corroborat*, ἐν προσοψήμασιν, ἐν ὀξυπόροις. Aceto eam, & ſale condiri ſcribit Dioſcorides. *Oxypora* condimenta dicebantur, quæ hujuſmodi herbis, & aceto conſtabant.

Oxypora porro dicta, quod ex aceto darentur. Hinc sua medicis ὀξύπορα, vel ὀξύπορα antidota, & πεπτικά, non ita appellata, ut in suis definitionibus doctissimi medici asserunt, quod cito penetrarent, utpote tenuium partium, sed quod aceto, & acetariis hujusmodi herbis componerentur. Certè nunquam sine aceto fiebant, ut plurimum piperato. Ὀξύπορα, quod ex aceto præberentur. Sic ὀξύγαρον, quod ex aceto & garo. Sic ὀξύβαφον, ὀξύγαλα. In his omnibus τὸ ὀξὺ non acutum, & penetrans significat, sed acidum, vel acetosum, τὸ ὄξος. Glossæ: ὀξύγαρον, *acetarium*. Columellæ *oxyporum moretum* appellatur, quod & *oxygarum* quidam vocabant, quia ex aceto & garo sumeretur. Ut ὀξύπορα καθαρτικὰ medici habent, ita ὀξύπορα, quæ non à cita, & subita penetratione nomen invenerunt, sed unde diximus. Hæc alibi. Latini dixere & *bammum*, τὸ ἐμβάφιον, ἀπὸ τοῦ βάμματος. Sic *zumum* ollam ἀπὸ τοῦ ζέματος. Adamantius Martyrius apud Cassiodorum: *bammum*, ὀξυγάρον. Ita legendum. Sic vocat vas *oxygari*. Nam oxygarum etiam βάμμα. Nisi *bammum* vocet τὸ βάμμα: ut *digammum*, τὸ δίγαμμα: & *diplomum*, τὸ δίπλωμα. Sed illud verius. Nam *bammulum* ὑποκοριστικὸν, parvum oxybaphium. Quod Græcis recentioribus dictum est βάμπυλον, & βάμβυλον. Candelabra veterum ita fiebant, ut hodie videmus ea, quibus utuntur in templis. Catinus est, vel scyphus, & in medio uncinus, cui infigitur candela. Varro de vita P. R. apud Servium: *facibus, aut candela simplici, aut ex funiculo facta, cera vestita: quibus ea figebant, appellabant funalia.* Ita legenda sunt hæc verba, quæ vulgo in commentario Servii habentur corruptissima. Sequuntur Servii verba: *nonnulli apud veteres candelabra dicta tradunt, quæ in capitibus uncinos haberent, quibus affigi solebat, vel candela, vel funes pice delibuti, quæ interdum erant minora, ut gestari manu, & præferri Magistratibus à cœna possent.* Sic etiam hæc scribenda sunt. Donatus in Andriam: *funus à funalibus dictum est, id est, uncis, vel cuneis candelabrorum, quibus delibuti funes pice, vel cera infiguntur.* Candelabra ipsa in modum lancis, vel ἐμβαφίου uncinum in medio habentia, quibus infigebatur candela cum pediculo, quo manu retinebatur. Βάμμυλον, vel βάμπυλον Græci recentiores vocarunt, id est, *bammulum*, vel ὀξυβάφιον. Qui unico tantum constabat acetabulo, μονοβάμβυλον vocabant, quod ex duobus, διβάμβυλον. Codinus: ὁ δεύτερος ὀσιάριος κρατῶν τὸ μονοβάμβυλον. Idem: ὁ λαμπαδάριος ὁ κρατῶν τὸ χρυσοῦν διβάμβυλον. Et paulo post: τοῦ δὲ λαμπαδαρίου κάτωθεν τοῦ μεγάλου δομεστίκου τὸ διβάμπυλον μεθ' ἡμμένης λαμπάδος φέροντος. Ubi διβάμβυλον est candelabrum cum duplici acetabulo. Et rectè zygomala κηροδοχεῖον interpretatur. Malaxus in Historia Patriarcharum: ἔκαμε δὲ καὶ σκεύη τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, διβάμμυλον, ἀργυροῦν, λεκάνιον ἀργυροῦν, καὶ μανουάλια. Scriptum διβάμβυλον in plerisque pro διβάμμυλον, ut φλάμπυλον scribebant pro φλάμμυλον, quod Latinè *flammulum*. Nugantur eruditi homines in hac voce explicanda. Nam βάμμυλον est *bammulum*, parvum bammum, vel ὀξύβαφον. Exod. XXV in candelabro templi scyphi vocantur hujusmodi acetabula: *facies candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile ejus & calamos scyphos ac sphærulas.* In lucernis veterum ἐμβάφια quoque dicebantur, quæ oleum continebant. Herodotus lib. II. Τὰ δὲ λύχνα ἐστὶν ἐμβάφια ἔμπλεα ἁλὸς καὶ ἐλαίου, ἐπιπολῆς δὲ ἔπεστι αὐτὸ τὸ ἐλλύχνιον. Καὶ τοῦτο καίεται παννύχιον. Hujusmodi ἐμβάφια fiebant & in candelabris ad excipiendas candelæ emunctiones, & decidentes sordes, quæ βάμμαλα Græci recentiores dixere. Idem igitur ἐμβάφιον, & τρύβλιον, & *bammum*, sive *bammulum*. *Unguillam* dixit Solinus pro eodem. Restat alter modus apud Plinium, quo capiebantur simiæ, de quo nihil Solinus, *laqueisque calceari*. Corruptissimè in antiquis Plinii codicibus totus ille locus sic legitur: *mira sollertia visa inungula quæ his quæ calcari imitatione venantium tradunt.* Forte scribendum erat: *visco inungi, saccisque calceari.* Græci, à quibus Plinius sumpsit, καὶ ἑτέρως πάλιν θυλάκους ὑποδοῦνται κενοὺς, καὶ ἀποχωροῦσι, πλησίον ἀφέντες ἑτέρους δασεῖς ἔξω κεχελωμένους, οἱ δὲ μιμησάμενοι ἁλίσκονται. Ita auctor epitomes. Θυλάκους ὑποδεῖσθαι est *saccis calceari*. Perperam apud Strabonem legitur, ἄλλως δὲ ὑποδυσάμενοι θυλάκους ὡς ἀναξύριδας ἐπιάσι. Lege: ὑποδησάμενοι ἀπιᾶσι. Sed nihil mutandum in Plinio, & rectum est, *laqueis calceari*. Diodorus lib. XVII de venatura simiarum: καὶ τοῖς μὲν ὑποδήμασι παραθέντες δεσμοὺς ἀπολείπουσι. Vide locum. Quod sequitur apud Plinium, vitio adhuc magis laborat: *Mutianus latrunculis lusisse fictis cera, nuces visu distinguere.* Quo enim latrunculos cera fictos? Alii proferunt è suis codicibus: *latrunculis lusisse, fictas cera nuces visu distinguere.* Sed cui bono nuces cera fictæ, aut ad quam rem fingebantur? In optimo codice scriptum legi: *fictas cera cones jus distinguere.* Corruptissimè, sed ex quo sincera lectio facile potest exsculpi legendo: *fictas cera icones visu distinguere.* Cereæ icones optime, & ad nativum vultus repræsentant, & nulla pictura veritatem magis imitatur quam cera. At simiæ sciunt visu ipso distinguere icones cera fictas à veris vultibus. *Icones*, & *iconica figura* passim apud Latinos scriptores. In imaginibus è cera fingendis multi veteres.

Exultant nova luna, tristes sunt cavo cornuto sidere] Cavam, & cornutam lunam à nova discernit, quæ tamen & ipsa nihilominus cava & corniculata est. Græci μηνοειδῆ vocant, quum curvatur in cornua, & tam de nova dicunt, quam vetere. Ammianus: *jamque abunde nitens cornuta habitu* μηνοειδὴς *est appellata.* De nova luna loquitur. Sed Plinium sequitur noster, cujus hæc verba sunt de cercopithecis: *luna cava tristes esse quibus in eo genere cauda sit, novam exultatione adorare.* Turnebus *cavum sidus* heîc apud Solinum accipere se dicit lunam corniculatam, & contrariam rectæ, quæ dividua est, & utrimque gibbosæ, quæ ἀμφίκυρτος. Sanè & ita acceperim, sed hoc non explicat, cur Plinius, & Solinus cavam, & corniculatam lunam à nova diversam faciant, quum certum sit novam lunam corniculatam cavam etiam esse. Plinius ipse lib. XXXVII. *Tephritis nova lunæ speciem habet curvatæ in cornua.* Cava certè est, quæ curvatur in cornua. Nam ab altera parte curva est, ab altera cava. Cur igitur heîc *novam* à cava distinguit? Idem lib. II. cap. X de lunæ sidere: *crescens semper & senescens, & modo curvata in cornua, modo æqua portione divisa, modo sinuata in orbem, maculosa, eademque prænitens, immensa orbe pleno, ac repente nulla.* Quem locum correctionibus suis pessimè corrumpunt eruditi, dum legunt: *sinuata, in orbe maculosa.* Nam sinus, inquiunt, in orbe non potest intelligi. Ineptè. *Sinuari arcus* dicitur, qui curvatur. *Sinuari vela*, quæ curvantur, & inflantur. Curvari, & cavari invicem ponuntur. Unde & κοιλαίνειν Græci pro curvare accipiunt. Ita & *sinuare*. Luna igitur *in orbem sinuata* est, quæ Græcis ἀμφίκυρτος, in orbem scilicet protumida. Apulejus de Deo Socratis: *seu corniculata, seu dividua, seu protumida, seu plena sit.* Κυρτὸς, Æolice κυρπὸς, *curvus*: ut κλιτὺς, κλιπὺς, *clivus*. Sic ἀμφίκυρτος undique, & in orbem curvata, & sinuata, & protumida. Nullum ergo dubium, quin corniculata, & cornuta luna, tam nova, quam vetus dicta sit. Per eosdem quippe gradus, & habitus nominaque crescit & decrescit, à corniculata incipiens, & in corniculatam desinens. Nihil notius, ut mirer *cornutam* lunam Solinum distinguere à nova luna. Sed ille more suo nugatur. Magis mirum de Plinio, qui *cavam* à nova facit diversam, quum cava eadem sit cum cornuta. Cavari, & curvari in cornua crescens, ac decrescens luna dicitur. Sic Græci κοίλην vocant. Aristoteles de cælo: ἡ δ' αὔξησις γίνεται, ἢ ἀμφίκυρτος, καὶ κοίλη. Non tamen eo sensu Plinius *cavam* potest videri dixisse, quum κοίλη sit μηνοειδὴς, & corniculata, Isidorus de simiis: *hæ elementorum sagaces nova luna exultant: media & cava tristantur.* Vocat *mediam* τὴν διχότομον, & dividuam: & *cavam*, τὴν μηνοειδῆ. Sed fallitur, ut & Solinus, qui *cavam* apud Plinium interpretatus est cornutam. Mira vero res esset, si simiæ corniculata luna magis tristes essent, cum decrescit, quam quando crescit, quum eadem figura sit. Nec enim, ut puto, norunt discernere inter crescentis, & decrescentis cornua. *Cavum* opponitur *pleno*. Nam, quod vacuum sit, cavum existit. Ergo & *cava luna* plenæ. *Plena* dicitur, quum totum orbem implevit. Ergo & *cava*, quum toto orbe vacua est

est & inanis, nihilque prorsus habet luminis. Cavatur cum minuitur, & curvatur in cornua. Cava est omnino, quæ lumine cassa est. Per interlunia igitur, quum splendorem prorsus amisit luna, tristes sunt simiæ: eamdem renascentem, & in exortu suo novam exultatione adorant. Hæc omnino mens Plinii. De cynocephalis, qui in genere simiarum sunt, idem planè scribit Orus Apollo in Hieroglyphicis ad hunc modum: σελήνην μὲν ἐπειδὴ τοῦτο τὸ ζῶον συμπάθειάν τινα πρὸς τὴν τοῦ θεοῦ σύνοδον ἐκτήσατο, ὅταν γὰρ ἐν μέρει τῆς ὥρας ἡ σελήνη συνοδεύουσα ἡλίῳ ἀφώτιστος γένηται, τότε μὲν ὁ ἄρσην κυνοκέφαλος οὐ βλέπει, οὐδὲ ἐσθίει. Ἄχθεται δὲ εἰς γῆν νενευκώς, καθάπερ πενθῶν τὴν τῆς σελήνης ἁρπαγήν. Ἡ δὲ θήλεια μετὰ τοῦ μὴ ὁρᾶν καὶ ταῦτα τῷ ἄρσενι πάσχειν ἔτι καὶ ἐκ τῆς φύσεως αἱμάσσεται. Διὸ καὶ μέχρι νῦν ἐν τοῖς ἱεροῖς τρέφονται οἱ κυνοκέφαλοι, ὅπως ἐξ αὐτῶν γινώσκωσι τοῦ ἡλίου καὶ σελήνης μέρος τῇ συνόδου. *Cavam* igitur *lunam* vocat Plinius τὴν ἐν τῷ συνόδῳ. Sic *cavum* opponitur pleno. Ita & quum splendorem prorsus amisit luna, tristes sunt simiæ. Eamdem renascentem, & in exortu suo novam exultatione adorant. Hæc mens Plinii. Sic *cavum* opponitur *pleno*: *cavi* menses *plenis*. Ita denique *cavam lunam* Plinius dixit contrariam plenæ, eam nimirum, quæ in totum lumine vacua est; ut *plena* dicitur, quæ tota illuminatur. Quæ subjiciuntur, indicant ita accepisse: *nam defectum siderum & cetera pavent quadrupedes.* Ergo *cava luna* de obscurata, & penitus hebetato splendore, quod ἐν ταῖς συνόδοις accidit. Quo lucis in ea defectu tristari simias dixit. Nihil verius. Quod Orus de cynocephalis, Plinius vero de solis in eo genere scripsit, quibus cauda est, hoc de universo genere Solinum dicere notabis.

Quos impendio diligunt, & ante se gestant] Plinius: *simiarum generi præcipua erga fœtum affectio: gestant catulos, quos mansuefactæ intra domos peperere, omnibus demonstrant.* An solos eos catulos gestant, quos mansuefactæ intra domos peperere? Hic sensus vulgatæ lectionis, qui absurdus est. Intra domos idem faciunt, quantum ad fœtum gestandum attinet, quod in silvis. Libri habent: *quæ intra domos mansuefactæ peperere.* Distinguo, & scribo: *simiarum generi præcipua erga fœtum affectio: gestant catulos: quæ intra domos peperere, omnibus demonstrant, tractarique gaudent, gratulationem intelligentibus similes.* Ita etiam hæc postrema scribenda è veteri codice. Mirè amant catulos suos simiæ, eosque gestant, tam feræ, quam mansuetæ. Quæ vero ex iis cicuratæ intra domos peperere, omnibus demonstrant, & tractari gaudent.

Cercopitheci caudas habent] Latini veteres *cluras* vocarunt, quæ caudas non habebant, ex Græco κολούρας. Nam κόλουρος proprie, qui cauda caret, & mutilam habet caudam. Ita Callimachus κόλουρα dixit ecaudia animalia. Κολούρα igitur *clura*, ut γάλανος, *glans*, & similia. Festus *cluras* dictas interpretatur, *a clunibus tritis.* Ineptè. Glossæ: *clura, simia.* Malè: *clura*, ὁμοία. Eædem: *clura*, πίθηκος. Malè Isidorus: *simia cum cauda est, quam quidam cluram vocant.* Ita legendum. Immo sine cauda, ἡ κολούρη. Hinc *clurinum pecus* Plauto, & Arnobio, simia.

Inter simias habentur & sphinges] Αἱ σφίγγες, τὰ σφιγγία. Quod nationem antiquorum Grammaticorum constat ignorasse, heic docebo, veteribus Romanis *spinturnices* appellatas, quæ Græcis σφίγγες. Vetus versus:

Occursatrix artificum perdita spinturnix.

Grammatici interpretantur *genus avis turpis figuræ.* Santra ἀνθηλίδα Græcis dici eam avem somniabat, solo in- A ductus nominis sono, quasi *spinturnix* esset ἀνθηλίς. Inde est, quod scribit Plinius: *Incendiariam avem alii spinturnicem vocant, sed hæc ipsa, quæ esset inter aves qui se sciret dicere, non inveni.* Et rectè sanè. Si nulla incendiaria avis, nec *spinturnix* incendiaria, nec omnino avis. *Incendiaria* Plinii ἀνθηλίς est Santræ. Si *spinturnix* porro avis nomen est in illo vetere versiculo, quem ante citavimus, erit & in hoc Plauti:

Pithecium præ illa & spinturnicium.

Sed quis non videt, ibi nomen esse quadrupedis, turpis B figuræ, ut & pithecium. Græci πίθηκον, & πιθήκιον de homine, & muliere deformi sæpe usurpant. *Spinturnicium* igitur in versu Plauti est τὸ σφιγγίον, quod genus simiæ est turpicula facie, & liquet in Græco fuisse πιθήκιον, καὶ σφιγγίον: *pithecium, & spinturnicium.* Alibi *clurinum pecus* de turpiculæ formæ puella dixit, id est, simiam. Quod *spinturnicem*, quæ sphinx est, de ave quidam veterum interpretati sunt, ex eo factum videtur, quod Græci alatas sphinges ex fabula pingebant, quas Ægyptii sine alis, ut erant revera. Agatharchi- C des: αἱ σφίγγες, καὶ κυνοκέφαλοι, καὶ κῆποι παραπέμπονται εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἐκ τῆς Τρωγλοδυτικῆς καὶ τῆς Αἰθιοπίας. Εἰσὶ δὲ αἱ μὲν σφίγγες ταῖς γραφομέναις παρόμοιαι. Πλὴν ὅτι πᾶσαι δασεῖαι καὶ ταῖς ψυχαῖς ἥμεροι καὶ πρᾶοι. Diodorus lib. III. Αἵ τε σφίγγες γίνονται μὲν περί τε τὴν Τρωγλοδυτικὴν καὶ τὴν Αἰθιοπίαν, ταῖς δὲ μορφαῖς οὐκ ἀνόμοιοι ταῖς γραφομέναις. Quæ omnia ab Agatharchide sumpsit mutuo. Ammianus Marcellinus lib. XXII. de Ægypto: *& in aridis quidem capreoli vescuntur & bubali, & spinturnicia omni deformitate ridicula, aliaque monstra,* D *quæ numerare non refert.* Clarum est spinturnicia ibi esse τὰ σφιγγία, nec pro avitio posse accipi. In aridis Ægypti nascuntur, & locis Æthiopiæ vicinis. Plinius: *Lyncas vulgo frequentes & sphingas fusco pilo, mammis in pectore geminis, Æthiopia generat, multaque alia monstro similia.* Idem dicit quod Ammianus. Libri ejus habent *pisturnicia*, pro *spinturnicia* transpositis literis. Σφίγξ, σφιγγός producto nomine Latinis *spinturnix.* Sic ὄρτυξ, ὄρτυγος, *coturnix.* Nam γ in τ mutatur, ut in aliis sexcentis soliti sunt Latini. Ita τρυγός, & E Æolicè τυργός, Latini *turtur.* Hesychius; τρυγῶς, τὰς τρυγόνας.

Villosæ comis] Habet à Græco scriptore. Nihil enim de eo apud Plinium. Agatharchides de sphingibus: πλὴν ὅτι πᾶσαι δασεῖαι. Diodorus: ταῖς δὲ μορφαῖς οὐκ ἀνόμοιοι ταῖς γραφομέναις, πλὴν ταῖς δασύτησι διαλλάττουσι. Sed quid est *villosæ comis*? An legendum, *villosæ omnes*, id est, πᾶσαι δασεῖαι. Sic infrà, *hirti omnes*, πάντες δασεῖς, id est, omni corpore. Scriptum erat *omnis* pro *omnes*, ut semper, inde *comis* fecerunt.

Cynocephali feri morsu, nunquam mansueti] Agathar- F chides de cynocephalo: ἄγριον τε ὑπερβολῇ, καὶ τελείως ἀτιθάσσευτον, καὶ τὴν ὄψιν ἐμφαῖνον ἀπό τε τῶν ὀφρύων, καὶ τῶν ὀμμάτων αὐστηρόν. Diodorus: ἀγριώτατα δὲ ταῦτα τὰ ζῶα, καὶ παντελῶς ἀτιθάσσευτα καθεστῶτα, τὴν ἀπὸ τῶν ὀφρύων πρόσοψιν αὐστηροτέραν ἔχει. Juvat hæc furta summorum auctorum observare, ne de Solino miremur.

Pag. 39. C. *Dociles ad feritatis oblivionem*] Agatharchides: ταῖς ψυχαῖς ἥμεροι, καὶ πρᾶοι, καὶ πανουργίας κοινωνοῦσι πλείστης, διδασκαλίας τε μεθοδευτικῆς ἐπὶ ποσὸν ἅπτον- G ται, ὥστε τὴν εὐρυθμίαν ἐν πᾶσι θαυμάζειν. Ex eo Diodorus Siculus: τὰς δὲ ψυχὰς ἡμέρους ἔχουσαι καὶ πανούργους ἐπὶ πλέον, καὶ διδασκαλίαν μεθοδικὴν ἐπιδέχονται.

In Æthiopico, hoc est, suo cælo] Ita libri. Vulgo, *solo.* Plinius: *hoc animal negatur vivere in alio, quam in Æthiopiæ, quo gignitur, cælo.*

CAPUT XXVIII.

Gens Amantum, & Asbystarum.



Pag. 39. D. *Gens Amantum est*] Non potuimus insuper habere omnium scriptorum lectionem. Ita etiam in utroque indice: *Gens Amantum & Asbytarum.* In vulgatis Plinii codicibus dicuntur *Hammanientes.* In quibusdam scriptis *Monentes.* Utrum *Amantes* repererit Solinus, an populi alterius nomen substituerit, nescio. Hoc ultimum ab ejus more, & genio nequaquam abludit. *Amantes* populi sunt Illyrici trahentes originem à Phocicis Abantibus. Ἀμαντῖνοι Ptolemæo. Callimachus:

Οἱ καὶ Ἀμαντίνην ᾤκισσαν Ὠρικίην.

Quos in modum cautium è montibus excitatos] Quid est excitare lapides è montibus? Nam sales ad usum ædium excitatos è montibus, ut lapides dicit. Plinius: *domos sale montibus suis exciso seu lapide construunt.* Solinus *excitare* dixit, quod Plinius *excidere.* An igitur putabimus eum scripsisse, *è montibus excisatos*? *Excisare* pro excidere non huic nostro novum, aut insolens multa alia ad hunc modum formanti. Sic *conventare, conseptare, retentare,* & similia. Ita & *excisare puteos* supra, pro quo similiter corruperunt, *puteos excitassent.* Nam τάφρους κόπτειν, & φρέαρ ἐκκόπτειν Græci dicunt. Nihil tamen mutandum heîc censeo. *Lapides excitare è montibus* posuit pro extrahere. Haud prorsus absimili loquutione *glebas ex arvo excitare* in versu veteris poëtæ apud Nonium.

---- *glebas ex molli arvo excitent.*

Et apud Plinium, *grandes glebas excitare.* An & eadem metaphora *puteus excitari* dicendus, qui excitata, & extracta terra cavatur? Hoc durum & ineptum. Vide quæ suprà notavimus.

Ad usum ædium cæmenticiis nectunt struicibus] Ita optimus Regius. In alio æquè vetusto: *instruicibus.* Quæ diversa scriptura fortasse ab auctore. Nam si *struices*, cur non & *instruices?* Suprà dixit *instruere mœnia* pro struere. Sic *instructura* pro structura. Isidorus: *instructura autem parietum ad normam fieri, & ad perpendiculum respondere oportet.* Et alibi de calce: *usus ejus instructuris fabricæ necessarius.* Sic Græcis ἐπικτίσις. Unde ἐπικτιστικοὶ, & *epicteticales termini*, qui ex instructuris fiunt. *Struicem* pro strue aliquot locis restituere apud Arnobium memini. Sic *pendix*, τὸ πῆγμα, quod & *pendigo.* Unde *pendigines statuarum* Arnobio τὰ πήγματα. Et *appendix* παράπηγμα. Inter officia domus Augustæ erat, qui dicebatur *à pendice cedri*, ἐπὶ τοῦ πήγματος. Quidquid arcularum, aut aliarum rerum è cedro compactum erat, hujus curam spectabat. *Instruices cæmenticias* vocat cæmenta, quibus instruuntur, & nectuntur inter se lapides. Hoc propriè dicebatur *instruere.* Isidorus: *constructio, vel instructio vocata eo, quod instringat, & cohærere faciat, ut lapides luto, & ligna & lapides invicem sibi. Nam & intinctio ferri in aqua instructura est. Nisi enim candens tingatur, stringi & cohærere non potest ferrum.* Solinus heîc sales è montibus excisos dicit *cæmenticiis necti instruicibus.* Ergo *cæmenticias instruices*, vel *cæmenta* usurpat pro ferruminatione, quæ lapides inter se ligat, & nectit, quam ferruminationem hodieque *cæmentum* vulgo vocamus; & *ædes bene cæmentatas*, quæ probe fartæ sunt, & instructæ cæmento, quod fit ex arena & calce. Plinius lib. XXXI. cap. VII. *Carrhis Arabiæ oppido muros, domosque massis salis faciunt, aqua ferruminantes.* Quod ibi *ferruminare* dixit Plinius, heîc *cæmenticiis instruicibus nectere* vocavit Solinus. At veteres Latini *cæmentum* non ea significatione posuerunt, qua nunc utimur. *Cæmentum* quippe vocarunt; non rudem lapidem, ut vulgo sibi persuadent, sed cæsum & politum ad usum ædium: non tamen quadratum; nam *cæmenta* semper distinguunt à quadratis lapidibus. Vitruvius lib. I. cap. V. *Sed ubi sunt saxa quadrata, sive silex, sive cæmentum, aut coctus lapis, sive crudus, his erit utendum.* Et lib. II. cap. VII. *Sequitur ordo de lapidicinis*

A *explicare, de quibus & quadrata saxa, & cæmentorum ad ædificia eximuntur copiæ, & comparantur.* Cæmenta separat à quadratis saxis. Et cap. VIII. *Non est contemnenda Græcorum structura: non enim utuntur è molli cæmento polita, sed quum discesserunt à quadrato, ponunt de silice, seu de lapide duro ordinariam, & ita uti latericia struentes, alligant eorum alternis coriis coagmenta.* Græci non utebantur è quadrato saxo structura, nec è cæmento molli polita, sed è silice, vel è duro lapide ordinaria, id est, ordine structa, è duro lapide æquato. Eodem capite *cæmenticium saxum* à quadrato distinguit: *cum ergo tam magna potentia reges non contempserint latericiorum parietum structuras, quibus & vectigalibus,* B *& præda sæpius licitum fuerat, non modo cæmenticio, aut quadrato saxo, sed etiam marmoreo habere.* Græci vocant σύνομον λίθον, quod Latini *quadratum saxum.* Hesychius: σύνομα, σύνδρομα, ἰσόδρομα. Quod ex omni parte scilicet quadratum est. *Lapidem de talia* vulgo appellamus. *Cæmentum* vero minutus lapis cæsus, & æquatus ad structuram ædium, à cædendo dictus. Immo *cæmentum* idem quod cæsura. Inde *cæmenta marmorea* pro assulis, quæ è marmore cadunt, quum cæditur, dixit idem Vitruvius lib. VII. cap. VII. *Quibus autem locis hæ copiæ non sunt, cæmenta marmorea, sive assulæ dicuntur,* C *quæ marmorarii ex operibus dejiciunt.* Et lib. VIII. *Cæmentum de silice frangatur, ne gravius quam librarium.* Pro eo Plinius dixit: *fragmentis silicis non excedentibus libras.* Quilibet igitur lapis è lapidicina cæsus, vel ex alio majore saxo decisus, *cæmentum* dicebatur. Hinc *cæmentum* à *silice* distinguit Vitruvius, quod *cæmentum* cædendo fit, & pars est majoris saxi: nam *cæmentum* à cædo; ut *ramentum* à rado. *Silex* naturaliter ita reperitur, nec ex alio avellitur, aut exciditur. Græcum est χάλιξ, Latinè *hilex*, & *silex.* Glossæ: *cæmenta*, χάλικες. Fallitur. Aliud *cæmentum*, aliud χάλιξ, sive silex. Græci: χάλικες εἰς τὰς οἰκοδομὰς ἐπι- D τήδειοι μικροὶ λίθοι. Theophrastus de lapidibus: μέγας δ' οὐ τέμνεται, ἀλλὰ χαλικώδης. Aliquando & χάλικα pro cæmento Græci ponunt. Sotion: ἐπιβάλλουσι τοῦ λίθου σκληροῦ χάλικα, *duri lapidis cæmentum.* Certè tam *cæmenta*, quam *silices* μικροὶ λίθοι, & structuris accommodati. Sed χάλικες propriè *silices.* Utraque diversa à saxis quadratis. *Casalem* lapidem etiam dixerunt cæmenticium. Auctor incertus apud Agrimensores: *lapis fluvialis chomaticus dicitur: lapis Tiburtinus casalis dicitur.* Ita scribendum. *Casalis* idem quod *cæmenticius.* Hodie *cæmentum* vocamus ferrumen, quo lapides in structura ligantur, & nectuntur invicem. A- E pud veteres *cæmentum* lapis ipse cæsus è lapidicina, & æquatus ad struenda tecta. Plinius lib. XXXVII. cap. ult. *Igne lapides in æs solvuntur, igne ferrum gignitur, ac domatur, igne cremato lapide cæmenta in tectis ligantur,* id est, lapides. Idem lib. XXXVI. cap. XXIII. *Ruinarum urbis ea maximè causa, quod furto calcis, sine ferrumine suo cæmenta componuntur.* Ibi *cæmenta* sunt lapides, qui inter se calce ferruminantur, non autem ipsa ferruminatio. Idem lib. XXXV. cap. XIII de pulvere Puteolano: *mersumque protinus fieri lapidem unum inexpugnabilem undis, & fortiorem quotidie, si Cumano misceatur cæmento.* Ibi *cæ-* F *mentum* lapis est, non ferrumen. Vitruvius de eodem: *quod commixtum cum calce & cæmento, non modo ceteris ædificiis præstat firmitates, sed etiam moles, quæ construuntur in mari sub aqua solidescunt*, id est, cum calce & lapide. Idem Vitruvius cap. VIII. lib. II. *Incerta vero cæmenta alia super alia sedentia, inter seque imbricata, non speciosam sed firmiorem præstat structuram.* Omnibus his locis *cæmenta* sunt lapides. Idem ibidem: *sed nostri* G *celeritati studentes, erecta coria locantes, frontibus serviunt, & in medio farciunt fractis separatim cum materia cæmentis*, id est, fractis lapidibus cum calce. *Materiam* vocat ferrumen è calce, & arena. Paulo supra: *utraque autem ex minutissimis sunt instruenda, uti materia ex calce & arena crebriter parietes satiati, diutius contineantur*

tur. Et toto eo capite *materiam* appellat ferrumen ex arena & calce, ad farciendos, & consolidandos parietes. *Materiam* haud dissimili ratione farinam aqua conspersam, & subactam vocabant, quam vulgo *pastam* dicimus, *intritam* Plinius appellat lib. XXXV. cap. XIV. *Quin & intritam ipsam earum, priusquam fingantur, macerari oportet.* At lib. XXXVI. cap. XXIII: *intrita quoque quo vetustior, eo melior. In antiquis ædium legibus invenitur, ne recentiore trima uteretur redemptor.* Idem Vitruvius *mortarium* pro rudere pinsito, & subacto aliquot locis posuit, hodieque nos harenatum cum calce sic vocamus; vel lutum maceratum palea mixtum. Sed & alveum, in quo subigitur arenatum, dixere *mortarium.* Inde & nos ἀλετελέβανον sic dicimus. *Mortarium*, quasi moretarium, in quo subigebatur *moretum*, quod genus cibi *intritam* etiam vocabant. *Moretarium* quoque vocitarunt, vel *mortarium* cibum ipsum. Donatus: *hoc inter rusticos de alliato mortario dici solet: & bene intristi. Propriè enim hoc genus cibi intrita dicitur.* Vulgo *farciam* vocamus hoc genus *intritæ*. Inde & *intrita*, & *mortarium*, quo parietes farciuntur. In hoc mortarium addebantur & fragmina cæmentorum, id est lapidum, vel parva cæmenta, ut ex aliquot locis Vitruvii, & Plinii constat. Rudus ipsum, quod mortarium appellat Vitruvius, ex saxis contusis componebatur. Inde est quod recentiores *cæmentum* pro intrita ipsa, & ferrumine usurparunt, & *cæmentare* pro lapides inter se instructura nectere, & ferruminare. Certè *cæmentum* propriè vocamus genus ferruminis ex arena, & calce, tegulaque tusa compositum. *Cæmenti* in hac significatione apud veteres nullum uspiam vestigium extat, nisi si forte hoc loco Solini, ubi *cæmenticiis instruicibus* micas salis, quasi lapides in domibus exstruendis, necti dixit. Nam *instrui* sic propriè paries dicebatur, in quo lapides calce ferruminantur, & consolidantur. Plinius lib. XXXV. cap. XIV. *Quid? non in Africa, Hispaniaque ex terra parietes, quos appellant formacios, quoniam in forma circumdatis utrimque lateribus infarciuntur verius, quam instruuntur.* Glossæ, *formacium, formatum, vel formacium in Africa, & in Spania parietes è terra appellantur.* Inde & *formacia*, & *formagia* caseos appellamus vulgo, quoniam in forma inferciuntur, & struuntur. Hæc obiter. Isidorus: *usus ejus instructuris fabricæ apprimè necessarius: nam lapis non potest lapidi adhærere fortius, nisi calce conjunctus. Instructuris fabricæ*, ad fabricam instruendam, & vinciendam. Vitruvius lib. II. cap. VIII. *Græci vero non ita, sed plana collocantes & longitudines coriorum alternis coagmentis in crassitudinem instruentes, non media farciunt.* Inde *instruices cæmenticiæ*, quibus nectuntur, & instruuntur lapides. Idem Vitruvius: *utraque autem ex minutissimis cæmentis sunt instruenda, uti materia ex calce, & arena crebriter parietes satiati, diutius contineantur.* Aliàs *struices cæmenticias* heic etiam accipere possumus cæmenticias structuras, hoc est, ex saxo cæmenticio, ut intelligamus sic domos apud Hammanientes ex salibus exstrui solitas, quasi si cæmenticiis struicibus necterentur, hoc est, ex structura cæmenticia fierent. Sic *parietes cæmenticii* Vitruvio ex cæmentis, hoc est, lapidibus structi. Quod veteres *cæmentum*, vel *cæmenticium saxum* appellarunt, hodie *medullonem* vocamus, quod in structura medius inferciatur inter quadratos lapides.

Tanta ibi hujusce venæ copia] Vena, metallum. In altera editione scripserat: *tanta ibi hujus rei copia.*

Commercium cum Troglodytis habent carbunculi gemmæ. Citra Amantes] Ita distinximus, cum legeretur in omnibus, etiam Delriana: *Hi sunt Hammanientes, qui commercia cum Troglodytis habent. Carbunculi gemmæ citra Hammanientes propiores Nasamonibus.* Plinius lib. V. cap. V. *Ab his ad Troglodytas hiberni occasus plaga septem dierum iter, cum quibus commercium gemmæ tantum, quem carbunculum vocamus, ex Æthiopia invectæ.* Ita legendum, non *vectæ*. Idem Plinius lib. XXXVII inter genera carbunculorum & Æthiopicos recenset. Theophrastus enumerans loca: in quibus pretiosi carbunculi nascuntur, ita scribit: ἀλλ' οἱ πολυτελεῖς σπάνιοι καὶ ἐξ ὀλίγων τόπων, οἷον ἔκ τε Καρχηδόνος, καὶ ἐκ τῶν περὶ Μασσαλίαν, καὶ ἐξ Αἰγύπτου, κατὰ τοὺς καταδούπους, καὶ Συήνης πρὸς Ἐλεφαντίνῃ πόλει. καὶ ἐκ τῆς Ψεφὼ καλουμένης χώρας. Lege: καὶ ἐκ τῆς Ψεβὼ καλουμένης χώρας. Psebo regio interioris

A Æthiopiæ apud Stephanum, qui ex Ægyptiacis Aristagoræ hæc citat: ἔστι δέ φασιν εἶναι χώραν ἀπέχουσαν Αἰθιοπίας ὁδὸν πέντε καλουμένην Ψεβώ. Idem ex Artemidoro refert λίμνην esse. Strabo lib. XVII. Ὑπέρκειται δὲ τῆς Μερόης ἥ τε Ψεβώα λίμνη μεγάλη νῆσον ἔχουσα οἰκουμένην ἱκανῶς. Scribe: ἥ τε Ψεβὼ λίμνη μεγάλη. Nam ἐθνικὸν Ψεβοίτης, non Ψεβῶος. Æthiopicos carbunculos non omnium optimos fuisse liquet ex his Plinianis, quæ sic legenda sunt: *Satyrus Indicos non esse claros dicit, sed plerumque sordidos, ac semper fulgoris horridi: Æthiopicos pingues, lucemque non emittentes, aut fundentes, sed convoluto igne flagrantes.* De optimis ita sciscit: *optimos vero amethystizontas, hoc est,*

B *quorum extremus igniculus in amethysti violam exeat, proximos illos quos vocant syrtitas pinnato fulgore radiantes.* Hæc postrema corruptissima. Nec enim liquet, cur *syrtitæ* dicti, nec quid sit *pinnatus* fulgor. Nec cum re nomen convenit. In libris alias *sytites*, alias *citites* legitur. Optima, nisi fallor, conjectura lego: *proximos illis, quos vocant autitas, innato fulgore radiantes.* Nihil verius. Αὐτίτης οἶνος, qui per se fluit. Αὐτίτης ἄνθραξ, qui innato fulgore radiat, non arcessito, quique ex sese lucem emittit. Correctionem hanc confirmat id, quod præcessit: *præterea in omni genere masculi appellantur acrius, ac fœminæ languidius refulgentes. In masculis quoque observant liquidioris*

C *alios flammæ, nigrioris alios, & quosdam ex alio lucidos, ac magis ceteris in sole flagrantes.* Totus hic locus ita restituendus ex scriptura veteri, quæ minimo minus sic eum exhibet scriptum. Perperam corrigunt: *ex albo lucidos.* Ex alio lucent, qui non innato fulgore radiant, sed in sole positi magis flagrant. Mutuato igitur à sole fulgore nitent, non ex sese dato. At optimi, vel optimis proximi, qui innatum habent fulgorem. Tales non sunt, qui vel sole, vel igne, vel inclinatione acrius lucent. Idem paulo post: *Archelaus carchedontos nigrioris aspectus esse, sed igne, vel sole, inclinatione acrius, quam ceteros, excitari.* Ipsi per se nigrioris sunt aspectus, nec innato fulgore

D radiant, sed à sole, vel igne arcessito. *Inclinatio* est ἡ πρὸς τὸ φῶς ἔγκλισις. Diodorus lib. II. τὰ μὲν γὰρ φλόγινα. τὰ δὲ κροκώδη, ἔνια δὲ σμαραγδίζοντα, πολλὰ δὲ χρυσοειδῆ φαίνεσθαι κατὰ τὰς πρὸς τὸ φῶς ἐγκλίσεις αὐτῶν. Sequitur apud eumdem: *qui languidius ex Indicis lucent, lithizontas appellari.* Quare λιθίζοντες? Preciosissimas quasque gemmarum Græci λίθους vocant. In scripto codice est: *Lizitontas*: & ad oram alia manu rescriptum, *Litizontas.* Forte emendandum *lysitontas*, hoc est, vigoris languidi, & soluti. Nam τόνος est vigor; & vegetum in gemmis fulgorem ita vocarunt. Sic εὔτονον ὀσμὴν dixerunt, & εὔτονον χρῶμα. Infrà eodem

E capite de sandastris: *& hic mares austeritas distinguit, siquidem vigor apposita tingens indicat.* Latini *lapillos* à *gemmis* distinguunt, & *gemmas* de pellucidis, *lapillos* de non translucentibus dicunt, ut sunt Vejentani, & Opsiani. Atque ita olim Jurisconsulti distinxere. Hodieque *lapillum* vocamus genus gemmæ minimè translucidæ. Latini quoque lapillos à gemmis sic distinguunt. Sed Græci λίθους de utrisque usurpant, & gemmas λίθους διαφανεῖς vocant. Nec video: quare λιθίζοντες appellari potuerint ex carbunculis, qui languidius lucerent. Melius scriberetur λυτίζοντες. id est, languescentes. Αὐτὸς, languidus & solutus. Unde λυτίζω. Pro *Litizontas* igitur legendum *Lytizontas.* Sed vulgatam non damno. In multis Græciæ

F locis carbunculos nasci tradit Theophrastus. Plinius è Theophrasto: *esse & Trœzenios varios intervenientibus maculis albis: item Corinthios ex pallidiore candidos*, καὶ ὁ Τροιζήνιος δὲ ποικίλος. τὰ μὲν φοινικοῖς τὰ δὲ λευκοῖς χρώμασι. Ποικίλος δὲ καὶ ὁ Κορίνθιος τοῖς αὐτοῖς χρώμασι πλὴν τὸ χλωροειδέστερον. Nihil de puniceis maculis Plinius, sed de albis tantum. Rectè tamen sic vertit. Corpus ipsum carbunculi φοινικοῦν. Epiphanius: ἄνθραξ λίθος ὀξυφοινικὸν εἶδος ἔχει. In puniceo corpore cum albæ maculæ interveniunt, necessario variatur, τὰ μὲν φοινικοῖς, τὰ δὲ λευκοῖς

G χρώμασι Iisdem coloribus variatur Corinthius, nisi quod pallidior sit, πλὴν τὸ χλωροειδέστερον. Aliquid deesse lacuna indicat. Sed magis Plinius, apud quem in veteribus scribitur: *item Corinthios &, pallidiores, & candidos.* Omnino legendum: *sed pallidiores & candidiores.* In Theophrasto legisse apparet: πλὴν τὸ λευκότερον, καὶ χλωροειδέστερον. Trœzenius carbunculus puniceo, & albo colore distinctus est. Similiter Corinthius, nisi quod puniceus color in eo pallidior. Τὸ φοινικοῦν χλωροειδέστερον, τὸ δὲ λευκὸν λευκότερον. Pro quo Plinius dixit, *pallidiores, & candidos.* Nam candi-

candidum magis est quam *album*, τὸ λευκὸν λευκότερον. Mendosa planè vulgaris lectio: *ex pallidiore candidos.* Corrigendum quoque in sequentibus: *Massilia quoque importari*, tradit scilicet Theophrastus, cujus hæc verba sunt: οἷον ἐκ τε Καρχηδόνος, καὶ τῶν περὶ Μασσαλίαν τόπων. Sequentia sic emendanda alibi docuimus: *Bocchus in Olisiponensi erui scripsit.* Male in vulgatis: *Massilia quoque importari Boccus, & Olisipone scripsit.* Carchedonios carbunculos ἐκ Καρχηδόνος, hoc est, ex Carthagine venire tradit Theophrastus, negat Plinius, qui Garamanticos ita dictos asserit propter auctoritatem Carthaginis magnæ: *horum genera Indici & Garamantici, quos & Carchedonios vocavere propter auctoritatem Carthaginis magnæ.* Καρχηδόνιος λίθος genus carbunculi Græcis, quod apud Garamantas inveniebatur. Strabo: ἡ δ' ὑπὲρ τῶν Γαιτούλων ἐστὶν ἡ τῶν Γαραμάντων γῆ παράλληλος ἐκείνῃ, ὅθεν οἱ Καρχηδόνιοι κομίζονται λίθοι. Ergo Carchedonii lapides carbunculi sunt Garamantici. Ita videtur & sentire Publius Syrus his versibus:

Quo Carchedonios optas ignes lapideos
Nisi ut scintillent? Pietas est carbunculus.

Vides carbunculum, & carchedonium lapidem eumdem ab eo statui. Epiphanius de carbunculo: γίνεται δὲ ἐν Καρχηδόνι τῆς Λιβύης ἥτις Ἀφρικὴ καλεῖται. Idem tamen paulo post carchedonium carbunculo similem esse dicit, quasi diversus fuerit carchedonius à carbunculo, & sui generis: ἔστι δὲ καὶ ὁ Καρχηδόνιος λίθος παραπλήσιος τούτῳ, ὅτι καὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου εὑρίσκεται. Plinius quoque postquam diversa genera carbunculorum, & aliarum ardentium gemmarum enumeravit, & inter has lychnidis, qui paleas, & chartarum fila ad se rapere dicitur, ita subjicit: *hoc idem & carchedonius facere dicitur, quamquam multo vilior prædictis. Nascitur apud Nasamonas in montibus, ut incolæ putant, imbre divino, invenitur ad repercussum lunæ, maximè plenæ. Carthaginem quondam deportabatur. Archelaus & in Ægypto circa Thebas nasci tradidit, fragiles, venosas, morienti carboni similes. Potoria vasa & ex hoc lapide & ex lychnide factitata invenio.* Hunc carchedonium à carbunculis carchedoniis distinguere Plinium palam est. Carchedonios inter carbunculorum genera suprà ex Archelai sententia, & aliorum descripsit, diversos utique ab hoc carchedonio. Adde, quod in libris hoc loco partim *carchedonia*, partim *calchedonia* legitur: *hoc idem & carchedonia facere dicitur*, & subintelligitur gemma: ut separetur à carchedonio carbunculo. In indice optimi exemplaris *calchedonia* vocatur, hoc modo: *Sandaresus, Lychnitis, Chalcedonia, Sarda.* Perperam pro *carchedonia*. Nam Carthaginem importabatur ex Namasonibus, apud quos nascebatur. At *carbunculi Carchedonii* apud Garamantes secundum Plinium. *Carchedoniam* cum scripsisse non *carchedonium* vel ex eo liquet, quod sequitur: *Archelaus circa Thebas nasci tradidit fragiles, venosas.* Quod ad carchedonias refertur. Et paulo post ita libri: *potoria vasa & ex hac & ex lychnite factitata invenio.* Ex hac carchedonia. Ubi vulgati libri habent: *& ex hoc lapide.* Ad repercussum lunæ inveniri carchedoniam scribit Plinius: ergo nocte. At carbunculos ad repercussum solis reperiri dixerat: *inveniri autem ubicunque maximè solis repercussu.* Epiphanius vero carbunculum nocte inveniri tradit ad repercussum lunæ, quod de carchedonia gemma Plinius, non de carchedonio carbunculo: ἕτεροι δὲ φασὶν τὸν λίθον τοῦτον οὕτως εὑρίσκεσθαι, οὐκ ἐν ἡμέρᾳ κατοπτευόμενον, ἀλλὰ κατὰ τὴν νύκτα, ἀπὸ μακροῦ διαστήματος. Δίκην γὰρ λαμπάδος ἢ ἄνθρακος φύσις σπινθηρίζει, καὶ ὁρῶν μὲν ἐξάπτεται, ὁρῶν δὲ καταπαύεται. Ita scribendus ille locus è libris. Errore nominum historiam lapidum confudit. Nihil exploratius jam, quam carchedoniam gemmam diversam esse à carchedonio carbunculo. *Calchedonium* gemmarii hodie vocant, qui *carchedonius* fortasse vocari debet, & quem ita vocarunt veteres. Vilem fuisse lapidem ex Plinio constat, nec hodie in magno pretio. Alius erat *chalcedonius* smaragdus, pro quo perperam *carchedonium* apud Plinium scribi suprà notavimus. Arethas χαλκηδόνιν dicit esse similem carbunculo. Καρχηδόνιον intellexit. Sic apud Epiphanium in genere carbunculorum καλχηδόνιος perperam scribitur, pro Καρχηδόνιος. Sed de his infrà pluribus.

Circa Amantes propiores Nasamonibus Asbystæ lasere vivunt] Sic distinximus. Erat vulgo: *Carbunculi gemmæ citra Hammanientes propiores Nasamonibus. Asbystæ lasere vivunt.* Plinius lib. V. cap. V. *Post Nasamones Asbytæ & Macæ vivunt, ultra eos Hammanientes undecim à Syrtibus majoribus ad occidentem.* Si ultra Asbytas sunt Hammanientes, certè Asbytæ sunt citra Hammanientes, & propiores Nasamonibus. Nam primum Nasamones, deinde Asbytæ, postea Hammanientes, quos noster Amantes vocat. *Asbytæ* heîc legunt omnes libri Solini. Nec aliter Pliniani. Et imponit Delrius, qui *Asbystas* Plinio dici notat. Ptolemæo quoque Ἀσβῦται. Aliis Græcis Ἀσβύσται. Callimachus:

Οἵη τε Τρίτωνος ἐφ' ὕδασιν Ἀσβύσταο.

Idem alibi:

---- ἐκ δέ σε Θήρης
Οὖλος Ἀριστοτέλης Ἀσβυστίδι πάρθετο γαίῃ

Ubi ridiculum interpretamentum subjicit Scholiastes: ἀσβυστίδα τὴν λευκὴν λέγει παρὰ τὴν ἄσβεστον. Τοιαύτη γὰρ ἡ Λιβύη λευκόγεως. Asbytas lasere vivere Solinus ex male interpunctis Plinii verbis heîc asserit. Plinii verba, *Cyrenaïcus ager XV. M. passuum à littore & arboribus fertilis habetur, intus eodem spatio frugibus tantum: mox triginta M. passuum latitudine & CCL. M. passuum longitudine, lasere modo. Post Nasamones Asbytæ & Macæ vivunt.* Definit Plinius latitudinem, & longitudinem τῆς σιλφιοφόρου regionis, quæ in Cyrenaïco agro Solinus ita distinguebat: *Lasere modo post Nasamonas Asbystæ, & Macæ vivunt.* Quodcunque sequutus sit, ineptum est de Asbystis lasere viventibus commentum. Nec istud ut diceret, in mentem venire potuit Plinio, qui scripsit in historia laserpicii, multis jam àb annis ætate sua, plantam illam in Cyrenaica non inveniri. Strabo quoque tanto antiquior tradit incursione barbarica vicinorum Nomadum regionem laserpiciferam adeo vastatam, ut pæne ad internecionem extincta sit stirps silphii. Τὴν σιλφιοφόρον in Cyrenaica ponit Plinius, πρὸς τῇ Κυρηναίᾳ Strabo. Sed latius ille Cyrenaïcam, quam hic τὴν Κυρηναίαν accipit. Certe sub ditione Cyrenensium fuit laserpicifera. Unde igitur Asbytæ lasere viventes ævo Solini? Asbytæ vicini quidem Cyrenensibus. Quinimmo Cyrenenses positi ἐν τῇ Ἀσβυστίδι, juxta Callimachum. Idem & Τρίτωνα fluvium Ἀσβύστην vocavit. Tritων amnis, & τριτωνὶς palus in Cyrenaïca prope Berenicen. Absurdum tamen, & falsum, quod scribit Solinus, Asbystas lasere solitos vivere, quum nullum amplius cjus ævo in illis regionibus inveniretur laserpicium, quod & ipse suprà prodidit. Septem annis ante Cyrenas conditas natum, & inventum silphium in illis locis inter plerosque convenit. Certum regionis spatium occupavit, quæ regio sub Cyrenensium dominatu semper fuit. Nihil igitur Asbystis cum lasere. Strabo de laserpiciferæ terminis: ἔστι δὲ ἡ σιλφιον φέρουσα στενὴ καὶ παραμήκης, μῆκος μὲν ὡς ἐπὶ τὰς ἀνατολὰς ἰόντι, ὅσον σταδίων χιλίων, πλάτος δὲ τριακοσίων ἢ μικρῷ πλειόνων, τό γε γνώριμον. Non convenit hæc mensura cum Pliniana. Longitudinem laserpiciferæ CCL. millibus passuum definit ille, hoc est, σταδίοις δισχιλίοις, altero tanto quam Strabo, qui addit, τό γε γνώριμον. Verisimile quippe esse ex aërum cognatione, & stirpis natura, ἅπασαν τὴν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ παράλληλα κειμένην τοιαύτην εἶναι. Quod ad latitudinem attinet, eadem ferè uterque scribunt. Plinius triginta millibus eam determinat, hoc est, stadiis quadraginta & ducentis. Strabo σταδίων τριακοσίων eam facit, scripti ejus διακοσίων. Theophrastus vim laserpicii procreatricem per quatuor stadiûm millia in Africa tenuisse scribit, quæ sunt quingenta millia passuum. Τόπον δὲ πολὺν ἐπέχει τῆς Λιβύης, πλείω γὰρ φασὶν ἢ τετρακισχίλια στάδια. Sic minimè inter se consentiunt auctores. Plinius: *Cyrenaïcus ager XV. M. passuum à littore & arboribus fertilis habetur.* Strabo: μέχρι μὲν σταδίων ἑκατὸν καὶ δενδροφόρος ἐστὶ γῆ. In mensura non conveniunt, nec tamen longè abeunt. Plinius: *intus eodem spatio frugibus tantum.* Strabo: μέχρι δ' ἄλλων ἑκατὸν σπείρεται μόνον. Ita legendum è libris, non μᾶλλον. Et confirmat Plinius. Apud utrumque sequitur ἡ σίλφιον ἔχουσα γῆ, quæ lasere modo fertilis est. Majorem partem laserpiciferæ, ἀπὸ Εὐεσπερίδων περὶ Σύρτιν μείζονα patere scribit Theophrastus. Herodotus lib. IIII. Παρήκει δὲ ἀπὸ Πλατέης νήσου μέχρι τοῦ στόματος τῆς Σύρτιος τὸ σίλφιον. Platea insula

sula est, quam obtinuere, & condidere Cyrenæi. Sic à Cyrenis ad os Syrtis majoris τὴν σιλφιοφόρον extendit Herodotus. At dissentit Theophrastus, qui τὰ πλέονα γίνεσθαι περὶ τὴν Σύρτιν ἀπὸ τῶν Ἐυεσπερίδων tradit, *circa Syrtim ab Hesperidibus*, id est, ab urbe Berenice. Ab Hesperidibus ad Plateam insulam porrigi dicit Herodotus orientem versus. Sic totam in Cyrenaïco agro collocat. Στόμα τῆς Σύρτιος haud longe à Berenice. Strabo: ἐνδοτέρω δ' ἐστὶ τῆς Βερενίκης ἐστὶ τὸ μικρὸν ἀκρωτήριον λεγόμενον Βόρειον, ὃ ποιεῖ τὸ στόμα τῆς Σύρτεως πρὸς τὰς Κεφαλάς. Berenicem esse, quas Græci antiquiores, ut Herodotus & Theophrastus, Ἐυεσπερίδας vocant, suprà docuimus. De situ laserpiciferæ longè aliter sentit Ptolemæus, quem vide. Strabo: ὁμορεῖ δὲ τῇ Κυρηναίῃ ἡ τὸ σίλφιον φέρουσα. Corrigendus obiter ejusdem Strabonis locus ex eodem libro de Hesperidibus: Τετταραίους μὲν οὖν φασὶν ἀπὸ τοῦ μύχου τῆς μεγάλης Σύρτεως τοὺς κατ' αὐτὸ μαλακῶς βαδίζοντας, ὡς ἐπὶ χειμερινὰς ἀνατολὰς ἀφικνεῖσθαι. Ἔστι δὲ ὁ τόπος οὗτος ἐμφερὴς τῷ Ἄμμωνι, φοινικοτρόφος τε καὶ εὔυδρος. Scribendum omnino: τοὺς ἀπ' Αὐτομάλακος βαδίζοντας. Αὐτομάλακα castellum fuit, quod ἐν τῷ μύχῳ τῆς Σύρτεως ab eodem locatur, quo ditio Carthaginiensium à Cyrenensi olim disterminabatur. Dicitur & Αὐτομάλαξ Ptolemæo, aliis

A etiam Αὐτόμαλα. Vide Stephanum. Locus ille, ad quem quatridui itinere perveniri scribit, ἀπ' Αὐτομάλακος, dicebatur κῆπος Ἑσπερίδων. Quod rectè expressit vetus interpres in sua versione. Sequitur apud Plinium: *post Nasamonas Asbystæ, & Macæ vivunt*, id est, degunt, non autem lasere vivunt, ut ineptè accepit Solinus, perperam verba Plinii interpungendo. Post Nasamonas Asbystas etiam collocat Dionysius:

Ἀσβύσται δ' ἐπὶ μεσήπειροι τελέθουσι,

B id est, post Nasamonas, quorum mentio præcessit, & Macæ post Asbystas. Herodotus: οὗτοι μὲν δὴ καθύπερθε οἰκέουσι Νασαμώνων. Τὸ δὲ παρὰ τὴν θάλασσαν ἔχονται τὸ πρὸς ἑσπέρης Μάκαι. Hi sunt, qui dicuntur Ptolemæo Μάκαι οἱ Συρτῖται. Perperam apud eum legas: Μάκαιοι Συρτῖται. Ad discrimen Macarum, qui inter Carmaniam & Arabiam siti sunt. Stephanus: Μάκαι, ἔθνος μεταξὺ Καρμανίας καὶ Ἀραβίας. Asbystas Herodotus colere dicit in ea, quæ ὑπὲρ Κυρήνης, in mediterraneo.

Lasere vivunt, hoc aguntur, hoc illis dulce est] Sic reposuimus. In anterioribus editionibus erat: *Lasere vi-*
C *vunt, hoc aluntur, hoc illis edule est*. Quæ tria idem significant. *Hoc aguntur* Græca locutio, τούτῳ ἄγονται, hoc ducuntur, & delectantur. Ita libri.

C A P U T XXIX.

Garamantum fons, & iter Garamanticum, Item pecora Garamantica. Natura insulæ Gauloes.



PAg. 39. E. *Oppidum est Debris fonte miro. Qui denique alternis cursibus*] Duplex est hujus loci lectio. In quibusdam legitur: *quid ni? qui alternis cursibus, die frigeat, nocte ferveat.* Quomodo & Delrius edidit. Nos eam retinuimus, quam omnes habuere editiones, & optimus liber: *fonte miro: qui denique, alternis cursibus die frigeat, nocte ferveat.* Quæ loquutio familiaris nostro, & optimis auctoribus. Sic supra: *Himeræum cælestes mutant plagæ: amarus denique est, dum in Aquilonem fluit, dulcis ubi ad meridiem flectitur.* Et paulo ante: *terræ quoque ipsius exitiis datus, ubicunque ferale sortitur receptaculum: denique extinguit herbas.* Et paulo post: *vis ne defuncto quidem deest: denique basilisci reliquias amplo sestertio Pergameni compararunt.* Atque ita passim. Sic Florus noster lib. I. cap. XII. *Omnium non modo Italiæ, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. Nihil mollius cælo: denique bis floribus vernat.* Quem locum perperam sollicitant. Glossæ: *denique*, πέρας γοῦν. Infrà: *fides alia est, illa denique.*

Pag. 39. F. *Ut in articulo temporis*] Ita Regius. In aliis: ut *tam brevi temporis curriculo.* Quæ alterius editionis lectio est. Quæ & ad marginem Regii codicis adscripta est. Quam etiam magis probem.

Quamvis contraversa siderum disciplina] Sic edidimus, licet omnes excusi, scriptique haberent, *controversa.* Quid significaret suprà exposuimus. *Contraversa* est contraria. At *controversum* est, de quo ambigitur, τὸ ἀμφισβητούμενον. Debris fons nocte fervet, die friget, contraria & contraversa siderum disciplina, quia noctes frigidiores sint quam dies, interdiu tamen frigidus fluit. Legebatur in optimo codice: *cujus aquæ cælestium vertigine mutant qualitatem*: & ad oram repositum: *& cælesti.* Edunt: *ex cælesti.*

Cum ortus solis inclaruit] Sic etiam edidimus ex optimo Regio, ubi vulgati scribunt: *cum ortu solis incanduerint, & radiis fervefacta sunt universa.* Et paulo post ex eodem: *ut fluorem suum prohibeat hauriri.* Pro quo in editis: *ut hauriri etiam à sitientibus nequeat.* Lectionem vulgariam in margine adscriptam præferebat idem liber.

Pag. 39. G. *Vespasiano principe, bello quod cum Oeensibus gestum*] Plinius: *proximo bello, quod cum Oeensibus gessere initiis Vespasiani Imperatoris.* Ita scribendum, ut habent libri. Malè corrigunt: *cum Oeensibus Romani gessere auspiciis Vespasiani Imperatoris.* Circa initia imperii
D Vespasiani bellum illud gestum innuit à Romanis, non auspiciis Vespasiani, & confirmat Solinus editam, Vespasiano principe gestum esse dicens. At Plinius *proximum bellum* vocat, quia proximè gestum, quum illa scriberet. Quod Solinus nec dixit, nec dicere ex vero potuit, tanto recentior Plinio, ut vel apertissimè ex hoc loco constat: qui unus sufficit confutandis eorum rationibus, qui Solinum antiquiorem Plinio asserunt, vel confirmandis qui dubitant.

Qui primus sanè de externis] Plinius: *omnia armis Romanis superata, & à Cornelio Balbo triumphata, unius omnium externo curru, Quiritum jure donato: quippe Gadibus genito civitas Romana cum Balbo patruo majore data est.* Et
E hunc locum correctionibus suis inquinarunt legentes: *uni omnium externo*: aut *uni omnium externorum.* Nihil variant libri, nisi quod mutato ordine legunt: *unius omnium curru externo.* Longe melius, & vero verius scribendum esse: *unius omnium curru externi, & Quiritium jure donati.* Ineptum quippe est dicere, currum illum, quo triumphavit Balbus, externum, & Quiritium jure donatum. *Currus* hîc pro triumpho. Dicit ergo triumphum Balbi externi hominis fuisse, & civitate donati, unius ex omnibus. Florus: *tertius de Pharnace currus, & Ponto. Quartus Jubam & Mauros, & bis subactam ostendebat Hispaniam*, id est, tertius & quar-
F tus triumphus. Cornelius Balbus, qui triumphavit de Garamantibus, diversus à Cornelio Balbo majore, qui consul fuit. Cornelius Balbus major patruus erat hujus Cornelii Balbi triumphalis, & Garamantici dicti. Plinius heîc dicit huic triumphali civitatem Romanam datam esse cum Balbo majore patruo. Hic *Balbus major* consul fuit, nec triumphavit. Plinius lib. VII. cap. XLIII. de variis fortunæ exemplis: *fuit & Balbus Cornelius major consul, sed accusatus, atque de jure virgarum in eum judicum in consilium missus, primus externorum, atque etiam in Oceano genitorum usus illo honore, quem majo-*
G *res Latio quoque negaverunt.* Ineptè Balbum illum consularem cum hoc triumphali confundunt, nec enim omisisset ibi & triumphum ejus memorare Plinius, si triumphasset ille. Longè ineptius est, quod majorem, sive priorem consulem factum ibidem argutantur, ubi & explicant, quis sit major, sive prior consul. Nihil absurdius. Non major consul ille fuit, sed Cornelius Balbus Major cognominabatur ad differentiam alterius Balbi ex fratre filii, qui triumphavit. Jus civitatis Romanæ

manæ simul acceperunt, & discriminis gratia patruus, Balbus Major dictus. Atque ita legendum in Plinio: *Balbus Cornelius Major, consul fuit.* Verba sequentia nonnihil etiam mendosa sic emendanda sunt: *sed accusatus, atque de jure virgarum in eo judicio in consilium missus.* Eo judicio, quo accusatus est Balbus, de jure virgarum etiam deliberatum est, an competeret in eum, quod civis Romanus non esset. Verissima emendatio nostra.

Pag. 40. A. *Officiunt prona ad humum cornua, & obnixa*] Libri partim, *ad unum*: alii: *ad umum*, pro *ad humum.* Vulgo: *in humum.* Hæc sumpta ex Pomponio Mela, cujus hæc verba sunt: *apud Garamantes etiam armenta sunt ea, quæ obliqua cervice pascuntur. Nam pronis directa in humum cornua officiunt.* Præcessit de Troglodytis, nullarum opum dominos esse, & serpentibus vesci: subjicit apud Garamantes etiam armenta esse. Scribendum autem: *apud Garamantes etiam armenta sunt, eaque obliqua cervice pascuntur.* Quæ ad verbum Solinus heic expressit: *armenta gentis istius obliquis cervicibus pabulantur.* Quæ res fidem facit nihil deesse apud Melam, & ratione carere Pintianum, qui sic locum eum interpolat: *armenta habent, quæ oliqua cervice pascuntur, nam pronis directa in humum cornua officiunt. Apud Garamantas etiam armenta sunt, quæ retro ambulantia pascuntur.* Nimium audax facinus, nec ad veritatem directum. Putavit diversa esse armenta, quæ obliqua cervice, & quæ retro cedentia pascuntur, illa Troglodytarum, hæc Garamantum. Quod falsum deprehenditur hoc Solini loco, qui Garamantum armenta obliquis cervicibus pabulari juxta Pomponium dixit. Pomponius ita plerumque sequitur Herodotum, ut diversam tamen ab ejus via sibi semitam faciat. Scribit Herodotus Garamantum armenta ὀπισθονόμα esse: ὀπισθονόμοι ἢ διὰ τοῦτο εἰσί. Τὰ κέρεα ἔχουσι κεκυφότα εἰς τὸ ἔμπροσθεν. Διὰ τοῦτο ὀπίσω ἀναχωρέοντες νέμονται. Εἰς γὰρ τὸ ἔμπροσθεν οὐκ οἷοί τε εἰσι προεμβαλλόντων εἰς τὴν γῆν τῶν κερέων. Quantum ad formam res eadem est: cornua utique habent in humum directa. De modo pascendi discordant. Quod cornibus ita sint in humum obnixis, ut ea re prohibeantur prona pabulari retro ambulando pasci dixit Herodotus. Hoc non placuit Melæ, vel auctori, quem sequitur, sed obliquata cervice, atque in latus ore detorto pabulum ab his carpi maluit. Plinius, qui ex diversis auctoribus opus magnum consarcinavit, diversas etiam super eadem re sententias plerumque retulit. Lib. VIII capite de bubus ita scribit: *boves animalium soli & retro ambulantes pascuntur: apud Garamantas quidem haud aliter.* Heic ex Herodoto ὀπισθονόμους βόας Garamantum agnoscit. At lib. XI. cap. XXXVII *Troglodytarum in terram directa: qua de causa obliqua cervice pascuntur.* Melæ hæc sententia est, cujus & ipsissima verba usurpavit, quam vel ab alio habere utique potuit. Nam Troglodytarum, non Garamantum armenta ea esse dixit. Vicini certè Garamantes Troglodytis, ut ex Herodoto constat. Et armenta habere Troglodytas auctor est Agatharchides. Igitur tam Garamantes, quam Troglodytæ hujusmodi boves habere potuerint, cornibus defixis in humum. Quos boves, qui ex auctoribus obliqua cervice pasci scripserunt, videntur illud sensisse, cornua in humum prona, & obnixa haud minus officere recedentibus inter pabulandum, quam procedentibus. Profecto de machli Scandinaviæ insulæ bestia hoc scriptum reliquerunt auctores, retrogradi eam in pascendo, ne in priora tendens involveretur, quod prægrande labrum superius haberet. Quod & de alce noster scripsit suprà. Hoc verum de labro. An de cornibus in humum directis æque sit verum, viderint alii. Illud certum nihil mutandum esse in verbis Pomponii, *Ad humum prona & obnixa.* Προεμβαλόντων εἰς τὴν γῆν τῶν κερέων Herodotus.

Ex parte, qua Cercina est, accepimus Gauloën insulam] Sic scripsimus libros sequuti. Atque ita in indice: *de Gauloe insula.* Plinio *Gaulos*, cap. VII. lib. V. *Mox Gaulos, & Gaulata, cujus terra scorpionem dirum animal Africæ necat.* Hoc Plinius de Galata dicit, Solinus de Gaulo, non præter solitum levis: qui & Galatæ non meminit. Auctor itinerarii maritimi Cercinam in mari ponit, quod inter Africam & Sardiniam est: Galatam autem inter Sardiniam & Africam. Ibi & Gaulos juxta Plinium. Stephanus: Γαῦλος, νῆσος πρὸς τῇ Καρχηδόνι. Ἑκαταῖος περιηγήσει. Diodoro quoque Γαῦλος, cui continenter adjungit Cercinam. Ἑξῆς δ' ἐστὶ Κερκίννα νῆσος. Inde & noster ex parte, qua Cercina est, Gaulon esse scribit. Strabo Γαῦδον vocat, & Melite Africana octingenta octo μίλια distare tradit ex Geographi sententia. Μίλια sunt miliaria, non stadia, ut vertit interpres. Melitem, ut & Cercinam inter Africam, & Siciliam collocat auctor itinerarii, & *Maltam* appellat, ut ejus libri veteres signant. Alteram autem Μελίτην, quæ inter Epirum, & Italiam jacet, vocat *Meltam*, utraque Græcis Μελίτη. *Malta* hodieque vocatur Africana. Ptolemæus Κλαῦδον vocat, quæ Γαῦδος, & Γαῦδος ceteris. Apud Lucam dicitur Κλαύδη. Athenæo Κλαύδιον. Noster *Gauloen.* Incertus auctor de Geographia: *Gaulea insula in Australi Oceano occidentalis Æthiopiæ.* Quid velit nescio. Isidorum allegat.

Scorpiones superjactus ilico perimit.] Ita omnes ante editiones, & libri. Ineptè Delrius ediderat: *superjactu suo illico perimit.* Quod Latinum non est, quantumvis è libris suis prompserit. Nullus ex nostris ita legit. *Pulvis superjactus scorpiones necat*, id est, superspartus, si superjaciatur.

C A P U T XXX.

Æthiopes, & in eorum locis, ac gentibus mira. De draconibus, de dracontia lapide, de camelopardali, de cepis, de rhinocerote, de catoblepa, de formicis Æthiopicis, de hystrice, de ave pegaso, de ave tragopane, de hyacintho lapide, de chrysopasto lapide, de hæmatite.



Ag. 40. B. *Nigri flumine dividuntur.*] Ὁ Νίγεις, ut Τίγεις. Plinio *Niger* dicitur, & *Nigrum* quarto casu vocat aliquot locis. Ptolemæo Νίγειρ. Aliis Νίγης, Νίγητος, ut & Τίγης, Τίγητος. Nam Arriano Πίγης dicitur, qui aliis Tigris. Stephanus: Νιγῆτες ἔθνος Λιβύης, ἀπὸ ποταμοῦ Νίγητος. Νιγρῖται aliis, & Plinio *Nigritæ*, qui & heic *Nigrin* appellat. Legendum heic etiam: *quem patrem putant Nili.* Male in omnibus: *quam partem putant.* Atque ita edi volueram. Plinius: *prosilit fonte ut verisimile est illo, quem Nigrum vocavere.* Ita ibi libri. *Niger* & *Nigris* idem, fons & pater Nili.

Pag. 40. C. *Garamantici Æthiopes matrimonia privatim nesciunt*] Melius dixisset, *Garamantas Æthiopes.* Sic Τρωγλοδύται Αἰθίοπες Herodoto. Ψύλλοι Αἰθίοπες apud auctorem epitomes Strabonis, qui Ψύλλοι vicini Garamantibus. Sic Πυῤῥαῖοι Αἰθίοπες. Ptolemæo Μαγελται Αἰθίοπες, & similia. Plinius: *Garamantes matrimoniorum exortes passim cum fœminis degunt.* Hi sunt, & quorum meminit capite superiori, quorum oppidum Garaman. Herodotus de Nasamonibus τούτων δὲ κατύπερθε πρὸς νότον ἄνεμον ἐν τῇ θηριώδεϊ οἰκέουσι Γαράμαντες, οἳ πάντα ἄνθρωπον φεύγουσι καὶ παντὸς ὁμιλίην. Viri docti corrigunt ex Mela Γαμφάσαντες. Quod Pomponius hoc idem de Gamphasantibus scribat: *Nudi sunt Gamphasantes, armorumque omnium ignari: nec vitare sciunt tela, nec jacere.* Herodoti ipsissima verba sunt: καὶ οὔτε ὅπλον ἐκτέαται ἀρήιον οὐδὲν, οὔτε ἀμύνεσθαι ἐπιστέαται. Sequitur: *ideoque obvios fugiunt, neque aliorum, quam quibus idem ingenii est, aut congressus, aut colloquia patiuntur.* Plinius quoque hoc Gamphasantibus tribuit: *Nudi Gamphasantes, præliorumque expertes, nulli externo congregantur.* Quod habet ex Mela. Nihil

Nihil tamen in Herodoto mutandum, quem licet plerumque in Latinum convertat Mela, in plerisque tamen ab eo divertit. Stephanus: Γαραμάντες, ἔθνος Λιβύης. Ἡρόδοτος τετάρτῃ: οἳ πάντα ἄνθρωπον φεύγουσι, καὶ παντὸς ὁμιλίαν. Ex serie literarum non aliter legisse constat. Alii ab Æthiopia hos separant, alii Æthiopas faciunt propter vicinitatem, sed de his ad Melam.

Inde est, quod filios matres tantum recognoscunt] Mela, & ex eo Plinius de Garamantibus scribunt, quod Herodotus de Ausensibus. Sic Herodotum Mela non ubique sequitur. Causæ itaque nihil erat, cur locum hujus interpolaret Pincianus, quo magis conveniret cum Herodoto. Verba Melæ: *Nulli certa uxor ex his, qui tam confuso parentum coitu passim incertisque nascuntur, quos pro suis colant, formæ similitudine agnoscunt.* Herodotus: καὶ τῷ ἂν ἥκῃ τῶν ἀνδρῶν τὸ παιδίον, τούτου παῖς νομίζεται. Lege: καὶ τῷ ἂν οἴκῃ τῶν ἀνδρῶν: *& cui similis fuerit.* Ἔοικα, Jonicè οἶκα, ut οἰκέ τε pro ἐοικέ τε, ibidem apud Herodotum. Unde verbum ἐοίκω, & οἴκω. Ut πέπληγα, πεπλήγω, quod commune est Æolum, & Jonum. Ita legisse videtur & Valla, sed male οἴκῃ accepit pro οἰκῇ. Sic enim reddit: *apud quem virum habitare sustinet.* Vulgata lectio ἥκῃ non potest defendi.

Qua Meroën videt Libya] Notat Camers exemplaria esse, in quibus legatur: *quam à Meroë dividit Libya.* Perperam: *qua Meroën videt Libya*, id est, in parte Libyæ contra Meroën. Accepit hæc è Plinio lib. VI. cap. XXX. *Contra Meroën Megabari, quos aliqui Adiabaras nominavere. Pars eorum Nomades, quæ elephantis vescitur. Ex adverso in Africæ parte Macrobii.* Utrumque ille miscuit, & confudit, populosque, qui contra Meroën in Æthiopia siti sunt, & qui ex adverso in Libyæ parte positi.

Syrbotæ longi sunt ad pedes duodecim] In libris: *herbotæ.* Et paulo post: *Psambares* in omnibus, qui Plinio *Sambri.* Lib. VI. *Ab ea Nubei Æthiopes, oppidum eorum Nilo impositum Tenupsis. Sambri apud quos quadrupedes omnes sine auribus, etiam elephanti.* Fortean apud Plinum in codicibus, qui tunc extabant, legerit Solinus: *oppidum Nilo impositum Tenu, Psambari apud quos quadrupedes &c.*

Asachai] Libri: *Azachai.* Plinio: *Asaschæ.* Sed legendum: *Asachai.* Lib. VIII. cap. XIII *Asachæorum* meminit.

Pag. 40. D. *His proximi summam regiæ potestatis cani tradunt*] Hoc non dicit Plinius, Psambaris aut Sambris vicinos esse, qui canem pro rege habent: *Sambri, apud quos quadrupedes omnes sine auribus etiam Elephanti. At ex Africæ parte Ptoembati, Ptoemphanæ qui canem pro rege habent, motu ejus imperia augurantes.* Πτοεμφανεῖς Ptolemæo dicuntur.

Manifestissimè destinant ictus sagittarum] Maritimos Æthiopas quaternos oculos habere ideo dictum scribit, quod & viderent plurimum, & manifestissimè destinarent ictus sagittarum. Plinius: *Nisitas, quod significat ternûm & quaternûm oculorum viros: non quia sic sint, sed quia sagittis præcipua contemplatione utuntur*, id est, quod præcipui sint in contemplando, & destinando ad ictum, quidquid sagittis percutere volunt. Contraria planè ratione, sed ob eamdem rem traditum est Arimaspos unum tantum oculum habere, διότι τοξικώτατοι ὄντες ἐπιμύουσι τὸν ἕτερον ὀφθαλμὸν διὰ τὸ πρὸς τὴν βολὴν ἀστοχον.

Rege præditi cujus in fronte oculus unus est] Non Agriophagis, sed Nigris talem dat regem Plinius: *ad occidentem versus Nigroe, quorum rex unum oculum habeat in fronte. Agriophagi, pantherarum & leonum carnibus maxime viventes.*

Pag. 40. E. *Ab Oceano æstu*] Ita scripsi libris auctoribus. Editiones: *ab Oceano isto. Oceanus æstus, ut Oceanum mare* Poëtæ:

---- *& mare ad Oceanum.*

Plinius *ab Oceano* simpliciter dixit: *in totum autem ab Oceano ad Meroën* DCXX. *M. passuum esse inter auctores ferè convenit.* Ita scribendum ex hoc loco Solini, & libris; nam habetur vulgo DCCXXV.

Meroën quam insulam primo amplexu Nilus facit] Mela: *Meroeni habent terram, quam Nilus primo ambitu amplexus insulam facit.* Inde habet.

Ultra Meroën supra exortum solis Macrobii Æthiopes]
A Plinius: *ex adverso in Africæ parte Macrobii.* Ex adverso scilicet Meroës: sed hoc loco Melam sequitur, cujus hæc verba sunt: *Æthiopes ultra sedent, Meroeni habent terram, quam Nilus primo amplexu insulam facit: pars, quia vitæ spatium dimidio ferè quam nos longius agunt, Macrobii.* Hæc sunt corruptissima. Libri habent *Meroën*, non *Meroeni.* Et sanè Μεροΐτης typo gentis dicitur, non Μεροηνός. Tractavit capite proximè præcedenti de Arabibus, qui Arabicum sinum incingunt. Sequitur de Æthiopibus: *Æthiopes*, inquit, *ultra sedent. Meroën habent, terram quam Nilus primo ambitu amplexus insulam facit.* Dicit Æthiopes ultra Arabiam esse, non ultra
B Meroën. Et videtur Solinus apud Melam legisse: *Æthiopes ultra sedent Meroën. Habent terram, quam Nilus &c.* Inepte: nec enim ultra Meroën esse possunt, qui Meroën habitant. Et cum plures sint Æthiopum nationes, qui Meroën incolunt, non iidem sunt cum Macrobiis Æthiopibus, nec Automoli Æthiopes iidem cum Macrobiis. Herodotus Μακροβίους ...utos facit τῆς Λιβύης ἐπὶ τῇ νοτίῃ θαλάσσῃ. Quod cum Plinio facit, qui ex adverso Meroës in parte Africæ eos locat. Non igitur Meroën ipsam habitabant. Nec in Meroë eos ponit Mela, si rectè verba ejus capiantur & legantur. Sic igitur totum ejus locum constituo: *Æthiopes ultra.*
C *Sed & Meroën habent eam, quam Nilus primo ambitu amplexus, insulam facit. Pars, quia vitæ spatium dimidio ferè quam nos longius agunt, Macrobii. Pars, quia ex Ægypto advenere, dicti Automoloë.* Æthiopiam ultra Arabas sitam dicit. Ex his alios Meroën etiam incolere. Nonnullos vocari Macrobios, quia longævi sunt: quosdam Automolos, quia ex Ægypto advenere. Non ea mens Pomponii, nisi toto cælo deerrasset, Automolos eosdem cum Macrobiis facere, & utrosque in Meroe collocare. Herodotus lib. II. Ἵξεαι εἰς πόλιν μεγάλην, τῇ ὄνομά ἐστι Μερόη. Λέγεται δὲ αὕτη ἡ πόλις εἶναι μητρόπολις τῶν ἄλλων Αἰθιόπων. Ab hac Meroe duodecim die-
D rum navigatione perveniri in regionem Automolorum Æthiopum scribit. De diversis igitur Æthiopum populis agit eo loco Mela, quem rectè restituimus, & interpunximus.

Hi Macrobii justitiam colunt, amant æquitatem] Cum hæc è Pomponio mutuatus sit, nihil horum hodie legas apud Pomponium. Sic enim legitur: *pulcri forma, æqui corporis parumque venerationes veluti optimarum alumni virtutum.* Nihil varietatis in libris, nisi quod præferunt, *optimarum alii virtutum.* Haud facilè alius locus æque contaminatus inveniri queat. Ut in deplorato non ta-
E men desperanda medela est. Legerim ex Solino: *pulcri forma, æqui cultores, justitiæque veneratores, velut optimæ aliarum virtutum.* Vel: *justitiæ amatores.* Sensum hunc fuisse Pomponii ausim præstare. *Pulcri forma.* Solinus dixit *præcipua decent pulcritudine.* Pomponius: *æqui cultores, justitiæque veneratores.* Solinus: *justitiam colunt, amant æquitatem.* Nec dubitandum est, quin totum hunc locum de Macrobiis è Pomponio Solinus hauserit. De Automolis porro, non de Macrobiis hæc dicere videtur Pomponius, quem in sexcentis hallucinari alibi Deo juvante ostendam.

Pag. 40. F. *Ornantur ære, auro vincula faciunt noxio-*
F *rum*] Mela: *ære exornantur, auro vincula sontium fabricant.*

Locus est apud eos Ἡλίου τράπεζα, opiparis epulis semper refertus] Perperam ediderat Delrius: *Heliotrapeza.* Mela: *est locus apparatis epulis semper refertus, & quibuslibet vesci volentibus licet: Ἡλίου τράπεζαν appellant.* Ita scribendum. Perperam vulgo: *& qui ut libet.* Solinus: *quibus indiscretim omnes vescuntur.* Herodotus: δαίνυσθαι τὸν βουλόμενον.

Nam & divinitus eas augeri ferunt] Pomponius: *quæ passim apposita sunt, affirmant innasci subinde divinitus.*

Quo perfusa corpora velut olivo nitescunt] Mela: *quo*
G *perfusa corpora velut uncta pernitent.*

Ex hoc lacu potus saluberrimus.] Pomponius: *bibitur idem.*

Sanè adeo liquidus est, ut nec caducas quidem vehat frondes] Distingue apud Melam ex hoc loco: *bibitur idem. Adeo est liquidus, & ad sustinenda, quæ incidunt, aut immittuntur, infirmus, ut folia etiam proximis decisa frondibus non innatantia ferat, sed passum & penitus accipiat.*

Scribitur

A Scribitur vulgo: *bibitur idem, adeo est liquidus.* Pro illis autem, *ut folia etiam proximis decisa frondibus*, corrigebat Pintianus: *proximis decidua montibus.* Non placet. Malim: *proximis decussa frondibus.* Frondes sunt rami, & brachia arborum. Unde *frondator*, qui ramos amputat. Solinus heîc *frondes* posuit pro foliis. *Ut ne caducas quidem vehat frondes, sed illico folia lapsa ad fundum demittat.*

Monstrosæ gentium facies] Optimus liber: *mostrosæ.* Et infra: *illic exhibita mostra sunt.* Ita scribit noster ἀρχαϊκῶς. Inde diminutivum *mostellum*, τὸ φάσμα: & *mostellaria* Plauti.

Pag. 40. G. *Modico tantum foramine calamis avena-*
B *rum pastus hauriunt*] Immo potus. Qui enim pastus avenarum calamis hauriri queat? Mela. *Alii labris etiam cohærentibus, nisi quod sub naribus etiam fistula est, per quam bibere avent. Sed cum incessit libido vescendi, grana singula frugum passim nascentium absorbere dicuntur.* Corruptissimus locus. Lege: *nisi quod sub naribus etiam fistula est, per quam bibere avenis, & cum libido incessit vescendi, grana singula frugum passim nascentium absorbere dicuntur.* Pomponius *avenam* pro calamo, vel stipula frugis posuit. Ut apud poëtam:

---- carmen tenui meditaris avena,

id est, calamo. Græci quoque *avenam* σίφωνα & σιφώνιον
C vocant. Dioscorides. Avenis igitur, id est, calamis, & siphunculis bibunt illi. Sic σιφωνίζειν τὸν οἶνον, est calamis vinum haurire. Vinum integrum, *sipon cui nihil dempsit.* Lucillius apud Ciceronem. Solus igitur potus, non etiam pastus avenis, sive calamis avenarum hauriebatur ab illis populis, qui ore concreto erant. Grana quippe frugum, quæ absorbendo edebant, non per calamum, & siphunculos avenarum trahere, sed in foramen, & fistulam oris ponere consueverant, atque ita sorbere. Etenim si fistula, vel foramen unicum, quod sub naribus oris vice habebant, satis pate-
D bat tenendo calamo, & hauriendo per eum potu, quidni & granis frugum, quibus utebantur ad pastum, quæ & singula absorbebant? Ridiculum est ergo quod heîc ait Solinus, eos populos pastum calamis avenarum solitos haurire. Quod tamen è Plinio videtur sumpsisse, cujus hæc sunt: *pars ore concreto, & naribus carens, uno tantum foramine spirat, potumque calamis avenæ trahit, & grana ejusdem sponte provenientis ad vescendum.* Ne Plinio iniquiores simus, intelligendum est grana trahi non calamis, sed foramine illo, quo spirant. At potum calamis avenæ trahebant. Grana autem frugum absorbebant. Non aliter fieri potest. Et nugatur more suo Solinus. Non grana avenæ, sed
E aliarum frugum passim nascentium eos haurire dicit Mela, avenis autem, id est, calamis bibere. Plinius calamis avenæ bibere, & grana ejusdem avenæ passim nascentis per eosdem calamos absorbere. Quod est absurdum. Notavimus supra avenam fuisse sativam, & sponte nascentem, sive agrestem. Utramque nominibus non discernunt Latini. At Græci, quæ fortuito nascitur, & vitium est segetis, αἰγίλωπα nominant: alteram, quæ sativa est, βρόμον. Quæ dicitur βρόμος, avena nostra est, ut ex Dioscoride constat, qui ἀκρέα δίκωλα, sive bifidos apices ei tribuit, inter
F quos grana sunt. Αἰγίλωψ vitium hordei habetur. Paxamus in Geoponicis collectionibus: τὰς δὲ κριθὰς βλάπτει αἰγίλωψ, φακὸν ἡ πελεκῖνος καλουμένη βοτάνη. Recentiores Græci σιτόσπιλον vocarunt, quasi σίτου σπῖλον, maculam & vitium frugis. Malè legitur σιτόσπελος. Latini *avenam sterilem.* At βρόμος sativa avena, cujus & meminit poëta:

Urit enim campum lini seges, urit avena.

Ubi Servius ex Cœlio seri avenam ostendit, sed & multis in provinciis inter fructus numerari notat alibi. Tam sativam, quam agrestem Græci βρόμον etiam vocant. Hesychius: βρόμος, ὃν καὶ βρόμον λέγουσιν. Ἔστι δὲ τροφὴ τετραπόδων τὸ πολλαχοῦ μὲν σπειρόμενον, ἐνίοτε δὲ καὶ αὐτομά-
G τως φυόμενον. Agrestem esse βρόμον etiam ex Theophrasto constat. Quare αἰγίλωψ species est agrestis bromi, & sponte nascentis. Immo sponte nascentem βρόμον propriè Græci appellant αἰγίλωπα. Latini *vanas*, *steriles* avenas ad discrimen frugiferarum, & sativarum. Notandum, quod ait Hesychius, βρόμον, id est, avenam pabulum esse quadrupedum. Certè hodieque jumentis pro pabulo præbetur. Apud veteres Romanos, qui avenam non serebant, hordeum equis dabatur. Inde apud Comicum:

Demam tibi de hordeo, ni tolutim badissas.

Et *hordearius missus*, quod quadrigis pro præmio hordeum dabatur. Græci quoque hordeum ad pabulum equorum habebant: unde κριθῶντα πῶλον vocant. Apud auctores Veterinariæ artis Græcos mentio fit frequens βρώμου, qui & βρῶμος scribitur non raro. In quadam cataplasmatis compositione ænigmatica, ἄβροχον ἄλευρον explicatur de bromo. *Conspersa farina* est βεβρεγμένον ἄλευρον, ex qua fit panis. Ex aveno sola non fiebat, ideo nec ejus farina conspergebatur. Ἄβροχον itaque ἄλευρον auctor ille pro avenæ farina ænigmatice dixerat cap. CCXV. Ἰτέας τὸν φλοιὸν ἥλις ἐστὶν ἡ πίτυς, κόψας καὶ σήσας, καὶ δρόμαδος ὅ ἐστιν ἐλάφου κέρας, καύσας καὶ τρίψας καὶ ἄβροχον ἄλευρον, ὅ ἐστι βρῶμος, ἀλήσας καὶ σήσας. Equis ægrotantibus sæpe dari jubetur apud eosdem avena, sive βρῶμος. Ut cap. CIƆCVIII. Δίδου δὲ φαγεῖν ἐὰν λιποθυμήσῃ, ἢ βρῶμον, ἢ χλωρὸν χόρτον. Et alibi passim.

Lucis nitet, qui maximè virent hieme] Culpa librariorum, an Solini ipsius peccato sic legatur hoc loco, dicere non habeo. Scribitur apud Plinium: *qui maxime virent hebeno.* Solinum ita maluisse crediderim, & verisimile est; primum, quia sic mos ejus: deinde quum tradat infra solam Indiam ebenum mittere, nec eam universam, sed exigua sui parte, non videatur tam sui oblitus, ut hîc scripserit Æthiopiæ lucos hebeno maximè virere. Nec putandum est, eum ita apud Plinium legisse. Incertus auctor, qui excerpta Plinii confecit, non aliter citat: *Meridiano cardine silvæ eveno maximè virent.* Sic legitur in vetustissimo codice. Præterea certum est in Æthiopia etiam ebenum nasci, quamvis poëta scripserit solam Indiam ebenum ferre. Æthiopicæ ebeno primas dat Dioscorides, & Indicæ præfert. *Meroëticam* vocat Lucanus, id est, Æthiopicam.

---- ebenas quamvis Meroëtica vastos
Non operit postes.

Perperam hodie legitur *Mareotica.* Nec enim in Mareotide, aut Ægypto nascitur ebenus, sed in Meroë Æthiopiæ. Stephanus: Μερόη, μητρόπολις Αἰθιόπων, καὶ νῆσος. Gentile Μεροΐτης. Unde *Meroëtica ebenus.* Hoc verissimum. Idem paulo post:

---- nigris Meroë fœcunda colonis
Læta comis ebeni.

Plinius lib. XII capite de ebeno: *Æthiopiæ forma, ut diximus, nuper allata Neroni principi raram arborem ebenum Meroën usque à Syene fine imperii per nongenta XCVI. M. passuum, nullamque aliam nisi palmarum generis esse docuit.* Non uno vitio hic locus laborat. Raram ebenum dicit nasci à Syene ad Meroën, & nullam aliam arborem nisi palmarum generis. Si nulla in eo spatio nascitur arbor præter palmam, non rara ebenus ibi, sed nulla: & sane certum est, à Syene ad Meroën nihil ebeni provenire. Scribendum, ut habent libri: *raram arborem à Syene fine imperii per nongenta M. passuum, nullamque nisi palmarum generis.* Quod legitur in vulgatis; *per nongenta* XCVI. M. *passuum*, etiam falsum est. Lib. VI. cap. XXIX scribit exploratores à Nerone missos, qui Æthiopiæ formam attulerunt, renunciasse è Syene ad Meroën millia passuum esse DCCCLXXIIII. Hic dixit *nongenta* rotundo numero. Sequitur: *ideo fortassis in tributorum auctoritate tertia res fuerit ebenus.* Quid est, *tributorum auctoritas*? ajunt in Chiffletiano exemplari legi: *in tributi auctoritate.* Emendo: *fortassis in tributis auctoritate tertia res fuerit ebenus.* In tributis, quæ pensitabant Æthiopes regibus Persidis, tertius ebeno locus fuit. Nam aurum, dentes elephanti, & ebenum afferebant. Sic auctoritate tertia res fuerit ebenus in tributis. Lib. XXXVII de gemmis: *tertia auctoritas smaragdis perhibetur pluribus de causis.* De ebeno plura infra.

Ingenuo igne per æternum fervidus] Ita libri: *ingenuus ignis*, πῦρ ἔμφυτον. Nam *ingeno* vetus verbum, τὸ ἐμφύω. Inde *ingenuus* ἔμφυτος, ut *dividuus* à divido. Sic infrà: *Lacus salubris ingenuo æstu.* Ausonius.

---- ingenuum cujus fuit anchora signum.

Altera editio habuit: *per æternum æstuosus.* Lubentius etiam legerim: *per æternum*, διηνεκῶς. Pro *à meridiana parte* forte etiam legi debeat, *à mediana parte.* Plinius: *Meri-*

A

Meridiano cardine ſilvæ ejus ebeno maximè virent : à media ejus parte imminens mari mons excelſus æternis ardet ignibus, Theon ochema Græcis dictus. Nomen montis non appoſuit noſter. *Medianum* & *mediale*, τὸ μέσον. Vide & Melam.

Pag. 41. A. *Inter quæ incendia jugis æſtus draconum magna copia eſt*] Mira profectò res, ut inter incendia illius montis dracones vivant, nec enim inter ignes draconem vivere ab ullo auctore proditum. Æthiopiam eos generare, & apud Azachæos Æthiopas maximè naſci tradit Plinius lib. VIII. Hariolatur itaque noſter.

Veris draconibus ora parva, & ad morſus non dehiſcentia]

B

In optimo Regio, & aliis quibuſdam : *ora nulla ſunt ad morſum dehiſcentia.* Et ad oram adſcripta vulgata. Antiquaria loquutio : *ora nulla ad morſum dehiſcentia*, pro *ora non dehiſcentia ad morſum.* Sic apud Ammianum Solini in pleriſque imitatorem lib. XV. *Nullas acies explicare permiſſi.* Quod eſt, non permiſſi acies explicare. Sic *nullus legi, nullus audivi, nullus vidi.* Quæ apud antiquos comicos tralaticia ſunt, & trita. Ora draconibus adeo parva, ut mordere non poſſint. Præterea innoxius eorum morſus, quod veneno careant. Ideo veteribus in deliciis, & oblectamentis, eoſque *agathodæmones* vocabant, ἀγαθοὺς δαίμονας. Quo alluſit Lucanus his verſibus è lib. IX.

C

Vos quoque qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis aurato nitidi fulgore dracones.
Peſtiferos ardens facit Africa.

Innoxia numina, ἀγαθοὶ δαίμονες. Plinius lib. XXIX de dracone. *Caput ejus limini januarum ſubditum propitiatis adoratione divis fortunatam domum facere promittitur.* Servius ad illum poëtæ verſum de vipera.

---- *cælumque exterrita fugit.*

Tectis gaudet, ut ſunt ἀγαθοὶ δαίμονες, quos Latini genios vocant. Male itaque Scaligero Julio ὁ δράκων παρὰ τὸ δρᾷν ἄχος.

D

Dracontia lapis] Ita libri, & in indice, *de dracontia lapide.* Vulgo eſt *dracontias.* Plinius : *Draconites, ſive dracontia è cerebro fit draconum.* Verum eſt *dracontia*, falſum *draconites.* Nec enim Græcum eſt. In vetuſto codice legitur *dracontis.* Legendum *dracontitis*, ἡ δρακοντῖτις, & *dracontia* ἡ δρακόντειος, ſubaudiendum gemma; *alectoria* & ut *alectorius* lapillus. Sic & *dracontius* lapis, ἡ δρακόντειος. Poëta Græcus.

---- δρακοντείοις ἐνὶ νώτοις.

Sed & herba δρακόντιον, à ſimilitudine. Plinianus index *dracontiten* vocat.

E

Sed lapis non eſt, niſi detrahatur viventibus] Quomodo poſſit viventibus draconibus lapis, quem in cerebro habent, extrahi, equidem ignoro, niſi præciſo, vel inciſo capite exſculpi non quit, neutrumque horum fieri, ut non animam exhalet, vel priuſquam lapis excidatur. Plinium tamen ſequitur, apud quem legas : *dracontitis, ſive dracontia è cerebro fit draconum, ſed niſi viventibus abſciſſa nunquam gemmeſcit, invidia animalis mori ſe ſentientis. Igitur dormientibus amputant.* Sic enim legendum è libris, & è Solino, ubi vulgo legitur : *ſed niſi viventibus abſciſſo.* Quaſi referatur ad vocem, *cerebro.* Solinum aliter legiſſe apparet. Ait gemmam dracontiam, ſive dracontitin non gemmeſcere, niſi viventibus draconibus abſciſſam. Id qui fieri poſſit, non video. Quod ſequitur, *igitur dormientibus amputant*, hoc ad gemmam referendum, nec enim aliud eſt, quo

F

referas. Item illud, quod in ſequentibus habetur : *atque ita præcidere.* Sed nec *amputari*, nec *præcidi* gemma rectè dicatur, quæ exciditur è capite. Corruptiſſimum locum eſſe arguit vetus ſcriptura, quæ habet : *ſed niſi viventibus abſciſſa nunquam gemmeſcit. In India igitur mori eſt, ut dormientibus animalibus dentes amputent.* Vitium tamen in hac lectione reſidet, quod ſic tollendum : *ut dormientibus animalibus deſecent capita.* Sequentia id plane confirmant, & Solinus his verbis, quæ à Plinio habet : *ita ſomno obſopitis deſecant capita.* Certè non aliter

G

viventibus draconibus gemma, quæ in cerebro eorum fit, detrahi poteſt, quam capita vivis deſecando. Philoſtratus : περιστεσόντες οὖν οἱ Ἰνδοὶ κειμένῳ πελέκεις ἐναράττουσι, καὶ τὴν κεφαλὴν ἀποτεμόντες λῄζονται τοὺς ἐν αὐτῇ λίθους. In India id fieri notandum. Et ſcribit heîc Solinus, *uſu ejus orientis reges maxime gloriari*, id eſt, Indorum reges. Vera igitur lectio apud Plinium, *in India moris eſt*, quam contaminarant audaciſſimi correctores.

Nullum lenocinium artis admittat ſoliditate] In quibuſdam deeſt *artis.* Meliores eam agnoſcunt. Plinius : *nec poſtea poliri, aut artem admittere.*

Nec alterius, quam naturæ candor ſit, quo reluceat] Plinius : *candore eſſe tranſlucido.* Philoſtratus : λίθοι δὲ τοῦτοις ἀπόκεινται, τὸ μὲν εἶδος ἀνθηροί, καὶ πάντα ἀπαυγάζουσι χρήματα. Græci ἀνθηρὸν vocant rubrum colorem. Heſychius : ἀνθηρὸν, σανδαράχην, ſandaracha. Dioſcorides καθαρὸς πυῤῥά. Inde ἀνθηρικὸν χρῶμα apud eumdem de ſandarachino. Non igitur convenit Plinio cum Philoſtrato de colore dracontiæ gemmæ.

Pag. 41. B. *Auctor Sotacus*] Male in Delriana : *Sothacus.* Perperam etiam in Vineti : *Sotachus.* Σώτακος Græcus auctor ex antiquiſſimis, qui de lapidibus ſcripſerat. Σῶτος, Σώτης & Σώτακος nomina propria Græca. Apud Apollonium in Admirandis citatur Σώτακος περὶ λίθων cap. XXXV. Sed male ibi legitur Τάκος, ut rectè obſervat vir doctus.

Inde præſtolati ad paſtum exeuntes] Nihil horum apud Plinium, qui ex Sotaco hæc refert, & ſimpliciter tradit, *viſo dracone ſpargere ſomnifera medicamenta.* Sequitur apud Solinum : *prætervectique percitis curſibus.* In quibuſdam adnotatur ſcribi *curibus.* Forte : *curribus.* Plinius : *Sotacus, qui viſam eam gemmam ſibi apud regem ſcripſit, bigis vehi quærentes tradit.*

Objiciunt gramina medicata, quantum poteſt] Idem eſt, ſi legas, *quantum pote.* Quod quidam habent libri. Nec corrigendum, ut cenſet Delrius, *quantum opus.* Gramina quantum poteſt medicata ad incitandum ſoporem, id eſt, quam maximè fieri poteſt, ὡς οἷόν τε, ὅσον δυνατόν. *Quantum poteſt*, idem quod *quantum pote*, pro *quantum pote eſt.* Sic apud Comicos : *quod poteſt, quam poteſt.*

Ita ſomno obſopitis è capitibus exſecant lapides] Ita optimus Regius. Vulgati : *è capitibus deſecant lapides.* Sed ad marginem Regii adſcriptum erat : *ita ſomno obſopitis capita deſecant.* Quomodo & in Danielis Codice legebatur, & aliis vetuſtiſſimis quibuſdam. Quæ verior eſt lectio. Nam certum eſt, capita dormientibus draconibus deſecari primùm, deinde lapides, qui in his ſunt, extrahi, ut Plinius & Philoſtratus teſtantur. Prioris igitur editionis videtur illa ſcriptura : *è capitibus exſecant lapides.* Quod mutavit in recognita. Scripſit Plinius, dracontiam non gemmeſcere, niſi viventibus draconibus abſciſſam. Inde Solinus hariolatus fuerat eam gemmam è capitibus excidi dormientium, viventiumque draconum. Sed Plinius paulo poſt ſeſe explicavit dicendo moris eſſe in India capita deſecari, & præcidi dormientibus draconibus, ut lapis inde extraheretur. Idque poſtea ſequutus eſt Solinus. Sic tamen & è viperæ viventis capite diſſecto lapis eximebatur. Plinius lib. XXIX. cap. IV. *Caput diſſecant quidem Scythæ inter aures ad eximendum lapillum, quem ajunt ab ea devorari territa.*

E quibus, quam Nabim vocant] Scripti : *quam Nabun vocant.* Ita & Pliniani : *Nabun Æthiopes vocant, collo ſimilem equo*, &c. In quibuſdam etiam, *Nabuna.*

Nitore rutilo, albis maculis ſuperſperſa] Melius : *ſuperſperſo.* Plinius : *albis maculis colorem rutilum diſtinguentibus.* Ad oram Regii codicis varia lectio notata : *ſtellatam candidis maculis.* Quæ ſcriptura eſt τῆς περιεκδόσεως. Neutra lectione rei veritatem, aut mentem Plinii aſſequutus eſt Solinus. *Stellatum*, & *ſuperſperſum* de rotundis maculis, & in vortices ſparſis dicitur : *diſtinctum* de longis, & lineatim ductis. Tales ſunt maculæ camelopardalis. Ideo Plinius dixit, *albis maculis colorem rutilum in ea diſtingui.* Ῥαβδωτὰς σπίλους camelopardalis vocat Strabo, id eſt, *virgatas maculas : & in longum ductas* lib. XVI. Οὐδὲν ὅμοιον ἔχουσι παρδάλει. Τὸ γὰρ ποικίλον τῆς χρόας νεβροῖσι μᾶλλον ἔοικε ῥαβδωτοῖς σπίλοις κατεστιγμένοις. Ita olim emendavimus. At pantherarum maculæ rotundæ, & oculis ſimiles. Propter maculas vocata eſt camelopardalis, διὰ τὴν ποικιλίαν τῆς χρόας, licet aliter ſit notis compuncta. Barbari vocant ζοράφιν, hodie *giraffam.*

Pag. 41. C. *Cepos appellant*] Libri : *Ceſos* & *Ceſſos.* Nec aliter apud Plinium ſcripti. Græci partim κῆπος, par-

partim κήβυς nominant. Aristoteles simias cum cauda κήβυς vocat. Et sanè hujusmodi cepis posteriores pedes humanis pedibus similes, manibus priores esse tradunt. Hesychius: *κῆπος, ζῶον ὅμοιον πιθήκῳ.* Agatharchides, & ex eo Diodorus Siculus, κῆπον habere *τὸ μὲν πρόσωπον λέοντι, τὸ δὲ σῶμα πάνθηρι, τὸ δὲ μέγεθος δόρκαδι* tradunt. Idem scribit Strabo lib. XVI ex Artemidoro. At lib. XVII prodit idem Babylonios Memphitas colere cepum, qui faciem habeat satyro similem, *τἄλλα δὲ ἄρκτου καὶ κυνὸς μεταξύ.* Ubi libri quidam κῆπον scribunt. Alii κῆβον. Ridiculi sunt summi auctores Agatharchides, & Diodorus, qui κῆπον nomen invenisse dicunt *κατὰ τὴν ποικιλίαν*, quasi *hortum* pro varietate formæ dictum. Nomen est illius gentis, ubi fera ipsa nascitur. *Cep*, aut *ceb* Æthiopes videntur appellasse. Inde Græci κῆπον, aut κῆβον. Sic *τίγρις, κάμηλος, πάρδαλις, ἐλέφας, τάρανδος, βόνασος*, & sexcenta id genus animalia, quæ appellationes nacta sunt ab eorum locorum populis, in quibus nata.

Catoblepas nascitur] Ita Pomponius cum Plinio, & libri Solini. Antea editi: *Catoblepa.* Græcis *κατωβλέπας*, ut *κατωφάγας.* Si bène memini, Æliano dicitur *κατώβλεψ.*

Pag. 41. D. *Protinus vitam exuunt*] In quibusdam, *vita exeunt.* A vero non abest legendum esse, *vitam exeunt.* Sic dictum, ut *fores exire, urbem exire*: & apud Tertullianum, *egredi specum.* Simili loquutione *hominem exire* dixit noster, pro *homine exire*, vel hominem exuere. Quomodo & ibi correxerant. Sic *homine decedere.*

Eadem Æthiopia mittit lycaonem] Non Æthiopiæ, sed Indiæ lycaonem dat Plinius. Sed Melam sequitur noster, quem Plinius noluit audire. Verba Melæ in Æthiopia describenda: *sunt & sævissimæ feræ omni colore varii lycaones, & quales accepimus sphingas: sunt miræ aves cornutæ tragopanes, & equinis auribus pegasi.* Cum hunc locum Plinius in suum convertere vellet, pro *lycaontibus* substituit *lynces* hoc modo: *Lyncas vulgo frequentes, & sphingas, fusco pilo, mammis in pectore geminis Æthiopia generat, & multa alia monstro similia, pinnatos equos, & cornibus armatos, quos pegasos vocant.* De industria id fecisse apparet, cum ipsi non placeret lycaonem in Æthiopia gigni, quem alibi Indiæ peculiarem facit, ut cap. XXXV eodem libro, *mutat colores, & Scytharum tarandus, nec aliud ex iis, quæ pilo vestiuntur, nisi in Indiis lycaon.* Nemo inde credat lycaones eosdem cum lyncibus. Lynx notissimum animal, pardorum maculis compunctum, quem in genere luporum aliqui ponunt. *Uncem* vocamus vulgo. Lyacon Indici lupi genus, versipelle.

Cervicem jubatus] Ita libri, & Græca loquutio est. Vulgo: *cervice jubatus.* Sic suprà: *setosi colla, jubas horridi.* Et alibi passim.

Mittit & tarandum] Nescio, unde expiscatus sit Solinus tarandum in Æthiopia nasci, quem omnes Scythiæ proprium faciunt, & peculiarem. Aristoteles *ἐν Σκύθαις τοῖς καλουμένοις Γελωνοῖς* inveniri scribit. Theophrastus: *καὶ τὸ θηρίον ὁ τάρανδος, ὃ ἐν Σκύθαις φασὶν ἢ Σαρμάταις γίνεσθαι.* Stephanus: *Γελωνοὶ, Σαρματίας πόλις.* Ita Plinius, aliique. Nec dicendum est in Æthiopia, & Scythia nasci posse. Non ubivis terrarum tam mirabile animal provenit, locisque toto orbe, ac cœlo divisis. Sic sciens prudensque atque etiam solens Solinus nugatur, & mentitur. Mirabilis porro consensus librorum legentium heîc *parandrum* pro tarando. Ita & in indice utroque: *de lycaone, de parandro.* Marinus Sanutus qui ante trecentos annos scripsit, ita vocat. Certe duobus locis apud Plinium in exemplaribus vetustis *tarandrum* legi. T autem & P sæpe invicem permutari notum est. Sic *pelinum unguentum* in libro de Pallio, pro *telino.* Et *ruspare* pro *rustare.* Sic *pipita* in glossis pro *pitita.* Apud Ciceronem in scriptis *Citius* vocatur ille, qui *πρωρέγκων* cognominatus est, quem Festus *Cipium* nominat. *Pinum* perperam scribi, qui *tinus* est, fruticis genus, supra notabamus. Quod mendum etiam hæsit apud Ovidium lib. III Artis Amatoriæ in his versibus:

Silva nemus non alta facit, tegit arbutus herbam,
Ros maris & laurus, nigraque myrtus olent,
Nec densum foliis buxum, fragilesque myricæ,
Nec tenues cytisi, cultaque pinus abest.

Quis non miretur in humili, ac minimè alta silva, inter cytisos, myricas, rorem marinum, & hujusmodi frutices, atque arbusculas, *pinum*, quæ grandis est arbor, reponi? Sed ibi legendum:

Nec tenues cytisi, cultaque tinus abest.

Sic inter minoris formæ arbusculas eam recenset Columella, ubi similiter *pinum* reposuerant correctores. Probarem etiam legi: *curtaque tinus*, id est, brevis. Hæc laurus silvestris. Vide quæ suprà notavimus.

Bisulco vestigio] Membranæ omnes, *hiulco.* An ferri possit videndum, ut *hiulcum vestigium* vocet, quod fissum est. Theophrastus, *δίχηλον καὶ κερασφόρον.* Plinius, *bifida ungula*, Sed melius *bisulco.*

Ramosis cornibus] Theophrastus: *τὸ κέρας ἀποφυάδας ἔχει ὥσπερ τὸ ἐλάφου.* Ἀποφυάδες rami sunt è trunco, vel scapo enascentes.

Ursino colore, & pariter villo profundo] Villum habet magnum, & profundum, ut ursus; non tamen ursini coloris, sed asino similis. Plinius: *villus magnitudine ursorum, sed cum libuit sui coloris esse, asini similis est.* Solini morem, & genium ignorant, qui ex hoc loco apud Plinium satagunt emendare, *ursini similis est.* Theophrastus: *τριχωτὸν ἐστι δι' ὅλου.*

Sive illa saxo alba sit, seu frutecto virens] In altera editione fuit: *sive illa saxo albo sit, seu frutecto virenti.* Nugatur de saxo albo, quasi proprium sit saxi albescere, ut frutecti virescere. Plinius: *colorem omnium arborum, fruticum, florum, locorumque reddit, in quibus latet.* Aristoteles, *καὶ γὰρ δένδρεσι καὶ τόποις ὅλως, ἐν οἷς ἂν ᾖ τοιοῦτον τῇ χρόᾳ γίνεσθαι.*

Sive quem alium modum præferat] In aliis: *sive quam aliam præferat qualitatem.* Quod ex altera editione est.

Pag. 41. E. *Ut pronius sit cutis levitatem proximanti æmulari*] Ita scripsi è libris veteribus, qui sic scribunt. Ad oram Regii adpositum: & *pronius est levitate speculi modo.* In editionibus: & *pronius est cutis levitate proximantia æmulari.* Ex hac lectionum diversitate, quæ ex diversa editione manavit, veram sic concinnamus: *ut pronius sit cutis levitati proximantia æmulari.* Vel etiam: *cutis levitatem.* Pronius est, ut cutis levitas, qualis in polypo est, & chamæleonte, proximantium rerum, & locorum reddat colores, quam hirsutia villi, ut est in tarando. Plinius: *mirum esset habitum corpori tam multiplicem dari, mirabilius est & villo.* Per *corpus* intelligit cutem glabram, & levem sine villo. Ita legendum, non *corpore.* Theophrastus: *Θαυμαστὴ δὲ μεταβολὴ καὶ ἐγγὺς ἀπιστίας, τοῖς μὲν γὰρ ἄλλοις ἐν τῷ δέρματι γίνεται ἡ μεταβολή.* Hæc reddidit Plinius.

Æthiopicis lupis proprium est] Quare thoas Æthiopicos lupos vocet nescio. Nec enim Æthiopiæ peculiare hoc animal, quod commune, & frequens in Græcia, & aliis Europæ locis. In Africa thoës etiam nasci scribit Herodotus, non propterea tamen Æthiopici, aut Africani lupi vocandi, quasi nusquam alibi gentium reperiantur. Sed Solinus non esset, nisi nugax esset. Falluntur & eruditi viri, qui θῶας apud Aristotelem *lupos cervarios* ubique reddunt. Diversi lupi cervarii, & thoës. Et Plinius apertè eos invicem distinguit. Nam alibi thoës, alibi lupos cervarios recenset, veluti diversos. Hoc nihil esset, nisi alia adessent, quæ vide in superioribus Exercitationibus. Thoum plura genera. Philosophus quinque numerat, *Lupus cervarius, μονογενὴς.* Diceret aliquis ex illis thoum quinque generibus unum esse. Sed hoc alii viderint. Scaliger Julius quærendum ait, an ea, quæ *luberna* dicitur, fœmina sit: lynx mas, lupus cervarius. Sed omnino alii lynces à lupis cervariis. Glossæ veterum Grammaticorum thoem vertunt lupum cervarium, quem & cervalem vocant: *Lupus cervalis, θώς.* Non habuere Latinam vocem aliam, qua quid esset θῶς, exprimerent. Galli, apud quos plurimi ejusmodi lupi, *raphium* aut *ruphium* vocabant. Alii vocarunt *chaum.* Albertus *chamam* vocat, & alio nomine *rufinum* ait appellatum.

In saliendo nisus habent alitis] Quare alitis? an solæ alites saliunt? sequitur: *ut non magis cursu proficiant, quam meatu.* Quid heic appellat *meatum*? Avium meatus dicitur in aëre volantium. Sanè quid velit nescio. In aliis

aliis notatum legi: *ut non magis proficiant cursu, quam adsultu.* Atque ita in margine optimi codicis adscriptum. Idque longè melius. Plinius dixit tantum: *saltu velox*, τῷ πηδήματι. Hoc non proprium est avium, sed multarum quadrupedum, ut leonis, & aliorum. Quare quid *nisum alitis* heîc vocet, quid *meatum* sanè nescio, illud scio eum nugari.

Hystrix quoque inde loci frequentissima] Ex Æthiopia. At Plinius Indiæ, & Africæ assignat. *Hystrices generat India, & Africa spina contectas, ac herinaceorum generis.* Ita scribendum. Male editur: *genere*. Mendosum & illud videtur: *spina contectas*. Dixisset, *spinis*. Sic Solinus hoc loco: *spinis tergum hispida*. Et de herinaceis idem *spinas* dixit, non *spinam*, nam plures habent. Auget mendi suspicionem vetus liber, in quo scribitur: *spinea contecta*. Putarim emendandum: *spinea cum testa*. Ut *testam* vocaverit hystricis tergus propter duriciem. Hesychius: ὕστριξ, ὀστρακόδερμον ζῶον θαλάσσιον, ἐδώδιμον. Confundit cum echino marino. Veri est similius legi in Plinio debere: *spinea cum tecta*, id est, cum spineo integumento. *Tectam* dixit pro tergoris tegmine. *Tecta* ἡ κάλυψις, tectio. Sic *remissa* pro remissione: *accessa* pro accessione: *ulta* apud Ovidium pro ultione, & talia ὅσα κόνις. Nihil exploratius, quam vulgatam in mendo jacere. *Spinea tecta*, ἀμφάκανθον δέμας Ioni de ericio. Ubi perperam legitur ἀμφ' ἄκανθαν. *Hystrix*, inquit Plinius, *erinaceorum generis*. Græcum est, χὴρ, χῆρος, echinus. Hesychius: χὴρ ἐχῖνος. Inde Latinum, *her heris* & *heres*, Calpurnius:

---- spinosi corporis herem.

Ex eo περίγωγα, *hericius*, *herinus*, & *herinaceus*, quæ absque adspiratione, scribuntur in veteribus. Glossæ: *ericius*, ἐχῖνος. Ῥίτζον, Græci recentiores dixere. Hesychius: Ζάλακες, ἐχῖνοι pro eo in glossis Græcobarbaris, ῥίτζος, voce corrupta ex *ericius*. *Irinaceus* scriptum in libris Plinii, pro erinaceus. Plautus in Captivis:

I modo venare leporem, nunc erem tenes.

Ita scribendum illum versiculum vel adhuc puer olim vidi. Dicit parasito senex victum suum asperum esse, proinde si velit molliorem, melioremque, aliam mensam quærat. *Eri*, hoc est, erinaceo asperum suum victum comparat, spinulento animali: mollem autem & delicatum lepori, cujus pilo nihil mollius. Asper victus quo apud me cœnabis, tibi paratus est: *nunc irem tenes.* Si tibi displicet hic heres, leporem venare, id est, molliorem apud alium quære. Male Scaliger legebat, *nunc irim tenes.* Quod editiones nuperæ malè receperunt. Horum cute poliebantur & pectebantur olim vestes. Plinius capite de erinaceis: *ipsum animal, non ut remur plerique, vitæ hominum supervacuum est: si non sint aculei, frustra vellerum mollitia in pecude mortalibus data. Hac cute expoliuntur vestes.* Sic legendus locus, *non ut remur plerique.* Non quælibet vestes, sed è lana molliori factæ erinaceorum cute, aut spinarum acervo pectebantur. Hæ *pexæ* propriè dictæ. Idem Plinius capite de lanarum generibus: *Histriæ, liburniæque pilo propior, quam lanæ, pexis aliena vestibus, & quam sola ars scutulato textu in Lusitania commendat.* Pexæ itaque vestes è molli lana, quam μαλακὴν ἐρεὰν Græci vocant. *Pexas* apud Plinium interpretantur, in quibus nec stamen, nec subtemen apparet, eminente villo? Hoc non satis est. Nam nec in villosis videtur, quas μαλλωτὰς Græci vocant, quæ tamen *pexæ* non dicuntur. Præterea villum non habent pexæ, sed brevem floccorum lanuginem. *Pexa* sunt, quæ multo flocco opertæ sunt, eoque pexo & polito arte fullonis. Ut pectem nihil ad calvum, sic defloccatæ, & usu detritæ vestes nihil opus habent pectine fullonis. Inde *pexæ* opponuntur tritis, id est, novæ obsoletis. Martialis:

---- pexatus rides mea Zoile trita,

id est, pexis, & novis vestibus indutus, quarum nondum flocci abiere nondum tribacis. Hanc pexam floccorum in vestibus lanuginem *pexitatem* vocat Plinius, de aranearum telis: *quam non ad hoc videtur pertinere crebratæ pexitas telæ, & quadam polituræ arte, per se tenax ratio tramæ.* Ita scribendum. Vulgo est; *cribratæ*. Inepte. *Crebrata tela* est densè texta, & multo subtemine farta, quæ res pexitatem floccorum facit. Nam κροκὺς est floccus, κρόκη subtemen. Ideo vestes, quæ ad hiemem, & frigus parantur raro stamine, denso subtemine texi jubet Hesiodus, quo sint molliores & calidiores:

A Στήμονι δ' ἐν παύρῳ πολλὴν κρόκα μηρύσασθαι.
κρόκυδες enim ἐν τῇ κρόκῃ, non in stamine. Ideo durius, & retortiore filo stamen, molliore & magis laxo subtemen. Proinde diversæ artes στημονονητικὴ & κροκονητική. Nam in solo subtemine mollities illa lanuginosa, quæ panno supereminet, & quam pectit ac polit spina fullonis. Insignitè factus ad hoc probandum locus Platonis qui male exponitur ab eruditis & non rectè legitur. Est in Politico: ὅσα δ' γ' αὖ τὴν γνάψεως ὁλκὴν ἐμμέτρως τ' μαλακότητα ἴσχει, ταῦτα ἄρα κρόκην μὲν νηθέντα, τὴν δ' ἐπιτεταγμένην αὐτοῖς εἶναι τέχνην κροκονητικήν. Scribendum: ὅσα δ' γ' αὖ τῇ γνάψεως ὁλκῇ ἐμμέτρως τὴν μαλακότητα ἴσχει: id est,
B *quæ spinæ fulloniæ tractui, & polituræ accommodatam habent mollitiem, ea postquam neta sunt, subteminis nomine vocantur.* Sensus est: in subtemine nendo ita rationem haberi floccorum excitandorum, ut possint commodè pecti, & poliri fullonis spinis. Cum igitur subtemen sit μαλακώτερον stamine, quo densius subtemen, & crebrius, eo vestis μαλακωτέρη, & pexior. Ut κροκὺς in subtemine, quod malacam vestem facit, ita & pexitas, quæ arte polituræ concinnatur, hoc est, τῇ γνάψει. Quo fit, ut in Plinio putem legendum: *quam non ad hoc videtur pertinere crebratæ pexitas telæ, quadam polituræ arte, & per se tenax ratio tramæ.* Nihil certius. *Politura* est ἡ γνάψις. Nam
C *polire*, κνάπτειν. Ars polituræ pexitatem in subtemine excitat, non in trama, aut stamine. Ab uno porro tantum latere pexi illi flocci. Veteres glossæ: *prosa, pexa tunica*, πεξὸν ἱμάτιον. *Prosa*, id est recta. Ut *prosa oratio*, ἡ εὐθεῖα opponitur versæ vel versificatæ, sic prosa tunica inversæ. Hodie quoque in pannis dicimus *rectam* partem, & *versam*. Veteres *prorsum* dicebant pro recto, ut *prorsi limites*, & *prorsum ire*, εὐθὺς. Quod & *prosum*, ut *susum* pro sursum, inde *prosa* de oratione, ac de veste. Qua parte autem prosa tunica est, eadem & pexa, politis nempe floccis. Non solum pectuntur hodie panni, sed
D etiam tondentur. Quod an apud veteres factitatum sit, nescio. Tria porro sunt fullonis propria in poliendis vestimentis. Primum τὸ πλύνειν, lavari, tergere nitro, creta, cimolia, & similibus. Martialis:

Et lotam ut minimùm terque quaterque togam.

Obsoletam, & diu habitam intelligit, utpote quæ ter ad fullonem sit missa maculis eluendis. Male vulgo exponunt, & legunt. Petronius: *vestimenta accubitoria perdidit, quæ mihi natali meo donaverat cliens quidam, tyria sine dubio, sed jam semel lota.* Lipsius legebat, *sed haud semel lota*, ut dibapha intelligat. Prorsum absurdè. Quod tamen alii omnes sequuntur. Tyria sunt dibapha. Nec
E enim aliter tyria purpura tingebatur. Sed & omnes commodiores purpuras eo ævo sic tingi moris erat, ut notat Plinius. At, ille dispensator, tyria quidem fuisse vestimenta, quæ perdidit, sed jam semel lota, hoc est, minime nova, sed jam semel fulloni data ad lavandum, & sordes tollendas. Unde & πλύνται fullones dicti Græcis. Sed hæc alibi. Alterum fullonis munus τὸ συμπατῆσαι, conculcare, densare, conciliare, & cogere vestimenta. Inde & νάκται appellati, & Latinè *fullones*, & *nactæ*. Tertium τὸ κνάπτειν. Id significat polire, & pectere. Καταξαίνειν, & καταξύειν exponunt Græci. Ex eo κναφεὺς proprie dictus Græcis fullo, & κνάφος instrumentum, quo po-
F liebant vestes. Id erat ex spinis factum. Hesychius: κνάφοι ἀκάνθαι, αἷς κνάπτεται τὰ ἱμάτια. Et paulò post: κνάφου δίκην, ὅταν ἐν κύκλῳ οἱ κναφεῖς περιέλκωσι περὶ τὸν λεγόμενον κνάφον. Ἔστι δὲ τοῦτο φυτὸν ἀκανθῶδες. Pollux: ἡ τέτρις προσφορος ἄκανθα κνάφος. Cute erinacei ad hoc etiam utebantur, ut constat ex hoc loco Plinii. Veteres glossæ: κτεὶς κναφικὸς, *remaceus*. Lege: *erinaceus*. Nec solum vetera vestimenta interpolabat fullo, sed etiam novi panni à textore ad eum deferebantur, ut polirentur, & pecterentur. Inde *pexæ vestes*. Nam κνάπτειν proprie est polire. Glossæ: polit, κνάπτει. Sic proprie de novis, quæ pectebantur. *Interpolire* de veteribus, inde *interpolis* vestis ἡ ἐπίγνα-
G φος, iterum polita. Ab *interpole* veste verbum *interpolare*, ἐπιγνάπτειν. Ex floccis lanæ, qui inter pectenda, & polienda vestimenta derasi fuerant, tomenta olim fiebant. Plinius lib. VIII. c. XLVIII. *Lanæ & per se coactæ vestem faciunt: &, si addatur acetum, etiam ferro resistunt: immo vero etiam ignibus novissimo sui purgamento: quippe ahenis polientium extracta in usum tormenti veniunt.* Ad desperationem usque vitiatus hic Plinii locus, in quo nec pes, nec caput apparet,

apparet, certè nec pilus bonæ mentis. Interpunctione primum. Nam & hoc malo laborat, sanandus est, & legendum: *lana & per se coacta vestem faciunt, &, si addatur acetum, etiam ferro resistunt: immo vero etiam ignibus.* Hæc ad vestem è coacta lana factam pertinent, quam faciunt coactilia. Πιλωτὰ Græci, & πιλοποιὸς vocant. Quæ sequuntur, nihil huc spectant, & longè sunt depravatissima. Hoc vult, quod suprà diximus, lanas novissimo sui purgamento etiam in tomenti usum venire, & *polientes sunt κναφεῖς*. Nihil vero heîc *ahena* faciunt, & vocem repudiant veteres libri, in quibus legitur, *evis polientium*. In aliis *enis*. Quidam etiam *anis*. Inde illud *ahenis* factum. Sub vocis hujus corruptela latet nomen instrumenti fullonii, quo vestes poliebantur, ac pectebantur. Legebam aliquando, *cute eris polientium*, ut *erinacei cutem* intelligeret, quæ hunc usum præstabat. Sed hoc nomen tribus locis apud Plinium similiter corruptum reperire est, pro instrumento spinis fulloniis pleno ad poliendas vestes. Libro XXIV. cap. XIII ita scribitur hodie: *vulgaris quoque hac spina, ex qua cortinæ fulloniæ implentur, radicis usus habet.* Hæc lectio correctorum est, qui *cortinas* heîc fullonias reposuerunt, ut in superiore, *ahena*. At spinæ fulloniæ, de qua heîc loquitur, nullus usus in cortinis fulloniis, sed ad vestes eradendas & poliendas. Veteres libri partim heîc legunt: *ex qua una fulloniæ implentur*. Ita Rigaltianus. In Regio altero: *ex qua venæ fulloniæ*. Alio loco *æneas fullonias* vocat, lib. XXVII. cap. X. *Hippophæston nascitur in spinis, ex quibus fiunt æneæ fulloniæ*. Ita ibi libri retinent omnes absque ulla varietate. Vides rem eamdem intelligi. Dioscorides ἱππόφαιστον εἶδος ἀκάνθης κναφικῆς esse dicit. Quem ad usum expeterentur illæ spinæ fulloniæ, notum est. Jam illud quærendum, quænam illæ æneæ, vel enæ fulloniæ, & unde sic dictæ, quæ ex spinis contexebantur ad vestes pectendas, & radendas. Vocem *æneas* prorsus esse corruptam liquet, nec ab ære posse deduci. Ad linum porro pectendum simile instrumentum non ex spinis fiebat, sed ex ferro. Certe Plinius eodem prorsus id vocat nomine, quod etiam in mendo apud eum cubat lib. XIX. cap. I. Sic enim legunt vulgatæ editiones, ubi de lini medulla loquitur: *& ipsa tamen pectitur ferreis hamis, donec omnis membrana decorticetur.* At libri omnes vetustissimi certatim scribunt eo loco: *pectitur ferreis ænis*. Idem certè, aut simile instrumentum, quo pectitur linum, & quo vestes pectuntur apud fullonem, sed illud è ferro, hoc è spinis, quæ inde fulloniæ sunt dictæ. Κναφικὰς ἀκάνθας Græci vocant. Idem igitur nomen, *enis, venæ, æneæ, ænis*. Tot modis hæc vitiata non longè recedunt à vera lectione, *ineæ*, vel *iniæ*. Latini *inas* dixere, quos Græci ἶνας. Ἲς ἶνος, ἶνα, *ina*. Hinc *vitales inæ* apud Varronem de R. R. Tenuia chartæ filamenta sic etiam Latinè vocata. Festo, *ina pars chartæ tenuissima*. Apud Empiricum Marcellum, *enæ chartarum* pro inis. Cum usu charta detrita est, inæ illæ suscitantur, & chartam faciunt horridam. Martialis: ---- *charta*

Quæ trita duro non inhorruit mento.

Quem versum vulgo non intelligunt. In evolvendis chartarum voluminibus partem adhuc inevolutam mento subjiciebant: primorem vero partem subinde explicantes ambabus tenebant manibus, simulque legebant, eam interim quæ nondum erat explicita, sub mento convolutam tenentes. Hinc de charta virgine, & quæ adhuc intacta erat, dicebant eam mento tritam non esse. Horridior quippe fiebat manibus, & mento trita, excitatis inarum filamentis, & fibris. Græcum Epigramma ἀνέκδοτον Stratonis:

Εὐτυχὲς ὦ φθονέω, βιβλίδιον, ἦ ῥά σ' ἀναγνὺς
Πᾶς τις ἀναθλίβει πρὸς τὰ γένεια θεὶς.

Vides chartam, dum legitur, & evolvitur, mento subjici, terique. Aliud est, quod veluti simile adducunt viri docti ex eodem Martiale:

Ne toga barbatos faciat vel penula libros,
Hæc abies chartis sæcula longa dabit.

Ad alterum illum, quem suprà adscripsimus Martialis versiculum explicandum, distichon hoc vulgo proponi scio, sed quod nihil faciat. Ex togæ, ac pænulæ pannis integumenta libris vulgo tum parabantur. Barbati libri cum talibus operimentis, quia toga & pænula barbata lanuginosis floccis. Idem alio loco:

A *Carmina purpurea sed modo culta toga.*

Hoc chartarum involucrum abiegnum *manuale* dicitur in lemmate, id est, ἐγχειρίδιον. Fortasse & toga pænulaque, qua libri chartacei involvebantur, chartam barbatam asperitate sua invicem atterendo reddebant, quam abiegnum manuale pro lævitate sua magis conservabat. *Barbatæ chartæ*, quæ inis excitatis inhorrescunt. Sed *durum mentum* in superiore versiculo perperam pro ipsa chartæ barba accipiunt, quum de lectoris mento intelligendum sit, quo charta trita inhorrescit eo, quo diximus, modo. Sed ineptissimè vir magnus Græci Epigrammatis versum eo trahit:

B Γραμματικῆ Ζήνωνος ἔχει πώγωνα Μένανδρος,
Τὸν δ' υἱὸν τούτῳ φησὶ συνεστακέναι.

De Grammatico accipi volunt, qui adeo triverat Menandri libros, ut barbatos fecerit. Nugæ. Scribendum in priore versu:

Γραμματικὸς Ζήνων ὃς ἔχει πώγωνα, Μένανδρος
Τὸν δ' υἱὸν τούτῳ φησὶ συνεστακέναι,

Grammaticus, inquit, est Zeno barbatus. Huic filium se commendasse dicit Menander. Proprium huic rei verbum. Συνεστακέναι ῥήτορσι, φιλοσόφοις, γραμματικοῖς dicebant, quos in eorum dabant disciplinam pueros. Sequitur:

C Τὰς νύκτας δ' αὐτῷ μελετῶν οὐ παύεται εἶδος
Πτώσεις, συνδέσμους, σχήματα, συζυγίας.

Ita etiam legendum. Quid velit, notum Cercoëtis. Ut inæ porro in chartis, quæ tritæ subrigebantur, & veluti barba asperos reddebant libros, sic flocci molles, & tenues vestium, quos pecten spineus excitabat, & poliebat, *inæ* dictæ. Hinc *inea* fullonis instrumentum illud spinis consitum, quo inæ in vestibus erigebantur, ac tenuabantur, ut pexa mollities in his surgeret. Ineæ quoque ferreæ quibus linum pectebatur, atque in multas veluti tenues inas discriminabatur. Nam & Græci ἰνίζειν, tenuare. Unde D ὑπέρινος supra modum attenuatus, & evacuatus. Nam & ἰνῶσαι, & ἐξινῶσαι hoc dicebant? *Eneæ* autem pro *ineæ* scriptum, ut *enæ* pro *inæ* apud Marcellum Empiricum. Integra hæc vox remansit apud Plinium hoc loco, quem & paulo ante adduximus: *Hippophæston nascitur in spinis, ex quibus fiunt eneæ fulloniæ, sine cauliculo, sine flore capitulis tantum inanibus.* In his verbis signanda obiter insignis Plinii hallucinatio, qui hippophæston dicit nasci in spinis, ex quibus ineæ fiunt fullonum. Nec audio Dalecampium corrigentem, *hippophæston spina in maritimis nascitur.* Quo sensu heîc dixerit *hippophæston in spinis fulloniis* nasci, satis E alibi declaravit idem lib. XVI. Capite ultimo, ubi hippophæston inter ea numerat, quæ per se non subsistunt, nec suam sedem in solo habent, sed in aliena vivunt, & nascuntur, ut viscum, hyphear, & similia. *Quod vero*, inquit, *in spina fullonia, hippophæston, caliculis inanibus, foliis parvis, radice alba.* Ridiculum hoc inquam. Hippophæston in spina fullonia. Atqui hippophæston ipsa spina fullonia. Unde hunc errorem imbiberit, & hauserit cum hæc de hippophæsto è Dioscoride transtulerit, operæ pretium est scire. Hippophaës, & hippophæston genera sunt spinarum, quibus utuntur fullones ad polienda vestimenta. De hippophaë ita scribit Dio-F scorides: ἱπποφαὲς, οἱ δὲ ἱππόφαος, ἐν ᾧ κνάπτουσι τὰ ἱμάτια, φύεται μὲν ἐν παραθαλασσίοις, καὶ ἀμμώδεσι. Ita liber vetustissimus scribit hunc locum. Subjicit deinde de hippophæsto, quod & hippophaës vocatum tradit, & similiter esse ἀκάνθης κναφικῆς εἶδος. Hæc verba ἐν ᾧ κνάπτουσι τὰ ἱμάτια. Jocularem, & ridendum errorem objecere Plinio. Nota, ac tralaticia loquutio Græcis, ἐν ᾧ κνάπτουσι, pro ᾧ κνάπτουσι. Quæ recentioribus præcipuè Græcis tritissima. Nam antiqui, & Attici minus ea forma utuntur. Hoc Plinium fefellit, qui sic ea cepit, quasi hippophaës, vel hippophæston in spina fullonia nasci diceret. Ὧ κνάπτουσι τὰ ἱμάτια, spina est fullonia. G Ἱπποφαὲς, vel ἱππόφαιστον ἐν ᾧ κνάπτουσι τὰ ἱμάτια φύεται: *in ea spina, qua poliunt vestimenta, nascitur hippophaës.* Hippophæston, & hippophaës pro eadem herba sumit. Hippophaïs duo genera facit, unum, quod est hippophaës Dioscoridis, alterum quod ejusdem est hippohæston. Lib. XXII. c. XII. mendosè scribitur, *de hippophye & hippope*. Nam in indice libri primi legitur tantum *de hippope* hoc modo: *Hippopes gen. II. M. II.* hoc est, *hippophaës genera duo, medicinæ ana.* *Hip-*

popaës perperam erat scriptum pro *hippophaës*. Deinde *hippopas*, & *hippopes*. In ipso textu ita scribendum: *hippophaës in sabulosis maritimisque nascitur, spinis albis, hederæ modo racemosa est.* Perperam legitur, *hippophyes*. Libri habent *hippopes*, pro *hippopas*, vel *hippopaes*. Utrumque pro *hippophaes* Hoc est ἱπποφαὲς Dioscoridis, ut ex descriptione liquet. Sequitur apud Plinium: *Est altera hippope sine caule, sine flore, foliis tantum minutis.* Similiter & heic corruptum, similiterque corrigendum: *est altera hippophaes, sine caule, sine flore.* Nam & libri heic habent, *hippopes*. Atque hinc liquido patet legendum in superioribus *hippophaës*, non *hippophyes*. Lib. XXI. cap. XV *hippophas* scriptum in vetustissimo libro pro hippophaës: *Hippophaës spinis geniculatum: tributa proprietas quod & fructum spinosum habet.* In Rigaltiano, & aliis *hippophes*. In Thuanæo *hippophas*. Idem Rigaltianus, *tributo proprietas*. Thuanæus: *tribu proprietas*. Lege: *tribulo proprietas*. Τρίβολον Theophrastus τῶ περικαρπίω spinosum esse dicit. Hæc ab illo Plinius. Hippophaës igitur, & Hippophæston Plinio idem, quod in spina fullonia nasci dixit, errore inde hausto, unde docuimus. Legendum fortè in Dioscoride, ἱπποφαὲς, ὃ καὶ ἱππόφεως, pro eo, quod in libro vetustissimo reperitur scriptum, ἱππόφαος. Galenus in Lexico Hippocratis: ἱππόφεως, τοῦτο οὐ μόνον ἱπποφαὲς ὀνομάζεται, ἀλλὰ καὶ κνάφον καὶ σύβον. Lege, καὶ στοιβή. Hoc positum pro στοιβῆ. Nam & in antiquissimo codice Dioscoridis ita scribitur: σύβης ὁ καρπὸς καὶ τὰ φύλλα σύφει. Pro στοιβῆς: ut μυρῷ, μοιρῷ. Herbam esse στοιβὴν omnes sciunt. Φλεῶ ita dici hactenus omnibus herbariis persuasum ex Theophrasto, & Plinio. Sed in utroque mendum est. Sanè si στοιβὴ est φλεως, idem erit & ἱπποφαὲς, vel ἱππόφεως: nam ἱπποφαὲς στοιβὴν etiam appellatum: & κνάφον tradit Galenus. Docendi heic sunt eruditissimi herbarii, aliud esse φέως, aliud φλέως. *Stoebe*, quod quibusdam *pheos*, spinæ genus. Φλεὼς herba palustris sine spinis, è qua vestes, & restes, & retia texebantur. Iones φλοῦν dicebant, unde φλοΐνη ἐσθής Herodoto lib. III. Οὗτοι μὲν δὴ τῶν Ἰνδῶν φορέουσιν ἐσθῆτα φλοΐνην, τὴν ἐπεὰν ἐκ τοῦ ποταμοῦ φλοῦν ἀμήσωσι, καὶ κόψωσι, τὸ ἐνθεῦτεν φορμοῦ τρόπον καταπλέξαντες, ὡς θώρηκα ἐνδυνέουσι. Hinc & φλοΐναι σανίδες, ψίαθοι: & Euripidi φλοΐναι ἡνίαι, apud Pollucem. Ἡ δὲ ὕλη, inquit ὅθεν ἐπλέκετο φλοῦς μὲν κατὰ τοὺς Ἴωνας, φλεὼς δὲ κατὰ τοὺς Ἀττικούς. E flumine & palude colligi τὸν φλοῦν ex Herodoto constat, ex Aristophane & Theophrasto. Apud Aristophanem ranæ dicunt in Comœdia cognomine:

Ἡλάμεσθα διὰ κυπείρου
Καὶ φλέω χαίροντες ὕμνοις
Πολυκολύμβοισι μέλεσι.

Theophrastus τὸ φλέως describit inter palustria lib. IV. cap. XI quod ἀνθήλην habere ait, hoc est, lanuginosam paniculam, qua ad tectoria utebantur inducenda. Τοῦ δὲ φλέω τὴν καλουμένην ἀνθήλην, ᾧ χρῶνται πρὸς τὰς κονιάσεις. Ita legendum. *Quo utuntur ad tectoria*: Vulgo est; πρὸς τὰς κονίας, & vertunt, *ad lixivium.* Quod absurdum, & falsum. Notum quid sit ἀνθήλη in harundinibus. *Lanuginem, comam* & *paniculam* Latini vocant. Ad vitilia, & nexus utile esse phleum ibidem scribit Theophrastus, radicem pecudibus esse pabulo eo loco ait. Nihil de aculeis ejus, aut spinis ibi narrat. Galenus in Lexico Hippocratis notat phleum verbasco, hoc est, phlomo simile esse, & papyraceum, idemque textum fictilibus oleariis circumponi, ut hodie buticulæ vitreæ circumtexto vimine muniuntur. Vetus interpres φλέω & φλόμον idem esse ait, sed fallitur. Φλόμῳ simile juxta Galenum, non φλόμος. Hæc de phleo. At φέως aliud, aculeata nimirum & spinosa herba, quam & στοιβὴν dixere quidam. Hujus meminit Theophrastus lib. VI. cap. I Historiarum, his verbis: τὰ δὲ καὶ παρὰ τὴν ἄκανθαν ἕτερον ἔχει φύλλον, ὥσπερ ἡ ὄνωνις, καὶ ὁ τρίβολος, καὶ ὁ φέως, ὃ δὴ ἔνιοι καλοῦσι στοιβήν. Sic planè eo loco scribendum. Nam pessimè legitur, καὶ ὁ φλέως. Idem mendum detinet & cap. III ejusdem libri: καὶ τρίτη δὲ ἡ περὶ οὗ καὶ παρὰ τὴν ἄκανθαν ἔχοντος φύλλον ὥσπερ ὅ τε φλέως, καὶ ὁ τρίβολος καὶ ἡ κάππαρις. Immo legendum, ὅ τε φέως. Nec enim hic potest esse φλέως, quod libro IV. descripsit. Idem vitium & cap. IV. ejusdem libri sub finem: τὰ δὲ καὶ παρὰ τὴν ἄκανθαν ἔχοντα φύλλον, οἷον τὰ τοιαῦτα. Φλέως, ὄνωνις, πανταδοῦσα, τρίβολος, ἱππόφυον. Ubi similiter scribi oportet, φέως, ὄνωνις. Sed

A & ἱππόφεως pro ἱππόφυον. Et initio capitis sequentis, πολυσχιδὲς δὲ καὶ πολύρριζον, ὁ φέως, non τὸ φλέως. Unicus est apud Theophrastum locus, ubi minus vitiose scriptum habetur, ὁ φέως, sic enim statim scribitur eodem capite: καὶ γὰρ τὸ φύλλον ἐπακανθίζον ἔχει καὶ τὸν καυλόν, οὐχ ὥσπερ ὁ φέως καὶ ἱππόφεως ἀνάκανθα τοῖς φύλλοις. Male ὁ φέως. Herbæ genus esse φέως compositum ex eo nomen ostendit ἱππόφεως, herbæ congeneris: ut μάραθρον ἱππομάραθρον: σέλινον, ἱπποσέλινον: λάπαθον, ἱππολάπαθον. Nam ἵππος, ut βοῦς in compositis rem facit majorem, ut βούπαις grandiusculus puer: βούσυκον major ficus, & B similia. Ἱππόφεως igitur est grandis φέως, ut ἱπποσέλινον apium, quod sativo, & hortensi majus est. Nugatur itaque Plinius, qui hippophaes, quod idem est cum hippopheo, debere esse accommodatum equorum naturæ argutatur, neque ex alia causa nomen accepisse. Haud sanè video, quomodo equorum pabulo accommodatæ videri queant herbæ aculeatæ, & spinis horrentes. Ἱππόφεως igitur etiam στοιβὴ appellabatur Galeno teste, ut & φέως. Utrumque quippe genus spinis hispidum, & fullonibus ad vellicandas vestes, poliendasque utile. Nunc corrigenda sunt Plinii loca, in qui- C bus *phleos* perperam scriptum invenitur pro *pheos*. Lib. XXII. cap. XI. *Stoëbe, quam aliqui phloin vocant, decocta in vino, præcipuè auribus purulentis medetur.* Lege: *quam aliqui pheon* vocant, idque ex Theophrasto à nobis emendato. Sed veteres etiam libri huic emendationi suffragantur, qui legunt *pheum*. In Indice libri primi, qui hunc locum spectat, scribitur in vetustissimo codice: *Stoëbe, sive ceos*, pro *stoëbe, sive pheos*. Idem lib. XXI. cap. XV. *aliqua & secundum spinam habent folium, ut tribulus, & ononis. Quædam in folio habent & in caule, ut phleos, quod aliqui stoëben appellavere.* Hæc corruptissima. Scri- D bo, ut in Thuanæo antiquissimo offendi: *quædam in folio non habent, & in caule habent, ut pheos.* Nulla litera minus ita scriptum exhibet. In Indice codicis Rigaltiani ad hunc locum: *Tribulus, anonis, stoëbe, sive theos.* Ita mendose exaratum pro *pheos*. Ut T & P invicem permutantur. Sic *tyrrhacantham* pro *pyrracantham*. E Theophrasto hæc habet Plinius, quæ infelicissimè reddidit. Græcus τὰ φυλλάκανθα distinguit, & παρὰ τὴν ἄκανθαν ἔχοντα φύλλον. Vocat φυλλάκανθα, quæ spinis foliata sunt, quæ spinam scilicet habent pro folio, vel quæ in folio spinam habet. Tot enim modis sumi potest. Ita enim Theophrastus ipse interpretatur, ἃ ἐπὶ τῶν φύλλων ἔχει τὴν ἄκανθαν διὸ καὶ φυλλά- E κανθα λέγεται. Sic etiam πτορθάκανθα, quæ in ramis habent spinas. Τὰ μὲν οὖν, inquit, φυλλάκανθα σκεπτέον, ἐν τοιαύταις διαφοραῖς· τὰ δὲ καὶ παρὰ τὴν ἄκανθαν ἔχοντα φύλλον οἷον τὰ τοιαῦτα, φέως ὄνωνις, πανταδοῦσα τρίβολος, ἱππόφεως. Plinius τὰ παρὰ τὴν ἄκανθαν ἔχοντα φύλλον vertit, *quæ secundum spinam habent folium*. Quem sequuntur interpretes Theophrasti. Atqui παρὰ ibi non est *secundum*, vel *juxta*, sed *præter*. Φυλλάκανθα sunt, quæ spinas habent tantum pro foliis. Τὰ παρὰ τὴν ἄκανθαν ἔχοντα φύλλον, quæ præter spinam folium etiam habent, minimè spinosum: *ut pheos, ononis, tribulus, & hippopheos.* At Plinius hæc distinguit, & ononin quidem & tribulum, F inter eas numerat, quæ secundum spinam habent folium: pheon vero inter illas, quæ in folio non habent spinam, sed in caule habent, quasi hæc diversa sint. Quod est ridiculum. Nam quæ in folio non habent spinam, sed in caule habent, ea plane sunt, quæ παρὰ τὴν ἄκανθαν ἔχοντα φύλλον vocat Philosophus, quæ non mere φυλλάκανθα sunt. Hippophaës ab hoc genere secernit, cum tamen ut pheos, & ononis, & tribulus ejusdem generis sit, τῶν παρὰ τὴν ἄκανθαν ἐχόντων φύλλον. *Anonis* scribitur in optimis Plinii exemplaribus, quasi ita legerit apud Theophrastum. Dioscorides ita quoque indigitat, ut præfert antiquissimus codex, ἀνωνὶς οἱ δὲ ὀνωνίδα καλοῦσι. De G πανταδοῦσα, quæ in hoc numero habetur apud Theophrastum, nihil habet Plinius, cum locum tamen illum ad verbum ex Theophrasto expresserit. Sed puto nomen esse recentiorum herbariorum, quo ὀνωνίδα, aut tribulum vocant. Hoc ad marginem additum postea in textum receptum est. Sequitur apud Theophrastum, ὄνωνις, τρίβολος, ἱππόφυον, μυάκανθος τε σφόδρα καὶ τὸ φύλλον ἔχει σαρκῶδες. Non ἱππόφυον, sed ἱππόφεως, aut ἱπποφαὲς legendum suprà docuimus. Libri Plinii scribunt, hippophæs. In indice manuscripto plane *hippophaës*. Recte *hippophaës*, inquit,

inquit, *ſpinis geniculatum.* His verbis ea Theophraſtea reddidit, ἱππόφεως, μυάκανθός τε σφόδρα. Nec enim viris doctis aſſentior, qui legiſſe eum putant apud Dioſcoridem γονατώδεις pro γωνιοειδεῖς. Nam Dioſcorides tradit hippophaës habere ſpinas inter folia ξηρὰς, ὑπολεύκους, γωνιοειδεῖς. Atqui non Dioſcoridem, ſed Theophraſtum heîc ſequitur & exprimit Plinius. Theophraſti interpretes ita locum illum reddidere: *tribulus, lappago, ſpina murilis, alia pleraque.* Quaſi μυάκανθος genus ſit & nomen ſpinæ. Quod contra Theophraſti eſt mentem, qui de hippophaë hoc ſcribit, μυάκανθον eſſe & φύλλον ἔχειν σαρκῶδες. Si quid ſapio, & judico, legendum eſt apud Theophraſtum: τρίβολος, ἱππόφεως, μυλλάκανθός τε σφόδρα· καὶ τὸ φύλλον ἔχει σαρκῶδες. Sic eum ſcripſiſſe vel ex Plinio vincam, & hiſtoria hippophaïs. Μυλλάκανθα dicuntur, quæ ſpinam habent incurvam, & inflexam hami inſtar. Nam μυλλὸν Græcè σκολιὸν, κάμπυλον. Tales habet ſpinas hippophaës. Γωνιοειδεῖς vocat Dioſcorides. Legiſſe Plinium μυλλάκανθος, vel μυλάκανθος, ex verſione ejus apparet, qua vertit *ſpinis geniculatum.* Sed μυλάκανθον ἀπὸ τῆς μύλης dictum interpretatus eſt, quæ ἐπιγονατίδα ſignificat, vel os genu. Heſychius: μύλη ἐπιγονατὶς ὀστέον τὸ ἐπὶ τῷ γόνατι. Hæc ſunt plus quam indubitata. At μυλλάκανθον eſt σκολιάκανθον, *hamatis ſpinis & incurvis armatum.* Non neſcio μυάκανθον Græce etiam vocari ſilveſtrem aſparagum aculeatum. Sed ad hunc locum nihil plane facere ſum etiam certus. Ad hippopheos quippe hæc referri debent, quod μυάκανθον eſſe, & φύλλον ἔχειν σαρκῶδες dixit Theophraſtus. Plinius ſpinis geniculatum vertit, legitque μυλλάκανθον, vel μυλάκανθον. Pheos inter σαρκόφυλλα ab eodem Theophraſto recenſetur, quæ carnoſum habent folium. Hujus ſpecies ἱππόφεως, quod ſimiliter σαρκόφυλλον eſſe ait. Meleager in corona epigrammatum φορβὴν σκολιότριχα vocat hanc ſpinam hoc verſu:

Ἐν δὲ καὶ ἐκ φορβῆς σκολιότριχος ἄνθος ἀκανθὲς,
Ἀρχιλόχου μικρὰς σταγόνας ἀπ' ὠκεανοῦ.

Totidem floribus comparat in eo carmine ſingulos poëtas, unde epigrammata compilavit, coronam ſuam contexuit. Propter virulentiam, & acerbitatem carminum, quod ſumpſit ex operibus Archilochi aſſimilat flori herbæ hippophei, quam vocat σκολιότριχα φορβήν. Nam φορβὴ eſt herba. Heſychius, φορβὴ βοτάνη. Latini antiqui dicebant *ferba*, ut *fircus, fœdus*, ex Æolico φέρβη. Hippophaës flores habet racemoſos, ut hedera. Ideo in corollis locum haud ſecus atque hederæ corymbi habuerit. Radix inciſa ſuccum fundit. Nam ὀπίζεσθαι eam ſcribit Dioſcorides. Hinc μικρὰς σταγόνας ἀπ' ὠκεανοῦ Archilochi appellat, paucula excerpta è vaſto Oceano ſcriptorum ejus. Et ſimul alludit ad naturam herbæ, cui ſcripta illius confert, quæ ὀπίζεται, & cujus ſuccus κατὰ σταγόνα, guttatimque fluit. Ἄνθος ἀκανθὲς, τὸ ἀκανθῶδες. Malè in membranis ἀκάνθης. Flos quidem ipſe minimè ſpinulentus, ſed quia herba ipſa tota ſpinis horrida, ideo ἄνθος ejus ἀκανθὲς vocat. Mordacia porro carmina, & dentata, qualia erant Archilochi, rite fulloniæ ſpinæ comparat. Nam & πλύνειν, & κνάπτειν, quæ propria ſunt fullonum, Græci ἀντὶ τοῦ λοιδορεῖν uſurpant. Atque hæc hactenus. Pheos igitur, unde compoſitum hippopheos, herba ſpinoſa, quam eruditiſſimi herbarii perperam cum phleo confundunt. Hoc ex nobis hodie primum diſcant, herbam notiſſimam olim Græcis huc uſque de nomine prorſus ignotam φεὼ appellatam, cujus ſpecies ἱπποφέως vel ἱπποφαὲς. Utramque κνάφον etiam vocitatam norint, quod fullonibus inſerviret. Sed & στοιβήν. Quare ſic dicta ſit, videtur explicandum. Nam quod tori, ac tomenta, ſtibadiaque ea infercirentur: ita vocatam vulgo opinantur. Quod falſum eſt. Fullones antiquitus acervo ſpinarum accumulato, & contorto veſtes pumicabant, ac vellicabant, & σωρὸν vocabant. Hinc κνάφον Grammatici σωρὸν ἀκανθῶν interpretantur. Heſychius: ἐπὶ κνάφου ἕλκων, διαφθείρων, τὸ γὰρ πρότερον οἱ γναφεῖς ἀκανθῶν σωρὸν συστρέψαντες, τὰ ἱμάτια ἐπὶ τοῦ σωροῦ ἔκναπτον. Ὁ δὲ σωρὸς ἐλέγετο κνάφος. Ὁ οὖν Κροῖσος τὸν ἐχθρὸν περιέξαινε ταῖς ἀκάνθαις, καὶ οὕτως ἔφθειρεν. Hunc acervum ſpinarum κνάφον vocarunt, unde κναφεῖς, fullones. Στοιβὴν etiam dixerunt; nam στοιβὴ idem quod σωρός. Gloſſæ Heſychii: στοιβὴ, σύνθεσις, καὶ εἶδος χόρτου. Idem; στοι-

A βάζειν, σωρεύειν. Idem fortaſſe & στοῖβος. Unde metaphoricè pro maledictis, & conviciis hæc vox uſurpata eſt, ut & πλύνειν, & κνάπτειν. Heſychius: στοῖβος, λοιδορία: στοιβάζειν, λοιδορεῖν. Ut ut ſit: στοιβὴ idem quod σωρὸς, & κνάφος, acervus nempe ſpinarum contortus, quo rudes panni vellicando expoliebantur. Inde & herba ipſa ſpinoſa quæ hunc uſum fullonibus præſtabat, his nominibus etiam appellata. Galenus ἱπποφέως, στοιβὴν, vel στοῖβον, & κνάφον dicit vocitatum. Similiter & φέως, quem & στοιβὴν vocarunt. Heſychius: κνάφου δίκην, ὅτι ἐν κύκλῳ οἱ κναφεῖς περιέλκουσι τὰ ἱμάτια περὶ τὸν λεγόμενον κνάφον, ἔστι δὲ τοῦτο φυτὸν ἀκανθῶδες. Alio

B loco κνάφον vocari dicit σωρὸν ἀκανθῶν συνεστραμμένον. Hîc plantam ipſam ſic dici ait. Certè ex ipſa planta contorta, ut in unum ſpinæ contraherentur, κνάφον illum faciebant. Inde & herbam ipſam in unum acervum contortam ſic appellarunt, ut & στοιβὴν & σωρόν. Notandum, quod notat τοὺς πρότερον κναφεῖς hujuſmodi ſpinoſa herba in unum faſciculum intorta uſos fuiſſe, nam poſteriores aliis rebus uſi ſunt ad poliendas veſtes, ut erinaceorum cute, vel aliis ſpinis, & aliter diſpoſitis, ut quas *inias* vocat Plinius, quod inſtrumentum erat

C ſpinis refertum ex hippophæſto. Profecto toto genere diſtat hippophæſton ab hippopheo. Pheon, & hippopheon veteres στοιβὴν, & σωρὸν, & κνάφον vocarunt, quum ea herba fullonibus in uſu eſſet ad eum, quem dixi, modum. Poſteriores hippophæſton ad eumdem uſum ſumpſerunt, quod cum hippophaë Dioſcorides non aliam ob cauſam conjunxit, quam quod utraque κναφικὴ fuerit. Nihil enim hæc habet cum illa ſimile, quamvis hippophæſton aliqui etiam hippophaës nominarint. Ita enim Dioſcorides, ἱππόφαιστον, οἱ δὲ καὶ τοῦτο ἱπποφαὲς καλοῦσι. Vetuſtiſſimus tamen co-

D dex hæc verba non agnoſcit, ſed in eo legitur tantum, ἱππόφαιστον φύεται μὲν ἐν τοῖς αὐτοῖς τόποις ἐν οἷς καὶ τὸ ἱπποφαὲς, καὶ αὐτὸ γναφικῆς ἀκάνθης εἶδος ὑπάρχον. Plinius utramque, ut dixi, nominibus confundit. Nuſquam tamen hippophaës, cum multis locis mentionem ejus faciat, inter fullonias ſpinas retulit, ſed ſolum hippophæſton: quia ejus ætate ſcilicet hippopheos, vel hippophaes non amplius fullonibus inſerviret. *Vulgarem ſpinam ex qua iniæ fulloniæ fierent*, hippophæſton vocat, quoniam tunc ad eum uſum accommodaretur. Lib. XXIV. cap. XIII *vulgaris quoque hæc ſpina, ex qua iniæ fulloniæ implentur, radicis uſus habet.* De hip-

E pophæſto loquitur: non de hippophae, vel hippopheo. Ea radicis uſus habet, quia radix ejus ad multa in medicina utilis. At doctiſſimi medici, & herbarii radicem ibi de ſtruthio accipiunt, quæ ad lanas purgandas, candoremque illis conciliandum valet. Quod eſt ineptiſſimum. Sed in hanc hallucinationem eos impulit, quod vulgo legitur, *ex qua cortinæ fulloniæ implentur, radicis uſus habet.* Quaſi ſcilicet hæc ſpina vulgaris uſum haberet ejus radicis, ex qua implentur fulloniæ cortinæ. Eam autem radicem eſſe ſtruthii. Nugæ. Libri non habent *cortinæ fulloniæ*, ſed *enæ*, vel *venæ*. Hippophæſton, hoc eſt, vulgarem ſpinam fulloniam ita de-

F ſcribit lib. XXVII. cap. X. *Hippophæſton naſcitur in ſpinis, ex quibus fiunt eneæ fulloniæ ſine cauliculo, ſine flore, capitulis tantum inanibus.* Jam diximus Plinium quod in Græcis reperiſſet, ἱππόφαιστον ἐν ᾧ τὰ ἱμάτια γνάπτουσι, inde ratiocinatum eſſe naſci hippophæſton in ea ſpina, qua veſtes poliuntur. Atqui hippophæſton ipſa ſpina eſt fullonia. Legitur apud Dioſcoridem in vetuſtiſſimo codice: ἔστι δὲ χαμαιπετὲς κεφάλια μόνον ἔχον χαῦνα, φυλλάρια μικρὰ, οὔτε δὲ ἄνθος, οὔτε καυλὸν φέρει. Ita & legiſſe Plinium apparet, qui vertit, *capitulis tantum inanibus.* In vulgaris libris editum eſt: ἔχον μόνον φυλλάρια μικρὰ, ἀκανθώδη, καὶ κεφάλια χαῦνα. Nihil de ſpinis fo-

G liorum habet Plinius, qui & alio loco ſic ſcribit lib. XVI. cap. ultimo: *hippophæſton caliculis, foliis parvis, radice alba.* Græca etiam Dioſcoridis, ut in libris leguntur, ἀκανθώδη non habent, nec Plinius, qui ad verbum ea reddidit. Sed unde igitur ſpinæ illæ, quæ fullonibus uſui in hippophæſto? Si nec caulem habet, nec florem, ſed folia parva, & capitula tantum inania, aut in foliis, aut in capitulis illæ ſpinæ. Nihil de utroque dicit Dioſcorides, & tamen κναφικῆς ἀκάνθης εἶδος eſſe ait. His motus etiam videtur Plinius,

nius ut hippophæston spinam per se fulloniam non esse crediderit, sed in spina fullonia nasci veluti adscititium quid, quasi nihil ex se haberet, quod usui fullonibus esse posset. Ut spinulenta folia hippophæsti non negaverim, licet nihil super eo tradant Dioscorides, aut Plinius, ego tamen fermè censuerim capitula illa inania in hippophæsto echinata esse, & fullonibus olim usum præbuisse ad pectendam vestium mollitiem. Eumdem usum hodieque præstant carminandis lanis & rudibus pannis lævigandis capitula cujusdam cardui, quem *fullonium* ab ea re vocamus. Alii *pectiniolum*, aut *pectinalem carduum* appellant. Hujus cardui capitula etiam inania sunt, & χαῦνα ubi siccata sunt. Hippophæston idem videri posset cum hoc genere cardui, si capitula ejus alto caule attollerentur, quemadmodum in hoc carduo. Dipsacon veterum putant esse, & vocant vulgo *virgam pastoris*. Certè simile est, non idem est. At *virga pastoris* apud auctores in totum alia. Eadem quippe cum Polygono. Dipsaco autem etiam recentiores Græci usi sunt ad vestes expoliendas. Hinc eorum glossæ δίψακον passim interpretantur γναφέων ἀκάνθην, & ἀκανθοκτένιον, ᾧ ξαίνουσι τὰ καμελαύκια. De quo infra aliquid dicam. Ab hoc carduo, sive cardo, ut veteres etiam dixere, verbum *cardare* de lanis, quæ pectuntur: & *cardatores*, quos Græci κτενισάς: Latini *lanarios*: interpres Apollonii, λανάρι@, ὁ κτενιστής. Non alia spina hodie utitur tota Europa pectendis lanis, & rudibus pannis lævigandis. De utroque *cardare* dicunt, à cardis. *Vulgarem spinam* fulloniam cum Plinius vocat, de hac spina, sive carduo putaret aliquis intelligendum, nisi de hippophæsto potius capi oporteret, de quo ipse alibi nominatim dixit. Hippophæston χαμαιπετὲς prorsus, & caulem non habet, at carduus vulgaris, quo lanæ carminantur, alto caule surgit. De hoc viderint Herbarii. Miror Dioscoridem hippophæston, & hippophaës veluti congeneres spinas, junctim descripsisse, cum nihil habeant ὁμοιογενές. Utrumque quidem spinosum, sed cetera omnia ἑτερογενῆ, καὶ ἀσύμφυλα. Usum utriusque tantum spectavit. Sed hoc ad genus idem efficiendum nihil valet. Alioquin & spinæ erinacei congeneres essent spinis hippophæsti, quia eumdem usum præstant in fullonica. Ut nominis utriusque originem considero, hippophaïs & hippophæsti de nomine eadem esse video. Verbum antiquum φαίω idem quod φαίνω, ut πίω, πίνω: χύω, χύνω. Ab illo verbo φαίω φαισὸς & φαινὸς, perspicuus & lucidus. Inde φαίστρα ἡ θυρὶς, per quam lux admittitur, & Latinum antiquum *fæstra* & *festra*. Paulus: *festram antiqui dicebant, quod nos fenestram*. Eadem etiam origo *fenestræ*. Nam φανίζω, φανίστρα, ut βαλλίζω, βαλλίστρα. Inde *fenestra*. Quæcunque igitur ratio fuerit horum nominum de origine eadem sunt ἱπποφαὲς & ἱππόφαιστον. At ἱππόφεως diversum, majus nempe φέως ut ἱπποσέλινον, majus apium. Græci recentiores nominum vicinitate adducti ἱππόφεως idem fecerunt. Illi ipsi, qui ἱπποφαὲς, & ἱππόφεως confudere, utrumque ab hippophæsto distinxere. Nam ἱππόφεως & ἱππόφαιστον omnino diversa. Alii ἱπποφαὲς & ἱππόφαιστον eadem faciunt, quia eadem revera sunt, si originem spectes, ἱπποφα@ etiam nominatum, τὸ ἱπποφαὲς notat Dioscorides, quod est antiquorum ἱππόφεως, utique aliud ab hippophæsto. Hinc confudere. Plinius hippophæstum etiam hippophaës dictum observat, & duo genera statuit hippophaïs; unum, quod veteribus hippopheos dicebatur, alterum quod ἱππόφαιστον appellatum est. Antiquissimi Græci, ut Hippocrates, & Theophrastus ἱππόφεως dicunt non ἱπποφαὲς. Nam veteribus illis ἱπποφαὲς, & ἱπποφα@ idem cum ἱπποφαίστῳ. At ex recentioribus quidam, ut dixi, sola nominis παρονομασίᾳ moti ἱππόφεως & ἱπποφαὲς, vel ἱππόφο@ confuderunt. Hinc est, quod alii ἱπποφαὲς & ἱππόφαιστον separant, alii idem constituunt. Plinius porro vulgarem spinam fulloniam *aspalathum* ab Hispanis vocari tradit his verbis: *vulgarem hanc spinam ex qua ineæ fulloniæ implentur radicis usus habet. Per Hispanias quidem multi, & inter odores, & ad unguenta utuntur illa, aspalathum vocantes*: Istud oppido perquam mirum est spina fullonia vulgari, hoc est, hippophæsto per Hispanias uti multos ad unguenta & odores, & aspalathum vocare. Aspalathos grandis frutex spinosus, multis locis justa arbor, nomen ipsum mere Græcum. Theocritus: Ἀσπάλαθοι ξάμνοιτε. Ea utebantur ad unguenta, & odores. Qui fieri igitur possit, ut eadem sit cum herba spinosa vulgari, qua fullones ad suscitandam in vestibus lanuginem utebantur? Ut omittam, quam absurdum sit dictu, multos per Hispanias hac eadem spina vulgari ad unguenta usos esse, & *aspalathum* vocitasse. Libri quidem Pliniani scripti habet *astalatum*. Sed verum est *aspalathum*, ἀσπάλαθον. Sic *tyrracantha* eodem capite pro *pyrracantha*. In indicis libro legitur, *aspato*. Quod corruptum pro *aspalatho*. Locus sine dubio corruptus, ne Plinium semper arguere necesse habeamus. Multa vitium tinniunt, præter illa, quæ jam diximus. *Radicis usus habet*: & *multi per Hispanias*. Cur enim multi? an locus odorum, & unguentorum Hispaniæ? Fatebor equidem haud magno molimine nobis stetisse hujus loci insignem restitutionem, qui sic legi debet, & interpungi: *Vulgaris quoque hæc spina, & qua iniæ fulloniæ implentur, radices usus habet, præter spinas quidem multi. Inter odores, & ad unguenta utuntur alia, aspalathum vocantes. Est sine dubio hoc nomine spina silvestris in oriente.* Nunc ratio reddenda. Tribus illis totis capitibus tractat utilitates, & medicinas, quæ ex variis spinis capiuntur. Vulgaris, inquit, spina, quæ fullonibus inias præbet ad vestimenta polienda præter spinas, utiles fullonibus, radices etiam habet multi usus. Ita rectè emendavimus, & distinximus pro vulgato, *radicis habet usus*. Quam multi usus fuerint radices hippophæsti docet Dioscorides. *Radices* heic vocat Plinius, non radicem, ut alibi de eadem spina lib. XXVII. cap. X. *Radiculas habens albas, molles. Succus earum exprimitur æstate ad solvendum alvum tribus obolis, maximè in comitialibus morbis, & tremulis, hydropicis, contra vertigines, orthopnœas, paralyses incipientes.* Ita distinguendum. Malè hodie legitur: *in comitialibus morbis, & tremulis hydropicis. Contra vertigines.* Hic multus est usus radicum hippophæsti. Dioscorides, ex quo hæc transtulit Plinius, non radiculas tribuit hippophæsto, sed ῥίζαν παχεῖαν μαλακὴν, Plinius itaque πολύῤῥιζον facit τὸ ἱππόφαιστον, Dioscorides μονόῤῥιζον. Græca Dioscoridis è vetustissimo codice sic constituenda sunt: ταύτης τὰ φύλλα καὶ τὴν κεφαλὴν, καὶ τὴν ῥίζαν χυλίσας ξήρεινε, καὶ δίδε ὀλκὴν τριωβόλου, ἐφ' ὧν βούλῃ ὕδωρ, καὶ φλέγμα ἄγειν, ἰδίως ᾗ ἡ δι' αὐτοῦ κάθαρσις ὀρθοπνοίαις ἢ ἐπιληψίαις, καὶ τοῖς περὶ νεῦρα πάθεσιν ἁρμόζει. Ex eo quod dicit Dioscorides ὕδωρ ἄγειν, hydropicis eam conferre Plinius posuit. *Tremulos* idem vocat τοὺς περὶ τὰ νεῦρα πεπονθότας. Atqui alia sunt τῶν νεύρων πάθη, ut rigor. Rectè igitur interpunximus, *tremulis*, *hydropicis*. Heîc etiam *radices* dixit, non *radicem*, ut Dioscorides, quod alio ejus loco confirmatur. Atqui de πολυῤῥίζοις hoc tantum usurpari liceat. Pheos πολύῤῥιζον, ut & hippopheos, Theophrasto teste lib. VI. cap. V. At viri docti ἱπποφαὲς μονόῤῥιζον esse ex eodem Theophrasto adstruunt, qui nusquam meminit hippophaïs. Eo quippe loco, quem designarunt, de hippopheo agit, quod est πολυσχιδὲς & πολύῤῥιζον, haud secus ac pheos. Quod ibidem autem adjicitur, μονόῤῥιζον ἢ καὶ ὀλιγόριζον, ἢ χαμαίκαυλον, non de hippopheo hoc dicitur, sed de cappari. Vide locum. Nunc ad Plinium redeamus. Pro illis vulgatis, *per Hispanias quidem multi*, correximus fidenter, *& præter spinas quidem multi.* Quæ certissima est emendatio. Multis locis apud Plinium etiam in vetustissimis exemplaribus *Hispaniam*, & *Hispanam* reperi scriptum pro *spina*: ut lib. XXI. cap. XV in his verbis, *aliqua & secundum spinam habent folium.* Optimi codices Thuanæus & Rigaltianus legunt, *aliqua & secundum Hispaniam*. Item alibi, ubi habetur, *hippophæston nascitur in spina fullonia*, iidem libri scribunt, *Hispiria*, aut *Hispinia*. Antiqui librarii *ispina* & *hispina* scribebant, ut *isqualleo*, & similia. Inde *Hispania* corruptum. Hoc igitur loco scriptum quoque fuit *propter Hispanias*, hoc est, *præter Hispanias*, & istud pro *spinas*. Sequitur: *Inter odores & ad unguenta utuntur alia, aspalathum vocantes*. De spinarum utilitatibus, & reme-

A remediis toto illo capite persequitur. Alia spina est, inquit, qua utuntur ad unguenta, aspalathum vocantes. Libri quidam sic legunt, non *illa*. Et verum est. Addit hoc nomine vocari in oriente spinam silvestrem, candidam, magnitudine arboris justæ, sed & fruticem humiliorem æque spinosum in Nisyri, & Rhodiorum insulis. Ubi notabis sollemnem Plinii errorem: quia enim legerat apud diversos aspalathum inter odores, & ad unguenta addi: item apud alios aspalathum in Syria nasci candidum; apud alios in Nisyro & Rhodo insulis, fruticem spinosum hoc eodem nomine haberi, putavit diversos aspalathos esse. Aspalathus genus spinæ
B est, quæ alibi frutex nascitur, alibi arbor justa, alibi odorata, alibi inodora, quæ & candida, & pessima. Dioscorides: θάμνος ἐστὶ ξυλώδης, ἀκάνθαις πολλαῖς κεχρημένος γινώμενος ἐν Νισύρῳ, καὶ Συρίᾳ, καὶ Ῥόδῳ. Ita legendum. Sed & corruptissima sunt vulgo ejusdem Plinii verba de cognominibus aspalathi hoc modo: *quem alii erysisceptrum, alii adipsatheon, sive dipsacon, sive diacheton vocant.* In optimo Rigaltiano legitur: *quem alii syrisceptrum, at ipsiphoes Syri diatiron vocant.* In altero Regio: *quem alii yrisceptrum, alii aspyatheo, Syri diatyron vocant.* In indice manu exarato libri primi: *aspatho, sive sirisceptro, sive adipytheo, sive diaziro.* Legendum in
C verbis Plinii: *quem alii irisc epton, alii diathoon, Syri diaxyron vocant.* Ἰρισκηπτὰ dicebantur loca & frutices, quibus iris innitebatur, atque incumbebat, quæ & odoratiora fieri existimabantur. Plinius idem lib. XII. cap. XXIV. *Tradunt in quocunque frutice curvetur arcus cælestis, eamdem quæquæ sit aspalathi suavitatem odoris existere, sed si in aspalatho, inenarrabilem quamdam.* Ita legendum ex vetusto codice, id est, sed si in aspalatho curvetur. Male vulgo: *sed in aspalatho.* Vitiose etiam ibidem scribitur: *quidam eum erysiceptrum vocant, alii sceptrum.* Immo, *irisc epton, aut erisceptron.* Sed illud melius. Male etiam apud Dioscoridem: Ἀσπάλαθος, οἱ
D δὲ ἐρυσίσκηπτρον. Immo, ἰρισκηπτόν. Idem de cypero: Κύπερος, οἱ δὲ ἐρυσίσκηπτρον ὡς τὴν ἀσπάλαθον καλοῦσι. Lege ἰρίσκηπτον. Nam ab eadem ratione dicitur, quod in eum iris, id est, arcus cælestis incumbens odoratiorem reddat. Scribebant, ἐρίσκηπτον pro ἰρίσκηπτον. Inde illud ἐρυσίσκηπτον. Hesychius: ἐρίσκηπτον, ἱερὰ βοτάνη εἰς ἣν ἐπισκήψῃ. Sed & εἶριν, & εἴρην pro arcu cælesti dicebant. Idem: εἴρη, ἡ τοῦ ἡλίου ἐν ταῖς νεφέλαις χροα, τὸ λεγόμενον τόξον. Theophrastus: καὶ γὰρ τὸ περὶ τὴν ἶριν λεγόμενον ὡς ὅπου ἂν κατέχῃ ποιεῖ τὰ δένδρα καὶ τὸν τόπον εὐώδη τοιοῦτόν ἐστι. Hæc quantum ad vocem *irisceptum*. Malè etiam apud Theophrastum de odoribus legitur, ἐρυσί-
E σκηπτρον & ἐρίσκηπτρον. Sequitur: *alii diathoon.* Ita correximus ex corrupto *adipytheon*. Διαθοὸν idem quod διοξύ. Ita vocarunt ab acumine spinarum. Nam θοὸς Græci ὀξὺς κατὰ τὸ σχῆμα, non solum velox & citus. Dioscorides φασγάνιον ab eodem acumine dictum scíscit. Correximus etiam, *Syri diaxyron vocant*, pro eo, quod est in libris *diathyron*, aut *diazyron*. Dioscoridi διάξυλον· Σύροι δὲ διάξυλον καλοῦσι. Scribe διάξυρον, ab eadem ratione. Ξυρὸν idem quod ὀξύ. Hesychius: ξυρόν, τομόν, ἰσχνόν, ὀξύ. Inde ξύρον novacula. Inde compositum διάξυρον, idem quod διοξύ, qua voce utitur alibi Dio-
F scorides, ut ἐπόξυ & ἀπόξυ. Qui hoc verbum in διάξυλον depravarunt, ad sequentia respiciebant, θάμνος ἐστὶ ξυλώδης. Atque hæc obiter. Ineæ igitur fulloniæ, quæ ex spina vulgari concinnabantur extrahendis vestium crassioribus, & inæqualioribus floccis. Hoc Græci proprie ἰνίζειν, & ἐξινίζειν dicunt, id est, ἶνας crassiores detrahere. Apud auctores Veterinarios Græcos sæpe ἐξενίζειν hoc sensu reperire est. Ut cap. DCCCCIII ῥοδοδάφνης φύλλων ξηρῶν ἐξινισμένων. Ita enim in libro antiquissimo scriptum. Auctor Peripli ἐξινιάζειν dixit pro eodem de foliis malabathri, quibus ἶνες exempti. Hippiatri auctores cap. DCCCCXXXV ἀξουγγίου παλαιοῦ ἐξινισμένου.
G Veteris axungiæ purgatæ. Cui fibræ carnulentæ exemptæ. Sic ἐγκεφάλους χοίρων ἐξινιασμένους apud Athenæum legas lib. IX. Ἐγκεφάλους ὀρνίθων τε καὶ χοίρων σφόδρα ἐξινιασμένους. Quo loco melius fortasse scribas: ἐξινισμένους, ut & apud Peripli auctorem. *Iniæ* igitur dictæ ab inis, & floccis crassioribus detrahendis, ἀπὸ τοῦ ἐξινίζειν τὰς ἐσθῆτας. Dioscorides ἀφαιρεῖν τὰς ἶνας dixit de foliis thymelææ, quod ἐξινίζειν unica voce alii dixerunt: διδόντας δὲ δεῖ κόπτειν καὶ ἀφαιρεῖν τὰς ἶνας. Id ἐξινίζειν Hierocli de foliis rhododaphnes, & Auctori Peripli de Malobathri. Eam ob causam, & carduum δίψακον dixere κροκυδίανον, quod κρόκυδας in vestibus excitaret. Neophytus: Δίψακον, οἱ καὶ κροκυδίανον. Notum est κρόκυδας dici floccos vestium. Verissima itaque lectio Pliniana, quam dedimus: *Novissimo sui purgamento, quippe ineis polientium extracta in usum tomenti veniunt.* Novissimum lanarum purgamentum hoc vocat, quo in veste jam texta purgantur, & poliuntur, depectunturque. Nam ex illo purgamento, ex floccis nempe derasis inter pectendum tomenta fiebant. Inde γνάφαλλα vocabantur illa purgamenta, quæ spinis adhæserant pectinis κναφικοῦ. Hesychius: κρόκυδες, γνάφαλλα. Nam κρόκυδες sunt flocci. Inde & γνάφαλλον tomentum, quod ex illis γναφάλλοις farciebantur tomenta. Glossæ: *tomentum*, γνάφαλλον. Hesychius: Κνέφαλλον, τύλη. Inde γναφάλλιον herba, quam Latini centunculum dixere, quod ejus foliis candidis, & mollibus pro tomento culcitarum uterentur. Ut mirer Plinium scribere, id Galliarum invento proditum esse, retrimentis & purgamentis lanæ, quæ ex politione vestimentorum detracta fuerint, culcitas farciri, cum Græcis nominibus ex antiquo vocentur tomenta γνάφαλλα hoc modo inculcata. Verba Plinii: *in tomenti usum veniunt, Galliarum ut arbitror, invento: certè Gallicis hodie nominibus discernitur: nec facile dixerim qua id ætate cœperit: antiquis enim torus è stramento erat, qualiter etiam nunc in castris gausape.* Hæc etiam non levi vitio laborant. Quasi gausapa, quibus in castris utebantur, eadem sint cum tomentis, vel stramentis. Distinguendum, ac legendum: *antiquis enim torus è stramento erat, qualiter etiam nunc in castris. Gausapa patris mei memoria cœpere: amphimalla nostra, sicut villosa etiam ventralia: nam tunica lati clavi in modum gausapæ texi nunc primum incipit.* Dicit toros antiquitus è stramento fuisse, & sua adhuc ætate in castris ita esse. De toro è stramento, vel fœno ita Martialis:

Fraudata tumeat fragilis tibi culcita pluma,
Non venit ad duros pallida cura toros.

Lemma est *fœnum*. Perperam. Torum fœno tumentem intelligit, vel, ut loquitur Plinius, torum è stramento. Quod ait idem Gallicis nominibus distingui tomentum è lana factum, sanè verùm est: nam *Lingonicum tomentum* vocabatur fartum purgamento lanarum è Lingonicis sagis derasarum pectine fullonis. Non propterea tamen verum est Gallicum inventum fuisse, quod Græcis erat in usu etiam antiquissimis, ut ex voce γνάφαλλον constat. Martialis sub lemmate *Lingonicum tomentum*:

Oppressæ nimium vicina est fascia plumæ;
Accipe Lingonicis vellera rasa sagis.

Per *rasa vellera Lingonicis sagis* intelligit lanas novissimo sui purgamento detractas Lingonicis sagis pectine, sive erinaceo fullonis. Nam κνάπτειν est radere, ξύειν, ξαίνειν. Et sunt γνάφαλλα. Non igitur tunc tondebatur eminens lanugo pannorum, sed pectine tantum deradebatur. Libri tamen Martialis omnibus locis scriptum habent *Leuconicis*, non *Lingonicis*. An Leucones dixit pro Lingonibus? *Longones* certe eos vocat Ptolemæus. *Leucones* nominat, qui aliis *Leuci*. Leucos Lingonibus vicinos esse tradit Ptolemæus. Profecto de populo aliquo Galliæ intelligendum esse constat è Plinio. Forte scriptum erat in veteri libro *Lenconicis* pro *Lingonicis*. Unde *Leuconicis* librarii fecere. Idem lib. XI. epig. LVII.

Leuconicis agedum tumeat tibi culcita lanis.

Hæc Plinium explicant, ut nihil melius, *Circense tomentum* vocabatur ex juncis palustribus concisis.

Hæc pro Leuconico stramina pauper emit,

id est, pro tomento lana farto, è pexis vestimentis deraso. Cetero *novissimum lanæ purgamentum* vocat Plinius, quod ex politura lanearum vestium deradebatur, quia primum erat, quo lanæ ipsæ per se purgabantur priusquam in fila deductæ, & in tela textæ essent. Putari, purgarique tunc dicebantur. Græcis ξαίνεσθαι. Et ξανθικὴ τέχνη, lanæ purgandæ ars. Glossæ: *putatrix*, ξανθεία. In novissimo purgamento ξαίνεσθαι quoque dicebantur, ut in primo. Hesychius: κναπτόμενον, ξαινόμενον. Sed propriè ξαντικὴ ad primum pertinet purgamentum. Κροκυδίζειν quoque de utroque dicebatur.

batur. Nam κρόκυδες γνάφαλλα sunt Hesychio, id est, purgamenta floccorum pectine fullonis è vestimento, quod politur, decussorum. Et κροκυδίζειν Pollux exponit τὸ ἐκλέγειν τὸ τραχὺ τῆς ἐρίου, hoc est, asperiores floccos extrahere. Ita legendum apud eum. Nam malè est vulgo κροκιδίζειν. Κρόκυδες sunt flocci, inde κροκυδίζειν: & κροκυλεγμὸς, τὸ κρόκυδας λέγειν. Hesychius: κροκυλεγμὸς, τὸ κολακευτικῶς τὰς κρόκυδας ἀπολέγειν τῶν ἱματίων. Malè κροκίδας legitur. Hinc κροκυδισμὸς in sapientiæ morbo. Galenus in Medico: φρενῖτις μὲν οὖν ἐστὶ ἔκστασις διανοίας μετὰ παρακοπῆς σφοδρᾶς καὶ χειρῶν ἀλλοίως περιφορᾶς, καὶ κροκυδισμοῦ καὶ καρφολογίας, καὶ πυρετοῦ ὀξέος. Plinius φρενῖτιν vocat *sapientiæ morbum* lib. VII. cap. LI: cui & *fimbriarum curam*, & *vestium plicaturas* tribuit. *In sapientiæ vero ægritudine fimbriarum curam, & stragulæ vestis plicaturas.* Ut ἀρθρῖτις dicitur articulorum morbus, quo laborant articuli: πλευρῖτις, quo latera ægra sunt: πνευμονῖτις, quo pulmones: ita & φρενῖτις morbus, quo sapientia laborat, vel ægritudo sapientiæ. Igitur *sapientiæ ægritudinem* vocat τὴν φρενῖτιν, at *furoris morbum* ibidem τὴν μανίαν. Nam medicorum filii distinguunt τὴν φρενῖτιν & μανίαν. Κροκυδισμὸς floccorum, & fimbriarum vestis collectio, qui & in purganda lana locum habet. *Lanam carere* hoc propriè vocabant veteres, ξαίνειν. At inde *carminare*. A verbo *carere carino*: ut *trico, tricino*: *lurcor, lurcinor*: unde *collurcinationes* Apulejo: *evaginor* pro *evagor* apud eumdem. Sic *sentio, sentino*: *pago, pagino*: unde *pagina*. Ita ergo & *caro, carino*, id est, carpo. Unde & positum est *carinare* pro mordere, & dictis, dicteriisque lacessere. Glossæ: *carinare*, χλευάζεσθαι. Inepta Grammaticorum natio à navis carina deducunt. Nihil pote absurdius. Secunda quippe brevis non esset, ut apud Ennium:

Sed neque me decet hanc carinantibus lædere chartis,

id est, mordacibus, & carpentibus. Idem apud Servium:

Et contra carinans, verba atque obscœna profatus.

Sic legendus ille versus. Nam malè est: *contra carinantes*, quod versui officit. Ex eadem arte metaphoris mutuatis πλύνειν pro eodem Græci dicunt, *carpere* & *depectere* Latini: nos, *drapper*. Hoc ergo primum lanarum purgamentum cum carminantur: novissimum quum in veste ipsa carpuntur, & depectuntur erinaceo fullonis. Propter hoc summo studio exquirebantur erinacei. Sed quia quando captabatur, urinam noxiam spinis reddebat, id curabant, ut exinanita urina cum venarentur. Plinius: *quamobrem exinanita prius urina venari ars est: & tum præcipua dos tergori: alias corrupto, fragili, putribus spinis atque deciduis, etiam si vivat subtractus fuga.* Nisi ita legatur, & distinguatur hic locus, nullus ejus sensus. Editur vulgo: *Et cum præcipua dos tergori, alias corrupto.*

Pag. 41. F. *Tragopan quoque avis major aquilis*] Ita scripsimus, cum habeant editiones: *Tragopa quoque avis.* Sic scriptum heîc præferunt libri, & in indicibus: *de ave tragopane.* Ita & corrigendum apud Plinium: *equidem & tragopanem, quam plures affirmant majorem aquila.* Vulgo *tragopanadem*. Ita scribendum quoque in Pomponio Mela, apud quem vocantur *tragopomones* cap. x. lib. III. *Sunt & miræ aves tragopomones.* Lege, *tragopanes*. Nec audiendus Pincianus, qui volebat *tragopogones*. Ut nec illi sequendi, qui *tragopanem* hanc avem dictam autumant, quod Pan cornutus, immo, quod cornua habeat hircina. Malè Solinus τράγον arietem reddidit, cum sit hircus. At aries est κριός. Sic enim scribit: *cornibus arietinis præferens armatum caput.* Immo *hircinis*. Inde τραγόπαν dictus. Plinius: *cornua in temporibus curvata habentem*, tortuosum sanè & inflexum cornu arietinum magis quam hircinum. De arietino tamen non intellexit Plinius. Τραγόπαν, ut αἰγόπαν. Sed avis illius nomen ex hirco, & pane compositum ideo puto, quod cornua quidem haberet hircina, faciem vero phœnicei coloris, ut in Pane pingitur. Plinius de tragopane ave: *quam plures affirmant majorem aquila, cornua in temporibus curvata habentem, ferruginei coloris, tantum capite puniceo.* Virgilius de Pane:

---- quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.

Ibi Servius: *facie rubra pingitur Pan propter ætheris similitudinem.*

A *Æthiopes legunt cinnamomum*] In libris; *cinnamum*, quod idem est. In quibusdam porro codicibus totus hic locus de cinnamo deest, & redditur infrà capite de Arabia. Alii heîc & ibi eum exhibent nulla pæne cum varietate. Hoc inde factum, quia duæ editiones hujus operis extitere. In altera historiam cinnamomi juxta quosdam veterum Arabiæ attribuerat: in altera ex nonnullorum sententia Æthiopiæ. Atque ita Plinius, cujus hæc verba examinari operæ est: *cinnamomum & casias fabulosè narravit antiquitas, princepsque Herodotus, avium nidis & privatim phœnicis, in quo situ Liber pater educatus est ex inviis rupibus, arboribusque decuti carnis,*
B *quam ipsæ inferrent, pondere, aut plumbatis sagittis.* Cinnamum avium nidis decuti, & privatim phœnicis nusquam scripsit Herodotus, nec quisquam opinor veterum. Cinnamis nidum struere phœnicem tradiderunt plerique, Herodotus ex myrrha concinnare scribit: Plinius casiæ, turisque surculis. Phœnix avis est, una in orbe terrarum, proinde nidus ejus semper unicus, & nulli unquam visus, aut cognitus. Nec quicquam tam fabulosum narravit vetustas, ut nido phœnicis cinnamum plumbatis sagittis decuti dixerit. Adde quod nec cinnamo privatim phœnicis nidum construi quis-
C quam scripsit, sed myrrha, ture, cinnamo, nardo, & aliis odoribus. Memoria igitur lapsus est Plinius, vel his verbis Herodotus: ὄρνιθας δὲ λέγουσι μεγάλας φορέειν ταῦτα τὰ κάρφεα τὰ ἡμεῖς ἀπὸ Φοινίκων μαθόντες κιννάμωμον καλέομεν. An aliud agens & cogitans, φοίνικας ibi pro ave acceperit nescio. An phœnicem pro cinnamomo ave, mnemonico errore posuit? nam cinnamomum avem esse, quæ privatim cinnamis nidum ædificet, atque inde plumbatis sagittis decuti tradidit antiquitas. Aristoteles lib. IX. cap. XIII: & ex eo Antigonus Carystius cap. XLIX. Νεοττεύειν δ' ἐφ' ὑψηλῶν δένδρων, καὶ ἀβάτων τοὺς δὲ ἐγχωρίους μόλιβδον τοῖς οἰστοῖς προσ-
D αψάντας, τοξεύειν καὶ καταρρηγνύειν τὰς νεοττείας. Meminit & hujus avis Plinius, & *cinnamologum* vocat. Nec dubium nobis est, quin phœnicem heîc pro illa ave verbis Herodoti inductus posuerit. Nam & in scriptis ejus codicibus ita legitur: *ex inviis rupibus, arboribusque decuti carnis, quam ipse inferret, pondere, aut plumbatis sagittis*, ut de phœnice intelligatur, nec ambigo quin ita scripserit. Quod de cinnamomo ave narrant antiqui, hoc ille de phœnice, magna ac stupenda prorsus hallucinatione, & ablepsia. Mirum tamen idem prodere Statium in Epicedio Pileti:

Et cilicum messes, Phariæque exempta volucri
E *Cinnama.*

Per *Phariam volucrem* intelligit phœnicem, quod in urbem Ægypti Ἡλίου πόλιν rogos patris sui deferat ex Arabia. Ita Herodotus qui ἱερὸν ὄρνιν Ægypti phœnicem tradit. Alii in Solis urbem, quæ in Arabia est, nidum suum deferre memorant. De quo infrà. Avienus quoque in orbis terræ descriptione idem sentit his versibus:

---- internis etiam procul undique ab oris
Ales amica deo largum congessit amomum.

Phœnix est, quem *alitem amicam deo vocat*, id est, Soli. Dionysius tamen περιηγητής, quem in Latinum convertit, non de phœnice intellexit, cujus hæc Græca
F sunt.

Ὄρνιθες δ' ἑτέρωθεν ἀοικήτων ἀπὸ νήσων,
Ἦλθον φύλλα φέρουσαι ἀκηράσιον κινναμώμων.

Ὄρνιθες illæ de phœnice non possunt accipi, sed de hujusmodi avibus, quas describit Herodotus, quæ & κιννάμωμοι dicebantur, ut ex Aristotele constat. Cum illæ aves cinnamo nidos suos struerent, unde & colligebatur decussum plumbatis sagittis: cum & eodem cinnamo, aliisque odoribus phœnix quoque nidum suum, sive rogum componeret, phœnicem cum cinnamomo ave confuderunt, & ex ejus nido cinnamomum sumi
G scripserunt. Quod est ridiculum. *Pharios liquores* alibi idem Statius nominat Epicedio in Glauciam Meliorem:

Quodque Arabes Phariique, Palæstinique liquores
Arsuram lavere comam.

An *cinnama* sic appellat, quasi Phariæ & Ægyptiæ volucri exempta, ut suprà dixit? An potius unguentum ex palma Ægyptiaca, quæ similem, proximumque myrobalano usum in unguentis habebat? Sic malim. *Amomum* autem Avienus pro *cinnamomo*, quod in Græcis

cis est, usurpavit. Atqui cinnamomum ab amomo diversum esse, nemo est qui ignoret. Amomum vero cum cinnamomo confudisse quosdam ex veteribus ex eo suspicor, quod Eustathius tradit, τȣ͂ κινναμώμȣ τὴν βλάσην ὁμοίαν εἶναι ἀμπέλῳ. Quod ex veteribus refert. Idque amomo potius convenire videtur, de quo Plinius: *amomi uva in usu, ex Indica vite labrusca.* Nam de cinnamomo nec Plinius, nec Dioscorides tradunt viti similem esse. Verba Plinii sic leguntur vulgo: *amomi uva in usu est Indica vite labrusca: ut alii existimavere, frutice myrtuoso palmi altitudine.* Nemo est, quin hactenus receperit ex Scaligeri emendatione, *ut alii existimavere frutice myrteolo.* Temere utrumque factum judico. Primum, quia contra stant omnes libri, deinde quia prorsus id falsum. Amomi quidem ξύλον ὑποκιῤῥὸν laudat Dioscorides. Sanè & Plinius quod colore rufo est, ut statim apud eum habetur: *laudatur quam maximè punici mali foliis simile, nec rugosis, colore rufo.* Hoc respondet τῷ ὑποκιῤῥῷ Dioscoridis. Sed hoc loco, quod minimè adverterunt, duas opiniones de amomo refert, quarum altera amomum *uvam* esse censebat ex Indica vite labrusca, altera *fruticem myrtuosum.* Verùm in his postremis mendum manifestum. Libri quidam veteres habent *mutuoso*, aut *murtuoso.* Scribe meo periculo, *ut alii existimavere, frutice botruoso.* Nihil verius, Norunt omnes, quam frequens sit Latinis librariis M & B invicem permutare in scribendo. Sic *Mascauda*, *Bascauda.* Apud Arnobium *formas* pro *phorbas.* Et alibi passim. Scriptum itaque heic fuit *mutroso* pro *butroso*, vel *botroso.* Latinos *botrum* & *botronem* dixisse infrà ostendam. Inde *botrosus*, ὁ βοτρυώδης, Aliud βότρυς, aliud βοτρυῶδες. Amomum veram esse uvam ex Indica labrusca, hoc est, βότρυν nonnulli veterum crediderunt. Alii fruticem esse botrosum, θάμνον βοτρυώδη. Has duas opiniones tradit Plinius, sed uvam esse credit, ut ex ipsius verbis patet paulo infrà: *pretium uvæ in libras* X. LX. *friato vero amomo* X. XLVIII. Ita scribendum ex veteri codice, qui habet: *friato vero amomo* XX. LIIX. Denarii nota X. Dicit pretium uvæ in libras denarios fuisse sexaginta, friato verò amomo denarios quadraginta octo. Per *uvam* intelligit verum βότρυν Indicæ labruscæ: quasi amomum, quod afferebatur, in uvæ formam convolutum, uva prorsus esset ex vite Indica silvestri. Contrariam tuetur Dioscorides, qui fruticem botrosum esse asserit. Ἄμωμον, inquit, ἐςὶ θαμνίσκος οἱονεὶ βότρυς ἐκ ξύλȣ, ἀνλιπεπλεγμένος ἑαυτῷ. Sic distinguendum: *Amomum parvus est frutex, uvæ instar ex ligno in seipsum convolutus.* Lignum fruticis amomi ita in seipsum convolutum est, & invicem implexum, ut uvæ effigiem repræsentet. Non igitur vera uva ex Indica vite, sed οἱονεὶ βότρυς ἐκ ξύλȣ, veluti uva ex ligno convoluta. Hoc est, quod dicit Plinius, *ut alii existimavere frutice botroso.* Dioscorides paulo post: τὸ δὲ Πονλικὸν ὑπόκιῤῥον, ȣ̓ μακρὸν. ȣ̓δὲ δύσθραυςον, βοτρυῶδες, πλῆρες καρπȣ͂, καὶ τῇ ὀσμῇ πληκτικόν. Non fructus ut in vite botrosus est, aut reapse botrus, sed lignum ipsum fruticis uvæ modo implexum in se, & convolutum, quod & semine plenum. Isidorus semen ipsum botryosum esse vult, prorsus idem cum illis sentiens, qui Indicæ vitis uvam esse volebant. Verba ejus hæc sunt de amomo: *frutex ejus botrosum semen reddens, sibi connexum, flore albo veluti violæ, foliis similibus bryoniæ.* Quæ ex Dioscoride versa sunt, sed malè intellecto. Nec enim ille tradit semen amomi botrosum esse, & sibi connexum, sed lignum ipsum fruticis. Sequitur apud Dioscoridem: ἐκλέγȣ δὲ τὸ πρόσφατον, καὶ λευκὸν, ἢ ὑπέρυθρον, ȣ̓ πεπιλημένον ἢ συμπεπλεγμένον, λελυμένον δὲ καὶ διακεχυμένον. σπέρματος πλῆρες, ὅμοιον τοῖς βοτρυδίοις, βαρὺ, σφόδρα εὐῶδες. Hæc verba haud satis integra ad nos pervenisse frustrà quidam suspicantur. Cum Plinianis non planè consonant, sed nec etiam omnino dissonant. Frutex amomi sibi invicem connexus, & contrà implexus in uvæ modum. Dum colligitur protinus est fragile. Plinius: *capiturque cum radice, manipulatim leviter componitur, protinus fragile.* Ideo solutum, ac dissipatum eligendum Dioscorides præcipit, non convolutum, & connexum, quia dum carpitur ve-

A rum amomum, statim solvitur & frangitur. At quod adulterabatur, addito gummi efficiebant ut cohæreret, convolveretque se in uvæ modum, & sic germanum videretur. Vide Plinium. Dicit tamen Dioscorides probandum τὸ διακεχυμένον, καὶ λελυμένον, ὅμοιον βοτρυδίοις. Nihil heîc quod invicem pugnet. Integrum amomum, & radice sua nixum, βοτρυῶδες existit, & uvæ modo convolutum, sibique cohærens. Cum solvitur, ac dissipatur, fragmenta etiamnum ac partes βοτρυδίοις similes manent. Nam τὰ βοτρύδια partes sunt & παραφυάδες τȣ͂ βότρυος, ut racemi uvæ. *Racemus*, βοτρύδιον: *uva*, βότρυς. Sed hæc alibi. Hesychius *thus* ἄμωμον vocatum fuisse notat: ἄμωμον, ἐν ταῖς ὀνομασίαις ὁ λι- B βανωτὸς. Idem tradit & de cinnamomo: Κιννάμωμον ἐν τῶν λιβανωτῶν, ἢ τῶν ἀρωματικῶν, λιβάνιον, εἶδος ὀρνέȣ, καὶ πάσα εὐωδεςάτη. Inter genera turis Dioscorides ἀμωμίτην etiam nominat. Hodie verum amomum non habent officinæ. Nam qui putant rosam, quam vocant Hierosolymitanam, aut Hiericuntiam, veterum fuisse amomum, magnopere falluntur. Nec melius sentiunt ex Arabibus, qui pedis columbini speciem esse pertendunt. Videntur porro Græci veteres omne aroma quod sincerum, & inculpatum esset, ἄμωμον vocasse, ut πιςικὴ νάρδος in Euangelico dicitur, quæ C sine dolo est, & minime adulterata. Sic ἄμωμον λιβάνιον tus sincerum: & ἄμωμον simpliciter. Inde & κιννάμωμον appellitavere, quasi κίνναμον ἄμωμον. Simile his terminatione Cardarmomum, quasi κάρδαμον ἄμωμον. Galenus certe cardamo, sive nasturcio comparat cardamomum. Etenim cardamomum facultatis in primis calidæ esse prodit: ita tamen, ut in eo superetur à cardamo: suavioris tamen odoris, quam cardamum haberi. Aliud esse hodie volunt *cardamomom.* Sic appellatum ab antiquorum cardamomo. Hodiernum quippe cardamomum veteribus ignotum D fuisse contendunt, qua Græcis, qua Latinis. Id esse Arabum *kakola.* Sed cogitandum de eo amplius. Illud vero falsum, quod contendunt Gerardum Cremonensem *kakulam* Avisenæ primum reddidisse cardamomum, quum aliud esset, quia nempe hoc aroma ignorabat, quæsivisse nomen ex Latino, quo id exprimeret. Longe ante Cremonensem Latini, Græcique καρδαμώμων id vocarunt, quod Arabes dicunt κάκουλα. Græci sane, Latinique recentiores cardamomum in majus & minus distinxerunt, sicut Arabes suum *kakule.* In libro Viatici, hoc est, ἐφοδίȣ à Constantino translati sæpe mentio occurrit *cardamomi majo-* E *ris & minoris.* Quam divisionem cardamomi non sane agnovit Dioscorides. Plinius tamen quatuor genera ejus facit, eaque non magnitudine, sed coloribus discernit. Dioscoridi, ceterisque Græcis unicum tantum cardamomum agnoscitur. Dioscorides optimum tradit τὸ δύσθραυςον πλῆρες, μεμυκὸς. Plinius: *Viridissimum ac pingue, acutis angulis, contumax fricanti. Hoc maxime laudatur.* Vulgare cardamomum fragile est. Tale est & apud Plinium, quod pessimum: *Pejus tamen varium, & facile tritu, odoris pravi. Qui verus costo vicinus esse debet.* Nec firmum illud argumentum, ut probetur diversum esse priscum cardamomum à vulgari, quod est F *cacula* Arabum, quod duobus distinctis capitibus de *cacula*, & *cardumeni* tractarit. Hoc illi sollemne est in ceteris. Cisthum sub nomine *barbæ hircinæ*, & sub nomine *Cusus* diversis capitibus persequitur. Et sic in aliis sexcentis. Cardamomum commune in siliqua, æquè & veterum. Quamvis nihil de eo tradat Dioscorides. Vulgaris cardamomi siliquam esse candicantem granis intus nigris docent Neoterici. Siliquarum cardamomi mentio apud Galenum lib. I. Antidoton, in Theriaca Zenonis. Καρδαμώμȣ κεκαθαρμένȣ, καὶ ἀφῃρημένȣ τῶν λοβῶν. Plinius post amomi, & amomidis descriptionem statim subjungit de cardamomo: *Simile his & nomine & frutice cardamomon, semine oblongo.* Semen G quoque oblongum in eo genere cardamomi officinarum, quod medium vocant. Nihil tamen simile habuisse puto veterum cardamomum cum amomo, nisi nominis terminationem. Plantæ cannabis similem esse fruticem vulgaris cardamomi vulgo tradunt, & legutiminum modo seri, ex eo siliquas dependere usque ad viginti semina continentes. Geographus Arabs in octava parte

parte secundi climatis, quo regiones maritimas Indiæ persequitur meminit *kakela*, quod est cardamomum vulgare, his verbis de monte quodam urbi Indicæ *Fandarinæ* imminente: *in hujus radicibus oritur kakela, quæ inde in omnes orbis terrarum fines asportatur. Germine kakelæ nihil est similius herba cannabis. Habetque siliquas, quibus semina includuntur.* Græci recentiores κάκυλαν vocarunt hoc semen voce Arabica. Charito in cujusdam serabii compositione: καὶ κασίας τὸ διπλοῦν καὶ καρεόφυλλον, καὶ κάκυλαν καὶ κόστον γλυκὺ, ἢ μακροπέπερι. Pronuntiare non est nostrum an cardamomum antiquorum ab hodierno differat, atque ab Arabum *Cacula*, præsertim in tanta auctorum discordia, ac rerum diversitate. Denique nimis multa sunt, quæ idem credere vetent. Ante omnia amator quod suo cardamomo veteres tribuunt, idque nullum sentitur in communi cardamomo. Sed neque hoc nostrum frangenti contumax, quale suum fuisse docent prisci. Illud vero constare debet *caculam* Arabum licet diversum ab antiquorum cardamomo, nomine tamen cardamomi recentioribus appellatam. Postremo tam cardamomum veterum, quam Arabum semen esse aromaticum, siliqua inclusum. Σπέρματος καρδαμώμου mentio apud Galenum multis locis, & λοβῶν ejusdem. Fortasse an & vulgare nostrum, unum aliquod fuerit ex illis quatuor Plinianis generibus. Nam pessimo generi Pliniano respondet non malè istud vulgare, quod esse odoris parvi asserit idem Plinius, & fragile frianti. Andromachus in theriacæ compositione ἰνδῶον κεραδάμωμον appellat hoc versu.

Καὶ μαραθρου τὸ σπέρμα καὶ ἰνδῶν κεραδαμώμου.

Ita ibi legendum. Male vulgo est ἰδαῖον καρδάμωμον. Versus gratia dixit κεραδάμωμον pro καρδάμωμον. Verum cardamomi odorem costo vicinum esse debere memorat. Dioscorides πληκτικὸν τῇ ὀσμῇ ut sit exigit. Talis costi odor, cujus tanti est flagrantia, ut caput feriat, ac dolore etiam afficiat. Hæc vis odoris ex vulgari cardamomo, sive cacula Arabum non spirat. De costo ipso non minor etiam dividia veterum, ac recentium. Recentiores Græci, Latinique passim costum in dulce, & amarum dividunt, quæ differentia ignorata priscis. Ut supra loco ex Charitone allato: καὶ κοστὸν γλυκὺ καὶ μακροπέπερι. Et alibi passim apud eum & ceteros Græcos infimi ævi, κόστον πικρὸν, κόστον γλυκύ. Veteres Glossæ Iatricæ κόστον γλυκὺν de Arabico exponunt: κόστος γλυκὺς ὁ ἐξ Ἀραβίας. Apud Avisenam tertia species costi amara est: & gravis odoris, quæ nominatur garyophyllata. Hic costus Dioscoridis Syriacus, quem tamen amarum fuisse non meminit: τρίτος δὲ ἐστὶν ὁ Συριακὸς βαρὺς τὴν χρόαν πυξώδης, πληκτικὸς τῇ ὀσμῇ. Sed hæc alibi. Hinc *amomum* pro cinnamomo posuit Avienus, & alii, è contra cinnamomum pro amomo. Certè cum Hesychius κιννάμωμον πᾶν εὐωδέστατον esse dicit, pro amomo accipere clarum est. *Assyrium amomum* apud Poëtam *herbam esse suavissimi odoris* Servius interpretantur. Statius in Epicedio Pileti ursi:

---- Phariaque exempta volucri
Cinnama, & Assyrio manantes gramine succos.

Assyrium gramen vocat *amomum*. Quod & alibi idem *pingue amomum* appellat. Ovidius, *succum amomi.* Quin & Dionysius ipse κιννάμωμον ἀντὶ τοῦ ἀμώμου videtur accepisse, qui φύλλα ἀκηράσιων κινναμώμων vocat. Nam amomi folia etiam odore commendabantur, ut tradit Isidorus. At cinnami surculi non folia adferebantur. Κάρφεα dicuntur Herodoto. Ideo rectè *amomum* reddiderit Avienus. Sed aves Arabicæ illæ cinnamis, non amomis nidum fabricant. Idcirco malè vertit *amomum*; nisi quod, ut supra observamus, multi κιννάμωμον & ἄμωμον confudere. Ἀκηράσια κιννάμωμα vocat, alludens ad ἔτυμον, quasi ἄμωμα sint. Nam ἄμωμον Græcè est καθαρὸν, & ἀκηράσιον. Pretiosissimis quibusque unguentis amomum addebatur, ut Plinius testatur. In funeribus præcipuè locum habebat, ut & myrrha, & cinnamum & alia. Persius:

---- tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis
In portum rigidos calces extendit.

Amoma heîc pro quibuslibet unguentis posuit, quibus ungebant corpora mortuorum. Inde *amomiam* recentiores vocaverint illud omne, quo medicabantur corpora

A defunctorum, & condiebantur. *Momiam*, & *mumiam* universa hodie vocat Europa nomine inde deducto. Serapio pissasphaltum ita vocat: ex eo fortasse, quod vulgares asphalto corpora condire ad vetustatem consueverant, ut Diodorus, & Strabo auctores sunt. Verum de his alibi plenius opere peculiari. Cinnamomum veterum esse, quam *canellam* nuncupamus, sunt qui hodie putent: & extitere superiori ævo in eadem sententia multi. Coronæ pretiosæ auctor: *κανέλλα, cinnamomum, κιννάμωμον.* Errant. Veteres omnes cinnamum à casia diversum statuunt. Atqui *casia* veterum nostra est *canella.* Quod nomen ipsum apertè
B ostendit, casiam σύριγγα appellarunt, id est, fistulam. Nam, ut Plinius scribit, frutex casia est, *tenui cute verius quam cortice, quem contra atque in cinnamo levari, atque exinaniri pretium est.* Cortex exinanitus αὐτόχρημα fistula est. Dioscorides de casia optima: στενὴν λίαν, μακρὰν καὶ παχεῖαν τοῖς συριγγίοις, id est, *crassas & longas habentem fistulas.* Ita distinguendum. Perperam interpungunt, τοῖς συριγγίοις πλήρη, & vertunt: *& fistulis plenis.* Improbandam enim postea monet, τὴν μὴ ἔχουσαν τὴν σύριγγα παχεῖαν: *quæ non habet fistulam crassam.* Vetus auctor in Cantico canticorum *casiæ fistulas* appellat. Recentiores *cannulam*, & *cannellam* inde vocitarunt, hoc
C est, συρίγγιον. Nam *canna* est fistula. Glossæ: *canna*, συρίγγιον ἐκ καλάμων. Et *canna dea* Panis ἡ σύριγξ Apulejo. Plinius de casia, quæ maximè probatur: *colore purpura, quaque plurima minimum ponderis faciat, brevi tunicarum fistula, atque non fragili.* Ita libri. Casia igitur *cannella* nostra est, quod nomen apud Myrepsum legitur. Latini *casiam* etiam vocarunt herbæ genus apibus gratum, quod Græcis est κνέωρον. Plinius lib. XXI. cap. X. *Cneoron, quod casiam Hyginus vocat.* Grammatici veteres casiam utramque confundunt apud poëtam. Sic enim ille:

Tum casia atque aliis intexens suavibus herbis.

D Ad eum locum Servius: *casia, herba suavissimi odoris, ut sequentia indicant, quam Græci κασίαν vocant.* Nugatur. Quam Græci κασίαν vocant, non herba est, sed frutex Arabicus. Quam Latini *casiam* appellant, herba est, quæ Græcis κνέωρον. Virgilius alibi:

Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi.

De casia Arabico frutice heîc intelligit, non de herba, quæ casia & cinnamum unguentis pretiosis olim addebatur: ut & amomum. Theophrastus lib. IX. cap. VII. Τὰ δὲ ἄλλα πάντα τὰ εὔοσμα, οἷς πρὸς τὰ ἀρώματα χρῶνται, τὰ μὲν ἐξ Ἰνδῶν κομίζεται, τὰ δὲ ἐξ Ἀραβίας, οἷον τε τὸ
E τοῦ κινναμώμου, καὶ τῇ κασίᾳ τὸ κώμακον. Et paulo post: οἷς μὲν οὖν εἰς τὰ ἀρώματα χρῶνται σχεδὸν ταῦτ᾽ ἐστὶ κασία, κιννάμωμον, καρδάμωμον, &c. Virgilii versum imitatus est Persius Sat. II.

Hæc sibi corrupto casiam dissolvit olivo.

At Servius apud poëtam *casiam* de herba accepit: *herba est*, inquit, *suavissimi odoris, de qua fit unguentum.* At idem alibi, quum dicit,

Vix humiles apibus casias, roremque ministrat,

De herba intelligit. Servius: *herbæ sunt apibus gratæ.* Verùm quid de Servio miremur, cum Plinius ille, qui notaverat ex Hygino *casiam* vocari, quod Græci κνέωρον
F appellant, in eum errorem inciderit, sola nominum similitudine ductus, ut *casiam* τὸ ἄρωμα eamdem faciat cum herba casia. Cap. XX. lib. XII de casia tractans ita scribit: *adulteratur styrace & propter similitudinem corticum lauri tenuissimis surculis. Quin & in nostro orbe seritur, extremoque in margine imperii, qua Rhenus alluit, vivit in alveariis apum sata. Color abest ille torridus sole, & ob id simul idem odor.* Sed fortasse non ea parte Plinius erravit, qua putant, qui censent eum casiam omnem cum casia herba confudisse, sicut Servium fecisse manifestum est. Quod idem est, ac si quis *rorem marinum*,
G quem Græci λιβανωτίδα vocant, diceret eumdem esse cum λιβανωτῷ, id est, ture. Verum non hoc peccaverit Plinius, nec casiam, Arabicum, aut Æthiopicum aroma, cum casia herba eamdem fecerit, sed certum casiæ genus, quam mangones *daphnitin* appellabant. Verba ejus ita habent: *his addidere mangones, quam daphnitin vocant, isocinnamon cognominatam, pretiumque ejus faciunt. X. CCC. Adulteratur styrace, & propter similitudinem corticum, laurus tenuissimis foliis. Quin & in nostro orbe seritur.*

ritur. Non de omni casia igitur intelligat, sed de ea, quæ *daphnitis* vocabatur. Scribitur vulgo: *quam daphnoiden vocant.* In libris, *daphnidis*, & *daphanidis.* Dioscorides de optimæ casiæ genere: δαφνῖτις δὲ προσαγορεύεται ὑπὸ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐμπόρων. Frutex erat, quam *Alexandrinam laurum* vocabant, & *daphnitin.* Idem Plinius lib. XV. cap. XXX de laurus generibus: *est & Alexandrina, quam aliqui Idæam, alii hippoglottion, alii daphnitin, alii carpophyllon, alii hypelaten vocant.* Dioscorides: χαμαιδάφνη, οἱ δὲ καὶ ταύτην Ἀλεξάνδρειαν, οἱ δὲ δαφνίτιν. Plinius inde fortean auguratus sit, similitudine nominum addicente, casiam, quæ *daphnitis* vocabatur ab Alexandrinis mangonibus, eamdem esse cum Alexandrina lauru quæ dicebatur *daphnitis.* Si hoc verum, simul notandum est in ea fuisse opinione Plinium, ut putarit herbam eam, quam Latini dicunt *casiam*, Græcè dici Ἀλεξάνδρειαν δάφνην, cum Hyginus κνέωρον potius esse censeat. De quo paulo post. Multa heîc animadvertenda Plinii peccata. Primum, quod casiam *daphnitin* appellatam quicquam commune crediderit habere cum *daphniti* frutice, vel Alexandrea lauru. Deinde, quod quæ Græcis Ἀλεξάνδρεια δάφνη dicitur, reddiderit *Alexandrinam laurum*, cum vertendum esset, *Alexandrea laurus.* Postremo, quod Ἀλεξάνδρειαν δάφνην opinetur eam herbam esse, quam Latini *casiam* appellarunt, in apum alvearibus seri solitam. Hæc nunc singillatim videamus. Casiam omnium laudatissimam eam fuisse, quæ *daphnitis* ab Alexandrinis mercatoribus vocaretur, ex Dioscoride constat, qui addit ἀχὶ vocatam à barbaris. Optimam fuisse vel ex eo liquet, quod ἰσοκίνναμον cognominaretur, Plinio eodem teste, quasi quæ æquipararetur cinnamo. Etenim quando cinnamum desideratur, in ejus locum casiæ duplum substituendum Medici præcipiunt. Ergo optima, quæ cinnamo æquatur ex pari. *Daphnitin* vero vocatam mangonibus patet, vel ab odore laurus, τὴν δαφνίζουσαν τῇ ὀσμῇ, ut βαλσαμώδης dicebatur, quæ balsamum olebat: vel certè quasi palmariam, & contra reliquas casias coronandam. Sic Δαφνίτης Ἀπόλλων vocabatur, *lauro coronatus.* Nec placent, qui à portu Ægypti Daphnunte sic nuncupatam censent. Nam à Daphnunte ἐθνικὸν Δαφνούντιος, non Δαφνίτης. Verisimilius esset à Daphnis, quæ prope Pelusium, quamvis Δαφναῖον, non Δαφνίτην inde gentile formet Stephanus. Insula est in Arabico sinu, quæ Ptolemæo Δαφνίνη, Plinio dicitur *Daphnitis.* Inde & casia Daphnitis videri posset dicta: quod ex ea afferebatur, ut omnium præstantissima. Addit Plinius: *quin & in nostro orbe seritur, & vivit in alvearîis apum.* Videtur ergo eam Daphnitin casiam cum Alexandrea lauru, quæ *daphnitis*, vel δαφνοειδὴς cognominabatur, confundere, quam & casiam dictam putavit latinè. Videtur & Ἀλεξάνδρειαν Græcis appellatam sentire, quod in Alexandriæ urbe plurima proveniret, ut *Idæa* eadem dicebatur, quod in Ida monte nasci amaret. Ideo scribit, *seritur & in nostro orbe*, id est, in Europa, quod illa nimirum Asiæ loca sint. Fallitur Plinius & qui eum sequuti sunt doctissimi hujus ætatis herbarii, dum Ἀλεξάνδρειαν δάφνην Græcorum latinè vertunt *Alexandrinam laurum.* Hæc ab Alexandro, non ab Alexandria urbe nomen accepit. Et quemadmodum urbi nomen impositum ab Alexandro Ἀλεξάνδρεια, ita frutici, vel herbæ idem nominis Ἀλεξάνδρεια, ab eodem hæsit Alexandro, quod ea scilicet coronaretur. Dicebatur & Ἀλεξάνδρειος. Hesychius: Ἀλεξάνδρειος βοτάνης εἶδος. Sic Ἀχίλλειος κελθὴ, ab Achille. Et Ἡράκλειον φυτὸν, vel Ἡράκλεια ab Hercule: Λυσιμάχεια, à Lysimacho: ita ergo & Ἀλεξάνδρεια ab Alexandri nomine. Non igitur *Alexandrina* ab urbe, sed *Alexandrea laurus* ab homine vocitanda est. Stephanus Grammaticus: ἔστι καὶ Ἀλεξάνδρεια βοτάνη, καὶ φυτὸν, παρ' ἄλλοις δὲ Ἀλεξάνδρα, ἐξ ἧς ἐστέφετο Ἀλέξανδρος ἐν τοῖς ἀγῶσι. Τινὲς δὲ Δανάην αὐτὴν καλοῦσιν, οἱ δὲ χαμαιδάφνην, οἱ δὲ ἐπιφυλλόκαρπον, ἢ φυλλόκαρπον. In scripto codice legitur οἱ δὲ ἐπιφυλλάκανθον, ἢ φυλλόκαρπον. Longè melius. Ἐπιφυλλάκανθον autem dicebatur, quod folia pungentia haberet, ut murta silvestris: Plinius de ea: *folio acutiore quam myrti.* Dioscorides: φύλλα ὀξυμυρσίνῃ ὅμοια ἔχει. Hinc & ὑπόγλωττον etiam vocavere. Nam ὑπόγλωσσον folia ha-

A bet myrto silvestri similia. Malè ἱππόγλωσσον legitur apud Dioscoridem. Sic enim ex vetustissimo codice scribendum: ὑπόγλωσσον, θαμνίσκος ἐστὶ μυρσίνῃ ἀγρίᾳ καὶ λεπτῇ τὰ φύλλα ὅμοιος, κόμην δὲ ἀκανθώδη ἔχει. Plinius *hypoglossam* vocat lib. XXVII. *Hypoglossa folia habet, figura silvestris myrti, comas spinosas, & in his ceu linguas, folio parvo exeunte de foliis.* Ita scribendum. Nam male est in vulgatis: *folia habet figura silvestris myrti, concava spinosa.* In Græcis est: κόμην δὲ ἀκανθώδη ἔχει, ἐπὶ ἄκρα ὥσπερ γλωσσίδα περὶ τοῖς φύλλοις. Quæ haud scio tamen an satis rectè expresserit Plinius. Illa prorsus male: *capitis dolorem corona ex his imposita minuit.* In Græcis habetur: δοκεῖ δὲ ἡ κόμη περίαμμα

B εἶναι χρήσιμον κεφαλαλγοῦσι. Græce περίαμμα non est corona, sed περίαπτον, quod ex collo, aut bracchiis, aut alia parte corporis alligatum suspenditur. Sic de selenite lapide: καὶ ἀντὶ φυλακτηρίου δὲ περιάμμασιν αὐτῷ αἱ γυναῖκες χρῶνται. Verùm de his alibi. Quod igitur hypoglosson folia haberet figura silvestris myrti, & comam spinosam, inde Alexandream etiam laurum *hypoglotton* quidam vocavere. Scribendum igitur in Plinio: *est & Alexandrina, quam aliqui Idæam, alii hypoglotton.* Malè vulgo editur *hippoglotton.* Rectè apud Dioscoridem legitur ὑπόγλωττον, cujus locus ita rescribendus ex optimo

C codice: Δάφνη Ἀλεξάνδρεια, οἱ δὲ Ἰδαίαν, οἱ δὲ Δανάην, οἱ δὲ Ζαλίαν, οἱ δὲ στέφανον Ἀλεξάνδρου καλοῦσι, φύλλα ὀξυμυρσίνῃ ὅμοια ἔχει. Stephanus φυλλόκαρπον vocat, Plinius καρπόφυλλον, Theophrastus ἐπικαρπόφυλλον, quod fructum ex mediis foliis producat, ut & myrtus silvestris, quæ κεντρομυῤῥίνη Theophrasto, aliis ὀξυμυρσίνη. Latinis *ruscus.* In geniculo alterius folii, quod è majore exit, fructum fert. *Idæam* appellari volunt, quod in Ida monte plurima nascatur. Certè Theophrastus Ἀλεξάνδρειαν δάφνην Idæ montis facit peculiarem. Dioscorides idæam seorsim recenset veluti diversam ab hac Alexandrea lauru. Ἰδαίαν ῥίζαν vocat, quod radicis usus sit in medicina. Plinius *Idæam herbam.* Huic

D pariter folia sunt oxymyrsinæ figura. Παρ' αὐτὰ δὲ, inquit, ὡς ἕλικες μικραὶ πεφύκασιν ἐξ ὧν τὸ ἄνθος. In veteri libro, ὡς ἕλικες μακραί. Plinius: *Idææ herbæ folia sunt, quæ oxymyrsinæ. Adhærent veluti pampini, in quibus flos.* Ubi notabis Plinio pampinos dici vitium claviculas, & capreolos, qui intorquentur, quos ἕλικας Græci appellant. Atqui *pampinus* τὸ φυλλάμπελον. Sic tamen etiam utitur paulo post: *Isopyron aliqui phaselion vocant, quoniam folium, quod est aniso simile in phasioli pampinos torquetur.* Ubi *pampinos* vocat ἕλικας.

E Dioscorides: καὶ ἄκρον τὸ πέταλον ἕλικα φέρει. Glossæ: ἕλιξ ἀμπέλου, *pampinus, clavicula, corymbi.* Radix porro Alexandreæ lauri, ut & Idææ in medicina utilis, sed contrariis utraque viribus. Idææ radix alvum, menses, & omnem abundantiam sanguinis sistit, & cohibendi vim habet spissandique. E contra Alexandreæ lauri radix menses prolicit, & urinam. Vix ambigo tamen, quin Idæa inter cognomina Ἀλεξανδρείας δάφνης fuerit à similitudine figuræ, ut & ὑπόγλωττον & χαμαιδάφνη, quæ specie differentes sunt herbæ ab hoc genere lauri. Stephanus ait & Δανάην à quibusdam vocari. Id testatur & Dioscorides: Ἀλεξάνδρεια

F δάφνη, οἱ δὲ Ἰδαίαν, οἱ δὲ Δανάην. Ita etiam apud Plinium legitur in optimis codicibus. Nam ubi editiones habent, *quam alii Idæam, alii Daphnitin*, ibi veteres habent libri, *alii Idæam, alii Danaen.* Sed nec vox Δαφνῖτις in Dioscoride ipso legitur. Notat ibidem Stephanus eamdem Alexandream cum chamædaphne statuere quosdam. Dioscorides quoque idem scribit: χαμαιδάφνη, οἱ δὲ καὶ ταύτην Ἀλεξάνδρειαν καλοῦσι. Ex quibus omnibus colligeretur easdem esse plantas, Alexandream laurum, daphnoïdes, & chamædaphnen. Quæ tria tamen manifestè Dioscorides & Plinius distinguunt. Sic tamen diversas statuunt,

G ut cognominibus confundant. Stephanus Alexandream cum chamædaphne eamdem facit, Dioscorides eamdem chamædaphnen juxta quorundam sententiam dicit esse cum daphnoïde. Idem chamædaphnæ hoc proprium tribuit, quod fructum ferat τοῖς φύλλοις ἐπιπεφυκότα, id est, in tergo foliorum adnascentem. Hoc idem de Alexandrea tradidit, quam ait gestare fructum ἐν μέσοις φύλλοις. Theophrastus ob eamdem causam ἐπιφυλλόκαρπον tam Alexandream,

dream, quam myrtum ſilveſtrem appellat. Plinius de daphnoïde: *id quoque quod daphnoides vocatur in nominum ambitu eſt. Alii enim Pelagum, alii eupetalon, alii ſtephanon Alexandri vocant.* Hic vides *ſtephanon Alexandri* vocari τὸ δαφνοειδὲς, quod cognomentum propriè convenit Alexandreæ lauro, quod eo coronari ſolitus eſſet Alexander. Mirum porro in Plinio id cognominis partim Græcè efferri, partim Latinè. In libris eſt: *ſtephanon Alexandro.* Scripſerat auctor: *ſtephanon Alexandru*, id eſt, ϛέφανον Ἀλεξάνδρȣ. Sic *Thaïs Menandru.* Quod addit & *Pelagum* vocitatum τὸ Δαφνοειδὲς, hoc etiam proprium τῆς Ἀλεξανδρείας, quæ Δανάη dicebatur. Nam Danaus & Pelaſgus idem. Hoc commune τȣ͂ δαφνοειδȣ͂ς, & τῆς χαμαιδάφνης, quòd folium utraque lauro habent ſimile. Nam Alexandreæ folia magis ad myrtum ſilveſtrem accedunt, quæ & acuminata ſunt, unde & φυλλάκανθος dicta. Lauri tamen aliquid eam habere ſimile oportet: nam & δάφνη Ἀλεξάνδρεια appellatur, id eſt, *laurus Alexandri.* Scribit Plinius de Alexandrea: *alii carpophyllon, alii hypelaten vocant.* Quid eſt, aut quare *hypelate*? in optimo libro: *hipelaton.* Scribendum: *eupetalon.* Sic & daphnoïdes ſcribit vocatum. Sequitur de eadem: *ramos ſpargit a radice dodrantales topiarii, ac coronarii operis.* In libris legitur tantum: *coronarii operis.* Coronariam quoque fuiſſe chamædaphnen, & topiariam idem tradit, & *vincam pervincam* Latinis ait vocatam: *vinca pervinca ſemper viret, in modum lineæ foliis geniculatim circumdata topiaria herba, inopiam tamen florum aliquando ſupplet. Hæc a Græcis chamædaphne vocatur.* Hæc tamen deſcriptio chamædaphnes longè diſtat ab ea chamædaphne, quam è Dioſcoride ſupra expoſuimus, quæque eadem cum Alexandrea à quibuſdam ponitur. Hæc chamædaphne, quam Plinius hoc loco *vincam pervincam* dicit Latinè vocari, *clematis* eſt Dioſcoridis, quam ita deſcribit: κλήματα δ' ἔχει μικρὰ ὅσον σχοίνȣ τὸ πάχος, πέταλον δ' μικρὸν, δάφνῃ ἐμφερὲς τῷ τε σχήματι καὶ τῇ χρόᾳ. Quæ Plinius ſic vertit: *in modum lineæ foliis geniculatim circumdata.* Nam & alibi tradit *clematidem geniculatam eſſe.* Quæ altera clematis eſt Dioſcoridis, quam arboribus hederæ modo adhærere dicit. Ὅσον σχοίνȣ τὸ πάχος, *in lineæ modum.* Sed malè σχοῖνον heîc vertit lineam, cum ſit τὸ φυτὸν: *Craſſitudine junci* dicere debuit. Σχοῖνος quidem etiam lineam, & funiculum ſignificat, unde περισχοινίζειν *linea circumdare*, ſed hæc ſignificatio hoc loco aliena eſt. Plura porro alia ſunt clematidum genera. Hæc, de qua loquimur, quod folia habeat lauro ſimilia, δαφνοειδὲς etiam appellata. Quod igitur δαφνοειδὲς alterum, de quo ſupra loquuti ſumus, chamædaphnes nomine etiam appellatum eſt, inde etiam clematidem Plinius *chamædaphnen* vocavit: atque ea eſt, quam ex vero ſcribit *vincam pervincam* Latinis dictam. Idem alibi de eadem: *& vinca pervinca, ſive chamædaphne, arida tuſa hydropicis datur in aqua.* Longe diverſa, ut dixi, hæc chamædaphne ab ea, quam Dioſcorides, & Stephanus eamdem cum Alexandrea faciunt. Chamædaphne quippe illa cubitales virgas à radice producit, fructum rotundum, rubentem, & foliis adnatum, nihil tale in *vinca pervinca*, quam & hodie *pervencam* quidam vocant: alii *vencam.* Hoc ſolum habent commune, & indiſcretum, lauro folium ſimile. Unde & δαφνοειδȣ͂ς utraque cognomen meruit: ſed Alexandrea chamædaphne propriè vocata eſt, clematis autem δαφνοειδὲς. Unde Plinius utramque χαμαιδάφνην indiſcretim nominavit, quia utræque δαφνοειδεῖς. Atque ut ſcias auctorum veterum in confundendis herbarum generibus, ac nominibus ex aliqua ſimilitudine ac vicinitate: Apuleji Herbarium ſub nomine *victoriæ*, quæ eſt vinca pervinca multa diverſa genera miſcet hoc modo: *Eupeplios Græci, daphnoides, hypogloſſon, eupetalon, digloſſon, daphne Samothracia, daphne Alexandrina, daphne Sminthios, danaë, Stephanos Alexandra, chamædaphne, carpophyllon, daphnitis, Latini pervincam, victoriæ folium, laurum Alexandrinam, Macedonicam, lauraginem, muſtellaginem terreſtrem vocant.* Sic ille locus legendus, Quo magis excuſanda Plinii in ſcribendo levitas deſultoria, quam cum multis habet communem. Idem lib. XXIV. cap. XV chamædaphnen his verbis deſcribit: *chamædaphne unico ramulo eſt, cubitali ferè, folia tenuia, lauro ſimilia; ſemen rubens, adnexum foliis, illinitur doloribus capitis recens.* Ita ſcribendus hic locus è libris, qui totus è Dioſcoride expreſſus de ea chamædaphne, quæ & Alexandrea nuncupata eſt. Duæ igitur Plinio chamædaphnes ſpecies: una, quam κληματίδα Dioſcorides vocat, & quam ipſe dicit Latinè vocari *vincam pervincam*: altera quam Dioſcorides, & Stephanus tradunt Ἀλεξάνδρειαν etiam vocatam. Obiter notabimus, *vicam pervicam* duobus locis apud Plinium ſcribi in antiquiſſimo exemplari. Nec dubium eſt ita nuncupatam fuiſſe hanc herbam, quod vinceret, pervinceretque injuriam temporis, ac ſemper vireret. Apulejus vocat *victoriam.* Et rectè *vica pervica*, ἀρχαϊκῶς. Sic *Vica Pota* dicta eſt Diva, quæ victoriis præerat, à vincendo, & poteſtate. Perperam *nicepotæ* apud Senecam & Ciceronem pro *vicæpotæ.* Ita *viciæ* dicti continentes, quod ſeſe vincerent, & domarent. Sic *convicium* dictum pro *convincium*, ὁ ἔλεγχος, à convincendo. Ita denique & *pervicax*, qui vincere vult, ac nemini unquam cedit. Utraque chamædaphne coronarii operis, tam Alexandrea, quam vinca pervinca. Alexandream quippe vocatam volunt, quod ea coronaretur Alexander, ἐξ ἧς ἐϛέφετο Ἀλέξανδρος ἐν τοῖς ἀγῶσιν. Unde & Ἀλεξάνδρȣ ϛέφανος dicta eſt. Sed quis ille Alexander? an Macedo, qui & Magnus? De Paride Alexandro verius eſt accipi. Ἀγῶνες ſunt ludicra certamina, in quibus Paris omnes vincebat. Poëta:

Solus qui Paridem ſolitus contendere contra.

Servius: *Sanè hic Paris ſecundum Troica Neronis fortiſſimus fuit: adeo ut in Troja agonali certamine ſuperaret omnes, ipſum etiam Hectorem: qui cum iratus in eum ſtringeret gladium dixit ſe eſſe germanum, quod allatis crepundiis probavit, qui habitu ruſtici adhuc latebat.* In Ida monte Phrygiæ plurima proveniebat. Plinius: *plurima in Ida, & circa Heracleam Ponti, nec niſi in montuoſis.* In Ida, ut notum eſt, educatus Alexander Paris, qui ea coronabatur in agonalibus certaminibus. Locus etiam in Ida Ἀλεξάνδρεια nomen habuit ab hoc Alexandro, quo in loco judex inter Deas ſedit. Stephanus: ἐϛὶ καὶ τόπος ἐν Ἴδῃ τῇ Τρωϊκῇ, Ἀλεξάνδρεια λεγόμενος, ἐν ᾧ φασὶ τὸν Πάριν διακρῖναι τὰς θεάς. Theophraſtus, qui Alexandri Magni ætate vixit, Ἀλεξάνδρειαν δάφνην hanc nominat, ut videatur non recens nomen ab Alexandro Philippi, ſed antiquius ab Alexandro Paride ſortita lib. III. cap. XVII. Ἴδια δ' καὶ τάδε περὶ τὴν Ἴδην ἐϛὶ, οἷον ἥ τε Ἀλεξάνδρεια καλȣμένη Δάφνη. Peculiarem hunc fruticem facit Idæ Troicæ. Græci quoque, quum ad Trojam eſſent, quod indidem coronarentur, *Pelaſgon* & *Danaam* videntur cognominaſſe: nam hæc nomina ſunt illorum temporum. Hinc colligi poteſt, quanto opere fallantur, qui *Alexandrinam laurum* vocant, quod ἐθνικὸν ἀπὸ τῆς Ἀλεξανδρείας deductum. Nec minus errant viri docti, qui χαμαιδάφνην Dioſcoridis *vincam pervincam* vertunt. Cui chamædaphnæ, ut & Alexandreæ ſemen adnexum foliis, ἐκ ῥάχεως τῶν φύλλων enaſcens. Ideo eamdem hanc cum illa Græci faciunt. Quod longè ſecus de chamædaphne, quam *vincam pervincam* Plinius appellat. Jam de caſia reſtat tertius error Plinii confutandus. Quod enim caſiæ Arabicæ ſpeciem quamdam omnium præſtantiſſimam mangones *daphnitin* vocarent, ex eo conjecit, vel potius hariolatus eſt, herbam vel fruticem, quem Romani appellant *caſiam*, eum eſſe quam Græci Ἀλεξάνδρειαν δάφνην, vel δαφνίτιν appellarunt. Huic tamen ſententiæ refragari videtur, quod idem Plinius alio loco caſiam abſolutè in Europa naſci tradit lib. XVI. cap. XXXII. *Vivit in Italia piperis arbor, caſiæ vero etiam in ſeptentrionali plaga. Vixit in Lydia turis.* Non igitur Daphnitin caſiam confundit cum daphniti herba, ſed caſiam arborem Indicam cum caſia herba vulgari, apibus amica. Eam Caſiæ arborem heic appellat, neſcio quare, cum herba ſit. In alveariis apum eam ſeri cum heîc dicat, palam eſt de illa caſia intelligi debere, quam Virgilius, & alii agricolationis ſcriptores apibus pro pabulo miniſtrandam præcipiunt. Hanc caſiam Hyginus Græce κνέωρον appellari docuit. Κνέωρον porro propriè vocabatur folium thymelææ. Dicebatur κνῆϛρον, & κνηϛὸν. Heſychius: κνηϛὸν, κνέωρον. Hoc nomen habuit ἀπὸ τȣ͂ κνεῖν, id eſt, κόπτειν. Tundendum enim erat, ut fibræ ex eo tollerentur. Dioſcorides: τὰ δ' φύλλα ἅπερ ἰδίως καλεῖται κνέωρον συλλέγειν

dis

A δεῖ περὶ τὸν πυρεσμητὸν, καὶ ἀποτίθεσθαι ξηράναντας ἐν σκιᾷ. Διδόντας δὲ δεῖ κόπτειν, καὶ ἀφαιρεῖν τὰς ἶνας. Hesychius: κνεῖ, κόπτει. Et κνῆσις, κόπις σιδηρᾶ, ξυστήρ. Et κνηστὴρ ὀλετής. Inde ergo κνητὸν, & κνῆστρον, & κνέωρον, folium thymelææ. Plantam ipsam sic etiam vocarunt. Atque ita Theophrasto dicitur. Hesychius: κνέωρον φυτὸν ὃ ἐν τοῖς θεσμοφορίοις ὑποστόρνυνται, καὶ ᾧ εἰς κάθαρσιν χρῶνται. Ex Dioscoride satis constat καθαρτικὸν esse. Ideo in Thesmophoriis substernebant sibi, quod inimicum esset generationi. Nam fœtus in utero necabat appositum. Cneoron porro Theophrasti eumdem esse cum thymelæa Dioscoridis facilè evinci potest. Theophra-
B stus duo genera statuit κνέωρου, nigrum & candidum. Candidi folia oleaginea esse tradit. Inde θυμελαίαν dictam esse apparet. Dixit lentum esse, & flexile: διὸ καὶ χρῶνται πρὸς τὸ καταδεῖν, ὥσπερ τῷ οἴσῳ. Dioscorides scribit, thymelæan *linum* vocari, διὰ τὸ εἶναι τῷ σπαρτολίνῳ θάμνον τῇ φύσει παρόμοιον. Ad vinciendum similem habet naturam genistæ, quæ spartolinum dicitur. De qua nos suprà. Sed & postea dicam. Reliqua omnia concinunt. Hinc liquet quam longè à vero sese segreget herbariorum cymbalum Dalecampius qui ad Plinium notat, cneoron *candidam*, id est, casiam Hygini, lavendulam esse nostram: *nigram*, λιβανωτίδα
C coronariam. Λιβανωτὶς coronaria est ros marinus. Nihil autem κνέωρον habet commune, nec cum lavendula, vel spica nostra, nec spica cum rore marino vel libanotide. Sed de his alias. Thymelæa igitur, Hygini *casia*. Nomen ex thymo & olea compositum. Quod oleæ folium haberet simile, & quod eam consectarentur apes, æquè ac thymum: vel ab odore thymi. Nam ὀσμώδη esse candidam cneoron tradit Theophrastus. Odoratam quoque esse casiam ex Poëta constat. Et jungit eam alibi cum thymo de ratione reparandarum apium:

---- *ipse thymum casiasque ministrat.*

D τὸν θύμον καὶ τὴν θυμέλαιαν. Idem alio loco *humiles casias* apibus colligi cecinit. Theophrastus τὸν λευκὸν κνέωρον, ἐπίγειον esse tradit. Sed quare *casia* Latinis? an ab odore casiæ? An quia similiter os, & guttur gustata accenderet? Verius fortasse est sic dictam, quod prope casas rusticorum in alveariis apum sereretur. *Nam*, ut ait Plinius, *in alveariis apum sata vivit*. Profecto nihil in ea video, quod comparari possit cum Æthiopico aromate, quam Græci κασίαν vocant. Præterea si à casiæ odore, vel alia similitudine herba, quam Latini sic vocant, nomen habuisset, non *casia* diceretur, sed κασιωτίς. Nec enim ros marinus λιβανωτὸς, id est, *tus* dicitur, sed λιβανωτίς. Nec *amomum* idem
E cum amonide. Et quæ πετρῖτις dicitur, non est eadem nomine quod πέτρα. Ut ut sit, nihil tam diversum quam *casia* Latinorum, id est, thymelæa; & κασία Græcorum.

Id fructum situ brevi nascitur] Mira ἀκυρολογία *fructum* pro frutice: θαμνώδης τόπος ἀντὶ τοῦ θάμνος. Plinius: *herbis passim per frutecta nascentibus*: οἱ θαμνώδεις τόποι. Nam *frutectum* pro fruticeto. Ut *salictum* pro saliceto: *carectum* pro cariceto:

---- *tu post carecta latebas*,

Arbustum quoque propria notione locus est arboribus
F consitus, quasi *arbosetum*. Servius: *arbusta, frutecta scholastici dicunt*. Ergo communis usus *arbustum* pro majore frutice dicebat, qui Græcè θάμνος δενδρώδης. Hinc *arbustus ager* Plinio arboribus consitus. Ubi malè vulgo legitur, *arbustatus*. Sic *virgultus locus* Sallustio, φρυγανώδη τόπος. *Virgultum* enim quasi *virguletum*. Quemadmodum igitur *arbustum* & *virgultum* loca arboribus & fruticibus condensa pro arbore & frutice usurparunt, ita hoc loco *frutectum* supra de silphio: *virgultum herbidum magis quam arbustum*: φρύγανον ποῶδες μᾶλλον ἢ δενδρώδης θάμνος. Græci certè θαμνῶδες χωρίον, & θαμνῶδες φυτὸν diversa significatione ponunt. *Frutectum* heîc apud
G Solinum est φυτὸν θαμνῶδες, cum propriè sit θαμνώδης τόπος.

Situ brevi nascitur] Id est, humile, *situm* heîc pro altitudine posuit. Plinius: *ipse frutex duum cubitum altitudine amplissimus, palmi minimus*. Ammianus: *tali situ, figuraque membrorum*. Ubi *situs* est collocatio membrorum non statura. Arnobius de statuis, quæ tempore dissolvuntur: *quemadmodum sacli longioris incuria perdant situs, species, & rubigine convulnerentur exesa*. Ita enim scribendum lib. VI. Sammonicus de rana:

Sed quæ parva situ, & clamoso garrula questu,

id est, totius corporis compositione, & filo. Inepte igitur heic & improprie *situm* pro altitudine, & statura posuit. *Ulnas* dixit quæ Plinius *cubita*. Ita & Suetonius. Glossæ: *ulna*, πῆχυς. Alii aliter mensuram ulnæ exponunt, in quantum utraque manus extenditur.

Quod gracilius provenerit] In aliis: *quo gracilius*. Plinium non assequitur: *præcipua bonitas virgultorum tenuissimis partibus ad longitudinem palmi: secunda proximis, breviore mensura: vilissimum quod radicibus proximum, quoniam ibi minimum corticis, in quo summa gratia*. Hæc è Theophrasto: ἔσχατον δὲ τὸ χείριστον, τὸ πρὸς τῇ ῥίζῃ. Noster è Plinio, qui aliud dicit, quàm Plinius: *cinnamum, quo gracilius provenerit, eximium magis duci, quod in crassitudinem extuberatur, despectui esse*. Cortici summam esse gratiam, tradit idem. Damnabant id, à quo cortex abiret. Plinius: *damnatur in primis molle, aut cui albet cortex*. Inter cinnami genera nullum apud auctores recensetur, cui cortex albidus sit. Libri habent: *labit*. In aliis, *babit*. Lege: *aut cui abit cortex*, ὃ περιφλοΐζεται. Contrà in casia eam improbabant, & ψευδοκασίαν appellabant, cujus cortex nimis adhærebat mediali. Dioscorides: προσεχόμενον δὲ ἔχει τὸν φλοιὸν τῇ ἐντεριώνῃ. Aliter tamen Theophrastus. Verum de his alibi.

Despectui est] In altera editione: *inutilius habetur*.

Sarmentorum acervos] Altera editio: *sarmentorum strues*. Et paulo post: *quæ sacrata est in hoc munus*.

Pag. 41. G. *Sponte incenditur*] Προέκδοσις: *sponte radiis inflagrata incendium concipit*. Plinius: *quodque soli cesserit, relinqui ac sponte conflagrare*. Duas super ea re diversas narrat Plinius opiniones, quas hic in unam confudit, *sarmenta*, inquit, *hasta dividit sacerdos, deoque partem ponit, reliquum mercator in nassas condit. Est & alia fama cum sole dividi, ternasque partes fieri, dein sorte cremia discerni*. Hanc alteram famam de sole, & partium sortitione habet à Theophrasto, cujus hæc sunt: διελόντες τρία μέρη διακληροῦνται πρὸς τὸν ἥλιον, καὶ ὃ ἂν λάχῃ ὁ ἥλιος, καταλείπουσιν. In priore sententia nulla sortitio fit, sed partem Deo, quem Assabinum vocabant, sacerdos hasta divisam seponebat, reliquum auferebat mercator. Ex quibus duabus historiis unam facit Solinus. Quod autem in Plinio scribitur, *reliquum mercator in nassas condit*, non sine vitio est. Quid enim sunt illæ nassæ; scriptum in optimo codice: *in assas condit*. Legerim: *reliquum mercator massa condit*, vel: *reliquo mercator massas condit*. Quod verum est. *In asas* scriptum pro *massas*. Massas condit cinnamomi sarmentis, ut eas avehat mercator. Vel certè, *in massas condit*.

Aut violaceo diluitur, aut nubilo obducitur] Locum hunc sic interpolavere correctores. Violaceus, vel purpureus hyacinthi color, sed dilutior quàm in amethysto. Plinius: *multum distat hyacinthos, tamen è vicino descendens: differentia hæc, quod ille emicans in amethysto fulgor violaceus diluitur in hyacintho, primoque aspectu gratus, evanescit antequam satiet*. Ita legendum. Violaceus porro color, ut in omni genere, alias dilutus est, & albicans; alias nubilus, & obscurus. Quorsum igitur heîc dicit hyacinthum violaceo dilui, quasi proprium sit violacei coloris, esse diluti? extra dubitationem est scribendum esse: *aut violaceo nubilo obducitur, aut albicantius in aquaticum eliquescit*. Virtus est hyacinthi, ut nec nimio violaceo fit, nec nimium diluto, & aquatico: nec nimium presso, & obscuro. Et confirmat quod sequitur: *optimus in illo tenor, si nec densiore fuco sit obtusior, nec propensa perspicuitate deiectior*. Vitiosus itaque, & culpabilis, qui aut violaceo nubilo obducitur, aut albicantius in aquaticum eliquescit. Isidorus de hyacintho: *optimus qui nec clarus est, nec densitate obtusus*. Quod hinc habet. At in vulgata scriptura non video quæ differentia sit hyacinthi violaceo diluti, & albicantius in aquaticum liquescentis. Cum enim proprius sit hyacinthi color violaceus, aut obscurior est, aut dilutior, καὶ ὑδατώδης. Ita vocat Epiphanius, qui in aquaticum eliquescit. De generibus hyacinthorum: πέταρτος δὲ τούτων ὑδαρέστερος, λέγεται χαυνᾶος. *Violaceum nubilum*, pressius & saturus violaceus color. Sic *viride obscurum*.

Lucit

Lucis & purpuræ fucatum suaviter florem trahat] Ita scripsi pro eo, quod vulgabatur: *moderatum suaviter fluorem trahat.* Notum est *florem purpuræ* dici ἄνθος πορφύρας. Sed & *flos lucis*, ut Græcis ἄνθος πυρός. Lucretius.

---- *florentia lumina flammis.*

Sed & *florere gemmas* Tertullianus, & noster supra: *Lusitanum littus floret gemma, ceraunio plurimum.* Hæc notissima. Isidorus ex hoc loco: *ex utroque temperamento lucis & purpuræ refulgens.*

Hic est, qui sentit auras, & cum cælo facit] Id est, cum cælo mutatur. Addiderat correctorum natio, *cum cælo facit mutationem.* Sed postremam vocem non agnoscunt libri.

Pag. 42. A. *Ut qui attritum respuat*] In aliis: *tritum.* Quæ vera lectio est. Et scribendum: *scalpturis certè minimè accommodatus, quia tritum respuat*, hoc est, τὸ γλύφειν. Nam *teri* est γλύφεσθαι. Hinc *tritum argentum* cælatum apud Phædrum versibus his, quos olim correximus:

---- *auro adscripsit Praxitelem suo,*
Trito myronem argento, fabulæ exulant
Ideo fugatæ.

Et *tritores* in Glossis τορνευταί. *Teri* quoque dicuntur, quæ torno raduntur. Plinius lib. XVI. cap. XLIII. *Sed maximè fida his quæ teruntur, ut rotarum axibus.* Virgilius:

Qui radios trivere rotis.

Id est, tornavere. Plinius: *aliud torno teritur, aliud flatu figuratur.* Ergo *teri* tam de tornatura, quam de sculptura. Ita Græci γλύψαι & τορνεῦσαι confundunt. Hesychius: τορνεῦσαι, γλύψαι: τορνευταί, γλύπται. Diversæ tamen artes sunt. Theophrastus: τορνεύεται καὶ γλύφεται. Idem lapidum alios γλυπτοὺς, alios τορνευτοὺς, alios πριστοὺς esse dicit, in libro de lapidibus. Γνωριμώτερα δὲ τῶν καὶ ἐν πλείοσι κατὰ τὰς ἐργασίας. Γλυπτοὶ γὰρ ἔνιοι καὶ τορνευτοὶ, καὶ πριστοί. *Alii cælo scalpuntur, alii torno teruntur, alii serra secantur.* Quæ tornantur, etiam sculpuntur in orbem. Nam tornus exsculpit. At non quæ sculpuntur, utique etiam tornantur. τορνεῦσαι est περιγράψαι, περιξῦσαι, *in orbem terere & scalpere.*

Ubi hyacinthus, ibi & Chrysopastus] Ita scripsimus, cum ex libris alii haberent *chrysopasius.* Alii *chrysoptasius*, vel *chrysoptasius.* Mardobæus ex hoc loco *chrysopasion* vocat:

Æthiopum tellus lapidem chrysopasion edit,
Quem tenebræ produnt, occultant tempora lucis.

Nimirum in vitiosos codices incidit, qui *chrysopasion* pro *chrysopaston* habebant. Alberto *chrysopagion* dicitur. Isidorus *chrysoprasium* habet. In quibusdam libris *chrysoprasus* scribitur. Omnia vitiose. Nam alia gemma est *chrysoprasus.* Solinus de chrysopasto id tradit, quod Plinius de ea gemma, quam vocat *chrysolampin.* Quomodo heic reposuerant correctores, oppido quam longè ab omni scripta lectione. Isidorus, qui Plinii, & Solini sententias de unaquaque re simul refert, *chrysolampidem* ex Plinio, & *chrysopaston* ex Solino duobus diversis locis posuit, idem tamen de utraque narrans. *Chrysopastus*, inquit, *Æthiopicus est: quem lapidem lux celat, prodit obscuritas.* Quod sumpsit ex hoc loco. Capite sequenti ita scribit: *Chrysolampis ex igne, & auro vocata: aurea est enim die & nocte ignea. Hanc Æthiopia gignit.* Quæ hausit è Plinio in his verbis: *Chrysolampis in Æthiopia nascitur, pallida die, & in nocte ignea.* Ita enim eo loco libri veteres. Solinus more suo, ut auctorem suum, furtumque celaret, nomen gemmæ mutavit, cum etiam putaret eumdem esse lapidem, chrysopaston, & chrysolampidem. Inter genera chrysolithorum unum erat, quod χρυσόπαστον vocabant. Epiphanius de chrysolitho: ἔστι δὲ καὶ χρυσόπαστος. Sic vocabant eam, quæ varia erat, & quasi scobe sua referta. Plinius de chrysolithis Æthiopicis: *præferuntur iis Indicæ, &, si variæ non sint, Bactrianæ. Deterrimæ autem Arabicæ, quoniam turbidæ sunt, & variæ, & fulgoris interpellati nubilo macularum, etiam quæ limpidæ contigere veluti scobe sua refertæ.* Hæ sunt, quæ vocabantur χρυσόπαστοι, quod aurea scobe quasi asperſæ essent. Sapphiri quoque genus quoddam sic vocitarunt ab eadem causa. *Chrysolithum* igitur Solinus eamdem putavit cum *chrysolampide.* Ab auri enim colore utraque nomen sortita est, nec amplius quicquam signatur hujus, quam illius nuncu-

A patione. Præterea utramque in Æthiopia gigni scribit Plinius. Hinc est, quod hoc loco tradit noster, *ubi hyacinthum, ibi & chrysolampin apparere.* Nam & Plinius prodit, hyacinthos Æthiopiam mittere & chrysolithos: *Hyacinthos Æthiopia mittit, & chrysolithos aureo fulgore translucentes.* Verùm *chrysopastus* chrysolithi species, nec optimæ. Fuit itaque, cum scribendum existimarem *chrysoptasus.* Ita legebatur in indice Regii codicis: *de chrysoptaso.* Schedæ Palatinæ heic habent: *chrysoptasius.* Sic videri potest dictus quod ὀπτασίαν χρυσοῦ haberet, id est, auri faciem. Sic Agathar-
B chides & Diodorus topazio gemmæ ἔγχρυσον θεωρίαν tribuunt. Idem θεωρία & ὀπτασία. Hesychius: ὀπτασία, θεωρία, ὄψις. Nihil aliud in chrysolitho consideratur præter auri θεωρίαν. Sic χρυσόλιθος & χρυσοπτάσιος idem, & juxta Solinum etiam χρυσόλαμπις. Dicebatur & χρυσόφυλλον. Epiphanius: λίθος χρυσόλιθος. τοῦτόν τινες χρυσόφυλλον κεκλήκασιν. Ἔστι δὲ χρυσίζων, γίνεται δὲ ἐν τῇ Φρεατίδι πέτρᾳ παρὰ τὸ χεῖλος τῆς Ἀχαιμενίτιδος Βαβυλῶνος. Τὴν γὰρ Βαβυλῶνα καὶ τὸ Φρέαρ ἐκεῖνοι Ἀχαιμενίτιδα καλοῦσιν, ὅτι φασὶν ὁ πατὴρ Κύρου τοῦ βασιλέως Ἀχαιμένης ἐκαλεῖτο. Ita legendus ille Epiphanii locus, qui vulgò cor-
C ruptus extat: nam legitur: ἐν τῷ φρέατι διπέτρῳ. Et ineptè ibi interpres: *in puteo duplicis petræ.* Quod ait chrysolithum in puteo repertam, id adumbratum & effictum è verbis Plinii de chrysolithis: *Bocchus auctor est & in Hispania repertas, quo in loco crystallum dicit ad libramentum aquæ puteis depressis erutam, chrysolithon XII pondo à se visam.* Talia multa nugatur solens Epiphanius. Sic historiam de topazii inventione, quam ex Juba refert Plinius, prorsus immutatam & inversam narrat. Locum Plinii è vestigiis veteris lectionis correximus. Vulgo est: *puteis defossis inde rutam. Et Chrysolithon.* Pror-
D sus malè. *Premere puteos & fossas*, & *deprimere* tralaticium. Idem cap. 11. de crystallo: *Cornelius Bocchus & in Lusitania nasci per quam mirandi ponderis immensis jugis depressis ad libramentum aquæ puteis.* Veteres pro *immensis jugis*, legunt *amnensibus.* Puto scribendum, *in Lunensibus jugis.* Lunæ promontorium in Lusitania. *Depressos puteos ad libramentum aquæ* perperam interpretantur, in tantum effossos, quantum aquæ permittant non scaturientes. Immo ad librandam aquam depressos intellige. Quod alibi explicamus. Legi etiam posset, *Anensibus jugis.* Ut de jugis intelligat, unde Ana fluvius oritur. Verùm hæc alibi. Ut ad Chrysolithum re-
E deamus, verius est heic legi debere *chrysopastus.* Variam chrysolithon sic vocavit, ut & Epiphanius. Vetus auctor de lapidibus: Χρυσόλιθος, λίθος ὑπόχρυσος ἔχων σπιλάδας αὐγαζούσας, ὡς ἐν ῥαντίσματι. *Chrysopastum* planè exprimit. Ineptè Cercoëtius corrigi vellet apud Epiphanium χρυσόπρασον pro χρυσόπαστον. Optimæ porro chrysolithi funda includebantur perspicuæ, ita ut nihil preter margines aurum amplecteretur Plinius: *Optimæ vero sunt quæ in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogunt. Funda includuntur perspicuæ. Ceteris subjicitur orichalcum. Tametsi jam expertes gemmarum usu appellantur aliqui & chryselectri, in colorem electri declinantes.* Hæc perspicuè
F sunt mendosa. In libro veteri legitur: *ceteris subjicitur aurichalcum tam etiam ex parte de gemmarum usu.* Emendo, ac distinguo, ut opinor, verissimè: *ceteris subjicitur aurichalcum quondam etiam & per se gemmarum in usu. Appellantur aliqui & chryselectri.* Certe dubitari non potest, quin recta interpunctio sit. Dicit optimas chrysolithos includi pala perspicuas, hoc est, patentes; cæteris aurichalcum subjici, *folii* scilicet ut vulgo vocamus vicem. Quod aurichalcum olim & per se in usu gemmarum diu apud veteres in admiratione fuisse scribit alibi Plinius. Auro etiam excellentius habitum ex Plauto colligere est, ideo in usu
G gemmarum. Nam auro gemmæ pretiosiores. Vel quod auri vice eo uterentur ad includendas gemmas. *Fundam* autem vocat annuli palam, quia Græci σφενδόνην quoque appellant, quæ vox significat fundam. Idem de Jaspide: *quamobrem præstantiores funda clauduntur, id est, patentes, nec præterquam margines auro amplectente.* Et in his verbis vitium latet. Scribe: *funda clauduntur patentes, nec præterquam margines auro amplectente.* Est quod hoc loco dixit de chrysolithis, *funda includuntur perspicuæ.* Vel ut in aliis legitur: *funda clauduntur, sed patentes.*

patentes. Σφενδόνην Græci interpretantur τὸ περιφερὲς τοῦ δακτυλίου, τὴν σφραγίδα. Glossæ: *paleta*; σφενδόνη τοῦ δακτυλίου ὡς γῖνος: Πυελίς, Πυελίδα, *paleda*, & *paleta*. *Paleam* etiam dicebant, & *palam*. Πύελος, *pala*. Πυελίς, σφραγιδοφύλαξ Hesychio. Latini etiam *obstrigillum*, quod obstrigillaret, & stringeret, cohiberetque gemmam. Glossæ: *obstrigillum*, σφραγιδοφύλαξ. Plinius ibidem: *præferuntur iis Indicæ, & si variæ non sint, Bactrianæ.* Pro ultima hac voce scribitur in libris *Zibaranæ.* Lege: *Tibaranæ.* Populi ad Pontum *Tibareni*, vel *Tibarani.* Hæ sunt quas *Ponticas* paulo post vocat. Sequitur de iisdem chrysolithis: *in eodem genere sunt melichrysi, qui veluti per aurum sincero melle translucent. Has India fert, quamquam in duritia fragiles. In eadem & Xanthi, plebeja ibi gemma.* Sic legendus ille locus è librorum scriptura. In indice vocantur *Xynthi*, pro *Xanthi*, vel *Xuthi.* Vulgo *Xystion* edunt. De qua infrà.

Ex ipso solo sumimus hæmatiten rubore sanguineo] Id est, ex Æthiopico solo. Plinius cap. x. *Hæmatites in Æthiopia quidem principalis, sed & in Arabia, & Africa invenitur, sanguineo colore, non omittenda promissis ad coarguendas barbarorum insidias. Zachalias Babylonius in libris quos scripsit ad Mithridatem, humana gemmis attribuens facta, hanc non contentus oculorum & jecinorum medicina decorasse, à rege etiam aliquid petituris dedit, & litibus judiciisque interposuit.* Sic legendum: nam perperam in editis: *humana gemmis attribuit fata. Has non contentus.* De hæmatite enim sola loquitur, quam medicina oculorum & jecoris decoravit. Nec his contentus quasi & gemmæ humanis factis censeantur, & idem præstare possint quod homines, hanc eamdem & in judiciis multum posse, & petituros aliquid à rege commendare. *Zachalias* ille Babylonius vocatur in Indicis libro *Zactitas.* In aliis libris: *Zactalias. Zachalias* idem esset quod Ζαχαρίας. In secunda Milesia Apuleji quidam Ægyptius propheta *Zachlas* vocatur: *Zachlas adest Ægyptius propheta primarius.* Sed optimi libri ibi legunt *Tachas.* Legendum *Tachos.* Ταχὼς nomen proprium Ægyptiacum, cujus apud Plutarchum, & alios mentio. Hæmitaten porro medicamentis oculorum utilem esse, & ad jecoris vitia scribit Plinius e Sotaco cap. xx. lib. XXXVI. Ibi sic scribit: *adulteratur schisto, hæmatiten discernunt venæ rubentes, & friabilis est natura.* Schiston similem esse hæmatiti, & idem posse tradunt auctores. Quin immo & in genere hæmatitarum quidam schiston ponunt. Quum dicat igitur, *hæmatiten discernere venas rubentes*, sic intelligi debet, quasi in hæmatite venæ sint rubentes, quæ non sint in schisto. Atqui contrarium est, nullas quippe venas habet hæmatites, quibus distinctus est schistos, & inde illi nomen. Dioscorides de hæmatite: ἐν ἑαυτῷ δὲ σκληρὸς καὶ ὁμαλὸς, ἀνεπίμικτος ῥυπαρείας τινὸς ἢ διαζωμάτων. Ergo nulla διαζώματα in hæmatite. Et paulo post: ἀπελέγχεται δὲ ὁ κατατεχνημένος, πρῶτον μὲν τῇ διαφύσει, ὁ μὲν γὰρ εἰς κτηδόνας ἐπ' εὐθείας ἀποκλᾶται. Ὁ δὲ αἱματίτης οὐχ οὕτως ἔχει. In adulterato hæmatite apparent διαφύσεις & κτηδόνες, quibus caret sincerus. In schisto eædem venæ visuntur. Idem περὶ σχιστοῦ: ἔοικε δὲ τῆς συνθέσεως ἕνεκα καὶ τῆς ἀλληλουχίας τῶν κτηδόνων αὐτοῦ ἀμμωνιακῷ ἁλί. Quid in confessis moramur? Omnino in Plinio rescribendum: *adulteratum schisto hæmatiten discernunt venæ rubentes.* Κτηδόνες, διαφύσεις, διαζώματα idem. Venæ scilicet, quibus distinctus est schistos, & schisto adulteratus hæmatites. Quum hæc scripsissem, libuit consulere veterem librum, in quo reperi: *adulteratos hæmatites deprehendunt venæ rubentes, & friabiles natura.* Postquam è Dioscoride hæmitatis naturam, & remedia descripsit Plinius, subjicit: *hæc est sententia eorum qui nuperrimè scripserunt, sed Sotacus è vetustissimis auctoribus quinque genera hæmatitarum tradit.* Quibus verbis palam est eum de Dioscoride loqui. Nam omnia quæ præcedunt ab illo sumpta. *Hæmatites invenitur in metallis.* Dioscorides: ὁ δὲ αὐτοφυὴς μεταλλεύεται. *Uritur ut Phrygius sed non restinguitur vino.* Καίεται δὲ ἐμφερῶς τῷ Φρυγίῳ λίθῳ τοῦ οἴνου παρῃρημένου. *Oculis cruore suffusis mirè congruit, & sistit profluvium mulierum.* Πρὸς ῥοικὰς καὶ ὑφαίμους ὀφθαλμούς. *Sanguinis rejectionibus cum succo punici mali, & vitiis vesicæ efficax.* Ita scribendum. Græca Dioscoridis: πίνεται δὲ σὺν οἴνῳ πρὸς δυσουρίαν, καὶ πρὸς αἵματος πτύσεις σὺν χυλῷ ῥοιᾶς. De schisto: *infirmior ad omnia hæc eadem est, quem vocant schiston.* Dioscorides: δύναμιν δὲ τὴν αὐτὴν τῷ αἱματίτῃ εἰσφέρεται, τῇ εὐτονίᾳ μόνον λειπόμενος. *In iis commendatior croco similis, peculiarius splendet.* Ita scribimus ex libris, ubi habent editi, *commodior.* Græca: ἄριστος δὲ εἶναι ὁ παρακροκίζων τῇ χρόᾳ. Si simpliciter dixisset Dioscorides, κροκίζων τῇ χρόᾳ, satis erat Plinio dixisse *croco similis*: sed quum ille παρακροκίζειν dicat, recte Plinius croco quidem similem, sed peculiarius παρὰ κρόκον splendentem colorem interpretatus est. Sequitur apud eumdem: *proficit oculorum lacrimis in lacte muliebri.* Hæc verba reddidit pro istis Græcis Dioscoridis: πληροῖ δὲ καὶ κοιλώματα γυναικείῳ διεθεὶς γάλακτι. An κοιλώματα lacrimæ sunt oculorum; ad concavitatem ulcerum, Græci κοῖλα ἕλκη vocant, vulgo referunt interpretes. Alia fuit Plinii sententia, quem non dubito scripsisse: *proficit oculorum lacunis.* Τὰ κοιλώματα, *oculorum lacunas* interpretatur. Certè κοιλώματα sunt oculorum vitia. Dioscorides de turis cortice: ποιεῖ καὶ πρὸς ἕλκη ἐν ὀφθαλμοῖς καὶ κοιλώματα καὶ ῥυπαρίας. De his vide Galenum in Medico. Sic lib. XVI. cap. XLIV *venam lacrimosè crispa.* Vitiosè editur, quo loco legi par est, *lacunosè crispa.* Cum totum itaque hunc locum de hæmatite, & schisto è Dioscoride expresserit Plinius, subjiciatque hanc eorum esse sententiam, qui nuperrimè scripserunt, cuivis jam inde patere potest, paulo antiquiorem cum Plinio fuisse, & paulo ante scripsisse, quam opus suum ederet Plinius. Quo uno telo satis revincuntur qui contra sentiunt, è Plinio, quæ scripsit, hausisse Dioscoridem, & posterius vixisse. Qua de re nos alibi fusius. Dioscoridem ideo nusquam nominavit, quia non satis idoneus, utpote neotericus, & nondum receptæ auctoritatis. Pergit ex Sotaco antiquissimo scriptore genera hæmatitarum exsequi. In his hoc animadvertendum: *quarti generis elatiten vocari quamdiu crudus sit, coctum vero miltiten.* Cur *elatites* vocatur hoc genus hæmatitis? ut *miltites*, qui colorem habet rubricæ, *anthracites* qui carbonum, sic *elatites* qui elates. *Phœniceum & spadicem* intelligit. Ἐλάτη Græcis propriè dicitur integumentum fructus palmarum, quum primum florere incipiunt, σπάθην etiam vocarunt. Dioscorides: φοίνικος ἣν ἔνιοι ἐλάτην ἢ σπάθην καλοῦσι, περικάλυμμά ἐστι τοῦ καρποῦ τῶν φοινίκων ἀκμὴν ἀνθούντων. Σεβέννιον etiam vocabant. Hesychius: σεβέννιον τὸ ἐπ' ἄκρῳ τῷ φοίνικι φλοιῶδες γινόμενον. Corticeum nempe involucrum fructus. Unde σεβέννινα πλέγματα. Idem ergo in palma σπάθη & ἐλάτη. Sed & ἐλάτην pro fructu ipso posuere. Dioscorides: καὶ ὁ περιεχόμενος δὲ ὑπ' αὐτῆς καρπὸς ἐλάτη καλεῖται. A fructu dictus *elatites* colore phœniceo. Nam *phœniceus* color à palmæ fructu, qui & φοίνιξ dicitur. Etenim φοίνιξ Græcis dicitur arbor ipsa, tum arboris ramus. Pollux: καὶ ὁ κλάδος ὁμώνυμος φοίνιξ καλεῖται, καὶ ῥάβδος φοίνικος. Involucrum quoque fructus sic dicebatur. Dioscorides: φοίνιξ ἣν ἔνιοι ἐλάτην καὶ σπάθην. Quæ verba Plinium deceperunt, ut *elaten* putaret totam arborem appellari lib. XII. cap. XXVIII. *Est præterea, inquit, arbor ad eadem unguenta pertinens, quam alii elatex vocant, quod nos abietem, alii palmam, alii spathen.* Græcis ἐλάτη dicitur etiam abies, & ἐλάτη est φοίνιξ, hoc est, integumentum fructus palmarum. Plinius φοίνικα pro palmæ arbore accepit, quam & ἐλάτην & σπάθην appellari credidit. Proinde & ἐλάτην, quam Latini *abietem* vocant, cum ἐλάτη quam vocatam esse palmam sibi persuasit, miserè confundit. Hoc alii jam notarunt. Ita suprà *casiam* herbam apibus gratam, & *casiam* fruticem Arabicum propter eamdem nominum similitudinem ab eo confundi docuimus. Idem lib. XXIII. cap. V. *Palma, sive elate, sive spathe, medicinæ confert germina, folia corticem.* Lege ex libro: *palma, & elate, sive spathe.* Nam & in Indice: *de palma, & elate.* Ex his appa-ret credidisse palmæ genus aliquod *elaten*, sive *spathen* vocatum. Atqui palmæ pars est ἡ ἐλάτη, quæ & φοῖνιξ & σπάθη. Quomodo igitur medicinæ conferre potest, & germina, & folia, & corticem? Hoc totius palmæ proprium est, non partis, corticis utpote, vel germinis. Hesychius: φοῖνιξ, φοίνικος νέον ἔρνος. Ergo & tenerum germen palmæ vocabatur φοῖνιξ. Idem ἐλάτην exponit φοίνικος πρώτην ἔκφυσιν. Ergo φοῖνιξ & ἐλάτη idem, non palma, sed palmæ tener palmes: vel, ut alii volunt tunica, qua involvitur fructus palmæ

marum. Fructum ipſum φοίνικα quoque vocabant. Heſychius: φοῖνιξ καὶ ὁ καρπός. Inde color *phœniceus*, quia talis eſt color fructus palmarum. Græcis ξανθός. Theophraſtus de fructu palmæ: οἱ μὲν λευκοί, οἱ δὲ μέλανες, οἱ δὲ ξανθοί. Græci: φοῖνιξ ξανθός. Idem igitur & *elatites* ab elates colore, qua voce etiam fructus palmarum ſignificatur. Quamdiu crudus eſt hæmatites dicitur *elatites* à colore flavo: coctus, & uſtus, fit *miltites*, id eſt, ruber, à rubrica. Vides μιλτίτην exiſtere hæmatiten, poſtquam uſtus eſt, crudum vero eſſe ἐλατίτην. Color igitur elatites non ad plenum ruber, ut eſt rubricæ, ſed is proprie, quem badium, & phœniceum veteres appellarunt in equis, non à colore fructus palmæ maturi, ſed à palmitis, qui & σπάδιξ, & φοῖνιξ etiam appellatus. Et ſane multum differre puniceum à phœniceo, ſive ſpadice nos infra declarabimus, & erraſſe veterum pleroſque oſtendemus, qui hos colores confuderunt. Agellius: *ſpadix phœnicei* συνώνυμος, *quales ſunt fructus palmæ arboris non admodum ſole incocti, unde ſpadicis & phœnicei nomen eſt. Spadica enim Dorici vocant, avulſum è palma termitem cum fructu.* Poëticam eſſe vocem tradit Pollux: ἡ ῥάβδος φοίνικος ἐν τοῖς ποιηταῖς σπάδιξ. Ea voce uſus eſt Porphyrius περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων, apud quem vulgo σπάδικες φοίνικος leguntur, pro σπάδικες. Et ridiculus in leviculo mendo interpres, qui *opadices Phœnicis* vertit, pro *palmæ termitibus*. Si σπάδιξ palmæ arboris termes cum fructu, *ſpadiceus* inde color ita dici debuit, ut *phœniceus* ἀπὸ τοῦ φοίνικος. At Latinis *ſpadix* dicitur de colore, ut *ſpadix equus*, eſt phœniceus. Græcis contra σπάδιξ pro termite tantum ponitur. Sed *ſpadix* pro ſpadiceo, ut φοῖνιξ pro phœniceo. φοῖνιξ, πυῤῥός. Heſychius gloſſographorum optimus: σπάδιξ, ῥίζης φλοιός, ἡ ἐρυθρόδανον, ἢ τὸ φυτὸν τοῦ φοίνικος. Ita legendum eſſe ſeries literarum oſtendit. Nam male ſcribitur σπᾷ. Quidquid evellitur, ſic dici queat, ἀπὸ τοῦ σπᾶν. Unde & cortex, & radix, & ramus hoc nomine appellata. Et κατ' ἐξοχὴν palmæ arboris termes. Hinc νεοσπάδα θαλλὸν Sophocles *recens avulſam taleam* vocat. Hinc σπάδων eunuchus, & σπαδόνισμα, & σπαδάζειν. Heſychius: σπαδάζει, σπαράττει. Inepte legitur, σπαδαχίζει. Σπάδιξ igitur termes palmæ cum fructu. Sed & σπάδαξ. Hinc σπάδακες κύνες, & σπάδακες ἵπποι phœnicei. Heſychius: σπάδακες κύνες, à colore nimirum ſic dicti. Latinè *ſpadices*, à voce σπάδιξ, quæ idem eſt ac σπάδαξ. Sic dicitur ut ῥάδιξ, quæ vox & ramulum arboris ſignificat, qua uſus eſt Nicander. Ῥαδὲς Græcis, quod facile inflectitur. Inde ῥάδιξ, ῥάδικος, ῥάδικα. Ex quo Latinum *radica*. Certè & σπαδίζω dicitur Græcè, & σπαδάζω quod eſt devello & delacero. Unde σπάδαξ & σπάδιξ pro eodem. Illud à σπαδάζω, hoc à σπαδίζω. Gloſſæ Herodoti: σπαδίξας, ἐκδείρας. Σπάδιξ γὰρ φλοιὸς ῥίζης πεινίνης. Οἱ δὲ φοίνικος ῥάβδον. Σπάδακες δὲ καὶ οἱ κύνες. Καὶ σπάδιξ ὄργανόν τι κιθαριστικόν. Ergo ita legendum apud Heſychium. Σπάδιξ etiam rubea radix juxta quoſdam. Hinc *ſpadix* & *ſpadax* ruber. Tales & palmularum fructus. Nam quos Theophraſtus ξανθοὺς vocat, *rubentes* vertit Plinius. Σπάθη vero in palmula idem quod σπάδαξ vel σπάδιξ. Ab eadem utrumque origine ἀπὸ τοῦ σπᾶν & σπάζειν. Nam & σπαθᾶν idem ſignificat quod σπαδαζειν, diſſipare & diſcerpere. Heſychius: σπαθίσματα, σπαδονίσματα. Spadicem termitem eſſe volunt, in quo fructus. Idem & σπάθη, ex quo fructus dependet. Pollux: ἐξ οὗ δὲ κρέμανται οἱ βάλανοι, σπάθη. Plinius σπάθην *palmitem* vertit lib. XIII. capite de palmis & natura earum: *coma omnis in cacumine & pomum eſt: non inter folia hoc, ut in ceteris, ſed ſuis inter ramos, palmitibus racemoſum, utraque natura uvæ atque pomi.* Sic legendus locus, ac diſtinguendus. *Hoc* addimus è veteri libro. Interpunctio noſtra eſt. Vulgati legunt: *coma omnis in cacumine: & pomum eſt non inter folia ut in ceteris.* Malè. Dicit non ſolum comam omnem in cacumine palmæ arboris eſſe, ſed etiam pomum. Nec enim ἀκρόκομος tantum φοῖνιξ, verum etiam & ἀκρόκαρπος, ut habet Theophraſtus. Σπάθας *palmites* vocat, hoc eſt, termites, unde fructus dependet. In palma arbore στέλεχος eſt truncus: *rami*, κλάδοι ex trunco enati. Et inter ramos, & ex ramis prodeuntes palmites cum ſuis racemis, ſive pomis. Similiter & in vite *palmites* propriè dicebantur, à quibus pendent racemi. Gloſſæ: *palmes*, κλῆμα βότρυν ἔχον. Hi palmites in palma σπάθαι ſunt. Idem Plinius paulo poſt: *mas in palmite floret, fœmina citra florem germinat tantum, ſpicæ modo.* Theophraſti verba hæc ſunt Latinè reddita. Ὁ μὲν ἄῤῥην πρῶτον ἀνθος φέρει ἐπὶ τῆς σπάθης, ἡ δὲ θήλεια καρπὸν εὐθὺς μακρόν. *In palmite*, ἐπὶ τῆς σπάθης. Rectius quam Theophraſti interpretes *in ſpatha*. Nec σπάθη Theophraſto idem eſt quod Dioſcoridi, qui σπάθην, ſive ἐλάτην accepit pro involucro fructus. Theophraſto σπάθη eſt palmes, hoc eſt, tener ramulus, è quo fructus dependet, ἡ νέα βλάστησις. Galenus quoque, qui ἐλάτην tenerum germen palmulæ exponit, idem ſentit. In Plinio ſcribendum: *fœmina citra florem germinat ſtatim ſpicæ modo*, hoc eſt, καρπὸν εὐθὺς μακρόν. Male eſt vulgo: *germinat tantum ſpinæ modo.* Paulo poſt: *argumentum eſt quod parvæ ſine hoc reperiuntur in eodem palmite.* Ἐπὶ ταύτης σπάθας. At σπάθην Herodotus non pro novo, ac tenero termite palmulæ, qui fructum fert, ſed pro ramo robuſtiore poſuit. Scribit enim Æthiopas arcus facere ἐκ φοινικίης σπάθης, ex ramo phœniceo. Nam tener palmes arcui faciendo non ſufficeret, nedum ad hanc rem aptum fructus palmularum integumentum, quod vocatur σπάθη Dioſcoridi. Τόξα δὲ εἶχον ἐκ φοίνικος σπάθης πεποιημένα μακρὰ τετραπήχεων οὐκ ἐλάσσω. Grandes ramos palmarum σπάθην vocare apparet. Βαΐς etiam, & βαΐον idem quod σπάθη, vel σπάδιξ, ramulus nempe palmulæ. Heſychius: βαΐς, ῥάβδος φοίνικος, καὶ βαΐον. Gloſſæ: *palma*, χείρ, καὶ βαΐς, καὶ φοῖνιξ. Βαΐς βαΐδος, ut δαΐς δαΐδος. Ut δαΐδες & δᾷδες, ſic βαΐδες & βᾷδες. Inde βάδιον χρῶμα phœniceum, & *badii* equi, ſpadices & phœnicei. Inde igitur & hæmatitis genus *elatites* phœniceus, ἀπὸ τῆς ἐλάτης, quæ eadem cum ſpathe. Atque hæc hactenus. Idem de genere hæmatitarum: *eſt & alia ejuſdem generis, quæ vocatur henui ab Indis, xanthos appellata à Græcis è fulvo candicans.* In indice libri veteris *menui* ſcribitur, & *exyphos* pro *xythos*: idque pro *xuthos*. Sic *ſtruphion* pro *ſtruthion* in vetuſto codice Feſti. Eadem eſt gemma, quam in genere chryſolithorum retulit. Quo loco & *xynthi* ſcriptum eſt in indice, & in veteri libro *xuthi*. Græcum eſt ξουθός. Quod è fulvo candicantem ſignificat. Heſychius: ξουθὰ οὐ μόνον ξανθά, ἀλλὰ καὶ λευκὰ καὶ πυῤῥά. Propriè λευκόπυῤῥα. Capite IX. Perperam *xyſthion* legitur. *Eadem India & xuthon parit plebejam ibi gemmam.*

CAPUT XXXI.

De intimis gentibus Libyæ. De lapide Hexecontalitho.



Pag. 42. C. *Ibi ſepulto, in ea inſula*] Non habetur illud *ibi* in quibuſdam ſcriptis. Legendum: *ſepulto in ea inſula, quæ oſtium Nili facit.* Inſulam Κάνωπον intelligit, in Canopico oſtio Nili ſitam.

Ex his Atlantes ab humano ritu prorſus exulant] Hos Atlantes nulla ſomnia videre, & nullo propriè nomine cenſeri, ſolemque orientem execrari ex Herodoto Mela, Plinius ex Mela tradunt. Sic uni iidemque Atlantes juxta Pomponium, & Plinium, qui nulla ſomnia vident, & qui ſpeciali nomine carent. Longè aliter apud Herodotum qui diverſos facit. Lib. IV tradit à Garamantibus decem dierum itinere ſalis tumulum reperiri, circa quem habitant homines, τοῖσιν οὔνομά ἐστιν Ἄτλαντες, οἱ ἀνώνυμοί εἰσι μοῦνοι ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν. Ἀλέσι μὲν γὰρ σφίσιν ἐστὶν Ἄτλαντες οὔνομα, ἑνὶ δὲ ἑκάστῳ αὐτέων οὔνομα οὐδὲν κέεται. Hos eſſe Atlantes dicit, qui ſolis ortus diris proſequuntur. Ab his Atlantibus decem itidem dierum ſpatio alium ſalis tumulum undique ſecus habitari ab hominibus, quibus nomen eſt

est Atlantes à monte vicino Atlante. Τούτου δὲ ὄρεος, inquit, οἱ ἄνθρωποι οὗτοι ἐπώνυμοι ἐγένοντο, καλέονται γὰρ δὴ Ἄτλαντες. Λέγονται δὲ οὔτε ἔμψυχον σιτέεσθαι, οὔτε ἐνύπνια ὁρᾷν. Ergo duo populi hoc eodem nomine decem dierum itinere inter se dissiti: qui Garamantibus viciniores sunt, illi nullum nomen habent proprium, & solem dum oritur, detestantur. Alii Atlantis montis accolæ nec somnia cernunt, & animalibus abstinent. De unis iisdemque Atlantibus hæc omnia produnt Plinius & Mela, & post hos Solinus. Scio apud veteres duplicem montem Atlantem poni. Ptolemæo, Ἄτλας ἐλάττων, & Ἄτλας μείζων. Stephanus in voce Ἄτλαντες: ἐστὶ καὶ τὸ ὄνομα τῶν ὀρῶν τῶν δύο Ἀτλάντων. Sic scribendum. An ab illis duobus montibus duo quoque populi Atlantes? Hoc nihil ad Herodotum, qui unum tantum montem Atlantem agnoscit, & duos tamen Atlantes populos facit. Præterea non tot dierum intervallo absunt invicem Atlas minor & Atlas major, quantum ab Herodoto spatium ponitur inter duos Atlantes populos. Præterea uterque Atlas ad Oceanum, à quo longè remoti priores Herodoti Atlantes. Vetustissimum itaque mendum in antiquissimo scriptore hæsisse fatendum est, utpote quod jam ætate Melæ inoleverat. Nam ubi Ἄτλαντες vocantur, qui ἀπὸ τῶν Γαραμάντων distant dierum decem itinere, vix ambigo quin nominari debeant Ἀτάραντες, proclivi mutatione. Hi sunt qui Ἀτάραντες aliis dicuntur. Stephanus: Ῥιανὸς δὲ ἐν Ἀχαϊκῶν δευτέρᾳ Ἀτάραντας μετ' αὐτοὺς εἶναί φησι καὶ Ἄτλαντας, καὶ ὅτι οὐ βλέπουσιν οὗτοι ὀνείρους. Hoc de *Atlantibus*, quod somnia non videant. *Atrantes*, vel *Atarantes* nullum habent inter se proprium vocabulum, & solem orientem, occidentemque dira imprecatione lacessunt. Ἀφάραντες pro Ἀτάραντες perperam apud Stobæum.

Diris solis ortus excipiunt, diris occasus prosequuntur] Plinius: *& solem orientem occidentemque dira imprecatione contuentur, ut exitialem ipsis agrisque.* Mela: *solem execrantur, & dum oritur, & dum occidit, ut ipsis agrisque pestiferum.* Plinius Melam pœne transcripsit. Pintianus scribit apud Melam: *solem execrantur dum oritur.* Reliqua enim redundare ex Herodoto probat. Atqui ita scripsisse Melam, ut hodie legitur, fidem facit Plinius, & ex eo Solinus. Herodotum vertit Pomponius, qui sic habet: οὗτοι τῷ ἡλίῳ ὑπερβάλλοντι καταρῶνται, ὅτι σφέας καίων ἐπιτρίβει αὐτούς τε τοὺς ἀνθρώπους, καὶ τὴν χώρην αὐτῶν. Duplici sensu ἥλιος ὑπερβάλλων in verbis Herodoti potest accipi: nam sol supra hemisphærium sese exerens, & ostendens, ὑπερβάλλων dici queat. Poëta:

---- *jam sol se se superabat ab undis.*

Ὑπερέβαλεν. Orientem autem solem, & ad se revertentem diris excipiebant illi populi, non propter mala, quæ jam tum patiebantur in ortu ejus, sed propter ea, quæ passuri erant toto die ab immodico æstu. Ideo orienti, & primùm viso convitia faciebant. Strabo lib. XVII. Τῶν δὲ πρὸς τῇ διακεκαυμένῃ τινὲς καὶ ἄθεοι νομίζονται, οὓς γε καὶ τὸν ἥλιόν φασι ἐχθαίρειν, καὶ κακῶς λέγειν, ἐπειδὰν προσίδωσιν ἀνίσχοντα, ὡς καίοντα καὶ πλημμελοῦντα αὐτοῖς, καταφεύγειν τε εἰς τὰ ἕλη. Orientis tantùm solis meminit. Ita & ὑπερβάλλων ἥλιος, oriens καὶ ἀνίσχων, ὑπερβάλλων scilicet τὸν ὁρίζοντα. Sic ὑπερβάλλειν ὄρους est fines transgredi, & transilire. Possumus etiam accipere ἥλιον ὑπερβάλλοντα, dum super ipsos transit, & cursum suum conficit. Nam ὑπερβάλλειν absolutè de loco in locum transire, & transmittere significat, ut & διαβάλλειν. Diodorus lib. I. Οὐχ ὑπερέβαλον εἰς Αἰθιοπίαν, ἀλλ' οὐδὲ προσανέβησαν ὅρους τῆς Αἰγύπτου. Et ferè magis probem sic intelligi. Non video igitur cur Mela ὑπερβάλλοντα solem interpretetur, dum oritur & dum occidit. Sic dici potest dum oritur. Sed quæ ratio est, ut & sic dicatur dum occidit? Causæ satis etiam erat, quare orientem solem execrationibus impetere vellent, sed cur occidentem, hoc est, abeuntem & decedentem execrarentur, causæ nihil erat. Immo è contra, si ortum ejus ut pestiferum, & noxium diris, & convitiis excipiebant, occasum ejusdem ut propitium, & benignum adoratione, & plausu prosequi debebant. Quid, aut quos sequutus sit Mela, nescio. Respexit fortasse ad dirarum formulam, qua inimicos suos discedentes prosequebantur, *abeas nunquam rediturus.* Ita & illos solem, hostem suum, abeuntem & occidentem cum dira imprecatione verisimile

A est dimisisse. Solem, ut apud ipsos ortus erat, dirarum adventitia excipiebant, & simul confugiebant in paludes, ut tuti essent ab ejus æstu: eodem recedente, & occidente in sedes suas revertebantur, & digressum ejus, occasumque similiter imprecationibus lacessebant. Hoc fortasse voluit Mela. Magis tamen placet ad verbum expressisse Græca Herodoti, & ἥλιον ὑπερβάλλοντα eodem sensu accepisse, quo suprà diximus, de transeunte sole ab ortu ad occasum, & super ipsos meante. Plinius: *solem orientem occidentemque dira imprecatione comitantur.* Ita legendum, non *contuentur*, id est, prosequuntur, ut ex Plinio dixit heîc Solinus. *Solem orientem, occidentemque*, hoc est, ὑπερβάλλοντα. Nam totum

B solis super eos meatum & transitum, ortu & occasu comprehendit. Sol ascendere quippe intelligitur usque ad μεσουρανήματος κέντρον, deinde descendere ac decidere. Sed ὑπερβάλλων ἥλιος, est ἀνίσχων, oriens.

Ut sexaginta gemmarum colores] Tot colores non sunt principales. Rectius Plinius: *hexecontalithos in parva magnitudine multicolor hoc sibi nomen adoptavit.* Quod multi colores in ea gemma deprehenderentur, *hexecontalithos* dicta est, non quod exactè, & rotundè sexaginta præferret gemmarum colores. Hoc idem factitatum in multis aliis nominibus reperies.

C Pag. 42. D. *Augilæ vero solos colunt inferos*] Ita Mela, & ex eo Plinius. At Herodotus, quem Mela ubique sequitur, & plerumque ipsis verbis reddit, non de Augilis hoc tradidit, sed de Nasamonibus, quos transire dicit ad locum quemdam Αὔγιλα nominatum, ὀπωριοῦντας τοὺς φοίνικας, ut palmæ arboris fructus colligant. Αἴγιλα scriptum in Herodoto perperam pro Αὔγιλα. Et fortessean etiam Αὔγυλα. Nam *Augulæ* heîc vocatur in antiquis libris, & apud Plinium *Augylæ*. Populos circa locum illum incolere scribit idem Herodotus. Hi sunt *Augylæ*, Græcis Αὐγύλαι. Etsi Stephanus ἐθνικὸν

D ab illis formet Αὐγιλῖται. Sed ut Ἀσβύστα urbs Africæ, unde gentile Ἀσβύσης. Et Ἄυσιγδα, à quo Αὐσιγδής. Sic Αὔγιλα nomen urbis, & ἐθνικὸν Αὐγίλης. Stephanus: Αὔγιλα οὐδετέρως πόλις Λιβύης. Ita scripsisse, non Αὔγυλα patet ex literarum serie. *Augilis* igitur tribuit Mela, quod Herodotus Nasamonibus: errat vero Pincianus, qui versibus Dionysii Periegetæ confirmari putat, quod Herodotus memorat, inferos à Nasamonibus coli. Versus hi sunt:

Κεῖνον δ' αὖ περὶ χῶρον ἐρημωθέντα μέλαθρα
Ἀνδρῶν ἀθρήσειας ἀποφθιμένων Νασαμώνων
Οὓς Διὸς οὐκ ἀλέγοντας ἀπώλεσεν Αὐσονὸς αἰχμή.

E Quod Jovem hîc eos contempsisse dicit; ex eo sequi colligit inferos non superos coluisse. Ridiculè. Quasi propter id à Romanis deleti sint, & quasi Romani unquam curarint, quid quisque populus religionum, aut cærimoniarum observaret. Certe causam hanc belli cuiquam inferendi nunquam prætenderunt. Notat ad eum locum Eustathius ducem aliquem Romanorum, qui ad eos venerat, ab iisdem dolo interfectum, & propterea deletos ὡς ἀδίκων χειρῶν κατάρξαντας. Hoc sub Domitiano contigit. Zonaras: πολλοὶ δὲ τῶν ὑποτελῶν Ῥωμαίοις ἀφίσταντο χρήματα βιαίως πραττόμενοι, ὡς καὶ Να-

F σαμῶνες. Τούς τε γὰρ τῶν χρημάτων πράκτορας ἔφθειραν καὶ τὸν Νυμιδίας ἄρχοντα Φλάκκον ἐπελθόντα σφισὶν ἥττησαν οὕτως ὡς πορθῆσαι καὶ τὸ στρατόπεδον. Postea ab eodem Flacco ad internecionem excisi. Ἐφ' οἷς ἐπαρθεὶς Δομετιανὸς εἶπε πρὸς τὴν βουλήν, ὅτι ἐκώλυσα Νασαμῶνας εἶναι. Græca Eusebii: Δάκες καὶ Νασαμῶνες ἐπαναστάντες Ῥωμαίοις διεφθάρησαν. Hanc historiam tangit versibus ante adductis Dionysius. Propter rebellionem igitur Διὸς οὐκ ἀλέγοντας eos dixit, non quod inferos colerent. Ex his constat quantopere fallantur, qui Dionysium sub

G Augusto vixisse contendunt, in quibus & ipse est Eustathius, qui juxtà quorumdam sententiam refert, Nasamonas bellis civilibus Cæsaris, & Pompeji deletos fuisse, cum Catonis partibus favissent. Quod falsum est.

Solos colunt inferos.] Plinius: *Augilæ inferos tantum colunt.* Habet è Mela: *Augilæ manes tantum deos putant: per eos dejerant. Eos ut oracula consulunt, precatique quæ volunt, ubi tumulis incubuere pro responsis ferunt somnia.* Hæc ex Herodoto Mela, qui tamen Augilis tribuit, quod ille Nasamonibus. De quibus veteres omnes hoc tradunt, ne

ne ſolum Herodotum cenſeas. Tertullianus in libro de Anima: *Nam & Naſamonas propria oracula apud parentum ſepulcra manſitando captare, ut Heraclides ſcribit, vel Nymphodorus, vel Herodotus.* Nymphodorus, & Heraclides τὰ νόμιμα gentium ſcripſerant. Dicit Herodotus Naſamones per eorum dejerare manes, qui fortiſſimi & juſtiſſimi viri apud eos extiterunt, tactis eorum tumulis: eoſdem προγόνων ſuorum monumentis incubare, & reſponſa petere monitu ſomniorum. Quæ Mela non diſcrevit, ut ab Herodoto diſtinguuntur. Dejerant enim per manes fortiſſimorum, & manes conſulunt proavorum ſuorum. Sed nec Plinius mentem Pomponii aſſequutus eſt. Dixit ille *manes* deos putari ab Augilis. Hic *manes* accepit pro inferis, nam inferi de loco ipſo, καταχθόνιος τόπος. Græci ᾅδην unica voce dicunt. Hoc ſenſu & *manes* ſæpe Poëtæ: *maneſque profundi*, &

---- hæc Manes veniat mihi fama ſub imos.

Ceterum Naſamones, vel Augilæ τὸν ᾅδην non colebant, nec *Deos infernos*, ut Plutonem, Proſerpinam, & alios, ſed animas defunctorum parentum, & eorum qui fortiſſimi in vita extiterant. Hos proprie *Manes* vocavit Mela. Et ſic vocabantur. Virgilius:

---- Maneſque vocabat
Hectoreum ad tumulum,

id eſt, *Manes*, vel animam Hectoris. Atque ita paſſim. Herodoti verba hæc ſunt, quæ Mela reddidit: ὀμνύουσι μὲν τοὺς παρὰ σφίσι ἄνδρας δικαιοτάτους καὶ ἀρίστους λεγομένους γενέσθαι τῶν τύμβων ἁψάμενοι. Μαντεύονται δὲ ἐπὶ τῶν προγόνων φοιτέοντες τὰ σήματα, καὶ κατευξάμενοι ἐπικατακοιμέωνται. Horum itaque manes colebant, non inferos. Nec quiſquam veterum *inferos* pro animabus defunctorum dixit. At *Manes* plerumque pro loco ipſo, id eſt, pro inferis, quod continetur pro continente. Igitur falſus Plinius. Nec quoſcunque manes colebant, ſed paternos, & avitos. *Manis*, & *manus* antiquis Latinis erat bonus. Ut *hilaris* & *hilarus*. Unde compoſitum *immanis*, qui non valde bonus. *Manes* vero vocaverunt defunctos exemplo & more Arcadum, qui Italiam tenuere. Nam & illi χρηστοὺς nominabant, hoc eſt, *Manes* & bonos, qui vivis exceſſerant. Notat Plutarchus in Quæſtionibus Græcanicis, ubi explicat quinam dicerentur apud Lacedæmonios, & Arcades χρηστοὶ, in fœderis columna, quod inter ambos illos populos conventum eſt, inter alia ſcriptum fuſſe, Μεσσηνίους ἐκβαλεῖν ἐκ τῆς χώρας καὶ μὴ ἐξεῖναι χρηστοὺς ποιεῖν, *& non licere manes facere.* Quod ait Ariſtotelem interpretari, non licere interficere, μὴ ἀποκτιννύναι. Idem quoque repetit in Quæſtionibus Romanis. Hinc *Manes*, mortui; & *Dii manes*. Defunctorum genii. Hi & *Lemures*, ſive *Lemurii*. Et feriæ eorum *Lemuralia*. Gloſſæ: *Lemuralea*, ἑορτὴ τῆς ἑστίας. Ita ſcribendum. Malè corrigunt, τῆς Ἀτλίας aut τῆς Ἄκκας. Ita vocat propter *lares familiares*, qui iidem cum Lemuribus vel diis manibus. Immo duo eorum genera faciebant, quorum alii *lares familiares*, alii *larvæ* dicebantur: boni illi genii, iſti mali & noxii. Curam poſterorum ſuorum ſortiti illi credebantur: *larvæ* autem eſt *vacatione*, ceu quodam *exſortio*, hoc eſt, ἀκληρίᾳ puniti, nullis ſedibus errabant. *Cum vero*, inquit idem Apulejus, *incertum eſt, cui quæ eorum ſortitio evenerit, utrum lar ſit an larva, nomine Manium Deûm nuncupant.* Hinc *Mania* eorum mater, quæ & *Larunda*. Quam perperam viri docti cum *Genita mana* confundunt, cujus mentio apud Plutarchum in Quæſtionibus Romanis. Quæ generationis erat dea, non mortuorum, aut *Lemurum*. *Genita* dea genendi. Ut *Moneta* dea monendi. Et *Pota* dea potus: *victa*, victus. *Mana* autem cognominata, id eſt, bona, non à manando, ut perperam Plutarchus interpretatur, quaſi præſes ſit τῆς γενέσεως, καὶ λοχείας τῶν φθαρτῶν. *Genita mana* idem eſt quod Genita bona. Ut *Cerus manus* in carmine Saliari creator bonus. Hinc *manes* οἱ χρηστοὶ, non κατ' ἀντίφρασιν, ut nugantur Grammatici. Θεοῖς καταχθονίοις in veterum monumentis Græcis ſæpe inſculptum viſitatur, pro eo, quod eſt in Latinis, *Dîs manibus.* Sed & *Diis inferis* aliquando pro eodem legitur. Ergo & *inferos* dixerit Plinius pro diis Manibus. Sic *ſuperi* abſolutè pro diis ſuperis. Poëta:

---- vos ô mihi Manes
Eſte boni, quoniam ſuperis averſa voluntas.

Feſtus: Et inferi, Dii Manes pro bonis dicuntur. Θεοὶ χθόνιοι Artemidoro, & in antiqua Herodis inſcriptione. Sed alia mens eſt Herodoti, qui deos inferos abſolutè, aut Manes ab Naſamonibus coli non dicit, ſed parentum ſuorum Manes, id eſt animas defunctorum. Has *Deûm Manium* nomine propriè nuncuparunt Latini. Extat oratio Corneliæ Gracchorum matris ex libris Nepotis excerpta, qua C. Gracchum dehortatur, ac deterret à capeſſenda republica, & nece fratris vindicanda. In ea leguntur hæc verba: *ubi mortua ero, parentabis mihi, & invocabis Deum parentem in eo tempore, ne pudeat te eorum Deûm preces expetere, quos vivos, atque præſentes relictos, atque deſertos habuerit.* Scriptum fuit: *& invocabis D. M. parentis*, id eſt, Deos Manes parentis. Scribe igitur, ac diſtingue: *& invocabis Deos Manes parentis. Eo tempore ne pudeat eorum Deûm preces expetere*, &c. Eorum Deûm, id eſt, Deorum Manium. Ovidius:

Perque tuos Manes, qui mihi numen erunt.

Gamphaſantes abſtinent præliis] Ex Plinio, qui habet ex Pomponio: *Gamphaſantes nudi, præliorumque expertes, nulli extero congregantur.* Quæ verba Plinii perperam interpolat Pincianus. *Garamantes* apud Herodotum vocantur, qui eadem de his prodit, quæ Mela de Gamphaſantibus. Stephanus Grammaticus Γαράμαντες in Herodoto legit. Eos ἐν τῇ θηριώδει οἰκεῖν idem Herodotus ſcribit. Garamantas quoque ἐν τῇ ἀοικήτῳ collocat Strabo. Herodotus: Νασαμώνων δὲ καθύπερθε πρὸς Νότον ἄνεμον ἐν τῇ θηριώδει οἰκέουσι Γαράμαντες. Ptolemæus: ἀνατολικώτεροι δὲ αὐτῶν Ψύλλοι, καὶ ἐφεξῆς τόποι τε θηριώδεις καὶ ἡ σιλφιοφόρος χώρα. Pſylli iidem cum Naſamonibus. Nam Pſyllorum loca tenuere Naſamones. Strabo: ὑπὲρ δὲ τούτων ἡ τὸ σίλφιον ἔχουσά ἐστιν. Εἶθ' ἡ ἀοίκητος καὶ ἡ τῶν Γαραμάντων. Ex quibus conſtat & Γαράμαντας rectè ſcribi apud Herodotum, qui & paulò inferius meminit eorumdem Γαραμάντων, atque ἔθνος μέγα dicit fuiſſe. Nam & in eodem loco mentionem etiam facit Naſamonum, qui ad locum Augila palmularum fructus decerpturi ventitabant. Aliunde igitur quam ab Herodoto Γαμφάσαντας illos habet Pomponius, cui non eſt inſolitum multa aliter narrare, quam ab Herodoto memorata ſunt. Sic Garamantibus tribuit, quæ Herodotus Auſenſibus. Et quod idem tradit de Naſamonibus, hoc ille de Augilis. Eodem modo & quæ Græcus ſcriptor Garamantum propria facit, Mela Gamphaſantibus aſſignat. Vide quæ ſupra notavimus, viſurus & quæ ad ipſum Melam obſervamus.

Blemmyas, ſed non eos, qui vicina rubro mari incolunt] Verba hæc in optimo Codice Regio habentur, & in aliis nonnullis. Quidam vero ea non habent, etiam antiquiſſimi. Non è gloſſa ſunt, nec ab aliquo lectore adtexta, ſed apparet auctoris ipſius eſſe, qui in priore editione ea poſuerat, cum putaret, diverſos eſſe Blemmyas, qui ab aliis inter Libyæ populos recenſentur, ab aliis ad mare rubrum ponuntur, quum iidem ſint. Ideo mutavit in recognita. Stephanus, Βλέμυες ἔθνος βαρβαρικὸν Λιβύης. Strabo: τὰ δὲ κατωτέρω ἑκατέρωθεν Μερόης, παρὰ μὲν τὸν Νεῖλον πρὸς τὴν Ἐρυθρὰν Μεγαβάροι καὶ Βλέμυες, Αἰθιόπων ὑπακούοντες, Αἰγυπτίοις δ' ὅμοροι.

Ægipanes hoc ſunt, quod pingi videmus] Sic libri. Vulgo: *Ægipanes ſunt, quos pingi videmus.* Plinius: *Ægipanum, qualis vulgo pingitur, forma.* Mela: *Ægipanum quæ celebratur, ea forma eſt.* Martianus Capella: *Ægipanes, quales pinguntur, exiſtunt.* Sed quomodo pingebantur Ægipanes? aut quæ differentia erat inter Panes, & Ægipanes? Certè Panem Græci media ſui parte αἰγὶ, id eſt, capræ ſimilem fuiſſe ſcribunt. Lucianus de Pane: εἶδε ἐξ ἡμισείας ἐς τὰ κάτω αἰγὶ ἐοικώς. Ergo idem Πὰν & Αἰγίπαν. Plinius de monte Atlante: *eum denique noctibus micare crebris ignibus, Ægipanum, Satyrorumque laſcivia impleri, tibiarum, ac fiſtulæ cantu, tympanorumque, ac cymbalorum ſonitu ſtrepere.* Ergo diverſi à Satyris Ægipanes. Idem lib. VI. cap. XXX. *Quidam & in eo tractu modicos colles amœna opacitate veſtitos Ægipanum, Satyrorumque produnt.* Mela *Panes* dixit pro *Ægipanibus* in eadem re narranda: *ultra montem viret collis longo tractu longis littoribus obductus, unde viſuntur patentes magis campi, quam ut proſpici poſſint, Panum,*

num Satyrorumque. Sic *Panes* & *Ægipanes* iidem. Festus: *Grallatores appellantur pantomimi, qui ut in ſaltatione imitarentur Ægipanas adjectis perticis furculas habentibus, atque in his ſuperſtantes ob ſimilationem crurum ejus generis gradiebantur, utique propter difficultatem conſiſtendi.* Ad ſimilanda crura Ægipanum quæ ὑπόξυλα erant & arida cruribus, utpote caprarum ſimilia; grallas, vel crura lignea geſtabant. Πανικὰ vocat hujuſmodi ligneas perticas cum furculis, auctor Gloſſarum. *Grallatores*, πανικὰ φοροῦντες. Græci κῶλα ξύλινα, & κωλόβαθρα vocant, unde *colobathrarii* apud Nonium, ut olim correximus: qui & inſignem Varronis locum adfert de grallis, ſic legendum: *Grallatores, quîs gradiuntur perticæ ſunt ligneæ ſine animo, ſed ab homine eo qui in his ſtat, agitantur: ſic inanimæ noſtræ ſunt grallæ, crura ac pedes, non ſuapte vi ſed ab animo moventur.* Perperam legitur: *ſic illi animi noſtri.* Non comparationem facit animorum, ſed grallarum. Et diſtinguit *grallas* quibus gradimur, hoc eſt, crura, ac pedes, à grallis, quibus gradiuntur grallatores, quæ perticæ ſunt ligneæ. Legi etiam in fine poſſet: *ſic inanimæ noſtræ ſunt grallæ, crura ac pedes noſtri: hæ ſuapte ἀκίνητοι, ſed ab animo moventur.* Atque hæc indubitanter vera lectio. Vetus habet: *eſſi a re κίνητοι.* A gradior *gradus*, & *grada*, τὸ βῆμα. *A grada* diminutivum *gralla.* Sic à rado hæc *rada*, ὁ ξυστήρ: & ὑποκρεμαστικὸν *ralla.* Gloſſæ: *ralla*, ὁ ξυστήρ: ſic *gralla* τὸ κῶλον, ſive naturale, quo gradimur, ſive ligneum, in quo grallatores conſiſtebant, qui grallas ligneas ſumebant, ad effingenda lignea & exſucca Panum ſive Ægipanum crura. Alii diſtinguunt Panem ab Ægipane. Plutarchus in parallelis ſcribit, quem Græci dicunt Αἰγίπανα, Romanis *Silvanum* vocari: καὶ εἰς τὸν ὡρισμένον χρόνον ἐγέννησεν Αἰγίπανα, κατὰ τὴν Ῥωμαίων φωνὴν Σιλουανόν. Atqui Silvanus à Pane diverſus. Virgilius:

Panaque, Silvanumque patrem, Nymphaſque ſorores.

Πᾶνα καὶ Αἰγίπανα. Servius: *Pan Syringa amavit, Silvanus autem Cupreſſum.* Unde apud eumdem poëtam Silvanus inducitur cupreſſum ferens:

Et teneram ab radice ferens Silvane cupreſſum.

Hic in veteri inſcriptione *dendrophoros Silvanus* dicitur. *Faunus* Latinis is eſt, qui Græcis Πάν. Evandrum ſacra Panis, qui apud Arcadas colebatur in Italiam tranſtuliſſe ſcribit Ovidius in Faſtis, & *Faunum* latine appellari dicit. Æoles ὁ Πάνος, τοῦ Πάνου dicebant, ut ὁ φύλακος, ὁ μάρτυρος. Iidem mutabant α in ο. Ut ὀνόγυρος pro ἀνάγυρος, βότις pro βάτις, & ſexcenta talia. Sic & Πόνος pro Πάνος. Inde Latinum *Fonus*, & more ſcribendi veteri *Faunus.* Nam & *aurichalcum* ſcribebant pro *orichalco.* Græcis ὀρείχαλκον: & *audes* pro *odes*, ὦτα: inde *aures.* Dionyſius Halicarnaſſeus de Fauno: τούτῳ δὴ οἱ Ῥωμαῖοι τὰ Πανικὰ ἀνατιθέασι, καὶ ὅσα φάσματα. Ut Panes cum Satyris ponunt, & ab his ſecernunt, ita & Faunos: Ovidius de Marſya:

Illum ruricolæ ſilvarum numina Fauni,
Et Satyri flerunt.

Fauni, id eſt, Panes. Et alibi idem:

Vos quoque plebs ſuperûm Fauni, Satyrique, Lareſque.

Pro Faunis alibi *Panes* dixit:

Panes & in Venerem Satyrorum prona juventus.

Et paulò poſt:

Hinc aliæ Satyris incendia mitia præbent
Pars tibi, qui pinu tempora nexa geris.

Martialis:

Frontem cruentos Arcadas vides Faunos.

Panes ita vocat Πανίσκους. Ut Panem à Silvano diverſum faciunt, hoc eſt, Panem ab Ægipane, ita & Faunos à Silvanis. Ovidius primo Metamorphoſεων:

Sunt mihi ſemidei, ſunt ruſtica numina Fauni,
Et Nymphæ, Satyrique, & monticolæ Silvani.

Silvanos à Faunis ſeparat, id eſt, Ægipanas à Panibus. Ita & Plinius lib. XII. cap. I. *Quin & Silvanos Faunoſque & dearum genera ſilvis ac ſua numina tanquam è cælo attributa credimus.* Alii tamen Silvanum cum Pane faciunt eumdem. Auctor vetus de origine urbis Romæ Pana, Faunum, Inuum, & Silvanum συνώνυμα eſſe vult. Veteres Gloſſæ: *Silvanus*, Πάν, θεὸς Ὑλαῖος, *Deus Silvanus.* Macrobius ait Panem ab Arcadibus Ὑλαῖον dici, quod ipſe interpretatur τῆς ὕλης κύριον, non τῶν ὑλῶν libro primo de Pane: *hunc Deum Arcades colunt appellantes τὸν τῆς ὕλης κύριον, non ſilvarum dominum, ſed univerſæ ſubſtantiæ materialis dominatorem ſignificari volentes.* In libro de agrorum finibus legitur, omnem poſſeſſionem ideo Silvanum colere, quia primus in terra lapidem finalem poſuerit. *Nam omnis*, inquit, *poſſeſſio tres Silvanos habet. Unus dicitur domeſticus, poſſeſſioni conſecratus: alter dicitur agreſtis, paſtoribus conſecratus: tertius dicitur orientalis, cui eſt in confinio lucus poſitus, a quo inter duo, pluresve fines oriuntur.* Epitheton *Domeſtici* Silvani nihil ad Panem pertinet, qui totus erat ruſticus deus. *Agreſtis* ſignificat propriè paſtoralem, & proprium Panis, qui *ovium cuſtos* Poëtæ dicitur, & *curare oves, oviumque magiſtros.* Ἀγρεὺς apud Athenienſes vocabatur, id eſt, agreſtis, vel paſtoralis. Ariſtæus apud Arcades Ἀγρεύς, καὶ Νόμιος Ἀπόλλων cognominabatur, id eſt, *agreſtis* vel *paſtoralis Apollo*, ut interpretatur Servius. Hunc *Faunum agreſtem* appellatum Ovidio vir eruditiſſimus ex iſtis autumat:

---- *nec dum degrandinat, obſit*
Agreſti Fauno ſuppoſuiſſe pecus.

Sed recta ibi lectio *Agreſti fano.* Tertius erat terminalis, cui lucum in confinio dedicabant. Atque hic propriè *Silvanus.* Sic & Fauno in lucis ſacra faciebant.

Nunc & in umbroſis Fauno decet immolare lucis.

Hallucinantur porro & docti homines, qui Martem cognomento Silvanum eumdem putant fuiſſe cum Silvano patre. *Silvanus* eſt Αἰγίπαν, *Mars Silvanus* eſt Mars ruſticus, vel ſilveſtris. Nam à ſilva *Silvanus*, & *ſilvati*, ut ab urbe *urbanus.* Ita & *Hercules Silvanus* apud Victorem, qui *Hercules Ruſticus* indigetatur Lampridio. Qui Hercules diverſus à Silvano Deo, licet plerumque ambo σύμβωμοι, & σύνναοι ponerentur. Hinc in antiquis inſcriptionibus legitur, SILVANO ET HERCULI. Et in aliis, HERCULI ET SILVANO. Sic & cum Marte conjungebatur. Sed & Hercules Silvanus idem fortaſſe cum Marte Silvano: nam Herculem, & Martem apud Pontifices eumdem habitum notat Macrobius. Sacris etiam, quæ pro bobus ut valerent, Marti Silvano fiebant, mulier adeſſe vetabatur, ut nec ſacris Herculeis intereſſet. Vide Catonem cap. LXXXIII. Falſum & quod iidem ſummi viri monent, Martem in ſolitaurilibus, & aliis precationibus ruſticorum non alium eſſe, quam Silvanum. In ſacris, quæ ad luſtrandos agros fiebant, *Marſpiter* invocabatur, id eſt, Mars pater, qui non idem cum Silvano patre, qui eſt Αἰγίπαν, quem & cum Pane eumdem multi faciunt. Licet autem & *Silvanum*, & *Panem*, & *Inuum*, & *Faunum* multi ex veteribus confundant, Silvanus tamen & Pan diverſi, cum diverſis certè inſignibus pingebantur. Pan quippe cum fiſtula, & pedo, & corona pinea, & pelle hinulei formabatur, Silvanus cum cupreſſu, quam ferebat cum radice avulſam. Is erat, quem Græci Αἰγιπάνα vocabant juxta Plutarchum.

Silvanum lacte piabant,

inquit Horatius. Silvani ſtatua Romæ ante ædem Saturni fuit. Plinius lib. XV. cap. XX. Sic & Satyri, cum cetera ſimiles eſſent Panibus, vel Faunis, quod tamen eadem geſtamina non haberent, ab iis diſtinguuntur. Nam & Satyris cornua, ut Panibus dabantur, & pedes, cruraque ad inſtar caprarum. Unde & *capripedes Satyri* Lucretio, & Horatio indigetantur, & paſſim αἰγίποδες & κεράσται Græcis dicuntur: ſed nec fiſtulam, ut Panes, nec pedum, nec pellem pantherinam, nec coronam ex pinu geſtabant. Poëtæ:

Capripedes calamo Panos hiante canent.

Hinc & Πᾶνας, & Σατύρους Græci quoque ſeparant, ut Latini Faunos, & Satyros. Diodorus lib. V. Ὥστε τὴν πρόσοψιν αὐτῶν φαίνεσθαι Σατύροις, καὶ Πᾶσιν ἐοικυῖαν. Plutarchus de fluminibus: στρατολογήσας δὲ Πᾶνας καὶ Σατύρους ἰδίοις σκήπτροις Ἰνδοὺς ὑπέταξεν. Lucanus quoque *Panes*, & *Silvanos* diverſos facit.

---- *ruricolæ Panes, nemorumque potentes*
Silvani.

Sic Panes, Silvani: & Satyri diverſi; licet omnes Αἰγίποδες & Αἰγιβάται vocentur in commune. Alia etiam dici poſſent de differentia Panum & Satyrorum, ſed de his alibi. *Inuus* eſt, qui Græcis Ἐφιάλτης, ὃς τῷ Πανὶ αὐτὸς δοκεῖ εἶναι, inquit Artemidorus. In vetuſtiſſimis libris Livii *Inivus* appellatur, ἀρχαϊκῶς. Sic *vacivus* & *vacuus.*

Pag.

Pag. 42. E. *Himantopodes fluxis nisibus crurum repunt.*] Ita scripsimus pro eo quod erat, *flexis*. Idque ex veteribus libris. Qui mollibus, & lentis, ut lorum est, nisibus crurum serpunt, loripedes dicti. Sic *fluxus corporis*, mollities & ὑγρότης. Ita & legendum apud Melam: *proximi sunt Himantopodes, fluxi lentis cruribus, quos serpere magis quam ingredi referunt.* Vulgo male: *inflexi lentis cruribus.* Sic homines *fluxo corpore* τῷ ὑγρῷ & lento. A Mela hausit noster. Plinius lib. VII. cap. II. *Anguium modo loripedes vocari Syrictas.* Quod pedes habeant lentos, & fluxos anguium instar, vel lori, non propterea tamen Συρικτοί. Nec enim angues habent pro pedibus, nec sibilant, ut serpentes. In optimo codice legitur: *Syritas.* Scribe: *Syrtas.* Συρτὴς est, qui trahit. Quod traherent pedes, & reperent potius quam ambularent *Syrtæ* dicti, ἀπὸ τῷ σύρειν τὼ πόδε. Diogenes Laertius de Pittaco: ὅτι Ἀλκαῖος Σαράποδα μὲν καὶ

A Σαράποδα ἐκάλει διὰ τὸ πλατύπουν εἶναι, καὶ ἐπισύρειν τὼ πόδε.

Pharusii cum Herculi ad Hesperidas pergenti forent comites.] Plinius: *Pharusii quondam Persæ, comites fuisse dicuntur Herculis ad Hesperidas tendentis.* Nec dubium quin & scribendum sit apud Melam: *deinde Pharusii aliquando tendenti ad Hesperidas Herculi comites, nunc inculti, & nisi quod pecore aluntur, admodum inopes.* Ex eo enim habet Plinius. Male est in vulgatis, *tendente ad Hesperidas Hercule dites.* Sed ἀνιστόρητον illud etiam quod à Plinio traditur, Pharusios quondam Persas fuisse. Nihil tale apud Melam, unde hunc locum de Pharusiis sumpsit, sed nec apud Solinum qui habet ab ipso Plinio. Martianus
B quoque ita scribit ex eodem Plinio: *Pharusii quondam comites Herculis fuere.* Scribe igitur apud Plinium: *Pharusii quondam per se comites fuere Herculis ad Hesperidas tendentis.* Nam & veteres libri non agnoscunt verbum *dicuntur.* *Per se* id est sponte sua.

CAPUT XXXII.

Ægyptus. In ea de origine, & natura Nili, de tauro Apide, de crocodilo, de hippopotamo, de ave ibide, & serpentibus Arabicis, de ficu Ægyptia, & palma, de disciplina Ægyptiorum, de urbibus inclytis.



Pag. 42. F. *Quoad prætendant Æthiopes à tergo: inferiorem ejus partem Nilus circumfluit.*] Ita scripsi, ac distinxi. Vulgo in omnibus olim editis legebatur: *Ægyptus a meridie recedit, quoad prætendant Æthiopes. A tergo inferiorem ejus partem.* Pessimè omnium Delrius edidit: *à meridie introrsus recedit, quod prætendat Æthiopes: à tergo inferiorem ejus partem.* Quod quid sit, nescio. Plinius: *Proxima Africæ colitur Ægyptus, introrsus ad meridiem recedens, donec à tergo prætendant Æthiopes. Inferiorem ejus partem Nilus dextra lævaque divisus amplexu suo determinat.* Editum est in Plinio, *donec à tergo prætendantur.* Non rectè. Martianus *obversentur* dixit: *Ægyptus introrsus ad meridiem tendit, donec à tergo obversentur Æthiopes.* Ægypto à tergo prætenta est Æthiopia, Æthiopes autem ipsi prætendunt. Et est verbum castrorum. *Prætenta* castra dicuntur, homines vero ipsi *prætendere.* Hinc & *prætenturæ.* παρεμβολαὶ, προβολαί. *Prætendere*, & *prætendi* proprie de his dicitur, quæ ad frontem objecta sunt, καὶ προβεβλημένα. Castra veterum in *prætenturam*, & *retenturam* distinguebantur. *Prætentura* ea pars dicebatur castrorum, quæ in primore facie ante prætorium erat, ubi *principia* & *porta principalis*: & qui in ea tendebant milites, propriè dicti *prætendere.* Quidquid à tergo prætorii tendebat, & in posteriore parte, id *retenturæ* nomine veniebat, ut pluribus propediem sumus dicturi ad Hygini Gromaticum de castrametatione.

Spatia amplectitur interamna.] Ita in optimo Regio, & libro veteri excerptorum Solini. In aliis codicibus: *interamnana.* Vulgo erat, *interna.* Veteres dixisse *interamnum*, τὸ μεσοπόταμον, quod inter duos amnes jacet, ostendunt multæ urbes *interamnæ* dictæ ab eadem ratione, αἱ μεσοπόταμοι πόλεις.

Et incerto pæne fonte decurrens] Plinius: *Nilus incertis ortus fontibus it per deserta & ardentia: & immenso longitudinis spatio ambulans, famaque tantum inermi quæsitu cognitus, sine bellis quæ cæteras omnes terras invenere.* Vetus codex pro *it* habet *ut*: & pro *famaque*, *quæ fame*, & mox, *inermi quæsitus sine bellis*, nec vocem *cognitus* agnoscit. Totum locum sic lege, ac distingue: *Nilus incertis ortus fontibus, ut per deserta & ardentia, & immenso longitudinis spatio ambulans, & quia fama tantum inermi quæsitus sine bellis quæ ceteras omnes terras invenere, originem, ut Juba Rex potuit exquirere in monte inferioris Mauritaniæ non procul oceano habet.* Rationes reddit, cur incerti sint fontes Nili: primùm quia per deserta & ardentia, immenso longitudinis spatio ambulet, ut necesse sit longe submotos ejus esse fontes, ideoque ignotos. Deinde, quia inermi tantum fama quæsitus; quum bellis ceteræ omnes terræ inventæ sint.

Herbas, pisces, belluas nihilominus procreet.] Legitur in vetustissimis: *quod hoc stagnum herbis, piscibus, beluis nihil minus procreet, quam in Nilo videmus.* Scripserat nimirum: *quod hoc stagnum, in herbis, piscibus, beluis nihil minus procreet, quam in Nilo videmus.* Quæ vera lectio
C est. Atque ita edi volueram. Plinius: *lacu protinus stagnante, quem vocant Nilidem, ibi pisces reperiuntur alabetæ, coracini, siluri, crocodilus quoque. Inde ob argumentum hoc Cæsareæ in Iseo dicatus ab eo spectatur hodie.* Ita scribendum expunctis mediis verbis, *Nili ortus creditus.* Ait Nilidem lacum Cæsareæ in Iseo ab Juba dedicatum fuisse, ob hoc argumentum, quod Nili origo credatur esse. Intelligit simulacrum, vel picturam illius lacus à Juba fuisse dicatam in templo Isidis apud Cæsaream
D urbem Mauritaniæ. Quod in herbis autem heîc dicit Solinus nihil minus procreare Nilidem lacum, quam Nilum de papyro loqui vult. Per *beluas* crocodilos designat. Ex hoc Solini loco sumpsit Ammianus hæc verba de Nilo: *Rex autem Juba Punicorum confisus textu librorum, à monte quodam eum oriri exponit, qui situs in Mauritania despectat Oceanum: hisque indiciis hoc proditum ait, quod pisces, & herbæ, & beluæ similes per eas paludes gignantur.*

Pag. 42. G. *Aut nivibus densioribus, aut imbribus largioribus rigatur.* Plinius: *præterea observatum est, prout in*
E *Mauritania nives, imbresve satiaverint, ita Nilum increscere.* Ita editur, sed corruptè. Quid enim est, quod satiare in Mauritania dicantur imbres, nivesque? Prorsus legendum est: *prout Mauritaniam nives, imbresve satiaverint.* Id est, ut Solinus heîc interpretatus est, prout nives densiores, aut largiores imbres Mauritaniam irrigaverint: prout in Mauritania imbres nivesque abundaverint, & eam impleverint. Sic Græci κορέσαι dicunt pro implere. Metrodoius Scepsius:

Δεξιτερὸς μὲν ἔγωγε τανυπτερύγων ἀπὸ ταρσῶν
F Ἤματος ἐκζάῃ μοίρῃ ἐνὶ τὸν δὲ κορέσω.

De amore qui fontis colymbum sexta diei parte implebat aquam ex alis fundens. Et in alio epigrammate ejusdem:

---- ἀλλὰ μὲν οἶος
Νεῖλος μὲν προρέων ἤματος κορέσει.

Uno die satiabit, id est, implebit piscinam. Eadem prorsus loqutione *panem sanguine satiare* apud Tertullianum, pro imbuere ad plenum in Apologetico: *excipe rudem sanguinem, eo panem tuum satia, vescere libenter.* Sic imbres satiant Mauritaniam Plinio. Sic apud
G Orpheum de lapidibus:

Καὶ οἱ καρφαλέας νεφέλαις κορέσουσιν ἀρούρας.

Satiabunt arva imbribus. Ita *satiate* dicere Tertulliano, id est, plenè, vel in plenum. Et *saturantius enarrare* apud Fulgentium in Mythologico: *Sed quia hanc saturantius Apulejus pæne duorum continentia librorum tantam falsitatum congeriem enarraverit.* Ubi perperam *Saturantius*

tius scribunt, quasi nomen proprium sit, aut prænomen Apuleji. *Saturantius enarrare* est plenius eloqui. Sic *satiata imbribus Mauritania* Plinio largius, ac plenius irrigata. De nivibus Æthiopiæ, quibus regelatis intumescit Nilus, extant elegantes Æschyli versus apud incertum auctorem, cujus fragmentum subditum est editioni Herodoti Marnianæ, sed quia corruptissimi, & perturbatissimi leguntur vulgo, Græcos in ordinem digestos, & emendatos subjiciam:

Γένος μὲν αἰνεῖν ἢ παθὼν ἐπίσταμαι
Αἰθιοπίδος γῆς, ἔνθα Νεῖλος ἑπτάρους
Γαῖαν κυλίνδει πνευμάτων ἐπομβρίαις.
Ἐν ᾗ πυρωτὸν σμῆνος ἐκλάμψαν φλογὸς
Τήκει πετραίαν χιόνα, πᾶσα δ' εὐθαλὴς
Αἴγυπτος ἁγνοῦ νάματος πληρουμένη
Φερέσβιον Δήμητρος ἀγγέλλει στάχυν.

Νεῖλος ἑπτάρους vel ἑπτάρρους, *septemfluus* à septem ostiis. Vulgo ἐπάρους. Reliqua vide, ut scias, quid præstiterim.

Deinde in Cæsariense spatium prorumpens amplior] Ita edidit Delrius ex Lipsii libro. Ineptè. Quid enim est *Cæsariense spatium?* Retro cusi legebant: *in Cæsariensi specu.* Omnes antiquissimi, & optimi libri scribunt: *in Cæsariensi specie.* Inde varia correctionum commenta profluxere. Nam in aliis *Cæsariense spatium*; in aliis, *Cæsariensi specu*; in aliis denique *Cæsariensis penita* scriptum offendi. Nos fecimus, *in Cæsariensis pede.* Ex litera *d* divulsa factum est *c i*: inde *pecie* pro *pede.* Nihil frequentius hoc genere mendi in antiquis membranis, ut sciunt, qui eas versarunt. Sic in Gromatico Hygini: *quorum pedatura in singulas species ad homines solet computari.* Scriptum erat: *in singulos pecies.* Vera lectio est: *quorum pedatura in singulos pedes ad homines solet computari.* Eadem vitii indole mendosus est insignis Plinii locus lib. XVI. cap. XVI: ubi sic legitur: *& si magnitudinem mensarum caperet, haud dubie præferretur citro. Nunc intra pugillares lectorumque silicios, aut laminas raro usu spectatur.* Ita in editis habetur, sed omnes scripti legunt: *lectorumque solicios.* Haud dubiè dixerat Plinius: *lectorumque solidos.* Loquitur de brusco, & mollusco, quæ sunt aceris tubera. *Bruscum*, inquit, *intortius crispum: molluscum simplicius sparsum, &, si magnitudinem mensarum caperet, haud dubiè præferretur citro.* Quod magnitudinem mensarum non caperet, ex eo fiebant solidi lecti, vel laminæ, quibus operiebantur lecti. *Lectorum solidi*, ut *a'peri surculorum, cassa lignorum, inhumana littorum*, & similia sexcenta nostro familiaria, quibus Plinium imitatur. At ex brusco etiam mensæ fiebant. Sequitur enim: *è brusco fiunt & mensæ nigrescentes. Reperitur & in alno tuber.* Corrige: *è brusco fiunt & mensæ. Nigrescens reperitur, in alno tuber, tanto deterius, quanto ab acere alnus ipsa distat.* Igitur è mollusco aceris tubere, tum solidi lectorum fiebant, tum lamnæ sectiles, quibus superinducebantur. Nam viliori ligno lamnas superinducebant è pretiosiore. Idem Plinius lib. eod. cap. XLIII. *Hæc prima origo luxuriæ, arborem alia integi, & viliores ligno pretiosiores cortice fieri, ut una arbor sæpius væniret. Excogitatæ sunt & ligni bracteæ, nec satis.* Hæc corrupta plus quam simplici vice. Scribimus ex veteri libro, ac distinguimus: *hæc prima origo luxuriæ arborum, alia integi, & vilioris ligni è pretiosiore corticem fieri. Ut una arbor sæpius væniret, excogitatæ sunt & ligni bracteæ. Nec satis: cœpere tingi animalium cornua, dentes secari, lignumque ebore distingui, mox operiri.* Lectorum illæ lamnæ etiam ex testudine secta fieri solitæ, quam & pingebant ligni colore. Sequitur. *Placuit deinde materiam & in mari quæri. Testudo in hoc secta. Nuperque portentosis ingeniis principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderetur, imitata lignum.* Sic scribendum è vestigiis veteris lectionis, quæ habet: *pigmentis penderet imitata lignum.* Vulgo est: *ut pigmentis perderet se, plurisque væniret.* Quod ex superioribus perperam repetitum. Subjicit: *sic lectis pretia quæruntur, sic terebinthum vinci juvat, sic citrum pretiosius fieri, sic acer decipi.* Sic nos emendamus. Nam in vulgatis legitur: *sic terebinthum vinci jubent.* In optimo Thuani scribitur: *vinci jubant.* Testudo picta terebinthini ligni colore terebinthum ipsam vincebat. Eadem citri instar picta facticium erat citrum, vero citro pretiosius. Sic citrum pretiosius fiebat, quam nascebatur. Acer autem decipi intelligendum de testudine, quæ aceris colorem accipiebat per picturam, quæque verus acer sic videbatur. Hæc tria autem lignorum genera terebinthus, citrum & acer, in lamnas præcipuè secabantur, ut essent operimenta lectorum. Hæc enim maximè in pretio. Ideo testudinem sectam ad eosdem usus horum trium lignorum coloribus potissimùm pingebant. Hæc malè vulgo exponuntur. Sequentia etiam corruptissima: *modo luxuria non fuerat contenta ligno: jam lignum emi testudinem facit.* Optimus liber habet: *jam lignum em e testudine facit.* Patet scribendum esse: *jam lignum & è testudine facit.* Quod enim testudo in ligni figuram pingeretur, lignum è testudine faciebat luxuria. Non potuimus hæc omittere. Atque hæc hactenus. Haud dissimilis huic vitii ratio, qua literæ *u* crura disjuncta, ac disparata, modo in *i* & *l* degenerant, modo in *l* & *i*. Quod frequenter in libris occurrit. Sic *silliis* pro *silvis* scriptum legi aliquot locis apud Plinium in vetustissimis membranis. Sic apud Æthicum in Cosmographia omnes codices exaratum præferunt *mare Myrtilum*, pro *Myrtoum.* Scriptum erat *Myrtuum.* Prius *u* divulsum *i* & *l* peperit, inde *Myrtilum.* Hæc parva sunt, sed magni momenti plerumque secant res. Inde apud Plinium capite eodem, in quo paulo ante castigavimus multa, *festile ea vena* irrepsit *i* pro *festucea.* Sic vulgo ibi scribitur: *magna autem & glutini ratio propter ea quæ sectilibus laminis ac in alio genere operiuntur. Stamineam in hoc usu probant venam & vocant fertilem, argumento similitudinis, quoniam lacrimosè crispa. in omni genere & glutinum abdicant quædam.* Nihil istis contaminatius. Pro illis & *vocant fertilem*, liber Thuani habet, & *vocant fertile eam.* Divaricatis cruribus literæ *u*, & altero longiuscule producto, *il* procusum est, quod erat *u*: inde *festilceam* pro *festuceam* corruptum, ac deinde *fertile eam.* Scribebant enim *festucam.* Glossæ: *festuca*, κάρφος, ῥάβδος. Festuca, vel festucea vena in ligno discursus est venosus, & crispus ad instar festucæ lacunosus. Vel quod exempta illa festuca lacunæ in ligno remanent. Legendum autem: *quoniam lacunosè crispa.* Sed & totus locus ita digerendus, atque interpungendus: *magna autem & glutini ratio propter ea quæ sectilibus lamnis, ac in alio genere operiuntur staminea. In hoc usu improbant venam, & vocant festuceam, quoniam lacunosè crispa in omni genere, & glutinum abdicat. Quædam & inter se, & cum aliis insociabilia glutino, sicut robur.* Perperam *stamineam venam* interpretantur in ligno dici, quæ vulgo *magistra vena* vocatur. Apertè, ac planè in optimo libro legitur *staminea.* Rectam interpunctionem nos addidimus. In glutinandis sectilibus lamnis lignum vilius operiebatur ligno pretiosore, aut etiam alio genere, ut ebore, & cornu sectili. *Staminea* igitur vocat, quæ alio ligno integebantur, quæque vicem staminis, sive statuminis præbebant. Nam lamnæ superinductæ subteminis instar obtinebant. Sic in charta contexenda, & glutinandis papyri philyris, partem quæ suberat *statumen*, & *stamen* appellavit capite de papyro: eam vero quæ superjacitur, *subtemen.* His adde, quod *stamen* in pulpa ligni vocabant, id quod venis caret. Plinius lib. XVI. cap. XXXVIII. *Quibusdam pulpa sine venis, mero stamine & tenui constat. Alia frangi celeriora quam findi quibus pulpa non est, ut oleæ, vites.* Aliæ arborum nec pulpam habent, nec venam, sed tubera, *quodam callo carnis in se convoluto*, ut acer, & citrus. Quæ pulpam igitur habent sine vena, ea *staminea* propriè, quia *stamine* solo constant. Nam venæ quasi subteminis instar detinent. Ea maximè fissilia, ideoque in laminis sectilibus invicem glutinandis præcipuè probata. Vena contra improbata, quia lacunose crispa glutinum abdicat. Posset etiam legi eodem sensu: *magna autem & glutini ratio propter ea quæ sectilibus lamnis ac in alio genere operiuntur. Staminea in hoc usu probant: improbant venam, & vocant festuceam argumento similitudinis.* Nam veteres eo loco habent omnes, *probant.* Sed deest *improbant* propter similitudinem prætermissum. Ut pulpam alibi, quæ solo *stamine* constat à vena distinguit, & maximè fissilem esse dicit, ita hoc loco *staminea*, quæ solam habent pulpam, à vena separat. Hæc alibi pluribus explicabimus: Nam de modo corruptelæ heic agimus, quo veterum librariorum incuria optimos auctores passim contaminavit. Hujusmodi labis, quæ per literarum

literarum discerptionem fit, unum adhuc exemplum insigne adferam. Arnobius lib. II sic habet: *quadragenarum istum ad te voca, & ex eo percontare non abstrusum aliquid, non involutum, non de triangulis, non de quadratis, quid sit dibus, aut dynamus, sesquioctavus, aut sesquitertius ultimus; sed quod in medio situm est, bis bina, bis terna quam efficiant summulam quærito.* Quis doctorum hominum huc usque non quæsivit, quid esset *dibus* in Arnobio? Quis non in eo se exercuit, ac torsit? Nugas magno labore magnas egerunt omnes. Illi maximè qui δίβος ex Græco Epigrammate arcesserunt. De numeris Arnobium loqui palam est. Scripserat ergo: *non de triangulis, non de quadratis, quid sit cubus, aut dynamis, sesquioctavus, aut sesquitertius ultimo, sed quod in medio situm est,* &c. Vitiosè scripsit librarius *dibus* pro *cubus.* Ex duobus literæ *u* cruribus diductis alterum in iota conversum est, alterum productius tractum, & cum *c* junctum reddidit *d.* Sic *clibus* & *dibus* corruptum pro *cubus.* *Cubus*, & *dynamis* nomina quadratorum numerorum. Vetus auctor Græcus de numeris: τετραγωνισμὸς καλεῖται οἱ ἀριθμοὶ οὗτοι ἅπαντες. τρὶς τρεῖς, θ. δύναμις: τρὶς θ, κζ κῦβος: τρὶς κζ, πα δυναμοδύναμις: τρὶς πα σμγ δυναμόκυβος: τρὶς σμγ, ψκθ, κυβόκυβος. Ex his constat, cur *cubum*, & *dynamin* heîc junctim posuerit Arnobius. Desinant etiam quærendo laborare viri docti, quis sit *sesquitertius ultimus*, nam legendum: *aut sesquitertius ultimo*, id est, postremo, quid sit sesquioctavus, aut sesquitertius. In Geometria porro τὸ ἐμβαδομετρικὸν quod longitudinem ac latitudinem habet tantum, vocatur δύναμις. At στερεομετρικὸν, quod præterea etiam βάθος habet, appellatur κῦβος. Atque hæc hactenus. Ut *dibus* pro *cubus*, sic *Diaspes* apud Tibullum, & apud hunc nostrum infrà pro *Cuaspes*, vel *Coaspes.*

In Cæsariensis pede prorumpens amplior] Hæc verissima hujus loci lectio. *Cæsariensem* pro Mauritania Cæsariensi dixit, ut suprà: *Cæsariensi Cæsaria colonia inest.* At pedem pro tractu, vel limite posuit. Sic suprà: *in Dalmatiæ pedem procedit, Dalmatia in finem Illyricum.* Et alibi: *Omnis Africa à Zeugitano pede incipit.* Paulo ante *Zeugitanum limitem* dixerat: *omnis hæc regio finibus in Zeugitanum limitem desinit.* Sic *pes* pro limite, vel pedatura limitis. Innocentius: *pedatura pergens per limites.* Frontinus de coloniis: *sed & numero pedaturæ limites sunt constituti.* Alius auctor de limitibus: *limitis pedatura extenditur à pedibus centum & ducentis quinquaginta, usque in duo millia quadringenta, in Africa maximè, & in aliquibus locis, usque in quatuor millia.* Frontinus alibi: *arbore intra castrorum pedem comprehensa.* Ita Græcis πεδεὼν pro limite. Herodotus in Urania: τῆς γὰρ Δωρίδος χώρης πεδεὼν στεινὸς ταύτῃ κατατείνει, id est, *Doricæ regionis tenuis limes.* Nam πεδεὼν idem quod πούς. Et ἀσκοῦ πεδεὼν, quem ἀσκοῦ πόδα vocavit Euripides. Latini *utris pediculum* dixere. Aristophanis interpres: Ἀργέλοφοι, τῆς μηλωτῆς πόδες, οὓς καὶ πεδεῶνας καλοῦσι. *In Cæsariensis pede*, id est, tractu & finibus Nilus amplior prorumpebat, & major. Plinius: *mox alio lacu majore in Cæsariensis Mauritaniæ gente Masæsylum erumpit, & hominum cœtus veluti circumspicit iisdem animalium argumentis.* Nihil pejus fabricari poterat ea scriptura, quam in editiones invexerant: *In Cæsariense spatium prorumpens amplior.*

Nigrum facit fluvium] Libri: *Nigrim.* Atque ita semper nominat. Plinius in scriptis *Nigrum.* Νίγειρ & Νίγεις Græcè. Falsum est autem, quod heîc scribit Solinus hunc *Nigrum* ab indigenis vocari *Astapum*, scilicet aquam è tenebris profluentem. Putavit nimirum *Nigrum*, vel *Nigrim* dici, quod è tenebris proflueret, vocabulo verò Æthiopico Astapum, quod idem significaret. Ridiculè. Diversus Nigris, & Astapus. Certè ut idem sit, diversis in locis hæc duo diversa sortitur cognomina. Nigris vocatur, ubi Africam ab Æthiopia dispescit. Deinde *Astapus*, ubi jam medios Æthiopas secat: ubi ad Meroën venit, divisis bracchiis eam amplexus, altero *Astaboras*, altero *Astasobas* appellatur, mox junctus iterum *Nigris* vocatur per aliquot millia, & postremo Nilus. Ita Plinius, nam alii aliter. Plinii verba sic distinguenda sunt: *atque ubi iterum sensit hominem, prosilit fonte, ut verisimile est, illo, quem Nigrim vocavere, inde Africam ab Æthiopia dispescens, etiamsi non potinus propulis, feris tamen & belluis frequens silvarumque opifex, medios Æthiopas secat cognominatus Astapus.* Manifesto distinguit Astapum à Nigri. Nigris enim Æthiopiam ab Africa dividit. Ergo ab uno latere Africam habet, ab altero Æthiopiam. Plinius idem cap. IV. *Et tota Gætulia ad flumen Nigrim, qui Africam ab Æthiopia dirimit.* At *Astapus* per mediam Æthiopiam fluit, hinc & inde colentibus Æthiopibus. Græcis quoque auctoribus diversi Νίγειρ & Ἀστάπους.

Astapum eum inde gentes vocant] Id est, illorum locorum gentes. Sic infrà: *inde reges.* Et paulo ante: *illinc homines.* Ridicule ante excusi, etiam Delriani legunt: *Indigetes vocant.* Quasi *indigetes* Latine iidem sint qui *indigenæ.* Quod vitium manavit ex quibusdam libris, qui habent *indigentes*, pro *inde gentes.* Optimus Regius scribit in textu *indigenæ*, & in margine adscribit, *inde gentes.* Ut pareat ex editionis diversitate profectam hanc varietatem.

Ut vix eas dierum quinque cursu prætermeet] Ita scripsimus, quum omnes Delriana priores editiones legerent: *ut vix eas dierum quinque cursus prætermeet.* Ex quo ipse in sua edidit: *ut vix eas dierum quinque cursu quis prætermeet, quamvis concitus ibi feratur.* Quod est maxime ridiculum. Sermo est de Nilo, qui multas, magnasque ambire insulas dicitur, & plerasque earum tam diffusæ magnitudinis, ut vix eas quinque dierum cursu præterlabatur, quamvis rapidissimus, & maxime concita celeritate ibi feratur. At bonus Delrius ad navigantes hoc transtulit, quod ferri non potest. Plinius à quo sumpsit noster: *insulas ita innumeras spargit, quasdam tam vastæ magnitudinis, ut quamquam rapida celeritate, tamen dierum quinque cursu non breviore transvolet.* Ammianus vero ex nostro ita scribit: *insulasque efficit plures; quarum aliquæ ita porrectis spatiis dicuntur extentæ, ut singulas ægre tertio die relinquat.*

Pag. 43. A. *Dextero alveo Astusapes, lævo Astabores*] In vetustissimo Regio, *Astosapes*, & ad oram *Astapes.* Scribendum: *Astasobas.* Et mox, *Astaboras.* Ita enim Græce dicuntur. Ἀστάπους, Ἀσταβόρας, & Ἀστασόβας. Strabo lib. XVII. Ἄνωθεν δ᾽ ἐκ νότου τῆς συμβολαῖς τῶν ποταμῶν, οὗ τε Ἀσταβόρα, καὶ οὗ Ἀστάπους, καὶ οὗ Ἀστασόβα. Ita melius hoc loco legitur, quam suprà Ἀστοσάβαν. Ita & legendum apud Plinium: *Astaboras lævo alveo dictus, hoc est ramus aquæ venientis è tenebris: dextero vero Astasopas, quod lateris significationem adjicit.* Sic scribimus è libris. Nam vulgo est: *quod latentis significationem adjicit.* Astapus est aqua è tenebris profluens Æthiopica lingua. *Astaboras* ramus aquæ venientis è tenebris. *Astasopas* latus aquæ venientis è latebris. Hæc videant, qui Æthiopicam callent.

Lævo Astaboras] Alii non bracchium Nili, sed alium amnem, qui in Nilum influat, esse tradunt, ut & Astapum, & Astasobam. Æthicus noster nondum editus vocat *Astroborim*, & de eo sic habet: *hic Astroboris à Nilo elongans efficit circulum immensum, qui circulus includit magnitudinem terrarum, in qua est civitas metropolis, quæ Meroë appellatur. A divisione Nili, vel separatione Astroboris usque ad Meroën oppidum milia* CCLX. Multa alia de Nilo ibi legas, quæ nusquam alibi visuntur.

Tunc quoque emensus magna longinqua] Sic libri. Vulgo: *magna longinquaque loca.* Absolutè *longinqua* posuit pro longinquitatibus, ut ita loquar, vel longinquis spatiis. Sic *serena* pro serenitatibus, & *tranquilla* pro tranquillitate, & similia sexcenta.

Ut ruere potius quam manare credatur] Ita editiones ante Delrianam. Nec aliter libri. In quibusdam vitiosè *manere.* Delrius edidit: *ut ruere potius quam meare credatur.* Nescio quare. An quod paulo post sequitur? *mox inoffensus meat.* Solinus *manare* dixit, quod Plinius *fluere.* Sic enim ille: *non fluere immenso fragore creditur, sed ruere.* Ammianus, qui Solinum sequitur, non Plinium, *fluere* rursus dixit, quod Solinus *manare* lib. XXII. *Exundatione ditissima ad cataractas, id est, præruptos scopulos venit, è quibus præcipitans ruit potius quam fluit.* Glossæ: *manat*, ῥεῖ.

Demumque à cataracte ultimo tutus est] Ita nostri omnes. Delrius notat suos habuisse, *à cataracta ultima.* Sed hoc parum est. Illud majus, quid heîc significet quod dicit, Nilum à cataracte ultimo tutum esse. Legerim

gerim ego: *demumque à cataracte ultimo totus eſt.* Immo totus locus ita diſtinguendus, ac legendus: *Demumque à cataracte ultimo totus eſt, ita enim quadam clauſtra ejus Ægyptii nuncupant, relicto tamen hoc pone ſe nomine quo Nigris vocatur.* Libri omnes Solini *Nigris* heîc legunt, non *Siris.* Nec aliter in Plinio legiſſe videtur, ubi hodie ſcriptum eſt *Siris.* Senſus eſt, à cataracte ultimo totum eſſe Nilum, non diviſum, relicto tamen hoc pone ſe nomine, quo *Nigris* vocatur: mox inoffenſum meare. Verba Plinii, quæ Solinus hoc loco adumbravit, ſic habent: *nec ante Nilus quam ſe totum aquis concordibus rurſus junxit: ſic quoque etiamnum Nigris, ut ante, nominatus, per aliquot millia, & in totum Homero Ægyptus, aliuſque Triton.* Libri Pliniani eo loco ſcribunt: *ſic quoque etiamnum Giris ut ante nominatus.* Legendum eſſe *Nigris* tum ex hoc Solino, tum magis ex ipſo Plinio patet. Nam *Nigrim* appellatum Nilum, ubi Æthiopiam ab Africa diſpecit, paulo ante tradidit. Ergo *Nigris*, ut ante, nominatus. Nec uſpiam meminit *Siris* Plinius. Solinum cum auctore ſuo non concordare facile vel cuivis parum attendenti liquebit, immo planè conſtat de induſtria eum à Plinii mente divertere, cujus hæc de Nilo ſententia eſt: *Nigrum* eum vocari, ubi Æthiopiam ab Africa dirimit: mox Aſtapum, ubi medios Æthiopas ſecat: deinde Meroën inſulam diviſo amne amplecti, & lævo quidem alveo Aſtaboram dici, dextero verò latere Aſtaſobam: nec ante Nilum appellari, quam ſe totum aquis concordibus rurſus junxerit. Ergo juxta Plinium ſtatim poſt Meroën, ubi in corpus unum coit, vocatur Nilus, niſi quod per aliquot milia adhuc nominetur *Nigris*, ut ante. Hæc eadem Melæ ſententia eſt, quem ſequitur Plinius. Verba Melæ ſic legenda: *Hic ex deſertis Africæ miſſus, nec ſtatim navigari facilis, nec ſtatim Nilus eſt: & cum diu ſimplex, ſuuſque deſcendit, circa Meroën latè patentem inſulam in Æthiopia diffinditur, alteraque ex parte Aſtaboras, altera Aſtaſapas dictus eſt: ubi rurſus coit, ibi nomen hoc capit.* Perperam editur apud Pomponium, *cum diu ſimplex, ſævuſque deſcendit.* Et mox: *late patentem inſulam, in Æthiopiam diffunditur*, diffinditur, ac dividitur Nilus circa Meroën ampliſſimam Æthiopiæ inſulam. Ariſtides quoque in Ægypto Nilum ſtatim à Meroë aquis concorditer junctis unum fieri ſcribit: Μεροῆς δὲ ἐπέκεινα οὐ μέμνημαι μεθ' ὁπόσον ἦν ἔφει οὐκ εἶναι τὸ ῥεῦμα καθ' ἓν, ἀλλὰ δύο εἶναι ῥεύματα. Ὧν τὸ μὲν ἕτερον γήϊνον τὴν χρόαν, τὸ δ' ἕτερον ἀέρος ἐγγύς. Ταῦτα δὲ συνιόντα καὶ μιγνύμενα, γίγνεσθαι τὸν Νεῖλον τοῦτον. Ergo Nilus poſt Meroën totus fluit, & unus, Niluſque exinde dicitur. Quod alii de Meroë inſula: hoc de Philis Seneca prodit, quæ paulo ſuprà noviſſimum cataracten. Sic enim de Nilo ſcribit: *in paludes diffuſus & gentibus ſparſus, circa Philas primum ex vago & errante colligitur. Philæ inſula eſt aſpera, & undique prærupta, duobus in unum coituris amnibus cingitur, qui Nilo mutantur, & nomen ejus ferunt.* Duo illi in unum coituri amnes, qui juncti nomen Nili ferunt, Meroæ inſulæ conveniunt, non Philis. Aſtaboras, & Aſtaſobas illi amnes, qui Meroën cingunt. At Philæ Nilo cinguntur. Solinus vero, non poſt Meroën, ut Plinius, ſed à catadupis demum, & ultima cataracte, haud longe à Philis ſcilicet, Nilum hoc nominis accipere ſcribit. Hæc eadem in parte Senecæ ſententia, ſed utramque opinionem confundit, & Philis tribuit, quod Meroæ proprium. Philæ paulo ſupra noviſſimum cataracten, qui ſuprà Syenen eſt, & Elephantinen. Nec deſunt auctores, qui ab ultimo cataracte, & Syene Nilum hoc nomen aſſumere demum cenſeant, quos heîc ſequi maluit. Ab ultimo cataracte totum eſſe Nilum hoc loco dicit: Seneca à Philis, quæ ſupra noviſſimum cataracten: Plinius, aliique quammulti à Meroë concordibus aquis jungi, ac totum fieri. Vera igitur heîc lectio: *ab ultimo cataracte totum eſſe.* Lucanus Senecam ſequitur iiſdem pæne verbis:

> *Nunc vagus & ſpargens facilem tibi cedere ripam,*
> *Rurſus multifidas revocat piger alveus undas,*
> *Qua dirimunt Arabum populis Ægyptia rura*
> *Regni clauſtra Philæ.*

Ita enim quadam clauſtra ejus Ægyptii nuncupant] Falſa notatio nominis: nec enim cataractæ clauſtra ſunt; nec propterea dicti cataractæ, quod Nilum includant illi ſcopuli. καταῤῥάσσειν eſt ex alto præcipitare, & cum impetu ruere. Inde καταῤῥάκτης epitheton avium prædatricum, ut aquilarum, & ſimilium, ut ſuprà diximus. Ῥαγδαῖος ὄμβρος ab eadem origine. Sed & καταῤῥάκτης torrens propriè dicitur, qui ex montibus ruit potius, quam fluit. Heſychius: καταῤῥάκτης, ὀχετὸς ῥύαξ. Et *cataractes* amnis in Pamphilia, apud Strabonem, qui ex alto ſcopulo manat cum impetu, torrentis more. Non igitur ipſi ſcopuli propriè cataractæ, ſed Nilus ipſe potius καταῤῥάκτης dictus in illis locis, quibus ex alto cum impetu, & fragore ruit. Quæ res latuit Græcum hominem Ammianum Marcellinum, qui *cataractas* præruptos ſcopulos interpretatur. Inde loco nomen hæſit, quia καταῤῥάκτης ibi Nilus, non autem ipſi ſcopuli cataractæ. Nec minus ineptus heîc Solinus, qui *cataractas* clauſtra ab Ægyptiis vocari dicit. Certè genus portæ, quæ cum impetu demittebatur, καταῤῥάκτης Græcis, Latinis Græco nomine *cataracta* dicta eſt, cujus meminere Livius, & Vegetius. Quæ ſic appellata quod cum impetu decideret. At *Cataractæ* propriè non ſunt clauſtra. Rectè Ariſtides καταῤῥάκτας interpretatur, τὴν κατάβασιν διὰ τῶν ὀρῶν, *Nili deſcenſum è montibus.* Καὶ τοῦτ' εἰσὶν οἱ καταῤῥάκται, ἡ διὰ τῶν ὀρῶν τοῦ ποταμοῦ κατάβασις, Αἰγύπτου πάσης ὥσπερεὶ κορυφή. Malè & in gloſſis: καταράκτης, *obex.*

Relicto tamen hoc pone ſe nomine quo Nigris vocatur] Omnes editiones ita legunt: *relicto tamen hoc pone ſe nomine*, quo *Siris vocatur.* Libri quoque ſcripti plerique ſic ſcribunt excepto quod *Nigris* habent, non *Siris.* Delrius edidit ex correctione ſua, nec enim ex libris, *relicto tamen hoc priore ſuo nomine, quo loco Siris vocatur.* Quæ verba quem ſenſum habeant, haud facile eſt videre. Ut tamen ſonant hoc videntur dicere, Nilum relicto priore ſuo nomine in eo loco, quo Siris vocatur, mox inoffenſum meare. Et quod illud prius nomen? An Aſtapus, aut Nigris? An Aſtaboras, vel Aſtaſobas? *Siris* igitur poſtea vocatur, hoc relicto priore nomine. Atqui à cataracte ultimo hanc nominis mutationem fieri dicit heîc Solinus. Proinde *Siris* incipit vocari poſt noviſſimum cataracten, id eſt, à Syene. Hic ſenſus eſt conjecturæ Delrianæ, quæ contra fidem tum librorum, tum hiſtoriæ eſt. Nam auctores partim tradunt à Meroë, ubi primum coire, incipit, Nili nomen induere, partim ab ultimo demum cataracte id nominis ſortiri, quum antea *Siris* vocaretur. Dionyſius Afer:

> Ὃς δή τοι Λιβύηθεν ἐπ' ἀντολίην πολὺς ἕρπων
> Σῖρις ὑπ' Αἰθιόπων κικλήσκεται. Οἱ δὲ Συήνης
> Ἐνναέται στρεφθέντι μετ' οὔνομα Νεῖλον ἔθεντο.

Syenes incolas Nilum ait vocare, quum ab Æthiopibus ante nominaretur *Siris.* Nam Syene finis eſt Æthiopiæ, & initium Ægypti. Ibi Nilus nomen mutat, & *Nilus* pro *Siri* dicitur, ab ultimo nempe cataracte, qui ſupra Syenen eſt. Græci: μικρὸς καταράκτης ὑπὲρ Συήνης καὶ Ἐλεφαντίνης ἐστὶ πόλεων, ἔνθα, καὶ τὸ μεθόριον Αἰγυπτίων καὶ Αἰθιόπων. Eadem habet & Strabo. Herodotus in Euterpe: ὁ δὴ Νεῖλος ἀρξάμενος ἀπὸ καταδούπων ῥέει μέσην Αἴγυπτον σχίζων, εἰς θάλασσαν. Catadupa ſunt ad ultimum cataracten. Plinius: *vectus aquis properantibus ad locum Æthiopum, qui catadupi vocantur, noviſſimo cataracte, inter occurſantes ſcopulos non fluere immenſo fragore creditur, ſed ruere.* Catadupos hîc vocari dicit Æthiopas, ubi locus ille, vel cataractes, unde ruit Nilus, ibi & urbs Elephantine. Ariſtides: κομψή γε ἡ Ἐλεφαντίνη μέχρι τῆς ἀναπλεῦσαί φησιν, ὑπ' αὐτοῖς σχεδὸν τοῦ Νείλου καταράκταις ἐστίν. A catadupis, & Elephantine ut Nilum, ita & Ægyptum incipere facit idem Herodotus. Ariſtides, κορυφὴν πάσης τῆς Αἰγύπτου cataractas vocat. Vitruvius lib. VIII. *Ab hiſque paludibus ſe circumagens per flumina Aſtaſobam, & Aſtaboram, & alia plura pervenit per montes ad cataractan, ab eoque præcipitans per ſeptentrionalem inter Elephantida & Syenen, Thebaicoſque in Ægyptum campos, & ibi Nilus appellatur.* Ab illo cataracta Nilus appellatur. *Elephantida* vocat Vitruvius, quæ aliis *Elephantine.* Ita enim non ſolum editi, ſed etiam vetuſtiſſimi libri legunt: *inter Elephantida & Suenen.* Nec aliter vocatur Pomponio Melæ: *ſuſque*

que ad Elephantidem urbem Ægyptiam atrox adhuc, fervensque decurrit. Et fallitur Pincianus, qui corrigit, *Elephantinen.* Idem Ἐλεφαντὶς & Ἐλεφαντίνη. Sic insula Æthiopiæ *Daphnis*, ἡ Δαφνὶς Plinio, quæ Δαφνίνη Ptolemæo. Ad Solinum redeamus. Nilus ergo hoc nomen habere incipit post catadupos, & ultimum catacten inter Syenen, & Elephantinen, relicto hoc pone se nomine, quo Nigris vocatur. Ita libri omnes apud Solinum. In altero Regio: *relicto hoc ponere nomine.* At Regius ille antiquissimus, quem optimum semper vocamus, sic habet: *relicto adhuc pone se nomine.* Forte: *ad hunc*, id est, ad hunc cataracten relinquit pone se nomen, quo Nigris vocabatur. Sic enim distinguendum: *demumque à cataracte ultimo tutus est, ita enim quædam claustra ejus Ægyptii nuncupant, relicto tamen ad hunc pone se nomine, quo Nigris vocatur: mox inoffensus meat.* Rectum est tamen *hoc pone se nomine*, eadem interpunctione servata. Sic alibi loquitur: *hoc sunt, quod pinguntur.* Et alibi: *hujus quod est nominis.* *Nigrin* autem heîc, & apud Plinium legendum esse supra docuimus. *Nigrin* vocari, priusquam Nilus vocetur, hic & Plinius affirmant, Dionysius Σῖρις. Vitruvius *Dyrin* ait nominari, postea *Nigrum.* Ita enim scribit: *ex monte Atlante Dyris, qui ortus ex septentrionali regione, progreditur per occidentem ad lacum Heptabolum, & mutato nomine dicitur Niger.* Ita libri. Græcè Νίγειρ, hoc est idem qui & *Nigris* & *Niger* Plinio: Hunc eumdem *Nigrum* Vitruvius Meroen circumcingere scribit, & ubi pervenit ad cataracten, inter Elephantinen & Syenen, Nili nomen assumere, quæ Solini sententia est, ut omnino constet heîc scribendum esse, *quo Nigris vocatur.* Excerpta Solini legunt, ut in scriptis codicibus Plinii legitur, *quo Giris vocatur.* In Tabula Peutingeri *Giris* quoque vocatur: *fluvius Girin.* Et post aliquantum intervallum: *hoc flumen quidam Grin vocant. Alii Nilum appellant, dicitur enim sub terra Æthiopum in Niloticum ire lacum.* Sed patet eo loco legendum esse, *quidam Nigrin vocant.* Sic *Girin* & *Nigrin* eumdem faciat. Ergo *Nigris*, *Giris*, *Diris* & *Siris* idem fluvii nomen. Certè confundunt hæc nomina scriptores, immo potius hæc flumina cum Nilo. *Nigris* tamen est, qui Ptolemæo Νίγειρ. *Giris* autem, vel *Diris*, vel *Siris*, qui eidem Ptolemæo Γεὶρ, magnus & ipse fluvius, qui per Garamantas Æthiopas fluit, & sub terram absconsus *Nubam* paludem efficit. Hic sine dubio *Giris* dicitur auctori Tabulæ, & aliis *Siris*, propter affinitatem horum elementorum. Fortasse & *Gris.* Ut nihil ibidem mutandum sit in illis: *hoc flumen quidam Grin vocant.* Nam ut Νίγειρ aliis est *Nigris*, sic Γεὶρ *Gris.* Hebræi Nilum vocabant שחור *Schicor*, quod Æthiopes lingua sua dixerunt *Schichri*, ut doctissimus monuit Scaliger. Hinc Σῖρις, *Siris*, & *Giris* vel etiam *Diris* corrupta.

Septem ostiis conditur: in meridiem versus excipitur mari Ægyptio] Nihil mutavimus, ideo quod omnes libri cum scripti, tum excusi hanc lectionem retinerent. Nihil tamen ea mendosius, & falsius. Contrarium quippe verum est. Nec enim meridiem versus, sed ad septentrionem Ægyptio mari excipitur Nilus. Excerpta Solini planè scribunt: *in septentrionem versus excipitur Ægyptio mari.* Dionysius:

> Κεῖθεν δ' ἐς Βορέην τετανυσμένος ἄλλυδις ἄλλος
> Ἑπτὰ διὰ στομάτων εἰλιγμένος εἰς ἅλα βάλλει.

Sed nec parte hac tantum vitiatus locus. An non idem est septem ostiis condi, & septem ostiis excipi Ægyptio mari; quæ sexcentis in hoc auctore locis corruptelæ causa extitit, & huic fuit, duplex nempe ab editione duplici lectio. In altera scripserat: *septem ostiis conditur a meridie septentrionem versus Ægyptio mari.* In altera: *septem ostiis à meridie septentrionem versus excipitur Ægyptio mari.* Hoc verissimum, aut falsissimum est quod heîc ait, meridiem versus Ægyptio mari Nilum excipi, qui non potest error auctoris esse, quum paulo ante dixerit, Ægyptum ad meridiem introrsus recedere, donec Æthiopes à tergo prætendant. Si Æthiopes ad meridiem Ægyptus habet, Ægyptium mare utique ad septentrionem erit. Plinius: *postea lenis & confractis aquis, aliquid & spatio fessus, multis quamvis faucibus in Ægyptium mare se evomit. Certis ta-*

A *men diebus auctu magno per totam spatiatus Ægyptum, fœcundus innatat terræ.* Libri habent, *evomat*, pro *evomit.* Scribe, ac distingue: *multis quamvis faucibus in Ægyptium mare se evomat, certis tamen diebus auctu magno, per totam spatiatus Ægyptum, fœcundus innatat terræ.* Non alia correctione opus habet hic locus, quem variè emendando magis depravat Pincianus. Flumina, quo pauciores exitus in mare habent, quibus sese exonerent, eo abundationibus magis obnoxia, quia dum quærunt sese evolvere in magnis incrementis, nec satis patentes exitus reperiunt, supra ripas eunt, & terræ innatant. At Nilus quamvis multis faucibus in mare
B sese exoneret, certis tamen diebus auctu magno per totam Ægyptum spatiatur, & terras inundat, quod Plinius dixit, *in Ægyptum mare se evomit*, pro eo hoc Solinus altera editione dixerat, *conditur Ægyptio mari* altera: *excipitur Ægyptio mari.* Verba illa, *in meridiem versus*, ab aliquo imperito ad oram adtexta, & recepta intus.

Pag. 43. B. *Ipsumque fontem humore supero saginatum*] Judicet lector, an flagitium sit ita reposuisse, pro eo quod erat in vulgatis: *superno humore sublatum.* Quod correctorum est commentum. Plerique scripti legunt: *ipsumque fontem humore supero agitatum.* In aliis, *super*
C *agitatum.* In uno tantum Regio vestigium veræ lectionis inveni, qui habet: *ipsumque fontem humore superos agitatum.* Unde non dubitavi scribere: *humore supero saginatum.* Sic alibi *petita* scriptum pro *re penita.* Quod sequitur id confirmat: *tantam inundationis habere substantiam quantum pabuli ad liquorem nubila subministraverint.* Ergo *saginatus humore supero fons*, cui nubila pabulum subministrant. Sic *pastum imbribus fluvium* eleganter dixit Statius, id est, saginatum in Achilleïde:

> ---- *& qua rapidissimus ibat*
> *Imbribus assiduis pastus, cæli que ruina*
> *Spercheios.*

D Ita & Plinio, *satiata imbribus Mauritania.*

Ferunt alii quod ventorum, flatibus repercussus] Etesiarum. Quod nominatim signandum erat. Ita Pomponius & Plinius, unde accepit. Iidem quippe etesiæ, qui nubes propellunt meridiem versus in ea loca, unde oritur Nilus, flatibus quoque suis repercutere descendentem in mare Nilum, & retro agere existimantur. Quæ altera juxta quosdam exundationis ejus causa. Mela: *sive quod per ea tempora flantes etesiæ, aut actas à septentrione in meridiem nubes super principia ejus imbre præcipitant, aut venienti obvii adverso spiritu cursum descendentis impediunt.* Ita legendum, non *obviæ.* Nec enim
E obviæ nubes descendentem Nilum repellunt, sed etesiæ. Lucanus zephyros eos appellat:

> ---- *zephyros quoque vana vetustas*
> *His adscripsit aquis.*

Sed zephyri ab occiduo axe flantes, ut statim idem asserit, Nilo contra septentrionem descendenti obvii fieri non possunt, nec facere, ut aquæ ejus resistant. Lucanum decepere Græci, qui ἐτησίας vocant non solum à septentrione, sed etiam ab occasu æstivo flantes. Diodorus lib I. Παρίημι γὰρ διότι τοὺς ἐτησίας ἰδεῖν ἐστὶν οὐδὲν τι μᾶλλον ἀπὸ τῆς ἄρκτου πνέοντας, ἤπερ τῆς ἑσπέρας. Οὐ Βορέαι
F γὰρ οὐδ' ἀπαρκτίαι μόνοι, ἀλλὰ καὶ οἱ πνέοντες ἀπὸ τῆς θερινῆς δύσεως ἀργέσται κοινωνοῦσι τῆς τῶν ἐτησίων προσηγορίας. Hesychius: Ἀργέσται οἱ ἐτησίαι. Etesiæ tam zephyri vocabantur, qui ab occiduo flant axe, quam argestæ, qui à septentrionali plaga. Utique autem dicti etesiæ, quod stato anni tempore, illi æstate, hi vere flant. Apulejus de mundo: *Etesiæ frequentiores sunt æstate anni septentriones, at zephyri tempestate veris.* Ita distinguendum, ac legendum. Aliter tamen emendanda hæc verba infra docemus veriore conjectura hoc modo: *Etesiæ frequentiores sunt æstate, animis septentrionis, ac zephyri temperata. Veris Ornithiæ venti sunt.* Hi septentriones etesiæ æstate flantes Nilo in mare descendenti ob-
G vii facti potuerint cursum ejus retro in ostia agere, non zephyri etesiæ qui vere spirant. Æstate quippe crescit, non vere. Plinius breviter: *causas hujus incrementi varias prodidere, sed maximè probabiles: Etesiarum eo tempore ex adverso flantium repercussum ultro in ora acto mari, aut imbres Æthiopiæ æstivos iisdem etesiis nubila illo ferentibus è reliquo orbe.* Quæ verba male sollicitant docti viri, qui legunt:

legunt: *ultra oram acto amne.* Nec bene Pincianus: *ultra oram in interiora acto amne.* Flantes ex adverso etesiæ prohibent Nilum, quo minus in mare exeat ostiis suis, & fluorem ejus repercutiunt: nec hoc tantum, sed etiam mare ipsum ultro in ora ejus agunt, quare maximè descensus ejus impeditur, & redundatio fit. *Ora* amnis sunt ostia. Incertus de incremento Nili: Θαλῆς ὁ Μιλήσιος εἷς τῶν ἑπτὰ Σοφῶν φησὶ διὰ τοὺς Ἐτησίους γίνεσθαι τὴν ἀναπλήρωσιν. Πνεῖν γὰρ αὐτοὺς ἐναντίους τοῦ ποταμοῦ, καὶ τὰ στόματα κεῖσθαι κατὰ τὴν πνοὴν αὐτῶν, τὸν μὲν οὖν ἄνεμον ἐξ ἐναντίας πνέοντα κωλύειν τὴν ἔκβασιν τοῦ ποταμοῦ ἐκπίπτειν εἰς τὴν θάλασσαν· τὸ δὲ κῦμα προσπίπτον ἀντίον τοῖς στόμασι καὶ οὖρον ὂν ἀνακόπτειν τὸν ποταμὸν, καὶ ἀναπλήρωσίν φησιν οὕτως γίνεσθαι τοῦ ποταμοῦ. Fluctus maris, quos etesiæ excitant, & protrudunt adversus ora Nili, retrogredi amnem faciunt. Sed longe clarius Plutarchus: Θαλῆς τοὺς ἐτησίους ἀνέμους οἴεται πνέοντας τῇ Αἰγύπτῳ ἀντιπροσώπους ἐπαίρειν τοῦ Νείλου τὸν ὄγκον, διὰ τὸ τὰς ἐκροὰς αὐτοῦ τῇ παρεισδύσει τοῦ ἀντιπαρήκοντος πελάγους ἀνακόπτεσθαι. Disertissimè vero Seneca Plinii lectionem confirmat his verbis lib. IV. Nat. Quæst. *Si Thaleti credis, etesiæ descendenti Nilo resistunt, & cursus ejus acto contra ostia mari sustinent.* Plinius dixit, *ultro in ora acto mari.* Quod idem est iisdem pæne verbis.

Fluorem solitæ velocitatis non queat promovere] Malè in editione Delriana, *solidæ velocitatis.*

Quanto impensius contraversi spiritus repugnaverint] In editis *controversi spiritus.* Perperam. Quod multis locis in hoc auctore correximus. Idem mendum apud Ammianum, qui hinc accepit: *Etesiarum continuis flatibus repellentibus ejus meatum, velocitate cohibita superfusis fluctibus intumescit: & reluctante spiritu contraverso adolescit in majus.* Vulgo legitur: *spiritu controverso.* Quod & alibi corruptum. *Contrà versus spiritus.* Melæ dicitur *adversus flatus.* Ἀντιπρόσωπος ἄνεμος, ἀντιπνέων.

Ita concurrente violentia, hinc urgentis elementi] In editis: *ita concordi violentia.* Quod ex altera editione. Ammianus ex hoc loco: *& reluctante spiritu contraverso adolescens in majus, hinc vi reverberante ventorum, inde urgente cursu venarum perennium, progrediens in sublime protegit omnia.*

Pag. 43. C. *Fontem ejus, qui Phialus vocatur*] Sic libri omnes Solini, & prima editio. Nec dubito, quin ita apud Plinium legerit: *Phialum appellari fontem ejus, mergique in cuniculos.* Ὁ φίαλος, & ἡ φιάλη, ut ὁ χύτρος, ἡ χύτρα, idem. Fons Nili à forma phialæ ita dictus. Hæc porro opinio Timæi. Plinius: *verùm sole per eos dies comminus facto, extrahi ardoris vi, & suspensum abundare, ac, ne devoretur, abscondi. Id evenire à canis ortu per introitum solis in leonem, contra perpendiculum fontis sidere stante, cum in eo tractu absumantur umbræ.* Et paulo post: *sed Timæo, si quis extrahi posse putat, umbrarum defectus his diebus & locis sine fine adest.* Ita distinguendum. Si quis est, inquit, qui extrahi posse putet Nilum vi ardoris, & suspensum abundare ex sole stante contra fontis ejus perpendiculum, Timæo hujus sententiæ auctori *adest*, id est, suffragatur umbrarum defectus, qui in illis locis, & illis diebus sine fine exittit. Certè ex umbrarum defectu colligitur perpendicularis suprà verticem solis statio. Quod autem ait sine fine in illis locis, ubi fons est Nili, umbrarum esse defectum, an ex veterum opinione, & errore loquitur, qui sub Tropico perpetuam esse meridiem, sole semper ad perpendiculum stante, ideoque nullas unquam umbras ibi jaci crediderunt? Ita sentit vir magnus. Hinc illa Lucani:

---- *umbras nunquam flectente Syene.*

Ita veteres libri, nec aliter lectum est ætate Macrobii, qui merito id reprehendit. Per illos igitur dies, quibus crescit Nilus, in illis locis, unde oritur, umbras sine fine absumi, ac deficere vult Plinius. Ergo sub cancro & leone, per duo scilicet dodecatemoria, nullæ umbræ in illo tractu, ubi fontes Nili. Idem de Meroë, & Syene pronuntiat Lucanus:

---- *contraque incensa leonis*
Ora tumet: cancroque suam torrente Syenem
Imploratus adest, nec campos liberat undis,
Donec in autumnum declinet Phœbus, & umbras
Extendat Meroë.

A Id est, donec ἄσκιος esse desinat Meroë, quod fit sole in autumnum inclinante, cum in virginem transit. Tunc enim residit, & decrescere incipit. Igitur ex sententia Lucani per totum cancri signum, & leonis Meroë sine umbra. Ita certè opinatur vir magnus, hanc fuisse nimirum Lucani sententiam, tam Syenem quam Meroën ἀσκίους esse toto solis per cancrum & leonem transitu. Ignoscant mihi viri summi manes, hoc prorsus falsum est. Diversa quippe veterum opinio fuit de Syene & Meroë, quantum ad ἀσκιότητα, ut ita loquar. Syene sub æstivo tropico cancri, in ea solstitii medio die nullam umbram jaci scribit Plinius lib. II. B cap. LXXIV. Idem ibidem tradit apud Meroën, quæ à Syene quinque millibus stadiorum abest, bis anno umbras absumi, sole duodevicesimam tauri partem, & & quartam decimam leonis obtinente. Diversis itaque temporibus Syene, & Meroë ἄσκιοι: illa tunc est, cum certam partem cancri sol detinet, hæc vero eo die, quo sol certam leonis partem ingreditur. Lucanus quoque diversum tempus ἀσκιότητος his duabus urbibus assignavit. De Syene loquens cancro eam torreri semper dicit, quia sol in cancri signo constitutus, suprà verticem illius civitatis invenitur, quo tempore jugis ibi & incitatissimus calor lib. X.

C ---- *cancroque suam torrente Syenen*
Imploratus adest.

Et lib. VIII.

Nam quis ad exustam cancro torrente Syenen
Ibit.

Tunc enim torrentissimus æstus, cum sol suprà verticem stat, πρὸς κάθετον, ut Syenæ sub solstitio, quo tempore medio die nullas ibi corpora jaciunt umbras. Aristides: οἷς δ' ἂν ὑπὲρ κορυφῆς ἑστῆται τὰ μεσημβρινὰ, τούτοις πλείστην φέρει φλόγα. At de Meroë ita canit:

---- *quæ quamvis arbore multa*
Frondeat, æstatem nulla sibi mitigat umbra,
D *Linea tam rectum mundi ferit illa leonem.*

His verbis apertè indicat Meroën ἄσκιον esse, tantum cum sol per leonem transit. Sed quid est, quod ait leonem rectum feriri ab illa mundi linea. Hæc non intelligo. Scribendum:

Linea tam rectum mundi fert illa leonem.

Adeo, inquit, rectum, & supra verticem stantem in leone solem fert illa mundi linea, sub qua est Meroë. *Leonem rectum* dixit solem in leone contrà perpendiculum stantem. Timæus quoque Mathematicus, cujus de Nili incremento opinionem heîc refert Plinius, in E illis locis, ubi sunt principia Nili, non sub solstitio nullas umbras jaci, sed à canis exortu per introitum solis in leonem memorabat. Verba Plinii: *verum sole per eos dies comminus facto, extrahi ardoris vi, & suspensum abundare, ac, ne devoretur, abscondi. Id evenire à canis ortu per introitum solis in leonem contra perpendiculum fontis sidere stante, cum in eo tractu absumantur umbræ.* Loca, unde auspicatur Nilus, supra Meroën esse, & longe à Meroë meridiem versus, satis constat. In illis locis nullæ umbræ juxta Timæum, sole leonem ineunte. Meroë ipsa tunc ἄσκιος, cum quartam decimam Leonis sol obtinet: Syene vero juxta eumdem ipso solstitii F die nullas habet umbras. Quæ, ut diximus, & Lucanus manifestè distinxit, cancrum Syenæ assignans, sub quo ἄσκιος fit, Meroæ autem leonem. Nec fortasse putandum est per totos dies cancri & leonis nullas umbras eum Syenæ dare, aut Meroæ. Quemadmodum autem veteres solstitia non ut in puncto λογιζόμενα fieri credebant, sed totum dodecatemorium iis deputabant, ita Lucanus cum in certa cancri μοίρᾳ, umbræ absumantur in orbe Syenæ, & in certa Leonis parte apud Meroën, in totum dodecatemorium id extendit. Ita accipiendum cum dicit, *umbras nunquam flectente Syene,* per totum scilicet cancri signum, sub quo sita est. Ita G etiam intelligendum, ubi canit: *Meroën nulla umbra æstatem mitigare,* per totum nempe leonis signum. Sic accepisse satis ostendit versus, qui sequitur:

Linea tam rectum mundi fert illa leonem.

Ergo in leone tantum suprà verticem habet solem, & umbras absumit. Idem scribit Nilum non prius campos liberare, quam umbras extendat Meroë, quando sol nimirum à leone in virginem transgreditur. Præterea

rea cum *umbras nunquam flectentem Syenen* de toto anno capere non possimus, cur de duobus potius mensibus, quam de uno accipiemus? Fallitur denique vir incomparabilis, qui meridiem perpetuum sub tropicis assignasse veteres, eoque nullas usquam umbras ibi extitisse affirmat. Lucem quidem ibi perpetuam, non μεσημβρίαν æternam collocaverunt. Ausonius de Æthiopibus, & de nostro tropico:

Semper ubi æterna vertigine clara nitet lux.

Deinde etiam in illis locis, quæ ἄσκια vocaverunt, ut Syenen, & Meroën, aliaque, non perpetuum totos dies umbrarum defectum fuisse existimandum est, quod prorsus ratione caret, sed in medio tantum die. Aristides: ἐν μὲν Ἐλεφαντίνῃ λάμπεται πάντα, καὶ νεὼ καὶ ἄνθρωποι, καὶ στῆλαι, καὶ οὐδὲν ἔχει σκιὰν τῆς μεσημβρίας, ἐπειδὰν τὴν μεγίστην ὁ ἥλιος πληροῖ. Idem & in urbe Syene, ubi & de puteo narratur, qui medio die totus illuminabatur, ita ut solis clypeus quasi videretur illius putei operculum. Postremo etsi concedimus, quod verum est, putasse veteres per integrum signum solem stare, unde *solstitium*, non tamen dabimus stetisse semper ἐν τῷ μεσουρανήματος κέντρῳ, & perpetuum fecisse meridiem per integrum mensem. Quod absurdissimum est, nec unquam creditum veteribus, nec Lucano. Scribit Aristides in ea Ægypti parte, quæ ad Æthiopiam est, & in ea Libyæ, quæ ad Ægyptum, solstitiis solem stare supra verticem, ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἵστασθαι τὸν ἥλιον. *Solstitium*, & solis suprà verticem stationem demus per integrum signum durasse, Syene, vel Elephantine, quæ in illis locis sunt, quibus suprà verticem ad perpendiculum sol tunc temporis stat, non totos dies umbris carebunt, sed singulis diebus, solo meridie medio, quum sol altissimus orbe est. Lucanus igitur, qui solstitium juxta veteres toto signo committi credit, toto etiam signo umbrarum defectum in Syene agnoscit. Nam Syene oppidum secundum veteres medio solstitii die umbrarum defectum patiebatur, semelque tantum in anno. Ptolemæus de Syene: ὅ τε ἥλιος ἅπαξ τοῦ ἔτους ἐν αὐτῇ γίνεται κατὰ κορυφὴν, ὅταν ἐπ' αὐτὰς ᾖ τὰς τροπὰς θερινάς. Aliud est de Meroë, nec adeo quicquam tale de ea dicere potuit Lucanus, quum & eam non sub cancro, sed sub leone constituat, & quam certum est bis in anno solem suprà verticem habuisse, non in solstitiis ipsis, sed, ut ex Plinio constat, sole duodevicesimam tauri partem, & quartam decimam leonis partem obtinente, hoc est, quadraginta quinque partibus, & triente ab æstivo solstitio distante, ut habet Ptolemæus. Idem porro est κατὰ κορυφὴν λαμβάνειν τὸν ἥλιον, & ἄσκιον εἶναι. Id semel, & uno tantum die, eoque medio fiebat, quod Lucanus in totum leonis dodecatemorium extendit. Plinius vero non de Syene, nec de Meroë intellexit, quum dicit his diebus, quibus crescit Nilus, & in illis locis, unde nascitur, defectus umbrarum sine fine existere. Nimirum putavit multis diebus ante & post solstitium in illo tractu umbras non fieri, sole semper supra verticem stante. Ita enim lib. 11. capite, *ubi & quando umbræ*, de Berenice & Ptolemaïde Æthiopiæ oppidis scribit: *constatque in Berenice urbe Troglodytarum, & inde stadiis quatuor millibus nongentis viginti, in eadem gente Ptolemaïde oppido, quod in margine rubri maris ad primos elephantorum venatus conditum est, hoc idem ante solstitium quadragenis quinis diebus totidemque post fieri, & per eos XC dies in meridiem umbras jaci.* Ex his palam est eum intelligere, totis quadragenis diebus ante solstitium totidemque post sine fine supra verticem urbibus illis solem esse, umbramque non fieri, medio duntaxat die scilicet: nec enim aliter sumi potest. Per eos autem nonaginta dies ante, & post medium diei umbras in meridiem jaci. Idem ergo & de illa regione sensisse patet, in qua fons Nili à Timæo ponitur. Sed manifestò hallucinatur Plinius. Ptolemaïs illa, de qua loquitur, Græcè Πτολεμαῒς θηρῶν vocatur, quod condita esset ad elephantorum venatus. In vetusto codice scriptum est: *quod in margine rubri maris ad primum elephantorum venatus conditum est.* Transposita verba sunt, legendumque: *quod in margine rubri maris primum ad elephantorum venatus conditum est.* Indubitanter vera emendatio. Id oppidum, ut & Meroë bis in anno solem suprà verticem accipit, & umbras absumit, quando quadraginta quinque partibus & triente à solstitio utrimque distat, hoc est, quadraginta quinque partibus ante solstitium totidemque post. Ptolemæus de Ptolemaïde, τῇ τῶν θηρῶν· ὅτε ἥλιος δὶς τοῦ ἔτους ἐν αὐτῇ γίνεται κατὰ κορυφὴν ἀπέχων τῆς θερινῆς τροπῆς ἐφ' ἑκάτερα μοίρας με. γ", hoc est, partes quadraginta quinque, & viginti minuta. Idem prorsus & de Meroë scribit. Plinius partes singulas unius signi pro singulis diebus accepit, & per omnes illos dies, sive partes solem
B supra verticem illis urbibus esse interpretatus est. Græcus auctor scripserat, μοίρας τεσσαράκοντα πέντε κατὰ κορυφὴν τῆς Πτολεμαΐδος ἥλιον ἵστασθαι πρὸ τῆς θερινῆς τροπῆς, καὶ ἴσας μοίρας μετὰ τὴν τροπήν. Plinius: ἀντὶ τῶν μοιρῶν dies posuit, ut revera singulas unius signi partes singulis diebus sol conficit, sed perperam totis illis diebus ante & post solstitium solem κατὰ κορυφὴν illarum urbium stare pronuntiavit. Sic potuit & Lucanus errare circa Meroën, quam *nulla umbra æstatem mitigare* dicit. Cum enim & ipsa similiter bis in anno solem suprà verticem sumat, quadraginta quinque partibus, sive diebus ante solstitium, totidemque post, ita vi-
C detur accepisse, quasi per omnes illos dies continuos sol supra verticem Meroæ fuerit, qui nonaginta dies tres menses faciunt æstivos. Atqui quadragesimo quinto die ante solstitium, & quadragesimo quinto post solstitium, bis in anno scilicet, sol suprà verticem tam in urbe Meroë, quam in Ptolemaïde venationum. Plinius vero nonaginta dies perpetuos suprà verticem Ptolemaïdis solem fuisse, idque semel in anno existimavit, & fortasse Lucanus de Meroë. Ita sensisse Plinium ostendit quod apud eum sequitur de Meroë his verbis, quæ sic legenda sunt: *rursus in Me-*
D *roë, insula hac, caputque gentis Æthiopum quinque millibus stadiûm à Syene in amne Nilo habitatur, bis in anno absumi umbras sole duodevicesimam tauri partem, & quartam decimam leonis obtinente.* Ante de Ptolemaïde dixit quadragenis quinis diebus ante solstitium, & totidem diebus post, eam solem habere suprà verticem, hoc est, per nonaginta totos dies. Heic de Meroë statim subjunxit, quasi rem longè diversam, bis in anno apud eam insulam umbras absumi, sole certam partem tauri transeunte, & certam leonis tenente, ut inde appareat credidisse, hæc magnopere diversa esse, cum Græci scriptores, à quibus ista hausit, idem de utraque dicere voluerint, ac dixerint, quam-
E vis non eodem modo expresserint. Quod Plinium fefellit. Par quippe dierum intervallum à duodevicesima tauri parte ad solstitium, & à solstitio ad decimam quartam leonis. Solstitium nempe intelligendum, quod conficitur inter finem geminorum, & initium cancri in λόγῳ θεωρητῷ puncto. Triginta dies & unum moratur sol in tauro, triginta duo in geminis. Fiunt dies quadraginta quinque à duodevicesima tauri parte ad principium cancri. Totidem rursus à principio cancri ad decimam quartam leonis, sole triginta dies & unum in cancri signo consumente. Plinius idem
F esse idcirco non putavit, quod solstitium in octava cancri parte committi statuit. Ptolemæus certè Ptolemaïdem Troglodyticam, & Meroën in eodem climate collocat, quod dicebatur διὰ Μερόης. Nec in alia sententia omnis antiquitas. Strabo lib. 11. Τοῖς δὲ κατὰ Μερόην, καὶ Πτολεμαΐδα τὴν ἐν τῇ Τρωγλοδυτικῇ ἡ μεγίστη ἡμέρα ὡρῶν ἰσημερινῶν ἐστὶ τρισκαίδεκα. Totidem etiam horarum longissimus dies in Ptolemaïde, & Meroë juxta Ptolemæum. Igitur cum satis constet in eodem parallelo esse has duas urbes, profecto valdè mirandum esset, si in una quidem per nonagenos continuos dies sol supra verticem videretur,
G in altera vero bis tantum in anno, per bidui tantum spatium semel quidem sole constituto in duodevicesima parte tauri, atque iterum semel eodem quartam decimam leonis partem occupante. Quod est absurdissimum. Hanc tamen fuisse Plinii mentem satis clarè ipse alibi prodit his verbis: *ultra silvæ, ubi Ptolemaïs à Philadelpho condita ad venatus elephantorum ob id Epitheras cognominata. Hæc est regio secundo volumine à* nobis

nobis significata: in qua quadraginta quinque diebus ante solstitium, totidemque post, hora sexta consumuntur umbræ, & in meridiem reliquis horis cadunt; ceteris diebus in septentrionem. Nihil his apertius. Ἐπὶ θήρας cognominabatur hæc Ptolemaïs, id est, *ad venationes*, ad distinctionem aliarum Ptolemaïdum. Ptolemæo dicitur Πτολεμαῒς θηρῶν, id est, *Ptolemaïs venationum.* Male vertunt *Ptolemaïs ferarum.* Gemino planè errore, dum Timæi Mathematici sententiam exponit, in partibus originis Nili, per eos dies, quibus in arva crescit, sine fine umbras defici tradit, idque ait opinionem Timæi juvare de Nili incremento. Ceterum nihil tale Timæus ipse, siquidem Mathematicus fuit. Ille sanè dicebat, eodem Plinio referente, sole comminus facto extrahi Nilum ardoris vi, & suspensum abundare, id evenire à canis ortu per ingressum solis in leonem, cum in eo tractu absumuntur umbræ. In eodem ergo climate fontem Nili statuit, quo Napata erat, quæ urbs est Æthiopiæ. Eam Ptolemæus solem rectum habere scribit κατὰ κορυφὴν, ubi distat à solstitio partibus una & triginta. Quod tempus incidit in canis ortum, & solis in leonem introitum. Napata oppidum inter Syenen & Meroen, trecentis sexaginta millibus à Meroë distans. Non dubito quin similiter erret Lucanus circa Meroen, quæ non solum rectum in leone solem habet, sed etiam in tauro. Hinc ille putavit ab illa parte tauri usque ad leonis partem perpetuo solem suprà verticem esse Meroæ. Nihil verius. Solem porro comminus fieri Plinius ex Timæo refert, cum supra verticem vertitur, quia veteres Mathematici pro definito tenebant, non alio magis tempore terris propiorem solem fieri posse, quam ubi ad perpendiculum suprà caput stat. Aristides: οὐ γὰρ ἄλλον γε τοῦ τρόπον ἐγγυτέρω τῆς γῆς ἔνι γίγνεσθαι φήσῃ τὸν ἥλιον, ἢ ὅταν εἰς κάθετον ὑψωθῇ.

Siderum motibus excitari] Quosnam heîc vocat *siderum motus*? Canis ortus intelligit, & novæ lunæ, quibus exorientibus sideribus Nilus excitatur. Ergo *siderum motum* pro ortu dixit. Erudite. Nam veteres *moveri sidera* dicebant, quum exoriebantur, sed & cum occidebant. Nam *moveri sidus* propriè dicitur, quod ἀπὸ τοῦ ἀφανοῦς εἰς τὸ φανερὸν procedit, & contra, quod ἀπὸ τοῦ φανεροῦ εἰς τὸ ἀφανὲς recedit. Cum autem ortus & occasus siderum plerumque diras tempestates commovere soleant, *motum sidus* de eo dicebant, quod commodum oriebatur & occidebat, quod nondum erat ex toto ἐν τῷ φανερῷ, vel ἐν τῷ ἀφανεῖ, quo tempore desævire ut plurimum solita est procella, id est, effectus sideris, vel imber, vel grando, vel tale quid deciduum. At *confectum sidus* dicebatur, quod prorsus est ἐν τῷ φανερῷ, vel ἐν τῷ ἀφανεῖ, totum scilicet exortum, vel absconsum, sedata jam tempestate, quam ortus, vel occasus sideris excitaverat. Hinc illæ loquutiones: *moto sidere, nondum confecto.* Interdum vero effectus ipse, id est, tempestas caussam præveniebat, id est, sideris ortum, vel occasum: hoc Græci προχειμάζειν vocabant, Latini *præsiderare*, quod ante sideris tempus veniret. Festus: *præsiderare dicitur, cum immaturius hiberna tempestas movetur, quasi ante sideris tempus.* Ubi vir doctus notat veteres Romanos ita dixisse, quia anni tempestates *sidera* vocabant, & confectum sidus hiemis, vel peractum sidus æstatis dicebant. Quod est falsissimum. Nam *sidus* heic est τὸ ἄστρον, cujus motus, id est, ortus, vel occasus tempestates, & procellas excitat. Cum tempestas ortum, vel occasum sideris anticipabat, hoc προχειμάζειν Græci, Latini *præsiderare* vocabant. Inde & *desiderare* dictum, quod propriè significat finem, & exitum sideris, vel tempestatis. Ut enim *deferbuisse* dicitur, quod fervere desiit, ita & *desiderasse*, quod desiit siderare, & χειμάζειν. Hinc *desiderari* res dicitur, quæ abiit, nec amplius extat. Sic & *deludere*, ludi finem facere. Nam & *delusisse gladiatores* dicebantur, qui finem ludo, & arti posuerant, quod Græcè καταλύειν dicitur, qui catalysin fecerant. Varro apud Plinium lib. XXXVI. cap. XXVII. *Lix est focus: inde enim cinis lixivus potus medetur: ut licet videre gladiatores, cum deluserint, hac juvari potione.* Hinc *deludium*, cessatio à ludo, vel κατάλυσις ludi. Ita legendum apud Horatium:

---- *clamo, & deludia posco.*

In illis tamen verbis Varronis, pro *cum deluserunt* veteres libri legunt, *cum convulsi sunt.* Quod verum est. Id-

A que firmatur Plinii ipsius testimonio, qui verba ipsa Varronis attulisse fatetur. Ad convulsa viscera, & contusa cinerem lixivum prodesse ex illis verbis Varronis asserit. Iidem libri scribunt. *Lix, inquit, focus.* Inde enim cinis lixivus, cinis e foco. Miror tamen Varronem in ea fuisse sententia, ut putarit hanc vocem *lix* significare ignem. Nam *lix* ex verbo antiquo *liquo*, vel *lico*, quod est σάζω. Inde *delicuisse*, & *liquor*. A lico *lix*, τὸ σάγμα: ut a plico *plix*, τὸ πλύγμα. Inde *cinis lixivus*, quæ Græcis κονία στακτή. De qua nos alibi. Certum tamen est, *deludere* idem esse, quod ludum desinere. Ita ergo & *desiderare* de sidere confecto, quod Græcis ἀποχειμάζειν. Postea traductum ad alia. *Sidus Vergiliarum & Arcturi confectum* legere est apud Hirtium, quod de anni tempestate non potest accipi. Plinius lib. XVIII. cap. XXVI. *Accedit confusa rerum obscuritas nunc præcurrente, nec paucis diebus tempestatum significatione, quod προχειμάζειν Græci vocant: nunc postveniente, quod ἐπιχειμάζειν. Et plerumque alias citius, alias tardius cæli effectu ad terram deciduo: unde vulgo serenitate reddita confectum sidus audimus.* An inde confectum sidus dicitur, quod alias citius, alias tardius cæli effectus ad terram decidat? Ineptè. Libri veteres non habent illud *unde.* Scribe igitur: *& plerumque alias citius, alias tardius cæli effectu ad terram deciduo, vulgo serenitate reddita confectum sidus audimus.* Non aliter *confectum sidus* dici solebat, quam ubi tempestas, quæ sideris erat effectus, deciderat, ac desævierat. Inde, inquit, alias citius, alias tardius confectum sidus audimus, quum serenitas nimirum reddita est, etiam si sidus ipsum revera nondum sit motum. Quod vulgi consuetudine obtinuit. Hæc mens Plinii, ἐπιχειμάζειν vocat, cum tempestatis significatio post sidus venit. Vegetius vero ἐπιχείμασιν id esse ait, cum die legitimo, & sollemni nascitur tempestas, cum autem subsequitur & postvenit, μεταχείμασιν dici. Sequitur apud Plinium: *præterea cum omnia hæc statis sideribus, cæloque affixis constent, interveniunt motu stellarum grandines, imbres, & ipsi non levi effectu, ut docuimus, turbantque concepta spei ordinem.* Certè nemo dubitat, quin imbres, & grandines effectum grandem habeant. Immo hæc effectus sunt stellarum, siderumque motus. Libri habent: *grandinum, imbrium.* Scribo: *interveniunt motus stellarum, grandinum, imbrium & ipsi non levi effectu.* Interveniunt motus stellarum, qui & ipsi non levem effectum habent grandinum, & imbrium. Nam licet siderum motus majore effectu sint, non levi tamen & ipsi sunt stellarum motus in excitandis imbribus, & grandinibus. Florus lib. IV. *quodque in annua cæli conversione fieri solet, ut mota sidera tonent, ac suos flexus tempestate significent.* Hinc significatione Græcis ἐπισημασίαι pro tempestatibus. *Mota sidera*, ut dixi, orientia sunt, & cadentia. Planetæ quoque *moveri* dicuntur, cum signa deserunt, vel ingrediuntur. Tunc enim & suos flexus, & transitus tempestate plerumque significant. De his loqui puto Florum hoc loco. Vegetius: *transitus quoque siderum, quos planetas vocant, cum præscripto cursu dierum arbitrio creatoris suscipiunt signa, vel deserunt, frequenter assolent serena turbare.* Πλανητῶν παρόδους Græci vocant. Τροπαὶ quoque, quibus quadripartita constat anni distinctio, non raro significatus habent tempestatum. Et has utique etiam potest intelligere Florus per *siderum flexus.* Quum enim ad metam sunt, flectuntur. Inde τροπαί. Plinius *confectum sidus* de solstitio peracto dixit lib. XVI. cap. XXIII. *Circumaguntur enim folia earum post solstitium: nec alio argumento certius intelligitur sidus confectum.* Τροπὰς θερινὰς confectas intelligit. *Mota sidera lunæ* vocat Manilius, quum incrementis ad plenilunium movetur ab ortu suo:

Sic pontum movet, & terris immittit, & aufert,
Atque hæc seditio pelagi, nunc sidera lunæ
Mota tenent, nunc diverso stimulata recessu,
Nunc anni spatio Phœbum comitata volantem.

In quibus versibus quà explicandis, quà corrigendis multum sudat vir magnus, qui nec sibi, nec puto aliis satisfecit. De luna hæc accipienda, qui enim de ponto possent? Nam anni spatio Phœbum comitatur volantem. Cælum, inquit Manilius, pontum movet, & modo terris superfundit illum, modo retrahit. Cælum ergo æstus maris facit. Quomodo? Luna scilicet id præstat, cujus sidus modo in ortus movetur, & pon-
tum

tum tenet, modo contrario recessu stimulata mergitur. Sic igitur legendum:

Atque hinc seditio: pelagus nunc sidera lunæ
Mota tenent: nunc diverso stimulata recessu.

Plinius de æstibus: *bis inter duos exortus lunæ affluunt, bisque remeant, vicenis quaternisque semper horis. Et primum attollente se cum ea mundo intumescentes, mox à meridiano cæli fastigio vergente in occasum residentes, rursusque ab occasu subter cæli ima, & meridiano contraria accedente, inundantes: hinc donec iterum exoriatur se resorbentes.* Atque inde, inquit, hæc seditio: nam lunæ sidus nunc motum in ortus pelagus tenet, nunc diverso recessu stimulatum mergitur, & occidit. *Pelagus* pro horizonte posuit, ut alibi:

Nascentem si quem pelagi perstrinxerit unda,

id est, ὁρίζων. Ergo sidera lunæ mota pelagus tenent, quæ supra horizontem moventur, & attolluntur. *Pelagus* scriptum esse in optimo Gemblacensi notat Scaliger. *Mota sidera lunæ* sunt exorientia, ut hoc loco. *Motus siderum* pro exortu propriè. Qui sequitur versus manifesto etiam ad lunam referendus:

Nunc anni spatio Phœbum comitata volantem.

Etenim per duodecim mensium spatia solem annuo cursu volantem consequitur. Plinius de luna: *haud scio an omnium quæ in cælo prænosci potuerunt magistra in duodecim mensium spatia oportere dividi annum, quando ipsa toties solem redeuntem ad principia consequitur.*

Extractumque radiis cadentibus cælesti igne suspendi] Hæc opinio Timæi Mathematici, cujus tamen præter Plinium nemo veterum meminit. Inter varias auctorum sententias de Nili incrementorum causis hac eadem causa Oceanum intumescere quidam ex veteribus crediderunt; extractum nempe radiis solis, & erectum suspensumque æstibus terras inundare. Lucanus:

---- *an sidere mota secundo*
Tethyos unda vagæ lunaribus æstuet horis.
Flammiger an Titan ut alentes hauriat undas,
Erigat Oceanum, fluctusque ad sidera tollat.

Sic sole εἰς κάθετον supra Nili fontes stante, Nilum extrahi candentibus radiis, & suspensum abundare Timæus asserebat, per introitum solis in leonem, quo tempore in illis locis absumuntur umbræ, ferventissimo tunc æstu torrente. Subjicit Plinius: *plerisque diverso opinatis largiorem fluere ad septentrionem sole discedente, quod in cancro, & leone evenit, ideoque tunc minus siccari.* Non negabat Timæus sole in cancro, & leone existente largiorem fluere Nilum, hoc enim inter omnes convenit, sed aliam hujus rei causam assignabat. Præterea falsum est, quod ait Plinius in cancro, & leone solem ad septentrionem discedere. Nam è contrario dum per ea signa transit, à septentrione recedit. Septentrionem versus pergit usque ad solstitium, quod in principio cancri committitur. A solstitio, quod est punctum λόγῳ θεωρητόν, per totum cancrum, ac reliqua deinde signa usque ad capricornum versus austrinum polum tendit. Nihil notius. An legi debet, *à septentrione sole discedente.* Nihil mutandum. Ablepsia Plinii est. Opinio est Herodoti, quam heîc refert. Is sole ad septentrionem discedente omnia Græciæ, & Europæ flumina torreri, & siccari pro confesso ponit. Ergo Nilum, qui ad austrum est, tunc minus siccari, sole longius remoto, eoque largiorem fluere. Vice versa sole ad austrinum polum reverso reliqua Europæ flumina abundare, Nilum vero, qui propiorem tunc solem habeat, ab eo extrahi, & parcius fluere. Diodorus in referenda Herodoti opinione: τοῦ δὲ θέρους ἐπιστάντος ἀποχωροῦντα τῇ φορᾷ τὸν ἥλιον πρὸς τὰς ἄρκτους, ἀναξηραίνειν καὶ ταπεινοῦν τοὺς περὶ τὴν Ἑλλάδα ποταμούς. Sol ἀποχωρεῖ πρὸς τὰς ἄρκτους, ad septentrionem discedit, usque in solstitium, & initium cancri, ab eo ad austrum reverti incipit. Theophylactus Simocata: τοῦ δὲ θέρους ἐπιστάντος καὶ πρὸς τὰς ἄρκτους ποιουμένου τὴν βάδισιν, ἀναξηραίνειν καὶ ταπεινοῦν τοὺς περὶ τὴν Ἑλλάδα ποταμοὺς πεφυκότος. Διὰ τοῦτο μὴ παράδοξον καθεστάναι τὴν περὶ τὰς θερινὰς τροπὰς τοῦ Αἰγυπτίου πλήρωσιν ποταμοῦ. Quod enim sole ad septentriones tendente siccentur Græciæ amnes, inde non mirum esse, si Nilus, qui in contraria fluit plaga, circa solstitium largior manet, quia minus siccetur. Solstitio tenus tantum solem ad septentrionem currere dixerunt omnes. At leonis signum longè à solstitio.

A Incertus auctor: τὸν δὲ ἥλιον τοῦ χειμῶνος κατὰ τὴν Λιβύην, ποιούμενον τὴν πορείαν ἀναξηραίνειν τὸν Νεῖλον. Ἐπὶ δὲ τὰς θερινὰς τροπὰς μεθιστάμενον πρὸς τὴν ἄρκτον ἰέναι. Idem Plinius alibi rectè: *at sol ipse ad aquilonem scandens, ac per ardua enisus ab ea meta incipit flecti, & degredi ad austrum, aucturus noctes aliis mensibus.* A solstitii meta incipit flecti, & degredi ad austrum. Ita legendum, non *digredi.* Nam ad aquilonem scandere dicitur: cum inde recedit, degreditur ac descendit. Sic *degredi monte*, non *digredi.* Ceterum contrariæ in eo Herodoti, & Timæi opiniones, quod ille minus siccari, & torreri Nilum æstate dixit,
B quia sol remotior tunc sit ab illis locis, ubi fluit, ideoque abundantior eat, hic autem candentibus solis radiis eo tempore extrahi, & extractum, suspensumque largius ire pronuntiat.

Sine certa legis disciplina, hoc est, lunis cœptantibus] Plinius expositis variorum scriptorum sententiis de causa incrementorum Nili, quarum ultima est, quæ auctorem habet Timæum, de tempore auctus ejus ita scribere infit: *incipit crescere luna nova, quæcunque post solstitium est, sensim modiceque sole cancrum transeunte, abundantissime autem leonem.* At Solinus heîc quasi proprium &
C peculiare hoc assignat opinioni Timæi. Quod absurdissimum. Nam τὸ ὅτι inter omnes convenit, τὸ διότι ambigitur.

Verum omnem abscessus originem de sole concipi] Ita libri, nisi quod quidam habeant, *de solo concipi.* Atque ita in Regio, qui in margine corrigit, *de sole*, quod indubitate verum est. Nam causam abundationis Nili in solem plerique conferebant, Timæus, Herodotus, alii. Aristides id negat: μᾶλλον δὲ οὐχ ὁ ἥλιος φαίνεται ποιῶν, ἀλλ' ὁ Νεῖλος τοὐναντίον. Orus Apollo: λέγεται γὰρ μᾶλλον τῶν ἄλλων ἀνθρώπων ἡλίῳ χαίρειν τοὺς Αἰγυπτίους, διὰ τὸ τὸν Νεῖλον αὐτοῖς πλημμύρειν ὑπὸ τῆς θερμότητος τούτου τοῦ θεοῦ. Ita legendus hic locus.
D *Abscessum* vero Solinus heîc vocat ὑπερέκβασιν ὕδατος, & humoris evagationem. Sic *abscessus*, quod Græcis ἀπόστημα, vomica, ac papula. Sed *abscessus*, vel ἀπόστημα propriè tunc dicitur, cum tumor, vel vomica εἰς πῦον ἀποχωρεῖ, in pus abscedit, & erumpit. Inde metaphorice hoc loco forsan *abscessum* vocaverit, quum aquarum Nili tumor de sole conceptus incipit erumpere, & manare, quæ μικρόλογος κακοζηλία esset. Verius est, ut *abscessum* pro excessu dixerit. In editionibus vulgariis excusum est: *verum omnem excessus originem de sole fieri, primamque exultantiam tumoris concipi, cum per cancrum sol vehatur.* Quæ prioris editionis scriptura esse videtur. Posterioris ea est,
E quam edi jussimus: *verum omnem abscessus originem de sole concipi, primosque fieri excessus tumoris cum per cancrum sol vehatur.* Certè in plurimis eam, optimisque codicibus invenimus. Melius etiam fortasse scripseris in altera lectione: *primamque exultantiam humoris concipi.* Sic suprà de eadem re: *concordi violentia, hinc urgentis elementi, hinc resistentis, undis exultantibus molem, colligi quæ excessus facit.* Sed & in ea, quam reposuimus, sic etiam legi malim: *primosque fieri excessus humoris.* Πλήρωσιν καὶ ἀνάβασιν ὕδατος, excessum & exultantiam humoris vocat. Et *humorem* pro aqua posuit, ut paulo ante: *ipsumque fontem supero humore saginatum.* Et in pervigilio Veneris:

F *Tunc humore de superno, spumeo Pontus globo,*
Fecit undantem Dionem.

Nihil tamen muto. Sic *tumorem* pro mole aquæ Lucanus posuit:

Qui manifesta novi primum dant signa tumoris.

Et Manilius lib. v.

---- *Nilusque tumescit in arva.*

Ubi ingressus leonem ortus sirios excitavit] Ex colore, quem præferebat sirius in exortu suo, judicabant Ægyptii astronomi, qualis, & quanta futura esset Nili ἀνάβασις. Hephæstion: περὶ ἐπισημασιῶν τῆς τοῦ κυνὸς ἐπιτολῆς, παρέσησαν οἱ παλαιγενεῖς σοφοὶ Αἰγύπτιοι, καὶ τὰς τῆς σώθεως
G ἐπιτολὰς ἐν τῇ κε τοῦ μηνὸς Ἐπιφὶ, καὶ τὰ τούτων ἀποτελέσματα ἐξέθεντο, ὡς πλείστων ὄντων ὀλίγα, καὶ εὐσύνοπτα παραληψόμενοι. Et paulo post: ἀνατείλασα τοίνυν ἡ σῶθις χρυσοειδὴς εἰς ἅπαντα γίνεται σύμφορος, εὐφορίαν γὰρ καὶ τὰ κάλλιστα τῇ χώρᾳ μηνύει, τὰς τε ἀναβάσεις, καὶ ἀποβάσεις ὑδάτων ἐν δέοντι καιρῷ καὶ κατὰ λόγον μηνύει. Et paulo infrà: μικρὸς δὲ καὶ ζυγνὸς ἀνατείλας βορέου πνέοντος, τὴν δὲ ἀνάβασιν τοῦ Νείλου ἔσεσθαι, καὶ τὰς λίμνας ἐλαττωθῆναι. Et inferius: ἀνατείλας δὲ μέγας καὶ λαμπρὸς λιβὸς, καὶ νότου πνέοντος, μετρίας δὲ ἀναβάσεις καὶ λιμὸν μηνύει. Et plura ibidem in libris nondum editis. Σῶθις Ægyptiis, qui

qui Græcis σείρι⊙. Hic oriebatur in prima parte leonis juxta Manilium, Plinium, Firmicum, & alios Quod si in ortu ejus, ut heîc testatur Solinus, propulso omni fluore, tota vis Nili erumpebat, non video qui possit stare, quod ab Hephæstione proditur, Ægyptios ex illius sideris orientis colore, & habitu conjecturam cepisse, qualis futurus esset Nili ascensus. Vana quippe auguratio est super ea re, quæ aut jam evenit, aut prope ad effectum perducta est. Per gradus enim crescit Nilus, & à solstitio crescere cœptans, in prima leonis parte, quum oritur sirius, totum absolvit incrementum. Plinius simpliciter ait, sole cancrum transeunte, sensim, modiceque crescere, abundantissime autem cum leonem transit. Non dicit, quod heîc temere pronuntiat Solinus, in prima parte leonis totam vim amnis erumpere, & incrementum peragi. Sed ne sic quidem ratio constabit Hephæstioni. Nam plurima jam sui parte Nilus ascendit, quum sirius oritur. At ille ita loqui videtur quasi de Nilo tum ascendere incipiente. Timæus Mathematicus idem ferè adstruit, qui per introitum solis in leonem à canis ortu Nili fontem extrahi sensit sole tum supra verticem illi adstante, & suspensum abundare. Huic quoque sententiæ concinit veterum illorum opinio, qui etesias aquilones efficientem causam statuebant incrementorum Nili. Etesiæ porro venti flare incipiunt decimo septimo Calendas Augusti, cum canis oriatur decimo sexto juxta Plinium. Interpres Apollonii: Ἐτησίαι ἄρχονται πνεῖν περὶ τὴν ἐσχάτην μοῖραν τοῦ ἡλίου ὄντος ἐν καρκίνῳ μέχρις οὗ τὸν λέοντα παρέλθῃ. Et paulo post idem, ἄρχονται δὲ πνεῖν τοῦ ἡλίου ὄντος ἐν τῷ τοῦ καρκίνου τέλει, πνέουσι δὲ δι' ὅλου τοῦ λέοντος. Aratus:

Ἠελίου τὰ πρῶτα συνερχομένοιο λέοντι
Τῆμος καὶ κελάδοντες ἐτησίαι εὐρέϊ πόντῳ
Ἀθρόοι ἐμπίπτουσι.

In prima parte leonis oriri eos facit, quo tempore & canis oritur. At Plinius Prodromos dicit octo fermè diebus antecedere canis exortum, etesias vero post biduum exortus ejusdem caniculæ flare incipere. Ptolemæus tredecimo Calendas Augusti solem in leonem ingredi, & canem exoriri tradit, postridie etesias flare. Juxta veterum itaque quorumdam sententiam, cum etesiæ incipiunt spirare, tum & Nilus crescere, post canis utique exortum. Nam eos ventos in causa esse ut Nilus cresceret, credidere. Hos etsi confutat, ac revincit Herodotus eo maximè argumento, quod etesiæ nondum sentiuntur, & Nilus ascensum jam auspicatus est, ex eodem tamen colligi potest, Nilum sæpenumero non ante in arva surgere, quam etesiæ flaverint. Πολλάκις δὲ, inquit, ἐτησίαι μὲν οὐκ ὦν ἔπνευσαν, ὁ δὲ Νεῖλος τωὐτὸ ἐργάζεται. Dicit πολλάκις. Ergo etiam interdum etesiis flatibus cœptantibus Nilus auspicatur incrementum suum. Inde & veteres Ægyptii considerabant ortum sirii, ut ex ejus figura conjectarent, an bene sperandum esset de ascensu Nili, qui utique subsequebatur. Ideo & natalem mundi Ægyptii sacerdotes eo die constituisse videntur, quo Sirius oriebatur, quia ut plurimum tunc Nilus crescere incipiebat, cujus ἀναβάσει felicitas illius terræ constabat. Quomodo igitur hæc conciliabimus? Nam circa solstitium alii exordia ascensus Nili collocant, alii circa ortum Sirii. Plinius caniculam oriri vicesimo tertio die post solstitium scribit lib. XVIII. cap. XXVIII. Idem tradit Nilum crescere incipere luna nova, quæcunque post solstitium est. Non igitur statim à solstitio, sed sæpe tardius crescere incipiebat. Aristides: ἄρχεται μὲν γὰρ ἡ ἀνάβασις τροπαῖς θεριναῖς ἢ ὀλίγῳ βραδύτερον. Idem Plinius solstitium confici dicit in octava parte cancri, octavo Calendas Julii. Alii tradunt sexto. Nam octava pars cancri incidit in sextum Calendas Julii. Idem caniculam, id est, sirium, quem Ægyptii σῶθιν vocant, Ægypto exoriri scribit quarto Nonas Julii, Italiæ vero decimo sexto Calendas Augusti. A sexto Calendas Julii ad quartum Nonas ejusdem mensis dies octo tantum intersunt. Si nova tantum luna post solstitium crescere incipiebat Nilus, inde accidere sæpe erat necesse, ut auspicia incrementorum ejus non raro inciderent in canis exortum, interdum etiam nec paucis diebus post venirent. Licet autem concedamus ab ipso semper solstitio Nilum ἀνάβασιν in-

A choare solitum, quum septimo tantum, aut octavo die post solstitium Ægypto sirius exoriatur, adhuc in ejus exortu poterant conjecturam capere Ægyptii sapientes, qualis futura esset tota ἀνάβασις. Hephæstion Thebæus, & ipse Ægyptius caniculæ exortum Ægyptiis observari dicit vigesima quinta Epiphi, quæ respondet decimo nono Julii, vel, quod idem est, decimo quarto Calendas Augusti. Quo tempore Italiæ eam exoriri scribit. Palladius in Græco Epigrammate, quo mensium Ægyptiacorum nomina continentur, mensi Μεσορὶ adscribit Nili incrementum, qui mensis sequitur Ἐπιφί.

Καὶ σταφυλὴν κατέχων εὐάμπελός ἐστιν Ἐπειφί
B Καὶ Μεσορὶ Νείλοιο φέρει φυσίζοον ὕδωρ.

Mesori Augusto respondet, Epiphi Julio. Quum in Julio oriatur canicula, ejus exortus anteit abundationem Nili. Aliud epigramma de mense Augusto:

---- τὰ δ' ἐμὰ περὶ Νεῖλον ἐγείρει.

Sanè omnino præcedat oportet exortus caniculæ Nili ἀνάβασιν, ut ex Hephæstione constat, cujus & ista sunt: ὁ δὲ Ἀφροδίτης ἀστὴρ ἐν τῷ καιρῷ τῆς τοῦ ἄστρου ἀνατολῆς τυχὼν ἐν διδύμοις ἀνάβασιν ἱκανὴν καὶ ὀσπρίων φορὰν ἔσεσθαι σημαίνει. Et paulo post: τοῦ τε Ἑρμοῦ ὄντος ἐν διδύμοις κατὰ τὴν ἀνατολὴν τοῦ κυνὸς, ἀνάβασις ἔσται κατὰ λόγον καὶ εὐφροσύνη τοῖς δή-
C μοις. Atque ita de ceteris. Et sub finem capitis: μικροῦ δὲ ὄντος καὶ χλωροῦ μετὰ τῶν συνέγγυς ἀστέρων καὶ ἡ ἀνάβασις μικρὰ ἔσται, καὶ σπάνις καρπῶν κατὰ πᾶσαν τὴν γῆν. Ex his omnibus liquet frequentissimum, & vulgatissimum τῆς ἀναβάσεως tempus extitisse à canis ortu, & principio flantium etesiarum, quandoquidem & etesias quidam statuerent τῆς ἀναβάσεως αἰτίους. Timæus quoque per introitum solis in leonem post canis ortum Nilum augescere dicit apud Plinium, hoc est, tredecimo Calendas Augusti. Tunc enim ingreditur sol in leonem. Ergo decimo quarto Calendas Augusti canis juxta Timæum exoritur. Verba Plinii: *id evenire à ca-*
D *nis ortu per introitum solis in leonem.* At eo tempore Romanis exoriebatur, non Ægypto. Palladius: *denique in ortu caniculæ, qui apud Romanos quarto decimo Calendas Augustas tenetur.* Plinius decimo sexto scribit exoriri, utpote qui solstitium confici velit octavo Calendas Julii, quod alii circa sextum Calendas constituunt. Sic exortus caniculæ vigesimo tertio die fuerit post solstitium juxta utramque opinionem. At Servius ad tertium Æneidos notat sirium annis omnibus oriri circa octavum Calendas Julii, hoc est, circa ipsum solstitium. Manilius in sphæra barbarica, id est, Ægyptiaca sole in prima
E parte leonis existente, Sirium tradit oriri solitum, quem Scaliger falsum esse asserit. Nam in finitore barbarico canem oriri principio cancri, sæculo autem Manilii in septima cancri. Ipse viderit, καὶ οἱ ἀστρολόγων παῖδες. Inter omnes ferè convenit etiam vetustissimos canem exoriri duodecimo Calendas Augusti principio leonis. Aratus, Timæus Mathematicus apud Plinium, omnes alii. Lucanus disertim canit Nilum non ante canis ortum intumescere his versibus:

---- *neque suscitat undas*
Ante canis radios, nec ripis alligat amnem
Ante parem nocti libra sub judice Phœbum.

F Idem tamen in principio leonis sirium oriri scribit:

---- *qua mixta leonis*
Sidera sunt cancro, rapidos qua sirius ignes
Exerit.

Atqui ibidem dicit Nilum intumescere, *contra leonis accensa ora, & cancro suam torrente Syenen.* Hæc contraria sunt. Nilus non crescere incipit ante canis exortum, qui oritur per introitum solis in leonem: idem tamen Nilus augescit sole cancrum transeunte. Sed talia multa sunt Lucani. Cum solstitium ille extendat per totum cancri signum, Nilus, qui undas suscitat à canis exortu, à solstitio quoque incrementi initium
G ducere dici queat. Certè Diodorus scribit Nilum, τῆς πληρώσεως τὴν ἀρχὴν ποιεῖσθαι ἀπὸ θερινῶν τροπῶν μέχρι τῆς ἰσημερίας τῆς μεθοπωρινῆς. Græci veteres, ut rectè notat Scaliger, θερινὰς τροπὰς, id est, τὰ κέντρα VIII Julii mensis statuebant, hoc est, undecim tantum dies ante exortum canis. Nilus, qui modò citius, modò tardius post solstitium crescebat, haud multis diebus canis exortum anticipabat, sæpè & postveniebat. Aliter hæc etiam conciliari possunt. Sole cancrum

crum transeunte modice, ac lentè Nilus sensimque crescebat. At sole leonem ingresso abundantissimus exibat, ut disertè Plinius testatur. Ideo initia ejus incrementi in leone multi statuunt, circa exortum caniculæ, non in cancro. Scholiastes vetus Arati: Λέων ἔχει ἐπὶ τῆς καρδίας ἀστέρα βασιλίσκον λεγόμενον, ὃν Χαλδαῖοι νομίζουσιν ἄρχειν τῶν οὐρανίων. Ὄντος δὲ ἡλίου ἐν λέοντι ὁ Νεῖλος ἀναβαίνει. Item alio loco: καὶ παρ' Αἰγυπτίοις αἱ κλεῖδες τῶν ἱερῶν, λεόντων φέρουσι πρόσωπα, καὶ τῷ σχήματι ἁλύσεις ἀπηωρημέναι καρδίαν ἐξηρτημένην ἔχουσι. Ὅλον δὲ ἄστρον ἀφιερώκασι τῷ ἡλίῳ. Τότε γὰρ ἐμβαίνει, καὶ ὁ Νεῖλος, καὶ ἡ κυνὸς ἐπιτολὴ κατὰ ἑνδεκάτην ὥραν φαίνεται, καὶ ταύτην ἀρχὴν ἔτους τιθέντες. Nulla igitur habita ratione hujus incrementi, quod sole cancrum transeunte fit, quia modicum, & lentum est, leonis signo accessionis Nili exordium assignarunt. Sed promptius rem factam habebimus, si Scaligerum audiamus. Is caniculam tempore Manilii in septima cancri parte oriri solitam scribit in finitore Barbarico, vel Ægyptiaco. Solstitium tum committebatur apud Romanos in octava parte cancri. Ergo uno die præcedebat ortus caniculæ Ægyptiacus solstitium. Ut non mirum sit alios tradere Nilum à solstitio crescere, alios vero non ante caniculæ exortum auspicari incrementa sua. Sed mirus adversum hæc auctorum consensus illius ævi, qui omnes tradunt etiam in finitore Ægyptio caniculam ortum facere in prima leonis parte. Lucanus, qui Nilum canit non tumescere ante canis ortum, idem tamen tradit sirium in prima leonis parte oriri. Has auctorum turbationes libuit adnotare, ut, quum hoc videant tirones, desinant credere omnia esse vera, quæ pro teste habent vetustatem. Sed de his infra plura.

Ubi ingressus leonem ortus sirios excitavit] Græcis σείριος stella in maxilla, vel ore canis. Hanc propriè *caniculam* appellari Latinis, totam autem μόρφωσιν canem notat Scaliger, & fallitur. Nam *caniculam* etiam Latini vocarunt sidus ipsum, quod Græci κυνὸς ἄστρον appellant. Varro: *inde ad caniculæ signum dies viginti novem.* Festus: *Rutilæ canes, ut ait Atejus Capito, canario sacrificio immolantur pro frugibus deprecandæ sævitiæ causa sideris caniculæ.* Clarissimè Servius, qui sirium stellam esse dicit in ore caniculæ: *sanè canicula, in cujus ore est sirius, generis tantum fœminini est.* Nec aliter accipiendum apud Firmicum his verbis: *canicula in prima parte leonis oritur, quem Græci σείριον vocant, hoc oriente sidere quicunque nati fuerint.* Sidus vocat, non stellam. Græci quoque σείριον pro toto sidere plerunque usurpant. Stellam porro, quæ in ore canis, Græci σείριον appellarunt à candore, & luciditate flammæ. Aratus:

---- ὅς ῥα μάλιστα
Ὀξέα σειριάει.

Id est, acutissimè splendet, & acutissimi est candoris. Sic ἐξυφοινικῶν, & ὀξύπορφυρον. Falluntur, qui vertunt, *exsiccat*, aut *incendit*. Et nugantur etiam Græci Grammatici. Rectè Hyginus: *& Sirion appellasse propter flammæ candorem: quod ejusmodi sit, ut præter ceteras lucere videatur.* Σειριᾶν igitur lucere, & splendere interpretatur. Nec verbum est Ægyptiacum hac significatione, ut falso sibi persuadent docti viri. Æschylus solem vocaverat σείριον ab eodem lucis splendore. Sophocles ἐπιθελκτῶς σείριον κύνα, id est, splendentem, & lucidum canem:

---- *quo nullum clarius astrum*,

ut inquit Manilius. Sophocles:

---- σειρίου κυνὸς δίκην.

Inde & stella in canis sidere maximè lucida σείριος κατ' ἐξοχὴν appellata. Ibycus omnia astra σείρια vocabat ab eodem candore lucis. Hesychius: σείριος, ὁ Ἀρχίλοχος τὸν ἥλιον, ὁ δὲ Ἴβυκος πάντα τὰ ἄστρα. Scholiastes Apollonii: ὁμοίως δὲ καὶ πάντα τὰ ἄστρα σείρια λέγοιντο ἄν, οἱονεὶ τειρεά τινα ὄντα. Nugatur. Σείρια astra, sol, caniculæ sidus. Inde σειριᾶν lucere solis, & siderum in morem. Plinio *canicula* dicitur, qui Græcis προκύων. Ita enim scribit lib. XVIII. cap. XXVIII. *Sexto kalendas Julii Cæsaris orion exoritur, Zona autem ejus quarto Nonas Assyriæ: Ægypto vero procyon matutino æstuosus: quod sidus apud Romanos non habet nomen, nisi caniculam hanc volumus intelligi, hoc est, minorem canem: sanè ut in astris pingitur. Est autem magnopere pertinens, sicut paulo mox docebimus.* Lege: *hoc est minorem canem, ut in astris pingitur, ad æstum magnopere per-*
A *tinens.* Nam illud *sanè* repetitum ex antecedente voce *canem*, & abest à melioribus libris. *Ad æstum* ex conjectura certissima reposuimus. Προκύων Græcis μικρὸς κύων dicitur, *minusculum canem* vocat Vitruvius. Inde Plinius, quæ canicula Latinis dicitur, hoc est, minor canis, eam putavit esse, quam Græci προκύνα & μικρὸν κύνα vocant. Quod ait, *sicut paulo mox dicemus*, locum intelligit, qui statim sequitur in hæc verba: XVII *kalendas Augusti Assyriæ procyon exoritur: dein postridie fere ubique, confessum inter omnes sidus indicans, quod canis ortum vocamus, sole primam partem leonis ingresso.* Ita scribendum. Nam vulgo male editum est: XVI *kalendas Augu-*
B *sti.* Perperam etiam corrigebat Junius: *Chiron exoritur, dein post triduum fere ubique.* Quod contra mentem Plinii esse liquet. Ait igitur τὸν προκύνα decimo septimo kalendas Augusti exoriri Assyriis, dein postridie, hoc est, decimo sexto kalendas fere ubique, indicantem confessum inter omnes sidus, quod dicitur canis. Ergo canicula Plinio, qui Græcis προκύων, sic dictus quod ante canem oriatur, vel, ut heîc loquitur Plinius, quod indicet canis ortum. Idem cap. XXIX. *Quarto kalendas Maji canis occidit, sidus & per se vehemens, & cui præoccidere caniculam necesse sit.* Ubi *caniculam* evidentissimè vocat τὸν προκύνα, qui ut præoccidit cani, ita & præoritur.
C Sed & æquè manifesto paulo post: *rursus plenilunium nocet, ad quartum Nonas Julii quum Ægypto canicula exoritur.* Dixerat paulo ante, τὸν προκύνα Ægypto exoriri quarto Nonas Julii. Sic procyon & canicula Plinio idem. Addit ibidem: *vel certè decimo sexto kalendas Augusti, cum Italiæ.* Hoc est, quod hoc loco scribit τὸν προκύνα ferè ubique oriri decimo sexto kalendas Augusti, in principio leonis, vigesimo tertio die post solstitium. Ita enim subjicit: *hoc fit post solstitium* XXIII *die.* Ubi libri non agnoscunt illud *post*, ut forte scribendum sit: *sole partem primam leonis ingresso, post solstitium* XXIII *die.* Numerus constat, quum enim solstitium in octava parte
D cancri, & octavo kalendas Julii confici velit, si viginti tres dies à solstitio numeres, pervenies ad sextum decimum kalendas Augusti, & ingressum solis in primam partem leonis, quo tempore *caniculam*, id est, προκύνα exoriri vult Plinius. Sed heîc notandum multa turbare Plinium, & προκύνα confundere cum ea stella, quæ in ore canis est, quam Græci vocant σείριον. Certum est diversum sidus esse τὸν κύνα, καὶ τὸν προκύνα. Diversæ quippe hæ μορφώσεις, quæ & diversis temporibus oriuntur, & occidunt. *Majusculum canem* τὸν κύνα Latini nuncuparunt: *minusculum canem* τὸν προκύνα. At *caniculam* Plinius vocat non minusculum hunc
E canem, sed eam stellam, quæ in ore canis est, quia ante canem oritur & occidit, & confundit cum illo sidere, quod Græcè προκύων dicitur, quia quidam Græcorum προκύνα etiam nominarunt stellam illam, quæ in ore canis. Galenus in principio Epidemicῶν: θαυμάζειν δὲ οἴομαι δεῖν, καὶ ζητεῖν τὴν αἰτίαν τοῦ προσλελεῖφθαι κατὰ τὸν λόγον ἐπιτολὴν ἀστέρος ἐπισημοτάτου γινομένην ἐν θέρει τοῦ καλουμένου σειρίου, ὀνομάζουσι δ' αὐτὸν ἔνιοι καὶ κύνα, καταχρώμενοι τῇ τοῦ παντὸς ἄστρου προσηγορίᾳ. Κύων μὲν γὰρ τὸ σύμπαν ἄστρον, ὁ δ' ἐπὶ τῆς γένυος αὐτοῦ σείριος, ὃν ὀρθῶς ἄν τις ὀνομάζοι τὸν προκύνα, οὐ τὸν κύνα. Hæc
F verba quantivis pretii. Græci κυνὸς ἐπιτολὴν dicunt de sirii exortu, quæ stella est in maxilla canis. Sic abutuntur totius sideris appellatione, quod κύων appellatur. Πρόκυνα eam stellam potius appellandam esse censet Galenus, quod in primore parte oris canis constituta prius oriatur, quam canis totus. Hic προκύων, qui sirius est, diversus est à sidere antecanis, quem & πρόκυνα dixere, sic etiam appellatum, quod ante canem majorem oriatur, constitutus juxta lacteum circulum. Plinius misere utrumque confundit. Quippe hunc πρόκυνα, quod sidus est, eundem facit cum illo, qui stella est in ore, vel maxilla canis, quia προκύων quibusdam
G appellatur. *Ægypto vero*, inquit, *procyon matutino æstuosus: quod sidus apud Romanos non habet nomen, nisi caniculam hanc velimus intelligi, id est, minorem canem.* Atqui canicula Latinis non dicitur de minore cane, sed de stella sirio, quæ in capite constituta est majoris canis. At Plinius hanc caniculam vult Græcorum esse πρόκυνα, & magnopere fallitur. Προκύων sidus Manilio & Firmico oritur in vigesima septima parte cancri: caniculæ vero sidus in

in prima parte leonis. Procyon Aëtio oritur decima quarta Julii: κύων, hoc est, canicula decima nona. Hephæstion quoque τὴν σειρῖου ἐπιτολὴν, quæ canicula est Romanorum, vigesima quinta Epiphi constituit, quæ respondet decimo nono Julii. In excerptis Georgicis Græcorum sub nomine Zoroastris, ἡ ἐπιτολὴ τοῦ κυνὸς censetur τῇ ιθ τοῦ Ἰουλίου μηνός. Columellæ cum Ptolemæo Idibus Juliis procyon oritur. Male *caniculam* apud Ptolemæum vertit Nicolaus Leonicenus, qui προκύων Ptolemæo. Idem ad decimum tertium Calendas Augusti canem exoriri facit, quæ Latinorum est canicula, per ingressum solis in leonem, hoc est, in prima parte leonis. Sic ferè inter omnes constat προκύονος exortum antecedere ortum caniculæ fermè diebus quinque aut sex. Hic προκύων non potest stella esse maximi splendoris, quam in ore canis omnes ponunt. Ptolemæus scribit iis, qui sub æquinoctiali colunt, & ab illis usque ad Syenen canis sidus ante προκύνα exoriri. Ὁ δὲ κύων προανατέλλειν ἄρχεται τοῦ προκύνος, παρὰ τοῖς ὑπὸ τὸν ἰσημερινὸν οἰκοῦσι, καὶ ἀπ' αὐτῶν μέχρι Συήνης. Hoc in loco προκύων non potest accipi de stella majoris canis, sed de illo sidere, quod ante canem alibi quidem oritur, at sub æquinoctiali degentibus. Canis ante προκύνα. Sic ὁ κύων ibi προκύων est, & contra προκύων, κύων. Plinii προκύων, quem caniculæ nomine appellat, eodem die, quo canis sidus, oritur ortum ejus indicans ac prænuntians, utpote cum stella sit in primore ejus rostri parte constituta. Plinii verba jam superius allata: XVII *Kalendas Augusti Assyriæ procyon exoritur, dein postridie fere ubique, confessum inter omnes sidus indicans, quod canis ortum vocamus, sole partem primam leonis ingresso.* Vides προκύνα *caniculam* vocare, & decimo sexto Calendas Augusti ortum ejus ponere, sole partem primam leonis ingresso. Omnes in ea prima leonis parte τὴν σειρίου ἐπιτολὴν agnoscunt. Ita Plinio προκύων, & canicula, & sirius eadem stella, quæ canis ortum prænuntiat & indicat. Sed male πρόκυνα eumdem facit cum sidere, quod προκύων dicitur Græcis. Immo πρόκυνα sidus confundit cum stella sirio, quæ habetur in maxilla majoris canis, & utrumque minorem canem esse vult intelligi. Sic videtur existimasse nullum alium Græcis πρόκυνα dici præter σείριον, quæ stella lucidissima est, & flagrantissima in ore canis, quæ & προκύων dicta, quod ante canem oriatur. In quo miserrimè fallitur. Idem alibi caniculæ sidus exoriri dicit sole primam partem leonis ingrediente lib. II. cap. XLVII. *Ardentissimo autem æstatis tempore exoritur caniculæ sidus, sole primam partem leonis ingrediente, qui dies decimus quintus Kalendas Augustas est.* Per caniculæ sidus quid dicemus eum heîc intellexisse, utrum τοῦ κυνὸς ἄστρον, an τοῦ πρόκυνος? Certè his locis, quæ superius adduximus, caniculæ nomine τὸν πρόκυνα voluit intelligi. At heîc *caniculæ sidus* videtur appellare τοῦ κυνὸς ἄστρον, cujus ortum omnes assignant, sole primam leonis partem ingrediente. Quem tamen introitum solis in primam leonis partem, non in quinto decimo, aut sexto decimo Kalendas Augustas alii statuunt, sed in tredecimo, Ovidius, Columella, Ptolemæus, aliique. Manilius in vicesima septima parte cancri τὸν πρόκυνα oriri scribit, hoc est, Idibus Juliis, ut Columella, & Plinius asserunt. Canem autem majorem, sive caniculam in principio leonis:

Quum primum in vastos surgit Nemeæus hiatus
Exoriturque canis, latratque canicula flammas.

Ubi vides caniculam, & canem simul oriri in prima leonis parte. Quod & Plinius adstruit, *sed caniculam* τὸν πρόκυνα falso intelligi debere autumat, quæ stella est majoris canis. Quia *canicula* voce ipsa diminutiva minorem canem significat, Latini autem τὸν πρόκυνα *minorem*, vel *minusculum canem* nuncupaverunt ad discrimen majoris, qui Græcis vocatur κύων, ideo πρόκυνα caniculam censuit appellandum. Præsertim cum Græci extiterint auctores, qui σείριον πρόκυνα vocandum putaverunt, ut Galenus loco ante citato. Multi præterea Græcorum τὸν κύνα & πρόκυνα confudere, & alterius historiam alteri adscripserunt. Non dubitavit igitur Plinius, ut vir magnus putat, an antecanem vocare deberet caniculam, sed planè ubique sic vocavit. Immo non alium πρόκυνα dictum agnovit præter eum, qui sirius dicitur, & in ipso ore canis positus ante canem oritur. Notabis etiam quod heîc ait fere ubique canis ortum fieri, quum sol leonem ingreditur. De quo paulo post.

Ubi ingressus leonem ortus sirios excitavit] An *ortus sirios* pro sirii ortu dixerit? Sic *sirius ardor* Virgilio. Hoc rectum demus esse, an & illud erit, quod solem sirios ortus excitare dicit? Certè sol non excitat ortum sirii, haud magis quam Arcturi, aut Pliadum, vel aliorum siderum. Immo contra est. Nam solem excitat & accendit ortus Sirius. Atque ita sanè heîc legendum: *ubi ingressum leonem ortus Sirius excitavit.* Ubi Sirius ortus solem ingressum leonem excitavit, & accendit. Habet à Plinio, qui de ortu Sirii sic scribit: *accenditque solem & magnam æstus obtinet causam.* Heîc dicit *solem excitare.* Quod idem est. Et loquutio Plinii est, qui gemmas sole *excitari*, & *accendi* passim scribit.

Propulso omni fluore tantam vim amnis erumpere] Malim: *totam vim amnis erumpere.* Et patet ita legendum esse. Scripserat in προεκδόσει: *remissis omnibus cumulis totam fluctuationem erumpere.* Quæ lectio in quibusdam vetustis codicibus reperitur: in aliis ad marginem adscribitur. Quidam habent *emissis* pro *remissis.* Quod rectius est. Intelligit omnes aquarum cumulos emissos. Alibi dicit *augmina aquarum*, vel *agmina.* Ammianus *aquarum pondera* lib. XXII. *Minuitur postea, & mitigatis ponderibus aquarum, navibus antea pervios equitabiles campos ostendit.* Sic legendum. Sed *cumulos* heîc simpliciter dixerat, non *cumulos aquarum.* Verius est, ut scripserit: *emissis omnibus tumulis*, id est, aggeribus. *Tumulus* idem quod agger. Tumuli, vel aggeres in Nilo sunt, quæ Græcis χώματα vocantur, quæ ad emittendas aquas, aut avertendas fiebant. Diodorus lib. I. Τοῦ γὰρ ὕδατος πρᾴως φερομένου ῥᾳδίως ἀποτρέπουσιν αὐτὸν μικροῖς χώμασι, καὶ πάλιν ἐπάγουσιν εὐχερῶς ταῦτα διαιροῦντες, ὅταν δόξῃ συμφέρειν. Glossæ: χῶμα, *tumulus*, *agger.* Unde titulus Codicis *de aggeribus Nili non rumpendis.* Plinius *moles* vocat: *cum stetere aqua apertis molibus emittuntur.* Hîc vocavit *tumulos*, vel *cumulos.* Nam *cumulus* etiam σωρὸς γῆς. Ex illo igitur Plinii loco scripserat in προεκδόσει, *totam Nili fluctuationem emissis tumulis erumpere.* Quod mutavit in posteriore. Sic tamen solet passim sententias, & verba Plinii invertere & interpolare, & in aliam rem ac mentem, quam à Plinio dicta sunt, traducere. Sed melius *cumulos* dixerit de aquarum ponderibus, ut alibi vocat. Nec sanum quidem satis est, quod heîc dicitur, *sole leonem ingresso totam vim amnis erumpere propulso omni fluore.* Rectius dixisset, *sole leonem transeunte*, ut Plinius. Per totum enim leonis signum abundantissimè Nilus intumescit, nec consistit priusquam in virginem sol transgrediatur. In cancro quidem evagari incipit à solstitio, aut nova luna, sed primo lentè, deinde vehementius quamdiu sol in leone est, mox pigrescit in virginem transgressus, atque in virgine residet. Ita Plinius. Hinc Ægyptii τὴν ἀνάβασιν Nili picto leone repræsentabant, ut scribit Orus, ἐπειδὴ ὁ ἥλιος ἐν λέοντι γενόμενος πλείονα τὴν ἀνάβασιν τοῦ Νείλου ποιεῖται, ὥστε ἐμμένοντος τοῦ ἡλίου τῷ ζωδίῳ τούτῳ τὸ δίμοιρον τοῦ νέου ὕδατος πλημμυρεῖν πολλάκις. Ideo & poterant astrologi augurari, quanta esset futura ἀνάβασις ex ortu caniculæ, quæ in principio leonis exoritur. Inde & canales, salientesque sacrorum fontium λεοντομόρφους fabricabant Ægyptii. Idem Orus: ὅθεν καὶ τὰς χολέρας καὶ τοὺς εἰσαγωγεῖς τῶν ἱερῶν κρηνῶν λεοντομόρφους κατεσκεύασαν οἱ τῶν ἱερατικῶν ἔργων προεστῶτες. Ita scribendum pro eo, quod est in vulgatis, καὶ τὰς χολέδρας. Hesychius: χολέρα σωλήν, δι' οὗ τὸ ὕδωρ φέρεται ἐκ κεράμων ἐξακοντιζόμενον. Sic & χολέρα morbus, violenta ἔκρυσις κάτωθεν καὶ ἄνωθεν τῆς χολῆς scilicet ἔρασις, evacuatio bilis. Nam ἐρᾶσθαι est κενῶσαι. Unde κατερᾶν, ἀπερᾶν, ἐξερᾶν, effundere & infundere.

Id est, inter tertium decimum Kalendas Augusti, & undecimum] Sic scripsimus, cum pleræque editiones & libri haberent: *id est, in tertium.* Unde male Delrius edidit: *id est, tertium decimum Kalendas Augusti, & undecimum.* Quasi in tertio decimo, simul & undecimo Kalendas Augusti natalem mundi constituerint Ægyptii. Quod est valde absurdum, καὶ τῶν ἀδυνάτων. Nam si tertio decimo factus est mundus, natalis hic dies erit ejus,

ejus, non undecimus, & contrà. Inter tertium decimum & undecimum vult natalem mundi fuisse juxta Ægyptiorum sententiam, hoc est, duodecimo Kalendas Augusti. Quo die tradit Censorinus in Ægypto caniculam exoriri: *ante diem duodecimum Kalendas Augustas, quo tempore solet canicula in Ægypto facere exortum.* Supra docuimus multorum auctorum testimonio Græcorum, Latinorumque, caniculam exoriri ante diem tredecimum Kalendas Augusti, per ingressum solis in leonem. Omnes quippe consentiunt, in prima leonis parte caniculam exortum facere. Solem porro in leonem introire ante diem tredecimum Kal. Aug. etiam omnium constans opinio est. Ergo tredecimo die aliis, in Ægypto vero duodecimo Kalend. Augusti canicula exoriebatur. Manilius, qui in prima leonis parte caniculæ exortum constituit, non sphæram Barbaricam, id est, Ægyptiacam sequitur, sed vulgarem, & Græcanicam. Ptolemæus: *tredecimo Kal. Augusti, sol in leone, corus spirat, & canis exoritur.* Lucanus Sirii ortum similiter in prima leonis parte censet. Geoponicorum auctores, Aëtius, aliique fere omnes decimo nono Julii τ͂ κυνὸς ἐπιτολὴν statuunt, hoc est, ante diem decimum quartum Kal. Aug. quo tempore Italiæ dicit oriri Palladius. Hephæstion Thebæus τὴν σῶθιν, hoc est, caniculam, vel sirium vigesima quinta Epiphi oriri pariter tradit, quod tempus respondet decimo nono mensis Julii. At si ante diem duodecimum Kalendas Augusti in Ægypto canicula oritur, ut vult Censorinus, non in prima, sed in tertia Leonis parte ibi exoritur, nec decimo nono Julii, sed vigesimo primo, hoc est, vigesima sexta Epiphi. Hæc cum ita sint, miror Solinum heîc scribere Sacerdotes Ægyptios natalem mundi judicasse inter tertium decimum, & undecimum diem Kalendas Augusti, quo tempore solem in leonem ingredi dicit, & sirium oriri. Atqui certum est ex his, quæ ante attulimus, non duodecimo Kal. Augusti, sed tredecimo solem introitum facere in leonem, quo tempore & canem exoriri ajunt. At postridie, hoc est, duodecimo apud Ægyptios Censorinus. Vetus interpres Germanici: xv. *Kalendas Augustas Assyriis Chiron exoritur. Deinde post triduum ferè ubique, confessum inter omnes sidus indicans, quod canis ortum vocamus, sole partem primam leonis ingresso.* Aperte hæc verba indicant ante diem duodecimum Kalendas Augusti ferè ubique exoriri caniculæ sidus. Verùm hæc multo aliter leguntur apud Plinium, hoc nempe modo: XVII *Kalendas Augustas Assyriis procyon oritur: deinde postridie ferè ubique confessum inter omnes sidus indicans, quod canis ortum vocamus, sole partem primam leonis ingresso.* Quæ vera esse ex mente, ac sententia Plinii in superioribus explicavimus. Sed τὸν πρόκυνα cum canicula, vel canis ortu ab eo confundi eadem ostendimus. Idibus Juliis τὸν πρόκυνα exoriri Columella, & Ptolemæus scribunt, Aëtius quoque & alii, hoc est, in vigesima septima cancri parte. Sunt, qui post biduum rejiciant, ut hoc loco Plinius, qui decimo sexto Kalendas Augusti oriri tradit. At Palladius hoc tempore Ægyptiis caniculam ortum facere scribit, Romanis vero decimo quarto, ubi & caniculam appellat τὸν πρόκυνα. Nam canem ipsum duodecimo Kalendas Augusti in Ægypto oriri omnes consentiunt. *Caniculam* etiam Plinius τὸν πρόκυνα vocat, sed confundit cum stella majoris canis. Quod enim ait sole partem primam leonis ingresso eam exoriri, id sirio convenit, non τῷ πρόκυνι. Quod vero tempus ejus ortui assignat, ante diem sextum decimum Kalendas Augusti, hoc τ͂ πρόκυνος proprium, non caniculæ. Nec vero ille solus hoc discrimen promiscuum fecit τ͂ πρόκυνος, καὶ τ͂ κυνὸς, sed alii multi. Canem Icarii πρόκυνα esse nonnullis placet. Hyginus: *itaque quamplures Icarium Bootem, Erigonem virginem nominaverunt, de quo posterius dicemus: canem autem sua appellatione & specie caniculam dixerunt: quæ a Græcis, quod ante majorem canem exoritur, προκύων appellatur.* Specta *caniculam* heic proprio vocari τὸν πρόκυνα, qui & *canis minor.* Paulo post in historia majoris canis exponenda Europæ custodem ait fuisse: alios dicere canem esse Orionis. Mox de procyne subjungit, cum iisdem omnibus adnumerari, quibus & majorem canem. Idem scribit canem exoriri cum leone, procynem vero cum cancro. Immo potius procyon cum cancro, canis cum leone. Sed Aratum sequitur, qui exoriente leone procyna exoriri dicit, cum pedibus prioribus canis & aquila tota:

> Καὶ προκύων, πρότεροι τε πόδες κυνὸς αἰθομένοιο.

Sirium etiam addit Germanicus, hoc est, caniculam, quæ in ore majoris canis:

> *Et pernix lepus & procyon & sirius esse*
> *Totiusque canis rapidi vestigia prima.*

Nihil de sirio Aratus, sed cum pedibus prioribus canis tacitè etiam intelligit eam stellam oriri, quæ in lingua canis posita est. Nam reliquam canis partem & posteriores pedes cum virgine exoriri canit. Hipparchus: ὅταν ὁ κύων ἀνατέλλει, συνανατέλλει μὲν αὐτῷ ὁ ζωδιακὸς ἀπὸ καρκίνου μοίρας ιε, ἕως λέοντος μοίρας ε μέσης. Idem de procynos exortu: τοῦ δὲ πρόκυνος ἀνατέλλοντος συνανατέλλει μὲν αὐτῷ ὁ ζωδιακὸς ἀπὸ καρκίνου δ μοίρας μέσης, ἕως καρκίνου μοίρας θ. Sic intelligenda, quæ auctores dicunt de clarorum siderum exortu cum signis Zodiaci. Firmicus inter clara sidera cum cancro orientia tradit procynem in vigesima septima cancri parte oriri. Et capite, quo tractat clara sidera cum leone exorientia, ait caniculam, sive sirium in prima leonis parte exoriri. Nigidius in commentario sphæræ Græcanicæ apud Servium: *oritur enim canicula cum cancro, in columen venit cum geminis, occidit cum tauro.* Hipparchus: τοῦ δὲ κυνὸς δύνοντος, συγκαταδύνει μὲν αὐτῷ ὁ Ζωδιακὸς ἀπὸ ταύρου μοίρας ια, ἕως ταύρου μοίρας θ καὶ κ. Virgilius primo Georgicῶn:

> *Candidus auratis aperit cum cornibus annum*
> *Taurus, & adverso cedens canis occidit astro.*

Hos versus male explicant, nec melius legunt grammatici. Servius sic intelligit, ut dicat sirium cum cane occidere, qui sirius terris adversus est. Nugæ. Vera lectio est, quam ibidem ex aliis libris notat:

> ---- *& averso cedens canis occidit astro.*

Quam etiam haud rectè exponit. *Si autem*, inquit, AVERSO *legerimus*, CUM *subaudiamus necesse est: ut sit sensus, quo tempore etiam canis cedens occidit cum averso astro, id est,* cum *Argo*. Immò nihil necesse est, ut tale quid subaudiatur. Canis cedens averso astro, id est, Argo occidit. Nam navis Argo instat, & incumbit occidenti cani. Cedit ergo canis Argoæ navi, & locum dat insequenti. Extremæ quippe caudæ canis jungitur Argo aversa. Quia *puppe trahitur, non recto cursu*, ut canit Germanicus. Aratus:

> Ἡ δὲ κυνὸς, μεγάλοιο κατ' οὐρὴν ἕλκεται Ἀργὼ
> Πρυμνόθεν· οὐ γὰρ τῇ γε κατὰ χρέος εἰσὶ κέλευθοι
> Ἀλλ' ὄπιθεν φέρεται τετραμμένη.

Hæc Virgilium interpretantur. Ὄπιθεν τετραμμένη est *aversa*. Inde *aversum astrum* de Argo dixit poëta. Huic averso astro cedit, & locum dat canis dum occidit. Sic *aversus taurus* Manilio, quia similiter à posterioribus oritur partibus, & movetur:

> *Aversus venit in cœlum, divesque puellis.*

Et lib. I.

> *Respicit admirans aversum.*

Ubi male *adversum* legebatur, quod rectè correxit Scaliger. Idem alibi:

> *Taurus in aversos ut primum tollitur ortus.*

Item lib. II.

> *Quique sub aversi numeratur sidere tauri.*

Ubi malè editur *adversi*. Ita igitur *aversum astrum* de Argo, quæ similiter à puppe, & postica parte in cœlo incedit, ac movetur. De occasu canis loquitur Poëta, qui fit ante diem septimum Kalendas Majas, sole decimam tauri partem obtinente, quo tempore *Robigalia* instituere Romani, quia tunc ferè segetes robigo occupat, ab occasu illius sideris, quod calidissimum est quando oritur, frigidissimum quum occidit. Plinius lib. XVIII. cap. XIX. *Robigalia Numa instituit anno regni sui undecimo, quæ nunc aguntur ante diem septimum Kalendas Majas, quoniam tunc ferè segetes robigo occupat. Hoc tempus Varro determinat sole tauri partem decimam obtinente, sicut tunc ferebat ratio. Sed vera causa est, quod post dies undeviginti ab æquinoctio verno per id quatriduum varia gentium observatione in quartum Kal. Majas canis occidit, sidus & per se vehemens, & cui præoccidere caniculam necesse sit.*

sit. Elegantissimi super hoc Manilii versus sic legendi sunt ex vetusto codice lib. I.

Subsequitur rapido contenta canicula cursu,
Qua nullum terris violentius advenit astrum,
Nec gravius cedit; namque horrida frigore sævit.
Sic in utrumque movet mundum & contraria reddit.

Editur vulgo in editione Scaligeri:

---- *nec horrida frigore surgit.*

Ipse notat Gemblacensem habere,

neque horrida frigore sævit.

Omnino legendum:

Namque horrida frigore sævit.

Dicit nullum sidus canicula *vehementius terris advenire*, id est, exoriri: nullum *gravius cedere*, hoc est, occidere.

Namque horrida frigore sævit,

quum occidit. Sic in contraria mundum movet ortu suo & occasu, illo flagrantissimo ac æstuosissimo, isto pruinoso & frigido. Hinc Sophocles καὶ κυνὸς ψυχρὰν δύσιν dixit, ut Scaliger ibi rectè observat. De hoc igitur occasu Virgilius intellexit, quo tempore sol in tauro est. Qui occasus opponitur ejusdem ortui, quem in cancro quidam, in leone plures constituunt. Ita cum cancro oritur, occidit cum tauro. Etenim quæ sidera in certa parte signorum zodiaci oriuntur, aut occidunt, cum eo signo oriri, aut occidere dicuntur, & συνανατέλλοντα illius signi vocantur, & συγκαταδύοντα. Hæc cum ita sint, operæ est cognoscere, quomodo Servius versum illum auctoris sui exponat de occasu canis, qui cum tauro fit: *aut certè* CEDENS CANIS, *non recedens, sed incedens accipimus, & se movens, tempore enim, quo sol in tauro est, etiam canis ad ortum festinat.* Immo ad occasum. *Moveri* dicuntur sidera, tam quæ ad occasum properant, quam quæ ad ortum. Et *mota* tum quæ occiderunt, tum quæ orta sunt. Sequitur apud Grammaticum: *quod autem ait* OCCIDIT, *ad aspectum nostrum retulit: nam ortus & occasus duo sunt: unus ἡλιακὸς, id est, solaris, alter κοσμικὸς, id est, mundanus: unde fit, ut ea signa, quæ cum sole oriuntur, à nobis non possint videri, & ea quæ videmus, quantum ad solis rationem pertinet, videantur occidere.* Hæc non intelligo, & κοσμικὸν exortum cum ἡλιακῷ confundit. *Ea signa,* inquit, *quæ cum sole oriuntur, à nobis non possunt videri.* Ergo ἡλιακῶς oriri ea dicuntur, nobis vero occidere. Atqui multa sidera oriuntur cum sole κοσμικῶς, quæ nec à nobis videntur. Sequitur: & *ea quæ videmus, quantum ad solis rationem pertinet, videntur occidere.* Immo quæ videmus, quantum ad solis rationem pertinet, oriri videntur, non occidere. Nam abscessu solis proferunt se, & emergunt. Sed aliter intellexit. Quæ non videmus, ea nobis occidunt, quum tamen, quantum ad solis rationem attinet, in ortu sint. Ergo quæ videmus, ea nobis oriuntur, & quantum ad solem est, occidunt. Atqui contrarium verum est. Certè sol utrumque facit, ut ea videamus, dum abscedit, ut rursus non videamus, dum advenit. Subjicit: *Secundum quod nunc ait,* OCCIDIT CANIS. *Nam canis paranatellon est cancri, id est, cum eo oritur. Cancer autem, quo tempore sol in tauro est, post horam quartam diei oritur. Nam taurus, & gemini binas horas tenent. Nigidius commentario sphæræ Græcanicæ: oritur enim canicula cum cancro, in columen venit cum geminis, occidit cum tauro: sic ergo ut canis nobis occidat, quantum autem ad solis pertinet cursum, in ortu esse videtur.* Hoc voluit. Canis post horam diei quartam oritur, quo tempore à nobis non videtur propter solis præsentiam. Sic fit, ut nobis occidat, at quantum ad solem attinet, in ortu sit. Ergo canem occidere dixit poëta, ad aspectum nostrum id referens, quum revera tunc oriatur. Quæ falsissima sunt, & absurda. Occidit tunc canis vesperi, & κοσμικὸς hic occasus ejus censeri debet. Ptolemæus, Columella, Plinius, alii omnes vesperi eo tempore abscondere se canem asserunt, sole decimam tauri partem obtinente, ut dicebat Varro, ante diem septimum kalendas Maji, quo tempore Robigalia celebrarunt Romani. Plinius: *post dies undeviginti ab æquinoctio verno per quatriduum in IV Kalendas Maji canis occidit, sidus & per se vehemens, & cui præoccidere caniculam necesse sit.* Alio loco ad sextum Kalendas Majas Boëotiæ, & Atticæ canem vesperi occultari scribit. Et paulò post: *V Kalendas Assyriæ orion totus absconditur, tertio autem canis.*

A Columella & Ptolemæus pridie Kalendas easdem vesperi occidere scribunt. De vero igitur ejus occasu, & mundano loquitur poëta. Sed nec quid esset ἡλιακὸς & κοσμικὸς ortus occasusve intellexit ille Grammaticus, nec verba Nigidii assequutus est. Plinius: *exortus occasusque binis modis intelliguntur. Aut enim adventu solis occulantur stellæ, & conspici desinunt, aut ejusdem abscessu proferunt se. Emersum hoc melius quam exortum consuetudo dixisset, & illud occultationem potius quam occasum.* Ergo quæ solis adventu occultantur, occidunt ἡλιακῶς; quæ Solis abscessu proferunt se, & emergunt, ἡλιακῶς oriuntur. Sequitur de alio genere ortus & occasus, quem B κοσμικὸν appellant: *alio modo quo die incipiunt apparere vel desinunt. Oriente sole aut occidente, matutini vespertinive cognominati, prout alterutris eorum mane vel crepusculo contingit.* De vespertino igitur, & mundano occasu canis accipiendum in poëtæ versu. Sed nec sequentem melius cepere veteres Grammatici:

Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur,

id est, ante tibi vergiliæ mane occidant, quam serere incipias. Vergiliæ autem juxta Columellam matutino occidunt sexto Idus Novembris. Ibi mirificè nugatur Servius ex illa distinctione non intellecta ab ipso, ἡλιακῦ & κοσμικῦ ortus occasusve. Ceterum canis παρανατέλλων C cancri dicitur, quia cum cancro oritur, sed eo sensu, quo supra diximus. Idem est & συνανατέλλων. Quod enim in certa cancri parte oritur, συνανατέλλων & παρανατέλλων cancri vocatur. Manilius lib. V, quo libro tractat συνανατολὰς, & συγκαταδύσεις astrorum cum aliquo zodiaci signo:

Nunc cancro vicina canam, cui parte sinistra
Consurgunt jugulæ.

Vocat *cancro vicina* τὰ παρανατέλλοντα τῦ καρκίνυ. In ejusdem cancri parte vicesima septima τὸν πρόκυνα, id est, caniculam oriri scribit, quam inter παρανατέλλοντα, & cancro vicina recenset. Cum canem occidere Robigalibus D ceteri auctores dicant, mirum est, cur Ovidius quarto Fastorum scribat per id tempus exoriri. Sic enim canit:

Sex ubi, quæ restant luces, Aprilis habebit,
In medio cursu tempora veris erunt.
Et frustra pecudem quæres Athamantidos Helles,
Signaque dant imbres, exoriturque canis.

Canem tunc occidere, & in occasu suo vehementissimum esse disertè tradit Plinius. Nam ut in ortu ejus maximi sentiuntur calores, ita in occasu pruinæ gelidæ frugibus nocent, & rubigine infestant. Manilius, ut correximus:

E *Nec gravius cedit, namque horrida frigore sævit.*

Horrida sidera vocantur Plinio, quæ frigida sunt, ut Arcturus, Orion hædo. Idem lib. XVIII. *Plerique dixere rorem inustum sole acri frugibus rubiginis causam esse, & carbunculi vitibus. Quod ex parte falsum arbitror, omnemque uredinem frigore tantum constare, sole innoxio.* Et sub finem capitis: *publica hæc & magna differentia à prioribus, aliis rubiginem, aliis uredinem, aliis carbunculum appellantibus, omnibus vero sterilitatem.* Rectè ibi Turnebus legebat, & *aliis caniculam appellantibus.* Nam in veteribus libris, & Rigaltiano omnium optimo scriptum est, *aliis can:culum.* At carbunculus heîc locum habere non potest, F qui alius est à rubigine, & vitibus nocet, non frugibus. Alio denique tempore fit ab exortu canis. At rubigo circa occasum ejusdem, & propterea Rubigalia instituta. Rubigo etiam *uredo* dicta & *canicula*, quia ab occasu ejus frigido, & pruinoso conciliari credebatur. *Plerique*, inquit Plinius, *dixere rqrem inustum sole acri frugibus rubiginis causam esse.* Hæc sententia est Ovidii de diva Rubigine, quem alii divum Robigum dixere, sic loquentis:

---- *si culmos Titan incalfacit udos*
Tunc locus est iræ Diva timenda tuæ.

Udi culmi sole inusti fiunt rubiginosi. Plinius frigore G eam uredinem putat constare. Fragmentum Bygojæ: *fructus sæpe læduntur, decutienturque imbribus atque grandine, caniculis interient, robigine occidentur.* Ideo cane victima placabatur illa Diva Rubigo. Ovidius:

Flamen in antiquæ lucum Robiginis ibat
Exta canis flammis, exta daturus ovis.

Et rationem addit paulo post, quare sacris ejus canis immolaretur, his versibus:

Est

Est canis, Icarium dicunt, quo sidere moto
Tota sitit tellus, præcipiturque seges.
Pro cane sidereo canis hic imponitur aris,
Et quare fiat nil nisi nomen habet.

Diversas res apertè miscet. Exortu caniculæ tota tellus sitit propter immanes calores, qui tunc existunt, & sata omnia exuruntur, uvæ carbunculantur uredine, exoritur porro per transitum solis in leonem. Et tum canario sacrificio placabatur. Græci προκυνλακισμὸν vocant. Festus: *Rutilæ canes, id est, non procul a rubro colore immolantur, ut ait Attejus Capito, canario sacrificio pro frugibus deprecandæ sævitiæ causa sideris caniculæ.* At Ovidius Robigalibus exoriri canem dicit, & eo sidere moto, id est, exorto totam sitire tellurem, quo in tempore omnes id sidus occidere consentiunt. Quod profecto miror. *Moveri sidera* dicuntur & quum occidunt, sed præcipuè quando oriuntur. Qui paulò ante dixerat canem exoriri Robigalibus die septimo Kalendas Majas, heîc ait moto eo sidere præcipi segetem, & sitire arva. Atqui sævitia tanta, nec tanta vis caloris tunc est in canicula, ut non potius frigore noxia sit. Id potius convenit exorienti, quod fit tredecimo, aut duodecimo Kalendas Augusti, sole primam partem obtinente leonis. *Moveri sidera* & incedere, quum ad ortum festinant, notat Servius. Et sic *cedens canis* apud Virgilium interpretatur. Græci: οἱ μέντοι ἀστρολόγοι τοὺς ἐν κινήσει ὄντας ἀστέρας στίλβοντας καλοῦσι. Quæ in motu sunt stellæ, & quæ ad ortum festinant. Quia tunc validius splendent. Sed hæc alii viderint. Plinius de cane: *vehemens per se sidus, & cui præoccidere caniculam necesse sit.* Quasi vehementius sic reddatur. Canicula, ut diximus, Plinio est προκύων, quæ ante canem oritur & occidit. Canis nempe minor, quem & Græci μικρὸν κύνα vocant. Hic septentrionalior, ut alter ille major, australior. Ideo in locis, quæ sub æquatore sunt, usque ad Syenen hic canis oritur prior antecane, ut contra in septentrionalibus procyon ante canem, inde appellatus. Alias canicula Romanis sirius est, stella lucidissima in ore canis. Hæc Plinius confundit. Caniculam Ægypto dicit oriri ante diem quartum Nonas Julii, Italiæ vero ante diem decimum sextum Kalendas Augusti. Πρόκυνα intelligit caniculæ nomine. Alibi scribit idem decimo quinto Calendas Augusti caniculæ sidus exoriri, sole primam leonis partem ingrediente. Per caniculę sidus ibi palam est intelligi debere canis sidus, nam & Ptolemæus decimo quinto Calendas Augusti canem oriri tradit. Alii decimo tertio, alii duodecimo Kalendas easdem exortum facere affirmant, idque apud Ægyptios, ut Censorinus. Quod plerique tamen quasi omnium gentium commune adseruerunt. Dici non est, quantopere veteres hallucinati sint, qui aliorum temporum, & aliorum climatum observationes suis tum locis, tum temporibus nullo judicio vindicarunt. Inter quos primas tenent Manilius & Firmicus, qui Ægyptiaci cœli disciplinam regionibus illis, in quibus scribebant, adaptarunt; & Græcanicæ sphæræ, Barbaricæque observationes miscuerunt. Verum de his alibi, aut alii.

Quod tempus sacerdotes natalem mundi judicaverunt] Sole partem primam leonis ingresso inter tertium decimum & undecimum Kalendas Augusti diem. Quo tempore caniculam in Ægypto oriri Censorinus affirmat. Nam & annum suum ab ortu caniculæ auspicabantur, & mundum eo die creatum, quo canis oritur, credebant. Porphyrius de antro Nympharum: Αἰγυπτίοις δὲ ἀρχὴ ἔτους οὐχ ὑδροχόος ὡς Ῥωμαίοις, ἀλλὰ καρκίνος. Πρὸς γὰρ τῷ καρκίνῳ ἡ σῶθις, ἣν κυνὸς ἀστέρα οἱ Ἕλληνές φασι. Νουμηνία δὲ αὐτοῖς ἡ σώθεως ἀνατολὴ γενέσεως κατάρχουσα τῆς εἰς τὸν κόσμον. Natalem mundi, & auspicium anni ab ortu caniculæ numerabant. Sed quod aît πρὸς τῷ καρκίνῳ τὴν σῶθιν oriri, ideoque cancrum anni principium facere Ægyptiis, ut Romanis aquarium, de leone id alii omnes affirmant. Hinc tantopere Hieroglyphicis, & mysticis Ægyptiorum litteris leo celebratus, quod sole per eum transeunte abundantissimè cresceret Nilus, quod in eo canicula surgeret. Et profecto si duodecimo Kalendas Augustas in Ægypto canicula oritur, ut auctores ferè concinunt, πρὸς τῷ λέοντι ἡ σῶθις, non πρὸς τῷ καρκίνῳ. Et

A leo anni exordium facit Ægyptiis, non cancer. Vetus Scholiastes Arati de leone: ὅλον γὰρ τὸ ἄστρον ἀφιερώκασι τῷ ἡλίῳ. Τότε γὰρ ἐμβαίνει ὁ Νεῖλος, καὶ ἡ κυνὸς ἐπιτολὴ κατὰ ἑνδεκάτην ὥραν φαίνεται, καὶ ταύτην ἀρχὴν ἔτους τίθενται. At Scaliger in principio cancri caniculam oriri solitam apud Ægyptios tum prodit. Contra stant omnes antiqui. Sed viderint ἀστρολόγων παῖδες. Non unum fuisse natalem mundi censentibus Ægyptiis, sed plures observat Scholiastes ad Ptolemæum: περιττῶς εἰώθασι λέγειν γένεσιν Αἰγύπτιοι κόσμου. Καὶ γὰρ ἀρχὴν μίαν οὐκ ἔχει, πολλὰς δέ. Τὰ μερικὰ καὶ πολλὰς καὶ μίαν. Μίαν μὲν τὴν ἐξ ἀρχῆς καὶ ἐν τῇ γενέσει τῶν ἀστέρων σύγκρασιν, ἣν εἰώθασι πῆξιν

B οἱ ἀποτελεσματικοὶ καλεῖν. Hæc πῆξις, quæ facta est, quando primùm creata sunt astra, ea fuerit mundi γένεσις, quam Ægyptii in primam leonis partem conferebant, quo tempore ipsis oritur canicula. Hunc primum natalem mundi, cum varios numerarent, & particulares quosdam, videntur Ægyptii statuisse. Et falsum est, quod notavit vir magnus ex Firmico Æsculapium Ægyptium in sua Myriogenesi dixisse, in posterioribus partibus libræ πῆξιν illam factam, eumque fuisse natalem mundi. Verba Firmici de libra: *Cetera enim ad XXX numeros collocantur. In istis enim posterioribus partibus terra dicitur esse composita, ut Barbarica ratio*

C *confirmat.* Non mundum dicit, sed terram tum compositam fuisse, in posterioribus libræ partibus. Et notandum, quod ait interpres Ptolemæi, non unum mundi initium, sed plura statuere Ægyptios. Horum itaque sacerdotes, qui natalem mundi in prima leonis parte exortu caniculæ ponebant, de ea prima πήξει videntur intellexisse, qua conformata sunt astra, non de posteriore, qua terra composita est. Ergo secundum Ægyptios terra posterius creata quam cœlum & astra. Eadem antiquissimorum Græcorum fuit sententia ab Ægyptiis sumpta. Nam avium genus prius

D editum, quam terra esset condita, crediderunt, ut ex his Aristophanis versibus patet.

Ἀμαθὴς γὰρ ἔφυς κοὐ πολυπράγμων οὐδ' Αἴσωπον πεπάτηκας,
Ὃς ἔφασκε λέγων κόρυδον πάντων πρώτην ὄρνιθα γενέσθαι
Προτέραν τῆς γῆς.

Hæc fabulosa quidem, sed eam opinionem adstruunt. Nam si galerita fuit in rerum natura, quum terra nondum esset, cœlum & aërem jam tum fuisse oportuit. Testantur sacræ litteræ tertio demum die terræ formam impositam, quum cœlum pridie formatum fuisset. Sic cœli creatio uno die antecessit. At juxta Ægyptiorum litteras cœlum cum stellis in prima parte leo-

E nis conditum est, & πῆξιν accepit: terra in posterioribus libræ partibus composita. Sic ex eorum sententia mundus æstate, non autumno, aut vere natus. Paulus Alexandrinus scribit mundum editum sole constituto in decima quinta leonis parte. Idem tradit Firmicus ex Petosiri & Nekepso Æsculapium & Anubim sequutis.

Revocari exitus universos cum in Virginem transeat] Contra Plinius in totum revocari scribit in libra, residere tantum in virgine: *& residit in virgine iisdem, quibus accrevit, modis; in totum autem revocatur intra ripas in libra, ut scribit Herodotus, centesimo die.* Alibi dixit, *pigrescere in virgine, atque in libra residere.* Aliud est *pi-*

F *grescere*, aliud *residere*. Pigrescit, cujus incrementa lentiora sunt: residit, qui penitus detumescit, decrescitque. Sic *residere æstus* propriè dicitur, cum recedit, ac revocatur. Plinius: *& primum attollente se cum ea mundo intumescentes, mox à meridiano cœli fastigio vergente in occasum residentes.* Solinus suprà: *dubitatur, quibus ex causis intumescat Oceanus, vel quatenus, quum superfluus sibi fuerit, residat*, hoc est, minuatur & decrescat. Nilus ergo juxta Plinium residit in virgine, id est, decrescit iisdem, quibus accrevit, modis; in totum autem intra ripas revocatur in libra. Solinus loqu-

G tionem immutavit, & *revocari exitus universos* dixit, quum residunt; intra suas ripas autem penitus Nilus capit se, quum in totum revocati sunt. Tam incrementa, quam decrementa Nili centesimo die absolvi per eosdem crescendi, decrescendique gradus ex Herodoto tradit Plinius, quinquaginta nimirum dies dans augescenti, totidemque recedenti. Verùm non hæc mens est Herodoti, cujus ista verba sunt: κατέρχεται μὲν ὁ Νεῖλος πληθύων ἀπὸ τροπέων τῶν θερινῶν ἀρξάμενος ἐπὶ

ἑκατὸν

ἑκατὸν ἡμέρας. Πελάσας δ' εἰς τὸν ἀριθμὸν τούτων τῶν ἡμερέων ὀπίσω ἀπέρχεται, ἀπολείπων τὸ ῥέεθρον. Clarè dicit Nilum à solstitio incipientem per centum dies abundare, & cum in hoc dierum spatio excreverit, tum retro redire ac residere. Ne id quidem dicit, quod voluit interpres, totidem eum diebus decrescere, quot increverat. Πελάζειν est *accedere*, ἐγγίζειν, πλησιάζειν. Quod de Nilo crescente posuit. Sic Latinis *accessus maris* de æstus incremento. Sic *accessio Nili* Senecæ pro augmento: *Nilus autem per quatuor menses liquitur, & æqualis illi accessio est.* Πέλαγος Græcis ab eadem origine, ἀπὸ τοῦ πελάζειν, Latinè *Venilia.* Ergo secundum Herodotum Nilus à solstitio crescere incipit, & ultra æquinoctium crescit. Seneca quoque in eadem sententia: *At Nilus ante exortum caniculæ augetur mediis æstibus ultra æquinoctium.* Idem paulò post scribit, quatuor mensibus augescere æquali accessione. Ibidem tradit Nili incrementum incipere ante flatum etesiarum, & post eos durare. Atqui etesiæ flant per quadraginta dies, vel, ut alii volunt, quadraginta quinque, & flare incipiunt in ultima cancri parte decimo quarto Kalendas Augusti. Quî igitur verum possit esse quod ex Plinio tradit hic Solinus, Nili exitus universos revocari, cum sol in Virginem transit? Certè longe uterque abscedit ab Herodoti sententia, cui etiam concinit Diodorus scribens Nilum augeri ab solstitio usque ad æquinoctium autumnale, subinde crescentem, τῆς πληρώσεως τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τῶν θερινῶν τροπῶν ποιούμενον, αὔξεσθαι μὲν μέχρι τῆς ἰσημερίας τῆς μετοπωρινῆς, ἀεὶ δ' ἐπάγειν νέαν ἰλύν. Sic etiam interpretari possumus Lucanum canentem de Nilo:

---- *nec ripis alligat undas*
Ante parem nocti libra sub judice phœbum.

Nam post æquinoctium sole adhuc in libra constituto, centesimo die à solstitio, redire intra suas ripas, ac residere incipit Nilus. Melius igitur dixisset Plinius *in virgine eum pigrescere*, sicut alibi loquutus est. In cancro sensim, ac modice primulum crescit, in leone plenissimus fluit, pigrescit in virgine, & lentior manat, adhuc tamen crescit, at in libra post æquinoctium revocatur intra ripas, & retro cedit. Herodoti hæc mens est, quam non vidit Plinius. Ammianus lib. XXII. *Cum autem sol per cancri sidus cœperit vehi, augescens adusque transitum ejus in libram, diebusque centum sublatius fluens, minuitur postea, & mitigatis ponderibus aquarum, navibus antea pervios equitabiles campos ostendit.* Sequi heic noluit Solinum, qui per transitum solis in virginem Nili omnes exitus revocari scribit. A principio cancri ad initium libræ, hoc est, à solstitio ad æquinoctium dies sunt nonaginta duo cum dimidio, non centum pleni. His concordant quæ neoterici tradunt, nempe Nilum crescere à *vigilia Divi Joannis* usque ad *exaltationem sanctæ crucis*, quod spatium diebus octoginta tribus constat. Vetus interpres Arati. Τῷ γὰρ Παωφὶ παύεται ὁ Νεῖλος, ὅς ἐστι τῷ Ῥωμαίοις ὀκτώβριος.

Pag. 43. D. *Maximos ejus exitus*] Sic vocat incrementa Nili, hoc est, ἐκβάσεις ὕδατος, quibus in arva exit. Alias *exitus fluminum* ostia dicuntur, quibus in mare exeunt. Sic suprà: *deinde revocari exitus universos.* Idem alibi *exitus* pro inundationibus æstuum, & incrementis posuit. Cap. XXIV. *Cujus accessus incrementa circa littora Indiæ vehementissimè proruunt, maximosque ibi exitus faciunt.* Idem sunt, *excessus humoris* paulo ante, & *abscessus*, & *egressus.*

Argumentantes, quandoquidem Pharsalico bello] Ita editiones anteriores, quæ lectio ex duabus conflata est. Scripserat prius: *dant illi hoc etiam majestatis, ut portendat futura, argumentantes quod Pharsalico bello non fuerit egressus quinque ulnas.* In alia editione extare voluit: *dant illi hoc etiam majestatis, ut portendat futura: quandoquidem Pharsalico bello non fuerit egressus quinque ulnas.* Ex hoc loco porro constat legendum in Plinio: *maximum incrementum ad hoc ævi fuit cubitorum decem & octo Claudio principe: minimum quinque Pharsalico bello, veluti necem Magni prodigio quodam flumine aversante.* Perperam excuditur: *minimumque Pharsalico bello.* Quinque cubiti, & quinque ulnæ idem sunt apud nostrum.

Jam illud palam est quod solus] Duæ & heic lectiones

A ex gemina editione. In altera: *illud palam est, quod solus ex omnibus universis nullas exspiret auras.* Atque ita ante excusi omnes. In altera: *Jam illud palam est solum illum nullas expirare auras ex omnibus universis.* Quomodo edidimus. Sic enim erat in optimis, ac recognitæ editionis codicibus, qui alteram ad marginem præferebant.

Pag. 43. E. *A Syene in qua fines Æthiopum*]. Nilum à Syene usque, dum mari insinuetur, Nili nomen ait tenere. Ita & Dionysius. Ergo ante Syenen dicitur *Nigris*, juxta Dionysium *Siris.* Sic paulò ante dixerat ab ultimo cataracte jam totum esse, *relicto tamen hoc pone se nomine, quo Nigris vocatur.* Sic enim ibi legebamus li-
B bris vetustissimis auctoribus. Verum quia libri quidam etiam optimæ notæ scribunt, *relicto tamen adhuc pone se nomine, quo Nigris vocatur*, videndum an emendari debeat, *relicto tamen adhuc penes se nomine quo Nigris vocatur.* Certe in uno codice Palatino, recentiore quidem illo, sed sincerissimo legebatur, *penes se.* Hoc igitur velit Solinus, ab ultimo cataracte jam totum esse Nilum, adhuc tamen relicto penes se nomine, quo Nigris vocatur, quod nomen retinet usque ad Syenen, ubi Nili nomen capit, & servat usque dum mari intimetur. Rectius tamen hoc sensu dixisset: *penes se retento nomine.*
C Plinius scribit, Elephantidem insulam infrà novissimum cataracten esse quatuor millia, & supra Syenen sexdecim. Ergo Syene infra novissimum cataracten viginti quatuor millia. Per illa igitur tot millia Nigris nomen penes se adhuc retinet Nilus, qui sic vocari demum incipit à Syene. Et expressa planè hæc lectio de Pliniana, quæ sic habet: *nec ante Nilus, quam se totum aquis concordibus rursus junxit: sic quoque etiamnum Nigris ut ante nominatus per aliquot millia.* Quamvis non eadem sit Plinii sententia. Sed ita Solino moris est, ut Plinianis verbis contrarias Plinianis exprimat opiniones. Non tamen repudianda ea scriptura, quam superius asseruimus,
D *relicto hoc pone se nomine quo Nigris vocatur.* Quam & ipsam Solini esse, sed ex altera editione, ausim jurare. Nam Syene sub ipsis pæne cataractis teste Aristide, qui vidit, septem tantum stadia ab his distans. Verba ejus hæc sunt: καὶ τοίγε ἡ Ἐλεφαντίνη μέχρι ἧς ἀναπλέουσι φασὶν ὑπ' αὐτοῖς σχεδὸν τοῖς καταράκταις ἐστὶν, ἀπέχουσα μάλιστα ἑπτὰ σταδίους. Elephantinæ autem opposita Syene, Nilo interfluente. Idem: οὕτω δὴ γενόμενος πάλιν ἐν τῇ Συήνῃ, τὴν ἀπὸ τῆς Ἐλεφαντίνης ὁ Νεῖλος διαιρεῖ. Et paulo post clarissimè: μεταξύ τε Συήνης καὶ Ἐλεφαντίνης οὐδέν ἐστιν, ἀλλ' ἢ τὸ ῥεῖθρον τοῦ ποταμοῦ, καὶ προσοικεῖ τὴν ὄχθην ἑκατέ-
E ρα τῶν πόλεων τούτων. Hæc ille, qui vidit, qui in illis urbibus fuit. Strabo quoque adstipulatur: ἡ δὲ Συήνη καὶ Ἐλεφαντίνη ἡ μὲν ἐπὶ τῶν ὅρων τῆς Αἰθιοπίας καὶ τῆς Αἰγύπτου πόλις, ἡ δ' ἐν τῷ Νείλῳ προκειμένη τῆς Συήνης νῆσος ἐν ἡμισταδίῳ. Elephantinen insulam trajectu semistadii distare à Syene dicit. Tacitus Elephantinen & Syenen claustra Romani imperii appellat, quod impositæ essent urbes istæ utrimque Nili ripæ. Hæc cum ita sint, non potest pro vero subsistere, quod ait Plinius Elephantinen esse supra Syenem XVI. M. passuum. *Elephantis insula infra novissimum cataracten quatuor millia passuum, & supra Syenen XVI.* Atqui Syene & Elephantine ex adverso oppositæ, & Ni-
F li ripis appositæ haud longè utraque ab ultimo cataracte, æquali spatio ab eo dissitæ. Idem non Elephantinen, sed Philas insulam contra Syenen positas esse tradit. *Ditionis Ægypti esse incipit à fine Æthiopiæ Syene: ita vocatur peninsula X millium passuum ambitu, in qua castra sunt latere Arabiæ, & ex adverso insulæ quatuor Philæ.* Sic legendus vulgo corruptissimus apud Plinium locus. In editis legitur, *centum millium passuum & in adverso insulæ quatuor Philæ.* Quibus verbis perperam Surita putat designari interjectum IIII. M. P. à Philis Syenen. Quod non potest esse. Nec enim ea latitudo Nili est, etiam ubi totus
G fluit, nedum ubi dividuo amne insulam facit, ut Philas. Alii censent quatuor insulas eodem nomine Philarum appellari, & sic corrigunt apud Senecam: *primum incrementum Nili circa insulas, quas modo retuli, Philas.* Cum rectè legant vulgati: *circa insulam, quam modo retuli, Philas.* Sensus Plinii est: Syenen peninsulam decem millia passuum in ambitu habere, & ex adverso insulam Philas quatuor, scilicet quatuor millium ambitu esse, vel duum & triginta stadiûm. Parvam hanc insulam fuisse testis αὐτόπτης Aristides, qui

qui ferè totam urbe ipsa occupari tradit. Τοσαύτη τὸ μέγεθος ὅσηπερ ἐν αὐτῇ πόλις. Plinius igitur Philas ex adverso Syenes ponit contra omnium geographorum auctoritatem, ipsamque adeo rei veritatem. Strabo dicit à Syene curru iter se fecisse Philas versus per centum stadia, deinde in insulam trajecisse ἐπὶ πάκτωνος, quod est genus navigii compactilis. Idem ibidem scribit Φίλας μικρὸν ὑπὲρ τοῦ μικροῦ καταῤῥάκτου συμβαίνειν εἶναι. Philæ supra novissimum cataracten, at Syene infrà. Non ergo Philæ ex adverso Syenes. Epitome Strabonis: ὁ δὲ μικρὸς καταῤῥάκτης ὑπὲρ Συήνης καὶ Ἐλεφαντίνης ἐστὶ πόλεων. Aristides adverso flumine à Syene in insulam Philas navigasse se narrat. Ὑπερβὰς, inquit, ἐπὶ τὸν ὅρμον ὅς ἐστι πρῶτος ὑπὲρ Καταδούπων, εἰς Φίλας διέβαλον. Ergo Philæ suprà novissimum cataracten, cataractes suprà Syenen. Tantum abest, ut contra Syenen Philæ esse potuerint. Plinius, ut videtur, & certum est, mnemonico errore lapsus Elephantinen pro Philis accepit, & Philas pro Elephantine. Nam Elephantine ex adverso Syenes, non Philæ: & Philæ supra Syenen, non Elephantine. Quam topographiam ille inversam fecit. Itinerarium Antonini: *item per partem Arabicam trans Nilum.*

Contra Pselcin.	M.	P.	x.
Contra Talmas.	M.	P.	xxiiii.
Contra Taphas.	M.	P.	x.
Philas.	M.	P.	xxiiii.
Syene.	M.	P.	iii.
Ombos.	M.	P.	xxx.

Sic Philæ & Syene in Arabico latere Nili, hoc est, in parte Nili orientali. Ergo in eodem Nili latere Syene & Philæ. Nam licet eas amplectatur Nilus, magis tamen ad illud latus pertinent, cui sunt viciniores. At Talmæ, Taphæ, & Pselcis in alio latere, occidentali scilicet. Ideo mansiones, quæ in eadem parte positæ erant, in qua & Syene, quæque loca illa ex adverso respiciebant, dictæ sunt *contra Taphas*, *contra Talmas*, & *contra Pselcin.* E diverso vero quæ in altero latere Nili mansiones contra urbes lateris Orientalis spectabant, sic etiam appellatæ, *contra Syenen*, *contra Ombos*, & sic de ceteris. Ptolemæus: Συήνη, δωδεκάσχοινος, ἱερὰ συκάμινος, Φίλαι. Quæ omnia ἐν τοῖς ἀνατολαῖς τοῦ ποταμοῦ ponit. Idem μικρὸν καταῤῥάκτην inter Philas & Syenen interjicit. Seneca etiam Nilum à Philis ad cataractas defluere scribit: at Syene infrà novissimum cataracten, ut non dubium sit errasse Plinium, qui Philas insulam contra Syenen collocat. Itinerarium Philas à Syene tribus tantum milliaribus distare facit, hoc est, viginti quatuor stadiis. Strabo centum stadia ponit, hoc est, duodecim millia passuum. Plinius Elephantinen pro Philis accipiens xvi millibus supra Syenen stare scribit, & Elephantinen quatuor millibus à minore cataracte distare, cum Syenen Aristoteles septem tantum stadiis illud intervallum definiat, tradatque Strabo μικρὸν καταῤῥάκτην μικρὸν ὑπὲρ τῆς Ἐλεφαντίνης εἶναι. Quæ Elephantine opposita est Syenæ. Sed eo proclivius unum pro altero acceperit Plinius, & Philas in locum Elephantines posuerit, quod idem de utraque diversi auctores memorent. Syenen & Elephantinen claustra quondam imperii fuisse scribit Tacitus. Lucanus *regni claustra Philas* vocat. Ἐλεφαντίνην ὅριον εἶναι τῆς Αἰθιοπίας καὶ Αἰγύπτου scribunt Græci, ut & Συήνην. Idem de Philis alii produnt. Aristides de Philis: ἔστι δὲ αὐτὴ νῆσος μεθόριον Αἰγύπτου καὶ Αἰθιοπίας. Sed de his alibi pleniùs.

Apim vocant] Ammianus lib. xxii. *Est enim Apis bos diversis genitalium notarum figuris expressis, maximaque omnium corniculantis lunæ specie dextro latere insignis.* Ita scribimus. Nam male *expressus.* Legitur & *maxime omnium.* Insignis diversis notarum figuris expressis, & maxima omnium specie corniculatæ lunæ. *Genitales notas* vocat τὰ ἔμφυτα σημεῖα. *Ingenitas*, & *ingenuas notas* noster vocat. *Genitivas notas* Suetonius. Inter genitales eas notas, quibus insignitus erat Apis & *cantharum sub lingua* nominat Pinius lib. viii. capite de Api bove: *insigne ei dextero latere candicans macula cornibus lunæ crescere incipientis: nodus sub lingua, quem cantharum vocant.* Omisit de cantharo Solinus, quum reliqua à Plinio sumeret. Κάνθαρον volunt esse scarabæum, cum multa alia

A haec vox significet, & inter alia δάκτυλον τῶν ἱερῶν, cujus figuram nodus ille sub Apidis lingua potuit referre. Certè videtur hæsitasse Plinius, & Græcam vocem ideo retinuisse, cum scarabæum dicere potuisset, æque benè. Herodotus de notis Apidis: καὶ κάνθαρον ἐπὶ τῇ γλώσσῃ. Non dubium tamen quin κάνθαρος sit scarabæus. Hic apud Ægyptios soli sacer. Bos quoque Apis eidem soli, id est, Osiridi consecratus. Diodorus: τοὺς τε ταύρους τοὺς ἱεροὺς τόν τε ὀνομαζόμενον Ἆπιν καὶ τὸν Μνεῦιν τῷ Ὀσίριδι καθιερωθῆναι. Atque ita alii. Solus, quod sciam, Ammianus Apin lunæ, Mnevim soli consecratum scilicit. Quod contra omnes est, qui ὁμοθυμαδὸν B Apin Osiridi, id est, soli dicatum dixere. Propter notam corniculatæ lunæ, quam præferebat, ideo id videtur adstruere. Atqui & scarabæum sub lingua, quæ nota solis erat, expressum habebat. Lunaribus autem radiis divinitus conceptum credebant. Ea propter & corniculatæ lunæ speciem dextro latere gestare. Plutarchus: Αἰγύπτιοι τόν τε Ἆπιν οὕτως λοχεύεσθαι φασὶν ἐπαφῇ τῆς σελήνης, καὶ ὅλως ἄῤῥενι θεῷ πρὸς γυναῖκα θνητὴν ἀπολείπουσιν ὁμιλίαν. Ἀνάπαλιν δὲ οὐκ οἴονται θνητὸν ἄνδρα θηλείᾳ θεῷ τόκου καὶ κυήσεως ἀρχὴν παρασχεῖν. Ergo lunam masculum deum, ut plerique omnes in oriente populi, C Ægyptii ducebant, ex quo & bove fœmina concipi Apim bovem sibi persuadebant, ex masculo mortali, & immortali fœmina nihil gigni posse affirmantes. Hinc *Lunus Deus* Carrenis, & *Luna masculus* Tertulliano. Scarabæus porro, qui Ægyptiis soli sacer, is erat qui pilas volvit, & propter hunc scarabæos omnes in numerum deorum retulerunt. Plinius lib. xxx. cap. xi. *Scarabæum qui pilas volvit, propter hunc Ægypti magna pars scarabæos inter numina colit, curiosa Apionis interpretatione, qua colligat solis operum similitudinem huic animali esse ad excusandos gentis suæ errores.* Hæc operum solis similitudo in scarabæo inest, quod pilam, hoc est, σφαιροειδὲς σχῆμα D ab oriente in occidentem assiduè volutat. Vide Orum Apollinem, & Porphyrium. Βυλλάρους vocat Epiphanius ejusmodi scarabæos. Βῦσαι idem est quod νάξαι, & proprium est fullonum, sive nactarum. Inde diminutivum βύλλειν. Unde βυλλὼν, ex quo Latine *fullo.* Hesychius: ἔβυλλον, ἔβυον, ἢ ἐπλήθυον. Sed & βυλλὰ τὰ βεβυσμένα, τὰ νακτὰ eidem. Inde βυλλαρὸς scarabæus, qui pedibus fimum subigit, & in pilas cogit, quas & pedibus volutat. Proprium autem fullonum pedibus argutari, & addensare. In Glossis bulli sunt χρυσοκάνθαροι, οἱ βύλλοι, vel βύλλαι. Unde βύλλαρος genus quoddam scarabæi. *Fullonem* etiam vocat Plinius *albis guttis*, licet alium E faciat à pilario. Species etiam est, quem Græci ταῦρον, κάνθαρον vocant, cujus & meminit Plinius, hunc perperam volunt esse eumdem cum eo genere, quos vulgo vocamus *cervos volantes.* Nam ταυροειδὴς scarabæus cornua ad instar bovis habebat, eratque δικέρως tantum, qui lunæ sacer apud Ægyptios habebatur. De eo Orus: δευτέρα δὲ γενεὰ ἡ δικέρως καὶ ταυροειδὴς, ἥτις καὶ τῇ σελήνῃ καθιερώθη, ἀφ' οὗ καὶ τὸν ἐν οὐρανῷ ταῦρον ὕψωμα τῆς θεοῦ ταύτης λέγουσιν εἶναι παῖδες Αἰγυπτίων. Hi sunt, quos *tauros* Plinius appellat. At *lucanos* Nigidius vocavit, quos vulgo *cervos volantes* dicimus, quod plurimi in Lucanis essent. Plinius: *sed in quodam genere eorum* F *grandi cornua prælonga, bisulcis detenta forcipibus in cacumine, cum libuit ad morsum coëuntibus, infantium etiam remediis ex cervice suspenduntur.* Heic *remedia* sunt amuleta, φυλακτήρια, & προβασκάνια. Græci κέραμβον, & κεράμβυκα vocabant hoc genus scarabæi. De quo nos alibi. *Tauri* ab his diversi, quos malè docti cum his eosdem faciunt. Plinius lib. xxx. cap. v. *Tauri vocantur scarabæi terrestres, ricino similes, nomen cornicula dedere. Alii peduculos terræ vocant, ab his quoque terram egestam illinunt strumis.* Nihil hi commune habent cum Lucanis scarabæis, & nostris volucribus cervulis: ineptè etiam & falsò putant hos sacrabæos tauros eosdem G esse cum hoc genere insecti, quos Aristoteles καράβους vocat, qui nascuntur ex vermibus in ligno repertis, quasi scarabæi sint κάραβοι & σκάραβοι. Quo nihil falsius. Aristoteles lib. v. de Hist. Animal. cap. xix. Ἐκ δὲ τῶν σκωλήκων τῶν ἐν τοῖς ξύλοις τοῖς αὔοις οἱ κάραβοι γίνονται. Interpretes vertunt, *scarabæos tauros.* Nescio quare. Nihil enim simile. Hesychius: κάραβοι, τὰ ἐν τοῖς ξύλοις ξηροῖς σκωλήκια, καὶ ζῷον θαλάττιον. Ex illis carabis,

carabis, sive cancris πλατυκέρδυσι gigni tradit idem Aristoteles. Sed de his pluribus ad tabulam Ægyptiacam.

Quod ut affuit, profundo sacri fontis immersus necatur.] Quis iste fons sacer, aut ubi? Plinius *sacerdotum fontem* vocat lib. VIII de Api bove: *non est fas eum certos vitæ excedere annos, mersumque in sacerdotum fontem enecant.* Ammianus ex hoc nostro *sacrum fontem* lib. XXII de Apide: *qui cum post vivendi spatium præstitutum sacro fonte immersus è vita abierit.* Docebo ex Plinio, quod ipse fortasse Plinius ignoravit. Narrat ibidem sub finem capitis, Memphi locum esse in Nilo, *quem à figura vocant Phialam omnibus annis ibi auream pateram, argenteamque mergentes diebus, quos habent natales Apis.* Vix dubium est, quin locus ille Nili, qui Phiala dicebatur, idem sit cum sacro fonte, quo post statum ævi spatium mersus Apis necabatur. Idem alibi dixit fontem Nili Timæo mathematico *Phialam* appellari, à figura scilicet. De eodem nimirum fonte intelligebat, non de illo ignoto, cujus origo in Mauritania. Sic enim scribit lib. V. cap. IX. *Phialam appellari fontem ejus, mergique in cuniculos ipsum amnem vapore anhelantem fumidis cautibus, ubi conditur.* Scopulos illos, vel cautes, in quibus Nili fontes esse Ægyptii memorabant, inter Syenem & Elephantinen Herodotus collocat ex relatione cujusdam γραμματιστῦ Saïtæ, τὰς ὦν δὴ πηγὰς τῦ Νείλυ ἐούσας ἀβύσσυς ἐκ τῦ μέσυ τῶν ὀρέων τυτέων ῥέειν, καὶ τὸ μὲν ἥμισυ ὕδατος ἐπ᾽ Αἰγύπτυ ῥέειν καὶ πρὸς βορέην ἄνεμον, τὸ δ᾽ ἕτερον ἥμισυ ἐπ᾽ Αἰθιοπίης τε καὶ νότυ. Hoc irridet Herodotus ipse, nec minus suggillatur à Strabone, Aristide, & aliis Græcorum. Seneca tamen Naturalium Quæstionum IV hanc sententiam pro vera refert. Insignis est locus, & quem totum Lucanus versibus expressit, ac reddidit, à Seneca mutuatus. Sic autem ille: *exiguo ab hac* (id est insula Philis) *spatio petra dividitur, Ἄβατον Græci vocant: nec illam ulli nisi antistites calcant. Illa primum saxa auctum fluminis sentiunt.* Hæc Lucanus sic versu ligavit lib. X.

Hinc Abatos, quam nostra vocat veneranda vetustas,
Petra patens, primos sentit percussa tumultus.

Sic legendum in Lucano. Nam male est etiam in optimis, *Terra potens.* Petra est, & saxum, non terra. *Tumultus* autem vocat Nili tumores & auctus. Sequitur apud Senecam: *post magnum deinde spatium duo eminent scopuli, Nili venas vocant incolæ.* Lucanus:

Et scopuli, placuit fluvii quos dicere venas.

Πηγὰς Νείλυ Græci vocant. Seneca: *hinc jam manifestus novarum virium Nilus, alto ac profundo alveo fertur, ne in latitudinem excedat objectu montium pressus.* Hæc sic reddita Lucano:

Quod manifesta novi primum dant signa tumoris.
Hos montes natura vagis circumdedit undis,
Qui Libyæ te Nile negent: quos inter ut alta
In convalle jacens stat molibus unda quietis.

Sic legendi hi versus, qui vulgo non tam sinceri. Montium objectu pressum ait Nilum Seneca, ne in latitudinem excederet. Lucanus montes à natura vagis aquis Nili circumdatos, qui eum Libyæ negarent. Nam si in latitudinem excederet, Libyam utique perfunderet, non Ægyptum. At montibus illis pressus, & coërcitus recta exit in Ægyptum. Inter montes illos Nilum, ut alta in convalle molibus quietis stare dicit, & idem voluit quod Seneca, qui alto & profundo alveo ferri inter illos montes scribit. Nam moles aquarum quietæ, ac veluti stantes in profundo, & alto alveo, qui veluti convallis locum obtinet inter duos montes altissimos. Sequitur apud Senecam: *circa Memphim demum liber, & per campestria vagus in plura scinditur flumina.* Sequitur quoque apud Lucanum, quod ex istis expressum est:

Prima tibi campos permittit, apertaque Memphis
Rura, modumque vetat crescendi ponere ripas.

Atque hæc hactenus. Fontem igitur, venasque Nili inter Syenen, & Elephantinen Ægyptii constituebant in medio duorum eminentium saxorum. Nec enim ex omni parte falsum esse, quod ex Saïte scriba ab Herodoto refertur, Aristides asserit, qui αὐτόπτης illorum locorum extitit. Οὐ μὴν ἅπαν ψεῦδος τὸ εἰρημένον, ἀλλ᾽ εἰσὶ μὲν αἱ πηγαὶ ἐν τῷ μεταξὺ Συήνης, καὶ Ἐλεφαντίνης ὡς

A ἀληθῶς, πέτραι μεγάλαι δύο ἐν μέσῳ τῷ πόρῳ ἀνέχουσι καὶ τὸ μέσον αὐτῶν Αἰγύπτιοι φησὶν εἶναι πηγάς. Εἰσὶ δ᾽ οὐ παντὸς αὐτῷ, ἀλλὰ τῶν πρὸς Αἰγύπτυ κάτω συντελεῖς. Quod ait fontes illos non totius fluminis esse, id etiam firmat Seneca his verbis: *Nili venas incolæ vocant, ex quibus magna vis funditur, non tamen quanta operire posset Ægyptum.* Quod autem inter duo saxa in medio alveo eminentia fons ille veluti conclusus esset, *Phialam* à figura vocaverunt. *In hac ora*, inquit Seneca, *stipem sacerdotes, & aurea dona præfecti, cum sollemne venit sacrum, jaciunt.* Per *sollemne sacrum* palam est eum intelligere natales Apis, qui festi, & celebres toti Ægypto. B Hic igitur erat fons sacer, quo mergebatur Apis, ubi satis diu vixerat, & in quem pateræ, & dona aurea jaciebantur à sacerdotibus, & præfectis festo die natalium Apis. Ideo & *fontem sacerdotum* vocat Plinius, quod sacerdotes stipem in eum jacerent sollemni sacro, vel quod solis sacerdotibus ad eum fontem accedere liceret. Sic petra ἄβατος ibidem dicta, quam soli sacerdotes calcabant. Sed Plinius in urbe Memphi locum illum fuisse docet, qui Phiala dicebatur, & in quem patera aurea projici solebat quotannis die natali Apis. Vix tamen ambigendum, quin fons ille sacer, vel sacerdotum, quo immersus Apis necabatur, idem fuerit cum illa Phiala, C qui & fons erat Nili, quem inter Syenen & Elephantinem alii ponunt, in quem projiciebant aurea dona, & stipem sacerdotes sollemni sacro Apidis natalium. Quod enim in urbe Memphi Apis educabatur, ideo & ibi locum illum fuisse Plinius, aut quos ille sequitur, scripserint. Ceterum de alio fonte Nili, aut alia Phiala non potest intelligi, quam quæ inter Syenen, & Elephantinen ab Ægyptiis ipsis omnium auctorum testimonio statuitur. Statius:

---- *aut quo se gurgite Nili*
Mergat adoratus trepidis pastoribus Apis.

D Gurgitem Nili vocat, quia locus ille immensæ profunditatis. Herodotus: ὡς ἢ ἄβυσσοί εἰσιν αἱ πηγαὶ ἐς διάπειραν, ἔφη τῦτο Ψαμμήτιχον Αἰγύπτυ βασιλέα ἀπικέσθαι. Aristides: καὶ μὴν τὸ βάθος γε οὐκ ἐφικτὸν εἶναι τῷ πειρωμένῳ. Solinus quoque infrà *in Nili statum gurgitem* pateram auream projici dicit, cujus jactu celebrant Apis natalem.

Incipiat sacris ibi initiatus sacer fieri.] Ammianus ex hoc loco: *cumque initiante Antistitum numero centum inductus in thalamum esse cœperit sacer.*

Pag. 43. F. *Delubra, quibus succedit, aut incubat, mysticè thalamos nominant.*] Succeditur quidem thalamis, E non incubatur. Plinius: *sunt delubra ei gemina, quæ vocant thalamos.* In templo, in delubro, in thalamo incubare Latini dicunt, ut Græci ἐν τῷ ναῷ ἐγκοιμᾶσθαι, non thalamis incubare, vel templis: nam de pellibus stratis, aut lectis id dicitur. Ut apud Virgilium:

Pellibus incubuit stratis.

Sic *incubare tumulo, incubare gazæ*, qui cubando premit tumulum, aut gazam, rectè dicatur: non item *templo*, vel *tecto incubare* de illo, qui sub tecto, vel in templo stramentis, aut solo incubat. Hoc tamen sic posset defendi, ut *incubare templo* dictum videatur pro *in templo cubare*, ut *adstitui tribunal, advolvi genua, incidere for-* F *tunam*, & similia; nam & suprà *incubare templo* dixit. Aliter tamen loquuntur optimi scriptores. Duplex porro heîc lectio fuit ex gemina editione. Altera habuit: *tecta, quibus succedit, mysticè thalamos nominant.* Altera: *delubra, quibus incubat.* Ex duabus componitur, quæ vulgo extat: *delubra, quibus succedit, aut incubat.* Θάλαμος propriè νυμφικὸς οἶκος. Unde θαλαμεύειν παρθένον. At θαλάμη pro delubro. Ita distinguunt Grammatici. Ammonius: θαλάμας ὡς ἀγαθάς, καὶ θαλαμὰς ὡς μεγάλας, διαφέρειν φησὶ Τρύφων περὶ τοῖς Ἀττικοῖς. Ἐὰν μὲν γὰρ ὀξύνωμεν, δηλώσει τὸ τῶν Διοσκύρων ἱερόν, ἐὰν δὲ βαρυτονήσωμεν, τὰς καταδύσεις μηνύει. Ergo θαλάμαι propriè G delubra Dioscurorum: etiam omnium deorum. Unde θαλαμηπόλος ῥέης in epigrammate. Verùm hæc alibi.

Dat omina manifestantia de futuris.] Plinius *auguria* vocat: *delubra ei gemina, thalamos vocant, auguria populorum.* Atqui *augurium*, ut etiam *omen* propriè ex avibus sumitur. Et *augur*, οἰωνοσκόπος, ὀρνεοσκόπος. Ab avium garritu dictum *augurium* Grammatici garriunt. Ad alia tamen transfertur, ut heîc Apis bovis augurium

rium dicitur. Idem Plinius alibi & de vulpe auguria capi tradit his verbis, quæ sic distinguenda, ac legenda sunt lib. VIII capite de prognosticis animalium: *Auguria quidem artem fecere apud Romanos, & sacerdotum collegium. Vel maxime sollemne est inter ea locis rigentibus & vulpis, animalis alioquin solertia diri: amnes gelatos lacusque non nisi ad ejus itum reditumque transeunt.* Inter auguria, & prognostica animalium vel maximè sollemne est vulpis in locis rigentibus. Nec enim lacus, aut amnes gelatos transeunt: nisi ubi ire, & redire illam viderint: observatum quippe eam aure ad glaciem opposita conjectare crassitudinem gelus.

Dat omina manifestantia de futuris.] Sic legimus. Vulgo erat: *dat omnia.* Ammianus hinc habet: *conjecturis apertis signa rerum futurarum dicitur demonstrare.* Plinius *auguria* vocat, quæ hic *omina.* Sed locus Plinii sic legi debet, atque distingui: *tum delubra ei gemina, quæ vocant thalamos: augurio populorum alterum intrasse lætum est, in altero dira portendit: responsa privis dat è manu consulentium cibum capiendo.* Populi universi augurabantur læta, cum alterum ex his delubris intrasset, in altero dira portendebat. At *privis*, id est, singulis dabat responsa cibum capiendo è manu. Sic alibi loquitur Plinius. Quem & supra in hac voce memini emendare. Libri habebant, *responsa prius dat. Privi* singuli sunt, unde *privata* τὰ ἰδιόκτητα, quæ singuli possident. Eudoxi, quum Memphi esset, Apis extremitatem vestis circumlingendo brevi ævo eum moriturum, sed in magno nomine significavit. Diogenes in vita Eudoxi, cujus & versus ibi leguntur ad hunc modum restituendi:

Ἐνὶ Μέμφει λόγος ἐστὶ προμαθεῖν τὴν ἰδίαν πρόσθε μοῖραν
Εὔδοξον παρὰ τοῦ καλλικέρω ταύροιο, κοὐδὲν γ' ἔλεξε
Πόθεν? Οὐ γὰρ βοῒ φωνὴ, φύσις οὐ δῶκε μόσχῳ
Ἀπίδι στόμα, ἀλλὰ
Παρὰ δ' αὐτοῦ λέχριος στὰς ἐλίχμησε, τὸ λῶπος
Προφανῶς τοῦτο διδάσκων, ἀποδύσει βιοτὴν ὅσον οὔπω.
Διὸ καὶ οἱ ταχέως ἦλθε μόρος δὴ δέκακις πέντε καὶ τρεῖς
Εἰσιδόντι παῖδας.

Scripturam antiquam in scriptis codicibus Diogenis nobis repertam in numeros istos redegimus, paucis admodum mutatis, quam vi, atque ingratiis in heroos pedes coëgerat Planudes, cum insigni mutatione. Versus sunt Ionici ἀπὸ τοῦ ἐλάσσονος pentametri catalectici exceptis duobus mediis, qui tetrametri sunt cum duobus aliis trimetris Ithyphallicis. Postremos versus ita distorserat:

Καὶ δὴ οἱ ταχέως ἐπελήλυθεν αὐτίκα πότμος,
Ἠελίους δέκακις πέντ' ἠδὲ τρεῖς ἐσιδόντι.

Græci poëtæ ἠελίους dies vocant, ut Latini *soles.* At de annis heîc intelligendum. Tres & quinquaginta vixit Eudoxus. Annos παῖδας vocat Diogenes, quia anni παῖδες sunt sæculi τῆς γενεᾶς, ut dies mensis, menses anni. Apim idem appellat μόσχον, βόα, ταῦρον.

Illud maximum.] Ita veteres omnes editiones & libri, ut nesciam quid in mentem venerit Delrio edere, *illud maximè. Maximum illud omen* esse ait, cum Apis è consulentium manu cibum capit. A Plinio discedit, ut auctorem dissimulet, perpetuo sibi more.

Quæ ut inventa & oblata est.] Libri cum antiquitus editis: *quæ atque inventa & oblata est*, id est, quæ simul atque inventa est. Nam integrum, *simul atque.* Alii pro eo dicunt tantum *simul*, alii *atque.* Et sic suprà loquutus est noster. Dicit autem eam bovem fœminam, quæ Api bovi semel in anno ostenditur, eadem die, qua invenitur, & offertur, etiam neci dari. Plinius: *fœmina bos semel ei in anno ostenditur, suis & ipsa insignibus, quanquam aliis, semperque eodem die inveniri eam, & extingui tradunt.* Ergo quotannis nova quærenda est, & inveniunda. Plinii verba eum sensum admittere possunt, ut semper eodem die, quo Apis fœmina illa bos, inveniatur, & neci etiam detur. Ita sanè accepisse videtur Ammianus his verbis de Api: *qui cum post vivendi spatium præstitutum sacro fonte immersus è vita abierit, necatur hora & quæ ei bos fœmina inventa cum notis certis offertur: quo perempto alter cum publico quæritur luctu.* Sic enim locus ille debet scribi vestigio veteris lectionis monstrante. *Necatur hora*, id est, statim,

A eadem illa hora. Loquutio tralaticia, de qua suprà, *in hora, ad horam.* Perperam in editis: *cum immersus è vita abierit, nec nisi semel ei in anno bos fœmina inventa cum notis certis offertur, alter cum publico quæritur luctu.* Quæ plane sunt ἀσύστατα, καὶ ἀσύγκλωστα. Nihil enim cohæret. Bos illa fœmina in urbe Momemphi nutriebatur, ut in Memphi Apis. Strabo lib. XVII. Οἱ δὲ Μωμεμφῖται τὴν Ἀφροδίτην τιμῶσι, καὶ τρέφεται θήλεια βοῦς ἱερὰ, καθάπερ ἐν Μέμφει ὁ Ἆπις, ἐν Ἡλίου δὲ πόλει ὁ Μνεῦις. Οὗτοι μὲν οὖν θεοὶ νομίζονται. Non igitur nova quotannis quærebatur, nec statim atque oblata Apidi tauro fuerat, necabatur, sed eodem die, & inveniri solebat, & necari, quo
B Apis. Hic Plinii sensus, quem non vidit Solinus.

Apis natalem Memphi celebrant.] Sic libri omnes. Nec rectè in editionibus *Memphitici.* Quod est κτητικὸν, non ἐθνικόν. *Memphiticus anser* recte diceretur, non Memphiticus homo. *Memphi* positum est pro Μεμφίτῃ. Sic *Ombi* apud Juvenalem sunt *Ombitæ* hoc versu:

Terga fuga celeri præstant instantibus Ombis
Qui vicina colunt umbrosæ Tentyra palmæ.

Ita enim legendum vidit V. C. Josias Mercerus ex veteri scriptura, quæ habuit:

Præstant instantibus omnes.

C Sic *Tentyri* pro Tentyritæ apud Senecam in Naturalibus Quæstionibus: *nec illos Tentyri generis, aut sanguinis proprietate superant.* Sic enim ibi libri. Ita & Ἀλαβάστροι Epiphanio ἀντὶ τῶν Ἀλαβαστριτῶν, ab Alabastris Ægypti urbe. Sic *Bactri* ab urbe Bactris. Sed *Memphi* etiam heîc possit esse in urbe Memphi. Plinius: *Memphi est locus in Nilo, quem a figura vocant Phialam, omnibus annis ibi auream pateram, argenteamque mergentes, diebus quos habent natales Apis.* Ergo Memphi celebrant, id est, in urbe Memphi Ægyptii celebrant natales Apis. Ammianus: *sacerdotes Memphi natales celebrant Apis.*

D *Quam projiciunt in Nili statum gurgitem.*] Ita libri, partim *statum*, partim *statutum.* Quod idem est. Quidam etiam habent *statim*, pessimi omnium. In statum, & certum Nili gurgitem, & huic rei constitutum jaciebant auream pateram. Sic *stata domicilia, status locus, status modus, stati dies*, & similia. Sic stato etiam gurgite Nili mergebatur Apis:

---- *& quo se gurgite Nili*
Mergat adoratus trepidis pastoribus Apis.

Statius. Nugatur heîc Delrio de stativis, & stantibus Nili aquis.

Hæc sollemnitas per septem dies agitur.] Magna hæc sol-
E lemnitas per totam Ægyptum. *Sollemne sacrum* absolute vocat Seneca: quum de hac sollemnitate intelligat, per quam aurea dona, & stipem in fontem Nili jaciebant præfecti, & sacerdotes. De alio sollemni festo capienda hæc verba Juvenalis, ubi Ægypti sacra, & numina carpit Sat. XV.

Lætum hilaremque diem ne magnæ gaudia cœnæ
Sentirent positis ad templa & compita mensis,
Pervigilique toro, quem nocte ac luce jacentem
Septimus interdum sol invenit.

Speciale hoc sacrum Tentyritarum aut Ombitarum, quod & per septem dies agitabatur, ut natalis Apis, nisi
F hoc finxerit Satyricus ex illo sollemni festo Apis, quod totidem dies durabat.

Octavo die carimoniis jam peractis.] Plinius: *septem hi sunt, mirumque neminem per eos a crocodilis attingi: octavo post horam diei sextam redire beluæ feritatem.* Omisit Solinus, quod præcipua dignum observatione, in his Plinii verbis, ex quibus colligere est Ægyptios diem suum civilem à meridie ad meridiem statuisse. Hinc septimum diem sollemnis festi non ante finitum esse innuit Plinius, quam post sextam horam, id est, meridiem octavi: nam primus dies sollemnitatis à meridie utique incœperat. Sic in Umbria dies civilis definieba-
G tur à meridie in meridiem. Hoc idem fuisse in Ægypto certo certius indicatur illo Plinii loco.

Pag. 43. G. *Crocodilus malum quadrupes.*] Malè apud auctorem excerptorum: *quadrupes malus.* Plinius: *crocodilum habet Nilus, quadrupes malum, terra pariter & flumine infestum.* Quid igitur sibi vult Hesychius, qui crocodilum Nili distinguit à terrestri crocodilo, quasi non & terrestris sit & aquatilis idem? Κροκόδειλος, inquit,

nquit, τὸ ζῶον τὸ ἐν τῷ Νείλῳ, καὶ τὸ χερσαῖον. Ipse etiam Aristoteles κροκοδείλους ποταμίους sæpe vocat, ut separet eos a terrestribus. Κροκόδειλος Græcis lacertæ genus, quod inter sepes, & macerias versatur, à cujus similitudine, quod instar ejus haberet, animal etiam Nili crocodilum vocaverunt. Herodotus: κροκοδείλους δὲ Ἴωνες ὠνόμασαν εἰκάζοντες αὐτῶν τὰ εἴδεα τοῖσι παρὰ σφίσι γινομένοισι κροκοδείλοισι τοῖσιν ἐν τῇσιν αἱμασιῇσι. Ninc ποτάμιος Κροκόδειλος Aristoteli ad discrimen lacertæ crocodili, qui merè terrestris est. Χάμψαι Ægyptiis dicebantur, qui Græcis Κροκόδειλοι ποτάμιοι.

Linguam non habet] Plinius: *unum hoc animal terrestre linguæ usu caret.* Verba sunt Herodoti male à Plinio reddita: γλῶσσαν δὲ μοῦνον θηρίων οὐκ ἔφυσε. Aliud est linguæ usu carere, aliud linguam non habere. Pisces linguam habent, sed linguæ usu carent. Præterea θηρίον non terrestre tantum animal, sed etiam aquatile dicitur. Nam & in mari, & fluminibus θηρία sunt, ut in Nilo crocodilus & hippopotamus. Postremo non solùm terrestre animal crocodilus, sed etiam ἔνυδρον. Cur igitur dicit, unum hoc animal terrestre linguæ usu carere? immo & unum hoc animal aquatile linguam non habet. Nam cetera animalia aquatica linguam habent, qua caret crocodilus. Denique θηρίον belua est, non animal. Nam aliud θηρίον, aliud ζῶον. Rectius heîc igitur Solinus crocodilum *linguam non habere* scribit. Diodorus: μακρόβιον μὲν ἐστι καθ' ἄνθρωπον, γλῶτταν δὲ οὐκ ἔχει. Apulejus: *ore amplo sed elingui.*

Morsus ejus horribili tenacitate conveniunt] Scribendum in Plinio, atque interpungendum sic: *unum hoc animal terrestre linguæ usu caret: unum superiore mobili maxilla imprimit morsum alias horribilem pectinatim stipante se dentium serie.* Male est vulgo; *alias terribile*, ut referatur ad animal, vel *quadrupes malum.* Non aliter legit Solinus. *Horribilis morsus*, ut *horribilis ventus* Catullo:

Dii ventum horribilem atque pestilentem.

Et *horribilis liber* apud eumdem.

Di boni horribilem & sacrum libellum.

Glossæ: *horribilis*, φοβερὸς, ἀπότροπος. Ita heîc *morsuum tenacitas horribilis.* Diodorus de crocodilo: τὰ δὲ δήγματα ποιεῖ ἄγρια καὶ χαλεπά. *Perniciosi morsus* Ammiano.

Plerumque ad viginti ulnas magnitudinis evalescit] Melius scriberetur, *ad duodeviginti ulnas.* Ita Plinius: *magnitudine excedit plerumque duodeviginti cubita.* Solino *ulnæ* sunt, quæ *cubita* Plinio. Herodotus: αὐξανόμενος δὲ γίνεται καὶ ἐς ἑπτακαίδεκα πήχεας καὶ μέζων ἔτι. Diodorus: ὁ δὲ γεννηθεὶς αὐξόμενος μέχρι πηχῶν ἑκκαίδεκα. Nemo prodidit usque ad viginti cubita magnitudinis crocodilum crescere. Cetero libri omnes heîc legunt *evalescit* pro *convalescit.* Quod retinuimus. Sic suprà *convalescere* eodem sensu posuit: *quem anguem ferunt ad immensam molem convalescere.* Infra de Euphrate: *hic receptis in se aliquot amnibus convalescit*, id est, major & auctior evadit. Quæ majora mole sunt corpora, ea plerumque etiam validiora, & fortiora. Hinc *convalescere*, & *evalescere* pro crescere, & in molem magnam attolli usurpavit. *Evaluisse myrtum* dicit Plinius, quæ lætior, & grandior evasit lib. XVI. cap. XXII verbis, quæ sic legenda sunt ex optimo libro: *in eo sacræ fuere myrti duæ ante ædem ipsam per longum tempus, altera patricia appellata, altera plebeja: patricia multis annis prævaluit exuberans, ac læta, quamdiu senatus quoque floruit, illa ingens, plebeja retorrida ac squalida: quæ postquam evaluit flaccescente patricia, Marsico bello languida auctoritas patrum facta est, ac paulatim in sterilitatem emarcuit majestas.*

Qualia anseris edit ova.] Ita libri. Plinius: *parit ova, quanta anseres.* Forte legendum in Plinio: *quanta anseris.* Iidem mox libri legunt: *metatur locum naturali providentia, nec alibi fœtus premit.* Nec agnoscunt vocem *nido.* Nidus proprie avium. Nec enim nidos struit crocodilus. Edit ova, qualia anseres, & metatur locum iis edendis, & fœtui incubando, qua Nilus non est ascensurus: quod naturali providentia facit. Sed hæc prædivinatio potius est, quam providentia. Atque ita Plinius nominat. Nec enim semper eadem mensura Nilus egreditur, & crescit.

Nec alibi fœtus premit] Male in quibusdam: *fœtus promit.* Fœtus sunt ova, quæ premit, id est, incubat

A crocodilus extra eum locum, ad quem summo incremento perventurus est Nilus eo anno. Plinius: *parit ova quanta anseris: eaque extra eum locum semper incubat, prædivinatione quadam, ad quem summo auctu eo anno egressurus est Nilus.* Ita libri *egressurus*, ubi vulgati habent; *accessurus. Egressus, evagationes, excessus, exitus* Nili, αἱ ἐκβάσεις, ἀναβάσεις. *Premit fœtus* Solino, quod Plinio *ova incubat.*

Pag. 44. A. *Noctibus in aqua degit, per diem humi acquiescit*] Contrarium planè scribit Ammianus, qui multa sumit à Solino: *noctibus quiescens per undas, diebus humi vescitur.* Notant in libris veteribus esse, *diebus humi veheperatur.* Quid sit nescio, nisi legendum sit *diebus humi versatur*, διατρίβει, διάγει. Ita enim Græci.
B Pugnat tamen inter se, quod alter ait, crocodilum noctibus in aqua quiescere, alter per diem humi acquiescere. Si verum ambo dicunt, perdius & pernox quiescit crocodilus, noctu in aqua, de die sub divo, nec tempus illi relinquitur cibo capiendo. Utrumque examinemus. Plinius: *dies in terra agit, noctes in aqua teporis utrumque ratione.* Ineptè Dalecampius ex prava scriptura vetusti codicis legit, *temporis utrumque ratione.* Quod explicat opportunæ stationis, & moræ. Nihil absurdius. Verum est, *teporis.* Aristoteles:
C τὴν μὲν ἡμέραν ἐν τῇ γῇ τὸ πλεῖστον διατρίβουσι, τὴν δὲ νύκτα ἐν τῷ ὕδατι. Ἀλεεινότερον γὰρ τῆς αἰθρίας. Idem ante eum dixerat Herodotus his verbis: καὶ τὸ πολλὸν τῆς ἡμέρης ἐν τῷ ξηρῷ διατρίβει, τὴν δὲ νύκτα πᾶσαν ἐν τῷ ποταμῷ, θερμότερον γὰρ ἐστι τὸ ὕδωρ τῆς τε αἰθρίης καὶ τῆς δρόσου. Ἡ αἰθρία est *subdivum.* Nam cum in terra moratur: sub dio degit, ἐν τῇ αἰθρίᾳ. Quia noctes frigidæ sunt, & aqua per noctem tepidior, ideo noctes in flumine degit. Hoc igitur unum facit ratione *teporis*, non utrumque. Nec enim etiam de die moratur in terra propter teporem. Certe Herodotus & Aristoteles non id tradunt.
D Et fortasse scribendum in Plinio: *noctes in aqua, teporis utique ratione.* Quod aqua scilicet tepidior per noctem sit subdivali sereno. Ita sane Aristoteles cum Herodoto. Ferri tamen *utrumque* potest. Nam qui noctes agit in aqua propter aquæ teporem, & dies extra aquam degere videri queat propter eamdem rationem. Non igitur ratione cibi, sed teporis noctes agit in aqua. Quare melius Ammianus quam Solinus dixerit, noctibus per undam quiescere. Etenim, si juxta Solinum per diem humi acquiescit, cibum utique noctu quærat per undas oportet. Sed illud suum Solinus hausit, & collegit ex istis Plinii
E verbis: *hunc saturum cibo piscium, & semper esculento ore in littore somno datum, parva avis, quæ trochilos vocatur.* Si satur est cibo piscium, & per noctem ferè tantum in aqua degit, ergo noctu pisces capit, quibus vescatur. Somno vero per diem datur in littore: ergo humi per diem acquiescit. Sed fallitur in plenum Solinus argumentatione sua, & partim ipse Plinius. Quod heîc ait crocodilum saturum piscium cibo in littore quiescere, vereor ut verum possit esse considerata hujus animalis natura, quam alii tradunt. In aqua nihil eum videre memorat Herodotus, extra aquam acerrimi visus esse, τυφλὸν
F δὲ ἐν ὕδατι, ἐν δὲ τῇ αἰθρίῃ ὀξυδερκέστατον. Idem narrat Aristoteles, φαύλως ὁρᾶν ἐν τῷ ὕδατι. Nihil videns, & pæne cæcus inter undas qui possit captare pisces, & capere, non satis video ipse. Præterea Plinium prorsus refellit, quod ab Herodoto traditur. Crocodilum ex nocturna in aquis conversatione plenum os referre hirudinibus, quas trochilus repurgat. Hoc signi est non multum eum maxillas, & dentes in aqua exercere comedendis piscibus, siquidem dentibus ejus, & maxillis hirudines implectuntur & inhærent. Nam semper hianti ore est. Non igi-
G tur piscium, quos comederit, reliquiis esculentum os habet, quum scalpitur & purgatur à trochilo, sed hirudinibus refertum. Postremo cum homines persequatur, ac voret, porculos, canes, & genus omne animalium avidissimè sectetur, & quidquid ripæ adpropinquat, solitus sit affectare, ex eo colligere est in terra potius quam in aqua victum illi quæri. Hinc proverbium *Canis è Nilo*, quod propter metum crocodilorum bibant simul, & fugiant: Diodorus lib. I. de

de crocodilo: σαρκοφαγεῖ δὲ οὐ μόνον ἀνθρώπους, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐπὶ τῆς γῆς ζώων τὰ προσπελάζοντα τῷ ποταμῷ. His adde, quod hieme nullum cibum capiunt, & per id tempus, quod quatuor menses durat, in aqua latitant usque, nec prodeunt. Victus igitur ex terra. Verissimum itaque est, quod ait Ammianus, crocodilum noctibus quiescere per undas, diebus humi vesci. Ut contra falsissimum, quod ex Plinio adstruit Solinus, per diem humi acquiescere. Ut demus saturum in littore aliquando somno dari, non sequitur inde, per totum diem humi acquiescere. In aquam noctu se recipiunt teporis ratione, ut Herodotus & Aristoteles testantur, non autem & diebus ἐν τῷ ξηρῷ versantur propter eamdem causam, ut Plinius asserit. Sic διαγωγὴν noctu facit inter aquas, τροφὴν colligit in terra. Contra hippopotamus noctibus victum in terra quæritat, per diem in aqua quiescit. Nec tamen negaverim crocodilum piscibus etiam libenter vesci, quoscunque adipisci potest. Nam & Strabo scriptum reliquit nihil ferè piscium ex mari in Nilum ascendere metu crocodilorum, excepto mugile, & delphine, & thrissa. Rationem apud eum vide: sed cum obtusius in aqua cernat, non multam capturam facere potest, & præcipuus illi victus, plurimusque è terra.

Ut ictus quovis tormento adactos tergo repercutiat.] Plinius: *contra omnes ictus cute invicta.* Græcorum est τὸ δέρμα ἄρρηκτον. Ammianus è Solino: *cutem ita validam gerit, ut ejus tergo cataphracta vix tormentorum ictibus perforentur.* Hæc non leviter corrupta sunt. Scribe: *ut ejus tergoris cataphracta vix tormentorum ictibus perforetur.* Ut omnes sciunt, *cataphracta* est lorica. Ex φολιδωτοὶ, & in squamam textæ è ferro. Unde *cataphracta signaculis squamarum sculpta* Tertulliano. Tale est etiam tergus crocodili, φολιδωτόν. Herodotus: δέρμα λεπιδωτὸν ἄρρηκτον ἐπὶ τοῦ νώτου. Diodorus: τὸ μὲν γὰρ δέρμα αὐτῶν πᾶν φολιδωτόν ἐστι. Hinc eleganter & vere Ammianus *cataphractum tergoris* in crocodilo appellat squamatam ejus cutem.

Trochilos avis parva est.] Mirum extare in omnibus Solini codicibus, *strophilos av s parva est.* Nec aliter in indice: III. *de crocodilo.* IIII. *de strophilo.* An Græcorum aliquis στρόφιλον, vel στρόβιλον vocavit, qui aliis τροχίλος? Genus etiam aviculæ ὀρχίλος. Quam perperam cum trochilo confundunt multi. Hesychius: ὀρχίλος, ὀρνιθάριον τῶν δυνωτῶν, ὃ λέγεται ὑπό τινων σαλπιγκτής. Apud eumdem σάλπιγξ etiam dicitur. Ὀρχίλου & τροχίλου meminit Aristophanes in Avibus. Τροχίλος Græce dicitur & πρέσβυς & βασιλεύς. Aristoteles lib. IX. cap. II. de trochilo: καλεῖται δὲ καὶ πρέσβυς καὶ βασιλεύς, διὸ καὶ τὸν ἀετόν φασιν αὐτῷ πολεμεῖν. Hinc Plinius lib. X. capite, *Quæ inter se dissideant*, ait trochilum cum aquila inimicitias gerere: cornices atque noctuas: *aquilæ & trochilus, si credimus, quoniam rex appellatur avium.* Perperam quasi ex Aristotele ad eum locum notant, trochilum cum noctua gerere bellum. Male etiam Turnebus ad hæc Plinii verba scribit in Aristotele esse ὀρχίλος, non τροχίλος. Certe capite primo libri noni Aristoteles tradit ὀρχίλον & noctuam invicem inimica esse: καὶ ἡ γλαὺξ δὲ καὶ ὀρχίλος πολέμια. Καὶ γὰρ οὗτος τὰ ὠὰ κατεσθίει τῆς γλαυκός. Verùm nihil hoc ad trochili, & aquilæ pugnam. Subjicit idem & ceteras minores aves de die infestas, & infensas esse noctuæ, eamque circumvolare & vellere, ὃ καλεῖται inquit, θαυμάζειν. Διὸ καὶ οἱ ὀρνιθοθῆραι θηρεύουσιν αὐτῇ παντοδαπὰ τὰ ὀρνίθια. Hoc genus aucupii *pipatam* hodie vocamus à pipatu avium noctuam circumvolitantium. Inde *pipare* pro decipere. Quod proprium est aucupum:

Volucrem dum decipit auceps.

Ovidius:

Aut ut aves coëunt, si quando luce vagantem
Noctis avem cernunt.

Timon:

---- ἠΰτε γλαῦκα περὶ σπίζαι τερατεῦνται.

Hinc explicandus ille vetus versiculus in libro Plutarchi adversus Coloten:

Συμμικτὸν ὥστε γλαυκὸς αὐλιστήριον.

Nam ubicunque γλαὺξ αὐλίζεται & consistit, ibi minutarum avium omne genus solet adglomerari, & con-

A gregari. Hodie legitur apud Plutarchum, γλαυκὸς αὐλητήριον. In quibus interpretandis mirum est quantopere æstuent, ac nugentur docti viri. Plinius: *noctuæ & ceteræ minores aves.* Sequitur apud Aristotelem. Πολέμιος δὲ καὶ ὁ πρέσβυς καλούμενος καὶ γαλῆ καὶ κορώνη, τὰ γὰρ ὠὰ καὶ τοὺς νεοττοὺς κατεσθίουσιν αὐτῆς. Quæ sic reddit Gaza, ut ad superiora referat hæc verba: πολέμιος δὲ καὶ ὁ πρέσβυς. Ut peculiares nimirum inimicitias etiam dicat esse inter trochilum, qui πρέσβυς dicitur, & noctuam, de qua jam præcessit. Quod non probo. Puto vocem deesse hoc modo: πολέμιος δὲ ἀετῷ καὶ ὁ πρέσβυς καλούμενος. Καὶ γαλαῖ καὶ κορώνη. Τὰ γὰρ ὠὰ
B καὶ τοὺς νεοττοὺς κατεσθίουσιν αὐτῆς. Nam mustellæ ova, & pullos cornicis edunt. Hinc illæ inimicitiæ. Πρέσβυς igitur Græcè idem qui & βασιλεὺς & τροχίλος. Rex nempe avium. Inepte πρέσβυν apud Aristotelem vertunt *senatorem.* Πρέσβυς idem quod βασιλεὺς vel ἄρχων. Hesychius: πρέσβεις, ἔνδημοι, βασιλεῖς, ἄρχοντες. Æoles dicebant περέγυς, transpositis literis, & β in γ mutato. Quod illis sollemne. Hinc πέργυλον ὑποκοριστικῶς vocabant, qui ceteris πρέσβυς. Hesychius: σπέργυλος, ὀρνιθάριον ἄγριον. Σπέργυς, ὁ πρέσβυς. Ipsa scribendi ratio Æolica, πέργυλος pro σπεργύλος. Ut πυκνὸς, θυ-
C γάτηρ. Plinius: *parva avis, quæ trochilos ibi vocatur, rex avium in Italia.* Inde composita vox, qua aviculam hanc appellarunt, *regaviolus*, & *regaviliolus.* Glossæ: *regaviliolus*, σπίνος: *regaviolus*, βασιλίσκος, ὀρνύφιον. Suetonio *regaliolus* dicitur. De quo nos alibi. Sed perperam σπίνον magister ille cum trochilo, vel regaviolo confundit. Σπίνος Græcis εἶδος στρουθοῦ. Interpres Aristophanis κίχλας & σπίνους jungit, & septem σπίνους obolo vendi dicit. Aliæ Glossæ: σπίνος ὁ στρουθὸς, *fringillus.* Rursus confundit hoc σπίνον cum ea, quæ σπίζα Græcis vocatur. At σπίνος & σπίζα differunt. Σπίζα est, quem Latini *fringillam*, vel *fringillum* dixere. *Pin-*
D *cionem* vulgo vocamus. Itali hodie Latinum nomen retinent. Hinc genus eorum ὀρεοσπίζαι, quibus collum cyaneum esse tradit Aristoteles. *Montanos* hodie appellamus. Festus *fringillam* dictam esse scribit, quod frigore cantet & vigeat. Hoc proprium *regavilioli.* Nam solus ex avibus frigore cantat. Quinimmo intensi frigoris futuri signum esse ajunt, quum cantillat. Sic σπίνον, & Latine *fringillum* quidam acceperint pro regaviolo, qui noster est regulus. Quod confirmat auctor ille glossarii veteris. *Fringillus*, qui noster *pincio*, & Græcorum σπίζα æstivis tantum mensibus canit, hie-
E me silet. Auctor est Aristoteles æstate in calidissimis locis eum degere, hiemem agere in maximè rigentibus. Vox ipsa Latina, qua appellatur, ex Græco manat, φρυγίλος, *fringilus.* Quod genus est ὀρνιθαρίου. Nomina avium sæpè confundunt. Sic ex vocabulo σπίζα factum est Latinum *passa.* Πίζα Æoles dicebant, ut φαῖρα pro σφαῖρα, & μάραγδος pro σμάραγδος. Hinc Latinum *pessa* & *passa.* Ut μᾶζα, *massa.* Glossæ: *passa*, ὀρνέου εἶδος. Ityn in passam conversum fuisse ferunt grammatici quidam. Inde etiam & vox *passer.* Nam Græcis σπίζαι pro omni genere avium minutarum, ut & στρουθοί. Hesychius: σπίζια ὄρνεα ἅπαντα. Timonis versus de Platone:

F Ὡς εἰπὼν ὄχλοιο περίστασιν εἰς κατέδυνεν,
Οἱ δέ μιν ἠΰτε γλαῦκα περὶ σπίζαι τερατεῦντο
Ἠλέματον δεικνύντες.

Sic legendum. Vulgo est, περισπίζα. Σπίζαι minutulæ aves omne genus, quæ circa noctuam adgregantur mirabundæ. Diximus suprà. Hesychius: σπίζα, ὀρνιθάριον στρουθῷ παρεμφερὲς. Inde ergo & *passa* & *passer.* Græci tamen, ut dixi, σπῖνον & σπίζαν pro eodem avis genere accipiunt. Certe Latini σπίζαν & σπῖνον reddunt *fringillum.* Aratus τὸν σπῖνον ait σπίζειν, quum vocem
G emittit, in prognosticis:

Καὶ σπῖνος ἠῷα σπίζει.

Avienus:

Et matutino fringilla resultat ab ore.

A Theophrasto habet Aratus, cujus hæc verba sic legenda sunt de signis pluviarum: καὶ σπῖνος ἐν οἰκουμένῃ ἐὰν φθέγγηται ἕωθεν ὕδωρ σημαίνει ἢ χειμῶνα. Male hodie legitur, ὁ πῖλος. Et pessimè vertunt: *ardea, quæ Pella vocatur.* Idem de signis tempestatis: καὶ σπῖνος ἐν οἰκίᾳ οἰκουμένῃ φθεγγόμενος, χειμέριον. Eodem libro: σπῖνος στρουθὸς σπίζων

σπίζων ἔωθεν χειμέριον. Ridiculi sunt Gaza & Bellonius, qui ἀκανθίδα vertunt *spinum*. Quasi *spinus* à spinis dicatur, ut ἀκανθὶς ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν. Hoc nomen *spinum* finxit Gaza, ut Græcorum ἀκανθίδα exprimeret. Sed citra excusationem peccat Bellonius, qui *spinum* Gazæ, hoc est, ἀκανθίδα putat esse Græcorum σπῖνον, hodieque Græcis σπίνους & σπιγίδια vocari asserit. Errat idem, quum negat ἀκανθίδα Græcorum esse *carduelem* Latinè, ac mavult aviculam parvam, quem *serinum* hodie vocamus, ita Græcis appellatum, eumdemque cum σπίνῳ esse scribit. Veteres omnes Latini contra stant, qui ἀκανθίδα *carduelum* interpretantur. Servius. *Acanthis, carduelus quod spinis & carduis vescitur.* Glossæ: *cardelus*, ἀκανθυλλίς. At ipse ποικιλίδα vult esse carduelum, & fallitur. Reperio in Græcorum recentiorum Lexicis eamdem aviculam ζήναν dici & ἀστραγαλῖνον, & τραγωδῖνον. Eam rubras in capite pennas habere, in alis luteas, & Latine vocari *carduelem*. Glossæ optimæ: *cardelus*, ἀστραγαλῖνος. Spinum vero, hoc est, σπῖνον non esse, quem *serinum* vulgo nuncupamus, nimis multa ostendunt. In tectis & domibus cantillare σπῖνον ex Theophrasto constat. Hoc facit fringilla, quæ in urbibus ut plurimum æstate degit, & super tectis domorum cantat. Cum turdis eam vulgo venum exponebant in Græcia aucupes. Ideo Comici fere semper κίχλας & σπίνους jungunt. Eubulus apud Athenæum:

Τίλλειν δὲ φάττας καὶ κίχλας ὁμοῦ σπίνοις.

Aristophanes in Comœdia Avibus:

Ὅτι συνείρων τοὺς σπίνους πωλεῖ καθ' ἑπτὰ τοὐβολοῦ,
Εἶτα φυσῶν τὰς κίχλας.

Et in Comœdia Pace:

Κἀξ ἐμοῦ δ' ἐνεγκάτω τις τὴν κίχλην καὶ τὼ σπίνω.

Pollux aves enumerans, quæ mensis commendantur: κίχλαι, κόσσυφοι, σπινίδια, ἀλεκτρυόνες, πέρδικες. Apud Stobæum in excerptis cap. LV ex Aristophane: ὄψῳ δὲ χρῆσθαι σπινιδίοις τε καὶ κίχλαις. Ita nunc emendandum censeo pro eo, quod editum est, πηνιδίοις τε καὶ κίχλαις. Fringillam esse, quem hodie *pincionem* vocamus, satis certum est. Σπῖνοι veteres plerique hanc avem dixere. Glossæ: *fringillus*, σπῖνος. Hesychius: σπίγγος, σπῖνος. De ave intelligit. Et paulo post: σπινθία, ὀρνιθαρίων εἶδος, σπῖνοι. Ergo σπῖνοι, & σπίγγοι, & σπίνθοι iidem. Inde σπίνθιον, ex quo *spinthio*, *spinthionis*, & *pinthio*, ut δαμάλιον *damalio*: στρούθιον, *struthio*: πίπιον, *pipio*. Hinc igitur & *pintionem*, vel *pincionem* vulgo dicimus *fringillam*, quam Græci σπίζαν, & σπῖνον, sive σπίνθιον nominant. Sed cum σπῖνον quidam στρουθὸν interpretentur, & στρουθῷ ἐμφερὲς ὀρνίθιον, alii cum regaviolo eumdem faciant, videntur etiam nonnulli sic vocasse minimum passerculi genus, quem τρωγλίτην, & τρωγλοδύτην Græci vocant. Uterque τρώγλας amant, nec magnitudine, aut figura corporis multum distant. Aristoteles de trochilo, vel rege avium. Ὁ δὲ τροχίλος τὰς λόχμας καὶ τρώγλας οἰκεῖ. Apulejus avem, quæ dentes crocodilli purgat, & exscalpit, quam trochilon esse omnes volunt, *fluviatilem* appellat: *una ex avibus fluviatilibus amica ejus, injecto rostro sine noxæ periculo exscalpit.* Atqui trochilon in genere fluviatilium esse non legi. Non omnem trochilon id facere tradit Ælianus, sed certam speciem, cui nomen κλαδαρόρυγχος, à motitatione rostri scilicet. Ut κλαδαρόμματοι, οἱ σείοντες τὰ ὄμματα. Hesychius: κλαδαρόρυγχος, τροχίλου εἶδος. Sed trochilon avem fluviatilem esse videtur ex Aristotele collegisse Apulejus. Is lib. VIII. cap. III. sic scribit: καὶ τὸ τῶν ἀλκυόνων δὲ γένος πάρυδρόν ἐστι. Descriptis deinde alcyonum generibus & coloribus, subjicit, καὶ τροχίλος. Περὶ δὲ τὴν θάλατταν καὶ ἀλκυὼν καὶ κήρυλος. Quibus verbis clarè innuit trochilon πάρυδρον esse, & aquas amare. Verùm aliud est πάρυδρον, aliud ἔνυδρον. Fluviatiles aves sunt ἔνυδροι, & ποτάμιοι, quæ ex fluviis & aquis victum petunt, & in ipsis degunt, ut anates & aliæ. Nugatur ergo Apulejus, cum trochilon, vel regem avium ex genere fluviatilium esse dicit. *Strophilon* heîc videtur appellasse Solinus παρὰ τὸ στρέφειν. Nam εὐκίνητον esse, καὶ δριμὺν, καὶ δραπέτην Græci dicunt, eoque difficilis capturæ. Inde & τροχίλος dictus.

Trochilos avis parvula est. Ea dum reduvias escarum affectat.] In veteribus: *trochilos avis parvula, dum reduvias aquarum affectat.* Quidam etiam, ut editum est. Multa heîc blatterat Camers de *rediviis*, aut *redivis* animalibus. *Reduvias escarum* vocat noster cibi reliquias, quæ dentibus crocodili adhæserunt. Sic suprà *reduvias conchyliorum* exuvias, vel reliquias conchyliorum, τὰ λείψανα. *Fragmina conchyliorum* dixerat Mela eo loco, quem imitatur Solinus. *Reduvia* propriè est ἡ παρωνυχία, cum cutis relinquit ungues, & circa ungues se resolvit. Titinnius de servo mastigia:

Lassitudo conservûm, reduvia flagri.

In cujus tergo scilicet reduviam pellis facit flagrum. Ita legendus ille versiculus. Inde & *reduviosa* aspera, & extantia apud Lævium:

Scabra in legendo, reduviosave offendens.

Παρωνυχίαι Polluci, quæ utrinque extant in unguibus, quæ & præsecantur, Latine *reduviæ*, quod ea parte pellis resolvat se. Hinc *reduviæ* pro reliquiis, & præsegminibus. *Escarum minutias* Ammianus dixit ex hoc loco.

Scalpurrigine blandiente.] Ita libri scribunt, ut & *scaturrigo*. Nam *scaturrire* scribebant cum duplici littera canina. Glossæ: *scaturrit*, πηδᾷ καὶ βράζει: Sic & *scalpurrio*. Unde *scalpurrigo*. Similiter & *ligurrio*:

---- *tepidumque ligurrierit jus.*

Et in illo versiculo mimico:

Hircus vetulus ligurrit naturam capris.

Quem male vulgo constituunt, & contra legem metri. Editiones ante Delrianam omnes heîc recte legunt *scalpurigine*, quod ipse in *scalpturigine* mutavit.

Quod ichneumon conspicatus penetrat belluam] Sic reposui. Quod ita positum inveni in optimo Regio, & aliis nonnullis vetustissimis. Quidam tamen etiam æque antiqui scribunt, ut editum est: *quod enhydrus conspicatus, ichneumonum genus, penetrat belluam.* Atque ut scias hanc lectionem etiam auctoris fuisse, sed ex altera editione, ita etiam in Solini libris Ammianus legebat. Sic enim verba nostri auctoris expressit: *quod factum contuens enhydrus, ichneumonis genus, oris aditum penetrat, alite prævia patefactum.* Malè hodie scribitur: *quod factum contuens hydrus.* Nam *hydrus*, & *enhydrus* serpens aquatilis, ut ἔνυδρα ζῶα, & ἔνυδρος ἰχνεύμων, si tamen fuit. Ichneumonem fluviatile animal fuisse colligat aliquis ex Strabone, ubi dicit, aspidem cauda, vel ore apprehensam ab ichneumone in flumen trahi, & necari. Idem colligi possit & ex Vitruvio lib. VIII. cap. II his verbis: *ex Mauritania autem caput Nili profluere ex eo maximè cognoscitur, quod ex altera parte montis Atlantis sunt alia capita item profluentia ad Occidentis Oceanum: ibique nascuntur ichneumones, crocodili, & aliæ similes bestiarum, pisciumque naturæ præter hippopotamos.* Sed illis auctoribus evinceretur ichneumonem in totum aquatilem esse, vel saltem amphibium, ut crocodilum. At Solinus heîc duo genera ichneumonis facere videatur, alterum ἔνυδρον, alterum χερσαῖον. Utrumque tamen falsissimum. Strabo ipse, qui ichneumones in pugna cum aspide, aquatilium generi accensere videtur, idem inferius inter terrestria numerat. Enumeratis enim Nili piscibus subjungit, ζῶα δὲ ἐπιχώρια ἰχνεύμων καὶ ἀσπὶς Αἰγυπτία. Quibus verbis manifestè terræ, non aquæ bestiis ichneumonem adgregat. Nam & aspis mere terrestris serpens. Aristoteles scribit ichneumonem similiter parere, & iisdem vesci, quibus canes & feles. Plinius lib. X. capite de generatione terrestrium: *Ichneumonum & felium reliqua, ut canum.* Diodorus μικρῷ κυνὶ παραπλήσιον esse tradit. Mitto Herodotum & alios Græcos, Latinosque veteres, ut de recentioribus nihil dicam, qui *murem Pharaonis* hodie appellari ferunt. Et fallitur alter eruditus, qui *murem Indicum* apud Oppianum interpretatur. Auctor vetus Glossarum inter animalia terrestria recenset Ichneumonem. *Lupus cervalis*, θῶς. *Lepus*, λαγώς. *Cattus*. αἴλουρος. *Ichneumon*, ἰχνεύμων. *Caprifer*, αἴγαγρος. Quid igitur opponemus illi Strabonis loco, ubi narrat ichneumones aspidem cauda arreptum trahere in flumen, & necare. Λαβόμενος τῆς οὐρᾶς κατασπᾷ ἐπὶ τὸν ποταμὸν καὶ διαφθείρει. Nonne hæc satis arguunt ichneumonem aquarum esse incolam? E Nicandro hoc habet Strabo, qui ichneumonis & aspidis pugnam memorans ita canit in Theriacis: ---- ἢ

---- ἦε καὶ ὕρης
Ἀρπάξας βρυόεντος ἔσω ποταμοῖο κύλισεν.

Scribit etiam ibidem ichneumonem in flumen desilire, ibique volutare se in limo, donec toto corpore oblinatur, & loricetur luto. Sed nihil horum fortasse satis magnum est argumentum, ut fluviatilem credamus esse. Quod enim aspidem in flumen vi trahit, ut mergat, naturalem sollertiam hujus animalis id potius ostendit, quam vitam in aquis. Cum parvum os habeat, & minime ad morsus dehiscens, adeo ut manum hominis, cum clausa est in pugnum, morsu adpetere non queat. Ubi videt se non posse aliter conficere hostem suum, luto solo siccato loricatus ad flumen eum trahit, & submergit. Non adeo in proclivi est, quod pro Vitruvio respondeamus, qui ichneumonem cum crocodilis & hippopotamis animalibus fluviatilibus, quasi & ejusdem sit conditionis, computat. Dici tamen potest, non pisces tantum & aquatiles bestias, sed etiam terrestres quasdam Nili, fluminumque ex eodem fonte orientium peculiares facere, ut ichneumonem. Sic Nilo propriam dat aspidem Lucanus, quæ terrestris est serpens:

---- *Niloque tenus metitur arenas.*

Ammianus: *nec ultra fluenta Nili egreditur.* Potuerit tamen & Vitruvius hallucinari, certè hallucinatus est, ut Solinus, vel auctor ille, unde sumpsit, si modo aliquem habet auctorem, qui *enhydrum*, τὸν ἔνυδρον genus constituit ichneumonum. Certe in ripis Nili inter harundines degere ichneumonem scribit Nemesianus in Cynegetico:

---- *nos flumineas errare per umbras*
Malumus, & placidis ichneumona quærere ripis
Inter harundineas segetes.

Ibidem & aspis stabulari amat, quæ tamen serpens non est aquatilis. Neuter sane in aquis vivit, sed prope aquas. Ἔνυδρος est, qui aliis ἐνυδρὶς, aliis ἐνύδρης dicitur, Latinè *lutra*. Nam, ut suprà notavimus, Attici dicebant ἐλύτρης, ut ἀνδράχλη pro ἀνδράχνη. Inde Latinum *lutra*. Hesychius: ἔνυδρος, ζῶον ποτάμιον ἀμφίβιον, ὅμοιον κάστορι. In Nilo ejusmodi ἔνυδροι, vel ἐνύδριες fuere multæ, quæ & sacræ apud Ægyptios. Herodotus in secunda Musa: γίνονται καὶ ἐνύδριες ἐν τῷ ποταμῷ, τὰς ἱρὰς ἥγηνται εἶναι. At noster *enhydrum* genus ichneumonum perperam facit, quod animal est diversi generis. Et *enhydrum* malè Græcè vocat, quæ Latinis *lutra* est. Illud etiam non rectè, quod contra omnium veterum sententiam ab enhydro, vel lutra crocodilum confici tradit, quum ichneumonis illam pugnam, palmamque esse velint. Sed ita in πρωτεκδόσει scripserat. In emendata, & recognita id correxit nimirum, ediditque, sicut scripsimus: *quod ichneumon conspicatus penetrat belluam.* Et sic Plinius: *in qua voluptate somno pressum conspicatus ichneumon, ut telum aliquod immissus erodit alvum.* Videtur ergo Ammianus in exemplaria Solini incidisse, quæ priorem editionem continebant, quod & aliis locis probavimus. Ut & Isidorus, qui enhydrum ichneumonem vocari ex hoc loco asserit. Græci porro recentiores ὗλον vocaverunt τὸν ἰχνεύμονα. Pisides:

Ὁ μικρὸς ὗλος ὑδροχέρσῳ θηρίῳ
Φθορὰν παρεῖσφρεῖ τῇ τομῇ τῶν ἡπάτων.

Inde Latinum *sullus* pro eodem. Dracontius apud Isidorum:

Præcidit sullus vim cujuscumque veneni.

Qui versus non extat in iis Dracontii, quæ hodie edita sunt: Ὗλος, *sullus*, ut ὁλκὸς, *sulcus*. Perperam *suillus* legitur in Isidoro, qui ita dictum ichneumonem à setis dicit. Quod ineptum est, & versus repudiat. Ita appellatus est Græca voce, quæ ὑποκοριστικὴ est τοῦ ὗς. Nam ὗλος est porculus. Sic videtur ichneumon vocatus à similitudine rostri suilli, vel quod ut sues semper rostro quærat, & investiget. Inde ἰχνεύμων antiquis Græcis, & ἰχνευτής. Sic vocat Horodotus lib. II. Τὰς δὲ κύνας ἐν τῇ ἑωυτῶν ἕκαστοι πόλι θάπτουσι ἐν ἱρῇσι θήκῃσι. Ὡσαύτως δὲ τῇσι κυσὶ οἱ ἰχνευταί. Valla *ichneutas* reddiderat longe melius, quam qui ipsum reprehendunt, & canes masculos ferarum indagatores ea voce significari putant. Ἰχνευταὶ sunt ichneumones. Idem quippe est ἰχνευτὴς, & ἰχνεύμων. Hesychius: ἰχνευταὶ, οἱ νῦν ἰχνεύμονες λεγόμενοι. Sic etiam Nicandro dicitur, ἰχνευταο κινωπέτου.

Populatisque vitalibus erosa exit alvo] Ammianus: *&*
A *populato ventre vitalibus dilancinatis erumpit.* Quæ quis neget imitatione hinc desumpta esse?

Sunt delphines in Nilo] Ita optimus Regius, qui ad oram habet vulgatorum lectionem: *est & delphinum genus in Nilo.* Quæ & in aliis quibusdam libris extat, ex altera utique editione profecta. Ne putes tamen utriusque scripturæ eumdem esse sensum. Nam vulgarium illa editionum, quam & πρωτεκδόσεως fuisse mihi compertum est, peculiare delphinum genus in Nilo esse significat, quorum dorsa serratas habent cristas, à quibus interimuntur crocodili. Quod ut verum scias, Ammianus, qui Solinum sæpe exscribit, & in Solini codices
B prioris editionis incidit, ita plane accepit: *præter eos autem qui fortuita pereunt morte, alii disrumpuntur suffossis alvi mollibus certis ferarum dorsualibus cristis, quas delphinis similes nutrit fluvius antedictus.* Vides cum ex hac Solini lectione certum genus delphinorum peculiare, ac proprium Nili putare, diversum utique à marinis delphinis? Atqui delphini illi, qui in Nilo crocodilos interimunt, non sunt indigenæ Nili, sed è mari immeant, nec quicquam privi habent præter ceteros delphinos, quorum omnium sunt illæ cristæ dorsuales. Clare Plinius, unde noster mutuatus est: *itaque & delphini immeantes*
C *Nilo, quorum dorso, tanquam ad hunc usum cultellata inest spina, abigentes eos præda, ac velut in suo tantum amne regnantes, alioquin impares viribus ipsi, astu interimunt.* Clarissimè Seneca lib. IV. Nat. Quæst: quem vide. Strabo quoque lib. XVII nullum piscem ex mari in Nilum immeare dicit, præter mugilem & delphinos, metu crocodilorum, ϗ δελφῖνας μὲν διὰ τὸ κρείττους εἶναι. Recte itaque Solinus mutaverit, atque emendaverit in secunda editione, *sunt delphines in Nilo*, ut de delphinis è mari Nilum intrantibus intelligatur. Quam posteriorem ἔκδοσιν non vidisse Ammianum liquet, qui sequitur priorem, ut & suprà de enydro notavimus, & alibi observamus.

Quorum dorsa serratas habent cristas] Hinc Ammianus
D *dorsuales cristas* dixit: *certis ferarum dorsualibus cristis.* Male est in edito *crustis.* Plinius *cultellatam pinnam* vocat delphinorum. Seneca: *hanc delphini spinis, quas dorso eminentes gerunt submersi vulnerabant, & in adversum emersi dividebant.* Plinius quoque *spinam* ibidem.

Pag. 44. B. *Tenera ventrium subternatantes secant*] Ammianus ex nostro: *suffossis alvi mollibus.* Sic legendum, non *alvis mollibus*, ut est in editis. *Alvi mollia*, ut *tenera ventrium.* At Solinus ex Plinio: *subeuntesque alvum illa secant spina.*

Præterea habitant in insula Nili homines] Quænam illa
E Nili insula, cum tam multas efficiat insulas Nilus? Profecto eam nominare debuit. Plinius: *quin & gens hominum est huic belluæ adversa in ipso Nilo à Tentyris insula, in qua habitat, appellata.* Sic scribendum è libris, quum editi habeant: *in ipso Nilo Tentyritæ, ab insula, in qua habitat.* In optimo Codice Rigaltiano est: *at in Tyro.* In aliis, *à Tintyri*, pro *à Tentyris.* Nam Græce τὰ Τέντυρα. Stephanus: Τέντυρις πόλις Αἰγύπτου, καθαρκτικὴ τῶν κροκοδείλων, λέγεται ϗ Τέντυρα ἡ πόλις. Epitome Strabonis: οἱ Τεντυρῖται οὐδὲν πάσχουσιν ὑπὸ τῶν κροκοδείλων, ἀλλὰ ϗ συγκολυμβῶσιν αὐτοῖς. Ideo cum Romæ crocodili spectandi exhiberentur, simul etiam Tentyritæ homines aderant, qui
F ex piscina in pegma quoddam eos extraherent visendos, & post spectaculum rursus è pegmate in piscinam retraherent. Strabo lib. XVII. Γενομένης τε δεξαμενῆς ϗ πήγματος τινὸς ὑπὲρ μιᾶς τῶν πλευρῶν, ὥστε ϗ τοῖς θηρίοις ἔκβασιν ἐξ ὕδατος ἡλιαστήριον εἶναι, ἐκεῖνοι ἦσαν οἱ τότε μὲν ἐξέλκοντες δικτύῳ, πρὸς τὸ ἡλιαστήριον, ὡς ϗ ὑπὸ τῶν θεατῶν ὁρᾶσθαι. Perperam in Strabone legitur, τέρματος τινὸς, cum recte habeatur in libris, πήγματος. Pegma illud ad hoc excitatum erat, ut crocodilis ἡλιαστήριον esset, nam hoc genus insoliculari amat, quod in littore Nili plerumque faciunt, tum ut ibi populo spectandi exponerentur. Plinius *Tentyra* insulam vocat, quam alii urbem. Strabo: εἶτα Τέντυρα πόλις. Sed
G omnes ferè urbes Ægypti ad Nilum sitæ, totidem erant insulæ, manu factis canalibus cinctæ, cum excreverat Nilus. Ceterò cum crocodilus in plerisque Ægypti urbibus instar numinis coleretur, Tentyritæ infensissimo animo non tantum eos prosequebantur, sed etiam naturali quadam potentia ad eorum perniciem pollebant. Hinc ergo bellum illud inter Tentyritas & Ombitas natum, narratumque Juvenali Satyra XV.

Colebant Ombitæ crocodilos, quos contrà Tentyritæ insectabantur, & necabant. Ex eo illud internecivum odium vicinos inter populos. Nam finitimas urbes facit Satyricus Ombos & Tentyra his versibus, qui sic legendi, ac distinguendi sunt.

Inter finitimas vetus atque antiqua simultas,
Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus
Ardet adhuc, Ombos & Tentyra.

Inter finitimas urbes, Ombos & Tentyra, ardet adhuc vetus simultas, & nunquam sanabile odium. Malè hodie est:

---- *nunquam sanabile vulnus:*
Ardet adhuc Ombos & Tentyra.

Causa illius odii, & antiquæ simultatis, *quod numina vicinorum*
Odit uterque locus.

Ergo vicini secundum Juvenalem Ombitæ & Tentyritæ. Universa tamen veterum geographorum natio contra stat, quæ longe Ombos à Tentyris submovet. Primum non in eodem Nili latere istæ urbes: nam Ombi prope Syenen in Arabica, & Orientali parte, Tentyra in Libyco latere ad occidentem fluminis. Deinde longè invicem dissitæ. Nec enim vicinitatem prohiberet Nilus, si solus alveus fluminis utramque interlueret. Plinius in recensendis Thebaïdis nomis hoc ordine eos enumerat, *Ombiten*, *Phatniten*, *Apollopoliten*, *Hermonthiten*, *Thiniten*, *Phaturiten*, *Coptiten*, *Tentyriten*, *Diospoliten*, *Antæopoliten*, *Aphroditopoliten*, *Lycopoliten*. A summo incipit, id est, Ombite, qui prope Syenen, & ad infimum ordine descendit, qui Lycopolites. Sic inter Ombiten nomon, & Tentyriten quinque nomi, sive præfecturæ intercedebant. Hic cataplus est. Strabo contraria vice τὸν ἀνάπλουν describens, hoc est, ab inferioribus ascendens ad superiora fluminis, hac serie recenset urbes, Lycopolim, Aphroditopolim, Panopolim, Ptolemaïda, Abydon, Diospolim parvam, Tentyra, Copton. In altero latere Apollopolim, Thebas, Hermuthim, Crocodilopolim, Aphroditopolim, Latopolim, Ilithyopolim, Apollopolim, deinde Syenen & Elephantinen, quæ ex adverso sitæ in utraque ripa. Omborum non meminit, sed Ombi prope Syenen. Ptolemæus quoque easdem fermè urbes, & præfecturas inter Ombos, & Tentyra locat. Si quæ sunt, in quibus differt tum à Plinio, tum à Strabone, alibi discutiam, dispiciamque. Id nunc ostendimus Ombis Tentyra non esse vicina. Auctor Itinerarii, quod sub nomine Antonini Augusti excusum est, iter describens per urbes Libyci, & occidui lateris, à *Tentyris* ad mansionem *contra Ombos*, quæ sic dicebatur, quod è regione Omborum sita esset, centum quinquaginta & quatuor milliaria numerat. Idem partis Arabicæ milliaria computans, ab Ombis ad Copton centum & sexaginta quatuor millia passuum scribit esse. Atqui Tentyra infrà Copton, & longius ab Ombis remota quam Coptos. Nam & in altera parte trans Nilum posita, & duodecim millibus passuum distantia à mansione *contra Copton*, sic dicta, quod ex adverso Copton urbem respiceret. Hæc autem inter Ombos & Tentyritas gesta Satyricus narrat accidisse supra Copton:

Nos miranda quidem sed nuper Consule Junio
Gesta super calidæ referemus mœnia Copti.

Si Tentyra Ombis vicina, non dubium quin hæc miranda gesta fuerint suprà Copton: nam Coptos infra Ombos. At Tentyra, ut inter omnes auctores convenit, infrà Copton sunt, longe ab Ombis. Unus, unicusque auctor est Tabulæ Peutingeri, qui Tentyra prope Ombos ponat, solis viginti passuum M. invicem separata, hoc modo:

Hiera Sicamina.	VI.
Spelci	XLII.
Syene	XII.
Ombos	XX.
Tentyra	XVI.
Lato	XX.
Diospoli.	XXV.

Sed illi auctori absque aliis testibus ne fidem habeam nimium multa obstant. Primum non integrum est illa parte Itinerarium, multis omissis locorum nominibus.

A Deinde in eodem latere ponit, quæ in diversa ripa Nili sita sunt. Pselcis, quæ ibi *Spelcis* vocatur, ut *Spycharion* pro *Psycharion*, ad occidentem fluvii est, ut ex Ptolemæo, & Itinerario Antonii constat. At Hiera Sycaminos, Syene & Ombi ad orientem. Mansio *contra Pselcim*, & *Syene* in eodem latere, ut *Pselcis*, & mansio *contra Syenen* in eodem. Præterea *Tentyra* supra Laton ponit, quæ infrà. Postremo in eodem Nili latere Tentyra & Laton cum Syene & Ombis locat, quæ in altero. Nam *Latopolis* & mansio *contra Ombos* in eadem ripa: Mansio *contra Laton* & *Ombi* in altera. Multa denique alia peccat, quæ alibi reprehendam. Tenco tamen, B quid πιναχόγραφον illum in errorem impulerit. Duæ sunt Diospoles, major & minor. Una infrà Tentyra, quæ minor dicitur. Ptolemæus: Διόσπολις μικρὰ, Τέντυρα. Itinerarium Antonini: *Abydum*, *Diospolim*, *Tentyram*. Altera *Diospolis magna*, quæ olim Thebæ, suprà Copton, & infra Ombos. Ptolemæus: Κοπτὸς πόλις. Ἀπόλλωνος μικρά. Θηβῶν νομὸς καὶ μητρόπολις Διὸς πόλις μεγάλη. Itinerarium Augusti eodem ordine, *Thebas*, *Vicum Apollonos*, *Copton*. Nam heîc descendit, Ptolemæus ascendit. Auctor Tabulæ utramque Diospolim confundit. Nam cum hoc ordine pergat, *Tentyra* XVI. *Lato* XX. *Diospoli* XXV. Per Lato *contra Laton* C intelligit: per Diospolim *Thebas*, vel *Diospolim majorem*, quæ supra Copton sunt. Nam à Diospoli Copton transit, à Copto Chenoboscion. Atque ita hoc iter describit Itinerarium. *Contra Lato*, XL. *Thebas*, XL. *Vicum Apollonos*, XXII. *Copton*, XXII. *Chenoboscion*, XL. Tabulæ vero conscribillator nominum errore ductus Tentyra suprà majorem Diospolim collocavit, cum suprà minorem sint. Nihil aliud causæ video, cur Tentyra suprà Copton tanto intervallo recensere debuerit, quæ inferiora Copto sunt. Nam Ptolemæus inter Copton, & Tentyra multas urbes numerat. Sed dicere aliquis posD sit duo esse Tentyra, quorum una Ombis vicina, altera Diospoli minori. Hinc explicari debere Juvenalem, & Tabulam Peutingeranam. Ita etiam putarem, si auctor aliquis suffragaretur. Juvenalis ipse refragari videtur his versibus:

Terga fuga celeri præstant instantibus Ombis,
Qui vicina colunt umbrosæ Tentyra palmæ.

Procul dubio in ultimo versu mendum hæret: nam priorem sic rectè corrigendum vidit eruditissimus Josias Mercerus. Loci nomen heîc proprium desideratur, cui vicina Tentyra. Nam ridiculum est *umbrosam palmam* pro palmetis intelligere. Scriptum fuisse suspicor E *Pammæ*, pro *Pampæ*. Unde *Palmæ* fecerunt. *Pampa*, vicus vicinus Tentyris. Ergo legendum:

Qui vicina colunt umbrosæ Tentyra Pampæ.

Παμπανὶς vocatur Ptolemæo: Τέντυρα, καὶ κώμη μεσόγειος Παμπανὶς. Itinerarium Antonini *Pappam* vocat: *Tentyra*, *contra Copton*, *Pappa*. Sic in priore versu perperam *omnes* pro *Ombis* irrepserat. Ergo Tentyra illa sunt Juvenalis, quæ Pampæ vicina, longe utique ab Ombis sita, quæ tamen propinqua statuit. Tentyra Ptolemæo teste latitudinis gradus habet viginti sex & semissem: Ombi viginti quatuor & unciam, hoc est, quinque sexagesimas. Quod magnum est intervallum, F Et siquidem singuli gradus quingenta stadia faciunt. profecto id mirandum est. Etenim cum Juvenalis dicat bellum inter eos ex ea causa ortum, quod vicinorum numen uterque locus odisset, nullusne vicus, aut oppidum inter Ombos & Tentyra, in quo diversi numinis cultus celebraretur? immo multa. Tentyritæ crocodilos detestabantur. In urbe crocodilorum, quæ inter Tentyra, & Ombos posita est, numinis instar colebantur. Rursus circa Syenen, & Elephantinen in summo odio habiti. Ombi non longè à Syene, ut supra diximus. Ptolemæus: Ὄμβοι, Συήνη. Male in editis, Ὄμβροι. Hæc magnam admiraG tionem merito mihi movent, tam longè dissita loca adeo vicina constitui ab eo præsertim, qui regionem illam perlustrasse profiteatur:

---- *sed luxuria quantum ipse notavi*
Barbara famoso non cedit turba Canopo.

Sed & in re præsenti fuisse, cum illa agerentur, vetus interpres testatur, ad illud: *nos miranda quidem.* Sic enim notat: *de se dicit Juvenalis, quia in Ægypto militem*

tem tenuit, & ea promittit se relaturum, quæ ipse vidit. Quibus in verbis nihil mendi est. Dicit *militem tenuisse*, qui militem rexit, qui militibus præfuit. Nam, ut refert auctor vetus vitæ Juvenalis, *per honorem militiæ quanquam octogenarius urbe summotus, missusque ad præfecturam cohortis in extrema parte tendentis Ægypti.* Syenen omnino intelligit, quæ in fine imperii, & extrema Ægypti parte, in qua tres cohortes prætendebant. Vetus interpres *Oasa* relegatum dicit, Suidas Pentapolin. At vir doctus legi volebat, *vitem tenuit*, quod verum non est. Vitis gestamen centurionum proprium, non præfecti cohortis. Satyras Juvenalem in loco exilii scripsisse, hoc est, in Ægypto, atque ibi decessisse placet plerisque veterum: missum autem per speciem honoris in Ægyptum ad præfecturam cohortis sub Domitiano, quod Paridem Pantomimum in aula tunc gratiosum scripto Satyrico læsisset, Dio, Suidas, vetus Scholiastes ad Sat. IV tradunt. Hoc ultimum si veritati consentaneum est, oportet eum rediisse post Domitiani excessum. Nam & Romæ vixisse post Domitianum, & scripsisse multa sunt, quæ faciant fidem. Martialis lib. XII. Epigrammatum, quæ sub Trajano composita & collecta sunt, Romæ eum tunc fuisse aperte ostendit hoc Epigrammate:

Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa Juvenalis in Suburra,
Et collem dominæ teris Dianæ.

Vide reliqua. Ergo Romæ erat, non in Ægypto, quum Satyram decimam quintam de superstitionibus Ægypti ludebat, & falsum dicit vetus interpres, qui scriptam in Ægypto asserit. Adriani temporibus elaboratam arguunt ista ex eadem Satyra:

Nos miranda quidem sed nuper Consule Junio
Gesta.

Ita libri omnes, non *Vinco*, vel *Junco*. Dissyllabum est *Junio*, ut *Vindemiator* tetrasyllabum Horatio, & *Nasidienus*. Ut *tenuia* trisyllabum Lucretio, Virgilio, Martiali. *Q. Junium Rusticum* intelligit, qui Consul fuit cum Hadriano tertio ejus imperii anno, urbis autem conditæ DCCCLXXII. Itaque paulo post consulatum Junii scripta illa Satyra. Vir doctus errat, qui ad consulatum Appii Junii Sabini hæc referre malebat anno V. C. DCCCXXXVII, quo is collega fuit Domitiani. Etenim extincto jam Domitiano omnes has Satyras scriptas fuisse ipsa de se clare clamant, & alii jam probarunt. Tredecimam quoque sub idem ferme tempus compositam ipsa dicet. Ad Calvinum directa est, quem Fontejo consule natum sexaginta jam annos post se reliquisse disertim scribit. Duo tantum sunt Fonteji consules, qui heic locum habere possint. Prior C. Fontejus Capito, qui collega Vispanii fuit ad annum urbis DCCCXII. A cujus consulatu si sexaginta annos numeres, in annum incides, qui præcessit Junii consulatum. Sed dicit jam eum reliquisse post terga sexaginta annos. Ergo uno plus anno habuerit. Quod tempus incidit in ipsum Junii consulatum, quo & scriptam fuisse constat Satyram tredecimam, & illa in Ægypto accidisse inter Tentyritas & Ombitas, quæ Satyra decima quinta narrantur tanquam nuper gesta, consule scilicet Junio, ut hinc liqueat tredecimam compositam sub consulatum Junii, quintam autem decimam paulo post ejusdem consulatum. De priore igitur hoc Fontejo Juvenalem interpretamur. Alter fuit L. Fontejus Capito, qui collegam habuit in consulatu C. Julium Rufum octavo anno post C. Fonteji consulatum. Ex his nos certum, & compertum habemus quatuor postremas Juvenalis Satyras initio imperii Adriani contextas fuisse, reliquas fortean sub Trajano, certe post mortem Domitiani. Nec dubium habeo, quin Trajanum designet hoc principio Sat. VII.

Et spes & ratio studiorum in Cæsare tantum.

Neronem hoc versu palpari notat vetus interpres. Inepte. Nec aptius est, quod in eadem Satyra versum hunc:

Præfectos Pelopea facit, Philomela Tribunos.

De Nerone accipit, & propter hunc versum in exilium à Nerone missum poëtam scribit. Atqui tradunt eædem glossæ ad sat. IV à Domitiano relegatum eum fuisse sub specie honoris in Ægyptum ad cohortis curam, ut hinc clarescat non ejusdem auctoris esse glossularum illarum compilationem. Male etiam, quantum equidem judico, scriptum in vita Juvenalis, auctore veteri scriptore, quem Suetonium videri suadet stilus, illum Paridem, propter quem pulsus est Juvenalis, Claudii Neronis pantomimum fuisse. Sic enim ibi scribitur: *deinde paucorum versuum Satyra non absurde composita in Paridem pantomimum, poëtamque Claudii Neronis, ejus semestribus militiolis tumentem genus scripturæ industriose excoluit.* Hæc verba innuunt Paridem pantomimum, & poëtam fuisse Claudii Neronis, quod falsum & absurdum. Nec tempora congruunt, sed recte in veteribus quibusdam desunt illa, *Claudii Neronis*, quæ adtexta sunt ab aliquo sciolo, qui Paridem pantomimum temporibus Neronis legerat: Scribe igitur: *paucorum versuum Satyra non absurde composita in Paridem pantomimum, poëtamque ejus semestribus militiolis tumentem.* Confirmatur hæc lectio à Juvenale ipso Sat. VII his versibus, quos alludit auctor ille:

Ille & militiæ multis largitur honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.

De Paride loquitur. Nec de pantomimo Neronis, sed Domitiani, cui & hoc nomen fuit, accipiendum esse arguunt præcedentia de Statio:

---- sed cum fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.

De Thebaide Statii sermo est, quam elaboravit ille sub Domitiano, ut & reliqua poëmata. Carmine etiam certavit in Agone Capitolino, quem Domitianus instituit, nec vicit, quod eum tunc totum sibi vindicaret sua Thebais. Poëtam Paridis eum vocat Suetonius, quod Agaven Paridi vendidisset. De eodem Juvenalis ibidem:

Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.

Vates enim pantomimi, qui carmina scriberet histrionibus desaltanda, & scenicis ea venderet. *Semestribus militiolis tumentem* dicit, qui favore, & suffragio Paridis semestrem tribunatum emeruerat. Legisse ergo videtur apud Juvenalem:

Ille & militiæ multis largitur honorem
Semestris, vatum digitos circumligat auro.

Per *militiam semestrem* intelligit tribunatum semestrem, cujus mentio apud Plinium lib. IV. Epist. IV, qua rogat Sossium, ut Calvisium Nepotem *tribunatu semestri* splendidiorem faciat. Per *digitorum aurum* annulos aureos, & dignitatem equestrem. Sed quod Juvenalis separavit, in unum jungit auctor ille, ut fortasse legerit.

Ille & militiæ multis largitus honorem
Semestri vatum digitos circumligat auro.

Nam vatem *semestri militia tumidum* dicit, non equestri dignitate. Fuere Tribuni Laticlavii, qui in spem senatorii ordinis Tribunatum gerebant. Horum mentio frequens apud veteres. Nam senatorii ordinis insigne latus clavus. Fuere ergo & Angusticlavii, quasi secundi ordinis Tribuni. Angustus clavus Equitum nota, ut & annuli aurei. Ex eo genere & nota fuisse constat Tribunatus *semestres*, qui equitibus tantum, aut equestri dignitate donatis conferebantur. Ita poëtis suis Paris pantomimus *semestres* tribunatus & jus annulorum simul donabat. Ideo hujus generis Tribunorum *semestre aurum* vocat, quia ut dignitas eorum semestris, ita & insigne. Ridiculus porro vir magnus est, qui *semestre aurum* idem esse docet, quod alibi ab eodem poëta *æstivum aurum* dicitur:

Ventilat æstivum digitis sudantibus aurum.
Quum vix ferre queat majoris pondera gemmæ.

Multum sane inter utrumque est. Delicatus & mollis, quia vix ferre poterat paulo majoris ponderis gemmam, annulos faciendos curabat ex auro leviore, per æstatem præsertim gestandos, ne digitos in sudorem darent graviores. Hoc in Crispino Satyricus notat, & carpit, quasi inauditæ, & inusitatæ mollitiei argumentum, non quod moris esset alios per æstatem annulos, per hiemem alios gestari. *Æstivum aurum* de levibus annulis. Ut vestes sericæ *levitate æstiva* Plinio. Et *æstive viaticatus* Plauto, qui levi viatico instructus est. Præterea non *semenstre* æstivum illud aurum diceretur, sed *trimestre*. Nec enim sex totos menses durat æstas, ut nec

nec semenstris est hyems. At *semenstre aurum* annuli sunt, quos gerebant Tribuni semestres pro insigni suæ dignitatis. Diximus Suetonium videri auctorem vitæ Juvenalis, quam alii Probo adscribunt. Stilus id plane evincit, nec repugnat ætas. Adolescentulum se fuisse testatur Suetonius sub Domitiani imperii finem, quum exhaustus operum, ac munerum impensis ille princeps omnium bona confiscaret, & præter ceteros Judaïcum fiscum acerbissimè exigeret, quo tempore Juvenalis mediam ætatem jam excesserat. Vitam illam heîc paucis examinabimus, ut quantum discrepent, quæ ibi de Juvenale traduntur, ab his, quæ alii tradunt, constare possit. Dicit Juvenalem ad mediam fere ætatem declamasse, animi tantum causa. Cum octogenario major obierit, media ætas ejus quadraginta circiter annis definienda est. Tantumdem erit, etiamsi triginta vel minus etiam ponas. *Deinde*, inquit, *paucorum versuum satyra non absurdè composita in Paridem pantomimum, poëtamque ejus semestribus militiolis tumentem, hoc genus scripturæ industriosè excoluit.* Post mediam itaque ætatem ad scribendam satyram animum appulit. Paris ille sub Domitiano floruit. Poëta ejus Statius est, quem Paridi Agaven tragœdiam à se compositam, ne esuriret, vendidisse ea Satyra dicebat Juvenalis. Tota ergo illa Satyra Juvenalis, quam primam omnium scripsit, in Paridem pantomimum vibrata est, quam & paucis versibus constitisse dicit auctor. Heîc notandum est non dicere illum, propter eam Satyram Juvenalem in exilium actum fuisse, quod tamen alii omnes scriptum reliquerunt, Dio, Suidas, Sidonius Apollinaris hoc versu, qui Juvenalem designat.

Irati fuit histrionis exul.

Atqui id erat hoc loco non omittendum, cum altum de ea re silentium sit, eo maxime loco, quo taceri non debuit, inde colligere licet, non tunc temporis, nec propter id urbe submotum fuisse. Sequentibus hoc magis probabitur. Cum Satyræ faciendæ auspicium duxisset à Paride pantomimo, genus hoc scripti postea studiosè excoluisse memorat. Quod facturus non fuit, si pœnam potius, quam gloriam in auspicio scriptionis nactus esset. Nemo sanus, quod semel nocuit, tanta industria excolit. Sequitur: *& tamen diu ne modico quidem auditorio quicquam committere est ausus.* Ergo Romæ diu vixit post illam primam satyram, multumque temporis dedit procudendo ingenio in illo scripti genere, priusquam quicquam auditorio committeret, hoc est, priusquam publicè recitaret. *Mox*, inquit *magna frequentia, magnoque successu bis ac ter auditus est, ut ea quoque, quæ prima fecerat, infarciret novis scriptis.* Scripta sua tum recitavit publicè, hoc est, satyras illas, quæ hodie extant, quibus etiam ea inseruisse dicit, quæ prima fecerat. Et subjicit auctor hos versus:

Quod non dant proceres, dabit histrio, tu Camerinos
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas,
Præfectos Pelopæa facit, Philomela Tribunos.

Hæc igitur de illis sunt, quæ in prima Satyra posuerat adversus Paridem composita cum aliis, quæ de poëtis, & Statio Agaven suam Paridi vendente leguntur, nunc satyra septima, cui insulta sunt ab auctore, quo tempore scripta sua recitavit, & edidit. Positis his versibus adnectit Suetonius hæc verba: *Erat tum in deliciis aulæ histrio: multique fautorum ejus quotidie provehebantur. Venit ergo Juvenalis in suspicionem, quasi tempora figuratè notasset. Ac statim per honorem militiæ, quanquam octogenarius, urbe submotus, missusque ad præfecturam cohortis in extrema parte tendentis Ægypti.* In his cardo rei vertitur, quia ex his verbis hallucinandi ansam arripuerunt omnes, qui scripserunt Juvenalem sub Domitiano in exilium pulsum, quod ostendisset Paridem, & in Paride Domitianum. Nam & hos versus de Paride primum factos esse constat, & propter hos versus hoc loco disertè scribit auctor urbe submotum fuisse Juvenalem, qui in suspicionem venerat, quasi figuratè tempora taxasset. Sed nec ordinem vitæ & scriptorum Juvenalis, nec mentem Suetonii attendisse videntur, qui in hunc lapidem impegerunt. Hic disertim tradit octogenarium tum fuisse poëtam, quum urbe submotus est. Quadragenarius erat, aut etiam natu minor, certè mediæ ætatis, quum primam illam Satyram composuit, qua Paridem læsit. Demus circa initia imperii Domitiani scriptam esse; & quadraginta annorum tum fuisse Juvenalem, si id, quod illi superfuit ævi, usque ad octogenarium computes, in sextum Hadriani annum devenies. Non igitur sub Domitiano, sed sub Hadriano in exilium actus est. Hoc enim necessario concluditur. Quandoquidem octogenarius, & mediæ ætatis Domitiano imperante simul esse non potuit. Certe octogesimum ætatis annum Domitiani ævo attigisse non est verisimile, quum verum sit penultimam Satyram ab eo scriptam fuisse post Junii Rustici consulatum, id est, post tertium Hadriani annum. Quare si octogenarius urbe pulsus est, nec à Domitiano pulsum, nec in gratiam Paridis, constanter asseverare possumus. Præterea clarissimè testatur Suetonius urbe exactum eum propter illos quidem versus, quos superius attulimus, sed quum jam eos infulsisset novis scriptis, ex prima nempe Satyra, qua Paridem tetigerat, translatos. At Satyra illa septima, cui inferti sunt & inserti, quæque hodie legitur, sicut ab eo recitata postremum est, atque vulgata, Domitiano jampridem extincto prodiit. Nempe & quarta similiter eo mortuo emanavit, ut ex his constat:

Cum jam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, & calvo serviret Roma Neroni.

Rem ibi narrat, quæ longe ante, ut apparet, acciderat, Domitiano nimirum imperante. Eamdem Satyram ita clausit.

Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat.

Quod de Domitiano dictum est. Ex his omnibus colligi non absurdè, immo verissimè potest, corpus Satyrarum, quale hodie extat, sub Hadriano frequenti auditorio recitatum à poëta, publicatumque fuisse, cum satis utique constet tredecimam & decimam quintam, quæ penultima est, initio Hadriani scriptas esse, ad tertium regni ejus annum. Tum in suspicionem venit, quasi tempora figuratè notasset, propter illa verba, quæ leguntur Satyra septima.

Quod non dant proceres, dabit histrio.

Singulæ hæ voces Suetonii ponderandæ sunt, *in suspicionem venit*, & *quasi figurate tempora notasset.* Quum enim tota illa Satyra res, & homines anterioris temporis carpere videatur, & nominatim Paridem arripiat, qui sub Domitiano floruit, & potuit multum in provehendis suis fautoribus, *figuratè* tamen etiam præsens tempus notare tum visus est, quo similiter & histrio quidam potens, & scenicæ gratiosæ militias, tribunatus, & præfecturas fautoribus suis conciliabat. Hoc nec abludit à moribus Hadriani, qui varius in omnibus fuit. Nam & psallendi, canendique studio tenebatur, & comœdias, tragœdiasque semper in convivio exhibebat. Licet autem nihil tale scripserint auctores vitæ Hadriani, qui hodie extant, non dubitanter tamen id possimus affirmare, tot certis argumentis, & testimonio Suetonii, quod omnia superat, inducti. Finge vero verba illa

Quod non dant proceres, dabit histrio,

de temporibus Domitiani dici, & in Paridem pantomimum illius ævi, nulla tunc erit figura, nullum σχῆμα, nullum obliquè dictum: nam districtè ac directè tempora Domitiani taxant, & Paridem apertè nominant, & nimiam ejus potentiam notant. Nihil ergo istic figuratum, si temporibus Domitiani quod dictum est, sicut rectè convenit, & expressum est, accommodemus. Sed si in personam Paridis dicta, & in Domitiani imperium directa, tacitè in historiam Hadriani, & ad tempora ejus culpanda torqueantur, tum figuratæ orationis, & notationis instar id obtinebit. Et enim figura est, cum sub alterius persona, quem nominamus, alterum æque vitiosum, qui ita designatur, ut auditori relinquatur inveniendus, fatigamus. Sic Juvenalis sub nomine Paridis Domitiani pantomimi carpere, ac notare figuratè voluit Hadriani imperium, sub quo & potens æque histrio extitit. Si non hoc voluit, certè in suspicionem hanc venit. Quintilianus: *quod schema vocatur, in quo per quamdam suspicionem, quod non dicimus, accipi volumus.* Inde *figurate dicere, & figuratæ controversiæ.* Atque ideo per speciem honoris ad præfectu-

fecturam cohortis in Ægyptum missus, atque urbe submotus. Non relegatus in *Oasa*, ut quidam volunt, nec Pentapolim, ut alii, sed Syenen, quæ urbs Ægypti ultima, in qua tres cohortes prætendebant. *Id supplicii genus*, inquit Suetonius, *placuit, ut levi, atque joculari delicto par esset.* Sed inquiet aliquis, si urbe relegatus est sub moderato principe, qualis erat Hadrianus, eo tantum nomine, quod figurate tempora ejus taxare visus esset, cur Domitianus adeo inhumanus, & immanis princeps sine noxa, pœnaque dimisit eum, à quo adeo aperto, rectoque telo per latus Paridis petitus fuisset? Præter alia multa unum hoc præcipuè respondere est, satyram illam, quam primam omnium in Paridem Domitiani fecit Juvenalis, paucorum versuum fuisse, nec auditam publicè, nec editam, sed paucis si forte scholasticis hominibus, & doctis visam. Ita hoc verisimile est, ut nihil sit verius. Nam post hoc experimentum, cum diu, multumque se in eo scribendi genere exercuisset, senex admodum sub Adriano scripta sua auditorio frequenti bis terque commisit, atque in vulgus emisit, satyras nempe has omnes, quæ hodie extant, in corpus unum digestas, quibus etiam inseruit ea, quæ prima fecerat, ut illa in Paridem. Sic pars earum sub Domitiano composita, pars sub Trajano, quædam sub Adriano factæ, omnes autem Adriani ævo recitatæ, & publicatæ, quo tempore in suspicionem venit, quasi sub specie taxandorum Domitiani temporum præsentia denotare voluerit. Atque ob id urbe remotus jam octogenarius. Hæc scire Suetonius potuit, qui eadem ferè ætate vixit, nec quisquam alius præter eum singularia ista de vita & scriptis Juvenalis nosse quiverit, & in literas referre. A quo hauserunt omnes, qui postea vitam hujus poëtæ exposuerunt, Dio, Sidonius, Suidas, & veteres scholiastæ. Sed ex male intellectis Suetonii verbis errarunt, cum à Domitiano pulsum in gratiam Paridis, quem satyrico morsu perstrinxerat, dixerunt. Sic & *ultimam Ægypti partem* alii de Pentapoli acceperunt, alii de Oasis. Præter hæc omnia Juvenalem non ivisse in exilium temporibus Domitiani, quemlibet idoneo teste potentius evincit Martialis, qui libellis illis epigrammatum, quos sub Domitiano scripsit, frequenter Juvenalem compellat, quasi in urbe tunc cum maximè agentem, cui & nuces mittit saturnalicias lib. VII. ep. XCI. Pertendere aliquis etiam posset sub Trajano potius, quam sub Hadriano relegatum fuisse. Sed illud impedimento est, quod postremas satyras scriptitasse eum sub Hadriano constat. Suetonius autem scribit, intra brevissimum tempus periisse, postquam in Ægyptum missus est, ibique statim languore, ac tædio vitam finisse, quod non mirum est de octogenario. Falsum est igitur, quod tradit vetus interpres, poëtam in exilio satyras suas composuisse, atque ibi etiam tum fuisse, quum propter superstitionum diversitatem Ombitæ & Tentyritæ internecivis cædibus sese invicem contuderunt. Quasi à temporibus Domitiani usque ad initia Hadriani imperii in exilio suo permanserit, atque etiam obierit. Quod enim dicit in ea satyra notatum sibi barbaras nationes superioris Ægypti luxurie non cedere Canopitis, & Alexandrinis, hoc non referri debet ad illud tempus, quo satyram eam scribebat, quasi in re præsenti tunc fuerit, quum ea gesta sunt, quæ ibi describit. Quippe Romæ scriptam esse multa arguunt. Nec rursus ad id tempus referenda videntur, quo in Ægypti partem ultimam à Domitiano missum volunt, quod prorsus falsum esse ostendimus. An non alio tempore, atque alia de causa Ægyptum lustrare juvenis potuit Juvenalis? Animi nempe gratia, ἢ τῆς ἱστορίας χάριν, ut urbes regionis illius, populorumque mores cognosceret? tunc de luxurie Ombitarum & Tentyritarum ea notaverit, quæ ibidem refert. Certè scriptis omnibus satyris, & publicatis octogenarium ejectum urbe in Ægyptum fuisse per speciem honoris, ibique intra brevissimum tempus tædio periisse Suetonio credendum. De Tentyris & Ombis, ut eo revertamur, unde sumus digressi, valde mirum est ab eo vicina statui hæc loca, qui ea vidisse, ac lustrasse fateatur. Plutarchus in libro de Iside & Osiride scribit suo tempore similem contentionem & ex contentione prælium, & cædem Oxyrynchitis, & Cynopolitis incidisse,

A atque easdem ob causas suscitatam, qualem Juvenalis narrat inter Ombitas, & Tentyritas. Verba ejus hæc sunt: οἱ δὲ Ὀξυρυγχῖται καθ' ἡμᾶς, τῶν Κυνοπολιτῶν τὸν ὀξύρυγχον ἰχθῦν ἐσθιόντων κύνας συλλαβόντες καὶ θύσαντες, ὡς ἱερεῖον κατέφαγον. Ἐκ δὲ τούτου καταστάντες εἰς πόλεμον, ἀλλήλους δὲ διέθηκαν κακῶς, καὶ ὕστερον ὑπὸ Ῥωμαίων κολαζόμενοι διετέθησαν. Vides rem prorsus eamdem circa idem tempus gestam, si non inter eosdem populos, in eadem certè provincia. Juvenalem Plutarcho contemporaneum fuisse nemo dubitat. Oxyrynchitæ Cynopolitis vicini. Strabo: ἑξῆς δὲ ἐστιν ὁ Κυνοπολίτης νομὸς καὶ Κυνῶν πόλις. Ἐν δὲ τῇ περαίᾳ Ὀξύρυγχος πόλις καὶ νομὸς ὁμώνυμος. Ita facit vicinas, ut tamen B fluminis alveum interponat, & in diversa ripa eas statuat. Ptolemæus in eodem latere Nili, quod ad occidentem est, utramque locat. Verba ejus afferam, ut emendem: συνάπτεται δὲ ἀπὸ μὲν δυσμῶν τοῦ ποταμοῦ νομὸς Ὀξυρυγχίτης καὶ μέσον μητρόπολις, Ὀξύρυγχος. Εἶτα ὁμοίως νομὸς Κυνοπολίτης καὶ μητρόπολις ἀπὸ δυσμῶν τοῦ ποταμοῦ Κῶ, ἣ ἀντίκειται τῇ νήσῳ Κυνῶν πόλις. Ex his Co metropolim statuunt Cynopoliticæ præfecturæ, cujus ex adverso insulæ Cynopolis sita sit. Ineptè. Scribendum: καὶ μητρόπολις ἀπὸ δυσμῶν τοῦ ποταμοῦ, ἡ Κῶ ἀντίκειται τῇ νήσῳ Κυνῶν πόλις: Cynopolites nomus, & metropolis Cynopolis, C quæ ex adverso Coæ insulæ posita est. Cos insula in Ægypto. Stephanus: ἔστι δὲ ἐν Αἰγύπτῳ πόλις Κῶς. Ea est, quam ibi signat Ptolemæus. Auctor Itinerarii similiter Cynopolim, & Oxyrynchon continenter in eadem ripa ponit: *Cyno*, *Icacona*, *Oxyryncho*. Sic enim ibi emendamus. Vulgo legitur, *Cene*. Surita divinabat *Cæne*, Καινὴ πόλις. Hujus meminit Ptolemæus, sed longiusculè ab hoc loco. Libri scripti habent *Cœne*. Omnino verum est *Cœno* pro *Cyno*. Ut infra *Abœdus* pro *Abydus*. Et alia. *Cyno*, ἡ Κυνῶ pro Cynopoli. Sic Ἀντινῶ pro Antinopoli: Λατῶ, pro Latopoli. Hieronymus in Jovinianum: *urbes quoque apud eos ex animalium vocabulis* D *nuncupantur, Leonto, Cyno, Lyco, & Thmuis, quod interpretatur hircus.* Vicini ergo Oxyrynchitæ & Cynopolitæ, ut non mirum sit bellum inter eos exarsisse ea de causa, quod numina vicinorum odisset, & occidisset uterque locus. Inter Ombitas & Tentyritas nihil tale potuit contingere è vicinitate: quippe nec ipsi inter se finitimi, & alios utrique populos habent conterminos, quibus cum de cærimoniis, & numinum cultu dissiderent. Quid si Juvenalis Oxyrynchitarum, & Cynopolitarum historiam sub nominibus Ombitarum & Tentyritarum traduxit? sanè & tempus convenit, nec E res disconvenit. Præterea à poëtarum more nihil alienum fecerit, Ombi & Tentyra denique versum melius, & mollius ineunt quam Cynopolis, & Oxyrynchus, quæ prorsus heroicum metrum negant intrare. Hæc aliter expediant alii, virique per me sunto.

Sed audacia usque eo præditi.] Nimis leve est in tanto ausu. Legendum puto: *sed audacia usque eo perditi*, id est, ἀπεγνωσμένοι, adeo perditæ & desperatæ audaciæ. Juvenalis:

---- audacia perdita, sermo
Promptus.

Et alibi idem: *---- quis tam*
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni

F Glossæ: *perditi* ἀπεγνωσμένοι. Eædem: *tam perditus*, οὕτω πανώλης. In quibusdam codicibus scribitur: *sed audacia usque eo pergit.* Unde in aliis factum: *usque eo pergunt.* Sed illi pejoris notæ. Excerpta Solini legunt: *audacia usque eo periti.* Scriptum fuisse suspicor: *usque eo pergiti* pro *perciti.* Ut suprà *compergunt* pro *compercunt.* Unde *pergit* in plerisque librorum. Ita ergo in altera editione fuerit: *sed audacia usque eo perciti.* In altera: *usque eo perditi.* Pro quo in vulgatis irrepsit *præditi.* Plinius: *mensura eorum parva, sed præsentia animi in hoc tantum usu mira*: Scribendum: *sed præsentia animi in hoc tanto ausu mira.* Nihil ve- G rius. Paulo post de iisdem: *sed adversum ire soli hi audent.*

Inequitantes dorso vehunt.] Excerpta Solini: *equitantes in dorso vehant.* Atque ita schedæ Palatinæ. Reliqui, ut editum est. Plinius: *dorsoque equitantium modo impositi.*

Hieme nullum cibum capiunt.] Manifeste hoc loco deprehendi potest utriusque editionis lectio: *hieme nullum cibum capiunt, quinetiam quatuor menses a captu brumæ inedia exigunt.* Scripserat in priore: *quinetiam quatuor men-*

ses

ſes à cœptu brumæ inedia exigunt. In altera vero: *hieme nullum cibum capiunt.* Et ingenuè tamen fateor incertum me habere utrius editionis utra ſcriptura ſit. Illud certum, utramque heîc ſimul legi. Plinius: *quatuorque menſes hiemis inedia ſemper tranſmittere in ſpecu.* Lectio, quam priore loco poſuimus, propius exprimit Plinianam. Connexio ipſa inde tota, & ordo. Plinius: *hebetes oculos hoc animal dicitur habere in aqua, extra acerrimi viſus quatuorque menſes hiemis,* &c. Solinus ſimiliter: *in aqua obtuſius vident, in terra acutiſſimè. Quinetiam quatuor menſes à cœptu brumæ inedia exigunt.* Altera ſine connexione eſt: *in terra acutiſſimè hieme nullum cibum capiunt.* Sed hæc parva ſunt. Herodotus, τοὺς χειμεριωτάτους μῆνας τέσσαρας ἐσθίει οὐδέν. Ariſtoteles: φωλοῦσιν οἱ κροκόδειλοι ποτάμιοι τέτταρας μῆνας τοὺς χειμεριωτάτους, καὶ οὐκ ἐσθίουσιν οὐδέν. Inde habet Plinius, qui φωλεῖν vertit *tranſmittere in ſpecu.* Melius dixiſſet *latitare.* Urſi, qui φωλεύουσιν, tempus τῆς φωλείας in ſpecu propriè tranſmittunt, ut pleraque alia terreſtria animalia φωλεύοντα. Sed non omnia omnino, quæ φωλεῖ in ſpecubus latent. Nam, ut inquit Philoſophus, ποιεῖται τὰ ζῷα τὰς φωλείας ἀποκρυπτόμενα ἐν ἀλεεινοῖς, καὶ ἐν οἷς εἴωθε τόποις ἐπικοιτάζεσθαι. Serpentes alię ſub terra latitant. Viperę ſub ſaxis conduntur. Crocodilus, qui ἀμφίβιος eſt, tempore ſuæ φωλείας extra aquam non prodit, ſed in aqua uſque abſconditur, in qua etiam alias ſemper ſolet ἐπικοιτάζεσθαι noctibus. Et ſanè nulli ſpecus in Nilo. Ergo ἐν τοῖς βάθεσι fluminis latebras ſibi facit. Ita ſolent & thunni inlatebrari. Sed reſpexit Plinius ad verbum φωλεύειν, quod propriè eſt in ſpecu latitare. Nam φωλεὸν, ferarum ſpecus & ſpelunca. Heſychius: φωλεὸν τὸ σπήλαιον τῶν θηρῶν. Gloſſæ: *ſpecus,* σπέος, σπήλαιον. Plinio demus *ſpecum* dici, quidquid quoquo modo, & quibuſcunque animalibus condendis uſui eſt, licet valde improprium in crocodilo ſit, illud forſitan dari non poſſit, τοὺς χειμεριωτάτους μῆνας τέτταρας, rectè reddi, *quatuor menſes hiemis.* Quod rectum eſſet, ſi Græci auctores dixiſſent, τέσσαρας χειμερίους μῆνας, vel τέτταρας μῆνας τοῦ χειμῶνος. Verum id non potuerunt dicere, cum tres tantum menſes hiberni ſint. Ariſtotelis verba ſic verti debuerunt, τέτταρας μῆνας τοὺς χειμεριωτάτους: *per quatuor menſes, qui maximè hiberni ſunt, nullum cibum capiunt.* Id eo dicitur, quia plerumque ex autumno & vere qui menſes hiemem attingunt, de hieme vicina multum retinent, autumnalis quidem ultimus menſis ſui fine, primus vernus initio. Ita quatuor maxime hiberni menſes, & frigidiſſimi ſunt duo ante brumæ punctum, duo poſt brumam, per hos menſes φωλεύει crocodilus, qui ſunt χειμεριώτατοι. Ita & Philoſopho animalia quædam φωλεύουσι ταῖς χειμεριωτάταις ὥραις. Hæ horæ ſunt ultra, citraque brumam, maximè hibernæ & frigidæ. Sed laxe accipiendo hiemis utcunque dici queant quatuor illi menſes χειμεριώτατοι. Illud nullo modo ferri poteſt, quod quatuor illos menſes χειμεριωτάτους, quos inedia tranſigit crocodilus, eos à cœptu brumæ Solinus alterius editionis lectione inchoat. Quod ſi verum eſſet, non ſolum menſis Martius, ſed etiam Aprilis totus, quatuor illis menſibus comprehenderetur. Quod eſt abſurdiſſimum. Nam Aprilis non eſt χειμεριώτερος Decembri. Immo multo minus. Ne Martius quidem tam hibernus, quam December, quem tamen Decembrem ab illis χειμεριωτάτοις menſibus ferè totum excludit, ut de Novembri nihil dicam. Hi ergo quatuor menſes χειμεριώτατοι, November, December ante brumam: Januarius & Februarius à bruma. Non ut Solinus videtur velle, Januarius, Februarius, Martius, Aprilis poſt brumam omnes. Græci brumam hiemis medium faciunt. Romani hiemem à bruma auſpicantur. Hinc dividia. Sed Plinius, dum Græca male exprimit, Solino auctor extitit, ut ſua pejus etiam redderet. Græcos quippe non vidit Solinus, ſed ſolum Plinium, à quo omnia cum pulviſculo corradit. Scribit igitur ille, quatuor menſes hiemis crocodilum condi. Hiemem idem à bruma auſpicatur, ut æſtatis initium à ſolſtitio ducit. Quippe & urſos, qui circa brumam coïtus cupidine incitantur, *hiemis initio coire* dixit. Inde noſter crocodilum quatuor menſes à cœptu brumæ inedia tranſigere tradit, quia nimirum à bruma incipit hiems. Quod ſi volumus vitium eum vidiſſe, & correxiſſe, dicimus hanc lectionem fuiſſe τῆς προεκδόσεως, ut in altera, quam emendavit, ſcripſerit, *hieme nullum cibum capiunt.* Ut ut ſit, in altera erravit. Ammianus quatuor hibernos menſes nullo veſci cibo dicit, & Solinum imitatur.

Pag. 44. C. *Scinci quoque circa Nilum frequentiſſimi*] Rectè, *circa Nilum.* Nec enim in Nilo. Terreſtre quippe animal *ſcincus,* non aquatile. Et falluntur omnes recentiores, qui Alberto Magno duce ſcincos aquæ tranſcripſerunt, quum coloni terræ ſint. In eodem tamen errore etiam quidam vetuſtiorum. Geographus noſter vetus ἀνέκδοτος de Nilo: *de flumine ſuperius dicto capiuntur crocodili parvæ magnitudinis, quos plerumque ad pigmentarios videmus.* Planum eſt *ſcincos* intelligere. Ex Ægypto quidem afferebantur, ſed non è Nilo capiebantur. Nicetas lib. II. de Andronico Comneno σκίγκον ζῷον Νειλῷον vocat κροκοδείλῳ πάνυ τι ἐμφερὲς, quaſi ſcincus in Nilo naſcatur, & fluviatilis ſit. Plinius quoque ſui oblitus videtur, quum lib. VIII. cap XXV ſcribit ſcincum in Nilo natum crocodilo ſimilem eſſe ichneumone minorem. Naſcitur enim circa Nilum, non in Nilo. Atqui idem lib. XXVIII. cap. VIII tradit quoſdam putare ſcincum crocodilum eſſe terreſtrem, *candidiore tantum & tenuiore cute.* Nec ipſe quicquam contra dicit, quò id refellat. Ergo ſcincus ζῷον χερσαῖον, etiam ſi non idem ſit cum crocodilo terreſtri, quod quidam volunt. Dioſcorides κροκόδειλον χερσαῖον ἰδιογενῆ dicit, crocodilum quidem terreſtrem, ſed ſui generis eſſe ſcincum. Ait naſci in Ægypto, India, καὶ ἐν τῇ Ἐρυθρᾷ. Non intelligit, in mari rubro natare, ne ita cenſeas, ſed Arabiam ſic vocat, quæ πρὸς τῇ Ἐρυθρᾷ. Plinius ex eo de ſcincis: *maximus Indicus, deinde Arabicus.* Si auctores, qui ἐν τῷ Νείλῳ naſci dixerunt, ſic acciperemus; pro ἐν τῇ Αἰγύπτῳ, nihil eſſet hallucinationis. Addit Dioſcorides: ἕτερος δὲ ἐν τῇ Λιβύῃ τῆς Μαυρουσίας. Pauſanias in Corinthiacis: Λιβύη μέν γε μόνη κροκοδείλους τρέφει χερσαίους, διπήχεων οὐκ ἐλάσσονας. Crocodili illi terreſtres, quos Lybia generat, Dioſcoridis ſcinci ſunt. Idem alibi memorat in fonte quodam circa Atlantem montem crocodilos parvos videri cubitali forma. Atlas autem in Mauruſiade. Strabo quoque ſcribit Mauritaniæ flumina crocodilos ferre, & cetera animalia, qualia in Nilo. Idem & fontem eſſe haud longe à Chalcedone, paulo ſupra mare, qui gignit κροκοδείλους μικρούς. Hos crocodilos ſcincos eſſe vult Hermolaus. Perperam. Sunt parvi crocodili fluviatiles, ſunt & magni, ut in Nilo. Fuere etiam crocodili parvæ formæ terreſtres. Ut hos crocodilos terreſtres cum ſcincis eoſdem faciunt quidam ex veteribus, ita & cum parvis fluviatilibus crocodilis ſcincos nonnulli confudere. Omnino falſo, quum ſcincus χερσαῖον ſit ζῷον. Dioſcorides: ἐστὶ δὲ κροκόδειλος χερσαῖος ἰδιογενὴς ταριχευθεὶς ἐν καρδάμῳ, φασὶ δὲ δύναμιν ἔχειν ποθέν. Hæc verba Dioſcoridis corruptiſſima ſunt. Nec enim alibi legitur naſturcium ταῖς ταριχείαις adhiberi. Gratiam debebunt, haud ſcio an referent medici, ſi locum hunc illis auctoris ſui, quem ipſi pro deſperato reliquerunt, ſanum reddam. Legendum: ἐστὶ δὲ κροκόδειλος χερσαῖος ἰδιογενής, ταριχευόμενος, ἐγκάρδαμον φασὶ δύναμιν ἔχειν ποθὲν τὸ περὶ τοὺς νεφροὺς αὐτοῦ μέρος, ὁρμητικὴν πρὸς τὰ ἀφροδίσια. Dicit eſſe crocodilum terrenum, ſed ſui generis, condiri ſolitum, ταριχευόμενον. Plinius ex Dioſcoride: *maximus Indicus, deinde Arabicus: afferuntur ſalſi,* id eſt, ταριχευθέντες. Subjicit δύναμιν ἔχειν ἐγκάρδαμον, ὁρμητικὴν πρὸς τὰ ἀφροδίσια, hoc eſt, *eam virtutem naſturcii habere, quæ ad excitandam venerem valet.* Nam τὸ κάρδαμον inter alias virtutes συνουσίαν παρορμᾷ. Dioſcorides, ἐγκάρδαμος δύναμις, ut ἔγχρυσος θεωρία Agatharchidæ, ἔγχρυσος πρόσοψις, *auri ſpecies & color.* Ubi & ſimiliter corruperunt, ἐν χρυσῷ πρόσοψιν. Sic ἔνδενδρος ὕλη, arborea, vel arbuſta ſilva, ἡ δενδρώδης. Paulus Ægineta id planè confirmat, qui σκίγκον tradit δύναμιν ὁμοίαν τῷ καρδάμῳ habere, id eſt, ἐγκάρδαμον δύναμιν. Hæc non intellecta phraſis cauſa fuit loci depravandi. Ridicula porro viri doctiſſimi hallucinatio, qui σκίγκον pernam interpretatur, quod Germanis ſuis ita vocetur perna: & addit apud Nicetam in imperio Andronici lib. II de crocodili poſteriori crure uſurpari, per catachreſin ſcilicet, ἀπὸ ζώου κροκοδείλου κατασκευαζόμενον σκίγκον λεγόμενον. Ita citat Nicetam, nihil tale apud eum. Nec σκίγκος pes eſt poſterior crocodili, nec pro perna καταχρηστικῶς ſumitur. Sed σκίγκος eſt animal crocodilo ſimile, quod ad ſtimulandam venerem facit in potu ſumptum.

sumptum. Verba Nicetæ: ἤθιε ἢ ἢ ζῶον Νειλῷον, κροκοδείλῳ πάνυ τοι ἐμφερὲς, σκίγκον λεγόμενον. Idem significat *scincus* & apud Theodorum Priscianum, quem ibidem citat: *reparatum est pipere, satyrio & scinco, & erucæ semine.* Quæ ex Plinio sumpta lib. XXVIII. cap. VIII de remediis è scinco: *rostrum ejus, & pedes in vino albo poti cupiditatem veneris accendunt: utique cum satyrio, & erucæ semine singulis drachmis omnium, ac piperis duabus admistis.* At *frisingæ* pernæ sunt, quæ nihil habent commune cum scinco. Vocant hodie *stincum*, qui scincus est. Constantinus in Viatico *stinconem* semper vocat: *Stinconis & umbilici ejus. Behem album, & rufum.* Atque ita alibi passim.

Verum ad opem salutarem non qualibet necessarii.] Hæc delenda censet Delrius ex libri sui auctoritate. Nec ipsum audio, nec librum ejus sequor. In schedis Palatinis legitur: *verum ad opem salute non qualibet necessarii.* Quod fortasse rectum est. Nam ita & in alio libro ejusdem Bibliothecæ reperi. *Quilibet* est ὁ τυχὼν. *Non qualibet salute*, οὐ τῇ τυχούσῃ σωτηρίᾳ. Sic cap. XXII. *Britannia insula non qualibet amplitudine.* Vide quæ ibi notavimus. Glossæ: *qualibet*, τῇ τυχούσῃ. Sed vulgata etiam recta, quam libri plures asserunt, *ad opem salutarem non qualibet necessarii*, οὐ τυχόντως, non leviter.

Medentes quippe pocula ex ipsis inficiunt.] Eædem schedæ: *conficiunt.* Sed alterum malo. Et fortasse etiam melius: *pocula ipsis inficiunt.* In potiones indunt carnes scinci, quibus incenditur venus, ac nervus intenditur. *Pocula* heîc sunt potiones. Ut apud Lampridium *genera poculorum, mastichatum, pulegiatum, rosatum.* Ubi *pocula* sunt πόματα. Nam *potus* & diminutivum *poculum.* Ut *senatus, senaculum*, parvus senatus. Sic *status, staculum*, ἡ ἐπίστασις, idem quod stabulum. Nam supra vetustissimæ membranæ ita scribebant: *primum quod sequitur stacula pastorum.* Apulejo, *carnes lasere infectæ*, quæ lasere superspersæ sunt. Ita hoc loco *pocula scinci carnibus infecta*, potiones, quibus additæ carnes scinci.

Quibus & stupor nervorum excitetur] Delrius hæc expungebat auctore libro suo. Malo certè facinore. Libri quidam ea non habent, sed pessimi illi, & è priore editione descripti, quæ sic habuit: *pocula ex ipsis conficiunt, quibus vis veneni extinguitur.* In posteriore, atque emendata ita scriptum reliquit: *pocula ipsis inficiunt, quibus & stupor nervorum excitetur, & veneni vis exigatur.* Quod optimus codex Regius nos docuit, qui alteram illam lectionem ad marginem præferebat, ut reliquas omnes τῆς προεκδόσεως. Sed & aliunde hoc scimus verum esse. *Stupor nervorum*, ἡ ἀψυσία, mortua nimirum ac stupentia membra, quæ excitantur potione è scinco. Græcis, νεῦρα, τὰ αἰδοῖα. Sic Tibullus:

Rigente nervus excitet libidine.

Scincus, & ad inflammandam venerem valet, & contra venena antidotum est. Plinius: *in Nilo natus scincus contra venena præcipuus antidotis, & ad inflammandam virorum venerem.* Hinc noster & *stuporem nervorum* poculis scinco infectis *excitari* dicit, & vim venenorum exigi & expelli.

Equino dorso, & juba, & hinnitu] Herodotus: λοφιὴν ἔχον ἵππου, χαυλιόδοντας φαῖνον, οὐρὴν ἵππου καὶ φωνήν. Aristoteles χαίτην ἵππου & φωνὴν tribuit, caudam ὑός. Plinius Aristotelem sequitur: *equino dorso, & juba, & hinnitu.* Inde noster. At Diodorus Herodotum: ὦτα δὲ καὶ κέρκον, καὶ φωνὴν ἵππῳ παρεμφερῆ. At multum distat equina cauda, & porcina.

Rostro resimo] Ita correximus pro eo, quod erat in vulgatis: *resupino.* Plinius: *rostro resimo.* Herodotus: σιμὸν, λοφιὴν ἔχον ἵππου. Aristoteles: σιμὸς δὲ τὴν ὄψιν. Sic Ovidius de similis:

---- *nare'que a fronte resimæ.*

Ubi *remissas* perperam edunt. Græcè ἀνασίμους.

Aprugineis dentibus] Sic libri. *Apruginëus, apruginus*, & inde *aprugnus.* Sic *caprugineus* à capro. Inde *caprugnei lumbi* in indice pontificalis cœnæ Metelli apud Macrobium: *lumbos caprugineos, aprugnos.* Perperam hodie legitur: *lumbos, capragines, aprugnos.* Quod ferri non potest. Certè vel *capruginos*, vel *caprugineos* verum est.

Cauda tortuosa] Plinius: *cauda & aprorum dentibus aduncis.* Aristoteles κέρκον ὑός. Sues sane tortuosam

A habent caudam. Immo cum rectam eam natura habeant, torquent eam plerumque, & in vertiginem flectunt. Quidam citant ex veteri codice apud Plinium: *cauda torta, & aprorum dentibus.* Sed nullus eorum, quos vidi, sic habet. Et certum est Plinium ita intellexisse, ut dixi, atque ita accepisse Solinum. Idem lib. XI capite de caudis: *sues intorquent, canum degeneres sub alvum reflectunt.* Alii, ut dixi, paulo ante, equinam caudam hippopotamo tribuunt, non aprinam, magno inter utramque discrimine. Plinius eodem capite: *nudæ caudæ hirtis, ut apris: parvæ villosis, ut ursis: prælongis setosæ, ut equis.* Ammianus de hippopotamis: *ad speciem equo-*

B *rum bifidas habentes ungulas, caudasque breves.* Hæc mendosa, sic enim liceat intelligere, quasi equi bifidas habeant ungulas, & caudas breves. Quod contrarium est. Lege: *at specie equorum.* Cum sint equorum specie, bifidas tamen ungulas, & caudas habent breves. Distingui etiam potest: *ad speciem equorum, bifidas habentes ungulas & caudas breves.* Plinius hippopotamum scribit habere *dentes aprorum aduncos.* Voluit dicere exertos, & sic melius dixisset. Græcè χαυλιόδοντες. Herodotus & Aristoteles: χαυλιόδοντας φαῖνον, *dentes exertos ostentans.* Diodorus de hippopotamo: τοὺς χαυλιόδοντας ἔχει μείζους τῶν ἀγρίων ὑῶν, τρεῖς ἐξ ἑκατέρων μερῶν.

C Χαυλιόδοντες sunt dentes extra ordinem aliorum prominentes. Latini *exertos* vocant. Sed omnibus quibus exerti, non etiam adunci. Aristoteles: χαυλιόδοντας, ὥσπερ ἄρρενες ὕες. Sues masculi, non lunatos, & aduncos habent dentes, exceptis paucis, quibus hoc dat ætas. Apri quippe minores, qui χαυλιόδοντας habent, non aduncos eos habent. Ætate adunci fiunt instar lunulæ. Elephantis maribus dentes exerti, & ἀνάσιμοι, id est, resimi, & reflexi: fœminis etiam exerti, sed recti, atque proni. Aristoteles, Plinius, alii. Crocodilo χαυλιόδοντες δύο ceteris majores, sed recti, non

D adunci. Diodorus: ὀδόντες ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν ὑπάρχουσι πολλοὶ, δύο δὲ οἱ χαυλιόδοντες, πολὺ τῷ μεγέθει τῶν ἄλλων διαλλάττοντες. Græci Grammatici χαυλιόδοντας ita exponunt: χαυλιόδοντα, τὸν ἐπικεχαλασμένους ἔχοντα τοὺς ὀδόντας ἔξω τῶν ἄλλων ὀδόντων, καὶ τοῦ στόματος, id est, dentes solutos, & prominentes extra ordinem aliorum dentium. Vim vocis expressit, χαῦλος, quasi ἀπὸ τοῦ χαλᾶν. In hoc genere aliis recti sunt, aliis inflexi, & adunci. Idem Plinius alibi: *exerti, ut apro, hippopotamo, elephanto.* Heîc *aduncos* pro *exertis* dixit. Fortasse tamen etiam adunci hippopotamo. Quod Græci non

E dicunt. Sequitur apud eumdem: *tergoris ad scuta galeasque impenetrabilis.* Aristoteles, à quo sumpsit, ita scribit: τὸ δὲ δέρματος τὸ πάχος ὥστε δόρατα ποιεῖσθαι ἐξ αὐτοῦ. Docti quidam ex illo Plinii loco apud Aristotelem corrigunt: ὥστε θώρακας ποιεῖσθαι ἐξ αὐτοῦ. Errant. Aliud vult Plinius, aliud Aristoteles. Hic crassitudinem tergoris hippopotami, ille duritiem tantùm ostendit. Hic quam παχὺ sit, indicat, ille, quam ἰσχυρόν. Diodorus de hippopotamo: τὸ δὲ δέρμα πάντων τῶν θηρίων σχεδὸν ἰσχυρότατον. Hinc ad galeas & scuta expetebatur, ut & elephanti. Nam alibi tradit Plinius elephantorum tergus impenetrabile ad cetras haberi. Aristoteles in argumentum crassitudinis trahit, quod ex corio hippo-

F potami fiant hastæ. Quod habet ex Herodoto, cujus hæc de hippotamo verba sunt: τὸ δέρμα δ' αὐτοῦ οὕτω δή τι παχύ ἐστι, ὥστε αὔου γινομένου, ξυστὰ ποιέεται ἀκόντια ἐξ αὐτοῦ. Quæ Aristoteli δόρατα, Herodoto ξυστὰ ἀκόντια, rasiles, vel tornatiles hastæ. Integrum est ξυστὸν ἀκόντιον, quod Hesychius explicat δόρυ κατεσκευασμένον. Inde ξυστὸν absolutè ἀντὶ τοῦ ἀκοντίου. Idem: ξυστοῖς, ἀκοντίοις. Sic ξυστοὶ δρόμοι, in quibus rasa, & æquata arena, vel terra, & inde absolutè ξυστοὶ hujusmodi porticus dictæ Græcis. Locum Herodoti alibi Plinius expressit his verbis: *hippopotami corii crassitudo talis, ut inde tornentur hastæ.* Ξυστὰ ἀκόντια reddit. Nam torno tritæ, & rasæ

G hastæ sunt ξυστὰ ἀκόντια. *Rasilis hasta* Ovidius. Sic eidem:

---- *& torno rasile buxum.*

Græcis Tragicis ξεστὸν δόρυ. Nam ξεστὸν & ξυστὸν idem. Pollux: ἔθηγον τὰ ξίφη, ἔξυον τὰ δόρατα. Inde δορυξόος qui hastas & jacula torno terit, & radit. Euripides in Bellerophonte apud Stobæum:

Οὐκ ἂν γένοιτο θαῦμα τ' εἰ πεύγοισι
Θάμνοις ἐλείοις.

Ita

Ita legendum. Si quis ex cannis, ac fruticibus palustribus hastas tornet, ac dolet, vulnera non fient. Nec enim junci, aut cannæ in hastas dolatæ, tornatæve vulnus dare possunt. ξύειν θάμνους ἑλείους est cannas radere, ut inde hastæ fiant.

Ad quas pergit aversus æstu doloso, ut fallente vestigio] Plinius: *depascitur segetes, destinatione ante, ut ferunt, determinatas in diem, & ex agro ferentibus vestigiis, ne aliquæ reverenti insidiæ comparentur.* Corrigunt è Solino: *fallentibus vestigiis.* Immo contrà ex hoc ipso Solini loco clarum est legi in Plinio debere, *ex agro ferentibus vestigiis.* Dicit Plinius hippopotamum depasci segetes, *ferentibus ex agro vestigiis.* Plinium explicans Solinus ait ad eas depascendas pergere aversum, ut fallat. Quod idem est. Cum enim à flumine in agrum pergit aversus, ex agro in flumen fert vestigia, non a flumine in agrum. Hoc facit, ut fallat & frustretur venatores, qui vestigia ex agro in aquam ferentia conspicati putant jam eum ex pastu se recepisse, atque ad sedes suas, & profunda fluminis reversum esse. Alioquin insidias tenderent revertenti, si ex vestigiis in agrum tendentibus colligerent adhuc eum in segete versari. Sic vestigiis fallit, quia aversus, non rectus ad segetes pergit. Hæc cum ita sint, Ammianus tamen hippopotamum non ad pastus euntem, sed redeuntem à pastu aversis vestigiis incedere dicit. Quid tunc opus? Nam ubi intra undas suas receptus est, tutus jam ab insidiis, & securus esse debet. Per diem quippe ἐν τοῖς βάθεσι τοῦ ποταμοῦ γυμνάζεσθαι cum tradit Diodorus, noctibus vero egredi ad pabulandum, ac segetes depascendas. Verùm sedes ei, & cubile Ammianus non in profundo fluminis assignat, ut Diodorus, *sed inter arundines celsas, & nimia densitate squalentes*, atque inde ad depascendas segetes exire: *cumque jam*, inquit, *cœperit redire, distenta aversis vestigiis distinguit tramites multos, ne unius plani itineris lineas insidiatores secuti repertum sine difficultate confodiant.* Ergo juxta Ammianum, cum ad cubilia regreditur, aversus incedit, ne vestigiis rectis eo ducentibus reperiatur locus, in quo requiescit. Quod ex diametro pugnat cum Plinii & Solini sententia, quem tamen sequitur, & à quo cetera sumpsit Ammianus, quæ de hac belua tradit. Atqui verisimilius est, quomodo narrat cum Plinio Solinus, si verum dicit Diodorus, cujus ista sunt: ποτάμιον γὰρ ὑπάρχον καὶ χερσαῖον, τὰς μὲν ἡμέρας ἐν τοῖς ὕδασι διατρίβει γυμναζόμενον κατὰ βάθους, τὰς δὲ νύκτας ἐπὶ χώρας κατανέμεται, τόν τε σῖτον καὶ τὸν χόρτον. Ammianus contra hæc: *inter arundines celsas, & squalentes nimia densitate hæc belua cubilibus positis, otium pervigili studio circumspectat, laxataque copia ad segetes depascendas egreditur.* Si inter arundines tantum cubat per diem, non sine causa metuit, ne locus deprehendatur, ideo, cum se recipit ex pastu, vestigia confundit. Si verò in medio, ac profundo fluminis moratur, nihil hac sollertia opus habet, cum revertitur è pabulo, sed tum cum ad pascendum pergit, ne revertenti insidiæ comparentur. Ammiani tempore nulli amplius hippopotami capiebantur: & defecerat id genus in Ægypto. Proinde rectius credi, starique puto auctorum illorum sententiæ, quorum ætas beluas illas frequentes vidit. Scribit porro Plinius equum fluviatilem depasci segetes, *destinatione ante, ut ferunt, determinatas in diem, & ex agro ferentibus vestigiis.* Quid sit, *ante determinare in diem*, nescire me fateor. *In diem* est in longum tempus. Ut *supplicia in diem*, quæ protolluntur, ac differuntur apud Ciceronem. Terentius:

In diem istuc est fortasse quod minitaris,
Tu jam pendebis.

Adde quod noctu pascitur tantum, non de die, hippopotamus. Verissima, ut puto, nostra correctio est, ac facillima. Legendum enim: *depascitur segetes, destinatione ante, ut ferunt, determinatas, indidem & ex agro ferentibus vestigiis.* Nihil verius. Determinat ante, ac destinat segetes, quas depasturus est, *indidem*, id est, ex loco ipso segetis, *& ex agro ferentibus vestigiis.* Glossæ: *indidem*, ἐντεῦθεν.

Idem cum distenditur nimia satietate] Ammianus: *idem cum aviditate nimia extuberato ventre pigrescit.* Quod ex hoc loco habet.

Arundines recens cæsas] Ammianus: *calamos recens*

A *exectos.* Plinius: *assidua namque satietate obesus exit in littus, recentes harundinum cæsuras speculatus, atque ubi acutissimam videt stirpem imprimens corpus venam quamdam in crure vulnerat.* In plerisque libris legitur, *recenti harundinum cæsura.* Omnino scripserim: *exit in littus recenti harundinum cæsura speculatum, atque ubi acutissimam videt stirpem, imprimens corpus venam quamdam in crure vulnerat.* Recenti harundinum cæsura, id est, cum recens cæsæ sunt harundines, exit in littus speculatum, atque, ubi videt acutissimam stirpem, ibi corpus imprimit. *Exit speculatum*, ut *exit aquatum & similia.* Nihil verius illa lectione.

B Pag. 44. D. *Quamdiu stirpium acuta pedes vulnerent*] Parum rectè ista, nec ex Plinii mente. Non enim per arundines recens cæsas obversatur, ut pedes vulneret acutis stirpium, sed volutat corpus per recentes arundinum cæsuras, & acutissimis stirpibus etiam imprimit, ut venam quamdam, quæ in crure est, vulneret, atque ita profluvio sanguinis sese exoneret. Ita Plinius. Recte quoque Ammianus: *super calamos recens exectos femora convolvit & crura, ut pedibus vulneratis cruor egestus sagina distentum faciat levem.* Non sic intelligit Solinus, sed stantem, & rectum hippopotamum per recens cæsas harundines tamdiu obversari, & ambulare, C quoad stirpium acuta pedes vulnerent. Id enim *obversari* significat. Nec enim necesse habet corpus volvere, ac versare inter harundines cæsas, ut pedes tantum vulneret, quum stans id facere possit. Nec est, quod quisquam argutetur, *pedes* heîc pro cruribus, aut femoribus posuisse, ut & Ammianus fecit, qui *vulneratis pedibus* dixit, ex hoc loco; qui aut Plinium vidit, aut Solinum ita interpretatus est. Ut ut sit, Plinii sententiam nec plenè, nec planè noster expressit.

Ut profluvio sanguinis levetur sagina] In codicibus prioris editionis legitur: *ut profluvium sanguinis levet saginam.* D Atque ita legisse videtur Ammianus, qui sic scribit: *ut cruor egestus sagina distentum faciat levem.* Exemplaribus τῆς προεκδόσεως usum eum fuisse alibi indicavimus.

Plagam deinde cœno oblinit] Ammianus: *& saucias carnes cœno oblinit.* Plinius: *& plagam limo rursus obducit.*

Usque dum vulnus conducatur in cicatricem] Ammianus: *quamdiu in cicatrices conveniant plagæ.*

Gratissimamque ex his escam nidis suis defert] Virgilius:

---- nidis defert immitibus escam.

Sic rarescunt proventus fœtuum noxiorum] Manifestò hinc sumpsit Ammianus: *nidulis suis suggerens ova serpentum, efficit ut rarescant mortiferæ pestes adjumpta.* In aliis E codicibus Solini legitur: *sic rarescunt proventu fœtus noxiorum.* Quod ex altera est editione.

Namque Arabicæ paludes] Edi volueram: *nam quacumque Arabicæ paludes pennatorum anguium mittunt examina.* Libri omnes, quos vidimus, habent: *nam quacunque Arabicæ paludes.* Atque ita ediderat Vinetus. Quod ipsum tamen mendosum est. Nam legendum, *quacunque.* Dicit, Ibes non tantùm intra fines Ægyptios prodesse, sed quamcumque in partem pinnatorum anguium examina involent è paludibus Arabicis missa, his occurrere in aëre, & agmen devorare. Legi etiam posset, *quocunque.* Sed illud magis Solinia-F num. *Quacunque*, pro quamcunque in partem, vel ubicunque. Ita enim noster loquitur. Sic *quaqua* Apulejo. *Quaqua explicitis pennis.* Et, *quaqua decideris.* Et lib. IV. *quaqua versus reposita.* Idem significat quod *quacunque.* Non quacunque tamen, sed intra fines tantum Ægypti, serpentes alatas, quas Arabia emittit, confici ab ibidibus tradit Mela, à quo noster accepit, & Herodotus, à quo Mela. Nam ibis avis Ægypti peculiaris. Camers edidit: *namque cum Arabicæ paludes.* Inde Delrius: *nam cum.* Sed neutra lectio menti Solini convenit.

Pennatorum anguium mittunt examina] Ex Mela: *serpentes magno examine volantes.* At Ammianus ex hoc lo-G co: *pennatis agminibus anguium occursant.* Sed minus propriè *angues* hîc Grammaticus vocat, qui serpentes sunt. Nam Grammatici *angues* aquis adscribunt. Mitto Grammaticos. Plinius ipse aperte serpentes ab anguibus secernit lib. VIII. cap. LIX his verbis: *jam quædam animalia indigenis innoxia, advenas interimunt, sicut serpentes parvæ in Tyrinthe, quas terra nasci produnt. Item in Syria angues circa Euphratis maximè ripas dormientes*

mientes Syros non attingunt. Hæc ex Ariſtotele in Admirandis. Et prius quidem exemplum ibi ſic habet: ἐν ᾗ τῇ Μεσοποταμίᾳ τῆς Συρίας φασὶ καὶ ἐν Ἰσροῦντι ὀφίδιά τινα γίγνεσθαι, ἃ τοὺς ἐγχωρίους οὐ δάκνει, τοὺς ξένους δὲ καὶ ἀδικεῖ σφόδρα. Ariſtoteles Ἰσροῦντα vocat, quam Plinius *Tirintha.* Sed in libris Plinii ſcribitur: *in Myrinthe.* Legebam aliquando: *in Myunte.* An ita etiam apud Ariſtotelem, ἐν Μυοῦντι; Certè Ἰσροῦντος non alibi legi. Ὀφίδια *ſerpentes parvas* vertit Plinius. Sequens exemplum ita in Ariſtotele concipitur: περὶ δὲ τὸν Εὐφράτην καὶ τελείως φασὶ τοῦτο γίγνεσθαι. Πολλοὺς γὰρ φαίνεσθαι περὶ τὰ χείλη τοῦ ποταμοῦ, καὶ διανέοντας ἐφ' ἑκάτερα, ὥστε τῆς δείλης ἐνταῦθα θεωρουμένους ἅμα τῇ ἡμέρᾳ ἐπὶ θατέρου μέρους φαίνεσθαι, καὶ τοὺς ἀναπαυομένους τῶν μὲν Σύρων μὴ δάκνειν, τῶν δὲ Ἑλλήνων μὴ ἀπέχεσθαι. Idem prorſus eſt apud Plinium, licet demus aliunde, quam ab Ariſtotele accepiſſe. Sed *angues* vocat ſerpentes iſtos, qui circa Euphratis ripas Syros dormientes non attingunt. Aquatiles eos eſſe conſtat ex Græco. Nam διανέουσι ἐφ' ἑκάτερα, in utramque partem tranſnatant. Perperam interpretes *devolvi* vertunt. Διανέειν, vel διανεῖν eſt *transfretare*, *transnatare.* Heſychius: νεῖν, νήχεσθαι. Inde Latinum *nare.* Ut καλεῖν, *calare*: πιλεῖν, *pilare.* Sic *ſerpentes*, & *angues* manifeſto diſtinxit Plinius, ut *angues* aquarum ſint, *ſerpentes* terrarum. Quod & alibi obſervat, ut pluribus dicam alias.

Quorum tam citum virus eſt] Mela: *veneni præſentis.* Quod hîc pluribus exponit. Ammianus: *veneni malignantis.*

Pag. 44. E. *Et priuſquam terminos patrios externum malum vaſtet*] Ex noſtro Ammianus: *eoſque priuſquam finibus ſuis excedant, prœliis ſuperatos aëriis vorant.* Ex Mela noſter: *atque in ipſo introitu finium ab avibus, quas ibidas appellant, adverſo agmine excipi, pugnaque confici.* Ubi male Pincianus corrigit: *pugnanteſque confici.* Hoc eſt, quod dixit Ammianus, *prœliis ſuperatos aëriis vorari.*

Quo merito ſacræ ſunt, & illæſæ] Inde Ammianus: *Ibis ſacra eſt, & amabilis, & innocua, ideo quod nidulis ſuis ſuggerens ova ſerpentum.* Ubi *innocua* novè dicitur, non quæ non nocet, ſed cui non nocetur. Sic *individuus*, qui non dividitur. *Innocuam* eodem ſenſu dixit, quo Solinus *illæſam.* Sic Græcis ἀβλαβὴς utrumque ſignificat. Gloſſæ: ἀβλαβὴς, *inlæſus*, *innoxius*, *innocuus*, *innocens.* Eædem: ἀβλάβεια, *innoxia*, *innocentia.* Scribe: *innocia.* Ab *innox innocis* nomen *innocia* pro innocentia. Optimæ Gloſſæ: *innox*, ἀβλαβὴς. Et apud Florum: *ſcortum patriciis innocius.* Πόρνη τῶν εὐπατριδῶν ἀβλαβεστέρα. Ita olim correximus ex libris, qui partim habent, *innocens*, partim *innoceus.* Locus vulgo corruptiſſimus.

Ore pariunt] In duabus voculis geminus error: prius alter auctoris, alter ex alieno ductus. Errat ipſe, quod veluti confeſſum, & certum ponit, ibides ore parere. Atqui ex vulgi opinione jampridem ab Ariſtotele confutata id tradere ſe profitetur Plinius. Solinum ſequitur Ammianus, ut in aliis de ibi: *quas aves per roſtra edere fœtus accepimus.* A Solino nimirum id accepit, qui etiam iſtic hallucinatur, quod ibes ore parere affirmat; id nuſquam vulgo creditum, aut opinatum, qui oris tantum coitum, non etiam partum, corvis & ibidibus affingebat. Sed Plinium habet auctorem. De corvis ita ſcribit: *corvi pariunt cum plurimùm quinos. Ore eos parere, aut coire vulgus arbitratur. Ideoque gravidas, ſi ederint corvinum ovum per os partum reddere, atque in totum difficulter parere, ſi tecto inferantur. Ariſtoteles negat, non hercule magis, quam in Ægypto ibim: ſed illam exoſculationem, quæ ſæpe cernitur, qualem in columbis eſſe.* Profecto nuſquam hoc prodidit Ariſtoteles, vulgo exiſtimari corvos partum per os edere, ſed coitum ore facere tantum, ut & ibes. Verba ejus hæc ſunt lib. III. cap. VII de Generat. Animal. Εἰσὶ γὰρ τινὲς οἳ λέγουσι κατὰ τὸ στόμα μίγνυσθαι τούς τε κόρακας, καὶ τὴν ἶβιν, καὶ τῶν τετραπόδων κατὰ τὸ στόμα τίκτειν τὴν γαλῆν. Corvos & ibim ore coire, muſtelas ore parere à quibuſdam dici ait. Anaxagoram, & alios Phyſicos antiquos hujus opinionis auctores facit, quos ἁπλῶς καὶ ἀσκέπτως λέγειν ait. Plinius utrumque ad corvos & ibes tranſtulit, quod ore ſimul coëant, pariantque, cum hoc poſtremum muſtelis tantum tribuatur ex verbis Ariſtotelis, primum

A corvis & ibi. Et manifeſta hallucinatio eſt. Vide totum caput. Natam eam opinionem vulgi inde probat philoſophus, quod coitus corvorum nemini ſit viſus, exoſculationem autem illam, qua roſtra invicem miſcent, multi viderint talem & in columbis eſſe. Sed eam famam de columbis diditam non eſſe, quod earum ὀχεία ſæpe viſatur, de corvis vero ideo celebratam, quod non aliter eos quam ore coire ſibi perſuaſerint illi, qui nunquam aliter coëuntes conſpexerant. At eoſdem ore parere unde, aut quo argumento proditum creditumque? Hoc certè τῶν ἀδυνάτων. Potuerit putare Anaxagoras, aliique antiqui naturæ periti,
B ex ſolo oris coitu corvos & ibes concipere, illud nulla ratione opinari quiti ſunt, eaſdem volucres per os etiam ova reddere. Quî enim id pote? Quod autem ore coëunt, non ex eo id ſequitur, ut etiam ore parere debeant. Quod in quadrupedibus aliquam rationem haberet. Nam eadem caverna fœtum emittunt, qua ſemen ex coitu recipiunt. In avibus id longè ſecus, quæ & abſque coitu ova pariunt. Atqui ne in muſtelis quidem hoc dictum, vel exiſtimatum eſt, ore eas coire, quum tamen vulgo crederentur ore partum edere. Id ex converſo poſtulabat ratio. Ut enim corvi etiam ore parere exiſtimati, quia fama eſſet eos ore
C coire, ita è contrario muſtelas, quandoquidem ex opinione vulgi fœtum per os ejicerent, credi etiam par fuit ore coitum frequentare. Quod tamen non eſt dictum. Fabula autem de partu earum κατὰ στόμα inde nata eſt, ut philoſophus autumat, quod & parvos admodum pariant, & ſæpe catulos ſuos de loco in locum ſubinde ore tranſportantes viſantur. Sed attendendum verbis Plinii: *ore eos parere, aut coire vulgus arbitratur.* Utrum vulgus arbitratur? Certè utrumque. Nam ex Ariſtotele conſtat Anaxagoram & antiquos, corvos ore coire crediſiſſe. Idem & de partu oris creditum vulgo fuiſſe liquet ex his, quæ ſubjicit Plinius:
D *ideoque gravidas, ſi ederint corvinum ovum, per os partum reddere.* Quæ licet abſurdiſſima ſint, & falſiſſima, immo & τῶν ἀδυνατωτάτων, vulgi tamen eam opinionem adſtruunt. Ergo dicere debuit: *ore eos parere, & coire vulgus arbitratur.* Cur hæſitans, ac dubius animi dixit, *ore eos parere, aut coire?* Quaſi incertum eſſet utrum horum vulgus arbitraretur, & quaſi alterum tantum crederetur vulgo? Quod ore coirent corvi, pervulgatum probat hic verſiculus Martialis:

Corve ſalutator, quare fellator haberis.

Nec enim ſimplicem, merumque oſculi coitum, καὶ μίξιν τῶν ῥυγχῶν in corvis, ut in columbis fieri exiſti-
E mabant, ſed ſemen etiam ex coitu per os immitti in fœminam, quo gravidaretur, quod multis confutat Ariſtoteles. Inde *fellator* corvus vulgo habitus. Ideo Plinius, cum dixiſſet ex quorumdam fortaſſe opinione, *vulgus arbitrari corvos ore parere*, addit, *aut coire*, quaſi ſe corrigeret, quia celebratior hæc opinio de coitu oris, tum etiam veriſimilior. Certè Ariſtoteles corvos μίγνυσθαι κατὰ τὸ στόμα refert tantùm, muſtelas autem κατὰ τὸ στόμα τίκτειν. Sed concedamus parere corvos κατὰ τὸ στόμα, ideo etiam perſuaſum imperitis, quod ore eos coire fama ferret, & proinde gravidas, ſi ede-
F rint ovum corvinum, per os partum reddere creditas, hoc peculiare, ac proprium corvi fuerit, non etiam ibidis. Nihil enim tale de ibide tradit Plinius. Ergo iis ſtandum, quæ de ea prodidit Ariſtoteles. Saltem nihil iis addendum aut adſtruendum. Atqui ille ſcribit falſo exiſtimari ibidem avem ore coitum facere, nec partus oris meminit, niſi in muſtela. Ergo imperitè Solinus, & abſurdè, atque etiam falsò pronuntiat, *ibides ore parere.* Ne vulgus quidem unquam id arbitratus eſt, ſed ore tantùm eas coire. Quam vulgi opinionem cum tam multis refellerit, & falſi convicerit philoſophus, Plinio etiam id ad-
G teſtante, & comprobante, temerariè feciſſet Solinus, ſi vel dixiſſet ore ibim coire. Nunc aſſerendo eas per os partum edere, non ſolum contra mentem Ariſtotelis, & Plinii, ſed etiam vulgi facit. Et ſanè ne vulgus quidem ipſum potuit ignorare quomodo parerent ibes, quum in Alexandria vulgo plateæ omnes refertæ eſſent his avibus cicuribus ac domeſticis. Quod alicubi teſtatur Strabo.

Ee Præci-

Præcipua est ficus Ægyptia] Ita vocat post Plinium, quam Græci συκάμινον & συκόμορον nominant. Theophrastus lib. IV. cap. XII. Ἐν Αἰγύπτῳ ἐστὶν ἔνια δένδρα πλείω, ἥ τε συκάμινος, καὶ ἡ περσέα καλουμένη. Quæ Plinius ita reddidit lib. XIII. cap. VII. *Et in Ægypto multa genera, quæ non alibi: ante omnia ficus, ob id Ægyptia cognominata.* Ubi *ficus Ægyptia* est, quæ συκάμινος Theophrasto. Συκόμορος dicitur Dioscoridi. Ita Latini vocaverint. Quippe alia est arbor, quam Græci συκῆν Αἰγυπτίαν nuncupant. Ea nimirum, quam Iones κερωνίαν vocabant, ceteri κερατωνίαν. Idem Theophrastus lib. I. cap. XVII. Ἀλλὰ καὶ τῶν δένδρων ἔνια, καθάπερ ἥ τε κερωνία, ἣν τινὰ καλοῦσι συκῆν Αἰγυπτίαν. De his loquitur arboribus, quæ fructum habent in siliquis. Hujus arboris fructum Αἰγύπτιον σῦκον vocabant, ut ex eodem constat. Hesychius: Κερατωνία, συκῆ Αἰγυπτία. Idem: Κερωνία τὸ δένδρον, ἡ συκῆ Αἰγυπτία. Et alio loco: συκῆ Αἰγυπτία, ἡ λεγομένη κερατία, τὸ δένδρον. Sic κερατία, κερατωνία, & κερωνία, eadem arbor, quæ & συκῆ Αἰγυπτία dicebatur, falso quidem, ut Theophrastus ostendit. Nec enim nascebatur in Ægypto, sed in Syria, & Ionia circa Rhodon & Cnidum. Plinius: *similis siliqua, quam Iones cerauniam vocant, trunco & ipsa fertilis, sed pomo siliquæ, ob id quidam ficum Ægyptiam dixere errore manifesto.* Quantumvis error sit, sic tamen usus obtinuit apud Græcos. Perperam scribitur apud Plinium *ceraunia* pro *ceronia*. Nisi quis dicat ita scriptum pro *ceraonia*. Nam ἀπὸ τοῦ κέρας κέρατος, κερατωνία: ἀπὸ τοῦ κέρας, κεραονία, & contractè κερωνία. Ut ὀαρίων ὠρίων, & similia sexcenta. Scribunt libri apud eumdem: *similis & quam Iones cerauniam vocant.* Rectè. Nam ad verbum expressa è Theophrasto: ταύτῃ δὲ παραπλησία, καὶ ἣν οἱ Ἴωνες κερωνίαν καλοῦσιν. Ergo arbores diversæ, quam Græci συκῆν Αἰγυπτίαν vocitant, & quam Plinius *ficum Ægyptiam* appellavit. Athenæus tamen συκῆν Αἰγυπτίαν vocavit, sed & συκάμινον Αἰγυπτίαν. Alii συκόμορον dixere, nomine ex ficu, & moro composito. Plerique tamen Græcorum συκῆ Αἰγυπτία est ceronia, & fructus ejus σῦκον Αἰγύπτιον. Siliqua arbor, quam κερατωνίαν iidem dicunt. Plinius *Ægyptiam ficum* non alibi nasci quam in Ægypto indicat. Et ex eo Solinus hoc loco ex arboribus, *quas sola fert Ægyptus, præcipuam esse ficum Ægyptiam.* Contra Dioscorides τὴν συκόμορον, quæ ficus Ægyptia est Plinii, πλείστην φύεσθαι ἐν Καρίᾳ, καὶ Ῥόδῳ tradit. Sed vereor, ne nominum errore ductus ita scripserit. Nam ceronia, quæ Græcis συκῆ Αἰγυπτία dicitur, plurima nascitur in Rhodo & Caria, & circa Cnidum, ut ex Theophrasto constat. Itaque *ficum Ægyptiam*, quæ sycomorus est, & συκῆν Αἰγυπτίαν, quæ ceronia est, videtur hac in parte confundere. Alioquin ineptum esset arborem Ægypti peculiarem Joniæ propriam facere, cum nec Ægypti meminerit in tota ejus descriptione. Alibi tamen certum est eam quam in Ægypto provenisse. In Judæa etiam nasci fidem facit caput XIX Lucæ, ubi συκομορέας nominatim fit mentio. Ceroniam sycomoro similem esse, & trunco pariter, sicut illam, fructum ferre, tradunt Theophrastus, & Plinius. Hinc συκῆν Αἰγυπτίαν videntur eam vocasse, non quod in Ægypto nasceretur, sed quod similis esset illi arbori Ægyptiacæ, quam alii ficum, alii morum Ægyptiam, vel nomine composito συκόμορον appellarunt. Hujus arbois fructus, τὸ κεράτιον Græcis, ut & arbor ipsa ἡ κερατία, Latinè *siliqua*, quod pomum haberet siliquæ instar. Theophrastus: ὁ δὲ καρπὸς ἔλλοβος, ὃν καλοῦσί τινες Αἰγύπτιον σῦκον. Plinius: *trunco & ipsa fertilis, sed pomo siliquæ. Siliqua* ipsa mandebatur: semina, quæ intus habet, amara & esui inutilia: cortex ipse prædulcis, & edulis. Plinius lib. XV. cap. XXVIII. *In siliquis vero quod manditur, quid nisi lignum est? Non omittenda seminis earum proprietate: nam neque corpus, nec lignum, nec cartilago dici potest, nec aliud nomen inveniat.* Et paulo ante capite eodem: *& hactenus sint species, ac genera pomorum: naturas artius colligi par est. Alia siliquis gignuntur, ipsis dulcibus, semenque complexis amarum: cum in pluribus semina placeant, in siliqua damnentur.* Falluntur doctissimi viri, & indicis consarcinatores, qui de siliquis leguminum hæc dici putarunt. De siliquis arboris, quæ κερατία Græcis, omnino sunt accipienda. Et cap. XXIV ejusdem libri: *haud procul abesse videantur, & prædulces siliquæ, nisi quod in his ipse manditur cortex.* Hinc Græcis ξυλόγλυκα dicta, quod lignum in his siliquis dulce esset, atque edule. Glossæ: *siliqua*, κεράτιον, καὶ κυάμου καὶ φασήλου λοβοί, καὶ ξυλόγλυκον. Λοβὸς τῶν χεδρόπων. Idem est κεράτιον & ξυλόγλυκον, fructus nempe κερατίας arboris, sive κερατωνίας, cujus cortex, sive lignum prædulce mandebatur. *Siliqua* Latinè, quod ἔλλοβος esset, & instar siliquæ, qua legumina continentur, Græcè κεράτιον, hoc est, *corniculum*, quod instar cornu curvatus esset, & falcatus. Plinius de siliquis arboreis: *digitorum hominis longitudo illis, & interim falcata, pollicari latitudine.* Fructus igitur ab ea similitudine κέρας, & κεράτιον. Arbor ipsa inde κερωνία, vel κερατωνία, vel etiam κερατία. Vox *siliqua* Latinis duas res significat, λοβὸν τῶν χεδρόπων, leguminum integumentum, & fructum arboris ceroniæ siliquaceum, quem Græci κεράτιον vocant. Nusquam vero Græci κεράτιον pro leguminis siliqua usurparunt, sed λοβὸν in ea significatione semper ponunt. De antiquioribus loquor. Nec recentiores aliter. Etenim quamlibet siliquam κεράτιον vocare magna esset κατάχρησις. Quid aliud est κεράτιον, quam arboris κερατίας fructus, qui & ipse siliqua est? Videmus & auctorem glossarii veteris, etsi non antiquissimum, rectè distinguere τὸ κεράτιον, & τὸν λοβὸν τῶν χεδρόπων, *siliquam*, fructum arboris, & *siliquam leguminum.* Apud Lucam Euangelistam cap. XV de filio prodigo: καὶ ἐπεθύμει γεμίσαι τὴν κοιλίαν ἀπὸ τῶν κερατίων, ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι. Vulgo accipiunt de siliquis leguminum, quæ & ipsæ pecorum pabulo veteribus asservatæ. Sed vox ipsa κεράτιον id respuit, quæ propriè fructum arboris significat. Unde & Theophylactus de siliquæ arboris fructu interpretatur. Igitur κεράτια ἃ ἐσθίουσι χοῖροι, sunt siliquæ silvaticæ, quibus in Syria, & Judæa nutriebantur porci. Nam in illis locis plurimus κερατίων proventus. Mentio *siliquæ silvaticæ* apud auctorem de finibus, ubi & *Chia melus* dicitur: *si Chia melus, hoc est, siliqua silvatica fuerint tres, trifinium demonstrat.* Ita scribendum. Malè est, *chia mellus.* His scriptoribus *melus* est ἡ μηλέα, μῆλος. Ut alibi *melum cottoneum*, τὸ μῆλον. Glossæ: *melum, pomum.* Chia autem melus de siliqua silvatica, quod in Chio Joniæ ita frequens proveniret hæc arbor, ut etiam sponte, ac non sativa nasceretur. Ceroniam, sive siliquam in Jonia, & Syria plurimam nasci scribunt cum Theophrasto Plinius. Κεράτια igitur, qualia edebant porci, erant, ut videtur, siliquæ silvaticæ fructus. Plinius capite de castaneis: *ceteræ suum pabulo gignuntur, scrupulosa corticis intra nucleos quoque ruminatione. Haud procul abesse videantur & prædulces siliquæ. Nisi quod in iis cortex ipse manditur.* Possumus & τὰ κεράτια, ἃ χοῖροι ἤσθιον, apud Euangelistam de his siliquis accipere, ex quibus expressus fuerat succus. In Syria vinum è siliqua faciebant, ut constat è Plinio lib. XIV capite de vinis facticiis. Κεράτια sic expressa porcorum pabulo servabantur, ut & vinacia. Hæc igitur sunt κεράτια, quæ porci comedebant, quæ nepos ille in magna sua fame cupidè vorasset. Ceterum & apud poëtas *siliquæ* pro tenui victu sumuntur. Horatius:

---- vivunt siliquis, & pane secundo.

Et apud Persium de philosophorum victu.

---- siliquis & grandi pasta polenta.

Ubi malè vir doctissimus siliquas ipsas leguminum interpretatur: *quod pecoris*, inquit, *immundi potius quam hominum.* Certè siliquæ ipsæ leguminum pabulo potius pecorum, quam hominum cibo aptæ. Nec quemquam puto veterum his victitasse, haud magis quam culmo ipso, vel caulibus. Plinius de fabis: *namque siliquæ, caulesque gratissimi sunt pabuli pecori.* Ita legendum. Quis hominibus credat æquè gratas? *Siliquarum* nomine poëtæ illi legumina ipsa intelligunt, non τοὺς λοβοὺς solos. Quamvis & in quibusdam leguminibus siliquæ cum suis granis mandi soleant, ut in faseolis, & pisorum quodam genere. Lupini inter legumina philosophis maximè consuetus cibus. Cynicorum pera præcipuè semper his referta. Versus Cratetis apud Aristotelem:

Οὐκ οἶσθα πήρα δύναμιν ἡλίκην ἔχει,
Θέρμων τε χοίνιξ.

Hinc

Hinc detonsæ Stoicorum, & Cynicorum juventuti *filiquas*, & *polentam* pro cibo assignat Satyricus, ἄλφιτα ἢ θέρμεις. Sed & cetera etiam legumina in victu pauperum & philosophorum promiscui usus, ut lens, faba, ἔτνος & similia. Ne de siliquis tantum leguminum censeamus accipi. Plinius lib. XVIII. cap. XIV. *Lupino est usus proximus, cum sit & homini, & quadrupedum generi ungulas habenti communis.* Hæc sunt corruptissima. Scribendum: *Lupinorum usus promiscuè cum sit & homini & quadrupedum generi ungulas habenti communis, remedium ejus ne metentes fugiat exiliendo, ut ab imbre tollatur.* Quæ certa est emendatio. Scriptum erat in optimo Thuanæo, *Lupinorusus*. Reliqua ex conjectura correximus, atque interpunximus. Cum de leguminibus loquuntur auctores, *siliquas* relativè earum λοβοὺς vocant, sed quum absolutè, ac simpliciter *siliquam* nominant; de pomo arboris ceroniæ intelligunt. Hinc *Græcæ siliquæ*, & *Syriacæ* apud Plinium, quas à communibus distinguit. Quod miror, cum ceroniam arborem, quæ *siliquas* fert, hoc est, τὰ κεράτια, in Syria & Jonia nasci plurimam alibi scripserit. Eadem igitur arbor est, quæ κεράτια gignit in Græcia, & Syria. Columella *Græcam siliquam* κεράτιον vocat. Sed videntur peculiare aliquid habuisse Syriacæ, & Græcæ præter ceteras, & præcipuè in medicina. Immo Plinius videtur censere ceroniam Theophrasti, quæ in Syria, & Jonia proveniebat, diversam esse ab arbore siliqua. Quod alibi pluribus ostendam. Et solens nugatur Plinius. *Siliquæ* absolutè sunt τὰ κεράτια. Atque ita semper vocat Plinius. Lib. XXIII. cap. VIII. *Siliquæ recentes stomacho inutiles alvum solvunt: eædem siccatæ sistunt, stomachoque utiliores fiunt, urinam cient.* Quæ ad verbum è Dioscoride: κεράτια χλωρὰ μὲν λαμβανόμενα κακοστόμαχα τυγχάνει, καὶ κοιλίας λυτικά, ξηρανθέντα δὲ ἵστησι κοιλίαν εὐστομαχώτερα ὄντα καὶ διουρητικά. Non *ceratia* vertidebuit, sed *siliquæ*, ut Plinius. Falsum est, quod annotant Romanos, ut à siliquis leguminum eas distinguerent, nunc *dulces*, nunc *Græcas siliquas* appellare. Immo *siliquas* absolutè vocant. Et cum *Græcas* cognominant, de his intelligunt, quæ in Græcia nascuntur, ut *Syriacas*, quæ in Syria. Nam sequitur apud Plinium: *Syriacas in dolore stomachi ternas in aquæ sextariis decoquunt, quidam ad dimidium, eumque succum bibunt.* Nec illud verius, quod ibidem observant, voce κεράτιον in frugibus, ac leguminibus significari omnes longiores siliquas. Nam solum siliquæ arboris, id est, κερατίας fructum sic vocarunt tam vetustiores, quam recentiores Græci. Quod sequitur apud Dioscoridem doctis medicis negotium exhibet, nec inde sese extricant: μάλιστα δὲ τὰ ἐκ τῶν στεμφύλων συντιθέμενα. Hanc ergo ab illis inibimus gratiam. Non magnæ sanè molitionis erat legendum divinare: μάλιστα δὲ τὰ ἐκτὸς στεμφύλων συντιθέμενα. Dicit τὰ κεράτια διουρητικὰ esse, sed ea maximè, quæ conduntur, componuntur. Ἐκτὸς στεμφύλων, id est, absque suis putaminibus ligneis. Συντίθεσθαι sic alibi usurpat, de grano tinctorio: ὃ περιέχουσιν οἱ κόκκοι ὡς φακοί. Οἱ ἵνες ἐκλεγόμενοι συντίθενται, conduntur, componuntur. Et alio loco τὰ λάχανα συντιθέμενα εἰς ἁλμαίας, olera in muria servata, & condita. Ἐκτὸς idem quod ἔξω, vel ἔξω. At στέμφυλα vocat ligneum corticem τοῦ κερατίου: Sic in uvis pressis τὰ στέμφυλα sunt τὸ ξυλῶδες ἐκπίεσμα. Hesychius notat ἀπυρήνους oleas etiam sic vocari, quæ solo nimirum cortice constarent, nec intus nucleum haberent. Κεράτιον vocatur tota siliqua cum suo semine, vel fructu, quem intus cohibet. Sed & κεράτια etiam propriè dicta grana ipsa, quæ in siliqua sunt. Theophrastus καρπὸν ἔλλοβον vocat ceroniæ fructum, quod in siliqua clusus esset. Plinius ex Theophrasto *pomum in siliqua.* Sic enim potius legendum capite de ceronia siliqua: *trunco & ipsa fertilis, sed pomo in siliqua.* Nam libri habent: *sed pomum siliquæ.* Vulgo edunt: *sed pomo siliquæ.* Sic infrà de spina Ægyptia: *aculeus spinarum, & in foliis, semen in siliquis.* Ibi de ea quoque Theophrastus: ὁ δὲ καρπὸς ἔλλοβος. Verius sit tamen in Plinio legi debere: *trunco & ipsa fertilis, sed pomum siliquat:* ἀλλὰ τὸν καρπὸν ἐλλοβίζει. Sic alibi loquutus est. Ceroniam heic *pomum siliquare* dicit, ut *grana in leguminibus siliquari* capite de leguminibus & frumentis. Nec magna mutatio est *siliquat* pro *siliquæ*. Hoc verum.

A Κεράτια igitur, id est, semina, vel grana siliquæ arboris extra corticem suum, & ligneam siliquam servata & condita urinam magis cient, quam quæ intra lignum suum siccantur. Semen illud amarum esse, eoque cibis damnatum tradit Plinius. Sed in medicina locum habebat. Et amara διουρητικά, ut amygdalæ amaræ, quæ & ipsæ præterea cibis ingratæ. Κεράτιον Græcis propriè semen ipsum siliquæ arboris significare inde sciri potest, quod in ponderibus locum obtinuit. Nam ut κύαμος Αἰγυπτιακὸς inter pondera, & lupinum, & lentis granum, & hordei, frumentive, sic & κεράτιον, id est, semen, vel granum siliquæ arboris, & pendebat sextam partem scripuli. Africanus: τὸ γραμμάριον θέρμους ἔχει τρεῖς, ὁ δὲ θέρμος κεράτια δύο. Sic lupinum duo κεράτια, id est, duo grana siliquæ. Latini κεράτιον *siliquam* verterunt, cum tamen non tota siliqua, sed semen ejus tantum ponderibus adhiberetur. Et falluntur, qui *siliquam* in re nummorum, & ponderum de legumine quodam accipiunt, vel folliculo leguminis. Quorum alterum absurdum, alterum falsum. Myrepsus de ponderibus τὰ κέρατα vocat, & ξυλόκοκκα interpretatur, ut distinguat ἀπὸ τῶν σιτοκόκκων, quæ σιταρόκοκκα appellat, quæ & ipsa in ponderibus censentur. Τὸ γράμμα, inquit, ἔχει κέρατα ἕξ, ἤτοι ξυλόκοκκα. Alii recentiores medici ξυλοκέρατα etiam dixerunt. Inde barbari xylocaracta vocarunt. Constantini viaticum: *In eo fac coqui xylocaracta, quod dulcissimum est.* Lignum vero, quod erat prædulce, & solum mandebatur, appellarunt ξυλόγλυκον, ut ex glossis paulo ante ostendimus. Isidorus: *xyloglycon, quam Latini corruptè siliquam vocant, ideo à Græcis tale nomen accepit, eo quod ligni ejus fructus dulcis.* Nugatur multis modis. *Siliqua* Latinè dicitur, quod fructus in siliqua esset, fructus ipse non dulcis, sed lignum, sive ligneus cortex, qui semen inclusum tegit. Nec veriora sunt, quæ subjicit: *hujus arboris pomo succus expressus acacia Græcis dicitur.* Acacia exprimitur ex semine, vel fructu spinæ Ægyptiæ, qui fructus etiam in siliquis. Quæ res fefellit Isidorum, vel illum, unde accepit. De quo nos alibi. Siliquam porro, vel κεράτιον Græci recentiores χαρούβαν appellant. Charito περὶ ἀποθεραπευμάτων: λαβὼν φύλλα δάφνης κυκίαν α, πέταλα τέσσαρας χαρούβας, id est, *quatuor siliquas.* Antiquus Græciæ medicus dixisset, τέσσαρα κεράτια. Idem *de trochiscis:* καὶ μαστίχην ἀνὰ ἥμισυ νομίσματος, καφορὰν χαρούβας τέσσαρας. Atque ita alibi passim. Quæ vox detorta est ab antiqua Græca κυρήβιον, quæ folliculum significat, vel siliquam. Hinc *carrubam* Galli, Italique hodie vocant arboris siliquæ fructum: Arabes *charnub*, ab illo recentiore Græcismo, χάρουβα inserta littera *n*, ut in multis solent vocibus. Interpres Arabs *charnub* τὰ κεράτια reddidit xv. Lucæ, & siliquæ arboris fructus intelligit. Ut inde etiam constare queat, errare vulgares omnes interpretes, qui κεράτια de siliquis leguminum acceperunt. Quod nullo modo ferri potest. Idem quippe esset, ac si quis lupinum cum pisis confunderet, quia utraque siliquas habent. Nam κεράτιον siliqua tantum arboris ceratiæ, vel ceroniæ, non leguminis. Plinius de ceronia siliqua: *plantigera imis partibus, & ideo superficie flavescens, succum auferente sobole.* Hæc ex Theophrasto: καὶ ὅλως ἐκ τῶν κάτω παραβλαστικόν, ἄνωθεν δὲ ἀποξηραινόμενον. Legendum igitur in Plinio: *ideo superficie flaccescens.* Sic idem lib. xv. cap. XXII de myrto: *patricia multis annis prævaluit, flaccescente plebeja.* Ὑποξηραινομένης τῆς δημοτικῆς. Et paulo post: *quæ postquam evaluit, flaccescente patricia.* Vitruvius: *fronde flaccescente.*

Foliis moro comparanda] Plinius: *arbor moro similis folio, magnitudine, adspectu.* Verba sunt Theophrasti: ἔστι δὲ ἡ μὲν συκάμινος παραπλησία πως τῇ ἐνταῦθα συκαμίνῳ. Καὶ γὰρ τὸ φύλλον ἔχει, καὶ τὸ μέγεθος, καὶ τὴν ὅλην πρόσοψιν. Hinc & *sycaminon* etiam vocat idem arborem illam Ægypti, quod omnia similis esset moro, quam Græci συκάμινον appellant. Quo magis miror *ficum Ægyptiam* à Plinio nominari, cum alia sit arbor, quæ συκῆ Αἰγυπτία Græcis dicitur, ut suprà ostendimus, & Theophrastus, à quo descriptionem hujus arboris mutuatus est, συκάμινον Αἰγυπτίαν semper eam indigetet, id est, morum Ægyptiam, non ficum. Athenæus tamen συκῆν Αἰγυπτίαν vocat, quam alii συκάμινον, id est,

Ee 2 morum

morum Ægyptiam, vel nomine composito ex utraque arbore συκόμορον, quasi *moroficum*. Antiqui Græciæ scriptores συκάμινον appellant morum arborem, & fructum arboris. Rubi fructum μόρον potius vocabant, quæ μόρος βάτινα, & βατώδη. Ovidius:

---- *hærentia mora rubetis.*

Latini producunt syllabam, quam Græci brevem habent. Notat Athenæus Phaniæ Eresio Aristotelis discipulo μόρον appellari τῆς ἀγρίας συκαμίνε fructum. Per ἀγρίαν συκάμινον intelligit rubum. Nam in verbis Phaniæ, quæ subjicit, μόρον βατῶδες appellatur. Sic μόρον Græci tam de arbore, quæ συκάμινος dicitur, quam de rubo, qui βάτος appellatur, dixere. At συκάμινος Αἰγυπτία sui generis arbor est, quam à mori similitudine alii συκάμινον vocitant, alii συκῆν, quod fructum edat ficui similem. Alii rursus composito nomine συκόμορον. Hæc arbor in Pandectis Florentinis *sycaminus* etiam appellatur. At συκάμινος apud Lucam non est sycomorus, vel morus Ægyptia, sed simpliciter morus, quamvis contrarium pertendat Erasmus. Nam συκομορέαν alio capite nominat, diversam utique à moro, sive συκαμίνῳ vulgari. Sic συκάμινον morum est in hoc versu Attici Scurræ:

Συκάμινόν ἐσθ' ὁ Σύλλας ἀλφίτῳ πεπασμένον.
Sylla morum est polenta sparsum.

Perperam Marcellus ad Dioscoridem συκάμινον interpretatur sycomorum, id est, fructum sycamini Ægyptiæ, putatque ignaviam illo versu objectam Syllæ, quia sycomori fructum sic dici Dioscorides tradit, διὰ τὸ ἄπονον γεύσεως. Ineptè. Plutarchus ipse irrisam scribit faciem Syllæ, quæ asperos rubores candori interspersos habebat. Atque inde etiam cognominatum *Syllam* tradit. Ergo συκάμινον, *morum*. Non video tamen, quæ significatio sit ruboris in cognomine Syllæ. Sed nec primus Sylla sic cognominatus. Nam cognomen erat familiæ è Græco ductum, ut alia ferè omnia Latina. Ὕλλος, ὕλλης, *Sulla*. De quo nos alibi. Crudelitatem Syllæ mimico illo trochaïco tactam crediderim potius, quod alba corporis cute, & sub candido vultu cruentum, & sanguinarium animum tegeret. *Cruenta*, & *sanguinea* mora poëtis dicuntur. Ita Neronem quidam ob eamdem crudelitatem πηλὸν αἵματι πεφυραμένον dixit. Polentam, qualem describit Plinius, id est, Græcorum ἄλφιτον cibis suis, & carnibus inspergebant veteres. Videntur & moris inspersisse. Hinc συκάμινον ἀλφίτῳ πεπασμένον eleganter de homine intus sanguineo, & cruento, in cute candido. Profecto non aliunde quàm ex hoc versu didicisse videtur Plutarchus, quali colore fuerit Sylla. Nam τραχὺ illud ἐρύθημα, λευκότητι καταμεμιγμένον, quod in facie Syllæ effloruisse scribit, planè convenit cum moris illitis polenta. Verum aliter ille versus accipiendus erat. Et de cognomine nugæ sunt.

Poma non ramis tantum gestitans, sed caudice] Immo caudice tantum, non ramis pomum gestitat. Sed more suo ab eo auctore, quem exscribit, diversus abit. Plinius: *pomum fert non ramis, sed caudice ipso*. Theophrastus: οὐ γὰρ ἀπὸ τῶν βλαστῶν, οὐδ' ἀπὸ τῶν ἀκρεμόνων, ἀλλ' ἐκ τοῦ στελέχους. Dioscorides: φέρει τὸν καρπὸν οὐκ ἀπὸ τῶν ἀκρεμόνων, ὡς ἐπὶ τῆς συκῆς, ἀπὸ δὲ τοῦ στελέχους. Theophrastus tamen alio loco ait quosdam dicere sycomorum etiam ramis fructum ferre, ut & ceroniam, quæ & ipsa ramis quoque pomum gestitat, πλὴν οὐ πολύ. Sed hoc Solinum minimè purgat, qui Plinium tantum vidit, Plinium ipsum potius culpæ affinem faciat, qui hanc de sycomoro sententiam ex Theophrasto non retulerit. Talis autem & Cypria ficus. *Nam & illa*, inquit idem, *caudice ipso fert pomum, & ramis cum in crassitudinem adolevere*. Quæ sequuntur & Plinii ipsius, & editionum peccata plus una ostendunt: *sed hæc germina emittit sine ullis foliis, radicis similia. Caudex arboris similis populo, folium ulmo.* Libri omnes Pliniani locum hunc sic concipiunt: *sed hæc germina mittit, sine ullis foliis radice, similis populo, folium ulmo.* Ita in optimo Rigaltiano. Nec alii discedunt. Vulgatum concinnarunt correctores ex Theophrasto, cujus mentem nec vigilans, nec in somnis vidit Plinius. Locus adscribendus, quem Latine ad verbum reddere studuit: καὶ γὰρ ἐκείνη φέρει τὸν καρπὸν ἐκ τοῦ στελέχους, καὶ ἐκ τῶν παχυτάτων ἀκρεμόνων. Πλὴν δὲ βλαστὸν τινα ἀφίησι μικρὸν ἄφυλ-

A λον ὥσπερ ῥιζίον πρὸς ᾧ καρπός. Τὸ δὲ στέλεχος μέγα, καὶ παρόμοιον τῇ λεύκῃ, φύλλον δὲ τῇ πτελέᾳ. Verba Plinii ex veteris scripturæ ductu sic reconcinnanda: *sed hæc germen amittit sine ullis foliis ut radicem, similis populo, folium ulmo.* Parva mutatione hæc nobis stetit emendatio. *Hæc germen amittit*, pro *germina mittit*, quod in vetere est. Hæc, inquit, arbor, quæ germen amittit sine ullis foliis, ut radicem, similis populo est, caudice scilicet & magnitudine. Nam folium ulmo simile. Græca hæc, βλαστὸν τινα ἀφίησι, vertit Plinius, *germen amittit*. Nec aliter solet. Sic de laserpicio: ἅμα μὲν οὖν τῷ ἦρι τὸ μάσπετον ἔξω ἀφίησι. Idem hæc ita reddiderat: *folium vere deciduum*. Et paulo in- B frà: *post folia amissa*. Ita sumpsit verbum ἀφίησι. Perperam. Sed & βλαστὸν παρ' ᾧ καρπὸς in Cypria ficu putavit idem esse germen cum ramis, quos fructum etiam gestitare tradit Theophrastus. Nam βλαστὸς Græcis idem quod ramus. Germen autem illud, ex quo fructus dependet, certum est decidere in Cypria ficu: quippe scribit idem Theophrastus πεπαίνει τέσσαρας καρπούς, ὅσα ὑπὲρ αὐτοῦ καὶ αἱ βλαστήσεις. Et ex eo Plinius: *fructus quaternos fundit, toties & germinat*. Ergo toties germen amittit, quoties fructus decerpitur. Nam & novum fructum cum novo gignit germine. Ideo sic C interpretatus est, βλαστὸν ἀφίησι, *germen amittit*. Vidimus, in quo erravit Plinius. Nunc mentem Græci auctoris aperiamus. Scribit sycaminon Ægyptiam caudice tantum, non ramis fructum ferre. Huic quadamtenus similem & Cypriam ficum in Creta: nam & illam ex caudice fructum edere καὶ ἐκ τῶν παχυτάτων ἀκρεμόνων, ex majoribus, & crassioribus ramis, qui caudicis quodammodo vicem obtinent. Hanc tamen differentiam esse notat, quod in Ægyptia sycamino fructus affixus est caudici ipsi, in Cypria ficu germen quoddam è caudice nascitur, parvum & sine foliis, radicis instar, cui fructus adhæret. Πλὴν δὲ βλαστὸν D τινα ἀφίησιν ἄφυλλον ὥσπερ ῥιζίον, πρὸς ᾧ καρπός. Hoc idem germen & crassiores rami emittunt, qui fructum ferunt. Atque hæc sunt germina, quæ cum fructu decidunt, vel decerpuntur, quæque cum ipso rursus exeunt. Hic sensus Theophrasti. Male etiam κοκκύμηλον *sorbum* reddidit. De eadem Cypria ficu: μέγεθος ἡλίκον κοκκύμηλον. Plinius: *magnitudo sorbi*. Atqui κοκκύμηλον prunum est, non sorbum. Et paulo post sic rectè interpretatus est capite *de Persea Ægypti*. Sic enim scribendum, non *Persica*. Verba hæc sunt: *pomum longius pyro, inclusum amygdalæ putamine, & corio* E *colore herbido: sed ubi nux illi, huic pomum differens brevitate & mollitie*. Scribe ex veteri codice: *sed ubi nux illi, huic prunum, differens brevitate & mollitie*. Græca Theophrasti: ἔχει δὲ ἐντὸς κάρυον, ὥσπερ τὸ κοκκύμηλον πλὴν ἔλαττον πολὺ καὶ μαλακώτερον. Cur tam diversè? Sed hæc alibi infrà.

Usque adeo fœcunditatis suæ angusta est, ut uno anno septies fructum sufficiat] Ita correxerunt. Nam libri omnes *angusta*. Pronum est emendare: *usque adeo fœcunditati suæ angusta*, sed non ideo angusta fœcunditati suæ, quod uno anno septies fructum sufficit. Veteres quidam iique optimi heic legunt *sufficit*, non *sufficiat*: nec habent particulam *ut*. Totus hic locus ita con- F stituendus: *poma non ramis tantum gestitans, sed & caudice usque adeo fœcunditati suæ angusta est. Uno anno fructum septies sufficit.* Adeo inquit angusta est fœcunditati suæ, ut rami non satis illi sint ad ferendum fructum, sed etiam caudice gestitet. Nihil verius.

Uno anno fructum septies sufficit] Ex Plinio habere vel hinc palam est. Nam Græci ipsi, unde Plinius accepit, aliter habent. Plinius: *septeno ita numerosa partu per singulas æstates*. Theophrastus loco ipso, ex quo Latina expressa sunt: καὶ γὰρ οἱ μὲν τρεῖς, οἱ δὲ πλεονάκις φασὶ G γίγνεσθαι. Dioscorides: φέρει δὲ καρπὸν τρὶς ἢ τετράκις τοῦ ἔτους. An τρὶς καὶ τετράκις junctim pro *septies* accepit? Jocularis esset hallucinatio. Sed non puto. Et alios sequitur. Nam septies fœtum fundere dicit, si scalpatur unguibus ferreis, fructu sic maturescente: at quater tantum æstate subnasci, si non scalpatur, & priorem immaturum expellere. Quæ distinctio, nec apud Theophrastum legitur, nec apud Dioscoridem.

Materies ejus in aquam missa subsidit] Sic libuit scribere libris jubentibus. *Materies*, τὸ ξύλον. Ita veteribus dici-

dicitur potius, quam *materia*, quum de ligno usurpatur. Plinius hoc loco: *materies proprii generis inter utilissimas. Casa statim stagnis mergitur.* Græca: τὸ ξύλον αὐτῆς εἰς πολλὰ χρήσιμον. Idem de terebintho: *materies ei admodum lenta, ac fidelis ad vetustatem.* Sic legendum. Theophrastus: ξύλον δ' ἔχει γλίσχρον, καὶ τὸ ὅλον ἀνώλεθρον. Et de persea: *materies bonitate, firmitudine, nigricia quoque nihil differens à loto. Simulacra ex ea factitavere. Non eadem gratia, quam fideli materie ex arbore, quam balanum appellavimus, magna ex parte contorta. Navalis itaque tantum est.* Sic legendus ille locus. Nec aliter veteres libri. *Simulacra*, inquit, *ex persea factitabant. Non eadem gratia, quam fideli materie*, ex balano, id est, non tam eadem gratia, quam fideli materie fiebant, & ex balano simulacra. Sed si navalis tantum erat, non ex ea fiebant simulacra, ut dicere videtur velle. Theophrastus de balani arbore: ξύλον δ' ἰσχυρὸν, καὶ εἰς ἄλλα τε χρήσιμον, καὶ εἰς τὰς ναυπηγίας. Sic ad alia utilis, ergo non navibus tantum faciendis. Legebam itaque: *non eadem gratia, æquè fidelis materies, arbori quam balanum appellavimus: navalis itaque tantum est.* Ita melius ipse sibi constabit auctor, sic tamen cum Theophrasto paria non faciet. Sed hæc alibi. Vitruvius: *materies cædenda est à primo autumno.* Et sic alibi, sed vitio librariorum pro *materies* multis locis legitur *materia*. Recentioris Latinitatis auctores hoc discrimen neglexerunt. Glossæ: *materia*, ξυλεία. Hygino *sagittæ materia* pro ligno. Unde & *materiam* pro longa trabe usurparunt, ut notavimus ad Historiam Augustam. Unde *materiamen*, τὸ ξύλωμα. Vulgo dicimus *marrain*.

Pag. 44. F. *Fit humore sicca*] Plinius: *casa statim stagnis mergitur. Hoc est ejus siccari.* Lege: *hoc est ei exsiccari.* Scriptum erat: *hoc est ei essicari.* Sed nihil mutandum. *Hoc est ejus siccari*, sic dictum, ut *scire tuum nihil est*, & *nostrum illud vivere.* Sequitur apud Plinium: *certoque fugit eam alienus humor, qui aliam omnem rigat.* Guillandinus id interpretatur, *ad materiaturam fabrilem aptam reddit.* Cum enim raro ligno sit, & fungoso, humore perfusa lentescit, & tractabilem se præbet. Nihil tam contrarium menti Theophrasti & Plinii, quam hæc est interpretatio & ratio. Lignum hujus fungosum non est, nec rarum, cum in aquam mittitur: nam subsidit, cum in aqua diu desederit, tum arefactum, rarefactumque sustollitur. Theophrastus: βρεχόμενον δ' ἐν τῷ βυθῷ ξηραίνεται, καὶ ὅταν τελέως ξηρὸν γένηται, τότε ἀναφέρεται καὶ ἐπινεῖ, καὶ δοκεῖ πεφρυχθῆναι. Γίνεται γὰρ κοῦφον καὶ μανόν. Non dicit natura κοῦφον esse, καὶ μανόν, sed tale fieri, postquam in aqua diu manserit. Siccatur enim humore alieno, & fugitur. Fungosum porro esse ex his Theophrasti verbis malè redditis accepit: πολύοπον δ' τὸ δένδρον σφόδρα ἐστὶ, καὶ τὸ ξύλον αὐτῆς εἰς πολλὰ χρήσιμον. Ubi vertunt: *rimosa arbor admodum est.* Immo: *multo succo abundat*, πολὺν ὀπὸν ἔχει. Atque ita Plinius accepit, cujus verba sic legenda sunt: *septeno ita numerosa fœtu: multo lacte abundans.* Perperam editur, *multo lacte abundante.* Nec enim fructus, sed arbor ipsa πολύοπος. Quam & propterea ὀπίζεσθαι tradit Dioscorides. Ὀπὸς in ficu *lac* dicebatur propriè.

Palma quoque Ægyptia dicenda res est] E Plinio lib. XII. cap. XXII. Ubi hæc verba: *Myrobalano in unguentis similem, proximumque usum habet palma in Ægypto, quæ vocatur adipsos, viridis, odore mali cottonei, nullo intus ligno.* Multa heîc egent animadversione. *Palmam* vocat fructum arboris, balanum nempe ipsam. Atqui nemo veterum tradidit palmulam in unguentis eumdem usum habere, quem myrobalanus habet. Sed palma Ægyptia, dixerit aliquis, unguentis addebatur: de ea loquitur Plinius. Ne id quidem verum. Et nihil tale apud Dioscoridem, à quo tamen sumpsit Plinius, quæ de palma Ægyptia ibi scribit. Cujus heîc etiam notandus error, quod palmæ genus certum in Ægypto nasci crediderit, quæ vocaretur *adipsos*, quæque unguentis adderetur. Nam omnes in Ægypto palmæ tales, nec earum fructus ullum in unguentis locum habuit. Enimvero si quid ex palma in usum suum converterunt οἱ μυρεψοὶ, cortex fuit palmularum florescere incipientium, non palmula ipsa, vel fructus palmæ. Corticem illum σπάθην Græci & ἐλάτην vocant. Unde ἐλάϊνον μύρον Dioscoridi. Idem & φοινίκινον appellatur in hoc versu Antiphanis apud Athenæum:

A Φοινικίνῳ δὲ τὰς γνάθους καὶ τιτθία
Σισυμβρίνῳ δὲ τὸν ἕτερον βραχίονα.

Cave putes φοινίκινον μύρον dici à fructu palmæ. Idem quippe est quod ἐλάϊνον. Theophrastus in libro de odoribus: ἀπὸ ξύλου δ' ὁ φοίνιξ καλούμενος. Ἐμβάλλουσι γὰρ τὴν ὀνομαζομένην ἐλάτην ξηράναντες· ἀπὸ καρπῶν δὲ τό τε μήλινον, καὶ τὸ μύρτινον, καὶ τὸ δάφνινον. Unguentum palmeum, quod φοίνικα appellat, è ligno fieri tradit, injecta elate quæ dicitur. Hoc est palmulæ cortex, & lignum. Sic legendum apud Theophrastum: ἐμβάλλουσι γὰρ τὴν ὀνομαζομένην ἐλάτην. Vulgo est, πλάτην.
B Turnebus maluit σπάθην. Utrumque idem. Ἐλάτη Græcis etiam φοίνιξ. Dioscorides: φοίνιξ, ἣν ἔνιοι ἐλάτην, ἢ σπάθην καλοῦσι, περικάλυμμά ἐστι τοῦ καρποῦ τῶν φοινίκων ἀκμὴν ἀνθούντων. Χρῶνται δ' αὐτῷ οἱ μυρεψοὶ εἰς τὰς τῶν μύρων στύψεις. Fructus verò ipse etiam ἐλάτη dicebatur. Idem ibidem: καὶ ὁ περιεχόμενος δ' ὑπ' αὐτῆς καρπὸς, ἐλάτη καλεῖται. Sed & φοίνιξ quoque vocabatur. Hesychius: φοίνιξ, ὁ καρπὸς τῶν φοινίκων. Hinc potuerit sibi persuadere τὸν καρπὸν φοίνικος in unguentorum compositionem ingredi, quod prorsus falsum est. Et disertè id negat Dioscorides; sic enim loquitur de fructu ipso: καὶ αὐτὸς στυπτικὸς ὢν τὰ αὐτὰ δρᾷ τῇ σπάθῃ, χωρὶς τῆς ἐν τοῖς μύροις
C εὐχρηστίας. Non igitur palma, sed cortex palmæ ἐν τοῖς μύροις εὔχρηστεῖ. *Corticem de palma* vocat Columella in confectione gleucini. Sic tamen proximum, similemque usum myrobalano in unguentis habere potuerit palma. Nam cortices tantum myrobalani usurparunt unguentarii, ut nucleos medici. Idem Plinius capite superiori de myrobalano: *unguentarii autem tantum cortices premunt: medici nucleos tundentes affusa paulatim aqua.* Theophrastus de myrobalano: τοῦ καρποῦ δὲ τοῖς κελύφεσι χρῶνται οἱ μυρεψοὶ κόπτοντες. Εὐώδες γάρ τι ἔχει. Falluntur, qui Theophrastum corrigere volunt legendo: τῷ καρπῷ δὲ, οὐ τοῖς κελύφεσι. Non malè igitur sub-
D jecerit Plinius sequenti capite, similem proximumque usum habere in unguentis palmam, quæ in Ægypto nascitur. Etenim cortex tantum de palma, ut & de myrobalano sumebatur ad unguenta. Contrarium tamen scribit de glande unguentaria Dioscorides, περὶ βαλάνου μυρεψικῆς. Καρπός ἐστι δένδρου μυρίκῃ ἐοικότος, ὅμοιος τῷ λεγομένῳ ποντικῷ καρύῳ. Οὗ τὸ ἐντὸς θλιβόμενον ὥσπερ τὰ πικρὰ ἀμύγδαλα ἐξίησιν ὑγρὸν, ᾧ εἰς τὰ πολυτελῆ μύρα ἀντ' ἐλαίου χρῶνται. Non bene conjiciunt, qui, ut Dioscoridem cum Theophrasto concilient, legunt: οὐ τὸ ἐκτὸς θλιβόμενον. Non magis certè, quam qui Theophrastum emendant, ut eum ad Dioscori-
E dis sententiam trahant. Quod interius est in glande unguentaria, hoc est, nucleum, tundi, & oleum inde exprimi, ut ex amygdalis amaris, Dioscoridis sententia est. Hinc ἔλαιον βαλάνινον, ut ἀμυγδάλινον, utroque in pretiosissimis unguentis conficiendis utebantur. Sic amaracinum διὰ ὀμφακίνου & βαλανίνου ἐλαίου conficiebatur, & alia multa. At Theophrastus putamen, & corticem balani à myrepsis tundi, ut unguentis adderetur spissandis, vel ad odorem tantum iis conciliandum scribit, quia εὐῶδές τι ἔχει. Sic & cortex de palma, quem σπάθην, & ἐλάτην vocabant. Ceterum non palmæ tantum, quæ in Ægypto nascebatur, ut
F perperam tradit Plinius, sed cujuscunque palmæ elate, ad hoc utilis. Dioscorides post descriptionem palmæ, quæ in Ægypto nascitur, & remedia è palmis Thebaïcis, subjicit de palmæ elate, vel spathe, quam ab unguentariis adhiberi dicit εἰς μύρων στύψεις. Quod de palma tantum Ægyptia ab eo tradi credidit Plinius, cum de qualibet loquatur. Sed nec ipse satis sibi constat. Nam idem eodem libro, capite ultimo, hæc sic posuit: *est præterea arbor ad eadem unguenta pertinens, quam alii elaten vocant, quod nos abietem, alii palmam, alii spathen.* Hæc portenta sunt errorum, quæ nos su-
G perius jam indicavimus. Ad unguenta pertinet σπάθη, vel ἐλάτη, sed cortex est fructus palmæ, vel lignum, non certum genus arboris. Nec palma eadem cum abiete, licet abietem Græci ἐλάτην etiam appellent. Hæc alibi ventilata. Quod heîc volumus, hoc est non Ægyptiæ tantum palmæ elaten ad unguenta facere, vel ipso Plinio teste, qui subjicit: *laudatur Hammoniaca maximè, mox Ægyptia, dein Syriaca, duntaxat in locis sitientibus, odorata, pingui lacrima, quæ in unguenta additur ad domandum oleum.*

oleum. Ergo secundum tantum locum in unguentis Ægyptia palma obtinet. Impropriè & ineptè lacrimam vocat τὸ λιπαρὸν, quod ἐλάτη palmæ intus habet. Dioscorides: ἐστὶ δὲ αὐτῆς κρατίστη ἡ εὐώδης λιπαρὸν ἔχουσα τὸ ἐντός: *quæ interiorem partem pinguem habet.* Sed Plinius ideo *lacrimam* interpretatus est, quia de elate, ut de arbore aliqua tota, loquitur, quæ lacrimam intus haberet. Quo nihil falsius, & absurdius. Nec de meliore genio procusum est, quod sequitur: *quæ in unguenta additur ad domandum oleum.* In Græco liquet fuisse: ἣ τοῖς μύροις μίγνυται εἰς τὴν τοῦ ἐλαίου στύψιν. Dioscorides dixit, εἰς τὰς τῶν μύρων στύψεις. Sed nulla domandi significatio in hac olei στύψει. Spissandi potius est, & in crassitudinem corporandi. Aliud est στύψις δερμάτων, aliud στύψις ἐλαίων. Cum domantur, subiguntur, perficiuntur, ac tinguntur coria, quod alumine & galla fit, στύψις dicitur, & ἐστυμμένα δέρματα. Nam & στύμμα tinctura est, & βάμμα. Inde *alumen* Latinè & *aluta*, quæ Græcis στυπτηρία. Glossæ: στυπτηρία, *alumen*, *aluta*. Inde etiam pellis *aluta*, quæ alumine confecta est, *& inducta.* *Pellem aluminatam* dixit Marcellus. Glossæ: στυπτηριακὸν δέρμα, *aluta*, ἡ ἀλειπτή. Nam *alutum* est ἀλειπτόν: & *alumen*, ἄλειμμα: Æolice, ἄλεμμα. Ut ὄνομα, *nomen.* Græci στυπτὸν δέρμα vocarunt. Apsyrtus de arte Veterinaria cap. CIↃ. XXI. Ἐν λάμνῃ καθαρᾷ λαοσιπερινῇ ἀπὸ βύλλας καὶ ἐνδήσας ἐν δέρματι στυπτῷ, id est, in aluta, *in pelle aluminata*, ut loquitur Marcellus Quæ Græcis στυπτηρία, non simpliciter *alumen*, sed *alumen stipum* dixerunt veteres Latini, hoc est, ἄλειμμα στυφόν. Nam στυφὸς est, qui vim adstringendi habet, vel σκληρός. Inde Latinum *stypus*, & *stipus.* Inde *alumen stipum.* Optimæ glossæ: *alumen stipum*, στυπτηρία σχιστή. Quasi dicas alumen concretum, & durum. Tale quippe est τὸ σχιστόν. Plinius: *concreti aluminis unum genus schiston appellant Græci in capillamenta quædam dehiscens.* Hinc & τριχιστὴν appellabant, quod in capillamenta dehisceret. Galenus in Lexico: Αἰγυπτίαν στυπτηρίαν, ἣν δὴ καὶ σχιστήν, καὶ τριχιστὴν ὀνομάζομεν. Ita legendum. Hoc aluminis genus durum, ac *stipum* dicebatur ad differentiam liquidi. Nam στυφὸς est σκληρός. Hesychius: στυφόν, στερέμνιον, βαρύ. Inde στυφελός. Et Latinum *stipus.* Atque inde compositum *obstipus.* Persius *obstipo capite*, ὁ σκληραύχην. Et *obstipa cervix* Suetonio rigida & σκληρή. Liquido alumine lanæ inficiebantur, coria & pelles conficiebantur, quæ inde *aluminatæ*, & *alutæ* ἀλειπταί. *Confici* porro coria dicuntur, quæ subiguntur, & tinguntur. Nam & dum tinguntur, domari etiam solent, & subigi, ut melius colorem accipiant, & imbibant. Hoc munus est βυρσοδεψῶν, quos Latini *coriarios* vocant. Στύψις δερμάτων ad eos pertinet. Dioscorides de rhu coriariorum: ἐξ οὗ βυρσοδεψικὴ ὠνομάσθη ἐκ τοῦ τοὺς βυρσοδέψας αὐτῇ χρῆσθαι, εἰς τὴν στύψιν τῶν δερμάτων. Malè vertunt, *spissandis coriis.* Vertendum erat: *conficiendis.* Quod proprium est τῆς τῶν μύρων στύψεως, ad coria transferunt, magno errore. Contrario Plinius, sed æquè magno *domari oleum* dixit, quod proprium est τῆς στύψεως τῶν δερμάτων. Idem lib. XIII. cap. VI. *Etiam thus Syriæ mascula fert, sterili fœmina, folio ulmi paulo longiore, & piloso, foliorum semper inter se contrariis pediculis, gracili brevique ramo. Pelles candidæ conficiuntur iis.* De rhu loquitur, quam perperam mutarunt editores in *thus.* Verba illa, *pelles candidæ conficiuntur iis*, expressa ad verbum è Theophrasto, ut & tota descriptio, quæ sic Græcè habet: βάπτουσι δὲ τούτῳ καὶ οἱ σκυτοδέψαι τὰ λευκὰ δέρματα. Quod Theophrasto βάπτειν, Plinio *conficere.* Hinc *confectores* pro tinctoribus, & infectoribus apud Vopiscum in Aureliano: *missis diligentissimis confectoribus.* Et apud veterem Juvenalis interpretem, *toga palmata Tyria purpura confecta, id est, Serrana.* Quod à coriis traductum est, quæ conficiuntur, id est, tinguntur simul & subiguntur. Hinc στύψις δερμάτων, qua colorantur & domantur pelles. Glossæ: *infecti*, ἀνεστυμμένοι. Et στύμμα idem quod βάμμα. Dioscorides: πρὸς στύμματι ἀναλέγουσι, *ad tincturam pannorum colligunt.* Harpocration: κηκὶς στύμμα τι, βάμματός τι γένος. Verbum στύψαι Græcis propriè adstringere significat. Inde τὰ στυπτικά. Hesychius: στύψις, κόλλησις. Sed pro tinctura sumitur, quod pleraque eorum, quibus conficiuntur pelles, aut lanæ inficiuntur, τῇ δυνάμει στυπτικὰ sint, vel quod premendo, ac subigendo color adfricetur, ac veluti alligetur pellibus. Illud verius. Στυπτικὰ omnia ferè sunt, quæ conficiendis præcipuè coriis inserviunt. Ut folia τῆς ῥοῦ, alumen, malicorium, galla, & similia. Verum de his alibi. In genere porro unguentorum, & oleorum, ἡ στύψις solam spissandi significationem habet, non domandi. Et cogitabat Plinius τὴν τῶν δερμάτων στύψιν, cum *ad domandum oleum* in unguenta elatem addi dixit. Nisi potius τύψιν legit pro στύψιν. Sed & fortasse ita audiverit legente anagnoste. Certè haud uno loco in vetustissimo Dioscoridis exemplari τύψιν scriptum reperire est pro στύψιν. Ad verbum τύψις ἐλαίου olei domatio esset. Sive ita legerit, sive aliud cogitaverit, certè erravit. Etenim è liquido crassius fit oleum τῇ στύψει. Contrà vero, coria subigendo, ac domando molliora fiunt è duris. Quod δεψῆσαι Græcis. Unde βυρσοδέψαι & σκυτοδέψαι, qui coria malaxant τῇ στύψει. Et rectè idem unguenti crassitudinem στύψιν vocari scribit lib. XIII. cap. III. *Sed quosdam crassitudo maximè delectat, spissum appellantes: linique jam, non solum perfundi unguentis gaudent.* Pro illis verbis, *spissum appellantes*, legitur in Rigaltiano, *esipsum*: in aliis, *id ipsum.* Omnino rescribendum: *stypsim appellantes*, id est, στύψιν, quæ crassitudinem unguenti significat. *Linique jam, non solum perfundi*, χρίεσθαι, οὐ μόνον ἀλείφεσθαι. Hinc differentia explicanda unguentorum, quæ χρίσματα, & quæ ἀλείμματα appellantur apud Athenæum, quam vir doctissimus ignoravit. Spissiora *linunt*, χρίουσι: liquida *perfundunt*, ἀλείφουσι. Glossæ: *linit*, χρίει. Hinc ἐπίχριστα φάρμακα, quæ illinuntur. Quæ spissando oleo addebantur aromata, στύμματα dicebantur. Plinius lib. XIII capite de unguentis: *ratio faciendi duplex: succus & corpus. Ille olei generibus ferè constat, hoc odorum: hæc stymmata vocant, illa hedysmata.* In hoc loco explicando multum errant eruditi. Quod enim ex Dioscoride eum interpretantur, calculum non bene ponunt, cum alia omnia heîc dicat Plinius. Duabus rebus unguenta dicit fieri, succo & corpore: succum generibus oleorum constare, corpus generibus odorum. *Hæc*, genera nempe odorum, *stymmata* vocari tradit, *illa* olei genera scilicet, *hedysmata.* Non aliter licet illum locum accipere. Sequitur enim: *tertius inter hæc est colos, multis neglectus.* Ergo duo sunt, quibus unguentorum confectio constat, ἡδύσματα & στύμματα: succus, & corpus: oleum & odores. Succus oleum est, quod & ἥδυσμα, condimentum nempe liquidum, quo veluti condiuntur odores: ipsi vero odores corpus sunt, qui in oleum adduntur, ut serventur quasi quadam conditura. Sic in salgamis condiendis, acetum & muria, hoc est, jus, vel succus, condituræ vicem obtinent: res vero ipsæ, quæ eo immittuntur servandæ, corporis instar sunt, ut herbæ omne genus, quæ ad hunc usum reponuntur, pyra etiam, & mala, cucumeres, & alia similia. Ἥδυσμα Græcis est, quod Latinè *condimentum.* Hesychius: ἥδυσμα, ἄρτυμα. De liquidis præcipua sunt oleum & acetum. Pollux: ἡδύσματα, ἔλαιον καὶ ὄξος. Ergo succus olei in unguentis est τὸ ἥδυσμα. Quod & ἔμβαμμα & βάμμα fortasse vocaverunt. Nam ἔμβαμμα est intinctus, oleum nempe, vel acetum. Hesychius: βάμμα, καὶ ἔμβαμμα μύρον ἢ μύρου τι μέρος. Oleum nempe, quod Plinius vocat ἥδυσμα. At odores, sive aromata vocabantur στύμματα, quod in oleum additi corpus facerent, & oleum spissarent. Qui novissimus indebatur, is potentissimus, & unguento ut plurimum dabat nomen. Ita Plinium intellexisse oportet, sive id sequutus sit, quod diximus, sive alios auctores, qui hodie non extant, ut Apollodorum, qui de odoribus scripserat, quem & in indice citat. At enim vero Dioscorides, & qui eum sequuntur, longe aliter opinantur & scribunt. Duas quippe res in unguentis conficiendis constituunt, oleum & odores: odorum alios spissando tantum oleo admisceri, εἰς στύψιν ἐλαίου, & στύμματα appellari: alios ad conciliandam odoris suavitatem, quæ ἡδύσματα. Ἥδυσμα Græcis est, quidquid ad saporem, & gustum suaviorem conciliandum pertinet. Τὸ ἡδὺ ad gustum propriè refertur. Hinc ἥδυσμα τὸ ἄρτυμα, quidquid ἡδύνει τὴν γεῦσιν. Theophrastus de odoribus: μίγνυνται δὲ τὰ μὲν αὐτῆς τῆς ὀσμῆς ἕνεκα, καὶ πρὸς ταύτης τὴν αἴσθησιν· τὰ δ' ὥσπερ ἡδύνειν βουλόμενα τὴν γεῦσιν. Ad gustum suaviorem faciendum, ad condimentum

mentum gustus. Paulo post addit idem odorem veluti condimentum esse potus: ἀλλὰ συμβαίνει τῷ οἴνῳ, καθάπερ ἥδυσμα γίνεσθαι τῷ πόματι τὴν ὀσμήν. Nam & unguenta vinis addebantur, ad condienda ea. Idem: μύρον καὶ τἄλλα εὔοσμα τοὺς οἴνους ἡδύνει. Igitur cum τὸ ἡδὺ propriè res sit ad gustum pertinens, ad odoratum etiam translata est. Inde ἡδεῖς ὀσμαὶ, *suaves odores*. Et ἡδύσματα odores ipsi, qui unguentis addebantur, ut melius olerent. Et ἡδύνειν τὸ ἀρωματίζειν. Galenus in Lexico: ἥδυντην πίσσαν, τὴν ἠρωματισμένην. Ἕψεται δὲ ὕδατι καὶ ἀρώματι. Idem: ἥδυντον στέαρ, ἐν ὕδατι καὶ ἀρώματι ἑψηθὲν τὰ ἀρώματα ἡδύσματα. Hinc ergo ἡδύσματα odores illi, sive ἀρώματα, quæ unguentis indi solebant post alia omnia, ut odorem gratiorem conciperent. Potentiora quæque ad hoc usurpabant: ut infirmiora, & leviora ad στύψιν adhiberi consueverant. Theophrastus: ὑποστύφουσι πᾶν εἰς τὸ δέξασθαι μᾶλλον τὴν ὀσμὴν, ὥσπερ τὰ ἔρια τὴν βαφήν. Ὑποστύφεται δὲ τοῖς ἀσθενεστέροις τῶν ἀρωμάτων. Ἔπειθ' ὕστερον ἐμβάλλουσιν ἀφ' οὗ ἂν βούλωνται τὴν ὀσμὴν λαβεῖν. Ἐπικρατεῖ γὰρ τὸ ἔσχατον ἐμβαλλόμενον, κἂν ἔλαττον ᾖ. Ita de antiquissimis Theophrastus, cui paria facit ubique Dioscorides in unguentorum compositionibus. Sic igitur ille de amaricini confectione: σκευάζεται δὲ διά τε ὀμφακίνου ἐλαίου, καὶ βαλανίνου στυφομένων ξυλοβαλσάμῳ, σχοίνῳ, καλάμῳ, ἡδυσμένων δὲ ἀμαράκῳ, κόστῳ ἀμώμῳ, νάρδῳ, καρποβαλσάμῳ καὶ σμύρνῃ. Idem de cinnamomini unguenti confectione: κινναμώμινον δὲ ἔκ τε ἐλαίου βαλανίνου, καὶ στυμμάτων ξυλοβαλσάμου καλάμου, σχοίνου, ἡδυσμάτων δὲ κινναμώμου βαλσάμου καρποῦ. Et de nardino: ὡς τὸ πολὺ δὲ μίγνυται τῷ βαλανίνῳ ἐλαίῳ ἢ ὀμφακίνῳ, πρὸς μὲν τὴν στύψιν τοῦ ἐλαίου σχοῖνος, πρὸς δὲ τὴν εὐωδίαν, κόστος, ἄμωμον, νάρδον, σμύρνα, βάλσαμον. Hæc quæ πρὸς εὐωδίαν induntur, ἡδύσματα sunt, illa, quæ πρὸς στύψιν, στύμματα. Nam ut gratum saporem cibis conciliant τὰ ἡδύσματα: ita unguentis jucundum odorem, quæ sic dicuntur. In hoc componendorum unguentorum genere, quæ ad stypsim olei faciendam adjiciebantur, simul etiam cum oleo decoqui moris erat, quod oleum ἐστυμμένον dicebatur, & hæc aromata στύμματα. Quæ vero ad odorem faciendum addebantur, aspergi tantum solebant, & immergi, ut in oleo maderent. Atque hæc ἡδύσματα vocabantur. Ἀποβρέχειν, & ἐμβρέχειν de his dicit Dioscorides, apud quem omnes ferè τῶν μύρων σκευασίαι hoc modo parantur. Pretiosissima porro fuere, ac potentissima ἀρώματα, quæ in vicem ἡδυσμάτων adjiciebant, & adspergebant. Plinius: *quidam satis habent quæ sunt pretiosissima, ceteris decoctis, impendio parcentes: sed non eadem est vis, nisi una decoctis.* Adnotant de mendesio tantum id Dioscoridi tradi, cum certum sit omnium unguentorum compositiones apud eum sic fieri. Etenim aromata illa, quæ ἡδυσμάτων vicem obtinent, quæque unguento cognomen dant, semper adjiciuntur oleo jam decocto, tum per aliquot dies sic sinuntur, deinde omnia simul exprimuntur, ac reponuntur. Ita iris in irino, rosæ in rhodino, abrotonon in abrotonino, amaracus in amaracino asperguntur, & ἐναποβρέχονται olei sui generibus, quæ & ipsa variis aromatis spissata, ac decocta sunt. Unicum exemplum afferam, quod sufficiat. In telini compositione τῆλις, id est, fœnum græcum præcipua res est. Sic illud componi Dioscorides testatur. Quinque libras fœni græci sumi, olei libras novem, calami odorati libram unam, cyperi duo. Hæc omnia, inquit, ἀπόβρεχε τῷ ἐλαίῳ ἐπὶ ἡμέρας ζ, κινῶν ἑκάστης ἡμέρας τρίς. Εἶτα ἔξιπε, καὶ ἀπότιθεσο. Nulla heic fit decoctio. Species ceteræ cum fœno græco ἡδυσμάτων tantum locum obtinent, quæ in oleum missæ, & immersæ post aliquot dies exprimuntur. Oleum ipsum simplicis succi, nullis aliis odoribus ἐστυμμένον & spissatum. Sequitur apud Dioscoridem: οἱ δὲ ἀντὶ μὲν καλάμου καρδάμωμον, ἀντὶ δὲ τῆς κυπείρου ξυλοβάλσαμον συναποβρέχουσιν. Οἱ δὲ προστύφουσι τὸ ἔλαιον τούτοις, καὶ μετὰ ταῦτα τὴν τῆλιν ἀποβρέχοντες ἐξιποῦσι. Vides aliud esse στύφειν, aliud ἀποβρέχειν. Quidam, inquit, in telini compositione xylobalsamum & cyperum συναποβρέχουσι, alii his aromatis oleum προστύφουσιν, alii hæc aromata στυμμάτων loco insumunt, & alii unà cum oleo coquunt, alii tanquam ἡδύσματα adjiciunt, καὶ συναποβρέχουσιν unà cum fœno græco, quod utique etiam ἀποβρέχεται solum, cum illa alia ad stypsim olei transferuntur. Atque ita de cete-

A ris. At in mendesii unguenti mixtura aliud est. Componi illud ait Dioscorides ἐκ τοῦ βαλανίνου ἐλαίου, καὶ σμύρνης, καὶ κασσίας, καὶ ῥητίνης, his omnibus simul decoctis, ut apparet. Deinde, inquit, μετὰ τὸν καταστα θμισμὸν, post specierum singularum adjectionem, parum cinnamomi adjiciunt, inutiliter. Οὐκ ἐκδίδωσι γὰρ τὰ μὴ συνεψημένα τὴν δύναμιν. Non dicit ideo nihil prodesse cinnamomi adjectionem, quod virtutem non communicent nisi simul decocta, nec enim ἡδύσματα in aliis unguentis decoqui apud eum solent, sed ἀποβρεχθῆναι tantum, & aspergi. Verum ideo scribit ἀνωφελῶς adjici, quia μικρόν τι adderetur, nec respondens τῷ
B ταστα θμισμῷ aliorum aromatum, quæ decocta fuerant. Nam ἡδύσματα, quæ aspergebantur, eadem fere mensura & pondere adjici solebant, ἴσα τῷ σταθμῷ, aut etiam majore. Quæ sic injecta miscebantur cum stymmatis, & simul exprimebantur. Verior igitur lectio est, οὐκ ἐκδίδωσι τὰ μὴ συνεψηγμένα τὴν δύναμιν: *vim suam exerere non possunt, quæ non simul contrita fuerint, & commixta.* Et falso legunt, συνεψημένα. Nam μικρόν τι κιννάμωμον misceri, ac συνεψηχθῆναι non poterat, cum reliquo odorum corpore, qui non parvo pondere decocti simul fuerant. Præterea quod in primis notandum est, jam confecto unguento super adjicitur illud μικρὸν κιν-
C ναμώμου, nec miscetur & exprimitur cum reliquis odoribus decoctis, ut solent ἡδύσματα cum στύμμασιν. Ideo dicit προσεμβάλλουσιν, & μετὰ τὸν καταστα θμισμὸν, postquam omnia suis ponderibus immissa, & immixta fuerint. Verius tamen est legendum esse, μετὰ τὸν κατασακκισμόν. Quod imperiti mutarunt. Ultimum est in unguentorum compositione ἡ ἔξίπωσις, vel per saccum expressio. Nam στύμματα, id est, odores in oleo decocti cum aliis odoribus, qui ἡδύσματος χάριν aspergebantur, invicem misceri, & moveri solebant, deinde per saccum exprimi, & sic reponi. Σακκίζειν & κατασακκίζειν est saccare,
D vel sacco exprimere. Post hæc omnia qui κιννάμωμον superinjiciebant τῷ μενδησίῳ, frustrà agebant. Nec enim odores vim suam exerunt μὴ συνεψηγμένοι, nisi unà infriati, & mixti. Utrumvis horum sententiam facit, qualem Dioscoridis mens postulat. Sed minimè ambigendum putem, quin ille scripserit, μετὰ τὸν κατασταμνισμὸν, pro eo quod habent vulgati, καταστα θμισμὸν. Verbum est mediæ comœdiæ κατασταμνίζειν, quod significat *vinum diffundere*, ut Latini veteres loquebantur. Pollux lib. VII. cap. I. Σταμνία, στάμνοι, σταμίσκοι, ὅθεν εἴρηται ἐν τῇ μέσῃ κωμῳδίᾳ κατασταμνίζειν τὸν οἶνον, τὸ κατεράν. Ibi ridiculè docti interpretes vertunt, *vinum ap-*
E *petere.* Κατασταμνίζειν τὸν οἶνον nihil aliud est quam vinum στάμνοις, id est, vasis infundere ad asservandum, quod Latini *diffundere* dicebant. Plinius lib. XIV. cap. XIV. *Apotheces fuisse, & diffundi solita vina anno* DCXXXIII *Urbis apparet indubitato Opimiani vini argumento, jam intelligente suum bonum Italia.* Ubi veteres libri habent *in consulatu*, pro *indubitato*. Ego indubitatè legerim: *& diffundi solita vina anno* DCXXXIII *Urbis apparet, in consulatu Opimii, Opimiani vini argumento.* Sollemnis mos est librariorum, ubicunque duæ voces similes de proximo incurrunt, in unum coalitas confundere. Scriptum erat antiquitus, *in consulatu Opimi, Opimiani vi-*
F *ni argumento.* Inde illud *Opimi* absorptum est sequentis vocabuli vicinitate, ac similitudine. Opimiani vini argumento vina diffundi solita apparet anno Urbis sexcentesimo trigesimo tertio, in consulatu Opimii. Et rectè ita heîc editum est. Nam hoc anno Urbis Consul fuit Opimius. Minus rectè capite quarto ejusdem libri consulatum Opimii in annum Urbis confert DCXXIV. Corrigendum igitur ad hoc exemplum. Sed locum ipsum afferam, ut etiam in aliis vitiosum emendem: *In reliquis claritas generi non fuit alicui. Anno fuit omnium generum bonitas, L. Opimio consule cum G. Gracchus Tribunus plebem seditionibus agitans interemptus, ea cœli tem-*
G *peries fulsit, quam cocturam vocant, solis opere, natali Urbis* DCXXIV. Hæc pessimè interpuncta & corrupta. Scribo: *In reliquis claritas generi non fuit alicui uno. Fuit omnium generum bonitati L. Opimio Consule, cum C. Gracchus Tribunus plebem seditionibus agitans interemptus. Ea cœli temperies fulsit, cocturam vocant solis opere, natali Urbis* DCXXXIII. Libri habent *bonitatis*. Postquam aliquot genera clarissima recensuit, addit in reliquis non fuisse

fuisse claritatem generi alicui uno: sed fuisse bonitati omnium generum L. Opimio consule. *Vno* pro *uni*, ἀρχαϊκῶς. Verius tamen legi debere, & minima mutatione, sola ut puta interpunctione mutata ad hunc modum: *In reliquis claritas generi non fuit alicui, anno fuit omnium generum bonitatis L. Opimio Consule, cum C. Gracchus Tribunus plebem seditionibus agitans interemptus, ea temperies fulsit.* Quæ verissima distinctio, & lectio. Anno fuit claritas bonitatis omnium generum. Martialis:

--- *Quaque annus coxit Opimi.*

Eam decocturam intelligit. Diffusa igitur vina in amphoras, & cados κατασαμνισμένα intellige, quæ sunt in vasis scilicet, in quibus vina servantur. Proculus J. C. vina diffusa opponit iis, quæ in doliis sunt, D. *de tritico, vino, & oleo legatis.* Pollux κατασαμνίζειν interpretatur κατερᾶν, quod est diffundere, ut ἀπερᾶν & ἐξερᾶν effundere. Strabo lib. XVII de cicure crocodilo: προσιόντες δὲ οἱ ἱερεῖς, οἱ μὲν διέστησαν αὐτοῦ τὸ στόμα, ὁ δὲ ἐνέθηκε τὸ πέμμα, καὶ πάλιν τὸ κρέας. Εἶτα τὸ μελίκρατον κατήρασε, id est, *deinde mulsum in os infudit.* Perperam vir magnus κατερᾶν ibi exponit *solo illidere.* Immo est infundere. Ut κατασαμνίζειν τὸν οἶνον, & κατερᾶν est vasis infundere. Epitomes auctor κατερᾶν exponit καταπιεῖν. Et sane qui in os vinum, vel in ventrem, veluti in vas, fundit, etiam κατερᾶν dicitur. Viri doctissimi *diffusum* vinum, & *defusum* distinguunt, ut *defundere vinum* intelligamus de dolio in craterem, aut de cratere in pateram fundere. Ut apud Ciceronem lib. II de Finibus, *quibus vinum defusum sit è pleno œnophoro.* At *diffusum vinum* illud accipiunt, quod in apothecas, & amphoras fusum est ad asservandum. Rationem differentiæ nullus intelligo. Nam quod in cados, & amphoras funditur, ut servetur, de dolio utique etiam funditur. Vinum in doliis non servabatur, sed è doliis in amphoras, cados, & urceos transfundebatur. Hoc etiam erat *defundere.* Cui respondet Græcum κατερᾶν, & κατασαμνίζειν. *Diffundere* vero aliud est, idem nempe quod Græcè διαχέειν. Sic apud poëtam:

---- *dederatque comam diffundere ventis.*

Et *diffusa res*, latè fusa & sparsa. Quæ verbi significatio nullo modo convenit vino, quod ex majore aliquo vase in minus funditur. Eadem quippe differentia inter *diffundere*, & *defundere*; ut inter *digredi*, & *degredi*, & similia. Ut enim *degredi* est καταβαίνειν, sic *defundere* καταχέειν & κατερᾶν. Putem igitur vinum, quod appellatur *diffusum*, potius dicendum *defusum.* Et certè non *diffundere vinum*, sed *difundere* apud Plinium in optimis exemplaribus legitur pro *defusum.* Absolutè *defusum* vinum vocabant, quod è doliis in cados, & urceos ad servandum fundebatur. E cadis, & urceis etiam defundi in crateras dicebatur, & ex œnophoro defundi. Nec ulla, ut dixi, differentiæ ratio est. Nam verbum *defundere* est κατερᾶν. Possumus tamen eam adstruere differentiam, si *diffusum* vinum dicimus, quod ex doliis in plura minora vasa ad servandum fusum est, ut in urceos & cados. Hæc enim proprietas verbi *diffundi*, nempe in plures partes fundi. At *defusum* proprie intelligitur, quod in pateram funditur ex majore aliquo vasculo ad bibendum. De quo infra. Ut igitur οἶνον κατασαμνίζειν dicebant, quod vasis infunditur, ut ibi servetur, & condatur: sic unguenta quoque κατασαμνίζειν, ea vasis reponere est, ac diffundere, ut serventur. Quod fiebat postquam decocta essent, & expressa. Frustra igitur illi, qui μετὰ τὸν κατασαμνισμὸν unguento paululum quid cinnamomi superinjiciebant, postquam scilicet jam diffusum erat, & in vasis repositum. Aut enim simul decoquebantur odores, aut simul interebantur & exprimebantur, ut vim aliquam unguento contribuere possent. Οὐκ ἐνδίδωσι γὰρ τὰ μὴ συνεψηγμένα τὴν δύναμιν. Atque hæc vera est scriptura, non συνεψημένα. Ubi non decoquuntur aromata, sed tantum asperguntur, debent tamen unà misceri, & exprimi, non insuper addi unguentis jam diffusis, ac repositis. Ceterum in hoc faciendi modo pretiosissima quæque adspergi solita dicunt Theophrastus & Plinius, ceteris decoctis. Pretiosissima illa juxta Dioscoridem ἡδύσματα dicebantur, quæ aspergi moris erat, id est, ἐπιβρέχεσθαι: cetera quæ decoquebantur, στύμματα, quæ & ipsa minus erant pretiosa, & minus odorata, ut calamus odoratus, juncus, aspalathus, & similia, quæ ad stypsim olei decoquebantur. In alio vero genere, cum omnia simul decoquerentur, nulla erant ἡδύσματα, sed omnia σύμματα. Vetustior hæc ratio, & majoris impendii. *Corpus odorum* vocat Plinius omnes odores simul decoctos, qui unum corpus & στύψιν faciebant. *Succum* vero ipsum olei genera, in quibus odores decoqui soliti. Hunc succum ἥδυσμα vocari scribit, id est, condimentum, cum Dioscorides ἡδύσματα appellet ea odoramenta, quæ adjiciebantur odoris faciendi gratia. Uterque suam habet rationem. Ἡδύσματα Græcis sunt condimenta, & quidquid gustum ἡδύνει. Eorum alia liquida, alia sicca: ex liquidis oleum, acetum, mel, defrutum, passum, quibus cibi intinguntur. E siccis multa, ut semina ἡδυντικὰ varia, & aromatica, quæ cibis asperguntur. Idem est & in unguentis. Plinio ἡδύσματα sunt olei genera varia, quibus odores condiuntur & servantur, quibus odorum corpus intingitur. Dioscoridi ἡδύσματα vocantur odores illi, qui tanquam condimenta ad voluptatem naribus conciliandam oleo, sive simplici, sive spissato aliis odoribus aspergi solent. At in compositione unguentorum Pliniana nulla talia sunt ἡδύσματα, sed omnia σύμματα sunt, & corpus odorum constituunt. Notandum quod idem ait, *rationem faciendi duplicem, succum & corpus.* Non hæc ratio faciendi duplex, sed una, quæ duabus rebus constat, & succo, id est, olei generibus, & corpore odorum. Sed fortasse ideo duplicem faciendi rationem dixit, quia singuli succi etiam unguenta sæpe faciunt. Infrà eodem capite: *singuli quoque succi nobilia unguenta faciunt, in primis malabathrum, postea iris Illyrica, & Cyzicena amaracus herbarii in utraque pauca, sed alia alii miscent.* Perperam corrigunt: *singula quoque cum succo.* Malabathrum succus est, id est, oleum, quod ex malabathro exprimitur. Sic *succum balsami* alibi dixit oleum balsaminum. Sic irinum oleum succus est, & amaracinum, quæ singula unguentum faciunt. Sed illud eo loco corruptissimum: *herbarii in utraque pauca sed alia aliis miscent.* Quasi ad herbarios pertineat hæc mixtura unguentorum. Libri habent, *herbarum*, & pro *sed*, *his &*. Non magni moliminis est inde facere: *postea iris Illyrica, & Cyzicena amaracus, herbarum utraque: pauca his & alia alii miscent.* Herbæ sunt iris & amaracus, quarum succus, id est, oleum per se unguentum facit, quibus pauca & alia alii miscent. Cum multifariam erret Plinius, in erroribus suis sibi non constat, sed aliter atque aliter in eadem re hallucinatur. Dixerat lib. XII palmæ Ægyptiæ fructum *myrobalano similem, & proximum usum in unguentis habere.* Eodem libro in alio capite scripsit, palmam elaten ad domandum oleum unguentis adhiberi. Rem eamdem non similiter expressit, & multipliciter erravit. At idem lib. XXIII. cap. V ita scribit: *palma, quæ fert myrobalanum, probatissima in Ægypto, ossa non reliquarum modo in balanis.* Quam diversa hæc ab his, quæ alibi tradidit de balano palmæ Ægyptiæ, quæ myrobalano similem usum in unguentis habebat? Heîc enim dicit palmam illam myrobalanum ipsam ferre. Quod est falsissimum. Alia est quippe balanus arbor, quæ myrobalanum fert, alia palma Ægyptia, quæ & ipsa balanum quidem habet pro fructu, sed nusquam dictum myrobalanum. Nam *myrobalanus* dicta est illa glans, quod unguentis adderetur, ex qua etiam oleum fiebat, quo pretiosissima quæque unguenta conficiebant. Βαλάνινον ἔλαιον Græcis. At palmæ balanum unguentis additum nusquam legimus. Cortex tantum palmæ, quem σπάθην, & ἐλάτην vocabant, hunc usum habebat. Frustra sunt, qui locum corrigunt. Nam & in indice mantuscripto sic concipitur titulus: *de palma myrobalano, de palma elate.* Hæc ipsa est elate, non balanus palmæ, quæ unguentis ad spissandum oleum adjiciebatur. *Palmam elaten* eam ibi vocat, quasi genus quoddam palmæ sic vocaretur, ut *palmam myrobalanum*, quæ myrobalanum

balanum ferret. Atqui palma non est, quæ myrobalanum fert, nec fructus palmæ myrobalanus unquam dictus: nam nec unquam εἰς μύρων σύψιν additus. De palma Ægyptia eum loqui illo capite palam est, quod enim ossa non habere eam scribit, reliquarum modo in balanis, hoc idem prodidit de palma, quæ in Ægypto nascitur lib. XII. Præterea remedia conveniunt. Nam palmam Ægyptiam dicit *alvum, & menses sistere in vino austero, & vulnera conglutinare.* Hoc idem scribit Dioscorides de balano viridi, & immaturo palmæ Ægyptiæ: πινόμενος σὺν οἴνῳ αὐστηρῷ πρὸς διαῤῥοίαν, καὶ ῥοῦν γυναικεῖον, καὶ τραύματα κολλᾷ. Quæ iisdem verbis reddidit Plinius. Et notandus heic alius error Plinii in Græcis vertendis. Dicit *palmam Ægyptiam, quæ myrobalanum fert, alvum sistere, & menses in vino austero.* Ergo de palma arbore loquitur, non de fructu. Atqui de fructu Græcus auctor intellexit: φοῖνιξ ἐν Αἰγύπτῳ γίνεται. Τρυγᾶται δὲ μεσοπωρινῆς τῆς κατὰ τὴν ὀπώραν ἀκμῆς, παρεμφέρων τῇ Ἀραβικῇ μυροβαλάνῳ, χλωρὸς τὸ χρῶμα, ἐμφερὴς τῷ κυδωνίῳ κατὰ τὴν ὀσμήν. Apud Græcos φοῖνιξ & arborem ipsam significat, & fructum arboris. Heic apud Dioscoridem φοῖνιξ est fructus. Male pro arbore accepit Plinius. Φοίνικα illum παρεμφερῆ esse scribit Græcus Arabicæ myrobalano. Palmam illam myrobalanum ferre tradit Plinius. Quæ prodigii instar sunt. Theophrastus balanum unguentarium ait fructum ferre, τῷ μεγέθει καὶ τῇ ὄψει παραπλήσιον τῷ τῆς καππάρεως. Ergo colore viridis illa glans, ut capparis fructus. Dioscorides ait capparim habere fructum οἷον ἐλαίας, ὃς ἀνοιχθεὶς λευκὸν προΐεται ἄνθος, οὗ πεσόντος εὑρίσκεται τι οἷον βάλανος ἐπιμήκης. Certè similitudinem tantum coloris in palmula Ægyptia, & in myrobalano Arabica comparat Dioscorides, nam palmula Ægyptia cum immatura, & viridis colligitur, utcunque tunc similis est Arabicæ myrobalano, quæ viridis est. Plinius de myrobalano. *Ægyptiam pinguiorem esse, & crassiori cortice rubentem: è diverso Arabicam viridem, ac tenuiorem.* Quod ad magnitudinem attinet, instar avellanæ nucis esse scribit idem Plinius, Dioscorides ὅμοιον τῷ ποντικῷ καρύῳ. Eleganter porro Dioscorides palmulam dicit τρυγᾶσθαι μεσοπωρινῆς κατὰ τὴν ὀπώραν ἀκμῆς, id est, *medio tempore autumnitatis suæ.* Plinius vertit: *paulo ante quam incipiat maturescere.* Falluntur, qui legunt, μεσοπωρινῆς à voce ὀπώρα. Errant & qui balanon unguentariam, & palmam Ægyptiam congeneres esse plantas tradunt, nataliumque tantum, non generis inter eas differentiam intercedere. Quod est falsissimum. Quod utraque ferant glandem, non inde sequitur cognatione aliqua generis inter se jungi has arbores. Alias diceretur omnes βαλανοφόρους plantas esse congeneres. Glandis unguentariæ arbores nihil habent cum palma simile, ne balanum quidem. Arbor ipsa in totum differt. Folia balani myricæ similia tradit Dioscorides: τῷ τῆς μυρσίνης Theophrastus: heliotropio Plinius. At quam solam inter eas plantas constituunt natalium differentiam, nulla est. In Ægypto nascitur palma; ibi & balani μυρεψικῆς arbos. Judæa palmas habet, & myrobalanos. Idem de Æthiopia & Arabia dici potest, quibus in locis utraque planta nascitur. Plinius lib. XII descriptioni myrobalani subjunxit historiam palmulæ Ægyptiæ, non propter ullam generis affinitatem, sed propter similem utriusque usum in unguentis, quo magis miror eumdem sui prorsus oblitum scripsisse lib. XXIII palmam, quæ myrobalanum fert, in Ægypto probatissimam esse. Nam nec palmarum generis est arbor ea, quæ fert myrobalanum, nec balanus palmarum unguentis unquam inserviit. Profecto lib. XIII capite de palmis, ubi diligentissimè omnia genera palmarum exsequitur, nusquam hujus palmæ meminit, quæ ferat myrobalanum. Balani arbor in Ægypto nascitur, æquè & palma. Utriusque fructus βάλανος dicebatur: utraque fructus sui corticem unguentis olim contulit. Hæc transversum, & immemorem illo loco Plinium rapuere, ut scriberet palmam myrobalanum ferre. Immo videtur etiam verbis Dioscoridis ad hoc inductus. Φοίνικα apud Dioscoridem pro arbore palma accepit, cum sit fructus. Legitur in Græcis: φοῖνιξ παρεμφέρων Ἀραβικῇ μυροβαλάνῳ. Μυροβάλανος est fructus arboris Arabicæ. Hinc ille sic interpretatus est, quasi φοῖνιξ, id

A est, palma arbor, quæ in Ægypto nascitur, ferret myrobalanum. Et legisse videtur παρεμφέρων τὴν Ἀραβικὴν βάλανον. Ita sanè intellexit. Atqui παρεμφέρειν apud Dioscoridem idem est quod Latinum, *referre? Palmula Ægyptia Arabicam myrobalanum refert,* παρεμφέρει τὴν Ἀραβικὴν μυροβάλανον, vel τῇ Ἀραβικῇ μυροβαλάνῳ. Hinc παρεμφέρων, & παρεμφερὴς passim illi scriptori ὅμοιος & ὁμοία. Idem tamen Plinius lib. XII hunc eumdem locum ita expresserat, ut similem, proximumque usum myrobalano palmulam Ægyptiam habere interpretaretur. Nec dubium est, quin eadem verba Græci scri-

B ptoris duobus in locis diverse reddiderit, & utrobique perperam. De myrobalano idem sic tradit lib. XII. *Myrobalanum Troglodytis, & Thebaïdi, & Arabiæ, quæ Judæam ab Ægypto disterminat, commune est, nascens unguento, ut ipso nomine apparet.* Apud Dioscoridem ita legitur: γεννᾶται δὲ ἐν Αἰθιοπίᾳ, καὶ Αἰγύπτῳ, καὶ Ἀραβίᾳ, καὶ ἐν τῇ κατὰ τὴν Ἰουδαίαν Πέτρᾳ. Distinguit auctor Græcus myrobalanum, quæ nascitur in Arabia, ab ea quæ ex Petra κατὰ Ἰουδαίαν venit. Plinius Arabiam Petræam intelligit, quæ Judæam ab Ægypto disterminat. Nam ab occidente Ægypto terminatur, à septentrione Ju-

C dæa. An legit apud Dioscoridem καὶ Ἀραβίᾳ τῇ κατὰ Ἰουδαίαν Πετραίᾳ? Nisi sic legit, sic intellexit. Nam & paulo post myrobalanum, quæ in Arabia nascitur, Syriacam appellari dicit, ob confinia scilicet Syriæ, & Arabiæ. Sed specta inconstantiam. Sub finem capitis Arabicam myrobalanum à Petræa facit diversam. Nam post descriptionem Arabicæ subjungit: *longe autem optimam Petræam ex quo diximus oppido, nigro cortice, nucleo candido.* Atqui toto illo capite nullibi meminit oppidi Petræ, nec Petrææ myrobalani, nisi hoc loco. Disertè quoque Dioscorides Petræam ab Arabica distinguit, & Petram in Judæa collocat. Stephanus: Πέτρα πόλις νῦν

D τῆς τρίτης Παλαιστίνης. Τὸ ἐθνικὸν Πετραῖος. Tertia Palæstina est Judæa. Ptolemæus: Παλαιστίνης Συρίας, ἥτις καὶ Ἰουδαία καλεῖται, θέσις. Plinius lib. V de Judæa: *pars ejus Syriæ juncta Galilæa vocatur: Arabiæ vero, & Ægypto proxima Petræa asperis dispersa montibus.* Ita scribendum eo loco. Nam vulgo male est *Peræa.* Quod male etiam defendunt. Petræam illam partem Judææ dictam intelligit ab asperis saxis, quibus montuosa est. Hoc sensu & Πετρώδης Arabia Servio appellatur à petris, vel saxis. At Petra oppidum, & emporium Nabatæorum Arabum, à quo Petræa Arabia cognominata, quæ Judææ

E contermina est. Strabo, Plinius, Arrianus in periplu maris rubri. Plinius: *sed in Arabia quoque parte, quæ finitima Syriæ Petræa vocatur.* Strabo: πλησίον δὲ αὐτῆς ἀκρωτήριον, ὃ διατείνει πρὸς τὴν Πέτραν τὴν τῶν Ναβαταίων Ἀράβων, καὶ τὴν Παλαιστίνην χώραν. De promontorio loquitur sinus Arabici, quod est inter Heroum oppidum, & Elanam. Immo & Judæos usque ad Elanam tenuisse, quæ ἐν τῷ μυχῷ sinus Arabici sita est, tradit Josephus lib. VIII τῆς ἀρχαιολογίας, οὐ πόῤῥω Αἰλάνης πόλεως ἡ χώρα τὸ πρὶν Ἰουδαίων ἦν. Male scribitur Ἐλανῆς. Legendum Αἰλάνης, aut Ἐλάνης. Procopius, ut alibi dicam, Αἰλὰν vocat: Αἰλᾶ πόλεως, ἔνθα Ἑβραῖοι αὐτόνομοι τὸ παλαιὸν ᾤκηντο. Martianus Heracleota: ἡ

F Πετραία Ἀραβία τῇ λεγομένῃ Ἰουδαίᾳ συνάπτει. Tres Syriæ apud veteres, Συρία Κοίλη, Συρία Φοινίκη, & Συρία Παλαιστίνη. Ita indigetantur in Tabula provinciarum manuscripta, quæ penes me est. In recentioribus Notitiis Græcorum sic nominantur: Ἐπαρχία Φοινίκης παραλίας, ἐπαρχία Φοινίκης Λιβανισίας, ἐπαρχία τρίτης Παλαιστίνης. *Phœnice maritima* est, quæ olim Συρία Φοινίκη. *Phœnice Libanensis*, quæ Συρία Κοίλη. Tertia Palæstina, quæ Συρία Παλαιστίνη. Eadem & Judæa. Recentes Notitiæ provinciarum Ecclesiasticarum metropolim faciunt tertiæ Palæstinæ Petram illam, oppidum, de quo

G sermo est. Τρίτης Παλαιστίνης Πέτρα μητρόπολις, Αὐγουστόπολις, Ἀρίνδηλα, Χαράχμωβα, Μάψις, Ἔλουσα. Ut non mirum sit partem Judææ *Petræam* Plinio dici. Ubi nugas agunt, qui *Peræam* defendunt, & Judæam, quæ trans Jordanem est, accipiunt. Nec enim Ægypto vicina possit esse hæc Judæa, quum Plinius sic dictam autumet, quæ Arabiæ, & Ægypto proxima est. Præterea nomen ambiguum est Περαία. Quippe Judæa cis Jordanem Peræa est illis Judæis, qui trans Jordanem colunt, & contrà. Sic Galilæa apud Matthæum πέραν

τῆς

τῆς θαλάσσης ponitur, trans mare mortuum, quum cis
A mare sit sita. Sed *Petræam* à saxis appellatam, & montibus putat, quæ ab illo Arabiæ oppido Petra dicta est. Eodem prorsus modo Ἀραβίαν Πετρώδη Servius appellat pro Petræa, quasi à petris, & saxis, quibus aspera est, nomen invenisset. *Arabiæ*, inquit, *sunt tres: Interior, Petrodes, Eudæmon.* Per Πετρώδη intelligit Πετραίαν, à Petra oppido sic appellatam, non à petris & montibus. Hoc oppidum alii Arabiæ, alii Judææ tribuerunt, ut alia multa. Hinc alii partem Judææ Petræam, alii Arabiæ sic cognominaverunt. Plinius, qui sciret Petram esse Arabum, & qui ita scripserat, no-
B luit heîc Dioscoridem sequi, ubi myrobalanum nascens ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, καὶ ἐν τῇ κατὰ Ἰουδαίαν Πέτρᾳ separavit. Nam in Arabia Petræa nasci dixit, & utrumque sic complexus est. Sub finem tamen capitis, quod mireris, utrumque discrevit. Idem & propterea Judææ partem *Petræam* cognominatam à Petra, quæ Nabatæorum urbs fuit, noluit videri dictam, sed quod asperis montibus esset dispersa. Talia Plinii multa sunt.

Ut dici oportuit eam, quæ gustata arcet sitim.] Vulgo legebatur: *propriè adipsos vocatur, ut dici oportuit:*
C *eaque gustata arcet sitim.* Non *adipson*, sed πόμα vocari scribit Dioscorides, quod in eamdem significationem, & effectum recidit: πόμα δὲ λέγεται χλωρὸς τὸ χρῶμα, ἐμφερὴς κυδωνίῳ κατὰ τὴν ὀσμήν. Quæ Plinius sic vertit: *quæ vocatur adipsos, viridis, odore mali cottonei.* Cum viridis erat, adipsos, vel πόμα vocabatur, quod sitim sedaret. Eadem siccata dicebatur τράγημα, quod ea uterentur ἀντὶ τῶν τραγημάτων. Xenophon secundo Ἀναβάσεως de palmulis: τὰς δὲ τινὲς ξηραίνοντες τραγήματα παρετίθεντο. Plinius de iisdem: *Syri tragemata appellant. Nam in alia parte Phœnices, Ciliciaque, populari etiam nomine a nobis appellantur balani.* Sic legendus ille locus. Nos ta-
D men infra aliter docemus emendandum; hoc nempe modo: *Nam in alia parte Phœnices, Græciaque populari etiam nomine à nobis appellantur Balani.* Vide caput de palma in ultima Exercitatione. Sed ξηρὰς tantum nomine τραγημάτων appellabant: ut quæ virides colligebantur, ac mandebantur. Πόματα vocabant, quod ἄδιψοι essent. At contra τραγήματα, quod sicca sunt, & sitim provocant. Inde nostrum *dragée.* Non Ægyptiæ autem palmulæ proprium, quod viridis, & immatura ad esum decerpatur, nec quod ἄδιψος sit. Omnes palmæ, quæ servari non poterant, ac θησαυρίζεσθαι,
E virides edebantur. Nec solæ tales Ægyptiæ. Theophrastus: θησαυρίζεσθαι δὲ μόνας δύνασθαί φασι τῶν ἐν Συρίᾳ τὰς ἐν τῷ αὐλῶνι, τὰς δὲ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Κύπρῳ, καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις χλωρὰς ἀναλίσκεσθαι. Plinius: *servantur hi demum qui nascuntur in salsis, atque sabulosis, ut in Judæa & Cyrenaica Africa. Non item in Ægypto, Cypro, Syria, & Seleucia Assyria.* Τὰς δὲ ἐν τοῖς ἄλλοις οὐ διαμένειν, ἀλλὰ σήπεσθαι, χλωρὰς δὲ ἡδείας εἶναι καταναλίσκειν οὕτως. Commune igitur hoc & in aliis locis nascentium palmarum, quod proprium, & privum facit Plinius Ægyptiarum. Sed ex verbis Dioscoridis, quæ hoc loco expressit, in errorem sese insinuavit. Dioscorides palmam in genere
F describens ait, eam in Ægypto nasci, decerpi dum adhuc viridis, & immatura est, & πόμα vocari, si relinquatur maturescere, γίνεσθαι φοινικοβάλανον. Quæ quidem vera sunt de palmula Ægyptia, sed nec minus de Syriaca, Cypria, & aliis. Quis enim credat φοινικοβάλανον de Ægyptia tantum dici, cum omnium palmarum fructus sic dicatur Græcis? Sic tamen Plinius accepit, quasi de certo genere palmæ in Ægypto tantum, & nusquam alibi nascentis loquatur Dioscorides. Quod est falsissimum. Dioscoridis verba: ἐὰν δὲ ἀφεθῇ πεπαινόμενος, γίνεται φοινικοβάλανος. Quæ Plinius ita vertit: *colligitur autem paulo ante quam incipiat maturescere; quod si relinquatur, phœnicobalanus vocatur, & nigrescit, vescentesque inebriat.* At hodierni
G interpretes ita accipiunt, quasi mutato nomine, ac colore palmula, cum matura est, vocetur φοινικοβάλανος, id est, punicea glans. Longè rectius Plinius. Nec enim Græcum est φοινικοβάλανος pro φοινικοῦς βάλανος. Palma arbor, quæ puniceas βαλάνους ferret, rectè diceretur φοινικοβάλανος. Sic φοινικόπτερος avis, quæ pennas habet puniceas: φοινικόλοφοι ὄρνιθες galli gallinacei à rubris cristis: φοινικόλεγνον ἱμάτιον, vestis quæ circa oras λεγνὰ phœnicea gerit. Fructum Ægyptiæ palmæ non rubescere maturum, sed nigrescere tradit Plinius. Non ergo φοινικοβάλανος à colore dictus. Οἱ μὲν λευκοί, οἱ δὲ μέλανες, οἱ δὲ ξανθοί, Theophrastus de fructibus palmarum. Φοινικοβάλανοι propriè dicebantur palmulæ maturæ, quæ nec virides erant, nec siccæ. Certe φοινικοβαλάνους Dioscorides tam distinguit à viridibus, quas πόματα vocari dixit, quam à siccatis, quas τραγήματα appellari ostendimus. Αἱ δὲ φοινικοβάλανοι, inquit, συμπηκτότεραι τυγχάνουσι τῶν ξηρῶν. Polybius apud Athenæum de loti arboris pomo: ἔστι δὲ τὸ βρῶμα παραπλήσιον σύκῳ καὶ φοινικοβαλάνῳ, τῇ δὲ εὐωδίᾳ βέλτιον. Igitur φοινικοβάλανος est βάλανος φοίνικος, *glans palmæ arboris*, non φοινικῆ βάλανος, *glans punicea.* Sic δρυοβάλανος Straboni lib. XVII *glans querna.* Propriam Ægyptiæ palmæ hanc notam refert Plinius, quod nullum intus lignum habeat. Et lib. XXIII. cap. V de eadem: *palma, quæ fert myrobalanum, probatissima in Ægypto: ossa non habet reliquarum modo in balanis.* Absolutè hoc pronuntiat, & privatim de Ægyptia palma. At lib. XIII. cap. XII ita scribit: *in Cypro vero, Syria, Ægypto quadrima, aliæ quinquennes, altitudine hominis, nullo intus pomi ligno quamdiu sunt novellæ, ob id spadonum accepto nomine.* Multum hæc de sententia differunt. Ibi dicebat Ægyptiam palmam, quæ myrobalanum fert, ossa non habere in balanis reliquarum modo. Heîc dicit Syriacam præterea, & Cypriam, ut & Ægyptiam nullum quidem intus pomi lignum ferre, sed quamdiu novellæ sunt. Theophrastus vero, unde hæc accepit, & quem toto illo capite exscribit, de omnibus palmis hoc generatim scribit, nullum intus eas lignum habere, quamdiu sunt novellæ. Φέρει δὲ ἕως ἂν ᾖ νέος ἀπύρηνον τὸν καρπόν, μετὰ δὲ τοῦτο πυρηνώδη. Loquitur de palmis in genere. Constat tamen ex eodem auctore quasdam palmulas in totum, ac perpetuò sine ossibus intus esse. Idem: αὐτῶν δὲ τῶν καρπῶν διαφοραὶ πλείους, οἱ μὲν γὰρ ἀπύρηνοι, οἱ δὲ μαλακοπύρηνοι. Item ex Aristotele, cujus hæc verba leguntur apud Athenæum: φοινίκων ἀνόρχων, οὓς τινὲς εὐνούχους καλοῦσιν, οἱ δὲ ἀπυρήνους. Ad quem locum notant summi herbarii, Aristotelem his verbis significare palmulam adipson Plinii, & τὸ πόμα Dioscoridis, cui nullum ideo lignum intus est, quia viridis, & immatura decerpatur, priusquam genitus sit nucleus; palmulis enim primam nasci pomi carnem, postea lignum intus. Hæc omnia falsa sunt, & inepta, & indigna eo viro, qui nunc medicorum, & herbariorum audit cymbalum. Omnibus palmulis tam vetustis, quam novellis prima nascitur pomi caro, deinde nucleus intus. Hæ non ideo sunt, nec dici possunt ἀπύρηνοι, quod posterius lignum intus generent, quam pomi corpus. Præterea non de fructu palmarum, sed de palma arbore Plinius, & Theophrastus intelligunt, cum dicunt eam nullum in fructu, id est, in balanis lignum habere, quamdiu sit novella. Φέρει μὲν ἕως ἂν ᾖ νέος ἀπύρηνον καρπόν, *palma arbor, quamdiu novella est, fructum fert sine nucleis.* Non igitur fructus, qui novellus est, & immaturus, nullum habet lignum, sed arbor ipsa sic fructum producit, dum adhuc tenera. Multis etiam modis hæc turbat Plinius, ac miscet. Etenim si nullæ aliæ palmulæ ἀπύρηνοι, quam quæ in novellis palmis nascuntur, frustra est plane ea fructuum differentia, quam Aristoteles, & Theophrastus constituunt in palmulis, ut aliæ ἀπύρηνοι sint, aliæ πυρηνώδεις. Demus non aliud discrimen dari, quam ætatis arborum, ut alii sint ἀπύρηνοι βάλανοι, alii πυρηνώδεις, omnium tamen hæc eadem fuerit natura palmarum, ut novellæ quidem fructus cum ligno interiore producant, vetustæ vero sine ligno intus. Quod si hoc omnium γενικὸν est, ut disertè testatur Theophrastus, non benè Plinius ἴδιον facit nascentium in Ægypto, Syria, & Cypro. Sed nec palma Ægyptia quidquam habet peculiare præter alias communes, quæ in Judæa, & Syria nascebantur. Scio quidem Plinium ipsum alibi scribere genera palmarum fieri undequinquaginta, si quis omnium persequi velit nomina, sed duæ γενικώταται differentiæ caryotarum, & communium. Communis dicitur absolutè φοῖνιξ, Latinè palma:

palma: altera cum cognomento *palma caryota*, φοίνιξ καρυωτὸς. Tria summa genera earum videtur idem Plinius constituere lib. XV. cap. XXVIII de succis fructuum. *Carne*, inquit, *palmæ placent*, *crusta Thebaicæ*, *succo uvæ & caryotæ*. Absolutè palmas vocat φοίνικας communes: *caryotas*, τὰς καρυωτὰς. Ab utrisque porro distinguit *Thebaïcas*. Sciendum tamen est diversi generis ab aliis palmis Thebaïcas non esse, sed pro loci qualitate, in quo nascebantur, aliquid peculiare habuisse. Ipsæ quippe & Arabicæ, quod in regione calidissima proveniunt, assiduo torrente vapore retorridæ sunt, & arentes, minusque carnis habent quàm reliquæ, crustamque pro cute gerunt. Ideo heîc dixit crusta eas placere, cum reliquæ carne commendentur. Idem lib. XIII. cap. IV. *In totum arentes Thebaïdis atque Arabiæ, macroque corpore exiles, & assiduo vapore torrente crustam verius quam cutem obducunt.* Sic legendus ille locus. Nam legitur vulgo: *Thebaïdes atque Arabicæ*. In libris scriptum, *Arabiæ*. Sic infrà: *Thebaïdis fructus extemplo in cados conditur cum sui ardoris anima*, de Thebaïcis palmis. Hæ sunt Thebaïcæ, quas ab aliis palmis distinguunt auctores, non quod genere differant. Dioscorides, postquam de palma dixit, ὁ ἐν Αἰγύπτῳ γεννᾶται, subjicit de Thebaïca, τῶν δὲ Θηβαϊκῶν τὸ ἀφέψημα ποθὲν παύει καύσωνα. Plinius lib. XXIII. cap. IV de palmarum medicinis: *succum decoctarum antiqui pro hydromelite dabant ægris ad vires recreandas, & sitim sedandam, in quem usum præferebant Thebaïcas.* Non igitur τὸ ἄδιψον Ægyptiæ palmæ peculiare. In Thebaïde porro non palmas tantum communes, sed etiam caryotas nasci optimas tradit Strabo, ut & in Judæa. Sic enim de palma scribit lib. XVII. Διττὸς δὲ ἐστὶν ὅ τε ἐν τῇ Θηβαΐδι καὶ ἐν Ἰουδαίᾳ, ὅ τε ἄλλος καὶ ὁ καρυωτὸς. Σκληρότερος δὲ ὁ Θηβαϊκὸς, ἀλλὰ τῇ γεύσει εὐστομώτερος. Vides duplex tantum genus palmarum ab eo constitui, communem & caryotam, τὸν ἄλλον, καὶ τὸν καρυωτὸν. Genus utrumque tam in Judæa, quam in Thebaïde Ægypti nascebatur. Sed Thebaïcam dicit esse σκληροτέραν propter crustam scilicet, quam vice cutis habebat, ob locorum ardorem. Gustu suaviorem tradit Judaïcam, τῇ γεύσει εὐστομωτέραν. Inde Plinius crusta Thebaïcas ait commendari. Scribit eodem loco Strabo in tota Ægypto præter Thebaïdem palmas steriles esse, καὶ ἀγόνους: circa Delta vero, & Alexandriam fructum ferre οὐκ εὔβρωτον. Quod mirari se profitetur, quum Delta Ægypti, & Alexandria in eodem sint climate, quo Judæa, nec longè inde sint sita, quæ tamen Judæa πρὸς τῷ φοίνικι, καὶ τὸν καρυωτὸν γεννᾷ οὐ πολὺ χείρονα τοῦ Βαβυλωνίου. Ubi etiam duo tantum genera facit palmarum, τὸν ἄλλον καὶ τὸν καρυωτὸν. Profecto palmæ in Ægypto nascentis propria hæc non sunt, quod ἄδιψος sit, quod viridis colligatur, quod unguentis aliquid addatur ex ea, & reliqua, quæ Plinius ex male intellectis auctoribus ei veluti peculiaria tribuit. Nam quod & myrobalanum ferre dixit, id vero portenta omnia superat. Veteres *myrobalanum* de glande unguentaria tantum dixere, quam & βάλανον μυρεψικὴν. Cui simile nihil habent, quæ *myrobalana* hodie vocantur prunorum in genere. Falluntur etiam eruditissimi Herbarii, qui ex Plinio notant, *myrobalanum* veteribus dici palmulæ fructum. Hos Plinius decepit. Nec levius errant, qui *myrobalanum* in eodem Plinio, non de glande unguentaria capiunt, sed de flava myrobalano officinarum, quæ palmulæ similis est. Profecto myrobalana nostra Græci recentiores etiam cognovere, ut Actuarius, & alii. In Lexico Jatrico nondum edito de his ita scriptum inveni: μυροβάλανα γενικῷ λόγῳ τὰ λεγόμενα κοινῶς μέλανα, καὶ ξανθὰ, καὶ χρυσὰ ἔμπλισα λέγονται. Quæ haud leviter corrupta sunt. Hoc tamen palam est velle dicere, μυροβάλανα dici γενικῷ λόγῳ, quorum plures sunt species. Nam eorum alia *nigra*, alia *flava* vocantur. Quæ ἔμπλισα heîc appellat, Actuario ἔμπλιτζι dicuntur his verbis: τῆς αὐτῆς δὲ καὶ παραπλησίας δυνάμεως τό τε μπελιλιτζ τῇ βαρβάρῳ φωνῇ καλούμενον καὶ τὸ ἔμπλιτζι. *Bellirica* & *Emblica* intelligit. Alia etiam sunt genera *Kepula* & *Bellirica*. Ea sunt, quæ vocat Actuarius μπελιλίτζι *Beligi* Arabibus. De quibus infra. Constantino, & reliquis Barbaris Latinis nomina myrobalanorum ita exprimuntur: *Myrobalani Citrini*, *Indi*, *Chebuli*, *Belilici*,

A *Emblici*. De quibus in Exercitatione palmaria fusius. De palmulis hoc itidem veteres tradunt, harum alias esse ξανθὰς, alias μελαίνας: quasdam os intus habere, quasdam osse ligneo carere. Sic nigra myrobalana, quæ vulgus *Inda* vocat, solida sunt absque nucleis. Nusquam tamen veteres *myrobalanum* eo sensu usurparunt de certo prunorum genere. Martialis *myrobalanum* in Apophoretis posuit, nec inter fructus edules retulit in libro Xeniorum, ubi locum habere debuisset cum caryotis, cottanis & damascenis, siquidem eo nomine tum intellexissent, quod nobis hodie in usu est. Sed nec myrobalanum unquam pro fructu palmæ
B posuerunt. Nec ulla est palma, quæ myrobalanum ferat. Quid Plinium in errorem induxerit, supra ostendimus. Sed de his, & palmarum generibus omnibus nos in Selectis Observationibus Plinianis abundè docebimus.

Si matura sumatur, sensum intercipit, gressum præpedit.] Multa verba consumit, ut exprimat Plinianum illud: *vescentes inebriat*. Non tamen, si matura simpliciter sumatur, vescentes inebriat, sed si plures comedantur. Dioscorides: αἱ δὲ φοινικοβάλανοι κεφαλαλγεῖς εἰσὶ, καὶ πλείονες βρωθεῖσαι μεθύσκουσι. Sic vocat maturas palmulas, ut suprà notavimus. Nec proprium hoc Ægyptiarum,
C sed omnium promiscuè commune. Plinius lib. XXIII. *Ab oleis, uvisque proxima nobilitas palmis: recentes inebriant, capitis dolorem afferunt minus siccæ.*

Vitium ebrietatis imitatur.] In προεκδόσει fuit: *ebrietatis facit vitium.*

Ægyptium limitem, qua ad Diacecaumenen tendit.] Sic legi oportuit. Nec aliter veteres libri. Antiquæ editiones: *ad Lacecaumenen*. Meminit Camers hujus lectionis, vel conjecturæ, qua legebant quidam, *ad Deltæ cacumen*. Eam more suo Delrius arripuit, & sic edidit. Unde miror virum quendam doctissimum inter eos locos, quos pulcherrimè Delrio restitutos censet, &
D hunc recensere. Nihil hac correctione corruptius. Delta insula in media Ægypto sita est. Cacumen ejus, hoc est, τὸ ὀξὺ ἐν τῷ μεσογαίῳ. Quî igitur fieri potest, ut Ægyptius limes, & finis Ægypti ad medium tendat, ubi Deltæ cacumen est? Vides absurditatem. *Diacecaumene* Græcorum est Διακεκαυμένη. Strabo lib. XVII τῶν δὲ πρὸς τῇ διακεκαυμένῃ τινὲς καὶ ἄθεοι νομίζονται. Et alibi passim. Hyginus: *quæ finis est ab æstivo circulo ad hiemalem, ea terra à Græcis Diacecaumene vocatur, quod neque fruges propter exustam terram nasci, neque homines propter nimium ardorem durare possunt.* Martianus Capella *Cecaumenen* vocat duobus locis. Servius: *Garamantes populi inter Li-*
E *byam, & Africam juxta Cecaumenen.* Sic vocatur & Acroni veteri interpreti Horatii. Theophylactus de Nilo: διὰ γὰρ τῆς Κεκαυμένης ῥέοντα, λίαν φασὶ καθέψεσθαι. Diodorus, à quo accepit: διὰ γὰρ τῆς Κατακεκαυμένης. Sic & *Catacecaumene* regio in Mæonia ab adustione vocata. Ea Cecaumene, vel Diacecaumene Ægypto vicina sub ignea zona. Quinimmo & *igneam zonam* plagam illam Latini vocarunt. Arnobius lib. I. *Age nunc veniat quæso per igneam zonam magus interiore ab orbe Zoroastres, Hermippo ut assentiamur auctori, Bactrianus. Et ille conveniat, cujus Ctesias res gestas historiarum exponit in primo, Armenius Hostanis nepos; & familiaris Pamphilus Cyri.* Ita legendus ille
F locus, ac distinguendus. Vulgo est: *age nunc veniat quis super igneam zonam magus.* In Regio legitur: *age nunc veniat quæ super.* Inde nostra emendatio. Zoroastres juxta Hermippum Bactrianus oriundo. Secundum alios ex interiore Libya, vel Æthiopia τῆς κεκαυμένης vicina. Qua de re alibi.

Qui momentum, quo reparari mundum ad motus ferunt annuos, hoc studio deprehendunt.] Momentum intelligit, quo annua cæli conversio peracta, rursus eumdem motum auspicatur. Sed quid heîc velit, paucos tenere arbitror, immo neminem: ut mirum non sit Camertem, & ceteros Camerte doctiores heîc tacuisse. Tra-
G debant Ægyptii orygem feram, quæ de genere caprarum est, ea hora, ac momento, qua caniculæ sidus exoriebatur, vocem emittere. Quo indicio annui motus orbem absolutum certo statuebant. Etenim ab exortu caniculæ, ad alterum ejusdem exortum, anni sui spatium definiebant, ut suprà ostendimus. Orus: ἐπειδή φασι τὴν ἀνατολὴν τοῦ ἄστρου τῆς σώθεως, μέχρι τῆς

ἄλλης

ἄλλης ἀνατολῆς πέζαρτον ἔτ⊙ προσίθεσθαι, ὡς εἶναι τὸ ἔτ⊙ ἢ θεῖ τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε ἡμερῶν. At Libyes non solas oryges, sed omnes capras idem apud se facere memorabant, ut commodum exoriente cum sole canicula ad eam converterentur, & vocem emitterent, quod signum certissimum esset sollemnis circuitus. Plutarchus de solertia animalium: Λίβυες ἢ Αἰγυπτίων καταγελῶσι μυθολογούντων περὶ ἢ ὄρυγος ὡς φωνὴν ἀφιέντ⊙ ἡμέρας ἐκείνης ἢ ἐπιτέλλει τὸ ἄστρον ὃ σῶθιν αὐτοί, κύνα ἢ καὶ σείριον ἡμεῖς καλοῦμεν. Τὰς γὰρ αὐτῶν ὁμοῦ πάσας αἶγας ὅταν ἀνάσχῃ μεθ' ἡλίου τὸ ἄστρον, ἀτρεπτῶς ἐκεῖ στρεφομένας ἀποβλέπειν πρὸς τὴν ἀνατολὴν, καὶ τεκμήριον τοῦτο τῆς περιόδου βεβαιότατον εἶναι, καὶ μάλιστα τοῖς μαθηματικοῖς κάνοσιν ὁμολογούμενον. Non de solis Libyæ capris, sed de aliis etiam pecoribus, ac jumentis id refert Antigonus ex Lyco: τούτῳ δὲ παραπλήσιον Λύκ⊙ ἱστορεῖ. Φησὶ γὰρ ἐν Λιβύῃ τὰ κτήνη τὸν μὲν ἄλλον χρόνον τὰ αὐτοῖς ἐναντία, τὰ δ' ὡς ἔτυχεν κοιμᾶσθαι, τῇ δὲ νυκτὶ καθ' ἣν ἢ κυνὸς ἀνατολὴ γίνεται, πρὸς αὐτὸ τὸ ἄστρον ἐστραμμένα, καὶ τούτῳ τεκμηρίῳ τῆς ἐπιτολῆς τοὺς ἐκεῖ χρῆσθαι. Eadem res prorsus est, quam heîc paulo aliter narrat Solinus, sive eam ipse more suo sic interpolavit, seu revera diverse expositam apud alios reperit. Plinius de canicula: *Orygem appellat Ægyptus feram, quam in exortu ejus contra stare, ac contueri tradit, ac velut adorare, cum sternuerit.* Vocem etiam tunc edebat, nec in exortu caniculæ tantùm hoc faciebat, sed etiam solis ac lunæ. Orus: ἀκαθαρσίαν ἢ γράφοντες ὄρυγα γράφουσιν, ἐπειδὴ ἐπ' ἀνατολὴν ἐρχομένης τῆς σελήνης ἀτενίζων εἰς τὴν θεὸν κραυγὴν ποιεῖται, οὐκ εὐλογῶν αὐτὴν, οὐδὲ εὐφημῶν. Quod addit Plinius, *ac velut adorare, cum sternuerit*, haud satis constat quomodo accipiendum sit. Certè Ægyptios sternuente oryge ortum caniculæ deprehendisse plerisque traditum. Vetus Scholiastes Arati: καὶ ἡ κυνὸς ἐπιτολὴ κατὰ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν φαίνεται, καὶ ταύτην ἀρχὴν ἔτους τίθενται, καὶ τῆς Ἴσιδ⊙ ἱερὸν εἶναι τὸν κύνα λέγουσι, καὶ τὴν ἐπιτολὴν αὐτοῦ, ἐφ' ἣν καὶ τὴν ὄρτυγα θύουσι τῷ πταρμῷ τούτου ζώου σημειούμενοι τὸν καιρὸν τῆς ἐπιτολῆς ἢ ἄστρου. Hæc non mediocriter, nec vice simplici corrupta. Legendum τὸν ὄρυγα, & τῷ πταρμῷ. Forte etiam θεῶσι pro θύουσι, contemplantur: ἐφ' ἣν καὶ τὸν ὄρυγα θεῶσι τῷ πταρμῷ ἢ ζώου τούτου σημειούμενοι τὸν καιρὸν τῆς ἐπιτολῆς ἢ ἄστρου: *ad cujus ortum deprehendendum orygem feram contemplantur ex sternumento ejus tempus, quo oritur, conjectantes.* Θύουσι minus placet. Excerpta ex vita Isidori apud Photium: ὁ χοῖρ⊙ ἐστὶ ἢ πιθήκου εἶδ⊙, ἀποσημαίνει κατὰ τὴν σύνοδον ἡλίου καὶ σελήνης. Ὁ ὄρυξ τὸ ζῶον πταρνύμεν⊙ ἀνατέλλειν διασημαίνει τὴν σῶθιν: *Oryx fera caniculam oriri significat, cum sternuit.* Plinius eam in exortu caniculæ contra stare tradit, & contueri, ac velut adorare, cum sternuerit. Sed cur dicit, *ac velut adorare, cum sternuerit?* An respexit ad morem veterum, quo sternuentes non tantùm ab his, qui aderant, salutabantur, sed etiam ipsi sibi qui sternuebant, Deum propitium precabantur, & adorabant. De salutatione, ut omittam alios, Plinius his verbis, quæ sic legenda sunt: *Cur sternuentes salutamus? Quod enim Tiberium Cæsarem tristissimum, ut constat, hominum in vehiculo exegisse tradunt.* Extat Epigramma Græcum σκωπτικὸν in quendam naso tam enormiter grandi, ut non audito, quum sternuisset, ipsi sibi Ζεῦ σῶσον dicere non posset. De adoratione nihil legi, nisi si quis adoratione simul sternumenta sua prosequutos esse dicat, cum bene sibi precarentur. Sic oryx contra caniculam stans, eamque orientem contuens veluti adorat, cum sternuit. Nam semper sternuit in ortu caniculæ, & hoc signo ortum ejus deprehendebant Ægyptii. Nihil aliud habeo dicere, quare adorationem cum sternumento junxerit Plinius.

In quo conseptant animalia diversi generis.] Ita libri. *Conseptant*, uno septo includunt. Sic *conventare* pro convenire: *retentare* pro retinere, & similia apud istum. In aliis legitur: *in quem compellunt animalia diversi generis.* Quod vel glossa est illius lectionis, vel alterius editionis lectio.

Ubi ad statum modum cælestis pervenit disciplina.] Ita optimus Regius, quem in omnibus sequi institui. Ita etiam Palatinæ schedæ, nisi quod habent: *ad statutum modum cælestes perveniunt disciplinæ.* Ad oram Regii adscriptum erat: *ubi ad statum modum cælestis vertigo provecta est.* Sic etiam scriptum offendi in altero Palatino recentiore. Prioris editionis hæc fuit lectio. Utraque recta est, nisi quod altera displicuit auctori. *Cælestis disciplina* hoc loco, ut supra *siderum disciplina*, cap. XXIX. *Unde non immerito per gentes Debris inclyta est, cujus aqua ex cælesti vertigine mutant qualitatem, quamvis contraversa siderum disciplina.* Ubi vides utrumque simul posuisse, *siderum disciplinam*, & *cælestem vertiginem*. Statum, & ordinatum siderum cursum, motumque *siderum disciplinam* dixit. Sic cap. XI supra: *hinc domo Archimedes fuit, qui juxta siderum disciplinam machinarius commentor fuit.* De sphæra Archimedis intelligit, quam commentus erat juxta siderum motum, & legem. Et alibi *temporum disciplinam* hoc eodem sensu posuit pro serie temporum certa lege, & ordine currentium, τάξιν τῶν χρόνων. Sic *siderum disciplina*, ἡ τάξις, ὁ κανὼν, ὁ διατακτ⊙ δρόμ⊙ τῶν ἄστρων. Multus est in hac loquutione noster. De maris æstu: *at hi, qui siderum sequuntur disciplinam, contendunt meatus istos voveri lunæ cursibus.* Alio loco dicit elephantos *siderum servare disciplinam*, quod solis ortus, & lunæ observent, & ea sidera, dum oriuntur, salutent. Vinetus ediderat hoc loco: *ea, ubi ad statutum modum cælestis perveniunt disciplinæ.* Perperam. *Cælestis disciplina* est id, quod diximus, pro quo in priore editione scripserat auctor, *cælestis vertigo.*

Nonnulla confugiunt ad volutabra.] Glossæ: *volutabrum*, κυλίστρα ζώων. Volutabra propria sunt aprorum & suum, sed & de equis dicuntur. At de his capiendus glossarum locus. Nam ζῶα Græci absolutè plerumque equos appellant, ut & ἄλογα. Veteres in arena prope amnem, aut lacum equos suos volutare consuefaciebant, quæ loca κυλίστρας, & ἀλίστρας vocabant. Aristophanes in comœdia Nebulis:

Ἄπαγε τὸν ἵππον ἐξαλίσας οἴκαδε.

Scholiastes interpretatur, κυλινδῆσαι ποιήσας. Pollux lib. I. cap. XI de equis: τὸ δὲ κυλίσαι καὶ ἀλίσαι εἴποις καὶ ἐξαλίσαι. Καὶ τὸ χωρίον, ἀλίστρα καὶ ἐξαλίστρα, καὶ κυλίστρα. Ubi ridicule doctus interpres *saltare*, & *exilire* τὸ ἀλίσαι, & ἐξαλίσαι vertit, quum ἵππον ἐξαλίσαι sit facere, ut equus volutetur, idem nempe quod κυλίσαι. Hinc ἀλίστρα & κυλίστρα idem, equorum scilicet volutabrum. Sic Hesychius: ἀλίστρα, παραποτάμιον ἀμμῶδες χωρίον. Sic legendum, non ἀλιστεία. Prope amnes igitur in arenoso loco hujusmodi κυλίστραι. Idem Hesychius: ῥοιὰ, κυλίστρα τῶν ἵππων παρὰ τῷ ποταμῷ ἢ ψάμμῳ. Dicebatur & ἀλινδήθρα. Idem, ἀλινδήθρας, κυλίστρας, λέγουσι δὲ καὶ ἐξαλίσαι τὸν ἵππον κυλίσαι. Græce ἀλινδεῖσθαι significat volutari. At ignotæ hodiernis equisonibus hujusmodi volutationes in exercendis, aut curandis equis, quæ tum loco ad hoc destinato fiebant, in arena & prope lacum, aut flumen. Quod ῥοιὰν exponit Hesychius κυλίστραν, fallitur. Aliud ῥοίζειν, aliud κυλίειν apud aquarios veteres. Ῥοίζειν ἀπὸ τῆς ῥοιᾶς. Et in flumine ipso, vel lacu fiebat. Vulgo dicimus *esgayer*. Quod est *aquare*. At κυλίστρα in solo, & loco sicco. Veterinarii auctores cap. CII. Ὅταν δὲ δοκῇ βέλτιον ἔχειν τῷ περιπάτῳ ἄγε αὐτὸν ἐπὶ τὸ κύλισμα καὶ ῥοίζε. Et cap. CLXII. Ῥοίζειν αὐτὸν ἐν ποταμῷ, ἢ ἐν θαλάσσῃ. Item cap. DCCCLXXXVI. Ἄελσος δὲ ὁ τόπ⊙ εἰς τὸ ἄγειν ἐπὶ τὸ κύλισμα, ὅσα μωνύχες ὁπλὰς ἔχει ὁ ἀπόκροτ⊙, καὶ γεώδης ὁμαλ⊙, καὶ μὴ λίθους ἔχων ἢ τραχώματα. Ἄθετοι δὲ οἱ βαθύγαιοι, ἢ χορτανοὶ, ἢ αἱ κοπρίαι. Loca volutabris equorum accommodata designat. Aliud igitur ῥοιὰ, aliud κυλίστρα.

Pag. 44. G. *Hoc argumentum illis est magistrum.*] Sic rectè libri, non *magisterium*, ut vulgati. *Argumentum magistrum*, ut *culpa magistra*, *vita magistra*, *dies magister*, & similia. Unde *magistrare* pro docere. Julius Capitolinus: *ipse quoque inter manipulares vitam militarem magistrans.* Inde *magistratio* Apulejo de Doctrina Platonis: *& imperfecta sunt illa, quæ in omnibus beneficio solo naturæ proveniunt, vel quæ solis disciplinis traduntur, & magistratione discuntur.* Malè vulgarunt: *& magistra ratione.* Nam libri habent: *& magis ratione.* Inde publicæ *magistrationes* in Cod. Theod. scholæ publicæ, ut hodie loquimur.

Idem populi.] Ait eosdem populos illos, qui revolutionis annuæ finem deprehendebant indicio animalium, etiam memorare à primis sibi gentis suæ avis traditum, ubi

ubi nunc est occasus, quondam ibi ortum fuisse: dicit eos incolere limitem Ægyptium, quâ ad Diacecaumenen tendit. Nescias utrum Ægyptios, an Libyas intelligere velit. Libyæ populi erant, qui τῶν κτηνῶν magisterio caniculæ ortum cognoscebant. Nam Ægyptii ex sola oryge argumentum temporis deprehendendi magistrum petebant. Lycus, Antigonus, Plutarchus id testantur. At de Ægyptiis hoc omnes narrant, tradere illos, ubi nunc oritur sol, quater olim ibi occidisse. Vide Herodotum & Melam. Sed novum non est huic grammatico, ut, quæ diversa sunt, confundat, quæ eadem sunt distinguat, & omnia misceat. Ideo jam nec miramur.

Ad quas commercia Arabes Indique subvehunt.] Sic legimus ex conjectura, quæ certissima est. Editiones habebant: *ad quas commercia Arabes undique gentium subvehunt.* Qua lectione nihil falsius. Libri non agnoscunt illud *gentium*. Nos pro *undique* fecimus *Indique*, quo nihil certius. Sed hallucinatur hîc noster more suo, vel sciens, sanè errat, cum dicit ad urbem Thebas commercia Arabum & Indorum ferri. Hoc de Copto scribunt auctores, & in primis Plinius, à quo sumpsit. Verba Plinii: *celebrantur tamen Apollinis, mox Leucotheæ & Diospolis magna, eadem Thebæ portarum centum nobiles fama; Coptos Indicarum Arabicarumque mercium Nilo proximum emporium.* Aristides quoque in Ægyptiaca Copto Indorum & Arabum emporium locat. Strabo lib. XVII. Καὶ νῦν ὁ Ἰνδικὸς φόρτος ἅπας, καὶ ὁ Ἀράβιος, καὶ τοῦ Αἰθιοπικοῦ ὁ τῷ Ἀραβίῳ κόλπῳ καταχομιζόμενος εἰς Κοπτὸν φέρεται. Καὶ τοῦτ' ἐστὶν ἐμπορεῖον τῶν τοιούτων φορτίων. Vide & nostrum infrà cap. LIV de Indico itinerario, ut scias scientem hoc loco pro urbe Copto Thebas supposuisse. Quod idem sexcentis aliis locis fecit.

Hinc regio Thebaïca. Abydos & ipsa nobilis.] Hæc quoque nostra distinctio, & lectio. Nam omnes antehac editi legunt: *Hic regio Thebaïca Abydos, & ipsa nobilis olim Memnonis regia.* Pessimè, nec enim regio Thebaïca Abydos, sed oppidum. Inter Ægyptias urbes numero portarum Thebæ nobiles: hinc regio Thebaïca. Abydos & ipsa nobilis, olim Memnonis regia. Vinetus ediderat: *Hinc regio Thebaïca, Abydos & ipsa, nobilis olim Memnonis regia.* Nihilo melius quam ceteri. A Thebis Ægyptiis Hecatompylis dicta regio Thebaïs, ἡ Θηβαῒς, in summa parte Ægypti, quæ plures nomos continebat. In schedis Palatinis scriptum est: *hinc Thebaïda.* Quod positum est pro *Thebaïs*, ut *Persida*, *Elida*, *Mimallida*. Ἡ Θηβαῒς χώρα. Ammianus: *Ægyptum ipsam, & Thebaidam, & Libyam.*

Abydos & ipsa nobilis, olim Memnonis regia] Sic distinguendum. Ita porro loquitur, quasi tunc non amplius extaret ea Memnonis regia in Abydo. Plinius sua ætate adhuc durasse ostendit his verbis: *Infra quod Abydus, Memnonis regia & Osiridis templo inclytum.* Sed verba Plinii sic accepit Solinus, quasi Abydum Memnonis regiam appellaverit, quod in eo oppido Memnon rex olim maneret. Nam *urbes regiæ* vulgo dicebantur, in quibus reges ut plurimum degebant. Suprà cap. XXVI. *Cæsariensi colonia inest, a D. Claudio deducta, Bocchi prius regia,* τὸ Βόχχου γενόμενον βασίλειον. Plinius: *oppidum Iol Jubæ regia,* τὸ Ἰούβα βασίλειον. Mela *regis domum*, & *regiam* vocat cap. VI. lib. I. *Cirtha procul mari, quondam regum domus, & cum foret Syphacis opulentissima.* Et paulò post: *Iol ad mare aliquando ignobilis: nunc quia Jubæ regia fuit: &, quod Cæsarea vocitatur, illustris.* Strabo Cirtham τὸ Σύφακος βασίλειον fuisse dicit. Aliquando arcem & pro eadem dixere Latini. Plinius: *Bizye quondam arx Thraciæ regum.* Stephanus: Βιζύη, τὸ τῶν Ἀστῶν βασίλειον, *arx regum, domus regum, regia,* τὸ βασίλειον. Inde & cognomina urbium, *Bulla regia, Hippo regius.* Glossæ: *urbs regia,* ἡ βασιλὶς πόλις. Ita ergo Solinus intellexit, Abydum olim Memnonis regiam fuisse, τὸ τοῦ Μέμνονος βασίλειον. Perperam. Dicit Plinius Abydum inclytam esse Osiridis fano & Memnonis regia, hoc est, ædificio domus regiæ, quod à Memnone structum fuerat, & adhuc extabat. Strabo: ὑπὲρ δὲ ταύτης ἡ Ἄβυδος, ἐν ᾗ τὸ Μεμνόνειον βασίλειον θαυμαστῶς κατεσκευασμένον, ὁλόλιθον τῇ αὐτῇ κατασκευῇ ᾗπερ τὸν λαβύρινθον ἔφαμεν. De ædificio loquitur etiam tum manente, ut & Plinius. Idem paulo post: εἰ δ' ὥς φασιν ὁ Μέμνων ὑπὸ τῶν Αἰγυπτίων Ἰμάνδας λέγεται, καὶ ὁ λαβύρινθος Μεμνόνειον ἂν εἴη, καὶ τοῦ αὐτοῦ ἔργον, οὗπερ καὶ τὰ ἐν Ἀβύδῳ καὶ τὰ ἐν Θήβαις. Καὶ γὰρ ἐκεῖ λέγεταί τινα Μεμνόνεια. De Memnonio Thebæo Juvenalis:

Dimidio magicæ resonant ubi Memnone Thebæ.

Vide & eumdem Strabonem lib. XVII. Diodorus monumentum describens regis Osymandæ, haud longe à Thebis, scribit, παρὰ δὲ τὴν εἴσοδον ἀνδριάντας εἶναι τρεῖς ἐξ ἑνὸς τοὺς πάντας λίθου Μέμνονος τοῦ Συηνίτου. Ita vulgo legitur, & Memnonis Syenitæ statuarii tres illas statuas opus esse volunt. Nugæ. Scribendum: ἐξ ἑνὸς τοὺς πάντας λίθου τεμνομένους τοῦ Συηνίτου, *ex uno lapide Syenite cæsas, & factas.* Nihil verius. An Ὀσυμάνδης Diodoro, qui Straboni Ἰσμάνδης? Nam Ægyptios dicere Memnonem esse Ἰσμάνδην tradit, at Diodoro Ὀσυμάνδης & Μένδης diversi: & hunc Μένδην Labyrinthum ait condidisse, quem regem alii Maron vocabant. Straboni Ἰμάνδης, vel Μαΐνδης. Sed hæc alibi. Τὸ βασίλειον Græcè propriè est domus regis, vel palatium, Latinè *regia*. Urbes quoque ipsæ, in quibus palatia illa constituta ad habitationem regum, βασίλεια dictæ, & urbes regiæ. Quod Solinum fefellit. Glossæ: *Reginatio*, βασίλειον. Ita scripsisse indicat series literarum. Nam sequitur, *reglubit*, *regnum*. An ita legendum, *regia mansio*? Id significat Græcè τὸ βασίλειον. Sed corruptum est pro *regnatio*. Posteriores Græci cum regem, aut imperatorem alloquebantur, dicebant, ἡ βασιλεία σου, Latini *regnum*, *imperium vestrum.* Infima Græcia βασίλειον etiam pro eodem dixit, id est, *regnum tuum, regnatio tua.* Βασιλεία apud Diodorum est στέμμα βασιλικὸν lib. I. Ἔχουσαν δὲ τρεῖς βασιλείας ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, ἃς διασημαίνειν ὅτι καὶ θυγάτηρ, καὶ γυνὴ, καὶ μήτηρ βασιλέως ὑπῆρξε. Ineptè vir doctissimus vertit: *in capite tres reginæ.* Ad verbum esset, *tria regna.* Nam & *regnum* recentiores Latini pro corona regis usurparunt. Et hoc sensu sæpe occurrit apud Anastasium de vitis Pontificum.

Abydos] In libris: *Abœdos.* Sic *gœrus* pro *Cyrus*: *cœbus* pro κύβος, & similia. Festus: *Cloeare, inquinare, unde & cloaca dicta.* Ita liber scriptus vetustissimus, qui Danielis fuit. Vulgo est *cloacare*, Perperam. Nam *cloacare* à cloaca dictum esset, *cloeare* pro *cluare*. Quod verbum Servio purgare significat. Alii *cluere* dicunt, ut Plinius.

Quam metatus Dinocrates architecton.] Sic libri omnes nostri: nec aliter ex suis edidit Vinetus. Sic veteres loquuti ex Græco ἀρχιτέκτων. Atque ita melius quam architectus. Quod Græcum est, sed formatione Latina. Corrigendus in hac voce Agellius lib. I. cap. XIII de Crasso: *is cum in consulatu obtineret Asiam provinciam, & circumsedere, oppugnareque Leucas oppidum pararet, scripsit ad magistrum* ἀρχιτέκτονα *Moleatensium sociorum, amicorumque populi Romani.* Ita ediderunt juxta scripturam veterum codicum. Nam in anterioribus legebatur excusis: *ad magistrum* ἀρχιτέκτονα *molis Atheniensium.* Nondum tamen locus rectè habet. Qui enim illi *Moleatæ* in Asia? Μωλυᾶται Libyci nihil, opinor, huc faciunt. Scribendum ajo: *ad magistrum architectonem Elatensium.* Ἐλαία urbs Asiæ Æolica: τὸ ἐθνικὸν Ἐλαΐτης. Unde Ἐλαϊτικὸς κόλπος. Legendum ergo esset: *Elaitensium.* Non dubium est quin de his intelligat. Scribebam etiam aliquando *Elatensium*, τῶν Ἐλατεῶν. Ἐλατεῖς ab Elatea, quæ urbs maxima Phocidis. Sed prius verissimum: nec dubium quin scripserit *magistrum architectonem.* Cur enim Græca voce uteretur, ubi Latinæ in usu, *architecton* & *architectus*? Ideo legendum etiam paulò post: *tum magister architecton comperto quamobrem malum desideraret.* Male est: *magister* ἀρχιτέκτων. In optimo regio exemplari nullum extat vestigium architectonis. Sed legitur tantum: *Ad Mag. G. more Atheniensium.* Et paulo post: *Tum Mag. G. comperto quamobrem malum desideraret.* Omnino scribendum puto: *Ad magistratum Eleatensium.* Et secundo loco: *Tum magistratus comperto.* Notæ illæ *Mag.* vel *Magg.* designant Magistratum. Probi Valerii Notæ: *MAG. Magistratus.* Cetero nomen hujus nobilissimi architectonis, qui Alexandriam meratus est, plerique Δεινοκράτη vocant, ut heîc dicitur. Atque ita scripti libri Strabonis lib. XIIII. Ubi vulgo Χειρομοκράτης vocatur, quod Græcum non est. Malè heîc *Dinechares* scribitur apud Plinium, cum alibi *Dinocratem* nuncupet, & ex eo Solinus hoc loco. In inscriptione legi debet ΔΕΙΝΟΚΡΑΤΟΥΣ pro ΔΗΜΟΚΡΑΤΟΥΣ.

Pag. 45. A. *Alterum à conditore, in memoria detinet locum.*] Ita libri. Et hæc lectio est editionis emendatæ. Scripserat in priore: *secundum post conditorem: inter memorabilia locum sortitus est.* Quæ vulgares editiones etiam hactenus occupavit. *Detinere locum* pro obtinere, vel tenere, familiaris huic Grammatico loquutio. *In memoria*, ἐν τῇ μνήμῃ; pro quo posuerat ἐν παραδόσει, *inter memorabilia.*

L. Papirio Sp. F. C. Poetilio C. F.] Perperam in omnibus, quos vidi, libris habetur: *L. Papirio Spurio Spurii filio.* Male etiam in editis *Patilio* scribitur. Nam Græce est Ποιτίλιος. Nugatur porro Solinus, qui cum duodecima & centesima Olympiade Alexandriam conditam scribat, sub his consulibus τὴν κτίσιν ejus refert, quos consulatum gessisse constat anno secundo Olympiadis centesimæ decimæ tertiæ. Sed sic mos est Solino. Scripserat unus aliquis auctor fortasse Romanus, Alexandriam conditam fuisse Papirii & Poetilii consulatu, plerisque omnibus tradentibus duodecima centesimaque Olympiade id factum, has duas diversas opiniones pro una exhibuit, quasi idem dicerent.

Quod Heracleoticon alii, alii Canopicon vocant.] Heîc discedit à Plinio, qui diversum facit Heracleoticon à Canopico. *Naucratis,* inquit, *unde ostium quidam Naucraticum nominant, quod alii Heracleoticum, Canopico, cui proximum est, præferentes.* Perperam legunt: *Canopico, quod alii Heracleoticum vocant.* Nulli enim sic habent libri. Male alii *Ceramicum* corrigunt pro *Heracleoticum.* Et frustrà notant Athenæo sic appellari. Verba Athenæi: πολλοὶ δ' ἐν τῇ Ναυκράτει κεραμεῖς, ἀφ' ὧν καὶ ἡ πλησίον τῶν κεραμείων πύλη κεραμικὴ καλεῖται. Ineptè κεραμικὴν πύλην de ostio Nili fluminis interpretantur. Multi in urbe Naucrati figuli. Unde portam urbis, quæ figlinis proxima erat, κεραμικὴν πύλην vocarunt. Legendum etiam in Plinio *Naucratiticum*, vel *Naucratioticum*, non *Naucraticum.* Nam à Ναύκρατις, Ναυκρατίτης. Unde κτητικὸν Ναυκρατιτικός. Sic Σαϊτικὸς, Τανιτικὸς à gentilibus Σαΐτης, Τανίτης. Sic & Φατνιτικὸν στόμα. Plinio, ut videmus, diversum est Naucratiticum ostium à Canopo. Quod ego miror, cum ex Herodoto constet lib. II. cap. CLXXIX Naucratim ad Canopicum sitam fuisse Nili fluminis decursum. Ptolemæus quoque πρὸς δυσμαῖς τοῦ μεγάλου ποταμοῦ eam collocat, id est, ad occiduum latus Canopici ostii. Nam magnus fluvius Canopico ostio in mare egeritur. Colligere tamen aliquis posset è Strabone conditam fuisse ad Bolbitinum. Scribit enim Milesios, Ægyptum triginta navibus cum pervenissent, ostium Bolbitinum tenuisse, atque exscensione facta condidisse oppidum, cui nomen Μιλησίων τεῖχος. Illud porro Μιλησίων τεῖχος inter Bolbitinum ac Sebennyticum fuisse ex eodem Strabone liquido constat. Addit idem: χρόνῳ δ' ἀναπλεύσαντες εἰς τὸν Σαϊτικὸν νομὸν καταναυμαχήσαντες Ἴναρον πόλιν ἔκτισαν Ναύκρατιν οὐ πολὺ τῆς Σχεδίας ὕπερθεν. Ab eodem ostio Bolbitino navigantes adverso flumine in Saïticam præfecturam expugnata Inaro condiderunt Naucratim. Ergo Naucratis ad Bolbitinum, nam Saïs metropolis, & Saïticus nomus inter Bolbitinum & Sebennyticum. Sed illud obstat, quod ait οὐ πολὺ τῆς Σχεδίας ὕπερθεν esse conditam. Σχεδία in majori flumine, & Canopico ostio haud longe ab Alexandria. Idem Strabo: ταύτῃ δ' ἡ ἐπὶ Σχεδίαν ὁ πλοῦς ἐπὶ τὸν μέγαν ποταμὸν καὶ ἐπὶ τὸν Κάνωπον. Et paulo post in Schedia scribit fuisse τὸ ναύσταθμον τῶν θαλαμηγῶν πλοίων ἐφ' οἷς ἡγεμόνες εἰς τὴν ἄνω χώραν ἀναπλέουσι. Præterea per Bolbitinum navigantes Milesii de facili in Canopicum transire potuerunt, atque ibi condere Naucratim. Etenim omnes illi Nili fluminis decursus canalibus, & fossis manu factis inter se jungebantur, & nihil verius, quam Naucratim ad Canopicum fuisse sitam in occiduo latere. Unde igitur proximum Canopico ostium Naucratiticum potius cognominatum, quam ipsum Canopicum, in quo urbs sita? Adjicit Plinius hoc Naucratiticum ostium à quibusdam appellari etiam Heracleoticum. Immo omnes Canopicum ipsum sic vocant, non proximum Canopico. Strabo: δύο μὲν οὖν ταῦτα τοῦ Νείλου στόματα, ὧν τὸ μὲν Πηλουσιακὸν καλεῖται, τὸ δὲ Κανωβικὸν, καὶ Ἡρακλεωτικόν. Diodorus: καὶ τελευταῖον τὸ Κανωβικὸν, ὃ τινες Ἡρακλεωτικὸν ὀνομάζουσι.

A Ptolemæus *Heracleoticum* tantum nominat, quod idem est cum Canopico. Ammianus Marcellinus: *Heracleoticus, Bolbiticus, Sebennyticus*, ubi Heracleoticus, pro Canopico. Et sanè Ἡράκλειον, hoc est, Herculis templum, à quo Ἡρακλεωτικὸν ostium appellatum, Canopo proximum erat. Strabo: τὸ δ' ἐν ἀριστερᾷ τῆς κατὰ Κάνωβον, καὶ τὸ πλησίον Ἡράκλειον προσαγορευόμενον. Et alibi: Κάνωβος, εἶτα Ἡράκλειον. Stephanus vocat Ἡρακλεούπολιν, & inter urbes hujus nominis tertiam recenset κατὰ τὸ Κανωβικὸν στόμα. Si juxta Plinium Naucratiticum idem cum Heracleotico, certè & Canopicum fuerit idem cum Naucratitico. Nam Canopicum & Heracleoticum eadem. Et B quis super hoc dubitet, cum Naucratis condita sit ad Canopicum? Errat igitur Plinius, qui Naucratiticum à Canopico facit diversum. Quod autem proximum statuit illud ostium Canopico, adeo ut ei præferatur etiam à quibusdam, de Bolbitino intelligere palam est. Nec enim ex majoribus ostiis aliud Canopico vicinius, quam Bolbitinum. Ergo Naucratiticum idem cum Bolbitino juxta quorundam sententiam, Plinio teste. Saïn urbem, & Saïtem nomon Ptolemæus collocat inter Sebennyticum, & Canopicum. Μεταξὺ τοῦ μεγάλου ποταμοῦ καὶ τοῦ Θερμουθιακοῦ. Nam magnum flumen evolvitur in mare per Canopicum ostium, & C Thermuthiacus fluvius per Sebennyticum. Inter Sebennyticum, & Canopicum erat Bolbitinum, sive Taly fluvius in mare sese exonerans Bolbitino ostio. Hoc idem & Naucratiticum. Sed Naucratim idem Ptolemæus sitam docet πρὸς τῷ μεγάλῳ ποταμῷ ἀπὸ δυσμῶν. In majori itaque flumine, quod ad Canopicum ostium decurrit, posita Naucratis. Et sciendum est diverticula illa, & ectropas, quæ ex alveo ipso Nili derivabantur, perpetuorum, & magnorum amnium instar obtinuisse, atque alia nomina in decursu habuisse, alia in exitu, & ostiis ipsis. Nam ostia nomen sortita sunt à locis mari vicinis, ubi ipsæ fiunt ἐκρύσεις, ut Canopicum, D Heracleoticum, Bolbitinum, & cetera. Aliud porro nomen gerunt, ubi ἐκτροπαὶ fiunt, & in decursu. Nilus ceteram Ægyptum permeans, unico alveo, ubi ad Delta venit, in duas partes scinditur, ac duo flumina, quorum alterum occidentem petit, alterum ad orientem pergit. Pars, quæ ad occasum vadit, major est, ac veluti fluminis corpus. *Magistrum flumen* vulgo dicimus, ac *matrem guttam.* Ideo μέγας ποταμὸς, & μεγάλος ποταμὸς à Græcis dicitur. At in ostio ipso, quo in mare exit, Κανωβικὸν appellatur, & Ἡρακλεωτικὸν, à locis ibi mari vicinis. Pars altera vero, quæ ad E orientem decurrit, minor est, & ἐκτροπὴ censebatur, ac veluti bracchium, sive ramus è corpore fluminis majoris erumpens, & Βουβαστικὸς ποταμὸς dicebatur. Hujus autem fluminis, vel ἐκτροπῆς exitus in mare, Πηλουσιακὸν στόμα vocabatur ab urbe Pelusio. Stephanus: Πηλούσιον, πόλις Αἰγύπτου, εἰς ἣν ἐκρεῖ τὸ πρῶτον στόμα. Verba Ptolemæi super hac re, quæ vulgo & lectione, & interpunctione mala laborant, sic legenda sunt: Μέγα Δέλτα καλεῖται, καθὸ ἐκτρέπεται ὁ μέγας ποταμὸς καλούμενος Ἀγαθὸς δαίμων. Ἐκρέων διὰ τοῦ Ἡρακλεωτικοῦ στόματος εἰς τὸν καλούμενον Βουβαστιακὸν, ὃς ἐκρεῖ διὰ τοῦ Πηλουσιακοῦ στόματος. Ineptè interpres: *fluvius Agathosdæmon, qui* F *per ostium Heracleoticum defluit in amnem appellatum Bubastiacum, qui effluit per ostium Pelusiacum.* Sed male est in Græcis, Ἀγαθὸς δαίμων καὶ ῥέων διὰ τοῦ Ἡρακλεωτικοῦ στόματος. Pro ἐκρέων, major fluvius, hoc est, major Nili pars, quæ vocatur Ἀγαθὸς δαίμων, exit in mare, ἐκρεῖ, per ostium Heracleoticum, sive Canopicum dictum. Hic idem Agathosdæmon ἐκτρέπεται εἰς Βουβαστιακὸν fluvium, qui exit ostio Pelusiaco, hoc est, diverticulum ex se facit, cui nomen est Bubastiaci fluminis. Bubastiacus igitur amnis ἐκτροπὴ tantum est ab auctore flumine deducta. Hæc ἐκτροπὴ postea alias, atque alias subinde ectropas generat, quæ per diversos G exitus in mare evolvuntur. Nam minus Delta vocabatur, ubi Bubastiacus fluvius dividuus fit in Busiriticum, qui per Pathmiticum ostium in mare exit. Ὃς ἐκρεῖ διὰ τοῦ Παθμιτικοῦ στόματος. Ita legendum in Ptolemæo. Apud Ammianum scribitur *Pharniticus*, sed ex libris legendum: *Pathmiticus.* Straboni Φατνικὸν dicitur, Diodoro Φατμικόν. Libri ejus Φατμιτικόν. Nec dubium quin alii Πατμιτικὸν, alii Φατμιτικὸν dixerint. Plinio

nio *Phatmiticon*. Nam apud Strabonem corruptè Φαλνιϊκὸν pro Φαλινίκὸν, ut Ναυκρατικὸν Plinio pro Ναυκρατικὸν. Eſt & tertium Delta, ubi Bubaſtiacus findit ſe in alia duo diverticula, quorum alterum per Athribin urbem effunditur in mare, alterum per oſtium Pineptimi dictum. Εἰς τὸν δι' Ἀθρίβεως πόλεως καὶ τοῦ Πινέπτιμι στόματος ἐκρέοντα. Ita ſcribendum. Hæc duo oſtia ψευδόστομα ſunt. Idem paulò ante: Πινέπτιμι ψευδόστομον, διόλκος ψευδόστομον. Ubi διόλκον vocat τὸν Ἀθριβιτικόν. Ceterum ad ipſum Deltæ verticem aliæ duæ ſeſe findunt ἐκτροπαὶ à majori flumine, quæ rectà ſeptentrionem petunt. Harum altera dicitur ποταμὸς Θερμουθιακὸς, & per Sebennyticum oſtium exoneratur. Alteri nomen eſt Τάλυ, quæ per Bolbitinum exit. Certe haud longe à Deltæ vertice incipit ſciſſura Sebennytici, quæ medium Delta findit. Strabo: εἶτα τὸ Σεβεννυτικὸν τρίτον ὑπάρχον τῷ μεγέθει παρὰ τὰ πρῶτα δύο οἷς ὡρίσται τὸ Δέλτα, καὶ γὰρ σχίζεται οὐ πόρρω τῆς κορυφῆς σχίζεται εἰς τὰ ἐντὸς τοῦ Δέλτα. Ita ſcribendus illic locus. Idem ſcribit & Herodotus de Sebennytico: ἄνωθεν φερόμενος ἐς τὸ ὀξὺ Δέλτα ἀπικνέεται. Τὸ δὲ ἀπὸ τούτου σχίζων μέσον τὸ Δέλτα ἐς θάλασσαν ἐξίει, οὔτε ἐλαχίστην μοῖραν τοῦ ὕδατος παρεχόμενος ταύτῃ, οὔτε ἥκιστα ὀνομαστήν, τὸ καλέεται Σεβεννυτικὸν στόμα. Vocat Herodotus ὀξὺ τοῦ Δέλτα, quæ aliis κορυφὴ τοῦ Δέλτα. Idem ſenſus eſt Ptolemæi, cujus verba diſtinguenda ſunt, ac legenda: καὶ ὁ μὲν τὸ μέγα Δέλτα ἐκτρέπεται ἀπὸ τοῦ δαίμονος ποταμοῦ περὶ ἄρκτους πρῶτος μὲν ὁ καλούμενος Θερμουθιακὸς ποταμὸς, ὃς ἐκρεῖ διὰ τοῦ Σεβεννυτικοῦ στόματος, δεύτερος δὲ ὁ καλούμενος Τάλυ ποταμὸς, ὃς ἐκρεῖ διὰ τοῦ Βολβιτίνου στόματος. Verba illa κατὰ τὸ μέγα Δέλτα ſignificant ad ipſum acumen, & verticem τοῦ Δέλτα, vel, ut alibi loquitur, καθὸ σχίζεται τὸ μέγα Δέλτα. Igitur ſtatim à Delta incipit Sebennyticum. Immo rectà hæc ejus via eſt, ut teſtatur Herodotus. Nam prima Nili diviſio tripartita fit. Duæ partes, quæ latera Deltæ faciunt, in orientem, & occidentem diſcedunt, pars media, quæ Delta medium dividit ad ſeptentriones rectà pergit. Malè autem Tabularum Ptolemaïcarum conſcribillatores Thermuthiacum amnem, qui per Sebennyticum oſtium exit, longe infra Deltæ acumen incipere faciunt, qui ab ipſa meta auſpicabatur: qui non levis eſt error. Egregius Melæ locus eſt, ſed inſigniter corruptus, quem heîc emendabimus. Sic legitur, ut correxerunt: *primum juxta Cercaſorum oppidum triplex eſſe incipit. Deinde ſemel iterumque diviſus ad Delta & ad Metilim, & per Ægyptum vagus atque diſperſus.* Nihil falſius hac lectione, nihil mendoſius. Locum Herodoti expreſſit Mela, qui triplicem fieri Nilum dicit, ubi primùm dividitur. Atqui ea prima partitione Deltæ figuram efficit. Non igitur ſecunda, ac tertia diviſio ad Delta fieri poteſt, cum prima tantum ibi fiat. Scribebam olim: *à Delta ad Metelim.* Nam Metelis urbs haud longè ab Alexandria, ut ſcribit Stephanus: quæ inter Bolbitinum & Canopicum, ut Ptolemæus tradit. Sed aliter habent libri, qui ſcribunt: *deinde iterumque diviſus ad Deltam & à Melim per omnem Ægyptum.* Omnino ſcribendum: *deinde iterum iterumque diviſus à Delta meta it per omnem Ægyptum vagus, atque diſperſus.* Nihil certius hac ſcriptura. *Deltæ metam* vocat τὸ ὀξὺ τοῦ Δέλτα. Ad Deltæ metam triplex ſpargitur in Canopicum, Sebennyticum, & Peluſiacum. A Deltæ meta, id eſt, poſt acumen Deltæ iterum iterumque dividitur: nam Sebennyticum, quo medium ſcinditur Delta, rurſus in Mendeſium, & Saïticum. Ita Herodotus, quem Mela ſequitur. Malè etiam tabularum ſcriptores Bolbitinum oſtium circa urbem Metelim ex Canopico ſcindi tradunt. Quorum errorem alibi caſtigabimus. Bolbitinum, & βουκολικὸν non nativa oſtia eſſe tradit Herodotus, ſed factitia. De Bolbitino aliter recentiores omnes. Mendeſii, & Tanitici non meminit Ptolemæus, ex qua Nili parte oriantur. Scribit Herodotus à Sebennytico duo alia dividi oſtia in mare ferentia, τοῖσιν οὐνόματα κέεται, τῷ μὲν Σαϊτικὸν αὐτέων, τῷ δὲ Μενδήσιον. Idem porro Saïticum, & Taniticum. Strabo: εἶτα τὸ Τανιτικὸν στόμα, ὃ τινὲς Σαϊτικὸν λέγουσιν. Ergo Taniticum, & Mendeſium à Sebennytico derivantur, & abſcinduntur. Sic reliqui omnes Nili decurſus ἐκτροπῶν vice cenſebantur, ſolus Canopicus magiſtri, & principalis alvei inſtar obtinebat, unde & μεγάλος ποταμὸς vocabatur, & Ἀγαθὸς δαίμων. Sequitur apud Ptolemæum: ὅθεν ὁ τε Βουβαστιακὸς ποταμὸς, καὶ ὁ ἐφεξῆς κατὰ

A παράλληλον πῶς τῇ παραλίᾳ θέσει ἐπιζευγνύουσι τόν τε Θερμουθιακὸν, καὶ Ἀθριβιτικὸν, καὶ Βουσιρικὸν, καὶ Βουβαστικόν. Ἀφ' ὧν οἱ μὲν ἐς θάλασσαν διὰ τῶν παρακειμένων ἑλῶν τε καὶ λιμνῶν ἐκβάλλουσι κατὰ τὰ λοιπὰ στόματα, οἱ δὲ τοῖς εἰρημένοις μεγάλοις ποταμοῖς συμπλέκονται. Hæc verba obſcura ſunt: & nonnihil etiam corrupta. Senſus horum heîc eſſe debet: canales & foſſas tranſverſim ductas ex Bubaſtiaco amne, & ſequenti jungere inter ſe Thermuthiacum, Athribiticum, Buſiricum, & Bubaſtiacum ipſum, κατὰ παράλληλον θέσιν τῇ παραλίᾳ. Ita enim legendum: κατὰ παράλληλον πῶς τῇ παραλίᾳ θέσιν ἐπιζευγνύουσι. Ἡ παραλία eſt ora maritima Ægypti, quæ baſin trigoni, ſive

B Deltæ efficit, extenta a Peluſiaco oſtio ad Canopicum. Tranſverſæ foſſæ, ſive διώρυγες, quæ à Bubaſtiaco fluvio ductæ flumina ſupra dicta invicem jungunt, παράλληλον θέσιν quadamtenus efficiunt oræ maritimæ, & κατὰ παράλληλον ei reſpondent. Idem teſtatur Strabo his verbis: ἀπὸ γὰρ τῶν πρώτων μερῶν ἀπορρῶγες πολλαὶ καθ' ὅλην μεμελέτηνται τὴν νῆσον πολλὰ καὶ ῥέεθρα, καὶ νήσους ἐποίησαν, ὥστε ὅλην γενέσθαι πλωτὴν διωρύγων ἐπὶ διώρυξι τμηθεισῶν. Foſſe iſtæ aliæ ex aliis ductæ nectunt, ac veluti inter ſe ligant alveos fluminis ſparſos, ac diſparatos. Dicit ἀπὸ τῶν πρώτων μερῶν ἀπορρῶγας illas fieri: à Bubaſtiaco nempe alveo,

C qui ad Peluſiacum oſtium currit. Nam ibi πρῶτα μέρη fluminis Nili, ut in Canopico τὰ τελευταῖα. Stephanus τὸ Πηλουσιακὸν primum oſtium facit, ut & Diodorus, & reliqui. Itaque verba Ptolemæi, cujus mentem tenemus, ſic conſtitui poſſent: διώρυγές τε ἐκ τοῦ Βουβαστιακοῦ ποταμοῦ, καὶ τοῦ ἐφεξῆς, vel διόλκοι. Certè de illis foſſis, & facticiis canalibus intelligit, cum ſubjicit, ἀφ' ὧν οἱ μὲν εἰς θάλασσαν διὰ τῶν παρακειμένων ἑλῶν τε καὶ λιμνῶν ἐκβάλλουσιν, οἱ δὲ τοῖς εἰρημένοις μεγάλοις ποταμοῖς συμπλέκονται. Nam ex his canalibus alii exitus in mare habent per adpoſitas paludes, & reliqua oſtia ψευδόστομα, alii majoribus fluviis miſcentur, & iiſdem nimirum, quibus illi, oſtiis in ma-

D re properant. μεγάλους ποταμοὺς vocat alveos, ac decurſus Nili legitimos, ac perennes, qui magnorum fluminum inſtar ſinguli obtinent. Ammianus Marcellinus: *Et prater amnes plurimos ex alveo derivatos auctore, cadentéſque in ſuppares ejus, ſeptem navigabiles ſunt & undoſi, quibus ſubjecta vocabula veteres indiderunt. Heracleoticus, Bolbiticus, Sebennyticus, Pathmiticus, Mendeſius, Taniticus, & Peluſiacus.* Nominibus oſtiorum ipſos amnes appellat, cum tamen alia nomina habuiſſe ex Ptolemæo certum ſit. Hi ſunt igitur μεγάλοι ποταμοὶ Ptolemæo. Unus tamen ex his κατ' ἐξοχὴν appellatus eſt μεγάλος ποταμός. Atque is eſt Canopicus, ut ceteris major, & prin-

E cipalis alveus. Eo excepto Ariſtoteles reliqua omnia Nili videri dicit naturalia non eſſe, ſed manu facta Meteorolog. I. cap. XIV. Φαίνεται δ' ἓν καὶ τὰ στόματα πάντα πλὴν ἑνὸς τοῦ Κανωβικοῦ χειροποίητα καὶ οὐ τοῦ ποταμοῦ ὄντα. *Auctorem alveum* eleganter Ammianus appellat, ex quo reliqui derivantur, nos *magiſtrum* appellitamus vulgo. Sic *magiſtra via* Quintiliano: *hac mollior & magiſtra.* Ita libri; ubi vulgo correxere, & *magis ſtrata*, vel *magis trita*. Hæc via regia eſt. A qua ſemitæ, quæ ſecantur alıorſum, dictæ propriè ἐκτροπαί. Varro apud Nonium: *via una, ſed ectropæ multæ.* Gloſſæ: *diverticulum*, ἐκτροπὴ, καμπὴ ὁδοῦ. Inde & in fluviis ἐκτρέπονται bracchia,

F quæ ab auctore fluvio ἀποσχίζονται. E contra *canalis* à fluminibus ad viam traductum eſt. Nam *canalem* viam publicam veteres vocaſſe alibi obſervavimus. Hinc Conſtantinus de Imperio notat Sclavos χαλάνη vocare τὴν κατημαξευμένην ὁδόν. Quod ex Latino mutuatum eſt. Latini quoque *diverticula* in fluviis dixerunt, ut Græci ἐκτροπάς. Geographus noſter ineditus de Nilo: *currit per milia* DXX, *nullum oſtendit diverticulum.* Græci κέρατα, Latini *cornua*. Unde *bicornes fluvii*, qui in duo bracchia ſcinduntur. Idem auctor: *in bracchium Nili incidit, quod ceras Nili vocitatur. Secat hoc bracchium per magnam inundationem.* Idem auctor *bracchia* paſſim appel-

G lat. De Nilo: *exhinc per diverſa camporum ſpatia, per octo bracchia exiens effluit. Tota Ægyptiorum terra irrigata.* Alibi *crines* appellat. Nam *crines* capilli non ſunt ſimpliciter, ſed πλόκαμοι, & capilli in funem nexi. Hinc capillus in duos crines diviſus, qui duas facit σειράς. *Treſſas* vulgo vocamus. *Sex crinibus* ornari matronas ſolitas tradit Feſtus, ubi *ſex crines* ſunt ſex crinium plectæ. Martialis:

Por-

Portabat uxor Rufa crinibus ſeptem.

Inde *crines* pro fluminum bracchiis. Auctor ſub nomine Æthici de Danubio: *& ex ipſo fluminali circulo ſeptem crines fluminum procedunt infundentes ſe in Pontum.* Et paulò poſt: *ſed unus diffunditur per crines ſupraſcriptos.* Noſter geographus de Suavo: *& jungit ſe Danubio ad locum Myrſæ oppidum, & omnes ſimul per crines in Pontum ingrediuntur, & vocatur Iſter.* κλάδους etiam Græci dicunt, & Latini *ramos.* Sed ab his ectropis in viam. Principalis Nili alveus circa oſtia vocabatur Canopicus & Heracleoticus: circa Naucratim oppidum *Naucratiticus*: circa Schediam, quæ infra Naucratim in eodem alveo ſita eſt, *Schediæ fluvius.* Strabo: οὐ χάλεν ἡ Σχέδια ἔζευκται ἐπὶ τῷ ποταμῷ, ἀφ' ἧς ὄνομα τῷ ποταμῷ. Hunc alveum μέγαν ποταμὸν appellat ibidem, ut & Ptolemæus. Fallitur ergo Plinius, vel ille, unde ſumpſit, qui Ναυκρατικὸν & Ἡρακλεωτικὸν oſtium à Canopico diverſum ſtatuit, & idem cum Bolbitino.

De qua facibus accenſis] E turri accendebantur illæ faces, quæ *Pharos* dicebatur, eodem cum ipſa inſula nomine. Diodorus hoc epigrammate nondum edito:

Πύργος ὅδ' εἰναλίης ἐπὶ χοίραδος οὔνομα νήσου
Ταὐτὸν ἔχων, ὅρμου σύμβολον εἰμὶ Φάρος.

Minus planè, ac dilucide hoc loco Solinus tradit Pharon coloniam eſſe, de qua facibus accenſis dirigitur navigatio nocturna. Turris erat nomine Pharos in Pharo inſula, de qua faces noctu accendebantur ad regendum navium curſum. Quod rectè Plinius expreſſit, quem malè noſter imitatus eſt: *Pharus quondam diei navigatione diſtans ab Ægypto: nunc è turri nocturnis ignibus curſum navium regens.* Ammianus: *turris excelſa, quæ Pharos à loco ipſo cognominatur, prælucendi navibus nocturna ſuggerens miniſteria.* Strabo πύργον ὁμώνυμον τῇ νήσῳ dicit. Heſychius: Φάρος ἀκρωτήριον καὶ νῆσος ἐν Αἰγύπτῳ. Vocat ἀκρωτήριον, promontorium, vel eminens ſaxum, cui inædificata turris. Diodorus εἰναλίην χοίραδα. Strabo πέτραν περίκλυστον, lib. XVII. Hinc turres in portibus ad prælucendi miniſterium fabricatas *Pharos* dixere. Quod nomen hodiéque retinemus. Minus rectè *machinas* heîc vocat Solinus.

Nam Alexandria inſidioſo acceſſu aditur] Ammianus ex hoc loco, *hoc littus ne fallacibus, & inſidioſis acceſſibus affligeret, ut antea, navigantes.*

Fallacibus vadis, cæco mari] In optimo Regio: *fallacibus undis vadis.* Illud *undis* ex varia lectione eſt. Nam codices ſunt, in quibus legitur, *undis*: alii habent, *vadis.* Plinius: *namque fallacibus vadis Alexandria tribus omnino aditur alveis.* Sequitur: *tribuſque tantum canalibus admittit navigantes, Poſideo, Tegano, Tauro.* Ita ſcripſimus ex librorum auctoritate, qui partim *Poſtideo* habent, partim *Poſſidet.* Nam in antea excuſis ſcriptum *Poſidonio.* Pliniani etiam ſcribunt *Poſtideo* corruptè pro *Poſideo.* Huic canali nomen *Poſideum* à templo Neptuni. Strabo: εἶτα τὸ Ποσείδειον ἀγκών τις ἀπὸ τοῦ Ἐμπορίου καλουμένου προπεπτωκώς, ἔχων ἱερὸν Ποσειδῶνος, ᾧ προσθεὶς χῶμα Ἀντώνιος ἔτι μᾶλλον προνεύον εἰς μέσον τὸν λιμένα ἐπὶ τῷ ἄκρῳ κατεσκεύασε δίαιταν βασιλικήν, ἣν Τιμώνιον προσηγόρευσε. Ab illo igitur ancone, ſive cubito, vel aggere in medium portum prominente, canalis etiam dictus Ποσείδειον, *Poſideum.* Pro *Tegano* ſcripſerim *Stegano.* Et certiſſimum eſt ita hunc canalem vocatum Græcè fuiſſe στεγανόν. Sed in mendoſos Plinii codices incidit Solinus, in quibus, ut hodie, ſcriptum erat: *namque fallacibus vadis Alexandria tribus omnino aditur alveis maris, Tegano, Poſideo, Tauro.* Atqui legi debuit: *tribus omnino aditur alveis mari, Stegano, Poſideo, Tauro.* Perperam legitur *Tegamo* in vulgatis. Quod Græcum non eſt. Dicit Alexandriam mari adiri tribus tantum alveis. *Steganos* hic dicitur, quod eſſet στεγανός, clauſus, munitus, & firmè factus: vel ὁ δυνάμενος στέγειν, καὶ συνέχειν τὰς νῆας. Nam στεγανὸν propriè dicitur vas, quod liquorem bene continet, nec perfluit. Unde & στεγανὸς homo, qui ſecretum retinet, nec enuntiat. Comicus:

Plenus rimarum ſum, hac atque illac perfluo,

οὐ στεγανός εἰμι. Unde & σιωπηλὸν Græci τὸν στεγανὸν reddunt. Hinc στεγανώματα ad continendos parietes vincula. Heſychius: στεγανώματα, τὰ ἐν τοῖς τοίχοις οἱ λεγόμενοι σύνδεσμοι. Latinè *loramenta.* Gloſſæ: *loramentum*, ἱμάντωσις οἰκοδομῆς. Ita ſcribendum. In Græco ſcriptore λώρωσις τῶν τοίχων dicitur. Στεγαναὶ οἰκήσεις Dionyſio Halicarnaſſeo undique munitæ, clauſæ, & ædificatæ, ut ſunt turres. Nam τύρσιν genus ædificii eſſe ait, ἐντείχιον καὶ στεγανόν. Heſychius στεγανὸν interpretatur στεγνὸν σφιγκτὸν, πυκνὸν, συνεχές. Inde igitur στεγανὸς unus ex tribus canalibus Alexandriæ. At τεγανὸς Græcè non dicitur. Tertius alveus, ſive canalis dicebatur *Taurus.* Ita in Plinio, & Solino heîc legitur. Sed quare *Taurus*? An quia bifariam ſciſſus, ut tauri cornua? Putem potius ſcriptum fuiſſe *Tafro.* Inde *Tabro*, & *Tauro*, corruptè. Vocabatur Τάφρος ille canalis, quod eſſet ὀρυκτός. Atque eum eſſe crediderim, quem κιβωτὸν vocatum ſcribit Strabo. Ἑξῆς δ', inquit, Εὐνόστου λιμὴν μετὰ τὸ ἑπταστάδιον, καὶ ὑπὲρ τούτου ὀρυκτὸς, ὃν καὶ κιβωτὸν καλοῦσιν, ἔχων καὶ αὐτὸς νεώρια. Tres portus habebat Alexandria eodem Strabone teſte. Ergo totidem canales, ſive alveos, quibus ad eam mari accedebant navigantes. Primus dicebatur μέγας λιμὴν, in quo Ποσείδειον. Inde & canalis ille *Poſideon.* Secundus Εὐνόστου λιμὴν, quaſi dixeris boni adventus, vel boni reditus portum. Canalis, qui ad eum ferebat, στεγανὸς dictus. Tertius κιβωτὸς vocabatur, & foſſilis erat. Unde alveus, qui in eum portum mittebat, τάφρος nominabatur, id eſt, foſſa. Hoc ordine eos portus recenſet Strabo. Ita & canales Solinus in libris: *Poſideo, Stegano, Tafro.* Non dubium igitur, quin *Tafro* heîc, & apud Plinium legendum ſit pro *Tauro.* Etiam hodie multis in locis maritimis portus dicuntur *foſſæ*, præſertim foſſitii. Sed περὶ ὀρυκτῶν καὶ χυτῶν λιμένων nos alibi.

Ad prælucendi miniſterium fabricatas] Ammianus ex hoc loco: *pharos prælucendi navibus nocturna ſuggerens miniſteria.* Paulò poſt libri habent: *Pyramides turres ſunt in Ægypto faſtigatæ ultrà excelſitatem omnem, quæ fieri manu poſſit.* Quem locum imitatus eſt idem Ammianus lib. XXII. *Pyramides ultra omnem omnino altitudinem, quæ manu confici poteſt, erectæ ſunt turres.* Ita legendum in Ammiano. Vulgo eſt: *quæ humanis confici poteſt.* Voce *excelſitatis* etiam uſus eſt noſter infrà: *excelſitas elephantis fuerit Indicis eminentior.*

Pag. 45. B. *Menſuram umbrarum egreſſæ nullas habent umbras*] Ammianus: *quarum magnitudo, quoniam in celſitudinem nimiam ſcandens graciléſcit paulatim, umbras quoque mechanica ratione conſumit.*

Nunc ab Ægypto provehamus ſtilum] Ita libri noſtri. Vulgo: *promoveamus.* In aliis quibuſdam ſcribitur: *hinc ab Ægypto.* Ex diverſa lectione prioris editionis, quæ habuit: *hinc promoveamus ſtilum.* Pro quo in poſteriore poſuit: *nunc ab Ægypto provehamus ſtilum.* Ex quo hæc ſcripturarum mixtura facta eſt.

CAPUT XXXIII.

Arabia. In ea mira de fontibus, de moribus, & habitu populorum, de Eulæo flumine, de thure, de myrrha, de cinnamomo, de Phœnice ave, de cinnamolgis avibus, de gemma sardonyche, de lapide molochite, de iride, de androdamante, de pæderote lapide, de gemma Arabica.



PAg. 45. C. *Quod Erythræum ab Erythra rege*] Ita scribendum: licet libri quidam habeant *Erythro*, ut perperam ex suis edidit Delrius. Nam Græcis Ἐρύθρας, non Ἐρυθρὸς hic Rex dicitur. Et τὸ ἐθνικὸν Ἐρυθραῖος, ἀπὸ τοῦ Ἐρύθρα. Nam ab Ἐρυθρὸς esset Ἐρύθριος. Græci tamen Ἐρυθρὰν θάλασσαν vocant à colore, non à rege Erythra. Hinc Latini *rubrum mare*. At *Erythræum mare* videatur potius dictum ab Erythra rege quam à colore. Hinc Varro hoc loco *Erythræum ab Erythra rege, non solum à colore appellatum* dicit: quasi ἐρυθρὰν θάλασσαν à colore Græci vocaverint, Ἐρυθραῖον πόντον ab Erythra rege. Aliter ego sentio. Principale nomen est ἐρυθρὰ à colore deductum: Ἐρυθρὰ θάλασσα, *mare rubrum*, nec enim Ἐρυθρὰ dici potest ab Erythra rege. Τὸ ἐθνικὸν, sive τοπικὸν τῆς ἐρυθρᾶς est ἐρυθραῖος, ut urbium omnium, quibus hoc nomen. Inde *Erythrææ conchæ*, *Erythræi lapilli*, οἱ ἐκ τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης λίθοι. Inde & Ἐρυθραῖος ὠκεανὸς, Ἐρυθραῖος πόντος. Ut *urbs Romana* pro Roma: *urbs Alexandrina* pro Alexandria. Ut Ἱμεραῖος ποταμὸς, ὁ Ἱμέρας. Sic denique ὁ Ἐρυθραῖος βασιλεὺς, qui Ἐρύθρας. Igitur *Erythræum mare*, est ἡ Ἐρυθρά. Dionysius:

---- Ἐρυθραίοις ὑπὸ κύμασιν Ὠκεανοῖο.

Oceanum Erythræum, id est, rubrum vocant Theodosii Missi, *à meridie Oceano Erythro*. De Erythra rege corrigendus Curtius lib. VIII. *Ab Erythra rege inditum est nomen, propter quod ignari rubere aquas dicunt.* Vulgo est *Erythro*. Et lib. X. *Inter quæ rubrum mare non à colore undarum, ut plerique crederent, sed ab Erythro rege appellari.* Lege, *ab Erythra Rege*. Male igitur Latini, qui *rubrum mare* dicunt, quod erat dicendum *Erythræum* ab Erythra rege. Dionysius Ἐρυθραῖον βασιλῆα vocat:

Ὠγυγίης ἔνθα τε τύμβος Ἐρυθραίου βασιλῆος.

Ubi *Erythræum regem* vertunt antiqui interpretes Avienus, & Priscianus. Atqui est *Erythras*. Plinius & Mela: *Ogyris clara Erythra rege ibi sepulto*. Sic Ἱμεραῖος ποταμὸς, ὁ Ἱμέρας. Unde *Himeræum flumen* Solino. Sic Ῥηβαῖος ὁ Ῥήβας. *Erythrum* porro pro *Erythra* appellare idem est, ac si quis *Æneum* diceret, qui est Æneas. In his sæpe peccant homines eruditi, quæ tamen sunt pervulgatissima.

Ac furvo postmodum nigrescant colore] In aliis erat *fulvo*. Martianus ex hoc loco: *mare Erythræum à colore dictum etiam rubrum: nam fons est in littore, quem cum greges biberint, in rubrum colorem incipiunt mutare lanas.* Strabo è Ctesia refert in littore rubri maris fontem esse, qui ὕδωρ ἐρυθρὲς, & μιλτῶδες in mare mittat. Ergo idem hic fons, de quo Varro. Vereor igitur, ut verior sit altera lectio, quæ habuit *fulvo*. Sic vocaverit noster colorem rubrum nigro infuscatum. Ita *ferrugo nigra* dicitur.

Pag. 45. D. *Hæc Arabia procedit adusque illam odoriferam, & divitem terram, quam Catabanes, & Scenitæ tenent*] Ergo hæc Arabia, quæ ultra Pelusiacum est, & ad rubrum pertingit mare, diversa est ab illa odorifera & divite, quam Catabanes & Scenitæ tenent, juxta Solini sententiam. In qua multa culpæ affinia, & venia indigna possunt notari. Illud præcipuum, & maxime Solino sollemne, quod à Plinii mente discedit, cujus hæc verba sunt: *ultra Pelusiacum Arabia est ad rubrum mare pertinens, & odoriferam illam, ac divitem, & Beatæ cognomine inclytam. Hæc Catabanum, & Esbonitarum, & Scenitarum Arabum vocatur, sterilis præterquam ubi Syriæ confinia attingit, nec nisi Casio monte nobilis.* Arabiam hanc, quæ ultra Pelusiacum est, ad rubrum mare pertinens, & quæ usque ad odoriferam illam, ac divitem procedit, Catabanum & Scenitarum dicit esse Plinius: Solinus contra odoriferam Catabanis, & Scenitis teneri scribit, qui Casio monte nobiles sunt.
A Quod est absurdissimum, & prorsus contrarium menti Plinianæ. Sed verba illa auctoris sui, *Hæc Catabanum, & Esbonitarum, & Scenitarum Arabum vocatur*, de divite illa, ac Beatæ cognomine inclyta accepit, cum referenda sint ad priorem, quæ ultra Pelusium est. Ergo hallucinatus est more suo. Multa tamen sunt, quæ eum ab hoc errore prohibere potuerunt. Sterilem esse Felicem Arabiam, nisi ubi Syriæ confinia attingit, dici non potest, utpote quæ nec Syriæ confinis sit. Hoc magis illi conveniat, quæ propriè dicitur Ἔρημος. Præterea cum tam multæ res sint, quæ odoriferam illam, ac
B Beatæ cognomine inclytam nobilitent; non diceret puto Plinius eam Casio tantum monte esse nobilem. Postremo Casius mons non est Arabiæ Felicis, sed Petrææ, quæ Judææ collimitatur. Ne Scenitæ quidem Arabes Beatam illam incolunt, sed desertam, & sterilem, τὴν Ἔρημον. Strabo de Scenitis Arabibus: τὰ δὲ τούτων ἐπὶ νοτιώτερα ἔχουσιν οἱ τὴν Εὐδαίμονα καλουμένην Ἀραβίαν οἰκοῦντες. Nunc Pliniana expendamus: nam nec ipse extra culpam est, & dum alios similiter sequitur, male id, quod dixerunt, assequitur. Scribit ultra Pelusiacum Arabiam esse, eamque ad rubrum mare pertinere, & odoriferam illam, quæ Beata, hoc est, Εὐδαίμων cognominatur.
C Ergo Arabia, quæ à Pelusiaco ad rubrum mare pertinet, diversa ab odorifera, & beata. Atqui Εὐδαίμονα Ἀραβίαν ad rubrum mare pertinere, quo & terminatur ad meridiem, omnes tradunt. Quippe Arabia Felix ab occidente habet sinum Arabicum, ab oriente Persicum, à meridie rubrum mare, à septentrione Petrææ simul, & desertæ Arabiæ limites. Sola itaque Arabia Felix ad rubrum mare pertingit. At Plinius, & ex eo Solinus, Arabiam illam, quæ à Pelusiaco incipit, usque ad mare rubrum pertinere scribunt, & procedere usque ad odoriferam, & beatam. Quod profecto
D mirum est: quasi mari rubro finiatur Arabia Petræa, atque ubi hæc desinit, incipiat Arabia Eudæmon, quam tamen constat per totum sinum Arabicum extendi, & usque ad rubrum mare porrigi. Sed Melæ verba videamus, à quo Plinius sumpsit: *Arabia hinc* (id est, à Pelusiaco Ægypti) *ad rubrum mare pertinet, sed illic magis læta, & ditior thure, atque odoribus abundat: hic, nisi quà Casio monte attollitur, plana, & sterilis, portum admittit Azotum suarum mercium emporium.* Arabia omnis, ut notum est, dividitur in *Petræam*, atque eam, quæ *Deserta* dicitur, & *Eudæmonem*. Loquitur Mela de universa Arabia, cum dicit eam ab Ægypti Pelusio ad rubrum
E mare pertinere. Nam Petræa & sterilis ab Ægypto incipit, at Beata ad rubrum mare pertingit. Ait *illic*, id est, ad rubrum mare, Arabiam magis lætam, & ditiorem esse, thure, atque odoribus abundare. Hinc *illa odorifera*, & *dives*, & *beatæ cognomine inclyta* apud Plinium. *Heîc* vero, id est, ad Ægyptum sterilem esse, & planam, nisi qua Casio monte attollitur. Nam Casius mons πρὸς Αἰγύπτῳ, καὶ πρὸς Πηλουσίῳ dicitur Straboni. Hæc est, quam *sterilem* vocat Plinius, & Casio tantum monte nobilem. Verum hæc sterilis non ad rubrum mare pertinet, sed usque ad odoriferam, & Eudæmonem procedit: quæ
F Eudæmon rursus per latus sinus Arabici extenta ad rubrum mare pertingit, eoque mari meridiem versus finitur. Hic sensus, hæc sententia Pomponii. Quid Plinio faciendum, qui sterilem Arabiam usque ad rubrum mare porrigit, & ab Arabia Felice discernit? Profecto haud dubium est, quin rubri maris appellatione sinum Arabicum comprehendat. *Mare rubrum*, quem *Oceanum Erythræum* vocant Theodosii Missi, scinditur in duos sinus, *Persicum* & *Arabicum*. Arabici & os arctius, & latitudo minor est, quam Persici, ut te-
G stantur auctores. Hunc itaque Plinius rubri maris appellatione intellexit, cum Arabiam, quæ ultra Pelusiacum est, usque ad mare rubrum, & odoriferam, & Eudæmonem pertinere dixit. Sic loquitur eodem illo capite:

Heroopoliticus vocatur, alterque Ælaniticus sinus Rubri maris in Ægyptum vergentis. Rubrum mare in Ægyptum vergens est sinus Arabicus, per quem in Ægyptum illud mare vergit: in cujus sinus intimo duo alii sinus sunt, *Ælaniticus*, & *Heroopoliticus*. De quibus paulo post. Idem lib. VI. cap. XXVIII. *Ipsa vero peninsula Arabia inter duo maria rubrum, Persicumque procurrens.* Ubi *maris rubri* nomine & mare illud, quod propriè *rubrum* vocatur, & sinum ejus Arabicum comprehendi palam est. Nam Arabia Eudæmon inter sinum Arabicum, & Persicum quasi peninsula procurrit, & præterea rubro mari clauditur à tergo, ex quo duo sinus supra scripti aperiuntur. Dionysius de Arabia Felice:

---- διαστῇ ζωσθεῖσα θαλάσσῃ
Περσίδι τ' Ἀραβίῃ τε ----

Et paulo post:

Πέζα δ' οἱ νοτίη τετραμμένη ἀντολίηνδε
Κλύζετ' Ἐρυθραίοις ὑπὸ κύμασιν Ὠκεανοῖο.

Missi Theodosii: *Arabia Eudæmon inter duos sinus Arabicum & Persicum.* Mitto alios testes in re nota. An quia sinus Arabicus minor esset, rubri maris appellatione comprehenditur à Plinio? Mirum tamen est, cum duo illi sinus ex mari Erythræo oriantur, Arabicum potius quam Persicum Erythræi nomine involvi. Idem alio loco Erythræum mare, sive rubrum geminum esse dicit lib. VI. cap. XXIII. *Irrumpit deinde & in hac parte geminum mare in terras, quod rubrum dixere nostri, Græci Erythræum à rege Erythra.* Quare geminum? Quia in duo sinus dividitur, Persicum & Arabicum. Ergo duo illi sinus rubrum mare constituunt juxta Plinii sententiam. Scribit enim capite sequenti ex his duobus sinibus eum, qui ab oriente est, Persicum appellari: ex adverso esse Arabiam, *quæ rursus ambitur altero sinu Arabico nominato:* Oceanum, qui influit, vocari Azanium. Ergo duas partes facit Erythræi maris, quæ totum reddunt sinum nempe Arabicum & Persicum. Atque ut Erythræi maris nomine supra sinum etiam Arabicum complexus erat, ita è diverso heic sinus Arabici appellatione mare etiam rubrum comprehendit. Mare quidem rubrum geminum esse dixit ex Persico & Arabico sinibus compositum, ita ut Persicus etiam sinus pars sit censenda maris Erythræi: nihilominus tamen maris Erythræi nomen proprie donat Arabico sinui, quasi parti majori. Nam totum illud mare, quod ab intimo recessu sinus Arabici patet usque ad Persicum sinum, aut sinus Arabici, aut maris Erythræi appellatione donat. Ideo & Arabiam ambiri sinu Arabico dixit. Nam per totum illum ambitum maris Arabia περιπλεῖται χερσοννησοειδὴς τυγχάνουσα, ut testatur Martianus, & reliqui. Spatium illud, ut dixi, nunc *mare rubrum* Plinius, nunc *sinum Arabicum* nuncupat. Non ita Græci plerique, qui ἐρυθρὰν θάλασσαν sic proprie vocatam distinguunt tum à sinu Arabico, tum Persico. Martianus: μετὰ δὲ τὸ στόμα τοῦ Ἀραβίου κόλπου ἑξῆς ἐστιν ἡ Ἐρυθρὰ θάλασσα, deinde Indicum pelagus, tum sinus Persicus. Atque ita idem alibi: πλέοντι τοίνυν τὸν Ἀράβιον κόλπον, καὶ ἀριστερὰν ἔχοντι τὴν ἤπειρον, πρώτη μέν ἐστιν ἡ Εὐδαίμων Ἀραβία περὶ ὅλον τὸν Ἀράβιον διήκουσα κόλπον μέχρι τοῦ προρηθέντος Ἀραβίου κόλπου, μετὰ δὲ τὰ στενὰ τοῦ Ἀραβίου κόλπου ἐκδέχεται ἡ ἐρυθρὰ θάλασσα. Omnis sinus, qui ducitur ex majori mari, habet *os*, & *recessum*. Græci στόμα dicunt, & μυχόν. Os dicitur, & πορθμὸς, qua parte terras irrumpit, ac separatur ab Oceani sui, vel maris corpore. Sic τὰ στενὰ, τὸ στόμα, ὁ πορθμὸς τοῦ Ἀραβίου κόλπου idem sunt. Μυχὸς vero appellatur pars ultima recessus, ubi post longum in terras excursum desinit sinus. Dionysius μυχατὸν πόρον vocat de sinu Arabico, cujus sinus Arabici μυχὸς proximat Ægypto, & Arabiæ Petrææ. In illo μυχῷ urbes duæ, *Heroum oppidum* versus Ægyptum, & *Elana* versus orientem: unde duo sinus *Heroopoliticus* & *Elaniticus*. Dionysius Periegetes scribit Elanis Arabiam Felicem, & Syriam Arabici sinus μυχῷ distermiṇari. Versus adscribam, ut eos emendem, & explicem:

Τῆς δ' ἂν ἴδοις προτέρω νοτιώτερον οἶμον ὁδόων,
Ἀῤῥαβικοῦ κόλπου μυχατὸν πόρον, ὅς τε μεσηγὺ
Εἰλεῖται Συρίης τε καὶ Ἀῤῥαβίης ἐρατεινῆς,
Τυτθὸν ἐπ' ἀντολίην τετραμμένος ἄχρι Σελανῶν.

Ubi Σελανοὺς populum Arabiæ vocari notat Græcus in-

A terpres. Sed nugatur. Legendum enim, ut quidam codices præferunt, ἄχρις Ἐλανῶν. Τὰ Ἔλανα urbs ἐν τῷ μυχῷ Arabici sinus, orientem versus, quam alii Αἴλανα, unde sinus Αἰλανίτης, qui Ἐλανίτης aliis, & populi Ἐλανῖται. Avienus locum illum Dionysii sic reddidit: de sinu Arabico:

Et tamen Eoos paulum inclinatur ad axes
Usque in belligeri confinia flexus Elani.

Ita scribendum. Nam vulgo malè excuditur, *Hanali*. Legit in Græcis ἄχρις Ἐλάνων, & Ἐλάνους accepit ἀντὶ τοῦ Ἐλανίτας. Nam urbs Ἔλανα, incolæ etiam Ἐλάνοι more tralaticio: Sic τὰ Βάκτρα, cives Βάκτροι, & *Ala-*
B *bastri* pro *Alabastritæ* ab urbe, quæ dicitur Ἀλάβαστρα. Et ita alia multa. Priscianus quoque sic vertit & accepit:

Et tangit vergens orientem versus Elanos.

Elanos nimirum pro Elanitis. Sed in Græco τὰ Ἔλανα sunt, urbs nimirum ipsa, ἄχρις Ἐλάνων. Plinius *Ælana* vocat τὰ Αἴλανα hoc ipso capite XI. lib. V. *Heroopoliticus vocatur, alterque Ælaniticus, sinus rubri maris in Ægyptum vergentis,* CL M *passuum intervallo inter duo oppida Ælana, & in nostro mari Gazam.* Martianus Heracleota Αἴλανον appellat, & hoc intervallum inter Ælana oppidum, & Gazam mille ducentis & sexaginta stadiis metitur, hoc est, centum quinquaginta & octo
C millibus passuum, dimidio minus. Ἐστὶ γὰρ ἀπὸ Γάζης τῆς ἐν Παλαιστίνῃ πόλεως ἐπὶ τὸν μυχὸν τοῦ Ἀραβίου κόλπου, καὶ τὸν προειρημένον Αἴλανον πεζῇ πρὸς τὴν μεσημβρίαν τῆς πορείας γινομένης στάδια ασξ'. Male scribitur: καὶ τὸν προειρημένον μύλαν. Legi etiam posset, καὶ τὸν προειρημένον Αἰλανίτην, vel Αἴλαν. Quod propius est. Nam κόλπον ipsum Αἴλαν vocatum notat Stephanus. Meminit paulo ante Αἰλανίτου μυχοῦ sinus Arabici: ἀρξόμεθα δὲ τοῦ περίπλου ἀπὸ τοῦ Ἀραβικοῦ κόλπου, καὶ τοῦ μυχοῦ αὐτοῦ καλουμένου Αἰλανίτου. Ubi perperam scriptum in editionibus Ἀτζανίτου. De hoc sinu, sive recessu potius intimo sinus Arabici corrigenda
D verba Plinii lib. VI. cap. XXVIII. *Sinus intimus, in quo Læanitæ, qui nomen ei dedere. Regia eorum Adra & in sinu Læana, vel ut alii, Ælana: nam & ipsum sinum nostri Ælaniticum scripsere, alii Aïlaniticum, Artemidorus Elaniticum, Juba Læaniticum.* Urbis hujus nomen, quæ sinui nomen dedit, tot modis scripsere, aliis, Αἴλανα, aliis Αἴλανα, aliis Λαίανα, aliis Ἔανα. Stephanus: Αἴλανον, πόλις Ἀραβίας, ἧς ὁ πολίτης, Αἰλανίτης. Glauco in Arabicis Αἴλαν vocari ibidem scribit: τινὲς δὲ κόλπον Αἴλαν φασίν, τὸ Γλαῦκος δὲ κώμην αὐτὴν λέγει ἐν Ἀραβικῶν τρίτῳ, πρὸς ἕω τῆς Αἴλας. Ita etiam vocat Strabo lib. XVI. Ἐντεῦθεν δὲ ὑπέρβασις λέγεται χιλίων διακοσίων ἑξήκοντα
E σταδίων εἰς Αἴλαν πόλιν ἐπὶ τῷ μυχῷ τοῦ Ἀραβίου κόλπου κειμένην. Malè vulgo legitur, εἰς Ἀείλαν πόλιν. Et malè corrigunt eruditi viri, εἰς Ἐλάναν. Licet ita etiam vocetur Straboni alio loco, & Artemidoro, & Ptolemæo. In Concilio Nicæno ex Palæstina provincia subscripsit Petrus Episcopus *Aïlensis*, ab hac Aïla. Inter Syriam, & Arabiam ἐρατεινὴν sinum illum intimum fundi scribit idem Dionysius. Per Arabiam ἐρατεινὴν clarum est intelligi τὴν Εὐδαίμονα. Syriæ vero nomine Arabiam Petræam intelligit, quæ Syriæ, sive Judææ contermina est. Sic *Petræam Judæam* pro Petræa Arabia dixisse quosdam suprà notavimus. Et notat Eustathius Ἄραβας
F etiam Σύρους vocari quibusdam, διὰ τὴν ἐκ τοῦ ὁμορεῖν ἐπιμιξίαν αὐτῶν. Sequitur apud Dionysium:

Κεῖθεν δ' ὀλβίστων Ἀράβων περιπέπταται αἶα.

Hinc, ab intimo scilicet Arabici sinus, expanditur per totum sinum Arabia felix. Nec enim ambigendum, quin per ὀλβίστους Ἄραβας intelligat Arabiæ divitis, ac beatæ populos. Et rectè Priscianus vertit:

Dives Arabs post quos latissima possidet arva.

Nam & illorum Arabum regionem sinu Arabico, & Persico cingi ibidem scribit Dionysius, & rubro mari ad meridiem allui. Quem situm Arabiæ Eudæmonis esse tradunt veteres. Avienus vero in eadem illa de-
G scriptione, quam ex Græco Dionysii transtulit, Arabiam, quæ post Elana sequitur, quæque inter Arabicum, & Persicum sinum porrigitur, diversam statuit ab Eudæmone, quam ad rubrum mare constituit, prorsus contra Græci poëtæ mentem, & omnium geographorum auctoritatem. Sic enim vertit:

Hinc tellus Arabum producit cespite campos,
Et latera ab gemino sale tingitur, abluit æstus.

Persicus

Persicus hanc, Arabumque sinus rigat æquore terram.

Non simpliciter Ἀράβων γαῖαν inter illos duos sinus includi Græcus auctor dicit, sed ὀλβίστων Ἀράβων, id est, Arabiam felicem. Sequitur apud Avienum:

Pars alia in primos, qua semet porrigit, ortus,
Et notus insurgit cum nubifer, æquore rubri
Tangitur Oceani, felici terra recumbit
Tota solo.

Arabiam Eudæmonem ad mare rubrum recumbere dicit, & aliam facit ab ea, quæ inter Arabicum sinum, & Persicum sese extendit, manifesto errore: quem tamen hausisse videtur ex Plinii verbis malè intellectis. Cum enim scribat ille *Arabiam à Pelusio pertinere ad rubrum mare, & odoriferam illam ac beatam*, putavit Avienus rubrum mare sic accipi debere, ut vulgo Græcis, ac Latinis plerisque sumebatur pro illa parte maris, vel Oceani meridionalis, ex quo duo supradicti sinus funduntur, Arabicus & Persicus. Arabiam igitur, quæ pertineret ad rubrum mare, inter sinus Arabicum & Persicum includi, & usque ad odoriferam, & beatam procedere, quæ ad rubrum mare tota ipsa recumberet. Verùm nihil tale sonant Græca Dionysii, quem reddidit Latinè, nec Plinii Latina, quem sequutus est. Græca sic habent:

Πέζα δ᾽ οἱ νοτίη τετραμμένη ἀντολίην δὲ
κλύζετ᾽ Ἐρυθραίοις ὑπὸ κύμασιν Ὠκεανοῖο.

Ejusdem nimirum Arabiæ πέζα, quam ὀλβίστων Ἀράβων αἶαν ante vocavit, & quam inter duo sinus Arabicum, & Persicum patere dixit, illius inquam Arabiæ πέζα mari rubro alluitur. Atque hæc est Arabia felix, quæ cum longior sit quam latior, ex duabus longitudinis extremitatibus, ea quæ ad septentrionem mediterranea est inter Persicum, & Arabicum mare, αὐχὴν censebatur, quod esset αὐχὴν peninsulæ. Quæ vero ad meridiem mari cingitur tota, vocabatur πέζα, ut heic eam appellat Dionysius. Quæ pars tamen superior Arabia vocabatur. Τὴν ἄνω Ἀραβίαν vocant Diodorus, Agatharchides, & Artemidorus, quæ ad mare rubrum sita est, quod ex eo Oceano sinus influat in terras, inferior autem Arabia, quæ Syriam attingit. Servius: *tres sunt Arabiæ, Inferior, Petrodes, & Eudæmon*. Nam Eudæmon superior. At quam πέζαν Dionysius, ἐσχάτην μοῖραν τῆς Ἀραβίας Εὐδαίμονος vocavit Erathostenes apud Strabonem, quæ rubro mari alluitur, quam & in quatuor pagos dividit, Sabæos, Minnæos, Chatramotitas & Catabanes. Αὐχὴν vero id erat, quod diximus. Martianus Heracleota: τὰ δὲ περὶ τὸν αὐχένα τῆς Εὐδαίμονος Ἀραβίας μετὰ τὴν Πετραίαν, καὶ τὴν Ἔρημον Ἀραβίαν κατέχουσιν οἱ λεγόμενοι Σαρακηνοί. Vocat αὐχένα τῆς Εὐδαίμονος Ἀραβίας eam, quam diximus, partem, quæ opposita est τῇ πέζῃ. Quod ad Plinium attinet, jam ostendimus rubri maris denominatione totum Arabicum sinum cum ea parte maris, quam Græci ἐρυθρὰν θάλασσαν vocant, designasse. Arabia itaque ultra Pelusiacum, quæ ad rubrum mare pertinet, & beatam Arabiam, ea est, quæ ad intimum sinum Arabicum pertinet, in quo oppidum Elana: nam ab eo μυχῷ sinus Arabici exordium sumit Arabia Eudæmon, ut disertè Dionysius, & reliqui veterum testantur. Nec solus porro Plinius ex veteribus Erythræum mare idem esse cum sinu Arabico censuit: habuit enim quos sequeretur. Eustathius: ἕτεροι δὲ τὸν Ἀραβικὸν κόλπον, καὶ τὸν Ἐρυθραῖον ταυτίζοντες ἱστοροῦσιν ὅτι ὁ Ἐρυθραῖος κόλπος ποταμοῦ δίκην στενός ἐστι, καὶ μακρὸς ἐπὶ πολλοὺς πάνυ σταδίους μέχρι τοῦ στόματος στενοῦ, καὶ αὐτοῦ παντάπασιν ὄντος. Ita accipitur apud Procopium Persicῶn I. Τὰ Παλαιστίνης ὅρια πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον ἐς θάλασσαν τὴν Ἐρυθρὰν καλουμένην διήκηνται. Ubi ἐρυθρὰ θάλασσα est sinus Arabicus, qui Syriæ fines, & Arabiæ felicis disterminat, ut ex Dionysio paulo ante diximus. Sequitur apud eumdem: αὕτη δὲ ἡ θάλασσα ἐξ Ἰνδῶν ἀρχομένη ἐνταῦθα τελευτᾷ τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς. Καὶ πόλις Αἴλας, καλουμένη πρὸς τῇ ταύτης ἠιόνι ἐστι. Urbs Αἴλας est, quam Straboni Αἴλαν vocari suprà ostendimus, quæ aliis Ἐλάνα, vel Αἰλανα, in intimo sinu posita Arabici maris. Sic denique nomen ἐρυθρᾶς θαλάσσης accipiendum apud Cononem in excerptis Phothii: καὶ εἶναι τῆς Κηφέως βασιλείαν τό τε ἐν τῇ μετονομασθείσῃ μὲν ὕστερον Φοινίκῃ, τηνικαῦτα δὲ Ἰόππη, ἀπὸ Ἰόππης τῆς ἐπιθαλασσιδίου πόλεως τοὔνομα λαβούσῃ. Καὶ ἦν τὰ τῆς ἀρχῆς ὅρια

A ἀπὸ τῆς καθ᾽ ἡμᾶς θαλάσσης, μέχρις Ἀράβων τῶν πρὸς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν ᾠκημένων, id est, *usque ad Arabas, qui Arabicum sinum in intimo ejus recessu incolunt*. Eo sensu & Plinius *rubrum mare* vocavit. At plerique veterum Ἐρυθρὰν θάλασσαν propriè nominarunt eam partem maris Oceani, quæ extra utrumque sinum est, inter utriusque sinus fauces. Strabo de Arabia Felice: τὸ δὲ νότιον ἡ μεγάλη θάλασσα ἡ ἔξω τῶν κόλπων ἀμφοῖν, ἣν ἅπασαν Ἐρυθρὰν καλοῦσιν. Dionysius Ἐρυθραῖον Oceanum vocat, Missi Theodosii *Oceanum Erythrum*. Plinius *Azanium* appellat. Latius usurpavit nomen Erythræi maris Arrianus in Periplu. Verum de his alibi. Ut Plinium explicaremus, hæc tot dicenda fuerunt.

B *Quam Catabani, & Scenitæ tenent Arabes, nobiles monte Casio*] Ita distinximus: nam vulgo erat: *quam Catabanes, & Scenitæ tenent. Arabes nobiles monte Casio.* Græcis Σκηνῖται Ἄραβες ἐπιθετικῶς dicuntur, quod sub tentoriis degerent. Plinio *Scenitæ Arabes*, qui eos incolere dicit Arabiam ultra Pelusiacum, quæ usque ad Beatam procedit. At Solinus Arabiam Felicem eos tenere heîc scribit ex male acceptis Plinii verbis. Arabia ultra Pelusiacum, quæ ad mare rubrum pertinet, Petræa est Arabia, quæ ab Ægypto ad intimum recessum sinus Arabici pertinet, ubi Elana oppidum, & ab eo
C sinus Elanites. Nam *rubrum mare* Plinio sinus est Arabicus. Quod nec Solinus hoc loco, nec Avienus in paraphrasi Dionysii de situ orbis animadvertisse videntur. Petræa Arabia juxta Ptolemæum ab occidente Ægypti parte terminatur, id est, Pelusiaco, ad septentrionem, Judæa: ad meridiem intimo recessu sinus Arabici, qui ab Heroum oppido ad Elana procedit orientem versus. Hæc igitur est Arabia, quam Plinius *Catabanum, Esbonitarum, & Scenitarum Arabum vocari* ait. De Catabanis, & Esbonitis an verum dicat, mox videbimus. De Scenitis Arabibus nunc id videndum. Strabo describens ea, quæ inter Mesopo-
D tamiam, & Cœlosyriam intersunt, τὸ πλησιάζον ποταμῷ, καὶ τῇ Μεσοποταμίᾳ Σκηνίτας κατέχειν Ἄραβας dicit. Super hos πολλὴν ἔρημον τὰ δὲ τούτων ἔτι νοτιώτερα ἔχουσιν οἱ τὴν Εὐδαίμονα καλουμένην οἰκοῦντες. Ibidem τοὺς ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ Σκηνίτας eos nominat. Et paulo ante de his ita scribit: τὰ δὲ πρὸς μεσημβρίαν κεκλιμένα τῆς Μεσοποταμίας, καὶ ἀπωτέρω τῶν ὀρῶν ἄνυδρα καὶ λυπρὰ ὄντα ἔχουσιν οἱ Σκηνῖται Ἄραβες. Non igitur Ægypto propinqui hi Scenitæ Arabes. Plinius ipse lib. VI. cap. XXVIII. *Nomadas infestatoresque Chaldæorum Scenitæ, ut diximus, claudunt, & ipsi vagi.* Ubi hoc dixit? Libro eodem cap.
E XXVI de Euphrate: *ubi desiit alveo munire ad confinium Characis accedente tractu, statim infestant Attali latrones, Arabum gens. Ultra quos Scenitæ. Ambitu vero Euphratis Nomades Arabiæ usque ad deserta Syriæ, unde eum in meridiem flecti diximus solitudines Palmyrenas relinquentem.* Igitur post Palmyrenas solitudines statim sequuntur Nomades Arabes, deinde *Attali* infestatores Chaldæorum, & ipsi gens Arabum, quos claudunt denique Scenitæ Arabes. Idem cap. XXVIII: *lævà fluminis Chaldæi obtinent, dextra Nomades Scenitæ.* Atqui suprà Nomadas Arabes à Scenitis distinxerat. An igitur distinguendum, *Nomades, Scenitæ?* Sed hos eosdem Scenitas Νο-
F μάδας Σκηνίτας vocat Strabo lib. XVI de Euphrate: τὰ δ᾽ ἐντὸς ἔχουσι Ῥωμαῖοι, καὶ τῶν Ἀράβων φύλαρχοι μέχρι Βαβυλωνίας, οἱ μὲν μᾶλλον ἐκείνοις, οἱ δὲ τοῖς Ῥωμαίοις προσέχοντες, ἧττον μὲν Σκηνῖται οἱ Νόμαδες οἱ τῷ ποταμῷ πλησίον, μᾶλλον δὲ οἱ ἄπωθεν, καὶ πρὸς τῇ Εὐδαίμονι Ἀραβίᾳ. An legendum, ἧττον μὲν Σκηνῖται ἢ Νόμαδες? Ut alibi: τὰ δὲ πολλὰ κατέχουσι Σκηνῖται καὶ Νόμαδες. Sed nihil mutandum. Scenitæ illi Arabes, qui Euphratem accolunt & intra Euphratem, diversi quidem ab illis Nomadibus Arabiæ, qui usque ad solitudines Palmyrenas pertingunt, ipsi tamen nihilominus Nomades, id est, pabulationibus vagabundis errantes. Plinius:
G *Nomadas infestatoresque Chaldæorum Scenitæ claudunt, & ipsi vagi*, id est, & ipsi Nomades. Non omnes Nomades Σκηνῖται sunt, nam Scythiæ Nomades sunt Ἀμαξῖται, non Σκηνῖται: sed nec omnes Σκηνῖται Nomades. Nam Sabæi Σκηνῖται, & alii plerique sub tentoriis quidem habitant, sed non vagantur. Alii Nomades simul sunt & Scenitæ, ut illi Scenitæ Arabes, qui Mesopotamiam habitant. Quærendum igitur an de his Scenitis

tis Arabibus intellexerit Plinius, cum dixit Arabiam ultra Pelusiacum Scenitarum Arabum esse. Sanè illi Scenitæ Arabes nec in Petræa Ἀραβίᾳ, nec in deserta, sed in Mesopotamia censebantur. Inde Strabo Arabiam à Syria usque ad Mesopotamiam protendi scripsit, χωρὶς τῶν ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ Σκηνιτῶν Ἀράβων. Præterea diversi hi Scenitæ Arabes Mesopotamiæ, & Euphratis accolæ, ab illis Scenitis, quos Ptolemæus in Felicis Arabiæ mediterraneo collocat ad montes, qui septentrionem versus attolluntur. Ita enim scribit in Arabiæ Eudæmonis descriptione: κατέχουσι δὲ τὴν μεσογαίαν, παρὰ μὲν τὰς ὀρεινὰς, τὰς πρὸς ἄρκτους ὡς ἐπίπαν Σκηνῖται. Saracenos his Scenitis μεσημβρινωτέρους facit. Τούτων δὲ, inquit, μεσημβρινώτεροι Σαρακηνοί. Hos eosdem Saracenos Martianus Heracleota ponit περὶ τὸν αὐχένα τῆς Εὐδαίμονος Ἀραβίας, in septentrionali scilicet Arabiæ Felicis latere. Γειτνιῶσι γοῦν, inquit, ἔστι τῇ Πετραίᾳ Ἀραβίᾳ, καὶ τῇ Ἐρήμῳ Ἀραβίᾳ, καὶ τῇ Παλαιστίνῃ, καὶ τῇ Περσίδι, καὶ ἀκολούθως τῇ προειρημένῃ Εὐδαίμονι Ἀραβίᾳ. Ita de his loquitur, quasi diversa gens ab Arabum gente fuerit: nam nulli eos Arabiæ accensent. Sanè in epistola Valeriani Imperatoris ad Aurelianum, quæ apud Vopiscum legitur, Saraceni sagittarii separantur à sagittariis Arabibus: *habes Ityreos sagittarios trecentos, Armenios sexcentos, Arabas centum quinquaginta, Saracenos ducentos.* Non dubium tamen est gentem Arabum fuisse. Nam & recentiores omnes Græci, Latinique Saracenos cum Scenitis Arabibus confundunt. Ammianus lib. XXIII. *Scenitas Arabas, quos Saracenos posteritas appellavit.* Quasi apud veteres nulla Saracenorum mentio fuerit, quod falsum est. Idem alio loco: & *Scenitas prætenditur Arabas, quos Saracenos nunc appellamus.* Quasi qui veteribus appellati sunt Scenitæ Arabes, ætas Ammiani *Saracenos* vocaverit. Atqui Σαρακηνοὺς Ptolemæus distinguit ἀπὸ τῶν Ἀράβων Σκηνιτῶν, licet vicinos faciat: sed cum non unum genus Scenitarum Arabum fuerit, posterior ætas, quoscunque Scenitas Arabes, & ubicunque positos vocavit Saracenos, quare? Quia & ipsi Saraceni σκηνῖται & Νόμαδες. Inde omnes Scenitas & Nomadas Arabes etiam *Saracenos* appellarunt. Nos hodieque Mauros & Ægyptios vocamus. Aliter veteres, ut Ptolemæus & Martianus. Nam qui proprio nomine Saraceni apud veteres dicebantur, circa montana Arabiæ Felicis incolebant, haud longe à Scenitis Arabibus, qui ibidem degebant inter Felicem Arabiam, & Petræam, desertamque. Unde & Saraceni, & Scenitæ Arabes iidem appellati. Procopius lib. I. Περσικῶν statim à Syriæ Palæstinæ finibus Saracenos habitasse dicit. Littus Arabici sinus, ubi urbs Elana: ταύτην δὴ τὴν ἠιόνα εὐθὺς μὲν ὅρους τῆς Παλαιστίνης ὑπερβάντι Σαρακηνοὶ ἔχουσιν οἱ ἐν τῷ Φοινικῶνι, ἐκ παλαιοῦ ἱδρυμένοι, ἔστι δὲ ὁ Φοινικὼν ἐν τῇ μεσογείᾳ εἰς χώραν κατατείνων πολλήν, ἔνθα δὴ τὸ παράπαν ἄλλο οὐδὲν ὅτι μὴ φοίνικες μόνοι φύονται. Notandum est, quod ait ἐκ παλαιοῦ ibi sitos Saracenos. Nam qui veteribus Saraceni proprie dicti sunt, ibi habitarunt. Eratosthenes apud Strabonem Σκηνίτας Ἄραβας ibi collocat, ubi Procopius Saracenos. Hæc verba sunt ejus de Arabia Felice: ἔχουσι δ᾽ αὐτὴν οἱ μὲν πρῶτοι μετὰ τοὺς Σύρους καὶ τοὺς Ἰουδαίους ἄνθρωποι γεωργοί, μετὰ δὲ τούτους διάμμος ἐστὶ γῆ, καὶ λυπρὰ φοίνικας ἔχουσα ὀλίγους, καὶ ἄκανθαν, καὶ μυρίκην, ὀρυκτὰ ὕδατα, καθάπερ καὶ ἡ Γεδρωσία. Σκηνῖται δὲ ἔχουσιν αὐτὴν Ἄραβες καμηλοβοσκοί. Vides Φοινικῶνα Procopii, in quo constitutos ab antiquo fuisse Saracenos scribit, quos vetustissimi Σκηνίτας Ἄραβας appellarunt. Quippe ignorasse videntur antiqui nomen Saracenorum, ut Eratosthenes, Artemidorus, aliique. Nam nec apud Strabonem eorum extat mentio. Plinius vero ita meminit, ut recentem eam appellationem esse constet. *Nabatæis*, inquit, *Thimaneos junxerunt veteres: nunc sunt Taveni, Suelleni, Saraceni.* Etsi libri habeant *Araceni.* Mentio *Saracenorum* etiam extat apud Dioscoridem, qui paulo ante Plinii tempora scribebat: nam bdellium dicit lacrimam esse δένδρου Σαρακηνοῦ. Quo loco frustrà laborant viri docti de corrigenda ea voce, quasi Dioscoridis ævo nondum extiterit Saracenorum nomen, sed falluntur. Populus erat Arabiæ Nabatæis vicinus, nec aliter tunc accipiebatur. Scribit paulo post ex India afferri bdellium, καὶ ἀπὸ τῆς Πέτρας φέρεσθαι. Petra oppidum Nabatæorum, quibus vicini Saraceni, apud quos bdellium ex arbore manabat. Meminerunt Saracenorum, & Ulpianus in Arabicis, & Uranius. Stephanus: Ταίηνοι ἔθνος ἀπὸ τῶν Σαρακηνῶν πρὸς μεσημβρίαν, ὡς Οὐλπιανὸς ἐν Ἀραβικοῖς, καὶ Οὐράνιος ἐν Ἀραβικῶν δευτέρῳ. Fallitur itaque Scaliger ὁ πάνυ, qui Animadversionibus in Eusebium notat vetustiores Ptolemæo Saracenorum nusquam meminisse. Martianus Heracleota, vel ille, qui sub hoc titulo extat, τῶν Σαρακηνῶν nomine eos utique intellexit, quos veteres appellarunt Ἄραβας Σκηνίτας. Τὰ δὲ περὶ τὸν αὐχένα τῆς Εὐδαίμονος Ἀραβίας μετὰ τὴν Πετραίαν Ἀραβίαν κατέχουσιν οἱ καλούμενοι Σαρακηνοί, πλεόνας μὲν ἔχοντες προσηγορίας, πολλὴν δὲ διακατέχοντες ἔρημον γῆν. At Ptolemæus, qui Saracenos Scenitis adjungit, & vicinos facit, more suo recentem, & veterem appellationem ejusdem gentis quasi diversæ junctim posuit. Sic *Iluam* & *Æthalem*, *Aspida* & *Clupeam* veluti diversas urbes, & insulas recenset, quæ sub diversis nominibus eædem erant. Quod & in aliis multis fecit, ut alibi observavimus. A regione, quam incolebant, quæ Saraca dicebatur, appellatos notat Stephanus: Σάρακα χώρα Ἀραβίας. Μετὰ τοὺς Ναβαταίους οἱ οἰκοῦντες Σαρακηνοί. Certum porro est de his Arabibus Scenitis, qui ad septentrionem Arabiæ Felicis incolebant, quique vel Saraceni postea dicti, vel Saracenos vicinos habuerunt, intellexisse ibi Plinium, cum Arabiam ultra Pelusiacum Scenitarum Arabum esse dixit. Sterilem eam esse Arabiam, nisi ubi Syriæ confinia attingit, memorat. Hoc convenit cum Eratosthene, qui ad Syriæ confinia γεωργοὺς eam tenuisse scribit. Ubi sterilis erat, & deserta, incolebant Scenitæ, & καμηλοβοσκοί, qui & Saraceni. Ptolemæus in Arabiæ Petrææ descriptione Melanos montes à Pharan, quæ in intimo recessu sinus Arabici est, ad Judæam pertinuisse tradit. Ad occiduum latus horum montium versus Ægyptum Saracenorum regionem prætendi scribit. Καὶ ἀπὸ μὲν δύσεως ὀρέων τούτων παρὰ τὴν Αἴγυπτον ἥ τε Σαρακηνὴ παρήκει, καὶ ὑπ᾽ αὐτὴν Μουνυχιάτις, ὑφ᾽ ἣν πρὸς τῷ κόλπῳ εἰσὶ Φαρανῖται. Diversi, ut videtur, hi Saraceni ab illis, quos supra diximus, nisi quis velit Saracenorum regionem eo usque se extendisse, quod non abhorret à vero. Ismaëlitas olim dictos, qui postea Saraceni appellati, placet plerisque veterum omnibus. Onkelos *Ismaëlitas* interpretatur *Saracenos*, vel *Saracaos.* Pharan oppidum ab Ismaëlitis conditum Hieronymus, & Epiphanius testantur. Hieronymus de locorum Hebraïcorum interpretatione: *Pharan, nunc oppidum trans Arabiam, junctum Saracenis, qui in solitudine vagi erant.* Et paulo post: *in deserto autem Pharan scriptura commemorat habitasse Ismaëlem. Unde & Ismaëlitæ, qui nunc Saraceni.* Hinc Saracenorum regionem haud longè à Pharanitide ponit Ptolemæus. Nugantur, qui à Sara Abrahami uxore appellationem eorum derivant. Νόμαδας ea voce significari notat Scaliger. Nam Arabicè *sarak* fugacem, & λῃστρικὸν designare. Verùm nihil hoc prohibet, quin eorum regio, vel oppidum Σάρακα nomen habuerit, ut ex Stephano constat, & τύπος nominis id satis ostendit. Sic Δυσαρηνοί, Δαχαρηνοί, Σαμηνοί, & similia, ut Σαρακηνοὶ à Σάρακα. Ptolemæus quoque inter urbes Arabiæ Σάρακα recenset. Hic situs Saracenorum sic propriè dictorum, qui & Ismaëlitæ. Verum enim vero, quum in diversis, & longissimo quidem terrarum tractu invicem divisis, tam Arabiæ, quam Æthiopiæ locis extiterint plures populi Νόμαδες, & Σκηνῖται, ex his omnibus Saraceni à loco appellati, quos ante diximus ad septentrionem coluisse in montanis, & desertis Arabiæ Felicis. At posterior ætas omnes omnino Σκηνιτικοὺς, & Νομαδικοὺς cum Arabas, tum Æthiopas Saracenorum nomine nuncupavit. Ammianus Marcellinus lib. XIV scribit Saracenorum gentem ab Assyriis initium capere, & ad Nili cataractas porrigi, & confinia Blemyarum. Fallitur, si quis putat unam, eamdemque gentem continuo terrarum tractu ab Assyriis ad ultimos Æthiopas sub Saracenorum nomine pertendisse. Alii ex his erant Nomades, alii Scenitæ: quidam Æthiopes, quidam Arabes, ut non ejusdem generis, ita nec linguæ, nec habitus, nec moris, variis quoque nominibus appellati. In Mesopotamia Scenitæ Arabes erant intra Euphratem amnem. A Mesopotamia usque ad Syriæ Palmyrenas solitudines Nomades Arabiam tenebant. A Syria ad sinum Arabicum versus Arabiam Felicem rursus alii Scenitæ Arabes, qui propriè Saraceni dicti. In

ora maritima ab Elanite sinu ad Heroopoliticum versus Ægyptum: item Σκηνῖται quidam, ab Heroum oppido ad meridiem tendenti in Ægypti parte Arabægyptii habebant, qui & ipsi νομαδικῶς degebant. Hos excipiebant Troglodytæ Æthiopes etiam νομαδικοὶ, quos & propterea Σκηνίτας, & Saracenos etiam appellarunt. In Æthiopia prope Nili cataractas ad confinia Blemyarum etiam quidam Σκηνῖται à Ptolemæo recensentur. Hinc ab Assyriis, & Mesopotamia ad Nili cataractas, & Blemyas porrigi Saracenorum gentem prodidit Ammianus, quia omnes Scenitas, & Nomadas Arabas sequens ætas *Saracenos* appellavit. Eustathius de Troglodytis Æthiopibus: οὕτω λέγονται διὰ τὸ ὑπὸ τὴν ἔραν βαίνειν καὶ τρώγλας ὑποδεδυκέναι. Λέγονται καὶ οἱ αὐτοὶ Σαρακηνοί. Ideo Saraceni dicti Troglodytæ, quia & Scenitæ Arabes iidem appellati. Rhetor vetus apud Eustathium: Τρωγλοδύται μοῖρα Αἰθιοπική, Ἀράβων ὅμορος. At recentiores etiam Arabiæ deputarunt hanc Troglodyticen, ut & regionem omnem, quæ inter Arabicum sinum est, & Nilum, quam partem Ægypti Arabicam, & littus Arabicum dixere. Missi Theodosii *Arabiam Trogloditin* appellant his verbis: *Arabia Eudæmon inter duos sinus Arabicum & Persicum, itemque citra Arabicum, Trogloditin Arabiam Ægypto proximam. Hæ finiuntur ab oriente solis sinu Persico: ab occidente Nilo: à septentrione Pharam, & Petræa Arabia: à meridie Oceano Erythro. Patet in longitudinem mpm decies centum* LX. *in latitudinem* DCCCC. XXX. Citra Arabicum sinum est Troglodytis Arabia, ultra sinum Arabia Felix. Troglodytin Arabiam à septentrione Pharan oppido terminari dicunt, ab occidente Nilo. At Felicem à septentrione Petræa terminari, ab oriente sinu Arabico. *Scenitarum Arabia Troglodytis* ab iisdem dicitur: *Ægyptus inferior ab oriente Scenitarum Arabia Troglodyti: ab occidente Lybia deserta: à septentrione mari Ægeo: à meridie Æthiopia.* Dioscorides quoque vocat Τρωγλοδυτικὴν Ἀραβίαν, de zingibere. Ammianus *Arabas* quoque *Scenitas* vocat, qui ad Ægypti sunt orientem. Ita enim de Ægypto: *qua orientem è regione prospicit, Elephantinen & Meroen urbes Æthiopum, & Catadupos, rubrumque pelagus & Scenitas, prætenditur Arabas, quos Saracenos nunc appellamus.* Intelligit Ἀραβαιγυπτίους, & vicinos Troglodytas, qui & ipsi Scenitæ Arabes, ideoque Saraceni appellati infimis temporibus. Nec isti sunt Arabes, qui propriè Saraceni veteribus dicebantur. Saraceni Arabum gens inter Petræam Arabiam & Felicem, qui quod erant Σκηνῖται & Νομαδικοὶ, omnes inde Scenitæ Arabes, cujuscunque generis, ac regionis essent postremis imperii temporibus appellati sunt *Saraceni.* Malchus Rhetor in Eclogis legationum: ἀφικνεῖται ἐς τῶν Σκηνιτῶν Ἀράβων ἐς καλοῦσι Σαρακηνούς. Loquitur Malchus de Saracenis sic propriè ac verè nominatis: nam ὑπὸ τὴν Πετραίαν eos sitos docet, & insulæ Ἰωτάβης meminit, quæ mille tantum stadiis distabat ab Aïla, vel Ælanis urbe. Vide Procopium lib. I. Περσικῶν. Ceterum non in Arabia & Æthiopia tantum Scenitæ, sed etiam in Scythia & Parthia, ut & Νόμαδες.

Quam Catabanes, & Scenitæ tenent Arabes. De Scenitis Arabibus dictum est. De Catabanibus illud constat populum esse Felicis, & odoriferæ Arabiæ. Stephanus: Κατταβανία, κατοικία τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας. Et citat hæc Strabonis verba ex lib. XVI. Φέρει δὲ τὸν λιβανωτὸν ἡ Καττταβανία, σμύρναν δὲ ἡ Χατραμῶτις. Strabo Καταβανίαν vocat, & gentem Καταβανεῖς, eosque locat πρὸς τὰ στενὰ, καὶ τὴν διάβασιν τοῦ Ἀραβίου κόλπου, ad fauces Arabici sinus, quas Plinius *rubri maris fauces* vocat, ut hinc etiam constet, *rubrum mare* pro sinu Arabico eum dicere. Hæc cum ita sint, quomodo ratio constabit Plinio, qui hos Catabanes, penitioris Arabiæ Felicis populos, illi Arabiæ donat, quæ ultra Pelusiacum ad sinum Arabicum pertinet? Hæc septentrionalis quippe, & sterilis est Arabia, quam Eratosthenes similiter inter Syriam, Judæamque, & sinum Arabicum pateré scripserat. Strabo de Eratosthene: Φησὶ δὲ περὶ τῆς προσαρκτίου καὶ ἐρήμης, ἥτις ἐστὶ μεταξὺ τῆς τε εὐδαίμονος Ἀραβίας καὶ τῆς Κοιλοσύρων καὶ Ἰουδαίων, μέχρι τοῦ μυχοῦ τοῦ Ἀραβίου κόλπου. Quod ad Solinum attinet, qui Catabanas, ut & Scenitas Arabiam Eudæmonem tenere ait, ex male acceptis Plinii verbis id constituit, qui Arabiam illam

A Catabanum, & Scenitarum ad rubrum mare pertinere scripsit. At Plinius rubrum mare pro sinu Arabico dedit, Solinus pro mari magno accepit, ex quo sinus Arabicus infunditur. Ita sensisse Plinium præter ea, quæ suprà diximus, id etiam ostendit, quod Heroopolitici sinus, & Ælanitici eo capite tantum meminit, quos sinus facit rubri maris, id est, sinus Arabici, ad hæc Catabanis, & Scenitis Arabibus jungi ab oriente Canchlæos Arabes, à meridie Cedræos dicit, qui deinde ambo Nabathæis. Atqui Nabathæi Petram oppidum incolunt, à quo Petræa Arabia. Strabo Nabathæos ad Elaniten sinum ponit, ἑξῆς δ' Ἐλανίτης κόλπος, καὶ ἡ Ναβαταία.

B Diodorus Elaniten sinum, quem Λαιανίτην vocat, ita enim scribendum, non Ἀλαινίτην, circum habitatum tradit vicis Arabum Nabathæorum. Eratosthenes apud Strabonem ab Heroum oppido ad orientem æstivum tendenti, & Babyloniam Nabathæorum regionem occurrere narrat, super quam ad meridiem Arabiam esse Eudæmonem. Ergo si Cedræi Arabes à meridie junguntur Scenitis, & Catabanis, Cedræis autem Nabathæi, nullo modo fieri potest, ut in Eudæmone sint Catabani. In ea igitur erunt Arabia, quæ ab intimo recessu recessus Arabici

C ad æstivum orientem, vel septentrionem pergit. Atque ita Plinius scripsit. Quem tamen ratio fugit. Nam Catabanes in Eudæmone Arabia, & thurifera censentur. Sed Plinium decepit τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης apud Græcos varia significatio, *rubrum mare* aliis pro sinu Arabico accipientibus, aliis pro magno mari & Oceano. Unde sinus Arabicus. In Arabia, quæ ad mare rubrum pertingit, sunt Catabanes, si rubrum mare accipimus pro Oceano Erythro. Non sunt autem in ea Arabia, quæ pertinet ad sinum Arabicum, quem maris rubri appellatione semper vocitare consuevit Plinius. Idem error vetustissimos, & summos Græciæ

D viros transversos rapuit, ex eadem causa ortus. Ptolemæus *Posideon* promontorium statuit in mari rubro, statim post fauces & angustias Arabici sinus. Ἐρυθρᾶς θαλάσσης μετὰ τὰ στενὰ, Ποσείδιον ἄκρον. Etenim à faucibus Arabici sinus excipit Ἐρυθρὰ θάλασσα. Martianus Heracleota: μετὰ δὲ τὰ στενὰ τοῦ Ἀραβίου κόλπου ἐκδέχεται ἡ Ἐρυθρὰ θάλασσα. Ab illis faucibus auspicatur ingressum in terras Arabicus sinus. Diodorus vero Siculus lib. III illud Ποσίδειον ἐν τῷ μυχῷ sinus Arabici locat, immo vero μυχὸν ipsum sic appellat. Τόδε ἄλλο μέρος τῆς ἀντιπέραν παραλίας, τὸ προσεκκλιμένον Ἀραβίᾳ πάλιν ἀναλαβόντες ἀπὸ τοῦ μυχοῦ διέξιμεν. Οὗτος γὰρ ὀνομάζεται

E Ποσείδειον ἱδρυσαμένου Ποσειδῶνι πελαγίῳ βωμὸν Ἀρίστωνος τοῦ πεμφθέντος ὑπὸ Πτολεμαίου πρὸς κατασκοπὴν τῆς ἕως ὠκεανοῦ παρηκούσης Ἀραβίας. Quantum inter τὸ στόμα est, καὶ τὸν μυχὸν τοῦ κόλπου, tantum interest Ptolemæi & Diodori sententiam. Nam μυχὸς κόλπου, ut omnes sciunt, terminus est terras penetrantis sinus. Mela lib. III. cap. VIII. *Arabici sinus & os arctius, & latitudo minor est, major aliquando recessus, & multo magis longa latera.* Vocat *os sinus*, τὸ στόμα, τὸν πορθμὸν, τὰ στενὰ, *recessum* vero τὸν μυχόν. Hinc opinionum hæc nata dividia est,

F quod alii Ἐρυθρὰν θάλασσαν pro sinu Arabico usurpant, alii pro mari Oceano, unde & τὰ τῆς ἐρυθρᾶς στενὰ alii ἀντὶ τοῦ στόματος accepere, alii ἀντὶ τοῦ μυχοῦ, ubi scilicet angustissimus est in recessu intimo trajectus. Quod utrumque ita verum est, ut nihil sit verius. Procopius lib. I. Περσικῶν. Ἐρυθρὰ θάλασσα ἐξ Ἰνδῶν ἀρχομένη ἐνταῦθα τελευτᾷ τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς. Ubi Ἐρυθρὰν θάλασσαν manifestè pro sinu Arabico posuit. Sequitur: καὶ πόλις Αἰλὰς, καλουμένη πρὸς τῇ ταύτης ἠϊόνι ἐστὶν, ἔνθα ἡ θάλασσα, ἀπολήγουσα πορθμός τις ἄγαν στενὸς γίνεται. Ubi & πορθμὸν vocat, qui μυχὸς potius dici debuit. Nam πορθμὸν ἀπὸ τοῦ μυχοῦ antiqui Græci di-

G stinguunt. Sic τὰ στενὰ, & τὸν πορθμὸν τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης Procopius posuit ἀντὶ τοῦ μυχοῦ τοῦ Ἀραβίου κόλπου. Ut non mirum sit Posideon promontorium, quod τοῖς στενοῖς τῆς Ἐρυθρᾶς imminet, alios ἐν τῷ μυχῷ Arabici sinus ponere, alios ἐν τοῖς στενοῖς, καὶ τῷ πορθμῷ, quem Ἐρυθρὰ θάλασσα excipit. Nam fauces Arabici sinus terminant rubrum mare, ut μυχὸς ipsum sinus recessum terminat. Vix ambigendum est, quin similis causa coëgerit errare Plinium. Verba Strabonis de Catabanis hæc sunt, de populis Arabiæ Felicis & odor-

odoriferæ: τελῶσι δὲ Καταβανεῖς καθήκοντες πρὸς τὰ στενὰ, καὶ τὴν διάβασιν τοῦ Ἀραβίου κόλπου. Quæ ab Eratosthene sunt. Τὰ στενὰ τοῦ Ἀραβίου κόλπου accepisse Plinius videtur pro intimo recessu sinus, ubi maximè angustus est. Hinc Catabanes in his populis Arabiæ recensuit, quæ ad sinum Arabicum pertinet, vel, ut ipse loquutus est, ad rubrum mare, unde incipit odorifera, & beata, quem à sinu Elanite exordium sumere juxta veteres supra ostendimus. De Posideo Diodori opinionem tuetur Artemidorus apud Strabonem. Strabo de Artemidoro: ταῦτ' εἰπὼν περὶ τῶν Τρωγλοδυτῶν καὶ τῶν προσχώρων Αἰθιόπων ἐπάνεισιν ἐπὶ τοὺς Ἄραβας καὶ πρώτους ἔπεισιν τοὺς τὸν Ἀράβιον κόλπον ἀφορίζοντας καὶ ἀντικειμένους τοῖς Τρωγλοδύταις, ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ Ποσειδίου. Ergo Ποσείδιον in intimo recessu sinus Arabici, quod Ptolemæus ad os, & fauces collocat Arabici sinus in rubro mari. Populi enim, qui ἀφορίζουσι τὸν κόλπον, circa ipsum recessum habitant, & eum terminant. Sequitur: τοῦτο δὲ ἐνδοτέρω κεῖσθαί φησι τοῦ Ἐλανίτου κόλπου, id est, *penitius, & introrsum magis terras iniens quam sinus Elanites.* Ergo circa Heroum oppidum illud Posideon, quod in altero μυχῷ est Arabici sinus Ægyptum versus. Nam Heroopoliticus ἐνδοτέρω κεῖται τοῦ Ἐλανιτικοῦ. A Posideo Φοινικῶνα, locum maritimum, palmis consitum statim porrigi, Strabo ex Artemidoro, & Diodorus affirmant. Puto illum esse Φοινικῶνα, quem ab antiquo incoluisse Saracenos refert Procopius. Eratosthenes Σκηνίτας Arabas loca palmis consita habitasse tradit, qui idem sunt cum Saracenis, nec longe inde eos statuit. Σκηνίτας fuisse, qui illum Φοινικῶνα incolerent, liquet ex his Strabonis, sive Artemidori: κοιτάζονται δὲ ἐπὶ δένδρων καλυβοποιησάμενοι διὰ τὸ πλῆθος τῶν θηρίων. Jam καλύβη, & σκηνὴ idem. Hujus Φοινικῶνος mentio in Agatharchidis excerptis. Φοινικὼν κώμη à Ptolemæo recensetur in Arabia Felice, sed post Elaniten sinum. Male apud eum legitur Φοινίκων κώμη, nec melius vertunt *Phœnicum oppidum*, cum sit *Phœnicon, vicus*, id est, *Palmetum.* Nec dubito, quin de eodem Phœnicone intellexerit, licet in situ ejus dissentiat. Φοινικὼν Diodori, & Artemidori inter Elaniten sinum, & Heroopoliticum, non procul inde Σαρακηνὴν παρήκειν tradit Ptolemæus ab occidente montium Melanorum versus Ægyptum: qui Melani montes à sinu juxta Pharan quasi ad Judæam protenduntur; at Φοινικὼν κώμη eidem Ptolemæo ponitur in ora maritima, quæ μετὰ τὸ ὅλον τὸ ἐν τῷ Ἐλανίτῃ κόλπῳ incipit. Nec longe ab illa ora Saracenos statuit. Hæ sunt igitur auctorum dissentientium exerrationes. Sic Ἀίλα κώμην ibidem recenset Ptolemæus non suo loco, & diversam facit ab oppido Elana, quum Αἴλανον, Ἔλανα, & Αἰλὰνα eamdem urbem vocent auctores. Male apud Ptolemæum legitur Ἀίλα κώμη. Post Phœniconem sequitur ἡ Φωκῶν, νῆσος, πλησίον δὲ αὐτῆς ἀκρωτήριον, ὃ διατείνει πρὸς τὴν Πέτραν τὴν τῶν Ναβαταίων, καλουμένων Ἀράβων, καὶ τὴν Παλαιστίνην χώραν. Ita Artemidorus apud Strabonem. Ita vero Diodorus lib. III. τόδε προκείμενον ἀκρωτήριον τῆς νήσου κεῖται κατὰ τὴν καλουμένην Πέτραν τῆς Ἀραβίας, καὶ τὴν Παλαιστίνην. Ita distinguenda verba Diodori ac legenda. Illud est promontorium, quod Ptolemæo dicitur τὸ κατὰ Φαρὰν ἀκρωτήριον, ab urbe Pharan. Idem in Petræa Arabia: διατείνει δὲ ἐν τῇ χώρᾳ τὰ καλούμενα Μέλανα ὄρη ἀπὸ τοῦ κατὰ Φαρὰν μυχοῦ, ὡς ἐπὶ τὴν Ἰουδαίαν. Hic est quod ajunt Diodorus, ac Strabo promontorium illud versus Petram Arabiæ oppidum, & Palæstinam, sive Judæam tendere. Nam Petra oppidum Judææ vicinum. Unde & eam Judææ quidam attribuunt, & Judææ partem *Petræam* appellarunt, ut paulo ante docuimus, ab illo promontorio alia ora maritima, quam Maranitæ incolebant. Artemidorus: εἶτ' ἄλλη παραλία πρότερον μὲν Μαρανιτῶν καλουμένη, ὧν οἱ μὲν ἦσαν γεωργοί, οἱ δὲ σκηνῖται, νῦν δὲ Γαρινδαίων ἀνελομένων ἐκείνους δόλῳ. Legere volebam, Φαρανῖται. Nam ibi eos collocat Ptolemæus. Ubi & oppidum Φαρὰν, & μυχὸς, & ἀκρωτήριον κατὰ Φαράν. Sed Μαρανεῖς, & Μαρανίτας etiam eos vocat Diodorus: qui & Γαρινδανεῖς appellat, quos Artemidorus Γαρινδαίους. Ut ut sit, non dubito quin Μαρανίτας, & Μαρὰν vocaverint, quos posterior ætas Φαρανίτας. Stephanus, Φαρὰν πόλις μεταξὺ Αἰγύπτου, καὶ Ἀραβίας. Τὸ ἐθνικὸν Φαρανίτης. Certe inter Heroopoliticum sinum, & Elaniten sita erat. Ptolemæus: ὑπ' αὐτὴν πρὸς τῷ κόλπῳ Φαρανῖται. Hi sunt, qui Μαρανῖται Diodoro, & Artemidoro post Maranitas.

A κόλπος Ἐλανίτης. Diodoro Ἀλαινίτης. Agatharchidi Λαιανίτης. Atque ita legendum in Diodoro: nam totam illam περιήγησιν sinus Arabici ad verbum mutuatus est ex Agatharchide Cnidio, ut ex his excerptis liquet, quæ apud Photium adhuc extant. Scribit Plinius Artemidoro sinum illum vocari *Aleniticum.* Sed scribendum est, ut suprà docuimus, *Elaniticum.* Nam Strabo, ubi periplum illius sinus verbis Artemidori contexuit, semper Ἐλανίτην vocat. Similia porro sunt illis Artemidori, quæ Strabo de sinu Arabico refert, ea quæ Diodorus ex Agatharchide accepit, ut prorsus necesse sit, alterum ab altero accepisse, hoc est, furatum
B esse. Qua de re nos alibi.

Scenitæ tenent Arabes nobiles monte Casio] Inepte hæc prorsus, nec ex vero, nec ex Plinii mente. Non enim Scenitæ Arabes nobiles monte Casio: nec mons Casius Scenitarum Arabum. Scribit quidem Plinius Arabiam ultra Pelusiacum, quæ ad sinum Arabicum procedit, sterilem esse, nec nobilem nisi Casio monte, eam Esbonitarum, Catabanum & Scenitarum Arabum vocari. Non inde sequitur Scenitas Arabas nobiles esse monte Casio, nam latissimè patebat nomen Scenitarum Arabum, ut suprà indicavimus. Quis di-
C xerit Scenitas Arabas, qui in Mesopotamia erant, nobilitari monte Casio? Ita de aliis Scenitis, qui longissimè à Casio monte dissiti. Sed nec rectè Plinius Pomponii mentem expressit. Post descriptionem Ægypti subjicit Mela Arabiam ab Ægypto ad mare rubrum pertinere, hoc est, ἕως τοῦ ὠκεανοῦ παρήκειν, ut loquitur Diodorus, partem Oceano, sive rubro mari vicinam odoribus abundare: quæ Ægypto proxima est, sterilem esse, ac planam, nisi quà Casio monte attollitur, non de universa Arabia Petræa, aut Ἐρήμῳ loquitur Mela, nam aliis in locis montuosæ sunt, præterquam ad Casium, sed de sola ea parte, quæ Ægypto proximat.
D Κάσιον & Κασιῶτιν in Ægypto Ptolemæus ponit, non in Arabia. Κάσιον πρὸς Αἰγύπτῳ, & πρὸς Πηλουσίῳ vocat Strabo. Ultra Pelusiacum est, & ab eo Arabia incipit, quæ Syriam à septentrione, Ægyptum ab occidente habet. Stephanus duas Arabias facit, unam ἀρωματοφόρον, quæ inter Persicum & Arabicum sinum, alteram Ægypto & Syriæ vicinam: δύο δὲ εἰσίν, ἡ μὲν ἀρωματοφόρος μεταξὺ Περσικῆς καὶ Ἀραβικῆς θαλάσσης, ἡ δὲ μᾶλλον δυτικὴ συνάπτουσα, πρὸς μὲν τὴν δύσιν Αἰγύπτῳ, πρὸς δὲ ἄρκτον Συρίᾳ. Hæc postrema est, quam ultra Pelusiacum Plinius ad mare rubrum pertinere dicit. Sed fallitur Stephanus, cum de ea loqui Dionysium Περιηγητὴν putat his versibus de
E sinu Arabico:

---- ὅς τε μεσηγὺ
Εἰλεῖται Συρίης τε καὶ Ἀρραβίης ἐρατεινῆς.

Nam ἐρατεινὴ Ἀραβία in illis versibus est εὐδαίμων. Sed Syriam Dionysius usque ad sinum Arabicum extendit, ut & Strabo usque ad Ἐλανίτην μυχὸν, à quo Arabia felix auspicabatur. Sed pars illa Petrææ Arabiæ in nomen, ac censum concesserat tertiæ Palæstinæ. Ita & Petram, quæ Petrææ Arabiæ metropolis erat, tertiæ Palæstinæ, hoc est, Judææ tribuit Stephanus: Πέτρα, πόλις νῦν τῆς τρίτης Παλαιστίνης. Quæ olim Arabiæ fuit. Scilicet. Ita enim capiendum. Vide quæ suprà nota-
F mus. Idem & de Characmobis, quæ urbs Arabiæ, haud longe à Petra oppido, ab aliis tertiæ Palæstinæ, ab aliis Arabiæ accensetur. Idem Stephanus: Χαράκμωβα πόλις ἐν γεωτῆς νῦν τρίτης Παλαιστίνης, ἣν ἀναγράφει Πτολεμαῖος ἐν γεωγραφικοῖς ἐν πέμπτῳ βιβλίῳ, ἐν ταῖς Ἀραβικαῖς. Ita legendum, non ἐν τοῖς Ἀραβικοῖς. Opus Ptolemæi, quod hodie extat, intelligit, qui Χαράκμωβα ἐν ταῖς Ἀραβικαῖς πόλεσι recenset, Arabiæ nimirum Petrææ. Sed hodie apud Ptolemæum perperam legitur Χαράκωμα pro Χαράκμωβα. Πέτρα, Χαράκωμα. Alii hoc oppidum vocabant Μώβου Χάρακα. Sed de his alibi. Ita & de Elusa: Ἔλουσα, πόλις
G τῆς νῦν μὲν Παλαιστίνης τρίτης, πάλαι δ' Ἀραβίας. Ptolemæus in Judæa recenset. Nec secus fuerit de oppido, quod Ptolemæo Ἐσβοῦς, aliis, ut opinor, Ἐσβών. Nam inde *Esbonitæ* Plinio in Arabia illa censentur. Ptolemæo Ἐσβοῦς oppidum est Judææ, sive tertiæ Palæstinæ. *Esbon* pro *Isbon* sic Emporium vocabant inde loci homines. Ita Ἐδουμαῖοι & Ἰδουμαῖοι, Ἐσσηδόνες & Ἰσσηδόνες. De Catabanibus iterum dicam, non possunt iidem esse, qui in Arabia Eudæmone Καταβανεῖς, nisi Plinius halluci-

lucinatus ſit, quod veriſimile arbitror. Κατάμανα urbs Commagenes prope Germaniciam, quæ aliis Κατάβανα. Unde Καταβάνοι populi dicti videri poſſent. Nam Arabia, eodem Plinio teſte, *à monte Amano è regione Ciliciæ, Commagenesque deſcendit.* Verùm de ea Arabiæ parte heîc non loquitur, ſed de illa, quæ ad Ægyptiacum littus. De qua ibidem cap. XXVII. *Sponte vero ad mare noſtrum, littuſque Ægyptiacum, ut docuimus.* Hoc loco nimirum ubi docet, eam Arabiam Catabanum, Esbonitarum, & Scenitarum Arabum vocari. Sunt & Καταβάνοι populi apud Ptolemæum, qui Arabiam deſertam claudunt à parte Syriæ. Sed illos heîc vix deſignari putem. Libri Solini heîc legunt, partim *Catabyani*, partim *Catabrani*, in quibuſdam etiam *Scaptabani*. Plinii omnes, quos vidimus, codices habent *Catabanum*, qui ſunt populi Arabiæ Felicis.

Ipſa autem tentoria cilicina ſunt] id eſt, ex ciliciis. Sed in ſchedis Palatinis ſcriptum eſt: *ipſa autem tentoria cilicia ſunt.* Quod rectum eſt. Nam ſequitur: *ita nuncupant velamenta caprarum pilis texta.* Aſconius: *Cilicia texta de pilis eſſe in uſum caſtrorum atque nautarum* interpretatur. Quod ex Virgilio habet. Ut Avienus in ora Maritima:

Hirtæ heîc capellæ, & multis incolis caper
Dumoſa ſemper intererrant ceſpitum,
Caſtrorum in uſum, & nauticis velamina
Productiores, & graves ſetas alunt.

Virgiliana hæc ſunt:

---- ſetaſque comantes
Caſtrorum in morem, & miſeris velamina nautis.

Hinc noſter *cilicia* velamenta exponit. Heſychius: τὰ ἐξ αἰγέων τεχῶν συνυφασμένα κιλίκια. Sed quem in uſum caſtrorum cilicia? Servius dicit, *quia de ciliciis poliuntur loricæ, & teguntur tabulata turrium, ne jactis facibus ignis poſſit adhærere.* Confundit *cilicia* cum *centonibus*, magno errore. Nec enim de pilis caprarum coactilia, aut centones fieri poſſunt, nec fiebant. *Polire* verbum fullonum. Ex lana coactili, & centonibus tunicas, ac tegmenta ſibi parabant milites ad tela vitanda. Πιλητοὺς θώρακας Græci vocant. Θωρακονάκτας recentiores dixere, hoc eſt, νακτοὺς θώρακας. Nam νακτὰ & πιλητὰ eadem. Unde & νάκτης fullo. Perperam *Thoracomachus* apud anonymum de re bellica ſcriptum eſt, pro *Thoraconactus.* Centonibus quoque, non ciliciis tegebantur tabulata turrium, & puppium turres, ut igni reſiſterent. Nam centones ex lana erant coacta, qui non ſolum ferro, ſed etiam igni reſiſtebant. Plinius: *lanæ & per ſe coactæ veſtem faciunt, & ſi addatur acetum, etiam ferro reſiſtunt: immo vero etiam ignibus.* At cilicia laxè ſuſpenſa obtendebantur ad telorum jactum. Apertè Siſenna ciliciorum, & centonum uſum ſeparat his verbis, quæ apud Nonium leguntur ex lib. IIII. Hiſt. ejus: *Puppes aceto madefactis centonibus integuntur, quos ſupra perpetua claſſi ſuſpenſa cilicia obtenduntur.* Omnino legendum: *perpetua, ac laxè ſuſpenſa.* Scriptum erat *laſſe* pro *laxè.* *Perpetua*, per totam puppim. Sic loquutus eſt Plinius. Cilicia non firmitate ſua, ſed laxitate adverſum tela valebant, quia molliter exceptum eorum jactum inutilem reddebant. Hero in περεκβολαῖς, εἰ ἢ ὑπὸ τῶν κελῶν βίας ἀποσαθεύη ἢ καταπέσοι τὰ τείχη, ὁ χρὴ εὐθέως ἀπογινώσκειν, ἀλλὰ κιλίκια μὲν κρεμᾶν πρὸς τὸ δέχεσθαι τὰ πεμπόμενα βέλη. Hinc patet non diſcreviſſe *centones*, & *cilicia* Servium. Hunc uſum præſtabant caſtris cilicia, niſi ſi & ad facienda tentoria adhiberentur, ut apud illos Scenitas Arabes, de quibus Plinius: *Nomadas infeſtatoreſque Chaldæorum Scenitæ, ut diximus, claudunt & ipſi vagi, ſed à tabernaculis cognominati, quæ ciliciis metantur, ubi libuit.* Perperam corrigunt: *ſed a tabernaculis cognominati ciliciis, quibus metantur.* Nec enim *tabernacula cilicia* dicuntur, ſed κιλίκια abſolutè ſunt, quæ ex pilis caprarum contexta ſunt. *Tabernacula ciliciis metantur*, ut etiam pellibus, qui pelles, ac cilicia tendunt ad tabernacula facienda. Notabis porro & heîc verba Solini de ciliciis: *ita nuncupant velamenta caprarum pilis texta.* Quinam illi ſunt, qui ita ea nuncupant? Arabes nempe Scenitæ, qui ex iis ſibi tentoria faciunt. Nec enim aliter poſſis accipere. Sed hoc quam ineptum ſit, & falſum, dici non poteſt. Κιλίκια vox Græca eſt à ciliciis

A hircis, quorum ſetæ productæ, & hirſutæ ciliciis texendis erant optimæ, ut & cinyphiorum. Κιλίκιοι τράγοι Græco proverbio noti ſunt, quos δασεῖς grammatici exponunt. Hinc κιλίκια. Præterea *cilicia* propriè velamenta non ſunt, niſi quando velaminis uſum præbent, ſicut nautis, qui tunicas ex ciliciis induebant:

---- & miſeris velamina nautis.

Ac Scenitis Arabibus velamenta non ſunt, qui his non velantur, ſed tentoria tantum metantur. Sic ſollemnia ſolens facit Solinus, cum nugatur & hallucinatur.

Habitatur colle manu facto inter flumen Tigrim, & Eulæum] Unum hoc habe, & longè quidem maximum
B Solinianæ ablepſiæ, & hallucinationis argumentum. Dicit Arabiam Eudæmonem habitari in colle manu facto inter Tigrim, & Eulæum flumina. Qualem oportet illum fuiſſe collem, qui tam latè diffuſam provinciam tenuerit? & quæ inter duo maria extendebatur, quomodo inter duo flumina coërceri potuerit, nemo imaginari queat, niſi æquè inſanus ac Solinus. Hæc deliratio nullam ὑπερβολὴν poſt ſe relinquit, ſed hæc refutari non merentur. Videndum, quæ res illi, vel quis auctor hanc imaginoſam inſaniam objecerit. Plinius lib. VI capite de flumine Tigri ita ſcribit: *Charax oppidum Perſici ſinus intimum, à quo Arabia Eudæmon co-*
C *gnominata excurrit, habitatur in colle manu facto inter confluentes dextra Tigrim, læva Euphratem, trium millium paſſuum laxitate.* Charax oppidum, non Arabia Eudæmon habitatur in colle manu facto inter Tigrim, & Eulæum. Et quis adeo ſtipes, & truncus, ut aliter accipere poſſit? In intimo ſinus Perſici, ἐν τῷ μυχῷ oppidum Charax, à quo ſinu intimo incipit excurrere Arabia Eudæmon uſque ad alterum μυχὸν ſinus Arabici, ubi Ἔλανα oppidum, à quo ſimiliter excurrit illa Arabia. Inde igitur jocularis error Solini, qui ad Arabiam tranſtulit, quod de oppido dicebatur. Σπασίνου χάραξ
D vocatum hoc oppidum, quod ſæpius à flumine dirutum Spaſines Rex finitimorum Arabum poſtremo reſtituit, emunito ſitu, quem *collem manu factum* Plinius vocat, id eſt, χειροποίητον λόφον. Vide Plinium, apud quem male *Paſines* appellatur Rex ille. Libri habent *Spaſsiones* pro *Spaſines.* Male etiam apud Ptolemæum ſcribitur Χάραξ Πασινοῦ, pro Χάραξ Σπασίνου. Scripſerat χαρακοσπασίνου unica voce, ut Χαρακμῶβα, quod aliis Μωβουχάραξ. Sic Χαρακοσπασίνου & Σπασινουχάραξ inter Tigris, & Eulæi fluminum ἐκβολὰς ſimiliter à Ptolemæo locantur. Πασίνου χώρα legitur apud auctorem periplu maris Erythræi: ἐμπόριόν ἐστι νόμιμον λεγόμενον ἡ Ἀπολόγου κατὰ Πασίνου χώραν κατὰ ποταμὸν Εὐ-
E φράτην. Legendum, Σπασίνου, & vertendum *Spaſinis regionem.* De eodem Spaſine intelligitur. Martianus tamen Χάρακα Πασίνου etiam vocat.

Pag. 45. E. *Ut omnes inde reges*] Ita libri. Id eſt, omnes illius regionis reges. Vulgo: *ut inde omnes reges.* Sic infrà, *inde homines*, & *inde loci homines.* Et paulò ante: *Aſtapum eum inde gentes vocant.*

Nam in medio ejus ſunt Atramitæ, pagus Sabæorum.] Cave putes *pagum* heîc ſignificare vicum, vel κώμην. *Atramitæ* gentis nomen, non vici. Stephanus: Ἀτραμῖται, ἔθνος εὐδαίμονος Ἀραβίας. Ptolemæo Ἀδραμιτῶν
F χώρα, quæ multas urbes, & vicos continet. Plinius, unde habet noſter, lib. XII. cap. XIV. *In medio ejus fere ſunt Atramitæ pagus Sabæorum, capite regni Sabota in monte excelſo.* Perperam Ἀδράμυτα Theophraſto dici annotant. Nec enim Theophraſtum ſequitur Plinius in hac gentium Arabicarum recenſione. Præterea Ἀδράμυττα nomen urbis, vel loci, Ἀτραμῖται gentis, vel populi. Sic apud eumdem Plinium paulò poſt: *attingunt & Minnæi pagus alius, per quos evehitur uno tramite anguſto.* Nam & Minnæi gens magna in eadem Arabia Felice. Itaque *pagus* hoc loco τὸ ἔθνος τὴν τοπαρχίαν ſignificat. Optimæ gloſſæ veteres: *pagus*, τοπαρχία, χώρα, νομός.
G Ubi νομὸς ſic accipitur, ut apud Ægyptios, pro præfectura regionis. Strabo νομοὺς etiam vocat in Arabia Felice Sabæos & Minnæos. Sabæi igitur Plinio in aliquot gentes dividuntur, quarum una *Atramitæ.* Idem lib. VI. cap. XXVIII. *Sabæi Arabum propter thura clariſſimi, ad utraque maria porrectis gentibus. Oppida eorum in rubro littore Marane, Marma, Corolia, Sabatra: intus oppida Naſcus, Carnus, & quo merces odorum deferunt,*

Tomala,

Tomala. *Pars eorum Atramitæ, quorum caput Sabota, sexaginta templa muris includens.* Ita legendus ille locus. Frustrà contendunt veram esse lectionem: *pagus eorum Atramitæ*: quasi non idem sit. Pars Sabæorum Atramitæ populi, qui Sabæi in multas gentes, sive pagos dividuntur. Sic Helvetiorum gentem in quatuor pagos dividit Cæsar, qui quatuor pagi, sive ἔθνη quatuor sunt partes totius gentis Helvetiorum. Miror istic potuisse falli viros eruditos. Atramitarum caput, sive metropolis *Sabota*. Ita scripsimus in Plinio, non, ut habent vulgati, *Sobotale*, idque auctoribus libris. At totius regni Sabæorum, quod multas gentes complectebatur ad utrumque mare porrectas, regia *Mariava*. B Sed de his infrà. Nunc de Atramitis persequamur. Hos Stephanus Ἀτραμωλίτας ab Artemidoro vocari notat. Ἀρτεμίδωρος Ἀτραμωτίτας αὐτοὺς καλεῖ. Atramotitæ præferunt ἐθνικοῦ speciem, cujus principale sit Ἀτράμωτα. Nomen igitur loci τὰ Ἀτράμωτα, cujus ἐθνικὸν Ἀτραμωλίτης. Multa oppida, & vici in Arabia Felice sic terminantur, ut τὰ Ἄλατα, τὰ Χαβέρατα, τὰ Θόμαρα & similia. Theophrasto Ἀδράμυτα loci nomen est in Arabia Felice, ubi thus gignitur. Verba ejus hæc sunt: γίνεται μὲν οὖν ὁ λίβανος, καὶ ἡ σμύρνα, καὶ ἡ κασία, ἔτι δὲ τὸ κιννάμωμον ἐν τῇ τῶν Ἀράβων χώρᾳ, νήσῳ περί τε Σάβα καὶ Ἀδράμυτα, καὶ Κιτίβαινα, καὶ Μάλι. In quibus verbis illa C non bellè habent: ἐν τῇ τῶν Ἀράβων χώρᾳ νήσῳ περί τε Σάβα. Nec enim insulæ sunt, ubi odores illi proveniunt. Nec Sabæi, nec Atramitæ insulares. Omnino scribendum: ἐν τῇ τῶν Ἀράβων χερρονήσῳ, περί τε Σάβα, καὶ Ἀδράμυτα. Nihil verius hac emendatione. Ἀράβων χερρόνησον vocat Arabiam Felicem, quæ peninsula erat inter sinus Arabicum, & Persicum. Plinius lib. VI capite quo supra: *ipsa vero peninsula Arabia inter duo maria rubrum, Persicumque procurrens, quodam naturæ artificio ad similitudinem, atque magnitudinem Italiæ mari circumfusa.* De eadem Arabia Felice intelligit Martianus: D καὶ ὥσπερ χερρόνησος μεγίστη πλατυτάτῳ ἰσθμῷ προσεχομένη περιρρεῖται τῇ θαλάσσῃ. Quæ Κιτίβαινα Theophrasto, apud ceteros Κατάβανα, nisi ita sit legendum. Inde Καταβανεῖς populi, & Καταβανία regio. Strabo φέρει δὲ τὸν λιβανωτὸν ἡ Καταβανία, σμύρναν δὲ ἡ Χατραμωτῖτις. Forte & Ἀδράμωτα scribendum in Theophrasto pro Ἀδράμυτα. Si nihil mutandum, eadem sunt. Certè alii Ἀτράμιτα, alii Ἀτράμωτα dixisse videntur. Unde Ἀτραμωτῖται & Ἀτραμιτῖται, qui & Ἀτραμῶται, & Ἀτραμῖται. Nam sic etiam dicebantur. Ut Ὀρέσα urbs, cujus ἐθνικὸν Ὀρέσης, & alia sexcenta. Loci igitur nomen apud Theophrastum Ἀδράμωτα, à quo Ἀδραμωτῖται, ut Σάβα, à quo Σαβαῖοι & Σαβαῖται. *Chatramotitas* populos recenset Plinius ab *Atramitis* diversos, eodem capite. Χατραμῶτας eos vocabat Uranius in Arabicis, cujus verba hæc citavit Stephanus: Καμηλοκόμοι, Χατραμῶται, Σαβαῖοι καὶ Ὀμηρῖται. Ptolemæo dicuntur Χατραμιτῖται. Qui etiam eos ab Atramitis separat, quos vocat Ἀδραμῖται. Immo & Χατραμῖται quoque dictos fuisse ostendit Dionysius, qui Χατραμίδα eorum regionem appellat.

...... οἳ ἐπὶ γαῖαν

Χατραμὶς ἐνναίει κατενάντια Περσίδος αἴης.

Ubi rectè Eustathius: Χατραμὶς γῆ, ἀφ' ἧς ἄλλοι Χατραμῖται. Ut semel dicam quod sentio, Χατραμῖτας & Ἀτραμίτας eosdem puto: Χατραμώτας & Ἀτραμώτας: Χατραμωτίτας denique & Ἀτραμωτίτας. Ut enim Χοσρόης & Ὀσρόης idem nomen, *Chosroene* provincia, & *Osroene*. Straboni lib. XVI. Flumen Ἀβόρας dicitur, qui Ptolemæo est Χαβώρας, in Mesopotamia. Sic Μαχομέθ, quem alii passim *Maometh* vocant. Heth Hebræum Græci sæpe mutant in χ, sæpe etiam in molliorem spiritum leniunt, & pro ח ponunt. *Carras* urbem οἱ ἔξωθεν appellant, quam Hebræi חָרָן *Haran*, sive *Charan*. Ita igitur *Atramita* & Chatramitæ iidem: Ἀτράμωτα & Χατράμωτα: Ἀτραμωτῖται & Χατραμωτῖται. Plinius, qui ex diversis auctoribus opus suum compilavit, cum Χατραμωτίτας ab aliis vocari videret, ab aliis autem Ἀτραμωτίτας, & Ἀτραμίτας diversum populum esse sibi persuasit. In eodem errore etiam Ptolemæus, qui similiter in multis peccat, ut cum Αἰλανίτην κόλπον in Persico sinu ponit, qui idem est cum eo, qui Ἐλανίτης dicebatur, eratque in sinu Arabico. Sed de his alibi. Huc

A accedit & alia differentia, quod Ἀτραμίτας quidam partem Sabæorum regni esse tradiderunt, alii Χατραμίτας gentem à Sabæis separatam. Nam eam partem Arabiæ odoriferæ in quatuor gentes præcipuas divisere nonnulli in Catabanes, Minnæos, Chatramotas, & Sabæos. Ita Strabo. Horum Catabanes ad occidentem siti sunt prope fauces Arabici sinus, Chatramotitæ ad orientem prope Persicum, Sabæi & Minnæi juxta rubrum mare. Dionysius:

Αὐτὰρ Ἐρυθραίης πλόυρὸν ναίουσι θαλάσσης

Μινναῖοί τε Σάβαι τε.

At Plinius Sabæorum gentem amplissimam facit, & celeberrimam, porrectis ad utraque maria gentibus. Ergo & Chatramotas complectebatur, & Minnæos. Nam & Minnæos pagum esse Sabæorum, ut & Atramitas, videtur alibi adstruere. Diverse itaque ab auctoribus hujus populi conceptum nomen, in causa fuit, ut non idem populus putaretur. Theophrastus inter eas regiones, quæ thus & myrrham ferebant, Ἀτράμωτα recenset, à qua Ἀτραμωτῖται. Nec quicquam facit, quod Atramitarum caput, non *Atramota*, vel *Atramita*, sed *Sabota* dicit esse Plinius: sic Sabæorum regiam *Mariava* idem vocat, cum Σάβα videatur appellare Theophrastus. Profecto Sabæi à *Saba*, ut Atramotitæ ab *Atramota*. Strabo Χατραμωτῖτιν χώραν vocat, quæ myrrham mittebat. Φέρει δὲ τὸν λιβανωτὸν ἡ Καταβανία, σμύρναν δὲ ἡ Χατραμωτῖτις. Nec *Atramitas* ille nominat inter eos Arabiæ Felicis populos, apud quos nascebantur odores, sed Χατραμωτίτας tantum. Ut vel hinc liqueat Χατραμίτας & Ἀτραμίτας eosdem esse. His adde, quod myrrha *Atramitica* dicebatur, quam apud Chatramotas ait nasci Strabo. Plinius lib. XII. cap. XVI de myrrha: *Sequens genera complura: Troglodytica silvestrium prima. Sequens Minæa, in qua & Atramitica est.* Ptolemæus: ὧν πρὸς ἀνατολὰς, περὶ μὲν τοὺς Χατραμιλίτας ἡ ἐκτὸς σμυρνοφόρος. Paulo ante Χατραμμῖτας appellat, pro Χατραμῖτας. Quos tamen distinguit ἀπὸ τῶν Ἀτραμιτῶν. Perperam. Nam inde myrrha *Atramitica*, quæ & *Chatramitica*.

Pagus Sabæorum] Locum, vel oppidum, à quo nominati Sabæi, Theophrastus vocat Σάβα. Sic multa oppida Arabiæ Felicis terminantur. Λάβα, Ῥάβα, Μαιλάβα, Μακοράβα. Stephano Σάβαι, πόλις μεγάλη πλησίον τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης. Cujus ἐθνικὸν Σαβαῖοι. Aliud erat oppidum Σαύη. Male apud Plinium scribitur *Sabe* lib. VI. cap. XXIII. *Intus oppida: Regia ejus appellatur Saphar, aliudque Sabe.* Lege, *Save*. Nam & ita libri. Stephanus: Σαύα, οὐδετέρως, κώμη τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας. Οἱ κωμῆται Σαυηνοί. Certè melius Σαύα dicitur, quam Σαύη. Sic enim urbes pleræque in Arabia desinunt, ut Ἀραμαύα, Θαπαύα. Ptolemæus tamen etiam Σαύην nominat: Σαύη βασίλειον. Et auctor Peripli maris Erythræi: ἀπὸ τριῶν ἡμερῶν πόλις Σαύη τῆς περὶ αὐτὴν Μαφαρίτιδος λεγομένης χώρας. Sic scribendum. Meminit idem & paulo post oppidi *Saphar*, quod Plinius conjunxit cum *Save*: καὶ μετ' ἄλλας ἐννέα ἡμέρας Σαφὰρ μητρόπολις ἐν ᾗ Χαριβαὴλ. Male excusum est Ἀφάρ. Repetendum est sigma ex fine præcedentis dictionis. Σάπφαρα vocat Ptolemæus. Unde Σαπφαρῖται populi. Idem Ptolemæus etiam Σάβην recenset diversam à Save. Ea est nimirum, quæ Theophrasto Σάβα, & Stephano Σάβαι, à qua Sabæi. Agatharchides vocat Σάβας, τὸ δὲ τῶν Σαβαίων ἄστυ τοῦ παντὸς ἔθνους προσηγορίαν δηλοῦν ἐπ' ὄρους ἐστὶ μεγάλου, πολὺ κάλλιστον τῶν κατὰ τὴν Ἀραβίαν, ὃ καλεῖται Σάβας. Sed fortè legendum Σάβα. Nam ita Diodorus vocat, qui ex Agatharchide ad verbum illa omnia sumpsit. Sic autem scribit de Sabæis: τοῦ δὲ ἔθνους τούτου μητρόπολίς ἐστιν, ἣν καλοῦσι Σάβα, ἐπ' ὄρους ᾠκισμένη. Ubi tamen quidam habent libri: ἣν καλοῦσι Σάβας, cujus rectum Σάβαι. Stephanus etiam Σάβω nominat: Σάβω, πόλις μεγάλη πέραν τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης. Οἱ πολῖται Σαβαῖοι. Videtur diversam facere ab ea, quam paulo ante Σάβας vocavit. Sed eadem est, ut τὸ ἐθνικὸν ostendit. Plinius in recensione oppidorum, quæ habent Sabæi in rubro littore, *Sabatra* numerat: *oppida eorum in rubro littore Marane, Marma, Corolia, Sabatra.* Sed scribendum *Sabatha*. Ita enim pleraque desinunt Arabiæ oppida: ut Λύαθα, Φάραθα, Γοίραθα, Χαίραθα, Μαίμαθα. Quis dubitet quin Plinii illa Σάβαθα sint eadem, quæ

quæ aliis Σάβα? Nec enim credibile est illud oppidum ab eo prætermissum, quod toti genti nomen dedit. Ptolemæus Σαύβαθα vocat pro Σάββαθα, Σαύβαθα μητρόπολις. Nam & Σάββαθα dicuntur auctori, qui Periplum maris Erythræi scripsit. Ὑπέρκειται δὲ αὐτῆς μεσόγειος ἡ μητρόπολις Σάββαθα, ἐν ᾗ βασιλεὺς κατοικεῖ. Sic Σάβα μητρόπολις τοῦ ἔθνους Agatharchidæ, & Diodoro. Et omnino eadem sunt τὰ Σάβα & τὰ Σάβαθα. At Ptolemæus Σάβην, & Σάβαθα veluti diversas urbes in mediterraneo numerat, & longè dissitas facit. Videtur autem recentior hujus urbis appellatio Σάβαθα, quæ antiquioribus Σάβη, & Σάβαι, & Σάβα, & Σάβω dicta est. Nec refert, quod Σάββαθα cum duplici beta scripserunt. Sic Σαββαῖοι Uranio in Arabicis apud Stephanum dicti. Præterea consuetudine adducti, qua tritissimum tunc vocabulum ita scripserunt τὰ Σάββαθα. Sed Plinius in ora maritima rubri maris, id est, sinus Arabici collocat *Sabatha*, cum Ptolemæus μεσόγειον urbem faciat τὰ Σάββαθα, æquali fere spatio distantem ab utroque sinu, Persico & Arabico, ut ex gradibus longitudinis patet, quos illi assignat. Sed & longe submota est ab ora rubri maris. Arrianus, vel auctor Erythræi peripli suprà Canen emporium rubri maris in mediterraneo ponit τὰ Σάββαθα. Ad illud emporium thus omne, quod in illa regione nascebatur, deferri solebat, καμήλοις τε καὶ σχεδίαις ἐντοπίαις δερματίναις ἐξ ἀσκῶν, καὶ πλοίοις. Thus deferebatur utribus, vel navigiis ex utribus factis ad illud emporium Canan. Nam de emporio ipso, non de urbe Sabbathis hoc dicit accipiendum in illo auctore: Ὑπέρκειται δὲ αὐτῆς μεσόγειος ἡ μητρόπολις Σάββαθα, ἐν ᾗ καὶ ὁ βασιλεὺς κατοικεῖ. Πᾶς δὲ ὁ γεννώμενος ἐν τῇ χώρᾳ λίβανος εἰς αὐτὴν ὥσπερ ἐκδοχεῖον εἰσάγεται, καμήλοις τε καὶ σχεδίαις ἐντοπίαις δερματίναις ἐξ ἀσκῶν, καὶ πλοίοις. De urbe ipsa, sive metropoli Sabbathis perperam hæc accepit doctus interpres. Atqui de Cane emporio maritimo interpretandum suprà, quod in mediterraneo sita illa Sabbatha. Nec sanè video, quì merces navigiis devehi possint in oppidum mediterraneum. Nisi si forte flumine subveherentur, de quo nihil dicit auctor ille. Et certum est è sequentibus de emporio Cane eum loqui: ἔχει δὲ καὶ αὐτὴ σύγχρησιν τῶν πέραν ἐμπορίων. Ἡ αὐτὴ Κανὴ scilicet, quæ & ipsa emporium. Et paulo post: πλεῖται δὲ εἰς αὐτὴν περὶ τὸν αὐτὸν καιρὸν, ὃν καὶ εἰς Μούζα, πρωϊμώτερον δέ. Sequitur, μετὰ δὲ Κανὴ τῆς γῆς ἐπὶ πλεῖον ὑποχωρούσης ἄλλος ἐκδέχεται βαθύτατος κόλπος, ἐπὶ πολὺ παρεκτείνων, ὁ λεγόμενος Σαχαλίτης, καὶ χώρα λιβανοφόρος. Ergo tam camelis terrestri itinere, quam utribus, sive ratibus ex utre factis è thurifera regione thus devehebatur Canam emporium. Utres enim navigia enchoria, quibus per Sachaliten illum sinum navigabant, cui prætenta regio thurifera. Ptolemæus: ἐν τῷ Σαχαλίτῃ κόλπῳ, ἐν ᾧ κολύμβησις Πινικοῦ, ἐπὶ ἀσκῶν διαπλέουσι: *in Sachalite sinu, in quo Pinici velleris, vel margaritarum piscatio est, utribus navigant.* Plinius porro aliud oppidum ibidem in Atramitis, pago Sabæorum recenset, quod *Sabota* vocat. *Pars Sabæorum*, inquit, *Atramitæ quorum caput Sabota sexaginta templa muris includens.* Et lib. XII de thurifera regione: *In medio ejus ferè sunt Atramitæ, pagus Sabæorum; caput regni Sabota in monte excelso, à quo octo mansionibus distat regio eorum thurifera.* Ergo Plinio Sabatha, & Sabota diversa oppida: illud Sabæorum in sinus Arabici littore, hoc Atramitarum qui & ipsi pars Sabæorum. Sed nec Ptolemæus, nec Peripli auctor hæc duo oppida numerant, apud quos mentio tantum extat τῶν Σαββάθων. In Atramitarum regione, quam describit, nulla memorat *Sabota* Ptolemæus, quæ tamen regni caput fuisse scribit Plinius. Præterea quæ *Sabota* Plinio, non dubium est id oppidum esse quod Ptolemæo & auctori Peripli Σάββαθα. Arrianus, sive auctor ille, qui periplum scripsit: Ὑπέρκειται δὲ αὐτῆς μεσόγειος ἡ μητρόπολις Σάββαθα, ἐν ᾗ καὶ ὁ βασιλεὺς κατοικεῖ. Πᾶς δ' ὁ γεννώμενος ἐν τῇ χώρᾳ λίβανος εἰς αὐτὴν ὥσπερ ἐκδοχεῖον εἰσάγεται, καμήλοις τε καὶ σχεδίαις ἐντοπίαις. Plinius capite eodem: *Thus collectum Sabota camelis convehitur porta ad id una patente. Digredi via capital leges fecere. Ibi decimas Deo, quem vocant Sabin, mensura, non pondere sacerdotes ac-*

A *cipiunt.* Idem planè de Sabotis scribit, quod Græcus auctor de Cana emporio. Nec enim de Sabbathis hæc apud illum dicuntur, ut perperam vulgo doctissimi viri accepere. Canam emporium in Atramitarum regione ponit Ptolemæus. Haud longè à Cana Sabbatha juxta periplum. Ibidem ponit Plinius & oppidum *Sabota.* Σάββαθα μητρόπολις Ptolemæo, & Arriano, seu quisquis auctor est. *Sabota* caput Atramitarum Plinio, qui Sabæi erant. In excelso monte condita Sabota, ut Plinius testatur. *Saba* metropolis Sabæorum, ἐπ' ὄρους ᾠκισμένη, secundum Agatharchidem, & Diodorum. Artemidorus apud Strabonem vocat eam *Mariaba*, qui tamen per omnia sequutus est Agatharchi-

B dem in Arabiæ descriptione. Sabis deus colebatur in oppido Sabotis, ut idem Plinius affirmat. Et verisimile est in ea urbe cultum fuisse, quæ inde nomen accepit, & universæ genti nomen fecit. Ea fuit Saba. Sic Sabota, Sabatha, & Saba nomen fuerit ejusdem oppidi. Τὰ Σάβαθα productione nominis ἀπὸ τοῦ Σάβα, ut τὰ Σάβωθα ἀπὸ τοῦ Σάβω, ut Χατραμῶτα, vel Ἀτραμῶτα. Unde Ἀτραμωτῖται. Sed de his infra plura: ubi docemus Sabota, vel Sabatha eadem esse, à Sabis diversa. Plinius qui Sabatha & Sabota distinxit, mo-

C rem suum sollemnem obtinet, quod enim apud varios auctores, è quibus opus consarcinavit, diversè super eadem re scriptum reperit, diversum utique putavit. *Sabathas* Avienus Sabæos vocat ab urbe eorum Sabbatha, ut Sabæi à Saba sunt dicti.

> ---- *rutili contermina Ponti*
> *Minnæi Sabathæque tenent, super impiger ampla*
> *Æquora desulcat glebæ ditis Cletabenus.*

In Græcis Dionysii, quæ vertit ita scribitur:

> Αὐτὰρ Ἐρυθραίης πλοῦρον ναίουσι θαλάσσης
> Μινναῖοί τε Σάβαι τε, καὶ ἀγχίγνοι Κλεταβῆνοι.

D Ut ab oppido Σάβα, οἱ Σάβαι, pro Sabæis: sic à Σάβαθα, οἱ Σαβάθαι, qui iidem sunt. Et erudite *Sabathas* pro Sabæis nominavit Avienus. Ita Ἀτραμῶται ab oppido Ἀτραμῶτα pro Ἀτραμωτῖται. De quibus supra diximus. Σαβαίτας eosdem appellat auctor peripli: καὶ μετ' ἄλλας ἐννέα ἡμέρας Σάφαρ μητρόπολις, ἐν ᾗ Χαριβαὴλ, ἔνθεσμος βασιλεὺς ἐθνῶν δύο, τοῦ τε Ὁμηρίτου, καὶ τοῦ παρακειμένου λεγομένου Σαβαΐτου. Ita legendum. Uranius apud Stephanum Ὁμηρίτας & Σαβαίους similiter jungit his verbis: καμηλοκόμοι Χατραμῶται, Σαββαῖοι, καὶ Ὁμηρῖται. Ptolemæus Ἀδραμιτῶν χώραν, qui Sabæi sunt, & Ὁμηριτῶν vicinas ponit. Stephanus in voce Σάβαι. καὶ τὸ

E κτητικὸν, Σαβαϊκὸν, ὡς ἀπὸ Σπάρτης Σπαρτιακόν. Fallitur. Σαβαϊτικὸν à gentili Σαβαΐτης. Strabo in dextero, ac Troglodytico latere Arabici sinus describendo meminit Σαβαϊκοῦ στόματος, quod à Sabæis deduci non potest. Post Ptolemaïdem venationum statim apud eum sequitur, τὸ Σαβαϊτικὸν στόμα. Ptolemæo dicitur Σεβαστικὸν στόμα. Πτολεμαῒς θηρῶν, Σεβαστικὸν στόμα. Lege: Σεβαϊτικόν. Sed & Σάβα λιμὴν in eodem latere ibidem recensetur. Et Σάβαι urbs amplissima, à qua Beronice altera cognomento, ἡ κατὰ Σαβάς. Ptolemæo Σαβὰτ vocatur. Κολοβῶν ὄρος ἄκρον καὶ ἐν τῷ Ἀδουλικῷ Σαβὰτ πόλις.

F Forte Σάβαι πόλις. Strabo: ἑξῆς ἐστὶ λιμὴν καλούμενος Κολοβῶν ἄλσος, καὶ Βερενίκη πόλις ἡ κατὰ Σάβας, καὶ Σάβαι πόλις εὐμεγέθης. De qua Berenice nos infra. Quare cum Stephanus Σάβας dicit esse πόλιν μεγάλην πλησίον τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης, nescias utrum de Arabico oppido, an Æthiopico sit accipiendum. Sed in voce Λάβαι Σάβας de Arabico oppido rubri maris manifestè accipit. Λάβαι Χαυλωτίας πόλις, ὡς Σάβαι. Πολύβιος τεσσαρεσκαιδεκάτῳ. Τὸ ἐθνικὸν Λαβαῖος ὡς Σαβαῖος, τῆς αὐτῆς χώρας ἀμφότερα. Ἡ δὲ Χαυλωτία τῶν Γερραίων ἐστὶ χώρα. Vide in Χαυλωτία. Ptolemæus vocat Λάβα, ut alii Σάβα. Verum de his alibi accuratius. *Sabæos* Servius in ea Arabia collocat, quæ

G inter Libanum & Antilibanum jacet. *Arabiæ*, inquit, *tres sunt, Inferior, Petrodes & Eudæmon, in qua sunt Sabæi populi: sed hi montes, inter quos sunt, Libanum & Antilibanum dicuntur.* Nugæ grammaticales. Λίβανος Græcè thus dicitur. Sabæi λιβανοφόρον regionem incolunt, quæ & montuosa est. Hinc Sabæos inter Libanum & Antilibanum Syriæ montes locat, quia pars aliqua Arabiæ ad Libanum, & in media usque Syriæ pertenderet. Plinius de Arabibus qui ad Libanum: *nec non in media Syria ad Libanum montem penetrantibus, nubei,*

nubeis, quibus junguntur Ramisi. Quæ verba attuli, ut emendarem, quia mendosa sunt. Scribo: *nec non & in media Syriæ ad Libanum penetrantibus Nombæi, quibus iunguntur Ramisi.* Nombæi populi Judææ Libanum versus tendentibus, quos Arabiæ Plinius dat. Stephanus: Νόμβα, πόλις τῆς Ἰουδαίας. Ἰώσηπος ἔκτῳ τῆς Ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας. Τὸ ἐθνικὸν Νομβαῖος. Certè sub illa corrupta dictione *nubeis* delitescit populi alicujus nomen, nec propius divinare licuit, qui convenirent quam Nombæos illos.

Pagus Sabæorum, à quo octo mansionibus regio thurifera disterminatur] Pagum heîc pro vico Solinus apud Plinium accepit; cum pro gente ille posuerit. Si gentem heic, ut apud Plinium significare volumus, sic etiam, sed alio modo peccaverit noster, nec enim à gente Atramitarum octo mansionibus distare regionem thuriferam dicit Plinius, sed à monte excelso illo, in quo condita Sabota, caput regni Atramitarum. Verba ejus clara sunt: *in medio ejus ferè sunt Atramitæ pagus Sabæorum, capita regni Sabota in monte excelso, a quo octo mansionibus distat regio eorum thurifera.* Ab oppido Sabota, non à pago, sive gente Sabæorum Atramitis tot mansionibus distat thurifera. Centies ita peccavit Solinus. De situ porro thuriferæ videamus, an concordent auctores. Plinius Atramitas in medio fere Felicis Arabiæ esse ait. Ibi Chatramitas ponit Ptolemæus, quos à Climace monte usque ad Sachaliten sinum pertinuisse scribit: ὑπὲρ δὲ τούτους πάντας οἱ Χατραμῖται ἀπὸ τῆς Κλίμακος μέχρι τῶν Σαχαλιτῶν. Strabo tradit Gazæos quadragesimo die pervenire ad Chatramotitas. Ita enim apud eum scribendum: Γαζαῖοι δ' εἰς τὴν Χατραμωτῖτιν ἐν τετταράκοντα ἡμέραις ἀφικνοῦνται. Scribit ibidem ab Elana urbe ad Minnæos, qui extimam Arabiæ partem juxta rubrum mare incolebant, septuaginta dierum iter esse. Sic in medio fere Arabiæ Chatramitæ, qui idem cum Atramitis. Legitur vulgo apud Strabonem, Γαβαῖοι δ' εἰς τὴν Χατραμωτῖτιν. Vir eruditissimus corrigebat Γερραῖοι. Perperam. Nisi verum sit Γαζαῖοι, vulgata potest retineri. Γάβα oppidum Palæstinæ, vel Γάββα, quod etiam mercium gratia petebant Arabes. Plinius lib. XII. cap. XVII. *His commerciis Carras oppidum aperuere, quod est illis nundinarium.* Inde *Gabbam* omnes petere *solebant*, & *Palæstinam Syriam.* De Arabibus loquitur. Stephanus: Γάβα, πόλις Γαλιλαίας. Recenset paulo post & Γάββαν, πόλιν Συρίας, veluti diversam. Sed hæc alibi. Chatramitæ igitur & Chatramotitæ sunt, ut paulo ante notavimus. Χατραμίδα, hoc est, Χατραμιτῶν regionem Persidi contraversam esse canit Dionysius, ut Sabæos, & Minnæos latus rubri maris incolere. Ergo Chatramitæ in medio fere Arabiæ censentur, ubi Atramitas locat Plinius, ut omnino iidem sint Chatramitæ & Atramitæ. Qui tabulas Ptolemaïcas confecerunt, Atramitas in ora maris rubri constituunt, ad Canam emporium, quod etiam in Atramitarum regione situm esse tradit Ptolemæus, qui & eorum regionem usque ad Sachalitas promovet. Ceterum ubi Atramitas Ptolemæus, ibi Minnæos, & Sabæos collocat Strabo, ἐν τῷ πρὸς τὴν ἐρυθρὰν μέρει. Sed Sabæorum pars Atramitæ, & nihil prohibet, eos usque ad Canam emporium à Climace, & inde ad Sachaliten sinum terras suas extendisse. Avienus Dionysii interpres:

---- *& inde*
Chatramis est tellus: Canæ vicina, fluento
Persidis accedit: rutili contermina ponti
Minnæi, Sabathæque tenent.

Ita scribendum, ac distinguendum. Nam vulgo *Camæ* legitur. Nulla tamen mentio extat *Canæ* in Græcis, quæ ita habent:

---- οἷς ἐπὶ γαῖα
Χατραμὶς ἐνναίει κατεναντία Περσίδος αἴης.

An legerat in Græcis Avienus, quæ multo integriora habuisse constat?

---- οἷς ἐπὶ γαῖα
Χατραμὶς εἰς Κανὴν, κατεναντία Περσίδος ἅλμης.

Certe Περσίδος ἅλμης pro Περσίδος αἴης eum legisse nullus dubito. *Fluentum Persidis* vocat Avienus sinum Persicum, ut paulo ante de Arabico:

Namque Arabas, Syriæque solum sinus iste fluento
Dividit.

Priscianus quoque *Persidis æquor* reddidit:

Chatramis atque Macæ contra sunt Persidis æquor.

Et sanè non contra Persarum regionem, sed contra Persicum sinum objacet Chatramitarum tellus. Quinimmo & Cana ipsa emporium ex adverso Persici æquoris situm est in rubro littore. Haud scio autem, unde Macas expiscatus sit Priscianus, quorum nec vola extat, nec vestigium in Græco scriptore. Et Macæ longe sunt à Chatramitis, ad ipsas nimirum fauces positi Persici sinus. Nam illarum faucium angustissimus habetur trajectus à promontorio Carmaniæ ad promontorium Arabiæ, τὸ ἐν Μάκαις. Fortè legendum in verbis Prisciani:

Chatramis atque Cane contra sunt Persidis æquor.

Profecto mendum est in hoc versu Dionysii, γαῖα Χατραμὶς ἐνναίει, *tellus Chatramitarum inhabitat.* Nec enim regio incolit, sed incolitur. Legisse ergo Avienus videtur, εἰς Κανήν. Nam usque ad Canen emporium protenduntur Chatramitæ, sive Atramitæ. Thuriferæ porro regionis illud emporium maritimum. Plinius: *veniuntque circiter trigesimo die Ocelim Arabiæ, aut Canen thuriferæ regionis.* Arrianus: Ἐμπόριόν ἐστιν ἕτερον παραθαλάσσιον Κανὴ, βασιλείας Ἐλεάζου χώρας λιβανωτοφόρου. Centum viginti à Cane stadiis insulam Trullam distare ait idem, & supra hanc in mediterraneo situm esse oppidum *Sabatha* metropolim, quo thus collectum ex omni regione camelis convehebatur. Hoc est oppidum, quod *Sabota* Plinio dicitur, Atramitarum caput, à quo octo mansionibus regionem thuriferam disterminari dixit. De thurifera autem regione idem Græcus auctor ita prodit: μετὰ δὲ Κανὴ τῆς γῆς ἐπὶ πλεῖον ὑποχωρούσης ἄλλος ἐκδέχεται βαθύτατος κόλπος ἐπὶ πολὺ παρεκτείνων ὁ λεγόμενος Σαχαλίτης, καὶ χώρα λιβανοφόρος ὀρεινή τε καὶ δύσβατος. Ita legendum, ac distinguendum. Ergo thurifera regio juxta Sachaliten sinum extendebatur, proinde Atramitis erat contigua, qui Sachalitas attingebant. Quare falsum est, quod heic scribit Solinus thuriferam regionem à pago Atramitarum, id est, à gente ipsa octo mansionibus camelorum disterminari, cum ab oppido Sabota, non ab extremis finibus gentis illa distantia computaretur. Promontoria sinus faciunt. Primum promontorium sinus Sachalitæ vocabatur Syagros. Ptolemæus: Σύαγρος ἄκρα Σαχαλιτῶν. Ita distinguendum. Arrianus: τούτου δὲ ἐστιν ἀκρωτήριον τοῦ κόσμου μέγιστον, ἀποβλέπον εἰς ἀνατολὴν, ὁ καλούμενος Σύαγρος. Τούτου δὲ, id est, τοῦ Σαχαλίτου κόλπου, cujus mentio præcessit. Male scribitur: τούτου δέ. Marcianus: ἐκδέχεται ὅ τε Σύαγρος τὸ ὄρος καὶ ὁ Ἀχαλίτης κόλπος μέγιστος ὤν, καὶ διήκων ἄχρι τοῦ στόματος τοῦ κόλπου τοῦ Περσικοῦ. Vocat Ἀχαλίτην, qui aliis Σαχαλίτης. Statim à Syagro igitur incipiebat ἡ λιβανοφόρος. In quo Syagro impositum erat φρούριον τῆς χώρας, καὶ λιμὴν, καὶ ἀποθήκη τοῦ συναγομένου λιβανοῦ. Hinc genus thuris quoddam vocabatur Σύαγρος. Ex his colligitur inter Sachalitas, & Chatramitas, vel Atramitas sitam fuisse thuriferam, ubi Ptolemæus ponit τὴν ἐκτὸς σμυρνοφόρον. Sic enim scribit: ὧν πρὸς ἀνατολὰς παρὰ μὲν τοὺς Χατραμίτας ἡ ἐκτὸς σμυρνοφόρος. Certe iisdem in silvis utramque arborem thuris, & myrrhæ nasci aliqui tradidere. Plinius: *myrrham in iisdem silvis permixta arbore nasci tradidere aliqui, plures separatim.* Inde σμυρνοφόρος & λιβανοφόρος separatæ apud Ptolemæum. Sed quod indiscretim nasci utramque speciem quidam tradiderunt, inde & σμυρνοφόρον ponit, ubi alii τὴν λιβανοφόρον collocant. De thurifera vero ita scriptum reliquit: καὶ Ὁμανῖται, ὑφ' ὧν ἀνατολικώτεροι Καταβανοὶ μέχρι τῶν Ἀσαβῶν ὀρῶν. ὑφ' οὓς ἡ λιβανοφόρος. Orientales facit Catabenos usque ad montes Asabo pertinere, qui montes ad lævam erant sinus Persici. Lege apud Ptolemæum, μέχρι τῶν Ἀσαβὼ ὀρῶν. Male *Asabos* populos sibi comminiscuntur viri docti, quorum illi montes fuerint. Et paulo post: Ἀσαβῶν ἄκρον Περσικοῦ κόλπου. Hoc est, quod Strabo vocat τὸ ἐν Μάκαις ἄκρον. Malè excuditur Ἀσαβῶν ἄκρον. Sed & alibi scribendum: καὶ ὑπὲρ τὰ Ἀσαβώ: *& super montes Asabo.* Non, *montes Asaborum.* Auctor periplí de ore sinus Persici: τούτου δὲ τῆς στόματος ἐκ τῶν εὐωνύμων ἐστὶν ὄρη μέγιστα λεγόμενα Ἀσαβώ. Malè est vulgo Σαβώ. Mar-

Marcianus Heracleota: ἐνταῦθα παράκειται τὸ προῤῥηθὲν στρογγύλον ὄρος ὥσπερ ἀντικεῖσθαι ἔφαμεν κατὰ τὴν εὐδαίμονα Ἀραβίαν, Ἀσαβῶ ὄρος τε καὶ ἀκρωτήριον ἅπερ ἑκάτερα ὄρη τε, καὶ ἀκρωτήρια τὰ στενὰ ποιεῖ τοῦ Περσικοῦ κόλπου. Non rectè editum est Πασαβῶ. Et paulo post: ἀπὸ τοῦ Ἀσαβῶ ὄρους, καὶ τοῦ Ἀσαβῶ ἀκρωτηρίου. Catabeni igitur Orientales, qui pertinent ad ora Persici sinus, sub quibus ἡ λιβανοφόρος à Ptolemæo censetur, diversi utique sunt ab illis Catabanis Strabonis, quos ille pertingere dicit ad fauces, & angustias Arabici sinus in contraria nimirum Arabiæ parte positos: τέταρτοι δὲ Καταβανεῖς καθήκοντες πρὸς τὰ στενὰ, καὶ τὴν διάβασιν τοῦ Ἀραβίου κόλπου. Nihil tam diversum. Viri tamen eruditissimi adnotant Καταβανεῖς Strabonis, & Καττάβηνοὺς Ptolemæi, populum eumdem esse. Qui id fieri potest? Certe in Catabania thus nasci scribit idem Strabo: φέρει δὲ τὸν λιβανωτὸν Καταβανία, σμύρναν δὲ ἡ Χατραμωτῖτις. Catabanes ad occidentem sitos docet idem, & Chatramotas ad orientem, quos Atramitas esse diximus, unde *myrrha Atramitica*. Qui Atramitæ cum ad Sachaliten sinum protendant fines suos, juxta quem ἡ λιβανοφόρος, id juverit eorum opinionem, qui myrrhæ, ac thuris arbores in iisdem silvis nasci prodiderunt. Ceterum quum Sachalites sinus, juxta quem ἡ λιβανοφόρος, usque ad fauces Persici sinus; sequitur ut non longe sit ab illis faucibus meridiem versus regio illa, quæ thus mittit. Itaque verisimile est Ptolemæum, qui legerat in Cattabania thus nasci, Cattabenos ab occidente & sinus Arabici faucibus, ad orientem, & ora sinus Persici transtulisse, ubi thurifera regio ab omnibus ponitur. Hoc nisi sit, erraverit ipse Strabo. Sed Strabonem tuetur Plinius, qui *Catabanos* vicinos facit Gebanitis. Nam Gebanitæ in faucibus habitabant Arabici sinus, ad ipsum trajectum, ubi & portus eorum *Ocila* vocabatur lib. VI. cap. XXIX. *Gentes Catabani Gebanitæ pluribus oppidis.* & lib. XII. cap. XIX. *Deferunt in portum Gebanitarum, qui vocatur Ocilia.* Auctor Peripli Ὄκηλιν vocat. Artemidorus apud Strabonem, Ὠκίλαν. Sic enim ibi legendum pro Ἀκίλαν ex libris. Thurifera igitur regio in Arabia Felice juxta Sachaliten sinum ad Orientem, inde thus evehebant mercatores per Minnæos primum, qui oram maritimam rubri maris accolebant, vicini Atramitis Sabæis, deinde per Gebanitas, qui ad fauces Arabici sinus pertinebant. Nec enim aliter evehi licebat. Plinius capite de thure: *evehi non potest nisi per Gebanitas: itaque & horum regi penditur vectigal.* Notant docti hos Gebanitas Straboni vocari *Catabanitas*. Falsum. Καταβανεῖς Strabo nominat, non Καταβανίτας. Et Catabanes Gabanitis vicini, ut ex Plinio didicimus. *Gebanitæ* porro sunt, qui aliis *Gebalitæ* ab oppido Gebala. Stephanus Γέβαλα vocat. Alii Γέβανα. Nam Græci λ & ν in multis confundunt, ut νίτρον, λίτρον: ἀνδράχνη, ἀνδράχλη: & similia. Catabanum regiam Strabo Τάμνα vocat, Gebanitarum Plinius *Thomnam*. Ptolemæo dicitur Θόμνα. Sed hæc alibi.

Octo mansionibus] Quibus mansionibus? An camelorum? Scribit eodem capite Plinius Thomnam caput Gebanitarum abesse à Gaza Judææ oppido quadragies quater triginta sex milibus passuum, & quingentis, idque spatium dividi in mansiones camelorum sexaginta quinque. Sic enim ille locus in libris scribitur: XXXXIIII. XXXVI. D.P. quæ notæ significant, *quadragies quater centena triginta sex milia, & quingentos passus.* Ita singulis mansionibus camelorum sexaginta novem miliaria plus minus imputantur. Si de communibus mansionibus accipiamus, justum, ac ordinarium erat singulas mansiones viginti milibus passuum constare. Hæc mensura legitima putabatur ad iter unius diei, ut ex Jurisconsulto clarum est. Simile est, quod Herodotus lib. V centum & quinquaginta stadia singulis diebus imputat, velut justum iter: πεντήκοντα δὲ καὶ ἑκατὸν στάδια ἐπ' ἡμέρῃ ἑκάστῃ διεξιοῦσι, ἀναισιμοῦνται ἡμέραι ἀπαρτὶ ἐνενήκοντα. Quod si septem stadia & semissem unicuique miliario tribuat, ut multi faciunt, viginti milia passuum reddet ille numerus stadiorum. Zenophon quoque lib. V. Ἀναβάσεως centum ac viginti duas mansiones, ἑκατὸν εἴκοσι σταθμοὺς, peragi docet in decem & octo milibus stadiorum.

A Quæ stadia si cum singulis mansionibus exæques, ad eam, quam dixi justi itineris mensuram diurnam, quadrare comperies, solis trecentis stadiis suprà æquum excurrentibus. Sic tam apud Græcos, quam apud veteres Latinos diurnum iter viginti milibus passuum definiebatur. Σταθμὸς, Latinè *mansio* propriè dicebatur locus, ubi confecto itinere per noctem quiescebant. Nam *manere* pro cubare veteres propriè dixisse pluribus probavimus ad Historiam Augustam. Mansionum porro intervalla præter propter hoc numero definiuntur in itinerario Hierosolymitano. Exempli gratia aliquot heîc producam, *ab Ancyra*
B *Ancyra Galatiæ Tharson usque* CCCXLIII, *mutationes* XXV, *mansiones* XVIII, justa ratione miliaria CCCXLIII, septem ac decem mansiones absolvunt. Et paulo post: *fit à Tharso Ciliciæ Antiochiam milia* CXLI, *mutationes decem, mansiones septem.* Si viginti milia pro singulis mansionibus numeres, sic ratio constabit. Et alibi: *fit à Serdica Constantinopolim milia* CCCCXIII, *mutationes* XII, *mansiones* XX. Tredecim tantum milibus plus est quam justus numerus postulat. Nec mirum modo plures, modo pauciores inveniri mansiones in eodem locorum intervallo, cum itinerum commoditatibus, & regionum naturæ inserviendum esset,
C nec exactè liceret in omnibus eamdem legem, ac rationem observare. Sic mutatio veredorum in singula sex milia fieri solebat. Græci: καὶ ἡ παρ' ἡμῖν ἐπινενοημένη εἰς ὑπουργίαν τῶν βασιλικῶν προστάξεων ἀλλαγὴ διὰ τῶν κοντέρων μίλια ἕξ, ἤγουν στάδια πεντήκοντα πέντε. Ita legitimum erat tres aut quatuor mutationes fieri in unam mansionem. At in itinerario Hierosolymitano ut plurimum duæ mutationes pro una mansione recensentur. In Syria: *ab Antiochia Tyrum usque in milia* CLXXIIII, *mutationes* XX, *mansiones* XI. Et in Italia: *fit summa ab Aulona usque Capuam milia* CCLXXXIX,
D *mutationes* XXV, *mansiones* XIII. Et sub finem: *fit omnis summa ab urbe Roma Mediolanum usque milia* CCCCXVI, *mutationes* XLII, *mansiones* XXIIII. Hoc pacto semel tantum mutare soliti sint. Alibi triplæ numerantur mutationes ad mansiones, ut in Galliis: *à Burdigala Arelate usque milia* CCCLXXI, *mutationes* XXX, *mansiones* XI. Item: *ab Arelate Mediolanum usque milia* CCCLXXV, *mutationes* LXIII, *mansiones* XXII. Alibi aliter & sæpe cum mendo, ut dicam alias. Latini *mutationes* tum loca mutandis equis destinata, tum equos ipsos dixerunt, & Græci ἀλλαγὰς & ἀλλάγια. *Mansio* ut plurimum pro unius diei itinere sumebatur. At in came-
E lorum mansionibus non semper singulæ mansiones singulis diebus itineris conficiendi respondebant: nam pro aquationum ratione, quæ ὑδρεύματα vocabant, erant dispositæ. Exempli gratia, à Copto Berenicen usque portum rubri maris vetus itinerarium ducenta & quinquaginta octo milia passuum computat, quod iter undecim mansionibus confici docet, quarum singulæ aut viginti, aut viginti quinque miliaribus constant, ut ex libris didicimus. Plinius idem illud iter à Copto Berenicen camelis confici scribit, *aquationum ratione dispositis mansionibus* lib. VI. cap. XXIII. At novem tantum mansiones numerat, cum tamen
F totum illud iter duodecimo die peragi dicat. *Sed quia major pars*, inquit, *itineris conficitur noctibus propter æstus, & stativis dies absumuntur totum à Copto Berenicen iter duodecimo die peragitur.* Hæc ratio est, quare novem mansionibus, & duodecim diebus iter illud absolvatur. *Stativis dies absumi* dicit, quibus iter non fit. Nam hoc sunt *stativa*. Ambrosius in psalmos: *ideoque & stativa ordinat, triduo ambulat exercitus, quarto requiescit die.* Idem Plinius loco quo supra diei iter separat à mansione. Sic enim mansiones illas numerans loquitur: *prima appellatur hydreuma* XXII: *secunda in monte diei itinere: tertia in altero hydreumate à Co-*
G *pto* XCV. Tres istæ mansiones distabant à Copto XCV milibus passuum. Incertum est utrum velit, secundam mansionem à prima itinere diei abesse, an à Copto. Sed istud potius, ut unius diei iter duabus mansionibus conficiatur propter ectropam, quæ facienda est aquationum gratia. Aliàs diei legitimum iter, ut diximus, viginti erant milia. Scribit Ptolemæus ex relatione Flacci, & Materni à Lepti magna Garamam oppi-

A oppidum Garamantum iter fuiſſe quinque millium &
quadringentorum ſtadiûm, quod ſpatium itineris tri-
ginta diebus conficiebatur, καὶ τὸν ἑκάστης ἡμέρας σταδιασμὸν
αὐτοὺς φασὶν ἐκπεπειρᾶσθαι τοὺς ὁδεύσαντας πλεονάκις, οὐκ ἐνδεχό-
μενον ὂν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀναγκαῖον διὰ τὰς τῶν ὑδρευμάτων
ἐποχάς. Ita legendus ille locus. Nam male legitur, ἐν-
δεχόμενον ὄντα & ἀποχάς. Dicit exploratum eſſe illud in-
tervallum, quod viatores cujuſque diei ſtadiaſmum
compertum haberent, qui ſæpius illud iter fecerant,
ſi quidem ita neceſſe eſſet, διὰ τὰς τῶν ὑδρευμάτων ἐπο-
χάς. Illuſtris planè locus. In locis aridis, ac deſertis
ὑδρεύματα ſunt, quod in cultis & habitatis *manſiones*,
B ac σταθμοί. Immo ὑδρεύματα ipſa manſiones ſunt circa
ὑδρεῖα, vel puteos diſpoſitæ, ad quas neceſſario diver-
tendum erat, ac manendum, quod iter alia via inexpli-
cabile eſſet propter aquarum penuriam. Quemad-
modum autem ἐποχαὶ temporum dicuntur certæ no-
tæ, ac ſigna, quibus temporum intervalla diſtingui ſo-
lent, quibuſque immorari, ac ſtare neceſſe habent,
qui tempora ſollicitè computant, ac chronica ſcri-
bunt, ita τὰς τῶν ὑδρευμάτων ἐποχὰς vocet Ptolemæus
aquationum manſiones, quibus itineris intervalla di-
ſtinguebantur, quod per eas tranſeundum neceſſa-
rio haberent viatores. Legitur quidem vulgo ἀπο-
C χὰς, quæ vox diſtantiam, & intervalla locorum ſi-
gnificat, ſed eæ diſtantiæ facere non poſſunt, ut
per eamdem viam ſæpius meandum ſit. Nihil tamen
temerè mutamus. Ἀποχὰς ὑδρευμάτων appellat loco-
rum inter ſe diſtantias, quæ per ὑδρεύματα ſignan-
tur. Eæ breves ſunt admodum ἀποχαί. Dicit igitur
certos nos eſſe debere de locorum eorum intervallis,
quæ pluries dimenſi ſunt ſæpius per eamdem viam eun-
do viatores, & quæ haud longè à ſe invicem diſſi-
dent. Tales ſunt ὑδρευμάτων ἀποχαί. Nam & bre-
viſſimæ ſunt, utpote quæ diei unius iter vix ſupe-
D rent, & per eas neceſſario eunt ac redeunt meantes.
Ea propter ſtadiaſmus eorum locorum ita compertus
eſſe debet, ut nihil magis. In majoribus diſtantiis
quam ſunt ὑδρευμάτων ἀποχαί, non tanta eſt certitu-
do. Μεγάλας διαστάσεις vocat paulo poſt τὰς σπανίως ἢ
μὴ ὁμολογουμένως ἐφοδευθείσας, & capite ſequenti μείζο-
νας ἀποχὰς appellat hujuſmodi intervalla, quibus oppo-
nit τὰς μήτε μεγάλας, ἀλλὰ καὶ πολλάκις, καὶ ὑπὸ πολλῶν ὁμο-
λογουμένως διηνυσμένας. Tales ὑδρευμάτων ἀποχαί, quæ
viam illam crebro reciprocantium itinere pervulga-
tiſſimæ ſunt, propter aquariorum neceſſitatem. Sta-
diaſmus autem uniuſcujuſque diei in illo itinere fuit
E ſtadiûm centum ſeptuaginta trium & trientis, hoc
eſt, unius & viginti miliarium cum paucis ſtadiis.
Ex iis, quæ heic diximus, liquere poteſt, in ſupe-
riore Plinii loco ſcriptam lectionem non ſatis eſſe ſin-
ceram, quæ habet: XXXXIIII, XXXVI *milia paſ-
ſuum, quod dividitur in manſiones camelorum* LXV. Ni-
mis quippe paucæ ſunt manſiones pro tanto interval-
lo. Nam ſic ſeptuaginta circiter miliaria in diem ca-
meli conficerent ſingulis manſionibus. Vidimus au-
tem ſuperiore exemplo primam manſionem camelo-
rum viginti & duorum milium fuiſſe, in itinere à
Copto Berenicem. Totum denique illud iter ducen-
F torum & quinquaginta milium novem manſionibus
peractum. Prærerea nimis immane illud interval-
lum, quod à Gaza uſque ad Gebanitarum Thomnam
ponitur, quod unius utpote lateris Arabiæ ſpatium
fere tantum occupet. Nam à Gaza ad oppidum Ela-
na centum quinquaginta milia duntaxat numeraban-
tur. Reliquum eſſet numerandum ab Elana ad Tho-
mnam. Quod non poteſt ſubſiſtere. Totus deni-
que circuitus peninſulæ Arabiæ à Charace Læana col-
ligebat juxta eumdem Plinium XLVII. LXV. Ita enim
libri. Hoc eſt, *quadragies ſepties centena ſexaginta quin-
que milia.* Strabo ſcribit latus ſinus Arabici ab Elana
G ex Arabiæ parte habuiſſe μυρίους καὶ τοὺς τετρακισχιλίους στα-
δίους, hoc eſt, *decies ſepties centena milia & quingentos
paſſus.* Quibus addenda ab Elana ad Gazam centum
quinquaginta milia. Idem tradit ab Elana ad Mi-
næos, qui interiores erant Gebanitis, ſeptuageſimo die
perveniri. His omnibus moveor, ut credam reſcri-
bendum eſſe in Plinio: IIII *decies*, XXXVI *milia*, id eſt,
quatuor decies centena milia paſſuum. Quibus inducti
librarii ſcripſerant *quater decies*, hoc eſt, XXXX. Inde
natus error. Sic omnia conſtabunt, & manſionum pro-
portio ad intervalli ſpatium, & ſtadiaſmi ratio.

Arabia appellatur, id eſt, ſacra] Quis hoc prodidit,
thuriferam Arabiæ regionem Arabiam appellari, id
eſt, ſacram? Pro his apud Plinium habetur: *Saba
appellatur, quod ſignificare Græci myſterium dicunt.* Pli-
nium tamen, quod mireris, hoc ipſo in loco ſequitur,
& exſcribit noſter. Sed hæc Soliniana multis modis
falſa ſunt. Primùm ἡ λιβανοφόρος non proprie dicta eſt
Arabia: nam nec Arabia Felix, cujus pars erat regio
thurifera, hoc nomen ſibi velut proprium vindicavit.
Præterea Arabiam dici ſacram nec Græca, nec exotica
interpretatione verum eſt. Planam, aut campeſtrem,
vel etiam occidentalem ea voce ſignificari tradunt. Ara-
bia non provinciæ tantum nomen, ſed etiam emporii,
vel maritimi vici in Arabia Felice, quæ & Εὐδαίμων Ἀ-
ραβία dicebatur. An iſtam Arabiam hoc loco intelli-
gi voluit Solinus? Sed thuriferæ regionis non erat vi-
cus ille. Ptolemæus: Ἀραβία, ἐμπόριον. Ita ſcriben-
dum, cum vulgo edatur, Ἀραβίας ἐμπόριον. Auctor Pe-
ripli: Εὐδαίμων Ἀραβία κώμη παραθαλάσσιος βασιλείας
τῆς αὐτῆς Χαριβαήλ, ὅρμους μὲν ἐπιτηδείους, καὶ ὑδρεύ-
ματα γλυκύτερα κρεῖσσον τῆς Ὀκήλεως ἔχουσα. Hæc non
ſunt ſincera. Emenda: βασιλείας τῆς αὐτῆς Χαριβαήλ,
τοὺς ὅρμους μὲν ἐπιτηδείους. Hic eſt Charibael, quem Ho-
meritarum, & Sabaïtarum, ſive Sabæorum ἔνθεσμον
regem fuiſſe ſupra dixit. Paulo inferius etiam hujus
meminit his verbis: ὑποπίπτει μὲν οὖν ὥσπερ ἡ Ἀζανία
Χαριβαὴλ, καὶ τῷ Μαφαρείτῃ τυράννῳ, καὶ ἡ νῆσος αὐ-
τῷ τῷ βασιλεῖ τῆς λιβανωτοφόρου. Appellat Μαφαρείτην
τύραννον, qui Mapharitis populis imperitabat, quo-
rum regia erat *Save*. Nam regio circa Saven vocabatur
Μαφαρῖτις. Idem: πόλις Σαυή, τῆς περὶ αὐτὴν Μαφαρίτιδος
λεγομένης χώρας. Male ſcribitur vulgo Μαφαρίδος. Pto-
lemæo dicuntur Μαφορῖται. Et τύραννον, & ἔνθεσμον βασι-
λέα diſtinguit idem. Auctor, qui Æthicus vocatur, in-
ter urbes Oceani Orientalis *Eudæmonem* refert, & inter
meridionalis Oceani oppida *Arabiam* recenſet, quaſi
diverſa fuerint oppida. Ineptè. Nam Ἀραβία Εὐδαί-
μων cognominabatur hoc oppidum. Quid igitur hîc
voluerit Grammaticus, neſcio: nam neque *Ara-
biam* ſacram ſignificat, nec Arabia propriè thurifera
regio dicta. Sed more ſuo nugatur. *Sabam* appellatam
tradit Plinius. Libri ejus plerique ſcribunt: *Sariba
appellatur.* An ita legit, ac ſcripſit Solinus, quod ejus
librarii corruperint in *Arabia*? Mirum tamen eſt in
veteri codice Palatino, quem in Germania vidi, ſcri-
ptum planis literis haberi, *regio eorum thurifera Arabia ap-
pellatu.* Et videatur in ejuſmodi codices Solinus inci-
diſſe. Quæ lectio quomodo ſtare poſſit, non video.
Profecto Plinium *Saba* ſcripſiſſe arguit, quod ſequi-
tur, *hoc ſignificare Græci myſterium dicunt.* Non di-
cit ſignificari myſterium ea voce, ſed Græcos id di-
cere. Ergo Græcorum hoc interpretamentum. Σάβη,
μυστήριον. Unde σαβάζειν, ὀργιάζειν, βακχεύειν gram-
matici exponunt. Σάβους loca orgiis dedicata notat
Scholiaſtes Ariſtophanis, ipſoſque Βάκχους appellari.
Σάβα regio thurifera Plinio, à qua *Sabæi.* Theophra-
ſtus de thure: ἐν τῇ τῶν Ἀράβων χερρονήσῳ περί τε Σά-
βα, καὶ Ἀδραμύτα. Verum Σάβα Theophraſto non re-
gio Sabæorum, ſed oppidum. τὰ Σάβα, ut τὰ Λάβα,
τὰ Μαρίαβα, τὰ Ῥάββα oppida Arabiæ Felicis. Dice-
batur & αἱ Σάβαι, ut αἱ Λάβαι. Immo etiam ἡ Σάβη.
Ut Σαδα, & Σαυή ejuſdem Arabiæ. Hæc jam diximus
ſupra. At Plinio oppidum Atramitarum *Sabota*, à
quo octo manſionibus diſtabat regio *Saba* thurifera.
Hæc regio ad mare poſita erat: nam ſcribit eam idem
Plinius ſpectaſſe ortus ſolis æſtivi, undique rupibus
inviam, & *à dextera maris ſcopulis inacceſſam.* Ubi li-
bri ſcribunt *inacceſſo.* Legerim: *& a dextera mari ſco-
pulis inacceſſo.* Nihil verius: undique rupibus invia eſt
ἡ λιβανοφόρος, qua terra adiri poteſt: à dextra mari
cingitur propter ſcopulos inacceſſo. Ptolemæus thu-
riferam videtur ponere prope montes Aſabo, qui in
faucibus erant Perſici ſinus. Sic enim ſcribit: Ὀμα-
νῖται ὧν ἀνατολικώτεροι κατανέμουσι μέχρι τῶν Ἀσαβῶν ὀρῶν,
ὑφ' οὓς ἡ λιβανοφόρος. Omanitæ dicti ab Omanis em-
porio Perſici ſinus, quod ſex dierum curſu aberat ab
ipſis

ipsis faucibus, ut Arrianus testatur. Omanitarum ἀνατολικώτεροι Catabeni, qui ad ipsas fauces, & ora sinus pertinebant, & ad montes Asabo: infra quos Catabenos ἡ λιβανωτοφόρος. Hanc thuriferam porro ad mare positam fuisse constat. Ergo ad Persici sinus angustias, juxta montes Asabo. Immo tota in montibus. Et videri posset Ptolemæus similitudine nominum ductus τῶν Ἀσαβῶ, καὶ τῶν Σάβων thuriferam, quæ ἐν τοῖς Σάβοις erat, in illis montibus conlocasse. Nam & Σάβω etiam dictam esse urbem Σάβα tradit Stephanus. Certè Arrianus, vel quisquis est auctor Peripli, thuriferam longe à montibus Asabo ponit, quos vocat Σαβώ. Nam περὶ τὸν Σύαγρον promontorium eam prætendi facit, in quo initium est Sachalitæ sinus, ut finis ejusdem sinus in montibus Asabo, & Persici æquoris angustiis. De his jam quædam diximus suprà, ut & de Catabenis. Theophrastus thus & myrrham nasci ait περί τε Σάβα, καὶ Ἀτραμῶτα. Ut Ἀτραμῶτα Atramotitarum caput, ita Σάβα Sabæorum. Nec enim de regione videtur intellexisse Theophrastus, sed de oppido. Regionis Saba, id est, Sabæorum mentio est aliquot locis in sacra Scriptura, ut apud Esaiam cap. LX. *Omnes de Saba venient aurum & thus deferentes.* Sed *Saba* alibi, & *Schaba* etiam scribitur. Quæ ita distinguere placet eruditis viris, ut censeant per *Saba* intelligi Sabæos Arabici sinus accolas, per *Schaba* vero cum *schin* Persico sinui vicinos Sabæos alteros. Sed illos vehementer falli puto: nec enim duo genera Sabæorum in Arabia, nec si essent, ulla scripturæ differentia discretos fuisse verisimile sit, cum eumdem populum esse satis constet. Profecto Sabæos duplices in Arabia nusquam auctores faciunt Græci, Latinique, sed aliter atque aliter de eorum situ scripserunt, unde hæc nata Sabæorum differentia. Eratosthenes apud Strabonem ultimam Arabiæ partem, quæ mari rubro alluitur, quæque Æthiopiæ ex adverso respondet, in quatuor præcipuos pagos, sive gentes dividit, in Catabanes, Sabæos, Minnæos, & Chatramotitas. Ex his Catabanes ad sinus Arabici fauces, ac trajectum ipsum incolere: Chatramotitas ad orientem: Sabæos & Minnæos in latere rubri maris, ἐν τῷ κατὰ τὴν Ἐρυθρὰν μέρει habitasse Dionysius canit. Stephanus: Μινναῖοι, ἔθνος ἐν τῇ παραλίᾳ τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης. His vicini Sabæi in eodem latere. Sed utrum occidentem versus prope Arabicum sinum, an ad orientem, juxta Persicum? Scribit quidem Plinius: *Sabæos propter thura clarissimos, ad utrumque mare porrectis gentibus.* Hoc non dicit ille Sabæorum gentem ad utrumque mare porrigi, sed Sabæos porrectas gentes ad utrumque mare habere. Sabæorum plures vult fuisse gentes, nominibus distinctas, quarum aliæ ad Persicum mare, aliæ ad Arabicum pertinerent. Sic Atramitas pagum, sive partem Sabæorum esse tradit, qui ad Sachaliten usque sinum orientalem pertingebant. Gentium harum omnium, quæ sub Sabæorum erant imperio, caput ait fuisse Mariaba. At Strabo solorum Sabæorum caput ait esse Mariaba: ἐχόμενοι δὲ τούτων Σαβαῖοι, μητρόπολις δ' αὐτῶν Μαρίαβα. Et in sequentibus: ἡ δὲ πόλις τῶν Σαβαίων ἡ Μαρίαβα, κεῖται μὲν ἐπ' ὄρους εὐδένδρου. De Saba metropoli Sabæorum idem tradit Agatharchides, sitam esse in edito colle & consito arboribus. Plinius, qui omnium populorum, qui Sabæorum nomine comprehendebantur, regiam esse dixit *Mariaba*, eodem capite Calingiis eamdem urbem pro metropoli tribuit: *Calingii, quorum Mariaba oppidum, significat dominos omnium.* Supra *Mariebba* scriptum habent codices Pliniani. Ita etiam uno loco apud Strabonem Μαρίεβα. Ceterum Sabæos ipsos, quorum Sabo metropolis juxta quosdam, utra in parte positos fuisse dicemus? In rubro littore eos ponunt auctores plerique, sed utrum ad orientem, an ad occidentem? Plinius idem in rubro littore oppida eorum recenset, *Marane*, *Marma*, *Corolia*, *Sabathra*. Sic enim scribendum docuimus, non *Sabatha*. Per *rubrum littus* Arabici sinus littus semper intelligere Plinium ante ostendimus. Ergo Sabæi juxta Plinii sententiam in Arabico sinu, ut & oppidum eorum principale *Sabatha*. Hoc aliis, ut diximus, *Saba*, vel *Saba*, vel *Sabe*. Atque inde *Sabæi* appellati. Ptolemæus Σάβην vocat, eamque & Sabæos ad illud littus collocat,

A ut tabularum ejus confectores adstruunt. Atqui ceteri auctores, qui Σαβαίους ἐν τῇ Ἐρυθρᾷ ponunt, non de Arabico sinu, sed de illa maris parte, quæ extra utrumque sinum est, intelligunt. Hæc jam primum oritur dividia ex ambigua significatione τῆς Ἐρυθρᾶς. Altera nascitur ex dissensione auctorum de regionis thuriferæ situ. Sabæorum eam propriam esse fere inter omnes convenit. Virgilius:

---- molles sua thura Sabæi,

&:

---- solis sunt virgea thura Sabæis.

B Plinius: *Sabæos propter thura clarissimos Arabum esse dicit.* Idem *Sabam* regionem appellari, ubi thus nascitur. Theophrasto τὰ Σάβα. Inde ergo *Sabæi* cognominati, & *Sabæum thus* appellatum. At regionem illam, quæ thura fert, omnes fere ad Sachaliten sinum constituunt, & Syagrum promontorium in parte plane contraversa Arabico sinui. Ergo ibi Sabæi propriè nominati, qui propter thura clarissimi, non juxta littus Arabicum, ibi & *Sabatha* oppidum recenset Arrianus, quò thus omne in illa regione proveniens camelis convehebatur. *Sabotha* Plinius appellat, & diversa utique facit à Sabathis Sabæorum, quæ in
C Arabici sinus erant latere. Hæ sunt auctorum dissensiones. Nec dicere possit aliquis in utroque littore Persico & Arabico Sabam oppidum, sive regionem fuisse, & Sabæos inde utrobique appellatos: solos vero Persici littoris accolas Sabæos thura tulisse, ac thuriferæ regionis dominos extitisse, quod verum concedi non potest. Hæc enim diversitas ex scriptorum dissensu orta est, quorum alii thuriferos Sabæos ad orientem, alii ad occidentem Arabiæ Felicis constituere. Quid clarius illo exemplo, quod attulimus supra? Τὴν σμυρνοφόρον in Chatramotitis ponit Strabo, ut & alii plerique τὴν λιβανοφόρον apud Catabanes. Atqui
D illos Καταβανεῖς ad Arabici sinus fauces, & trajectum pertingere scribit, ubi Sabæos aliqui collocarunt. Contra Ptolemæus Καταβηνοὺς ad Persicum sinum pertinere tradidit, usque ad montes Asabo, qui in ipsis faucibus sinus attolluntur, sub quibus ἡ λιβανοφόρος ab ipso collocatur. Quid tam contrarium? Καταβηνοὺς Dionysius vicinos facit Sabæis in his versibus, qui sic legendi:

Αὐτὰρ Ἐρυθραίας πλευρὸν ναίουσι θαλάσσης
Μινναῖοί τε Σάβαι τε καὶ ἀγχίγυοι Καταβηνοί.

E Perperam Κλεταβηνοὶ legitur in editis. Scriptum erat ΚΑΤΑΒΗΝΟΙ. Nam Λ & Α sæpe invicem permutantur. Unde postea adjecto Ε fecerunt Κλεταβηνοί. Nihil verius. Eratosthenem sequitur Dionysius, & similiter ut ille extremam Arabiæ Felicis partem, quam ipse πέζαν appellat, in quatuor gentes distribuit, Χατραμίτας, quos Eratosthenes vocat Χατραμωτίτας, Μινναίους, Σαβαίους & Καταβηνούς, qui Καταβανεῖς Eratostheni. Minnæi in ora maritima rubri maris, quibus vicini Sabæi: ab occidente, an ab oriente? Certe ab occidente. Sabæos Homeritis vicinos facit Uranius apud Stephanum. Homeritæ porro usque ad initium Indici maris porrigebantur. Marcianus de
F rubro mari: ἐν τούτῳ δὲ τῷ μέρει τῆς θαλάσσης, καὶ τὸ τῶν Ὁμηριτῶν ἔθνος τυγχάνει τῆς τῶν Ἀράβων ὑπάρχων γῆς μέχρι τῆς ἀρχῆς τοῦ Ἰνδικοῦ διήκον πελάγους. Arrianus, sive Peripli auctor scribit Charibaël legitimum regem fuisse duarum gentium, τοῦ τε Ὁμηρίτου, καὶ τοῦ παρακειμένου Σαβαίτου. *Sabaïtas* Sabæos esse supra docuimus. Sed Sabæi δυτικώτεροι Homeritis. Ergo ad Arabicum sinum magis accedebant. Certè Agatharchides Cnidius periplum suum Arabici sinus à parte Arabiæ finivit mentione Sabæorum: quasi Sabæi terminaverint ab ea parte Arabicum sinum. Ergo ad fauces ipsas, & angustias Arabici sinus positi Sabæi,
G ut erat diffusa gens, & amplissima etiam ultra os sinus ad littus rubri maris extendebantur. Nam ab faucibus Arabici sinus incipiebat Ἐρυθρᾶς θαλάσσης nomen. Notandum tamen est Agatharchidem Ἐρυθρᾶς θαλάσσης nomine nihil aliud intelligere quam Arabicum sinum. Cujus circumvectionem in Arabico latere Sabæorum gente clausit. Ideo & Plinius Sabæos, & pleraque eorum oppida in rubro littore

 re

re ponit, hoc eſt, in Arabico ſinu. Agatharchidem ſequutus eſt Diodorus Siculus, immo compilavit. Ex his conſtat juxta veterum, ac recentiorum auctoritatem Sabæos ſic propriè appellatos in occidentali latere Arabiæ Felicis fuiſſe. Atque hi ſunt Sabæi, quorum metropolis Σάβα, vel Σάβαι, & quorum mentio apud Eſaiam, ubi dicitur, *de Saba venturos, qui thus & aurum deferant.* Apud hos Sabæos thuris arborem gigni diſertè tradit Agatharchides his verbis de Sabæis: δένδρα γὰρ ἠλίβατα σμύρνης τε καὶ λιβανωτοῦ, πρὸς δὲ καὶ κινναμώμου φοίνικός τε καὶ καλάμου, καὶ τῶν ἄλλων αἰνεῖται τοιούτων. Id confirmare videtur Eratoſthenes, qui Καταβανίαν Sabæis vicinam, & ad trajectum ſinus Arabici pertingentem thus ferre tradit. Theophraſtus idem aſſerit, qui περί τε Σάβα καὶ κιτίβαινα thura gigni ſcribit. Inde *thus Sabæum, & Sabæos thura ferentes* poëtæ celebrant. Ita veteres, qui notitiam interiorum Arabiæ locorum, & thuriferæ regionis nullam habuerunt. Nec enim ultra Sabæorum gentem procedebat eorum navigatio, ut ex Agatharchide ſuprà notavimus. Id confirmatur etiam teſtimonio Arriani. Arabia Eudæmon emporium erat maritimum in Sabæorum regione ad trajectum Arabici ſinus, certè ſub ditione Charibaël, qui Sabæis, & Homeritis imperitabat. Ad illud emporium conveniebant ex Ægypto mercatores, & ex Indis, ibique merces ſuas utrique permutabant, cum ulterius progredi non auderent, eodem Arriano teſte, cujus hæc verba de emporio Arabia: Ἐυδαίμων δὲ ἐπεκλήθη πρότερον οὖσα πόλις, ὅτε μήπω ἀπὸ τῆς Ἰνδικῆς εἰς τὴν Ἄιγυπτον ἐρχομένων, μηδὲ ἀπὸ Αἰγύπτου τολμώντων εἰς τοὺς ἔσω τόπους διαίρειν, ἀλλὰ μέχρι ταύτης παραγινομένων, τοὺς παρὰ ἀμφοτέρων φόρτους ἀπεδέχετο. Ibi thura, & myrrham, aliaque aromata cum emerent Ægyptii mercatores, ibi etiam naſci putaverunt. Certe & myrrha ibidem naſcebatur, ut pleriſque aliis in locis Arabiæ. Idem Arrianus de Muza emporio ejuſdem ditionis, quod trecentis tantum ſtadiis ab Arabia vico diſtabat. Ἐξάγεται δὲ ἐξ αὐτῆς, ἐντόπια μὲν, σμύρνα ἐκλεκτὴ, καὶ στακτὴ σμυρναία, λύγδος, καὶ τὰ ἀπὸ τοῦ πέραν Ἀδουλεῖ. Atqui myrrham, & thus in iiſdem ſilvis naſci crediderunt illi veteres. Immo & ex eadem arbore thus, & myrrham manare. Theophraſtus: πλὴν οὗτοί γε μεῖζον ἕτερον ἀγνόημα προσηγνόουν. Ὤοντο γὰρ ἐκ τοῦ αὐτοῦ δένδρου τόν τε λιβανωτὸν γίνεσθαι, καὶ τὴν σμύρναν. Inde pervulgata fama eſt de Sabæorum regione thurifera, quum ex recentiorum relatione, Ptolemæi, & Arriani, atque ipſius etiam Plinii ſatis conſtet thuriferam, τὴν λιβανοφόρον, ad Sachaliten ſinum fuiſſe ſitam, qui à Syagro promontorio uſque ad Perſici ſinus ora protenditur. Quinetiam ſub diverſis regibus erant Sabæorum regio, & thurifera. Charibael Homeritarum, & Sabæorum regnum poſſidebat Arriani temporibus, at Eleazas ἐν τῇ λιβανοφόρῳ regnabat. Arrianus de Dioſcoridis inſula: ὑποπίπτει μὲν οὖν, ὥσπερ ἡ Ἀζανία Χαριβαὴλ, καὶ τῷ Μαφαρείτῃ τυράννῳ, καὶ ἡ νῆσος αὐτῷ τῷ βασιλεῖ τῆς λιβανωτοφόρου. *Azaniam* vocat mare, juxta quod Sabaïtæ, ſive Sabæi, & Homeritæ, qui Charibaëli regi parebant: & Mapharitæ, qui Cholæbo tyranno ſubditi erant. Hoc alii *Erythræum* propriè dixerunt inter Arabicum ſinum, & Indicum mare. Plinius de Arabico ſinu & Perſico: *Oceanum qui influit Azanium appellant.* Idem in Azanio mari Dioſcoridis illam inſulam fuiſſe docet, quæ tamen ſuberat Regi thuriferæ, cum Azanium mare ſubeſſet Regi Sabæorum, & Homeritarum, & Mapharitæ tyranno lib. VI. cap. XXVIII. *Nec minus altera clara in Azanio mari Dioſcoridis.* Ita legendum ex libris, qui habent *Dioſcoridii.* Ἡ Διοσκορίδου νῆσος. Martianus Heracleota: καὶ τὸ Βαρβαρικὸν καλούμενον πέλαγος, ἐν ᾧ κόλποι δὲ πλείους εἰσὶ, καὶ οἱ δρόμοι τῆς καλουμένης Ἀζανίας. Ubi Ἀζανία mare eſt, quod Plinio Azanium dicitur. At Ἀζανία Ptolemæo dicitur regio Æthiopica mediterranea ex adverſo maris Barbarici, cujus maritima ora Βαρβαρία dicta eſt. Ἀζανία Arriano. Ut Plinio & Martiano mare Azanium, in cujus littore Sabæi, & Homeritæ incolebant. Ceterum *Cane* emporium, quod thuriferæ regionis eſſe dicit Plinius, ſub eodem rege fuit Eleazo τῆς λιβανοφόρου domino. Idem Arrianus: οὗ μετὰ τὴν προέχουσαν ἄκραν ἐμπόριόν ἐστιν ἕτερον παραθαλάσσιον Κανὴ, βασιλείας Ἐλεάζου χώρας λιβανωτοφόρου. Urbs regia, ſive metropolis hujus regionis thuriferæ *Sabbatha* eidem auctori, in qua rex ſedem habebat. Ὑπέρκειται δὲ αὐτῆς μεσόγειος ἡ μητρόπολις Σάββαθα, ἐν ᾗ καὶ ὁ βασιλεὺς κατοικεῖ. Rex ſcilicet Eleazus, qui thuriferæ dominus erat. In eam urbem convehebatur thus omne, quod in illa regione naſcebatur, & ſane haud multum à Cane emporio, ab illa urbe Sabbathis regionem thuriferam abfuiſſe conſtat ex eodem Arriano. Ita de Cane ſcribit: ἐξάγεται δὲ ἐξ αὐτῆς ἐντόπια μὲν φόρτια λίβανος, καὶ ἀλοὴ, τὰ δὲ λοιπὰ κατὰ μετοχὴν τῶν ἄλλων ἐμπορίων. Immo Cane emporium thuriferæ, & Sabbatha oppidum metropolis & caput. Ex his omnibus liquido colligitur, thuriferam regionem Arabiæ diverſam à Sabæorum regione fuiſſe, utpote quæ diverſis parerent dominis. Diverſa igitur etiam oppida τὰ Σάβα caput Sabæorum, & τὰ Σάββαθα caput regionis thuriferæ. Hæc ad orientem Arabiæ Felicis; illa ad occidentem. At τὰ Σάβαθα Sabæorum, quæ Plinius in rubro littore, hoc eſt, ſinu Arabico ponit, eadem ſunt cum illis Σάβοις, vel Σάβαις. *Sabota* vero Atramitarum pagi, quæ ab eodem recenſentur, eadem ſunt prorſus cum illis Sabbathis Arriani, & Ptolemæi. Nam & Canen thuriferæ regionis emporium Ptolemæus in Atramitarum regione collocat. Ergo & *Sabbatha*, quæ non longe à Cane emporio in mediterraneo. Sed quia moris eſſe Plinio docuimus veteres, & recentes hiſtorias miſcere, & confundere, antiquum illud ſuum in hiſtoria thuris obtinuiſſe probandum eſt. Apud Sabæos Arabici ſinus accolas, quorum caput *Saba*, thus naſci crediderunt, tradideruntque veteres, περὶ τὰ Σάβα: at recentiores, quibus hujus rei fides magis explorata fuit, in ea regione naſci ſcripſerunt, quæ λιβανοφόρος inde dicta eſt, longè à Sabæis diſſita, diverſaque, cujus caput erat Sabbatha, ad latus orientale Arabiæ converſa, & magis ad Perſicum littus accedens quam ad Arabicum. Plinius more ſuo res, ac tempora miſcuit. Canen *thuriferæ regionis* eſſe, & *Sabota* oppidum Atramitarum regni caput, quo thus collectum camelis convehebatur, ex recentiorum placitis dixit. At *Saba* eam regionem appellatam ex veterum traditione aſſerit. Nam nec Ptolemæus, nec Arrianus, nec quiſquam ex recentioribus, id ſcripſit, & ſcimus falſum eſſe. Quod idem ait Atramitas pagum, vel partem Sabæorum eſſe, id ex eadem opinione deſcendere certum eſt, qua imbiberat juxta veterem famam, apud Sabæos thura provenire. Nam Atramitæ iidem erant cum Chatramitis, qui partem Sabæorum non faciebant, & ſeorſim ſuum regem habebant. Sola ratione nominis *Sabota*, vel *Sabbatha* ductus, quæ urbs erat τῆς λιβανοφόρου præcipua, videtur Plinius, & Atramitas Sabæis contribuiſſe, & *Sabam* regionem thuriferam appellaſſe. Idem alibi ſcribit Sabæos cibum coquere ſolitos thuris ligno lib. XII. cap. XVII. Cum tamen Sabæi longè à Sabbathis, & thurifera regione diſſiti fuerint juxta recentem traditionem. Theophraſtus ex veterum opinione, qui in Sabæis τὴν λιβανοφόρον ſtatuerunt: ἔφασαν δὲ οὗτοι κατὰ τὸν περίπλουν, ὃν ἐξ Ἡρώων ἐποιοῦντο κόλπου, ζητεῖν ἐκβάντες ὕδωρ ἐν τῷ ὄρει, καὶ οὕτως θεωρῆσαι τὰ δένδρα κατὰ τὴν συλλογήν. Ergo Sabæos ἐν τῷ περίπλῳ ſinus Arabici fuiſſe oportet: nam ille mons, in quo thuris arbores vidiſſe ſe profeſſi ſunt, Sabæorum fuit. Paulo poſt: τόδε ὄρος ἅπαν μεμερίσθαι τοῖς Σαβαίοις. Τούτους γὰρ εἶναι κυρίους. Δικαίους δὲ τὰ πρὸς ἀλλήλους. Διὸ καὶ οὐδένα τηρεῖν. Quæ Plinius ita vertit capite de thurifera regione: *Silva diviſa certis portionibus, mutua innocentia tuta eſt, neque ullus ſaucias cuſtodit arbores.* Qui thuriferam in contraverſa Sabæis parte ponunt, etiam montibus aſperam eſſe tradunt. Arrianus, ὀρεινήν τε καὶ δύσβατον. Plinius ibidem: *attolluntur colles alti, decurruntque & in palma arbores ſponte natæ.* Quæ expreſſa ex his Theophraſti: φύεται δὲ τὰ τοῦ λιβανωτοῦ, τὰ μὲν ἐν τῷ ὄρει, τάδε ταῖς ἰδίαις γεωργίαις ὑπὸ τὴν ὑπώρειαν. Διὸ καὶ τὰ μὲν θεραπεύεται, τάδε οὔ. Partem retinuit, partim omiſit. Quæ in monte naſcuntur, ſponte natas videtur velle Theophraſtus, quæ in plano, & circa montis radices, eas ſativas eſſe, & cultura, curaque provenire. Quod Plinius neglexit. Theophraſtus addit: καὶ ἔφασαν ἀκούειν, ὅτι συνάγεται πανταχόθεν ἡ σμύρνα, καὶ ἡ λιβανωτὸς εἰς τὸ ἱερὸν τὸ τοῦ ἡλίου. Τοῦτο δ᾽ εἶναι μὲν τῶν Σαβαίων, ἁγιώτατον δὲ πολὺ τῶν περὶ τὸν τόπον. Templum il-

lud

lud solis in urbe Sabis fuit, quæ metropolis Sabæorum; nam thus, quod περὶ Σάβα nascebatur, in urbem eam convehebant Sabæi in templum solis. Idem ferè & de Sabotis Atramitarum capite scribit Plinius, & *Sabin* vocat Deum illum, cui decimæ thuris capiebantur à sacerdotibus. Theophrastus non decimas, sed tertiam pretii mercium à sacerdote percipi: τὸν δὲ ἱερέα παραγγελλόμενον τὸ τρίτον μέρος λαβόντα τῆς τιμῆς τῷ θεῷ, τὸ λοιπὸν αὐτοῦ καταλιπεῖν. Theophrastus de Sabis, & Sabæis Arabici sinus accolis loquitur. Plinius de Sabotis, vel Sabbathis Atramitarum, qui ad Sachaliten sinum pertinebant, ubi & regio erat thurifera. Nam per universum sinum Sachaliticum acervi thuris expositi jacebant sine custodia, quos mercatores permissu regis in naves importabant. Vide Arrianum, ubi sic legendum est: κἂν χόνδρόν τις ἄρῃ οὐ δύναται πλεῦσαι τὸ πλοῖον ἀπὸ λιμένος, δίχα δαίμονος. Malè scribitur: ἀπὸ δαίμονος δίχα λιμένος. Historiam thuris Plinius partim Theophrasti & antiquiorum, partim recentiorum verbis contexens, nullam temporum habuit rationem. Hoc igitur tenendum, Sabæos sinus Arabici littus accoluisse, & circa Saba thus nasci veteribus creditum fuisse, ut ex Theophrasto planissimè constat. E contrario recentiores thuriferam regionem post Syagrum promontorium ad Sachaliticum sinum statuisse. Nomina locorum hodierna aliunde possunt petere viri docti. Nec enim id nunc agimus. Nec mirum de situ thuriferæ dissensisse auctores veteres, cùm nec de facie arboris inter se conveniant. Erant porro & *Sabæi* in Æthiopia, quos Σαπάρες vocat Ptolemæus, cum Σαπαῖοι Thraciæ populus fuerit. Disputant eruditi, unde gentium extiterit Regina Saba, quæ ad Regem Salomonen venisse dicitur. Τῆς τε Αἰγύπτου, καὶ Αἰθιοπίας Reginam fuisse auctor est Josephus. Recentiores fermè cuncti non ex Æthiopia illam, sed ex Arabia Felici advenisse, quia Regina austri à Domino appellata est, Arabia autem Felix ad austrum Judææ sita, summo consensu tradunt. Quasi non & Æthiopia respectu Judææ ad austrum versa sit. Verum hæc alterius loci.

Regio thurifera] Libri absque adspiratione, *turifera*. Atque ita semper veteres codices. Notant tamen grammatici antiquissimos scriptores hanc vocem adspirasse, quia à Græco θύειν descendat. Θύος Græcè idem quod θυμίαμα. Inde Latinum *thus*. Ut πῦον *pus*: γλοιός, vel γλυὸς *glus*. Veteres Græce θύειν non pro sacrificare, sed ἀντὶ τοῦ θυμιᾶν ponebant. Æolicum φύω. Unde Latinum *fio* & *fo*, & compositum *suffio*, & *suffimen*. A θύω θυμός: Æolicè φυμός. Unde *fumus* Latinum, & *fumigare*, ut à Græco θυμιᾶν. Hesychius: θυμὸς, πνοὴ, ἀήρ. Sic θύος & θυμίαμα idem. Sed κατ' ἐξοχὴν Græci *thus* dixerunt θυμίαμα. Uranius in Arabicis apud Stephanum: ἡ χώρα τῶν Ἀβασηνῶν σμύρναν φέρει, καὶ ὄσσον, καὶ θυμίαμα, καὶ κέρπαθον. Ubi θυμίαμα pro thure posuit. Recentioris Latinitatis auctores *incensum* appellavere, hoc est, θυμίαμα. Glossæ: θυμίαμα, *incensum*. Inde vox nostra, qua thus hodie appellamus. Θύον Græci vocarunt genus ligni odorati à thure diversum. De quo Dionysius his versibus:

Ἢ θύσι, ἢ σμύρνης εὐώδεος, ἢ καλάμοιο
Ἢ καὶ θεσπεσίοιο πεπαινομένου λιβάνοιο.

Avienus illud θύον de ladano interpretatus est, haud scio quare. Priscianus Græcum nomen retinuit:

Namque thyo myrrhaque viget.

Ex Homero habet Dionysius:

---- τηλόσε δ' ὀδμὴ
Κέδρου τ' εὐκεάτοιο, θύου δ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει.

Sed de illo thyo nos infrà, ubi de citro, vel malo Mediæ dicam.

Virgulta hæc non sunt publica] Ineptè. *Virgulta* vocat, quæ αὐτοφυῆ arbores erant. Profecto plantam, quæ thus procreat, nemo unus veterum Græcorum θάμνον, aut φρύγανον appellavit, omnes δένδρον, & arborem vere esse, non virgultum, tum definitio arboris, quæ apud Theophrastum habetur, tum peculiaris ipsius plantæ thuriferæ descriptio satis testantur. Πολύκλαδος ipsa quidem est, & multis virgis fruticat ejus truncus, non tamen *virgultum* dici, quæ arbor sit, potest. Poëta:

---- *solis est thurea virga Sabæis.*

Plinius: *virgis etiam thuris ad nos commeantibus quibus credi par est matrem quoque terete, enodi frutificare trunco.* Ita legendum è veteri libro: atque ita sæpe loquitur Plinius asyndetos, qui arborem eam passim vocat, non virgultum. Idem ibidem: *quidam terebinthum esse, & hoc visum Antigono regi, allato frutice.* Cave putes fruticem heîc dici pro tota arbore, quod fortassean Solino imposuerit. Nec enim arbor tota ad Antigonum allata, sed frutex tantum ex ea, sive lignum, vel virga. Theophrastus ξύλα vocat: κομισθῆναι γὰρ ξύλα πρὸς Ἀντίγονον ὑπὸ τῶν Ἀράβων τῶν τὸν λιβανωτὸν καταγόντων, ἃ οὐδὲν διέφερε τῆς τερμίνθου. Arbor ipsa non magna, arbor tamen. Theophrastus: εἶναι δὲ τὸ μὲν τοῦ λιβανωτοῦ δένδρον οὐ μέγα. Quo magis mirum scribere Agatharchidem δένδρα ἠλίβατα σμύρνης τε καὶ λιβανωτοῦ. Quem Diodorus exscribens dicit: καθ' οὓς ἐστὶ δένδρα μεγάλα λιβανωτοῦ, καὶ σμύρνης. Heic loquitur verbis Agatharchidis. At lib. v rectè scribit de thuris arbore: δένδρον ἐστὶ τῷ μὲν μεγέθει μικρὸν, τῇ δὲ προσόψει ἀκάνθῃ τῇ Αἰγυπτίᾳ τῇ λευκῇ παρεμφερές. Arrianus in Periplu: ἔστιν δὲ τὰ δένδρα τὰ λιβανοφόρα, οὐ μεγάλα λίαν, οὐδὲ ὑψηλά. Arrianus in vita Alexandri δένδρα etiam vocat.

In jus posterorum per successiones transeunt familiarum] Plinius: *feruntque* M M M *non amplius esse familiarum, quæ jus per successiones id sibi vindicent.* Deest in libris numerus familiarum. Et sanè tot familiæ urbem vel populosam facere queant. Scriptum, ut opinor, fuerat: *ferunt* CIↃ *non amplius esse familiarum.* Ex illo, *ferunt* ∞, fecerunt: *feruntque.* Vetus autem loquutio, *mille familiarum*, ut *mille nummûm*, *mille passuum*, & *mille medimnûm*, & talia mille.

Iidem illi cum lucos istos vel metunt, vel incidunt] Ὕστερον πρότερον. Dicendum erat: *vel incidunt, vel metunt.* Nam prius illud quam hoc. Atque ita Plinius loquutus est, quem debuit sequi: *nec ullo congressu fœminarum, funerumque, cum incidunt eas arbores, aut metunt, pollui.* Æstate eas incidebant, ut autumno meterent. Et rursus vere metendæ, hieme incidi solebant. Idem Plinius: *meti semel anno solebat, minore occasione vendendi. Jam quæstus alteram vindemiam adfert.* Ibi scribitur in libris omnibus: *alteram viam adfert.* Omnino legendum: *alteram vim adfert.* Nam vis adfertur arbori, dum inciditur, ac vulneratur. *Saucias arbores*, & *plagam arboris* paulo post dicit. Sequitur statim: *prior atque naturalis vindemia circa canis ortum flagrantissimo æstu, incidentibus qua maximè videatur esse prægnans, tenuissimusque tendi cortex.* Vindemia non erat circa canis ortum, sed tantum incisio. Nam quæ incidebatur æstate, & circa canis ortum, non ante autumnum legebatur. Infra: *autumno legitur de æstivo partu. Secunda vindemia est vere, ad eam hieme corticibus incisis.* Non igitur prior vindemia circa canis ortum, sed ἐντομὴ tantum, & partus. Theophrastus: τόνδε λιβανωτὸν, καὶ τὴν σμύρναν ὑπὸ κύνα φασὶ, καὶ ταῖς θερμοτάταις ἡμέραις ἐντέμνειν. Heic igitur sui oblitus videtur Plinius, nisi distinguendum sit: *prior atque naturalis vindemia circa canis ortum flagrantissimo æstu incidentibus.* Ut circa canis ortum incidant; quæ postmodum autumno legantur, ac vindemientur. Quod verum est. Sequitur: *laxatur heic plaga, non adimitur.* Heic, in thuris arbore incidenda, cortex laxatur, & aperitur tantum plaga, non adimitur, ut in picea, de qua lib. XVI. cap. XII his verbis: *aperitur picea è parte solari non plaga, sed vulnere ablati corticis.* Ubi notandum est plagam à vulnere distingui. *Plaga* est ἐντομὴ, ubi cutis tantum laxatur, & scinditur: *vulnus*, τὸ ἕλκος, cum distrahitur & tollitur, ac separatur à corpore, inde enim ἕλκος ἀπὸ τοῦ ἕλκειν. Græci: ἕλκος, πᾶν τραῦμα: ἕλκανα, τραύματα. Glossæ Latinorum: *vulnus, ulcus*, τραῦμα. Theophrasti Græca, quæ Plinius vertit: ἐν μὲν τῇ πεύκῃ ὅταν ἀφελκωθείσης ἡ δορὰ ἐξαιρεθῇ. Ergo vulnus est, sive ulcus, non plaga, cum cortex detrahitur, non tantum dividitur incisione. Sequitur ibidem apud Plinium: *nec corpori ipsi parcitur, ut in ceteris, quoniam astula in fructu est.* Corrigebat Dalecampius: *corpori ipsi parcitur, non ut in ceteris, quoniam astula eorum in fructu est.* Quid vellet Plinius non intellexit ille: ut nec Plinius Theophrasti mentem assequutus est. Quid uterque voluerit, aperiam. Theophrastus ait τὴν πεύκην, ut ex ea eliciatur resina, in cortice vulnerari,

nerari, & corticem ipsum auferri. Quo pacto συῤῥεῖ εἰς τὸ ἕλκωμα τοῦτο πλείων ἡ ὑγρότης. At in abiete & pinu, ἐν τῇ ἐλάτῃ, καὶ τῇ πίτυϊ, ὅταν γευσάμενοι τῶν ξύλων ἀφελκώσωσιν. In picea igitur, sic enim Plinius πεύκην reddit, solus cortex vulneratur, & avellitur, in abiete & pinu lignum etiam ipsum delibatur, & in vulnus scinditur. Hæc sententia Theophrasti. Et sanè cum πεύκη, id est, picea eodem teste multo succo abundet, ac præter ceteras sit ἔνδαδος, non tam alte impressis vulneribus opus est, ut fluens ex ea resina intercipiatur. Quid igitur est, quod ait Plinius piceæ corpori non parci ut in ceteris, cum planè contrarium Theophrastus asserat? Hæc causa movit Dalecampium, ut verba Plinii inverteret. Sic planè & sensum pervertit. De omni autem picea scribit Plinius, quod Theophrastus de Idæa, cujus hæc verba sunt: οἱ δὲ περὶ τὴν Ἴδην φασὶν ὅταν λεπίσωσι τὸ στέλεχος λεπίζουσι δὲ τὸ πρὸς ἥλιον μέρος ἐπὶ δύο ἢ τρεῖς πήχεις, ἐνταῦθα τὴν ἐπιῤῥοὴν γινομένην ἔνδαδον ἐνιαυτῷ μάλιστα. Quæ verba Plinius ita vertit: *aperitur picea e parte solari, non plaga, sed vulnere ablati corticis, cum plurimum bipedali hiatu, ut à terra cubito cum minimum absit.* Λεπισθῆναι heîc dicit Græcus auctor τὸ στέλεχος τῆς Ἰδαίας πεύκης, ut paulo ante ἀφελκωθείσης πεύκης δορὰν ἐξαιρεθῆναι. Solus itaque cortex piceæ adimebatur non plaga, vel ἐντομῇ, sed vulnere. In id vulnus confluebat humor è tota. Ita dixit de picea: συῤῥεῖ γὰρ εἰς τὸ ἕλκωμα τοῦτο πλείων ἡ ὑγρότης. At de picea Idæa dicit τὴν ἐπιῤῥοὴν ἔνδαδον γίνεσθαι ἐνιαυτῷ μάλιστα. Quod idem est. Humoris picei confluxum, postquam deciderat in locum vulneris ac corticis ablati, cum astula ipsa abscindebant securibus; quo abscisso, iterum alius tædæ fluxus eo conveniebat, iterum exscindebatur, & sic tertio, donec arbor succisa frequentibus tædæ extractionibus everteretur. Ita Theophrastus, quæ Plinius sic exprimere voluit: *nec corpori ipsi parcitur, ut in ceteris, quoniam astula in fructu est.* Vulnus in picea fiebat sola detractione corticis, id postquam humore confluente repletum esset, abscindebatur securi. Hoc est, quod dixit Theophrastus, τοῦτο δ' ὅταν ἐκπελεκήσωσιν. Plinius, *nec corpori parci*, quia securis impingebatur in corpus ipsum, & astula inde tollebatur. Ἡ ἔνδαδος nimirum ἐπιῤῥοή, quæ simul cum astula ligni eximebatur. *Astula* propriè τὸ ἐκπελέκημα. Paulinus:

---- vicit brevis astula flammam.

Aliis *assula*. Festus: *fomites sunt assulæ ex arboribus, dum cæduntur, excussæ.* Ita & apud Servium ex Claudio: *assulæ ambustæ.* Hinc *assulatim dedolare viscera* Plauto. Quod *minutatim* exponit Nonius. Rectè. Hinc *assulæ marmoreæ* apud Vitruvium τὰ ἐκπελεκήματα ex marmore, dum cæditur, excussa. Nec quicquam mutandum. Glossæ: ἀποπελεκῶ, *defomo, dedolo.* Utrumque dicebatur *astula* & *assula*, pro eodem. Sic *mersus, mertus, fissus, fistus: fixus, fictus*: & similia. In fructu astulam esse scribit. Quo in fructu? An quod inde pix cogeretur? Non ea mens. Capite præcedenti id explicavit his verbis: *alia temperies ad crapulam: namque flos crudus resinæ cum multa astula tenui, brevique avulsus conciditur ad cribri minuta. Dein ferventi aqua, donec coquatur, perfunditur. Hujus expressum pingue præcipua resina fit, nec nisi paucis in locis Italiæ, conveniens medicis.* Hic fructus est astulæ, quæ ex picea tollitur. Optimi libri ibi *astulam* scribunt, non *assulam*. Turnebus deinde emendabat: *conciditur ad cribrum in minuta.* Perperam. *Conciditur ad cribri minuta*, quæ ita minutatim conciditur, ut cribro excerni possit. Melius etiam fortasse legeretur, *ad cribri minutal*: πρὸς τὸ λεπτὸν τοῦ κοσκίνου. Nihil tamen mutandum. Flos resinæ crudus, cum astula excisus, δᾷς est, quod Plinius non intellexit, ut post videbimus. Sequitur: *verùm hæc terræ proxima laudatur, altior amaritudinem affert.* In optimis libris scriptum: *verum hæc proxima laudatur.* Ut ut sit, eam intelligit astulam, quæ eximitur è vulnere facto in picea altitudine cubiti suprà terram. Hanc laudari dicit, altiorem adferre amaritudinem. Unde hæc habeat, nescio. Nihil tale apud Theophrastum. Scribit ille quidem terebinthum sauciari in codice, & in ramis, & meliorem esse resinam, quæ in codicem confluit, quam quæ in ramos. Sed nihil hæc ad rem.

A Nihil prorsus vidit noster in Græcis, quæ ita habent: λεπίζουσι δὲ τὸ πρὸς ἥλιον μέρος ἐπὶ δύο ἢ τρεῖς πήχεις ἀπὸ τῆς γῆς, ἐνταῦθα τὴν ἐπιῤῥοὴν γινομένην ἔνδαδον ἐνιαυτῷ μάλιστα. Hæc ille sic accepit, quasi diceret auctor τὴν ἐπιῤῥοήν, quæ fit in plaga terræ proxima, ἔνδαδον μάλιστα γίνεσθαι, hoc est, maximè laudari. Ideo vertit, *hæc proxima*, ἐνταῦθα γινομένην. Sed quare laudatur? Quia ἔνδαδος, hoc est, minimè amara. Ut è contrà altior amaritudinem adfert. Hanc Plinii mentem esse ausim jurare. Quo argumento, inquies? Jam id dabo. Theophrastus ἔνδαδον, & ἄπευκον in arboribus resiniferis sæpe

B usurpat. Ut lib. III. cap. x de fœmina piceæ: ἀλλὸν δὲ ὅτι ἀπευκοτέρα καὶ ἧττον ἔνδαδος. Et postea de pinu: καὶ τὰ ξύλα λευκότερα, καὶ ὁμοιότερα τῇ ἐλάτῃ, καὶ τὸ ὅλον ἄπευκα. Græci πευκεδανὸν & ἐχεπευκὲς τὸ πικρὸν appellant. Hinc Plinius aliud cogitans τὸ ἄπευκον accepit pro ἐχεπευκές. Apud Theophrastum τὸ ἄπευκον ξύλον, & τὸ ἔνδαδον opponuntur. Si ἄπευκον amarum, ergo ἔνδαδον minimè amarum. Si τὸ ἄπευκον damnatur in picea, ergo laudatur τὸ ἔνδαδον. Hoc illum voluisse certum est. Quæ præfectò mira sunt. Sed nec meliora, quæ statim sequuntur: *postea humor omnis è tota confluit in ulcus. Item in tæda.* Quid, *postea?* Posteaquam nimirum astu-

C læ illæ, quæ in fructu sunt, sublatæ fuerunt? Ergo astulæ illæ corticis sunt, qui detrahitur è picea, ut resinam parere possit, & fundere. Atqui dixerat nec ipsi piceæ corpori parci, ut in ceteris, quoniam astulæ in fructu essent. An intelligebat de solo vulnere corticis, qui assulatim avellebatur? Certè florem resinæ crudum, cum hujusmodi corticis astulis avelli alio capite dixit, ex quo præcipua resina fieret. Et florem resinæ videtur appellasse, quæ in summa superficie corticis reperiebatur, ἐν τῷ φλοιῷ. Qui piceæ φλοιὸς ad multa utilis medicis. Atqui aliud corpus: aliud cortex, sive cutis: aliud ξύλον: aliud δορά.

D Et falsum est, quod ait, *non parci corpori piceæ ut in ceteris.* Immo nec ceterorum corpori parcebatur, abietis, pinus, terebinthi, è quibus similiter cortex avellebatur: nec in his cortice avulso tantum stabat vulnus, sed ligna etiam ipsa vulnere degustabantur. Sic enim capienda Græca: ἐν δὲ τῇ ἐλάτῃ, καὶ τῇ πίτυϊ ὅταν γευσάμενοι τῶν ξύλων ἀφελκώσωσι. Nam τὰ ξύλα propriè dicuntur, quæ sunt sub cortice. Ἐν μὲν τῇ πεύκῃ ὅταν ἀφελκωθείσης, ἡ δορὰ ἐξαιρεθῇ. Igitur in sola picea cortex tantum auferebatur, non altius impresso vulnere. Præterea verba hæc, *postea humor omnis confluit in ulcus*, per-

E peram hîc repetita ex superioribus Theophrasti, ubi de picea in genere loquebatur, συῤῥεῖ γὰρ εἰς τὸ ἕλκωμα τοῦτο πλείων ἡ ὑγρότης. Pro quibus in hoc loco, ubi de Idæa loquitur, dixerat: ἔνδαδον τὴν ἐπιῤῥοὴν fieri. Quod addit Plinius, *item in tæda*, sensus est, simili modo id fieri in tæda, atque in picea. Atqui tæda est πεύκη, sive picea. Sequitur: *cum is manare desiit, simili modo ex alia parte aperitur, ac deinde alia.* Græca habent: τοῦτο δὲ ὅταν ἐκπελεκήσωσιν ἐν ἑτέρῳ πάλιν ἔνδαδα ἐστί, καὶ τὸ τρίτον ὡσαύτως. Plinius ἐν ἑτέρῳ accepit pro ἐν ἑτέρῳ τόπῳ, *in alia parte.* Quod est ἐν ἑτέρῳ ἐνιαυτῷ. Prima ἐπιῤῥοὴ ἔνδαδος, in vulnerata picea, anno cum maximè fiebat, ἐνιαυτῷ μάλιστα. Hanc securibus astulatim exscindebant.

F Postea in eadem parte, unde prior ablata fuerat, altera ἐπιῤῥοὴ similiter ingruebat, ἐν ἑτέρῳ scilicet ἐνιαυτῷ hoc tertio fiebat, & in trium annorum spatio. Falsum ergo quod Plinius prodidit, ex alia atque alia parte aperiri, cum ex una tantum aperiretur. Sequitur paulò post: *Sic & in Syria terebintho detrahunt cortices ibi quidem & è ramis, ac radicibus, cum resina damnetur ex his partibus.* Quam bonum interpretem egerit, Græca indicabunt: ἀφελκοῦσι καὶ τὰς τερμίνθους ἐν ἀμφοῖν, καὶ ἐν τῷ στελέχει, καὶ ἐν τοῖς ἀκρέμοσιν, ἀεὶ δὲ πλείων, καὶ βελτίων ἡ εἰς τὸ στέλεχος συῤῥέουσα τῆς εἰς τοὺς ἀκρέμονας. In abiete picea pinus codex tantum vulnerabatur detracto cortice ad desu-

G dandam resinam: in terebintho, præter caudicem, etiam rami. Sed melior erat, & copiosior, quæ ex caudice manabat, quam quæ ex ramis. Ita Theophrastus. Quid Plinius? *terebintho detrahi corticem è ramis, ac radicibus.* Nihil de radicibus Theophrastus. Et falsum est. Nec enim radices terebinthi vulnerabantur ad eliciendam resinam, haud sane magis quam piceæ, & aliarum. Præterea radices, quæ totæ in arboribus terra teguntur, non

non possunt detegi ad eliciendam resinam absque pernicie arboris. Colligebatur quidem, & coquebatur etiam resina ex radicibus piceæ: nam radices maximè ἐνδᾳδεῖς habebat, & succo abundatissimas, sed postquam succisa esset, atque eversa: nec enim integra, ac stante licebat. Idem & de terebintho. Theophrastus lib. VIII. cap. III. Καί τοι φασὶ καὶ τὴν τέρμινθον πιττοκαυτεῖν περὶ Συρίαν. Ita scribendum. Male editum est: καὶ τὴν τέρμινθον πιττωθεῖσαν. Quod nihil est. Sic capite III de Syris: πιττοκαυτοῦσι δ᾽ ὥσπερ καὶ πρότερον ἐλέχθη τὰς τερμίνθους. Πεύκην γὰρ οὐ φέρουσιν οἱ τόποι. Loco nimirum supra dicto, quem emendavimus. De radicibus tamen terebinthi nihil auctores dicunt. Ut ut sit, urebantur radices piceę, & terebinthi ad cogendam picem, at ex codice, & ramis aliter colligebatur. Sic res diversissimas, modos nempe colligendæ picis ex radicibus, & trunco confudit Plinius. Idem videtur ignorasse, quid esset ἔνδαδος, δαδοῦσθαι, & δᾳς ipsa in Græcis Theophrasti. Immo id prorsus ignoravit. *Tædam* quidem semper vertit, sed ubique accipit pro genere quodam piceæ: capite *de arboribus piciferis*, lib. XVI. *Sextum genus est tæda propriè dicta abundantior succo, quam reliqua.* De hac tæda semper intellexit, ubicumque apud Theophrastum mentio fit τῆς δᾳδὸς, τοῦ ἐνδαδοῦσθαι, & δᾳδώδης, similiumque vocum. Qui non ferendus error est. Sic paulo post: *laricis morbus est, ut tæda fiat.* Theophrastus: νόσημα δὲ τῆς πεύκης ἴδιον τοιοῦτόν τι λέγουσι συμβαίνειν οἱ περὶ τὴν Ἴδην, ὥσθ᾽ ὅταν μὴ μόνον τὸ ἐγκάρδιον καὶ ἄλλα, καὶ τὸ ἔξω τοῦ στελέχους ἔνδαδον γένηται, τηνικαῦτα ὥσπερ ἀποπνίγεσθαι. Plinius πεύκην vertit *laricem*, & morbum laricis esse ait, cum in aliam speciem, hoc est, tedam arborem transfiguratur. Quod est absurdissimum. Græca Theophrasti: τοῦτο δὲ αὐτόματον συμβαίνει διὰ τὴν εὐτροφίαν τοῦ δένδρου, ὡς ἄν τις εἰκάσειεν· Ὅλον γὰρ γίνεται δᾴς, id est, tota in succum vertitur, & materiam illam resinosam, unde δᾷδες fiunt. Quod illi accidit ob nimiam alimenti copiam. Et capite XII ejusdem libri: *inter hæc genera proprium quidam fecere sappinum, quoniam ex cognatione earum seritur, qualis dicta est in nucleis: ejusque arboris imas partes tædas vocant, cum sit illa arbor nihil aliud quam picea feritate paulum mitigata satu. Sapinus autem materies cæsarum è genere fiat, sicuti docebimus.* Multa heîc animadvertenda, & corrigenda. Dicit imas partes sapini tædas vocari, cum sapinus nihil aliud sit quam picea sativa. Falsum, nec enim imæ partes sapini *tædæ* vocatæ, sed illæ maximè ἔνδαδοι. Nam, ut scribit Theophrastus, ἅπασα ἔνδαδος πεύκη τὰς ῥίζας. Glossæ: *Sappinus*, πεύκη. *Sapinus*, πίτυς. Non igitur *tæda* vocata pars ima sapini, sed ea ἔνδαδος μάλιστα. Quod ait: *qualis dicta est in nucleis*, id est, capite de nucibus, at nucleis pineis. Nam lib. XV capite, *de nucum pinearum generibus*, sappineæ nucis meminit his verbis: *tertium genus sapineæ e picea sativa, nucleorum cute verius quam putamine, adeo molli ut simul mandatur.* Sappinus itaque picea sativa. At male Turnebus superiore loco legebat: *seritur, qualis dicta est, nucleis.* Quamvis ita etiam libri quidam scribant. Quæ sequuntur longè sunt maculosiora. *Sapinus autem materies cæsarum è genere fiat.* In optimo Thuanæo scriptum est: *Sapinus autem materies cæsa regenere fiat.* Emendandum, ac distinguendum: *ejusdemque arboris imas partes, cum sit illa arbor nihil aliud quam picea feritate paulum mitigata satu: Sapinus autem materies cæsa regenere fiat, sicut docebimus.* Insignis locus, ex quo plane constat Plinium distinguere *sappinum*, vel *sappium*, & *sapinum*. Vetustissimi codices hoc loco *sappium* legunt: *inter hæc genera propriam quidam fecere sappium.* Et lib. XV. capite de nucleis pineis *sappineam nucem* ab hoc *sappio*, vel *sappino* iidem libri indigetant. Hæc sappium, vel sappinus piceæ sativæ species. At *sapinus cæsa regenerefit*, hoc est, ἀναβλαστάνει. Ita enim scribendum auctoribus libris. *Sapinus materies* sic declinatur ut pinus. Ergo *sapinus* species est pinus, quæ cæsa regerminat, *Sappinus* vero picea est sativa, quæ cæsa nunquam repullulat. Theophrastus: πεύκη γὰρ ἐπικαυθεισῶν τῶν ῥιζῶν οὐκ ἀναβλαστάνει. Τὴν πίτυν δὲ φασί τινες ἀναβλαστάνειν. Eamdem differentiam *sappini* & *sapinus* etiam agnoscunt veteres glossæ, quæ *sappinum* πεύκην exponunt, *sapinum* autem πίτυν. Ita enim doctissime vetus illarum auctor: *Sappinus*, πεύκη. *Sapinus*, πίτυς. At Plinius verba illa Theophrasti sic reddidit cap. X. *Larix ustis radicibus non repullulat, picea repullulat.* Ubi *laricem* vertit, quæ Theophrasto πεύκη, & piceam, quæ πίτυς eidem. Sed nihil inconstantius Plinio. Nam capite XII ejusdem libri *piceam* vertit τὴν πεύκην, & alibi πίτυν reddit *pinum*. Quod rationi magis consentaneum est, ut πίτυς enim est *pinus* veteribus Latinis.

---- *Arcadiæ pinus amata Deo.*

Ἡ πίτυς, non ἡ πεύκη. Atque ita passim veteres poëtæ. *Pix* Latinis, quæ Græcis πίσσα. A pice arbor *picea*, quæ picem plurimam fundit, καθ᾽ ἐξοχήν. Ea est πεύκη Græcorum, quippe quæ inter ea genera arborum teste Theophrasto sit maximè ἔνδαδος. Contrà pinus, ἡ πίτυς, fert minimum resinæ, ut tradit Plinius, qui nusquam sibi constat. Idem cap. XXXIX scribit inferiorem partem abietis vocari *sappinum*, ut superiorem *fusternam*. Ita libri. Hoc tam verum est, quàm imam partem sappini vocari *tædam*, quia maximè tædosa esset, *Sapinea*, non *sappinus* vocata est inferior abietis pars, quia enodis erat, ut sapinus. Vitruvius, à quo ad verbum Plinius illa sumpsit, de abiete: *Ima autem cum excisa quadrifluviis disparatur, ejecto torulo ex eadem arbore ad intestina opera comparatur, & sapinea vocatur.* Multum sanè interest, utrum *sapinum* vocatam, an *sapineam* dicas imam abietis partem. *Sapinea materies* maximè tractabilis ad intestinum opus, eodem Vitruvio teste. Ideo partem abietis, quæ enodis erat, & intestinis operibus accommodata, *sapineam* vocarunt, non *sapinum*. Vitruvius de larice: *materies earum prolixa, tractabilis ad intestinum opus, non minus quam sapinea.* Sed ibi scribitur in libris: *non minus quam sappina.* Quod à sappio, non à sapino deductum videretur. Servius abietem vulgo sappinum vocari notat, quod habet à Plinio. Sed de his alibi. Persequamur quod instituimus, *tædam* apud Plinium semper significare certam piceæ speciem. Capite XI *pix liquida in Europa è tæda coquitur navalibus muniendis, multosque alios ad usus. Lignum ejus concisum furnis undique igni extra circumdato fervet.* Lignum nimirum ejus tædæ arboris. In libris legitur: *pix liquida in Europa tæda cogitur*, quod rectum est, id est, colligitur, ἐκ τῆς δᾳδὸς, ἐκ τῆς ἐνδάδου πεύκης, non ex tæda arbore. Theophrastus: πλείστη δὲ ἡ πευκίνη, καὶ βαρυζάτη, καὶ πιττωδεστάτη, διὰ τὸ μάλιστα ἔνδαδον εἶναι τὴν πεύκην, ἄγεται δὲ ἐν ἀσκοῖς ὑγρὰ καὶ ἔπειτα οὕτω συνίσταται. Sequitur paulo post apud Plinium: *è tæda omnia illa fiunt, è picea resina ferventibus cocta lapidibus.* Hæc inepta sunt & falsa: quasi tæda, & picea diversæ specie arbores sint, quasique è tæda pix, è picea resina fieret: quod absurdum est. Ita tamen sensit Plinius. Verba tamen ipsa falsi convincunt libri, in quibus legitur: *lentore ab alia pice differens: item colore rutilante, & quod pinguior est reliqua illa omni fit è pice, ac resina ferventibus cocta lapidibus.* Scribendum: *& quod pinguior est reliqua illa omni: Fit è picea resina.* Vult è tæda picem cogi, quæ piceæ species est, è picea autem resinam fieri. Quod est falsissimum. Tum resina, tum pix liquida, ex picea & pinu colligebatur. Præterea *tæda* communis est piceæ, & pinus, & omnium arborum δᾳδοφόρων. Nec enim arboris speciale nomen est, sed res pertinens ad omnes πισσοφόρους arbores, quæ tædam habent, quam & Græci δᾷδα vocant, qui nusquam hanc vocem usurparunt pro certo arboris genere. Sic igitur error Plinii est. Lib. XXIV. cap. VII ita scribit: *tædæ decocta in aceto dentium dolores efficaciter colluunt.* Quænam sunt, aut cujus generis illæ tædæ? De arbore accepisse palam est ex iis, quæ subjunguntur: *lentisci arboris & semen, & cortex, & lacrima urinam cient.* Atqui verba illa è Dioscoride expressa sunt, qui ita scribit capite de picea, & pinu, καὶ τὸ ἐξ αὐτῶν δᾳδίον σχισθὲν εἰς λεπτὰ καὶ ἑψηθὲν σὺν ὄξει ὀδονταλγίας πραΰνει. Tædam è picea, & pinu id facere memorat, non simpliciter tædam, vel tædas. Nunc superest docere, quid sit δᾳς, vel ἔνδαδον, vel δαδοῦσθαι. Græcis δαὶς, vel δᾳς propriè lampada, vel facem significat, ἀπὸ τοῦ δαίειν, quod accendere significat. Δαῒς, δαιδὸς, δᾷδα, inde Latinum *tæda*. Ut δάσκιον, *tæterrimus*: δῖνος, *tina*. Libri antiqui omnes *tædam* scribunt, non *tedam*. Sic propriè vocarunt facem è lignis concisis & constrictis, piceque oblitis. Athenæus: πανὸς ὀνομάζεται τὸ διακεκομμένον ξύλον καὶ συνδεδεμένον. Idem: χαλέπιόν ἐστι τὸ πεύκινον, ἢ δρύινον ξύλον, ὅπερ ἐσχισμένον, καὶ

κα-

κατεχισμένον ἐξάπλεαζ, ἢ φαίνειν τοῖς ὁδοιπόροισι. Pice etiam illitum erat. Theodoridas apud eumdem: πίσσα δ' ὑπὸ γερβίαν ἔστιζε. Aristophanes:

---- δᾳῶς καίεται

Ἡ πίττα δή που καιομένης ἐξέρχεται

Ibi interpres vetus: ἐπεὶ ἢ αἱ δᾷδες καιόμεναι πίτταν ἀποτελοῦσιν. Ut plurimum hæ δᾷδες ex lignis pinguissimis pinus, & piceæ parabantur, quia maxime accendio apta sunt, ut sua sibi nativa pice oblita. Sed è picea frequentissime fiebant, quia omnium πιττωδεστάτη. Euripides: Πόθεν ἢ πεύκης, φανὸν ἐξάψας λαβεῖν. Pollux: τὰς μέντοι λαμπάδας ἢ κάμακας εἴρηκεν ἐν Ξαντρίαις Αἰσχύλος, κάμακες πεύκης πυρίφλεκτοι. Hinc & πεύκας pro facibus absolutè & ἀντὶ τῶν δᾴδων dixerunt. Idem Pollux: προσθετέον δὲ τούτοις ἢ δᾴδας, ἢ δᾴδια, κορμοὺς σχίζας σχίζια, ἢ πεύκας, ἢ λαμπάδας, ἢ πανοὺς. Hesychius: δαὶς, πεύκη, λαμπὰς. Idem: πευκίδες, λαμπάδες. Aristophanes: Ἐκφέρετε πεύκας κατ' Ἀγάθωνα φωσφόρους. Et ita sæpe in Epigrammatis Græcorum. Græci itaque & plurimum poëtæ πεύκην ἀντὶ τῆς δᾳδὸς dixerunt, quia fieret ex picea. Sed nusquam legitur eosdem Græcos τὴν δᾷδα, hoc est, tædam, vel faculam pro picea arbore usurpasse. Quod idem esset, ac si quis *navem* prò pinu arbore diceret, quia *pinum* pro nave poëtæ frequenter ponunt, quæ ex pinus materia texitur. Latini tamen *tædam* videntur, hoc est, τὴν δᾷδα ἢ τὴν λαμπάδα pro picea sumpsisse, quia πεύκη maxime ἔνδᾳδος. Mitto Plinium, qui vocem *tæda* nunquam aliter sumit. Vitruvius quoque sic accipit lib. VII. cap. X. *Sarmenta, aut tædæ schidiæ comburantur, cum erunt carbones, extinguantur.* Ubi *tædæ schidiæ* sunt τῆς πεύκης σχίζαι. Nam quæ Græce σχίζα, *schidia* dicitur Vitruvio, ut ὄρυζα, *oridia* apud Apicium in Excerptis Vinidarii, quæ penes me sunt. Et *trapedia* pro τράπεζα apud auctores limitum. Glossæ: *tæda*, δαὶς, πεύκη, ἢ λαμπὰς. Hinc *tædam* Juvenalis pro navi posuit, ut alii pinum, vel piceam:

---- *si sit latissima tæda.*

Quia igitur Græci δᾷδα, & πεύκην pro face confundunt, idcirco Latini tædam, & piceam pro arbore confuderunt. Quod tamen absurdum est. Inde & Plinius τὴν δᾷδα, & τὸ ἔνδᾳδον Theophrasti semper de tæda arbore interpretatus est, quod est longè absurdissimum. In eo etiam peccat, quod *tædam* proprie dictam sextum genus facit, à picea diversum, & luminibus sacrorum accommodum. Sic enim scribit: *sextum genus est tædæ proprie dictæ, abundantior succo quam reliqua, parcior liquidiorque quam picea, flammis ac lumini sacrorum etiam grata.* Tæda certe fax est, lumini sacrorum grata. Si arbor ulla fuit tæda dicta, ex qua sacrorum tædæ sumerentur, ea non potest alia esse quam πεύκη. Unde & πεῦκαι Græcis propriè faces, & lampades appellatæ. Præterea tædæ non ex una tæda arbore parabantur, sed ex omnibus δᾳδοφόροις. Hinc *pinea fax*, & *sacris accendere pinum.* Sed Plinius πεύκην modo *laricem* vertit, modo *piceam*, modo *pinum*, heîc vero *tædam*, & pro arbore accipit, puto tamen errore Latinorum factum, ut *tæda* de arbore diceretur. Cum enim legerent in Grammaticorum commentariis, δᾷδα exponi πεύκην, putaverunt tædam esse arborem piceam. Atqui πεύκη est λαμπὰς vel δᾷς. Inde ἀπεύκα ξύλα Theophrasto minime pinguia, eoque faciendis facibus, id est, πεύκαις, parum accommodata lib. III. cap. X. Αἴτιον δὲ ὅτι ἀπευκότερα ἢ ἧττον ἔνδᾳδος. Ubi perperam vertunt, *minus pinosa.* Idem ferè ἄπευκον quod ἄδαδον. Et paulo post de pinus materie: ἢ τὰ ξύλα λευκότερα, καὶ ὁμοιότερα τῇ ἐλάτῃ, ἢ τὸ ὅλον ἄπευκα. Ineptum est, quod vertunt pinum habere minimè pinosa ligna. Nam πίτυς est pinus τὸ ἄπευκον, minime unguinosum. Hesychius: δαὶς, πεύκη. Apud Theophrastum igitur δᾷς propriè significat τὸ λιπαρώτατον ξύλον pini, & piceæ, id quod multo unguine piceo imbutum, ac plenum erat, eoque cædebatur ad lumina accendenda, & faces, quas & δᾷδας inde vocarunt. Pini medullam ad hoc maximè eligebant, quia valdè ἔνδᾳδος, & unguinosa. Τὸ ἐγκάρδιον arborum δᾳδοφόρων maximè ἔνδᾳδον esse tradit Theophrastus. Plinius lib. XXXVII. cap. III de succino: *ramenta quoque ejus in oleo addita flagrant dilucidius, diutiusque quam pini medulla.* Ita enim suprà emendare

A memini, ubi legitur vulgo, *quam lini medulla.* Quod
ineptum est. Lini medulla nihil est, nec enim ure-
batur ad lumen faciendum. Idem Plinius lib. XVI. cap.
XII de pino, vel picea: *postea tota arbor succiditur, &*
medulla ejus uritur. Hoc igitur indubitatum. *Pini &*
pino declinat Plinius, ut multis locis apud eum videre
est. Hinc igitur δᾳδοκοπεῖν, & δᾳδουργεῖν τὴν πεύκην
Theophrasto lib. V. cap. XXIII de causis. *In tædam*
scindere piceam, tædam ex picea exscindere. Cujus rei mo-
dum, ac rationem suprà ex eodem exposuimus. Δᾷς
etiam τὸ λίπος ipsum significat, resinam nempe cru-
dam astulis inde cæsis inhærentem, quam urebant, ut
B picem tum liquidam, tum siccam conficerent. De
cujus urendæ variis modis vide Theophrastum. Sic
apud Dioscoridem τὸ δᾴδιον ἐκ πεύκης καὶ πίτυος non
est assula, ut doctissimi medici accipiunt, sed resina
cruda, rudisque, quæ manat ex pinu, & picea. Sed
ea tamen resina exscinditur cum aliquanta portio-
ne ligni, unde & δᾴδιον λιπαρὸν passim dicitur apud
antiquos medicos, & veterinarios. Quæ tædula est,
vel schidia cum multa resina, vel multo unguine nativo
referta. Hinc ἔνδᾳδον, & δᾳδῶδες, resinosum. Ab illa
voce δᾴδιον thus δᾳδιωτὸν, quod hieme colligebatur à
similitudine tædæ, sive unguinis tædacei. Ita legendum
C apud Plinium capite de thurifera regione: *autumno legi-*
tur ex æstivo partu: hoc purissimum candidum. Secunda vin-
demia est vere ad eam hieme corticibus incisis. Rufum hoc exit,
nec comparandum priori. Illud carpheotan, hoc dadioton vo-
cant. Perperam scribitur: *dadiathum.* Quod inter-
pretantur ἀπὸ τῆς δᾳδὸς ἢ θείου. Immo δᾳδιωτὸν ἀπὸ τοῦ δα-
δίου. Quod simile esse τῷ δᾳδίῳ, sive resinæ ex arboribus
πισσοφόροις manat. Resina quidem piceæ candidior est,
ideo thus ea adulterabant. Plinius de picea: *hæc pluri-*
mam resinam fundit, interveniente candida gemma tam
simili thuris, ut mista visu discerni non queat: unde fraus
D *Seplasiæ.* Idem lib. XII. capite de thure: *apud nos adul-*
teratur resinæ candida gemma, per quam simili. Ita scriben-
dum. Vulgo est: *resinæ candidæ gemmæ.* Nec melius cor-
rigunt, *resinæ candidæ gumma.* Alias resinæ color rufus
& melleus. Hinc δᾳδιωτὸν thus rufum à colore resinæ
dictum est. Theophrastus: ἢ τῷ χρώματι δᾳδώδεις.
Idem ibidem: καλοῦσι συκῆν, τὸ ἐπιγινόμενον ἐν ταῖς πεύ-
καις ἐρυθρότερον κατὰ τὴν χροιὰν τῆς δᾳδὸς. Sic legendum pro
vulgato: καὶ τὴν χροιὰν. Plinius resinam laricis mellei
coloris esse dicit. *Carphiotum* etiam legendum, non
carpheotum in eodem Plinio, τὸ καρφιωτὸν, ἀπὸ τῶν καρ-
φίων. Ita vocarunt juxta Plinii sententiam thus,
E quod autumno colligebatur, candidissimum, & puris-
simum. Forte, quia tale esset, quod ἐκ τῶν ἀκρεμόνων
colligebatur: vel quod autumno etiam ἐκ τῶν ἀκρεμόνων
καὶ καρφίων colligeretur, non solum ex trunco, &
codice. At vere, quæ secunda erat vindemia ex incisio-
ne hiemali, è codice tantum manabat. Ideo & δα-
διωτὸν appellarunt: quia τὸ δᾴδιον in arboribus δᾳδοφό-
ροις è codice tantum colligitur, & quia rufum erat.
Certe δᾴδιον est assula proprie unguinosa, & multa re-
sina abundans, quæ ex caudice exscindi solebat. Quo
nomine etiam cruda resina appellata est. Verùm de his
ad Plinium accuratius.

F Pag. 45. F. *Intorto eam esse vimine*] Falsum, aliudque
plane tinnit Plinii locus, quem describit. Sic enim ha-
bet: *Juba rex iis voluminibus, quæ scripsit ad C. Cæsarem*
Augusti filium ardentem fama Arabiæ, tradit contorti esse
caudicis. Aliud caudex, aliud vimen. Vimina sunt
virgæ thuris, quas minimè intortas esse patet altero
ejusdem Plinii loco: *virgis etiam ad nos thuris commean-*
tibus, quibus credi potest, matrem quoque terete, enodi
fruticare trunco. Juba tradebat, Plinio referente, thu-
ris arborem intorto esse codice. Addit idem legatos
ex Arabia venisse, qui incertiora omnia fecerunt,
quinimmo & virgas etiam thuris inde afferri, quæ
G quod rectæ sint, & minimè contortæ, proinde
etiam fides ex eo fieri posset matrem enodi, ac re-
cto codice fruticare. Sed hoc argumentum satis
frivolum: multæ quippe arbores sunt intorti codicis,
quæ rectas virgas emittunt. Certe Theophrastus
de myrrhæ tantum arbore, non etiam de thuris
hoc prodidit, contorti eam esse caudicis. Plinius de
myrrha: *caudice duro & intorto.* Sed multi simili prorsus
forma

forma myrrhæ, ac thuris arbores deſcripſere, plerique etiam ex eadem arbore myrrham, ac thus manare. Diodorus lib. v tradit arborem thuriferam, quantum ad formam inſtar habere τῆς ἀκάνθης τῆς Ἀιγυπτίας τῆς λευκῆς. Dioſcorides hoc idem ſcribit de myrrha: Σμύρνα δάκρυόν ἐστι δένδρου γεννωμένου ἐν Ἀραβίᾳ, ὅμοιον τῇ Ἀιγυπτιακῇ ἀκάνθῃ. Ibidem Diodorus ſcribit myrrham eſſe ſimilem lentiſco. Hoc ab aliis de thuris arbore traditur. Verùm hæc omitto. Nugatur igitur noſter, qui arborem thuris intorto vimine eſſe pro caudice ſcripſerit.

Ramis ad aceris qualitatem] Addere debuit, *Pontici.* Plinius, unde accepit, qui ex Juba idem refert: *ramis aceris maximè Pontici.* Plinius tamen inter aceris genera nuſquam meminit Pontici. Unde igitur ſcire poſſumus, quæ differentia fuerit aceris in Ponto naſcentis, cum aliorum locorum aceribus? Plinius lib. XVI. capite de acerum generibus, meminit Gallici generis, quod in Tranſpadana Italia, tranſque Alpes naſcitur. *Alterum*, inquit, *genus criſpo macularum diſcurſu, qui cum excellentior fuit à ſimilitudine caudæ pavonum nomen accepit*, *in Hiſtria, Rhætiaque præcipuum.* Perperam corrigunt quaſi ex libris: *quod cum excellentius fuit.* Malè: nec enim ad aceris genus id referri debet, ſed ad venarum diſcurſum, qui cum excellentior in illo aceris genere reperitur, pavonum caudæ oculos imitatur, & inde nomen habet. Ita & de citri maculis, cui ſecundam dignitatem obtinebat acer: *ſunt & undatim criſpæ, majore gratia, ſi pavonum caudæ oculos imitatur.* Quod vilius erat in eodem genere *craſſivenium* vocabant: *e viliore genere craſſivenium vocatur.* Sequitur apud Plinium: *Græci ſitu diſcernunt, campeſtre enim candidum eſſe, nec criſpum, quod glinon vocant, montanum vero criſpius, duriuſque etiamnum è maſcula criſpius ad lautiora opera: tertium genus zygiam rubentem fiſſili ligno.* Hæc è Theophraſti Græcis expreſſa, ſed admodum negligenter, ut Plinianus mos eſt. Theophraſtus in conſtituendis aceris generibus, ac differentiis τοὺς περὶ Στάγειρα primum nominat, qui tertium genus faciebant dictum κλινότροχον. An quod lecti ex eo fierent currente torno? An quod rotulæ ſubjectæ pedibus lectorum ex eo tornarentur? Verba Theophraſti: τῆς δὲ σφενδάμνου, καθάπερ εἴπομεν, δύο γένη ποιοῦσιν. Οἱ δὲ τρία. Ἓν μὲν δὴ τῷ κοινῷ προσαγορεύεται σφένδαμνον, ἕτερον δὲ ζυγία, τρίτον δὲ κλινότροχον ὡς οἱ περὶ Στάγειρα. Omnino ſcribendum putarim: τρίτον δὲ ἰνότροχον, vel τρίτον δὲ καὶ ἰνότροχον. Ex quo κλινότροχον fecere. Quod abſurdum eſt. Ζυγία eſt *carpinus* Latinorum: σφένδαμνος, *acer album*, quem & γλῖνον Græci vocabant, ἰνότροχον tertium genus, quod venis intercurrentibus diſtinguebatur. Plinius ad verbum reddidit *curſivenium.* Ita enim in Plinio emendandum pro *craſſivenium*, quod nihil eſt. *Curſivenium* eſt ἰνότροχον. In hoc genere excellentius habebatur undatim criſpum, & pavonum caudæ oculos referens, ut vilius, quod in venam criſpum erat, oblongo nimirum venarum diſcurſu varium. Hoc propriè ἰνότροχον dicebatur. Plinius idem de citro: *menſis præcipua dos in venam criſpis, vel in vortices parvos illud oblongo evenit diſcurſu.* Κλινότροχον igitur apud Theophraſtum prorſus mendoſum eſt. Differentiam aceris, quæ petitur è ſitu, montis Olympi accolis tribuit Theophraſtus idem: οἱ δὲ ἐν τῷ Ὀλύμπῳ τὴν μὲν ζυγίαν ὄρειον μᾶλλον, τὴν δὲ σφένδαμνον καὶ ἐν τοῖς πεδίοις φύεσθαι. Sed quærendum, de quo Olympo intelligat, Macedonico, an Myſio. Meminit paulo ante Idæ montis in ejuſdem aceris deſcriptione: γίνεται δὲ μάλιστα ἐν τοῖς ἐφύδροις ὡς οἱ περὶ τὴν Ἴδην λέγουσι. Statim addit de Olympi accolis. Olympus Myſius vicinus Idæ. Sic alibi eos montes jungit: ἔτι δὲ ὁ Μύσιος Ὄλυμπος καὶ ἡ Ἴδη πλὴν οὐ πολύ. Hunc Olympum Myſium in provincia Ponti, & Bithyniæ collocat Ptolemæus. Theophraſtus tamen ζυγίαν inter eas arbores recenſet, quæ in Macedonia non campeſtres ſunt, ſed montanæ tantum. Ergo de Pierico Olympo Macedoniæ videatur intelligere. Vide lib. III. cap. IV. Sic alibi enim loquitur: περὶ δὲ Μακεδονίαν καὶ τὸν Πιερικὸν Ὄλυμπον, τὰ μὲν ἐστὶ τούτων, τὰ δὲ οὐκ ἐστί. Ceterum verba Theophraſti contra mentem ipſius reddidit Plinius, cum dicit Græcos ſitu diſcernere aceris genera. *Campeſtre candidum eſſe, nec criſpum, montanum durius, criſpiuſque, tertium vero genus zygiam rubentem fiſſili ligno.* Non tria genera facit heîc Theophraſtus, ſed duo tantùm: nam zygiam eamdem cum montana ſtatuit, quæ ad lautiora opera expetitur. Nihil clarius his verbis: τὴν μὲν ζυγίαν ὄρειον μᾶλλον, τὴν δὲ σφένδαμνον, καὶ ἐν τοῖς πεδίοις φύεσθαι. Ergo zygia montana, σφένδαμνος campeſtris. Cur igitur quaſi ex Theophraſto, & Græcis tertium facit genus ζυγίαν? Sequitur in Græcis: εἶναι δὲ τὴν μὲν ἐν τῷ ὄρει φυομένην ξανθὴν, καὶ εὔχρουν, καὶ οὔλην, καὶ στερεάν. Hæc verba de zygia accipi debent. Nam talem eam ſuprà deſcripſit: ἡ δὲ ζυγία ξανθὸν καὶ οὖλον. At Plinius de ſphendamno accepit, quaſi σφένδαμνος etiam in montibus naſceretur, quia dixerat auctor, τὴν δὲ σφένδαμνον καὶ ἐν τοῖς πεδίοις φύεσθαι. Mirum etiam unde aceris genera decem expiſcatus ſit idem Plinius. Nam ita in titulo capitis: *de aceris generibus decem.* In indice vero manuſcripto ſic habetur: *aceris genera* X, *bruſcum*, *molluſcum*, *ſtaphylodendron.* Gallicum acer, quod in Italia Tranſpadana, & trans Alpes naſci dicit, ejuſdem plane generis fuit cum eo acere, quod Theophraſtus ait propriè vocatum σφένδαμνον, ab aliis γλῖνον. Candidum quippe acer ſic vocarunt Græci. Latini vero *Gallicum*, quod in Gallia Ciſalpina, & Tranſalpina plurimum naſceretur. Alterum genus criſpo macularum diſcurſu, quod in Hiſtria, Rhætiaque præcipuum eſſe ſcribit Plinius, idem plane genus facit cum eo, quod ἰνότροχον Stagiritæ vocabat. Nec enim, ut par eſt, in Hiſtria, & Rhætia tantùm, ſed etiam circa Stagira naſcebatur. Hæc duo ſunt aceris genera, quibus ſi tertium addas τὴν ζυγίαν, erunt tria. Sed ζυγίαν alii proprii generis eſſe malebant, ut Theophraſtus, & ex eo Plinius aſſerunt. Latini *carpinum* vocabant. Unde igitur illa decem genera evolvit Plinius? Nam *bruſcum*, & *molluſcum* aceris tubera, non genera fuere. Et *ſtaphylodendron* diverſi generis arbor, quæ materiem ſimilem aceri albo habet. Duo genera videtur facere ex Gallico albo, & Rhætico, ſive Iſtrico venoſo: tria deinde genera ex Græcorum campeſtri, montano, & zygia. Ut autem omnes fermè arbores in marem, & fœminam dividuntur, ex illis quinque generibus, ſi mares ac fœminas ſepares, fient decem. Sic tiliæ duo genera recenſet, marem & fœminam. Hoc niſi cogitarit, non video quî numerus illi conſtare poſſit. Ut ut ſit, neutiquam ratio conſtat: nam duæ duntaxat aceris ſpecies, album, & venis diſtinctum: aut tria, ſi zygiam, vel carpinum in idem genus accenſeas. Sed hoc ſollemne Plinio, ut res ὁμοιογενεῖς ſeparet, ἑτερογενεῖς conjungat, & omnia turbet. Huic prorſus affine eſt, quod alibi eodem libro glandiferas arbores in genera tredecim dividit. Sic enim index habet, *Glandium genera* XIII. Et vide quomodo hunc numerum extricet. Quatuor genera Latinè facit, robur, quercum, æſculum, & cerrum. Ita quippe ſcribit cap. V. *Genera diſtinguere non datur nominibus, quæ ſunt alia alibi. Quippe quum robur, quercumque vulgo naſci videamus, æſculum non ubique: quartam vero generis ejuſdem, quæ cerrus vocatur, ne Italiæ quidem majore ex parte notam eſſe.* Hæc quatuor genera ſunt Latinis nominibus. Theophraſtus poſtquam in univerſum dixit, ab aliis quattuor genera glandiferarum fieri, ab aliis quinque ſtatui, quæ & nominibus variant, ſubjicit diviſionem eorumdem generum, qualis ab Idæ montis accolis definiebatur: ὡς δ' οὖν οἱ περὶ τὴν Ἴδην διαιροῦσι, τὰ δ' ἐστὶ τὰ εἴδη, ἡμερίς, αἰγίλωψ, πλατύφυλλος, φηγός, ἁλίφλοιος. Hæ quinque ſpecies ſunt glandium, prout eas dividebant Idæi montis populi. At Macedones quatuor tantum genera conſtituebant τῶν βαλανηφόρων. Οἱ δὲ περὶ Μακεδονίαν, inquit, τέτταρα γένη ποιοῦσιν ἐτυμόδρυν, ἣ τὰς γλυκείας: πλατύφυλλον, ἣ τὰς πικράς: φηγὸν, ἣ τὰς στρογγύλας: ἄσπριν, ταύτην γὰρ οἱ μὲν ὅλως ἄκαρπον, οἱ δὲ φαῦλον τὸν καρπὸν, ὥστε μηδὲν ἐσθίειν ζῶον πλὴν ὗς. Hoc eſt, quod ab initio dixerat ab aliis in quinque, ab aliis in quatuor genera glandiferas dividi ſolitas, ſed nominibus alia alibi eſſe: γένη μὲν οὖν οἱ μὲν τέτταρα ποιοῦσιν, οἱ δὲ πέντε. Διαλλάττουσι δὲ ἔνια τοῖς ὀνόμασιν. Οἷον τὴν τὰς γλυκείας βαλάνους φέρουσαν, οἱ μὲν ἡμερίδα καλοῦντες, οἱ δὲ ἐτυμόδρυν. Ita ſcribendum. Perperam editum eſt, οἱ δὲ τὸ μύδιον. Quam Idæi ἡμερίδα vocabant, eamdem Macedones ἐτυμόδρυν, quæ dulcem fert glandem. At Plinius ex Latinorum quatuor generibus

neribus quinque Idæorum, & Macedonum quaternis tredecim illa ſua glandium genera conſtituit. Quod profecto mirum eſt, ſed & ridiculum. Nam pleraque eorum non genere diverſa ſunt, ſed nomine tantùm, quædam nec nomine. Quippe φηγὸν habent, & πλατύφυλλον in ſua diviſione Macedones, ut & Idæi. Ἐτυμόδρυν vocabant, quam Idæi ἡμερίδα. Hic ἐτυμόδρυς & ἡμερὶς non genere differunt, ſed appellatione. Quæ ἄσπρις Macedonibus, ea Idæ incolis αἰγίλωψ, quæ glandem edit adprime amaram. Ἁλίφλοιον non habebant Macedones, vel eam certè nomine ἄσπριος comprehenderunt, nam & ipſa quoque glandem amaram fert. Ergo quatuor tantum, ad ſummum quinque genera glandiferarum. Nec plura genera Latinos habuiſſe cenſendum eſt, ſed appellationes fuere diverſæ. *Cerrus* non eſt αἰγίλωψ, ſed ὀξύη, ut in ſuperioribus oſtendimus. Hæc glandem etiam fert caſtaneæ ſimilem, non tamen eam in albo βαλανοφόρων retulit Theophraſtus. Quatuor tantum nomina habuere Latini, quibus glandium differentias explicaverunt, *robur*, *quercum*, *æſculum*, *fagum*. Ex his quercum, & robur paſſim confundunt auctores plerique, præcipuè poëtæ. Diverſæ tamen ſunt apud architectos ſpecies, & materie differunt, etiam glande, quæ in quercu grandiſſima eſt, in robore parva, ſi Plinio credimus. Gloſſæ, robur, εἶδος ξύλου, μελάνδρυς. Scribe: μέλαν δρυός. Non de certo genere arboris glandiferæ ibi accipiendum, ſed de ligni quercini mediali, quod eſt firmiſſimum, & robuſtiſſimum. Græci: μέλαν δρυός. Ἡ ἐν τοῖς δένδροις δασύτης, καὶ ἡ τῶν ξύλων ἐντεριώνη. Hinc & ſpeciem quercus, quæ fortiſſimum habet lignum, *robur* appellavere. Eam eſſe, quam δρῦν ἀγρίαν vocat Theophraſtus, doctis aſſentior. Nam *quercus* propriè eſt ἡ ἥμερος. Immo ea ipſa, quam Idæi ἡμερίδα, Macedones ἐτυμόδρυν appellabant, Latini *quercum* ſimpliciter dixere. At *robur* ſilveſtris quercus. Poſt fagum τῆς ἡμερίδος, id eſt, quercus propriè dictæ lignum eſſe ἰσχυρότατον. At longè etiam robuſtius roboris, hoc eſt, τῆς ἀγρίας. *Æſculus* diverſum genus. Ita ſcribunt veteres libri omnes apud Plinium, Vitruvium, & alios. Gloſſæ quoque ſic habent ſcriptum, ſed malè φηγὸν βαλανοφόρον exponunt. *Æſculus*, εἶδος δένδρου, φηγὸς βαλανοφόρος. Fagus alia eſt. Sed ſpecta ineptias Grammaticorum. Æſculum ideo ſciſcunt eamdem eſſe cum fago, quia utramque ab eadem origine deducunt. Nam *fagum* ἀπὸ τοῦ φαγεῖν dictam autumant, ut æſculum, ſive eſculum ab eſca, quod harum glande primi mortales victitarint. Cum ex re, tum ex nomine conſtat æſculum eſſe, quæ Græcis αἰγίλωψ. Eam malè natio Grammaticorum ab eſca derivant, quaſi *eſculus*. Scribatur αἰσγίλωψ inſerto ſigma, ut mos erat Latinorum, & veterum Siculorum in pleriſque vocibus. Αἰσγίλωψ, inde Latinum *æſcilos* & *æſcilus*, poſtea *æſculus*. Sic Caſmœnas, *pœſnas*, *duſmos* dicebant. Υ Græcorum iidem Latini plerumque in S mutabant, ut κύκλωψ, *cocles*. Plinio tamen dicitur in libris veteribus *æzops*, non *ægilops*, de quo vide quæ ſupra notavimus. Utcunque ſit, ea eſt, quam Latini dixerunt æſculum. Proceriſſimam eſſe glandiferi generis αἰγίλωπα tradit Theophraſtus. Idem Latini de æſculo memorant: Virgilius:

---- *nemorumque Jovis quæ maxima frondet*
Æſculus.

Alia pleraque conveniunt. Placet tamen eruditis viris æſculum eſſe πλατύφυλλον, quod verum non eſt. Πλατύφυλλος Theophraſto teſte omnium peſſima in ædificiis poſt haliphloeon. At æſculus, Vitruvio aſſerente, *quod eſt omnibus principiis temperata, habet in ædificiis magnas utilitates.* Præterea *latifoliam*, quæ eſt πλατύφυλλος, ab æſculo ſeparat Plinius. Hoc tamen nihil eſſet, niſi alia adeſſent. Verùm de his alibi. Plinius *fagum* in diviſione glandiferarum Latina non recenſuit. Forte quia Græcum nomen eſt, ea autem ponere voluit tantum, quæ propria eſſent Latinorum. Capite itaque ſequenti de fago tractat. Sed & φηγὸς, hoc eſt, *fagus* comprehenſa eſt illis tredecim generibus glandium, quæ capite illo deſignavit. Id autem reſpexiſſe, quod ſuprà diximus, quum tredecim genera glandium fecit, certo certius eſt. Capite quidem ſequenti de aliis glandium generibus exponit, quæ diviſionibus

A Theophraſti, quas ſuperius poſuimus, neutiquam comprehenſa ſunt, ſed hoc ipſum titulo proſcripſit. Sic enim in vetuſtiſſimis libris indicis titulus ſcribitur: *glandium genera* XIII. *De fago & reliquis glandibus.* Capite igitur quinto tredecim illa genera glandium ſignavit potius quam explicavit. Capite vero ſexto de fago, & reliquis glandibus expoſuit, inter quas & ſuberis, & ilicis glandes recenſuit. Nec melius hoc loco decem aceris ſpecies conſtituit. Eadem quippe ferme methodo decem illas ſpecies aceris extudit, ut heîc tredecim glandium. Ceterum de acere Pontico, cui ſimiles ramos habere thuris arborem ſcripſerat Juba, diſquirant B eruditi, utrum album, an ἰνότροχον fuerit, nobis enim non liquet.

Amygdalæ modo ſuccum fundere.] Plinius: *ſuccum amygdalæ modo emittere.* Alibi *guttam*, alibi *lacrimam* vocat. Idem paulò poſt: *quod ex eo rotunditate guttæ pependit maſculum vocamus, cum alias non ferè mas vocetur, ubi non ſit fœmina.* Στρογγύλον, καὶ γωνίαν deſignat. Sequitur: *maſculum aliqui putant à ſpecie teſtium dictum. Præcipua autem gratia eſt mammoſo cum hærente lacrima priore conſecuta alia miſcuit ſe.* Rem prorſus eamdem ſeparat, quia diverſè expoſitam reperit, thus maſculum aliqui dici putabant, quia teſticulorum ſpeciem referret. C Idem erat & mammoſum. Nam eadem figura eſt geminæ mammæ, & teſticulorum. Ita formabatur thus, cum hærente adhuc & pendente gutta priore, conſequebatur alia quæ miſcebat ſe, & priorem geminabat. Hoc thus quidam *maſculum* vocabant à ſpecie teſtium, alii *mammoſum* à mammarum. Subjungit protinus idem: *ſingula hæc manum implere ſolita invenio, cum minore diripiendi aviditate lentius naſci liceret.* Hæc nihil ad rem, ut alieno planè loco inſulta. Præceſſit de mammoſo, quod ex geminatione guttæ manantis formatum eſt, ſubjungit, *hæc ſingula manum implere ſolita*, quaſi maxima illa grana ſic fierent, quæ ex duplici gutta conſtarent. D Theophraſtus non meminit mammoſi thuris, & ſcribit adeo magnas glebas plerumque conſiſtere, ut manum impleant: εἰσὶ δὲ τινὲς καὶ μεγάλοι σφόδρα τῶν χόνδρων, ὥστε εἶναι τῷ μὲν ὄγκῳ χειροπληθιαίους, σταθμῷ δὲ πλεῖον ἢ τρίτον μέρος μνᾶς. Subjicit idem ſtatim: *Græci ſtagoniam & atomum tali modo appellant, minorem autem orobiam.* Videtur velle *ſtagoniam*, & *atomum* propriè Græcis appellari thus hujuſmodi, cujus grana ſingula manum impleant. Quod eſt falſiſſimum, & nihil tale apud Theophraſtum, qui raro id evenire innuit, ut ſinguli χόνδροι manum impleant, & de thure Indico loquitur, non de Arabico. E Nam Indici thuris grana, quod magna eſſent, nec rotunda, ea in cubos, ac teſſeras diviſa tamdiu volvebant in fictili aliquo, donec figuram rotundam reciperent, qualem habebant veri *ſtagoniæ* & *atomi*. Sic appellabant guttas Arabici thuris, quæ perfectæ rotunditatis erant, ſicut ſponte manaverant. Dioſcorides de thure Arabico: πρωτεύει δὲ ὁ ἄῤῥην σταγονίας καλούμενος, στρογγύλος φυσικῶς. Ἐστὶ δὲ ὁ τοιοῦτος ἄτομος. Idem dicebatur & ἄτμητος. Polemon apud Athenæum lib. XI. Καὶ οὕτως ἀφιᾶσιν εἰς τὴν θάλατταν, κεραμέαν κύλικα καθέντες εἰς αὐτὴν ἄνθεα καὶ κηρία καὶ λιβανωτὸν ἄτμητον, καὶ ἄλλα ἄττα μετὰ τούτων ἀρώματα. Idem quod ἄτομος. Sic porro ſolet Pli- F nius ex diverſis auctoribus de eadem re compilata in unum confercire, & nullo plerumque judicio exponere. Ut heîc mammoſum thus, χειροπληθιαῖον τῶν χόνδρων, & ſtagoniam perperam confundit. Sequitur apud eumdem: *micas concuſſu eliſas mannam vocamus.* Græci quoque λιβάνου μάνναν, ut Dioſcorides aliique. *Thuris pollinem* Latini etiam vocarunt. Gloſſæ: *thuris pollen*, μάννα. Juvenalis *thus minutum*, ubi vetus interpres *mannam* interpretatur. Dioſcorides vocat λιβανωτὸν λεπτὸν, de ſarcocolla loquens. Hæc cum ita ſint, ſubjungit his Plinius: *etiamnum tamen inveniuntur guttæ, quæ tertiam partem minæ, hoc eſt,* XXXIX. *denariorum pondus æquent.* G Quæ profecto mira ſunt, guttæ iſtæ, quæ tertiam partem minæ pendebant, eæ ipſæ erant, quas manum implere ſolitas paulo ante ſcripſit. Atque ita Theophraſtus: ὥστε εἶναι τῷ μὲν ὄγκῳ χειροπληθιαίους, σταθμῷ δὲ πλεῖον ἢ τρίτον μέρος μνᾶς. Quantum ad molem χειροπληθιαῖοι illi χόνδροι, quantum ad pondus iidem tertiam minæ partem æquabant. Malè Plinius hæc disjunxit, & loci unius ſententiam dividuam fecit, quaſi de diverſis rebus

bus exposita esset. Legendum autem ex veteribus libris: *quæ tertiam partem minæ, hoc est, XXVIII denariorum pondus æquent.* Ita planè in Rigaltiano codice. Octoginta quatuor denarii Romani minam constituebant, cujus pars tertia viginti octo denarii. Ut ad rem redeamus, quam Plinius admodum intricavit, σταγονίας vocabatur thus masculum, & Arabicum ἀπὸ τῆς σταγόνος, à gutta scilicet, quod rotundum guttatim manans efflueret, idem & ἄτομος, quod natura, non arte incisionis talem formam acciperet, è contra Indicum, quod abundantius manabat, ita ut plerumque grana singula manum implerent, in quadras scindebatur, quæ volutando, concutiendoque in aliquo fictili rotundæ evadebant. Οὗτος δὲ, inquit Dioscorides, καὶ χρόνῳ ξανθοῦται, ἄτομος ἢ σύαγρος καλούμενος. Notant in melioribus libris extare scriptum, σταγηρὸς, quod tamen ferri non potest. Nam idem hæc vox significat quod σταγονίας, ἀπὸ τοῦ στάζειν. Atqui hoc proprium Arabici thuris, quod in rotunda gutta pependerat. Ut etiam ἄτομος, quod incisuram passum non erat. Quæ omnia diversa in Indico. Legendum itaque: καὶ χρόνῳ ξανθοῦται, ἔντομος, ἀστάγηρος καλούμενος: vel ἄσταγος. Nam στάγος ἀπὸ τοῦ στάζειν. Arabicum thus naturaliter rotundum in lacrima guttatim fluente, vocabatur σταγονίας, & ἄτομος. Contra Indicum, quod largius manabat, & manualibus plerumque glebis, ἀστάγηρος καὶ ἔντομος. Græci ἀσταγὲς vocant, & ἀστάγηρον, quod non guttatim fluit, sed abundanter effunditur. Tale Indicum thus, cujus χειροπληθιαῖοι χόνδροι. Apollonio ἀσταγὲς ὕδωρ large manans, ubi interpres notat τὸ ἀ intendere significationem, ut ἄξυλον pro πολύξυλον. Perperam. Ἀσταγὲς propriè significat, quod majore modo quam guttatim fluit. Hesychius: ἀσταγὲς, πολὺ καὶ λαβρόν. Idem: ἄστακτον οὐ κατασταζον, ἀλλὰ ῥύδην. Hinc ἀστακτὶ δακρύειν Sophocli, ubertim flere, non guttatim cadentibus lacrimis. Hinc ἀστάγηρον thus non guttatim manans, sed ubertim. Hæc quantum ad illas voces ἄτομος & σταγηρὸς, quæ in quibusdam codicibus leguntur, & quas sensus auctoris refutat. Sed fortasse aliud ulcus latet, quod alia methodo expurgandum est. Oribasius ἄτομος hoc loco non agnoscit, & σύαγρος legit. Sanè & in multis Dioscoridis exemplaribus hæc habetur lectio. Σύαγρος promontorium sinus Sachalitis in Arabia Felice, haud longe à thurifera. Ibi & portus erat, & castrum, thurisque, quod ex tota regione colligebatur, horreum. Auctor peripli: ὁ καλούμενος Σύαγρος ἐφ' οὗ φρούριόν ἐστι τῆς χώρας, καὶ λιμὴν, καὶ ἀποθήκη τοῦ συναγομένου λιβάνου. Sed de Arabico thure ibi loquitur auctor, quod in thurifera Arabiæ regione nascitur. At Dioscorides thus Indicum vocari σύαγρον dicit: χρόνῳ δ' ὁ τοιοῦτος ξανθοῦται σύαγρος καλούμενος. Vix dubium tamen quin thus Indicum vocaverint, quod ex India veniret ad illud emporium Syagrum. Sic Κασία Μοσυλῖτις ab emporio & promontorio Mosylo. Sed aliquis heîc inferet Συάγελον aut Συαγελίτην λιβανωτὸν sic potius dicendum, quam σύαγρον. Sciat iste, quisquis erit, cinnamomum Μόσυλον sic dici ἀπὸ τοῦ Μοσύλου ἄκρας καὶ ἐμπορίου, quod est ἀντὶ τοῦ Μοσυλικόν. Nugantur autem, qui ἄτομον, & ἄτμητον quasi diversum distinguunt. Theophrastus lib. IX. cap. IV. Ἔνιοι δὲ λέγουσιν ὡς ἡδίων μὲν ὁ λιβανωτὸς ἐν τῇ Ἀραβίᾳ γίνεται, καλλίων δὲ ἐν ταῖς ἐπικειμέναις νήσοις, ὧν ἐνυπάρχουσιν. Hæc valdè corrupta. Quid enim ista significant, ὧν ἐνυπάρχουσιν? Scribendum putarim: ὧν Ἰνδοὶ ἄρχουσι. Quod est certissimum. In Indicis insulis, quæ Arabiæ adjacent, thus ait nasci formosius, quia sic formatur arte, καὶ τῇ ἐντομῇ, in Arabia autem præstantius, & suavius. Ab illis insulis deferebatur in portum, & emporium Syagrum, inde Σύαγρος λιβανωτὸς dictus. Male vertunt apud Theophrastum, *suavius in Arabia nasci, melius in vicinis insulis.* Immo illud melius, quod suavius, & καλλίων facie, & forma præstantiorem, non qualitate significat. Id confirmatur sequentibus: ἐνταῦθα γὰρ καὶ σχηματοποιεῖν ἐπὶ τῶν δένδρων, οἷον ἂν θέλωσιν. Ergo καλλίων ad σχῆμα, & speciem, quæ arte illi comparatur, referendum. Ceterùm non ipsas arbores ita σχηματοποιοῦσι, sed thus in arboribus, dum manat. Male itaque in sequentibus sic vertunt: *siquidem pro incisura facta, figura thuris sequatur necesse est.* Ἐνδέχεται γὰρ ὁποίαν ἂν βούληται ποιεῖν τὴν ἐντομήν. Non arbor inciditur, sed thus in arbore, dum manat, ut quodlibet σχῆμα accipiat. Nec

A enim incisura arboris formam dare potest fluenti lacrimæ. De thuris Indici lacrima loqui Theophrastum Dioscorides confirmat, & nostram in eo conjecturam. Thus illud, non arbor thuris ἐντομὰς patiebatur, ut in rotundam figuram formaretur. Ideo dicit thus insularum κάλλιον existere idem Theophrastus, quia longe absolutior illi rotunditas quærebatur arte, quam natura in Arabico. Sequens locus apud Dioscoridem longè inquinatior: δευτερεύει δὲ ὁ Ἀραβίας, καὶ ὁ ἀμίλω, ὃν ἔνιοι κοπίσκον καλοῦσι μικρότερον, καὶ κιῤῥότερον ὄντα. De Arabico sermo jam est. Πρωτεύει ὁ σταγονίας, καὶ στρογγύλος φυσικῶς, secundas tenet ὁ ὀροβίας. Ita scribendum, à figura ervi sic

B dictum, quod non tam exactæ rotunditatis, & minutum. Plinius: *minorem autem vocant orobiam.* Quod sequitur in Dioscoridis libris quibusdam, ita concipi ajunt, καὶ ὁ ἐν σμήλῳ. In optimis vero exemplaribus scribi testantur: καὶ ὁ μιλιωτὸς. Ὃν ἔνιοι κοπίσκον καλοῦσιν. Ex priore scriptura fieri posset, καὶ ὁ ἔνσμιλος. Ex posteriore indubitatum est, καὶ ὁ σμιλιωτὸς, quod idem est. Σμίλη & σμίλιον scalprum significat. Inde thus σμιλιωτὸν, quod in cortice concretum adhæserat, & scalpris deradendum erat, quod & ἔνσμιλον dici queat. Glossæ: *scalprum:* σμίλη: *scalpellum*, σμίλιον. Theophrastus: καὶ τὸν μὲν ἐπὶ τῶν ψιάθων λιβανωτὸν εἶναι, καὶ καθαρὸν, καὶ

C διαφανῆ, τὸν δ' ἐπὶ γῆς ἧττον, τὸν δ' ἐπὶ τοῖς δένδροις προσεχόμενον ἀποξέειν σιδήροις, διὸ καὶ φλοιὸν ἐνίοις προσεῖναι. Plinius etiam. *Quod in arbore hæsit, ferro depectitur. Ideo corticosum*, id est, scalpris. Idem & κοπίσκος dicebatur, quasi frustulum excisum dicas, nam ὁ κόπις frustum. Unde κοπίσκος. Hesychius μερίδα interpretatur, στάγμα θερμόν. Idem & κόπεον. Glossæ: *frustum*, κόπεον, τμῆμα. Aliæ: κόπεον frustum. Idem & κοπὰς, & κοπάδιον. Latinè etiam *copadium.* Apicii nostri excerpta: *copadia porcina, atque pullina, & quæ in præsenti habere poteris.* Σμιλιωτὸς igitur, & κοπίσκος, quasi præ-

D segmen thuris dicas, ideo improbabatur, quia ut plurimum corticosum, & minutum, nam si quod abundantius proflueret, in terram cadebat, & tegetibus palmeis excipiebatur, idque omnium erat optimum.

In iisdem saltibus myrrha provenit.] Plinius: *myrrham in iisdem silvis permixta arbore nasci tradidere aliqui, plures separatim.* Solinus *saltus* dixit, Plinius *silvas*, Theophrastus, τὸ ὄρος. Sanè & *saltus* montes silvis opacos significare notum est. Glossæ: *saltuarius*, ὀρεοφύλαξ. Et silvæ montium propriè. Hinc silvestria, & montana numina Fauni apud poëtas. Theophrastus: φύεται δὲ τὰ τοῦ λιβανωτοῦ, καὶ τῆς σμύρνης δένδρα, τὰ

E μὲν ἐν τῷ ὄρει, τὰ δὲ ἐν ταῖς ἰδίαις γεωργίαις ὑπὸ τὴν ὑπώρειαν. Quæ in monte proveniunt myrrhæ arbores, silvestres sunt, quæ in plano, sativæ. Πεδιάσιμον σμύρναν hinc appellat Dioscorides, quæ *sativa* Plinio, eamque à silvestri, sive montana distinguit: *convehitur*, inquit, *& ex silvis laudata, petuntque eam etiam ad Troglodytas Sabæi transitu maris: sativa quoque provenit multum silvestri prælata.* Perperam legitur: *convehitur ex insulis*, quod extricarunt ex veteri lectione, quæ habuit, *ex iluis.* Notanda porro hæc verba Plinii, myrrhæ arborem habere *corticem lævem, similemque unedoni.* Græca Theophrasti: φλοιὸν δὲ ἔχει λεῖον, ὅμοιον τῇ ἀνδράχνῃ.

F Cur ἀνδράχνην vertit *unedonem?* ἀνδράχνη arbor unedoni similis, sed quia Latinis notior unedo, quam ἀνδράχνη, quæ arbor est Græciæ peculiaris, nec nomen habens in Latio, ideo *unedonem* pro *andrachne* substituit. Falluntur enim, qui ἀνδράχνην arborem reddunt Latinè *portulacam.* Herba est hujus nominis, non arbor, quæ etiam Græcè ἀνδράχνη. Quem errorem non hodie tantum errant passim docti herbarii, sed ex antiquis etiam multi, notante Plinio his verbis lib. XIII. cap. XXII. *Andrachnen omnes ferè Græci portulacæ nomine interpretantur, cum sit herba: & andrachne vocetur, unius literæ diversitate.* Sed quid est, quod ait Plinius, *an-*

G *drachnen* arborem ab *andrachne* herba, quæ portulaca est, unius literæ diversitate discerni? Eruditi viri *adrachnen* scribendum ajunt, quum de arbore intelligitur. Primùm contra librorum fidem: deinde & auctorum Græciæ auctoritatem, qui ἀνδράχνην arborem passim indigetant. Postea nulla diversitas literæ inter *adrachnen*, & *andrachnen*, sed una litera minus est in una quam in altera dictione. Libri hoc loco

loco ſcriptum habent *andraden.* Omnino pro *andraclen.* Nam ita in ſequentibus planè præferunt: *ceterum andracle eſt ſilveſtris arbor, neque in planis naſcens, ſimilis unedoni, folio tantum minore.* Ita enim ibi ſcribitur in antiquis exemplaribus. Et paulò poſt: *ſimilis & apharce bifera æquè quam andracle.* Sed & lib. XVI. cap. XXII ita diſertim in optimo Thuanæo codice inveni: *inter utraque genera ſunt andracile in Græcia, & ubique unedo.* Quod certum *andracile* pro *andracle*, vel *andrachle.* Hæc igitur Plinii ſententia eſt, Ἀνδράχλην dici de arbore, ἀνδράχνην de herba portulaca unius literæ diverſitate. Haud ſcio an ita diſtincta hæc nomina repererit in exemplaribus Theophraſti, quæ tum temporis extabant. Quæ hodie extant, hanc differentiam non agnoſcunt, ſed ἀνδράχνην utramque vocant, tam arborem, quam herbam. Certe ἀνδράχλη Atticum erat pro ἀνδράχνη, ut λίτρον pro νίτρον: ἀλάβαστρον, pro ἀνάβαστρον, & ſimilia. Helladius in chreſtomathia apud Photium: ὅτι παρὰ γράμμα μυρία ἐστὶν ἡμαρτημένα, ὥσπερ ἀντὶ τοῦ ὁ σίκυος, ἁμαρτάνοντες λέγουσιν ὁ κίκυος, καὶ ἀντὶ τοῦ ἀνδράχλη, οὕτω γὰρ φασὶν οἱ Ἀττικοὶ, λέγουσιν ἀνδράχνη. Si Atticorum eſt ἀνδράχλη pro ἀνδράχνη, utique tam in arbore, quam in herba id locum habebit, nam utraque communiter ἀνδράχνη. Sic erit vana differentia, qua Plinius herbam ab arbore diſtingui vult. Ἄνδραχνος Pauſaniæ arbor dicitur. Ut μέσπιλος, μεσπίλη, ſic ἄνδραχνος, ἀνδράχνη. De herba verum eſt *portulacam* Latine vocari, quæ Græcis ἀνδράχνη, ſed arborem, quam Plinius ἀνδράχλην diſcretionis cauſa docet vocandam, qui *portulacam* reddunt, miſere falluntur. Arbor illa Latio ignota, nec habent nomen, quo eam exprimant, nec quicquam habet ſimile cum portulaca, ideo *andrachne*, vel *andrachle*, ut placet Plinio, appellanda. Gloſſæ de herba: *portulaca*, ἀνδράχνη ἰνροσασία. Hæc corruptiſſima. Optimus liber Puteanorum ultimam hanc vocem Latinis literis expreſſam habet: *impocacla.* Quod verum eſt. Niſi verius ſit legendum: *pocacla.* Nec abludit dictio, qua eam hodie Itali vocant. *Procachia* illis dicitur, quod eſt ex Latino *porcacla.* Nam labda eliquant in jota. In Herbario Apulei manuſcripto *pocaſtrum* vocatur: *Itali portulacam, alii pocaſtrum, nonnulli illecebram vocarunt.* In edito legitur: *poreaſtrum.* Fortè pro *porcaſtrum.* Quid ſi & *pocacla*, vel *impocacla*, pro *imporcacla*? Etſi à porcis denominatam oſtendit Gallica vox, quæ *porcelinam* nuncupat, vel *porceliam.* Germani quoque *porcellorum herbam* appellant. Græci quoque recentiores χοιροβότανον. Nicomedes Jatroſophiſta: ἀνδράχνη, χοιροβότανον. Certe *porcilia* ſcribitur in antiquiſſimo Plinii codice Rigaltiano hoc loco: *Græci porciliæ nomine interpretantur, cum ſit herba, & andrachne vocetur.* Quinimmo *portulacam* vocatam cenſeo corrupto ſermone pro *porculatam*, vel *porculacam*, nam *t* & *c* Latinis ſæpe invicem mutantur. Sic *porta* in gloſſis pro *porca*, τὸ μεταξὺ τῶν αὐλάκων ὕψος. Cur ita porro vocata ſit, eruditis herbariis examinandum relinquo. Sequitur apud Plinium: *ſimilis & coccygria folio magnitudine minor, proprietatem habet fructum amittendi lanugine, pappum vocant, quod nulli alii arborum evenit.* Theophraſtus iis verbis, quæ Plinius reddidit: ὅμοιον δὲ ἐστὶ τούτοις τὸ φύλλον καὶ τῆς κοκκυμηλέας, τὸ δὲ δένδρον μικρὸν, ἴδιον δὲ ἔχει καὶ τὸ ἐκπαππούσθαι τὸν καρπὸν. Mira corruptela in his Græcis. Nam κοκκυμηλέαν vocat, quam Plinius *coccygriam.* Nullo modo autem hæc cum κοκκυμηλίᾳ conveniunt, quæ prunus eſt, quam & lib. IIII idem Theophraſtus deſcribit, & μέγα τῷ μεγέθει δένδρον eſſe tradit. Pro *coccygria* legendum in Plinio *coccygia.* Nam in indice ſcripto *coccycia* vocatur. Nec dubito quin corrigendus ſit è Plinio Theophraſtus, apud quem repono: ὅμοιον δὲ ἐστὶ τούτοις τὸ φύλλον καὶ τῆς κοκκυγίας. Quod in κοκκυμηλέας mutarunt correctores. Heſychius κόκκυγα vocat hunc fruticem, ſed βοτάνην more ſuo dicit eſſe. Sic enim & frutices, & arbores etiam ſæpe appellat. Errant doctiſſimi herbarii, qui coccygiam hanc *cotinum* eidem Plinio dici annotant lib. XVI. cap. XVIII. Verum de his alibi. Quod ad andrachnen, vel andrachlen arborem ſpectat, non male pro ea unedonem poſuit, in lævitate corticis thuris arboris deſignanda. Nam præter ceteram ſimilitudinem etiam utrique cortex lævis. Arbuti corticem, ſive unedonis myricæ ſimilem eſſe tradit Theophraſtus. At de andrachne ita ſcribit: τὸν δὲ φλοιὸν λευκὸν ἔχει καὶ περιρηγνύμενον. Quæ

A Plinius ſic tranſtulit: *cortice non ſcabro quidem, ſed qui circumgelatus videri poßit, tam triſtis aſpectu eſt.* Legiſſe in Græco videtur, φλοιὸν λεῖον ἔχει καὶ περιπηγνύμενον. Quod non adeo abſurdum eſt, ut videri volunt. Immo ita ſcripſiſſe Theophraſtum planè mihi perſuadeo. Πήγνυσθαι, & ἐκπήγνυσθαι arbores idem dicit, quæ gelu læduntur. Unde περιπηγνύμενον δένδρον, cujus cortex circumgelatur. Nam cortex rumpitur, & finditur gelu, & hæc cauſa eſt τῆς ῥηξιφλοΐας in multis arboribus. Cortice porro lævi eſſe, & non ſcabro, ſi circumgelationem illam excipias, teſtis idem Theophraſtus, ubi ait thuris arborem φλοιὸν ἔχειν λεῖον, καὶ ὅμοιον τῇ ἀνδράχνῃ. *Unedo*
B proprie fructus eſt arbuti, quam Græci κόμαρον vocant. Heîc Plinius pro arbuto ipſa poſuit. At lib. XV. cap. XXIV fraga, & unedonem congenera eſſe ſcribit: *aliud corpus terreſtribus fragis, aliud congeneri eorum unedoni: quod ſolum pomum ſimile fructui terræ gignitur.* Hæc poſtrema ita concipiuntur in optimis libris: *quod ſolum pomum ſimile frutice terraque gignitur.* Scribe: *frutici, terræque gignitur.* Fruticum, & arborum fructus in alto, non humi gignuntur, ut herbarum, quarum fructus in terra fuſi: ideo terræ, & frutici ſimile pomum gigni dicit fraga, & unedones. Ἐγγείους καρποὺς ἀπὸ τῶν δενδριτῶν Græci quoque ſeparant. Hinc *fraga terreſtria.* Congeneres igi-
C tur fructus fraga & unedo. Certe Græci utrumque eodem nomine appellant τὰ μιμαίκυλα. Optimæ gloſſæ: *fraga*, μιμαίκυλα. Eædem: *unedo*, μιμαίκυλον. Nec ſanè dubium eſt, quin *fraga* Græci propriè μιμαίκυλα appellarint, quod nomen etiam propter ſimilitudinem communicatum eſt poſtea & fructui arboris, quam Græci κόμαρον vocant. Nam arbor ipſa κόμαρος, fructus μιμαίκυλον à ſimilitudine τῶν μιμαικύλων, id eſt, terreſtrium fragorum. Nugantur hodierni herbarii, qui fragariam herbam Græcis Ἰδαίαν βάτον appellari cenſent, ut alias omittam differentias. Idæus rubus hamos habet, hoc eſt,
D μικρὰς ἀκάνθας, qui nulli ſunt in herba fragorum. Sed fraga ſunt μιμαίκυλα. Falluntur & iidem, quum Plinium reprehendunt, quod unedonem fructum arbuti faciat, qui erat epimelidis. Certe Galenus, & ex eo Paulus Ægineta *unedonem* ab Italis ruſticis vocari ſcribunt pomum epimelidis. Atqui ἐπιμηλὶς diverſa ab arbuto, genus meſpili eſſe traditum Dioſcoridi. Sed Plinium melius ſciſſe puto quid unedonem appellarint Itali ſui, quam Galenum hominem Græcum. Et unedonem Græcorum eſſe μιμαίκυλον, hoc eſt, arbuti fructum aliorum auctorum teſtimonio ſcimus. *Pomum*, inquit idem, *inhonorum ut cui nomen ex argumento ſit unum*
E *tantum edendi.* Non puto id verum eſſe. Cum ſit exiguum admodum pomum, citra noxam plus quam unum edi non poſſe vix veriſimile. Græci, ſi ultra ſeptem edantur, capiti nociva teſtantur. Nomen *unedo* à majoris Græciæ incolis tranſlatum in Latium, καρπὸς οἰνίζων illis vocabatur arbuti pomum, à vineo guſtu quem habet. Nam & ὄιναρον Theophraſtus appellat τὸ κόμαρον. Aſclepiades apud Athenæum περὶ μιμαικύλων, quæ χαμαικεράσια ipſe appellari tradit: ὁ δὲ καρπὸς τοὺς πλείονι χρησαμένους καθάπερ οἶνος βαρύνει τε τὴν κεφαλὴν, καὶ ἀλγεῖν ποιεῖ. Inde igitur οἰνίζων eſt *unedon.* Nam & *unus* ſimiliter ex Græco οἶνος, qui μόνον ſignificat. Zeta in delta mutari Latinis
F tralaticium eſt, λαζοί, *ladi*: βάζω, *vado*: ὄζω, *odo*: & poſtea *olo.* Sequitur apud Plinium: *duobus tamen hoc nominibus appellant Græci comaron & mimæcylon: quo apparet totidem eſſe genera, & apud nos alio nomine arbutus vocatur.* Ita legendum, ac diſtinguendum ex codice Thuanæo. Sed malè Plinius concludit duo eſſe genera, ex eo, quod Græci κόμαρον, & μιμαίκυλον appellent. Ἡ κόμαρος Græcis arbor ipſa dicitur, fructus τὸ μιμαίκυλον, nec mirum tam diverſis nominibus arborem, & pomum inſigniri. Sic πρῖνος ilex: fructus ilicis proprie ἄκυλος. Atque ita in aliis ſexcentis. Theophraſtus: ἡ δὲ κόμαρος ἡ τὸ μιμαίκυλον φέρουσα τὸ ἐδώδιμον. Amphis apud Athenæum: Ἡ
G πρῖνος ἀκύλους, ἡ κόμαρος μιμαίκυλα. Heſychius: Κόμαρος φυτόν ἐστιν ὅπερ ἔχει καρπὸν μιμαίκυλον. Dioſcorides: Κόμαρος δένδρον, καρπὸν ἔχει μιμαίκυλα καλούμενα. Ita ſcribenda hæc vox, nam multis in locis apud auctores corrumpitur. Ceterum videntur quidam τὸ κόμαρον appellaſſe arbuti pomum. Ἡ κόμαρος arbor, τὸ κόμαρον fructus, ut ἡ μέσπιλος, τὸ μέσπιλον: quod & in aliis obſervatur. Sed nec τὸ κόμαρον hoc ſenſu idem planè cum τῷ μιμαικύλῳ, diver-

diversum genus inde constitui potest. Herbarium, quod sub Apuleji nomine vulgatur, herbam fragum etiam comaron Græcè appellari testatur. *De virtutibus herbæ fragi*, cap. XXXVII. *Comaron Græci, Romani fragum nominant.* Antiqui Græci κόμαρον de arbore tantum dixerunt, non de herba. At μιμαίκυλον tam de arboris, quam de herbæ fructu usurparunt. Atque hæc hactenus.

Cujus radices ut vitium rastris proficiunt] Nugas agit more suo, nec Plinii mentem capit, cujus hæc sunt: *gaudet rastris, atque ablaqueationibus, melior radice refrigerata.* Ablaqueationes arborum radici refrigerandæ valent, ut vitium & myrrhæ sativæ. At rastri nihil ad radicem vitium propriè pertinent. Transtulit ad rastros noster, quod de sola ablaqueatione dixit Plinius. Myrrha sativa similiter excoli, & curari petit, ut ceteræ arbores. *Gaudet rastris*, inquit Plinius: *atque ablaqueationibus.* Hoc de vitibus dici accepit Solinus. Sanè & vites sic coluntur, sed nihilominus & ceteræ arbores. Plinius: *silvestriora omnia tardiora: quædam ex iis omnino non maturescunt. Item quæ subarantur, atque ablaqueantur celeriora neglectis: hæc & fertiliora.* Opponit silvestribus, quæ subarantur, & ablaqueantur, τοῖς ἀγρίοις τὰ θεραπευόμενα. Erat myrrha silvestris, & sativa. Theophrastus de myrrhæ arboribus: τὰ μὲν θεραπεύεται, τὰ δ' οὔ, myrrha sativa subaratur, & ablaqueatur. Hoc est, quod ait Plinius, rastris eam gaudere, & ablaqueationibus. Sic expressit τὸ θεραπευόμενον Theophrasti. Nihil igitur erat causæ, cur exemplum è vitibus peteret noster, licet & ipsæ quoque rastris, & ablaqueationibus gaudeant. Aliud rastrorum opus in agro, & vinea, aliud ablaqueatio. An rastrorum nomine comprehendit Plinius arationem, & fossionem, licet neutra res perageretur rastro, sed quia aratione, aut fossione excitatæ glebæ rastris infringerentur? Primum igitur arare, & fodere, deinde rastris glebas imminuere, quod & occare propriè dicebatur, non in agro tantum colendo, sed etiam in vinea, Varro lib. I. cap. XXX. *Vineas novellas arare, aut fodere, & postea occare, id est, comminuere, ne sit gleba.* Atque hæc occatio, sive glebarum imminutio rastris fiebat. Virgilius:

---- *rastris glebas qui frangit inertes.*

Plinius: *aratione per transversum iterata occatio ubi res poscit, crate vel rastro.* Isidorus: *occa, rastrum.* In vineis hoc *pulveratio* propriè vocabatur, quod glebæ grandes in pulverem rastris redigerentur. Poëta:

Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus.

Ibi Servius: *hoc genus culturæ pulverationem vocant proprie, quo imminutæ glebæ ad vites applicantur.* An pulverationem à fossione separavit illo versu poëta? Nam sollicitatur tellus fossione, pulvis movetur pulveratione. Verius est, ut confuderit utrumque. Sic Columella pulverationem cum fossione eamdem plane facit his verbis lib. IV. cap. XXVIII de vinearum fossuris: *tum & crebris fossionibus implere: nam fit uberior pulverationibus.* Monet crebro fodiendam esse vineam, quia pulveratione fiat uberior. Ergo pulveratio & fossio res eadem. Et clare Plinius fossionibus vineæ pulverem excitari scribit. Et hæc verba sunt, quibus id scribit: *quæ fodiantur ante ferventes horas diei fodiendas convenit, sicuti lutum neque arare, neque fodere: fossione pulverem excitatum contra soles, nebulasque prodesse.* Aperte eam pulverationem intelligit, qua pulvis excitatur in fodienda vinea tempore sereno, & sicca tellure. Nec alia fuit vineæ pulveratio apud Latinos, quod enim sicca tantum tempestate, & pulverosa terra vineas movendas fossionibus præcipiunt, eas fossiones *pulverationes* proprie vocant. Sic *hibernum pulverem* de hieme sicca dixit Poëta:

---- *hiberno lætissima pulvere farra.*

Sic & in illa veteri rusticorum cantilena: *hiberno pulvere, verno luto grandia farra Camille metes.* Quia igitur non nisi hiberno, & æstivo pulvere vineas fodiebant, ideo *pulverationem* vocabant fossionem. Nam glebæ siccæ & rastris comminutæ in pulverem de facili redigebantur. Hæc sunt indubitata. At ὑποκόνισις vinearum apud Græcos res prorsus separata à fossione. Et falsi sunt eruditissimi viri, qui idem putarunt. Theophrastus lib. II. cap. IX historiarum tradit τὴν σκαπάνην omnibus arboribus prodesse, ut minoribus satis τὴν σκάλσιν. Inde enim opimiora fieri. Subjungit: τρέφειν δὲ δοκεῖ καὶ ὁ κονιορτὸς ἔνια, καὶ θάλλειν ποιεῖ, οἷον τὸν βότρυν,

A τρυν, διὸ καὶ ὑποκονίουσι πολλάκις. Omnibus arboribus in universum conducit ἡ σκαπάνη, quibusdam vero etiam convenit ἡ ὑποκόνισις, ut vitibus. Tradit paulo post eodem capite, ex quorumdam præcepto subpulverandam non esse vineam, cum maturescere incipit uva, sed eo tantum tempore, quo nigra penitus, & pæne matura fit: τὴν δ' ἄμπελον οὔ φασι δεῖν ὑποκονιεῖν, ἢ ἄλλως ἅπτεσθαι περκάζοντος τοῦ βότρυος, ἀλλ' εἴπερ, ὅταν ἀπομελανθῇ, οἱ δὲ τὸ ὅλον μηδέποτε. Monet pulverandam non esse vineam variante se uva, nec omnino tangendam, nisi si forte cum penitus nigresceret, quamvis ne tum quidem movendam censebant non-

B nulli. At Romani variante se uva ultimam fossionem vineis dabant, περκάζοντος ἤδη τοῦ βότρυος. Vide Plinium lib. XVII. cap. XXIII: & Columellam lib. IV. cap. XXVIII. Ubi ex auctoritate veterum magistrorum agriculturæ statuit satis esse vineam ter confodere, germinante, florescente, & maturescente. Hos enim tres motus vineæ trinis fossionibus concitandos esse sciscebant. Ex his apparet diversa ratio colendæ vineæ apud Græcos, & Latinos. Pulverationem nullam Latini agnoscebant in vinea colenda nisi eam, quæ ex fossione sicco tempore, ac tellure facta excitabatur. Meminit & τῆς ὑποκονίσεως vitium

C Theophrastus lib. III. cap. XXII de causis, & ibi clarissimè distinguit τὴν σκαπάνην ἀπὸ τῆς ὑποκονίσεως. Verba sic habent, quæ, quia vulgo malè accipiuntur, producam heîc ut explicem: τὴν δ' ὑποκόνισιν, τὸ μὲν ἐν τοῖς πρώτοις καιροῖς, ὅταν ἄρχωνται περκάζειν οἱ βότρυες, μὴ ἐᾶν ἄχρις οὗ πεπανθῶσιν ὀρθῶς ἔχει. Κωλύουσι γὰρ τὴν ὁρμὴν τῆς πέψεως ἀντισπῶντες ἑτέρᾳ κινήσει. Vertunt viri doctissimi: *pulveris excitationem primis temporibus cum nigrescere uvæ incipiunt, non differre, quo usque ad maturitatem perveniant, oportet.* Quæ vel sensum non habent, vel eum habent, qui Theophrasti menti contrarius est. Dixit suprà non esse pulverationem vitibus adhiben-

D dam, cum uvæ variare se incipiunt, donec nigræ prorsum extiterint, impetum enim coctionis, & maturationis impediri τῇ ὑποκονίσει. Non igitur pulverandam esse, priusquam ad maturitatem pervenerit. Idem dicere etiam voluit hoc loco. Sed Latina versio neutiquam id tinnit. Sic verte: *pulverationem vero primis temporibus, cum uvæ variare se incipiunt, adhibendam non esse, donec ad maturitatem pervenerint rectè habet.* Μὴ ἐᾶν τὴν ὑποκόνισιν est pulverationem tollere, non relinquere, nec adhibere. Ita loquuntur veteres Græci. Alii in totum tollebant pulverationem

E à cultura vinearum, quos improbat Theophrastus. Ὡς δ' ὅλως ἀχρεῖον, καὶ βλαπτὸν οὐκ ὀρθῶς. Ἡ περὶ γὰρ χρεία μαρτυρεῖ καὶ τὸ ὑφ' ἑτέρων γινόμενον. Alii non tollebant eam, sed tum adhibendam censebant tantum, cum maturæ jam, & nigræ essent uvæ, ne maturitatis impetum tardaret pulveratio, si variare se incipientibus adhiberetur. Quid igitur conferebat uvis pulveratio? Τρέφειν, καὶ θάλλειν ποιεῖν τὸν βότρυν dixit suprà Theophrastus. *Alebat uvas, & vegetiores reddebat.* Sic enim accipiendum. Ergo eo demum tempore eam usurpabant, quo uvæ in vinea pendebant. Immo cum jam maturescerent, ut ex eodem Theophrasto constat.

F Quod enim idem dicit, διὸ καὶ πολλάκις ὑποκονίουσι, de eodem illo tempore accipiendum, quo ad maturitatem tendebant uvæ. Sæpius eas tunc pulvere aspergebant. Ita & Megaris cucumeres, & cucurbitas suas pulvere cooperiebant, eodem Theophrasto teste. Ex his intelligere potes, quantum intersit Latinorum inter *pulverationem*, & Græcorum ὑποκόνισιν. Illi toties pulverabant, quoties fodiebant, nam glebas aridas, & putres comminuebant rastris, & pulverem movebant, Græci maturescentes uvas mota tellure subpulverabant. Plinius, qui miscellanea facit, & varias sententias è diversis auctoribus congerit, ne hoc quidem

G prætermisit. Sic enim scribit lib. XVII. cap. IX. *Sunt qui pulvere quoque uvas ali judicent, pubescentesque pulverent, & vitium arborumque radicibus aspergant.* Diversa hæc pulveris aspersio ab ea excitatione pulveris, cujus mentionem facit cap. XXIII. Et malè hæc confundunt. Sed quid vocat *pubescentes uvas*? Alludit locum Theophrasti, quem exprimere voluit: τρέφειν δὲ δοκεῖ καὶ ὁ κονιορτὸς ἔνια, καὶ θάλλειν ποιεῖν, οἷον τὸν βότρυν. Διὸ καὶ ὑποκονίουσι

 πολλάκις,

πολλάκις. *Sunt qui pulvere quoque uvas ali judicent, pubescenteſque pulverent.* Τὸ θάλλειν expreſſit *pubeſcere.* Sic Virgilio *pubentes herbæ*, & *pubera folia.* Ubi notat Servius relationem eſſe reciprocam ætatis hominum, & herbarum: *ſic enim pubertatem herbarum dici, ut florem ætatis.* Ergo *pubentes herbæ* pro florentibus. An & *pubeſcentes uvæ* Plinio pro floreſcentibus? Ita videtur. Nam & capite XXIII *pubeſcentem uvam* diſtinguit à *nigreſcente.* Sic enim ſcribit: *inimicos & pubeſcente uva raſtros, ſatiſque eſſe vineam ter anno confodi ab æquinoctio verno ad Vergiliarum exortum, & canis ortu, & nigreſcente acino.* Igitur *pubeſcens uva*, quæ in flore eſt. Aliud tamen è Columella colligi poteſt, quem & heîc ſequitur B Plinius: nam *pubeſcentes* uvas à florentibus diſtinguit lib. IV. cap. XXVIII. Ubi monet, antequam florem vitis oſtendat, eſſe pampinationis tempus, & poſtquam defloruerit. *Medium igitur*, inquit, *eorum dierum ſpatium, quo acini formantur, vinearum nobis aditum negat: quippe florentem fructum movere non expedit, pubeſcentem vero, & quaſi adoleſcentem convenit religare, foliiſque omnibus nudare, tum & crebris foſſionibus implere. Nam fit uberior pulverationibus.* Ex eo Plinius *pubeſcentes* uvas pulverandas eſſe præcipit, eaſque intelligit, quæ jam defloruerunt, & in acinos formatæ ſunt, nondum tamen variæ. Vidit C Theophraſtum, & Columellam Plinius, Columella etiam Theophraſtum, cujus tamen mentem fortaſſe non eſt aſſequutus. *Pubeſcentem uvam* ex illis Græcis Theophraſti acceperunt: τρέφειν γὰρ δοκεῖ καὶ ὁ κονιορτὸς ἔνια, καὶ θάλλειν ποιεῖν, οἷον τὸν βότρυν. Nam θάλλειν eſt ἀκμάζειν. Inde *pubeſcentem uvam* fecere, θάλλοντα τὸν βότρυν. *Uberior fit pulverationibus.* Τρέφειν δοκεῖ ὁ κονιορτός. Plinius ad verbum, *uvas ali pulvere.* Quis item neget illa Columellæ, *tum crebris foſſionibus implere, nam fit uberior pulverationibus*, ex illis Theophraſti expreſſa eſſe? Διὸ καὶ πολλάκις ὑποκονίουσιν, εὐτραφέστερος γὰρ γίνεσθαι. Sed ex Latinorum more, & inſtituto pulverationem, hoc eſt, D ὑποκονίωσιν pro foſſione qualibet accipiunt, quæ tempore ſereno fit, quod in totum repugnat Theophraſti menti. Quod enim dicit Theophraſtus πολλάκις ὑποκονιωτέον, inde colligit Columella crebris foſſionibus eſſe colendas vineas, cum ceteri magiſtri rerum ruſticarum, qui ante eum ſcripſerant, tribus foſſuris contenti fuiſſent. Scilicet Græcorum ὑποκονίωσιν ignorarunt, & eam ex illa, quam habuere ſolam cognitam, interpretati ſunt. Præterea non dicit Theophraſtus *pubeſcentes uvas* pulvere aſpergi debere, ſed jam nigras, & prope maturas. Quam rem θάλλειν ποιεῖν τὸν βότρυν ait. Alere ſcilicet, & florentem, vegetumque ſucco facere. Nam & θάλλοντα E εὐτροφοῦντα Græci exponunt. Præterea alludit ad florem illum, ſive χνοῦν, qui nigris uvis, & prunis matureſcentibus inſperſus eſt. Nihil hoc ad pubertatem uvæ. Ceterùm *pubeſcentem uvam* pro ea, quæ jam variat, accipiunt vulgo in hoc loco Plinii lib. XIII. cap. XXII. *Similis & apharce bifera æquè quam andrachle, priorem pubeſcente uva peragunt: alterum initio hiemis.* Ibi *pubeſcente uva* exponunt, cum variat uva, καὶ περκάζει. Locus è Theophraſteo expreſſus, cujus hæc verba: ἀνδράχνη καὶ ἀφάρκη τὸ μὲν πρῶτον πεπαίνουσιν ἅμα τῷ βότρυϊ περκάζοντι, τὸ δὲ ὕστερον ἀνθοῦντι. Δοκεῖ γὰρ ταῦτα δίκαρπα ἀρχομένου τοῦ χειμῶνος. Plinium reprehendunt, quaſi eum fefellerit prava apud Theophra- F ſtum diſtinctio, cujus Græca ita vulgo interpretes reddunt: *portulaca & apharce primum fructum, cum uva dulceſcit, maturant: poſteriorem, cum floret. Bis enim iſtæ fructiferæ hieme ineunte videntur.* Hæc monſtra ſunt, in quibus nec pes, nec manus apparet. Bis fructum ferunt andrachne & apharce, primum cum uva ſe variat, poſteriorem cum in flore eſt. Atqui prius floret uva quam variat. Ergo prior fructus, qui florente uva peragitur. Præterea ſi biferæ ſunt illæ arbores, ſemel florente uva, & ſemel variante ſe, non erunt biferæ initio hiemis. Hæc ſunt abſurdiſſima. Nam ὁ καρπὸς, & τὸ δίκαρπον intelligenda de tempore fructus jam maturi. Non viderunt G legendum in Theophraſto eſſe, atque ita Plinium planè legiſſe: τὸ μὲν πρῶτον πεπαίνουσιν ἅμα τῷ βότρυϊ περκάζοντι τὸ δὲ ὕστερον, δοκεῖ γὰρ ταῦτα δίκαρπα ἀρχομένου τοῦ χειμῶνος. Illud ἀνθοῦντι mala manu inſertum ab aliquo ſciolo, qui locum male interpunctum nactus, putavit aliquid deſiderari ad integritatem ſententiæ. Ergo priorem fructum mutarant ἅμα τῷ βότρυϊ περκάζοντι,

A *pubeſcente uva*: alterum, nam biferæ videntur iſtæ arbores initio hiemis. Sic περκάζων βότρυς, eſt *pubeſcens uva.* Quid ſi potius legerit Plinius, τὸ μὲν πρῶτον πεπαίνουσιν ἅμα τῷ βότρυϊ ἀνθοῦντι? Certè variam uvam à pubeſcente diſtinxit alibi Plinius, & clarè Columella. Videtur omnino ſcripſiſſe Theophraſtus: τὸ μὲν πρῶτον πεπαίνουσιν ἅμα τῷ βότρυϊ περκάζοντι ἢ ἀνθοῦντι, τὸ δὲ ὕστερον, δοκεῖ γὰρ ταῦτα δίκαρπα, ἀρχομένου τοῦ χειμῶνος. Variante ſe uva, aut floreſcente priorem fert fructum. Plinius medium elegit, & *pubeſcente* dixit. Fortean & *pubeſcente* hîc poſuerit pro floreſcente. Nam & lib. XIV in præfatione diſertè *pubeſcentem* di- B xit vitem de floreſcente: *Unde autem potius incipiamus quam à vitibus? Quarum principatus in tantum peculiaris Italiæ eſt, ut vel hoc uno omnium gentium viciſſe quamvis odorifera poſſit videri bona. Quamquam ubicunque pubeſcentium odori nulla ſuavitas præfertur.* Diſerte teſtatur Theophraſtus vites non eſſe pulverandas περκάζοντος τοῦ βότρυος, *variante ſe uva*, ἀλλ' εἴπερ ἄρα, ὅταν ἀπομελανθῇ, *jam nigreſcente acino.* Quo tempore vites quidem ultimo fodiendas cenſebant. Sequitur apud Plinium: *quod certum eſt Narbonenſi provinciæ & vindemias certius ſic eo coqui, quia plus pulvis ibi quam ſol confert.* Hæc corrupta. Lege: *quod certum eſt, in Narbonenſi* C *provincia & vindemia citiùs ſic coquitur, quod plus pulvis ibi quam ſol confert.* Sic loquitur Plinius. Ut lib. XIX. cap. II. *Quod certum eſt, ex iis erunt quæ naſcuntur, & ſeri non poſſunt.* Quem locum ibi corruperunt. Ex his porro liquet hic genus pulverationis in Italia uſitatum non fuiſſe, quandoquidem nec ab omnibus in Græcia recipiebatur. Columella lib. XI ſcribit *pulverationem* à ruſticis *occationem* vocari. *Quibuſdam in locis*, inquit, *ut in Bætica, maritimis regionibus, & in Africa vindemia conficitur. Sed frigidioribus regionibus pulverationem faciunt, quam ruſtici vocant occationem, cum omnis gleba in vineis refringitur, & reſolvitur in pulverem.* Loquitur de D ultimo menſis Auguſti die, quo tempore locis calidioribus, ut in Bætica, & Africa vindemiam confici ſolitam dicit, in frigidioribus vero regionibus pulverationem. Eam certe hoc loco pulverationem intelligit, quam Theophraſtus adhibendam præcipit uvis jam prope maturis. Hæc eſt ὑποκονίωσις, ſive ſubpulveratio, quam ſolam agnoſcit Græcus Philoſophus. At Latini quamcunque vineæ foſſionem *pulverationem* vocaverunt, ut ex locis Columellæ ſuperius allatis conſtat. Nam quotieſcunque vineam fodiebant, quod ſicco tempore ut plurimum fiebat, glebas etiam comminuebant & refringebant, inque pulve- E rem redigebant. Varro: *vineas novellas arare, aut fodere, & poſtea occare, id eſt, comminuere, ne ſit gleba.* Idque etiam tum faciebant, quum jam uvæ ad maturitatem prope pervenerant. Quæ pulveratio *occatio* etiam ruſticis dicebatur. Ex his colligi poteſt, quam valde fallantur, qui *pubeſcentes uvas* pro florentibus accipiunt. Quamlibet enim frigida ſit regio, florentes uvas non habet ſub extremum diem Auguſti, vel initio Septembris, quo tempore pulverationem fieri frigidioribus in locis monet Columella, quando jam pubeſcunt uvæ. *Pubeſcens* igitur uva ea eſt, quæ primùm variari F incipit, ac nigreſcere, ducta metaphora à genis puberum, quæ nigris pilis incipiunt veſtiri, & nigra lanugine variæ fieri. Sic certè ἅμα τῷ περκάζοντι βότρυϊ Plinius vertit *pubeſcente uva.* Sed idem tamen alio loco *pubeſcentem* uvam à *nigreſcente acino* diſtinxit, ubi dicit raſtros inimicos eſſe uvæ pubeſcenti, & ſatis eſſe vineam ter anno confodi: ab æquinoctio verno ad Virgiliarum exortum: canis ortu, hoc eſt, decimo ſexto Kalendas Auguſti: & nigreſcente acino. Hæc erat ex trinis ultima foſſio, ſive pulveratio, quæ locis frigidioribus pridie Kalendas Septembris fiebat, uva nigreſcente. Sic *pubeſcens* uva eo loco non eſt ἡ περκάζουσα. Sed G nec quæ in flore eſt, accipi poteſt. Ea igitur intelligenda *pubeſcere*, quæ defloruit, uſque quo nigreſcere incipiat. Columella *pubeſcentem, & adoleſcentem* dicit, quæ adhuc creſcit, & adoleſcit. Nam adulta jam, & matura adoleſcendi finem facit. Θάλλειν vertunt *pubeſcere.* Certè εὐθαλῆ χωρία vocant arboribus viridantibus conſita, aut herbis læta. Et εὐθαλὲς δένδρον latè virens. Sic ἀειθαλῆ ſunt, non quæ ſemper florent, ſed

quæ

quæ ſempiterna coma virent. Hinc *pubentes ſilvas* Mela dixit viridantes, de Corycio ſpecu: *viret lucis pubentibus undique.* Et Virgilius: *pubera folia* viridia vocat. Igitur & *pubeſcens uva*, quæ adhuc viridis eſt, atque in viridi ſucco, ἡ ὀμφακίζουσα. *Viride jus* hodièque vocamus τὴν ὄμφακα. Talis eſt poſtquam defloruit, uſque quo nigreſcat, & matureſcat, pubeſcens utique ſemper & adoleſcens. Vides inconſtantiam auctorum, qui *pubeſcentem* modo de nigreſcente, & pæne matura dixere, modo τὴν ὀμφακίζουσαν ſic appellarunt. Interdum etiam τὴν ἀνθοῦσαν, ut Plinius loco ſuperius allato. Pulveratio, ſive occatio Latinorum aliquantum, ut dixi, diverſa ab illa ἀποκονίσει Græcorum. Hæc ἀποκόνισις ſemel uſurpabatur, qua uvas jam pæne maturas pulvere aſpergebant. Huic pulverationi eam ſimilem facit Theophraſtus, qua Megarenſes cucumeres, & cucurbitas ſuas pulvere cooperiebant. Latini occationem, ſive pulverationem foſſioni ſemper jungebant. Columella: *tum & crebris foſſionibus implere, nam uberior fit pulverationibus.* Anatolius in excerptis Γεωπονικῶν: ὁ δὲ πολὺς σκάφος, καὶ ἡ τῆς γῆς πλείων διάχυσις βίου, καὶ τροφῆς τῇ ἀμπέλῳ, καὶ πολυκαρπίας αἴτιος. Sed redeamus ad raſtros. Varro de lingua Latina: *Raſtri, quibus dentatis penitus eradunt terram, atque eruunt, à quo & rutabri dicti.* Ita ſcribendus ille locus, quem male ſollicitant. Ab eruendo *rutabros* eſſe dictos ait. *Rutaber* idem quod *rutabulum*, ab eruendo. Gloſſæ: *rutabulum*, ἐνσκάλης. Nam σκάλλειν eſt fodere, vel ſarrire. Unde inſtrumentum foſſorium, vel ſarculum, ἡ σκαλίς. Legebam aliquando: à quo & *rutabli dicti*, pro *rutabuli*. Significat inſtrumentum, quo ignem proruebant panis coquendi gratia. Dentati igitur *raſtri*: & ſanè à radendo dicti. Cato: *rutra, raſtri quadridentes.* Ergo aliud *rutrum*, aliud *raſtrum*. Ennius:

Raſtros dentifabres capſit agri poliendi.

Propriè dicebatur ager poliri, cum occabatur raſtris, vel crate. Et hæc veluti ſumma manus erat, quæ agro exercendo imponebatur. Inde *politiones agrorum*, & *politor*, qui agrum colendum conducebat pro certa parte. Digeſtis *pro ſocio*: *ſi agrum politori damus.* Ab hac ultima agri politura nomen accepit, quam his verſibus expreſſit Columella:

Verum ubi jam puro diſcrimine pectita tellus,
Depoſito ſquallore nitens ſua ſemina poſcit.

Tum *pecti, radi, poliri* tellus dicebatur, cum occabatur. Sic in veſtimentis apud fullonem curandis, *poliri* tum ea dicebant, cum pectine vel ſpina fullonia radebantur, quod ultimum erat fullonum, ſive polientium experimentum. Ita in agri cultura manus ultima *politio*, quæ occatione, vel raſtris fiebat, quando Flamen ſacrum Cereale Cereri, & Telluri faciebat, divos agricolas hoc ordine invocabat, quo ſcilicet & terra colebatur: *Vervactor, Redarator, Imporcitor, Inſitor, Obarator, Occator.* Qui deinde ſequebantur, enatis jam frugibus locum habebant: *Sarritor, Subruncinator, Meſſor, Conjector, Conditor, Promitor.* Occator ultimus erat agri colendi, ut *Sarritor* primus frugum jam naſcentium, quæ ſarriebantur. Nam, ut ait ille, *prius occant, quam ſarriunt ruſtici.* Hinc viderentur veteres erraſſe Grammatici, qui *raſtrum* vertunt σκάφιον, & σκαπάνην. Nam hoc *rutrum* potius quam raſtrum. Gloſſæ: *raſtrus*, σκάφιον: *raſter*, δίκελλα. Atqui raſtri eradendæ potius, & poliendæ terræ, quam fodiendæ, & eruendæ facti. Græci λίστρον, ξυστῆρα, σφῦραν βωλοκόπον inſtrumenta ruſtica vocant ad occationem apta. At *rutrum* propriè σκαπάνη vel σκάφιον. Feſtus: *rutrum tenentis juvenis eſt effigies in Capitolio ephebi more harenam ruentis exercitationis gratia.* Σκαπάνην, & σκάφιον Græci auctores vocant in hoc athletico exercitio, ut jam animadverſum viris doctis. Hinc rutra à raſtris ſecernit Cato, quæ perperam hodie confunduntur. Pomponius apud Nonium.

Sarculum hinc illo profectus, illinc rediiſti rutrum.

Elegans verſiculus de homine ἀπεγνωκότι. & cui res retro currunt. Cum hinc profectus es, ſegetes tuæ jam in herba erant, & ſarculum ſpectabant, cum illinc rediiſti, ad rutrum tibi res rediit, & ad carceres revocatus es, cum prope metam jam eſſes. Nam rutro ter-

A ram vertere primum eſt; tum ſementem jacere, deinde occare, poſtea ſarrire. At *rutellum*, quod ibidem refertur à Nonio, diverſum à rutro, licet deminutivæ ſit formæ. Nam lignum eſt, quo cumulus menſuræ deruitur. Citatur ibidem Varro his verbis, *rutro caput diſplanat.* Ubi male Scaliger *rutrum* κρώπιον exponit, quia apud Pollucem de Codro legitur ex Pherecyde, τῷ κρωπίῳ παίσας ἀπέκτεινε. *Rutrum* eſt σκάφιον, vel σκαπάνη, at κρώπιον ſecuris, vel falx potius lignaria. Nam Pherecydes ibi Codrum inducit ruſtici habitu lignatum euntis. Verba Pollucis ita legenda,
B ac diſtinguenda: ἢ πέλυον ὡς Ὅμηρος, καὶ θρῖναξ, καὶ δρέπανον, καὶ δρεπάνη, καὶ ὡς Φερεκύδης ὠνόμασε κρώπιον. Περὶ γὰρ Κόδρου λέγων, ὅτε ἐπὶ φρυγανισμὸν ἐξῆλθεν ἐν ἀγροίκῳ τῇ σκευῇ βουλόμενος λαθεῖν, φησὶν ὅτι τῷ κρωπίῳ τινὰ παίσας ἀπέκτεινε. Heſychius: κρώπιον δρέπανον interpretatur, & alibi κρόπιον, ἀξίνην δίστομον. *Ligo* Varroni dicitur, *quod eo propter latitudinem, quod ſub terra facilius legitur.* Ergo eſt, quam Græci μακέλλην vocant, & Grammatici interpretantur πλατεῖαν δίκελλαν. Heſychius: μακέλλη, δίκελλα πλατεῖα, σκάφιον. Columella *marram* vocat:

Tu penitus latis eradere viſcera marris
Ne dubita.

C Heſychius: μάρρον, ἐργαλεῖον σιδηροῦν. Græci λίστρον etiam vocant. Atque ita Artemidorus. Hinc Latinum ligo. Inde λισγάριον apud Suidam. Pro quo vulgo male editur λιγάριον. Alia forma erat *pala*, quæ & ipſa lata erat, & in terram pangebatur. A qua & *bipalium*. Sed has differentias non explicamus heîc. *Raſtros, ligones, bidentes* paſſim poëtæ confundunt, uſurpantque pro inſtrumentis terræ fodiendæ. *Raſtri* igitur quamvis propriè ſint id quod diximus, auctores tamen ceteri pro foſſorio inſtrumento paſſim ponunt, haud minus quam poëtæ. Plinius ex Virgilio tradit oleam *non deſiderare raſtros ut vitem.* Per raſtros intelli-
D git foſſionem. Idem *inimicos pubeſcenti uvæ raſtros eſſe*, & ſimiliter foſſionem ſignificat. Et cap. v ejuſdem libri: *argillam, quæ operi difficillima, quæque raſtros, aut vomeres ingentibus glebis oneret.* Ita libri. Non *raſtros ac vomeres.* Fodiuntur, aut arantur terræ. Vomeres ad arandum ſunt, raſtri ad fodiendum. Theophraſtus: βαρεῖαν καὶ τὴν πιεῖραν θέρους ἐργάζεσθαι, καὶ τοῖς ἀρότροις, καὶ τῇ σκαπάνῃ, id eſt, *vomeribus & raſtris.* Atque ita ſemper. Ut enim Theophraſtus σκαπάνην ἀντὶ τοῦ σκαφητοῦ ponit, ita Plinius *raſtros* pro foſſione. Theocritus de athleta rutrum gerente:

Ὤχετ᾽ ἔχων σκαπάνην.

E Gloſſæ: *raſtrus*, σκάφιον: *raſter*, δίκελλα. Ut raſtri erant quadridentes, ita & bidentes. Cato: *rutra, raſtri quadridentes.* Qui pluribus dentibus erant dentati, occandæ terræ magis apti fuiſſe videntur, qui duobus tantum, fodiendæ. Hi *bidentes raſtri* dicti, & abſolutè *bidentes.* Columella: *bidente vertitur ſolum.* Et lib. III. cap. XIII. *Prout cuique mos eſt vineas colenti vel aratro, vel bidente.* Pro bidente raſtros dicit Plinius. Varro certè raſtris non tantum eradi terram, ſed etiam erui dixit, & tangit duo genera raſtrorum. Sed de his infrà plura dixero. Sic *bidens raſter* integrum, & abſolutè *bidens.* Plinius igitur cum *raſtris & ablaqueatione*
F *gaudere* myrrhæ arbores dicit, foſſionem, & circumfoſſionem intelligit. Vineæ fodiuntur, & ablaqueantur. Hoc poſtremum, quando circum radices effoſſa terra nudantur. Foſſio igitur, & *raſtri* non propriè ad radices pertinent vitium, ſed *ablaqueatio*, id eſt, circumfoſſio. Hæc duo, ut dixi, & in ceteris arboribus colendis locum habebant, τὸ ἀποσκάπτειν, καὶ περισκάπτειν. Plinius lib. XVII. cap. XXV de arboribus: *aut circumfoſſor injurioſo ictu verberavit, vel etiam ſubarator imprudens luxavit radices, corpuſque deſquamavit.* Alibi *ſubarari, aut ablaqueari* dixit. Et cap. XXVI. *Amygdalæ, ſi colantur, foſſione florem amittunt: nec inſitas circumfodere*
G *oportet, priuſquam validæ ferre cœperint poma.* Theophraſtus; οἱ δὲ καὶ τὰς συκᾶς ἀποσκάπτουσιν ἔνθα τούτου δεῖ. Non igitur vineæ ſolæ foſſionibus coluntur, & circumfoſſionibus, ſive ablaqueationibus, ſed etiam ceteræ arbores.

Ablaqueationibus gaudent] Diodorus de myrrhæ arbore: ὀπίζεται δὲ περισκαφείσης γῆς ἀπὸ τῶν ῥιζῶν. Dicit eam incidi circumfoſſa ab radicibus terra, quod eſt abla-

 queare.

queare. Non igitur culturæ causa, sed incisionis καὶ ὀπισμοῦ ablaqueabantur, quo succus etiam manaret è radice. Plinius: *inciduntur bis & ipsæ iisdemque temporibus, sed à radice usque ad ramos qui valent.* Et tam de silvestri, quam sativa loquitur Diodorus. At Plinius sativam myrrhæ arborem ait rastris, & ablaqueatione gaudere, & meliorem esse radice refrigerata. Culturæ ergo ratione, ut ceteras arbores, quæ fossione coluntur, eam ablaqueari solitam vult, non incisionis. *Ablaqueare* corrupto sermone, ut in sexcentis aliis vocibus, factum pro *ablacuare*, hoc est, lacus & fossas circa arborum radices facere. Id non obscurè indicant Columella, & Palladius, qui lacuum, & lacusculorum meminerunt in ablaqueationibus. Sic *laqueata tecta* pro *lacuata*, lacubus nimirum, quod genus est ὀροφικοῦ πίνακος, distincta. Et *laquearia* pro *lacuaria*. Nam *lacunaria* idem significabant. *Lacuaria* etiam legi notat Servius. Et apud Ciceronem *tectis cælatis, lacuatis*. Unde & *lacuata vestis* Isidoro, quæ lacus quadratos habet, τοῖς πλινθίοις διειλημμένη; ut olim explicavimus, pro quo alii *laqueata tecta & laquearia* dixerunt. Sic *ablaqueare* pro *ablacuare*, & in Italia *Sublaqueum* oppidum, cui vicini tres lacus. Eam urbem *Sublacum* recentiores vocarunt. Glossæ: *ablaqueata*, διορυχθέντα.

Nudatæ pinguiore fluunt lacrimæ] Nudatæ ablaqueatione. Theophrastus quoque γυμνοῦν dicit. Plinius eo loco, quem heîc expressit Solinus: *rastris & ablaqueatione gaudet, melior radice refrigerata.* Proprium hoc ablaqueationis refrigerare radices arborum. Plinius lib. XVII. cap. XIX. *Alubi ablaqueant, perflatusque admittunt. Iidem hieme cumulis à gelu vindicant.* Theophrastus lib. v de causis, cap. XII de variis morbis, & remediis arborum tractans: καὶ τὰ κλήματα ἐπιβαλλόμενα, καὶ ὑποκατώρυχα καθιέμενα, καὶ ἡ σκαπάνης βοήθεια γινομένη, καὶ γυμνοῦσα τὰς ῥίζας, ὅπως ἐθισθῶσι πνεύματι, καὶ ψύχει, καὶ καθάπερ ἔνιοι κελεύουσι πάτταλος ἐνηλειμμένος, καὶ μετὰ ταῦτα ἡ τὴν κατεργασίαν ἀποδιδόναι. Corruptissimus ille hodie locus Theophrasti circumfertur. Legitur enim: ὅπως ἐθισθῶσι πνεύματι, καὶ ψύχει καθάπερ ἔνιοι κελεύουσι. Πάτταγον ἀλαβουμένους. Inde πάτταγον morbum arborum esse ex Theophrasto viri doctissimi annotarunt, nos felici, ut opinor, conjectura emendamus, καὶ καθάπερ ἔνιοι κελεύουσι πάτταλος ἐνηλειμμένος, id est, *cuneus adactus*. Quod & inter remedia arborum, quæ fructum ferre non possunt, à Plinio recensetur his verbis cap. XXVII. *Pomiferis, quæ germinant, nec ferunt fructus fissa radice inditur lapis, fertilesque fiunt. Hoc idem in amygdalis è robore cuneo adacto: in pyris, sorbisque è tæda, ac cinere & terra cooperto.* Πάτταλος ἐνηλειμμένος, *cuneus adactus*. Et hoc remedium similiter inter ea numerat Græcus auctor, quæ vitibus prosunt, οἷς ἀκαρπεῖν συμβαίνει διὰ τὴν ὑλασίαν. Idem lib. II. Hist. cap. VIII. Ἀμυγδαλῇ τε καὶ πάτταλον ἐγκόψαντες σιδηροῦν ὅταν ὑπερφυῶσιν, ἄλλον ἀντεμβάλλουσιν δρύϊνον. Cassianus in Eclogis γεωπονικῶν lib v sideratas vites, hoc est, ἀστροπλῆγας hoc remedio adacti cunei curari dicit. Θεραπεύονται δὲ, inquit, τερέτρῳ λείῳ διακόψας τὸ στέλεχος, καὶ διὰ τοῦ τρυπήματος δρύϊνον πάτταλον ἐμβαλών. Vera igitur nostra in Theophrasto conjectura. Sed hæc alibi. Theophrastus porro σκαπάνης nomine tam fossionem, quam ablaqueationem videtur comprehendisse. Videri etiam potest Plinius rastros, & ablaqueationem ἓν διὰ δυοῖν figura dixisse. Nam ablaqueatio fit rastris, τῇ σκαπάνῃ. Quare sic etiam erraverit Solinus, qui rastros, & ablaqueationem discernit. Plinius lib. XVII. cap. XXVI. *Nunc expositis arborum vitiis consentaneum est & dicere remedia. Ex his quædam sunt communia omnium, quædam propria quarumdam.* Hæc ad verbum è Theophrasto lib. II. Hist. cap. VIII. Περὶ δὲ τῆς ἐργασίας, καὶ τῆς θεραπείας τὰ μὲν ἐστὶ κοινὰ, τὰ δὲ ἴδια καθ' ἕκαστον. Plinius θεράπειαν accepit pro remediis, ideo statim post vitia arborum de remediis tractat. Sic θεραπευτικὴ νόσων apud medicos, & θεραπευτὴς medicus. At θεράπεια δένδρων Theophrasto cultus est arborum, quæ feruntur, & urbanæ sunt. Ut cum dicit de myrrhæ arboribus, τὰ μὲν θεραπεύεται, τὰ δ' οὔ: *alia coluntur & sativa sunt, alia silvestres.* In hac arborum θεραπείᾳ ablaqueatio, rigua, fimum & similia, non remedia sunt, sed culturæ genera. Theophrastus lib. v. de causis, cap. I. Τῶν ἐν τοῖς δένδροις, καὶ φυτοῖς τὰ μὲν αὐτόματα γίνεται, τὰ δ' ἐκ προαιρέσεως καὶ θεραπείας. Quis heîc θεραπείαν sanus pro remedio sumeret? Dicit arborum, & plantarum alias sponte provenire, alias opera & studio. Poëta *curam* vertit τὴν θεράπειαν:

---- *hominum non ulli obnoxia curæ.*

τὰ αὐτομάτως γινόμενα, καὶ θεραπείας οὐ δεηθέντα. Et lib. III. cap. IX. Εὐθὺς οἴονται δεῖν κοπρίζειν, καὶ τὴν ἄλλην ἀποδιδόναι θεραπείαν, *stercorare, cultumque reliquum reddere.* Atque ita alibi passim. Sequitur apud Plinium: *communia ablaqueatio, adcumulatio, afflari radices aut cooperiri, riguis dato potu vel ablato, fimi succo refectis.* Theophrastus: κοινὰ μὲν ἥτε σκαπάνη, καὶ ἡ ὑδρεία, καὶ ἡ κόπρωσις. Auctor ille τῆς σκαπάνης nomine ablaqueationem, & adcumulationem complectitur, quia utrumque rastris, hoc est, τῇ σκαπάνῃ fiebat. *Ablaqueatione* radices afflantur, & nudantur: *adcumulatione* cooperiuntur. Totus ille Plinii locus perperam legitur, nec melius interpungitur. Pro *riguis* vetus codex habet *riguas*. Et pro *fimo*, *fimum*. Sic igitur lege, & interpunge: *communia ablaqueatio, adcumulatio; afflari radices aut cooperiri: rigua, dato potu vel ablato: fimum, succo refectis, putatio, levatis onere: item succo emisso quædam velut detractio sanguinis: circumrasio corticis.* Hæc communia sunt. Sequitur: *vitium extenuatio, & domitura palmitum. Gemmas, si frigus retorridas, hirtasque fecerit, repumicatio & quædam politura.* Hic locus etiam ex Theophrasto expressus lib. v de causis, cap. XII, sed pessimè quoque interpunctus, atque intellectus. Per *vitium extenuationem* intelligunt, τὴν τροφῆς ἀφαίρεσιν. Perperam. Distinguendum, ac legendum: *Vitium, extenuatio & domitura palmitum: gemmarum, si frigus retorridas hirtasque fecerit, repumicatio & quædam politura.* Inter remedia arborum omnium communia posuerat ablaqueationem, rigua, fimum, & cetera θεραπείας genera, nunc propria vitium facit extenuationem & domituram palmitum, gemmarumque polituram ac repumicationem. Ita igitur scribendum: *vitium, extenuatio & domitura palmitum.* Vitium propria scilicet. Nam initio capitis quædam esse communia omnium, quædam propria quarumdam prædixerat. Sic remedia cum culturæ generibus confundit. Et sanè remedia partem culturæ, hoc est, τῆς θεραπείας faciunt. Quæ pars medicis propriè θεραπευτική. Verba Theophrasti, quæ Plinius heîc reddit, hæc sunt: καὶ ἀποψιλώσεις τῶν ἀμπέλων, καὶ ἀποκνίσεις τῶν οἰνάρων τῶν μεγίστων παρ' ὅλον τὸ θέρος. *Extenuationem, & domituram palmitum* dixit ἀποψίλωσιν τῶν ἀμπέλων. Et longè errat vir eruditus, qui *extenuationem* τὴν ἀφαίρεσιν τῆς τροφῆς apud Plinium interpretatur, quæ propria non est vitium, sed communis omnium luxurie, & pinguitate luxuriantium arborum. Pessimè vero vertit idem Plinius, ἀποκνίσεις τῶν οἰνάρων, *repumicationem, & polituram* gemmarum, quas frigus hirtas, ac retorridas reddidit. Nimirum ἀποκνήσεις legit pro ἀποκνίσεις. Nam ἀποκνῆσαι est ἀποξύειν, depectere, polire & pumicare. Hesychius: ἀποκνησάμενοι, ἀποξύσαντες. Et κνεῖν, & κνήθειν idem quod ξύειν, radere & pumicare. Cum igitur ita hoc verbum intellexisset, τὰ οἴναρα de foliis, & pampinis palmitum, ut revera sunt, accipere non potuit. Cui enim bono pampinos polire, ac repumicare? Pro gemmis igitur accepit. At ἀποκνίσεις τῶν οἰνάρων avulsiones sunt pampinorum. Hesychius: ἀποκνίζειν, ἀποτίλλειν. Idem: κνίσαι, φθεῖραι, ὀλέσαι. Uno verbo hoc dicebant οἰναρίζειν. Hesychius: οἰναρίζειν: φυλλολογεῖν, τὴν ἄμπελον ἐργάζεσθαι. Latinè, *pampinatio*, οἰναρισμός. Nam τὰ οἴναρα sunt φυλλάμπελα, vel ἀμπελόφυλλα. Plinius ἀποψίλωσιν reddidit *extenuationem*. Glossæ: ψιλὸν, *tenue, Babylonicum*. Ita distinguendum. Et ψιλή, *exilis*. Sed ψιλοῦσθαι, & γυμνοῦσθαι τὰ δένδρα propriè dicunt Græci, cum foliis nudantur, & spoliantur. Quod pampinatio facit in vitibus, quam ἀποψίλωσιν τῶν ἀμπέλων Theophrastus vocavit: at Plinius *palmitum extenuationem, & domituram*, quia palmites supervacui, & inutiles quique decutiebantur pampinatione, alii etiam confringebantur. Quod hodieque fit. Ἀποκνίσεις vero τῶν μεγίστων οἰνάρων, avulsiones majorum tantum foliorum, quas subinde per totam æstatem fieri præcipit Theophrastus, hodieque id etiam faciunt nostri vinitores præter legitimam pampinationem, quam βλαστολογίαν vocant auctores Geoponicῶn.

Nudata

Nudatæ pinguiore fluunt lacrimæ] Plinius: *melior radice refrigerata.* Omnes arbores, quæ coluntur, meliores fiunt, & proficiunt ablaqueatione, qua radices earum refrigerantur. Hoc Plinius & de myrrhæ arbore dixit, quod Solinus accepit de myrrha ipsa, hoc est, arboris lacrima, quam meliorem fore dicit, id est, pinguiorem, nudata & refrigerata arboris, unde manat, radice. Melior myrrha, quæ pinguior, ἡ λιπαρωτάτη. Sed nudatas ablaqueatione myrrhæ arbores pinguiore lacrima fluere nusquam dixit Plinius, nec quisquam alius auctor.

Sponte manans pretiosior ex ea sudor est] Hæc Plinii sententia est, myrrhæ arbores *sudare sponte, priusquam incidantur stacten dictam, cui nulla præfertur.* Fortè suos auctores habuit, & in ea auctorum copia, qui tunc extabant, aliquis esse potuit, qui ita senserit. Falsum id tamen vel eorum testimonio, qui hodie supersunt, & quos etiam præcipuè sequitur Plinius, probare facile est. Theophrastus lib. IX. hist. cap. IV. Ἀργὸς δὲ κομίζεται ὁ πᾶς ὁ λιβανωτός, ὅμοιος δὲ τῇ προσόψει φλοιῷ, τῆς σμύρνης δὲ ἡ μὲν στακτή, ἡ δὲ πλαστή. Illustris planè locus, sed cujus mentem doctissimos interpretes non vidisse palam est. Vertunt enim: *myrrhæ alia stillaticia, alia facticia est.* Nugæ sunt. Dicit omne thus ἀργὸν advehi, nativum scilicet, & quale ex arbore fluxit: è contrà myrrham factitiam, nec ut ex arbore manavit, importari. Etiam hujus myrrhæ quæ affertur, aliam esse στακτὴν, aliam πλαστήν. Utramque nempe curatione, & arte sic factam. Locus Theophrasti sic verti debuit. *thus omne iners advehitur, & aspectu cortici simile est: myrrhæ vero facticiæ alia liquida adfertur, alia dura.* Quid στακτῆς nomine intellexerit Theophrastus, non aliunde melius, quam ex ipso possumus scire. In libro de odoribus ita scribit: εἰσὶ δὲ ἐκ πλειόνων τούτου τὸ μεγαλεῖον, ἐκ τε τοῦ κινναμώμου, καὶ ἐκ τῆς σμύρνης. Κοπτομένης γὰρ ἔλαιον ῥεῖ. Στακτὴ δὲ καλεῖται, διὰ τὸ μικρὸν στάζειν, ὃ δὴ μόνον τινές φασιν ἄπλουν εἶναι καὶ ἀσύνθετον τῶν μύρων. Ex his manifesto constat, stacten non ex arbore sponte fluere, sed ex myrrha tusa liquari. Et clarum est, errare viros doctissimos, qui Theophrastum & Plinium in eadem sententia esse de stacte asserunt. Σμύρνα Græcis, Æolibus autem μύρρα. Unde Latinum *myrrha* lacrimam propriè arboris significat. Ex hac myrrha collecta, & contusa pars liquidior, quæ exprimebatur arte, vocata est στακτή, quæ & unguentum per se faciebat, ἔλαιον vocat Theophrastus, & μύρον. Pars altera, quæ remanserat, & unde στακτὴ expressione eliquata fuerat, dicta est πλαστή, quod in offas convolveretur. Id enim significat πλαστὴ & ἀνάπλασις. Dioscorides de myrrhæ generibus: καὶ πέσματα δὲ ἐξ αὐτῶν γίνεται, ἀπὸ μὲν τῶν λιπαρῶν εὐώδη, ἢ λιπαρά, ἀπὸ δὲ τῶν ξηρῶν ἄλιπη, καὶ οὐκ εὐώδη. Ἄπονος διὰ τὸ μὴ προσαναληφθῆναι ἔλαιον εἰς τὴν ἀνάπλασιν. Ubi ἀνάπλασις est offarum conformatio. Idem de ladano: τὴν ἀφαιρεθεῖσαν ὑλίζουσι, καὶ ἀποτίθενται ἀναπλάσσοντες μαγίδας. Et paulo post: προσαναπλασθὲν αὐτοῖς λίπος ἀποχύσαντες, ἀναπλάσσουσι. Plinius ἀναπλάσσειν in historia ladani vertit, *offas facere.* Inde πλαστὴ σμύρνα, quæ in offas ac pastillos formaretur. Legebam aliquando πιεστή. Quæ friabilis esset, & inspergi posset ἡ ψάθυρος. Sic ἄλφιτα πάσσειν. Sed nihil mutandum. Quo pinguior esset myrrha, eo largiorem stacten pressa fundebat. Dioscorides: καὶ λέγεται αὐτῆς ἡ μὲν τις πεπιεσμένη λιπαρά, ἧς πιεζομένης ἡ στακτὴ λαμβάνεται. Et paulo post: λιπαρωτάτη ἡ καὶ πολλὴν ἀνίησι στακτήν. Idem στακτὴν interpretatur πρόσφατος σμύρνης τὸ λιπαρὸν κεκομμένης μεθ' ὕδατος ὀλίγου, ἀποτεθλιμμένης τε δι' ὀργάνου. Ita legendum, non ἀποτεθλιμμένου. Et notandum, quod ait recentis myrrhæ expressionem esse stacten. Id ostendit in locis ipsis, ubi colligebatur sic exprimi solitam, quum recens adhuc esset, statim arboris desudatione excepta. Ideoque tam στακτή, quam πλαστὴ inde afferebatur, utraque nimirum facticia. Quum è contrario λιβανωτὸς ἀργὸς ex iisdem locis adferretur. Arrianus de Muza emporio Sabæorum: ἐξάγεται δὲ ἐξ αὐτῆς ἐντόπια μὲν σμύρνα ἐκλεκτή, καὶ στακτὴ σμυρναία. Ita prorsus legendum: nam male est vulgo, καὶ στακτὴ ἀβειρμιναία. Sic in antiquo epigrammate perperam scriptum erat, ἀμυελναίης τε κλάδους, pro Σμυρναίης τε κλάδους. Et στακτὴ σμυρναία nihil aliud est, quam *expressum pingue* myrrhæ. Oribasius vocat σμύρνα στακτήν:

A σμύρνα στακτὴ καλὴ εὐώδης λεία, καὶ ἀμιγὴς ἐλαίου. Aliam myrrham vocat simpliciter σμύρναν. Hæc est σμύρνα πλαστή, ex qua myrrha στακτὴ expressa est, quæ potest ἀναπλάσσεσθαι & in pastillos conformari. Rectè igitur Hesychius: στακτή, τὸ ἐκ σμύρνης γινόμενον. Idem alibi: ἰσοστάσιον μύρον, ἡ στακτή, ἡ σμύρνα. Distinguit stacten à myrrha. Stacte liquida est, & ex myrrha eliquata: myrrha dura & sicca. Plinius vero στακτὴν myrrham sic accepit, quæ sponte ex arbore stillaret, ut σταγονίας thus optimum dicebatur. Sed magna est differentia. Thus σταγονίας dicebatur, quod σταγόνι, id est, guttæ simile esset de rotunditate, στακτὴ pinguedo, quæ expressa erat è myrrhæ lacrima. Hoc enim propriè στακτὸν Græci vocant.

B Hesychius: στακτόν, τὸ διυλισμένον. Idem: σακκικόν, τὸ περιμάτιον πλακουντῶδες, ἄλλοι ἀγγεῖα τινὰ διυλίζοντα τὸ νειλῷον ὕδωρ. Inde στακτὴ κονία, cinis lixivus, unde πρωτοστάκτη apud Alexandrum Trallianum. Et στακτὰ μύρα Archestrato, quæ sacco expressa, & colata sunt. Quod in omnium ὑγρομύρων compositione tralaticium erat:

Καὶ στακτοῖσι μύροις ἀγαθοῖς χαίτην θεράπευε.

Latinè στακτὸν *stillaticium.* Plinius lib. XVI. cap. XII. *Eadem resina, si cum aqua levius decoquatur; coleturque, rufo colore lentescit, ac stillaticia vocatur.* Resina hæc *stillaticia*, id est, στακτὴ dicta est, quod decoqueretur, & colaretur. Nam στακτόν, τὸ διυλισμένον, quia quæ sacco colantur, & exprimuntur, guttatim fluunt.

C Hinc ὑποσακκίζειν τὴν ὁδόν, *minuto gradu viam corripere*, & σακκισμοί, *minuti progressus*, ἀπὸ τοῦ σάκκου κατὰ μικρὸν ἐκκενουμένου. Et στακτὴν Theophrastus interpretatur διὰ τὸ μικρὸν στάζειν. Dum exprimitur scilicet. Sic in σμύρνα στακτή, hoc στακτὴ plane adjectivum est, ut in κονία στακτή. Ita apud Paulum Æginetam aliquot locis στακτοῦ στύρακος fit mentio in antiquissimis libris, pro quo perperam ediderunt στακτῆς στύρακος. Myrepsus quoque ex recentioribus στακτὸν στύρακα nominat. Is est liquidus storax. Quem

D pro stacta myrrha Arabes sumpsere, & plerisque hodie medicis placet stacten myrrham veterum nihil aliud esse quam liquidum storacem. Sed errant. Apud auctores Veterinarios στύραξ γυττὸς vocatur; liquidus storax, hoc est, στακτὴ στύραξ, vel στακτὸς στύραξ. Cap. DCCCCXXXII. στύραξ γυττός, βδέλλιον, ἔλφος. Sic legendum pro ἔλφρος. Intelligit *æris florem.* Alibi dixit χαλκοῦ φλός. Damocrates apud Galenum σταγόνα στύρακος vocavit guttam styracis, sive liquidum styraca.

Στήσας ἑκάστου τέτταρας δραχμὰς σταθμῷ,
Στύρακος σταγόνος τε πέντε καὶ τριώβολον.

E Ita legendum. Fortasse tamen per guttam styracis non intellexere liquidum styracem, sed calamiten, qui instar guttæ concrescebat in ipsa arbore. Atque id genus fuit storacis præstantissimum. Sic σταγονίας λίβανος non liquidum thus, sed quod guttæ modo concretum cadebat. *Gutta Ammoniaci* quoque non liquidum Hammoniacum, sed concretum. At liquidum storacem vocavere στακτὸν & ὑγρόν. De quo nos alibi. *Myrrham* Latini κατ' ἐξοχὴν vocant stacten Græcorum:

Vibrati caldo ferro murrhaque madentes.

Στακτὴν intelligit. Propertius similiter:

Aut quid Orontea crines perfundere myrrha.

F Varro: *magistratus myrrha, atque unguentis unguntur.* Græci è contrario σμύρναν, hoc est, myrrham vocant τὴν πλαστήν, quam ἀπὸ τῆς στακτῆς separant. Sed *myrrha* pro myrrhino unguento Latinis, quod στακτὴ Græcis dicitur. Plinius: *myrrha per se unguentum facit sine oleo, stacte duntaxat.* Dicit στακτὴν σμύρναν solam unguentum per se facere. Nam πλαστὴ erat potius θυμίαμα, quam μύρον. *Myrrha* igitur pro myrrhino unguento, id est, *stacte.* Ut *oenanthe* pro oenanthino: *nardus* pro nardino: φοίνιξ Theophrasto, id est, palma, pro phœnicino unguento. Vide quæ notavimus ad Historiam Augustam. Columella in Horto:

Et lacrimas imitata tuas Cinyreia virgo,
Sed melior stacte, ponatur Achaica myrrha.

G De myrrha herba capiunt perperam. De ea Plinius: *Libanotis odorem habet thuris, myrrha myrrhæ.* Græcè dicitur μυρρίς. Ita dici, quod odorem habet myrrhæ, falsum est. Nec enim Græcum est μύρρα pro myrrha, sed σμύρνη, sic dicta est, διὰ τὸ μυρίζειν, καὶ εὐώδες. De quo infra. Sed nec myrrhis herba lacrimam fundit instar myrrhæ. De smyrnio intelligit Columella, quod *olus*

Hh 4 atrum

atrum quidam eſſe volunt, Græcorum ἱπποσέλινον, alii ſeparant. *Achaïcam myrrham* τὸ σμύρνειον vocat, quod in Græcia naſcatur. Nam in Cilicia, & Amano monte plurimum. Lacrimam è radice emittit inſtar myrrhæ. Immo veram eſſe myrrham quidam contendebant. Theophraſtus hiſt. lib. VIII. cap. I. Τὸ μὲν οὖν τοῦ ἱπποσελίνου παρόμοιον τῇ σμύρνῃ. Καὶ τινὲς ἀκούσαντες ὡς ἐντεῦθεν ἡ σμύρνη, ἡγοῦνται βλαστάνειν ἐν αὐτοῖς ἱπποσέλινον. Hæc vitio non vacant, quæ ita vertunt: *quamobrem cum quidam hinc naſci myrrham audiviſſent, equapium apud ſe provenire putarunt.* Ἐν αὐτοῖς pro παρ' αὐτοῖς Græcum non eſt. Præterea ſententia abſurda. Scribendum omnino: ἡγοῦνται βλαστάνειν ἐξ αὐτῆς ἱπποσέλινον. Quidam cum audiſſent oleris atri lacrimam myrrham eſſe, ex ea ſibi perſuaſerunt olus atrum è myrrha Arabica ſata provenire. Ita planè legit Plinius in hoc Theophraſti loco. Verba ejus hoc indicant: *ſed præcipuè olus atrum miræ naturæ eſt. Hippoſelinon Græci vocant, alii zmyrneum. E lacrima caulis ſui naſcitur. Seritur & radice. Succum ejus qui colligunt, myrrhæ ſaporem habere dicunt. Auctorque eſt Theophraſtus, myrrha ſata natum.* Non auctor eſt Theophraſtus ita eſſe, ſed quoſdam ita ſentire. Falſum etiam quod prodit è caulis ſui lacrima naſci hippoſelinum, immo è radicis ſuæ lacrima. Nam radix tantum ὀπίζεται. Theophraſtus: ἐνίων δὲ ἐν ταῖς ῥίζαις ὥσπερ ἱπποσελίνου. Lacrima hippoſelini ſaporem habet myrrhæ, ex eaque lacrima naſcitur. Hinc quidam è myrrha naſci ἱπποσέλινον opinabantur. Theophraſtus alio loco de hipposelino: γίνεται δὲ καὶ τὸ δάκρυον ἐξ αὐτοῦ ὅμοιον τῇ μύῤῥᾳ, οἱ δὲ φασὶν ὅλως μύῤῥαν. Immo legendum: ὅμοιον τῇ σμύρνῃ, οἱ δὲ φασὶν ὅλως σμύρναν. Nam, ut diximus, μύῤῥα non eſt Græcum pro myrrha, nec uſquam alibi ſic vocat. Hinc meliorem *ſtacte*, hoc eſt, myrrha liquida, Achaïci ſmyrnii ſuccum eſſe dicit Columella. Græci veteres τὸ δάκρυον ἱπποσελίνου propriè σμύρνειον vocarunt, hoc eſt, *myrrhaceum* à myrrhæ ſapore. Ut στακτὴ σμυρνείη Arriano. Alii ſemen σμύρνειον dixere, quod eamdem virtutem haberet, & ſaporem ac myrrha. Dioſcorides: σπέρμα στρογγύλον ὅμοιον τῷ τῆς κράμβης, δριμὺ γευομένῳ ὡς σμύρνη, ἓν ἀνθ' ἑνὸς ποιοῦν. Ut non mirum ſit, ſi *Achaïcam myrrham* de ſmyrneo dixerit Columella, & meliorem eſſe ſtacte, hoc eſt, vera myrrha ſcripſerit. Heſychius: σμύρνειον, ὁ καρπὸς τοῦ ἱπποσελίνου, καὶ ἡ αὐτὴ βοτάνη. Sed σμυρνίον vulgo ſcribitur, hoc eſt, *puſilla myrrha.* At τὸ σμύρνειον eſt *myrrhaceum*, aut *myrrheum*. Ut σμύρνειον δάκρυον, σπέρμα, φυτόν. Atque ita Nicandro σμύρνειον ἀειβρυές. Plinio in antiquiſſimis exemplaribus *zmyrneum*. Sic *zmyrnam* veteres Latini & *zmaragdum*. Jam perſequamur errores Plinii. *Stactæ* pretium tradit eſſe denarios triginta ad quadraginta: *ſativæ*, unum & viginti. Ita enim ſcribendum è libris & conjectura: *pretia ex occaſione ementium varia, ſtactæ a* XXX *ad* XL, *ſativæ ad ſummum* XXI. Mira Plinii ratio, quaſi ſativa genere toto, aut loco naſcendi differat à ſtacta. Sativæ arbores & ſilveſtres, quæ myrrham ſudant. Sativæ ut plurimum in planis, unde πεδιάσιμος σμύρνη Dioſcoridi: ſilveſtres in montibus. Sativa myrrha ut optima erat, ita plurimam ſtactam faciebat. Tam igitur è ſativa, quam è ſilveſtri myrrha ſtacte exprimebatur. Diſtinguere itaque debuit ſativæ myrrhæ ſtacten & ſilveſtris. Sed ex diverſis auctoribus hæc compilavit, &, quid propriè eſſet ſtacte, neſcivit. Demus ſtacten id eſſe, quod ille voluit, lacrimam ſponte fluentem ex arbore, priuſquam incideretur. Certe ſtacte tam ſativa fuerit, quam ſilveſtris. Non melioris notæ eſt, quod *odorariam* propriè dictam inter varia genera recenſet. Legerat apud auctorem aliquem myrrham aliam eſſe στακτὴν, aliam θυμιατὴν, aliam nempe liquidam, aliam duram. Sic Theophraſtus τὴν σμύρναν diviſit in στακτὴν & πλαστήν. Hæc θυμίαμα, illa μύρον. Theophraſtus: ὥσπερ ἡ σμύρνα, καὶ ὁ λιβανωτὸς, καὶ πᾶν τὸ θυμιατόν. Igitur quam Græci propriè σμύρναν vocant, θυμιατὴ erat & πλαστή: quam iidem στακτὴν appellant unguentum, hoc eſt, μύρον, non θυμίαμα. Heſychius: μυρεψὸς, ὁ τὰ μύρα, καὶ θυμιάματα σκευάζων. Omnis myrrha θυμιατὴ, quæ non eſt στακτὴ, & præcipuè quæ aridior, ea θυμιατωτέρα. Hæc eſt, quam vocat *odorariam* Plinius, cui pretium ait fuiſſe quatuordecim denarios. Theophraſtus de probatione optimæ: δοκιμάζεται δὲ ἡ ἀμείνων τῇ γεύσει. Καὶ ἀπὸ ταύτης τὴν ὁμόχροιαν λαμβάνουσι. Vertunt vulgo: *probatur melior guſtu, ejuſque norma concolorem accipiunt.* Quid ſit neſcio; Id non velle auctorem ſcio. Optimam myrrham guſtu probari dicit, ut ſit nimirum leniter amara. Hæc prima probatio eſt, ac præcipua. Secunda, ut non ſit varii coloris. Dioſcorides: ἐκλέγου τὴν νέαν ψαθυρὰν κούφην, ὁμόχροον πανταχόθεν. Plinius: *ſecunda bonitas intus varia.* Ergo prima ἡ πανταχόθεν ὁμόχρους. Sequitur apud Dioſcoridem: καὶ ἐν τῷ θλασθῆναι ἔνδοθεν λευκὰς ὀνυχοειδεῖς ἔχουσαν διαφύσεις. Quæ Plinius ita reddidit: *utque fracta candidos ungues habeat.* Sic etiam loquutus eſt, & de bdellio: *Bactriano nidor ſiccus, multique candidi ungues.* Dioſcorides ſic habet de optimo bdellio: ἀμιγὲς ξύλων καὶ ῥυπαρίας, εὐῶδες ἐν τῇ θυμιάσει, ἐοικὸς ὄνυχι. Quæ verba videndum an Plinius recte expreſſerit. Hodierni medici Serapionem ſequuti, ita Dioſcoridem interpretantur, quaſi dicere velit bdellium odorem habere unguis uſti. Quod eſt abſurdiſſimum. Dicit bdellium odoratum eſſe, cum incenditur, εὐῶδες ἐν τῇ θυμιάσει, cum uſtrina unguium δυσώδης ſit. Præterea *ſimilis ungui* propter odorem neutiquam rectè dicatur. Qualis eſſet hæc loquendi ratio? Plinius ὄνυχα accepit ut in myrrha, τὴν ὀνυχοειδῆ διάφυσιν. Quod nec ipſum rectum exiſtimo, rectius tamen quam medicorum interpretamentum. A colore unguis ungui ſimile optimum bdellium dici arbitror, & nihil verius. Ut contra peſſimum nigrum erat. Idem Dioſcorides: ἔστι δὲ καὶ ἕτερον ῥυπαρὸν, καὶ μέλαν ἁδρόβωλον. Hinc vocatur apud Galenum βδέλλη ὄνυξ, quod colorem ſcilicet unguis haberet. Nam & ſic gemma ὄνυξ à colore unguis appellata. Plinius de onyche: *Sudines dicit in gemma eſſe candorem unguis humani ſimilitudine.* Idem de ſardonyche: *ſardonyches olim, ut ex nomine ipſo apparet, intelligebantur candore in ſarda, hoc eſt, velut carnibus ungue hominis impoſito.* Onyx quoque marmoris genus ab eodem candore unguis humani dictum. Inde igitur & βδέλλη ὄνυξ. Et candidos ungues in Bactriano bdellio apparere ſcribit. Ab his itaque unguibus candidis, qui in bdellio apparent, ut in myrrha, ὄνυχα βδέλλης dixit Damocrates apud Galenum, non ὄνυχα βδέλλαν, quemadmodum vulgo accipiunt eruditiſſimi viri: Βδέλλης ὀνυχός τε τῆς διαυγοῦς ὡς δραχμήν. Intellige βδέλλης ὄνυχα, non βδέλλαν ὄνυχα. Ut & in hoc verſiculo & deſcriptione Cyphi:

> Σχοίνου δυώδεκα, κρόκου μίαν, καὶ βδέλλης
> Ὄνυχος δραχμὰς τρεῖς.

Idem de probatione optimi bdellii: *eſſe autem debet tranſlucidum, ſimile ceræ, odoratum.* Dicendum & heîc eſſet ſimile ceræ ideo appellari, quod ceræ odorem referret uſtrina ejus. Atqui colorem habere ceræ intelligit. Apud Dioſcoridem pro eo legitur: δόκιμον δ' ἐστὶν αὐτοῦ τὸ τῇ γεύσει πικρὸν, διαυγὲς ταυροκολλῶδες, id eſt, taurino glutini ſimile. Atqui ταυρόκολλα, ut ex eodem conſtat, erat λευκὴ καὶ διαυγής. Atque hæc hactenus. In hiſtoria myrrhæ, quæ adhuc reſtant examinanda, nos ea in Plinianis diſcutiemus obſervationibus.

Pag. 45. G. *Codex in vertiginem flexus, & ſpinis hiſpidus*] Soliniana loquutio, *in vertiginem flexus*, id eſt, intortus. Sic infrà: *cauda in vertiginem torta.* Et alibi paſſim. Rectè igitur heîc *codex* pro *cortex* repoſitùm, quod aliæ editiones habebant. Plinius: *caudice duro & intorto.* Theophraſtus de myrrhæ arbore: τὸ δὲ στέλεχος ἔχει σκληρὸν, καὶ συνεστραμμένον ἐπὶ τῆς γῆς. Παχύτερον δὲ ἢ κνημοπαχές. Ita vulgo diſtinguitur. Sed omnino interpungendum: στέλεχος ἔχει σκληρὸν, καὶ συνεστραμμένον, ἐπὶ τῆς γῆς παχύτερον δὲ ἢ κνημοπαχές, id eſt, *caudicem habet durum & contortum, ab radice vero craſſius quam crus hominis.* Nec aliter Plinius legit, cujus verba ita ſunt ſcribenda: *caudice duro & intorto, craſſiore quam cruris, & ab radice etiam quam reliqua ſui parte.* Ἐπὶ τῆς γῆς, *ab radice*, ea parte, quæ terræ ac radici propior. Optimus tamen noſter è Bibliotheca Regia liber hîc plane habet, *cortex*. Et videri poteſt etiam hæc manus Solini è priore editione. Nam ita Plinius: *corticem lævem, ſimilemque unedoni: ſcabrum alii ſpinoſumque dixere.* Nugatur porro & heîc Solinus more ſuo, qui myrrhæ arborem ſpinas in cortice, vel caudice habere, quaſi rem certam ponit, quum hæc quorumdam fuerit opinio, non

non omnium. Dioscorides Ægyptiæ spinæ similem eam dicit, τῇ Αἰγυπτιακῇ ἀκάνθῃ. Conveniunt notæ plusquam singulæ. Ἀκάνθη Ægyptia δένδρον σὐκ ὀρθοφυὲς Theophrasto & Dioscoridi. Talis & myrrha arbor, contorto caudice. Præterea spinæ in utraque. Theophrastus de spina Ægyptia: ἡ ἢ ἄκανθ@ καλεῖται μὲν διὰ τὸ ἀκανθῶδες ὅλον τὸ δένδρον εἶναι πλὴν ἢ στελέχυς. At Diodorus Siculus, ut suprà notamus, non myrrhæ arborem, sed thuris, τῇ Αἰγυπτίᾳ ἀκάνθῃ τῇ λδυκῇ παρεμφερὲς τῇ προσόψει esse memorat. Quod non quadrat: nec enim spinosa thuris arbor. Ut contra myrrhæ arborem lentisci speciem habere tradit, quod thuris arbori magis congruere proditum est. Ceterum spinam Ægyptiam cum spina Arabica hodie medici nostri, & βοτανικοὶ confundunt eo argumento, quia *gummi Arabicum* Serapio, & Arabes vocent quod ex spina Ægyptia colligitur. Addam etiam Αἰγυπτίαν βάλανον sic Theophrasto dici, quæ Dioscoridi, & aliis Ἀραβικὴ βάλαν@. Sed hæc facere non possunt: ut Ἀραβικὴ ἄκανθα Dioscoridis eadem sit cum *Ægyptia spina*, cujus apud eumdem mentio, quæ acaciam, & gummi ferebat. *Arabica spina* Dioscoridi herba est aculeata, quam & inter congeneres herbas spinosas recenset, quam Græci ἄκανθαν Αἰγυπτίαν vocant. Res prorsus diversa. Nam arbor adeo magna erat, ut ex ea materies cæderetur tectis fabricandis, & navigiorum costis. *Spina Arabica*, herba similis spinæ albæ. Dioscorides: ἐοικυῖα τὴν φύσιν εἶναι δοκεῖ τῇ λδυκῇ ἀκάνθῃ. Græcorum ἄκανθα λδυκή, quæ ibidem à Dioscoride describitur, herba est, quam & Plinius ubique *spinam albam* indigetat. Hæc ἄκανθα λδυκὴ de genere carduorum est, quam inter hujusmodi congeneres, & aculeatas herbas recenset Dioscorides. Caput enim habet ἐχίνῳ θαλασσίῳ ἐμφερές. Post hujus descriptionem statim subjungit Ἀραβικὴν ἄκανθαν, quam similis prorsus naturæ scribit esse τῇ λδυκῇ ἀκάνθῃ, ei nimirum *albæ spinæ*, cujus historia apud eum præcessit. Herba igitur est, non arbor, aut frutex, tam illa ἄκανθα λδυκή, quam ἄκανθα Ἀραβική, quæ illi similis est. Verba Dioscoridis de Arabica spina sic legenda ex vetustissimo codice: Ἄκανθα Ἀραβικὴ ἐοικυίας φύσεως δοκεῖ τῇ λδυκῇ ἀκάνθῃ εἶναι, σύφουσα ἢ ξηραίνουσα. Πρὸς ἔξν γυναικεῖον, ἢ πρὸς ἀναγωγὴν αἵματ@, ἢ πρὸς τὰς ἄλλας ῥδύματισμὺς ἡ ῥίζα παραπλησίως ἁρμόζει. Sic legenda sunt, & interpungenda ea verba, quæ vulgo haud rectè habent. Antiquarius eadem manu ad oram illius loci hæc adscripsit: ἡ Ἀραβικὴ ἀκάνθη εἶδ@ ἐστὶν ἀκάνθης λδυκῆς φυόμϑμον ἐν Αἰγύπτῳ, ἡ Ἀραβίᾳ. Cum genus sit ἀκάνθης λδυκῆς, herbam utique oportet esse. Quippe nusquam apud Dioscoridem λδυκῆς ἀκάνθης nomen de arbore legitur. Alia est apud eumdem ἡ λδυκάκανθα, quæ etiam herba est, non arbor, quam similiter in censum retulit aculeatarum herbarum inter ononidis, & tragacanthæ descriptionem. Locus ita scribendus ex eodem vetustissimo libro: λδυκάκανθα, οἱ ἢ πολυγόνατον, οἱ ἢ ἰσχιάδα, οἱ ἢ φύλλον, οἱ ἢ λάδανον, ῥίζαν ἔχει ὁμοίαν κυπέρῳ, πικρὰν ἰσχυρῶς, ἧς διαμασηθεῖσα ὀδονταλγίας παύει. Τοῦ ἢ ἀποζέματ@ αὐτῆς σὺν οἴνῳ κυάθον τρεῖς πιθέντες βοηθεῖ πλευριτικοῖς χρονίοις, ἢ ἰσχιαδικοῖς, ῥήγμασι, σπασμοῖς, ἢ τὸ χύλισμα ἢ τῆς ῥίζης τὰ αὐτὰ ποιεῖ πινόμϑμον. Hæc etiam herba est spinosarum generis, sed diversa ab ea, quam paulo ante ἄκανθαν λδυκὴν vocavit. Theophrastus quoque λδυκάκανθαν nominavit inter herbas aculeatas è carduorum genere. Sed discrimen, quod est inter ἄκανθαν λδυκὴν & λδυκάκανθαν, neglexisse videntur ejus interpretes, qui *spinam candidam* utramque vertunt. Plinius ἄκανθαν λευκὴν *spinam albam* vocat, λευκάκανθαν vero *leucacantham* lib. XXII. cap. XVI. *Leucacantham alii phyllon, alii ischiada, alii polygonaton appellant radice cyperi, quæ commanducata dentium dolores sedat, item laterum & lumborum, ut Icesius tradit.* Quæ ex illis Dioscoridis ad verbum sunt pæne expressa, ut ab Icesio sumpserit Dioscorides, quem, quia neotericus tum esset, necdum receptæ auctoritatis, nusquam nominavit Plinius. *Radice cyperi.* In antiquissimo exemplari Dioscoridis scriptum est, ῥίζαν ἔχει ὁμοίαν κυπέρῳ, non κυπείρῳ. Et sanè semper κύπερον, non κύπειρον vocat Dioscorides, Galenus, aliique. Vetustissimis, ὁ κύπειρ@ dicitur, recentioribus τὸ κύπερον. Hinc Plinius eas herbas discrevit, & κύπειρον vocat *cypirum*; κύπερον vero *cyperum*. Ri-

A diculus doctissimus medicus, qui in definitionibus suis κύπιρον recenset, quasi soli Plinio memoratum. Certè κύπιρον nemo Græcus auctor nominavit, nec omnino Græcum est. Sed *cypirus* Plinii Græcorum est κύπειρ@. Ita Theophrastus vocat. Verùm de his alibi infrà. Quod autem Dioscorides ait leucacantham etiam λάδανον vocari, id in vetustissimo exemplari sic scriptum reperi, de quo alii quærant. Mentio leucacanthæ alio loco apud Plinium, sed in alia herba. Ita enim scribit lib. XXVII. cap. XII. *Phalangites, à quibusdam phalangion, ab aliis leucanthemon, vel, ut in quibusdam exemplaribus invenio, leucacantha.* Ea est, quam Dioscorides sub nomi-
B ne phalangii describit, dicitque à quibusdam vocari λδυκάκανθον. Ita enim optimus liber habet, non λδυκάκανθαν. Φαλάγγιον, οἱ ἢ φαλαγγῖτις, οἱ ἢ λδυκάκανθον καλοῦσι. Scribendum etiam apud Plinium, *phalangitis, à quibusdam phalangion vocatur.* Ἡ φαλαγγῖτις πόα, τὸ φαλάγγιον βοτάνιον. In indice Plinii scriptum etiam *leucacanthon*. Melius ubique legas λδύκανθον. Nec enim spinosa est herba illa, sed dicta à flore albo, ut & λευκάνθεμον. Sic οἰνάνθη etiam λδύκανθος appellata ἀπὸ τῆς ἄνθης λευκῆς. Non ἄνθη idem quod ἄνθησις, ut αὔξη, αὔξησις. Theophrastus in genere herbarum, quæ pro
C foliis spinas habent, & spinosa capitula, in quibus semen, λευκάκανθαν recenset lib. VI. cap. III historiarum. Ἀλλὰ τά γε τοιαῦτα πάντα, οἷον ἄκαρνα λευκάκανθα, χάλκει@ κνῆκ@, πολυάκανθος, ἀτρακτυλὶς, ἰξίνη, χαμαιλέων. Plinius, cum hunc locum verteret, legisse videtur λευκάκανθος. Sic enim eum reddidit lib. XXI. cap. XVI. *Carduus & folio, & caule spinosas lanugines habet. Item acorna leucacanthos, chalceos, cnicos, onopyxos, helxine, scolymos, chamæleon.* Scribe ex veteri libro: *carduus & folia, & caulem spinosa languinis habet.* Mox iidem libri legunt: *item acora, leucanthos, chalde necos, polyacanthos, conopygos, helsine, scolymos.* Ita scribit vetustissimus Thuanæus.
D Hesychius: ἀκόραι ἄκανθαι. Melius tamen, *acorna*. Ita paulo post scriptum est, ut & in indice. Idem Hesychius: ἀκορνα, φυτὸν ἀκανθῶδες. Sic igitur & apud Theophrastum emendari debet pro ἄκαρνα. Pro *chalceos, cnicos* iidem libri veteres, & in his Thuanæus disertè habet, *chaldenecos*: in indice manuscripto Rigaltiani codicis legitur: *acorna, sive phonos, leucacanthos, halcionetus.* Scribe: *acorna, atractylis sive phonos.* Pro *halcionecus*, vel, ut in Thuanæo scribitur *chaldenecos*, corrigendum puto, *Chalce, cnecos.* Scriptum erat, *chalci* pro χάλκη, inde *chald*, & *enecos* pro cnecos. Græcis
E χάλκη & κάλχη, βοτάνιον τι ἀνθόφορον. Quod tamen idem cum buphtalmo, vel chaltha esse asserunt. An τὸ χάλκι legit apud Theophrastum, quod genus sit spinosæ herbæ aliis innominatum, qualia multa auctor ille habet? Certè mendosa illa apud eumdem χάλκει@, κνῆκ@. Et legisse videtur Plinius χάλκι κνῆκ@. Investigent eam herbam alii. Pro *onopyxos* antiqui libri summo consensu legunt *conopygos*, aut *onopygos*. Puto esse ὀνόπυγ@. Legitur quidem apud Theophrastum ὀνόπυξ@, sed cum mendo, ut opinor. Herbæ aculeatæ genus ita vocaverint, quod sub cauda asinorum poneretur ad
F exstimulandas & pungendas eorum nates. Ὀνόπορδον & ὀνόβρυχις nihil heîc faciunt. In indice *onophydcos* pro *onopycos*, vel *onopygos*. Ut ad rem redeam, λευκάκανθος legit apud Theophrastum Plinius, quæ est Dioscoridis λευκάκανθα è genere τῶν φυλλακάνθων. Sic πολυάκανθ@. Melius igitur λδύκανθ@ dicatur herba phalangitis, quam λευκάκανθ@. An λευκάκανθ@ & illa dicta est à similitudine virtutis, qua contra scorpiones valet utraque? Sed non puto. De *spina alba* scribit Plinius lib. XXIV. cap. XII. *Spinæ albæ semen contra scorpiones auxiliatur. Corona ex ea imposita capitis dolores minuit.* De herba spinosa, sive cardui genere heîc intelligit Plinius, quam
G ἄκανθαν λευκὴν vocat Dioscorides. Hujus σπέρμα dicit βοηθεῖν ἑρπετοδήκτοις. De capitis dolore nihil habet Græcus. Quod ait Plinius, *coronam ex ea impositam dolores capitis sanare*, περίαπτον, aut περίαμμα in Græcis fuit, quod ille semper vertit coronam, ut de hypoglosso. Addit Dioscorides de spina alba: φασὶ ἢ ὅτι περίαπτον ἐξ αὐτῆ θηρία διώκει. Possunt tamen & περίαπτα coronæ reddi. Nam & prisci coronas non capite tantum, sed etiam collo usurparunt. Hesychii glossæ: ὑποθυμὶς, στέφαν@ ὑποτραχήλι@. Inde & περίαπτα Plinius coronas

nas vertit, quæ collo ſuſpenduntur. Certe coronæ collares περίαπτα ſunt, vel περιάμματα. Sed non omnia περιάμματα coronæ ſunt. Hoc tamen certum eſt Plinium reſpexiſſe. *Albæ ſpinæ* nomine intellexiſſe Plinium herbam eam, quæ Dioſcoridi dicitur ἄκανθα λευκὴ, ex eo etiam, quod ſequitur, notum eſt: *huic ſimilis eſt ſpina illa, quam Græci acanthion dicunt.* Dioſcorides de acanthio, quod etiam eſt cardui genus: ἀκάνθιον ἐμφερῆ τὰ φύλλα ἔχει τῇ λευκῇ ἀκάνθῃ. Hanc λευκὴν ἀκάνθην Dioſcorides à leucacantha diverſam facit, & ſeorſim deſcribit, inter congeneres tamen herbas utramque recenſet. De herba etiam loquitur, quum dicit *albæ ſpinæ caulem pro pomo eſſe*, & ubi ſcribit *ſpinæ albæ cauliculos inter gulæ oblectamenta condiri.* De ſcolymo tamen hoc narrat Dioſcorides, non de *ſpina alba* vocata: ἡ δὲ πόα inquit, ἀρτιφυὴς οὖσα λαχανεύεται ἑφθὴ ὥσπερ ἀσπάραγος. At ſcolymos juxta Dioſcoridem folia habet partim chamæleonti ſimilia, partim albæ ſpinæ. Sic legendum in Dioſcoride, φύλλα ἔχει μεταξὺ χαμαιλέοντος, καὶ τῆς λευκῆς ἀκάνθης λεγομένης. Male abeſt à vulgatis illud μεταξύ. Nec enim chamæleonti ſimul, & ſpinæ albæ folia habere ſimilia poteſt ſcolymus, ſed inter utrumque habet. Auctuarii auctor ſpinam albam ἀγελοκίναραν dici quibuſdam adnotat. Alii ſcolymum ita vocarunt, agreſtem nempe carduum. Sic *ſpinam albam*, & *ſcolymum* multi confudere, aut certè dicendum utriuſque cauliculos edules fuiſſe veteribus. Non alio; quod meminerim, ſenſu *ſpina alba* apud Plinium reperitur quam pro herbæ ſpinoſæ, vel cardui genere, ſed nec aliud ſignificat Dioſcoridi ἡ λευκὴ ἄκανθα. At Columellæ lib. VII. cap. IX *ſpina alba* inter frutices grandiores numeratur, & ſilveſtres, qui poma, vel baccas ſuum pabulo idoneas ferunt. Sic enim ſcribit: *Nemora ſunt convenientiſſima, quæ veſtiuntur quercu, ſubere, fago, cerris, ilicibus, oleaſtris, tamaricibus, corylis, pomiferiſque ſilveſtribus, ut ſunt albæ ſpinæ, Græcæ ſiliquæ, juniperus, lotos, pinus, cornus, arbutus, prunus, & paliurus, atque achrades pyri.* Heîc *alba ſpina* non poteſt herba eſſe, vel cardui genus, ſed arbor potius, vel δένδρον θαμνῶδες. Hoc nomine hodieque vocamus fruticem ſpinoſum, pæne inſtar arboris grandem, qui baccas fert puniceas, gratiſſimum ſuibus pabulum. *Senellas* vulgo nuncupamus. An de illa alba ſpina capiendus Columella? Hoc jam videndum. Gloſſæ veteres ῥάμνον interpretantur: *Spina alba*, βούτομον, ῥάμνος. Eædem: *ſpilabra*, βούτομον, ῥάμνος. Lege, *ſpinalba* unica voce, ut Græci λευκάκανθαν. Auctuarii auctor ad Dioſcoridem notat ῥάμνον alias dici λευκάκανθαν, & Latinè *ſpinam albam.* Ovidius in eadem ſententia videri poſſet his verſibus:

Virgaque janalis de ſpina ſumitur alba.

Item alibi:

Sic fatus virgam, qua triſtes pellere poſſet
A foribus noxas, hac erat alba, dedit.

Græci hanc virtutem pellendarum noxarum, & omnium maleficiorum averruncandorum tribuunt τῇ ῥάμνῳ. Unde ἀλεξιάρην, & ἀλεξίκακον ῥάμνον paſſim vocant. Dioſcorides de rhamno: λέγεται δὲ καὶ κλῶνας αὐτῆς θύραις ἢ θυρίσι προστεθέντας ἀποκρούειν τὰς τῶν φαρμάκων κακουργίας. Hæ ſunt triſtes noxæ, quas *albam ſpinam* à foribus pellere canit Ovidius. Diogenes Laërtius in vita Bionis:

Καὶ κύστισι βραχιόνας πεπεισμένως ἔδησε,
Ῥάμνον τε καὶ κλάδον δάφνης ὑπὲρ θύρην ἔθηκε.

Sic legendi, ac diſtinguendi hi verſus, ut & totum carmen. Male ſcribitur, καὶ σκύπισι. Quid ſit κύστις, quæ brachio alligatur amuleti, vel περιάπτου vice, docebit te Dioſcorides his verbis de dipſaco carduo: οἱ δὲ ἐν τῇ κεφαλῇ σκώληκες εἰς κύστιδα ἐνδεόμενοι, καὶ περιαπτόμενοι τραχήλῳ, ἢ βραχίονι ἱστοροῦνται τεταρταϊκοὺς ἀποθεραπεύειν. Sed hæc alibi. Notum quid ſit κύστις. *Spina alba* igitur ſecundum quoſdam ῥάμνος Græcorum. Alii παλίουρον eſſe volebant. Servius: *Paliurus, herba aſperrima & ſpinoſa, velut quidam volunt, ſpina alba.* Verùm herba non eſt, ſed frutex arboreſcens. Ceterum nec ῥάμνος, nec παλίουρος Græcorum ea eſt arbor, quam *albam ſpinam* vulgo vocamus. Theophraſtus duo genera rhamni facit, album & nigrum, cui nunquam folia decidunt. Dioſcorides inter genera rhamni: ἔστι καὶ ἑτέρα λευκοτέρα, καὶ τρίτη μελαντέρα ἔχουσα τὰ φύλλα.

Videntur eam rhamni ſpeciem, quæ folia haberet candidiora, ſpinæ albæ nomine donaſſe quidam. Eidem ῥάμνῳ tribuit idem φύλλα μικρά, ὑπομήκη, λιπαρά. Talia non ſunt *albæ ſpinæ* noſtræ. Præterea eam καρπὸν πλατὺν, λευκὸν, καὶ λεπτὸν habere dicit. Nihil ſimile in fructu noſtratis *albæ ſpinæ*, qui puniceus eſt, ac rotundus. Polybius apud Athenæum ſcribit loto arbori folia eſſe rhamno ſimilia, μικρὸν βαθύτερα, καὶ πλατύτερα, id eſt, paulo craſſiora, & latiora. Theophraſtus loti folium ἐντομὰς ἔχειν, καὶ πρινῶδες eſſe dicit. Plinius: *inciſuræ folio crebriores, alioquin ilicis viderentur.* Inciſuras etiam habet crebras folium albæ ſpinæ, non tamen ad eam formam. Sed nec paliurus eſt *alba ſpina* noſtra. Ut alias omittam differentias; paliurus fructum habet πλατὺν, alba ſpina rotundum. Theophraſtus de paliuro Libyco: φύλλον δὲ παρόμοιον ἔχει τῷ ἐνταῦθα, τὸν δὲ καρπὸν διάφορον, οὐ γὰρ πλατὺν, ἀλλὰ στρογγύλον καὶ ἐρυθρόν. Præterea in ſiliqua fructum gerit paliurus. Idem: καὶ ὅ γε παλίουρος ἐν λοβῷ τινὶ τὸν καρπὸν ἔχει, καὶ ὑπὲρ τῶν φύλλων, ἐν ᾧ τρία, ἢ τέτταρα γίνεται. Docuimus ſupra ὀξυάκανθαν, vel ὀξυάκανθον vocaſſe veteres Græcos, quam nunc *albam ſpinam* dicimus. Omnia conveniunt, hoc uno excepto, quod ὀξυακάνθῳ folia non decidere teſtatur Theophraſtus, quæ *albæ ſpinæ* decidunt. Sed hoc ex regionum ſitu evenire ante oſtendimus. In Ægypto omnibus fermè arboribus coma ſempiterna. De rhamno quoque idem tradit. Toto cælo errant, qui ὀξυάκανθαν putant eſſe ſpinam, quam *vinettam* vulgo appellamus. Theophraſtus ἄπιον & ὀξυάκανθον aliquando jungit: & ſanè pyro achradi ſimilem eſſe tradit Dioſcorides. Plinius ὀξυάκανθον Theophraſti vertit *aquifolium* aliquot locis. Sed ipſe ſibi parum conſtat: nam alibi ſcribit κραταίγονα Græcorum ab Italis vocari *aquifolium.* Alibi videtur *aquifolium* idem facere cum rhamno, ubi memorat aquifoliam ſpinam *in domibus aut villa ſatam arcere veneficia*, hoc eſt, τὰς τῶν φαρμάκων κακουργίας. Quod de rhamno tradit Dioſcorides. Certè & noſtræ albæ ſpinæ hanc poteſtatem ἀλεξίκακον vindicant aniculæ noſtrates. Alio loco videtur ὀξυάκανθον abſolutè *ſpinam* vocare, ut lib. XXI. cap. XI. *Coronarii quidem & ſpinæ flore utuntur: quippe quum ſpinæ albæ cauliculi inter oblectamenta quoque gulæ condiantur. Hic eſt trans maria ordo florum.* Heic vocat *ſpinam*, quam Theophraſtus ὀξυάκανθον lib. VI. cap. ultimo, ubi de coronariis, & coronamentis loquitur, χρῶνται δὲ καὶ ἐκ τῶν ἀγρίων τῷ τῆς ὀξυακάνθου καρπῷ, καὶ τῷ ἄνθει τῷ τῆς σμίλακος. Imperfectè, ut ſolet, hunc locum reddidit Plinius, & partem omiſit, ſed ὀξυάκανθον *ſpinam* abſolutè interpretatus. Multis aliis locis *ſpinæ* meminit ſic propriè dictæ. Lib. XV. cap. XXIV dicit *aquifolio ac ſpinæ baccas eſſe ſine ſucco.* Et lib. XVI. cap. XVIII de arborum natura per ſitus: *in eoſdem ſitus comitatur & ſpina nuptiarum facibus auſpicatiſſima, quoniam inde fecerint paſtores, qui rapuerunt Sabinas, ut auctor eſt Maſurius.* Theophraſto quoque abſolute ἄκανθος, hoc eſt, ſpina de arboribus, quæ montes amant æque ac plana: μελία, παλίουρος, ὀξυάκανθα, ἄκανθος. Ecquodnam illud *ſpinæ* genus, quod ſic κατ' ἐξοχὴν dicebatur? An illud, quod hodieque ſic appellamus, cujus baccæ prunellæ dicuntur quaſi parva pruna? *Nigram ſpinam* quidam cum adjuncto vocant ad differentiam albæ, quæ eſt ὀξυάκανθος. Virgilius IV. Georgicῶν:

Eduramque pyrum, & ſpinos jam pruna ferentes.

Ubi notat Servius, prunorum arborem vocari *ſpinum* genere maſculino. *Nam ſentes*, inquit, *has ſpinas dicimus.* Vocat pruna, quæ nos prunella, hujuſmodi ſpini baccas. Eadem, ut videtur, Græcis differentia inter ἄκανθαν, & ἄκανθον, quæ Latinis inter *ſpinum*, & *ſpinam.* Nam ἄκανθος arbor eſt ſpinoſa ferens pruna, Latine *ſpinus.* Ἄκανθα vero quælibet ſpina. Hinc etiam ἄκανθον Αἰγυπτίαν vocat Theophraſtus, quam *ſpinum Ægyptiam* liceat dicere. Alii hoc diſcrimen negligunt Græci Latinique, & profecto ita ἄκανθος & ἀκάνθη de arbore illa ſpinoſa dicitur, ut μέσπιλος, & μεσπίλη: ἀνδράχνος, & ἀνδράχνη, & ſimilia. Ita & Plinius *ſpinam* vocat, quam poëta *ſpinum.* Quod autem ait Plinius facem nuptiis auſpicatiſſimam fuiſſe è ſpina, Varro è ſpina alba, non è ſpina fieri ſolitas notat apud Nonium his verbis

de


de vita Pop. Rom. lib. II. *Quum à nova nupta ignis in face afferretur foco ejus sumptus, quum fax è spinu alba esset, ut eam puer ingenuus afferret.* Sic scribendus ille locus, quum vir eruditissimus observet habere veteres libros, *ex pinu alba.* Atqui nulla pinus alba dicitur, sed spinus, vel spina. Et quum dicat Plinius è spina faces olim nuptiis auspicatissimas fuisse, dubium non est quin de illa spinea face heic intellexerit Varro, sed *spinum albam* vocat, quam Plinius simpliciter *spinam.* Quid igitur? An dicendum *spinum* sic propriè dictam, & spinum albam eamdem esse? Hoc si verum fuerit, tum spinus pruna ferens non erit eadem cum spina Plinii absolutè ita appellata. Nihil minus illi convenit quam albæ cognomen, utpote quæ nigro sit folio, nigriore ligno, & baccas ferat nigras. Unde & *nigram spinam* vulgo eam dicimus. Sane non pauca sunt, quæ contrà faciant. Plinius *spinam* vocat absolutè, quæ Theophrasto dicitur ὀξυάκανθ☉. Jam docuimus ὀξυάκανθον esse, quæ nobis *alba spina* vocatur. Non igitur eadem hæc spina cum prunorum spina. Illius ὀξυακάνθε baccis, quam Plinius *spinam* appellat, utebantur coronarii. Albæ spinæ baccæ ad corollas faciendas melius quadrant quam nigræ, sive pruniferæ. Non ergo *spina* ea Plinio dicatur. Præter hæc idem Plinius scribit baccas aquifolii, & spinæ sine succo esse. Hoc neutiquam dici queat de prunis silvestribus spinæ: nam & succi habent abundè, & quidem συπλικωτάτε. Albæ spinæ baccæ succo prorsus carent. Spinæ itaque nomine eam intellexerit Plinius, quum sine succo esse spinæ baccas dixit. Et quum ille albæ spinæ nomen nonnisi de herba usurpet, videtur *spinam* simpliciter de eo frutice spinoso dixisse, quem alii cognominant *albam spinam*, & quam sic hodie nuncupamus. Ad hæc spinam facibus nuptiarum auspicatissimam ait olim fuisse. Eam *spinam albam* vocitat Varro. Hæc ad nuptiales faces non tantum auspicata habebatur, quod qui Sabinas rapuerant, ex ea faces habuere, sed etiam quod ad omnia alia felix & fausta crederetur arbor. Malas noxas avertere, ac depellere existimabatur in domo, & villa sata. Ex ea etiam virga janalis fiebat. Quod enim de alba spina dicunt Ovidius & Martialis, de hac nostra dictum arbitror, licet veteres Grammatici de rhamno interpretentur. Sed similitudo spinarum eos decepit. Namque ῥάμνον ὀξείας ἀκάνθας ἔχειν docet, ὥσπερ τὴν ὀξυάκανθαν. Erat præterea & candidæ rhamni genus, quam albæ spinæ nomine propterea donare potuerint. Aspalathi quoque fruticis spinosi genus alterum candidum, cui & potestatem ἀλεξίκακον inesse persuasum veteribus. Excerpta Γεωπονικῶν lib. XV. Ὁ κοράλλι☉ λίθ☉ κείμεν☉ ἐν τῇ οἰκίᾳ πάντα φθόνον, καὶ ἐπιβελὴν ἐλαύνει. Τὰ αὐτὰ ποιοῦσι καὶ αἱ ῥίζαι τῆς ἀσπαλάθε. Sic omnia fermè albarum spinarum genera hac virtute noxarum pellendi pollere credita. In ceteris generibus *alba spina* species altera fuit, ut in rhamno, & in aspalatho. Nam & nigrum genus in utroque, ut & candidum. At *alba spina* nostra, quæ Græcorum ὀξυάκανθος, absolutè ita vocata est, nec ejus species ulla nigra est. Unica voce & masculino genere *albaspinum* multi hodie vocant. De hac alba spina puto capiendum Columellam, quam inter frutices recenset, qui saginam porcis ministrant. Quærendum etiam, cur idem vetus ille auctor glossarum *spinam albam* βάτομον reddat. Nam spina non est. De eo vide Theophrastum lib. IIII. cap. XII historiarum. Descriptionem βατόμε heic afferam ex Geoponicis, quæ in editionibus integra non est: βάτομον γίνεται ἐν τοῖς ἕλεσι, φύλλα ἢ φέρει ὅμοια λειρίοις. Οἱ βόες αὐτὰ ἡδέως βόσκονται, καὶ ἐκθεραπεύονται. Ἐκβλαστάνει δ' ἐκ μιᾶς ῥίζης ἐκ καθ' ἓν αὐτὴν ὡς οἱ θάμνοι. Πεντάφυλλον ἐκ μιᾶς ῥίζης, &c. Quod avidè hanc herbam appeterent boves, βάτομον dictum est, & βομασὸν, & βομανὲς, ut jam alibi scripsimus. Correximus etiam in Geoponicis, φύλλα ἢ ὅμοια λειρίοις, ubi vulgo scriptum, ἀειείοις. Nihil igitur commune habet βάτομον cum spina alba, utpote quod nec spina sit. Spinæ omnes albæ faustæ feliceisque. E contrà spina nigra semper infaustarum numero habita, atque inter infelices arbores censita. Ea est, quæ pruna fert. Omnes arbores, quæ fructum nigrum, aut nigram baccam ferunt, infelicium numero olim repositæ. Tarquitius Priscus in ostentario arborario: *ficum atram, quæque baccam nigram, nigrosque fructus ferunt, itemque aquifolium, pyrum silvaticum, ruscum, rubum*, &c. Talis autem spinus nigra. Nam pruna ejus, sive baccæ nigræ sunt. Ex his omnibus constare opinor *albam spinam* veterum & nostram illam ipsam esse, quam Plinius absolutè vocat *spinam*, & Græcorum ὀξυάκανθον. Plinius *spinam* nominat absolutè, quia *spinæ albæ* nomine herbam ubique intelligit, quam Græci λευκὴν ἄκανθαν appellant. Ergo *spina* ipsi est, quam Græci ὀξυάκανθον vocant. Ut enim Græcè ὀξυάκανθ☉ dicitur κατ' ἐξοχὴν, quamvis ceteræ omnes ἄκανθαι ὀξεῖαι sint, sic *spina* hæc vocitata propriè, cum nomen hoc sit commune omnium spinarum. Sed quid B Plinio dicemus, qui ὀξυάκανθον vertit *aquifolium*? Idem etiam ὀξυάκανθον reddit spinam. An *spina* propriè vocata, & *aquifolium* eadem erunt? Hoc non inde sequitur, quod tamen sequi necesse esset, si alius auctor esset. Certè alibi *aquifolium* cum alba spina idem facit, quum tradit veneficia eam arcere. Sed alio loco *aquifolium* ab Italicis ait vocari, quem Theophrastus nuncupat κραταιγόνα. De quo nos suprà. *Aquifolium* in ostentario arborario ponitur inter arbores infelices. At *spina alba*, ἡ ὀξυάκανθος inter felices, ex qua faces nuptiarum auspicatissimæ. Certè non alia de causa ὀξυάκανθον Theophrasti C *aquifolium* reddidisse videtur Plinius, quam ob nominis utriusque aliquam similitudinem. Atqui *aquifolium* proprie est ὀξύφυλλον, non ὀξυάκανθον, ut *aquifoliæ ilices*, ἐπακανθίζεσαι τοῖς φύλλοις. Paliurum Græcorum Latinos ita vocasse suprà observabam, quia παρακανθίζειν eum τῷ φύλλῳ scribit Theophrastus, ubi male παρακαθίζειν legitur. Et sanè nugantur, qui ἐπικαθίζοντα, aut παρακαθίζοντα φύλλα legunt, & exponunt *subsidentia folia*, cum utrobique sit vitium, ut alibi ostendam. Certè *paliurum* Latinis nomine albæ spinæ etiam donasse quosdam notat Servius. Hinc fortasse Plinius *aquifolium*, & *spinam*, sive *albam spinam* aliquot locis confudit. Nam dum varios compilat auctores sine delectu, D ac judicio, non uno, sed variis labitur modis. Spina *vinetta* nostra etiam *aquifolium* dici posset. Quippe quæ folia habeat παρακανθίζοντα, crebris & mollibus aculeis per extremitates incisa, ac striata. Sed veteres eam minimè videntur novisse: saltem nusquam meminere. Recentiores tamen Græci spinam berberis, quæ *spinavinetta* nostra est, ὀξυάκανθον Græce appellant, ut alibi docemus. Sed longe hæc ὀξυάκανθος diversa à veterum Græcorum oxyacantho. Rubus etiam *aquifolius* est: nam spinosa habet folia, hoc est, ὑπακανθίζοντα. Paliurum esse *aquifolium* nondum pænitet. Matthiolus vult *agri-* E *folium* Italorum esse nostrum *houx*, & *paliurum* veterum. Corruptum illud est vocabulum pro *aquifolium*, ut etiam apud Macrobium perperam *acrifolium* scriptum est pro *acuifolium*. Putat ille quidem diversum esse aquifolium Plinii ab *agrifolio*, quia Plinius dicat *aquifolium* ab Italis vocari, quem Theophrastus appellat *crategona*. Sed ipse, ut in aliis sexcentis, fallitur, nec sibi constat. Quippe alibi ὀξυάκανθον Theophrasti *aquifolium* vertit. Neutrum verum est. Nam nec cratægon, nec oxyacantha sunt aquifolia. Sonat hoc nomen, ut jam diximus toties, τὸ ἐπακανθίζον τοῖς φύλλοις. Certè Gallicum *houx* potest videri aquifolium. Nam aquifo- F liæ ilici simile. Immo & multi idem putant. Non tamen erit paliurus. Profecto multum distat à paliuro Theophrasti, qui baccas habet planas, & in siliquis. At nostrum *houx* rotundas, & absque siliqua. Sed hæc alibi, quæ & doctis herbariam rem examinanda in medio relinquo. Illud jam sciri debet, apud Græcos veteres tam ἄκανθαν λευκὴν, quam λευκάκανθαν de herbis tantùm usurpari. At recentiores *albam spinam* Latinorum, de frutice spinoso, λευκάκανθαν reddiderunt, ut auctor Auctuarii ad Dioscoridem. Cum igitur spinam Arabicam inter aculeatas herbas, & carduorum genera recenseat Græcus auctor, & similem dicat natu- G ram habere τῇ λευκῇ ἀκάνθῃ, cujus descriptionem præmisit, inde necessario colligitur spinam Arabicam herbam esse ejusdem generis cum eo carduo, qui albæ spinæ nomen habet. Hæc cum ita se habeant, quis ignoscet doctissimis hujus ævi medicis, qui in definitionibus suis ἄκανθαν λευκὴν Dioscoridis de alba spina nostra acceperunt, & Arabicam spinam fruticem definiunt huic albæ spinæ similem? Nihil poterat imprudentius illis excidere.

excidere. Audiamus deſcriptionem, & togam componamus: *Ἄκανθα λδυκή, ſpina alba. Eſt frutex aculeatus, pruni magnitudine, cortice ligni candido, molli folio, & chamæleontis albi ſimili, anguſtiore candidioreque, ſubhirſuto, ſpinis infeſto, flore albo odorato, acinis, cum pubeſcunt, viridibus, deinde per maturitatem rubris, myrti ſpecie, ligneo intus nucleolo, has vulgo ſenellas vocant deturbando calculo efficaces. Radix ejus ſicca, & modicè adſtringit: ſemen tenue eſt & calidum.* Mirifica hæc verba ſunt, immo monſtrifica potius.

Diverſum confuſa genus panthera camelo.


Ita monſtrum heîc, vel oſtentum arborarium è frutice, & herba diverſiſſimi generis coalitum. *Frutex aculeatus* ſpina eſt alba noſtra, non ἄκανθα λευκή, quæ herba eſt. *Pruni magnitudine*, hoc arboris, vel δένδρου θαμνώδους proprium, non herbæ *molli folio & chamæleontis albi ſimili.* Quis adeo imperitus herbarum, arborumque naturæ, qui ſciſcere poſſit albam ſpinam fruticem folio eſſe molli, & chamæleontis albi ſimili? Sed nec ſubhirſutum habet, nec ſpinis infeſtum, quod herbæ proprium eſt è carduorum genere, cujus eſt generis & chamæleon albus. Dioſcorides de ſpina alba herba: φύλλα ἔχουσα χαμαιλέοντι λευκῷ ἐμφερῆ στενότερα, καὶ λευκότερα, ὑποδάσεα, ἀκανθώδη, καυλὸν ὑπὲρ δύο πήχεις, δακτύλου μεγάλου πάχος. Vidit Dioſcoridem medicus noſter, & foliorum faciem, quam albæ ſpinæ ſuæ attribueret, indidem hauſit, cur igitur & non caulem ei dedit bicubitalem eodem auctore? Certe pruni magnitudo longe duo cubita excedit. Præterea καυλὸς de herbis, non de fruticibus dicitur, ſed στέλεχος. *Flore albo odorato.* Ita eſt flos albæ ſpinæ arboris. Sed purpureus eſt albæ ſpinæ herbæ. Dioſcorides: ἄνθη πορφυρᾶ ἐν οἷς τὸ σπέρμα ὡς κνήκος. *Acini virides, & maturitate rubri, ligneus intus nucleus*, ad arborem pertinent, non ad herbam. *Acinos* improprie vocat, quæ baccæ ſunt. Quod ait *acinos illos deturbando calculo efficaces*, hoc de paliuri baccis, non de alba ſpina tradunt Dioſcorides, alii. καὶ τοὺς ἐν κύστει λίθους θρύπτει. Alba ſpina noſtra ὀξυάκανθος eſt, non παλίουρος. Addit: *radix ejus ſiccat & modicè adſtringit.* De herbæ radice, non de frutice hoc ſcriptum reliquerunt veteres medici. Aëtius: ἄκανθα λδυκή, ἣν ἔνιοι λδυκάκανθαν καλοῦσι. Ταύτης ἡ ῥίζα ξηραντικὴ μετρίως, καὶ στύφουσα. Eadem eſt λδυκὴ ἄκανθα Aëtii, & Dioſcoridis. At hic λδυκάκανθαν, & ἄκανθαν λδυκὴν ſeparat, quas ille eaſdem facit. Radix albæ ſpinæ fruticis non adſtringit, ſed educit, utpote quæ illita ſurculos. & cuſpides extrahat, qua virtute carent adſtringentia. Sequitur in Medica definitione: *ſemen tenue eſt & calidum.* Hoc ſemen *ſenellas* eſſe vult albæ ſpinæ arboris. Atqui de ſemine herbæ, quæ alba ſpina dicitur, intelligendum. Quod ſemen eſt cneco ſimile. Aëtius λδυκῆς ἀκάνθης σπέρμα dicit eſſe λεπτομεροῦς τε καὶ θερμῆς δυνάμεως. In nupera editione additum eſt acceſſionis, & corollarii vice, hanc ἄκανθαν λευκὴν ἐρυσίσκηπτρον vocari, *propter aculeos, & lentorem, quem habet vitilium modo.* Nuſquam id prodidit Dioſcorides de herba, quam vocat ἄκανθαν λδυκήν. Sed nec de alba ſpina noſtra, quam ὀξυάκανθαν nominat. De aſpalatho hoc dicit, frutice ſpinoſo, cujus genus quoddam candidum eſt, ſed longe ab alba ſpina diverſum. Præterea non eſt ea vis, aut ſignificatio vocis ἐρυσίσκηπτρον, ut lentorem, qualis eſt in vitilibus, aut acumen aliquod, aculeumve denotet. Quinimmo mendoſam eſſe pro ἐρέσκηπτον aut ἱερόσκηπτον nos ſuprà oſtendimus. Et hæc ſunt abſurdiſſima, & medicinam profeſſis indigna. Tantum potuit ſuadere imperitiarum ὁμωνυμία λευκῆς ἀκάνθης, & *ſpina alba.* Λευκὴ ἀκάνθη Græcis herba eſt, & carduus. Eruditis herbariis haud ſcio an credendum ſit aſſerentibus id genus cardui eſſe, quem vulgo *beatæ Mariæ* dicunt. Alii malunt eſſe leucacantham, quæ diverſa ab ἀκάνθη λευκῇ. Plinius, ut dixi, eam *albam ſpinam* vocat, cujus & caulem edulem fuiſſe, & condiri ſolitum inter oblectamenta gulæ alicubi tradidit. *Articactum ſilveſtrem* quidam nuncupant. Huic λευκῇ ἀκάνθῃ ſimilis Arabica ſpina, carduorum & ipſa generis. Hujus figuram heic ſubjicere libet in gratiam herbariæ rei ſtudioſorum, ex vetuſtiſſimo Dioſcoridis codice petitam, qualem nimirum eſſe voluit doctus antiquarius, qui eam ibi depinxit eleganti manu ac veteri. Nam liber ante mille annos ad minimum ſcriptus, ac pictus eſt. Quam vera ea ſit judicium ferent eruditi herbarii. Certe quam proximè aſſimilata eſt ad inſtar ἀκάνθης λευκῆς, cujus ibidem facies expreſſa habetur: quam & heic oſtendere optimum factu viſum eſt, ut & leucacanthæ, non quia veraciter effictas exiſtimem, ſed quia veteres ſunt, & curante aliquo herbariæ rei perito patet factas. Eas examinabunt doctiores τῆς ἰατρικῆς ὕλης.

LEUCACANTHA.




SPINA

SPINA ALBA. ΑΚΑΝΘΑ ΛΕΥΚΗ



ARABICA SPINA, SIVE ÆGYPTIA



Ut ut sit, Arabica spina certè herba est, vel carduus, non arbor, aut frutex. Quo magis miror eosdem medicorum doctissimos de ea ita scribere in definitionibus medicis: *ἄκανθα Αἰγυπτία, sive Ἀραβικὴ frutex est, qui, ut ait Dioscorides, spinæ albæ similis esse creditur, valde siccat & astringit. Unde & sanguinem, & alias defluxiones retinet.* Dioscorides nullus dicit spinam Arabicam fruticem esse, hoc est, θάμνον. Sed cum inter aculeatas herbas, & carduos eam describat, congenerem illis esse statuendum est. Sed quia imbiberant ἄκανθαν λευκὴν Dioscoridis eum esse spinosum fruticem, quem hoc nomine vocamus, ideo de spina Arabica, quæ ἀκάνθῃ λευκῇ similis traditur, idem pronuntiarunt. Error etiam alius non ferendus in ea definitione, quod Ægyptiam spinam, ex qua fiebat veterum acacia, confundunt cum spinu Arabica. Aëtius: Ἄκανθα Αἰγυπτία. Ἐκ ταύτης ἀκακία σκευάζεται, συπτικὴ τε καὶ ξηραντικὴ τὴν δύναμιν ἐστὶν, ὥστε καὶ ῥοῦν γυναίκειον ἐπέχει, καὶ τὰ καθ' ἕδραν ἕλκη ἐμφυσωμένη εἰς οὐλὴν ἄγει. Ægyptia hæc spina, ex qua acacia in totum diversa est ab Arabica spina, quod facillime poterit ex his intelligi, quæ in hac exercitatione sequentur. Nec quicquam facit, quod in lemmate apud Dioscoridem additum est, Ἀραβικῆς ἀκάνθης καὶ Αἰγυπτίας. Certè Arabica spina etiam Ægyptia dici queat, dictaque est, quam in Ægypto utique nasci, haud minus quam in Arabia notavimus ante. Quod in confinio Arabiæ, & Ægypti nascerentur, hinc aliis Ἀραβικὴ, aliis Αἰγυπτία videtur appellata. Theophrastus lib. IV. c. VIII. Historiarum scribit in Arabia supra Copton nasci spinæ genus quoddam *sitientis* appellatæ: τῆς δὲ ἐρυθρᾶς καλουμένης Ἀραβία μικρὸν ἐπάνω Κόπτου ἐν μὲν τῇ γῇ δένδρον οὐδὲν φύεται, πλὴν τῆς ἀκάνθης τῆς διψάδος καλουμένης. Σπανία δὲ καὶ αὐτὴ διὰ τὰ καύματα καὶ τὴν ἀνυδρίαν. Plinius vertit *spinam sitientem* lib. XIII. cap. XXV. *At in oriente mirum est statim à Copto per solitudines nihil gigni præter spinam, quæ sitiens vocatur, & hanc raram admodum.* Non peculiare illud genus spinæ fuisse puto, nec propterea διψάδος nomen habuisse, quod in locis sitientibus, ac siccis nasceretur. Sed sanè merito suspicor τὴν ἄκανθαν τὴν διψάδα καλουμένην esse eam spinam, vel carduum, quem διψακὸν alii Græci unica voce appellant. Quod si diceret Theophrastus πλὴν τῆς ἀκάνθης διψάδος καλουμένης, de peculiari quadam spina locorum illorum sitientium loqui videretur, sed cum dicat τὴν ἄκανθαν τὴν διψάδα καλουμένην, eam intelligat spinæ speciem, quæ hoc cognomen in aliis locis, ac regionibus habuerit. Sciunt me verum loqui, qui Græcè sciunt. Ἄκανθα igitur ἡ διψὰς καλουμένη est aliorum διψακός. Nec est, quod aliquis putet arborem esse spinam illam διψάδα, quod dicat Theophrastus, οὐδὲν δένδρον in illo tractu gigni præter hoc genus spinæ. Non enim ex eo sequitur arborem esse. Nihil arboris nasci ait in illa solitudine, sed διψακὸν, vel ἄκανθαν διψάδα ibi tantum provenire, eamque admodum raram propter æstus. Alia etiam est super hac spina dipsade mea suspicio, eamdem nimirum esse cum Arabica spina Dioscoridis, quæ herba est. Hæc Ægyptia etiam dicta est, quod in confinio Arabiæ, & Ægypti nasceretur. Supra Copton Ægypti oppidum ἄκανθα ἡ διψὰς proveniebat in Arabiæ desertis. Dioscorides spinam eam similem spinæ albæ esse scribit: ut & Galenus. Theophrastus ἄκανθαν διψάδα vocat, hoc est, διψακὸν, quasi dipsaco similis esset, aut αὐτόχρημα dipsacus. Virtutes utriusque non multum dissimiles. Dipsaco auctores tribuunt δύναμιν ξηραντικήν τε καὶ ῥυπτικὴν, Arabicæ spinæ ξηραντικήν τε καὶ συπτικὴν. Etsi multum diversæ virtutes ἡ ῥυπτικὴ, καὶ ἡ συπτικὴ. Optimum esse dipsacum πρὸς τὰς ἐν δακτυλίῳ ῥαγάδας, καὶ σύριγγας tradit Dioscorides. Arabicam quoque spinam ani ulceribus utilem omnes tradunt. Galenus de fructu spinæ Arabicæ, sive Ægyptiæ: οὗτος δὲ καὶ τὰ φύλλα, καὶ τὰ καθ' ἕδραν ἐμφυσώμενα, καὶ εἰς οὐλὴν ἄγει τὰ ἕλκη Hæc videntur corrupta. Legitur apud Aëtium: τὰ καθ' ἕδραν ἕλκη ἐμφυσωμένη εἰς οὐλὴν ἄγει. Sic libri ejus scripti. Quasi legisset apud Galenum: καὶ τὰ καθ' ἕδραν ἐμφυσωμένη εἰς οὐλὴν ἄγει τὰ ἕλκη. Sed de Ægyptia spina arbore, ex qua fit acacia, id accipit, quum Galenus de Ægyptia spina herba, quæ & Arabica dicta est, intellexerit. Eam herbam dipsacon esse, aut ejusdem generis vult Theophrastus. Dioscorides & Galenus dixere tantùm spinæ albæ esse similem. Sed nec illi verum detinent, qui Arabicam spinam putant esse eamdem cum ea spina Indica, ex qua mastiche fit myrrhæ non absimilis, quam spinam in Arabia nasci ait Plinius. Verba ejus ita legenda sunt lib. XII. capite de myrrha: *fallacissimè autem adulteratur Indica myrrha, quæ ibi de quadam spina colligitur. Hoc solum pejus India affert facili distinctione tanto deterior est: ergo transit in mastichen, quæ & ex alia spina fit in India, itemque in Arabia: lainam vocant.* Ita hæc conjungenda, quæ perperam capitis distinctione divulsa habentur. Quo genere millies corruptus Plinius. Indica myrrha, quæ ex spina colligitur, mastichæ proprior, quæ mastiche ex alia spina Indica legebatur, item in Arabia. Non dicit hanc spinam Arabicam, quæ mastichen ferebat, utrum arbor an herba fuerit. Certum tamen est eam aliam esse ab hac Arabica spina, de qua heîc agimus. Facilis ideo turbatio, quia ἄκανθαν Græci tam de arbore spinosa, quam de herba dicunt. Theophrastus lib. IX. cap. I. Hist. οἷον φασὶ τὴν ἄκανθαν τὴν Ἰνδικὴν ἀφ' ἧς γίνεταί τι ὅμοιον τῇ σμύρνῃ. Συνίσταται δὲ καὶ ἐπὶ τῆς χίου, καὶ ἐπὶ τῆς ἀκάνθης τῆς ἰξίνης καλουμένης. Ubi ἄκανθα ἰξίνη herba est, ἄκανθα Ἰνδικὴ arbor. Nam arborem esse magnam, quæ myrrham in India sudat, ex auctoribus constat. In Gedrosis Indiæ vicinis plurimam eam nasci tradit Arrianus. At spina Arabica, vel Indica illa, quæ mastichen fundit, fortean herba fuerit. Nam & in Græcia colligebatur ex herba spinosa ixine vel ixia, carduorum generis. Ceterum de spina Arabica, quam nunc tractamus, mastiche altum apud omnes silentium. Quare oportet aliam esse. Galenus hanc spinam Ægyptiam vocat longe utique ab arbore, quæ & hoc nomen habuit, diversam. Arabicam etiam vocatam asserit, ut & Dioscorides, quod in Ægypto scilicet, Arabiaque nasceretur. Ideo titulus Dioscoridis habet, περὶ Αἰγυπτίας καὶ Ἀραβικῆς ἀκάνθης. Idem Galenus lib. VI, de Simpl. Med. seorsim de acaciæ arbore, & de hac Ægyptia spina, vel Arabica exposuit, eamque ad sistendos muliebres fluxus, & alios ῥευματισμοὺς æque efficacem asserit quam λευκὴν ἄκανθαν, quæ in Græcia nascebatur. Quinimmo radicem ejus, ac semen ad eadem hæc omnia potentiora esse. Ἄκανθος Αἰγυπτία, ἔνιοι δὲ Ἀραβικὴν καλοῦσι· Ἔοικε δὲ καὶ τῇ παρ' ἡμῖν ἀκάνθῃ τῇ λευκῇ. De herba igitur loquitur, non de arbore. Sed & modicè eam adstringere ibidem scribit. Alibi passim ubi mentio apud eum fit Ægyptiæ spinæ, non de arbore intelligit, sed de hac herba. Idem ubique inter ea, quæ modice adstringunt, τῆς Αἰγυπτίας ἀκάνθης καρπὸν recenset, ut lib. v. de Meth. Med. & lib. III. inter modicè siccantia. Quibus locis de semine Arabicæ spinosæ herbæ, non de fructu spinæ Ægyptiæ arboris accipi debere clarum est, licet medicorum hodie natio aliter sentiat. Ægyptiam arborem ἀκακίαν ille vocat, non Αἰγυπτίαν ἀκάνθην. Veteres porro medicos Græcos καρπὸν pro semine herbarum dicere notum est iis & qui nondum ære lavantur. Sic apud Oribasium κνίδης ὁ καρπὸς semen urticæ: καννάβεως ὁ καρπὸς, *semen cannabis*. Atque ita passim. Αἰγυπτίας ἀκάνθης ὁ καρπὸς semen est Ægyptiæ, sive Arabicæ spinæ, quæ herba est. Antiqui tamen medici, qui post Galenum vixere, Αἰγυπτίαν ἄκανθαν non de herba, sed de arbore, ex qua fit acacia, videntur accepisse. Certè in hoc errore fuit Aëtius. Nam in censu simplicium medicamentorum seorsim quidem refert ἀκακίαν, & ἄκανθαν Αἰγυπτίαν, sed ἀκακίας nomine non ipsam arborem intelligit, verùm τὸ ἐγχύλισμα, quod exprimebatur ex fructu, & foliis acaciæ, quam spinam esse Ægyptiam arborem inter omnes ferè convenit. At per Αἰγυπτίαν ἄκανθαν non herbam, ut Galenus, quæ etiam Ἀραβικὴ dicta est, sed illam ipsam arborem spinosam, ex qua fiebat acacia. Ἄκανθα, inquit, Αἰγυπτία, ἐκ ταύτης ἡ ἀκακία σκευάζεται. Deque ejus virtutibus, ac remediis eadem omnia narrat, quæ Galenus de Arabica spina prodidit. Nihil autem habet ille de spina Arabica, quo clarum est Ægyptiæ nomine eam etiam comprehendisse, & utramque non herbam, sed arborem putasse. Quod profectò mirum est. Ideo magis ignoscendum neotericis, qui Arabicam spinam herbam, & Ægyptiam spinam arborem magno quamvis errore confundunt. Nec extra hoc peccatum Plinius ipse, ut jam

jam videbimus. Ita ſcribit lib. XXIV. cap. XII. *Spinæ Arabicæ laudes in odorum loco diximus, & ipſa ſtringit, ſpiſſatque deſtillationes omnes.* E Dioſcoride hæc expreſſa. Sed nuſquam meminit Arabicæ ſpinæ in odorum loco. Retrahenda itaque è fine capitis præcedentis verba, quæ nihil ibi faciunt, ac legendum, ut habent libri: *Spinæ Ægyptiæ, & ſpinæ Arabicæ laudes in odorum loco diximus*, ne hoc quidem ſatis ſanum. Planè ſeparat ſpinam Ægyptiam ab Arabica, ſed Ægyptiæ meminit in odoribus, nuſquam Arabicæ præterquam hoc loco. Scriptum forte erat in veteri libro: *Spinæ Ægyptiæ, aut ſpinæ Arabicæ.* Ut pateat emendandum eſſe: *Spinæ Ægyptiæ, haud ſpinæ Arabicæ laudes in odorum loco diximus.* Laudes ſpinæ Ægyptiæ tetigit in odoribus, non Arabicæ. Heîc vero Arabicæ utilitates commendat. Sed mirum, quod eodem capite ſcribit: *eſt & acaciæ ſpina: fit in Ægypto alba, nigraque arbore, item viridi, ſed longè melior è prioribus.* Videtur arborem illam Ægyptiam, è qua fit acacia, ſeparare ab Ægyptia ſpina. Planè facit diverſas. Ergo in ſuperioribus ſcribendum, ut habent quidam libri: *Spinæ Ægyptiæ, & ſpinæ Arabicæ laudes in odorum loco diximus.* Eamdem nimirum facit ſpinam Ægyptiam, & ſpinam Arabicam. Ideo ab hac diverſam conſtituit acaciæ ſpinam. In antiquiſſimis quoque Dioſcoridis exemplaribus, ut jam diximus, notant viri docti titulum ita ſcribi, περὶ ἀκάνθας Ἀραβικῆς, ἢ Αἰγυπτιακῆς. Quem Dioſcoridis locum ad verbum Plinius expreſſit. Galenus quoque ἄκανθαν Ἀραβικὴν Ægyptiacam vocatam ſcribit. Sed hæc Arabica ſpina, ſive Ægyptiaca non eadem cum illa, cujus laudes dixit Plinius in odorum loco. Deſcribit ibi Αἰγυπτίαν ἀκάνθην verbis Theophraſti, quæ arbor eſt, nec de minimis una. Heîc Arabicam, & Ægyptiacam ſpinam, quæ herba eſt, Dioſcoridis verbis deſcriptam appoſuit, eodem capite & acaciæ ſpinæ deſcriptionem è Dioſcoride tranſtulit, diverſæ utique ab Arabica, & Ægyptiaca ſpina ejuſdem Dioſcoridis, ſed quæ eadem prorſus ſit cum Ægyptiaca acantha Theophraſti: quam *Ægyptiacam acantham* alii rurſus etiam Arabicam vocaſſe videntur: unde *Arabicum gummi* hodie vocant officinæ, quod ex ea manat. E locorum vicinitate hæ natæ ſunt gentilium affinitates. Plurimam acantham Ægyptiam circa Thebaïcum nomon provenire tradit Theophraſtus, & paulo ſupra Copton multam ſpinam Arabicam, in Arabia ſcilicet Troglodytica, quæ Ægypto vicina eſt. Nam Ἀραβίαν Τρωγλοδυτικὴν vocaſſe veteres eam regionem, quæ inter ſinum Arabicum interjacet, & Ægyptum, nos ſuprà oſtendimus. Dioſcorides: Ζιγγίβερι ἴδιον ἐστὶ φυτὸν γεννώμενον ἐν τῇ Τρωγλοδυτικῇ Ἀραβίᾳ πλείστην. Perperam legunt, ac vertunt, *In Troglodytica & Arabia naſcitur.* Ut hanc ergo confuſionem vitaret Dioſcorides, herbam ſpinoſam Αἰγυπτιακὴν ἢ Ἀραβικὴν ἄκανθαν vocavit, arborem vero ἀκακίαν: eamque in Ægypto naſci, non etiam in Arabia dixit. At ſpina herba tam in Ægypto, quam in Arabia naſcebatur, ut inde Arabica, ſive Ægyptia ſpina merito vocitata ſit, & melius ita in Plinio legatur: *Spinæ Ægyptiæ, ſive Arabicæ laudes in odorum loco diximus.* Sed male hanc cum arbore confundit, cujus laudes in odoribus dixit. Legendum in eodem: *eſt & acacia ſpina, fit in Ægypto alba, nigraque arbore item viridi, ſed longè melior eſt prioribus.* Acaciam cum Dioſcoride ſpinam ipſam vocat. Ἀκακία φύεται ἐν Αἰγύπτῳ, ἄκανθα δέ ἐστι δενδρώδης, θαμνοειδής, οὐκ ὀρθοφυής. Ita autem in libro indicis ſcribitur: *ſpina Arabica* IIII, *ſpina alba* II, *acanthio* I, *acacia* XVIII. Intelligit decem & octo remedia ex arbore acacia peti. Sed mira illa ſunt: *fit in Ægypto alba, nigraque arbore, item viridi.* Hoc de acacia ſucco intelligi par eſt. Nam acacia & arborem ipſam, & ſuccum, qui exprimitur, deſignat, ut στύραξ & *galbanum* utramque rem ſignificant. Sed quod ait è nigra arbore fieri, item viridi, prorſus non intelligo. Arbor Ægyptia ſpinoſa, unde acacia colligebatur, alba erat & nigra. Theophraſtus: διττὸν δὲ γένος αὐτῆς, ἡ μὲν γὰρ ἐστὶ λευκή, ἡ δὲ μέλαινα. Hellanicus apud Athenæum in rebus Ægyptiacis: ἔξω τοῦ ἱεροῦ ἄκανθαι πεφύκασι λευκαὶ καὶ μέλαιναι. Diodorus arborem thuris comparat Αἰγυπτιακῇ ἀκάνθῃ τῇ λευκῇ. Hoc diſcrimen & in aliis arboribus pleriſque obſervare eſt ex foliis candidioribus & nigrioribus. Sic rhamni, & myr-

A ti duo genera album, & nigrum, ἀπὸ τῶν μελαντέρων, καὶ λευκοτέρων φύλλων ſcilicet. Sed quodnam illud genus tertium acaciæ ſpinæ, quod *viride* Plinius appellavit? Miſerè ſuccum acaciæ confundit cum arbore. Arboris, ſive ſpinæ duo genera, nigra & candida, ex utriuſque generis pomo ſuccus exprimebatur, ἐγχύλισμα vocat Dioſcorides. Quod & ἀκακία dicebatur. Niger fiebat è maturo fructu, ex viridi ſubrufus, μέλαν ἐκ τοῦ πεπείρου καρποῦ, ὑπόκιρρον δὲ ἐκ τοῦ ὠμοῦ. Acacia igitur è viridi pomo, non è viridi arbore. Quod Plinium fefellit. Nunc videndum, an acacia ſpina eadem ſit cum ſpina Ægyptia propriè dicta veteribus. Id Oribaſius,

B & Aëtius teſtantur, & alii quidam veterum. Præterea multa conveniunt ſigna, ſpinæ, καρπὸς ἔλλοβος, hoc eſt, ſemen in ſiliquis, gummi manans ex arbore, contortus caudex, & alia quædam. Rurſus nonnulla diſconveniunt, quæ in aliam ſententiam traverſum aliquem rapere poſſent. Ea hîc exponam. Theophraſtus ἄκανθον, ſive ἄκανθαν Ægyptiam dicit eſſe δένδρον μεγέθει μέγα, adeo ut navium coſtæ ex ea texerentur, & viginti quatuor pedum materiæ ad tecta ſuſtinenda cæderentur. Dioſcorides acaciam ſpinam ſcribit eſſe δενδρώδη, ἢ θαμνοειδῆ, *arboreſcentem, & virgulto ſimilem.* Hæc non conveniunt. Ipſe Dioſcorides myrrhæ arbo-

C rem ſimilem eſſe τῇ Αἰγυπτιακῇ ἀκάνθῃ aſſerit. Per Αἰγυπτιακὴν ἀκάνθην arborem acaciam intelligere manifeſtum eſt, cui ſimilis myrrhæ arbor & ipſa non magna, utpote quæ ad quinque cubita proceritatis erigatur, cum ex ſpina Ægyptia, quæ ἄκανθος dicebatur, duodecim cubitorum trabes cæderentur. Arborem quoque thuris ſimilem prorſus eſſe τῇ Αἰγυπτιακῇ ἀκάνθῃ τῇ λευκῇ tradit Diodorus, ut ſuprà oſtendimus. Atqui nec valde magnam, aut proceram eſſe λιβανοφόρον arborem ante docuimus. Diſtinctio autem τῆς λευκῆς τε καὶ μελαίνης acaciæ ſpinæ convenit, ut ex Plinio conſtat. Theo-

D phraſtus τὴν ἄκανθον Αἰγυπτίαν propriam, & peculiarem Ægypti facit. Acacia & in aliis locis naſcebatur ut in Ponto, & Cappadocia, & Galatia, ſed longè minor, & humilior, quam Ægyptiaca, adeo ut herbam alii vocent, acaciam nonnulli. Heſychius: ἀκακία βοτάνη. Plinii verba hæc interim conſiderabimus: *fit in Ægypto alba, nigraque arbore, item viridi: ſed longè melior eſt prioribus: fit & in Galatia deterrima ſpinoſiore arbore.* Ita ſcribendum è libris, qui habent *teterrima.* Corrigunt è Dioſcoride: *teneriore ſpinoſaque arbore.* Nihil è Dioſcoride ſumpſit Plinius in hiſtoria acaciæ. Præterea de arbore loquitur Dioſcorides, de ſucco Plinius. Ille naſci

E & in Cappadocia arborem acaciam ſcribit ſimilem Ægyptiæ, ſed multo minorem, χαμαίζηλον δὲ καὶ τρυφερωτέραν, *molliorem & humi fuſam.* Heîc vero dicit optimum eſſe ſuccum ex alba, & nigra Ægypti acacia, deteriorem ex viridi, deterrimum è Galatiaca, ſed hæc parva. Virgilius de arboribus peregrinis, & exoticis agens, & quæ non ubique, ſed certis locis naſcerentur, ita canit:

Et quid odorato referam ſudantia ligno
Balſamaque, & baccas ſemper frondentis acanthi.

Per *ſemper frondentem acanthum*, haud ambigi debet, quin Ægyptiam ſpinam intelligat. Ut balſama propria Judææ, ita acanthus ſemper virens Ægypti. Servius:

F *acanthus arbor eſt in Ægypto ſemper frondens, ut oliva, laurus. Acanthos dicta, quia ſpinis plena eſt. Hac etiam abundat Cercina inſula.* Theophraſtus quoque ἄκανθον vocat Ægyptiam ſpinam, ἐν Αἰγύπτῳ γὰρ ἐστὶν ἔνια δένδρα πλείω, ἥ τε συκάμινος, καὶ ἡ περσέα καλουμένη, καὶ ἡ βάλανος, καὶ ἡ ἄκανθος. Et capite ſequenti: ἡ δὲ ἄκανθος καλεῖται μὲν διὰ τὸ ἀκανθῶδες ὅλον τὸ δένδρον εἶναι πλὴν τοῦ στελέχους. Hæc eſt, quæ *acanthus* Virgilio. Idem Theophraſtus alibi ἀκάνθην τὴν Αἰγυπτίαν eam vocat, ut lib. IX. Hiſt. cap. I. Et ἀκάνθην τὴν ἐν Αἰγύπτῳ, ut lib. VI cauſarum cap. XVII. καθάπερ τὸ κόμμι τὸ τῆς ἀκάνθης τῆς ἐν Αἰγύπτῳ. Sed hîc aliqua dividia eſt, quod *baccas* Virgilius illi tribuit,

G Theophraſtus fructum in ſiliquis, καρπὸν ἔλλοβον. Hæc non parum differunt. Nam *baccæ* proprie ſunt minuta, ac rotunda poma arborum ſilveſtrium. Unde & *baccæ* pro margaritis, quia rotundæ ſunt. Græci κόκκους vocant. Unde *baccatum*, κοκκωτόν. Siliquæ non ſunt baccæ, nec dicendum eſt *baccas* dixiſſe Virgilium ſemina rotunda, quæ ſiliquis Ægyptiæ ſpinæ incluſa tenentur. Ita interpretari volenti obſtant hæc verba

Demetrii apud Athenæum de ſpina Ægyptia: ἔχει δὲ καὶ ὁ κάτω τόπος καὶ ἄκανθαν τινὰ δένδρον, ὃ τὸν καρπὸν φέρει στρογγύλον ἐπὶ τινῶν κλωνίων περιφερῶν. Planè cum Virgiliana acantho hæc paria faciunt. Καρπὸς στρογγύλος baccæ ſunt. Κλωνία περιφερῆ de ſiliquis non poſſis accipere, ut aliquando putavi. Ramuli ſunt in orbem flexi, circa quos baccæ, nam & circa eoſdem floſculi naſcebantur in orbem, coronæ inſtar. Idem: λέγεται δὲ τις μῦθος ἀπὸ τῶν Αἰγυπτίων, ὅτι οἱ Αἰθίοπες στελλόμενοι εἰς Τροίαν ἀπὸ τοῦ Τιθωνοῦ, ἐπεὶ ἤκουσαν τὸν Μέμνονα τετελευτηκέναι ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ τοὺς στεφάνους ἀνέβαλον ἐπὶ τὰς ἀκάνθας. Ἔστι δὲ παραπλήσια τὰ κλώνια στεφάνοις ἀφ' ὧν τὸ ἄνθος φύεται. Quod Æthiopes ſuper illas ſpinas abjeciſſent corollas ſuas audita Tithoni morte, inde factum, ut flores ex earum ſpinarum orbiculatis ramis prodierint ad inſtar coronarum. Ex illis floribus fructus rotundus, id eſt, *bacca*, circa περιφερεῖς ramos enaſcens. Quam hæc diverſa ſunt à fructu acaciæ, qui ſiliquis continetur, & fructu ſpinæ Ægyptiæ Theophraſti, quem ſimiliter ἔλλοβον eſſe tradit? Circa Abydum has ſpinas naſci tradebat Demetrius. Δημήτριος ἐν τῷ περὶ τῶν κατ' Αἴγυπτον τὰς ἀκάνθας ταύτας εἶναι φησί. Strabo meminit hujus generis ſpinarum circa Abydum, quas Αἰγυπτίας ἀκάνθας vocat lib. XVII his verbis: περὶ δὲ τὴν διώρυγα ἀκανθῶν τῶν Αἰγυπτίων ἄλσος ἐστὶ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος. De Abydo loquitur. Malè vertunt, *Acanthôn Ægyptiorum*. Scribe: *ſpinarum Ægyptiarum*. Spinam Thebaïcam memorat idem Strabo, à qua urbem Acanthon dictam ſcribit haud longe à Memphi. Μετὰ δὲ Μέμφιν Ἄκανθος πόλις ὁμοίως ὡς ἐν τῇ Λιβύῃ, καὶ τὸ τοῦ Ὀσίριδος ἱερὸν, καὶ τὸ τῆς ἀκάνθης ἄλσος τῆς Θηβαϊκῆς, ἐξ ἧς τὸ κόμμι. Peſſime vertunt: *poſt Memphim Acanthus urbs eſt Lybicæ perſimilis.* Vult dicere Acanthum ſimiliter ut Memphin in latere Lybico eſſe. Nam nulla alia in Africa urbs Acanthus. Legendum: ὁμοίως ἐν τῇ Λιβύῃ. Ptolemæus eodem ſenſu: Μέμφις καὶ ὁμοίως ἀπὸ δύσεως τοῦ ποταμοῦ μεσόγειος πόλις Ἀκανθῶν. Ita ſcribendum. Lybicum latus fluvii occiduum eſt. Male legitur, πόλις κανθῶν. Πόλις ἀκανθῶν urbs eſt ſpinarum, quæ & Ἄκανθος unica voce. Stephanus: Ἄκανθος Μέμφιδος ἀπέχουσα σταδίους τριακοσίους εἴκοσι. Δευτέρα τῆς ἀκάνθης τῆς Θηβαϊκῆς ἄλσος εὐμέγεθες, ἐξ ἧς τὸ κόμμι συνάγεται. Hæc non valde ſincera, quaſi Acanthus urbs, quæ à Memphi diſtat trecentis & viginti ſtadiis, alia ſit ab ea, in qua erat ſpinæ Thebaïcæ ingens lucus. Scribe, ac diſtingue: Ἄκανθος, Μέμφιδος ἀπέχουσα σταδίους τριακοσίους εἴκοσι καὶ δευτέρα, ἐν ᾗ τῆς ἀκάνθης τῆς Θηβαϊκῆς ἄλσος εὐμέγεθες. Hæc ſecunda eſt Acanthus: nam prima, quæ ibi recenſetur urbium hoc nomine, in Thracia erat. Sic enim hæc conjungenda, Ἄκανθος πόλις Θρᾴκης ἀκάνθαις πεφραγμένη, ἔστι καὶ ἐν Αἰγύπτῳ Ἄκανθος Μέμφιδος ἀπέχουσα. Notandum eſt in verbis Strabonis Thebaïcam ſpinam diſtingui ab Ægyptia. Sic Thebaïcæ palmæ ab Ægyptiis apud Plinium & Dioſcoridem. In Abydo ſilva erat Ægyptiarum ſpinarum, in Acantho haud longe à Memphi Thebaïcarum. Dictæ Thebaïcæ, quod plurimæ provenirent in Thebaïca præfectura. Theophraſtus de acantho, quam & ſpinam Ægyptiam vocat: πολὺ τὸ δένδρον ἐστὶ καὶ δρυμὸς μέγας περὶ τὸν Θηβαϊκὸν νομόν. Notam peculiarem addit Strabo Thebaïcæ ſpinæ, ἐξ ἧς τὸ κόμμι συνάγεται, quod ex ea manat gummi. Hoc non dixit, quum de Ægyptia ſpina paulo ante loquutus eſt. Sed inquiet aliquis, ex acacia ſpina, quæ & ſpina Ægyptia eſt, manat etiam gummi, ut liquido conſtat auctoribus Theophraſto, Dioſcoride, & Plinio. Ergo acacia, & ſpina Ægyptia, Thebaïcaque res eadem. Certe auctores plerique confundunt, non tamen eædem videntur eſſe. Nemo quippe mihi perſuaſerit ἄκανθαν Demetrii, & Virgilii *acanthon*, quæ baccas fert circum teretes ramos, eſſe eamdem cum ea ſpina, quæ fructum in ſiliquis producit. Strabo quoque clarè diſtinguit Αἰγυπτίαν & Θηβαϊκὴν ἄκανθαν. In Abydo lucum fuiſſe ait Αἰγυπτίων τῶν ἀκανθῶν: in Acantho τῆς Θηβαϊκῆς ἀκάνθης, ἐξ ἧς τὸ κόμμι. Demetrius ſpinam Abydi baccas ferre, ſive rotundos fructus in teretibus ramis diſertim ſcribit. Hæc erit Strabonis Ægyptia ſpina. Thebaïcæ Theophraſti ſpinæ καρπὸς ἔλλοβος καθάπερ τῶν χεδρόπων ᾧ χρῶνται οἱ ἐγχώριοι πρὸς τὰ δέρματα ἀντὶ κηκῖδος. Hoc idem de acacia ſpina Dioſcorides tradit, τὸν δὲ καρπὸν ὥσπερ θέρμον ἐν λοβοῖς κείμενον. Plinius de acacia ſpina: *ſemen omnium lenticulæ eſt ſimile*

A *minore tantum & grano & folliculo.* Et paulo poſt: *ad coria perficienda ſemine pro galla utuntur.* Acaciam igitur, & Thebaïcam ſpinam eamdem eſſe arborem, quæ ſemen in ſiliquis fert, & ex qua gummi manat, perſuaſiſſimum nobis eſſe debet. His accedit, quod exactiſſimæ vir diligentiæ, & princeps Herbariorum veterum Dioſcorides in deſcribenda acaciæ arbore non meminit ejus diſtinctionis, quæ in albam & nigram ſpeciem hoc genus dividit. Propria igitur ſpinæ Ægyptiæ hæc diviſio, non Thebaïcæ, quæ & acacia. Tam notabilem differentiam non omiſiſſet adeo diligens ſcriptor in hoc arboris, vel ſpinæ genere, quam in aliis B non tacuit, ſed ſedulo obſervavit, ut in aſpalatho, in rhamno, & aliis. E Thebaïca igitur ſpina gummi; unde & gummi Θηβαϊκὸν vocatur Galeno. Scribonius quoque Largus meminit gummi Thebaïci in hæmatino collyrio. De hoc gummi intelligit auctor peripli maris Erythræi his verbis: φέρει δὲ ἐπὶ τῷ φλοιῷ πησσόμενον τὸν λίβανον, ὡς τινὰ καὶ τῶν παρ' ἡμῖν ἐν Αἰγύπτῳ δένδρων δακρύει τὸ κόμμι. De arboribus thuris loquitur, quæ concretum in cortice thus habent, ut Ægyptiæ arbores gummi. Hinc notabis auctorem illum Ægyptium fuiſſe oriundo, & propterea opus illud Arriano non poſſe tribui, quod ex aliis etiam depre- C hendimus. Ex eo autem loco licet colligere, gummi illud è cortice arborum Ægyptiarum ſudare: quod tamen negat Theophraſtus lib. IX de plantis, cap. I. Τῆς ἀκάνθης τῆς Αἰγυπτίας, καὶ γὰρ αὐτὴ φέρει κόμμι, πλὴν οὐκ ἐκ τοῦ φλοιοῦ, ἀλλ' ἐν τῷ ἀγγείῳ. Sed quærendum ecquod illud ſit vas, vel ἀγγεῖον, in quo fert gummi Ægyptia ſpina. Herbarii vaſcula vocant ſeminum involucra. Hoc ſenſu vix capiendum heîc putem. Fortaſſe legendum: ἀλλ' ἐν τῷ ἐγγείῳ. Significat eam partem arboris, quæ ἔγγειος eſt, quæ terra tegitur, vel terræ proxima eſt. Radicem plane hac voce deſignavit. Quippe & radices D reſinam ferentium arborum etiam incidi ſolebant. Certe imam arboris partem intelligit, quæ eſt ἐν τῇ γῇ. Hunc locum aliquando legebam aliter, atque intelligebam, hoc nempe modo: καὶ γὰρ αὐτὴ φέρει κόμμι, πλὴν οὐκ ἐκ τοῦ φλοιοῦ, ἀλλ' ἐν τῷ ἀγγείῳ συλλέγεται. *Fert & ipſa gummi, niſi quod ex cortice non deraditur, ſed in vaſe ſuſcipitur.* Deerat verbum συλλέγεται. Quod omnino heîc neceſſarium. Suprà dixit Ægyptiam ſpinam lacrimare gummi tum inciſam, tum etiam ſua ſponte: γίνεται δὲ ἐκ ταύτης καὶ τὸ κόμμι, καὶ ῥέει καὶ πληγείσης, καὶ αὐτομάτως ἄνευ σχάσεως. Gummis ea, quæ ſponte ſua manat abſque ulla arboris plaga, circa corticem adhæreſcit, E ut in arboribus thuris, & myrrhæ videre eſt. Eam igitur ferro deradebant. At quæ ex inciſa, & percuſſa fluebat, eam ſuppoſito vaſe excipiebant. Atque hæc optima habebatur, utpote quæ ſine cortice eſſet, quo non carebat illa, quam ſponte manantem, & in cortice concretam ferreis ſcalpellis depectebant. Plinius: *Gummim optimam eſſe ex Ægyptia ſpina convenit vermiculatam, colore glauco, puram, ſine cortice, dentibus adhærentem.* Ita legendum ex veteri codice. Atque ita Plinius ubique declinat, *hæc gummis, hujus gummis, hanc gummim.* Qui hoc nomen genere fœminino enuntiari apud eum videbant, legerunt paſſim *hæc gumma*, & *hanc gummam.* F Abſurde. Dioſcorides de arboris acaciæ gummi eadem omnia dicit, probari ſcilicet, τὸ σκωληκοειδὲς, ὑαλίζον, διαυγὲς, ἄξυλον. Ut hinc pateat acaciam arborem, & Ægyptiam ſpinam, quæ arbor eſt, eaſdem eſſe, quas tamen Plinius diſtinxit. Gummis igitur illa optima, quæ ſine cortice, quod ex inciſa arbore in vas ſuppoſitum exciperetur. Sic è lacrimis thuris ea optima, ac puriſſima, quæ defluebat in tegetes ſubjectas. Theophraſtus: καὶ τὸν μὲν ἐπὶ τῶν ψιάθων λιβανωτὸν εἶναι καὶ καθαρὸν, καὶ διαφανῆ, τὸν δὲ ἐπὶ τῆς γῆς ἧττον, τὸν δ' ἐπὶ τοῖς δένδροις ἀποξέειν σιδήροις. Thus illud ἐπὶ τοῖς G δένδροις, quod ferro depectitur, peripli auctor ἐπὶ φλοιῷ πησσόμενον vocat. Huic ſimile gummi Ægyptiacæ ſpinæ, quod ex cortice deradebatur, ſponte ſcilicet manans. At quod vaſe ſuppoſito colligebatur, puriſſimum erat, & ἄξυλον, hoc eſt, ſine cortice. Ut plurimum ſic colligebatur ἐκ πληγέντος τοῦ δένδρου. Non igitur ἐκ τοῦ φλοιοῦ colligebatur gummis Ægyptiacæ ſpinæ, ſed ἐν τῷ ἀγγείῳ. Atque hanc veriſſimam putarim verborum Theophraſti interpretationem. Acaciam vocat Dioſcorides ſpi-

ſpinam illam Ægypti, ex qua gummi. Strabo Θηβαϊκὴν ἄκανθαν, ἐξ ἧς τὸ κόμμι. Certe, ſi Thebaïca, etiam Ægyptia. Theophraſtus Αἰγυπτίαν ἀκάνθην appellat, cujus & duo genera facit, album & nigrum, quinimmo hujus ſpinæ lucum eſſe ingentem circa Thebaïcam præfecturam, & plurimam in eo tractu provenire. Πολὺ δὲ τὸ δένδρον, καὶ δρυμὸς μέγας περὶ τὸν Θηβαϊκὸν νομόν. Plinius de eadem ſpina ex Theophraſto, lib. XIII. cap. IX. *Circa Thebas hæc, ubi & quercus, & perſea, & oliva, CCC à Nilo ſtadiis, ſilveſtri tractu, & fontibus ſuis riguo. Ibi & prunus Ægyptia, non diſſimilis ſpinæ proximæ dictæ.* Ita ſcribendum continuata ſerie, quam vulgo capitibus divellunt. Ergo ſpina Thebaïca, ex qua gummi, & Ægyptia, & acacia, eadem arbor. Nam & *Thebaïca* à præfectura Thebaïdis, in qua plurima naſcitur, dicta eſt. Hæc eadem in nigram, & albam dividitur. Acaciam ſimiliter in duo hæc genera, imo & tria, viridi addito diſtinguit Plinius ex ſuis auctoribus. Dioſcorides tamen, quod mireris, acaciæ plura genera non facit. Spinæ quidem & hæc genus Ægyptiæ, cui nomen proprium *acacia*. At illa, quæ abſolutè ἄκανθος, vel ἄκανθα Ægyptia vocitata eſt, alia videtur fuiſſe. Quam ita etiam vocat Dioſcorides ipſe, cum myrrhæ arborem ſimilem eſſe ait ἀκάνθῃ τῇ Αἰγυπτίᾳ. Iſidorus *acanthon* vocat. *Myrrha*, inquit, *Arabiæ arbor, quinque cubitorum ſimilis ſpinæ, quam ἄκανθον dicunt.* Virgilius quoque appellat *acanthum*. In Græcia quoque arborem ſpinam abſolute vocant ἄκανθαν, vel ἄκανθον. Theophraſtus: ὀξυάκανθα, ἄκανθος. *Spinam nigram*, & *ſpinam albam* hodieque vocamus, quæ tamen multum ſunt diverſæ. Spina alba eſt ὀξυάκανθος: nigra, prunus ſilveſtris. In Ægypto ſuum genus etiam fuerit λευκῆς τε καὶ μελαίνης ἀκάνθης. Hæc ἄκανθα eſt, quam Αἰγυπτίαν ἄκανθαν propriè vocat Strabo, aliam utique à Thebaïca, de qua gummi manare dicit. At Theophraſtus etiam Thebaïcam in nigram, & albam dividit. De acacia eadem omnia nonnulli dixere. Nihil his profecto incertius. Sed inde orta videtur auctorum ſuper harum ſpinarum deſcriptione confuſio ex indiſcreto utriuſque arboris nomine. Adde quod ſpinam Ægyptiam etiam nominarunt herbam ſpinoſam quamdam in Ægypto, & Arabia naſcentem, quam & Plinius, aliique quidam veterum confuderunt cum arbore ſpina. Nec hoc mirabitur, qui ſciat eoſdem Græcos συκῆς τῆς Αἰγυπτίας nomine donaſſe duas diverſiſſimi generis arbores. Sic enim vocant συκάμινον Ægyptiam, & κερατωνίαν, ut ſuprà pluribus obſervavimus. Straboni, qui Ægyptum peragravit, & fide digniſſimus auctor eſt, tuto in his credi poteſt apertè ſeparanti Thebaïcam, & Ægyptiam ſpinam. Ceteri hæc diſcrimina miſcent, & quod unius proprium eſt, alteri tribuunt. Theophraſtus ſub nomine ἀκάνθου, & ἀκάνθης Αἰγυπτίας deſcripſit partim acaciam ſpinam, quæ & Thebaïca, partim Ægyptiam propriè dictam. Τὸ κόμμι, καὶ ὁ καρπὸς λοβὸς acaciæ ſunt, & hujus generis ſpinarum lucus in Thebaïde: ſpinæ Ægyptiæ, ſive acanthi τὸ καλὸν ὄψει ἄνθος, δένδρον μέγα. Simpliciter de acacia ſcribit Dioſcorides habere ἄνθη λευκά: at ſpinæ Ægyptiæ ad coronas commendatiſſimæ, & pulcherrimæ. Demetrius de ſpina Ægyptia, ſive Abydena: ἀνθεῖ δὲ ἔτος ὅταν ὡραῖον ᾖ, καὶ ἐστὶ τῷ χρώματι τὸ ἄνθος καὶ ἀφεγγές. Hæc ſine dubio corrupta. Legendum: καὶ ἐστὶ τῷ χρώματι τὸ ἄνθος καλλιφεγγές. Heſychius: καλλιφεγγεῖς, λαμπροί. Intelligit purpurei, vel coccinei coloris illum florem eſſe, quaſi pulcri luminis dicas. Nam & λαμπρὸς abſolutè de his coloribus dicitur: unde λαμπρὰ ἐσθής, & ἀνθηρὰ, & καλλιφεγγὴς pro eadem. Theophraſtus: τὸ δὲ ἄνθος καὶ τῇ ὄψει καλὸν, ὥστε καὶ στεφάνους ποιεῖν ἐξ αὐτοῦ, καὶ φαρμακῶδες. Nihil tale de acaciæ flore tradit Dioſcorides. Τῇ ὄψει καλὸν, non ſolum de colore, ſed etiam de ſpecie, quod coronæ inſtar imitetur, ut ſuprà jam diximus, nam ἐκ περιφερῶν τινῶν κλωνίων tam flores, quam baccæ prodibant. Male vertunt *teretes ramos*. Περιφερῆ ſunt in orbem flexi, κυκλοειδεῖς. Acacia ſpina, quæ & Thebaïca, prout eam etiam recentiores, qui viderunt, deſcribunt, nihil habet ſimile, ergo propria hæc ſpina Ægyptiæ, ſive acanthi. Præter hæc Thebaïca ſpina *acacia* proprio nomine dicta, quæ in aliis etiam locis, quam Ægypto naſcebatur, ut in Ponto, Cappadocia, Galatia. Thebaïca autem dicta, quod plu-

A rima circa Thebaïcam præfecturam proveniret. Ægyptiam etiam vocarunt quidam. At quæ propriè Ægyptia ſpina nominata eſt, ἄκανθος abſolutè Græcis appellatur, ut Theophraſto & aliis. Hellanicus in Ægyptiacis apud Athenæum: πόλις ἐπιποταμίη Τίνδιον ὄνομα, αὐτὴ θεῶν ὁμήγυρις καὶ ἱερὸν μέγα καὶ ἁγνὸν ἐν μέσῃ τῇ πόλει λίθινον καὶ θύρετρα λίθινα. Ἔξω δὲ ἱεροῦ ἄκανθαι πεφύκασι λευκαί τε καὶ μέλαιναι, ἐπ᾽ αὐτῆς δὲ οἱ στέφανοι ἐπιβέβληνται ἄνω τῆς ἀκάνθου τοῦ ἄνθους καὶ ῥοιῆς ἄνθους καὶ ἀμπέλου πεπλεγμένοι. Nigræ illæ, & albæ ſpinæ, arbores acaciæ ſunt, quæ in urbe Tindio erant Libyci lateris, ut & in Acantho oppido. Et manifeſto diſtinguit auctor τὴν ἄκανθον, cujus flores

B ad coronas laudabantur, ab illa ſpina nigra, albaque. Inde & Virgilio *acanthus* de ſpina Ægyptia:

---- & baccæ ſemper frondentis acanthi.

Eum acanthum ſi quis cum acacia ſpina confundit, ut plerique veterum fecerunt, fallitur. Auctor incertus, ſed vetus de Phœnice, inter arbores peregrinas & odoratas *acanthum* etiam recenſet, quæ in Arabia, aut India naſcuntur:

Cinnama dehinc auramque procul ſpirantis amomi
Congerit & mixto balſama cum folio.
Non caſiæ mitis, nec olentis vimen acanthi,
Nec thuris lacrimæ, guttaque pinguis abeſt.

C Sed fallitur. Acanthus Ægypti arbor eſt, non vimen, aut virgultum, nec odoratum eſſe legi, ſed στεφανωματικὸν tantum, temerè, ut apparet, confundit Ægyptiacum *acanthum* cum topiario, & vulgari, quum vimen appellat. Idem facit Servius ad hunc Virgilii verſum:

Mixtaque ridenti colocaſia fundit acantho.

Ibi Servius: *læto, ſuavi, jucundo, vel quod hians & patens naſcitur. Et eſt herba, quæ in Ægypto invenitur.* Dupliciter errat, & quod de acantho Ægyptio accipit, & quod ita accipiens herbam vocet. Acanthus Ægypti, arbor eſt, non herba. Sed propter colocaſiorum nomen, quæ

D Ægypti ſunt peculiaria, de acantho Ægyptiaco interpretatus eſt. Perperam. Colocaſia herba in Italia etiam ſerebatur. Vide Plinium. Nihil tamen hoc ad Virgilii mentem facit. Dicit inter acanthos, notiſſimam tum in hortis herbam, colocaſia quoque ſponte ſua naſcitura paſſim, quæ peregrina erat herba, & alieni ſoli, cælique. Acanthus, ut notum eſt, genus herbæ topiariæ. De qua Plinii locus ita legendus eſt lib. XXII. cap. XXII. *Acanthi topiariæ, & urbanæ herbæ lato, longoque folio, crepidines marginum, adſurgentiumque pulvinorum toros veſtientis, duo genera ſunt: aculeatum & criſpum, quod brevius: alterum leve, quod aliqui pæderota*

E *vocant, alii melamphyllon.* Cum ceteræ ſpinoſæ arbores, & herbæ ſuis nominibus, & cognominibus diſtinguantur, hæc omnium aculeatarum commune nomen ſibi proprium fecit, nam ἄκανθος abſolutè dicta eſt. Et nugantur eruditiſſimi viri, qui Græcos ἄκανθαν fœminino genere dicere, Latinos vero *acanthum* maſculino argutantur. Heſychius: ἄκανθος, φυτόν. Immo Græci nuſquam dixere ἀκάνθαν de ea topiaria herba, quam Latini *acanthon* vocant, ſed τὴν ἄκανθον. Atque ita plane in antiquiſſimo exemplari Regiæ Bibliothecæ literis deſcripto capitalibus nuper reperiebam. Nam ubi vulgo legitur, ἄκανθα, ἢ ἑρπάκανθα, οἱ δὲ μελάμφυλλον, οἱ δὲ παιδέρωτα

F καλοῦσι, liber ille plane ſcriptum mihi exhibuit, ἄκανθος, οἱ δὲ μελάμφυλλον. Et paulò poſt: γίνεται καὶ ἀγρία ἄκανθος, ὁμοία σκολύμῳ. Ubi de ſilveſtri acantho agit. Male vulgo editum eſt, καὶ ἀγρία ἄκανθα. Et ſane aliud eſt ἄκανθος, aliud ἄκανθα. Nam ἄκανθος genus eſt herbæ topiariæ ſic propriè vocatæ, quam Latini *acanthum* dixere. Ἄκανθα ſpina eſt. Nec enim *acanthum* Latini dicerent pro ſpina. Sic tamen legitur apud Aëtium: ἄκανθαν quippe vocat, quæ Dioſcoridi ἄκανθος, niſi mendum eſt in libris ejus, ut erat in Dioſcoride. Hoc tamen diſcrimen auctores ſpernunt, & ἄκανθαν & ἄκανθον pro eodem uſurpant. Sic in compoſitis ὀξυάκανθα &

G ὀξυάκανθος dicitur: λευκάκανθα & λευκάκανθος. Apud Theophraſtum ἄκανθος vocatur, quæ aliis ἄκανθα, arbor ſpina, loco jam ſuperius allato, quem tamen haud mendo vacare ſuſpicio eſt. Nec enim ulla eſt aculeata arbos, vel frutex, quem Græci ἄκανθον abſolutè vocent, vel ἄκανθαν. Quare ſic legendus videtur potius: μελία, πάλιουρος, ὀξυάκανθος. Pro ὀξυάκανθα ἄκανθος. Nam ſemper ὀξυάκανθον vocat Theophraſtus. Et nata eſt illa ἄκανθος

ex varia lectione, & librarii hæsitatione. Galenus ἄκανθον Ἀραβικὴν vocat, quam Dioscorides ἄκανθαν, spinam Arabicam herbam. Ergo ἄκανθος etiam pro spina, hoc est, ἄκανθα. Eam tamen herbam ἄκανθον fortasse ideo vocaverit, quasi species acanthi esset Ægyptiaci. Silvestrem acanthum Dioscorides tradit similem esse scolymo. Scolymus eodem teste similia habet folia τῇ λευκῇ ἀκάνθῃ. At huic λευκῇ ἀκάνθῃ tam ille, quam Galenus similem esse volunt Arabicam spinam, quam & ἄκανθον idem Galenus appellat. Hinc Servius & Isidorus acanthum topiariam Ægyptiam herbam esse produnt. Nam Arabica illa acanthus etiam Αἰγυπτία Galeno dicitur multis locis. Diversæ tamen herbæ acanthus topiaria, & ἄκανθος, vel ἄκανθα Αἰγυπτία. Ceterùm quod attinet ad acanthum topiariam, inter herbarios nostros convenit, esse *brancam ursinam*, quam vulgo vocant. Quæ vox pedem ursinum significat, ut suprà ostendimus. A similitudine, quam habent hujus herbæ folia cum pedibus ursorum anterioribus, sic dictam volunt. Sed viderint, qui putant acanthum veterum esse *brancam ursinam* nostram. Ut multa congruunt, ita non omnia. Illud maximè contrarium, quod branca ursina aculeata est, acanthus prorsus sine spinis erat, topiariam illam dico, & urbanam. Nam silvestris aculeis non carebat. Disertè Plinius tradit genus alterum læve esse, alterum aculeatum: *duo genera sunt, aculeatum, & crispum, quod brevius: alterum læve, quod aliqui paderota vocant, alii melamphyllum.* Lævis, est quem ἄκανθον absolutè nominat Dioscorides. Nam alterum illum aculeatum ἄγριον ἄκανθον vocat, & uno eodemque capite de duobus generibus tractat. Ἄκανθος, οἱ δὲ μελάμφυλλον, οἱ δὲ παιδέρωτα καλοῦσι, φύεται ἐν παραδείσοις. Ita scribendum apud Dioscoridem. Hoc est alterum Plinii genus, quod læve esse dicit, hoc est, sine spinis & aculeis, quod & melamphyllum, & pæderota vocatum scribit. Hæc est urbana, & topiaria acanthus, quæ nascitur in hortis crepidines marginum, pulvinorumque toros vestiens. Hanc minimè, ut apparet, novere Herbarii illi, qui spinosam nobis tradunt brancam ursinam, quum acanthus illa veterum prorsus spinis careat. Fuchsius de branca ursina: *spinosa enim & hæc quidem herba est, sed mollibus duntaxat spinis, ideoque à Virgilio mollis acanthus dicitur.* Nihil ineptius, & falsius. *Mollem acanthum* vocat poëta lentum & in opere topiario flecti facilem. Sic *mollia crura* equorum eidem flexibilia. Et *mollia colla*, quæ facile flectuntur:

---- *& mollia colla reflectunt.*

Eodem sensu *molle siler* dixit, non quod mollibus spinis inhorresceret. Quod est absurdissimum.

---- *Ut molle siler, lentæque genistæ.*

Potuisset & lentum siler, mollesque genistas vice versa dicere. *Flexi vimen acanthi* idem poëta alibi dicit, quibus *mollem acanthum* interpretatur. Joculare sane est *mollem acanthum* dici velle, qui mollibus spinis aculeatus sit. Aculeis in totum carentem, ac prorsus lævem sic appellari ratio magis postularet. Sed nec illud tolerabilius, quod omnes uno consensu Dioscoridis interpretes acantho urbanæ aculeos ex eodem Dioscoride adstruunt his ejus verbis: Καυλὸν λεῖον, δίπηχυν, πάχος δακτύλου, ἐκ διαστημάτων πρὸς τῇ κορυφῇ περιειλημμένον φυλλαρίοις τισὶν, οἱονεὶ κιτταρίοις ὑπομήκεσιν ὑακινθώδεσιν, ἐξ ὧν τὸ ἄνθος λευκόν. Ita omnia legunt Dioscoridis exemplaria, etiam vetustissimum illud Regium tam sæpe nobis laudatum. Marcellus Virgilius primus ἀκανθώδεσι pro ὑακινθώδεσι correxit, quem deinceps in commentationibus, & interpretationibus suis sequuti sunt alii omnes. Nihil aculeorum esse in hac acantho tam ex Plinio, quam Dioscoride constat. Sequenti capite hîc scribit: γίνεται δὲ καὶ ἀγρία ἄκανθος, ὁμοία σκολύμῳ, ἀκανθώδης, βραχυτέρα τῆς ἐν παραδείσοις. Ergo quæ ἐν παραδείσοις, urbana nempe, & topiaria, minimè ἀκανθώδης. Quod & planè ac diserte testatur Plinius. Eam esse *brancam ursinam* vulgarem nullo modo potest dubitari. Prorsus aculeis caret. Quo argumento doctissimi quidam Herbarii nolunt videri eam esse cum acantho topiaria veterum, quia acanthus illa Dioscoridi aculeata. Dubitare igitur desinant, quandoquidem jam illa acanthus spinosa desiit esse per me. Verba Dioscoridis videamus. Caulem

A acanthi scribit esse, πρὸς τῇ κορυφῇ περιειλημμένον φυλλαρίοις τισὶν οἱονεὶ κιτταρίοις, ὑπομήκεσιν ὑακινθώδεσιν, ἐξ ὧν τὸ ἄνθος. Ita omnes habent libri. Sed quænam sunt illa κιττάρια? Vulgus interpretum ἀντὶ τῶν κυττάρων accipiunt, & *nucamenta* exponunt. Verum aliud τὰ κιττάρια, aliud οἱ κύτταροι. In piceis, ac pinis arboribus κύτταροι dicuntur flores ipsi, vel quod instar florum est. Hoc veluti spica oblonga est squamatim compacta, quæ squamæ maturitate arefactæ follicantur, ac decidunt. Ita enim Græci definiunt τὸν κύτταρον, τὴν προανάνθησιν τῆς πίτυος, ἥτις ἐστὶν ὡς στάχυς μικρὸς ἐκ μεγάλων πυρῶν, ξηραινόμενος δὲ φυλακοῦται καὶ ἀποπίπτει. Grammatici κυττάρους vocant, ac scribunt, non κιττάρους.

B Et falluntur doctissimi medici, qui in definitionum medicarum lexico κιττάρους proponunt ἀντὶ τῶν κυττάρων. His porro κυττάροις, vel nucamentis pinorum oblongis similia videri non possunt foliola illa, quæ caulem acanthi in summitate ipsa circumdant. Alias κύτταρος quamlibet concavam capacitatem significat, ut calices glandium, nidi vesparum, foramina favorum, & omnia ejusmodi ἀγγειώδη. Hinc & οὐρανοῦ κύτταρον Aristophanes dixit. Inde etiam nucamenta picearum κύτταροι vocantur, quia φυλακοῦνται. Ex his liquere potest, nullum heîc habere locum τοὺς κυττάρους.

C Vetus Herbarius Græcus, qui in codice Dioscoridis antiquissimo pingendas artifici manu curavit omnium plantarum figuras, τὰ κιττάρια heîc accepit pro foliis hederæ. Talia quippe antiquarius pictor effinxit in acanthi summitate, sed paulo productiora foliis hederæ, quia scilicet in Græco habetur, οἱονεὶ κιτταρίοις ὑπομήκεσι. Certè κίτταρα sunt hederæ folia, ut ἴναρα τῆς οἴνης, hoc est, vitis. Verum non minus ille falsus est, quam illi, qui κυττάρους somniarunt, & nucamenta. Κίτταρις est fascia, vel diadema. Hesychius: κίτταρις, διάδημα, ὃ φοροῦσι Κύπριοι. Οἱ δὲ τὰ διαδήματα φοροῦντες, κίτταροι καλοῦνται. Ita scribit Pollux & alii. Inde

D κιττάριον, parva fascia. Fasciæ tamen non similia illa foliola. De mitra, qualis erat Phrygia, vel pileo incurvo potest accipi, qui etiam κίδαρις dicebatur. Folia acanthi, quæ summum cauliculum ambiunt, talia sunt. Ὑακινθώδη vocat fortasse à similitudine florum hyacinthi, non vulgaris, sed fabularis. Errant etiam, qui ad colorem hyacinthi referunt. Ὑακινθίζον χρῶμα, vel ὑακίνθινον dicitur color hyacinthinus, ut τὸ μηλίζον, & μήλινον, melinum. At τὸ ὑακινθῶδες ad formam referri debet, ut τὸ βοτρυῶδες, quod instar habet racemi. Hæc forma tamen etiam in colore obtinet, ut ποῶδες, κροκώδες.

E Non male vero hyacinthi Ajacii figuram præferunt foliola illa, quæ cauliculum acanthi cingunt, repandis per oram labris. De eo hyacintho nos infra pluribus. Vix sane hæc possunt aliam interpretationem recipere. Addit Dioscorides de acantho: θυρσοειδὴς δὲ ἡ κεφαλή. Nihil istic errarunt Latini interpretes, qui ad verbum reddidere: *Capitulum thyrsi figura.* Qui Gallicam Dioscoridis versionem dederunt, verba illa sic reddiderunt: *à la mode d'une houpe, ou comme un bouquet.* Recte illi quidem. Sed tamen advertere debuerunt non unum fuisse thyrsorum modum, aut

F faciem. Papyro thyrsi caput tribuit Plinius, ex Græcis Theophrasti, sed θυρσοειδῆ κεφαλὴν eam interpretatur, quæ in gracilitatem fastigatum cacumen includit. Atqui non eadem est figura apicis thyrsici in papyro & in acantho topiaria. Qualis fuerit papyri summitas Plinius clare ostendit de papyro loquens, cujus & verba obiter emendabimus, & explicabimus, frustra à viris magnis tentata. Sic vulgo scribitur: *Papyrum ergo nascitur in palustribus Ægypti, aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagatæ stagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali radicis obliquæ crassitudine, triangulis lateribus in gracilitatem fastigatum, thyrsi modo cacumen includens.*

G *Semine nullo, aut usu ejus alio quam floris ad coronandos deos.* Priusquam de cacumine thyrsi dicamus, locum ipsum ventilabimus. Totus ex Theophrasto expressus est, sed Pliniano more, hoc est, negligenter & oscitabundè. Quod enim de radice Theophrastus scribit, ipse de caule dicit, & cetera mirificè involvit, ac turbat. Verba Theophrasti: πάχος μὲν οὖν τῆς ῥίζης, καρπὸς ἀνδρὸς εὐρώστου, μῆκος δὲ ὑπὲρ δέκα πήχεις. Radicis crassitudinem ait esse, ut est καρπὸς hominis robusti. Plinius vertit *brachialem*, sed aliud est καρπὸς, aliud brachium.

Alia

Alia est crassitudo brachii, qua parte cubito committitur, alia qua manui jungitur. Καρπὸν hanc proprie dicunt. Primam partem palmæ Celsus vocat. Glossæ *internodium*. Καρπὸς, *internodium*. Præterea falsum, quod idem Plinius ponit, *brachiali radicis obliquæ crassitudine*, Nec enim hac crassitudine sunt obliquæ radices papyri, sed illa tantum, quæ recta demittitur. Hæc porro alias radices obliquas in limum emittit, quæ tenues sunt & densæ, nec illam habent crassitudinem. Verba Theophrasti si emendata proponantur, id manifestè indicant. Sic legitur vulgo: πάχ⊕ μὲν ὖν τῆς ῥίζης καρπὸς ἀνδρὸς εὐρώςε, μῆκ⊕ ᾗ ὑπὲρ δέκα πήχεις. Φύεται ᾗ ὑπὲρ τῆς γῆς αὐτῆς πλαγίας ῥίζας εἰς τὸν πηλὸν καθιεῖσα, λεπτὰς ἢ πυκνάς, ἄνω ᾗ τὰς παπύρους καλυμμένας τριγώνας. Nihil in his sani, nec recte interpretes, nec rectius summi viri emendatores egere. De radice loquitur, cui crassitudinem tribuit manus internodii, longitudinem decem cubitorum. Φύεται ᾗ, inquit, ὑπὲρ τῆς γῆς αὐτῆς, ea nempe radix. At quomodo fieri potest, ut radix supra terram sit? Radix non est radix, nisi terra tegatur. Nemo non mihi assentietur emendanti: φύει ᾗ ὑπὸ τῆς γῆς αὐτὴ πλαγίας ῥίζας εἰς τὸν πηλὸν καθιεῖσα λεπτὰς, ἢ πυκνάς, ἄνω ᾗ τὰς παπύρους καλυμμένας, μέγεθος ὡς τετραπήχεις. Hæc indubitata, & palmaris correctio. Radix illa, quæ crassitudinem habet ᾗ καρπῦ, longitudinem decem cubitorum, sub terra quidem alias radiculas emittit in limum obliquas, tenues, ac spissas, supra terram vero ἄνω ᾗ φύει scilicet & emittit τὰς παπύρους καλυμένας, caules nimirum ipsos, qui papyri vocantur. Istud ἄνω ᾗ apertè arguit scriptum fuisse ὑπὸ τῆς γῆς, non ὑπὲρ. Radix illa magna ὑπὸ τῆς γῆς multas parvas, ac tenues radiculas obliquas fundit, supra terram stirpes ipsas & caules, qui vocantur papyri. Scripsisse etiam Theophrastum, φύει ᾗ, non φύεται, quod sequitur, ostendit, ἄνω ᾗ τὰς παπύρους καλυμένας. Nam, quo hæc referas, non haberes. Nec enim cum καθιεῖσα possunt construi. Et ridicula est viri docti emendatio. Πλαγίας ῥίζας εἰς τὸν πηλὸν καθιεῖσα, λεπτὰς ᾗ ἢ πυκνὰς ἄνω τὰς παπύρους. Quæ deorsum radices demittunt, recte καθιέναι τὰς ῥίζας dicantur. At radix καθιεῖσα ἄνω τὰς παπύρους neutiquam dici queat, nisi summa vertantur imis, & omnia fiant retro. Nam καθιέναι est deorsum mittere, ἀνιέναι sursum. Hinc apud Dioscoridem φυτὰ dicuntur τὸν καυλὸν, τὰ φύλλα ἀνιέναι, quia sursum emittunt. Ridiculè porro Plinius papyri radicem obliquam brachiali crassitudine ait esse. Non una radix obliqua in papyro, sed plures è majore radice prodeuntes, eæque tenues, & parvæ. Scribitur in veteri libro: *brachiali radices obliquæ crassitudine*. Πλαγίας ῥίζας dixit quidem Theophrastus, sed constructio Pliniana legendum postulat *radicis*. Præterea nec radices illæ obliquæ ea sunt crassitudine, sed magistra radix. *Brachiali radicis obliquæ crassitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine*. Nulla in his verbis transpositio, ut putat Guillandinus, sed hallucinatio Plinii, qui radicis longitudinem papyro ipsi, id est, cauli tribuit. Atqui Theophrastus radicem decem cubita longam facit, papyros ipsos μέγεθ⊕ ὡς τετραπήχεις, quatuor cubitorum longitudine. Sic ille hæc miscuit, & confudit jure suo, ac more perpetuo. Sequitur: *in gracilitatem fastigatum, thyrsi modo cacumen includens*, hoc est, cacumen in gracilitatem thyrsi modo fastigatum includens. Ita enim distinguendum. Non hæc figura est capitis papyri, sed ex his constat thyrsos in gracilitatem coni instar fuisse fastigatos. Hinc θυρσοειδὴς κεφαλὴ acanthi hoc loco Dioscoridis, quod in gracilitatem fastigatur. Tale cacumen visitur in branca ursina, & in ea, quæ est silvestris acanthus. Hinc κῶνον, θύρσον explicant Grammatici. Thyrsorum sane non una est figura in antiquis monumentis. Aliis veluti globus impositus conspicitur. Hac specie papyrus thyrsinum caput habet, nec in gracilitatem tenuatur, sed densam, & opacam comam in summitate habet. Alii vero thyrsi frondibus amicti usque ad summum gracilescunt, ut conigeræ arbores, vel coni picearum. Ad hanc formam plane capita sunt acanthi topiariæ. Plinius de isto genere thyrsorum intellexit apud Theophrastum κόμιω ἀκρέαν θυρσίνω. Atqui caput papyri longe distat à capite acanthi, quum utrumque thyrsi faciem repræsentare tradunt auctores Grammatici veteres θύρσον interpretantur κλάδον. Ra-

A mus arboris proprie talis, frondosus nempe, & comis amictus, qui in gracilitatem fastigatur. Cauliculi quoque herbarum plerumque tales, ab ima parte, quæ crassior est, in gracile fastigium tenuantur. Inde & *thyrsos* pro caulibus usurparunt. Servius ad XII. Æneid. *Caulem autem medium fruticis, qui vulgo thyrsus dicitur*. Hesychius: θύρσ⊕, ῥάβδ⊕, βακτηρία βακχική, ἢ κλάδ⊕. Idem λαμπάδα interpretatur: θύρσοι, κλάδοι, λαμπάδες, λύχνοι. Et hæc quoque lampadum, sive facium ardentium forma est: in summo accensæ globus flammeus in conum surgens existit. Vetus Epigramma.

Καὶ θύρσε χλοερὸν κωνοφόρε κάμακα.

B Vocat θύρσον κωνόφορον, cui coni instar summitati baculi impositum est. Hinc θύρσιον θύμον, de capitato, in cujus cauliculis summis capitella cono similia sunt. Profecto cauliculi acanthi plane fastigantur gracilitate thyrsica, sed in summo non habent spissam panniculam, qualis cernitur in summitate papyri. Qui sane dici non potest in gracilitatem fastigatum thyrsi modo cacumen includere. Caulis acanthi foliis usque ad summum vestitus est, in gracilitatem minuens. Papyri caules leves sunt, in summo caput habent thyrsi. Alisma herba est, quam Dioscorides κεφαλὴν θυρσοειδῆ habere dicit: καυλὸς ᾗ λεπτὸς, ἁπλῦς, ὑπὲρ πῆχυν, ἔχων
C κεφάλιον θυρσοειδὲς. Ita scribendum. Plinius: *Caule tenui, simplici, capite thyrsi*. Non potest igitur esse alisma, quod nobis pro alismate obtrudunt doctissimi Herbarii, cui nullum thyrsi caput. Antiquus Herbarius in vetusto codice pro alismate plantaginem cum spica delineandam curavit. Quidam λογχωτοὶ θύρσοι dicuntur à veteribus, quos non puto sic appellatos, quod lanceas haberent obtectas frondibus, sed à forma lanceæ, quæ ex lato principio in acumen desinit. Sic λογχωτὸν chalcanthum, cujus stiria in modum lanciolæ dependet, qua forma stiriæ gelu concretæ è tectis sæpe pendere
D solent. Vetus Epigramma:

---- καὶ τὸ εὔθυρσον
Τῦτο τὸ λογχωτὸν, καὶ τὸ περισφύρεον.

Græcis λόγχη proprie ferrum conti, vel hastæ, ab imo latius in acumen desinens. τὸ δόρατ⊕ σίδηρον interpretantur Grammatici. In venabulis etiam, quæ προβόλια Græci vocant, λόγχη ferrum prominens dicebatur. Sed planum hoc erat, & alis utrimque extantibus, sensimque gracilescentibus usque ad acumen. Pollux: καὶ δεῖ τῶν πτερύγων ἑκατέραν πλατυνομένην παχυτέραν ὖσαν ἀπολεπτύνεσθαί τε καὶ ἀποστενῦσθ' κτ' μικρὸν ὑπολήγυσαν ἄχρι πρὸς γλῶτταν. *Lingua* autem dicebatur acumen, vel mucro
E hujusmodi lanceæ. A forma λόγχης, non dubium est quin θύρσ⊕ λογχωτὸς dictus sit, ut χάλκανθον λογχωτόν. Unica voce vocatus etiam θυρσόλογχ⊕. Thyrsi sensim tenuescentes, & in gracilitatem fastigatum cacumen includentes sic appellati. Ad hoc instar acanthi cauliculi. Alius vero generis, ac formæ θυρσοειδὴς κεφαλὴ in papyro, in thymo, in alismate, & aliis quibusdam. Nam thyrsi hac facie etiam fiebant, ut baculo, vel fusti caput κωνοειδὲς, aliquando etiam σφαιροειδὲς imponeretur. De his alibi. Apud Theophrastum nihil habetur de thyrsico papyri capite. Græca Theophrasti: κόμιω ἔχοντας ἀχρεῖαν ἀσθενῆ. Nihil in his, quod mire-
F ris, de cacumine thyrsi modo in gracilitatem fastigato, & tamen certum est Theophrastea illa Plinium in historia papyri reddidisse. Corrigebat itaque vir magnus, κόμης ἔχοντας κάχρυν ἀσθενῆ. Sed nihil κάχρυς ad hunc locum. Rectius emendaveris Plinio ipso auctore, κόμιω ἔχοντας ἀκρέαν θυρσίνω. Hoc est, quod Plinius ad verbum reddidit, *in gracilitatem fastigatum thyrsi modo cacumen includens*. Pro ἀκρέαν correctores reposuerunt ἀχρεῖαν, quia alterum ignorabant. Ἄκρε⊕ pro ἄκρ⊕, & ἀκρέον pro ἄκρον, quo veteres Græci passim usi sunt, Hippocrates, aliique. Dioscorides etiam & Galenus
G sic loquuntur, ut antea docuimus. Frustra est vir magnus, qui superiora verba sic legebat, *thyrsi modo cacumen includens semine nullo*. Sequentia etiam sic constituebat: *semine nullo, aut usu ejus alio floris ad deos coronandos*. Quasi nullum florem haberet ad coronarium opus, ut nec ullum semen. Totum sic lego, ac distinguo: *in gracilitatem fastigatum, thyrsi modo cacumen includens, nullo semine, haud alio quam floris usu ad deos coronandos*. Nullam heîc fecimus mutationem, nisi quod pro *aut*

 scri-

scripsimus *haud*. Et sane vetus scriptura, ut apparet, *haut*.
Nec aliter legi potest. Coma papyri thyrsi modo cacumen includit, & in conum desinit, nullum semen habet: non alium vero usum, quam floris ad coronandos deos. Non dicit papyrum florem habere, sed usum floris præ-
A stare comam ejus diis coronandis. Atque hæc quidem obiter. Figuram acanthi ex vetustissimo codice Dioscoridis heîc subjiciam, qualem Græcus Herbarius antiquus pingendam curavit, non quod ad fidem veri censeam expressam, sed antiquitatis gratia.

ACANTHUS.



B Hæc acanthi facies, nec cum Dioscoridis verbis satis quadrat, nec cum acantho Herbariorum, quæ branca est ursina. Folia illa, quæ in summo posuit caule, similia sunt hederæ foliis, quod deprehendi ex foliis certi generis hederæ, quam in eodem libro depictam reperi. Similia prorsus sunt, nisi quod hæc paulo longiora. κιττάρια igitur in verbis Dioscoridis pro hederæ foliis accepit. Præterea colore hyacinthino ea imbuit, quia scilicet ὑακινθώδη sic quoque interpretabatur. Potueram ex eodem libro imaginem heîc etiam adpingere silvestris acanthi, sed tanti non est visum. Ab hac topiaria herba
C limbus, qui extremitates vestium ambiebat, ἄκανθος dictus Virgilio. Ubi inepte Servius de vestimentis, quæ ἀκάνθινα Græci vocarunt, accepit. Atqui ex certo genere spinæ, quam ἀκάνθιον dicebant, ea texi moris erat, de quibus nos suprà. Hesychius: ἄκανθος, περίεργμα ὑφασμένον. Isidorus: *Acanthus herba Ægyptia semper frondens, spinis plena, flexibili virgulto, in cujus imitationem vestis ornatur, quæ acanthina dicitur.* Multiplex hallucinatio. Acanthon herbam topiariam confundit cum acantho Ægyptia, quæ herba est, & vestem *acanthinam* putat dictam ab illa Ægyptia acantho, quæ vocata est ab
D acanthio spinæ, sive cardui genere, cujus flores παπώδεις texendæ vesti utiles habebantur. Hujusmodi acanthii lanuginem cum semine ipso vidimus, quæ sericum delicatissimum vincebat. Spina quoque Ægyptia arbor ἄκανθος vocata est absolute, quæ flores coronariis, & medicis conferebat, in totum diversa ab acacia, spinosa & ipsa arbore in eadem Ægypto nascente, quæ succum è foliis, & fructu expressum dabat multi usus in medicina. Eadem etiam & gummim fundebat. Marcellus Empiricus:

Acaciam, propolimque, & adarcen, cnecon, acanthon.

Incertum de qua acantho intelligere velit. Utraque sanè in medicina haud parvi usus fuit. Sed & herba illa Ægyptia spinosa, quam & Arabicam dixere, etiam ἄ-
B κανθος Galeno appellatur. Περὶ ἀκάνθης Αἰγυπτίας, ἄκανθος Αἰγυπτία, ἔνιοι δὲ Ἀραβικὴν ὀνομάζουσι. Hinc Servius, & post eum Isidorus acanthon herbam topiariam passim in Græcia nascentem, cum hac acantho Ægyptia herba, sive Arabica confundunt. Non unum genus spinæ in Ægypto. Quæ res turbavit veteres scriptores in plerisque. Scribit Theophrastus in eadem Ægypto circa Memphim nasci fruticem quendam spinosum, cujus folium simile pennis. Si quis attigerit ramulos, folia illa veluti sicca decidunt, sed mox renascun-
C tur, virentque. Verba ejus apponam: ὕλημα δὲ ἴδιόν τι ὅλως φύεται περὶ Μέμφιν, ὃ καὶ φύλλα, καὶ βλαστούς, καὶ τὴν ὅλην μορφὴν ἔχει οὐ τῶν ἰδίων, ἀλλ' εἰς τὸ συμβαῖνον περὶ αὐτὸ πάθος. Ἡ μὲν γὰρ πρόσοψις ἀκανθώδης ἐστὶν αὐτοῦ, καὶ τὸ φύλλον παρόμοιον ταῖς πτέρυξι, &c. Sic legendum. Perperam legitur, οὐ τὸ ἴδιον. Dicit nihil peculiare habere hunc fruticem circa folia, aut ramos, & reliquum instar, sed propria qualitate quadam naturæ, qua afficitur. Ὕλημα Theophrasto frutex est parvus. Hinc τὰ δένδρα, & ὑλήματα ubique distinguit. Immo totam rem plantarum εἰς δένδρα & ὑλήματα dividit. Τῶν δένδρων nomine non solum arbores, sed etiam θάμνους δενδρώδεις, frutices gran-
D diores comprehendit; τῶν ὑλημάτων appellatione minores frutices, virgulta & herbas etiam complectitur. Lib. I. Hist. cap. XVI. Φυλλάκανθον δὲ ὅλως, ἐν μὲν τοῖς δένδροις οὐκ ἐστὶν οὐδέν, ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις ὑλήμασίν ἐστιν, οἷον ἥ τε ἄκορνα, καὶ ἡ δρυπίς, καὶ ὁ ἄκανος, καὶ σχεδὸν ἅπαν τὸ τῶν ἀκανθωδῶν γένος. Hæc omnia, quæ inter ὑλήματα nominavit, è spinosarum sunt herbarum, & carduorum genere. Et lib. IV. cap. VII. Ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ θαλάττῃ φύεται ὑλήματα ἔνια, ἐν τε τῇ ἔξω καὶ περὶ ἡμᾶς, καὶ δένδρα. Coralium quod in mari nascitur ὕλημα est. Idem lib. IV. capitibus V. & VI. raphanum, centaurium,
E & absinthium, quæ sunt herbæ, ὑλήματα vocat. Ἀλλὰ μᾶλλον τῶν ἄλλων ὑλημάτων ἔνια τοὺς ψυχροὺς ἐκζητεῖ τόπους, καθάπερ κενταύρειον, ἀψίνθιον. Ad hoc exemplum Latini etiam *silvam* de herbis dixere. Virgilius primo Georgicῶn: ---- *subit*

----subit aspera silva,
Lappæque tribulique.

Ubi *asperam silvam* vocat τὰ τραχέα ὑλήματα, herbas spinis asperas, ut sunt lappæ & tribuli. Notat ibi Servius *silvam* de herba dici. Sanè Græci ὕλην de arboribus, fruticibus, & herbis promiscuè usurpant. Eupolis inducit capras in Comœdia Αἶγες, quæ se ὕλης ἀπὸ παντοδαπῆς pabulum habere gloriantur, & arbores non solum ibi recenset, sed etiam frutices, & herbas. Ἰατρικὴ ὕλη omnia ea complectitur. *Silvam* Isidorus ait *breve esse, ac spissum nemus.* Apud Theophrastum ὑλήματα herbæ sunt, vel frutices, non arbores, ut ex his, quę jam diximus, constat. Igitur ὕλημα illud περὶ Μέμφιν, quod peculiare hoc habet, ut tactis ejus ramulis folia decidant, & postea renascantur, de herba, vel frutice accipiendum, interpretes *materiam* vertunt, haud scio quam bene. *Materia* de arboribus, immo de arborum ligno, & trabibus potius dicitur. Sed longè enormius peccavit Plinius, qui ex herba fecit arborem, eamque maximam. Sic enim Theophrasti locum reddidit lib. XIII. cap. X. *Silvestris & circa Memphim regio tam vastis arboribus, ut terni non quirent circumplecti, unius peculiari miraculo, nec pomum propter, usumve aliquem, sed eventum, facies ei est spinæ, folia habet ceu pinnas, quæ tactis ab homine ramis cadunt protinus, ac postea renascuntur.* Sic legendus locus è veteribus libris. Quod ὕλημα dixit Theophrastus, cujus & proprietatem eam narravit, heîc Plinius arborem vult esse, & unam ex illis quidem, quæ silvestrem tractum reddunt circa Memphim, quarum arborum tanta erat magnitudo, ut terni circumplecti eas non quirent. Atqui ὕλημα, ut dixi, frutex est humilis, vel herba. Propter hoc ὕλημα regionem circa Memphim silvestrem fuisse finxit Plinius, quia ὕλη silvam significat, & quidem plerumque magnarum arborum. Ut apud illum: *Silva alta Jovis.* Inter illas igitur arbores, quæ silvestrem regionem faciunt circa Memphidem, & hoc ὕλημα ponitur à Plinio veluti arbor magna illius silvæ. Quod est absurdissimum, & falsissimum. Theophrastus expositis arboribus, & fruticibus, quæ soli Ægyptii peculiares sunt, ultimo loco retulit hoc genus ὑλήματος, quod notabile esse dicit propter ἴδιόν τι πάθος, quale ibi narratur. Expositis his inquam omnibus ita subjicit: καὶ τὰ μὲν ἴδια τῆς χώρας ὅσα ἂν ἢ δένδρα τις ἢ θάμνους εἴποι, τὰ γὰρ ἐπιφανέστερα ταῦτ᾽ ἐστί. Inter plantas Ægyptii soli proprias, quas ibi descripsit, nullus est θάμνος, excepto hoc uno ὑλήματι, quod postremo loco posuit: quippe ceteræ omnes arbores sunt. Ergo ὕλημα hoc loco est frutex. Subjungit deinde omnes arbores, quæ in cælo Ægyptio nascuntur, crassitudinis & excelsitatis miræ esse, adeo ut circa Memphim hujusmodi existat arbor, quam terni homines non queant circumplecti: ἅπαντα δὲ ἐν τῇ χώρᾳ τὰ δένδρα τὰ τοιαῦτα μεγάλα, καὶ τοῖς μήκεσι, καὶ τοῖς πάχεσιν. Ἐν γοῦν Μέμφιδι τηλικοῦτον εἶναι δένδρον τὸ πάχος ὃ τρεῖς ἄνδρες οὐ δύνανται περιλαμβάνειν. Plinius non hæc distinxit, sed mera mapalia fecit, & inter arbores illas, quas terni homines circumplecti vix quiti erant, hoc ὕλημα retulit, & regionem circa Memphim propterea silvestrem esse voluit, quasi ὕλημα silva esset. Præterea τὸ συμβαῖνον πάθος περὶ τὸ φυτὸν improprie & ineptè vertit *eventum.* Eventus quidem est τὸ σύμβαμα, τὸ συμβαῖνον. Sed aliud est τὸ συμβαῖνον πάθος arboris. Proprietas, qualitas, & affectus quidam arboris à natura illi contingens hac voce designatur. Ἐστὶν αὐτοῦ καὶ τὸ φύλλον ὅμοιον πτέρυξιν. Ita legit in Græcis Plinius, vel πτεροῖσι, dum vertit, *folia ceu pinnas habet.* Dalecampius legi volebat ὅμοιον πτερίσι, *filici simile.* Sed quid opus: cum & ipsa filix inde nomen Grece sortita sit, quod *folia* habeat ἐντετμημένα καὶ ἀνηπλωμένα ὡς πτέρυξ. Latinum quoque nomen ex Græco πτιλὶς *pilix*, & *filix*, ut πτίσσω, *piso.* Et Αἴας, *Ajax.* Sed & ex πτερὶς deduci potest. Nam veteres scribebant *felix*, & *felicata opera*, & *felico.* Πτερὶς *felix*, ut λείριον, *lilium.* Ceterum arbor acaciæ, sicut eam nobis pingunt neoterici, qui affirmant in Ægypto vidisse, haud absimilia filici folia gerit. Haud absurde posset adstrui hoc ὕλημα spinosum, cujus meminit Theophrastus, cui folia similia tribuit filici, aliorum esse ἀκακίαν spinam. Θαμνῶδες illud δένδρον, & ἀκανθῶδες, & folia examussim illi figurę Theophrasti respondentia. Hoc diversum, quod folia ejus tactis ab homine ramis non cadunt.

A Sane hodiéque tradunt folia acaciæ perticis ab homine decuti, ut sint pabulo pecoribus. Hoc aliter tum potuit narrari, ut solent omnia in majus extolli ab his, qui regiones longinquas lustrarunt. Profecto quæcunque Theophrastus prodit de utroque genere spinæ Ægyptiæ, haud satis conveniunt in spinam acaciam, hoc uno excepto, quod fructum in siliquis habere dicit, & coriariis ad coria perficienda usum præbere. Nomen acaciæ non novit Theophrastus. Mirum porro est, cum Theophrastus adeo diligenter, & accuratè plantas omnes, & arbores descripserit Ægypti peculiares, nihil nec eum, nec quemquam veterum de casia, quam B fistulam vocant, memorasse, quæ hodie per totam Ægyptum frequentissima. An dicendum non fuisse tunc in Ægypto eam arborem? Quis igitur illam in ea loca transtulit, aut quando, aut unde? Melius fortasse, ac verius dixerimus, nec caruisse tum Ægyptum eo genere arboris, sed veteres usum ejus in medicina ignorasse, ipsamque arborem sub alio nomine cognitam, & fortasse absque nomine cum aliis generibus comprehendisse, & confudisse. Casiæ arbor siliquas fert longas: æque spina Ægyptia fructum in longis siliquis habet. Quid si veteres propter solam siliquam congeneres istas arbores fecere? Quid si inquam duo genera C spinæ Ægyptiæ propterea constituerunt? Objiciet heîc aliquis casiæ arborem spinis carere, ea propter non posse sub hoc nomen, ac genus includi. An non & duo acanthi topiariæ herbæ genera faciunt, quorum alterum aculeatum, alterum læve, ac sine aculeis? Plinius de acantho: *alterum læve, quod aliqui pæderota vocant, aliqui melamphyllum.* Atqui huic lævi, & minimè spinoso nihilominus nomen acanthi hæsit: immo sic proprie, & absolutè vocabatur. Dioscorides: ἄκανθος, οἱ δὲ παιδέρωτα, οἱ δὲ μελάμφυλλον καλοῦσι. Sic acanthi Ægyptiæ arboris duo genera fuerint, alterum nigrum, alterum al-D bum. Nigrum videtur casia nostra fuisse: album idem fortasse cum acacia veterum. Rationes producamus. Scribit Theophrastus acanthon Ægyptiam adeo magnam esse arborem, ut materies ex ea cæderetur tectis idonea, quæ duodenos cubitos esset longa, hoc est, pedes viginti quatuor, vel etiam triginta. Qualem oportet, & quam altam, crassamque fuisse arborem, è qua trabes fierent hujus longitudinis? Hæc altitudo adprimè convenit casiæ arbori, non spinæ Ægyptiæ, quæ verè spina est. Namque eam recentiores Theophrasto auctores longe humiliorem, pumilioremque tradunt. Quippe Dioscorides myrrhæ arborem similem ait esse E spinæ Ægyptiæ: σμύρνα δάκρυόν ἐστι δένδρου γεννωμένου ἐν Ἀραβίᾳ, ὁμοίου τῇ Αἰγυπτιακῇ ἀκάνθῃ. Myrrhæ arbor humilis admodum, utpote quam ultra quinque cubita non assurgere dicat Theophrastus. Idem Dioscorides ἀκακίαν, quæ spina est Ægyptia, δενδρώδη & θαμνοειδῆ vocat. Thuris arborem etiam humiliorem myrrha, Αἰγυπτιακῆς ἀκάνθης τῆς λευκῆς instar habuisse tradit Diodorus Siculus. Ergo ex duobus illis generibus spinæ Ægyptiæ humilior, ac repressior alba. Ex nigra itaque sumebantur illæ trigenariæ materiæ, non ex alba. Namque inutilis erat ædificiis alba, quod facile putresceret, & minus firma esset. Contrà nigra ἰσχυρὰ, καὶ ἄσηπτος. Ideo navigiorum F costis utilissima habebatur, quod etiam in aquis incorrupta duraret. Tale hodieque memorant lignum esse casiæ fistulæ, durum, solidum, nigrumque gayaci instar. Candidæ contra, ut apparet, exalbidum, & infirmum. Dioscorides, ut jam ante docebamus, non videtur duo genera spinæ Ægyptiacę, sed unum novisse, ut qui myrrhæ arborem simpliciter similem dicat Αἰγυπτιακῇ τῇ ἀκάνθῃ. Quod de nigra verum non potest esse, quæ tam grandis erat arbos. Sed & in descriptione acaciæ, quam eamdem fuisse volunt cum Ægyptiaca spina, nullam facit mentionem divisionis in album, & nigrum genus. G Candida igitur spina Ægyptia ea est, quam proprie, & absolutè, solamque Αἰγυπτιακῆς ἀκάνθης nomine donat Dioscorides, quam & alii ἀκακίαν nominaverunt. Quare videntur illi, qui duo genera fecere spinæ Ægyptiæ, casiam nostram genus alterum constituisse, & nigram appellasse, a ligni colore, quamvis spinis careret. Quæ ratio videtur aliis extorsisse, ut ne eam sub hoc genere spinulento involverent. Ceterum utraque siliquas fert prælongas, nec multum dissimiles. Ex can-

candidæ ſiliquis ſuccus exprimebatur multiplicis uſus in medicina, quem tamen ignoraſſe videtur Theophraſtus, quia nec meminit. Hodie vero in totum ignotus eſt. Etenim quam pro veræ acaciæ ſucco venditant hodierni pharmacopolæ, cum ex prunis ſilveſtribus conficiunt vulgo. Florem Ægyptiæ ſpinæ medicamentis utilem fuiſſe narrat idem Theophraſtus: τὸ ἄνθ☉ φαρμακῶδες, διὸ ἢ συλλέγουσιν οἱ ἰατροί. De ſucco, qui exprimebatur è ſiliquis, & fructu, nihil dicit. E contra Dioſcorides, aliique poſteriores nihil de floris medicamento ſcriptum reliquere. Tempore Theophraſti fructus, qui poſtea ad medelas ſucco inde expreſſo converſus eſt, coriis perficiendis gallæ vice apud indigenas tantum ſerviebat. Ὁ ᵹ καρπὸς, inquit, ἔλλοβ☉ καθάπερ τῶν χεδροπῶν, ᾧ χρῶνται οἱ ἐγχώριοι πρὸς τὰ δέρματα ἀντὶ κηκῖδ☉. At vice verſa nigræ ſpinæ Ægyptiæ ſiliqua, quam caſiam noſtram putamus eſſe, nullo in uſu tunc fuit, quem nunc habet in medicina plurimum. Fortaſſean & ſucco ejus, qui niger eſt, & pinguis, perficiendis, tingendiſque coriis tum utebantur. Acaciæ uſus, & ratio hodie prorſus ignoratur, qui ſuccus erat Ægyptiæ ſpinæ candidæ. Caſia olim neſciebatur, qui ſuccus eſt ſiliquæ è nigra ſpina Ægyptia. Nomen ipſum, quo hodie caſiam appellamus, ſatis indicio eſt, id verum eſſe, quod diximus. Hoc quippe nomen ex uno genere ad alterum tranſlatum eſt. *Caſiam* infima ætas dixit, quam *acaciam* vetus dicebat, more tralatitio poſterioris latinitatis C in S. vertendo. Quod & idiotiſmus noſter in multis retinuit. Sic ex latino placere fecimus *pluiſir*. Ex racemo *raiſin*. *Saccire* dicebant veteres τὸ σακκίζειν, nos *ſaiſir*. Infima etiam latinitas *ſaſire*, ut ex Marculphi formulis conſtat. Ita Sarracenos vocamus *Sarraſinos*. In aliis ſexcentis hoc ita ſe habere comperies. Acacia igitur veterum, caſia noſtra eſt. Certe ex illo nomine nomen iſtud effictum eſt. Nec enim tam ſtupidi ſumus, ut dicamus, acaciam veterum eſſe caſiam noſtram, aut eadem poteſtate utramque cenſeri. Sed cum caſiæ noſtræ arborem multi antiquorum ſub genere ſpinæ Ægyptiæ comprehenderint, eamque genus illud fecerint, quod nigrum vocabatur, utramque ſpinam acaciam quidam appellarunt, alii candidam tantùm hoc nomine nuncuparunt. Inde factum eſt, ut perdito uſu, ac nomine veræ acaciæ, qualis fuit apud veteres, idem nominis hæſerit alteri generi, poſtquam in notitiam editum eſt. Nec magna ſanè hæc nominis depravatio eſt, *caſiam* pro *acacia* dixiſſe. Profecto hæc caſia noſtra, quam vocant ſolutivam, nihil prorſus habet commune cum caſia aromatica, nec nomen; ergo inde mutuatum, aut factum ex aliqua ſimilitudine. Auctuarius κασσίαν μέλαιναν appellat. Alii paſſim *caſiam fiſtulam*. Marinus Sanutus, qui ante trecentos annos ſcripſit, ita eam vocat lib. 1. partis 1. cap. 111. *Naſcuntur etiam in terris Soldano ſubjectis & maxime in Ægypto dactyli, & caſia fiſtula in magna quantitate, de quibus per mare noſtrum ad plures partes mundi pars non modica diffunditur.* Atqui id nominis magis convenit aromaticæ caſiæ, quam Græci σύριγγα vocarunt, & nos inde *cannellam*, hoc eſt, συρίγγιον. Inanis quippe intus, & cava inſtar fiſtulæ, cum caſiæ Ægyptiæ ſiliqua ſolida ſit, ac plena granis, & ſucco, quod fiſtulæ non convenit. Sed ſiliquam illam videntur & fiſtulam vocaſſe recentiores à forma oblonga, & fiſtulis hodiernis ſimili, τοῖς μονοκαλάμοις, quas dulces proprie vocant. Veterum quippe fiſtulæ, αἱ σύριγγες, non adeo longæ, & ſeptenis ordinibus calamorum erant compactæ. Quod inſtar in caſia Indica vel lignea viſitur, quam & ideo *cannellam* recens ævum dixit. Nam canna eſt σύριγξ. Fiſtulæ hodiernæ longè alia forma, cui ſimiles ſpecie ſunt ſiliquæ caſiæ Ægyptiæ. Hinc *caſiam fiſtulam* eam appellarunt. Nec errore id accidit interpretum, qui Arabes auctores verterunt, ut quidam ſibi perſuadent. Arabes porro illi caſiæ hujus Ægyptiæ primi uſum monſtraverunt, quem veteres habuerunt incognitum, quum tamen arbor ipſa antiquorum illorum ævo in Ægypto paſſim, ut hodie, naſceretur. Quæ de nomine ejus heîc diſſeruimus, vera non aſſerimus, ſed ut veriſimilia in medio relinquimus. Quid ſtatuas, aut quid dubites in tanta veterum auctorum inconſtantia, atque opinionum varietate, vix ſatis ſcias. Spina Ægyptia Galeno herba eſt, quæ Dioſcoridi ſpina Arabica vocatur. Plinio ſpina Ægyptia eſt arbos, eademque cum ſpina Arabica. Theophraſto ἄκανθα Αἰγυπτία arbor quoque eſt, atque ea in duo genera dividitur, candidæ, nigræque. Acaciam ſimiliter dividit Plinius. Eam alii cum Ægyptia ſpina arbore eamdem conſtituunt: alii acaciam ab Ægyptia ſpina ſeparant. Strabo ἄκανθαν Αἰγυπτίαν ſecernere videtur ἀπὸ τῆς Θηβαϊκῆς, & utramque facit arborem. Acaciam veterum nunc nemo novit: caſia noſtra veteribus erat incognita. Alia multa concurrunt in hac ancipiti ſententiarum ſuper his ſpinis ambage, quæ nunc non evolvo. Sed jam tempus ex iſtis ſenticetis plantam evellere. Profecto quid ſit ἀκανθολογεῖν neſcio, ſi hoc non eſt.

Niſi odore cremati ſtoracis occurrant, inſanabiles plerumque morbos contrahant] Hæc falſa ſunt, ac ἀνιςόρητα. Arabibus inſanabiles plerumque morbos ex fumo thuris noxio contrahi dicit, niſi odore cremati ſtoracis occurrant. Plinius ſimpliciter dicit Arabas, & Sabæos præcipue odore acri ſtyracis in focis abigere ſuorum faſtidium, hoc eſt, thuris & myrrhæ, qui odores licet ſuaviſſimi, propter nimis frequentem & aſſiduum uſum pariunt ſui faſtidium Arabibus. Quod faſtidium ut abſtergeant mutatione odoris peregrini & inuſitati, ſtyracem ex Syria revehunt, & incendunt. Verba Plinii apponam, ut & emendem: *ex Syria revehunt ſtyracem acri odore ejus abigentes ſuorum faſtidium. Cetero non alia ligni genera ſunt in uſu, quam odorata: ciboſque Sabæi coquunt thuris ligno, alii myrrhæ, oppidorum, vicorumque non ex aris fumo, atque nidore, ad hunc ergo ſanandum urunt ſtyracem, ſuffimque ledta.* Omnino corrigendum: *ad hoc ergo ſanandum.* Id eſt, ad hoc faſtidium ſanandum, & abſtergendum. Quibus ex verbis inſanabiles morbos è thuris fumo valde noxio contractos ſanari ſibi imaginatus eſt noſter. Sequitur apud Plinium: *adeo nulla eſt voluptas, quæ non aſſiduitate ſui faſtidium pariat.* Solum igitur faſtidium è perpete uſu ſuorum odorum contractum cremati ſtyracis ſuffitu expellunt Arabes, non morbos ſanant. Præterea non ſimpliciter ſolum ſtyracem cremari dicit Plinius ab Arabibus, ſed in pellibus hircinis, quarum odor uſtarum graviſſimus, & ingratiſſimus. Alioquin ſtyrax ipſe per ſe odoratus, & ſuavis, cum incenditur, & eo thymiamate olim utebantur in cærimoniis deorum. Strabo de ſtyrace: τούτῳ ᵹ πλείςῳ θυμιάματι χρῶνται οἱ δεισιδαίμονες. Ceterum, ut ait ille,

Voluptates commendat rarior uſus.

Proinde minimam eſſe odorum gratiam, ac voluptatem apud Arabes propter aſſiduitatis faſtidium tradidit etiam Agatharchides his verbis: παρ' αὐτοῖς ᵹ τοῖς Σαβαίοις ἡ μὲν ὀσμὴ τῶν εὐωδῶν ἀκροτάτη, ἡ ᵹ χάρις ἐλλιπὴς, τὸ γὰρ ἐνδελεχὲς ἐκνηπίου, κινεῖ μὲν τὴν αἴσθησιν ἧττον, ἀμβλυτέραν ᵹ κατασκευάζει, μεταβολῆς τοῖς βίοις οὐχ ὑποκειμένης. Quæ verba poteſt videri Plinius legiſſe, & expreſſiſſe. Huic faſtidio occurrebant mutatione odorum, ſtyrace nempe incenſo. De quo nihil Agatharchides, qui ſtatim ſubjicit, nimis acri odorum virtute laxari, ac diſſolvi corporis compagem, διαπνεομένου ᵹ σώματ☉ ὑπ' ἀκρατου ἢ τμητικῆς δυνάμεως, ἢ τὴν σύμμετρον πύκνωσιν ἀποπλεονάζούσης, ὥστε ἄγειν εἰς ἔκλυσιν ἐχάτην. Sic legenda illa. Inde fuerint inſanabiles illi morbi, quos contrahere Arabes dicit Solinus ex noxio fumo myrrhæ ſarmentorum, quibus ignes adolebant. Sed his morbis ſanandis ſuffitu ſtyracis eoſdem uti, nec Plinius, nec Agatharchides dixerint. Quî enim id pote? Quum ſtyracis odor non multum ab odore myrrhæ differat. Dioſcorides de optimo ſtyrace: εὑρίσκεται ᵹ ἢ δάκρυον κόμμει ἐοικὸς, διαυγὲς, σμυρνίζον. Et Serapio ſtyracem liquidum cum ſtacte, id eſt, myrrha liquida confundat. Sic contraria contrariis ferè curantur, ut prædicant medicorum filii. Non video qua ratione poſſit noxa fumo lignorum myrrhæ contracta ſuffitu ſtyracis extrahi, aut prohiberi. Huic malo remedium eſſe bitumen crematum, & hircinæ barbæ ſuffitum docet ibidem Agatharchides: τό τε δὴ ἀσφάλτου βραχὺ περιθυμιῶντες, ἢ τράγου πώγωνα τοῖς τοιούτοις ἀφαιροῦνται τὴν ἄγαν εὐώδη τῆς ἀποφορᾶς ὑπερβολήν. Sic malis, & injucundis odoribus corrigunt, & temperant exceſſum noxium bonorum τῇ μίξει τοῦ δοκοῦντ☉ λυπεῖν τὸ τῆς ἡδονῆς βλαβερὸν ὑποκαταστέλλοντες. Græ-

Græcis τράγε πώγων herbæ genus est, quæ haud scio an malo sit odore cum incenditur. Immo certum est non esse, nec quicquam de eo auctores Herbarii tradunt. De vera itaque hirci barba accipiendum. Diodorus Siculus, qui ex Agatharchide sumpsit omnia, quæ de Arabia scribit, ita habet: διαπνεομένε γὰρ τοῦ σώματος ὑπ' ἀκράτε, καὶ τμητικῆς φύσεως, ἡ τῆς συγκρίσεως τῶν ὄγκων εἰς ἀραίωμα συναγομένης ἔκλυσις ἐπακολουθεῖ δυσβοήθητος. Διόπερ τοῖς τοιέτοις ἄσφαλτον παραθυμιῶσι, καὶ τράγε πώγωνα τῇ ἐναντίᾳ φύσει καταμαχόμενοι τὴν ὑπερβολὴν τῆς εὐωδίας. Hi sunt insanabiles morbi, quos Arabes contrahunt ex vehementia, & assiduitate suavium odorum. Ἔκλυσιν δυσβοήθητον totius corporis. Huic malo obviam eunt non mutatione bonorum odorum, sed τῇ ἐναντίᾳ φύσει, contrariis scilicet, id est, malis, & fœtidis odoribus, hircinæ barbæ, & bituminis suffitu. Artemidorus apud Strabonem, qui pæne ad verbum omnia Arabica sua ex eodem Agatharchide hausit, κάρον vocat hunc Arabum morbum ex ὑπερβολῇ τῆς εὐωδίας contractum: καρέμενοι δ' ὑπὸ τῶν εὐωδιῶν αἴρεσι τὸν κάρον ἀσφάλτε θυμιάμασι, καὶ τράγε πώγωνι. Sed aliud κάρος, aliud ἔκλυσις σώματος, & utrumque diversis ex causis forte Artemidorus apud Agatharchidem, τῆς ἐπιφορᾶς ὑπερβολὴν legerit. Ita enim hodieque scribitur in excerptis Agatharchidis apud Photium. Ἐπιφορὰ est κάρος. Sed ἀποφορᾶς legit Diodorus, qui εὐώδη ἀποφορὰν dixit εὐωδίαν. Agatharchides sic scripsit: τοῖς τοιέτοις ἀφαιρεῦνται τὴν ἄγαν εὐώδη τῆς ἀποφορᾶς ὑπερβολήν. Pro quibus Diodorus posuit, τοῖς τοιέτοις καταμαχόμενοι τὴν ὑπερβολὴν τῆς εὐωδίας. De styrace nihil illi. Nec certe verum est ad tollendos morbos è myrrhæ odore contractos styracis odorem Arabes ussisse vulgo. Sed duas res in unum miscuit Solinus. Ad abigendum suorum odorum fastidium peregrinos, & exteros odores Arabibus expetitos scribit Plinius eodem capite. In Elymæos petebant arborem brathin, quæ jucundi odoris est accensa. Sic legendum suprà docuimus, non *arborem brutam*, ut vulgo habetur. In Palatino codice erat, *arborem bratym*. Ea est βράθυς Græcorum, & *herba Sabina* Latinorum.

Herbaque thuris opes priscis imitata Sabinis.

Petebant & in Carmanos arborem aliam *strobon*, quam ad suffitus perfusam uno palmeo accendebant. Ex Syria styracem revehebant. Hos omnes odores peregrè petitos, sed suaves non minus, & jucundos urebant abstergendo fastidio eorum, quibus abundabant ipsi, ut thuris, myrrhæ & aliorum. At morbis illis, quos incurrebant ex nimietate, ac vehementia bonorum odorum, sive κάρος erat ille, sive totius corporis defectio, non styracis suffitu occurrere solebant, sed malis & contrariis odoribus, ut bitumine accenso, & hircinæ barbæ pilis. Hi corporis ὄγκες & πόρες τῇ τμητικῇ δυνάμει suaveolentium nimis rarefactos tristitia sua solidabant rursus, ac densabant. Diodorus ὄγκες vocat, ut methodici solebant, qui hominem ex multis ὄγκοις, & corpusculis constare ajunt, quos & πόρες nominant. Hinc σύγκρισιν τῶν ὄγκων εἰς ἀραίωμα ἐναγομένην, relaxatam, ac rarefactam corpusculorum illorum, sive meatuum concretionem dicebant. Agatharchides σύμμετρον πύκνωσιν vocat σύγκρισιν illam τῶν ὄγκων, quæ nec nimis laxa est, nec nimis rara. Aliæ sunt significationes τῶν ὄγκων apud medicos, & philosophos, de quibus nos alibi. Utramque rem Plinius quoque confudit: nam Arabes dicit styracem urere in pellibus hircinis ad sanandum suorum odorum fastidium. Alterum faciebant ad fastidium pellendum: alterum ad morbos sanandos. At Herodotus styracem ab Arabibus incendi scribit, cum thus colligunt, ut ejus odore serpentes pinnatas abigant, qui thuris arbores custodiunt. Hoc idem & Plinius ibidem observat: *eumdem & ad serpentes fugandas urunt in odoriferis silvis frequentissimas.* Sic Agatharchides & Diodorus serpentium πλῆθος ajunt esse κατὰ τὰς εὐωδεστάτες δρυμὲς Arabum. Ita solet Plinius ille ex diversis auctoribus omnia congerere nullo digesta judicio.

Arabes sarmentis ejus ignes fovent] Alii myrrhæ, alii thuris, ut Sabæi. Plinius: *cibosque Sabæi coquunt thuris ligno, alii myrrha.* Cur igitur myrrhæ tantum meminit? Nec enim hujus tantùm fumus noxius, sed etiam thuris, & aliorum odoramentorum, quæ passim urunt Arabes apud se nascentia.

Cremati storacis] Ita libri omnes nostri. Plinio semper *styrax* dicitur, ut Græcis. Latini antiqui *storacem* dixerunt. Virgilius in Scylla:

Et storace Idæo vinctos perfusa capillos.

Χρῖσμα συράκινον intelligit. Terentius in Adelphis:

Storax, non rediit hac nocte à cœna Æschinus.

Ibi Donatus: *& ab odore puer Storax.* Στύραξ nimirum in Græca fabula hic puer vocabatur. Sic ψεῦδυλος Græcè, Plauto dictus *Pseudolus*. Quam malè à dolo dictum argutantur, aut ψεύδωλος. Ψεύδυλος, ut Φείδυλος. Hinc *storax calamita* hodieque in officinis. Sed quare dictus καλαμίτης disputant medici. Rationem nominis hanc esse volunt, quod harundinibus obvolutus afferretur. Ideo autem harundinibus reconditum haberi, ne expiraret, & vires amitteret. Hoc de dictamno quidem Cretico scribit Theophrastus, sed ideo in ferulis, & harundinibus servabatur, quod facillimè odorem suum exspiraret, & minus virium haberet, ἀποπνεῦσαν. At storax diutissimè odorem suum servat, nec secus ac myrrha, & alia gummium genera odoratorum in massa afferebatur, & in pellibus hircinis, & saccis. Hodie in vesicis afferunt, aut in massa. Plinius de styrace: *arbor est eodem nomine, cotoneo malo similis, lacrima ex austero jucundioris, intus similitudo harundinis, succo prægnans.* Plinium heîc reprehendunt, quod explicare conatus sit, cur καλαμίτης styrax dicatur, idque absurdè. Immo ipsi absurdi. Lacrima hodie sic vocatur *storax calamita*, quem à liquido storace distinguunt. At Plinius loquitur de arbore, quam intus harundinis similitudinem habere dixit. Quare? Quia lignum intus omne à vermibus erodebatur, qui faciem arboris interiorem sic exesam ad instar harundinis reddebant, sola superficie exteriore relicta, ut in harundine, quod Plinius non intellexit. Disertè tradit hoc Strabo lib. XII de styracis arbore: ἐγγίνεται γὰρ ἐν τοῖς στελέχεσι ξυλοφάγε τι σκώληκος εἶδος ὃ μέχρι τῆς ἐπιφανείας διαφαγὸν τὸ ξύλον. At Plinius natura sua arborem illam harundini intus similem esse vult, id est, concavam, & succo prægnantem: & in eam advolare circa canis ortum vermiculos pinnatos, à quibus eroditur. Strabo vero innasci ἐγγίνεσθαι arboris codici vermiculos illos, à quibus cavatur, & harundini intus similis efficitur. Exeso igitur ligno prima pars succi, quæ inde manabat, scobe mixta circa arboris radicem adcumulabatur. Τὸ μὲν πρῶτον πιτύροις, ἢ πρίσμασιν ἐοικός τι ψῆγμα προχεῖ, ἢ σωρὸς συνίσταται πρὸς τῇ ῥίζῃ. Hunc *chymatiam* styraca vocarunt, τὸν χυματίαν, quod abundanter efflueret, & χύδην emanaret, magnaque mole circa imam arboris partem consideret. Χύδην est σωρηδόν. Et χύμα idem quod σωρὸς, & magna cujuslibet rei copia. Hinc κασίας χύμα πλεῖστον apud Arrianum in periplu rubri maris: ἐξάγεται δὲ ἀπὸ τῶν τόπων κασίας χύμα πλεῖστον. Nec opus erat emendare χεῦμα πλεῖστον, contra librorum auctoritatem. Ex eo dicimus vulgo *magnam fusionem* pro magna copia, id est, μέγα χύμα. Hinc χυδαῖον, quod passim, & trivialiter abundat. Igitur à voce χύμα storax χυματίας is est, quem diximus. Ut à χῶμα χωματίας. Unde χωματίαι λίθοι. Perperam doctissimi hodie medici *chrymatiam* legunt, & scribunt pro *chymatia*. Exinanita jam arbore, & omni exhausta scobe cum plurimo succo, lacrima, quæ deinde manabat purior & defæcatior, more gummis concrescens, eam καλαμίτην σύρακα nominarunt, quod ex arbore in modum harundinis concava, & vacua profluxisset. Strabo: μετὰ δὲ ταῦτα ἀπολείβεταί τις ὑγρασία δεχομένη πῆξιν ῥᾳδίαν παραπλησίαν τῷ κόμμει. Hic styrax ut præstantissimus, ita rarissimus: nam talis non largiter fluebat, utpote qui post exhaustam omnem scobem, & plurimam succi copiam, qua prægnans erat arbor, manabat. Dioscorides: δοκιμάζεται δὲ ἡ δάκρυον κόμμει ἐοικὸς, διαυγὲς, σμυρνίζον, ὀλίγον δὲ τοῦτο γίνεται. Hodie omnem styracem siccum ita vocant. Isidorus de storace: distillatio ejus in terram cadens munda non est, sed cum proprii corticis scobe servatur: *illa autem, quæ virgis, & calamis inhæserit, munda est, & albida: dehinc fulva fit solis causa, & ipsa storax calamites, pinguis, resinosa,*

resinosa, odoris jucundi, humecta, & veluti mellosum liquorem emittens. Optimum storacem haberi dicit, qui calamis, & virgis adhæserit, eumque ideo calamiten appellari. Quibus verbis unice explicationem nostram confirmat. Habet illa ex antiquo auctore. Sed virga styracis non suapte natura calami, aut harundinis instar habet, verùm κατὰ τὸ συμβαῖνον πάθος, ut & in casia fistulæ. Quippe eroso intus ligno, & scobe egesta cum ipso liquore virgæ exenteratæ harundini similes sunt. Gutta, quæ postea egeritur, calamis illis adhærescit, & concrescit, qui purissimus est, & mundissimus styrax, quique speciem habet gummis. Atque hic etiam rarissimus. Hic est omnino, quem στάγονα στύρακος, & γῦτλαι στύρακος vocatum suprà docuimus. Dioscorides δάκρυον κόμμει ἐοικὸς appellat. Galenus στύρακα τὸν ἐν καλάμοις appellat, id est, καλαμίτην. Hic omnium præstantissimus in Theriacam, quæ Augustis parabatur, addi solebat. De eo quippe genere styracis interpretatus est Galenus in compositione Theriacæ Andromachi senioris, quam versibus ille descripsit Elegiacis. Verba Galeni: Στύρακα δὲ δηλονότι τὸν ἐν καλάμοις, φερόμενον ἐκ Παμφυλίας ἐμβάλλειν προσῆκεν, ὀλιγιστόν τε γινώμενον, καὶ τοσοῦτο διαφέροντα τῶν ἄλλων τούτου στύρακος, ὅσον ὁ Φαλερῖνος οἶνος τῶν ἀπεργαζομένων κατὰ καπηλεῖα. Ita distinguenda hæc verba. Vulgo editur, ac legitur: τὸν ἐν τοῖς καλάμοις φερόμενον. Et interpretantur afferri illum styracem in calamis, atque inde καλαμίτην dictum. Frustra sunt. Styracem, qui ingreditur in Theriacam Andromachi, de optimo illo genere exponit Galenus, qui dicebatur καλαμίτης, quem τὸν ἐν καλάμοις vocat, quod in morem gummi circa calamos concrescat guttatim fluens. Eum afferri dicit ex Pamphylia. Idem igitur est, ac si scripsisset: στύρακα δηλονότι τὸν καλαμίτην, φερόμενον ἐκ Παμφυλίας. Sic enim ubique loquuntur optimi auctores. Galenus ibidem: τὸ θλάσπι τὸ ἐκ Κρήτης φερόμενον, *quod affertur ex Creta.* Item paulo post: ὥσπερ οὐχ ἁπλῶς τὸ ἀπὸ Καππαδοκίας φερόμενον κράτιστόν ἐστι. *Quod ex Cappadocia advehitur.* Στύραξ autem καλαμίτης eodem plane sensu dicitur, quo ἀδάρκη καλαμῖτις, quæ calamis adhærescit, concreta quædam, ac salsuginosa lanugo. Apud auctores Veterinarios Græcos aliquot locis mentio occurrit ἀδάρκης καλαμίτιδος. Ut in Malagmate ad jumenta, & alibi. Quidquid porro dicant Medici nostri, Dioscorides duo genera facit styracis, alterum liquidius, alterum magis concretum ad instar gummis. De optimo styrace dicit probari τὸν ξανθὸν καὶ λιπαρὸν, ῥητινώδη, θρόμβους ἔχοντα ὑπολεύκους, καὶ ἐν τῷ μαλάσσεσθαι ἀνιέντα ὑγρασίαν τινὰ μελιτώδη. *Qui dum malaxatur, ac subigitur, melleum quemdam liquorem emittit.* Liquor ille melleus, qui è storace manat dum premitur, quid esse possit non video nisi sit liquidus storax. E myrrha similiter qui exprimebatur liquor, myrrha erat liquida, quam vocabant *stacten.* Quæ stacte ut per se unguentum faciebat, ita & storax. Virgilius:

Et storace Idæo vinctos perfusa capillos.

Ut storace liquido capillos perfundebant, ita & stacte, quam & myrrham Latini vocant:

Vibratos caldo ferro myrrhaque madentes.

Tota igitur via errant hodierni medici, qui storacem liquidum nullum veteribus cognitum fuisse volunt, & stacten esse sibi persuadent, qui hodie sic vocatur, quia Serapio storacem liquidum de stacte interpretatur. Falluntur. Certe nec myrrha liquida est, sed ex ea exprimitur stacte, qui liquor est myrrhæ facticius. Oribasius ad Eustathium de styrace optimo: καὶ ἐν τῷ μαλάσσεσθαι ἀνιεὶς ὑγρασίαν μελιτώδη. Unde illa ὑγρασία nisi ex liquido? Isidorus *destillationem humectam* vocat, *& veluti mellosum liquorem emittentem.* Ex illo liquore storacis fiebat χρῖσμα στυράκινον in Syria. Dioscorides: τὸ δὲ ἐξ αὐτοῦ σκευαζόμενον χρῖσμα στυράκινον, θερμαίνει, καὶ μαλάττει ἰσχυρῶς. Ut myrrha fuit alia θυμιατή, alia χριστή, quæ propriè στακτὴ dicebatur, liquidior ista, illa siccior, & friabilis: Sic στύραξ etiam fuit alius θυμιατὸς, alius χριστὸς, qui liquidus & remissus, ex altero expressio, & subacto. Fiebat olim stacte ex myrrha pars ejus liquidior, quæ & longe erat pretiosissima. Nunc non fit, sed nec myrrha ipsa satis sincera ad nos advehitur. Hæc causa est, quare Arabes & neoterici

A omnes medici storacem liquidum, vel storacis liquorem pro stacte hodie passim accipiant, quia nullam jam habemus stacten; storax autem vulgatior, & magnam habet cum myrrha affinitatem. Sequitur apud Dioscoridem de altero genere storacis planè concreti, ac sicci. Sic enim scribit: εὑρίσκεται δὲ καὶ δάκρυον κόμμει ἐοικὸς, διαυγὲς, σμυρνίζον, ὀλίγον δὲ τοῦτο γίνεται. Hæc lacrima storacis, quæ gummi similis est, & pellucida, σμυρνίζουσα, concreta utique, & siccior nullam ὑγρασίαν remittit, ut alia. Et hunc esse storacem puto, quem καλαμίτην vocarunt, ideo sic dictum, ut disertè Isidorus testatur, quod calamis, & virgis inhæresceret, B & concresceret. Hic, ut idem ait, albidus est, & mundus, instarque gummi pellucidus. Hinc hodieque siccum storacem vocant *calamitam.* At ille, qui in terram distillat cum scobe arboris, & corticis egestus, & effusus, immundus, & impurior, & rufus, immo etiam pinguior, liquidiorque. Hunc χυματίαν vocabant. Isidorus utrumque confundit. In sicciori genere albida, & pellucida lacrima probabatur, & gummi similis: in liquidiore ὁ ξανθὸς, καὶ λιπαρὸς ῥητινώδεις θρόμβους ἔχων ὑπολεύκους. Ita Oribasius. In utroque genere hic & illi præstantissimi: sed hic χυματίας, ille καλαμίτης. C Utriusque notas miscuit Isidorus, & uni eidemque generi adscripsit. Galenus optimum storacem è Pamphylia afferri solitum docet in calamis. Nempe in illis ipsis calamis, quibus concretus adhæserat, adferebatur tunc. Sic Plinius Pamphylicum ceteris acriorem asserit. Sic enim legendum ex libris: *exit in Pamphylia, sed acrior, minusque succosus.* Ergo siccior. Quem tamen videtur improbare Plinius, quia minus habeat succi, cum è contra Galenus eum, qui è Pamphylia advehebatur in calamis, tanto ceteris generibus præstare affirmet, quantum Falerni nota aliis vinis antistabat. Et illum esse mihi persuadeo, quem Dioscorides gummi similem reperiri D refert, cujus & parvam copiam esse, rarumque ideo inventu vult. Nam qui minus succosus, magis ad gummi accedit, isque acrior. Atque hic proprie καλαμίτης dicebatur, quod circa virgas, & calamos arboris concresceret, & in iisdem adferretur. Non necesse in calamis afferri solitum intelligere, cum ea distinctione, quam verbis Galeni adhibuimus suprà: στύρακα δηλονότι τὸν ἐν καλάμοις, φερόμενον ἐκ Παμφυλίας. Ubi στύραξ ἐν καλάμοις, est καλαμίτης. Male igitur Plinium reprehendunt, quod dixerit styracis arborem habere intus similitudinem harundinis. Quippe vel natura talis existebat, vel erosa intus à vermibus scobe talis evaE debat. Sic casiam vermibus intus eradendam curabant usque ad corticem, ut sic fieret συριγγώδης. Vide Theophrastum. Κασιόβορον hunc vermem vocabant. Hesychius: Κασιόβορος, ὁ ἐν κασίᾳ γινόμενος σκώληξ. Hæc κασία σύριγξ Andromachi apud Galenum. Σύριγξ & κάλαμος idem. Ita & styracis rami exenterati à vermibus calamis, & harundinibus similes intus evadebant. Scribendum apud Plinium: *Styrax laudatur post suprascripta ex Pisidia, Cypro, Cilicia, Creta: minimè ex Amano Syriæ medicis, sed unguentariis magis.* Perperam vulgo F legitur: *Creta minimè. Ex Amano Syriæ.* Dicit minimè laudari medicis, qui ex Amano Syriæ veniebat, sed unguentariis magis, quia fortasse magis succosus esset, ideoque unguentis, & χρίσμασιν utilior. Locus ille ita interpungi debet. Male etiam scribitur: *Ex Pisidia, Sidone, Cypro, Cilicia, Creta.* Inter provincias, & insulas urbem non nominasset. Adde quod optimi quidam libri habent, *Side.* Atqui ne id quidem verum. Nam *Side* urbs Pamphyliæ. At paulo post meminit styracis, qui in Pamphylia exibat. Illud *Side* perperam repetitum è fine præcedentis vocabuli, *Pisidis* aut *Pisidia.* Dioscorides: τοιοῦτος δέ ἐστι ὁ Γαβαλίτης, καὶ Πισιδικὸς, καὶ Κιλίκιος. Scribitur ibidem vulgo: *adulteratur* G *cedri resina, vel gummi, alias melle aut amygdalis amaris.* Scribe: *vel gummi alia, melle, aut amygdalis amaris.* Plinio *hæc gummis* ubique genere fœmineo enunciatur, ac declinatur. Quod omnibus fere locis corruperunt. In adulteratione styracis mel semper addebatur, quia melleum liquorem reddit pressus, qui optimus est. Falsa igitur lectio: *alias melle.* Dicit resina cedri adulterari, aut alia gummi. Paulo post libri habent: *pretium optimo* XVIII. Scribendum, *pretium optimo* x. VIII.

viii, id eſt, denarii octo. Nota denarii ſemper in libris, ac editionibus corrupta eſt, & tranſit in numeri notam. Atque hæc hactenus de ſtyrace.

Apud eoſdem naſcitur phœnix avis] Ante hæc verba veteres quidam habent locum de cinnamo, quem ſupra habuimus in Æthiopiæ capite. Heîc etiam habetur in optimo Regio codice, ad cujus oram antiquarius iſta notavit. *hoc totum de cinnamo, & heic & in ſuperiobus codex vetuſtus veræ fidei continebat.* Sic igitur & heîc ſcriptum id exhibent: *iidem Arabes legunt cinnamum.* Et cetera eodem modo quo ſuprà, paucis exceptis, quæ ibi notavimus. Non dubium eſt quin alterius editionis altera lectio fuerit. Nec enim veriſimile eſt eamdem hiſtoriam duobus locis iiſdem verbis poſuiſſe. Sed in altera Arabibus, in altera editione Æthiopibus eam adſcripſerat ex diverſorum auctorum ſententia. Κινναμωμοφόρον regionem Strabo, & Ptolemæus in Æthiopia ponunt. Plinius in Æthiopia naſci Troglodytis connubio permixta, eoſque id mercari à conterminis. Idem Plinius lib. vi. cap. xxix. *Promontorium, & portus Moſſylicus, quo cinnamomum devehitur. Huc uſque Seſoſtris exercitum duxit.* Cinnamomum, quod in Æthiopia naſcebatur, regione illi portui vicina, devehebatur in portum. Nam ad Moſſylum emporium ἡ κινναμωμοφόρ☉. Scribit Strabo Seſoſtrim exercitum duxiſſe uſque ad κινναμωμοφόρον, & Plinius uſque ad Moſſylicum emporium, qui portus erat τῆς κινναμωμοφόρου Æthiopiæ. Dioſcorides caſiam in Arabia odorifera naſci tradit, & tertiam ejus ſpeciem βλαςὸν μοσυλιτὴν vocat. Idem genus eximium cinnamomi μόσυλον indigetat, non quod ad Moſſylicum emporium proveniret, ſed quod ſimilitudinem præferret caſiæ Moſylitis. Herodotus prodit Arabes colligere cinnamum, ſed in nidis certi generis avium, quæ aliunde id deferant. Ex inſulis deſertis, & incognitis aves illas cinnamomum in Arabiam deferre canit Dionyſius περιηγητὴς. Agatharchides caſiam, & cinnamomum in Arabia provenire auctor eſt, nec aliter ſentit Theophraſtus, cujus hæc verba ſunt: γίνεται μὲν ὖν ὁ λίβαν☉, καὶ ἡ σμύρνα. καὶ ἡ κασία, καὶ ἔτι τὸ κινάμωμον ἐν τῇ τῶν Ἀράβων χερρονήσῳ, περί τε Σάβα, καὶ Ἀδράμυτα, καὶ Κιτίβαινα, καὶ Μάλι. Ita legendum, ut correximus. Ἀράβων χερρόνησον vocat Arabiam Felicem, ut Plinius *peninſulam* lib. xii. cap. xix. *Minimaque computatione millies centena millia ſeſtertium annis omnibus India & Seres, peninſulaque illa imperio noſtro adimunt.* Per peninſulam illam manifeſtum eſt intelligere Arabiam Felicem. Non eadem eſt hæc ſumma, quam lib. vi. cap. xxiii de ſola India poſuit, ut male ſibi perſuadent. Hæc verba ſunt, *digna res, nullo anno imperii noſtri minus ſeſtertio quingenties exhauriente India, & merces remittente, quæ apud nos centuplicato veneant.* Ita ſcribendum. Seſtertiûm quingenties efficit quingenties centena millia ſeſtertiûm. Quæ ſumma dimidio minor eſt. Sed ibi de India ſola loquebatur: heic de India, Seribus, & peninſula Arabiæ. Atque hæc hactenus. Notandum in ſuperioribus Theophraſti verbis diverſa deſignari loca Arabiæ Felicis, & ſingula eodem ordine reddi, quo aromata, quæ in iis naſcuntur, quod ſupra admonere oblitus fueram. Ὁ λιβανωτὸς, ἡ σμύρνα, ἡ κασία, τὸ κιννάμωμον naſcuntur, περὶ Σάβα, Ἀδράμωτα, Κιτίβαινα, καὶ Μάλι. Si ſingula ſingulis reſpondere faciamus, quo ordine dicta ſunt, thus naſcitur περὶ Σάβα. Unde *Sabæum thus.* Myrrha περὶ Ἀδράμωτα. Nam Ἀδράμωτα & Χατράμωτα eadem, ut docuimus. Et myrrham naſci in Chatramotiti regione ſuperius oſtendimus. Ergo caſia circa Citibæna, & cinnamum circa Mali naſcitur. Perperam pro *Mali* reponunt *Moſylum.* Arabiæ regionem deſignare voluit auctor, cum Moſylum ſit Æthiopiæ. In Æthiopia porro nec cinnamum, nec caſiam hodie naſci teſtantur mercatores, qui loca illa quotidie perluſtrant.

Aquilæ magnitudine] Plinius: *Aquilæ narratur magnitudine.* Herodotus: ἐς τὰ μάλιστα αἰετῷ περίηγησιν ὁμοιότατ☉, καὶ τὸ μέγεθος. Ezechiel vetus poëta apud Euſebium de phœnice: περὶ τοῦ Φοίνικ☉ ὀρνέου.

Ἕτερον δὲ πρὸς τοῖσδ᾽ εἴδομεν ζῶον ξένον
Θαυμαςὸν, οἷον οὐδέ πω ὤρακέ τις.

A Διπλοῦν γὰρ ἦν τὸ μῆκ☉ αἰετοῦ σχεδόν.

De phœnice ave illa dici, non de phœnicoptero, ut temere garriunt, præter ceteram deſcriptionem etiam hæc oſtendunt:

Βασιλεὺς δὲ πάντων ὀρνέων ἐφαίνετο
Ὡς ἦν νοῆσαι πάντα γὰρ τὰ πτῆν᾽ ὁμοῦ
Ὄπισθεν αὐτοῦ δειλιῶντ᾽ ἐπέσσυτο.

Incertus auctor de phœnice paria ſcribit:

Alituum ſtipata choro volat illa per æthram
Turbaque proſequitur munere læta pio.

Et Tacitus lib. vi. Annal. de phœnice: *advolaviſſe multo ceterarum volucrum comitatu, novam faciem mi-* B *rantium.*

Criſtatis faucibus] Hinc Plinium emendavimus: *criſtis fauces, caputque plumeo apice cohoneſtante.* Nam vulgo legitur, *criſtis faciem.* Libros habere notant *faces* pro *fauces*, ut etiam in quibuſdam reperitur.

Circa colla fulgore aureo, poſtera parte purpureus] Plinius: *auri fulgore circa colla, cetera purpureus.* Abſurdè Solinus *poſtera parte purpureum* dixit pro eo, quod Plinius dixerat, *cetera purpureum.* Quaſi præter alitis collum cetera omnia poſteræ parti dentur. Purpureum eſſe totum excepto collo, quod auri colore ful- C get, & cauda, quæ cærulea eſt diſtinguentibus roſeis pennis, vult Plinius. Ergo pars ejus anterior purpurea erat, ut puta pectus. Ezechiel.

Στῆθος μὲν αὐτοῦ πορφυροῦν ἐφαίνετο
Σκέλη δὲ μιλτόχρωτα, καὶ κατ᾽ αὐχένα
Κροκωτοῖνοις μαλλοῖσιν εὐπρεπίζετο.

Pectus purpureum, & collum croceum. Quod cum Plinio convenit, qui auri fulgorem circa colla illi tribuit. Herodotus: τὰ μὲν αὐτοῦ χρυσόκομα τῶν πτερῶν, τὰ δὲ ἐρυθρά. Lege: τὰ μὲν αὐτοῦ χρυσόκοκκα. Color χρυσόκοκκ☉ ex auro & cocco mixtus. Apulejus vulgaris in Herbario de baſilica: *eſt autem herba ſimilis rutæ, lactem* D *habens auroſum, ſimilem chelidoniæ, florem autem chryſococcum.* Vix credendum χρυσόκομα dixiſſe Herodotum pro χρύσεα. Auctor incertus de phœnice cetera rubrum eſſe canit, caudam vero habere χρυσοπορφυρῆν. Hoc enim iſta ſignificant:

Caudaque porrigitur fulvo diſtincta metallo,
In cujus maculis purpura miſta rubet.

Plane χρυσόκοκκον Herodoti expreſſit. Rubens purpura auro mixta chryſococcum colorem facit. Epiphanius in Phyſiologico: ὁ ταῶν χρυσῷ, καὶ ἀργύρῳ καταπάσσει τὰς πτέρυγας κέκτηται. Ὁ δὲ Φοίνιξ Ὑακίνθῳ, καὶ σμαράγδῳ, E καὶ λίθοις πολυτελέσι. Ita legendus ille locus. Malè καταπεπάσαι.

Capite honorato in conum plumis extantibus] Ita conjunximus, cum vulgò legeretur in omnibus: *capite honorato, in conum plumis extantibus*, Plinius: *criſtis fauces, caputque plumeo apice cohoneſtante.* Qui Plinio *plumeus apex*, Solino id ſunt *plumæ in conum extantes.* Ergo conum, & apex idem. Certè conum apex galeæ. Nam apex cujuſlibet rei ſummitatem ſignificat, ne pilei flaminici apicem ita proprie dici tantum cenſeas ex Grammaticorum veterum ſententia, qui ab F antiquo *apere*, id eſt, religare dictum nugantur. *Apices literarum*, αἱ κεραῖαι, τὰ ἄκρα τῶν γραμμάτων. Gloſſæ: *apex*, κεραία, γράμματος ἄκρον, προσῳδία, καὶ τὸ ἐπὶ τοῦ πίλου περίσημον. Eædem: *apices*, κεραίαι, ἄκραι συλλαβαὶ, κεραίαι. Et *montis apex* ἡ κορυφή. In galea, ut & in pileo τὸ περίσημον etiam dicebatur *apex* & *conum.* Virgilius:

---- *apicem tamen incita ſummum*
Haſta tulit.

Ad quem locum Servius: *galeæ, id eſt, eminentiæ, quam Græci conum vocant, in qua eminent criſtæ.* Heſychius: κῶνον περικεφαλαίας, καὶ ὁ τῆς πίτυ☉ καρπός. Immo, G τὸ τῆς περικεφαλαίας ἄκρον. Græcis κῶν☉ propriè, quod à rotunditate in acumen ſurgit. Gloſſæ: *conum*, κύμβαλον, καὶ τῆς περικεφαλαίας ἄκρον. Reſcribunt, κύμβαχον, quia Heſychio κύμβαχ☉ τὸ ἀνώτατον μέρ☉ τῆς περικεφαλαίας. Sed cur non & κύμβαλον? Nam ab eadem origine. Idem Heſychius: κύμβαλον, τὸ ἀκρότατον. *Conum* propriè in medio galeæ pars eminens e ferro, vel ære, quæ ad ornamentum, & inſigne varia forma fiebat, interdum facta, ut criſtæ, & pennæ in ea ponerentur, interdum & ſine pennis. Nam multæ galeæ

absque cono, vel apice, ut gregariorum militum: multæ cum cono quidem & apice, sed sine cristis, & pennis; aliæ cum utroque. Omnium exempla visuntur in antiquis monumentis. Polybius: *ἐπὶ πᾶσι τούτοις προσεπικοσμοῦνται πτερίνῳ στεφάνῳ, καὶ πτεροῖς φοινικίοις ἢ μέλασιν ὀρθοῖς τρισὶν ὡς πηχυαίοις τὸ μέγεθος.* Ubi πτέρινος στέφανος non est *plumeus apex*, ut vulgo vertunt, sed *crista*, vel plumea corona, e qua tres pennæ surgebant rectæ, cubitum altæ. Græci φάλους vocant lucidos clavos, vel asteriscos, aut clypeolos, quibus summa pars galeæ pro apice insignita erat. Hesychius: *τρυφάλεια περικεφαλαία τρεῖς ἔχουσα λαμπροὺς ἀστέρας ἢ ἥλους.* Etymologicum magnum φαλὸν interpretatur *τὸ προμετωπίδιον ἐπανάστημα*, & *ἀσπιδίσκιον ἢ λαμπρόν*. Nam *ἀσπιδίσκους* Græci vocat clavos capitatos in modum clypeolorum. Idem Hesychius: *φάλαρα ἀστραγαλίσκους τῆς περικεφαλαίας* exponit. Hi veluti nodi, & clypeoli in summo, ac medio galeæ. *Conum*, & *apicem* id propriè vocabant. Λόφον etiam vocabant Græci. Hesychius: *λόφος, τὸ τῆς γῆς ἐπανάστημα, καὶ τὸ ἄκρον τῆς περικεφαλαίας.* Et alibi φαλὸν τὸν λόφον τῆς περικεφαλαίας esse dicit, & revera φαλὸς & λόφος idem, & *apicem* utrumque significat, τὸ ἐπανάστημα scilicet, & quod in altum levatur. Alii τὸν λόφον ἀντὶ τῆς τριχώσεως, & pro juba acceperunt. Nam & λοφία juba equina, & λόφος cervix jumentorum. Φάλους etiam quidam veterum *συρίγγια* interpretati sunt, id est, tubos, vel fistulas, quibus immittebantur cristæ, jubæque. Hesychius: *κεράνα τὰ προσκεκολλημένα συρίγγια, εἰς ἃ τὰ πτερὰ ἐμβάλλεται.* Sed hæc distinguenda, & cum in fronte posita, & cum in summo galeæ, & cum ad continendas pinnas, & cristas facta, & cum sine his. Alia præterea apud Romanos, alia apud Græcos usitata, & diversis apud utrosque temporibus diversa. *Cristæ* etiam dicebantur non tantum pinnæ cono galeæ aptatæ, sed etiam ex ipso ferro laminæ eminentes, & rectæ, quæ mediam galeam dividebant. Vegetius: *Centuriones habebant galeas ferreas, sed transversis, & argentatis cristis, ut facilius agnoscerentur.* Quod cristas ibi vulgus interpretum cum doctissimis viris accipiunt de pinnis, aut jubis, sanè falluntur. Id sunt quod diximus. Et tales in antiquis expressas galeis videre est, hodieque passim in nostris. Glossæ: *crista, περικεφαλαία, καὶ λόφος ἀλέκτορος.* Crista galli, non est περικεφαλαία, sed λόφος περικεφαλαίας. Sed alludit ad illud poëtæ: *& cristæ capitum.* Ubi Grammatici notant partem pro toto dixisse, insigne galeæ pro galea. Sed de his nos alibi. Ut apices diversæ formæ in galeis veterum, ita in capite avium diversi generis apices natura posuit, quos sic explicat Plinius lib. XI. cap. XXXVII. *In capite paucis animalium nec nisi volucribus apices, diversi quidem generis: Phœnici plumarum serie è medio eo exeunte alio: pavonibus crinitis arbusculis: stymphalides cirro: phasianæ corniculis: præterea parvæ, quæ ab illo galerita appellata quondam: postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat alaudæ.* Quædam in his verbis explicanda, tum emendanda. Quid illa velint nescio, *plumarum serie è medio eo exeunte alio.* Scribendum plane auguror: *plumarum serie è medio eo exeunte alta.* Nihil verius. Dicit in capite paucis avium, & diversi quidem generis apices esse: phœnici esse plumarum serie alia exeunte è medio eo, id est, è medio capite. Ita enim subintelligendum. Caput pluma coopertum phœnici, ut ceteris avibus. E medio eo alia plumarum series exit, quæ apicem facit. *Apex*, & *conus* galeæ idem. At cujuscunque generis sint apices in capite avium, ita dicuntur, etiam si non extent coni figura. Quia *plumeum apicem* phœnicis vocavit Plinius, *in conum plumas extantes* pro eo dixit Solinus, quasi omnis apex conum referret. Auctor incertus *coronam radiatam* appellat phœnicis avis apicem:

Æquatur toto capiti radiata corona
Phœbæi referens verticis alta decus.

Ausonius:

Ales cinnameo radiatus tempora nido.

In quo versu explicando multùm laborant docti. *Nimbo* corrigebat Scaliger. Quod absurdum est. Nec enim *nimbus cinnameus* heic locum habere potest. Cinnamis nidum struere phœnicem notius est quam ut doceri debeat. Sola interpunctione sensus elici potest absque mutatione. Igitur distinguendum.

Ales cinnameo, radiatus tempora, nido.

Ales cinnameo nido phœnix est, quæ cinnamis nidum concinnat. Sic dictum, ut *domus, sanie dapibusque cruentis.* At *radiatus tempora* propter radiatum apicem plumeum, sive coronam. Epiphanius κίδαριν vocat apicem phœnicis: *κίδαριν γὰρ φέρει ἐπὶ τὴν κεφαλὴν, καὶ σφύρας κατέχει ἐπὶ τοῖς ποσὶν αὐτοῖς.* Legendum paulo post in verbis Plinii: *stymphalidi, cirro.* Nam libri habent *stymphalide.* Nec ferri potest *stympha-*
B *lides*, quod editum est. Iidem libri statim scribunt: *Phasianæ corniculis: præterea parvæ, aut quæ ab illo galerita.* Scribo ego: *phasianæ corniculis: præterea parvæ avi, quæ ab illo galerita appellata quondam, postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat alaudæ.* Insignis locus. Dicit cornicula apicem phasianæ facere, & præterea parvæ volucri, quæ ab illo apice corniculato galerita quondam appellata, postea dicta alauda Gallico vocabulo, etiam legioni nomen dederit. Phasianæ Colchicæ *geminas ex pluma aures submittunt, subriguntque*, ut idem ait lib. x. cap. XLVIII. Has plumeas aures,
C sive apices heîc vocat *cornicula.* Ita & galeritæ avis λόφον, sive apicem, quod instar sit corniculi. Atque inde dicta *galerita*, ἡ κορυδὸς Græcis, & κορυδαλίς, à corniculis scilicet galeæ. Præter ea, quæ supra diximus, varia galearum insignia etiam cornicula fuere, non cristæ plumeæ sectæ, ac divisæ in cornua, sed vera cornuum similitudo ære, vel ferro expressa. Clarissimè id colligitur ex hoc Plinii loco lib. x. cap. XLIII. *Nec non & recens fama Crateri Monocerotis cognomine in Erizena regione Asiæ corvorum opera venantis, eo quod devehebat in silvas eos insidentes corniculis humerisque.* Per *cornicula* palam est intelligi galeæ cornua,
D quibus insidebant corvi. Atque inde monoceros cognomen habuisse videtur ille Craterus ab unico galeæ corniculo, ut fortasse legendum sit, *insidentes corniculo, humerisque.* Nam in veteri libro scribitur: *corniculi umerisque.* Pro *Erizena* idem liber scribit, *Eriza.* Credo fuisse *Eresia*, ab Ereso urbe Lesbi insulæ. Ab illis porro corniculis comœdiæ Plautinæ nomen *Cornicularia*, in qua miles corniculis insignem galeam gestans traducebatur. Varro lib. IV. de L. L. *Itaque dictum in Cornicularia militis adventu quem circumeunt ludentes.*

E *Quid cessamus ludos facere, circus noster ecce adest.*

Ita legendus ille locus. Et lib. VI ex eadem fabula citat hunc versum:

Qui regi latrocinatus decem annos Demetrio.

Ut inde constet de milite factam illam comœdiam. Livius de Philippo Macedone lib. XXVII. *In arborem illatus impetu equi alterum cornu galeæ ad eminentem ramum perfregit.* De aliis etiam legitur cornua pro insigni in galeis habuisse. Nec dubium inde *corni-cularios* milites dictos in militia antiqua Romana. Genus militum erat honestiorum, qui ab galeæ parasemo sic dicebantur, beneficiarii ut plurimum Tribu-
F norum, aut Centurionum. Valerius lib. VI. cap. I. *M. Lectorii Mergi Tribuni militaris æquè similis fœdus exitus sequitur: cui Cominius Tribunus plebis diem dixit ad populum, quod cornicularium suum stupri causa appellasset.* Beneficiarius ille Tribuni militum fuit *cornicularius* dictus è corniculo galeæ, non quod cornu ductaret in cohorte Tribuni, ut ineptè censent viri doctissimi. Nec enim in acie, aut exercitu, sed nec in cohorte, vel ala *corniculum* dicitur pro cornu. Suetonius de Orbilio Grammatico: *primo apparituram fecit magistratibus, deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit.* Qui corniculum habent in galea, corni-
G culo merere dicuntur, ut equites equo. Sic *pedibus merere* dixit Mela, qui pedites militant, lib. I. cap. ult: de Jaxamathis: *apud easdem artes fœminæ, quas viri exercent, adeo ut ne militia quidem vacent. Viri pedibus merent, sagittisque depugnant: illæ equestre prælium ineunt.* Ita Ineptè legitur in vulgatis: *viri pedibus inhærent.* & corniculo merent, qui cum galea corniculo insignita militant. Nihil verius. Illi, qui beneficio Tribuni munerum vacationem impetrabant milites, *beneficiarii* ejus

ejus vocabantur, & quasi exempti gregariorum turbæ insignitas galeas corniculis, vel corniculo, id est, apice gestabant. Nam honorati militum hac maxime parte insignes. Lucanus:

Illic plebeia contectus casside vultus
Ignotusque hosti quod ferrum Brute tenebas.

Ubi *plebeia cassis*, quæ insigni caret: Ἄφαλον Græci vocant. Hesychius: ἄφαλος, περικεφαλαία μὴ ἔχουσα φάλους. φάλοι δ' εἰσὶ λαμπροὶ ἧλοι. In lapide antiquo provinciæ Narbonensis miles visitur legionarius galeam tenens, in qua cornua gemina recurva pro insigni habentur. Aliud est:

---- *& rubræ cornua cristæ.*

Sed & corniculum in galea pro quolibet apice dici potest. Nam κεραία corniculum, & apicem significat. Glossæ: *apex*, κεραία. Hesychius: κεραιοῦχος, δικαιοδότης ἀπὸ τοῦ ἐν πλοίοις κεραιούχου. Perperam. Κεραιοῦχος ad verbum est cornicularius. *Beneficiariorum* porro, & *corniculariorum* nomen ab antiqua militia ductum remansit in officiis Magistratuum posterioris ævi. Unde & *cornicularium* Cassiodorus à tribunalis cornu dictum asserit, & *corniculum agere* in codice Theodosio dicuntur cornicularii, quasi nomen esset alicujus officii, vel muneris corniculum. Sed cum nescirent tunc, unde cornicularii nomen olim habuissent, munus quod tum habebant sola nominis inducti ratione vocaverunt corniculum, ut alibi ostendam pluribus.

Postera parte purpureus absque cauda,] id est, excepta cauda. In aliis *extra caudam*. Atque ita schedæ Palatinæ, & liber excerptorum Solini.

Probatum est quadraginta & quingentis eum durare annis] Vulgo legitur apud Plinium: *sacrum in Arabia soli esse, vivere annis* DCLX. Apparet Solinum legisse, *annis* DXL. Et libri sanè Pliniani multi habent XL pro LX. Quidam etiam DXL. Et vulgatior est opinio de quingentis annis. Tacitus: *de numero annorum varia traduntur, maximè vulgatum quingentorum spatium.* Seneca: *tanquam phœnix anno quingentesimo semel nascitur.* Mela: *sed ubi quingentorum annorum ævo perpetua duravit.* Epiphanius: ὁ Φοῖνιξ τῆς Ἰνδίας ἐξιὼν κοιτάζεται, ἢ ἀμφὶ τὰ πεντακόσια ἔτη τὸν βίον διάγει. Mamilius senator, ita vocant Plinii libri, quingentis & quadraginta vivere scripserat, pari ævo cum anni magni conversione: quam alii mille quadringentis & sexaginta uno peragi secundum Ægyptios putabant, & totidem annos durare phœnicem. Unde opinio eorum, qui mille annos vitæ ei tribuunt, rotundo numero. Qua de re infrà.

Rogos suos struit cinnamis, quos prope Panchaïam concinnat] Nihil concinni est in hac constructione: *rogos suos cinnamis struit phœnix, quos prope Panchaïam concinnat, in Solis urbem strue altaribus superposita.* Hæc non cohærent. Præterea brevius dixisset: *rogos suos prope Panchaïam cinnamis concinnat.* Postremo hæc non concinunt Plinii, quem compilat, sententiæ. Non prope Panchaïam rogos suos struere dicit phœnicem, sed jam structos prope Panchaïam deferre in Solis urbem. Verba Plinii: *senescentem casia, thurisque surculis construere nidum, replere odoribus & super emori. Ex ossibus deinde & medullis ejus nasci primo ceu vermiculum: inde fieri pullum: principioque justa funeri priori reddere, & totum deferre nidum prope Panchaïam in Solis urbem, & in ara ibi deponere.* Obiter moneam oportet mendum in illis esse, *justa funeri priori reddere.* Legebam, *justa funeris priori reddere.* Sed cum libri omnes habeant *justa funera*, proclive est emendare *justa funerea.* Prope Panchaïam igitur nidum suum, sive rogum in Solis urbem defert phœnix, non prope Panchaïam concinnat. Itaque pro *concinnat* memini alibi emendare *continat*, quod est, continuo defert. Sic *continari* continuo sequi, & comitem sese dare suprà notavimus, *rogos suos struit cinnamis, quos prope Panchaïam continat in Solis urbem, strue altaribus superposita.* Omnino verbum heîc desideratur, quod devehendi, ac deferendi significationem habeat. Nam certum est ex omnium auctorum communi consensu phœnicem rogos suos deferre in Solis urbem. Fortè scripserat auctor: *quos prope Panchaïam convectat in Solis urbem.* Sed nihil verius quam *continare* eo sensu positum, quo docuimus. Ex quo proniore mutationis lapsu factum *concinnare* ab imperitis correctoribus. Solinus Plinium sequi-

A tur: quem an sequatur Plinius videndum. Historiam phœnicis avis è Mamilio Senatore refert. Urbem Solis, in quam nidum suum defert novus phœnix, prope Panchaïam collocat. Quod profectò valde miror. Nam omnes auctores Græci, Latinique consentiunt urbem eam Solis, in qua nidum suum deponit phœnix, Ægypti esse, à qua longe Panchaïa. Herodotus, Tacitus, Mela, auctor incertus de phœnice, Orus Apollo. Panchaïa juxta Diodorum, una est ex insulis illis, quæ in Indico Oceano contra Arabiam Felicem sitæ sunt, thuris & myrrhæ aliorumque odorum ferax. Ex illis insulis thus Indicum, & myrrha Indica afferebantur.

B De quibus nos suprà. Philargyrus Panchaïam regionem esse Arabiæ Felicis tradit, in qua templum Triphylii Jovis. Diodorus quoque Τριφυλίου Διὸς ἱερὸν in ea esse auctor est. Servius Panchaïam gentem esse Sabæorum notat, apud quam thus nascitur. Sed nugantur illi Grammatici. Nulla fuit Panchaïa regio in Arabia Felice. Sed quod in Panchaïa insula, ut in Arabia thus nasceretur. Inde Panchaïam partem, vel gentem thuriferæ Arabiæ esse prodiderunt. In eorum sententia videtur & Plinius, vel Mamilius fuisse, qui Solis urbem prope Panchaïam ponit. Nam & Solis urbs in Arabia thurifera. Stephanus: Ἡλιούπολις πόλις Αἰγύπτου, ἣν

C ἔκτισεν Ἀκτὶς ὁ Ἡλίου, καὶ Ῥόδης. Ἔστι καὶ Θρᾴκης, καὶ τῆς ἀρωματοφόρου ἀπὸ τῆς Αἰγυπτίας. Solis urbem, quæ in thurifera Arabia est, accepit Plinius pro Ægyptia. Ideo prope Panchaïam, quam & Arabiæ esse vult, eam collocat. Sed pugnat id cum omnium scriptorum παραδόσει, qui in Solis urbem Ægypti phœnicem rogos suos deferre testantur, & falsum est Panchaïam Arabiæ Felicis gentem, aut regionem esse. Præterea urbs illa Solis Arabiæ thuriferæ colonia erat Ægyptiæ. Ita enim accipiendus Stephanus: καὶ τῆς ἀρωματοφόρου ἀπὸ τῆς Αἰγυπτίας. Ergo oppidi Arabici nomen recentius, quam Ægyptia-

D ci. Quod non parum ad rem pertinere notum est. Denique illud etiam mirum, Plinium ejus regionis potius meminisse, quæ vicina est urbi Solis, quam ejus, in qua urbs ipsa sita est. Cur non nominavit eam Arabiæ regionem, in qua oppidum Solis? Postremo & illud animadversione dignum, nusquam alibi Plinium oppidi Solis in Arabia mentionem habere, præterquam hoc loco. Sed nec Ptolemæum, nec alios oppidi Solis Arabici meminisse. Ἱερὸν ἡλίου ἄκρον in Arabia Felice recensetur à Ptolemæo, nullum oppidum hoc nomine. Nobilissimum vero illud Solis in Ægypto, quod in collimitio Arabiæ conditum erat. Ptolemæus: καὶ ἐν μεθορίῳ Ἀρα-

E βίας, καὶ Ἀφροδιτοπόλεως, Βαβυλὼν, Ἡλιούπολις Ἡρώων πόλις. Strabo præfecturam Heliopolitanam in Arabia ponit. Ipse Plinius ab Arabibus conditam prodit urbem auctore Juba: *quin & accolas Nili à Syene non Æthiopum populos, sed Arabum esse dicit usque Meroën: Solis quoque oppidum, quod non procul Memphi in Ægypti situ diximus, Arabas conditores habere.* Verba ejus hæc sunt in Ægypti situ: *unum præterea intus & Arabiæ conterminum, claritatis magnæ Solis oppidum.* Nullum aliud oppidum Solis in Arabia mihi persuadeo fuisse præter hoc. Sed quod in μεθορίῳ esset Arabiæ, & Ægypti, & præterea conditores Arabes haberet, hinc factum, ut alii Arabiæ, alii Ægypto adju-

F dicaverint. Simile quiddam de Petra oppido ante notabamus, quod alii Judææ, alii Arabiæ ob eamdem causam assignant. Sic Casium *Arabiæ montem* vocat Mela, quem alii Ægypto tribuunt. Quid igitur sibi voluit Plinius, qui phœnicem nidum suum deferre prope Panchaïam in Solis urbem dixit? Forte auctor, unde accepit, scripserat, *prope Arabiam in Solis urbem advolare* cum nido suo phœnicem. Quod verum est. Nam Solis oppidum in Ægypto prope Arabiam. Nec longe ab Arabia sua discedit avis illa, quum eo venit. Immo & Arabiæ esse illud oppidum tradidere quidam. At Plinius, qui Ἡλιούπολιν ἐν τῇ ἀρωματοφόρῳ, Arabiam in auctore suo pro Pan-

G chaïa acceperit, & Panchaïam pro thurifera posuerit. Quod tamen multimodis falsum est, ut ex his constat, quæ suprà exposuimus. Phœnix struit nidum, sive rogum in terris suis, ut loquitur Tacitus, hoc est, in Arabia thurifera, & ita necesse est, quum casiæ surculis, cinnamis, & thuris virgis, aliisque odoribus in Arabia Felice nascentibus eum concinnet. Si Panchaïa regio thuriferæ Arabiæ, cum prope eam regionem nidum ædificet,

 immo

immo in ea ipſamet, non defert prope Panchaïam. Si ex Diodori ſententia Panchaïam inſulam in Indico oceano eſſe ex adverſo Arabiæ ſitam ponamus, prope eam inſulam urbem eſſe Solis, quam petere contendat phœnix, quis dixerit? Cur non potius in ipſa Panchaïa? Ita quocunque rem iſtam verſes, vel abſurda ſententia eſt, vel falſa lectio. De lectione ut addubitem facit varietas, quam tum in libris Plinii, tum in Solinianis deprehendi. Optimus codex Plinii Rigaltianus expreſſè, ac planè ſcriptum exhibet: *& totum deferre nidum prope pacatum in Solis urbem & ibi in ara deponere.* Utrum *Panchaïam* legerit Solinus neſcio, an ipſe finxerit. Libri ejus partim *pranctheam* legunt, partim *practheam.* Atque ita in excerptis. In altero Regio vetuſtiſſimo, *prope Achaïam.* Certè, pro *Panchaïam.* Nec dubito quin hæc vera ſit lectio Solini. Nam *Pranchteam* male ſcriptum pro *Pancheam*, idque pro *Panchaam*, vel *Panchaïam.* Ut codices ſuos habuiſſe teſtatur Vinetus. Si Solino facimus hanc gratiam, ut credamus ita legiſſe in Plinii codicibus, dandus error Plinio fuerit, ex ea re natus, quam diximus. Ceterum ex illis Plinianis, *totumque nidum prope pacatum deferre in Solis urbem*, poſſit aliquis exiſtimare nidum deferri totum probe compactum, & conglobatum. Nam ita nidum ſuum concinnabat phœnix. Nihil tamen occurrit quod placeat in ea lectione refingenda. Et puto *prope Panchaïam* ſcripſiſſe. Phœnix ovum ex myrrha faciebat, & prætentato an ferre poſſet, eo includebat cineres priſtini corporis, & in Solis urbem deferebat. Tacitus Annalı ſexto: *ſed ſublato murrhæ pondere, tentatoque per longum iter, ubi par oneri, par meatui ſit ſubire patrium corpus, inque ſolis aram perferre, neque adolere.* Impropriè loquitur Tacitus his verbis, *ſubire patrium corpus.* Nam ea demum onera ſubeuntur, quæ imponuntur, & dorſo, vel capite, vel humeris geſtantur.

Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte gravabit.

At phœnix rogum ſuum in pilæ formam conglobatum pedibus defert, non dorſo. Cui rei ineptum verbum eſt *ſubire.* Scribendum puto: *ubi par oneri, par meatui ſit, ſubjicere patrium corpus, inque ſolis aram perferre.* Et, ſi attendis, verum fateberis. In myrrhæ pondere certo vires ſuas experitur phœnix pullus. Ubi videt parem ſe eſſe illi oneri ferundo, exenterat illud ovum è murrha factum, & in locum excavatum ſubjicit cineres patrios, qui nihil ad illud pondus addunt, in quo vires ſuas primò periclitatus eſt. Nam quod è myrrhæ ovo extractum eſt, compenſat pondus corporis, quod ſubjicitur. Ita Herodotus, cujus ſententiam more ſuo breviter, & concinnè expreſſit Tacitus. Verba Herodoti hæc ſunt: κομίζειν δὲ οὕτω. Πρῶτον τῆς σμύρνης ὠὸν πλάσσειν ὅσον δυνατός ἐστι φέρειν. Μετὰ δὲ, πειρᾶσθαι αὐτὸ φορέοντα, ἐπὰν δὲ ἀποπειρηθῇ, οὕτω δὴ κοιλήναντα τὸ ὠὸν τὸν πατέρα εἰς αὐτὸ ἐντιθέναι. Vide reliqua. Legendum etiam in Tacito: *inque ſolis aram perferre, neque adolere.* Non, ut quidam legunt, *atque adolere.* Neque enim adolet ibi in ara, aut accendit cineres, & rogum patrium, ſed ſic relinquit, ac conſecrat.

Cum hujus vita anni magni converſionem fieri rata fides eſt inter auctores] Ita loquitur, quaſi omnium auctorum eadem ſit fides, phœnicem vivere annos quingentos & quadraginta, & cum hac vita magni anni converſionem fieri. Atqui unius Mamilii hanc eſſe ſententiam ex Plinio conſtat eodem loco: *cum huius alitis vita magni converſionem anni fieri prodidit idem Mamilius, iterumque ſignificationes, & ſiderum eaſdem reverti.* Idem Mamilius, auctore Plinio ibidem, prodiderat phœnicem avem vivere annis DXL. Ergo iuxta Mamilium annus magnus conſtabat annis DXL. Totidemque annis durabat phœnix, quæ ſolius Mamilij priva opinio eſt, non omnium, tam de ævo phœnicis, quam de anni magni converſione. Nam quingentis tantum annis vivere phœnicem maximè vulgatum ſcribit Tacitus, non quingentis quadraginta. Præter ea auctorum teſtimonia, quæ ſuprà retulimus, Heliopolitæ Ægyptii, qui omnium optimè id ſcire poterant, idem atteſtabantur, Herodoto affirmante. Καὶ γὰρ δὴ σπάνιος ἐπιφοιτᾷ σφι δι' ἐτέων, ὡς Ἡλιοπολῖται λέγουσι, πεντακοσίων. De anni magni converſione, ut vario annorum numero apud auctores plurimos cenſetur, ita unus, quod ſciam, Mamilius, quingentis & quadraginta annis eam definivit, aliis aliter ſentientibus. Quare omnimodo falſum, quod hic aſſerit Solinus, probatum eſſe

A phœnicem quadraginta & quingentis annis durare, & cum hujus vita magni anni converſionem fieri, ratam eſſe fidem inter auctores. Tacitus de phœnice: *de numero annorum varia traduntur, maximè vulgatum quingentorum ſpatium. Sunt qui adſeverent, mille quadringentos ſexaginta unum interjici.* Commentatores notant nimis exactam ſupputationem, & corruptum videri illud *unum.* Et quidam corrigunt *annos.* Muretus totum locum ita refingebat: *ſunt qui adſeverent, mille quadringentos ſexaginta, unum in terris.* Ut unum in terris illum alitem eſſe dicat. Sed alieno loco hæc dicerentur, & vana eſt emendatio, ubi nihil mendi eſt. Mille quadringenti ſexaginta unus anni nu-

B merus eſt anni magni canicularis apud Ægyptios. Cenſorinus de anno magno Ægyptiorum: *coque fit, ut anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo ad idem revolvatur principium.* Hæc magna periodus annorum Ægyptiorum, qua caniculæ ortus, à quo annum ſuum auſpicabantur, ad idem principium revolvebatur. Firmicus pro anno maximo accepit, quem ſolis, & lunæ, & quinque planetarum orbes conficiunt, cum ad idem ſignum omnes referuntur, unde profecti fuerant. Ita enim in præfatione operis ſcribit: *quantis etiam converſionibus major ille, quem ferunt, perficeretur annus, qui quin-*

C *que has ſtellas, lunam etiam, ac ſolem locis ſuis, originibuſque reſtituit, qui mille quadringentorum & ſexaginta & unius anni circuitu terminatur.* Sanè ἀποκατάστασιν omnium planetarum fieri putat eo circuitu anni canicularis, ſed in eo Græcos habet, & Ægyptios auctores, ut ex hoc fragmento veteris Chronologi conſtat, ἐκ τοῦ Μανεθῶ. Τὰ πάντα ὁμοῦ τῶν λ δυναστῶν ἔτη μυριάδες τρεῖς, καὶ ͵αφκε. Ταῦτα ἀναλυόμενα, ἤτοι μεριζόμενα παρὰ αὖξα ἔτη εἴκοσι πεντάκις τὴν παρ' Αἰγυπτίοις, καὶ Ἕλλησι ἀποκατάστασιν τοῦ ζωδιακοῦ μυθολογουμένην δηλοῖ, τουτέστι τὴν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ σημείου ἐπὶ τὸ αὐτὸ σημεῖον, ὅ ἐστιν ἓν λεπτὸν τῆς πρώτης μοίρας τοῦ ἰσημερινοῦ ζωδίου Κριοῦ λεγομένου παρ' αὐτοῖς, ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς γενικοῖς τοῦ Ἑρμοῦ,

D καὶ ἐν ταῖς Κυραννίσι βίβλοις εἴρηται. Triginta ſex millia, & quingenti viginti quinque anni, ſi per viginti quinque dividantur, ſingulæ vigeſimæ quintæ partes habebunt annos mille quadringentos ſexaginta unum. Hoc ambitu annorum Firmicus juxta cum Græcis, & Ægyptiis mathematicis omnibus majorem annum perfici putavit, quo apocataſtaſis omnium planetarum, & ab eodem ſigno in idem ſignum revolutio peragitur. Nec alia Dionis ſententia in Cæſare his verbis: ἐν γοῦν χιλίοις, καὶ τετρακοσίοις, καὶ ἑξήκοντα, καὶ ἑνὶ ἔτει μιᾶς ἄλλης ἡμέρας ἐμβολίμου δέονται. Majorem illum annum intelligit, quo in idem principium ſi-

E dera reverti, & eaſdem tempeſtatum vices redire putabant. Non igitur dubium eſt quin illi, qui adſeverabant phœnicem mille quadringentos ſexaginta unum annos vivere, iidem ſint cum illis, qui cum hujus alitis vita anni magni converſionem fieri tradebant. Et valde mihi ſuſpectum eſt, quod Plinius ex Mamilio refert, eam converſionem perfici quingentis & quadraginta annis, & hoc ævi ſpatio terminari vitam phœnicis. Vereor, ut duas opiniones vel Plinius, vel Mamilius in unam confuderint, eorum, qui quingentos annos vitæ huic aliti tribuebant, & eorum, qui mille quadringentos ſexaginta unum. Quo circuitu magni anni periodum abſolvi inter

F plurimos convenit, cum nemo unus veterum quingentis & quadraginta celebrari tradiderit. Qua de re videndus Cenſorinus. Sequitur apud Plinium: *hoc autem circa meridiem incipere, quo die ſignum arietis ſol intraverit.* Magni quoque illius anni converſionem, quæ mille quadringentis ſexaginta uno conſtat annis, ab eo puncto, quo ſol primam arietis partem ingreſſus erat, auſpicabantur. Græcus auctor, quem ſupra citavimus, ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ σημείου ἐπὶ τὸ αὐτὸ σημεῖον, ὅ ἐστι λεπτὸν τῆς πρώτης μοίρας τοῦ ἰσημερινοῦ ζωδίου Κριοῦ λεγομένου. Ægyptii, cum eundem ambitum ſervarent, non ab æquinoctio verno, ſi Cenſorino fides eſt, ſed à caniculæ exortu, quando in

G primam Thot menſis inciderat, initium anni ſui magni ſumebant. Subjicit idem Plinius: *& fuiſſe ejus converſionis annum prodente ſe P. Licinio, M. Cornelio Conſulibus.* Aliquid heîc deeſt, nec enim dicit, quotus annus hujus converſionis fuerit ſub illis Conſulibus. Quod miror non animadvertiſſe viros doctos. Repono ex veteri libro Rigaltiano: *& fuiſſe ejus converſionis annum prodente ſe P. Licinio, M. Cornelio Coſſ.* CCXV, id eſt, *annum duceuteſimum decimum quintum.* Prodebat illa Mamilius de phœ-

phœnice Conſulibus Licinio & Cornelio, quem annum ducenteſimum decimum quintum agi volebat magni anni converſionis, id eſt, vitæ phœnicis. Nam annis vitæ phœnicis circuitum anni magni circumſcribit, ac terminat. Illa porro ætate noviſſimi phœnicis adventum viderat Ægyptus, regnante Ptolemæo tertio. Tacitus Annali ſexto: *prioreſque alites Seſoſtride primum, poſt Amaſide dominantibus, dein Ptolemæo, qui ex Macedonibus tertius regnavit, in civitatem, cui Heliopolis nomen, advolaviſſe*. Ptolemæus Euergetes, qui tertius ex Macedonibus in Ægypto regnavit, incipit regnare juxta Ptolemæi canones anno urbis quingenteſimo ſeptimo. Ad conſulatum Licinii & Cornelii anni ſunt ducenti triginta tres. Phœnix igitur in Heliopolim civitatem advolavit, & in Ægypto viſus eſt anno decimo octavo Euergetis. Quem primum Mamilius numerat magnæ illius periodi, cujus ducenteſimum decimum quintum vertentem agi prodidit Coſſ. M. Licinio Craſſo, Cn. Cornelio Lentulo. Si in hujus anni magni converſione notanda nihil aliud reſpexit, aut ſequutus eſt Mamilius ille, præter tempus phœnicis adventus in Ægyptum, profecto inſignis nugator fuit, quamlibet eum Romanorum doctiſſimum, ac diligentiſſimum jactet Plinius. Quid enim incertius fingi poteſt illius anni periodo, quæ hujus alitis ævo circumſcribitur, licet fabuloſam non eſſe concedamus? *Priores alites*, inquit Tacitus, *Seſoſtride primum, poſt Amaſide dominantibus, dein Ptolemæo tertio viſæ ſunt*. Si verum eſt, quod Heliopolitæ dicebant, διὰ πεντακοσίων ἐτῶν, ad ipſos ex Arabia devolare novum phœnicem, inter Seſoſtrim, & Amaſim, quingentos annos interjectos oportuit, totidemque ab Amaſi ad Ptolemæum tertium. Juxta Mamilium vero quingentos quadraginta interceſſiſſe neceſſe eſt, ſed vereor ne noſtri χρονογράφοι hoc canone metiendorum temporum ſtare nolint. Obſcura eſſe inter Seſoſtrim & Ptolemæum tertium Tacitus dicit. A Seſoſtri ad Amaſim ſexdecim amplius reges recenſent Herodotus, Diodorus, & alii. Proteum, qui tertio loco poſt Seſoſtrim teſte Herodoto regnavit, Trojani belli temporibus imperium Ægypti tenuiſſe inter auctores ferè conſtat. Ab Ilii excidio ad Olympiadem tertiam & quinquageſimam, qua juxta Euſebium regnare occœpit Amaſis, anni ſunt ſexcenti & ſeptemdecim. At Diodorus inter Seſoſtrim & Proteum plures reges fuiſſe prodit. Ut ut ſit, certum eſt inter Seſoſtrim & Amaſim longe plus quingentis annis fluxiſſe. Ab Amaſide vero ad Ptolemæum tertium, hoc eſt, ab Olympiade quinquageſima tertia ad Olympiadem centeſimam & trigeſimam tertiam, trecenti tantum & viginti poſſunt anni numerari. Ex his colligi poteſt, quantopere nugatorium ſit, re adeo vaga, atque incerta magni anni ſpatium determinare, etiamſi non ſit fabuloſa. Rurſus phœnix alius viſus Tiberii ævo, Q. Plautio, Sex. Papinio Coſſ. vel, ut Tacitus vult, Paulo Fabio, & L. Vitellio, duobus annis ante. Sic ab eo phœnice, qui decimo octavo Euergetis Ptolemæi apparuit, ad hunc noviſſimum ducenti ſexaginta duo tantum interſunt anni. Et rectè notat Tacitus inter Ptolemæum, & Tiberium minus ducentos quinquaginta annos fuiſſe. Nam inter finem Ptolemæi, & initium Tiberii ducentos tantum ac triginta ſex annos interjici certum eſt. Si falſum illum phœnicem, qui Tiberii temporibus extitit, nemo tunc dubitavit, nec priores erunt veriores; Certè ille, qui Amaſis ævo conſpectus eſt, trecentos non multo plus annos vixit. Quare ſi nihil aliud ſpectavit Mamilius, quam modum vitæ phœnicis in periodo anni ſui magni determinanda, multum à veri regione diverſus iverit. Nec propius abſunt, qui mille quadringentos ſexaginta unum durare annos eam avem ſcripſere. Quia ſcilicet anni magni converſio juxta plurimorum ſententiam hæc eſſe putabatur, & cum anni magni converſione vitam phœnicis exæquari pluribus erat perſuaſum. Nugæ, fabulæque tam de anno, quam de phœnice. Aliud fuiſſe credo præter phœnicem, quod Mamilium induxerit, ut ſcriberet ejus magnæ, quam ſtatuit, converſionis annum ducenteſimum quindecimum fuiſſe Conſulibus P. Licinio & Cornelio Lentulo. Quod ut paucis explicemus, de anno Ægyptiorum quædam præmonenda, ac præmunienda ſunt, non multis fortaſſe cognita. Ægyptiorum annus trecentorum ſexa-

A ginta quinque dierum erat, duodecim vero menſium, qui triginta diebus ſinguli conſtabant, ideo quinque dies quotannis adjiciebant. Cenſorinus: *& in Ægypto quidem antiquiſſimum ferunt annum bimeſtrem fuiſſe, poſt deinde ab Iſone rege quadrimeſtrem factum, noviſſimè Arminon ad tredecim menſes, & dies quinque perduxiſſe*. Scribi debet: *ad duodecim menſes & dies quinque perduxiſſe*. Excurrebat ad anni ſolidi perfectionem quarta pars diei, quam & ipſam ſingulis annis adjiciebant, quæ per quadriennii ſpatium diem ſolidam faciebat. Ideo compoſuerunt periodum quamdam tot annis conſtantem, quot particulæ illæ excurrentes, & in unum coëuntes

B diem integram facere poterant. Strabo: εἰς γὰρ τὴν ἐκπλήρωσιν τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ ἐπιτρέχοντος μορίου τινὸς τῆς ἡμέρας, περίοδόν τινα συντιθέασιν ἐξ ὅλων ἡμερῶν, καὶ ὅλων ἐνιαυτῶν τοσούτων ὅσα μόρια τὰ ἐπιτρέχοντα, καὶ συνελθόντα ποιεῖ ἡμέραν. Periodus illa ex ſolidis diebus conſtabat, & annis ſolidis, hiſque totidem, quot excurrentes quadrantes diem integram faciunt. Ergo compoſita erat diebus mille quadringentis, & ſexaginta uno, annis autem quatuor: nam quatuor quadrantes diem reddunt. Hæc vulgo malè interpretantur, & diſtinguunt apud Strabonem. Et revera periodus illa quadriennii Ægyptiaca mille

C quadringentis & ſexaginta uno diebus conſtabat, non mille quadringentis & ſexaginta, ut vulgo ſibi perſuadent. Et nugatur Cenſorinus, qui ſcribit quadriennium apud Ægyptios uno circiter die minus eſſe, quam naturale quadriennium, quia eorum civilis annus ſolos haberet dies trecentos ſexaginta quinque ſine ullo intercalari. Diſertè tradit Strabo periodum illam, ſive quadriennium Ægyptiacum compoſitum fuiſſe annis ſolidis quatuor, nullo die minus ſcilicet, quam eſt naturale quadriennium. Et ſanè civilis annus Ægyptiorum nihil diſcrepabat à naturali, immo non alium habebant quam naturalem, qui trecentis

D ſexaginta quinque diebus & quadrante perficitur. Cum enim annum ſuum auſpicarentur ab ortu caniculæ, atque ad alterum ejus caniculæ ortum extenderent, ac terminarent, palam eſt & illum diei quadrantem, qui ad anni complementum excurrit, anno ſuo comprehendiſſe. Ideo ſine ullo intercalari tam ſingulos annos, quam circuitum illum quadriennii ſervabant. Nec enim ſolos quinque dies duodecim menſibus τριακονθημέροις, ſed etiam quadrantem illum adjiciebant. Diodorus: τὰς γὰρ ἡμέρας οὐκ ἄγουσι κατὰ σελήνην, ἀλλὰ κατὰ τὸν ἥλιον, τριακονθημέρους μὲν τιθέμενοι τοὺς μῆνας, πέντε δὲ ἡμέρας, καὶ τέταρτον τοῖς δώδεκα μησὶν ἐπάγουσιν, καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ τὸν ἐνιαύσιον κύκλον ἀ-

E ναπληροῦσι. Certè methodum illam, qua civilis annus cum naturali congrueret, ab Ægyptiis Cæſarem mutuatum eſſe inter omnes convenit, verùm intercalatione id aſſequutus eſt, quod Ægyptii abſque intercalatione obtinebant, modo alio peculiari ſibi. Et falſum eſt, quod vir magnus lib. III obſervavit capite *de anno Ægyptiaco*, Ægyptios quarto quoque anno diem unum intercalaſſe. Nihil falſius, & temerè id collectum è mendoſis Plinii verbis, quæ paulo poſt emendabimus, & explicabimus. Nec intercalaris erat quartus annus Ægyptiacæ periodi; nihil enim plus dierum habebat, quam reliqui tres anni, ſed quadrantem ſuum excurrentem, ut ille ſolum

F obtinebat, qui ceteris tribus præcedentium annorum additus, diem ſolidam faciebat, in fine periodi integrari & numerari ſolitam. Ratio, qua id fieret in promptu eſt, quam jam alii expoſuerunt. Fallitur & vir ille maximus, ubi docet quadriennium quidem exactum ἔτος θεοῦ vocaſſe Ægyptios, annum autem æquabilem labentem, QUADRANTEM. Immo ſic vocarunt annum vertentem, ab excurrente particula, quæ quartam diei partem reddit. Clare id docent verba Hori Apollinis, quæ tamen ille attulit ad probandam eam ſententiam, cum nihil minus dicant. Sic autem habent:

G ἔτος τὸ ἐνιστάμενον γράφοντες τέταρτον ἀρούρας γράφουσι, ἐστὶ δὲ μέτρον γῆς ἡ ἄρουρα πηχῶν ἑκατόν. Βουλόμενοί τε ἔτος εἰπεῖν ΤΕΤΑΡΤΟΝ λέγουσιν. Ἐπειδή φασι κατὰ τὴν ἀνατολὴν τοῦ ἄστρου τῆς Σώθεως, μέχρι τῆς ἄλλης ἀνατολῆς, τέταρτον ἡμέρας ὡς εἶναι τὸ ἔτος τοῦ θεοῦ τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε ἡμερῶν. Ὅθεν καὶ διὰ τετραετηρίδος περισσὴν ἡμέραν ἀριθμοῦσιν Αἰγύπτιοι, τὰ γὰρ τέσσαρα τέταρτα ἡμέραν ἀπαρτίζει. Sed omnino deſiderari puto in illa oratione hæc verba: ὡς εἶναι τὸ ἔτος τοῦ θεοῦ τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε ἡμερῶν, καὶ τετάρτου. Hæc, inquam, verba addenda ſunt,

ἢ τετάρτου. Annum solis vocabant ἔτος θεοῦ. Nam θεὸς
absolutè est sol, etiam apud Græcos. Hic annus die-
rum est trecentorum sexaginta quinque, & unius diei
quartæ. Ægyptii eum ab ortu caniculæ ad alterum or-
tum metiebantur. Ideo & ΤΕΤΑΡΤΟΝ eum appel-
labant, non quod quadrans esset unius quadriennii,
sed ab excurrente quadrante, ut expressè testatur Ho-
rus. Sic ἔτος θεοῦ, & τέταρτον idem est. Ἔτος θεοῦ, quod
annus solis esset. Τέταρτον, quod diei quarta pars ad ejus
ἐκπλήρωσιν adjiceretur. Etiam κυνικὸν dixerunt, quod
ab ortu caniculæ eum auspicarentur. Nunc Plinii ver-
ba videamus. Ea sunt lib. II. cap. XLVII. *Omnium
quidem si libeat observare minimos ambitus, redire easdem
vices quadriennio exacto Eudoxus putat, non ventorum mo-
do, verum & reliquarum tempestatum magna ex parte, &
est principium lustri ejus semper intercalari uno caniculæ ortu.*
Ex his colligebat vir magnus, quarto quoque anno
exacto diem intercalasse Ægyptios in ipso ortu canicu-
læ, & Eudoxi tetraëterida nihil aliud fuisse, quam qua-
driennium caniculare Ægyptiorum, quod constabat
mille quadringentis sexaginta uno. Et illam quadrien-
nem periodum ἀποκατάστασιν vocabant, quia solem per
tot dierum spatium in partem eam signiferi redire puta-
bant, è qua exierat. Columella lib. III. cap. VI. *Nec
tamen ultra quadriennium talis extenditur inquisitio. Id enim
tempus ferè virentium generositatem declarat, quo sol in eam-
dem partem signiferi per eosdem numeros redit, per quos cur-
sus sui principium cœperat, quem circuitum meatus dierum
integrorum mille quadringentorum sexaginta unius ἀποκατά-
στασιν vocant studiosi rerum cælestium.* Hæc sunt clarissima.
De intercalatione, & intercalari anno periodi Ægy-
ptiacæ res prorsus falsa. Nam omnem intercalationem
semper abominati sunt Ægyptii. Nec in ortu caniculæ
intercalatio illa fiebat, si intercalatio vocanda est, sed
in fine periodi ante ortum caniculæ, qui initium præ-
bebat sequenti periodo. Nec intercalaris ille annus
principium ejus lustri, sed finis. Verum, ut dixi, nec
intercalatio illa fuit, nec ullus intercalaris annus. Qua-
re omnino mendosa esse oportet hæc verba: *& est prin-
cipium lustri ejus semper intercalari anno caniculæ ortu.* Scri-
ptum in optimo Rigaltii libro: *in calario anno.* Unde
egregia conjectura nostra: *in canario anno*, hoc est,
in anno Ægyptiaco, ἐν τῷ κυνικῷ ἐνιαυτῷ. *Canarius an-
nus* est Ægyptiacus, quia Ægyptii ab ortu canis anni
sui exordium sumebant. Tetraëteris igitur illa, sive
lustrum, quo exacto putabat Eudoxus tempestatum,
& ventorum easdem vices redire, *in anno canario*, hoc
est, apud Ægyptios, principium habebat caniculæ
ortu. Apud Græcos, in anno scilicet Græco, à bru-
ma incipiebat. Unde annus Græcorum auspicabatur.
Et hæc erat tetraëteris Eudoxi, quæ ab Ægyptiaca in
hac re differebat, quod non à canis ortu, ut illa, sed
à bruma initium ducebat. Præterea annis tribus consta-
bat dierum trecentorum sexaginta quinque, & quar-
to, qui trecentos sexaginta sex habebat, uno die
intercalato propter ἐπιτρέχοντα μόρια, quæ diem u-
num conficiebant. At in Ægyptiaca tetraëteride o-
mnes quatuor anni perfecti & solidi, absque ulla inter-
calatione, quod singuli trecentos sexaginta quinque
dies haberent, & insuper quadrantem. Modum te-
traëteridis hujus ab Ægyptiis mutuatum esse constat
Eudoxum, non tamen, ut eadem sint prorsus Eudo-
xi lustrum, & periodus Ægyptiaca, quod Scaliger
volebat. Κυνικὸς igitur ἐνιαυτὸς Ægyptiorum, *canarius
annus* Plinio. Sic *Canariæ insulæ* à canibus dictæ. Cete-
rùm ut Ægyptiorum annum, quem ἡλιακὸν, & θεοῦ
ἐνιαυτὸν, & κυνικὸν, & τέταρτον vocabant, trecenti sexa-
ginta quinque dies, & diei quadrans constituebant,
ita magnus annus eorumdem tot annis constabat, quot
ille diebus, trecentis scilicet sexaginta quinque & anni
quadrante, sive tribus mensibus. Et quemadmodum
rursum periodum è minoribus annis solidis & absolutis
quadriennalem componebant, ita etiam ex istis qua-
tuor majoribus circuitum conflarunt, qui totidem
annos haberet, quot in illa minore dies reperiuntur,
hoc est, mille quadringentos sexaginta unum. Hæc
maxima itaque periodus quatuor magnis annis consta-
bat, qui singuli trecentos sexaginta quinque annos,
& insuper anni quadrantem, sive tres menses habe-

A rent. Hac periodo CIϽCCCCLXI annorum ἀποκατάστασιν
omnium planetarum fieri vulgo tum Ægyptii, tum
Græci omnes existimarunt, ut suprà ostendimus, nec
Firmicus heic solus in culpa. Atque hic circuitus à ca-
niculæ semper ortu incipiebat, ut & minor ille an-
norum quatuor, & singuli anni vertentes apud Ægy-
ptios, sed quocunque mense anni, & quocunque die
mensis tum annus vertens, tùm periodus parva pote-
rat incipere, dum ab ortu caniculæ initium duceret,
verum periodus illa major ex centuriis annorum com-
posita non aliud principium habebat, quam ubi pri-
ma mensis Thot in caniculæ ortum inciderat, quam
B semper redire ad idem principium post annos mille qua-
dringentos sexaginta unum putabant. Sicut illa perio-
dus parva quatuor partibus, id est, quatuor annis
vertentibus constabat, ita hæc magna periodus qua-
tuor partes, id est, quatuor annos magnos habebat.
Ultimus annus magnus illius maximæ periodi forte for-
tuna principium habuerat octavo decimo anno Euer-
getis Ptolemæi, quo regnante & phœnix in Ægy-
ptum devolavit. Illius anni magni annum ducentesi-
mum decimum quintum Consulatu P. Licinii & Cor-
nelii Lentuli fuisse tradebat Mamilius. Proinde tre-
centesimus & sexagesimus sextus, id est, ultimus
C ejus anni magni annus incidit in Consulatum Antoni-
ni Pii II. & Brutii Præsentis, quibus Consulibus ter-
minata est illa periodus magna, & ultimus ejus annus
magnus finem accepit. Eodem anno & iisdem Consu-
libus ante diem duodecimum kal. Augusti, quo die
solet canicula in Ægypto facere exortum, neomenia
Thot ad idem principium iterum reversa, primus annus
magnus magnæ periodi exordium cepit, ut ex Censori-
no constat capite XXI. Quod igitur eodem ferme tem-
pore magnus annus incepit, & phœnix in Ægypto
visus est, dominante nimirum Ptolemæo tertio, in-
D de Mamilius cum hujus alitis vita conversionem anni
magni fieri tradidit. Sed qua ratione ductus idem anni
illius magni spatium quingentis & quadraginta annis
definierit, nescio: nisi quod phœnicem quingentis an-
nis durare rata fides erat inter auctores. Hæc omnia fa-
bulosa, & nugatoria, ut alibi pluribus dicturi sumus.
Illud inter omnes convenit revolutionem solis, & lu-
næ fieri annis quingentis triginta duobus. Quæ perio-
dus magna est ex utroque cyclo in se ducto composita.
Sed & hoc non parvi momenti, quod ostendimus du-
centesimum quindecimum annum magnæ conversio-
nis fuisse Coss. Licinio & Cornelio, quod nisi ex no-
E stra interpretatione intelligi non poterat, quantivis
pretii est ad anni Ægyptiaci rationes investigandas &
explicandas. De quo alibi.

Pag. 46. A. *Quamvis plurimi eorum non quingentis &
quadraginta*] Dicit juxta plurimorum sententiam an-
num magnum constare duodecim millibus nongentis
quinquaginta quatuor annis, non quingentis quadra-
ginta. Servius ad Æneid. III. *Mox majore cura ma-
gnum annum esse voluerunt omnibus planetis in eumdem re-
currentibus locum, & hoc fit secundum Ciceronis Horten-
sium post annos duodecim millia nongentos quinquaginta
quatuor, solstitiales scilicet.* Cicero de Natura deorum
F tria millia annorum anno magno imputat, alii aliter.
Quidam ex Græcis περίοδον Saturni μέγαν ἐνιαυτὸν voca-
bant. Vide Censorinum.

Quinto itaque Plautio, & Sexto Papinio Coss.] Ita re-
posuerunt viri docti ex Plinio, & Fastis, quum libri
omnes Solini habeant: *Plautio itaque Sextio, & P. Apro-
nio.* Morem hunc esse Solini novi, nomina consulum
alia pro aliis substituere, & omnia confundere. De
quo & supra lectorem monui. Apronius consul fuit
anno urbis DCCXCII tribus annis post hoc par consu-
lum, nec prænomen Publius, sed L. Apronius Cæ-
sianus illi fuit.

G *Ægyptum phœnix involavit, captusque anno octingente-
simo urbis conditæ*] Vult eumdem illum phœnicem,
qui Ægyptum involavit Quinto Plautio & Sexto Pa-
pinio Coss. captum fuisse anno urbis octingentesimo,
& publicatum in comitio. Non hæc mens Plinii, qui
hos phœnices discernit, ac distinguit his verbis: *Cor-
nelius Valerianus phœnicem devolasse in Ægyptum tradit Q.
Plautio, Sexto Papinio Coss. Allatus est & in urbem Claudii
Prin-*

Principis censura, anno urbis DCCC, *& in comitio propositus, quod actis testatum est, sed quem falsum esse nemo dubitarit.* Nemo dubitavit falsum esse illum phœnicem, qui in urbem allatus est Claudii tempore, & in comitio publicatus. Non ergo fuit phœnix, sed avis alia peregrinæ figuræ. At eum, qui sub consulatu Plautii & Papinii in Ægypto apparuit, verum esse phœnicem multi videntur credidisse. Tacitus: *Paullo Fabio, L. Vitellio Coss. post longum sæculorum ambitum, avis phœnix in Ægyptum venit, præbuitque materiem doctissimis Græcorum multa super eo miraculo disserendi.* Idem est phœnix, quem Plinius ex Valeriano sub Consulibus Plautio & Papinio in Ægyptum devolavisse scribit. Duorum tantum annorum differentia est. Multis verum esse visum hinc liquet, quod super eo miraculo doctissima quæque tunc temporis ingenia disseruere. Nonnullos tamen hunc quoque phœnicem falsum credidisse scribit ibidem Tacitus, & quod minus ducenti quinquaginta essent anni, ex quo phœnix in Ægyptum advenisset regnante Ptolemæo tertio, & quod nihil eorum usurpaverit, quæ vetus memoria firmaret. Dicit nonnullis ita visum, non omnibus. At illum, qui sub Claudio captus est, & in urbem allatus, nemo falsum dubitavit, teste Plinio. Ergo non idem phœnix. Etenim, qui verum illum priorem credere potuerunt, de hoc posteriore dubitandum non habuere, quin falsus esset. A consulatu Plautii & Papinii ad octingentesimum urbis anni sunt duodecim. Itaque, si verus ille, utique iste falsus. Nihil tamen prohibet utrumque esse falsum. Idque verius. Diversi tamen, & Plinii mentem Solinus non cepit, ut in aliis sexcentis. Mirum vero, quod de eo phœnice tradit Tacitus, post longum sæculorum ambitum in Ægyptum venisse, quum tamen mox addat tertio Ptolemæo dominante visum fuisse alterum, vix ducentorum quinquaginta annorum spatio inter utriusque adventum, quæ duo sæcula sunt, non plura. Dicit Plinius in Ægyptum devolavisse phœnicem, quia ex superiori regione ad inferiorem volaverit, quod proprie est *devolare*. Nam Arabia Felix, unde veniebat, ἄνω χώρα, & ἄνω Ἀραβία; Ægyptus vero, ubi Heliopolis, quam petebat phœnix, ἡ κάτω χώρα, & sinus Arabicus in Ægyptum influit ex illa superiori regione, ut & Nilus. Hoc notandum duxi.

Quod gestum præter censuram, quæ manet, actis etiam continetur.] Ergo propter censuram & acta verus ille phœnix? Inepte. Quamlibet actis id testatum fuerit, Plinius non dubitavit dicere, neminem tum dubitasse pseudophœnicem esse. Sed quid est, quod ait, *præter censuram, quæ manet*? Plinius Claudii Principis censura id accidisse narrat, anno urbis octingentesimo. Gessisse censuram Claudium diu intermissam post Paullum, Plancumque censores tradit Suetonius in ejus vita. Eusebii Chronicon notat Olympiadis ducentesimæ sextæ anno primo censum civium actum fuisse sub Claudio, primo, ut apparet, censuræ ejus anno, urbis autem septingentesimo nonagesimo octavo. Ergo octingentesimus annus urbis, quo pseudophœnix in urbem allatus est, tertius fuit censuræ Claudii. Adhuc quæro, quid illa significent, *præter censuram, quæ manet.* Nam nihil tale apud Plinium, qui propior Claudii temporibus, & ejus censuræ fuit. Sed nugatur, ut solet, noster.

Cinnamolgos perinde Arabiæ avis.] Ita libri omnes Solini. Nec aliter in Indice: *de cinnamolgis avibus, & cinnamo.* Apud Plinium quoque sic legunt libri: *in Arabia cinnamolgos avis appellatur: cinnami surculis nidificat.* Hodie legitur: *cinnamologus.* Verum esset κινναμολόγος, si Græci κίνναμον dicerent. Sed *cinnamum* Latini vocant, quod omnes Græci κιννάμωμον, ut jam suprà observavimus. Nec enim vox κίνναμον reperitur apud Græcos auctores. Græci vero hanc avem, quæ nidos texit cinnamorum surculis, κιννάμωμον vocant. Hesychius: κιννάμωμον, ἓν τῶν λιβανωτῶν ἢ τῶν ἀρωματικῶν, λιβάνιον, καὶ ὄρνις. Antigonus Carystius: λέγειν δέ τινας καὶ τὸ κιννάμωμον ὄρνεον εἶναι, καὶ τὰ ἀρώματα φέρειν, καὶ τὰς νεοττιὰς ἐκ τούτου ποιεῖσθαι. Ita etiam dicitur Aristoteli: τὸ κιννάμωμον ὄρνεον, κιννάμωμος ὄρνις. *Cinnamomos* igitur legendum apud Plinium puto pro *cinnamolgos*, quod

A est indubitatissimum. Nisi quis malit, ita refinxisse hoc nomen ex suo libito Plinium. Quod enim ipsi mirum videretur κιννάμωμον avem dici eodem cum cinnamomo virgulto nomine, putavit fortasse κινναμόλογον scribi debere hujus avis nomen à legendo cinnamo. Moveor sanè constanti scriptura librorum *cinnamologum* adstruentium. Atqui, ut dixi, κίνναμον Græci non dicunt, sed κιννάμωμον. Contra Latini *cinnamum* frequentius dicunt quam cinnamomum. Κίναμα apud unum Nicandrum legimus. At nusquam apud πεζογράφους Græcos κίνναμον inveniri est pro κιννάμωμον.

Propter ramorum altitudinem, & fragilitatem.] Ad ni- B dos cinnamomi alitis perveniri non posse ait, propter ramorum altitudinem, & fragilitatem. Nam in ramis struit nidum, ἐφ' ὑψηλῶν δένδρων, καὶ ἐν τοῖς θαλλοῖς τοῦ δένδρου. Atqui poterant cædi, & unà cum nidis devolvi. Antigonus tradit νεοττεύειν ἐφ' ὑψηλῶν δένδρων, καὶ ἀβάτων. Nulla arbor tam excelsa, quæ scandi non possit. Probabilius Herodotus: φορέειν δὲ τὰς ὄρνιθας ἐς νεοσσιὰς πεπλασμένας πηλῷ πρὸς ἀποκρήμνοις ὄρεσιν ἔνθα πρόσβασιν ἀνθρώπῳ οὐδεμίην εἶναι. Plinius capite de cinnamo: *Id fabulosa credidit antiquitas, princepsque Herodotus, avium nidis, & privatim phœnicis, in quo situ Liber pater educatus esset, ex inviis rupibus, arboribusque decuti, carnis,* C *quam ipsæ inferrent, pondere, aut plumbatis sagittis.* Ineptum est, quod addit de phœnice, privatim ex ejus nido cinnamum decuti credidisse veteres. Herodotus μεγάλας ὄρνιθας vocat, è quarum nidis devolveretur cinnamomum, sed earum nomen non expressit, cinnamum illud sic collectum vendere Arabas, & in alias regiones inde exportari tradit idem. Ex unico porro nido avis unicæ tam magnam copiam cinnami decuti posse, ut præcipuè inde colligi dicatur, vix credibile. Scribit Plinius id fieri in eo situ, ubi Liber pater educatus esset. Sane & Dionysius poëta Liberum patrem in Arabia Felice natum, & educatum prædicat.

D
Τῷ καὶ γειναμένῳ κηώδεα φύετο πάντα,
Μῆλα δὲ καὶ τῆμος λασίοις ἐβαρύνετο μαλλοῖς
Ἐν νομῷ, αὐτομάτοις δὲ κατέρρεον ὕδασι λίμναι.
Ὄρνιθες δ' ἑτέρωθεν ἀοικήτων ἀπὸ νήσων
Ἦλθον φύλλα φέροντες ἀκηρασίων κιναμώμων.

Aves illæ sunt κιννάμωμοι. Et plures erant, quæ nidos suos in Arabiæ rupibus inviis cinnamis struebant. Avienus de phœnice, quod mireris, intellexit.

Ales amica Deo largum congessit amomum.

Per *Deum* solem intelligit, cui sacer phœnix. Sic phœnicem cum cinnamomo ave confuderunt, quod utraque nidum è fruticibus cinnamorum concinna- E rent. Inde illa Statii:

---- *Phariaque exempta volucri*
Cinnama,

Quo nihil absurdius. *Phariam volucrem* vocat phœnicem, quod in Ægypti Heliopolim aliquando devolaret.

Pag. 46. B. *Quod hoc cinnamum magis quam alia mercatores probent.*] Hoc non dicit Plinius, sed simpliciter, ut vendant illud, colligere: *plumbatis eos sagittis decutiunt indigenæ, mercis gratia.* Herodotus non aliud cinnamum ex Arabia exportari, quam quod hoc modo decu- F tiatur ex avium nidis. Quæ & fabulosæ omnis antiquitatis fuit opinio.

Plurimis crinis intonsus, mitra capita redimita, pars rasa in cutem barba.] Ita hunc locum partim conjectura, partim librorum ope restituimus, qui vulgo in editionibus corruptissimus, hoc modo: *plurimis crines intonsi, mitrata capita, redimitu pari, rasa in cutem barba.* Corruptelæ origo ex duplicis editionis lectionibus simul mixtis, ut alias passim. Altera habuit: *plurimis crinis intonsus, mitrata capita, pars rasa in cutem barba.* In altera fuit: *plurimis crinis intonsus, mitra capita redimita.* Inde simul duæ appositæ: *mitrata capita redimita, pars rasa in cutem barba.* G Ex qua deinde correctores vulgatam lectionem concinnarunt: *mitrata capita, redimitu pari, rasa in cutem barba.* Quæ ineptissima, & falsa. Plinius: *Arabes mitrati degunt, aut intonso crine: barba abraditur præterquam in superiore labro: aliis & hæc intonsa.* Sed quod ait Plinius mitratos esse Arabas, aut intonso crine, significare videtur eos, qui mitrati sunt, Arabum, crinem tondere, & qui intonso crine sunt, mitratos non esse. Solinus

linus contrarium planè innuit, iisdem & crinem intonsum; & mitra capita redimita tribuens. Quod verius puto, ut mox ostendam. Quare in Plinii verbis legendum arbitror: *Arabes mitrati degunt intonso crine.* Non aliter legit Solinus. Illud *aut* additum ab imperito aliquo correctore. Qui mitra caput redimitum gerebant ex barbaris, ut plurimum intonsi; ut contra pileati ferè semper tonsi. Hieronymus in vita Malchi tradit Ismaëlitas, qui Scenitæ sunt Arabes, intonsum crinem habere, & vitta caput redimitum: *Ecce subito equorum, camelorumque sessores Ismaëlitæ irruerunt crinitis, vittatisque crinibus, ac seminudo corpore.* Herodotus de Babyloniis lib. I. Κομῶντες δὲ τὰς κεφαλὰς, μίτρῃσιν ἀναδέονται, μεμυρισμένοι πᾶν τὸ σῶμα. Vides intonsum crinem, & mitras Babyloniis dari. Herodotus lib. VII. Κίσσιοι δὲ στρατευόμενοι τὰ μὲν ἄλλα κατάπερ Πέρσαι ἐσεσάχατο, ἀντὶ δὲ πίλων μιτροφόροι ἦσαν. Persæ igitur πιλοφόροι, Cissii μιτροφόροι. Piligeri, ut dixi, capite ferè semper tonso, contra μιτροφόροι intonso. Arrianus: καὶ κομᾶν Ἰνδοὺς τῷ θεῷ μιτρηφορέειν τε ἀναδεῖξαι. Philostratus de Brachmanis: κομῶσι δὲ ἤτοι οἱ Ἰνδοὶ, ὥσπερ Λακεδαιμόνιοι πάλαι καὶ Θούριοι, μίτραν τε ἀναδοῦνται λευκήν. Apud Dacos distincti comati à piligeris, sive pileatis. Nam honoratiores Dacorum pileati erant, viliores vero comati, absque pileis scilicet, & coma illis pro pileo. Petrus Patricius de legationibus: Δεκέβαλος πρὸς Τραϊανὸν ἔπεμψε πρέσβεις πιλοφόρους, οὗτοι γὰρ εἰσὶ παρ' αὐτοῖς οἱ τιμιώτεροι, πρότερον γὰρ κομήτας ἔπεμπον εὐτελεστέρους παρ' αὐτοῖς δοκοῦντας εἶναι. Ubi πιλοφόροι sunt *pileati*, non *pilani*, vel *piliferi*, ut viri eruditissimi volunt. Et κομῆται sunt comati, non *comites*, ut perperam hariolantur. Et scribendum in Græco κομήτας, non κόμητας. *Mitræ* igitur & *pilea* differunt. *Mitræ* fasciæ sunt, quibus caput religatur, *pilea* capitis integumenta rotunda in modum galeæ facta, unde & *galeri* dicti, sed & *galeas* quoque pro pileis Latini usurparunt, ut Græci περικεφαλαίαν tam de galea, quam de galero usurparunt. Certe μιτροφόρους, & πιλοφόρους apertè distinxit Herodotus. Latini tamen etiam *mitram* pro pileo posuerunt, ut *mitra Phrygia* Virgilio pileum Phrygium dicitur, quam *tiaram* etiam appellarunt. Juvenalis:

---- *& Phrygia vestitur bucca tiara.*

Ubi interpres vetus: *Tiara galea sacerdotis est, quæ per malas veniens mento subligatur. Tiara est pileum Phrygium quod dicunt.* Nam tiara pileum proprie Persicum. Herodotus de Persarum habitu: περὶ μὲν τῇσι κεφαλῇσι εἶχον τιάρας καλεομένας, πίλους ἀπαγέας, id est, *habent in capite pilea, vocant tiaras, incurva.* Πίλοι ἀπαγέες sunt pilea incurva. Ineptè vertunt *impenetrabilia.* Persarum vulgus tiaras inflexas, & incurvas gestabat, & ἀπαγέας, quæ rectæ scilicet non starent. Solus rex rectas, & fixas, πεπηγυίας. Idem Herodotus de Scythis Sacis: Σάκαι δὲ οἱ Σκύθαι περὶ μὲν τῇσι κεφαλῇσι κυρβασίας εἰς ὀξὺ ἀπηγμένας ὀρθὰς εἶχον πεπηγυίας. Sic vocat rectas, & fixas, quæ non inclinantur, nec incurvantur, quibus contrariæ ἀπαγέες. Hesychius: τιάρα, ἡ λεγομένη κυρβασία, ταύτῃ δὲ οἱ Πέρσαι βασιλεῖς μόνοι ἐχρῶντο ὀρθῇ, οἱ δὲ στρατηγοὶ ὑποκεκλιμένῃ, *inclinata & inflexa, non recta.* Isidorus *incurvam* vocat: *Persæ tiaras gerunt, sed Reges rectas, Satrapæ incurvas.* In frontem prominentes, & incurvæ, ac veluti plicatæ vulgarium tiaræ. Scholiastes Aristophanis: πᾶσι Πέρσαις ἐξῆν τὴν τιάραν φορεῖν, ἀλλ' οὐκ ὀρθὴν ὡς Κλείταρχος ἐν τῇ δεκάτῃ, μόνοι δὲ οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς ὀρθαῖς ἐχρῶντο. Et paulò post: ἔστι δὲ αὕτη καθὰ περιείπομεν τιάρα, τοῖς μὲν ἄλλοις ἔθος καὶ ἐπτυγμένην καὶ προβεβλημένην εἰς τὸ μέτωπον ἔχειν, τοῖς δὲ βασιλεῦσιν ὀρθήν. Idem alio loco τιάραν, Περσικὴν περικεφαλαίαν interpretatur, *galeam Persicam*, pileum, vel galerum sic vocans. Hesychius, τιήρη Persarum lingua significare τὸ ὀξύ. Τιήρη, τὸ ὀξὺ Πέρσαι. Inde *tiara* pileum Persicum, nam tiaræ omnes Persicæ acuminatæ erant, sed vulgarium incurvæ, Regum rectæ. Tales & Phrygiæ, acutæ nimirum, & in frontem flexæ. Unde *tiaræ* etiam appellatæ. Servius mitram Phrygiam, vel Mæoniam *pileum incurvum* interpretatur, *de quo pendebat baccatum tegmen.* Ejusmodi pileo acuminato, & in frontem inclinato tectus Attis in veteribus saxis, & gemmis sculpitur. Quæ Phrygia est tiara. Miror tamen, quare *mitra* dicatur, quod pileum est potius, quum μίτρα & πῖλος Græcis in tantum differant. Puto sic ap-

A pellatas, quod mitris, & redimiculis subnecterentur tiaræ Phrygiæ.

---- *& habent redimicula mitræ.*

Et alibi:

Mæonia mentum mitra, crinemque madentem
Subnixus.

Immo *subnexus* potius scribendum. Vetus auctor apud Athenæum, τοὺς πώγωνας ὑποδεδεμένοι, *mentum & barbam subnexi*, de hujusmodi Phrygiis tiaris & mitris. Nam sub mento religabatur. Hinc pileos episcopales hodieque *mitras* dicimus. Grammatici veteres notant *pileos virorum esse, mitras mulierum.* Palliola, & vela, quibus capita fœminarum operiuntur, *mitras* proprie dictas volunt, & *calauticas* Latinè appellari. Glossæ: *calautica*, εἶδος ζώνης ex Græco καλυπτική.
B In antiquis asterismorum figuris Cepheus pingitur cum Persica tiara in anteriorem partem acumine proclinato. Et Cepheum tiaram habere notat Ptolemæus. Nec proprie tiara est ex nominis notatione, nisi acumen habeat. Nam τιάραν, λόφον, sive apicem esse dicit Hesychius. Talia ferè omnia barbarica pilea. Alani apices fastigatos habebant. Isidorus: *Persæ brachia, ac crura liniamentis, caput tiara tegunt. Eminent apicibus fastigatis Alani.* Alanorum *apices fastigati* sunt κυρβασίαι εἰς ὀξὺ ἀπηγμέναι, quas Scythis donat Herodotus.
C Nicetas in Andronico secundo: ἐκεῖ πως καὶ πῖλον βαρβαρικὸν περιθέμενος, ὃς εἰς ὀξὺ λήγων πυραμίδι ἔοικασι. Tales & *Bardaici cuculli* à Bardæis Illyrici populis. Nam *cucullus* proprie tegmen capitis acuminatum in summo, ex Græca origine, qua κόκκυς significat λόφον, vel apicem, inde *cuccus* & *cucullus.* Martialis:

Sic interposito vilis contaminat unco
Urbica Lingonicus Tyrianthina Bardocucullus.

Ita legendos hos versus diu est cum ex veteribus membranis vidimus. *Uncum* vocat acuminatum apicem bardocucullorum, qui retro inflexus erat, non in ante, ut
D in Persicis, & Phrygiis tiaris, vel etiam rectus. Ita hodieque sunt cucullæ monachorum, & Benearnensium cappæ, quas vocant. Tales olim, si forte, & pænularum, sive lacernarum, quas pluvio tempore superinduebant cuculli. De lacernis cucullatis alibi dicendi locus. Erant & pilea rotunda sine acumine ad instar hemisphærii, vel ovi divisi. Hac forma fuit pileum sacerdotale Judæorum. Isidorus: *pileum ex bysso rotundum quasi sphæra media, caput tegens sacerdotale, & in occipitio vitta constrictum. Hoc Græci & nostri tiaram, vel galeam vocant.* Apud Hieronymum legitur: *hoc Græci & nostri tiaram, vocant nonnulli galerum. Non habet acumen in sum-*
E *mo, sed galeam.* Rectum est, & puto sic legisse Isidorum. Ad hoc instar facta erant & pilea Castorum. Apulejus *ovatas cassides* appellat, quod ἡμίτομον ovi repræsentarent. Male vulgo *obbatas*, vel *obatas* scribunt editiones. Id alibi notavimus. Pilea hujusmodi rotunda *calamancos* vocavit media Latinitas. Ita enim scribendum. Græci voce in suum morem detorta καμελαύκια dixere, quasi ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν τὸ καῦμα. De quibus alio loco, ut & de pileis veterum omnis generis. Arabes hoc loco mitrati, non eodem modo quo Phryges, nam mitræ Phrygiæ pilea sunt, Arabicæ vero tæniæ tantum, & fasciæ, quibus caput redimitum habebant, nec aliter vocem μίτρας acci-
F pit omnis Græcorum natio. Inde *mitella* parva mitra, & *mitrula*, noster supra: *mitrula lineatus caput.* Pro quo *diadema* dixerat Plinius. *Mitellas* etiam vocarunt corollas è veste serica versicolori unguentis madidas. Inde *mitellita*, vel *mitellica* Suetonio in Nerone hujusmodi mitellarum erogatio in convivio, ut *rosaria*, rosarum. Locus insigniter corruptus, nec intellectus, sic ex optimis libris legendus est: *Indicebat & familiaribus cœnas, quorum uni mitellita quadragies sestertio constitit, alteri pluris aliquanto rosaria.* Coronarum apud veteres in conviviis multus usus, & è rosis sutilium præcipuè, postea luxuria invenit è nardi folio, & veste serica versico-
G lori fuere, quas unguentis aspergebant pretiosissimis. Quæ è veste serica fiebant, *mitellas* vocarunt. Plinius lib. XXI. cap. III. Cujus locum è veteribus libris, & ingenio sic emendo: *summaque auctoritas pactilis coronæ, uti Saliorum sacris invenimus sollemnes cœnas. Transiere deinde ad rosaria: eoque luxuria processit, ut non esset gratia nisi è mero folio sutilis mox petitis ab India, aut ultra Indos. Lautissimum quippe habetur è nardi folio eas dare, aut veste serica versicolori un-*

unguentis madidas. Hæc Suetonium explicant, & illustrant, ut nihil melius. Dari coronas è nardi folio, & veste serica dicit Plinius. Dabantur nimirum in conviviis, & sic intelligendum. *Mitellicam* igitur vocat Suetonius dationem mitellarum, sive ejusmodi coronarum sericearum, quæ in conviviis nepotum solebat usurpari. Et hæc mitellica erogatio uni constitit quadraginta millibus sestertiûm nummûm, aliquanto pluris & *rosaria*, coronarum nempe largitio è mero rosæ folio sutilium. Non aliter eum locum accipere licet. Sic *rosaria* Plinius, & *sericas corollas* conjungit, & in conviviis lautioribus dari solitas ostendit. Et quid aliud sericea corolla, quam mitella? Sic utrumque conjunxit Callimachus hoc epigrammate:

Μίτρῃσί τε καὶ ῥόδων ἀώτοις.

Glossæ: *rosaria*, ῥοδισμός. Rosarum scilicet aspersio, quæ in conviviis usurpabatur. Addit Plinius: *hunc habet novissimè exitum luxuria fœminarum.* Fœminarum luxuria sericæ vestes, quæ hunc exitum novissimè habebant, postquam diu habendo obsoletæ essent, ut inde coronæ, & mitellæ versicolores suerentur. Sic accipi verba illa debent.

Aliena non emunt, vendunt sua] Delrius notat ex veteri suo libro: *aliena non appetunt.*] Nihil nostri mutant, & firmat vulgatam Plinius: *Vendentibus, quæ è mari, aut silvis capiunt, nihil invicem redimentibus.*

Angues edunt, nulla illis vel animi, vel corporis cura: ac propterea ophiophagi nominantur] An quod angues edunt, nulla illis, vel animi, vel corporis cura? certe ἰχθυοφάγοι & ἀκριδοφάγοι, & ἐλεφαντοφάγοι, quæ circa illos tractus habitant gentes, corpus, & animum non melius curant, nec anthropophagi, nec agriophagi. An vero quod nulla, vel animi, vel corporis cura, ideo ophiophagi? Hoc videtur innuere vulgata lectio. Hæc absurda sunt, ut omnia Soliniana, & fortasse etiam corrupta. Legebam: *angues edunt, nulla velaminis corpori cura.* Atque ita in schedis Palatinis olim reperi. γυμνοὺς esse populos illos indicat. Alieno tamen loco hæc posita. Nam sequitur, *ac propterea ophiophagi nominantur*, quæ ad anguium victum, non ad nuditatem referri oporteat. Scribere debuit auctor, & fortasse scripserat: *pars eorum, quibus asper victus est, angues edunt, ac propterea ophiophagi nominantur.* Atque ita Plinius, unde sumpsit: *introrsus Candæi, quos ophiophagos vocant, serpentibus vesci assueti, neque enim alia regio fertilior earum.* Verba illa: *nulla velaminis corpori cura*, ab aliquo adtexta sunt, vel ex priore editione irrepserunt. Possunt tamen & auctoris esse in omnibus ineptissimi. Ut ecce ophiophagos istos perperam in Arabia Felice numerat, quos Plinius in ea Æthiopiæ ora recenset, quæ Arabiæ contraria est. Sed talis ubique Solinus.

Ex istius littoris sinu Polycrati regi advecta sardonyx.] Quis illi dixit sardonychem Polycratis ex Arabia fuisse? Nam & Indicæ, & Armeniacæ sardonyches fuere præter Arabicas, nec ullum verbum Plinius facit, unde advecta fuerit Polycrati sardonyx. Adde, quod Polycratis illam gemmam, non sardonychem, sed smaragdum Herodotus fuisse vult. Quid illa vero sibi volunt, ex Arabici littoris sinu venisse sardonychem Polycrati? Certè in sinu rubri maris non reperiebantur sardonyches. In India detegebantur torrentibus, in montibus eruebantur Arabicæ. Præterea falsum est quod adjicit, gemmam eam Polycratis primam in orbe Romano luxuriæ facem excitavisse. Plinius in procemio lib. XXXVIII. *Quæ fuerit origo gemmarum, & quibus initiis in tantum admiratio hæc exarserit, diximus quadamtenus in mentione auri, annulorumque.* Libri addunt, *quadam tenus parte.* Capite de auro, & annulis ita scribit: *majorque vitæ ratio circa hoc instrumentum esse cœpit, incertum à quo tempore. Videmur tamen posse in externis auctoritatem ejus intelligere circa Polycratem Sami tyrannum, cui dilectus ille annulus in mare abjectus.* De externis loquitur, non de Romanis. Nec ex annulo illo, vel gemma Polycratis excitatam luxuriæ facem in orbe Romano dicit, immo nec in externis, sed plurimam apud Græcos jam tum fuisse gemmarum auctoritatem circa Polycratis tempora. Et disertim lib. XXXVII. cap. I tradit victoriam Ponticam Magni Pompeji primum ad margaritas, gemmasque mores Urbis inclinasse. Non

A igitur illa fax exarsit è Polycratis gemma, quod absurdissimum est. In procemio supra dicto ejusdem libri de origine gemmarum, & annulorum hæc habet: *fabulæ primordium à rupe Caucasea tradunt, Promethei vinculorum interpretatione fatali. Primumque saxi hujus fragmentum inclusum ferro, ac digito circumdatum, annulum & hoc gemmam.* Aliquid heic deesse palam est. Reponendum ex veteri codice Bibliothecæ Regiæ: *hoc fuisse annulum & hoc gemmam.* Ferrum digito circumdatum, annulus: saxi fragmentum ferro inclusum, gemma. Isidorus ex hoc loco Plinii primum Prometheum sibi annulum fecisse tradit. Quod non B dicit Plinius. *Gemma*, ἡ σφραγίς.

Pag.46.C. *Adeo sardonyx in omnium venit notitiam*] De sardonyche quædam heîc dicenda, & Plinius aliquot locis tum explicandus, tum emendandus. *Sardonyches*, inquit, *olim, ut ex nomine ipso apparet, intelligebantur candore in sarda, hoc est, velut carnibus ungue hominis imposito, & utroque tralucido. Sardonychis* nomen compositum ex sarda, quæ Græcis σάρδιον & ὄνυξ, quæ unguem significat, & gemmam unguis colore. Ergo sardonyx ita olim intelligebatur, velut unguis carnibus impositus esset. Nam superficiem habebat onychis gemmæ, vel unguis humani instar candidam: radi- C cem vero, sive fundum instar sardæ, vel carnium. Hic enim sardæ color. Σάρδιον αἱματόεν Orpheo dicitur. Sic sardonyx erat velut unguis carnibus impositus. Subjicit Plinius: *talesque Indicas esse tradunt Ismenias, Demostratus, Zenothemis, Sotacus: hi quidem duo reliquas omnes, quæ non traluceant, cæcas appellantes, quæ nunc nomen abstulere.* Indicæ sardonyches olim, quæ candorem in rubro habebant, & utrumque tralucidum, omnium optimæ judicabantur, & tales Indicæ. Quæ non tralucerent, *cæca* vocabantur. Ita de smaragdis: *sunt aliqui obscuri, quos vocant cæcos.* At Plinii ævo cæcæ illæ sardonyches, ac minimè translucentes in pretio, & D nomen abstulerant, ut propriè vocarentur sardonyches. Sequitur apud eumdem: *nullo sardarum vestigio Arabicæ sunt, cœperuntque pluribus hæ gemmæ coloribus intelligi, radice nigra aut cæruleum imitante, & unguem: creditum enim candido pingi nec sine quadam spe purpuræ in minium transeunte.* Hæc sunt corruptissima. Vetus liber legit: *aut cæruleum imitante & ungue minium creditum candido pingui.* Lego indubitata conjectura: *radice nigra aut cæruleum imitante: & ungue minium incretum candido pingui, nec sine quadam spe purpuræ in minium transeunte.* Dicit Arabicas sardonychas nullum habere sardæ vestigium, ut Indicas, sed aliis E coloribus intelligi. Indicæ radicem habebant rubram, & carnibus similem, qui sardæ color est, unguem vero, hoc est, superficiem candidam. Arabicæ erant radice nigra, vel cæruleum imitante: ungue, sive superficie, quæ minium imitaretur incretum candido pingui, non sine spe purpuræ, ex candore in minium transeunte. Nam transitus ille candoris in minium spem purpuræ ostendebat in superficie sardonychis Arabicæ, in Indica unguis solum candorem habebat, in Arabicæ ungue minium candido pingui incretum visebatur. Nihil verius. *Candidum pingue* vo- F cat crassius nitens, cui candorem gracilem, & liquidum paulo post opponit. Sic *pinguem lucem* alibi vocat, & *pingues carbunculos*, qui pinguius lucerent. Epiphanius sardonychem etiam μολοχὰν appellari tradit, & ὑποχλωρίζοντα vocat. Ἐστὶ καὶ ἄλλος σαρδόνυξ, ὃς καλεῖται μολοχὰς, τῆς ἢ αὐτῆς ἰδέας τυγχάνει, ὑποχλωρίζων. Molochiten confundit cum sardonyche. De sarda diximus suprà quod satis esset, nunc de onyche, quæ alteram partem facit sardonychis, exponendum videtur. Hoc nomen ὄνυξ commune marmori & gemmæ, Plinius: *exponenda est & onychis ipsius natura, propter nominis societatem, hoc in gemmam transilit ex lapide Carmaniæ.* Hodie docti G prope omnes onychem gemmam cum onyche marmore confundunt: quidam etiam dedita opera studiosè id contendunt. Ubicunque *onyx* pro unguentario vase ponitur, non de gemma accipi debet, sed de lapide, vel marmore. Propertius:

Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.

Martialis:

Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx.

Horatius:

Horatius:

Nardi parvus onyx eliciet cadum.

Et ſic paſſim apud poëtas *onyx* eſt alabaſter, id eſt, vas unguenti è marmore onyche, non è gemma. Plinius de marmore onychite lib. XXXVI. cap. VIII. *Hunc aliqui lapidem alabaſtriten vocant, quem cavant ad vaſa unguentaria, quoniam optimè ſervare incorrupta dicitur.* Ubi ineptè annotat herbariorum & medicorum cymbalum, parum attentè Plinium onychitin gemmam, quam Galli vocant *caßidoniam*, confundere cum alabaſtrite. Immo ipſe parum attentè. Nec enim de gemma Plinius, ſed de genere marmorei lapidis agit, quem Græci ὄνυχα quoque dixere. Et quoniam ad vaſa unguentaria & alabaſtros cavabatur, etiam ἀλαβαστρίτην nomen ei fecere. Cum Plinio facit omnium auctorum, & præcipuè poëtarum conſenſus, quibus *onyx* pro vaſe unguentario paſſim uſurpatur, quod ex onyche lapide cavaretur. Dioſcorides: ἀλαβαστρίτης, ὁ καλούμενος ὄνυξ. Igitur ἐπιθετικῶς onyx lapis etiam vocatus ἀλαβαστρίτης, quod in alabaſtros formaretur. Attici ἀλάβαστρον dicebant, quod ceteri Græci ἀνάβαστρον. Idem propriè eſt, quod φορεῖον, vel φόρετρον; vas, vel inſtrumentum alicui rei gerendæ, ac ſuſtinendæ aptum. Unde & ἀλάβαστροι perticæ, vel fuſtes gerendis oneribus accommodæ, & ἀλάβαστροι vaſa quoque unguentaria, & inde lapis alabaſtrites, qui & onyx. Variis in locis naſcebatur. Plinius ſcribit putaſſe veteres in Arabiæ tantum montibus, nec uſquam alibi naſci. *Sudines & in Carmania.* Ita legendum, non *Germania.* *Potoriis primum vaſis inde factis, dein pedibus lectorum, ſelliſque.* Græcè ὀνύχινοι σκύφοι apud Athenæum, & *onychina vaſa* apud Capitolinum, ab hoc onyche lapide. Inde & *onychinæ cruſtæ* in Epiſtola Sidonii Papæ. *Naſcitur*, inquit Plinius, *circa Thebas Ægyptias, & Damaſcum Syriæ, probatißimus vero in Carmania, mox in India.* Ptolemæus oram Ægypti Arabicam recenſens, & variorum marmorum cautes, & lapidicinas ibidem has enumerat: τοῦ Τρωϊκοῦ λίθου ὄρους, καὶ τοῦ ἀλαβαστρίνου, καὶ τοῦ πορφυρίτου, καὶ τοῦ μέλανος λίθου, καὶ τοῦ βασαλίτου λίθου. Ita ſcribo, non βασανίτου. Βασαλίτης λίθος, qui Plinio *baſaltes* ferri colore, & duritie, ἀλαβάστρινος λίθος Ptolemæo, qui aliis ἀλαβαστρίτης. Inde & oppidum dictum videtur *Alabaſtrum* in Arabica, & orientali Ægypti parte, quod in ea urbe alabaſtri tornarentur ex lapide, qui cædebatur vicinis in montibus. Ἀλαβάστρων πόλις, & Ἀλάβαστρα. Super hoc nihil dubii eſt. Plinius: *probantur quam maximè mellei coloris, in vertice maculoſi, atque non tranſlucidi.* Quid eſt, *in vertice maculoſi*? Scripſerim, & verum eſt, *in vortices maculoſi*, vel *in verticem.* Sic ſupra de Auguſteo, & Tiberio marmore: *differentiaque eorum eſt ab ophite, cum ſit illud ſerpentium maculis ſimile. Unde & nomen accepit. Hæc maculas diverſo modo colligunt: Auguſteum undatim criſpum in vortices, Tiberium ſparſu, non convoluta canitie.* Ita legendus ille locus. Sic de menſis citreis: *præcipua dos in venam criſpis, vel in vortices parvos.* Onyx igitur, vel alabaſtrites lapis, candidus, vel mellei coloris, & in vortices maculoſus. Iſidorus: *Alabaſtrites lapis, candidus, interſtinctus variis coloribus.* Strabo graviſſimus auctor Synnadicum marmor, quantum ad varietatem colorum, ſimile dicit eſſe alabaſtritæ lapidi. Nam columnas ex eo monolithas tradit, παραπλησιάζειν τῷ ἀλαβαστρίτῃ λίθῳ κατὰ τὴν ποικιλίαν. Synnadicus autem lapis erat candidus ſanguineis, vel rubris interſtinctionibus variatus, ut notamus ad Auguſteos ſcriptores. Dicebatur & Docimites à Docimio Phrygiæ vico, ubi lapidicinæ fuerunt hujus marmoris. Strabo: ἐπέκεινα δ' ἐστὶ Δοκιμία κώμη, καὶ τὸ λατόμιον τοῦ Συνναδικοῦ λίθου, οὕτω μὲν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, οἱ δ' ἐπιχώριοι Δοκιμίτην, καὶ Δοκιμέα. Ita ſcribendum, non Δοκιμαίαν. Stephano Δοκίμειον oppidum Phrygiæ, cujus ἐθνικὸν Δοκιμεύς, & Δοκιμινός. Ἀφ' οὗ τὰ μάρμαρα οὕτω. A ſimilitudine, quam habebat hîc Docimites, vel Synnadicus lapis cum alabaſtrite, quidam & hunc ὀνυχίτην vocavere. Epiphanius de duodecim lapidibus: ἄλλοι δέ πως καὶ τὸν λίθον τὸν μαρμάρινον τὸν ἀπὸ τοῦ Δοκιμίου ψευδωνύμως ὀνυχίτην καλοῦσι διὰ τὸ καθαρὸν τῆς λευκότητος. Ubi λίθος μαρμάρινος ἀπὸ τοῦ Δοκιμίου eſt lapis Synnadicus ab urbe Docimio. Inepti caprimulgi vertunt: *& ipſum marmor ab exploratione unguis onychitem vocant.* Sanè & δοκιμὴ, & δοκίμιον probationem ſignificat, ſed non hoc loco. Inde eſt, quod quidam Ἀλάβαστρα oppidum Phrygiæ eſſe prodiderunt. Stephanus: Ἀλάβαστρα, πόλις Φρυγίας. Ἡρόδοτος. ἐν ταύτῃ λίθος διάσημος, ὥς φησι Νικάνωρ. Τὸ ἐθνικὸν Ἀλαβαστρίτης. Mentio τῶν Ἀλαβάστρων pro urbe Phrygiæ apud Herodotum nuſquam. Ἀλάβαστρα urbs Ægypti, vel Ἀλάβαστρον, apud quam plurimus lapis alabaſtrites. Plinius: *Alabaſtrites naſcitur in Alabaſtro Ægypti, & in Syriæ Damaſco, candore interſtincto variis coloribus.* Non tamen alabaſtrites lapis dictus ab Alabaſtro oppido Ægyptio, quod in eo naſceretur. Immo contrà *Alabaſtrum* oppidum appellatum à lapide alabaſtrite. Ἀλαβάστρων πόλις prius dicebatur, ab alabaſtris, id eſt, unguentariis vaſis, quæ in ea urbe fiebant ex onyche lapide indigena, quem lapidem ἀλαβαστρίτην etiam inde appellarunt, quod cavaretur in alabaſtros. Poſtea Ἀλάβαστρον dictum, ut in aliis multis oppidis Ægypti uſu veniſſe videre eſt. Ἀκανθῶν πόλις, quæ & Ἄκανθος. Κυνῶν πόλις, quæ poſtea Κυνώ. Ἀνλινοῦ πόλις, & Ἀνλινώ, & Ἀνλίνος dicta. Et Λατοῦς πόλις appellata Λάτος. Et Λύκων πόλις, Λυκώ. Ita igitur oppidum *Alabaſtrorum*, τῶν ἀλαβάστρων, id eſt, unguentariorum vaſum, appellatum unica voce Ἀλάβαστρον, & enallage numeri ſollemni Ἀλάβαστρα. Ceterùm propter ſimilitudinem macularum, & quod ad eumdem uſum converteretur, Phrygium, vel Synnadicum lapidem ὀνυχίτην etiam nonnulli appellarunt & ἀλαβαστρίτην. Unde & Ἀλάβαστρα quidam in Phrygiam ex Ægypto tranſtulerunt. Sic ὄνυξ, ſive ὀνυχίτης λίθος, & ἀλαβαστρίτης omnino idem. Probatiſſimum in Carmania alabaſtritem reperiri ſcribit Plinius. Idem onychen lapidem Carmaniæ vocat, ubi de onychis gemmæ nomine loquitur: *hoc in gemmam tranſilit ex lapide Carmaniæ.* Non ſolum hîc lapis expetebatur ad unguentaria vaſa, ſed etiam Lygdinus è Paro inſula. Plinius ibidem: *paulum diſtare ab eo in unguentorum fide multi exiſtimant Lygdinos in Tauro repertos amplitudine, qua lances, craterasque excedant, antea ex Arabia tantum advehi ſolitos.* Scribitur in libris: *in Taro repertos.* Quid clariùs quam legendum, *in Paro*? Nam *Lygdus* lapis Parius. Heſychius: Λύγδος λίθος, εἰς ζώδια, ἢ ὁ Πάριος. Notandum, quod ait Lygdinos lapides prius ex Arabia advehi ſolitos. Id confirmat Arrianus in maris Erythræi periplu, merces enumerans, quæ ex Muza Arabiæ emporio exportantur: ἐξάγεται δ' ἐξ αὐτῆς ἐντόπια μὲν σμύρνα ἐκλεκτὴ, καὶ στακτὴ σμυρνεια, Λύγδος. Ibi Λύγδος eſt lapis Lygdinus. Diodorus lib. II tradit lapides in Arabia nitore, & candore vincere Lygdum Pariam. Διόπερ οὔτε ἡ Παρία λύγδος, οὔτε ἄλλη θαυμαζομένη πέτρα τοῖς Ἀραβίοις λίθοις ἐξισωθῆναι δύναται, ὧν λαμπροτάτη μὲν ἡ λευκότης, βαρύτατος δ' ὁ σταθμὸς, ἡ δέ γε λειότης ὑπερβολὴν ἑτέροις οὐκ ἀπολείπουσα. Ita legendum, non ἡ Παρία Λίγδος, nec λίθος. Lapides illos Arabicos candidiſſimos, & nitidiſſimos, quibus Pariam Lygdum cedere aſſerit Diodorus, Lygdinos etiam appellaſſe veteres Plinius, & Arrianus teſtantur. Hinc *albaſtrum* hodie vocamus genus candidiſſimi marmoris, quale Parium eſt, vel Lygdinum; non à candore, ſed ab unguentorum alabaſtris, quaſi *alabaſtrum.* Nam huic rei plurimum ſerviebat: & inter alabaſtritarum genera etiam candidum reperiebatur. Epiphanius Docimiten lapidem, vel Synnadicum falſo dicit appellatum ὀνυχίτην, διὰ τὸ καθαρὸν τῆς λευκότητος. Nam Synnadicus candidus, ſed maculis rubris variatus. Ergo & ὀνυχίτης, ſive ἀλαβαστρίτης etiam candidus. Talis erat, qui circa Damaſcum Syriæ naſcebatur, quem ceteris candidiorem fuiſſe ſcribit Plinius. Viliores tamen candidi habebantur eodem Plinio teſte: *vitia in his corneus color, aut candidus, & quidquid ſimile vitro eſt.* Contra probabantur quam maximè mellei coloris, in vortices maculoſi, atque non tranſlucidi. Quod enim ſimile vitro eſt, id tranſlucet. Ex hoc onyche, ſive alabaſtrite lapide, non ſolum potoria, & unguentaria vaſa, ſed etiam columnæ fiebant, & pavimenta. De columnis vide Plinium, qui plures, & ampliores ſe vidiſſe fatetur. De pavimentis Lucanus:

---- ſtabatque ſibi non ſegnis achates
Purpureuſque lapis, totaque effuſus in aula
Calcabatur onyx.

Ex achate, & porphyrite lapide columnæ: ex onyche pavimenta. Martialis lib. XII. Epigr. L.

Calcatuſque

Calcatusque tuo sub pede lucet onyx.

Statius Papinius inter marmora onychem recenset in epithalamio Stellæ & Violantillæ, his versibus:

Heic Lybius Phrygiusque silex, heic dura Laconum
Saxa virent, hic flexus onyx, & concolor alto
Vena mari, rupesque nitent, queis purpura sæpe
Oebalis, & Tyrii moderator livet aheni.

Numidicum, Synnadicum, Lacedæmonium, onychiten, Carystium, & Porphyriten marmora designavit. Et in Balneo Etrusci Synnadicum lapidem præfert onychiti:

Non huc admissæ Thasos, aut undosa Carystos
Mœret onyx longe, queriturque exclusus Ophites,
Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura, sola cavo Phrygiæ quam Synnados antro,
Ipse cruentavit maculis lucentibus Attis,
Quasque Tyrus niveas secat & Sidonia rupes.
Vix locus Eurotæ, viridis quum regula longo
Synnada distinctu variat.

Quæ attuli, ut constet onychem nec inter præstantissima marmoris genera tunc locum habuisse. Nam & in hoc lapide variatum esse scribit Plinius. Paulus Silentiarius in Ecphrasi sanctæ Sophiæ templi & inter marmora onychem, sed non primo loco adscribit, his versibus:

Ὅσσα δ' ὄνυξ προέηκεν ἀπαυγάζοντι μετάλλῳ
Ὠχελόων ἑέλπμα.

Candidum, sive pallidum onychem significat, qui vilissimus. Et tamen ὠχελᾶν ἑέλιμα dicit. Quod verbum & de melleo colore pallidiore potest accipi. Ut non una hujus lapidis patria, ita non unus color, nec una indicatura. Plinius in Cappadocia vilissimum alabastritem nasci tradit. Strabo ὀνυχίτην lapidem in Cappadocia effodi scribit, ut hinc etiam constet ὀνυχίτην, & ἀλαβαστρίτην eumdem esse lib. XII de Cappadocia: λέγεται δὲ καὶ κρυστάλλου πλάκας καὶ ὀνυχίτου λίθου πλησίον τῆς τῶν Γαλατῶν ὑπὸ τῶν Ἀρχελάου μεταλλευόντων εὑρέθη. Vocat ὀνυχίτην, qui aliis ὄνυξ. Quibus omnibus locis qui pro gemma accipiunt, magnopere falluntur. Arrianus in periplu ὀνυχίνην λιθίαν vocat hujusmodi onychinas crustas, quæ ex India afferebantur. Nam de onyche lapide præstat accipere, quam de onyche gemma. Ita enim de Indiæ locis quibusdam: φέρεται δὲ ἀπὸ τῶν τόπων, νάρδος, κόστος, βδέλλα, ὀνυχίνη λιθία, καὶ σμύρνα. Et paulo post: ἀπὸ μὲν Πλιθάνων ὀνυχίνη λιθία πλείστη. Et alibi λιθίαν μουρρίνην, & ὀνυχίνην jungit. Ὀνυχίνη λιθία, καὶ μουῤῥίνη, καὶ σινδόνες Ἰνδικαί. Sic *onychina*, & *murrina* pocula junguntur apud Capitolinum: *in murrinis & onychinis minxit*. Optimum in India nasci onychem lapidem post illum Carmaniæ Plinius memorat. Indicas etiam onyches gemmas eodem auctore novi: sed heîc de lapide malo accipere. Λιθία de amplioribus, & grandioribus lapidibus ferè accipitur. Sic λιθίαν ὑαλῆν idem sæpe vocat. At cum de gemmis loquitur, λίθους potius appellat. Ut καλλαΐνος λίθος, καὶ σάπφειρος, καὶ σηρικὰ δέρματα. Et prope finem: ἡ λιθία διαφανὴς παντοία, ἡ ἀδάμας, ἡ ὑάκινθος. Vides adamantem, & hyacinthum gemmas separari ἀπὸ τῆς λιθίας παντοίας διαφανοῦς. Nec enim omnis λίθος διαφανὴς gemma est. Saltem λιθίαν de vulgaribus magis usurpat Strabo lib. IX de marmore Synnadico, Scyrio, Hierapolitico, & aliis: μονολίθους γὰρ κίονας καὶ πλάκας μεγάλας ὁρᾶν ἐστὶν ἐν τῇ Ῥώμῃ τῆς ποικίλης λιθίας. Ubi ποικίλην λιθίαν vocat marmora maculosa, & varia. Sic ξυλία, vel ξύλεια, *lignamen*, *vel materiamen*. Et Josephus quodam loco λιθίαν de lapidibus cæmenticiis usurpat. Et hæc satis sunt iis revincendis, qui λιθίαν de solis lapidibus pretiosis sumi notaverunt, cui voci respondere nostram, *pierrerie*, quam de gemmis tantùm accipimus. Sanè & λιθίαν Græci pro lapillis pretiosis interdum sumunt, ut Strabo lib. XV. Φέρει δὲ καὶ λιθίαν ἡ χώρα πολλὴν κρυστάλλων, καὶ ἀνθράκων παντοίων, καθάπερ τῶν μαργαριτῶν. Sic λιθία de quibuscunque lapidibus dicitur. At ὀνυχίνην λιθίαν apud Arrianum de lapide onychite, quam de onyche gemma potius accipi placet. Ex iis, quæ diximus, constat, onychiten lapidem, qui & ὄνυξ vocatur, genus esse marmoris faciendis vasis potoriis, unguentariis, columnis, pavimentis, & his similibus. Hæc cum ita sint, hodierni scriptores, & in his Nicolaus Guibertus scripto peculiari hunc onychiten lapidem ab alabastrite diversum faciunt, & Plinium in partem suæ sententiæ rapiunt, quasi diversis capitibus de onyche, & alabastrite tradiderit. Falluntur. Perperam divulsa sunt in editis illa capita. Verba quippe ista capitis VIII, *hunc lapidem quidam alabastriten vocant*, adnectenda esse constat superiori capiti, quo de onyche marmore tractat. Nec pertinent hæc verba ad discrimen aliquod statuendum inter onychen, & alabastriten, sed variam onychis appellationem indicant, qui alabastrites quibusdam dicitur, quod ex eo potissimum lapide fierent alabastri. Quid apertius? Si alabastrites & onyx idem, non idem erit onyx, & lapis ille, qui vulgo *chalcedonius* vocatur. Nam vel ipsorum sententia *chalcedonius* lapis, & *alabastrites* diversi. Evellenda certe ex hodiernorum hominum animis hæc opinio, qua passim adstruunt onychiten veterum esse *chalcedonium* nostrum. Sic enim fabulantur: puriorem, & nobiliorem chalcedonium parum ab onyche gemma differre: onychiten esse chalcedonium: sic inter onychiten, & onychem gemmam parvum dari discrimen, quinimmo onychiten lapidem secundam speciem faciunt onychis gemmæ: ejusdem quippe formæ ac generis esse. Quæ omnia longè à vero sunt. Nam quantum marmor à gemma distat, tantum onychites, vel onyx lapis ab onyche gemma differt. Præterea onychites, vel onyx, qui de marmorum genere est, non esse potest chalcedonius, qui gemmarum generi adscribitur. *Chalcedonii* marmoris apud veteres nusquam extat mentio, sed nec *chalcedoniæ* gemmæ, ut ipsi asserunt. Ideo scribendum autumant absque aspiratione *calcedonium*. Quod quid sit nescio. Nec enim *chalcedonius* aliunde nomen habuerit, quam ab urbe Chalcedone, & nomen antiquum esse oportet. Χαλκηδόνος gemmæ mentio in Apocalypsi cap. XXI. Ubi interpres vetus *chalcedonium* reddit. Arethas ex iis, qui Bithyniaca scripserunt, refert dictum esse ab Chalcedone suprà Chrysopolim, & colore similem facit carbunculo. Sic videtur confundere τὸν καρχηδόνιον λίθον, qui genus est carbunculi, cum τῷ χαλκηδονίῳ, & magna sanè utriusque nominis est affinitas. Nam & χαλκηδόνιος perperam scribitur apud Epiphanium pro καρχηδόνιος. Et *carchedonii* smaragdi apud Plinium pro *calchedoniis*, ut suprà notavimus. Non dubium tamen est aliquem fuisse veterum chalcedonium qui gemma fuit: eum investigemus. Præter chalcedonios smaragdos, quorum meminit Plinius, chalcedoniæ jaspidis etiam apud eumdem extat mentio, ubi colores, & genera, patriasque jaspidum recensens dicit Chalcedonem turbidam jaspidem mittere. *Amisos Indicæ similem mittit, Chalcedon turbidam.* Quantum judico, hic lapis est, quem recentior ætas absolutè *chalcedonium* appellitavit. Nec temere sic judicaveris: nam omnia satis apte conveniunt. Marbodeus in dactyliotheca scribit calcedonem lapidem hebeti pallore refulgere inter hyacinthum, & beryllum. Jaspidem chalcedoniam esse planè liquet. Addit idem:

Hæc species lapidis tantum tricolor reperitur.

Ubi notant interpretes primum colorem chalcedonii sapphirinum esse: secundum fuscum & pallidum: tertium permixtum rubro. Certe multi jaspidum colores, & infinitæ pæne species. Inter eas & sardii lapidis quædam colorem habent, nonnullæ etiam onychis, unde & *jasponix* dicebatur. Nec mirum proinde est, si *chalcedonius*, quæ species est jaspidis, non multum differre dicatur ab onyche gemma. Ceterum *chalcedonius* non est veterum onychites, nam gemma marmor non est: nec alabastrites idem cum chalcedonio: nam idem onychites cum alabastrite. Onychiten in Germania hodieque reperiri ajunt, ex quo fieri globulos precales, capulos, & mortariola. Toto cœlo errant, & toto genere. Non onychites in Germania eruitur, sed chalcedonius; atque ita vocant. Et locum ipsum vidimus, ubi multa illa gestamina excuduntur ex eo lapide, & *casidonias* vulgo appellant. Lapides verò, qui effodiuntur, achates esse ajunt. Ex onyche marmore, vel onychite lapide, non mortariola tantum, & globuli, sed columnæ ingentes, & crustæ ad pavimenta excidebantur. Quorum nihil fieri potest ex illo, quem vocant

cant Germanico onychite. Et ſanè onychites non eſt. Plinius tradit auctore Sudine, *onychem etiam in Germania repertum, potoriis primum vaſis inde factis, deinde pedibus lectorum, ſellisque.* Sed in Plinio legendum, *Carmania*, non *Germania*, ſuprà oſtendimus. Nec inde colligere poſſunt, onychem & chalcedonium idem eſſe. Multo minus ejuſdem generis, ac formæ fuerit onyx marmor cum onyche gemma. Longe omnium abſurdiſſimum & falſiſſimum, quod ex onyche gemma murrhina veterum pocula vulgo factitata fuiſſe quovis pignore contendunt. Quod ſatis in ſuperioribus refutavimus. Onyx gemma, lapis admodum parvus, & verè gemma. Nam ut lapis aliquis gemma ſit, non ſolum τὸ διαφανὲς, καὶ τὸ σπάνιον, ſed etiam τὸ μικρὸν facit. Unde illud noſtri ſupra: *Catochites lapis, cautes verius, quam gemma.* Græci σφραγῖδας proprie, & ψήφους, & σημεῖα vocant hujuſmodi pretioſos lapillos, quorum non major ferè amplitudo quam ut σφραγῖδες inde & annulorum ſignacula fieri queant. Scio tamen & ex gemmis cavatis pocula olim facta, nam & ampliſſimæ multæ reperiuntur, ut achates, lychnitæ, carbunculi, charcedonii, & ſimiles. Sed ex onyche gemma pocula olim cavata fuiſſe, nuſquam Plinius ex veteribus meminit. *Onychina* itaque *pocula*, *& onychinas cruſtas* cum legimus in veterum ſcriptis, de marmore, non de gemma onyche facta intelligi convenit. Etenim quod Epiphanium libro *de duodecim gemmis* poculorum ex onyche gemma confectorum mentionem facere volunt, non parum & in hoc falſi ſunt, & perperam Epiphanii mentem interpretantur, cujus hæc ſunt verba: λίθος τὸ ὀνύχιον. Οὗτος ὁ λίθος ξανθὴν πάνυ τὴν χροιὰν ἔχει, τέρπεσθαι δὲ τῷ λίθῳ τούτῳ φασὶ τὰς νύμφας τῶν βασιλέων ἢ καὶ πλουσίων ἀνδρῶν, αἵτινες καὶ εἰς ἐκπώματα ἴδια ἀνατρέψασαι ἔχουσι τὸν λίθον τοῦτον. In veteri libro ſcribitur, ἀναστρέψασαι. Non dicit Epiphanius, νύμφας βασιλέων ex onyche lapide τὰ ἐκπώματα ſibi facere, ſed hunc lapidem εἰς τὰ ἴδια ἐκπώματα ἀναστρέψαι, *ad ſua pocula transferre*, τῷ τῆς λιθοκολλητικῆς artificio ſcilicet, quo gemmæ poculis aureis includebantur. Juvenalis:

> *Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert*
> *A digitis.*

Eodem ſenſu *gemmas ad pocula transferri* dixit, quo Epiphanius Regum, & divitum uxores εἰς τὰ ἴδια ἐκπώματα τὸν ὄνυχα λίθον ἀναστρέψαι. Qui Græcè ſciunt, hoc verum eſſe non ignorant. Plinius: *turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices.* Quod perperam de poculis ex una gemma cavata factis accipiunt, de quo alibi dictum. Notandum porro forma diminutiva, ὀνύχιον Græcis hanc gemmam appellari. Nam ita vocat Theophraſtus & ſeptuaginta interpretes cum Epiphanio. At marmor, vel lapis iiſdem Græcis ὀνυχίτης λίθος dicitur. Nec de gemma uſpiam hoc nomen uſurpatur, ut nec de marmore ὀνύχιον dicitur. Latini *onychem* de utroque indifferenter dicunt. Ideo Plinius ait, nomen *onychis in gemmam tranſiiſſe à lapide Carmania.* Quid ſi potius à gemma tranſiit in lapidem? Nam gemma ὄνυξ, & ὀνύχιον principali voce appellatur, lapis autem ὀνυχίτης per productionem, & derivationem nominis. Sed verius utrumque appellatum à corneo unguis candore. Certè ὀνύχιον, & ὀνυχίτην λίθον aperte Epiphanius diſtinxit, hoc de marmore, illud de gemma accipiens. Poſtquam περὶ τοῦ ὀνυχίου, quæ gemma eſt, dixit, hæc verba ſubjicit: εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλοι ὀνυχῖται ὁμωνύμως καλούμενοι, οἵτινες κηρῷ τῷ μελιχρόῳ εἰσὶ παραπλήσιοι. Τινὲς δὲ φασὶν αὐτοὺς ἐξ ὕδατος ἀστάκτου πεπῆχθαι. Ita legendus hic locus, qui de marmore onychite intelligendus eſt. Duo genera ejus tangit. Plinius optimum, & præſtantiſſimum quam maximè mellei coloris eſſe tradit, nec tranſlucidi. Epiphanius τῷ μελιχρόῳ κηρῷ ſimilem eſſe ſcribit hoc genus onychitis lapidis. Improbabatur ceu vitium in hoc lapide corneus color, & candidus, & quidquid ſimile vitro eſt, eodem Plinio judice. Hic tamen color lapidi nomen dedit, ut & gemmæ. Qui talis eſſet, ἐξ ὕδατος ἀστάκτου πεπῆχθαι creditum vulgo ait Epiphanius, ex *aqua glaciata* concretum eſſe, more ſcilicet cryſtalli, cui ſimile vitrum eſt, cujus color & perſpicuitas in quodam onychitis genere deprehenditur. Ὕδωρ ἄστακτον eſt *aqua glaciata & concreta.* Male hoc Epiphanii teſtimonio, & argumento utitur Gilbertus, ut probet ex onyche gemma murrhina veterum conflata fuiſſe. Nam & murrhina Plinius calore ſub terra denſari ſcribit. Quid abſurdius? De onyche gemma non loquitur Epiphanius, ſed de onychite marmore. Nihil prorſus veri in illa opinione. Quod ſcribit idem Epiphanius, τὸ ὀνύχιον gemmam πάνυ ξανθὴν τὴν χροιὰν ἔχειν, hoc de genere quodam onychis accipiendum, quæ chryſolithi colorem habebat. Plinius: *Sudines dicit in gemma eſſe candorem unguis humani ſimilitudine: item chryſolithi colorem, & ſardæ, & jaſpidis.* Nam chryſolithus flavus eſt, ut aurum. Sed ξανθὴν χροιὰν etiam accipere poſſumus de rubro colore, ut plerique Græcorum paſſim hanc vocem uſurpant. Ξανθὸς καρπὸς φοινίκων Theophraſto, Plinio *rubens* dicitur. Ξανθὸν κουράλιον Dioſcoridi & aliis, quod rubrum eſt. Gloſſæ: ξανθὸς, *ruber*. Onyx, quæ colorem habet ſardæ, plane rubra eſt, id eſt, ξανθή. Nam σάρδιον, & ξανθὸν, ſive rubrum idem. Plinius, *Zenothemis Indicam onychem plures habere varietates, igneam, corneam, nigram.* Hodie *corneolam* vocamus tam rubram, quàm albam onychem, quum ſpecies onychis, quæ cornei coloris erat, ita tantum vocari debeat. Latini onychem fœmineo genere enuntiant, quum de gemma loquuntur, quia vox *gemma* ſubintelligitur: at cum de marmore, vel lapide ſermonem faciunt, maſculino ſexu proferunt, quia *lapis* ſubaudiendus eſt. Hinc *parvus onyx*, & *murrheus onyx* de alabaſtro ex onyche lapide. Et *flexus onyx* Statio de marmore. Theophraſtus: τὸ δὲ ὀνύχιον μικτὸν λευκῷ καὶ φαιῷ παρ' ἄλληλα. Ita ſcribendum, non παράλληλα. Παρ' ἄλληλα, id eſt, alternatim candidis, & fuſcis lineis interſtincta. Talis erat onyx Arabica. Plinius: *Sotacus & Arabicam onychem tradit: ſed cum ceteris diſtare, quod Indica igniculos habeat albis cingentibus zonis ſingulis pluribuſve, aliter quam in ſardonyche Indica, illic enim momentum eſſe, hic circulum: Arabicas onychas nigras inveniri candidis zonis.* Ita diſtinguendum, & legendum. Onyx igitur Arabica nigra candidis zonis cingentibus, hoc eſt, μικτὴ φαιῷ καὶ λευκῷ παρ' ἄλληλα. Ex hoc genere eſſe volunt lapidem illum lacteum nigro, & candido compoſitum, quem vulgo *cameum* vocant, cujus pars lactea, quæque non tranſlucet, hodie adhuc ectypis ſcalpturis accommodatur. Nihil ſimile: tantum abeſt, ut hi lapides congeneres ſint. Nam onyx illa Arabica alternis diſtincta eſt zonis candidis in nigra ſuperficie. Lapidis hujus, quem *cameum* vocamus, ſuperficies candida eſt, radix vero nigra, ut marmoribus potius, quam gemmis adſcribi debeat. Nam ingentes exciduntur cruſtæ, quibus lactea ſuperficies, quæ ectypis imaginibus aptatur: fundus autem, vel radix nigerrimi coloris ſubſternitur. Paulus Silentiarius inter marmora recenſet id genus, atque ita deſcribit in Ecphraſi Sanctæ Sophiæ:

> Ὅσσα τε Κελτὶς ἀνεῖχε βαθυκρύσταλλος ἀρούρα
> Χρωτὶ μέλαν στίλβοντι πολὺ γλάγος ἀμφιβαλοῦσα
> Ἔκχυτον ᾗ κε τύχῃσιν ἀλώμενον ἔνθα καὶ ἔνθα.

Corpori nigro ſuperficies lactea hinc inde ſuperfuſa marmoris illud genus deſignat, unde vulgo *camei* fiunt. In Germaniæ montibus lapidem illum inveniri tradit iiſdem verſibus. Sed de his alibi. Epiphanius de onychite lapide ſic ſcribit: ὀνυχίτας δὲ αὐτοὺς λέγουσι φυσιολογικῶς, ἐπεὶ ὄνυξ τῶν ἀστείων ἀνδρῶν μαρμάρῳ ἐστὶ συνερυθριαζόμενος σὺν τῇ τοῦ αἵματος ἰδέᾳ. Ita emendamus ope veteris codicis. Nam vulgo eſt: μαρμάρῳ ἐστὶ συνεδιαζόμενος. Et male, ineptèque bubulci corrigunt, συνδυαζόμενος, vel ὁμοιαζόμενος. De marmore loqui Epiphanium apparet, non de gemma, ut perperam docti putant. Μάρμαρον vocat lapidem ὀνυχίτην, qui planè idem cum alabaſtrite, cujus color candidus variis coloribus interſtinctus erat, & hic porro ſimilis ſynnadico, cujus candor ſanguineis maculis varius habebatur. Contra porphyrites in purpureo corpore candida puncta intervenientia præferebat. Plinius lib. XXXVI. cap. VII. *Rubet porphyrites in eadem Ægypto ex eo candidis intervenientibus punctis, leucoſtictos vocatur.* In libris ſcriptum eſt: *leptoſephos*. Omnino emendandum eſt: *leptopſephos*, λεπτόψηφος. Paulus Silentiarius.

> ---- πολὺς δ' ἀπήχεϊ Νείλῳ
> Φορτίδα πλήσας ποταμηΐδα λᾶας ἀνίσχων
> Πορφυρέος λεπτοῖσι πεπασμένος ἀστράσι λάμπει.

Λεπτ-

λεπίδας ἀστέρας vocat in porphyrite lapide candida illa puncta, quæ in rubro lucebant, quas alii λεπτὰς ψῆφας. Unde λεπτόψηφος lapis ipse appellatus. Sidonius vocat *furfures* porphyritæ lapidis maculas Epist. I. lib. II. *Neque per scopulos Æthiopicos & abrupta, purpuræ genuino fucata conchylio sparsum mihi saxa furfurem mentiuntur.* Sic legendus, ac distinguendus ille locus. Saxa fucata genuino purpuræ conchylio, quæ sparsum furfurem mentiuntur, porphyretica sunt.

Adeo sardonyx in omnium venit notitiam] Libri: *in omnium venit conscientiam.* Novo significatu, quod multi simul sciunt, *conscientiam* dixit. *Literarum conscientia* apud Plinium, sed alio, ut videtur, sensu. Sic enim loquitur lib. VII. cap. XXX. *Magnum & Menandro in comico socco testimonium regum Ægypti, & Macedoniæ contigit, classe & per legatos petito: majus ex ipso, regiæ fortunæ prælata literarum conscientia.* Non dubito quin *conscientiam literarum* ibi acceperit Solinus pro literarum notitia. Hinc *in omnium conscientiam venire* dixit hoc loco pro, *in omnium notitiam.* More suo hallucinatur. Quod enim multarum literarum sibi conscius Menander, id est, sciret se multa scire, easque literas pluris faceret quam regiam fortunam, ideo dixit literarum conscientiam eum prætulisse regiæ fortunæ. *Conscientia* simpliciter non est idem quod scientia, vel notitia. Aliud εἴδησις, aliud συνείδησις. Glossæ: *conscientia*, τῇ συνειδήσει.

Superficies ejus probatur, si meracius rubeat.] Hoc Indicæ sardonychis Plinius proprium facit, quod iste universo generi assignat. Eum audiamus. Sic autem verba ejus ex veteribus libris scribenda sunt: *Arabicæ excellunt candore circuli prope lucido, atque non gracili, neque in recessu gemmæ, aut in dejectu renidente, sed in ipsis umbonibus nitente, præterea substrato nigerrimo colore. Et hoc in Indicis cereum, aut corneum invenitur: jam circuli albi: quædam in iis cælestis arcus æmulatio est. Superficies vero locustarum maris crustis rubentior, jam melleæ, aut fæculentæ, hoc enim nomen vitio est, improbantur.* Locum integrum attulimus, ut explicaremus, & illustraremus. Arabicæ sardonyches substratum habebant, τὸ ὑπόστρωμα, nigerrimo colore. *Radicem* vocat ibidem. Hoc substratum in Indicis cereum, aut corneum inveniri scribit, quod in Arabicis erat nigerrimum. *Jam circuli albi* in sardonyche Indica. Nam in Arabica candidus erat circulus, & prope lucidus, non renidens in recessu gemmæ, aut dejectu, sed in ipsis umbonibus nitens, aliud *album*, aliud *candidum.* Ibidem de onyche: *Zenothemis Indicam onychem plures habere varietates, igneam, nigram, corneam cingentibus candidis venis oculi modo intuentis, quarumdam & albis venis.* Ita libri, nisi quod habent *intuentibus.* Pessimè locum illum corruperunt editiones legendo: *intervenientibus quarumdam oculis obliquis venis.* Quod enim album, & candidum idem esse sibi persuaserant, & candidas, albasque venas, ideo perverterunt genuinam scripturam. Alias legerem: *cingentibus candidis zonis oculi modo, intervenientibus quarumdam & albis venis.* Quæ vera est lectio. Sequitur apud Plinium de sardonyche: *superficies vero locustarum maris crustis rubentior.* Quod de Indica intelligendum est, cujus substratum corneum, vel cereum, superficies vero rubra. Hæc verè sardonyx. Nam superficiem habet sardæ, quæ rubra est, radicem vero corneam, vel ceream. Arabicas certè idem Plinius scribit nullo sardarum vestigio fuisse, hoc est, nihil rubri habuisse. Perperam igitur de omni sardonyche dicit, superficiem ejus probari, si meracius rubeat, quod Indicarum tantum fuit peculiare. Superficies igitur sardæ rubens, cum substrato cereo, vel corneo sardonychem Indicam constituebat. Atqui idem Plinius paulo ante dixerat sardonyches olim intelligi solitas: *candore in sarda, hoc est, velut carnibus ungue hominis imposito,* talesque Indicas vulgo existimatas, multis auctoribus testantibus. Si unguis humani candor carnibus velut impositus sardonychem Indicam faciebat, necesse est substratum in ea fuisse coloris rubri, superficiem vero candidam, vel corneam ad instar unguis: sed ex nomine ipso sic æstimatum olim fuisse innuit. Et videtur sentire *sardonychem* dictam quasi *sarconychem*, quod in ea velut unguis carnibus impositus esset, cum ex sarda & onyche gemma compositum sit istud nomen. Quorumdam hanc extitisse sententiam saltem indicat. At statim subjicit pluribus coloribus has gemmas intelligi, *radice nigra, aut cæruleum imitante, ungue vero minium incretum candido pingui.* Per *unguem* intelligit superficiem, ut suprà notavimus, quam & rubeam fuisse hinc colligi potest, cinctam & incretam candido pingui. Nunquam enim sine aliqua zona alba, aut candida sardonyches tam Arabicæ, quam Indicæ, & Armeniacæ. Marbodeus in dactyliotheca:

Tres capit ex binis unus lapis iste colores:
Albus & hinc niger est, rubeus supereminet albo.

Talis Indica sardonyx, cujus substratum nigrum, aliquando corneum aut melleum: superficies rubens cum alba zona, adeo ut arcum cælestem plerumque imitaretur. At in Arabicis nihil rubri supereminebat, utpote quæ nullum è sarda vestigium retinerent. Isidorus de sardonyche: *constat autem tribus coloribus: subterius nigro, medio candido, superius mineo.*

Arguitur si fuerit fæculentior] Plinius: *jam melleæ, aut fæculentæ, hoc enim nomen vitio est, improbantur.* Perperam heic legebatur in omnibus editis: *arguitur, si fuerit fæculentior, si medietas circuitur limite candicante.* Quasi & illæ improbarentur, quarum medietas cingitur limite candido. Quod est falsum. Rectè libri expungunt illud *si.* Inde interpunctio nostra.

Medietas circuitur limite candicante] Libri quidam: *candidante.* Et hac voce alibi usus est. Omnis porro sardonyx limitem illum in circuitu candidum habuit, ut Arabica, Indica, Armeniaca. Sed *Arabicæ excellebant,* inquit Plinius, *candore circuli prope lucido.* In Indicis circuli erant albi. *Armeniacæ,* inquit idem, *cetera probandæ, sed pallida zona.* Nec sardonyches tantum, sed etiam onyches gemmæ hujusmodi zonis candidis insignitæ. Plinius: *Zenothemis Indicam onychem plures habere varietates, igneam, nigram, corneam cingentibus candidis zonis oculi modo, intervenientibus quarumdam & albis venis.* Ita legendus ille locus, quem pessimè corruptum præferunt editi. Zonas à venis distinguit, ut paulo post: *veram autem onychem plurimas variasque cum lacteis zonis habere venas omnium in transitu colore inenarrabili.* Qui locus egregie nostram confirmat conjecturam. Cingunt candidæ zonæ igneam, nigram, & corneam onychem; interveniunt & quibusdam venæ albæ. Ex his constat nullam onychem fuisse absque zonis, vel venis candidis in corpore nigro, corneo, igneo, & flavo. Quod cum ita sit, inde etiam liquet errare doctissimos viros, qui onychem veterum putant esse nostram *corneolam*, vel *cornalinam*, quæ unius semper coloris est. Nam vel ad rubrum inclinat, vel prorsus alba est, & hæc vulgo carior. Absque ulla varietate utraque. Quæ multum rubet, licet *corneolum* vulgo vocitent, sardam esse veterum plus quam certum est. Quæ dilutius rubet, sarda est fœmina. Nam in omnibus gemmis dilutioris utique coloris fœminæ quam mares, & nominatim in sarda. Id testatur Theophrastus. Marbodæus corneolum aquæ colorem habere dicit, in qua carnes ablutæ sunt. At *cornalina* alba nihil minus est quam onyx. Certè nullam habet notam ex iis, quas onychi gemmæ veteres tribuunt. Quod Plinium legenti facile patebit. Nec enim unicolor onyx veterum, sed multicolor, & versicolor. Eadem & in onychite lapide, sive marmore varietas, & ποικιλία. Sed hæc alibi.

Optima est, si nec colorem suum spargat in proximum, nec ipsa ex altero mutuetur] Dixit sardonychis medietatem circuiri limite candidante. Subjungit optimam esse, illam scilicet medietatem, si nec colorem suum spargat in proximum, nec ipse limes candidus mutuetur ex altero. Hæc ex istis Plinii mutuatus est noster: *jam melleæ, aut fæculentæ, hoc enim nomen est vitio, improbantur: & si zona alba fundat se, non colligat: simili modo si ex alio colore in se admittat aliquid enormiter.* Plinii mentem nec vidit, nec tetigit hic Grammaticus. Dicit Plinius improbari melleas, aut fæculentas sardonychas, & quarum alba zona fundit se, non colligit. De zona igitur, vel limite candicante, quo cingitur medietas sardonychis, non de medietate ipsa loquitur Plinius. At noster medietatem tum esse optimam ait, si colorem suum non spargat in proximum, hoc est, si non fundat se, sed colligat. Quod Plinius de limite circumeunte, sive zona sola dixit: quæ zona candoris erat prope lucidi, & um-

umbonibus ipsis nitentis. Hæc zona cum fundit se, & spargit, tum *momentum* potius, quam *circulus* dicitur. Cui vitio frequenter obnoxiæ Indicæ sardonyches. Sic accipiendum, quod paulo post subjicit idem de Arabica onyche: *Sotacus & Arabicam onychem tradit: sed eam ceteris distare, quod Indica igniculos habeat, albis cingentibus zonis singulis, pluribusve, aliter quam in sardonyche Indica: illic enim momentum esse, hic circulum.* Circulus est, cum zona sese colligit, nec spargitur: tum enim certo limite distinguitur. At cum colorem suum spargit, & fundit in proximum, *momentum* potius vocatur. Sed quare *momentum*? An quia fundente se zona nullus ejus limes certus, ac distinctus, sed momento variatur, per inclinationem scilicet, ac dejectum? Ac veluti in cælesti arcu nulli certi, & discreti colorum limites cernuntur, sed transitus tantum indistincti, ita in sardonyche Indica zona illa candida colorem suum spargit, & fundit. Unde momentum potius, quam circulus. *Momentum* est, quod movetur, ἡ ῥοπὴ. Plinius de Indicæ sardonychis circulis: *jam circuli albi: quædam in his cælestis arcus æmulatio est.* Et paulo ante: *incretum candido pingui, nec sine quadam spe purpuræ candore in minium transeunte.* Candor ille circuli in minium transiens limite indiscreto, zona est fundens se, non colligens, & momentum potius, quam circulus albus, quod in momenta mutetur. Hæc Plinium explicant, & nugacem Solinum arguunt.

Reliqua nigro finiuntur] Quid reliqua? Substratum, vel radicem sardonychis nigri coloris esse tradit Plinius, superficiem vero rubram, quæ zona candida circumitur. Hic reliqua nigro finiri dicit. Parum aptè. Sed solens Solinus nugatur.

Quod si transluceat, vitio vertitur] Nec hoc dicit Plinius. Indicæ translucebant, reliquæ *cæcæ* vocabantur, quas in pretio fuisse sua ætate indicat. Nam & nomen abstulerant.

Et molochiten Arabs invenit virentem crassius quam smaragdus] Plinius: *non translucet molochites spissius virens, à colore malvæ nomine accepto, reddendis laudata signis.* Nihil de smaragdi comparatione Plinius. Sed notant in codice Fuxiensi ita legi: *Molochites spissius virens & crassius quam smaragdus, a colore malvæ nomen accepit.* Μολοχὰς dicitur Epiphanio, & sardonychem ita vocatam scribit. Ineptè.

Invenit & iridem in mari rubro] Plinius: *proximum Ceraunia nomen apud eos habet, quæ appellatur Iris, effoditur in quadam insula rubri maris, quæ distat à Berenice sexaginta millia passuum.*

Pag. 46. D. *Androdamantem iidem legunt*] Libri: *andradamantem.* Sed apud Plinium rectius *androdamas* dicitur. In indice ejus manuscripto perperam vocatur *andromadas*, pro *androdamas.* Sic *argyromadas* ibidem pro *argyrodamas.* Genus quoddam hæmatitis etiam *androdamas* dicebatur: ferrei coloris, duritie & pondere insignis. Unde illi nomen. Nihil igitur commune illi cum hoc androdamante, quem sic dictum volebant, quod hominum iras & impetum domaret. Addit heîc Solinus: *quem de adamante nonnihil mutuatum putes.* Non video quid de adamante mutuatus videri queat. Nec Plinius hoc dicit. Præter ὁμοιοτέλευτον nihil simile habet. Sic argyrodamas etiam aliquid ex adamante sumpsisse videri deberet, & androdamas hæmatites. Quæ ineptiæ sunt Solinianæ. Scribit tamen Plinius: *Androdamas argenti nitorem habet, ut adamas, quadrata, semperque tessellis similis.* Incertum est utrum velit androdamantem habere argenti nitorem, ut adamas, an quadratam esse ad instar adamantis. Neutrum mihi probatur, nec verum est. Quis enim dixerit adamantem argentei nitoris esse, cui nullum argentum potest comparari? Præterea non quadratus adamas, sed sexangulatus naturaliter reperitur. In antiquo libro inveni: *androdamas argenti nitorem habetur adamas.* Et suprà correctum alia manu: *habet ut adamas.* Scripserim ego: *androdamas argenti nitorem habet, vi adamas, quadrata semper tessellis similis.* Vim, & duritiem adamantis habere androdamantem innuit. Nec aliter legisse videtur Isidorus apud Plinium, cujus hæc sunt verba: *androdamas argenti nitorem habet, & pæne adamas quadrata semper tesseris.* Sed putet aliquis Plinium errare, & temere argyradamantem cum androdamante confundere. Quod vel ipsius patet testimonio his verbis: *eadem sit an alia argyrodamas, auctores non explicant.* Sed quis dubitet esse diversa? *Argyrodamas* genus lapidis, sic fortasse dictum, quod argenteum habeat nitorem. *Androdamas* certè genus hæmatitis pondere, & duritia insigne, sed ferrei coloris. Nec alium puto androdamantem veteribus fuisse cognitum. Hinc vim adamantis habere propter invictam duritiem scribit ibidem Plinius. De hoc eodem androdamante tradit idem ex Sotaco lib. XXXVI. cap. XX *trahere in se argentum, æs, ferrum.* Inde ἀργυροδάμας quibusdam fortasse dictus, quod argentum domaret, & ad se raperet. Sic argyrodamas & androdamas fuerit idem lapis, quem argentei coloris esse solo nomine inducti nonnulli videntur scripsisse. Sic magnes σιδηροδάμας poëtis dictus, quod ferrum trahat.

Pæderotem etiam Arabicum inde sumimus] Ita omnes hactenus editi. Nisi quod in vetustioribus habetur *Arabicam.* Quomodo etiam libri scripti habent. Legendum, ut edidimus: *pæderotem, & Arabicam, inde sumimus.* Duæ sunt gemmæ pæderos, & Arabica, ut ex sequentibus patet. Et si quid vidisset Delrius, hoc vidisset. Nam sequitur de Arabica, deinde de pæderote.

Arabica aspectu eburnea est] Plinius capite de gemmis per alphabeti ordinem: *Arabica ebori simillima est, & hoc videretur, nisi abnueret duritia, putant contra dolores nervorum prodesse habentibus.* Idem Plinius inter lapides eum alibi recenset lib. XXVI. cap. XXI his verbis: *Arabicus lapis ebori similis dentifriciis accommodatur crematus.* Nec dicendum diversos esse lapides, *Arabicum & Arabicam*: nam *Arabica* dicitur, cum subintelligitur gemma, *Arabicus* autem lapis, & sic solet Plinius, dum diversos sequitur, eamdem rem alio atque alio loco referre. Sic alabastriten lapidem, quem libro trigesimo sexto retulerat inter marmorum genera, reposuit nihilominus & illo capite de gemmis per alphabeti seriem, quasi gemma esset. Isidorus diversis quoque locis Arabici, & Arabicæ meminit, hujus inter gemmas, illius inter lapides, tanquam forent diversa. *Arabicus*, inquit, *similis est ebori sine ulla macula.* Ita legendum in Plinio, *Arabicus*, inquam, *lapis*, non *Arabus*, ut vulgo editum est. Nam & libri, & index ita præferunt. Dioscorides: ὁ ἢ Ἀραβικὸς λεγόμενος λίθος ἔοικεν ἐλέφαντι σπίλῳ. *Similis est eboris maculæ.* Immo scribendum: ἔοικεν ἐλέφαντι ἀσπίλῳ, ebori sine macula. Quod extra controversiam est. Ἄσπιλος, immaculatus, ut διάσπιλος, maculosus. Dentifriciis accommodari Arabicum lapidem scribit Plinius. Dioscorides de Arabico: ὀδόντων δὲ σμῆγμα γίνεται καυθεὶς κάλλιστον. Hinc emendandi Apuleji versus ex Apologia ejus, ubi meminit dentifricii ex Arabicis frugibus.

> *Calpurniane salve properis versibus,*
> *Misi ut petisti mundicias has dentium,*
> *Nitelas oris ex Arabicis frugibus.*

Quæ sunt illæ Arabicæ fruges, quæ dentifriciis aptantur? Placet omnino legi:

> *Nitelas oris ex Arabicis rupibus.*

Dentifricium intelligit ex Arabico lapide, qui crematus, & in pulverem tritus tersui dentibus comparabatur. *Nobilem pulvisculum* ibidem vocat.

In pæderote congruit, quidquid eximium est] Alii opalum pæderota cognominatam volunt propter eximiam gratiam, alii pæderota privatum genus faciunt, & diversum ab opalo. Sane quidquid eximia aliqua gratia commendabatur, Græci παιδέρωτα dixere. Sic acanthos herba, cujus insignis in operibus topiariis gratia, παιδέρως appellata est. Et cærefolium. Plinius: *cærefolium, quod pæderota Græci vocant.* Unguenti genus ita etiam appellarunt. Hesychius: παιδέρως, σφραγῖδος ὄνομα, οἱ δὲ ἀλείμματος, οἱ δὲ μύρου. Hoc unguentum, vel ἄλειμμα ex coloris gratia sic vocatum est. Ita enim vocarunt purpurissum ex anchusa, vel radicula Syriaca, quæ φῦκος dicebatur, quo genas colorabant mulieres. Alexis:

> ---- Παίδερωτ᾽ ἐντρίβεται.

De quo nos infra. Genus amethysti παιδέρωτα etiam vocitarunt, quam alii *anterota*, alii *Veneris gemmam* dicebant. Locum afferam, ut corrigam, de generibus amethystorum: *quintum ad viciniam crystalli descendit, albicante purpuræ defectu: hoc minimè probatur, quando præcellens*

cellens debet esse in suspectu velut ex carbunculo refulgens quidam in purpuram leniter roseus nitor. Tales aliqui malunt pæderotas vocari, alii anterotas, multi Veneris gemmam, quod maximè videtur decere, & species & color. Eas gemmas Magorum vanitas resistere ebrietati promittit. Igitur hujusmodi amethysti, in quibus ex carbunculo in purpuram refulgeret leniter roseus nitor, ob gratiam speciei & coloris, dicti ἀντέρωτες, vel παιδέρωτες, vel ἀφροδίτης λίθοι. Contra improbabantur, qui ad viciniam crystalli descendunt, *albicante purpura defectu.* Ita legendum, non *dejectu.* Qui albicant, ubi purpura deficit, extimis scilicet oris albicantes. Nam maximè laudabantur, quæ in circuitum saturatissimè arderent. Epiphanius: ὁ λίθος ἀμέθυσ☉. Οὗτος κτ̄ τὴν αὐτ̄ περιφέρειαν φλογίζων ἐςὶ βαθέως, ἢ ὃ ἐςιν αὐτὴ λευκοτέρα ἐκ τ̄ μέσω, οἰνωπὸν ἀποπέμπουσα εἶδ☉. Significat aliquam esse amethystum, cujus circumferentia albicans è medio sui fundit vini colorem. Quintum genus hyacinthi περιλεύκιον ab eadem ratione dicebatur. Notum porro quid sit ἀντέρως. Heic ea voce significatur, qui æquè venustus est ut amor, contra amorem pulcher. Idem vult & παιδέρως. Nec enim pueri amorem, aut τῶν παιδικῶν ἔρωτα designat, sed παῖδα ἐρωτα, puerum æquè amabilem, & venustum, ut est amor. Sic *Colloseros* in Historia Augusta, ὁ κολοσσέρως, vir quidam grandis ut colossus, sed venustus & amabilis, ut amor ipse. At ἵππερ☉ ut ἵκπερ☉, τῆς ἱππικῆς ἔρωτα significat, ut in isto versu:

Τὸν ἵππερον κατέχεις μετ τῶν πραγμάτων.

Orpheus ὀπάλλιον παιδέρωτα appellatum canit, quod simile esset τερενόχροϊ παιδί. Ergo παιδέρως πῶς ἔρως, puer amori similis:

Φημὶ δέ τοι τέρπειν ἢ ὀπάλλιον ἱμερτὸν ἀγλαόν, ἱμερτοῦ τέρενα χρόα παιδὸς ἔχοντα.

Sic & pulcherrimum genus amethysti παιδέρωτα quidam dixere. In indice Pliniano manuscripto de amethysti generibus ita scriptum est in vetustissimo codice: *Sappiros, metysu. Genera ejus quinque, sacondion, sapenus, paranitis, haprodites elefrantis sive antros sive pederos.* Quæ sunt contaminatissima, ita restituenda: *amethysus, ejus genera quinque, sacodion, sapenus, pharanitis, Aphrodites sphragis, sive anteros, sive pæderos.* Ἀφροδίτης σφραγὶς est, quam *Veneris gemmam* in contextu vocavit. Eadem ἀντέρως, & παιδέρως, ut suprà notavimus. *Pharanitis* legendum & in textu cap. IX. Ubi & totus locus sic restituendus: *hunc colorem Indi sacon vocant, talemque gemmam sacondion dilutiorem, eadem & sapenos vocatur, eadem & pharanitis in ora contermina gentis Arabiæ.* Pharanitis, ἀπὸ τῶν Φαρανιτῶν, ab urbe Pharan, inter Ægyptum & Arabiam sita, de qua diximus supra. Hæc obiter. Ad opalium redeamus. *Opialum* vocat vetustissimus Index Plinianus, & libri omnes manu exarati. *De opialis, genera eorum septem. Vitia eorum & experimenta.* Forte pro *opaliis.* Nam ὀπάλλιον Orpheo. Indiam solam eorum esse matrem tradit Plinius, & ex eo Isidorus de opalo: *nomen habet ex patria, sola enim eum parturit India.* Locum hujus nominis in India nullum legi. Græce ὄπαλ☉, ὀπάλιον, ut ὄνυξ, ὀνύχιον. Si sola India opalium mittit, ergo diversi, & proprii generis pæderos, quam Arabia gignit. Ita quosdam existimasse veterum bis notavit Plinius. De opalis ita scribit cap. VI. *Minimum iidemque plurimum ab iis differunt opali smaragdis tantum cedentes. India sola & horum est mater. Atque ideo eis pretiosissimam gloriam compositores gemmarum, & maximè inenarrabilem difficultatem dederunt.* Locus heîc prodigiosè temeratus à correctoribus. De beryllis loquebatur proximo capite, à quibus dicit minimum, plurimumque differre opalos, quod ænigmati simile est. Scribe ex veteri codice Regiæ Bibliothecæ: *plurimum ab iis differunt opali, smaragdis tamen cedentes.* In eo non comparent hæc verba: *minimum iidemque.* Dicit opalos multum præferri beryllis, cedere tamen smaragdis, quibus tertia auctoritas post adamantes, & margaritas. Quæ sequuntur, ita conciipiuntur in vetusto exemplari: *atque in pretiosissimarum gemmarum gloria compositi maximè inenarrabilem difficultatem dederunt: est enim in his carbunculi tenuior ignis*, &c. Hæc quare corruperint nescio, nam sincera his lectio continetur, *in gloria esse, in nomine, in fama*, loquutiones tritæ Plinio & aliis optimis auctoribus. Dicit igitur

A opalos in gloria esse pretiosissimarum gemmarum, & compositos maximè inenarrabilem difficultatem dedisse. Compositi porro opali, quia non simplicis, nec unius sunt coloris, sed velut ex pluribus gemmis constant. *Est enim*, inquit, *in his carbunculi tenuior ignis, est amethysti fulgens purpura, est smaragdi virens mare.* Paulo post de eodem sic tradit: *hanc gemmam propter eximiam gratiam plerique appellavere pæderota. Sunt & qui privatum genus ejus faciunt, sangenonque ab Indis vocari dicunt. Traduntur nasci & in Ægypto & in Arabia, & vilissimi in Ponto.* Ergo opalus in India tantum nascitur, quem B plerique ob gratiæ venustatem *pæderota* vocarunt. Quidam *pæderota* privatum genus fecerunt, quem Indi *sagenon*, vel *agenon* appellabant. Atque is pæderos non solum in India, sed etiam Ægypto, Arabia, & Ponto nascitur. De hoc pæderote intelligit heîc Solinus, cum dicit pæderotem, & Arabicam ex Arabia sumi. At capite IX inter gemmas candidas separatim tractat iterum de pæderote Plinius in hæc verba: *candidarum dux est pæderos: quamquam potest quæri, an in colore numerari debeat toties jactati per alienas pulcritudines nominis, adeo decoris prærogativa in vocabulo facta est.* Loquitur heîc de opalo, quem pæderota plerique vocabant, non de illo C privato genere. Candidarum ducem esse dicit, *quamquam quæri possit, an in colore numerari debeat.* Non satis hæc videntur sincera, forte legendum: *an in colore uno numerari debeat.* Vel, ut apud Isidorum scriptum est: *quamquam quæri possit, in quo colore numerari debeat.* Non dubitatur, an in colore numerari debeat, sed in quo colore, quæ tot colores habeat. Scribendum etiam paulo post: *adeo ut decoris prærogativa vocabulo facta sit.* Sequitur de altero pæderote, qui sui generis est, & ab opalo diversi: *est & suum genus expectatione tanta dignum, coeunt in translucidam crystallum viridis suo modo aer, simulque purpura, & quidam vini aureus nitor, semper extremus in visu.* D Quæ ut omnia ferme Pliniana sunt mendosissima, & correctorum manum redolentia. Scribe primùm: *est & suum genus spectatione tanta dignum.* Præter opalum, quem *pæderota* multi cognominant, est & suum genus, hujus nominis spectatione & merito dignum. *Spectatio*, ἀξίωσις, ἀξίωμα, δοκίμασις. Florus: *bellum Macedonicum nomine amplius, quam gentis spectatione fuit.* Ubi *expectatione* perperam correctores ediderant. Sequentia profligatius inquinata sunt, nec admodum sana in libris extant, qui sic ea legunt: *coeunt intus translucida crystallus, viridis suo modo aer, simulque purpura.* Sana præsto, si legeris, *coeunt* E *in uno translucida crystallus, viridis suo modo aer, simulque purpura.* Dicit in pæderote coïre, & congruere translucidam crystallum, & aërem suo modo viridem, & purpuram. Confirmat hanc lectionem Solinus, qui locum istum sic imitatus est: *In pæderote congruit quidquid eximium est: crystallinum lucet, rubet purpura, orarum extimis corona crocea velut è liquido renidente.* Sed in orarum extimis coronam croceam renidere facit, pro aureo vini nitore, quem extremum in visu, & purpura coronatum Plinius dicit. Fortasse *croci* pro *vini* in Plinio legit Solinus. Nec enim vini nitor aureus est. Notant in libris quibusdam esse: *& quidam vitri aurei nitor.* Liber Regius habet: *& quidam vini aurei nitor.* Puto F scriptum fuisse: *& quidam vini, & croci nitor, semper extremus in visu.* Nec dubium quin ita legerit Solinus. Cum crystallo, & purpura viridem suo modo aërem coïre, & congruere in pæderote scribit Plinius. Et hac in re differebat ab opalo pæderos, quod viriditatem smaragdi non haberet, sed pro ea colorem aëris præferret peculiari modo viridis. Supra capite VI de pæderote dixit: *summa coloris ex aere & purpura constat, viriditas smaragdi deest.* Ubi legendum: *summa coloris ex aëre & purpura constat.* Aërinum colorem intelligit. Græcis τὸ ἀερίζον χρῶμα. Unde ἀερόχρο☉ Ἴασπις. *Aërinæ oves* Tertulliano, ἀερίνη ἐσθὴς Polluci. At heîc non usitatum aë- G rinum colorem in pæderote commendat, sed suo quodam modo viridem magis, quam cæruleum. In eo pæderote etiam vini fulgor expetebatur. Idem ibidem: *melior ille color, cujus fulgor vini colore fuscatur, quam qui diluitur aqua.* In pæderote igitur hi colores congruebant, crystalli perspicuitas, aëris viriditas cærulea, purpuræ nitor, vini crocique fulgor. In opalo, quem & pæderotem quadam decoris prærogativa plerique nun-

nuncupaverunt, carbunculi tenuior ignis, amethysti fulgens purpura, smaragdi virens mare, sulphuris ardens flamma, aut etiam ignis oleo accensi. Hæc candidarum gemmarum dux, & signifera, & post smaragdos primæ dignitatis olim. At pæderos altera, quæ sui generis erat, ut non indigna hujus nominis spectatione, ita longe opalo inferior pretio, & auctoritate. Opalus in India tantum, pæderos in Ægypto & Arabia, aliisque locis reperiebatur. Hæc discrimina pæderotum notanda fuere, quæ Solinus parvi pependit, doctisque hodie parum cognita.

Orarum extimis corona crocea velut è liquido renidente] Legitur apud Plinium: *& quidam vini aureus fulgor semper extremus in visu, sed purpura coronatus madere singulis videtur his & pariter omnibus.* Quorum partem in superiori exercitatione emendavimus. Pars adhuc in mendo jacet. Hæc postrema, *madere singulis videtur*, correctorum sunt. Nec in libris habentur, qui habent: *purpura coronatus, & his pariter omnibus.* Totus locus sic legendus, ac distinguendus: *coëunt in uno translucida crystallus, & viridis suo modo aër, simulque purpura, & quidam vini & croci nitor, semper extremus in visu, sed purpura coronatus, & his pariter omnibus radiat.* Nos addimus *radiat*, quod tamen in libro nostro non visitur. Sed tale aliquid deest, aut *lucet*, aut *renidet*. Sic dicit in pæderote coire translucidam crystallum, & viridem aërem, simulque purpuram, & quemdam vini & croci nitorem semper extremum in visu, sed purpura coronatum, & his omnibus pariter pæderotem radiare. Sic de opalis scripserat: *est in iis carbunculi tenuior ignis, est amethysti fulgens purpura, est smaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili mixtura lucentia.* Solinus *coronam croceam è liquido renidentem* in pæderote videri scribit, quia croci fulgor extremitates ejus cingit, ea nullam liquidiorem gemmam esse ibidem Plinius tradit.

Hæc suavitate oculos afficit, visum allicit, detinet intuentes] Multis loquutionibus rem eamdem signat. Nam *oculos afficere, visum allicere, detinere intuentes*, plane idem hæc tria significant. Plinius: *nec gemmarum ulla est liquidior, jucunda, suavis & oculis.* Sed quare capiti jucunda, aut quomodo? Damnant libri hanc lectionem, qui legunt, *captis jucunda vanitate oculis.* Patet legendum esse: *nec gemmarum ulla est liquidior, captis jucunda suavitate oculis.* Liquidæ gemmæ oculis maximè gratæ. Et *liquidæ* dicuntur, quæ facilitate translucida ad crassitudinem sui visum admittunt, non turbidæ, nec obscuræ, nec ulla nubecula interpellatæ, quas facile pertransit aspectus. Sic *liquidus amnis, liquidus ignis*, ὑγρὸν πῦρ, ὑγροὶ ὀφθαλμοί. Plinius de Cypriis smaragdis: *dosque eorum est in colore liquido, nec diluto, verum ex humido pingui, quaque perspicitur, imitante translucidum maris.* Ita scribendus ille locus. Ita liquidos vult esse illos smaragdos, ut diluti non sint, sed ex liquido & humido pingues. Et paulo post de Persicis: *in sole dilucidi quidem ac liquidi, sed non virides.* Græci quoque τὸ ὑγρὸν gemmis attribuunt. Dionysius:

Ναὶ μὴν καὶ χρυσοῖο φέρει χαελέστερον ἄλλο
Ὑγρῆς βηρύλλου γλαυκὴν λίθον.

Ubi interpretes notant, ὑγρὰν dici τὴν βήρυλλον, ὡς τῶν γλαυκῶν σωμάτων ὑγρῶν εἶναι δοκούντων, διὰ τὸ διαφανές. Sequitur apud Plinium: *laudatissima est in Indis, apud quos argenon vocatur, proxima Ægyptiis, ubi senites, tertia in Arabia, verum scabra.* In libris legitur, *apud quos sagenon vocatur.* Capite VI *sangenonque ab Indis vocari dicunt.* Sed in indice scribitur *agenon.* Ita enim vetus codex: *Pæderos, sive agenon, sive tenites.* Nam & *tenites* libri, non *senites.* Forte *Tanites* ab urbe Tani, & præfectura Tanitica, à qua & ostium Taniticum, quod in ea parte Ægypti pæderos reperiebatur, qui inde Τανίτης λίθος dictus Ægyptiis.

Hoc Arabia sat est, hinc ad Pelusium repatriemus] Propriè *repatriare* est in patriam redire. Sic suprà: *cum multi captivorum aliquot leonibus obvii intacti repatriaverint.* An ideo sic loquitur hoc loco, quod patriam habuerit Ægyptum, sive in Ægypto Pelusium? Ita equidem fieri potest. Sed, quia incertum est, nihil affirmo. Et *repatriare* pro redire, ac reverti potuit usurpare. Mirum tamen in omnibus antiquioribus, & melioribus libris scribi: *hinc ad Pelusium vela repatriemus.* Placet mihi una litera dempta legi: *ad Pelusium vela repariemus*, id est, ad Pelusium renavigemus. Et rectè procedit. Nam ab Arabia in Ægyptum navigatione itur per sinum Arabicum. *Pariare vela* dicuntur navigantes, qui paribus, & æquis velis secundo flatu cursum tenent. Virgilius:

Sensit & æquatis classem procedere velis.

Cum enim æqualiter tenduntur dextra & sinistra vela, tum prospera navigatio est. Æquatas quippe, & secundas auras spirare signum est. Unde apud eumdem:

Æquatæ spirant auræ.

Auctor vetus apud Macrobium lib. VI. *Pæstanum, & Vibonensem sinum pedibus æquis transmisimus*, id est, æquis velis, vel æqualiter tensis. Catullus:

---- sive utrumque Juppiter
Simul secundus incidisset in pedem.

Pedes æqui sunt, & pares, cum utrumque simul secundus flatus incidit. Virgilius:

Una omnes fecere pedem, pariterque sinistros
Nunc dextros solvere sinus.

Ibi Servius: *id est podium, hoc est, funem, quo tenditur velum.* Ita legendum, non *podiam.* Τὸ πόδιον. Nunc dextri porro, nunc sinistri solvebantur velorum sinus pro venti mutabilitate, & prout dextera, aut sinistra adflaret. Pedes propriè sunt funes ad angulos velorum, quibus ea vertebantur. Hinc & pro velis. Scholiastes Apollonii: καθόλου δὲ πᾶν σχοινίον κάλως λέγεται. Διὸ καὶ διαιροῦντες αὐτοὺς, οἷς μὲν κατάγεται τὸ ἱστίον μεσουρίας λέγουσιν, οἷς δὲ ἰσχυροποιεῖται ὁ ἱστὸς ἐξ ἑκατέρου μέρους ἐπὶ τὴν πρῷραν προτόνους, τοὺς δὲ κατὰ τὰς γωνίας πόδας, ἐφεξῆς δὲ τούτων προπόδας. Isidorus *propedem* vocat τὸν πρόποδα, & funem interpretatur, quo pes veli alligatur. Turpillius:

Si quis propedem misit veli sinistrum.

Ergo modo dextri, modo sinistri proferebantur hujusmodi velorum pedes, & propedes, prout erat ventus:

---- læva sive dextera
Vocaret aura.

Nam vela ventis obvertebantur, ad excipiendos flatus. Plautus:

Utcumque in alto ventus est, exin velum vortitur.

Ergo modo ad lævam, modo ad dexteram vertebantur. Modo dextri pedes, modo sinistri laxabantur, & proferebantur. Plinius lib. II. cap. XLVII. *Iisdem autem ventis in contrarium navigatur prolatis pedibus, ut noctu plerumque adversa vela concurrant.* In diversum prolatis pedibus, in contrarium navigatur. Ita ut adversa vela concurrant etiam iisdem ventis. At pariata, & æquata dicebantur vela, cum in dextrum & sinistrum simul ventus ingrueret:

---- læva sive dextera,
Vocaret aura, sive utrumque Juppiter
Simul secundus incidisset in pedem.

Ergo modo ad dexteram, modo ad lævam vocat ventus, modo in utrumque pariter velum æquatus incidit, qui maximè est secundus. *Pes veli* funis est, quo velum tenditur, τὸ πόδιον. Unde & pro velo poëtæ plerumque sumunt. Quibus in navi vertendorum velorum munus incumbebat, *pedem tenere* dicebantur. Servius: *per sortem divisi ad officia remigandi quis proreta esset, quis pedem teneret.* Unde *æqui pedes*, æqualiter tensi. Quod fiebat, cum æquatæ auræ velorum sinus implebant. Locus ille apud Macrobium vulgo corruptissimus extat. Itaque *pariare vela* est secundo vento navigare. Et inde *repariare vela in Ægyptum* hoc loco in Ægyptum renavigare. At *repatriare* prorsus absurdum, quod in patriam reverti propriè significat.

CAPUT

CAPUT XXXIV.

Regio Ostracina. Joppe oppidum. Andromedæ Vincula.



PAg. 46. E. *A Pelusio Casius mons est*] Libri omnes, *Cassius.* Atque ita in antiquissimo libro Capitolini, ut olim notavimus ad vitam Hadriani. Latini sic videntur scripsisse. Licentius in carmine ad Augustinum:

---- & vasti deserta cacumina Cassi,
Queis Epidamnæas æquat sibi Cassia rupes,
Unde quiescentem auroram, cursusque solutos
Sopitamque diem media sub nocte viderem.

Græci Κάσιον vocant. Hic mons adeo editus, ut quarta vigilia ex summo ejus vertice solis ortus ostenderetur, Quod expressit illis versibus Licentius. Hoc Mela prodidit de Casio Arabiæ, cap. x. lib. I, qui idem est cum Ægypti Casio. Nam propter confinium alii Ægypto, alii Arabiæ tribuunt. Plinius quoque montem Arabiæ vocat Casium. Quod Straboni Κάσιον πρὸς τῷ Πηλουσίῳ. Ceterum de altero Casio Seleuciæ id omnes alii narrant, solem nempe ex ejus vertice videri longè ante quam oriatur, Plinius, Spartianus, Ammianus, & ipse Solinus infrà. Licentius Melam sequitur, & Ægyptiaco, sive Arabico Cassio eam altitudinem & historiam vindicat. Nam cum dicat, Cassii montis cacuminibus Cassiam æquare Epidamnæas rupes, per Cassiam intelligit urbem Κάσιον, quæ in Ægypto ad illum montem Cassium. Stephanus: Κάσιον, ὄρος καὶ πόλις Αἰγύπτου πρὸς τῷ Πηλουσίῳ. Nulla urbs Cassia in Syria. Dicit igitur urbem Cassiam, quæ ad Pelusium est, æquare Epidamnum, sive Dyrrhachium de situs parilitate. Nam & illam pariter in ora maris edita, & saxosa esse conditam, atque inde dictum *Dyrrhachium*, Δυῤῥάχιον, hoc est, Δυσράχιον, quod in aspero, & ῥαχιώδει littore situm esset. Alexander in Europa apud Stephanum:

Δυσραχίου τ' Ἐπίδαμνος ἐπ' ἀγχιάλου χθονὸς ἀκτῆς.

Similiter & Casium oppidum in Casio colle maritimo conditum. Nam Κάσιον juxta Strabonem ἐστὶ θινώδης τις λόφος ἀκρωτηριάζων, ἄνυδρος. Quare falluntur, & Mela, & Licentius, & si qui alii scripsere ex Pelusiaco illo Casio solis ortum conspici vigilia quarta. Quod de monte Casio Antiochiæ vicino duntaxat verum est. Sed nominis error eos seduxit. Ptolemæus, qui nomina locorum, & urbium eodem ferè modo solet enuntiare, quo à Romanis proferebantur, Κάσσιον & Κασσιῶτιδα Ægypti appellat, cum duplici sigma, & sic distinguit ab alio Casio Syriæ, quem Κάσιον vocat. Ut Κασιῶτιδα regionem Syriæ ab illo monte nominatam, utrumque tamen veteres Græci similiter Κάσιον nominant cum unico sigma. Et Plinius id ostendit his verbis: *super eam mons, eodem quo alius nomine, Casius.* Tabula Peutingerana *Cassium* Ægypti vocat, ut omnia ferè Latinorum auctorum scripta, quæ vidimus. *Pelusio* VIII. *Gerra* XXIII. *Cassio, Ostracine* XXIII. Atque ita Itinerarium Antonini: *Ostracina, Cassio, Pentaschœno.*

Atque ita Ostracine locus Pompeji magni sepulcro inclytus] Hallucinatio Solini sollemnis ex malè interpunctis Plinii verbis, quæ sic habent: *à Pelusio Calabriæ castra, Casius mons, delubrum Jovis Casii, tumulus Magni Pompeji, Ostracine.* Quæ ita accepit, quasi tumulum Magni Pompeji vocaret Ostracinen. Sic ergo conjunctim legit: tumulus *Pompeji Magni Ostracine.* Quod falsum est. Nam in Casio Pompeji sepulcrum, non in Ostracine. Strabo: Κάσιον θινώδης τις λόφος ἀκρωτηριάζων, ἄνυδρος, ὅπου τὸ Πομπηίου τοῦ μεγάλου σῶμα κεῖται, καὶ Διός ἐστιν ἱερὸν Κασίου. Ammianus lib. XXII. *Pelusium oppidum, & Cassium, ubi Pompeji sepulcrum est Magni, & Ostracine & Rhinocolura.* Ostracine à Casio viginti sex miliaribus distabat. Itinerarium: *Rhinicolura*, XXII. *Ostracena*, XXIIII. *Cassio*, XXVI. Ptolemæus: Κάσιον, ἔκρηγμα Σιρβωνίδος λίμνης, Ὀστρακίνη. Vicum esse Ostracinen, vel oppidum ex Itinerario constat. *Locum* heic

A vocat Solinus, quæ vox significat aliquando vicum. Sed regionem ipse interpretatus est in laterculo Capitulorum. Ita enim in indice posuit: *Regio Ostracine, Joppe oppidum, Andromedæ vincula.* Sic ubique nugatur. Nam Ostracine nomen est oppidi, vel vici. In hoc eodem Plinii loco interpungendo aliter hallucinatus est Martianus Capella. Sic enim distinxit: *à Pelusio Chabriæ castra, Casius mons, delubrum Jovis Casii, tumulus magni Pompeji. Ostracine Arabia finitur à Pelusio* LXV *milibus passuum.* Ita enim scribit: *Ostracine Arabia finitur à Pelusio sexaginta milibus passuum.* Quantum ad rem
B attinet, certè verum est juxta Plinii sententiam, finiri Arabiam Ostracine, & ab ea incipere Idumæam. Dicit Arabiam finiri à Pelusio sexaginta sex milibus passuum, ita enim legendum ex Martiano, mox Idumæam incipere. Atqui tot sunt milia passuum à Pelusio ad Ostracinen. Itinerarium:

Ostracina Cassium XXVI.
Pentaschœnon. XX.
Pelusium. XX.

Ergo à Pelusio ad Ostracinen Arabia erat, ab Ostracine Idumæa. Et proinde Casius mons, & Casiotis
C regio Arabiæ. Strabo usque ad Casium Idumæam pertingere facit: τῆς δ' Ἰουδαίας τὰ μὲν ἑσπέρια ἄκρα τὰ πρὸς τῷ Κασίῳ κατέχουσιν Ἰδουμαῖοι τε καὶ λίμνη.

Pag. 46. F. *Deinde Joppe oppidum antiquissimum*] Græcis Ἰόπη cum unico π. Stephanus: Ἰόπη, πόλις Φοινίκης πλησίον Ἰαμνίας, ὡς Φίλων. Dionysius:

Οἵ τ' Ἰόπην, καὶ Γάζαν, Ἐλαΐδα τ' ἐνναίουσι.

Avienus:

Urbs Jope, sterilisque dehinc habitatur Elaïs.

Ita & Cononi Ἰοπία regio, & Ἰόπη urbs. Certè Ἰόπη
D Græcum est, non Ἰόππη. Ideo alterum π subtraxerunt, & ἀπὸ τῆς Ἰόπης finxere dictam, quam Æoli filiam, Cephei uxorem volunt fuisse. Propertius:

Vobiscum est Jope, vobiscum candida Tyro.

Prope Jamniam collocat Stephanus ex Philone. Ἰαμνία oppidulum Phœnices. Duas facit Plinius his verbis: *Jamnes duæ, altera intus, Joppe Phœnicum.* Scribe: *Jamneæ duæ.* Nam Ἰάμνεια, & Ἰαμνία dicitur, *Jamnea* & *Jamnia*. Itinerarium *Lamniam* vocat corrupte, pro *Jamniam*. Idem mendum & in Tabula Peutingeri, quæ Jamniam ab Joppe duodecim tantum milibus passuum disterminat, ut hinc vicinas liqueat fuisse. *Ascalane* XII. *Azoto*
E X. *Jamnia* XII. *Joppe.* Quod duas Jamnias ponit Plinius, portum Jamnitarum, qui ad mare erat, & paulo longius ab urbe remotus, alteram urbem facit. Id ex Ptolemæo constat, cui in ora recensetur, Ἰόππη, Ἰαμνιτῶν λιμὴν, Ἄζωτος. Deinde ἐν τοῖς μεσογείοις urbibus τὴν Ἰάμνειαν numerat: Ῥαφία, Γάζα, Ἰαμνία. Sic Γαζαίων λιμένα in ora maritima inter Azotum, & Ascalonem locat. At Γάζαν urbem in mediterraneo inter Raphiam, & Jamniam. Non duæ igitur Jamniæ, non sanè magis quam duæ Gazæ, sed portus Jamnitarum ab urbe separatus, & propius ad mare positus, ut duæ urbes vide-
F rentur ejusdem nominis, potuit fecisse. Eodem planè modo Atheniensium portus Piræeus, priusquam urbi muris conjunctus esset, longius ab urbe disparatus, quasi alterum oppidum videbatur. Sic Σεβεστάνων ἐμπόριον ad mare collocat idem Ptolemæus, urbem autem Σεβέστην inter mediterraneas separatim recenset. Idem de Agrigento, & Agrigentinorum emporio.

Id oppidum saxum ostentat, quod vinculorum Andromedæ vestigia adhuc retinet] Circa Joppen, quæ de Andromeda ceto exposita poëtæ fabulantur, accidisse quidam prodi-
G dere. Strabo de Joppe: ἐνταῦθα δ' μυθεύουσί τινες τὴν Ἀνδρομέδαν ἐκτεθῆναι τῷ κήτει. Ἐν ὕψει γὰρ ἐστὶν ἱκανῶς τὸ χωρίον. Plinius: *insidet collem, prajacente saxo, in quo vinculorum Andromedæ vestigia ostendunt.* Ita existimarunt, qui regiam Cephei patris Andromedæ Joppen fuisse volunt, Cepheumque ac Phineum fratrem in illa Phœnices regione imperitasse, quæ Phœnicum fuit opinio. Mela: *est Joppe ante diluvium, ut ferunt condita,* ubi

ubi Cephea regnasse eo signo incolæ affirmant, quod titulum ejus fratrisque Phinei veteres quadam ara cum religione plurima retinent. Conon apud Photium scribit in excerptis, ἀδελφὰς μὲν δύο γενέσθαι Κηφέα καὶ Φινέα, καὶ εἶναι τὴν τοῦ Κηφέως βασιλείαν τότε ἐν τῇ μετονομασθείσῃ μὲν ὕστερον Φοινίκῃ, τηνικαῦτα δὲ Ἰοπίᾳ ἀπὸ Ἰόπης τῆς ἐπιθαλασσίδιος πόλεως τοὔνομα λαβούσῃ, καὶ ἦν τὰ τῆς ἀρχῆς ὅρια ἀπὸ τῆς καθ' ἡμᾶς θαλάσσης μέχρι Ἀράβων τῶν πρὸς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν ᾠκημένων. Ita legendus ille locus, ἐν τῇ Ἰοπίᾳ ἀπὸ τῆς Ἰόπης. Quæ postea Phœnice appellata est, olim *Jopiam* vocatam ab urbe Jope, & regnum Cephei fuisse. Meminit & τῆς Ἰοπίας Stephanus. Dicit Photius aliter eam historiam Cononi narrari quam Græcis. Certe Græci & de loco dissentiunt. Nam Cephea Æthiopiæ regem faciunt, & τὴν σκηνὴν τοῦ δράματος in Æthiopiam transferunt, ubi regnavit Cepheus Andromedæ pater. Euripides in Andromeda ita fabulatus erat, quem reliqui sequuti sunt. Hyginus in Astronomico: *Cepheus: hunc Euripides cum ceteris Phœnicis filium, Æthiopum regem esse demonstravit, Andromedæ patrem, quam ceto propositam notissima historia dixerunt.* Mirum quod ait Euripidem cum ceteris Cepheum Phœnicis esse filium demonstrasse, cum Apollodorus lib. II Bibliothecæ tradat Cephea, & Phinea Beli filios esse ex sententia Euripidis. Ejus verba hæc sunt de Belo: καὶ αὐτῷ γίνονται παῖδες δίδυμοι, Αἴγυπτος καὶ Δαναός: ὡς δὲ φησιν Εὐριπίδης, καὶ Κηφεὺς καὶ Φινεὺς προσέτι. Apollodoro potius habenda fides. Et multo verisimilius est Euripidem, qui Cephea Æthiopum regem facit, eumdem & Beli filium facere. Nam Belus Agenoris frater in Ægypto regnavit, ducta in uxorem Nili filia Anchinoe: ex qua susceptis geminis Ægypto & Danao, Ægyptum in Arabia regem constituit, Danaum in Libya. Ergo, ut videtur, & Cephea in Æthiopia, qui juxta Euripidem filius quoque eidem Belo fuit. Alii Phœnicis eum filium esse dixerunt. Certe Phinea & Cephea fratres fuisse plerique tradiderunt. At Phinea Phœnice natum prodidit Hesiodus. Scholiastes Apollonii de Phineo: ὁ δὲ Ἡσίοδος τοῦ Φοίνικος αὐτὸν φησὶ τοῦ Ἀγήνορος ἐστὶ παῖς. Et paulo suprà: ὡς δὲ Ἡσίοδος φησὶν Φοίνικος τοῦ Ἀγήνορος, καὶ Κασσιεπείας. Ὁμοίως δὲ καὶ Ἀσκληπιάδης, καὶ Ἀντίμαχος, καὶ Φερεκύδης φησίν. Ἐκ γὰρ Κασσιεπείας τῆς Ἀράβου Φοίνικι γίνεται Κίλιξ, καὶ Φινεὺς καὶ Δόρυκλος. Hellanicus Agenoris ipsius filium scripserat esse Phinea. Ita Phœnix frater fuerit Cephei, ut & Phineus. Certè inter procos Andromedæ Cephei filiæ, non solum Phinea fratrem ipsius Cephei, sed etiam Phœnicem numerat Conon, nec tamen ulla ipsis consanguinitate junctum eum memorat. Ut ut sit, nec enim in fabulis veritas sibi constans exigenda est, secundum Phœnicum sententiam Cepheus & Phineus fratres, Phœnicis filii, & Cepheus in Phœnice regnavit, ubi & Jopen condidit. Stephanus: ἐκλήθη δὲ ἀπὸ Ἰόπης τῆς Αἰόλου θυγατρὸς, τῆς γυναικὸς Κηφέως, τοῦ κτίσαντος, καὶ βασιλεύσαντος, τοῦ κατευεργετηθέντος, ὃ ἐστὶ γυνὴ Κασσιέπεια. Duæ igitur opiniones veterum de Cepheo. Alii Beli filium, & Æthiopiæ regem esse prodiderunt, ut Euripides, aliique Græci. Alii Agenore, vel Phœnice Agenoris natum, & in Phœnice regnasse volebant, ut Phœnices ipsi. Scholiastes Germanici: *Cepheus fuit, sicut Euripides scribit, Æthiopum rex, Andromedæ pater.* Apollodorus de Perseo: παραγενόμενος δὲ εἰς Αἰθιοπίαν, ἧς ἐβασίλευε Κηφεὺς, εὗρε τὴν τούτου θυγατέρα Ἀνδρομέδαν παρακειμένην βορὰν θαλασσίῳ κήτει. Hi sunt Græci, qui Κηφῆνας Αἰθίοπας ab hoc Cepheo, & Κηφηνίαν Æthiopiam dictam volebant, quos reprehendit Stephanus. Οἱ Ἕλληνες, inquit, κακῶς φασὶν ἀφ' οὗ Κηφῆνες οἱ Αἰθίοπες. Certè si Cepheus in Æthiopia non regnavit, male Κηφῆνας Æthiopas censebant à Cepheo appellatos. Non dubium quidem est quin Κηφῆνες à Cepheo, sed eo nomine Chaldæos olim vocatos ferè constat inter omnes. Quod eorum opinionem confirmat, qui Cepheum Phœnices fuisse regem autumant. Nam Chaldæi Syriæ vicini. Sophocles:

Κόλχοι τε, Χαλδαῖοι τε, καὶ Σύρων ἔθνος.

Stephanus: Χαλδαῖοι, οἱ πρότερον Κηφῆνες, ἀπὸ Κηφέως τοῦ πατρὸς Ἀνδρομέδας. Eum vide. Hi Chaldæi circa Babylonem incolebant, quorum regio olim Κηφηνία à Cepheo. Græci, ut dixi, Æthiopiam sic vocarunt.

A Agatharchides: τρίτος δ' ἐστὶν ὁ Ἀργολικὸς λόγος, ὃς ἐστὶ τῇ μὲν τόλμῃ μέγας, τῇ δ' ἀποδείξει κενός. Οἱ γὰρ περὶ Κλεινίαν ἰσχυρικοὶ φασὶν, ἀπὸ τῆς ποιητικῆς ἐξουσίας, καὶ αὐτοὶ τὴν ἄδειαν λαβόντες, ἐξ Ἄργους εἰς Αἰθιοπίαν, ἐκαλεῖτο δὲ τότε Κηφηνία παραγενόμενον ἐπὶ λύσει τῆς Κηφέως θυγατρὸς τὸν Περσέα, ἐκεῖθεν δ' εἰς Πέρσας. Hinc *Cepheam Meroën* vocat Propertius:

Cepheam & Meroën fuscaque regna canat.

Quam expositam beluæ non irritus rumor circumtulit] Beluæ marinæ, τῷ κήτει. Conon Andromedam raptam fuisse vult, & asportatam navi, quæ ceti figuram haberet. Inde locum fabulæ datum de monstro

B marino. Φοίνικος δὲ ἁρπάσαντος νηΐ, (κῆτος δὲ αὐτὴ ἐκαλεῖτο, ἢ μίμησιν ἔχουσα τοῦ ζῴου, ἢ κατὰ τύχην) ἡ Ἀνδρομέδα ὡς κατ' ἄγνοιαν τοῦ πατρὸς ἁρπαζομένη, ἀνωλοφύρατο. Navis κῆτος dicta, quæ προτομὴν ceti in prora præferebat, ἢ κητόπρῳρος. Κητίδες, & κητῆναι hujusmodi naves dicebantur. Hesychius: κητήνη, πλοῖον μέγα ὡς κῆτος. Immo πλοῖον κητοφόρον. Eædem & *pristes* vocabantur. Nam *pristis* etiam belua marina. Virgilius:

Velocem Mnesteus agit acri remige pristim.

Ubi Servius: *vel à tutela depicta, vel* ἀπὸ τοῦ πρίζειν τὰ κύματα. Perperam, ut jam aliis observatum. Aliud enim tutela, aliud παράσημον in nave. *Pristis* προτομὴ erat

C marinæ belluæ sic vocatæ, quæ in prora navis inter προεμβολίδα, & ἔμβολον statuebatur, unde tota navis nomen accipiebat. Aliorum similiter animalium προτομαὶ ibi solebant collocari, à quibus naves vulgo cognominabantur, ut Taurus, Aries, Chimæra, Centaurus, Scylla, Cetus, Delphis, Canis, & hujusmodi animalia. Τὸ ἔμβολον est rostrum navis, super quod pars eminens in prora προεμβολίς. Pollux: τὸ δὲ καταλῆγον αὐτοῦ ἐπὶ τὴν πρῷραν, προεμβολίς. Τὸ δὲ ὑπ' αὐτὴν ἔμβολον. Inter προεμβολίδα & ἔμβολον ἡ στεῖρα καλουμένη. Hesychius interpretatur τὸ ἐξέχον τῆς πρῴρας ξύλον κατὰ τὴν

D τρόπιν. Supra rostrum, quod tridens erat, effigies illæ, quas dixi, & protomæ diversorum animalium locabantur, quæ navi nomen dabant. Idque ita videre est in antiquis saxis, quæ liburnas sculptas exhibent. Rostra tridentia ibi visuntur, quæ fluctus scindunt in infima proræ parte. Virgilius:

Convulsum remis, rostrisque tridentibus æquor.

Quo loco inepte Grammatici veteres defendunt *stridentibus.* Suprà rostra illa tridentia caput tauri, aut porci, aut arietis, aut alius cujuslibet animalis prominens habetur. Pollux: ὑπὲρ δὲ τὸ ἔμβολον δελφὶς ἐστι, ὅταν ἡ ναῦς δελφινοφόρος ᾖ. Rectè Pollux. Nam &

E aliorum animalium effigies ibi pariter stabant, unde & ταυροφόροι, & κριοφόροι νῆες similiter dictæ, quæ tauri, & arietis effigiem præferebant. Mirum tamen quam longè aliter τὴν δελφινοφόρον ναῦν exponant ceteri Grammatici, qui nec ipsi sibi constant in explicando, quale fuerit instrumentum illud navale, quod antiqui δελφῖνα appellarunt. Hesychius: πολεμιστήριον μηχάνημα ἐν ταῖς ναυμαχίαις interpretatur, καὶ τὴν ἔχουσαν αὐτὸ δελφινοφόρον ναῦν. Alii inquit, μολύβδινα κρεμαννύμενα βάρη δελφίνων σχῆμα ἔχοντα, ἃ ταῖς λῃστρικαῖς ναυσὶν ἐμβάλλεται. Ita legenda verba Hesychii. Scholiastes ve-

F tus Aristophanis nunc ὄργανον ναυτικὸν exponit, nunc ἐξάρτημα τῶν νεῶν, vel ἀγκύρωμα. Alias dicit esse σιδηροῦν κατασκεύασμα, ἢ μολύβδινον εἰς δελφῖνα ἐσχηματισμένον. Τοῦτο δὲ ἐκ τῆς κεραίας τοῦ ἱστοῦ αἱ ναυμαχοῦσαι ἠφίεσαν εἰς τὰς τῶν πολεμίων, καὶ κατεδύοντο. *Machinatum ferreum, aut plumbeum effigie delphini formatum, quod in navalibus præliis ex apice summo mali in hosticas naves emittebatur ad eas demergendas.* Id constare ait ex versibus Pherecratis, quos subjicit. Δηλοῦται δὲ ὑπὸ Φερεκράτους ἐν τοῖς ἀγροῖς, ὅταν λέγῃ.

Ὁ δὲ δὴ δελφὶς ἐστι μολυβδοῦς, δελφινοφόρος κέραος,
Διακόψει τοὔδαφος αὐτῶν ἐμπίπτων καὶ καταδύων.

G Sed nulla in his verbis mentio τῆς κεραίας τοῦ ἱστοῦ. Versus itaque mendosi, quos sic restituo. Sunt enim anapæsti tetrametri catalectici:

Ὁ δὲ δὴ δελφὶς ἐστι μολυβδοῦς, δελφινοφόρῳ τε κεροῦχος,
Ὃς διακόψει τοὔδαφος αὐτῶν, ἐμπίπτων καὶ καταδύων.

Δελφινοφόρος κεροῦχος ostendit ἐν τῇ κεραίᾳ τοῦ ἱστοῦ suspensam illam fuisse machinam, atque inde emissam in naves hostiles. Lucanus:

---- *summique arsere ceruchi.*

Οἱ κεροῦχοι. Sed legi etiam poteſt, δελφινοφόρος τε κεραία ἢ διακόψει. Verba Thucididis è ſeptimo citat ibidem ille Grammaticus, quæ id manifeſtius evincunt. Atque hæc ſunt: ἔπειτα αὐτοὺς αἱ κεραῖαι ὑπὲρ τῶν ἔσπλων αἱ ἀπὸ τῶν ὁλκάδων δελφινοφόροι ἠρμέναι ἐκώλυον. Vides κεραίας δελφινοφόρους. Ad eum locum Thucididis vetus interpres Græcus hoc ſcholion appoſuit: ἐκ τῶν κεραιῶν δελφῖνες ἦσαν ἠρτημένοι μολύβδινοι, ὥστε ἐμβάλλεσθαι ταῖς προσπλεούσαις ναυσίν. Οἷον ἐμπίπτοντες αὐταῖς διέκοπτον τέδαφος αὐτῶν καὶ κατέδυον. Quæ poſtrema verba ex verſibus Pherecratis, quos ſuperius adduximus, adumbrata ſunt. In ſummitatem mali ſuſtollebantur illi delphines plumbei, ut cum majori pondere ex alto dejicerentur in naves adverſariorum. Hinc illa Ariſtophanis:

Τοὺς δελφῖνας μετεωρίζου, καὶ τοὺς ἀκάτους περιβάλλου.

Et notandum ex Thucidide onerarias tantum naves, τὰς ὁλκάδας hujuſmodi machinis inſtructos malos habuiſſe. Hæc cum ita ſint, quomodo ratio conſtabit Polluci, qui δελφινοφόρων navium delphina ſupra roſtrum navis inter ἔμβολον & προεμβολίδα collocat? Sanè reſpexit ad inſignia navium, quæ in eo loco ſtatuebantur. Et quemadmodum ταυροφόροι & κριοφόροι dicebantur naves ab effigie tauri, & arietis, ita & δελφινοφόροι. Stephanus in voce Ταυρόεις· Ἀπολλόδωρος ἐν πρώτῳ γεωγραφουμένων φησίν, ἡ ταυροφόρος ἦν ἡ ναῦς, ἡ διακομίσασα τοὺς τὴν πόλιν κτίσαντας, οἱ ἀπορριφέντες ἀπὸ τοῦ στόλου τῶν Φωκαέων, καὶ προσενεχθέντες αὐτόθι ἀπὸ τοῦ ἐπισήμου τῆς νεὼς τὴν πόλιν ὠνόμασαν. Inſigne navis, taurus. Unde dicta ταυροφόρος. Sic & κριοφόρος apud Palæphatum, ſi rectè memini, ab inſigni arietis. Sic Samiæ naves ὑόπρωροι, quod caput porcinum in roſtris haberent. Heſychius ex Didymo de Samia navi: τοὺς δὲ ἐμβόλους σεσήμανται, ὡς δοκεῖν ῥύγχεσιν ὑῶν ὁμοίως κατεσκευάσθαι, οἷον ὑοπρώρους εἶναι, διὸ καὶ ἐπὶ ταύτης λέγεται. Ναῦς δέ τις ὠκύπρωρος Σαμία ὑὸς εἶδος ἔχουσα. Ita hæc legenda verba Heſychii in voce Σαμιακὸς τρόπος. Τὸ ἐπίσημον idem quod παράσημον. Virgilius:

---- Æneïa puppis
Prima tenet, roſtro Phrygios ſubjuncta leones.

Eleganter & planè expreſſit τὴν λεοντοφόρον ναῦν, quæ ſupra roſtrum Phrygiæ matris leones pro inſigni habebat. Hæc roſtro ſubvehebat Phrygios leones. Hæc navis Æneæ in tutela matris Deûm erat, quæ in puppi pingebatur, & pro inſigni, vel paraſemo habebat ejus leones in prora. Diverſa igitur tutela, & paraſemon. *Tutela* Deus, ſive dea, cujus ſimulacrum in puppi: *paraſemon*, animalis alicujus προτομὴ ſuprà roſtrum navis in prora effigiata. Feſtus in voce Europa: *alii eam à prædonibus raptam, & nave, quæ Jovis tutelam, effigiem tauri habuerit, in eam regionem eſſe delatam.* Ita diſtinguendum, ac legendum. Nam malè vir magnus: *quæ Jovis tutelam effigie tauri habuerit*, ſeparat tutelam Jovis, ab effigie tauri, quæ paraſemon erat. Scholiaſtes Juvenalis: *Pegaſus, Trierarchi filius, ex cujus Liburnæ paraſemo nomen accepit, juris ſtudio gloriam memoriæ meruit.* Sic corrigendum. Nam malè vulgo legitur: *ex quibus Liburnæ paraſia nomen accepit.* Pegaſus paraſemon trieris, unde Trierarchus filio nomen impoſuit. *Paraſemon* ſcriptum erat. Tutela ſæpe nihil commune habebat cum paraſemo, ut in nave, qua Europa vecta eſt, tutela Juppiter, taurus paraſemon fuit. Virgilius x. Æneid.

Maſſicus ærata princeps ſecat æquora tigri.

Servius: *cujus roſtrum erat in ſimilitudinem tigridis. Namque naves ſolent vocabula accipere à pictura tutelarum.* Rectè de roſtro in ſimilitudinem tigridis: quamvis non roſtrum propriè, ſed pars ſuprà roſtrum in varias animalium effigies formaretur. Sed malè heîc inſigne, quod erat tigris, cum tutela confundit. Quippe cum de tutela ejuſdem navis ſtatim ſequatur apud poëtam:

---- huic totum inſignibus armis
Agmen, & aurato fulgebat Apolline puppis.

Ergo navis illa tutelare numen habuit Apollinem, eumque pictum in puppi, & tigridem pro paraſemo in prora ſuprà roſtrum poſitum. Aliquando, ut ſua ſingulis diis inſignia fuere attributa, inſigne aliquod ejus numinis, in cujus tutela navigium erat, pro paraſemo in eadem navi ponebatur. Exempli gratia: navis Æneæ, cujus tutela Mater Deûm fuit, paraſemon habuit leones matris Deûm. Et navis quæ Ovidium in Pontum vexit, Minervam pictam pro tutela gerebat, ejuſdem verò Minervæ galeam pro paraſemo in roſtro proræ. Verba ejus:

Eſt mihi ſitque precor, flavæ tutela Minervæ
Navis, & à picta caſſide nomen habet.

Galea Minervæ navis illius paraſemon fuit, tutela Minerva. Unde *galea* dicta à paraſemo, quod nomen navi imponebat. Interdum verò accidebat, ut una eademque res tutela eſſet, & paraſemon, vel inſigne navis, quoties ſcilicet numinis ipſius effigies, in cujus erat tutela navigium, pro inſigni locaretur in prora, quod ſæpè factum eſt. Tunc navis nomine illius Dei vocabatur, quem pictum, fictumve præferebat in prora. Nam Deus ipſe tum & tutela navis erat, & paraſemon. Multa ſunt auctorum teſtimonia, quæ ſuper hoc nos dubitare non ſinunt. Apud Lucianum in dialogo, πλοῖον ἢ εὐχαί. Ἡ πρῷρα ὑπερβέβηκεν εἰς τὸ πρόσω ἀπομηκυνομένη, τὴν ἐπώνυμον τῆς νεὼς θεὸν ἔχουσα τὴν Ἶσιν ἑκατέρωθεν. In ea navi Iſis dea & tutela fuit, & paraſemon. Et quia paraſemon etiam erat, in prora poſita eſt, qui locus paraſemi, & navi nomen poſuit, ut mos poſtulabat. Navis Pauli Apoſtoli, cujus Lucas meminit in Actis, τοὺς Διοσκούρους παράσημον habuit, ſimulque tutelam. Unde & Διόσκουροι quoque vocata eſt, ut illa Luciani Ἶσις. Inde eſt, quod Grammatici veteres tutelam à paraſemo non diſcernunt, quia ſæpe tutela eadem cum paraſemo, cum idem Deus & paraſemon, nomenque ſuum, ſimulque tutelam navigio præſtat. Gloſſæ, *tutela*, παράσημον, ἐπιτροπή, ἀσφάλεια, καὶ παράσημον τοῦ πλοίου. Servius à picturis tutelarum naves nomen accipere ait, quod verum eſt, cum tutelas & inſignia navis eadem eſſe contigit. Nomen porro navis inſcriptum erat in prora, ubi & paraſemon. Quæ inſcriptio nominis in omnibus navibus vulgo uſurpata eſt, licet paraſemon haberent. Nec verum eſt, quod vir magnus ex Polluce notat, nomen navis ἐν ὀφθαλμῷ ideo inſcribi ſolitum, quod non omnes naves haberent paraſemon. Ὀφθαλμὸν autem eſſe foramen rotundum pone puppim, unde anchoralis funis eminebat. Ideo vero inſcriptum in puppi nomen, quia prora inſigni careret. Quæ omnia falſa ſunt, vel ipſo Polluce teſte, cujus verba hæc ſunt: τὸ δὲ ὑπὲρ τὸ προῦχον ἀκροστόλιον πτυχὶς ὀνομάζεται, καὶ ὀφθαλμὸς, ὅπου καὶ τοὔνομα τῆς νεὼς ἐπιγράφουσι. Ἀκροστόλιον ſumma pars eſt τοῦ στόλου, ut ex ipſo nomine apparet. Qui στόλος in prora, non in puppi. Τὸν στόλον Pollux collocat μεταξὺ τοῦ ἐμβόλου, καὶ τῆς προεμβολίδος, inter roſtrum, & ſummam proræ partem. Heſychius στόλον τὸν ἔμβολον interpretatur τῆς νεὼς στόλος, ὁ τῆς νεὼς ἔμβολος εἰς ὀξὺ συνεστραμμένος. Pollux ſupra roſtrum ponit, & στεῖραν, quæ lignum erat carinæ ad proram eminens. Ὁ στόλος ἐστὶν ὑπὲρ τὴν στεῖραν, ὃς καὶ περικεφαλαία καλεῖται. Quod in galeæ formam factum eſſet. Et hæc eadem pars eſt, quæ multis in navibus varias animalium effigies & προτομὰς ſculpebatur, at, cum inſigne non habebat navis, in galeam ut plurimum formabatur. Hæc galea fuit pro inſigni in Ovidiana navi, quam galeam Minervæ eſſe dixit, quæ tutela erat. Inde & *galeæ* paſſim recentiori ævo triremes omnes, & liburnæ appellatæ ſunt, quia pars illa nomen navi ſolita erat imponere. Hinc titulus, ſive index, qui nomen navis continebat, in ſummitate ſtoli viſebatur, ἐν τῷ ἀκροστολίῳ. Ligni tabula fuiſſe videtur affixa ὑπὲρ τὸ προῦχον ἀκροστόλιον. Hæc πτυχὶς vocabatur. Ratio in promptu ei, qui ſcierit quid ſit πτύξ, & πτύχιον, & πτυκτίον. Dicebatur etiam ὀφθαλμὸς, quod in fronte, & in prora navis eſſet, ut oculus in facie. Nam πρῷρα, τὸ πρόσωπον. Vel ab oculi forma. Apollonii ſcholiaſtes: στόλος δὲ λέγεται τὸ ἐξέχον ἀπὸ τῆς πτύχης ἄχρι τῆς πρῴρας ξύλον. Πτύχη δὲ λέγεται, ὅπου τὸ τῆς νεὼς ἐπιγράφεται ὄνομα. Ex hoc loco videtur vir maximus conjeciſſe πτύχην partem eſſe puppis. Sed contrarium vel maximè inde eluceſcit. Apollonius ἐν ταῖς λέξεσιν notaverat ἄφλαστον eſſe τὸ ἀκροστόλιον. Id ille Grammaticus reprehendit. Nam ἄφλαστον puppis eſt, ἀκροστόλιον τοῦ στόλου, qui στόλος in prora. Addit deinde στόλον dici τὸ ἐξέχον ἀπὸ τῆς πτύχης, καὶ διῆκον ἄχρι τῆς πρῴρας ξύλον. Subjicit ſtatim: ἐστὶν οὖν ἀκροστόλιον τὸ ἄφλαστον κατὰ τὴν πρῷραν. Si verum eſt, inquit, quod notavit Apollonius, τὸ ἀκροστόλιον eſſe ἄφλαστον, τὸ ἀκρο-

ἀκροστόλιον fuerit proræ ἄφλαστον. Ut nimirum tam ἀκροστόλιον, quam ἄφλαστον proræ fuerint. Huic Apollonii interpretationi opponit Homeri auctoritatem, qui ἄφλαστον in puppe ponit hoc versu:

> Ἕκτωρ δὲ πρύμνηθεν ἐπεὶ λάβεν, οὐχὶ μεθίει
> Ἄφλαστον μετὰ χερσὶν ἔχων.

Concludit itaque Grammaticus, ἄφλαστον esse σανίδιον κατὰ τὴν πρύμναν. Ita rectè veteres libri, non, ut perperam citant doctissimi viri, κατὰ τὴν πρῶραν. Propriè igitur ἄφλαστον Græcis est summa pars puppis, ut ἀκροστόλιον summa pars proræ. Latini veteres ex Græco ἄφλαστον fecerunt *aplustrum*. Antiquissimi dicebant *amplustre*. Inde Grammatici *amplustria* dicta interpretantur, *navium ornamenta, quia erant amplius quam essent necessaria usu.* Ergo tabula erat affixa ad summitatem puppis, ornamenti gratia, interdum in modum scuti, vel clypei, ut in antiquis monumentis videre est. Σανίδιον vocat vetus interpres Apollonii, Scholiastes Juvenalis *tabulatum*. *Aplustra*, inquit, *tabulatum ad decorandum superficiem navis adpositum. Alii dicunt rostra navis, ornamentum puppis, ἄφλαστα.* Cum dicit, *alii dicunt rostra navis*, exprimit Græcorum interpretum ἀκροστόλια. Nam στόλος juxta quosdam ἔμβολος τῆς νεώς. Unde ἀκροστόλιον summitas esset rostri. Iidem porro τὸ ἄφλαστον etiam ἀκροστόλιον exposuerunt, hoc est, proræ summitatem. Hesychius: κόρυμβα, τὰ ὑπ' ἐνίων ἄφλαστα, τὰ ἀκροστόλια, τὰ ἄκρα τῶν πρυμνῶν, τὰ ἀπεξυσμένα πρὸς κόσμον τῶν νεῶν ἄκρα, καὶ ἐπικεκαμμένα, ἅ ἐστι κατὰ τὴν πρύμναν, καὶ κατὰ τὴν πρῶραν. *Dedolata* & recurvata ligna, quę ad ornandas puppis, & proræ extremitates insurgunt. Recurvo puppis ligno aliquando, ut dixi, scutuli forma imponebatur anserculi figura. Græci χηνίσκον vocant. Lucianus: ὡς δὲ ἡ πρύμνα μὲν ἐπανέστηκεν ἠρέμα καμπύλη, χρυσοῦν χηνίσκον ἐπικειμένη. Apulejus: *puppis intorta chenisco, bracteis aureis vestita.* Quam lectionem male sollicitant docti quidam viri. τὸ ἄκρον τῆς πρύμνης ἐπικεκαμμένον intelligit, ad instar colli anseris. Ita legendum apud Hesychium, non ἐπικεκαυμένον. Idem Hesychius: ἄφλαστον, τὸ ἀκροστόλιον, τὸ ἄκρον τῆς πρύμνης ἀποτεταμένον εἰς ὕψος. Sic ἄφλαστον tam de summitate proræ, quam puppis acceperunt. Nam ἀκροστόλιον proræ summitas. Glossæ: *aplustre*, ἄφλαστον, καὶ τὸ ἄκρον τῆς πρώρας. Ubi ἄφλαστον propriè accipit de puppis summitate, ut plerique Græcorum. Eædem glossæ: *aplustra*, πτερὸν πλοίου ὡς Ἔννιος. Ubi πτερὸν πλοίου exponunt, ut apud Pollucem, qui latera proræ utrimque παρειὰν, & πτερὰ vocari dicit. Τῆς δὲ πρώρας ἑκατέρωθεν παρειὰ καλεῖται καὶ πτερά. Sed hoc non est *aplustre* Latinorum, vel Græcorum ἄφλαστον. Sanè partes extremæ remorum etiam πτερὰ dicuntur Græcis, quidquid extremum est, aut summum in aliqua re sic appellantibus. Unde περίπτερον Hesychius ὑψηλὸν interpretatur, & πάντοθεν ἐξέχον. Unde & πτερὰ πτερώματα murorum, quæ Latinis *pinnæ*. Hoc sensu mallem πτερὸν πλοίου exponere τὸ ἄκρον τοῦ πλοίου in puppe, & in prora. Sed ne hoc quidem satis placet, licet magis placeat quam illud. Πτερὰ sunt utrinque in prora, non unum πτερόν. Præterea ἑδώλιον ἢ πρωρατικὸν id esse ait Pollux. *Aplustre*, & ἄφλαστον nusquam pro sedili ponitur in navi. Nec σανίδιον Græci scholiastæ, aut *tabulatum* Latini, ad rem faciunt, quæ nos suprà exposuimus. Glossarum auctor *aplustre* apud Ennium significare dicit πτερὸν πλοίου, hoc est, τὴν πτέρωσιν τοῦ πλοίου. *Aplustre* est ornamentum in puppe, cujus summitate pinnæ ac cristæ, ut in galea, eminebant. In nummis M. Antonii, & Hadriani, aliisque quampluribus videre est tres pennas ex apice summo puppis surgentes pro insigni. Hanc pennam, quæ ad ornamentum puppi imponebatur, *aplustre* vocavit Ennius. Hinc *amplustria* navium ornamenta; quæ amplius erant, quam necessaria usu, præter usum scilicet addita. Pollux: τὰ ἄκρα τῆς πρύμνης ἄφλαστα καλεῖται. Ὧν ἐντὸς ὀρθὸν ξύλον πέπηγεν, ὃ καλοῦσι στηλίδα. Οὗ τὸ ἐκ μέσου κρεμάμενον ἔριον, ταινία ὀνομάζεται. In medio aplustri fixum erat lignum rectum, è cujus medio pendebat infula ad ornamentum. Eustathius: ἄφλαστον τὸ ἐπὶ πρύμνης ἀνατεταμένον εἰς ὕψος ἐκ κανονίων πλατέων ἐπικεκαμμένων, διήκοντος δι' αὐτοῦ πλατέος κανονίου, ὑπηρεισμένου τούτῳ στυλίσκου ὄπισθεν τοῦ κυβερνήτου. Κρεμάννυται δὲ ἐκ τῶν κανονίων, καὶ τοῦ θερινίου ταινία, εἰς παράσημον δηλαδὴ νηός. Videtur vocare στυλίσκον, quæ Polluci στηλίς. Et magis est, ut legendum sit in Polluce στυλίς. Hesychius: στυλίς, μέρος τι τῆς ἡμιολίας νηός. Pro tænia in aliis ad ornamentum, & insigne aplustris addebatur penna, in aliis parvum velum. In navis Argoæ aplustri triplicis tæniæ forma visitur in clypeolo. Vide figuras asterismorum, quas ex antiquissimo libro edidit vir summus Grotius. In nummis, & aliis monumentis triplex penna pro eodem cernitur. Hoc πτερὸν πλοίου vocat auctor glossarum, & *aplustre* Latini, quod aplustri, id est, summitati, & apici puppis imponeretur. Ita omnino accipienda *aplustria* in hoc versu Ciceronis, qui citatur à Prisciano:

> *Navibus aut summis fluitantia quærere aplustra.*

Ita enim scribendum, aut *ab summis*. Vulgo est, *absumptis*. *Fluitantia aplustra navibus summis* sunt pennæ, aut vela in summo puppium fluitantia. Sic apud poëtam:

> ---- *& toto fluitantia vela theatro.*

Et apud Lucretium:

> ---- *& vela trementia flutant.*

Aplustria, & ἄφλαστα ornabantur, aut velis, aut pennis, aut tæniis. Quæ ornamenta etiam *aplustria* quidam dixere. Silvius:

> ---- *lacerique aplustria velo.*

Nunc explicandus Scholiastæ Græci locus de ea navis parte, ubi nomen inscribebatur. Ita loquitur: στόλος δὲ λέγεται τὸ ἐξέχον ἀπὸ τῆς πτύχης, καὶ διῆκον ἄχρι τῆς πρώρας ξύλον. Si πτύχη, & στόλος partes proræ sunt, quid est quod dicit, στόλον ἀπὸ τῆς πτύχης ἄχρι τῆς πρώρας pertinere? Hac re videntur inducti docti viri, ut crederent πτύχην esse in puppi. Sed τὴν πρῶραν ille propriè videtur accipere partem navis anteriorem, quæ à carina usque ad catastroma pertingit, quæque veluti facies, & frons navis est. Nam πρῶραν Græci τὸ πρόσωπον interpretantur. Quæ ad proram verò addita in altum eriguntur, ea ad ornamentum potius, ac decorem navis, quam ad usum aliquem adfiguntur. Quare à prora merito separantur. Κόρυμβα Græci vocant, & ἄφλαστα. Sed in puppi propriè ἄφλαστον. In prora στόλος, cujus pars summa ἀκροστόλιον. Suprà quod ἀκροστόλιον ἡ πτύχη, ubi nomen navis inscribi solebat. Ergo στόλος ἀπὸ τῆς πτύχης διήκει ἄχρι τῆς πρώρας. Fuit cum legerem, ἄχρι τῆς στείρας, & nihil verius, prout hæ partes describuntur a Polluce. Suprà στεῖραν collocat τὸν στόλον, cujus id quod eminet ἀκροστόλιον. Supra quod πτύχη. Ἀπὸ τῆς πτύχης ἄχρι τῆς στείρας ὁ στόλος. Sciolus aliquis, quid esset στεῖρα ignarus, pro ea voce πρῶραν substituerit. Eustathius tamen legisse πρώρας videtur. Ita enim scribit: ἀκροστόλιον δέ φασι τὸ ἀπὸ τῆς πτύχης ἀνατεῖνον ξύλον ἐπὶ τὴν πρῶραν. Ad ea verba Græci scholiastæ alludit, à quo hæc mutuatus est, sed ejus mentem non percepit. Nam proram eminentiorem facit τῇ πτύχῃ, cum è contrà vetus scholiastes τὴν πτύχην supra ἀκροστόλιον, ac στόλον statuat, & utrumque suprà proram. Et sanè omnes ἀκροστόλιον in prora id esse statuunt, quod ἄφλαστον in puppi. Didymus apud eundem Eustathium: ἀκροστόλιον ἡ ἐστιν ἄκρος στόλος, στόλος δὲ ἐστιν ὅπου ἐστὶν τὸ ἀπὸ τῆς λεγομένης πτύχης ξύλον πλατύ. Πτύχη δὲ ἐστὶν ὅπου οἵ τε ὀφθαλμοὶ ζωγραφοῦνται, καὶ τὸ τῆς νεὼς ὄνομα ἐπιγράφεται. Sanè & hic videtur τὴν πτύχην sub στόλῳ, & ἀκροστολίῳ constituere. Immo & si rectè pensitentur scholiastæ Apollonii verba, idem prorsus significant. Στόλος δὲ λέγεται τὸ ἐξέχον ἀπὸ τῆς πτύχης, καὶ διῆκον ἄχρι τῆς πρώρας ξύλον. An non his apertè ostenditur στόλον esse lignum, quod suprà πτύχην eminet? Τὸ ἐξέχον ἀπὸ τῆς πτύχης. Ita planè est, aut Græcè nescio. Et rationi magis id consentaneum. Cum enim πτύχη sit, in quo navis oculi pingebantur, & nomen navis inscribebatur, sub summitate potius, quàm in ipsa summitate fuisse videtur, ut oculi locus est sub fronte. Πρῶραν igitur extremitatem ipsam partis anterioris navigii planè appellaverint. Sic nomen navis à proræ insigni duci solebat, & in ipsa prora inscribi. Κῆτος nomen navis, qua Andromeda abducta est juxta Cononem. Plinius de Joppe: *insidet collem prajacente saxo, in quo vinculorum Andromedæ vestigia ostendunt. Colitur illic fabulosa Derceto.* Libri omnes ibi scribunt: *fabulosa Ceto*. In Rigaltiano corrupte: *famulus aceto*, cum manifestis illius lectionis vestigiis, quæ & fortasse vera est. Paulò infrà de Hierapoli Syriæ urbe ita loquitur: *ibi prodigiosa Atargatis, Græcis autem Derceto dicta colitur.* Diversa igitur hæc Ceto, quæ Joppe colebatur, ab illa *Derceto*, vel Atargati, quæ Hie-

Hierapoli. Et Ceto videtur dicta ἡ Κητώ, quod ceti formam præferret. Talis Dagon Azotiorum Palæstinæ, qua voce significatur ἡ Κητώ, vel ὁ Κητῶν. Nec longè ab Azoto Joppe, ut in utraque urbe idem numen cultum fuisse verisimile sit. Sanè Dagon est Ceto. Sed & Derceto hac figura colebatur in urbe Ascalone Azoti vicina. Diodorus de Ascalonis lacu: παρὰ ταύτην ὑπάρχει τέμενος θεᾶς ἐπιφανοῦς, ἣν ὀνομάζουσι Σύροι Δερκετοῦν. Αὕτη δὲ τὸ μὲν πρόσωπον ἔχει γυναικὸς, τὸ δ' ἄλλο σῶμα πᾶν ἰχθύος. Talem & in Phœnice Dercetus speciem sese vidisse narrat Lucianus: Δερκετοῦς δὲ εἶδος ἐν Φοινίκῃ ἐθεασάμην, θέημα ξένον. Ἡμισέη μὲν γυνὴ, τὸ δὲ ὁκόσον ἐκ μηρῶν ἐς ἄκρους πόδας ἰχθύος οὐρὴ ἀποτείνεται. Paululum hæc differt à Derceto Diodori: nam illa solam faciem fœminæ præ se ferebat, cetera piscis erant. Joppe urbs Phœnices, ubi ejusmodi Derceto colebatur. Et eam urbem intelligit Lucianus, cum ἐν Φοινίκῃ simulacrum hujus deæ sibi visum esse refert. At Derceto illa, quæ Hierapoli templum habebat, in fœminea specie tota prostabat. Idem Lucianus: ἡ δὲ ἐν τῇ ἱρῇ πόλει πᾶσα γυνή ἐστι. Ex eo concludit Hierapolitanum illud numen non fuisse Derceto, quod Δερκετοῦς εἶδος semipiscem, & semifœminam repræsentaret. Hierapolitana verò Diva, quam & *Deam Syriam* propriè vocabant, solam mulieris speciem exhiberet. Quosdam tamen ita existimasse ibidem tradit, Deam Syriam illam Hierapolitanam Dercetus fuisse simulacrum: ἄλλοι δὲ Σεμίραμιν τὴν Βαβυλωνίην, ἧς τόδε τὸ εἶδος εἰσαεὶ νομίζουσι, οὐχ Ἥρη δὲ εἶναι, ἀλλὰ μητρὸς ἑωυτῆς, τῆς Δερκετοῦς ὄνομα. Hæc eadem Strabonis sententia, qui Deam Syriam Hierapolitanis cultam scribit, & Ἀταργάτην vocat de Hierapoli: ἐν ᾗ τιμῶσι τὴν Συρίαν θεὸν τὴν Ἀταργάτιν. Atargatis autem & Derceto eadem dea vel eodem Strabone teste, qui Derceto Ctesiæ vocari alicubi memorat, quam alii Atargatim nominarent. Plinius quoque Atargatim, sive Derceto in Hierapolitana urbe cultam docet, & *prodigiosam* vocat, quod ex pisce, & fœmina compositam formam haberet falso. Nam Dea Syria, quam Hierapolitani venerabantur, non erat Derceto, nec mixtam ex fœmina, & pisce figuram gestabat, sed fœmineam meram. Hanc cum matre Deûm eamdem esse quidam volebant. Videndus idem Lucianus, & Apulejus lib. VIII. Sic *Dea Syria*, quam & Græci θεὸν Συρίαν propriè vocant, diversa utique à Derceto, sive Atargati, quæ sub piscis specie colebatur. Unde & illi nomen, ut doctis placet, qui ab *Addirdaga*, quæ vox *piscem magnificum* significat, detortum hoc nominis volunt. Sed iidem falluntur, cum Strabonis auctoritate probare satagunt, eam Atargatim, etiam Atharam depravate dictam, ut solet fieri in nominum barbaricorum μεταπλώσει. Immo è contra Strabo asserit nomen barbaricum, & Syrum hujus Deæ fuisse Ἀθάρην, quam Græci corruptè pronunciarunt Ἀταργάτην, Ctesias vero Δερκετώ. Verba ejus hæc sunt lib. XVI. Αἱ δὲ τῶν ὀνομάτων μεταπτώσεις, καὶ μάλιστα τῶν βαρβαρικῶν πολλαί. Καθάπερ τὸν Δαρειήκην Δαρεῖον ἐκάλεσαν, τὴν δὲ Φάρζιριν Παρύσατιν, Ἀταργάτιν δὲ τὴν Ἀθάραν, Δερκετὼ δ' αὐτὴν Κτησίας καλεῖ. Ut τὸν Δαρειάυην, nam ita legendum, Græci vocabant Δαρεῖον, τὴν Φάρζιριν iidem nominabant Παρύσατιν, quæ nomina sunt Persica à Græcis pravè detorta, sic τὴν Ἀθάραν, numinis Syriaci nomen, iidem Græci Ἀταργάτιν depravatione dixerunt sibi sollemni. Hic sensus Strabonis. Ἀθάρα igitur nomen Syriacum juxta Strabonem, quod Græcè corruptum est in Ἀταργάτις, & à Ctesia in Δερκετώ. Hanc Atharen Damasci Regis uxorem fuisse scribit Justinus, quam Syri post mortem sanctissimè coluere, sepulcrumque ejus pro templo habuere. *Nomen*, inquit, *urbi à Damasco rege inditum, in cujus honorem Syri sepulcrum Athares uxoris pro templo coluere, Deamque exinde sanctissimæ religionis habent.* Sic legendum, non *Arathis*, ut vulgo est, quod est transpositum. Hæc *Athare* peculiare numen fuerit Damascenorum. Falli itaque Strabonem puto, & diversa numina fuere Ἀθάρη & Ἀταργάτις, utrumque è Syriaco leviter inflexum. Ἀθάρα, pro *Asarah* dicta est, quo nomine non tantum lucus Hebræis, sed etiam luci idolum significatur passim in sacra Scriptura. *Ashtoreth* numen Sidoniorum sæpius ita indigetatur, ut jam notatum viris doctis. Græci Ἀστάρτην vocarunt, quam & confuderunt cum Atargati, vel Derceto. Perperam. Nam Ἀστάρτη Dea Sidoniorum peculiaris, quam alii lunam, alii Venerem, alii deûm Matrem esse voluerunt, alii eamdem cum Cælesti Carthaginensium, quæ nihil de piscis effigie habebat. Ἀταργάτις, vel Δερκετὼ sub piscis forma colebatur ab Joppensibus, unde & nomen ab *Addirdaga* corruptum, nam & Straboni Ἀταργάτη dicitur, inde Ctesiæ Δερκετώ. Diversa porro ab his *Syria Dea* κατ' ἐξοχὴν nominata, quę peculiare numen fuit Hierapolitanorum, totum fœmineum, quod idem cum Junone quidam, alii Venerem, alii matrem deûm fuisse tradunt. Hinc auctores plerique hęc tria confundunt numina, Ἀταργάτην, Ἀστάρτην, & τὴν θεὸν Συρίαν, quæ prorsum distinguenda sunt. Nihil enim commune habebant, nec in nomine, nec in figura, nec in signibus. Diversis etiam locis erant attributa. Nam quot urbes Syriæ, & Phœnices, totidem numina singulis urbibus data, ac dicata. Syriam Deam ovo piscis natam quidam tradidere. Hinc illa Arnobii à nobis suprà emendata, *ovorum progenies Dii Syri.* Alii Venerem esse, quæ formam piscis in Syria sumpserit Typhonis metu. Ideo piscibus Syri abstinebant. At *Deam* Syriam sic propriè dictam nemo scripsit sub effigie piscis cultam, quæ figura propria fuit Atargatis, vel Dercetus. Scribit Helladius in excerptis apud Photium, Ὤην quemdam è mari rubro ascendisse capite, & manibus, pedibusque humanis, cetero corpore piscis simili, qui astrologiam, & literas docuerit. Οἱ δὲ, inquit, αὐτὸν ἐκ τοῦ πρωτογόνου πεφηνέναι λέγουσιν Ὢς, καὶ μαρτυρεῖν τοὔνομα, ἄνθρωπον δὲ ὄντα τὰ πάντα ἰχθὺν δόξαι διὰ τὸ περιημφιέσθαι κητώδη δοράν. Hunc Ὤην esse τὸν Ὠάννην Berosi sibi persuadet Scaliger. Sed quod ait ἐκ τοῦ πρωτογόνου Ὢς natum fuisse illum Ὤην, & propterea sic nominatum, omnino scribendum putarim, ἐκ τοῦ πρωτογόνου ὠοῦ, *ex ovo primigenio.* Germana plane est fabula de Syriæ Deæ genitura, de qua Germanici interpres: *Nigidius hos pisces dicit in flumine Euphrate fuisse, & ibi ovum invenisse miræ magnitudinis, quod volventes ejecerunt in terram, atque ita columbam insedisse, & post aliquot dies exclusisse Deam Syriam, quæ dicitur Venus.* Ovum huic simile miræ magnitudinis, unde prodiit Oannes ille, vel Oes, πρωτόγονον ὠὸν eadem fabulosa antiquitas esse finxit, de quo multa mira Orphicorum mysteriorum Epoptæ prædicabant. Ovum quippe rerum omnium generationis initium dedisse ajebant. Plutarchus lib. II. Symposiacῶν, cap. III. Τὸ δ' ἐπὶ τούτοις ἔφη γελάσας ᾄσω ξυνετοῖσι τὸν Ὀρφικὸν, καὶ ἱερὸν λόγον ὃς οὐκ ὄρνιθος μόνον τὸ ὠὸν ἀποφαίνει πρεσβύτερον, ἀλλὰ καὶ συλλαβὼν ἅπασαν αὐτῷ τὴν ἁπάντων ὁμοῦ πρεσβυγένειαν ἀνατίθησι. Hæc luculenter explicant, quid sit πρωτόγονον ὠὸν apud Helladium, & conjecturam nostram unicè confirmant. Huc pertinet ovum illud ab Ægyptio Cnepti editum, quod mundi figuram repræsentare ajebant, cujus mentio apud Eusebium. Ex ovo illo πρωτογόνῳ, & omnium, quæ generata sunt, principe auctore, natum illum fabulosum Ὠάννην jactabant. Sed & Deam Syriam ex eodem, vel simili ovo editam credidere, quam & Venerem aliqui rerum omnium genitricem, alii peræque Deûm matrem putarunt. Sed de his alibi.

Quippe ossa monstri illius M. Scaurus] Ex Plinio lib. IX. cap. V. Si ossa monstri illius Romam apportata ex oppido Joppe, & publicata ædilitate M. Scauri, non amplius ab eo tempore ostendi potuerunt in urbe Joppe. Atqui scribit Mela adhuc ea ibi ostentata suo tempore. *Quin etiam*, inquit, *rei celebratæ carminibus, ac fabulis, servatæque à Perseo Andromedæ clarum vestigium, beluæ marinæ ossa immania ostentant.* At quomodo ea tunc ostentare potuerunt, si Scauri ætate Romæ visa fuerunt? Nec enim quis dixerit reportata Joppen fuisse post ædilitatem Scauri.

Quod costarum longitudo excesserit pedes quadraginta] Nescio quid vocet costarum longitudinem, aut quare eam distinguat ab altitudine. Nam excelsitatem costarum Indicis elephantis fuisse eminentiorem dicit, longitudinem autem excessisse pedes quadraginta. Fortassean velit dicere costarum altitudinem in ea, qua erant forma, curva & convexa, Indicos elephantos excessisse. Easdem costas si quis in longum extendisset, mensuram habituras fuisse pedum plus quam quadraginta. Sed hoc absurdum, & nihil tale Plinius, unde accepit,

cujus

cujus hæc verba: *Belua, cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romæ apportata ex oppido Judææ Joppe, ostendit inter reliqua miracula in ædilitate sua M. Scaurus longitudine pedum XL, altitudine costarum Indicos elephantos excedente.* Non dicit Plinius costarum longitudinem pedum fuisse quadraginta, sed ossa ipsa hujusmodi longitudinem habuisse, costas verò ipsas eam altitudinem, ut Indicos elephantos, qui altissimi sunt, excederet. Per ossa intelligit auctor catenationem ossium spinæ, quæ à capite ad caudam porrigitur, ex quorum ossium mensura monstri illius longitudo, quanta fuisset, ostendebatur, ut costarum spinæ adnexarum altitudine excelsitas ejusdem colligebatur, quæ Indicis elephantis eminentior erat. Mentem Plinii, ut solet, non vidit Solinus, & ridiculè lapsus est. Dionysius de hujusmodi beluis, & cetis:

---- ἀμφὶ δὲ πάντη
Κήτεα θῖνες ἔχουσιν Ἐρυθραίης βοτὰ πόντου,
Οὔρεσιν ἠλιβάτοισιν ἐοικότα, τῶν δ' ὑπὲρ ἄκρων
Τέτροχεν νώτων περιμήκετος ὀλκὸς ἀκάνθης.

A Longitudinem simul eorum, & altitudinem expressit. Altitudo in his spectatur, quod οὔρεσιν ἠλιβάτοισιν ἐοικότα, hæc in costarum altitudine. Longitudinem, qualis fuerit, spectandam exhibet περιμήκετος ὀλκὸς ἀκάνθης, ossa spinæ nimirum in longum spatium porrectæ, & extentæ. Avienus:

---- *hac ut rigidi juga maxima montis*
Nubibus attollunt latus omne.

Hæc costarum altitudo.

Porro verticuli spinæ ipsius] Veteres schedæ Palatinæ: *Vertibula spinæ ipsius latitudine semipedem sunt supergressa.*
B Ceteri omnes, *verticuli, & supergressi.* Lucillio *Verticula.* Abbreviator Festi: *Verticulas Lucillius quum dixit, articulos intelligi voluit.* Alii *vertebras* dixere. Sesquipedem porro pro semipede perperam noster accepit apud Plinium, qui ita scripsit: *spinæ crassitudine sesquipedali.*

Excelsitas fuerit Indicis elephantis excelsior] In altera editione fuit: *sublimitas autem elephantis Indicis eminentior fuerit.* Quod haud scio, an ex posteriore sit. Ita certè hac voce frequens utitur pro altitudine.

CAPUT XXXV.

Judæa. In ea de Asphaltite lacu, de balsamo arbore, de gente Essenorum.



Pag. 46. G. *Jordanes amnis eximiæ suavitatis Paneade fonte demissus*] Ita libri nostri, *Paneade*, non *Paniade*, ut ex suis edi voluit Delrius. Nec illum juvat, quod Πάνιον scribitur apud Stephanum, σπήλαιον Παλαιστίνης, ἀφ' οὗ ἐκρεῖ ποταμὸς Ἰορδάνης. Nam & Πανεὰς apud eumdem πολίχνη Φοινίκης recensetur, quæ inde nomen accepit. Cujus ἐθνικὸν Πανεάτης. Plinius: *Jordanes amnis oritur è fonte Paneade, qui cognomen dedit Cæsareæ, de qua dicemus.* Hæc Cæsarea Πανεὰς dicta est. Stephanus: Πανεάς, πολίχνιον Φοινίκης, ὁ πολίτης Πανεάτης. Ita etiam dicitur Philostorgio in historia, cujus alibi memini. Luculentum ejus fragmentum de Jordane, & Paneade ex Joanne Antiochensi περὶ ἀρχαιολογίας hìc producere non erit alienum, περὶ τοῦ Ἰορδάνου ἀπὸ τῆς ἱστορίας Φιλοστοργίου. Ἐπ' ἐσχάτοις τῆς Παλαιστίνης πέρμασι, μεθ' ἣν ἡ τῶν Φοινίκων ἐκδέχεται, κεῖται πόλις Δαν ὀνομασθεῖσα, πρότερον ἐκ τῆς τοῦ Δαν φυλῆς ὁπηνίκα χρόνον ἐπ' οὐκ ὀλίγον οὗτοι δὴ μόνοι τοῦ παντὸς ἔθνους πλανώμενοι, πλεῦστον τὰ ταύτῃ καταχόντες χωρία μόγις ἱδρύνθησαν, καὶ πόλιν ἐπὶ τοῖς ἄκροις αὐτῶν ὄρεσι δειμάμενοι τὴν τοῦ φυλάρχου σφῶν ἐπέθηκαν κλῆσιν. Καὶ τοῦτο ἦν τῆς Ἰουδαίας ὁ ἔσχατος πρὸς Φοινίκην ὅρος. Ταύτην χρόνῳ ὕστερον Ἡρώδης ὁ μέγας οἰκοδομήσας Καισάρειαν Φιλίππου μετωνόμασε, νῦν δὲ Πανεὰς ἐστὶ καλουμένη. Τὸ γὰρ πανὸς ἐν ταύτῃ βρέτας στησάμενοι εἰς τοῦτο τὴν τῆς πόλεως ἔτρεψαν προσηγορίαν. Ἐν ταύτῃ τῇ Πανεάδι τῶν τοῦ Ἰορδάνου πηγῶν ἡ ἑτέρα τίκτεται δυοῖν οὐσῶν. Vides *Paneadem* urbem vocari, in qua fons Jordanis oriebatur ex geminis alter, qui & *Paneas* dictus. Stephanus in voce Καισάρεια. Ἔστι καὶ Παλαιστίνης, καὶ τρίτη πρὸς τῇ Πανεάδι. A simulacro, vel templo Panis sic dictam autumat Philostorgius. Simulacrum Panis τὸ Πάνειον, ut Ἴσιον, Ἀσκληπιεῖον. Ὀλυμπιεῖον. Ab illo Πάνειον, urbs Πανεάς. Alii etiam scripsere Πάνιον, ut Ὀλύμπιον. Hinc spelunca Panis, Stephano, & aliis Πάνιον. Et Πανίαι βῆσσαι Æschylo. Et Πάνιος δαίμων apud Hesychium. Certè ὁ Πάνιος, & Πάνειος dicebatur. Inde & τὰ Πάνεια Æneas Græcus auctor dixit, quæ alii τὰ Πανικά. Ab illo Πάνιον Ptolemæo Καισάρεια Πανιάς appellatur, nisi mendum sit, ac legi debeat, ut apud alios Πανεάς. Josepho Πανεὰς de urbe dicitur, quam instauratam à Philippo Tetrarcha scribit, & Καισάρειαν nominatam in gratiam Cæsaris. Inde Καισάρεια Πανεάς. At Πανιὰς apud eumdem de provincia scribitur. Aliis tamen etiam Πανεὰς regio appellatur, nec video, quæ ratio sit differentiæ. Plinius lib. v. cap. XVIII. de urbibus Decapolitanæ Syriæ: *intercursant, cinguntque has urbes tetrarchiæ, regionum instar singulæ, & in regna contribuuntur, Trachonitis, Paneas, in qua Cæsarea cum supradicto fonte, Abila, Arca, Ampeloessa, Gabe.* Heic *Paneadem* vocat regionem, sive tetrarchiam, in qua urbs Cæsarea, quæ & Paneas cognominata est. At suprà idem fontem Paneadem vo-

C cavit, & nomen oppido dedisse ait: *Jordanis amnis oritur è fonte Paneade, qui cognomen dedit Cæsareæ, de qua dicemus.* Hoc loco de ea dicit, sed cognominis hujus non meminit. Fort scribendum: *Paneas, quæ & Cæsarea, à supra dicto fonte.* Sane de Cæsarea dicturum promisit, cui cognomen dedit fons Jordanis Paneas, nec alibi mentionem ejus facit. Locum corruperunt, qui putabant de provincia, sive regione eum loqui. Atqui & Abila, & Arca, & Ampeloessa, & Gabe, urbes sunt, quas regionum instar singulas fuisse scribit, & in regna contributas sub nomine tetrarchiarum. Ptolemæus Arcam, & Cæsaream Paneadem Phœnicæ tribuit. In Phœnice singu-
D læ urbes totidem erant regna. Strabo: τὸ παλαιὸν μὲν οὖν οἱ Ἀράδιοι καθ' αὑτοὺς ἐβασιλεύοντο παραπλησίως, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων ἑκάστη πόλεων τῶν Φοινικίδων. Abila urbs tetrarchia. Mentio apud Lucam Λυσανίου τετραρχοῦντος Ἀβιληνῆς. Hæc est Ἄβιλα, ἐπικληθεῖσα Λυσανίου apud Ptolemæum, ut jam observarunt viri docti. Herodes Magnus Philippo reliquit Paneada & Trachonitin, cum Batanea, & Auranitide, ut eas haberet nomine tetrarchiæ. Sic plures tetrarchiæ in unam coalitæ. Nam Paneas, & Trachonitis duæ tetrarchiæ juxta Plinium. Ubi Paneas
E de urbe potest intelligi, quæ tetrarchia fuit separata cum ea, quæ circa urbem erat, regione. Antipæ, sive Herodi Galilæa, & Peræa pro tetrarchia relicta est eodem Herodis Magni testamento Josepho teste. At Archelao dignitas Regia cum Judæa, Samaria, & Idumæa. Ἐθνάρχην eum appellatum dicit Josephus, priusquam Regium nomen illi confirmatum esset ab Augusto. Reliqui duo τετράρχαι tantum dicti. Et fallitur vir magnus, qui tres eos Ἐθνάρχας fuisse vult, ac dictos esse. Salomæ porro sorori tres urbes assignant Azo-
F ton, Jamniam, & Phasaëlida. Τοπαρχίαν vocat Josephus. Judæam cis Jordanem in decem toparchias divisam fuisse scribit idem Plinius. Συνέδρια Josephus appellat. De quibus nos alibi. Quod ad tetrarchiæ nomen attinet, fallitur si quis putat tetrarchiam esse quatuor provinciarum, aut oppidorum principatum. Ut ex Plinio constat, vel singulæ urbes in Phœnice, ac Syria fuere tetrarchiæ. Propriè tamen ea vox significavit quaternorum simul in una eademque provincia, vel gente principatum. Cum regio aliqua, vel natio à quatuor viris regitur, singuli dicun-
G tur tetrarchæ, & singulorum administratio τετραρχία. Sic τελάρχαι sunt triumviri. Hujusmodi tetrarchas habuit Galatarum natio, qui in Asia sedes posuere. Universa gens in tres populos fuit divisa, moribus, institutis & lingua similes. Singuli porro populi in quatuor partes distributi, quarum unaquæque proprium habuit τετράρχην. Inde igitur τετράρχαι dicti, quod quatuor essent in unaquaque gente. Vide Strabonem lib. XII. Singulæ etiam μερίδες dicti τετραρχίαι. Isidorus: *Tetrarchæ sunt quartam partem regni tenentes, nam tetrapes quatuor sunt: qualis fuit apud Judæam Philippus.* Quatuor certe

A certe hæredes univerſæ dominationis, quam obtinebat, inſtituit Herodes Magnus, quorum unus Ἐθνάρχης & βασιλεὺς dictus, cui maximam partem reliquit, duo τετράρχαι, quarta, quæ ſoror fuit, aliquot urbium habuit τοπαρχίαν. Difficile tamen eſt aliquid tale ſtatuere, ſecundum veram nominis rationem, in Syriæ & Judææ tetrarchiis. Olim fortaſſe ita fuerit, ſed poſtea mutata ſunt dominia, & plures ſæpe tetrarchiæ in unam junctæ. Sic nomen remanſit, mutata ditionis, ac dominationis forma. Verùm de his alibi pluribus. Ut ad Paneadem redeamus, urbem eam Cæſaream à Philippo vocatam, cum antea Paneas diceretur, ſcribere Joſephum ſupra diximus.
B At Philoſtorgius apud Joannem Antiochenſem contra ea ab Herode Magno conditam aſſerit, vocatamque Cæſaream Philippi, quæ poſtea dicta eſt Paneas. Olim autem appellatam fuiſſe Dan. Nugatur. Cæſarea Philippi ea eſt, quam condidit Philippus tetrarcha ad fontes Jordanis, quæ & Πανεὰς, & Καισάρεια Πανεὰς eſt appellata. Joſephus: φίλιππος δὲ Πανέαδα τὴν πρὸς ταῖς πηγαῖς τοῦ Ἰορδάνου κατασκευάσας, ὀνομάζει Καισάρειαν. At Cęſarea quam condidit Herodes Magnus, *Stratonis turris* antea dicebatur. Plinius: *Stratonis turris, eadem Cæſarea ab Herode Rege condita, nunc Colonia prima Flavia à Veſpaſiano Imperatore deducta.*
C Ptolemæo Καισάρεια Στράτωνος. Joſephus Καισάρειαν appellat, eamque deſcribit lib. xv. cap. XIII. Et ſitam eſſe ait in Phœnice, inter Joppen, & Dorum oppidum, κατὰ τὸν εἰς Αἴγυπτον παράπλουν. Ibidem Σεβαστὴν ſimpliciter vocat: ἐπὶ τούτοις δὲ ὢν καὶ τῆς Σεβαστῆς ἤδη πεπολισμένης. At lib. XVI. cap. IX. Καισάρειαν Σεβαστὴν nominat. *Cæſaria* vocatur in Tabula Peutingeri prope Apolloniam. Alia Σεβαστὴ in Samaria ab eodem Herode poſita, cujus Plinius meminit lib. V. cap. XIII. Ptolemæus Σεβαστὴν vocat. Strabo Σαμάρειαν prius dictam aſſerit ab Herode: Καισάρειαν καὶ Σαμάρειαν, ἣν Ἡρώδης Σεβαστὴν ἐπωνόμασε. Sed hæc alibi.
D Idem Joſephus Πανιάδα urbem vocat cap. XIII. lib. XV. Καὶ Πανιάδα, καὶ τὴν περιξ χώραν. In Paneade urbe fontes Jordanis eſſe tradit Philoſtorgius. Hinc Paneas fons ipſe Jordanis Plinio, & Solino. Hieronymus Jordanem fontes in vico Dam habere dicit, qui in quarto Paneadis milliario eſt euntibus Tyrum. At Philoſtorgius Δὰν oppidum, & Πανιάδα eamdem facit, ut olim Δὰν, poſtea Cæſarea, poſtremo Πανεὰς, una eademque urbs vocata fuerit. *Cæſarea Paneas* dicitur in Tabula Peutingeri.

Regiones præterfluit amœniſſimas] Plinius: *amnis amœnus, & quatenus locorum ſitus patitur, ambitioſus, accolíſque ſe præbens velut invitus. Aſphaltiten lacum dirum natura petit, à quo poſtremo ebibitur.* In libris ſcriptum eſt, *petat.*
E Vitioſa interpunctione patet locum eſſe corruptum. Lego, ac diſtinguo: *& quatenus locorum ſitus patitur, ambitioſus, accolíſque ſe præbens, velut invitus Aſphaltiten lacum natura dirum petat, à quo poſtremo ebibitur.* Elegantiſſime. Dicit Jordanem non recto curſu petere lacum Aſphaltiten, à quo ebibitur, ſed ambitioſum eſſe, & accolis præbentem ſe, & inſinuantem, moras quærere, veluti invitus petat lacum illum natura dirum, quo laudatas ſuas aquas perdit peſtilentibus mixtas. Sic de neotericis aliquis eleganter dixit Sequanam amnem, cum Lutetiam Pariſiorum petit, recto curſu vadere,
F veluti properet inviſere magnam urbem; exinde flexuoſis & ambitioſis ire meatibus, quaſi moras nectat, & invitus relinquat orbis illam epitomen. De Jordanis fontibus, & curſu non pigeat adſcribere verba Philoſtorgii, quæ apud Joannem Antiochenſem περὶ ἀρχαιολογίας ad hunc modum leguntur: ἐν ταύτῃ τῇ Πανεάδι τῶν τοῦ Ἰορδάνου πηγῶν ἡ ἑτέρα τίκτεται δυοῖν οὖσαιν Δὰν ἐκ τοῦ παλαιοῦ ὀνόματος ἔτι καὶ νῦν ὀνομαζομένη. Τὴν γὰρ ἑτέραν ἧλις Ἰὸρ ἐπικαλεῖται πόῤῥωθεν αὐτῆς, ὡς ἀπὸ σταδίων ρξ κολωνός τις τοῦ αὐτοῦ παρίησιν ὄρους, ὧν ἐξ ἑκατέρας προχεῖται ποταμὸς, ὁ μὲν Ἰοράτης, ὁ δὲ Δανίτης ἐπικαλούμενος, οἳ διὰ τοῦ ὄρους
G ἐνεχθέντες ἐπειδὴ καταβαῖεν εἰς τὸ πέδιον, ἐνταῦθα ἤδη ξυνίασιν, καὶ ἕνα μέγιστον ἀποτελοῦσι ποταμὸν τὸν Ἰορδάνην, ἐν ταύτῳ ἤδη τό τε ῥεῦμα, καὶ τὴν προσηγορίαν κιρνάμενος, ὃς τὴν τῆς Τιβεριάδος διέξεισι λίμνην μέσην τέμνων αὐτὴν, καὶ δι' ὅλης αὐτῆς ἐν τῷ οἰκείῳ ὅρκῳ ῥεόμενος μέχρις ἂν ἐπὶ τὴν κατέναντι ἐκπεράσειε γῆν ἴσος αὐτὸς ἑαυτῷ καὶ παραπλήσιος ὢν, κἀντεῦθεν ἤδη διὰ τῆς Παλαιστίνης ἐνεχθεὶς ἅπας εἰς τὴν νεκρὰν καλουμένην εἰσπεσὼν ἀφανίζεται θάλασσαν. Nuſquam alibi tam accurata Jordanis extat deſcriptio, quia verò Philoſtorgii hiſtoria periit, & liber Joannis Antiochenſis nondum eſt editus, dignus hic de Jordane viſus locus, quem adſcriberemus.

Pag. 47. A. *Aſphaltites gignit bitumen, animal non habet, nihil in eum mergi poteſt*] Ex Plinio, ut omnia: *Aſphaltites nihil præter bitumen gignit, unde & nomen: nullum corpus animalium recipit, tauri, camelique fluitant, inde fama nihil in eo mergi.* Pro illis Plinianis, *nullum corpus animalium recipit*, Solinus ſcripſit, *animal non habet*, quod longè alia mente dictum eſt. Nullum corpus animalium recipere Aſphaltiten dicit Plinius, quia quum cameli, taurique in eo fluitent, quæ maxima ſunt ejus regionis animalia, palam eſt nullum corpus animalium eo lacu recipi, ſed omnia attolli & ſuſtineri. Nam ſi maxima corpora in eo non mergantur, multo magis & minora. Hæc mens Plinii. Animal non habere eum lacum accepit Solinus, quod nec piſces nutriat, nec aſſuetas paludibus aves. Idque etiam verum eſt. Tacitus: *neque vento impellitur, neque piſces, aut ſuetas aquis volucres patitur.* Ita Plinii verba intellexit noſter. Diodorus lib. XIX de Aſphaltite lacu: τὸ δὲ ὕδωρ ἔχει διάπικρον, καὶ καθ' ὑπερβολὴν δυσῶδες, ὥστε μήτ' ἰχθὺν δύνασθαι τρέφειν, μήτ' ἄλλο τῶν καθ' ὕδατος εἰωθότων ζώων. Quæ ad verbum expreſſa Tacito. Juſtinus lib. XXXVI de Aſphaltite: *mortuum mare dicitur: nam neque ventis movetur reſiſtente turbinibus bitumine, quo aqua omnis ſtagnatur: neque navigationis patiens eſt, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur.* Vita carentia in profundum recipiebat, non corpora animalium viva. Aquam illius lacus bitumine ſtagnari ſcribit Juſtinus, non ea verbi notione, quod à *ſtagnum* deducitur, unde & *ſtagnantes aquæ*, ſed longè alia ſignificatione. *Aqua ſtagnatur* bitumine, quæ munitur, & firmatur, induraturque. Hoc ſignificat & *ſtagnare.* Ἄσφαλτον Grammatici ἀπὸ τοῦ ἀσφαλίζειν derivant. Quo fortaſſe reſpexit Juſtinus. Idem libro ſequenti de Mithridate, *quod metuens antidota ſæpius bibit, & ita ſe adverſus inſidias exquiſitis tutioribus remediis ſtagnavit, ut ne volens quidem ſenex veneno mori potuerit.* Ubi *ſtagnavit* eſt munivit, ἠσφάλισεν. Gloſſæ: *ſtagnat*, γναθοῖ, στομοῖ. Στομῶσαι eſt indurare. Unde στόμωμα ferrum duriſſimum, quod *aciarium* vocabant. Eædem Gloſſæ: *ſtagno*, περιπεταλῶ, γανῶ, λιμνάζω. Et duæ heîc ejuſdem verbi notiones diverſæ. Nam *ſtagno*, λιμνάζω, à voce *ſtagnum*, quæ eſt λίμνη. Et *ſtagno*, περιπεταλῶ, & γανῶ à *ſtagnum* quod κασσίτερος Græcis dicitur. Alii *ſtannum* ſcribunt. Hoc eſt ſtagno, ſive ſtanno inducere. Vulgo dicimus *eſtamer.* His tertium addatur *ſtagnare* pro munire, & firmare. Quod à Græco στεγανῶσαι, vel στεγνῶσαι deſcendit. Στεγνῶ, *ſtagno.* Quod στερεῶσαι ſignificat, σφίγξαι, πυκνῶσαι. *Stagnum* quoque de palude ex Græco στεγνὸν. Nam Siculi dicebant σταγνὸν. Recentior porro Latinitas *ſtangare* pro *ſtagnare* dixit, tranſpoſitis literis. Apud Sammonicum in veteribus libris ita ſcriptum eſt lemma: *ad medendam rejectionem cibi, & ſanguinem ſtancandum*, Ubi *ſtangare*, vel *ſtancare* eſt στεγνοῦν, & ſanguinem ſiſtere, ne fluat. Eodem planè modo poſterior Græciſmi ætas στάγον uſurpavit ἀντὶ τοῦ στάγνον Latina voce. Gloſſæ: στάγνος, *ſtannum*, κασσίτερος. Sic *ſtangare*, vel *ſtancare* pro *ſtagnare*, στεγνῶσαι. Atque hæc hactenus. Ἀσφαλτῖτις Heſychio exponitur ἐρυθρὰ θάλασσα. An ſcribendum, νεκρὰ θάλασσα. Nam *mortuum mare* vocabatur ille lacus. Philoſtorgius: εἰς τὴν νεκρὰν εἰσπεσὼν ἀφανίζεται θάλασσαν. Et hujuſmodi omnes grandes lacus maria dicebantur. Hebræi lacus vocant maria. Hinc in Euangeliis θάλασσα τῆς Τιβεριάδος de lacu Tiberiadis, & paſſim θάλασσα pro lacu. Lucas λίμνην ſemper vocat, quam alii θάλασσαν, de Genneſara. Hinc *mariſcum*, id eſt, parvum mare dixit infima Latinitas de palude.

Tauri etiam, camelique impune fluitant] An non ſatis erat dixiſſe, *tauri etiam camelique fluitant?* Ita Plinius: cur illud *impune* additum? Certè ſi fluitant, non merguntur. Si non merguntur, ſine noxa ſunt. Tauri, camelique in Aſphaltite lacu impune fluitant. An aliqua animalia vel in ea, vel in aliis aquis fluitant non impune? Immo ubicunque fluitant, hoc faciunt ſine periculo, & impune. Plinius: *tauri, cameliqne fluitant, inde fama nihil in eo mergi.* Scripti libri hoc loco Solini legunt, *fluvitant.* Ἀρχαϊκῶς. Nam & *fluvo* dicebant, ut *pluvo.* Unde *fluvius* & *pluvia.*

Eſt

Est & lacus Gennesara] Mirum quod in omnibus Solinianis exemplaribus sine ulla varietate scribitur, *est & lacus Sara.* Et auctoris hanc manum fuisse vel ex indice constat ab ipso concinnato, in quo legitur: *Judæa, in ea mira de lacu Sara, de Balsamo, de Sodoma & Gomorra.* An auctores habuit, qui sic vocaverint? Non puto. Omnes vocant *Gennesara.* Straboni Γεννησαρῖτις λίμνη. Hujus & in Euangelio mentio. Plinius: *in lacum se fundit, quem plures Genesaram vocant* XVI. M. P. *longitudinis*, VI. *latitudinis.* In optimo Rigaltiano codice scriptum: *quem plures Gentesaram vocant.* In corruptum exemplar fortasse incidit Solinus, ac legit: *quem plures gentes Saram vocant.* Quod puto verissimum. Plures *Gennesaram* vocare ait Plinius, quia *Taricheam* aliqui vocabant. Idem paulo post: *amœnis circumseptum oppidis, ab oriente Juliade & Hippo, à meridie Tarichea, quo nomine aliqui & lacum appellant.* Male in libris *Tarachea*, aut *Trachea.* Nec melius ex Strabone corrigunt, *Tarichia.* Immo corrigendus Strabo potius, ἐν δὲ ταῖς καλουμέναις Ταριχέαις, ἡ λίμνη μὲν ταριχείας ἰχθύων ἀστείας παρέχει. Non rectum est, quod editur, ἐν δὲ ταῖς καλουμέναις Ταριχείαις. Urbs Judææ ad Gennesaram Ταριχέαι Straboni, Plinio Tarichea, Ταριχέα. Multæ urbes hoc nomine appellatæ, ἀπὸ τῆς Ταριχείας, sed Ταριχέαι, non Ταριχεῖαι dictæ sunt discriminis gratia. Nam ταριχεῖαι conditurae sunt piscium, & salsuræ, at Ταριχέαι, urbes, ubi ejusmodi ταριχεῖαι plurimæ. Stephanus: Ταριχέαι πόλεις πολλαί. Αἱ μὲν Μενδήσιαι, αἱ δὲ Σκιωνικαί, αἱ δὲ Κανωβικαί. Οἱ πολῖται Ταριχευταὶ παρὰ τὸ ταριχεύω. Καὶ ὤφειλε διὰ διφθόγγου. Certè nomen illarum urbium scribi deberet per diphthongum ει. Nam Ταριχεῖαι, non Ταριχέαι dicendæ essent. Sed ad distinctionem ita obtinuit. Sequitur: ἔστι καὶ Ταριχέα, καὶ ἑνικῶς, καὶ πληθυντικῶς λεγομένη πόλις τῆς Ἰουδαίας, ὡς Ἰώσηππος. Hæc est, de qua nunc agimus, quæ & Ταριχέαι & Ταριχέα, cujus ἐθνικὸν Ταριχεάτης. Inde & lacus Gennesara Ταριχέα appellatus, διὰ τὸ πλείστας ταριχείας παρέχειν. Sic Ταρίχεια τὸ πρᾶγμα, Ταριχέα urbs.

Circumseptus urbibus plurimis] Ita Plinius: *amœnis circumseptum oppidis.* In optimo Regio: *circumsepsus.* In altero æquè vetusto, *circumsensus.* Apparet scripsisse *circumcessus.* Quod in aliis libris disertè formatum est.

Salubris ingenuo æstu] Ita scripsimus scripturam omnium librorum, & antiquarum editionum revocantes, ac renovantes. Nam ita & Camertis editio planè scriptum exhibet. Cur aliis editoribus placuit mutare, ac legere, *salubris ingenuo haustu*? Quod nihil est. *Ingenuus æstus*, ἐμφυτὴ θερμασία. Ita loquitur noster. Suprà de Æthiopia: *Mons editus mari imminet ingenuo igne per diem fervidus.* Ἐμφύτῳ πυρί. *Ingenuum signum* Ausonio pro ingenita, & nativa nota. Plinius de Tiberiade: *ab occidente Tiberiade aquis calidis salubri.* Solinus *ingenuo æstu salubrem* dixit, quam Plinius *aquis calidis salubrem.* Et notanda insignis hallucinatio Solini, qui lacui tribuit, quod Plinius oppido. Solinus scribit lacum Tiberiadis omnibus Judææ lacubus anteponi, salubrem ingenuo æstu. Hoc Plinius de urbe Tiberiade, quæ ad lacum Gennesaram posita est, dixit his verbis, quæ clara sunt. De Gennesara autem lacu loquitur: *amœnis circumseptum oppidis, ab Oriente Juliade & Hippo, à meridie Tarichea, quo nomine aliqui & lacum appellant: ab Occidente Tiberiade aquis calidis salubri.* Inter oppida, quibus circumseptum dicit lacum Gennesaram, aperte numerat oppidum Tiberiadem ab Occidente lacus situm, in quo oppido aquas fuisse tradit calidas, & ad usum medicinæ efficaces. Et ridiculum sane est de immenso lacu, qualis erat Tiberiadis, unde & θάλασσα τῆς Τιβεριάδος vocatur apud Joannem, ut calidas aquas habuisse dicatur. Ubi aquæ illæ calidæ in lacu? An totus lacus calentes habuit aquas? Nugæ nugacissimæ. De Solino id non mireris, cui talia sollemnia sunt. In Camerte viro diligentissimo mirum est, qui ad hunc locum notavit Plinium facere mentionem Tiberiadis lacus lib. v. cap. xv. Atqui nusquam ibi meminit Tiberiadis lacus, sed oppidi Tiberiadis ad lacum Gennesaram siti. Peccant etiam largiter, qui lacum Tiberiadis diversum faciunt à lacu Gennesara. Ingens ille lacus cum multis & celebribus oppidis circumsideretur, varia inde nomina sortiebatur, à meridie Taricheam

A habebat, unde aliqui *lacum Tarichea* appellabant: ab occidente Tiberiadem, hinc Tiberiadis lacus dictus est. Et notandum lacum Tiberiadis dici, ut ab oppido nomen sumpsisse palam sit. Sic lacus Lemannus, *Genevæ lacus*, & *Lausannæ lacus* vulgo cognominatur. Joanni in Euangelio vocatur θάλασσα τῆς Τιβεριάδος, Philostorgio λίμνη τῆς Τιβεριάδος. Quod non ita dicitur, ut πόλις Ῥώμης, πόλις Ὀρχομενοῦ. Norunt Græce periti, quid ibi valeat articulus appositus. Ptolemæo tamen etiam Τιβεριὰς λίμνη appellatur, & Pausaniæ Τιβερὶς λίμνη. Impropriè, nam urbs hoc nomen habebat. Stephanus: Τιβεριὰς πόλις τῆς Ἰουδαίας πρὸς τῇ Γεννησαρί-
B τιδι λίμνῃ. Ita & Γεννησαρῖτις appellabatur hic idem lacus à regione Gennesara, cujus apud Matthæum & Marcum mentio, καὶ διαπεράσαντες ἦλθον εἰς τὴν γῆν Γεννησαρέτ. Ab ea igitur parte, qua regionem Gennesaram attingebat, dictus est *Gennesarites* lacus ab eo latere, quo Tiberiadem oppidum habebat, vocabatur lacus Tiberiadis. Ubi Taricheam adpositam habuit. Τῆς Ταριχέας λίμνην aliqui appellarunt. Sic Copaïs lacus in Græcia à circumjacentibus oppidis varia cognomina nactus erat. Strabo: καὶ τό γε παλαιὸν οὐκ ἦν τῆς λίμνης κοινὸν ὄνομα, ἀλλὰ καθ' ἑκάστην πρὸς αὐτῇ κατοικίαν ἐκείνης ἐπώνυμος ἐλέγετο, Κωπαῒς μὲν τῶν Κωπῶν, Ἁλιάρτιος δὲ
C Ἁλιάρτου, καὶ οὕτως ἐπὶ τῶν ἄλλων. Nam & *Orchomenius lacus* dicebatur, & *Alalcomenius*, & pluribus aliis nominibus oppidorum in circuitu ejus sitorum. Sic lacus Lemannus vulgo, & *lacus Genevensis* cognominatur, & *lacus Lausannæ*, ab oppidis. Illud porro Solini longè absurdissimum de calentibus aquis lacus Tiberiadis, qui & perperam lacum hunc Tiberiadis à Gennesara lacu, quem Saram vocat, secernit, quum idem sit.

Successit Hiericus, & hæc desivit Artaxerxis bello subacta] Ita libri nostri, quos sequuti sumus. Vulgo erat: *& hæc desiit caput esse Artaxerxis bello subacta.* Solinia-
D num est *desivit, ut obivit, exivit, abivit*, & similia. Mirum porro est, quod heîc tradit Hierosolymam caput fuisse Judææ, sed excisam esse. Huic successisse Hiericuntem, sed & hanc desivisse Artaxerxis bello subactam. Nonne hæc monstris similia sunt? Hierosolyma Vespasiano excisa. Ergo usque ad Vespasianum caput fuit Judææ. Post Hierosolymam tamen vult Hiericuntem incœpisse id esse, quod fuerat Hierosolyma, caput Judææ nimirum, quæ & ipsa desierit caput esse, postquam Artaxerxis bello subacta est. Mirabilem nugatorem! Fontem tamen, fundumque hujus hallucinationis quum quæsivissem, videor re-
E perisse. Plinius de Asphaltite lacu Judææ ita scribit: *prospicit eum ab Oriente Arabia Nomadum, à Meridie Machærus secunda quondam arx Judææ ab Hierosolymis.* Pro Machærunte Solinus more suo substituit Hiericuntem. Hoc sexcentis aliis locis fecit. Verba deinde Plinii, quibus Machærus dicitur secunda arx Judææ fuisse ab Hierosolymis, ita accepit quasi Machærus in locum Hierosolymorum successisset, & arx, sive caput Judææ ab Hierosolymis excisis esse cœpisset. Legerat autem alicubi Hiericuntem bello Artaxerxis subactam & eversam fuisse. Hinc illa horribilis exerratio de urbe Hiericunte capite Judææ facta post Hierosoly-
F mæ excidium. Quod autem Plinius dicit Machæruntem secundam arcem Judææ fuisse ab Hierosolymis, non id significat, successisse in locum Hierosolymorum, & caput Judææ post eam extitisse, sed arcis fortissimæ in Judæa nomen habuisse post Hierosolymam, & secundo loco habitam, cum Hierosolyma primum teneret. Strabo Μαχαιροῦντος meminit inter arces & γαζοφυλάκια τῶν τυράννων Judææ. Ἦν δὲ δύο μὲν τὰ τῆς εἰσβολῆς ἐπικείμενα τοῦ Ἱεριχοῦντος, Θρήξ τε καὶ Ταῦρος, ἄλλα δὲ Ἀλεξάνδριόν τε καὶ Ὑρκάνιον, καὶ Μαχαιροῦς, καὶ Λυσιάς, καὶ τὰ περὶ τὴν Φιλαδελφίαν, καὶ ἡ περὶ Γαλιλαίαν Σκυθόπολις. Stephanus: Μαχαιροῦς φρούριον τῆς Ἰουδαίας. Apud Stra-
G bonem, Ἱερικοῦς nomen est vallis tantum, non oppidi in Judæa, quasi tunc urbs non amplius extaret. Ita & apud Justinum & alios. Ptolemæo tamen inter urbes Judææ Ἱεριχοῦς recensetur. Hieronymus tractatu de locorum Hebraïcorum interpretatione subversam à Jesu dicit, & instauratam ab Oziam de Bethel, eamque Dominum nostrum sua prædicatione ac præsentia dignatum esse. Sed & hanc eo tempore, quo Hierosolyma

oppu-

oppugnabatur à Romanis, propter civium perfidiam captam, ac destructam fuisse. *Pro tertia*, inquit, *ædificata est, quæ hodie permanet.* Ceterùm Judææ caput eam unquam extitisse, vel post, vel ante Hierosolymæ expugnationem, nusquam lectum, nec verum est.

Callirhoe Hierosolymis proxima, fons calore modico probatissimus] Sic legimus, ac distinximus auctoribus libris. Antea legebatur: *Callirhoe Hierosolymis proximus fons.* Verum hoc parvi, illud majoris momenti, quod hunc fontem Hierosolymis proximum heîc facit Solinus, qui ad meridiem fuit Asphaltitis lacus longè utique ab Hierosolymis. Plinius de Asphaltite: *prospicit eum ab Oriente Arabia Nomadum, à Meridie Machærus, secunda quondam arx Judææ ab Hierosolymis. Eodem latere est calidus fons modicæ salubritatis Callirhoe, aquarum gloriam ipso nomine præferens.* Eodem latere, meridionali scilicet, Asphaltitis lacus fons ille Callirhoe. At quia præcessit de Hierosolymis mentio licet obiter atque in re alia, inde putavit, aut sibi finxit noster fontem illum proximum esse Hierosolymis. An falsa interpunctione deceptus est, quod sic distingueret. *A meridie Machærus secunda quondam arx Judææ. Ab Hierosolymis eodem latere est calidus fons.* Ne sic quidem possit excusari. Vides ubique sui similem esse.

Pag. 47. B. *In hac terra balsamum nascitur*] Ita plures, melioresque nostri. In aliis erat: *in hac terra tantum balsamum nascitur.* Quod ex altera editione sumptum est. Et Plinium sequebatur: *omnibus odoribus præfertur balsamum uni terrarum Judææ concessum.* Dioscorides etiam Ægypto concessum scribit. Pausanias & Arabiæ. Hinc noster in posteriore mutavit, ac rescripsit: *in hac terra balsamum nascitur.* Nugacissimus in plerisque, & præcipuè in externis auctor Pausanias balsami arbores in Arabia serpentibus custodiri, qui & earum lacrima victitent. Certè silvas Arabum odoriferas serpentibus refertas esse Agatharchides, & ex eo Plinius referunt, sed de balsamo fabulæ. Idem tradit τὸ βάλσαμα κατὰ μυρσίνης θάμνον magnitudine esse, & folia habere herbæ sampsuchi. Plinius tam suos Romanos, quam externos falsa de eo prodidisse narrat, *quippe viti similiorem esse quam myrto.* Strabo lib. XVI φυτὸν θαμνῶδες vocat, κυτίσῳ ἐοικὸς καὶ τερμίνθῳ. Justinus ait *arbores opobalsami formam similem piceis arboribus habere, nisi quod sunt humiles magis, & in vinearum morem excoluntur.* Ibi libri veteres legunt: *formam similem specie arboribus habent.* Scribendum ajo: *piceæ arboribus.* Sic *piceæ arbores* vocat, ut *opobalsami arbores.* At *piceas arbores* vix probem. Theophrastus de balsamo: τὸ δὲ δένδρου μέγεθος μὲν ἡλίκον ῥόα μεγάλη. Dioscorides postremo de ea arbore sic scribit: τὸ μὲν δένδρον κατὰ μέγεθος λευκοΐου ἢ πυρακάνθης βλέπεται. Quod ad magnitudinem attinet balsami, multis, ac diversis potest arboribus adsimilari, de forma ac specie non item. Sed instar habere violæ albæ, τοῦ λευκοΐου arbore balsami non video qua ratione dici queat. Corrigunt vulgo: κατὰ μέγεθος λυκίου ἢ πυξακάνθης. Quod non probo. Cum λύκιον & πυξάκανθα idem sint, cur diceret λυκίου ἢ πυξακάνθης? Denique cum πυρακάνθης retineant omnes libri, mutari non debeant. Nos eam vocem, fruticemque primo redonavimus Dioscoridi aliquot locis, unde exturbata fuerat summo consensu ab omni medicorum consessu. Scribit Dioscorides mespilum spinosam similem esse τοῖς φύλλοις πυρακάνθῃ. Perperam ibi emendant πυξακάνθῃ. Quod stare non potest. Docuimus suprà πυράκανθαν Dioscoridi appellatam, quam vulgo *albam spinam* vocamus, quamque ipse Dioscorides alibi vocat ὀξυάκανθαν. De ea pyracantha heîc quoque intelligendum. Hujus meminit & Plinius, sed pyrrhacantham dicit, hoc est, πυῤῥάκανθαν, quasi rufam spinam, ut λευκάκανθαν, vel à colore ligni, quod interdum rufum est, vel à fructu. Alias πυράκανθα dicta videretur, quasi πυρίνη ἄκανθα, ab acumine urentium pungentiumque spinarum, unde & ὀξυάκανθα appellata est κατ' ἐξοχήν. Atque ita Dioscorides, & melius sic scribitur. Auctor Actuarii scolymum, quod genus est cardui, appellatum etiam tradit πυράκανθαν, ubi malè etiam reponunt πυξάκανθαν, quod prorsus caret ratione. Ab acumine urentium spinarum sic vocarunt scolymum. Sed videtur ea recentium Græcorum supinitas, qui fruticum, & herbarum nomina plerum-

A que confundunt, sola ὁμωνυμίᾳ compulsi, qua culpa ne veteres quidem ipsi caruere. Pyracantham igitur, quod spinosi fruticis, vel arboris nomen est, de herba aculeata usurparunt. Sic chamæleontem nigrum, genus aliud cardui, κυνόξυλον quoque vocatum idem auctor asserit. Atqui κυνόξυλον nomen est fruticis, quem κυνόσβατον alii etiam dixere, alii κυναξυλίνην. Inde obrepsit neotericis hæc confusio, quia veteres Græci κύναρον, sive κύναραν ἄκανθαν tam de frutice cynosbato, quam de herba, sive carduo dixerunt. Nam & κύναραν de carduo usurpant, quam recentiores κίναραν magis vocant. Aristoteli κυνάκανθα dicitur una voce, qui aliis cynosbatos. B Et Plinius ex eo: *Cantharides vermiculi ficorum, & pyri, & peuces, & cynacanthæ, & rosæ.* An cynorrhodon, & cynosbatos idem sint, alii viderint, aut nos alio tempore. Similiter & in pyracantha accidit. Ὀξυάκανθαν Græci veteres ita vocarunt, quæ est alba spina nostra, genus fruticis aculeati. Quam & Græci recentiores λευκάκανθαν dixere. At scolymum, quod folia habeat spinæ albæ, quæ herba est, similia, quidam etiam λευκὴν ἄκανθαν dixere, ut ante notavimus. Hinc πυρακάνθης nomen, quod albæ spinæ fruticis proprium est, ad herbam aculeatam idem nominis juxta quosdam habentem C transtulerunt. Hoc in aliis sexcentis fecere. Πυράκανθα igitur hoc loco alba est spina, frutex aculeatus, quam & ὀξυάκανθαν vocarunt. Ut λύκιον heîc pro λευκόϊον reponi patiar, ita πυξάκανθαν legi pro πυρακάνθῃ non sinam. Folium porro balsami rutæ simile esse Theophrastus & Dioscorides testantur. Quod verum esse confirmat ex recentioribus Marinus Sanutus lib. III. parte XIV, qui & in Ægypto nasci asserit: *arbuscula*, inquit, *illa est, sicut lignum vitis trium annorum, folium vero quasi parvi trifolii, vel sicut rutæ, albiora tamen.* Pausanias sampsucho folium habere simile narrat, scriptor in plerisque mendax, & futilis, & præcipuè ex- D ternis. Plinius in editis sequitur Theophrastum, & Dioscoridem, cujus hæc verba sic leguntur: *folium proximum rutæ, perpetua coma.* Sed omnes ejus scripti codices aliud tinniunt, in quibus magno consensu legitur: *folium proximè tuberi.* Non potest hæc varietas nisi ipsius auctoris esse. Unde enim *tuberi* pro *rutæ* librarii expiscati fuissent correctores? Ita & prima editio. In Andræana correctum est *rubet.* Sed tubera, inquies, foliis carent. Non tubera, sed tuberes intelligit, qui malorum genus sunt ex Africa in Italiam allatum novissimis Augusti temporibus, ut ex eodem Plinio constat lib. XV. cap. XIV. Sed *tubures* ibi scribunt optimi libri hoc in loco: *Tuburum* E *duo genera, candidum & à colore sericum dictum.* Nec aliter habent codices, quos vidimus, apud Martialem:

Non tibi de Libycis tubures & apyrina ramis,
De Nomentanis sed damus arboribus.

Eos tubures volunt esse, quos vulgo appellamus *nucipersica.* Sed falluntur. Forte etiam & Plinius, qui genus tuburum alterum sericum vocari prodidit, quum Græci fere omnes zizypha sic appellata tradant. Auctorem suum non est assequutus Plinius, de utroque genere exponentem, & tuburibus attribuit, quod ille de zizyphis dicebat. Lexicon Iatricon vetus, ζίζυφα τὰ Συρικά. Columella lib. IX. cap. IV zizyphum albam, F & rutilam facit. Ergo duo genera zizyphorum candidum, & sericum. Quod perperam ad tubures transtulit Plinius. *Sericum*, vel *Syricum* idem quod rutilum à colore. Sic accipiendum apud Propertium:

Syrica nam taceo Volsi carpenta nepotis,

id est, syrico pigmento miniata. Doctissimi Dioscoridis interpretes sericum genus zizyphorum putant esse idem, quod candidum à colore, & candore serici. Ineptè. Ceterum balsami arboris tria genera facit Plinius, quæ ita recenset: *arboris tria genera: tenui & capillacea coma, quod vocant eutheriston: alterum scabro aspectu,* G *incurvum, fruticosum, odoratius, quod trachy appellant: tertium eumeces, quia est reliquis procerius lævi cortice.* Dioscorides hæc brevius: διαφέρον αὐτὸ ἑαυτοῦ τραχύτητι, καὶ μήκει, καὶ ἰσχνότητι. Λέγεται γοῦν τὸ λεπτὸν, καὶ τριχῶδες τοῦ θάμνου θεριστὸν ἴσως διὰ τὸ εὐχερῶς θερίζεσθαι ἰσχνὸν ὄν. Tertium illud genus Dioscoridis, quod ἰσχνὸν, & τριχῶδες esse dicit, Plinius tenui, & capillacea coma describit. Magno errore: nec enim hic Græcorum sensus est. Non τριχῶδες dicitur, quod tenuem, & capillaceam habet comam, sed

quod surculos tenues, & capillaceos. Coma arborum, & herbarum de folio dici solet. Et Plinius ipse ibidem sic accepit, cum balsamo perpetuam comam tribuit: *folium proximum tuburi, perpetua coma*, ἀειθαλὲς. Solinus de balsamo: *sempiternis foliis perpetuo inumbrantur.* Horatius:

---- redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comæ.

Nihil vulgatius, aut tralaticium magis. Si balsamum folia habet rutæ similia, quomodo capillacea ea esse possunt? Nec enim rutæ talia. Herbarum quædam sunt genera, quibus folium capillaceum, ut fœniculum. Græci τριχόφυλλα vocant, quæ & τριχώδη dici queant. Sic fœniculo de foliis simile esset hoc genus balsami. Quod falsum est. Præterea quum balsami arbores tribus generum differentiis discernantur, quod εὐμήκες dictum est, non propter folia longiora hoc nomen invenit, sed à proceritate fruticis. Quod ex his τραχὺ appellatum est, non ab asperitate foliorum hanc appellationem habuit, sed ab incurvo, & aspero, scabroque cortice. Similiter & tertium illud genus, quod ἰσχνὸν & τριχῶδες nominat Dioscorides, non propter tenuia, & capillacea folia sic appellasse censendum est, sed propterea quod virgas, ac surculos tenues, ac τριχώδεις haberet. Et clarè hoc indicat Dioscorides, quum τὸ λεπτὸν, καὶ τριχῶδες τοῦ θάμνου, θερισὸν appellatum dicit, quod in frutice tenue, & capillaceum existit. Non igitur coma tenuis, & capillacea, sed frutex. Postremo θερισὸν ideo vocatum tradit, διὰ τὸ εὐχερῶς θερίζεσθαι ἰσχνὸν ὄν, quod præ gracilitate facilius tondeatur, qui talis sit. At comæ in balsamo & folia non tonderi, aut amputari solebant, sed surculi supervacui. Ῥαβδία vocat Theophrastus. Plinius ipse: *tondetur similiter fruticans, & rastris nitescit.* More vitis ait tonderi, similiter fruticantem. Tondetur quod in eo fruticat, & multo quidem facilius, quod ἰσχνότερον & τριχωδέστερον. Unde εὐθέρισον hoc genus appellatum. Nec dixerit quis frondosam summitatem balsami arboris, quæ attondetur, comam ab eo appellari. Certè & comam pro fronde passim auctores ponunt, & præcipuè poëtæ:

Ille comam mollis jam tum tondebat acanthi.

Nam acanthus perpetuo viret. Et *laurus sacra comam* apud eumdem. *Coma* aut folium, aut frons, ἡ φυλλάς. Et vocem comæ ibidem pro foliis posuit, quum perpetuam comam balsamo tribuit, sed τὸ ἰσχνὸν fruticis balsami nihil ad folium, aut frondem pertinet, sed solam virgarum, aut surculorum fruticis tenuitatem spectat. Fundus erroris Pliniani in eo versatur, quod ex malè acceptis Græcis Dioscoridis verbis tria genera constituit balsami, quorum uni propria, ac peculiaris fuerit tenuis, & capillacea coma. Etenim hac comæ capillacea tenuitate à ceteris generibus hoc tertium genus vult distingui, quod εὐθέρισον inde sit appellatum. Longe aliud voluisse Dioscoridem facilè potest ostendi. Verba ejus iterum heîc videamus de arbore balsami: διαφέρον αὐτὸ ἑαυτοῦ τραχύτητι, καὶ μήκει, καὶ ἰσχνότητι. λέγεται γοῦν λεπτὸν καὶ τριχῶδες τοῦ θάμνου θερισὸν, ἴσως διὰ τὸ εὐχερῶς θερίζεσθαι ἰσχνὸν ὄν. Non tria genera huic arbori esse dicit, ut perperam Plinius accepit, quorum unum εὐμήκες dictum sit, alterum τραχὺ, alterum εὐθέρισον, sed arborem balsami semetipsa præstantiorem esse, asperitate, proceritate, & tenuitate. Διαφέρον αὐτὸ ἑαυτοῦ, id est, αὐτὸ ἑαυτοῦ κρεῖττον, αὐτὸ ἑαυτοῦ βέλτιον. Glossæ Græcorum: διαφέρει, προέχει, βέλτιόν ἐστιν, ὑπερέχει: διαφερόντως, ἐξαιρέτως. De re in suo genere præstantissima Græci dicunt, αὐτὸ ἑαυτοῦ βέλτιον εἶναι. Quæ semetipsam bonitate superat. Tunc balsamum igitur αὐτὸ ἑαυτοῦ διαφέρον ἐστὶ, cum procerum est, & aspero cortice, & surculis, sive sarmentis tenuibus, & capillaceis. Διαφέρειν hoc sensu passim ponitur apud Dioscoridem. Κινναμώμου ἐστὶ πλείονα εἴδη ἐπιχωρίως ὀνομαζόμενα, διαφέρει δὲ τὸ Μόσυλον, *sed excellit Mosylum dictum*. Idem: Κόστος διαφέρει Ἀραβικὸς λευκὸς ὢν καὶ κοῦφος. Et omnibus locis. Sic αὐτὸς ἑαυτοῦ διαφέρων idem quod αὐτὸς ἑαυτοῦ κρείττων. Nam & διαφέρων τινὸς, *alicui præcellere* tralaticium. Josephus lib. v. cap. x. Εἶχε γύναιον εὐμορφίᾳ προὔχλεπτον, καὶ τῶν καθ' αὐτὸ διαφέρον. Idem Dioscorides de balsamo: ἑαυτοῦ χείρων γίνεται. Tralaticia hæc loquutio apud Græcos. Herodotus: ἐπειδὰν ἄρισα αὐτὴ ἑαυτῆς ἔχῃ. In uno igitur

A eodemque balsamo frutice, ut præcipuæ sit bonitatis, hæc tria inesse debent, τὸ τραχὺ, τὸ μῆκος, καὶ τὸ ἰσχνὸν, ut sit αὐτὸς ἑαυτοῦ διαφέρων. Nullæ itaque generum differentiæ in ea arbore, vel ex mente Dioscoridis, vel ex ejus verbis induci queant, idque vel hoc unum, quod sequitur, clarissimè indicat: λέγεται γοῦν λεπτὸν, καὶ τριχῶδες τὸ θάμνου θερισὸν διὰ τὸ εὐχερῶς θερίζεσθαι ἰσχνὸν ὄν. Non dicit aliquod genus, aut speciem hujus arboris vocari εὐθερισὸν, sed τὸ λεπτὸν, καὶ τὸ τριχῶδες τοῦ θάμνου, quod in frutice balsami gracile est, & capillaceum, sic appellari. Sarmenta igitur, quæ amputabantur, ac tondebantur, sic vocabant, διὰ τὸ εὐχερῶς θερίζεσθαι. Ea porro quam
B tenuissima, & τριχώδη esse debebant in genere fruticis hujus præstantissimo, cujus & proceritas requirebatur, & asperitas, τὸ εὐμήκες καὶ τὸ τραχύ. Malè Marcellus τὸ λεπτὸν καὶ τριχῶδες vertit *tenue & comosum*. Quod ex Plinio imitatus est, qui *capillaceam comam* reddidit. Aliud *coma*, aliud *capillus*, τρὶξ καὶ κόμη. *Comosum* est πολύφυλλον, & πολύκομον. *Capillaceum*, τὸ τριχῶδες, quod instar est capilli tenue, & gracile. *Comas* in vitibus poëtæ appellant frondes, quæ amputantur. Virgilius:

---- tunc stringe comas, tunc brachia tonde.

Idem de alia arbore:

---- posuitque comas & brachia ferro
C *Olim arbor.*

Græci κομᾶν, χλοηφορεῖν similiter interpretantur. Comæ, sive frondes in balsami frutice, haud secus atque in vite tondebantur, sed τὸ τριχῶδες τοῦ θάμνου de gracilitate sarmentorum, ac surculorum accipiendum, & nihil ad comam facit. Etenim Theophrastus, & Dioscorides, aliique omnes, τὴν κόμην passim vocant tam arborum, quam herbarum folium. Ipse Plinius *comam* alibi hoc sensu semper posuit. Ceterùm eum tria balsami arboris genera cogitasse, cum scripsit *arbori tria genera*, locus ejus vel mediocriter intelligenti lectus
D indicabit. *Tertium genus*, inquit, *eumeces, quia est reliquis procerius, lævi cortice.* An non ex his clarum est de tertio genere balsami intellexisse, quod reliquis generibus duobus procerius esset, & scabro minus cortice, quam illud genus, quod τραχὺ dicebatur? At viri docti, qui verba illa, *arbori tria genera*, de xylobalsamo interpretantur, non sunt audiendi. De xylobalsamo paulo post loquitur: *& sarmenta quoque in merce sunt. DCC sestertio amputatio ipsa, surculique veniere intrà quintum devictæ annum. Xylobalsamum vocatur, & coquitur in unguentis.* Sic legendum eum locum infrà docebimus. Surculi, & sarmenta tantum, quæ ex balsamo arbore
E amputabantur, *xylobalsami* nomine veniebant. Nec hujus plura genera, nisi quod aliud magis exile alio, & hoc præstantissimum. Theophrastus: εὔοσμα δὲ σφόδρα καὶ τὰ ῥαβδία, καθαίρειν γὰρ καὶ τοῦδε ἕνεκα καὶ τοῦ διαφόρως πωλεῖσθαι τιμῆς: *Odoratæ etiam impendio virgæ. Ea propter amputantur, & ampliore pretio vaneunt.* Et paulo post: συμπαν δὲ δοκεῖν εἶναι τοῦ μὴ μεγάλα γίνεσθαι τὰ δένδρα, καὶ τὴν τῶν ῥαβδίων, διὰ γὰρ τὸ πολλάκις ἀποκείρεσθαι, ῥάβδους ἀφιέναι. Ex hac τῶν ῥαβδίων, & surculorum amputatione xylobalsamum. Dioscorides: τόδε ξύλον, ὃ καλεῖται ξυλοβάλσαμον, δόκιμόν ἐστι τὸ πρόσφατον, καὶ λεπτόκαρφον, probari dicit recens, & tenui surculo. Non igitur arbor bal-
F sami, cujus tria genera facit Plinius de xylobalsamo sumenda. Dioscorides δένδρον similiter vocat, quod ait διαφέρειν τραχύτητι, καὶ μήκει, καὶ ἰσχνότητι, & separat ἀπὸ τοῦ ξυλοβαλσάμου, cujus inferius alio loco meminit. Profecto tantum differt ξυλοβάλσαμον, καὶ τὸ δένδρον βαλσάμου, quantum surculi, aut virgulæ de arbore amputatæ ab ipsa arbore differunt. Arbor balsami, cui tria genera assignat, est τὸ δένδρον βαλσάμου. Ex his tribus generibus primam bonitatem adjudicat τῷ τραχεῖ, secundam τῷ εὐμήκει, novissimam τῷ εὐθερίσῳ. Hoc planè collegisse videtur ex ordine verborum Dioscoridis, qui bal-
G sami fruticem commendari ait τραχύτητι, καὶ μήκει, καὶ ἰσχνότητι. Quod si alios auctores sequutus est quam Dioscoridem in his tribus generibus arbori balsamo assignandis, magnopere eos à Dioscoride dissensisse oportet, à cujus mente longè discessit Plinius, sed puto illum ex Dioscoridis verbis non intellectis eam sententiam collegisse. Quod ei novum non est aut rarum. Ut ξυλοβάλσαμον porro de ligno, ὀποβάλσαμον de succo dici trita res est, sic & βάλσαμον proprie de arbore. Justinus

Justinus tamen inversa vice *opobalsamum* pro arbore posuit, *balsamum* pro lacrima. Sic enim scribit: *in ea silva est, & ubertate, & amœnitate insignis, siquidem palmeto, & opobalsamo distinguitur.* Ubi & manifesto *opobalsamum* est arbor. Nam & quibusdam in libris scriptum est: *palmeto, & opobalsameto distinguitur.* Et ibidem: *opes genti ex vectigalibus opobalsami excrevere, quod in his tantum regionibus gignitur.* Et hesc *opobalsamum* de arbore. Nec enim lacrima sola vectigalis, sed tota arbor, ligno, cortice, pomo, & succo. Et clarius paulo post: *arbores opobalsami formam similem piceæ arboribus habent.* Balsamum vero de succo propriè usurpat: *hæ arbores certo anni tempore balsamum sudant.* Vides arborem *opobalsamum* ei vocari, lacrimam vero *balsamum*. At omnium auctorum χρῆσις contra est, qui balsamum quidem & pro lacrima ponunt sæpe, sed nusquam ὀποβάλσαμον pro arbore, quo magis id in Justino mirandum. Quis enim neget ὀποβάλσαμον esse ὀπὸν τοῦ βαλσάμου δένδρου, ut ὀποπάναξ est ὀπὸς τοῦ πάνακος? Sic ξυλοβάλσαμον lignum ejusdem arboris vocabatur, quod & in pretio erat. Videor tamen & observasse apud Theophrastum ὀποβάλσαμον pro arbore lib. IV. cap. VI. Οἷον ὅτε λιβανωτὸς, καὶ ἡ Σμύρνα, καὶ κασία, καὶ τὸ ὀποβάλσαμον, καὶ τὸ κινάμωμον. Inter arbores odoriferas, & exoticas plane ibi nominare videtur ὀποβάλσαμον, nisi mendum sit. Potest tamen & pro succo accipi. Nam alibi passim βάλσαμον idem vocavit arborem ipsam.

Quæ silva intra terminos viginti jugerum ante victoriam nostram stabat] Ex Plinio habet, quem tamen non sequitur in plenum. Duobus hortis in Judæa nascebatur balsamum, utroque regio: *altero jugerum viginti, non amplius, altero pauciorum.* Ita Plinius. Ergo plus quam viginti jugera habebat silva balsami, priusquam Romani Judæa potiti sunt, nam alter ex duobus hortis hac pedatura censebatur. Theophrastus, à quo Plinius sumpsit: παραδείσους δ' εἶναί φασι δύο μόνους, τὸν μὲν ὅσον εἴκοσι πλέθρων, τὸν δ' ἕτερον πολλῷ ἐλάττονα. Straboni Ἱερικοῦς planities est undique montibus in theatri faciem clausa, in qua φοινικὼν erat palmetum, sed aliis arboribus distinctum plurium generum, palmis tamen magis abundans, ἐπὶ μῆκος σταδίων ἑκατόν. Stadium tria jugera continet, sic φοινικὼν ille trecentum fuerit jugerum longitudinis. Addit Strabo, ἔστι δὲ αὐτοῦ καὶ βασίλειον, καὶ ὁ τοῦ βαλσάμου παράδεισος. Incertum utrum ad φοινικῶνα, an ad πεδίον Ἱερικοῦντος referri debat. In valle Hiericuntis palmetum illud fuit, in palmeto regia, & hortus balsami. Nam φοινικὼν ille διάῤῥυτος, καὶ μεστὸς κατοικιῶν. Sed melius ut ad vallem referatur, in qua illud βασίλειον, ut & palmetum, & balsametum. Josephus lib. XVII. cap. XV de Archelao: ἀνοικοδομεῖ δὲ καὶ τὸ ἐν Ἱεριχοῦντι βασίλειον ἐκπρεπῶς. De valle Hierichunte intelligit, meminitque ibidem τοῦ πεδίου φοίνιξιν πεφυτευμένου. Theophrastus eam vallem αὐλῶνα vocat. Justinus vallem esse dicit, *quæ continuis montibus, velut muro quodam, ad instar castrorum clauditur.* Hæc est vallis Hiericus. *In ea silva est ubertate, & amœnitate insignis, siquidem palmeto, & opobalsamo distinguitur.* Silva illa palmis, & balsamis distincta est ὁ φοινικὼν Strabonis. In eo igitur phœnicone, sive palmeto horti illi duo Regii fuere balsami silva nobiles, quorum alter viginti πλέθρα continebat, alter paulo pauciora, Theophrasto teste. Πλέθρον Græcorum non est jugerum, sed jugeri pars dimidia. Hero: τὸ ἰούγερον ἔχει πλέθρα δύο. Auctor incertus de limitibus: *primum agri modulum fecerunt quatuor limitibus clausum figuræ quadratæ similem plerumque centum pedum in utraque parte, quod Græci plethron appellant.* Πλέθρον itaque centum pedes tam in latum, quam in longum habebat. At ἰούγερον Herone teste ducentos pedes philetærios in longum habebat, centum in latum. Qua re fieri necesse est, ut jugerum altero tanto majus fuerit quam plethrum. Hero: τὸ ἰούγερον ἔχει πόδας φιλεταιρείους μήκους μὲν σ' πλάτους δὲ ρ'. Ἰταλικοὺς δὲ τὸ μὲν μῆκος πόδας σμ', τὸ δὲ πλάτος ρκ'. Itaque quod Græcis πλέθρον, Latini actum quadratum appellant, qui undique finitur pedibus Italicis centum viginti. Bætici *arapennem* vocabant. Hic actus duplicatus jugerum faciebat. Sic hortus ille major τῶν εἴκοσι πλέθρων Theophrasti, decem tantum jugerum fuit, non viginti, ut perperam reddit Plinius, qui hortum minorem

A pauciorum jugerum fuisse scribit. At Theophrastus πολλῷ ἐλάττονα. Et certè multo minorem fuisse oportet, qui singulos tantum balsami congios omnibus annis reddebat, quum major ille senos impleret. Qua proportione si major hortus decem jugerum fuit, minor non plus habuerit quam unius jugeri spatium & trientis. Strabo τὸν φοινικῶνα Hiericuntis vallis, in quo & balsametum fuit, centum stadia longum esse tradit, hoc est, trecenta jugera. At Justinus universæ valli ducentûm tantum jugerum spatium tribuit his verbis, quæ sic emendari jubemus: *est namque vallis, quæ continuis montibus, velut muro, ad instar castrorum clauditur. Spatium loci* B *ducentûm jugerum Hiericus dicitur.* Male in editis legitur: *spatium loci ducenta jugera, nomine arcus dicitur.* Indubitata emendatio, de qua frustra ambigebat vir doctus, qui & malebat scribere: *viginti jugerum.* Quod fieri non potest. Ille φοινικὼν vallis Hiericuntis, cujus partem faciebat eamque non magnam balsametum, centum stadiûm erat longitudinis juxta Strabonem, vel, quod idem est, trecentûm jugerum. Atqui illud palmetum pars fuit etiam totius vallis. Quis ergo credat totam vallem non plus spatii habuisse quam viginti jugerûm?

At cum Judæa potiti sumus.] In aliis: *ubi Judæa potiti eramus.* Quod ex altera editione est.

C *Ubi luci illi propagati sunt.*] Ineptè, & improprie *lucos* dixit de fruticetis, & arbustis. Quod idem est, ac si quis vineta lucos appellaret. Balsami arbor frutex, & viti similis, cujus proceritas intra bina cubita subsistit. At *luci* ingentium tantum arborum, & ferè alicui numini sacri, & incædui. Notant Grammatici, ubicunque Virgilius *lucum* ponit, sequi etiam consecrationem, Ut,

Luco tum forte parentis,

& alibi passim. Et lucos dictos quidam Servio teste asserunt, quod ibi lumina accenderentur causa religionis. *Lucus Silvani* apud Plautum. Auctor de limiti- D bus: *tertius Silvanus dicitur Orientalis, cui est in confinio lucus positus.* Græci ἄλσος. Glossæ: *lucus*, ἄλσος. Hesychius: ἄλση τεμένη. Sic vocant loca arboribus consita, & consecrata. Ita Latini *lucos* silvas religione sacras, nec poëtæ tantùm, sed omnes qui propriè loquuti sunt. Plinius lib. XVII. cap. ultimo: *idem Cato arbores religiosas, lucosque succidi permisit sacrificio prius facto: cujus rei rationem quoque eodem volumine tradidit.* Arbores dixit religiosas, quia non omnes tales. At *lucos* absque epitheto, quia omnes sacri, & qui *lucus* dicitur propriè sacra silva est. Cato eo loco, quem E Plinius designat: *lucum conlucare Romano more sic oportet. Porco piaculo facito.* Quia igitur sacri erant, non licebat eos conlucare nisi sacrificio prius facto, quod in profana silva non requirebatur. Sed quid est conlucare lucum, vel arborem? Plinius ex Catone interpretatur *succidere.* Succidi arbor dicitur, cum cæditur funditus, & evertitur. Ita Plinius ipse loqui solet, ut lib. XVI. cap. XII. *Postea tota arbor succiditur, & medulla ejus uritur.* Theophrastus eo loco, quem Plinius reddidit: τὰ δὲ τοιαῦτα διὰ τὴν ὑποτομὴν ἐκκόπτειν δένδρα, καὶ αὐτοὺς ἐξαιρεῖν τὴν καρδίαν. Idem lib. eodem cap. XXXIX. *Fuitque arbor illa fatalis excidio urbis præmonita oraculo, cum* F *arbor arma peperisset: quod succisa accidit ocreis galeisque intus repertis.* Theophrastus: οὐ ἐκκοπέντος. Sed totum illum Theophrasti locum, quem Plinius expressit, quia in vulgatis prodigiose corruptus est, hic obiter emendabimus. Sic igitur legendus spuriis, ac superfluis resectis: ὥσπερ καὶ περὶ τὸν κότινον συνέβη τὸν ἐν Μεγάροις, τὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ. Οὗ καὶ ἐκκοπέντος, λόγιον ἦν ἁλῶναι καὶ διαρπασθῆναι τὴν πόλιν, ὥσπερ ἐγένετο. Ἐν τούτῳ γὰρ διασχιζομένῳ κνημῖδες εὑρέθησαν, καὶ ἄλλ' ἄττα οὐ ἀνετέθη τὸ πρῶτον ἐγκοιλιασθέντα. Plinius: *Megaris diu stetit oleaster in foro, cui viri fortes affixerant arma, quæ cortice ambiente ætas longa occultaverat.* Alibi emendationis nostræ reddam ratio- G nem. Nunc aliud agendum. Succidere igitur arborem est ἐκκόπτειν, & funditus excidere. At *conlucare* Grammatici non de succisione, & eversione totius arboris exponunt, sed de sola frondium decisione. Festi abbreviator: *conlucare dicebant, cum profanæ silvæ rami deciderentur officientes lumini.* Ne hoc quidem licebat in sacris silvis, hoc est, lucis fieri, nisi sacrificio prius facto, tantum abest, ut totos everti, ac succidi fas esset. Ovidius:

Sen

Seu mea falx ramo lucum spoliavit opaco,
Unde data est teneræ fiscina frondis ovi.

Incædui prorsus erant luci, vèl sacræ silvæ, nec ramum, aut frondem fas erat inde decidere, nisi facto sacrificio, quo facinus istud expiarent. Ut totus vero lucus exscinderetur, nullo piaculo poterat fieri satis, quo tantum scelus purgaretur. Sed & ex precatione sacrificii, quod fieri solebat ad conlucandas arbores sacras, facile constat, *conlucare* non esse succidere. Verba ejus apud Catonem sic concipiuntur, quæ & Plinius fatetur legisse: *Si Deus, si Dea es, cujum illud sacrum est, uti tibi jus siet porco piaculo facere, illiusce sacri coërcendi ergo.* Quæ verba hoc significant: sive Deus, sive Dea es, cujus est arbor illa sacra, vel lucus, uti jus sit tibi porco piaculo facere, hoc est, porcum piacularem mactare illiusce sacri luci coërcendi causa. Forte etiam scripserat *coinquendi*, in cujus verbi locum reposita est glossa. Coërcendi igitur tantùm, non succidendi sacri nemoris veniam petebant hac precatione. Quare *coërcere*, & *conlucare* idem, hoc est, ramos superfluos, & nimis luxuriantes, ab afflatu, aut à sole obstantes, ac lumini etiam officientes deputare, ac decidere. Quod & *coinquere* propriè dicebant in sacris silvis, vetusto ad hanc rem verbo. Festus: *coinquere, coërcere.* Et alio loco: *coinquere, deputare.* Sexcentis locis apud Plinium, & Columellam *deputari* vites & arbores dicuntur, quarum superflui reciduntur, aut aridi rami. Ovidius de Nuce:

Non mihi falx nimias Saturnia deputat umbras.

Græcis ad verbum ἀποκαθαίρεσθαι. Et simplex *putari* pro eodem, id est, purgari, & καθαίρεσθαι. *Putare vites, & arbores* dicebant; quod Græci καθαίρειν. Theophrastus de balsamo: εὔοσμα γὰρ σφόδρα καὶ τὰ ῥαβδία. Καθαίρειν γὰρ καὶ τοῦ γ' ἕνεκα, *ea putare ejus rei gratia.* Unde & *amputare*, circum putare. Hoc idem significat & *coinquere*, quod & *quinquere* scribebant, idque purgare exponit Sosipater: *à quinquendo, id est, purgando.* Festus, *deputare*, quod idem est. Sed falluntur illi Grammatici: nam propria sui notione contrarium planè significat hoc verbum. Contaminare quippe, & violare, & impurum facere denotat. *Coinquo* vetus, unde παράγωγον *coinquino*, ut *trico, tricino: vagor, vaginor: lurcor, lurcinor: sentio, sentino*, & similia sexcenta. Simplex, *inquit*, quodam Varronis loco apud Nonium, pro *inquinat. Ut in grege opilio oves minus idoneas removere solet, quas reiculas appellat: sæpe enim unus puer petulans, atque impurus inquit gregem puerorum.* Sic *inquo*, & *inquino: coinquo*, & *coinquino.* Hæc cum ita sint, reapse tamen, & effectu idem *coinquere*, quod deputare, vel purgare, licet contrariam habeat significationem. Quod enim in profanis arboribus, & silvis *putare* dicebant & *purgare*, hoc in religiosis arboribus & lucis *coinquere*, id est, violare, & contaminare propriè vocabatur. Quippe cum nihil ex his omnino liceret amputari, aut recidi, quæ religione sacræ, & intactæ essent, si quando ferro tangerentur, piaculum committebatur. Ideo non erat permissum eas putare, & conlucare nisi piaculari sacro prius facto. Et quamvis revera putarentur ejusmodi arbores sacræ, vel luci, quum fluentes supra modum rami, vel officientes lumini recidebantur, hoc tamen facto *coinquebantur*, & contaminabantur, quia res erat sacra, quam attingi sine piaculo non licebat. Ea propter piaculo opus erat, ut fas esset eam *coinquere*, & contaminari sine noxa posset, & cum bona venia ejus Dei, sive Deæ, cui sacra haberetur. Grammatici igitur, qui illud *coinquere* purgare, & putare interpretantur, ad effectum rei potius respiciunt, quam vim & notionem verbi. Utraque certe significatio heîc locum habebat. Quia enim sacræ, & religiosæ non aliter deputari poterant, nisi & coinquerentur; immo putatione ipsa coinquebantur, hinc *coinquere*, & *deputare* in hac re idem. Festus etiam *coërcere* exponit. Et vereor, ut in verbis precationis apud Catonem hæc glossa pro veteri, ac proprio verbo ab imperitis correctoribus reposita sit. Et Cato scripserit: *Illiusce sacri coinquendi ergo.* Cujus interpretamentum est illud *coërcendi*, quod vulgo legitur. Trebatius de Religionibus lib. VII apud Servium, cujus & locum superius attulimus: *Luci, qui sunt in agris, qui novitio capti sunt, hos*

A *lucos eadem cærimonia, moreque coinqui, haberique oportet, ut ceteres lucos, qui in antiquo agro sunt.* Quibus verbis patet *lucos* propriè dici sacras silvas. Lucos in agro nuper capto eadem cærimonia coinquendos esse præcepit, sacrificio nimirum facto piacularis porci, quo luci in antiquo agro coinqui, & coërceri, sive conlucari solebant. Mirumque, nescivisse Plinium, quid esset conlucare lucum, aut arborem religiosam, qui succidere id interpretatur. Atqui *conlucatio* idem quod *interlucatio*, qua voce ipse Plinius utitur eodem libro capite præcedenti: *Interlucatio arboribus prodest, sed omnium annorum trucidatio inutilissima.* Ubi perperam *interluca-*
B *tionem* accipiunt ἀφαίρεσιν τῶν ἄυων, de qua apud Theophrastum. Immo *interlucatio* est διακάθαρσις ejusdem Theophrasti, amputatio, qua vivi rami, sed supervacui reciduntur. Quod satis ostendit Plinius, quum dicit interlucationem quidem prodesse arboribus, sed annuam trucidationem esse inutilissimam. Trucidatio vivorum est, non aridorum. Sed annuam eam fieri non vult, nec nimiam, ne trucidatio potius sit quam interlucatio, vel supervacuorum putatio. Idem lib. eodem cap. XXIII. *Deputantur cum vite pariter interlucata densitate ramorum, qui sint supervacui, & absumant alimenta.* In quibus vides *interlucationem*, ac *deputationem*
C eamdem esse, vivorum nempe ramorum amputationem. Διακάθαρσιν vocat Theophrastus eo loco, quem Plinius expressit, qui habetur de causis V. cap. XXI. Καὶ μᾶλλον ἐὰν δή τις μὴ κατὰ καιρὸν ἢ τούτοις, ἢ τῇ διακαθάρσει, ἢ τῇ σκαπάνῃ χρήσηται. Nam apud eumdem hæc verba paulo superius habentur eodem capite: ἔνια γὰρ καὶ τῶν οἰκείων καὶ συνεργούντων ἐὰν πλείω συνενεχθῇ τοῦ συμμέτρου, ἢ ἰσχυρότερα ἢ μὴ κατὰ καιρόν. Quæ sic Plinius ibidem ad verbum reddidit: *in primis autem cavendum, ne ex remediis vitia fiant: quod evenit nimia, aut intempestiva medicina.* Exempla deinde subjicit interlucationis, & fimi, quæ θεραπεῖαι
D prosunt arboribus, sed etiam nocent, si nimiæ sint, aut intempestivæ dentur. Theophrastus similiter τὴν κόπρον καὶ τὴν διακάθαρσιν in exemplum adfert. Ergo διακάθαρσις *interlucatio* Plinio. Quotannis faciendam non esse admonet, ne trucidatio sit inutilissima. At τῶν αὔων ἀφαίρεσις, aridorum, & cremiorum demptio non solum quotannis, sed etiam quotidie, & in singula momenta utilis, nec ullo tempore nocet. Theophrastus, postquam præcepit τὴν τομὴν, καὶ τὴν διακάθαρσιν non semper, nec in omnibus arboribus annuam esse adhibendam, subjungit, ἀλλὰ μόνον τό γε συνεχὲς ἐν τῇ τῶν αὔων ἀφαιρέσει ποιεῖσθαι. Proinde interlucatio non est ἡ τῶν αὔων
E ἀφαίρεσις, sed διακάθαρσις, quam ἐπίπονον esse διὰ πληγὰς idem auctor dicit, cum nulla plaga, aut vulnus inferatur arbori τῇ τῶν αὔων ἀφαιρέσει. Hæc eadem & *putatio*, ut κάθαρσις quoque Theophrasto. Nec Plinius putationem ab interlucatione separavit his verbis, quæ paulo post sequuntur: *ac ne raduntur quidem, nisi vere putatione plagæ ad vitalia sunt omnia quæcunque non supervacua.* Libri habent *plaga*, & *radiantur.* Lege, ac distingue: *ac ne eradicantur quidem nisi vere. Putatione, plagæ ad vitalia omnia sunt quæcunque non supervacua.* Eradicantur arbores, quarum veteres radices resecantur, ac tolluntur. Ῥιζοτομεῖσθαι hoc vocat Theophrastus. Plinius *eradicari.*
F In putatione, *omnia ad vitalia plaga esse* dicit, *quæ non supervacua*, hoc est, vitalia arboris lædere, ac vulnerare, quæcunque resecantur, nisi superflua sint. Mira porro loquutio, *omnia plaga esse ad vitalia*, pro, omnia plagam habere ad vitalia. Sic ferè, *domus sanie dapibusque cruentis.* Et illud Flori: *strictis ensibus per viam fuit*, id est, strictos enses habuit. *Plaga ad vitalia*, ἡ ἕλκωσις εἰς τὸ βαθύτερον, quæ vitalia arboris sauciat. Sic de balsamo: *ferroque lædi vitalia odit.* Et eodem libro, quo suprà de caprificatione: *cum macie corticis ex ægritudine adstringente se, justoque plus vitalia comprimente.* Ita putatio, & interlucatio eadem. Et *interlucare* quidem propriè
G sit, cum hinc inde inter arboris ramos supervacua quæque, & inutilia leguntur, ut amputentur, quod *putare* est. Qua re motus Plinius videtur *conlucare* de totius arboris succisione accepisse. Cum enim *interlucatio* sit τῶν μερῶν ἀφαίρεσις, *conlucationem* τὴν τοῦ ὅλου ἀφαίρεσιν, καὶ ἐκκοπὴν significare sibi persuasit. Adde quod Grammatici *conlucare* etiam interpretantur succidere arbores. Festus: *sublucare arbores est ramos eorum supputare, &*

& veluti lucem subtus facere: conlucare autem succisis arboribus locum implere luce. Manifesto heic conlucare exponit pro succidere, quum arboribus succisis locus totus liberatur, ac luce impletur. Atqui idem suprà *conlucare* explicabat, ramos profanæ silvæ recidere officientes lumini. Tales sunt Grammatici plerumque leves & inconstantes. Atqui omnino diversum, succidere arborem, τὸ ἐκκόπτειν, & ramos superfluentes, officientesque lumini recidere. Sanè interdum accidebat, ut in sacra silva non solùm sacrificio prius facto liceret ramos interlucare, & coërcere, sed etiam necesse esset totas arbores succidere, quando nempe fulguritæ erant, quæ & coinqui dicebantur. De his arboribus intelligenda fortasse vetus inscriptio: *earumque arborum adolefactarum, & coinquendarum, & in eo luco aliæ sint reposita.* Non ita tamen accipiendum in eo Catonis loco, quem Plinius designavit, nec de totis arboribus, aut lucis succidendis ibi agitur, sed de ramis superfluis coërcendis, vel coinquendis. Nec obstat, quod sacrum nemus, vel lucum coinquere dixit. Sacer quippe lucus coinqui, & contaminari dicitur etiam cum rami ejus reciduntur superflui. Quod Plinium fefellit. Priusquam hanc exercitationem claudamus, mendum tollendum est, quod hæret in illis verbis, quæ suprà adduximus: *religiosas arbores, lucosque succidi permisit sacrificio prius facto, cujus rei rationem quoque eodem volumine tradidit.* In Rigaltiano habetur: *cujus rationem, rotationemque.* In Thuanæo: *cujus rationem, resationemque.* Scribo: *sacrificio prius facto, cujus rationem, precationemque eodem volumine tradidit.* Apud Catonem verba precationis, quæ huic sacrificio adhibenda est, etiam hodie extant: *ejus rei ergô te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, domo, familiæque meæ, liberisque meis.* Omnibus porro sacrificiis precationem adhibebant, nec unquam victimas cædebant absque precatione. Plinius lib. XXVIII. cap. II. *Quippe victimas cædi sine precatione non videtur referre, nec Deos rite consuli.* Hæc sunt corruptissima, nec sententiam ullam, quæ bona sit, efficiunt. Veteres libri omnes legunt, *non videtur referri adeo rite consuli.* Ita scribendus totus locus: *quippe victimas cædi sine precatione non videtur, referri ad Deos, rite consuli.* Quæ asyndeta sunt Pliniano more. *Non videtur victimas cædi sine precatione,* idem est ac si diceret, *non videmus victimas cædi.* Et hæc loquutio Pliniana est. *Non videtur,* τῶν ἀθεάτων ἐστὶ, non usitatum est. Sic statim sequitur, *vidimusque certis precationibus obsecrasse summos magistratus.* Sequitur: *referri ad Deos, rite consuli.* Non referebant ad Deos, nec eos consulebant sine precatione. Consul ad senatum referebat de republica, qui & senatum consulere dicebatur. Sed heic distinguit *consulere Deos,* & *referre ad eos.* Consulebantur dii de rebus futuris, & eventuris, ut oracula Delphis: referebatur ad Deos de rebus, quæ jam acciderant, ut de portentis, & prodigiis, aliisque ejusmodi, quomodo expianda essent, ac depellenda. Ideo sequitur statim: *præterea alia sunt verba impetritii, alia depulsorii, alia commendationis.* Sic scribenda illa verba, nec bene Turnebus. Nos ad scriptam lectionem propius hac emendatione accessimus. Non victimas cædebant, non referebant ad deos, non rite consulebant sine precatione: sed alia erant verba precationis, cum victimas cædebant, ut extis inquirerent, quod dicebatur *impetritum*: alia, cum sollemne sacrificium faciebant, quo procurabantur ostenta, & fulgura, quod *depulsorium* heic vocat: alia porro, quum aliquid, vel aliquem diis commendabant: alia, quum vota solvebant. Sed hęc alibi. *Precationem sacri* ibidem vocat: *cujus sacri precationem qui solet praire.* Recta igitur nostra emendatio. Ex his porro, quæ in hac exercitatione diximus, constat ineptè, & ἀκυρολόγως Solinum *balsami lucos* heic posuisse, quum de grandioribus tantum arboribus, & consecratis propriè sumatur. *Roborum lucos* Plinius alibi dixit, hoc est, ad verbum δρυμὸς. At *silva* minorum propriè arborum, ut Græcorum ὕλη. Hinc ὑλώδη χωρία, fruticeta, & loca minusculis arboribus consita. Nam & ὑλήματα sunt frutices.

Ut jam nobis latissimi colles sudent balsama] Non colles balsama sudant, sed arbores. Hoc nimis poëticum. Quis enim dixerit montes sudare myrrham, quia myrrhæ arbor in montibus nascitur. Melius poëta:

A *Quid tibi odorato sudantia balsama ligno?*

Ceterùm dicit tantùm Plinius, postquam Judæa in Romanorum potestatem venit, numerosiorem eam arborem factam, quam antea fuerat, nam latissimos colles ea occupatos esse: *seritque nunc eam fiscus: nec unquam fuit numerosior, aut procerior.* Scripserat paulo ante: *& implet colles vinearum modo, quæ sine adminiculis se ipsæ sustinent.* Ubi legebat Dalecampius: *& nunc implet colles,* ex hoc Solini loco. Ineptè. Quasi non & ante victoriam Romanorum colles impleret balsami frutex. Sanè horti illi Regii balsamo repleti in colle videntur fuisse. Hoc tantùm innuit Plinius balsamum colles B amare, ut vineam. Non dubium tamen, quin propagati latè illi frutices fuerint sub Romanis, qui antea viginti aliquot jugerùm spacium dumtaxat occupabant.

Similes vitibus stirpes habent, malleolis digeruntur] Plinius: *quippe viti similior, quam myrto. Malleolis seri dicitur, nuper vincta, ut vitis.* Hæc falsa, &, ut videtur, corrupta: nam sequitur: *& implet colles vinearum modo, quæ sine adminiculis se ipsæ sustinent.* Si sine adminiculis se ipsa sustinet hæc arbuscula, quid opus eam vinciri? Frustra vinciatur, quæ adminiculatione non eget. Nam nec ejus generis vites, quæ per se subrectæ stant, ac sponte se C sustinent, adminiculantur, nec pedamentis alligantur. De quibus vide Plinium. Hujus vitis modo & balsamum per se subsistebat, nec alligabatur. An malleoli, quum serebantur, vinciri solebant? Ne id quidem. Nec enim plures malleoli in satu colligabantur, nisi si in ea serendæ vitis ratione, quam luxuriosam vocat Plinius, atque ita describit: *est & luxuriosa ratio vites serendi, ut quatuor malleoli vehementi vinculo colligentur in parte luxuriosa, atque ita vel per ossa bubuli cruris, vel per cocta fictilia trajecti obruantur binis eminentibus gemmis.* Luxuriosam vocat eam serendi rationem, quia luxuria monstrante inventa fuerat, ut uva vineę sic satę omnium D corporum è diverso genere acinos ferret. Paulo post: *postea fistula fracta radix liberè capit vires, uvamque fert, & omnium corporum acinos.* Scribe ex libris: *uvaque fert omnium corporum acinos.* Vinea sic sata ex quatuor malleolis diversi generis depactis uvam fert, quæ acinos habet omnium corporum suorum. Hæc ergo ratio luxuriosa serendi vites. Sed quid vocat *partem luxuriosam* in istis? *Quatuor malleoli vehementi vinculo colligentur in parte luxuriosa.* Hoc nemo mihi explicaverit. In optimo libro habetur: *luxuriosè.* Puto scripsisse Plinium, *ut quatuor malleoli vehementi vinculo colligentur arte.* Aut E *perartè,* ut *perscitè,* & similia. Quod scriptum erat, ut in veteribus solet compendiosè, *partè.* Inde factum *parte.* At illud *luxuriosè* repetitum ex præcedentibus, aut è glossa irrepsit scioli alicujus, qui luxuriosam hanc serendi vites rationem ideo sic dici interpretatus fuerat, quod perartè inter se malleoli jungerentur. Quod sequitur, non caret etiam vitio: *atque ita per ossa bubuli cruris, vel per cocta fictilia trajecti obruantur.* Quæ sunt illa *cocta fictilia*? Libri habent *colla.* Scribe: *per colla fictilium.* Plinio *fictile* dicitur absolutè de vase fictili. Juvenalis:

---- *condire gulosum*

F *Fictile.*

Sic colla fictilium eumdem usum præstant vinciendis inter se malleolis, quem ossa bubuli cruris, & eadem forma sunt. Sed nihil illa malleolorum colligatio ad hunc locum pertinet, ubi malleolis balsamum seri dicitur, ut vitis. Præterea libri omnes habent *dicta* pro *vincta.* In Rigaltiano codice totus locus ita legitur: *malleolis sedri dicit, nuper dicta ut vitis.* Haud vanè conjecerim scribendum esse: *quippe viti similior est quam myrtis, malleolis digeri nuper dicta ut vitis, & implet colles vinearum modo.* Ita sane interpungendus ille locus. *Digeri* Solinum legisse constat, & adhuc ea scriptura pæ- G ne integra visitur in vestigiorum veterum ductu. *Malleolis digeritur vitis,* quæ in ordinem seritur malleolis. *Pone ordine vites.* Posset etiam legi: *malleolis digeri & nuper docta ut vitis.* Quod verius putarim. Dicit circa illa tempora balsami arbusculam doctam esse seri, ac digeri malleolis, cum antea aliis modis propagaretur. *Docta digeri malleolis,* quæ didicit malleolis digeri, quod antea nesciebat.

Rastris nitescunt.] Liber Delrii, *rastris aratoriis.* Atque ita in schedis Palatinis reperi. In aliis scribitur:

rasoriis rastris. Sed meliores *rastris* tantum agnoscunt. A Addit Delrius, se non arbitrari Catonis *scirpiculas falces* indicari. Sanè nec ego arbitror, haud sane magis quam molas asinarias ejusdem Catonis. Quid enim simile habent rastri aratorii, & falces? Nec magis scio quid ille vocet *scirpiculas falces.* Aliquid esset, si *sirpiculas* dixisset. Cato inter instrumenta vineæ colendæ recenset, quæ villicum habere oporteat, *falces vineaticas* VI, *sirpiculas* V, *falces silvaticas* V, *arborarias* IV. Quum inter falces eas numeret, falcis genus esse oportet. Quinetiam Varro ipse lib. I. de R. R. è Catonis loco illo *sirpiculas* inter falcium genera reponit. Sed unde, aut quales illæ falces? *Rustariæ* dictæ à rustis cædendis: *lumariæ* à lumis: *vineaticæ* à vineis: *silvaticæ* quoque B & *arborariæ*, unde dictæ sint, nomine ipso usum præferunt. *Sirpiculæ* quæ? an à sirpis secandis? *Sirpariæ* sic potius dicendæ fuissent, ut *rustariæ*, & *lumariæ*. Varro fatetur apertum non esse, unde appellationem invenerint *sirpiculæ*. Sic enim ait lib. IV. de L. L. *Et quod apertum, unde falces fenariæ, & adoreæ: & quod non apertum, unde lumariæ falces, & sirpiculæ.* Paulo post tamen idem scribit sirpiculas vocatas à sirpando id est, ab alligando. *Heis*, inquit, *utuntur in vinea alligando fasces, incisos fustes, faculas.* Hoc quale sit, non C satis intelligo. Proprium falcis secare, non alligare. Quis enim falcium usus in alligandis vineis, fascibus, & faculis, incisisque fustibus? Scripserat fortasse Varro: *Sirpiculæ à sirpis, hi à sirpando, id est, alligando.* His sirpis utebantur in vinea, alligando fasces & fustes incisos. Nihil verisimilius quam ita scripsisse. An falces, quibus extrema quæque, ac superflua vinculorum, quibus & fasces & faculas alligabant, hoc est, sirpabant, præsecare consueverant, sic appellarunt? Non puto. Et vera est lectio, quam in Varrone reposuimus. Vix tamen etiam mihi persuadeo sirpiculas à sirpis vocatas esse, nec ullam, quare ita sit, rationem nominis, aut analogiam video. *Sirpiculæ* sunt par- D væ sirpeæ. Latini *sirpos* dicunt τὰ πλέγματα. Hinc ænigmata *sirpi* ab implicatione, pro quibus *scrupos* perperam apud Agellium substituunt. A sirpis, in plaustro *sirpea*, τὸ πλόξιμον. Ovidius:

> ---- *& in plaustro sirpea lata fuit.*

Malè vulgo *scirpea.* Hinc diminutivum, *sirpiculum*, & *sirpicula*, cophinus vimine textus. Propertius:

> *Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.*

Columella in Horto:

> ---- *& cano vimine plexum*
> *Sirpiculum.*

Et apud Lucillium:

> *Tintinnabulum abest hinc, sirpiculaque olerorum.*

Multùm diversæ à falcibus istæ *sirpiculæ*, quæ πλέγματα sunt. Hinc & verbum *sirpare*, τὸ πλέκειν. Quod Varro exponit colligando implicare. Aliud in glossis *serticulum*, quod exponitur, δρέπανον χορτοκοπικόν. Quod tamen fortè scriptum pro *scirpiculum*, vel *sirpiculum.* Sed nec *sirpus* idem quod σχοῖνος, ut perperam autumant viri doctissimi. Nam τὸ πλέγμα potius significat. Si F *sirpus* juncum significaret, non pro ænigmate sumeretur, nihil quippe rectius & enodius junco. Unde proverbium, *nodum in scirpo quærere.* At *sirpi* ænigmata sunt, tota nodis implicata. *Scirpus* quidem juncus est, sed *sirpus* τὸ πλέγμα. Ῥίπες, & ῥίπος sunt πλέγματα. Hesychius, ῥίπεσι, ψιάθοις, πλέγμασιν ἐκ καλάμων. Idem: ῥίπος, ἔδαφος περὶ κοίτην. *Tegeticulam* intelligit. Æoles trajectione ipsis solita dicebant ἵρπος: ut λέχος, ἔλχος. Hinc Latini addito *S sirpus.* Inde igitur & ænigmata *sirpi*, τὰ συμπεπλεγμένα, καὶ γελφώδη, & *sirpare* τὸ πλέκειν. Nihil habent cum his sirpis, & sirpiculis commune falces *sirpiculæ.* Specta imperitiam Latinorum veterum, & peregrinitatem in suamet ipsorum lingua. *Sarpiculæ* prius dicebantur à sarpendo, id est, pu- G tando. Inde *sarpta vinea*, & *sarmenta*, surculi amputati. *Sarpiculæ* igitur falces olim vocatæ, quibus vites putabantur, & arbores. *Sarpas* hodieque vocamus, cujus ἀποκηλευτικὸν *sarpiculæ.* Sic *paviculæ* à paviendo. Glossæ: *paviculæ*, ὁμαλιστῆρες. Inde verbum *paviclare*, ἐδαφίζειν. Postea, ut sollemne fuit Latinis A in I mutare, *serpiculæ* & *sirpiculæ* dictæ sunt pro *sarpiculis. Massalia, Massilia.* Harpaces, Hirpices, qui Græcis ἅρπαγες. Sic cum prius dicerent *domicolium*, postea dixere *domicilium.* Nam *colere* est habitare. Unde *coligo* Arnobio, habitatio. Nec mirum igitur, si dubitavit Varro, unde dictæ essent *sirpiculæ* falces, quas tamen à sirpis, & à sirpando male deducit. Verius autem nomen sirpiculæ ex Græco ἅρπη factum esse, quæ falcem significat. Hesiodus: ἅρπας τε χαραξασθαι, *falces acuere.* Inde *sirpa*, & *sirpicula* diminutivum: ut ἅρπαξ, *sirpex.* Nam & quidam *sirpices* dixere. Hesychius: ἅρπη εἶδος ὀρνέυ, καὶ δρεπάνυ. Idem ἅρπη, ἄνεμον, δρέπανον, ἢ ὀρνέυ εἶδος ὑπὸ Λατίνως. Vocem esse Latinam ἅρπην pro ave nescio. Huic tamen Græcæ dictioni respondet Latina *falco* de genere accipitris. Nam *falco* est ἅρπη. Cretes quoque milvum vocarunt ἅρπετον, id est, falconem. Etenim ἅρπη est falx. Hesychius: Ἄρπετον, ἰκτῖνον Κρῆτες. Ab unguibus aduncis, & falcatis nomen invenere hujusmodi aves. Ab ἅρπη, quod est falx, verbum ἁρπῶ, falce utor. Inde Latinum *sarpo.* Atque inde sarmenta, ut ab *apo* amenta. Idem Hesychius: Ἀρπῶ, ἁρπάζω, δρεπάνῳ κέχρημαι. Valeat porro Delrius cum scirpiculis falcibus, quas easdem facit hoc loco cum rastris aratoriis. Eos porro rastros aratorios, quos libri quidam veteres retinent, non ex glossa venisse, sed ab auctore ipso, & priore ejus editione profectos censeo, & sic appellatos ad distinctionem eorum rastrorum, quibus raditur, & occatur, quod aratum, vel fossum est. De hoc duplici rastrorum genere diximus supra. Fossorios tamen rastros potius dicere debuerat. *Rastellum* Suetonius dixit de parvo rastro fossorio in Nerone: *tubaque signo dato primus rastello humum effodit, & corbulæ congestam humeris extulit.* Rastellum, τὸ ὀρύγιον. Alii igitur occatorii rastri, alii fossorii: sive, ut Solinus vocabat, aratorii. Balsamum rastris nitescere dicit, hoc est, fossionibus, τῆς σκαπάνης. Plinius: *tondeturque similiter fruticans, ac rastris nitescit.* Ovidius:

> *Terraque non rastris, non ulli obnoxia curæ.*

Virgilius:

> *Contra non ulla est oleis cultura, nec illæ*
> *Procurvam expectant falcem, rastrosque tenaces.*

At vites utrumque expectant, & rastros, & falcem, τὴν σκαπάνην, καὶ τὴν τομήν. Æque & balsami arbustum. Bonus Delrius aliud per rastros hoc loco intelligebat, cum falces sirpiculas cogitaret.

Aquis gaudent.] Nostri: *aquas gaudent.* Rectum est, *aqua gaudent.* Nihil de aqua Plinius. Ex Græco igitur hausit. Theophrastus: καὶ τὴν ἐργασίας τῆς περὶ τὸ δένδρον σχεδὸν ταύτην αἰτίαν εἶναι, καὶ τῆς βροχῆς. Βρέχεσθαι γὰρ συνεχῶς. Quæ sic Latine vertunt: *quin etiam ad imbrem cultus ejusmodi causam referunt, quem crebro incidere asseverant.* Hæc nullo modo cum Græcis conveniunt, & falsum est in illis locis imbrem crebro incidere. Nam raro ibi pluit. Præterea ineptum est atque ἄλογον, causam culturæ arboris balsami ad imbrem referre. Frequentes in illis regionibus pluviæ cadunt, ergo diligenter eas arbores colunt. Nihil absurdius. Ingens compendium captabant ex earum arborum cultura indigenæ, ideo tanta cura eas colebant. An non hæc certior, & verior causa est, quamobrem colerentur? Diodorus lib. XIX. Γίνεται δὲ περὶ τὰς τόπους τούτους ἐν αὐλῶνί τινι καὶ τὸ καλούμενον βάλσαμον ἐξ οὗ πρόσοδον ἀδρὰν αὐτοῖς συμβαίνει. Theophrastus postquam dixit sarmenta etiam balsami amputari, quod & odorata essent, & magno vænirent, subjicit: καὶ τὴν ἐργασίας τῆς περὶ τὸ δένδρον σχεδὸν ταύτην αἰτίαν εἶναι καὶ τῆς βροχῆς. Hanc fermè causam esse τῆς ἐργασίας, quæ circa illas arbores impendebatur, καὶ τῆς βροχῆς, compendium scilicet & lucrum. Ἡ βροχὴ pars erat non minima cultus, immo operosissima. Nam assiduè iis aquam aggerebant, quo lætiores provenirent, magisque fruticarent, & sic grandius emolumentum, tam ex lacrima, quam ex amputatione surculorum caperent. Igitur τῆς βροχῆς nomine τὴν ὑδρείαν intelligit, quæ manu fit, non pluviam. Et βρέχεσθαι συνεχῶς arborem balsami dicit, *assidue rigari*, quia φίλυδρον τὸ δένδρον. Strabo locum illum, in quo nascebatur balsamum, διάρρυτον ἅπαντα esse scribit, hoc est, riguis distinctum, & circumfusum. Diodorus de Judæa: ἀγαθὴ δ' ἐστὶ φοινικόφυτος, ὅσην αὐτῆς συμβαίνει διειλῆφθαι ποταμοῖς χρησίμοις ἢ πηγαῖς δυναμέναις ἀρδεύειν. Atqui regio illa Judææ, ubi palmæ optimè veniebant, etiam balsama ferebat.

ferebat. Nam ἐν τῷ φοινικῶνι balſametum erat Strabone teſte. Ὑδρεία, id eſt, aquatio in arborum cultu generale nomen eſt, τὴν ἄρδειαν καὶ τὴν βροχὴν comprehendens. Ἡ βροχὴ proprie eſt aſperſio, & affuſio aquæ ex alto. Hinc βρέχεσθαι, quæ decidua aqua conſperguntur. Phædrus:

Alveolo cœpit ligneo conſpergere
Humum æſtuantem.

Βρέχειν τὴν γῆν. Hinc βροχὴ pro pluvia, & βρέχεσθαι, implui. Ἀρδεία vero ſignificat eam aquationem, quæ rivis factis ducitur. Græci ἀρδεία πολισμὸς, ἀρδείας πολισμοὺς. Ἀρδμὸς πολισμὸς ἐν ποταμῷ. Quæ plantæ aqua ducta per rivos è fluvio, vel ex fonte rigabantur, ἀρδεύεσθαι Græce dicuntur, non βρέχεσθαι. Virgilius:

Claudite jam rivos pueri, ſat prata biberunt.

Latini *rigua* proprie appellant hoc genus inrigationis. Nam Græci ἀρδεύειν ποτίζειν interpretantur, & ποτίζειν de hujuſmodi rigatione dicunt. Plinius: *rigua, dato potu vel ablato.* Ἡ ἀρδεία, Theophraſto. Gloſſæ: *riguis*: ἐπιπίστοις, εὐβόλοις. Sic Latini *rigua* proprie appellant hoc genus rigationis, quæ rivo fit, & ſulco. Hinc *rigua Nili* eidem Plinio ſunt rivi, & διώρυγες è Nilo ductæ. Et *rigua aquæ dulcis* apud eumdem derivationes ex aqua dulci. *Rigua* Græce τὰ ἐπίρρυτα, τὰ ἐποχετευόμενα. Non ſolum *riguus locus* dicitur, qui rigatur, ſed etiam *riguus* amnis, vel rivus, qui rigat. Hinc *aqua irrigua* Ovidio, & *irriguus fons* Horatio. Virgilius:

Arva mihi & rigui placeant in vallibus amnes.

Hinc *rigua* οἱ ὀχετοὶ, & rivi, qui inducuntur. Idem Plinius lib. XVII. cap. XXVII. *In eodem agro bruma tanto magis, ſi nives jaceant geletve, ne frigus vites adurat, circumfundunt riguis, quod ibi tepidare vocant, memorabili natura in amne: ſolus idem æſtate vix tolerandi rigoris.* Sic lego, ac diſtinguo ex veteri ſcriptura, quæ habet: *in amne ſolis edemajeſtate.* Nam vulgo editur: *in amne ſolo, ſed idem æſtate.* Memorabilem in amne hanc naturam eſſe dicit, ut bruma ſit tepidiſſimus. Nam hoc fontium, aut puteorum proprium. Solus idem amnium æſtate vix tolerandi rigoris, quo tempore ceteri amnes tepideſcunt. Ibi rigua ſunt rivi ex amne ducti, & vitibus circumfuſi. Ibidem: *aſperiora vina rigari utique cupiunt in Sulmonenſi Italiæ agro, pago Fabiano, ubi & arva rigant: mirumque herbæ aqua illa necantur, fruges aluntur, & riguus pro ſarculo eſt.* Male corrigunt *rivus.* Nam aliter libri. Sed legendum eſt: *& riguum pro ſarculo eſt.* Nam *rigua* ubique vocat τὰς ἀρδείας, quæ rivo ducuntur. Hinc *eriguare aquas* apud eumdem rivo deducere. Eodem capite: *Cetero majore in parte orbis etiam pluvias autumni aquas eriguare convenit,* id eſt, rivis factis deducere. Legitur quidem hodie in vulgatis, *erivare convenit.* Sed in optimis, ac vetuſtiſſimis libris *eriaevare* ſcriptum. In aliis etiam *ericuare* manifeſto pro *eriguare.* Sic *rigare* proprie de aqua, quæ rivo ducitur, Græci ἀρδεύειν. An βροχὴν, & βρέχεσθαι de hujuſmodi rigatione Theophraſtus accepit, cum arborem balſami συνεχῶς βρέχεσθαι dixit? Vix putarim. Multo minus de aqua pluvia intellexerim, licet aliis locis & βρέχεσθαι dè iis, quæ imbre compluuntur. Ut lib. III de cauſis, cap. XXX. Καὶ ἅμα διὰ τὸ φιλεῖν αὐθοῦντα βρέχεσθαι, id eſt, pluviam accipere, atque ita alibi. Verum non potèſt hoc loco ſic accipi. Balſami porro arbuſta, quum colles vinearum more ut plurimum occuparent, vix etiam fieri poterat, ut rivorum ductu aqua fontibus elicita ſingulas eorum plantas rigari facile eſſet. Ideo aquam è fontibus in vaſa ſumptam portabant, & balſamorum radicibus eam affundebant, idque aſſiduè faciebant propter quæſtum, qui inde ſperabatur. Hoc βροχὴν appellat, & βρέχεσθαι. Et ſic alibi loquutus eſt. Lib. II. cap. VII de cauſis ſcribit in Tylo inſula rubri maris fontaneas aquas, quamvis ſalſas, utiliores haberi arboribus quam pluvias, διὸ καὶ ὅταν ὕσῃ τούτοις εἰωθότας ἐγχωρείους ἀποβρέχειν loci illius incolas, etiam poſt imbrem, aquis ſalſis è fonte petitis arbores ſuas humectare, & rigare. Idem lib. I. Hiſt. Plant. cap. VIII de palmis: ἄλλοί γέ τινες λέγουσιν ὡς οἵγε κατὰ Συρίαν οὐδεμίαν προσάγουσιν ἐργασίαν, ἀλλ' ἢ διακαθαίρουσι, καὶ ἐπιβρέχουσιν. Ἐπιζητεῖ δὲ μᾶλλον τὸ ναματιαῖον ὕδωρ ἢ τὸ ἐκ τοῦ διός. Et lib. III de cauſis cap. XI ſcribit rigua maximè æſtate prodeſſe, ἐν τοῖς ἐπιρρύτοις, καὶ ὀχετευομένοις,

A ubi rivorum deducendorum copia eſt, ſed in locis ſiccis, & aquarum penuria laborantibus, quibus rigua non ſuppetunt, ſequendam eſſe naturam ſoli, plantas enim, quæ in illis regionibus proveniunt, ſiccitati, ac ſiti aſſuefactas, οὐδὲν ζητεῖν πλὴν τὸ ἀναγκαῖον. Καὶ χείρω γίνεται βρεχόμενα. Καὶ κίνδυνος δὲ ἐὰν μὴ συνεχῶς ἀποδιδῷ, βρέχειν ἀρξάμενος. Qui ſemel inſtiterit eas βρέχειν, & aquam illis affundere, niſi continuet hoc munus, periculum eſſe in aſſuetudine, quæ non poteſt perſeverare, ubi βρέχειν non de irrigatione ſumitur, nam irrigatio eſt, quæ rivo inducitur, ſed de aqua, quæ portatur & inditur. Cato de R. R. quomodo ſerenda
B cupreſſus: *ſi quando non pluet, uti terra non ſitiat, aquam inrigato leniter in areas: ſi non habebis, unde inriges, gerito inditoque leniter.* Tria heîc expreſſit pluviam, irrigationem, hoc eſt, τὴν ἀρδείαν, quæ rivo inducto fit, & tertium genus, quo aqua geritur, & inditur, ubi rigua deſunt. Græci κηλωνείοις ἄρδειν hoc vocant ab inſtrumento, quo ex puteis aqua hauritur, Latini *tollenonem* appellant. Herodotus lib. I. Καὶ περιγίνεται ὁ σῖτος, οὐ κατάπερ ἐν Αἰγύπτῳ τοῦ ποταμοῦ ἀναβαίνοντος εἰς τὰς ἀρούρας, ἀλλὰ χερσί τε καὶ κηλωνείοισιν ἀρδόμενος. Alibi vocat κηλωνήϊον lib. VI de bitumine: ἀντλέεται μὲν κηλωνηΐῳ,
C ἀντὶ δὲ γαυλοῦ, ἥμισυ ἀσκοῦ προσδέδεται. Pleriſque Græcorum auctorum locis ſcribitur κηλώνειον. Sed melius ajo ſcribi κηλώνιον. Nam principale nomen eſt κήλων, cujus diminutivum κηλώνιον. Heſychius. Κήλων, ὁ ἐν τῇ νηῒ καὶ τὸ ἄντλημα. Ad exhauriendam in navi ſentinam κήλων ille adhibitus. Idem Heſychius κηλώνιον ἀντλητήριον exponit. Sentina navis ἀντλία. Ὁ κήλων, κήλωνος, *celonus*, *celono*, & tranſpoſitis literis, ac c in t mutato, *toleno.* Græca voce *celones* legi ſcriptum in antiquiſſimo Licii exemplari. Gloſſæ: *Toleno*, κηλώνιον. Machina erat, quæ ſurſum tollebatur, ac deorſum mittebatur, ἀνανεύουσα, καὶ κατανεύουσα, cui alligatus erat ſitulus,
D vel cadus hauriendæ aquæ. Herodotus vocat γαυλὸν. Græci ἄντλον vocant, Latini *anclam.* Unde *anclare*, τὸ ἀντλεῖν. Plinius lib. XIX. cap. IV. *Hortos villæ jungendos non eſt dubium, riguoſque maximè habendos, ſi contingat profluo amne, ſi minus è puteo pertica, organiſve neumaticis, vel tollenonum hauſtu rigandos.* Scriptum eſt in antiquiſſimo Thuanæo: *ſi contingat præfluvane, ſi minus è pute crita organiſve neumaticis vel tollentemnonum haſtu rigatus.* Unde rectè Turnebus divinabat, *è puteo rota, organiſve pneumaticis, vel tollenonum hauſtu.* Legendum etiam *præfluo amne*, & *rigatos*, non, ut vulgo ha-
E betur, *rigandos.* Monet hortos, aut riguos habendos eſſe rivis ductis ex præfluo amne, aut, ſi id non contingat, rigatos e puteo rota, organiſve pneumaticis, vel tollenonum hauſtu. Proprie dixit *tollenonum hauſtum*, nam Græcè κηλώνια exponunt ἀντλητήρια. Rota, qua ex puteo hauritur aqua ad hortos rigandos, non eſt ἡ τροχαλία. Cave id cenſeas. Τροχαλίας quidem uſus ad hauriendam aquam è puteis accommodatus. Pollux: εἰ δὲ καὶ ἐκ φρεάτων ἢ λάκκων τὸ ὕδωρ ἀπαντλεῖν δέοιτ' ἄν, οἶμαι σκευῶν ἀντλητῆρος, ἀντλίας ἱμονιᾶς κάλου, σχοινίου, κάδου, τροχαλίας. Latine *trochlea.* Græcè quidam τροχιλίαν ſcribunt. Male. Gloſſæ: *Trogala*, Τροχιλέα. *Poliam* vulgo vocamus. At *rota* apud Plinium ea eſt machina,
F quam deſcribit cum tympano lib. x. cap. IX. Eo capite tympanum quidem prius nominat, deinde & rotam. Altius aquam tollebat rota quam tympanum. *Ita ſuppoſito*, inquit, *labro ligneo, habente una ſecum conjunctum canalem, & hortis ad irrigandum, & ſalinis ad temperandum præbetur aquæ multitudo.* Inter tympanum, & rotam plauſtrorum hæc erat differentia, quod tympana ex ſolidis tabulis erant contexta, rotæ ex radiis. Virgilius:

Qui radios trivere rotis, aut tympana plauſtris.

Ubi malè Servius *tympana* interpretatur tecta vehiculorum. Melius Junius Philargyrus notat poëtam tympa-
G na appellaſſe rotas ex ſolidis tabulis factas. Ad eam ſimilitudinem rotæ, ac tympana hauſtoriæ machinæ, quæ verſabantur hominibus calcantibus. His aqua è puteis extrahebatur, aut ſalinis affundenda, aut rigandis hortis, aut ad alios quoſcunque uſus. Aliæ erant rotæ, quibus ad eoſdem uſus aquæ è fluminibus hauriebantur. Eas deſcribit capite ſequenti Vitruvius. Non ab hominibus calcantibus verſabantur, ſed ipſius flumi-

 nis

nis impulsu affixas circa earum frontes pinnas percutientis. Harum meminit Lucretius hoc versu:

Ut fluvios versare rotas, atque haustra videmus.

Vocat *haustra* modiolos rotis illis affixos, quibus aqua hauriebatur, ac fundebatur. Vitruvius: *circa earum frontes affiguntur pinnæ, quæ cum percutiuntur ab impetu fluminis cogunt progredientes versari rotam, & ita modiolis aquam haurientes, & in summum referentes sine operarum calcatura ipsius fluminis impetu versatæ, præstant quod opus est ad usum.* Modioli illi aquam in rota haurientes, & in summum referentes *haustra* sunt Lucretii. Nonius cados & ἄντλια interpretatur, minus rectè. Nam cadi proprie sunt situli, qui tollenonibus suspenduntur, aut trochleis per funes è puteo tolluntur. Diversæ ab his rotis sunt molendinorum rotæ, licet simili ratione factæ, similiter quoque versentur. Sed earum meminisse non potuit Lucretius, nondum quippe tunc erant inventæ. Circa Augusti tempora, aut paulo ante docuimus alibi ex Epigrammate Antipatri. Vitruvius ibidem mentionem earum habet. *Eadem ratione*, inquit, *etiam versantur hydromylæ.* Ita rectè emendant docti pro *hydraulæ.* Ὑδραλέτας Græci vocant. *Pneumatica organa* de Ctesibiaca machina, quam eodem libro describit Vitruvius ad hauriendam aquam, & altissimè extollendam accommodata, interpretanda sunt. Alia etiam machina fuit, qua Ægyptii aquam è Nilo hauriebant rigandis agris. Κοχλίαν Græci, *cochleam* Latini dicunt. Pete descriptionem ejus ab eodem Vitruvio. Ut ad rem redeamus, à qua non longe abstitimus, βρέχειν Theophrastus appellat, quum irrigatio fit aqua è puteis hausta, & manibus infusa, non riguis, aut rivis inducta. Videtur tamen alibi de rivorum rigatione id verbum usurpare. Lib. IV, cap. IX. Hist. Ἀλλ' εἶναι κρήνας μὲν ἐν τῇ νήσῳ πολλάς, ἀφ' ὧν πάντα βρέχειν, ἃ καὶ συμφέρει μᾶλλον τῷ σίτῳ καὶ τοῖς δένδρεσι· διὸ καὶ ὅταν ὕσῃ, τοῦτο ἐπαφιέναι καθάπερ καταπλύνοντες ἐκεῖνο. Possumus tamen & heîc eo modo, quo diximus supra, id interpretari. Idem lib. II de causis, cap. VII. Διὸ καὶ πρὸς γε τὴν ἐάφανον νίτρον ἔνιοι παραμιγνύουσιν ἐν τῷ βρέχειν, *dum irrigatur.* Ut ut sit, ubi de balsamo loquitur, τὴν βροχὴν non minimam partem cultus esse dicit, quæ sumitur circa ejusmodi arborem. Τῆς θεραπείας intellige, non τῆς ἐργασίας. Nam τὴν ἐργασίαν ἀπὸ τῆς βροχῆς distinguit Theophrastus, & separatim utrumque nominat. Καὶ τὴν ἐργασίαν τῆς περὶ τὰ δένδρα σχεδὸν ταύτην αἰτίαν εἶναι καὶ τῆς βροχῆς. Proprie apud Theophrastum ἡ ἐργασία sumitur de terræ cultura, quæ fossione, vel aratione peragitur, quæque tam satis, quam arboribus adhibetur. Nihil aliud apud eum intelligitur τῆς ἐργασίας nomine. Ut lib. III de causis, cap. XXV. Διὸ καὶ τὴν ἀπὸ τῆς δικέλλης ἐργασίαν μᾶλλον ἐπαινοῦσιν, ἢ τὴν διὰ τοῦ ἀρότρου. Et eodem capite, initio: Δεῖ γάρ, ὥς φασι, τὴν μὲν ἔπομβρον, καὶ στερεάν, καὶ βαρεῖαν, καὶ τὴν πίειραν, θέρους ἐργάζεσθαι καὶ τοῖς ἀρότροις, καὶ τῇ σκαπάνῃ. Ita γῆν ἐργάζεσθαι Græcis significat proprie terram fodere, vel arare. Et clarissime idem cap. XXIV ejusdem libri de cultu coronamentorum, & olerum: τὰ μὲν γὰρ ἐστὶ κοινὰ πᾶσιν, οἷον ὑδρεύσις, κόπρωσις, ἡ τοῦ ὕδατος ἐργασία. Male insertæ voces illæ, ἡ τοῦ ὕδατος. Nec bene *sarritionem* interpretantur. Lege: οἷον ὕδρευσις, κόπρωσις, ἐργασία. Per ἐργασίαν intelligit terræ versationem, quæ vel aratro fit, vel rastro. Ut vides, ὕδρευσιν ibi & ἐργασίαν ita separavit, ut heîc ἐργασίαν, & βροχὴν in arbore balsami. Utrumque expressit Solinus dicendo, *rastris nitescunt, aquis gaudent*, τῇ ἐργασίᾳ λαμπρύνονται, καὶ τῇ βροχῇ χαίρουσι. Idem Theophrastus de plantis lib. II. cap. VIII. Τὴν θεραπείαν, καὶ τὴν ἐργασίαν distinxit hoc modo: περὶ δὲ τῆς ἐργασίας, καὶ τῆς θεραπείας, τὰ μὲν ἐστὶ κοινά, τὰ δὲ ἴδια καθ' ἕκαστον. Κοινὰ μὲν ἥ τε σκαπάνη, καὶ ἡ ὑδρεία, καὶ ἡ κόπρωσις. Horum omnium operum sola σκαπάνη, id est, fossio τὴν ἐργασίαν spectat. Ἡ ὑδρεία, καὶ ἡ κόπρωσις, καὶ ἡ διακάθαρσις, καὶ ἀφαίρεσις τῶν αὔων, ad ceterum cultum pertinent, quem τῆς θεραπείας nomine Theophrastus expressit. Quem locum Plinius cum Latine verteret, haud bene *remedia* reddidit, qui *cultum* debuerat.

Tenacibus foliis sempiterno inumbrantur.] Ἀείφυλλον exprimit. Theophrastus de balsamo: ἀείφυλλον δὲ εἶναι. Plinius: *Perpetua coma*, ἀειθαλές.

Lignum caudicis attrectatum ferro sine mora emoritur.] Caudex, τὸ στέλεχος. Non solum caudex, sed etiam rami incidebantur. Theophrastus: ἐντέμνειν δὲ ὄνυξι σιδηροῖς ὑπὸ τὸ ἄστρον, ὅταν μάλιστα πνίγη ᾖ, καὶ τὰ στελέχη, καὶ τὰ ἄνω. De ferro tamen alii negant. Tacitus: *ut quisque ramus intumuit, si vim ferri adhibeas, pavent venæ.* Plinius: *ferro lædi vitalia odit, & moritur protinus, eadem amputari supervacua patiens.* Ita scribendum. Alibi scribit, quæcunque in arbore non supervacua amputantur, ad vitalia vulnerari. *Vitalia arborum* vocat, quæ cortice veluti cute ambiuntur. *Lignum caudicis* vocat Solinus. Idem lib. XVII. cap. XXVII. *Scarifatio quædam in remediis cum macie corticis ex ægritudine astringente se justoque plus arborum vitalia comprimente, exactam facilis aciem utraque manu imprimentes perpetuis incisuris diducunt, ac veluti cutem laxant.* Ita legendum. Et male hodie apud Plinium *scarificatio* scribitur. Et lib. XXII. cap. XXIII de lasere: *pedum clavos circumscarificatos ferro, mistum cera extrahit.* Lege, ut est in vetustis libris: *circumscarifatos ferro.* Dioscorides περισκαριφηθέντας σιδήρῳ. *Scarificare*, ut ubique apud Plinium scribitur, & *scarificatio*, non est Latinum, licet *scarificare* vulgo dicant τῶν χειρουργῶν παῖδες. Græce σκάριφος τὴν ξέσιν, τὴν γραφὴν significat, & σκαριφῶ, rado, scindo, scalpo. Hesychius: Σκαριφᾶσθαι, ξύειν, σκάπτειν, γράφειν, ὅθεν καὶ σκάριφος. Unde Latinum, *scarifo.* Glossæ: *scarifat* κατασχίζει, κατακνίζει, καταχαράσσει. *Scarifo*, χαράσσω, κατακνίζω. Quæ Plinio *scarifatio*, Theophrasto dicitur σχίσις. In libris legitur, *scariphatio.* Ita omnibus locis reponendum, ubicunque *scarificatio*, aut *scarificare* vulgati legunt. Theophrastus, ὑπὸ τὸ ἄστρον fieri ἐντομὴν balsami scribit. Nollem verterent, *sub sidere.* Græci antiqui τὸ ἄστρον, κατ' ἐξοχὴν, *sidus caniculæ* vocant. Non ita Latini. Archilochus: τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται. Et ita semper apud Theophrastum, ὑπὸ τὸ ἄστρον, *circa canis ortum.* Hinc ἀστροβολία morbus arborum, cujus causa ab ortu canis. Theophrastus: ἀστρόβλητα μὲν οὖν μάλιστα γίνεται τὰ φυτά, καὶ οἱ μόσχοι διὰ τὴν ἀσθένειαν, συμβαίνει δὲ τὸ πάθος, ὅταν ἡ γῆ ξηρανθῇ, καὶ μὴ ἔχωσιν ἕλκειν ὑγρότητα. Διὸ καὶ ὑπὸ ἄστρον πλεῖστα. Et heîc vertunt: *quapropter plurima pereunt sub sidus.* Melius Plinius: *sub ortu canis.* Nam etsi ἀστροβολίαν *siderationem* dixerunt Latini, nunquam tamen *sidus* absolute pro canicula. Verba Plinii sic legenda sunt: *proprium tamen siderationis est sub ortu canis siccitatum vapor, cum insita, ac novellæ arbores moriuntur, præcipue ficus & vites.* Perperam legitur: *ab ortu canis, & cum insita, ac novellæ arbores.* Utrumque è libris correximus. Theophrasto τὰ φυτά, καὶ οἱ μόσχοι. Plinio *insita, & novellæ arbores.* Τὰ φυτὰ *insita* vertit. Sic de menstruis mulierum: *sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita*, τὰ φυτά. At *novellæ arbores*, οἱ μόσχοι. Græci νεοφύτους βλαστοὺς interpretantur *novella arborum germina.* Vites præcipuè, & ficus siderationi obnoxias esse dicit Plinius. Certe de vitibus accipi possunt, immo & debent ista Arati de canicula:

--- οὐκέτι κεῖνον ἅμ' ἠελίῳ ἀνιόντα

Φυταλιαὶ ψεύδονται, ἀναλδέα φυλλιόωσαι,

Ῥεῖα γὰρ οὖν ἔκρινε διὰ στίχας ὀξὺς ἀΐξας,

Καὶ τὰ μὲν ἔρρωσεν, τῶν δὲ φλόον ὤλεσε πάντα.

Φυταλιαὶ Græcis propriè sunt vineæ. Στίχες etiam propriæ vitium, licet non ignorem quincuncem arborum, φυταλιαὶ ἡμερίδων ὄρχοι, & στίχες in Herodis inscriptione. Φυταλιὰ est δενδρόφυτος γῆ, sed propriè vitibus consita sic dicitur. Julianus in epistola quadam: ἐστὶ δέ ἐνταῦθα ἐν γεωργίας ἐμῆς μικρὸν ὑπόμνημα, φυταλιὰ βραχεῖα φέρουσα οἶνον εὐώδη καὶ ἡδὺν, οὐκ ἀναμένοντα τὴν παρὰ τοῦ χρόνου προσλαβεῖν. Ubi φυταλία vinea est. Ita & videtur intellexisse Cicero, quum sic Aratea illa reddidit:

Hic ubi se pariter cum sole in culmina cæli

Extulit, haud patitur foliorum tegmine frustra

Suspensos animos arbusta ornata tenere.

Φυταλιὰς *arbusta* vertit, hoc est, vites arbustivas. Plinius, & reliqui agricolæ scriptores etiam *arbusta* vocant, τὰς ἀναδενδράδας. Plinius: *cum tam longo judicetur ævo, nobilia vina non nisi in arbustis gigni.* Et sanè nulla arbusta æque suspensos animos rusticorum tenent, ac vites. Præterea, ut dixi, vites κατὰ στίχας positæ. Hinc explicanda illa Callistrati D. de Termino moto, *si quis ex arbore fecerit arbustum*, hoc est, si quis arborem in eum usum converterit, ut vitem sustineat, & arbustum fiat. Quem hodie locum vulgo male accipiunt, & omnium pessime Scaliger Julius in Exercitationibus. Versus Germanici sic etiam obiter emendandi;

Discernitque ortu longè sata, vivida firmat,
At quibus adsucta frondes, aut languida cervix,
Exanimat.

Ita legendum ex veteri codice, quem viri doctissimi notant habere, *adsuetas.* *Adsucta frondes*, ξηρανθεῖσαι, exsuctæ, sine succo. Quod Avienus expressit:

---- *namque indiga succi*
Si qua jacent, cedunt.

Qui & φυταλιὰς similiter de segetibus accipit ut Germanicus:

Marcebunt sata cuncta diu.

Nam *sata* sunt segetes, τὰ σπέρματα, non arbores. Ita & Græcus scholiastes, qui δένδρεα interpretatur. Perperam. φυτὰ propriè sunt arbores. Unde φυτήκομος, σύνδενδρος. Plinius *insita* vertit. Unde φυταλιὴ *arbustum*, locus arboribus consitus, & propriè de arbustiva vite. Hæc obiter. Ὑπ' ἄστρον igitur est *sub ortu canis*, ut rectè habet Plinius. Hesychius: ἀστροβολήτους, τὰς ὑπὸ τοῦ κυνὸς βαλλομένας.

Aut vitro, aut cultellulis osseis] Plinius addit, *aut lapide.* Tacitus: *fragmine lapidis, aut testa aperiuntur.* Josephus: ὀξέσι λίθοις.

Sed in solo cortice artifici plaga vulneratur] Melius Plinius, cujus verba sic interpolavit: *incidentis manus libratur artifici temperamento, ne quid ultra corticem violet.* Malè in libris, *artificiem temperamento.* Ne quis aliquid ex ea lectione eruere tentet. *Artifex temperamentum*, & *artifex plaga*, quæ cum artificio facta est. Ut *artifex nodus* Macrobio: *artifex vultus* Persio. Sic loquitur ubique Ennodius, quod habet ex antiquioribus.

E qua eximiæ suavitatis gutta manat] Plinii verba, unde ista manaverunt, sic distinguenda: *succus è plaga manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximiæ, sed tenui gutta ploratu, lanis parva colligitur in cornua.* Succus manat suavitatis eximiæ, sed gutta tenui ploratu. Dioscorides: ῥεῖ δὲ ὀλίγον ὡς καθ' ἕκαστον ἔτος μὴ πλεῖον ἢ ἕξ, ἢ ἑπτὰ χοέας συναθροίζεσθαι. Miror hæc Dioscoridem tradere, qui paulo ante Plinium scripserit, cum ætate Alexandri, qua vixit Theophrastus, totidem congii omnibus annis colligerentur, referente eodem Theophrasto. Atqui Plinius narrat suo ævo, vel singularum arborum largiorem fluxisse, ex singulis nempe arboribus plus tum balsami collectum fuisse, quam Alexandri temporibus, & Theophrasti ex omni totius anni fœcunditate. Plinii verba: *Alexandro Magno ibi res gerente toto die æstivo unam concham impleri justum erat. Omni vero fœcunditate è majore horto congios senos, è minore singulos cum duplo rependebatur argento.* Hi sunt septem congii, quos singulis annis colligi refert Dioscorides. Addit Plinius: *Nunc etiam singularum arborum largior vena ter omnibus percutitur æstatibus postea deputatur.* Perperam verò priorem illum Plinii locum è Dioscoride sic legunt: *anni vero fœcunditate è majore horto congios senos singulis annis cum duplo rependebatur argento.* Atqui ex Theophrasti verbis totus expressus est, qui sic habet: οὐκ εἶναι δὲ πολὺ τὸ ῥέον, ἀλλ' ἐν ἡμέρᾳ τὸν ἄνδρα συλλέγειν ὅσον κόγχην. Et paulo post: γίνεσθαι δὲ ἐκ μὲν τοῦ μείζονος παραδείσου ἀγγεῖα δώδεκα ὅσον ἡμιχόεα, ἐκ δὲ τοῦ ἑτέρου δύο μόνον. Duodecim semicongii ex majore horto, qui sex congios faciunt. Δύο ἡμιχόεα è minore, qui congium unum componunt. Hinc congios senos è majore horto, è minore singulos impleri solitos ætate Alexandri scribit Plinius. E Theophrasto quoque habet Dioscorides, qui tradit καθ' ἕκαστον ἔτος μὴ πλεῖον ἢ ἕξ, ἢ ἑπτὰ χοέας συναθροίζεσθαι. Nam singulis annis duo simul horti septenos congios reddebant. Ex Theophrasto sumpsisse id etiam indicio est, quod ὄνυξι σιδηροῖς balsami arborem incidi cum illo auctore scribit, quam ferrum reformidare, & ferro etiam attrectatam protinus mori ex aliis constat, adeo ut nonnisi lapide acuto, aut osseis cultellis venæ ejus aperirentur. Cum septenos congios illi duo horti omnibus annis redderent, & collectio fieret tota æstate, ὅλον τὸ θέρος, die tamen solido æstivo non plus quam concham impleri justum erat. Ἀλλ' ἐν ἡμέρᾳ συλλέγειν τὸν ἄνδρα ὅσον κόγχην. Qui de mensuris scribunt, concham ajunt tria cochlearia facere, nonaginta sex cochlearia sextarium implebant. Africanus: ὁ ξέστης ἄρα εἰς κοχλιάρια ἀναλύεται ἐννήκοντα ς.

A Sextarius ergo triginta duas conchas valebat, sex porro sextarii congium constituebant. Hac re fieret, ut unam conchulam singulis diebus colligendo vix cogi posset congius tota æstate, vel sex integris mensibus durante. Conchæ alii quinque cochlearia tribuunt. Sed hæc nodum non solvunt. Immo arctius implicat quod ait Theophrastus, incisionem fieri sub ortu canis, & per totam deinde æstatem colligi. Vix trium mensium erat collectio. Hanc rem sic impedivit Plinius, cum dicit, justum fuisse concham unam toto æstivo die impleri, quasi non plus colligeretur, nec plus colligi

B posset. Verùm hac tantula unius diei collectione vix ac ne vix quidem fieri poterat, ut septeni congii æstate tota cogerentur, quando vix dimidiatus colligi quiret. Aliter sonant Theophrasti verba, ἐν ἡμέρᾳ τὸν ἄνδρα συλλέγειν ὅσον κόγχην. *Uno die hominem colligere, quantum tenet concha.* Non plus colligere scilicet homo unus poterat, cui circa singulos ramos erat hærendum, quia erat tenuis, & exigua, lenteque manans lacrimula excipienda, & abstergenda, & in vas condenda. At homines plures adhibiti plus colligebant. Et ita necesse fuit. Plinium si culpa carere volumus, non carere vitio libros ejus dicemus, & sic corrigendum fuerit:

C *toto die æstivo unam concham impleri justum erat homini. Anni vero fœcunditate*, &c. Ex duabus vocibus *homini anni* facile una conflata est, *omni.* Aliter tamen omnes libri, ut valde verear, ne in Plinio stet hallucinatio. Scribit idem ex Theophrasto septenos congios balsami è duobus hortis Regiis colligi solitos ætate Alexandri, *cum duplo rependebatur argento.* Aliud balsamo pretium fuisse sua ætate his verbis significare videtur Plinius. Quanti datum fuerit balsamum Plinii tempore, colligi potest ex ipso, ubi dicit: *nec manifestior alibi fraus, quippe millibus denariûm sextarii empti: vendente fisco trecenis denariis væneunt.* Universus balsami

D reditus ad fiscum tum pertinebat, qui arborem serendam, colendam, incidendam curabat, & balsamum ex ea collectum vendebat. Et purum quidem, putumque balsamum, τὸ ἄκρατον, vendente fisco trecenis denariis vænibat. Qui à fisco emebant mercatores, in tantum liquorem illum augebant, admixtis aliis succis, ut mille denarios facerent ex ea mensura, pro qua trecentos tantum denarios dedissent. Mutanda porro distinctio in illis Plinii verbis, ac legendum: *Quippe millibus denariûm sextarii empti vendente fisco trecenis denariis væneunt.* Sextarii empti trecenis denariis, vendente

E fisco, millibus denariûm vænibant vendentibus institoribus, qui à fisco emerant. Hinc fraus manifesta institorum. Ex prava vulgatæ lectionis distinctione sensum Plinii hunc volunt esse, ut balsamum, quod millibus denariorum vendente fisco purum venditum fuerat, trecentis denariis postea venditum sit. Quod omnimodis ratione caret, estque ridiculum. Fiscus purum vendebat; qui emebant à fisco, id adulterabant, & liquore alio admixto augebant, & tamen trecentis denariis vendebant, quod millibus fisco vendente emerant. Quid igitur illis expediebat liquorem augere? Ut omittam contra rerum naturam esse mercaturis ita insistere, ut pauciore pretio vendas, quod plu-

F ris emeris. Justum ergo balsami pretium Plinii ætate trecenti denarii in sextarios. Alii tres libras, alii duas, alii viginti uncias, alii quindecim sextario tribuunt. Plinius capite de ponderibus, quartam partem heminæ quindecim drachmas habere tradit. Hemina, ut notum est, dimidia pars sextarii. Ergo sextarius centum & viginti drachmarum, hoc est, quindecim unciarum. Sed ex aliis constat congium vini, vel aquæ decem pondo habuisse, qui pars erat octava quadrantalis octoginta libras pendentis. Congii porro sexta pars sextarius, qui viginti pendebat uncias. Hoc in vino, quo levius

G erat oleum, qua mensura pensitandum venit balsamum. Oleum nona parte levius esse quam vinum volunt. Ergo & balsamum. Africanus congium olei, τὸ ἐξάξεστον, novem librarum esse scribit. Sextarius itaque decem & octo unciarum fuerit, non viginti. Sextarius viginti unciarum trecentis denariis venditus quindecim denarios singulis unciis imputaret. At duodeviginti unciarum sextarius dat singulis unciis denarios sexdecim cum duobus scrupulis. Qui sexdecim denarii duas uncias

tias argenti faciunt. Sic una uncia balſami duabus unciis vendebatur, ac duobus etiam ſcripulis plus. Idem igitur erat balſami pretium ætate Alexandri, cum duplo rependebatur argento. Atqui Plinius videtur ſignanter voluiſſe dicere, non idem ſua, & Alexandri ętate pretium balſamo poſitum fuiſſe. Septenos congios totius anni fœcunditate collectos ſcribit ævo Alexandri, *quum duplo rependebatur argento.* Ibi libri omnes ſcribunt : *quum duplo rependebatur argentum.* Nec jam dubito quin ita ſcripſerit. Theophraſtus, unde habet, ſcribit : πωλεῖσθαι τὸ μὲν ἄκρατον δὶς πρὸς ἀργύριον. Quæ verba ita Plinius accepit, quaſi duplum balſamum argento rependeretur, ut una ſcilicet uncia balſami quatuor drachmis tum data ſit. Πρὸς ἀργύριον πωλεῖσθαι dicitur, quod pari pondere argenti rependitur, ut una uncia ejuſmodi mercis unciam unam argenti venditori ſuo reportet. At δὶς πρὸς ἀργύριον πωλεῖσθαι, quod bis contra argentum penditur, quum duplum ſcilicet mercis pondus ſimplici argenti pondere rependitur. Ita Theophraſtum Plinius interpretatus eſt. Quod ſi Theophraſtus dixiſſet, πωλεῖσθαι δὲ τὸ μὲν ἄκρατον πρὸς διςσὸν ἀργύριον, vel πρὸς διπλοῦν ἀργύριον, tum vulgata lectio locum haberet, *duplo rependebatur argento.* Vulgares interpretes vertunt : *ſincerum argento vendi ad drachmam.* Quod quid ſignificet planè neſcio. Notat Plinius, quod dignum animadverſione eſt, ætate Alexandri, cum ſepteni tantum congii balſami omnibus annis tota Judæa colligerentur, tum temporis tamen duplum balſamum argento repenſum eſſe. At ſuo tempore, cum longè major copia cogeretur balſami, luxuriam ita pretium ejus incendiſſe, ut quadruplo carius væniret, quam Alexandri ac Theophraſti ſæculo. Hoc non expreſsè quidem dicit, ſed tacitus ſatis innuit his verbis, *cum duplo rependebatur argentum.* Hæreo tamen, an hic ſenſus Theophraſti fuerit de pretio balſami. Certè aliter Dioſcorides expoſuit, qui partem illam hiſtoriæ balſami è Theophraſto hauſit. Ita igitur poſuit : πωλεῖται δὲ ἐν τῷ τόπῳ σταθμὸς αὐτοῦ πρὸς διπλοῦν ἀργύριον. Quod Theophraſtus dixit : δὶς πρὸς ἀργύριον πωλεῖται τὸ ἄκρατον. Eamdem vim habent, ἐν τῷ τόπῳ, & τὸ ἄκρατον. Nam quod in loco ipſo venditur, ſincerum eſt. Idem itaque eſt, δὶς πρὸς ἀργύριον πωλεῖσθαι, & πρὸς διπλοῦν ἀργύριον. Quod contra argentum carum eſt, id argento rependitur. At quod bis argento contra carum, & bis argento rependitur, hoc eſt, duplo argento. Quare non rectè accepit Theophraſti mentem Plinius, & idem pretium balſami fuit ætate Alexandri, quando duplo rependebatur argento, & ipſius ævo, quum ſextarium trecentis denariis vendebat fiſcus. Heſychius : ἐπάργυρον, τὸ βάλσαμον. Hæc non duplo argento repenſo indicant, ſed argento contra carum, ἐπὶ ἀργύρῳ, vel πρὸς ἀργύριον πωλούμενον. Græci poëtæ ἰσάργυρον vocant. Hinc emendandus inſignis locus ex Agamemnone Æſchyli, quem viri Græcè doctiſſimi non belle exponunt :

Ἔστιν θάλασσα, τίς δέ νιν κατασβέσει;
Τρέφουσα πολλῆς πορφύρας ἰσάργυρον
Κηκῖδα, παγκαίνιστον, εἱμάτων βαφάς.

Perperam legitur, εἰς ἄργυρον. Πορφύρας ἰσάργυρον. Κηκῖδα vocat purpuræ fucum argento contra carum. Purpuram eo pretio olim diſtractam conſtat ex Theopompi hiſtoriis, cujus hæc verba leguntur apud Athenæum lib. XII. Ἰσοστάσιος γὰρ ἦν ἡ πορφύρα πρὸς ἄργυρον ἐξεταζομένη. Κηκὶς eſt galla, qua lanæ olim tingebantur. Hinc κηκὶς, τὸ βάμμα, τὸ στύμμα. Sed hæc obiter. Sequitur protinus apud Plinium : *Nunc etiam ſingularum arborum largior vena ; ter omnibus percutitur æſtatibus, poſtea deputatur.* Quorum hæc mens eſt : tunc temporis vel ſingularum arborum venam largius balſamo ſudaſſe, majoremque balſami copiam dediſſe, quam duos hortos illos, qui ſoli erant ætate Alexandri. Septenos congios hi reddebant. Sed quis credat ex ſingulis arboribus, quæ tenui gutta balſamum plorabant, intra unius æſtatis ſpatium ſexaginta tria pondo balſami fuiſſe collecta? Tot enim libras olei tenent ſeptem congii. Hoc vero unum eſt τῶν ἀδυνάτων. Haud alium tamen ſenſum poſſis è vulgata lectione, quæ largiorem venam ſingularum tum arborum fuiſſe oſtendit, quam olim omnium, elicere. Sed huic medetur difficultati vetus ſcriptura omnium librorum, qui habent, *longior vena.* Quod explicandum eſt. Ante victoriam Romanorum in Judæa arborum balſamo ſudantium duo tantùm erant horti, iique Regii, & paucorum jugerum. Sub Romanis ſpatium ampliatum eſt, & arbores propagatæ, & plures factæ : nec propagatione tantùm numeroſiores, ſed etiam cultura, & cura proceriores ſingulæ factæ. Hinc duplici modo uberius balſamum colligi cœptum, quam antea, ex numero arborum, quæ plures erant, & ex proceritate ſingularum, quia longior vena, quæ percuteretur, eoque ſæpius percuti poterat. Dicit igitur non ſolum numeroſiorem arborem factam, & ſpatium hortorum extenſum, ſed etiam ſingularum arborum longiorem venam, quæ ter æſtate percutiebatur, & poſtea deputabatur. Per *longiorem venam* intelligit longiorem ramum, qui incidebatur. Nam vena, unde manabat balſamum, per totum ramum extenſa. Tacitus : *ut quiſque ramus intumuit, ſi ferri vim adhibeas, pavent venæ.* At in breviore ramo breviores venæ. Hoc in procerioribus factum compendium, ut longior ramus earum ſæpius poſſet feriri, & ex eo majorem vim fundere balſami. Quæ ſubjiciuntur de ſarmentis corruptiſſima ſunt, ad hunc modum concepta : *& ſarmenta quoque in merce ſunt* DCCC. *Amputatio ipſa, ſurculuſque vænit intra quintum demum annum.* In melioribus libris habetur : DCCIII. *Amputatio ipſa ſurculique vænire intra quintum devictæ annum.* Legendum : DCC. IIS. *amputatio ipſa ſurculique væniere intra quintum devictæ annum,* hoc eſt, *ſeptingenties ſeſtertio.* Nota ſeſtertii corrupta in illis erat III, ut ferè ubique apud Plinium obſervavi. Dicit ſarmenta ipſa, τὸ ξυλοβάλσαμον in merce eſſe, & intra quintum annum, poſtquam devicta eſt à Romanis Judæa, amputationem ipſam, & ſurculos vænum iiſſe ſeptingentis ſeſtertiis, vel, quod idem eſt, ſeptingentis millibus ſeſtertiûm nummum. Poſſet etiam exponi de ſeptingenties ſeſtertio, niſi ſumma immodica eſſet, & vix credunda. Ut contra nimis exigua, quam eliciunt interpretatione ex ſcriptura vulgari. Eam trecentis denariis circumſcribunt. Ineptè. Vix viginti libras xylobalſami intra ſeptem annos vendidiſſet fiſcus. Nam libra quindecim denariis vænibat. Ita enim ſcribendum è vetuſtis codicibus : *xylobalſamo pretium in libras* XV. Quod de denariis intelligendum, de quibus præceſſit. Melius tamen ut diſtinguatur : *pretium in libras* X. V, hoc eſt, denarii quini. Sic capite ſequenti de panace : *pretium in libras aſſes bini.* Scribitur in libris : X *bini*, hoc eſt, denarii bini. Et paulo poſt : *pretium omphacio* VI. Ibi & libri : *pretium* XV. Lege : X. V, denarii quinque. De probatione ligni Plinius dicit : *ex hoc buxoſum eſt optimum, quod eſt odoratiſſimum.* Putant legiſſe apud Dioſcoridem, δόκιμόν ἐστι τὸ πρόσφατον, ἢ λεπτόκαρφον, καὶ πυρρὸν, εὐῶδες. καὶ πυξῶδες, εὐῶδες. Ubi vulgo eſt, καὶ πυρρὸν, εὐῶδες. Falluntur. Reſpexit ad τραχύτητα. Nam ſequitur : πυρρὸν, εὐῶδες, τραχὺ, πνέον ὀποβαλσάμου. Et videtur legiſſe conjunctim, εὐῶδες τραχὺ, πνέον ὀποβαλσάμου. *Buxoſum optimum, quod eſt odoratiſſimum.* Buxoſum vocat, quod corticem habet ſcabrum, & aſperum, ut buxus. Et quia vocem notant in editis deeſſe poſt τραχὺ, fortè fuerit in libris Dioſcoridis illo tempore, τραχὺ ὡς πυξὸς, πνέον ὀποβάλσαμον. Arborem ipſam τραχύτητι commendari ſcripſit idem Dioſcorides, aſperoque cortice. Ex ea & lignum τραχύ. Sed minus rectè *buxoſum* ſimpliciter dixit, quod buxi corticis aſperitatem præferret, cum & multis aliis rebus *buxoſum* haberi, non ſolum τῇ τραχύτητι. Ut coſtum Dioſcoridi τὴν χρόαν πυξῶδες. Mirum vero, unde expiſcatus ſit Servius, quod de probatione opobalſami, quaſi a Plinio, refert his verbis : *probatio autem opobalſami, ut dicit Plinius, hæc eſt. Si contra ſolem feratur, & corruptum non ſit, manum ferentis exurit.* Hoc nec de balſamo, nec de alia ſpecie dictum apud Plinium extare memini. Hic varias ſpecies enumerans, quibus adulteratur balſamum, ita ſcribit : *nequiſſime autem gummi, quoniam ipſum quoque inhæreſcit manu inverſa, & in aqua ſidit : quæ* pro-

probatio ejus gemina est. Debet sincerum, & inharescere, sed hoc & gummi addita fragili crusta evenit, & gustu deprehenditur. Locus hic multis vitiis æger, nec intelligitur. Adulterarunt eum auctores, ut balsamum mangones solent. Libri habent: *quoniam marescit in manu inversa.* In aliis: *marescit.* Et paulo post: *marescere.* Deinde in sequentibus: *sed hac omnia arescere addita fragili crusta evenit.* Totum sic lege: *nequissime autem gummi, quoniam inarescit in manu inversa, & in aqua sidit, qua probatio est gemina. Debet sincerum & inarescere, sed hoc e gummi arescere addita fragili crusta evenit, & gustu deprehenditur.* Inarescere dicuntur, quæ calore densantur, & congelantur, ut de sale, lyncurio, & bitumine notavimus in superioribus, quæ omnia vi ardoris coëunt in duritiem lapidis. Nequissime autem balsamum gummi adulterari dicit, quia difficillime deprehenditur. Geminam quippe habet probationem sinceri, quod in manu inversa inarescit, & crustam concipit, & quod in aquam inditum ad ima vasis sidit. Haud scio an Servius legerit, *inardescit in manu inversa*, qui sincerum balsamum manum ferentis exurere ex Plinio notat. Ex eo scribit Isidorus, *balsami tantam vim esse, ut, si purum fuerit, & sol excanduerit, sustineri manu non possit. Debet*, inquit Plinius, *& sincerum inarescere. Sed hoc è gummi arescere addita fragili crusta evenit.* Ita correximus, pro eo quod erat in libris, *sed hac omnia arescere.* Hoc *arescere*, quod habet opobalsamum gummi adulteratum, evenit illi crusta fragili addita. Nam crusta sinceri, quod inarescit in manu inversa, fragilis non est. Sic ergo deprehenditur. Gustu quoque deprehendi solet. *Hoc arescere* sic dictum, ut *nostrum illud vivere triste, & scire tuum.* Hoc modo & alibi loquitur. Sequentia sic quoque libris auctoribus emendabis: *Carbone vero, quod cera, resinaque adulteratur, est nigriore flamma.* Quod cera, resinaque adulteratur, deprehenditur carbone, si in carbone posueris. *Est nigriore flamma*, nigriorem flammam habet, cum uritur. Ita loquitur Plinius sæpe, ut supra: *plaga ad vitalia sunt, quæ non supervacua caduntur.* Inter notas, quibus probatur sincerum balsamum, postulat Dioscorides, ut sit εὐδίαυτος, λεῖος, στύφων. Quærunt medici, quid sit balsamum εὐδίαυτον. Alii *pellucidum* vertunt, alii *citissime penetrans*, alii aliud. Plinius guttam balsami durescere dicit è translucido. Quasi εὐδίαιθρον legerit. Nam δίαιθρος est διαφανὴς, διόπτρος. Videatur & ita legisse vetus interpres, cum *serenam* reddit. Δίαιθρον quippe serenum, & αἴθριον significat. Sed εὐδίαιθρος Græcum non est. Omnino scriptum, εὐδίαυτος pro εὐδίετος. In libris vetustis Græcis δίαισιν sæpe exaratum reperiri sciunt pro δίεσιν, qui iis pervolutandis aliquid operæ posuerunt. Εὐδίετος balsami succus, qui facile liquescere potest, ac dissolvi. Τὸ εὐδιάχυτον in eo laudari testis idem Dioscorides. Qui lacti instillatus, χεῖται ταχέως καὶ γαλακτοῦται, is optimus. Hinc εὐδίετος. Quod est verissimum. Et confirmat Serapion, qui ita accepit.

Secunda in pretiis locum poma obtinent] Mira acyrologia, pomum vocare, quod semen est. Fructum arboris balsami similem esse fructui terebinthi magnitudine, ac specie tradit Theophrastus. Terebinthus fœmina fructum fert lentis magnitudine, aut etiam fabæ, quæ maximum. Nam duo sunt genera. In utroque semen est, ac dicitur. Cum dicit Theophrastus fructum balsami παρόμοιον τῇ τερμίνθῳ, καὶ μεγέθει, καὶ σχήματι, καὶ χρώματι, de eo genere intelligit terebinthi, quæ semen habet lentis magnitudine. Nam & hoc rubet, ut balsami. Alteri generi nigrum est, cum maturescit. Τῶν δὲ θηλειῶν ἡ μὲν ἐρυθρὸν εὐθὺς φέρει τὸν καρπὸν, ἡλίκον φακὸς, καὶ ἄπεπτον. Ἡ δὲ χλοερὸν ἐνέγκασα, μετὰ ταῦτα ἐρυθραίνει, καὶ ἅμα τῇ ἀμπέλῳ πεπαίνουσα, τὸ ἔσχατον ποιεῖ μέλανα μέγεθος ἡλίκον κύαμον. Plinius, cum hæc verteret, magna supinitate omisit dicere, ut alterius generis fructus ex viridi primum rubescit, deinde cum maturus est, niger fit. Quæ negligentia non excusanda. Postremo χλοερὸν vertit *pallidum*, quod ferri non potest. Χλόη est βοτάνη. Unde χλοερὸς est viridis & herbacei coloris. Glossæ: χλοερὸν *viride, glaucum, virens*: χλοὴ, *viriditas, gramen, muscus, herba.* Virgilius *pallentes herbas* dixit, ubi Grammatici interpretantur, *vel aridas, vel quæ ventris calore propria viriditate caruerunt.* Adeo pallidum non est viride. Sed errant illi. *Pallentes herbæ* sunt χλοεραὶ, & viridantes. Cum enim χλοερὸν, vel χλωρὸν utrumque significet, & quod pallet, & quod viret, alterum pro altero positum est poëtarum more. Sed in oratore, vel historico pallidum pro viridi non feram. Haud absimili errore alibi χλωρὸν, quod luteum esse debet, *herbacei coloris* reddidit. In descriptione poterii herbæ lib. XXVII. cap. XII *flore longo, herbacei coloris.* Apud Dioscoridem est ἄνθη μακρὰ, χλωρά. Quia τὸ χλωρὸν etiam pro viridi Græce sumitur, ita heic accepit, ubi galbineum colorem, vel luteum potius significat. Nam & hanc significationem habet τὸ χλωρὸν. Unde χλωρεὺς avis & chlorion, qui totus est luteus, non viridis, aut herbacei coloris. Et χλωρὸν in ovo Græci luteum vocant. Nec aliter hæc vox sumitur Dioscoridi. Nam eryngii florem χλωρὸν appellat, quem Vegetius *aurei coloris, vel galbinei.* Plinium castigavimus, nunc etiam emendemuus. Verba ejus de terebintho sic sunt distinguenda, ac legenda: *ex his masculæ sine fructu. Fœminarum duo genera. Alteri fructus rubet lentis magnitudine, alteri pallidus cum vite maturescit non grandior faba, odore jucundior, tractu resinosus.* Libri habent, *tractu resinosus.* Ubi in editis est, *tactu.* Ῥητινώδη simpliciter Græcis, hoc est, resinæ plenum. Sequentia ita legimus, atque interpungimus: *circa Iden Troadis, & in Macedonia brevis arbor, atque fruticosa: in Damasco Syriæ magna.* Male vulgati: *tactu resinosus circa Idam Troadis, sed in Macedonia.* Græca: ἐστὶ δὲ τὸ δένδρον περὶ τὴν Ἴδην καὶ τὴν Μακεδονίαν βραχύ. Ceterum & colore similem facit Theophrastus fructum balsami fructui terebinthi, qui rubens est. Dioscorides de balsami fructu: ἐκλέγου δὲ τὸν ξανθὸν, πλήρη, μέγαν, βαρύν. Ubi ξανθὸς idem est quod ἐρυθρός. *Rufum* vertit Plinius: *semen est vino proximum gustu, colore rufum.* Rufus etiam est ἐρυθρός. Glossæ: *rufum*, πυῤῥόν: *rufum*, ξανθόν. Cum per omnia simile sit balsami semen semini terebinthi, magnitudine, forma, & colore, facile poterat adulterari terebinthinis granis fructus balsami. Non istoc tamen adulterari solitum, sed semine quodam, quod è Petra Arabica afferebatur, hyperici simili. Refert Dioscorides: φέρεται δέ τι ἀπὸ τῆς Πέτρας, ᾧ δολίζουσι τὸν καρπὸν, σπέρμα ὑπερικῷ ὅμοιον. Non dicit, quale genus illud seminis fuerit, sed hyperici tantum speciem habere scribit. Plinius more suo nugatur, qui *Petræum hypericum* reddit in illis Dioscoridis: *adulteratur Petræo hyperico.* Atqui quidquid est simile hyperico, non statim est hypericum: alioquin & fructus terebinthi idem esset cum fructu balsami, quia nihil similius est. Suspicor ego, licet hoc Dioscorides non dicat, semen illud, quod ex Arabiæ Petra afferebatur adulterando balsami semini, terebinthi semen fuisse. Et multa verisimilia concurrunt. Primum, τὸ μέγεθος, τὸ σχῆμα, τὸ χρῶμα in utroque similia, ac pæne eadem: & inde fraus facilis. Præterea in Petra Arabica terebinthi multæ, unde & terebinthina resina optima advehebatur. Dioscorides: ἡ δὲ ἐξ αὐτῆς ῥητίνη, κομίζεται μὲν ἐξ Ἀραβίας τῆς ἐν Πέτρᾳ, γίνεται δὲ καὶ ἐν Ἰουδαίᾳ. Postremo terebinthi semen hyperico non absimile, tum specie, tum odore. Ex duobus generibus fœminæ terebinthi, altera fructum fert specie lentis, altera fabæ. Hyperici semen siliqua est, lenticulæ formam præfert, & resinam olet, ut semen terebinthi, quod ῥητινῶδες, & jucundi odoris. Plinius lib. XXVI. cap. VIII. *Eadem præstat hypericon, quam alii chamæpityn, alii corion appellant, oleraceo frutice, tenui, cubitali, rubente, folio rutæ, odore acri, semine siliquæ nigro, maturescente cum hordeo.* Regius codex Dioscoridis vetustissimus de hyperico: ἄνθος λευκοΐῳ ὅμοιον, λοβὸν δὲ ὑπόδασυν περιμήκη ἐν τῷ περιφερεῖ, μέγεθος κριθῆς, ἐν ᾧ σπέρμα μέλαν ῥητίνης ὄζον. Ita optimus liber, pro eo quod est in vulgatis, ἄνθος ἔχων μήλινον, κλωνάρια ὑποδάσεα περιμήκη ἐν τῷ περιφερεῖ. Non dicit Dioscorides hyperici semen maturescere cum hordeo, sed in siliqua esse, quæ in rotundo oblonga sit, hordei magnitudine. Sed hæc alibi examinabuntur. Quatuor species hyperici recenset Dioscorides, sed una tantum ex his siliquam habet, quæ & proprie hyperici nomine censetur, quam priore loco nominavit. Ascyron, & androsæmon, quæ subjiciuntur, ut species erant hyperici, hoc nomine tamen minimè vocabantur. Quartum genus κόρις appella-

pellabatur. Quod & ipſum quidam hypericon nominarunt. Hinc Plinius duo tantùm genera hyperici ponit, hoc quartum & illud primum, excluſis ab hoc cenſu aſcyro, & androſæmo. De hyperico ſic propriè vocato tradit Dioſcorides: ὑπερικὸν, οἱ ἀνδρόσαιμον, οἱ δὲ κόριον, οἱ δὲ χαμαίπιτυν. In aliis cognominibus ſua ratio ſaltem ſubeſt, quare ſic appellatum videri queat. De androſæmo nihil eſt cauſæ, cur hoc cognomen adoptare debuerit. Nec Plinius id refert inter ejus cognomina. Quod enim in deſcriptione Dioſcoridis habetur, ἄνθος ἔχον μήλινον ὃ διατριβὲν τοῖς δακτύλοις αἱματώδη τὸν χυλὸν ἐκκρίνει, ὅθεν καὶ ἀνδρόσαιμον ἐκλήθη, κλωνάρια ὑπόδασεα, περιμήκη ἐν τῷ περιφερεῖ. Hæc ſpuria ſunt, & ſuppoſiticia omnia, cujus loci genuina lectio in antiquis libris hodieque ſervatur, quam in antiquiſſimo omnium, qui extant, Regio reperi ad hunc modum conceptam: θάμνος φρυγανοειδὴς ὑπέρυθρος, ἄνθος λευκοΐῳ ὅμοιον, λοβὸν δὲ ὑπόδασυν, περιμήκη ἐν τῷ περιφερεῖ μέγεθος κριθῆς, ἐν ᾧ σπέρμα μέλαν ῥητίνης ὄζον. Quàm diverſa hæc ab editis. Ita ſanè & alii in ſuis invenerunt ſcriptum. Profectò hujus hyperici, quod propriè ita dicitur, nec flos, nec ſemen digitorum attritu ſanguineum ſuccum emittunt, nec quicquam habet omnino, quare androſæmon merito vocetur. Fallitur porro & Fuchſius, qui putat hoc hyperici genus eſſe, quam vulgus Herbariorum *perforatam* vocat, quod ejus folia mille foraminibus pertuſa traluceant. Cujus folia ſic perforata ſunt, ſiliquam non habet ut hypericum, & flos ejus contritus digitos ſanguineo fuco perfundit. Quod non facit hypericon, & pleraque alia diſſimilia ſunt. Idque αὐτοψία cuivis poteſt palam facere. Sed hæc nunc non diſquirimus, alio loco excutienda. Λευκοΐῳ florem habere ſimilem hypericon tradit Dioſcorides, & de leucoïo luteo intelligendum, non de albo, ut Marcellinus. Flos hyperici geniſtæ florem examuſſim refert, quam ſcribit idem Dioſcorides habere ἄνθος μήλινον ὥσπερ λευκόϊον. Verùm hæc alibi. Plinius hypericum ita deſcribit lib. XXVII. cap. VIII. *Eadem præſtat hypericon, quam alii chamæpityn, alii corion appellant, oleraceo frutice, tenui cubitali, rubente, folio rutæ, odore acri, ſemine ſiliquæ nigro, matureſcente cum hordeo.* In ſcriptis codicibus legitur: *alii coriſſum appellant.* In quibuſdam, *coriſu*, & *coryſum.* Et ſub finem capitis ultimi, eodem libro: *denigrat hypericon, quod decoriſton vocatur.* Ubi habent editi: *quod coris vocatur.* Libro primo in indice vetuſti codices ita etiam ſcriptum exhibent: *hypericon, ſive chamæpitus, ſive coriſcon.* Qua tam conſtanti varietate omnino adducor, ut credam Plinium ſcripſiſſe: *alii coriſion vocant.* Nam *coriſcon* pro *coriſeon* ſcriptum fuit, & *coriſton.* Heſychius: κόριον, μικρὸν κορίσιον, ἢ κορίσιον τὸ λάχανον. Vereor tamen, ut de hyperico poſſit accipi, quod locum non habet inter olera, & ſativa, quæ Græci vocant κηπεύσιμα. Κόριον Græcis etiam coriandrum ſignificat. Hoc idem & κορίσιον fortaſſe dictum. Plinius itaque erraverit, qui pro hyperico poſuit, quia κόριον de utroque dicitur, & hyperico, & coriandro. Niſi ſit verius auctores, à quibus accepit, hæc nomina confudiſſe. Certè κόριον, & κορίσιον ejuſdem originis. Ut ut ſit, certum eſt, quia libri omnes ſic habent, legendum eſſe *coriſion.* Sequitur de altero genere: *eſt aliud hypericon, quod alii corin appellant, folio tamaricis, & ſub ea naſcitur, ſed pinguioribus foliis, & minus rubentibus.* Heic libri etiam aliam lectionem ſuppeditant, qui habent: *quod aliqui caro appellant.* In aliis, *caros.* Ac, ne putes vitium eſſe ſcripturæ, ſic quoque liber indicis manu exaratus conſervat: *caro, ſive hyperico x.* In vulgariis Dioſcoridis exemplaribus de hoc hyperici genere ita ſcriptum habetur: Κορὶς, οἱ δὲ καὶ τοῦτο ὑπερικὸν καλοῦσι. At in antiquiſſimo Regio majuſculis literis deſcripto planè exaratum eſt, Κορὰς, οἱ δὲ καὶ τοῦτο ὑπερικὸν καλοῦσι. Nec dubito quin ita invenerit in ſuis Plinius. An igitur apud eum legendum? *quod aliqui coras vocant.* Et in indice, *coras, ſive hypericon.* Sed verius eſt Plinium, cum κόρας legeret in Dioſcoride, nec alibi occurreret hoc nomen, putaſſe legendum trajectione literarum, κάρος, & pro caro accepiſſe, quod alibi deſcribit Dioſcorides, cujus ſemen eſſe dicit θερμαντικὸν, εὐστόμαχον, εὔστομον. Ita ſumpſiſſe fidem faciunt, quæ in ejus deſcriptione ponit: *vis ſemini excalfactoria,*

A *& ideo inflationem facit enterocelis, ſed ſtomacho non inutile*
præcipuum ad ſtranguriam. Hæc cari ſemini conveniunt,
quod eſt οὐρητικὸν, θερμαντικὸν, & εὐστόμαχον. Nihil tale
de ſemine hyperici, quod coras dicitur, apud Dioſco-
ridem, ſed de frutice hæc tantum: θάμνος ἐστὶ σπιθα-
μιαῖος, εὔστομος, δριμὺς, καὶ εὐώδης. Sciendum tamen
eſt verba illa de ſemine non extare in Plinianis vetuſtis,
quæ lectionem ita concipiunt: *odoratum palmo altius,*
ſuave, & ideo inflationem facit, ſed ſtomacho non inutilem.
Reliqua adjecta ſunt à correctoribus. De caro tamen
ſemine accepiſſe nullum dubium eſt, etſi aliunde hau-
ſerit: *quod aliqui caros appellant.* In aliis libris, *caro.*
B Et ſane vetuſtiſſimus ille liber in deſcriptione cari ſic
habet: Καρὼ σπερμάδιόν ἐστιν. Κάρος vulgo ſcribitur. Sed
rectius ſcribatur καρῶον. Sic enim in antiquiſſimis Aëtii
codicibus reperi. Sic etiam apud Oribaſium vocatur.
Profectò καρῶον melius dicatur de ſemine. Nam ſubau-
ditur σπέρμα. Planta vero ipſa dicitur Καρὼ. Quod
nomen fœminino genere enuntiatur ἡ Καρὼ, ut ἡ Διδώ.
Inde ſemen ipſum adjective σπέρμα καρῶον, id eſt, τὸ
τῆς καροῦς σπέρμα, ut ſupra indicavimus, & infra etiam
dicturi ſumus. A καρὼ καρῶος, ut ab Ἀργὼ Ἀργῶος:
Δηὼ Δηῷος. Inde Latinè *careum* nominatur. Et vulgo
carui. Plinius meminit *carei* alio loco, quod eſt Græ-
C corum καρῶον. Sed hoc loco vitioſis, ut apparet, exem-
plaribus deceptus *caro* appellavit, & putavit à carco di-
verſum, ut mos ejus eſt perpetuus. Profectò niſi de
illo caroo, vel caro intellexiſſet, ſcribendum illi fue-
rat, *quod aliqui corada, vel coradem appellant.* Hæc
herba etiam vocabatur κόρη. Ita Hippocrates Galeno
teſte eam nuncupavit à ſimilitudine coriandri ſeminis,
quod κόριον Græcis dicitur. Κόρην τὴν πόαν, ἥτις καὶ ὑπερι-
κὸν ὀνομάζεται. Ἔχει δὲ τὸν καρπὸν κορίῳ ὅμοιον. Hermo-
laus, & reliqui docti Herbarii vertunt, *oculi pupillæ*
ſimile. Quod falſum eſt, & abſurdum. Κόριον eſt co-
D riandrum. Dioſcorides ubique ſic vocat, non κορίαν-
νον. Verba ejus ſic in antiquiſſimo exemplari conci-
piuntur: Κόριον γνώριμον δύναμιν ἔχον ψυκτικήν. In vul-
gatis additur: κόριον, ἢ κορίανον. Sed auctor ipſe alibi,
ubicunque coriandri facit mentionem, ſemper κόριον
appellat. Quin & illud genus hyperici, quod ſemen
habet coriandro ſimile, κόριον etiam dicebatur. Hip-
pocrates κόρην vocavit. Sed vix mihi perſuaſerim κόρην
herbam dictam, quæ κορίῳ ſimile ſemen habeat, quum
κόρη principale ſit nomen, cujus diminutivum κόριον
& κορὶς. Melius fortaſſe in Galeno legeretur, Κορίσιν,
πόαν ἥτις καὶ ὑπερικὸν ὀνομάζεται. Non κόρην τὴν πόαν. Ita
E ergo etiam legerit apud Hippocratem. Κορὶς dicta,
quod κορίῳ ſimilis eſſet, quantum ad ſemen. Nam &
κόριον propterea etiam appellata, & alia diminutionis
forma, κορὶς & κορὰς. Utrumque idem ſignificat. Et
nugantur, qui in lemmate ſcribunt apud Dioſcoridem
περὶ κόρεως, quaſi diceretur, ὁ κόρις, cum ſcribendum
eſſet, περὶ κορίδος. Heſychius: Κορὶς, ἰχθὺς ποιός ἢ πόα,
ἣν χαμαίπιτυν ἔνιοι. Eadem etiam appellata videtur κο-
ρίσιον, quæ alia eſt diminutionis figura, idem ſigni-
ficans quod κοράσιον. Idem igitur volunt hæc quinque
nomina ad eamdem hyperici ſpeciem denotandam,
κόρη, κορὰς, κορὶς, & κορίσιον, & κόριον. Quod enim
F Dioſcorides hypericon propriè appellatum, κόριον
quibuſdam dici notat, hoc nomen ex altera ſpecie mu-
tuatum eſt, quæ vocabatur κορὰς. Nam κόριον & κο-
ρὰς idem. Ut è contrà ſpeciem eam, quæ dicebatur κό-
ρη, vel κόριον, ſive κορὰς, hyperici nomine alii nuncu-
pabant. Heſychius: κορὶς πόα, ἣν καὶ χαμαίπιτυς. Hoc
cognomen chamæpitys datum eſt hyperico ſic propriè
vocato, quod ejus ſemen oleret τὴν πιτύνην ῥητίνην,
haud ſecus ac chamæpitys herba. Hoc hypericon Dio-
ſcorides etiam κόριον vocatum dicit, Plinius κορίσιον.
Sic κόριον, & κορὶς, & κορίσιον ejuſdem herbæ nomina
G eadem, quæ utrique hyperici generi communia erant.
Et falſus eſſet non mediocriter Plinius, ſi duo illa hy-
perici genera ita diſtinguere voluiſſet, ut alteri κορίσιον
nomen eſſet, alteri κορὰς. Sed alterum κάρος vocari
dicit, alterum propriè κορίσιον. In quo dupliciter errat.
Nam κορίσιον, & κόριον ejus generis nomen proprium
eſt, quod ipſe κάρος appellatum ſcribit. De hoc gene-
re Dioſcorides ait, φύλλον ἔχει παραπλήσιον τῷ τῆς ἐρείκης.
Plinius vertit: *folio tamaricis, & ſub ea naſcitur.* At qui
tamarix

tamarix est μυρίκη, non ἐρίκη. Scio ἐρίκlω tradi similem myricæ. Sed quod simile est, idem non est. Et ἐρίκη alia à myrice. Alibi semper *ericen* nomine Græco appellavit: ut lib. XI. cap. XVI. Ubi ericeum mel minimè probatum dicit, quod apes ex erice conficiunt. *Athenienses*, inquit, *eam tetralicem appellant*, *Eubœa sisaram*, *putantque apibus esse gratam*. Aristoteles quoque σίσαρον inter herbas numerat apibus gratas, & quæ circa alvearia serendæ sunt lib. IX. de hist. Anim. cap. XL. Φυτδέειν δ' συμφέρει περὶ τὰ σμήνη ἀχεράδας, κυάμυς, ποάν Μηδικὴν, σίσαρον, ὤχρυς, μυρρίνlω. Ita legendum pro Συρίαν. Nisi forte scribendum sit σίσυρον. Ea est ἐρίκη Dioscoridis, unde mel apes operantur, ὃ ἀνθδαῖον. At πετράλιξ herba spinosa est Theophrasto, quæ potius dicenda πετράλιξ. Nam πετράλιξ Græcum non est. Hesychius: πετράλιξ, πετράκις περιειλυμμβύ@, ἡ πολυέλιξ, ἡ φυτὸν ἤ. Æstate quidem floret tetraelix, ut erice, sed erice non est spinosa, & utramque distinguit Theophrastus. Scribunt ibidem libri: *Eubœa sysyrum*. Quod melius quam in vulgatis *sisaram*. Nec bene Scaliger ex eo loco Varronem corrigebat lib. III. cap. de apibus, ubi dicit mel liquidum fieri *ex sisere flore*. Corrigit inquam, *ex sisaræ flore*. Et eamdem intelligit ericen, quam Eubœa teste Plinio vocabat sisaram. Ineptè. Vox illa peculiaris Eubœæ? nec ceteræ Græciæ usurpata, nedum Latinis fuerit usitata. Præterea mel ex erice improbabatur. Legendum in Varrone: *ex siseræ flore*. Vocat *siseram*, quod aliis *siser*. Et est genus pastinacæ gratum apibus. Glossæ *siser*, σταφυλίνυ εἶδ@. Columella inter pabula apibus jucunda utramque pastinacam numerat, agrestem, & satu edomitam. Græci σίσαρον vocabant. Eubœenses etiam fortasse σίσυρον. Nam idem σίσαρον, & σίσυρον: ut γλάφω, γλύφω ex diversitate dialecti. Σίσυρον igitur non est erice, sed siser. Myricen alibi *tamaricem* vocatam ostendit, & ab erice separat. Ut lib. XIII. cap. XXI. *Myricen Italia quam tamaricem vocant*, *Achaia autem bryam silvestrem*. Ita legendum ex libris. Vulgo est: *quam alii*. In Italia sic vocabant. Et ex Græco factum nomen, ἁ μυρίκα, *tamarica*. Capite præcedenti meminerat erices contra serpentes usus efficacis. Quid igitur illi in mentem venit τlὼ ἐρίκlω *tamaricem* reddere? Lib. XXIV. cap. IX ericen Græcos vocare dicit fruticem non multum à myrice differentem. Paulo post de myrice ita scribit: *Myricen*, *quam & tamaricem vocat Lenæus*, *similem scopis amerinis dicit*. Hæc mendosa sunt. Nec enim solus Lenæus eam tamaricem vocavit, sed omne Latium. Præterea sequitur: *eam esse arbitrantur quidam tamaricem*. Scripti habent: *myricen camericam vocat Lenæus*. Legebam aliquando: *myricen quam ericam vocat Lenæus*. Ut pro similitudine, quæ inter myricen, & ericen habetur, hujus nomine illam vocaverit Lenæus, ut heîc facit Plinius, qui è contra τlὼ ἐρίκlω vocat tamaricem. Sed omnino totus locus sic legendus: *Myricen tamericam vocat Lenæus*, *similem scopis Amerinis*: *Sanari dicit ea carcinomata in vino decocta*. Quod etiam confirmat liber indicis manuscriptus, in quo legitur ad hunc locum: *Myrice*, *quæ & Amarica*, *sive Amarix*. Forte scribendum: *quæ & tamarica*, *sive tamarix*. *Tamaricam*, & *tamaricem* eamdem corrupto ex Græcia vocabulo τῆς μυρίκης fecerunt Itali. *Tamaricium* alii vocant, ut Servius. At Plinius hoc loco ἐρίκlω pro myrice aliud cogitans accepit, & *tamaricem* reddidit. *Folio tamaricis & sub ea nascitur*. Nimirum & ὑπερικὸν ideo sic appellatum somniavit, quod ὑπὸ τῇ ἐρίκῃ nasceretur, ut ὑποκισθὶς sub cistho. Quod ex aliquo Grammatico videtur hausisse. Sed cur hoc hujus generis magis proprium facit quam alterius, quod æquè, & quidem magis propriè ὑπερικὸν dicebatur? An quia istud folia ericæ similia habebat? Nugæ. De hyperico sub erice nascente nihil Dioscorides, & frivolum est. Forte ὑπερικὸν dictum à loco, ubi plurimum nascebatur. Ὑπέρεια urbs Siciliæ, & fons. Urbs Φαιάκων hoc eodem nomine recensetur. Ab utraque κτηλικὸν ὑπερικὸν. Nam principale Ὑπέρη. Sed hæc alibi. Ceterum ut eo revertamur, unde sumus digressi, quod initio adstruere voluimus, hyperici semen, & terebinthi inter se similia esse, colligi potest ex Dioscoride, & Theophrasto:

A ille siquidem semine quodam, quod deferebatur ex Arabiæ Petra, fructum balsami adulterari dixit. Atqui nisi simile esset illud semen, nimis facile fuisset fraudem deprehendi: iste verò balsami semen instar prorsus habuisse dicit terebinthini fructus, habitu, colore, & magnitudine. Sic colligitur haud absimile fuisse hyperico semen terebinthi. Hinc etiam veri simile hoc semine Petrææ terebinthi vulgo adulterari solitum balsami semen. Dioscorides καρπὸν terebinthi edulem esse dicit, & unum tantum genus facit. Theophrastus duo genera statuit, alterum φακοειδῆ, alterum κυαμοειδῆ. Illud ἄπεπτον vocat, quo adul-
B terabatur, ut equidem censeo, balsami fructus. Et hoc semen sit, quod hyperico simile ex Petra advehi dicit Dioscorides adulterando balsamo. Quod verum tamen esse non asseverem. Illud verius, hallucinari Plinium, qui Πετραῖον ὑπερικὸν appellat.

Secundum in pretiis locum poma obtinent] Nullum balsami pomum, sed semen, ut ex his, quæ superiori exercitatione ventilavimus, patet. Apparet nescivisse Solinum quid esset *pomum*, ut ex ista exercitatione constabit. Latini vocem *pomum*, modò latius, modò strictius acceperunt, sed nunquam ita late, ut semen alicujus arboris, aut fruticis eo nomine appellaverint.
C Virgilius pomum à nuce distinguit:

---- sunt nobis mitia poma,
Castaneæ molles.

Pomum nucem non esse sentiebat Casellius Jurisconsultus, qui interroganti an nux pinea pomum esset, pomum esse respondit, si in Vatinium mittenda foret. Grammatici sanciunt, *nuces generaliter dici omnia tecta corio duriore*, *ut sunt avellanæ*, *amygdalæ*, *juglandes*, *castaneæ*: *ut contra poma dici omnia molliora*. Antiquissimi quique ficus etiam atque uvas extra numerum, ac censum pomorum ponebant. Afranius: *pomum*, *olus*,
D *ficum*, *uvam*. Cicero in Oeconomico: *neque serit vitem*, *neque quæ sata est diligenter colit*: *oleam*, *ficos*, *poma non habet*. Columella in præfatione: *tot pomorum*, *olerumque cultus exercere*? *tot generibus ficorum*, *sicut rosariis impendere curam*? Ergo exceptis nucibus, ficis, & uvis reliqui omnes arborarii fructus pomorum nomine veniebant. Alii tamen hæc omnia eidem appellationi vindicarunt. Jurisconsultus: *Qui fundum vendidit*, *pomum recepit*: *nuces*, *& ficus*, *& uvas*, *duntaxat duracinas*, *& purpureas*, *& quæ ejusdem generis essent*, *quas non vini causa haberemus*, *quas Græci τρώξιμυς appellant*, *receptas videri*. De nucibus, & ficubus, & uvis ideo tantùm excepit, quia super his
E dubitari poterat, an pomorum nomine intelligi deberent, propterea quod tria illa quidam ab hac appellatione segregabant. Plinius separatim de olea, & olivis tractavit lib. XV. Deinde transit ad tractatum, quo explicat *omnium pomorum genera*, *& naturam*. Ita enim titulus capitis, & à nucibus pineis incipit. Sic pomorum nomine omnes arborum fructus comprehendit, exceptis olivis. Cur olivas non eodem genere complexus est? Quia baccæ sunt.

---- & teritur Sicyonia bacca trapetis.

Baccas autem à pomis secernit cap. XXVIII ejusdem li-
F bri, *quæ baccis natura*, *eadem & pomis*. Et lib. XII de pipere: *usum ejus adeo placuisse mirum est*. *In aliis quippe suavitas cepit*, *in aliis species invitavit*: *huic nec pomi*, *nec baccæ commendatio est*. Suavitas ad pomum referenda est, species ad baccam. Et hæc differentia ab eo statuitur inter pomum, & baccam. Quacunque figura habeatur, aut magnitudine fructus arboris, modo sit ad edendum dulcis, *pomum* illi vocatur. *Bacca* non dicitur, nisi de rotundo, ac minuto fructu. *Bacca* proprie est κόκκος. Virgilius quoque olivas à pomis separat his versibus:

Nec pingues unam in faciem nascuntur olivæ,
G *Orchites*, *& radii*, *& amara pausia bacca*;
Pomaque & Alcinoi silvæ: *nec surculus idem*
Crustumiis, *Syriisque pyris*, *gravibusque volemis*.

Et hæc causa videtur fuisse Plinio seorsim de oleis, & pomis exponendi, & prius quidem de oleis, mox de omnibus pomorum generibus, quod Virgilium scilicet imitari studeret. Non propterea tamen olivas à pomorum appellatione excludere debuit, quum alibi eas etiam sub id nomen, ac censum revocet.

Nn Virgi-

Virgilius ibi pyra quoque à pomis sejungit, cum tamen constet pomorum nomine etiam pyra intelligi. Græci μῆλον aliquando de omni genere fructuum δενδρητῶν usurpant, aliquando ad certam speciem restringunt. Ita & Latini vocem *pomum*. Hesychius: μῆλον, παντὸς δένδρου καρπὸς, ἐξαιρέτως δὲ τῆς μηλέας. Idem: μῆλον πᾶς καρπός. Cum igitur poëta in horto Alcinoi poma distinguit ab olivis & pyris, de certa specie accipit, quam Græci μῆλον vocant, ex arbore μηλέα. Atque ita Homerus de horto Alcinoi.

Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ.

Idem intelligendum est in illo Ciceronis ex œconomicis loco, quem superius adduximus: *oleam, ficos, poma non habet*. Ubi *pomorum* nomen generale non est, sed speciale. Et in Græco μηλέας fuisse liquet. Ita & de aliis, ut in illo Africani versu: *pomum, holus, ficum, uvam*. Ubi pomum est τὸ μῆλον ἀπὸ τῆς μηλέας. Hoc Macrobium fefellit, & si qui internoscere non queunt, quum auctores hanc vocem *pomi* generatim, & quum specialiter sumunt. Sane miratus non esset omnibus illis ficum tanquam non *pomum* à *pomo* secerni. *Pomum* hodie idiotismo nostro de sola specie dicimus. Antiqui Latini *malum* hac notione magis dicebant, & *pomum* περὶ τῆς παντοίας ὀπώρας. Glossæ: *pomum*, ὀπώρα. Inde *pomarium*, ὀπωροφυλάκιον. Nuces itaque poma sunt, mala non sunt. Macrobius: *sunt de agricultura scriptores, qui nuces, & mala sic dividunt, ut nuces dicant omne pomum, quod foris duro tegatur, & intus habeat quod esui est: malum vero, quod foris habeat quod esui, & durum intus includat.* Servius eamdem differentiam inter poma, & nuces constare ait, ubi poma pro malis accepit. Græci idem ponunt discrimen inter ὀπώραν, & ἀκρόδρυα. Quorum hæc sunt: ὀπώρα λέγεται ἡ χυλώδη τὸν καρπὸν ἔχουσα, οἷον δωρακηνὰ, καὶ ὅσα μὴ ἔχει ἔξωθέν τι ξυλῶδες. Ἀκρόδρυα δὲ καλεῖται, ὅσα ἔξωθεν κέλυφος ἔχει, οἷον ῥοιὰ, πιστάκια, κάστανα, καὶ ὅσα ξυλώδη τὸν καρπὸν ἔξωθεν ἔχει. Sic ὀπώρα de pomis, ἀκρόδρυα de nucibus. Juxta eam porro definitionem malorum, & nucum, adjicit Macrobius ibidem Persicum, quod Suevius poëta inter nuces numerat, magis esse inter mala numerandum. Nam & Cloatium, cujus verba statim subjungit de generibus malorum, Persicum inter mala recensere. Mira ibi animadvertenda est hallucinatio Macrobii existimantis idem esse Persicum Suevii, & Cloatii. *Persicum* apud Suevium nux est juglans, quam & *molluscam nucem* veteres dixere à molliori putamine: apud Cloatium Persicum malum est, vulgo notissimum. Versus Suevii, qui apud Macrobium leguntur, quia vulgo corruptissimi extant, sic legendi sunt:

Admiscet baccam è basilicis: hæc nunc partim,
Partim Persica: quod nomen sic denique fertur,
Propterea quod qui quondam cum rege potenti
Nomine Alexandro Magno fera prælia belli
In Persas tetulere, suo post inde reventu
Hoc genus arboris in prælatis finibus Grajis
Deseruere, novos fructus mortalibus dantes.
Mollusca hæc nux est, ne quis forte inscius erret.

De hortulano loquitur faciente moretum, qui inter alia eo mittit, & admiscet baccam, id est, nucleum è basilicis nucibus. Hodie legitur: *admisce tu Acca basilicis.* Nullo sensu. Melius etiam fortasse legeretur:

Admiscet baccam basilici: hoc nomine partim,
Partim Persica.

Admiscet nucleum basilicæ nucis. Hoc nomine partim, id est, *basilica*: partim *Persica* dicuntur. Et rationem addit Plinius de nuce juglande: *& has è Perside regibus translatas indicio sunt Græca nomina: optimum quippe genus earum Persicum, atque Basilicon vocant, & hæc fuere prima nomina.* Dioscorides: Κάρυα βασιλικὰ ἃ ἔνιοι Περσικὰ καλοῦσι. Hesychius: Περσικὰ, εἴδη καρύων. Et Macrobio quidem facile possem adduci ut ignoscerem Persicas nuces cum Persicis malis confundenti. Sed Athenæus, qui in eadem culpa est, citra spem veniæ peccat, homo Græcus, & in auctoribus Græcis pervolvendis consummatissimus. Is lib. III sub nomine Περσικῶν τὰ κάρυα, καὶ τὰ μῆλα confundit. Ibi citat locum Diphili Siphnii in hæc verba: Περσικὰ λεγόμενα μῆλα, ὑπὸ τινῶν δὲ Περσικὰ κοκκύμηλα, μέσως ἐστὶν εὔχυλα, θρεπτικώτερα δὲ τῶν μήλων. Φιλότιμος δ' ἐν τῷ τρίτῳ καὶ δεκάτῳ περὶ τροφῆς, τὸ Περσικόν φησι λιπαρώτερον, καὶ κεγχρῶδες εἶναι, χαυνότερον δὲ ὑπάρχειν, καὶ πιεζόμενον πλεῖστον ἔλαιον ἀνιέναι. Persica Diphili, mala sunt: Philotimi, nuces. Quid enim manifestius? Labitur porro nec ignoscendo errore, quia multis in locis scripta veterum medicorum citat, quorum testimoniis constare illi poterat, τὸ Περσικὸν nucis esse genus, quod etiam βασιλικὸν diceretur. Lib. II ex Diocle hæc verba adferuntur: τὰ δὲ Περσικὰ κεφαλαλγητικὰ μέν ἐστιν οὐχ ἧττον τῶν Διὸς βαλάνων, τρέφει δὲ μᾶλλον· καὶ φάρυγγα τραχύνει. Et notandum, quod ait Persicas nuces exasperare fauces. Hoc est, quod dixit Diphilus loco ante citato, τὸ Περσικὸν, λιπαρώτερον καὶ κεγχρῶδες εἶναι, hoc est, τραχυντικόν. Et malè vir magnus καχρυῶδες reponebat. Κεγχρῶδες Græcis idem quod κερχνῶδες. Ut κέρχνωμα, & κέγχρωμα: κεγχρὸς avis & κερχνὶς, ut supra ostendimus. Sic Diocles de juglandibus, & Heracleoticis nucibus: καὶ τρέφει μὲν ὁμοίως ταῖς ἀμυγδάλοις, ἔχει δέ τι κεγχρῶδες, καὶ ἐπιπολαστικὸν, id est, τραχυντικόν τι, quod fauces exasperet. Quo loco vir eruditissimus etiam καχρυῶδες legit. Quod est ineptissimum. Scio quid sit κάχρυς in arboribus, quam etiam habet nucis arbor, & juglans. At nihil hoc ad fructum ipsum attinet. Quod enim καχρυῶδές τι habere dicatur, hoc vel ad formam spectat, vel ad virtutem, ac δύναμιν. Quantum ad formam, nihil καχρυῶδες habet nucis pomum, aut juglandis. De virtute igitur, ac proprietate id accipiendum. Nam & Diocles ita scribit de amygdalis: θερμαντικὰ δὲ, διὰ τὸ ἔχειν κεγχρῶδές τι. Ibi quoque legi vult: διὰ τὸ ἔχειν καχρυῶδές τι. Ergo καχρυῶδες id erit, quod vim, ac virtutem habet τῆς κάχρυος. Quæ κάχρυς cum vim habeat excalfactoriam, καχρυῶδες quoque idem erit quod θερμαντικόν. Sed qualis hæc ratio redderetur, quare amygdalæ calidæ sint. Idem quippe est, ac si diceret: *amygdalæ autem ideo calfaciunt, quia calfaciendi virtutem habent.* Quod esset absurdum. Præterea, cur καχρυῶδες pro eo, quod habet calefaciendi virtutem? An præter cetera specialis hæc vis inest τῇ καλουμένῃ κάχρυϊ? Hoc ex Plinio asseritur, cujus hæc sunt lib. XVI. cap. VIII. *Ferunt robora, & cachryn: ita vocatur pilula in medicina urendi vim habens.* Non possum aliud heîc dicere, quam hæc Pliniana esse, quem virum nihil in his vidisse planè constat. Nec cachrys pilula est: nec in medicina urendi vim habet arborum cachrys, sed semen libanotidis, quod *cachrys* vocatur. Præter fructum ferunt robora, & pilulas diversi generis multas, σφαιρία vocat Theophrastus. De his pilulis egit Plinius capite superiori. Præterea hujusmodi σφαιρία gerunt & κάχρυν, quæ pilulæ instar non habet. Florem esse quercus, & earum arborum, in quibus nascitur, quidam existimarunt. Ceterò generale nomen est omnium καχρυοφόρων ἡ κάχρυς. Sed speciatim singularum κάχρυς suum habet nomen. In robore vocatur βρύον, quasi dicas ἄνθησιν. Nam βρύειν florere significat, & oleæ propriè βρύειν dicuntur, cum florent. Sed & βρύον, quod petris innascitur, id earum est ἐξάνθησις quædam. Hinc βρυάζειν, θάλλειν exponit Hesychius. In nuce Heracleotica dicitur ἴουλον. Hæc est avellana. Theophrastus: τῇ δὲ Ἡρακλεωτικῇ μετὰ τὴν ἀποβολὴν τοῦ καρποῦ φύεται τὸ ῥυῶδες ἡλίκος σκώληξ τὸ μέγεθος. Gaza legisse videtur, φύεται βοτρυῶδες. Nam vertit *racematim quiddam.* Legendum: τὸ βρυῶδες. In pinu, vel picea hoc βρυῶδες appellatur κύτταρος. Hesychius interpretatur τὰ προανθοῦντα στροβίλια. Nihil horum pilulæ simile est, sed longum quid est, æqualiter undique crassum. Jam quod notat vir doctissimus in Athenæum de figura cachrys haberi exemplum apud Theophrastum lib. III Historiarum in sorborum explicatione, sane exemplum illud neutiquam monstrat κάχρυν esse pilulam. Dicit sorbum emittere τὴν καχρυώδη κορύνην, λιπαρὰν, καὶ ἐπῳδηκυῖαν, quæ per totam hiemem durat. Κορύνη, vel κορύνησις est germinatio oblonga, quæ καχρυώδης fit, quum flore obducta est, non uno, nec continuo, sed multis, ac minutis particulis, aut germinibus diviso, aliquando granis, in modum uvæ, aliquando & filis, ut in tilia, aliquando & squamis, ut in nuce avellana, & similibus. Idem Theophrastus lib. III. cap. XVII de colytea frutice Idæo, quem nec fructum, nec florem ferre dicit, sed κορυνώδη κάχρυν, oblongam scilicet κάχρυν in modum κορύνης, gemmas etiam, hoc est, ὀφθαλμούς.

μὲς eamdem habere ait, λεῖες, καὶ λιπαρὲς, καὶ λευκὲς, τῷ σχήματι δὲ καχρυώδεις. Cave censeas σχῆμα illud καχρυῶδες instar pilulæ esse. Oblongam intelligit figuram, & incisuris, vel squamis asperam. Certè vox κάχρυς nec pilulæ significationem ullam habet, nec exemplum Dioscoridis, quod huic rei firmandæ vir doctus valere voluit, quidquam huc facit, ut postea dicam. Adjicit Plinius hoc pilulæ genus, id est, cachryn gigni & in abiete, larice, picea, tilia, nuce, platano, postquam folia cecidere hieme durante. *Continet,* inquit, *nucleum pineis similem. Is crescit hieme, aperitur vere pilula tota.* Hæc ex Theophrasto, cujus mentem non assequitur. Postquam enim Theophrastus aliquot arbores καχρυοφόρες recensuit, speciatim describit τὴν κάχρυν nucis Heracleoticæ, quam ἴελον quidam vocabant. Inter alia dicit: τέτων ἕκαστον τῶν ἰέλων σύγκειται ἐκ μικρῶν μορίων φολιδωτῶν τῇ τάξει, καθάπερ οἱ στρόβιλοι τῆς πεύκης, ὥστε μὴ ἀνομοίαν εἶναι τὴν ὄψιν στροβίλῳ νέῳ, καὶ χλωρῷ. Tum subjicit, ἔτο δὲ αὔξεται τὸν χειμῶνα, καὶ ἅμα τῷ ἦρι χάσκει. Hoc pilula non est, quam Theophrastus scribit esse ἡλίκον σκώληκα εὐμεγέθη. Præterea non continet nucleum pineis similem, sed similis est nuci pineæ, dum adhuc novella est, nisi quod longior, & æqualis ubique crassitudinis. Pineam autem nucem refert sola squamarum serie. Postremo non de cachrye omnium καχρυοφόρων arborum hoc dicit Theophrastus, sed de nucis Heracleoticæ ἰέλῳ. Post cujus descriptionem addit: περὶ δὲ τῆς φιλύρας ἐπισκεπτέον, καὶ εἴ τι ἄλλο καχρυοφόρον. Ceterum ex his arboreis κάχρυσι nulla adeo πυρωτικὴ, ac θερμαντικὴ, ut vim urendi habere dici possit. Hoc de cachry libanotidis verum est, quod pilula non est, sed semen. Ex tribus porro generibus libanotidis una cognominatur καχρυοφόρος, cujus semen dicitur κάχρυ. Et falluntur viri docti, qui κάγχρυ scribunt, & distingui ajunt ab arbore κάχρυϊ. Utrumque κάχρυς dicitur, nec aliter libri scribunt, & Plinius id confirmat, qui confundit. Duo genera libanotidis, alterum ἄκαρπον, alterum κάρπιμον. Ejus, quæ fructum fert, duo item genera: alterius fructus λευκὸς, ἐοικὼς σφονδύλῳ περιφερὴς, γωνίας ἔχων, δριμὺς, ἐκπυρίζων, ἐν δὲ τῷ διαμασᾶσθαι ἐπικαίων τὴν γεῦσιν. Ita Dioscorides. Atque hæc est, cujus fructus vocatur κάχρυς. Altera fructifera libanotis, per omnia priori similis, semen fert πλατὺ, μέλαν ὡς σφονδύλιον, εὐῶδες, ἐ πυρωτικὸν. Cum in omnibus similes sint hæ libanotides, & utræque fructum ferant, cur alterius semen κάχρυς proprie vocatur, alterius non item? Nec enim propter vim urendi puto alteri tributum hoc nomen, quasi vox κάχρυς id proprie significet. A figura seminis hoc nominis illi inditum censeo. Semen illud, quod rotundum est, & angulosum, κάχρυς nomen habuit. Alterius vero semen, quod latum est, & sine angulis, hoc nomine caruit. Ab incisuris igitur illis, quas habet inter angulos, κάχρυ cognominatum est semen libanotidis alterius. Dioscorides de ornithogalo: καὶ μεταξὺ αὐτῶν κεφάλιον ὡς κάχρυ ἐντετμημένον. *Et in medio eorum florum capitulum incisum ad instar cachrys.* Ita vertendum. De cachry libanotidis intelligit, quod ejusmodi ἐντομὰς habet. Sed & hordeum tostum ab eadem ratione, κάχρυς, & καχρύδιον appellatum est, quod hiulcum torrendo fieret. Hesychius: καχρυδίων πεφρυγμένων, κριθῶν κυρίως, καταχρηστικῶς δὲ πάντα τὰ πεφρυγμένα, καὶ βοτάνη ἡ λιβανωτὶς, καὶ τῆς πεύκης ἡ βλάστησις, καὶ πυροὶ τινές. Hordeum ipsum per se, etiam non frictum, striaturis, ac rugis asperum est. Talia & quæcunque torrentur, aspera quippe, ac retorrida fiunt. Hinc πάντα τὰ πεφρυγμένα sic vocari notat. Quin etiam & illud nescio quid, quod in arboribus quibusdam gignitur, & κάχρυς vocatur, ab eadem ratione hanc appellationem meruit, quod ex multis particulis hiantibus squamatim contextum sit, hoc propriè κάχρυς, quod est κάρχυς. Ut κάλχη, κάχλη: κέρχνος, κέγχρος: κερσσὸς, κιρσὸς: κορσὴ, κροσσὴ: θερσός, θάρσος, & similia sexcenta. Sic & κάχρυς, κάρχυς. Quod asperitatem, τὴν τραχύτητα, vel asperum quid significat. Hinc καρχῶδες Hesychio τραχύ. Hinc κάρχαρος idem. Unde καρχαρόδες, & καρχαρίας ὁ τραχεῖς, καὶ ὀξεῖς ἔχων ὀδόντας. Κάρχαι quoque sunt καρκῖνοι, cancri ab asperitate testæ sic dicti. Ex eo ergo semen libanotidis, quod angulosum, & asperum est, κάχρυ appellatum. Et semen hordei, quod & ipsum scabrum, & asperum est, κάχρυς dictum. Et nugantur Grammatici, qui de hordeo tosto interpretantur tantùm. Κάχρυς propriè granum hordei, κάχρυς πεφρυγμένη hordeum frictum. Ut in illo Comici: καχρυδίων πεφρυγμένων. Unde & καχρυδίας ἄρτος panis hordeaceus. Aristophanes in Comœdia Nubibus:

Ἀδεῖν τε πίνοντ' ὥσπερεὶ κάχρυς γυναῖκ' ἀλῦσαν.

Ubi κάχρυς sunt κριθαί. Cum enim cetera semina levia sint, hoc asperum, & scabritie horridum, & rugis striatum. Inde κάχρυς. Simili ratione, ut diximus, & certarum arborum germinatio quædam hoc nomen invenit. Cum igitur ex pluribus rebus, quibus hæc appellatio competit, solum semen libanotidis vim calefaciendi habeat, absurdum esset, generalem τῦ θερμαντικῦ, καὶ πυρωτικῦ significationem eo nomine signatam velle, atque inde arcessere. Κεγχρῶδες, ut dixi, idem quod κερχνῶδες & τραχυντικὸν, vel τραχὺ significat. Nam κερχνῶδες veteribus medicis id dicitur, quod fauces exasperat, & exiguam tussim ciet. Hinc βρώματα κερχνώδεα Galenus dici annotat, ὅσα τραχύνοντα τὴν φάρυγγα βραχεῖαν βῆχα κινεῖ. Hoc autem ait contingere τοῖς λιπαροῖς, καὶ ὀξέσι, καὶ δριμέσι. Atqui suprà multis ostendimus idem esse κέρχνον, & κέγχρον: κεγχρῶδες & κερχνῶδες. Ex eo igitur amygdalas vim excalfactoriam habere colligebat Diocles, διὰ τὸ ἔχειν κεγχρῶδές τι, quod fauces exasperarent, & raucescere facerent, quod facere ferè solent omnia λιπαρὰ, quæ & θερμαντικά. Habent etiam κεγχρῶδές τι, quæ δριμέα sunt. Dioscorides de semine libanotidis, quod urendi vim habet, & commanducatum os incendit, arteriam etiam, ac fauces exasperare dicit, τῷ σπέρματι δὲ εἰς τὰ ἀποστήματα χρῆσθαι δεῖ, τῆς μὴ τὸ κάχρυ φερέσης λιβανωτίδος, δριμὺ γὰρ ἐκεῖνο, καὶ τραχυντικὸν τῆς ἀρτηρίας. Sic amygdala, quia κερχνῶδές τι habet, & τραχυντικὸν τῆς ἀρτηρίας; inde & calida esse dignoscitur. Et hæc indubitata sunt. Hinc de omnibus calidis passim leges, δάκνειν ea, & τραχύνειν τὴν γλῶσσαν, τὴν ἀρτηρίαν, τὴν φάρυγγα. Præcipue quæ acria sunt, & subamara. Quod si quis καχρυῶδες eodem sensu accipere velit, ut certe idem potest significare, non repugnabo. Nam & καχρυῶδες uno, & altero loco in scriptis extare notavit Casaubonus, alibi etiam κεγχρῶδες. Utroque τὸ τραχὺ, vel τραχυντικὸν designatur. Erotianus in Lexico Hippocratis pro κερχνώδη notat legere quosdam καρυκώδη. Ubi forte scribendum καχρυώδη. Ut ad superiora regrediar, Persicæ nuces, & Persica mala differunt, quæ perperam Macrobius confundit. Illud etiam obiter notandum, Persicas nuces Plinio cum juglandibus easdem censeri, quum Græci omnes auctores faciant diversas. Certe quam Latini juglandem vocant, ea Græcorum est Διὸς βάλανος. Nam *juglans* est Jovis glans, ut *Jupiter*, Jovis pater. Cloatius apud Macrobium: *Juglans, D prætermissum est, quasi Diuglans, id est,* Διὸς βάλανος. Ita legendum, quum male sit vulgo, *Di prætermissum est quasi Dijuglans.* Scriptum in optimo libro, quem vidimus, *De prætermissum.* Sed illud *De* positum pro litera D. Sed fallitur Cloatius, nec enim in hoc nomine D litera prætermissa est, non certe magis quam in voce *Jupiter.* Ζεῦς Æolibus, qui diphthongos dividebant, Ζεΰς. Ut παΐς. Tum inserto digammate Ζεβὺς. Inde Latinum *Jovis.* Ut ζυγὸν, *jugum. Joupater* prius dicebant pro *Jovis pater:* ut *jouglans*, pro Jovis glans. At genitivus Διὸς, ex antiquo Δὶς. Arcadius: Ῥὴν τὸ θρέμμα. Δὶς διὸς ὁ Ζεῦς. Hinc Latinum *diespiter* pro *Dispiter*, Δὶς πατήρ. *Jovis* ex Ζεΰς vel Ζεβὺς. Græci igitur τὴν Διὸς βάλανον separant ἀπὸ τῶν Περσικῶν. Diocles apud Athenæum: τὰ δὲ Περσικὰ, κεφαλαλγητικὰ μέν ἐστιν ἐχ ἧττον τῶν Διὸς βαλάνων. Ubi διὸς βαλάνες vocat *Ponticas.* Mnesitheus quoque apud eumdem lib. II τὰ Περσικὰ, & Διὸς βαλάνες apertè distinguit. Theophrastus, qui multis locis meminit Διὸς βαλάνε, quodam in loco etiam τῆς Περσικῆς καρύας mentionem facit veluti diversæ. Ut lib. III. Historiarum cap. VII. Συμβαίνει δὲ ἐπὶ τῆς Περσικῆς τέτο καρύας, καὶ τῆς Ἡρακλεωτικῆς, καὶ ἄλλων. Et lib. II prout citatur ab Athenæo, nam hodie ea verba non extant in his, quæ habemus: ἐπεὶ τῶν γε μειζόνων φανερὰ πάντων ἡ ἀρχὴ, καθάπερ ἀμυγδαλῆς, καὶ καρύων, καὶ τῶν ἄλλων, ὅσα τοιαῦτα πλὴν τῦ Περσικῦ, τέτε δ' ἥκιστα. Persicum ibi de nuce accipiendum,

A non de malo: ut perperam Athenæus. Oppius apud Macrobium in libro de arboribus silvestribus basilicas juglandes nominat, quasi juglandes eædem sint cum basilicis, quæ & Persicæ dicebantur: *Heracleotica hæc nux, quam quidam castaneam vocant, itemque Pontica nux, atque etiam quæ dicuntur basilicæ juglandes, germina atque flores agunt similiter iisdem temporibus, quibus Græcæ nuces.* Hoc est primum, in quo Latini à Græcis scriptoribus diversi abeunt. Jam aliud dixero, in quo non conveniunt. Plinius juglandem eam esse vult, quam Græci καρύαν vocant κατ' ἐξοχήν. *Persicum atque basilicum vocant. Et hæc prima fuere nomina. Caryon à capitis*
B *gravedine propter odoris gravitatem convenit dictum.* Latini quoque *nucem* sic vocant:

---- *si forte nucem dejecerit Eurus.*

Et illud:

Nux ego juncta viæ,

de juglande Latini intelligunt. Græci κάρυον absolutè positum, & Διὸς βάλανον, quæ juglandem, hoc est, Jovis glandem sonat, secernunt. Id ex sexcentis Theophrasti locis colligere est. Unum, aut alterum adducam. Lib. IV. Hist. cap. VI. Οἷον ὁ μὲν Τμῶλος ἔχει, καὶ ὁ Μύσιος Ὄλυμπος πολὺ τὸ κάρυον, καὶ τὴν Διὸς βάλανον. Et lib. III. cap. VII de cachry: ἔχει γὰρ καὶ ἐλάτη, καὶ πεύκη, καὶ
C δρῦς, καὶ ἔτι φιλύρα, καὶ καρύα, καὶ Διὸς βάλανος, καὶ πίτυς. Plinius, quum illum locum verteret, quia τὴν καρύαν, & Διὸς βάλανον eamdem habet, *nucem* tantùm dixit: *gignitur & in abiete, larice, picea, tilia, nuce, platano.* Propterea quod *nux* κατ' ἐξοχήν, & *juglans* Latinis eadem arbor, ideo non eas disjunxit, sicut in Græco segregantur. Eodem libro idem cap. IV de his, quæ in montibus tantum nascuntur: ἐρινεὸς, φιλύκη, ἀφάρκη, καρύα, Διὸς βάλανος. Et mirum est, hunc locum cum citaret Macrobius, eum legere, καρύα, ἢ καὶ Διὸς βάλανος. Et adjicit, *hanc etiam Græci Basilicam vocant.* Hæc erat nimirum Latinorum sententia. Sed apertius distin-
D guit eodem lib. cap. VI: quando arborum fructus maturescunt: κλήθρα δὲ καὶ καρύα, καὶ ἀχράδων τι γένος, μετοπώρου, δρῦς δὲ καὶ Διὸς βάλανος ὀψιαίτερον ἔτι, περὶ Πλειάδος δύσιν. Quærendum igitur quid propriè Theophrastus Διὸς βαλάνων nomine intellexerit. Græci aut Ponticas nuces, id est, avellanas, aut castaneas sic vocarunt. Utrum genus nucis hoc nomine appellavit? Ipse certe veterum Græcorum more Εὐβοϊκὸν vocat, castaneam, & subaudiendum κάρυον. Sic enim lib. I. Hist. cap. XVIII. Τῶν δὲ δένδρων οὐδὲν γυμνόσπερμον, ἀλλ' ἢ σαρκὶ περιεχόμενον, ἢ δέρμασι. Τὰ μὲν δερματικοῖς ὥσπερ ἡ βάλανος, καὶ τὸ Εὐβοϊκόν. Τὰ δὲ ξυλώδεσιν ὥσπερ ἡ ἀμυγδά-
E λη, καὶ τὸ κάρυον. *Corio teguntur glandes, & Euboicæ nuces, id est, castaneæ: ligneo putamine amygdalæ & nuces.* Plinius crusta *glandes tegi, corio castaneas* dicit. Theophrastus utriusque δερματικὸν operimentum tribuit. Τὸ Εὐβοϊκὸν igitur κάρυον Theophrasto castanea est. Quod clare etiam ostendit lib. IV. cap. VII: ubi dicit, πολὺ τὸ κάρυον, καὶ Διὸς βάλανον in Olympo Mysio, & Tmolo reperiri: in Euboea vero & circa Magnesiam τὰ μὲν Εὐβοϊκὰ πολλά, τῶν δὲ ἄλλων οὐδέν. An diversa igitur Διὸς βάλανος, & τὸ Εὐβοϊκόν? Atqui Εὐβοϊκὸν castanea est, nux Euboica; Hesychius: Εὐβοϊκά, τὰ καστάνια. Nicander:

F ---- λόπιμον κάρυόν τε
Εὐβοέες, βάλανόν τε μεταξύτεροι καλέουσι.

Idem Hesychius: λόπιμα, κάστανα, οἱ δὲ Εὐβοϊκά. Extitere tamen & quidam ex Græcis, qui Διὸς βαλάνους de castaneis interpretarentur. Hesychius: Διὸς βάλανοι. Ἕρμιππος φορμοφόροις.

Τὰς δὲ Διὸς βαλάνους, καὶ ἀμύγδαλα σιγαλόεντα.

Τὰ καστάνια τινὲς δὲ Ποντικὰ λέγουσιν, ἢ Ἡρακλεωτικά. Ita legendum. Pollux de castaneis: ἔνιοι δὲ ταῦτα καὶ Διὸς βαλάνους ὑπὸ τῶν ποιητῶν κεκλῆσθαι νομίζουσιν. Plinius quoque
G id testatur, vocatas nimirum Διὸς βαλάνους è castanearum genere, quæ sativæ essent. Locus hodie ita legitur in editionibus lib. XV. cap. XXIV de castaneis. *Sardibus hæ provenere primum. Ideo apud Græcos Sardianos balanos appellant. Nam Divus Tiberius postea balanum nomen imposuit excellentioribus satu factis.* Thuanæus librorum optimus, & Rigaltianus eo loci legunt: *nam Divus balanum postea imposuere excellentioribus statu factis.* Pronum est rescribere: *nam Dius balanum postea imposuere,* hoc est, Διὸς βάλανον. Quod & Turnebus olim conjecerat è scriptis, ut apparet codicibus. Hujusmodi sativas castaneas hodie *marrones* vocamus, reliquis communibus *castanearum* nomen mansit. Theophrastus quoque ipse nomine τῶν Διὸς βαλάνων castaneas intellexit, licet Εὐβοϊκὰ κάρυα de iisdem castaneis sæpe dicat. Lib. III. cap. X. Historiarum de oxye, sive cerro: ὁ δὲ καρπὸς λεῖος, βαλανώδης ἐν ἐχίνῳ, πλὴν ἀνάκανθος, καὶ λεῖος, καὶ οὐχ ὥσπερ ἡ Διὸς βάλανος ἀκανθώδης. Sic legendus ille locus. Dicit cerri glandem in echino inclusam esse, sed minimè aculeato, ut Διὸς βάλανος, hoc est, castanea: cujus calices *echini* propriè dicuntur, quod spinis obsiti sint ut echinus, vel ericius. Sic Διὸς βάλανος Theophrasto castanea est. In eadem sententia est Geoponicῶν auctor multis locis. Ex Damogeronte hæc refert lib. X. Τὸ κάστανον, ὅ τινες Διὸς βάλανον καλοῦσι. Et alio loco, ubi veteres appellationes fructuum cum recentioribus comparat: βασιλικὸν τὸ νῦν παρ' ἡμῖν λεγόμενον κάρυον. Κάρυον δὲ ἐστὶ Ποντικὸν, τὸ λεπτοκάρυον. Διὸς βάλανος ἐστὶ τὸ κάστανον. Alii Ponticas nuces, sive avellanas Διὸς βαλάνους appellatas volunt. Nec minima caterva sic sentit. Multi certè veterum Grammaticorum in ea opinione. Athenæus: Ἑρμῶναξ δὲ καὶ Τιμαχίδας ἐν γλώσσαις Διὸς βάλανον φασὶ καλεῖσθαι τὸ Ποντικὸν κάρυον. Illud constat Ponticam nucem Græcorum esse Latinorum avellanam. Plinius: *Ceteris quidquid est, solidum est, ut in avellanis & ipso nucum genere, quas antea abellinas patriæ nomine appellabant. In Asiam, Græciamque è Ponto venere, & ideo quod Ponticæ nuces vocantur.* Ita legendus ille locus. Macrobius de avellana, quam & Prænestinam ait dictam: *Hanc autem nucem Græci Ponticam vocant.* Plinius de Catone: *adjicit præterea avellanas, & calvas Prænestinas, quas maxime laudat & condiitas Pollis in terra virides tradit.* Sic legendum, ac distinguendum. Nam vulgo legitur: *Galbas, Prænestinas.* Genus avellanæ Prænestinum *calvum* dicebatur, quod in summo minus barba tectum esset. Nam id genus nucis molli barba, vel capillo protegitur. Plinius: *has quoque mollis protegit barba.* Quæ barbam illam non habebant in hoc genere, *calvas* vocabant, quales erant Prænestinæ. Totum genus Græci λεπτοκάρυον vocant. Prænestinarum mentio apud Athenæum, sed locus vulgo extat vitiatus. Sic enim legitur lib. II. Καλεῖται δὲ τινὰ καὶ μοσηνὰ κάρυα. Lege, πραινεστῖνα κάρυα. Glossarum auctor *calvas* interpretatur Ποντικὰ πεφρυγμένα. Nimirum calvas non natura intelligit, sed tostura factas. Sed id repugnat Catonis verbis, qui virides condi tradit, & Prænestinas ita vocatas ostendit, quæ calvæ naturaliter essent, hoc est, sine barbæ operimento. Jam & illud porro constare debet Heracleoticam nucem, & Ponticam eamdem esse. Super hoc dubitare nos non sinit, quod de ea multis locis scribit Theophrastus, sed omnium maximè id evincit descriptio ejus, quæ habetur lib. III. Historiarum, cap. XV, *& dictæ Heracleoticæ ab urbe Ponti celeberrima.* Latè itaque errat doctissimus ille Oppius apud Macrobium, qui Heracleoticam nucem à Pontica separat, & castaneam interpretatur. *Heracleotica hæc nux, quam quidam castaneam vocant, itemque Pontica nux.* Διὸς βάλανον Græcorum Ponticam esse nucem multorum est apud Græcos opinio, ut suprà vidimus. Pollux, ut habent ejus scripti codices: ἢ τὰ λεπτὰ κάρυα ἃ καὶ Διὸς βαλάνους καλοῦσι. Addit mox de castaneis: ἔνιοι δὲ ταῦτα καὶ Διὸς βαλάνους ὑπὸ τῶν ποιητῶν κεκλῆσθαι νομίζουσι. At nemo Græcorum, quod sciam, Διὸς βαλάνους ea notione accepit, qua Latini nucem juglandem, qui eo nomine id appellant, quæ Græcis est καρύα. Servius: *Nuces in tutela sunt Jovis. Unde juglandes appellantur, id est, Jovis glandes.* Profectò longè similior glandi videtur minuta nux, præcipuè quæ longa est, quam nux juglans. Nam si avellanæ superiorem calicis partem detrahas, & inferiorem relinquas, glandis formam planè effeceris in calice suo adhuc extantis. Hinc βάλανον μυρεψικὴν Dioscorides tradit similem esse τῷ Ποντικῷ καρύῳ. Diocles sanè apud Athenæum Heracleoticas nuces vocari Διὸς βαλάνους apertè ostendit his verbis: τὰ δὲ Ἡρακλεωτικὰ καλούμενα, καὶ Διὸς βάλανοι, τρέφει μὲν οὐχ ὁμοίως τοῖς ἀμυγδάλοις, ἔχει δέ τι κεγχρῶδες. Qui falli Athenæum putant, falluntur ipsi. Heracleo-

cleoticæ, & Ponticæ eædem. Qui Heracleoticas pro castaneis acceperunt, hinc videntur decepti. Διὸς βαλάνους castaneas appellari quidam putaverunt, alii Heracleoticas nuces. Inde Heracleoticas pro castaneis sumpsere nonnulli. Hæc cum sint, Theophrastus tamen auctor gravissimus Heracleoticam nucem, & Διὸς βάλανον sejungit lib. III. Hist. cap. VI. οἱ μὲν γὰρ καὶ δρῦν ἀνθεῖν οἴονται, καὶ τὴν Ἡρακλεωτικὴν καρύαν, καὶ Διὸς βάλανον. Qui, ut suprà diximus, Διὸς βάλανον castaneam vocat. Quatuor sunt species γνησιώταται nucum, quæ hoc nomen sibi vindicant. Græci eas sic nominant, τὸ κάρυον, τὸ λεπτοκάρυον, τὸ ἀμύγδαλον, καὶ τὸ κάστανον. Ausonius, qui quinque genera facit, pineam nucem his quatuor generibus videtur adjungere.

Et duplici defensa putamine quinque genus nux.

Alii, qui quatuor genera nucum tantum faciunt, quarum *nucleus* propriè dicitur, quod intus est, castaneas ab hoc censu excludunt, & glandibus adscribere malunt. Apicius: *De nucleis hoc: nuces majores, nucleos pineos, amygdala, avellana.* Vox κάρυον Græcis de amplissimo illo genere absolutè sumitur, quod Latini *juglandis nucis* nomine indigetant. Apicius *majores nuces* vocat, ut Græci quoque μεγάλα κάρυα. Philiscus Comicus:

Ὁ Πειραιεὺς κάρυον μέγ᾽ ἐστὶ καὶ κενόν.

Græci passim μεγάλον κάρυον de hac nuce dicunt. Hoc genus nucis nomine Latini absolutè appellarunt. Plinius: *ab his locum amplitudine vindicaverunt, quæ cessere auctoritate nuces juglandes.* Oleum caryinon è nucibus juglandibus fieri alibi tradit. Sic, quod Græcè κάρυον, hoc Latinis *nux juglans.* Græci contrà τὴν Διὸς βάλανον in genere τῶν λεπτοκαρύων posuerunt, quæ & *Pontica* nuces, & *Heracleoticæ* appellatæ sunt, Latinis *avellanæ*, & patriæ nomine *Prænestinæ*, & *Tarentinæ*, vel etiam castaneam sic vocarunt. Nec novum hoc est Latinis, ut vocem à Græcis acceptam in alia, quam Græci, significatione usurpent. Id in vocibus ἀνδρὼν, ξυστὸς, πρόθυρον jam olim observavit Vitruvius, & nos in aliis quam plurimis. Nunc videndum de Persicis nucibus, cui generi sint asserendæ, τῶν καρύων, an λεπτοκαρύων. Plinius nucem juglandium optimum genus esse dicens, nucibus eas, non avellanis contribuit. Dioscorides est in eadem sententia περὶ καρύων βασιλικῶν, quæ & *Persica* nominata scribit, & nuces juglandes intelligit Latinorum, quibus subjungit τὰ Ποντικὰ, quæ sunt λεπτοκάρυα. Idem tradit καρύινον ἔλαιον ἐκ τῶν βασιλικῶν καρύων συντίθεσθαι. Quod Plinius ex nucibus juglandibus fieri dixit. Diphilus apud Athenæum: τὰ δὲ Ποντικὰ κάρυα κεφαλαλγῆ, ἧττον δὲ ἐπιπολαστικὰ τῶν βασιλικῶν. Per Ponticas nuces intelligit avellanas, & λεπτοκάρυα: per βασιλικὰ juglandes. Hæ Oppio dicuntur *basilicæ juglandes.* Theophrastus quoque τὰ βασιλικὰ inter nuces reponit lib. III. causarum, cap. II. Ubi dicit τῶν Ἡρακλεωτικῶν solidum, ac densum putamen esse, at τῶν βασιλικῶν μανώτατον τὸ πέριξ, καὶ ἥκιστα συμφυές. Hoc de nucibus accipi debet, quas, ut ait Plinius, *natura compactili operimento clausit: namque sunt bifidi putaminum carina.* Pollux: κῶνοι, φοίνικες, κάρυα, κάρυα τὰ οὐκ ἔχοντα διαφυὴν, εἴη δ᾽ ἂν ταῦτα τὰ λεπτοκάρυα, ἢ μᾶλλον τὰ καστάνια ὀνομαζόμενα. Certè nec minuta nux, quam λεπτοκάρυον Græci vocant, nec castanea διαφυὴν habent, seu de castanea, non de minuta nuce intellexit Xenophon, cujus locum allusit Pollux. Verba Xenophontis hæc sunt è quinto Ἀναβάσεως de Mossynœcis: κάρυα δὲ ἐπὶ τῶν ἀνωγαίων ἦν πολλὰ τὰ πλατέα, οὐκ ἔχοντα διαφυὴν μηδεμίαν, τούτῳ καὶ πλείστῳ σίτῳ ἐχρῶντο ἕψοντες. Κάρυα πλατέα sunt castaneæ, quæ situ, ac facie planæ sunt, non prorsus rotundæ, sed amygdalæ etiam planæ, & aliquanto etiam planiores quam castaneæ. Ideo, ut distingueret, addidit, οὐκ ἔχοντα διαφυὴν μηδεμίαν, nam amygdalæ ab uno latere speciem quamdam διαφυῆς præferunt: castaneæ, ac minutæ nuces omnino nullam. Πλατέα κάρυα Græci castaneas propriè vocant, non amygdalas. Diocles apud Athenæum lib. II. Τὰ δὲ πλατέα φυσωδέστερά ἐστιν. De amygdalis non posse exponi manifestum ex eo est, quod paulo ante eas nominavit, & qualitatem earum notavit. Quare verba Philotimi apud eumdem sic legenda sunt: τὸ πλατὺ, τὸ καὶ καλούμενον Σαρδιανὸν δυσκατέργαστόν ἐστιν. Nam *Sardianum* κάρυον

A castaneam vocabant. Vulgata etiam retineri potest: τὸ πλατὺ, καὶ τὸ καλούμενον Σαρδιανὸν, δυσκατέργαστά ἐστιν. Duas species recenset castanearum generis. Τὸ πλατὺ, & τὸ Σαρδιανόν. Ut Sardiana rotundior fuerit, altera figuræ planioris. Plinius lib. XV. cap. XXIII. Cujus locum pessimè affectum vulgo sic emendandum judico ex vestigiis veteris scripturæ: *Tarentinæ faciles, nec operosæ cibo, figura rotundior. Quæ balanitis vocatur, purgabilis maximè, & sponte prosiliens pura. Plana est & Salariana, Tarentina minus tractabilis.* Interpunctio nostra, lectio Thuanæi codicis. Nisi quod habet: *est eis alariana.* Tarentinas dicit minimè operosas esse ad edendum, B quarum figura rotundior, quæ vero *balanitis* vocatur à figura glandis, eam maximè purgabilem esse, hoc est, facillimè purgari, & echino suo exui, ita ut sponte prosiliat pura: planam esse & Salarianam, & Tarentina minus tractabilem. Sic apud Græcos Sardianæ, ut omnium optimæ, figura rotundiores fuisse videntur, communes vero facie planæ. Hinc τὸ πλατὺ κάρυον Philotimo de communibus, Σαρδιανὸν de optimis. Hoc verum est. Ceterùm & διαφυῆ carent minutæ nuces, quam habent basilicæ juglandes. Plinius de avellanis, & minutis: *quarum putamini, nucleisque solida rotundi-* C *tas inest,* πυκνὸν τὸ κέλυφος καὶ συμφυές. Falsus est igitur auctor glossarii veteris, qui *calvam* interpretatur κάρυον βασιλικόν. Nam *calva nux* è genere τῶν λεπτοκαρύων. Hæ basilicæ nuces etiam Persicæ dictæ. Philotimus apud Athenæum alimentis tradit τὸ Περσικὸν λιπαρώτερον καὶ κεγχρῶδες εἶναι, χαυνότερον δὲ ὑπάρχειν, καὶ πιεζόμενον πλεῖστον ἔλαιον ἀνιέναι. Quod de nuce juglande debet exponi. At enim Theophrastus τὸ κάρυον propriè dictum distinguit ἀπὸ τοῦ Περσικοῦ. Sic enim apud Athenæum verba ejus referuntur: Τῶν γε μειζόνων φανερὰ πάντων ἡ ἀρχὴ καθάπερ ἀμυγδαλῆς, καὶ καρύου, καὶ τῶν ἄλλων ὅσα τοιαῦτα πλὴν τοῦ Περσικοῦ. Specie, non genere Persicam nucem à nuce D secernit, ut Διὸς βάλανον ἀπὸ τῆς Εὐβοϊκῆς. Nam Διὸς βάλανος juxta ipsum, & nux Euboïca species sunt ejusdem generis, id est, castaneæ arboris. Sic *Persica* nux species optima nucis juglandis, quam & *basilicam* dixerunt, & pro generis nomine posuerunt antiquissimi quique medici, qui de alimentis scripserunt. Suevius in Moreto è Perside in Græciam allatum hoc genus ab iis, qui cum Alexandro Magno in Asia militarunt. Atqui longe ante Alexandri Magni tempora τὰ κάρυα in Græcia, Italiaque notissima. Ergo certam tantùm speciem, quæ præstaret ceteris, inde translatam con- E stat. Sed novos fructus tum datos dicit:

---- genus hoc prælatis finibus Grajis

Deseruere, novos fructus mortalibus dantes.

Atqui non adeò hæc species à genere suo differt, ut propterea novum, atque antea inusitatum fructum Græciam tunc vidisse dici queat. Quinetiam veteres medici, ut suprà notamus, τὰ Περσικὰ, & τὰ βασιλικὰ pro nucibus ponunt, speciem pro genere. Plinius quoque totum genus è Perside translatum significat his verbis de juglandibus: *& has è Perside regibus translatas indicio sunt Græca nomina. Optimum quippe genus earum Persicum atque basilicon vocant.* Ita legitur in optimo F Thuanæo. Nam Rigaltianus habet: *e Perside regionibus.* Quod esset, *è Perside regionibus.* Sed illud verius. Nam quod è Perside translatæ, Persicæ dictæ: quod à Regibus, *basilicæ.* Hæc mens Plinii. Pollux *Persicas* nuces prius dictas, posteà *basilicas* innuit. Περσικὰ κάρυα, ἃ νῦν βασιλικά. Verùm enimvero non genus totum, ut Plinius innuit, sed hanc tantùm speciem, quæ *Persica* est appellata, è Perside in Græciam traductam fuisse certum est. Fabulam de caryæ origine antiquissimam apud Servium legere est ad Eclog. VIII. Ὀρφὴ, Λυκὼ, & Καρύα sorores, & filiæ Dionis Laconiæ regis & Iphitheæ. Harum Carya à Libero amata in monte G Taygeto mutata est in arborem sui nominis, cum arctius à sororibus suis custodiretur: *Caryam vero quam amaverat, in eodem monte in arborem sui nominis vertit, quæ Latinè nux dicitur. Quod postea Diana ita factum Laconas docuit, unde templum Caryatidi Dianæ a Laconibus consecratum.* Hæc postrema ita legenda sunt. Aliam hujus consecrationis rationem refert vetus interpres Statii: *Caryæ templum Dianæ in Laconia sacrum, quod etiam*

Caryatium nominatum est ex hac causa. Quum luderent Virgines, minitante ruina, omnis chorus in arborem nucis fugit, & in ramo ejus pependit, quam nucem Græci caryan vocant. Lege: *quod etiam caryatin vocant.* Hesychius: καρυᾶτις ἑορτὴ Ἀρτέμιδος, καὶ ἱερόν. Hæc ex antiquissimis Græciæ fabulis petita satis ostendunt, quam antiqua res in Græcia fuerit nucis arbor, quum tradat Suevius ætate Alexandri Magni in Græciam è Perside translatam fuisse Persicam, sive basilicam nucem. De certa itaque specie, non de toto genere eum intellexisse fidem ipse faciat hoc versu:

Mollusca hæc nux est, ne quis forte inscius erret.

Certum genus nucis sic vocabant, quod molliori essent putamine. Plautus apud Macrobium:

Molluscam nucem super ejus impendere tegulas.

Plinius: *& præterea molluscæ putamen rumpentes.* Antiqui dicebant *mollus* pro mollis: ut *hilarus*, *acrus*, & similia. Inde *molluscus*. Genus quodam aceris etiam *molluscum* appellarunt, quod minus erat crispum, & intortum, ideoque mollioris materiæ. Putavi aliquando de his Persicis nucibus, quæ Persica vocat Suevius, capiendos esse versus istos Columellæ ex horto:

---- prunisque Damasci
Stipantur calathi, & pomis, quæ barbara Persis
Miserat, ut fama est, patriis armata venenis.
At nunc expositi parvo discrimine læti
Ambrosios præbent succos oblita nocendi.
Quin etiam ejusdem gentis de nomine dicta
Exiguo properant mitescere Persica malo.

Priores versus vulgo de Persea accipiunt, Ægypti arbore peculiari, posteriores de malis Persicis. Quos ego de nucibus Persicis aliquando sumebam, quia priores illos omnino de Persicis malis intelligi debere sciebam. Frustra quippe in horto suo Columella id genus arboris plantari præciperet, quod extra Ægyptum non nascitur. Ita enim omnes scribunt. Galenus lib. II. τῶν πάνυ Perseam in Alexandria solam sibi visam memorat. De vulgaribus itaque pomis, & quæ ubique tum nascerentur, loqui Columellam existimandum est. Poma certe illa, quæ è barbara Perside missa dicit, Persica mala sunt, non Perseæ arboris fructus. Quod enim de his scribit, in Perside venenata fuisse, & noxam exuisse mutato solo: hoc etiam de Persicis quidam scriptum reliquere. Legendus autem sic ille versus:

At nunc exposito patriæ discrimine, læta
Ambrosios præbent succos oblita nocendi.

Vulgaris lectio mendosissima. *Exposito discrimine patriæ*, exuto, ac deposito patriæ veneno. *Exponere* pro deponere tralaticium. Plinius de Persicis: *falsum est venenata cum cruciatu in Persis gigni, & pœnarum causa a regibus translata in Ægyptum terra mitigata. Id enim de Persea diligentiores tradunt, quæ in totum alia est myxis rubentibus similis.* Columellam taxat Plinius. Non dubium tamen est quin & de Persicis nonnulli auctores hoc idem tradiderint, quos Columella sequitur. Quænam igitur sunt illa altera Persica, de quibus agit in his sequentibus?

Quin etiam ejusdem gentis de nomine dicta
Exiguo properant mitescere Persica malo.

Et vitium est in his verbis manifestarium. Legendum enim:

Exiguo properant mitescere præcoca malo.

Certum est è Plinio ita corrigendum esse. Inter Persicorum genera numerat & *præcocia*, quæ æstate maturescunt. Sed in Plinio legendum in capitis lemmate: *de Persico, genera* VII. Nam septem, non quatuor ponit: *Persica*, & *Duracina*, quibus palmam è Persicis tribuit. *Gallica*, & *Asiatica* nationum cognomine. *Præcocia*, quæ æstate maturescunt. *Supernatica*, quæ è Sabinis veniebant, & *popularia*, quæ undique. In libro indicis recte legitur: *Persicorum genera septem.* Columella in horto quatuor tantum genera recenset. *Persica* sic proprie dicta, in patria sua Perside venenata, translatu, ac satu mitigata. Ab eadem gente *præcoqua*, exiguo malo, properantia maturescere. Ea sunt, quæ hic reposuimus. Sequitur apud eumdem de Gallicis & Asiaticis:

Tempestiva manent, quæ maxima Gallia mittit,
Frigoribus pigro veniunt Asiatica fœtu.

Supernatica & popularia omisit. Duplex nota præcocium, & quod properant mitescere, & quod exigua sunt. Dioscorides statim post Persica recenset Πραικόκια. Τὰ δὲ μικρότερα, καλούμενα δὲ Ἀρμενιακά, ῥωμαϊστὶ δὲ Πραικόκια, εὐστομαχώτερα τῶν προειρημένων εἰσί. *Armeniaca* & *præcocia* eadem facit; Plinius, & Columella diversa. Hic in horto:

Armeniis & cereolis, prunisque Damasci
Stipantur calathi.

Plinius quoque *Armeniaca* prunorum generi adscribit. Aliis, ut dixi, *Armeniaca*, & *præcocia* eadem sunt. Auctor Geoponicῶn: Ἀρμενιακὸν ἐστὶ τὸ βερίκοκκον. Quod enim Armeniaca in prunorum genere recenset cum Columella Plinius: *præcocia* quoque prunis adnumerant multi. Suidas: κοκκύμηλον εἶδος ὀπώρας, τὸ παρ' ἡμῖν λεγόμενον βερίκοκκον. Quin & Persica ipsa de prunorum genere esse placuit plerisque. Diphilus Siphnius apud Athenæum: Περσικὰ λεγόμενα μῆλα, ὑπὸ τινῶν δὲ Περσικὰ κοκκύμηλα. Persica mala quibusdam Persica pruna nuncupata. At præcocia è Persicorum genere. Ergo & Armeniaca, quæ modo prunis, modo malis accensentur. Cloatius coccymelum ipsum inter malorum genera reponit, quod prunum significare notum est: forte inductus ratione nominis, quod κόκκυγος μῆλον dicitur. Nicander: Μῆλον ὃ κόκκυγος καλέουσι. Inde igitur Armeniaca à præcocibus Persicis videntur distinxisse Plinius, & Columella, quod præcocia Persicis malis adscriberent nonnulli, Armeniaca verò prunis. Atqui & Persica ipsa pruna potius dicenda, quam mala, plures sibi meritò persuaserunt. Plinius de prunis: *nec non ab externa gente Armeniaca, quæ sola & odore commendantur, peculiari impudentia nucibus insitorum, quæ faciem parentis succumque adoptionis exhibent appellata ab utroque nucipruna.* Ita scribendum illum esse locum auctoribus libris credidi. Sic enim habet Rigaltii eruditissimi codex. Hæc Armeniaca nucibus insita eadem omnino cum præcocibus Persicis, quæ eodem modo insita vocabantur *Nucipersica*. De his intellexit Martialis hoc disticho:

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis,
Nunc in adoptivis Persica cara sumus.

Reposuerunt in priore versu, quasi ex libris, *fueramus Persica*. Quod non debuit. Repetitio illa ingrata auribus & absurda. Præterea ab ingenio imperitorum librariorum profecta est, qui cum *præcoca* legerent, nec intelligerent, *Persica* inde fecerunt. Quod in Columellæ versu etiam admissum fuisse vidimus. *Præcoca*, ut *cocus*, *coci*, & *cocinatoria vasa*, & *cocina* pro coquina. Græci, qui Latinas voces ad Græcam formam, & sonum sæpenumero deflectunt, ex illo *præcoca* suum illud βερίκοκκα concinnarunt. Quo nec abstinuit Artemidorus: τὰ Περσικὰ καὶ βερίκοκκα. In lemmate distichi Martialis etiam corrigendum: *præcoca nucipersica*. Hæc sunt *Armeniaca nucipruna* Plinii. *Præcoca*, vel *præcocia* Persica sunt, atque ita dicebantur. *Persica præcocia*. Ut *Persica duracina*, *Persica Asiatica*. Atque ita de ceteris. Hæc *præcoca*, nucibus insita, dicta sunt *præcoca nucipersica*, non *Persica nucipersica*, ut perperam habet vulgatum lemma. Eadem & *nucipruna*. Nam & *Persica*, & *præcocia Persica*, quidam prunis adjungebant, quæ eadem cum Armeniacis. Quoniam heic sumus, & hoc agimus, nihil nocebit, & doctorum hominum æstum explicare super arboris Perseæ, & Persicæ discrimine, & quæ de utraque confuse à veteribus sunt tradita, distincte exponere, quandoquidem & hoc ad Plinii nostri illustrationem non parum pertinet. De Persica arbore scribit ille lib. xv. cap. XIII in hæc verba: *Persicæ arbores sero & cum difficultate transiere, ut quæ in Rhodo nihil ferant, quod primum ab Ægypto carum fuerat hospitium.* Hæc habet è Theophrasto, qui multis locis testatur hoc genus arboris ab Ægypto in Rhodum translatum, sine fructu in ea insula provenire, quem in Ægypto prædulcem fert. Sed quod mirandum sit, nusquam Περσικὸν μῆλον, aut Περσικὴν μηλέαν nominat Græcus auctor, sed semper, aut Πέρσιον, aut Περσίαν, aut Περσέαν. Lib. II. Historiarum, cap. III. καθάπερ καὶ τὸ Πέρσιον τὸ ἐξ Αἰγύπτου, καὶ ὁ Φοῖνιξ ἐν τῇ Ἑλλάδι. Negat fructum in Græcia ferre τὸ Πέρσιον Ægyptiacum, & palmam. Idem lib.

lib. III. cap. V. Περσίαν vocat. Ὥσπερ ἐπί τε τῆς Περσίας ἔχει καὶ τῶν Φοινίκων. Ἡ μὲν ἐν Αἰγύπτῳ καρποφορεῖ καὶ εἴπερ τῶν ἄλλων τόπων, ἐν Ῥόδῳ δὲ μέχρι τοῦ ἀνθεῖν μόνον ἀφικνεῖται. At lib. II causarum, cap. IV, eamdem arborem Περσέαν appellat: τὰ δὲ βλαστάνει μὲν, ἄκαρπα δὲ γίγνεται, καθάπερ ἡ Περσέα ἡ Αἰγυπτία περὶ Ῥόδον. Ecquis porro dubitet quin hæc Persica, vel Persia Ægyptia, quæ fructum Rhodi ferre non potest, eadem sit cum illa Persea, quam Theophrastus idem late describit inter arbores Ægypti peculiares lib. IV. Historiarum, cap. II? Etenim, quam multis locis strictim attigit, ac nominavit tantum, ibi totam ejus historiam, naturamque depinxit. Hæc quum ita sint, Plinius tamen; qui inter Persicam, & Perseam latum esse discrimen agnoscit, ceteris illis locis, ubi dicit Theophrastus Persiam, vel Perseam Ægyptiam in Rhodum translatam non fructiferare, de Persica arbore id interpretatus est. In ipsa vero describenda, ubi & Περσέα similiter vocitatur, de Persea accipit, quam in totum aliam esse contendit. Hujus descriptionem ipsis Theophrasti verbis totam contexit lib. XIII. cap. IX. Ubi tamen libri scribunt: *Ægyptus & Persicam arborem sui generis habet, similem pyro*, &c. Atque ita etiam editi. Dalecampius legit *Perseam* ex Theophrasto. Sed cum ubique Περσέαν, & Περσίαν Theophrasti de Persica arbore intellexerit, cur non & heîc Περσέαν vertit *Persicum*? Indicis quoque liber ad hunc locum præfert scriptum. *Arbor Persica*. Eodem tamen capite sub finem, quo loco legunt editi, *circa Thebas hæc, ubi & quercus, & Persica, & oliva*, ibi libri omnes scripti ostendunt: *ubi & quercus, & Persea*. Et in Theophrasto: δρυμὸς μέγας περὶ τὸν Θηβαϊκὸν νομὸν, ὅπερ καὶ δρῦς, καὶ ἡ Περσέα πλείστη, καὶ ἡ ἐλαία. Cur tam diverse? Quum Perseam à Persica aliam esse doceat, cur heîc eadem statuit? Immo cur Persicam à Persea distinguit apud Theophrastum, quando certum sit auctorem illum hæc tria vocabula Πέρσιον, Περσίαν & Περσέαν de una eademque arbore usurpasse? Profecto Πέρσιον male videtur scriptum pro Πέρσεον. Sic σμυρνίον pro σμύρνειον genus herbæ, & κενταύριον pro κενταύρειον. Inde apud poëtam:

---- *graveolentia centaurea.*

Τὰ κενταύρεια. Hodie κενταύριον scribunt omnes. Ita τὸ Πέρσιον positum est pro Πέρσεον. Similiter & Περσία scriptum pro Περσεία. Id clarè ostendunt versus Clearchi apud Athenæum lib. XIV de tragematis, sive bellariis, qui sic legendi sunt:

> Ἄμης, πλακοῦς, ἐνίλατος, ἴτριον, ῥοά,
> Ὠὸν, ἐρέβινθος, σήσαμα, κοπτή, βότρυς,
> Ἰσχάς, ἄπιος, περσέα, μῆλ', ἀμύγδαλα.

Ubi τὰ Περσέα sunt mala Persica. Nam τὸ Πέρσεον pomum dicitur, ἡ Περσεία, vel Περσέα arbor ipsa. Malè legitur Περσία, quod versus respuit. Posidonius Stoicus in libro Historiarum apud eumdem Athenæum: φέρει δὲ καὶ τὸ Πέρσεον ἡ Ἀραβία, καὶ ἡ Συρία, καὶ τὸ καλούμενον βισάκιον. Scribitur ibi quoque Πέρσιον. Quod tamen ratione non caret. Nam Πέρσιον sic dicitur de malo Persica, ut Λύκιον de spinæ quodam genere in Lycia nascente, quod & *pyxacanthon* dixere. Sic etiam Μήδιον genus herbæ, quod e Media translatum, & Σκύθιον Dioscoridi de glycyrrhiza, quam & Σκυθικὴν πόαν, vel Σκυθικὴν ῥίζαν alii vocant. Ergo & Πέρσιον, arbor Persica, vel malus Persica. Arbor ipsa Περσέα, ut μηλέα. Περσείην vocat Nicander:

> Σκληρὰ ἀπὸ Περσείας κάρυα.

Et de Persica arbore intellexit, Dioscoride teste. Pro definito itaque tenendum est vetustissimos Græciæ auctores Περσέαν, & Πέρσεον vocitasse semper id genus arboris, quod recentiores Græci Περσικὸν, & eos secuti Latini *Persicam arborem*, & *mala Persica* nuncuparunt. Ita certe vocarunt Theophrastus, Posidonius, Nicander, Clearchus, aliique antiquissimi. Nec audiendi fortasse viri docti hujus ætatis, quibus placet Nicandrum Perseam cum Persica arbore confudisse. Vetus ejus Scholiastes notat è Socratis libris περὶ δακετῶν καὶ ἑρπετῶν, *Perseum* arborem, quam ῥοδακινέαν dicunt, ex Æthiopia in Ægyptum translatam fuisse. De Persica intellexit, non de Persea. Nam ῥοδακινέα eadem cum Δωρακινέᾳ, quæ Persica est. Vetus Lexicon Latinum ἀνέκδοτον ita scribit: Περσέα, Ῥοδακινέα, &

A Περσικὰ μῆλα, τὰ Ῥοδακινά. Transpositis literis vocarunt Ῥοδακινά, quæ aliis Δωρακινά, hoc est, Persica Duracina. Atqui, quæ ex Æthiopia translata est, Persea ea videtur potius esse, quam Persica malus. Nam Perseam in Ægypto tantum, & Æthiopia nasci tradit gravissimus auctor Strabo lib. XVII de Ægypto: ἡ δὲ Περσέα ἐνταῦθα μόνον καὶ παρ' Αἰθίοψι, δένδρον μέγα, καρπὸν ἔχον γλυκύν. Idem de Æthiopia: πλεονάζει δὲ τῶν φυτῶν, ὅ τε φοίνιξ, καὶ ἡ Περσέα, καὶ ὁ ἔβορος. Ex Æthiopia igitur in Ægyptum translata Persea. At Persica ex Perside in Græciam. Alii mirifice hæc confundunt, ac

B turbant. Nicander canit Perseæ arborem è Cephei regno, ac regione in Græciam advectam:

> Σκληρὰ ἀπὸ Περσείης κάρυα βλάβος οἷον ἐρύξει
> Περσεὺς ἦν ποτε ποσσὶ λιπὼν Κηφηΐδα γαῖαν,
> Αὐχέν' ἀποτμήξας ἅρπῃ γονόεντα Μεδούσης
> Ῥεῖα Μυκηναίοισιν ἀνηέξησεν ἀρέσσας
> Κηφῆος νέα δῶρα.

Sub quo cæli axe regio illa Κηφηὶς, & regnum Cephei censenda fuerint, haud convenit inter auctores. Alii de Æthiopia accipiunt, quam & Κηφηνίαν inde dictam volunt, & Κηφῆνας Æthiopas à Cepheo. Isti sunt, qui Perseum ex Æthiopia in Græciam, vel, ut non-

C nulli scribunt, in Ægyptum Perseam arborem transtulisse asserunt. Plinius de Persea, quam male à Persica arbore distinguit: *eam quoque eruditiores negaverunt ex Perside propter supplicia translatam, sed à Perseo Memphi satam.* Alii Κηφηνίαν eamdem esse cum Chaldæorum regione autumant. Qui sic dicti olim fuerint à Cepheo Andromedæ patre. Stephanus: Χαλδαῖοι, οἱ πρότερον Κηφῆνες ἀπὸ Κηφέως τοῦ πατρὸς Ἀνδρομέδας, ἀφ' ἧς καὶ τοῦ Περσέως τῆς Δανάης καὶ Διὸς Περσεύς. Hæc Chaldæorum regio circa Babylonem ad Euphratem fluvium in Persidis regno. Quinimmo & Persas à Perseo denominationem, & originem sumpsisse plerisque Græco-

D rum creditum. Quum igitur ferè inter omnes constet Perseam arborem à Perseo in Græciam translatam, ex Cephenia soceri Cephei regione, juxta eorum sententiam, qui regionem eam in Persarum ditione collocant, consequens est, & ex Perside genus illud ὀπώρας adjectum fuisse, sed à Perseo, unde & nomen sumpsit. Nam à Περσεὺς Πέρσεος, ut ab Ἀχιλλεὺς, Ἀχίλλειος: à Προμηθεὺς, Προμήθειος. Unde Προμήθειον πῦρ, & Ἀχίλλειος δρόμος, Ἀχίλλειοι κριθαί. Ita & Πέρσεον δένδρον, & μῆλον. Πέρσεον, & arbor ipsa Περσείη, & Περσέα. Nicander δένδρον Περσεῖον ἐπώνυμον vocavit. Nec enim

E *Persea* à Perside potest deduci, sed à Perseo dicitur. Recentiores Περσικὸν etiam appellarunt, quia translatum à Perseo ex Cephenia soceri sui regione, quæ juxta quosdam ἐν τῇ τῶν Περσῶν ἐπικρατείᾳ fuit. Sed hoc posterius: nondum enim ibi Persæ regnabant, sed primò Cephenes à Cepheo, mox Chaldæi. Jam id primum constare debet veteres Græcos Περσέαν & Πέρσεον appellasse, quod recentiores Περσικόν. Etenim genus arboris aliud fuit, quod antiquiores illi Περσικὸν nominabant, & longe à Persea diversum, vel Persica arbore notissima. Quod recentioribus *Citrum* & κίτριον dictum est, hoc veteres Περσικὸν & Μηδικὸν μῆλον dixere. Theophrastus apud Athenæum ex lib. IV planta-

F rum Historiæ: Ἡ δὲ Μηδία χώρα, καὶ ἡ Περσὶς ἄλλα ἔχει πλείω, καὶ τὸ μῆλον τὸ Περσικὸν, ἢ Μηδικὸν καλούμενον. Vide reliqua. Malum citrium sic vocatum veteribus ex Athenæo, & aliis constat, & revera hoc genus mali è Perside in Græciam migrarat. Antiphanes Comicus apud eumdem:

> Νεωστὶ γὰρ τὸ σπέρμα τοῦτ' ἀφιγμένον
> Εἰς τὰς Ἀθήνας ἐστὶ παρὰ τοῦ βασιλέως.

Quum igitur veteres illi Persicum malum vocarent τὸ κίτριον, hoc nomen nusquam usurparunt de Persico malo recentiorum, sed Πέρσεον illud nominabant, & Πέρσιον, arborem vero ipsam Πέρσεαν, & Περσέαν, quam à

G Perseo in Græciam allatam fuisse credebant. Quum hoc certum sit, immo certissimum, quæsierit heîc aliquis, cur igitur recentiores Græci *Perseam* veluti Ægypti peculiarem, & generis sui arborem, à Persica malo passim distinguunt, si Persea veterum eadem cum Persica recentiorum? Facile expediri potest hæc quæstio. Alia Persea communis apud veteres, alia Persea Ægypti; ut alia συκάμινος vulgaris, alia συκάμινος

 Ægy-

Ægyptia, quam & συκόμορον appellitabant: alia porro & *ficus Ægyptia*, siliquam arborem sic dicebant, alia ficus ita propriè appellata: alia denique ἄκανθος Græciæ, alia acanthus Ægypti. Multas peculiares, & sibi proprias arbores habuit Ægyptus, quæ nusquam alibi nascebantur. Iis Græci quum nomina indere vellent, ex suarum arborum aliqua similitudine, quam habere videbantur, eas denominarunt, ut morum Ægyptiam, ficum acanthum, cum diversi tamen generis arbores essent in Ægypto, quæ hoc nomen tulerunt. Idem de Persea dicendum. Hæc arbor hoc nomine olim Græciæ nota à Perseo translata, vel ex Æthiopia, vel ex Perside, unde & Persicam recentiores appellarunt. Nicander, Posidonius, Clearchus Πέρσαν nominant, & de Persea, sive Persica Græciæ intelligunt, arbore utique nec satu morosa, & natu facillima, & ubique ferè proveniente, & quæ, ubicunque provenerit, fructum ferat. Ejus porro nomen & Ægypti peculiari arbori communicatum est ob aliquam, ut videtur, similitudinem, licet in totum alia sit. Non Perseam tamen simpliciter, sed cum epitheto patriæ nominarunt. Ita enim semper Theophrastus τὸ Πέρσιον ἐξ Αἰγύπτε, & Περσέαν τὴν Αἰγυπτίαν vocitat, ut nimirum distinguat à Persea communi. Sic ἄκανθον Αἰγυπτίαν & ἄκανθον ἐξ Αἰγύπτε appellat, ut ab acantho vulgari secernat. Ita & συκάμινον τὴν Αἰγυπτίαν, & ἐξ Αἰγύπτε sycomorum appellat, quæ in totum diversa est à sycamino, vel moro aliarum regionum. At ævi medii Græciæ scriptores, postquam eam, quæ veteribus *Persea* vocabatur, ipsi *Persicam* passim nominare cœperunt, τῆς Περσέας appellatio in Ægyptia Persea remansit. Inde *Perseam* simpliciter vocarunt eam arborem Ægypti, quæ veteribus *Persea Ægyptia* dicebatur, quia nulla opus erat amplius epitheti adjectione discrimini utriusque arboris notando, quum Perseam vulgarem Persicam jam nuncuparent. Latissimè itaque Plinius errat, qui Περσέαν τὴν Αἰγυπτίαν Theophrasti, quæ in Rhodo ferax non erat, de Persica arbore accipit, quam in Græcia jam olim, & ubique locorum, quibus provenit, fructiferam esse constat. Sed de Persea Ægypti manifesto loquitur, quum Περσέαν τὴν Αἰγυπτίαν etiam disertim appellat, cùm eam ex Ægypto in Rhodum insulam transferre conati, vix ac ne vix quidem evincere potuerunt, ut ibi fructum ferret. Et consentiunt omnes, etiam Plinius ipse Perseam illam extra Ægyptum nasci nolle, aut si nascatur, feracem non esse. Falsa igitur illa Pliniana, nec ex Theophrasti mente: *nam Persicæ arbores serò & cum difficultate transierunt, ut quæ in Rhodo nihil ferant, quod primum ab Ægypto earum fuerat hospitium.* Hoc de Persea Ægyptia verum est, non de Persica communi, quæ temporibus Theophrasti passim in Græcia, & cum fructu proveniebat, licet in libris, qui hodie extant, nulla fiat ejus mentio, vel descriptio. Sed quam multa ex libris Historiæ Plantarum Theophrasti citantur Athenæo, quæ in operibus ejus de plantis, quorum copiam hodie habemus, non reperiuntur. Ut illa de Persico, vel Medico malo, sive citro, quæ paulo ante retuli, quæque Athenæus affert ex quarto τῆς περὶ φυτῶν ἱστορίας, in hodiernis ejus libris eodem titulo non extant. Sed Perseam vulgarem, hoc est, Persicam novisse illum, & cognitissimam tunc in Græcia fuisse, vel ex eo colligitur, quod Περσέαν τὴν ἐξ Αἰγύπτε, & τὴν Αἰγυπτίαν, cum adjuncto patriæ semper nominet ad differentiam alterius Perseæ communis. Sed etiam si concederemus nullam aliam eum scivisse Perseam præter Ægyptiam, de eadem certe ubique eum loqui statuendum est, non alibi de *Persica*, alibi autem de *Persea*, ut Plinius voluit. Perseam Ægyptiam descripsit Theophrastus lib. IV. cap. II, & ex eo Plinius lib. XIII. cap. IX. Quæ in Græcis vertendis peccavit Latinus auctor, hîc obiter animadvertam: Græca Theophrasti: καρπὸν δὲ φέρει πολὺν, καὶ κατὰ πᾶσαν ὥραν πεπαίνει. Περιλαμβάνει γὰρ ὁ νέος τὸν ἔνον, πέττει δὲ ὑπὸ τὰς Ἐτησίας. Hæc sic Latine Plinio reddita: *fertilitas assidua & subnascente crastino fructu, maturitas etesiarum afflatu.* Nescio quid velit. Certè non hoc volunt Græca. Κατὰ πᾶσαν ὥραν fructum ferre, & maturare vult Theophrastus. Non id significat, quotidie fructum in Persea subnasci, & maturescere. Κατὰ πᾶσαν ὥραν est omni tempore anni, vere, æstate, autumno, hieme. Ideo addit; περιλαμβάνει γὰρ ὁ νέος τὸν ἔνον, *novus fructus annicutum semper deprehendit.* Plinius ὥραν in Græco scriptore, non de tempore anni, sed de hora diei interpretatus est. Verùm quia ἀδύνατον videbatur, ut omnibus horis fructum ederet, ac perficeret, de diebus saltem accepit, & crastinum fructum subnasci dixit, qui omnibus diebus novus nasceretur. Ridiculè. Idem tamen etiam alibi in re simili eamdem loquutionem sic reddidit. Theophrastus de Medica, vel Persica arbore: φέρει δὲ τὰ μῆλα πᾶσαν ὥραν, τὰ μὲν γὰρ ἀφῄρηται, τὰ δὲ ἀνθεῖ, τὰ δ' ἐκπέττει. Plinius ita vertit: *arbor ipsa horis omnibus pomifera est, aliis cadentibus, aliis maturescentibus, aliis vero subnascentibus.* Atqui πᾶσαν ὥραν in Græco est πάντα καιρὸν. Rectius Oppius de eadem arbore apud Macrobium: *generantur autem in Perside omni tempore mala citrea, alia enim præcarpuntur, alia interim maturescunt.* Τὰ μὲν ἀφῄρηται, τὰ δ' ἐκπέττει. Servius de eadem: *hac arbor citri omni pæne tempore plena est pomis, quæ in ea partim matura, partim acerba, partim adhuc in flore sunt posit.* Sequitur apud Theophrastum de fructu Perseæ: ἔστι δὲ μέγεθος ἡλίκον ἄπιος. Τῷ σχήματι δὲ πρόμακρος, ἀμυγδαλώδης, χρῶμα δὲ αὐτῷ ποῶδες, ἔχει δὲ ἐντὸς κάρυον ὥσπερ τὸ κοκκύμηλον, πλὴν ἔλαττον πολὺ, καὶ μαλακώτερον. Plinius: *pomum longius piro, inclusum amygdalæ putamine & corio, colore herbido, sed ubi nux illi, huic prunum differens brevitate, & mollitie.* In paucis verbis quam multa peccata. Cœlum à terra non distat longius, quam à Plinianis Theophrastea dissident. Ille ἀμυγδαλώδη Perseæ fructum vocat, qui figura longior est, ad instar amygdalæ: τῷ σχήματι πρόμακρος, ἀμυγδαλώδης. Hic *inclusum amygdalæ putamine, & corio* intellexit. Quo nihil falsius. Figuram, & formam amygdalæ designat illa vox ἀμυγδαλώδης. Ut omnia ad eum modum facta vocabula. Atqui falsa illa interpretatione seductus in fructu Perseæ lignum foris esse scripsit lib. XV. cap. XXVIII. *Aliquorum intus bacca, foris lignum, ut his, quæ in Ægypto diximus gigni.* De pomo Perseæ intelligit. Quin & genus amygdalæ illud pomum facit, eodem capite: *aliquorum lignum ipsum in usu & pomi vice, ut generi amygdalæ, quam in Ægypto diximus.* Perseam designat. Libri tamen eo loco legunt: *ut generi mygdis, quam in Ægypto diximus.* In aliis, *mydis.* Vulgata rectè habet, nisi legas, *ut generi myxa.* Nam Perseæ pomum myxis rubentibus simile esse alibi dixit, minimè in hoc sibi ipsi concinens. Nam myxæ pomum amygdalæ corio, ac putamine clausum non est: nec in ea, quod intus est, manditur, sed quod extra, ut in prunis, Persicis, atque etiam Perseæ pomis. Certe *myxa* ex genere prunorum, vel prunis admodum similia. Lexicon Jatricon vetus: Μύξα τὰ καὶ μυξάρια δένδρε καρπός ἐστι, μικρότερος μὲν τῶν κοκκυμήλων, δυνάμει δὲ παραπλήσιον. Isidorus in originibus *nixa* vocat κατὰ φθοράν. Sic *mattam* veterum hodie *nattam* vocamus: & *mappam, nappam.* Sic *binyxi lychni* apud Anastasium, & polynyxoi, οἱ δίμυξοι καὶ πολύμυξοι. Verba ejus hæc sunt, si quis requirit: *coccymela, quam Latini ob colorem prunum vocant, alii a multitudine enixi fructus, nixam appellant, cujus generis Damascena melior à Damasco oppido.* Aperte *nixam* appellat, quæ *myxa* est, cujus & fructus μύξον, vel μυξάριον, & eam arborem cum pruno eamdem facit, quam veteres Græci κοκκυμηλέαν vocarunt. Recentiores Damascenam, pro genere speciem usurpantes, ut in Persica nuce fecerunt, & basilica. Auctor collectaneorum Geoponicῶν: κοκκύμηλον ἐστιν, ὃ νῦν καλοῦμεν Δαμασκηνόν. Ab hoc diversa *myxa*, sive *nixa*, ut vocat Isidorus. Sed hæc alibi. Si ἀμυγδάλινον porro, aut ἀμυγδαλόεντα appellasset Theophrastus fructum Perseæ, ratio Plinium non fugisset vertentem, *amygdalæ corio, & putamine.* Sic Πισσάκια ἀμυγδαλόεντα Nicandro. Quæ sequuntur, evincunt hallucinatum esse Plinium: ἔχει δὲ ἐντὸς κάρυον ὥσπερ τὸ κοκκύμηλον: *lignum intus habet, haud secus ac prunum.* Si pomum Perseæ habet lignum intus, ut prunum: non habet lignum foris, ut perperam scribit Plinius. Ita enim & Persicum malum lignum intus habet, carnem, quæ manditur, extra. Nec aliter pomum Perseæ. Et inde *Perseam* hanc arborem Ægypti videntur appellasse Græci, quod pomum haberet Perseæ, sive Persicæ malo quadamtenus simile. Τὸ κάρυον in Persea nihil aliud est quam

quam lignum, quod intus habetur, ut in pruno. Nicander ita etiam vocat:

Σκληρὰ ἀπὸ Περσείης κάρυα.

Abbreviator Athenæi lib. 11 notat Atticos, πάντα τὰ ἀκρόδρυα vocasse κάρυα, id est, poma omne genus. Forte τὰ ὀστώδη tantum, vel τὰ ὀστᾶ τῶν ἀκροδρύων. Hinc & κάρυον de nuce, quod similis sit. Certè ἀκρόδρυα, & ὀπώρας sic distinguunt Græci scriptores Rei Rusticæ, ut Latini nuces, & poma. Ἀκρόδρυα ea quippe vocanda proprie censent, quæ foris lignum habent. Hæc eadem & κάρυα. Quæ Nicander κάρυα Περσείης vocat, Dioscorides, quum ejus locum transcriberet, τὰ ὀστᾶ τῶν Περσικῶν dixit. Ita & κάρυον τῆς Περσέας Theophrasto est τὸ ὀστοῦν. Cujus rei ignoratio Plinium turpissimè delirare adegit, dum κάρυον pro vera nuce accipit. Ita igitur locum intellexit, quasi Perseæ pomum nucem edulem haberet intus, quæ nux pruno similis, vel reapse prunum. Ita enim scribit: *sed ubi nux illi, huic prunum differens brevitate, ac mollitie.* Sic legendum ex libris, non *pomum.* Amygdalæ corio, & putamine tectum esse Perseæ malum dicit, sed quod in amygdala nux est, hoc in Persea prunum esse, differens tantum brevitate, & mollitie à vero pruno. Hic sensus Plinii est. Quo nihil absurdum magis, & à bono sensu alienum fingi poterat. Hinc *baccam* alibi vocavit nucem illam interiorem, vel prunum, quod in Perseæ pomo amygdalæ putamine coopertum est: *aliquorum intus baccæ, foris lignum, ut his, quæ in Ægypto diximus.* Perseam intelligit. Atqui dicit Theophrastus Perseæ pomum intus lignum habere pruni ligno simile, nisi quod brevius sit, & mollius quam τὸ ὀστοῦν pruni. Colore herbido, & facie amygdalæ pomum illud Perseæ idem ait esse, quod non malè ad fructum Persicæ nostræ possit referri. Nam & amygdalæ pænè similis est, quantum ad exteriorem cutem attinet, præcipuè quum adhuc est immaturus. Cujusdam etiam generis, & quum maturum est, pomum herbacei coloris. Sed quomodo Plinium cum semetipso conciliabimus, qui heîc è Theophrasto scribit Perseæ Ægyptiæ pomum coloris herbidi esse, τὸ χρῶμα ποῶδες, alibi autem tradit rubentibus myxis simile? De maturo fortasse heîc loquitur, quod & rubescit, Theophrastus de immaturo, quod viride est. Ita enim ille scribit: τὸν δ᾽ ἄλλον ὠμότερον ἀφαιροῦσι καὶ ἀποτιθέασι. Ἔστι δὲ μέγεθος ἡλίκον ἄπιον, τὸ σχῆμα δὲ πρόμακρον, ἀμυγδαλῶδες, χρῶμα δὲ αὐτοῦ ποῶδες. *Reliquum pomum immaturius præcarpunt & condunt. Est autem magnitudine piri, specie oblonga, & amygdalam referens, colore vero herbido.* Folium porro habere simile piro dicit. At Plutarchus linguæ. Quod idem est. At Persicæ mali folium longius est, & angustius. Non dubium quin arborem illam Ægypti peculiarem Perseam appellarint à similitudine Perseæ, sive Persicæ, quam Perseum ex Æthiopia in Græciam attulisse, alii ex Perside autumant. Inde & *Persicam* recentiores appellarunt. Quin & Plinius hoc loco in describenda Persea Ægyptia Persicam eam vocavit: *Ægyptus Persicam arborem sui generis habet.* Nam ita etiam in indice. Sic alibi morum Ægypti, συκάμινον τὴν Αἰγυπτίαν, sui generis arborem esse scribit, utpote quæ ficus ferat, non mora. Quin & Perseam ipsam Ægyptiam è Perside translatam fuisse auctores sunt quidam. Ergo & Persica etiam dici potest. Dioscorides de Persea: ἔστι δὲ ἱστορησάν τινες ἐν Περσίδι ἀναιρετικὸν εἶναι. Μετατεθὲν δὲ εἰς Αἴγυπτον, ἀλλοιωθῆναι. Hoc ipsum & de Persea traditum narrat Plinius, sed eruditiores prodit dicere à Perseo Memphi satam. Immo plerique eruditorum dixere à Perseo satam Mycenis ex Æthiopia, vel Perside allatam. Inter quos est Nicander, qui quum τῆς Περσείης meminerit in Theriacis, & Alexipharmacis, quod in Theriacis tradit τῇ Περσέᾳ genus phalangii innasci, quem κρανοκολάπτην appellant, hoc Dioscorides de Persea Ægyptia accepit, ea præcipuè quæ in Thebaïde nascebatur. At quod idem in Alexipharmacis posuit, τὰ Περσείης κάρυα cum oleo trita adversus cerussam sumptam valere, hoc Dioscorides de Persica intellexit, & Περσικῶν τὰ ὀστᾶ reddidit. Inde hæc confusio nata videtur, quod utrumque genus Ægyptiacum, & Græcanicum antiquissimi Græci τῆς Περσείας nomine appellarunt, recentiores autem alte-

A rum *Persicum*, alterum *Perseam* nominarunt. Atque hæc hactenus. Κάρυα Atticos τὰ πάντα ἀκρόδρυα vocitasse ex Athenæi epitomatore suprà notabamus. Hoc sensu & Latini *poma.* Quo nomine & nuces etiam comprehendunt quidam. Inde & κάρυον Græcis absolutè pro nuce juglande, non à capitis gravedine, ut perperam nugantur Grammatici, cum omnium pomorum lignum interius sic vocarint. *Nucerem* antiqui Romani dicebant, ac declinabant. Id ex Græco est μύκηρος. Et μύκηρ, *nucer, nuceris.* Ut ὤκιμον, *ocinum.* Nam omnes libri Varronis, & Catonis, etiam Plinii, *ocinum* appellant, non *ocimum.* Sic *myxa, nyxa.* Hesy-

B chius: μύκηρος, ἀμυγδαλῆ. Τινὲς δὲ μεγάλα κάρυα. Ita legendum. Τὰ μεγάλα κάρυα sunt nuces juglandes, quæ distinguuntur ἀπὸ τῶν λεπτοκαρύων. Laconibus ita vocatas nuces etiam auctor Athenæus. *Pomum igitur* generale nomen est περὶ τῆς παντοίας ὀπώρας. Plinius lib. XV. cap. XXVIII de succorum differentiis omnium pomorum: *& hactenus sint species, ac genera pomorum: naturas artius colligi par est. Alia siliquis gignuntur, ipsis prædulcibus, semenque complexis amarum: cum in pluribus semina placeant, in siliqua damnentur.* Ergo & in ceratia arbore siliqua pomum est. Idem de siliqua arbore lib. XIII.

C *Trunco & ipsa fertilis, sed pomum siliquat.* Ἐλλοβίζει ὁ καρπός. Vel legendum: *sed pomum siliqua.* Sequitur ibidem: *alia baccis, quarum intus lignum, & extra caro, ut olivis, cerasis.* Igitur hæc propria baccarum definitio, quarum intus lignum, extra caro est. Sic pruna, mala Persica baccæ essent. Nam hac eadem definitione censentur. Sed subjungit statim: *aliquorum intus baccæ, foris lignum, ut his, quæ in Ægypto diximus.* Lege, ut est in libris: *sed aliquarum intus baccæ, foris lignum,* id est, aliquarum baccarum, non pomorum. Et confirmat quod sequitur: *quæ baccis, eadem natura & pomis.* Ubi dicit aliis pomis intus corpus, & foris

D lignum: aliis intus lignum, & foris corpus. Eadem scilicet & natura baccis. Aliquarum intus lignum, & extra caro, ut sunt cerasa, & olivæ: *aliquarum intus baccæ, foris lignum,* ut his, quæ in Ægypto gignuntur. De Persea loquitur. Sed hoc exemplum de baccis, quæ intus corpus habent, foris lignum, claudicat in Persea, ut suprà multis ostendimus. Nam intus lignum habet, extra carnem. Præterea Perseæ fructus baccis adnumerari non debet, aut etiam debent prunorum omne genus, & Persicorum, quæ ipse in pomis numerat, non in baccis. Postremo, quod ait, *aliquarum intus esse baccas, foris lignum,* & exemplum

E affert Perseæ Ægyptiæ, per *baccas* non intelligit nucleum, ut perperam docti viri censent, sed carnem baccarum exteriorem. Nam quæ in aliis baccis caro extra est, eam carnem, id est, baccam ipsam intus esse vult in Persea. Et baccam vocat, quod Theophrastus κοκκύμηλον. Putavit enim Theophrastum dicere Perseæ arboris fructum amygdalæ putamine, & cortice clausum esse, intus autem habere pruni carnem. Hoc est, quod heîc ait aliarum baccas intus esse, hoc est, pruna ipsa, quæ baccæ sunt. Non quod pruna baccis accenseat, sed baccam ideo appellat prunum illud, quod intra Perseæ lignum latere inclusum

F sibi imaginatus est, quia pruno brevius id esse dicere Theophrastum putavit: ὥσπερ τὸ κοκκύμηλον, πλὴν ἔλαττον πολὺ, καὶ μαλακώτερον. Igitur *bacca* proprie est, quæ pruno longè minor. Et sanè *baccas* semper de minoribus pomis usurpat. Nec audiendi Grammatici, qui poma silvestria sic propriè dici asserunt. Nam cerasa, & olivæ baccæ sunt, nec sunt silvestrium arborum fructus. Silvestres arbores ut plurimum etiam minores fructus ferunt, ideo baccæ frequentiores in silvestribus, non proprie tamen *bacca* silvestris est fructus. Plinius de zizyphis, & tuburibus primus utraque at-

G tulit, *Divi Augusti novissimis temporibus in castris sata, baccis similiora quam malis, sed aggeribus præcipuè decora, quoniam in tecta jam silvæ scandunt.* Ita scribendus ille locus è libris. Aggeres viæ sunt publicæ stratæ tam in urbe, quàm extra urbem. Arbores intra urbem in iis aggeribus juxta domos plantabantur, ut in tecta scanderent. Zizypha & tubures ad hunc usum præcipuè expetebantur, etiam malus Medica, vel citrus. Plinius: *aliis expetitum domos etiam decorans.* Idem de lo-

to,

A to, sive faba Græca: *præcipuè domibus expetitur ramorum petulantia, brevi caudice latissima expatiantium umbra, & in vicinas domos sæpe transilientium.* Cum igitur dicat zizypha, & tubures baccis similiora esse, quam malis, sola brevitate differunt à pomis baccæ. Theophrastus baccas vocare videtur ἀκρόδρυα. Sic enim habet in characterismo τοῦ βδελυροῦ: καὶ πληθούσης τῆς ἀγορᾶς προσελθὼν πρὸς τὰ κάρυα, ἢ τὰ μῆλα, ἢ τὰ ἀκρόδρυα τραγηματίζεσθαι ἅμα τῷ πωλοῦντι προσλαλῶν. Vides τὰ ἀκρόδρυα à nucibus, & malis distinguere. Mala, sive poma Grammatici à nucibus sic discernunt, quomodo suprà ostendimus. Ἀκρόδρυα igitur baccæ sunt, hoc est, fructus silvestres, & minores, quos à pomis, & nucibus separat. Nec probo, B quod vulgo vertunt: *& reliquos fructus omnis generis.* Quod verum esset, si legeretur, καὶ τὰ λοιπὰ ἀκρόδρυα. Sic enim apud Berosum: Φοίνικας, μῆλα καὶ τὰ λοιπὰ ἀκρόδρυα.* Alii eam differentiam constituunt inter ἀκρόδρυα, & ὀπώραν, quam Latini inter nuces & poma, ut ἀκροδρύων nomine nuces omnis generis intelligantur, & ii fructus propriè, qui lignum habent extra. Hinc Epitomator Athenæi notat Atticos κάρυα appellasse πάντα τὰ ἀκρόδρυα. Sic enim scribit: οἱ Ἀττικοὶ, καὶ οἱ ἄλλοι συγγραφεῖς, κοινῶς πάντα τὰ ἀκρόδρυα κάρυα λέγουσι. Incertum est, utrum per ἀκρόδρυα intelligat omnes C omnino fructus arboreos, qui foris lignum habent, & qui intus. An eos tantùm, qui exteriorem habent corticem ligneum, & intus id, quod edule. Auctores Geoponicôn hoc sensu accepere. Nam, ut dixi, ἀκρόδρυα ea tantum interpretantur, quæ τὸ ξυλῶδες foris habent. Quo in genere nuces omnes sunt. Alii ἀκρόδρυα de omnibus arboreis frugibus usurparunt. At Theophrastus, qui ἀκρόδρυα à malis, & nucibus separat, eo nomine baccas, & fructus silvestres censuerit. Tarquitius Priscus de arboribus infelicibus apud Macrobium: *alternum, sanguinem, filicem, ficum atram, quæque baccam nigram, nigrosque fructus ferunt.* Non omnis fructus D arboreus bacca est, ideo distinguit. Corrigendum & eo loco obiter: *alaternum, sanguinum, filicem, ficum.* Alaternus arbor, quæ neque fructum, nec semen fert. Ideo inter infelices. *Sanguinus* ea est, quam Plinius *sanguineum fruticem* vocat, & inter infelices numerat. Alibi *sanguineas virgas* appellat. *Sanguinus* vocatur in veteribus Longobardicis legibus. Alia poma acinis constant, ut uvæ, quæ pomorum generi contribuuntur, eæ saltem, quæ ad esum parantur, quas τρωξίμους Græci vocant. Tales *duracinæ* à duriore acino sic dictæ, ut Persica *duracina* à duriore carne. Cerasa inter baccas, E & acinos medii generis esse idem scribit. Et post hæc omnia etiam notandum est, non solum de omnibus arboreis fructibus, qui modo edules essent, hoc nomen pomi veteres usurpasse, sed etiam quidquid vice pomi manderetur, hac appellatione donasse. Plinius: *aliquorum lignum ipsum in esu, & vice pomi, ut generi amygdalæ, quam in Ægypto diximus.* Et sub finem capitis: *in papyris, & ferulis, spinaque alba caulis ipse pomum est. Sunt & ficulni caules in fruticoso genere cum caule capparis.* Boletos & tubera vocat *poma* Martialis. Ita enim de boletis:

---- *tuberibus poma secunda sumus.*

F Varro de R. R. lib. I. capite *de pomis condendis*, quomodo servanda sint rapa præcipit, quasi & rapa poma sint. *Servare*, inquit, *rapa confecta in sinape, nuces juglandes in arena, punica mala & in arena jam decerpta ac matura.* Hac præcipuè ratione glandes inter poma numerari posse negat Plinius, quia homini edules non essent. Proinde & baccæ silvestrium arborum, quæ propter acerbitatem esui esse non possunt, nec poma dicenda sunt. Ex his omnibus constare potest, quam propriè loquutus sit Solinus, & Latinè, qui balsami arboris fructum pomum indigetavit. Nam nec pomum, nec bacca est, sed semen, idque ad ci- G bum non utile. Multæ arbores nec pomum, nec baccam ferunt, sed semen tantùm, τὸ σπέρμα. Ut ulmus, salix, buxus, & aliæ. In his est & balsami arbor. Aliæ ne semen quidem ferunt, & in totum sunt infrugiferæ, ut tamarix, & alaternus, quæ & infelices propterea habitæ. Aliorum semen intrà pomum conclusum est, ut pyris, malis, & omni ferè pomorum generi. Certè semen pomum non est.

Pag. 47. C. *Apud quæ pomum, quod gignitur, habeat licet speciem maturitatis*] Ita edidimus adstipulantibus omnibus libris. Vulgo edebatur: *apud quæ pomum gignitur, quod habeat speciem licet maturitatis.* Notat Camers vetusta exemplaria habere, *apud quem.* Ut referatur ad lacum, sed non potest. Et nullus eorum, quos vidimus, librorum sic legit. *Specimen* est τὸ δεῖγμα. *Specimen maturitatis habere* dicuntur, quæ maturitatem ostendunt, quam revera non habent. Ceterum hæc aliunde sumpsit Solinus, quàm ex Plinio. Nihil enim de hoc apud eum, quod meminerim. Tacitus lib. v. Historiarum: *nam cuncta sponte edita, aut manu sata, sive herba tenus aut flore, seu solitam in speciem adolevere, atra & inania velut in cinerem vanescunt.* Quid est *in solitam speciem adolescere*? An non, & herbæ, & flores solitæ sunt species? Lego: *seu solidam in speciem adolevere.* Ita vocat fructum.

Ambitio tantum extima cutis cohibet] Ita suprà. *Ambitio tergorum bubulorum.* Et apud alios, *ambitio vestis*, ὁ ἀμφιασμὸς, quæ corpus ambit.

Interiora Judææ, quæ occidentem continentur, Esseni tenent] Cum adspiratione scribunt hoc nomen libri Pliniani, & Solini, *Hesseni.* Fortassean & ita Græci scripserint, Ἑσσηνοὶ & Ἑσσαῖοι. Nam ἀπὸ τῆς ὁσιότητος hoc nomen deducunt. Aliis Ὀσσηνοὶ & Ὀσσαῖοι dicti, ut rectè observavit Scaliger. Non tantum quod *Cholem* pro *scheva*, & contrà sæpe usurpant Hebræi, sed quia Græci in exoticis nominibus non raro mutant E in O. Ut ὀρκύνιος δρυμὸς, qui aliis ἑρκύνιος. *Hercynia silva.* Sic in aliis plerisque similes mutationes tralaticiæ. Ἐδυμαίους, & Ἰδυμαίους recenset Stephanus. Νάσιβις, & Νίσιβις, & Νέσιβις dicta. Ἀσσηδόνες, Ἐσσηδόνες, & Ἰσσηδόνες iidem populi. Epiphanius cum Ὀσσηνοὺς, & Ἐσσαίους alibi legisset, quos Ἐσσηνοὺς & Ἐσσαίους alii vocarant, diversos fecit αἱρεσιώτας *Ossenos*, & *Essenos.* Certum tamen est Ossenorum sectam ab Essenis non fuisse diversam. Profectò nomen idem est. Atqui de Ossenorum secta multa narrat, quæ ab Essenorum proposito quadamtenus aliena videantur esse. Non mirum tamen hoc debet videri. Omnia tempore mutantur. Paucæ sectæ puritatem instituti ad ultimum servarunt. Quod tempus vel hæresiarcha, si forte in Essenorum, vel Ossenorum institutis, ac moribus immutarunt, hoc Epiphanius nominibus separavit, ut alii fuerint Esseni, alii Osseni. Aliter antiqui Esseni vixerint, aliter novi. Hos Ossenos veluti ab illis Essenis veteribus diversos ideo posuerit auctor ille. Quod in eo non mirabitur, qui illum satis noverit. Scribit idem Elxaï quemdam cum fratre Jexæo sese adjunxisse Ossenis Trajano imperante, qui ut pseudopropheta non pauca in ea secta innovaverit, & ab instituto deflexerit. Ut ut sit, & quidquid fidei hæc mereantur, certe *Elxaï*, & *Jexæus* nomina sunt propria, nec habent quidquam commune cum Essæis, vel Ossæis. Quos Ossæos, ut eosdem cum Essæis esse constet, eadem pleraque in utraque αἱρέσει licet deprehendere. Ossenos præterea in eadem regione collocat, ubi Essenos coluisse tradunt antiqui scriptores. Juxta mare mortuum Judææ inferiora ad orientem eos habitasse scribit Plinius. Ibi & Ossenos ponit Epiphanius, sed in Peræa. Eos Sampsitis, vel Sampsæis vicinos facit, & συναιρεσιώτας. Καὶ Ὀσσηνῶν τὸ πλῆρωμα οὐκ ἔχει Ἰουδαΐζον, ἀλλὰ συναφθὲν Σαμψίταις τοῖς ἔτι ἐξ ὑπολοίπου οὖσιν ἐν τῷ πέραν, τῆς νεκρᾶς θαλάσσης ὑπερκειμένοις. Alibi tractum illum Περαίαν vocat. Sampsitæ illi, vel Sampsæi dicti ab urbe Sampsa Arabiæ. Viri docti magis arbitrantur appellatos, quasi ἡλιακοὺς. Sed nihil prohibet, quin oppidum ipsorum dictum sit Σάμψα, vel ab eadem ratione. Sic Σαρακηνοὶ vocati quasi λῃσταί. Nam vox Σαρὰκ Arabicè id sonat. Nihilominus urbs eorum Σάρακα Ptolemæo, unde ipsi nominati Σαρακηνοὶ typo ἐθνικῷ, & Arabibus sollemni. Sic Σαμψίται ἐθνικὸν, ut Σαμαρεῖται. Iidem & Σαμψαῖοι. Essenos eos fuisse vel inde liquere volunt, quod solem adorarent, ut Esseni: idque nomen ipsum testari. Sed falsum est Essenos solem adorasse. Nec ideo forte Sampsæi dicti quod solem venerarentur. Ab oppido *Sampsa* potius appellati. Cujus ea nominis ratio videtur, quod ad solis ortum situm esset id oppidum. Sic Ἑσπερίς & Εὐεσπερὶς in Libya Cyrenæa oppidum occidenti obver-

obverſum. Ita in aliis locis eædem appellationes. Falſum etiam quod notat Cercoëtius ad Epiphanium, Eſſenorum hoc fuiſſe proprium, ut ſole oriente preces funderent. Non hic eſt Joſephi ſenſus. Ait ille Eſſenos nihil quidquam profani ore emittere ſolitos, priuſquam ſol ortus eſſet, ſed preces patrio more fundere, quibus, ut ſtatim ſol oriretur, veluti precabantur: πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον, ὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων, πατρίυς δὲ τινὰς εἰς αὐτὸν εὐχὰς, ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι. Hoc non eſt, *ſole oriente preces fundere.* Immo eas fundebant, priuſquam exoriretur, & ad ſolem ipſum eæ preces directæ, ut ſtatim ſeſe vellet exerere. Nam orto demum ſole, ad opus quiſque ſuum mittebatur. Hac peculiari quidem veneratione ſolem proſequebantur, veluti opus Dei excellentiſſimum; non ut adorarent, aut pro Deo haberent. Joſephus hunc eorum peculiarem ſolis cultum ſic deſignavit: πρόσγε μὴν τὸ θεῖον ἰδίως εὐσεβεῖς. Πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον ὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων. Verba illa, πρὸς τὸ θεῖον ἰδίως εὐσεβεῖς valdè notanda ſunt. Exemplum adfert peculiaris illius, ac propriæ Eſſenorum τῆς περὶ τὸ θεῖον εὐσεβείας, quod nihil profanum dicerent ante ſolis ortum, ſed preces funderent, quibus eum oriri ipſis precabantur. Atqui τὸ θεῖον Eſſenis ſol non fuit; ſed Deum unum verum colebant ſolis, & lunæ creatorem, & lucis auctorem, ut & reliqui Judæi. Sacramentum exigebant ab iis, qui ſectæ nomen dabant, πρῶτον μὲν εὐσεβήσειν εἰς τὸ θεῖον, ἔπειτα πρὸς ἀνθρώπυς δίκαια φυλάξειν. Illud τὸν θεῖον ſol non erat, ſed Deus ſummus, cui & preces mittebant ſemper, priuſquam cibum ſumerent, & cibo ſumpto. Idem Joſephus, & ex eo Porphyrius: προκατεύχεται δὲ ὁ ἱερεὺς τῆς τροφῆς ἁγνῆς ὔσης, καὶ καθαρᾶς, καὶ γεύσασθαί τινι πρὶν τῆς εὐχῆς ἀθέμιτον, ἀριστοποιησαμένοις δ᾽ ἐπεύχεται πάλιν, ἀρχόμενοί τε, καὶ παυόμενοι γεραίρυσι τὸν θεόν. Hic Deus non eſt ſol. Alterum tamen exemplum venerationis ejus, quam ſoli exhibebant Eſſeni, apud eumdem Joſephum legere eſt. Ventris onus egeſturi, ſcrobem ipſomet raſtello effodiebant, quo id exciperent, ſed in eo actu pallio ſeſe circum operiebant, ne polluerent ſolis lumen: ταῖς δ᾽ ἄλλαις ἡμέραις βόθρον ὀρύσσοντες βάθος ποδιαῖον τῇ σκαλίδι, τοῦτον γὰρ ἐστὶ τὸ διδόμενον ὑπ᾽ αὐτῶν ἀξινίδιον τοῖς νεοσυστάτοις, καὶ περικαλύψαντες θοιματίῳ ὡς μὴ τὰς αὐγὰς ὑβρίζοιεν τῦ θεῦ, θακεύυσιν εἰς αὐτόν. An ibi Joſephus Græcorum more τὸν θεὸν ſolem vocat, & τὰς αὐγὰς τῦ θεῦ, *ſolis lumen*? Vix putem. Τὰς αὐγὰς τῦ θεῦ, *lucem* Dei vocat, quia Deus lucis auctor. Ad Deum igitur, tanquam ſolis factorem, luciſque auctorem referebant hunc honorem Eſſeni, quem luci reddebant. Hinc eſt quod paulo ante dixit, ἰδίως περὶ τὸ θεῖον εὐσεβεῖς eſſe, propter illud reverentiæ officium, quod luci, ſive ſoli exhibebant. Ceterum corruptus hac in parte Porphyrius, apud quem ſic legitur: ἐπεὶ καὶ αὐτοὶ ἄλλως ὐ θακεύυσιν ἢ βόθρον ὀρύξαντες εἰς βάθος ποδιαῖον, περικαλύψαντες θοιματίῳ ὡς μὴ ταῖς αὐταῖς ἐνυβρίζειν τὺς θεύς. Ubi ridicule nuperus interpres medicus vertit: *ne ſuis interulis offendere deorum conſpectum videantur.* Legendum ex Joſepho: ὡς μὴ ταῖς αὐγαῖς, ἐνυβρίζειν τῦ θεῦ. Græcis θακεύειν eſt ſedere ad ventris proluviem exponendam. Quod nec ille intellexit interpres. Heſychius: θακεύειν, καθῆσθαι ἐπὶ τὰς χρείας. Nam χρεῖαι dicuntur ſellæ cacatoriæ. Theophraſtus in characteriſmo ſtupidi: καὶ πολλὰ φαγὼν καὶ τῆς νυκτὸς ἐπὶ θάκυς ἀνιστάμενος ὑπὸ κυνὸς τῆς τῦ γείτονος δηχθῆναι. Ita legendum, ac diſtinguendum: *& cum nimis ſe ingurgitaverit cibis, de nocte ſurgens ad ventrem exonerandum à cane vicini mordetur.* Θάκοι ſunt latrinæ. Ἐπὶ θάκυς ἀνίστασθαι, lecto deſurgere ad ventrem exonerandum; quod unica voce *deſurgere* Horatio. Æquè ridiculum, & falſum, quod iidem interpretes ibi ex Græcis male acceptis referunt, adeo tenui victu, & parco Eſſenos ventrem conſtringere, ut vix ſemel in ſeptimana egeſtione egerent. Græca: τοσαύτη μὲν ἡ λιτότης αὐτῶν ἡ περὶ τὴν δίαιταν καὶ ὀλιγότης ὡς τῇ ἑβδομάδι μὴ δεῖσθαι κενώσεως, ἣν τηρεῖν εἰώθασιν εἰς ὕμνυς τῷ θεῷ. Dicit adeo parce, ac tenuiter eos victitare, ut in ſabbathis proluviem ventris egerere non habeant neceſſe. Nam ſeptimum diem ita religioſe obſervabant, ut eo die ne quidem neceſſitati exonerandi alvi indulgerent, ſolis precibus, & hymnis Deo canendis vacantes. Ἑβδομὰς ſabbathum eſt, vel ſeptimus dies, non

A non ſeptimana. Joſephus, καὶ ταῖς ἑβδόμασιν ἔργων ἐφάπτεσθαι διαφορώτατα Ἰυδαίων, ὐ μόνον γὰρ τροφὰς ἑαυτοῖς πρὸ ἡμέρας μιᾶς παρασκευάζυσιν, ὡς μηδὲ πῦρ ἐναύσειεν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, ἀλλ᾽ ὐδὲ σκεῦός τι μετακινῆσαι θαῤῥῦσιν ὐδ᾽ ἀποπατεῖν. Ubi ἑβδομάδες ſunt ſabbatha. Sic τετρὰς, quarta dies menſis, ἐννὰς nona, εἰκὰς vigeſima, τριακὰς trigeſima. At recentiores ἑβδόμαδα uſurparunt de ſeptenario dierum numero, quo conſtat ſeptimana, cum ἑβδόμη propriè ſit ac ſeptimus dies. Ceterum ex eo honore, quem ſoli habuere Eſſeni, non poteſt colligi ſolem eos pro deo coluiſſe. Sic veteres olim Chriſtiani ſolem adorare crediti ſunt, quod converſi ad orientem orarent, ut de Cælicolis Judæis

B heîc nihil dicam. Superſtitione tamen Græcanica non caruiſſe cultum illum Eſſenorum, quo ſolem, lucemque venerabantur, dici poteſt. Eodem quippe modo vetat Heſiodus contrà ſolem ſtantem mingere, ſed de nocte tantum:

Μηδ᾽ ἀντ᾽ ἠελίοιο τετραμμένος ὀρθὸς ὀμιχεῖν
Αὐτὰρ ἐπεί κε δύῃ μεμνημένος ἔς τ᾽ ἀνιόντα.

Sed ne noctis tempore quidem pudenda aperiri vult, quum urina mittitur:

Μήτ᾽ ἐν ὁδῷ, μήτ᾽ ἐκτὸς ὁδῦ προβάδην ὐρήσῃς,
Μηδ᾽ ἀπογυμνωθείς, μακάρων τοι νύκτες ἔασιν.

In quibuſdam aliis Eſſenos Græcorum opinionibus ad-

C dictos fuiſſe teſtatur ibidem Joſephus, ut de loco, in quem animæ piorum morte obita migrant: καὶ ταῖς μὲν ἀγαθαῖς, ὁμοδοξῦντες παισὶν Ἑλλήνων ἀποφαίνονται τὴν ὑπὲρ Ὠκεανὸν δίαιταν ἀποκεῖσθαι, καὶ χῶρον ὔτε ὄμβροις, ὔτε νιφετοῖς, ὔτε καύμασι βαρυνόμενον, ἀλλ᾽ ὃν ἐξ Ὠκεανῦ πραῢς ἀεὶ ζέφυρος ἐπιπνέων ἀναψύχει. Nihil notius quàm beatorum inſulas à Græcis ultra oceanum occidentalem ſtatui, eaſque ſedes animabus piorum aſſignari. Homerus de illis inſulis:

Ἀλλ᾽ αἰεὶ ζεφύροιο λιγὺ πνείοντας ἀήτας
D Ὠκεανὸς ἀνίησι.

Heſiodus:

Ἐν μακάρων νήσοισι παρ᾽ Ὠκεανὸν βαθυδίνην.

Inſcriptio vetus Regillæ ab Herode marito poſita:

Ζεὺς μὲν ἐς Ὠκεανὸν θαλερὴν ἔστειλε γυναῖκα
Αὔρῃσι ζεφύροιο κομιζέμεν ἠλυσίῃσιν.

Heſychius ex vetere aliquo poëta, Ὠκεανοῖο πόρον, τὸν ἀέρα, εἰς ὃν αἱ ψυχαὶ τῶν τελευτώντων ἀποχωρῦσι. De vero oceano, non de aëre intellexerat poëta ille. Sed hæc alibi. Ex his conſtat, non in omnibus veteres illos Eſſenos Ἰυδαϊστὰς fuiſſe, ſed etiam in aliquibus Ἑλληνιστάς. Hoc eſt, quod de Oſſenis, & Sampſæis tra-

E dit Epiphanius, nec plane Judæos, nec omnino Ἕλληνας extitiſſe, ſed nec Chriſtianos: φύσει δὲ ὔτοι οἱ Σαμψαῖοι ὁρμῶνται, ὔτε Χριστιανοὶ ὑπάρχοντες, ὔτε Ἰυδαῖοι, ὔτε Ἕλληνες, ἀλλὰ μέσον ἁπλῶς ὑπάρχοντες, ὐδὲν εἰσί. A Judaïſmo in eorum ſectam tranſiiſſe Oſſenos alicubi memorat. Sane poſt Chriſti adventum Eſſenos illos veteres, aliquid etiam ſi forte hauſiſſe è Chriſtiana doctrina perquam veriſimile eſt, ſed Chriſtianos in totum fuiſſe, qui aſſerere audent, nugari puto, licet auctoritate aliquot veterum patrum ſe tueantur. Scaliger nomen Eſſæorum, vel Eſſenorum à Syriaco חסי olim deducebat. Quam conjecturam poſtea multis rationibus repudia-

F vit, maluitque ab Hebræo facere, חשאי quaſi ἡσυχαστάς. Neutrum fortaſſe verum eſt. Neutrum ſane ſatis idoneum videtur ad exprimendum τὸ ἰδιόν τι τῆς ἀσκήσεως, & præcipuum quid ex omnibus hujus ſectæ bonis. Ejuſmodi autem Judaicarum αἱρέσεων aliæ ab auctoribus dictæ ſunt, ut *Sadducæi*: aliæ à loco & regione, ut *Samaritæ*: aliæ ab aliqua re præcipua inſtituti ſui, & propoſiti, ut ἡμεροβαπτισταί. Sed & Phariſæi, veluti eximia quadam, & inſigni vitæ puritate ab aliis ſecreti. Unde igitur Ἐσσαῖοι? Iidem & Ἐσσηνοὶ paſſim vocati, qui τύπος eſt ἐθνικὸς Arabibus familiaris. Ridiculè Cercoetius notis ad Epiphanium πατρωνυμικὸν vo-

G cat hunc τύπον. *Patronymicæ*, inquit, *ejuſmodi inflexiones in ηνὸς Arabum, & Aſianorum propriæ ſunt.* Ineptè. Neſcit diſtinguere inter πατρωνυμικὸν, & ἐθνικόν. Sed aſino illi ignoſcamus. Tanto quippe odio Grammaticæ laborat, ut dici malit ἀγράμματος, & revera eſſe. Eſſeni cum hac inflexione τῦ ἐθνικῦ, nec ab auctore ſectæ nomen habere poſſunt, nec ab ulla re, quæ propoſito ſuo, ac ſectæ congruat. Quis Σαδδυκαίυς,

qui

qui à Sadduco dicti sunt, Σαδδουκηνοὺς unquam ex veteribus nominavit? Quis Φαρισηνοὺς pro Pharisæis? *Nazaræi* iidem qui & *Nazareni*, unde & Jesus *Nazarenus* dictus est, sed ab oppido *Nazareth* vocati sunt. Græcis Ναζαρὲθ, unde Ναζαραῖος, & Ναζαρηνός. Sic *Gennesara* lacus, qui Hebræis Γεννησαρὲτ. Et urbs *Ailath* in sacra scriptura, quæ scriptoribus exoticis Ἀΐλα. A qua ἐθνικὸν Ἀιλίτης, Αἰλανός, & Αἰλαῖος. Sic *Essæos*, quandoquidem & Ἐσσηνοὶ τύπῳ ἐθνικῷ dicebantur, à loco, ubi degebant, hoc nominis nactos esse oportet. Nec enim aliter fieri potuit. Similiter & Γορθηνοὶ, qui τύπον ἐθνικὸν pariter præferunt. Ad mare mortuum seorsim ab aliis Judæis Essenorum gentem incoluisse tradit Plinius. Trans idem mare in Peræa Ossenos Epiphanius collocat. At Josephus oppidum nullum eos seorsim habuisse scribit, sed in singulis urbibus μετοίκους fuisse, & corpus aliquod fecisse, sive collegium. Τάγμα ipse vocat. Verisimile tamen est in interioribus Judææ tractu aliquo frequentiorem eorum turbam extitisse, ibique oppidum quoddam hoc nomine aliquando incoluisse, à quo Ἐσσαῖοι, & Ἐσσηνοὶ dicti fuerint. Et nomen illi oppido, vel loco hæsisse à silentio, & quietæ vitæ tranquillitate. Certe Ἐσσηνοὶ gentilis appellatio est. Interiora Judææ, quæ occidentem contuentur, eos habitare hîc Solinus dicit. Plinius: *ab occidente littora Hesseni fugitant, usquequa nocent, gens sola, & in toto orbe præter ceteras mira.* Quidam eo loco legunt: *ab occidente littora Esseni habitant. Hos fugitant usquequaque nocentes.* Dalecampius corrigit, vel corrumpit verius: *ab occidente littora Esseni habitant usquequaque.* Nihil variant libri, nisi quod scribitur in iis, *fugiunt* pro *fugitant.* Omnino vera est lectio: *ab occidente littora Hesseni fugiunt usquequa nocent, gens sola & præter ceteras mira.* Fugiebant littora Hesseni, ut interiora Judææ habitarent. Ita igitur legisse apparet Solinum. Ideo fugiebant mare, &, quam longissime poterant, ab littoribus, & portubus sese amovebant Hesseni, ne puritati, ac tranquillitati vitæ, quam sectabantur, maritima commercia nocerent, quæ subdolos mores cum mercibus, & mille offucias invehunt, & fallendi, decipiendique artes. Prorsus ex præcepto Platonis, qui in Republica monet fugiendam esse τὴν θάλατταν ὡς πονηροδιδάσκαλον, ὅτι πόρρω ζῆτω, τοὺς δὲ πολιτευομένους, καὶ μὴ οἰκεῖν ἐπ' αὐτῇ. Tales erant Hesseni. Ideo dixit, *littora fugiunt usquequa nocent*, id est, quatenus nocent, agri colendi studio tantum addictis, ut erant Esseni, & omnem negotiationem, commerciumque aversantibus. Nihil quippe emebant, nec vendebant, ut ex Josepho constat. Littora autem fugiunt eo usque qua nocent, id est, ea tenus fugiunt qua nocere possunt, eo usque intus ab ora recedunt, quo littorum contagia non perveniant, ab occidente ea littora maris Judaïci vel Syriaci. At ineptè inde Solinus interiora Judææ habitare dicit, quæ occidentem contuentur. Profecto interiora illa, quæ incolunt Esseni, tam orientem, quam occidentem contuentur. Nam ab una parte orientem, ab altera occidentem habent. Immo ad orientem ea magis, si rectè Plinium capimus. Littora quippe, quæ ab occidente sunt, fugitant Esseni, & interiora versus orientem petunt. Nihil clarius. *Interiora habitare*, & *littora fugere* putavit idem esse, ut revera idem est. Verba illa *ab occidente* seorsim accepit, quasi *interiora habitare ab occidente* dici possent, qui littora fugere ab occidente dicerentur. Atqui littora ea, quæ fugiunt ab occidente sunt, ergo interiora quæ capessunt, ad orientem. Epiphanius Hossæos, qui Hessæi sunt, vel pars Hessenorum, coluisse dicit in Moabitide, & Ituræa trans mare mortuum. Ita ille Hæresi XIX. Ὡρμῶντο δὲ οὗτοι ἀπὸ τῆς Ναβαλικῆς χώρας, καὶ Ἰτουραίας, Μωαβίτιδος τε καὶ Ἀρηλίτιδος τῶν ἐπέκεινα τῆς κοιλάδος τῆς ἁλυκῆς, οὕτως ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ καλουμένης ὑπερκειμένης χώρας, ἔστι δὲ αὕτη νεκρὰ καλουμένη θάλασσα. Quæ verba operæ est videre, quomodo verterit fœneus interpres, qui Cercoëtium alibi maluit se dicere. Sic igitur hæc Latinè reddidit: *ferunt istos ex Nabatæa, Ituræa, Moabitide & Areilitide originem traxisse, quæ regiones ultra vallem salsuginosam positæ sunt. Hoc enim nomine sacris in literis tractus ille superior appellatur, qui idem est cum mari mortuo.* Non plura peccata sunt in hac versione quam verba, sed totidem

A sunt numero. *In sacris literis tractus ille superior vocatur.* Ubi hoc in sacra scriptura, ô Theologe? Ποῦ κεῖται? Deinde ubi legisti apud Græcos, ô Grammatice, ὑπερκειμένην χώραν absolute dici pro tractu superiore? Semper addunt, τῶν δὲ τόπων ὑπερκειμένην. At illo sensu, quo tibi placet, dicunt illi τὴν ἄνω χώραν, cui opponitur ἡ κάτω. Sed quis meminit veterum Geographorum, aut recentium Judæam divisam fuisse, εἰς τὴν ἄνω χώραν, καὶ τὴν κάτω, in superiorem, & inferiorem tractum? Postremo ubi in rerum natura reperisti, ô Philosophe, tractum regionis, τὴν χώραν, eumdem esse cum mari? *Omnia jam medium fiant mare, vivite Cercoëtii.*
B Tractus ille superior, ἡ χώρα ὑπερκειμένη, idem est cum mari mortuo. Hoc illi ignoscendum est, qui vigiliam sanctorum Theophaniorum, in qua jejunatur, pro ipsis Theophaniis accepit in decreto Theophili Alexandrini, atque inde collegit jejunasse veteres ipso τῶν Ἐπιφανίων die. Non potuit videre præ animi cæcitate, & inscitia, ex verbis Epiphanii hunc sensum apertè fieri τὴν κοιλάδα τὴν ἁλυκὴν eam esse, quæ in sacra scriptura vocatur, quæque eadem sit cum mari mortuo. Repugnat vero naturæ rerum, ut valles, & mare de superiore tractu dicantur. Hæc est porro κοιλὰς ἡ ἁλυκὴ, cujus
C mentio habetur II. Regum cap. VIII. *Fecit quoque sibi David nomen, cum reverteretur capta Syria in valle Salinarum, cæsis decem & octo milibus, & posuit in Idumæa custodes.* Κοιλάδα τῶν ἁλῶν vocant Septuaginta. *Vallem salis* Hebræus textus. Hujus item mentio in Paralipomenis lib. I. cap. XVIII. *Abisai vero filius Sarvia percussit Edom in valle Salinarum decem & octo milia, & constituit in Edom præsidium.* Hæc est igitur, quam κοιλάδα τὴν ἁλυκὴν in sacra scriptura nominari dicit Epiphanius, & quam ipse putavit eamdem esse cum mari mortuo, vel lacu Asphaltite: ἔστι δὲ αὕτη νεκρὰ καλουμένη θάλασσα.
D Hæc mens Epiphanii. Alii vallem illam salsuginis, sive salinarum ad mare mortuum ponunt, & revera vallem faciunt à mari ipso diversam. Quid Epiphanium induxerit, ut vallem salinarum mare esse mortuum existimarit, hoc erit quod dicam. Geneseos XIIII vallis mentio fit, quæ postea in mare illud mortuum conversa est: *omnes hi convenerunt in vallem silvestrem, quæ nunc est mare salis.* Ita reddidit Hieronymus. In Hebræo est, vallis השדים, hoc est, *agrorum aratorum.* Alii nomen vallis proprium esse volunt. In ea valle multos fuisse puteos bituminis ibidem dicitur. At postquam Deus Gomorrha & Sodoma subvertit, & totum eum tra-
E ctum pessum dedit, tota vallis *Siddim*, quæ fontibus bituminis scatebat, in lacum versa est Asphaltiten, vel mare mortuum, quod *mare salis* ibi appellatur. Tertullianus: *Hactenus Sodoma & nulla Gomorrha, & pinguitas maris juxta cum solo in mortem ivit.* Eam igitur vallem Siddim, quæ mare salis, vel mare mortuum justo Dei judicio facta est, Epiphanius eamdem statuit cum valle salinarum, in qua Idumæi à Davide deleti sunt, & κοιλάδα τὴν ἁλυκὴν vocatam ait, atque eam vult esse τὴν νεκρὰν καλουμένην θάλασσαν. Sed multis modis fallitur, ut & illi, qui vallem salinarum ad mare mortuum sitam esse censent. Hæc sententia est & quorumdam recentiorum Geographorum, qui in tabulis suis
F adscribunt mare mortuum salinarum olim vallem fuisse, præcipuæ amœnitatis, & fœcunditatis. Quod est falsissimum. Tempore Davidis Regis non amplius erat illa vallis, quæ Sodomis divino igne consumptis mutata est in mare mortuum. Atqui II. Samuelis disertè scriptum est, Idumæorum exercitum cæsum fuisse ab Davide in valle salinarum. Vallem, ut opinor, non vocasset, quæ mare tum fuit. Et absurdè in mari ipso cæsi dicerentur, qui non nisi juxta illud mare cædi potuerunt. Ex his colligi potest certo certius, vallem salinarum non fuisse mare mortuum. Præterea vallem
G illam salinarum in Idumæa esse oportet. Nam & ibi Idumæi profligati, in suamet ipsorum regione, & præsidium ibidem impositum memoratur, in ipsa nempe Idumæa. Vallis itaque illa Idumææ fuit. At Idumæa satis longe dissita à mari mortuo. Incipiebat quippe ab Ægypti Casio, & lacus Sirbonidis emersu. Strabo, Plinius, alii omnes Geographi. Sirbonidem certe latum Strabo cum Asphaltite confundit, & alii nonnulli, sed magno errore. Vallis erat vera, non mare, in qua Idumæos

Idumæos cecidit David, & in Idumæorum regione posita. Salinarum autem dictam esse apparet, vel à fontibus salinaceis, qui in ea scaturiebant, vel à sale, qui effodiebatur. At longe alia vallis illa, in qua, vel ad quam sita fuere Sodoma & Gomorra, & quam Deus in mare mortuum mutavit. *Vallem Siddim* eam vocat Scriptura, non *salinarum vallem*. Quidam vertunt, *arvorum proscissorum vallem*: alii nomen Hebræum retinent, quasi proprium fuerit illius vallis à multitudine agrorum arabilium sic denominatæ. Ceterum quod Scriptura sancta testatur XIV. Geneseos vallem eam postea extitisse *mare salis*, non ex eo sequitur eamdem esse vallem illam cum valle salinarum. Hoc enim absurdissimum. *Vallis Siddim, quæ nunc est mare salis.* Non ipsa vallis dicta est salsuginosa, aut salinarum, sed mutata est in *mare salis*. Ita vocat Scriptura mortuum mare, sive lacum Asphaltiten, non quod salsus fuerit, nam bitumen salsum non est, nec salis naturam habet. At lacus ille ex mero bitumine est. Hebræi lacus omnes grandiores *maria* vocant, etiamsi salsi non sint ut mare, sed ab amplitudine sic appellant. Sic apud Matthæum IV. θάλασσα Γαλιλαίας, *lacus Galilææ*, & θάλασσα τῆς Τιβεριάδος apud Johannem, *lacus Tiberiadis*. Atque ita alibi passim. Ita & lacum Asphaltiten, νεκρὰν θάλασσαν, & *mare salis* vocaverunt, non quod salsus sit, sed eodem planè sensu, quo *terram salis* iidem Hebræi nuncupant eam, quæ deserta est, ac desolata. Verum mare non opus esset eo attributo insignire, quippe mare suapte natura salsum esse omnes sciunt, sed quia lacus omnes maria vocant, eum lacum, qui nihil generat, non pisces, non aves habet aquis assuetas, qui nihil denique vivi sustinet, *mare salis*, id est, *lacum salis* appellarunt, eadem prorsus ratione, qua & *mare mortuum*, vel quod idem est, *lacum mortuum*. Ita terram eam, quæ nihil gignit, atque in totum sterilis est, *terram salis* vulgo indigetant, מְלֵחָה, & *salsuginem ponunt pro desolatione*, & ἐρημία. Terra enim salsa, atque amara ingrata est, & infœcunda. Inde igitur & *lacus salis*, sive *mare salis* idem, quod & *mare mortuum*, ab eadem ratione. Nihil verius. Ab amarore aquæ sic vocatam posset etiam aliquis adstruere. Nam aquam illius amarissimam esse satis constat, licet salsa non sit. Sales autem amari. Hinc & salem pro amaritudine posuerint. Itinerarium Hierosolymitanum: *item ab Jericho ad mare mortuum milia novem. Est aqua ipsius valde amarissima, ubi in totum nullius generis piscis est, nec aliqua avis, & si qui hominum miserit, se ut natet, ipsa aqua non mersat.* Ita scribimus. Nam vulgo est, *nec aliqua navis*: &, *ipsa aqua eum versat.* Aliud tamen *amarum*, aliud *salsum*, ut suprà docuimus. Et verius est *lacum salis* dictum, sive *mare salis*, ut *terra salis* ab iisdem Hebræis appellatur, qui & eumdem lacum *mare mortuum* propterea nominarunt. Alias *aquarum mortuarum* appellatione eas intelligimus, quæ decursum non habent, sed hærent in lacunis. Sed & *mortuas* unica voce dicimus lutosas voragines, quæ aquam habent in superficie dormientem. Græci νεκρόπηλα appellant, pro quo perperam νεκρόπυλα legitur apud Constantinum de Imperio. Mare glaciatum, νεκρὸς πόντος etiam Græcis. Forte & ἀπὸ τῆς πήξεως bituminis lacum Asphaltitem *maris mortui* nomine donaverint. Sed verior tamen videtur prior nostra interpretatio. Mare illud salis ἁλυκὴν absolutè vocat Epiphanius alio loco, & νεκρὰν θάλασσαν interpretatur. Hæresi LIII. Τῶν δὴ καὶ Ἐλκεσαίων καλουμένων αἱρεσίς τις ὑπάρχει ἐν τῇ Περαίᾳ οὕτω καλουμένῃ χώρᾳ, πέραν τῆς ἁλυκῆς ἤτοι νεκρᾶς καλουμένης θαλάσσης. Hesychius: ἁλυκὴ ἐὰν μὲν τὸ α δασύνηται, ἡ θάλασσα, ἐὰν δὲ ψιλοῦται λύκους μὴ ἔχουσα. Quare videndum, an Epiphanius non τὴν κοιλάδα τὴν ἁλυκὴν vocaverit, ut vulgo accipiunt, sed τὴν κοιλάδα τῆς ἁλυκῆς, id est, vallem maris mortui. Etenim cum ἁλυκὴν alibi vocitet absolutè mare mortuum, κοιλὰς τῆς ἁλυκῆς erit vallis maris mortui. Et sanè si dixisset Epiphanius, τῆς κοιλάδος ἁλυκῆς, de valle salsuginosa videretur exponendum: sed quum dixerit τῆς κοιλάδος τῆς ἁλυκῆς, videtur τὴν κοιλάδα τῆς ἁλυκῆς appellasse, *vallem maris mortui*, hoc est, vallem eam, quæ in mare mortuum transmutata est. Ἁλυκὴ ad verbum est *mare salis*, ut vocatur XIV Geneseos. At κοιλὰς τῆς ἁλυκῆς vallis

A illa, cujus ibidem mentio est, quæ postea extitit mare salis. Κοιλὰς non solum vallis inter duos montes, sed etiam planities quælibet, τὸ κοῖλον πεδίον. Alveus etiam fluminis ita dictus est. Sic & κοίλη πλοίου in vita Epiphanii navis alvus. Κοιλίαν & νηδὺν de fluminis alveo etiam Græci usurpant. Sane fluminis alveus, ubi exaruit aqua, mera est convallis. Ovidius de Nilo, qualis erat per Phaëthontis incendia:

---- *Ostia septem*
Pulverulenta jacent, septem sine flumine valles.

Lucanus Nili alveum, si bene memini, alicubi vocat *convallem*.
B Sic quæ vallis olim fuit, postea maris mortui alveus extitit, ἡ κοιλὰς τῆς ἁλυκῆς. Si ita interpretabimur, Epiphanium absolvemus, nec ille confuderit vallem salinarum cum valle maris mortui. Quid igitur faciemus Cercoëtio, qui sic accepit? Plorare jubebimus, & sapere. Nunc verba Epiphanii constituenda sunt, & distinguenda. Dicit venisse Ossæos ἀπὸ τῆς Ναβατικῆς χώρας, καὶ Ἰτουραίας, Μωαβίτιδός τε καὶ Ἀρηϊλίτιδος τῶν ἐπέκεινα τῆς κοιλάδος τῆς ἁλυκῆς, οὕτως ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ καλουμένης, ὑπερκειμένης χώρας. Ita distinguendum. Sic porro constituenda sunt, τῶν ἐπέκεινα ὑπερκειμένης χώρας τῆς κοιλάδος τῆς ἁλυκῆς.
C *Regionum sitarum trans regionem valli maris mortui superjacentem.* Ἡ χώρα ὑπερκειμένη τῆς κοιλάδος τῆς ἁλυκῆς, est regionis tractus, qui superjacet, vel adjacet littoribus maris mortui. Ultra eam regionem erant, quas ibi recenset, Nabatæa, Ituræa, & Moabitis. Hæresi LIII, quæ est Sampsæorum: πέραν τῆς ἁλυκῆς, ἤτοι νεκρᾶς καλουμένης θαλάσσης ἐν τῇ Μωαβίτιδι χώρᾳ περὶ τὸ χειμάρροον Ἀρνῶν, καὶ ἐπέκεινα, ἐν τῇ Ἰτουραίᾳ, καὶ Ναβατίτιδι. Ituræa, & Nabatis regio ultra Moabitas, qui mari mortuo viciniores erant. Idem Hæresi XX, quæ est Herodianorum de iisdem Ossenis: ἀλλὰ συναφθὲν Σαμψίταις τοῖς κατὰ διαδοχὴν ἐν τῷ πέραν τῆς νεκρᾶς θαλάσσης ὑπερκειμένης.
D Ubi subintelligendum χώρας, ut habetur supra: *trans eam regionem, quæ mari mortuo superjacet.* Non aliter liceat interpretari. Ἡ ὑπερκειμένη τῆς νεκρᾶς θαλάσσης est regio imminens mortuo mari. Absurdè vertit ὁ Κερκόεις: *ultra mare mortuum, quod Palæstinæ imminet.* Nihil pote ineptius, & falsius. Ubi Palæstinæ nomen in Græcis? Deinde quam ridiculum est, quod illud mare imminens Palæstinæ facit. Cur Palæstinæ magis immineat, quam reliquæ Judææ? An Palæstina altius est illud mare, ut ei imminere dici queat? De monte aliquo altissimo credas auctorem loqui. Ut paulo ante eadem de re loquens ὑπερκειμένην χώραν τῆς
E ἁλυκῆς dixit, ita heic ὑπερκειμένην τῆς νεκρᾶς θαλάσσης similiter accipienda, & nomen χώρας subaudiendum. Legi tamen etiam posset, ac distingui: Σαμψίταις τοῖς κατὰ διαδοχὴν ἐν τῷ πέραν τῆς νεκρᾶς θαλάσσης ὑπερκειμένοις. Sed nihil illo homine, si modo tamen aliquid hominis habet tam barbarum, & stolidum pectus, nihil inquam illo imperitius in omni literarum genere, & præcipuè in Græcis, in his vero plus quam puer est, quod passim ejus versio Epiphaniana ostendit. Ut eadem pagina, ὑποκριταὶ δὲ διδάσκει, *docet hypocritas*, quæ loquutio tritissima est Græcis pariter, Latinisque auctoribus. Plato in Menone, ἱππέα δι-
F δάξαι, ἀγαθόν. Nihil usitatius hac phrasi. At bonus interpres εἶναι deesse annotat. Ceterum, ut in semitam redeam, satis magnus terrarum tractus circa mare mortuum vacabat, torridus ac desertus, & nulli rei nisi in speciem ferax. Tacitus de hoc mari, sive lacu: *nec procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos fulminum jactu arsisse: & manere vestigia, terramque specie torridam vim frugiferam perdidisse.* Tertullianus de Pallio: *& propinquitas maris juxta cum solo mortuum ivit.* Hæc est regio quam ὑπερκειμένην τῆς νεκρᾶς θαλάσσης appellat Epiphanius, quæ olim habitata, & urbibus frequentissima, tum nullos
G incolas habebat. Ideo Moabitas, & reliquos populos, qui trans illud mare accolebant, non ἐπέκεινα τῆς νεκρᾶς θαλάσσης habitare dicit, sed ἐπέκεινα ὑπερκειμένης χώρας τῆς νεκρᾶς θαλάσσης. Nam tractus ille, qui mare ipsum attingebat, totus ab incolis erat desolatus, & nihil frugis ferebat. Quapropter populi ultra illum tractum degebant, non ipsum lacum accolebant. Hessenos non procul ab illo lacu coluisse auctor est Plinius,

nius, qui ab occidente littora eos fugisse scribit usquequa nocerent, & intus recessisse. Præterea Engada oppidum infrà hos situm fuisse tradit. Ptolemæus ab occidente Jordanis collocat, haud procul ab Asphaltite. Stephanus: Ἔγγαδα, κώμη μεγάλη, πλησίον Σοδόμων Ἀραβίας. De Petræa Arabia loquitur, ubi Judææ confinia jungit ad mare mortuum, quæ & Petræa Judæa dicta est. At Περαία, pars Judææ tota trans Jordanem, & mare mortuum. Plinius videtur Peræam cum Petræa Judæa confudisse his verbis de Judæa: *pars ejus Syriæ juncta, Galilæa vocatur: Arabiæ vero & Ægypto proxima, Peræa asperis dispersa montibus, & à ceteris Judæis Jordane amne discreta.* Corrigebamus supra *Petræa.* Et profecto, quæ Arabiæ, & Ægypto proximat, Judææ pars, Petræa est, non Peræa. Sed quod addit, *à ceteris Judæis Jordane amne discreta*, jam de Peræa intelligendum, non de Petræa. Nec est, quod quis dicat, de ea Judæa eum loqui, quæ cis Jordanem, quæque à ceteris Judæis, qui trans Jordanem in Peræa sunt, discernitur. Sequitur enim apud eum, *Reliquam Judæam dividi in toparchias decem.* Omnes illæ toparchiæ, quæ ibi enumerantur, cis Jordanem sunt. Sic Περαίαν, ac Πετραίαν Judæam pro una eademque accepit. Hoc verissimum.

Recesserunt à ritu gentium universarum] In aliis: *à more.* Quod sequitur, *majestatis, ut reor, providentia ad hunc morem destinati*, quid sit nescio. Cujus enim majestatis providentia eos ad hunc morem destinavit? An divinæ? Ita videtur. Sed hoc addere debuit. Nam majestatem pro divinitate absolutè positum legi non puto. Sed hæc inepta sunt, ut illa falsa: *locus addictus pudicitiæ est: ad quem plurimi licet undique gentium properent, nullus admittitur, nisi quem castitatis fides, & innocentiæ meritum prosequatur.* Nihil de eo reliqui auctores, & Plinius contrarium adstruit, ex quo tamen omnia sumpsit, & inter cetera hunc locum. Quos vitæ prioris distæsum est turbulentæ, & inquietæ, eos ad sectam, moremque Hessenorum confugere scribit, quasi ad tranquillum portum, tutumque ab æstu rerum humanarum. Plinii verba: *in diem ex æquo convenarum turba renascitur larga frequentantibus, quos vita fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat.* Non vita fessi ad eorum societatem adjungi cupiebant, nec enim vitam ibi finire postulabant, sed tranquilliorem, & quietiorem vivere. Præterea vix illa Latina sunt, *quos fortunæ fluctus ad eorum mores agitat.* Libri denique aliter habent, in quibus legitur: *fortunæ fluctibus agitata.* Omnino verbum aliquod deest, & delitescere arbitror inter istas voces, *agitata. Ita per sæculorum milia.* Puto legendum: *quos vita fessos ad eorum mores fluctibus agitata eicit.* Vel, *agitata jacit. Ita per sæculorum milia.* Mare fluctibus agitatum plerumque navigantes ad aliquod littus, aut portum ejicit. Inde metaphora. Secta Essenorum major in dies fiebat confluentibus multis, quos vita fortunæ fluctibus agitata ad eorum mores, tanquam ad portum aliquem, & placidum littus jaciebat. *Jacere*, & *ejicere* huic rei propria verba. Quæ sequuntur, ita etiam distinguenda: *Ita per sæculorum milia, incredibile dictu gens æterna est, in qua nemo nascitur, tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est.* Non igitur pudice vixisse oportebat, qui sectæ Essenorum adgregari studebant, dummodo in ea pudicè viverent. Proinde ἀνιστόρητα illa Solini, & falsa, quæ sequuntur: *Nam qui reus est vel levis culpæ, quamvis summa ope adipisci ingressum velit, divinitus summovetur.* Ita solens multa de suo addit, ac mentitur. Hæc concinunt cum iis, quæ suprà dixerat, *non sine majestatis providentia ad hunc morem destinari.* De simili farre pista sunt. Vide Josephum, quomodo probarentur in eam societatem recipiendi.

Nulla ibi fœmina, à Venere se penitus abdicarunt] Ita nostri libri. Vulgo edebatur: *nullæ ibi fœminæ. Venere se penitus abdicarunt.* Plinius: *sine ulla fœmina, omni Venere abdicata.* Quod ibi Venus omnis abdicaretur, putavit nemini ad eam sectam aditum patuisse, nisi qui sese à Veneris usu semper abdicasset.

Pag. 47 D. *Pecuniam nesciunt, palmis victitant*] Plinius: *sine pecunia, socia palmarum.* Mira loquutio, *socia palmarum.* An quod inter palmeta viverent? Immo & absurda. Nec ita legit Solinus. Puto scripsisse: *esu palmarum.* Scriptum erat *eso*, pro *esu.* Inde illud *socia* confictum correctoribus. Hoc est verissimum. Præter ceteras mira gens, sine ulla fœmina, omni Venere abdicata, esu palmarum. Atque ita legit Solinus.

Ita per immensum sæculorum spatium incredibile dictu] Hæc planè à Plinio: *ita per sæculorum milia, incredibile dictu, gens æterna est in qua nemo nascitur.* Reliqua non item, quæ ex ingenio confinxisse potius, quam ab auctore aliquo hausisse manifesta fides.

Judææ terminus Massada castellum] Nec Plinius hoc dicit, licet inde habeat: sed fallitur, ut solet, ex Plinii verbis perperam intellectis: *Inde Massada castellum in rupe, & ipsum haud procul Asphaltite. Et hactenus Judæa est.* Ita sumpsit, quasi diceret usque ad Massada castellum Judæam esse. Sed quum ille aliquot capita descriptioni Judææ dedisset, ultimum his verbis clausit, *& hactenus Judæa est.* Quibus significat finem habere Judææ χωρογραφίαν. Sic lib. III. cap. IX de insulis Hephæstiis: *novissima, eademque minima Euonymos. Hactenus de primo Europæ sinu.* Ita caput illud concludit, quo & primi Europæ sinus descriptionem terminavit, non quod ille sinus ad Euonymon insulam terminum accipiat. Martianus, ut in aliis solet, & heîc Solinum sequitur: *hinc aliquanto inferius Masada castellum, in quo Judææ finis est.* Ita legendum. Sic Essenos juxta Solinum ab occidente Judææ ponit, qui littora ab occidente fugiebant, & interiora ad orientem incolebant. Sic & Callirhoen fontem prope Hierosolyma collocat ex eodem. Ita cæci cæcos ducunt.

Massada castellum] Ita libri Solini. Plinio *Masada*, Straboni Μοασάδα. Ex quo etiam constat non longe esse ab Asphaltite lacu. Locum adscribam, & simul emendabo: ὅτι δ' ἔμπυρον τὴν χώραν εἶναι τὰ ἄλλα τεκμήρια φέρουσι πολλά. Καὶ γὰρ πέτρας τινὰς ἐπικεκαυμένας δεικνύουσι τραχείας περὶ Μοασάδα, καὶ σύριγγας πολλαχοῦ, καὶ γῆν τεφρώδη, σταγόνας τε πίσσης ἐκ λισσάδων λειβομένας, καὶ δυσώδεις πόῤῥωθεν, ποταμοὺς ζέοντας, κατοικίας τε ἀνατετραμμένας σποράδην. Ita distinguendum. Λισσάδες sunt petræ. Ptolemæus vocat Μέσαδα. Ubi fortasse legendum Μάσαδα. Et Masada in rupe esse testatur Plinius. Nec obstat, quod in Arabia Petræa recenset illa Μέσαδα. Multa oppida, ac loca Judææ propter confinia plerique Arabiæ Petrææ attribuunt, & contra. Sed & Petræam Judæam, quæ Arabiæ collimitatur, quidam appellarunt. Vide quæ supra notavimus. Ἔγγαδα Arabiæ esse Stephanus dicit oppidum Sodomis vicinum. Nec longe inde Masada. Non propterea tamen verum est, quod ex Plinio malè intellecto tradit heîc Solinus, Masada castellum facere Judææ terminum. Nihil incertius apud scriptores finibus illis Arabiæ, & Judææ. Nec sic Plinius intellexit.

CAPUT XXXVI.

De Scythopoli oppido. De monte Casio.



PAg. 47. E. *Transeo Damascum, Philadelphiam, Raphanam*] Vide auctoris μεπωρίαν, & negligentiam. Descripta Judæa protinus subjicit, se transire Damascum, Philadelphiam, & Raphanam, sed Scythopoli primos incolas, & auctorem daturum: nec dicit cujus provinciæ oppida illa sint. At fuere ex Decapolitana regione, quæ Judææ jungitur latere Syriæ. Plinius: *Jungitur ei latere Syriæ Decapolitana regio a numero oppidorum, in quo non omnes eadem observant. Plurimi tamen Damascum, & Opoton riguas amne Chrysorrhoa, fertilem Philadelphiam, Raphanam, omnia in Arabiam recedentia.* Verebatur auctorem prodere, unde sumpsit, si regionis nomen posuisset. Quædam notanda in verbis Plinii, idcirco ea adscripsimus. Dicit Damascum, & Opoton riguas amne Chrysorrhoa. Chrysorrhoan amnem à Damascena urbe, & regione originem capere scribit Strabo lib. XVI. Τῶν δὲ ποταμῶν ὁ Χρυσορρόας ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Δαμασκηνῆς πόλεως, καὶ χώρας, εἰς τὰς ὀχετείας ἀναλίσκεται σχεδόν τι, πολλὴν γὰρ ἐπάρδει καὶ βαθεῖαν σφόδρα. *Fertilem* vocat Philadelphiam, epitheto sic per se nudo, quod non satis urbi conveniat. Quod majus est, libri *riguis* legunt, non *riguas*. Scribo, ac distinguo: *Plurimi tamen Damascum, & Opoton riguis ex amne Chrysorrhoa fertilem, Philadelphiam, Raphanam.* Vel etiam: *riguis amnis Chrysorrhoæ fertilem.* Nihil verius. *Rigua* Plinio sunt ὀχετεῖαι. Tradit Strabo totum illum amnem εἰς ὀχετείας ἀναλίσκεσθαι, id est, *riguis distrahi, eriguari.* Nec solum *riguus* hortus, qui rigatur, sed etiam riguus fons, vel amnis, qui rigat, dicitur, ut suprà multis ostendimus:

---- irriguumque bibunt violaria fontem.

Inde *rigua*, αἱ ὀχετεῖαι. Opoton fertilem esse dicit riguis, quæ inducuntur ex amne Chrysorrhoa. Ceterùm nomen hujus urbis nusquam reperio apud auctores. An scribendum, *Eupoton*? Sic dicta sit ab illis riguis amnis Chrysorrhoæ, quibus fœcunda est, quasi εὐπότιστος. Glossæ: *riguus*, εὐπότιστος, εὔβολος. Et ποτίζειν γλῶ est rigare. Idem εὔποτος. Nec mirandum nomen Græcum in urbe Syriaca. Amnis ipse Græcam habet appellationem. Scriptum fuisse videtur *Eopoton*. Unde fecerunt, & *Opoton*. Totum illum locum ἀσυνδέτως concepit Plinius: *Plurimi tamen Damascum, Eupoton riguis ex amne Chrysorrhoa fertilem, Philadelphiam, Raphanam, omnia in Arabiam reincidentia.* Ita libri scribunt, non *recedentia*. Quod verum esse puto. De Eupoto nihil etiam legi, sed conjecturam proposui. Eam urbem omisit Solinus, quod sibi esset incognita fortasse. Certè Plinius Decapolitanam regionem à numero oppidorum dictam scribit, eaque oppida recenset, sed undecim pro decem in eo censu reperiuntur: *Damascus, Opoton, Philadelphia, Raphanea, Scythopolis, Gaddara, Hippos, Dion, Pella, Galasa, Canatha.* In editionibus *Hippondion* pro una urbe numerant, & junctim scribunt. Nescio quare, quum duæ sint. *Et jam dictum Hippon, Dion.* Meminit supra urbis Hippi in Judæa: *ab oriente Juliade & Hippo.* Stephanus: Ἵππος ἐστὶ καὶ πόλις Σικελίας, ἔστι καὶ Παλαιστίνης. Ptolemæus in Cœle Syria separatim recenset Ἵππον & Δῖον. Stephano quoque Δῖον, τῆς Κοίλης Συρίας ab Hippo diversa. Aliud igitur quærendum, ut ad eum numerum, quem nomen Decapolis exigit, redigamus eas urbes. Puto Plinium scripsisse: *Damascum Eupoton riguis ex amne Chrysorrhoa fertilem, Philadelphiam,* &c. In Græcis, unde illa transtulit, reperisse videtur Damascum, εὔποτον ταῖς ὀχετείαις τοῦ Χρυσορρόα ποταμοῦ. Quod ille sic accepit, quasi Δαμασκὸς εὔποτος cum adjuncto, vel epitheto diceretur ad discrimen alterius cujusdam Damasci. Hoc indubitatum. Atqui

A εὔποτος idem quod εὐπότιστος, irrigua, & rivis bene satura. Chrysorrhoas amnis totus ferè in rigua, & rivorum deductiones convertebatur, & Damascum præcipuè rigabat, & εὔποτον reddebat. Ptolemæus: καὶ ὁ παρὰ Δαμασκὸν καλούμενος Χρυσορρόας. Et nomen ideo videtur invenisse potius quod Damascum fertilem redderet, quam quod auro flueret. De uno tantum oppido loqui Plinium ex verbis ejus manifestum est: *Damascon Eupoton riguis amnis Chrysorrhoæ fertilem.* Nam dixisset *fertiles*. Cum satis constet Damascum B præcipuè riguis illius amnis fertilem esse in eo urbium numero. Corrigendum: *Pella, Gerasa, Canatha.* Male *Galasa*. Quo nomine nulla urbs in illis locis. At *Gerasa* ex Decapolitana, quam aliqui Τεσσαρεσκαιδεκάπολιν vocabant. Stephanus: Γέρασα, πόλις τῆς Κοίλης Συρίας, τῆς Τεσσαρεσκαιδεκαπόλεως. Nisi quis legendum velit: τῆς χώρας δεκαπόλεως. Scriptum erat, *Gelasa* pro *Gerasa*.

Raphanam] Ita reposuerunt ex Plinio. Soliniani omnes libri habent, *Araphianam*. Omnino pro *Raphaniam*, vel *Raphaneam*. Ῥαφανέα, & Ῥαφανέαι. C Stephanus: Ῥαφανέαι, πολίχνιον Συρίας. Sic vocatur & Ptolemæo: Ἐπιφάνεια. Ῥαφανέαι. In Casiotide eam ponit Syriæ. Ita legendum in Plinio. *Raphaneam* inquam, non *Raphanam.* Nam Ῥαφανέα, & Ῥαφανέαι, ut Ταριχέα, Ταριχέαι. Alia est *Raphia* Syriæ Palæstinæ prope Gazam. Plinius: *Oppida Rhinocolura, & intus Raphea: Gaza & intus Anthedon.* Ῥάφεια, Stephano. Ptolemæo Ῥαφία. De hac non potest accipi hoc loco.

Scythopoli primos incolas & auctorem dabo] Ita scripsimus auctoribus libris. Vulgo erat: *Scythopolis*, quod nec ipsum fuit rejiciendum, nisi libri illud aliud mon- D strassent. Plinius: *Scythopolim, antea Nysam, à Libero patre sepulta nutrice ibi, Scythis deductis.* Hæc valde confusa. Corrigunt vulgo, & transponunt ad hunc modum: *Scythopolim Scythis deductis, antea Nysam à Libero patre sepulta nutrice ibi.* Ut Nysa à Libero patre olim vocata sit sepulta ibi nutrice nomine Nysa, quæ postea Scythis deductis Scythopolis appellata est. Atqui Scythas deductos ab ipso Libero patre heîc dicit Solinus, & pro præmio illis datum, ut suo nomine urbem vocitarent. Ergo Scythopolis ab ipso Libero, qui Scythis à se deductis hoc dedit, ut ei nomen E inderent. Sed ut fatear quod sentio, quæ heîc narrat Solinus de Scythis Liberi patris comitibus, & ab eo deductis in eam urbem, quam condiderat in honorem nutricis ibi sepultæ, & quibus præmii loco datum esse dicit oppidi nomen, ut promptius eam incolere vellent, nugas esse puto, & fabulam ab ipso Solino confictam ex verbis Plinii aliovorsum acceptis. Nec dubium est, quin ea legerit ordine illo, quo hodie in omnibus exemplaribus scripta habentur. *Scythopolim, antea Nysam à Libero patre sepulta nu-* F *trice ibi, Scythis deductis.* Ita igitur hæc accepit, quasi & nutrix sepulta in eo loco fuerit à Libero patre, & Scythæ simul deducti ad eam urbem incolendam. Inde & cetera commentus est, fuisse comites Liberi Scythas illos, & pro præmio iis concessum, ut nomen urbi ponerent. Quæ sunt falsissima, & prorsum ἀνιστόρητα. Si verum esset hoc Solini commentum, antiquissima, & prima hæc foret hujus urbis appellatio, *Scythopolis*, utpote ab ipso Libero patre primo urbis auctore, quum Scythas eo deduceret, imposita. Atqui constat inter omnes scriptores re- G centem esse hanc denominationem, quum antea aliter vocaretur. De quo ejus antiquo nomine dicam paulo post. In verbis Plinii nulla trajectio facienda est, sed sic distinguenda sunt: *Scythopolim, antea Nysam à Libero patre sepulta nutrice ibi, Scythis deductis.* Scythopolim, quum antea Nysa vocaretur, sepulta ibi nutrice Liberi patris, hoc nomen postea invenisse Scythis deductis. Non dicit, à quibus deducti illi

Scythæ, quia id fortasse parum compertum, & solum nomen faceret fidem Scythas id oppidum incoluisse, quod Σκυθῶν πόλις diceretur. A Libero patre deductos fuisse, quod vult Solinus, Plinii mens non est. Ita quippe intelligendum, ac si scripsisset: *Scythopolim Scythis deductis, antea Nysam à Libero patre, sepulta nutrice ibi.* Nec enim Liber eamdem urbem à se conditam Nysam, & Scythopolim nominavit. Quod sequeretur ex narratione Solini comparata cum Plinianis. Stephanus: Σκυθόπολις, Παλαιςίνης πόλις, ἢ Νύσης Κοίλης Συρίας. Aliquid velle dicere videatur de Nysa. Legendum itaque foret: ἢ Νύση, Κοίλης Συρίας. Sed verius puto scribi: Παλαιςίνης πόλις, ἢ νῦν τῆς Κοίλης Συρίας. Sequitur ibidem: Σκυθῶν πόλις πρότερον λεγομένων Βαίσων ὑπὸ τῶν βαρβάρων. Quasi Scythæ illi Bæsi à Barbaris vocati sunt. Ita certè reposuit Xylander, pro eo quod erat, πρότερον λεγομένη Βαίσων. Et malè mutavit. Cedrenus: ὅτι ἡ Σκυθόπολις Βασὰν ἐλέγετο πρότερον. Utrumque corruptum est pro Βηθσὰν. Ita enim prius vocabatur hæc urbs. Hieronymus de interpretatione locorum Hebraicorum: *Bethsan, ex hoc oppido tribus Manasse accolas pristinos non potuit expellere, & nunc appellatur Scythopolis, urbs nobilis Palæstinæ, quam interdum scriptura cognominat domum San, quod in nostra lingua interpretatur iniquus.* Josephus vocat Βήθσανα lib. V. Antiquitatum: πλάτ☉ ἢ ἐπὶ Βηθσάνων, ἣ νῦν Σκυθόπολις καλεῖται. Ex illo *Bethsan* haud scio, an Nysan hariolati sint Baccho nutricem aliqui Græcorum, ut gens illa fuit fœcunda, facundaque nugis, & fabulis. Palæstinæ eam urbem asserunt Strabo, & Hieronymus: Plinius Decapolitanæ regioni Syriæ, quæ jungitur Judææ. Ptolemæus in Cœle Syria ponit. Inde Stephanus adscripta utraque opinione Παλαιςίνης, ἢ τῆς Κοίλης Συρίας πόλιν facit.

Quos ut animi firmaret ad promptam resistendi volentiam] Ita reposuimus, quum vulgo legeretur: *quos ut animo firmaret, ad promptam resistendi violentiam.* E libris est illud *animi firmaret.* Conjectura nostra est, eaque certissima, *ad promptam resistendi volentiam.* Sic enim legendum fuit vel contrà libros omnes, qui vulgatam retinent. Ita etiam ad oram libri sui notaverat præstantissimus Josias Mercerus. A *volens, volentia,* pro voluntate. Melius etiam scriberetur: *ad promptam residendi volentiam.* Ut promptam voluntatem adferrent ad residendum in ea urbe: ut prompte ibi residere vellent. Proprium huic rei verbum apud auctores: *illic Herculis comites resedisse.* Atque alibi passim. *Resistere* quidem & pro stare positum supra observavimus. Ut *resistit equus,* & *fluctus ingrui resistunt.* Sed minus huic loco convenit. Credibile est verbum *residendi* in *resistendi* mutasse, qui & *violentiam* pro volentia substituerant, non satis pensitata auctoris mente.

Pag. 47. F. *In Seleucia alter mons Casius, Antiochiæ propinquus*] Ita heic loquitur noster nugator, tanquam si Seleucia nomen esset provinciæ, in qua mons erat Casius. Atqui haud magis in Seleucia mons ille quam in Antiochia, cui propinquus est. Plinius: *in promontorio autem Seleucia Libera Pieria appellata. Super eam mons eodem quo alius nomine Casius.* De urbe Seleucia loquitur Plinius, non de provincia. Hæc ad Orontis amnis ostia, saltem haud longe. Strabo: πρώτη πόλις ἐςὶ Σύρων Σελεύκεια ἡ ἐν Πιερίᾳ, καὶ πλησίον Ὀρόντης ἐκδίδωσι ποταμός. At fluvius Orontes Casii montis pedes lambebat. Ammianus lib. XIV. *Has autem provincias, quas Orontes ambiens amnis, imosque pedes Casii prætermeans funditur in Parthenium mare.* Eodem amne Oronte dividitur Antiochia. Cum igitur Seleucia Pieria ad mare sit prope ostia amnis Orontis, Casius mons, qui Oronte adluitur, suprà Seleuciam utique est, ut rectè habet Plinius. Ptolemæus: Σελεύκεια Πιερία, Ὀρόντου ποταμοῦ ἐκβολαί. Supra Casium porro Antiochia. Sic inter Seleuciam, & Antiochiam mons ille Casius juxta Orontem fluvium. Quod in Seleucia esse dicit Solinus, nugatur, nisi pro regione accipiat. At quî id potest? Saltem Seleucida dixisset, aut Seleucenam. Σελευκίδα χώραν Græci vocant ab hac Seleucia, quæ quatuor insignes habet urbes, Seleuciam τὴν ἐν Πιερίᾳ, quam & Πιε-

A ρίαν Σελεύκειαν vocant, ut Καισάρειαν Καππαδοκίαν, pro Καισαρείᾳ τῆς Καππαδοκίας, Antiochiam ἐπὶ Δάφνῃ, Apameam, & Laodiceam. In ea Seleucide mons Casius, Antiochiæ propinquus. Seleuciam itaque pro Seleucide heîc posuerit noster. Ita Strabo de Seleucide. At longe aliter Ptolemæus. In Seleucide urbes tres ponit Γίνδαρον, Γεφύραν, & Ἴμμαν. A Casio monte regionem facit Κασιῶτιδα, cui urbes assignat præter alias Ἀντιόχειαν ἐπὶ Δάφνῃ & Seleuciam πρὸς Βήλῳ. Hæc Seleucia ad Belum diversa à Pieria Seleucia. Plinius lib. v. capite de Cœle Syria: *Seleucias præter*

B *jam dictam duas, quæ ad Euphratem, & quæ ad Belum vocatur.* Dicebatur & Σελευκόβηλ☉ unica voce. Vide Stephanum. Chalcis etiam ad Belum dicta est in Syria. Et hic Belus est amnis, quem Judaico mari illabi tradit Tacitus lib. v. Historiæ, *circa cujus os lectæ arenæ admixto nitro in vitrum excoquuntur.* Plinii locus de eodem Belo sic legendus lib. XXXVI. cap. XXVI. *Sed carimoniis sacer, limosus, vado profundus, non nisi repulsus mari harenas fatetur: fluctibus enim volutatæ nitescunt detectis sordibus. Tunc & marino credunt adstringi meatu, non prius utiles. Quingentorum est passuum non amplius littoris spatium, idque tamen multa per sæcula gignendo fuit*

C *vitro.* Ita partim ope librorum, partim conjectura restituimus. Iidem libri habent *profundas,* non *profundus.* Forte distinguendum: *Limosus vado, profundas nonnisi repulsus mari harenas fatetur.* Nihil tamen mutamus. In libris legitur *repulso mari,* ubi habent editiones, *repuso.* Correximus: *nonnisi repulsus mari harenas fatetur.* Mari repelluntur amnes, quorum cursus æstu maris ascendente retro agitur. Πλημμυρίδα, & ἄμπωτιν in illo esse littore testatur Strabo. Male etiam in vulgatis: *idque tantum per multa sæcula gignendo fuit vitro.* Nam libri, *tamen.* Legendum etiam: *gignendo sufficit vitro.* Tacitus: *Modicum id littus, sed egerentibus inexhau-*

D *stum.* Sed vulgatam retinemus. Ut *solvendo esse* dicitur, qui potest solvere, sic *gignendo esse,* qui generationi sufficit. Modicum illud littus, & quingentorum non amplius passuum spatio, id tamen per multa sæcula gignendo fuit: suffecit, ac par fuit gignendo vitro. Littus illud, quod harenas habet fundendo vitro utiles, inter Acen, sive Ptolemaïdem, & Tyron collocat lib. XVI. Μεταξὺ ἢ τῆς Ἄκης, καὶ Τύρου θινώδης ἐςὶν αἰγιαλὸς φέρων τὴν ὑαλῖτιν ἄμμον. Beli amnis non meminit Strabo. Ergo Belus ille inter Ptolemaïdem & Tyron mari illabitur. Plinius lib. v. cap. XIX. *Rivus Pagida, sive Belus vitri fertiles arenas parvo littori miscens. Ipse è pa-*

E *lude Cendebria à radicibus Carmeli profluit. Juxta colonia Claudii Cæsaris Ptolemaïs, quæ quondam Ace.* Atque hæc obiter. Seleucia ad Euphratem posita erat contra Euphratis Zeugma. Strabo: ἐνταῦθα ἢ νῦν ἐςὶ τὸ Ζεῦγμα τοῦ Εὐφράτου. Κατὰ τοῦτο ἢ Σελεύκεια ἵδρυται φρούριον τῆς Μεσοποταμίας προσωρισμένον ὑπὸ τοῦ Πομπηΐου τῇ Κομμαγηνῇ. Ita legendum. Zeugma oppidum in Euphrate. Syriæ latitudinem à Seleucia Pieriæ ad oppidum in Euphrate Zeugma Plinius ducit. Strabo Ζεῦγμα κατ' Εὐφράτην, *Zeugma ad Euphratem* vocat. Perperam heîc de ponte Euphratis accipiunt. Hoc Zeugma in Com-

F magene cis Euphratem. At Seleucia trans Euphratem in Mesopotamia, ad ipsum amnem, ex adverso Zeugmatis. Quod oppidum tamen, sive castellum Mesopotamiæ Pompejus Commagenæ contribuit. Hic sensus Strabonis, quem non viderunt eruditissimi viri. Alia Seleucia ad Tigrim, ἐπὶ Τίγρει, quæ Metropolis fuit Parthici imperii, & successit in locum Babylonis, de qua infra. Alia porro etiam fuit præter has & Seleucia *Trachea* appellata in Cilicia. Stephanus: Σελεύκεια πόλις ἐπὶ Κιλικίᾳ, Τραχεῖα λεγομένη. Ita scribendum. Ptolemæo in Ciliciæ positione Σελεύκεια Τραχεῖα. Aliis Τραχιῶτις. Et sanè Τραχεῖα Σελεύ-

G κεια dicitur pro Σελεύκεια τῆς Τραχείας, id est, Seleucia Ciliciæ Tracheæ, eodem prorsus modo quo Σελεύκεια Πιερία, & Καισάρεια Καππαδοκία, *& Antiochia Pisidia* in Tabula Peutingeri. Addit Stephanus: πρότερον ἢ Ὀλβία ἐκαλεῖτο, καὶ Ὑρία. Οἱ πολῖται ἀπὸ τῆς Ὑρίας Ὑριεῖς, καὶ τῆς Ὀλβίας Ὀλβιανοί. Fallitur de Olbia. Nec enim unquam sic appellata illa Ciliciæ Seleucia. Voluit dicere Ὀλμίαν. Ita vocat Plinius lib. v. cap. XXVII. *Seleucia supra amnem Calycadnum Trachiotis cognomine, à mari*

mari relata, ubi vocabatur *Holmia*. Legitur in Plinio *Hormia*. Perperam. Ὄλμους, & Ὄλμιν alii vocarunt. Idem Stephanus: Ὄλμοι πόλις Τραχείας Κιλικίας, ὅπου πρότερον ᾤκουν οἱ νῦν Σελευκεῖς. Condita Seleucia qui Olmos habitabant, in eam migrare jussi sunt. Strabo, unde Stephanus accepit: εἶθ' Ὄλμος ὅπου πρότερον ᾤκουν οἱ νῦν Σελευκεῖς. Κτισθείσης δὲ ἐπὶ τῷ Καλυκάδνῳ τῆς Σελευκείας ἐκεῖ μετῳκίσθησαν. Hoc est, quod ait Plinius à mari relatam esse Seleuciam, ubi vocabatur *Holmia*. At *Olbia* urbs alia in Pamphylia. Strabo: μετὰ Φασηλίδα δ' ἐστὶν ἡ Ὀλβία Παμφυλίας ἀρχὴ, μέγα ἔρυμα. Hæc postea fuit præfectura, sive θέμα τὸ καλούμενον Σελευκείας, sub imperatoribus Constantinopolitanis. Stephanus in voce Ὀλβία, ubi plures urbes recenset hoc nomine: τετάρτη Παμφυλίας ὡς Φίλων. Οὐκ ἔστι δ' Παμφυλίας, ἀλλὰ τῆς Σολύμων γῆς. Καὶ οὐδὲ Ὀλβία, ἀλλὰ Ὄλβα καλεῖται. Καὶ οἱ πολῖται Ὀλβαῖοι, καὶ Ὄλβιος, καὶ Ὀλβία. Iterum heîc nugatur Stephanus, & male Philonem reprehendit. Est Olbia Pamphyliæ, ἡ Ὀλβία. Est & *Olba* Ciliciæ, ἡ Ὄλβα, vel Ὄλβη. Quæ duæ diversæ sunt urbes. Ptolemæus in Pamphyliæ θέσει: Ὀλβία, Ἀττάλεια Καταῤῥάκτου ποταμοῦ ἐκβολαί. Similiter & Strabo post Ὀλβίαν, quam primam statuit Pamphyliæ urbem, Catarracten fluvium recenset, & urbem Ἀττάλειαν. Ceterum Ὄλβα urbs Ciliciæ, diversa ab hac Olbia Pamphyliæ. Strabo: ὑπερθε τούτων τε καὶ τῶν Σόλων ὀρεινή ἐστιν, ἐν ᾗ Ὄλβη πόλις, Διὸς ἱερὸν ἔχουσα, Αἴαντος ἵδρυμα τοῦ Τεύκρου, καὶ ὁ ἱερεὺς δυνάστης ἐγένετο τῆς Τραχειώτιδος. Ita libri. Nam vulgo edunt, ἐν ᾗ Ὄλβος. Perperam. Ab hac urbe τὸ ἐθνικὸν Ὀλβαῖος & Ὄλβιος. Ptolemæus Ὄλβαν vocat, & in Cilicia ponit. Sed malè apud eum

A Ὄλβασα vocatur: Κηπίδος δ' Ὄλβασα, Δαλασίδος δ' Νήκικα. Legendum: Κηπίδος δ' Ὄλβα, Σαγαλασσίδος δ' Νήκικα. Σαγαλασσὸς urbs Pisidiæ. Unde ἡ Σαγαλασσὶς Ciliciæ regio. Optima hæc correctio est. Pisidas Σολύμους prius dictos esse notat Stephanus, & Ὄλβαν τῶν Σολύμων urbem fuisse vult. Sed male Ὄλβαν confundit cum Ὀλβίᾳ, quæ urbs fuit Pamphyliæ. Sic tres urbes diversæ, Ὀλβία Pamphyliæ, Ὄλβα Ciliciæ, & Ὄλμοι, vel Ὄλμεια ejusdem Ciliciæ Trachiæ, quæ postea transiit, & concessit in Seleúciæ nomen. Imperitè ergo B Stephanus, Ὀλμείαν & Ὀλβίαν confundit, ubi scribit Seleuciam Trachiam prius nominatam fuisse Ὀλβίαν. Iterumque errat, quando Ὀλβίαν Pamphyliæ eamdem videri vult cum Olba Solymorum Ciliciæ. Non recte etiam Plinius, qui Holmos ab Holmia videtur facere diversos his verbis: *Mox flumen Calycadnus, promontorium Sarpedone, oppida Olme, Myle, promontorium & oppidum Veneris.* In libris scriptum est: *Bolme*. Lege: *Holmoe*, id est, Ὄλμοι. Atqui hi Holmi sunt, qui transiere in nomen Seleuciæ, quam dictam C esse olim Holmiam paulo post idem asserit. Et Ὄλμους ibi recenset Strabo. Ὄλμοι autem & Ὀλμεία idem. Ut Σόλοι in eadem Cilicia, & Σόλεια. Nam Σόλειαν, sive Σώλειαν Dionysius Stephano teste appellaverat, qui aliis Σόλοι. Hæc Seleucia Trachia Ciliciæ etiam Hyria secundum Stephanum vocata est, in voce Ὑρία: Ὑρία καὶ ἡ Ἰσαυρίαν Σελεύκειαν, ἣ παραῤῥεῖ ὁ Καλύκαδνος. Immo legendum, ἡ κατ' Ἰσαυρίαν Σελεύκεια. Vide in voce Σελεύκεια. Vocat κατ' Ἰσαυρίαν Σελεύκειαν, quæ & Τραχεῖα, sive Τραχειῶτις cognominata est. Atque hæc ha- D ctenus.

CAPUT XXXVII.

De fluminibus Tigri, & Euphrate. De lapidibus zmilanthi, sagda, myrrhite, mithridace, tecolitho, hammochryso, aëtite, pyrite, chalasia, echite, dionysia, glossopetra, gemma solis, crine Veneris, selenite, meconite, myrmecite, chalcophthongo, siderite, phlogite, anthracia, enydro.



Uphratem major fundit Armenia ortum supra Zimaram] Ita editi hactenus. Plinianæ editiones: *supra Simyram*. Scripti codices Solini: *supra zizaniam*. In aliis: *zizamam*. In quibusdam *Zimam*, & suprà additum *za*, ut esset *zizamam*. Quæ est plurium librorum lectio. In Plinianis scribitur, *Zymaram*, & *Zimaram*. Ita duobus in locis apud eum scribunt vetusta exemplaria: *Dascusa abest a Zimara* LXX. M. Quæ eadem est cum ea, supra quam oritur Euphrates. *Supra Zymaram*. Cui scripturæ adstipulantur Soliniani, qui habent *Zimam*. Profecto mendosè editur in Plinianis, *supra Simyram*. Et mox: *abest à Simyra*. Urbs est Syriæ hoc nomine. Σίμυρος & Σίμυρα, quæ nihil heîc habet loci, licet correctores voluerint. Ζιμάρα Ptolemæo inter urbes Armeniæ minoris recensetur, παρὰ τὸν Εὐφράτην. Ζιμάρα, Δασκοῦσα. Plinio *Dascusa*. Sed Plinius Dascusam à Zimara septuaginta milibus distare ait, quum Ptolemæus viciniores inter se videatur eas urbes facere. Verius sit fortasse de *Dagusa* intelligere, quam in Melitene Armeniæ minoris regione ad Euphratem ponit idem Ptolemæus: Μελιτηνῆς παρὰ μὲν τὸν Εὐφράτην ποταμὸν, Δαγοῦσα. Atque ita fortasse legendum pro *Dascusa* apud Plinium.

Sub radicibus montis, quem Capoten incolæ nominant] Meliores libri Solini, & excerpta ejusdem legunt: *Catoten*. Plinii, & Martiani Capellæ *Capoten*. Plinius de Euphrate: *oritur in præfectura Armeniæ majoris Caranitide, ut prodidere ex his, qui proximè viderant, Domitius Corbulo in monte Aba, Licinius Mucianus sub radicibus montis, quem Capoten appellant, suprà Zimaram* XII. M. Multa in his Plinii verbis animadvertenda: nam aut ipse falsus est, aut illi, quos auctores citat, & quibus conspectos tradit Euphratis fontes, aut alii, qui diversa ab his scribunt. Profecto non parum turbant scriptores in his Euphratis fontibus, nec sibi ipsi constant interdum. Nonnulla

etiam peccant recentiores, dum vetera explicant. Quæ omnia aperienda sunt: nam faciunt non mediocriter ad illustrationem Plinii, quam his exercitationibus polliciti sumus. Strabo memorat Euphratem à latere Tauri E montis septentrionali ortum, primum per Armeniam majorem fluere, occidentem versus, deinde ad meridiem converti, & Taurum montem scindere. Verba ejus hæc sunt lib. XI. Ὁ Εὐφράτης ἀπὸ τῆς βορείου πλευρᾶς τοῦ Ταύρου τὰς ἀρχὰς ἔχων, τὸ μὲν πρῶτον ῥεῖ πρὸς δύσιν διὰ τῆς Ἀρμενίας, εἶτ' ἐπιστρέφει πρὸς νότον, καὶ διακόπτει τὸν Ταῦρον μεταξὺ τῶν Ἀρμενίων τε καὶ Καππαδοκῶν, καὶ Κομμαγηνῶν. Rectus igitur ejus cursus ab oriente ad occidentem per Armeniam majorem, usque quo perveniat ad minorem. Strabo idem alio loco de Euphrate: τὰς πηγὰς ἔχων ἐν τῷ προσβόρῳ μέρει τοῦ Ταύρου, ῥέων δ' ἐπὶ δύσιν διὰ τῆς Ἀρμενίας F τῆς μεγάλης καλουμένης, μέχρι τῆς μικρᾶς, ἐν δεξιᾷ ἔχων ταύτην, ἐν ἀριστερᾷ δὲ τὴν Λισκηνήν: εἶτ' ἐπιστρέφει πρὸς νότον. Συνάπτει δὲ κατὰ τὴν ἐπιστροφὴν τοῖς Καππαδοκῶν ὁρίοις. Hæc & corrupta sunt, & parum bene intellecta doctis viris. Fluit per Armeniam majorem primum Euphrates, recto cursu occidentem petens, donec attingat Armeniam minorem. In illo cursu priusquam se convertat, habet à dextra Armeniam majorem. De ea quippe intelligendum, quum dicit, ἐν δεξιᾷ ἔχων ταύτην, non de minore, ἐν ἀριστερᾷ δὲ τὴν Λισκηνήν. Notant libros habere, τὴν Λισήνην. Ipsi corrigunt, τὴν βασιλισσήνην. Verum non potest videri rectum. Nec enim ibi Basilisene, sed auctore G ipso Strabone rescribendum, ἐν ἀριστερᾷ δὲ Ἀκιλισηνήν. Acilisene præfectura Armeniæ majoris sita erat inter Taurum montem, & alveum Euphratis, dum recto cursu ad occidentem pergeret, priusquam ad meridiem averteretur. Idem Strabo paulo post de Antitauro: ἐκ θατέρου δὲ μέρους ἔχων τὴν Ἀκιλισηνὴν μεταξὺ ἱδρυμένην τοῦ Ταύρου τε καὶ τοῦ Εὐφράτου Μεσοποταμίας πρὶν ἢ κάμπτειν αὐτὴν ἐπὶ νότον. Et hic locus insigniter corruptus, quem feliciter sic restituo: μεταξὺ ἱδρυμένην τοῦ Ταύρου τε καὶ τῆς τοῦ Εὐφράτου ποταμίας πρὶν κάμπτειν αὐτὴν ἐπὶ νότον. Nullam heîc Mesopotamia sedem habere

Oo 3 potest

poteſt. Per ποταμίαν Euphratis alveum ejus intelligit. Et ſic eadem pagina loquutus eſt, μέχρι μικρᾶς Ἀρμενίας, καὶ τῆς τοῦ Εὐφράτου ποταμίας. Taurus mons eodem Strabone teſte continuis jugis latus meridionale Armeniæ majoris à Meſopotamia ſeparabat: πόθεν νοτιώτατον μάλιστα ἐστὶν ὁ Ταῦρος ὁρίζων τὴν Ἀρμενίαν ἀπὸ τῆς Μεσοποταμίας. Miſſi Theodoſii: *Armenia major & mare Caſpium, & quæ circa gentes ſunt ad Oceanum, finiuntur ab oriente Oceano Serico: ab occidente, jugis montis Caucaſi & mari Caſpio: à ſeptentrione, Oceano: à meridie, monte Tauro.* Euphrates, ut hoc iterum repetam, in ſeptentrionali latere hujus montis ortum capeſſens, & verſus occidentem means, ipſum montem à ſiniſtra habebat, Armeniam majorem à dextra. At inter montem, & Euphratis alveum provincia Acilisene interjecta patebat, ut oſtendimus Strabonis verbis. Eam igitur à ſiniſtra adluebat Euphrates, a dextra reliquam Armeniam majorem, priuſquam ad meridiem flecteretur. Et vera lectio eſt apud Strabonem: ἐν ἀριστερᾷ δὲ τὴν Ἀκιλισηνήν. Nec obſtat quod ſubjicit ſtatim, eumdem Euphratem, ubi ad meridiem curſum detorſit, ad dextram relinquere Commagenam, ad lævam τὴν Ἀκιλισηνήν, καὶ Σωφηνὴν τῆς μεγάλης Ἀρμενίας. Utrumque verum, & utrobique Acilisenen eamdem lævo latere radit Euphrates, & cum ad occidentem currit, & ubi ad meridiem inflectitur. Tum enim eam ipſam à læva relinquit. Per longum eam quippe alluit, priuſquam verſuram faciat, πρὶν ἢ κάμπτειν: per latum eamdem, ubi converſus eſt. Inibi & Sophene ad verſuram ipſam, convalle quadam inter Taurum, & Antitaurum comprehenſa. Alio loco inter Maſium, & Antitaurum eam ſitam eſſe docet, & Antitaurum ab Euphrate, & Tauro incipere facit, & deſinere εἰς τὰ ἑῷα τῆς Ἀρμενίας. Alibi Amanum ſcribit, qui pars eſt Tauri, uſque ad Euphraten, & Melitenen procedere, ubi Commagene Cappadociæ adjacet: inde excipere trans Euphratem montes uno rigore continuandos, niſi eos diſſociaret Euphratis irruptio. Suprà Maſium longè verſus orientem Niphatem eſſe, εἶτα ὁ Ἄβος ἐξ οὗ ὁ Εὐφράτης ῥεῖ, καὶ ὁ Ἀράξης, ὁ μὲν πρὸς δύσιν, ὁ δὲ πρὸς ἀνατολάς. Atqui ſupra dixerat Euphratem oriri è latere Tauri ſeptentrionali, Tigrim è meridionali. Niphates, & Abos partes, & fragmenta ſunt montis Tauri, quæ recto fere jugo eum perpetuant ab occidente, ubi Taurum penetrat Euphrates, ad orientem, ubi naſcitur. Taurus enim, ut idem alicubi ſcribit, Sophenem, & reliquam Armeniam majorem à Meſopotamia diſterminat. Et primo quidem vocatur Taurus. Alii Gordyæos montes nominant. In his montibus eſt Maſius Niſibi imminens. Deinde magis magiſque attollitur, atque appellatur Niphates, ex cujus latere meridionali oritur Tigris, ut ex ſeptentrionali Euphrates. Atque hæc eſt Strabonis ſententia de Euphratis origine. An alia ſit Ptolemæi, videamus. Certe in totum alia, ſi credimus Geographicis tabulis ejuſdem. Armeniam majorem & ipſe ad meridiem Meſopotamia terminat, παρὰ τὴν τοῦ Ταύρου γραμμήν, quæ Euphrati jungitur & Tigridi: & Aſſyria παρὰ τὴν τοῦ Νιφάτου γραμμήν, quæ recto limite præcedentem continuat uſque ad fines Caſpii montis. Eamdem Armeniam in tria ſegmenta, ſive τμήματα diſpertit. Primum τμῆμα facit τὸ ἀπολαμβανόμενον μεταξὺ Εὐφράτου, καὶ Κύρου, καὶ Ἀράξου ποταμοῦ. Mala manu additum eſt illud Εὐφράτου, quod in graviſſimum errorem viros doctiſſimos induxit. Partem Armeniæ ſuperiorem, & ſeptentrionalem deſcribit illo tmemate, quæ nihil commune habet cum Euphrate, qui ad meridiem fluit. Totam quippe comprehenderet Armeniam, ſiquidem eam deſcriberet quæ inter Euphratem, & Cyrum jacet. Nam Cyrus ad ſeptentrionem, Euphrates ad meridiem totam eam provinciam ferè comprehendunt. Atqui τμῆμα duntaxat ſuperioris Armeniæ hic deſcribendum ſumpſit. Florus lib. IV. *Omnibus ad occaſum & meridiem pacatis gentibus, ad ſeptentrionem quoque duntaxat intra Rhenum, atque Danubium, item ad orientem intra Cyrum, & Euphratem.* Totam Armeniam majorem intelligit, quæ intra Cyrum, & Euphratem. Ita olim correximus, quum eſſet in vulgatis: *intra Taurum, & Euphratem.* Quæ lectio prorſus falſa. Legendum

A igitur apud Ptolemæum: χῶραι δὲ εἰσὶν ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ ἐν τῷ ἀπολαμβανομένῳ μεταξὺ Κύρου, καὶ Ἀράξου ποταμῶν τμήματι. In ipſa deſcriptione regionum nulla mentio Euphratis. Juxta Moſchos montes *Catarzene* regio numeratur: ad Cyrum fluvium, *Oſarene*, & *Motene*: ad Araxem *Colthene*, & *Soducene*: prope Paryadrem montem, *Sibacene*, & *Sacapene*. Hæ ſunt regiones illius tmematis, in qua nulla eſt, quæ Euphratem attingere dicatur. Quod ad urbes attinet ejuſdem ſegmenti, aliquot recenſet παρὰ τὸν Εὐφράτην ποταμόν. Ubi turpiſſimum mendum admiſſum eſt. Nam planè ſcribendum conſtat, παρὰ τὸν Ἀράξην ποταμόν. Inter eas urbes
B recenſentur τὰ Ἀρτάξατα, quæ ad Araxem amnem ſita. Strabo de Araxe: καὶ παραρρεῖ τὴν Ἀζάραν πρῶτον, εἶτα Ἀρτάξατα πόλιν Ἀρμενίων. Eam ad Araxenum campum conditam fuiſſe ibidem ait, πρὸς τῷ Ἀραξηνῷ πεδίῳ. Ita ſcribendum, non Ἀρταξηνῷ. Et βασίλειον eam τῆς χώρας vocat. Alia Artaxata ad Euphratem eodem Strabone auctore, ſed non in Armenia. Nec de aliis Artaxatis ibi intelligi par eſt. Primo igitur illo tmemate partem ſuperiorem Armeniæ deſcribit, quæ ad ſeptentrionem, & orientem jacet, inter Cyrum & Araxem. Nam Araxes indidem ortus, unde Euphrates ad orien-
C tem ſeptentrionem in mare Caſpium tendit. Secundo tmemate, quod ſuprà ſcripto ſubjacere dicit, latus illud Armeniæ complectitur, quod ad occidentem verſum eſt, uſque ad Euphratis flexum: ἐν δὲ τῷ ἀπολαμβανομένῳ τμήματι ὑπὸ τὸ εἰρημένον μέχρι τῆς τοῦ Εὐφράτου ἐκτροπῆς. Ita ſcribendum, non, ut legitur vulgo: μέχρι τῆς ἀπὸ τοῦ Εὐφράτου ἐκτροπῆς. Partis hujus regiones ἀρχὴν κατωτέρας facit incipientibus ab occidente, *Baſiliſenen* primum & *Bolbenen*. Ita debet ſcribi, βασιλισηνήν. Sub his *Aciliſſene*, & *Auſtanitis*. Deinde πρὸς αὐτῇ τῇ ἐκτροπῇ τοῦ ποταμοῦ Σωφηνή, *ad ipſum fluminis flexum, Sophenen.*
D Tertium, & ultimum τμῆμα, quod μεσημβρινώτερον vocat, inter Euphratem, & Tigridis fontes. Male vertunt: *Inter Euphratis & Tigridis fontes.* Nam Euphratis eam partem intelligit, quæ Commagenen ab Armenia majore ſeparat, ubi Taurum montem dividit. Hoc μεσημβρινώτατον πλευρὸν Armeniæ. Non puto magnopere inter ſe conſentire Strabonem, & Ptolemæum ſuper ortu, ac fontibus Euphratis, ejuſdemque decurſu. At immanem illum diſſenſum faciunt ambo- rum, qui Geographicas tabulas conſcripſere. Euphratem primò deducunt à Paryadre monte, quem ſupra Moſchicos montes ponunt. Deinde divertigium, ut vocant, ejuſdem Euphratis quoddam faciunt, cu-
E jus fontes in Abo monte conſtituunt. Hoc diverticulum Euphratis, quod in monte Abo fontes habet, per mediam Armeniam fluere volunt, & conjungi cum ipſo Euphrate juxta Sophenen, ubi ἐκτροπὴν τοῦ ποταμοῦ eſſe ſcribit Ptolemæus. Mira profecto res, ſed non minus ridicula. Id enim ſibi imaginati ſunt, quod eſt contra rerum naturam ac fluminum, ut idem amnis ſit, cum duo fontes diverſis, ac longè diſſitis locis orti, in unum miſcentur, & alter alterius habeatur diverticulum. Profectò hoc locum tantùm habere mihi videtur, quum ex uno fonte amnis diverſus in plures partes, ac diverticula, pluribus etiam brachiis, &
F oſtiis in mare evolvitur. Excepto enim majore, ac magiſtro alveo, ceteri crines inde avulſi ἐκτροπαὶ vocantur. Atque ita Ptolemæus vocat in Nilo amne. Sed in Euphrate hoc nemo prodidit, binis aut pluribus alveis à fonte uno dividi, præcipuè priuſquam Taurum ſcindat, & Meſopotamiam ineat. Nam circa Babylonem dividi eum certum eſt, *& tripertito meatu fluere*, ut Ammianus teſtatur. Præterea ἐκτροπὴ dicitur eo loco, ubi amnis divortium facit, & in duas partes ſcinditur. Nam pars illa minor, quæ dividit, ac divertit à majore, propriè ἐκτροπὴ dicitur, ac diverticulum. At hîc è contra ἐκτροπὴν dici volunt, ubi duo
G amnes ab ipſis fontibus diviſi in unum junguntur, ac ſeſe commiſcent. Quod prorſus caret ratione. Ἐκτροπὴ etiam dicitur, ubi amnis unus à recto curſu, quem prius inſtiterat, deflectitur, & curvatur. Καμπὴν, & ἐπιστροφὴν, & ἀγκῶνα, & ἐκτροπὴν Græci dicunt. Latini *coxam, gammam, verſuram, curvaturam, cubitum.* Ptolemæus ipſe ἐπιστροφὴν alibi vocat, quam heîc ἐπιτροπὴν, ubi dicit Cappadociam ab oriente finiri

ri Armenia majore, παρὰ τὸν Εὐφράτην ἀπὸ τῆς εἰρημένης τμήματος μέχρι τῆς ἀρκτικωτάτης αὐτοῦ πρὸς ἀνατολὰς ἐπιστροφῆς. An eamdem ἐκτροπὴν intelligit? Certè alio modo eam accipit. Euphrates ab oriente Armeniæ majoris descendens versus occidentem, deinde ad meridiem sese inflectens Cappadociam ab Armenia disparat, & latus ejus orientale cludit. Hæc ἐπιστροφὴ δυτικὴ πρὸς νότον. Si contrario sensu retro ascendas, ut ibi facit Ptolemæus, & alveum fluminis contra cursum ejus sequaris, ad eamdem ἐπιστροφὴν venies τὴν ἀρκτικωτάτην πρὸς ἀνατολάς. Ab Amano, ubi Euphrates Taurum penetrat, & Syriam intrat, usque ad ἀρκτικωτάτην ejus ἐπιστροφὴν, quæ ad orientem recedit, Cappadocia, quæ & Armeniam minorem comprehendit, ab Armenia majore Euphratis alveo excluditur. Deinde post flexum fluminis, per lineam, quam Moschici montes faciunt. Hæc est terminatio Cappadociæ orientalis juxta Ptolemæum. Quod si Euphrates veniret à Paryadre monte supra Moschicos montes, totum illud latus orientale Cappadociæ finiret, non Moschicorum montium juga ad eum limitem absolvendum quærenda forent. Sed hæc Ptolemæi mens non est, ut perperam Geographicæ tabulæ affingunt, quæ latus orientale fermè totum Cappadociæ, sive Armeniæ minoris, Euphratis alveo ab Armenia majore excludunt. Sed Euphrates ab Abo monte Armeniæ majoris contra occidentem fluens, ubi Armeniam minorem attigit, è regione urbis Sinaræ aliquot millibus supra Zimaram, repente ad meridiem detorquet alvei sui recturam. Nunc paucis ostendendum, qua in re Ptolemæus, & Strabo inter se disconveniant, conveniant-ve. Strabo juxta cum Ptolemæo Armeniam majorem à Mesopotamia Tauro monte disterminari statuit. Sed Strabo ab illo ipso monte Tauro, qui Mesopotamiam ab Armenia majore separat, Euphratem oriri dat, quæ non est Ptolemæi sententia. Nam ille Niphatem montem Tauro jungit, Niphati Abum, ex quo monte oritur Euphrates. Atque hos montes ita perpetuat usque ad orientem Armeniæ. Ptolemæus Abum montem non recto limite cum Tauro continuat, sed eum longè ἀρκτικώτερον facit, & in latere septentrionali Armeniæ ponit ad meridiem. Strabo Euphratem à septentrionali latere Tauri montis, quem Ἄβον vocat, per Armeniam majorem versus occidentem deducit, & ad meridiem curvari tradit, paulo ante quam Taurum montem perrumpat. Τὸ μὲν πρῶτον ῥεῖ πρὸς δύσιν διὰ τῆς Ἀρμενίας, εἶτα ἐπιστρέφει πρὸς νότον, καὶ διακόπτει τὸν Ταῦρον. Sic ἐπιστροφὴν, & διακοπὴν pæne inter se jungit. Atque ita necesse est, quum ab eodem Tauro, quem scindit, etiam ortum habere velit, cujus juga uno rigore ab ortu Euphratis ad ejusdem ἐπιστροφὴν incedunt, paulo ante quam Taurum irrumpat. Idem alio loco: τὸ δ᾽ ἂν νοτιώτατον μάλιστά ἐστιν ὁ Ταῦρος ὁρίζων τὴν Ἀρμενίαν ἀπὸ τῆς Μεσοποταμίας, ἐντεῦθεν δ᾽ ἀμφότεροι ῥέουσιν, οἱ τὴν Μεσοποταμίαν ἐγκυκλούμενοι ποταμοί. De Tigride, & Euphrate loquitur, quos ambos fluere dicit ab illo monte Tauro, qui latus meridionale Armeniæ majoris à Mesopotamia secludit, sed Tigrim à latere austrino, Euphratem à boreo. Hinc multis persuasum, utrumque amnem uno fonte fluere. Lucanus:

Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diversis fontibus edit
Persis.

Ptolemæus ἐπιστροφὴν Euphratis ad meridiem longè ἀρκτικωτέραν statuit, & multo ante fieri, quam ad Taurum pervadendum veniat Euphrates. Uterque tamen, quod mireris, Sophenen præfecturam ad ipsum cubitum flectentis se fluminis collocant, quum in ceteris tantopere dissideant. Sophenen certè Strabo inter Taurum, & Antitaurum statim esse prodit, quasi valle quadam comprehensam. Idem & Acilisenen, quæ Sophenæ vicina est, constituit inter montem Taurum, & alveum Euphratis, priusquam ad versuram perveniat. Quæ omnia longè absunt à Ptolemæi sententia. Taurum & Antitaurum jungit Strabo ea parte, qua Euphrates ad meridiem redit, & Taurum scindit. Multas enim fieri Tauri montis ad arctos abscissiones, καὶ ἀποσχίδας: inter ceteras μίαν τὴν Ἀντιταύρου. Καὶ γὰρ, inquit, ἐνταῦθα οὕτως ὀνομάζεται, ὁ τὴν Σωφηνὴν

A ἀπολαμβάνων ἐν αὐλῶνι μεταξὺ κειμένῳ αὐτοῦ τε καὶ Ταύρου. Atqui Sophenen cum Acilisene intra coxam vertentis se fluminis includit ex adverso Commagenes. Quid enim clarius his verbis? Εἶτα ἐπιστρέφει πρὸς νότον, συνάπτει δὲ κατὰ τὴν ἐπιστροφὴν τοῖς Καππαδοκῶν ὁρίοις. Δεξιᾷ δὲ ταῦτα ἀφεὶς, καὶ τὰ τῶν Κομμαγηνῶν, ἀριστερᾷ δὲ τὴν Ἀκιλισηνὴν, καὶ Σωφηνὴν τῆς Ἀρμενίας πρόεισιν ἐπὶ τὴν Συρίαν. Aperte τὴν ἐπιστροφὴν Euphratis ad notum, & τὴν διακοπὴν τοῦ Ταύρου ab eodem Euphrate in continenti ponit, ut non magnum intervallum inter utramque esse necesse sit. Et multo etiam manifestius hoc indicant hæc verba

B ejus, quæ jam superius attulimus: Εἶτα ἐπιστρέφει πρὸς νότον, καὶ διακόπτει τὸν Ταῦρον μεταξὺ τῶν Ἀρμενίων τε, καὶ Καππαδοκῶν, καὶ Κομμαγηνῶν, ἐκπεσὼν δ᾽ ἔξω, καὶ γενόμενος κατὰ τὴν Συρίαν ἐπιστρέφει πρὸς χειμερινὰς ἀνατολὰς μέχρι τῆς Βαβυλῶνος. Sophenen & Commagenen invicem opponit, & hanc ab Euphrate dextra relinqui, illam sinistra, paulo ante quam sibi viam vi faciat per Taurum montem. At postquam Taurum liberavit, & Syriam ingressus est, aliam ἐπιστροφὴν facit, & ad orientem convertitur. Hæc est μεσημβρινωτάτη ejus ἐπιστροφὴ πρὸς ἀνατολὰς, cui Ptolemæus opponit τὴν ἀρκτικωτάτην, cujus

C meminit in definitione Cappadociæ, ubi scripsit latus Eoum ejus terminari Armenia majore secundum Euphratem ab eo loco, quo Taurum penetrat, μέχρι τῆς ἀρκτικωτάτης αὐτοῦ πρὸς ἀνατολὰς ἐπιστροφῆς. Nulla septentrionem versus ἐπιστροφὴ πρὸς ἀνατολὰς Euphratis, nisi eo modo accipiamus quo paulo ante docuimus. Alveum, & ripas, non decursum fluminis consideravit Ptolemæus, ut ferè solent Agrimensores, & Gromatici auctores. Hinc *rectæ ripæ*, & *recurrentes ripæ* fluminum, & *curvæ ripæ* passim apud auctores. Ad orientem igitur recurrunt ejus ripæ, quia ἐπιστροφὴ ipsius alvei in utramque partem capi potest, quum flumine secundo de-

D scenditur, & quum ascenditur adverso amne. Ascendenti Euphratem ἐπιστροφὴ illa ἀρκτικωτάτη πρὸς ἀνατολὰς, descendenti vero, ἡ μεσημβρινωτάτη, quæ in Syria fit, qua Euphrates à meridie ad orientem deflectit. Atque hujus ἐπιστροφῆς respectu certum est illam alteram ἀρκτικωτάτην appellasse. Duæ ἐπιστροφαὶ Euphratis ad orientem, una ascendenti sursum, qua à septentrione ad orientem ripæ fluminis recedunt: altera descendenti ad meridem, qua rursum ad orientem cursus amnis revertitur, unde prius venerat. Spatium porro illud fluminis, quod inter utramque ἐπιστροφὴν patet, Cappadociam ab Armenia majore dispescit. Hoc fortasse vo-

E luit Ptolemæus. At boni viri, dum aliud cogitant, quam de verbis ejus recte capiendis, ex illa ἀρκτικωτάτη ἐπιστροφῇ, quasi alia esset μεσημβρινωτάτη, præter eam quam diximus, duos alveos, ac duos fontes ejusdem fluminis diversis locis ortos sibi commenti sunt, ut duas illas ἐπιστροφὰς reperire possent. Ita quidem exponendum erit, nec enim aliter pote, si vulgatam retinebimus πρὸς ἀνατολάς. Sed eam falsi valdè suspectam habeo. Absurdum quippe mihi videtur ἐπιστροφὴν τὴν πρὸς ἀνατολὰς appellari, conversionem eam, & flexum flu-

F vii, qui ob oriente ad meridiem fit, non ad orientem. Scio quidem sequentibus amnem usque ad fontes riparum ἐπιστροφὴν ad orientem fieri, sed de amnis ipsius ἐπιστροφῇ, quam in cursu suo, ac descensu facit, Ptolemæum loqui certa fides est. Nunquam igitur illud mihi extorqueri sinam, quin legendum sit, μέχρι τῆς ἀρκτικωτάτης αὐτοῦ πρὸς νότον ἐπιστροφῆς: vel πρὸς τὰ νότια. Idem mendum & in Armeniæ majoris descriptione, ubi sic legitur: καὶ τοῦ Εὐφράτου ποταμοῦ τὸ ἀπὸ τῆς εἰρημένης πρὸς ἀνατολὰς ἐπιστροφῆς μέρος μέχρι τῶν πηγῶν, αἳ καὶ ἔχουσι μοίρας ο̅ε̅ γ. μ̅β̅ γ. Similiter corrigendum: ἀπὸ τῆς εἰρημένης πρὸς τὰ νότια ἐπιστροφῆς. Correctorum esse vulgarem lectionem plane mihi persuadeo. Hi cum viderent à

G meridie septentrionem versus progredi Ptolemæum in designandis terminis lateris orientalis Cappadociæ, & ab illa ἐπιστροφῇ ad fontes Euphratis pergere in assignanda illa θέσει, quoniam ad orientem fontes ejus sunt, putarunt utique, & τὴν ἐπιστροφὴν πρὸς ἀνατολὰς fieri oportere. Quod est absurdissimum. Euphrates à fontibus recto cursu occidentem petit, mox ad meridiem flectitur, quam ἐπιστροφὴν πρὸς νότον Strabo, Ptolemæusque vocant. Latus orientale Cappadociæ, sive Armeniæ minoris Euphrate discluditur à majore Armenia usque

usque ad illam ἐπιστροφὴν πρὸς νότον ἀρκτικωτάτην. Ibi enim finit Euphratis alveus, incipiuntque montes Moschichi, qui reliquam partem terminant. Eam ἐπιστροφὴν πρὸς νότον sub iisdem latitudinis gradibus collocat Ptolemæus, atque ejus fontes, quia recto, ut dixi, meatu à fontibus profluus, occidentem petit, deinde convertit se ad meridiem. Hoc etiam ἐκτροπὴν vocat, quia deflectit, ac divertit à recto cursu, quem ab initio & fontibus ipsis instituerat. Sic ἐκτροπαὶ ὁδῶν eidem Ptolemæo non sunt diverticula compendiosa, & semitæ è majoribus viis sectæ, sed flexus, & καμπαὶ, quibus rectura viarum curvatur, & rigorem suum alio detorquet. Strabo Sophenen πρὸς τῇ ἐπιστροφῇ τοῦ ποταμοῦ ponit inter Taurum & Antitaurum. Ptolemæus eamdem regionem πρὸς τῇ ἐκτροπῇ τοῦ Εὐφράτου locat. Latus tamen heîc inter utrumque dissensus. Nam Strabo Antitaurum cum Tauro jungit ad ἐπιστροφὴν ipsam eo loco, quo Taurum scindit Euphrates, quæ θέσις juxta Ptolemæum gradus obtinet latitudinis triginta septem & viginti sexagesimas. At Ptolemæus eam ἐπιστροφὴν sub latitudine reponit gradus obtinente duo & quadraginta cum viginti sexagesimis. Singuli gradus quingenta præter propter faciunt stadia. Sic stadiis bis mille quingentis Ptolemæi ἐπιστροφὴ Euphratis à Straboniana distat, hoc est, trecentis ac duodecim milibus passuum. Nec major consensus, ac concordia amborum in Euphratis fontium situ. Nam, ut Ptolemæus fontes, & ἐπιστροφὴν sub eadem parallelo collocat, ita & Strabo, qui fontes Euphratis in monte Tauro assignat, qui Armeniam majorem à Mesopotamia separat. Et ratio plane heîc Strabonem fugit, sed veteres sequutus est. Nunc Pliniana excutienda sunt, & cum his comparanda, quæ certiorem fidem vel propter id videantur habere, quod auctores allegat, qui proximè eos tractus perlustrarant, Domitium Corbulonem, & Licinium Mutianum. Sic igitur ille de Euphrate: *Oritur in præfectura Armeniæ majoris Caranitide, ut prodidere ex his, qui proximè viderant, Domitius Corbulo in monte Aba, Licinius Mutianus sub radicibus montis, quem Capoten appellant, supra Zimaram* XII. *milibus passuum.* Vix addubitarim, quin ille mons *Aba* Domitii Corbulonis sit Ἄβος Strabonis, & Ptolemæi. Eustathius in Dionysium: μετὰ δὲ τὸν ῥηθέντα Νιφάτην Ἄβος ὄρος, ἐξ οὗ ὁ Εὐφράτης δὲ ῥέει, καὶ ὁ προειρημένος Ἀράξης. Male legitur Ἄκος, licet id defendere supra voluerim, quod in scriptis codicibus Plinii legeretur *Aga*: idque pro *Aca* positum suspicabar. De situ hujus montis discidium ingens inter auctores nostros, ut & de ortu Euphratis. Plinius ex Corbulonis relatione montem Abam in Caranitide præfectura majoris Armeniæ esse tradit. *Caranitis* regio quædam Galatiæ ab urbe Carana, cujus meminit Strabo lib. XII. Καὶ ἔστι σύστημα κατ' αὐτὸ τὸ πολίχνιον, συνῳκισάντων τὰ Κάρανα, ἀφ' οὗ καὶ χώρα Καρανῖτις λέγεται. Stephanus: Κάρανα, πόλις Γαλατίας ὑπὸ Ῥωμαίων συνοικισθεῖσα τὸ ἐθνικὸν Καρανίτης, καὶ θηλυκὸν Καρανῖτις. Sed de hac Caranitide regione in hoc Plinii loco intelligi posse nemo dixerit sanus. Alia itaque quærenda. Strabo lib. XI. scribit Armeniam majorem, quum antea brevioribus finibus circumscriberetur, ampliatam fuisse ab Artaxia, & Thariade ducibus Antiochi magni, qui & regnum ejus postea usurparunt. Eos ex regionibus vicinis ad suam ditionem multa adjunxisse, quæ finitimis populis ademerant, ut Medis, Iberis, Chalybibus, Cataonibus, Syris. Χαλύβων, δὲ καὶ Μοσσυνοίκων Παρυηνήτην, καὶ Ξερξήνην, ἃ τῇ μικρᾷ Ἀρμενίᾳ ἐστὶν ὅμορα, καὶ μέρη αὐτῆς ἐστιν. Viri docti notant in scriptis esse, Καρηνῆτιν. Sed typus hic non est usitatus provinciarum nominibus: & patet scribendum esse Καρηνῖτιν. Omnino illa ipsa est, quam Plinius *Caranitidem* vocat. Chalybum fuit olim, qui & Armenochalybes, Armeniæ minori vicini. Postea adjuncta est Armeniæ majori. Xerxenen ei conjungit Strabo, item Plinius, qui Euphratem in Caranitide ortum, per Xerxenen primum fluere dicit. Ita enim corrigendum: *fluit Xerxenen primum, mox Anaïticam Armeniæ regiones à Cappadocia excludens.* Male vulgo legitur *Derxenen.* Stephanus: Ξερξήνη, ἀπὸ Ξέρξου, ὡς Καμβυσήνη ἀπὸ Καμβύσου τῇ μικρᾷ Ἀρμενίᾳ ὅμορος. Oriri supra *Zimaram* scribit duodecim milibus. Ita etiam legendum in Plinio, non *Simyram*, ostendimus antea. Ergo recto limite statim ab ortu cursum ejus à septentrione versus meridiem deducit, non ab oriente ad occidentem, nec ullam ἐπιστροφὴν agnoscit. Ptolemæus Ζίμαρα ponit in latitudine graduum XL & sextantis, sive decem minutorum. Fontes vero Euphratis, & ἐπιστροφὴν locat in latitudine graduum XLII & trientis. Certè & Σίνηρα Armeniæ minoris ad Euphratem collocat in latitudine graduum totidem & semis, nisi mendum sit in numero graduum, quod non raro contigit. Ad ipsam certè ἐπιστροφὴν Euphratis, aut paulo suprà urbs illa Σίνηρα. Sequitur apud Plinium: *initio Pyxurates nominatus, fluit Derxenen primum, mox Anaïtiam Armeniæ regiones à Cappadocia excludens.* Supra emendavimus *Xerxenen*, & *Anaïticam.* Nam in libris legitur *Anaticam.* Quæ *Xerxene* Plinio haud scio, an eadem sit, quæ Ptolemæo Βασιλεισηνή. Certè situs convenit, nec nomen abludit. Hæc à recto Paryadre, vel regina, illa ab Xerxe. Ptolemæus ad Paryadrem montem Armeniæ majoris collocat regiones Sibacenen, & Sacapenen. Deinde sub his, quæ Βασιλισσηνὴν & Βολβηνὴν ἀρκτικωτάτην in occidentali latere. Alio loco scribit Plinius Armeniam majorem incipere à Paryadris montibus, amne Euphrate auferri Cappadociæ, & qua discedit Mesopotamiæ. Sic Euphrates ab occidente Armeniam majorem à Cappadocia separat: ad meridiem eamdem à Mesopotamia disjungit. Strabo, qui Euphratem à Tauro monte oriri facit, latus illud occiduum Armeniæ non amne Euphrate terminat, sed montibus, qui trans Euphratem incipientes, & Antitaurum continuantes, totam eam partem Armeniæ ad occidentem auferunt Cappadociæ. Πέραν δὲ τοῦ Εὐφράτου κατὰ τὴν μικρὰν Ἀρμενίαν ἐφεξῆς τῷ Ἀντιταύρῳ περὶ τὴν ἄρκτον ἐπεκτείνεται μέγα ὄρος, καὶ πολυσχιδές, καὶ τὸ μὲν αὐτοῦ Παρυάδρην, τὸ δὲ Μοσχικὰ ὄρη, τὸ δὲ ἄλλοις ὀνόμασι. Ταῦτα δ' ἀπολαμβάνει τὴν Ἀρμενίαν ὅλην μέχρι Ἰβήρων, καὶ Ἀλβανῶν. Ita nos emendamus apud Strabonem. Nam editum est vitiosè, καὶ τὸ μὲν αὐτοῦ Πολυάρρην. Idem alio loco τὴν παρώρειαν τοῦ Παρυάδρου Iberorum fuisse ait, quæ postea Armeniæ majori attributa est. Hinc à Paryadris montibus Armeniam incipere dicit Plinius. Ptolemæus inter montes Armeniæ recenset τὰ Μοσχικὰ διατείνοντα περὶ τὸ ὑπερκείμενον μέρος τῆς Καππαδοκίας πόντου, καὶ τὸν Παρυάδρην, cujus τὰ πέρατα obtinere ait latitudinis gradus quadraginta tres & trientem. At fontes Euphratis locat in latitudine quadraginta duûm & trientis. Non igitur è Paryadre monte juxta Ptolemæum Euphrates oritur, sed ex Abo, qui νοτιώτερος, cujus τὸ μέσον habere scribit gradus quadraginta unum & sextantem. At Tabula Peutingeri ortum Euphratis è Paryadre monte ducit, quem *Paruerdem* vocat, pro *Paruedre*, ὁ Παρυάδρης. Abos ille, vel Aba mons, sive pars sit montis Paryadris, sive alius, certè in latere septentrionali Armeniæ majoris eminet, ad occidentem ejus, quem Strabo partem esse facit Tauri montis, vel Niphatis ad orientem ejusdem Armeniæ in meridionali parte sese attollentis. Nam Niphates Tauro jungitur ad orientem Armeniæ. Pisander: Ταύρου προμνώρειαν, ἐΰσκοπελόν τε Νιφάτην. Niphatem continuat Abos orientem versus juxta eumdem Strabonem multis locis, & clarissimè isto: ὑπὲρ τὸν Ἄβον καὶ τὸν Ἴμβαρον. Μέρη δὲ ἐστὶ τοῦ Ταύρου ταῦτα, ὧν ὁ μὲν Ἄβος ἐγγύς ἐστι τῆς ὁδοῦ τῆς εἰς Ἐκβάτανα φερούσης παρὰ τοῦ τῆς Βαρίδος νεώ. Prope viam, quæ ab Armenia fert ad urbem Mediæ Ecbatana. Eam urbem locat Ptolemæus in latitudine triginta & septem graduum & quadrantis, sub eadem fermè parallelo, qua & Taurum montem, qui Armeniam à Mesopotamia discludit. Quantum hæc diversa. De Anaïtica regione Armeniæ, quam Euphrates à Cappadocia excludit, nihil apud alios legitur. Certum tamen est, ita esse legendum. Anaïtica dicitur, Ἀναϊτική, à cultu Anaïtidos, quam impensè colebant Armenii. Strabo lib. XI. Ἅπαντα μὲν οὖν τὰ τῶν Περσῶν ἱερὰ καὶ Μῆδοι, καὶ Ἀρμένιοι τετιμήκασι· τὰ δὲ τῆς Ἀναΐτιδος διαφερόντως Ἀρμένιοι, ἐν τε ἄλλοις ἱδρυσάμενοι τόποις, καὶ δὴ

ἢ ἐν τῇ Ἀκιλισηνῇ. Non puto tamen Acilisenen heîc intelligi debere, quæ magis ad meridiem recedit, cum hæc sit ἀρκτικωτέρα. De Dea Anaïtide nos alibi. Ἀναῖα etiam Cariæ regio, cujus ἐθνικὸν Ἀναΐτης. Sed nec de illa hîc accipi potest. Sequitur apud Plinium: *Dascusa abest à Zimara* LXXV. M. *passuum.* Ita scribendum, non *Simyra.* Eamdem intelligit, de qua paulo ante. Euphrates supra eam oriebatur duodecim milibus. Ergo ad Euphratem ipsa, ut & Dascusa septuaginta quinque milibus ab ea distans. Tabula Peutingeri Dascusam à Zimara sexaginta septem milibus distantem facit hoc modo:

Zimara XVIII.
Zencocopi XVIII.
Vercuso XIII.
Saba XVIII.
Dascusa XVIII.

Itinerarium Antonini sexaginta milia numerat tantum à Zimara ad Dascusam, & hoc iter per Euphratis ripam fieri notat. Sic autem habet.

Zimara M. P. XVI.
Teucila. M. P. XVI.
Sabus. M. P. XXVIII.
Dascusa. M. P. XVI.

Hæc Ptolemæo Δασκοῦσα, ut suprà observavimus. Sed legendum, Δάσκουσα. Plinius in sequentibus: *inde navigatur Sartonam quinquaginta* M. P. *Melitenen Cappadociæ* XXIIII. M. P. *Elegiam Armeniæ decem.* Ita reponendum ex veteribus libris. Iter à Dascusa ad Melitenen Cappadociæ per ripam Euphratis septuaginta quatuor milibus definit. Tabula Peutingeri à Dascusa Melentenis, sic corrupte vocat Melitenen, sexaginta tria milia computat tantum, ad hunc modum:

Dascusa, Hispa XVIII.
Arangas. IX.
Craca. XXVIII.
Melentenis. VIII.

Itinerarium vero quinquaginta tantum in eo intervallo numerat, & sic computat:

Dascusa Ciacam. M. P. XXXII.
Melitena M. P. XVIII.

Puto tamen numeros esse corruptos. Certè pro XVIII, scribendum esse constat XXVIII. Nam à Craca Melitenen totidem computantur penes Tabulam, qua *Cracam* vocat, quam Itinerarium *Ciacam.* Libri habent *Chiacam*, Ptolemæo Κίακις. Atque ita reponendum in Tabula, *Ciaca* pro *Craca.* Elegia porro à Melitene decem milibus distat, in descensu fluminis. *Apud Elegiam*, inquit Plinius, *occurrit ei mons Taurus, nec resistit quamquam* XII. M. *latitudine prævalens.* Apud Elegiam igitur, quæ infrà Melitenen decem milibus passuum sita est, Taurum intrat Euphrates, ac penetrat per latitudinem duodecim milium. Elegia Stephano Ἐλέγεια. In scriptis Plinianis *Eulegea* pro *Elegea.* Stephanus: Ἐλέγεια χωρίον πέραν Εὐφράτου, Ἀρριανὸς ἐν Παρθικῶν ῆ. Elegea Armeniæ, ideo πέραν Εὐφράτου eam collocat. At Melitene Cappadociæ cis Euphratem. Non est ea, quam Ptolemæus Ἠλεγίαν vocat in Armenia majore, licet illam vulgati codices παρὰ τὸν Εὐφράτην statuant, ubi legendum esse docuimus, παρὰ τὸν Ἀράξην. Ἠλεγία illa in latitudine graduum quadraginta & unius cum quadrante: hæc Elegea vix in latitudine triginta novem. Longitudines etiam utriusque diversæ. Sequitur apud Plinium: *Omiram vocant irrumpentem: mox, ubi perfregit Euphratem, ultra quoque saxosum, ac violentum.* Libri scribunt *Ommam*, nec agnoscunt vocem *ultra.* Legendum putarim: *Ommam vocant irrumpentem, mox ubi perfregit Euphratem, tum quoque saxosum, & violentum.* Illud *tum* absorptum fuerat ob similitudinem ultimæ syllabæ præcedentis dictionis. Sequitur: *Arabiam inde læva Merorum dictam regionem, trischoëna mensura, dextraque Commagenen disterminat.* Qui sunt isti *Meri*, quorum regionem à læva reliquit Euphrates, postquam Taurum perscidit? Ajunt in Chiffletiano codice scribi *Moreon.* In Rigaltiano legitur *Moroeon.* Hi sunt, quos alibi *Oreos* vocat lib. VI. cap. IX. *Quod interest, ibi tenent Arabes Orei. Sic finem usque in Adiabenen perfert.* Ubi liber Rigaltii habet *Soroei*, sed perperam, ut videtur, repetita litera ex fine dictionis quæ præcessit. Ali-

A bi *Aroëos* vocat eosdem cap. XXVII de Tigri amne: *Arabes Aroëos, Adiabenosque disterminans.* Quos ibi etiam *Oroeos* indigetat vetustissimus liber Rigaltianus. Sunt igitur *Oroei.* Atque ita hoc loco reponendum, *Oroëon dictam regionem*, pro *Merorum.* Græcè fuerint Ὀροέοι, vel Ὀροαῖοι. Quos nullibi reperio. Existimavi aliquando ὀρεὺς Ἄραβας, id est, montanos appellatos, qui τὴν Ὀρεινὴν Tauri montis incolerent intra Mesopotamiam, quos Plinius perperam *Oreos* vocaverit, quasi nomen esset proprium illius Arabiæ populi. Sed *Oroei*, non *Orei* constanter habent libri. Pergit Plinius, ac scribit: *apud Claudiopolim Cappadociæ cursum*
B *ad occasum solis agit. Primò hunc illi impugnatus cursum Taurus aufert, victusque, & abscisus sibimet, alio modo vincit, ac fractum expellit in meridiem.* Et heic nonnullam ostendunt varietatem libri. Legitur in Rigaltiano, *hunc illic inpugna Taurus aufert*, nec repetit vocem *cursum.* Scribendum ajo, ac distinguendum, *apud Claudiopolim Cappadociæ cursum ad occasum solis agit primò. Hunc illic in pugna Taurus aufert, victusque, ac abscissus sibimet, alio modo vincit, & fractum expellit in meridiem.* Euphrates juxta Plinium à septentrione rectà in meridiem descendit, Armeniam majorem à Cap-
C padocia disterminans. Apud Claudiopolim Cappadociæ cursum primò flectere incipit ad occasum solis, sed hunc cursum aufert illic Taurus in pugna, quam invicem habent. Euphrates Taurum perrumpere nititur, atque ad occasum viam sibi continuare, quam apud Claudiopolim insistere primùm occœpit. Taurus ita se defendit, ut cursum hunc illi auferat, & in meridiem expellat, sed alio modo victus, & sibi abscissus irrumpenti cedere cogitur. *Ita naturæ dimicatio illa æquatur, hoc eunte quò vult, illo prohibente ire quà velit.*
D Euphrates in mare iter sibi facere vult. Hoc obtinet, frustrà resistente Tauro. Sed non it quà vult, quia Taurus in meridiem cursum ejus repellit, atque avertit, quem in occasum destinabat, mare Syriacum, vel Cilicium petiturus. Mela de Euphrate: *postubi marginem rupit, verè fluvius est, acceptisque ripis celer, ac fremens per Armenios, ac Cappadocas occidentem petit, ni Taurus obstet in maria nostra venturus, inde ad meridiem avertitur.* Mela, ut Strabo, ac veteres, cursum Euphratis ab oriente in occidentem ducit, deinde occursu Tauri rejici in meridiem facit, nec aliam ejus ἐπιστροφὴν, aut καμπὴν agnoscit præter eam, quam facere cogitur objectu Tauri
E montis. Nec aliam Strabo designavit, qui ἐπιστρέφειν eum πρὸς νότον, ἢ διακόπτειν τὸν Ταῦρον scribit. Certè nec Plinius usquam alibi Euphratem averti, & cursum flectere tradit, nisi apud Claudiopolim Cappadociæ, ubi cursum ad occasum primò agentem detorquet Taurus, & in meridiem expellit. Omnes hi ferè in eodem loco τὴν ἐπιστροφὴν τοῦ Εὐφράτου πρὸς νότον fieri consentiunt, & ab eadem causa, id est, Tauri montis objectu, circa ortum tamen & reliquum Euphratis à fontibus cursum, non mediocriter dissentiunt. Strabo, & Mela ex orientalibus Armeniæ montibus ortum, quæ partes Tauri sunt, versus occidentem fluere eum volunt, deinde oc-
F currente Tauro, & obstante, quo minus iter continuet, in meridiem averti. Juxta quorum sententiam hanc figuram facit Euphrates à fontibus suis decurrens [figure] At Plinius à septentrione ad meridiem sine ullo flexu inter Armeniam, & Cappadociam decurrentem, apud Claudiopolim Cappadociæ ad occasum primò cursum flectere dicit, sed obstante Tauro, & contra luctante in meridiem rursus retorqueri. Cujus cursus hæc forma est [figure] Inter has opiniones
G quid sequutus sit Ptolemæus, haud adeo facile est cognoscere, nisi quod ex utraque miscellam concinnasse, veteresque cum recentioribus quasi conciliasse videtur. Hoc habet ex veteribus, quod Euphratem ab ortu suo ad occasum recta meare scribit, deinde ad meridiem flecti, nullo Tauri obstaculo id cogente, sed ipso amnis cursu sponte hoc faciente. Hanc ἐπιστροφὴν in eadem ponit latitudine cum fonte ipso; quæ gradus habet quadraginta duo & trientem. At fontes in longitudine po-
nit

nit graduum ſeptuaginta quinque & trientis, ἐπιστροφὴν vero ipſam in longitudine graduum ſeptuaginta unius. Longe itaque diverſa hæc Euphratis ἐπιστροφὴ πρὸς νότον ab ea, quam Strabo, Mela, Plinius, aliique ad montem Taurum conſtituunt, & cujus cauſam ſtatuunt eſſe ipſum Taurum. Hanc ἐπιστροφὴν eamdem eſſe, quam alibi vocat ἐκτροπὴν τοῦ ποταμοῦ, nemo queat dicere, quamvis docuerim ſupra ἐκτροπὴν, & ἐπιστροφὴν eſſe idem. Quod ſane verum eſt, ſed ἐκτροπὴ τοῦ Εὐφράτου apud Ptolemæum, cum diverſa ſit ab ea, quam ἐπιστροφὴν πρὸς νότον ipſe appellat, eadem videtur eſſe cum ea ἐπιστροφῇ, quam Strabo, Plinius, aliique ad Taurum ipſum, & Tauri objectu fieri tradunt. Duas igitur ἐπιστροφὰς Euphratis agnoverit oportet Ptolemæus, unam, qua Euphrates ab oriente ad occaſum means, repente ad meridiem ſeſe flectit, quam ἐπιστροφὴν τοῦ ποταμοῦ ἀρκτικωτάτην appellat; alteram vero, qua ad occaſum rurſus agit curſum, & quam Plinius apud Claudiopolim Cappadociæ evenire ait. Eam ἐκτροπὴν τοῦ ποταμοῦ vocat Ptolemæus, quia rurſus divertitur à recto ſuo curſu, & in aliam partem reflectitur. Sophenen regionem ad eam ectropam, ſive deverticulum collocat. Ὑπὸ δὲ ταύτας ἡ μὲν Ἀκιλησηνὴ, καὶ ἡ Αὐσανῖτις, καὶ πρὸς αὐτῇ τῇ ἐκτροπῇ τοῦ ποταμοῦ, Σωφηνή. Quod non poteſt accipi de ea ἐπιστροφῇ, quam alibi ipſe nominat, ſed de ea poteſt, cujus meminit Strabo. Juxta etiam ſtatuit τὴν Ἀκιλισηνὴν, & Σωφηνὴν regiones, ut pluribus docuimus paulo ante. Plinius lib. V. cap. XII. *Quaque tranſit Taurum Sophene, citra etiam Commagene.* Et lib. VI. cap. XIII. *Utrinque per devexa laterum Armeniæ majori à frontis parte, quæ vergit in Commagenem, Sophene, ut diximus, copulatur, eique Adiabene Aſſyriorum initium.* Sed libri ibi legunt *Cephenia.* Et ſanè vix nomen Sophenes ibi ferri poteſt; nam Sophene regio Armeniæ majoris, cui Adiabenæ copulari non poteſt, quæ Aſſyriæ, ſive Babyloniæ regio eſt, extra terminos Armeniæ majoris poſita. Præterea Sophenen heîc Armeniæ majori ait copulari, quod Sophenæ non convenit, quæ pars eſt Armeniæ majoris. Poſtremo, quod heîc dicit, *Sophene, ut diximus, copulatur*, locum intelligit ex capite IX, ubi de Armenia majore ſic loquitur: *Claudunt eam montes ab oriente, ſed non ſtatim Ceraunii, nec Adiabene regio. Quod intereſt ſpatii Sopheni tenent: ab his juga ultra Adiabeni tenent.* Sed nec heîc ſedem habere poſſunt Sopheni, quos extra Armeniam ponit cum Adiabenis. Rectè igitur ibi ſcribunt libri: *Cepheni tenent*, οἱ Κηφῆνες, & eorum regio Κηφηνία, quæ eadem cum Chaldaïca. Hæc ad Euphratem, Adiabene ad Tigrim, utraque in Meſopotamia. At Sophene Acilisenen olim comprehendebat in Armenia majore. Strabo lib. XI. Τῶν δὲ μετὰ τὴν Ἀρμενίαν, τὰς μὲν τὴν Ἀκιλησηνὴν οἰκοῦσι, τὴν ὑπὸ τῆς Σωφηνῆς πρότερον οὖσαν. Hæc Acilisene Cataoniæ olim fuit, poſtea Cataonibus erepta, & Armeniæ majori vindicata. Strabo: καὶ Καταόνων δὲ Ἀκιλησηνὴν, καὶ τὴν περὶ τὸν Ἀντίταυρον. Sophenen intelligit, quæ inter Taurum, & Antitaurum ſita. Cataonia porro ad Taurum montem, ubi Euphrates Tauri montis objectu in meridiem retorquetur. Stephanus: Καταονία, μοῖρα ἐσχάτη τοῦ Ταύρου. Στράβων δὲ Καππαδοκίαν ταύτην φησί. Unam ex decem Cappadociæ præfecturis ait fuiſſe, poſtquam εἰς δέκα στρατηγίας diviſa eſt. Nam Cataoniam à Cappadocia veteres ſeparabant, quaſi gentem diverſam, καὶ ἐν διαριθμήσει τῶν ἐθνῶν μετὰ τὴν Καππαδοκίαν ἐτίθεσαν τὴν Καταονίαν, εἶτα τὸν Εὐφράτην καὶ τὰ πέραν ἔθνη, ὥστε καὶ τὴν Μελιτηνὴν ὑπὸ τῇ Καταονίᾳ τάττειν. Ergo & aliquot trans Euphratem regiones ſub Cataonia etiam cenſebantur, ut Acilisene. Plinius de Cappadocia: *magnoque impetu ſcandens ad ortum ſolis vadit ſuper Antiochiæ tractum, & uſque ad Cyrrheſticam ejus regionem parte ſua, quæ vocatur Cataonia, contendit.* Per *Antiochiam* non urbem intelligit, ſed *Syriam Antiochiam*: ita enim vocabant, & ſub ea Cyrrheſticam regionem accenſet, τὴν Κυρρηστικήν. Partem Syriæ, quæ Ciliciam attingebat, ſic vocarunt. Idem Plinius de nominibus Syriæ: *& ultra Armeniam Adiabene, Aſſyria antea dicta: & ubi Ciliciam attingit, Antiochia.* Alibi: *Syriam Antiochiam* appellat, lib. V. cap. XXI. *Deinde promontorium Syriæ Antiochiæ. Intus ipſa Antiochia.* Ita enim libri, ubi editiones legunt, *Antiochena.* Pomponius Mela lib. I. cap. XII. *In eo prima eſt reliqua pars Syriæ, cui Antiochiæ cognomen additur.* Συρία Ἀντιοχεία. Nam Ἀντιόχειος ἐθνικὸν ab urbe Antiochia. Stephanus, τὸ ἐθνικὸν πάντων Ἀντιοχεὺς, καὶ Ἀντιόχειος, καὶ Ἀντιοχὶς τὸ θηλυκόν. Sic enim ſcribendum, non Ἀντιοχαῖος. At Claudiopolis Cappadociæ, apud quam Euphrates curſum ad occidentem deflectit, in Cataonia præfectura etiam fuit. Ptolemæus eam ſtatuit in latitudine graduum triginta ſeptem & ſextantis. Certum eſt juxta Plinii, ac Strabonis ſententiam, Sophenen in eadem latitudine collocari debere, quæ πρὸς αὐτῇ τῇ ἐκτροπῇ τοῦ ποταμοῦ. Ibidem & Acilisene. Ptolemæus longe ἀρκτικωτέρας facit tam Sophenen, quam ipſam ἐκτροπὴν Euphratis. Nam Σωφηνὴν, quam πρὸς αὐτῇ τῇ ἐκτροπῇ eſſe agnoſcit, in latitudine recenſet quadraginta graduum, aut quadraginta unius, niſi mendum ſit in numeris. Certe in ſecundo τμήματι Armeniæ, cui Sophenen aſſignat, & Acilisenen, nullam urbem recenſet ſub minori latitudine quam graduum quadraginta. Atqui Acilisenen, & Sophenen Strabo in Cataonia collocat prope Taurum montem, ubi penetratur ab Euphrate, & Euphrates ad occidentem curſum reflectit apud Claudiopolim Cataoniæ. Ptolemæus verò alios montes quam Taurum in ea ἐπιστροφῇ, ſive ἐκτροπῇ Euphratis adſcribit, quos tamen non nominat. Καὶ μὲν ἕτερα ἀξιόλογα ὄρη ἐπὶ τῆς τοῦ Εὐφράτου ποταμοῦ ἐκτροπῆς, τὸ μὲν συνάπτον τῷ Εὐφράτῃ ποταμῷ, οὗ τὸ πέρας ἐπέχει μοίρας οα ς΄. μ΄ ς΄. Et nihilominus hæc apud eum ἐκτροπὴ diverſa eſt ab ea, quam ἐπιστροφὴν πρὸς νότον, & ἀρκτικωτάτην vocat. Qua re oſtendit eſſe alteram, quæ magis ad meridiem ſit. Hæc eſt, quam ἐκτροπὴν τοῦ ποταμοῦ appellat. Recentiores Tabulæ, prout hodiernus eſt ſitus illorum locorum, per quæ fluit Euphrates, unam tantummodo notant illius amnis ἐπιστροφὴν, qua ab oriente verſus occaſum ex fontibus currens repente ad meridiem avertitur. Nec aliam porro agnoſcunt ejus flexuram, niſi ubi à meridie ad orientem rurſus curſum agere incipit. Quam bene hæc delineatio ducta ſit, viderint, qui curarunt eam. Ceterum quam Plinius exhibet, eam habuit ab illis, qui cum Domitio Corbulone res in Armenia proximè geſſerant, depicto regionum ſitu, & inde miſſo cum locorum inſcriptionibus, quem vidiſſe ipſe profitetur. Antiquiorum autem opinio, qui Euphratem ſcripſerunt oriri in parte Tauri montis ſeptentrionali, ad occaſum fluere, deinde converti ad meridiem, & Taurum ſcindere, non aliunde videtur manaſſe, quam quod anteriorem ejus curſum minimè noverant. Quam eorum ignorantiam hoc maxime adjuvit, quod Euphrates non diceretur, niſi poſt perruptas Tauri montis anguſtias. A fontibus ſuis *Pyxurates* nominabatur, *Ommas* vero, ubi Taurum irrumpit, *Euphrates*, poſtquam evicit. Ergo revera Euphrates è Tauro monte naſcitur. Nec enim habet hoc nomen, priuſquam Taurum ingreſſus fuerit. Antequam eum penetret, ad occaſum curſum agit, mox Tauro repellente agitur rurſum in meridiem. Ita Plinius, ita etiam Strabo, & veteres. Sed in eo differunt, quod iſti fontes ejus ibi ſtatuunt, ubi Plinius ἐπιστροφὴν. Cauſa eſt, quia ultra non norant, nec ſanè noſcebatur retro hoc nomine. Sed *Ommas*, aut *Pyxurates* vocabatur. Herodotus Εὐφράτην οὖρον τῆς Κιλικίης, καὶ Ἀρμενίης eſſe dicit, νηυσὶ περητόν, Ciliciam ab Armenia majore diſterminare, quia non eum altius cognitum habuere ſcilicet. At totam fere Cappadociam ab Armenia diſpeſcere Plinius ſcripſit, & verum eſt. Sed Euphrates non dicebatur, niſi ubi Ciliciæ, & Commagenes fines attigerat. Auctor, qui Æthicus vulgo vocatur, haud longè à civitate Daſcuſa oriri tradit, quæ in confinio Cappadociæ ſita eſt. Verba ejus hæc ſunt: *deinde à ſeptentrione & Euphrate, id eſt, à civitate Adcuſa, quæ in confinio Cappadociæ ſita eſt, haud procul à loco, ubi Euphrates naſcitur.* Libri, quos vidimus, habent, *à civitate dacus.* Legendum, *Daſcuſa.* De qua nos ſuprà. Sed nugatur. Longè magis hallucinatur, quum alibi Euphratem in India naſci facit. Noſter tamen antiquiſſimus liber *Copatrem* ibi legit, non *Euphratem*, hoc modo: *Fluvius Copatres naſcitur in campis Indiæ, inluſtrans Indos, infundit ſe oceano orientali ſub inſula Tero, currit milia* DCXII. Ita vetus exemplar, ubi editi habent *Euphrates.*

Euphrates. Verùm nihil illo auctore futilius. Dionysius Periegetes, qui Severi temporibus vixit, recentem magis quam veterem de Euphratis cursu opinionem sequitur: quippe quum oriri dicat ad orientem Cappadociæ, adversum meridiem semper currere, donec ad orientem se convertat, ubi Babylonem adire properat:

Ὃς δή τοι πρῶτον μὲν ἀπ' οὔρεος Ἀρμενίοιο
Μακρὸς, ἐπὶ νότον εἶσι, πάλιν δ' ἀγκῶνας ἑλίξας
Ἄντην ἠελίοιο μέσην Βαβυλῶνα περήσας,
Περσίδος εἰς ἁλὸς οἶδμα θοὴν ἀπερεύγεται ἄχνην.

Quem Capotem accolæ nominant Scythis proximum] Quomodo Scythis proximum? Mons ille, sive *Aba*, sive *Capotes*, unde Euphrates nascitur, in Armenia majore est. Armenia major à septentrione habet Colchos, Iberos, & Albanos: ab occidente Cappadociam: à meridie Mesopotamiam: ab oriente Mediam. Ubi Scythæ illi monti proximi, ex quo oritur Euphrates? In Armenia ipsa Scythas illos sitos esse oportet, siquidem hoc verum est. Nihil de Scythis Plinius, unde hæc habet. Ab ipso igitur hæc incrustatio, & additio, ut ceteræ sexcentæ, pari modo falsæ aut ineptæ. Quid, si auctor scripsit, *quem Capotem accolæ nominant Scydisi proximum*? Mons est *Scydises*, ὁ Σκυδίσης, qui Moschicis montibus conjungitur, & Paryadri, unde Euphrates juxta quosdam oritur, quique Armeniam majorem à Cappadocia disterminat. Ad occidentem Armeniæ majoris eum cum Paryadre ponit Strabo lib. XI. Ἀπὸ δὲ τῆς ἑσπέρας ταῦτά ἐστι τὰ ἔθνη, καὶ ὁ Παρυάδρης, καὶ ὁ Σκυδίσης μέχρι μικρᾶς Ἀρμενίας. Meminit etiam alibi hujus montis. Certè non æquè malè mons hic proximus Capoti dicatur, ac Scythæ. Nisi ita scripserit noster, à more suo non recesserit, quo strenuè ubique nugatur.

Hic receptis in se aliquot amnibus convalescit] id est, robustior, & valentior, violentiorque fit, quia auctior. Nam quæ ampliora corpora, eo etiam magis robusta. Hinc *convalescere* pro augescere posuit, & in molem crescere. De boa suprà: *quem anguem ferunt ad immensam molem convalescere*. Et de Crocodilo: *plerumque ad ulnas viginti magnitudinis evalescit*. Vetus auctor in vita Virgilii: *si quidem virga populea more regionis in puerperiis eodem statim loco depacta, ita brevi evaluit, ut multo ante satas populos adæquaret*, id est, ita brevi crevit, & incrementum accepit. Ovidius:

Quæ mala per longas convaluere moras.

Quæ vires tempore acceperunt, & majora facta sunt.

Pag. 48. A. *Luctatur cum Tauri montis objectu*] Pugnam etiam vocat, & dimicationem Euphratis cum Tauro Plinius: *hunc illi in pugna Taurus aufert*. Ita rectè nos emendavimus. Et paulo post: *pontis tamen, ubi Taurum expugnat patiens*. Ibidem *dimicationem* appellat.

Quem apud Elegeam scindit] Ita rectè libri. Græcè Ἐλέγεια, ut notavimus ex Stephano. Pliniani libri scribunt. *Eulegea*. Malè in ante hac editis Solini *Eligea*. Alia est, ut dixi, Ptolemæi in eadem Armenia Ἠλέγια, aut, si est eadem, multum super ejus situ à Plinio dissentit, & aliis. At *Lagæa*, ut obiter hoc addam, in carmine Marcelli Empirici urbs est Alexandrina:

Quodque ab Idumæis vectum Seplasia vendunt,
Et quidquid confert medicis Lagæa cataplu.

Perperam hodie scribitur, *Lalagea Cataplus*. Et vidi, qui *Elegeam* hanc reponendam ibi putabant, sinistro judicio. *Lagæa* subaudiendum est urbs. Ut *Cumæa*, pro Cumis: *Agyllina*, pro Agylla. Vide, quæ notavimus suprà. *Lagæus Nilus*, *Lagæa juventus* pro Ægyptia Lucano. Et *Lagi Regia* pro Alexandria apud eumdem. *Mœnia Lagi* Juvenali. Cataplum igitur Alexandrinum intelligit, qui medicis species fere omnes, quæ medicinæ conferunt, afferebat. *Lagæa cataplus* dici non potest, prohibente id Prisciano, sed urbs Lagæa per cataplum suum multa medicis confert. Si Grammaticos canonas Marcello neglectos fuisse damus, *Lagæa cataplus* erit Ἀλεξανδρῖνος στόλος. *Niliacus Cataplus* Martiali. Sed alterum malo.

Resistat licet XII. *passuum latitudine*] immo non resistit. Plinius: *apud Elegeam occurrit ei Taurus mons, nec resistit, quamvis* XII. *M. latitudine prævalens*.

A *Longisque excursibus, dextra Commagenen, Arabiam læva relinquit*. Atqui statim ac Taurum transiit, dextra Commagenen, Arabiam lævâ relinquit, nec longos excursus facit. Plinius: *Mox ubi perfregit, Euphratem tum quoque saxosum, & violentum, Arabiam inde læva, Oroeon dictam regionem trischoena mensura, dextraque Commagenen disterminat*. Sed paulo post idem adjicit: *Cataractis iterum navigatur*: XL. *M. P. Inde Commagenes caput Samosata*. Ergo à cataractis Samosata distant XL millibus passuum. Satis igitur longi sunt excursus Euphratis. Quamdiu fluit inter Commagenen, & Arabiam, *Cataractas* vocat, quidquid inter angustias

B Tauri montis fluit Euphrates, quod spatium duodecim milium esse paulo ante dixit. Non video tamen, quid Plinio cum aliis recentioribus possit convenire. Itinerarii auctor describens iter à Satala Melitenen per ripam Samosata usque, satis indicat per ripam Euphratis à Melitene Samosata usque iter fieri. Immo etiam per totum illud spatium Euphratem amnem navigari ostendit, nec enim Tauri montis in illo intervallo uspiam meminit, nec ullorum cataractarum. Tabula quoque Peutingeri nullos montes notat in illo itinere, quod fit à Dascusa Melitenen usque, & à Melitene ad Samosata. Itinerarii auctor à Melitene Samosata sic iter

C metitur:

Melitene *Miasena*. M. P. XII.
Pacotina. M. P. XXVIII.
Perre. M. P. XXVI.
Samosata. M. P. XXIV.

Sunt milia passuum à Melitena Samosata octoginta quatuor. Aliter mansiones memorat, & totum illud sic numerat Tabulæ pictor hoc modo.

Melitenis *Corne*. XIV.
Metita. XII.
Glaudia. XLVI.

D *Barsalium*. VIII.
Heba. XXX.
Charmodara. XII.
Samosata.

Plus centum sunt miliaria, non computato, quod à Charmodara usque ad Samosata intercedit, cujus numerus intercidit. Ptolemæus quoque vicinas illas urbes facit, & ad Euphratem ponit: καὶ πρὸς τῷ Εὐφράτῃ ποταμῷ, Χολμοδάρα, Σαμόσατα Λεγιών. Hæc *Charmodara* penes Tabulam Commagenes erant oppida ista. Priorum etiam mentionem habet in Armenia minore, easque ad Euphratem collocat in præfectura Lavinia-

E nisene: πρὸς μὲν τῷ Εὐφράτῃ Κόρκη, Μέτειτα, Κλαυδιὰς, ἐντὸς δὲ τούτων Καρπακελίς. Quæ *Barsalium* indigetatur in Tabula, puto illam esse Ptolemæi, quæ dicitur Καρπακελὶς, ut in alterutro mendosè nomen hujus conceptum sit *Barsalis*, Βαρκελίς. Quam Tabula *Hebam* vocat, Ptolemæo vocatur Δήβα, & in Commagena recenset. Sic quatuor priores Armeniæ sunt minoris, *Corce*, *Metita*, *Claudia*, *Barsalium*. Commagenes vero tres sequentes, *Deba*, *Cholmadara*, & *Samosata*, omnes ad Euphratem positæ, per quas iter fiebat juxta ripam Euphratis à Melitene Armeniæ minoris Samosata usque, quæ caput Commagenes erat. Nulla

F in toto illo itinere Tauri montis transeundi, aut cataractarum Euphratis vola, nec vestigium. At Plinius à Melitene ad Elegiam decem milia passuum computat. Apud Elegeam Euphrati Taurum occurrere, quem irrumpit per duodecim milium latitudinem. A cataractis, hoc est, à Tauri transitu iterum navigari Euphratem, & quadraginta milia passuum inde esse ad Samosata, Commagenes caput. Secundùm hanc mensuram à Melitene ad Samosata, sexaginta duo duntaxat milia passuum intercederent, etiam ripam Euphratis usque sequentibus per cataractas ejus, & Tauri juga,

G quæ perrumpit. Atqui per eamdem ripam eundo, urbesque omnes, sive mansiones ad Euphratem sitas transeundo, iter est à Melitene Samosata plusquam centum milium passuum juxta Tabulam Peutingeri. Tabula porro illa montes, quos pertransit Euphrates, non inter Melitenen & Samosata constituit, sed suprà Dascusa; quæ septuaginta quatuor milibus passuum à Melitene distat, septentrionem versus. In eadem quoque sententia videtur fuisse Ptolemæus, qui Zimara &

& Dascusa Armeniæ minoris παρὰ τὸν Εὐφράτην sitas docet, deinde addit protinus, ἐντὸς δὲ καὶ παρὰ τὰ ὀρεινὰ, Σάταλα, Δόμανα, Τάπουρα. Urbem Dascusa idem Ptolemæus ponit in latitudine graduum quadraginta & viginti quinque minutorum. Ita enim corrigenda Græca μ΄. γ΄. ιβ΄. *Quadraginta cum triente & uncia.* Non igitur Taurus fuerit, quem perrumpit Euphrates, sed alii montes quos Ptolemæus nominat, haud longe à Dascusa, sicut in Tabula Peutingeri notatum habetur. Verba Ptolemæi: καὶ ἕτερα ἀξιόλογα ὄρη ἀπὸ τῆς τοῦ Εὐφράτου ποταμοῦ ἐκτροπῆς, τὸ μὲν συνάπτον τὸ Εὐφράτῃ ποταμῷ οὗ τὸ πέρας ἐπέχει μοίρας ξα ς΄. μ΄ ς΄. In latitudine nimirum graduum quadraginta cum triginta sexagesimis. Ibi nimirum collocat alteram ἐκτροπὴν fluminis, quam Plinius ad Taurum montem statuit esse, apud Claudiopolim, quam Ptolemæus in Cataonia recenset in longitudine sexaginta quinque graduum & trientis: in latitudine triginta septem & triginta minutorum, longè utique ab Euphratis alveo. Sed vereor ne Plinius *Claudiam* cum *Claudiopoli* confuderit. Certè Claudia ad Euphratem inter Melitenen & Samosata, septuaginta milibus à Melitene dissita. *Glaudia* pro *Claudia* dicitur in Tabula. Ptolemæo Κλαυδιάς. Non dubito eam esse, quam Plinius vocat *Claudiopolim*, apud quam dicit Euphratem ad occasum primo cursum agere, sed Tauri occursu rejici in meridiem. Verùm apud hanc Claudiam, sive Claudiopolim Plinii, quæ ad Euphratem sita est, nullus Taurus est mons. Apud illam Ptolemæi Claudiopolim, quæ ad Taurum, nullus est Euphrates amnis. Claudiam illam, quam ad Euphratem Ptolemæus ponit in longitudine graduum septuaginta & unius: in latitudine triginta octo & quindecim minutorum. At mons Taurus jungitur Euphrati κατὰ θέσιν ἐπέχουσαν μοίρας οα c΄΄ λζ΄ γ΄΄. long. gradus LXXI. & semissis: lat. XXXVII. & trientis. Ita Ptolemæus, qui & Samosata ponit in longitudine LXXI, & sextantis: in latitudine XXXVII, & unciæ, quæ quinque facit sexagesimas. Tauri pars illa, quæ ad eum situm, quem designat Ptolemæus, Euphrati jungitur, in Armenia majore attollitur, trans Euphratem ipsum, & Armeniam à Mesopotamia disterminat. Hujus pars Niphates ad orientem Armeniæ, ab occidente Euphratis, & latere Commagenes. An Taurus usque ad alveum amnis pertineat, quæstionis est. Ab illa parte Taurus in Cilicia consurgens, & in orientem procedens, τῇ μὲν τὸν Ἀντίταυρον, τῇ δὲ τὸ Ἀμανὸν ἀπ' αὑτοῦ mittit, ut ait Strabo. In Antitauro Comana sunt in superiore Cappadocia, quæ *Comana Cappadocia* dicuntur in Tabula Peutingeri, ut *Cæsarea Cappadocia.* Sic porro vocantur ad differentiam τῶν Κομάνων Ποντικῶν. Antitaurus in Cataonia desinit. Stephanus Καταονίας ἐσχάτην μοῖραν τοῦ Ταύρου esse dicit. At mons Amanus, eodem Strabone teste, usque ad Euphratem procedit, & Melitenen. Nam Melitene ad Euphratem. Τὸ δὲ Ἀμανὸν ὄρος μέχρι τοῦ Εὐφράτου καὶ τῆς Μελιτηνῆς πρόεισι. Statim addit Strabo: ἐκδέχεται δὲ τὰ πέραν τοῦ Εὐφράτου, συνεχῆ μὲν τοῖς προειρημένοις, πλὴν ὅσον διακόπτει ῥέων διὰ μέσων ὁ ποταμός. Apud Melitenen igitur juxta Strabonem scindit Taurum Euphrates, & ad eam urbem, cis & trans Euphratem montes. A Melitene itaque ad Samosata nulli montes, aut Euphratis cataractæ innavigabiles per aliquot milium passuum, ut ex descriptione situs Pliniana colligitur. Μελιτηνὴν pro urbe apud Strabonem etiam accepit Stephanus, ut ex his verbis ejus apparet: Μελιτηνὴ πόλις Καππαδοκίας. Στράβων ἑνδεκάτῃ. Τὸ δ' Ἀμανὸν ὄρος μέχρι τοῦ Εὐφράτου καὶ τῆς Μελιτηνῆς πρόεισιν, καθ' ὃ ἡ Κομμαγηνὴ Καππαδοκίᾳ παράκειται. Οἱ πολῖται Μελιτηνοί. Atqui nusquam Μελιτηνὴ apud Strabonem de urbe reperitur, sed præfecturæ nomen est, una ex decem, in quas Cappadocia magna dividebatur. Eam præfecturam πρὸς τῷ Ταύρῳ collocat, qui Taurus est Amanus, ut ex ipso constat. Nullam urbem habuisse dicit, sed castella tantum aliquot in montibus munita. Plinius partem Cappadociæ prætentam Armeniæ majori *Melitenen* vocari scribit lib. VI. cap. III. At lib. V. cap. XXXIV, ubi dicit, à Sartona ad Melitenen Cappadociæ per Euphratem navigari, de urbe videtur intellexisse. Posterior tamen urbs illa temporibus Strabonis, qui Cappadociam describit, qualis erat sub Archelao,

A & anterioribus regibus. Melitene urbs sub Romanis condita ad Euphratem, ubi & legio prætendebat dicta Μελιτηνή. De qua nos ad Historiam Augustam. Ptolemæus urbem ponit in latitudine graduum triginta novem & triginta minutorum, vel, ut habent Græca, sex. Usque ad Melitenen Strabo Amanum montem procedere facit, ibique intra montes Euphratis decursum statuit, quem vult ea parte continuationem Tauri montis discidisse. Ibi & ἐπιστροφὴν ejus ad meridiem collocat, & Sophenen è regione Melitenæ fuisse ait trans Euphratem. Ita enim de Melitene scribit: ἀντίκειται δὲ τῇ Σωφηνῇ μέσον ἔχουσα τὸν Εὐφράτην ποταμὸν, καὶ αὐτὴ, καὶ ἡ Κομμαγηνὴ ὅμορος οὖσα.

B Ptolemæus vero longè infra Melitenen Amani montis cum Euphrate conjunctionem ponit, longè suprà Melitenen ejusdem fluminis ἐκτροπὴν, juxta quam τὴν Σωφηνὴν regionem recenset. Τὸ τμῆμα Euphratis, quod Amano proximè jungitur, ait esse in latitudine graduum triginta octo. Τὴν ἐκτροπὴν ejusdem amnis, cui alii peræquè montes proximant, locat in latitudine graduum quadraginta, & decem sexagesimarum, vel, ut in aliis legitur, triginta. Inter utrumque Melitene urbs, æqualiter fere distans ab ectropa Euphratis Ptolemæana, & ab Amani montis ad Euphratem conjunctione. Ad eam ectropam ponens

C Sophenen non paria sentit cum Strabone. Auctor Tabulæ Peutingeri à Comana Cappadocia, sic enim vocat, ut Comanam Ponticam, perpetuo jugo montes continuat usque ad Sabam, & Dascusam urbes, quæ ad Euphratem positæ sunt suprà Melitenen multis passuum milibus, atque ibi Euphratem eos montes diducere facit. Atqui Comana Cappadocia in Antitauro Strabone id asserente. Sic Antitaurus fuerit, quem Euphrates cursu suo dividit. Nam trans Euphratem ab ea parte montes etiam continenter pingit versus orientem. Ptolemæus quoque qui eos usque Antitaurum

D perducit, cujus partem ἐντὸς Εὐφράτου statuit, ibidemque alios montes adjungit, quos inter & Antitaurum Euphratem præcipitare dat, atque ibi ἐκτροπὴν ejus agnoscit, quam Strabo longe infrà constituit in regione Cappadociæ Melitene, & Amanum vocat partem eam Tauri, quam dividit alveo suo Euphrates. At Plinius longe etiam inferius eamdem ἐπιστροφὴν collocat, infra Claudiam nimirum, quam vocat Claudiopolim, nec à cataractis Euphratis ad Samosata plus quam quadraginta milia collocat. In eodem fere situ Ptolemæus Amanum Euphrati conjungit à parte Syriæ, & Taurum ex altera parte Armeniæ, nullos tamen ibi catara-

E ctas Euphratis agnoscit, qui navigationem ejus prohibeant, ut facit Plinius. Hæ sunt auctorum dissensiones super Euphratis origine, & decursu, quas libuit scrupulosius adnotare. Constat porro ex recentioribus itinerariis, Tabula ut puta Peutingerana & Antonio, à Dascusa ad Samosata usque nullos intervenire montes, qui cursum fluminis interrumpant, aut in aliam partem, quam quo ire vult, detorqueant, aut minus navigabilem reddant. Totum quippe latus illud Euphratis ex parte Cappadociæ urbibus, & mansionibus erat frequentissimis prætextum, per quas iter fiebat, juxta ripam. Perperam igitur depictos situs illos constat ab iis,

F qui res ibi locorum cum Domitio Corbulone gesserunt, quos etiam Plinius alibi eo nomine reprehendit, quod Caspias portas inscripserint in mappis suis, quæ Caucasiæ sunt dicendæ, qui vulgaris error fuit, quem illi sequuti fuerant. Hinc colligi potest, quantum illis fidei in ceteris tribui debeat. Sequitur Plinii locus, qui ita scribendus est: *Arabia suprà dicta habet oppida Edessam, quæ quondam Antiochia dicebatur, Callirrhoen à fonte nominatam, Carras Crassi clade nobiles. Jungitur præfectura Mesopotamiæ, originem ab Assyriis trahens, in qua Anthemusia, & Nicephorium oppida. Mox Arabes, qui Pretavi vocantur. Horum caput Singara.* Ita libri,

G sed Σίγγαρα Ptolemæus appellare videtur. Sequentia longè corruptissima: *Cingla Commagenem finit, Merorum civitas incipit.* Quænam illa Merorum civitas, qui Meri ipsi? Scribitur in optimo Rigaltiano: *Cingilla Commagenen finit, Imen incipit.* Puto scribi debere: *Gindara Commagenen finit, Imme incipit.* Nihil verius. Gindira scriptum fuerat, ex quo corruptum est Cingilla. De *Imme*, vel *Imma* indubitatissima conjectura. Ptolemæus

mæus in Seleucide Syriæ ponit Γίνδαρα, & Ἴμμα. Σελδυκὶς ἡ πόλεις αἵδε, Γεφύρα, Γίνδαρα, Ἴμμα. Seleucis Commagenæ vicina. Strabo lib. XVI de Syria: μέρη ἡ αὐτῆς τίθεμεν, ἀπὸ τῆς Κιλικίας ἀρξάμενοι καὶ τ Ἀμανῦ, τήν τε Κομμαγηνὴν, καὶ τὴν Σελδυκίδα καλύμενην τῆς Συρίας. Ergo in confinio Commagenes, & Seleucidis *Gindara* juxta Plinium: in Seleucide, *Imme* vel *Ime*. In Tabula Peutingeri vocatur *Emma*. Sextus Rufus in breviario *Imas* vocat, & non longè ab Antiochia dissitas tradit. Hieronymus quoque in Chronico sic vocat. Vide nostras ad Augustos notas. *Ima* Plinio, vel *Ime*. Eadem Tabula *Gendarum* appellat, quæ Ptolemæo Γίνδαρος, & à Gephyra distare facit duobus & viginti milibus.

Mesopotamiam opimat annuæ inundationis excessibus.] Ἐκβάσεσι. Euphratem quotannis πλημμύρειν, & terram fœcundare tradit etiam Strabo. Plinius, unde noster hæc habet lib. v. cap. XXVI de Euphrate: *Increscit autem & ipse Nili modo statis diebus paulum differens, ac Mesopotamiam inundat sole obtinente partem vicesimam Cancri: minui incipit in virginem è leone transgresso: in totum autem remeat in vigesima nona parte virginis.* Ita scribendum. Vulgo legitur: *minui incipit in virgine & leone transgresso.* Sole transgresso è leone in virginem minui incipit Euphrates. Nec aliter legit Solinus, cujus hæc sunt: *tenuatur cum jam leone decurso ad extima virginis curricula facit transitum.* Hoc jam alii videre. Iisdem fermè temporibus Euphratem exire, quibus Nilus, hoc loco tradit Solinus, & Plinius *paulum differre* ait. Certe si sole vicesimam cancri partem obtinente exire incipit, haud multum à Nilo differt, quem nova luna, quæcunque post solstitium est, crescere incipere scribit Plinius. Vide quæ suprà satiatim notavimus de tempore exundationis Nili. In quo dissentit Strabo à Plinio. Nam Euphratem inundare dicit æstatis initio, quum increscere cœperit vere. Verba ejus hæc lib. XVI. Πλημμύρει γὰρ ὁ Εὐφράτης κατὰ τὴν ἀρχὴν τῦ θέρυς ἀπὸ τῦ ἔαρος ἀρξάμενος, ἡνίκα τήκονται αἱ χιόνες ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας. Et sanè diversis temporibus eos amnes exundare necesse est, quandoquidem & diversæ causæ existunt utriusque exundationis. Liquefactæ, ac regelatæ nives Armeniæ montium incremento Euphratis causam præbent, quæ vere liquuntur, ideo & vere incipit increscere Euphrates. Horatius:

> *Diffugere nives, & decrescentia ripas*
> *Flumina prætereunt.*

Veris adventum describit, quo nives diffugiunt, & flumina decrescunt, id est, valde crescunt; ripasque transcendunt. Sic enim eo loco accipiendum. Ut *decoquere* est valde coquere, & similia sexcenta. Virgilius:

> *Vere novo gelidus canis cum montibus humor*
> *Liquitur.*

Nives intelligit liquescentes. Idem poëta:

> *Præsertim incertis si mensibus amnis abundans*
> *Exit.*

Incertos menses vocat vernos, quibus abundant, & exeunt flumina ex regelatione nivium ut plurimum, quæ montibus descendunt. De autumni mensibus accipi non posse certum est, ut nugatur ibi Servius. Aggenus Urbicus de alluvione: *Hæ quæstiones maxime in Gallia tota moventur, quæ multis contexta fluminibus immodicas Alpium nives in mare transmittit, & subitarum regelationum repentina inundatione patitur injurias.* Hæc notissima sunt, quæ tamen libuit antiquis testimoniis firmare. Vere igitur abundat, & excedit Euphrates, qui nivibus solutis de Armeniæ montibus tumet. At incrementorum Nili aliæ causæ sunt. Compertum quippe est, quod etiam novere quidam antiquiorum, ex pluviis, quæ circa solstitium frequentes, & magnæ cadunt in illis locis, unde oritur, amnem illum augescere, eoque post solstitium statim exire. Non igitur iisdem temporibus πλημμύρᾶσι Nilus, & Euphrates, ut perperam adstruit Plinius. Arrianus lib. VII. expeditionis Alexandri scribit Euphratem vere ineunte exire, abundantissimè autem circa solstitium. Atqui à solstitio tantum incipit crescere Nilus. Verba ejus hæc sunt: ὁ γὰρ Εὐφράτης ποταμὸς ῥέων ἐκ τῶν Ἀρμενίων ὀρῶν, χειμῶνος μὲν ὥρᾳ προχωρεῖ κατὰ τὰς ὄχθας, οἷα δὴ οὐ πολλῦ ὄντος αὐτῷ τῦ ὕδατος, ἦρος δὲ ὑποφαίνοντος, καὶ πολὺ δὴ μάλιστα ὑπὸ τροπὰς,

A ἃς ἥλιος τῦ θέρυς ὁ ἥλιος ἐπιστρέφει, μέγας τε ἐπέρχεται καὶ ὑπερβάλλει τὰς ὄχθας εἰς τὴν γῆν τὴν Ἀσσυρίαν: *grandis exit, & ripas præterit.* Hæc cum ita sint, ridiculus etiam Solinus, qui de suo rationem adtexere voluit, quare iisdem fermè temporibus uterque amnis exæstuet. Sic autem scribit: *quod gnomonici similibus parallelis accidere contendunt, quos pares in terrarum positione æqualitas facit normalis lineæ. Unde apparet ista duo flumina ad modulum ejusdem perpendiculi constituta, licet diversis manent plagis, easdem incrementi causas habere.* Ex eo, quod iisdem fermè temporibus ea duo flumina terras inundent, colligit ad modulum ejusdem perpendiculi sub pari linea
B constituta esse. Atqui illud *fermè* arguit, non iisdem plane temporibus illa exire. Et Plinius paulum differre scribit tempora utriusque incrementi. Nos multum differre ex Strabone ostendimus. Falsum etiam, quod quasi ὁμολογύμενον sumit, easdem incrementi causas habere utrumque fluvium. Falsissimum vero, quod ex falsa hypothesi adstruit, ad modulum ejusdem perpendiculi, & sub eadem parallelo sitos esse Nilum & Euphratem. De fontibus eorum intelligere palam est, & locis illis, unde manant. Fontes Euphratis in longitudine sunt graduum septuaginta quinque & trientis, juxta Ptolemæum: in latitudine quadraginta duûm
C & trientis. At paludes, unde nascitur Nilus, in longitudine sitæ habentur graduum sexaginta, in latitudine quinque aut sex graduum ad austrum, trans ultra æquinoctialem. Sed talia sunt omnia Soliniana, nugatoria, inepta, frivola, falsa.

Quod gnomonici similibus parallelis accidere contendunt.] Gnomonici sunt, qui ex umbrarum momentis, indicio gnomonis, non solum horas colligunt, sed etiam climatum diversitates deprehendunt, & poli elationes. Earum ars *gnomonice*, ἡ γνωμονική. Hyginus de limitibus: *Advocandum est nobis gnomonices summæ, ac divinæ artis fulmentum.* Hæc limitibus quippe dispo-
D nendis, ac constituendis etiam utilis. Nam maximo rum limitum ducendorum, cardinis, & decumani ratio, vix satis expediri poterat absque gnomonice. Decumanus ab oriente in occidentem ducebatur: Cardo à septentrione in meridiem. Atqui meridies sumi non poterat absque gnomonices præsidio, atque, ut loquitur Hyginus, *fulmento.* Architectis eadem in primis necessaria. Hinc tertiam eam architecturæ partem facit Vitruvius in tres partes divisæ, *ædificationem, gnomonicen, & machinationem.* Unde enim nisi ex gnomonice promptum scire architecto, ad quam partem
E cæli conversa ponet ædificia, aut cujus ad venti flatus opposita? Geographis quoque adeo expetenda eadem hæc ars, ut partem geographiæ non minimam facere merito quis asserat. Nec enim satis est ostendere, quot stadiis, aut milibus passuum locus à loco dissitus sit, quod geometria monstrat, nisi etiam doceas sub qua cæli plaga uterque locus sit situs. Hinc duæ res geographiæ maximè inserviunt, τὸ γεωμετρικὸν, καὶ τὸ μετεωροσκόπιον. Quorum hoc postremum explicatur, διὰ τῶν φαινομένων ἀπὸ τῶν ἀστρολάβων, καὶ σκιοθήρων ὀργάνων. Instrumenta hæc sciothera ad gnomonicen proprie pertinent. Hujus inventorem fuisse Anaxi-
F menem Anaximandri discipulum tradit Plinius lib. II. cap. LXXVI. *Umbrarum hanc rationem, & quam vocant gnomonicen, invenit Anaximenes Milesius, Anaximandri, de quo diximus, discipulus: primusque horologium, quod appellant sciothericon, Lacedæmone ostendit.* Frustra est, quod eo loco legi malebat Pincianus ex Diogene Laërtio: *& quem vocant gnomonem invenit Anaximander, de quo diximus.* Qui gnomonem invenit, utique & gnomonicen. Anaximeni autem tribuit, quod alii Anaximandro. Sed aliud est longè majoris momenti, quod in illis Plinii verbis notandum fuit. Ait Anaximenem primum horologium sciothericon Lacedæmone osten-
G disse. Haud adeo sane antiquum negotium videtur inventio horologii sciotherici in Græcia, ut ad Anaximandrum, aut ejus discipulum Anaximenem referri queat. Vereor itaque, ut Plinium Græca deceperint, quæ apud Diogenem Laërtium in Anaximandri vita sic habent: εὗρε δὲ καὶ γνώμονα πρῶτος, καὶ ἔστησεν ἐπὶ τῶν σκιοθήρων ἐν Λακεδαίμονι καθά φησιν Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, τροπάς τε καὶ ἰσημερίας σημαίνοντα, καὶ ὡροσκόπια κατε-

κατεσκεύασε, καὶ γῆς, καὶ θαλάσσης περίμετρον πρῶτος ἔγραψεν. Hæc ex Phavorino refert Laërtius. Haud dubitem quin ſimilia de Anaximene apud antiquiorem ſcriptorem Plinius repererit. Sed τὰ σκιόθηρα, & γνώμονα, & ὡροσκόπια de horologiis ſciothericis perperam interpretatus videtur. Profectò ſciothera illa, in quibus gnomonem erexit, & Lacedæmone primus oſtendit Anaximander, non horas indicaſſe, ſed æquinoctia tantum, ac ſolſtitia deſignaſſe diſertè teſtatur Laërtius: εὗρε δὲ γνώμονα πρῶτος, καὶ ἔστησεν ἐπὶ τῶν σκιοθήρων ἐν Λακεδαίμονι τροπάς τε καὶ ἰσημερίας σημαίνοντα. Sic enim diſtinguendum. Æquinoctiis igitur ſignificandis, & ſolſtitiis tantummodo idoneus ille gnomon Anaximandro inventus, & in ſciotheris conſtitutus, non horis monſtrandis fuit. Τῶν σκιοθήρων itaque nomine palam eſt non debere intelligi horologia, ſed inſtrumenta mathematica, quibus utebantur ad æquinoctia, & ſolſtitia deprehendenda, & meridianos, ut illa, quæ primus Lacedæmone conſtituiſſe dicitur Anaximander. Horum σκιοθήρων meminit Ptolemæus, quibus omni tempore & loco meridionalis lineæ ſitum oſtendi facillime ſolitum dicit cap. II. Ἀδύνατόν ἐστι τὸ τοιοῦτον σκοπεῖν ἄνευ τῆς διὰ τῶν εἰρημένων ὀργάνων τηρήσεως, ἀφ᾽ ὧν ἐν παντὶ χρόνῳ καὶ τόπῳ δείκνυται προχείρως ἥ τε τῆς μεσημβρινῆς γραμμῆς θέσις καὶ τῶν ἄνω εἰρημένων διαστάσεων. Intelligit aſtrolabium, & ὄργανα σκιόθηρα, quorum paulo ante meminit. Plutarchus in vita Marcelli horum ſi forte σκιοθήρων habet mentionem, ubi de Archimede ſic loquitur: καὶ τρίτος ἐστὶ λόγος ὡς κομίζοντι πρὸς Μάρκελλον αὐτῷ μαθηματικῶν ὀργάνων, σκιόθηρα καὶ σφαίρας, καὶ γωνίας, αἷς ἐναρμόττει τὸ τοῦ ἡλίου μέγεθος πρὸς τὴν ὄψιν, στρατιῶται περιτυχόντες καὶ χρυσίον ἐν τῷ τεύχει δόξαντες φέρειν ἀπέκτειναν. Vides inter mathematica ὄργανα recenſeri hoc loco τὰ σκιόθηρα. De horologiis certè neutiquam poteſt exponi, ſed erat omnino inſtrumentum μετεωροσκοπικὸν, quale illud eſt, cujus uſum deſcripſit Ptolemæus in Geographicis. Vetus ſcholion ad illa Ptolemæi verba formam ejus ita etiam deſcribit: Σκιόθηρον ἐστὶ σχῆμα πυραμίδος ἐκ τεσσάρων τριγώνων περιεχόμενον, περιεστώντων ὀρθὴν γωνίαν τῶν τριγώνων, δι᾽ ὧν λαμβάνομεν τὴν μεσημβρίαν. Nihil hoc ſciotheron pertinet ad horologium ſciothericon. Ne illud quidem ſcio an eadem ſint hæc ſciothera Ptolemæi cum ſciotheris illis, quæ Anaximander Lacedæmone ſtatuit. In illis Anaximandri ſciotheris gnomon, ſive ſtilus aliquis æquinoctia, & ſolſtitia oſtendebat. In ſchiotheris Ptolemæi, quibus meridianum captabatur, nullus gnomon, ſed anguli, ut videtur, ſoli, quibus μεσημβρινὴ θέσις deprehendebatur, ſiquidem recte illa deſcripſit vetus ſcholiaſtes. Sed utcunque poſſint ea Archimedis, & Ptolemæi σκιόθηρα de horologiis ſciothericis exponi, quod etiam non nego, certe gnomon ille, quem Anaximander invenit, ejuſque ſciothera, nec ὡρολογικὰ fuere, nec ad horarum obſervationem facta, quæ, magno errore Plinius pro ſciothericis horologiis accepit. Quod ut veriſſimum eſſe cognoſcatur, unico, ſed invincibili argumento id aſtruam. Si Anaximander, vel diſcipulus ejus Anaximenes horologiorum ſciothericorum auctor extitiſſet, eorum uſu tot annis non caruiſſet Græcia, ſed protinus ab illorum ævo percrebuiſſet hæc obſervatio. Atqui certum eſt, compertumque plus quam ducentis annis ab Anaximandri morte, nec horarum nomen pro diei particulis in Græcia auditum fuiſſe, nec uſum horologii ſciotherici ullius cognitum. Scribebat Apollodorus in Chronicis Anaximandrum quatuor habuiſſe ac ſexaginta annos, octavæ & quinquageſimæ olympiadis anno ſecundo, & non diu poſt mortem obiiſſe. Is inventor fuit gnomonis &, ſciotherorum, quæ Plinius *horologia ſciotherica* fuiſſe vult. Cur igitur tanto poſt tempore penes Græcos nec horarum ulla obſervatio, nec horologii mentio fuit? Certè novæ Comœdiæ ſcriptores, quorum princeps Menander, qui poſt Alexandrum Magnum vixerat, nuſquam τῆς ὥρας meminere pro diei particula, ut Grammatici nobis veteres teſtantur. Sed nec ea vox hoc ſenſu apud Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, aut alios æquævos ſcriptores uſpiam legitur. Quod ſi res adeo utilis, & tanto gentium conſenſu poſtea recepta, jam tum cognita fuiſſet ab ipſo Anaximandri ævo, vel Anaximenis,

A qui Plinio creditur hujus inventi repertor, profecto aliqua vel nomine tenus veſtigia ejus in auctorum ſcriptis deprehenderentur, qui poſt Anaximandrum uſque ad Alexandrum Magnum vixere. Ab Anaximandri morte uſque ad Menandri Comici obitum anni ſunt præter propter ducenti quinquaginta ſex. Nam hic obiit olympiadis vigeſimæ ſecundæ ac centeſimæ anno ſecundo. Menandri tempore nondum Græci noverant horologiorum ſolarium uſum, ſed nec diei in horarum particulas diviſionem tum uſitatam habuere, nec horæ nomen iſta notione uſurparunt, ut conſtat ex his Menandri verſibus, quos Athenæus lib. VI citat ex ejus Co-

B mœdia *Orge*:

---- διαφέρει Χαιρεφῶντος οὐδὲ γρῦ
Ἄνθρωπος, ὅστις ἐστὶν ὃς κληθείς ποτε
Εἰς ἑστίασιν δωδεκάποδος ὄρθριος
Πρὸς τὴν σελήνην ἔτρεχε τὴν σκιὰν ἰδὼν
Ὡς ὑστερίζων καὶ παρῆν ἅμ᾽ ἡμέρᾳ.

Ex vetere obſervatione hæc dicuntur, nondum reperto per minutias horarum diem, noctemque dividere. Heſychius ita interpretatur: δωδεκάποδος, οὕτως ἔλεγον ἐλλειπτικῶς στοιχείου ἢ σκιᾶς, οὕτω γὰρ συνετίθεντο ἐπὶ δεῖπνον ἥξειν τοῦ στοιχείου ὄντος δωδεκάποδος, ὡς νῦν πρὸς ὥρας φασί. Horarum vice umbram pedibus metiebantur, & ad

C certam ejus menſuram, decempedalem ut puta, vel plurium, pauciorumve pedum, cœnæ tempus indicebant. Ergo nondum tunc erat, ut horis particulatim diem diſcerperent, eaſque in horologiis ſciothericis indice gnomone notatas haberent. Pollux lib. I. cap. VIII de partibus diei: ὥρα δὲ καὶ ἡμιώριον, σημεῖον, ὡς Μένανδρος ὠνομάζετο παρὰ τοῖς παλαιοῖς, καὶ ἀπὸ σκιᾶς δὲ ἐδηλοῦτο, οἷον δεκάπους ἡ σκιὰ, καὶ ἑνδεκάπους. Ad ſua tempora reſpiciens partem diei facit ὥραν & ἡμιώριον. Apud veteres σημεῖον vocari dicit hujuſmodi parvam diei particulam, ſicut & apud Menandrum. Nondum quippe

D Menandri ævo ὥραν dicebant Græci de parte diei duodecima. Ea σημεῖα, ſive diei partes, quæ Menandri ætate vulgo uſurpabantur, ex umbræ menſura colligi ſolebant. Earum ratio ſic inibatur, ut ἑξάπους σκιὰ diceretur, ἑπτάπους, ὀκτάπους, ἐννάπους, δεκάπους, ἑνδεκάπους, δωδεκάπους, & ſic deinceps partes diei numerabant ab umbræ menſura pedibus comprehenſa. Heſychius: ἑπτάπους σκιὰ τοῖς ποσὶ κατεμέτρουν τὰς σκιάς, ἐξ ὧν τὰς ὥρας ἐγίνωσκον. Immo non, ut horas cognoſcerent, umbras metiebantur. Nec enim horæ tunc ea notione ſumebantur, obſervatione horarum necdum recepta, aut cognita, ſed ex umbrarum magnitudine pe-

E dibus admenſa colligebant, quantum diei à mane ad meridiem ſupereſſet, quantum à meridie ad veſperam itineris reſtaret ſoli faciendum, & ſic eadem ferè ratione, umbrarum modulis diem partiebantur, ut poſtea horis diſpertitus eſt. Ut ἑπτάπους, & δεκάπους σκιὰ dicebatur, ita & ἑπτάπουν, & δεκάπουν στοιχεῖον pro eodem. Ariſtophanes in Ἐκκλησιαζούσαις Comœdia:

---- σοὶ δὲ μελήσει
Ὅταν ᾖ δεκάπουν τὸ στοιχεῖον λιπαρῶς χωρεῖν ἐπὶ δεῖπνον

Ad quem locum egregie faciunt veteris Scholiaſtæ verba, ut viris doctiſſimis emendata ſunt: τὸ παλαιὸν καλοῦντες ἐπὶ δεῖπνον καὶ καλούμενοι παρεσημαίνοντο τὴν σκιάν, καὶ οὕτως

F οἱ μὲν ἔμενον τοὺς κληθέντας, οἱ δ᾽ ἀπῄεσαν ἐπὶ τὰς ἑστιάσεις, οὐδέπω τηρήσεως οὔσης ἑτέρας, ἀφ᾽ ἧς οἷόν τε ἦν τεκμήρασθαι εἰς πόσας ὥρας προήκει. Hæc in primis notanda ſunt: οὐδέπω τηρήσεως οὔσης ἑτέρας, ἀφ᾽ ἧς οἷόν τε εἴη τεκμήρασθαι εἰς πόσας ὥρας προήκει, *cum nondum alia extaret obſervatio, ex qua cognoſci poſſet, ad quotam diei horam ſol provectus eſſet.* Ergo nondum tunc in terra Attica, horæ diem numero duodenario dividentes, nec horologia horas oſtendentia noſcitabantur. Eodem quippe tempore nata videtur horarum obſervatio, & horologiorum, ſive gnomonum notandis horis inventio. Sed ecce contra vir im-

G manc quam eruditus & illuſtris, qui aſſerit non ſolum Menandri, verum etiam Ariſtophanis ætate, & anterioribus ſæculis, horologia Græciam habuiſſe, horaſque his notatas, computataſque vulgo fuiſſe. Is Notis in ſecundum Manilii Iſagogicum obſervat prius πόλον dictum, quod poſtea ὡρολόγιον. Ariſtophanis hunc verſum citat in Γηρυτάδῃ:

Πόλος τοδ᾽ ἐστίν. εἶτα πόστην ἥλιος
Τέτραπται.

Et

Et verſum hunc habet è Polluce, qui dubitat, an πόλος veteribus fuerit, quod poſteriores ὡρολόγιον vocaverunt. Τό δε καλούμενον, inquit, ὡρολόγιον ἤπου πόλον ἄν τις εἴποι, φήσαντος Ἀριστοφάνους ἐν Γηρυτάδῃ. Deinde citat illum verſiculum Ariſtophanis ſuperius allatum. Ex eo igitur verſu probare videtur velle, quod tunc dicebatur ὡρολόγιον, etiam πόλον vocari poſſe. Hoc ſi verum eſt ut πόλος idem cum ὡρολογίῳ fuerit, prorſus falſum erit, quod doctiſſimus, ac vetuſtiſſimus Ariſtophanis Scholiaſtes notat, nondum fuiſſe horologiorum uſum, nec horarum obſervationem. Sed nec video, cur Ariſtophanes, qui πόλον, hoc eſt, ὡρολόγιον noverat, alio loco umbras per pedes metiendi morem magis ſequatur, ut nihil dicam de Menandro, qui tanto poſterior Ariſtophane eamdem methodum agnoſcit umbræ pedibus admetiendæ, ut ne deeſſent tempori cœnæ condictæ. Si horologia aliqua tum illis quoque horas notavere, quid opus umbram pedibus admetiri? Nec enim alio olim artificio facta fuere horologia, atque hodie videmus. Horæ in his erant deſignatæ duodecim, totidemque lineæ, quas ubi tangebat umbra gnomonis, ea diei hora intelligebatur eſſe, quam numerus ad lineam adpoſitus indicabat. Græci de horologiis:

> Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
> Γράμμασι δεικνύμεναι, ΖΗΘΙ λέγουσι βροτοῖς.

Literis numeralibus horæ ſingulæ à prima ad duodecimam in horologio totidem lineis erant deſcriptæ hoc modo. Α. Β. Γ. Δ. Ε. ς. Ζ. Η. Θ. Ι. & deinceps uſque ad duodecimam, quæ hac nota numeri indicabatur ΙΒ. Priores ſex horæ uſque ad meridiem rebus agendis dabantur, reliquæ poſt meridiem corpori curando. Hinc eo, quo ſequuntur ordine, ac ſerie, vocem Ζῆθι efficiunt, quo admonemur *vivere*, hoc eſt, genio indulgere. Ita enim hoc verbum propriè ſumebant homines geniales. Catullus:

> *Vivamus, mea Lesbia, atque amemus.*

Petronius:

> *Ergo vivamus, dum licet eſſe bene,*

id eſt, genio indulgeamus. Martialis:

> ---- *cras ſerum eſt vivere, vive hodie.*

Exempla paſſim obvia ſunt apud Poëtas talium loquutionum. Ita in hoc verſu Ζῆθι, *vive* accipiendum. Male Græci interpretes exponunt, & nugantur. Vetus poëta de horologio:

> Ὡράων σκοπίαζε σοφὸν σημάντορα χαλκόν,
> Αὐτῆς ἐκ μονάδος μέχρι δυωδεκάδος.

Alia multa omittam, quæ idem probant. In horologiis igitur ſciothericis gnomon, ſive ſtilus æneus, umbra ſua indicabat horas. Quare alia illa methodus fuerit oportet, qua umbram pedibus dimetiebantur, ut colligerent, quanta pars diei jam tranſiſſet, & quanta ſupereſſet. Hæc ſimpliciſſima, & antiquiſſima ratio nihil habuit commune cum horologiis, & gnomonibus, ſed & locum videtur eo tempore tantum habuiſſe, quo caruerunt horologiis, nondum inventa hac arte. Alioquin vanum fuiſſet, & ſtulti laboris, in metienda umbra quemquam occupari, cui ad manum eſſet expeditior, & certior ratio. Sed heîc aliquis occurret, & interpellabit, nihil obſtare, quin utraque ratio ſimul tum in uſu fuerit: immo & cuivis ad cænam vocato proclivius fuiſſe ex umbra pedibus modulata condictæ cœnæ tempus æſtimare, quam ad horologium recurrere, quod in publico poſitum erat. Sicut Romæ quod primum horologium ſtatutum eſt, alii in Capitolio, nonnulli in æde Dianæ poſitum fuiſſe volunt. In foro poſtea aliud conſtitutum conſtat, quod ex Sicilia advectum fuit, quo unico horologio tota urbs diu contenta eſt. At longum erat ad cœnam properanti Græculo, & eſurienti currere in forum, inſpecturo an hora cœnæ inſtaret. Ideo proceres Romani pueros ad hoc habuere, qui horas ſibi nuntiarent. Poëta:

> --- *puer qui nuntiet horas.*

Et alio loco:

> *Nuntiat octavam Phariæ ſua turba Juvencæ.*

Et apud Suetonium: *decima pro octava nuntiata eſt.* In Græcia quoque idem obtinuit, & dominæ ancillas, quæ hoc munus ſibi fungerentur, habebant. Heſychius: Περιηγητρία ἡ παραγγέλλουσα τὴν ὥραν ταῖς κεκτημέναις. Facilius itaque fuit homini de plebe καὶ αὐτοδιακόνῳ umbram

A corporis ſui pedibus ad ſolem metiri, quam ad horologium inviſere longius, ſi forte in publico loco poſitum, præcipuè quum æque de hora certus fieri poſſet ex umbra ſic menſurata, quam ex inſpecto horologio. Nam & ſcire tunc poterant, quota hora diei quot pedes umbra habere deberet. Et Palladius hoc non omiſit ſuos ruſticos admonere, quibus horologia ad manum non erant, per ſingulos anni menſes, perque ſingulas diei horas, quot nempe pedes haberet umbra. Certa quippe umbræ menſura ad certam horam diei reſpondet. Hôc aliquis inquam poſſet objicere.

B Verum hoc planè nihil eſt. Aliquid eſſet, ſi τῆς ὥρας nomen Ariſtophanis ætate de particula illa diei uſitatum fuiſſet. Sed nemo unus auctor illius ævi iſtud nominis hoc ſenſu uſurpavit. Quod argumentum eſt invincibile nondum tum fuiſſe horologia. Et recte quidem Cenſorinus poſt reperta demum horologia in horas duodecim diviſum eſſe diem prodidit. *In horas*, inquit, *duodecim diviſum eſſe diem, noctemque in totidem vulgo notum eſt. Sed hoc credo Romæ poſt reperta ſolaria obſervatum.* Sanè & in Græcia. Quippe ejuſdem eſt temporis horologiorum inventio, & horarum obſervatio. Falſum eſt igitur, quod Pollux voluit,

C & cum eo vir eruditiſſimus, πόλον veteres appellaſſe, quod poſterioribus fuit ὡρολόγιον. Πόλος aliud erat. Verſus Ariſtophanis aliter exponendus, & fortaſſe etiam ſic legendus: ---- πόλος

> Τοῦτ' ἐστὶν ἑκαστάτω δὲ, ποστὴν ἥλιος
> Τέτραπται.

Male ἑκασταποστὴν legit, quod nihil eſt. Hoc quidem πόλος eſt, ſed longius, vel altius poſitum, ποστὴν ἥλιος τέτραπται. Quærit ibi aliquis, & interrogat, non quota hora ſit ex converſione ſolis in horologio notata, ſed quota dies ἐν τῷ πόλῳ deſignetur, à converſione ſolis, id eſt, à ſolſtitio,

D vel τροπαῖς. Non igitur ποστὴν ὥραν, nec enim τῆς ὥρας nomen eo tempore ſic notum fuit, ſed ποστὴν ἡμέραν intelligendum. De ſolſtitio itaque ille, quiſquis eſt, inquirit, &, quot dies jam præterierint poſt τροπὰς, petit. Τρέπεσθαι proprie Græcis dicitur ſol, cum ſeſe in ſolſtitiis convertit, & veluti curſum flectit ad metas. Hinc ἡλίου τροπαὶ, & ἡλιοτρόπια, hujuſmodi machinæ, ſive πόλοι, in quibus oſtendebantur ἡλίου τροπαί. Inter veteres mathematicos, & aſtrologos varie quæſitum eſt olim, diſputatumque ſuper ſolſtitiorum, æquinoctiorumque punctis, quando nimirum committe-

E rentur. Ut diverſæ ſuper ea re fuere ſententiæ, ita ſuam quiſque exponere, & aſſerere certatim conatus eſt. Quinetiam & in locis publicis urbium machinas multi propoſuere, quibus indicabatur, quando ſolſtitia obſervanda eſſent, & quo in puncto æquinoctia fierent. Talia fuere σκιόθηρα Anaximandri cum gnomone, quæ Lacedæmone conſtituit ad deſignanda ſolſtitia, & æquinoctia: εὗρε δὲ καὶ γνώμονα πρῶτος, καὶ ἔστησεν ἐπὶ τῶν σκιοθήρων ἐν Λακεδαίμονι τροπάς τε καὶ ἰσημερίας σημαίνοντα. Nec enim de horologio ſciotherico hæc accipienda, ut ſuprà docuimus. Tale etiam fuit Pherecydis Syrii aſtrologi ἡλιοτρόπιον in inſula Syro ab eodem ſta-

F tutum, cujus meminit & Laërtius in ejus vita his verbis: σώζεται δὲ καὶ ἡλιοτρόπιον ἐν Συρίᾳ τῇ νήσῳ. Vixit ille Pherecydes circa olympiadem nonam & quinquageſimam, haud longe ab Anaximandri ætate, qui obiit paulo poſt octavam & quinquageſimam. Ἡλιοτρόπιον illud nihil aliud fuit, quam ejuſmodi machina, qua oſtendebantur ἡλίου τροπαὶ eo tempore ſignatæ, quo fieri eas voluit Pherecydes. Meton Athenis primus ſtatuit ἡλιοτρόπιον θερινὸν ἐν Πνυκί. Hoc ſimiliter exponendum, non de horologio ſciotherico æſtivo, ut perperam vir magnus ad Manilium ſuum accepit. Solſtitii Metonici paſſim veteres meminerunt, & ſententiam ejus

G refutarunt. Hujus ſpecimen Athenis oſtenderat in ea machina, quam in Πνυκὶ conſtituit. Ἡλιοτρόπιον θερινὸν vocata eſt, quod ſolſtitium tantùm, non etiam brumam ſignaret. De ea fortaſſe machina capiendus verſiculus Ariſtophanis:

> Πόλος οὗτ' ἐστὶν, ποστὴν ἥλιος
> Τέτραπται.

De aliquo ejuſmodi heliotropio palam eſt eum loqui. Hæc ἡλιοτρόπια ad formam πόλου videntur fuiſſe facta, in quibus & γνώμων, ſive umbilicus æneus fuit, quo oſten-

ostendebantur τροπαὶ, ut in illis sciotheris Anaximandri, quibus ὁ γνώμων τὰς τροπάς τε καὶ ἰσημερίας ἐσήμαινε. Athenæus lib. v de nave Hieronis: κατὰ δὲ τὴν ὀροφὴν πόλον, ἐκ τοῦ κατὰ τὴν Ἀχραδινὴν ἀπομεμιμημένον ἡλιοτροπίου. Ubi ἡλιοτρόπιον id est quod dixi, non solarium, aut horologium, etsi sciam jam illo tempore in Silicia fuisse usum horologiorum. Nam quod primum Romæ in foro statutum est solarium à M. Valerio ex Sicilia advectum, consentiunt auctores Romani, Catina capta. Id contigit anno Urbis CCCCXCI olympiadis vicesimæ nonæ supra centesimam anno secundo. Ita legendum in Plinio: ubi vulgati ejus libri habent, *anno Urbis* CCCCLXVII. Certe ἡλιοτρόπιον nihil aliud est quam machinamentum denotandis solstitiis, hoc est, ἡλίου τροπαῖς factum. Ex polo, & gnomone compositum erat. Ad istud instar etiam ὡρολόγια postea facta. Hinc & πόλον de horologiis sciothericis Poëtæ dixerunt. Metrodorus in Epigrammatum ἀριθμητικῶν libro vas horologii, in quo gnomon rectus stabat, πόλον vocat his versibus:

> Γνωμονικῶν Διόδωρε Μεγακλέος, εἰπέ μοι ὥρην
> Ἡνίκ' ἀπ' ἀντολίης πόλον ἤλατο χρύσεα κῆλα
> Ἠελίου, ὅσον δή τοι ὅσον τρία πεμπτὰ δρόμοιο
> Τετράκι τόσσον ἔπειτα μεθ' ἑσπερίην ἅλα λείπει.

Quis ille Metrodorus, aut quo tempore vixerit, incertum habeo. Illud tamen compertum post horologia reperta ævum agitavisse. Duo Philosophi hoc nomine extitere celeberrimi, Metrodorus Epicuri auditor, & Metrodorus Scepsius. Uterque posterior fuit horologiorum sciothericorum inventione. Ceterum in illis versibus πόλον correximus, ubi membranæ legebant, πόλιν, & χρύσεα κῆλα pro μῆλα. Notum illud Homericum κῆλα θεοῖο. Radios solis Metrodorus sic vocavit. Πόλος certe tam in veterum sciothericis, quæ horis monstrandis non serviebant, quam in neotericorum horologiis vas ipsum dictum est, in quo gnomon erectus statuebatur. Hæc causa & Polluci fuit, ut scriberet πόλον veteribus vocatum, quod recentiores ὡρολόγιον dixere. In quo falsus est. Nunc verba Herodoti videnda sunt, quibus πόλον & γνώμονα dicit Græcos à Babyloniis sumpsisse. Lib. II ita scibit: Πόλον μὲν γὰρ καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον οἱ Ἕλληνες. Apertè his verbis non adumbrasse, sed expressisse videtur horologiorum inventionem, dieique in duodecim horas divisionem. Vivebat Herodotus circa olympiadem quartam, & octogesimam. Nam historiam eum Thuriis in Italia condidisse scribit Plinius anno Urbis trecentesimo decimo. Ergo jam aliquot annis ante Aristophanis tempora Græci noverant horologiorum usum, diemque in duodecim partes divisferant, idque à Babyloniis didicerant. Ergo & πόλος in illo Aristophanis versu, quem superius excussimus, de horologio exponendus veniet. Pollux quoque πόλον & γνώμονα jungit, capite de geometria: σφαῖρα, πολυγώνιον, πόλος, γνώμων, ῥόμβος. Ceterum etsi concedamus, πόλον & γνώμονα apud Herodotum de horologiis esse exponenda, non inde tamen sequeretur Atheniensibus vulgo tunc temporis ea quoque frequentata fuisse. Hujusmodi astronomica, & gnomonica inventa non passim in omnibus urbibus eo præsertim ævo prostabant, sed in aliis alia, prout in his, aut illis civitatibus consederant astrologi. Sic heliotropia gnomonicis rationibus facta, alia in Syria insula, alia Athenis, alia Lacedæmone, alia Syracusis fuere, quæ & diversos habuerunt auctores, & inventores. Horologium è Sicilia Romam primum deportatum est. Pene tamen eodem tempore hoc inventum Sicilia vidit & Roma. Nam ante Archimedem vix ullum hujus observationis, & inventionis vestigium in Sicilia extitisse ausim asserere. Plinthion, sive lacunar ad horas inveniendas fecisse Scopam Syracusium tradit Vitruvius lib. IX. cap. IX. Sed is posterior Archimede fuit. Nam πλινθίον illud in Circo Flaminio positum fuisse narrat idem, cujus & verba sic distinguenda sunt de variis horologiorum formis, & inventoribus: *Arachnen Eudoxus astrologus: nonnulli dicunt Apollonium. Plinthion, sive lacunar, quod etiam in Circo Flaminio est positum, Scopas Syracusius:* πρὸς τὰ ἱστορούμενα *Parmenion:* πρὸς πᾶν κλίμα *Theodosius & Andreas.* Hunc eumdem alio loco *Scopinan ab Syracusis* vocat, & multas res organicas, & gnomonicas numeris, naturalibusque rationibus inventas, & explicatas tradit reliquisse. Inter eos qui gnomonica, vel organica aliqua reliquerunt, recenset ibidem Aristarchum Samium, Philolaum, & Architam Tarentinos, Apollonium Pergæum, Eratosthenem Cyrenæum, & Archimedem, qui omnes, ut videtur, antiquiores fuere isto Scopa, sive Scopina Syracusio. Certè Aristarchus Samius etiam horologium fecit, scaphen, sive hemisphærium à forma dictum, quem & πόλον liceat dicere, ut paulo post exponam. Eratosthenes terræ circuitum, quot stadiorum esset per solis cursum, & gnomonis æquinoctialis umbras ex inclinatione cæli invenisse memoratur. Hyginus de limitibus constituendis ait, Archimedem ex umbrarum incrementis deprehendisse, quantum harenarum capere posset mundus, si repleretur. Quæ omnia ad gnomonicen pertinent. Ita fieri igitur potuit, ut Athenienses horologia tardius habuerint, quum jampridem in Ionicis urbibus, & insulis pervulgata essent. Sic Ionicum alphabetum viginti quatuor constans elementis serius receperunt, & diu veteribus tantum Atticis literis sedecim usi sunt, quum aliæ illæ Ionicæ in usu proteris sedecim usi sunt, quum aliæ illæ Ionicæ in usu promiscuo forent passim in reliqua Græcia. Sed utcunque hæc videri possint vera, vix ac ne vix quidem putem πόλον & γνώμονα apud Herodotum de horologiis accipi debere. Rationes edam. Primigenia gnomonis inventio ab auctore instituta est, ut horis indicandis serviret. Nondum quippe hæc ratio erat reperta. Primus, ut quidam volunt, gnomonis inventor Anaximander. Eo gnomone in sciotheris erecto æquinoctia, & solstitia tantum designavit. Σκιόθηρα vocata Diogenes ostendit, in quibus statutus erat gnomon. Πόλος etiam appellata videtur ea machina, quod instar poli haberet, id est, hemisphærii, vel etiam sphæræ. Græci veteres πόλον dixere cælum ipsum, non cæli axem, vel axis extremam partem, ut recentiores mathematici accepere. Ita sumitur apud Platonem vox πόλος. Hesychius: Πόλος, κόσμος, οὐρανὸς, κύκλος. At recentioribus Græcis πόλοι οἱ ἄξονες, circa quos cælum vertitur, vel ἄξονος τὰ ἄκρα. Hinc πόλου ἐξάρματα. Virgilius *verticem* vocat.

> *Hic vertex semper sublimis.*

Ὁ πόλος, pars extrema axis. Ex antiqua porro illa notione, qua πόλος hemisphærium significabat, vel globum, tota capitis rotunditas ita est appellata. Pollux de capite, & capitis partibus: καλεῖται δὲ τὸ σύμπαν πόλος, κράνιον, καὶ κόγχος παρὰ Λυκόφρονι.

> Τυπεὶς σκεπάρνῳ κόγχον εὐθέτῳ μέσον.

A rotunditate scilicet sic vocarunt, ut & κόγχον. Hesychius: πόλος, κύκλος, καὶ τύπος κορυφῆς κυκλοειδής. *Testam* hodieque vocamus ab eadem ratione, & testæ forma. Addit Pollux σκάφιον etiam vocari apud Aristophanem hoc versu:

> Ἵνα μὴ κατεαγῇς τὸ σκάφιον πληγεὶς ξύλῳ.
> *Ne tibi percussum fuste frangatur caput.*

Ergo σκάφιον caput, ut & πόλος. Et in alio versu ejusdem:

> Καὶ κοψίχῳ γε σκάφιον ἀποτετιλμένῳ.

Ubi σκάφιον est caput, non tonsuræ genus, ut grammatici perperam interpretantur. Ad hoc instar factum vas illud gnomonicum, in quo gnomon erectus ostendebat solstitium, & æquinoctium, quod & πόλος appellabatur. Forte & forma eadem fuerit horologiorum, quæ σκάφια dicta sunt. Nam πόλος, & σκάφιον quantum ad formam, idem. Martianus Capella: *Quippe scaphia dicuntur rotunda ex ære vasa, quæ horarum ductus stili, in medio fundo sui proceritate discriminant, qui stilus gnomon appellatur, cujus umbræ prolixitas æquinoctio centri sui æstimatione dimensa, vicies quater complicata, circuli duplicis modum reddit.* Eadem igitur forma σκάφης, & πόλου. Utrumque hemisphærii instar reddebat. Sed utrum in concavo scaphii stilus ponebatur, an in parte protuberante? Ex Martiano colligi potest in concavæ partis medio erigi solitum gnomonem. Berosus horologium, quod ipse invenit, ex hemicyclio fecerat, quod ex quadrato cavatum erat. Vitruvius ibidem memorat Aristarchum Samium *scaphen*, sive *hemisphærium* reperisse. Horologium fuit hac forma.

Scaphe & hemisphærium

sphærium idem, ita & πόλ☉. Nam hæc vox veteri notione tam hemisphærium, quod suprà nos est, quam quod est infra significat. Vulgaris certe hæc erat forma omnium apud veteres horologiorum vasorum. Macrobius in somnum Scipionis lib. II. *Sed nec stilus hemisphærii monstrantis horas, quem gnomonem vocant, tunc de se potest umbram creare.* Cleomedes ὡρολογίου σκάφην vocat lib. I. Ἐπεὶ μεγίστῳ κύκλῳ ὑπόκειται ἡ τοῦ ὡρολογίου σκάφη. Et paulo post: ἐὰν οὖν ἑτέραν εὐθεῖαν νοήσωμεν ἀπὸ τοῦ ἄκρου τῆς σκιᾶς τοῦ γνώμον☉ ἐπὶ τοῦ ἡλίου ἀναγομένην ἀπὸ τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ σκάφης: *ab horologio, quod Alexandriæ positum est.* Hinc non mirum est veteres grammaticos notasse πόλον, & ὡρολόγιον rem eamdem esse. Sed nec mirum, quosdam veterum πόλον appellasse τὴν τοῦ ὡρολογίου σκάφην, vel ἡμισφαίριον, ut ex Metrodoro suprà notabamus. Discum, vel missorium, in quo duodecim signa fuere cælata, vetus Epigrammatum poëta ἀργύρεον πόλον appellavit Anthologiæ lib. IV. Εἰς μινσώριον ἔχον τὰ δώδεκα ζώδια. Jam alibi notavimus, μινσώριον esse missorium, vel discum. Sequitur Epigramma:

> Ἀργύρε☉ πόλ☉ οὗτ☉ ὅπη φαέθοντα σελήνη,
> Δέρκεται, ἀντιτύπων πιμπλαμένη φαέων.

Aristarchus Samius, qui horologium ad instar scaphes, vel hemisphærii fecerat, idem etiam discum in planitia ad eumdem usum struxerat. Hæc cum ita sint, non tamen inde sequitur, πόλον veterum fuisse horologium. Πόλον in Aristophanis versu, & apud Herodotum eadem de re ut exponamus, ratio postulat. Atqui πόλ☉ Aristophanis de horologio non potest exponi, sed illud est, quod diximus.

> Πόλ☉ τόδ' ἐστὶν, ποσὴν ἥλι☉
> Τέτραπται.

Planè ἡλιοτρόπιον intelligit, quale illud fuit, quod à Metone ἐν τῇ Πνυκὶ constitutum est. Ἡλιοτρόπιον θερινὸν fuisse auctores dicunt, quod ἡλίου τροπὰς θερινὰς tantum ostenderet. Virum doctissimum, qui de horologio æstivo interpretatur, planè fugit ratio. Quod idem ibi observat ὡρολόγια olim Athenis prius brumalia tantum fuisse, ut Romæ, Metonem vero primum omnium ἡλιοτρόπιον, hoc est, horologium æstivum ἐν Πνυκὶ statuisse, id quale sit profecto nescio, nisi quod absurdissimum, ac falsissimum esse scio. Quod primum Romæ visum est horologium, & quæ deinceps ibi usurpata sunt, aliunde advecta, non brumalia tantum, aut æstiva, vel æquinoctialia fuere, sed etiam menstrua planè, ac diurna. Hoc quid sit, aperiendum est. Veteres vel antequam reperta essent horologia, diem in partes duodecim æqualiter dividebant: A Babyloniis hoc didicisse Græcos observat Herodotus. Post reperta horologia partes illas nominaverunt *horas*: & brevissimum diem, qualis est circa brumam, & longissimum, qualis habetur solstitio, æquè in duodecim horas partiebantur. Hinc longissimæ horæ solstitiales, brumales vero brevissimæ. A bruma non solum dies crescebant illis, sed etiam horæ: à solstitio horæ etiam decrescebant, non tantum dies. Æquales circa æquinoctia diurnæ horæ nocturnis. Horologia itaque, quibus ad totum annum uterentur, iis rationibus facta oportuit, ut non solas æstivas horas, & brumales, sive etiam æquinoctiales ostenderent, sed & horarum incrementa, ac decrementa per singulos menses, ac dies pæne singulos descripta haberent, ac notarent. Sic in horologiis, quæ tum fiebant, non hibernæ modo lineæ, & æstivæ, vel æquinoctiales, sed etiam menstruæ descriptæ habebantur, quæ decrescentiam horarum, & augmentum per singulos menses designarunt. Vitruvius lib. IX. cap. VIII. *Cum hoc ita sit descriptum & explicatum sive per hibernas lineas, sive per æstivas, sive per æquinoctiales, aut etiam per menstruas in subjectionibus rationes horarum erunt ex analemmatis describendæ, subjicienturque in eo multæ varietates, & genera horologiorum; & describentur rationibus his artificiosis. Omnium autem figurarum, descriptionumque earum effectus unus, uti dies æquinoctialis, brumalisque, item solstitialis in duodecim partes æqualiter sit divisus.* Ex his constat apertissime omnia horologia, quæ tum fierent rationibus gnomonicis, omnes omnino dies anni brevissimos, longissimosque in duodecim horas habuisse æqualiter divisos, horasque ipsas eo numero in diem contributas, quales erant per singulos dies, modo

A longissimas, modo brevissimas ostendisse. Hinc explicandum hoc vetus distichon:

> Ὠρανὸν ἁ χωρεῦσα σοφὰ λίθος, ἁ διὰ τυτθοῦ
> Γνώμον☉ ἀελίῳ παντὶ μερισδομένα.
> *Quam parvus cælum capit hic lapis, atque pusillo*
> *Gnomone se solis vertit ad omnis iter.*

Ad omnem solem accommodari dicit horologii lapidem, ad æstivum nimirum, & brumalem, æquinoctialemque, atque omnium mensium. Hæc horologia porro solaria diebus tantum, non etiam noctibus usui fuere. Ideo aquaria etiam horologia habuere, quæ horas noctium æque dierumque dividerent, cum ejusmodi

B horarum incrementi, ac decrementi notis, & indiciis, ut in solaribus. Plinius: *Etiam tum tamen nubilo incertæ fuere horæ usque ad proximum lustrum. Tunc Scipio Nasica collega Lænatis primus aqua divisit horas æquè noctium ac dierum.* Censorinus de die Natali: *deinde aliquanto post Nasica Censor ex aqua fecit horarium, quod & ipsum ex consuetudine noscendi a sole horas solarium cœptum appellari.* Atque hæc horologia aquaria haud minus quam solaria, dierum horas prout breviores essent, aut longiores, contrahebant, ac producebant, diemque in horas duodecim æqualiter dividebant, æque

C ac solaria, sed & noctem quoque in totidem, quod in solariis esse non poterat. Vitruvius de hujusmodi horologiis hydraulica ratione factis: *In his etiam aut in columna aut parastatica horæ describuntur, quas sigillum egrediens ab imo virgula significat in diem totum, quarum brevitates, aut crescentias cuneorum adjectus aut exemptus in singulis diebus & mensibus perficere cogit.* Hæc solaria ex aqua, quia & nubilo, & sereno æquè utilia, nec diei tantum, sed etiam noctis horas notabant, passim postea usurpata sunt. Paulus Silentiarius:

> Ἐνθάδε μισύλλουσι δρόμον Φαεθοντίδ☉ αἴγλης
> Ἀνέρες ὡράων ἀμφὶ δυωδεκάδι,
> D Ὕδασι δ' ἠελίοιο ταλαντεύουσι κελεύθους.

Tale fuit & quod ab Athenæo mechanico hydraulicis rationibus compositum est, de quo vetus Antiphili Epigramma sic legitur:

> Σῆμα δυωδεκάμοιρον ἀφεγγέ☉ ἠελίοιο,
> Τελττάκις ἀγλώσσῳ φθεγγόμενον στόματι.
> Εὖτ' ἂν θλιβομένοιο ποτὶ στενὸν ὕδατ☉ ἀὴρ
> Αὐλὸν, ἀποστείλῃ πνεῦμα διωλύγιον,
> Θῆκεν Ἀθηναῖ☉ δήμῳ χάριν ὡς ἂν ἀναργὴς
> Εἴη κὴν φθονεραῖς ἥλι☉ νεφέλαις.

Videtur tamen hoc aquarium ὡρολόγιον Athenæi diurnum fuisse tantum, cujus usus erat sole nubibus condi-

E to. Correximus ἀὴρ pro ἀνὴρ, ita postulante sententia. Aër aquæ violentia stricto canali expressus sonitum ter edebat, quo indicabantur horæ. Στενὸν αὐλὸν vocat, per quem aquæ expressionibus spiritus, & vox emittebatur ad significandas horas. Hoc in omnibus hydraulicis locum habuit, quæ ab hydrauli nomen invenere. Hæc hydraulis genus tibiæ fuit, vel fistulæ, cujus canales aqua inspirabantur. Hujus inventor extitit Ctesibius Alexandrinus mechanicus, qui & multa alia simili ratione perfecit. Plinius lib. VII. cap. XXXVII. *Ctesibius pneumatica ratione, & hydraulicis organis repertis.* Hic idem primus horologia ex aqua composuit, quæ dividerent horas

F æquè noctium, ac dierum. Vitruvius: *in his etiam horologiorum ex aqua comparationes explicuit.* In Ægypto vixit Ptolemæorum temporibus, jam repertis solariis horologiis, & diei in horas duodecim divisione, atque observatione. Meminit Athenæus lib. XI vasis cujusdam, quod ῥυτὸν dicebatur, ab hoc Ctesibio facti, & in templo Veneris Arsinoes dedicati, quæ Arsinoe Ptolemæi Philadelphi uxor fuit, & post mortem nomine Veneris Zephyritidis culta. Nihil alienum fecero ab his Exercitationibus, si Epigramma Hedyli, quod corruptissimum legitur in Athenæi libris, heîc emendatum proponam. Nec enim ab re prorsus dissonum est,

G quum & ætatem, qua vixit Ctesibius, ostendat, & artem ejus indicet. Sic igitur legendum est:

> Ζωροπόται καὶ τοῦτο Φιλοζεφύρου κατὰ νηὸν
> Τὸ ῥυτὸν εἰδυίης δεῦτ' ἴδετ' Ἀρσινόης
> Ὀρχηστὴν Βήσαν Αἰγύπτιον, ὃς λίγυν ἦχον
> Σαλπίζει, κρουνοῦ πρὸς ῥύσιν οἰγομένου
> Καὶ πολέμου σύνθημα, διὰ χρυσέου τε γεγωνεῖ.
> Κώθων☉ κώμου σύνθεμα καὶ θαλίης

Νεῖλος ὁ ποῖον ἄναξ μύσαις φίλον ἱερογωγοῖς
Εὗρε μέλος θείων πάτριον ἐξ ὑδάτων.
Ἀλλὰ Κτησιβίου σοφὸν εὕρεμα τίετε τοῦτο,
Δεῦτε νέοι νηῷ τῷ δὲ παρ' Ἀρσινόης.

Epigramma ipſum, & ῥυτὸν quid ſit, alibi explicabimus. Cteſibium ſub Ptolemæo Euergete floruiſſe tradit idem Athenæus lib. IV. Ubi etiam dicit Platonem huic Cteſibio parvam quandam ἔννοιαν ſuggeſſiſſe ad hydraulica organa invenienda, facto horologio nocturno, veluti clepſydra magna, quod ſimile eſt hydraulico organo: λέγεται δὲ Πλάτωνα μικράν τινα ἔννοιαν δοῦναι τοῦ κατασκευάσματος νυκτερινὸν ποιήσαντα ὡρολόγιον ἐοικὸς τῷ ὑδραυλικῷ οἷον κλεψύδραν μεγάλην λίαν. Καὶ τὸ ὑδραυλικὸν δὲ ὄργανον δοκεῖ κατὰ κλεψύδραν εἶναι. Athenæo ὑδραυλικὸν ὄργανον eſt ὕδραυλις, vel fiſtula, ſive tibia aquaria, quam & abſolutè *organum* dixere. Huic organo ſimile dicit fuiſſe horologium illud nocturnum, quod inſtar clepſydræ magnæ fabricaverat Plato, ex cujus machinæ occaſione mentem Cteſibio incidiſſe ait hydraulici organi conficiendi. Mirum eſt Athenæum nullam facere mentionem horologiorum ex aqua, quorum primus auctor etiam fuit Cteſibius, haud minus quam organi hydraulici, vel hydraulis. Atqui horologia aquaria Cteſibii longe ſimiliora horologio nocturno Platonis fuiſſe veriſimile eſt, quam ipſius hydraulem. Dixiſſet igitur potius ex illo aquario Platonis horologio inventionem ſumpſiſſe Cteſibium horologii ex aqua componennendi. Sed hydraulica, aut pneumatica ratione factum Platonis ὡρολόγιον νυκτερινὸν vix credere licet. Immo nec ὡρολόγιον fuit. Nuſquam Plato τῆς ὥρας nomen ſic uſurpavit. Clepſydræ magnæ inſtar fuerit ad nocturna tempora dividenda Philoſopho fabricatum. Nam diurna per umbrarum dimenſionem, quæ pedibus fiebat, dividere ſolebant. Ceterum aquarium horologium, quo primo uſi ſunt Romani, ex Cteſibii inventis profluxit, & pneumatica, hydraulicaque ratione compoſitum fuit. Plinius: *Tunc Scipio Naſica collega Lanati primus aqua diviſit horas æque noctium ac dierum. Id horologium ſub tecto dicavit, anno urbis* DXCV. *Tamdiu populo Romano indiſcreta lux fuit.* Perperam fabulantur viri doctiſſimi, qui clepſydram fuiſſe interpretantur. Vide Vitruvium lib. IX. cap. IX, ut inde diſcas quantum à clepſydra diſtent hæc ὡρολόγια ὑδραυλικά. Certe tam hæc, quam ſolaria quocunque anni die duodenas horas juſtas numerabant, ac notabant. Ὡρολόγια itaque illa brumalia, qualia Romæ fuiſſe vult Scaliger, unius dumtaxat diei uſum habuiſſent, deſignandis nimirum horis, quales habet anni totius breviſſimus dies, hoc eſt, bruma. Ad ſummum valuiſſent ad unum tantum menſem ejuſmodi horologia. Non magnopere quippe ſenſus percipiebatur creſcentium, aut decreſcentium horarum per integrum menſem. Hinc Vitruvius menſtruarum tantum linearum meminit in horologiis ſolariis componendis, quaſi eadem linea ſerviret horis unius integri menſis monſtrandis, non habita ratione ejus augmenti, vel decrementi, quod uno menſe facere poſſunt horæ. Sic & Palladius in metiendis umbris ad horas deprehendendas menſium tantùm habet rationem, & menſes decreſcentium horarum, cum iis menſibus, quibus horæ creſcunt, in ſpatio umbrarum dimetiendo componit, ut Januarium cum Decembri: Februarium cum Novembri: Martium cum Octobri: Aprilem cum Septembri: Majum cum Auguſto: Junium denique cum Julio comparat. At idem Vitruvius in horologiis ex aqua faciendis brevitates, & creſcentias horarum non ſolum in ſingulis menſibus, ſed etiam diebus obſervari ſolitas oſtendit; Quod exacta ratione æque fieri oportuit & in ſolariis, ſed fortaſſe non potuit. Quippe nimis magnus linearum numerus erat deſcribendus, ſi diurnæ etiam forent delineandæ, nec his tenendis ſuffeciſſet hemiſphærium, vel ſcaphium gnomonicum. Ideo menſtruæ tantummodo lineæ perducebantur, quæ oſtendebant, quæ varietas horarum eſſet in ſingulos menſes creſcentium, decreſcentiumque. Nec enim magnus in his differentiæ ſenſus concipitur per integrum menſem, ut jam diximus. Et aperte hoc innuit Vitruvius, qui in ſolariis horologiis mentionem facit menſtruarum tantum linearum, non etiam diurnarum, ut in aquariis. *Cum hoc*, inquit, *ita ſit*

A *deſcriptum & explicatum ſive per hibernas lineas, ſive per*
æſtivas, ſive per æquinoctiales, aut etiam per menſtruas.
Menſtruæ igitur tantum lineæ in horologiis ſolariis ſi-
gnatæ ad horarum differentias notandas, non etiam
diurnæ. At in aquariis horologiis ratio etiam habita
ejus augmenti, vel decreſcentiæ, quam patieban-
tur horæ per ſingulos dies duodenario numero æqua-
liter dividendæ. Ideo autem habebatur hæc ratio,
quia facilius expediri poterat quam in ſolariis, ubi
per lineas id erat curandum, quarum numerum fer-
re non poterat hemiſphærium, vel planities, in qua
deſcribi eas conveniebat. Vix igitur ultra menſem
B utilia manſiſſent tam brumalia, quàm æſtiva horo-
logia. Ideo nec talia unquam fieri ſolita, nec ſane
fuiſſe facta veriſimile eſt ad tam brevis uſum tempo-
ris duratura. Æquè de æquinoctialibus id pronun-
tiari poteſt. Nulla veteribus unquam iſtius generis
fabricata, quæ duobus tantùm æquinoctialibus men-
ſibus utilitatem aliquam de ſe præſtare poſſent. At
ſcribit Vitruvius, cujus & verba citantur Scaligero:
in quibuſcunque locis horologia erunt deſcribenda, eo loci ſu-
menda eſt æquinoctialis umbra. Profecto non ad æqui-
C noctialis tantum gnomonis umbras conficiebantur tum
horologia, ſed etiam ad æſtivum, & brumalem, &
omnium menſium delineabantur. Merè ἰσημερινὰ ſo-
lis mathematicis ſerviebant. Æquinoctialia verè ſunt,
ac ſic dici poſſunt, quibus hodie utimur ad ſolis cur-
ſum factis. Toto quippe anno pares, & æquales
oſtendunt horas, & quales circa æquinoctia ſunt, ſed
prout horas computabant Romani, dieſque divide-
bant, nulli prorſus uſui futura, præterquam æqui-
noctialibus diebus. Ex his patet quam falſum ſit, &
ἀνιστόρητον, quod vir magnus ibi adſtruit, horologia
quum olim tantum brumalia fuiſſent, ut Romæ,
D poſtea à Metone ἡλιοτρόπιον, hoc eſt, ὡρολόγιον æſti-
vum Athenis eſſe conſtitutum: Hoc prorſus caret
ratione. Jam diximus, quid eſſet ἡλιοτρόπιον θερινόν.
Meton aſtronomus florebat circa olympiadem octa-
vam & octogeſimam, paulo ante Ariſtophanem. Ho-
rologium, quod primum habuere Romani, triginta
quinque ac centum annis poſt eam olympiadem Ro-
mæ id ſtatuiſſe dicitur L. Papyrius curſor, anno ur-
bis CCCC LXI olympiadis centeſimæ viceſimæ primæ
anno ultimo. Mirum igitur cum tot jam annis ante
horologia æſtiva à Metone reperta eſſent, vulgata-
que, tam ſero ad Romanos perveniſſe, qui bruma-
E libus diu tantum uſi ſunt. Unde vero hoc ille expi-
ſcatus ſit, horologia Romæ initio brumalia fuiſſe tan-
tùm, ipſe expiſcari non poſſum. Ἡλιοτρόπιον illud Me-
tonis horologium non fuit, ſed ſolſtitio æſtivo notan-
do erat factum, ut alia ejuſdem generis ἡλιοτρόπια ab
aliis ſimiliter ratione gnomonica compoſita. Gnomo-
nem itaque habebant, & πόλον, in quo erectus ſtabat
gnomon. Hemiſphærium, ſive ſphæram licet inter-
pretari. Antiquiores Græci totum cælum ſic voca-
runt, quia vertitur. Recentioribus placuit extre-
F mitates ipſius tantummodo axis, circa quem cælum
vertitur, ita nuncupare. Certè πολεῖν eſt vertere.
Hinc περίπολοι, circitores. Et πολεῖσθαι Heſychio, περὶ
τὸ αὐτὸ ἀναστρέφεσθαι. Et πολεῖν γῆν, terram aratris ver-
tere. Unde & τρίπολος ἄρουρα, quæ tertio arata eſt.
Quin ab illa voce πόλος Latinum *pila*. Ut κόνις, ci-
nis. Quæ in os Græcè terminantur, ea Latini vete-
res à Græcis accepta plerumque genere ſequiori ex-
tulerunt. Ut λῆνος, *lana*: δῖνος, *tina*, & alia infi-
nita. Sic πόλος, *pila*, à vetere πόλου notione, qua cæ-
lum ipſum Græci ſic vocabant, non partem axis ex-
tremam. Diximus paulo ante ſcaphen, aut ſcaphium
dictum vas rotundum, & cavum, in cujus medio
G fundo ſtilus erigebatur ad horas monſtrandas, atque
id πόλον etiam quoſdam appellaſſe. Πόλος tamen re-
ctius de parte protumida, ac rotunda caperetur, quam
de concava. Nam & caput πόλον propterea Græci di-
xere, à curva rotunditate. Σκάφιον quidem etiam id
vocarunt, ſed ſcaphio inverſo hæc forma ſimilior eſt,
ut è contra πόλος inverſus ſcaphen, vel ſcaphium re-
ctè refert. Πόλος eſt hemiſphærium, quod magis
propriè de recto, quam de inverſo, ac reſupinato ac-
cipiatur. Sic hemiſphærium architectis dicitur, non
ſupini,

ſupini, ac inverſi hemiſphærii figura, ſed quæ inſtar habet illius hemiſphærii, quod ſuprà nos eſt. Hoc genus ædificii à teſtudine ſic diſtinguunt, quod hæc ex duobus arcubus conſtet, in medio centro invicem ſe ſecantibus, hemiſphærium vero in convexo totum ſit ſphæricum. Hoc propriè πόλος, quum & totam ſphæram ſic quoque vocaverint. Alias quod jacet, ac reſupinatum eſt, ſcaphæ ſimilitudinem, vel diſci magis obtinet. Præterea æquè benè in extuberante hemiſphærii facie, quam in cava horæ monſtrari potuerunt. Et fortaſſean πόλοι veterum, qui æquinoctia oſtendebant, hac forma erant. Horologia neotericorum hemiſphærio inverſo, hoc eſt, ſcaphæ ſimilia. Scaphas illas Vitruvius etiam vocat hemiſphæria, ut & Macrobius. Scribit Plinius Manilium mathematicum pilam apici obeliſci addidiſſe in campo Martio, cujus vertice umbra colligeretur in ipſa pila. Pilam eam πόλον liceat interpretari, ad ſimilitudinem πόλου γνωμονικοῦ, in quo gnomon erectus æquinoctia, & ſolſtitia ſignificat ex umbrarum ratione. Profecto πόλος eſt pila, & inde nomen. De eo obeliſco locus inſigniter corruptus legitur apud Plinium lib. XXXVI. cap. X his verbis: *Ei qui eſt in campo Divus Auguſtus addidit mirabilem uſum ad deprehendendas ſolis umbras, dierumque, ac noctium magnitudines, ſtrato lapide ad obeliſci magnitudinem, cui par fieret umbra Romæ confecto die hora ſexta, paulatimque per regulas, quæ ſunt ex ære incluſæ, ſingulis diebus decreſceret, ac rurſum augeſceret.* Scriptum reperi in vetere libro: *ſolis umbrarum Romæ confectæ die.* Inde præclara, & indubitata emendatione facio: *ad deprehendendas ſolis umbras, Brumæ confecta die, hora ſexta.* Cum ita conjeciſſem, poſtea deprehendi Scaligerum corrigere, *brumæ confecto die.* Haud æquè benè. *Bruma confici* dicitur, ut ſolſtitium, eodem genere loquendi, quo *ſidus confectum.* Nam & *ſidus confectum* idem Plinius de ſolſtitio confecto dixit lib. XVI. cap. XXIII. *Circumaguntur enim folia earum poſt ſolſtitium: nec alio argumento certius intelligitur ſidus confectum.* Sic Manilius *brumæ ſidus* appellavit lib. III.

Hac vice diſcedunt noctes à ſidere brumæ,
Tolluntur que dies.

Non dies ſolſtitiorum conficiuntur, ſed ipſa confici intelliguntur in puncto λόγῳ θεωρητῷ. Falſa itaque lectio, *brumæ confecto die.* At per *diem brumæ confectæ* intelligit diem, quo bruma committitur. Fruſtra eſt etiam, quod idem tollit vocem *obeliſci*, quam libri omnes agnoſcunt, nec ſenſui adverſatur. Statutus lapis ad eam obeliſci magnitudinem, cui par umbra meridiana die brumæ. Sic in eadem re loquutus eſt Diogenes Laërtius in vita Thaletis, ὁ δὲ Ἱερώνυμος καὶ ἐκμετρῆσαί φησιν αὐτὸν τὰς πυραμίδας ἐκ τῆς σκιᾶς παρατηρήσαντα, ὅτε ἡμῖν ἰσομεγέθεις εἰσίν. Pyramidas dimenſum eſſe ex umbra, quum nobis pares magnitudine fierent. Plinus hæc ſic expreſſit: *menſuram altitudinis earum omniumque ſimilium deprehendere invenit Thales Mileſius, umbram metiendo, qua hora par eſſe corpori ſolet.* At Diogenes dixit, qua hora magnitudo pyramidum par eſſe corpori ſolet. Magnitudinem pyramidum ſcilicet eam intellexit, cui umbra corporis par eſt. Atque ita hoc loco Plinius loquitur. Sequentia ſic ſcribit vetus liber: *digna cognitu res, & ingenio facundo mathematici.* In aliis: *& ingenio facundi mathematici.* Manilii nomen, quod præferunt editi, nemo paulo vetuſtior habet liber. Quæ ſequuntur, prodigioſè in editionibus ſunt corrupta: *apici auratam pilam addidit, cujus vertice umbra colligeretur in ſemetipſam, alia atque alia incrementa jaculantem apice.* Nec mirum eſt, ſi nemo hæc intelligit, quæ ſic à correctoribus depravata fuere. Vetus liber R. B. ſcribit: *apici auratam pilam addidit, cujus vertice umbra colligeretur in ipſa, alias enormiteri aculante apice.* Ex illo *enormiteri* factum quibuſdam correctoribus, *ſolem imitari.* Deinde aliis: *alia incrementa.* Poſtremo: *alia atque alia incrementa.* Male etiam *in ſemetipſam* repoſueruut. Rectum eſt: *cujus vertice umbra colligeretur in ipſa, alias enormiter jaculante apice.* Addidit apici obeliſci pilam, cujus apicis vertice umbra colligeretur in ipſa pila, quamvis enormiter umbram jacularetur apex. Atque hæc obiter, quæ alibi latius explicabimus. Πόλον illum

A porro Ariſtophanis, in quo oſtendebatur τροπὴν ἡλίου πέτρα ταῦτα, eſſe ἡλιοτρόπιον Metonis, quod in Πνυκὶ conſtituerat, planè habeo perſuaſum, rem ſcilicet longe ab horologio diverſam. Prodigium eſt autem abſurditatis, quod vir tantus in eadem obſervatione colligit ex illis verſibus Menandri, quos ſuperius adduximus, diurna, & nocturna horologia in uſu fuiſſe jam tempore illius Comici. Quod paulo poſt confutabimus. Sed pergamus, ut cœpimus. De polo, & gnomone diximus, quod ſatis eſſet, ut probaretur nihil ad ὡρολόγια pertinuiſſe. Reſtant Herodoti verba diſcutienda de duodecim diei partibus, quæ non nemo
B ad eam ſententiam rapere poſſet, præſertim adjuncta mentioni πόλου, & γνώμονος. Dicit Græcos à Babyloniis didiciſſe πόλον, καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης. Quis non ex iſtis tribus ſtatim factum ſibi horologium hariolabitur? Hæc eadem virum illuſtrem tranſverſum rapuere. Sed màle calculum ponet, qui ſic putabit. Profecto minime dubitandum eſt, quin jam Herodoti ætate in duodecim partes diviſum diem habuerint Græci. Etenim cum & gnomonicæ ratio tunc iiſdem fuerit cognita, utique oportet & diviſionem diei in partes duodecim non ignoraſſe. Quippe nullus propemodum uſus gnomonis abſque illa diviſione. Præterea hæc ſi-
C mul reperta videntur, ars gnomonica, & dies in duodenas tributus partes, dierum inæqualitas, climatum varietas, & quidquid in aſtrologia, ac geometria, geographiaque per umbrarum incrementa colligi potuit, ac deprehendi, hinc plane pendet. Non magis interfuit annum in duodecim menſes habere diſpertitum, quam diem in duodecim particulas diviſum. Hujus rei inventionem Græcos Babyloniis acceptam referre teſtis Herodotus. Alii gnomonem inveniſſe Anaximandrum volunt: nonnulli referunt ad Anaximenem ejus diſcipulum. Sed quod in primis animadvertendum eſt,
D nec ex gnomonis inventione, nec ex duodenis diei partibus, poſſit aliquis adhuc horologiorum rationem, & uſum, aut horarum obſervationem, vitæ civili vindicare. Prius illa, poſterius iſta conſtat reperta, & in uſum relata. Cum δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης appellat Herodotus, de diei æquinoctialis partibus intelligit. Nondum horarum nomen his particulis inditum, nondum etiam horologium inventum. Ipſe ille Herodotus, qui meminit hujus diurnæ partitionis in portiunculas duodecim, nuſquam τῶν ὡρῶν vocem ea ſignificatione poſuiſſe deprehenditur, ſed nec quiſquam veterum Græcorum hoc ſenſu uſurpavit, etiam Herodoto lon-
E ge poſteriorum. Inter Ulpiani quæſita apud Athenæum & hoc reponitur, εἰ κεῖται ὥρα ἐπὶ τοῦ τῆς ἡμέρας μορίου. Si facta hæc quæſtio admodum recenti Græciæ ætate, ſatis ſigni eſt neminem paulo antiquiorum ea notione ſumpſiſſe hoc vocabuli. Herodotus ὥρας vocat anni tempora lib. II. Ἵνα δὴ ὧραι συμβαίνωσι παραγινόμεναι εἰς τὸ δέον. Ubi *horas* reddit Valla. Imperite. Legitur in Thaletis vita apud Diogenem: τάς τε ὥρας τοῦ ἐνιαυτοῦ φασὶν αὐτὸν εὑρεῖν, anni tempeſtates. Ut *tempus anni* paſſim Latini dicunt. Diodorus: ταῖς κατ' ἔτος ὥραις τετμημένα. Et ſic alii paſſim. Diviſio igitur diei extitit in duodecim partes, priuſquam exiſteret in duo-
F decim horas. Prioris illius diviſionis auctores feruntur Babylonii, qui & Chaldæi, quos etiam aſtricæ ſcientiæ, & ejus, quæ propriè γενεθλιακὴ dicitur, inventores fuiſſe conſtat. Hi & zodiacum in duodecim ſigna diviſerunt, & ſingula ſigna in partes triginta, quæ haud nomen aliud habuere, quam μοίρας. Unamquamque autem partem rurſum diviſerunt in ſexaginta λεπτά. Iidem ſunt, qui & diem primi εἰς δώδεκα μόρια, ſive μοίρας etiam diſtribuerunt, & rurſum ſingulas μοίρας diei εἰς ἑξήκοντα λεπτά. Hæc μόρια diei ſine nomine diu fuere. Atque hæ diviſiones omnes ab illis ſunt inventæ, ut ejus diſciplinæ, quam excolebant, cum percipiendæ, tum
G tradendæ facilior iniretur via: vel quia rationes eorum hoc ita poſtulabant. Babylonii diem appellabant ſpatium omne, quod intereſt ab exorto ſole ad alterum ejuſdem exortum incipientem. Non puto ἡμέρης nomine hoc intervallum intellexiſſe Herodotum, aut à Babyloniis in duodecim μέρεα diviſum eſſe. De die igitur naturali exponendum eſt, qui definitur ab ortu ſolis ad occaſum. Nec de quolibet die naturali hoc ſtatuendum, ſed

ſed de æquinoctiali. Nam ad hujus diei partes duodenario numero æqualiter dividundas, Babylonii, Græcique omnes aſtrologi veteres, & gnomonici rationes ſuas accommodarunt. Nec aliter ſanè fieri potuit. Et hoc ita fiebat nondum publicato horarum nomine, & uſu. Poſt eas repertas, & horologia inventa, quum horæ ipſæ variarent, & pro dierum ratione modò breviores, modò longiores ponerentur, aſtronomi tamen, aſtrologique omnes, & gnomonici, inſuper habita horarum civili obſervatione, æquinoctiales ſolas ad uſum, ac rationes ſuas obſervabant. Etenim cum horologia omnia tum ad curſum ſolis facta horas exhiberent omnium anni menſium ex umbrarum momentis creſcentes, ac decreſcentes, ſolius gnomonis æquinoctialis umbras reſpiciebant gnomonici, & rationes omnes mathematicas ad eum dirigebant. Vitruvius lib. I. cap. VI. *Si autem animadverterent orbis terræ circuitionem per ſolis curſum, & gnomonis æquinoctialis umbras, ex inclinatione cæli ab Eratoſthene Cyrenæo rationibus mathematicis, & geometricis methodis eſſe inventam ducentorum quinquaginta duûm millium ſtadiorum.* Etiam diverſi regionum ſitus, quos varia facit inclinatio cæli, quique ex umbrarum incrementis, ac mutationibus deprehenduntur, non aliter colligi ſolebant, niſi per umbræ æquinoctialis gnomonem. Idem Vitruvius lib. IX. cap. VIII. *Namque ſol æquinoctiali tempore in ariete, libraque verſando, quas ex gnomone partes habet novem, eas umbræ facit octo in declinatione cæli, quæ eſt Romæ.* Et paulo poſt: *Ceteriſque omnibus locis aliæ alio modo umbræ gnomonum æquinoctiales ab natura rerum inveniuntur diſparatæ.* Ideo quibuſcunque in locis horologia deſcriberentur, eo loci ſumebant æquinoctialem umbram. Quinetiam ad dierum augmenta, ac detrimenta per ſingulos menſes indicanda, non aliis horis quam æquinoctialibus utuntur veterum calendariorum auctores. Multa hactenus edita ſunt, habemus & ipſi necdum edita calendaria, quæ omnia decrementum, & augmentum dierum in ſingulis menſibus per horas notant æquinoctiales. Cum ſcribitur in illis calendariis in Januario diem eſſe horarum VIII, noctem XVI, quis dubitet quin de horis æquinoctialibus capiendum ſit? Vetus habemus calendarium, in quo de Januario ita ſcriptum eſt: *Menſis hic habet horas diei* X, *noctis quoque* XIIII, *ſimilis Decembri pro ſolſtitio.* Et de Junio ſic: *Menſis hic habet horas diei* XIIII, *noctis quoque* X, *ſimilis Julio pro ſolſtitio.* Reliqua omitto. Hæc obvia, & vulgaria ſunt. In his tamen viros maximos offendiſſe video. Mathematici veteres, & genethialogi ad horoſcopum inveniendum, & quaſcunque alias artis ſuæ methodos explicandas, non alia ſumunt horaria ſpatia, præter æquinoctialia, nec de horis aliis exponenda ſunt eorum ſcripta, licet eo tempore, quo ſcripſere, dies omnis anni δωδεκάωρος eſſet inter ortum & occaſum Solis, ac proinde modo breviores, modo longiores obſervarentur horæ. Sed hac in parte civilem conſuetudinem ſequuti non ſunt, quæ prorſum rationibus ſuis, ac methodis erat contraria, & incommoda. Ὡριαῖον itaque διάστημα ſemper ponunt de æquinoctialis horæ ſpatio. Nec aliter intelligendus Manilius, ubicunque horarum facit mentionem. Quo magis miror, virum incomparabilem, cui vitam Manilius debet, iſtic labi potuiſſe. Manilius lib. III poſtquam de horis, & ſtadiis aſcenſionum tractavit, tranſit ad incrementa dierum exponenda, per ſingulos menſes, & ſigna, quot nempe horæ quibuſque accreſcant menſibus, quæ tractatio his verſibus apud eum incipit:

Nunc quibus hiberni momentis ſurgere menſes
Incipiant, neque enim paribus per ſidera cuncta
Procedunt gradibus, nivei dum vellera ſigni
Contingant, æquum luces cogentia & umbras
Ferre jugum.

Hibernis menſibus luces incipiunt creſcere à bruma uſque ad ſolſtitium. Par incrementum toto menſe cenſetur. Sed ſinguli menſes haud paribus momentis ſurgunt, id eſt, creſcunt, nec iiſdem gradibus per omnia procedunt. Exempli gratia, ſi dies maxima minimam diem ſex horis ſuperaverit, primo menſe hora dimidia incrementi accedet diei, ſecundo menſe hora una: tertio hora cum ſemiſſe: ſic tribus menſibus trium horarum ad diem fiet acceſſio. Quarto menſe ſimiliter hora & ſemihorium addetur: quinto menſe hora: ſexto & ultimo horæ dimidium. Sic ſupplentur illæ ſex horæ, quibus dies maxima totius anni minima die major eſt. Hoc eſt, cur dicat Manilius, hibernos menſes, quum ſurgere, & creſcere incipiunt, non paribus gradibus procedere per cuncta ſidera, ſive ſigna zodiaci. Cujus rei cauſam aſſignant τὴν λοξότητα ζωδιακοῦ. Vide Cleomedem lib. I capite περὶ τῆς αὐξήσεως τῶν ἡμερῶν. Non quærendum autem, de quibus horis intellexerit Cleomedes: nam palam eſt eum loqui de æquinoctialibus. Manilius quoque περὶ τῶν ἰσημερινῶν ὡρῶν intelligit, ut ipſe ibi diſertè teſtatur his verſibus ad finem diſputationis ſubjectis:

Nec tibi conſtabunt aliter veſtigia veri,
Ni lucem noctemque pares dimenſus in horas,
In quantum vario pateant ſub tempore, noris,
Regulaque exactas primum formetur in horas,
Quæ ſignetque diem ſedes, perpendat & umbras.
Hæc erit in libra, quum lucem vincere noctes
Incipiunt, vel quum medio concedere vere.
Tunc etenim ſolum biſſenas tempora in horas
Æqua patent, medio quod currit Phœbus olympo.

Superiore tractatu diſputarat, quot horæ, vel horarum momenta per ſingulos menſes in quoque ſigno diebus creſcentibus accederent, incipiendo à bruma. Nunc, de quibus horis intelligendum ſit, docet. Nec enim aliter veri veſtigia conſtatura, niſi æquinoctiales horæ ſumantur, & umbræ perpendantur ad æquinoctialem gnomonem. Has horas poſſe bis in anno horologiis ſciothericis colligi circa æquinoctium autumni, quod in libra fit, quum confecto æquinoctio diem noctes vincere incipiunt: & circa æquinoctium vernum, quo peracto noctes concedunt diebus. Hic eſt germanus ſenſus horum Manilii verſuum, etiam ſi demus rectè heîc legi eos verſus, uti à Scaligero poſiti ſunt. De quo infrà. Fruſtra eſt igitur, quod ad eum locum idem vir magnus quærit, cur non potius præcipiat indagare diem brumæ, à qua incipit & dierum incrementum, & incrementorum diurnorum conſideratio. Mentem Manilii nullus percipit, à bruma incipiunt menſes ſurgere per horarum momenta diſparia, quæ diebus accedunt creſcentibus. Horæ illæ æquinoctiales capiendæ, & ad æquinoctialis gnomonis umbras perpendendæ. *Primum jubebat*, inquit:

Principio capienda tibi eſt menſura diei,
Quam minimam capricornus agit.

Quam viam inſiſtes? Non aliter potes, niſi prius indagaveris diem ipſum æquinoctii. Hoc non vult Manilius. Sed non aliter veritatem ſuperiori diſputationi, quæ inſtituta eſt de dierum per horas incrementis, poſſe conſtare, niſi per horas æquinoctiales id explicetur, quæ propterea ex gnomone æquinoctiali ſumendæ ſunt. Nec ullum præterea ὡρολόγιον ἰσημερινὸν intelligendum eſt, niſi eo ſenſu, quo ſupra diximus. Sed nec ibi rationem docet horologii æquinoctialis conficiendi, ut perperam ſentit Vir magnus. Quia horæ tum variabant in horologiis gnomonicis, & modo erant brumales breviſſimæ, modo ſolſtitiales longiſſimæ, modo æquinoctiales æquales, ideo per æquinoctiales expediendam eam methodum admonuit. Interdum auctores nominatim exprimunt, de quo genere horarum loquantur, interdum id ſupprimunt. Proclus in Sphæra: ἐκ δὲ ταύτης διαιρέσεως ἀκολουθεῖ τὴν μεγίστην ἡμέραν, ὡρῶν ἰσημερινῶν γίνεσθαι ιε. τὴν δὲ νύκτα ὡρῶν ἰσημερινῶν θ'. Ita heic Manilius τὰς ἰσημερινὰς expreſſit. At Cleomedes de incrementis dierum ὥρας tantum nominat, & tamen ἰσημερινὰς intelligit: ὥστε εἰ ὥρας ἓξ ὑπερέχει ἡ μεγίστη τὴν ἐλαχίστην ἡμέραν, τῷ μὲν πρώτῳ μηνὶ, ἡμιώριον προστεθήσεται τῇ ἡμέρᾳ, τῷ δὲ δευτέρῳ ὥρα, τῷ δὲ τρίτῳ ὥρα, καὶ ἥμισυ, ὡς πρὸς τῷ τελευταίῳ τελῶν ὡρῶν γίνεσθαι τὴν προσθήκην. Miror igitur, dum lego hæc Scaligeri τοῦ πάνυ verba ad eum verſum Manilii, quo diſſertationem ingreditur de dierum incrementis.

Nunc

Nunc quibus hiberni momentis surgere menses
Incipiant.

Ad eum inquam locum sic notat: *Horæ variant, ut ipse longa hac disputatione nos docuit. Quæ incrementa horarum, quibusque accedant ascensionibus, docuit: at quæ incrementa & decrementa horarum ipsarum sint, non docuit. Hoc igitur debet in antecessum dare, ne semper eumdem horarum modum usurpemus. Horæ enim diurnæ solstitiales sunt longiores diurnis brumalibus, & nocturnæ brumales longiores nocturnis solstitialibus.* Hæc quorsum attineant, non perspicio, nec sanè ad rem, quæ tractatur, pertinent. Si *horarum incrementa* vocat, quæ diebus additæ majores eos faciunt, cum illo sentio. Sed aliud vult. Non unus horarum modus fuit, aliæ solstitiales, aliæ brumales. Immo singulorum mensium, ac singulorum quoque dierum suæ horæ, ac propriæ, modo breviores, ac decrescentes, modo longiores, ac crescentes. Sed cum his inæqualibus, ac variantibus horis nihil habet, quod agat mathematicus, res suas omnes, ac rationes dirigit, & expendit per æquinoctialium, & æqualium horarum normam. Tota civilis ratio, & quotidianus usus incertis illis, ac vagis horis tenebatur, mathematica certis ac statis. Idem Scaliger in conspectu totius operis Maniliani ait Manilium dicere, mendose ascensionibus signorum binas horas vulgo attribui, quum inæquales sint signorum ascensiones. Quod si concederentur æquales esse: at horæ mensura inæqualis, & incerta, quia hora est duodecima pars lucis, aut noctis: luces vero, & noctes in omni inclinatione variant. Hæc Scaliger. Ergo mathematicus etiam incertis horis utebatur. Profecto Manilius lib. III eam vulgarem mathematicorum opinionem improbat, quæ singulis signorum ascensionibus binas horas tribuebat. Inter alias rationes, quæ faciunt, ut non possint videri signorum omnium ascensiones æquales, etiam horarum inæqualitatem allegat, sed obiter tantum, & adjuncta conditione. Binæ horæ omnibus signis ascendentibus non possunt tribui, quia certum, statumque horis spatium non est, si modo, inquit, duodecim horas in omni die numeremus. Locus est egregius, qui & corruptus est, nec rectè à viro magno intellectus. Sic legendus:

Quo fit ut in binas non possint omnia nasci,
Quum spatium non sit statum pugnantibus horis,
Si modo bissenæ servantur luce sub omni,
Quem numerum debet ratio, sed non capit usus.

Perperam legitur, *quum spatium non sit tantum.* Sic apud Arnobium *statis diebus* correximus, ubi vulgo scribitur, *tantis.* Post multas alias rationes, quibus asserit ascensionum inæqualitatem, postremo loco addit etiam de horis inæqualibus. Non possunt, inquit, binis horis omnia signa ascendere, quum horarum mensura non sit stata, & certa, si modo tamen duodenas horas in omni die servamus:

Quem numerum debet ratio, sed non capit usus.

Quem numerum horarum in omnibus diebus servandum ratio quidem civilis postulat, sed non capit usus mathematicorum. Ratio quidem hoc exigit, ut omnis dies in duodecim horas describatur, sed usus noster, & mathematica disciplina hanc rationem non recipit, quia nos horis æquinoctialibus, & æqualibus tantum utimur. Post hunc versum sequitur statim in antiquis editionibus, & omnibus scriptis codicibus:

Nec tibi constabunt aliter vestigia veri,
Ni lucem noctemque pares dimensus in horas,
In quantum vario pateant sub tempore, noris.

Quos versus Scaliger cum aliquot sequentibus hinc submovit, & in alium locum infra transtulit, ubi de dierum incrementis tractat Manilius. Malo certè facinore, & exemplo id ab eo factum est, nullaque cum ratione. Quo facto planè ostendit nihil vidisse in superioribus versibus, quos ita interpretatur: *Ratio, inquit, postulabat, ut singula signa essent binarum horarum, sed aliter experientia docet.* Quæ ridicula est expositio. Postquam docuit multis de causis non posse binas horas dari singulis signis, quia non omnia æqualiter ascendant, quum aliorum rectæ, aliorum obliquæ sint ascensiones, postremo subjecit, etiam si æqualiter

A ascenderent, non posse tamen in binas horas omnia
exoriri, quia horæ ipsæ inæquales sunt, & modo longissimæ, modo brevissimæ, prout dies crescunt, vel decrescunt. Hæc causa inquit etiam probabilis fuerit, si modo diebus omnibus duodecim horas assignes, ut ratio communis exigit, sed hunc numerum non capit usus mathematicorum, & astrologorum. Nec enim in omnibus, quæ tractabis ex doctrina nostra, aliter tibi constabunt veri vestigia, nisi horas sumas, quales sunt æquinoctiali tempore, diebus scilicet, & noctibus pares. Hic est Manilii sensus. Est tamen, ubi etiam mathematicus vulgarium horarum morem non recusat, quando scilicet ea res agitur, aut ex-
B plicatur, quæ intra unum diem naturalem ab exortu solis ad occasum concludi potest. Tunc enim vulgarem usum sequendo nihil disconvenit, aut incommodat regulis artis. Sic Hephæstion Thebæus lib. I, ubi ἐκλείψεων solis ἀποτελέσματα exponit, quas utique necesse est inter ortum & occasum contingere, diem ex usu vulgari in quatuor τεώρους dividit, hoc est, horas duodecim, & ita ἀποτελέσματα illa explicat, quas significationes habeant, quæ in primo trihorio fiunt eclipses, quæ in secundo, quæ in tertio, quæ denique in ultimo. Κατὰ τοὺς διδύμους ἡλίου ἐκλείποντος ἐν τῇ πρώτῃ τεώρῳ τὸν δυναστεύοντα Ἀσίας μετ᾽ ἐνιαυτὸν τελευτήσειν. Περὶ δὲ τὸ τε-
C λευταῖον τεώρον γινομένης, Ἰταλίᾳ, καὶ Λιβύῃ, καὶ τοῖς πρὸς ἑσπέραν κατοικοῦσι φθορὰν, καὶ ἀπώλειαν ἔσεσθαι. Vocat πρώτην τεώρον, tres primas diei horas ab exorto sole, primam scilicet, secundam, & tertiam: τὸ τελευταῖον τεώρον, tres postremas ad occasum solis, decimam, undecimam, & duodecimam. Nam duodecima sol occidebat, aut statim à duodecima. Vide vanitatem artis. Quæ in primo trihorio fiunt eclipses, populis, & regibus ad orientem mala portendere ait: quæ in postremis tribus horis accidunt, occiduis regionibus, ut Italiæ, Libyæque perniciem significare, quia tum
D fiunt, quum jam dies inclinat, & ad occasum vergit. Idem eo capite passim δευτέρας, & τρίτης τεώρου meminit. Alibi apud eum τῆς ὥρας nomen de æquinoctiali fere sumitur, ut apud ceteros mathematicos, ubicunque aliquid ex arte per horas computant. Ut Hephæstioni, & aliis ὡριαῖον διάστημα, & ὡριαῖον δρόμημα τῆς σελήνης de hora æquinoctiali intelligendum. Horæ igitur æquinoctiales astrologorum, & mathematicorum semper propriæ fuere. Inæquales & vagæ communis usus, quas horologia tam solaria, quam aquaria ostendebant vulgo. Longe antequam hujusmodi horarum cum nomine observatio esset prodita, & horologia inventa, Babylonii diem diviserant in duode-
E cim partes æquales, diem utique æquinoctialem, ad cujus normam, & partium ejus ratiocinia sua astronomica deducebant. Hanc diei in duodecim partes divisionem de die tantum æquinoctiali tam apud Babylonios, quam Ægyptios accipiendam esse illustri exemplo palam faciam. Insigniter notabilis locus est apud Orum Apollinem, qui id clarissime evincit. Ibi dicit Ægyptios, quum duo æquinoctia significare volunt, pingere cynocephalum sedentem. Hanc enim hujus animalis naturam esse, ut per æquinoctia duodecies
F in die urinam reddat, æquali semper inter duodenas vices spatio servato: id similiter facere, & in duabus æquinoctiorum noctibus. Verba ejus hæc sunt: ἰσημερίας δύο πάλιν σημαίνοντες, κυνοκέφαλον καθήμενον ζωγραφοῦσιν. Ἐν ταῖς δυσὶ γὰρ ἰσημερίαις τοῦ ἐνιαυτοῦ, δωδεκάκις τῆς ἡμέρας καθ᾽ ἑκάστην ὥραν οὐρεῖ, τόδε αὐτὸ καὶ ταῖς δυσὶ νυξὶ ποιεῖ. Ex his constat veteres Ægyptios non alios anni dies in partes duodecim dividuos habuisse præter æquinoctiales. Nam nec aliis diebus præterquam æquinoctialibus cynocephalus duodecies mejebat, cu-
G jus animalis indicio hanc diei partitionem invenisse traduntur. Non rectè igitur Victorinus, qui commentariis in Rhetoricos Ciceronis libros de omni die, ac de horis omnium dierum id interpretatus est. *Quodam tempore, inquit, Trismegistus, quum esset in Ægypto, sacrum quoddam animal Serapi dedicatum, quod in toto die duodecies urinam fecisset, pari semper interposito tempore, per duodecim horas diem dimensum esse conjecit, & exinde hic horarum numerus custoditur.* Non in omnibus anni diebus sacrum illud animal urinam duodecies projicie-

projiciebat, sed per dies tantum æquinoctiorum. Hinc à Trismegisto diei æquinoctialis in duodecim partes distributio tradita. At Victorinus ad temporum suorum consuetudinem respexit, qua duodenarius horarum numerus per omnes anni dies custodiebatur, quum Ægyptii veteres in solis æquinoctiorum diebus hunc numerum observarent, ut planissimè colligitur ex illo Ori loco, qui ibidem etiam refert Ægyptios in horologiis suis aquariis cynocephalum exsculptum solitos constituere, cujus ex genitali aqua proflueret, qua justè dividerentur duodenæ illæ partes diei æquinoctialis, totidemque noctis. Ori interpres partes eas ὥρας vocat, & ὡρολόγια aquaria illa vasa, dum temporum suorum habet rationem. Διόπερ οὐκ ἀλόγως ἐν τοῖς ὑδρολογίοις αὐτῶν Αἰγύπτιοι κυνοκέφαλον καθήμενον γλύφουσιν, ἐκ δὲ τοῦ μορίου αὐτοῦ ὕδωρ ἐπιῤῥέον ποιοῦσιν, ἐπεὶ, ὥσπερ προεῖπον, τὰς τῆς ἰσημερίας δώδεκα σημαίνει ὥρας. Ceterum ne ex veretillo animalis aqua prolixius effunderetur, quam par esset ad justam horæ mensuram servandam, aut rursus æquo parcius flueret, avulso è cynocephali cauda pilo, ad ejus instar tenue ferrum parabant, quo aquæ fluxum adtemperabant. Sic legenda porro sunt, ac distinguenda Ori verba, quibus hoc narravit: ἵνα δὲ μὴ εὐρύτερον τὸ κατασκεύασμα ὑπάρχη, δι᾽ οὗ τὸ ὕδωρ εἰς τὸ ὡρολόγιον ἀποκρίνεται, μήτε πάλιν στενότερον. Ἀμφοτέρων γὰρ χρεία, τὸ μὲν γὰρ εὐρύτερον ταχέως ἐκφέρον τὸ ὕδωρ, οὐχ ὑγιῶς τὴν ἀναμέτρησιν τῆς ὥρας ἀποτελεῖ, τὸ δὲ στενότερον κατ᾽ ὀλίγον, καὶ βραδέως ἀπολύει τὸν κρουνὸν, ἐκ τῆς οὐρᾶς τρίχα δείραντες, πρὸς τὸ ταύτης πάχος σίδηρον κατασκευάζουσι πρὸς τὴν προκειμένην χρείαν. Addit ibidem cynocephalum duodecies die toto æquinoctiali clamorem tollere solitum: καὶ ὅτι ἐν ταῖς ἰσημερίαις μόνος τῶν ἄλλων ζώων δωδεκάκις τῆς ἡμέρας κράζει καθ᾽ ἑκάστην ὥραν. His rebus & illius animalis magisterio edocti Ægyptii diem naturalem æquinoctialem duodecim horarum fecerunt, & noctem similiter æquinoctialem totidem, quod duodecies noctibus etiam urinam redderet per æquinoctia cynocephalus. Sic viginti quatuor partium, sive horarum, verum diem habuerunt, quo & nox comprehenditur, qui fit uno cæli circumactu. Id etiam cognoscitur ex Oro Apolline in hieroglyphico, quod his apud eum concipitur: Μῆνα δὲ γράφοντες, σελήνης σχῆμα, καθὸ καὶ πρόκειται, ἔχον εἴκοσι καὶ ὀκτὼ ἡμέρας ἰσημερινὰς μόνας, ἐξ εἴκοσι τεσσάρων ὡρῶν τῆς ἡμέρας ὑπαρχούσης καθ᾽ ἃς καὶ ἀνατέλλει. Mirum est hoc hieroglyphicum, &, si quid judico, malè descriptum. Dicit Ægyptios, ut mensem exprimant, pingere lunæ faciem, quæ viginti & octo dies habeat æquinoctiales solos. Hoc ridiculum. Quomodo enim in facie lunæ tot illi dies pingi potuerunt? Deinde, cur æquinoctiales soli? Præterea non solus dies æquinoctialis viginti quatuor horis constat, ut ibi dicitur. Verissima emendatione locum inquinatissimum sic emaculo: μῆνα δὲ γράφοντες, σελήνης σχῆμα καθὸ καὶ πρόκειται ἔχον εἴκοσι καὶ ὀκτὼ ἀριθμὸν, ἡμέρας σημαίνοντα, ἐξ εἴκοσι τεσσάρων ὡρῶν τῆς ἡμέρας ὑπαρχούσης. Ut mensem significarent, pingebant lunæ faciem habentis viginti octo numerum, qui numerus dies designabat, quibus luna apparet. Addit: ἐξ εἴκοσι τεσσάρων ὡρῶν τῆς ἡμέρας ὑπαρχούσης, ne quis de die naturali caperet, qui ortu, & occasu solis terminatur. Sic multa alia hieroglyphica per numerorum notas ostenderunt. Ἡδονὴν δὲ δηλῶσαι βουλόμενοι δεκαὲξ ἀριθμὸν γράφουσιν. Ἀπὸ τούτων γὰρ τῶν ἐτῶν ἀρχὴν τῆς πρὸς γυναῖκας συνουσίας, καὶ πρὸς τέκνα γενέσεως οἱ ἄνδρες ἔχουσι. Coitum similiter indicabant, δύο δεκαὲξ ἀριθμὸν γράφοντες. Sic ἀφωνίαν significaturi pingebant numerum mille nonaginta quinque, quo numero dierum triennii spatium conficitur, intra quod tempus nisi loqui cœperit infans, lingua præpeditum esse judicandum est, & ἄφωνον perpetuo futurum. Ita igitur & mensem denotabant, luna picta cum numero viginti octo, quot diebus lunaris constat mensis. Diem hujusmodi in viginti quatuor partes Ægyptii dividebant. Atque hic dies est astrologorum. Censorinus: *Hujusmodi dies ab astrologis, & civitatibus quatuor modis definitur. Babylonii quidem à solis exortu ad exortum ejusdem astri diem statuerunt. At in Umbria plerique à meridie ad meridiem*, &c. Astrologos

A vocat Babylonios, qui diem ab ortu solis auspicabantur, & finiebant altero exortu. Hodierni mathematici à meridie incipiunt, & inde omnia sua ratiocinia ducunt. Babylonii & Ægyptii genethliaci, qui ab ortu solis incipiebant calculum suum ponere, diem viginti quatuor partium, sive horarum æqualium constituebant, easque partes à die in noctem continuabant, ut hodie etiam solent nostri licet à meridie exordiantur. Quum igitur illi diem naturalem cum nocte in viginti quatuor particulas æquales dividerent, sic fiebat, ut soli dies æquinoctiales duodecim partibus constarent, noctesque totidem. Etenim

B quum viginti quatuor horæ junctim in νυχθήμερον computantur, omnium horarum par est semper intervallum. At, cum duodecim horis omnis dies divisus notatur, crescendi, ac decrescendi inter ipsas horas alterna est mutatio, ut rectè Hyginus scribit de limitibus constituendis. *Per hunc zodiacum sol ire fertur, & orbem terrarum viginti & quatuor horis circumire. Harum ferunt viginti quatuor horarum junctarum semper unum esse intervallum.* Post horologia verò, & horas inventas omnis dies duodecim partes habere cœpit, quas horas dixere. Græci quoque antiquissimi astronomi, qui ab Ægyptiis, & Babylonius doctri-

C nam suam hauserunt, in disciplina rerum cælestium ex arte gnomonica dirigenda, eamdem cum illis viam institerunt, & diem similiter divisum in viginti quatuor partes æquales observarunt, ex quibus duodenæ partes datæ diebus æquinoctialibus solis. Hæc sunt δώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης, quæ Græcos à Babyloniis sumpsisse cum polo, & gnomone scribit Herodotus. Nam πόλος, & γνώμων tunc temporis nec aliis quàm mathematicis serviebant, nec alias diei partes designabant. Solstitia, & æquinoctia, & quæcunque alia exploravere ex umbrarum momentis, ad æquinoctialis gnomonis umbras, & per duodecim diei æquinoctialis partes ea deprehendisse constat. Pro-

D fecto hæc fuit apud illos vetustissimos Græciæ astronomos magnopere exagitata, multumque desudata investigatio solstitiorum, & æquinoctiorum. Thales primus κατά τινας δύο μόνα συνέγραψε, τὰ ἄλλα κατάληπτα εἶναι δοκιμάσας. Idem fertur primus Græcorum astricæ scientiæ studuisse, solis eclipses, & solstitia deprehendisse. Laërtius: δοκεῖ δὲ κατά τινας πρῶτος ἀστρολογῆσαι, καὶ ἡλιακὰς ἐκλείψεις, καὶ τροπὰς προειπεῖν. Anaximander, qui primus apud Græcos gnomonis inventor traditur, ex umbrarum ratione, & arte gnomonica æquinoctia similiter, & solstitia investigavit, & Lacedæmone gnomonem statuit, τρο-

E πάς τε καὶ ἰσημερίας σημαίνοντα. Meton Atheniensis ἡλιοτρόπιον θερινὸν constituit ἐν Πνυκί. Quod ἡλιοτρόπιον, ut hoc iterum iterumque repetam, machina fuit cum gnomone ad colligendum ex umbrarum incrementis, quo die futurum esset solstitium æstivum. Πόλον vocat Aristophanes, quod ad instar pilæ esset, vel hemisphærii. Ejusdem generis ἡλιοτρόπιον ostendendis solstitiis factum in Achradine Syracusarum visebatur ab Archimede, ut videtur, positum. Hujusmodi ἡλιοτρόπια, sive πόλοι γνωμονικοί, vel

F etiam σκιόθηρα, ut vocat Diogenes in Anaximandro, ad formam horologii descripta fuisse videntur. Nam & gnomonem erectum habebat ad umbrarum incrementa, ac decrementa notanda: lineas duodecim in hemisphærio, vel polo signatas ex numero partium diei æquinoctialis, per quas decurreret umbra. Parum certè abest quin horologia æquinoctialia vocari possint, ut hodie sunt omnia, quæ ad solis cursum componuntur arte gnomonica. Sed heîc cardo vertitur totius hujus Exer-

G citationis. Ὡρολόγια illa non fuere, nec horis enim monstrandis erant facta. Horarum nomen adhuc tum ignorabatur, nec nisi longo post tempore cognitum est. Solis mathematicis, & astronomis usui erant. Nullius plane usus in vita civili, nisi quatenus populus ex iis discebat, quando futuri essent solstitiorum, & æquinoctiorum dies. Quod & ipsum sciri non parvi momenti est, nec parvi usus in rebus rusticis procurandis. Ideo publicis locis urbium ponebantur ab astrologis ejusmodi ἡλιοτροπίων

πίων machinæ, ut populus ex his cognoſceret, quo die æquinoctia, & ſolſtitia eſſent obſervanda, quot dies adhuc ſupereſſent uſque ad illud, & illud æquinoctium, ſive ſolſtitium, quot dies ab illo, & illo æquinoctio, ſive ſolſtitio præteriſſent. Ut ille apud Ariſtophanem in Γηρυτάδῃ dici ſibi poſtulabat ex ἡλιοτροπίῳ Metonis, ποσὴν ἥλιῳ τέτραπται, quota dies eſſet numeranda à ſolſtitio confecto. Ceterum ad partes diei obſervandas, tempuſque prandii, aut cœnæ ſtatum cognoſcendum, aut cujuſcunque negotii, cui tempore condicto eſſet occurrendum, alia methodo utebantur, nondum horarum diſciplina reperta, nec horologiorum arte. Quod vel hinc maximè concludi oportet. Eam methodum, qualis eſſet, ſuprà explicavimus, ex umbra pedibus metienda. Inde illæ loquutiones apud Atticos ſcriptores, & Comicos præcipuè, paſſim obviæ, δεκάπους σκιᾶς, vel ςοιχεῖς, ad cœnam properare, quum umbra decem pedes habet, vel duodecim pedes. At vir magnus notis in Manilium, horologia tam nocturna, quam diurna fuiſſe jam tempore Menandri colligit ex ejus verſibus, quos ſuperius adduximus, iterum heîc producendis. Verba facit de quodam ad cœnam invitato δωδεκάπους σκιᾶς οὔσης. Ita igitur habent:

---- ὃς κληθείς ποτε
Εἰς ἑστιάσιν δωδεκάπους, ὄρθριος
Πρὸς τὴν σελήνην ἔτρεχε τὴν σκιὰν ἰδὼν
Ὡς ὑστερίζων καὶ παρῆν ἅμ' ἡμέρᾳ.

Nihil in iſtis video, quod trahi poſſit ad ὡρολογίων nocturnorum probationem, ſed nec ad diurnorum. Quid enim, quæſo te, hinc peti poteſt ad aſſerenda horologia diurna? Nam de nocturnis, abſurdiſſimum. Quaſi luna ſcilicet etiam horas oſtenderet. Aliquis ille invitatus erat ad cœnam, δωδεκάπους, ſubaudiendum σκιᾶς, vel ςοιχεῖς, quum duodecim pedum eſſet umbra. Græculus trechedipnus, & qui metuebat non adeſſe tempori, ſummo mane experrectus, lunam videt clarè luceſcentem, putat eſſe ſolem; ſurgit & ad lunam, tanquam ſi ſol eſſet, umbram metiens, ad cœnam pergit, cum ſol luceſcere commodùm inciperet. Putabat Scaliger δωδεκάποδα σκιᾶν ſignificare duodecimam diei horam, cum hora conſpicitur in duodecima linea. Quod multis modis falſum eſt, & ineptum. Dicit invitatum illum quemdam ad cœnam hora duodecima. Hæc hora diei ultima erat, cum jam ſol occideret. Immo lineam illam duodecimam vix ſol attingebat in horologiis. Hinc nec ultra undecimam Palladius metitur umbras, ſed horæ tantum primæ, & undecimæ meminit, nec duodecimam numerat. Si δωδεκάπους σκιὰ pro duodecima hora ſumenda eſt, quum hæc poſtrema ſit diei hora, poſt eam nulla jam erit umbra metienda. Quid igitur illi facies, qui apud alium Comicum vocatur ad cœnam, quum umbra menſuram viginti pedum habuerit? Sic enim Eubuli Comici verſus habent, qui apud Athenæum leguntur:

Εἰπόντος αὐτῷ τοῦ φίλου, ὁπηνίκ' ἂν
Εἴκοσι ποδῶν μετροῦντι τὸ ςοιχεῖον ᾖ
Ἥκειν.

Juxta Scaligeri interpretamentum εἴκοσι ποδῶν ςοιχεῖον de hora vigeſima fuerit accipiendum. Nam δωδεκάπους σκιὰ & δωδεκάπουν ςοιχεῖον idem. Pollux: τῇ σκιᾷ ἐτεκμαίροντο τὸν καιρὸν τῆς ἐπὶ τὸ δεῖπνον ὁδοῦ, ἣν καὶ ςοιχεῖον ἐκάλουν. Atqui duodecim tantum horæ in diem putabantur. Ut hinc prorſus liqueat, falſam eſſe expoſitionem, quæ δωδεκάποδα σκιὰν, duodecimam horam, & in duodecima linea conſpectam umbram pro eadem re computat, quaſi umbra tunc duodecim pedes habuerit. Ergo prima hora diei, & umbra conſpecta in prima linea, unum pedem tantum habuerit dimenſa. Quis neſcit contra ea longiſſimas eſſe umbras primæ horæ, & poſtremæ, ſexta autem hora, hoc eſt, meridie eaſdem cadere breviſſimas? Hinc Palladius in omnibus menſibus primæ horæ umbras pares facit umbris horæ undecimæ. Æquè falſum eſt, quod vir alter eruditiſſimus ἑξάπουν ςοιχεῖον apud Lucianum in Saturnalibus de ſexta hora, id eſt, meridie interpretatur. Quod ipſum quidem plus haberet rationis. Nam menſe Martio, & Octobri ſexta hora juxta Palladium

A pedum eſt quinque. Non minus tamen abſurdum eſt, ac ridiculum, utpote quod ex eadem erroris origine deſcendat. Perſuaſerunt ſibi viri maximi rationem illam veterum comicorum, quæ umbras pedibus metitur, in gnomonibus ſciothericis fuiſſe poſitam totam. Quo nihil fingi poteſt magis commenticium. Inde eorum alter lib. I. animadverſionum in Athenæum cap. I adnotat, quod poſterioribus Græcis, Latiniſque *hora* ſignificat, id priores, qui gnomonum ſciothericorum tantùm uſum habebant notum, σημεῖον & ςοιχεῖον dixiſſe. Contrarium planiſſi- B mè verum eſt. Priores Græci, Latinique, qui gnomonum, & ſciothericorum uſum non habebant, ςοιχεῖον, & σκιὰν tot pedum, ac σημεῖον dixere. At poſteriores horam ex gnomone, & ſciothericis horologiis obſervarunt. Quis ignorat horologia, & ſciothericos gnomones eorum fuiſſe temporum, quibus horas numerarunt? Soli pueri citra culpam poſſunt hæc neſcire. Tanti viri non excuſabiliter heîc peccarunt. Certè per ea tempora, quibus umbras pedibus metiebantur ad diei particulas deſignandas, ars gnomonica jam tum erat nota, ſed non ad eum uſum, ut horas inde colligerent, ac numerarent, quorum nomen C æquè tunc locorum inauditum fuit, quam horologiorum. Ex illis tamen gnomonicis inventis profecta videtur hæc ratio umbrarum metiendarum. Corporis ſui quiſque umbram propriis pedibus metiebatur, & ex ejus menſura colligebat, quota diei pars eſſet, & quantum ſol vel ad meridiem, vel ad occaſum progreſſus feciſſet, quantum à ſummo mane abeſſet, vel à veſpera. Poſt horarum, & horologiorum uſum repertum hæc eadem ratio manſit. Ex qua obſervatum eſt, quæ diei hora, quo menſe quot pedes umbræ jacularetur, ad modulum corporis menſurata propriis cujuſque pedibus. Palladius de R. R hujus obſerva- D tionis præcepta per ſingulos menſes accuratè tradidit, qua hora, quoque menſe umbræ tot pedes habere deberent. Hac methodo utebantur ruſtici, & quibus horologia longè erant. Fallitur, ſi quis exiſtimat hunc modum umbræ metiendæ ad gnomonem ſciotherici organi colligi ſolitum. Horas tantum numerabant, & quum primam lineam tangebat umbra, prima erat hora, quum ſecundam ſecunda, atque ita deinceps. Perſius:

---- *quinta jam linea tangitur umbra,*

id eſt, jam quinta eſt hora. Extant verſus Bedæ de ratione componendi horologii, quibus eadem metho- E dus umbræ per pedes metiundæ explicatur, ut à Palladio deſcripta eſt: & *lineas* vocat, quas Palladius *horas*. Certè nihil vetat & hujuſmodi horologium ita componi, ut gnomon in terra collocetur, ad hominis juſtam altitudinem, cujus gnomonis umbræ ad horas colligendas pedibus menſurari debeant: ut ex umbræ, vel lineæ menſura, quota ſit hora diei, poſſit ſciri. Ceterùm ita, ut dixi, umbram corporibus admetiebantur. Theodorus in epiſtola ad Theophilum: δεῖ σε τοιγαροῦν σημειοῦσθαι τὰς ὥρας μετροῦντα τὴν ἑαυτοῦ σκιὰν τοῖς ἰδίοις ποσὶν ἐν τῷ μεταλιθέναι ἕνα παρ' ἕνα πόδα, ἕως τοῦ πέπου ἔνθα ἔτυχε τὸ ἄκρον τῆς κεφαλῆς σου ἐν τῷ ἱστασθαί σε F ὀρθὸν καθαντῆσαν διὰ τῆς σκιᾶς. Nec eſt, quod quis objiciat fallacem hanc videri rationem: nam proceriora corpora longiores umbras mittere. Sanè, ſed iidem procerioris ſtaturæ hominis etiam pedes habent longiores, & qui breves ſunt, minus longos. Sic proportio ſervatur, & fides utique conſtat unicuique menſuræ, tam longioris, quàm puſillioris ſtatus hominum. Eadem proportione collegit olim Pythagoras, cujus proceritatis Hercules fuiſſet. Etenim comprehenſa menſura pedis ejus, quâ curriculum olympici ſtadii menſus fuerat, quanta corporis excelſitas ei menſuræ conveniret, ſecundum naturalem membrorum G inter ſe ſymmetriam, commentatus eſt. Et hæc notiſſima. Quod autem veteres auctores in mentione gnomonicorum σκιοθήρων umbræ incrementorum ſæpe meminerunt, non ex eo ſequitur incrementa illa, vel decrementa umbrarum in gnomonicis ὡρολογίοις ad pedem vulgo fuiſſe menſurata. Nec ςοιχεῖον ſtilus eſt gnomonis, ut perperam quidam interpretantur in iſtis loquutionibus Atticorum, ςοιχεῖον δεκάπουν, δωδεκάπουν,

πιω, ἑξάπουν; sed umbram significat, quam facit corpus in longum porrectam. Pollux στοιχεῖον & σκιὰν idem esse scribit. Quod si concedimus ex gnomone petitam illam metiendæ umbræ rationem, certa mensura factos semper illos gnomones oportet, & plures eodem modulo in urbe constitutos. De quo alii viderint. Nunc restat inquirendum, quando potissimum observari cœptæ sint horæ, & horologiorum usus sit proditus, tam in Græcia, quam Romæ. Utrumque sanè εὕρημα ab eadem origine dependet, eumdemque habet auctorem. Cui rei reperiundæ viam munivisse videtur antiqua diei æquinoctialis partitio in duodecim μέρη, quam Babylonii primi, vel Ægyptii astrologi instituerunt, quaque adeo Græci veteres usi sunt in explorandis multis astricæ scientiæ arcanis, quæ ex gnomonica ratione & umbris deprehendi datur. At posterius hoc horarum inventum diem omnem in duodecim horas divisit, æquinoctialem, brumalem, & solstitialem, & horologia fecit gnomonica horis illis duodecim in diem notandis per omnia anni tempora. Quæ ratio instituta est, non ut mathematicis usibus, ac demonstrationibus serviret, sed ut civilem, & negotiosam vitam, quam Græci πολιτικὴν vocant, his intervallis distingueret. Vitruvius capite, quo tractat de horologiorum ratione, & usu, atque eorum inventione, & inventoribus, primum veluti antiquissimum nominat auctorem Berosum Chaldæum, *qui hemicyclium excavatum è quadrato ad enclimaque succisum dicitur invenisse.* Post eum Aristarchi Samii meminit, qui scaphen, sive hemisphærium reperit: sequuntur alii, ut Eudoxus, Apollonius, & Scopas Syracusius, reliqui, qui partim iisdem fermè temporibus ætatem egerunt, partim posteriores Eudoxo fuere. Haud puto tamen ætatis rationem habuisse Vitruvium in ea dinumeratione facienda. Berosus Chaldæus astrologia clarus fuit. Is est, cujus meminit Plinius lib. VII. cap. XXXVII his verbis: *Variarum artium scientia innumerabiles enituere, quos tamen attingi par sit florem hominum libantibus: Astrologia Berosus, cui ob divinas prædictiones Athenienses publico in gymnasio statuam inaurata lingua statuere.* Legitur in Rigaltiano: *Astriga Beriosus.* Lege: *Astrica Berosus.* Et subintelligendum, *scientia.* Quod præcessit, ἡ ἀστρική. Hujus disciplinæ scholam in Coa insula aperuisse Berosum istum dicit Vitruvius. Primus Eudoxus astronomiam ab Ægypto Græcis suis intulit: at Berosus à Babyloniis suis in Græciam attulit τὴν γενεθλιαλογίαν. Si hic idem est cum eo Beroso, qui Βαβυλωνιακὰ scripsit, circa tempora Alexandri Magni vixisse certum est. Clemens Alexandrinus eum citat ἐν τοῖς Χαλδαϊκοῖς. Sacerdos fuit Beli, καὶ προφήτης. Certè & ἀστρολόγος, ut fere omnes fuere tam Ægyptii, quam Babylonii prophetæ, ac sacerdotes. Immo & quales Ægyptiis prophetæ, tales Assyriis Chaldæi, qui & astrologi. Clemens Stromateῶν lib. I de astrica philosophia, ac fatidica: Προέστησαν δὲ αὐτῆς Αἰγυπτίων δὲ οἱ προφῆται, καὶ Ἀσσυρίων οἱ Χαλδαῖοι, καὶ Γαλατῶν οἱ Δρυΐδαι. Hujus Berosi filiæ Sabbe nomine, quæ fatidica fuerit, & in numerum Sibyllarum à quibusdam relata, meminit Pausanias in Phocicis: παρὰ Ἑβραίοις τοῖς ὑπὲρ τῆς Παλαιστίνης γυνὴ χρησμολόγος, ὄνομα δὲ αὐτῇ Σάββη, Βηρώσου δὲ εἶναι πατρὸς, καὶ Ἐρυμάνθης μητρὸς φασὶ Σάββην. Οἱ δὲ αὐτὴν Βαβυλωνίαν, ἕτεροι δὲ Σίβυλλαν καλοῦσιν Αἰγυπτίαν. Interpres vir doctissimus hanc Berosi filiam Sabbam post Demo, quæ Cumis vaticinata est, fuisse exponit. Prava nimirum distinctio Græcorum Pausaniæ verborum in hunc errorem eum induxit. Sic enim vulgo legitur: ἐπεγράφη δὲ καὶ ὕστερον τῆς Δημοῦς παρὰ Ἑβραίοις τοῖς ὑπὲρ τῆς Παλαιστίνης. Verùm sic ea verba sunt interpungenda: Χρησμὸν δὲ οἱ Κυμαῖοι τῆς γυναικὸς ταύτης ἐς οὐδένα εἶχον ἀποδεῖξασθαι, λίθου δὲ ὑδρίαν ἐν Ἀπόλλωνος ἱερῷ δεικνύουσιν οὐ μεγάλην, τῆς Σιβύλλης ἐνταῦθα φάμενοι κεῖσθαι τὰ ὀστᾶ, ἐπεγράφη δὲ καὶ ὕστερον Δημοῦς. Παρὰ Ἑβραίοις τοῖς ὑπὲρ τῆς Παλαιστίνης. Cujus esset aut quo nomine Sibylla illa, quæ Cumis oracula dabat, inter veteres dubitatum est, aliis aliter sentientibus. Hyperochum Cumanum oriundo Cumanæ illi Sibyllæ Demo nomen fuisse tradere, dicit Pausanias. De quo tamen ipse an verum sit, dubitare videtur. Cumanos urnam ait ostendere in Apollinis templo, in qua dicerent ossa Sibyllæ sita. Huic urnæ postea inscriptum fuisse nomen Demo. Hic sensus illius loci. Nihil igitur habuit commune cum illa Demo Berosi filia, nec statim post eam vixisse, aut in numerum Sibyllarum recensitam esse dici potest. Justinus Martyr Sibyllam Babyloniam Berosi filiam eamdem cum Cumana vult fuisse, eamque è Babylonia Cumas Italiæ commigrasse nescio quo modo, atque ibi vaticinia fudisse. Quod si verum est, longè antiquissimus ille Berosus fuerit, & alius ab eo Beroso, qui Χαλδαϊκὰ sive Βαβυλωνιακὰ scripsit. Haud scio tamen, quam tuto in his credatur Justino Martyri. Quod si damus Berosum illum astrologum tanto antiquiorem fuisse Alexandri temporibus, certè horologium, quod ab eo inventum proditur, non ex eorum genere fuerit, quæ post horarum nomen, & usum vulgatum in notitiam venere, sed qualia vetustis Ægyptiis, & Babyloniis astrologis in usu fuere gnomonica, & sciotherica organa. Et sane hæc sæpe confundunt auctores, quod non oportuit. Si Berosus iste idem fuit cum historico, haud longe ab ejus ætate Aristarchus Samius, ut nec Eudoxus. Et sanè vix dubium est, quin idem fuerit. Sic horologiorum in Græcia inventio non longo tempore præcessit ætatem Alexandri Magni. Baton unus ex novæ Comœdiæ auctoribus, primus quod sciam, ὡρολόγιον nominavit:

---- ὥστε περιφέρειν
Ὡρολόγιον δόξει τις, οὐχὶ λήκυθον.

Non potest ex his versibus colligi, quod vir doctissimus conjicit, jam tum vulgata fuisse horologia viatoria, & pensilia, quorum meminit Vitruvius, quæ recentioris inventi esse constat. Sed nec satis scio, an apud Athenienses unquam recepta fuerit hæc observatio horarum, ex horologiis ad solem factis petenda. Certe si aliquando recepta illis est, sero admodum id contigisse oportet. Etenim Atticistæ scriptores medii ævi, quia nomen ὥρας veteribus Atticis eo sensu incognitum est, nunquam & ipsi diem per horas computant. Lucianus in *Saturnalibus* horam, qua eo die lavabant vulgo, non vulgari loquela expressit, sed veteri Attica: Νόμοι συμποτικοὶ, λούεσθαι μὲν ὁπότε ἑξάπουν τὸ στοιχεῖον ᾖ. Illud ἑξάπουν στοιχεῖον non est hora sexta, ut nec δωδεκάπουν στοιχεῖον hora duodecima, ut perperam persuasum hominibus eruditione præstantibus. Alioquin & εἴκοσι ποδῶν στοιχεῖον hora esset vicesima. Quod est absurdissimum. Sed ἑξάπουν στοιχεῖον veterum Atticorum utcunque respondet horæ quintæ, vel sextæ Romanorum, qua hora convivia tempestiva agitari vulgo solita, ut moris erat diebus festis, ac solemnibus. Juvenalis:

---- *quamvis solida hora supersit*
Ad sextam.

Tertullianus in Apologetico: *Saturnalibus non lavor diluculo, sed honesta, & salubri hora.* Legitimum cœnæ tempus apud Atticos erat, quum δεκάπουν, aut δωδεκάπουν esset στοιχεῖον. At diebus festis, quibus maturius solebant inire convivium, unde & *tempestiva convivia* appellata, τὸ ἑξάπουν στοιχεῖον observabant, aut ἑπτάπουν. Apud Hesychium ἑπτάπους σκιὰ ex aliquo Comico refertur. Valde tamen vaga, & incerta hæc ratio. Nam per singulos menses mutabat umbra, nec eadem mensura illi constabat solstitialibus, & brumalibus, vel æquinoctialibus diebus. Ut ut sit, certum tamen est ex more antiquo Attico Lucianum horam tempestivi convivii, & maturius iniri soliti ad ἑξάπουν στοιχεῖον posuisse, quia Romani vulgo discumbebant in ejusmodi conviviis proximè horam quintam, aut sextam. Hinc *convivia sumptuosa de die sumpta* apud Catullum. Et *de die epulari* apud Livium. Tempus designat ista loquutio, quod statim à sexta hora, vel meridie incipit. Quod etiam dicebant *de meridie.* Nam absolutè *diem* pro meridie dicebant, tunc enim maxime dies est. Sic *de nocte* pro de media nocte, vel statim post mediam noctem. *Surgere de nocte* apud Horatium. Censorinus: *tempus, quod mediæ nocti proximum est, vocatur de media nocte.* Sic *de medio die* tempus erat, quod meridiem proximè sequebatur: quod & absolutè *de die* dixere. Hora una ante lavabant quam

quam cœnam auſpicarentur. Qui nona convivium incipiebant, octava balneum capeſſebant. Ita qui ad ſextam cœnabant, ad quintam lavare moris habebant. Eam horam balnei τῷ ἑξάποδι ϛοιχείῳ, hoc eſt, umbræ ſex pedum reſpondere facit Lucianus. Sanè menſibus Martio & Octobri, qui non longe ab æquinoctiis, Palladius horæ quintæ ſex pedes tribuit. Decembri tamen menſe, quo Saturnalia celebrabantur, nulla hora diei ſex pedes habebat, ut conſtat ex Palladii ſingulorum menſium diagrammate. Verùm, ut dixi, ne ὥραν nominaret, παχυμερῶς ad rationem Atticam tempus illud accommodavit, quia & ipſi Attici veteres non exacta, nec admodum ſubtili metiendæ umbræ ratione utebantur, nondum obſervatis horis, ad quas methodum illam revocarent. Certè de linea ſciotherici amuſſii, vel umbra gnomonis neutiquam exponi poteſt illud ἑξάπουν ϛοιχεῖον Luciani. Lexiphanes apud eumdem in dialogo cognomine, ineptus Atticarum, & ab ultima antiquitate Attica jam exoletarum vocum aucupator, veritus ὡρολόγιον dicere, quia recens eſſet, πόλον pro eo nominat: καὶ γὰρ ὁ γνώμων σκιάζει μέσον πόλον. Ita vocat hemiſphærium, in quo gnomon oſtendebat horas. Quippe horologia eo tempore ad ejus inſtar omnia fiebant, quale ab Ariſtarcho Samio primum eſt factum, quod hemiſphærium, vel ſcaphium, vel ſcaphen à forma vocat Vitruvius. Πόλον profecto inepta antiquitatis affectatione pro hemiſphærio ſciotherici horologii vocatum eſſe ab illo Lexiphane palam facit Lucianus. Aliud quippe πόλος fuit veteribus Atticis, nec horæ ex eo captabantur, utcunque habuerit horologii formam, & gnomonem, & lineas, quibus diſcernebantur umbræ. Quid eſſet, ſatis ſupra docuimus. Notandum porro eſt Vitruvium inter inventores horologiorum, quos recenſet plures, nec Anaximeni locum illum dediſſe, nec Anaximandro, cum tamen Plinius ab hoc in Græcia primo horarum obſervationem proditam tradiderit lib. VII. cap. LX. *Tertius conſenſus fuit in horarum obſervatione, jam hinc ratione accedens. Quando, & à quo in Græcia reperta diximus ſecundo volumine.* Hoc dixit lib. II. cap. LXXVI, ubi Anaximenem Mileſium ait primum *horologium, quod appellant ſciothericon, Lacedæmone oſtendiſſe.* Atqui ſi ab Anaximandro, vel Anaximene reperta horarum in Græcia obſervatio, & horologii faciendi ratio, mirum eſt quidquid temporis fluxit ab eorum ætate uſque ad Alexandri mortem, totis ducentis viginti quatuor annis altiſſimum hujus rei apud ſcriptores omnes Græciæ ſilentium eſſe. Quorum nemo nec hujus horarum obſervationis uſpiam meminit, nec horologii, ſed nec horæ nomen pro diei particula uſurpavit. Apparet igitur Plinium, τὴν γνώμονα ἐπὶ σκιοθήρων, quem primus Anaximander, vel, ut aliis placet, Anaximenes ejus diſcipulus Lacedæmone conſtituit ad ſolſtitia, & æquinoctia deprehendenda, pro horologio perperam accepiſſe. Pergit Plinius docere, quando Romæ cœperit hæc eadem obſervatio, & horologiorum uſus: *Serius etiam hoc Romæ contigit. Duodecim tabulis ortus tantum & occaſus nominantur: poſt aliquot annos adjectus eſt & meridies, accenſo conſulum id pronuntiante, cum Curio inter Roſtra, & Græcoſtaſin proſpexiſſet talem ſolem.* Hæc corruptiſſima. Legitur in Rigaltiano: *cum auguria inter Roſtra, & Græcoſtaſin proſpexiſset ſolem.* Pronum eſt reſcribere: *quum ab curia inter Roſtra, & Græcoſtaſin proſpexiſſet ſolem.* Accenſus conſulum quum ab curia ſolem proſpiciebat inter Roſtra, & Græcoſtaſin, meridiem pronuntiabat: quia rudi illo ſæculo frequenti obſervatione exploratum fuerat, tum meridiem, ſive medium diei eſſe, quum ſol inter Roſtra & Græcoſtaſin radiatum lumen mittebat. Simili hodieque experimento in ædibus noſtris ſæpenumero meridiem eſſe conjectamus, quum per feneſtras ad certam lineam ſol infunditur. Turnebus etiam legebat *à curia*, ſed aliter diſtinguebat. Pravè ſcriptum in libris, *auguria* pro *ab curia.* Male in editis: *proſpexiſſet talem ſolem.* Illud *talem* libri damnant, & ſententia. Sequitur: *à columna ænea ad carcerem inclinato ſidere ſupremam pronuntiabat.* Iidem libri habent: *à columna*

A *Mænia, & pronuntiabit.* Lege: *à columna Mænia ad carcerem inclinato ſidere ſupremam pronuntiavit.* Perperam Turnebus diſtinguebat: *cum à curia inter Roſtra, & Græcoſtaſin proſpexiſſet ſolem à columna Mænia ad carcerem. Inclinato ſidere ſupremam pronuntiabat.* Ut accenſus, quum ſolem proſpexiſſet è curia inter Græcoſtaſin, & Roſtra, meridiem pronuntiabat, ita quum eumdem ſolem proſpexerat, à columna Mænia ad carcerem radios mittentem, quod fiebat inclinato jam ſidere, tum *ſupremam* pronuntiabat. *Suprema* igitur dicebatur ante ſolis occaſum. Juvenalis:

---- jam ſol inclinat, eundum eſt.

B Atqui in XII tabulis ſcriptum ſic erat: *Sol occaſus ſuprema tempeſtas eſto.* Ubi *ſuprema* de ſole, qui jam occidit, dicitur. Poſteri tamen non ita ſupremam acceperunt. Prætorius Tribunus plebis ſcitum facit, ut *Prætor Urbanus uſque ad ſupremam jus inter cives diceret.* In eo ſcito *ſupremam* dici acceperunt de ſole jam inclinato ad veſperam: eamque inclinationem ea tenus definierunt, quum ſol à columna Mænia ad carcerem radios jacularetur. Id ubi viderat accenſus, *ſupremam* pronuntiabat. Sic capiendus Plinius. Poſt ſupremam Cenſorinus ſequi facit *veſperam*, deinde *crepuſculum*, poſt crepuſculum, τὴν λυχναψίαν. Quod

C Græci dicunt, περὶ λύχνων ἁφὰς, *luminibus accenſis.* Suprema igitur illa reſpondebat nonæ horologiorum. Nam poſt nonam ſol inclinabat, & veſperaſcebat dies. Inter legitimas horas orationis jam à primis Eccleſiæ temporibus ἐννάτη & ἑσπέρα locum habuere. Canon XVIII. Concilii Laodicenſis: περὶ τοῦ τὴν αὐτὴν λειτουργίαν τῶν εὐχῶν πάντοτε, καὶ ἐν ταῖς ἐννάταις, καὶ ἐν ταῖς ἑσπέραις. *Eaſdem ſupplicationes orationum ad horam nonam, & veſperam oportere celebrari.* Ita vetus verſio. Sed de his alibi dicendi locus. Ita porro vixere Romani abſque ulla alia temporum diſcretione uſque ad primum Punicum bellum. Tunc enim primum horologia habere

D cœperunt. Incertum tamen quod antiquiſſimum fuerit. Idem Plinius: *princeps ſolarium horologium ſtatuiſſe ante duodecim annos quam cum Pyrrho bellatum eſt, ad ædem Quirini L. Papyrius curſor cum eam dedicaret à patre ſuo votam, à Fabio Veſtali proditur.* Sic legendus hic locus. Perperam legitur, *princeps Romanis.* Quod eſt ſuperfluum, nec libri agnoſcunt. Iidem ſcribunt: *ante undecim annos.* Forte ſcriptum erat, *ante III decim annos*, id eſt, ante tredecim. L. Papyrius curſor conſul fuit, & ædem Quirini dedicavit anno Urbis quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto.

E Tredecim annis poſt Romani cum Pyrrho bellaverunt. Eo igitur anno primum horologium videre. Quod tamen ipſum non indubitatæ, conſtantiſque fidei. Addit itaque Plinius fidem Fabii Veſtalis elevans: *Sed neque facti horologii rationem, vel artificem ſignificat, nec unde tranſlatum ſit, aut apud quem ſcriptum invenerit.* Sed nec de loco conſtabat, in quo ſtatutum fuerat. Cenſorinus: *Sed hoc credo Romæ poſt reperta ſolaria obſervatum: quorum antiquiſſimum quod fuerit, inventu difficile eſt. Alii enim apud ædem Quirini primum ſtatutum dicunt, alii in Capitolio, nonnulli ad ædem Dianæ in Aventino.* At illud, de quo inter omnes convenit,

F in foro ſtatutum eſt ad Roſtra, & in columna poſitum, deportatumque è Catina Siciliæ expugnata à M. Valerio, anno Urbis CCCCLXXXXI. Sic ſcribi debet in Plinio, ubi habetur, CCCCLXXVII. Cenſorinus: *Illud ſatis conſtat nullum in foro prius fuiſſe quam id quod M. Valerius ex Sicilia advectum ad Roſtra in columna poſuit.* Intelligit non primum hoc horologium Romæ fuiſſe viſum, ſed primum in foro poſitum. At Varro apud Plinium ſentire videtur, iſtud primum Romæ in publico ſtatutum: *M. Varro primum ſtatutum in publico ſecundum Roſtra in columna tradit bello Punico primo, à M. Valerio Meſſala conſule Catina capta in Sicilia, deportatum*

G *inde poſt XXX annos quam de Papyriano horologio traditur.* Quaſi traditio illa de Papyriano incerta, aut falſa fuerit. Scribunt ſtatim libri: *nec congruebat ad horas ejus linea: patuerunt tamen ei annos undecentum.* Sanè quia ad clima Siciliæ deſcriptum erat, ad horas Romæ convenire non poterat. Cenſorinus: *quod quum ad clima Siciliæ deſcriptum ad horas Romæ non conveniret, L. Philippus cenſor aliud juxta conſtituit.* Legebam aliquando *diſcriptum*,

ut horologia discribi dicantur, propter lineas. Ita *discriptiones* sunt διαγράμματα. Græci tamen καταγράφεσθαι horologia dicunt, quod ad verbum est *describi.* Cleomedes: καταγράφεται τοίνυν τὰ ὡρολόγια ἐπὶ τῆς γῆς ὑπὸ τῶν τεχνικῶν. Et paulo post: ἐπεὶ οὖν μηδέν ἐστιν ὡρολόγιον δυνάμενον καταγράφεσθαι ἐν τῷ μεσαιτάτῳ αὐτῷ. Vitruvius lib. IX. cap. VIII de horologio: *cum hoc ita descriptum sit, & explicatum, sive per hibernas lineas, sive per æstivas.* Ceterum de hoc horologio Siculo, quod Romæ primum in foro statutum est, videtur explicandus Plautus in Comœdia *Bœotia*, his versibus, quibus loquentem inducit parasitum edacem, & esurientem, cujus ventri incommodabat illa horarum observatio:

Ut illum Di perdant, primus qui horas repperit,
Quique adeo primus statuit hic solarium,
Qui mihi comminuit misero articulatim diem.
Nam me puero venter hic erat solarium
Multum omnium istorum optumum ac verissumum.
Ibi iste monebat esse, nisi cum nihil erat,
Nunc etiam quod est, non estur nisi soli lubet.
Itaque jam oppletum est oppidum solariis
Major pars populi aridi reptant fame.

Βοιωτίαν scripserat Antiphanes, quam Plautus vertit, vel quisquis auctor illius fabulæ. Nam Aquilii esse quidam dicebant. Varro eam Plauto vindicavit. An in Βοιωτίᾳ Antiphanis hæc eadem parasiti querimonia super horologiorum inventione fuerit, nescio. Inde colligi posset horologia in Græcia reperta fuisse ipsius Antiphanis ætate. Sed verius fortasse est, Plautum ῥῆσιν illam parasiti contra horas, & horologia queritantis palliatæ fabulæ adtexuisse ex temporum suorum usu, & novitio illo invento. Sanè convenit tempus. Dicit ille parasitus se puero nullum fuisse solarium, cui parendum esset, præter ventrem. Plautus in scena floruit, scripsitque initio secundi belli Punici, circiter annum Urbis quingentesimum trigesimum quintum. Primum horologium Romæ in foro positum esse consentiunt auctores anno post Urbem conditam quadringentesimo nonagesimo nono, idque anno fermè post bellum cœptum adversum Pœnos primum. Sed quod ibi ait ille parasitus oppidum jam tum oppletum fuisse solariis, haud satis video quomodo sit accipiendum. Certè si de Urbe Roma loquitur, falsum dicit. Nam per eam ætatem unicum fuit Romæ horologium, quod ex Sicilia advectum est, cui & paruisse Romanos scribit Plinius, quamvis facto ad inclinationem Siculi cæli, usque ad annum Urbis quingentesimum nonagesimum, per annos scilicet undecentum. Tum M. Philippus, qui cum L. Paulo censor fuit, aliud diligentius ordinatum juxta posuit. Ac deinceps censorii muneris pars una hæc extitit horologiorum ordinatio. Hæc paulo longius ab ætate Plauti dissita sunt, nec amplius in vivis erat, quum duo illa horologia Romæ in foro constituta visebantur. Sed parasiticam personam cogitanti, qui deridiculi causa omnia exaggerat, mirum non videbitur, hæc de pluribus horologiis conquestio, cum unicum tantum esset in urbe. Nisi quis contendat hoc idem in Antiphane fuisse, idque ad verbum Plautum latine reddidisse, & proinde oppidum de Athenis intelligendum esse. Quod non fit mihi verisimile. Antiphanem quidam adscribunt poëtis antiquæ Comœdiæ. Certè post nonagesimam octavam olympiadem fabulas in scena dictasse dicitur. At eo tempore certum est nondum repertam horarum observationem, nec horologiorum usum fuisse notum. Plautus eo loco ejusdem auctoris facit horas & horologia reperta.

Ut illum Di perdant, primus qui horas repperit,
Quique adeo primus statuit heic solarium.

Hoc innuit, qui horas repperit, hunc eumdem ad eas metiendas, ac numerandas, notandasque horologia repperisse. Censorinus: *in horas duodecim divisum esse diem, noctemque in totidem vulgo notum est. Sed hoc credo Romæ post reperta solaria observatum.* Planè dicit, horarum hanc divisionem post reperta solaria Romæ demum observari cœptam. An hoc vult etiam Romæ natam hanc horarum appellationem? Certè ex Græciæ scriptoribus, qui nomen horarum sic sumpserint, haud alios ferme reperias, præter eos, qui Romanis temporibus non antiquissimis scripserunt, quique ex Romana consuetudine id mutuati sunt. Nam ex medii etiam ævi auctoribus Græcis, qui purius loquuntur, & Atticissant, nomen *horæ* in hoc significatu quasi recentius cane pejus & angue vitarunt. Sed quoniam primum horologium, quo usi sunt Romani è Sicilia advectum fuisse constat, sanè & indidem sumptam oportet horarum appellationem, ac diei in horas divisionem. Ergo utrumque à Siculis habuerint Romani. Sic nomina nummorum, & pondera ab iisdem Siculis sumpserunt, non ab aliis Grecis. Ut alia omittam, vocem *libræ*, τῆς λίτρας à Siculis acceptam, iidem Romani posterioribus Græcis tradiderunt. Siculi obolum λίτραν vocabant, Romani, qui Aborigines suos Æoles sequebantur, τ in π mutantes primo dixerunt *lipram*, deinde *libram.* Et quia eorum oboli, sive asses primo fuere libriles, hinc postea de illo pondere eam vocem usurparunt. A quibus acceperunt Græci omnes, qui λίτραν eo sensu posuerunt, quæ Græcis antiquioribus æque inaudita est ac vocabulum ὥρα de certa diei parte. Non puto tamen hoc τῶν ὡρολογίων inventum Siculis adscribi debere, sed nec τῶν ὡρῶν appellationem apud illos primum esse natam. Quæcunque in Sicilia facta sunt horologia, non antiquiorem Archimede habuisse auctorem fides est certa. Nam Scopas, vel Scopinas Syracusius, qui illud discripsisse dicitur, quod in Circo Flaminio positum est, longè posterior fuit. At in reliqua Græcia multi Archimede antiquiores extitere ὡρολογίων inventores, ut ex his, quæ supra notavimus, liquido probatum est. Addit ibidem Censorinus: *Horarum nomen non minus annos* CCC *Romæ ignoratum esse credibile est. Nam duodecim tabulis nusquam nominatas horas invenies, ut in aliis postea legibus, sed* ANTE MERIDIEM. Atqui vel eo ipso teste verum est, plus quam quadringentos & quinquaginta annos nomen horarum Romæ fuisse ignoratum. Nam si horarum observatio, & appellatio cum horologiis Romam primitus intravit, sanè usque ad id locorum, quo horologium primum viderunt, nomen etiam horarum ignorarunt. Id autem contigisse constat, ut etiam Papyriano fides habeatur, non ante annum ab Urbe condita quadringentesimum sexagesimum primum. Sic plus quam quadringentos quinquaginta annos, & horarum appellatione, & horologiis caruere. Legendum itaque fuerit apud Censorinum, *non minus annos* CCCCL *Romæ ignoratum esse credibile est.* Vel etiam CCCCLX. Quod ad Græciam attinet, certo pronuntiare posse videmur, horarum apud illos observationem, & horologiorum inventionem non multò antecessisse Alexandri Macedonis ætatem, nec vulgo tamen ab omnibus Græciæ populis nisi sero receptam fuisse. Jam alia restat amolienda, & evincenda difficultas, quæ huic assertioni opposita posset eam facere minus veram videri. Oritur illa ex verbis Diogenis Laërtii, scribentis Anaximandrum Lacedæmone statuisse gnomonem, qui æquinoctia, & solstitia ostenderet, sed & ὡροσκόπια eumdem construxisse: καὶ ὡροσκόπια κατεσκεύασε, καὶ γῆς καὶ θαλάσσης περίμετρον πρῶτος ἔγραψεν, ἀλλὰ καὶ σφαῖραν κατεσκεύασεν. Plinius ὡροσκόπια de horologiis accipit gnomonicis, in quibus inspiciuntur horæ, & vasa vocat *horoscopa* lib. II. *Qua de causa ad oceanum navigantes, quamvis brevissimo die vincunt spatia nocturnæ navigationis, ut solem ipsum comitantes, vasaque horoscopa non ubique eadem sunt usui in trecentis stadiis, aut ut longissimè in quingentis mutantibus semet solis umbris.* Ita hæc continuanda sunt, quæ perperam in editis diducta leguntur sectione capitis. *Vasa horoscopa* appellat τὰ ὡροσκόπια. Et vasa quidem vocat, quia erant ad instar vasis concava, utpote scaphiis, sive σκάφαις similia. Unde & *scaphia* Martiano Capellæ: *Scaphia*, inquit, *dicuntur rotunda ex ære vasa, quæ horarum ductus,* &c. Idem & *horoscopa* ibidem vocat, ubi Plinii locum imitatur: *denique ipsa vasa, quæ horoscopa, vel horologica memorantur, pro locorum diversitatibus immutata componuntur, alioque gnomone ultra quingenta stadia discernuntur umbris, pro polorum aut elationibus celsis, aut inclinationibus infimatis.* Ita distinguendum, ac legendum. Ut vasa horologica sunt τὰ ὡρολόγια, sic horoscopa vasa τὰ ὡροσκόπια. Tertullianus, qui Plinium diligenter lecti-

citarat, *horoſcopa* ſimiliter appellat τὰ ὡρολόγια, ut ante biennium ad Pallium ejus docuimus, ubi *araneorum horoſcopa* eleganter vocitavit telas araneorum multis liciis, ac filis à centro ductis, ad circumferentiam diſtinctas, quia ad hanc formam lineis plurifariam ductis à medio, ubi eſt gnomon, deſcripta ſunt horoſcopa vaſa. Cercoëtio reſtim, & clavum mandamus, qui certiſſimam emendationem noſtram ratione ipſa, & auctoritate librorum confirmatam conatus eſt infirmare, & infamare. Male in ſcriptis Plinii exemplaribus *horoſpica vaſa* vocantur. Fortaſſe ſcripſerat, *horoſcopica*, τὰ ὡροσκοπικά, ut τὰ ὡρολογικὰ σκεύη. Igitur, ſi ὡροσκόπια illa, quæ Anaximander compoſuiſſe dicitur, pro horologiis accipimus, cui dubium erit, quin horarum obſervatio, & horologiorum uſus jam tum in Græcia fuerit Anaximandri temporibus? Idem ergo quoque Anaximander, qui gnomonem primus invenit, horologiorum etiam inventor extiterit primus. Σκιόθηρα tamen, & ὡροσκόπια diſtinguit Laërtius. Quare ſi σκιόθηρα de ſciothericis horologiis interpretamur, ut fecit Plinius, aliud erunt ὡροσκόπια. Profecto propter illa σκιόθηρα, in quibus erexiſſe gnomonem traditur Anaximander ad ſolſtitia ſignificanda, etiam ὡροσκόπια de horologiis ideo videntur expoſuiſſe quidam. Atqui ὡροσκόπια Græci non horologia propriè vocarunt, ſed ea inſtrumenta, quibus horoſcopus deprehenditur, qualiacunque ſint illa, aut cujuſcumque generis. Sextus Empiricus lib. v, adverſus aſtrologos: δεύτερον δὲ τὸ διασημαίνον ταύτην ὡροσκόπιον ἀπλανὲς ὑπάρχειν. Et paulo poſt: οὔτε τὸ ὡροσκόπιον ἀπλανὲς καθέστηκεν, οὔτε τὸ ἀνίσχον ζώδιον πρὸς ἀκρίβειαν καταλαμβάνεται. Hephæſtion lib. II capite περὶ μοίρας ὡροσκοπούσης, aſtrolabum vocat ὡροσκόπιον, quo horoſcopum ſpeculabantur: μόνης μὲν ὡς ἐπίπαν τῆς δι' ἀστρολάβων ὡροσκοπίων κατ' αὐτὴν τὴν ἔκπεξιν διοπτεύσεως τοῖς ἐπιστημονικῶς παρατηροῦσι τὸ λεπτὸν τῆς ὥρας ἀπολαβεῖν δυναμένης. Alia omnia horoſcopia præter aſtrolabum improbat. Τῶν δὲ ἄλλων ἁπάντων ὡροσκοπίων οἷς οἱ πλεῖστοι τῶν ἐπιμελεστέρων προσέχουσι πολλαχῆ διαψεύδεσθαι τῆς ἀληθείας δυναμένων. Inter ea quæ fallere poſſunt, ac mentiri horoſcopia, quæque minime adeo probat, τὰ ἡλιακὰ numerat, & ὑδραγώγια. Vocat ἡλιακὰ ſolaria, & σκιόθηρα, ſive gnomonica horoſcopia: τῶν μὲν ἡλιακῶν παρὰ τὰς τῶν θέσεων καὶ τῶν γνωμόνων ἐπισυμπιπτούσας διαστροφάς, τῶν δὲ ὑδραγωγιῶν παρὰ τὰς τῆς ῥύσεως τοῦ ὕδατος ὑπὸ διαφόρων αἰτιῶν τυχὸν ἐποχάς τε καὶ ἀνωμαλίας. Ea ſunt horoſcopia, per quæ ſolis motibus de die attendebant mathematici, quorum & meminit Sextus Empiricus libro, quo ſupra, his verbis: ὁ δὲ ἀκούσας, καὶ αὐτὸς παρεσημειοῦτο τὸ ἀνίσχον ζώδιον ὡς ὡροσκοποῦν. Μεθ' ἡμέραν δὲ τοῖς ὡροσκοπίοις προσεῖχε καὶ ταῖς τοῦ ἡλίου κινήσεσι. Meminit & τῶν ὑδραγωγιῶν eodem libro. Vide & Ptolemæum Tetrabibli lib. III. cap. II: à quo ſumpſit illa Hephæſtion. Ex his conſtat ὡροσκόπιον ab horoſcopo dici inſtrumentum quodcunque, vel methodum ſpeculandi, ac deprehendendi horoſcopi. Cui rei quum & gnomonica vaſa interdiu ſerviant, etiam ὡροσκόπια propterea dici queant, non ab horis inſpiciendis. Nam & aſtrolabus ὡροσκόπιον eſt. Sed aliquis heic inferet, etiamſi ὡροσκόπια de horoſcopi inſtrumentis intelligamus, nihilo ſecius inde conſtaturum horarum nomen cognitum fuiſſe ætate Anaximandri. Utcumque enim ὡροσκόπιον ab horoſcopo deducatur, certe horoſcopus ipſe ἀπὸ τῆς ὥρας dicitur, ab hora ſcilicet naſcendi. Sed quodcunque ſit, certiſſimum eſt Anaximandri ævo τῆς ὥρας nomen de diei particula uſitatum non fuiſſe. Profecto ὡροσκόπος ἀπὸ τῆς ὥρας dicitur, ſed ὥρα in eo nomine non horam ſignificat, ſed τὸν χρόνον τῆς ἀποτέξεως, nativitatis tempus. Ita hanc vocem veteres quique uſurparunt:

Ὥρη ἐρᾶν, ὥρη δὲ γαμεῖν, ὥρη τε πεπαῦσθαι.

Et in illis paſſim apud auctores, ὥρα σοι λέγειν, ὥρα σοι ποιεῖν, *tempus eſt ut dicas, ut facias.* Et μεθ' ἱκανὴν ὥραν, poſt aliquod tempus, & apud Matthæum ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ, in illo momento. Græci τὸν ὡροσκόπον interpretantur τὸ μέρος τὸ τὴν ὥραν ἐπισκοποῦν, ὅτε τις εἰς φῶς ἐξήει. Qua in definitione τὴν ὥραν accipiendum, non de hora, hoc eſt, tempore diei finito, ſed abſolutè de tempore, ac momento, quo quis in lucem exit. Qua in re non horam, hoc eſt, diei partem duodecimam, vel noctis con-

A ſiderabant, ſed τὸ λεπτὸν τῆς ὥρας, momentum ipſum, atque τὴν τοῦ χρόνου στιγμήν, *temporis punctum.* Hac in voce accidit idem, quod penes recentiores Græcos in dictione χρόνος, ut illam, quum indefinitè tempus ſignificaret, pro certa diei, vel noctis parte poſuerunt: ita & χρόνον ejuſdem ſignificationis quum eſſet, de certa, ac definita temporis portione ſumpſerunt, quæ anno conficitur. Hinc χρόνον pro anno dixere. Sic ἓξ χρόνοι ſunt ſex anni, & ſimilia. Hæc nota ſunt. Ὥρα igitur in dictione ὡροσκόπος τὸν χρόνον ſignificat, non horam, ſed temporis momentum. Ergo fallitur, ſi quis ex eo parat argutari veteribus horas fuiſſe cognitas, quod ὡροσκόπον aſtrologi

B appellarunt, partem eam zodiaci tantum quod aſcendentem, ac eo momento, quo aliquis in lucem exiret, & alvum matris liberaret. Nec obſtat quod recentiores *horam* abſolute pro horoſcopo uſurparunt. Perſius:

---- *ſeu nota fidelibus hora*
Dividit in Geminos concordia fata duorum.

Ubi *hora* eſt horoſcopus. Hoc ſenſu ſæpe ſumitur & apud Firmicum lib. III. cap. VI. *Et luna in alio cardine plena luminibus Martem reſpexerit, id eſt, aut in hora poſita, aut in* MC. Ita enim vetuſtiſſimus liber. Nam vulgo eſt: *aut in horoſcopo poſita.* Sed & alibi idem *horam* pro horoſcopo dicit. Hinc *horam* hodieque bonam fortunam,

C & proſperitatem dicimus, quia ab horoſcopo fatum hominis totum pendere ſibi perſuadebant. Inde & *bonam horam*, & *malam horam* tralaticiis loquutionibus terimus. Nihil inquam hæc impediunt, quo minus τὴν ὥραν veteres aſtrologi pro tempore intellexerint in hac voce ὡροσκόπος. Nam & hora temporis eſt particula. Et quacunque diei, vel noctis hora naſci neceſſe eſt, quorum naſcentiæ tempus pars aliqua ſigni exoriens inſpicit, ac moderatur. Sic *horam* etiam pro tempore Latini ſumpſerunt. Perſius: *fugit hora.* Sextus Empiricus τὸν ὡροσκόπον ſic exponit: ὡροσκόπος μὲν οὖν ἐστὶν ὅπερ ἔτυχεν ἀνίσχειν καθ' ὃν χρόνον ἡ γένεσις συνεπλέετο. Cum τὸν ὡροσκόπον genere maſculo ſemper enuntient, aliquid ſubau-

D diendum eſt. Perſius:

---- *geminos horoſcope varo*
Producis genio.

Ὦ ὡροσκόπε. Oppoſitum κέντρον vocatur τὸ δῦνον, & ſubintelligitur ζώδιον. Horoſcopus eſt, qui tempus nativitatis deſpectat. Quis ille? Deus, an Dea? ſidus, an ſtella? An ἀστὴρ ὡροσκόπος; Manilius *aſtrum naſcens*, & *aſtrum* ſimpliciter vocat τὸν ὡροσκόπον. Et alio loco *ſidus:*

---- *cæli naſcentis ab hora*
Sidere, quem memorant horoſcopon.

E Ubi notat Scaliger Manilio definiri horoſcopum *horam cæli naſcentis*, τὸ ζώδιον autem ὡροσκοποῦν *ſidus horæ cæli naſcentis.* Falſa hæc diſtinctio. *Sidus horæ naſcentis* ὡροσκόπον plane definit, quod & alibi *aſtrum*, & *naſcens aſtrum* appellat, hoc eſt, ζώδιον ὡροσκοποῦν. Manilio igitur *aſtrum*, & *ſidus* τὸ ζώδιον appellatur. Pars ſigni, quæ emergit aliquo naſcente, hæc μοῖρα ὡροσκοποῦσα, & ζώδιον ὡροσκοποῦν, & uno verbo dicitur ὡροσκόπος. Non poteſt igitur ſubaudiri ἀστήρ. Nam aliud aſtrum, vel ſidus, hoc eſt, ζώδιον, aliud ἀστήρ, ſive ſtella. In ea parte, quæ horoſcopum facit, hoc eſt, in illo ipſo cardine,

F qui horoſcopos dicitur, ſtella ſæpe aliqua conſtituta invenitur. Nam cujuſque ſigni partes omnes ſingulis ſtellis diviſas veluti proprias aſſignarunt, & eas partes ὅρια vocarunt, hoc eſt, *ſtellarum fines.* Exempli gratia. Arietis ſignum in tricenas partes dividitur. Ex his tricenis partibus juxta Ptolemæum Iovi ſex attribuuntur, Veneri octo, Mercurio ſeptem, Marti quinque, Saturno quatuor. Dorotheus aliter eas aſſignavit his verſibus:

Ἓξ δ' ὅρια ἐπέχει μοίρας Φαέθων ἐνὶ τούτῳ

G Τὰς πρώτας, μετέπειτα δ' ἴσας λάχεν ἡ Κυθέρεια,
Ὀκτὼ δὲ στίλβων τελέστο, πυρόεις δέ τε πέντε
Τὰς δ' ὑπολειπομένας ἔλαχεν φαίνων ἴσα θύρῳ.

Atque ita de ceteris. Non enim hæc tractamus. Hæc cum ita ſint, ſtella tamen horoſcopans non dicitur, ſed in horoſcopo conſtituta, aut inventa. Aliud igitur ὡροσκόπος, aliud ſtella, quæ in horoſcopi parte, vel cardine invenitur. Non igitur ὡροσκόπος ἀστὴρ intelligendus. Certè horoſcopus locus eſt primus è duodecim, quorum poteſtates deſcribunt mathematici. An

igitur τόπος subintelligendus? Vix puto. Nam primo illo loco constitutus ab iisdem dicitur horoscopus. Ut apud Firmicum: *primus est locus, id est, illa pars, in qua est horoscopus constitutus. In hoc loco vita & spiritus hominum continetur.* Hæc est μοῖρα ὡροσκοποῦσα, in qua est ὡροσκόπος. Huic nomen cum imposuere γενεθλιακοὶ apud Græcos vetustissimi auctores, puto eos, aut θεὸν, aut δεκανὸν intellexisse. Quod ut melius noscatur, sciendum est uniuscujusque signi partes tricenas in tres decurias, ac tres decanos fuisse antiquitus ab hujus artis peritis contributas. Tribus prioribus decem partibus unus decanus præerat, qui & primus decanus dicebatur: tribus sequentibus, secundus: tribus postremis, tertius. Hephæstion: ἔτι δὲ καὶ ἑκάστου ζωδίου τρεῖς ἀφώρισαν δεκανοὺς κατὰ δεκαμοιριαῖον διάστημα. Quicunque igitur nasceretur, aliqua signi parte exoriente, necesse erat eum ex tribus his decanis aliquem pro horoscopo habere. Nam qui nascebatur ascendente aliqua de primis decem partibus, primum utique δεκανὸν habebat ὡροσκοποῦντα: qui in sequentium aliqua, secundum: qui in reliquarum una, tertium. Idem Hephæstion de arietis decanis; Καὶ ἔστιν ὁ μὲν πρῶτος χοντάρε, ὁ δὲ δεύτερος χονταχρέ, ὁ τρίτος σικέτ. Τοὺς μὲν ἔχοντας ὡροσκοποῦντα τὸν πρῶτον δεκανὸν δυσγαμεῖν ἐν τῇ πρώτῃ ἡλικίᾳ, &c. Τοὺς δὲ τὸν δεύτερον ἔχοντας ὡροσκοποῦντα, πλουσίως μὲν τραφήσεσθαι, &c. Τὸν δὲ τρίτον ἔχοντας ὡροσκοποῦντα, κακοπαθεῖν, καὶ ξενιτεύειν. Sic per denas signi partes unus decanus valet, ac potestatem habet. Nemo autem nascitur, quocunque tempore, aut quacunque signi parte surgente in lucem exeat, quin aliquem habeat δεκανὸν ὡροσκοποῦντα. Locus etiam fuit horoscopi inter duo signa, quod vocarunt μεσεμβόλημα, interstitium. Hunc locum qui pro horoscopo haberet, is ab omni parte infelix censebatur. Idem: τὸ δὲ μεταξὺ κριοῦ καὶ ταύρου, ὅπερ καλεῖται μεσεμβόλημα, εἴ τις ἔχει ὡροσκοποῦν, οὗτος ἄλαλος, καὶ κωφὸς, καὶ ἄσημος τελευτήσει ἐπὶ αὐτῶν κλιμακτήρων τῶν τοῦ τρίτου δεκανοῦ τοῦ κριοῦ. Et ita in aliis: ταύρου τὸ μεσεμβόλημα καὶ διδύμων ὁ ἔχων τὸν ὡροσκόπον, ἐν τούτῳ ἕξει δύο φύσεις, ἄσπερμος, ἀπρεπὴς, καὶ τοῖς μέλεσιν ἄπλαστος, καὶ ἀειδής. Reliqua omitto. Ita quidem Hephæstion, sed aliter Firmicus. Nec enim totas denas partes in unoquoque signo à singulis decanis facit possideri, sed quasdam ex iis *plenas* appellat, in quibus inveniuntur decani, quasdam vacuas, ad quas nunquam accedunt. Exemplum petamus ab arietis signo, ut ante. Ex tricenis ejus partibus tres primæ vacuæ sunt, quinque sequentes à primo decano *Asican* possidentur. Novem deinde sequuntur vacuæ. Quatuor proximæ plenæ sunt eas obtinente secundo decano *Senacher*: Quinque sequentes iterum vacuæ. Quatuor postremas implet tertius decanus nomine *Sentacher*. Sic in ceteris signis, quæ sint partes vacuæ, quæ plenæ ostendit. Verba ipsius Firmici sic legenda sunt: *Sed cum sint in singulis signis terni decani, non in omnibus triginta partibus eorum est numen constitutum, sed per singula signa terni decani quasdam partes possident, quasdam vero relinquunt. Plenæ sunt itaque partes, in quibus decani fuerint inventi, vacuæ vero, ad quas nunquam decanorum numen accedit.* Editur vulgo: *ad quas nunquam decanorum numerus accedit.* In scripto codice legitur, *numerum.* Unde fecimus *numen.* Hephæstion, ut vidimus supra, nullas omnino partes à decanis vacuas in singulis signis agnoscit, præter τὰ μεσεμβολήματα, in quibus nulli inveniuntur decani, qui nomen suum, ac potestatem exerant. Ideo qui horoscopum habent in illis partibus, undequaque infortunati existunt corporis & animi bonis. Ita vocat signorum interstitia, quæ *intersignia* liceat vocare. Ut *intermetium* est locus inter metas: *intercolumnium* spatium inter duas columnas: sic τὸ μεσεμβόλημα, vel intersignium locus est inter duo signa. Præterea alia nomina suis decanis ponit Hephæstion, alia Firmicus. Postremo Hephæstion κατὰ δεκαμοιριαῖον διάστημα singulis decanis potestatem, & locum assignat, unde & decani vocati. Firmicus ternos quidem decanos in singulis signis statuit, sed non justè per denas quasque partes eorum officia distribuit. Ecce enim in ariete ubi demonstrat, quæ partes illius signi vacuæ sint, quæ plenæ, tres priores partes vacuas, & nudas decano constituit, quinque sequentes decano assignat. Hæ sunt novem partes. Quæ sequitur, iterum vacua est cum aliis octo proximis. Sic in decima parte nullus est decanus constitutus, nec ullum numen, aut potestatem ibi habet, utpote ubi nunquam inveniatur. In aliis signis eamdem partium turbationem deprehendes. Nam in Geminis octavam, nonam, decimam, undecimam, duodecimam & decimam partes, primo decano plenas assignat. Et sic in aliis hæc confundit. Atqui dixerat idem lib. II in singulis signis ternos esse decanos, *quorum singuli ex triginta partibus denas possident partes, & Dominum suum & potestatem in decem partes exerunt.* Sic diversorum sententias auctorum non discrevisse videtur, atque aliam alibi sequutus esse. Vide apud Scaligerum Tabulam, in qua monomœriarum ascendentes in singulis signis cum significationibus, & decanis suis Ægyptiacis exhibuit. Illa enim monomœriarum doctrina plane consentanea est iis, quæ Hephæstion scripsit. Nomina tamen decanorum è Firmico sumpsit, quæ alia sunt apud Hephæstionem nostrum. Manilius in decima quaque parte signi decanon agere, & potestatem habere canit hoc versu, qui in vulgatis insignitè depravatus est:

Quin parte in decima dixere decanon agentem,
A numero nomen positum est, quod partibus astra
Condita tricenis triplici sub sorte feruntur.

Corruptissime hodie legitur priore versu:

Quam partem decimam dixere Decania gentes.

Quod nemo explicare queat, nec dicere quid sit. Ut emendavimus, hoc significat per denas quasque signi partes singulos agere decanos, & in decima quaque parte numen exerere. Singulis porro decanis terna etiam numina attribuerunt, quos appellarunt λειτουργοὺς, id est, munifices. Sic legendum apud Firmicum lib. II. *Terna numina decanis singulis applicarunt, quos munifices appellandos esse voluerunt, hoc est, liturgos.* Male editur, *synergos.* Glossæ: λειτουργὸς, *munifex.* Frustrà συνεργοὺς Scaliger autumat dictos. Hos novem munifices, sive liturgos deos, quos in singulis signis constituebant, rursus per infinitas alias numinum potestates diviserunt. Sic nulla pars signi Deo suo vacabat. Sic in quacunque signi parte exoriente Deus aliquis, sive decanus constitutus, in illo puncto nascentium tempus inspectare credebatur, & vitam, fortunasque constituere. Quin & decani ipsi Dei dicebantur. *Numen decanorum* passim apud Firmicum. Sed & idem Deum interpretatur decanum lib. IV. cap. XVI his verbis, quæ sic ex vetere codice legenda sunt: *Sic & Nekepso Ægypti justissimus Imperator, & astrologus valde bonus per ipsos decanos omnia vitia, valetudinesque collegit, ostendens quam valetudinem quis decanus efficeret, & quia natura alia à natura vincitur, & quia Deum frequenter alius Deus vincit, ex contrariis ideo naturis, contrariisque potestatibus omnium ægritudinum medelas divinæ rationis magisteriis invenit. Triginta sex itaque decani omnem zodiaci possident circulum, ac per duodecim signorum numerum iste Deorum numerus, id est, decanorum dividitur.* Hephæstion quoque τοὺς δεκανοὺς ubique θεοὺς appellat. Deus igitur, hoc est, decanus appellatus est ὡροσκόπος, qui nascentiæ præerat. Atque is dictus est ὡροσκόπος, quod nativitatis tempus inspiceret. Ita & homo ὡροσκόπος dicitur, qui horas inspicit. Hesychius: ὡροσκόπος ὁ σκοπῶν τὰς ὥρας. Cum igitur τὸν ὡροσκόπον legis, scias tibi subintelligendum τὸν θεὸν, vel δεκανὸν ὡροσκόπον. Sed melius fortasse, ut θεὸς intelligatur, Deus aliquis ex illis, qui dabantur adsessores decanis & liturgi. Porphyrius apud Eusebium ὡροσκόπους cum decanis jungit his verbis: τούς τε εἰς δεκανοὺς τιμὰς, καὶ τοὺς ὡροσκόπους, καὶ τοὺς λεγομένους κραταιοὺς ἡγεμόνας, ὧν καὶ τὰ ὀνόματα ἐν τοῖς Ἀλμαναχοῖς φέρεται. Quæ nostram prorsus sententiam confirmant. Vetustissima hæc decanorum observatio, & cum ipsis γενεθλιαλογικῆς incunabulis apud Græcos, & Chaldæos nata. Nam & Necepso, & Petosiris eos noverunt, & de his scripsit Teucer Babylonius. Contendit tamen Scaliger hoc nomen à militia Romana sumptum esse, & Latinam habere originem. In quo multis modis fallitur. *Decanus*, inquit, *sic factum, uti primanus, quintanus.* Immo *decimanus* ita factum est, non *decanus.* Quod est à δέκα δεκανὸς, qui decem præsidet. Qua analogia id inflexum sit, non disputo, merè tamen Græcum est. At *decimus,*

mus, decimanus: ut *primus, primanus, quintus, quintanus.* Non dubito quin vox *decanus* ab astris ad castra descenderit, pro eo qui potestatem in dena capita exerceret, qui & caput contubernii dicebatur. Ita & decanus in signis, qui in partes denas exereret potestatem, ὁ δεκανός. Inde hoc vocabulum ad militiam Romanam, & postea in Ecclesiam translatum est. Decanorum figuras in annulorum sculpturis vulgo imprimendas curabant, ut amuleta essent. Psellus: ἀπὸ δὲ τῶν Τεύκρου τοῦ Βαβυλωνίου βιβλίων πολλά τις ἂν εὕροι θαυμασιώτατα, ἀπό τε τῶν ἐν οὐρανῷ ζωδίων, καὶ ἀπὸ τῶν παρανατελλόντων ἑκάστῳ τούτων, καὶ ἀπὸ τῶν λεγομένων δεκανῶν παντοδαπὰς ἀφορμὰς ἐν διαφόροις πράξεσι πειραζόμενος. Εἰσὶ γὰρ ἐν ἑκάστῳ τῶν ζωδίων τρεῖς κατειλεγμένοι δεκανοὶ ποικιλόμορφοι, ὁ μὲν κατέχων πέλεκυν, ὁ δ' εἰς ἄλλο τι ἐσχηματισμένος εἴκασμα. Ὧν εἰ τὰ εἴδη καὶ τὰ σχήματα δακτυλίων ἐγγλύψεις σφενδόναις, ἀποτρόπαια δεινῶν φανήσεται. Ταῦτα μὲν οὖν ὁ Τεῦκρος καὶ οἱ κατ' ἐκεῖνον περιττοὶ τὰ μετέωρα. Ergo varia specie, & habitu pingebantur isti δεκανοί. Notat Scaliger Græcos vetustissimos appellasse πρόσωπα, ut & Judæos, & Arabes, qui & δεκανοῦ nomen recentius esse vult. Perperam. Iidem decani singulis stellis deputabantur. Exempli gratia: primus arietis decanus Marti deputabatur: secundus Soli: tertius Veneri. Hinc primus ille decanus πρόσωπον Ἄρεως dicebatur: secundus πρόσωπον ἡλίου: tertius, πρόσωπον Ἀφροδίτης. Esto Sol in decima parte arietis: dicebant Solem esse in decano primo arietis, προσώπῳ Ἄρεως. Si Sol in vigesima parte ejusdem arietis, Sol erit in secundo decano arietis, προσώπῳ ἡλίου. Sit in trigesima parte Solem dabimus esse, idem fuerit in tertio decano arietis, προσώπῳ Ἀφροδίτης. Ita Demophilus. Ex his colligit Scaliger non ipsos δεκανοὺς dici πρόσωπα, sed τοὺς παρανατέλλοντας αὐτοῖς ἀστέρας. Sed magnopere errat. Namque ipse decanus πρόσωπον dicebatur ejus stellæ, cui deputatus erat, & cujus personam quasi sustinebat. Non ipsæ autem stellæ errantes sic dictæ sunt. *Primum* πρόσωπον, inquit, *est is planeta cujus signum est*: *secundum* πρόσωπον *planeta sequens*, *& sic deinceps. Aries est Martis primum* πρόσωπον, *secundum Solis*, *tertium Veneris juxta seriem errantium.* Nihil planè in his vidit. Primus decanus arietis dicebatur πρόσωπον Ἄρεως. Ideo quum erat in illo primo decano, etiam dicebatur esse ἐν προσώπῳ Ἄρεως. Et ita deinceps. Qui personam alicujus sustinet dicitur πρόσωπον ejus, quem repræsentat, & cui deputatus est. Firmicus de decanis: *Sunt autem infinitæ potestatis, & infinitæ licentiæ, & qui fata hominum suæ potestatis auctoritate designent. Sed & ipsi decani singulis stellis deputantur, & si in ipso decano stella fuerit, licet sit in alieno domicilio, sic est habenda, quasi in suo sit domicilio constituta.* Ita legendus hic locus. Ex eo constat, cur singuli decani πρόσωπα vocentur stellarum errantium, quibus nimirum & deputantur. Quod sic procedit. Mars domicilium habet juxta Dorotheum in Scorpio, Venus in Tauro:

---- εἷς δ' ἐστὶ δόμος φωσφόρος ἑκάστου.

At cum Venus in tertio decano arietis constituta est, licet in alieno sit domicilio, sic tamen habenda est, quasi esset in suo domicilio, quia tertius ille decanus arietis ei contribuitur, ac deputatur, & quasi πρόσωπον ejus sustinet. Ideo & πρόσωπον Ἀφροδίτης vocatur. Ita & de reliquis. Non igitur stellæ ipsæ πρόσωπα sunt, sed decani stellarum πρόσωπα censentur, ac dicuntur. Ideo & Judæi hos decanos vocarunt פָּנִים, id est, facies, vel vultus, sive πρόσωπα, quod alienam scilicet personam sustineant, earum scilicet stellarum, quibus attributi sunt, ac deputati. Fallitur Scaliger, qui Græcis προσώπων nomine hos decanos putat appellatos, quia πρόσωπα sunt ἀξιώματα. Inde & *Vvageah* Arabibus eosdem dici, id est, πρόσωπα, quæ vox hominem in aliqua dignitate constitutum notat. Sed quocunque sensu Judæi, & Arabes hos decanos sic appellarint, sciendum tamen haud alio significatu Græcis nomine προσώπων appellatos, quam quo diximus. Vetustissimi Græci τὸ πρόσωπον nusquam ἀντὶ τοῦ ἀξιώματος, aut ἀξιωματικοῦ posuerunt, sed πρόσωπον dixerunt, quod recentiores προσωπεῖον, personam aut larvam, quæ ad similitudinem vultus alicujus efficta est. Mœris Atticista: πρόσωπα, τὰ τῶν ὑποκριτῶν, Ἀττικοί: προσωπεῖα Ἕλληνες. Pollux: τὸ δὲ πρόσωπον, καὶ προσωπεῖον ὥσπερ μορμολυκεῖον. Et ibidem ὀθόνινον πρόσωπον, persona, vel larva ex linteis facta. Hinc & προσωπίδας vocarunt, quibus mulieres vultum tegebant: *masquas* vulgo dicimus. Hesychius: προσωπεῖον, ἡ νῦν καλουμένη τῶν γυναικῶν προσωπίς. Ut Græci πρόσωπον, ita & Latini *vultum* appellarunt fictam hujusmodi faciem. Publius Syrus:

Libido cunctos etiam sub vultu domat.

Dixit *sub vultu* eo sensu, quo alibi, *sub persona*, ut hoc versu:

Hæredis fletus sub persona risus est.

Palam flet hæres, sed sub persona ridet, *soubs le masque.* Ita est *sub vultu*, ὑπὸ τοῦ προσώπου. Hinc & *vultus* apud Historiæ Augustæ scriptores pro imaginibus thorace tenus expressis. *Aspectum* pro persona Publius etiam dixit:

Grave est malum omne, quod sub aspectu latet.

Nam Græcis προσώπη, & πρόσοψις, vel προσωπὶς idem. Hesychius: προσώπη, πρόσοψις. Non omittam monere in superiore Publii versu legendum videri:

Libido cinctos etiam sub vultu domat.

Cincti opponuntur discinctis, qui fluxioris, solutiorisque vitæ sunt, quique toto vultu, & habitu libidinem, & luxuriem profitentur. Contra cincti modestiam, & severitatem præferunt. Sed multi sunt tales, qui Curios simulant & cinctos Cethegos, quos libido sub vultu, & sub persona domat, & intus sunt discincti nepotes. Πρόσωπον igitur est persona, vel fictus vultus. Inde decani πρόσωπα vocantur. Primus decanus arietis dicebatur πρόσωπον Ἄρεως, id est, προσωπεῖον, quod Martis stellam, cui deputatus erat, repræsentaret & exhiberet. Sic de ceteris. Alias verisimilius esset sic dictos à variis vultuum, & imaginum figuris, quibus pingebantur. Nam aut homo erat, securim tenens, aut ensem & alia hujusmodi εἰκάσματα. Psellus è Teucro: Δεκανοὶ ποικιλόμορφοι, ὁ μὲν κατέχων πέλεκυν, ὁ δ' εἰς ἄλλο τι ἐσχηματισμένος εἴκασμα. Sed vera sunt, quæ diximus supra. Atque hæc hactenus de decanis, sive Deis horoscopis. Annubion poëta vetustissimus in Elegiis Ὡρονόμον vocavit, qui aliis Ὡροσκόπος. Versus ejus heic afferre non dubito in gratiam astrologorum, nondum enim editi sunt, & methodum tractant inveniendi horoscopi in diurna genitura:

Ὡρονόμον δὲ μάθῃς ὥρας ἅπερ ἀστράσιν ἄλλοις
Σκεπτόμενος μήνην καὶ μέγαν ἠέλιον,
Ἡμερινῇ γενέσει μὲν ἀπ' ἠελίοιο νοήσας
Οἴκου δεσπόζων ἔνθα βέβηκε θεός.
Κεῖθεν δὲ στοιχηδὸν ἀριθμημέναι ἄστρα
Μέχρι σεληναίης ἀστέρος ἱσταμένου.
Πάντα δ' ἀπ' ἠελίοιο διέκβαλε τοῦτον ἀριθμόν,
Εἰς ὅτι δ' ἂν λήξῃ, κεῖθι καὶ ὡρονόμος.

Is est fortasse Annubio, quem Firmicus vocat Annubium lib. III. cap. I. *Mundi itaque genituram hanc esse voluerunt, sequuti Æsculapium, & Annubium, quibus potentissimum Mercurium numen istius scientiæ secreta commisit.* Ἀννουβίων, & Ἀννούβιος idem nomen. *Mercurium numen* libri scribunt apud Firmicum, ut *Stertinium acumen*, *Sulpicia horrea*, & Plinio: *Ægyptum littus.* Κεῖθι καὶ ὡρονόμος, illic est horoscopus. Vetus poëta in Epigrammate ὡρονόμον σοφίην de horologio dicit. Ergo ὡρονόμος & ὡρολόγος idem. Sic etiam idem fuerit ἀστρονόμος & ἀστρολόγος. Veteres tamen astrologos faciunt diversos ab astronomis. Nam ἀστρολογία est γενεθλιακή. At ἀστρονομίαν definiunt τήρησιν τὴν ἐπὶ φαινομένοις, ad prædicendas anni tempestates ex ortu siderum, atque obitu. Quæ siderum observatio agricolis & nautis in primis utilis, ac necessaria. Ita sanè hæc duo distinxit Sextus Empiricus lib. V adversus mathematicos, alii hoc discrimen neglexerunt. Thales primus ἀστρολογῆσαι dicitur apud Græcos, qui nullam partem γενεθλιακῆς attigit. Pherecydes ἀστρολόγος dictus est, qui tantum ἀστρονόμος fuit. Phoci Samii liber inscriptus erat ἀστρολογία ναυτική, quem Thaleti quidam adscripserunt. E contra Manilius astronomicon libros suos inscripsit, qui mere γενεθλιαλόγοι sunt. Et sane si ὡρονόμος, & ὡρολόγος idem, quidni ἀστρολόγος, & ἀστρονόμος? Recentiores tamen separant astrologos, & astronomos. Ceterum quum ὡροσκόπος, & ὡρονόμος idem sit, idemque τὸ ὡρονόμον, καὶ ὡρολόγον, non mirum est si τὸ ὡροσκόπιον quidam ἀντὶ τοῦ ὡρολογίου accepere. Certe & ὡροσκόπος inter officia sacra apud Ægyptios is dicebatur, qui horas inspi-

inspiciebat, & horologium tractabat. Clemens Alexandrinus Stromateon lib. VI. Μετὰ δὲ τὸν ᾠδὸν ὁ ὡροσκόπος ὡρολόγιόν τε μετὰ χεῖρα καὶ φοίνικα ἀστρολογίας ἔχων σύμβολα. Ubi notabis & horologium inter σύμβολα astrologiæ referri. De quo diximus supra. Horologia fuere apud Ægyptios tam solaria, & gnomonica, quam aquaria καὶ ὑδραγωγικά, sed horas tantum æquales, & æquinoctiales ostendebant, ut hodie nostra solaria fiunt. Ea quippe sola ὡρολόγια astrologis, & astronomis usitata. Ὡροσκόπος igitur homo dicebatur, cui hoc munus incumbebat horas inspicere, & regibus nuntiare. Is etiam τὰ ἀστρολογούμενα tractabat, & libros Mercurii de astrologia memoriter, & in ore habere semper debebat. Idem Clemens: τοῦτον τὰ ἀστρολογούμενα τῶν Ἑρμοῦ βιβλίων τέσσαρα ὄντα τὸν ἀριθμὸν, ἀεὶ διὰ στόματος ἔχειν χρή. De eo horoscopo, vel horispice Orus in Hieroglyphicis: Ὡροσκόπον δὲ δηλοῦντες, ἄνθρωπον τὰς ὥρας ἐσθίοντα ζωγραφοῦσι. Hic ortum solis, & horas antiquis Ægypti regibus etiam nuntiare solebat. Quod cum fecisset, alio experimento an recte nuntiatus esset solis ortus, deprehendebant. Orygem animal contra orientis partem statuebant, quia soleat hoc genus oriente sole, aut luna clamorem edere, veluti indignetur, & aversetur horum siderum exortum. Quo indicio vel gnomonibus certiore colligebant utriusque sideris ἀνατολήν. Orus Apollo de oryge: τοῦτ' αὐτὸ ποιεῖ καὶ ἐπὶ τοῦ ἡλίου ἀνατολῆς. Διόπερ οἱ ἀρχαῖοι βασιλεῖς, τοῦ ὡροσκόπου σημαίνοντος αὐτοῖς τὴν ἀνατολὴν, ἐπικαθίσαντες τοῦτο τὸ ζῶον, διὰ μέσου αὐτοῦ ὡς τινῶν γνωμόνων τὴν τῆς ἀνατολῆς ἀκρίβειαν ἐγνώριζον. Sic constituendus est ille locus, qui, ut editus est vulgo, rem scitu dignissimam dissimulat, & absurdissimam indicat. Sic enim legitur: ἐπικαθίσαντες τούτῳ τῷ ζώῳ; quasi orygi, veluti equo, insiderent Ægypti Reges ad deprehendendum solis ortum. Atqui parvum est animal oryx, capræ, vel capreæ non dissimile. Ἐπικαθίσαντες τοῦτο τὸ ζῶον, *constituentes hoc animal adversum orientem solem.* Vel, *postquam constituissent.* Καθίζειν est constituere, non sedere. Κλαίοντά τινα καθίζειν, *facere ut aliquis ejulet.* Ἐπὶ ξηροῖσι καθίζειν. Vulgaris etiam illa loquutio, διὰ μέσου αὐτοῦ ὡς τινῶν γνωμόνων τὴν τῆς ἀνατολῆς ἀκρίβειαν ἐγνώριζον, id est, *ejus opera, veluti gnomone quodam, certitudinem ortus solis explorabant.* Διὰ μέσου αὐτοῦ, infima Latinitas diceret, *eo mediante*, vel *eo medio*. Nos diceremus, *par son moyen*, per ejus medium. Purius ævum, non tamen antiquissimum, etiam *medium* appellavit τὸν μεσίτην, eum scilicet hominem, cujus interventu, & opera negotium qualecumque conficitur. *Mediatorem* alii dixerunt. Græci etiam μέσον, & μεσίτην, & μεσήρη. Unde & μεσηρεύειν, alicui negotio medium se interponere. Legi etiam posset in superiore Ori Apollinis loco, ἐπικαθίσαντες τούτῳ τὸ ζῶον: τούτῳ, id est, τῷ ἡλίῳ, *contra solem statuentes.* Vel etiam ἀντικαθίσαντες. Illud sanè verius. Non solum igitur hujus animalis ope solis ortum certissimò cognoscebant Ægyptii, sed etiam caniculæ exortum comperiebant, contra stante eo, ac vocem emittente, vel sternuente, de quo diximus antea. Ut inde pateat verissimam esse emendationem nostram, ἐπικαθίσαντες τούτῳ τὸ ζῶον. Ut ad rem redeamus, ὡροσκόπος apud Ægyptios homo erat, qui inspiciebat horas. Hinc ὡροσκόπος Hesychio exponitur ὁ σκοπῶν τὰς ὥρας. At alius est astrologorum horoscopus. Deus nempe, vel decanus cum certa signi alicujus parte exoriens eo tempore, quo quis nascitur, & horam nascentiæ inspiciens. Ab hoc horoscopo dicta ὡροσκόπια instrumenta, quibus deprehenditur horoscopus. Astrolabus ὡροσκόπιον Ptolemæo in Tetrabiblo & Hephæstioni dicitur. Horologia etiam sciotherica, item aquaria, ὡροσκόπια quoque appellata, non ab horis spiciendis, sed quod horoscopus in diurna genitura eorum opera caperetur. Manilius lib. III.

Nam quota sit lucis, si luce requiritur, hora
Aspicies: atque hunc numerum revocabis in ipsum,
Multiplicans decies.

Ut sciatur, quota quis hora diei in lucem exierit, opus est ad solarium horologium recurrere. Ex eo hora nascentiæ colligitur, & eadem via etiam horoscopus deprehenditur. Sextus Empiricus: ἐπεὶ οὖν τινὲς καὶ μεθ' ἡμέραν γεννῶνται, ὅτε οὐδὲν τῶν προειρημένων δυνατόν ἐστι παρατηρεῖσθαι, μόνας δὲ εἰ καὶ ἄρα, τὰς τοῦ ἡλίου κινήσεις. Inter instrumenta astrologiæ Ægyptii τὰ ὡρολόγια numerabant. Sic ὡρολόγια etiam ὡροσκόπια ab horoscopo, non ab horis inspectandis. Ptolemæus in geographicis μετεωροσκόπια vocat tam ἀστρολάβους, quam σκιόθηρα. At in Tetrabiblo ὡροσκόπια utraque appellat. An corrigendum pro μετεωροσκόπιον, ὡροσκόπιον? Certe μετέωρα aliud sunt, ut ea, de quibus Aristoteles. Μετέωρα tamen etiam stellas vocaverunt, & quæ in cælo ipso sunt, non ea tantum, quæ infra cælum. Hesychius: μετεωροπόλων, τῶν τὰ οὐράνια σκοπούντων. Hinc libri Cleomedis, κυκλικῆς θεωρίας μετεώρων. Inde & μετεωροσκόπια Ptolemæo tam ἀστρολάβια quam σκιόθηρα. Alii tamen μετεωροσκοπικὴν & γνωμονικὴν distinguunt, ut Proclus ex Gemino, qui tertiam addit astronomiæ partem τὴν διοπτρικήν. Et sanè Ptolemæus ipse alio loco τὰ σκιόθηρα separat ἀπὸ τῶν ὀργάνων μετεωροσκοπικῶν. Vide lib. I. cap. III. Σκιόθηρα de die tantum valent, μετεωροσκοπικὰ & noctu & die ad intervalla, magnitudines, ac loca singularum stellarum signanda, cujusmodi organa excogitasse Hipparchum tradit Plinius lib. II. cap. XXVI. Ubi scribendum: *idemque ausus rem etiam Deo improbam, annumerare posteris stellas, ac sidera ad nomen expungere.* Minus rectè Turnebus: *stellas ad sidera ac nomen expungere.* Hujusmodi instrumenta ἀστρολάβια recentiores dixerunt. Sed σκιόθηρα etiam quadamtenus sunt μετεωροσκοπικά. Nam & solis ortus ex umbris & τὰ κατὰ κορυφὴν σημεῖα, & meridiani per ea deprehenduntur. Ὡροσκόπια utraque alibi dixit ab horoscopo indagando, non ab hora. Hujusmodi itaque ὡροσκόπια composuerit Anaximander, non horologia ad horas significandas, quorum nullus tunc usus publicus ac passivus fuit. Sed hæc ὡροσκόπια, dicet aliquis, ad solos genethliacos & Chaldæos pertinebant. Sextus Empiricus: ἀθετήσαντες δὲ καὶ τὸ κατὰ τοὺς Χαλδαίους ὡροσκόπιον, id est, *methodum*, vel *instrumentum adipiscendi horoscopi secundum artem Chaldæorum.* Atqui γενεθλιακὴ & ἀστρολογία non nisi serò ad Græcos pervenit. Primus Berosus à Babyloniis suis in Græciam attulisse eam traditur. Circa tempora Alexandri hic vivebat, siquidem est idem cum eo, qui Chaldaïca, sive Babylonica scripsit. Ante illum Eudoxus astronomiam, quam ab Ægyptiis didicerat, Græcos suos docuit circa olympiadem centesimam & tertiam. Certè τῆς ἀστρονομίας apud Græcos duos auctores præcipuos, ac primos agnoscit Sextus, Eudoxum & Hipparchum. Vetustiora tamen Eudoxo hujus scientiæ principia, ac studia in Græcia fuisse constat. Thales, qui obiit olympiade octava & quinquagesima, primus ἀστρολογῆσαι proditur. De æquinoctiis, & solstitiis scripsit. Primus deliquia solis prædixit. Libri, qui ἀστρολογία ναυτική inscribebatur, quidam eum auctorem fecerunt. Anaximander ejus auditor astrologiæ quoque studio deditus fuit, qui & iisdem fermè temporibus ætatem egit. Gnomonem primus & σκιόθηρα reperit, ὡροσκόπια composuit, sphæram concinnavit. Eadem fere ætate Pherecydes Syrius astrologus habitus est, qui & in Syria insula ἡλιοτρόπιον constituit. Hi antiquissimi Græciæ astrologi, & hæc artis illius in Græcia incunabula. Eudoxus eam diligentius excoluit, & ab Ægyptiis ad Græcos totam transtulit. Gnomon Anaximandri, & sciothera, & ὡροσκόπια, nihil ad horologiorum inventionem, aut horarum observationem pertinuere, ut pluribus antea ostendimus. Herodotus Græcos πόλον, & γνώμονα, & δώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης à Babyloniis sumpsisse scribit. Ne hoc quidem quidquam ad horologiorum usum facit. Profecto antiquissima res apud Babylonios, & Ægyptios diei civilis in viginti quatuor partes divisio, & diei naturalis æquinoctialis in duodecim. Æque vetustam apud eos censuerim gnomonicorum, & sciothericorum vasum cognitionem, & usum. Ad rationes mathematicas, quibus hæ gentes in primis deditæ fuere, utrumque inventum non utile modo, sed etiam necessarium. Ab his accepere antiquissimi Græciæ philosophi qui astricæ scientiæ operam dederunt, adeo ut astrologia, & gnomonice pæne eodem tempore in Græciam venerint. Quod tempus quinquagesimam olympiadem non excedit. Hinc & gnomonis inventorem Anaximandrum quidam fuisse tradiderunt, alii Anaximenem ejus discipulum.

scipulum. Penes solos mathematicos, & astrologos erat hæc observatio. Horarum nomen de diei particulis tum fuit prorsus incognitum. Et quum Græcum sit hoc vocabulum ὥρα, à Babyloniis, aut Chaldæis id Græcos accepisse cum re ipsa neutiquam dici potest. Diu igitur penes Græciam absque nomine mansere illæ duodenæ diei partes, quia nec apud Babylonios, aut Ægyptios aliud nomen habuere. Μοῖραι, vel μόρια τῆς ἡμέρας dicebantur, ut μοῖραι signorum. Ad popularem, ac civilem usum postea transiit gnomonica diei partium observatio cum horarum appellatione, sed non cum eadem methodo, ut eam mathematici observarunt. Dies omni tempore in partes duodecim dividi cœptus est, eæ partes horæ appellatæ. Quæ horas illas monstrarent in omni die duodenas, gnomonica ratione vasa facta sunt, quæ & ὡρολόγια appellata. Hæc horarum observatio, & appellatio simul cum horologiorum inventione à populis summo consensu recepta est. Verum hæc popularis gnomonice, ut jam non semel dictum est, multum fuit diversa ab ea, qua utebantur astrologi veteres in suis ratiociniis putandis. Eadem quippe erat, qua Ægyptios, & Babylonios usos fuisse docuimus, quæ diebus tantum æquinoctialibus duodecim partes dabat. Forte & ejusdem generis fuit horologium, quod à Beroso Chaldæo compositum tradit Vitruvius. Nam ille Berosus est, qui γενεθλιαλογίαν Græcos docuisse primus fertur. Certe astrologicis rationibus vix alia ratio convenit. Et hoc moris habent perpetuo omnes ferme auctores, qui post reperta horologia, & horas scripsere, ut ubicunque mentio extet apud veteres τῶν σκιοθήρων, aut γνωμονικῶν, de horologiis, & horis ea soleant accipere. Sic Plinius *sciothera* Anaximandri, & ὡροσκόπια de horologiis, qualia tunc erant, interpretatus est. Sic Pollux πόλον heliotropii de horologio accepit. Hesychius ἡλιοτρόπιον pro horologio videtur accepisse. Nam γνώμονας interpretatur τὰ ἐν τοῖς ἡλιοτροπίοις κέντρα. Atqui ἡλιοτρόπια fuerunt proprie vasa sciotherica, quæ τὰς ἡλίου τροπὰς ostendebant. Victorinus in Ciceronis Rhetoricam notat Trismegistum in Ægypto per duodecim horas dimetiendum esse diem ex eo conjecisse, quod cynocephalum animadvertisset toto die duodecies urinam reddere, paribus semper servatis intervallis. Nihil hoc ad horarum eam observationem facit, quæ diem omnem δωδεκάωρον constituit. Sic profecto errant. Judæi utpote Babyloniis, & Ægyptiis viciniores quam Græci, idcirco & maturius gnomonicorum habuisse videntur notitiam. Sanè solarii meminit sacra scriptura, quod ab Achazo Rege positum fuerat. Hujus mentio Regum II. cap. xx. & Esaiæ XXXVIII. In eo per gradus & lineas umbra solis decurrebat. Unde & מַעֲלוֹת id est, *gradus* vocatur, quod in eo gradus, & lineæ notarentur ad solis umbras designandas. בְּמַעֲלוֹת אָחָז *in horologio Achaz*. Ita vulgaris, & Septuaginta ex usu temporum suorum. Nam Septuaginta interpretum ætate jam horologia frequentata, & nomen horarum notum in hac significatione. Cum graduum faciat tantum mentionem Scriptura, eodemque nomine appellet vas ipsum, vel lapidem, in quo gradus illi notati erant, scire hinc licet pari prorsus modo fuisse compositum illud sciothericum, quo apud Babylonios, & Ægyptios fieri solebant, & primitus etiam apud Græcos ante horologia reperta, & horarum promiscuam observationem, quando æquinoctiales dies soli in duodecim partes dividebantur. Animadvertendum etiam solius Achaz regis solarii mentionem in veteri testamento extare, qui regnum iniit olympiadis nonæ anno secundo, ab Urbe condita undecimo. Et hinc patet ne tum quidem apud Judæos in promiscuo, & communi usu solaria fuisse, & diei concisionem per particulas. Quin ex Nehemiæ XIII constat eos tempus observandi Sabbathi notare sibi solitos ex umbris jam inclinatis, quum sol recessisset à portis templi. Quod tempus vocatur *inter duas vesperas* Exodi XXX, idque respondet *supremæ tempestati* veterum Romanorum, quam similiter colligebant ex inclinato sidere à columna Mæniana ad carcerem. Post supremam eam sequebatur vespera, ut paulo ante docuimus. Hæc

A eadem tempestas congruit nonæ eorum Romanorum, qui horas observarunt, & horologiis usi sunt. Nam post nonam ingruebat vespera. Longissime itaque errant eruditi homines, quibus persuasum est, Hebræos diem omni tempore in duodecim horas divisum habuisse, modo æquales, modo inæquales, prout singulis mensibus abscederet, aut accederet sol. Nec eos hilum juvat quod apud Johannem legitur cap. XI. Οὐχὶ δώδεκα εἰσὶν ὧραι τῆς ἡμέρας. Veteres Judæi nullam habuere solariorum notitiam ad usum populi & horarum observationem compositorum. Solarium illud Achazi res singularis fuit, & visendæ potius raritatis
B gratia constitutum, quam ad ullum usum, moremque colligendarum horarum institutum. At recentiores Judæi, qui omnes anni dies duodecim horarum fecerunt, consuetudinem eam diei per horas computandi à Romanis sumpserunt, ut alia multa. Quod adeo certum est, ut super eo plura disputare tam supervacaneum sit, quam nefas est dubitare. Nihil in totis Bibliis extat, unde colligi possit veteres Judæos hujusmodi diei divisionem, & horarum παρατήρησιν in usu habuisse. Rabbinis frequens vox שָׁעָה pro hora, ex illo recentiori instituto per horas numerandi, quod ab Romanis hauserunt, ut & Græci, & reliquæ na-
C tiones. Profecto Ægyptii, & Babylonii, & Græci antiquissimi γνωμονικά, & σκιοθηρικά vasa habuerunt, sed quæ astrologis, & astronomis potius servirent, quam populo, ut quæ æquinoctiales tantum indicarent diei partes. At consensus gentium in horarum observatione recipienda tum fuit, quum duodecim horæ in diem omnem imputari cœptæ sunt, & horologia ad hoc inventa, quæ horas eas ostenderent. Quo tempore id contigerit satis multis docuimus hac Exercitatione.

Quod gnomonici similibus parallelis accidere contendunt]
D Certè gnomonici de similibus parallelis, ac meridianis optimè ex arte sua judicant, atque etiam indicant, quæ regiones, sub quo parallelo, vel sub quo meridiano sitæ sint. Sed quid sit parallelus, aut quomodo intelligantur similes paralleli, nequaquam videtur intellexisse Solinus, qui Euphratis, & Nili fontes sub iisdem parallelis, & ad modulum ejusdem perpendiculi constitutos esse dicit. Quod, ut melius cognoscatur, non brevis super his Exercitatio componenda. Duo ex maximis circulis totum mundum in tetrantem dividunt, seseque invicem ad rectos angulos secant, horizon & meridianus. Quorum horizon per pun-
E cta orientis, & occidentis transit, meridianus per polos mundi. Scaliger notis in sphæram Manilii scribit, *Polos omnis horizontis esse puncta orientis & occidentis: Polos mundi esse polos omnium meridianorum.* Quod in puero primis elementis sphæræ imbuto vix ferendum esset, nedum in tanto viro. Qui per polos transeunt circuli, non eosdem cum mundo polos habent, ut è contra, qui polos mundi pro polis habent, per polos non transeunt. Æquinoctiales, & ceteri paralleli circuli eosdem cum mundo polos habent, nec transeunt per polos, sed circa eos polos vertuntur, ut & ipse mundus. Proclus: τῶν δ' ἐν τῇ σφαίρᾳ κύκλων, οἱ
F μὲν εἰσὶ παράλληλοι, οἱ δὲ λοξοί, οἱ δὲ διὰ τῶν πόλων, παράλληλοι μὲν οἱ τοὺς αὐτοὺς πόλους ἔχοντες τῷ κόσμῳ. Circuli igitur οἱ διὰ τῶν πόλων alii sunt ab iis qui τοὺς αὐτοὺς πόλους ἔχουσι τῷ κόσμῳ. Tales sunt meridiani. Et sanè ita necesse est. Πόλοι sunt axis extremitates, circa quas cælum verti fingitur, ut rota vertitur circa axem. At rotæ circumferentia non transit per axes, circa quos vertitur, ita nec circuli paralleli per polos transeunt. Igitur qui per polos transeunt, non eosdem polos habent, quos & mundus. Aliud inde absurdum, καὶ ἀδύνατον sequeretur, ut duo circuli, qui πρὸς ὀρθὰς invicem secant se, eosdem polos haberent. Meridiani
G omnes per polos mundi in omni sphæra transeunt. Si poli mundi poli essent omnium meridianorum, ut Scaligero placet, in aliqua sphæra id eveniret, ut poli mundi, poli simul horizontis invenirentur, & meridianorum. In sphæra quippe recta horizon transit per polos mundi, ut & meridianus. Ergo inde consequens esset polos mundi in ea sphæra simul esse polos horizontis & meridiani. Profecto in illo sphæræ situ

tam horizon quam meridianus per polos transeunt, & rectos ibi angulos faciunt, neuter tamen eosdem cum mundo polos habet. In sphæra stante iis, qui sub polis ipsis degunt, æquinoctialis pro horizonte est. Ideo & poli horizontis in ea positione etiam poli sunt mundi, haud secus atque æquinoctialis. Sed tum figura & imago in totum alia est. Nam ut in sphæra recta cœlum veluti circa axem vertitur instar rotæ, ita in sphæra stante motus & conversio cœli fit à lateribus instar molæ, vel turbinis, quem pueri versant habena exagitatum. Hinc μυλοειδὴς ea sphæræ θέσις appellatur. Manilius lib. III de sphæræ stantis habitu:

Stantis erit cœli facies, laterumque meatus
Turbinis in morem recta vertigine currit.

In hac positura non transversus est axis, ut in recta, sed stans & erectus. Circa eum è lateribus vertitur cœlum, non ab imo ad summum. Sic nempe etiam vertitur:

---- *volitans sub verbere turbo,*
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent, ille actus habena
Curvatis fertur spatiis.

Ita igitur accipienda illa apud Manilium, *Turbinis in morem.* At Scaliger de meta accipit, quæ instar est turbinis inversi, & pars est superior molæ, ut synonyma scilicet sint *meta*, *conus*, & *turbo*, quæ superior est mola. Sed errat mea quidem sententia toto cœlo, sphæra stans, quæ dicitur μυλοειδὴς, non sic appellata est à facie, vel habitu molæ, quæ turbinata sit, vel instar metæ habeat. In sphæra quippe nihil est metæ, vel turbini simile. Nec stans sphæra magis hanc figuram refert, quam jacens, aut inclinata. A motu igitur, & conversionis modo sic appellata est, quam circa erectum, ac stantem axem facit, ut mola: non circa jacentem, ac transversum, ut rota. Μυλοειδῶς itaque στρέφεται, non τροχοειδῶς. Ita versatur & *turbo* recta currens vertigine. Manilius à turbine, non à mola, imaginem sumpsit, quam motui sphæræ stantis accommodaret. Nec enim μυλοειδὴς hæc sphæra, à molæ habitu, quod sit κωνοειδὴς, aut turbinata, aut metæ similis, sed à sola molæ conversione. Itaque fallitur Scaliger, qui omnino molæ trusatilis & habitum, & conversionem referre scribit. Paulus de instructo & instrumento legato leg. XVIII. *Est autem meta inferior pars molæ, catillus superior.* Putat Scaliger Jurisconsultum scripsisse: *Est autem meta superior pars molæ, catillus inferior.* Græci certe superiorem molæ partem ὄνον vocant, inferiorem μύλον. Mœris Atticista: μύλος ἡ τράπεζα τοῦ μύλου, ὄνος τὸ ἄνω μύλου. Catillus igitur molæ, id est, πίναξ id fuerit, quod Græci τράπεζαν μύλου appellant. Quod imponitur, & superjectum est, ὄνος, vel ἀλετὼν Græcis, *meta* Latinis, superior nempe molæ lapis. Hesychius: ἀλετῶνες οἱ τοῖς μύλοις ἐπιτιθέμενοι. Sic legendum. Alibi ὄνον interpretatur ἀνώτερον λίθον τοῦ μύλου. Pollux: καὶ ὄνος ὁ ἀλετὼν, καὶ ἡ τράπεζα, μύλη. Sed hæc obiter. Ad sphæram redeamus. Eam horizon, & meridianus in quatuor æquales partes dividunt, hoc est, in tetrantem. Ne quid hêic titubes, duo sunt horizontis genera. Unus est horizon, quem αἰσθητὸν vocant, alius est, quem λόγῳ θεωρητὸν appellant. *Sensilis* horizon is dicitur, quo visus noster omnem in partem circumlatus terminatur. Eum ita definiunt: αἰσθητὸς ἐστὶν ὁρίζων, ὁ ὑπὸ τῆς ἡμετέρας ὄψεως περιγραφόμενος κατὰ τὸν ἀποπερματισμὸν τῆς ὁράσεως. Cave putes hunc esse horizontem, qui cum meridiano paria facit, quique totum mundum in duo secat. Hoc proprium est illius horizontis, quem λόγῳ θεωρητὸν vocant, & quem sic definiunt: ὁ δὲ λόγῳ θεωρητὸς ὁρίζων ἐστὶν ὁ μέχρι τῆς τῶν ἀπλανῶν, ὁράσεως ἀστέρων σφαίρας διήκων, καὶ διχοτομῶν τὸν ὅλον κόσμον. Delenda vox ὁράσεως ut repetita ex præcedentibus, ac legendum, μέχρι τῆς τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων σφαίρας διήκων. Non igitur hic ὁρίζων αἰσθητὸς in duas partes æquales mundum dividit, sed ille λόγῳ θεωρητός. Hæc cum ita sint, Scaliger *sensilem* appellat eum horizontem, cujus cum meridiano reciproca est ratio, quique mundum secat bipertito. *Et quæ sensili*, inquit, *meridiano dicta sunt, eadem de sensili horizonte dicantur necesse est.* Improprie admodum loquutus est, & multum inter se hæc differunt.

A Nec enim sensilis horizontis eadem est ratio, & sensilis meridiani. Sed nec meridianus ullus sic αἰσθητὸς dicitur, ut ὁρίζων αἰσθητός. Nam nec meridianus ullus λόγῳ θεωρητὸς ponitur ad differentiam τοῦ αἰσθητοῦ. Omnis quippe meridianus per mundi polos transit, & per punctum, quod supra verticem nobis eminet. Græci: Μεσημβρινὸς δέ ἐστι κύκλος, ὁ διὰ τῶν κόσμου πόλων, καὶ τοῦ κατὰ κορυφὴν σημείου γραφόμενος κύκλος. At horizon ille, qui dicitur αἰσθητὸς, nullum in sphæra locum habet, nec de maximis ejus circulis unus est, sed in terræ tantum tractu consideratur, nec ultra terminos visus nostri progreditur. Ideo αἰσθητὸς appellatur, quod sub aciem B oculorum, ac sensum totus cadit. Quippe quo usque longissime in omni terrarum regione visus noster pervenire potest, ibi finitur horizon αἰσθητός. At ille alter λόγῳ θεωρητὸς non in terra visu percipitur, sed in sphæra describitur, & solo λόγῳ θεωρεῖται. Certe quantum ad sensum, tam horizon, quam meridianus intra certum stadiorum numerum mutantur, non tamen propterea hic vel ille αἰσθητοὶ dici queant, sed eorum mutatio, quæ intra tot stadia sensu percipitur, rectè αἰσθητὴ, aut αἰσθήσει καταληπτὴ dicatur, quoniam in minore intervallo pæne imperceptibilis est, nec sentitur. Strabo αἰσθητὰ παραλλάγματα, & αἰσθητὴν διαφορὰν vocat parallelorum C & meridianorum. Ipsi meridiani, & paralleli non sunt αἰσθητοὶ, sed λόγῳ θεωρητοί. Cum de nomine tantum pugna sit, non tamen parum refert, quomodo loquaris. Manilius in sphæra de meridiano:

Hic mutans per signa vices, seu si quis Eoos,
Seu petit Hesperios, supra se circinat orbem
Verticibus superadstantem.

At de horizonte sic canit:

Hæc quoque per totum volitabit linea mundum,
Nunc tantum ad medium vergens, mediumque repente
Orbem, nunc septem ad stellas, nunc mota sub astra.

D Ad quem locum notationem hanc adposuit Scaliger: *Ergo secundum ea quæ proponit*, παραλλαγὴ καὶ μετάπτωσις τοῦ ὁρίζοντος, *à septentrione fiet ad meridiem, quod verum est.* Immo falsissimum, nec hoc dicit poëta, si locus legatur ut scripsit. Priores editiones habebant:

Hunc tantum ad medium vergens.

Notat Scaliger in Gemblacensi esse, *Non tantum.* Ex quo ipse edidisse fatetur, *Nunc tantum.* Sed omnino retinenda lectio Gemblacensis, & præterea sic totus locus scribendus:

Non tantum ad medium vergens, mediumque repente
Orbem, nec septem ad stellas, nec mota sub astra,
E *Sed quocunque vagæ tulerint vestigia plantæ*
Has modo terrarum, nunc has gradientis in oras,
Semper erit novus, & terris mutabitur arcus.

Plane dicit horizontis circulum per totum mundum volitare, ac subinde mutari, non tantum quum vergit ad *medium orbem*, id est, æquinoctialem: nec quum ad *septem stellas*, id est, septentriones: nec *mota sub astra*, ad polum scilicet antarcticum, sed quamcunque in partem mundi, & quascunque in terrarum oras transeat quis, diversos fieri horizontes. Non igitur à septentrione tantum ad meridiem παραλλαγὴν ὁρίζοντος fieri vult, ut censebat Scaliger, sed etiam ab oriente ad oc- F casum, & καθ' ὁποιονοῦν μέρος τοῦ κόσμου. Male itaque vir magnus versum illum,

Sed quocunque vagæ tulerint vestigia plantæ,

exponebat περὶ τῆς παρόδου τῆς πρὸς μεσημβρίαν ἀπὸ τῆς ἄρκτου. Sed minus etiam recte idem *mota astra* mobilia interpretatur, & reliqua astra sic vocari dicit, quia oriuntur, & occidunt, ad differentiam septentrionum, qui semper conspicui sunt. Atqui septentriones etiam mobiles sunt, licet nunquam occidant. Et *mota astra* dicuntur, quæ jam exorta sunt, non quæ mobilia sunt. Ut *mota sidera lunæ* apud eumdem, & *motum sidus caniculæ* apud Ovidium, id est, exortum. G Frustra etiam hæc distingueret hoc modo: *nec septem ad stellas, nec mota sub astra.* Nam cum horizon ad medium orbem vergit, & inclinat, utique sub astris mobilibus etiam censetur. Aliud igitur hæc significant. Prorsus opponere videtur stellas septem poli arctici stellis poli antarctici, sed cur antarctici poli *astra mota* dicuntur? Scripsisse Manilium suspicor:

---- *nec septem ad stellas, nec muta sub astra.*

Nihil

A Nihil verius. Eleganter *muta* vocat *astra*, quæ nunquam nobis videntur, ut ea, quæ sunt in polo antarctico. Significationes, ac divinationes ex motu astrorum, obitu, atque exortu astrologis, atque astronomis peti satis notum est. Quæ nec oriuntur nobis, nec occidunt, nec unquam conspiciuntur, *muta* plane censentur, ex quibus nihil significationis, aut divinationis elici possit, quæ nihil prædicunt. Sic *muta exta* vocabant aruspices, *ex quibus nihil divinationis animadvertebant.* Ita & *muta astra*, τὰ ἀφανῆ. Manilio igitur *medius orbis* est ὁ ἰσημερινὸς, sive *æquator*, non meridies, ut volebat Scaliger. *Septem stellæ*, polus arcticus. B *Muta astra*, antarcticus, qui à nobis non videtur. Proinde mens hæc ejus est horizontem mutabilem esse, ac μετάπτωσιν subinde pati, non tantum quum ad æquinoctialem vergit, nec quum ad arcticum polum, aut antarcticum inclinat, sed etiam semper novari, variarique, quocunque ferunt vestigia.

Has modo terrarum, nunc has gradientis in oras.

Sequentia apud Manilium ita etiam legenda sunt:

Quippe aliud cælum ostendens, aliudque relinquens,
Dimidium tegit atque refert, varioque notabis
Fini cum visu pariter sua fila moventem.

C Perperam editum, *varioque notabit.* Quod non cohæret. Horizon, inquit, aliud cælum ostendens, aliud relinquens, dimidium regit, ac refert, ὁ διορίζων ἡμῖν, τό, τε φανερὸν, καὶ τὸ ἀφανὲς μέρος τοῦ κόσμου. Hunc & notabis, vario fine cum visu pariter sua moventem fila. *Sua fila*, id est, suas extremas lineas. *Filum*, & *lineam*, & *tenuem limitem* dicit de circulis λόγῳ θεωρητοῖς, & ἀπλατέσι. Paulo post:

His adice obliquos diversaque fila trahentes
Inter se gyros.

Item de æquinoctiali:

---- lucem qui circulus æquat & umbras
Lanigeri & libræ signo sua fila secantem.

D Ita & *lineam* supra de horizonte.

Hæc quoque per totum volitabit linea mundum.

Lucanus de circulo solstitiali:

Linea tam rectum mundi fert illa leonem.


Sic Avienus circulum æquinoctialem vocat *lineam.*

---- ingenti se tramite linea tendens
Dividit ima noti, discernit & alta aquilonis.

Hodierni nautæ absolutè hunc circulum appellant *lineam.* *Filum* itaque, & *linea* idem. Sic *fila* extremæ lineæ, quibus circumscribuntur corpora. Arnobius: *& filo adterminatis humano.* Alibi *circumcæsuram* dixit. E Hinc & *filum* pro lineamentis. *Habitu, filoque virginali.* Notabis heîc autem Manilium terrestrem & αἰσθητὸν ὁρίζοντα confundere cum cælesti, & λόγῳ θεωρητῷ. Quod etiam ex sequenti versu clarè elucescit:

Hic terrestris erit, quia terram amplectitur, orbis.

Ubi Scaliger miratur terrestrem potius dici quam cælestem, quum tam extremum cæli, quam terræ præcingat. Tandem putare se ait terrestrem dici, quia σφαιροθήκη sphæræ mechanicæ, quæ instar terræ, est loco horizontis. Quod ego non capio, & sanè ratione prorsus caret, ut terras amplecti terrestrem hunc F horizontem ideo dixerit Manilius, quia sphærothecæ limbus pro horizonte est orbi mechanico, qui instar est terræ. Atqui quum superiore versu insinuarit, horizontem visu finiri, & pariter cum acie oculorum lineas suas in orbem movere, planum est de terrestri, καὶ αἰσθητῷ horizonte intelligere, qui terras amplectitur. Nam usque ad λόγῳ θεωρητὸν illum, quo præcingitur mundus, & octava sphæra in duo ἴσα dividitur, quique meridianum ad rectos angulos secat, oculorum acies non penetrat, ideo sola mente notatur. Utrumque igitur confudit, quia invicem sibi respondent, G & alter altero inclusus est, ut minor circulus majore, & eadem in planitie describantur hoc modo:



A B cælestis & λόγῳ θεωρητὸς ὁρίζων. C D terrestris & αἰσθητός. Tantum abest alter ab altero, quantum spatii interest inter octavam sphæram, & extimas terræ oras. Uterque tamen idem habet centrum, & simul mutantur. Proclus, τὸν καθ' ἑκάστην οἴκησιν ὁρίζοντα, unum ex quinque maximis circulis facit. Sed, quod notandum est, Manilius unum tantum genus horizontis agnoscere videtur, eumque terrestrem totum facere. Is est ὁρίζων αἰσθητὸς, qui visu finitur, & extimas terræ oras ab infimis cæli partibus discriminat. Sic enim de illo canit:

Circumfer faciles oculos, vultumque per orbem,
Quidquid erit cælique imum terræque supremum,
Qua coit ipse sibi nullo discrimine mundus,
Redditque, aut recipit fulgentia sidera ponto
Præcingit tenui transversum limite mundum.

Ideo & *terrestrem* paulo post vocat, & *terris hunc arcum mutari* dicit. Non igitur eum λόγῳ θεωρητὸν agnoscit, qui usque ad sphæram τῶν ἀπλανῶν transit. Martianus: *Superest jam unus è circulis, quem quidem, quod locis, momentisque omnibus variatur, dubito quid appellem. Hic tamen novissima, supernaque discriminans, atque undique in superficiem telluris lineæ flexu ambientis incumbens, horizon, vel finitor perhibetur.* Nec porro mutabiles sunt per latitudinem tantum, ut idem Scaliger censebat, hoc est, ad septentrionem, & meridiem, sed etiam per longitudinem μεταπίπτουσιν, una cum meridianis, ad orientem scilicet, atque occasum. Ergo variantibus meridianis variantur & horizontes, at non è converso, quoties mutantur horizontes, toties & mutari meridianos necesse est. Namque sub eodem meridiano plures, & novi fiunt subinde horizontes. Mutatio horizontis, quæ ad orientem fit, aut occidentem, climata non mutat, sed ea tantum, quæ ad septentrionem, aut meridiem. Geminus & Proclus: πλειόνων δὲ σταδίων γινομένων κατὰ τὴν παραλλαγὴν τῆς οἰκήσεως, ἕτερος ὁρίζων γίνεται, καὶ τὸ κλίμα διαφέρον, καὶ πάντα τὰ φαινόμενα μεταπίπτει. Ita legendum, ubi vulgo editur, ἕτερος ὁρίζων γίνεται κατὰ τὸ κλίμα διαφέρων. Sequitur: δεῖ μέντοιγε τὴν παραλλαγὴν τῆς οἰκήσεως τὴν ὑπὲρ τετρακοσίους σταδίους διαλαμβάνεσθαι κατὰ τὴν πρὸς ἄρκτον μεσημβρίαν τε πάροδον. Hæc horizontis μετάπτωσις, quæ παραλλαγὴν etiam climatis inducit, quæquæ fit transgressione πρὸς ἄρκτον τε καὶ μεσημβρίαν, sub eodem utique procedit meridiano, illa vero horizontis diversitas, quæ meridianorum sequitur varietatem, idem ubique servat clima, & omnia similia φαινόμενα. Proclus: τοῖς μὲν γὰρ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ παραλλήλου οἰκοῦσιν κἂν μυρίοι στάδιοι ὑπάρχωσιν, ὁ μὲν ὁρίζων διάφορος, τὸ δὲ κλίμα τὸ αὐτὸ, καὶ πάντα τὰ φαινόμενα παραπλήσια. Quid igitur illi habent diversum, qui sub eodem habitant parallelo? Diei exordia, & exitus, hoc est, solis exortus, & occasus non eodem habent tempore. Αἱ μέντοι ἀρχαὶ τῶν ἡμερῶν οὐχ ἅμα πᾶσιν ἔσονται τοῖς ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ παραλλήλου οἰκοῦσι. Pares habent inter se dies & totidem horas, sed non eadem hora. Cleomedes lib. II. Ὡς ἄλλοτε παρ' ἄλλοις δύεται καὶ ἀνατέλλει ὁ ἥλιος, καὶ τοῖς ὑπὸ τοῖς αὐτοῖς παραλλήλοις οὖσι, καὶ τὰς ἴσας ὥρας ἔχουσι. Τούτου συμβαίνοντος παρὰ τὸ ἢ πρὸς τῇ ἀνατολῇ μᾶλλον κεῖσθαι καὶ τάχιον τῇ τοῦ ἡλίου ἐκβολῇ ἐντυγχάνειν, ἢ πρὸς τῇ δύσει καὶ βραδίον. Idem lib. I. Ἑνὸς δὲ ὄντος ὁρίζοντος, κατὰ ταὐτὸν ἂν παρὰ πᾶσιν αἱ ἀνατολαὶ καὶ δύσεις ἐγένοντο, ὥστε καὶ αἱ ἀρχαὶ τῶν ἡμερῶν καὶ νυκτῶν. Ecce exemplum. Hispani, & Persæ sub eodem

eodem habitant parallelo : illi ad occidentem, hi ad orientem. Persæ quatuor horis maturius solem renascentem excipiunt quam Hispani. Cleomedes : Οἱ γὰρ Πέρσαι πρὸς τῇ ἀνατολῇ οἰκοῦντες, τέσσαρσιν ὥραις πρῶτοι λέγονται ἐντυγχάνειν τῇ ἐκβολῇ τοῦ ἡλίου, τῶν Ἰβήρων πρὸς δυσμὰς οἰκούντων. Dies apud utrosque populos par, & totidem horarum. Hispalis Bæticæ Hispaniæ civitas maximam diem habet horarum quatuordecim & viginti scrupulorum. Axima in Perside oppidum diem similiter maximam horarum quatuordecim computat, & trientis horæ. Hispalis distat ab Alexandria versus occasum horis tribus, & triginta tribus scrupulis. Axima ab eadem Alexandria versus ortum distat hora una & viginti scrupulis juxta Ptolemæum. Sic meridianus, sub quo sita est Hispalis, dissidet à meridiano, cui subjecta est Axima, horis quatuor, & scrupulis quinquaginta tribus. Si horæ sex essent integræ, nonaginta gradibus longitudinis Hispalis Iberiæ distaret ab Axima Persidis. Quippe, ut notum est, longitudo sumitur ab oriente ad occidentem: meridiani autem per longitudinem variantur, ἡ γὰρ μῆκος πάροδος ἄλλους, καὶ ἄλλους τοὺς μεσημβρινοὺς ποιεῖ. Ut vero sex horæ quadrantem νυχθημέρου efficiunt, ita nonaginta gradus quadrantem circuli. Manilius, ubi de meridiano loquitur, & ejus mutationibus, per orbem horam dicit volare, hoc est, variare horam ortuum solis & occasuum. Ita autem versus ponendi sunt, ut leguntur in veteribus editionibus hoc modo :

Hic mutans per signa vices, seu si quis Eoos,
Seu petit Hesperios, supra se circinat orbem
Verticibus superadstantem, mediumque secantem
Cælum, & diviso signantem culmine mundum,
Quando aliis aliud medium est, volat hora per orbem;
Cumque loco terræ cælumque ac tempora mutat.

Meridianus, inquit, diviso culmine signat mundum, malim etiam legere *diverso*. In libris enim hæ duæ voces sæpe invicem mutantur, *divisus* ac *diversus*. *Culmen* vocat τὸ γὰρ κορυφαῖον σημεῖον. Diverso igitur culmine signant mundum meridiani, quia aliis aliud medium est illud culmen, sive vertex. *Volat hora per orbem*, id est, per circulum illum, & locum terræ, id est, τὴν οἴκησιν, & cælum ac tempora mutat. Nam aliis aliunde sol oritur, & alibi occidit. Scaliger perperam hos versus ultimos sic transposuerat :

Cumque loco terræ, cælumque ac tempora mutat,
Quando aliis aliud medium est, volat hora per orbem.

Nihil opus erat hac trajectione. *Volat hora*, mutabilis est hora, vel tempus τῶν δύσεων, καὶ τῶν ἀνατολῶν. Sic ibidem,

Hos volucres fecere polos,

id est, mobiles. Et infra de horizonte :

Hæc quoque per totum volitabit linea cælum.

Ut de meridiano *horam volare per orbem* dixerat, ita heîc de horizonte dicit, *lineam per cælum volitare*, id est, mutari, ac variare. Sequitur apud Manilium locus insignis, aliquot versibus expressus, quibus exponit quomodo mutentur meridiani, atque ex eorum mutatione quomodo *volitet hora per orbem*. Eum locum eo lubentius afferam, quod nec à Scaligero intellectus est, nec quisquam puto illo cessante hodie intelligit. Ita ergo scribitur :

Atque ubi se primis extollit Phœbus ab undis,
Illis sexta manet, quos tum premit aureus orbis.
Rursus ad Hesperios sexta est, ubi cedit in umbras,
Nos primam ac summam sextam numeramus utramque,
Et gelidum extremo lumen sentimus ab igne.

In his explicandis speciem, ut loquuntur Jurisconsulti, prorsus alienam ponit Scaliger, & commentitiam. Scribebat Manilius in climate Romæ. Si ab illo meridiano, cui Roma subest, nonaginta gradus numeres orientem versus, devenies ad eum meridianum, cui subjacet India intra Gangem. Quum igitur Indis illis meridies est, & sol supra verticem, tum Romanis in ortu est. Hoc est, quod dicit.

Atque ubi se primis extollit Phœbus ab undis,
Illis sexta manet, quos tum premit aureus orbis.

Quando sol, inquit, oritur nobis Romanis, sic enim planè intelligendum, tum illis sexta hora est, hoc est, meridies, quos *premit aureus orbis*, quorum meridianum premit sol. Sequens versus ita inter-

A pungi debet, qui vulgo pessimè distinctus est:

Rursus ad Hesperios, sexta est ubi, cedit in umbras.

Pessimè inquam vulgo legitur.

Rursus ad Hesperios sexta est ubi, cedit in umbras.

Ut non mirum sit, si nihil boni ex ea interpunctione potuit vir summus exsculpere. Ubi, inquit, nobis sol oritur, tum Indis meridies est. At, ubi nobis sexta est hora, rursus illis sol in umbras cedit, & Hesperios petit, id est, occidit. Hesperii enim sunt, ubicunque sol occidit. Egregia certè ex levicula interpunctione emendatio. Ubi sol nobis oritur, illis, qui cum

B habent tum suprà verticem, meridies stat: ubi nobis sexta est, rursus illis sol occidit. Nihil verius. Quod sequitur id ostendit, & unice confirmat,

Nos primam ac summam sextam numeramus utramque,
Et gelidum extremo lumen sentimus ab igne.

Nihil istic Scaliger vidit, ut ex ejus interpretatione apparebit. Sic enim notat: *Nos, qui in Canariis sumus, eamdem horam primam diei numeramus, quam illi sextam. Primam & summam dixit, quia summa hora noctis, id est, duodecima confecta, init prima diei. Sic Attici* ἕνην καὶ νέαν *dicunt.* Nihil alienius à mente Manilii, quam hæc est expositio. Ait igitur auctor ex illis, quæ dixit, con-

C sequi, ut tam prima, quam suprema diei hora, pro meridianorum diversitate sexta debeat numerari. Etenim quum sol oritur Romanis, prima hæc illis diei est hora. At Indis tum sexta est, vel meridies. Rursus quando Romani meridiem habent, & sextam numerant, tum Indis occidit sol, & summa est illis diei hora. Sic utraque hæc hora, prima, inquam, & suprema, pro meridianorum varietate sexta numeratur.

Et gelidum extremo lumen sentimus ab igne,

id est, prima & summa diei hora, in ortu nimirum,

D & occasu solis gelidum lumen ab extremis mundi partibus, oriente, & occidente sentimus, quum tamen utramque horam, qua sol gelidior esse solet, alii atque alii pro diversa cæli inclinatione sextam numerent, quo tempore flagrantissimus est solis calor. Hic sensus Manilii, quem Scaliger non est assequutus. Ceterùm cum meridianis mutantibus nec umbræ mutantur, & nec dierum spatia, nec climata, sed ortus tantum, & occasus tempora, hoc est, exordia dierum, & exodia. Cum parallelis porro mutant se solis umbræ, ac climata variant, & ἐξάρματα. Cum utrisque, hoc est, meridianis & parallelis variantibus variant etiam hori-

E zontes. Immo & quamcunque in partem mundi quis progrediatur, novos subinde, atque alios sibi horizontes facit. In geographicis maris & terræ dimensionibus, ac divisionibus, nulla unquam ὁριζόντων habita est ratio, sed meridianorum tantum, & parallelorum. Per hæc duo longitudinem ac latitudinem τῆς οἰκουμένης metiri instituerunt veteres geographi. Longitudinem ejus sumpserunt ab ortu ad occasum : latitudinem à septentrione ad meridiem. Quia scilicet longiora essent terræ tum cultæ, ac cognitæ latera, ac magis protenderentur ad occasum, & ortum, quàm ad septentrionem, & meridiem, qua parte tamen erat latior,

F nam ad orientem & occidentem mari stringebatur in arctum, τὰ ἄκρα συνήγετο. Dionysius :

Μνήσομαι, Ὠκεανοῖο βαθυῤῥόου, ἐν γὰρ ἐκείνῳ
Πᾶσα χθὼν ἅτε νῆσος ἀπείριτος ἐστεφάνωται.
Οὐ μὴν πᾶσα διὰ πρὸ περίδρομος, ἀλλὰ διαμφὶς
Εὐρυτέρη βεβαυῖα πρὸς ἠελίου κελεύθους,
Σφενδόνῃ εἰοικυῖα.

Duæ heîc lectiones variæ, ὀξυτέρη & εὐρυτέρη, sensus tamen idem ex utraque efficitur. Si legamus εὐρυτέρη, sic erit distinguendum : ---- ἀλλὰ διαμφὶς

Εὐρυτέρη, βεβαυῖα πρὸς ἠελίοιο κελεύθους
Σφενδόνῃ εἰοικυῖα.

G Quum sit latior, ab utroque laterum, id est, septentrione, ac meridie, strictior, & fundæ similis evadit *ad solis vias*, hoc est, ad occidentem, & orientem. Talis est fundæ facies, in medio latior, ad fines stringitur, & coërcetur. Haud scias, utro modo legerit Eustathius, rectè tamen interpretatur. Si ὀξυτέρη scribamus, idem erit sensus, sed aliter fuerit exponendum illud διαμφὶς.

---- ἀλλὰ διαμφὶς
Ὀξυτέρη.

Sed utrimque scilicet contractior, ab oriente scilicet, & occidente,

occidente, similis fundæ pergens πρὸς ἠελίοιο κελεύθους, ad ortum, & occasum. Sic plane legit Priscianus, qui sic vertit:

Non tamen assiduo teres undique margine circum
Clauditur hæc, bissido sed littore brachia pandens
Artatur rapidos cursus ad solis utrinque.

Avienus εὐρυτέρη reperit in suo exemplari, quæ & vetustissima est lectio. Sed quum concoquere non posset, terram dici latiorem ad orientis fines, ubi arctior est, de mari, vel oceano ipso hoc dictum accepit, non de terra. Sic enim reddidit:

Oceani nam terra salo præcingitur omnis
Parva, ut cæruleo caput effert insula ponto.
Nec tamen extremo teres est sinus undique in orbem
Qua colitur populis, qua tellus paret aratro,
Sed matutino qua cœlum sole rubescit
Latior, accisi curvantur cespitis arva,
Cetera protentus.


Verba illa, οὐ μὴν πᾶσα διὰ περὶ περίδρομος, de oceano accepit, quasi θάλασσα subintelligeretur κατὰ σχῆμα σημαινομένου. Dicit igitur sinum illum oceani, quo tota terra habitabilis ambitur, ac cingitur, non æqualiter teretem circumfundi orbi terrarum, sed latiorem esse, ubi sol oritur, ideo & terras ibi in angustiam constringere. Ἠελίου κελεύθους de oriente tantum exposuit, quasi ibi propriè ἠελίου κέλευθοι statuendæ sint, unde sol iter suum auspicatur. Sed toto cælo falsus est. Atque hæc obiter. In terræ globo, qui coleretur universus, ac nosceretur, longitudinis, aut latitudinis imaginatio nullum haberet locum. Sed in illa τῆς οἰκουμένης figura, qualis tunc erat longior quam latior, commodissimus, immo necessarius his locus fuit. Ut eam igitur longitudinem, ac latitudinem orbis optimè capere possent, ac dividere, duas rectas lineas sumpserunt, quæ sese ad rectos angulos invicem partirentur, quarum altera per longitudinem orbis terræ, qua maximè longus est, altera per maximam latitudinem duceretur. Illa parallelorum est, ista meridianorum. Distantiæ κατὰ μῆκος ex meridianis colliguntur, distantiæ κατὰ πλάτος ex parallelis. Sed quia meridiani, & paralleli infiniti possunt existere, per quamlibet στιγμιαίαν πάροδον utrisque mutantibus, vixque sentiri potest hujusmodi παράλλαγμα, definierunt mathematici longius intervallum, intra quod αἰσθητὸν καταληπτὴ fieret hæc mutatio. Plinius: *Vasaque horoscopa non ubique eadem sunt usui, in trecentis stadiis, aut ut longissime, in quingentis mutantibus semet umbris solis.* Qui in quingentis stadiis mutari solis umbras dixerunt, hi sunt utique, quibus & placuit parallelos ac meridianos ὡς πρὸς αἴσθησιν in pari stadiasmo alios fieri. Eadem quippe ratio est meridianorum, & parallelorum, quibus umbrarum momenta mutantur, & dierum magnitudines. Martianus Capella: *Denique ipsa vasa, quæ horoscopa, vel horologica memorantur, pro locorum diversitatibus immutata componuntur, alioque gnomone ultra quingenta stadia discernuntur umbris.* Per gnomonica enim instrumenta ex umbrarum ratione, vel per dioptrica colligitur hæc climatum differentia, quæ sensu percipitur. Eam in trecentis stadiis sentiri scripserunt, alii in quadringentis, alii qui longissimè, in quingentis. Hipparchus in quadringentis stadiis sensibilem eam fieri parallelorum, sive climatum varietatem existimabat. Strabo lib. 11 de Hipparcho: καίτοι ἐκεῖνόν γε καὶ παρὰ τετρακοσίους σταδίους αἰσθητὰ ἀποφαίνεσθαι παραλλάγματα, ὡς ἐπὶ τοῦ δι' Ἀθηνῶν παραλλήλου, καὶ τοῦ διὰ Ῥόδου. Sequitur apud Strabonem corruptissimus longe locus, & viro doctissimo deploratus, quem minima mutatione sic restituimus: Ἔστι δὲ τὸ πρὸς αἴσθησιν οὐχ ἁπλοῦν. Ἀλλὰ τὸ μὲν ἐν πλάτει μείζονι, τὸ δ' ἐλάττονι. Μείζονι μὲν, εἰ αὐτῷ τῷ ὀφθαλμῷ πιστεύομεν, ἢ καρποῖς, ἢ κράσεσιν ἀέρων πρὸς τὴν τῶν κλιμάτων κρίσιν, ἐλάττονι δ' ἂν, δι' ὀργάνων γνωμονικῶν, ἢ διοπτρικῶν. Editum est vulgo: μείζονι μὲν ἐν αὐτῷ τῷ ὀφθαλμῷ πιστευομένη καρποῖς. Sed & pessime vir eruditus emendabat, ἐν πίστει μείζονι. Nihil tam contrarium Strabonis menti. Climatum differentia ex parallelorum diversitate, & cæli varia inclinatione, ἐν τῷ πλάτει τῆς οἰκουμένης sumitur, ut meridianorum variatio ἐν τῷ μήκει. Dicit igitur Strabo eam climatum varietatem, quæ sensu comprehenditur, duplici modo colligi solere, in majore latitudine, & in minore. In majore quidem latitudine percipi, quum oculis nostris credimus, aut fructibus, aut aërum temperiei, ad judicium ferendum de climatum varietate. Optima igitur emendatio, εἰ αὐτῷ τῷ ὀφθαλμῷ πιστεύομεν, ἢ καρποῖς, ἢ κράσεσιν ἀέρων πρὸς τὴν τῶν κλιμάτων κρίσιν. Nam male etiam vulgo scriptum est, πρὸς τὴν τῶν κλιμάτων κρᾶσιν. Ceterum clementior aër, aut rigidior diversum ostendit regionis clima. Fructus alii in aliis regionibus nascuntur, & variam inclinationem cœli fatentur. Oculis hoc ipsum arbitramur, quum omnia phœnomena dissimilia apparent, & situs terræ dissimilis. Hæc differentia climatum ὡς πρὸς αἴσθησιν, ἐν πλάτει μείζονι colligitur. Etenim sæpe fit, ut per aliquot stadiorum eamdem aëris temperiem sentiamus, eosdem gigni fructus videamus, & alia quædam similia reperiamus. Quin altera ratio, qua idem deprehendimus, ἐν πλάτει ἐλάττονι, sed ea est quæ ex gnomonicis, & dioptricis instrumentis comparatur. Hanc diversitatem climatum αἰσθητὴν, quæ ex umbrarum incrementis capitur, ad quadringenta stadia sentiri pronuntiavit Hipparchus, alii ad trecenta, alii ad quingenta. Sequitur apud Strabonem: ὁ μὲν οὖν δι' Ἀθηνῶν παράλληλος γνωμονικῶς ληφθεὶς εἰκότως ἐν σταδίοις τοσούτοις αἰσθητὴν ἐποίησε διαφορὰν, id est, ἐν τετρακοσίοις σταδίοις. Ergo parallelus, qui per Athenas transit ἐν πλάτει, distat à parallelo διὰ Ῥόδου, καὶ Καρίας stadiis quadringentis. Sic parallelus à parallelo secundum Hipparchum stadiis quadringentis longe est, quo in spatio notabilem, ac sensibilem fieri climatis variationem putavit. Ptolemæus gradus unius latitudinis differentiam ponit inter Athenas, & Rhodum insulam. Athenas enim locat sub gradu latitudinis trigesimo septimo & quadrante: Lindum & Jalysum, Rhodi insulæ urbes sub gradu trigesimo sexto. At Ptolemæus singulis partibus, sive gradibus quingenta stadia tribuit, hoc est, sexaginta duo milia passuum & quingenta. Pro quibus hodie numerant leucas quindecim. Idque spatium partis unius latitudini respondere volunt in terræ mensura. Scaliger notat Eratosthenem illud intervallum, quod uni parti cælestis circuli respondet, quodque meridianorum, ac parallelorum perceptibilem sensu mutationem importat, DCC stadiis finivisse. Certè Eratosthenes æquinoctialem circulum totum scripserat esse stadiorum ducentûm & quinquaginta duûm milium. Ergo unius circuli quadrans stadiorum erit trium ac sexaginta milium. Si quadrantem illum porro in nonaginta partes, sive gradus tribuas, ut posteriores fecere mathematici, singulæ partes constabunt stadiis septingentis. Hæc cum ita sint, non tamen eam fuisse Eratosthenis sententiam certum est, ut existimaverit meridianorum, & climatum varietatem, quæ quidem sentiatur, fieri in septingentis stadiis, & stadiasmum hunc terrestrem paria facere cum uno gradu cælestis circuli. Posteriorum hæc fuerit mathematicorum divisio, ut Marini Tyrii, & Ptolemæi, qui circulos in sphæra maximos trecentarum sexaginta partium constituerunt, quas singulas in telluris superficiem ita pervenire statuerunt, ut unius partis, vel gradus mensura quingentis in terra stadiis finiretur. Ceterum veteres astronomi, & geographi maximum sphæræ circulum in sexaginta tantum partes dividebant, non in trecentas sexaginta. Eratosthenes itaque, qui circuli æquinoctialis complexum tot stadiis metabatur, quot suprà diximus, sexaginta tantum partium eumdem faciebat, ita ut quadrans circuli quindecim tantum partes haberet, non nonaginta, singulæ autem partes stadiorum essent quatuor milium ac ducentorum. Id clarissimè ostendit Strabonis locus lib. 11, quem & afferam, ut emendem: ὄντος δὴ κατ' Ἐρατοσθένη τοῦ ἰσημερινοῦ κύκλου σταδίων μυριάδων πέντε, καὶ εἴκοσι καὶ δισχιλίων, τὸ τεταρτημόριον εἴη ἂν ἓξ μυριάδες, καὶ τρισχίλιοι. Τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ ἐπὶ τὸν πόλον, πέντε καὶ δέκα ἑξηκοστὰ σταδίων, οἵων ἐστὶν ὁ ἰσημερινὸς ἑξήκοντα. Ex his patet æquinoctialem circulum Eratostheni in sexaginta tantum partes fuisse divisum. Sic quadrans circuli quindecim erit partium. Ab æquinoctiali circulo ad polum tantum patet intervalli, quantum est in quadrante æquinoctialis. Hoc sunt quindecim sexagesimæ. Legendum igitur in Strabone: πέντε καὶ δέκα ἑξηκοστῶν, οἵων ἐστὶν ὁ ἰσημερινὸς ἑξήκοντα. *Quindecim sexagesimarum, quales habet æquinoctialis sexaginta.* Nam sexaginta sexagesimæ

gesimæ sunt in toto complexu circuli æquinoctialis. Recta igitur emendatio ἑξηκοστάδων pro ἑξηκοστὰ σταδίων. Ἡ ἑξηκοστὰς, idem quod ἑξηκοστή. Ut ἑβδομὰς idem quod ἑβδόμη, pars septima. Nam ἑβδομάδες apud Josephum Sabbatha sunt. Corrigebat Casaubonus ἑξηκοντάδων. Sed ἑξηκοντὰς non est sexagesima pars, sed numerus totarum sexaginta partium, ut ἑκατοντὰς non est pars centesima, sed centuria. Sic δεκὰς non decima portio, sed decuria. Falsum est igitur, quod adstruebat Scaliger, πάροδον illam, quæ meridianum αἰσθητῶς καταλήπτην comprehendere possit, juxta Eratosthenem esse stadiorum DCC, & gradus unius longitudinis. Antiqui meridianos in trecentis stadiis ὡς πρὸς αἴσθησιν mutari crediderunt. Geminus, & ex eo Proclus: ἀλλὰ πρὸς μὲν τὴν αἴσθησιν σχεδὸν ἐπὶ σταδίους τριακοσίους ὁ αὐτὸς μένει μεσημβρινός. Eadem ratio obtinere debet & in parallelorum, ac climatum mutatione αἰσθητῇ, quæ ex umbrarum momentis colligitur. Idem igitur manet clima in trecentis stadiis, ut idem meridianus. Atque ita sensisse quoque Eratosthenem liquido probari potest ex Cleomede lib. I. Ubi methodum illam explicat, qua idem Eratosthenes ex gnomonicis & geometricis rationibus reperit, quot stadiorum esset terræ circuitus. Hoc exponens ipsis, ut credere par est, Eratosthenis verbis, dicit in oppido Syene sub solstitio, horologiorum gnomonas umbram non jaculari. Καὶ τοῦτο, inquit, γίνεσθαι λόγος ἐπὶ σταδίους τριακοσίους τὴν διάμετρον. Si per trecenta stadia circa Syenen manent ἄσκιοι γνώμονες, quando sol conficit solstitium, paria umbrarum momenta, atque idem manere clima per illud stadiorum spatium plusquam certum est. Et hæc fuit Eratosthenis opinatio, nec alia fortasse Hipparchi, qui παρὰ τοὺς τετρακοσίους σταδίους αἰσθητὰ παραλλάγματα umbrarum, climatum, ac latitudinis fieri putavit, ut ex Strabone didicimus. Etenim si per trecenta stadia nulla fit mutatio umbrarum, nec climatum, intra quadringenta stadia eam fieri oportet, hoc est, παρὰ τοὺς τετρακοσίους σταδίους. Eadem ratio & meridianorum. Quippe si manet idem meridianus in trecentis stadiis, nonnisi post trecenta finita alius fit, atque adeo intra quadringenta mutatur. Eorum tamen verborum hic sensus est, quasi dicamus, παραλλάγματα illa fieri de quadringentis in quadringenta stadia. Nam & Geminus, & Proclus idem manere clima, & umbrarum eamdem esse rationem per quadringenta stadia dixerunt, non per trecenta, ut fuit Eratosthenis sententia. Igitur si post quadringenta stadia peracta mutantur umbræ, hoc est, ὑπὲρ τετρακοσίους σταδίους, intra quingenta stadia, momenta illa umbrarum variari oportet, & climatum situs. Sanè qui minimum spatium mutandis cum aliquo sensu parallelis, & meridianis posuerunt, in trecentis stadiis ambo mutari scripsere: qui longissimum, in quingentis. Hoc est *de quingentis in quingenta*, quod Græci dicerent, παρὰ πεντακοσίους σταδίους. Plinius de sciotheris: *non ubique eadem sunt usui, in trecentis stadiis, aut, ut longissimè in quingentis, mutantibus semet solis umbris.* Vetustior illa opinio de trecentis, hæc recentior, quæ quingenta numerat. Tantum deest ut Eratosthenes, aut quisquam antiquiorum septingenta eidem rei designandæ constituerit, vel tot stadia singulis partibus circuli cælestis adscripserit, qui in sexaginta partes maximum circulum dividebat. Recentiores, ut Marinus Tyrius, & Ptolemæus numero illo sexies ducto, pro sexaginta partibus trecentas ac sexaginta fecerunt, & partibus singulis quingenta stadia in terræ superficie respondere sanxerunt. Qua in partitione facienda, & stadiasmo adscribendo, neutiquam eos respectum habuisse puto, in quot stadiis meridianorum ea fieret mutatio, quæ sensu percipi posset. Nusquam sane ejus rei meminit Ptolemæus, quod tamen tanti est, ut non omittendum fuisse videatur. Præterea idem Ptolemæus post Marinum in longitudine terræ dimetienda, non in omnibus parallelis eumdem stadiasmum singulis gradibus attribuit. Sub æquinoctiali singulæ quidem partes quingenta stadia in terrestri positione complectuntur. At in parallelo διὰ Ῥόδου, qui triginta sex partibus ab æquinoctiali distat, eamdem περιφέρειαν quadringentis tantum stadiis terrestribus donat, ex Marini sententia lib. I. cap. XI. Καὶ ἐπὶ τὸ τὴν μὲν μίαν μοῖραν, οἵων ἐστὶν ὁ μέγιστος κύκλος μοιρῶν τριακοσίων ἑξήκοντα, πεντακοσίους ἐπὶ τῆς ἐπιφανείας τῆς γῆς ἀπολαμβάνειν σταδίους, ὅπερ ταῖς ὁμολογουμέναις ἀναμετρήσεσι σύμφωνόν ἐστι. Τὴν δ' ὁμοίαν αὐτῇ περιφέρειαν τοῦ διὰ τῆς Ῥοδίας παραλλήλου, τούτεστι τοῦ ἀπέχοντος ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ μοίρας τριάκοντα ἓξ τετρακοσίους ἔγγιστα σταδίους. Idem per illum parallelum Rhodiensem orbis tum cogniti longitudinem à Canariis insulis ad metropolim Sinarum ponit esse graduum centum octoginta, horarum duodecim, ὥστε συνάγεσθαι καὶ τοῦ διὰ τῆς Ῥοδίας μήκους, σταδίους ἑπτακισμυρίους, καὶ δισχιλίους ἔγγιστα. In hac computatione videre est, quadringenta tantum stadia eum statuisse singulis partibus in parallelo, qui per Rhodum transit. Rationem hanc adfert cap. XXI. Quod meridiani inter se non sint paralleli, vel æquidistantes, sed inæquales arcus faciant in majoribus, ac minoribus parallelis, & majores quidem in iis parallelis, qui æquinoctiali viciniores sunt. Marinum autem reprehendit eo nomine, quod pro meridianis circulis rectas lineas duceret, & sic æquales omnium distantias statuerit in omnibus parallelis, ultra justum extendens, quæ propius à polo absunt, & contrahens, quæ proximiores sunt æquinoctiali. In parallelo διὰ Ῥόδου proportionem eam servaverat tantum, quæ ἐπίτριτον λόγον obtinet. Nam qualium est æquinoctialis quinque, talium est Rhodi parallelus quatuor, & semissis, qui distat ab æquinoctiali partes, sive gradus triginta sex. Ideo singulis gradibus longitudinis in illo parallelo quadringenta tantum stadia imputaverunt, non quingenta, ut in maximo circulo. Ratio quidem τοῦ ἐπιτρίτου postulabat, ut quadringenta & quinquaginta stadia darentur. Nam si qualium est partium quinque circulus æquinoctialis, talium est quatuor & semissis parallelus Rhodi, ita quemadmodum quingenta stadia singulis partibus maximi circuli tribuuntur, sic quadringenta quinquaginta assignari debuerunt gradibus paralleli Rhodiensis. Sed τὸ ὑπερβάλλον, inquit Ptolemæus, αὐτῷ καὶ τὸ τοῦ λόγου τῶν παραλλήλων ἀκριβοῦς, ὀλίγον ὡς ἐν ὁλοσχερεῖ καταλήψει παραλελείφθω. In aliis parallelis eadem proportio custodiri debuit, sed in parallelo Rhodi idcirco præcipuè observata est, quod in orbis dimensione τοῦ μήκους plurimæ, & maximè notabiles distantiæ per eum explicarentur. Sic in latitudine orbis terrarum metienda singuli gradus quingentorum fuere stadiorum, in longitudine per parallelum διὰ Ῥοδίας quadringentorum. Non igitur habita ratio est mutationis sensibilis meridianorum in his partibus circuli maximi constituendis, & in stadiasmo adscribendo. Nec verum est in quingentis stadiis juxta Ptolemæum πρὸς αἴσθησιν meridianos alios fieri, atque idcirco gradus unius factam illam πάροδον, quæ meridianum sensibilem exhibeat. Nam in parallelo διὰ Ῥόδου quadringentis tantum stadiis singuli gradus constant, quot stadiis invicem disparati essent meridiani, siquidem ad singulos gradus variarent, eademque foret unius gradus longitudo, ac duorum meridianorum intervallum. Idque maxime Scaligerum revincit. Nec enim singulis gradibus meridianum alium adponit Ptolemæus, ut totidem sint meridiani, quot gradus sunt, sed per quinque gradus, qui trientem horæ efficiunt, singulos scribit meridianos. Ἡμῖν μέντοι, inquit, σύμμετρον ἔδοξεν εἶναι, τοὺς μὲν μεσημβρινοὺς γράφειν διὰ τριτημορίου μιᾶς ὥρας ἰσημερινῆς, τούτεστι διὰ πέντε τῶν εἰλημμένων τοῦ ἰσημερινοῦ τμημάτων. Ut sex horæ sunt quadrans diei, hoc est, νυχθημέρου, sic etiam sunt quadrans circuli in gradibus nonaginta, ita ut hora una quindecim gradibus respondeat, triens horæ quinque gradibus, singuli vero gradus quatuor horaria scripula detineant. Meridiani, qui per trientem horæ describuntur, invicem distant gradibus quinque, hoc est, stadiis bis mille & quingentis. Latissimè fanè veteres geographi sumpserunt meridianorum intervalla, & mutationes. Posidonius in ea demonstratione, qua circuitum terræ quot stadiorum esset, ostendebat, sub eodem meridiano Rhodon insulam censebat, & Alexandriam. Atqui Rhodos in longitudine locatur graduum quinquaginta octo & viginti sexagesimarum: Alexandria sita est in longitudine graduum sexaginta & semissis. Plus quam duobus gradibus Rhodos occidentalior Alexandria, quæ tamen sub eodem meridiano censetur. Eratosthenes in eadem apodixi facienda ex gno-


gnomonicis, ac geometricis rationibus pro confesso ponit Alexandriam, & Syenen sub eodem esse meridiano. At Syene in longitudine ponitur sexaginta duûm. Sic duobus iterum gradibus occidentalior Alexandria, quam Syene. Sic duo gradus, hoc est, mille stadiûm meridiani differentiam non faciunt. Sed hoc parum. In tribus tantum stadiorum milibus notabilem fieri meridiani diversitatem, & intra eam stadiasmi mensuram unum, eumdemque manere meridianum, veteribus geographis persuasum esse ferme video. Quod ut constare possit, insigni Strabonis loco id ostendam, cui præstruenda quædam sunt de tabula mundi geographica ab Eratosthene delineata. In ea tabula constituenda teste eodem Strabone, orbem terræ linea ducta in duas diviserat partes, quæ ab occasu ad ortum porrigebatur, æqualiter ubique dissita à linea æquinoctiali. Hujus lineæ fines ad occasum posuerat in Herculis columnis: ad ortum in extremis montium partibus, qui terminant latus Indiæ septentrionale. Eam igitur lineam à columnis Herculis ducebat per Siculum fretum, Peloponnesi & Atticæ partes ad meridiem versas usque ad Rhodi oram maritimam, & Issicum sinum, deinde per Tauri montana usque in Indiam. In eo geographico opere multa peccasse Eratosthenem notat Strabo, nec pauciora in eo reprehendendo Hipparchum ipsum. In designandis locorum intervallis immaniter eum errasse aliquot argumentis probat idem Strabo. Inter alia unum hoc ponit, quod ab Alexandria ad Carthaginem stadia numeraret plura quam tredecim milia. Atqui, inquit Strabo, plura non possunt esse novem milibus, siquidem verum est, quod ille adstruit, sub eodem meridiano esse Rhodon, & Alexandriam, & sub eodem Carthaginem, & fretum Siculum: ἐκ δὲ Ἀλεξανδρείας εἰς Καρχηδόνα ὑπὲρ μυρίους, καὶ τρισχιλίους, οὐ πλείους ὄντας τῶν ἐννακισχιλίων, εἴπερ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ἐστὶ μεσημβρινοῦ κατὰ τοῦτον τῇ μὲν Ἀλεξανδρείᾳ, Καρία, καὶ Ῥόδος, τῇ δὲ Καρχηδόνι ὁ πορθμός. Ponatur, quod ille asserebat, Carthaginem, & fretum Siculum sub eodem esse meridiano, unius ejusdemque meridiani intervallum non potest ad tria milia stadiorum extendi. Jam vero illud constat navigationem à Caria ad fretum non excedere stadia quinque milia. Sic enim ibi legendum: πάντες γὰρ ὁμολογοῦσι μὴ πλειόνων εἶναι τὸν ἐκ Καρίας ἐπὶ πορθμὸν πλοῦν σταδίων πεντακισχιλίων. Rursus juxta eumdem, Caria & Rhodos sub eodem meridiano cum Alexandria, ponantur in hoc intervallo ejusdem meridiani duo milia stadiorum. Sic ab Alexandria Carthaginem plura non erunt quam novem milia stadiûm. Quipple subjicit protinus: ὅ τε μεσημβρινὸς ἐν μεγάλῳ μέν τινι διαστήματι λαμβανόμενος δοθείη ἂν ὁ αὐτὸς εἶναι τῷ τοσοῦτον δυσμικωτέρῳ πρὸς τὸν ἑωθινώτερον, ὅσον ὁ Καρχηδών ἐστι τοῦ πορθμοῦ πρὸς δύσει μᾶλλον, ἐν δὲ τρισχιλίοις σταδίοις καταφανῆ τὸν ἔλεγχον. Si meridianus, inquit, in magno aliquo intervallo sumeretur, dari posset sub eodem esse meridiano fretum Siculum & Carthaginem, quæ tanto occidentalior est, sed quum in tribus stadiorum milibus manifestè convinci possit, ac deprehendi diversitas, id non dari potest, quod ille sumebat. Pessimè hunc locum reddidit interpres. Videntur ergo veteres duo milia, & quingenta dedisse meridianorum inter se distantiæ, quos & Ptolemæus sequutus est. Nam si tria milia stadiûm manifestam, & evidentem probant meridiani diversitatem, utique verisimile est intra stadiorum duo milia & quingentos eumdem manere, & hanc esse Strabonis sententiam. Quippe non dicit ab Alexandria Carthaginem non plus numerari debere quàm novem milia stadiûm, sed ex diversitate, ac intervallo meridianorum hoc sequi necessario. Etenim quum quinque milia stadiûm teneat navigatio à Caria, vel Rhodo usque ad fretum, Carthago autem fretumque sit sub eodem meridiano, & sub eodem rursus meridiano Alexandria & Caria, utrumvis horum intervallum, quod sub eodem meridiano statuitur, non poterit excedere duo milia stadiûm. Sic in totum erunt novem milia stadiûm ab Alexandria ad Carthaginem, aut ad summum decem. Ptolemæus Carthaginem ab Alexandria distare ait horam unam cum semisse ac quadrante horæ, hoc est, tredecim

A milibus, ac centum viginti quinque stadiis. Haud male igitur Hipparchus, vel Eratosthenes scripserat plus quam tredecim milibus stadiûm abesse Carthaginem ab Alexandria, sed in illo stadiasmo designando perperam adstruebat Carthaginem & fretum sub eodem locari meridiano, & Alexandriam, Rhodumque sub eodem, quod ex distantiæ meridianorum ratione stare non quit. Falsum igitur quod voluit Scaliger, meridiani παραλλαγὴν, quæ sensu percipitur, fieri juxta Eratosthenem in stadiis septingentis, juxta Ptolemæum in quingentis, & hunc stadiasmum terrestrem uni gradui respondere. Hoc si esset, Eratosthenes non sub eodem meridiano constituisset B Alexandriam & Syenen, quæ duobus gradibus longitudinis invicem sunt dissitæ. Nec Ptolemæus per quinque gradus unum semper meridianum adscripsisset. Quid igitur illis respondebimus veterum, qui meridianum τὸν αὐτὸν διαμένειν ἐν τριακοσίοις σταδίοις dixere, & ultra hunc numerum variare? Haud dubium certe est, quin mutetur meridianus in trecentis stadiis, ita ut hæc ejus mutatio sensu etiam percipiatur. Idque ex gnomonicis, ac sciothericis vasis deprehendi potest. In quingentis stadiis variat meridianus quatuor horariis scripulis, quod est spatium unius gradus. Sed parvorum hujusmodi momentorum parvam, aut nullam habuere rationem auctores geographici in assignandis C locorum, aut urbium positionibus sub aliquo meridiano. Propterea non breviore intervallo quam horæ triente, hoc est, viginti scripulis, per gradus scilicet quinque, meridianum alium fieri constituerunt. Hoc idem & in latitudinis intervallis pro definito similiter tenuisse videntur. Quum enim ex umbrarum ratione climata mutari πρὸς αἴσθησιν in trecentis, aut quadringentis, vel ad summum quingentis stadiis certum sit, ac compertum, in parallelis tamen notandis nullum tam pusillæ differentiæ respectum habuere. Hinc Ptolemæus in sexaginta tribus gradibus, qui ab æquinoctiali circulo numerantur D versus polum ipsum, parallelos unum & viginti modo descripsit. Ex his parallelis, qui proxime abest ab æquinoctiali, quatuor gradibus & quadrante ab eo distat, horariis scripulis quindecim, quæ horæ quadrantem efficiunt. Secundus horæ unius semisse differt, ac distat gradibus octo, & sexagesimis viginti quinque. Et sic de ceteris. Ultimus, qui διὰ Θύλης dicitur, differentiam habet horarum octo, & longe abest ab æquinoctiali gradibus sexaginta tribus. Atqui oportebat totidem fieri parallelos, quot gradus sunt. Quippe quum umbræ solis mutent se in quingentis stadiis, quæ unius gradus est latitudo, E intra hunc stadiasmum etiam climatum differitatem notari par fuit. Nam clima dicitur, quod est inter duos parallelos. Totidem ergo fieri parallelos conveniebat, quot gradus. Sic parallelon, qui per Athenas transit, quadringentis tantum stadiis distare à parallelo διὰ Ῥόδου paulo ante ex veteribus notabamus. Gradum unum huic intervallo Ptolemæus assignat. Sed quia in paucis admodum horariis scripulis hæc diversitas consistit, idcirco parvi eam penderunt in designationibus locorum sub eodem parallelo constituendis. F Proinde parallelos rariores ordinaverunt, ac tres aut quatuor gradus præter propter uni parallelo attribuerunt. Certe sexaginta tres gradus ab æquinoctiali ad polum in unum & viginti parallelos contribuerunt. Jam superest ut expendamus, fortean & solvamus aliam quæstionem, quæ Scaligerum habuit sollicitum. Hæc eodem spectat. Geminus, & Proclus meridianum, ὡς πρὸς αἴσθησιν, eumdem consistere per trecenta stadia scripsere. Horizontem vero eumdem perseverare in quadringenta. Quæ ratio diversitatis? G Totidem stadiis mutatio esse debebat in meridiano. Alter sine altero esse non potest. Quæ de uno dicuntur, & de altero dici necesse est. Si παραλλαγὴ horizontis non percipitur nisi κατὰ πάροδον stadiorum cccc, sequitur ut παραλλαξὴ meridianorum in totidem stadiis asserenda sit. Hinc eruditus hujus ætatis geographus pro τριακοσίων σταδίων legendum existimavit, τετρακοσίων, ut de horizonte. Ego aliter censeo. Utcunque dederis parem esse rationem circulorum ipsorum horizontis & meridiani,

utpote qui πρὸς ὀρθὰς sese invicem secent, dispar tamen ratio est utriusque mutationis, ac diversum κριτήριον, ut proinde minimè mirandum sit, non eumdem ab auctoribus assignari spatii modum, intra quem mutentur. Profectò nec in climatum differentia αἰσθητῇ afferenda ex umbris ipsi secum consentiunt, quando alii in trecentis, alii in quadringentis, nonnulli denique in quingentis ea variare affirment. Meridianorum porro & ὁριζόντων reciproca esset ratio, si quemadmodum meridiani mutantur ea transgressione, quæ fit ab ortu ad occasum, ita horizontes variarent transeuntibus à meridie ad septentrionem, ut Scaliger perperam ex Manilio asseverat. Sed horizontes cum meridianis & ipsi mutant, & præterea in quamlibet mundi regionem facta transitione horizontes αἰσθητοὶ sunt, meridiani λόγῳ θεωρητοί. De horizontibus oculi judicant: nam ibi finiuntur, & incipiunt, ubi visus terminatur. Meridiani alia ratione deprehenduntur, & mente sola notantur. Ipsi certè αἰσθητοὶ non sunt, sed eorum αἰσθητὸν παράλλαγμα in tot stadiis fieri dicitur. Nihil itaque simile. Quum ab oculis pendeat, ac visu horizontis finitio, modus ejus ab opticæ peritis petendus est. Hi dicunt directam ab oculis aciem contra tuentibus per planitiem ultra centum octoginta stadia non posse penetrare. Ergo in quamcunque oculos partem verteris, si in plano aspicias, non ultra hoc spatium visus perget. Quare orbem, vel circulum per extremitatem faciet is, qui oculos in omnem partem ita circumtulerit. Hic orbis horizon existet, cujus centrum erit ille, qui intuetur. Quum à centro ad circumferentiam stadia centum & octoginta posuerimus esse, diametrus utique habebit trecenta sexaginta stadia: homo qui centrum est illius circuli, si vel tantillum recesserit, vel processerit, ut centrum, ita & orbem illum, qui circa se est, mutabit. Sic στιγμιαῖα πάροδος horizontem variat. Sed tantula μετάπτωσις vix sensu capi potest. Quanta igitur opus erit transgressione, ut alius horizon ὡς πρὸς αἴσθησιν fieri intelligatur? An si à centro usque ad circumferentiam usque transitus fiat, & in puncto circumferentiæ centrum figatur, cujus centri circumferentia per prioris circuli centrum transeat? Certè hoc modo αἰσθητὴ παραλλαγὴ τοῦ ὁρίζοντος intra centum & octoginta stadia fieret, ut ex subjecta forma perspici potest.



Sed in hac figura ὅλος ὁρίζων οὐ μεταπίπτει, sed dimidium habet ex priore. Præterea non in centum & octoginta stadiis, sed in quadringentis horizontem mutari veteres tradiderunt. Ut igitur totus horizon mutetur, & alius fiat, non ex centro ejus ad finem circuli processio tantum facienda est, sed in totum novus debet fieri circulus, cujus circumferentia alterius orbis finem in puncto tangat hoc modo.



Sic varius ut horizon πρὸς αἴσθησιν fieri possit, ibi novus semper incipiendus est, ubi alius desinit. Et hæc

A horizontis μετάπτωσις post trecenta & sexaginta stadia procedit, tot enim stadiorum est uniuscujusque horizontis διάμετρος. Quod fermè convenit cum veterum scito, qui ἐν τετρακοσίοις σταδίοις αἰσθητῶς variare horizontes tradunt. Ita inquam planè manifestaria quoad sensum deprehenditur hæc horizontis variatio, quum omnia alia videntur, & situs locorum in totum mutatur. At in meridianis ὅλον ἄλλο ἐστὶν, cum parallelis potius reciproca est eorum ratio, quam cum horizontibus. Profectò quantum ad sensum attinet, post trecenta stadia tam climatum quam meridianorum B παραλλάξιν procedere convenit inter veteres, idque posse colligi ex umbrarum momentis, & sciothericis, cum utrisque variant & horizontes, non pari tamen ratione, nec pari sensu. Ceterum quod suprà posuimus omnis horizontis diametron non plus tenere spatii, quam trecenta octoginta stadia, quia visus hominis in plano contrà aspicientis ultra centum & octoginta non pertendat. Ab hac sententia longè deviat, quod in sphæra Procli legitur, dimetientem horizontis habere duo milia stadiûm. Αἰσθητὸς μὲν οὖν ἐστιν ὁρίζων, ὁ ὑπὸ τῆς ἡμετέρας ὄψεως περιγραφόμενος καὶ τὸν ἀποπερματισμὸν τῆς ὁράσεως, ὡς οὐ μείζονα τὴν διάμετρον C ἔχειν σταδίων δισχιλίων. Nec assentior erudito geographo, & critico, qui Proclum heîc loqui putat de horizonte λόγῳ θεωρητῷ, quique adeo hæc sic distinguit, ut horizon αἰσθητὸς diametron habeat trecentorum & sexaginta stadiorum, at λόγῳ θεωρητοῦ horizontis diameter sit duûm milium. Quod est falsissimum. De horizonte αἰσθητῷ quique visu circumscribitur, apertè loqui fatetur Proclus. Sequitur quippe de altero: ὁ δὲ λόγῳ θεωρητὸς ὁρίζων ἐστὶν ὁ μέχρι τῆς τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων σφαίρας διήκων. Præterea ὁ λόγῳ θεωρητὸς horizon ἀπὸ τοῦ αἰσθητοῦ non differt, nisi quatenus illius orbis usque ad octa- D vam sphæram perducitur. Hujus gyrus acie oculorum in terrestri ambitu finitur. Sed non aliud centrum habet ὁ λόγῳ θεωρητὸς quam αἰσθητὸς, nec aliter mutatur, nec alia censetur in terræ finitione. Cur igitur in ejusdem horizontis diametro alii duo milia stadiûm numerant, alii trecenta tantum & octoginta? Definitio horizontis ab omnibus eadem hæc agnoscitur, ὁ ὑπὸ τῆς ἡμετέρας ὄψεως περιγραφόμενος καὶ τὸν ἀποπερματισμὸν τῆς ὁράσεως. Itaque quo usque longissimè poterit ire oculorum acies, terminus ibi horizontis statuetur. Negatur pertendere ultra centum & E octoginta stadia, ergo diameter horizontis erit trecentûm & sexaginta. Extitere tamen quidam, qui perviderunt usque ad centum triginta quinque milia passuum, ut apud Plinium habetur lib. VII: qui passuum numerus efficit stadiûm mille & octoginta. Cicero: *at ille nescio quis, qui in scholis nominari solet, quæ mille & octoginta stadiis abessent, videbat.* Illius nescio cujus horizon non paucioribus stadiis circumscriptus erat, quam quo usque valebat oculorum ejus acies videre. Horizontis itaque illius diameter duûm milium & centum sexaginta fuit. Huc respexisse opinor Proclum, quum diametron horizontis habere F dixit σταδίων δισχίλια. Ab hominis nimirum clarissima oculorum acie præditi visu eam rem definivit, ac spectavit, non quod vulgo fieret, sed quod aliquando fieri posset, quia aliquando id factum esset. Sed negat λόγος ὀπτικὸς etiam acutissimam aciem eo usque pervenire posse, quo alias perveniret, nisi obstaret terræ, aut maris σφαιροειδὴς ἐπιφάνεια. Hæc de horizontibus, meridianis, parallelis ad hoc instituta est nobis exercitatio, ut pleraque non intellecta viris maximis promeremus, & Solinum nugas egisse doceremus, qui fontes Euphratis, & Nili G ad modulum ejusdem perpendiculi constitutos, sub eodem parallelo scribit, atque ideo easdem causas incrementi habere. Sed fortasse non fontes ipsos, sed fluminum alveum, ac cursum sub simili parallelo locat. Ita enim tradit: *quod gnomonici similibus parallelis accidere contendunt, quos pares in terrarum positione æqualitas facit normalis lineæ. Unde apparet ista duo flumina, licet diversis manent plagis, easdem incrementi causas habere.* Ergo è diversis quidem plagis manant, sed fluunt sub eodem parallelo. Nec verum istud est. An sub eodem meridiano? Ne hoc quidem. Illud saltem

saltem dici potest sub eodem parallelo utriusque fluminis ἐκβολὰς esse. Sed ridicula hæc ratio, ut duo ista flumina easdem incrementi causas ideo habeant, quia sub eodem parallelo in mare exeant. Hoc tamen voluit Solinus, vel quisquis ille est, quem sequitur. *Quos pares in terrarum positione æqualitas facit normalis lineæ.* Videtur *normalem lineam* appellare τὴν παράλληλον, & æquè distantem. Aggenus *normalem lineam* apud Frontinum interpretatur *mensuralem*. Frontinus: *Nam & reliquarum mensurarum actus, quidquid inter normalem lineam, & extremitatem interest, subsecivum appellatur.* Inde & *normales limites*, qui normali linea clusi. Normalis linea ea proprie dicebatur in mensuris agendis, quæ latus quadrati cludebat ad angulos rectos. Omnis quippe limitationis formam in quantum dabatur, in tetragonum redigebant agrimensores. Extra mensuræ quadratum si quid superesset, id *subsicivum* vocabant, quod inter extremitatem erat & normalem lineam, qua limitationis quadratura claudebatur. Normalis igitur linea est, quæ cum alia recta linea rectos angulos facit, sive ex media erigatur, sive ex fine. Vitruvius: *describatur linea in planitia, & ex ea media πρὸς ὀρθὰς erigatur, uti sit ad normam, quæ dicitur gnomon.* Linea ad normam erigitur, quæ πρὸς ὀρθὰς, id est, rectos angulos, ex aliæ medio emittitur. Vetus agrimensor: *L si in termino inveneris, normæ facturam designat, & limitem gammatum.* Sic littera L. normæ formam repræsentat. Inde normalis linea. Hyginus de limitibus: *per quam lineam cardinem dirigemus, & ab ea normaliter in rectum decumanos emittemus.* Idem: *ejiciemus deinde rectam lineam ex I & E, quæ erit ortus & occasus. Ex hac in rectam lineam ejiciemus, hoc est, normaliter. Hæc erit meridiano ordinato.* Ubi *in rectum* est πρὸς ὀρθὰς. Nisi legendum sit, *ex hac in erectum rectam lineam ejiciemus.* Rectam lineam in erectum ejicere est, quod Vitruvius dixit, *lineam erigere* πρὸς ὀρθὰς, uti ad *normam sit.* Frontinus: *nisi quod de terra quidquid nascitur in erectum exit, & illam terræ obliquitatem crescendo atterit.* In erectum exit, quidquid ad rectos angulos erigitur, hoc est, normaliter. Alibi tamen *in rectum* apud Hyginum dicitur, quod Græci πρὸς ὀρθὰς: *per quam lineam cardinem dirigemus, & ab ea normaliter in rectum decumanos emittemus.* In rectum, πρὸς ὀρθὰς, hoc est, normaliter. Auctor incertus: *& ad omnes angulos signa ponere, quæ normaliter ex rigore agantur.* Ubi *normaliter* idem est, quod ad angulos rectos. Norma enim ex angulis rectis componitur. Hinc *angulus* rectus propriè Latinis *normalis* dictus, qui ex rectis lineis comprehenditur. Acutus angulus, quia compressior erat recto, *minus normali*: ut contra obtusus angulus, quia excedit recti normam, *plus normali* appellatus. Norma est, qua anguli exiguntur, an recti sint. Ut perpendiculum, quo altitudines: linea vel regula, qua longitudines explorantur. Græcis norma, γνώμων. Lucianus in Harmonide: ὁ γνώμων φασὶ, καὶ ὁ κανὼν τῶν τεκτόνων, *norma & regula talium.* Glossæ: *norma*, ἀκολουθία, τύπος, καλάπους, γνώμων. Cicero Acad. II. *Atqui si id crederemus, non egeremus perpendiculis, non normis, non regulis* καθέτοις, γνώμοσι, κανόσι. Male igitur Solinus *normalem lineam* de parallela, & æquidistante usurpavit. A norma dicitur *enormis*, ὁ ἀγνώμων. Græci ἀνόητον, & ἀλόγιστον exponunt. Vetus Fragmentum agrimensorum: *omnium autem summitatum metiundi observationes sunt duæ; enormis, & liquis. Enormis, quæ in omnem actum rectis angulis continetur. Liquis, quæ minuendi laboris causa, & salva rectorum angulorum ratione secundum ipsas extremitates subtenditur.* Dicit *enormem* vocari, quæ rectis angulis continetur. Immo *normalis* hæc est. Nam sic vocatur rectus angulus, rectis lineis comprehensus. At contra *enormis*, qui non est rectus, ut hebetes, & acuti anguli plane sunt enormes. Scribendum: *normis & liquis. Normem* vocat normalem. Notabis obiter in eodem fragmento veterem loquutionem; *omnium autem summitatum metiundi*, pro omnium summitatum metiundarum. Ex his porro constat, quid sit propriè *normalis linea.* In tetragono quidem linea normalis, quæ alterum latus quadrati claudit, parallela est ei lineæ normali, quæ ex adverso respondet, alterum latus claudens, sed in circulis parallelis lineæ non possunt esse normales. Male

A igitur & impropriè Solinus *normalem lineam* dixit τὴν παράλληλον. Nisi quis dixerit meridianorum, & parallelorum circulorum lineas normales angulos facere. Nam duo meridiani, & duo paralleli quadratum includunt, cujus lineæ normales vocari possunt. Sed tam doctus non fuit hic Grammaticus, ut sic intellexerit, qui *normalem lineam* simpliciter vocat τὴν παράλληλον, quum tamen omnes parallelæ normales non sint, sed eæ tantum, quæ latera tetragoni ad rectos angulos claudunt.

Gnomonici] A gnomone. Græcis γνώμων id omne dicitur, cujus indicio aliquid cognoscitur. Sic γνώμων
B illis est, quæ Latinis *norma*, qua probantur anguli. *Squadram* vulgo dicimus. Dens in equis, qui eorum ætatem indicat, γνώμων appellatur. Inde ἀγνώμονες, & λιπογνώμονες equi, quorum ætas ex dentibus amplius cognosci non potest. Hinc θυμὸς ἱππογνώμων Æschylo ὁ δῃκελικὸς ἢ γνωστικὸς, metaphora ab illo dente τῆς ἡλικίας τῶν ἵππων γνωριστικῷ. Hi versus ejus sic leguntur apud Antigonum Carystium cap. CXXVII, ex fabula τοξότισιν:

---- ὡς με μὴ λάθῃ φλέγων
Ὀφθαλμὸς, ἥτις ἀνδρὸς ᾖ γεγευμένη
Ἔχω δὲ τούτων θυμὸν ἱππογνώμονα.

C Ultimus versus ita scribendus est. Ait ille, nescio quis, apud Æschylum intactas virgines à puellis, quæ primos toros passæ sunt, dignoscere se probe scire. Virginum quippe oculos modestia dejici, pæne immobiles. Sic autem versus sunt emendandi, qui in Antigono depravatissimi habentur:

Ἀδῶ γὰρ ἀγναῖς παρθένοις γαμηλίων
Λέκτρων, ἀτρέπτη βλεμμάτων ῥέπει βολή.

At ejus puellæ, quæ de viro gustaverit,

---- ὡς με μὴ λάθῃ φλέγων
Ὀφθαλμός.

D Oculos vibrantes, & flagrantes indicium ejus rei facere. Subjicit:

Ἔχω δὲ τούτων θυμὸν ἱππογνώμονα.

Ut γνώμων in equis ætatem eorum prodit, sic etiam signa sunt, quibus virgines, & nuptæ discernuntur, ea in oculis sita esse. Horum igitur se habere jactat θυμὸν ἱππογνώμονα, metaphora inde sumpta. At ipse Antigonus ab equarum libidine tralationem illam deducit. Τῶν δὲ θηλέων, inquit, ζώων ῥοπικώτερόν φησιν εἶναι πρὸς τὴν συνουσίαν ἵππον, καὶ ἱππομανίαν ἰσχυρῶς. Ita scribi debet. Male est in editis, τροπικώτερον. Sequitur: ὅθεν καὶ πρὸς τὴν βλασφημίαν μεταφέρεσθαι, καὶ
E τὰς πρὸς τὰ ἀφροδίσια κεκινημένας ὀνειδίζεσθαι. Hæc habet ab Aristotele ex lib. VI. cap. XVIII de Hist. Anim. Αἱ μὲν οὖν ἵπποι αἱ θήλειαι ἱππομανοῦσιν. Ὅθεν καὶ ἐπὶ τῇ βλασφημίᾳ τὸ ὄνομα αὐτῶν ἐπιφέρουσιν ἀπὸ μόνου τῶν ζώων ἐπὶ τῶν ἀκολάστων περὶ τὸ ἀφροδισιάζεσθαι. Sane πώλους hujusmodi mulieres-ἀκολάστους, καὶ ἀνδρομανούσας vocabant. Hesychius: πῶλος, ἑταίρα. Ipse explicat quasi πώλους Ἀφροδίτης dictas, aut νέας. Sed ab equarum libidine ita vocatas innuit Aristoteles. Subjicit Antigonus: φαίνεται δὲ καὶ Αἰσχύλος ἰσομελκῶς τὸ τοιοῦτον οὕτω πῶς εἰρηκέναι πρὸς τὰς παρθένους ἐν ταῖς τοξότισιν. Deinde sequuntur versus, quos superius attulimus. Igitur
F ab hippomania equarum θυμὸν ἱππογνώμονα dixisse Æschylum putat. Quo sensu sic etiam vertit doctus interpres.

Hac arte gnarus ipse equas dijudico.


Sed fallitur uterque. A dentibus equorum, ut diximus, hoc tralatum est. Nam θυμὸς ille ἱππογνώμων de virginibus etiam castis, & intactis judicat, quomodo internoscendæ sint à puellis virginitatis imminutæ. Hesychius: γνῶμα, τὸν βαλλόμενον ὀδόντα δι' οὗ τὰς ἡλικίας ἐγνώριζον τῶν τετραπόδων, καὶ ὁ κατηρτυκὼς ἤδη, λιπογνώμων. Λέγεται δὲ καὶ γνῶσις. Vocat τὸ γνῶμα, quod Polluci est ὁ γνώμων. Inde ἄβολοι πῶλοι, qui nondum illum
G dentem ejecerunt, & πρωτοβόλοι, & δευτεροβόλοι, de quibus nos alibi. Γνώμων etiam stilus horologii sciotherici, quo cognoscuntur umbræ, & ex umbris horæ. Plinius *umbilicum* vocat, Hesychius κέντρον, quod in medio vasis horologici semper poneretur. Ab hoc gnomone dicti *gnomonici*, & *ars gnomonica.* Machinæ quoque genus dioptricæ, qua limites ad lineam dirigebantur, agrique limitabantur, Græci γνώμονας ap-

appellarunt, Latini *gromam* voce à Græco detorta. Feſtus: *groma appellatur genus machinulæ cujuſdam, quo regiones agri cujuſque cognoſci poſſunt, quod genus Græci dicunt* γνώμονα. Gloſſæ: *gruma*, γνώμων. Certè idem τὸ γνῶμα, & ὁ γνώμων, ut ſuperius vidimus. Pollux vocat γνώμονα, τὸν ἀποπίπτοντα ὀδόντα, τῆς ἡλικίας τῶν ἵππων γνωριστικόν. Heſychio vocatur γνῶμα, & γνῶσιν etiam interpretatur. Ergo ex Græco γνῶμα Latinum *hæc groma*, N in R mutato. Sic κνέφος, *crepus*, atque inde *crepuſculum*: τόνος, *torus*: μονὸς, Æolice μῶρος, Latinè *merus*: δεῖναι, *diræ*: δεινὸς: *dirus*. Et alia ſexcenta. Sic *groma* idem planè quod gnomon. Ut gnomon autem ſciothericus in medio ac centro ipſo lapidis horoſcopi locabatur, ita planè *groma* interdum in medio ejus ſpatii, cujus erat menſura capiunda, & ad lineam dirigenda. Tum groma in tetrantem poni dicebatur. Nonius: *Grumæ ſunt loca media, in quæ directæ quatuor congregantur, & conveniunt viæ.* Hac eadem machina in caſtrorum metatione delineanda utebantur, & *locus gromæ* vocabatur prope prætorium in ipſo metationis centro, quia ibi groma ponebatur ad dictandas metas. Hyginus in Gromatico, ſive de caſtrorum metatione: *In introitu prætorii partis mediæ ad viam principalem grumæ locus appellatur, quod turba ibi congruat, ſive quod in dictatione metarum, poſito in eodem loco ferramento gruma ſuperponatur, ut portæ caſtrorum in conſpectum rigoris ſtellam efficiant, & profeſſores ejus artis cauſa, ut ſupra ſcripſi, grumatici ſunt appellati.* Quem locum inſignem ſic reſtituimus. Nam vulgo non ita editus eſt, ut aliquid ſani præ ſe ferat. *Grumam*, non *gromam* tum ſcripſiſſe ex eo conjicias, quod in caſtris *grumæ locum* vocatum ſcribat, *quia ibi turba congruat.* Gloſſæ quoque *grumam* appellant. Lucillius apud Nonium: ---- *viamque*

Degrumabis, ut in caſtris menſor facit olim.

Ad originem tamen propius, ut *groma* dicatur: nam τὸ γνῶμα, hæc *groma*, ut τὸ χῆμα, hæc *ſchema*. Ergo *grumæ locus* in medio caſtrorum, quia ibi gruma ipſa ponebatur ad metas dictandas. Hæc in tetrantem tum poni ſolebat, ut ad medium quatuor viæ convenirent, & quatuor reſponderent portæ. Idem Hyginus de limitibus conſtituendis: *Quibuſdam coloniis poſtea conſtitutis ſicut in Africa ad Medera, decumanus & cardo à civitate oritur, & per quatuor portas in morem caſtrorum viæ ampliſſimæ limitibus diriguntur.* Ita legendum ex optimo codice doctiſſimi Scriverii, quo uſus ſum. Sequitur: *Nam colonia omnis quatuor perticæ regiones continet, & eſt colentibus vicina undique: incolis quoque iter ad forum ex omni parte æquale.* Subjicit: *Sic & in caſtris groma ponitur in tetrantem, quâ velut ad forum convenitur.* Scriptum reperi in eodem Scriveriano codice: *aquam velut ad forum veniatur.* Omnino legendum: *Sic & in caſtris groma ponitur in tetrantem, ad quam velut ad forum veniatur.* Ut forum in coloniis in medio oppido poſitum erat, ad quod è quatuor portis iter erat æquale, nam è foro quatuor portæ coloniæ conſpiciebantur, ita & in caſtris groma in tetrantem poſita ad gromæ locum, veluti ad forum, è quatuor portis congruebant, ac conveniebant homines. Hic locus in caſtris medius forum erat caſtrorum ad introitum prætorii, ubi turba congruebat. Nam & prætorium ſemper in medio caſtrorum, ut alibi dicam, & hinc conſtat. Nec neſcio, quid de ejus ſitu, ac poſitione narrat Polybius. Sed illud item æquè ſcio viros maximos graviſſimè lapſos eſſe, qui, veluti ex deſcriptione Polybii, prætorium locant haud longè à porta prætoria, inter Tribunorum & aliorum ducum tentoria medium. Ad ipſam verò portam prætoriam extraordinariis pedaturam aſſignant. Nihil tam ἐκ διαμέτρου contrarium Polybianæ metationi. Extraordinarii ad decumanam portam tendebant, quæ oppoſita eſt prætoriæ, ad tergum caſtrorum. Id eos fefellit, quod Polybius non ſimplicium caſtrorum, ſed com-

A binatorum metationem tota ea narratione deſcribit, ut ipſe diſertim profitetur. Quod miror tantos viros non advertiſſe. Igitur quum ambo Conſules bina caſtra in unum jungebant, & quatuor legiones intra unius valli ambitum concludebant, ea metandi ratio locum habebat. Ex binis caſtris veluti una fiebant. Figura oblonga erat, & loci ſpatium duplum. Duo terga caſtrorum invicem cohærebant ad portam decumanam, ubi extraordinarii tendebant. Amborum Conſulum prætoria haud longe inde in medio Tribunorum, & aliorum ducum tentoriis utriuſque exercitus. Sic fiebat, ut duo prætoria Conſulum ſimul metantium
B in medio fermè ſic adunatorum geminorum caſtrorum reperirentur. Duo caſtra ſic juncta ſi divideres, omnibus iiſdem manentibus, prætoria Conſulum in utriſque caſtris ad portam decumanam poſita deprehenderentur, ubi pedaturam accipiebant extraordinarii. Nam ad partem poſticam, ubi portæ decumanæ, contingebant ſeſe duo caſtra, cum erant juncta. Polybius clarè his verbis: Πάντων δὲ τῶν τεττάρων στρατοπέδων, καὶ τῶν ὑπάτων ἀμφοτέρων εἰς ἕνα χάρακα συναθροισθέντων, οὐδὲν ἕτερον δεῖ νοεῖν πλὴν δύο στρατείας κατὰ τὸν ἄρτι λόγον παρεμβεβληκυίας ἀντεστραμμένας αὑταῖς συνηρμόσθαι, συναπτούσας κατὰ τοὺς τῶν
C ἐπιλέκτων ἑκατέρου τοῦ στρατοπέδου παρεμβολάς. Duo caſtra invicem ſibi terga obvertebant, & duæ decumanæ portæ ſimul junctæ. At planiſſime fatetur Polybius ibidem, quæcunque de caſtrametatione Romanorum in anterioribus ſcripſit, accipienda eſſe, quando Conſules ambo juncta habent caſtra; Ὅταν μὲν οὖν συμβαίνῃ τοὺς ὑπάτους ἀμφοτέρους ὁμοῦ στρατοπεδεύειν, οὕτως ἀεὶ χρῶνται ταῖς στρατοπεδείαις. Ὅταν δὲ χωρὶς, τἆλλα μὲν ὡσαύτως, τὴν δ' ἀγορὰν, καὶ τὸ ταμιεῖον, καὶ τὸ στρατήγιον μέσον τιθέασιν τῶν δυοῖν στρατοπέδων. *Quando*, inquit, *contingit ambo Conſules ſimul caſtra habere, metari ſemper eo modo conſueverunt,*
D *quem expoſuimus ſupra. At cum ſeorſim caſtra metantur, cetera quidem locant, ut diximus, forum vero & quæſtorium, prætoriumque in medio ponunt.* Quid apertius, quàm prætorium in medio caſtrorum locari vulgo ſolitum, quum ſimplicia erant caſtra? Ibi locus gromæ. Vetus auctor apud Suidam: ὀλίγον δὲ ἐξωτέρω τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς χωρίον τι ὥσπερ ἀγορὰ ἀποδέδεικτο, ὃ δὴ γρῶμα προσηγορεύετο. Ἐκεῖσε δὲ αἱ πρεσβεῖαι, καὶ ἀγγελίαι, καὶ ὅλα ἐγίνοντο. Perperam apud Suidam legitur, ὃ δὴ γνῶμα. Quamvis enim *groma* Latinum ex Græco γνῶμα ductum ſit, nuſquam tamen antiqui Græci hanc vocem
E eo ſenſu poſuerunt, qui γνῶμα ἀντὶ τῆς γνώσεως uſurparunt, iique tantum antiquiſſimi. *Groma* Romanorum caſtrorum propria. Præterea non admodum antiquum illum auctorem eſſe, cujus fragmentum illud apud Suidam extat, ex eo colligi poteſt, quod morem eum caſtrorum metandorum veluti jam olim deſitum narrat, nec amplius tum uſitatum. Χωρίον τι ὥσπερ ἀγορὰ ἀποδέδεικτο, ὃ δὴ γρῶμα προσηγορεύετο. Poſtremo verba illa, ἐκεῖσε δὲ αἱ ἀγγελίαι, καὶ πρεσβεῖαι, καὶ ὅλα ἐγίνοντο, recentiorem Græciſmum ſapiunt. Ibi & legationes, & nuntii audiebantur, & omnia adminiſtrabantur. Καὶ ὅλα
F ἐγίνοντο, loquutio recentioris Græciæ, quæ τὸ ὅλον, & τὸ πᾶν indifferenter ſumit. Nihil igitur verius, quam γρῶμα pro γνῶμα in eo fragmento legi debere. Quod ſi Suidas γνῶμα legit, pro Græculo id fecit, qui neſcivit, quid eſſet γρῶμα. Comparemus verba Fragmenti cum verbis Hygini. Locum illum ὀλίγον ἐξωτέρω τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς fuiſſe Græcus dicit. Hyginus *ad introitum prætorii* ponit. Ὥσπερ ἀγορὰν ἀποδέδειχθαι eam gromam Græcus ait. *Ad gromam velut ad forum convenire in caſtris homines, & ibi turbam congruere* ſcribit Hyginus. Certe forum caſtrorum haud longe à prætorio fuiſſe ſatis conſtat. Sed hæc ad Hygini Gromati-
G cum pluribus. Portas caſtrorum in conſpectu rigoris ſtellam effeciſſe tradit idem, groma ſcilicet in tetrantem poſita. Hæc igitur forma fuit metationis, quæ ſtellam efficiebat:



ABCD. portæ caſtrorum. In medio ſtellæ locus gromæ. Hinc rectè Nonius grumas eſſe ait loca media, in quæ directæ quatuor congregantur, & conveniunt viæ. Idem notat grumam eſſe *menſuram quandam, qua fixa viæ ad lineam dirigantur, ut eſt agrimenſorum & talium.* Propriè loquutus eſt. Nam figi, & poni dicebatur ea machina. Hyginus: *Sic & in caſtris groma ponitur in tetrantem*, id eſt, ponitur groma, ut in quatuor partes æquales locus dividatur. Græcum eſt πετρᾶς, πετράντος, ut τελᾶς, ὀκτᾶς, ἑξᾶς. Quod lineis ductis in quatuor partes ita diviſum eſſet, ut quatuor angulos normales faceret, ita vocaverunt. Exemplum habes in figura, quam ſupra exhibuimus. In tetrantem planè facta eſt. Hinc Heſychius πετράντα τετράγωνον interpretatur. Sic etiam vocarunt Siculi quatuor obolos. Non igitur πετρᾶς idem eſt quod *quadrans* Latinè. Nam quartam partem hoc ſignificat, illud Græcum quatuor partes. Non igitur *tetrans* idem quod groma, ſed groma in tetrantem ponitur, quæ figitur ad tetrantem faciendum, id eſt, quatuor partes dirigendas. Vel *ponitur in tetrante*, in medio ſcilicet tetrantis, hoc eſt, loci in quatuor partes diviſi. Hinc apud Hyginum, *tetrantum lapides inſcripti*, &, *in mediis tetrantibus lapides defigere.* Apud eumdem Hyginum, *poſita auſpicaliter groma.* Sic & *poſito ferramento*, apud eumdem. In fragmento alio incerti auctoris de limitibus, *figere ferramentum*, ut *figere gromam* Nonio: *& divides illum in duas partes, & ſignum pones. Perpenſum deinde figes ferramentum.* Sic legendum. Nam mendoſe vulgatur: *deinde figes ferramento.* Inde apud Ennium *degrumare ferro*, quod Nonius interpretatur, *dirigere gruma.* Ita enim accipienda, & concipienda ejus verba: *Ennius* lib. XVIII. *Gruma dirigere dixit degrumare ferro.* Male in vulgatis *degrumari ferrum.* Quod Ennius dixit *degrumare ferro*, hoc eſſe ait, *gruma dirigere.* Per ferrum intelligit ferramentum grumæ, cujus mille locis apud agrimenſores mentio habetur. Aliud tamen *ferramentum*, aliud *gruma.* Ferramentum quippe figebatur, cui ſuperponebatur groma. Hyginus in Gromatico apertè hoc indicat: *ſive in dictatione metarum poſito ferramento groma ſuperponatur, ut portæ caſtrorum in conſpectu rigoris ſtellam efficiant.* Aliud fragmentum incerti: *ſignum ponis, deinde figis perpenſum ferramentum ad ſinum, quod dividit duas partes, quas diviſiſti ex fixo ferramento & perpenſo comprehenſo rigore ad umbilicum ſolis emiſſum perpendiculum, cum ſuper ſignum ceciderit, percutis gromam, donec comprehendis ſignum, quod poſueras trans flumen: quum diligenter comprehenderis tranſis ex alia parte ferramenti, & manente groma dictabis rigorem.* Vides gromam à ferramento eſſe diverſam. Groma, ut apparet, fixo in terram ferramento ſuperponebatur, & ſuper ipſum ferramentum quamcunque in partem movebatur percuſſa, ad dictandum rigorem, & lineas dirigendas. Perticam fuiſſe gromam ex alio fragmento incerti agrimenſoris colligitur his verbis: *ſi fuerit ergo vallis, quæ conſpectum agentis exſuperet, per ipſam metis ad ferramentum appoſitis erit deſcendendum: cujus rigoris inceſſum, ut à ſe in contraria æquemus, afflicta ante linea capitulum perticæ æqualiter, & perpendiculum cultellare debemus.* Lege: *ad perpendiculum cultellare debemus.* Quid ſit *cultellare ad perpendiculum* infra dicimus. Pertica ibi forte groma

A eſt, quæ normas habebat, & perpendicula pendentia. Ea pertica ſuper ferramentum fixum convertebatur. Idem auctor: *Nam quoties cultellamus ſine linea, conſpectum metarum ſæpe excedimus, & cum feſtinantes ex eo loco iterum rigorem conſpicimus, tunc in illa perticarum quamvis exigua converſione non minus fit diſtenſio.* Fila, ſive funiculos, ac pondera habuiſſe eam gromam, ſive perticam ex eodem conſtat ibidem: *& ferramento primo mutato omnia indomita perpenſa dirigere, cujus ex omnibus corniculis expenſa ponderibus, & inter ſe comparata fila tenuere, vias ita perſpicere.* Fila *expenſa ponderibus* perpendicula ſunt, quæ ex gromæ regula pendebant. Sed mendum eſt illis

B verbis non unum. Scribe: *ferramento primo ut & omnia domita perpenſo dirigere, cujus ex omnibus corniculis expenſa ponderibus, & comparata inter ſe fila ſeu nervias ita perſpicere, donec proxima conſumpto alterius viſu ſola dimetiatur.* Editum eſt hoc fragmentum pag. CCCXXXV Rigaltianæ editionis. Arcenianæ membranæ Julio Frontoni Fragmentum illud attribuunt, & eſt quantivis pretii. Scriptum eſt in illis membranis: *comparata fila ſeu nervia ſita perſpicere.* Unde correximus: *fila ſeu nervias ita perſpicere.* Nerviæ ſunt funiculi ex nervis, ex quibus nodus plumbi pendebat ad faciendum perpendiculum. Reliqua hujus loci in vulgato ſunt corruptiſſima. Auctor alius: *& perpenſo*

C *comprehenſo rigore ad umbilicum ſoli emiſſum perpendiculum cum ſuper ſignum ceciderit, percutis gromam.* Sic groma aut eadem fuit cum Græcorum chorobate, aut certe omnino ſimile inſtrumentum. Eo chorobate etiam aquæ perlibrationes faciebant, & faſtigium ejus colligebant, quem ita deſcribit Vitruvius: *Chorobates eſt regula longa circiter pedum* XX. *Ea habet ancones in capitibus extremis æquali modo perfectos, inque regulæ capitibus ad normam coagmentatos, & inter regulam & ancones à cardinibus compacta transverſaria, quæ habent lineas rectè deſcriptas, pendentiaque ex regula perpendicula in ſingulis partibus ſingula.* Ex his, quæ diximus, multam habere ſimilitudinem cum

D chorobate gromam perſpici poteſt. Nec obſtat quod aquæ librandæ etiam chorobates ſerviebat. Nam & dioptræ eumdem uſum præſtabant, quibus turrium altitudines ex intervallo explorabantur. *Libratur aqua*, inquit Vitruvius, *dioptris, aut libris aquariis, aut chorobate, ſed diligentius id efficitur per chorobaten, quod dioptræ, libræque fallunt.* Falluntur, qui dioptras alias aquis librandis, alias altitudinibus capiundis accommodatas fuiſſe volunt. Nam & faſtigium aquæ per dioptram eamdem explorari ſolebat, qua propugnaculum, & turrium altitudo ſumebatur. Non neſcio tamen haud unum genus extitiſſe organi dioptrici, ut ſunt *baculum Jacob, quadrans geometricus*, & ſimilia plura. Quin

E etiam gromam ipſam dioptrici generis fuiſſe certum eſt. Hinc *conſpectus*, & *conſpiciendi rigoris* tam frequens apud agrimenſores mentio in ea menſuræ ratione. Hyginus de limitibus: *Quod ſi aut ferramenti vitium, aut conſpiciendi fuerit vana contemplatio, in uno quintario ſtatim paret, & tolerabilem habet emendationem.* Gloſſæ veteres *gromam* interpretantur διόπτραν. Profecto quantum ad χωροβάτην attinet, nomen potius inveniſſe videtur ab agri, ſive regionis metatione, ac menſura, quam ab aquæ librationibus. Heſychius

F χωροβατεῖν ἐν τῇ χώρᾳ περιπατεῖν interpretatur. Χῶρος eſt ager. Igitur χωροβάτης, & *groma* eadem videntur. Utcunque ſit, non ſunt diſſimilia. Nam χωροβάτης ad verbum Latinè reddi poteſt *agri perambulator*, vel *metator.* Hic chorobates habebat ancones in capitibus extremis ad normam coagmentatos. Groma quoque ſimiliter habuit ejuſmodi ancones normaliter factos. Vetus quippe agrimenſor *normam* vocat: *ubi ſe conſecuerit norma tua.* Sic legendum, non *conſeruerit.* Gromam ſuam hodierni agrimenſo-

G res *ſquadram* vocant, quo nomine etiam *normam* vulgo vocitant. De ea groma nos infra. In chorobate perpendicula fuere. Æquè & in pertica illa, cujus meminit agrimenſor vetus, quæ non poteſt eadem eſſe cum pertica menſoria. *Capitula*, & *cornicula* vocat idem, ex quibus pendebant fila ponderibus expenſa, id eſt, perpendicula. Vitruvio ſunt *capita extrema chorobatis.* Idem Vitruvius dicit chorobaten regulam eſſe pedum circiter XX. Certè pertica etiam regula dicitur. Gloſſæ: *Pertica*, κανὼν, κάμαξ.

Agrimensor *perticas* appellat numero multitudinis: *tunc in illam perticarum quamvis exiguam conversionem non minus fit distensio.* Profecto de pertica, qua metiebantur agros, vix potest accipi pertica illa veteris agrimensoris, quæ & lineas, & perpendicula, & normas habuit. De qua infrà pluribus. An igitur hæc erit groma, qua agrorum, castrorumque metatores utebantur? Auctor Dirarum:

Pertica, quæ nostros metata est impia agellos.

& apud Propertium:


Abstulerat patrias pertica tristis opes.

Certe de groma exponenda est hæc pertica. Glossæ *grumam* exponunt γνώμω βασιλικω. *Perticam regiam* possumus explicare. Nam γνώμη idem quod γνῶμα, vel γνῶσις, unde Latinum *groma*, vel *gruma*. Inde *gromatici* metatores agrorum, sive agrimensores. Et *gromatica*, ἡ γεωδαισία. Nam *gromatici* sunt γεωδαῖται. Corrigendus in hac voce Cassiodorus Variarum lib. III. epist. LII de agrimensore eligendo: *Hoc enim per geometricas formas, & gromaticam disciplinam ita diligenter agnoscitur, quemadmodum literis omnis sermo conclusus est.* Dicit rationem agrorum metiendorum per geometricas formas, & gromaticam disciplinam agnosci, & explicari. At in editionibus vulgo legitur, *per grammaticam disciplinam.* Et paulo post similiter est emendandum: *Hoc auctor gromaticus redegit ad dogma conscriptum.* Corrigendum & in hac voce veteris agrimensoris fragmentum p. CCLXXXV. edit. Rigaltianæ: *Hæc ratio notis juris est exponenda secundum gromaticam, & philosophiam geometricæ artis.* Editur vulgo: *secundum grammaticam.* Quod ineptum est. Ubicunque autem meminerunt agrimensores ferramenti & gromæ, ibi etiam mentio fit perpetua metarum dictandarum. Hinc *metari* proprium verbum, tam de castris, quam de agris. Lucanus:


---- *Hesperios veniam metator in agros.*

In castris eligendis, ac ponendis idem verbum. Utraque metatio ferramento, & groma explicabatur, id est, pertica. Faustus & Valerius agrimensores per Africam & Gallias: *Ubi pertica nostra desinivit, talia signa constituimus*, id est, ubi groma nostra, & ferramentum limites constituit. Hinc apud ceteros agrimensores *pertica* pro tota limitatione, vel metatione, hoc est, territorio coloniæ limitibus comprehenso. Siculus Flaccus: *& quamvis res una sit forma, alii dicunt perticam, alii centuriationem, alii metationem, alii cancellationem, alii typon.* Idem paulo post: *comperimus in quibusdam perticis cum centuria ducentena jugera haberet, non viginti actus æqualiter per limites, inter lapides datos*, id est, in quibusdam metationibus, & assignationibus. Et sic alibi passim *pertica* pro universo coloniæ territorio diviso, & assignato. Siculus: *Ergo præfectura illa dicitur, cujus territorio ager sumptus finierit perticam illam, tanquam coloniam illam, ubi civis deductus fuerit.* Quod ut melius intelligatur, sciendum est totius coloniæ territorium divisum dictum propriè fuisse *perticam.* Si ager coloniæ non sufficeret, vel novi coloni deducendi essent, sumebatur ex territorio vicinorum ager, qui aliis limitibus continebatur, & *præfectura* dicebatur. Quod enim veteribus possessoribus proprietas tantum adimeretur, non etiam jurisdictio transferretur, sed in eodem jure, quo prius fuerunt, relinqueretur, quorum prius jurisdictio fuerat in illis agris, præfectos eo mittebant juri dicundo, unde & *præfecturæ* appellatæ. Hinc *perticam*, & *præfecturas* distinguit Hyginus in Gromatico de limitibus constituendis, *Quibusdam deinde coloniis perticæ fines, hoc est, primæ assignationis, aliis limitibus, aliis præfecturæ continentur.* Egregius locus, qui ita legendus est. *Perticam* interpretatur primam assignationem: *præfecturas*, secundam, vel novis colonis deductis, vel quia ager coloniæ defecerat, ideoque sumendus fuit ex vicinis territoriis. Quod igitur perticæ adjungebatur, hoc est, primæ assignationi, dicebatur *præfectura*, & aliis limitibus continebatur. Siculus Flaccus: *Horum etiam agrorum, qui ex vicinis populis sumpti sunt, proprias factas esse formas, id est, suis quæque limitibus regio divisa est, & non ab uno puncto omnes limites facti sunt, sed, ut supra dictum est, sua quæque regio formam habet, quæ singulæ præfecturæ appellantur, ideo quoniam singularum regionum divisioni alii præfuerunt, vel ex eo, quod in diversis regionibus magistratus coloniæ juri dicundo mittere solitæ sunt.* Sic corrigendus, ac constituendus totus ille locus. Pertica, sive universum territorium, quod colonis dividebatur, ab uno puncto limites accipiebat. Si quid huic perticæ, sive universitati adplicaretur, vel solidum, vel ex parte, vicinis ademptum, aliis limitibus ordinabatur. Exemplum habes in hoc diagrammate, quod ex Hygino subjecimus.

PERTICA.



Pertica est, sive territorium coloniæ, quod universum assignatum est, illud omne quod in tetragono collectum est. *Primam assignationem* vocat Hyginus. Quod instar trigoni adtexitur, ager est ex vicinorum territorio sumptus, & *præfecturæ* nomine appellatus, & universitati prioris assignationis postea adplicitus sub diversa limitatione. Idem Hyginus: *certis tamen locis aras lapideas ponere debebimus, quarum inscriptio ex uno latere perticæ adplicita finem coloniæ demonstrat.* Ubi *pertica* assignatio est ipsa, vel metatio, vel universitas territorii divisa. Sic enim ibi scribendum est, *non adplicito.* Et paulo post: *Typum totius perticæ in hunc modum ordinare debemus, ut omnes mensuræ actæ limites, & subsecivorum lineas ostendamus*, id est, totius assignationis. Nec aliter accipienda vox *Pertica* apud Servium hoc loco ad Eclogam IX. *Usque ad eum autem locum perticam militarem Octavius Musca porrexerat, limitator ab Augusto datus, id est, per quindecim milia passuum agri Mantuani, cum Cremonensis non sufficeret.* Vocat *perticam militarem* assignationem agri, qui militibus dividebatur. Apud Hyginum *quatuor perticæ regiones* de territorio in quatuor partes diviso, & comprehenso limitibus maximis decumano & cardine. Idem: *multas colonias & ipsi montes finiunt, propter quod quatuor regionibus æqualiter non potest dividi, sed in alteram partem tota limitum rectura servetur.* Sic est legendum ex codice Scriveriano. Pertica, hoc est, territorium in quatuor partes æqualiter hoc modo dividebatur, per decumanum, & cardinem maximum.




Quum colonia ipsa in medio perticæ ita posita erat, ut forum ejus ab omnibus territorii partibus æqualiter distaret, tum *colonia quatuor perticæ regiones continebat, eratque colentibus vicina undique.* Ita Hyginus, qui & hanc rationem pulcherrimam esse dicit constituendorum limitum, & ubique sequendam, nisi si ubi natura locorum

locorum refragabitur. Nam aliquando colonia propter commoditatem portus, in littore sita, mari terminabatur, aliquando etiam monti adplicita, vel monte ipso finiebatur, ita ut in alteram partem tota limitum directura servanda esset, nec æqualiter in quatuor partes ejus pertica dividi poterat, sicut in castris tota metatio. Jam habemus, quid sit *pertica*; nec enim alio sensu accipitur apud illos antiquos agrimensores, Frontinum, Hyginum, Aggenum, Siculum Flaccum, & alios, quam pro toto territorio coloniæ diviso, & assignato. Tota hæc porro limitandorum, ac metandorum agrorum, qui assignabantur, nec non constituendorum limitum, ac mensuræ dirigendæ ratio per ferramentum, & gromam explicabatur. Hyginus librum suum de constituendis limitibus *Gromaticum* propterea inscripsit. Idem initio ejus libri: *multi ignorantes mundi rationem solem sunt sequuti, hoc est, ortum & occasum, qui idem nisi semel ferramento comprehendi non potest.* Sic constitui debet depravatissimus locus, qui vulgo sic excuditur: *quod in semel ferramento comprehendi non potest.* Ortus & occasus solis mobilis est, nec idem potest plus quam semel ferramento, sive groma comprehendi. Quotidie quippe sol ex alio

A cæli momento, quam pridie oritur. Sequitur: *Quid ergo? posita auspicaliter groma, ipso forte conditore præsente, proximum vero ortum comprehenderunt, & in utramque partem limitem emiserunt, quibus cardo in horam sextam non convenerit.* Qui solis cursum sequebantur agrimensores in dirigendis limitibus, non verum ortum solis comprehendebant, sed proximum vero, quibus cardo in horam sextam, id est, in meridiem convenire non poterat. Verus ortus est æquinoctialis. Eo comprehenso, & limite decumano in eam partem emisso cardo limes utique in meridiem conveniet. Ut igitur

B ad verum solis exortum, id est, æquinoctialem lineam recte capere possent, meridiem prius excutiebant, qui semper est idem. Facile id consequebantur ope artis gnomonicæ. Ergo meridiano deprehenso, ortum, & occasum solis æquinoctialem de facili postea tenebant. Hanc itaque rationem inibant in coloniis deducendis, & agris publice viritim dividundis. Lineam ducebant ab ortu æquinoctiali ad occasum æquinoctialem. Limes, qui ita secabat agrum, *decumanus* dicebatur. Deinde aliam lineam per mediam illam decussatim, ac normaliter in rectum ejiciebant, quæ à septentrione ad

C austrum descenderet. Hic limes *cardo* vocabatur.



At Servius cardinem eum dictum fuisse notat, qui ab oriente ad occidentem ducebatur, ad hunc poëtæ versum:

Ne signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat.

Ibi ita scribit: *Signare, notare, propterea quod quum agri colonis dividerentur, fossa ducebatur ab oriente ad occidentem, quæ cardo nuncupabatur: & alia de septentrione ad meridiem, quæ decumanus limes vocabatur.* Sed fallitur. Nam cardo is erat limes, qui à septentrione in meridiem dirigebatur, idque nomen ipsum indicat. Quippe cardo à mundi cardine, hoc est, septentrione dictus. Certe præfecturæ, quæ diversa limitatione censebantur ab coloniarum perticis, sive territoriis, decumanum habebant in septentrionem, cardinem in orientem. Hoc volunt Hygini verba ista: *In quibusdam coloniis perticæ fines, hoc est, primæ assignationis aliis limitibus, aliis præfecturæ continentur. In Emeritensium tamen finibus aliquæ sunt præfecturæ, quarum decumani æque in orientem diriguntur.* Ergo præfecturæ fines decumanum in septentrionem mittebant, contrario modo quam in coloniarum perticis. Fuere etiam & coloniæ quædam, in quibus ita ordinata erat limitatio. Frontinus de coloniis: *Ager Campanus limitibus Gracchanis in jugera* N. CC, *cardo in orientem, decumanus in meridiem.* Hoc etiam notavit Hyginus. Idem habes & de Vibonensi agro, & Beneventano apud Frontinum. Mos tamen ille sollemnis, ac legitimus, ut cardo in meridiem, decumanus in occidentem ageretur. Siculus Flaccus *de conditionibus agrorum* decumanum ait dictum, quod decem actus contineret. Sic enim scribit de agris questoriis: *Hi autem limitibus institutis laterculis quinquagenûm jugerum effectis vænierunt. Quem modum decem actus in quadratum per limites demensi efficiunt: unde etiam limites decumani sunt dicti.* Inter alios omnes ferme convenit *duodecimanos* prius dictos, postea *decimanos.* Auctor incertus: *primum duos limites constituerunt:*


D *unum, qui ab oriente in occidentem dirigeret: hunc appellaverunt duodecimanum, quod terram in duas divideret partes, & ab eo omnis ager nominetur.* Eadem leguntur iisdem verbis & apud Hyginum, qui similiter hæc continuat: *Duodecimanum postea decimanum appellaverunt: quare à decem potius quam à duobus, sicut duo pondo nunc dicimus dupondium, & quod dicebant antiqui duo viginti nunc dicimus viginti. Similiter duodecumanus, & decumanus est factus.* Insignis locus hic, sed insigniter corruptus, qui præclaram tamen antiquitatis notitiam continet. Eum nos partim è libris, partim è conjectura sic legimus:

E *sicut duopondium nunc dicimus dipondium: & quod antiqui dicebant duiginti, nunc dicimus viginti.* Antiquissimus liber Scriverii, quem vidi, & Palatinus, *duopondium*, & *dipondium* habuere scriptum. Quod est verissimum. Nos *duiginti* scripsimus de conjectura. Veteres *duopondium* vocarunt: quod duo pondo, hoc est, duas libras penderet. Postea dictum est *dipondium.* Glossæ: *depondium*, διυνέμμιον, pro *dipondium.* Apud Græcos διπούνδιον. Καὶ τὸ διπούνδιον ὁμοίως ἄγει δραχμὰς τέσσαρας. Ut igitur *duopondium* veteribus dicebatur, quod postea *di-*

F *pondium.* Sic *duodecimanum* prius fuisse vult, & inde factum *decimanum.* Ratio aliqua similitudinis esset, si *duocumanum* antiqui dixissent pro *decumanum*, & *duocem* pro *decem.* Sed neutiquam puto veteres *duodecumanum*, & *duodecim* id appellasse, quod posteriores *decumanum*, & *decem.* Quod attinet ad *duiginti* putavit Hyginus sic *duiginti* Latinos priscos usurpasse pro *viginti*, ut *duellum* pro bellum dicebant: *duis* pro bis: *duonum* pro *bonum*: *duidentem* hostiam pro bidente. Demus hoc esse, non tamen par est ratio in *duodecumano*, & *decumano.* Sed intellexisse non videntur auctores illi, cur *duodecuma-*

G *manus* limes veteribus vocatus sit, quem posterior ætas *decumanum* nuncupavit. Ab hora duodecima limitem hunc appellarunt olim *duodecumanum*, qui ab ortu solis ad occasum pergeret. Nam hora duodecima

diei suprema est hora, qua sol occidit. Sic *sextam horam* pro meridie posuerunt, *sextaneos limites*, qui ad meridiem spectarent. Quemadmodum autem *duodecumanum* vocarunt eum limitem, qui ab oriente ad horam duodecimam, id est, occasum dirigebatur, ita alterum, qui ex transverso currebat à meridie ad septentrionem, nominaverunt *cardinem*, quia cardo mundi in septentrione est. Posteri *decumanum* illum limitem maluerunt dicere, quam *duodecumanum*, fortasse à magnitudine, ut omnia maxima dicebantur *decumana*, ova, clypei, fluctus. Decumanus porro limes, cum longior, tum latior fuit, quam cardo. Multi teste Hygino agri longitudinem sequuti, qua longior erat, decumanum faciebant: latitudo eidem decumano ex Augusti lege pedum fuit quadraginta, cardini pedum viginti. Siculus Flaccus: *Cum ergo omnes limites à mensura denûm actuum decimani dicti sint, ii qui orientem, occidentemque intuentur, qui meridianum & septentrionem tenent, cardinum vocabulum illis erat. Decumanum nuncupabant matutini, & vespertini: meridiani & septentrionis cardinem.* Sic legendus corruptissimus locus, tam lectione, quam interpunctione. Fortean igitur & *decumanum* dixerint à decima hora, id est, vespertino tempore. Profecto in veteri laterculo limitum recensentur & *nonarii* limites, & *decimani*, & *undecimani*, & *duodecimani*, qui omnes ab horis vespertinis, nona, decima, undecima, & duodecima denominati sunt. Non igitur dubium est, quin *duodecimanus* limes dictus sit ab hora duodecima, quæ postrema est diei hora. *Decimanum* pro eodem dixere ab hora decima. Innocentius de causis literarum *partem duodecimam* dixit pro ea parte, quæ duodecimam horam spectat, hoc est, solis occasum: *& trans montem alios casales à duodecima parte.* Sic alibi *sextaneam partem* vocat, quæ ad sextam horam conversa est, vel meridiem: *limes ejus à sextanea parte proximus venit.* Inde & *sextanei* limites apud eumdem, qui ad meridiem ducti sunt. Sequitur apud eumdem: *alii vero ob regionum positionem, & naturam appellaverunt maritimos, & montanos.* Hyginus: *postea apud quosdam nomina à loci natura acceperunt, & qui ad mare spectant maritimi appellantur: qui ad montem montani.* Frontinus de Coloniis: *Adrianus ager, limitibus maritimis & Gallicis, quos nos decumanos, & cardines appellamus.* In Italia *maritimi* vocabantur iidem, qui & *cardines*. Cum enim Italia sit intra duo maria, qui à meridie ad septentrionem ducebantur limites, sic dicti sunt, quia mare à meridie & septentrione habet Italia. Rursus *Gallici* & *Decumani* iidem, quia Gallia ab occidente est Italiæ, & decumani ad occidentem spectant. Iidem & *montani*, quoniam ab eadem parte montes sunt Gallici Alpes. His duobus igitur limitibus maximis decumano, & cardine, quasi viis amplissimis ac regiis in decussem sese invicem secantibus tota territorii assignati, ac divisi limitatio dirimebatur, & quatuor regiones universæ perticæ fiebant, ut ex figura, quam superius posuimus, constat. *Maximi* dicebantur, quia ceteros latitudine præcederent. Iidem & *primi*, quia omnium primi agebantur. Hyginus: *Decumanus autem primus maximus appellatur, item cardo: nam latitudine ceteros præcedunt.* Alii contrà *primum* à *maximo* diversum statuebant, & *primum* eum dici volebant, qui primus post decumanum, vel cardinem actus esset, quum secundus sit. Eos errare contendit Hyginus, cujus verba sic legenda sunt: *Multos limitum constitutiones in errorem deducunt, dum inscriptiones parum intelligunt, aut aliter limites numerant. Volunt esse quidam decumanum, alium primum, alium maximum, & cum exierunt à decumano maximo, pro actuario primum limitem numerant, qui est secundus.* Pessimè legitur: *quidam volunt decumanum, alii primum, alii maximum.* Ex libro clarissimi Scriverii ita correximus. Perspicuè etiam mendosum est, quod in vulgato est: *peractis centuriæ actibus, primum limitem numerant.* In eodem Scriveriano scriptum erat: *per acturiæ actibus.* Unde fecimus: *pro actuario primum limitem numerant.* Qui proximus à decumano maximo, aut cardine M limes fiebat, is dicebatur *actuarius*, ut & quintus quisque. Hic limes secundus erat à decumano. Quidam primum numerabant, cum decumanus maximus sit etiam primus. Legi tamen etiam posset: *pro actuarii actibus.* Sic apud Flaccum: *lapides de novis actibus*, id est, de novis limitibus. Sic & *limitum actus* & mensurarum passim dicuntur. Ut ut sit, hoc improbat Hyginus, pro actuario primum limitem numerari, qui secundus est. Sic enim futurum, ut sint duo decumani primi, & duo primi cardines. Nam decumani, & cardines etiam vocabantur ceteri minores limites, qui decumano, & cardini maximo paralleli agebantur. Præterea id falsum convincit ex lapidum centurialium inscriptionibus. *Hoc si esset*, inquit, *inter decumanum maximum, & quem volunt primum, centuria aliter appellaretur. Forte diceretur inter decumanum maximum, & primum. Sed quoniam is ipse primus est, qui est maximus, continuo à decumano maximo, & cardine centuria inscribitur* D. D. I. V. K. I. & S. D. I. V. K. I. & D. D. C. K. I. & S. D. I. C. K. I. *Erit ergo nobis is primus, qui & maximus.* Ita scribi postulat ille locus, qui vulgo vitiosissimus præcipue in illis literis singularibus. Statim post decumanum maximum, & cardinem centuriæ, quæ inter decumanum maximum, & actuarium limitem claudebantur, ita inscribi solebant: *Dextra decumanum primum, ultra cardinem primum*: Et, *sinistra decumanum primum, ultra cardinem primum*: Et, *dextra decumanum primum, citra cardinem primum*: Et, *sinistra decumanum primum, citra cardinem primum.* Hæc est interpretatio notarum singularium suprascriptarum. Forma ipsa diagrammatis, quæ pessimè in editionibus discripta est, ita debet delineari.




In vulgato diagrammate omnia conversa sunt, literarum situs, & decumanorum, cardinumque positio. Fac igitur, quod in his erat maximè legitimum, ac ordinarium, ut decumanus maximus, qui & primus erat, ab oriente in occidentem procedat. Si per eum limitem sic incedas, ut oriente post te facto, contra occidentem respicias, centuria, quæ ad dextram erit, inter decumanum primum, & secundum clausa, ita appellabitur, *Dextra decumanum primum, citra cardinem primum.* Quæ autem ad sinistram jacebit, sic inscribetur: *Sinistra decumanum primum, citra cardinem primum.* Aliter hæc observabantur, quum decumanus in orientem crescebat. Quare autem citra, aut ultra cardinem primum eædem centuriæ dicantur, positura ipsa cardinis primi declarat. Hinc exponendus, ager *dextratus*, & *sinistratus*, *citratus* & *ultratus*, quorum nominum frequens mentio occurrit apud agrimensores. Siculus Flaccus de condit. agrorum: *inscriptiones itaque in centuriis sunt tales, dextra aut sinistra decumanum totum, ultra citraque cardinem totum, assignatum illi tantum.* Sic autem loquebantur, *dextra, & sinistra limitem*, pro à dextra & sinistra limitis. Cujus loquutionis exempla apud Vitruvium extant non uno loco. Recte itaque concludit ex illis Hyginus decumanum *maximum* eumdem esse, qui & *primus* dicitur: similiter & cardinem. Secundus decumanus, ut & secundus cardo dicebantur *actuarii*, ut & quintus quisque à secundo, qui a decumano maximo sextus numerabatur. *Actuarii* porro nominati, non ex eo, quod mensuræ, & limites agi proprie dicuntur; nam omnes limites pariter *actuarii* dicerentur, sed ab actus latitudine. Notum, quid inter viam, & actum intersit, & viam latiorem esse actu æquè compertum. Omnis limes secundum legem colonicam itineri publico servire debebat. Maximi limitis decumani latitudo fuit pedum quadraginta, & cardinis maximi pedum viginti. Hodie quoque quidam viam regalem statuunt

tiunt debere esse pedum quadraginta, *traversariam*, ut vocant, pedum viginti. Regiam eam definiunt, quæ ab civitate aliqua in aliam civitatem ducit. Decumanus igitur limes viæ regiæ, ac militaris locum obtinebat: cardo maximus viæ traversariæ. Nam *prorsi* limites decumani dicebantur, ut *traversi* cardines. Alii viæ Regiæ sexaginta pedes tribuunt. *Actuarii* limites, minores decumano maximo, & cardine, lati fiebant pedum duodecim. Frontinus de coloniis in provincia Tuscia: *a decumano, & cardine quintum quemque facito p.* XII. Sic enim ibi scribendum. Non solum quintus quisque à decumano *actuarius* dicebatur, sed etiam, qui primus post decumanum maximum agebatur, secundus nempe à decumano. Hyginus: *Actuarius limes est, qui primus actus est, & ab eo quintus quisque.* Idem paulo post: *Actuarii autem extra maximos decumanum & cardinem, latitudinem habent pedum duodecim. Per hos iter populo, sicut per viam publicam, debetur. Ita enim cautum est lege Sempronia & Julia. Quidam ex his latiores sunt quam duodecim pedum, ut ii, qui sunt per viam publicam militarem acti. Habent enim latitudinem viæ publicæ.* Per actuarios, qui lati erant pedes duodecim, via populo debebatur, sicut per viam publicam, non tamen habebant viæ publicæ latitudinem. Quidam ex his latiores erant quam duodecim pedum, ii nimirum, qui per viam publicam militarem agebantur. Habebant quippe viæ publicæ latitudinem. Quæ est viæ publicæ latitudo? an viginti pedes? Hæc fuit cardinis maximi latitudo. *Lineares* porro limites vocabantur medii inter primum actuarium & quintum. Hyginus: *Sunt alii actuarii limites, alii lineares.* Ita vetus Scriverii liber. Servius: *limites alii minores erant in obliquum discreti, qui lineares appellabantur, & agros per centurias, sive per jugera divisos coercebant.* Hi lineares limites in pedes octonos patebant, & *subruncivi* in Italia dicebantur. Fragmentum de coloniis ex commentario Claudii Cæsaris: *Cum duxeris decumanum latum pedes* XL, *cardinem latum pedes* XX, *facito & ceteros limites subruncivos latos pedes* VIII. Hyginus: *linearii limites mensuræ tantum disterminandæ causa sunt constituti, &, si finitimi interveniunt, latitudinem secundum legem Mamiliam accipiunt. In Italia itineri publico serviunt sub appellatione subruncivorum. Habent latitudinem pedum octonum. Hos conditores coloniarum fructus exportandi causa publicaverunt.* Duo genera facit linearium limitum, propterea & diversam illis latitudinem assignat. Si mensuræ tantum disterminandæ causa constituti essent, & finitimis inter se servirent, latitudinem accipiebant secundum legem Mamiliam. Ea quinque aut sex pedes latitudinis hujusmodi limitibus dabat. Aggenus: *de fine enim lex Mamilia quinque aut sex pedes latitudinem præscribit. Quoniam hanc latitudinem, vel iter ad culturas accedentium occupat, vel circumactus aratri quod usu capi non potest.* Hi sunt *limites lineares*, qui agros per jugera discretos coercebant, ut Servius dicit. *Intercisivi* vocabantur. Frontinus: *Comproportionales termini intercisivos limites servant, quos veterani pro observatione partium statutos custodiunt.* Immo *comportionales*, quod portiones agrorum inter consortes dividerent. Et *intercisivi* quidem illi limites dicti, quod portiunculas illas vicinorum inter se distinguerent. Aggenus: *tum de comportionalium terminorum positione, quos vice tabellarum antiqui intercidendis portiunculis inter filios suos defigebant.* Tiberius: *est & aliud, quod proximum ædibus vix unus quis consors condidit in portionibus suis, vel ad progeniem futuram, hæredibusve suis testamenti vice instrumentorum tabellarumve possessionis vice monstraverit: quod æque nullam limitum recipit rationem.* Alibi vocantur *proportionales.* Pag. CLIX. *ceteri proportionales sunt, & inter se suos limites servant, quos veterani per observationem partium statuerunt custodiendos, qui non ad rationem, vel recturam limitum pertinent.* Scribendum: *ceteri portionales sunt.* Et paulo post: *quos veterani pro observatione partium statuerunt custodiendos.* In libro Frontini de coloniis: *ceteris proportiones suæ sunt, & inter se suos limites servant.* Idem est locus, sed ibi etiam emendandum: *Ceteri portionales sunt.* Nam dicti *portionales* illi termini, quod *portiones* militum disterminent, iidem & *comportionales.* Limites *intercisi-*


A *vi* illi vocati, qui jugerationis modum servabant, ac centurias per jugera discernebant inter milites, quibus erant assignata. Hinc illa, quæ tam crebro occurrunt in libro de coloniis: *Ager in jugeribus, & limitibus intercisivis est assignatus.* Alterum genus *linearium limitum*, decumani, & cardines minores fuere, qui per centurias agros dividebant, & lati fiebant pedes octonos, nomine *subruncivorum* in Italia appellati. *Hos conditores coloniarum fructus exportandi causa publicaverunt*, id est, publici juris fecerunt, per eos iter populo patere voluerunt. Idem Hyginus alio: *Ceteris*
B *rigoribus lineariis pedes octonos.* Addit ibidem: *omnes limites non solum mensuræ, sed & publici itineris causa latitudines acceperunt.* Omnes ergo limites, per quos iter populo præbebatur, totidem publicæ viæ fuere. Sed nec unum genus earum, nec una fuit latitudo. Aliæ pedes sexaginta, aliæ quadraginta, aliæ triginta, aliæ viginti, aliæ duodecim, aliæ octo latitudinis habuere. Ex viis publicis quædam vel *regales*, quæ & *consulares*, ac *prætoriæ* dictæ, vel *militares*: aliæ ad usum populi ad exportandos fructus in agris factæ, quæ & *vicinales*, & *agrariæ*, aliisque nominibus appellatæ. Sed quantum existimo nulla via, sive limes, qui iter
C populo deberet, ac pervius semper esset, minus latitudinis unquam videtur accepisse quam pedes octonos. Hæc erat legitima viæ latitudo, quæ & minima. Jurisconsultus D. *de servitutibus rusticorum prædiorum*, si via concessa sit per fundum, nec dicta latitudo sit, legitimam ait deberi. Hæc erat octonûm pedum. Cajus: *viæ latitudo ex lege* XII. *Tab. in porrectum octo pedes habeat: in anfractum, id est, ubi flexum est pedes* XVI. Paulus tamen scripserat, viam constitui vel latiorem octo pedibus, vel angustiorem posse, ut tamen eam latitudinem habeat, qua vehiculum ire possit, *alioquin iter*
D *esse, non viam.* Ergo via constitui poterat, quæ non haberet majorem latitudinem quam actus. Notum est ex eorum libris, *actum esse jus agendi vel jumentum, vel vehiculum.* Quatuor pedes latitudinis actui vulgo dabant. Festus: *actus, iter inter vicinos quatuor pedum latum.* Rei rusticæ scriptores veteres actum modum esse agri definiunt latum quatuor pedes, centum ac viginti longum. Verùm ut via minor quam legitima, ita actus, vel iter legitimo majus concedi potest ex voluntate constituentium. Nam *latitudinem actus, itinerisque eam esse* dicit Jurisconsultus, *quæ demonstrata est.* Legitima igitur viæ latitudo pedes octo, ut actus
E pedes quatuor. Viam duos actus continere notat Isidorus. Via, vel limes, qui publico itineri serviret, nullus minor fuit quam octonûm pedum. Quæ minoris essent latitudinis, ut sex, quinque, aut quatuor pedum, inter vicinos, ac privatos observabantur, & *actus* nomine potius, quam *viæ* censebantur. Itaque quod supra dicebamus, *actuarios* limites appellatos, quod actus latitudinem haberent, minus erit verum. Nam *actus* lati erant pedes quatuor, *actuarii* limites pedes duodecim juxta Hyginum, quæ trium actuum est latitudo. Sed vereor, ut Hyginus ipse
F falsus sit, iidemque fuerint *actuarii* limites, & *linearii.* Certe in multis ipse sibi contradicit. Eodem libro non *actuarios* limites vocat, sed *prorsos*, & *transversos*, quibus latitudo duodenûm pedum dabatur. *Actuarios palos* appellat idem, qui defigebantur inter centenos vicenos pedes: *Actuarios, inquit, palos suo nomine scriptos defigemus, ut ad partitionem acceptarum mensura acta appareat.* Certe hi *actuarii pali* ab actus longitudine dicti, quæ per centum viginti pedes porrigebatur. Sic etiam *actuarii* limites videntur illi nuncupati, qui agrum per jugera discriminabant, iidem nempe cum intercisivis, & lineariis. Nam duo actus quadrati ju-
G gerum faciebant, cujus eadem erat latitudo, cum unius actus longitudine. Quod idem ait *actuarium* dici limitem, qui primus actus est, hoc ipse paulo post evertit, ubi dicit decumanum maximum, & primum eumdem esse, eosque reprehendit, qui pro actuario primum numerabant, qui secundus erat. Nec enim primus limes agebatur actuarius, sed decumanus maximus. Satius esset ab actu agendo, id est, mensura agenda *actuarium* deducere, quod plurimum agentibus præstaret. Idem Hyginus: *limitibus secundum*

suam

suam legem latitudines dabimus, & aperiri in perpetuum cogemus. Plurimum enim agentibus præstat actuarii perpetua rectura. Ex hac diverti nisi per negligentiam non potest. Ita legendus ille locus ex libro Scriveriano. *Agentes* sunt, qui limites agunt. Unde & *actus* pro mensura. In fragmento quodam Frontini pag. CCCVIII. *Principium artis mensuriæ in agendis positum est experimentis.* Hæc corruptissima. Scriptum fuit in libro Arcerii: *in agendis positum est experimento.* Lege: *principium artis mensoriæ in agentis positum est experimento.* Ubi *agens* dicitur agrimensor, qui limites ducit, & mensuram agit. Sic apud eumdem: *Si sit ergo vallis, quæ conspectum agentis exsuperet.* At enimvero *actuarii* limites ab actu dicti, qui modus est agri in centum & viginti pedes patens in omni latere, quod actus nimirum includerent. Nam centuriæ in jugera, jugera in actus dividebantur. Qui primus centuriam includebat limes, *actuarius* appellatus est, & secundus erat à decumano, vel cardine maximo. Decumanus & cardo maximi, primi quidem ducebantur, sed stellam efficiebant, nec centurias cludebant hoc modo:




Igitur, qui primi post hos dirigebantur, secundi quidem à primis erant, sed primi centurias cludebant ad hunc modum:



Ut heic vides, secundi decumani, & cardines, primi sunt qui centurias includunt. Ideo & primos eos quidam appellavere, non quod primi essent ducti, sed quod primi centurias includerent. Id quod non caret ratione, licet contra sentiat Hyginus, qui & ipse tamen alio loco *actuarium* scribit primum & quintum quemque limitem vocatum. Eadem ratio est & in quinto, vel quintario limite. Quintus quippe vocabatur limes, non qui loco quinto numeraretur à decumano, & cardine maximis, sed qui centurias quintus includeret. Hic quintus erat à primo centuriam includente, qui & quinque centurias includebat. Fallitur ergo Hyginus, qui *quintum* à *quintario* separat. Idem enim *quintus* & *quintarius*: ut *primus* & *primarius*: *secundus* & *secundarius*: & similia: Verba Hygini: *Sed & de limitibus quintariis, quintum quemque quintarium volunt. Porro autem inter quintum & quintarium interest aliquid. Quintus est, qui quinto loco numeratur. Quintarius qui quinque centurias cludit. Hunc volunt esse quintum, qui est sextus.* Certe limes, qui quinque centurias cludit, non quintus est, sed sextus à decumano primo, vel maximo. Hunc *quintarium* appellari vult Hyginus, non quod quinto loco numeretur, utpote qui sit sextus, sed quod quinque centurias includat: at quintum limitem eum esse, qui quinto loco numeratur. Is quatuor tantum centurias claudebat. Sed errat Hyginus, & idem omnino quintus, & quintarius limes. Et verbis legis antiquæ revincitur, quam statim produxit. Ea cautum fuit, *ut à decumano maximo quintus quisque limes spatio itineris ampliaretur.* *Quintum* lex vocat, quem Hyginus *quintarium* esse contendit. Subjicit idem: *Erat sanè interpretatio legis ambigua, nisi eorum temporum formæ sextum quemque limitem latiorem haberent.* Lex præcipit, ut quintus quisque limes latior fiat, & tamen in formis eorum temporum non quintus, sed sextus limes latior describitur. Inde concludit Hyginus quintarium limitem à quinto esse diversum. Atqui apertè *quintum* lex vocat, quem ipse Hyginus *quintarium* dici mavult. Sed quem lex quintum limitem appellat, non eum intelligit, qui quinto loco numeratur à decumano maximo, sed qui quintam quamque centuriam à decumano includit. Ut primus à decumano dicebatur, qui primam centuriam includeret. Et hic secundus erat, qui primus primam claudebat centuriam, ut sextus, qui quintam. Quem ideo quintum, & quintarium appellavere. Siculus Flaccus: *Decumano vero & cardini maximis, maximus latitudinis modus præscribi debet: Deinde quintam quamque centuriam includens per decumanos, cardinesque.* Sic distinguendum. Ait decumano, & cardini maximis maximam debere esse latitudinem, deinde quintis, vel quintariis quintam quamque centuriam includentibus. Hi sexti debent computari, si à decumano maximo numerentur. Sequitur statim: *cum viginti & quinque centurias includant, saltus appellatur.* Immo legendum: *cum quinque centuriæ includuntur, saltus appellatur.* Varro quatuor centurias inclusas *saltum* appellari dicit in agris publicè viritim divisis, id est, assignatis. Quatuor centurias duobus secundis decumanis, & cardinibus inclusas hoc nomine venire scribit Varro: Flaccus verò quinas centurias quinque limitibus primis inclusas. Jam habes, quis dictus sit *quintus*, vel *quintarius* limes, is nimirum, qui quintam quamque centuriam includebat. Posito decumano maximo, & cardine maximo, quinque postea limites dirigebantur. Horum quinque limitum, qui primam centuriam cludebat, dictus est etiam quibusdam *primus*, licet secundus esset à decumano maximo. Hic cum novissimo, id est, quinto latior ceteris mediis linearibus, & subruncivis fiebat, non tamen decumano, aut cardine maximis, qui omnium latissimi. His quinque limitibus quum accesserat decumanus, sex fiebant. Horum quinque limitum primus, & novissimus actuarii κατ' ἐξοχὴν appellati sunt ab actibus includendis, qui & ceteris latiores fiebant. Centurias includebant limites, centuriæ per actus dividebantur. In singulas centurias lapides terminales ponebantur, qui invicem distabant ped. II. CCCC, si centuriæ ducentenis tantum jugeribus constarent. In singulos actus pali defigebantur, qui distabant à se pedes centum & viginti, quæ longitudo est unius actus. Siculus Flaccus: *Si amplius quam ducentena jugera centuriæ habent, ut puta si habet centuria* CCXL *jugera, sint oportet per decumanum aut cardinem ab lapide ad lapidem actus* XXIIII, *& per alterum limitem actus* XX. *Tot enim actus numero per decumanum, & per cardinem dati inter se multiplicati facient* CCCCLXXX. Hyginus: *Divus Augustus in Beturia Ecritam jugerum* CCCC, *quibus divisionibus decumani habent longitudinis actus* XL, *cardines actus* XX. Centuriæ quadratæ ducentena tantum jugera habebant. Vetus agrimensor. *Est ager centuriatus, qui quadratis centuriis divisus. Hic ager in singulis centuriis ducentena jugera habebit.* Agri scamnati ii dicebantur, qui in centuriis singulis habebant jugera ducenta quadragena, qui per latitudinem habent actus XX, & per longitudinem actus XXIV. Nam *scamnum* id erat, quod latius erat quam longius. Ut contra *striga*, quæ longior quam latior. Hinc exponendus ager per strigas, & scamna divisus. Siculus Flaccus: *in Beneventano actus viginti quinque per decumanos, & actus sedecim per cardines: qua mensura jugera ducentena quidem includuntur, centuriæ quadratæ non exprimuntur.* In centuriis porro quadratis, quæ ducentenûm erant jugerum, viginti actus per decumanos, & viginti per cardines includebantur. Et in viginti actus lapides, hoc est, termini statuebantur. In quibusdam regionibus propter sterili-

rilitatem inter centurias quinas lapides poni solebant. Frontinus: *Quibusdam regionibus in agris adsignatis, propter sterilitatem inter centurias quinas lapides positi sunt.* Ita scribendum. Alia porro multa genera terminorum, de quibus hic non dicendi locus. Ex his constat, quid distent limites à terminis. Limites terminis distinguebantur. Soli agri assignati limitibus continebantur. Hodie nullus ager limitatur, sed omnes terminantur. Sic omnis ager hodie ea conditione est, qua veterum arcifinius fuit. Agrum vocabant *arcifinium*, qui nulla mensura, nec ullis limitibus claudebatur, sed montibus, aut fluviis, aut viis, aut rivis, aut fossis, aut aquarum divergiis, aut arboribus antemissis, quas re-

A linquebant agricolæ, aut quodam culturæ discrimine terminabatur. Hodie territoria à territoriis sic fermè disterminantur. Agri privatorum invicem separantur lapidibus, qui in recta linea constituti sunt, quos pro terminis servant. Ad eas lineas dirigendas groma opus est. Ager limitatus idem est, qui & colonicus, vel assignatus, qualis hodie nullus est. Ideo & limites agrorum nulli. *Limitem* definiunt *recturæ longitudinem rationabilem cum aliqua latitudine.* Hinc *limitem* pro linea, vel rigore passim usurpant auctores. Dividebantur agri coloniarum limi-
B tibus institutis per centurias, assignabantur viritim nominibus. Agri colonici per limites decumanos, cardinesque, & quintarios divisi centuriatim hic fuit typus.



Hic *soli pulcher habitus*, & *speciosa agrorum designatio* vocatur veteribus. In hac forma primos post decumanum, & cardinem maximum signavimus limites, quia primas centurias cohibent, quum alias secundi sint. Sic *quintos*, vel *quintarios*, qui quintam quamque centuriam claudunt, quum sint sexti. Hi ceteris mediis latiores, etiam sunt notati, quos *linearios*, aut *subruncivos* dixere. At omnium amplissimi, qui & *maximi*, & *primi* propriè vocabantur, decumanus, & cardo maximus. Nam & reliqui quoque decumani, & cardines dicti. In superiore igitur forma omnes lineæ, totidem limites sunt. Singulæ quadræ, totidem centuriæ quadratæ intra limites clusæ. Territorium omne coloniæ sic divisum *centuriationem* vocaverunt, quia per centurias dividebatur. Hyginus: *multi hujusmodi agrum more colonico decumanis, & cardinibus diviserunt, hoc est, per centurias.* In Scriveriano scriptum est, *per vias.* Viæ sunt limites. Sed illud verum est. Dixerunt & *limitationem* à limitibus, & *metationem* à metis, quas Gromatici dictabant, in prehendendis rigoribus. Alii *cancellationem*, quia limites decussatim invicem sese secabant. quomodo fiebant & cancelli. Alii *perticam* nuncupavere, ut suprà vidimus ex Siculo Flacco. *Et quamvis una res sit forma, alii dicunt perticam, alii centuriationem, alii limitationem, alii cancellationem, alii typon.* Unde igitur universum territorium coloniæ limitibus comprehensum perticam appellavere? Ut videtur, non à pertica ulla, qua metiebantur agros, sed à pertica, qua limites agebantur, ac dirigebantur. Ea est groma. Hyginus in Gromatico de limitibus constituendis: *cultis locis limitem sulcis optimè servabimus, prensis tamen in conspectu longinquo signis limitem agemus.* Limes, qui agitur, prehensis in conspectu longinquo signis, per gro-

C mam dirigitur, quæ machina est dioptrica. Frontinus ex Balbo: *Ager Anconitanus ea lege, qua & ager Florentinus, est assignatus limitibus Augusteis, sive* K. *&* D. *vel maritimos, aut montanos limites ab oriente, & occidente, qui in groma sunt assignati antiqua lege.* In alio fragmento ex libris Dolabellæ, vel, ut in aliis legitur, ex libro Junii Nipsi: *Si in agro assignato aliquis modus jugerationis vacaverit, ne putes subsicivum remansisse, quærere*
D *primum ne post æs fixum, & machinam sublatam secunda assignatione alicui assignatum sit.* Ita lego. Vulgo editum est: *ne post est fixum.* Scriptum fuit, *ne post es fixum.* Per æs fixum intelligit æream tabulam, in qua lex, & forma limitationis agrorum assignatorum scalpebatur. Siculus Flaccus: *quidam formas, quarum mentio habita est, in ære scalpserunt, id est, in æneis tabulis scripserunt.* Hujus æris, vel æneæ tabulæ passim mentio fit in fragmentis agrimensorum. Per *machinam* intelligi-
E tur groma, quæ tollebatur assignatione facta, & tabula limitationis fixa. Hæc machina etiam *pertica*, ni fallor, vocata est. Unde totum territorium divisum, & assignatum, *pertica* etiam dicebatur. Ut in *perticæ extremitate* apud Frontinum, in territorii extremitate. Valerius, & Faustus: *in Galliis & Africa, ubi pertica nostra definiunt*, id est, ubi groma nostra fines, & metas posuit, limitesque instituit. Nam *metæ* pro-
F prie dictæ, quas in limitibus agendis, ac rigoribus capiendis conspectu longinquo dictabat Gromaticus. In fragmentis Julii Frontonis: *Si fuerit ergo vallis, quæ conspectum agentis exsuperet, per ipsam metis ad ferramentum adpositis erit descendendum, cujus rigoris incessum, ut sis in contrario æque, adplicata ante lineæ ad capitulum perticæ, æqualiter ad perpendiculum cultellare debemus.* Ubi ferramentum, & pertica idem. Et paulo post: *nam quotiens sine linea cultellamus, conspectum metarum excedimus.* Sic lego

lego ex vetere Arceriano. Vulgo editum est: *conspectum iterum sæpe excedemus,* Metas volebam esse signa, sed differunt, & auctores metas à signis separant. Hyginus: *conspiciamus signum quod est inter B & A prolato exiguum per rigores ferramento, normaliter paucas dictabimus metas.* Frontinus in fragmento: *dictabimus metas non minus tres.* Duo signa sunt conspectus, unum, à quo rigor conspiciendus incipit, alterum, in quo desinit. Nam *rigor* proprie dicitur illis auctoribus quidquid inter duo signa rectum perspicitur. Signum aut capiebatur longinquo conspectui oblatum, vel arbor, vel saxum, vel aliquid tale eminens, vel manu ponebatur. Hero: τὸ λαμβανόμενον σημεῖον. Hyginus: *prehensis in longinquo conspectu signis.* Ponebatur manu, ut ex his Frontini constat: *cujuscunque loci mensura agenda fuerit, eum circumire ante omnia oportet, & ad omnes angulos signa ponere.* Hinc signi positi sæpe mentio apud auctores. Hyginus in Gromatico: *Si vero in propinquo duo sint signa, quæ recta linea normaliter conspici possint, ut excussis longitudinibus longiorem lineam ad brevioris longitudinem signo posito æquemus.* Ita scribendum, non *signo opposito.* Mensores nostri *jalones* vocant hujusmodi signa. At metæ in uno rigore plures si forte dictabantur, rigor ipse *dictari* dicebatur. Per metas lineam extendi debere ait Hyginus, per quam agrum cultellabant. Spissiores igitur poni, vel dictari solebant. Frontinus: *Metis ad ferramentum positis, per ipsam erit dictandum.* Videntur sanè & cum signis, quæ ponebantur, eædem esse. Frontinus: *conspectum metarum sæpe excedimus, & ex eo loco iterum rigorem conspicimus.* Hero in Geodæsia ex quatuor rebus, quæ spectandæ sunt, primo loco τὰ κλίματα ponit, hoc est, ortum & occasum, septentrionem & meridiem. Deinde τὸν σκόπελον. Σκόπελος, inquit, εἰς ὃν τὸ λαμβανόμενον σημεῖον. Ubi σκόπελος est meta. Πέτραν ὀξεῖαν Græci, vel ἀκρώρειαν interpretantur. Scopulum scilicet in metæ acumen subrectum. Meta etiam terminus dicebatur ad instar metæ turbinatus. Frontinus de coloniis: *In campis vero statuerunt terminos cursorios, spatulas, vel mœtas assignatas.* Ubi metæ, & spatulæ diversæ sunt, & diversa forma factæ, ut ex Hygino constat. *Mœtas* porro ubique scribunt libri, non *metas.* Et sane *mœta* ex Græco Siculo μύτος, unde μύτιλον τὸ ἔσχατον. Inde & mœta pro termino, & fine. *His ego nec metas.* Ab illis metis, quas in rigoribus agendis dictabat, vel ponebat agrimensor, verbum *metari* proprium gromaticorum, unde & ipsi dicti *metatores.* Ea propter pertica, quæ metatur, groma videatur esse potius limitibus dirigendis, quam mensuræ genus agris metiundis.

Pertica quæ nostros metata est improba agellos.

Aliud *metari*, aliud *metiri.* Verbum illud significat id, quod diximus. *Metiri* definire est, quot pedum sit, vel passuum locus aliquis. Veteres grammatici *metari* exponunt eligere. Virgilius:

---- seu pinguis agros metabere campi.

Ibi Servius: *eliges. Et longe alia significatio est metor metaris, & alia metior metiris.* Caper de verbis dubiis: *Metor metaris, eligo: metior metiris mensuro.* Metari tamen verbum per se significationem hanc non habet, sed simpliciter significat metas ponere, & constituere. In eligendi porro notionem transiit ea de causa, quod assignatione cultus tantum ager & pinguis, atque adeo electilis dabatur. Sic *electiles partes* Apulejo sunt opimæ, & pingues. Secundum legem Augusti eatenus fieri debebat assignatio, *qua falx & arater ierat.* Locum cultum, & aratilem agrum intelligi palam est, idque tradunt veteres agrimensores. Si quid sterilis esset, atque ingrati soli, sub nomine subsicivi relinquebatur, nec assignabatur. Duo erant subsicivorum genera, unum, quod in extremitatibus assignatorum finium centuriam non explebat, & quadratum mensuræ excedebat: alterum, quod in mediis etiam centuriis propter sterilitatem relinquebatur, nec sub metationem cadebat. Flaccus: *Subsicivorum vero genera sunt duo: unum est, quod à subsecante linea mensuræ quadratum excedit: alterum est autem, quod in mediis centuriis relinquitur: evenit hoc ideo, quoniam militi veteranoque cultura assignatur: si quid enim amari & incerti soli est, id assignatione non datur.* Vacuæ centuriæ diversæ sunt à subsicivis. Nam subsicivum minus est, quam centuria. Centuriæ vacuæ, vel vacantes dictæ sunt integer modus, qui sub assignationem non cecidit, sed privatis si forte concessus est. *Subsicivum* igitur dicebatur, quod divisum, assignatumque non esset, vel propter maciem soli, etiam si in mediis centuriis interveniret, vel quod centuriæ modum non expleret, si in extremis assignationis finibus id incideret. De priori genere auctor incertus: *subsicivi agri, quos in pertica divisos recusant, quasi steriles, aut palustres.* Relicta, & soluta dicebantur hujusmodi loca, quæ propter sterilitatem relinquebantur, nec assignabantur: non mensuris, vel limitibus obligabantur. Aggenus: *Hæc autem sunt loca, quæ in soluto dicuntur, quæ aut in saxosis, & sterilibus locis sunt, aut in paludibus, ubi nulla potuit exerceri cultura quia dum non esset, quod excoli posset, nullis necesse fuit limitum regulis obligari.* Sic scribendus ille locus. *Soluta* loca sunt, quæ nullis mensuris comprehensa sunt, vel limitibus obligata. Hæc eadem & *in soluto remansisse* dicebantur. Ut *in ambiguo* dicitur, & *in ancipiti*, quod est anceps, & ambiguum, & *in tuto*, quod est tutum, sic *in soluto*, quod est solutum. Perperam legitur apud Aggenum, *Hæc autem loca, quæ insoluta dicuntur.* Et paulo ante: *aut ubi insoluta loca remanserunt.* Scribe: *aut ubi in soluto loca remanserunt.* Quod multis locis apud illos auctores similiter corruptum est. Hinc illa in libris coloniarum: *Ceterum in absoluto remansit*, hoc est, assignatum, ac limitatum non est. Idem *solutum*, quod *absolutum.* De relictis locis idem: *relicta loca sunt, quæ sive iniquitate locorum assignari nequiverunt, sive ex voluntate conditoris, hoc est, mensoris relicta limites minimè acceperunt.* Quare pingues tantum agri, aut illi, in quibus cultura exerceri poterat, assignatione dividebantur, ac metabantur. Virgilius:

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes?

Hinc *metatus ager* de assignato, vel opimo, & pingui apud Horatium, nam talis assignatus:

---- videas metato in agello
Cum pecore & gnatis fortem mercede colonum.

Inde & *metari* pro eligere. Nam & qui castra metabantur, locum prius idoneum eligebant ponendis castris, deinde metis ad gromam positis vias dirigebant, eodem prorsus modo, quo in limitibus assignationum agendis. Hinc *Gromaticus* Hygini liber de limitibus constituendis, & ejusdem *Gromaticus* de castrametatione. Nusquam apud eos auctores, qui de limitibus scripsere, mentio extat perticæ eo sensu, quo vulgo accipitur, de certo mensuræ genere, qua modus agrorum, ac podisinus colligitur. Unde colligere fortean possimus, perticam eam cujus passim meminere, in metandis agris *gromam* fuisse, diversam utique à communi, & vulgari pertica mensorum. *Decempedam* nominat Horatius metandis porticibus:

---- nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat arcton.

Fortassis nec decempeda ibi sit accipienda de pertica decem pedes longa metiundis porticibus apta. Aliud quippe *metari*, aliud *metiri*, ut jam docuimus. *Decempeda* an groma fuerit, videndum, sive pertica, vel regula decem pedum, quæ metandis agris, castrisque publicè serviebat. Nam & chorobaten Vitruvius, quem eumdem esse cum groma certa fides est, regulam facit xx pedum, ubi fortassean legendum, *x pedum.* Et *perticam* glossæ interpretantur κανόνα, id est, *regulam.* Nec agris porro tantum, & limitibus agrorum agendis, sed etiam viis castrorum dirigendis, & urbium, porticibusque, & basilicis, quarum longitudines ad lineam dirigebantur, usum gruma præstabat. Lucilius:

---- viamque
Degrumabis, uti castris mensor facit olim.

Glossæ: *grumare*, ἐξισοῦν, διορθῶσαι, κατορθῶσαι. Non igitur mensuras agere tantum hoc verbum significabat, sed etiam easdem ad lineam dirigere, ut in limitibus ac viis fiebat. Apud cascos illos Romanos, quum publicorum ædificiorum privatorum magnificentia nondum

corum mænium sumptum superabat, nulla porticus privata tam longa fiebat, ut gromis, & decempedis perducenda esset, ac dirigenda ejus longitudo, sed in solis porticibus publicis metandis grumæ tum locum, & usum habuere. Ubi vero porticus privatorum, & xysti ampliores, laxioresque facti sunt quam publici, tum privatis decempedis, ac grumis ad eas porticus degrumandas, ac metandas locus fuit. Vetus interpres Horatii decempedam eo loco exponit *regulam decem pedum, qua ab artificibus mensura fabricæ colligitur.* Decempedam architectonum propriam facit ad metiendam fabricam. Certe & *grumam* τεκτονικὸν instrumentum etiam glossæ constituunt. De area porticus per decempedam metanda, & dirigenda ad lineam videtur intelligere poëta, non de fabricæ mensura colligenda. Cicero decempedam metatoribus, sive agrimensoribus tribuit, veluti propriam: *Saxa peritus metator, jam urbem decempeda sua diviserat.* Hoc faciebat metatoris gruma, territorium per limites divisum, metatumque assignabat. Idem de Antonio in Philippicis: *agri publici, privatique decempedator*, id est, metator, & divisor. Et alio loco: *Cum architectis, ac decempedis villas omnium agrosque peragrabat.* Nec obstat, quod in Academicis dicit, *magnitudinem solis decempeda metiri.* Nam metatores mensuram agri etiam gruma colligebant, unde & *mensores* proprie appellati. Lucilius:

.... viamque
Degrumabis, ut in castris mensor facit olim.

Vetustissimi Latinæ linguæ auctores perticæ, aut decempedæ ad metiendos agros nusquam mentionem faciunt. Varro, & Columella, qui diligentissimè omnia modorum, ac mensurarum agri genera, ac nomina persecuti sunt, nec *perticam*, nec *decempedam* nominant. Græci, ut Hero, & alii, qui Latina etiam nomina in ejusmodi mensuris recensendis explicant, nullum mensuræ genus habent decem pedum præter κάλαμον. Hero quidem dicit Ægyptios τοῖς χοίνοις, καὶ τοῖς καλάμοις, καὶ τοῖς πήχεσι arva sua metiri solitos: χρῶνται δὲ τῇ μετρήσει πρὸς τὴν ἑκάστην πλεονεξίαν τῆς χώρας, ὅτε μὲν τῷ καλουμένῳ χοινίῳ, ὅτε δὲ καλάμῳ, ὅτε δὲ πήχει, ὅτε δὲ καὶ ἑτέροις μέτροις. Calamus ille regiorum decem pedum fuit, sive philetæriorum, Italicorum vero duodecim: ὁ κάλαμος ἔχει πόδας φιλεταιρείους ι΄ Ἰταλικοὺς ιβ. Hujus calami mentio apud Ezechielem. Idem Hero ἀκένων similiter facit decem pedum philetæriorum: ἡ δὲ ἄκενα ἔχει πόδας φιλεταιρείους ι΄ ἤτοι δακτύλους ρξ. Alter Hero Geodætes *acenæ* tribuit σπιθάμας sedecim, hoc est, pedes duodecim. Pedes ergo Italicos intelligit. Ἡ ἄκενα σπιθάμας ις. Græci antiqui ἄκαιναν scribunt, recentiores ἄκεναν. Inde *acna* Columellæ pro certo mensuræ agri modo. Recentior Latinitas *acram* pro eo dixit. Hinc in veteribus legibus *acra prati, acra terræ.* Quam vocem audio hodieque Normannos retinere. Nec id obstat, quod ἄκενα decem pedes erat longa, acnæ vero Columella centum pedes ac vicenos tribuit, qui Bæticos actum quadratum vocare scribit. Certe *acra* ab *acna*. Sic *diacrum* pro diacono dicimus, *pamprum* pro pampino: *tymprum*, vel *tymbrum* pro tympano. *Acnua*, vel *agnua* veteres scribunt libri apud Columellam. Auctor vetus: *Agnua habet pedes* XIIII. CCCC. *Jugerum habet pedes* XXVIII. CCC. De his alibi. Profecto quæstionis esse posset, an vetustiores Romani pertica, sive decempeda communiter usi fuerint in mensurandis agris. Mirum est, nec Varronem, nec Columellam, nec Plinium perticæ, aut decempedæ ad eam rem meminisse. Funiculo magis utebantur. Reperitur in glossis: *Arvipendium*, χοῖνος γεομετρικός. Certe ab arvis pendendis, id est, metiendis dictum *arvipendium*. Postea dictum *arvipennium* & *aripennium*. Inde corrupta vox *aripennis* de certo agri modo. Gallos ita vocare semijugerum tradit Columella. Bæticis hoc vocabulum tribuit incertus auctor de mensuris agrorum, qui actum quadratum ita Bæticos appellare notat, ab arando scilicet. Sive Bætica hæc vox sit, sive Gallica, ex Romano utique solo translata, & corrupta, ut multæ jam olim apud Hispanos & Gallos. *Solipuga*, vel *solpuga* Romanis ἡ ὀλοκεντρὶς phalangii genus Bæticis *salpuca*. *Aripennis* igitur pro *arvipendis*. Ab

A illo *arvipendium* verbum *arvipendiare*. Inde nostrum *arpenter*. *Arvipendiator*, *arpenteur*. Sic vocamus vulgo, quem veteres dicebant *agrarium mensorem*, vel unica voce *agrimensorem*, & *mensorem*. Ergo χοινίῳ, id est, funiculo arva metiebantur, quem *arvipendem* vocabant, & unica dictione *arvipendium*. Sic *libripens*, ut *arvipens*, & *arvipennis*. Nec objici potest verbum *pendere* de ponderibus tantum accipi. Sane & *libram* dixere certum agri modum. Hyginus: *In Narbonensi quoque provincia varia sunt vocabula: alii appellant libram, alii parallelon, in Hispania centurias. Ita sicut in consuetudine regionis alicujus invenicmus, ita renuntiandum: jugera tot, versus tot, sive libræ tot, sive quodcunque aliud vocabulum.* Sic scribendum eo loco. Vetus fragmentum agrimens[illegible]: *[illegible]nes dictæ, eo quod agri funiculis sint divisi.* Hero Geodætes, hoc est, agrimensor mensurandiis terris χοινίον, hoc est, funiculum agnoscit tantum. Et δεκαοργυιαῖον quidem constituit metiendæ terræ arabili, pratorum vero mensuræ colligendæ τὸ δωδεκαοργυιαῖον. Ejus hæc verba sunt: μετὰ τοῦτο ὀφείλεις ποιῆσαι χοινίον ἤγουν σωκάριον, καὶ οὕτως μετρῆσαι ὃν μέλλεις μετρεῖν τόπον, τὸ γὰρ σωκάριον τῆς σπορίμου γῆς δέκα ὀργυιὰς ὀφείλει ἔχειν, τοῦ δὲ λιβαδίου δυώδεκα. Vocat pratum λιβάδιον, & σωκάριον funiculum. Sequitur apud eumdem: καὶ μετὰ μὲν δεκαοργυιαίου χοινίου ἔχει ὁ τόπος τοῦ μοδίου ὀργυιὰς διακοσίας καὶ μόνας. Μετὰ δὲ τοῦ δωδεκαοργυιαίου χοινίου ἔχει ὀργυιὰς διακοσίας ὀγδοήκοντα. Sic δεκαοργυιαῖον σχοινίον pedes habuit sexaginta, δωδεκαοργυιαῖον septuaginta duo. Nam ὀργυιὰ sex pedum fuit, eamque è ligno fieri præcipit: ποιήσεις ὀργυιὰν ἐν καλάμῃ, ἢ ἐν ξύλῳ τινί. Apud recentiores scriptores passim perticæ mensoriæ fit mentio, quam & decem pedum fuisse volunt, atque inde dictam *decempedam*. *Pertica passus duos, id est, pedes* X. Apud alios reperio diversam fuisse à pertica decempedam. Sic enim definiunt: *Decempeda habet pedes* X, *digitorum* XVI. *Pertica habet pedes* XII, *digitorum* XVIII. Sic pertica habuerit pedes tredecim cum semipede, eorum scilicet pedum, qui sexdecim digitos habent, quum decempeda decem tantum fuerit hujusmodi pedum. Ita reperi scriptum in fragmentis Epaphroditi, & Vitruvii Rufi architectonis. Vereor tamen ut mendum sit in illis verbis: *pertica habet pedes* XII, *digitorum* XVIII. Pes regius, & monetalis apud veteres non excedebat sexdecim digitos, pes Italicus etiam minor fuit, utpote tredecim digitos, & trientem, sive quatuor uncias longus. Hero in Isagoge: ὁ ποὺς ὁ μὲν βασιλικὸς καὶ φιλεταίρειος λεγόμενος ἔχει παλαιστὰς τέσσαρας, δακτύλους ις΄. Ὁ δὲ Ἰταλικὸς ποὺς ἔχει δακτύλους τρεῖς καὶ δέκα καὶ τρίτον. Acena igitur, quæ decem erat pedum regiorum, duodecim pedes habuit Italicos. Idem fuerit & in decempeda, quam Græci δεκάποδα dixerint. Immo ἄκαινα fuit eadem cum decempeda. Ἄκαινα proprie longus fustis ferro acuminatus, quo boves instimulabantur. Inde & pro pertica mensoria decem pedum. An igitur scribendum in fragmento Vitruvii? *Pertica habet pedes* XII, *digitorum* XIII, *& trientis.* Ut nota trientis loco corrumpendo ansam dederit. Sic pertica habuerit duodecim pedes Italicos, vel decem regios, sive philetærios, qui dicti sunt à Philetæro Rege Bithyniæ, domus Attalicæ progenitore. Pedis monetalis mentio fit apud Hyginum, quem eumdem fuisse suspicor cum pede regio, sive philetærio, & sexdecim digitos habuisse. Diversus itaque ab Italico. Pes urbanus monetalis Capitolinus idem cum regio philetærio. Sic βασιλικὴ ἡμίνα eadem cum Capitolina, & urbana, diversa ab Italica, & castrensi. Pedis regii Ptolemaïci meminit idem Hyginus, quem semuncia majorem ait fuisse pede monetali. Ad hunc Ptolemaïcum pedem agri regii mensurabantur, quos in Cyrenensi Ptolemæus rex populo Romano reliquerat. Agrorum Bithyniæ regiorum mentio in Agrariis Tullianis. Eorum mensura exigebatur ad pedem regium philetærium, qui idem cum Capitolino, & monetali. Præter hos pedes etiam Drusianus appellatus est, quo in Germania utebantur. Is eodem Hygino teste habebat monetalem pedem & sescunciam, hoc est, digitos decem & octo. Nam sescuncia pedis duos habet digitos. Sic pes Italicus omnium minimus pedum tredecim fuit, & trientis. Pes regius philetærius, qui & *urba-*

urbanus, & *Capitolinus*, & *monetalis*, sedecim pedes habuit, uncias duodecim. Regius Ptolemaïcus pedum sedecim & semunciæ, una semuncia major erat philetærio, quæ bessem digiti facit. At pes Drusianus & Germanicus tredecim unciarum fuit, & semunciæ, hoc est, pedum decem & octo. De hoc pede intellexerit Vitruvius, vel Epaphroditus, quum dixit, *perticam habere pedes duodecim, digitorum decem octo.* Nihil itaque mutandum in illius fragmenti verbis. Sic diversa pertica à decempeda. Decempedam autem omnes mensuræ genus faciunt decem pedum. Vetus auctor mensorius. *Primum agri modum fecerunt quatuor limitibus clausum, figura similem plerumque centum pedum in utraque parte, quod Græci* πλέθρον *appellant, Osci & Umbri vorsum, nostri actum, habentem centenos & vicenos in utraque parte pedes, cujus ex quatuor unum latus, sicut diei duodecim horas, duodecim menses anni, duodecim decempedas esse voluerunt.* Græci, ut dixi, ἄκεναν vocant hanc mensuram, antiquiores ἄκαιναν, qui & aculeatam perticam, qua boves pungebantur inter arandum, appellaverunt. Apollonius:

---- Πελασγίδι νύσσεν ἀκαίνῃ.

Ubi vetus Scholiastes notat, ἄκαιναν non tantum stimulum boum esse, sed etiam μέτρον δεκάπουν Θεσσαλῶν εὕρημα. Citatque ibidem hunc versum Callimachi de acæna:

Ἀμφότερον, κέντρόν τε βοῶν, καὶ μέτρον ἀρούρης.

Hæc igitur decempeda Romanorum fuit, illa inquam decempeda, quam Cicero metatoribus tribuit propriam. Unde *decempedator* pro mensore. Hæc decempeda non eadem cum groma. Græci πλέθρον dixere agri modum quatuor limitibus, centum pedum in unoquoque latere, hoc est, decem acænarum, sive decempedarum. Hic actus est Latinorum. Sed quia pes Latinus, vel Italicus minor est Græco, ita ut decem pedes Græci, vel philetærii duodecim pedibus Italicis æquiparentur, hinc factum, ut πλέθρον, quod centum pedes Græcos in omni latere habet, centum ac viginti Italicos habeat. Inde actum quadratum suum Latini centum ac viginti pedes per unum latus ajunt continere. Hero: τὸ πλέθρον ἔχει ἀκαίνας δέκα, πόδας φιλεταιρείους μὲν ἑκατὸν, Ἰταλικοὺς δὲ ἑκατὸν εἴκοσι. Quare vetus auctor Latinus, qui actum in singulis lateribus duodecim decempedarum esse dicit, de Latinis decempedis intellexisse oportet. Mire tamen hæc confundunt auctores. Nam & pedi Romano, sive monetali sexdecim digitos assignant, cum Italicus tredecim tantum digitos ac trientem habuerit. Eas tamen mensuras, quæ ad pedem Italicum exigi debent, ad pedem sedecim digitorum modulantur. Decempeda est ἄκαινα. De illa decempeda Horatius exponendus, qui decempeda privata metatas porticus dicit. Quo loco *metari* posuerit pro metiri. Utrumque faciebat gromaticus, metabatur, ac metiebatur. Inde auctores unum pro altero posuerunt. Groma metatur, decempeda metitur. Καταχρηστικῶς itaque loquuntur, quum decempeda, vel pertica locum, aut agrum metatum dicunt. Sed & gromam pro decempeda aliquando videntur usurpare. Nam γνώμην βασιλικὴν glossæ *grumam* exponunt, quasi dicas regiam decempedam, ut ποῦς βασιλικὸς dicitur. *Grumare* quoque μετρεῖν eædem glossæ interpretantur. Nonius grumam *mensuræ genus* esse ait. Glossæ *grumam* etiam accepere pro regula, qua mensura fabricæ, sive structuræ colligitur. An & contra decempedam pro groma sumpserit Horatius, qua metabantur, ac dirigebantur areæ porticuum. Sed illud melius. Idem ἄκαιναν vocat hanc mensuram, alii κάλαμον. Non igitur decempeda eadem cum groma fuerit, nisi si dixeris & *gromam* quosdam pro mensura usurpasse decempedæ. Nam & γνώμην βασιλικὴν glossæ videntur accipere de regia decempeda. Et *gromam* Nonius interpretatur mensuræ genus. Idem itaque & pronuntiandum venerit de pertica, quam eamdem multi constituunt cum decempeda, alii diversæ longitudinis faciunt. De pertica porro sic reperio & apud alium auctorem: *Perticas juxta loca vel crassitudinem terrarum, prout provincialibus placuit, videmus esse dispositas, quasdam decempedas, quibusdam duos ad-*

A *ditos pedes, aliquas vero quindecim vel decem & septem pedum definitas.* Sic hodieque perticæ mensurandis agris pro varietate locorum varium etiam sortiuntur pedum numerum. In nostra Gallia alibi decem & octo pedes habent, alibi viginti duo, alibi viginti quinque. Nec veræ sunt, quod notes, perticæ, sed funiculi, aut catenæ, quas hoc donant nomine. Ceterum ex his, quæ supra disputavimus, haud immerito dubitare potuimus, perticam metatoriam aliam quamdam fuisse, qua in coloniis deducendis agri publicè viritim dividebantur, ac limitabantur: eamque propriè gromam dictam, qua limites agebantur, prehensis in conspectu B longinquo signis. Unde & *pertica* universum coloniæ territorium limitatum, metatumque dicebatur. Machina hæc erat dioptrica, qua non solum rectura limitum dirigebatur per concurrentes, atque invicem ad rectos angulos secantes se lineas, sed etiam qua longitudo, ac latitudo agri intra lineas illas comprehensi colligi poterat absque funiculis, aut perticis mensoriis. Inde & *grumare* μετρεῖν. Talia sunt, eumdemque usum præstant ea instrumenta, quæ *graphometra*, & *trigonometra* vulgo appellitant mensores nostri. Sed *trigometrum* perperam dicunt quod est *trigonometrum*. De eorum praxi, & fabrica videndi neoterici. Recentis C quippe sunt inventionis, nec omnino eadem cum veterum *gruma*, licet eumdem fermè usum præstiterit. Simile est & quod vulgo vocant *quadratum geometricum*, cujus usus in metiundis agri longitudinibus, & latitudinibus absque mensoris opera. Earum omnium machinarum fabrica ex ea Euclidis propositione dependet, *omnium duorum triangulorum, quorum anguli unius angulis alterius sunt æquales, latera æquos angulos respicientia sunt proportionabilia.* Vetus auctor de capiunda per gromam fluminis latitudine, quod in agri quadratura dictanti metas mensori occurrit: *& manente* D *groma dictabis rigorem. Ubi se consecuerit norma tua cum eo rigore, quem dictaveris, signum pones, & exiges numerum a signo ad tetrantem. Sed quia linea, quam secueras, media duo trigona ostendit, & quia cathetus catheto par est, erit & basis basi par: quantus ergo numerus basis juncti trigoni, quem exegisti, fuerit, tantus rigor alterius trigoni, cujus rigor impactus in fluvium.* Sic legendum eo loco. Nam male est vulgo: *ubi se conseruerit norma tua.* Perperam etiam editur: *quantus ergo numerus basis junctis trigonis, quæ exegisti.* Numerus pedum exigitur basis trigoni, per pedes, aut passus, aut aliam mensuram, non trigona exiguntur. Non igitur plane absque E mensuræ ope peragebatur hæc ratio. Sic etiam in longitudine loci capienda per graphometrum, aut trigonometrum, quum duæ stationes faciendæ sint, quolibet metiundi genere numerus pedum exigitur, qui est inter utramque stationem. Sequitur, ut emendandum est: *quantus ergo numerus basis junctus trigoni, quem exegisti, fuerit, tantus rigoris alterius trigoni, cujus rigor impactus in fluvium, numerus est de hac base, quam exegisti. Tolles hunc numerum, quem a tetrante ad fluvium exegisti, reliquum quod superfuerit, erit latitudo fluminis.* Sic legenda, & interpungenda, quæ utroque vitio sunt inquinatissima. Eadem ratio erat F observanda, si stagnum, aut palus in medio agri metiundi interveniret. Per gromam latitudo ejus, ac longitudo colligebatur. Præcipuus gromæ locus in rectura limitum agenda, ac limitibus dirigendis prorsis, transversisque. Hyginus: *prehensis tamen in conspectu longinquo signis limitem agemus.* Idem eodem libro, qui Gromaticus inscriptus est: *Multi perpetuos limites egerunt, & in illa operis perseveratione peccaverunt, sicut in veterum coloniarum finibus invenimus. Recentius improbandi, ubi ferramento nisi ad interversuram non utuntur.* Ita constituendus corruptissimus in vulgariis editionibus G locus. Peccasse dicit, qui limites perpetuos egerunt, ut in veterum coloniarum finibus reperiebatur. Improbandos etiam ait recentiores, ubi ferramento, sive groma non utuntur, nisi ad interversuram. Interversura est, ubi rigor angulum, vel coxam facit, nec perpes perducitur. Fragmentum Frontini: *Tunc dictare metas, & easdem transposito interim extrema meta ferramento reprehendere eodem momento, quo tenebatur, & cœptum rigorem ad interversuram, aut ad finem perducere. Omni-*

Omnibus autem interversuris tetrantis locum perpendiculo ostendat. Alius auctor de varatione fluminis: *Rigor, qui impingit in fluvium, exinde versuram facies, in quam partem verteris, tetrantem ponis, deinde transfert ferramentum in eum rigorem, quem dictaveris ab eo rigore, qui in flumen impegerat.* Qui ferramento ad interversuras tantum utebantur, angulos agri, qui metiundus erat, veluti ad normam exigebant. Nam omnis interversura angulum facit. At in perpetuis rigoribus, sive limitibus ad lineam dirigendis etiam ferramento utendum præcipit, ut rectura limitum, ac linearum constet. Frontinus in fragmento: *Sed ut omnibus extremitatibus species sua constet, & intraclusi modus enuntietur, agrum quousque loci positio permittet, rectis lineis dimetiemur, ex quibus proximam quamque extremitatem obliquam per omnes angulos facta normatione complectimur, & cohærentem mensuralibus statutis, certo pro æstimato spatio, similem futuræ tradimus formæ.* Sic legendus hic locus ex veteris scripturæ vestigiis. Sequitur, ut editum est: *Modum autem intra lineas clusum rectorum angulorum ratione subducimus: subjectas deinde in extremitatum parte areas, tangentibus nostrarum postulationum podismis, suis lateribus adhærere facimus, & adscriptis spatiis suis finibus ipsam loci reddimus rationem.* Quæ postrema contaminatissimam habent scripturam. Legitur in Arcerianis fragmentis: *subjectas deinde extremitatium partes ad rectam gentium nostrarum postulantium podismis suis aderamus.* Scribendum videtur: *subjectas deinde extremitatium partes, ad rectum angulum, nostra postulatione podismis suis adæramus.* Indubitata illa sunt: *podismis suis adæramus.* Reliqua etiam vera. Podismis suis adæratur area, cujus mensura per æra, & calculos colligitur, sicut veteres consueverant agrimensores, ac geodætæ, hodieque etiam quidam ex nostris faciunt arithmeticæ imperitiores. In Gromatico Hygini: *area pedes ad edem sic quæro: æra inter se deduco, partem tertiam deduco per æs tertium.* Et paulo ante: *tria æra in quarto duco IIII: quater sumo partem IX.* Et alibi passim. Inde apud Epaphroditum, & Vitruvium Rufum hæc *æra* semper sumitur pro numero dato. Quod semper correxit, nec intellexit vir doctus, cujus illæ membranæ fuere. Exemplis aliquot id firmabimus: *Si fuerit pentagonus, cujus singula latera sint ped. X, quæro quot ped. area fit. Sic quæro. Facio decem in se, fit centum. Hoc semper duco ter, fit CCC. Huic adjicio ipsam æram, fit CCCX. Dimidiam partem sumo, fit CLV.* Perperam fuit in membranis *ipsa area.* Unde & pejus corrigebat vir eruditus, *ipsam aream.* Hæc *æra* numerus vocatur, qui datus est. In hac propositione est decem. Si ad CCC adjicias ipsam æram, hoc est, decem, fiet CCCX. *Si fuerit octogonus, cujus sint latera singula pedum X. Quæro quot pedes area colligat. Sic quæro. Multiplico unum latus in se, fit C. Et hoc duco sexies, fit DC. Ex eo deduco area quater ducta, hoc est, XL fit. Reliqui DLX.* Scribendum: *ex eo deduco æram quater ductam.* Æra, sive numerus datus, est decem. Hæc quater ducta reddit quadraginta, si quadraginta ex sexcentis deducas, quingenta sexaginta relinquuntur. *Si fuerit ennagonus, cujus latera singula habeant pedes X. Quæro quot pedes area*

A *colligat. Sic quæro. Multiplico unum latus in se, fit C. Et hoc duco septies, fit DCC. Hinc deduco ipsa area quinquies, fit L. Reliqui DCL dimidiam partem sumo, fit CCCXXV. Tot pedum hujus ennagoni area est.* Et hic similiter emendandum est, *hinc deduco ipsam æram quinquies ductam.* Ita omnibus fere locis *area* pro æra ibi scribitur. *Omnis decagonus æquis habetur lateribus, cujus latus unum in se multiplico, ipsa area sexies ducta deduco, dimidiam partem sumo, decagonum dico.* Et heic corrigendum: *ipsam æram sexies ductam deduco.* Hoc est, numerum, qui datus est. Nisi quis malit scribi ubique, *ipsa æra sexies ducta deduco.* Eodem sensu, ut *æra* neutraliter B significent numerum datum. Sic alio loco: *Si fuerit hexagonus, cujus latera sint singula ped. X. Quæro quot pedes area colligit. Sic quæro. Multiplico unum latus in se, fit C. Hoc duco quater, fit CCCC. Huic æram dictam bis ductam adjicio, fit CCCCXX.* Perperam est in membranis, *huic area dicta.* Numerus datus, vel dictus est decem. Hic numerus bis ductus reddit XX. Alibi tamen scriptum est *era* pro æra. Ut in ista quæstione de trigono, isopleuro solido & clauso, cujus latera & basis pari sint numero pedum XXVIII. *Quæro hujus trigoni isopleuri, sive solidi quot pedes area colligat. Sic quæro. Multiplico unum* C *latus in se, id est, XXVIII, fit DCCLXXXIIII. Huic adjungo ipsam eram, fit DCCCXII. Sumpta parte dimidia fit CCCCVI. Tot pedum est hujus trigoni isopleuri area.* Lege: *ipsam æram.* Sic vocat numerum datum. Hinc apud Nonium *hæc æra* exponitur de numeri nota. De tabula calculatoria veterum, & quomodo per æra suas rationes explicarent, nos alibi. Inde potest intelligi, quid sit *agri modum podismis suis adærare.* Quod uno verbo apud Junium Nipsum dicitur *podismare*, hoc est, podismum, ac mensuram areæ, vel embadi colligere: *omnem trigonum una ratione podismare, orthogonium ut pu-* D *ta, oxygonium, & amblygonium.* Hinc *ager podismatus* in laterculo veteri. In omni agri forma ad mensuram ejus colligendam hujusmodi utebantur ratiociniis, sive quadratus esset ager, sive triquetrus, sive pentagonus, aut hexagonus, & alia quacunque positione. De quo videndi sunt Columella, Nipsus, Hero Geodætes, Hyginus & alii. Rectis lineis eum dimetiebantur, & extremitates rectis angulis constringebant. Frontinus: *& debet minima quæque pars agri in potestate mensoris esse, & habita rectorum angulorum ratione constringi.* Hæc groma præstabat. Hodieque idem facit *squadra mensorum.* Quæ αὐτόχρημα groma est ad F exquadrandum agrum, rectisque lineis dimetiendum, & rectis angulis, quantum potest, comprehendendum. Quadrata est è ligno tabula in tetrantem secta, per lineas profundius incisas, ac decussatim secantes se, quæ visum mensoris emittunt ad conspiciendos, ac dirigendos rigores. Hæc baculo ferrato superponitur. Alii ad eumdem usum habent circulum ex ære in octantem, vel tetrantem tenuibus laminis divisum, quarum in extremitatibus erectæ sunt pinnulæ perforatæ, per quarum rimas, ac διαζύγια conspectus dirigitur. Formam heîc habes subjectam præter pinnulas, quæ expressæ non sunt.

Gromis id genus agri quadratura sumitur, unde & *squadræ* dictæ. Ubi quadratura satis exacta est, duo parallelogrammi latera dimetiuntur, longius & brevius, unumque per alterum multiplicant. In quadrato æquilatero facillima, & expeditissima ratio est. Latus unum ex quatuor dimensum in se multiplicatur, & habetur area quadrati. Extremitatum deinde partes, quæ quadratum excedunt, per triangula subducunt, & mensuræ

A rationem inveniunt eo, quo sciunt, modo. Nec aliter soliti facere gromatici veteres, ut ex his constat, quæ suprà attulimus, tum ex hac forma agri intra strigas & scamma divisi, & per extremitatem triangulis subsecati, quam ex Hygino subdidi, cujus verba sic legenda: *Intra has strigas, & scamma omnem agrum separabimus, cujus totam positionem ad verum formatam inspiciamus, secun-*
B *dum quod rei præsentis formam describamus.*

Nunc etiam id restat ventilandum, quo genere mensuræ antiqui illi usi sint. Funibus, & catenis, quas *perticas* vocant, hodie res mensoria peragitur. Veteres etiam *funiculos*, τὰ σχοίνια ad eumdem usum nominant, & *perticas*, & *decempedas*, non tamen vetustissimi. Antiquiores, qui de limitibus scripserunt, *pedum* tantum meminere. Tot pedes jugerum habere, tot pedum esse centuriam, tot pedibus inter se distare terminos. Agri *pedaturam* passim vocant, τὸν ποδισμόν. Inde ager *podismatus*. Nec ignoro, hoc etiam dici posse de eo, qui per funiculos, & perticas mensuratur, quum funiculi, & perticæ in pedes dividantur. Sed hoc fortasse nihil est. Itinerum mensuram veteres per passus colligebant. Perticæ ad eam rem, aut funiculi usus nullus. Hinc *milia passuum*, quæ *miliaria* unica voce: & *miliarii* lapides, qui ponebantur in singula milia, ut *lapides centuriales* defigi solebant distantes à se. ped. IICCCC, qui centuriæ podismus est. Ut ποδίζειν significat mensuram per pedes colligere, sic βηματίζειν per passus metiri: ut σταδιάζειν per stadia. Polybius de Romanis miliariis: ταῦτα γὰρ νῦν

C βεβημάτισται, καὶ σεσημείωται κατὰ σταδίους ὀκτὼ διὰ Ῥωμαίων ἐπιμελῶς. Græci quoque stadia sua per passus metiebantur. Vetus auctor: *per passus stadium, per stadium miliarium.* Quæ gentes itinera sua, & locorum, vel urbium inter se distantias alia mensura, quam per passus signaverunt, ejus mensuræ nomen intervallis illis significandis retinuerunt, ut in oriente σχοῖνοι, & παρασάγγαι. Hinc Romani, quia passibus ea dimetiebantur, per passus etiam numerarunt. Limites agrorum, ut supra notavimus,
D viarum publicarum instar fuere, & iter populo debebant. Eorum, ut videtur, mensura similiter agebatur, ut itinerum, per pedes scilicet, ac passus. Gromatici quoque in castris metandis, & locis assignandis tensuræ papilionum per strigas ac scamma, nulla pertica, aut decempeda videntur usi, sed simpliciter per numerum pedum omnia, quæ mensuram aliquam in castris accipere debent, absolvunt. Quot pedes dandi singulis
E papilionibus. Quot strigæ, & semistrigii latitudo, ac longitudo pedes haberet. Quot pedes prætorium, & quæstorium occuparet. Quot pedum latitudinem viæ

castrorum

castrorum haberent. Et sic de ceteris. Agri quoque per strigas, ac scamma dividebantur, eodem prorsus modo & castra. Ergo & similiter mensuram accipiebant. Vetus auctor in fragmento agrimensorum, ubi pedalem mensuram in varias divisit particulas, palmos, uncias, digitos, alterius mensuræ non facta mentione statim subjungit. *Nam ideo ager pedibus mensuratur, ut veritas declaretur.* Columella omnia mensurarum enumerans, quibus agrorum areæ modus tunc enuntiabatur, nusquam perticæ meminit, atque ita scribit: *Sed ut ad rem redeam, modus omnis areæ pedali mensura comprehenditur, qui digitorum est sexdecim. Pes multiplicatur in passus, & actus, & climata, & jugera, & stadia, centuriasque, mox etiam in majora spatia procedit.* Cur perticam, ac decempedam omisit, quas recentiores passim interserunt? Hi certè, quum ceteras mensurarum appellationes è Columella hauserint, decempedas, & perticas de suo addiderunt inter actus & passus. Agrorum quoque formas varias, quas Columella per pedes dimetitur, ipsi perticis mensurant. Exemplum unum sufficiat. Columella: *Esto hexagonum quoquo versus lineis pedum* XXX. *Latus unum in se multiplico, tricies triceni fiunt* DCCCC. *Hujus summæ tertiam partem statuo, id est*, CCC. Auctor recentior, qui varias agrorum formas, quomodo dimetiendæ essent, similiter exequutus est, perticas posuit, ubi Columella *pedes*, hoc modo: *Esto hexagonum, in quo sint per latus unum perticæ* XXX. *Latus unum in se multiplico, id est, tricies tricenæ fiunt perticæ* DCCCC. *Hujus tertiam partem statuo, id est*, CCC. Vides eamdem rem esse, & eadem verba, nisi quod hic perticas pro pedibus censet. Unde hoc nisi ex consuetudine tum vulgata perticis metiundi agri, quæ tempore Columellæ nondum invaluerat. Sed nec Varro perticam usquam nominat in agrorum mensuris recensendis. Apparet itaque recentiores esse auctores illos, qui perticam adhibent mensurandis agris, quique certum agri modum appellant *perticam*. Certè totum illud opus artis agrimensoriæ, quod hodie extat, cento est ex variis fragmentis consarcinatus antiquorum simul, ac recentium auctorum. Editum est fragmentum agrarium pag. CCCXXXV editionis Rigaltianæ, quod sic incipit: *Limitum prima origo.* Illud ipsum fragmentum non unius est auctoris, sed ex variis consutum est segmentis. Partem hujus postremam, quæ de metatione per ferramentum, sive gromam explicanda agit, Julio Frontoni tribuunt Arcerianæ membranæ. Reliqua, ut folia Sibyllæ, hinc inde sparsa legere est. Hoc eo dico, quia in eo fragmento decempedæ fit mentio, quod ex alio auctore adtextum est, & alio loco id exhibent libri scripti. Ne quis censeat Frontini, vel Frontonis esse. Recentiorum igitur illa sunt, *Jugerum tot perticas habere, tot tabulas.* Quæ nomina veteribus ignota eo sensu. His adde, quod perticam à decempeda distinguunt, & perticam faciunt pedum duodecim, quales pedes digitos habent decem & octo. Sic pertica non eadem cum decempeda, ut jam antea notavimus. In veteri fragmento nondum edito, cujus titulus, CENTURIARUM QUADRARUM DEFORMATIO. *Sic mensurarum diversarum ritus. Centuria habet pedes* IICCCC. *passus* CCCCLXXX. *per* CCCCLXXX. *Actus* XX. *per* XXX. *perticas* CC. Ducentæ perticæ duodecim pedum faciunt pedum duo milia quadringentos. Ibidem dicitur, perticam habere pedes XII, digitorum XVIII. Profectò longè alia videtur esse perticæ notio in fragmento Frontonis, his verbis: *Cujuscunque loci mensura agenda fuerit, eum circumire ante omnia oportet, & ad omnes angulos signa ponere, qui normaliter ex rigore cogantur.* Sic legendum est. Vulgo editur: *quæ normaliter ex rigore agantur.* Anguli *normaliter cogi* dicuntur, qui recti sunt, & ad normam sese jungunt. Ad rectos tantum angulos signa vult poni. Sequitur: *posito deinde, & perpenso ferramento & conlocatis perticis in alteram partem rigorem secundum mittere, qui cum ad extremum pervenerit, parallelon primi rigoris excipiat.* Ita partim ex libris, partim conjectura eum locum restituimus, qui in vulgatis corruptissimus est. Inter alia scribitur

A in editis: *maximo lateri dictare & conlocatis metis.* Libri habent, *maximo lateri dictare metas, & conlocatis respectis.* Quod erat corruptum pro *perticis.* Eas perticas intelligit, de quibus paulo post: *Nam quotiens sine linea cultellamus, conspectum metarum excedimus, & festinantes ex eo loco iterum rigorem conspicimus, tunc in illa quamvis exigua perticarum conversione non minus fit distensio.* De perticis mensoriis nullatenus accipi datur. Nec enim earum opera rigores mittuntur. Eas igitur intelligit regulas, sive normas, ex quibus groma componitur. Eæ perticæ supra ferramentum conlocantur, & in omnem partem convertuntur. Sic gromam
B ferramento superponi dixit Hyginus, quæ super ferramentum movebatur. Ut *perticam collocari* dicit Fronto, ita Vitruvius *regulam collocari* de chorobate, quod instrumentum aut idem cum groma, aut simile: *Quæ cum regula fuerit collocata, eaque tangent æquè ac pariter regulas descriptionis indicabunt libratam collocationem.* Ita etiam exponendum perticæ nomen apud eumdem Frontonem in illo ipso fragmento, ubi sic legitur: *Si fuerit ergo valles, quæ conspectum agentis exsuperet, per ipsam metis ad ferramentum adpositis erit descendendum, cujus rigoris incessum, ut a se in contraria æquemus, adflicta ante linea capitulum perticæ æqualiter &*
C *perpendiculum cultellare debemus.* Quæ sunt adeo contaminata, ut vix sensum ullum efficiant. Varietatem lectionum ex Arceriano libro enotabimus, ut inde aliquam extricemus emendationem, & ex ea lucem. *Dicendum* habet pro *descendendum.* Omnino scribendum est: *per ipsam metis ad ferramentum adpositis erit dictandum.* Dictat metas agrimensor, & rigorem dictat. Sed & absolutè *dictare* dicitur. Ut in alio fragmento: *si tibi in agri quadratura dictanti flumen occurrerit, quod necesse sit varari.* Per ipsam igitur vallem, metis ad ferramentum, hoc est, per ferramentum, sive gromam
D positis dictat mensor, qui rigorem positis metis dictat per ipsam vallem. Quæ sequuntur, ita scripta exhibet liber vetus Arcerii: *cujus rigoris incensum, ut sis in contrario æquè adflectante linea ad aptulum perticæ æqualiter ad perpendiculum cultellare debemus.* Sic videtur emendari debere: *cujus rigoris incessum, ut sis in contrario, æquè adplicita ante linea ad capitulum perticæ, æqualiter ad perpendiculum cultellare debemus.* Dicit rigoris illius incessum, qui per vallem positis metis dictatur, æqualiter ad perpendiculum esse cultellandum, adplicita ante linea ad capitulum perticæ. *Incessus rigoris,* ut *incessus limitationis, incessus definitionis* apud Aggenum.
E Nam *incedere limites*, aut *rigores* dicuntur agrimensoribus, qui rectura sua pergunt. Hinc *rigoris incessus.* Linea, quæ adplicatur ad capitulum perticæ, funiculus est, quo perpenditur rigor, & ad perpendiculum cultellatur. Hyginus: *recentius improbandi, ubi ferramento nonnisi ad interversuras utantur. Lineam autem per metas extendemus, & per eam ad perpendiculum cultellabimus.* Idem prorsus intelligit. Lineæ vocabulum apud agrimensores variè sumitur. Sed ubicunque tendi, vel extendi, intendive linea dicitur, de funiculo, ac resticula accipi par est. Vitruvius lib. V. cap.
F III. *Uti linea cum ad imum gradum & ad summum extenta fuerit.* Idem lib. VI. cap. IX. *Linea tendatur ab altitudine parietis ad eum locum, cui lumen oporteat immittere.* Columella: *linea per repastinatum intenditur.* Glossæ: *linea, funis,* σπάρτ. Extenta igitur linea, sive resticula per metas solum ad perpendiculum cultellabant, & rigores perpendebant. Subjicit Fronto, vel Frontinus: *Nam quotiens sine linea cultellamus, conspectum metarum sæpe excedimus, & festinantes ex eo loco iterum rigorem conspicimus.* Reliqua ita sunt inquinata, ut nihil boni inde possit confici. Hoc certum est sine linea, & cum linea, vel funiculo eos cultellasse. Jam dicendum, quid sit *cultellare.* Idem Frontinus de controversiis *cultella-*
G *re* explicat eminentiora ad planum redigere. *Cultellandi*, inquit, *ratio quæ sit, sæpe quæritur, cujus [t]amen si soli spatium consummamus, & illam clivorum inæqualitatem planam esse cogimus, dum mensuræ lateribus inservimus.* Ita vulgo editum est, sed mendo non caret. Legitur in Arcerianis: *cura è premens soli spatium consummamus, ut illam clivorum inæqualitatem planam esse cogamus.* Putarim utique emendandum: *cum extumens soli spatium.*

Vel certè, *eminens soli spatium.* Quod enim sequitur, *ut illam clivorum inæqualitatem planam esse cogamus*, oportet aliquid præcessisse de solo clivoso, & inæquali. *Eminens* magis probarim. Nam & paulo post *eminentiorem agrum* eodem sensu vocat. Quod autem subjicitur, *& mensuræ lateribus inservimus*, mendosum etiam puto, sicque corrigendum: *& mensuratoribus inservimus.* Sic apud eumdem Frontinum jugera *rerum enuntiationem* vitiose scriptum est, pro *jugerum enuntiationem.* Vocat heîc *mensuratores*, qui mensores sunt. Ita *mensuratio jugeri* in veteri fragmento. Et apud Velium, *metiri, mensurare.* Alius auctor: *nam ideo ager pedibus mensuratur, ut veritas declaretur.* Scriptum erat vitiose *mensulatoribus.* Unde factum, *mensuræ lateribus.* Quæ sequuntur apud Frontinum, in Arcerianis ita concepta habentur: *Cultellamus ergo agrum eminentiorem ad planitiem redigimus. Æqualitatem hanc nobis ipsa seminum natura monstrabit. Omnis enim illa soli inæqualitas recolligi poterit, nisi quod è terra quidquid nascitur, in aëre rectum existit, & illam terræ obliquitatem crescendo adteret, nec majorem numerum occupat, quàm si ex plano nascatur.* Totum eum locum ita constituo: *Cultellamus ergo agrum eminentiorem, & ad planitiem redigimus inæqualitatem. Hoc nobis ipsa seminum natura monstravit. Omnis enim illa soli inæqualitas recolligi poterit in his. Quod è terra quidquid nascitur in aërem, rectum existit, & illam terræ obliquitatem crescendo adterit*, &c. Ex his tenemus, quid sit agrum inæqualem, & clivosum cultellare, cum nempe ad planitiem redigere, & exæquare. Quod faciebant, ut commoditati mensorum inservirent. Videntur autem existimasse veteres illi, non plus spatii occupasse agrum clivis assurgentem, aut vallibus depressum, quàm planum & æqualem. Idque argumento naturæ seminum probasse. Quidquid enim è terra in aërem surgit, ac nascitur, id rectum existit, & exit. Si quis ergo animo fingat semina illa, quæ in clivo, vel in declivi nascuntur, ad eamdem altitudinem omnia surgere, ita ut quæ in imo clivo enata sunt, cacumen æquent earum frugum, quæ in summo prodierunt, reperientur non majorem agri modum occupare, quàm si ex plano nata essent. In mensuris itaque agendis, tam depressiora loca, quàm eminentiora cultellabant, & ad exæquatam planitiem redigebant, ut mensuram accipere possent. Cum linea extenta, & perpendiculis id faciebant. Lineam illam, sive funiculum ad capitulum perticæ adplicari vult Frontinus. Ubi pertica non est lignum mensorium, sed regula gromæ. Nam aliquando & solo ferramento absque linea, sive funiculo cultellabant, metis dictatis, & rigoribus conspectis, ac perpensis. Quinetiam ex ipsis gromæ corniculis omnibus fila, sive nerviæ ponderibus expressæ, hoc est, perpendicula pendebant, ut librata posset collocari, quod vulgo dicimus, *ad plumbum.* Hinc *perpensum ferramentum*, quod sæpe legis apud agrimensores, ad perpendiculum, ac libram positum intelligere debes. Frontinus: *posito deinde, ac perpenso ferramento.* At *perpensus rigor*, qui ad perpendiculum funiculo extento cultellatur. Auctor incertus de fluminis varatione: *perpensum deinde figes ferramentum, & perpenso comprehenso rigore, ad umbilicum soli emissum perpendiculum cum super signum ceciderit, percutis gromam, donec comprehenderis signum, quod posueras trans flumen.* Ita legendus locus, qui vulgo perturbatissimus. *Umbilicus soli*, τὸ μέσον, ut *tetrantis locus*, & in castris *locus gromæ.* Frontinus: *Omnibus autem interversuris tetrantis locum perpendiculum ostendat.* Hyginus: *Quoniam ab uno umbilico in quatuor partes omnis centuriarum ordo componitur.* Tetrantem significat. Æthicus Philosophus Istricus ab Hieronymo in Latinum translatus, de geographia: *Hactenus ad Libanum tendentes, ubi in medulla, & umbilico urbs magna, & altrix regum.* Perperam legitur in illo fragmento: *ad umbilicum solis. Emissum perpendiculum.* Vides gromaticos, dum mensuras, ac limites agebant nunquam sine perpendiculis, ac lineis fuisse, ad cultellandam locorum inæqualitatem, & rigores perpensos comprehendendos. Et hinc liqueat gromam à chorobate non admodum diversam fuisse, nisi & prorsus eadem fuerit. Quod nomen ipsum indicio est. Ut enim chorobates pendentia ex omnibus capitulis habebat perpendicula, ita & groma ex omnibus corniculis fila ponderibus expressa, sive nervias, quæ perpendicula sunt. Idem etiam utriusque usus. Nam sicut chorobate librabatur aqua, & cognoscebatur, quantum haberet fastigii, collata loci altitudine, unde concipitur, cum eo loco quo deduci debet, ita per gromam loca eminentiora cultellabantur, & plana esse cogebantur. Quemadmodum porrò in chorobate perpendicula pendentia in singulis partibus singula ad hoc erant facta, ut librata instrumenti collocatio nullam in partem proclinaret, aut surgeret, ita & in groma, ut perpensa, & ad libram coæquata poni posset. Immo quum chorobates αὐτόχρημα groma sit, id est, agri metatrix machina, aquarum etiam perlibrationibus faciendis serviebat, ut & dioptra. Solæ libræ aquariæ librandis aquis peculiariter erant factæ. Librata planities dicitur exæquata ad libram, ut aqua librata. *Cultellatus* autem ager est libratus, & ad planitiem exæquatam redactus. Chorobatis regula normas habuit, sive ancones ad normam coagmentatos, & inter regulam, & ancones transversaria à cardinibus compacta, ut eam describit Vitruvius. Hinc *perticas* de groma, quæ est chorobates, numero multitudinis dixisse videtur Frontinus, quia plures erant veluti regulæ, sive perticæ, ex quibus compacta erat groma. Glossæ: *Pertica*, κανών. *Et conlocatis perticis in alteram partem rigorem mittere.* Et paulo post: *in illa perticarum conversione.* Quæ de pertica, sive decempeda mensoria non possunt accipi. Cultellatio quid esset diximus, & quo modo fieret. Apud Frontinum de controversiis *cultellatum* opponitur solido his verbis: *Solum autem, quodcunque coloniæ est aßignatum, in universum pertica appellatur. Quidquid huic universitati adplicitum est, ex alterius civitatis fine sive solidum, sive cultellatum fuerit, præfectura appellatur.* Clare heîc cultellatum vocatur id, quod decisum est ex solido, longe alia utique significatione ab ea, quam supra explicavimus. Sed profecto mendum est in illis verbis, ut vetus arguit scriptura, quæ habetur in Arcerianis. Sic enim legunt: *sive solidum, sive uti latum fuerit.* Qui primam editionem curarunt horum auctorum viri doctissimi, reposuisse ex ingenio videntur, *cultellatum*, propterea quod statim sequeretur, *cultellandi ratio quæ sit sæpe quæritur.* Sed toto genere hæc diversa, & nihil habent commune. Scribendum porro judico in illo Frontini loco: *sive solidum, sive mutilatum fuerit.* Prima tantum litera verbo deerat. *Mutilatum* id est, quod solidum non est. Nihil verius. Apud Vitruvium *in cultrum posita* ea dicuntur, quæ perpendiculariter sunt collocata lib. x. cap. XIIII. *Tympanum in cultro collocatum* dicitur, quod ad perpendiculum est positum, & opponitur plano tympano, *semel tympanum planum circumagent impulsu dentis, qui ad latus est fixus tympani in cultro.* Et passim eo capite: *habens tympanum versalite in cultro collocatum*, id est, ad perpendiculum positum. Inde verbum *cultellare*, cujus tamen verbi contraria heîc, ut videtur, significatio. Nam *in cultro posita* opponuntur planis, & plano situ jacentibus. At è contrà *cultellari* dicitur ager Frontino, qui ad planitiem libratam redigitur. Sanè longitudines ad libram, sive libellam diriguntur. *Nivellum* vulgo nuncupamus. Ea libella perpendiculum habet, id est, pondus è filo pendens ab angulo, quod cum lineam tangit, quæ in medio transversariæ regulæ descripta est, libratam planitiem indicat. Sic pavimenta ad libram, sive libellam exiguntur. Ita non solum altitudines perpendiculo respondere debent, sed etiam longitudines, àn libratæ sint, perpendiculo libellæ explorantur. Inde *cultellare*, quum propriè significet idem, quod *in cultrum collocare*, id est, ad perpendiculum rem aliquam rectam constituere, etiam de planitie ad perpendiculum libellæ exacta, & exæquata usurpatum est. Hinc *ager eminentior ad perpendiculum cultellari* Frontino dicitur, qui ad planitiem redigitur. Similiter & rigor ad perpendiculum æqualiter eidem *cultellatur*, cujus longitudo, & rectura ad perpendiculum libratur. Vitruvius lib. x. cap. x de Hydromylis: *id autem ad perpendiculum collocatum in cultrum versatur cum rota pariter. Secundum id tympanum majus, item dentatum, planum est collocatum, quo continetur,*

tinetur axis. Itaque *ad perpendiculum in cultro collocare*, & *ad perpendiculum cultellare* idem est, quod æquè de longitudine ad perpendiculum librata usurpatur, ac de altitudine perpendiculariter directa. Ex his omnibus liquere potest grumam veterum fuisse dissimilem hodiernæ. An perticarum porro nomine gromæ regulas intellexerint, ex illis, quæ in hac Exercitatione posuimus, liberum lectori judicium relinquo. Certum quidem est antiquos gromaticos non solum gruma, sed etiam decempeda, sive pertica mensoria in limitibus constituendis, & mensuris agendis fuisse usos. Groma igitur metabantur, & decempeda, sive funiculis, aut quocunque alio mensuræ genere metiebantur. Frontinus: *Itaque maximè providere debemus, quo visu ferramenti quidquid occurrerit, transeamus, deinde adhibere metiundi diligentiam.* Perperam legitur, *quo sub ferramentis.* Libri habent, *usu ferramenti.* Quod etiam ferri potest. Immo melius est. Quæ sequuntur, deploratissima sunt, quibus illam metiundi rationem per ferramentum explicat. Multa hactenus obscura in hac veterum grumatica explicavimus, per quæ viam invenient, qui in harum rerum theoria simul, ac praxi exercitatiores erunt, ad alia, quæ adhuc in operto jacent, exploranda. Falluntur porro, qui machinam parvam è ligno gnomonicam, cujus apud Plinium extat mentio, qua in limitibus ducendis meridianum capiebant, cum groma eamdem faciunt. In ea machina gnomon vocabatur umbilicus, sive stilus in medio positus: at tota groma agrimensorum vocabatur γνώμων. Hesychius: Γνωμοτυπία, γνωμολογία ἀκριβὴς ἀπὸ τοῦ γνῶναι. Λέγεται δὲ καὶ τὰ ἐν τοῖς ἡλιοτροπίοις κέντρα, καὶ παρὰ τοῖς τακτικοῖς. An intelligit grumam castrorum metandorum? Ut enim horologiorum κέντρα dicebantur γνώμονες, ita & grumæ. At castra metandi ratio etiam τῆς τακτικῆς pars est.

Tenuatur quum jam leone decurso] De Nilo suprà: *quando nec solitus extenuet cursus alveum.* Plinius *minuere* pro eo posuit. *Minui incipit in virginem è leone transgresso.* Solinus *tenuari.* Legitur apud Livium inter prodigia Prænestinas sortes *extenuatas* repertas fuisse. Quod verbum prodigii instar est eruditis viris, ita certatim illud vel emendant, vel perversè explicant. Lipsius legebat *exteniatas.* Alii aliter vel legunt, vel exponunt. Perperam. Vetustissimus liber Bibliothecæ Puteanorum majusculis literis scriptus *attenuatas* habet, non *extenuatas.* Utriusque tamen vocis eadem significatio est. Quippe ἰσχνανθείσας, vel μειωθείσας, hoc est, minores factas intelligendum. Ovidius:

Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes.

Plinius: *ita sectæ attenuantur crustæ.* Martialis:

Attenuare nives norunt & Cacuba nostra.

Nam vinum infusum nivibus eas attenuat, & minuit. Ita igitur *attenuatæ* sortes, quæ imminutæ sunt, ac minores factæ. In ostentis, ut & somniis, omnia majora, & auctiora videre, lætum, ac prosperum judicant aruspices, & ὀνειροκρίται. E contra triste ostentum est, si qua res solito minor, & tenuatior, defectiorque apparet. Quadrigæ fictiles præparatæ in fastigium delubri Jovis Capitolini, quod in fornace crevissent, felix, fortunatumque omen rebus Romanis portenderunt. Narrat Plinius lib. XXVIII. cap. II. Sic Perdiccæ uni ex Temenidis, quum apud regem Macedoniæ ovibus pascendis operam suam locasset, panis, qui ejus nomine coquebatur, in furno duplo major factus regnum Macedoniæ attulit: ὅκως δὲ ὀπτῷτο ὁ ἄρτος τοῦ παιδὸς τοῦ θητὸς τοῦ Περδίκκεω διπλήσιος ἐγίνετο αὐτὸς ἑωυτοῦ. Ἐπεὶ δὲ αἰεὶ τ' αὐτὸ τοῦτο ἐγίνετο, εἶπε πρὸς τὸν ἄνδρα ἑωυτῆς, ὡς δὲ ἤκουσε, ἐπῆλθε οἱ αὐτίκα ὡς εἴη τέρας καὶ φέρον ἐς μέγα τι. Vide reliqua. Si res aliqua per prodigium major facta prosperi eventus habet significationem, è diverso necesse est, ut eadem attenuata, & imminuta tristes exitus denuntiet. Inde igitur interpretandæ *Prænestinæ sortes attenuatæ*, vel *extenuatæ* apud Livium, quæ pro malo ostento habitæ sunt. Idem de somniis judicium. Penes veteres eorum interpretes membrum aliquod, aut aliud quodcunque per quietem solito majus, & auctius visum læta significat: contractum & emaciatum contraria. Eodem pertinent septem opimæ vaccæ, & septem macie defectæ, quas è flumine ascendentes vidit

A Rex Ægyptius. Vide Artemidorum, & alios scriptores ὀνειροκριτικῶν. Eumdem porro auctorem interpretationem ostentorum, & somniorum prodidisse testis est Plinius, & Amphictyonem vocat, ut ne mireris in ostentis, & somniis parem obtinuisse rationem. Sed hæc obiter. *Tenuatur*, & *extenuatur* hoc loco Nili alveus, qui minuitur, ac decrescit. Sic apud Senecam in Quæst. Nat. *Nilus tenuatur.*

Pag. 48. B. *Quos pares in terrarum positione æqualitas facit normalis lineæ*] Ita reposuimus libris consentientibus. Nam vulgo perperam edebatur: *quos pares & cœli & terrarum positione.* Quod ineptum est. Pares
B sunt in terrarum positione regiones, quæ sub eodem parallelo sunt constitutæ. Ἡ παράλληλος est æqualis linea normalis, quæ pares facit regiones in terrarum situ, quum sub eadem illa linea deprehenduntur positæ.

Caput tollit mirè quam lucidum in loco edito, qui Elegos nominatur] Ita nostri libri meliores, & plures. Nec aliter excerpta Solini, & vetustiores editiones. In aliis hactenus vulgatum: *in Armeniæ majoris regione caput tollit, mirè quam lucido, conspicuoque fonte, in loco haud edito, qui Elongosine nominatur.* Nunc Pliniana cum his comparemus, unde expressa sunt: *Oritur in regione*
C *Armeniæ majoris fonte conspicuo in planitie. Loco nomen Elongosine.* Ubi libri scribunt, *elegosine.* Quod propius abest à lectione Solinianorum exemplarium, quæ habent, *Elegos.* Non paria heic faciunt Plinius, & Solinus de fonte Tigridis. Ille caput tollere dicit *conspicuo fonte in planitie*, hic *in loco edito.* Et falsi sunt, qui rescripsere, ut conciliarent, *in loco haud edito.* Scripsisset potius *in loco plano*, aut *humili.* Præterea codices omnes eam scripturam falsi condemnant. Certum est igitur scripsisse Solinum *in loco edito.* Quid si conjunctim legit apud Plinium, *fonte conspicuo implanitie.* Ut *implanitiam*, vel *implanitiem* acceperit pro loco edito, ac
D minime plano? *Planities* & *implanities*, ut *puritia*, *impuritia*, & *insidia* in glossis, ἡ ἀπιστία. Ita similia multa. Præterea, quæ in edito posita, magis sunt conspicua, quam quæ in plano. Inde ἀσύνοπτα Græci vocant, quæ in alto posita eminent, & omnibus conspicua sunt. Sic de fonte Padi, qui in altissimis montibus oritur, idem Plinius dixit, *visendo fonte in Ligurum finibus.* Strabo Tigrim oriri scribit in latere montis Niphatis meridionali. Ergo in loco edito caput tollit, & conspicuo fonte. Mela: *Tigris, ut natus est, ita descendens usque ad littora permeat.* Atqui ille concitatissimus fluminum: quod si ita, ut natus est, semper de-
E scendit, è loco edito manare certum est. Sic Solinus accepit apud Plinium, aut dedita opera ab eo dissentit, quod in plerisque solet. Nec enim hæc Plinii sententia est, qui Tigrim in plano loco caput tollere affirmat, ut sequentia ostendunt his verbis: *loco nomen Elegosine est, ipsius qua tardior fluit Diglito.* Quod tardior fluit primò hoc signi est in loco plano originem habere. Sed Strabo, Dionysius, aliique veterum statim à fontibus concitum fluere tradunt, & eodem celeritatis impetu, quo natus est, lacum magnum, quem in occursu habet, inviolatis aquis perrumpere. Nam lacus ille nitrosus est. Verba Strabonis de illo lacu: φέρεται
F δι' αὐτῆς ὁ Τίγρις ἀπὸ τῆς κατὰ τὸν Νιφάτην ὀρεινῆς ὁρμηθεὶς, ἄμικτον φυλάττων τὸ ῥεῦμα διὰ τὴν ὀξύτητα. Idem canit ex Dionysio Avienus. Verùm videntur hi auctores ortum Tigridis, non ubi nascitur primùm, ponere, sed ubi hoc nomen demum nanciscitur. Quod similiter & circa Euphratem fecere. De Strabone certè constat, hanc ejus sententiam esse. Tigris fontes in latere Tauri meridionali collocat, qui Taurus Armeniam majorem dispescit à Mesopotamia. Non igitur in Armenia majore juxta Strabonem oritur Tigris, sed in Mesopotamia ipsa. Atqui non nascitur in ea
G parte Tauri, qua vult Strabo, sed rursus apparet, & existit subter Taurum montem cæcis cuniculis itinere sibi facto, deinde transit lacum illum, quem dicit Strabo. Oritur ergo juxta Plinium in Armeniæ majoris regione, tardior primò, nec cum suo nomine. Ubi concitari incipit, & celerius fluere, *Tigris* vocatur. Sic appellant Medi sagittam. Influit deinde in lacum Arethusam, quam transcurrit volucri meatu, non mixtis

mixtis aquis: *transvectusque occurrente Tauro monte in specum mergitur: subterque lapsus à latere altero ejus erumpit. Locus vocatur Zoaranda, eumdem esse manifestum, quod demersa perfert. Alterum deinde transit lacum, qui Thospites appellatur.* Hæc verba sunt Plinii. Strabo itaque manifestè Tigrim in eo latere Tauri facit oriri, quo Plinius erumpere eum dicit, quod latus est illius montis meridionale. Eumdem esse fluvium, qui ibi erumpit, ex eo manifestum esse probat, quod demersa perferat. Alium esse veteres sibi persuadebant, qui ibi ortum ejus statuunt. *Tigrim* vocari, longè ante quam Taurum demersus subeat, Plinius asserit. At Strabo, qui fontes ejus cis Taurum in Mesopotamia statuit, ibi demum Tigrim appellari prodit. Non igitur mirum, si veteres eodem impetu, quo nascitur, manare usque ad mare Tigrim dixere, qui ortum ejus non longius arcessebant, quam ab eo latere Tauri, ex quo juxta alios rursus erumpit. Vetus auctor ἀνέκδοτ☉, qui de quatuor fluminibus paradisi scripsit, Tigrim, & Euphratem à fontibus suis protinus mersos sub terra fluere dicit, & in Tauro monte utrumque erumpere, & apparere. Hinc utriusque fontes ibi agnovere tantum veteres, ubi incipiunt existere. Hieronymus ex Sallustio refert Tigrim, & Euphratem in Armenia majore fontes habere. Duos lacus pertransit Tigris: alterum in Armenia majore haud longe à fontibus suis, quam *Arethisam* vocari Plinius ait: alterum ab exitu Tauri, *qui Thospites appellatur.* Antiqui geographi, qui in exitu Tauri fontes ejus ponunt, unius tantum lacus meminere, per quem transeat Tigris, atque hic est *Thospites.* In antiquis Plinii codicibus vocatur *Tepitis.* Strabo cum Dionysio vocat Θωνῖτιν λίμνην. Avienus, qui Dionysium Latina paraphrasi reddidit, *Thospitin* tamen vocat, non *Thonitim*:

---- *tacitaque recumbunt*
Littora Thospitis ----

Ita enim scribendum. Ptolemæo quoque est Θοσπῖτις λίμνη, quam Tigridis fontes faciunt: μέχει τῶν αὐτῶν τ Τίγειδ☉ πηγῶν, αἳ ποιῦσι λίμνην τὴν καλυμβίαν Θοσπῖτιν. Legendum Θωπῖτιν. Lacum illum è fontibus Tigridis creari tradit, quod cum aliis non convenit auctoribus, qui Tigrim per eum volucri cursu transmeare tradunt. Servantem ἄμικτον τὸ ῥεῦμα præ velocitate. Nunc vide sis alium auctorum dissensum. Thospitin lacum Plinius, & Strabo, Dionysiusque, qui Θωνῖτιν appellant, cis Taurum constituunt in Mesopotamia, at Ptolemæus in Armenia majore trans Taurum, ubi & Θωσπίαν urbem Armeniæ majoris, & præfecturam Θωσπῖτιν recenset. Qui & illam λίμνην Θωσπίαν inde quoque appellatam videtur existimare. Nam Θώσπιαν oppidum, & fontes Tigridis, qui Θωσπῖτιν lacum implent, in eadem longitudine ponit, & in eadem fermè latitudine, paucis exceptis minutis. At lacum illum alterum Arethisam, quem Plinius à Tigride penetrari, ac perscindi scribit haud longè ab exortu ejus, ipse Ptolemæus longè suprà Tigridis fontes recenset in eadem Armenia majore, & Ἀρέησαν appellat. Nam eum ponit in latitudine graduum quadraginta unius, quum Tigridis fontes in latitudine siti sint graduum triginta novem, & viginti minutorum juxta eundem. Quod igitur Plinius de Arethisa lacu prodit: hoc Ptolemæus de Thospiti videtur tradere. Rursus quod Strabo de Thoniti scribit, hoc idem Plinius de Arethisa asserit, *qui omnia illata pondera sustineri & nitrum nebulis exhalare ait.* Quod Strabo de Thonitide palude memorat, & νιτρῖτιν eam esse prodit. Simile est & quod uterque narrat de pisce unico ejus lacus, qui transcurrentis Tigridis alveo non misceatur, sicut nec è Tigri pisces in lacum transeunt. Plinius de Arethisa: *unum genus ei piscium est, idque transcurrentis non miscetur alveo, sicut nec è Tigri pisces in lacum transnatant.* Ergo unum tantum genus piscium est in illo lacu, quum plura genera sint in amne Tigri. Ita exponendus Plinius. Strabo de Tigri & Thonitide lacu: ὁ δ' ἔτ☉ μὲν ἔχει πολυειδεῖς ἰχθῦς, οἱ δὲ τῷ λιμναῖοι ἑνὸς εἴδους εἰσί. Longe tamen Thonitis Strabonis ab Arethisa Plinii dissidet. Non dicit tamen Strabo pisces lacus, & amnis non misceri, qui nec Tigrim per eam paludem tam celeri meatu transvehi scribit, sed in ipso pa-

A ludis recessu intimo in cuniculos mergit. Μετὰ δὲ τὸν μυχὸν λίμνης εἰς βάραθρον ἐμπεσὼν ὁ ποταμός, καὶ πολὺν τόπον ἐνεχθεὶς ὑπὸ γῆς, ἀνατέλλει κατὰ τὴν Χαλωνῖτιν. Hoc idem planè de Thospiti scriptum reliquit Plinius: *alterum deinde transit lacum, qui Thospitis appellatur, rursusque in cuniculos mergitur, & post viginti quinque passuum circa Nymphæum redditur.* Monent docti in Strabone legendum esse, κατὰ τὴν Χωωνῖτιν. Ita etiam fuerit reponendum apud eundem initio lib. XVI: ubi Χαωνῖτις legitur: καὶ Ἐλυμαῖοι, καὶ Παραιτάκαι, καὶ ἡ περὶ τὸ Ζάγρον ὄρ☉ Χαωνῖτις. *Chavonitis* quoque apud Plinium scribi debet pro *Chalonitis*, lib. VI de Tigri: *jungitur Chavonitis cum Ctesiphonte. Ad eam per-*
B *venit Zagrus mons ex Armenia inter Medos Adiabenosque veniens supra Paratacenem.* Certe Χαῶνες Mediæ populi, à quibus Χαωνῖτις regio nomen accipere potuit. Stephanus: Χαῶν χώρα τῆς Μηδίας. Κτησίας ἐν πρώτῳ Περσικῶν. Ἡ δὲ Σεμίραμις ἐντεῦθεν ἐξελαύνει, αὐτή τε καὶ ἡ στρατιὰ, καὶ ἀφικνεῖται εἰς Χαώνα τῆς Μηδίας. τὸ ἐθνικὸν Χαῶνες. Fallitur Stephanus. Nec enim Χαῶν nomen regionis. Regio quippe nulla sic terminatur præcipuè in illis locis. Sed Χαώνα nomen urbis, τὰ Χαόνα, à quibus Χαωνῖτις regio. Terminatio hæc urbibus illarum regionum familiaris, & consueta. Nihilo secius tamen, tam in Plinio, quam in
C Strabone retinendum est, Χαλωνῖτις, quæ diversa à Chavonitide. Hæc regio Mediæ. Illam disterminat à Media mons Zagrus. Isidorus Characenus in mansionibus Parthicis: ἐντεῦθεν ἡ Χαλωνῖτις, σχοῖνοι κα΄, ἐν ᾗ κῶμαι έ, ἐν αἷς σταθμός, πόλις δὲ Ἑλλὰς Χάλα. Inde igitur Χαλωνῖτις dicta. Idem paulo post: ὄρ☉, ὃ καλεῖται Ζάγρος, ὅπερ ὁρίζει τὴν Χαλωνῖτιν χώραν, καὶ τὴν τῶν Μήδων. Strabo Tigrim post egressum Thonitis lacus in cuniculos mersum rursum erumpere facit in Chalonitide, Plinius *circa Nymphæum reddi.* Nymphæum in Chalonitide, aut omnino in illis locis nullum reperio. Nobilissimum Nymphæum in Apol-
D loniatarum finibus in Illyrico, quod saxum erat ignem evomens, & sub eo fontes liquidi bituminis, quod naphtha dicitur. Apollonia etiam fuit Mesopotamiæ, quæ regioni Apolloniatidi nomen dedit, quæ vicina erat Chalonitidi. Isidorus ἐν σταθμοῖς Παρθικοῖς. Ἐντεῦθεν ἄρχεται ἡ Ἀπολλωνιάτις, ἥτις κατέχει σχοίνους λγ΄. Ἔχει δὲ κώμας ἐν αἷς σταθμὸς, πόλιν δὲ Ἑλληνίδα Ἀρτέμιτα. Post eam statim recenset τὴν Χαλωνῖτιν. Ἐντεῦθεν ἡ Χαλωνῖτις. Ammianus lib. XXIII *Sosingitin* vocat lacum, cujus alveo Tigris voratur in Mesopotamia ipsa. Sic enim scribit: *& nunc omnis appellatur Assyria, ubi inter baccarum, vulgariumque abundantiam frugum bitumen nascitur prope lacum nomine*
E *Sosingitin, cujus alveo Tigris voratus, fluensque subterraneus percursis spatiis longis emergit. Hic & Naphtha gignitur.* Vix mihi ambiguum est quin *Sosingitin* appellet Ammianus, quæ aliis vetustioribus Θωσπῖτις, vel Θωνῖτις. Certè idem est, cujus ἐν τῷ μυχῷ mersus cuniculis Tigris, & subterraneus fluens, in Chalonitide juxta Strabonem emergit: at juxta Plinium prope Nymphæum. Eidem Ammiano *Nymphæus* amnis est in Mesopotamia superiore haud longe à Tauro monte prope Amidam urbem. Nec procul inde Tigrim emergere dicit. Ita enim Amidæ situm describit: *& latere quidem australi, geniculato Tigridis meatu subluitur propius emergen-*
F *tis. Qua euri opponitur flatibus, Mesopotamia plana despectat. Unde aquiloni obnoxia est Nymphæo amni vicina, Taurinis verticibus umbratur, gentes Transtigritanas dirimentibus & Armeniam.* Quod ait Tigrim propius Amidam emergere, de ea intelligendum emersione, qua ex Armenia fluens occurrente Tauro in specum mergitur, subterque lapsus in altero ejus latere erumpit, quo loco & ortum ejus fontesque locarunt quidam veterum, sed & recentiores etiam nonnulli, fortasse & Ammianus ipse. Haud longe à Nymphæo amne emergit ex illis Tauri jugis subter penetratis. Inde est fortasse, quod Plinius dixit *circa Nymphæum reddi*, sed de alia emersione loquitur, qua ni-
G mirum post alterum lacum penetratum, & longos meatus subterraneos rursus emergit. Notitia vetus provinciarum Græca Leonis Philosophi temporibus edita Tigridis originem non in Armenia majore, ut Plinii, & Ptolemæi sententia est, sed in Mesopotamia superiore, ad Tauri montis meridionale latus assignat, planè juxta veterum opinionem. Fontes quippe hujus amnis quindecim milibus à Martyropoli

tyropoli distare notat, quæ urbs superioris Mesopotamiæ Tauro monti prætentæ. Verba Notitiæ: Μεσοποταμία ἡ ἄνω, ἡ καὶ τετάρτη Ἀρμενία, Ἀμίδα μητρόπολις, Μαρτυρόπολις, ἀπὸ δεκαπέντε μιλίων τῆς αὐτῆς πόλεως γνωνᾶται ὁ Τίγρις ποταμός. Quibus concinit Ammianus, qui Amidam à meridie geniculato Tigridis meatu subluì dicit propius emergentis. Amida Mesopotamiæ urbs sub duce Mesopotamiæ in Notitia provinciarum. Atque hæ sunt veterum scriptorum de Tigridis ortu sententiæ, quas tam diversas, & inter se dissidentes reperiri non immerito quis miretur. Viderint qui loca illa perlustrarunt, aut qui recentiorum scripta, & tabulas oculis usurparunt, utra verior sit harum. Nobis satis fuit notasse, quid veteres super ea re senserint, dissenserintque.

Nec ab exordio statim totus est] Haud scio quare dicat non ab exordio statim totum esse Tigrim. Nec enim à fontibus suis dividitur uspiam, ac rursus jungitur, totusque denuo fluit, ut Nilus, de quo ita scripsit: *demumque à cataracte ultimo totus est.* Quippe antequam ad illum cataracten ultimum Nilus accedat, plus quam uno alveo fluit, ac spargitur. Plinius: *nec ante Nilus, quam se concordibus aquis totum rursus junxit.* De Tigri hoc auctores non dicunt, nec dici queat. Tigris etiam aliud nomen habet in exordio suo, nec statim Tigris vocatur, non tamen diversis alveis dissipatur, ut Nilus, qui hoc nomen ante non habet, quam ubi totus, & uno alveo currit. Nugatur igitur Noster more suo. Mela lib. III. cap. VIII. *Tigris, ut natus est, ita descendens usque ad littora permeat.*

Primo pigrè fluit, non cum suo nomine] In aliis: *nec cum nomine.* In aliis: *non suo nomine.* Atque ita etiam Solini excerpta. Quod ex differa est editione. Plinius: *Ipsius qua tardior fluit, Diglito: unde incipit concitari, à celeritate Tigris dicitur.* Solinus: *at cum fines Medorum invectus est, Tigris dicitur.* Ergo tum demum concitari incipit, ubi fines Medorum attigit. Atqui hoc falsissimum, nec enim per fines Medorum transit Tigris. Per Armeniam majorem primum fluit, ubi ortum habet, priusquam ad Tauri occursum mergatur in specum, ac subter labatur. Postquam Taurum subterlapsus est, per Assyriam currit, non per Mediæ fines, & Mesopotamiam facit. Per Armeniam fluens habet ab oriente Armeniæ regiones, quæ Mediam ad latus habent conterminam, post exitum Tauri Assyriam ab oriente præterfluit. Ceterùm, quod Medi sagittam Tigrim vocant, & amnis Tigris ita vocatur propter celeritatem, non ideo sequitur, per Mediæ fines fluere, ut argutatur hic grammaticus, quasi Tigris nomine Medorum vocari non possit, nisi si fines Medorum invehatur. Strabo, qui fontes hujus fluminis ab latere Niphatis australi deducit, Tigrim statim ab exordio nominari intelligit: Τίγρις ἀπὸ τοῦ κατὰ Νιφάτην ὄρεινῆς ὁρμηθεὶς ἄμικτον φυλάττων τὸ ῥεῦμα, διὰ τὴν ὀξύτητα, ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα Μήδων Τίγριν καλούντων τὸ τόξευμα. Plinius antequam Taurum subter penetrarit, etiam dum per Armeniam fluit, ita vocatum innuit. Sic porro vocatus dominantis populi lingua, qui totum eum terrarum tractum, per quem fluit Tigris, tenuere ditione, licet Mediam sic specialiter dictam regionem nusquam intret Tigris. Hesychius: Τίγρης ποταμὸς Περσῶν. Sic dici posset & ποταμὸς Μήδων, ut Medi pro Persis passim apud veteres. Nomen *Diglito* non longe abit ab Arabico *Deglat*, quo hic amnis vocatur דגלת. Immo idem nomen est. *Degela* etiam pronuntiatur. Hebraicum est חדקל, *Hiddékel* Genes. II. XIIII. Sic dictus à velocitate, ac rapiditate cursus. Nam חדה est acutus: קל celer & concitus. Græci quoque Τίγριν vocatum asserunt ἀπὸ τῆς ὀξύτητος. Strabo, Dionysius, alii. Ab illo Hebraico *Hiddékel* Arabicum *Degel*, vel *Degela*. Quod & *Digil*, vel *Digir*, ut *Nil*, & *Nir* cæruleum. *Tincal*, & *Tincar* chrysocolla. Inde Græcum Τίγρις. Ut pro Νίγειρ dixerunt Νίγρις nomen hoc fluvii in Æthiopia.

Tigris dicitur] Græcis Τίγρις, & Τίγρης: ut Νίγρις, & Νίγρης Νίγρητος. Sed & Πίγρης in antiquis Arriani codicibus legitur pro Τίγρης; quam scripturam in Palatinis exemplaribus multis locis reperi. Testatur id etiam Eustathius, & præterea apud

A Julianum quoque sic scribi. Verba Eustathii sic legenda sunt de Tigri, vel Tigrete, ut quidam vocant: ἄλλοι δὲ καὶ τὴν ἀρχοῦσαν μετὰ τοῦ Π γράφουσι. Καὶ εὕρηται τοιαύτη γραφὴ παρά τε Ἰουλιανῷ, καὶ παρὰ τῷ Ἀρριανῷ δὲ ἐν τοῖς περὶ Ἀλεξάνδρου. Πολλὰ γὰρ τῶν παλαιῶν ἀντιγράφων ἔχουσιν οὕτω, τῶν ποταμῶν τοῦ Εὐφράτου καὶ τοῦ Πίγρητος οἳ τὴν μέσην σφῶν Ἀσσυρίαν ἀπείργουσιν, ὅθεν καὶ Μεσοποταμία. Πρὸς τῶν ἐπιχωρίων κληΐζεται ὁ Πίγρης, καὶ ταπεινότερός ἐστι τοῦ Εὐφράτου. An igitur Πίγρις, aut Πίγρης secundum hanc scripturam Armeniacum, aut Medicum nomen potius quàm Τίγρις? Non videtur. Nam Τίγρις animal illa-
B rum regionum à velocitate, & impetu nomen, ut apparet, idem habuit. Hesychius notat τὸν ῥοῖζον τοῦ ὕδατος Tigrim vocari. Τιγράνης quoque Armeniæ regis nomen ex eadem orgine deductum esse verisimile est. Τιγράνης Ἀχαιμενίδης Medorum dux memoratur Herodoto lib. VII. *Tigris* etiam Xenophonti Paphlagonici amnis nomen. At Herodotus lib. V. tres fluvios hoc nomine numerat, diversis ex partibus originem habentes. Πίγρης etiam pro Τίγρης scribunt vetusta Herodoti exemplaria, πρῶτος μὲν Πίγρης, μετὰ δὲ δεύτερός τε καὶ τρίτος ωὕτως ὀνομαζόμενος, οὐκ ὠυτὸς ἐὼν ποταμός, οὐδὲ ἐκ τοῦ αὐτοῦ ῥέων. Enumerat ibi amnes Herodotus, qui per Arme-
C niam iter facientibus, & Susa contendentibus transeundi sunt. Ex Cilicia venienti, & intranti Armeniam majorem primum occurrere dicit fluvium Euphratem νηυσὶ περητόν, qui Ciliciam ab Armenia separat, deinde tres fluvios similiter νηυσὶ περητοὺς in Armenia ipsa transeundos eodem nomine. Πίγρητας enim vocari, qui per Armeniam fluunt, è diversis orti fontibus. Primum ait oriri ἐξ Ἀρμενίων. Superioris Armeniæ intelligit. Tertium atque ultimum ἐκ Ματιηνῶν. *Matiani* populi sunt Mediæ, quæ Armeniæ majori ab oriente conterminat. Ex iis, & aliis nonnullis dubitari certe posset,
D an Πίγρης & Τίγρις idem sit nomen, & flumen. Meminit alibi duobus locis Herodotus τοῦ Τίγριος, & Τίγριν vocat, non Πίγρητα. Ex illis tribus Armeniæ fluminibus, quibus nomen idem Πίγρης, videntur existimasse quidam veterum, Πίγρητα illum primum, qui ἐξ Ἀρμενίων oritur, eumdem esse fluvium, qui occulto meatu subter Taurum montem in Assyriam transit, & Τίγρις ibi vocatur. Alii prorsus distinguunt. Atque hi sunt, qui Tigrin non longius arcessunt, quam è latere Tauri meridionali. Ut sit idem flumen, quod ex Armenia in Assyriam subter Taurum per specus labitur, non idem certè nomen Πίγρης & Τίγρις. Idem
E amnis Πίγρης fortassean vocatus fuerit, dum per Armeniam fluit, ubi in Assyriam transit subterraneo meatu sub Taurum facto, *Tigris* nomen assumit à celeritate, qua & sagittam, & animal omnium velocissimum Medi sic vocant. Inde est quod Πίγρητα vocant, qui Tigris est, Arrianus & Julianus. Apud eumdem Herodotum Πίγρης & Μαντύης, Pæonum fratrum nomina. Puto certè diversa esse vocabula Πίγρης & Τίγρις.

Influit in Arethissam lacum omnia pondera sustinentem] In scriptis codicibus melioribus legitur, *Aretisam.* Auctor excerptorum vocat *Arethusam.* Malè. In ex-
F emplaribus Plinianis absque aspiratione *Aretisa* quoque scribitur. At lib. II. cap. CIII apud Plinium iidem codices *Artisam* vocant hunc fontem, ubi habent editiones *Arethusa.* *Artisa*, vel *Aretisa* Ptolemæi est Ἀρέησα. Et fortean *Arebisa* pro *Aretisa* verum est. Nam veteres notam Ⱶ quod est dimidiatum H, pro adspiratione non raro usurpant. Quæ nota facile mutatur in T. Omnia illata pondera sustinere Aretisam scribit hoc loco Solinus ex Plinio. Idem loco suprà indicato: *Nihil in Asphaltite Judææ lacu, qui bitumen gignit, mergi potest, nec in Armeniæ majoris Aretisa: is quidem nitrosus pisces alit.* Alibi hunc eumdem fontem,
G qui omnia sustinet, nitrum nebulis exhalare dicit. Atqui signum hoc bituminosæ naturæ, non nitrosæ, quod nihil in eo mergitur, ut in Asphaltite lacu & Agrigentino, & aliis lacubus bitumen egerentibus cernitur. Hoc in nitrosis usu venire non solet. Strabo non *Aretisam*, sed *Thonitin*, quam alii *Thospitin* appellant, Νιτρῖτιν esse scribit, adeo quidem ut & vestes detergat, ac pumicet, quæ nitri natura est. Ἀρσηνὴν etiam vocari paludem illam, & per eam transire Tigrim dicit. Ammianus, ut ante notabam, *Sosingiten*

vocat

vocat lacum, cujus alveo Tigris voratur. Is est qui *Thonitis*, vel *Thospitis* aliis. Prope eum lacum bitumen ait nasci. Atque inde bituminosus ille lacus, qui nihil sustinet. Mira auctorum dissensio super lacuum illorum, quos pertransit Tigris, nominibus, natura & situ. Quod de uno scribit aliquis, hoc de alio prodit alter. Sed illud maximè miror in Strabone, qui cum Tigridis ortum in latere Tauri meridionali statuat, in Assyriæ parte nimirum, nam Taurus disterminat Assyriam, & Mesopotamiam ab Armenia, nihilominus tamen *Thonitin* lacum, quem Tigris transgreditur, Armeniæ adscribit. Quin & ipsum Tigrim inter Armeniæ majoris flumina recenset, quasi ibi oriatur. Atqui Taurus mons, cujus pars Niphates Armeniam à Mesopotamia, & Assyria dispescit, ut inter omnes convenit. Si in latere Tauri ad meridiem verso Tigris nascitur, ut vult Strabo, non erit Armeniæ Tigris, nec lacus ullus, per quem transeat. Sed opiniones diversas miscet, quas superius exposuimus.

Cujus pisces nunquam se alveo Tigridis miscent] Unum tantum genus piscium habuit lacus ille, ἓν εἶδος. Alioquin rarum est, ut bituminosæ, & nitrosæ aquæ pisces producant.

Pag. 48. C. *Per quem dissimilis colore volucri meat cursu*] Ita libri. In excerptis: *dissimili colore, & volucri meat cursu.* Plinius: *fertur autem cursu & colore dissimilis.* Quid illud est *cursu dissimilis*? Haud sanè mirum, si rapidissimus fluvius per medium lacum cursu dissimilis meat. Nec enim currunt stagna, vel lacus. Puto scripsisse Plinium: *fertur alite cursu, & colore dissimilis.* Nec aliter sanè legit Solinus, qui scripsit, *volucri cursu.* Strabo: φέρεται δι' αὐτῆς ὁ Τίγρις ἄμικτον φυλάττων τὸ ῥεῦμα διὰ τὴν ὠκύτητα. De Thoniti Strabo illud scribit, Plinius de Aretisa. De Thonitide lacu & Tigride amne ita canit Dionysius:

Ἐστὶ δέ τις κατὰ μέσσα περίτροχος ὕδασι λίμνη,
Οὔνομα Θωνῖτις, ἧς ἕλκεται εἰς μυχὰ Τίγρις
Δύνων πολλὸν ἔνερθε, πάλιν δ' ἐξαῦτις ἀνισχὼν
Ὀξύτερον προΐησι κάτω ῥόον.

Sensus est horum versuum, Tigrim fluvium alveo stagni Thonitis mergi, & intra illam paludem diu absconditum, & occulte permeantem, mox ubi emerserit magno impetu cursum suum persequi, ac concitatissime fluere. Quid enim aliud ista significant, ἧς ἕλκεται εἰς μυχὰ Τίγρις, δύνων πολλὸν ἔνερθε, *cujus in stagni profundum trahitur Tigris, & penitus mergitur, deinde emergit concitatiore cursu means.* Τὰ μυχὰ, vel οἱ μυχοὶ sunt αἱ καταδύσεις, οἱ ἐνδότατοι καὶ ἀπόκρυφοι τόποι, αἱ κοιλότητες, τὰ ἐσώτατα μέρη. Ammianus de Sesongite lacu idem prorsus tradit his verbis: *prope lacum nomine Sosingiten, cujus alveo Tigris voratus, fluensque subterraneus, percursis spatiis longis emergit.* Diceres Ammianum interpretem agere Dionysii. *Cujus alveo voratus Tigris*, ἧς ἕλκεται εἰς μυχὰ Τίγρις. *Fluensque subterraneus, percursis spatiis longis emergit.* Δύνων πολλὸν ἔνερθε, πάλιν δ' ἐξαῦθις ἀνίσχων ὀξύτερον προΐησι κάτω ῥόον. Avienus quoque, qui Latina paraphrasi Dionysium expandit, & exponit, non de alia absorptione fluminis intelligit, quam quæ ab ipso lacu fit, quem non Θωνῖτιν, ut Dionysius, sed *Thospitin* appellat.

Ergo & per se stagnum vehitur celer amnis apertum,
Hoc elapsus item vim proni gurgitis urget.

Reliqua ejus descriptio, quomodo lacum illum transeat Tigris, non plane cum Dionysio convenit. Sic enim παραφράζει.

---- intrat aperti
Terga lacus, stupet unda silens, tacitaque recumbunt
Æquora Thospitis: solidarum denique more
Riparum stagni facies incisa quiescit.
Invectumque sibi cohibens altrinsecus amnem
Stat disclusa palus.

Vult nimirum tanta celeritate per lacum Thospitin pervadere amnem Tigrim, ut cursus fluminis in ipso stagno appareat, disclusa hinc inde stagni aqua, & viam præbente amnis rheumati, haud aliter quam si ripæ utrimque eum circumvallarent. Hoc de Aretisa, non de Thospiti scribit Plinius, per quam Aretisam fertur alite cursu Tigris, & colore dissimilis. Ergo cursus

A amnis, dum illum lacum permeat, ab omnibus videtur, qui & tanta velocitate transcurrit, ut undas suas non misceat aquis stagni, ut nec pisces lacus miscentur alveo fluminis. Sic de Rhodano dictum est, quod per lacum transeat integro, & conspicuo alveo. Strabo: μόλις γὰρ ἐπὶ τοῦ Ῥοδανοῦ τοῦτο πιστεύομεν ὡς συμμένει τὸ ῥεῦμα διὰ λίμνης ἰὸν, ὁρατὴν σῶζον τὴν ῥύσιν. Idem prorsus de Tigri per Thospitin paludem transmittente scribunt. At vult Dionysius Tigrim absorberi lacu Thospitide, & diu latentem intra lacum currere, mox emergere. Numquid aliam interpretationem capere
B possunt illa verba?

---- ἧς ἕλκεται εἰς μυχὰ Τίγρις
Δύνων πολλὸν ἔνερθε, πάλιν δ' ἐξαῦθις ἀνίσχει.

Tigris vero per Aretisam lacum transiens, nec mergitur, nec emergit, sed lacum ipsum apertus, & manifestus invadit, ac pervadit, viam sibi vi faciens, eodemque prorsus modo, quo intravit, egreditur. Strabo Θωνῖτιν cum Dionysio vocat lacum illum, per quem fertur Tigris, ἄμικτον φυλάττοντα τὸ ῥεῦμα διὰ τὴν ὀξύτητα. Ergo Thonitin eodem modo transcurrit Tigris penes Strabonem, ut Aretisam penes Plinium, quem sensum affingere quoque voluit Avienus Dionysii versibus
C ipso auctore multum repugnante. Addit Strabo protinus: κατὰ δὲ τὸν μυχὸν τῆς λίμνης εἰς βάραθρον ἐμπεσὼν ὁ ποταμὸς, καὶ πολὺν τόπον ἐνεχθεὶς ὑπὸ γῆς, ἀνατέλλει κατὰ τὴν Χαλωνῖτιν. Hic magna rursus pugna Strabonis cum Dionysio. Scribit hic Tigrim εἰς μυχὸν ἕλκεσθαι τῆς λίμνης Θωνίτιδος, in profundum stagni trahi ac sorberi, & δύνοντα πολλὸν ἔνερθε πάλιν ἀνίσχειν, è stagno rursus emergere, & cursum præcipitare. Strabo κατὰ τὸν μυχὸν τῆς λίμνης in barathrum incidere, ac mergi, ac subterraneum diu fluere, deinde emergere. Aliud est μυχὸς λίμνης Straboni, aliud Dionysio.
D Μυχὰ λίμνης Dionysius appellat profundum lacus gurgitem, quo voratur Tigris. Μυχὸς λίμνης Straboni dicitur eodem sensu, quo μυχοὶ τῶν κόλπων geographis appellantur extremæ nimirum partes sinuum, qua in terras longissime introrsum excurrunt. Nam intimus ille sinus recessus, ubi post longissimum excursum mare insinuatum terris terminatur, ac desinit, ὁ μυχὸς τοῦ κόλπου. Sic μυχὸν τῆς λίμνης Strabo dixit extremam, & ultimam stagni partem. Μυχὸς τὰ ἔσχατα etiam designat teste Hesychio. Vult igitur Strabo Tigrim fluvium per Thonitin lacum volucri cursu meare, atque, ubi eum transgressus est, κατὰ τὸν μυχὸν τῆς λίμνης,
E ad extremam paludis partem voragine absorberi, & in cuniculos mergi, εἰς βάραθρον ἐμπεσεῖν. Plinius de Thospiti lacu, quem cum Thoniti confundunt: *alterum deinde transit lacum, qui Thospitis appellatur, rursusque in cuniculos mergitur.* Idem dicit planè, quod Strabo, ubi transiit illum alterum lacum, κατὰ τὸν μυχὸν τῆς λίμνης, *in cuniculos rursus mergi*, εἰς βάραθρον ἐμπεσεῖν, & sub terra diu abscondi. Præstat etiam Ammianum juxta hanc sententiam interpretari, ubi dicit, Sesongitis lacus alveo vorari Tigrim, & subterraneum fluentem percursis longis spatiis emergere. Falsus igitur fuerit Dionysius, si μυχὸν λίμνης apud Strabonem, aut antiquiores geogra-
F phos accepit pro fundo, & gurgite paludis. Certe eam esse mentem Dionysii, non solum Avienus, sed etiam vetus alter interpres, quem Priscianum esse volunt, accepit. Sic enim & ille vertit:

Atque lacum medius Thonitidis intrat & exit,
Nec violatur aqua quamvis penetrabilis illa
Ocior atque vadis emergens cedit amaris.

Palude mergi, & eadem emergi tantum dicit. Eustathius Strabonis sententiam accommodat verbis illis Dionysii, ut post paludis egressum Tigris, κατὰ τὸν μυχὸν τῆς λίμνης, cuniculis mersus, & diu fluens subter-
G raneus, rursum emergat. Haud scio tamen an satis rectè mentem Strabonis ceperit ille grammaticus, nam, ut ejus verba sunt, non cepit. Ὅτι ἡ Θωνῖτις λίμνη ἐστὶ νιτρώδης κατὰ μέσον τοῦ Τίγριος, εἰς ἣν αὐτὸς μετὰ πολλοῦ φερόμενος τοῦ ψόφου, καὶ κατὰ μυχὸν τῆς λίμνης, ὥς οἱ παλαιοί φασιν, εἰς βάραθρον ἐμπεσὼν, καὶ ἐπὶ πολὺ ἐνεχθεὶς ὑπόγειος καὶ αὖθις ἀνίσχων, καὶ διασώσας τὸ ῥεῖθρον ἀμιγὲς διὰ τὴν ἄγαν ὀξύτητα παραρρέει τὸ σῆμα τῆς Σεμιράμιδος. Palam est ex istis, eum τὸν μυχὸν τῆς λίμνης accipere apud Strabonem pro interiore, ac penitiore lacus gurgite, quo voratus Tigris, & barathro absorptus, quod in medio μυχῷ lacus

cus habetur, & ſub terra longo ſatis ſpatio decurſo, rurſus emergit, inviolataſque aquas reddit. Et plane ita Ammianus accepit. Qui ſenſus planè adaptari poteſt Dionyſii verſibus. Βάραθρον illud, quo ſorbetur Tigris, volunt eſſe in medio paludis fundo, & μυχὰ λίμνης paludis interpretantur penetralia. Non ea mens eſt Strabonis, qui clarè dicit, Tigrim per mediam paludem ferri ἄμικτον φυλάττοντα τὸ ῥεῦμα διὰ τὴν ὀξύτητα. Totam igitur paludem pervadit, ſic conſervato integro ſuo fluore. Subjicit deinde: κατὰ δὲ τὸν μυχὸν τῆς λίμνης εἰς βάραθρον ἐμπεσὼν, καὶ πολὺν τόπον ἐνεχθεὶς ὑπὸ γῆς ἀνατέλλει κατὰ τὴν Χαλωνῖτιν. Ubi paludem liberavit, ac pertranſiit κατὰ τὸν μυχὸν ejuſdem, ad intimum ejus receſſum, quo deſinit palus, ibi in cuniculos merſus, καὶ πολὺν τόπον ἐνεχθεὶς ὑπὸ γῆς rurſus redditur. Euſtathius verba illa Strabonis ἄμικτον φυλάττων τὸ ῥεῦμα de toto illo tempore accipit, quo medio alveo lacus voratus Tigris fluit ſubterraneus, donec emergat. Et verborum Strabonis ordinem propterea invertit. Strabo enim dixit tamdiu ſervare integrum τὸ ῥεῦμα, quamdiu per medium lacum tranſvolat, cujus in fine mergitur in barathrum, & multum ſpatium ſubterraneus percurrit. Ille vero argutatur, τῷ μυχῷ paludis abſorberi Tigrim, & ſubter ipſam paludem abſconditum, poſt aliquot ſpatia rurſus emergere, cuſtodito alveo puro, & impermixto. Quod longiſſimè diſtat à Strabonis mente, quam rectè aſſequutus eſt Plinius. Sed ille Græculus neſcivit quid eſſet μυχὸς τῆς λίμνης. Lacus & ſtagna haud ſecus, ac ſinus maris qui terras intrant, non ſolum ſua habent ςόματα, ſed etiam ſuos μυχούς. In maris ſinu ea pars ςόμα vocatur, qua terras intrare auſpicatur, ab oceano ac mari magno erumpens: qua verò introrſum recedit, & in terram longiſſimè excurrit, ubi deſinit, ac finitur excurſus ille, μυχὸς appellatur. Sic etiam lacubus, ac ſtagnis ſua ſunt ςόματα, & ſui μυχοί. Originem habent ut plurimum, vel ex mari, vel ex flumine aliquo, vel ex fonte. Pars igitur illa ſtagni, quæ mare, vel flumen infuſum recipit, ςόμα propriè vocatur. Pars contraria, quæ longo receſſu excurrit, μυχός. *Caudam ſtagni* vulgo vocamus. In minoribus ſtagnis, quæ rivulo aliquo, aut ſubterranea aliqua ſcaturigine conſtant, pars illa, qua implentur, ac deplentur, vocari poteſt ςόμα. *Bondam ſtagni* vulgo dicimus. Pars altera, quæ ex adverſo reſpondet, eſt μυχός, ſive, ut nunc loquimur, *cauda ſtagni.* Λιμνοθάλατται dicebantur ejuſmodi paludes, quas affuſum è mari æſtuarium implet. Eædem & ςομάλιμναι, quia os habent ad mare. Non ſolum qua in mare exonerantur, ſed etiam quâ mare affuſum æſtuario recipiunt. Hoc enim ςόμα λίμνης. Arrianus in Indicis: ςαδίους δὲ πεντακοσίους κομισθέντες ὁρμίζονται ἐπὶ ςόματι λίμνης ἰχθυώδεος, ᾗ ὄνομα Καταδερβις, καὶ νησὶς ἐπῆν τῷ ςόματι. Qua Thoſpitim lacum Tigris intrat, ibi ςόμα λίμνης eſſe cenſendum eſt: qua exit, heîc ejus μυχός. Paludem illam Tigridis fontibus impleri tradit Ptolemæus. In exitu igitur hujus lacus, hoc eſt, κατὰ τὸν μυχὸν. Tigris εἰς βάραθρα incidit, & in cuniculos mergit. Quod non intellexere Græci interpretes, nec ipſe fortaſſe Dionyſius, ſiquidem τὰ μυχὰ poſuit pro lacus penetralibus. Sed videndum, an aliam poſſint, & ſaniorem pati verba ejus interpretationem. Ἕλκεσθαι apud eum poëtam flumina dicuntur, hoc eſt, *manare*, *fluere*, *currere.* Σύρεσθαι pro eodem ſæpe uſurpat. Ut de Tanaï: Σύρεται εἰς Σκυθίην τε. Et de Acheloo:

---- ὃ διὰ μέσου
Σύρεται ὁλκὸν ἄγων Ἀχελώϊος ἀργυροδίνης.

Et alibi: ἕλκεται ὠκεανός. Sic ἕλκεται ποταμὸς, *currit*, *fluit.* Quum igitur dicit Tigrim ἕλκεσθαι εἰς μυχὰ λίμνης Θωνίτιδος, in profundum ejus lacus trahi, ac ſorberi fluminis aquas non intelligit, ſed ipſum amnem per lacum currere uſque ad ulteriorem ejus partem, ibique cuniculis mergi, & abſorberi:

---- ἧς ἕλκεται εἰς μυχὰ Τίγρις
Δύνων πολλὸν ἔνερθε πάλιν δ' ἐξαῦθις ἀνίσχων.

Cujus paludis ad extremos fines, & receſſum pervadit Tigris, ibique ſub terram merſus iterum emergit. Qui ſenſus eſt Plinii, ſed & Strabonis, ut ipſe clarius aperuit alio loco his verbis: διαῤῥεῖ δὲ ὁ Τίγρις τὴν Θωνῖτιν καλουμένην λίμνην κατὰ πλάτος μέσην, περαιωθεὶς δὲ ἐπὶ θάτερον

A χεῖλος, κατὰ γῆς δύεται μετὰ πολλοῦ, καὶ ψόφου, καὶ ἀναφυσημάτων. Quod ex Eratoſthene habere ibidem innuit, quem Eratoſthenem etiam in multis ſequitur Dionyſius, qui ſic exponendus eſt, ſi Straboni, & Eratoſtheni concinere eum volumus. Latini vero interpretes Avienus & Priſcianus cum ipſo Euſtathio planè nugati ſunt, nec mentem illius loci viderunt, ut in aliis ſexcentis.

Mox Tauro reſiſtente in profundum ſpecum mergitur] Plinius: *tranſvectuſque occurrente Tauro in ſpecum mergitur.*

In altero ejus latere apud Zoroandam emicat] Plinius: *ſubterque lapſus à latere altero ejus erumpit. Locus vocatur Zoroanda.* Ubi tranſpoſitis literis vetus liber habet *Zoaranda.* At Soliniani fere omnes legunt, *Zomadam.* In excerptis Solini ſcribitur: *apud Zoma demicat*, pro, *apud Zomada emicat.* Ita nimirum legerit in Solino, ita Solinus in Plinio. De utroque nihil mihi lectum eſt. Ζαρύανα urbs Armeniæ majoris Ptolemæo, ſed hæc non poteſt eſſe, quæ Aſſyriæ eſt. Κώμην eſſe indicat Plinius, qui *locum* appellat. Vide quæ notavimus ſuprà.

Ulvas, & purgamenta ſecum vehens] In excerptis: *vias & purgamenta ſecum vehens.* Et ſuprà eadem manu correctum *algas.* Hoc non dicit Plinius, Tigrim, dum ſubter Taurum montem labitur, ulvas, & purgamenta ſecum deferre, ſed eo argumento utitur, ut probet C Tigrim eſſe, & eumdem illum, qui in altero latere Tauri emicat, quod demerſa perferat. Plinii verba: *ſubterque lapſus à latere altero ejus erumpit. Locus vocatur Zoroanda. Eumdem eſſe manifeſtum, quod demerſa perfert.* Hæc Solinus ſic imitatus eſt: *quem ſubterlabens, in altero ejus latere apud Zomadam emicat, ulvas, & plurima purgamenta ſecum vehens.* Ex ulvis, & purgamentis, ceteriſque rebus, vel forte, vel induſtria demerſis, quas Tigris ab uno latere in alterum Tauri latus perfert, non ibi oriri, ſed erumpere cognoſcitur. Sic Alpheus in Arethuſam perfert demerſa. Servius ad Eclogam X. *Sanè* D *dicitur quodam tempore patera aurea in Arethuſa inventa, quam Olympionices in Alpheum miſerat. Et cum Olympiæ hoſtiæ cæduntur, cruor earum in Alpheum infuſus in Arethuſam exit.* Sic legenda ejus verba.

Adiabenos, Arabaſque præterfluit, Meſopotamiam amplectitur] In excerptis legitur: *Adiabenos, Meſopotamia amplectitur, Arabaſque præterfluit.* Malè Plinius: *Tigris enim acceptis ex Armenia fluminibus claris, Parthenia ac Nicephorione, Arabas Oroëos, Adiabenoſque diſterminans, &, quam diximus, Meſopotamiam faciens.* Non rectè Solinus Adiabenos, Arabaſque Tigrim præterfluere dicit, quod etiam dici poſſet, ſi ab eodem latere E Tigridis Arabes, Adiabenique incolerent. At ſeparat eos, ac diſterminat Tigris. Scripſimus porro Plinii verba, ut habentur in libris. Vulgo editur: *acceptis fluminibus claris Partheni, Agnice, Pharione.* Ptolemæus tres amnes enumerat, qui in Tigrim influunt, Λευκὸν, Γοργὸν, & Κάπρον. Fortaſſe idem Λευκὸς, & Παρθενίας. Nam, quem alii Λευκὸν, alii Παρθενίαν videntur vocaſſe. Aliquot flumina in Græcia hoc nomine. *Nicephorion*, ὁ Νικηφορίων. Urbs etiam Νικηφόριον. Sequitur apud Plinium: *&, quam diximus, Meſopotamiam faciens luF ſtratis montibus Gordyæorum, circa Apamiam Meſenes oppidum.* Stephanus τὴν Μεσήνην cum Meſopotamia confundit. Sic enim apud eum ex libris legendum eſt, in voce Μεσήνη. Ἔστι καὶ ἄλλη Μεσήνη τῆς Σικελίας, καὶ χώρα Περσίδος δι' ἑνὸς σ ὑπὸ τῶν δύο ποταμῶν Εὐφράτου, καὶ Τίγριδος μεσαζομένη. Sed fallitur. Nec enim Μεσήνη dicta, quod inter Euphratem, & Tigrim media ſit. Hæc enim Meſopotamia eſt, ἡ μέση τῶν ποταμῶν. At in ipſa illa Meſopotamia alia Μεσήνη, quam diviſus alveo Tigris amplectitur, ut hæc verba Plinii oſtendunt, circa G Apamiam Meſenes oppidum, citra Seleuciam Babyloniam XXV *diviſus in alveos duos, altero meridiem, ac Seleuciam petit, Meſenen perfundens: altero ad ſeptentrionem flexus, ejuſdem gentis tergo campos Cauchas ſecat.* Manifeſto oſtendit, Meſenen regionem dici, quæ inter duos illos alveos Tigridis jacet regio. Subjungit: *ubi remeavere aquæ, Paſitigris appellatur.* Πασίτιγρις dicitur corrupto vocabulo pro Πασίτιγρις, quia πᾶσα Τίγρις, totus Tigris tum fluere incipiat, non diviſus. Sic de Nilo: *ab ultimo catarracte demum totus eſt.* Quia concordibus aquis

aquis junctus, & totus tunc fluit. In ea Mesene Apamia. Idem Stephanus: Ἀπάμειά ἐστι καὶ ἄλλη ἐν τῇ Μεσηνῶν γῇ, τῷ Τίγρητι περιεχομένη, ἐν ᾗ σχίζεται ὁ Τίγρις ποταμὸς, καὶ ἐν μὲν τῇ δεξιᾷ μοίρᾳ περιέρχεται ποταμὸς Δέλας, ἐν δὲ τῇ ἀριστερᾷ Τίγρις ὁμώνυμος τῷ μεγάλῳ. Supra dixerat Μεσηνὴν appellari regionem, quam Tigris & Euphrates mediam amplectuntur, heic rectius eam sic dici tradit, quam ambit Tigris diviso alveo. Ex illis duobus alveis Tigrim alterum vocari ait, ὁμώνυμον τῷ μεγάλῳ, alterum Δέλαν. Sed in libris, quos vidi scriptos manu, legitur, Σέλλας. Et melius. Is est, qui Σίλλας vocatur Isidoro Characeno in mansionibus Parthicis de regione Apolloniatide: διὰ μέσης δὲ αὐτῆς ῥεῖ ποταμὸς Σίλλα. Plinius alio loco: *Apamia, cui nomen Antiochus matris suæ imposuit: Tigris circumfunditur huic, dividitur Archoo.* Immo sic dicta, quod aquis circumdata sit, ab אפף, quod circumcingere significat, & אם, quod civitatem, vel metropolim designat. Ἀπάμη, Ἀπάμεια, ut Καλλιόπη, Καλλιόπεια: Εὐρώπη, Εὐρώπεια, & similia. Sic *Gaddir* urbs Hispaniæ intra duo Bætis amnis ostia, & mare, undique aquis circumdata à Phœnicio גדר, quod sepem, & περίφραγμα, vel locum circumseptum significat. *Gades* quoque insula ab eadem origine. Omnes certe Apameæ urbes interamnæ fuere. Stephanus: Ἀπάμεια, Συρίας πόλις, ἀπὸ Ἀπάμας τῆς Σελεύκου μητρός. Ἐκλήθη καὶ Χερρόνησος ἀπὸ τῆς περιοχῆς τῶν ὑδάτων. Immo Ἀπάμη est Χερρόνησος, urbs aquis cincta, ac circumdata. Hæc altera Apamea, τῷ Τίγρητι περιεχομένη. Est & Phrygiæ, quæ olim Κελαιναὶ dicebantur, ad fluvium Heptaporon, quem septies transiri dicit Strabo, ἐκ τῶν περὶ τὴν καλὴν πεύκην χωρίον ἐπὶ Κελαινὰς κώμην ἴσασι. Sunt & aliæ Apameæ, in Bithynia, & Perside. Idem Stephanus: ἔστι καὶ τῆς Περσίας Ἐδέσσης πρὸς ἄρκτους. Ita legendum. Hæc *Apamia* Ammiano inter urbes Persidis recensetur, & diversa est Apamea Mesenes, quam Tigris circumfluit. Eam Apamiam *Mesenen* cognominatam tradit Ammianus lib. XXIII. *In omni autem Assyria multæ sunt urbes, inter quas Apamia eminet, Mesene cognominata.* Meseni, Μεσηνοὶ dicuntur, qui Mesenen incolunt. Hinc Ἀπάμεια Μεσηνὴ, ut Legio Μελιτηνή. Apamia Bithyniæ ad mare sita, quæ olim Myrlea, quam & ipsam ab Apama Nicomedis matre Prusiæ uxore dictam volunt. Sed illi viderint. Nec enim ipse pugnare contra audeo. Alia igitur, ἡ μέση τῶν ποταμῶν, quæ unica voce Μεσοποταμία: alia, Μεσήνη. Dionysius de Mesopotamia:

Τὴν δὲ περικτίονες Μέσσην ποταμῶν ἐνέπουσι.

Priscianus novo, & inepto vocabulo *Medamnam* dixit.

Indigenæ populi pro re dixere Medamnam.

Nam dicendum esset *Mediamnam*. An *Mesanam* potius scripsit. Μεσήνη idem significat. Verba Avieni sic legenda sunt, alterius interpretis:

---- *Medio tellus quæ funditur agro*
Hos amnes inter nomen tenet, at situs illam
Flumine præcinctam gemino per aperta locavit.

Male est in editis:

Hos interamnis nomen tenet, aut sinus illam.

Quod versus respuit. Tellus, inquit, quæ medio agro hos inter amnes funditur, inde nomen tenet. Latini *Interamnas* dixere urbes, ac regiones, quas Græci Μεσσήνας, & Μεσήνας. Stephanus, καὶ Μέση κατὰ συγκοπὴν, Μέσση, καὶ Μεσήνη. Inde Ptolemæo ἡ μέση χώρα, quæ aliis Μεσήνη. Inter urbes, quæ ad Tigrim sitæ sunt, recenset Ἀπάμειαν, ὑφ' ἣν ἡ τοῦ Βασιλέως ποταμοῦ πρὸς τὸν Τίγριν συμβολή. Ἐγγὺς μέση χώρα. Asinius Quadratus Μεσήνην τὴν Μεσοποταμίαν dici volebat, ὑπὸ τῶν δύο ῥευμάτων μεσαζομένην Εὐφράτου καὶ Τίγριδος. Stephanus alio loco Μεσήνην vocat eam regionem, quæ inter duo Tigridis ostia interjacet. Sic enim scribit: Σπασίνου χάραξ πόλις ἐν τῇ μέσῃ, τοῦ Τίγρητος Μεσήνης. Ita enim libri. At Ptolemæus Σπασίνου χάρακα ponit inter ostium orientale Tigridis, & Mosæi fluminis ostia. Ita & Martianus Heracleota. Idem Asinius Quadratus referente eodem Stephano Mesopotamiam Ἀδιαβηνὴν etiam vocatam scripserat: Μέση τῶν ποταμῶν χώρα μεταξὺ Εὐφράτου καὶ Τίγριδος, καὶ Ἀδιαβηνὴ ἐκαλεῖτο, ὡς ἱστορεῖ Ἀσίνιος Κουάδρατος. Certe Ἀδιαβηνὴ etiam Μεσήνη fuit, inter duos amnes Diabam, & Adiabam, sed non eadem cum Mesopotamia, sed pars ejus tantum, ut & Μησήνη.

Adiabenos.] τοὺς Ἀδιαβηνούς. Adiabeni populi τῆς Ἀδιαβηνῆς χώρας, ut Σωφηνοὶ τῆς Σωφηνῆς, Μεσηνοὶ τῆς Μεσήνης. Ita & Melitini, οἱ Μελιτηνοὶ τῆς Μελιτηνῆς. Unde *Melitene legio*, & *Apamea Mesene*, ἡ Μεσηνὴ Ἀπάμεια καὶ Μελιτηνὴ Λεγιών. Hoc si advertisset Scaliger, non temere pronuntiasset, aut nullam esse Melitenen Legionem, aut à Melita dictam esse, non à Melitene.

Amnem nobilissimum Choaspen accipit.] Libri quidam etiam ex vetustissimis legunt, *Hydaspem.* Quod non potest ferri. Unde enim Hydaspes Indicus fluvius in Tigrim laberetur? Sed vereor ne Hydaspem pro Choaspe substituerit noster eo more, quem perpetuum obtinet. Choaspen igitur accipit Tigris. Is est Choaspes, quem urbem Susa adluere scribunt veteres, & cujus amnis aquam solam, non aliam bibebant Persarum reges, ideo circumferebant. Strabo: τὰ μὲν οὖν Σοῦσα ἐν μεσογείοις κεῖται ἐπὶ τῷ Χοάσπῃ ποταμῷ περαιτέρω ἢ κατὰ τὸ ζεῦγμα. *Diaspem* vocat Tibullus:

---- *& regia lympha Diaspes.*

Ita enim veteres libri. Sed omnino corruptum pro *Cuaspes*, nam & *Coaspes*, & *Cuaspes* in nostris libris hoc loco reperi scriptum. Disjunctis cruribus literæ *u*, alterum adplicatum est literæ *c*, unde factum est *d*: alterum solum remansit iotæ vice. Contraria mendi indole *autem* pro *alite* corruptum Plinii loco, quem supra emendamus, junctis in unum *l* & *i*. *Fertur autem cursu*, pro *fertur alite cursu*. Ex *Cuaspes* igitur factum *Diaspes* divaricatis cruribus literæ *u*. Ita ex Arnobiano *cubus* exiit *dibus*. Quod viros doctissimos torsit olim, hodieque inaniter torquet. Nec enim illis pote persuaderi veram esse emendationem nostram, & misere adhuc perstant in illo tuendo *dibo*. Quod quid sit nesciunt. *Cubus*, & *dynamis* nomina numerorum veteribus arithmeticis Græcis, pariter Latinisque usitata. Vide quæ suprà notavimus. In fragmentis arithmeticis Epaphroditi: *Decies in dynamum: facis decies in se, fit centies. Et centies in se, fit decies millies. Erit decies in dynamum. Decies in cubum: Facies decies in se, fit centies. Et hoc ducis decies, fit milies. Erit decies in cubum.* Ex his patet, quid sit *cubus* in numeris, quid *dynamis*. Veteres membranæ apud Epaphroditum *dynamum* passim scribunt. Atque ita planè apud Arnobium: *quid sit cubus, aut dynamus.* Apparet eos ita scripsisse. Græcis tamen δύναμις: Hero: ἐμβαδομετρικὸν δὲ τὸ ἔχον μῆκος, καὶ πλάτος, ἐξ οὗ καὶ τὸ ἐμβαδὸν γιγνώσκεται, ὃ καὶ δύναμις καλεῖται. Στερεομετρικὸν δὲ τὸ ἔχον μῆκος, πλάτος, καὶ βάθος, ἐξ οὗ καὶ στερεὸν γιγνώσκεται, ὃ δὴ καὶ κύβος καλεῖται. At εὐθυμετρικὸν τὸ κατ' εὐθεῖαν μετρούμενον, ὃ μόνον μῆκος ἔχει, ἀρχὴ καὶ ἀριθμὸς καλεῖται. Sic apud geometras, quod in recto mensuram accipit, vocatur *numerus*, quod in plano, *dynamis*, quod in solido, *cubus*. In numeris dyas lineæ respondet, quæ longitudinem habet tantum. Hæc principium parium numerorum. Unde & ἀρχὴ, & γένεσις dicitur. Bis duo primus quadratus, qui præter longitudinem etiam latitudinem accipit, & respondet embado, sive areæ, & δύναμις vocatur. Bis quatuor primus cubus, qui numerus στερεῷ, ac solido æquiparat. Sic trias principium numerorum imparium. Ter tria *dynamis*: ter novem *cubus*. De quibus nos alibi. Recta igitur lectio Arnobiana: *quid sit dynamis, quid cubus.* At *dibus* ibi scriptum pro *cubus*, ut heic *Diaspes* pro *Cuaspes*. Unde & *Hidaspes*. Non igitur verum est, quod asserit vir magnus, *Diaspem* Tibullo vocari, quem alii *Choaspem* vocant. Ab Uxiis oritur hic amnis, per Susidem fluit, & in mare Persicum cum Tigride exit. Uxii porro Οὔξιοι, Elymæis, & Susiis vicini. Tradit Strabo ex Polycleto Choaspem, Eulæum, & Tigrim in eamdem paludem confluere, & sic junctim deferri in sinum Persicum. Refert ex aliis ibidem, τοὺς διὰ Σούσων ποταμοὺς εἰς ἓν ῥεῦμα τὸ τοῦ Τίγριδος συμπίπτειν, καὶ τὰς μεταξὺ διώρυγας τοῦ Εὐφράτου. Τοὺς διὰ Σούσων ποταμοὺς intelligit Choaspem, & Eulæum, qui Susa præterfluunt. Hoc est igitur, quod heic ait Plinius, Tigrim accipere Choaspem ex Media. Scribit idem Plinius: *Lacus, quem faciunt Eulæus, & Tigris juxta Characem, inde Tigri Susa.* Ergo Susa ad Eulæum amnem. Nihilominus etiam ad Choaspem. Herodotus: καὶ δὴ ὕδωρ ἀπὸ

ἀπὸ τοῦ Χοάσπεω ποταμοῦ ἅμα ἄγεται τοῦ παρὰ Σοῦσα ῥέοντος. Dionysius de Choaspe:

---- παρά τε ῥείων χθόνα Σούσων.

Quod de Choaspis aquis tradidere, quas tantum bibunt Parthorum reges, hoc idem de Eulæo traditum. Solinus supra de Eulæo flumine, *quod ortum a Medis tam puro fluore inclytum est, ut omnes inde reges non alias quam ejus aquas bibant.* Plinius lib. XXXI. cap. III. *Parthorum reges ex Choaspe, & Eulæo tantum bibunt. Hæ quamvis in longinqua comitantur illos.* Miræ profecto res, si unum, idemque flumen Eulæus, & Choaspes esset. Non magis paria de utroque potuere prodi. Choaspem ex Media oriri memorat Plinius, Eulæum quoque à Medis ortum ducere dicit Solinus. Uterque Susa alluit, uterque Tigri recipitur, ex utroque tantum bibunt Persarum reges. Ptolemæus in Susianæ descriptione Choaspem non nominat, sed Eulæi meminit tantùm. Mirumque, geminos ortus uni, eidemque flumini assignat, duobus diversis locis, in Media, & in Susianῇ. Sic enim scribit: Εὐλαίου ποταμοῦ ἐκβολαί. Αἱ ἐν τῇ Σουσιανῇ πηγαὶ τοῦ ποταμοῦ. Αἱ ἐν τῇ Μηδίᾳ πηγαὶ τοῦ ποταμοῦ. Quid ad hæc dicendum? An Eulæus in Media oritur, deinde absconditur, postea in Susiana emergit? Nihil verisimilius excogitari potest. Alioquin ridiculum est uni flumini duos fontes dare, quod ex illis Ptolemæi verbis vulgo faciunt auctores Tabularum. An vero propius est duos diversos amnes in unum confluere, & præter Susa fluere juncto alveo, quem alii Choaspem, alii Eulæum appellarint? Hinc duos fontes Eulæo tribuerit Ptolemæus, quem Eulæum, alii Choaspem vocarunt. Sed, quam priore loco posuimus, potior, veriorque conjectura. Et Plinius eam confirmat his verbis: *Susianen ab Elymaide disterminat amnis Eulæus ortus in Medis, medioque spatio cuniculo conditus, ac rursus exortus, & per Messabatenen lapsus circumit arcem Susorum, ac Dianæ templum augustissimum illis gentibus, & ipse in magna cærimonia. Siquidem reges non ex alio bibunt, & ob id in longinqua portant.* Ex his omnibus liquet eumdem esse Choaspem, & Eulæum, sed alio nomine, ubi primum oritur, alio ubi denuo exoritur, signari. Hæ sunt duæ πηγαὶ, quas Eulæo dat Ptolemæus, qui Choaspis mentionem non facit. Hoc in aliis fluminibus sexcentis usu venit. Strabo, qui Choaspem ἀπὸ τῆς Οὐξίας oriri scribit, eas intelligit Εὐλαίου πηγὰς, quæ in Susiane. Nam Οὐξία secundum eumdem Strabonem regio est inter Susianen, & Persida. Alii Choaspem in Medis originem habere dicunt. Hæ sunt πηγαὶ τοῦ Εὐλαίου ἐν τῇ Μηδίᾳ. Per Messabatenen labi Eulæum Plinius dicit, ita enim correximus. Messabatas collocat Ptolemæus, ubi Uxios ponit Strabo, in itinere scilicet, quod à Susis ducit in Persidis interiora. Idem Elymaidem à Susiane disterminare eumdem fluvium prodit. Elymæi Uxiis vicini ad septentrionem, qui Mediæ contigui sunt, & montem Zagrum attingunt. Ex vicinitate, ut solet, assiduè inter se bellum gerunt Elymæi & Uxii. Ergo ab oriente Susidis Uxii sunt, & Messabatæ, sed & Elymæi. At Ptolemæus ad occidentem Susianæ ponit fontes Eulæi, qui sunt ἐν τῇ Σουσιανῇ, quos Strabo ἐν τῇ Οὐξίᾳ ex opposito collocat. Verum hæc alii sollicitius examinent. Strabo diversos facit Eulæum, & Choaspem, atque utrumque διὰ τῶν Σούσων fluere dicit, & Tigridis alveo recipi. Quod quomodo procedere possit, non video. Præter hunc Choaspem Persicum, vel Susianum alius est Choaspes Indicus, cujus idem Strabo meminit lib. XV. Ubi de Alexandro loquitur Indiam ingredi volente his verbis: ἀνέστρεψε δ' οὖν ὑπερβὰς τὰ αὐτὰ ὄρη κατ' ἄλλας ὁδοὺς ἐπιτομωτέρας, ἐν ἀριστερᾷ ἔχων τὴν Ἰνδικὴν, εἶτα ἐπέστρεψεν εὐθὺ ἐπ' αὐτὴν, καὶ τοὺς ὅρους τοὺς ἑσπερίους αὐτῆς, καὶ τὸν Κώφην ποταμὸν, καὶ τὸν Χοάσπην, ὃς εἰς τὸν Κώφην ἐμβάλλει ποταμόν. Cophes ille, qui Choaspem recipit, Indicus fluvius. Paulo post μετὰ δὲ τὸν Κώφην ὁ Ἰνδὸς, εἶθ' ὁ Ὑδάσπης, εἶθ' ὁ Ἀκεσίνης, καὶ ὁ Ὑάρωτις, ὕστατος δὲ ὁ Ὕπανις. Huc usque progressus est intra Indiam Alexander. Si quis autem putat Choaspem illum, qui in Cophenem Indiæ amnem exit, eumdem esse cum Choaspe Persico, qui & Eulæus, immane fallitur. Et tamen extitere veteres, qui hunc errorem erraruut. Quid enim aliud hæc Dionysii sibi volunt?

Χωρὶς μὲν κόρος ἐστὶ μέγας, χωρὶς δὲ Χοάσπης
Ἕλκων Ἰνδὸν ὕδωρ, παρά τε ῥείων χθόνα Σούσων.

Ad eum locum Eustathius Choaspem ἕλκειν Ἰνδὸν ὕδωρ interpretatur, ὡς ἐκ τοῦ Ἰνδοῦ σχιζόμενον ποταμοῦ. Quod est maximè ridiculum. In promptu esset rescribere, Ἕλκων Μῆδον ὕδωρ, cum Choaspes è Medis ortum ducat juxta alios scriptores, sed vulgatam tuentur omnes veteres poëtæ interpretes, ut inde constet culpam auctoris esse. Avienus:

---- *perrumpens rura Choaspes,*
Indica provolvens procul æquora.

Priscianus:

---- *Inde Choaspes*
Fonte cadens Indo, qui stringit gurgite Susa.

Confudit igitur Dionysius Choaspem Indicum cum Persico, nec mirum est, si duo cognomines fluvii in tam dissitis regionibus reperiantur. Sic Tigris Ponticus, & Persicus: Hypanis Scythicus, & Indicus. Arrianus Ὕφασιν vocat Indicum illum amnem, ultra quem in Indiam progressus non est Alexander. Hunc Ὕπανιν Strabo, aliique. Arrianus οὐ περαιτέρω τοῦ Ὑφάσιος ἦλθεν Ἀλέξανδρος. Strabo de fluminibus Indicis, quæ transivit Alexander: ὕστατος Ὕπανις, περαιτέρω γὰρ προελθεῖν ἐκωλύθη. Plinius Hypasim appellat, qui fuit itinerum Alexandri terminus. Præterea, qui Straboni Ὑάρωτις, Arriano in Indicis Ὑδραώτης. At Choaspes Indicus eidem Arriano Χόης dicitur in libris de expeditione Alexandri, & forte ibi scriptum Χόης compendiosè pro Χοάσπης, ut ἄνος pro ἄνθρωπος, & similia. Nam ad ingressum Indiæ Κώφηνα primum statuit fluvium, deinde Χόην. Strabo Κώφην & Χοάσπην ibidem recenset, & Choaspem in Cophen incidere dicit. Ptolemæus in Arachosia, & illis locis Choaspa urbem, & Arachoton vicinas numerat, unde regioni nomen. Τὰ Χόασπα dicta fortasse ab illo fluvio Choaspe, nam ad flumen sita sunt: & Arachosia ab oriente vicinam habet Indiam. Quinetiam Parthi Arachosiam Ἰνδικὴν λευκὴν appellabant. Strabo autem ad occidentale latus Indiæ, quod Arachosiæ conterminat, Cophen fluvium ponit, in quem Choaspes influit. Idem usque ad Indum flumen Arachosiam facit pertingere. Plinius quatuor satrapias, Gedrosios, Arios, Paropamisadas, & Arachotas ad orientem flumine Cophete includi dicit, quæ alii omnia Ariorum nomine comprehendebant. Idem Arachoton oppidum, & flumen ejusdem nominis esse scribit, quod quidam Cophen dixere. Ita vulgo scribitur in Plinio: *Arachosia cum oppido flumine ejusdem nominis, quod quidam Cophen dixere.* Sed aliter libri, qui legunt: *Arachosia cum flumine, oppido & ejusdem nominis, quod quidam Cutim dixere, à Semiramide conditum.* Vulgatam lectionem procudere correctores ingenio suo. In Arachosia flumen est Arachotos, est & oppidum ejusdem nominis, quod quidam *Cutim* dixere. Sed legendum, *Cophen*, aut *Cophena.* Stephanus, non flumen, sed oppidum ab Semiramide conditum hoc nomine appellatum scribit: Ἀραχωσία πόλις ὑπὸ Σεμιράμιδος κτισθεῖσα, ἥτις καὶ Κωφὴν ἐκαλεῖτο. Οἱ πολῖται Ἀραχώσιοι. Τῆς δὲ Κωφῆνος Κωφήνιοι. Ergo ἡ Κωφὴν vocabatur hoc oppidum. Ad amnem sita Choaspa, qui amnis etiam Ptolemæo Ἀραχωτὸς, ut & ipsum oppidum. Perperam Stephanus duplices constituit Ἀραχωτούς. Verum de his infrà. Κώφης etiam fluvius dictus est, qui aliis ὁ Κωφὴν Κωφῆνος. Choaspes in illum Copheta exonerat. Verùm hæc alibi. Quod ad Choaspem Persicum attinet, recentiores Eulæum pro eo posuere. Arrianus, qui totam illam παραλίαν Persici sinus, in quam Tigris exonerat, describit, nullum agnoscit Choaspem, sed Eulæum tantum, quem canali manu facto cum Tigride jungi scribit. Sic enim scribit lib. VII. Αἱ δὲ ἄλλαι νῆες ἀνακομισθεῖσαι κατὰ τὸν Εὐλαῖον ἐς τὴν ἐπὶ τὴν διώρυχα ἢ τέτμηται ἐκ τοῦ Τίγρητος εἰς Εὐλαῖον, ταύτῃ διεκομίσθησαν εἰς τὸν Τίγρητα. Ergo nullus amnis inter Eulæum, & Tigrim. At Ptolemæus inter Eulæum, & Tigrim in eadem Susiana Mosæum fluvium collocat, qui mari Persico sese insinuat in latere Susianæ meridionali. Marcianus Heracleota Μαγαῖον vocat illum amnem, qui est inter Tigridis ostia, & Eulæi. Et sic oram illam maritimam Persici sinus, qua latus meridionale Susianes cluditur, describit. Ab orientali ostio Tigridis ad Spasinis Characa octoginta stadia numerat. A Charace Spasinis usque ad Μαγαίου ἐκβολὰς, quem Μαγαῖον

vocat Ptolemæus, stadia septingenta: à Magæi ostiis ad Steloan sinum stadia quadringenta: à sinu Steloa ad Eulæi amnis exitus stadia ducenta. Κατὰ τοῦτον, inquit, τὸν ποταμὸν ἐν τῇ μεσογείᾳ πόλις κεῖται τῆς Σουσιανῆς μητρόπολις τὰ Σοῦσα. Vocat Στηλῶαν κόλπον, qui Ptolemæo Πηλώδης κόλπος. Ut in alterutro mendum esse necesse sit. Ἀπὸ δὲ τοῦ Εὐλαίου ποταμοῦ εἰς τέναγος ἀμμῶδες ἐπὶ τὰς τοῦ Ὀρατίου ποταμοῦ ἐκβολὰς υν. Ptolemæus Ὀροάτιν hunc fluvium appellat, & melius. Sic enim Strabo, & alii vocant. Inde igitur corrigendum apud Marcianum, ἐπὶ τὰς τοῦ Ὀροάτιος ἐκβολάς. Et supra illud latus Susianæ definit, ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν τῶν εἰς τὸν Περσικὸν κόλπον τοῦ Ὀρούδιος ποταμοῦ. Ibi quoque legendum Ὀροάτιος ποταμοῦ. In toto illo periplu, qui à Tigridis ostiis ad Oroatis ostia pertinet, nulla Choaspis amnis mentio. Ad Eulæum porro, non ad Choaspem sita esse Susa docet Marcianus, quæ veteres ad Choaspem collocant. Strabo postquam scripsit Tigrim, ubi in mare effunditur, acceptis amnibus Choaspe, & Eulæo, Pasitigrim appellari, postquam inquam de eo Pasitigri multa dixit, protinus adjicit: μετὰ γὰρ τὸν Χοάσπην ὁ Κοπράτας ἐστὶ καὶ ὁ Πασίτιγρις, ὃς καὶ ἐκ τῆς Οὐξίας ῥεῖ καὶ αὐτός. Diversum oportet esse hunc Pasitigrim ab eo Pasitigri, qui Tigris est. Nam Tigrim, ubi rursus jungitur, & totus fluit, Pasitigrim vocari prodidere. Post hunc Pasitigrim Choaspes, qui in eum influit ab Uxia regione ortus, ut vult Strabo. Post Choaspem Copratas, & Pasitigris, qui & ipse ἐκ τῆς Οὐξίας ῥεῖ. Arrianus de Expeditione Alexandri lib. III, scribit Alexandrum, ubi à Susis castra movit, ut in Uxiorum regionem ingrederetur, transisse fluvium Pasitigrim: ἄρας ἐκ Σούσων καὶ διαβὰς τὸν Πασίτιγριν ποταμὸν, ἐμβάλλει εἰς τὴν Οὐξίων γῆν. Hi Uxii ad orientem sunt Susis. Eulæus Susa præterfluit. Ergo post Eulæum hic Pasitigris versus orientem, post Choaspem, qui Eulæus est, à Strabone censetur. Meminit hujus Pasitigris & Curtius, quem oriri dicit in montibus Uxiorum, & Persico mari insinuari leni aquarum tractu. Recentiores nusquam hujus Pasitigris meminere Ptolemæus, & Marcianus. Nec video, qui locus illi possit esse, aut quod nomen dari in illa ora maritima Susianæ. Inter Tigridis ἐκβολὰς, & Eulæi Magæus in idem mare funditur. Hodie vocatur *Maeu*, non obscuris vestigiis prisci nominis. Ut hinc constet Μαγαῖον, vel Μωγαῖον pro Μωσαίῳ in Ptolemæo rescribendum esse. Magæus non potest esse Pasitigris. Nam post Eulæum Pasitigris ille versus orientem. Post Eulæum Oroatis est, quem Ὀράτιον pro Ὀροάτιν multis locis vocat Marcianus, vel quisquis ille auctor. Hic ultimus Susianæ fluvius, & fortasse hic erit, quem Pasitigrim auctores prisci dixere. Certe Oroatis ex Uxiis oritur, & Persidem ab Susiana disterminat. Intra Susianam porro Uxios, & Messabatas comprehendit, per quos Oroatis fluit. Nihil igitur verisimilius, quam Pasitigrim esse Oroatim, qui post Choaspem, vel Eulæum ab illis veteribus statuitur. Strabo tamen, qui amnis hujus Pasitigris meminit, Oroatim etiam agnoscit; quo finiri Persidem dicit à latere Susianæ. Ὀροάτην vocat, sed legendum Ὀρόατιν. Idem ex relatione Nearchi tradit distare τὸν Πασίτιγριν ἀπὸ τοῦ Ὀροάτιδος περὶ δισχιλίους σταδίους, hoc est, ducentis quinquaginta milibus passuum. Pasitigris ille, quem intelligit Nearchus, Tigris est, qui sic vocabatur in exitu suo, κατὰ τὰς ἐκβολάς. Marcianus Heracleota, ἀπὸ τοῦ Τίγρεως ποταμοῦ μέχρι τῶν τοῦ Ὀροάτιος ποταμοῦ ἐκβολῶν τὸν παράπλουν τῆς Σουσιανῆς χώρας mille octingenta ac triginta stadia patere scribit, hoc est, centum septuaginta stadiis minus quam Nearchus. Plinius à flumine Oroati ad Characem ducenta & quadraginta passuum milia interesse dicit, hoc est, stadia mille & nongenta cum viginti. Quibus si addas octoginta stadia, quæ à Charace sunt usque ad Tigrim, rotundo numero fient ducenta quinquaginta milia passuum, vel bis mille stadia, quæ ex computatione Nearchi inter Pasitigrim, & Oroatim patent. At Pasitigris ille, quem ex aliorum opinione refert Strabo, qui ex Uxiorum regione oritur, & in Persicum mare evolvitur, non potest convenire cum alio amne, quam cum Oroatide. Et nugæ sunt, quæ de illo veteres scripsere, ut & de Choaspe, qui nullus est in toto illo tractu, & ora Susianæ regionis præter Eulæum. At Pasitigrim illum, quem Alexandrum transiisse dicit Arrianus, quum Susis profectus in Uxiorum regionem ingredi vellet, Τίγριν vocat Diodorus Siculus lib XVII: & quarto die ad illum amnem pervenisse scribit Alexandrum, postquam à Susis moverat. Verba ejus adscribam: αὐτὸς δὲ μετὰ τῆς δυνάμεως ἀναζεύξας τεταρταῖος ἐπὶ τὸν Τίγριν ποταμὸν ἀφίκετο, ὃς ῥέων ἐπὶ τῆς Οὐξίων ὀρεινῆς, τὸ μὲν πρῶτον φέρεται διὰ χώρας τραχείας, καὶ χαράδραις μεγάλαις διειλημμένης ἐπὶ σταδίους χιλίους. Ἔπειτα διαρρεῖ χώραν πεδιάδα, πραϋνόμενος ἀεὶ μᾶλλον καὶ διελθὼν ἑξακοσίους εἰς τὴν κατὰ Πέρσας θάλασσαν. Διαβὰς δὲ τὸν Τίγριν προῆγεν ἐπὶ τὴν Οὐξίων χώραν. Nemo est, qui de Tigride Mesopotamiæ hæc accipere queat. Verba illa Diodori totidem verbis reddidit Curtius, ut plane interpretem egerit. *Rex*, inquit, *quartis castris pervenit ad fluvium, Pasitigrim incolæ vocant. Oritur in montibus Uxiorum, & per quinquaginta stadia silvestribus ripis præceps inter saxa devolvitur, accipiunt deinde eum campi, quos clementiore alveo præterit, jam navium patiens: sexcenta stadia sunt mollioris soli, per quod leni tractu aquarum Persico mari se insinuat.* Hæc sola differentia est, quod Diodorus Τίγριν, Curtius *Pasitigrim* appellat. Etiam in eo dissident, quod per quinquaginta stadia inter saxa devolvi illum amnem narrat auctor Latinus, ubi Græcus χιλίους σταδίους numerat. Sed mendum est in Græcis. Nam fluvius ille septingenta in totum stadia currit à fontibus suis usque ad exitus, quibus in mare effunditur, ut testis est Diodorus alio loco his verbis: καὶ φερόμενος ἀπὸ τῆς ὀρεινῆς ἐπὶ σταδίους ἑπτακοσίους εἰς τὴν ἐρυθρὰν ἐξερεύγεται θάλασσαν. Ibi etiam Τίγριν vocat. Cum sexcenta stadia sint mollioris soli, per quæ leni agmine labitur, quinquaginta aut centum tantum esse oportet, quibus per salebras, & saxa devolvitur, quum totus ejus cursus, quam longus est, septingentis stadiis conficiatur. Ad hoc igitur exemplar corrigendus Diodorus. Tigrim illum abesse Susis unius diei itinere ibidem tradit idem. Dissentientibus ducibus post mortem Alexandri Magni, & in partes diductis, jamque ad bellum sese parantibus, cum Antigonus in Mesopotamia esset, Eumenes Susis cum reliquis ducibus, Antigonus Tigri flumine navigiis juncto copias transduxit. Verba Diodori: ἔζευξε πλοίοις τὸν Τίγριν ποταμὸν, καὶ περαιώσας τὰς δυνάμεις ὥρμησε πρὸς τοὺς πολεμίους. Heîc de Tigri, qui Mesopotamiam facit, accipiendum. Eumenes & reliqui duces, qui Susis erant, audito Antigoni adventu, relicto oppido, τὰς δυνάμεις ἀναλαβόντες, ὥρμησαν ἐπὶ τὸν Τίγριν ποταμὸν ἀπέχοντα Σούσων ὁδὸν ἡμέρας ἣ τῆς ὀρεινῆς ἔχεται τῆς ὑπὸ τῶν αὐτονόμων κατεχομένης, οὓς Οὐξίους προσαγορεύουσιν. Hic est ille Tigris, quem Curtius, & Arrianus Pasitigrim vocant, qui in latere Susianæ orientali fluit, quum Tigris Assyrius occiduum latus ejusdem regionis claudat. Diodorus eodem libro Κοπράτην fluvium ex montanis delapsum εἰς τὸν Τίγριν ἐκπίπτειν dicit. De Tigride Uxiorum intelligi par est, non de Assyrio. Atque hic est Κοπράτας Strabonis, cujus meminit his verbis: μετὰ δὲ τὸν Χοάσπην ὁ Κοπράτας ἐστὶ καὶ ὁ Πασίτιγρις, ὃς ἐκ τῆς Οὐξίας καὶ αὐτὸς ῥεῖ. Cum multis locis fluvium illum Uxiorum Τίγριν vocet Diodorus, semel, ut puto Πασίτιγριν appellavit hoc loco: ἀναζεύξαντες οὖν, ἀπὸ τοῦ Πασιτίγριος προῆγον τῆς Περσίδος εἰς Περσέπολιν τὸ βασίλειον. Ultra Eulæum esse ad orientem ex eodem scriptore colligi potest, ubi dicit Antigonum ad hunc amnem victum ab Eumene recessisse, ac refugisse in oppidum Badacen ad fluvium Eulæum situm. Hic Tigris, sive Pasitigris Assyrio ὁμώνυμος non alius potest esse quam Oroatis: quem Tigrim, aut Pasitigrim videntur appellasse illi, qui cum Alexandro fuerunt, quod ejus verum nomen ignorarent. Sic Choaspem veteres nominarunt, quem Eulæum recentiores passim indigetant etiam illi, qui res Alexandri literis mandarunt. Strabo, aliique veterum diversa flumina putarunt, quæ diversis tantum nominibus appellata sunt. Sic Χοάσπης & Εὐλαῖος idem, ut Πασίτιγρις τῆς Οὐξίας & Oroatis. Quem Pasitigrim etiam vocaverunt, quia fluvius cognominis in Assyria utroque hoc nomine censeretur. Sequitur apud Strabonem: ἔστι δὲ καὶ Κῦρος ποταμὸς διὰ τῆς κοίλης καλουμένης Περσίδος ῥέων περὶ Πασαργάδας, οὗ μετέλαβε τὸ ὄνομα ὁ βασιλεὺς ἀντὶ Ἀγραδάτου μετονομασθεὶς Κῦρος. Et hic amnem Persicum cognominem facit nobilissimi amnis Armeniæ majoris, qui

in

in Caſpium mare exibat. Atqui amnis ille Perſicus, non Κῦρος, ſed Κόρος, vel Κόρρος dicebatur. Dionyſius Periegeta de fluminibus Perſicis:

Χωρὶς μὲν Κόρος ἐςὶ μέγας χωρὶς τε Χοάσπης.

Certe χωρὶς Choaſpes, & χωρὶς Corus ille, nam Choaſpes ad orientem Perſici regni in Carmania fluit, & in ſinum Perſicum exonerat, Choaſpes ad occidentem. Avienus paraphraſtes Dionyſii *Cyrum* vocat:

Arva ſecat Cyrus, perrumpit rura Choaſpes.

Priſcianus *Coron*, & melius:

Hinc Coros immenſus profunditur, inde Choaſpes.

Is eſt, qui Κόριος Ptolemæo dicitur, & Marciano Heracleotæ, qui Syneſii temporibus vixit, cujus & apud Syneſium mentio eſt. Geographia porro illa verſibus ſcripta Iambicis ad Nicomedem Bithyniæ regem, quæ nomine Marciani Heracleotæ inſcripta eſt, non poteſt hujus eſſe; ſed nec Apollodori eſt, qui τὰ χρονικὰ verſibus ſimiliter Iambicis compoſuit, quæ ſæpe veteribus citantur. Nam hic auctor meminit ibidem illius Apollodori, qui χρονικὰ ſcripſit. Ptolemæum non raro laudat in periplo Marcianus, & non pauca ab eo ſumpſit. In Carmania uterque Κόριον fluvium conſtituunt, qui male Κάριος vocatur in Ptolemæi Græcis editionibus. In eadem Carmania Πασαργάδας ambo collocant ad mare, circa quos τὸν Κῦρον fluere ſcribit Strabo. Qui Κῦρος eſt Κόρος Dionyſii, & Κόριος Ptolemæi. Eadem nominum vicinitate adductus, Araxem, τὸν Ἀράξην in Perſide ponit prope Perſepolin, quum Araxes Armeniæ ſit fluvius, qui in Caſpium mare ſeſe exonerat. Sed Ἀρόσην, vel Ἄροσιν, qui maximus eſt Perſidis fluvius, Ἀράξην vocavit, ut Κόρον, vel Κόριον dixit Κῦρον. De Aroſi vide Arrianum in Indicis. Certe Ἀρόσης eſt Araxes Perſicus Strabonis. Verius tamen Ἄροσιν mendoſe ſcribi apud Arrianum pro Ὀρσάλην, ut infra dicam, & Ἀράξην Strabonis, & Curtii eundem eſſe cum aliorum Ῥωγάνει. De quo infra. Hæ ſunt antiquorum geographorum circa urbium nomina, & locorum ſitus exerrationes. Sic Ὕπανιν vocarunt Indicum fluvium Scythici fluvii nomine, quem recentiores Ὕφασιν. Ita & Perſicum, vel Suſianum fluvium *Eulæum* cognominem fecere Indico Choaſpi, cujus & mentionem habet Curtius. Quidam etiam utrumque confudere, ut Dionyſius.

Euphratem defert in ſinum Perſicum.] Plinius: *inter duorum amnium oſtia viginti quinque milia paſſuum fuere. Sed longo tempore Euphratem præcluſere Orcheni, & accolæ agros rigantes: nec niſi per Tigrim defertur in mare.* Non dicit Plinius, ſimpliciter Euphratem per Tigrim ſemper in mare deferri, ſed cum Orcheni Euphratem præcluſiſſent ad rigandos agros, canalibus carptus, ac riguis diſtractus, quæ in Tigrim incidebant, ſic per Tigrim deferebatur in mare. Meminit harum διωρύγων Strabo, quæ ex Euphrate ductæ in Tigrim emittuntur ad rigandos agros, qui inter Tigrim ſunt & Euphratem. Ἄλλοι δὲ φασὶ τοὺς διὰ Σούσων ποταμοὺς εἰς ἓν ῥεῦμα τὸ τοῦ Πασιτίγριος συμπίπτειν, καὶ τὰς μεταξὺ διώρυγας τοῦ Εὐφράτου, διὰ δὲ τοῦτο κατὰ τὰς ἐκβολὰς ὀνομάζεσθαι Πασιτίγριν. Pallacopas vocabatur foſſa ex Euphrate aperta, quæ totum fere amnem exhauriebat, & in paludes avertebat, à recto curſu, & exitu ſuo in mare. Quamdiu hæc aperta fuit, præcluſus erat Euphrates, nec niſi per paludes, & Tigrim evehebatur in mare. Hoc eſt, quod ait Plinius, longo tempore Euphratem præcluſiſſe Orchenos, & ceteros accolas rigantes agros. Poſtea Satrapes quidam Babyloniæ magno labore canalis hujus, quo diſtrahebatur Euphrates, oſtia obſtruere conatus eſt, amnemque in alveum ſuum priſtinum, & intra ripas ſuas reducere. Quod & Alexander Magnus, cum ibi eſſet, perficiendum, & abſolvendum curavit. Vide Arrianum lib. VII. Falſum eſt igitur, quod heîc ſcribit Solinus, Euphratem per Tigrim in mare deferri, quod obtinebat tunc, cum præcluſus Euphrates, ac per canales, foſſaſque carptus, & in Tigrim delapſus, languidas atque tenues tantum reliquias ſine nomine in mare emittebat.

Zmilanthis in ipſo Euphratæ alveo legitur.] Ita libri. Sic Avienus:

Proximus Euphratæ manat liquor.

Sic *Oreſtæ*, & ſimilia. *Zmilanthis* porro heîc ſcribunt Soliniani libri hujus gemmæ nomen, quæ *zmilaces* in

A vulgariis editionibus Plinii vocatur. Sed in libris Plinianis *zmilampis* appellatur, pro *zmilanthis*, vel *zmilantis*. Ut t & p ſæpe invicem ponuntur. Ita igitur in Plinio reponendum. Nec aliter habent Iſidori manuſcripta exemplaria, ἡ Ζμιλανθὶς.

Gemma ad imaginem marmoris Proconneſii.] Libri: *Proconnenſis.* Idiotiſmos temporum illorum pro *Proconneſenſis*. Ut *Peloponenſis* pro *Peloponeſenſis*. Sic ſupra *Proconnenſis ancilla*. Plinius *Proconneſium* marmor melius vocat. Quid autem illud eſt, quod ait gemmam illam ad imaginem eſſe marmoris Proconneſii? An per *imaginem* colorem tantum intelligit, an formam? Εἶδος

B Græci pro colore ſæpe dicunt, ut ante notavimus. Sic πρασοειδὲς χρῶμα Arriano in Indicis, quod πράσου εἶδος habet, id eſt, colorem. Πράσινον alii vocant. Ita ille in Indicis: βάπτοντας Ἰνδοὶ, χροιὴν δὲ ἄλλην καὶ ἄλλην. Οἳ μὲν ὡς λευκοὺς φαίνεσθαι, οἵους λευκοτάτους, οἱ δὲ κυανέους, τοὺς δὲ φοινικέους εἶναι, τοὺς δὲ πορφυρέους, ἄλλους πρασοειδέας. Sic χρυσοειδὲς, ἀργυροειδὲς, quod colore auri, vel argenti eſt. *Faciem* Latinos pro colore uſurpaſſe etiam notavimus ſupra. *Imaginem* hoc ſenſu poſuit heîc Solinus. *Gemma ad imaginem marmoris Proconneſii, niſi quod in medio umbilico lapidis iſtius glaucum, ut oculi pupula internitet.* Plinius

C ſimpliciter dixit, *Proconneſio marmori ſimilem eſſe, medio colore glauco.* Proconneſium marmor album erat, venis intercurrentibus nigris, modo recto diſcurſu, modo obliquo & intorto. Auctor vetus de marmoribus: τῶν λίθων ὁ μὲν Καρικὸς λευκός ἐςιν ἐν ταυτῷ καὶ πορφυροῦ χρώματος ἀπολάμπων, ὁ δὲ Θετταλὸς πράσινος, ὁ δὲ Προκοννήσιος λευκὸς μὲν, φλέβας δὲ διέλκει μελαίνας, πῆ μὲν εἰς εὐθὺ, πῆ δὲ καμπύλας καὶ συνεστραμμένας, ὁ δὲ Βυθινὸς ἀκράτῳ χρῆται τῷ μέλανι, ὁ δὲ Πεντέληθεν λευκὸς ἐςιν, ὥσπερ γάλα. Proconneſium igitur marmor in candido venas habet nigras, at zmilanthis lapis, qui illi marmori ſimilis eſt, pro venis nigris in medio glaucas præfert.

D Pag. 48. D. *Niſi quod in medio umbilico lapidis iſtius glaucum, ut oculi pupula internitet.*] Quidam libri, *in medio umbilico*, ut editum eſt. Alii, *in medio umbunculo*. Non magnopere intereſt, quomodo legas, quum utrumque idem ſit. *Umbilicum*, vel *umbunculum* lapidis, aut gemmæ vocat, quod in medio gemmæ extuberat. Ὀμφαλὸν Græci in clypeo dixere τὸν κόγχον, quod in medio clypeo eminet, Latini *umbonem*. Sic ὀμφαλὸν in toga, qui ex multis plicis ſtructus erat ad inſtar umbilici, Latini *umbonem* dixere. Quod uſpiam protuberat, aut eminet in rotunda forma, his nominibus ſignaverunt. Librorum *umbilicos*, quos Græci ὀμφαλοὺς appellant, oſ-

E ſea, vel eborea ornamenta in medio extantia ad umbilici imaginem, *umbones*, vel *umbunculos* etiam liceat appellare. Ὄμφαλον etiam dicebant, quod in medio placentarum, vel popanorum inſtar umbonis, vel umbilici extumeſcens fiebat. Mœris Atticiſta: Φθοῖς μονοσύλλαβον Ἀττικῶς, ἐςὶ δὲ πέμμα πλατὺ, ἔχον ὀμφαλον, πόπανον Ἑλληνικῶς. Hinc ſupercilia montium *umbones* apud Statium. Græcum eſt ἄμβων, Æolice ὄμβων, Latine *umbo*. Heſychius: ἄμβη ἡ τῆς ἴτυος ὀφρὺς τῶν κοίλων ἀσπίδων. Ex eadem origine eſt, ſed aliter Latini *umbonem* clypei vocant, non quod in extimis oris circum eminet, ſed

F quod in medio rotundum exiſtit, quem Græci vocant ὄμφαλον. Ventrem ampullarum ἄμβωνας Græci vocant à tumore umbilicato: Pollux: τοῦ δὲ κώθωνος αἱ ἑκατέρωθεν πλευραὶ ὥσπερ τῶν χυτρῶν ἄμβωνες καλοῦνται. Inde ἄμβιξ olla, quod ventrem habeat protumidum. Ἄμβωνας Grammatici interpretantur προσαναβάσεις ὀρῶν. Heſychius: Ἄμβωνες, αἱ προσαναβάσεις τῶν ὀρῶν, Αἰσχύλος Κερκύωνι καὶ Σισύφῳ. Hinc *ambo* lapideus ſuggeſtus rotundus ad inſtar turris, quod utrimque aſcenſus habebat, in medio templo extrui ſolitus, unde legebantur ſanctæ ſcripturæ ad populum, & ſermo prædicabatur. Eum ita deſcribit Paulus Silentiarius:

G Ἐςί τις εὐρυπόροιο κατ' ἔνδια μέσσα μελάθρου
Ἀβρὸς ἰδεῖν καὶ μᾶλλον ἐς ἀντολίην τι νενευκὼς
Πύργος ἀκηρασίοισιν ἀποκριτὸς ἤθεσι βίβλων
Ὀρθάδιος βάθροις, διδυμάοσιν ἀμβατὸς οἴμοις
Ὧν μία μὲν ποτὶ νύκτα τιταίνεται, ἡδὲ πρὸς ἠῶ.
Εἰσὶ γὰρ ἀλλήλησιν ἐναντίαι, ἀμφοτέραι δὲ
Εἰς ἕνα χῶρον ἄγουσιν ἴσον περιηγέϊ κύκλῳ.

Poëmati illi titulus eſt, Ἔκφρασις τοῦ ἄμβωνος. Sed de hoc ambone alibi. At Latinis *umbo montis* ab eadem voce

ἄμβων, jugum montis summum, in orbiculatum acumen surgens. Statius,

---- *undisonæ quos circuit umbo Maleæ.*

Idem alibi:

---- *quod solidus contra riget umbo maligni*
Montis

Ut *umbo* in clypeo. Sic ὄρεα ὀμφαλόεντα vocant ad instar umbilici sese attollentia montium juga. Nicander:

Ἢ γὰρ δὴ σὺ μὲν ἄγχι πολυστροίβοιο θαλάσσης
Ἄρκτον ὑπ' ὀμφαλόεσσαν ἐνάσσαο, ἧχί τε Ῥείης,
Λοβρίνης θαλάμαι τε καὶ ὀργαστήριον Ἄττεω.

De Cyzico loquitur, in qua mons Ἄρκτος, unde & Ἀρκτόνησος ipsa insula dicta. Eum montem ὀμφαλόεντα vocat Nicander, ab umbonis figura & umbilici. At Scholiastes Nicandri, & veteres Grammatici quidam de ursa cælesti eum locum accepere. Ridiculè. Hesychius: ὀμφαλόεσσα ἡ ἄρκτος διὰ τὸ μέσον τὸν βόρειον πόλον περιέχειν, τινὲς δὲ τὴν εὔτροφον χώραν, ἢ ὀμφαλοὺς ἔχουσαι, ἢ στρογγύλαι, καὶ ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι. Locum illum Nicandri interpretatur. Ex variis expositionibus verior ultima, quæ στρογγύλην explicat. Ut ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι, aut rotundæ, aut quæ umbonem habent, id est, ὄμφαλον. *Umbones* in gemmis vocat Plinius partem illam, quæ in medio protuberat. *Arabicæ*, inquit, *excellunt candore circuli prope lucido, atque non gracili, neque in recessu gemmæ, aut in dejectu renidente, sed in ipsis umbonibus nitente.* Inde *umbunculum* lapidis dixit hoc loco Solinus, quem in altera editione *umbilicum* vocaverat. Quinetiam parvos ac rotundos calculos umbilici figura extuberantes. Valerius *umbilicos* appellat de Scipione, & Lælio: *constat namque eos Cajetæ, ac Laurenti vagas littoribus conchulas, & umbilicos lectitasse.* Ita etiam vocat Cicero II. de oratore. Sic *ocellos*, vel *ocellatos* hujusmodi littorales lapillos oculi specie nitentes dixere. Scribit Suetonius Augustum solitum esse *ludere ocellatis, nucibusque.* Ubi *ocellati* calculi sunt in formam ocelli facti, vel oculi modo lucentes. Plinius de Callaïde: *utrobique autem in rupibus inviis, ac gelatis oculi figura extuberans leviterque adhærens.* Est & gemma, quæ vocabatur *Beli oculus.* Idem Plinius: *Beli oculus albicans pupillam cingit nigram è medio aureo fulgore lucentem. Hæc propter speciem sacratissimo Assyriorum Deo dicatur.* Ita legendum, non *pingit.* Sic *Nympharum oculi* Græcis hujusmodi littorales calculi vocabantur. Victor alter de Caligula: *neque secus contractis ad unum legionibus specie in Germaniam transgrediendi conchas, umbilicosque in ora maris oceani legi jussit, cum ipse nunc fluxo cultu, Venerioque interesset, nunc armatus spolia à se non ex hominibus, sed cælestium capi dictitaret, scilicet quod hujusmodi pisces Græcorum dicto, quîs augendi omnia studium est, Nympharum lumina accepisset.* Locum integrum afferre libuit, ut emendarem. Caligula in oceani littore conchas, & lapillos teretes à militibus legi jussit armatis, armatus & ipse, spolia illa oceani dictitans. Suetonius: *postremo quasi perpetraturus bellum directa acie in littore oceani, ac ballistis, machinisque dispositis nemine gnaro, ac opinante quidnam cœpturus esset, repente ut conchas legerent, galeasque, & sinus replerent imperavit. Spolia oceani vocans, Capitolio Palatioque debita.* Suetonius *conchas* tantùm dixit, Victor addidit & *umbilicos*, quos pariter cum conchis junxere Cicero & Valerius Maximus. Sic Ovidius *conchas*, & *teretes lapillos*, qui sunt umbilici:

---- *munera fert conchas teretesque lapillos.*

Hi teretes lapilli sunt calculi littorales ad instar umbilici, unde & sic appellati. *Veneris umbilicos* quibusdam appellatos notat alicubi Turnebus, sed fallitur. Herba est, quam sic vocavere, quæ Græcis κοτυληδών. Conchas igitur, & umbilicos quum à militibus armatis lectitari juberet Caligula, spolia non ex hominibus, sed ex diis à se capi dictitabat. Quare? *Scilicet quod hujusmodi pisces Græcorum dicto, quis augendi omnia studium est, nympharum lumina accepisset.* Ita Victor. Ubi legendum *cepisset.* Aut ad conchas, aut ad umbilicos hæc referenda, nihil enim aliud in littore oceani collegit Caligula, nullas conchas novi, quas *nympharum lumina*, aut *ocellos* Græci appellarint. Sed quod ait *hujusmodi pisces* de conchis accipiendum potius videtur. Conchæ tamen propriè non sunt pisces, præsertim quæ in littore leguntur. Exuviæ sunt, & superficies animalis, non animal ipsum. Ridiculè itaque pisces pro conchis illis dixisset. Puto scripsisse Victorem: *quod hujusmodi calces.* Antiquarius est in multis auctor ille, & *calces* dixit pro calculis, vel minutis lapillis. Festus: *ex quo genere sunt calces, qui per diminutionem dicuntur calculi.* Ea voce usi Plautus, & Lucillius, aliique. Calces sunt ψῆφοι. Imperitus aliquis *pisces* correxit in illo Victoris loco, quia præcesserat de conchis lectis. Suetonius, qui concharum tantum meminit, spolia illa esse oceani dixisse Caligulam refert. Victor, qui & *umbilicos* addidit, sententiam immutavit. Quod enim hujusmodi calces, sive calculos Græci *Nympharum ocellos*, & lumina etiam vocarunt, finxit dixisse Caligulam, non ex hominibus, sed ex cælestibus spolia cepisse, quod lapillos ex Oceano reportasset, quos *Nympharum oculos* Græci appellarent. Solet ille quædam in historia præter veterum sententiam innovare, præcipue in his dictis, & jocis, ut de *clinopale*, & aliis notavimus. Lapilli igitur iidem, sive calculi, qui umbilici quibusdam dicti sunt, *ocelli*, vel *ocellati*, vel etiam *Nympharum ocelli* ab aliis videntur appellati. Nec in his lapidibus figura multum diversa est oculi, & umbilici. Uterque enim protuberat in rotundo. Varro in Marcipore: *altera exorat patrem libram ocellatorum, altera virum semodium margaritorum.* Ocellati, non ocellata dicendi, & subaudiendum calculi, immo *ocellati* pro ocelli, ut *matulata* pro matula, *Caucatus* pro *Caucus*, & similia sexcenta. Aliqua igitur similitudo inter margaritum, & ocellatum. Nam & margarita piscium ocellis similia esse scribunt veteres. Idem Varro apud Nonium: *Imperito nonnunquam concha videtur margarita, vitrum smaragdus.* Conchas illas intelligit minutas, & rotundas, quæ cum lapillis in littore inveniuntur maris. Hujusmodi conchis, & calculis lusitabant puellæ. Tzetzes:

Λεῖαι λίθοι στιλπνόταται καὶ μελαίναι εἰς ἄκρον,
Ὅμοιαι καλολαίγξιν, αἷς παίζουσιν αἱ κόραι.

Vocabantur *ocellati*, & *umbilici* iidem, quod umbilici figuram præferrent, ac velut oculi pupula lucerent. Sed nec oculi protuberantis in lapillo species ab umbilici forma valde abludit. *Cotyledon* herba est Græcis sic dicta, quod folium habeat concavum instar coxendicis. Nam κοτυληδὼν coxendix. Latini *umbilicum Veneris* vulgo vocaverunt. Putant ideo sic appellatam, quod circumacta in orbem folia concavitatem umbilici molli descensu referat. Falluntur. Umbilicum veteres de figura tantum extuberante, & in rotundo eminente dixere, non de concava, & subsidente. Ut umbilicus clypei, vestis, libri: lapides *umbilici*, qui rotundi sunt. At cotyledonis folium concavum, & instar coxendicis, unde nomen, vel instar cymbali; unde & κυμβάλιον appellatur. Dioscorides: Κοτυληδὼν οἱ δὲ σκυτάλιον, ἄλλοι δὲ κυμβάλιον, φύλλον ἔχει ὥσπερ ὀξύβαφον περιφερὲς, λεληθότως κοῖλον. Nulla hîc in orbem circumacta folia, quæ leni in concavitatem descensu formam humani umbilici describant, sed ipsum folium concavum est acetabuli, vel cymbali specie. Pro σκυτάλιον forte scribendum σκυτάριον, vel σκουτάριον, id est, parvum scutum, cujus formam optime etiam reddit folium cotyledonis. Alias non video, cur nomen σκυτάλιον illi herbæ sit inditum. Quod si eam herbam Latini *umbilicum Veneris* ab eadem forma cognominarunt, certè non hoc de concava parte, sed de convexa accipiendum esse res ipsa docet. Verùm non hanc cotyledona, quæ κυμβάλιον dicitur, Latini *Veneris umbilicum*, aut γῆς ὀμφαλὸν quidam Græci vocasse videntur, sed alteram, quæ sempervivo majori similis est. De eo genere cotyledonis ita scribit Dioscorides: ἔστι καὶ ἕτερον εἶδος κοτυληδόνος, πλατύτερα ἔχον καὶ λιπαρὰ τὰ φύλλα ὡς γλωττάρια πυκνὰ περὶ τῇ ῥίζῃ οἱονεὶ ὀφθαλμὸν ἐν μέσῳ περιγεγραφότα, ὥσπερ τὸ μεῖζον ἀείζωον. Ita legendum. Plinius de eadem: *Est aliud genus ejusdem, sordidis foliis, latioribus, densioribusque circa radicem velut oculum cingentibus, asperrimi gustus, longiore caule, sed pergracili, usus ejus ad eadem quæ iris. Aizoi duo genera.* Hæc non leviter corrupta. Libri habent: *usus ejus ad eadem, quæ jurius.* Scribo, ac distinguo: *usus ad eadem, quæ majoris Aizoi. Duo genera,* majus

majus in fictilibus vasculis seritur. Dioscorides: ποιεῖ δὲ στελεὸν καὶ ἀείζωον. Non solum igitur sedo majori similis hæc cotyledon, sed etiam eadem virtute prædita. Hæc est, quam *umbilicum Veneris* Latini nominaverunt, Græci γῆς ὀμφαλὸν, quod veluti oculum, vel umbilicum densioribus foliis cingeret. Tale est & majus sedum, cujus folia κύκλον ὀφθαλμοειδῆ περιγράφουσιν, ambitu suo effigiem oculi describunt. Unde & ζωόφθαλμον & βούφθαλμον Græci eam vocant, Latini *oculum.* Eadem etiam & στέργηθρον nomen habuit, quod amatoriis conveniat. Huic similis cotyledon altera, & virtute simili donata, idem etiam cognomen nacta est. Nam *stergethron* etiam appellata est, & *umbilicus Veneris* ab oculi, vel umbilici forma, quam foliis densioribus in orbem cingit. Herbarium, quod sub Apuleji nomine vulgatur: *Græcis cotyledon, alii cepos Aphrodites, alii Ges Omphalos, alii Stoechis, alii stergethron, Itali umbiculum Veneris appellant.* Utramque tamen cotyledona confundunt & easdem utrique vires & cognomina tribuunt. Si quis tamen pertendit primæ cotyledoni id potius nominis convenire à similitudine loci, ubi est umbilicus depressioris, credat quod voluerit. Sane umbilicus ipse protuberat, & forma est prominentiore. Ut ut sit, certe umbilici, & oculi extuberantis eadem fermè in calculis figura. Unde *umbilici* dicti sunt, qui & *ocellati,* vel *nympharum ocelli.* Quemadmodum porro calculis oculi nomen dederunt, ita & vicissim oculis calculi. Nam & ψῆφον Græci in oculo appellant pupillam, καὶ τὸ μέλαν. Artemidorus: τόδε ἀμβλυώττειν, ἔνδειαν ἀργυρίου δηλοῖ, ἐπειδὴ καὶ τὰ ὄμματα ψήφους ἔχει.

Nisi quod in medio umbunculo lapidis istius glaucum ut oculi pupula internitet.] Regius optimus codex habet in textu, *umbilico*: ad oram veluti diversa lectione; *umbunculo.* Quomodo & in aliis antiquioribus legitur. Quid esset, diximus superiore exercitatione, partem eam nimirum, quæ in medio orbiculo gemmæ extuberat. Sed heîc Solinus more suo solito fecit, ut à Plinii mente longe absisteret. Zmilanthis lapis non de minimis, nec de pellucidis gemmis, utpote quam Proconnesio marmori similem dicat Plinius. At umbunculi in parvis tantum gemmis eminent. Zmilanthis grandiuscula, quæ cum aream habeat Proconnesio marmori similem, id est, candidam, medio colore glauco est, qui niger est in Proconnesio. Hoc non intellexit Solinus. Nec enim glaucum habet in medio umbunculo ad instar pupillæ oculi internitens, sed tota area, quæ candida est, glauco colore distinguitur, glauca linea, aut vena medium intersecante. Nam zmilanthis lapidis medium colore glauco esse Plinius ait, quod glaucis lineis, aut venis, aut etiam gyris, vel maculis quibuslibet interstinctum est. Ita est & in vestibus. Purpurea tunica, quæ clavis candidis intertexta est, πορφυροῦς χιτὼν, μεσόλευκος dicitur. Et πορφυρέος quidem ab area, vel fundo, ut vocant, qui hujus coloris est: μεσόλευκος vero, quod medium habeat albo intersparsum. E contra λευκὸς χιτὼν μεσοπόρφυρος, cujus area, vel fundus albus est, purpureis notis in medio clavatus. Hieronymus in Esaiam χιτῶνα μεσοπόρφυρον interpretatur *tunicam clavatam purpura.* Lucianus Dialogo Ἀλέξανδρος: μεσόλευκον χιτῶνα πορφυροῦν ἐνδεδυκώς, id est, *tunicam purpuream albo* distinctam. Tales erant tunicæ Regum Persidis. Hesychius: Σάραπις, Περσικὸς χιτὼν, μεσόλευκος, ὡς Κτησίας. Omisit, quod dicendum fuit, πορφυροῦς. Verba Ctesiæ ipsa adducit: καὶ διαρρηξαμένη τὸν σάραπιν καὶ τὰς τρίχας καθειμένη, ἐτίλλετό τε καὶ βοὴν ἐποίει. Pollux: ὁ δὲ σάραπις τὸ φόρημα πορφυροῦν, μεσόλευκος χιτών. Curtius de Darii vestitu: *cultus regis inter omnia luxuria notabatur. Purpureæ tunicæ medium album intextum erat.* Scribe: *purpureæ tunicæ medium albo intextum erat*, hoc est, πορφυροῦς χιτὼν μεσόλευκος ἦν. *Sparsas albo pelles*, apud poëtam legere est. Ut igitur in veste τὸ μεσόλευκον dicitur, quum media ejus area albo colore intexta est, ita quoque in lapidibus, & quibuscunque aliis rebus. Plinius: *Mesoleucos est mediam gemmam candida distinguente linea. Mesomelas, nigra vena quemlibet colorem secante per medium.* Sic zmilanthis lapis, qui medium colorem habet glaucum, μεσόγλαυκος est, glauca vena candidum ipsum secante per medium. At Proconnesium marmor μεσόμελαν, quod nigras venas intercurrentes habeat.

A Nullum certe instar pupillæ oculi in zmilanthide lapide, nec hoc dicere voluit. Nam aliter loquutus esset. Ut in gemma, quæ Beli oculus dicebatur, colorem albicantem nigram pupillam cingere dixit. Et de alia gemma, quæ λυκόφθαλμος ab oculi lupini similitudine vocabatur: *Lycophthalmos quatuor est colorum, ex rutilo sanguinea: in medio nigrum candido cingitur, ut luporum oculi, illis per omnia similis.* Sic & lapis ægophthalmos, in quo glaucum cingitur albicante colore, ut in caprarum oculis. At quod zmilanthida lapidem medio colore glauco esse dixit Plinius, non inde sequitur glaucum illud pupillæ oculi instar B habere, ut inepte sibi commentus est Solinus. Præterea quod in oculo glaucum est, *pupilla* propriè non dicitur, sed iris, quæ nigram pupillam cingit, quæ & variorum est colorum. Græci κόρην oculi vocant, quidquid albo cingitur, sed Latini *pupillam*, quasi parvam κόρην, id punctum, quo tuemur, quod in medio est nigerrimi coloris, & imagines reddit. Ad hæc umbunculi locum tantum habent in gemmis extuberantibus, qui nulli sunt in æqualibus, aut planis. Plinius vero zmilanthidi nullos umbunculos tribuit, sed simpliciter Proconnesio marmori eam adsimilat, excepto quod medio colore glauco sit, qui in Proconnesio C marmore niger est. Atqui niger color in illo marmore non oculorum specie intercurrit, sed per venas sparsus est, nunc rectas, nunc obliquas, & contortas. Umbilici, vel umbunculi extuberantium gemmarum tantum proprii. Plinius de figuris gemmarum heîc obiter emendandus ex capite XII. *Cavæ, aut extuberantes viliores videntur æqualibus. Figura oblonga maximè probatur. Deinde, quæ vocatur lenticula, postea cycloides, & rotunda*: angulosis minima gratia. Male excuditur *clypeidos.* Pejus est, quod corrigunt, *clypeoïdes*, voce ex Græco & Latino composita, quod absonum est. D Notat Turnebus in libris, quos vidit, fuisse *clyteïdos.* Ipse emendat *epipedos.* Sed ἐπίπεδοι sunt æquales, & planæ, de quibus jam dixit. Hæ opponuntur extuberantibus, & umbones habentibus. Verum est, quod reposui, *cycloides*, κυκλοειδής, & rotunda.

Sagda à Chaldæis ad nos usque fluit.] Sic reposuimus ex libris. Vulgo erat: *ad nos usque profluit.* Nomen hujus gemmæ cum unguento commune, quod *Sagda* dicebatur, vel *Psagda.* Nam utrumque nomen idem. Athenæus modo ψάγδαν vocat, modo σάγδαν. Si diversa putavit, erravit. In eadem pagina ψάγδαν & σάγδαν retulit, quod unum est, ut ψίττακος & σίττακος. He- E sychius: ψάγδας, ψαγδῆς, μύρον ποιόν. Idem alibi: Σάγδας, εἶδος μύρου, ἢ ψάγδας. Forte & lapis à colore hujusmodi unguenti, quod erat viride, sic appellatus. Ὁ σάγδας, hæc sagda, gemma. Sic *myrrhites*, qui myrrhæ colorem habet. Sic *libanochrus* quæ thuris. Et lapis *stactachates*, qui stactæ. *Aromatites*, myrrhæ coloris, & odoris. Mirum porro, cum omnia, quæ de gemmis hic habet Solinus, habeat è Plinio, multa tamen de sagda memorare, de quibus ne γοῦ quidem apud Plinium. Quod ipsa capessendam sese dat, aliter non esse reperiundam: quod ingenita spiritus efficacia supermeantes naves è profundo pe- F tit: quod ita carinis adcorporatur, ut nisi abrasa parte ligni ægrè avellatur: quod denique apud Chaldæos habeatur in loco principe. Pro his omnibus Plinius, unde alia sumpsit, hæc tantum habet: *Sagdam Chaldæi adhærescentem navibus inveniunt, prasini coloris.* Reliqua illa miranda, quæ de sagda narrat Solinus, unde putamus hausisse? ex ingenio confinxit, ut alias solet, hac præcipua ratione, ut auctorem dissimularet, furtumque cælaret. Nec enim hæc omissurus fuit Plinius, si apud auctores reperisset, qui de gemmis scripserunt.

Namque ingenita spiritus efficacia] In altera editione G fuit: *namque animata spiritu quodam supermeantes naves è profundo petit.*

Carinis tenaciter adcorporatur] Προσφύεται: Sic *incorporari* Plinio συμφύεσθαι. *Adpectorare* nostro supra προστηθίζειν: ut *expectorare*, ἐκστηθίζειν, ἀποστηθίζειν.

Myrrhites Parthis familiaris est] Quis illi dixit myrrhiten Parthis familiarem esse? Nec enim Plinius hoc dicit, à quo ad verbum hæc mutuatur paucis mutatis.

Ut haberet heîc locum inter gemmas, quibus nitet Euphrates, vel quæ Euphratem bibunt gentes, finxit eam Parthis esse familiarem. Plinii verba: *Myrrhites myrrhæ colorem habet, faciemque minimæ gemmæ, unguenti odorem, attrita etiam nardi.* Quæ non satis sana præstem. Libri habent, *facie minima gemma.* Totum cum locum sic constituerim: *Myrrhites myrrhæ colorem habet, facie minima gemma: odorem attrita, etiam nardi.* Quod confirmat hoc loco Solinus. *Myrrhiten*, inquit, *si visu æstimes, myrrhæ color, est nec habet, quo afficiat adspectum: si penitus explores, & attritu incites ad calorem, spirat nardi suavitatem.* Illud *unguenti* additum ex marginali glossa. Isidorus: *Myrrhitis dicta est, quod in eo myrrhæ color est, compressus autem usque ad calorem, nardi spirat suavitatem. Aromatites reperitur in Arabia.* Ita legendum. Brevius, & concinnius esset, ac fortasse etiam verius in Plinio legere: *Myrrhites myrrhæ colorem habet, odorem attrita etiam nardi.* Nec aliter legit Solinus. Reliqua additamenta, & inquinamenta glossaria sunt. Ceterum fallitur Plinius, qui *myrrhiten* sic dictum asserit, quod myrrhæ colore sit. Μύῤῥα pro myrrha Græcum non est, sed Aeolicum, unde Latinum dicitur. Græci dicunt σμύρναν. Quare σμυρνίτης hic lapis Græcè dicendus esset, non μυῤῥίτης. Sed μυρίτης huic lapidi nomen ab unguento. Quod μυῤῥίτης malè scribebant, ut χάῤῥος pro χάρος. Infra *pyrrhites* pro *pyrites.* Nec enim à colore fulvo dictus ille lapis, sed ab igne, quod digitos adurat, si arctius prematur. Sic Πυῤῥήνην, & Πυῤῥηναῖον ὄρος Dionysius, qui aliis Πυρήνη, & Πυρηναῖον. Sic Ἀῤῥαβες & Ἀῤῥαβία eidem. Ita in multis aliis ῥῶ geminant librarii Græci, ubi simplex debet esse. Sic μυῤῥὶς herbæ genus ita appellatæ διὰ τὸ μυρίζον τῆς ὀδμῆς, quam radice præfert. Μυρὶς igitur scribi debuit, non μυῤῥὶς, quæ tamen cum duplici ῥῶ scribitur. Dioscorides: Μυῤῥὶς, οἱ δὲ μύῤῥαν καλοῦσι. A myrrhæ odore qui sic vocatam putant viri doctissimi profecto errant, nec enim Græcum est μύῤῥα, sed σμύρνα. Illud Latinum & Aeolicum. Nec sane ab odore myrrhæ dictam Græci auctores ulli asserunt. Dioscorides: ῥίζαν δὲ ἔχει ὑπομήκη, ἁπαλὴν, περιφερῆ, εὐώδη. Quod odoratam habeat radicem καὶ μυρίζουσαν μυρὶς dicta est, pro quo obtinuit, ut vitiose scriberetur μυῤῥίς. Plinius eam describit lib. XXIV. cap. XVI. *Myrrhis, quam alii myrizan, alii myrrham vocant, simillima est cicutæ, caule, foliisque & flore, cibo non insuavis.* In indice scribitur: *de myride, sive myra, sive myriza.* De odore radicis, & figura nihil ibi Plinius, quum tamen habeat è Dioscoride. Ut illa καθαίρει δὲ ἔμμηνα καὶ τὰ λοχεῖα. Ita scriptum in veteri codice. Plinius vertit: *Ciet menstrua & partus.* Τὰ λοχεῖα nimirum accipit, quasi scripsisset τὰς λοχείας. Nam λοχεῖαι sunt partus, αἱ γεννήσεις. At τὰ λοχεῖα sunt secundæ. *Myriza*, vel myrrhiza Græcum non est, sed *myrizon*, τὸ μυρίζον βοτάνιον. Plinius, ut cum herba genere conveniret, *myrizam* dixit, cum *myrizusam* debuisset, τὴν μυρίζουσαν. Alibi cum geranio eam confundit, ac de ea sic scribit lib. XXVI. cap. XI. *Geranion aliqui myrrhin, aut myrtida appellant, similis est cicutæ minutioribus foliis, & caule breviori, rotunda, saporis, & odoris jucundi.* In indice est: *Geranion, sive myris, sive myrtis.* Legendum putarim: *sive myris, sive myrris.* Μυρὶς ἢ μυῤῥίς. Et loco superiore: *Geranion aliqui myrin, aut myrrida appellant.* Ceterum confundit geranion cum myrrhide. In ea describenda ex Dioscoride nihil de odore addiderat, quem geranio dat, quum Dioscorides è contra myrrhidis odoratam radicem esse prodiderit, nihil de odore geranii scripserit, de quo hæc ejus verba sunt: γεράνιον τὸ μὲν φύλλον ἔχει ὅμοιον ἀνεμώνῃ, ἐσχισμένον μακρότερον, ῥίζαν δὲ στρογγύλην, γλυκεῖαν ἐσθιομένην. Ita liber optimus, non ὑποστρόγγυλον. Addit Plinius de geranio: *nostri sic eum tradunt.* Atqui ea traditio myrrhidis est, non geranii Græcorum. Subjicit deinde, quomodo Græci eam tradant, quæ descriptio est alterius geranii Dioscoridis. Quod alterum geranium μυῤῥίδα appellari memorat, & *cicutariam* Romanis, auctor ille, qui ex recentioribus Græcis Dioscoridem auctuario synonymorum ampliavit. Sic has herbas miscuit Plinius. Videndum porro, ut hoc obiter addam, an geranion Theophrasti idem sit cum Dioscoridis geranio. Theophrastus tuber quibusdam vocari geranion apud Athenæum tradit. Τὸ ὕδνον, ὃ καλοῦσί τινες γεράνιον. Alibi tamen distinguit τὸ ὕδνον à geranio eodem Athenæo referente: Θεόφραστος ἐν φυτικοῖς, λειόφλοια καθάπερ ὕδνον, μύκης, γεράνιον. Quibus locis *ceraunion* male legendum contendit Dalecampius. Falsum tamen inter λειόφλοια tuber esse, & falsus est Athenæus in citandis Theophrasti verbis, aut ejus abbreviator, aut vel certe corrigendum est, ἄφυλλα καθάπερ ὕδνον, μύκης, πέζις, γεράνιον. Et rectè observat vir eruditissimus reponendam esse hanc vocem Theophrasto lib. I. cap. IX. Ubi hodie legitur: πλὴν εἰ ὅλως ἔνια μὴ ἔχει, καθάπερ ὕδνον, μύκης, πύξος, κεράνιον. Recte inquam legendum vicit, μύκης, πέζις, γεράνιον. Nihil verius. Nos eam Plinio restituimus, & locum ejus insignem simul supplebimus, & emendabimus auctoritate Apuleji nostri. Lib. XIX. cap. 11 de tuberibus tractans, ita sequens caput auspicatur: *Simile est & quod in Cyrenaica provincia vocant misy præcipuum suavitate odoris, ac sapore, sed carnosius. Et quod in Thracia ceraunium. De tuberibus hæc traduntur peculiariter.* Libri veteres Pliniani, qui hodie extant manu exarati, omnes sic legunt, nisi quod *cerananio* habent pro *geranion*, quæ est vera lectio. In indice, qui librum primum facit, illius loci titulus ita concipitur in libris scriptis: *Misuiton, ceranion de tuberibus.* Ubi *ceranion* pro *geranion.* At pro *misuiton* rescribendum, *misu, iton, geranion.* De his tribus igitur tradebat eo capite Plinius. Hodie nulla ibi est mentio vocis *iton.* Male etiam Turnebus, qui adnotat quod Plinius ceraunion in Thracia dicit vocari, *iston* appellari Athenæo. Sic enim ille de misy Cyrenaïco: δοκεῖ δὲ ἡδὺ σφόδρα τοῦτο εἶναι, καὶ τὴν ὀσμὴν ἔχειν κρεώδη, καὶ τὸ ἐν Θράκῃ γινόμενον ἶτον. Sed Plinii vulgares, & veteres codices eum fefellerunt, qui omnes hac parte manci sunt. Apulejus in libro de salutaribus herbarum remediis, quem totum ex Plinio compilavit, veram & integram Plinianam lectionem nobis conservavit: Sic enim scribit: *Simile est, quod in Cyrenaica provincia vocant misy, præcipuum suavitate odoris, ac saporis, & quod in Thracia iton, & quod in Græcia geranion.* Nec dubium, quin ita Plinius scripserit, quod verba indicis satis testantur, *misu, iton, geranion.* Similitudo dictionum *Threcia* & *Græcia* fecit, ut alterum omiserint librarii. Nam in antiquissimo libro Thuanæo scriptum est, *& quod in Threcia ceranio.* Veteres enim *Threx* & *Threciam* dicebant. Legendum autem igitur & in verbis Theophrasti, quæ apud Athenæum citantur, καὶ τὸ ἐν Θράκῃ γενόμενον ἶτον, ex Plinio. Et notandum de misy, quod ait idem Theophrastus, habere ὀσμὴν κρεώδη, id ita expressisse Plinium, quasi misy carnosius tuberibus fuerit, præcipuum tamen odoris, ac saporis suavitate. Putarim tamen scripsisse Plinium juxta Græcorum mentem: *præcipuum suavitate odoris, ac saporis, sed carnosi.* Διαφέρον ἡδύτητι τῆς ὀδμῆς καὶ τῆς γεύσεως κρεώδους. Ceterum ab illo *ito* Threcico diversum est Ægyptium *oetum.* Theophrastus, qui de utroque tradidit, manifesto distinxit. De ito: καὶ ὃ ἐν Θράκῃ δὲ γενόμενον ἶτον. Ita enim veteres Athenæi codices & Pliniani. At de Ægyptiaco *oeto*; quod & *vitum* dicebatur, lib. I. cap. II, sic scribit: ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ἐν Αἰγύπτῳ καλούμενον οἶτον, τὰ μὲν γὰρ φύλλα μὴ μεγάλα, καὶ ὁ βλαστὸς αὐτοῦ βραχύς. Ita legendus ille locus. Malè οἴγγον scribitur, & φύλλα μεγάλα. Plinius *oetum* appellat lib. XXI. cap. XV de Ægyptiacis herbis: *mandunt & oetum, cui pauca folia, minimaque, verum radix magna.* Hesychius: Οὐϊτὸν, τὸ ὑπὸ ἐνίων οἰτόν. Ita scribendum. Nec enim bene corrigunt ex Theophrasti vulgatis codicibus Hesychii lectionem. Οὐϊγὸν pro οἶτον perperam scriptum apud Theophrastum. Nam γ & τ passim confundunt antiqui librarii Græci, ut ἰσγέον apud Hesychium pro ἰστέον. Et plerumque in antiquis codicibus Græcis, ubi duo ττ junguntur, postremum ut γ formatur, ut λύτγος pro λύττος. Quod verum esse sciunt qui eos versant. Geranion Theophrasto tuberis genus. Καὶ τὸ ὕδνον ὃ καλοῦσι γεράνιον, καὶ εἴ τι ἄλλο ὑπόγειον. Ita citat Athenæus. Apud Theophrastum hodie legitur: καὶ τὸ ὕδνον ὃ δὲ καλοῦσι τινὲς ἄρχιον, καὶ τὸ οἴγγον, καὶ εἴ τι ἄλλο ὑπόγειον ἐστὶν, ὧν οὐδὲν ἐστὶ ῥίζα. Non dubium est quin legi debeat apud Theophrastum, καὶ τὸ ὕδνον δὲ ὃ καλοῦσι τινὲς γεράνιον. Non dicit tuber vocari geranium, sed genus quoddam tuberis.

ris. Nam alio loco idem ὕδνον, & γεράνιον separavit. Plinius tuberi simile esse scribit, quod in Græcia vocant *geranion*, in Thracia *iton*. Non igitur geranion idem prorsus quod ὕδνον, vel tuber. Sed γεράνιον inter tubera reposuisse videntur quidam, jam vero & ὕδνον vocasse, quia radicem rotundam haberet ut tuber, atque etiam esu suavem. Dioscorides de geranio: ῥίζαν δ' ἔχει στρογγύλην, γλυκεῖαν ἐσθιομένην. Rotundam intellige ut pomum, vel tuber. Sic minutæ nuces στρογγύλαι, mespila στρογγύλα, quæ hanc habent figuram. At myrrhidis herbæ radix, quæ etiam editur, non στρογγύλη, sed περιφερής, id est, rotunda. Et Plinius male geranion illud cum myrrhide eamdem facit. Dioscorides de myrrhide: ῥίζαν δ' ἔχει ὑπομήκη περιφερῆ, hoc est, oblongam & teretem. Aliud teres, aliud rotundum: περιφερὲς, & στρογγύλον. Dioscorides tamen etiam περιφερῆ pro rotundo posuit, cum dixit ὕδνον esse ῥίζαν περιφερῆ. Hesychius: περιφερὲς, στρογγύλον. Tuber non dicitur nisi de rotundo, & globoso. Radices oblongæ, ac teretes non habent tuberis formam. Notum est, quid propriè Latini vocent *tubera*, & *tubercula*, tumores nimirum, vel abscessus, qui è corpore in rotundum erumpunt. Græci φύματα, φλυκταίνας, ἀποστήματα, τύλους, id quod Latini *tuber* appellant. Hinc illum terræ fœtum, non *tubera* simpliciter, sed *tubera terræ* nuncupant, quasi γῆς ἀποστήματα. Glossæ: *tubera terræ*, ὕδνα. In lemmate distichi Martialis *tubera terræ* præferunt libri. Juvenalis:

---- qui radere tubera terræ
Noverit.

Dioscorides dicit, tuber radicem esse rotundam, quo nomine reprehenditur à docto viro. *Quis enim*, inquit, *dubitat tubera esse plane ἄρριζα?* Dubitat Theophrastus, nec enim decidit ἄρριζα esse. Easdem radicis differentias in herbis intervenire dicit, ut in arboribus. Πλὴν εἰ ὅλως ἔνια μὴ ἔχει, καθάπερ ὕδνον, μύκης, πέζις, γεράνιον. *Nisi si forte quædam herbarum radice carere dicendum sit, ut tuber, fungus, pezis, geranium.* Male vertit vir ille magnus: *quædam omnino radices non habent.* Hic non est Theophrasti sensus. Enumeratis differentiis radicum, quæ in arboribus sunt, easdem etiam in herbis reperiri tradit, nisi si forte τῶν ποῶδων nonnulla in totum carere radice pronuntiandum sit. Tunc hac differentia censeantur herbarum radices, quæ non inveniunda sit in arborum radicibus. Nulla quippe est arborum generis planta, quæ radicem non habeat. At capite sequenti, ubi hæc subtilius disputat, tuberis, & geranii, & hujusmodi ὑπογείων radicem nihil ominus esse asserit. Ῥίζα δ' οὐδὲν ἧττον ἐστὶν, ἀλλὰ διαφορὰ ὅλης αὐτῆ τῶν ῥιζῶν. Ὥστε τὴν μὲν πνὰ τοσαύτην εἶναι, τὴν τοιαύτην. Hinc Dioscorides ὕδνον radicem esse dicit περιφερῆ. Quinimmo nihil nisi radix est. Atque ita legendum in Theophrasto, καὶ εἴ τι ἄλλο τῶν ὑπογείων, ὃ οὐδὲν ἐστὶν ἢ ῥίζα. *Et si quid aliud sub terra nascentium, quod nihil nisi radix est.* Perperam editur: ᾧ οὐδὲν ἐστὶν ῥίζα. Vertunt: *quorum nullum forma constat radicis.* Atqui σῖτον inter ea numerat, cui tamen capite sequenti μακρὰν ῥίζαν tribuit. Et fortasse heîc præstat legere, καὶ τὸ ἶτον καὶ εἴ τι ἄλλο ὑπόγειόν ἐστι. Ut de ito Thracico intelligat, cujus alibi meminerat. At σῖτον Ægyptium, cujus capite sequenti mentio est, inter ea ποώδη recenset, quæ crassas, & magnas habent, καὶ πλείους ἢ τὰ φύλλα. At geranion tuberis genus, & rotundam similiter habet radicem. Forte & mysi Cyrenaïcum, & iton Thracicum, quæ tuberibus similia esse dicit Plinius ex Theophrasto. Melius etiam, si quid judico, legeretur in verbis Theophrasti, καὶ τὸ ὕδνον δ' ἢ ὃ καλοῦσί τινες γεράνιον. Et apud Athenæum: τὸ ὕδνον, ἢ ὃ καλοῦσί τινες γεράνιον. Ex duobus porro Dioscoridis geraniis, quod prius est cum rotunda, & dulci, edulique radice, videtur esse Theophrasti γεράνιον, quod ὑπογείων, & ἐγγειοτόκων generi cum tuberibus adscribit. At nihil habet commune, vel promiscuum cum herba myrrhide. Alterum geranion Dioscoridis toto genere diversum à priore, ut multæ herbæ apud Græcos reperiuntur cognomines, quæ congeneres non sunt. Hoc posterius geranion Græci recentiores μυρρίδα etiam appellatum scribunt, & Latinè *cicutariam*, quia talis est myrrhis herba. Eam Plinius myrrhæ odorem ha-

A bere alibi scripsit, quod sola nominum vicinitate provocatus dixit. Nam myrrha Græcum non est. At *smyrnion* Græci vocant aliam herbam, cujus radix odorem resipit τῆς σμύρνης, hoc est, myrrhæ. Plinius: *Smyrneum radice myrrham resipit.* Hoc de semine ejus etiam traditum, δριμὺ ὡς σμύρνη. At μύρρα, vel μυρρὶς herba. Μύρρα & μυρρὶς διὰ τὴν μυράζουσαν ὀσμὴν dicta est. Similiter & *myrrhites* lapis, ὁ μυρρίτης, quod myrrhæ quidem colorem haberet, odorem autem nardi. Hæc duo μύρρα sunt, quæ lapidi nomen dederunt. Præterea μύρον absolutè, & κατ' ἐξοχὴν de myrrha etiam B dixerunt, quia per se unguentum faceret, idque longe pretiosissimum. Hesychius: ἰσοστάσιον μύρον, στακτή. Hinc & μύρραν Æoles vocarunt, quæ ceteris Græcis σμύρνα, quia μύρρον geminata litera canina dicebant, quod Græci μύρον. Eam literam multum amarunt Æoles. Quod igitur compluria unguenta non sine myrrha fierent, & ipsa per se pretiosum esset unguentum, proprerea μύρραν Æoles vocarunt, quæ ceteris Græcis σμύρνα. Athenæus: Μύρρα γὰρ ἡ σμύρνα παρ' Αἰολεῦσι, ἐπειδὴ τὰ πολλὰ τῶν μύρων διὰ σμύρνης ἐσκευάζετο, καὶ ἥγε στακτὴ καλουμένη διὰ μόνης ταύτης. Locum illum non intellexit interpres, & male reddidit. Μύρρα dicitur C apud Lycophronem Cinyræ filia. Quam alii Græci Σμύρναν. Romani *Myrrham*. Aromatites lapis inter gemmas ab eodem Plinio recensetur, quem sic dictum censet ab odore, & colore myrrhæ. Ergo τὸ ἄρωμα absolutè myrrha, ut μύρον. *Aromatites*, inquit, *& ipsa in Arabia traditur gigni, sed & in Ægypto circa Pyras, ubique lapidosa, myrrhæ coloris, & odoris, ob hoc reginis frequentata.* Sed ubi illæ *Pyræ* sunt in Ægypto? Vetus liber scribit: *circa Phinas.* Scribo ego: *circa Philas.* Philæ in Ægypto celeberrimæ. Melius etiam legatur ibidem, *aromatitis & ipsa.* Ἡ ἀρωματῖτις. Et subintelligitur gemma. At lapis est *aromatites*, ὁ ἀρω-D ματίτης, qui myrrhæ colore est, quum ita vocetur. Quidni & μυρρίτης, qui eumdem colorem præfert, & præterea nardi suavitatem? Sic aromatites vinum, quod myrrha condiebatur. Plinius lib. XIV. cap. XIII. *Lautissima apud priscos vina erant myrrhæ odore condita, ut apparet in Plauti fabula, quæ Persa inscribitur, quamquam in ea & calamum addi jubet. Ideo quidam aromatite delectatos maximè credunt.* Ita scripsisse Plinium ipsemet clamat in paulo post sequentibus capite XVI his verbis: *Aromatiten quoque invenio factitatum tantum non unguentorum compositione, primò ex myrrha, ut diximus, mox & nardo Celtica, calamo, aspalatho, offis in* E *mustum, aut dulce vinum dejectis.* Locum hunc intelligit, ubi aromatite delectatos veteres juxta quorumdam sententiam tradit. Aromatiten autem è myrrha primo factitatum, non alio argumento colligit, quam quod murrhinæ crebra mentio apud antiquos comicos, quam murrhinam vinum esse odore murrhæ conditam interpretatur. *Laudatissima*, inquit, *vina apud priscos murrhæ odore condita, ut apparet in Plauti fabula, quæ Persa inscribitur.* Hodie extat ea fabula, & locus, quem Plinius designat, habetur Act. I. Scen. III.

Commisce mulsum, struthea colutheaque appara,
Bene ut in scutris concaleat, & calamum injice.

F Nulla in his versibus murrhæ mentio, sed nec in verbis Plinianis, si libros veteres audiamus, qui legunt: *vina erant miro odore condita.* Sed & mulsum ibi, non vinum describitur. Atqui Plinius ex eo loco Plauti probare satagebat laudatissima apud priscos fuisse vina odore condita. Mulsum per se bibebatur absque aliorum odorum conditura. Vinum siquidem erat & ipsum melle conditum. Videndum an apud Plautum legerit Plinius: *commisce mustum.* In musto decoquebantur cotonea mala, & alii etiam odores eo adjiciebantur. De qua musti conditura certum est heîc Plau-G tum intelligere. Vide Columellam lib. XII. cap. XIX. & cap. XLI. Οἶνον κυδωνίτην Græci vocant, qui ex musto, & cydoniis malis componebatur. Γλυκὺς in ea conditura Græci nominant. Male itaque legebat Lambinus in illis versibus Plautinis.

Commisce mulsum, struthea colutheа: aquam appara,
Bene ut in scutris concaleat, & calamum injice.

De eadem conditura loquitur totis his duobus versibus. Et mustum in scutris concalere, ac fervere vult cum

A strutheis malis. Recte idem reposuit, *ut in scutris concaleat*, pro eo, quod erat in vulgatis, *Bene ut in strutheis concaleat*. Struthea de genere sunt cydoniorum malorum: Plinius. *minora ex eodem genere struthia odoratius vibrant.* Alii contra majora cotonea ϛρέθεια volunt appellari. In his Dioscorides, qui ἀληθινὰ vocat minora cydonia, & distinguit à majoribus, quæ *struthea* vocantur: ἐκλέγεσθαι δεῖ τὰ ἀληθινά, μικρὰ δὲ ἐςί, καὶ περιφερῆ, καὶ εὐώδη πάνυ. Τὰ δὲ λεγόμενα ϛρέθεια, καὶ μεγάλα ἧττόν ἐςιν εὔχυμα. *Cotonacea* hæc vulgo vocamus. Alii cydonia mala cum strutheis eadem fecerunt, ut Nicander, & Philemon, quem notat Athenæus τὰ κυδώνια μῆλα ϛρέθεια καλεῖν.
B Videtur & Plautus struthea pro cydoniis malis dixisse. Sed quæ sunt apud eum *coluthea*? Quærant quibus otium est. *Tragemata* vulgo exponunt. Legendum ego putarem, *strutheaque lutea appara*. Pro quo scriptum antiquitus, *struthea celutea*. Inde factum *colutea*. Lutea struthea sunt lutei coloris, & aurei. In genere cotoneorum fuere & *chrysomela*. Plinius: *plura eorum genera. Chrysomela incisuris distincta, colore ad aurum inclinato: quæ candidiora, nostratia cognominata.* Vocat igitur *struthea lutea* τὰ χρυσόμηλα κυδώνια ad distinctionem candidiorum. Nam *struthea*, ut dixi, pro cydoniis in genere usurpavit, ut Philemon Comicus, & alii Græci. Addi jubet & calamum
C Plautus in id mustum cum strutheis. Columella: *nec absistat id facere donec videbitur eliquatum omni fæce mustum carere. Tum, sive mala cydonia, quæ percocta sublaturus sit, seu quoscunque voluerit convenientes odores adjiciat.* Mirum porro est, unde Plinius ex supra citatis Plauti versibus collegerit, myrrhæ odore condita vina placuisse priscis, cum nullam omnino myrrhæ mentionem contineant. Sed nec eum myrrhæ odorem agnoscunt veteres libri Pliniani, ut ante notavimus, quorum alii habent *miro*, alii *muro*, alii *murino*. Patet corruptum fuisse locum ab imperitis correctoribus, propterea quod de murrhina, & aromatite habetur in sequentibus, ideo
D & *myrino*, & *murrhæ* heic reposuere. Atqui certum est scripsisse Plinium: *Lautissima apud priscos erant vina, pomorum odore condita, ut apparet in Plauti fabula, quæ Persa inscribitur, quamquam in ea & calamum addi jubet.* Hæc indubitatissima emendatio est. Struthea, & lutea genera sunt pomorum, quæ in mustum adduntur, vel mulsum in illo versu Plautino, ut simul in scutris decoquerentur. Hinc colligit Plautus laudatissima veteribus fuisse vina pomorum odore condita. Κυδωνίτην οἶνον Græci, & μηλίτην vocarunt à pomis, vel malis. Dioscorides: ὁ μὲν οὖν κυδωνίτης, ὃν ἔνιοι μηλίτην καλοῦσι. Non solo pomorum odore conditum illud vinum Plautinum, sed etiam
E calamo. *Quamquam in ea, inquit, & calamum addi jubet. Ideo quidam aromatite delectatos maxime credunt.* Quod in ea vina, quæ cydoniorum odore condiri vult, calamum etiam addi jubet Plautinus servus, ideo quosdam ait credere Plinius aromatite delectatos priscos illos, qui vina laudabant odore pomorum condita. Postquam dixit id creditum quibusdam, subjicit statim: *Sed Fabius Dorsenus his versibus decernit.*

Mittebam pulcrum vinum, murrhinam.

Et in Acharistione:

Panem, & polentam, vinum, murrhinam.

F Quod quidam crediderunt priscos maxime delectatos fuisse aromatite ex eo, quod Plautus in vinum cydoniten, & meliten, etiam calamum ἀρωματικὸν jubet addi, id verò decernere dicit, & extra dubitationem ponere Fabium Dorsenum, qui *murrhinam* inter vina nominat, quibus usi sunt prisci. Non *Dorsenum*, sed *Dossenum*, vel *Dossenium* hunc poëtam vocant libri. Et rectum est *Dossennus*. Is est, de quo Horatius:

Aut quantus Dossennus edacibus in parasitis.

Mentio & in illis:

---- *titulum Dosseni lege.*

G Acharistionem ejus fabulam fuisse vult Plinius, quam Nonius Plauto tribuit. Sed de eo alibi. Murrhinam igitur Plinius pro aromatite accepit, quod murrha conditum esset hoc genus vini. Inde & aromatiten ex myrrha primo factitatum fuisse asserit, & postea, *ex nardo Celtico, calamo, aspalatho, offis in mustum, aut dulce vinum dejectis.* Sed mirifice nugatur Plinius, qui murrhinam veterum putat à murrha dictam, aut ullum vinum myrrha conditum in usu communi, ac deliciis apud priscos fuisse. Nunc illa ejus verba expendamus, & errores ventilemus. Σκευασίαν illam aromatitis habet è Dioscoride. Pro *aspalatho* libri omnes habent *bitumine*. Ita Thuanæus, & Rigaltianus optimi codices. Quod mutare correctores non debuerunt. Invitum qui servat. Hallucinatio est Plinii, qui ἄσφαλτον pro ἀσπάλαθον legit, aut certè ita audivit, quum anagnoste contra legente locum hunc in adversaria referret. Κῦφι suffimentum erat Ægyptiacum, ᾧ Αἰγύπτιοι ἐχρῶντο ἐν πόματι καὶ χρίσματι. Sic legendum, non κρέμασι. Inter species aromaticas plures, quibus condiebatur, locum etiam habebat ἄσφαλτος, id est, bitumen. Plutarchus in libro de Iside & Osiride, in enumeratione eorum generum, quibus cyphi conficiebatur: κυπέρου, ῥητίνης τε, καὶ σμύρνης, καὶ ἀσπαλάθου, καὶ σεσέλεως, ἔτι δὲ σχοίνου τε, καὶ ἀσφάλτου, καὶ λαπάθου, &c. Fuit, cum legendum eo loco censerem: σχοίνου τε, καὶ νασκάφθου, καὶ λαπάθου. Certè νάσκαφθον genus odoramenti Indici, quod suffimentis, hoc est, θυμιάμασι, quale fuit cyphi, admiscebatur. Alii hæc viderint. Illud certum est in unguentorum compositione, præcipuè in corum vinorum, quæ condiebantur, aromaticis speciebus bitumen nunquam fuisse additum. Hallucinatus est itaque Plinius. An quia pice, & resina etiam condiebantur musta, ideo etiam putavit & bitumen in his condiendis locum olim habuisse? Sed omnino ἄσφαλτον legit, vel audivit pro ἀσπάλαθον, vel ἀσπαλάθῳ. Nam & ἀσφάλαθον quidam scripsere. Major ἀβλεψία ejus notanda, quum præter aromatica, quibus fiebat aromatites, etiam *offas* enumerat; *nardo Celtico, calamo, bitumine, offis in mustum, aut dulce vinum desectis.* Ubi Thuanæus, & alii legunt *defectis*. Sed verum est, *dejectis*, ut jam alii viderunt. Manifesto heic Plinius præter nardum, calamum, & bitumen, etiam offas in mustum vult dejici ad aromatiten conficiendum. Hanc ejus esse sententiam vel sequentia indicant: *aliud è calamo, junco, costo, nardo Syriaco, amomo, casia, cinnamomo, croco, palma, asaro, similiter & offa.* Ubi & offam præter species aromaticas numerat, quæ conficiendo aromatiti admisceri debeat. At Dioscoridis, & Græcorum sensus fuit, ex illis omnibus speciebus probe tritis ac contusis, passoque maceratis offas fieri, ac conformari debere, quæ in vasa musti dejiciendæ sint. Dioscorides: ὁ δὲ ἀρωματίτης οὕτω κατασκευάζεται· φοίνικος, ἀσπαλάθου, καλάμου, νάρδου Κελτικῆς, ἑκάστου χοίνικα λειώσας φύρασον γλυκεῖ, καὶ ποιήσας εὐμεγέθεις μάζας βάλε εἰς γλεύκους αὐστηροῦ ξέστας εἴκοσι. Quid clarius his Dioscoridis? quid apertius, quam ea non recte cepisse Plinium? Is verba illa, & ποιήσας εὐμεγέθεις μάζας seorsim accepit, & de offis ex farina facienda interpretatus est. *Offa* Latinis absolutè τὸ φύραμα, vel μάζα. Glossæ: *offa*, μάζα. Propriè Græcis μάζα, ἄλφιτα πεφυραμένα ὕδατι, καὶ ἐλαίῳ. De *offa* diximus supra. Idem & *massa*. Glossæ: *massa*, μάζα, φύραμα. Massas igitur ex illis speciebus tritis, & passo maceratis fieri jubet Dioscorides, quæ dejiciantur in vasa musti. Plinius præter illas species offam etiam adjici vult, hoc est, farinam conspersam, & in offam conglobatam. Quæ jocularis est inscitia. Nec aliter licet mentem ejus exponere. De murrhina veterum æquè magna ejus à veritate aberratio est, quum eam à murrha dictam, deductámque censet. Saltem heic tamen haud sine auctore peccat. Hæc enim quorumdam Grammaticorum olim fuit sententia. Festus: *murrina, genus potionis, quæ Græcè dicitur nectar. Hanc mulieres vocabant murriolam, quidam murratum vinum.* Sed hariolantur. Tam falsum est *murrhinam* à murrha venire, quam aut *myrrhida* herbam, aut *myrrhiten* lapidem. Græcum est, ὁ μυῤῥίνης, inde Latinum hæc *murrhina*, ut ὁ χάρτης, hæc *charta*: ὁ γαυσάπης, hæc *gausapa*. Μυῤῥίνην οἶνον dicebant Græci temperatum unguento, vel, cui superfundebatur unguentum, τὸν μύρῳ κεκερασμένον. Idem & μυρίτης. Ut autem à voce φύλλον, ὁ φυλλίνης, unde & φυλλίναι ἀγῶνες. Quod apud Pollucem male mutant in φυλλίτῃ. Hesychius, φυλλίναι ἀγῶνες, ἐν οἷς μὴ ἐπίθετο ἀργύριον, ἀλλὰ ϛέφανοι μόνοι. Sic à μύρον, ὁ μυῤῥίνης οἶνος. Quod & μυῤῥίνης scribebant, geminatione sollemni caninæ literæ. Hesychius: Μυῤῥίνην ἔνιοι μὲν οἶνον μυῤῥίνην καλοῦσι, οἱ δὲ ποτὸν ἐσκευασμένον, οἱ δὲ πᾶσιν φασίν, ᾧ ἐπεχεῖτο μύρον. Ita scripsisse grammaticum patet

tet ex ſerie literarum. Μυῤῥίνης dicitur Poſidippo comico apud Athenæum, cujus hæc verba: μυρίνης δὲ, ἢ μυῤῥίνης οἶνος κεῖται παρὰ Ποσειδίππῳ.

Διψηρὸς ἄποτος, ὁ μυρίνης ὁ λίμιος.

Abſolutè ὁ μυῤῥίνης, unde Latinum hæc *murrhina*. Perperam legitur in Athenæo, μυῤῥίτης δὲ ἢ μυῤῥίνης. Qui fortaſſe error eſt abbreviatoris cenſentis τὸν μυῤῥίνην οἶνον ἀπὸ τῆς μυῤῥίνης, aut μυρσίνης dici. Sic enim myrtum appellant veteres. Sed μυῤῥινίτης dicendus eſſet, non μυῤῥίνης. Litem plane decidit Pollux, qui ita ſcribit: ἦν δέ τις καὶ μυρίνης οἶνος μύρῳ κεκερασμένος: οἱ δὲ τὸν γλυκὺν οὕτως οἴονται κεκλῆσθαι. Inde vel maximè conſtare poteſt τὸν μυρίνην, vel μυῤῥίνην Græcorum eſſe, quæ *murrhina* Latinis dicebatur. Nam inter dulcia *murrhinam* numerant priſci comici Latini. Plautus in Pſeudolo:

Quod ſi opus ſiet, in dulce promat indidem, ecquid habet? Ch. rogas.

Murrhinam, paſſum, defrutum, melinam, mel cujuſmodi.

Plinius citatis his verſibus Plauti ſubjicit: *quibus apparet non inter vina modo murrhinam, ſed inter dulcia quoque nominatam.* Verſus Plauti, ut habentur in editionibus, citavimus. Apud Plinium ita ſcribuntur in vetuſtiſſimo Thuanæo:

Quid ſi opus eſt ut dulce promat, id eſt & quid habitat roga

Murrinam, paſum, defrutum, mella.

In Rigaltii codice, *id eſt, quæ habeat roga.* Nota nobis eſt veterum negligentia in adducendis poëtarum, & aliorum auctorum teſtimoniis, dum memoriter ea plerumque, nec ex libro allegant. Poſſumus tamen ex illis veſtigiis, ſi modo certa ſint, hanc lectionem exſculpere:

Quod ſi opus ut dulce promat, id ex ſe ecquid dabit? Rogas.

Murrhinam, paßum, defrutum.

Quod inter dulcia nominatur *murrhina*, hoc contra Plinium facit, qui murrha conditum vinum interpretatur. Atqui notus eſt amator myrrhæ, quæ delicioſis, & dulcibus potionibus nunquam admixta eſt. Mentio extat apud Dioſcoridem vini murrha conditi cum pipere, iride & anetho, ſed medicamentum illud potius ducendum, dicendumque quam vinum. Quippe quod πρὸς κατάῤῥουν, βῆχας, ὠμότητας ἐμπνευματώσεις, πλάδους στομάχου condiri ſolitum ſcribit. Nec muſtum ſic condiebatur, ſed vinum. At in aromatiten, vel μυῤῥίνην nihil myrrhæ addebatur, & muſtum, non vinum ita condire ſolebant. Ideo ſemper dulce manebat, ſpeciebus aromaticis τὴν γλυκύτητα ei ſuam ſervantibus. Hinc *murrhinam* inter dulcia, non tantum inter vina nominant comici Latini, qui palliatas ſcripſere. Et hæc eſt *murrhina*, qui comicis Græcis μυῤῥίνης abſolutè, vel μυῤῥίνης οἶνος dictus, qui à *murrha* nomen non habet, ſed ἀπὸ τοῦ μύρου, ut μυῤῥὶς herba, & μυῤῥίτης λίθος. De vino murrhato, vel ἐσμυρνισμένῳ, quod ex more Judæorum ducendis ad ſupplicium, vel in loco ſupplicii jam conſiſtentibus propinabatur, & cujus in Euangelio mentio, jam dixere eruditi viri, & nos alio loco.

Pag. 48. E. *Mithridax ſole percuſſa coloribus micat variis*] Ita libri omnes Solini. Et ex eo Iſidorus. Pliniani *mitrax*, etiam ſcripti. Nec aliter in indice, qui librum facit primum. Sic enim legitur in vetuſtiſſimo codice Rigaltiano: *memnonia, media, meconitis, mitrax, merocthis.* Utrum *mithridax* in libris Plinii repererit Solinus, an ita ipſe hoc nomen deflexerit, neſcio. Legendum *mithrax* cum aſpiratione. Μίθραν apud Perſas ſolem eſſe notum eſt lippis, & Cercoëtiis. Inde *mithrax* hic lapis, quaſi ſolis gemmam dixeris, quod contra ſolem varie refulgeat. Eadem forte eſt, quam veluti diverſam recenſet Plinius, & vocat *ſolis gemmam.* Candidam eſſe ſcribit, & ad ſpeciem ſideris in orbem fulgentes ſpargere radios. Solet auctor iſte ſic agere, ut diverſa ſæpe miſcet, ita &, quæ eadem ſunt, non raro ſeparat. Certe *mithrax* eſt ſolaris, vel ſolis gemma. Nihil tamen affirmo, & in medio relinquo.

Tecolithos nucleo olivæ ſimilis] Plinius: *Tecolithos oleæ nucleus videtur, neque eſt ei gemmæ honos. Sed lingentium*

A *calculos frangit, pellitque.* Hæc variavit more ſuo Solinus. *Spernitur*, inquit, *cum videtur.* Gemmam non eſſe ſimpliciter dicere voluit Plinius, quum dixit gemmæ honorem ei non eſſe. *Solutum, & hauſtum pulſis calculis renium, & veſicæ dolores levare* noſter aſſerit. At Plinius nec ſolvi, nec hauriri tradit, ſed tantum lingi: *lingentium calculos frangit, pellitque.* Sed in veteri codice lego, *unguentum calculos.* Alii ex ſuis citant, *ungentium.* Quoſdam codices habere notant: *ægre meientium.* Nonnullos: *ſed ſumentium.* Si Solino fidem arbitrari poſſem, & niſi in omnibus falleret, legiſſe eum dicerem: B *ſed haurientium calculos frangit, pellitque.* Certe multo veriſimilius, ut hoc modo ſolutus, & hauſtus renium, & veſicæ dolores levet fractis, & pulſis calculis, quam alio quolibet. Sic de morochto Dioſcorides: ἁρμόζει ἐπὶ κύστεων ἀλγήμασιν ἐν ὕδατι πινόμενος. Idem de lapide Judaïco, quem eumdem eſſe cum tecolitho Aëtius, aliique ſcribunt: δύναται δὲ ἐρεβινθιαῖον μέγεθος διεθὲν ὡς κολλύριον ἐπ᾽ ἀκόνης σὺν ὕδατος θερμοῦ κυάθοις τρισὶν, καὶ ποθὲν δυσουρίαις βοηθεῖν, καὶ τοὺς ἐν κύστει λίθους θρύπτειν. Idem de ſemine paliuri: πινόμενον τοὺς ἐν κύστει λίθους θρύπτει. Ita de aliis ſexcentis. Aëtius, *Syriacum lapidem, & Judaïcum, & tecolithum* vocatum tradit eumdem, quod C in Syria Palæſtina, quæ eſt Judæa, naſcatur. Eum ex aqua calida potum efficaciſſimum dicit ad lapides renum, inefficacem vero tollendis calculis, qui in veſica ſunt: ἐστὶ δὲ τῶν ἐν νεφροῖς συνισταμένων λίθων θρυπτικός, ἀνιέμενος ἐπὶ ἀκόνης, καὶ πιζόμενος δι᾽ ὕδατος θερμοῦ, ἐπὶ δὲ τῶν ἐν κύστει λίθων οὐδὲν ἰσχυρὸν ἀνύει. Quod cum Dioſcoride pugnat. Addit idem ex Necepſo tecolithum, ſi teratur ex aqua, & inungatur partibus circa veſicam, & pudenda depilatis, calculos veſicæ liquefacere, & comminuere. Ὁ δὲ Νεκεψὼ φησὶ, τρίψας τὸν τηκόλιθον μεθ᾽ ὕδατος, καὶ ποιήσας γλοιῶν πάχος, καὶ ἀπο- D ξυρίσας τὰς τρίχας περὶ τὴν κύστιν, καὶ τὸ αἰδοῖον, κατάχριε καὶ τήκει τὸν λίθον, τὸν ἐν τῇ κύστει. Verba ipſa ſunt Necepſus, ex quibus conſtat legendum eſſe in Plinio: *ungentium calculos frangit, pellitque*, τῶν καταχριομένων. Nam in veteri noſtro codice ſcriptum eſt, *unguentum.* Falſa prorſus vulgata lectio, *lingentium.* Quæ vitio facta eſt ex *ungentium*, diductis, ac disjunctis cruribus literæ *u.* Solinus alios ſequutus eſt auctores, Anonymus de lapidibus Solinum: *Tecolithus nucleo olivæ ſimilis. Spernitur, cum videtur, ſed remediis bonus vincit aliorum pulcritudinem, ſolutus quippe & hauſtus expellit calculos, renum calculos, ac veſicæ levat.* Quæ ipſiſſima ſunt E Solini verba. Ἐπῳδὴν hanc de tecolitho refert Aëtius:

Χαῖρε θάλασσ᾽ Ἀράβων
Φέρουσα πημάτων ἄκος
Εὕρεμα τηκόλιθον.

Ammochryſos arenis auro intermixtis] Plinius: *arenarum ſimilitudo eſt in hammochryſo, velut auro arenis mixto.* Hactenus ille. Et ſatis dixerat Solinus: *hammochryſos arenis auro intermixtis.* Quid illa volunt, quæ addidit? *Nunc bractearum, nunc pulveris habet quadrulas.* Quadrulæ ſunt parvæ teſſellæ, vel quadrati τόμοι. Quis illi dixit hujuſmodi quadrulis aureis, & arenaceis F interſtinctum eſſe hammochryſum? Præterea quo jure, vel merito inter gemmas, quæ in Perſide reperiuntur, eam numerat? Nec enim hammochryſon Plinius in Perſide ſcribit inveniri. Hoc commentus eſt, ut alia Solinus.

Aëtites, & fulvus eſt, & tereti poſitione alterum lapidem intrinſecus cohibens.] Plinius eo loco, ubi & hammochryſon, & pyriten, & chalaziam, & myrmeciten, & multa alia gemmarum genera nominat, quæ inde ſumpſit Solinus, aëtitem etiam memorat, quam ſimilem eſſe dicit aquilæ candicante cauda. Eo capite Pli- G nius gemmas recenſet, quæ à membris corporis habent nomina, aut ab animalium ſimilitudine cognominantur. Ut *carcinian* ab marini cancri colore: *echiten* à viperæ: *ſcorpiten* à ſcorpionis aut colore, aut effigie: *ſcariten, geraniten, hieraciten*, & ſimiles. In his & *aetiten* reponit. *Aëtites*, inquit, *à calore aquilæ candicante cauda.* Liber vetus, quem vidi, habet: *candidata cauda.* Sic in aliis. Inter genera aquilarum *pygargus* eſt, quem vocant, *qui in oppidis manſitat, & in campis albicante cauda.* Huic aquilæ colore ſimilis eſt gemma, quam

quam inde ἀετῖτιν vocarunt. Diversus hic *aëtites* à lapide aëtite, qui in aquilarum nidis reperitur, qui & inde nomen habuit. Inter lapides eum recenset Plinius, & latissime genera ejus describit lib. XXXVI. cap. XXI. Et sanè nihil gemmeum habet, sed omnia lapidis, nam colore fulvus est, aut subrutilus, aut gallæ similis, non lævore, non nitore ullo commendandus, aut gemmæ comparandus. Alius *aëtites*, quem Plinius inter gemmas reponit, à colore aquilæ, quæ candidam habet caudam, cognominatus est, ut *geranites* à colore gruis: & *hieracites* accipitris. Plinius: *Hieracites alternat tota, milvinis nigricans velut plumis.* Melius scripseris ex vetere: *Hieracitis, alternata milvinis, nigrisque velut plumis.* Quæ alternatim milvinis veluti plumis ac nigris distincta est. Aëtius: ἱερακίτης λίθος ὑπόχλωρος μέν ἐστι, καὶ περὶς τὸ μέλαν ἐπιπρεπεσμένος χροιαῖς ἱέρακος ὥστε ποικίλον εἶναι. Hoc est ad verbum, quod Plinius dixit, *alternatam esse milvinis, ac nigris veluti plumis.* Ita est & *aëtites* quidam lapis à colore plumarum aquilæ sic dictus. At Solinus, ne quid de more suo, jureque perderet, aëtitem lapidem, qui è nido aquilarum sumitur, pro ea accepit gemma aëtite, quæ colore est aquilino, & utrumque confudit, uniusque descriptionem alteri accommodavit.

Fulvus est, & tereti positione] Abutitur noster *teretis* significatione. Dicere debuit, *globosa, vel rotunda positione* aëtiten esse. *Teretem* pro eo male usurpat, cum ea vox significet in oblongo rotundum. Plinius de cupresso: *cohercitaque gracilitate perpetuo terete.* Ita legendum, non *tenera.* Idem de generibus aëtitis: *Tertius in Cypro invenitur colore illis in Africa nascentibus similis, amplior tamen atque dilatatus. ceteris enim globosa facies.* Pro *globosa facie* malè *positionem teretem* dixit. Melius dixisset *rotundam.* Plinius de aëtite: *invenitur in fluminibus candidus, & rotundus.* Varus:

Sint gyrosa, rotunda, margarita.

Cicero de Natura Deorum: *figura rotunda, nihil incisum angulis habens, nihil eminens, nihil lacunosum.* Græcè στρογγύλον dicunt. At *teres* à verbo *tero.* De his propriè, quæ torno trita sunt, ac rotundata. Hæc inquam propriè *teretia.* Nam *terere* de torno signanter dictum. Virgilius:

Qui radios trivere rotis;

id est, tornavere. Inde *tritores*, οἱ τορευταὶ, vel τερευταὶ. Et *tritum argentum* Phædro, τόρευμα. Quin & verbum ipsum *tero* ex Græco τορῶ. Quod Æoles dicebant τερῶ. Ut ἐδὺς pro ὀδὺς, & similia. Hinc & nomen τορὸς, Æolicè τερὸς, Latinè *teres.* Quidquid politum, & veluti torno exactum esset, ita vocabant. Hesychius: Τορόν ἢ ὀξύ. Τορῶ, ὀξεῖ, ἀκριβεῖ, τορνῷ. Quas Latini *teretes aures* vocant de politis, & quasi torno factis, περιὺατα Græci similiter appellant. Cicero: *qui teretes habent aures, intelligensque judicium.* Antipater Thessalonicensis:

Πιερίδων χαλκευτὸν ἐπ' ἄκμοσιν εἰ τορὸν οὖας
Ἔλλαχες.

Horatius de viro bono:

---- *in seipso totus teres, atque rotundus.*

Si teres, ac rotundus idem esset, frustra hæc duo simul posuisset. Parmenides de Deo suo:

Σφαιρὸς, κυκλοτερὴς, δίνῃ περιηγέϊ γαίων.

Quod aliquis ita expressit de viro bono:

Securus, mundi instar habens, teres atque rotundus.

Latini *rotundum* pro globoso, & σφαιροειδεῖ usurparunt, qui σφαιρὸς Parmenidi, cum propriè κυκλοτερὲς ea voce exprimatur. Nam *rotundum* à rota deducitur. Græci τροχοειδὲς similiter dicunt, & περίτροχον. At *teres*, τὸ ἀπὸ τόρνου στρογγύλον denotat, ut *teretia ligna, teretes cupressi, teretes digiti, rami teretes & enodes* Plinio. Dioscorides περιφερὲς hoc sensu posuit, cum dixit ῥίζαν ἐπιμήκη, περιφερῆ. Alias στρογγύλον & περιφερὲς confundit. Globosum vero, ac σφαιροειδὲς dicitur, quod ab omni parte undique teres est, ac rotundum. Hæc tria expressit versu, quem supra citavimus, Parmenides.

Alterum lapidem intrinsecus cohibens, cujus crepitu sonorus est] Plinius lib. x. cap. VI de aëtite lapide: *est autem lapis iste prægnans intus, quum quatias alio velut in utero sonante.* In libris est: *prægnans intus avo cum quatias velut*

A *in utero sonante.* Lego, ac distinguo: *est autem lapis iste prægnans intus alio, quum quatias velut in utero sonante.* Lapis iste intus prægnans est alio, *subaudi* lapide, qui velut in utero sonat, quum quatias. Dioscorides: ἀετίτης λίθος, ὃ ἐν τῷ κινεῖσθαι ἦχον ἀποτελῶν, ὡς ἑτέρου ἐγκύμων λίθου ὑπάρχων, *velut alio prægnans intus lapide.* Idem Plinius lib. XXXVI. cap. XXI de diversis lapidis aëtitis generibus, qui omnes in alvo habent, aut argillam, aut alium lapidem durum: *invenitur in fluminibus candidus, & rotundus. Huic est in alvo lapis, qui vocatur callimus.* Liber vetus habet, *calamus.* Legerim: B *calaïnus*, à colore scilicet calaïno. Sic alibi similiter corruptum memini emendare. Nam ubi erat in libris, *Callaicam vocant è turbido calamo*, docuimus legendum, *è turbida calaïno.* Sic *salmacidæ* pro *salinacidæ* passim in libris. Index tamen libri primi manuscriptus *callimum* hunc lapidem vocat: *tapiusius, callimus, sinvidius.* Ubi nihilominus dici potest, *callimus* pro *calamus* scriptum vitio esse, idque pro *callaïnus.* Nam & *sinvidius* ibi corruptum pro *Samius.* Κάλλιμος Græcè τὸν κάλλιστον significat. Atqui nihil est in hoc lapillo, qui in aetite inclusus habetur, quod istud epitheti prærogativa aliqua mereatur. Hesychius: C κάλλιμος, κάλλιστος ἢ λύρας τὸ ἠχεῖον, οἱ δὲ κάλαμος. Si κάλλιμος λύρας τὸ ἠχεῖον, hinc κάλλιμος, & lapillus ille dictus videatur, qui in utero aëtitis lapidis sonat, & cujus crepitu sonorus est, ὃ ἐν τῷ κινεῖσθαι ἦχον ἀποτελῶν. Ideo & *calamus* hic lapis in veteribus quibusdam libris etiam vocatur. Nam κάλαμος, & κάλλιμος idem, lyræ crepitaculum. Unde & hic lapillus nomen invenit, quia crepitet, si quatiatur. Verùm κάλλιμος hoc sensu ex vitiosa scriptura manavit, qua Λ & Α invicem sæpe confunduntur in Græca literatura. Cum igitur κάλλιμος pro κάλαμος mendosè scriberetur, inde proD pagatum κάλλιμος. Sic Arabiæ felicis populi Καταβανοὶ hoc eodem vitiosæ scripturæ genere Κλεταβηνοὶ dicuntur Dionysio. Ita Πέριλλος & Περίλαος tyrannus in aliis, & aliis diversè scribitur. Κάλαμος, non κάλλιμος in lyra dicitur, cui chordæ adnectuntur, & sonum efficit, qui & δόναξ vocabatur. Eustathius: Αἴλιος Διονύσιος εἰπὼν ὡς δόναξ, καὶ τὸ λύριον, ἐπάγει, τὸ γὰρ παλαιὸν ἀντὶ τοῦ κέρατος ὑπετίθεντο κάλαμον. Ita citat etiam vir magnus notis in sphæram Barbaricam, & λύριον Dionysio dictum contendit, quod aliis μαγάδιον, & κάλαμος. Perperam. Legendum apud Eustathium: Αἴλιος E Διονύσιος εἰπὼν ὡς δόναξ ὑπολύριον. Hesychius: δόνακα ὑπολύριον, πάλαι γὰρ ταῖς λύραις κάλαμος ἀντὶ κέρατος ὑπετίθετο. Idem: κάλαμος, τὸ ἐπιτιθέμενον τῆς λύρας ἠχεῖον. Lege: τὸ ὑποτιθέμενον. Inde ὑπολύριον dictum ἀπὸ τοῦ ταῖς λύραις ὑποτίθεσθαι. Verum de lyra, & ejus partibus, & citharæ differentia nos alibi. Lapillus ille, qui in alvo aëtitis movetur, & sonat, δόναξ videtur quibusdam appellatus ἀπὸ τοῦ δονεῖσθαι. Nam & calamus, sive harundo Græcis δόναξ παρὰ τὸ δονεῖσθαι. Hesychius: δόνακα κάλαμον Κρῆτες παρὰ τὸ δονεῖσθαι. Idem: δονακῆα, διάσειστον καλαμῶνα. Græcè δονεῖν, ταράσσειν, κινεῖν, διασείειν. Hic lapillus ille δόναξ, qui movetur in aetite, & crepiF tat. Alii κάλαμον porro eumdem appellaverunt, quia δόναξ, κάλαμος, & quia utraque voce τὸ ἠχεῖον τῆς λύρας dicebatur, quamvis nihil simile habeat lyræ calamus, & hic lapis. Sed novimus, quam festivi sint cognominibus indendis Græci. Quod autem hoc loco addit Solinus scientissimos dicere tinnitum illum, quem aetites lapis concussus facit, non ab ullo interno scrupulo fieri, sed spiritu, hoc falsum, & nugatorium, ficticiumque. Nihil enim tale habet Plinius, & experientia atque αὐτοψίας contrarium docent. Nam fractus lapis aetites, aut scrupulum prodit, aut arenam, aut aliquid hujusmodi, quod soG nitum illum intus facit. Vidi ipse fractum, qui luteum intus lapillum habuit, sed friabilem. *Cytites* etiam dicitur lapis, qui intus partum habet, id est, alium lapidem, *qui sentiatur etiam strepitu.* Plinius. Malè *cissites* legitur. In indice *cytes.* Nos *cytites*, id est, κυΐτης ἀπὸ τοῦ κύειν. Omnia porro, quæcunque de aetite tradit Dioscorides, eadem Aetius ex Demosthenis libro περὶ λίθων refert, & iisdem verbis, ut alterum ab altero sumpsisse oporteat. Scribitur in optimo libro: ἔστι δὲ καὶ κλεπτέλεγχον, εἰ ἐπιζητεῖν τις ...

αὐτὸν εἰς τὸν προσφερόμενον ἄρκτον. Et paulo poſt: φασὶ δὲ ὅτι καὶ συνεψόμενος ὁ ἀετίτης τοῖς ἐδέσμασι κλεπτέλεγχον γίνεται. Ita utrobique ſcriptum, non κλεπτέλεγχος. τὸ κλεπτέλεγχον eſt, quod fures coarguit. Aetites κλεπτέλεγχον, ut ὠκυτόκιον, & κατόχιον τῶν ἐμβρύων idem lapis vocatur. Sic etiam lapis, aut herba ἀνηλιπαθὲς eſſe dicitur. Nota, ac tralaticia hæc loquutio.

Pag. 48. F. *In Perſide tamen plurimus*] Plinius patrias, & genera aetitis enumerans, non meminit in Perſide naſci. Africanum recenſet, Arabicum, Cyprium & quarti generis, qui *Taphiuſius appellatur, naſcens juxta Leucadem in Taphiuſa, qui locus eſt dextra navigantibus ex hac ad Leucadem.* Hic locus unus eſt de corruptiſſimis. Taphiuſam locum eſſe dicit prope Leucadem dextra navigantibus ex Taphiuſa ad Leucadem. Hoc quomodo fieri poſſit, nullus video, ut, qui ex Taphiuſa Leucadem navigant, eamdem Taphiuſam à dextra habere queant. Sed hanc lectionem merito falſi damnat codex ſcriptus, & aliam ſuggerit, quæ ſic habet: *quarti generis Tapiuſius appellatur naſcens juxta Leucadem, ubi eſt mons Tapius, qui locatus eſt dextra navigantibus ad Leucadem.* Ex iis eamdem ſcripturam alii proferunt. Quæ nec ipſa ſine vitio eſt. *Tapiuſium* aetiten etiam in indice libri primi vetus codex indigetat, quamvis in eo corruptiſſimè ſcribatur, *aete thapiuſius*, pro *aetitæ, Tapiuſius.* Sed ita ſcriptum pro *Taphiuſius*, à Taphiuſa ſic appellatus. Græcè eſt Ταφιοῦσσα, vel Ταφίουσσα. Urbem eſſe Cephalleniæ tradit Stephanus. Τάφος πόλις Κεφαλληνίας, νῦν δὲ Ταφίουσσα. Nuſquam meminit hujus *Taphiuſæ* Plinius. Certè veterum quidam, ut refert Strabo, Taphios Cephallenas & Teleboas eoſdem cenſebant, quos ipſe refellit, & diverſas eſſe inſulas oſtendit Cephalleniam, & *Taphon*, quæ poſtea appellata *Taphiuſa.* Sub Laerte, & Ulyſſe fuit Cephallenia tota, ſub Mente Taphos: καλεῖται δὲ νῦν Ταφιοῦσσα, ἡ Τάφος. Ita Strabo. Male itaque Stephanus *Taphiuſam* urbem facit Cephalleniæ: Addit idem Stephanus: ἔστι καὶ νῆσος ἀπὸ τεσσαράκοντα σταδίων Ταφιὰς καλουμένη, καὶ ἑτέρα. Hæc Ταφιὰς Stephani inſula eadem eſt cum Strabonis Taphiuſa. Nam, quam Ταφιοῦσσαν quidam vocarunt, alii Ταφιάδα, antiquiſſimi vero Τάφον. Inſulæ porro plures fuere τῶν Ταφίων inter Achaiam, & Leucadiam, quæ & *Teleboïdes*, & *Taphiæ* dicebantur à Taphiis populis, & Teleboïs, qui eas tenebant. Harum una *Taphos* proprie quondam appellata, poſtea *Taphiuſa.* Strabo lib. x. Αἱ δὲ τῶν Ταφίων νῆσοι, πρότερον δὲ Τηλεβοῶν, ὧν ἦν καὶ ἡ Τάφος, νῦν δὲ Ταφιοῦσσα καλουμένη. Χωρὶς ἦσαν τούτων οὐ τοῖς διαστήμασιν, ἐγγὺς γὰρ κεῖται, ἀλλ᾽ ὑφ᾽ ἑτέροις ἡγέμοσι ταττόμεναι Ταφίοις, καὶ Τηλεβόαις. Ait Echinadas inſulas, & Taphiorum non multum inter ſe fuiſſe diſſitas, ſed diverſis paruiſſe ducibus. Taphon etiam inter Echinades numerat Euſtathius: Ἐχινάδες ὧν μία ἐστὶν ἡ Ὁμηρικὴ Τάφος. ταύτας δὲ φασὶν οὐκ ἐστὶν ἤδη εὑρεῖν. Plinius lib. IV. cap. XII. *Inter Leucadiam autem, & Achaiam permultæ inſulæ: quarum Teleboides eædem, quæ Taphiæ ab incolis.* Hæ ſunt Ταφίων νῆσοι Strabonis, olim Τηλεβοῶν. Sequitur apud Plinium: *Ante Leucadiam appellantur Taphias, Oxia, Prinoeſſa.* Ita repoſitum ex correctione doctorum hominum. Nam libri veteres legunt: *Zaphioſis arnoxia.* Inde Pintianus corrigebat, *Taphias Siſarna, Oxiæ.* De Siſarna viderit. Ego verius, & propius ad veterem ſcripturam emendaverim, *Taphioſa* pro *Taphiuſa.* Ea eſt, quæ inter inſulas Taphiorum ſic propriè appellata, Homero Τάφος. Non dubito tamen, quin eadem ſit cum Taphiade Stephani. Ab hac Ταφιοῦσσα τὸ ἐθνικὸν facit Ταφιουσσαῖος: à Τάφος, Τάφιος. *Taphiuſius* igitur aetites ab hac inſula appellatus, quod in hac reperiebatur. Nunc verba Plinii expendamus. *Quarti generis Taphiuſius appellatur, naſcens juxta Leucadem, ubi mons eſt Taphius.* Mirum, quin potius dixerit, *in Taphiuſa inſula.* Hinc certè liquet mendoſam eſſe vulgatam lectionem, quæ ſcribit, *naſcens in Taphiuſa, qui locus eſt.* Nec enim locus *Taphiuſa*, ſed inſula. Juxta Leucadem naſci dicit hunc lapidem Taphiuſium. Plinio *Leucas* oppidum eſt, *Leucadia* inſula, *Leucates* mons, ſive promontorium. Sic enim hæc diſtinxit lib. IV. cap. I his verbis: *Egreſſos ſinu Ambracico in Ionium excipit Leucadium littus,*

A *promontorium Leucates. Dein ſinus, & Leucadia ipſa peninſula, quondam Neritis appellata, opere accolarum abſciſſa continenti, ac reddita ventorum flatu congeriem arenæ accumulantium, qui locus vocatur Dioryctos ſtadiûm longitudine trium. Oppidum in eo Leucas, quondam Neritum dictum.* Sic ſcribendus ille locus. Straboni promontorium Λευκάτας, ſed tam urbs, quam inſula Λευκάς. Ptolemæo promontorium etiam ipſum Λευκὰς dicitur, Λευκὰς ἄκρα. Ubi male interpres *Leucadem extremam* vertit, & pejus adhuc Tabularum auctores de promontorio faciunt oppidum. Charinus vetus Iamborum poeta etiam Λευκάδα vocavit:

B Ἔρρεις πλανῆτι καὶ κακὴ πέτρη Λευκάς.

Poſt ſinum Ambracicum excipere Leucadium littus, & promontorium Leucatem Plinius, *deinde ſinus*, inquit, *& Leucadia peninſula.* Eam inſulam aliquando reddiderant incolæ perfoſſo iſthmo, & πορθμὸς ejus loco ut eſſet, fecerant, qui ponte junctus erat, tranſlata urbe ſua, quæ prius *Nericon* dicebatur, & Leucade appellata à Leucate promontorio. Male Plinius *Neriton* pro *Nerico* vocat. Νήριτον mons Ithacæ. Νήρικον urbs Leucadiæ. Ita hæc recte ex Homero diſtinguit Strabo, eoſque reprehendit, qui indiſtincta habent. Nonnulli tamen ex veteribus hunc errorem
C cum Plinio participant. Stephanus: Νήρικος πόλις Ἀκαρνανίας, ἣν Ὅμηρος ἀκτὴν ἠπείροιο φησίν. Λούπερκος δὲ ταύτην Νήριτόν φησιν ἢ Νήριτον ὡς τὸ ὄρος. Mons ille Ithacæ. Confundit *Neriton* & *Nericon.* Contra Dionyſius montem Ithacæ Νήρικον vocat, qui Νήριτον eſt. Νηρικίην Ἰθάκην dicit, quæ eſt Νηριτίη. Ibi monet Euſtathius variare exemplarium ſcripturam, & interpretum veterum ſententiam. *Nericon* igitur urbs Leucadiæ, quæ cum à mari longius eſſet remota, poſtea tranſlata eſt ad illud fretum manu factum, & Leucas appellata. Vide Strabonem. Ἐπιλευκαδίους antea di-
D ctam fuiſſe tradit Scylax Caryandenus, cujus hæc verba ſic legi debent in editis corruptiſſima: καὶ πόλις Λευκὰς καὶ λιμήν. Αὕτη ἀνέχει ἐπὶ τὸν Λευκάταν, ὅ ἐστιν ἀκρωτήριον. Πόρρω δὲ τῆς θαλάττης αὕτη ἡ πόλις ἦν τὸ πρὶν καὶ Ἐπιλευκάδιοι ἐπωνομάζετο. Stephanus: Ἐπιλευκάδιοι, πόλις μετὰ Ἀκαρνανίαν. Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ. Strabo, & Scylax in eo conſentiunt, urbem prius remotam à mari, poſtea eidem admotam fuiſſe, ſed ille Νήρικον appellatam aſſerit, hic Ἐπιλευκαδίους. In eo etiam diſſentire videntur, quod urbem è medio peninſulæ tranſlatam ad fretum ipſum docet, καὶ μετενέγκαντες τὴν Νήρικον ἐπὶ τὸν τόπον, ὃς ἦν ποτὲ μὲν ἰσθμὸς, νῦν δὲ πορθμὸς γεφύρᾳ
E ζευκτός. At Scylax, qui Ἐπιλευκαδίους olim vocatam fuiſſe dicit, etiam quum longe eſſet à mari, non ad mare eam tranſductam, ſed mare ad eam ductum fortaſſe innuit, perfoſſo iſthmo, in quo erat ſita, & mari immiſſo, unde & portus ipſa urbs facta eſt, quæ antea non erat. Idem ibidem: αὕτη δὲ ἐστὶ νῦν νῆσος, τὸν ἰσθμὸν ἀποταφρευμένη. Ergo ad illud fretum urbs Leucas ſita erat, ad promontorium Leucatem pertinens, unde & Ἐπιλευκάδιοι olim appellata, & poſtea Λευκάς. Et inſula quidem adhuc fuit Scylacis, & Strabonis ætate; poſtea congeriem arenarum ventis accumulantibus reddita eſt continenti, cui abſciſſa fuerat, &
F iterum facta peninſula, ſicut olim extiterat. Plinii temporibus non amplius erat inſula, ſed peninſula, canali freti repleto aggeſtione. *Qui locus*, inquit, *vocatur Dioryctos. Oppidum in eo Leucas.* Ita legendum ſuprà monui. Ad fretum erat Leucas, dum fretum fuit, quod manu Leucadii fecerant perrupto iſthmo. Poſtea aggerentibus arenam ventis πορθμὸς ille obhumatus eſt, ut verbo utar Tertulliani, & locus, qui olim perfoſſus fuerat, repletus. Hinc & Διορυκτὸς vocabatur. In eo loco poſita urbs Leucas ad Leucatem. Tota peninſula *Leucadia* dicebatur. Ante eam inſula Taphiuſa, ad orientem haud longe ab Echinadibus in-
G ſulis. Immo & ipſa una Echinadum ad orientem Leucadiæ ſita. Montem Plinius hoc loco eam vocat, qui ſic legendus eſt: *Quarti generis Taphiuſius appellatur, naſcens juxta Leucadiam, ubi mons eſt Taphiuſa, qui locatus eſt dextra navigantibus ad Leucatem.* Perperam legitur in ſcriptis: *ubi mons eſt Taphius.* Et hoc, & cetera correctionis veriſſima auſim præſtare. Montem heîc Taphiuſam vocat, quam alibi inſulam, auctores ſcili-

cet

cet diversos sequutus. Pleræque Echinades desertæ, & scopulis, montibusque asperæ. Hinc Ἐχινάδες dictæ διὰ τὸ τραχὺ καὶ ὀξύ. Talis & *Taphiusa*. Moris est auctoribus hujusmodi parvas, & asperas insulas, montes, & scopulos, & saxa plerumque appellare. Hinc πέτραι Σειρηνίδες, quæ & νῆσοι Σειρηνοῦσσαι. Montes, & saxa Sirenarum, & rupes passim scriptores Latini eas vocant. Avienus in paraphrasi *scopulos*, & *saxa* sæpe vocat, quas Dionysius νήσους dixit. Et fecit hoc disertim in hac ipsa Echinadum mentione Dionysius:

Νήσων τ' ἀλλάων, ὅσας τ' ἀπὸ Χάλκιδος ἔρπων
Δίνης ἀργυρέης Ἀχελώϊος ἀμφὶς ἐλίσσει.

Hæc sic reddidit Avienus:

Plurima præterea consurgunt gurgite saxa,
Quæ protentus aquas Achelous pulcher oberrat.

Et alibi passim. *Taphiusa* porro non juxta Leucadem, sed juxta Leucadiam. In geographicis ante Leucadiam esse dixit. Ad dextram est navigantibus ad Leucaten, non ex Ambracico sinu venientibus, sed ex altera ad meridiem maris parte. *Ad Leucaten* ideo correximus, quia si de urbe intellexisset, *navigantibus Leucadem* dixisset. Nihil tamen refert, utro modo legas. Nam *Leucas*, ἀνήκει ἐπὶ τὸν Λευκάταν. *Taphiassus* mons prope Naupactum, sed de eo heîc accipi non potest, nimis enim longe est quam ut juxta Leucadiam dici queat. Potuit tamen fieri ut nominum similitudine deceptus *Taphiusam* montem appellarit, quæ est insula, dum montem *Taphiassum* cogitat. Ταφιασσὸς Straboni. Hoc nisi sit, exponendum, ut suprà posuimus.

Subnexus spem uteri defendit à fluxibus abortivis] In libro suo veteri hæc minime contineri notat Delrius. Continentur nostris. Soliniana esse vel hæc duo satis arguunt, & quod ex Plinianis expressa sunt, & quod sollemnes ejus negligentiæ notas impressas habent. *Subnexus*, inquit, *spem uteri defendit à fluxibus abortivis*. Debuit addere, cui parti corporis subnexus. Nec enim parum interest. Brachio quippe subnexus conceptos partus detinet, & à fluxu abortivo defendit. Idem femori adalligatus eosdem maturat, & nixus concinnat faciliores. Vide Dioscoridem. Plinius lib. XXX. cap. XIV. *Lapis aëtites in aquilæ repertus nido custodit partus contra omnes abortuum insidias.* Quod verum est sic pronuntiatum, non ut Solinus extulit. Nam pæne contraria virtute pollet, femori subnexus & brachio. Hoc modo κατόχιόν ἐστι τῶν ἐμβρύων, illo modo ὠκυτόκιον. Quod ad verba attinet, elegantiora sunt Soliniana quam Plinii. *Spes uteri*, τὸ ἔμβρυον. Eleganter, ut *spes segetum*, dum adhuc in herba sunt. *Fluxus abortivus* proprie, cum partus conceptus non hæret, nec tenax est, sed effluit, & excidit. Sic suprà loquutus est: *si remanente altero, alter abortivo fluxu exciderit.* Ἀποῤῥεῖν & ἐκπίπτειν Græci similiter dicunt. Hinc ὀλισθηραὶ μῆτραι, quæ partus non continent. At Pliniana illa *contra abortuum insidias*, minus propria sunt. Quid enim *insidiæ abortuum*? Vereor ut ἐκτρωσίμους λοχοὺς in Græco scriptore legerit, hoc est, *abortivos partus*, vel *nixus*, quod ipse *abortuum insidias* reddit. Certe λοχὸς idem videtur quod λοχιὰ, ut στρατὸς & στρατιά. At λοχεία τὸ πρᾶγμα, ut στρατεία. A λοχὸς, λοχία. Ἡ μαῖα obstetrix, quæ λοχοῖς adsistit. Et τὰ λοχεῖα, quæ post partum veniunt, quas Latini *secundas* vocant, nostri *posterum onus*. Hinc ἄλοχος Platoni, quæ nondum peperit. Ergo ἡ λοχὸς puerpera. Dioscorides: Ἀριστολοχία ὠνόμασται ἀπὸ τοῦ δοκεῖν ἄριστα βοηθεῖν ταῖς λοχοῖς. Ita etiam legit vetustissimus liber. Αἱ λοχοὶ sunt puerperæ, an puerperia? Τὴν λεχὼ Attici magis dicunt, quam τὴν λοχὸν de puerpera. Hesychius: λεχώ, προσφάτως τετοκυῖα. Sic dicebantur mulieres, quæ post partum in lecto puerperiales desident ferias. Scholiastes Apollonii: ἐν δὲ τῇ τῶν Τιβαρηνῶν γῇ αἱ γυναῖκες ὅτε τίκτωσι τημελοῦσι τοὺς ἄνδρας ὡς λεχοὺς, ὡς ἱστορεῖ Νυμφόδωρος ἐν τοῖς νομίμοις. Theophrastus in Characteribus, ἐπὶ λέχος. Ita dictæ puerperæ à lecto, in quo & pariunt, & post partum decumbunt, qui Græcè λεχώς. Similiter & λόχος, id est, insidiæ ἀπὸ τοῦ λέχους. Οἱ γὰρ ἐνεδρεύοντες κατακλίνουσιν ἑαυτοὺς ὡς ἐπὶ λέχους. Vix dubito, quin & λοχὸν, vel λόχον aliqui pro partu dixerint, unde & λοχεία & λοχεύειν, & λοχίζειν, quod significat parere. Hesy-

A chius: λοχισθὲν, γεννηθέν. Et ἄλοχοι mulieres, quæ non pariunt. Ut contra λοχίαι dici possunt fœcundæ: ut λοχία γῆ poëtæ terra fertilis & pinguis. Hesychius: λοχίαν, τὴν εὔτροφη γῆν, καὶ ἁδροὺς στάχυας, ἢ καρποὺς φέρουσαν. Hinc καταλοχισμὸς liber τῆς γενικῆς γραφῆς, in quo descripti erant singularum familiarum, & omnium inde descendentium nomina. Apud Esdram lib. I. cap. IV. Καὶ τούτων ζητηθείσης τῆς γενικῆς γραφῆς ἐν τῷ καταλοχισμῷ, καὶ μὴ εὑρεθείσης, ἐχωρίσθησαν τοῦ ἱερατεύειν. Vulgaris ita vertit: *Horum quæsita est generis scriptura in pædatura, & non est inventa.* Καταλοχισμὸν reddidit *pædaturam*. An *pædaturam* ἀπὸ τῶν παίδων finxit, ut καταλοχισμὸς ἀπὸ τῶν λοχειῶν, vel λοχισμῶν. Nam B λοχισμὸς est generatio, & λοχίζειν γεννᾶν. Sic *pædatura*, ἡ παίδωσις. Nam παιδῶσαι, ut υἱῶσαι, liberos gignere. Hoc *pædare* dixerit ille vetus interpres. Ut *parabolari* τὸ παραβολεύειν in epistolis Pauli, *parabolatus est de anima sua*, παρεβολεύσατο τῇ ψυχῇ. Verius est scribendum esse: *quæsita est generis scriptura in pedatura.* Καταλοχισμὸν sic accepit quasi καταποπισμὸν, aut καταχωρισμὸν, & *pedaturam* vocat laterculum, in quo generationes descriptæ. *Pedaturam* Latini vocant quodlibet spatium, in quo aliquid poni, locarive possit. Ut *pedatura castrorum*, spatium quod castrorum metatio detinet: *pedatura murorum*, id quod obtinent muri: *pedatura singulorum militum*, in qua singuli milites consistere possint, deter- C minata dimensio loci. Hic *pedatura* absolute pro laterculo, vel tabula, vel albo. In Bibliis manu exaratis etiam antiquissimis hic locus ita conceptus est: *Hi quæsierunt scripturam su..m in censu, & non invenerunt, & ejecti sunt de sacerdotio.* Καταλοχισμὸς proprie esset insidiarum collocatio. Ut καταχωρίζειν est ἐν τῇ χώρᾳ aliquid statuere: κατασταμνίζειν *vasis infundere*, sic καταλοχίζειν, *in insidiis collocare*. Verum non ita hoc loco tumendum est. Καταλοχισμὸς est τῶν λοχειῶν, vel τῶν λοχῶν, hoc est, puerperiorum, & liberorum census, & professio, descriptioque. Apud Romanos qui pater factus esset, natum sibi puerum cum nomine apud acta D profiteri cogebatur, cujus & nomen tabulis publicis inscrebatur. Juvenalis:

---- *libris actorum spargere gaudes*
Argumenta viri.

Hæc publica liberorum ἀπογραφὴ, quæ apud ærarii præfectum Romæ fiebat, dici potest Græce καταλοχισμὸς, quasi τῶν λοχῶν, vel λοχιῶν κατάλογος. Non puto tamen ita accipiendam hanc vocem. Καταλοχίζειν proprie est κατὰ λόχους distribuere. Λόχος est τάγμα στρατιωτικὸν, certus numerus militum, ut puto quinquaginta. Hinc milites καταλοχίζειν, in λόχους tribuere. Ar- E rianus lib. VII de expeditione Alexandri: καταλοχίζειν μὲν αὐτὸν τὴν στρατιὰν τὴν σὺν Πευκέστᾳ τε ἐκ Περσῶν, καὶ ἀπὸ θαλάσσης ξὺν Φιλοξένῳ, καὶ Μενάνδρῳ ἥκουσαν εἰς τὰς Μακεδονικὰς τάξεις. Et paulo post: δοῦναι δὲ λέγεται, καὶ τῇ στρατιᾷ ἱερεῖα, καὶ οἶνον κατὰ λόχους, καὶ ἑκατοστύας. Ubi perperam vertunt, *per cohortes & centurias.* Cohortes erant *quingenariæ*, hoc est, hominum quingentorum: λόχοι *quinquagenarii*, hominum quinquaginta. Sed & λόχος quemlibet numerum, vel τάγμα significat. Homines in Judæa per familias veluti κατὰ λόχους tributi censebantur. F Hinc καταλοχισμὸς census, & ἀπογραφὴ familiarum. Laterculus, vel matricula, qua continebantur descripta familiarum omnium Judææ nomina & homines. *Pedaturam* vertit vetus interpres, quod proprie significat certum loci spatium pedibus dimensum. Milites in acie, vel in castris, quum in manipulos, & alias τάξεις καταλοχίζονται, suam quisque accipiunt pedaturam. At λοχὸς, ut dixi, idem quod λοχεία, vel λοχισμός. Et fortasse ita etiam accipiendum apud Dioscoridem, ἀριστολόχεια ἀπὸ τοῦ ἄριστα βοηθεῖν ταῖς λοχοῖς, G id est, ταῖς λοχείαις. Etenim τὰς λεχοὺς de puerperis Græci dicunt, non τὰς λοχούς. Pollux λοχείαν interpretatur τὴν τοῦ τεκεῖν ἐπιμέλειαν. Ergo λοχὸς partus. Unde & λοχεύειν. Aristolochia ταῖς λοχοῖς opitulatur, quia secundas extrahit, & quidquid à partu remansit, evocat. Plinius: *Inter nobilissimas aristolochiæ nomen dedisse gravidæ videntur, quoniam esset ἀρίστη λεχούσαις.* Λεχοῦσα Græcum non est. Scribe igitur: quoniam est ἀρίστη λοχείαις, vel ἀρίστη λοχοῖς. De ea nos alibi. At non dubium, *abortuum insidias* dixisse, quia

quia in Græco ſcriptore legerat, ἐκπέφωσμὲυς λοχὸς.

Pyrrhites fulvus eſt] Ita editiones omnes, etiam Delriana. Malè. *Pyrrhites* ita ſcriptum pro *pyrites*, ut ſupra *myrrhites* pro *myrites*: nec enim à colore fulvo, quem πυῤῥὸν Græci vocant, dicta *pyrrhites* gemma, ſed quod digitos adurat, ſi prematur arctius, *pyrites* appellata, πυρίτης. Legendum ergo, ut quidam habent libri, *pyrites furvus eſt.* Confirmat Plinius, *pyritis nigra quidem, ſed attritu digitos adurit.* Et heîc ergo differentia eſt inter *pyriten* lapidem, & *pyritin* gemmam, ut inter *aëtiten* lapidem, qui in nidis aquilarum reperitur, & *aëtitin* gemmam, quæ aquilæ colorem refert. *Molarem* lapidem, quem Græci μυλίαν, & μυλίτιν vocant, *quoniam inſit plurimus ignis illi*, inquit Plinius. Hic eſt, quem Græci πυρομάχον & πυρίτιν. Sic enim dictus, non quod ignem faciat percuſſus, ſed quod igni reſiſtat, nec enim igni ſolvitur, nec rumpitur. Hos lapides focis hodie ſubſternimus, eoſdemque caminis adplicamus, quia igne minime domantur. Theophraſtus πυρομάχον, & μυλίαν conjungit, & inter eos lapides numerat, qui igne liquantur, & fluunt. Ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ πυρομάχοι, καὶ οἱ μυλίαι ῥέουσιν. Ideo ad focum optimi, quippe qui igne non diſſiliant, nec frangantur, nec crepitent. In fornacibus quidem magna ignis vi domiti liqueſcunt, ſed nullus lapis eſt, qui non ita liqueſcat excepto marmore, ut tradit ibidem Theophraſtus. Sic molaris pyrites, & πυρομάχος quibuſdam dictus. Sequitur apud Plinium: *Sed eſt alius etiamnum pyrites ſimilitudine æris.* De eo Dioſcorides: πυρίτης εἶδός ἐστι λίθου, ἀφ᾽ οὗ χαλκὸς μεταλλεύεται, ληπτέον μέντοι τὸν χαλκοειδῆ. Lapis eſt, ex quo æs conficitur, & ærei coloris eſt. Eo, ni fallor, utuntur hodie ad ignem eliciendum in machinis ſcloppetariis. Res nota eſt. *In Cypro*, inquit, *eum reperiri volunt & in metallis, quæ ſunt circa Acarnaniam, unum argenteo colore, alterum aureo.* Metallorum æris in Acarnania nullibi mentionem invenio, & ab hac lectione longè diſcedit liber vetus, qui legit: *& in metallis quæ ſunt in cavimenta.* Ad oram, ſed recentiore manu adſcriptum, *circa Athamana.* Inde vulgaris profluxit lectio, *circa Acarnaniam.* Duo nobiliſſima in Græcia χαλκεῖα, in Cypro inſula, & in Demoneſo prope Chalcedonem. Quæ & Theophraſtus jungit in libro de lapidibus: διαφέρει δὲ μάλιστα περί τε Κύπρον, καὶ ἐν Δημονήσῳ τῇ ἐπικειμένῃ Χαλκηδόνι. Ita enim ibi ſcribendum. Male hodie editur: καὶ ἐν τῇ νήσῳ τῇ ἐπικειμένῃ Καρχηδόνι. Hinc Δημονήσιος χαλκὸς Græcis nobilitatus. Perperam μονήσιος χαλκὸς apud Pollucem. Nec benè corrigebat Leopardus Μοσσυνικὸς. Legendum ergo hoc loco: *& in metallis quæ ſunt circa Demoneſum*, pro illis, *quæ ſunt in cavimenta.* Divinent alii melius. Addit Plinius: *pyritarum etiamnum aliqui genus unum faciunt, plurimum habens ignis, quos vivos appellamus.* Hi ſunt vulgares igniarii lapides, quos *focares lapides* vocamus vulgo, atque ita etiam vocavit infima Latinitas. Subjicit Plinius: *hi exploratoribus caſtrorum maximè neceſſarii, qui clavo, vel altero lapide percuſſi, ſcintillas edunt, quæ exceptæ ſulphuratis, aut fungis aridis, vel foliis dicto citius ignem præbent.* Scribitur in libris: *quæ exceptæ ſulphure.* Atque ita legit Iſidorus. Et mox: *dicto celerius ignem trahunt.* Lege: *ignem tradunt.* Iſidorus: *Eſt alius pyrites vulgaris, quem vivum lapidem appellant, qui ferro, vel lapide percuſſus ſcintillas emittit, quæ excipiuntur ſulphure, vel aridis fungis, vel foliis, & dicto celerius profert ignem. Hunc vulgus focarem petram vocat.* Ex hoc lapide igniaria fiunt, quæ *fuſilia* dicuntur vulgo. Ex ſilicum genere hic lapis, & *ignifer* Latinis dictus. Incertus auctor de lapidibus finalibus: *Lapis albus ſilicineus, ſi perlbus fuerit, Gallienſis nuncupatur: ſi mixtam venam habuerit, ignifer nomen habet.* Notum illud:

Et ſilicis venis abſtruſum extunderet ignem.

Ab his omnibus pyritarum lapidum generibus diverſus eſt ille *pyrites* lapis, quem inter gemmas recenſet Plinius, & qui ſic dictus eſt, quod attritus vehementius digitos adureret. Hic colore niger eſt. In Perſide naſci ſcribit hoc loco Solinus, non aliam ob rationem, quam ut de eo heîc ſcribere poſſet. Nam Plinius, unde accepit, patriam ejus non nominat. Iſidorus lapidem *pyriten*, & gemmam hanc *pyritin* confundit his verbis: *Pyrites Perſicus lapis, fulvus, æris ſimulans qualitatem, cui plurimus ignis, ſiquidem facile ſcintillas emittit. Hic tenentis manum, ſi vehementius prematur, adurit.* Hic & *fulvus*, non *furvus* legiſſe apud Solinum videtur. Nam furvus lapis æris qualitatem ſimulare, & χαλκοειδὴς eſſe non poteſt.

Chalazias grandinis, & candorem præfert, & figuram] Plinius: *Chalazias grandinum, & colorem, & figuram habet, adamantinæ duritiæ. Narrant etiam in ignem additæ manere ſuum frigus.* Paulo aliter in veteri, qui ſic legit: *Chalazias figuram grandinum, & candorem, & adamantinam duritiam ineſſe narrant, etiam igni addito manere ſuum frigus.* Legendum eſt: *Chalaziæ figuram grandinum*, &c. Et mox: *etiam igni addito.* Recte, id eſt, chalaziæ in ignem addito. Nam eſt, ὁ χαλαζίας λίθος, ut ὁ καπνίας, ὁ ἀστερίας. Hunc lapidem χαλαζίτην vocant geoponicorum Eclogæ, & ſic dictum ajunt, quod grandinem imminentem avertat, ac depellat: ἐὰν λίθον χαλαζίτην ἔχῃς, καὶ ὅταν ἴδῃς τὴν χάλαζαν, κρύψον αὐτὸν, καὶ ἀποστραφήσεται. Recentiores Græci χάλαζαν vocaverunt margaritum, non tamen à grandinis figura, ut videtur, ſed à ſuillis granis, quæ Græcis χάλαζαι. Androſthenes apud Athenæum de margarita: ἡ δὲ λίθος ἐν τῇ σαρκὶ τοῦ ὀστρέου, ὥσπερ ἐν τοῖς συείοις ἡ χάλαζα. Quid ſit χάλαζα in ſuibus Græci tibi dicent. Librum habeo ἀνέκδοτον, qui inſcriptus eſt, μέθοδος δι᾽ ἧς ἀποτελεῖται σφαιροειδὴς ἡ χάλαζα. Ubi χάλαζα eſt margarita.

Echites vipereas habet maculas] Ita & *ophites* ſerpentis.

Dionyſias fuſcus eſt, rubentibus maculis ſparſus] Plinius: *Dionyſias nigra, ac dura mixtis rubentibus notis.* Ἡ Διονυσιάς. Melius itaque dixiſſet Solinus cum Plinio, *dionyſias fuſca eſt.* Nam ſubintelligitur gemma. Græci τὴν λίθον ſubaudiunt, quum gemmæ nomen genere fœmineo efferunt, τὸν λίθον, cum maſculino. Ut ὁ πυρίτης λίθος, & ἡ πυρῖτις λίθος. Sic ἡ Διονυσιὰς, τῆς Διονυσιάδος. Nec enim ὁ Διονυσίας λίθος, ut ὁ χαλαζίας, ſed ὁ Διονύσιος, ut κισσὸς Διονύσιος, *hedera Bacchica.* At ἡ Διονυσία gemma, & ἡ Διονυσιάς. Quod Solinum fefellit. Grammaticalia hæc, & minuta dicat licebit Cercoëtius, ego ipſum ἀγράμματον eſſe ajo.

Idem ſi aquæ mixtus conteratur, vinum flagrat] Vinum aquæ miſceri dicitur, & liquor liquori. Quomodo lapis aquæ miſceri poſſit, priuſquam tritus ſit, ignoro. Sed ne tritus quidem miſceri aquæ proprie dicatur. Melius uſurpaſſet ipſa Plinii verba, cujus & ſenſum male expreſſit. Sic ille, *ex aqua trita ſaporem vini facit.* Nota hæc loquutio Latine ſcientibus. *Lapidem ex aqua terere* nihil aliud eſt, quam in aqua terere, vel cum aqua, vel ſimpliciter aqua terere. Sic Græci ὕδατι τρίψασθαι dicunt, & μεθ᾽ ὕδατος. Dioſcorides de lapide galactite: δεῖ δὲ τρίψαντας αὐτὸν ὕδατι ἀποτίθεσθαι ἐν πυξίδι μολυβδίνῃ, *oportet eum ex aqua tritum in pyxide plumbea reponere.* Haud rectè loqueretur qui diceret, *oportet eum aquæ mixtum & contritum recondere.* Similis eſt loquutio: *ex jure heſterno panem atrum vorant.* Ubi notat Donatus *ex* pro *cum* poſitum eſſe. Sic, quod Græci dicunt σὺν ὕδατι πινόμενος ὠφελεῖ, Latine eſt, *ex aqua potus prodeſt.* Ita hoc loco, *ex aqua trita*, σὺν ὕδατι τριφθεῖσα, καὶ λειωθεῖσα. Nihil frequentius hac loquutione apud Plinium. Omnibus paginis occurrit. Ut de ſpongiis: *oculorum tumores levant ex mulſo impoſiti*, id eſt, σὺν οἰνομέλιτι ἐπιτιθέμενοι, quis diceret ſpongias mulſo mixtas imponi? Et paulo poſt: *imponuntur & ſpongiæ ipſæ epiphoris ex poſca, & ex aceto calido ad capitis dolores*, σὺν ὀξυκράτῳ, σὺν ὄξει. Et ſtatim: *circumligantur ſiccæ, vel ex aqua tepida poſcave*, ξηραὶ, ἢ σὺν ὕδατι χλιαρῷ ἢ ὀξυκράτῳ. Atque ita paſſim. Sic *ex ope ſumma*, *ex ſummo ſtudio aliquid facere*, id eſt, cum ope ſumma, & cum ſummo ſtudio. *Ex labore ſummo*, σὺν μεγάλῳ πόνῳ. Præterea divertit à mente Plinii Solinus, cum dicit dionyſiadem gemmam, ſi cum aqua teratur, vinum flagrare, cum dicat Plinius, *ex aqua tritam ſaporem vini facere.* Aliud eſt odor, aliud ſapor. Cum ſic ex aqua trita vini ſaporem faciat, ebrietati tamen reſiſtere putatur. Solinus: *& quod in illo odore mirificum, ebrietati reſiſtit.* Minus mirum de odore, quam de ſapore. De induſtria ita mutavit, ut non ſciretur, unde id eſſet mutuatus.

Gloſſopetra deficientibus lunis cælo cadit] Plinius: *Gloſſopetra linguæ ſimilis humanæ in terra non naſcitur, ſed deficiente luna cælo decidere, & lenocinanti neceſſaria creditur.* Longe alia eſt quam in libro veteri reperi lectionem. Sic nimirum habet: *Gloſſopetra linguæ ſimilis humana*

næ, non in terra naſci dicitur, ſed deficiente luna cælo decidere ſolo, memoriæque eſſe neceſſariam. Quæ recta eſt præ vulgata, quam procudere correctores. Solum illud *ſolo* videatur expungendum, veluti natum ex variante lectione. Poteſt tamen etiam tolerari, ſi diſtinguatur, *ſed deficiente luna cælo decidere ſolo, memoriæque eſſe neceſſariam.* Non in terra, inquit, naſci dicitur gloſſopetra, ſed ſolo cælo decidere, id eſt, cælo tantum decidere, cum deficit luna. De poteſtate vero, quam magi illi attribuunt, non paria tradit cum Plinio Solinus. Ille de ea ita ſcribit: *Quod ne credamus, promiſſi quoque vanitas facit: ventos enim ea comprimi narrant.* In veteri codice legitur: *ventrem eo comprimi narrant.* Forte: *ventum ea comprimi.* Nec enim puto ex ea ſcriptura aliud eſſe comminiſcendum. Solinus pro illis hæc habet: *non modicæ, ut magi ferunt, poteſtatis, qui ex ea lunares motus excitari putant.* Hoc quid ſit, ego profecto neſcio. An *lunares motus*, ortus & occaſus lunæ appellavit, aut abſceſſus ejus ab ſole, & ad ſolem acceſſus? Sic κινήσεις τῶν ἀςέρων Græci appellant, & Latini *ſiderum motus.* Nam aut feruntur ad ortum, aut ad occaſum moventur. Unde & *mota ſidera,* quæ orta ſunt, vel occiderunt. Græcus auctor de diebus ſeptimanæ ad numerum, ac nomen planetarum conſtitutis: Τρεῖς δὲ κινήσεις τῶν ἀςέρων προποδισμὸς, ὑποποδισμὸς, καὶ ἀκρονυχία. Per προποδισμὸν videtur intelligere motum ſtellarum, quo ad ortum procedunt: ὑποποδισμὸν, quo ad occaſum recedunt. Ita Latini *cedere*, ac *recedere* aſtra dicunt, quæ ad occaſum feſtinant, & quæ occidunt. Manilius de caniculæ occaſu:

Nec gravius cedit: namque horrida frigore ſævit.

Ὑποχωρίζει, ὑποποδίζει, occidit. At per ἀκρονυχίαν intelligit ipſa momenta ortuum, & occaſuum, tam matutinorum, quam veſpertinorum. Ut enim μέση νὺξ, & μεσονύκτιον dicitur de media nocte, ita ἀκρονύχιον de utraque noctis extremitate, quum deſinit ineunte die, & quum incipit decedente. Aratus in Prognoſticis:

Ἄκρα γε μὴν νυκτῶν κεῖναι δυοκαίδεκα μοῖραι
Ἀρκίαι ἐξειπεῖν.

Ubi ἄκρα νυκτῶν vetus ſcholiaſtes interpretatur τὴν ἑσπέραν καὶ τὸν ὄρθρον. Avienus τὰ νυκτῶν ἄκρα eo loco de crepuſculo matutino tantum accepit, quando nox oriente ſole finitur:

At decedentis poſtrema crepuſcula noctis
Bis ſex ſigna tibi, quæ verſat ſignifer orbis,
Monſtrabunt.

Ita ἀκρόθι νυκτὸς apud eumdem Aratum de nocte in diem præcipitante videntur omnes interpretes accepiſſe in iſto verſu ex Phænomenis:

Τῆμος καὶ κεφαλὴ κυνοσουρίδος ἀκρόθι νυκτὸς
Ὕψι μάλα τροχάει, ὁ δὲ δύεται ἤδη πρὸ
Ἀθρόος Ὠρίων.

Præceſſit de ſcorpio, quem oriri tum dicit πυμάτης ἐπὶ νυκτὸς, id eſt, extrema jam nocte, paulo ante auroram. Scholiaſtes περὶ τὴν ἑνδεκάτην, ἢ δωδεκάτην ὥραν τῆς νυκτὸς. Suprema noctis hora duodecima. Cicero vertit *præcipitante nocte:*

Jam prope præcipitante licebit viſere nocte
Ut ſeſe oſtendens emergit ſcorpius alte.

Nox præceps eſt nox extrema. Virgilius:

---- *& jam nox humida cælo*
Præcipitat.

Significat majorem noctis partem eſſe tranſactam. Sic *præceps æſtas*, quæ prope exacta eſt, & *ver præceps*, quod finem ſpectat. Ita quippe hæc quatuor anni tempora diſtinguebant, ut primo quidem menſe *novum* ver, *nova* æſtas, *novus* autumnus: & primo *nova* hyems diceretur, ſecundo *adulta*, tertio *præceps.* Ergo eo tempore, quo ſcorpius oritur matutino, nocte jam extrema, ac præcipiti, tum Cynoſuræ caput altè attollitur, ἀκρόθι νυκτὸς, id eſt, ſub extremum noctis. Ita Cicero accepit, ita Germanicus:

Tunc altè Cynoſura regit, tum totus in undas
Mergitur Orion.

Ita ἀκρόθι νυκτὸς, & ἤδη πρὸ idem ſignificare putavit in Græcis Arati Cicero, qui πυμάτης ἐπὶ νυκτὸς verterat, *prope præcipitante nocte,* idem ἤδη πρὸ reddit, *extrema prope nocte.*

Tum ſeſe Orion toto jam corpore condit,
Extrema prope nocte.

A Sic πυμάτῃ νυκτὶ, & ἀκρόθι νυκτὸς, & ἤδη πρὸ idem ſignificant, quod tempus horam undecimam, vel duodecimam noctis eſſe definivit vetus interpres. Avienus πυμάτης ἐπὶ νυκτὸς vertit, *jam tempore noctis adultæ:* & ἀκρόθι νυκτὸς, *matura nocte.* Ita enim ſcribit:

Tum Cynoſura etiam maturæ in tempore noctis
Altius in boream ſuſtollitur.

At ἤδη πρὸ, *redeunte die.* Profecto, ſi ex communi veterum Latinorum uſu loquutus eſt, *adulta* & *matura* nox de extrema neutiquam ſumi poſſit. *Adulta* potius de media nocte dicatur, ut *adulta* hiems, & *adulta æſtas*, quæ inter primam & extremam media eſt. At in verſi-

B bus Arati πρώτη νὺξ, & πυμάτη, ſive ἐσχάτη opponuntur:

---- οἵτ᾽ ὠκεανοῦ ἀρύονται
Ἀςέρες ἀμφιλύκης, οἵ τε πρώτης ἐπὶ νυκτὸς.

Huic contrarium, quod alibi dixit, Sagittarium πυμάτης ἐπὶ νυκτὸς. Ita etiam *matura* nox longe ab extrema, quæ etiam ἄκρη νὺξ Arato dicitur. *Matura dies* Virgilio perfecta, & plena.

---- *revoluta ruebat*
Matura jam luce dies.

C Servius interpretatur plenam, & valde claram: *nec enim, inquit, crepuſculum ſed lux jam matura deſcribitur.* Si *matura nox* eo ſenſu ſumatur, id noctis tempus intelligendum eſſet, quod ab ineuntis diei crepuſculo jam multum proceſſit, quum plena jam, ac perfecta nox eſt. *Clauſam noctem* vulgo vocamus. Λυχναψίαν veteres Græci. Nam *matura dies* apud poëtam opponitur dubiæ, & incertæ luci, qualis eſt ſub crepuſculo. Quid igitur faciemus Avieno, qui tam diverſa ſignificatione πυμάτην, & ἄκρην νύκτα Arati expreſſerit, & *adultam, maturamque noctem* pro extrema, ac decedente vocaverit? Certe contra vulgarem loquendi morem magis fecit, quam contra Græci auctoris mentem. Eam quippe recte expreſſiſſe arguunt iſta:

D ---- *vel duri ſideris index*
Scorpius exoriens ſit tempore noctis adultæ.
Hic matutino veniens procul æquore chelam
Erigit è pelago.

Scorpium exorientem noctis adultæ tempore facit, qui matutinus oritur. Ergo *noctem adultam* de eo tempore uſurpavit, quo nox finem accipit adveniente die. Eodem ſenſu & *maturam noctem* poſuit de noctis ſupremo tempore, quod Aratus dixit ἀκρόθι νυκτὸς. Et ſane cum ἄκρα νυκτῶν de poſtremis noctis decedentis crepuſculis alibi apud eum poëtam accepiſſet, haud poterat aliter hoc loco ſumere iſtud ἀκρόθι νυκτὸς, quam de noctis præ-

E cipitis, & extremæ tempore. Mira tamen loquutio *adultum*, & *maturum* vocare, quod extremum eſt, atque ultimum. Græci τὸ ἄκρον vocant, non ſolum quod extremum eſt, ſed etiam quod perfectum, ac τέλειον. In unaquaque re id, quod ad ſummum perfectionis numerum pervenit, hoc nomine cenſeri debet. Res quippe omnes, ubi certum, ſtatumque floris ſui, & ἀκμῆς cacumen aſcenderunt, poſtea decidunt, ac retro feruntur. Cum in eo acumine ſunt, tum ἀκρότητα ſuam obtinent. Sic ætas ea demum perfecta cenſenda eſt, quæ modum habet, nec amplius perfici poteſt. Quia vero plures ſunt ætatum differentiæ, in ſingulis hoc ἄκρον, ac τέλειον con-

F ſideratur. Virilis ætas ea demum matura eſt, quæ amplius non habet, quo virilior fieri poſſit. Senectus etiam maturitate ſua cenſetur, quam ubi aſſequuta eſt, ut ſummum ſuum culmen, retro ſublabi incipit, & in decrepitam ferri. Hinc *matura ſenectus* poëtis, & *maturi ſenes.* Adoleſcentia quoque ubi has metas tetigit, & adoleſcendi finem cepit, tum vere adulta, ac matura dici queat, poſt illa vergit in virilitatem. Omnia, quæ ἐν ἀκμῇ ſunt, etiam ἐν τῷ ἄκρῳ conſiſtere videri debent. Et ſane utrumque ab eadem origine. Maturitas in fructibus etiam ἀκρότης putanda, καὶ τελειότης. Inde eſt, quod Avienus *ma-*

G *turam,* & *adultam noctem* ἀντὶ τῆς ἄκρης, καὶ πυμάτης νυκτὸς poſuit, quia omne maturum, & adultum etiam ἄκρον. Ita ἄκρα νυκτῶν, & ἀκρόθι νυκτὸς apud Aratum de nocte accepit decedente, & extrema. Idem tamen Aratus ἄκρην νυκτὶ etiam de prima, & ineunte nocte poſuit.

Ἄλλα δ᾽ ἀνερχόμενος τότε δ᾽ ἄκρῃ νυκτὶ κελεύων
Ἠέλιος.

Ubi ἄκρη νὺξ eſt πρώτη, non πυμάτη. Hinc ἀκρονυχίαν recentiores Græci de utroque tempore acceperunt tam matutino,

matutino, quam vespertino: quia utrumque tempus τὰ ἄκρα τῆς νυκτὸς constituit. Ideo ἀκρονυχίαν vocarunt ortus, & occasus siderum matutinos, vespertinosque. Joannes Tzetzes in Hesiodi Ἔργα.

Τὰς ἀκρονύχους εἰ μαθεῖν φαύσεις θέλεις
Ἀνατολάς τε καὶ δύσεις τῶν ἀςέρων.

Versibus deinde sequentibus multis ortuum, occasuumque differentias exponit, quinam ex his ἑῷοι sint, qui δυτικοί. Ita & Græcus auctor, quem suprà citavimus, quum ex tribus stellarum motibus tertium vocat ἀκρονυχίαν, omnem ortum & occasum eo nomine comprehendit, qui vespere fit & mane. Veteres tamen Græci magis propriè ἀκρονύκιον de primo noctis ineuntis tempore usurparunt, quam de extremo finientis; & ἀκρονυχεὶ oriri ea sidera dixerunt, quæ vesperi oriuntur, non quæ matutino, stellas ipsas, quæ in ortu vespertino sunt, ἀκρονύχους vocantes. Hesiodo dicuntur ἀκροκνεφαῖοι, quod idem est atque ἀκρόνυχοι.

Ἀρκτοῦρος προλιπὼν ἱερὸν ῥόον Ὠκεανοῖο
Πρῶτον παμφαίνων ἐπιτέλλεται ἀκροκνεφαῖος.

Proclus ad eum locum: αὕτη ἐστὶν ἡ ἑσπερία ἐπιτολὴ τοῦ ἀρκτούρου ἐν τῷ ἄκρῳ τοῦ καιροῦ τῆς νυκτὸς ἀνατέλλοντος, κνέφας γὰρ ἡ νύξ. Καὶ παρέχειν ἔτος τοῖς ἀστρονόμοις ἀκρονύχους τούτους καλεῖν. Firmicus lib. II. cap. VIII. *Acronychoe, quæ tunc oriuntur cum sol occidit.* Ita legendum ἀκρόνυχοι. Eæ igitur ἀκρόνυχοι tantum dicebantur, quæ tunc in ortu sunt, quum sol occidit. At recentioribus Græcis ἀκρόνυχοι sunt, & quæ vespertinæ in ortu sunt, & quæ matutinæ, tum quæ matutinos ortus habent & quæ vespertinos. Non ita vetus Græcia, quæ ἄκραν νύκτα de primordio noctis, ac crepusculo tantum dixit. Videndum itaque an non falsi sint veteres omnes interpretes, qui ἀκρόθι νυκτὸς in Arato de noctis fine exposuerunt, quum de principio fuerit exponendum. Certè ἀκρόθι νυκτὸς, & ἠῶθι πρὸ videtur ipse distinxisse, quum tamen antiqui interpretes pro eodem utrumque sumant:

---- κεφαλὴ κυνοσουρίδος ἀκρόθι νυκτὸς
Ὕψι μάλα τροχάει, ὁ δὲ δύεται ἠῶθι πρὸ
Ἀθρόος Ὠρίων.

Et fanè, quum ἄκραν νύκτα alio loco manifestè dixerit de primore noctis parte, neutiquam censendum est alia significatione illud ἀκρόθι νυκτὸς usurpasse. Sed quodcunque sit, gravissimè lapsus est vir egregius Jovianus Pontanus, qui libro III rerum cælestium ἀκρόνυκτον de nocte media interpretatur, ubi secundam ætatem planetarum statuit à prima statione matutina, quam faciunt usque ad ἀκρόνυκτον, id est, ut ipse dicit, *dum de nocte jam media oriuntur.* Quod profectò falsissimum est, & vi vocis hujus ex diametro adversatur. Τὰ ἄκρα sunt ἀρχὴ καὶ τέλος. Ergo ἀκρονύκτιον aut finis noctis, aut initium. De medio non potest accipi. De initio noctis hanc vocem veteres magis posuisse diximus. Recentiores tam de exitu, quam principio. Præterea post matutinas stationes factas non de media nocte oriuntur erraticæ stellæ, sed ortus vespertinos faciunt, quos Græci ἀκρονύχους appellant. Vetus auctor, qui Censorini editioni vulgo adjicitur: *Ortum facit stella, quam sol præterit: deinde stationem matutinam, quum a quinto signo solis steterit. In eodem manet signo, donec ab eodem sol moveatur. Quæ contraria est soli, eo in mare occidente oritur prima nocte, & vocatur acronychos. Deinde rursus altero latere a quinto signo deprehensa vespertinam stationem facit, donec ingresso sole idem signum sub radiis ejus delitescat, & in totum occidat.* Ita emendamus deploratissimum in editis locum. Igitur ἀκρονυχῶς stella oritur, & ἀκρόνυχος ipsa appellatur, quæ vespertinum ortum facit, habetque solem adversum in contraria parte occidentem. Tum à septimo signo sol eam conspicit, radiatione diametra. Tzetzes:

Μοίρας δ' ἑκατὸν ὀγδοήκοντα τρέχων
Ἀστὴρ ὄπισθεν ἡλίου διαμέτρως
Δύοντος εἰς γῆν ἀκρονυχίας τρέχει.

Hunc aspectum, qui fit à septimo signo, partes centum octoginta, hoc est, dimidium circuli subtendere notum est. Auctor Anonymus: *Item ex contrario, quod est septimum signum, & diametron vocatur, estque maxime contrarium.* Proclus: ὧν δὲ γίνεται ἀπ' ἐναντίας τούτων ἀνατελλόντων ὅτε καταδύεται. Plinius lib. II. cap. XV. *Mox in adverso a partibus centum octoginta exortus vespertinos.* Malè scripti libri præferunt, *in averso.* Item cap.

A XVI. *Multo id magis in vespertino earum exortu toto sole adverso cum in summas hapsidas expelluntur.* Nec rectè ibi libri legunt: *sole averso.* Hic est vespertinus exortus, quem Græci sic definiunt: Ἑσπερία ἐπιτολὴ, ὅταν δύνοντος ἡλίου ὀρθὴ τι ἄστρον ἐπὶ τῆς ἀνατολῆς πρῶτον τῶν ὅσα κατ' ἐκείνην τὴν νύκτα ἀνίσχει. Alii, τὴν μετὰ τὰς καταδύσεις εὐθὺς ἀνατολήν. Hoc de fixis stellis sciscunt, quod nec minus in erraticis obtinet. Hic solus vespertinus exortus veteribus dictus est ἀκρόνυχος, non etiam matutinus. Quod satis arguit veteres ἄκραν νύκτα, & ἄκρα νυκτῶν de priore noctis parte, hoc est, vespera, vel crepusculo tantum dixisse, non vero de extrema, quæ auroram antecedit. Firmicus lib. II. cap. VIII de erra-
B ticis: *Matutinæ sunt in ortu, quæ præcedentes solis orbem oriuntur. Vespertinæ vero in ortu, quæ orientem solem sequuntur.* Hæc prorsus non intelligo. Et statim apud eum sequitur, *ἀκρονύχους dici, quæ tunc oriuntur, quum sol occidit.* Ergo duplex ortus vespertinus errantium stellarum, quum solem habent ex diametro conspectu oppositum, & quum solem sequuntur orientem. Quod est falsissimum. Idem tamen hoc repetit eodem capite: *inefficaces vero stellæ fiunt, quoties solis orbem vespertino ortu fuerint subsequutæ.* Atqui tantum abest, ut vespertino ortu
C solem subsequantur, ut tum longissimè à sole distent totis sex signis interjacentibus, vel dimidia circuli parte Vespere siquidem oriuntur, quum sol occidit. Mendum esse in illis verbis plus quam certa fides est. Legendum itaque in priore loco: *vespertinæ vero in coitu quæ occidentem solem sequuntur.* Vel etiam: *vespertinæ vero in occasu.* Et posteriore sic lego: *inefficaces vero stellæ fiunt, quoties solis orbem vespertino coitu fuerint subsequutæ.* Vespertinus coitus errantium cum sole, & vespertinus occasus eas occultat. Plinius: *inferiores autem duæ occultantur in coitu vespertino simili modo.* Et paulo post, *ab his retrogradiuntur ad solem, & occasu vespertino delitescunt.* Idem
D est de tribus ceteris, quæ suprà solem circinationes suas peragunt. Plinius: *donec assequutus in partibus duodenis occultet illas, qui vespertini occasus appellantur.* Emendationem nostram unice confirmat Firmicus ipse capite sequenti, ubi explicat, quot partibus à sole recedere debeant singulæ erraticæ, ut matutinæ dicantur, & quo partium rursus numero ad solem accedere, ut sint vespertinæ. De occasu utique vespertino earum intelligit, non de ortu. *Nunc sciendum,* inquit, *quod Saturni stella, cum a sole duodenis partibus recesserit, id est, cum præcedens orta fuerit, matutina erit. Simili modo etiam Juppiter undenis partibus recedens matutinum se facit præceden-*
E *tem.* Reliquas octonis tantum partibus abesse vult à sole, ut matutinæ sint, in ortu scilicet, ut matutinos ortus faciant præcedentes solem. Mox subjicit: *Vespertinæ vero sunt, cum in isto partis numero constitutæ solem subsequutæ fuerint.* Cave putes, ut matutinæ in ortu dictæ sunt, ita heic vespertinas in ortu intelligendas esse. Partibus duodenis, quum à sole discedit Saturnus, matutino dicitur exoriri, & matutinus est in ortu. Idem quum in totidem partibus solem subsequutus est in vespertino occasu, vespertinus vocatur. Ita de reliquis. Sane quum vespertinum ortum faciunt illæ stellæ, non duodenis partibus à sole tum distant, sed centum & octo-
F ginta, vel circuli totius semisse. Ubi ab solem regressa est planeta, quod in occasu vespertino facit, radiis ejus occultatur, & in totum delitescit donec ab illis sese liberet denuo, & mane rursus exoriatur, ut prius, efficiaturque matutina. Vespertinum occasum Græci ita definiunt: ἑσπερία δὲ δύσις λέγεται, ὅταν ἡλίου δύνοντος ἄστρον ὀρθὸν ᾖ πρὸ τῶν ἄλλων ἐγκαταδύνον αὐτὸ ὡς ἂν ὑπὸ τῆς αὐγαῖς τοῦ ἡλίου φθάνηται. Ὁ δὲ ὑπὸ ταῖς αὐγαῖς χρόνος πᾶς κρύψις ὀνομάζεται. Plinius: *donec assequutus in partibus duodenis occultet illas, qui vespertini occasus appellantur.* Tum dicuntur & *synodicæ*, quia in coitu sunt. Firmicus:
G *Stellæ quinque matutinæ fiunt, aut vespertinæ occidentales, seu absconsæ, quæ a Græcis ἀφανεῖς, καὶ συνοδικαὶ dicuntur, aut ἀκρόνυχοι.* Ita legendus ille locus. Perperam scribitur: *aut vespertinæ, aut occidentales.* Vespertinæ occidentales sunt, quæ vesperi occidunt, eædem & *synodicæ* appellatæ, quod tunc sint in synodo cum sole, & *absconsæ*, quia radiis solis occultantur. At diversæ ab his *acronycæ*, quæ tunc oriuntur, quum sol occidit. Eæ sunt in ortu vespertinæ. De matutino earum exortu jam videa-

mus. Plinius: *Errantium autem tres, quas ſupra ſolem diximus ſitas, occultantur meantes cum eo. Exoriuntur vero matutino, diſcedentes partibus nunquam amplius undenis.* In optimo codice ſcriptum: *diſcente.* Forte legendum, *diſſitæ partibus nonnunquam amplius undenis.* Saturnum partibus duodecim à ſole abeſſe dicit Firmicus, quum matutino exoritur ſolem præcedens, Martem undecim: reliquas octo. Proclus: ἑῴαν ἐπιτολὴν exponit τὴν περὶ τῶν ἡλιακῶν αὐγῶν ἔμφασιν. Sic legendum. Male ſcriptum, ἡ πρώτη τῶν ἡλιακῶν αὐγῶν ἔμφασις. Theon ἑῴαν ἀνατολὴν eſſe dicit, ὅταν ἔξω τῶν αὐγῶν τοῦ ἡλίου πρωῒ ἵστηται τὸ ἄστρον, καὶ πρὸ αὐτοῦ ἀνατέλλον ὀφθῇ. Ut ſit ortus matutinus ſtellæ, debet ſolem præcedere, & extra ictum radiorum ejus conſiſtere, dum oritur. Alias cum ſole dicitur oriri, nec poteſt adſpici. Ideo exigit Theo, ut ſit ἔξω τῶν αὐγῶν ἡλίου, & matutinum ortum facere eam tum memorat, ὅταν ἀνατέλλον ὀφθῇ, *quum exoriens conſpicitur.* Nam ſi ὕπαυγος oriatur, radiis ſolis oppreſſa deliteſcit, nec videtur. Quot igitur partibus abeſſe debet à ſole ſtella, ut matutino exoriatur? Idem Plinius lib. XVIII. cap. XXV de ortu, & occaſu matutino, ac veſpertino: *Dodrantes horarum cum minimum intervalla ea deſiderant ante ſolis ortum, vel poſt occaſum, ut adſpici poſſint.* Quindenæ partes circuli ſingulis horis tribuuntur. Dodrans horæ quadraginta quinque habet horaria ſcrupula. Decem partes circuli quadraginta quatuor ſcrupula faciunt horæ. Ergo denis partibus cum minimum debet à ſole diſtare ſtella, ut ante ortum ſolis adſpici queat, & poſt occaſum. Sed de ſtellis fixis ibi loquitur Plinius, *omnis ſermo eſt*, inquit, *de his ſtellis, quas adhærere cælo diximus.* Et recte. Nam ex erraticis Mars, Venus, & Mercurius etiam in octava parte à ſole conſtitutæ Firmico teſte matutinos ortus, & occaſus veſpertinos faciunt. Saturnus autem duodenis partibus à ſole diſſitus matutinus in ortu eſt: Juppiter undenis. Lunam intra quatuordecim partes ſolis ſemper occultari prodit Plinius, eoque argumento colligi minorem eſſe ceteris errantibus, quæ plerumque vel in ſeptenis partibus à ſole ſeſe liberent. Capite de luna: *Intra quatuordecim autem partes ſolis ſemper occultam eſſe. Quo argumento & amplior errantium ſtellarum, quam lunæ magnitudo colligitur: quando illæ & in ſeptenis interdum partibus emergunt.* Ita ſcribo ex veteri, qui habet, *etiam ſeptenis.* Emergunt ſtellæ in ſeptenis partibus, quæ eo intervallo à ſole diſſitæ, non tamen radiis ejus premuntur, & occultantur, ſed adſpiciuntur exorientes matutino ante ſolis ortum. At luna etiamſi quatuordecim partibus à ſole receſſerit, haud tamen emergit, ſed occulta eſt. Legendum etiam in illo Plinii loco: *quo argumento amplior errantium ceterarum, quam lunæ magnitudo colligitur.* Non, *errantium ſtellarum.* Nam luna etiam una ex errantibus. Et *errantes* abſolute dicuntur. Tzetzes ſcribit matutinum ſtellarum exortum fieri, quum quindecim partibus ortum ſolis præcurrunt.

Ἀστὴρ πρὸ μοιρῶν πεντεκαίδεκα τρέχων
Ἐν τοῖς ἄνωθεν ζωδίων ἀναδρόμοις
Τὸν ἥλιον βλέπων γὰρ τοῖς κάτω δρόμοις
Ποσὴν ἀποκτρέχοντα μοιρῶν, ὧν ἔφην
Ἀνατολὴν ἑῴαν εὐδρομῶν τρέχει.

Si ſtella in ortu ſuper horizontem aſcendat, quæ Solem quindecim partibus in inferiori hemiſphærio poſitum reliquerit, ἑῴαν ἀνατολὴν hanc ejus eſſe dicit. Vult ergo ſtellam, quæ matutino oriatur, hora integra præcedere ſolis ortum. At ſi minus quam quindecim partibus eum prævenerit, utpote ſi quatuordecim, aut tredecim partium intervallo ante ſolem oriatur, non matutinum exortum hunc dicendum, ſed potius occaſum matutinum:

Εἰ δ᾽ αὖ προδεδραμοι προσδραμόντος ἡλίου
Μοίρας ἐλάττους δύσιν ἑῴαν τρέχει.

Quod profecto mirum eſt. Igitur erraticæ, quæ interdum in ſeptenis partibus, ſive gradibus manè exoriuntur, nunquam plus duodenis, non matutinum exortum tunc facere dicendæ ſunt, ſed matutinum occaſum. Diſertè tamen hoc ipſum etiam alibi adſtruxit his verbis; ὅταν τις ἀστὴρ, ἢ ἄστρον ἐν ταῖς προηγουμέναις, καὶ πρώταις μοίραις ζωδίου τινὸς ἐπισταίη, ἅσπερ καὶ δεξιὰς, καὶ ἀνατολικὰς λέγουσιν, ὁ δ᾽ ἥλιος προσδεδραμὼν ταύταις ἐν ταῖς ἑπομέναις, καὶ μετὰ ταύτας ἐνστῇ, ἃς καὶ ἀριστερὰς καλοῦσι καὶ δυτικὰς δέκα πέντε μοίρας ἀπέχων τοῦ ἀστέρος, λέγεται τότε ὁ ἀστὴρ ἑῴαν ἀνατολὴν πρὸς τὸν ἥλιον ἔχειν. Δύσις δὲ ἑῴα ἐστιν ἀστέρος, ὅταν ἐν ταῖς ἡγουμέναις, ὁ ἀστὴρ φανῇ. Ἐν ταῖς ἑπομέναις δὲ ὁ ἥλιος τρέχῃ ἀφεστηκὼς τοῦ ἀστέρος ιδ᾽ ἢ ιγ᾽ ἢ ἐλάττονας μοίρας. Clare ſignificat ἑῴαν δύσιν tum dici, cum ſtella, quæ ante ſolem exoritur, tredecim aut quatuordecim gradibus longe à ſole ſteterit. Exortum itaque matutinum in quindecim tantum partibus fieri, ac dici exiſtimavit. Mira vero hæc τῆς ἑῴας δύσεως explanatio, quum ceteri omnes, ac vetuſtiores Græci ἑῴαν δύσιν eam eſſe doceant, quando ſtella aliqua tum occidit, quum ſol exoritur, quod diaſtema diametri eſt adſpectus, æque ut in exortu ſtellæ veſpertino. Proclus: ὧν δὲ γίνεται ἀπ᾽ ἐναντίας τούτων, ἀνατελλόντων μὲν ὅτε καταδύεται, καταδυομένων δὲ ὅταν αὐτὸς ἀνατέλλῃ. Idem δύσιν ἑῴαν explicat τὴν πρὸ τῶν ἀνατολῶν ὀλίγον εἰς τὸν δυτικὸν ὁρίζοντα ἀστέρος ἄφιξις. Stella, quæ oritur, quum ſol occidit, adverſum habet ſolem, & veſpertinum, ſive acronychum facit exortum. E contra, quæ occidit, quum ſol oritur, ſolem etiam ἐξ ἐναντίας habet, & matutinum facere occaſum dicitur. Tzetzæ ἑῴα δύσις ſtellæ appellatur, quæ in ortu matutino minore intervallo quàm partium quindecim, hoc eſt, unius horæ ſolem præcucurrerit. Video tamen, quid voluerit Tzetzes, ac plerique recentiorum. Stellas nimirum, quæ in ortu ſuo propius à ſole abſtiterint quam quindecim partium diaſtemate, eas radiis ſolis obrui, & abſcondi. Igitur, quæ ante ſolem oriantur, intervallo minore quam partium quindecim, propter ſolis vicinitatem non videri, atque ideo occidere potius matutino quam oriri. Nam & occidere dicebantur, quas ſolis adventus occultat, ut contra oriri, quæ emergunt, ac ſeſe oſtentant abſceſſu ſolis. *Emerſum hoc*, inquit Plinius, *melius quam exortum conſuetudo dixiſſet: & illud occultationem potius quam occaſum.* Ex conſuetudine itaque vulgi loquutus eſt Tzetzes, quum δύσιν ἑῴαν interpretatur de ſtella, quæ cum ſole exoritur. Stella ſit, quæ mane exoriatur ante ſolis ortum, quindenis partibus ab eo diſſita. Ea ſtella, quoniam in ortu conſpicitur, nec radiis ſolis, dum oritur, deliteſcit, matutinum exortum facere recte dicitur. Eadem ſtella alio tempore pariter mane oriatur, & ſolem præcurrat, ſed quatuordecim, aut tredecim, vel etiam paucioribus partibus ab eo diſtans, quia in ea ſolis proximitate videri prohibetur, non jam matutinus hic ejus ortus habeatur, ſed matutinus occaſus. Κοσμικῶς quidem oritur, quia cum ſole, & mundo oritur, ſed ἡλιακῶς occidit, quoniam ſol eam vicinior occultat, & viſibus noſtris ſubtrahit. Hinc differentia illa nata coſmici, & heliaci ortus, occaſuſque, quæ ſic etiam explicanda eſt. Sequitur apud Tzetzen de ortu, & occaſu veſpertino, & utrumque ad hunc modum interpretatur:

Τὰς πέντε καὶ δέκα γὰρ τῶν μοιρῶν πάλιν
Ἀστὴρ ὁ ῥηθεὶς ὑστερήσας ἡλίου
Ἀνατολὴν τρέχει μὲν ἀλλ᾽ ἐξ ἑσπέρας
Ἐσῶς κατ᾽ αὐτοὺς τοὺς κάτω καταδρόμους
Εἰ δ᾽ αὖ ἐλάττους, τὴν δύσιν τὴν ἑσπέραν.

Notum eſt, quomodo veteres τὴν ἑσπερίαν ἀνατολὴν καὶ δύσιν exponant, ut jam ſupra docuimus. Scilicet ἑσπερίαν ἀνατολὴν volunt illi eſſe, quum veſpere oritur ſtella, ſole occidente, ut contra ἑσπερίαν δύσιν, quum occidit ſtella ſole occidente, vel poſt ſolis occaſum. Ἑσπερία δὲ δύσις, ἡ μετὰ τὰς ἡλίου καταδύσεις εὐθὺς κατάδυσις. Quæ cum ſole occidunt, vel paulo poſt ſolis occaſum, veſpertinæ occidere dicuntur. Tzetzes longe aliter expedit. Sit ſtella, quæ ad occaſum feſtinans ſolem ſequatur, & quindecim partibus ab eo diſſita. In totidem partibus poſterius occidat quam ſol ipſe. Quoniam illa ſtella eo momento, quo occidit, apparet, ac radiis ſolis liberata velut emergit, veſpertinum ortum facere cenſenda eſt, licet revera occidat. Κοσμικῶς quidem occidit cum ſole & mundo, ſed ἡλιακῶς oritur, quoniam ſolis abſceſſu in quindecim partibus, quæ antea non apparebat, in ipſo occaſus ſui articulo incipit emergere, atque aſpici. Si qua vero ſtella veſpere occidat, quæ præoccidentem ſolem breviori quam quindenarum partium intervallo continuetur, quandoquidem in occaſu ſuo non conſpicitur, nec ſeſe profert, propter nimiam ſolis propinquitatem, ea veſpertinum

ſpertinum occaſum facit. Atque hæc Tzetzis mens eſt, qui de hoc veſpertino occaſu idem cum cæteris ſentit. Canis ſidus veſpere oriri ſole Taurum permeante inter auctores convenit. De hoc veſpertino canis occaſu intelligit poëta his verſibus:

---- *auratis aperit cum cornibus annum*
Taurus, & averſo cedens canis occidit aſtro.

Ita legendum docuimus ante. *Averſum aſtrum* dicitur Argo, quæ incedit averſa, & à puppe, πρυμνόθεν, καὶ ὄπιθεν πεπερασμένη. Canem quando oritur, poſt ſe trahere navem Argo canit. Aratus:

... φθάνει δ' ὁ κύων πόδας αἰεὶ ὕπτιος ἄλλους
Ἕλκων ἐξόπιθεν πρύμναν πολυτείρεος Ἀργοῦς.

Ergo & cum occidit, Argoæ puppi cedit, & locum dat, quæ & ipſa poſt eum occidit, ut oritur. Hic ſenſus Virgilii, quem Grammatici non videre. Ceterum, ſi canis veſpere tum occidit, utique ſole occidente, aut poſt ſolis occaſum occidere dicendus eſt. Hæc enim eſt ἑσπερία δύσις, ἡ μετὰ τὰς καταδύσεις τοῦ ἡλίου εὐθὺς κατάδυσις. Atqui Servius eo tempore canem ad ortum feſtinare, & oriri notat. Sane & Ovidius per Robigalia canem exoriri ſcribit, quo tempore cum veſperi occidere ceteri volunt. Canarium ſacrificium tum fieri idem etiam ait, ut & Plinius, aliique. In ortu caniculæ ſunt, qui tradant Romæ canes necari ſolitos propter caniculæ ſidus, quod in rabiem canes agit. Græci: ὅτι τῇ πρὸ τρίτης Νοννῶν Αὐγούστων ἀνήρουν ἀκωλύτως ἐν Ῥώμῃ τοὺς κύνας εἰς τιμὴν τῶν χηνῶν, ὅτι τὸ Καπετώλιον οἱ μὲν κύνες προέδωκαν ὑπνώσαντες, οἱ δὲ χῆνες ἐγρηγορότες διέσωσαν. Οἱ δὲ φασὶν τοῦτο ἐποίουν ἵνα μὴ ὀχληροὶ τῆς νυκτὸς γίνωνται. Οἱ δὲ ἵνα μὴ λυττῶντες τοὺς ἀνθρώπους βλάπτωσι, τηνικαῦτα γὰρ ὁ Σείριος ἀνατέλλει, ὃς καὶ δοκεῖ τῆς λύττης αἴτιος αὐτοῖς εἶναι. Sed hoc aliud eſt. Si canis porro in veſpertino occaſu poſitus tot partibus à ſole jam abſconſo diſtaret, ut ſub radiis ejus deliteſcere non poſſet, juxta Tzetzen, & vulgi conſuetudinem in ortu veſpertino poſitus eſſe diceretur. Et hic ortus veriſſima ratione *heliacus* dici mereatur, quoniam ſol ſatis longo ſpatio ab ea ſtella, quæ tum occidit, diſſitus, in cauſa eſt, ut adſpiciatur. Et licet tum occidat, oritur tamen etiam quadamtenus, quia videtur in occaſu ſuo. At quum auctores dicunt, ſtellam aliquam *veſpere ſe cælare*, *veſpere occultari*, & *abſcondi*, de veſpertino illius ſtellæ occaſu intelligunt, qui fit ſole occidente, aut paulo poſt ſolis occaſum, quum propter ſolis vicinitatem, tota ſub ejus radiis deliteſcit. Scholiaſtes Apollonii: ἑσπερία δὲ δύσις λέγεται ὅταν ἡλίου δύνοντος ἄστρον ὀρθῇ ἢ πρὸ τῶν ἄλλων ἐγκαταδύνον αὐτὸ ὡς ἂν ὑπὸ ταῖς αὐγαῖς τοῦ ἡλίου γένηται. Nam, ut idem ſubjicit: ὁ ὑπὸ ταῖς αὐγαῖς χρόνος πᾶς κρύψις ὀνομάζεται. Scribit Columella canis ſidus pridie idus Majas *veſpere ſe cælare*, hoc eſt, ἑσπερίαν δύσιν ποιεῖν, & κρύπτεσθαι. Plinius Bœotiæ, & Atticæ canem veſpere occultari ſexto kalendas Majas. Eamdem κρύψιν, ſive ἑσπερίαν δύσιν intelligit, quæ accidit paulo ante ſolis occaſum, vel ſole tantum non occidente. Octavo Idus Majas canem Ægypto veſpere occultari tradit idem, & eamdem veſpertinam occultationem, ſive veſpertinum canis cum ſole occaſum deſignat. Idem alio loco narrat poſt dies undetriginta ab æquinoctio verno per quatriduum in quartum kalendas Maji canem occidere. Septimum kalendas Maji dicere vult, quo die Robigalia. De veſpertino autem occaſu ejus ſideris loquitur. Quod ſi in illo occaſu poſitum conſpicitur, nec κρύψιν patitur, etiam tum oriri poteſt dici, ſed ἡλιακῶς. Hæc è converſo accipiunt veteres Grammatici, & profecto nugantur. Servius eo tempore, quo ſol in tauro eſt, canem oriri notat poſt quartam diei horam. Tunc enim oriri cancrum, cujus paranatellon eſt canis. Quia igitur poſt quartam diei horam tunc oritur canis, quo tempore nobis non poteſt videri propter ſolem; Sic fit, inquit, *ut canis nobis occidat, quantum autem ad ſolis pertinet curſum, in ortu eſſe videatur.* Immo quantum ad ſolem attinet, in occaſu eſt. Nam patitur κρύψιν ἡλιακήν. Species eſt quædam δύσεως illa κρύψις. Etenim conſuetudo vulgi occidere ea ſidera dicit, quæ ſolis adventus occultat, ut contra oriri, quæ proferuntur, & emergunt abſceſſu ſolis. Ergo quæ κρύψιν ἡλιακὴν patiuntur, etiam ἡλιακὴν δύσιν facere cenſenda ſunt, quum κρύψις ſit δύσις. Auctores Græci κρύψιν ἡλιακὴν vocant omne illud tempus, quo ſtellæ cum ſole meantes, aut cum eo orientes, vel etiam occidentes occultantur, πάντα χρόνον τὸν ὑπὸ ταῖς αὐγαῖς. Ubi vero à ſole relinquuntur, & per ejus abſtantiam emergunt, exortum ἡλιακὸν faciunt. Græci ἐπιτολὴν hunc exortum proprie appellitant, & ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς diſtinguunt. Ἐπιτολὴ ἡ φανέρωσις τῶν ἄστρων ἡ μετὰ τὴν κρύψιν τὴν ἡλιακήν. At ἀνατολὴν definiunt σὺν τῷ ἡλίῳ τῶν ἄστρων ἀναφοράν. Stella itaque, quæ prius oritur, quam ſol radios ſuos exerat, & quæ in ortu ſuo conſpicitur, ἐπιτέλλειν proprie dicitur: quæ vero cum ſole exoritur, nec videtur, ἀνατέλλειν. Hæc ἀνατολὴ ſtellæ δύσις eſt ἑῴα Tzetzis, quia κρύψιν ἡλιακὴν matutina patitur. E contrario ſtella, quæ cum ſole occidit, ἑσπερίαν δύσιν facit, quia tunc occultatur in occaſu ſuo. At ſi eadem multo poſt ſolem occidat, ita ut videri queat, ἐπιτολὴ ἑσπερία hæc vocanda eſt, atque ita vocat Tzetzes ἀνατολὴν ἐξ ἑσπέρας, quoniam in ortu eſt heliaco, qui contrarius eſt ἡλιακῇ κρύψει, ſive δύσει. Alii tamen ἑσπερίαν ἐπιτολὴν appellant ejus ſideris, quod ſole occidente oritur. At Servius *ortum heliacum* appellat, quo ſidera cum ſole exoriuntur, quæ nec videntur: cum potius hæc ſit κρύψις, ſive δύσις ἡλιακή. Tzetzes δύσιν ἑῴαν vocat. Verba Servii: *Secundum hanc rationem etiam paulo poſt dicturus eſt.*

Ante tibi eoæ Atlantides abſcondantur.

Nam eoas ait in ortu heliaco poſitas: unde &, tibi abſcondantur, intulit. Mirifice nugatur, & fallitur. *Virgilias eoas abſcondi* ita interpretatur, quæ cum ſole oriantur. Eoas igitur appellari, quæ in ortu heliaco poſitæ ſint, id eſt, quæ cum ipſo ſole mane exortum faciant. Eaſdem autem abſcondi, quia ſolis radiis occultentur tum, ut omnia ſidera, quæ cum ſole matutinum exortum faciunt. Nihil tam contrarium poëtæ menti, & ſiderum diſciplinæ, & ruſticorum obſervationi, quam hæc eſt interpretatio grammatici. Palam eſt, eo loco Virgilium non de matutino Virgiliarum exortu agere, ſed de matutino earum occaſu. Τὴν ἑῴαν δύσιν, non τὴν ἑῴαν ἐπιτολὴν hujus ſideris deſignat. *Eoas abſcondi* dicit, quæ mane occidunt, ac merguntur, non quæ ſolis præſentia occultantur una exorientis. Matutinus occaſus ſtellarum is eſt, quo mane demerguntur in occidentali parte ſub id tempus, quo ſol in orientali exiſtit, & emergit. Præcipit poëta non prius ſulcis committenda ſemina, quam Vergiliæ matutinum occaſum faciant. Habet ex Heſiodi præceptis:

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ' ἀμήτου, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων.

Ubi ἄροτον, τὸν σπόρον potius quam τὸν νεατὸν accipiendum eſſe res ipſa loquitur, quamvis dubitet & Proclus, cujus hæc verba ſunt ad eum locum: εἰ μὲν ἄροτον τὸν νεατὸν φησὶ τὴν ἀπὸ τοῦ ταύρου εἰσβολὴν πρὸς τοὺς διδύμους τοῦ ἡλίου φησίν. Εἰ δὲ ἄροτον τὸν σπόρον φησὶ, τὸν καιρὸν δηλοῖ καθ' ὃν ὁ ἥλιος εἰς τὸν σκόρπιον ἐμβάλλει. Vocat νεατὸν primam arationem, quæ vere fit, qua novatur ager. Græci ter arabant agros, ut & Romani. Quæ primo arabatur terra, *proſcindi* dicebatur. *Vervactum* huic nomen, quaſi *vere actum*. Plinius. Gloſſæ: *vervactum, terra proſciſſa aratro, id eſt, vomere.* Servius *proſcindere* interpretatur *facere vervactum*. Flamen Cerealis quum ſacrum Cereri ac Telluri faciebat, Divos agricolas hoc ordine invocabat: *Vervactor*, *Redarator*, *Imporcitor*, *Inſitor*, *Obarator*, *Occator*, &c. Quos ultimo loco nominabat, iis nomen erat, *Conditor* & *Promitor*. Igitur, qui primæ arationi, hoc eſt, *vervacto faciendo* præſidebat, is *vervactor*. Qui ſecundæ, *Redarator*. Male in libris legitur *reparator*. *Redarare* eſt ſecundo arare. Ut *redamare*, *redhoſtire*, & ſimilia. Hoc & *iterare* dicebant. Græci διπολεῖν. Unde δίπολος γῆ, quæ bis arata erat. Tertio cum arabant jacto ſemine, boves *lirare* dicebantur. Tunc enim tabellis additis ad vomerem ſimul, & ſatum frumentum operiebant in porcis, & ſulcabant foſſas quo pluvia aqua delaberetur. Ita Varro. Hinc *Imporcitor* Deus qui tertiæ præerat arationi. *Porca*, ut notum eſt, terra elata dicitur inter duos ſulcos. Poſt Imporcitorem ſequebatur *Sator* à ſerendo. Semina quippe jaciebant poſt tertiam arationem. Hinc τρίπολος γῆ Græcis. Varro: *Terram quum primum arant, proſcindere appellant:*

cum iterum, offringere dicunt, quod prima aratione glebæ grandes solent excitari: cum iteratur offringere vocant. Tertio quum arant jacto semine boves lirare dicuntur. Servius: *Cum primo agri arantur, quando duri sunt, proscindi dicuntur: cum iterantur obfringi: cum tertiantur lirari.* Græci νεατὸν dicunt, quod Latini *vervactum*, primam nempe arationem, quæ & proscissio. Græcè νειὸς, ἡ νεωστὶ μεταβεβλημένη γῆ, τουτέστιν ἠροτριωμένη. Latinis *novalis*, vel *novale*. Servius: *proprie novales sunt primum arva proscissa*, αἱ νεωστὶ μεταβεβλημέναι ἄρουραι. Rectè. Νεοῦν, ac νεάζειν Græci dicunt de terra, quæ prima aratione novatur, quæ primum proscinditur. Jurisconsultus D. de verborum significatione: *Novalis est terra proscissa, quæ anno cessavit, quam Græci νέασιν vocant.* Ita scribendum, non, ut est in vulgatis, νέακιν. Scriptum erat in antiquis ΝΕΑCΙΝ. Unde ΝΕΑΚΙΝ fecerunt. Glossæ: Νέασις, *novalis*. Varro: *Novalis, ubi satum fuit, ante quam secunda aratione novetur rursum.* Ita legendum ac distinguendum. Novalis terra opponitur rudi. Rudis est, quæ nunquam proscissa est. Terra, quæ jam arata, & consita fuit, ubi prima aratione denuo proscissa est, vocatur *novalis*, hoc est, νεασίμη. Et notandum est, quod ait Varro, ita vocari priusquam secunda aratione novetur rursus. Sic vides *novale* idem esse quod *vervactum*. Nam *vervactum* est terra, quæ tantum proscissa est, hoc est, prima aratione versata. Ita & νέασιν, & νεασίμην γῆν, & νειὸν Græci accipiunt. Sed & Varro *vervactum* pro novali alibi usurpavit. *Illud quoque*, inquit, *multum interest in rudi terra, an in ea seras, quæ quotannis obsita sit, quæ vocatur restibilis: an in vervacto, quæ interdum requierit*, id est, in terra proscissa, ac novali. Hinc Columella maximè subactum, & purum solum opponit novali: *cum ille quam maxime subacto, & puro solo gaudeat, hic novali graminosoque.* Novale solum vocat, quod semel tantum prima aratione proscissum est, idem prorsus cum vervacto, terra nempe primum proscissa, & quæ primam tantum arationem experta est, & quæ per annum cessat. Glossæ: Νέατος, *novale*. Νεάσιμον, *novalis terra*. Græci tamen vetustissimi νέασιν videntur vocare secundam arationem, non primam. Hesiodus:

> Ἔαρι πολεῖν, θέρεος δὲ νεωμένη οὔ σ' ἀπατήσει.
> Νειὸν δὲ σπείρειν ἔτι κουφίζουσαν ἄρουραν.

Ἔαρι πολεῖν de prima aratione dicit, quæ vere fit, Latini vocant *proscindere*. Plinius: *Quidam utique ab æquinoctio verno proscindi volunt.* Græci quoque σχίζειν dicunt de prima, ac verna aratione. Proclus: δηλοῖ τὸ σχίζειν αὐτήν. In Epigrammate Græco:

> --- γαῖαν σχίζοντες ἀρότροις.

Virgilius:

> --- *ante ignotum quam scindimus æquor.*

Servius *vervactum facere* exponit, quod idem est ac primam arationem facere, vel *proscindere*.

> Θέρεος δὲ νεωμένη οὔ σ' ἀπατήσει.

Prima aratio fit verno tempore: secunda æstate. Hoc νεοῦν vocat Hesiodus. Latini *iterare*. Νειὸν, terram scilicet novalem, quæ iterata est. Et sane hæc etiam significatio est verbi νεοῦν. De novo enim fieri, ac *novari* dicitur, quod secundo fit. Græci interpretes veteres eo loco νεοῦν interpretantur, ἐπελαύνειν γῆν καὶ θρύπτειν, καὶ ὁμαλύνειν, ἀνακαινιζόντων αὖθις αὐτὴν καὶ νέαν ποιούντων. Quæ omnia secundam arationem Latinorum, & iterationem designant. Quod *offringere* proprie dicebant. Nam proscissione, hoc est, prima aratione grandes glebæ excitantur, quæ iteratione offringuntur, & rumpuntur, æquanturque. Proclus: εἰ μὲν οὖν ἀρκέσει τὸ ἐν τῷ ἔαρι πολεῖν, οὐ δέονται τοῦ νεάσαι ἐν τῷ θέρει. Ἔνιοι δὲ ἄμφω ποιοῦσι προδιπλεπίζοντες τὸν σπορόν. Hesychius: νεάσαι, μεταβαλεῖν τὴν γῆν ἠροτριωμένην. *Terram jam semel aratam vertere.* Sic νέασις secunda fuerit aratio, vel iteratio. At Theophrastus νέασιν vocat primam arationem, immo etiam quamcunque, qua terra nova fit. Duplicem certe νέασιν facit, quarum prima hiberna, cui operam dabant agricolæ post factas sementes, secunda æstiva. Utriusque meminit lib. III de Causis, cap. XXV. Ἡ δὲ κατεργασία ἐν τῷ νεοῦν καθ' ἀμφοτέρας τὰς ὥρας, καὶ θέρους, καὶ χειμῶνος, ὅπως χειμασθῇ καὶ ἡλιωθῇ ἡ γῆ, καθάπερ ἐπὶ φυτείας ἐλέχθη. Et in sequentibus mentio apud eum habetur, χειμερινῆς, & θερινῆς νεάσεως. Qui vere

A proscindere incipiebant, nullam habebant νέασιν χει-
μερινήν. Hic igitur duplex colendæ terræ modus eo-
rum, qui hieme arare incipiebant, & eorum, qui ve-
re proscindebant. Hi tertio sulco serebant, hoc est, ter-
tia aratione, illi quarta. De modo altero, quo tertiò
arabant serebantque, ita Servius ad I. Georgicon:
Semel aratur verno tempore, ut & herbæ adhuc teneræ, &
sine semine avellantur: & æstatis calore, ut superfluus humor
siccetur, vel glebarum putrefiat durities: & semel autumnali
tempore cum seminibus. In hujusmodi terræ colendæ ra-
tione una tantum νέασις est, eaque æstiva, qua calori-
B bus solis humor superfluus glebæ siccabatur, & in pul-
verem solvebatur ipsa putrefacta. Ἡλίωσιν vocat Theo-
phrastus. Qui duplicem apud Græcos instituebant
νέασιν, hibernam æstivæ adjungebant. Utque æstiva
νέασις vernam arationem sequebatur, ita hiberna au-
tumnalem, & primam. Hoc genere cultus non so-
lum ἡλίωσις coquendis, ac solvendis glebis locum ha-
buit, sed etiam χείμασις, putrefaciendis, ac tenuandis.
Cui rei in primis nivem conducere existimabant. Theo-
phrastus: ἀγαθὴν δὲ οἴονται τὴν χιόνα ταῖς χειμεριναῖς νεά-
σεσι, καὶ οὐχὶ τὴν πάχνην εἶναι. Διέσθειν γὰρ καὶ μανοῦν τὴν γῆν.
In hac colendi ratione non tres tantum arationes, ut in
C altera, sed quatuor usitatæ. Prima novatione tellus
exercebatur sub finem autumni circa Vergiliarum oc-
casum, quæ & hiberna νέασις dicebatur, paulo post
sementem fieri solita, μετὰ τοὺς πρώτους ἀρότους, ut Theophra-
stus loquitur. Nam si hiberna dicta est illius temporis
satio, multo magis illa νέασις sic dicenda, qua terra pri-
mo proscindebatur. Tradit etiam Plinius, *in tepidiori-*
bus locis à bruma proscindi arva oportere, & alio loco al-
tum, & grave solum etiam movendum esse. *Vervactum*
etiam liceat καταχρηστικῶς appellare, quum proprie sic
dicatur vere proscissum. Nos *gueretum* inde dicimus,
& *terram in gueretum excitare*, quæ hieme proscinditur.
D Hæc igitur prima νέασις, quæ & hiberna Theophrasto.
Hanc excipiebat verna aratio. Post hanc νέασις æstiva
insequebatur. Ultima, & quarta peragebatur simul
cum seminis jactione subaratio. Ita hæc verba Theo-
phrasti interpretanda sunt de duplici νεάσει: καὶ ὅταν μετὰ τοὺς
πρώτους ἀρότους νεάσωσι, πάλιν τοῦ ἦρος μεταβάλλουσιν, ὅπως
τὴν ἀναφυομένην πόαν ἀπολέσωσιν. Εἶτα θέρει ἀροῦσι, καὶ πά-
λιν ὅταν μέλλωσι σπείρειν, ὑπήροσαν ὡς δέον καθάπερ ἐλέχθη
προκατεργάσασθαι καὶ περὶ τοῦτο μάλιστα σπουδάσαι. Virgilius
I. Georgicon, cum de vulgato, ac sollemni more arandi
egisset, cui terna tantum aratio impendebatur, qua-
rum prima erat verna, subjicit statim illam demum se-
E getem responsuram votis avari agricolæ, quæ bis solem,
bis frigora senserit. Quod ad illud alterum colendi ge-
nus referri debet, de quo ante ex Theophrasto dixi-
mus.

> *Vere novo gelidus canis cum montibus humor*
> *Liquitur, & zephyro putris se gleba resolvit,*
> *Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro*
> *Ingemere.*

Vulgarem cultum intelligit, quo terram vere pro-
scindebant primùm, ac *vervactum* faciebant, unde no-
men illi primæ arationi, quam à verno tempore auspi-
cabantur. Sequitur apud poëtam protinus:

> F *Illa seges demum votis respondet avari*
> *Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit,*
> *Illius immensæ ruperunt horrea messes.*

Grammatici, belli homines, versus istos de illo eodem
terræ colendæ genere exponunt, de quo prioribus
egit versibus, quibus vere novo terra proscindi præci-
pitur, & prima aratio fieri. Qua in re dici non potest
quanto opere hallucinati sint. Quomodo enim quæso
te, bis solem, bis frigora sentire possit illa seges, quæ
primo arari cœperit ineunte vere? Ne semel quidem
frigus ea sentire dici queat. Mirificum igitur inter-
G pretamentum excogitarunt, ut evaderent. Ajunt non
esse in Italia duas æstates, aut duas hiemes, ut in qui-
busdam Indiæ locis. Ideo non posse referri ad hiemis,
aut æstatis tempora, quod hîc dictum est de segete,
quæ bis solem, & bis frigora patitur. De ea igitur
accipiendum quæ bis dierum calorem, & bis noctium
senserit frigora, & per hoc duplicem ostendi aratio-
nem, vernalem & autumnalem. Vere quippe, ut
& autumno dies calidi sunt, noctes gelidæ. Vere ita-
que

que mota tellus de die calorem sentit, de nocte frigus. Hoc idem & autumno versatæ solet accidere. Hinc bis solem, & bis frigora sentit. Sed quid illi fiet, quæ æstate exercetur? An non & illa calorem sentit? Certe æstivam arationem semper interponebant vernæ, & autumnalis mediam. Proptereaque non bis, sed ter solem sentiet hæc seges. Aliam afferunt expositionem haud minus absurdam, ac falsam: *Aut sicut quidam dicunt, ideo bis, ut semel cum fructibus, semel vacuam, solem & frigus perpessam accipiamus.* Acutum sane, & subtile εὕρεμα. Virgilius non de terra, ubi satum est, loquitur, sed de ea, quæ frequentibus arationibus prius exercita præparatur sementi. Præterea non uni, aut peculiari modo terræ colendæ hoc conveniat, sed omni agro arato, & consito. Quæcunque terra, quæ arata est & obsita, calorem similiter & frigus bis sentire potest dici, semel quidem, quum aratur, & semel quum seritur. Atqui poëta illam demum segetem facturam satis avido agricolæ pronuntiat, quæ bis calorem perpessa fuerit & frigus. De peculiari itaque ac ἰδιοτρόπῳ colendi genere intellexit. Alioquin aratum omne, satumque coloni sui votis responderet. Nec hilum juvat hanc interpretationem, quod *segetem* poëta dixit, non terram. *Seges* poëtis non dicitur tantum, quod aratum satum est, sed etiam arata simpliciter terra. Hinc apud Accium *fruges in segetem dare.* Vide quæ suprà notavimus. Verba illa Virgilii ex Theophrasto explicanda sunt. Vere novo invertendas primum glebas dicit. Hæc vulgaria colendi agri ratio, cujus primam arationem vere auspicabantur, quæ & tertia aratione absolvebatur. Sed illam addit felicissimè demum proventuram segetem, quæ bis solem, & bis frigora senserit, id est, quæ quarto arata fuerit. Quæ tertio aratur tantùm, & cujus prima aratio à vere incipit, haud potest frigora sentire. Theophrastus: ἡ δὲ κατεργασία ἐν τῷ νεάζειν κατ᾽ ἀμφοτέρας τὰς ὥρας, καὶ θέρους, καὶ χειμῶνος, ὅπως χειμαθῇ, καὶ ἡλιωθῇ ἡ γῆ, καθάπερ καὶ ἐπὶ τῆς φυτείας ἐλέχθη. Hoc est, quod dixit Virgilius, *frigora & solem sentire*, χειμαθῆναι καὶ ἡλιωθῆναι. Qui unam tantum νέασιν in colenda terra agnoscebant, solam ἡλίωσιν probabant, & primam arationem faciebant vere. Addit Theophrastus, ὥσπερ ἐπὶ φυτείας ἐλέχθη. De arborum plantatione id dixerat capite v, eodem libro his verbis: διὰ ταῦτα δεῖ τοὺς τε γύρους προορύττειν ἐκ πολλῶν: μάλιστα δὲ ἐνιαυτῷ πρότερον, ὅπως ἡ γῆ καὶ ἡλιωθῇ, καὶ χειμαθῇ καθ᾽ ἑκατέραν τὴν ὥραν. Scrobes, in quibus defodi oportet inserendas arbores, anno ante præparari vult, & aperiri, ut possint χειμαθῆναι, καὶ ἡλιωθῆναι. Idem omnino præcipit observandum in satione frugum, quod in plantarum insitione. Ergo anno prius arandam esse tellurem ostendit, quam seminibus jactis conseratur. Terram itaque suscitandam esse in vervactum docet sub exitum autumni, ut anno post sub idem ferme tempus semina possit accipere, & interim anno illo intervallo subinde mota, & exercita frigus hiemis sentiat, & calorem æstatis, utrumque ad eumdem scilicet finem, extenuandis ac putrefaciendis glebis. Idem quippe præstare asserit χείμασιν καὶ ἡλίωσιν. Sic enim tradit de plantis: ὅπως ἡ γῆ καὶ ἡλιωθῇ καὶ χειμαθῇ καθ᾽ ἑκατέραν τὴν ὥραν, ἀμφω γὰρ ταῦτα ποιεῖ μανὴν καὶ χαύνην. Idem de satione ait nivem in hiberna novatione διεσθίειν τὴν γῆν καὶ μανοῦν. Idcirco nivem maximè utilem esse τῇ χειμερινῇ νεάσει. Ex his liquet terram eam, quæ utrumque perpetiatur, τὴν χείμασιν καὶ ἡλίωσιν, melius responsuram cultoris spei, quam quæ ἡλίωσιν tantum percipiat. Hoc est quod illis versibus expressit princeps poëta. Quod autem ait *bis frigora*, & *bis solem* segetem eam sentire, cum unius tantum χειμάσεως, & unius ἡλιώσεως meminerit Græcus auctor, unde accepit, id ita exponendum est. Prima aratio hiberna, sicut ultima, quæ sationi adjuncta erat. His duabus hibernis arationibus bis frigora sentiebat arvum, & bis solem verna & æstiva. Sic quatuor arationibus subactum intelligendum est illud solum, quod bis frigora, & bis calorem perpessurum est. Locum illum Virgilii, ita ut explicavimus, interpretatos esse veteres agricolationis prudentes Plinius monstrat his verbis, *quarto seri sulco Virgilius existimatur voluisse, cum dixit optimam esse segetem, quæ bis solem, bis*

A *frigora sensisset. Spissius solum, sicut plerumque in Italia, quinto sulco seri melius est, in Thuscis vero nono.* Plinius *quarto sulco seri* dicit, quæ post quartam arationem seritur. *Uno sulco* viciam seri alibi dixit, quæ post unam arationem seritur. Alibi *viciam non proscisso serere*, compendium operæ esse tradit, ac sine damno fieri. Columella fabæ semen solo non arato ingestum inarari, & imporcatum occari scribit. Faba *uno sulco* ita seri dicitur. Sed quod mireris, idem Columella in his seminibus, quæ quarto sulco seri dicuntur, tres tantum arationes numerat, eamque simul complectitur, qua semen jactum inaratur, & obruitur. *Semina*, inquit,
B *quæ quarto sulco seruntur, in jugeribus viginti quinque desiderant bubulcorum operas* CXV. *Nam proscinditur is agri modus, quamvis durissimi, quinquaginta operis, iteratur quinque & viginti: tertiatur, & conseritur quadraginta.* Notandum tamen heîc eum prius dixisse tertiari quam conseri. At in iis, quæ tertio sulco serebantur, post satum semen tertiatio sequebatur. In iis vero, quæ quarto sulco serebant, tertiatio, vel tertia aratio præcedebat sationem. Tum quarto loco consitio simul cum quarta aratione. Sic igitur intelligendum, quod heîc ait agrum illum, qui quarto sulco seritur, quadraginta
C operis tertiari & conseri. Viginti operis tertiabatur, viginti conserebatur simul & quartò arabatur. Cum itaque seminis inarationem his loquutionibus etiam comprehendant, prima & quarta aratione, utraque hiemali, frigora bis seges sentiebat, verna & æstiva solis calorem, idem Columella *altero sulco* seri prodit, quod secunda serebatur aratione. Ubi tertio sulco serebant, tum tertia aratio, quam vocant tertiationem, eadem erat cum satione, & jacto semine locum habebat. Ingestum quippe solo semen solebat inarari. *Obarare* hoc dixere antiqui, hoc est, semen adarare, προσαρῶν τὸν σπόρον. In indigitamentis Flaminis Cerealis
D hoc ordine nominabantur Dii Rustici: *Imporcitor, Sator, Obarator, Occator.* Quia frumentum satum obarabant. Hæc erat tertiatio. Quod *Imporcitor* ibi prius nominatur quam *Sator* & *Obarator*, ex eo conjicere daretur lirationem, sive imporcationem prius solitam fieri quam tertiationem. Varro eodem hæc tempore atque opere fieri indicat his verbis: *Tertio quum arant, jacto semine boves lirare dicuntur: id est, cum tabellis additis ad vomerem simul, & satum frumentum operiunt in porcis, & sulcant fossas, quo pluvia aqua delabatur.* Vides tertiationem eamdem esse cum liratione, sive imporcitione, qua tabellis ad-
E ditis ad vomerem simul frumentum operiebant in porcis, & sulcabant fossas aquæ pluviæ deducendæ. Plinius: *crate dentata, vel tabula adnexa quod vocant lirare, operientes semina.* Hi duo videntur lirationem, & tertiationem unius ejusdemque operæ facere. Columella distinguit, sed ita ut post jactam sementem utrumque factitatum ostendat: *duabus operis proscinditur: una iteratur, tertiatur dodrante, in liram satum redigitur quadrante operæ.* Sic lego apud Columellam lib. I. cap. IV. Nam male est vulgo: *in liram statim redigitur.* Sed hæc facile fortean conciliari possint. Alii diverso opere utrumque faciebant, alii conjuncto, & uno. Ter-
F tiabant, cum tertio arabant post jactum semen, quod semen ut simul etiam in liras, sive porcas redigerent, cratem, vel tabulam ad vomerem quidam adjungebant, alii seorsim tertiatione facta, cratem illam, vel tabellam per satum ducebant ut in liras redigerent. Quod heîc *satum in liras redigere* dixit, alibi vocat *semen imporcare*, ut de faba: *& similiter quum semen crudo solo ingesserimus, inarabimus, imporcatumque occabimus.* Inaratione simul etiam imporcabatur, ut apparet, hoc est, in porcas, sive liras redigebatur. Nam Columellæ *lira* & *porca* eadem est. Sic enim scribit: *liras autem rustici vocant easdem porcas, cum sic aratum est, ut*
G *inter duos latius distantes sulcos medius cumulus siccam sedem frumentis præbeat.* Varro porcam *inter duos sulcos elatam terram* interpretatur, quod idem est. Glossæ, τὸ μεταξὺ τῶν αὐλάκων ὕψος. Idem vult Nonius, quum porcas esse dicit *signa sulcorum, quæ ultra se jaci semina prohibeant, porcere enim esse prohibere.* Per *signa sulcorum* intelligit partes eminentes, & conspicuas inter sulcos. Dictas autem ait quod *porceant*, id est, prohibeant extra

tra se jaci semina. Sedem siccam seminibus præbebant, aqua per sulcos delabente. Liras, & porcas easdem rusticis vocari Columella scribit. Alii *liras* fossas ipsas esse, hoc est, sulcos, sive lacunas, & strias. Post tertiationem, sive tertiam arationem, quæ jacto semine fiebat, satum redigebatur in liras, sive porcas, Columella teste. Sed quæstionis est, quando ipsæ porcæ, sive liræ fierent. Aratro utique fiebant, sed qua aratione fortasse incertum. Ex Varrone colligi potest tertia ipsa aratione solitas fieri, non solum quod *lirare* dicebantur boves, quum tertiò arabant, sed etiam quod ea aratione fossas sulcabat aratrum, quo pluvia aqua delaberetur. Fossæ illæ, quibus aqua delabitur, *liræ* sunt quibusdam. Nonius *liram* interpretatur *fossam rectam, quæ contra agros tuendos ducitur, & in quam terræ uligo decurrat.* Idem *labeas lirare*, confodere exponit apud Pomponium. Per *liras* Nonius intelligit sulcos illos majores, qui ducebantur ad siccandos agros. *Elices* dicebantur ab elicienda aqua. Festus: *Elices sulci aquarii, per quos aqua collecta educitur è liris.* Liras, ut videtur, vocat sulcos ipsos agri, è quibus aquam collectam eliciebant in hos sulcos ampliores, qui contra agros ducebantur. Istiusmodi tamen elices, sive sulcos aquarios intellexerit fortasse Varro, quas appellat fossas, & sulcari aratro solitas dicit ad pluviam aquam deducendam, quum tertiabatur. *Collicias* etiam vocat Plinius ampliores sulcos, qui interponebantur ad educendam aquam in fossas. *In usu est*, inquit, *& collicias interponere, si ita locus poscat, ampliore sulco, quæ in fossas aquam educant.* Harum meminit & Columella, & videntur eædem cum *elicibus, quasi coelicias* dicas, quas postea corruptè dixere *collicias*. Qui in aliquo difficili negotio impediti hærebant, nec exitum rei reperiebant, his *aquam hærere* vulgari proverbio dicebant veteres, metaphora inde ducta scilicet ab aqua, quæ in hujusmodi sulcis, & colliciis hærebat, nec educebatur. Hinc corrigendus, & explicandus insignis locus ex epistola Cælii ad Ciceronem: *Si quid novi de Rep. quod tibi scriberem haberem, usus essem mea consuetudine, ut diligenter & quid actum esset, & quid ex eo futurum sperarem, perscriberem. Sanè, tanquam aqua in collicia, omnia jam adhæserunt.* In libris scriptis fere omnibus habetur, *in Cilicia.* Quod palam est esse pro *in Colicia.* Legebam etiam aliquando, tanquam *in quodam incili.* Nam *incilia* fossæ dicebantur in viis factæ ad educendam aquam. Tum vero male habet, ubi aqua hæret in illis locis, unde debet educi. Inde illud proverbium manavit. Pars eminens, & sicca inter duas fossas, sive sulcos *porca* vocabatur, Columellæ etiam *lira.* Certe *lira* ex Græco λῆρος. Sic vocabant limbum, vel lorum in extremitate vestis, quod ex alia materia ad ornatum extabat in veste. Hinc χρύσεοι λῆροι in epigrammate. Hinc pars terræ elata, & expressa inter duos sulcos *lira.* Nam & *delirare* similiter ἀπὸ τοῦ ληρεῖν fecerunt. Alii pro sulco ipso usurparunt. Nam utrumque simul fiebat. Ex indigitamentis porro liquere potest porcas in agris, sive liras peculiari aratione factas ante seminis καταβολήν. Hoc ordine quippe invocabantur in Cereali sacro Dii præsides horum operum: *Imporcitor, Sator, Obarator, Occator.* Idem fortassean & colligas ex his Columellæ verbis: *itaque optimè inter Kalendas & Idus Septembres aratur, ac subinde iteratur, ut primis pluviis æquinoctialibus conseri possit, neque in lira, sed sub sulco talis ager seminandus est.* Hic vocat *liram*, quæ porca est, inter duos sulcos extans terræ dorsum. Exsuccam, & effœtam humum, non in porca, quæ siccior arati pars est, sed in sulco ipso seminari vult, ubi uligo residet, & pluvia aqua delabitur. Ergo porcæ, sive liræ factæ, priusquam semen jactetur. Ergo & diversa liratio, qua terra ipsa aratro in liram redigebatur, ab ea liratione, qua semen in liris, & porcis operiebatur. Columella terram in liram revocari dicit, quæ imporcabatur: *Prius tamen jaciemus semina, deinde proscindemus terram, proscissumque in liram revocabimus, occabimusque, quo altius largiore humo contegatur.* Omnino tamen puto eodem opere, & opera terram in porcam, sive liram revocari, ac redigi aratro solitam, & semen imporcatum, vel inliratum, quod porcis, & liris condebatur. Post seminis utique jactionem terram proscissam, & in liram revocatam eo loco significat. Servius notat agros, cum tertiabantur, *lirari* dictos: &, *quum iterantur, offringi: cum tertiantur, lirari.* Ea propter suspicor transpositis verbis legendum in indigitamento: *Sator, Imporcitor, Obarator, Occator.* Vel etiam: *Obarator, Imporcitor.* Cum tertiabant, aratro terram in liram, sive porcam revocabant, & semen imporcabant, hoc est, porcis operiebant. Plinius *iterationem* videtur appellare, quæ aliis *tertiatio.* Sic enim scribit lib. XVIII. cap. XX. *Aratione per transversum iterata, occatio sequitur, ubi res poscit crate vel rastro, & sato semine iteratio. Hæc quoque ubi consuetudo patitur crate dentata, vel tabula aratro adnexa, quod vocant lirare operientes semina.* Multa heîc animadvertenda. Aratione per transversum iterata occationem sequi ait. Atqui occatio satis demum frugibus locum habebat. Hinc *occationem, occæcationem* veteres ex nominis veriloquio interpretabantur, quod ea occæcarentur frumenta, hoc est, sub terra operirentur, & occultarentur. Plinius ipse triticum, hordeum, milium, panicum, & reliqua semina occari passim dicit, postquam scilicet jacta sunt. In Flaminis indigitamentis post Satorem, & Obaratorem, qui Tertiator erat, locum habet *Occator*, præses occationis Deus. Columella præcipit adeo frequentibus iterationibus vervactum redigendum esse in pulverem, ut vel nullam, vel exiguam desideret occationem, quum seminaverimus. *Nam veteres*, inquit, *Romani dixerunt male subactum agrum, qui satis frugibus occandus esset.* Occationem statim sequebatur sarritio jam enatis frugibus. Plautus:

Occant prius quam sarriunt rustici.

Plinius ipse: *Siliginem, far, triticum, semen, hordeum occato, sarrito, runcato, quibus dictum erit diebus.* Indigitamenta: *Occator, Sarritor, Subruncinator.* Ubi *Subruncinator* dicitur, qui runcationi, vel subruncationi præest. Nam *subruncinare* idem quod subruncare. Ut *intricinare*, & *intricare*, *vagari*, & *evaginari*, & similia. A *subrunco* porro *limites subruncivi*, qui octonos pedes patebant, per quos aditus præbebatur vicinis ad subruncandos agros. Columella de medicæ satione: *cum sic terram subegeris in morem horti, areas latas pedum denum, longas quinquagenum facito, ut per semitas aqua ministrari possit, aditusque utraque parte runcantibus pateat.* Subruncivi limites in Italia ad hoc facti in agris lati pedum octonum, ut aditus runcantibus pateret. Alii *lineares*, & *intercisivos* hujusmodi limites vocabant. A subrunco *subruncivus*, ut à cado *cadivus.* Unde *cadiva poma* Plinio. Hinc *cadivum* pro vili, & nullius pretii dicimus. Cum igitur occatio sequeretur sationem, hoc est, tertiationem, quid heîc sibi vult Plinius noster, ubi aratione per transversum iterata occationem subsequi dicit? Arationem iteratam eam opinor ab eo vocari, quæ secunda erat, & vocabatur *iteratio.* Transversis sulcis, & obliquis agebatur. Idem Plinius: *Omne arvum rectis sulcis, mox & obliquis subigi debet.* Virgilius:

Et qui proscisso quæ suscitat æquore terga,
Rursus in obliquum verso prorumpit aratro.

Proscissio, prima aratio, quæ rectis sulcis arvum subigit. Iteratio secunda, quæ obliquis, & per transversum agitur. Et proprie loquutus est, quum *prorumpere* de ea dixit, & de prima *proscindere.* Nam *offringi* dicebantur arva, quum iterabantur. At perperam Servius iteratam illam arationem, quæ per transversum sulcos agit, eamdem facit cum autumnali, quando semine jacto arabant. Ita enim notat ad eum versum: *scilicet autumnali tempore, quo jam cum seminibus aratur. Nam hoc præcipit, ut cum denuo aramus, tunc per obliquum aratra ducamus, nemo enim uno tempore bis arat.* Atqui non tertia, sed secunda aratione, quæ *iteratio* vocabatur, traversi agebantur sulci. Sed Servio persuasum est duabus tantum arationibus arva subegisse veteres vernali & autumnali. Æstivæ quippe nunquam meminit. Ea inter solstitium, & caniculam peragebatur. Varro inter solstitium, & caniculam quæ fieri oporteat: *Cum proscideris, offringi oportet, id est, iterare, ut frangantur glebæ: prima enim aratione grandes glebæ e terra scinduntur.* Post hanc iterationem occatio Plinio sequitur, quam alii omnes, & ipse Plinius aliis locis post satio-

tionem, & tertiationem rejiciunt. An igitur duplex occatio fuit, altera jam satis frugibus usurpari solita, altera post iterationem, vel secundam arationem? Hæc secunda aratio frangebat, & comminuebat aratro glebas, quas prima grandes è terra excitaverat. Hoc ipsum facit occatio, quæ rastro, vel crate peragitur. *Occare* βωλοκοπεῖν Græci exponunt, quod est glebas cædere. Festus: *Occare ab occædendo dictum, quod grandes terræ cadat glebas.* Cicero ab occæcandis satis frugibus, quod eas operiret, & conderet, dictam occationem voluit, & de ea occatione intellexit, quæ seminationem sequebatur. Sed ne ea quidem ad hoc usitata erat, ut semina operiret. Nam veteres dicebant bene subactum agrum non indigere occatione. Plinius: *male aratur arvum, quod satis frugibus occandum est.* Ergo occabant agrum, qui satis subactus non fuerat, ut glebæ omnes cæderentur, & exæquarentur. Iteratio ipsa, quæ glebas proscissione excitatas offringebat, instar erat occationis, quæ aratro fieret. Nam *occatio* crate, vel rastro operabatur. An igitur glebas, quas iteratio non satis aratro comminuerat, occatio sequens rastro, vel crate penitus frangebat? De ea occatione hic videtur Plinii locus accipiendus. Virgilius:

Multum adeo rastris glebas qui frangit inertes,
Vimineasque trahit crates, juvat arva.

Occationem circumloquitur, sed utrum eam, quæ satis frugibus adhibebatur, an quæ iterationem sequebatur? Certè nullo ordine præcepta agricolationis exequitur poëta. Nam protinus subjicit, quomodo arva subigenda sint prorsis, & transversis sulcis. Servius ad eum locum,

Vimineasque trahit crates:

Ad agrorum scilicet exæquationem, quam rustici lypicem vocant. Lege: *hyrpicem. Hurpex, hyrpex, & hirpex* ex Græco ἅρπαξ, vel ἁρπάγη rastellum, vel crates ferrea cum multis dentibus. Euripides:

Σαίρειν σιδηρᾷ τῇ δ' μ' ἁρπάγῃ δόμους.

Ita legendum, non ἁρπαγῇ. Aliud ἁρπάγη, aliud ἁρπαγή. Hesychius ξυστῆρα exponit. Festus *irpicem* ait esse, *genus rastrorum ferreorum, quod plures habet dentes ad extirpandas herbas in agris.* Varro quoque *irpices* dictos, quasi *sirpices* sciscit, quod eruant, quæ in terra serpant. Et vera est hæc hújus vocis ex origine significatio, quod rapiat, & verrat, quæ in terra serpant inutilia, & sic agrum purget, ac mundet. Diversi igitur irpices ab illis rastris, vel cratibus dentatis, quibus occabatur ager ad glebas comminuendas, & exæquandas. Haud dubium tamen quin occatorias crates *hirpices* rustici vocaverint ab similitudine. Nam hodieque nostri agricolæ *herpices* appellant hujusmodi crates dentatas, quibus semina, postquam jacta sunt, operiunt. *Hersas* vocant deducto ab hirpice, vel herpice nomine. Utuntur autem ut plurimum hujusmodi hirpicibus in iis agris, qui nec depressos sulcos, nec extantes habent porcas. Tales agri non solent inarari jactis seminibus, sed arantur prius quam serantur, deinde tractis illis cratibus dentatis operiuntur terra semina. Hunc serendi modum Gallis vindicat Plinius cap. XVIII. *Serunt ita non nisi culta terra, & ferè nova. Latitudo vomeris cespites versat. Semen protinus injiciunt, cratesque dentatas super trahunt.* Vocat *terram cultam, & fere novam*, quæ recens arata est, ac novata. Perperam hunc locum sollicitant docti. Recens aratæ terræ semen ingerebant, & cratibus supertractis obruebant. Arabant itaque prius quam serebant. Qui mos etiam hodie obtinet in multis Galliæ locis. At semina, quæ in solum pridem aratum injiciuntur, quæque, postquam jacta sunt, inarantur, non opus habent his cratibus, ut obruantur, sed ipso aratro solent operiri, & occuli. Profectò apud Romanos occatio non occæcandis satis proprie adhibebatur, sed comminuendis, ac cædendis glebis. Nam & vineæ, quæ nulla accipiunt semina, solebant occari. Varro: *Vineas novellas fodere, aut arare, & postea occare, id est, comminuere ne sit gleba. Quod ita occidunt occare dictum.* Cum pro locorum natura, ac seminum qualitate hæc varie fierent, auctores tamen sine ullo discrimine eadem tra-

A dunt. Sequitur apud Plinium: *occatio sequitur, ubi res poscit, crate, vel rastro, & sato semine iteratio. Hæc quoque, ubi consuetudo patitur, crate dentata, vel tabula aratro adnexa, quod vocant lirare operientes semina.* Ergo occatio ante iterationem, quæ fit sato semine. Sed quænam illa iteratio? Varro, aliique omnes *tertiationem* vocant, quum tertio scilicet arabatur, jactis seminibus, id quod vocabant lirare, adnexa tabella ad vomerem ad operienda semina. Hæc tertiatio diversa utique ab iteratione, quæ secunda erat aratio. An corrigendum in Plinio, *& sato semine tertiatio?* Ita sane

B videtur. Nec quidquam verius potest cogitari. Videndum tamen, an *iterationem* heic posuerit pro secunda occatione. Dixit aratione per transversum iterata sequi *occationem* crate vel rastro. Sato semine *iterationem*, hoc est, secundam occationem, quæ etiam crate dentata fit. Sic *iterationem* pro secunda sarritione dixere. Atque ita accipiendum capite sequenti in his verbis: *Milium, & panicum occatur, & sarritur, non iteratur, non runcatur.* Ubi iterare est secundo sarrire, & cap. XXVII. *Segetes iterare. Sarritur vero diebus viginti.* Et apud Columellam lib. II. cap. XII. *Id prima sarritione fecisse proderit, secunda oberit, quia cum pullulare desiit

C frumentum, putrescit si adobrutum est. Nihil itaque amplius in iteratione quam remoliri terra debet æqualiter.* Ubi *iteratio* est secunda sarritio. Secundam etiam fossionem sic vocarunt. Glossæ *iteratum*, παλισκαφέν. Sed his obstat, quod secunda occatio, quæ sato semine adhibebatur, si modo ulla in usu fuit, diversa erat à tertiatione, de qua heic loqui voluisse Plinium palam est. Conserebatur ager, ac tertiabatur simul, aratroque ipso, cui adnexa tabula, semen obruebatur: postea occabatur ad glebas extantes æquandas, & comminuendas, aut, si satis subactum fuerit, ne quidem oc-

D cari solebat. Varro: *nonnulli postea*, id est, peracta satione, ac tertiatione, & seminibus terra obrutis, *qui segetes non tam latas habent, id genus prædii per sartores occare solent, si qua in porcis relictæ grandiores glebæ.* Specta occationem non adhiberi occæcandis seminibus, sed tantum grandioribus glebis attenuandis. Columella: *& similiter quum semen crudo solo ingesserimus, inarabimus, imporcatumque occabimus, quamvis sint qui negent locis frigidis oportere occari fabam, quia extantes glebæ à gelicidiis adhuc eam teneram vindicent.* Alibi apud eum passim *tertiare*, & *occare* diversa. Cum tertiabant, satum se-

E men aratro obruebant. Arationibus absolutis si quæ extantes glebæ relictæ in porcis erant, occabant eas, & comminuebant. Si satis subactum erat, nulla occatione utebantur. Etiam in iis seminibus, quæ sata non aratro, sed ligneis rastellis obruebantur, occatio etiam locum habebat frangendis glebis. Columella: *Sed medica obruitur non aratro, sed, ut dixi, ligneis rastellis: jugerum agri ejus occatur duabus operis, sarritur una, metitur una.* Nulla igitur occatio fuit in usu veteribus ante tertiam arationem. Frequentibus iterationibus glebas adeo subigebant, ut etiam occationi locus non esset post satas fruges. Apparet Plinium in

F his, ut in aliis multis nescisse quid scriberet, & dum ex variis compilat, non rectè eorum sententias inter se conciliasse. Alii erant rastri, quibus occabatur: alii, quibus semen satum obruebatur: alii, quibus stirpes herbarum serpentium eruebantur, quos *irpices* vocabant. Auctores agricolationis imperitiores, ut grammatici, & alii similes hæc omnia genera passim confundunt. Tertiam arationem, qua sata inarantur, Hesiodus ἄροτον proprie vocat. De prima dixit, ἔαρι πολεῖν. De secunda, θέρεος δὲ νεωμένη, quæ est νέασις, vel *iteratio*. De tertia, ἄροτον, qua voce sationem ubique intelligit, καὶ τὸν σπόρον, quia simul

G serebant, arabantque tertiò. Sic de gruis adventu:

Ἥ τ' ἀρότοιο σῆμα φέρει καὶ χείματος ὥρην.

Ubi ἄροτος τὸν σπόρον significat. Et paulo post:

Αὔλιον, καὶ ὀμβρηρὴν ἀρόων ἀρότοιο καθ' ὥρην.

Hoc est, ξηρὰν καὶ ὑγρὰν σπείρων κατὰ τὴν τοῦ σπόρου ὥραν. Ita alibi apud eumdem ἀροῦν est serere:

Εἰ δέ κεν ἠελίοιο τροπαῖς ἀρόῃς χθόνα δῖαν
Ἥμενος ἀμήσεις.

Vetat terram conseri circa brumam. Ergo eadem significa-

gnificatione accipienda venit apud eumdem vox ἄροτος in istis :

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ' ἀμήτου, ἀρότοιο τε δυσομενάων.

Atque ita veteres Romani interpretati sunt. Plinius cap. XXIV. *Hesiodus, qui princeps omnium de agricultura præcepit, unum tempus serendi tradidit à Vergiliarum occasu.* Nec aliter vetustissimi Græciæ auctores acceperunt. Theophrastus lib. VIII de plantis, cap. I. Ὧραι δὲ τοῦ σπόρου τῶν πλείστων δύο. Πρώτη δὲ καὶ μάλιστα ἡ περὶ πλειάδων δύσιν, ᾗ καὶ Ἡσίοδος ἠκολούθηκε, καὶ σχεδὸν οἱ πλεῖστοι, διὸ καὶ καλοῦσί τινες αὐτὴν ἄροτον. Vides ἄροτον tempus sementis appellari. Ipse Theophrastus hac voce ita passim utitur. Θερινοὺς ἀρότους eodem capite vocat sationes æstivas. Et lib. III. de causis, cap. XXV. Καὶ ὅσαν μετὰ τοὺς πρώτους ἀρότους νεάζωσι, id est, post primas sationes, quæ & hibernæ. Male vertunt *post primas arationes.* Et alibi : οἱ δὲ καὶ τὸν κύαμον ὀψὲ σπείρουσιν, ἐὰν ὑστερήζωσι τῶν πρώτων ἀρότων. Hinc apud Hesiodum ὀψαρότης serus sator, qui circa brumam serit. Ἀρὸς Græcis pratum, campus arabilis. Siculis ἀρεός. Inde *arvus* & *arvum.* Ab ἀρὸς verbum ἀροῦν & ἀρχεῖν, quæ vox terram aratam significat, sed eam maxime, quæ sata est. Hesychius : ἄρχεῖν ἡ γῆ ἀπὸ τοῦ ἀροῦσθαι, ὡς ἐπιτοπολὺ δὲ ἡ σπορεία. Latinis *seges.* Frustra itaque dubitavit Proclus : an ἄροτος ibi significaret τὸν νεατόν. Quid vocet τὸν νεατὸν heic quærendum. Theophrasto νέασις dicitur, & νέασις χειμερινή, prima terræ aratio, quæ proxime sequebatur τὸν ἄροτον, hoc est, sementem. Ὅσαν δὲ, inquit, μετὰ τοὺς πρώτους ἀρότους νεάζωσι. Proclus νεατὸν vocat tempus illud, quo prima illa νέασις fiebat. Et quod ἄροτον protinus sequeretur, ideo ἄροτον apud Hesiodum τὸν νεατὸν interpretatus est. Glossæ : νεατὸς, *novalis.* At novalis Latinis dicta est terra primum proscissa, hoc est, prima aratione mota. Hoc inter omnes convenit. Sed non æque omnes consentiunt, quando terra primum esset proscindenda. Super tempore variæ extitere sententiæ, quum aliud scilicet exigeret alia locorum natura, agrorumque qualitas, ac seminum etiam ipsorum differentia. Plinius : *Tepidioribus locis a bruma proscindi arva oportet, frigidioribus ab æquinoctio verno.* Idem eodem capite : *altum & grave solum etiam hieme moveri placet.* In Græcia pariter, & Latio plerisque ab æquinoctio verno terram proscindi, hoc est, prima aratione moveri placuit, ut ex Hesiodo, & Virgilio, aliisque paulo ante ostendimus. Quibus & concinit Xenophon in Oeconomico. Κινδυνεύει, inquit, ἔαρος εἶναι τούτου τοῦ ἔργου ἀρκτέον. Et rationes addit cur, nec hieme, nec æstate auspicanda sit aratio. Quod vere itaque primum invertebatur aratro, *vervactum* dictum. Alii, quæ in sequenti anno serenda essent, arare auspicabantur ab exitu autumni, & initio hiemis circa Vergiliarum occasum, sub idem ferme tempus, quo sationis opus absolutum erat. Quod hodieque apud nos frequentatur in Gallia. Nam peracta semente terram proscindunt agricolæ nostrates, eamque insequentis anni sementi præparare jam tum incipiunt. *Vervacta facere* se dicunt, etiam si non vere primam eam arationem occipiant, sed hieme impendente post occasum Pliadis, & paulo ante brumam. *Guereta* vocant, voce a *vervacto* deducta, ut *guespam* dicimus, quæ vespa est, & *guastare*, quod Latini *vastare.* Inde ἄροτον, quem Hesiodus præcipit incipiendum sub occasum Vergiliarum, νεατὸν Proclus interpretatur, & intelligit primam arationem, qua proscinduntur arva, & novantur. Idem Proclus alio loco : φασὶ δὲ τινὲς χρῆναι τοὺς νειοὺς μετὰ χειμῶνα ποιεῖν στρέφοντας αὐτὴν ἐν τῷ νεάζειν, καὶ σπείρειν ἐκ τούτου καθάρειον. Dicit quorumdam hanc esse sententiam, terram proscindi oportere, hoc est, novalia, sive vervacta facienda post hiemem. Νειοὺς ποιεῖν est novales facere, & vervacta. Græci νεὸν, & νειὸν vocant terram, quæ novatur aratione, & præparatur sementi. Latinis *novalis.* Sed *novalem* terram Varro dicendam putat à prima aratione, donec novetur rursus secunda. Ergo *novale* idem quod *vervactum.* Ita & Græci νεὸν ἐργάζεσθαι, & νεοποιεῖν dicunt de terra, quæ primum proscinditur. Xenophon in Oeconomico : οὐκοῦν τοῦτο μὲν οἶσθα, ὅτι τῷ σπόρῳ νεὸν

A δεῖ ὑπεργάζεσθαι. *Post sationem faciendum esse novale, sive vervactum.* Ὑπεργάζεσθαι τῷ σπόρῳ νεὸν idem prorsus significat, peracta certorum agrorum satione alios prima aratione novandos esse. Certè toties novatur terra, quoties aratur. Et νεὸν, vel νειὸν Græci vocant terram per omne id tempus, quo vertitur, & aratur, donec conseratur. Hesiodus :

Νειὸν δὲ σπείρειν ἔτι κουφίζουσαν, ἄρουραν
Νειὸς ἀλεξιάρη, παίδων εὐκηλήτειρα.

Et alius poëta, νειοῦ ἐνὶ τριπόλῳ. In novali ter versato, quod tertiatum est, sive tribus arationibus motum.
B Xenophon : εἰ μέλλει ἀγαθὴ ἡ νεὸς ἔσεσθαι, ὕλης τε δεῖ καθαρὰν αὐτὴν εἶναι καὶ ὀπτὴν ὅτι μάλιστα πρὸς τὸν ἥλιον. Ergo νεὸς est, quæ sementem exspectat, & frequentibus iterationibus ad accipiendum semen paratur. Sequitur apud eumdem : περὶ μὲν τοῦ νεοῦ ὁρᾷς ἔφη ὦ Σώκρατες ὡς ἀμφοτέροις ἡμῖν ταὐτὰ δοκεῖ. Δοκεῖ μὲν οὖν, ἔφην ἐγώ. Περί γε μὴν τοι τῆς σπόρου ὥρας. Usque ad sationem dicebatur νεός. Et νεὸν ποιεῖν est novare terram fossione, vel aratione. Xenophon : εἰ δὲ ἄνθρωποι σκάπτοντες τὴν νεὸν ποιοῖεν, ἔφη, οὐκ εὔδηλον ὅτι καὶ τούτους δίχα ποιεῖν δεῖ τὴν γῆν καὶ τὴν ὕλην. Si homines fodientes terram novalem faciant, terram fossione novent. Hesychius : νεὸς, κυρίως ἡ
C νεωστὶ μεταβεβλημένη γῆ. Theophrastus : καὶ διὰ τοῦτο κελεύουσιν οὐδὲ τὰ χέδροπα συμβάλλειν εἰς τοὺς νεοὺς, ἐὰν μὴ σφόδρα πρώϊον ὅπως μὴ κωλύζωσι τὴν θερινὴν νέασιν. Dicit in novalibus, hoc est, in iis terris, quæ parantur sementi triticeæ, non esse legumina serenda nisi admodum tempestive, ne scilicet æstivam νέασιν prohibeant, hoc est, eorum agrorum novationem, vel arationem, quæ æstate fit. Quod enim νεάσεως hibernæ, & æstivæ meminit idem Theophrastus, nihil ea voce aliud intellexerit præter arationem hibernam, & æstivam. Omnis quippe terræ aratio ejus
D νέασις est. Xenophon νεὸν ἐργάζεσθαι dixit de prima aratione, quam nec hieme faciendam præcipit, quia tum lutosa terra : nec æstate, quia sicca, ac dura. Sed nec quod Hesiodus νεωμένην vocat terram, quæ æstate iteratur secunda novatione, inde sequitur νεοῦν proprie dici de iteratione. Nam & πολεῖσθαι γῆν non de prima tantum, sed etiam de secunda, ac tertia dicitur. Unde δίπολος, ac τρίπολος γῆ. Hiberna, ac æstiva νέασις præcipuæ, hæc ad percoquendas folle glebas, illa ad rarefaciendas & putrefaciendas. Ideo νέασιν de his duabus arationibus proprie Theophrastus dixit : ἡ δὲ κατεργασία ἐν τῷ νεοῦν κατ' ἀμφοτέρας
E τὰς ὥρας. Non dubium autem, quin *novalem terram*, & *novale* eodem sensu Latini frequentaverint, quo Græci νεὸν, & νειὸν, sive νεωμένην γῆν, licet terram primum proscissam grammatici interpretentur, ac velit Varro novalem dici tantum à prima aratione ad secundam, quum Græci νειὸν vocent à prima aratione usque ad sationem. Virgilius :

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes?

Perite hæc distinxit. *Seges* proprie id est, quod aratum satum est, ἡ σπορίμη γῆ. *Novale*, quod aratione
F novatum est, nec dum satum, ἡ νεασίμη. Servius exponit novalia, *nova rura, quæ per singulos annos novantur per semina.* Immo, arationibus. Quamvis ne hoc quidem verum sit. Nec enim quotannis arantur novalia, ut nec quotannis seruntur : alternis quippe cessant. At illud restibilis agri proprium, qui quotannis obsitus est. Etenim cum νεὸς Græcorum, & *novalis* Latinorum ea sit terra, quæ tertio ut minimum seritur sulco, cujus prima aratio, vel hieme, vel vere incœptatur, non potest singulis annis satum habere, sed necesse est uno anno ante arationibus frequentibus novetur, quam conseratur. Sic alternis re-
G quiescit. Quippe inter utramque ejus sationem biennium totum interest. Altero anno in arvo est, altero anno in segete. Plinius, *Novale est, quod alternis annis seritur.* Idem erat & *vervactum.* Varro : *multum interest in rudi terra, an in ea seras, quæ quotannis obsita sit, an in vervacto, quæ interdum requierit.* Columella *vervactum* similiter *restibili* opponit. *Fabæ modii quatuor vel sex in vervacto duas operas bubulcorum detinent, at in restibili unam.* Et alio loco : *Ab hoc recte phaselus terræ manidabitur, vel in vervacto, vel melius pingui, & restibili agro.* Et

Et cap. IX de siligine & hordeo: *Atque illa vicibus annorum requietum agitatumque alternis, & quam lætissimum volunt arvum. Hoc nullam mediocritatem postulat: nam nisi pinguissima, vel macerrima humo jaciatur, perit.* Pinguissima humus est, quæ fit restibilis, & quotannis fert: media est, quæ alternis annorum vicibus requiescit & seritur. Talis est *novalis*, quæ & *vervactum*. Plinius hordeum serendum esse ait *in novali, & in arvo, quod restibile possit fieri.* Id habet ex Catone, qui pro novali dixit *novum locum.* cap. XXXV. *Hordeum qui locus novus erit, aut qui restibilis fieri poterit.* Νεὸν Græcorum intelligit, locum recens novatum, & aratum. Ita quoque alibi loquutus est Plinius, *serunt ita non nisi culta terra, & nova*, id est, recens novata, ἐν τῇ νεωστὶ μεταβεβλημένῃ ἐν τῇ νεῷ, in novali. At *quod restibile possit fieri* idem est atque quod quotannis possit seri. *Vervactum* proprie arvum est vere proscissum, quæ prima erat aratio. Tantumdem porro temporis postulat priusquam seratur arvum illud, quod vere proscindi solet, atque illud, quod hieme primum aratur. Plinius: *quod vere semel aratum est, a temporis argumento vervactum vocant. Hoc in novali, atque requieto necessarium.* Veteres libri non habent illud *requieto.* Scribe igitur: *Hoc in novali æque necessarium.* Hinc *vervactum*, & *novale* pro eodem. *Vervactum* terra primum vere proscissa. Novale terra, similiter primo novata, & proscissa. Hinc *vervactum* pro agro requieto usurparunt, ut & *novale*, quod arvum est anno ante præparari solitum, quam semen accipiat. *Restibile* contra quotannis semen accipit, & quotannis frugem reddit. Plinius de Mesopotamiæ fertilitate: *Nec terra ipsa herbas gignit, ubertatis tamen tantæ sunt, ut sequente anno restibilis fiat seges, impressis vestigio seminibus.* In vervacto, aut novali, ubi demessum est, sequente anno iterum messis colligi non potest, ut in restibili, sed seminatur tantum. In restibili inter utramque messem annus vertitur, in vervacto biennium integrum intercedit inter utrumque fructum. In Hyrcania similiter tantam esse fertilitatem ferunt auctores, ut semen ex spicis cadivum sequente anno restibilem segetem reddat. Ὁ δὲ σῖτος ἐκ τοῦ ἐκπεσόντος καρποῦ τῆς καλάμης φύεται. Eadem & Mesopotamiæ ubertas, ubi impressa vestigio semina restibilem faciunt quotannis segetem. Plinius *restibile* videtur sentire dictum quasi *restituibile.* Ut restibilem fieri segetem dicit, quæ omnibus annis restituitur. Sic *substitivum* Apulejo, quod substituitur in locum deperditorum, de Deo Socratis: *& vivacitas illic æterna, & indefecta sit, hic caduca, & substitiva.* Ita sane mihi lectum est in veteri libro, pro *subsiciva.* Cujus vocis significatio ibi locum habere non potest. Deorum vivacitas æterna est, & indefecta, mortalium caduca, & *substitiva*, quæ generatione scilicet reparatur, nova sobole substituta in locum denascentium. Ita *substitiva* pro substitutivo. Sed melius est, ut ager *restibilis* dicatur à restando. Restare est durare, perseverare, ac resistere. Propertius:

---- dum restat barbarus Hector.

Et Arnobio, *Christiana religio restat.* Sic *restibilis* ager, qui continuata, ac non intermissa fertilitate restat. Festo *restibilis ager fieri* dicitur, *qui biennio continuo seritur farreo spico, id est, aristato. Quod ne fiat, solent qui prædia locant excipere.* Quomodo accipiendum sit illud *biennio continuo* haud satis clarum est. In novali, vel vervacto, quod tertio sulco seritur, legitimis tribus arationibus, hoc anno, ubi farreum spicum satum est, anno sequente demetitur, post biennium iterum seritur. An hoc excipiebant prædiorum locatores, ne continuo biennio farreum spicum sereretur? Hodie quoque apud nos frumentum seri non solet continuo biennio, sed in annum tertium, aut quartum. Unde frumentum sustulere, anno post hordeum serunt satione verna, deinde post biennium avenam, & post triennium iterum frumentum. Sic quatuor anni intercedunt inter utramque frumenti sationem. In quibusdam locis triennium tantum, ubi alterutrum hordeum, aut avenam frumento interserunt. Videndum tamen est, an *continuum biennium* de duobus annis continuis intelligendum sit. Nec enim *restibilis* est ager, nisi quotannis seratur. *Farreum spicum* vocabant sativorum omnem

A fructum, qui spicis continetur, ac vallo aristarum munitur. Quo in genere non solum far, siligo, triticum, sed etiam hordeum. Hæc omnia frumenti nomine comprehendebant. Hordeum apud veteres Romanos inter sementiva: nec satione verna, aut trimestri serebatur, ut apud nos, sed hiberna eodem prorsus modo quo triticum. Cavebant igitur prædiorum locatores, ne qui ea conducebant, restibilem agrum farreo spico facerent, hoc est, ut ne duobus annis continuis fruge aristata agrum obsererent. Ergo restibilis ager dicendus tantum, qui aristato genere duobus continuis annis conseritur. Nam restibilis non est, quum
B in novalem mittitur faba, quæ novalis anno eodem hiberna satione acceptura est frumentum. Theophrastus notat placere quibusdam fabæ semen mandari ταῖς νεοῖς. Quod nec ipse improbat, modò id maturius fiat, ut ne æstiva νέασις impediatur. Haud video tamen, quomodo biennio continuo frugibus aristatis obseri possit ager, observatis tribus illis, aut etiam pluribus arationibus, de quibus suprà diximus. In tenera fortasse terra id locum habuerit, cui satis est arari, dum seritur: aut si secundi anni sationem ex trimestri semine facias, ut nos consuevimus in hordeo, & avena. Sane & genus frumenti fuit aristatum trimestre veteribus cognitissimum. Græci τρίμηνον appellant. Hordei etiam genus in aristato gene-
C re trimestre extitit, quale hodie omne nostras est. Theophrastus: οἷον πυρῶν τι γένος καὶ κριθῶν, ὃ καλοῦσι τρίμηνον, διὰ τὸ ἐν τοσούτῳ τελειοῦσθαι. Sic duobus annis continuis farreo spico poterat ager restibilis fieri, quod excipiebant locatores prædiorum ne fieret. Et sanè id sedulò cavebant veteres agricolæ, ne frumentum biennio continuo terris ingererent, sed leguminibus, aut milio, & panico, aut etiam rapis restibilem agrum faciebant, si modo restibilis ager dictus est, qui diversi generis fruge seminaretur quotannis. Profecto restibilem Varro eam vocat terram, quæ quotannis obsita sit, nec expressit quo genere frugum. Plinius
D cap. XXIII. *Si fuerit illa terra, quam appellavimus teneram, poterit sublato hordeo milium seri. Eo condito rapa: his sublatis hordeum rursus, vel triticum, sicut in Campania.* Ita legimus eum locum ex veteri codice Rigaltiano. Sublecto igitur hordeo, quod est ex genere farrei spici, milium serebatur, sequente anno; iterum sequente, rapa: quibus sublatis, & præparato per annum novali rursus hordeum, vel triticum. Sic quadriennium intererat inter farrei spici utramque sationem. Tribus prioribus annis continuis obsitus habebatur hujusmodi ager, quarto novalis fiebat, prius-
E quàm iterum triticum, vel hordeum in eo poneretur. Atque hic ordo obtinebat in optimis, ac pinguissimis arvis, qualia erant Campaniæ. Sequitur apud Plinum: *alius ordo ut ubi adoreum fuerit, cesset quatuor mensibus hibernis, & vernam fabam recipiat, aut ante hiemalem ne cesset.* Hæc non satis sincera. In libris scriptum est: *& vernam fabam recipi ita ut ante hiemalem nec exiet.* Omnino scribendum: *& vernam fabam recipiat, ut ante hiemalem ne cesset.* Ubi adoreum fuerat, proximo anno vernam fabam serebant. Sic quatuor tantum
F mensibus hibernis cessabat ager. Ideo autem vernam fabam potius quam hiemalem illi agro committebant, quia si hiemalem sevissent, totum annum cessasset. Hiemalis faba, quæ hiberna satione terræ mandabatur circa Vergiliarum occasum, ut reliqua sementiva. Nam & Plinius inter sementiva fabam recenset: *Sementiva autem triticum, hordeum, fabam, napum, rapa.* Ubi *sementiva* dicuntur, quæ Græci πρώϊσπορα vocant, quæ satione hiberna seminantur. Ut τὰ ὀψίσπορα sunt, quæ verno tempore seruntur. Theophrastus fabam
G quoque hiberna semente solitam seri ostendit his verbis: οἱ δὲ καὶ τὸν κύαμον ὀψὲ σπείρουσιν, ἐὰν ὑστερήσωσι τῶν πρώτων ἀρότων. Auctor ille τῶν πρώτων ἀρότων nomine intelligit hibernam sementem, quæ & *sementis* absolutè dicta est κατ' ἐξοχὴν, ut *sementiva*, quæ eo tempore serebantur. Hic ordo observabatur apud veteres in agris pinguibus, ut collecto frumento bis leguminibus obsererentur, priusquam ad frumentum, sive farreum spicum iterum redirent. In minus pinguibus, ac mediocribus sublato frumento legumen tertio serebatur,

A batur. Plinius: *minus pinguis alternari potest ita si frumento sublato legumen tertio seratur.* Graciliores terræ, ut ex eodem constat, in tertium annum cessabant, quæ per id tempus nec arabantur, nec conserebantur. De his intellexit Virgilius:

Nec nulla interea est inaratæ gratia terræ.

In hac terra cessante, & inarata quum herbæ succrescerent, pabulo erat pecoribus. Hoc est, quod ait Columella, pastorem delectari novali, & graminoso agro. Impropriè *novalem* dixit, quæ prorsus inarata requiescit, ac cessat, cum *novalis* ea sit propriè, quæ per anni spatium frequentibus novatur arationibus, B ac præparatur sementi. Eo quippe tempore, quo renovatur, quodammodo requiescit, nec enim segetem fert. Græci νεὸν & νέασιν eo planè sensu vocant. Ceterum, ut graciles terræ requiescunt intermissione laboris, & cessatione, ita pingues renovatione arationis, & frugum mutatione. Virgilius:

Sic quoque mutatis requiescunt fœtibus arva.

Ut enim qui aratro terram movet, ac vertit, eam novat, atque, ut Græci loquuntur, νεὸν ποιεῖ. Ita legumina quoque νεὸν ποιεῖν Theophrasto dicuntur, quæ satione sua recreant agrum, ac reparant effœtum lib. IV. de causis, cap. IX. de leguminibus: καὶ ὁ θάτιον ἢ ἐκ C πλεονοῦ καὶ μὴ καρπίζεσθαι τὴν γῆν, ἀλλὰ νεὸν ποιεῖν. Erebinthus terram exurit, & emaciat, ideo pingue solum desiderat. Idem: ταχὺ δὲ ἵνα ἐκκαρπίζεται τὰ ἐδάφη καθάπερ ὁ ἐρέβινθος. Διὸ καὶ μόνος οὐ ποιεῖν νεόν. *Non renovat, ac recreat terram, non facit novalem.* Hinc νεατὸς prima terræ novatio post hibernam sementem, de qua haud rectè ambigit Proclus an accipiendum sit illud Ἡσιόδειον.

---- ἀρότοιό τε δυσομβρώων.

Nam ibi ἄροτος est sementis, non νεατὸς, vel prima aratio, quæ statim subsequitur. Græcia fere omnis, & Asia sementis tempus observabat circa Vergiliarum D occasum. Plinius cap. VII. *Æstiva, quæ æstate ante Vergiliarum exortum seruntur, ut milium, panicum, sesama, horminum, irio, Italiæ duntaxat ritu. Alioquin in Græcia, & Asia omnia Vergiliarum occasu seruntur.* Falsum est, quod heic ait in Græcia omnia seri Vergiliarum occasu, etiam ea quæ Italia serebat æstate, ut milium, panicum, sesama & irio, vel erysimum. Nam & Græcia omnia illa seminum genera, quæ peculiari Italiæ ritu æstate seri solita Plinius dicit, ἐν τοῖς θερινοῖς ἀρότοις nuncupat. Et quod mireris eam differentiam, frumentorum, leguminum, atque æstivo- E rum seminum, quam ibi Plinius explicat, totam habet ex Theophrasto, qui similiter omnia tribus his generibus complectitur, τῶν σιτώδων, τῶν χεδροπῶν, καὶ τῶν θερινῶν. Sic autem ille de æstivis: τρίτον δὲ παρ' αὐτὰ κέγχρος, ἔλυμος, σήσαμον, καὶ ἁπλῶς τὰ ἐν τοῖς θερινοῖς ἀρότοις ἀνώνυμα κοινῇ προσηγορίᾳ. Non intellexisse videtur Plinius, quid essent θερινοὶ ἄροτοι, sunt autem æstivæ sationes. Nec enim dixisset Italiæ duntaxat ritu, milium, panicum, & sesamum æstate seri, quum ea Græci pariter æstate sererent, & θερινὰ similiter nuncuparent. Fortassean ita pronuntiarit, quia Hesiodus unum tempus serendi tradit à Vergiliarum oc- F casu. Sic enim alibi scribit: *Hesiodus, qui princeps omnium de agricultura præcepit, unum tempus serendi tradidit à Vergiliarum exortu. Scribebat enim in Bœotia Helladis, ubi ita seri diximus.* Locum intelligit, quem supra attulimus. Si unum tempus serendi in Hellade, Vergiliarum occasu, omnia serebantur eo tempore, nec vernæ sationes erant, nec æstivæ. Non tamen inde sequitur, unam tantum fuisse sationem in Græcia, & unum serendi tempus, quia Hesiodus plurium non meminerit. Unius sementis autumnalis veluti præcipuæ mentionem fecit tantum poëta ille in rusticis, ὑποθήκαις. G Fuisse præterea, quæ & verno tempore Græci sererent, & æstivo, advertere eum debuere Theophrasti verba, quem tum vertebat. Xenophon in Oeconomico sementis hibernæ duntaxat meminit, quæ frumenti est, quo præcipue vita constat, ejusque tempus assignare videtur per illos imbres, qui sequuntur ab occasu Vergiliarum septimo ferè die. Sic enim verba ejus exponenda de sementis tempore: ἐπειδὰν γὰρ ὁ μετοπωρινὸς χρόνος ἔλθῃ, πάντες που ἄνθρωποι πρὸς τὸν θεὸν ἀποβλέπουσιν, ὁπότε βρέξας τὴν γῆν ἀφήσει αὐτοὺς σπείρειν. Imbres, ut dixi, intelligit, qui sequuntur occasum Vergiliarum. Theophrastus vocat τὸ ἐκ Πλειάδος ὕδωρ. In madida seri vult Xenophon. Ideo post Vergiliarum occasum sementem rejicit. Aliis placebat in sicca serendum, qui Vergiliarum occasum præveniebant. Plinius: *Sementis tempora plerique præsumunt, & ab undecimo die autumnalis æquinoctii fruges serunt, adveniente Coronæ exortu, continuis diebus certo prope imbrium promisso, Xenophon antequam Deus signum dederit. Hoc Cicero Novembris imbre fieri interpretatus est. Cum sit vera ratio non prius serendi, quam folia cœperint decidere. Hoc ipso Vergiliarum occasum fieri putant.* Pro illis *Novembris imbre* habetur in libris. *N R. imbre.* Placet mihi, quod jam aliis placuit: *Hoc Cicero noster imbre fieri interpretatus est.* Sic alibi: *Varro noster.* Dicit Xenophon multis damnis affici, qui serunt πρὶν κελευσθῆναι ὑπὸ τοῦ θεοῦ. Hoc Plinius Latinè reddidit, *antequam Deus signum dederit.* Eleganter & eruditè. Κελεύειν dicebatur, qui remigibus signum dabat, quo remigare inciperent, desinerentque. Ennius:

---- *tonsamque tenentes*
Parerent, observarent, portisculus signum
Cum dare cœpisset.

Glossæ: *Portisculus*, κελευστής. Ita Deus, qui tempus serendi ostendit, κελεύειν, hoc est, signum dare dicitur agricolis. Quomodo? *Hoc imbre*, inquit, *fieri Cicero noster interpretatus est.* Certe non magis Cicero quam ipse Xenophon in his verbis: πάντες που οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸν θεὸν ἀποβλέπουσιν, ὁπότε βρέξας τὴν γῆν ἀφήσει αὐτοὺς σπείρειν. Ut prætor mappa signum dabat emittendarum quadrigarum, quem & ἄφεσιν dicebant. Ut remigibus pertica remigandi, cessandique signum dabat hortator. Ut coryphæus endosimum, hoc est, canendi signum pede dabat. Ita Deus serendi signum dabat imbre. Adde quod ἐπισημασίαι appellabantur pluviæ, procellæ, & reliqua ejusmodi, quæ ab exortu, & occasu siderum sequebantur. Febrium quoque accessiones ἐπισημασίαι. Glossæ: *accessio*, ἐπισημασία. In furoris quoque morbo cum post dilucidum intervallum insania redit, ἐπισημασία dicebatur. Insignis de hac voce locus extat apud Gellium lib. XVIII. cap. VII, quem haud vulgo intelligunt etiam Græcè doctissimi. *Non tempestivè, inquit Favorinus, hunc hominem accessimus. Videtur enim mihi ἐπισημαίνεσθαι.* Is, de quo loquitur, homo fuit melancholicus, & insanus. Qui hac intemperie laborant, aliquando habent intervalla, quibus sunt remissiores, aliquando morbus iis recrudescit. Ἐπισημαίνεσθαι dicuntur, qui in articulo sunt morbi, quos insania rursus percipit. Dicebat igitur Favorinus intempestivè eum hominem accessisse, quum jam inciperet ἐπισημαίνεσθαι, in ipso scilicet articulo τῆς ἐπισημασίας. Plausus quoque, & adclamationes, quibus signa favoris sui populus in theatro dabat, ἐπισημασίαι dictæ. Ita imber ἐπισημασία est, quo veluti signo dato ad serendum Deus agricolas dimittit, ἀφήσει σπείρειν. Metaphora etiam ducta à quadrigis, vel equis Olympicis, qui signo dato emittebantur ad cursum. Sidera ipsa dum oriuntur, & occidunt, *significare* dicuntur, hoc est, ἐπισημαίνεσθαι. Plinius lib. XVIII. cap. XXXI. *Sequitur ex divisione temporum autumnus à Fidiculæ occasu ad æquinoctium, ac deinde Vergiliarum occasum, initiumque hiemis. In his intervallis significant pridie idus Augusti Atticæ equus exoriens, vesperi Ægypto & Cæsari Delphinus occidens.* Ita legendum ac distinguendum. Perperam editur: *in his intervallis significatur.* Ita Græci ἐπισημαίνειν sidera dicunt, ea præsertim, quæ ortus suos, vel occasus aliqua significatione tempestatis testantur. Ut ἀρκτοῦρος ἐπιτέλλει, ἐπισημαίνει. Πλειάδες δύνουσιν, ἐπισημαίνουσι. Τροπαὶ χειμεριναὶ, θεριναὶ, ἐπισημαίνουσι. Plinius de solstitiis, & æquinoctiis: *qui & ipsi dies raro non aliquos tempestatum significatus habent.* Columella plenè id extulit omnibus fere locis: *Arcturus oritur, significat tempestatem.* Et ita passim. Quibus locis malim legere, *significat tempestate.* Sic enim & Græci loquuntur, ἐπισημαίνει ὕδατι, βροντῇ, ἀστραπῇ. *Signum dant*, vel *significant imbre, tonitru, fulgetro.* Democritus: Ἀετὸς ἐπιτέλλει ἅμα ἡλίῳ. Ἐπισημαίνειν φιλεῖ βροντῇ, καὶ ἀστραπῇ, καὶ ὕδατι, καὶ ἀνέμοις. *Significare*

Significare consuevit tonitru, fulgetro, imbre & vento. Non omnia sidera significant in ortu, vel occasu suo. Theo interpres Arati: τῆς δ' ἑσπερίας δύσεως Πλειάδων οὐκ ἐμνήσθη διὰ τὸ συμβαίνειν αὐτὴν περὶ τὴν ἐαρινὴν ἰσημερίαν, καὶ μηδὲν ἐξαίρετον περιέχειν σημεῖον. Aratus de Vergiliis:

Ὅς σφίσι, καὶ θέρεος, καὶ χείματος ἀρχομένοιο
Σημαίνειν ἐκέλευσεν, ἐπερχομένου τ' ἀρότοιο.

Ubi Vergilias signum dare ait instantis sementis. Avienus ἄροτον ibi accipit pro aratione prima, sive proscissione. Sic enim reddit:

---- si condunt æquore flammas
Tellurem presso proscindere tempus aratro.

Perperam. Sic Proclus dubitabat apud Hesiodum, an ἄροτος τὸν νεατὸν significaret, hoc est, terræ proscindendæ tempus. Male etiam Theon Arati interpres ἄροτον exponit καιρὸν τοῦ ἀροτριᾶν. Alio loco melius τὴν ἀντίληψιν τῶν κατὰ σπόρον ἔργων.

Rectè quoque Cicero reddidit:

Admonet, ut mandent mortales semina sulcis.

At nescio, quid in animo habuerit Germanicus, qui ita vertit:

Præcipuo sed honore ostendit tempora bina,
Cum primum agricolam ventus superimminet auster,
Et cum surgit hiems portu fugienda peritis

An legit, ἐπερχομένου τε νότοιο, pro ἐπερχομένου τ' ἀρότοιο. An per ventum austrum intellexit imbres, qui Vergiliarum occasum sequi solent, & serendi tempus significant? Ita sementem instantem expresserit, τὸν ἐπερχόμενον ἄροτον. Videtur tamen per *austrum superimminentem agricolis* τὸ θέρος ἀρχόμενον expressisse, & *per hiemem surgentem, & portu fugiendam* τὸν χειμῶνα ἀρχόμενον. Hæc sunt bina tempora, quæ Vergiliis significantur orientibus & occidentibus. Plinius: *alii statim ab occasu Vergiliarum sequi imbres à septimo ferè die.* Hi sunt imbres, quos expectari jubet Xenophon ad sationem faciendam. Ex his constat legitimum sementis tempus, præcipuè triticeæ in Attica, & Græcia omni fuisse ab occasu Vergiliarum. Hoc Hesiodus, Theophrastus, Xenophon, & Plinius testantur. Et Xenophon quidem totum illud tempus serendi, εἰς πρώϊμον, καὶ μέσον, καὶ ὄψιμον distinguit. Festinata satio à Vergiliarum occasu incipiebat, serotina circa brumam. Hesiodus ὀψαρότην vocat, qui eo tempore serit:

Εἰ δέ κεν ἠελίοιο τροπαῖς ἀρόῃς χθόνα δῖαν,
Ἥμενος ἀμήσεις ὀλίγον περὶ χειρὸς ἐέργων.

Et paulo post ὀψαρότην appellat, ut contra πρωτηρότην qui serit circa Vergiliarum occasum,

Οὕτω ὀψαρότης πρωτηρότῃ ἰσοφαρίζει.

Sic πρώϊμος ἄροτος, sive σπόρος incipiebat Atticis & Bœotis à Vergiliarum occasu: ὄψιμος paulo ante & post brumam. Plinius *serotinam* vocat hanc sationem. Columella: *propter quod intelligi debet tritici satio dierum sex & quadraginta ab occasu Vergiliarum, qui fit ante diem* IX. *Kalendas Novembris ad brumæ tempora.* Plutarchus Πυανεψιῶνα Atticum mensem σπόριμον μῆνα vocat, & circa Vergiliarum occasum ponit. Septima hujus mensis τὰ πυανέψια celebrabantur, quæ & mensi dedere nomen. Eodem tempore τὸ προηρόσιον faciebant, quod erat sacrificium *præsementicium.* Eo quippe sacro facto sementem auspicabantur. Προηρόσιον sacrum est, quod fit ante sationem. Nam ἄροτος *satio*, & ἀρόσαι *serere*, ut supra vidimus. Tunc etiam Εἰρεσιώνη pro foribus constituebatur omni genere fructuum, & pomorum onusta. Hoc unico argumento retundi potest stolidum pectus pecoris Cercoëtii, qui Pyanepsionem mensem subjungit Mæmacterioni, Mæmacterionem Boëdromioni, quæ Gazæ fuit sententia jampridem à Scaligero explosa. Sed odium Scaligeri barbaræ menti insitum, & literarum omnium imperitia rationi scientiæque prævaluerunt apud eum Theologosophistam. Mense Pyanepsione Vergilias matutino occidere Plutarchus docet, & sationem fervere, unde & σπόριμος μὴν illi dicitur. Vergiliarum porro matutinum occasum Hesiodus in astrologia tradidit fieri, quum æquinoctium autumni conficeretur: Thales vigesimo quinto die ab æquinoctio: Anaximander vigesimo nono. Varro ab æquinoctio autumnali ad

A occasum Vergiliarum dies ponit XXXII. Columella die altero & trigesimo post æquinoctium Vergilias ait occidere. Boëdromione mense conficiebatur æquinoctium. Ergo cum Pyanepsione Vergiliæ occidant, Pyanepsion sequi debet Boëdromionem. Boëdromionis vigesima celebrabantur magna mysteria. Quod tempus in libram, & circa æquinoctium sæpe incidebat. Seneca in Hercule Furente,

Quanta cum longa redit hora noctis,
Crescere & somnos cupiens quietos,
Libra Phœbæos tenet aqua currus
Turba secretam Cererem frequentat
Et citi tectis properant relictis
B *Attici noctem celebrare mystæ.*

Nec obest, quod Plinius ex Cæsaris calculo Vergiliarum occasum confert ad diem tertium Idus Novembris. Nam & Pyanepsion partem Novembris occupabat. Sed de hoc videnda, quæ infra explicamus. Plinius lib. II. cap. XLVII. *Post id æquinoctium diebus ferè quatuor & quadraginta Vergiliarum occasus hiemem inchoat, quod tempus in* III *Idus Novembris incidere consuevit.* Ita omnino distinguendus ille locus, qui vulgo interpunctis laborat. Sed falsum videtur, quod ait Vergiliarum occasum fieri diebus ferè quatuor & quadraginta post æquinoctium, & id tempus incidere in

C tertium Idus Novembris. Æquinoctium autumni Plinius juxta Cæsaris decretum confici statuit octavo Kalendas Octobris. Ab eo die ad tertium Idus Novembris dies sunt octo & quadraginta. Et sanè alio loco tot dies scribit esse inter utrumque tempus lib. XI. cap. XVI. *Et ab æquinoctio ad Vergiliarum occasum diebus quadraginta octo plurima sit erice.* Hæc erat Euctemonis opinio, ut ex eodem Plinio constat lib. XVIII. cap. XXV his verbis: *Occasum matutinum Vergiliarum Hesiodus, nam hujus quoque nomine extat astrologia, tradidit fieri, cum æquinoctium autumni conficeretur: Thales vigesimo quinto die ab æquinoctio: Anaximander vigesimo nono: Euctemon quadragesimo octavo.*

D *Nos sequemur observationem Cæsaris.* Diversa igitur observatio Cæsaris ab Euctemonis sententia super occasu matutino Vergiliarum. Et tamen ex illa Euctemonis sententia, qui die quadragesimo octavo ab æquinoctio Vergilias occidere scripserat, in tertium Idus Novembris earum occasum rectè colloces, si modo idem æquinoctii tempus eum statuisse des cum Cæsare. At ex observatione Cæsaris, qui dies quatuor & quadraginta ab æquinoctio ad occasum Vergiliarum interesse existimavit, haud rectè possis eas tertio Idus dicere occidere, quod tamen Plinius fecit, qui u-

E tramque opinionem confudit. Vetus interpres Germanici in Arateis prognosticis: *Deinde tertio Idus Novembris Vergiliæ occidunt. Occasum matutinum Vergiliarum Hesiodus, nam hujus quoque nomine extat astrologia, tradidit fieri, cum æquinoctium autumni conficeretur. Quod Thales* XXV *die ab æquinoctio, Anaximander* XXXI, *Euctemon* XLVIII. *Nos autem sequentes observationem Cæsaris* XLV *die ab æquinoctio dicimus fieri.* Ita legenda sunt hæc ejus verba, quæ in vulgatis sunt corruptissima. Eadem sunt cum Plinianis, ut planè inde

F sumpta liceat affirmare, quæ & ex Plinio fuere corrigenda. Cæsar itaque quadragesimo quinto, vel quarto ab æquinoctio autumni die Vergiliarum matutinum occasum fieri sanxerat, ut idem Plinius asserit, qui tamen ex eadem illa observatione Cæsariana occasum hujus sideris conjicit ad tertium Idus Novembris, quod non potest obtineri. Idem cap. XXV. lib. XVIII. *Hoc ipsum Vergiliarum occasu fieri putant. Aliqui ad* III *Idus Novembris, ut diximus, servant.* Scribe: *ante diem tertium.* Hoc est, A. D. III.

G Sed quinam illi aliqui? An Cæsar? Vix ita de illo loquatur, præsertim quum ejus observationem sequi se dicat, & hanc esse Italiæ rationem asserat. Sequitur apud eum: *quoniam id sidus vestis institoris est, & est in cœlo notatu facillimum.* Lege: *quoniam id sidus vestis institor est.* Quare *vestis institorem* hoc sidus appellat, in sequentibus explicat. *Sidus institor*, ut *ruminator sæculum* Arnobio lib. VII. *Qua dejicere cibos, & referre natura est ruminatoribus sæculis.* Aëtius occasum matutinum Vergiliarum octavo Idus Novembris col-

 locat;

locat: Μηνὶ Νοεμβρίῳ ἕκτῃ Πληϊάδες ἑῷαι δύουσι. Quod planè convenit cum Cæsaris observatione, qui die quarto & quadragesimo post æquinoctium eas occidere voluit. Nam ab æquinoctio ad diem octavum Idus Novembris tot dies sunt. Plinius cap. XXV. *At ab æquinoctio ad brumam Vergiliarum matutinus occasus die quadragesimo quarto.* Ita scribendum, non XLIII: Atqui dies quartus & quadragesimus ab æquinoctio non potest cadere in ante diem tertium Idus, sed plane cadit in octavum. Sic omnia Plinius turbat & miscet. Quod ipsi sollemne est. Ceterum Thaletis, Anaximandri, & Euctemonis in eadem regione dissensus super occasu Pliadum mirus est, in quot diebus scilicet post æquinoctium contingeret. Sed nec minor eorum discordia super solstitiorum, & æquinoctiorum cardinibus, quando nimirum conficerentur. Scripserat Thales περὶ τροπῆς καὶ ἰσημερίας. Anaximander gnomonicum instrumentum Lacedæmone constituerat, quo designabantur τροπαί τε καὶ ἰσημερίαι. Euctemonis solstitii, & æquinoctii mentio apud Ptolemæum. Non minus igitur dissedisse inter se videntur super æquinoctii tempore, quàm super Vergiliarum occasu, quo tempore observandus esset, & quot diebus ab æquinoctio adveniret. Alterum quippe ab altero pendet. Etenim Thales, qui vigesimo quinto die ab æquinoctio Vergilias occidere tradidit, non de æquinoctio communi fortasse sensit, sed de eo æquinoctio, quod ipse propria observatione constituit, de quo & scripsit. Idem de Anaximandro, & Euctemone sentiendum. Nihil itaque potest certi statui ex eorum opinione. At Hesiodus in astrologicis occasum matutinum Vergiliarum fieri tradidit, quum æquinoctium autumni conficeretur. Ergo quum idem in præceptis georgicis moneat auspicandam esse sationem circa occasum Vergiliarum, de æquinoctio autumni æquè intelligendum est, quandoquidem eodem ferme tempore & æquinoctium autumni conficitur, & Vergiliæ matutino occidunt. Sic eadem fuerit sementis, quæ incipit ab æquinoctio, & quæ ab occasu Vergiliarum. Atqui veteres utriusque tempora distinxerunt, quum alii ab æquinoctio, alii ab occasu Vergiliarum serere fruges occiperent. Theophrastus ipse non aliter Hesiodum de tempore sementis præcipientem interpretatus est, quam ut intelligeret eodem temporè Vergilias illi occidere, quo in Attica tum occidebant. Πρώτη δ᾽, inquit, ὥρα τοῦ σπόρου, καὶ μάλιστα ἡ περὶ Πλειάδων δύσιν, ᾗ καὶ Ἡσίοδος ἠκολούθηκε. At æquinoctium autumnale, & Pliadum occasus Theophrasto non uno tempore conveniunt in libello de signis tempestatum, καὶ ἀπὸ ἰσημερίας μέχρι Πλειάδος δύσεως. Ubi satis magnum intervallum ponit inter utrumque, ut paulo post dicam. Quid igitur heîc faciendum? An putandum est non unius auctoris esse astrologiam illam, quæ nomine Hesiodi extabat, & ἔργα καὶ ἡμέρας, quæ revera illius sunt? Hoc fortasse verum est. Sed tamen hoc etiam constat, auctore illo veteris astrologiæ, quæ Hesiodi nomen præferebat, eodem tempore æquinoctium peragi, & Vergilias mane occidere. Quod non sic accipiendum videtur, ut auctor ille voluerit Vergilias occasum facere circa æquinoctium autumni, & quum æquinoctium conficeretur, sed è converso, quum Vergiliæ matutino occiderent æquinoctium confici putaverit. Idque ut valdè verisimile est, ita facile potest adstrui. Vergiliarum sidus in ortu suo, & occasu facillimum notatu est, adeo ut nec lateat agrestes, & imperitos. Plinius: *quoniam id sidus etiam vestis institor est, & in cælo notatu facillimum.* Quibus cura erat insidiandi negotiatoris & vestium institoris avaritiæ, ex occasu ejus de hieme augurari solebant, ut ibidem subjicit Plinius. Idem cap. XXVII. *Jam Vergilias in cœlo notabiles caterva fecerat. Non tamen his contenta terrestres fecit alias veluti vociferans, cur cælum intueris agricola.* Hinc Hesiodus agricolis suis ortum earum, & occasum præcipit observandum messes ac sementem facere volentibus. Non igitur valde difficilis earum observatio orientium, occidentiumve. Propterea credibile non est, verum ortum earum & occasum nescivisse Græcos, quantumvis illo prisco ac rudi sæculo. E contra solstitiorum, & æquinoctiorum ratio semper impedita visa est, atque ardua, & in qua inveniunda, ac constituenda certatim variis temporibus laborarunt antiquissimi Græciæ astrologi. Thales, qui primus in terra Græcia ἀστρολογῆσαι traditur, de solstitiis & æquinoctiis aliquid scripsisse fertur, τὰ ἄλλα καταληπτὰ εἶναι δοκιμάσας. Non sollicitanda, nec mutanda hæc lectio. Cum alia omnia in astrologia comprehendi facilia videri vellet circa siderum ut puta ortus, & obitus, solam inveniendi solstitii, æquinoctiique difficultatem confessus est. Quanto igitur probabilius est Hesiodi ætatem ortum, & occasum Vergiliarum certo tenuisse, quam vera deprehendisse solstitiorum, & æquinoctiorum κέντρα? Itaque cum ortum, & occasum Pliadis tenerent, id quod erat facillimum, æquinoctiorum, & solstitiorum vera puncta ignorabant. Ex illa ignoratione descendit, quod Hesiodus in astrologia sua æquinoctium autumni committi dicebat, quum Vergiliæ occasum matutinum facerent. Nec enim earum occasum in æquinoctii ad verum deprehensi cardine posuisse censendus est. Eadem prorsus ratione possumus colligere, quæ sententia Thaletis, & Anaximandri fuerit in suis ἡλιοτροπίοις constituendis. Sciendum est tantum, quo die matutinum occasum facere solitæ fuerint eorum ætate Vergiliæ. Thales vigesimo quinto die post æquinoctium Vergilias occidere matutino scripsit. Ergo æquinoctium autumnale Thaletis viginti quinque diebus præcedebat Vergiliarum occasum matutinum: Anaximandri, novem & viginti: Euctemonis, octo & quadraginta. Æquinoctium Euctemonis & Metonis idem fuit, ut & solstitium, & annus. Multis locis junctim meminit Ptolemæus solstitii Metonis & Euctemonis. Annus utriusque totidem diebus constabat, ut notat ex Hipparcho idem Ptolemæus. Columella solstitia, & æquinoctia in octavis partibus signorum constituit, idque se ex auctoritate Metonis ait facere. Hoc viri docti non probant. Plinius id sequitur, & cum æquinoctium autumni in octava libræ parte confici velit, & octavo Kalendas Octobris, occasum Vergiliarum fieri ait A. D. III. Idus Novembris, secundum quosdam. Sic fiunt dies octo & quadraginta ab æquinoctio ad occasum Vergiliarum, quæ fuit Euctemonis sententia, atque etiam, ut videtur, Metonis. Nam Cæsar dies tantum quatuor & quadraginta numerabat inter æquinoctium, & occasum illius sideris. Ptolemæus Idibus Novembris Vergilias tradit occidere matutino. Quod si ab Idibus Novembris retro numerare incipias dies octo & quadraginta, devenies ad vigesimum sextum Septembris, quo die Meton, & Euctemon æquinoctium autumnale fieri censuerunt, idque in octava parte libræ, non tamen octavo Kalendas Octobris, sed sexto. Nam sol auctore Columella, & Ptolemæo transitum facit in libram tredecimo Kalendas Octobris, ita in octava libræ parte, hoc est, sexto Kalendas Octobris æquinoctium peragitur, die vigesimo sexto Septembris. Columella: *Octavo Kalendas Octobris, & septimo, & sexto æquinoctium autumnale æquinoctium significat.* Sexto Kalendas perfici necesse est æquinoctium, ut in octava parte signi perficiatur, quum tredecimo Kalendas solem ingressum facere in libram dixerit. Vitruvius quoque in octava libræ solstitium fieri scribit. Ptolemæus notat lib. III solstitium à Metone, & Euctemone observatum anno Nabonassari CCCXVI. Phamenoti XXI. Idque tempus convenit in XXVII Junii, ut Scaliger computavit. At si Columella auctore solstitium Metonis in octava parte cancri statuimus, tum vigesima sexta ei solstitio observabitur. Brevissimam eo die noctem annotat Ptolemæus, & æquinoctium significat. At vigesima quarta ejusdem mensis *æstivum cardinem* collocat. Nec dubium est, quin ea voce æquinoctium etiam intelligat, hoc est, θερινὸν κέντρον. Non unius itaque auctoris sententiam aureo illo libello sequitur, sed plurium opiniones simul adscribit, quod & in aliis cum factitare deprehendimus. Ab exortu zonæ Orionis parapegmatis sui initium duxisse Metonem, & solstitium æstivum in

in ejusdem zonæ ortu collocasse ex veteribus colligi potest. Theo: ἀρχὴ δὲ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐστὶν ἡ τῆς ζώνης Ὠρίωνος ἐπιτολή. Sine dubio Metonis annum intelligit. Zona Orionis Ptolemæo, vel quisquis hujus libelli auctor est, incipit apparere tertio Idus Julii, biduo post eum diem, quem pro solstitio observatum Metoni Scaliger voluit ex Ptolemæo. At vigesima sexta mensis Septembris eidem Ptolemæo Orion exoritur, quo die & brevissimam noctem, id est, æquinoctium statuit, quod æquinoctium Metonis videtur esse. Ab ortu zonæ Orionis incœpisse Metonis annum, & solstitium eidem tum observatum, non obscurè indicat Aratus his versibus:

Γινώσκεις τάδε καὶ σὺ τὰ γὰρ συναείδεται ἤδη,
Ἐννεακαιδέκα κύκλα Φαεινοῦ ἠελίοιο
Ὅσσα τ' ἀπὸ ζώνης εἰς ἔσχατον Ὠρίωνα
Νὺξ ἐπιδινεῖται, κυνά τε θρασὺν Ὠρίωνος.

De Metonis enneadecaeteride hæc passim accipiunt interpretes, quæ recta quidem est expositio, sed vetustissimum in illis verbis mendum nemo animadvertit. Nec mirum est, quum etiam Theo, & Avienus non aliter legerint, quam hodie editum est. Atqui certissimum est scribendum esse:

---- τὰ γὰρ συναείδεται ἤδη
Ἐννεακαιδέκα κύκλα Φαεινοῦ Ἠλείοιο.

Non Meton primus, sed Phaïnus Athenis solstitium observavit ex monte Lycabeto. Ab eo Meton accepit, & ἐννεαδεκαετηρίδα composuit, publicavit. Hinc Aratus eam Phaïno adscribit, qui revera ejus auctor fuit, & solstitii inventor. Theophrastus in libello de significationibus tempestatum: καὶ Φαεινὸς Ἀθήνησιν ἀπὸ Λυκαβηττοῦ τὰ περὶ τὰς τροπὰς συνεῖδε παρ' οὗ Μέτων ἀκούσας τὴν τοῦ ἑνὸς δέοντα εἴκοσιν ἐνιαυτῶν συνέταξεν. Hæc conjecturam nostram ita stabiliunt ut nihil supra. Phaïnus, ut videtur, ex Elide fuit, at Meton Atheniensis. Id etiam confirmat idem Theophrastus: ἦν δὲ ὁ μὲν Φαεινὸς μέτοικος Ἀθήνησιν, ὁ δὲ Μέτων Ἀθηναῖος. Atheniensis oriundo hic erat ex pago Leuconœo tribus Leontidis. Ælianus lib. x. cap. VII. Ὅτι Μέτων ὁ Λευκονοιεὺς ἀστρόλογος. Perperam legitur, ὁ Λάκων. Phrynicus μονοτρόπῳ.

Τίς ἐστιν ὁ μετὰ ταῦτα ταύτης φροντιῶν;
Ὁ Λευκονοιεύς. Οἶδ', ὁ τὰς κρήνας ἄγων.

Sic legendi hi versus, non ut Scaliger. Intelligit Metonem, cujus nomen male infultum est versui, quum ratio metri id respuat. *Quis*, inquit, *eam postea curaturus est?* Respondet alter: *Leuconœensis. Novi*, inquit, *hominem. Ille est Leuconœensis, qui fontes ducit, & aquas perlibrat.* Metonem per ista planè designavit, qui etiam aquilex fuit, non tantum astronomus. De eo capiendos censet hos versus Manilii Scaliger lib. IIII.

Ille quoque inflexa fontes qui projicit urna
Cognatas tribuit juvenilis aquarius artes
Cernere sub terris, undas inducere terris.

Male idem corrigit *tectis* pro *terris.* Mutanda tantum distinctio, ac legendum:

Cognatas tribuit juvenilis aquarius artes
Cernere: sub terris undas, inducere terris,
Ipsaque conversis aspergere fluctibus astra.

Aquilicem, & ὑδροφάντην hæc planè exprimunt, qui aquas opertas, & sub terris latentes inducit terris, & in apertum evocat & elicit. Ars ipsa Græcis dicta ὑδροφαντική, ἀπὸ τοῦ φαίνειν ὕδωρ; ab aqua elicienda, & producenda. Nihil heîc, quod propriè pertineat ad Metonem. Sed sequitur id, quod Scaliger de Metone dictum interpretatur in his versibus:

Mille sub hoc habitant artes, quas temperat unda,
Quæ per aquas veniunt operum, pontesque sequuntur,
Quippe etiam mundi faciem, sedesque movebit
Sidereas, cælumque novum versabit in orbem.

Postremos hos duos versus ad Metonem refert, & novam ejus decem ac novem annorum conversionem, qua veterem Harpali periodum octaetericam sustulit. Nihil tam alienum potuit excogitari à poëtæ mente, qui solos aquilices sub aquario nasci intelligit, non etiam astronomos. Præterea versum unum transposuit, ac sede sua movit, prorsus contra Manilii

A sensum. Sic igitur antea legebatur in editionibus, hodieque legitur in scriptis codicibus:

Mille sub hoc habitant artes, quas temperat unda,
Quippe etiam mundi faciem, sedesque movebit
Sidereas, cælumque novum versabit in orbem.
Quæ per aquas veniunt operum, pontesque sequuntur.

Quod rectum est. Mille, inquit, huic signo attribuuntur artes, quæ aqua temperantur. Quippe etiam cœlum, & sedes siderum movebit, & in novum orbem versabit. Ergo etiam hæc ars, quæ cœlum movet, & sidereas sedes, connexa est & cognata aquariæ rei, B ἡ ὑδροσκοπική. At scientia ἀστρονομική, & periodus Metonis ἐννεαδεκαετηρικὴ nihil prorsus habent commune cum aquiliciis, & fontium perductionibus. Horologiorum ex aqua faciendorum artem intelligit, quæ hydraulicis rationibus explicabantur. Quo artificio Ctesibius Alexandrinus olim inclaruit. Ea horologia aquaria ad solis rationem composita sidereas sedes movent, & cœlum versant in novum orbem propter versationes tympanorum versatilium, quæ in hujusmodi aquariis horologiis fiebant, & per aquam movebantur. De quibus videndus Vitruvius lib. IX. cap. IX. Subjicit Manilius:

C *Quæ per aquas operum veniunt, pontesque sequuntur.*

Quæ operum, inquit, id est, quæ opera, solaria nempe aquaria per aquas veniunt, *& pontes sequuntur.* Sane legendum est, *fontesque sequuntur*, non *pontes.* Et frustra est Scaliger, qui arcus aquæ ductuum interpretatur. Nihil igitur ad Metonem illi versus, sed potius ad Ctesibium, & alios tales ὑδροφαντικοὺς, καὶ ὑδραυλικοὺς artifices, qui horologia ex aqua faciunt. Meton igitut Atheniensis origine, at Phaïnus Athenis μέτοικος fuit, patria vero Eleus, ut indubitate licet affirmare ex hoc Arati loco; Φαεινοῦ Ἠλείοιο, *Phaïni Elidensis.* Pro quo per tot sæcula vulgatum est Φαεινοῦ ἠελίοιο. Quæ adeo vetusta D hæsit menda, ut etiam agnoscatur à Theone, qui τὰ κύκλα, καὶ τὰς περιφορὰς τοῦ ἡλίου exponit. Eodem prorsus errore scriptum erat in epigrammate Græco, ἠελίου Ζεῦ pro Ἠλεῖε Ζεῦ. Sed nemo, ut opinor, dubitaturus est de nostra emendatione quantumlibet sit Cercoëtius, id est, pertinax, & imperitus. Hujus Phaïni mentionem etiam invenio apud Vitruvium, sed vitio librariorum interceptam, conjectura similiter eruendam. Ita scribit lib. IX. cap. VII. *Quorum inventa sequuti, siderum ortus & occasus, tempestatumque significatus, Eudoxus, Euctemon, Callippus, Meton, Philippus, Hipparchus, Aratus, ceterique ex astrologia parapegmato-* E *rum disciplinis invenerunt, & eas posteris explicatas reliquerunt.* Nullus ex illa antiquitate Philippus nobis, nec puto cuiquam notus est, qui parapegmata astronomica composuerit. Vetus habuit scriptura *Philinus.* Ex quo fecerunt *Philippus.* Omnino scribendum, *Meton, Phaïnus, Hipparchus.* Non ordine ætatis eos recenset. Nam Meton prior Callippo, ut Metone Phaïnus. Sic *Callistus*, & *Melo*, & *Eudæmon* corruptè eo loco legebatur, pro *Callippus, Euctemon* & *Meto.* Quod jam pridem viri docti viderunt. Philippi tamen etiam meminit Plin. lib. XVIII. cap. XXXI. *Deinde consentiunt,* F *quod est rarum, Philippus, Callippus, Dositheus, Parmeniscus, Conon, Criton, Democritus, Eudoxus, IV. Kal. Octobris Capellam matutino exoriri.* Philippum etiam nominat in indice hujus libri inter auctores suos: *Thalete, Eudoxo, Philippo, Calippo, Dositheo, Parmenisco, Melitone.* Nihil igitur mutandum in Vitruvio. At de Phaïno, memoriam ejus intermortuam primi ab inferis excitavimus. Meton igitur auditor Phaïni, accepta ab eo recta solstitii observatione, non solum ἐννεακαιδεκαετηρίδα composuit, sed etiam publicè in comitio monumentum erexit, quo populus doceretur, quibus anni lunaris diebus observanda essent solstitia, G toto illo novem ac decem annorum circuitu. Ἡλιοτρόπιον ab ea re vocatum est. Scholiastes Aristophanis in comœdia Avibus hujus ἡλιοτροπίου meminit, & ἀστρολογικὸν ἀνάθεμα fuisse ait. Μέτων, inquit, ἄριστος ἀστρονόμος καὶ γεωμέτρης. Τούτου δὲ ἐστὶν ὁ ἐνιαυτὸς ὁ λεγόμενος Μέτωνος. Φησὶ δὲ Καλλίστρατος ἐν Κολωνῷ ἀνάθημα εἶναι αὐτοῦ ἀστρολογικόν. Paulo post addit idem ex Philochoro nihil in Colono tale statutum à Metone, sed in comitio ἡλιοτρό-

πιον ejus extare, πρὸς τῷ τείχει τῷ ἐν τῇ Πνυκί. Apſeude Prætore anno ante Pythodori magiſtratum ἡλιοτρόπιον illud Metonis conſtitutum in eo loco dicit. Quale eſſet id μηχάνημα docet Ælianus his verbis, quorum partem ſuperius attulimus, atque emendavimus: ὅτι Μέτων ὁ Λευκονοιεὺς ἀνέστησε στήλας, καὶ τὰς τοῦ ἡλίου τροπὰς κατεγράψατο, καὶ τὸν μέγαν ἐνιαυτὸν, ὡς ἔλεγεν, εὗρεν, καὶ ἔφατο αὐτὸν ἑνὸς δέοντα εἴκοσιν ἐτῶν. In illis columnis deſcripſerat Meton omnia ſolſtitia, quæcunque intervenirent in toto illo, quod ex annis undeviginti compoſuit, anni magni curriculo. Ex his ſciri poteſt, quantopere hallucinatus ſit vir magnus, qui ἡλιοτρόπιον illud horologium fuiſſe ſibi perſuaſerit, ad rationem ſolſtitii deſcriptum, quum ante Metonem omnia veterum horologia ad rationem brumæ referrentur. Quod profecto quid ſit, ignorare me fateor. Inde horologia Romæ brumalia tantum fuiſſe alibi ſcripſit, & θερινὸν ἡλιοτρόπιον à Metone primo Athenis in comitio conſtitutum. Quod eſt abſurdiſſimum, falſiſſimumque. *Ante Metonem*, inquit, *omnia horologia Græcorum ſemper ad rationes brumæ referebantur, ut & Romana.* Quid velit prorſus ignoro. Horologia quibuſcunque in locis deſcriberentur, eo loci ſumebatur æquinoctialis umbra, non brumalis, ut diſertè tradit Vitruvius. Nec aliter ſanè explicari potuere rectæ horologiorum rationes. Scribit ille quidem lib. IX. cap. IIII hæc verba: *Analemma eſt ratio conquiſita ſolis curſu, & umbræ creſcentis à brumæ obſervatione inventa, è qua per rationes architectonicas, circinique deſcriptiones eſt inventus effectus in mundo.* Ex his verbis videtur Scaliger conjeciſſe veterum horologia ad brumæ obſervationem deſcripta fuiſſe, & hæc vocata horologia brumalia, quæ ratio ſemper ſervata fuerit, priuſquam Meton θερινὰ inveniſſet. Nihil vanius, aut futilius. Primum, analemma non eſt horologium, ſed id, quod dicam paulo poſt. Deinde, analemmatum ratio, non ad umbræ brumalis magnitudinem deformabatur, ſed ad æquinoctialis gnomonis umbram. Locus ille Vitruvii, qui hanc ſententiam Scaligero ſuggeſſit, longè corruptiſſimus, minima mutatione ſic emendari debet: *Analemma eſt ratio conquiſita ſolis curſu, & umbræ creſcentis a bruma obſervatione inventa.* Dicit rationem conquiſitam eſſe ſolis curſu, & umbræ obſervatione creſcentis à bruma. Umbra creſcit à bruma: à ſolſtitio decreſcit. Breviſſima itaque umbra brumæ die, ut ſolſtitii longiſſima. Tali obſervatione umbræ creſcentis, ac decreſcentis, non ſolum ſolis curſum deprehenderunt veteres mathematici, ſed etiam mundi magnitudinem, quanta mundo eſſet terra, aliaque infinita, etiam multo ante horologiorum inventionem, & horarum obſervationem. Quinimmo ex eadem ratione gnomonica, & umbrarum incrementis, ac decrementis etiam horologia poſtea prodita ſunt, & horæ obſervari cœptæ. Analemmata igitur longè ante horologia, & ab horologiis diverſa. Analemmatum porro formæ umbræ æquinoctialis magnitudinibus deſignabantur, non brumalis, aut ſolſtitialis, nec ad rationem brumæ, aut ſolſtitii referebantur. Idem Vitruvius: *Itaque longe aliter diſtant deſcriptiones horologiorum locorum mutationibus. Umbrarum enim magnitudinibus deſignantur analemmatorum formæ, ex quibus perficiuntur ad rationem locorum, & umbræ gnomonum horarum deſcriptiones.* Vides ex analemmatum formis perfici ad rationem locorum, & umbræ gnomonum horologiorum deſcriptiones. Ergo aliud horologium, aliud analemma. Ex analemmatis deſignatione ſumebatur horologii deſcribendi ratio. Quod & alio loco repetiit, hoc modo: *Ita habebitur analemmatos deformatio. Cum hoc ita ſit deſcriptum, & explicatum, ſive per hibernas lineas, ſive per æſtivas, ſive per æquinoctiales, aut etiam per menſtruas in ſubjectionibus rationes horarum erunt ex analemmatis deſcribendæ.* Veteres aſtronomi, qui æquinoctiorum, ac ſolſtitiorum veram rationem ope gnomonicorum, & ſciothericorum organorum indagarunt, horologiis, & horarum obſervatione ad eam rem uſi non ſunt, ſed ſolis analemmatis. Horologia quippe in uſu tunc non fuere, ut nondum reperta. Anaximander Lacedæmone ἡλιοτρόπιον conſtituit, in quo per gnomonem ſolſtitia & æquinoctia deſignabantur. Non fuit illud horologium, ſed analemma. In analemmatis ſola umbrarum magnitudo prout creſcerent, decreſcerentve, ſpectabatur. Per umbræ quippe momenta ſola creſcentis, ac decreſcentis, non per horarum obſervationem, nec horologiorum rationem eſt inventus effectus in mundo, quem dicit Vitruvius. At in horologiorum deſcriptionibus neutiquam magnitudinis umbrarum habita eſt ratio, nec conſiderata earum augmenta, ac decrementa, ſed horarum tantum numeratio, & umbræ per lineas decurrentis ad horas monſtrandas indagatio. Ex umbræ quidem magnitudinibus, ut erant in analemmatis notatæ, ſumebantur rationes horarum brumalium, æſtivarum, æquinoctialium, ut & menſtruarum, quæ in horologiis deſcriberentur, ſed ex horologiis nunquam horæ per umbræ menſuram collectæ ſunt, & obſervatæ. Veterum gnomonica, ac ſciotherica inſtrumenta, quibus ante horologia reperta uſi ſunt, analemmata planè fuere, ac dicebantur, non erant horologia. Quinetiam methodus illa, cujus veteres comici paſſim meminerunt, umbræ pedibus admetiendæ, ad indicandum diei tempus, ex illis fortean analemmatis colligebatur. Gnomonis, ſive ſtili ſtata ſemper, ut videtur, magnitudo fuit, quæ juſtam hominis ſtaturam non excederet. Hinc illæ loquutiones tritæ de variis diei temporibus, ἑξάπουν, δεκάπουν σκιά: ἐνδεκάπουν, δωδεκάπουν στοιχεῖον. Ad umbram corporis humani pedibus dimenſam ſimiliter etiam colligi ſolitas olim diei horas notavimus ſupra ex Theophilo. Certè magnopere falſi ſunt eruditi hujus ætatis omnes, qui umbræ menſuram ex horologiis ſumptam putarunt, eoque referunt loquutiones illas quarum ante memini. Πόλοι vocabantur hujuſmodi machinæ veterum ſciothericæ, à rotunda poli forma, cujus medio gnomon infigebatur. Sic poſtea etiam horologia nominarunt. In vita Democriti apud Laërtium inter opera ejus ἀστρονομικὰ recenſetur Πολογραφίη. Qua voce nihil aliud intelligitur, quam hujuſmodi πόλων, καὶ ἀναλημμάτων σκιοθηρικῶν deſcriptio. *Analemmata* hæc eadem appellata, quia in ſuggeſtibus lapideis, & columnis deformabantur. Beroſus in fragmentis: ἐν δὲ τοῖς βασιλείοις τούτοις ἀναλήμματα λίθινα ὑψηλὰ ἀνοικοδομήσας, καὶ τὴν ὄψιν ἀποδοὺς ὁμοιοτάτην τοῖς ὄρεσι καταφυτεύσας δένδρεσι παντοδαποῖς ἐξειργάσατο. *Saxeas pilas* vocat Curtius. Strabo in eadem re explicanda κυβοειδεῖς πεττοὺς appellat: συνέχεται δὲ ψαλιδώμασι καμαρωτοῖς ἐπὶ πεττῶν ἱδρυμένοις κυβοειδῶν. Quadratas pilas ita vocat. Πεσσοὶ Procopio de ædificiis Juſtiniani: κατὰ δὲ τοῦ νεὼ μέσα λόφοι χειροποίητοι ἐπανεστήκασι τέσσαρες, οὓς καλοῦσι πεσσούς. Ita ſcribendum, non πεσοὺς. Sanè & πισσὸν & πινσὸν corruptè pro eodem dixerunt. Ut μινσώριον pro μισσώριον, & Πρόκηνσος qui Latinè proceſſus. Codinus: τῶν δὲ πινσῶν ὑψωθέντων, καὶ τῶν μεγάλων κιόνων σταθέντων ἔμελλεν μετ' αὐτῶν καὶ τοὺς Ῥωμαίους κίονας στῆσαι. Juliano Aſcalonitæ πεισσοὶ dicuntur pro πεσσοί. Procopius χειροποιήτους λόφους interpretatur. *Pinſum* vocat Vitruvius. Ἀναλήμματα λίθινα Beroſus. Heſychius, ἀνάλημμα ὕψωμα interpretatur. Sciotherici igitur πόλοι, quod in ejuſmodi ſuggeſtibus lapideis quadratis, vel rotundis ponerentur, ἀναλήμματα veteribus appellantur. Nec obſtat, quod Vitruvius *analemma* definit rationem conquiſitam ſolis curſu, & umbræ creſcentis à bruma obſervatione inventam. Locus ipſe, vel amuſſium, in quo deformata erat, ac deſignata hæc ratio, ſic potius vocabatur. Alterum pro altero uſurpavit. Eodem prorſus modo & parapegma dixit pro canone ortus & occaſus ſiderum, cum tabula, in qua deſcriptus eſſet ille canon, ita propriè diceretur, ut paulo poſt docebo. Ceterum fraudi nobis fuit mentio ab eodem Scaligero facta θερινοῦ ἡλιοτροπίου, quaſi apud auctorem aliquem veterem, quem non vidiſſem, extaret. Dubitavimus etiam in exercitatione de horologiis, utrum gnomonicum eſſet inſtrumentum Metonis illud ἡλιοτρόπιον, quo ſolſtitia oſtenderentur. Sane in Anaximandri heliotropio ſolſtitia, & æquinoctia gnomon oſtendebat. Præterea πόλον vocabat ἀνάθεμα illud Metonis Ariſtophanes in Gerytade, quo nomine & horolo-

horologium ſcaphium vocarunt. Verſum Ariſtophanis recte expoſuimus de hoc Metonis ἡλιοτροπίῳ.

Πόλ@ τοδ' ἐςίν, ποσὴν ἥλι@

Τέτεαπται.

Quærit enim ibi neſcio quis ille, quot dies jam præteriſſent à confecto ſolſtitio. Hipparchus verum æquinoctium autumnale opera ſciothericorum organorum deprehendit. Fortaſſean igitur & columnis illis Meton, in quibus deſcripſerat ſolſtitia, & æquinoctia magni anni endecaeterici, πόλον etiam gnomonicum adjunxit, cujus adjutorio verum ſolſtitium obſervaverat, à quo ſolſtitio enneadecaetericam ſuam periodum incœpit. Hinc totam machinam cum gnomonico analemmate, & parapegmate aſtronomico πόλον appellitarunt, & ἡλιοτρόπιον. Ptolemæus μεγάλης συντάξεως lib. III. Καὶ ἐςὶ τὰ μὲν ἀπὸ τῆς ἐπὶ τοῦ Ἀψεύδους ἀναγεγραμμένης θερινῆς τροπῆς, μέχρι τῆς ὑπὸ περὶ Ἀρίσταρχον τετηρημένης, τῷ πεντηκοςῷ ἔτει τῆς πρώτης κατὰ Κάλλιππον περιόδου, καθὼς καὶ ὁ Ἵππαρχός φησιν, ἔτη ἑκατὸν πεντήκοντα δύο. Ariſtarchum Samium intelligit, qui centum & quinquaginta annis poſt Metonem vixit. Is eſt Ariſtarchus, quem inter horologiorum inventores recenſet Vitruvius, quorum nec vola, nec veſtigium extabat Metonis ætate, niſi in illis analemmatis gnomonicis, quæ ad uſum populi facta non erant, nec ad horarum obſervationem. Ceterum eodem anno & ſolſtitium æſtivum obſervavit Meton, & heliotropium ſuum erexit, hoc eſt, monumentum ἀςρολογικὸν, in quo deſcripta ſolſtitia omnia, & æquinoctia totius enneadecaeteridis ſuæ vulgavit, cum canone ſiderum orientium, occidentiumque, & tempeſtatum ſignificatione, atque eclipſeωn ſolis notatione: ſcribit Theon ad illos Arati verſus, quos paulo ante produximus, & correximus, aſtrologos vulgo in oppidis Græciæ, publicis locis tabulas aſtronomicas enneadecaeteridum proponere ſolitos, quibus ſignificarent, qualis hiems futura eſſet annis ſingulis periodi, qualis æſtas, & qualis autumnus, qui venti flaturi, quando pluviæ, vel ſerena ventura. Οἱ δὲ, inquit, μετὰ Μέτωνα ἀςρόλογοι, καὶ πίνακας ἐν ταῖς πόλεσιν ἔθηκαν περὶ τῶν τοῦ ἡλίου περιφορῶν ἐννεακαιδεκαετηρίδων, ὅτι καθ' ἕκαςον ἐνιαυτὸν τοιόσδε ἔςαι χειμὼν, καὶ τοιόνδε ἔαρ, καὶ τοιόνδε θέρ@, καὶ τοιόνδε φθινόπωρον, καὶ τοιοίδε ἄνεμοι, καὶ πολλὰ πρὸς βιωφελεῖς χρείας τοῖς ἀνθρώποις. Dicit aſtrologos, qui poſt Metonem fuere, ita feciſſe, & tabulas ſuas in urbibus publicaſſe. Ergo & Meton primus hoc facere inſtituit, & ceteris exemplum præbuit. Subjungit Theon ad interpretationem Arati verſuum: ἐπειδὴ οὖν ἤδη ταῦτα ἐγνώσθη ἐκ τῶν πινάκων, καὶ αὐτὸς ἐκεῖθεν ἔγνω τὰ πολλὰ ὁ Ἄρατ@, φησὶν, ὅτι καὶ αὐτὸς γινώσκεις ταῦτα. Atqui tabulæ illæ, de quibus loquitur Aratus, ipſiſſimæ illæ ſunt Metonis enneadecaeterides, quas Phaïno Eleo adſcribit Metonis præceptori:

---- τὰ γὰρ συναείδεται ἤδη

Ἐννεακαίδεκα κύκλα φαεινοῦ Ἠελίοιο.

Ex his non vanè auguramur ἡλιοτρόπιον Metonis, quod in concione propoſuit, ſimile fuiſſe tabulis illis aſtronomicis, de quibus tradit Theon, nec deſcripta tantum habuiſſe totius enneadecaeteridis ſolſtitia, æquinoctiaque, ſed etiam omnium ſiderum errantium, inerrantiumque ortus, atque obitus, & varias anni tempeſtates ex eorum ortu, & occaſu prænuntiatas oſtendiſſe. Quod non obſcure indicat Aratus his verbis:

Ὅσσατ' ἀπὸ ζώνης εἰς ἔσχατον Ὠρίωνα

Νὺξ ἐπιδινεῖται, κύνα τε θρασὺν Ὠρίων@.

Heliotropium igitur vocatum illud ἀςρολογικὸν ἀνάθεμα Metonis, non quod ἡλίου τροπὰς tantum oſtenderet, ſed quod à ſolſtitio orbem illum ſuum enneadecaeteridis auſpicaretur. Sed & præcipua, ac prima in illo aſtronomico anathemate ſolſtitiorum, & æquinoctiorum obſervatio fuit, quæ & ſolſtitium in exortu zonæ Orionis conſtituebat, atque inde cyclum ſuum novemdecennalem incipiebat. Hinc illud Arateum.

Ὅσσατ' ἀπὸ ζώνης.

Similiter & Oenopides aſtrologus Chius Æliano teſte Olympiæ dedicaverat æneam tabulam, τὸ χαλκοῦν γραμματεῖον ἐγγράψας ἐν αὐτῷ τὴν ἀςρολογίαν τῶν ἑνὸς

A δεόντων ἑξήκοντα ἐτῶν, φήσας τὸν μέγαν ἐνιαυτὸν εἶναι τοῦτον. *Aſtrologiam novem & quinquaginta annorum* vocat ſtellarum ortus, & occaſus cum tempeſtatum ſignificationibus per totum illius periodi ambitum deſcriptos, ac notatos. In Metonis heliotropico anathemate novemdecim tantum annorum ἀςρολογία inſcripta habebatur. Calliſtratus apud veterem Ariſtophanis ſcholiaſtem ἀςρολογικὸν ἀνάθεμα Metonis indigetat, in quo aſtrologia decem ac novem annorum deſcripta erat. Παραπήγματα vocabant hujuſmodi aſtronomica ἀναθέματα. Parapegma proprie ſignificat tabulam æneam, quæ columnæ adfigitur. Græci

B ξυλοπινάκιον appellant. In his tabulis æneis leges, edicta, agrorum diviſorum formæ, canones ſiderum aſtronomici, & alia vulgo incidebantur, & in locis publicis adfigebantur columnis, aut paraſtatis, & adpendebantur. Inde dicta παραπήγματα, quod affigerentur. Auctores agrimenſoriæ: *poſt æs fixum*, id eſt, poſt tabulam æream fixam, quæ agrorum formam deſcriptam, & inciſam continebat. Et apud Poëtam:

---- *leges fixit pretio, atque refixit.*

Quia tabulis æreis inſculpebantur columnæ, aut pilæ in loco publico adfigendis, quæ refigebantur, quum

C lex abrogabatur. Servius: *fixit autem ideo, quia inciſa in æreis tabulis affigebantur.* Παραπήγματα expreſſit. Tabula, quæ affigitur, παράπηγμα eſt. Plato in Axiocho: τὰ δὲ κόσμου παθήματα παραπήξασθαι εἰς τὸν αἰῶνα, hoc eſt, *tabulis fixis conſignata æternitati tradere.* Προσπήξασθαι, προσηλῶσαι exponunt. Idem eſt & παραπῆξαι. Fruſtra igitur ſunt viri docti, qui παράπηγμα interpretantur in rebus aſtricis, inſtrumentum, ut eſt aſtrolabium, quo cæli ratio, curſus ſiderum, ſedes, & intervalla cognoſcuntur. Παράπηγμα tabula eſt, in qua deſcripta erat cæli ratio, & ſiderum occidentium, orientiumque, & tempeſtatum ſignificatio, cum quadri-

D partitis anni cardinibus, & aliis ejuſcemodi eventibus, ac effectibus mundi. Πίνακας vocat Theo. Ælianus χαλκᾶ γραμματεῖα. Suidas παραπήγματα, κάνονας, ἢ ὄργανα ἀςρονομικά. Non tam canon fuit, quam tabula, in qua canon aſtronomicus deſcriptus habebatur. Ab illo canone dicti κανονικοὶ aſtrologi, qui prædictiones ſiderum, eclipſeon, & aliarum rerum cæleſtium populo proponebant in tabulis illis, & parapegmatis publicata. Cleomedes lib. II. Καὶ ἤδη γε προλέγονται πᾶσαι αἱ ἐκλείψεις αὐτῆς ὑπὸ τῶν κανονικῶν ἅτε γινωσκόντων ὁπότε συμπίπτοι ἐν πανσελήνῳ εὑρίσκεσθαι αὐτὴν ὑπὸ τῷ μεσαιτάτῳ τοῦ ζωδιακοῦ, ἢ ὅλην, ἢ ἀπὸ μέρους, καὶ οὕτως ἢ

E μερικὰς ἢ τελείας ἐκλείψεις ποιεῖσθαι. Prædictiones illæ in parapegmatis incidebantur, hoc eſt, tabulis adfixis. Plinius de Veneris, ac Mercurii ſtella: *At enim cur non ſemper ad quadraginta ſex, & partes viginti perveniunt? Immo vero. Sed ratio canonicos fallit.* Perperam vulgatum eſt: *ſed ratio canonica fallit.* Geminus: αἱ δὲ γινόμεναι προρρήσεις τῶν ἐπισημασιῶν ἐν τοῖς παραπήγμασιν, οὐκ ἀπὸ τινῶν παραγγελμάτων γίνονται. Prædictiones tempeſtatum, quæ in tabulis aſtronomicis fiunt, deſcribuntur. Inter opera μαθηματικὰ Democriti recenſetur à Diogene Laërtio: μέγας ἐνιαυτὸς ἢ ἀςρονομίη, παράπηγμα. Lege:

F μέγας ἐνιαυτὸς ἢ ἀςρονομίης παράπηγμα. Unum idemque fuit ſcriptum Democriti, cui titulus μέγας ἐνιαυτὸς, ἢ ἀςρονομίης παράπηγμα. Qui periodos ex multis annis compoſitas ediderunt aſtrologi, earum παράπηγμα ſimul etiam publicare ſolebant, hoc eſt, tabula in publico adfixa canonem proponere ortuum, & occaſuum ſtellarum inerrantium, defectum ſolis & lunæ, æquinoctiorum, & ſolſtitiorum, variarum cœli tempeſtatum, & ſimilium. Ἀςρονομίης παράπηγμα Democriti tabula ſimiliter fuit, quæ aſtrologiam continebat magni illius anni, quem compoſuerat. Vitruvius lib. IX. cap. VII. *Quorum inventa ſequuti, ſiderum occaſus, & ortus, tempeſtatumque ſignificatus Eu-*

G *doxus, Euctemon, Callippus, Meton, Phainus, Hipparchus, Aratus, ceterique ex aſtrologia parapegmatorum diſciplinis invenerunt, & eas poſteris explicatas reliquerunt.* Omnes ſupraſcripti aſtrologi periodos promulgarunt, & earum aſtricum canonem parapegmatis conſignarunt, & explicatum poſteris tradiderunt. De his parapegmatis exponenda ſunt ἡλιοτρόπια illa, quorum extat mentio in veterum ſcriptis. Nam de

Metonis

Metonis ἡλιοτροπίῳ nullo modo poteſt ambigi, quin ita
capiendum ſit, quum Ælianus ϛήλας ἐν αἷς τὰς ἡλίȣ τρο-
πὰς κατεγράψατο. Tale fuit & ἡλιοτρόπιον Pherecydis,
quod in Syria inſula conſtituit. Heliotropium Achra-
dinæ in Sicilia, cujus meminit Athenæus, parape-
gma etiam apparet fuiſſe, quod Archimedes Syracuſa-
nis ſuis publicavit ad æquinoctia, & ſolſtitia ſignan-
da, & tempeſtatum ſignificatus prænuntiandos ex or-
tu ſiderum, & occaſu. At ἡλιοτρόπια illa pro horolo-
giis accepit non hodiernum tantùm eruditorum vul-
gus, ſed etiam nonnulli veterum. Quod ſatis in ſu-
perioribus caſtigavimus. Ex illis heliotropiis, & tabu-
lis aſtronomicis in publico propoſitis ediſcebat popu-
lus, quando ſervanda eſſent ſolſtitia, & æquinoctia,
quid ſiderum occaſus, & exortus proderent, tempe-
ſtates anni denique, & varium cæli morem pernoſce-
bat. Nihil aliud quippe continebant quàm digeſtio-
nem ſiderum in dies, & noctes per aliquot annorum
ambitum explicatam. Cujuſmodi periodis putabant
ortus, & occaſus ſtellarum in orbem redire: & omnium
πλανωμένων τε καὶ ἀπλανῶν ἀποκατάςασιν fieri. Alii te-
traeteridas, alii octaeteridas, alii enneadecaeteridas,
& plurium etiam annorum nonnulli excogitarunt.
Diverſis in locis diverſi aſtronomi obſervarunt, &
monumenta ſuarum obſervationum in illis urbi-
bus, quibus conſederant, publicarunt, & erexe-
runt, ut Phaïnus, & Meto Athenis, qui ex Ly-
cabetto monte ſtellarum motus ſpeculabantur. Cleo-
ſtratus in Tenedo inſula ab Ida monte: Matricetas
Metymnæ à Lepetymno. Καὶ ἄλλοι δὲ, inquit Theo-
phraſtus, τȣ̃τον τὸν τρόπον ἠςρολόγησαν. Attici auctores,
qui poſt Metonis editam enneadecaeterida, & ſtatutum
in publico ejuſdem ἡλιοτρόπιον ſcripſere, non aliam vi-
dentur in ſiderum ortu, & occaſu deſignando, aut ſol-
ſtitiorum, & æquinoctiorum cardinibus conſtituen-
dis rationem ſequuti præter eam, quam hauſerunt ex
illis Metonicis tabulis. Cum enim populo ſcriberent,
& populus indidem ſumeret ſiderum, temporumque
obſervationem, non debuerunt aliam viam inſiſtere
ab ea, quam vulgus calcabat. Ariſtoteles itaque in
libris περὶ ζώων, & Theophraſtus περὶ φυτῶν ἱςορίας,
ubicunque mentionem faciunt τῶν τροπῶν, aut ἰσημε-
ρίας, aut ἀρκτȣ́ρȣ ἐπιτολῆς, aut πλειάδων δύσεως, de aliis
ſolſtitiis, & æquinoctiis, nec de alio ortu, aut occa-
ſu intelligi debent, quam qui proſcriptus erat in tabu-
lis, & columnis aſtronomicis Metonis, quas populus
quotidie in publico poſitas conſiderabat. Vereor igi-
tur, ut ſatis verum ſit, quod adſtruit vir magnus, τρο-
πὰς illas, quarum creberrima occurrit apud Ariſtote-
lem, & Theophraſtum mentio, non veras fuiſſe.
Profecto, aut Metonicæ non veræ, aut illas veritati
conſentaneas eſſe oportet, utpote quæ ſint eædem
cum Metonicis. Viderit itaque Scaliger, qui vete-
rum Græcorum τροπὰς Ariſtotelis, ac Theophraſti
putat fuiſſe VII Januarii, VIII Aprilis, VIII Julii,
VII Octobris. Aut hæ fuere Metonis τροπαὶ, aut ve-
terum non fuere. Solſtitium Metonis, quod ab ipſo
primum eſt obſervatum, & à quo initium ſuæ ἐννεαδε-
καετηρίδ@ deduxit, vigeſimæ ſeptimæ Junii conveniſ-
ſe ex Ptolemæo ante notabamus, quod Scaliger oſten-
dit. De æquinoctio ejuſdem autumnali conjicieba-
mus ſupra recte poſſe referri ad vigeſimum ſextum Se-
ptembris. Euctemon, ut & Meton Vergiliarum oc-
caſum matutinum octo & quadraginta dies poſt ſolſti-
tium autumni collocant. Eæ Ptolemæo teſte Idibus
Juliis matutino occidebant, à quibus Idibus ad vigeſi-
mum ſextum Septembris totidem dies numerantur.
Quod ſi A. D. III. Idus Novembris eas occidere facias,
ut Plinius quoſdam dicit ſervaſſe, numeratis diebus
octo & quadraginta, ad vigeſimum quartum Septem-
bris aſcendes, quo die æquinoctium Cæſaris, & Soſi-
genis committebatur, octavo nempe Kalendas Octo-
bris. Hipparchus anno Nabonaſſari DCV æquino-
ctium autumnale obſervarat vigeſima ſexta Septem-
bris. Certè Metonis, Euctemonis, Calippi, & Hip-
parchi, quod ad æquinoctia, & ſolſtitia attinet, haud
multum diverſas fuiſſe ſententias certum eſt, idque ali-
bi oſtendam. Ut octo quadraginta dies ab æquinoctio
autumnali ad occaſum Vergiliarum computabat Eucte-
A mon cum Metone, ita & dies totidem numerarunt
ab æquinoctio verno ad earum exortum. Atque ut
in occaſu initium hiemis poſuerunt, ita in exortu ini-
tium æſtatis. Plinius lib. XVIII. cap. XXV *ab æquino-
ctio verno initium æſtatis die quadrageſimo octavo Vergilia-
rum exortu matutino.* Ita legendum, ac diſtinguen-
dum. Cum igitur par dierum ſit numerus ab æquino-
ctio verno ad exortum matutinum Vergiliarum, &
ab æquinoctio autumnali ad earumdem occaſum matu-
tinum, propterea neceſſe eſt ut æquali ſpatio annum
dividat exortus Vergiliarum & occaſus, æque ut ſol-
ſtitia, & æquinoctia. Theophraſtus de ſignis pluvia-
B rum: διχοτομεῖ δὲ τὸν μὲν ἐνιαυτὸν Πλείας τε δυομένη, καὶ
ἀνατέλλȣσα. Ἀπὸ γὰρ δύσεως μέχρι ἀνατολῆς τὸ ἥμισυ τȣ̃ ἐνι-
αυτȣ̃ ἐςὶν: ὥςε δίχα τέμνεται ὁ πᾶς χρόν@. Idem etiam
ſcribit Plinius cap. XXIX. libro, quo ſupra: *Namque
Vergiliæ privatim attinent ad fructus, ut quarum exortu
æſtas incipiat, occaſu hiems ſemeſtri ſpatio intra ſe meſſes,
vindemiaſque, & omnium maturitatem complexæ.* Quæ
à Theophraſto mutuatus eſt. Id quidem verum ex
ratiocinatione Theophraſti, quæ & Metonica eſt, qua
totidem dies ponuntur ab æquinoctio verno ad exor-
tum Vergiliarum, totidemque ab æquinoctio autu-
C mnali ad occaſum earumdem. Sed ex Pliniano calcu-
lo id non poteſt procedere, qui ab æquinoctio autu-
mni ad matutinum occaſum Vergiliarum dies tantum
quatuor & quadraginta computat, & ab æquinoctio
verno ad exortum matutinum dies quadraginta octo.
Ptolemæus in libello de inerrantium ſtellarum ſignifi-
cationibus quarto Idus Maji Vergilias oriri ſcribit.
Ab eo die ad æquinoctium vernum, quod vigeſima
ſexta Martii ſignavit, dies ſunt quadraginta octo.
Quæ ſententia eſt, ut apparet, Euctemonis & Me-
tonis tam ſuper æquinoctii ipſius cardine, quam Ver-
giliarum occaſu. Nam æquinoctium etiam in eodem
D menſe notat A. D. X. Kalendas Aprilis. Quod eſt So-
ſigenis æquinoctium in octava parte arietis. Ita ubi-
que in eodem libro agere conſuevit, ut in eodem men-
ſe bis diverſis in locis tum æquinoctia notet, tum ſol-
ſtitia, dum varias ſententias adſcribit. Solſtitium igi-
tur Metonis, & æquinoctium conveniunt vigeſimæ
ſextæ, aut vigeſimæ ſeptimæ menſium Julianorum.
De his ſolſtitiis, & æquinoctiis capiendæ ſunt Theo-
phraſti τροπαὶ, ut jam docuimus, qui Pliadis ortu, &
occaſu annum bipertito ſecari dicit, haud ſecus ac ſol-
ſtitiis & æquinoctiis: Ὁμοίως δὲ καὶ αἱ τροπαὶ, καὶ ἰσημε-
ρίαι ποιȣ̃σιν. Οἷα τις ἂν ἡ κατάςασις Πλειάδ@ δυομένης,
E ȣ̃τως ἔχει ὡς ἐπιτοπολὺ μέχρι τροπῶν κἂν μεταβάλλῃ μετὰ τρο-
πάς. Ἐὰν δὲ μὴ μεταβάλλῃ, δεῖ ἔχειν ἕως ἰσημερίας κἀκεῖ-
θεν ὡσαύτως μέχρι πλειάδ@, καὶ ἀπὸ ταύτης μέχρι τροπῶν
θερινῶν, καὶ ἀπὸ ἰσημερίας μέ-
θερινῶν, καὶ ἐντεῦθεν μέχρι ἰσημερίας, καὶ ἀπὸ ἰσημερίας μέ-
χρι Πλειάδ@ δύσεως. Æquali ferè ſpatio Pliadis or-
tus, & occaſus medios facit inter ſolſtitia, & æquino-
ctia. Ab æquinoctio verno ad exortum matutinum
Vergiliarum dies habentur octo & quadraginta: ab
ortu earumdem ad ſolſtitium, hoc eſt, ad diem vige-
ſimum ſextum Junii, dies quatuor & quadraginta.
Ab æquinoctio autumni ad occaſum Vergiliarum dies
rurſum octo & quadraginta. Ab earumdem occaſu
F ad brumam & vigeſimum ſextum Decembris dies qua-
tuor & quadraginta. Hæc ὁλοχερῶς dicta ſunto, non
ἐξ ἀκριβείας τῆς ἐπιςήμης, ut ſciatur, quo ſenſu dixerit
Theophraſtus Vergiliarum δύσιν, καὶ ἀνατολὴν διχοτο-
μεῖν ὅλον τὸν ἐνιαυτὸν, & quos ſequutus ſit. Novimus
etiam veteres auctores de his rebus ſæpe ὁλοχερῶς loqui
potius quam ἐπιςημονικῶς, ut quum Ariſtoteles ſepti-
mam anni partem diebus ſeptuaginta ac duobus ait
conſtare: & ſextam partem, ſexaginta. Hic annus
dierum eſt CCCLX. Qui nec ſolaris eſt, nec lunaris.
Sed de his alibi. Ceterum, ſi Vergiliæ ortu, & oc-
caſu ſuo totum in duas partes æquales dividunt, ac
G ſecant annum, & ſententia Theophraſti eſt, Heſio-
dus, qui in aſtrologia Vergilias occidere tradidit,
quum æquinoctium autumnale conficitur, earum-
dem exortum æquinoctii verni die fieri putaſſe cen-
ſendus eſt. Et ſane Theon ſcholiis in Aratum
Vergilias exortum matutinum facere notat circa
æquinoctium vernum per dies duos & quinquaginta:
ἑῷαν δὲ ἐπιτολὴν ποιȣ̃νται ἐφ᾽ ἡμέρας πεντήκοντα δύο, τῆς
ἐαρι-

ἐαρινῆς ἰσημερίας, καὶ ὁ ἥλιος ἐστὶ μοιρῶν ιζ΄ ἐν Ταύρῳ, καὶ τὴν ἑσπερίαν δὲ ἐφ' ἡμέρας τοσαύτας τῆς μετοπωρινῆς ἰσημερίας ἡλίου ὄντος ἐν Τοξότῃ. Quæ verba non sic accipienda sunt, ut dicat, mane & vespere eas oriri post dies quinquaginta duos ab utroque æquinoctio, sed oriri ait circa ipsa æquinoctia per dies duos & quinquaginta. Hîc igitur vides bipertito annum Vergiliis dividi non orientibus, & occidentibus matutino, ut Theophrastus prodit, sed ortu earum matutino, & vespertino. In hac anni bipertita sectione, quam Vergiliæ faciunt, ponit Theophrastus ex adverso, Πλειάδα δυομένην τε καὶ ἀνατέλλουσαν, & intelligit ortum pariter & occasum, qui matutino fit, ut ceteri omnes Græciæ scriptores, qui sementis, & messis tempora orientibus, & occidentibus Vergiliis semestri intervallo distingui ajunt. Plutarchus de amore prolis: πυρὸν ἔσπειρε δυομένης Πλειάδος, εἶτα ἀνατελλούσης θερίζει. Ita inter omnes convenit. Theon ortui Vergiliarum matutino opponit earumdem vespertinum exortum, non matutinum occasum, & totidem diebus utrumque fieri, & circa utriusque æquinoctii tempus. Atqui Theophrastus nullum Pliadis agnoscit exortum vespertinum, qui notandus, aut memorandus sit. Ita enim scribit: αἱ μὲν τοῦ Ἀρκτούρου λεγόμεναι ἀνατολαὶ ἀμφοτέρως συμβαίνουσιν, ἡ μὲν γὰρ τοῦ χειμῶνος, ἀκρόνυχός ἐστιν, ἡ δὲ μετοπωρινὴ ἑῴα. Τῶν δὲ ἄλλων αἱ πλεῖσται τῶν ὀνομαζομένων ἑῷαι, οἷον Πλειάδος, καὶ Ὠρίωνος, καὶ Κυνός. Vergiliarum exortus matutinos solos agnoscere videtur. Cum quo facit & Proclus his verbis: ἕκαστον τῶν ἄστρων ἑκάστῃ ἡμέρᾳ, καὶ δύνει, καὶ ἀνατέλλει ἅπαξ, δὲ τοῦ ἔτους σὺν ἡλίῳ ἀνατέλλει, καὶ ἅπαξ ἑῴαν δύσιν ποιεῖται, αἵτινες σημαίνουσι τι τῶν ἔργων. Ἔστι Πληϊάδων ἑῴα ἀνατολή, ὅταν ὁ ἥλιος ᾖ ἐν Ταύρῳ. Δύσις δὲ ἑῴα, ὅταν ὁ ἥλιος ᾖ ἐν ζυγῷ. Theon Aratum verbis illis interpretatur, qui Vergilias ἦρι καὶ ἑσπερίας ὀνομαστὰς tradit, & initia æstatis, hiemisque signare:

Αἱ μὲν ὁμῶς ὀλίγαι καὶ ἀφεγγέες, ἀλλ' ὀνομασταὶ
Ἦρι καὶ ἑσπέριαι, Ζεὺς δ' αἴτιος, εἱλίσσονται,
Ὅς σφίσι καὶ θέρεος, καὶ χείματος ἀρχομένοιο
Σημαίνειν ἐκέλευσεν, ἐπερχομένου τ' ἀρότοιο.

Notabiles, & observandas dicit Vergilias, ἦρι καὶ ἑσπερίας, quod Theon exponit, *in matutino exortu, & vespertino.* Nam matutino exorientes æstatis principium eas significare: quum vespertinæ oriuntur, initium hiemis: Ἑῴαν ἀνατολὴν ἀνατέλλουσαι σημαίνουσι θέρους ἀρχήν. Ἑῴαν δὲ δύσιν δύνουσαι ἀντίληψιν τῶν κατὰ σπόρον ἔργων, ἑσπερίαν δὲ ἀνατολὴν ποιούμεναι χειμῶνος ἀρχήν. Atqui plerique omnes in occasu matutino Vergiliarum, non in exortu vespertino hiemis exordium collocant. Plinius: *quoniam inter solstitium, & æquinoctium autumni Fidiculæ occasus autumnum inchoat die quadragesimo quinto. At ab æquinoctio eo ad brumam Vergiliarum matutinus occasus hiemem die quadragesimo quarto.* Ptolemæus quoque, sive quisquis auctor est aureoli libelli περὶ φάσεως τῶν ἀπλανῶν hiemis initium ponit circa occasum matutinum Pliadum quarto Idus Novembris. Columella sexto Idus Novembris Vergilias mane occidere scribit, & quinto Idus Novembris *hiemis initium* adnotat. Theon ab occasu matutino Vergiliarum tempus sationis inchoare narrat, ab exortu vespertino hiemem. Reliqui auctores cum sementem, tum hiemem à matutino earum occasu incipere volunt. Columella sexto Idus Octobris Vergilias exoriri vespere ait. Hæc est ἑσπερία ἀνατολή. Ptolemæus quinto Idus Octobris Hœdos cum Vergiliis emergere notat, pridie autem Idus Vergilias exoriri, & flare Austrum. De exortu vespertino intelligit. Theon eam ἑσπερίαν ἀνατολὴν τῶν Πληϊάδων ab æquinoctio autumnali incipere facit, ut ἑῴαν ἀνατολὴν ab æquinoctio verno. Certe & Ptolemæus circa æquinoctium autumni Vergilias matutino, & vespere apparere tradit. Eidem Ptolemæo quatriduo post æquinoctium Metonis *Vergiliæ in oriente apparere incipiunt.* Πλειάδες ἐν τῇ ἀνατολῇ φαίνεσθαι ἄρχονται. Euctemoni totidem diebus post idem æquinoctium Πλειάδες ἑσπέριαι φαίνονται, & mane igitur, & vespere tunc apparent. Inde Theon Vergiliarum ἑσπερίαν ἀνατολὴν ab æquinoctio autumnali incipere vult, ut ἑῴαν ἀνατολὴν ab æquinoctio verno, sic bipertita distinctione annum dividuum faciant. At Hesiodus Plinio teste Vergiliarum matutinum occa-

A sum tum fieri tradidit, quum æquinoctium autumni tradit. An Plinius erravit, qui ἑσπερίαν ἀνατολὴν de matutino occasu interpretatus est? Profecto Theon ille, qui ἑσπερίαν ἀνατολὴν Πλειάδων ab ipso æquinoctio auspicari facit, id videtur ex Hesiodi libro de astris sumpsisse. Nam eodem loco, quo ita exponit, citat versus Hesiodi ἐκ τῆς ἀστρικῆς βίβλου, quo sucularum nomina continentur. Idem est liber, quem astrologiæ nomine laudat Plinius. An ἑσπερίας φαίνεσθαι τὰς Πλειάδας dixerat Hesiodus, non quæ vespertinæ oriantur, sed quæ ἐν τοῖς ἑσπερίοις μέρεσιν, hoc est, δυτικοῖς

B appareant, paulo ante occasum suum, & solis ortum? Hæc enim ἑῴα δύσις, ἡ περὶ τῶν ἀνατολῶν τοῦ ἡλίου εἰς τὸν δυτικὸν ὁρίζοντα ἄφιξις. Quæ igitur apparent in occidentali horizonte, priusquam occidant, & priusquam sol oriatur, ἐν τοῖς ἑσπερίοις φαίνεσθαι, καὶ τὴν ἑῴαν δύσιν ποιεῖσθαι recte dicantur. Sane ἑσπερίας Πλειάδας dixisse similiter Aratum, quæ occasum matutinum faciunt, paulo post ostendam. Alias scio mane, & vespere apparere vulgo dici, quæ matutino, & vespertino oriantur. Sed & matutino apparere dici queant, quæ in parte occidua conspiciuntur paulo ante solis occasum. Profecto Theon ἀνατολὴν ἑῴαν, & ἑσπερίαν Πλειάδων

C sic ex adverso opponit, ut veteres τὴν ἑῴαν ἀνατολήν, καὶ τὴν δύσιν ἑῴαν earumdem ex opposito locent in bipertita anni divisione. Idem Theo alio loco manifeste ἑσπερίαν ἀνατολὴν pro matutino occasu Vergiliarum posuit: ὑπὸ τὸν ὄρθρον γὰρ ἀνατέλλουσι σὺν ἡλίῳ ὄντι ἐν τῷ Ταύρῳ ἀπὸ ε΄ καὶ εἰκάδος τοῦ Φαρμουθί, ὅς ἐστι παρὰ Ῥωμαίοις Ἀπρίλλιος, ὅτε καὶ τοῦ θερίζειν ὁ καιρὸς παρ' Αἰγυπτίοις, ἑσπερίαι δὲ ἀπὸ ἑσπέρας ἀνατέλλουσιν, ἡλίου ὄντος ἐν σκορπίῳ, ὅς ἐστι παρὰ Ῥωμαίοις Νοέμβριος, ὅτε ἐστὶ καιρὸς τοῦ ἀροτριᾶν. His verbis interpretari voluit Aratea illa, ἦρι, καὶ ἑσπερίαν. Primum perperam ἄροτον apud Aratum de tempore arationis accepit, quum sit sementis. Præterea Vergiliæ

D non oriuntur vespertinæ Novembri mense, sed matutinæ occidunt, eoque occasu serendi tempus ostendunt. Hic mensis Athyr Ægyptiis, Atticis Pyanepsion, quo mense occasum matutinum faciunt Vergiliæ, & sementis instant tempora. Aëtius: Μηνὶ Νοεμβρίῳ ς΄ Πληϊάδες ἑῷαι δύνουσι, καὶ ἄρχεται καθίστασθαι ὁ ἀήρ. Ptolemæus, sive auctor libelli περὶ φάσεων septima Novembris Vergilias occultari adnotat. Tzetzes: Ἡ ἐπιτολὴ τῶν Πλειάδων γίνεται ἀπὸ Μαΐου μηνὸς ἐννάτης. Ἡ δὲ τούτων ἑσπερία δύσις ἀπὸ Ὀκτωβρίου ὀγδόης. Voluit dicere, ἡ δὲ τούτων ἑσπερία ἀνατολή. A Theone id habet, qui τὴν ἑῴαν ἀνατολὴν Vergiliarum fieri Majo mense scribit, & τὴν ἑσπερίαν ἀνατολὴν Ὀκτωβρίου. Etiam Octobri mense notatur

E occasus matutinus hujus sideris penes parapegmatum auctores. Aëtius: Ὀκτωβρίῳ μηνὶ κγ΄ ἅμα ἡλίου ἀνατολῇ Πληϊάδες δύνουσι, καὶ ἐστὶ μεγίστη ταραχὴ τοῦ ἀέρος. Idem notat Ptolemæus ante diem nonum kalendas Novembris vigesima quarta Octobris. At vespertinus occasus, ἑσπερία δύσις non mense Octobri fit, sed circa æquinoctium vernum ipso Theone teste, qui Aratum ejus non meminisse ideo dicit, quia nihil significaret, διὰ τὸ μηδὲν ἐπισημαίνειν· Τῆς δὲ ἑσπερίας δύσεως οὐκ ἐμνήσθη, διὰ τὸ συμβαίνειν αὐτὴν περὶ τὴν ἐαρινὴν ἰσημερίαν, καὶ μηδὲν ἐξαίρετον περιέχειν σημεῖον. Ptolemæus tertio Idus Aprilis

F Vergilias occidere vespertino signavit. Hoc curæ, & studio fuit parapegmatum compositoribus, ut non tantum φάσεις ἀστέρων, sed etiam ἐπισημασίας traderent. Immo eorum præcipue φάσεις vulgarunt, qui aliquam significationem tempestatis, aut temporis mutationis in ortu suo, vel occasu pronuntiarent. Columella, & Plinius, aliique eorum tantum siderum ortus & occasus adscripserunt, qui significarent. Ptolemæus libros duos scripserat, ut Suidas auctor est, περὶ φάσεως, καὶ ἐπισημασιῶν ἀστέρων. Qui hodie sub ejus nomine publicatus est Latinè tantum per Nicolaum Leonicum

G inscribitur, *Ptolemæi inerrantium stellarum significationes.* Ἀπλανῶν ἀστέρων ἐπισημασίαι. Sed vereor ut idem sit cum eo, cujus meminit Suidas, licet sit ejusdem argumenti. Auctor sane hic Ptolemæo antiquior videtur mihi, non minus quam Scaligero. Ἐπισημασίας igitur tantum notarunt. Τὰς οὐδὲν ἐπισημαινούσας φάσεις neglexerunt. Aëtius capite περὶ ἐπισημασιῶν, quas ex antiquis sumpsit parapegmatis, ea se tempora notasse tantum dicit, ἐν οἷς τῶν σαφῶς ἀλλοιούντων τὸν ἀέρα ἀνατολαί,

καὶ δύσεις γίνονται. Aliorum nullus fere respectus, aut ratio, quæ nihil in aëris statu mutarent. Aratus:

---- ἐσκέψατο δ' εἰς ἐνιαυτὸν
Ἀστέρας οἵ κε μάλιστα τετυγμένα σημαίνοιεν
Ἀνδράσιν ὡράων, ὄφρ' ἔμπεδα πάντα φύωνται.

Hi sunt ἀστέρες, quos præcipuè observarunt auctores parapegmatum, & quorum significatus explicarunt. Ceterùm quum Theon ille notet ideo non meminisse Aratum ἑσπερίας δύσεως τῶν Πλειάδων, quia nihil signi faceret in ratione tempestatum, cogitare etiam debuit majoris momenti non fuisse ἑσπερίαν ἀνατολὴν ejusdem sideris in temporum mutatione facienda, aut innovanda aëris καταστάσει. Disertè, & expresse tradit Theophrastus, solam ἑῴαν ἀνατολὴν, καὶ δύσιν τῆς Πλειάδος observari solitam. Sed persuasum Theoni fuit, versum Arati, quo canit Vergilias, ἠδὲ καὶ ἑσπερίας ὀνομαστὰς, celebres ac notabiles haberi distinguendis anni temporibus per hiemem & æstatem, de ortu matutino & vespertino exponi debere. Hinc illa tam multa ab eo congesta, tot locis repetita de vespertino Vergiliarum ortu, quæ prorsus falsa sunt, & ipse falsus:

---- ἀλλ' ὀνομασταὶ
Ἠδὲ καὶ ἑσπερίαι Ζεὺς δ' αἴτιος, εἱλίσσονται
Ὅς σφίσι καὶ θέρεος, καὶ χείματος ἀρχομένοιο
Σημαίνειν ἐκέλευσεν, ἐπερχομένου τ' ἀρότοιο.

In nomine, & fama esse dicit Vergilias, ἠδὲ καὶ ἑσπερίας, id est, orientes & occidentes, utpote quæ ortu, & occasu suo æstatis, & hiemis ineuntis signum dent, & sationis temporis. Ἠδὲ καὶ ἑσπερίαι, hoc est, ἀνατέλλουσαί τε καὶ δυόμεναι. Non igitur ἑσπερίαι ibi dictæ, quæ in ortu sunt vespertino, ut exponit Theon, sed simpliciter, quæ in occasu sunt, quæ occidunt, ad verbum, *occiduæ*. Ita enim Græci, & præsertim poëtæ hanc vocem crebro usurpant. Hesychius: ἑσπέρια, τὰ δυτικά. Manilius:

Rursus ad hesperios, sexta est ubi, cedit in umbras.

De ortu igitur matutino, & matutino occasu Vergilarum intellexit Aratus. Nam ab utroque ὀνομασταὶ sunt Vergiliæ. Ortu quippe matutino æstatem indicant ineuntem: matutino occasu hiemem advenientem significant, & simul sationis tempus imminens. Ita enim hæc junctim accipienda:

---- καὶ χείματος ἀρχομένοιο
Σημαίνειν ἐκέλευσεν ἐπερχομένου τ' ἀρότοιο.

Quæ male disjunxit Theon, dum Vergiliarum matutinum occasum serendi tempus denotare ait, earumdemque vespertinum exortum hiemis principium signare. At melius Cicero, dum pandunt hiberni temporis initium, simul etiam admonere dicit, ut terris semina mandentur.

At magnum nomen signi, clarumque vocatur,
Propterea quod & æstatis primordia clarat,
Et post hiberni præpandens temporis ortus
Admonet, ut mandent mortales semina terris.

Nugatur igitur Theon, qui ad eum locum hæc notat: σημαίνουσιν αἱ Πλειάδες καιρούς. Ἑῴαν γὰρ ἀνατολὴν ἀνατέλλουσαι σημαίνουσι θέρους ἀρχήν. Ἑῴαν δὲ δύσιν δύνουσαι ἀντίληψιν τῶν κατὰ σπόρον ἔργων. Ἑσπερίαν δὲ ἀνατολὴν ποιούμεναι χειμῶνος ἀρχήν. Haud scias, utrum prius velit esse sementis tempus, an hiemis initium. Paulo ante notaverat, Vergilias vespertino primum oriri circa æquinoctium autumni. Atqui hiemis initium non est constituendum in ipso æquinoctio. Per dies duos & quinquaginta ortum eos vespertinum facere ibidem dixerat, hoc ipsum tempus incidit in sementem. Alibi scribit ἑσπερίαν ἀνατολὴν πλειάδων incipere à mense Octobri. Tum serere quidam etiam incipiunt. Sed puto esse diversorum grammaticorum scholia illa, non unius Theonis. Sed & sub finem in rectam viam ex longa aberratione reverti videtur. Sic enim notat, & Aratum explicat: καὶ τούτων δὲ ὁ Ζεὺς αἴτιος, ὃς κατηστέρισεν αὐτὰς, ὅστις αὐτὰς καὶ θέρους ἀρχομένου, καὶ χειμῶνος σημεῖα φέρειν ἐποίησε. Ληπτέον οὖν, ἑῷαι Φαρμουθὶ ἀρχομένου θέρους ἀνατέλλουσιν, ἑῷαι δὲ δύνουσιν, Ἀθὺρ μηνὶ ἀρχομένου χειμῶνος. Recte igitur ἑσπερίας accipit, quæ ἑῷαι δύνουσιν. Et mense Athyr occasum earum matutinum fieri bene observat, & hiemem incipere. At tribus versibus ante de ortu vespertino id exposuerat, & vespere oriri illo mense scripserat: ἑσπερίαι δὲ, αἱ ἀπὸ ἑσπέρας ἀνατέλλουσαι, ἡλίου ὄντος ἐν σκορπίῳ, Ἀθὺρ μηνὶ, ὅς ἐστι παρὰ Ῥωμαίοις Νοέμβερος. De Pharmuthi mense, in quo ortum Vergiliarum matutinum, & primordium æstatis constituit, mox videbimus. Nam heîc etiam offendit. Germanicus nihil de ortu, & occasu Vergiliarum meminit in reddendo illo loco Arateo, sed tantum dicit bina tempora eas ostendere, æstatis initium & hiemis. Quod sic expressit:

Præcipuo sed honore ostendit tempora bina
Cum primum agricolam ventus superimminet auster,
Et cum surgit hiems portu fugienda peritis.

Non reddidit illa, ἠδὲ καὶ ἑσπερίαι, sed satis etiam non expressa intelliguntur. Omnes quippe tum sciebant ex parapegmatis Vergilias ortu suo matutino æstatis initium significare: matutino occidentes initium hiemis. Per *ventum austrum* primum superimminentem agricolis æstatis initium designat. Nam æstate ut plurimum flat auster: ut hieme aquilo. Adde quod ab exortu Vergiliarum flare incipiunt austrini spiritus. Ptolemæus A. D. IV. Idus Maji notat: *Vergiliæ oriuntur, auster flat.* Et die sequenti, *austrini flatus cum suculārum occasu.* Antiqua autem loquutio, *ventus auster*, ut *ventus aquilo*. Propertius:

Et nobis aquilo, Cynthia, ventus erit.

Cato: *vites inseri oportet luna silenti post meridiem sine vento austro.* Et alibi passim. Sic enim loquebantur: *Nobis erat ventus auster: vento austro navigabamus.* Igitur Vergiliæ, quæ ortu suo matutino æstatem incipientem indicant, matutino autem occasu ineuntem hiemem testantur, totum annum, ut Theophrastus ait, διχοτομοῦσιν ἀνατέλλουσαί τε καὶ δυόμεναι. Sic pari fere numero dierum post æquinoctium vernum oriebantur, & post æquinoctium autumni occidebant. Ptolemæus Nonis Majis Vergilias oriri matutino annotat, & sequenti die principium æstatis ponit. Dies sunt quatuor & quadraginta ab æquinoctio verno. Plinius die quadragesimo octavo post æquinoctium vernum, & Vergilias exoriri, & æstatem incipere facit. Hoc incidit in quartum Idus, quo tempore Vergilias etiam oriri idem Ptolemæus observat. Idem hiemis initium statuit quarto Idus Novembris die quadragesimo quarto ab æquinoctio autumnali. Alii, ut Euctemon die quadragesimo octavo post æquinoctium eas occidere voluerunt, quod tempus Idibus Novembris convenit, quo die Vergilias matutino occidere notat Ptolemæus. Metonis eadem, quæ Euctemonis fuit sententia. Eorum parapegmata sequutum esse Aratum ipsi Arato credimus clarè id testificanti his versibus, ut eos correximus:

Γινώσκεις τὰ δὲ καὶ σὺ, τὰ γὰρ συναείδεται ἤδη
Ἐννέα καὶ δέκα κύκλα φαεινοῦ Ἠλείοιο.

Phaïnus ille præceptor Metonis, qui Phaïnus primus observavit solstitium, à quo Meton accepit, & enneadecaeteridem suam publicavit Athenis, & parapegma in comitio appendit solstitia, & brumas, & æquinoctia continens, & siderum ortus & occasus, & significationes tempestatum. Nec dubium, quin ex eodem parapegmate Metonis hauserit Theophrastus, quæ habet de ortu, & occasu siderum, ἐν τῷ περὶ τροπῶν, præsertim quum eo ipso libello, quo prognostica pluviarum, ac tempestatum descripsit, Phaïni & Metonis meminerit. At Hesiodus, qui Plinio auctore matutinum occasum Pliadis circa æquinoctium autumnale confert, matutinum ejusdem exortum in æquinoctio verno debuit collocare, ut διχοτομία illa τοῦ ἐνιαυτοῦ, quam oriens, & occidens facit Plias, locum haberet. Vidimus autem paulo ante Theonem τὴν ἀνατολὴν ἑῴαν Πλειάδος fieri tradere æquinoctio verno. Certè & Ptolemæus Kalendis Aprilibus sex aut quinque diebus post æquinoctium vernum Vergilias oriri dicit his verbis: *Kal. Apr. Vergiliæ oriri, & præsignificare incipiunt.* In Græco fuit: Πλειάδες ἐπιτέλλειν, καὶ προσημαίνειν ἄρχονται. Qualis ortus sit, non addit, matutinus, an vespertinus. Ovidius, qui in omnibus fere cum Ptolemæo convenit, de matutino exortu intelligendum docet his versibus de Kalendis Aprilis: *Nox*

Nox ubi transierit, cœlumque rubescere primo
Cœperit, & tactæ rore querentur aves,
Semustamque facem vigilata nocte viator
Ponet, & ad solitum rusticus ibit opus:
Pliades incipient humeros relevare paternos
Quæ septem dici, sex tamen esse solent.

Aëtius tamen lib. III. cap. περὶ ἐπισημασιῶν, quas ex antiquis parapegmatis transtulit, ita scribit: μηνὶ Ἀπριλίῳ, αἱ πλειάδες ἀκρόνυχοι φαίνονται, id est, *oriuntur vespere.* An quum ita legeretur in antiquo parapegmate, Πλειάδες ἀκρόνυχοι φαίνονται, Ovidius de matutino exortu accepit, qui fit extrema noctis parte? Ita enim ἀκρόνυχον & ἀκρόθι νυκτὸς Cicero Latinè vertit, *præcipitante nocte.* Eudoxus pridie nonas Aprilis notabat Πλειάδας ἀκρονύχους δύειν. Democritus eodem die Πλειάδες κρύπτονται ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι. Etiam τὸ ἀκρόνυχον juxta quosdam dicitur tempus, quod paulum præcedit ἥλιον ἀνίσχοντα. At Ptolemæus tertio nonas Aprilis Vergilias ait occidere vespertino. Democrito matutino occidunt. Theon δύσιν ἑσπερίαν Pliadum περὶ ἐαρινὴν ἰσημερίαν dicit contingere. Idem easdem Vergilias exortum matutinum facere tradit, τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας. Sed, ut ad Plinium redeamus, si Hesiodus matutinum occasum Vergiliarum tum fieri dixit, quum æquinoctium autumni conficitur, quoniam ortus earum occasui respondere debet in bipertita anni divisione, æquinoctio verno oriri eas dicendum fuerit, ex eadem Hesiodi opinione. Hæc cum ita sint, statuendum etiam ex ejusdem vatis ὑποθήκαις Græcos messem vulgo fecisse circa æquinoctium vernum. Ita enim admonet in georgicis præceptis:

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ' ἀμήτου, ἀρότοιο τε δυσομενάων.

Ab ortu Vergiliarum incipiendam esse messem, ab occasu sementem auspicandam præcipit. Ergo messis tempus apud Græcos ab æquinoctio verno incipiebat, sationis tempus ab æquinoctio autumni. Ut demus serendi tempus Græcos præsumpsisse ab æquinoctio autumnali, quis credere possit tam festinatas messes in Græciæ climate fuisse; ut circa æquinoctium frugibus maturitas, & falx contigerit? Ne in Ægypto quidem tam præcox ἀμητὸς fuit. Theon quippe tradit circa vigesimam quintam Pharmuthi mensis Ægyptiis tempestivam fieri messem: ἀπὸ πέμπτης καὶ εἰκάδος τοῦ Φαρμυθὶ μηνὸς, ὅς ἐστι παρὰ Ῥωμαίοις Ἀπρίλιος, ὅτε καὶ τοῦ θερίζειν ὁ καιρὸς παρ' Αἰγυπτίοις. Aprilis vigesimo is dies congruit. Quis credat Græciam Ægypto maturius demessuisse fruges? Postremo, cum antiquissimi Græci in ortu Vergiliarum æstatis initium constituerint, in occasu matutino initium hiemis, quis ab æquinoctio verno æstatem incœpisse possit dicere, aut ab autumnali hiemem? Hoc tamen dicendum sit, si concedimus Hesiodum tradidisse æquinoctio verno oriri Vergilias, autumnali occidere. Sed ut scias, Hesiodum, quum messem dicit incipiundam exorientibus Vergiliis, de illo exortu non intellexisse, qui observatur circa æquinoctium, ita statim subjicit:

Αἱ δή τοι νύκτας τε καὶ ἤματα τεσσαράκοντα
Κεκρύφαται, αὖτις δὲ περιπλομένου ἐνιαυτοῦ
Φαίνονται τὰ πρῶτα χαρασσομένοιο σιδήροιο.

Post κρύψιν ἡλιακὴν dierum quadraginta Vergiliæ apparere, & exoriri primum incipiunt eo tempore, quo falces acuuntur, appetente scilicet messe. Democritus tradidit pridie Nonas Aprilis, Πλειάδας κρύπτεσθαι ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι, καὶ ἀφανεῖς γίνεσθαι νύκτας τεσσαράκοντα. Si ab A. D. pridie Nonas quadraginta dies numeres, quibus latent Vergiliæ, nec noctibus videntur, incides in diem tertium aut quartum Idus Maias, quo die Vergilias apparere, & exoriri etiam notavit Ptolemæus, nec longe inde æstatis initium agnoscit, quod quidem duobus locis consignavit, dum varias adscribit sententias octavo die Maji & decimo octavo. Hic est matutinus exortus Vergiliarum, qui æstatis initium faciebat Græcis, & metendarum frugum signum dabat, quem alii citius, alii paulo serius pro climatum diversitate observarunt, ut in Ægypto & in Græcia. Scribit Theon Vergilias exortum facere matutinum vigesimo quinto die Pharmuthi, qui respondet vigesimo Aprilis: ὑπὸ τὸν ὄρθρον, inquit, ἀνατέλλουσι σὺν ἡλίῳ ὄντι

A ἐν τῷ Ταύρῳ ἀπὸ εʹ καὶ εἰκάδος τοῦ Φαρμυθὶ μηνὸς, ὅς ἐστι παρὰ Ῥωμαίοις Ἀπρίλιος, ὅτε καὶ τοῦ θερίζειν ὁ καιρὸς παρ' Αἰγυπτίοις. Sane vigesimo secundo Aprilis Vergilias exoriri etiam monet Ptolemæus. Sed cum exortus illius tempus explicandis Arateis impendit, nequaquam menti poëtæ, aut Græciæ climati hæc convenit interpretatio. Αἰγύπτιοι οὖν, inquit, ὅτι ἑῷαι Φαρμυθὶ ἀρχομένου θέρους ἀνατέλλουσιν, ἑῷαι δὲ δύουσιν Ἀθὺρ μηνὶ, ἀρχομένου χειμῶνος. Penes Græcos ut initium æstatis, & initium hiemis annum διχοτομοῦσιν, ita Vergiliarum ortus, & occasus similiter semestri spatio dividunt. Mense quippe Majo oriuntur, Novembri occidunt. Sex menses sunt inter ortum & occasum. At si mense Pharmu-
B thi eas oriri facias, occidere vero mense Athyr, non justa erit διχοτομία, sed mense integro pars altera superaverit alteram. A mense Pharmuthi ad mensem Athyr menses sunt septem: ab Athyr ad Pharmuthi sunt tantum quinque. Aratus ut & Theophrastus, quod jam toties diximus, Metonem & Euctemonem sequitur, qui octo & quadraginta diebus post utrumlibet æquinoctium tam ortus quam occasus Pliadis fieri statuerunt. Hinc vides, quid fidei sit habendum Græcis interpretibus, quamvis doctissimis, & antiquissimis.
C Avienus Arati versus, quibus canit Vergilias orientes & occidentes signa dare, θέρεος καὶ χείματος ἀρχομένου, ita reddit:

---- nam si se gurgite tollunt
Vergiliæ, curvas in flava novalia falces
Exercere dies: si condunt æquore flammas,
Tellurem presso proscindere tempus aratro.

Rectè sanè. Nam ἀρχὴ θέρους, & ἀρχὴ ἀμητοῦ res eadem. Nam à voce θέρος verbum θερίζειν. Quinimmo & θέρος ἀντὶ τοῦ ἀμητοῦ multi usurparunt, & è contra. Hesychius: θέρος, ἡ τοῦ θερίζειν ὥρα. Profecto Ara-
D tus, quem Hesiodi imitatorem fuisse antiqui omnes critici testantur, versus illos Hesiodi de ortu, & occasu Vergiliarum æstatis, & hiemis initia significantium, verbis aliis eadem prorsus sententia expressit. Eos inter se comparare nihil nocebit. Hesiodus:

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
Ἄρχεσθ' ἀμητοῦ, ἀρότοιο τε δυσομενάων.

Aratus:

---- αἵτ' ὀνομασταὶ
Ἦρι καὶ ἑσπέριαι, Ζηνὸς δ' αἴτιος εἱλίσσονται
Ὅς σφίσι, καὶ θέρεος, καὶ χείματος ἀρχομένοιο,
Σημαίνειν ἐκέλευσεν, ἐπερχομένου τ' ἀρότοιο.

E Quis negarit Aratum, quum hæc scriberet, Hesiodi versus in mente habuisse? Πλειάδες ὀνομασταὶ ἦρι καὶ ἑσπέριαι sunt ἐπιτελλόμεναι, καὶ δυσσόμεναι. Orientes, hoc est, ἠρίναι, θέρους ἀρχομένου σημαίνουσι. Hoc est, quod dixit Hesiodus, ἐπιτελλομενάων ἄρχεσθ' ἀμητοῦ. Æstas quippe τὸ θέρος, & messis tempus simul incipiunt Græci. Nam θερισμὸς, qui ἀπὸ τοῦ θέρους deducitur, & ἀμητὸς idem. At Vergiliæ ἑσπέριαι, hoc est, *occiduæ* χείματος ἀρχομένου σημαίνουσι, καὶ ἀρότου ἐπερχομένου. Brevissime hæc sic extulit Hesiodus:

---- ἀρότοιο τε δυσομενάων.

F Ubi ἄροτος est sementis, cujus tempus hieme ingruente. Sententiam Hesiodi duobus expressam versibus Aratus παρέφρασεν, ac quatuor versus ei reddendæ dedit. Totum etiam opus Arati τῶν Φαινομένων veteres critici ex libro Hesiodi de astris imitatum fuisse testati sunt. Certe Callimachus epigrammate id testatum reliquit, quod quia corruptissimum extat in Arati vita, quæ Achilli Statio adjuncta est, heîc emendatum reponam:

Ἡσιόδου τόδ' ἄεισμα καὶ ὁ τρόπος, οὐ τὸν ἀοιδῶν
Ἔσχατον, ἀλλ' ὀκνέω μὴ τὸ μελιχρότατον
Τῶν ἐπέων ὁ Σολεὺς ἀπεμάξατο· χαίρετε λεπταὶ
Ῥήσιες Ἀρήτου, σύγγονοι ἀγρυπνίης.

G Quam vocat *Hesiodi astrologiam* Plinius, Theoni citatur, & vocitatur ἀστρικὴ βίβλος. Hesiodi genuinum fœtum opus illud fuisse vetustissimis criticis, & Callimacho in primis placitum vides. Nihil ergo dubitandum, quin Hesiodo adscribenda sit. Arati carmen de sideribus ad illius operis exemplar compositum Callimachus fatetur. *Hic modus est*, inquit, *hic genius poëmatis Hesiodici. Non equidem ultimum, aut pessimum poëtarum est imitatus, sed vereor ne maxime laboriosum, & difficilem carminum ejus partem vates hic Solensis affectaverit.*

rit. *Quare valeant minutæ illæ, & argutæ Arati de sideribus commentationes, vigiliarum cognatæ, & somnum adimere natæ.* Dicit Aratum ex opere illo Hesiodi non id, quod jucundissimum, & lectu gratissimum esset, sed maximè laboriosum, & spinosum elegisse, quod imitaretur. τὸ μεληρὸν, est quod curam, & sollicitudinem adfert, ut μέλημα est cura & sollicitudo. Legi tamen etiam posset, μὴ μήτ' ἀμελιχρότατον. Sed illud fortasse melius. Qui nesciebant quid esset μεληρότατον, reposuerunt μελιχρότατον. Opus μεληρὸν hoc dicitur, quod curam magnam, & attentionem exigit, ut intelligatur. Si μελιχρότατον aliquis retinendum pertendit, idem tamen sensus eliciendus est. Optimum quidem, ac præstantissimum poëtam Aratus sumpsit, quem imitaretur, sed vereor, ut μελιχρότατον expresserit operum ejus ac poëmatum. Planè dicit non ex suavissimo, ac μελιχροτάτῳ Hesiodi carmine τὰ Φαινόμενα imitatione eduxisse Aratum, sed ex longè operosissimo, & ingratæ lectionis. Errat itaque vir magnus, qui Callimachum illo epigrammate dicere asserit Aratum ex Hesiodi astronomico τὰ μελιχρότατα deflorasse: cetera φορτικὰ puta μυθολογούμενα omisisse. Immo contrà τὸ φορτικὸν, καὶ τὸ λεπτολόγον inde delibavit tantum Aratus, τὸ μελιχρὸν vero, quod in fabularum narratione consistit, insuper habuit. Τὴν ἡδύτητα ἐν τῷ μυθολογικῷ esse omnes fatentur. Hinc λεπτολόγος Ἄσκραῖος dictus veteribus, qui siccum, & aridum ἀστρονομικὸν eo opere tractasset, nulla μυθολογίας suavitate conditum, quod erat in astrologico Hesiodi. Hoc sensu magis probarem, μὴ μήτ' ἀμελιχρότατον. Οὐκ ἔσχατος ἀοιδῶν Hesiodus vocatur, qui inter primos est, familiari loquutione Græcis. Sic Ajax Homero *non postremus Græcorum* appellatur, qui de primis ac præcipuis esset. Ἄῤῥητος pro Ἄρητος versus gratia, ut Ἀῤῥαβες, Πυῤῥήνaιον ὄρος & similia. Cum igitur ἀστρικῆς βίβλου idem auctor fuerit Hesiodus, qui & ἔργων καὶ ἡμερῶν, haud credibile est aliter in hoc atque in illo opere de Vergiliarum ortu, & occasu sensisse, ac tradidisse. Quare cum in astronomico libro Vergilias circa æquinoctium autumni matutino occidere dixit, non idem occasus tempus, nec eumdem occasum intellexit, de quo in rusticis præceptis agit, ubi sementem incipere ait debere, πλειάδων δυομένων. Circa æquinoctium incipiunt matutino occidere, sed parvam tunc habent significationem. Certè matutino tum, & vespere apparere etiam Ptolemæus memorat. Idem dicendum est & de earum exortu matutino. Circa æquinoctium vernum incipiunt mane exerere se, & præsignificare, ut Ptolemæo notatur, sed ortus earum matutinus plenus, ac φανερὸς, qui solidam, & σαφῆ significat ἀέρος ἀλλοίωσιν, quarto & quadragesimo tantum die post æquinoctium, vel, ut aliis etiam placet, quadragesimo octavo servatur. Frustrà ergo Plinius hanc Hesiodi opinionem refert, ut probet auctorum dissensum super occasu Pliadum. Alias ipse secum etiam dissentiret Ptolemæus, aliique veterum, qui Kalendis Aprilibus Vergilias oriri jam incipere, ac προσημαίνειν scripserunt, qui tamen Nonis Majis exortum earum matutinum collocant, & æstatis principium ibidem signant. *Raro*, inquit Plinius, *ullius auctoris sententia cum alio congruit.* Subjicit protinus: *Minus hoc in reliquis mirum, quos diversi excusaverint tractus: Eorum, qui in eadem regione dissedere, unam discordiam ponemus, exempli gratia: occasum matutinum Vergiliarum Hesiodus, nam hujus quoque nomine extat astrologia, tradidit fieri, cum æquinoctium autumni conficeretur: Thales vigesimo quinto ab æquinoctio: Anaximander vigesimo nono: Euctemon quadragesimo nono.* Illustris sanè locus, sed non id evincit, quod vult Plinius. De Hesiodo nugæ. Non rectè Hesiodi sententiam cepisse prorsus constat. De ceteris ita loquitur, quasi omnes uno eodemque tempore æquinoctium confici senserint. Atqui nota est veterum dividia de tempore, quo æquinoctia, solstitiaque committerentur. Alii in principiis signorum, alii in octavis partibus, alii in mediis signis ea confici opinati sunt. Vetustissimi longius aberrarunt. Deinde ortus, atque occasus matutinos, ac vespertinos siderum alii aliter servarunt. Quidam, cum emergere inciperent, & apparere: nonnulli, quum tota apparerent in ortu,

A vel occasu suo. Plerique tum demum exoriri, aut cadere sidus colligebant, quum effectu aliquo ortum, aut occasum suum testificaretur. Atqui ἐπισημασία plerumque non paucis diebus antevenit sideris ortum, aliquando & postvenit. Postremo non in eodem prorsus tractu observationes suas fecerunt illi, quorum meminit Plinius. Hesiodus in Boëotia agitabat: Thales Milesius fuit: Anaximander & ipse Milesius, sed Lacedæmone gnomonem fertur erexisse τὸν σημαίνοντα τὰς τροπὰς, καὶ ἰσημερίας. Ergo & Lacedæmone videtur, eas observasse. Ex monte, & ex planitie factæ B τηρήσεις differunt, licet in eadem regione. Alia fuit astronomia Matricetæ, qui Methymnæ in Lesbo insula ex monte Lepetymno speculabatur: alia Cleostrati Tenedii, qui ab Ida monte: alia denique Phaïni, & Metonis, qui Athenis à monte Lycabetto explorabant. Quæ omnia fuere Plinio consideranda. Profecto illa auctorum, qui in eadem regione scripsere, discordia, quam notat, ac miratur, circa æquinoctium autumni constituendum non minus videtur constitisse, quam circa occasum Vergiliarum, quoto die observandus esset post æquinoctium. Notatu quippe faC cilis, & εὐκατάληπτος ortus, & occasus Vergiliarum, quamvis singulis stellis non nimis lucidum sit illud sidus, caterva tamen, ac numero notabile. Græci: ὁμῶς μὲν ὁρώμεναι λαμπραὶ, καθ' ἕκαστα δὲ ἀμυδραί. Thales, qui vigesimo quinto die post æquinoctium confectum Vergilias occidere scripserat, de eo æquinoctio id fortasse intelligebat, quod ipse observarat. De Euctemone sanè id verum. Auctores tamen sunt, qui Thaletis sententiam de occasu Vergiliarum æquinoctio communi adaptent. Quos puto errare. Proclus ad Hesiodum de satione facienda occidentibus Vergiliis: εἰ δ' ἄροτον τὸν σπόρον φησὶ, τὸν καιρὸν δηλοῖ καθ' D ὃν ὁ ἥλιος εἰς τὸν σκορπίον ἐμβάλλει, Ὀκτωβρίῳ καὶ Νοεμβρίῳ. Sol in scorpionem ingreditur juxta Ptolemæum, & Columellam, & alios decimo quarto Kalendas Novembris. Ab eo die ad diem sextum Kalendas Octobris, quo die perficitur æquinoctium in octava parte libræ, dies numerantur viginti quinque. Hæc igitur Thaletis sententia. Ptolemæus post introitum solis in scorpionem notat Vergilias occidere. Vitruvius: *Scorpionem autem, quum sol ingressus fuerit occidentibus Vergiliis, minuit progrediens ad meridianas partes longitudines dierum.* Post idem æquinoctium die vigesiE mo nono notatum etiam Ptolemæo *Vergilias occidere.* Quæ Anaximandri fuerit opinio juxta Plinium. Haud igitur dubium est, quum idem ille Ptolemæus Idibus quoque Novembris Vergiliarum occasum assignat, die octavo & quadragesimo post illud æquinoctium, quod ante diximus, quin Euctemonis sententiam consignaverit, ut alias solet diversorum auctorum opiniones ponere. Nec est, quod aliquis inferat, non unius generis esse tres istos occasus diversos. De matutino omnes intellexere. Moschopulus ad illud Hesiodi:

---- ἄρότοιό τε δυσομενάων.

F Ἀντὶ τοῦ δυνουσῶν αὐτῶν, τὴν ἑῴαν δηλονότι δύσιν. Ἤγουν ὅταν ὁ ἥλιος εἰς τὸν σκορπίον ἤδη περατοῖ, τότε γὰρ αἱ πλειάδες ὀλίγον πρὸ τῆς τοῦ ἡλίου ἀνατολῆς δύνουσιν. *Quum sol in scorpionem jam transitum facit,* ὅταν ὁ ἥλιος εἰς τὸν σκορπίον ἤδη περατοῖ. Ita Græca sunt legenda. Vulgo editur: ὅταν τὸν σκορπίον ἤδη περατοῖ, quod esset, quum sol jam scorpium in fine decurrit, quum jam sol in exitu scorpii est. Habet è Proclo: δυουσῶν δὲ τὴν ἑῴαν δύσιν, ἀρχὴ δὲ τοῦ χρόνου. Τουτέστιν ὅταν ὁ ἥλιος τὸν σκορπίον ἤδη περατοῖ. An id significat, *quum sol jam scorpionem decurrit.* Idem Proclus: δωδεκάτης δὲ ὥρας τῆς νυκτὸς πέωνται δύσεις ἐν τῷ μεταξὺ τοῦ ζυγοῦ καὶ σκορπίου ἤτοι Ὀκτωβρίῳ G καὶ Νοεμβρίῳ ὅτε ὁ σπόρος. An hæc est differentia, quod in occasu suo matutino, ut in ortu alias ἀφανεῖς occidunt, alias φανεραί? Hinc illa in parapegmatis antiquis, Ὠρίων δύνει φανερῶς. Ἀρκτοῦρος ἀνατέλλων φανερὸς, & similia. Non conspectæ occidunt stellæ, quas solis ortus occidentes abscondit. In occasu conspicuæ sunt, quæ occidentes solis ortum anticipant hora una, vel horæ quadrante. Idem est & in ortu. Ἀνατέλλειν φανερῶς dicuntur, quæ solis ortum prævenint satis magno intervallo, ut ne sub radiis ejus delitescant. Atqui hoc ipsum propriè ἐπιτέλλειν dicitur. Etenim

Etenim quæ post κρύψιν ἡλιακὴν apparere incipiunt, vel mane, vel vespere, ἐπιτέλλειν Græci appellant. Moschopulus: ἀνατολὴ ἐπὶ ἡλίου. Ἐπιτολὴ δὲ ἡ φανέρωσις τῶν ἄστρων μετὰ τὴν κρύψιν τὴν ἡλιακήν. Hesychius: ἐπιτολή, ἀνατολὴ τοῦ ἄστρου, ἡ φανέρωσις. Veteres tamen, ut jam dixi, hoc discrimen negligunt, & Theophrastus ἀνατολὰς τῶν ἄστρων vocat, quas alii ἐπιτολάς. Callippus tertio Idus Novembris Vergilias δύνειν φανερῶς annotaverat. At Democritus tertio Kalendas Novembris δύνειν ἅμα ἠοῖ, quo tempore arbores φυλλοῤῥοεῖν ἄρχονται. Plinius: *cum sit vera ratio non prius serendi, quam folia cœperint decidere. Hoc ipso Vergiliarum occasu fieri putat.* Occidunt ἅμα ἠοῖ, quæ duodecima noctis hora, hoc est, ultima occasum faciunt, hora scilicet una ante solis ortum, qui prima diei hora exoritur. Ergo ἑῴα δύσις ea proprie est, qua stella occidit φανερῶς, quæ in occasu suo conspicitur. Ita ἑῴα ἀνατολὴ proprie est, qua sidus oritur mane ante solis ortum, & videtur. Exigunt quippe veteres, ut ἑῴα ἀνατολὴ fiat, stellam extra radios solis exoriri, & conspici dum oritur. Etenim quæ sole oriente occidunt, vel oriuntur, videri non possunt. Aëtius περὶ ἐπισημασιῶν notat mense Octobri die vigesimo tertio Vergilias δύνειν ἅμα ἡλίου ἀνατολῇ. Occidunt tunc cum sole oriente. Non igitur φανεραὶ occidunt. Idem ad sextum Novembris scribit, Πληϊάδες ἑῷαι δύουσιν, id est, matutino occidunt, ante solis ortum scilicet, & φανερῶς eo tempore occasum faciunt, utpote quæ hora una exortum solis anticipent. Græci, τὴν ἕω exponunt ὥραν πρὸ τῆς τοῦ ἡλίου ἀνατολῆς. Idem igitur ἅμα ἠοῖ δύνειν, & ἑῷον δύνειν, & φανερῶς δύνειν. Sic idem ἀνατέλλειν φανερῶς, ἑῷον ἐπιτέλλειν, ἐκφανῆ γίνεσθαι & similia. Callippo Idibus Septembris Arcturus ἀνατέλλειν φανερός. Eudoxo biduo post Arcturus ἑῷος ἐπιτέλλει. Sequenti die Euctemoni Ἀρκτοῦρος ἐκφανής. Quæ omnia idem significant, de tempore tantum dissentiunt. Φανερὸν, & ἐκφανὲς fieri dicitur τὸ ἄστρον, quod totum apparet, & conspicitur. Sic in plastice ἐκφανῆ sigilla vocarunt, quæ prostypa expressa non erant, sed tota conspicua, & eminentia, & omnibus suis partibus formata. Hinc concilianda venit sæpenumero scriptorum discordia, qui in eodem tractu scripsere de ortu, & occasu siderum. Nam aliud est, quum oriri, & emergere parte aliqua sui incipiunt, aliud, quum tota ἐκφανῆ fiunt: alius eorum exortus qui cum sole fit, alius, qui paulo ante solem. Quæ omnia grammatici in auctoribus enarrandis strenue contemnunt, & diversas ortuum, occasuumque species confundunt, & diversorum climatum ortus & occasus. Qua in re ne vetustissimi quidem extra culpam. Proclus inter libram, & scorpionem eas occidere ait matutinas, & tunc observari serendi tempus in Græcia, per ingressum scilicet solis in scorpionem. Huic concinit Plutarchus, qui mense Pyanepsione opus sationis maxime fervere ait, & σπόριμον μῆνα vocat, Vergiliasque eo mense occidere tradit. Idem alibi Ægyptio Athyr respondere facit, quo tempore sol signum scorpionis decurrit. Pyanepsion partem Octobris, & Novembris occupabat, ut & sementis utroque mense celebrabatur. Ita proxime sequebatur τὸν Βοηδρομιῶνα, qui Septembris, & Octobris partem detinebat. Tradit Proclus ibidem antiquos Atticos temporius sationem fecisse, οἱ δὲ inquit, ἀρχαῖοι καὶ πρωϊαίτερον ἔσπειρον. Καὶ δῆλον ἐκ τῶν Ἐλευσινίων τελετῶν. Argumento Eleusiniorum mysteriorum utitur, ut probet priscos Atticos præsumpsisse sementis tempora, & maturius serere solitos fuisse, quam tunc sererent. Eleusinia sacra, ut omnes sciunt, Boëdromionis vigesima celebrabant Attici. Ea sacra originem hanc volunt habuisse. Quum Ceres filiam quæritans in Eleusinem Atticæ venisset, hospitioque accepta fuisset à Celeo, ut eum pro liberalitate, atque humanitate sua remuneraret, frugum serendarum rationem illi ostendit, filiumque Triptolemum per orbem terrarum misit alatis vectum draconibus, qui usum frumentorum hominibus indicaret. Hinc Athenienses gloriabantur, fruges apud se inventas, & primum satas beneficio Cereris. In pago autem Eleusinis inventæ primo, satæque. Pharnuchus: Ἐλευσὶν δὲ ὁ τόπος ὅπου πρῶτον εὑρέθησαν. Inde *Eleusinia sacra* instituta. Clemens Alexandrinus: κατὰ δὲ Λυγκέα τῆς κόρης ἡ ἁρπαγὴ, καὶ

A ἡ τοῦ ἐν Ἐλευσῖνι τεμένους καθίδρυσις, Τριπτολέμου τε γεωργία. Ab illa frugum inventione Cererem cognominatam Eleusinam prodit etiam Pharnuchus. Virgilius:

---- *Eleusinæ Cereris volventia plaustra.*

Ceterarum frugum præterquam fabarum Cererem inventricem extitisse Pausanias illis ait constare, qui sacra Eleusinia inviserunt, aut Orphica legerunt. Ita enim scribit de Jaccho Cyamite cognomine: σαφὲς δὲ οὐδὲν ἔχω λέγειν, εἴτε πρῶτος κυάμους ἔσπειρεν οὗτος, εἴτε τινὰ ἐπεφήμισαν Ἥρωα. Ὅτι τῶν κυάμων ἀνενεγκεῖν οὐκ ἐστὶ σφισὶν ἐς Δήμητρα τὴν εὕρεσιν. Ὅστις δὲ ἤδη τελετὴν Ἐλευσῖνι εἶδεν, ἢ τὰ καλούμενα Ὀρφικὰ ἐπελέξατο, οἶδεν ὃ λέγω. Eumdem B vide & in Arcadicis. Agrum Eleusinis, qui Rharius vocabatur, à Cerere primum consitum fuisse volunt. Idem Pausanias: τὸ δὲ πεδίον τὸ Ῥάριον σπαρῆναι πρῶτον λέγουσι καὶ πρῶτον αὐξῆσαι καρπούς. Stephano: Ῥάριον, πεδίον ἐν Ἐλευσῖνι. Inde Ceres Ῥαριάς, ut Ἐλευσινία cognominata. Si propter fruges inventas à Cerere, & Eleusine primum seminatas, instituta sunt Eleusinia, ad id tempus institutionem eorum referri par est, quod sationi faciendæ erat opportunum. Idque etiam diserte testatur Pharnuchus his verbis: καθὸ περὶ τὸν τοῦ σπόρου καιρὸν τὴν ἑορτὴν αὐτῆς ἄγουσι. Ex eo igitur Proclus colligit veteres Athe- C nienses sementem maturius olim factitasse, quod in sationis tempus sollemnitas Eleusinii sacri incideret. Quo argumento etiam vinci potest Pyanepsionem proximum Boëdromioni fuisse. Athenienses olim sub Eleusiniorum tempus semina terræ mandabant, Boëdromione scilicet mense: postea serius cœperunt serere, rejecta in sequentem mensem satione. Ergo mensis, qui sequebatur Boëdromionem, erat Pyanepsion. Non puto tamen diversa sementis tempora observata veteribus, ac recentioribus Atticis. Quod si semel instituissent facere, id semper fecissent, religione præsertim obstricti eorum sacrorum, quæ summa sem- D per in veneratione habuerunt. Duo sacra diversa Cerealia celebrarunt Attici diversis mensibus, sed conjunctis, Ἐλευσίνια ac Θεσμοφόρια. Eleusinia Boëdromione mense agitabantur: Thesmophoria sequente Pyanepsione. Inde auctores veteres hæc duo mysteria passim confundunt, & quod de alteris dictum est, alteris attribuunt. Arnobius lib. v adversus Gentes: *Vultis enim consideremus mysteria & illa divina, quæ Thesmophoria nominantur à Græcis, quibus gente ab Attica sancta illa pervigilia consecrata sunt, & pannychismi graves?* In sequentibus explicat mysteriorum illorum originem, & apparatum omnem, quæ omnia ad Eleusiniorum reli- E gionem pertinent. Immo eadem sacra *Eleusinia* paulo post nominat: *non est ista falsa suspectio, nec delatione appetimini calumniosa: Eleusiniorum vestrorum notas, & origines producunt turpes; & antiquarum elogia literarum.* Hîc vocat *Eleusinia*, quæ in superioribus *Thesmophoria* dixit. At Clemens, unde sumpsit ad verbum, quæcunque de mysteriis illis habet, τὰ Ἐλευσίνια ἀπὸ τῶν Θεσμοφορίων distinxit. Baubo, Triptolemeus, Eubulcus, Eumolpus, Dysaules, Caduceatores, Hierophantæ, Δᾳδοῦχοι, Præcones, & tota illa scena, quam ibi traducit, Eleusiniorum sunt. *Ipsa denique symbola, quæ rogati sacrorum in acceptionibus re-* F *spondetis: jejunavi atque ebibi cyceonem, ex cista sumpsi, & in calathum misi: accepi rursus, in cistulam transtuli.* Hæc symbola fuere Eleusiniorum. Clemens: τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων, ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα. &c. Quæ Arnobius ad Thesmophoria etiam transfert. Immo Thesmophoria eadem facit cum Eleusiniis. Eleusinæ Cereris initiis non Ceres sola, sed etiam Jacchus & Proserpina, Liber & Libera colebantur, Cereris nempe liberi. Hinc in illis sacris semper conjuncti leguntur, Δημήτηρ, καὶ Κόρη, καὶ Ἴακχος. Quum Ceres in pagum Atticæ Eleusinem venit, amissam filiam mœrens, & simul quærens, puerum Jacchum secum G ducebat. Eidem tristitia, labore, & siti confectæ Baubo anus Eleusinii pagi indigena potionem obtulit, quam Græci vocant cyceonem. Sed cum induci non posset ab bibendum, Baubo res illi suas, quibus fœminæ sunt, subductis vestibus ostendere cœpit. Puer Jacchus, qui cum matre Cerere ibidem erat, visis pudendis Baubonis manum admovit, & blande ea succutere, ac contrectare auspicatus est. Quæ res Cere-

rem

rem ad risum compulit, ita ut cyceonem mœrore paululum inde remisso ebiberit. Hic est sensus Græcorum Orphei versuum, quos citat Clemens, in quibus exponendis, & corrigendis frustra hactenus omnis doctorum natio se torsit:

> Ὡς εἰποῦσα πέπλους ἀνεσύρατο, δεῖξέ τε πάντα
> Σώματος οὐδὲ πρέποντα τύπον, παῖς δ' ἦεν Ἴακχος
> Χειρί τε μὶν ῥίπτεσκε γελῶν Βαυβοῦς ὑπὸ κόλποις.
> Ἡ δ' ἐπεὶ οὖν εἴδησε θεὰ, μείδησ' ἐνὶ θυμῷ
> Δέξατο δ' αἰόλον ἄγγος, ἐν ᾧ κυκεὼν ἐνέκειτο.

Sic legendi illi versus, quos perperam sollicitant docti, dum eos ex Arnobio corrigere satagunt, qui mentem eorum non percepit. Παῖς δ' ἦεν Ἴακχος, puer nempe Cereris. Unde *mammosa Ceres ab Jaccho* Lucretio dicitur, quæ mammosa tunc erat, quum lacte suo puerum Jacchum educaret. Forte & Jacchus ille, qui Baubus pudenda contrectavit, & quem lacte suo Ceres educavit, non ipsius Cereris puer fuerit, sed indigena Attici soli heros, & Baubus filius. Ita certe quidam ex veteribus videntur existimasse. Hesychius: Ἴακχος Ἥρως, οὗ καὶ ναὸς ἐν τῇ Ἀττικῇ καὶ ἄγαλμα. Τινὲς δὲ καὶ αὐτὸν τὸν Διόνυσον οὕτως ἔλεγον. Idem alio loco: Κυαμίτης, ὁ Ἴακχος καλούμενος. Ita corrigendum. Pausanias in Atticis Κυαμίτην ab Jaccho distinguit his verbis: καὶ ἀναθεῖναι ἀγάλματα, ἐν οἷς καὶ ὁ Ἴακχος πεποίηται. Ὠκοδόμηται δὲ κατὰ τὴν ὁδὸν ναὸς οὐ μέγας καλούμενος Κυαμίτου. Σαφὲς δὲ οὐδὲν ἔχω λέγειν, εἴτε πρῶτος κυάμους ἔσπειρεν οὗτος, εἴτε τινὰ ἐπεφήμησαν Ἥρωα. Sed fortasse legendum, ᾠκοδόμηται δὲ οἱ κατὰ τὴν ὁδὸν: ut sit idem Κυαμίτης καὶ Ἴακχος, quemadmodum etiam vult Hesychius. Et fortassis Κυαμίτης dictus est Ἴακχος ille, non à fabæ satione, quam invenerit, sed à muliebris membri contrectatione, cujus Orphica illa meminerunt. Κύαμος Græcis pars illa, qua secus muliebre censetur, ἀπὸ τοῦ κύειν. Sed & κύαμον, id est, fabam pudendi fœminei formam referre ajunt. Et hanc rationem allegant quidam, quare Pythagoras hoc genere leguminis abstinuerit. Alii κυάμους viriles ajunt esse testiculos. Vide Agellium. Fabam nominari in sacris Eleusiniis non erat. Vide Pausaniam. Refert Hyginus in fabulis, quum Ceres Proserpinam filiam quæreret, venisse ad Eleusinum regem, cui uxor Cothonea puerum Triptolemum pepererat, seque nutricem lactantem simulasse, & nutricem à regina receptam. Alii aliter hec narrant, & in nominibus variant. Alii ad Celeum venisse Cererem, alii ad Eleusinum, alii ad Triptolemum dicunt. Quidam Ἰάμβην nominant, non Βαυβὼ, quæ Cererem ridiculis suis exhilaraverit. Sic fortasse & Ἴακχον quidam appellarunt, qui vel Triptolemus aliis, vel alius puer Regis Eleusinii, quem Ceres lactaverit. Ita nonnulli matrem Jacchi Cererem esse voluerunt, quidam nutricem tantum. Certe *Ceres mammosa ab Jaccho*, quæ mammis suis aluit Jacchum, atque inde mammosa, veluti nutrix lactans. Ut ut sit, παῖς δ' ἦεν Ἴακχος in Orphicis, aut de filio Cereris, aut de filio Baubonis exponendus. Arnobius vero ea sic accepit, quasi Orpheus τὸν τύπον ἀπρεπῆ σώματος, quem Baubo revelarat, παῖδα esse dixisset à nitore, ac lævitate puerilis vultus, quod scilicet eam partem deglabrasset, ac lævigasset, antequam Cereri ostenderet:

> ---- δεῖξέ τε πάντα
> Σώματος οὐδὲ πρέποντα τύπον, παῖς δ' ἦεν Ἴακχος.

Ostendit illi obscænam corporis formam, quæ pueri li habitu fuit, tam glabra nempe, quam pueri est vultus: Sic igitur vertit:

> *Objecitque oculis formatas inguinibus res*
> *Quas cava succutiens Baubo manu, nam puerilis*
> *Ollis vultus erat, plaudit, contrectat amice.*

Ita accepisse clare ipse ostendit, ubi prosa oratione id latius explicat: *partem illam corporis, per quam secus fœmineum & sobolem prodere, & nomen solet acquirere generi, eam longiore ab incuria liberat, facit sumere habitum puriorem, & in speciem lævigari nondum duri, atque histriculi pusionis.* His verbis prorsus explicat illa Ὀρφικά:

> Σώματος οὐδὲ πρέποντα τύπον, παῖς δ' ἦεν Ἴακχος.

Non simpliciter habitum pueri pudendis suis conciliasse Baubonem intellexit, sed pueri, qualis Jacchus pingitur, imberbis & nondum histriculi. Atque hæc obiter. Ab illo cyceone, quem hauserat Ceres spectaculo illo mirifico exhilarata, cyceonem quoque sumebant, qui sacris illis initiabantur. Unde de symbolis initiorum rogati respondebant. Hæc Eleusinia initia etiam cum Thesmophoriis confundit Hyginus in fabulis: *postquam domum rediit Celeus, eum pro bene facto interfici jussit. Sed re cognita jussu Cereris Triptolemo regnum dedit, quem ex patris nomine Eleusinum nominavit, fierique sacrum instituit, quæ Thesmophoria Græce dicuntur.* Τὰ Ἐλευσίνια intelligit. Pharnuchus quoque de Cerere, ubi dicit sollemne Cereris agitari sementis tempore. De Thesmophoriis potius intellexisse videatur, & ea cum Eleusiniis eadem facere. Nam Thesmophoria περὶ τὸν τοῦ σπόρου καιρὸν agebantur, mense nimirum Pyanepsione, quem σπόριμον μῆνα vocat Plutarchus. Thesmophoria porro illa cum luctu solebant agitari. Unde & Plutarchus σκυθρωποτάτην Θεσμοφορίων ἡμέραν vocat in vita Demosthenis. Tristissimum etiam fuisse festum illud Cereris, quod tempore sementis agebatur, indicat Pharnuchus his verbis: καθὸ περὶ τὸν τοῦ σπόρου καιρὸν τὴν ἑορτὴν αὐτῆς ἄγουσι. Περὶ δὲ τὸ ἔαρ τῇ Χλόῃ Δημητρί θύουσι μετὰ παιδιᾶς, καὶ χαρᾶς. Ergo sementivæ illæ Cereris feriæ mœrore, & luctu celebres erant. Atque hæc fuere Thesmophoria. Eleusinæ tamen Cereris eam celebritatem dicatam innuit. Nihilominus longe diversa Eleusinia à Thesmophoriis. Omnia læta in Eleusiniis, nihil triste. Nam & mystis, epoptisque illorum initiorum vetitum fuit ad puteum illum sedere, cui Ceres adsederat, cum in pagum Eleusinis venit, quia tristis tunc erat. Clemens: τοῦτο τοῖς μυουμένοις ἀπαγορεύεται εἰσέτι νῦν, ἵνα μὴ δοκοῖεν οἱ τετελεσμένοι μιμεῖσθαι, τὴν ὀδυρομένην. Non luctum Cereris significabant, aut repræsentabant ea initia, sed eam jam exhilaratam mœrore deposito monstrabant, quum facetiis Baubonis ad risum incitata cyceonem potionem sumpsit, quam prius recusarat. Præterea ob fruges repertas ea instituta, quæ lætitiam hominibus, & faciliorem victum attulerunt. At tota Θεσμοφορίων μυθολογία Proserpinæ raptum depalabat, & ex eo raptu Cereris mœrorem ostendebat. Ideo nihil nisi triste, ac luctuosum ea sacra continebant. Clemens: βούλει καὶ τὰ Φερεφάττης ἀνθολόγια διηγήσομαί σοι, καὶ τὸν κάλαθον, καὶ τὴν ἁρπαγὴν, τὴν ὑπὸ Ἀϊδωνέως καὶ τὸ χάσμα τῆς γῆς. Et paulo post: ταύτην τὴν μυθολογίαν αἱ γυναῖκες ποικίλως κατὰ πόλιν ἑορτάζουσι, Θεσμοφόρια, πολυτρόπως τὴν Φερεφάττης ἐκτραγῳδοῦσαι ἁρπαγήν. Raptum igitur Proserpinæ depompabant, & Cereris luctum ea sacra. In urbe præterea fiebant, κατὰ πόλιν, Eleusinia, in Eleusinis pago. Thesmophorica solæ mulieres celebrabant, iisque initiabantur. Unde Θεσμοφοριάζουσαι Aristophanis. Eleusiniorum initia viri soli accipiebant. In iis quippe ἱεροφάνται, δᾳδοῦχοι, σπονδοφόροι, κήρυκες. Romæ quoque Cereris sacra per mulieres administrabantur. Hinc apud Poëtam:

> *Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ.*

Cereris sacerdotes in Thesmophoriis à viris separabantur, vel prorsus non habebant. Tertullianus: *Cereris sacerdotes viventibus etiam viris, & consentientibus amica separatione viduantur.* De his mulieribus sacerdotibus accipienda docuimus ejusdem Tertulliani de Pallio verba hæc: *cum ob cultum omnia candidatum, & ob notam vittæ, & privilegium galeri Cereri initiantur.* De viris perperam exponebant vulgo: Valerius Maximus: *Cereri quoque, quam more Græco venerari instituerant, sacerdotem a Velia, cum id oppidum civitatis nomen nondum accepisset Calcitanam peterent.* Thesmophoria intelligit, & more Græco, quæ per mulieres celebrarentur. Thesmophoria denique Cereris τῆς Θεσμοφόρου sacra fuere. At Eleusinia, τῆς Ἐλευσίνης. In aliquot urbibus Græciæ præterquam Eleusine Cereris Eleusinæ templa etiam erecta sunt, & sacra instituta. Apud Pheneatas Arcadiæ templum fuit Cereris, ἐπίκλησιν Ἐλευσινίας καὶ ἄγουσι τῇ θεῷ τελετὴν, τὰ ἐν Ἐλευσῖνι, δρώμενα, καὶ παρὰ σφίσι τὰ αὐτὰ φάσκοντες καθεστηκέναι. Pausanias in Arcadicis. Romæ Eleusinia nunquam recepta sunt. Eleusinia sunt de quibus Cicero 1. de Natura Deorum: *Omitto Eleusinem sanctam illam & augustam. Ubi initiantur gentes orarum ultimæ.* Quæ perperam de Thesmophoriis viri docti interpretantur. Pollux: Δημότελα, Ἐλευσίνια, Θεσμοφόρια. Postremo Eleusinia Boëdromionis mensis vigesima

vigesima agebantur; Thesmophoria sequentis mensis, hoc est, Pyanepsionis decima sexta circa tempus sementis. Proclus igitur, qui ex Eleusiniorum institutione colligi putat Atticos olim festinatius serendi tempus observasse, profecto fallitur, & Eleusinia cum Thesmophoriis confundit, vel certè perperam credit instituta Eleusinia sementis tempore, quia in honorem Cereris propter fruges ab ea monstratos festum illud celebrarunt Athenienses. Thesmophoria quippe, quæ sequenti mense celebrabantur, sub ipsum sementis tempus, hoc idem volebant. Nam inde & *Thesmophoron* dictam voluere quidam, quod inventis frugibus feritas inter homines cessaverit, & leges acceptæ sint. Servius: *Leges ipsa dicitur invenisse. Nam & sacra ipsius Thesmophoria vocantur. Sed hoc ideo fingitur, quia ante inventum frumentum a Cerere passim homines sine lege vagabantur: quæ feritas interrupta est invento usu frumentorum, postquam ex agrorum discretione nata sunt jura.* Eadem habes apud Pharnuchum, qui etiam addit placere quibusdam Cererem Θεσμοφόρον appellatam a frugibus conditis, ἐκ ὀρθῶς τινῶν θεσμόν ἀπολαβόντων εἰρῆσθαι τὸν καρπὸν ἀπὸ τοῦ αὐτὸν ἀποτίθεσθαι καὶ θησαυρίζεσθαι. Thesmophoria raptum Proserpinæ paratragœdiabant, quæ res allegorice, ut ajunt, frumentum sub terra conditum significabat. Thesmophoria igitur tempore sementis celebrata longè verisimilius, quam Eleusinia. Certe utrumque sacrum multa habuit communia. Ab eadem origine, & causa utrumque, eidemque numini institutum, utrumque etiam μυστικὸν καὶ ὀργιαστικόν. Nam & θεσμοφόρια, μυστήρια Δήμητρος interpretantur. Tam Thesmophoriis, quam Eleusiniis Jacchus junctim cum Cerere, & Libera colebatur, & invocabatur, quod male aliqui negant. Utrisque porro initiis porci immolabantur, quos μυστικοὺς vocabant. Latini *porci sacres.* Clemens de Thesmophoriis: διὰ ταύτην αἰτίαν ἐν τοῖς θεσμοφορίοις μεγαρίζοντες χοίρους ἐκβάλλουσι. Legendum, καταβάλλουσιν, id est, immolant: vel certe ἐκβάλλουσιν idem significat. Nugantur, qui vertunt, *ejiciunt.* Pharnuchus ὗς ἐγκύμονας Cereri mactari in Thesmophoriis scribit. Hæc sola, ut videtur, inter utrumque sacrum differentia, quod *Eleusinia* virorum initia fuere, *Thesmophoria* mulierum. Quæ Thesmophoria accipiebant mulieres, ut viri, qui Eleusinia venere abstinebant. Hinc Theano interrogata, ποσταία γυνὴ εἰς τὸ θεσμοφόριον κάτεισιν, ἀπὸ μὲν τοῦ ἰδίου καὶ παραχρῆμα ἔφη, ἀπὸ δὲ τοῦ ἀλλοτρίου, οὐδεπώποτε. Junctis præterea mensibus celebrabantur, Eleusinia Boëdromione, Thesmophoria Pyanepsione. Ridiculus Cercoëtius, qui rationes omnes Scaligeri, quibus probat Pyanepsionem junctum fuisse Boëdromioni, futiles pronuntiat præter unicam Harpocrationis auctoritatem. Atqui Scaliger id etiam probavit certissimo argumento, ex cælesti disciplina sumpto, conjunctione scilicet lunæ cum spica virginis, quam Timocharis apud Ptolemæum contigisse scribit anno Nabonassari CCCCLXVI, Pyanepsionis sexta πλοῦτῶντος. Vide Scaligerum lib. I. divini operis, capite de mensibus Atticis. Ridiculus inquam Cercoëtius putat unius grammatici testimonium certius esse siderum canone. Tzetzes, & Anonymus antiquus de mensibus Atticis ita hos menses continuant. Μεταγειτνιών, Βοηδρομιών, Πυανεψιών, Μαιμακτηριών, Ποσειδεών. Ita etiam continuantur apud Plutarchum in vita Demosthenis. Sed ἄῤῥηκτον καὶ ἀναντίῤῥητον etiam illud est argumentum, quo ex Agatharchide antiquissimo scriptore vicimus tam necessarium esse, ut Posideon sequatur Mæmacterionem, quam necessario primam vigiliam sequitur secunda. Sed hoc nihili facit homo nihili. Quid igitur ipse adfert contrà, ut Mæmacterion inter Boëdromionem & Pyanepsionem sit medius? Thesmophoria, inquit, Pyanepsione mense fiebant. Eadem porro Thesmophoria in hiemem incidere testatur Aristophanes Θεσμοφοριαζούσαις. Ergo γεῦ. Certe Pyanepsion post Boëdromionem, & æquinoctium, quo mense & Vergiliæ occidebant, & satio fiebat, & hiems incipiebat, & Thesmophoria celebrabantur. Sed alio nititur tanquam invincibili argumento, quod à Gaza propositum est, ex his Aristotelis verbis de coïtu cervo-

A rum: ἡ δὲ ὀχεία γίνεται μετ᾽ ἀρκτοῦρον περὶ τὸν Βοηδρομιῶνα καὶ Μαιμακτηριῶνα. Inde concludit Mæmacterionem post Arcturi exortum statim incipere. *Frustra enim*, inquit, *subjiceret Mæmacterionem Boëdromioni.* Plumbeum hoc telum. Arcturus oritur undecim diebus ante æquinoctium, ut ait quodam loco Plinius. Alibi pridie Idus Septembris oriri dicit. Aëtius decimo quarto Septembris. Quod idem est. Boëdromione utique mense oriebatur. Ὀχεία cervorum, nostri *ruttum* vocant, per duos ferè menses durat, ut venatores nostrates testantur, & incipit fermè à festo sanctæ Crucis. Notavit itaque Aristoteles mensem, quo incipit illa ὀχεία, & mensem, circa quem desinit. Post

B arcturi exortum eam dicit incipere circa Boëdromionis mensis finem. Cum igitur per duorum mensium spatium ferveat, toto mense Pyanepsione continuatur, & in Mæmacterionis etiam initium extenditur. Quare hæc mens est Aristotelis, ὀχείαν cervorum incipere mense Boëdromione, ac desinere Mæmacterione, ac per totum Pyanepsionem, qui inter eos menses medius est, durare. Nihil verius. Valeat itaque caprimulgus Cercoëtius cum suis nugis. Sationem præcocem, ac festinatam multi, Proclo teste, ab æquinoctio auspicabantur, & ab ipsis Eleusiniis mysteriis. Sollemnis, ac legitima fuit Pyanepsione mense. Quis

C putet tantum interfuisse temporis inter maturam sationem, & ordinariam, ut Mæmacterion inter utramque positus nullius particeps fuerit? Circa Vergiliarum occasum sationem plerique omnes frequentabant, quem mensis Octobris vigesimo multi Græci statuunt, iidemque Thesmophoria, quæ παρὰ τὸν καιρὸν τοῦ σπόρου agitabantur, Pyanepsionis decima sexta celebrari scribunt. Hic est matutinus occasus Vergiliarum, quem Servius pro heliaco ortu accepit apud poëtam, magno errore, sed ex vulgari consuetudine loquendi nato, qua κρύψιν, & ἀφανισμὸν sideris occasum esse interpretabantur. Matutina oritur stella, quæ φανερὴ oritur. Quæ cum sole oritur,

D ea occultatur in ortu suo. Vulgus *occasum* hoc vocabat. Inde Servius mane occidere Vergilias intellexit, quæ cum sole orirentur. Sed heliacum hunc ortum perperam indigetat, cum heliacus occasus potius esset vocandus, hoc est, ἡλιακὸς ἀφανισμός. Reprehendit eos Theophrastus, qui ἀφανισμοὺς ἀντὶ τῶν δύσεων sumebant. Verba ejus hæc sunt ex libello de signis pluviarum: εἰσὶ δὲ δύσεις διτταί. Οἵ τε γὰρ ἀφανισμοὶ, δύσεις εἰσί. Τοῦτο δὲ ἐστιν ὅταν συνδύνῃ τῷ ἡλίῳ τὸ ἄστρον, καὶ ὅταν ἀνατέλλοντι δύνῃ. Quæ vulgo sic vertunt: *est autem occasus duplex. Nam, cum non appa-*

E *rent sidera, dicuntur occidere: id quod fit, quando una cum sole & sideris occasus sequitur, & quando simul sol exoritur, & sidus occidit.* Nihil pote melius contra auctoris mentem. Sed Græca emendanda fuerant, quæ tu sic lege: εἰσὶ δὲ δύσεις διτταὶ, οὔτε γὰρ ἀφανισμοὶ δύσεις εἰσί. Τοῦτο δὲ ἐστιν, &c. Duplicem occasum siderum facit: quando occidunt nimirum cum sole, & quando occidunt sole exoriente. Sic enim omnes astronomi definierunt has διττὰς δύσεις. At ἀφανισμοὶ, inquit, non sunt δύσεις, quum tamen vulgus si-

F derum absconsus etiam occasuum nomine vocet. Quæ stella occidit cum sole, si solem habet nimis vicinum, ἀφανισμὸν patitur, si longius remota est, φανερὴ occidit. Hoc vulgus ortum appellat, quæ est φανέρωσις, vel emersio. Hæc satis suprà. Quid esset ἀκρόνυχος etiam ante exposuimus. Nec enim aliter hanc vocem veteres posuerunt, quam de crepusculo, & prima noctis parte. At vetus auctor, qui ἀκρονυχίαν nominat, tertium motum side-

G rum, tam matutinos quam vespertinos ortus & occasus ea voce videtur comprehendere. Fortasse tamen de stellis tantum errantibus intellexit, quum motus stellarum divisit εἰς προποδισμὸν, ἀναποδισμὸν, & ἀκρονυχίαν. Profecto προποδισμὸν vocat, quum stellæ progressum faciunt, & recto cursu pergunt: ἀναποδισμὸν, quum retro gradiuntur, & repedant. Vitruvius *progredi*, ac *regredi* dixit, προποδίζειν, καὶ ἀναποδίζειν lib. IX. cap. IV. *Eadem ratione solis impetus vehemens radiis trigoni forma porrectis, insequentes stellas ad se perducit, & antecurrentes veluti refrenando*

retinendoque non patitur progredi, sed ad se cogit regredi. Servius: *sed quinque planetæ & contra mundum feruntur, & cum mundo, quando retrogradi sunt,* ὅταν ἀναποδίζωσι. Plinius hoc explicat lib. II. cap. XV. & XVI: & eamdem rationem reddit τοῦ προποδισμοῦ, & ἀναποδισμοῦ planetarum cum Vitruvio: *percussæ in qua diximus parte, & triangulo solis radio inhibentur rectum agere cursum, & ignea vi levantur in sublime. Hoc non protinus intelligi potest visu nostro, ideoque existimantur stare, unde & nomen accepit statio. Progreditur deinde ejusdem radii violentia, & retroire cogit vapor repercussus*, hoc est, ἀναποδίζειν. At rectum agunt cursum, quæ προποδίζουσι. Ut lunæ cursus, sic etiam errantis cujusque quatuor ætates constituerunt, primam ab exortu matutino ad primam stationem, quam & matutinam dixere. Secundam ætatem ab matutina statione usque ad exortum vespertinum, quem Græci vocant ἀκρόνυχον, cum in adverso, ac diametro solis aspectu stella exortum facit vespertinum, sole nimirum occidente. Tertia ætas earum ponitur ab exortu vespertino ad stationem vespertinam. Quarta denique ab statione vespertina ad vespertinum occasum. Plinius cap. XV. *Exoriuntur vero matutino discedentes partibus nunquam amplius undenis: postea radiorum ejus contactu reguntur, & in triquetro à partibus centum viginti stationes matutinas faciunt, quæ primæ vocantur: mox in adverso à partibus centum octoginta exortus vespertinos. Iterumque in centum viginti ab alio latere adpropinquantes, stationes vespertinas quas & secundas vocant, donec assequutus in partibus duodenis occultet illas, qui vespertini occasus appellantur.* Ita legendus ille locus. *Postea contactu ejus reguntur.* Nec enim teguntur sole stellæ, aut occultantur, quæ diastemate trigoni adspectus à sole distant, hoc est, partibus centum viginti, sed reguntur, dum insequentes ad se perducit, & antecurrentes regredi cogit. Ita Plinius de tribus erraticis, quæ supra solis iter circinationes suas peragunt. De Veneris, ac Mercurii stella res aliter se habebat. Quod cap. XVII late explicat, & sic incipit: *primum igitur dicatur, cum sint diversæ stellæ, cur Veneris stella nunquam longius quadraginta quinque partibus, Mercurius viginti tribus a sole abscedant, sæpe citra eas ad solem reciprocent.* Hæc sunt corruptissima. Quo enim illa spectant, *cum sint diversæ stellæ?* In optimo Rigaltiano scriptum est: *primum igitur dicatur, cum sint universæ stellæ, nunquam longius.* Qui *Veneris stellam* heic deesse viderunt, eam ex ingenio addiderunt. At verba illa, *cum sint universæ stellæ*, quia mendosa, ut revera sunt, putabant, ita correxerunt, *cum sint diversæ stellæ.* Atqui sub illis corruptis id latebat, quod de suo perperam addiderunt. Sic igitur corrigendum: *primum igitur dicatur, cur Veneris stella nunquam longius* XLV *partibus, Mercurius viginti tribus à sole abscedant.* Pro *Veneris stella* scriptum fuit, *Veneris Estella.* Unde fecerunt *universa stella*, deinde *universæ stellæ.* Paulo post iidem libri veteres legunt: *partibus* XXXVI. *Mercurius viginti.* Cleomedes Mercurium viginti tantum partibus cum plurimum à sole abscedere dicit, sed Venerem quinquaginta: τοῦ δὲ ἡλίου Ἑρμῆς καὶ Ἀφροδίτη πᾶν διάστημα οὐκ ἀφίστανται, ἀλλ᾽ ὁ μὲν στίλβων τὰς πλείστας μοίρας κ', ὁ δὲ φωσφόρος τὰς πλείστας ν'. Sequitur: τρεῖς δ᾽ οἱ ἄλλοι πᾶν διάστημα ἀφίστανται αὐτοῦ παραπλησίως τῇ σελήνῃ. Stella à sole κατὰ πᾶν διάστημα dicitur abscedere, quæ intervallis ab eodem distat his omnibus, κατὰ τρίγωνον, qui fit à centum viginti partibus: κατὰ τετράγωνον, à nonaginta partibus: κατ᾽ ἑξάγωνον, à sexaginta, & κατὰ διάμετρον vel ἐξ ἐναντίας à centum sexaginta. Cum igitur Veneris stella nunquam longius quinquaginta partibus, Mercurius viginti à sole abscedant, nullo ex supradictis aspectibus ab sole possunt affici, quorum minimus est, qui κατ᾽ ἑξάγωνον mittitur, & sexaginta partibus distat. Luna, ut tres solæ superiores stellæ κατὰ πᾶν διάστημα, καὶ σχῆμα à sole absistit. Ut ad *lunares motus* Solini nostri tandem post longam periodum revertamur, plures esse lunæ motus nemo ignorat. Cleomedes ex Beroso Chaldæo notat, unum dici κατὰ μῆκος, quo movetur cum mundo. Sol quoque κατὰ μῆκος hunc eumdem facit motum. Alter est, quo movetur κατὰ πλάτος, καὶ ὕψος, καὶ ταπείνωμα, ut & reliquæ erraticæ. Præter hos motus peculiaris ille fuit, quem Chaldæi eodem Beroso auctore ei attribuunt, qui eam circa centrum suum etiam moveri ajebant. Hæc erat κίνησις, καθ᾽ ἣν στρεφομένην αὐτὴν ὑπελάμβανον, καὶ ἄλλοτε ἄλλα μέρη αὐτῆς στρέφουσαν πρὸς ἡμᾶς αὔξεσθαι καὶ μειοῦσθαι. Pilam quippe lunam esse censebant, parte fulgidam, parte obscuram, ἡμίπυρον. Eam igitur circa centrum suum verti necesse habere, ut faciem suam variet. Hinc augmenta ejus, & decrementa, ceterosque σχηματισμοὺς alios, atque alios subinde fieri. Ex hac Chaldæorum opinione est, quod scripsit Apulejus libro de Deo Socratis: *sive illa proprio, seu perpeti candore, ut Chaldæi arbitrantur, parte luminis compos, parte altera cassa fulgoris, pro circumversione oris discoloris multijuga pollens speciem sui variat.* Ubi illud *pollens* non rectum censeo. Legerim itaque: *pollæ speciem suæ variat.* Σφαῖραν esse lunam inter omnes constitit. *Pollam* veteres vocarunt pilam. Hinc apud Festum: *Pollit, pila ludit.* Sic scriptum in antiquissimo codice. Inde *pollio* ὁ σφαιρορράφος. Ita enim exponunt nostræ glossæ veteres. Et *polla* pro pila ex Græco πάλλα, quod Æoles πάλλα. Hesychius: Πάλλα, σφαῖρα ἐκ ποικίλων νημάτων πεποιημένη. Insignite aptum huic opinioni Chaldæorum de lunę φωτισμῷ, qui ἡμίπυρον σφαῖραν esse credebant. Lucretius:

Inde minutatim retro contorquet, & aufert
Luciferam partem glomeraminis, atque pilai
Ut Babylonica Chaldæûm doctrina fatetur.

Sic multijuga polla pro circumversione oris discoloris speciem sui variat. Ita enim legi potest. Hunc ejus motum Græci astronomi non agnoverunt, τὸν περὶ τὸ αὐτῆς κέντρον. Græci ἑλικοειδῆ eum motum vocarunt, quo obliquo incedit cursu per latitudinem zodiaci, modo ad aquilonem ascendens, modo ad austrum descendens, ac mediam lineam, per quam sol vehitur, nunc acutis, nunc obtusis angulis secans. Martiani Capellæ locus egregius de his lunæ motibus ita legendus est: *Verum eadem luna cum secans solarem lineam in aquilonem scandit, vocatur* ὕψος ὑψουμένη: *Cum ab aquilone ad solarem lineam redit, dicitur* ὕψος ταπεινουμένη: *cum a solari linea in austrum descendit,* ταπείνωμα ταπεινουμένη: *cum deinde rediens ad solem resurgit,* ταπείνωμα ὑψουμένη. Plinius *degredi* ea dicit, quæ ab altitudine descendunt, pro quo multis locis *digredi* perperam editum est cap. XVII. lib. II. Nam aliud degredi, aliud *digredi.* Emendandus etiam insignis ejusdem Martiani locus de lunæ synodo cum sole, qui vulgo corruptissimus est. Sic igitur lege: *Unde si ab aquilone rediens ad solem, in latere proximo posita, non obsistit,* παράλλαξιν ἐν συνόδῳ *facere perhibetur: Quæ si à latere septentrionis transcurrens coit, nec obsistit,* παράλλαξιν ἐν βορείῳ συνόδῳ *facere memoratur: Si ab austro veniens, nec obsistens lumen acceperit,* παράλλαξιν ἐν συνόδῳ νοτίῳ *fecisse dicitur: si autem ad circulum solarem veniens ab austro obstiterit soli,* ἀναβιβάζοντα σύνδεσμον *fecisse dicitur.* Perperam editur παραλληλιζομένην σύνοδον. Propius veritati veteres editiones παραμαξάνην. Luna in coïtu est, quum ejusdem signi partes easdem tenet, quas sol obtinet. At παράλλαξιν facere dicitur in synodo, quum partem illam, in qua sol est, transierit. Hesychius: παράλλαξαι, διάβηθι, πάρελθε. Παραλλάξας, παρελθών. Theon in Aratum: ἔπειτα συνοδική, ἡνίκα ἐν τῷ αὐτῷ ζῳδίῳ τὰς αὐτὰς μοίρας ἔχει. Ἐπειδὰν δὲ τὴν ἰσομοιρίαν παραλλάξῃ, τότε πάλιν γυνᾶν φαμέν. His explicatis de siderum, ac lunæ motibus, restat quærendum quos *lunares motus* intellexerit Solinus, quum eos glossopetra lapide excitari dixit. Ita quidem loquutus est ipse supra de Nili incrementis: *nonnulli affirmant, fontem ejus, qui Phiala vocatur, siderum motibus excitari, extractumque radiis candentibus cælesti igne suspendi, non tamen sine certa legis disciplina, hoc est, lunis captantibus.* Ubi vides fontem Nili juxta Solinum *siderum motibus excitari*, qui à canis ortu sole transitum faciente in leonem, & nova luna crescente juxta Plinium intumescit. *Lunares* igitur *motus* heic pariter dixerit de variis lunæ crescentis, ac decrescentis σχηματισμοῖς. Sed quærendum adhuc superest, quo sensu glossopetra lapis *motus* illos *lunares excitare* dicatur. Alio loco dixit solem, cum ingreditur leonem, ortus sirios excitare: *postmodum triginta*

ginta ejus partibus evolutis, ubi ingressus leonem ortus sirios excitaverit, propulso omni fluore, tantam vim amnis erumpere. Quia sole leonem ingrediente exoritur sirius, ideo dicit ortus sirios excitari per introitum solis in leonem. Atqui sol nihil confert, quo citius exoriatur sirius, sed ita loqui placuit Solino. An & heîc similiter loquutum esse putabimus? Sed verior fortasse illius loci lectio, quam ibi conjiciebamus: *ubi ingressum leonem ortus sirius excitaverit.* Nam sirii ortus excitat, & accendit calores solis. Glossopetra cælo cadit deficiente luna. An ideo dixerit glossopetram *lunares motus excitare*, quæ per illum lunarem motum cælo decidit? Sed nihil ipse lapis affert, quare citius luna deficiat. Immo & contra est. Nam defectus lunæ in causa est, ut ille lapis de cœlo in terras cadat. Sed Solinum cogitantibus nihil mirum videbitur, qui *deficientibus lunis* dixit, quod Plinius *luna deficiente.* Per *deficientes lunas* non τ̀ ἔκλειψιν σελήνης videtur intellexisse, quæ fit, quum terra lunæ à sole obstat, sed de eo luminis lunaris defectu, qui singulis mensibus accidit in coïtu solis, quum ad idem scilicet signum æquis partibus luna soli concurrit, & splendorem penitus amittit. Ideo dixit *deficientibus lunis*, quia in singulos menses sic deficit. Sic *lunis crescentibus*, *lunis novis* passim apud auctores. Horatius:

Novæque pergunt interire lunæ.

Quæ novantur singulis mensibus. Ut *deficientes*, quæ deficiunt. Idcirco & *lunares motus* hos appellavit, quos excitat glossopetra, quæ deficientibus lunis cælo decidit. Nam & exortus lunæ novæ, & reliqua omnia ejus σχήματα usque ad alterum exortum, lunares motus sunt. Inter quos & σελλώης σύνοδος numerari debet, quem *lunarum deficientium* nomine noster intellexit grammaticus. Si quis de lunæ defectu malit exponere, non pugnavero. Nam & motibus lunaribus defectus hic ejus adnumerari potest. Nunc alia via experiamur, ecquid possimus eruere veriorem aliquem, saltem minus ineptum Solinianæ mentis conceptum. Plinius scribit lib. II. cap. XCIX lunam existimari spirituum sidus. Sic enim apud eum eo loco legendum: *quo vera conjectatio existit haud frustra spirituum sidus lunam existimari. Hoc est, quod terras saturet, accendensque corpora impleat, abscedens inaniat.* Minus rectum quod vulgatur: *spiritum sidus lunæ existimari.* Alii ex suis libris citant: *Spiritosum sidus lunam existimari.* Ideo & æstuum maris causam illi sideri assignant. Ventos ex ea manare quosdam etiam tradidisse constat ex luculento Plinii loco de ventorum origine, quem, ut scribi debet, ex veteribus libris heîc totum adscribam: *illos status ac semper spirantes, quos non tractus aliquis, verum terræ sentiunt: qui non aura, non procella, sed mares appellatione quoque ipsa venti sunt: qui sive assiduo mundi incitu, & contrario siderum occursu nascuntur; sive hic est ille genitabilis rerum naturæ spiritus, huc illucque tanquam in utero aliquo vagus, sive disparili errantium siderum ictu radiorumque multiformi jactu flagellatus aer, sive à suis sideribus exeunt his propioribus, sive ab illis cælo affixis cadunt, palam est illos quoque legem habere naturæ non ignotam, etiamsi nondum percognitam.* Statos illos, ac semper spirantes ventos, qui & appellatione ipsa quoque mares sunt, quibuscunque de causis nascuntur, palam est illos legem habere, quæ naturæ ignota non est, licet hominibus nondum sit percognita. Sic enim legendum. Nam male editur: *palam est illud legem naturæ habere non ignotam.* Multa alia emendavimus, quæ ex comparatione deprehendes. Inter propiora hæc sidera, ex quibus exire ventos existimarunt quidam, luna præcipua est, quam *novissimum sidus & terris familiarissimum* idem alibi Plinius appellat. Hæc est & *spirituum sidus*, τῶν ἀνέμων ἢ τ̀ πνευμάτων. Nam & venti *spiritus* Latinis. Hinc ergo *lunares motus* hoc loco Solinus vocavit, quos Plinius *ventos.* Venti quoque motus sunt, eosque sic vocitat Apulejus in libro de mundo: *Horum motuum tam varia sunt nomina quam diversi esse videntur*, id est, horum ventorum, vel spirituum, ut paulo ante vocavit. Lunares hi motus, quia è luna, tanquam sua causa, exeunt ac manant. Plinius glossopetræ hanc potestatem promitti ait, qua venti comprimuntur. Solinus qua motus lunares excitantur. Contrariæ istæ plane sunt virtutes. Sed hoc in Solino, nec novum, nec mirum, qui de industria toties

A abit diversus à Plinio, & auctori suo contraria asserit. Quod glossopetram inter lapides Persidis recenset, quo jure id faciat, nescio, nec quo auctore, non sane Plinio. Idem de dionysiade, de chalazia, de pyrite dici queat. Quos omnes lapides in Perside nasci tradit, cum nihil Plinius de eorum patria prodiderit. Unde igitur eam hausit Solinus, qui cetera habet à Plinio? Ab ingenio, & fingendi libidine, ut auctores alios sequutus videretur quàm Plinium.

Pag. 48. G. *Solis gemma percandida est*] Percandidam esse dicit ad speciem fulgidi sideris, & rutilos ex sese jacere radios. B Atqui sol non est candidus, nec ideo solis gemma dicta, quod sit candida, sed *quod in orbem fulgentes spargat radios ad instar sideris.* Ita Plinius. Isidorus ex eo: *Solis gemma candida est, traxitque nomen, quod ad solis speciem in orbem fulgentes spargit radios.* Alias multæ aliæ gemmæ candidæ. Sed jurasse videtur noster conceptis verbis nihil à Plinio se mutuaturum, cum omnia sumeret, nisi immutatum. Mithrax, vel mithridax solis gemma dici queat, nam μίθρας sol, sed illa multicolor, non candida, & contra solem varie refulget. *Asteria* quoque hoc nomine posset gaudere, quæ & candida est, & contra solem radios regerens. Unde & nomen Plinio teste invenit. C *Proxima*, inquit, *candicantium est asteria principatum habens proprietate naturæ, quod inclusam lucem pupillæ modo quodam continet, ac transfundit cum inclinatione, velut intus ambulantem ex alio atque alio loco reddens, eademque contraria soli regerens candicantes radios, unde & nomen invenit, difficilis ad cælandum.* Ergo & hæc gemma solis proprie dicenda, si ἀςὴρ κατ᾽ ἐξοχὴν pro sole sumatur, & *asteria* quasi sideris, hoc est, solis gemma. Sed ἀςὴρ de sole nusquam apud Græcos sumitur, & à stella nomen invenit asteria, non à sole. Et postrema illa verba apud Plinium in quibusdam codicibus non habentur. Quæ si Plinii sunt, ut etiam ea Isidorus agnoscit, ipse D erravit. *Asterios* legunt ex veteri codice & Dionysio, sed falluntur. Nam index manuscriptus libri Rigaltiani vetustissimi *asteria* legit hoc modo: *Asteria, astrion, astryotes, astrolon.* Subintelligitur *gemma.* Ut *alectorius lapis*, *alectoria gemma.* Sic *asterius* lapis, ὁ ἀςέριος, *asteria* gemma. Hoc ubique Plinius diligenter observat. *Selenites* lapis ὁ σεληνίτης: *selenitis* gemma, ἡ σεληνῖτις. Quod in libris ejus passim corruptum est. De asterio lapide, vel gemma asteria sic canit Dionysius:

Ἔνθα μελισσοβότοιο κατὰ σκοπιὰς Παλλήνης
Φύεται ἀςέριος καλὸς λίθος, οἷά τις ἀςὴρ
Μαρμαίρων, λυχνίς τε πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὁμοίη.

E Non dicit asterium à sole dici, quod candicantes radios soli regerat, sed quod instar stellæ alicujus splendeat. Nasci eam prodit in montibus Pallenes. Hoc Plinius de *astrio* scribit, non de asteria: *Similiter candida est, quæ vocatur astrion, crystallo propinqua in India nascens, & in Pallenes littoribus, intus à centro ceu stella lucet fulgore lunæ plenæ.* Ita legendum, non *astrios.* Nam ita vetus liber cum indice, *asteria*, *astrion.* Et dicta ἀςέριον, quasi parvum ἄςρον, vel parvus ἀςήρ. Nam Attici ἀςέρας dicebant τοὺς ἀςέρας. Hesychius: Ἄςερα· Ἀττικοὶ τοὺς ἀςέρας. Hæc nominum vicinitas & similitudo ἀςρίου & ἀςερίου fecit, ut alter pro altero sumeretur. F Sed hallucinatur vir impense doctus, qui ἀςέριον λίθον, & λυχνίδα pro eodem lapide accipiendum docet apud Dionysium, quasi explicationis causa addiderit, λυχνίς τε πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὁμοίη, indicans nimirum ἀςέριον esse λυχνίδα. Quod ratione caret. Diversi lapides asterius, & lychnites, qui λυχνὶς Dionysii. Inter candicantes asterius, ex ardentibus lychnites. Clarè utrumque lapidem distinxit Avienus in eo loco reddendo ad hunc modum:

---- *heic mellifluis Pallena sub antris*
Lychnitis rutilæ flammas alit, heic & jaspis
G *Fulva micat stellis, quantum convexa per æthra*
Ignea perpetuis ardescunt sidera flammis.

Ubi ἀςέριον λίθον de jaspide fulva, & stellis sparsa, vel stellata accepit, quia apud Virgilium legit:

---- *olli stellatus jaspide fulva*
Ensis erat.

De quo paulo post dicam. Priscianus etiam lychniten ab asterio separat his verbis, quibus Dionysii versus illos vertit:

Nascitur heic scopulis Pallenæ gemma refulgens,
Asterium perhibent: stellis certare putatur.
Et flammæ similis splendenti lumine lychnis.

Sed nec minus Eustathius lychniten, & asterion in notis suis ad eum locum diversos lapides facit: ἀστέριος καλὸς λίθος μαρμαίρων οἷά τις ἀστὴρ, καὶ λυχνὶς πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὁμοία, διὸ καὶ λυχνίτης ὁ λίθος λέγεται. Οἱ δὲ σεληνίτην καλοῦσι τὸν τοιοῦτον λίθον, ἐπειδὴ συμπαθῶς φασὶν ἔχει πρὸς τὴν σελήνην. Falsum tamen est, quod ille quasi ex alio auctore observat, *lychniten* à quibusdam appellari σεληνίτην. Video tamen quid auctores illos moverit, ut ita sentirent. *Astrion* gemmam quidam σεληνίτην etiam videntur vocasse, quod fulgore luceat lunæ plenæ. Inde & αὐξοσέληνον nonnulli vocarunt, non quod augeatur, aut decrescat cum illo sidere, sed quod instar plenæ lunæ luceat. Nam αὐξοσέληνον est plena luna, ut πληροσέληνον. Inter astrii porro genera & unum est lucernarum flammis simile omnium pessimum. Plinius de astrio: *quidam causam nominis reddunt, quod astris opposita fulgorem rapiat, ac regerat: optimam in Carmania gigni, nullique obnoxiam vitio: Ceraunium enim vocari, quæ sit deterior: pessima vero lucernarum lumini similis est.* Quæ ex astrii generibus lucernarum lumini similis est, λυχνὶς, vel λυχνίτης etiam dici possit, quam & cum selenite eamdem facere potuere quidam, quia & astrion multi σεληνίτην dixere, quod veluti plena luna luceat. Ut porro alii etiam τὸν ἀστέριον καὶ τὸ ἄστριον confudere, de una eademque gemma dixisse Dionysium possemus interpretari legendo ut in quibusdam veteribus codicibus reperi:

---- ἀστέριος καλὸς λίθος οἷά τις ἀστὴρ
Μαρμαίρων λυχνῆς τε φλογὸς περὶ πάμπαν ὁμοῖος.

Ut λυχνὴν φλόγα dixerit poëtice lucernarum flammam, dicatque asteriam gemmam ceu stellam lucere, & flammam evomere lucernæ lumini similem. Hic esset astrion Plinii, quod in littoribus Pallenes nascitur, & lucernarum flammis simile est. Sed rectius videtur, ut de diversis gemmis exponamus. Lychnitis gemma sic proprie dicta ex rubentibus est & ignitis, nec quicquam habet commune cum astrio, quæ candida est, licet in eo genere reperiantur quædam, quæ lucernarum lumini similes existant. Quod ad nomen ἀστέριον pertinet, non respondet tralaticia ejus notio proprietati, vel faciei, quam vulgo veteres huic gemmæ tribuunt. Ἀστέριον λίθον Dionysius dictum prodit, quod οἷά τις ἀστὴρ μαρμαίρει. Plinius, quod ad instar fulgidi sideris, id est, solis candidos ex se radios jaciat. Atqui ἀστέριον Græci vocant, non quod speciem sideris, aut stellæ habet, sed quod multis veluti stellis sparsum est, quod & ἀστερωπὸν dicunt. Hesychius: ἀστερωπὸς, κατάστικτος. In phalangiorum genere ἀστέριον dicitur διὰ τὸ ποικίλον. In ardeolarum, ἀστερίας similiter appellatur à plumarum varietate: inter pisces, qui γαλεοὶ vocantur, unum genus est, quod ἀστερίας vocatur. Aristoteli γαλεὸς ἀστερίας, & apud Athenæum. Hic est, quem ποικίλον alibi idem Aristoteles appellavit in generibus galeorum enumerandis. Athenæus: Ἀριστοτέλης δὲ εἴδη αὐτῶν φησὶν εἶναι πλείω, ἀκανθίαν, λεῖον, ποικίλον, σκύμνον, ἀλωπεκίαν. Ubi ποικίλον vocat, quem alibi ἀστερίαν. Stephanus in versu quodam Philyllii comici γαλεὸν ἀστερίαν non de pisce, sed de ascalabote accipit. Γαλεὸς δὲ, inquit, ὁ ἀσκαλαβώτης. Φιλύλλιος· Αὐγῆ ὁ πάππος ἦν μοι γαλεὸς ἀστερίας. Addit: Ἴσως διὰ τὸ πεποίκιλται παίζων. Male legitur: ἴσως διαπεποίκιλται παίζων. Nescio quis ille dicit avum sibi fuisse γαλεὸν ἀστερίαν, hoc est, notis compunctum, & stigmatiam flagritribam. Et servus, ut apparet, ista loquebatur apud Philyllium. Stephanus ibi γαλεὸν ascalaboten interpretatur, qui stellatus est & notis variatus. Sic salamandram *animal stellatum* Plinius dixit à stellis, vel maculis. Inde & *stellio* Latinis, quod ad verbum ex Græco venit ἀστερίας. Sic γαλεὸς ἀστερίας est stellio notis variatus. Ovidius de ascalabo:

---- *variis stellatus corpora guttis.*

In Sicilia genus olim vatum fuit, qui *galeotæ*, & *galei* dicebantur. Cicero in libro de Divinatione *galeotas* eos vocat, alii *galeos*. Archippus in piscibus:

Τί λέγεις σὺ μάντις, εἰσὶ γὰρ θαλάσσιοι
Γαλεοί γε πάντων μάντεων σοφώτατοι.

Hesychius: γαλεοὶ μάντεις οὗτοι κατὰ τὴν Σικελίαν. Sic stellio & γαλεὸς Græcis, & γαλεώτης dictus. Quare γαλεὸς ἀ-
A στερίας in Philyllii versu tam de stellione, quam de pisce potest exponi. Nam uterque ἀστερίας & ποικίλος. Hesychius: ἀσκάλαβος γαλεός. Menander de lentiginoso eunucho dixerat:

---- οὗτος ἐστὶ γαλεώτης γέρων.

Quem locum Menandri quum Terentius vellet exprimere, sic reddidit:

Hic est vetus, vietus, veternosus, senex
Colore mustelino.

Olim à veteribus criticis eo nomine reprehensus est, quod γαλεώτην ἀντὶ τῆς γαλῆς accepisset, & sic mustelam
B pro stellione posuisset. Et recte sane reprehenderunt. Nec eos cum Donato sequor, qui Terentium scientem asserunt colore mustelino dixisse coloratum veluti sublivido. Nec enim sana est similitudo pili colorem ad faciem hominis transferre, quæ pilis caret. Nam γαλεώτης γέρων Menandro dicitur eunuchus recte, qui faciem lentiginibus maculosam habet, ut stellio corium. Ab illis stellionis lentiginibus multi olim nomina, aut cognomina indita habuere. *Colotes* pictor apud Plinium inde nominatus, & Κωλώτης Epicureus adversus quem extat Plutarchi liber. Κωλώτης Græcis, & γαλεώτης, & ἀσκαλαβώτης idem. Turnebus ex recen-
C tioribus criticis Terentium ita defendere, & excusare instituit, quasi γαλεώτης non tantum stellionem Græcis significet, sed etiam mustelam, & proinde recte *senem mustelino colore* verterit, τὸν γαλεώτην γέροντα. Hoc nihil est. Nam certe constat apud Græcum comicum γαλεώτην de stellione, non de mustela debere accipi, & plerosque eunuchos lentiginosos esse, unde & γαλεώτης γέρων à lentiginibus faciei dictus ille eunuchus Menandro. Præterea falsum est, γαλεώτην, aut ἀσκαλαβώτην Græcis etiam mustelam significare, quamvis id Hesychius tradiderit. Sed nec id tradit Hesychius, & verba
D ejus male capit Turnebus. Γαλεώτης, inquit, ὁ ἀσκαλαβώτης, καὶ ἰχθὺς, καὶ ζῶον χερσαῖον. Piscem ait significare, & animal terrestre. Certe stellio animal est terrestre, ut & lacerta, cui similis est. At γαλεώτης etiam piscem designat, hoc est, γαλεόν. Nam ut stellio etiam γαλεὸς, & γαλεώτης appellatur, ita & piscis γαλεὸς etiam γαλεώτης vocatur. Scibit idem Hesychius alibi: Κωλώτης ἀσκαλαβώτης, ἔλεγον δὲ αὐτὸν καὶ γαλεώτην. Δοκεῖ δὲ αὐτὸς εὐστόχως ἅλλεσθαι περὶ τὰς μυίας. Censeret heic aliquis legendum esse περὶ τοὺς μύας, & de mustela domestica capiendum, quæ & mures venatur. Sed de stellione intel-
E ligit, qui & muscas, & araneos venatur. Quod vero idem Turnebus contendit versum Aristophanis de mustela, vel fele interpretandum, non de stellione, toto cælo errat. Versus hic est ex Nubibus:

Ἤσθην γαλεώτῃ καταχέσαντι Σωκράτους.

Nam quem hic γαλεώτην, tribus aut quatuor versibus ante vocavit ἀσκαλαβώτην:

Πρώην δέ γε γνώμην μεγάλην ἀφῃρέθη
Ὑπ' ἀσκαλαβώτου.

Demus Græcos γαλεώτην etiam appellitasse τὴν γαλῆν, hoc est, mustelam, certe ἀσκαλαβώτην de stellione tantum dixere. Nec mirum videri debet, si γαλεώτης, hoc
F est, stellio Socratem coinquinavit stercore dejecto ἀπὸ τῆς ὀροφῆς, à tecto domus, sive camera. Ibi enim ut plurimum apud Græcos cubilia sua habet stellio. Plinius de stellione: *observant cubile ejus æstatibus, est autem in locis ostiorum, fenestrarumque, aut cameris sepulcrisve.* Ascalaboten porro, galeotenque Græcorum diversum esse ab stellione Latino idem affirmat lib. XXIX. cap. v, his verbis: *hunc Græci coloten vocant, & ascalaboten, & galeoten. In Italia non nascitur. Est enim hic plenus lentigine stridoris acerbi, & vescitur, quæ omnia à nostris stellionibus aliena sunt.* Hunc ascalaboten Græcorum *stellionem transmarinum* appellavit, ut ab Italico distingue-
G ret. Sed mirum, quod ait lentigines esse alienas ab Italico, quæ in Græco sunt stellione. Unde igitur *stellio* Latinus nisi à guttis, & maculis, quibus pictus, stellatusque est? Ovidius:

---- *aptumque colori*
Nomen habet variis stellatus corpora guttis.

Is est stellio. Sed de Græco loquitur. Nam fabula illa Græca est. Græci ascalaboten suum ἀστερίαν, vel ἀστερίωνα dixere à maculis, quibus stellatus est. Inde & Latini *stellionem*, qui & suum sic vocaverunt à similitudine illius

lius stellati, quamvis his maculis à lentigine careret. *Et vescitur, quæ omnia à nostris stellionibus aliena sunt.* In libro veteri legitur: *& vescitur omnia, quæ à nostris stellionibus aliena sunt.* Quæ lectio verior videtur. De stellione alibi scribit chamæleonum naturam quodammodo *habere, rore tantum viventes, præterque araneis.* Quod de stellione Italico accipiendum est. Præter rorem, quo victitat, etiam araneos vescitur. At Græcus ascalabotes omnia vescitur. Sic Solino *carnes vesci*: ne quis de loquutione miretur. Nec mirum porro, si ascalabotes, qui omnia vescitur, stercore suo Socratem conspurcat apud Aristophanem. Præterea innocui Græci ascalabotæ, Latinorum stellionum morsus venenatus, ut Aristoteles tradit. Inde & stellionem Verrius dictum putabat, quod virus stillet. Sane ex Plinio constat stelliones in Italia varium tergus non habere. Atque hæc obiter. Asteria igitur gemma ex nominis proprietate eam potius significaret, quæ variis guttis stellata est, quæ instar stellæ luceat, ut ἀστέλιον φαλάγγιον, ἀστελίας ἱέραξ, ἀστελίας ἀσκαλαβώτης, & ἀστελίας γαλεός. Multæ autem gemmæ aureis guttis stellatæ. Plinius de Ponticis: *Ponticarum plura sunt genera: est stellata nunc candidis, nunc aureis guttis.* Hæc etiam ἀστέλιος dici posset. Ita & de aliis quamplurimis. *Acopis nitro similis est, aureis guttis stellata.* Quæ vero gemmarum, aut lapidum ad speciem sideris, aut stellæ relucent, eæ non nomine paragogico *asteriæ*, sed simplici, ac recto ἀστέρες, aut ἄστρα dicuntur. Ut ἄστριον lapis instar plenæ lunæ refulgens, parvum astrum. *Aster Samius*, genus terræ candidissimæ. Ita & in floribus ἀστὴρ Ἀττικὸς dictus, quod habeat φύλλα ἀστέρι ὅμοια. Profecto ἀστέλιον λίθον apud Dionysium Avienus non stellæ similiter resplendentem, sed *stellatum* interpretatus est. Atque ita ratio nominis planè postulat.

> ---- *heic & jaspis*
> *Fulva micat stellis.*

Sic ἀστέλιον λίθον accepit multis stellis micantem. Ita & sandastrum gemmam Plinius memorat stellarum Hyadum numero, ac dispositione stellatam, quæ intus habebat aureas guttas stellantes in tralucido. Sed cur ἀστέριον λίθον, hoc est, stellatam gemmam de jaspide potissimum exposuit? Nec enim inter aspidum species ulla est stellata, aut guttis stellantibus aspersa. Ex Virgilio id sumpsit, qui de ense Æneæ scribit:

> ---- *olli stellatus jaspide fulva*
> *Ensis erat.*

Hinc Avienus existimavit jaspidem fulvam stellatam esse, ac multis stellis micare, quia in vagina ensis posita stellatam eam redderet, ac proinde ἀστέλιον λίθον, hoc est, *stellatum lapidem* de jaspide fulva reddidit. Quod multis modis est ridiculum. Ita nimirum videtur versum Virgilii intellexisse, quasi de unica tantum jaspide insignitum capulum, aut vaginam ensis Æneæ diceret. Si unica jaspis stellatum aliquid efficit, oportet eam multis stellis & stellantibus guttis aspersam esse. Atqui pluribus jaspidibus ensem illum interstinctum fuisse accipi par est, non una tantum jaspide. Juvenalis:

> ---- *à digitis gemmas ad pocula transfert*
> *Ucalegon, quas in vaginæ fronte solebat*
> *Ponere, zelotypo juvenis prælatus Jarbæ.*

Singulæ gemmæ totidem stellæ sunt, quia instar stellarum splendent. Hinc *stellantes gemmas* dixit Ovidius. Eædem & ignes. Manilius:

> *Gemmarumque illi radiantes lucibus ignes.*

Unde & *igniculare pocula gemmis* Solino infrà de poculis gemmatis. Ita & gemmatum jaspidibus ensis capulum, *jaspide stellatum* Virgilius dixit, in quo jaspides plures, velut stellæ, fulgebant. Igitur *stellatus jaspide ensis* pro jaspidibus. Sic Juvenalis:

> ---- *& inæquales beryllo*
> *Virro tenet phialas.*

Sic legendum, non *beryllos*. Intelligit beryllis asperas & gemmatas. Ut *jaspidibus stellatus ensis* Virgilio, ita *calceoli gemmarum stellati coloribus* Gajo Memmio de triumpho Luculli apud Servium. Non unæ gemmæ, sed plures in capulis, & vaginis ensium includebantur. Tertulliannus de habitu feminarum: *Gem-*

A *marum quoque nobilitatem vidimus Romæ de fastidio Parthorum gentilium suorum coram matronis erubescentum, nisi quod nec ad ostentationem ferè habentur. Latent in circulis smaragdi, & cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu novit, & in peronibus uniones emergere de luto cupiunt. Nihil denique tam gemmatum habent, quam quod gemmatum esse non debet.* Ita legendus ille locus ex vetustissimo libro, qui Agobardi fuit, ut sibi adstruam. Aliud porro *stellari*, aliud *stellare*, quæ perperam confundit ad Symmachum vir optimus atque eruditissimus. *Stellare* dicuntur, quæ ad instar stellæ fulgent, ac radiant. *Stellari* quæ punctis, aut guttis lucentibus veluti stellis variantur.
B Symmachus: *verborum stellatur auro.* Sic *aureis guttis stellatæ gemmæ*, & alia, quæ suprà notavimus. Male autem fecit Avienus, qui ex perperam intellecto poëtæ versu jaspidem stellatam, stellisque micantem finxit. Etiam si aliqua esset jaspis hoc modo stellata, non tamen inde sequeretur ἀστέλιον λίθον Dionysii esse jaspidem, quum tam multæ aliæ gemmæ reperiantur stellatæ, & ἀστέλιοι. Adde quod *asteria* gemma, ut eam veteres describunt, nullas habet stellas, licet nomen ejus hanc significationem habere videatur. Sed verum est, quod heic asseram. Lapidis
C hujus nomen non est ἀστέλιος adjectivum, sed τὸ ἀστέλιον ὑποκοριστικὸν, quod parvum ἀστέρα significat. Sic florem ἀστέρα auctor vetus synonymorum & ἀστερίσκον, & ἀστέλιον vocatum esse dicit, quod idem est. Hinc recentiores Græculi, qui omnia ferè nomina diminutionibus enuntiant, στέλιον dicunt pro ἀστέλιον, hoc est, stellam. Hinc ἀστέλιον lapis à fulgore stellæ, ut ἄστριον. Hinc ἀστέριον, & ἄστριον quidam ex veteribus confuderunt. Pro ἀστέριον dictus quibusdam & poëtis præcipuè ἀστέριος λίθος, ut multa adjectiva formant ex substantivis, absque ulla παραγωγῇ. Alias ἀστέριος, adjectivum ab ἀστὴρ, stellis compunctum, & variatum
D significat, ut & ἀστελίας, & ἀστερωπὸς, & ἀστερόεις. *Asterixen* hunc lapidem vocat Isidorus. Quod rectum etiam nomen est, à similitudine stellæ, ut *lychnites*, *myrmecites*, *meconites*, & similia ὅσα κόνις. Sequuntur apud Plinium duo nomina lapidum ab astris deductorum, *astroites*, & *astrobolon*. Quos libri non editi, sed scripti *astrioten*, & *astolon* nominant. Ita quoque est in indice libri primi: *astryotes*, *astolon*. In libro alio vetere scribitur, *astrionen*. Et suprà correctum, *astrionem*. Inde est, quod alii ex suis citant *asterionem*. Esset ἀστελίων ut ἀστερίας, multis stellis, vel punctis stellantibus micans. Nam inde vox *stellio*. Ἀστερίων Æoles
E geminantes ρῶ dicebant ἀστέῤῥιων, deinde στέῤῥιων, ut σκάλαβος pro ἀσκάλαβος: σπάλαξ, pro ἀσπάλαξ: σπάραγος pro ἀσπάραγος: σπαλίων pro ἀσπαλίων. Sic στέῤῥιων Latinè *stellio*, ut λείριον, *lilium*. Sed ex vetustissimi libri indice magis probo legi *astrioten*. Ἀστρεία ab ἄστρον, sideratio, vel stellatio, unde ἀστρειώτης lapis, cui multas virtutes in magicis rebus attribuebat Zoroastres. Plinii de ea gemma locus sic constituendus: *celebrant & astrioten, mirasque laudes ejus à magicis artibus Zoroastren cecinisse, qui circa eas diligentes sunt, produnt*: qui circa magicas artes diligentes sunt. De astolo non ita proclive est statuere, unde nomen acceperit: *astolon Sudines*
F *dicit oculis piscium similem esse, & radiare candido in sole.* Editum est vulgo, *ut solem*. Sed libri scribunt, *in solem*. Rectum est, *in sole*. Utrum à forma oculis piscium similem esse dicit, an à candore? Hoc potius. Sic candidissimam margaritam similem oculis piscium esse tradit Androsthenes apud Athenæum de margaritis: καὶ ἔστιν ἡ μὲν χρυσοειδὴς σφόδρα, ὥστε μὴ ῥᾳδίως διαγνῶναι, ὅταν παρατεθῇ πρὸς τὸ χρυσίον, ἡ δὲ ἀργυροειδὴς, ἡ δὲ τελέως λευκὴ ὁμοία τοῖς ὀφθαλμοῖς τῶν ἰχθύων. An hoc dicit, quæ ad plenum candida est, instar habere oculi piscis, scilicet similiter rotundam esse? Sed illud verius.
G Puto scribendum *astrolon* pro *astolon*. Idque pro *astrulon*. Ab ἄστρον ἄστρυλον, parvum sidus. Ut ἄσυ ἄσυλον. Ab astris deductum esse hoc vocabulum patet ex aliis, quæ ibi junctim memoravit, indidem derivatis.

Veneris crinis nitet nigro] Ita editio Delriana cum aliis plerisque. In libris reperitur, *Veneris crines*, ἀφροδίτης πλόκαμοι. Nec enim crinis, sed crinium similitudinem ostentat hic lapis. In indice Pliniano scribitur, *Veneris crines.* Habet tamen in titulo hujus capitis Solinus: *de*

de glossopetra, gemma solis, crine Veneris. Et in altero indice: *lapis, Veneris crinis.* Sic *Berenices crinis*, ὁ Βερενίκης πλόκαμος. Plinius lib. II. cap. LXX. *Nec Canopum Italia, & quem vocant Berenicis crinem.* Ubi tamen etiam in libris: *Berenicis crines.* Verius tamen *Veneris crinis.* Plinius: *Veneris crinis, nigerrimi nitoris continet in se speciem rufi crinis.* Ita vetus liber. Et rectè. Male excuditur: *Veneris crines, nigerrimi nitoris continet in speciem rufi crinis.* Ipsa gemma, quæ dicitur *Veneris crinis*, nigerrima est, & speciem ostentat rufi crinis. Unde & sic appellata est. At Solinum scripsisse *Veneris crines*, & gemmam eam sic appellasse palam est ex eo, quod subjicit, *nitet nigro, ostentans ruforum crinium similitudinem.* Latini *crinem* vocant non τρίχα simpliciter, aut capillum, vel pilum unum, sed comam plexam, & in plures veluti funiculos divisam. *Trecias* vocamus vulgo. Græci σειρὰς. Naumachius:

Μηδὲ κόμης περίαλλα πολυσχιδέας πλέκε σειράς.

Hinc *crines* in fluminibus appellant diverticula fluminum, & ramos, quibus ab uno alveo sese dividunt, & pluribus brachiis in mare evolvuntur. Quod & suprà indicavimus. *Senis crinibus ornatas* olim matronas apud Festum legere est, quod significat senis comarum ordinibus in funem, vel sertam nexis. Atque is vetustissimus ornatus fuit. Abbreviator Festi Paulus: *crines à discretione dicti, quam Græcè διάκρισιν appellant, nam iidem eos crinidas vocant.* Quod ad *crinidas* attinet, nugatur. Patet ex hoc loco Festum, sive Verrium *crines* exposuisse τὰς διακεκριμένας τρίχας, ac divisam in plures σειρὰς comam. Græci διάκρισιν propriè vocant genus ornatus, quo capillus in duas partes æqualiter discriminatus duas sertas facit. Inter ἐπιδεσμοὺς capitis apud chirurgos veteres unus etiam vocatur διάκρισις ab illo capitis ornamento muliebri. Eo ἐπιδέσμῳ ἰατρικῷ frons fascia ligatur, & altera caput medium dividit, ac discernit. Alius ἐπίδεσμος ἰατρικὸς apud Soranum vocatur Θαΐς, quod eo genere Thaïs caput ornaret. Est & qui σκάφιον dicitur, est qui πίλιον, est qui ἱέραξ ad eam formam planè factus, qua hodie accipitres caput redimitum habent apud nostros accipitrarios. De quibus alibi. Διάκρισιν Latini *discrimen* dixere. Ovidius:

Longa probat facies capitis discrimina puri.

Cum sine ullo alio ornatu coma simpliciter in duas partes per caput medium fascia dividitur. Lucilius:

Euplocamo digiti discerniculumque capillo.

Nonius interpretatur *acum, quæ capillos mulierum ante frontem dividit.* Aliis dicitur *discriminalis acus.* Ornatus ipse, quo capilli sic dividuntur ante frontem, *discrimen* dictum, ut Græcis διάκρισις, & διάκριμα. Ita capiendum in glossario, ubi *arsinum* διάκριμα exponit. Festus *arsineum* interpretatur *ornamentum capitis muliebris.* Omnes quidem mulieres crinem à fronte dividebant discriminali acu, etiam illæ, quæ operosius ornabantur. Et hoc discrimine mulieres à virginibus distinguebantur. Nam virgines cirratæ, mulieres cum crinibus erant, iisque à fronte divisis. Tertullianus de Virginibus velandis: *simulque se mulieres intellexerunt, vertunt capillum, & acu lasciviore comam sibi inserunt, crinibus à fronte divisis, apertam professæ mulieritatem.* Ita omnino legendum, non *inferunt.* Ἐνείρουσι τὴν κόμην τῇ βελόνῃ. *At inferre sibi comam acu,* nihil est. Inserebant acu comam, hoc est, acum comæ inserebant, ut eam dividerent. Sic *insertas fenestras* dixit poëta, quibus luna inserebat suum lumen. De virginibus loquitur, quæ statim atque ætatem attigerant, ut mulieres fieri possent, muliebrem etiam ornatum capitis affectabant, acu inserta capillum dividentes. Nam virgines, & cirratæ erant, & crinem in vertice concumulatum, & colligatum gerebant, absque ulla διακρίσει. Idem libro eodem: *utique hoc maxime virgini insigne est, quarum & ornatus ipse propriè sic est, ut cumulata in verticem ipsam capitis arcem ambitu crinium contegat.* Hoc idem & in pueris cirratis. Et hæc concumulatio comæ *corymbus*, & *botrys* dicebatur. Hesychius: κρώβυλος ὁ μαλλὸς τῶν παίδων, ἢ ὁ κόρυμβος τῆς ἐμπλοκῆς ἢ ἐστὶν ἀνηνεγμένη ἀπὸ μέσου τοῦ μετώπου ἐπὶ τὴν κορυφήν. At mulieres, quæ capillum à fronte dividebant acu discriminali inserta, caput nihilosecius variis or-

A nandi generibus comebant. Ornatus ille vero, qui διάκρισις Græcè propriè dicitur, simplicissimus erat, capillis in duas partes per medium caput tænia divisis, qui longas facies maximè decere credebatur. Ideo *capitis discrimina puri* dixit Ovidius, ut purum caput sic simpliciter discriminatum ab alio mulierum ornatu morosiore distingueret, qui etiam discrimen acus admittit. Etenim ut ex illo Tertulliani loco constat, mulieres omnes crines à fronte divisos gestabant, nec omnes tamen discrimen illud puri capitis affectabant. Possumus tamen & *discrimina puri capitis* de capillo accipere tantum pexo, ac dentibus pectinis discriminato:

B Πεκτὴν, & ἐκτενισμένην τρίχα Græci dicunt, quæ alium non admisit ornatum præter pectinis discriminationem, non calamistris intorta, non in cumulum nodata, non spiris convoluta, nec structuris ædificata, quæ omnia comendi crinis genera longiorem videri faciem faciunt, ideo longam non decent. Sic *terram discrimine pectitam* dixit Columella in Horto, quæ rastri dentibus, quasi pectine, polita est, ac discriminata:

Verum ubi jam puro discrimine pectita tellus

Deposito squallore nitens sua semina poscit.

C Pollux in describendo habitu comicarum personarum διάκρισιν κατεψημένων τριχῶν ornatum vocat capillorum, qui pexi sunt, ac divisi, non autem torti, vel calamistrati, nec in verticem concumulati. Ἡ δὲ κόρη διάκρισιν ἔχει περιεψημένων τῶν τριχῶν: *discrimen habet puri capitis, & promulsorum crinium.* Et alio loco de virgine, quæ in tragœdia propter luctum tonsa est: ἡ δὲ κούριμος παρθένος ἀντὶ ὄγκου ἔχει τριχῶν κατεψημένων διάκρισιν. Comæ κατεψημέναι sunt, quæ opponuntur πεπλεγμέναις, ἢ κλωσθείσαις. *Promulsos*, & *remulsos capillos* vocat Apulejus. Idem Pollux de comicis personis muliebribus λεκτικὴν κόρην comis παρεψημέναις ornatam fuisse scri-

D bit. Ἡ δὲ ὕλη, inquit, τῇ τριχώσει παραλλάττει, capillitio differt. Ergo ὕλη θρὶξ, & περιεψημένη differunt. At quæ dicebatur κόρη, non commulsos tantum crines habuit, ut ἡ λεκτική, sed διάκρισιν περιεψημένων τριχῶν. Haud scio an illa διάκρισις tænia, vel vinculo explicata fuerit, crine scilicet bifariam diviso & ligato, ut in eo ἐπιδέσμῳ ἰατρικῷ, qui dicebatur διάκρισις. Id videtur etiam his verbis innuere Pollux. Ἡ ψευδοκόρη περὶ τὸ βρέγμα δέδεται τὰς τρίχας. Ἡ δὲ ἑτέρα ψευδοκόρη διαγνώσκεται μόνῳ τῷ ἀδιακρίτῳ τῆς κόμης. Ego illa ψευδοκόρη, quæ circa sinciput religatam habuit comam, eam etiam divisam, καὶ διακεκριμένην habuerit oportet, quo ab

E altera ψευδοκόρη discerneretur. Sic non uno genere fit capilli διάκρισις, vitta, acu, pectine. Nam & discriminare capillum pro pectere. Glossæ *discrimen* ἀνακτενισμὸν exponunt. Ergo *discriminare capillum* est ἀνακτενίζειν. *Pexum*, & *flexum* capillum veteres passim differre faciunt. *Pexus* est pectine discriminatus: *flexus* calamistro tortus. Isidorus *discriminale* distinguit ab *acu.* Et *discriminalia* quidem *capitis mulierum ex eo vocata esse tradit, quod caput auro discernant. Nam discriminare dividere dicitur.* Hæc fuerat acus discriminalis aurea. At *acus* esse dicit, *quibus in fœminis ornandorum crinium compago retinetur, ne laxius fluant, & sparsos dis-*

F *sipent capillos.* Fortean hæc crinalis acus, vel comatoria, quæ etiam ex auro. *Acum auream* in lemmate vocat Martialis, cui subjicit hoc distichon:

Tenuia ne madidi violent bombycina crines,

Figat acus sparsas, sustineatque comas.

Ista acu omnes annuli comarum in capite jam ornato fixi continebantur, ne fluerent laxius. Idem Martialis:

Unus de toto peccaverat orbe comarum

Annulus, inserta non bene fixus acu.

G In hoc versu *annulus* non significat τὸν ἕλικα crispati capilli, ut alias solet, unde capillus *annulatus*, vel *cincinnatus*, ὁ ἑλωθεὶς, sed circulum unum, ex tota crinium compage spiratim convoluta, & per multos orbes contexta. Eadem autem, ut videtur, acu capillum distinguebant, & à fronte dividebant, & mox comptum, distinctumque per annulos, & sertas crinium fixa ea, & inserta retinebant, ne dissiparetur tota compago. Hæc est lascivior acus, quo comam sibi solitas inserere virgines scribit Tertullianus, id est:

eſt, figere; καὶ ἐνείρειν. Nonius *calamiſtrum* exponit *brevem fiſtulam, qua cirri continentur.* Videtur calamiſtrum eumdem facere cum acu, qua crines compti figuntur, ac ſuſtinentur. Certè calamiſtrum ex Græco καλάμαςρον, quod parvam fiſtulam, τὸν μικρὸν κάλαμον ſignificat. Ut ex κάναςρον *caniſtrum.* Græci: καλαμὶς κοσμάριόν τι περὶ τοὺς πλοκάμους. Ἄλλοι σύελγα. Ait genus eſſe ornamenti circa crines. Nonius *calamiſtrum*, & eam καλαμίδα eadem videtur putaſſe ex nominum ſimilitudine. Profecto, quum καλαμίδα κοσμάριόν τι περὶ πλοκάμους interpretatur Heſychius, & περιτραχήλιον χρυσοῦν de eo ferro, quo calefacto vibrantur crines, fortean non poſſit accipi. Sed nec Nonius, qui fiſtulam exponit, qua continentur cirri. Eam igitur acum uterque deſignavit, qua fixa, & inſerta compago annulatorum crinium fulcitur, ac continetur. Alias nihil prohibet, quin eadem acu crinali, ac diſcriminali uſi ſint etiam ad torquendos capillos. Quippe in cinere caldo calefacta eumdem uſum præbere potuit. Diverſa tamen res fuit, & diverſi uſus calamiſtrum, & acus crinalis. Hæc aurea fuit diſtinguendis, & continendis capillis, illud ex ferro torquendis & vibrandis. Aperte Varro calamiſtrum, & diſcerniculum ſeparat. *Calamiſtri*, inquit, *quod his calefactis in cinere capillus ornatur. Diſcerniculum, quo diſcernitur capillus.* Virgilius:

Vibratos caldo ferro.

Intelligit calamiſtrum. Acus ex auro, & revera acus, id eſt, acuta. Unde apud Apulejum: *acu comatoria malas pungebat.* Ovidius:

---- *& rapta brachia pungit acu.*

De acu crinali. Græci βελόνην vocant. In calamiſtro acumen nullius uſus. Nec obſtat, quod calamiſtrum *acum majorem* Servius interpretatur, *qua calefacta, & adhibita intorquet capillos.* Quia calamiſtrum, & acum crinalem, utrumque comendis capillis adhibebant mulieres, & quia crinali acu interdum vicem calamiſtri utebantur, ideo grammatici ea inſtrumenta confundunt. Calamiſtrum eſt Græcorum καλαμὶς, quæ & σῦριγξ. Ferrum erat fiſtulæ inſtar cavum, cui manubrium ligneum immittebatur, ut teneri poſſet, dum calidum eſſet; quo calefacto capillus intorquebatur. Acus vero comatoria, aurea tota tam diſtinguendis, ac diſcernendis à fronte, quam figendis, ac ſuſtinendis capillis uſum præſtitit. Heſychius, qui καλαμίδα, κοσμάριόν τι περὶ πλοκάμους, & χρυσοῦν eſſe ait, de hac acu intelligit, ſed perperam, ut dixi, & calamiſtrum male confundit cum acu comatoria. At διάκρισις per ſe genus ornatus ſimpliciſſimi fuit, qua capillus tantum pexus in duas dividebatur partes. Alioquin etiam illæ, quæ operoſius comas fingebant & annulatim comebant, eas nihiloſecius à fronte ſolebant dividere, & fixa acu continere. Nugatur itaque nuperus interpres Tertulliani, qui calamiſtrum, & acum diſcriminalem eadem facit. Verum de his ad Tertullianum. *Crines* διακεκριμένην κόμην veteres grammatici explicant ſolo ſono inducti, quaſi ἀπὸ τοῦ κρίνειν dicti ſint. Iidem πλοκάμους Græce exponunt. *Crines*, πλόκαμοι. Ergo & πλοκάμους Græci vocaverint σειράς, & plectas, ſertaſve capillorum. Nam & πλεκτὴ eſt funiculus ἀπὸ τοῦ πλέκειν. Heſychius: πλεκτὴ, σειρά. *Plectas* etiam infimæ ætatis auctores dixere. Πλοκάμους tamen Græci grammatici longe aliter exponunt, de globis ſcilicet, nodiſve crinium invicem implexis, & intortis, quos & βοστρύχους dicebant. Heſychius: πλόκαμοι κόνδυλοι τριχῶν πεπλεγμένοι. Nodi ſunt crinium implexi, & calamiſtro intorti. Quidquid in nodum extuberat, κόνδυλον Græci vocant. Hinc in digitis κόνδυλοι partes, quæ in juncturis eminent velut nodi. Unde & κονδυλίζειν. Heſychius κονδυλουμένας interpretatur ἀνοιδούσας, καθάπερ ἐπὶ τῶν βρασσομένων ὑπὸ τοῦ πυρὸς ὑδάτων, *ut bullæ. quæ in fervente aqua excitantur.* Inde igitur & κόνδυλοι τριχῶν. An *nodos* hoc ſenſu dixit Martialis?

Rhenique nodos, aureamque nitelam.

Per *Rheni nodos* intelligit Germanorum cirros in nodum ſubſtrictos. Martialis:

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,

Atque aliter tortis crinibus Æthiopes.

An *crines in nodum tortos* dicit ad ſpeciem nodi vibratos, & intortos? Ut nodus ipſe ſit οὐλότης. Sic *in fluctum tortos crines* Manilius, qui inſtar fluctuum exhibent, τῇ οὐλότητι. Ita *menſæ in venam criſpæ* Plinio, & ſimilia. At *torti aliter crines Æthiopum*, qui naturaliter criſpi exiſtunt, non arte facti ſunt. Sic vulgo locum illum Martialis exponunt, & Germanos Sicambroſque crinibus calamiſtro tortis, ac rotatis fuiſſe interpretantur. Toto, quod ajunt, cœlo errant. Nec enim hic mos unquam Germanorum fuit crines calamiſtris inurere, aut alio modo ornare. Clemens Alexandrinus: τῶν ἐθνῶν οἱ Κελτοὶ, καὶ οἱ Σκύθαι κομῶσιν, ἀλλ' οὐ κοσμοῦνται. *Comas alunt, non ornant.* Atqui pars longe maxima capilli ornandi

B calamiſtri, & crinium inflexio, quæ ferro fit calido. Phrygum hoc fuerit proprium, & effœminatarum gentium, quibus hoc probrum paſſim objectum, quod haberent comas

Vibratas caldo ferro, murrhaque madentes.

Longe hoc à Germanis. Quid igitur illi, aut quomodo crines torquebant? Qui ſimpliciſſimus fuit modus, in nodum eos cogebant. Ex ipſa nimirum coma, quam ſatis longam nutriebant, nodum faciebant. Quia vero non datur ex crine nodum in capite facere, niſi torqueatur, ideo *tortos in nodum crines* dixit Martialis,

C in nodum coactos, vel nodo ſubſtrictos. Rectam quippe, ac prolixam cæſariem nodare non poſſis, niſi in modum funis obliques eam, ac torqueas. Sic in nodum facile ducitur, nec aliter datur. Tacitus de Moribus Germanorum ſic explicandus: *inſigne gentis obliquare crinem, nodoque ſubſtringere.* Quem locum perperam capiunt de crine calamiſtris vibrato. Nec altera melior interpretatio, ut crinem non in rectum paſſi ſint deſcendere, ſed reduxerint in poſteriorem verticem, & obliquarint. Nugæ. Obliquant crinem, & nodo ſubſtringunt, quia nodo aliter ſubſtringere nequeunt, niſi obliquatum, ac tortum. Ideo obliquandi crinis

D meminit, ut oſtenderet ex ipſo crine nodum eos facere ſolitos, non alio vinculo nodare. Nam vinculo, aut tænia poteſt nodari, ac religari crinis etiam rectus, & in rectum deſcendens. At ex ipſo crine nodum facere non datur, niſi obliquato, ac torto. Hæc ſunt indubitatiſſima. Nodo ſubſtringendi crinis morem, non etiam flectendi, aut ferro calido rotandi Germanis auctores paſſim tribuunt. Seneca de Ira: *non eſt Æthiopis inſignitus inter ſuos color, nec crinis rufus, & in nodum coactus apud Germanos.* Idem epiſt. CXXVI. *Quid capillum ingenti diligentia comis? cum illum vel effuderis more Parthorum, vel nodo Germanorum vinxeris, vel, ut*

E *Scythæ ſolent, ſparſeris.* Nec alia mens eſt horum Juvenalis verſuum:

Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flavam

Cæſariem, & madido torquentis cornua cirro?

Torquent cornua madido cirro, qui comam obliquant, ut in cirrum, ac nodum eam cogant. *Cornua* vocat longas crinium ſertas, quæ torquentur, ut in nodum mitti poſſint. Græci & κέρατα appellant. Inde & *cornua*, & *crines* in fluminibus, τὰ πλοχμίδες, & rami. Madidus autem cirrus Germanorum, quia crebro comas lavabant ſaponibus. Qui nodos dant crinibus Germanorum, iidem & cirros tribuunt, & eorum proprios

F faciunt. Martialis: *Rhenique nodos.* Tertullianus de Virginibus velandis: *debebunt & ipſi aliqua inſignia ſibi deſendere, aut pennas Garamantum, aut ſtropulos barbarorum, aut cicadas Athenienſium, aut cirros Germanorum.* Sic illo loco legendum ex veteri ſcriptura, quæ habet *ſtrobulos.* Latine *ſtropus*, qui græce ςρόφος, tænia nempe, vel vitta tortilis. Multi barbarorum vittis, ac tæniis capita religabant, quos inde μιτροφόρους Græci vocant, ut Armenios, Saracenos & alios pleroſque, de quibus nos ſupra. Has vittas *ſtropulos*, hoc eſt, parvos ſtropos vocat Tertullianus. De *ſtropis*, vel *ſtrupis* etiam in ſuperioribus diximus. *Crobylos*, ut vulgo editur, ferre

G non poſſit eruditus lector. Hi Athenienſium proprii cum cicadis. At peculiares Germanorum nodi, ſive cirri. Iſidorus: *ut cirros videmus Germanorum, granos, ac cinnabar Gotthorum.* Qui adnotant *cirros* proprie dici criſpos capillos, & rectæ comæ opponi, notationis ſuæ falſi ſunt. *Cirro criſpulos* vocat Seneca. Quid tum? vel inde colligas non eſſe criſpos, niſi hoc addas. Cirrati pueri, & puellæ, non à criſpulis capillis, ſed quod

nodo religatam haberent comam in vertice. Horatius: *puellæ vel pueri longam renodantis comam*, id est, cirrati. Virgines, & innuptæ cirratæ. Ammianus: *& licet quocumque oculos flexeris feminas affatim multas spectare cirratas, quibus si nupsissent, per ætatem ter jam nixus poterat suppetere liberorum.* Eæ renodatum in vertice crinem gerebant, & in unum collectum, substrictumque, ut constat ex Tertulliani loco, quem ante adduximus. Claudianus de virgine:

Substringitque comam gemmis.

In pueris Græcorum similiter hic erat *cirrus*, nodo collectus crinis in vertice. Græci μαλλὸν dicunt, & σκολλὺν. Hesychius: σκολλὺς, κορυφὴ ἡ κατειλημένη ταῖς θριξὶν, τινὲς δὲ μαλλόν. Idem alibi μαλλὸν interpretatur σκολλὺν. Idem: κορυφαῖος, τέλειος ἡγεμὼν, κόρυμβος, οἱ δὲ μαλλὸν τῶν παιδίων. Quod in vertice scilicet religatus nodo haberetur. Sed in mulieribus proprie κόρυμβος dicebatur, in viris κρώβυλος, in pueris σκόρπιος. Idem Hesychius, κόρυφος, κόρυμβος γυναικεῖος. Alii hæc confundunt. Hesychius: κρώβυλος, ὁ μαλλὸς τῶν παίδων, ἢ ὁ κόρυμβος τῆς ἐμπλοκῆς, ἥ ἐστιν ἀνηνεγμένη ἀπὸ μέσου τοῦ μετώπου ἐπὶ τὴν κορυφήν. Et alibi: κρώβυλος ὁ μαλλὸς τῶν παιδίων. Et alio loco: ἐκαλεῖτο κρώβυλος, καὶ ὁ μαλλὸς τῶν παιδίων. Servius ad illud,

---- *crines nodantur in aurum.*

Veluti retiolum, quod colligit comas, κρώβυλον. Cirri in vestibus, villi plures in nodum coacti, & ab extremitate vestis descendentes. *Houpas* vulgo dicimus. Inde *cirratæ vestes.* Diversi cirri à fimbriis, quas nomine inde facto appellamus *frangias.* Recti sunt villi, ac discriminati circa extimas vestium oras, nullo nodo constricti. Vox ipsa ab origine sua, quid sit, indicat. Græcum est σκίῤῥος, quo nomine duritiem omnem nodosam significant, aut durum tumorem. Æolicum, κίῤῥος. Ut φαιρίδδειν pro σφαιρίζειν: μάραγδος pro σμάραγδος, & similia. Latinis quoque *casteria* pro *schasteria*: *capisterium* pro *scaphisterium* & alia. Sic Latinè *cirros* inde dixere crinium nodos, κονδύλους τριχῶν. Hinc *cirri Germanorum*, crines in nodum torti, & coacti. Crines aliter torti Æthiopum, qui natura crispi, implexi, flexique, ac veluti nodati. Idcirco & *cirros* de hujusmodi etiam crinibus usurparunt. Unde & *cirros* sepiæ, & polypi dicunt, quas Græci πλεκτάνας. Sed verior omnino hæc altera originatio. Κόρσαι, & κόρσοι sunt capilli in vertice. Alii superciliorum, alii temporum volunt esse. Unde κορσεὺς tonsor, & κορσοῦν tondere, & κορσωτὴρ ὁ κουρεύς. Æoles dicebant, κόῤῥον, ut κόῤῥην, pro κόρσην etiam Attici. Sic μυῤῥίνην, quæ μυρσίνη, & τυῤῥὶς pro τύρσις. Ex quo Latinum *turris*. Ita ex κόῤῥοι, *cirri*. Ut *cinis* ex κόνις: *pila*, πίλος. Κρόσσους pro κόρσους etiam dixere, & vestium cirros, vel fimbrias in nodum coactas, & contortas sic vocarunt cum extantibus, ac dependentibus villis. Unde κροσσωτοὶ vestes, quæ Latinis *cirratæ*, & δικρόσσοι, *bicirres*. Nam κρόσσοι, ut dixi, sunt contortæ fimbriæ, & nodatæ. Hesychius κροσσώδη vestem interpretatur ἐκ κροσσῶν συνεστραμμένων, *ex contortis cirris.* Varices hoc nomine etiam appellarunt, quia contortæ, & implexæ multis nodis. Hesychius: κιρσὸς πάθος τι περὶ τὸ σῶμα, ὅπερ τινὲς ἰξίαν καλοῦσι, ἄλλοι κροσσόν. Sed melius legas, ἄλλοι κελσσόν. Idem alibi: Κρισσὸς ἡ ἐν ταῖς φυσὶ γινομένη διάφυσις, ὅθεν ῥεῖ ὁ ἰξὸς, ἢ ἡ ἐν τοῖς ἄρθροις διάφυσις σκληρὰ, καὶ ὀξώδης. Hinc videre est, quare varices ἰξίαι dicantur. Glossæ: *varices*, κρισσοί. Ut κρισσὸς & κίρσος idem, sic κρόσσοι & κορσοί: κόρσαι & κροσσαί. Hesychius: κρόσσας, κλίμακας ἄλλας ἐπ' ἄλλαις. Τινὲς δὲ κεφαλίδας τῶν τειχῶν, ἢ προμαχῶνας. Idem alibi κόρση, κεφαλὴ, ἔπαλξις, κλίμαξ. Inde κόρσαι, & κόρσοι, & κόῤῥοι, crines in verticem nodo substricti, Latine *cirri.* Certe κόῤῥοι, vel κόρσοι proprie sunt verticis crines, qui ut plurimum solent esse συνεστραμμένοι, & contorti. Inde & *cirros* pro cincinnis & implexis capillis posuere, & extremitatem crinium, quæ naturaliter implexa in se reflectitur, ita vocarunt. Græcorum μαλλὸν, & κροσσὸν sic reddiderunt. Μαλλὸς vellus etiam significat, quod est συνεστραμμένη θρὶξ. In capillis quoque nodo substrictis, ut erant Germanorum, extremitas implicata, & cirrata est. Ideo *cirros* de Germanorum crinibus in nodum coactis proprie dixerunt. Sic appellarunt & *fimbrias* vestium, quas Græci κροσσοὺς nominant. Sed & *houpas*, quæ fila multa sunt in nodum stricta cum cirris extantibus. De *granis* Gotthorum etiam heic dicendum, quoniam occasio est. An sunt κράνοι? capitis crines. Nam κράνα etiam dixerunt & cæsariem. Hesychius: Καισαρία περικεφάλαια. *Grani* igitur κράνοι, ut *granam* pro capite. Unde & *migranam* morbum capitis, quæ ἡμίκρανα, & ἡμικρανία Græcis. Sed aliud est. Gotthi ab origine Scythæ. Stephanus: Γότθοι ἔθνος πάλαι οἰκοῦσαν ἐντὸς τῆς Μαιώτιδος, ὕστερον δὲ εἰς τὴν ἐντὸς Θρᾴκης μετανέστησαν. Scytharum mos proprius *crines spargere*, ut Persarum *effundere*, Germanorum *nodo vincire.* Hunc morem Scytharum retinuere Gotthi in capillo spargendo. Ideo *granos* vocarunt Gotthorum capillum sparsum. Grana proprie sunt semina, quæ sparguntur, ὁ σπόρος, ὁ σῖτος. Unde *granarium* σιτοβολών. Et *grania*, vel *granea* in Salica lege & aliis locus, ubi fruges in spicis reponuntur, & excutiuntur. Quod nomen hodieque retinemus. Et *spargere* σπείρειν, & grana seminare. Quod non fit in congerie, & cumulo, sed separatis locis hinc inde. *Sparsum*, τὸ ποικίλον, quod granis, vel punctis discretim notatur. Ut lentiginosi *ore sparso* dicuntur. Inde *grani* τὰ σπέρματα de capillis sparsis, ac discriminatis. Tales videre est in antiquis nummis Gotthorum, ubi Gotthicorum Regum effigies cum crine sparso, ac discriminato, & in fine annellato, crispatoque visuntur. Unde & *grani* nomen tanto proclivius hujusmodi capillo inditum. Nam capillus fine rotatus, ac rotundatus grani figuram satis belle exprimit. Quæ grana capillorum longius inter se dissita, & invicem discriminata sunt, non implexa, & turbata. Ea propter & sparsio capilli, & grani nomen de his factum. Vetus interpres Bibliorum cap. x. Judith: *& discriminavit crinem capitis sui*, interpretatur *granam fecit.* Granorum horum mentio in Concilio Braccarensi: *placuit ut lectores in Ecclesia in habitu sæculari ornati non psallant, neque granos gentili ritu demittant*, id est, capillos granorum more in orbem flexos, ac sparsos. Dividuas capillorum sertas *crines* proprie appellasse Latinos ante ostendimus. At πλοκάμους Græci longe alio sensu dixere. Implexas, & flexas, & in unum corymbium congestas comas ita vocant. Hesychius κονδύλους τριχῶν πεπλεγμένους interpretatur. Idem πλοκαμώδεα, τὸν οὖλον βόστρυχον. Inde & poëtæ fumi convolutiones πλοκάμους appellant. Pollux: πλόκαμοι, πλοκαμὶς, ἀφ' ὧν καὶ αἱ τοῦ καπνοῦ περιστροφαὶ, παρὰ τοῖς ποιηταῖς πλόκαμοι. Sed nihil prohibet & spiras, sertasque plexas crinium, & convolutas ita vocari. Ἐμπλοκὴ omnem ornatum capitis muliebris significat, qui in complicandis, & flectendis capillis consistit. Aliud enim ἐκτενισμένη κόμη, aliud πεπλεγμένη. Artemidorus: πλέκεσθαι δὲ γυναιξὶ μόναις συμφέρει, καὶ ἀνδρῶν τοῖς ἔθος ἔχουσι. Hinc mulierum crines πλόκαδας Pherecrates appellabat, & πλόκος idem quod πλόκαμος, proprie de crine muliebri. Idem & βόστρυχος. Hesychius: βόστρυχοι, πλόκαμοι. Ita vocabant, quod multos flexus, & spiras haberet. Idem: βοστρυχιδῆ, πολυκαμπῆ. Qui in botryonem unum, vel corymbium collectus esset, βότρυν appellavere Poëtæ:

---- χρυσέης ξανθότριχα βότρυν ἐθείρης.

Agathias in Epigrammate:

---- καὶ τὸ πρόσωπον

Πλῆξε, καὶ εὔπλεκτον βότρυν ἔρηξε κόμης.

Notum est ex Græco βότρυς Latinos fecisse *botrum* & *botronem*. Ὁ βότρυς, hic *botrus*, & *botro*. Epigramma vetus:

Cum botris captum rete ferens leporem.

Inde & *botro botronis.* A quo *botronatus* apud Tertullianum, & Cyprianum capitis ornatus, quo in morem uvæ, & βοτρυδὸν congestus est, & accumulatus crinis. Βότρυν, & κόρυμβον Græci dicunt, ut supra ostendimus. Petronius: *flavicomo dominæ corymbio pueri adornarat caput*, id est, *botronatu.* Tertullianus de cultu feminarum: *nullam de conchylio vestem Esaias increpet, nullas lunulas reprobet, nullum botronatum retundat.* Ubi viri docti frustra laborant in extricando illo botronatu. Pro eo *crispantem capillum* apud Esaïam legere est. *Et pro crispanti crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Βότρυς & βόστρυχος crispans capillus, πλοκαμώδης. Etenim ἕλικες, & cincinni intorti crinium granis uvæ assimilantur.

aſſimilantur. Hinc tota compago comarum ex multis ejuſmodi granis conſtans, & cincinnis, *botrus*, & *botronatus*. Aliud eſt βότρυς genus inauris, & βοτρύδιον dictum à racemi ſimilitudine. Hujus mentio apud Ariſtophanem Θεσμοφοριαζούσαις.

Διόπας, διάλιθον, πλάστρα, μαλάκιον, βότρυν,
Χλιδῶνα, περόνας, ἀμφιδέας, ὅρμους, πέδας.

Heſychius: βοτρύδια, ἐνωτίων εἶδος, οἱ δὲ βότρυν Θεσμοφοριαζούσαις. Ita legendum. Vide Clementem Alexandrinum. At *botronatus* à botrone, qui corymbium capillorum ſignificat, quod implexi eſſent, βοτρυδὸν, id eſt, ὁμοῦ καὶ συνηγμένως. Hoc genus σπατάλιον etiam dixere. Clemens in canonibus: οὐκ ἔξεστι σοὶ τρέφειν τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς, ἢ ποιεῖν εἰς ἓν ὅ ἐστι σπατάλιον, ἢ ἀπόχυμα, ἢ μεμερισμένην τηρεῖν. Tres modos heîc tangit comendæ comæ. Primum quo crinis colligebatur, & in unum ſive nodum, ſive corymbium conſtringebatur, idque dicebatur σπατάλιον. Alterum, quo capillus effuſus abſque nodo, & ligatura per humeros ſpargebatur. Huic ornatui ἀπόχυμα nomen erat. Tertullianus: *aut Parthorum more capillum effundere.* Poëta:

---- dederatque comam diffundere ventis.

Græci comam hujuſmodi ἀπόχυτον, & ἔκχυτον vocant, τὴν μεταφρένῳ περιῤῥέουσαν, περικεχυμένην, οὐκ ἐσφηκωμένην, οὐκ ἔνδετον, ἐξηνεμωμένην κατὰ νώτων. Hos duos modos ſic Apulejus exprimit in ſuæ Photidis crine commendando: *quid cum frequenti ſobole ſpiſſus cumulat verticem, vel prolixa ſerie porrectus dorſa permanat?* Σπατάλιον Clementis eſt, quum εἰς ἓν factus frequenti ſubole verticem cumulat, quod & *corymbium*, & *botronatum* dixere. De eo modo intellexit Manilius:

Aut vinclis revocare comas, & vertice denſo
Fingere.

At cum prolixa ſerie porrectus, & effuſus dorſa permanat, ἀπόχυμα facit. Perperam de hoc genere verſum iſtum Manilii capit ὁ μακαρίτης Scaliger:

---- aut tortos in fluctum ponere crines.

Intelligit non effuſos, & liberos crines, nulla vitta ligatos, ſed in morem fluctuum undantium tortos, & inflexos. De quo genere capiendus & hic Ovidii verſus:

Suſtineat ſimiles fluctibus illa ſinus.

Tertius modus apud Clementem, τρίχα μεμερισμένην τηρεῖν, hoc eſt, dividuam, ac diſcriminatam ſervare, non implexam, & inflexam, ut in ſpatalio, nec effuſam, ut in apochymate. De eo modo intellexit Apulejus his verbis: *& pectinis arguti dente tenui diſcriminatus, & pone verſum coactus amatoribus oculis occurrens ad inſtar ſpeculi reddit imaginem gratiorem.* Fortaſſe & Ovidius per *capitis diſcrimina puri* eumdem ornatum deſignavit, cum ſimpliciter coma dividitur, ac diſcriminatur, & in ſtatu cuſtoditur. Ἐκτενισμένην τρίχα, & μεμερισμένην Græci τῇ πεπλεγμένῃ opponunt. Sub his tribus generibus multi alii modi comprehenſi tam re, quam nominibus diverſi, quos heîc ſpeciatim non attingam, nec enim hoc ago. Et aliquis poſſet iſtic latrator Cercoëtius obgannire, quod rem mulierum tractemus, nec à gynecio diſcedamus. Sed cur σπατάλιον primum illud comendi genus dictum eſt, quo in unum coma glomeratur? Hoc enim unum etiam addam vel invitis omnibus Cercoëtiis. *Spatalium* armilla eſt, vel brachiale muliebre apud Tertullianum de cultu Feminarum. Quo loco perperam legitur *ſpathalium*, & fruſtrà diſputant, utrum *ſpatalium*, an *ſpathalium* ſcribendum ſit. Longè pejus eſt, quod alii diſtinguunt *ſpatalium* à *ſpathalio*, quaſi alterum à σπατάλῃ, alterum à σπαθᾷν derivetur. Græcum non eſt σπαθάλιον, ſed σπατάλιον. Et rectè ita ſcribit vetuſtiſſimus liber Tertulliani, qui olim fuit Agobardi, nunc eſt Regiæ Bibliothecæ, cujus auctoritate totus ille locus ſic legendus eſt: *ceterum neſcio an manus ſpatalio circumdari ſolita in duritiam catenæ ſtipari ſe ſuſtineat: neſcio an crus periſcelio latatum in nervum ſe patiatur artari.* Rationes alibi reddam. Plinius: *ſpatalia eo facere & mobilia feminas.* Ita ſcribendum, non *ſpathalia*. Et *Spatale* nomen nymphæ apud Claudianum, non *Spathale*. Et *ſpatalocinædi* Petronio. Σπατάλια luxus, deliciæ. Inde σπατάλιον aurea armilla. Epigramma vetus:

A τὴν χρυσοκόλλητον σφιγγομένην σπατάλῃ.

Sic τὸ μαλάκιον. Heſychius; μαλάκιον, γυναικεῖον κόσμάριον. Inde & σπατάλιον ornatus capitis, quo crinis in unum colligitur, forte quod aurea ſpatale, vel ſpatalio vinciatur. Poëta:

---- crines nodantur in aurum.

Fuit, cum legerem παλάθιον, aut παλάθιον, ut in metam concumulatus crinis intelligeretur. Corruptum ſanè hoc nomen in lemmate diſtichi Martialis, ubi *ſpathalion caryotarum* legitur pro *ſpalathion*, vel *palathion*. Παλάθη ficuum dicebatur globus, vel maſſa.

B In maſſam conditæ ſimiliter afferebantur caryotæ. Heſychius: παλάθη, ἡ τῶν σύκων ἐπάλληλος θέσις. Παλάθαι σύκων μαζία. Inde παλάθιον, & σπαλάθιον, ut φαλάγγιον, σφαλάγγιον. Cottana etiam, ac pruna in maſſas ſic componebantur. Martialis:

Hæc tibi quæ torta venerunt condita meta,
Si majora forent cottana, ficus erant.

Statius:

Nuſquam turbine conditus ruenti
Prunorum globus, atque cottanorum.

Ad verbum *globus prunorum* eſt παλάθη. Plinius *offas* aliquando reddit τὰς παλάθας, aliquando *maſſas*. Ut lib.

C XIII. *Reliquum in maſſas condunt*, εἰς παλάθας, εἰς μαζία. Theophraſtus de prunis Ægyptiis ſiccatis, & exempto nucleo παλάθας fieri ſimiliter ſcribit lib. IV. Hiſt. cap. III. Οἱ δὲ περὶ τὴν Θηβαΐδα κατοικοῦντες διὰ τὴν ἀφθονίαν τοῦ δένδρου ξηραίνουσι τὸν καρπὸν, καὶ τὸν πυρῆνα ἐξαιροῦντες κόπτουσι, καὶ ποιοῦσι παλάθας, id eſt, in maſſas, & globos redigunt. Nam παλάθη ἐπάλληλος θέσις, prunorum, ficorum, & ſimilium. Plinius *offas* vertit: *purgatum enim tundunt, ſervantque ejus offas.* Minus rectè. Nam *offa* propriè globi farinæ conſperſæ. Pro qualibet maſſa uſurpat. Suidas: παλάθαι, vel σύκων μάζαι ſunt maſſæ, & globi ficorum, μάζα pro-

D priè φύραμα, *offa* farinæ conſperſæ globus. Inde Latinum *maſſa*, ut ὄβρυζα, *obruſſa*. Hinc quidquid in unum globum, aut acervum coactum eſſet, μάζαν dixere Græci recentiores. Unde apud Leonem δρουγγισὶ, ὡς μάζα. Quod de hominum multitudine conferta, & globo dictum. Nam *drungi* ſunt hominum globi. Hinc quilibet acervus, & cumulus, μαζίον. Ut μαζία χρυσίου. Nec vox eſt hæc Græcolatina, ut putant, ſed pura puta Græca. Sic μάζαι, & μαζία σύκων, globi, & maſſæ ficuum, vel etiam offæ, quæ propriè παλάθαι, & παλάθια dicebantur. Heſy-

E chius, μαγὶς, παλαθὶς, ἄρτος. *Offam* rectè diceres. Nam μαγίδες ſunt offæ. Hodie etiam ad nos afferuntur ficus in maſſas, & globos conditæ, & in ſportellis junceis. Haud male igitur, & globus crinium in metam congeſtus, & concumulatus σπαλάθιον & παλάθιον diceretur. Sed verum eſt σπατάλιον, quod explicavimus. Ceteras crinium, & ornatuum differentias, & varia comæ comendæ genera nos aliis relinquimus minutius ventilandas. *Crinis* in gemma, *veneris crine*, appellata comam ſimpliciter ſignificat, τὸ τρίχωμα, ut in illo Ovidii verſu:

Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

F Et apud Tacitum: *mos eſt gentis crinem obliquare, & nodo ſubſtringere.* Et apud alios paſſim. Non igitur de crine tantum muliebri, diſcriminato, & plexo, quem Græci πλόκαμον vocant, ſumitur. Multas porro, & alias gemmas, quæ crinium effigiem repræſentent, legere & colligere eſt, præter *Veneris crinem*. Habui achatem, quæ rufoɾum crinium globum graphicè expreſſum exhiberet. Meminit Plinius *corſoidis*, quæ hominis canitiei ſimilis ſit. *Cerites*, inquit, *ceræ ſimilis eſt: circos ſpiris. Corſoides canitiei hominis.* Κορσοειδής. Sed cur potius canitiem repræſentet, quàm capillum nigrum, aut alio colore? Id ex nomine non colligas, quum κόρση ſim-

G pliciter capillum ſignificet. Inde κορσεὺς, & κορσωτὴς, tonſor. At *polia* gemma à canitie, cui ſimilis erat. Nam πολιοὶ, *cani*, & πολιὰ, canities, ſenectus. De ea ita ſcribit Plinius: *polia canitiem quamdam ſparti indicat, eamdem duriorem, nigra ſpartopolios.* Et hæc mira ſunt. Cur enim ſparti canitiem potius indicet, quam hominis? Nulla eſt in polia ſignificatio ſparti. In ſparto polio aliud quam ſpartum. An, quia λάχναν Græci ſpartum vocant, πολιὰ gemma, hoc eſt, λάχνη, canitiem

canitiem sparti videtur indicare? Græcis λευκαία spartum, quod monere supra omisimus, cum de sparto tractaremus. Glossæ: *spartum*, λευκαία. Artemidorus habet, περὶ λευκέας, λίνου, & καννάβεως. Ubi λευκέα est spartum. Hesychius: λευκέα, σχοῖνος. Spartum Strabo σχοῖνον vocat, & Plinius *juncum aridi soli*. Idem Hesychius: σίπλον, λευκαίας σχοινίον, *funis è sparto*. Idem σιπλέαν τείχωμα exponit. Ita πολιὰ gemma, quæ canitiem sparti indicat, hoc est, sparti tusi fila candida. Nam λευκέαν, ut videtur, à candore *spartum* dixere. Eum candorem maceratione, & tusione acquirebat, ut & linum, de quo vetus Epigramma:

Ξάνθη μὲν πρὶν ἐγὼ ἤμην πάρος, ἀλλὰ κοπεῖσα
Γίγνομαι ἀργεννῆς λευκοτέρη χιόνος.
Χαίρω δὲ γλυκερῷ τε, καὶ ἰχθυόεντι λοετρῷ.

Inde λευκόλινον Græci vocant linum maceratum, quia lavacro nivescit. Herodotus lib. VII, meminit armamentorum ex λευκολίνῳ factorum: στρεβλῶντες ὄνοισι ξυλίνοισι τὰ ὅπλα. Οὐκέτι χωρὶς ἑκάτερα τάξαντες, ἀλλὰ δύο μὲν λευκολίνου, δασάμενοι εἰς ἑκατέρην, τέσσαρα δὲ τῶν βυβλίνων, ὧν παχύτης μὲν ἦν αὐτή, καὶ καλλονή. Vertunt *album linum*, quasi species lini sit. Atqui ὅπλα ille λίνεα paulo post vocat. Λευκόλινον nihil aliud est quam linum aqua maceratum, & lavacro candidum factum, cui opponitur ὠμόλινον, quod adhuc crudum est, & nondum maceratum, ex quo etiam funes fiebant. Perperam ὁμόλινον scribitur apud Pollucem lib. x. cap. XVII. Cujus locus ita scribendus est: καὶ δίσκος, καὶ ἀποτόμαδες, καὶ ὠμόλινον. Ἀλλὰ καὶ Αἰσχύλος ἐν Προμηθεῖ Πυρκαεῖ, λινάδες πίσσα, καὶ ὠμολίνου μακροὶ τόνοι. Aliud tamen ὠμόλινον in versu Æschyli, aliud in verbis Pollucis. Ὠμολίνου τόνοι apud Æschylum sunt funes è crudo lino facti. Ut contra ὅπλα λευκολίνου Herodoto rudentes ex lino macerato. Ita ὠμόλινον Æschylo linum est crudum, ex quo & funes, & lintea fieri possunt. At ὠμόλινον Polluci linteum est ipsum ex crudo lino textum. Nam inter res balneis, & gymnasiis convenientes ὠμόλινον recenset. Eo sudorem extergebant in balneis. Hoc sensu ὠμόλινον apud Galenum, Aëtium, Paulum semper accipiendum est. Male filum, aut linum, aut linamentum viri docti interpretantur. Athenæus: χειρόμακτρον δὲ καλεῖται, ᾧ τὰς χεῖρας ἀπεμάττοντο, ὠμόλινον. Ita scribendum. Χειρόμακτρον ὠμόλινον vocat mantile ex crudo lino factum, quo manus extergebantur. Hoc & ὠμόλινον simpliciter dicebatur. Aëtius lib. x ἐν καχεξίᾳ probat ξηροτριβίας δι' ὠμολίνων, *frictionis siccas ex crudariis linteis*. Latini *crudarium* similiter dixere linteum ex crudo lino. Glossæ: ὠμόλινον, *crudarium*. Hesychius: ὠμόλινα, ἄγρια ὀθόνια. Sic legendum, non ὠμόλια. *Agrestia* vocat *lintea*, non ex agresti lino facta, quasi & silvestre sit, & sativum, sed ex duro, impolito, & crudo lino texta. *Funium ex crudo sparto* meminit Plinius. Sed dicat aliquis verisimile non esse ὠμόλινον, vel *crudum linum* appellari, quod non sit aqua maceratum. Nec enim posse membranam detrahi nisi ex macerato. Quomodo igitur neri queat & texi, si non aqua maceretur? Nostro more linum vulsum siccatur, in aquam mergitur & maceratur, deinde tunditur, mox pectitur, postea netur, ultimo texitur, textumque adhuc flavum est, donec frequentibus lotionibus, & aspersionibus aquæ candorem sibi conciliet. Ars est quippe, qua candor illi quæritur, sed detexto tantum & jam linteo. *Crudariam telam* vulgo dicimus, quæ postquam detexta est, lotionem lixivam non est experta. Similiter & *crudarium filum*, quod à netu lixivo lavacro maceratum non fuit. At veteres linum iterum in filo polibant, & silici crebro inlidebant cum aqua, textumque rursus clavis tundebant. Plinius lib. XIX de lino: *iterum deinde in filo politur illisum crebro silici ex aqua, textumque rursus tunditur clavis semper injuria melius.* Ita legendum postulant Latinitas & libri, non, ut vulgo est, *inlisum in silice*. Filum etiam ipsum apud nos hodie candidatur, cujus usus in consuendis candidis linteis. Omolina igitur lintea ex crudo, impolito, & adhuc flavo lineo filo texta. Et *crudum* linum, quod maceratum, politum, & aqua dealbatum non est. Politio quippe lini ex aqua, in qua maceratur. Plinius: *& Hispania citerior habet splendore præcipuum, torrentis in quo politur natura, qui alluitur Tarraconem.* Et paulo infra: *iterum deinde in filo politur, inlisum crebro silici ex aqua.* Ut poliuntur lini virgæ maceratione ex aqua, in quam demergun-

A tur, ita & filum ipsum crebra aquæ aspersione, cum qua & silici inliditur. Et *cruda lina* Plinius vocat, quæ flava sunt. Eodem capite: *candore Allianis semper crudis Faventina præferuntur.* Alliana lina semper cruda appellat, quæ semper flava manent, utpote quæ nulla maceratione, aut politione candorem trahere possint. Ita igitur semper flava sunt, ac si polita non essent. Ὠμόλινον itaque veteribus linum impolitum, ac minime maceratum. Et ὠμόλινον linteum ex filo flavo, & impolito textum. Μοτὸς ὠμολίνου apud Hippocratem linamentum ex linteo crudo, non ex lino, ut perperam vertunt. Ex linteis ut

B plurimum crudis illi μοτοὶ fiebant. Hesychius: μοτῶσαι δι' ὀθονίων ἰᾶσαι. Erant duorum generum τιλτοὶ & ξυστοί, *carptiles & rasiles*. Τιλτοὶ ex filis lintei carpti fiebant. *Carpiam* hodie vocamus veteri vocabulo, etsi *carpiam* ῥυπαρὸν πῖνον interpretatur vetus auctor glossarum. At ξυστοὶ ex lanugine linteorum derasa. Plinius: *linteorum lanugo è velis navium maritimarum maxime, in magno usu medicinæ est, & cinis spodii vim habet.* Vela navium ex crudo linteo ut plurimum, ideo lanugo eorum utilis ad μοτοὺς in medicina. Ustione ὠμολίνου sæpe utitur Hippocrates. Sic μοτοὶ ξυστοὶ ex linteorum crudorum rasa lanugine, τιλτοὶ ex filis carptis. Lanuginosa lintea etiam apud veteres

C fiebant, quum nostra lanugine prorsus careant. Plinius: *Retovinis tenuitas summa densitasque, candor aque ut Faventinis, sed lanugo nulla, quod apud alios gratiam, apud alios ostensionem habet.* Inde οὐτελχι λίνῳ apud Nicandrum de lino lanuginoso. Quod grammatici de lana exponunt. Ὠμόλινον igitur, & λευκόλινον invicem opponuntur, quia crudum linum flavum est, perfectum & politum, candidum. Ex λευκολίνῳ rudentes facti Xerxi, quorum & pulcritudinem propterea commendat Herodotus. Ut λευκόλινον, sic σπαρτόλινον Dioscoridi, quod suprà exposuimus, nec pœnitet. Sed cum vox λίνον apud Græ-

D cos πολύσημος sit, & funiculum significet, & lineam, forte distinctionis gratia σπαρτόλινον pro planta ipsa dixit, quod seritur, non ut sativum ab agresti discriminet. Alias dixerit σπαρτόλινον pro eo genistæ genere, ex quo lina, id est, retia fiant. Nam, ut scribit Plinius, *Asia è genista facit lina ad retia præcipuè in piscando durantia, frutice madefacto decem diebus.* Nam σπαρτὸς Græcis genista. Λινόσπαρτον fortean Theophrasto dicatur hoc genistæ genus. Quod nomen compositum ex lino, & sparto, id est, genista, ut λινόδρυς ex lino, & quercu. Sic vocarunt, quæ alias χαμαίδρυς. An retia ex genista, id

E est, σπάρτῳ Asia unquam fecerit, addubito. Plinio tamen credamus, qui hoc asserit. In pedicis cervorum, & aprorum, quas Latini etiam retia vocant, laqueus ὁ βρόχος, & σειρίδες ex genista, hoc est, σπάρτῳ fiebant. Xenophon: τὸν δὲ βρόχον τῆς σειρίδος τὸν ἐπὶ τὴν στεφάνην ἐπιτεθησόμενον πεπλεγμένον σπάρτου, καὶ αὐτὴν τὴν σειρίδα. Ἔστι γὰρ ἀσηπτότατον τοῦτο. Σειρὶς, vel σειρὰς est vinculum. Pollux: πλέγμα δ' ἐστὶν ἐκ σπάρτου στερεὸν ἡ σειρίς. Vides ἀσηπτότατον esse σπάρτον Xenophonti. Plinius *præcipue durare* dicit. Ut scias de eadem σπάρτῳ utrumque loqui. Λίνον Græci vocant etiam τὸ σχοινίον, τὴν ὁρμιὰν, τὴν σειρίδα. Ergo λινόσπαρτον id erat genistæ genus, ex quo ejusmodi vin-

F cula, sive funiculi plecterentur. Fortean & retia piscatoria, nisi ὁρμιὰν pro reti acceperit Plinius. Nam Græci λίνον vocant etiam *rete*, non tantum *lineam piscatoriam*. Hinc videtur deceptus. Quod *spartum* Latini vocant, non est Græcorum σπάρτος, sed Iberici junci species, quam Græci λευκαίαν dixere, ut supra notavimus. Athenæus lib. v de nave Hieronis: ὕλην τὴν μὲν ἐξ Ἰταλίας, τὴν δ' ἐκ Σικελίας. Εἰς δὲ σχοινία λευκαίαν μὲν ἐξ Ἰβηρίας, κάνναβιν δὲ καὶ πίτταν ἐκ τοῦ Ῥοδανοῦ ποταμοῦ. *Ad rudentes, spartum ex Hispania.* At Græcorum σπάρτος Latinorum est genista. Spartum Ibericum λευκαίαν Græci vi-

G dentur nuncupasse à candore, quasi candidum juncum dixeris, vel quod candorem traheret ex maceratione, vel quod ceteris juncorum generibus esset candidius, ut multæ arbores, & herbæ congeneres foliis λευκοῖς, & μέλασι distinguuntur. Σπαρτὸν, ut dixi, genistam dicebant, cujus plura genera. Quid est igitur, quod heic dicit Plinius, poliam gemmam sparti canitiem indicare, & duriorem spartopolion. An τὴν λευκαίαν ἀντὶ τῆς λευκῆς, & pro canitie accipit; & σπάρτον in voce *spartopolios* pro sparto? Hoc perridiculum esset. Sed libri scripti culpam hanc à Plinio in correctores ejus transmovent,

vent, dum legunt: *Polia canitiem quamdam sardi inducit, eamdem duriorem, nigra spartopolios.* Parvæ mutationes magna plerumque momenta conficiunt. Totus ille locus sic venit legendus: *polia canitiem quamdam inducit sardio, eamdem rariorem nigro, spartopolios.* Polia gemma est, quæ radicem, vel fundum habet colore sardii, vel sardæ gemmæ, id est, rubrum, cui inducta est canities quædam. Unde & *polia* dicta. Nam πολιὰ est canities. Eamdem porro canitiem, sed rariorem, non rubro, sed nigro inductam, & impositam habet, ideoque σπαρτοπόλιος appellatur, id est, canis sparsa. Græci σπαρτοπολίους appellant homines, qui non penitus sunt cano capite, sed quibus intermixti cum nigris cani, qui caput aspersum canis habent. Glossæ: σπαρτοπόλιος, *incanus.* Sed *incanus* est valdè canus. At σπαρτοπόλιος canis aspersus, qui & σπαρνοπόλιος & μιξοπόλιος. Hesychius: σπαροπόλιος, ὀλιγοπόλιος. Nam σπαρνὸς Græcè rarum significat, σπάνιον ὀλίγον. Cujus eadem origo est. Utrumque enim ἀπὸ τοῦ σπείρειν. Idem: σπαρνὰς, σπανίους, ἀραιὰς διεσπαρμένας. Nam quæ feruntur, hinc inde spargi solent, non in congeriem, & acervum jactari. In personis Tragicis senex fuit, qui dicebatur λευκὸς, qui totus erat canus. Pollux: ὁ δὲ λευκὸς ἀνὴρ πᾶς μέν ἐστι πολιός. At σπαρτοπόλιος mixtos habebat nigros canis. Idem: ὁ γε μὴν σπαρτοπόλιος, δηλοῖ τὴν τῶν πολιῶν φύσιν. *An duriorem canitiem* Plinius dixit τὴν σκληροτέραν, ut quæ funiculis, hoc est, σπάρτοις, quàm pilis esset similior? Sic σκληρότριχας Græci vocant, quibus mollis, ac tenuis capillus non est, sed durus & crassus. Ut σκληροτέραν ἐρέαν, quæ molli, ac delicato lanicio opponitur. Ita σπαρτοπόλιον interpretatus fuerit de dura canitie, quæ funiculis propior quàm pilo. Σπάρτος Græcè filum, funiculus, linea. Si ita accepit, falsum arbitror. Reliqua emendationis nostræ verissima. Inducta canities nigræ, aut rubræ gemmæ, quæ in summitate canitiem habet inspersam. Sic in sardonyche unguis humani color velut carni, hoc est, rubro impositus intelligitur. Vide, quæ suprà notavimus de sardonyche. *Spartopolia* vocatur in indice, non *spartopolios.* In eo ita scriptum est: *polias, ptolias, spartopolia.* Quasi tres gemmæ hoc loco descriptæ fuerint à canis dictæ, quum hodie duæ tantùm reperiantur. Sed puto legendum: *polia, spartopolia.* Ridiculus est medicus ille magnus Italorum κώδων, qui κορσοειδῆ, πολιὰν & σπαρτοπολίαν gemmas de lapide carystio accipiendas putat, ex quo mantelia texebantur, quæ igni non absumerentur. Quem errorem castigavimus suprà.

Selenites translucet candido melleoque] Non hoc dicit Plinius candido pariter, & melleo colore translucere hanc gemmam, sed ex candido translucere melleo fulgore. Quod longè diversum est. *Selenites*, inquit, *ex candido translucet melleo fulgore, imaginem lunæ continens.* Aliud in gemma *color*, aliud *fulgor.* Etenim aliter in tralucido fulgent, aliter in dejectu, & inclinatione, aliter in suspectu, aliter contra solem, aliter in umbra, & variè in variis relucent posituris gemmæ. Selenitis gemma candida est, quæ melleo fulgore translucet. Sic melichrysi colore quidem aureo sunt, sed melleo colore translucent. Plinius: *in eodem genere sunt melichrysi, qui veluti per aurum sincero melle translucent.* In tralucido fulgor ille melleus selinitis, & melichrysi spectatur, & in corpore gemmæ est, non in superficie relucet. In aliis pro inclinatione, & situ fulgor variatur, & à colore gemmæ divertit. Idem de sy: tide gemma: *inveniuntur in Lucania è melleo colore croco refulgentes.* Color in his melleus, qui in croceum fulgorem exit. Ita de choaspide lapide, quem viridem esse ait idem Plinius, sed fulgoris aurei. Verum de his nos in alio opere. Seleniten candidissimum esse canit Nonnus:

> Τῇ μὲν ξανθὸς Ἴασπις ἐπέτρεχε, τῇ δὲ σελήνης,
> Εἶχε λίθον πάλλευκον.

Totus est candidus, sed fulgore melleo translucet. Λευκὸς & διαυγὴς Dioscoridi. Causa nominis, quod lunæ imaginem contineat, eamque juxta cursum ipsius sideris diebus singulis vel minuentem, vel augentem. Ita Solinus ex Plinio, qui sic habet, *imaginem lunæ continens, redditque eam in dies singulos crescentis minuentisque numeris.* Ita ex veteri libro restituendum. Male in editionibus, *crescentis minuentisque numero.* Luna per numeros, & gradus crescit, ac decrescit. Latini per numeros, & gradus aliquid perfici, & incrementum accipere dicunt, quod paulatim, nec per saltum crescit. Hinc illa apud poëtas:

> *Per numeros veniunt ista gradusque suos.*

Et alibi:

> *Per numeros fient ista gradusque suos.*

Tertullianus *modulationes menstruas* appellat gradus istos, ac numeros lunæ crescentis, ac decrescentis. Sed σχηματισμοὺς ejus potius, qui in singulos menses variantur. Ac *numeri* sunt incrementorum, ac decrementorum gradus, qui in singulos dies accedunt, ac decedunt. De selenite ita prodit Dioscorides: λίθος σεληνίτης, ὅν τινες ἀφροσέληνον ἐκάλεσαν διὰ τὸ εὑρίσκεσθαι αὐτὸν νυκτὸς μέσον ἐν τῇ παραυξήσει τῆς σελήνης. Nugæ sunt de aphroselene, & lunæ spuma, quasi in eum lapidem luna despumet. Certo certius scribendum est: ὅν τινες αὐξοσέληνον ἐκάλεσαν. Ratio nominis, quam adducit Dioscorides, id prorsus evincit, διὰ τὸ εὑρίσκεσθαι αὐτὸν νυκτὸς μέσον ἐν τῇ τῆς σελήνης παραυξήσει. Cum luna plena est, & ipse fulgore veluti lunæ plenæ relucet. Ideo pleniluniis, & noctu facilius invenitur. Græcè αὐξοσέληνον luna plena dicitur, ut πληροσέληνον. Nec αὐξοσέληνον hic lapis vocatur, quod cum luna crescat, ac decrescat, sed quod fulgore plenæ lunæ luceat. Hoc de astrio gemma tradidit etiam Plinius: *intus à centro ceu stella lucet fulgore lunæ plenæ.* Hunc lapidem & αὐξοσέληνον propterea videntur nuncupasse quidam, sed & cum selenite confudisse. Mulierem habitiorem, & pleno vultu insignem *lunæ plenæ* nomine vulgo vocamus. Ita Græci αὐξοσέληνον. Macedonius de meretricula quadam, cujus plenior habitus in maciem abierat senectute, morbo, & coitus raritate, τὸ αὐξοσέληνον in ea dejecisse dicit. Epigramma ipsum apponam, quia nondum est editum:

> Τὴν ποτὲ βακχεύουσαν ἐν εἴδεϊ θηλυτεράων,
> Τὴν χρυσοκροτάλῳ σειομένην σπατάλῃ
> Γῆρας ἔχει καὶ νοῦσος ἀμείλιχος, οἱ δὲ φιληταὶ
> Οἵ ποτε τριλλίστως ἀντίον ἐρχόμενοι
> Νῦν μέγα πεφρίκασι, τὸ δ' αὐξοσέληνον ἐκεῖνο
> Ἐξέλιπεν, συνόδου μηκέτι γινομένης.

Ubi αὐξοσέληνον appellat bonam & plenam puellæ habitudinem. Vulgo dicimus, *l'embonpoinct.* Terentius *bonam naturam* in Eunucho.

> *Tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas.*

Donatus *plenam*, & *pinguem* interpretatur: & *junceas*, tenues & pallidas. *Plenos* Latini de pinguibus, & crassis dicunt, ut & nos hodie facimus, quos & *repletos* vulgo indigetamus. Ovidius:

> *Turgida, si plena est, si fusca est, nigra vocetur:*
> *In gracili macies crimen habere potest.*

Sic & *plenum filum* pro crasso & pingui:

> ---- *pleno velamina filo.*

Et apud Spartianum *plena barba.* Inde ergo & plenilunium. Τὸ αὐξοσέληνον bonus, & plenus, sive pinguis habitus in puella. Nec possum probare, quod viro doctissimo amico nostro placebat per αὐξοσέληνον intelligi debere quæstum, quem corpore faciebat illa meretrix, & pensionem veluti menstruam. Quod non potest verum videri, ita nimis alienum est, & longe arcessitum, & plus quam una metaphora, vix VI. deducendum. Luna primum in hac loquutione accipi deberet pro mense, deinde mensis pro menstrua pensione. Postremo menstrua pensio pro diurna, vel pro captura qualibet. Nec enim menstruum quæstum corpore faciunt meretrices, sed in diurnum sedent. Omnibus diebus patent, & omnibus horis. Denique pro quæstu menstruo nemo omnium est, qui αὐξοσέληνον Græce interpretari queat, qui modo Græcæ linguæ, aut communis sensus intelligens videri velit. Aut igitur illud est, quod diximus, aut nihil est. In verbis autem Dioscoridis αὐξοσέληνον pro ἀφροσέληνον legi ideo jam minus placet, quia primum id contra librorum fidem est, deinde quod sensus plane repugnat. De alio illo lapide intellexit, atque non de eo, quem Plinius describit. De quo nos infra. Dioscorides, qui seleniten lapidem αὐξοσέληνον etiam appellatum scribit, non eum μειοῦσθαι, καὶ αὔξεσθαι ad cursum lunæ dicit, sed

reperiri

reperiri μεςὸν ἐν τῇ τῆς σελήνης περιαυξήσει. Brevis, & obscura loquutio, nec satis inde liquet quid velit. Plenum eum lapidem inveniri ait in pleniluniis. Cujus rei plenum? An solidior, & plenior tunc lapis ille, quum aliàs inanis sit, ac levis? Certè κοῦφον hunc lapidem esse tradit. Græci μεςὸν, & ναςὸν sic accipiunt. Hesychius; ναςὸν, μεςὸν, πλῆρες, μὴ ἔχον ὑπόκουφόν τι. Quod plenum est, ac solidum, cui nihil subest inane, aut leve. Nec sanè aliter licet, quidquid feceris, apud Dioscoridem interpretari. Nihil ille habet de lunæ imagine in lapide selenite. Quomodo ergo possis μεςὸν in ejus verbis exponere, de illa imagine lunæ crescente in lapide, prout luna ipsa crescit, & augetur in cœlo? Ut luna implet echinos, & murium cerebella & alia, ita & hunc lapidem, qui circa plenilunia μεςὸς invenitur. Corpus igitur ipsum lapidis crescit, ac decrescit juxta cursum sideris, non lunæ imago, quam repræsentat. Nonnus quoque Panopolitanus seleniten lapidem minui, & augeri cum luna canit his versibus:

---- τῇ δὲ σελήνης
Εἶχε λίθον πάλλευκον, ὃς ἀκερσίοιο θεαίνης
Λειπομένης μινύθει, καὶ ἀέξεται ὁππότε μήνη
Ἀρτιφαὴς σέλας ὑγρὸν ἀποστίλβουσα κεραίης
Ἠελίου γλυκετῆρος ἀμέλγεται αὐτόγονον πῦρ.

Ita distinguendi hi versus. Lapis selenites μινύθει λειπομένης σελήνης, & ἀέξεται quando crescit. Eustathius: οἱ δὲ καὶ σεληνίτην καλοῦσι τὸν τοιοῦτον λίθον, ἐπειδὴ συμπαθῶς φασὶν ἔχει πρὸς τὴν σελήνην, ὡς καὶ ὁ Βορυσθενίτης ἤλεκτρος, καθὰ καὶ προϊστόρηται, καὶ συμφθίνει τε αὐτῇ καὶ συναύξει. Lapis igitur ille alius est, qui solidus, ac plenus in lunæ augmentis invenitur. Ἀφροσέληνον eum vocarunt, quod putaretur ex lunæ spuma concretus esse. Avisena ita quoque legit apud Dioscoridem cap. ccccx. Græci Chimici hunc ἀφροσέληνον Talkum esse volunt. De quo nos infra. Quod autem Plinius scribit seleniten lunæ imaginem continere, eamque reddere in dies singulos crescentis, minuentisque numeris, id ex altero lapide sumptum est, quod *astrion* vocabatur. Hic lapis à centro ceu stella lucebat fulgore lunæ plenæ. Ergo & lunæ imaginem continebat. Quidam σεληνίτην propterea vocarunt. Ideo & σεληνίτην, qui crescit, & minuitur secundum lunæ modulationes, cum hoc astrio multi eumdem fecere. Inde est, quod Plinius suos sequutus auctores, dixit lunæ imaginem in selenite lapide crescere, ac decrescere juxta lunæ incrementa, ac defectus. Atqui selenites, qui lunam sequitur, nullam habet lunæ imaginem, nec ex ea re dictus est selenites, sed quod plenior, & minutior secundum ejus momenta reperiatur. E contra vero *astrion*, qui lunæ plenæ splendore refulget, nullam συμπάθειαν habet cum lunæ cursu, sed ἄσελον, & σεληνίτης dicitur, quod fulgore plenæ lunæ splendeat. Hinc utrumque confudere. Dioscorides *seleniten* λευκὸν, & διαυγῆ tantum esse dicit, hoc est, candidum, & translucidum. Nonnus πάλλευκον. Plinius *ex candido, melleo fulgore translucere* ait. Hoc proprium astrii. Cum enim à centro lunæ plenæ fulgorem ostendat, melleo, ac flavo, ac lunæ simili colore tralucet, quem intus habet. Ipsa autem gemma candida est. Sic ex candido translucet melleo colore, & lunæ imaginem continet. Nulla imago lunæ in selenite, sed ipse lapis candidus in tralucido tenuatur, & augetur ad cursum lunæ. Ideo & αὐξοσέληνον dixere, quod μεςὸς inveniatur, quum plena luna est. Nihilosecius & αὐξοσέληνον illum alterum nominaverunt, quod velut plena luna fulgeat. Nam αὐξοσέληνον est plenilunium, ut πληροσέληνον. Non omittam heic animadvertere, quod notavit Eustathius de electro Borysthenite, id crescere similiter, & attenuari cum luna dicit, ut lapidem seleniten. Unde hoc illi sumptum? Ex his Dionysii versibus:

Τῶν δὲ παρὰ προχοῇσι πεπηγότος ἐγγύθι πόντου
Ἡδυφαὴς ἤλεκτρος ἀέξεται, οἵά τις αὐγὴ
Μήνης ἀρχομένης.

De Panticape, & Aldesco, & Borysthene Scythiæ fluminibus loquitur. Ad eum locum Eustathius: καὶ ὅρα ὅπως συμπαθῶς ἔχει περὶ τὴν σελήνην ὁ τοιοῦτος ἤλεκτρος. Quasi cum lunæ sidere augmenta capiat, ac decrementa. Non hic sensus est Dionysii. Non dicit ἀέξεσθαι οἷα

A μήνην ἀρχομένην, sed electrum illud, quod in ostiis Scythicorum amnium nascitur, splendorem habere instar lunæ crescentis in cornua. Ἀέξεται ἤλεκτρος ἡδυφαὴς οἷά τις αὐγὴ μήνης ἀρχομένης. Ita rectè accepit Priscianus, qui sic vertit:

Immiscent qua se ponti glacialibus undis,
Nascitur electrum præfulgens luce nitenti,
Mense solet primo qualis splendescere luna.

Notandus & alius error Eustathii, qui ἤλεκτρον non *succinum* ibi significare, sed lapidem quemdam, sive calculum littoralem adnotat: καὶ ὅτι τὸν ἤλεκτρον ἐνταῦθα λίθον τινὰ νοητέον, καὶ οὐ τὸ λεγόμενον τῶν αἰγείρων δάκρυον. Ali-
B bi vocat παραποτάμιον λίθον. Fallitur. Succinum intelligit Dionysius, quod in Scythia etiam nasci tradiderunt auctores. Plinius lib. XXXVII. cap. II de succino: *Philemon fossile esse, & in Scythia erui duobus locis, candidum atque cerei coloris quod vocatur electrum: in alio loco fulvum, quod appellatur sualternicum.* Et eodem capite circa finem: *Xenocrates non succinum tantum in Italia, verum etiam thyon vocari, à Schythis vero sacrum, quoniam & ibi nascatur.* De candido porro electro accipiendum in illis Dionysii versibus. Talis enim color est lunæ novæ, & crescere incipientis. At electrum,
C quod in ostiis Padi colligebatur, χρυσαυγὲς appellat, quia cerei, vel aurei coloris esset. Hinc flavos, & aureos crines electro similes canit Ovidius:

---- *electro similes, auroque capillos.*

Hi sunt, quos *succinos crines* in Poppæa sua carmine quodam vocaverat Nero. Avienus candidum illud electrum Dionysii, vel lunæ novæ splendore fulgens, pro crystallo accepit. Sic enim Græcos illos versus reddidit:

Hic dites venæ niveum gignunt crystallum,
Atque heic indomito tellus adamante rigescit.

Græca vero sic habent:

D Ἡδυφαὴς ἤλεκτρος ἀέξεται, οἵά τις αὐγὴ
Μήνης ἀρχομένης, ἀδάμαντά τε παμφανόωντα.

Legerat Avienus apud hunc Solinum, Scythiam pretiosissimum crystallum edere. Ideo candidum electrum, quod in Scythia nascitur, de crystallo interpretatus videtur. Ad seleniten ut redeamus, eum lapidem in Arabia nasci tradunt omnes. Plinius: *in Arabia nascitur.* Dioscorides: γεννᾶται δὲ ἐν Ἀραβίᾳ. Quid igitur movit nostrum, ut *seleniten* poneret inter lapides & gemmas, quas Persis gignit?

Continens lunæ imaginem, quam juxta cursum astri ipsius] Ita reposuimus ex libris, & Plinio, quum vulgo ha-
E berent editiones, *quem juxta cursum astri ipsius perhibent diebus singulis, vel minui, vel augeri.* Quod refertur ad lapidem ipsum. Atqui ad imaginem lunæ referri debet, quam ille lapis continet. Plinius: *Imaginem lunæ continens, redditque eam in dies singulos, crescentis minuentisque numeris.* De quo satis disputavimus superiori exercitatione.

Meconites papavera exprimit, myrmecites reptantis formicæ effigie notatur] Haud magis scio, cur horum lapidum nomina inter Persidis gemmas retulerit, quam de selenite, & reliquis, quas omnes ideo tantùm Persidi videtur adscripsisse, ut de iis hoc loco posset scri-
F bere. Meconiten ex capite illo Plinii sumpsit, quo gemmæ per alphabeti ordinem exponuntur. Cur non inde, & ex eadem litera sumpsit *meroctem*, & *myrsiniten*, & ceteras, quæ ab eadem litera illa incipiunt? Eodem certe jure & illas omnes poterat in hunc locum transferre, & lapidibus in Perside nascentibus adnumerare. Sed abscondere voluit furtificam manum, & vestigia furti abolere, quantum potuit, mutando & invertendo, falsa etiam ac contraria prodendo. Myrmeciten, quem huic jungeret, ex sequenti capite transcripsit, quo gemmas recenset Plinius, quæ ab anima-
G libus cognominantur. At poterat ex eodem deligere *myrmeciadem*, quæ sic dicta est, quod eminentias verrucis similes habeat. Ἡ μυρμηκιάς. Nam μυρμηκία est verruca. Glossæ *verruca*, μυρμηκία. *Verrucæ*, ἀκροχόρδονες μυρμηκίαι. Hesychius: οἰδήματα, & ἐξανθήματα περὶ τὸ σῶμα interpretatur. Apud eumdem μυρμηκίων exponitur ὁ ἥλους ἔχων ἐν ταῖς πτέρναις, qui tabernacula sub pedibus habet. *Gemursas* Latini vocabant. Nos *corpora*. Alia igitur μυρμηκιάς gemma à myrmecitide.

tide. Ita enim Plinius omnia fere lapidum illorum, quas gemmas esse vult, genere sequiori concepit. Ut *myrmecitis*, *myrsinitis*, *myrrhitis*, & similia. Sic enim libri scribunt, & subaudiendum *gemma*. Ἡ μυρσινῖτις, ἡ μυῤῥῖτις, ἡ μυρμηκῖτις. Ita & eodem loco *morochtis* scribi debet, ἡ μοροχθὶς. Male legitur, *merottes*. In indice habetur *merochtis*. In aliis codicibus, *morochites*. De ea sic scribit: *Morochtis porracea lacte sudat.* Μοροχθὶς Dioscoridi dicitur, eademque λευκογραφὶς & γαλαξίας. Ex his tribus unius lapidis cognominibus Plinius duo genera lapidum diversa fecit, & unum herbæ. Nam galaxiam ab hac morochtide aliam statuit, & λευκογραφίδα inter herbas recenset. Sic ex tribus trifolii cognomentis tria genera condidit. Aëtius μοροξὸν hunc lapidem appellat λευκογραφίδα. Eo utebantur Ægyptii ad dealbanda lintea: ᾧ χρῶνται, inquit, σιλπνοῦντες τὰς ὀθόνας. Dioscorides: ᾧ ἢ οἱ ὀθονοποιοὶ πρὸς λεύκωσιν τῶν ἱματίων χρῶνται, μαλακῷ ἢ διανέτῳ ὄντι. Colore viridem esse Aëtius ait: ὑπόχλωρος τῷ χρώματι, ἐὰν παρατρίβῃ ἀνόνη, ἡ ἱματίων τράχυτητι λευκαίνει τὸν τόπον, *cum sit subviridis; si ad cotem atteratur, aut asperitate vestium locum dealbat.* Plinius porraceam esse morochtida, & lacte sudare. Porraceum est πράσινον, vel ὑπόχλωρον. Lacte sudat. Nam & μοροχθὶς τῶν εἰς χυλὸν ἀναλυομένων λίθων unus est, & lacteo succo sudare certum est. Sartores vestium hoc lapide utuntur in delineandis, quos ad modulum corporis in vestem cædunt, pannis. Nam & subviridis est, & lineam albam per vestimentum ductus facit, præcipue si saliva tangatur.

Chalcophthongos resonat ut pulsata æra] Plinio *chalcophonos*, hoc est, χαλκόφωνος. Nam ita etiam in indicis libro, ut vetustissimum præfert exemplar. Alius liber in textu habet, *calcoponos*. Sed idem est χαλκόφθογγος & χαλκόφωνος, ut λιγύφωνος, & λιγύφθογγος. Plinius: *Chalcophonos nigra est, sed illisa æris tinnitum reddit.* Sequitur heic apud Solinum: *pudice habitus servat vocis claritatem.* Quam sententiam expressit ex his Plinianis, *tragœdis, ut suadent, gestanda.* Quod ita interpretatus est Solinus, gestandam esse chalcophonon tragœdis, quia servat vocis claritatem. Et recte istud quidem. Nam claritatem vocis maximè affectabant tragœdi, nec propter aliud eis gestandus suadetur hic lapis. Sed quid est, quod addit, pudice habitum servare claritatem vocis? An nisi pudice habeatur, nihil confert servandæ vocis claritati? Nihil de eo Plinius. Puto Solinum scripsisse: *pudicè habitis servat vocis claritatem*, τοῖς ἁγνῶς ἔχουσιν ὀξεῖαν φωνὴν τηρεῖ. Ita loquitur noster, ut supra capite v. *Dianam, qui ad Camerinam fluit, si habitus impudice hauserit, non coibunt in corpus unum latex vineus, & latex aquæ.* Quos *tragœdos* Plinius dixit, hic *pudice habitos* maluit dicere, non solum putidæ affectationis, sed etiam sollemnis immutationis studio, ne proderet auctorem. At *pudice habiti* tragœdi sunt, quia ad vocem conservandam venere abstinebant. Ideoque fibulam peni imponebant. De fibula tragœdorum, & comœdorum nos alibi.

Siderites à contemplatione ferri nihil dissonat] Id est, à ferri similitudine, vel effigie. Plinius: *Sideritis ferro similis est.* Ita supra de pantheris: *tradunt odore earum, & contemplatione armenta mire affici.* Ubi & *contemplationem* pro facie, vel effigie posuit, τῇ ὀσμῇ καὶ τῷ εἴδει. Sic Græci φαντασίαν aliquando usurpant. Sic Latini recentiores *visionem*. Auctor, qui sub Æthici nomine vulgatur: *Fluvius Savus nascitur apud Noricum de monte Alpium, currens per campos, se in modicam rotunditatem concludit in modum visionis amygdalæ: intus includit Sciseiam: iterum se ad unum redigens, transit per Sirmium, & Singidunum coloniam, & jungit se Danuvio flumini, & omnes simul per crines supradictos intrant Pontum, & vocatur Hister.* Ita legendus ille locus ex vetustissimo nostro codice, & Thuanæo, qui cosmographiam illam non Æthico, sed Julio Oratori tribuit, cujus meminit Cassiodorus. Nam Æthicus alius est, Histricus Sophista, quem de Græco translatum ab Hieronymo, & nondum editum vetus idem liber habet ex Bibliotheca Thuanæa. *Visio amygdalæ* est species, vel similitudo amygdalæ, ut hic *contemplatio ferri*. Græcia infimi sæculi θεωρίαν, & θεωρίαν pro specie usurpat. Ut θεωρίας ἐσθήτων, βοτανῶν, δένδρων passim dicunt.

Pag. 48. D. *Maleficus, quoquo inferatur, discordias excitat*] Plinius: *litigio illata discordias facit.* In veteri codice: *litigio interlata.* Putaret aliquis scribendum: *litigia inlata & discordias facit.* Quocunque inlata litigia, & discordias facit. Nihil tamen mutandum. Illata litigiis discordias excitat, & accendit. Solinus more suo sententiam immutavit.

Pag. 49. A. *Phlogites ostentat intra se quasi flammas æstuantes*] Apud Plinium hodie legitur: *in phlegontide intus ardere quædam videtur flamma, quæ non exeat.* Sed *phlegontis* Græce formari non potest. Corrige ex hoc loco, *in phlogitide intus.* Nam Plinio ἡ φλογῖτις gemma, qui Solino ὁ φλογίτης lapis. Corrupte in veteri codice, quem vidi: *imago deintus.* Pro *astrapia* legendum ibidem, *astrapæa.* Ἡ ἀστραπαία. *Astrapæa in nigro, aut cyaneo discurrunt è medio fluminis radii.* In indice legitur: *astraphea.* In veteri libro: *astrapea.*

Anthracias coruscat velut scintillantibus stellis] In quibusdam libris: *in modum scintillantium stellarum.* Sic in margine habet scriptum optimus Regius. Apparet lectionem esse alterius editionis. Plinius *anthracitin* vocat: *in anthracitide scintillæ discurrere aliquando videntur.* In scripto exemplari habetur: *in anthracite scintillæ discurrunt, aliquando & nigræ.* Legendum in *anthracide*, ut sit ἡ ἀνθρακὶς: vel *in anthraciti.* Alia tamen est *anthracitis*, quam inter carbunculorum genera retulit, in Thesprotia fossilem, & carbonibus similem. Alius porro & *anthracites lapis* è genere hæmatitarum. Solinus legisse in Plinio videtur: *in anthracia scintillæ discurrunt.* Sed ille *anthraciam* gemmam dixit, non *anthracian*, τὸν ἀνθρακίαν. *Coruscat scintillantibus stellis*, σπινθηρίζει, σπινθηρακίζει, ut de carbunculo dixere.

Enhydros exudat, ut clausam in eo putes fontaneam scaturiginem] Ita libri omnes, *exudat*, hoc est, exsudat, ἐξιδροῖ. Glossæ: *exsudo*, ἐξιδρῶ. Isidorus habet *exundat*: *Enhydros ab aqua vocata. Nam aquam exundat, ita ut clausam in ea putes fontaneam scaturiginem* Sed melius in eo scribatur, *aquam exudat.* Nihil minus reddidit Solinus, quam quod Plinius de hoc lapide scripsit. Noster hic vult enhydron semper exsudare, & extimam superficiem aqua madefactam habere, veluti clausam intus contineat scaturiginem aliquam, ex qua ille humor erumpit. At dicit Plinius revera intra illum lapidem liquorem quemdam cohiberi, qui ad motum intus fluctuat, ut in ovis non emanat is liquor, nec exsudat in superficiem, sed intus inclusus est, & quum movetur lapis, fluctuat. Hinc ἔνυδρος dictus, quasi aquam intus habens. Verba Plinii: *Enhydros semper rotunditatis absolutæ in candore est levis, & ad motum, fluctuat intus in ea veluti in ovis liquor.* Libri eo loco legunt: *veluti novus liquor.* Sed rectè emendatum, *veluti in ovis liquor.* Nullus horum lapidum in Perside nascitur. Divinavit noster, qui Persidem iis patriam assignat. Sed de industria hoc commentus est, vel eo fine, ut celaretur auctor, vel eo, ut locum de his gemmis tractandi heîc sibi faceret.

CAPUT XXXVIII.

Cilicia. In ea Cydnus amnis, antrum Corycium, mons Taurus.



PAg. 49. B. *Ciliciam, qua de agitur*] Ita libri. Ἀρχαϊκῶς, ut *quo de agitur* passim apud Ciceronem, & alios. Vulgo: *de qua agitur.* Mirum vero, quod hic ait de terminis antiquis Ciliciæ, tam late eos olim patuisse, ut usque ad Pelusium Ægypti pertingerent, Lydis, Medis, Armeniis, Pamphylia, Cappadocia sub imperio Cilicum constitutis. Adjungere his debuit & Syriam & Phœnicen. Etenim si usque ad Pelusium Ægypti fines Ciliciæ aliquando se protenderunt, Syriam utique, & Phœnicen, & Judæam, & partem etiam Arabiæ, quæ Pelusio contermina est, comprehendisse oportet. Casium in Arabia auctores ponunt. At Ciliciæ quondam fuerit, siquidem fines ejus Pelusium usque pertingebant. Hæc prodigia Soliniana sunt. Addit: *mox ab Assyriis subacta in breviorem modum scripta est.* Quando id factum? Diodorus refert Ninum primum Assyriorum regem imperio suo subjecisse finitimas omnes regiones, & inter eas Syriam, Ciliciam, Pamphyliam, Cariam, Phrygiam. Ergo ante Nini regis tempora tam lati fines Ciliciæ extitere, ut eos describit. Postea in breviorem gyrum coacta est, eosque terminos accepit, quos ei veteres omnes dant geographi. Hæc prorsum ἀνιστόρητα, & monstrifica. Cilices imperium maris diu tenuerunt, & piraticam potenter exercuerunt, adeo quidem ut μέχρι τῆς Ἰταλίας eos θαλαττοκρατῆσαι scribat Strabo. Mirum quin scripserit noster Ciliciæ terminos usque in Italiam pervenisse. Ita sane debuit. Sub regibus Syriæ post Alexandri Magni tempora, hæc Cilicum potentia sumpsit initium, & incrementum, quæ in tantum adaucta est, ut Romani missis exercitibus, & Imperatoribus suis eam evertere dignum habuerint. Πειρατεία hæc potius fuit quam legitimum, & recte constitutum imperium. Hujus piratici dominatus auctorem primum Cilicibus fuisse dicit idem Strabo Diodotum Tryphonem, quem Antiochus Demetrii in castello quodam conclusum ad mortem coëgit. Τοῖς δὲ Κίλιξιν, inquit, ἀρχὴ μὲν τὰ πειρατικὰ συνίστασθαι, Τρύφων αἴτιος κατέστη, καὶ ἡ τῶν βασιλέων οὐδένεια, τῶν τότε ἐκ διαδοχῆς ἐπιστατούντων τῆς Συρίας ἅμα καὶ τῆς Κιλικίας. Regum inertia, qui à Seleuco Nicatore per successionem Syriæ simul & Ciliciæ præerant, huic Tryphoni, & aliis rerum novarum moliendi occasionem præbuit. Quo tempore & Syria ab his alienata est. Eadem occasione permoti Parthi, quæ trans Euphratem erant, occuparunt: deinde & Armenii regiones extra Taurum ditioni suæ subjunxerunt ad Phœniciam usque, & mare Cilicibus tradiderunt. Hos postea Romani subjugarunt. Ita Strabo. Quam diverse ab his falsidicis Solini monstris! Sub imperio Cilicum Lydos, Medos, & Armenios constitutos fuisse ait. Quam id falsum! Contra ea Medi, & Armenii Ciliciæ regionem omnem, quæ extra Taurum, dominationi suæ subdidere, tradito Cilicibus maris imperio. De Pamphylia id verius videri posset. Nam Tryphon in urbe Pamphyliæ Side ὁρμητήριον suæ piraticæ constituerat. Quod addit Ciliciam usque ad Ægypti Pelusium pertinuisse, propter ademptam Syriam Regibus hoc dicit, & quod oram maritimam usque ad Ægyptum, dum mari potirentur, totam fere Cilices obtinebant. Non tamen Cilicia usque eo fines suos promoverat, quod ridiculum est. Usque in Italiam excurrebant, nec tamen Italiæ finibus terminatam tum fuisse Ciliciam dici queat. Oram illam maris à Pelusiaco ostio usque ad Ciliciæ fines ex Artemidoro ita describit, ac metitur Strabo: καί φησιν ἀπὸ μὲν τοῦ Πηλουσιακοῦ στόματος εἶναι τετρακισχιλίους ἐννεακοσίους σταδίους εἰς Ὀρθωσίαν, ἐπὶ δὲ τὸν Ὀρόντην ποταμὸν χίλια ἑκατὸν τριάκοντα. Ἐπὶ δὲ τὰς ὄρους τῶν Κιλίκων χίλια διακόσια ἑξήκοντα. Quod mox sequitur apud nostrum, quot modis ineptum est, ac falsum? *mox ab Assyriis subacta, in breviorem modum*

A *scripta est.* Si de Assyriis intelligit sub Nino rege, id falsissimum. Quippe longe post illa tempora imperium Cilicum, & maris dominatio fuit. Ante Ninum nihil de eorum potentia terra marive legitur. Et notius id est, quam ut pluribus adstrui debeat. An per *Assyrios* Parthos & Armenios designare vult, quorum illi dissensione, & inertia regum Syriæ adducti trans Euphratem sita Ciliciæ, & Cappadociæ occuparunt: hi Ciliciam τὴν ἔξω Ταύρου sui juris fecerunt, relicto Cilicibus maris imperio? De his verisimile est sensisse. Sed nec illi proprie Assyrii, nec verum est per hos breviorem Ciliciæ modum factum, aut eam B strictioribus terminis circumscriptam. Si ex eo quod Cilicum dominatum imminuerunt, fines etiam Ciliciæ diminuisse censendi sint, quanto justius id de Romanis dicatur, qui & maris imperium eis ademerunt, quod Armenii reliquerant? Hæc inepta, nugatoria, falsa, & sibi contraria. Quæ in alio mirarer, in Solino nec reprehendenda sunt, quia totus his constat, nec habet meliora cetera. Terminos Ciliciæ non multum ab antiquo mutasse colligi potest ex auctoribus. Hoc saltem tradit Plinius finem an- C tiquum Ciliciæ fuisse Melanem amnem: *Sed in continenti oppida, Myanda, Anemurium, Coracesium, finisque antiquus Ciliciæ Melas amnis.* Alii non à Melane amne, sed à Coracesio initium Ciliciæ sumebant. Strabo lib. XIV. Εἶθ' ὁ Μέλας ποταμὸς, καὶ ὕφορμος, εἶτα Πτολεμαῒς πόλις, καὶ μετὰ ταῦτα οἱ ὅροι τῆς Παμφυλίας, καὶ τὸ Κορακήσιον ἀρχὴ τῆς τραχείας Κιλικίας. Scylax Caryandæus Coracesium etiam Pamphyliæ adjudicat. Εἰσὶ δὲ, inquit, καὶ ἄλλαι πόλεις Παμφυλίας Κίβυρα, εἶτα Κορακήσιον. Primam urbem Ciliciæ nominat *Selinuntem*, Ptolemæus Ἰωτάπην, quæ inter Selinuntem & Coracesium. Σολουν- D τίδος τραχείας χώρας Ἰωτάπη, Σελινοῦς. Ita legendum, non Σελευτίδος, nec Δελευτίδος. Σολουντὶς regio ab urbe Solunte, quæ Stephano Σολοῦς. Idem Ptolemæus Coracesium, & Syedra in Pamphylia recenset, & ibi tamen Ciliciæ Tracheæ tribuit: & sic innuit Ciliciæ olim hæc fuisse. Κιλικίας τραχείας Κορακήσιον, Σύεδρα. Straboni dicitur Συδρὴ lib. XIV. Μετὰ δὲ τὸ Κορακήσιον Συδρὴ πόλις. Legendum Σύεδρα πόλις. Eam urbem restituimus olim apud Florum de Pompejo: *pulsus Syedris, deserto Ciliciæ scopulo.* Ubi vulgo legitur, *pulsus Hedris.* Restituenda item Lucano lib. VIII, ubi de eadem fuga E Pompeji loquitur:

---- *sequitur pars magna Senatus*
Ad profugum collecta ducem, parvisque Syedris
Quo portu mittitque rates, recipitque Selinus.

Male excuditur *Synedris.* Pejus est, quod in aliis erat *Celendris.* Ridiculi, qui *Synedros* senatorium concessum interpretantur. Stephano Σύεδρα Ἰσαυρίας πόλις, quæ eadem est. Alii breviores terminos, ac strictiores Ciliciæ statuerunt, ut Artemidorus, qui non ab Melane amne, nec à Coracesio, sed à Celenderide principium Ciliciæ ad occidentem ducebat. Strabo: εἶτα πύργος Μελανία, καὶ Κελένδερις πόλις λιμένα ἔχουσα. Τινὲς δὲ ταύτην ἀρχὴν F τιθέασι τῆς Κιλικίας, οὐ τὸ Κορακήσιον, ὧν ἐστὶ καὶ Ἀρτεμίδωρος. Portis Amanicis ad orientem terminabatur, ubi ὅρια τῆς Κιλικίας καὶ τῆς Συρίας erant. Ita de finibus Ciliciæ novis, & antiquis ex varia auctorum opinione disputare debuit Solinus, non eas nugas effutire, quas heic blaterat, de antiquo ejusdem statu, & terminis, quos habuit olim, quum alios non habuisse certum sit ab iis, qui supra dicti sunt. Ab illo porro Melane fluvio, quem finem Ciliciæ antiquum fuisse docet Plinius, diversus ille Melas amnis, cujus in Cappadocia meminit Ptolemæus, qui ex monte Argæo ortus in Euphra- G tem sese effundit. Hujus & mentio extat apud Strabonem, ut & illius Ciliciæ, vel Pamphyliæ.

In breviorem modum scripta est] Melius: *in breviorem modum stricta est.* Nisi *scripta est* posuerit pro *circumscripta est.* Quod non videtur. Error inde, quod vitioso more

more scribendi librariis antiquis usitato *stripta* legebatur. Sic *populum* pro *poculum* in antiquissimo Livii codice legi. Et apud Nonium in loco quodam Varronis: *Anancaa populo Nobilium Tarentinarum*, pro, *Anancaa pocula.* In libro veteri Notarum Tironis & Senecæ, *Pithepus* & *Cercopithepus* scriptum est. *Strictus*, ἐσφιγμένος, coarctatus, coërcitus.

Plurima jacet campo] Plurima campo jacet, ubi πεδιάς est. Nam in πεδιάδα, & τραχεῖαν dividebatur. Πεδιηνοὶ Cilices dicebantur, qui πεδιάδα colebant. Latine *Campanos* liceat dixisse. Inde & *Campania* Italiæ nomen nacta est. Inde & nostra *Campania.* Glossæ: *Campania*, πεδιάς. Camporum planitiem ita hodieque vocamus. Campania Ciliciæ ab Isso ad Tarsum extenditur.

Pag. 49. C. *A Cilice nomen trahit*] Herodotus de Cilicibus: οὗτοι δὲ τὸ παλαιὸν Ὑπαχαιοὶ ἐκαλέοντο, ἐπὶ δὲ Κίλικος τοῦ Ἀγήνορος ἀνδρὸς Φοίνικος ἔσχον τὴν ἐπωνυμίην. Agenoris tres filii, Cadmus, Phœnix, & Cilix. At noster heîc Cilicem facit Phœnicis filium. Quidam certe ex veteribus Europam non Agenoris, sed Phœnicis filiam esse prodiderunt. Apollodorus: ἔνιοι δὲ Εὐρώπην οὐκ Ἀγήνορος, ἀλλὰ Φοίνικος λέγουσι. Europæ fratres, Cadmus & Cilix. Si Europam Phœnice patre natam nonnulli scripsere, iidem Phœnicem Cadmo & Cilici patrem dedere. Alii Cilicem Neptuni filium fuisse volunt, inter quos Pherecydes. Cum ad quærendam Europam Agenor filios misisset, una cum his ad ejus investigationem exiit Telephassa mater, καὶ Θάσος ὁ Ποσειδῶνος, ὡς δὲ Φερεκύδης φησὶν Κίλιξ. Ergo secundum Pherecydem non unus de liberis Agenoris fuerit Cilix, sed Neptuni filius. Ceterum τερατολογίαι sunt, & nugæ Solinianæ solitæ, quod heîc ait de Cilice, *quem ætas pristina ultra ævum memoriæ abscondit*, & de Phœnice ejus patre, *qui antiquior Jove de primis terræ alumnis habetur.* Cur antiquior Jove Phœnix, quum fabulæ concinant Europam ab Jove raptam, quam Phœnicis alii filiam, alii sororem tradunt? Nec Phœnix terræ alumnus, id est, γηγενής, quem Agenore, & Telephassa natum produnt. Sed in fabulis, & in mendacissimis, ac vanissimis auctoribus, qualis est noster, fidem veri, vel constantiam quærere mera dementia sit.

Hunc Phœnice ortum] Scholiastes Apollonii: ἐκ γὰρ τῆς Κασσιεπείας τῆς Ἀράβου Φοίνικι γίνεται Κίλιξ, καὶ Φινεὺς, καὶ Δόρυκλος, ὁ δὲ Ἀτύμνιος κατὰ μὲν ἐπίκλησιν καὶ αὐτὸς τοῦ Φοίνικος, ταῖς δὲ ἀληθείαις τοῦ Διός. Sic est ibi legendum. Ergo Cilix Phœnicis filius, & Cassiepeæ, Phœnix Agenoris, & Telephassæ. Ἀτύμνιος ille Phœnicis creditus filius is est, quem *Atymnum* vocavit noster supra, ubi dicit eum à Gortyniis coli, & Europæ fratrem haberi. Nam Europam quidam non Agenoris, sed Phœnicis filiam tradidere. Male legebatur illo loco in anterioribus editis. *Idem Gortynii Cadmum colunt Europæ fratrem.* Ubi ex antiquis codicibus reposuimus *Atymnium.*

Tarson, quam Danaæ proles nobilissima Perseus locavit] Ita libri. *Danaa*, ut *Hermiona*, *Circa*, *Hippolyta*, & similia ἀρχαϊκῶς. *Locavit* pro condidit. *Locare* κτίσαι. Unde *locus* ἡ κώμη, ubi ædificia sunt. Græcis similiter χωρίον locus ædificatus, castellum, villa. Sic & *ponere* pro eodem Curtius: *munimenta manu posita.* Hinc *positiones*, κτίσεις. Festus: *positiones*, *ædificia.* Locum hunc de Tarso imitatus est Ammianus lib. XIV. *Ciliciam vero, quæ Cydno amne exultat, Tarsus nobilitat, urbs perspicabilis. Hanc condidisse Perseus memoratur Jovis filius & Danaes.* Quid est *urbs perspicabilis*? Legendum: *urbs perspicua: Nobilis hanc condidisse Perseus memoratur.* Ex Solino: *quam Danaæ proles nobilissima Perseus locavit.* Multa habet ex hoc auctore auctor ille. *Perspicua* urbs est clara, pulcra, & conspicua. Ita tum loquebantur. Macrobius de Julia: *profusi cultus, perspicuique comitatus.* Apulejus de Psyche: *cum sua sibi perspicua pulcritudine*, id est, clara, ἐνδήλῳ, περιβλέπτῳ. In poëmate Eucheriæ *rosa perspicua*:

> *Perspicuamque rosam dira cicuta premat.*

Item *perspicua perdix* ibidem:

> *Tristis perspicua sit cum perdice tavanus,*
> *Junctaque cum corvo pulcra columba cubet.*

Hunc Cydnum alii præcipitari Tauro, alii derivari

A *ex alveo Choaspis tradiderunt*] Qui sunt isti, quibus traditum est, Cydnum Ciliciæ amnem derivari ex Choaspis? Illos aliquos, si qui tamen sunt, similes huic nostro esse oportet, æquè futiles, & nugaces. Etenim quî pote derivari Cydnum ex alveo Choaspis? Hoc iste tamen pro confesso, & certo ponit, qui Cydnum ideo dulcem esse scribit, quia dulcis sit & Choaspis. *Ex illo*, inquit, *parente Cydnus miram trahit suavitatem.* Non verius est, quod suprà tradidit, Nili & Euphratis fontes sub eadem parallelo, & ad idem perpendiculum esse constitutos.

Ex alveo Choaspis] Libri: *Choaspi.* Ita loquitur noster.
B *Choaspi* pro *Choaspis.* Infrà. *Xerxi: sed hæc Xerxi clementia sacras ædes non diu a malo vindicavit.* Et alibi, *Ulissi*, *Achilli.* Vide grammaticos.

Cydnum gentili lingua quidquid candidum est Syri dicunt] In libris: *quidquid candidum est, illinc homines Cydnum vocant.* Rectius. *Illinc homines*, sunt Cilices, quorum amnis Cydnus. Sic supra de basilisco: *mustelis tantum vincitur, quas illinc homines inferciunt cavernis, in quibus delitescit.* Indigenas *illinc homines* vocat. *Inde gentes* similiter alibi vocat τὰ ἐγχώρια ἔθνη. *Astapum inde gentes vocant.* Pro quo perperam reposuerat Delrius
C *indigetes.* Sic supra *inde reges*, id est, locorum illorum reges. Quod & ibi corruptum fuerat. Vulgata lectio ex altera editione est.

Pag. 49. D. *Tumet vere, quum nives solvuntur*] In regio codice: *cum liquuntur nives.* Ad oram adscriptum idem habet: *cum solvunt nives.* Atque ita planè scriptum in altero regio, & aliis quibusdam. Quæ prioris editionis est lectio. *Solvunt* pro solvuntur, ut *vertunt*, *mutant*, & similia.

Circa Corycum Ciliciæ] Libri quidam, iique vetustissimi: *circa Corion*, pro *circa Corycon.* Paulo post rectè iidem habent: *det licet Sicilia, det Cyrenæa, det & Lycia.* Melius sic certè, quam quod est in editionibus, *Cy-*
D *rena.* More Græcorum *Cyrenæam* dixit Cyrenæorum regionem. Theophrastus: τὸ δὲ θύον, οἱ δὲ θύαν καλοῦσι, παρ' Ἄμμωνι τε γίνεται, καὶ ἐν τῇ Κυρηναίᾳ. Sic Latine passim *Narbonensem*, *Viennensem*, *Urbicariam* absolutè dicunt subintelligentes regionem, vel provinciam. Sequitur de croco Corycio: *spirat flagrantius, colore plus aureo est, succi ope citius proficit ad medelam.* In optimo libro scribitur: *succo citius proficit ad medelam.* Scribit Dioscorides Corycium crocum εἰς τὰ φάρμακα magis esse χρήσιμον. Quod dicit colore plus aureo esse, haud scio an verum dicat. Nam Centuripino croco ad theatra replenda præcipuè usos veteres Romanos, διὰ τὸ
E πολύχυλον καὶ τὸ εὔχυλον idem Dioscorides observat. Inter optimi notas non numerant auctores τὸ εὔχυλον. Commendatur illis tamen ὁ βάπτων ἐν διέσει τὰς χεῖρας. Quod Isidorus vertit: *& cum carpitur, manus inficiens*, immo, *quum liquescit*, *& solvitur*, hoc enim est διέσις. Inde εὐδίετος, qui facile liquescit, ὁ εὐδιυς διειμένος. Mendum tamen est in illis Dioscoridis verbis. Nam διέσις nihil ad manus pertinet, nec τὸ εὐδίετον. Omnino scribendum, ὁ βάπτων ἐν πιέσει τὰς χεῖρας, id est, qui manus tingit, dum atteritur, dum premitur. Oribasius apud Aëtium inter optimi croci notas & hanc
F numerat: πλήρης, ἀθρόως, ἀλιπής, βάπτων ἐν τῇ παραπιέσει τοὺς δακτύλους εὔχρως. Nec aliter in Græco, unde accepit, legisse Isidorum apparet, qui vertit: *quum carpitur, manus inficiens.* Sed verbum πιέζειν ita sumpsit, ut tum vulgo Græciæ sumebatur pro capere, vel carpere. Πιάζειν hoc sensu magis dicebant. Hinc ὀρνιθοπιάστης auceps Hesychio, qui aves capit, ἰξευτής. Et in orneosophio, vel accipitraria Græcorum, ἐξωπιάστοι falcones, & accipitres appellantur, qui foris capiuntur, & extra nidum. *Passagiarios* vulgo vocitant nostri, si bene memini. Opponuntur iis, qui in nido capiuntur, quos *nidarios* appellant Græci, πωλοτρόφους.
G Meliores illos & præstantiores habent. τὰ φαλκώνια ἐξωπίαστα κρείττονα παρ' ὃ τὰ πωλοτρόφα. Perperam vir eruditus ἐξωπίαστον interpretatur, *qui pullos non alit.* Glossæ: πιέζω, *prehendo*, *presso*, capio, carpo. Hesychius: πιέσαι, πιάσαι. Isidorus itaque πίεσιν pro captura, vel carptura accepit. Scribit Dioscorides de croco: ἔστι κράτιστος ἐν χρήσει ὁ Κωρύκειος πρόσφατος, καὶ εὔχρους. Hoc est, quod heîc ait, *Corycium colore plus aureo esse*, *& succo citius*

proficere ad medelam. Ut scias nostrum & Græcos auctores aliquando consuluisse. Nihil quippe de eo apud Plinium legit.

Et specus, qui montem impositum mari à summo cavat vertice] Hæc habet è Pomponio Mela. Verba Melæ: *non longe hinc Corycos oppidum portu, saloque incingitur, angusto tergore continenti adnexum. Supra specus est nomine Corycius, singulari ingenio, ac supra quam ut describit facile possit eximius. Grandi namque hiatu patens montem littori appositum, & decem stadiorum clivo satis arduum ex summo statim vertice aperit.* Confundit Mela Corycium specum cum Coryco promontorio, quod mari adpositum erat. Vult quippe summum illius promontorii verticem cavatum fuisse in specum, qui & *Corycius* dicebatur. Aliter Strabo, qui Κώρυκον ἄκραν, & Κωρύκιον ἄντρον aperte distinguit his verbis: καὶ Κραμβοῦσα νῆσος, καὶ Κώρυκος ἄκρα, ὑπὲρ ἧς ἐν εἴκοσι σαδίοις ἐσὶ τὸ Κωρύκιον ἄντρον. Non dicit in vertice Coryci promontorii esse Corycium antrum, ut accepit Mela, quasi hic sensus sit Strabonis, supra verticem hujus montis in ascensu viginti stadiorum aperiri Corycium antrum. Ὑπὲρ ἧς interpretatus, *supra cujus jugum, in cujus summo vertice.* Nam descriptionem Corycii specus hausit è Strabone, vel ex alio auctore, qui iisdem verbis eam descripserat. Melam sequutus est Solinus, qui montem Corycum mari impositum specu cavari dicit à summo vertice. Longo alia mens Græci auctoris. Κώρυκος ἄκρα ad mare: supra eam, id est, à mari introrsum recedens viginti stadiûm spatio distat antrum Corycium. Non aliter capere licet hæc verba, ὑπὲρ ἧς ἐν εἴκοσι σαδίοις ἄντρον Κωρύκιον. Eum specum ibi seorsim describens ait esse κοιλάδα κυκλοτερῆ, ἔχουσαν περικειμένην ὀφρὺν πετρώδη, πανταχόθεν ἱκανῶς ὑψηλήν. Nihil hæc ad montem Corycum mari impositum pertinent. Quod ut scias esse verissimum, addit ibidem Strabo in eo specu Corycio specum alterum inferius patere, qui fontem habeat unde fluvius effunditur, puram & perspicuam aquam vehens. Hunc fluvium statim in cuniculum mergi: ubi aliquantisper subterraneo meatu iverit, in mare exire. Longiuscule igitur à mari submotum oportet fuisse specum istum Corycium, unde amnis ille erumpit. Quippe si manaret è monte mari imposito, in mare sese protinus effunderet, nec tantulum sub terra spatium ejus cursui daretur. De eo amne ita scribit Mela. *ibi ingens amnis ingenti fonte se extollens tantummodo se ostendit, & ubi magnum impetum brevi alveo traxit, iterum demersus absconditur.* Hoc non possit facere è monte in mare prominenti erumpens. Nam Corycus mons ἄκρα est, promontorium scilicet, vel prominentia mari incumbens. At Corycius specus convallis est, in rotunditatem satis alte assurgente supercilio cincta undique. Strabo κοιλάδα κυκλοτερῆ vocat, id est, rotundam vallem. Nam κοιλὰς est vallis. Glossæ: *vallis*, φάραγξ, καὶ κοιλάς. Hesychius βαθεῖαν γῆν interpretatur. Hanc porro κοιλάδα, specum, & antrum appellarunt, quia non tam vasto hiatu inter montes aperta esset, ut vallis, aut convallis nomen mereretur. Strabo ita eam describit: ἐσὶ δὲ κοιλὰς μεγάλη κυκλοτερὴς ἔχουσα περικειμένην ὀφρὺν πετρώδη, πανταχόθεν ἱκανῶς ὑψηλήν: *Cavitas ceu vallis magna ac late patens, in rotundo posita, in circuitu habens supercilium saxeum, undique satis alte sese extollens.* Ut scias hæc Græca Strabonis, aut similia expressisse Pomponium, ὀφρὺν πετρώδη ἱκανῶς ὑψηλήν, vertit *clivum satis arduum.* Ad verbum ἱκανῶς ὑψηλὸς est *satis arduus.* Non nimium altum, aut arduum montem hæc designant, sed modicè excelsum. Altitudinem illam, quot stadiorum esset, non expressit Strabo, qui simpliciter ἱκανῶς ὑψηλήν eam dixit. Mela expressit hoc modo: *decem stadiorum clivo satis arduum.* Unde igitur habet illa decem stadia? Ex ipso Strabone, quem perperam accepit. Dicit ille supra promontorium Corycum viginti stadiorum intervallo esse Corycium specum. Sic ille hoc sumpsit, veluti à radicibus montis Coryci ad verticem viginti stadia clivus haberet. Quia vero hæc altitudo nimia videbatur, quam ut cum verbis illis congruere posset, ἱκανῶς ὑψηλή, idcirco pro viginti stadiis posuit decem. Ut ascensum porro, id est, clivum à pede promontorii ad ipsum verticem, unde specum aperiri statim putavit, ut inquam ascensum illum decem stadiorum statuit, ita & descensum à vertice per interiora totidem fere stadiorum censuit, hoc est, mille & quingentorum passuum, quæ duodecim stadia faciunt, quasi mollior, atque idcirco longior esset descensus quam ascensus. Solinus hoc loco duum milium & quingentorum passuum facit illum descensum, tanquam ita legerit in Pomponio. Quæ ratio plane congruit cum viginti stadiis Strabonis. Nam ὀκτασάδιον miliare computando, stadia viginti efficiunt duo millia passuum & quingentos. An igitur in Pomponio scribendum: *Viginti stadiorum clivo satis arduum?* Et paulo post: *unus in eum descensus est angustus, asper, quingentorum & duûm milium passuum.* Sic clivi, & descensus eadem foret mensura. Quod verisimile est. Male autem viri docti *clivum* in verbis illis Melæ interpretantur descensum. Immo ascensus est. Glossæ: *clivus*, ἀνάβασις. Inde proverbium, *adversus clivum equum agitari*, id est, contra ascensum, in quo laborant equi. Ovidius:

In clivo noster sæpe laborat equus,

de re ardua, ac difficili, quæ enitenda est. Inde *arduum*, pro difficili. Plautus:

Adversus clivum te quadrupedem agitabo.

Et apud Petronium, *in clivo sudare.* Hinc *declive*, τὸ κάταντες. *Adclive*, τὸ ἄναντες. Glossæ: *declivus*, κατάβασις. Ergo *clivus* ἀνάβασις. Ita Latini hac voce *clivus* proprie usi sunt. Alioquin *clivus* tam ascensum, quam descensum significat. Nam proclinata montium latera proprie hæc vox designat. Ex Græco κλιτὺς, quæ τὸ ἀπόκλιμα montis notat. Æolice κλιτὺς, ut ἀρτὺς concordia & conjunctio, Æolice ἀρτύς. Amorem sic appellarunt. Inde *clivus*. κλίτυες, ἀποκλίματα τῶν ὀρῶν, τὰ κατωφερῆ. Insigni igitur hallucinatione Pomponius spatium, quod est inter Corycum promontorium, & Corycium specum pro intervallo accepit, quod à pede montis ad jugum summum patet. Et eodem errore ductus in illo summo vertice jugi mari incumbentis antrum Corycium statuit, quod viginti stadiorum spatio, hoc est, duum milium & quingentorum passuum ab eo distabat. Supercilium illud πετρῶδες, quo undique incinctus est specus Corycius, ἱκανῶς ὑψηλὸν esse dicit Strabo. Atqui si viginti stadiûm ea foret altitudo, non mediocriter, nec ἱκανῶς ὑψηλή, aut satis ardua, sed maxime excelsa dicenda esset. Viginti stadia, ut diximus, efficiunt duo milia & quingentos. Refert Plinius Dicæarchum prodere ex montibus, quos Regum cura permensus fuerat, altissimum esse Pelion, mille ducentos & quinquaginta passus altum ratione perpendiculi. Longe plus habuisse in clivo censendum est. Clivi porro, & perpendiculi major, aut minor in mensura definitio, prout magis procumbit, aut assurgit mons. Ut ut sit, non quælibet illa montis altitudo, quæ in clivo non molli, sed arduo, duo miliaria & quingentos passus insumit. Etenim clivus, quum in rectum surgit, parum abest à ratione perpendiculi. Plinius etiam confundit specum Corycium cum monte, qui littori appositus est, & impositus mari. *Juxtaque mare*, inquit, *Corycos eodem nomine oppidum, & portus, & specus.* Specum de monte accipit, quia in summo montis vertice. Prorsum juxta Melæ sententiam. In specu Corycio nascebatur crocum, non in ipso promontorio Coryco. Strabo: καὶ Κώρυκος ἄκρα, ὑπὲρ ἧς ἐν εἴκοσι σαδίοις ἐσὶ τὸ Κωρύκιον ἄντρον, ἐν ᾧ ἡ ἀρίστη κρόκος φύεται. Ἐσὶ δὲ κοιλὰς μεγάλη κυκλοτερής. Non igitur in ipso monte Coryco, qui in mari prominet, crocum nascitur, sed in illa valle, vel specu, quæ viginti stadiis ab eo monte abest. Curtius vocat *Corycium nemus*, in quo crocum gignitur. Plinius *in monte Coryco* optimum nasci ait, & confundit montem cum specu. Dioscorides cum palmam dedisset τῷ Κωρυκίῳ. Δευτερεύει δὲ, inquit, ὁ ἐκ τῆς περὶ Λυκίαν Κωρυκίς, καὶ ὁ ἀπὸ τῆς Λυκιακοῦ Ὀλύμπου. Quæ mira sunt. Quasi velit dicere primum, ac præstantissimum crocum esse Corycium è Coryco monte: secundum vero è Corycio Lyciæ. Quid hæc sibi volunt? An aliquod in Lycia Corycium? Certe Corycium antrum longe à Lycia. Item Corycus mons. Præterea auctores provinciam citius nominare solent, in qua locus aliquis

aliquis situs est, quam eam, cui vicinus est. Mendosa igitur illa sunt, ἐκ τῆς πρὸς Λυκίαν Κωρυκίε. An scribendum, ἐκ τῆς πρὸς Σελεύκειαν Κωρυκίε? Nihil propius videtur. Primatum dat croco Corycio, ex monte scilicet Coryco. Nam ἐθνικὸν Κωρύκιος ἀπὸ τῆς Κώρυκος. Secundas tenet κρόκος ἐκ τῆς πρὸς Σελεύκιαν Κωρυκίε. Ἐκ τῆς Κωρυκίε, subintellige κοιλάδος. Coryciam intelligit vallem, vel antrum Corycium. Hæc vallis haud longe à Seleucia Trachea, quæ ad Calycadnum amnem sita est. Corycos mons ad mare: at Corycia vallis viginti supra eam stadiis introrsum à mari recedit, & Seleuciam accedit. Ptolemæus in ora maritima ordine recenset Καλυκάδνε ποταμε ἐκϐολὰς, Ζεφύριον ἄκρον, Κώρυκον. In mediterraneo ad Calycadnum posita Seleucia, cui vicina est Corycia, vallis duobus milibus & quingentis passibus à mari distans. Ideo autem forsitan deterius facit crocum, quod ex Corycia valle, quam quod ex Coryco monte, quia montanum præstantissimum. Theophrastus: καὶ ὁ κρόκος ὅ τε ὀρεινὸς ἄοσμος, καὶ ὁ ἥμερος. Plinius vocat *silvestre*. *Crocum silvestre optimum.* Quod in Corycio specu nascebatur, in umbrosis locis proveniebat. Nam totus interior situs vallis croco repletus erat, qui lucis ex summo vertice impendentibus inumbrabatur. Strabo de Corycio antro, quod κοιλάδα vocat: παρέσπαρται δὲ καὶ τὰ ἔδαφη τὰ φέροντα τὸν κρόκον. Hæc sunt, quæ dici possunt ad loci illius Dioscoridis explicationem, & emendationem, quem ex Plinio aliter antea constituere volui. Sed illi sæpe haud tutum est credere. Genus unum tantum agnoscit Corycii croci, quia Corycum promontorium confundit cum Corycio antro. Strabo vero crocum in Corycio tantum specu nasci vult, non etiam in promontorio, vel monte Coryco mari imposito. Dioscorides utrobique provenire tradit, sed optimum asserit τὸν Κωρύκιον, ex Coryco scilicet monte. Nam ἀπὸ τῆς Κορυκίε gentile esset Κωρυκιώτης. Sic alius esset crocus Κωρύκιος, alius Κωρυκιώτης. Ille ex Coryco monte, hic ex Corycio specu. Stephanus Κωρύκιον ἄντρον prope oppidum Corycum collocat: Κώρυκος πόλις Κιλικίας, παρ᾽ ᾗ τὸ Κωρύκιον ἄντρον νυμφῶν. At Κώρυκον montem ἀρσενικῶς λεγόμενον non alium agnoscit præter eum, qui Teo vicinus & Erythris Ioniæ. Hinc constat eum Κωρύκιον antrum, & montem Ciliciæ Corycum confundere. Verum præter hanc Corycon urbem Ciliciæ Dionysius etiam aliam habet Corycum Pamphyliæ, de qua his versibus:

Ἄλλαι δ᾽ ἑξείης Παμφύλιδές εἰσι πόληες
Κώρυκος Πέργη τε καὶ ἠνεμόεσσα Φάσηλις.

Ibi Eustathius ex Strabone citat, Κώρυκος καὶ Φάσηλις Παμφύλων τόποι. Alii Lyciæ tribuunt Phaselidem. Ptolemæus in Lycia ponit, sed à Phaselide oram maritimam Pamphyliæ incipere facit: μετὰ Φασηλίδα πόλιν Λυκίας, ἡ Παμφυλίας παραλία. Inde quod in collimitio esset Lyciæ & Pamphyliæ, alii Lyciæ, alii Pamphyliæ assignant. Idem & de Coryco. Ergo & Corycos Pamphyliæ, vel, ut alii etiam volebant, Lyciæ, longe utique remota à Coryco, inter Olympium & Phaselidas; quas urbes Lyciæ accenset Ptolemæus, Κώρυκον Αἰγιαλὸν recenset Strabo lib. XIV. Ἐν τούτοις δὲ ἐστὶν ἥ τε Κράμβουσα, καὶ ὁ Ὄλυμπος πόλις μεγάλη, καὶ ὄρος ὁμώνυμον, καὶ Φοινικοῦς καλεῖται, εἶτα Κώρυκος Αἰγιαλὸς, εἶτα Φάσηλις, τρεῖς ἔχουσα λιμένας πόλις ἀξιόλογος καὶ λίμνη. Sic inter Olympum urbem, montemque cognominem, & Phaselin littus erat Corycium. Ptolemæus inter eas urbes nullam recenset. Ἱερὰ ἄκρα, Ὄλυμπος πόλις, Φάσηλις. Strabo littus Κώρυκον interponit. Alii etiam urbem hoc nomine agnoscunt, ut Dionysius, & certe Strabo ipse, qui ab Attalo Philadelpho conditam esse docet, & Attaliæ ab eodem conditæ vicinam facit in illo littore. Verba Strabonis sic legenda sunt: εἶτα πόλις Ἀττάλεια ἐπώνυμος τῆς κτίσαντος Φιλαδέλφε, καὶ οἰκίσαντος εἰς Κώρυκον πολίχνιον, ἄλλην κατοικίαν ὅμορον, καὶ μικρὸν περίβολον περιθέντος. Male igitur οἰκήσαντος, & male hujus loci sententiam reddunt. Dicit Attaliam condidisse Attalum, & vicinum vicum, κατοικίαν ὅμορον, in parvum oppidulum instruxisse circumdatis mœnibus, & Corycum vocasse. De vico non clauso, hoc enim κατοικία significat, oppidum Corycum fecisse plane innuit. Ergo Attalia, & Corycus vicinæ in Pamphylio littore.

A Alii eamdem urbem fuisse volunt Attaliam & Corycon. Stephanus in voce Ἀττάλεια: οἱ δὲ τὴν Κιλικίας Κώρυκον οὕτω φασὶ λέγεσθαι, ὡς Δημήτριος ἀπὸ Ἀττάλε Φιλαδέλφε, κτίσαντος αὐτήν. Sed Corycum Ciliciæ confundit ille Demetrius cum Coryco Pamphyliæ. Nam Corycon Pamphyliæ eamdem cum Attalia quidam fecerunt propter vicinitatem, & quod utraque eumdem habuisset conditorem. At Ciliciæ Corycus longe ab Attalia. Hæc τῶν Κωρύκων ὁμωνυμία aliis etiam fraudi fuit, ut Curtio, qui Lyrnesson, & Theben urbes in Cilicia prope Corycum ponit, quæ juxta Corycon Pamphyliæ fuerunt. Ita enim scribit de Cilicia lib. III.

B *Multa in ea regione monumenta vulgata carminibus vetustas exederat. Monstrabantur urbium sedes Lyrnessi & Thebes, Typhonis quoque specus & Corycium nemus.* Curtium quidem jam reprehenderunt critici doctissimi, sed non ea parte, qua debuit. Arguunt eum, quod ex Troïca regione Cilicum eas urbes in alteram Ciliciam transtulerit, quæ prope Amanum & Syriam. Lyrnessus inquiunt in Troade: Thebe quoque in Cilicia Hypoplacia prope Troïam, quas urbes Achilles evertit. Cur eas in Ciliciam sine architectis & mœnibus Curtius transportaret, causæ non erat. Sed scire debuerunt eruditi viri, Lyrnesson & Theben etiam in

C Pamphyliæ ora fuisse olim, conditas ab illis Troïcis Cilicibus, qui ejecti fuerant Lyrnesso & Thebe Trojanis oppidis ab Achille eversis. Horum oppidorum vestigia monstrabantur inter Attaliam, & Phaselidem Pamphyliæ. Strabo: Φασὶ δὲ ἐν τῷ μεταξὺ Φασήλιδος, καὶ Ἀτταλείας δείκνυσθαι Θήβην τε καὶ Λύρνησσον, ἐκπεσόντων ἐκ τοῦ Θήβης πεδίε τῶν Τρωϊκῶν Κιλίκων εἰς τὴν Παμφυλίαν ἐκ μέρους, ὡς εἴρηκε Καλλισθένης. Hinc Lyrnesson & in Pamphylia recenset Plinius, quod non ille confinxit, aut somniavit, ut ei perperam imputant viri docti: *Cataractes & juxta quem Lyrnessus & Olbia, ultimaque ejus oræ*

D *Phaselis.* Sane inter Attaliam, & Phaselidem Lyrnessus, & Thebe ponuntur à Strabone, & Attalia juxta Cataracten: ut & Corycus Pamphylica Attaliæ vicina, quam & eamdem cum Attalia fecere quidam. Dionysius:

Κώρυκος, Πέργη τε καὶ ἠνεμόεσσα Φάσηλις.

Curtius à Coryco Pamphyliæ has urbes transtulit ad Corycum Ciliciæ. Hoc tantum erravit. Eodem errore & Λυρνησσὸν in Cilicia recenset Dionysius. Nunc videndum, an de hoc Coryco Pamphylico Dioscoridis locus accipi possit. Nullum certe dubium est quin

E possit. Et sic legenda ejus verba sunt: δευτερεύει δὲ ὁ ἐκ τῆς πρὸς Λυκίαν Κωρύκε, καὶ ὁ ἀπὸ τῆς Λυκιακῆς Ὀλύμπε. Primatum assignat Corycio croco Ciliciæ. Secundas ferre dicit, quod ex Coryco prope Lyciam adferebatur, & ex Lyciaco Olympo, & ex Ætoliæ oppido Ægis. Olympos & Corycos loca vicina. Olympos urbs Lyciæ, & mons cognominis. Huic conjunctum littus Corycium, vel, ut alii, oppidum Κώρυκος. Τὴν πρὸς Λυκίαν Κώρυκον ideo vocat, quia Pamphyliæ quidam attribuebant. Strabo: Κώρυκος, καὶ Φάσηλις Παμφύλων τόποι. Tota illa continentia Olympi Lyciæ, & Coryci ad Lyciam usque croco referta fuit, quod tamen cedebat Corycio Ciliciæ. Hæc indubitanter esse

F vera pronuntiare audeo. Nihilominus etiam certa sunt, quæ de montis Coryci, & Corycii antri differentia supra disputavi. Ὑπὲρ τῆς ἄκρας Κωρύκε situm antrum Corycium, non promontorio ipsi impositum, sed supra situm, & in superiore tractu, & à mari remotiore. Ὑπερκεῖσθαι hoc sensu passim usurpant geographi Græci. Sed & ὑπὲρ hac notione locis omnibus occurrit apud Strabonem. Herodotus Musa quarta: οὗτοι δὲ ὑπὲρ Βάρκης οἰκέουσι κατήκοντες ἐπὶ θάλασσαν κατ᾽ Εὐεσπερίδας. *Supra Barcen incolunt.* Et paulo post: νόμοισι δὲ τοῖσι αὐτοῖσι χρέωνται καὶ οἱ ὑπὲρ Κυρήνης. *Et qui supra Cyrenas colunt.*

G Atque ita alibi. Strabo ipse nunquam aliter loquitur. Libro XV. Εἶτα μυχὸς ἐν εἴκοσι σταδίοις ὑπὲρ τῆς θαλάττης: Viginti stadiis supra mare, id est, longe à mari. Et paulo post: εἶτα ὑπὲρ τῆς θαλάττης ὅσον τετταράκοντα σταδίοις πόλις ἐστὶν ὑψηλή. Ita legendum ex veteri codice. Male vulgati, ἐπὶ τῆς θαλάσσης. Nec enim ad mare est, quæ quadraginta stadiis abest, sed ὑπὲρ τῆς θαλάττης. Sic Corycium nemus ὑπὲρ τῆς ἄκρας Κώρυκον, ἐν εἴκοσι σταδίοις, quæ viginti stadiis longe abest à Coryco promontorio. Male autem

A apud Eustathium legitur eo loco, quem superius adduximus: ἐν ἄλλοις δὲ φησὶν ὁ αὐτὸς ὅτι Κώρυκος ἄκρα Λυκίας μετὰ τὴν ἄκραν τὸ Ἀνεμούριον. Scribendum quippe, ὅτι Κώρυκος ἄκρα Κιλικίας. De Strabone loquitur. Apud Dioscoridem τῆς Κωρύκου πρὸς Λυκίαν nomine vel τὴν ἀκτὴν intelligi oportet. Nam αἰγιαλὸν vocat Strabo, vel τὴν πόλιν. Atque hæc hactenus.

Montem mari impositum à summo cavat vertice.] Quis dubitet hæc expressa ex istis Melæ? *Montem littori appositum ex summo statim vertice aperit.*

Patulus hiatu amplissimo.] Mela: *grandi namque hiatu patens.*

B *Dejectis lateribus in terræ profundum nemoroso orbe amplectitur mediam inanitatem.*] Ipsissima pæne verba Melæ sunt, sic nostro adumbrata: *Tunc alte demissus, &, quantum demittitur, amplior, viret lucis pubentibus undique, & totum se nemoroso laterum orbe complectitur.* Sequitur apud eumdem: *adeo mirificus & pulcher, ut mentes accedentium primo aspectu consternat: ubi contemplari duravere, non satiet.* Ita legendum, non, ut est in vulgatis, *ubi contemplati duravere.* Latina, & proba loquutio, *ubi contemplari duravere*, ἐπεὶ ἐκαρτέρησαν θεωρεῖν, ubi contemplari perseverarunt. Nam *durare* est ὑπομένειν, καρτερεῖν, ad finem usque perseverare. *Non durat facere, non sustinet* C *dicere*, οὐκ ὑπομένει, οὐ καρτερεῖ. Sic in actis Concilii Carthaginiensis, *non patitur facere*, pro non sustinet.

Descensus in eum per duo millia & quingentos passus] De hoc loco diximus suprà. Apud Melam habetur tantum, *mille & quingentos passus.* Mela: *in eum descensus est angustus, asper.* Strabo: καταβάντι δ' εἰς αὐτὴν ἀνώμαλόν ἐστιν ἔδαφος, καὶ τὸ πολὺ πετρῶδες. *Per amœnas umbras, & opaca silvæ agreste quiddam resonantis.* Strabo: μεστὸν δὲ τῆς θαμνώδους ὕλης, ἀειθαλοῦς τε καὶ ἡμέρου. Videtur legisse Mela, καὶ ἀνημέρου, qui vertit *silvæ agreste quiddam resonantis.* At ὕλην ἥμερον vocat Strabo mitium fru- D ctuum silvam.

Hinc inde assidua fontium scaturigine.] Mela: *rivis hinc atque illinc fluitantibus.*

Pag. 49. E. *Ubi perventum ad ima primi sinus, alter specus rursus panditur.*] Mela: *Ubi ad ima perventum est, rursus specus alter aperitur ob alia dicendus.* De hoc specu altero loquitur etiam Strabo in hæc verba: ἔστι δὲ καὶ ἄντρον αὐτόθι ἔχον πηγὴν μεγάλην, ποταμὸν ἐξιεῖσαν καθαροῦ τε καὶ διαφανοῦς ὕδατος, εὐθὺς καταπίπτοντα ὑπὸ γῆς, ἐνεχθεὶς δ' ἀφανὴς ἐξεῖσιν εἰς τὴν θάλασσαν, καλοῦσι δὲ πικρὸν ὕδωρ. Quæ Pomponius sic interpretatus est, quasi diceret, in ima Corycii specus parte rursus alterum specum pan- E di. Quod haud scio, an satis rectum sit. Strabo post descriptionem Corycii specus adjicit, ἔστι καὶ ἄντρον αὐτόθι ἔχον πηγὴν μεγάλην. Dicit in illis locis etiam specum alium reperiri, qui grandem evomat fontem. Non inde sequitur, specum illum alterum in imo, atque intimo recessu Corycii specus patere. Verba illa Græca sic reddidit: *ibi ingens amnis ingenti fonte se extollens tantummodo se ostendit, &, ubi magnum impetum brevi alveo traxit, iterum demersus absconditur.* Ut scias non aliunde hæc hausisse, quam ex Strabone, vel saltem eodem, quo Strabo, fonte.

Quod antrum latis primum patet faucibus, postmodum in F *progressu per angustias obscuratur.*] Mela: *deinde aliquamdiu perspicuus, mox & quo magis subitur, obscurior.*

In eo sacrum est Jovis fanum, in cujus recessu intimo Typhonis gigantis cubile.] Solini, & Melæ verba non aliam ob causam hactenus inter se comparavimus, quam ut palam fieret hunc totum locum, quo specus Corycius describitur, pæne iisdem vocibus è Pomponio mutuatum esse nostrum. Hoc cum ita sit, mirum quantum heic discedit à Pomponii mente. Jovis fani in illo specu non meminit Mela, sed simpliciter Diis sacrum esse dicit hunc alterum specum, qui in imo primi specus panditur: *Totus autem augu-* G *stus, & vere sacer, habitarique à Diis, & dignus, & creditus. Nihil non venerabile, & quasi cum aliquo numine se ostentat.* Sequitur de alio mox specu, in quo Typhonis olim cubile fuisse fabulabantur. *Alius ultra est quem Typhoneum vocant.* Vide cetera. Solinus hoc *ultra* sic accepit, quasi in ulteriore, & interiore sinu ejusdem specus Typhoneum antrum illud, vel cubile positum esset. Immo in ipso intimo recessu Jovis fani Typhonis cubile posuit. *Nec enim aliud hæc sibi volunt: In eo sacrum est Jovis fanum, in cujus recessu intimo Typhonis gigantis cubile positum accolæ credunt.* In recessu nimirum intimo fani Jovis. Atqui fanum etiam illud Jovis commentus est. Specum illum tantummodo Diis sacrum haberi, iisdemque habitari creditum narrat Pomponius. Ultra quem specum alium esse, in quo Typhonis cubile olim fuisse tradunt, quod & Τυφώνειον propterea appellatum. At diversus hic specus Typhoneus ab illo, qui Diis sacer habebatur, nec in eodem uterque loco. Sed talem ubique hunc Solinum jam dedimus cognoscendum.

In cujus recessu intimo Typhonis gigantis cubile positum qui volunt credunt] Ita vetustissima, & optima quæque, atque etiam recognitæ editionis exemplaria. *Qui volunt, credunt.* In aliis exemplaribus: *accolæ crediderunt.* Quod ex altera editione fluxit. Nam & optimus Regius hanc lectionem ad oram adscriptam exhibet. Inde est in aliis, *accolæ, qui volunt, credunt*, ex utraque mixtum. Mela: *Sed quia aliquando cubile Typhonis fuit, &, quia nunc demissa in se confestim exanimat, natura, fabulaque memorandus.* Hanc fabulam qui credere volunt, credunt. Nemo fidem arbitrari rei, quam falsam putat, obligatur. Ideo dicit, *qui volunt, credunt.*

Soloe antiquum oppidum Ciliciæ fuit] Testatur Camers omnia exemplaria, quibus usus est, habuisse, *Heliopolis.* Idem de omnibus, quos vidi, possum testari. Omnes inquam legunt, *Helyopolis*, aut *Eliopolis*, non *Soloe.* In quibusdam etiam disertè *Heliopolis.* Nec putandum est in hoc librorum consensu aliter scripsisse Solinum. Hallucinatio hæc ejus sollemnis, ac solita est. Antiqui nomina urbium sexto casu plerumque proferebant. Ætate Solini, atque etiam superiore id adeo frequens, ut nihil magis. Apud Frontonem notant grammatici in epistola ad Adrianum scriptum fuisse, *Durocortoro Athenæ vestræ.* In libro de coloniis passim hoc casu concipiuntur oppidorum, & coloniarum nomina. *Oppidum Corseolis, Colonia Vejis*, & cetera. Apud Spartianum, *Copto & Ptolemaïde urbes.* Ad quem locum videnda, quæ notavimus. Et apud hunc nostrum suprà capite de Hispania libri omnes sic scriptum præferunt: *Ibi oppidum Olisipone Ulixi conditum.* Cum igitur *Solis oppidum* hoc eodem more enuntiatum legisset pro *oppidum Soli*, vel *oppidum Solos*, τὴν πόλιν Σόλους, putavit oppidum solis esse, hoc est, τοῦ ἡλίου. Hinc nomen urbis Græcè formavit. *Heliopolis.* Hoc indubitatè verum est. Apud Curtium ita hodie legitur in omnibus libris: *Alexander viribus corporis receptis ad urbem Solis pervenit.* Mendosè. Pro ad urbem Solos, aut more illo loquendi, quo suprà diximus. Multæ urbes Ἡλίου πόλεις dictæ, sed Ciliciæ Solos id nominis habuisse non leges. Σώλειαν Dionysius in Bassaricis dixerat ἀντὶ τῶν Σόλων. Sic Τάρσεια pro Ταρσὸς, Κωρύκεια pro Κώρυκος, & similia. Aliud est oppidum Σολοῦς in eadem Cilicia, à quo regio Σολουντὶς, pro qua Σελευτὶς vitiose scribitur apud Ptolemæum. Stephanus tamen ab oppido Σόλοι fœmineum ἐθνικὸν deducit Σολουντίς. Ita enim scribit de Solis Ciliciis: ὁ πολίτης Σολεὺς καὶ Σόλιος, τὸ θηλυκὸν Σολουντὶς, ὡς ἀπὸ τῆς Σολοῦς Σολοῦντος. Quasi *Soli* urbs etiam Σολοῦς dicta sit. Atqui sequitur apud eumdem Σολοῦς, πόλις Κιλικίας, à Solis diversa. Quod autem à Solis Ciliciæ τὸ ἐθνικὸν derivat Σολεὺς, & Σόλιος, manifestè fallitur. Nam gentile Σόλιος ab alteris Solis insulæ Cypri derivatur. Σόλοι in Cypro recensentur à Ptolemæo. Diogenes Laërtius in Solone: καὶ εἰσὶν οἱ μὲν ἔνθεν Σολεῖς, οἱ δὲ Κύπριοι Σόλιοι. Vide vitam Arati. Strabo quoque Cypriæ urbis incolas Solios dictos testatur. Οἱ δὲ ἐνοικοῦντες Σόλιοι καλοῦνται. Sed urbem ipsam Σολοῦντα vocat, non Σόλους. Εἶτα Σολοῦς πόλις, λιμένα ἔχουσα, καὶ ποταμόν, καὶ ἱερὸν Ἀφροδίτης. Forte & Σολοῦς, & Σόλοι oppidum illud Cypri vocabatur, ut Ἀμαθοῦς. A Σόλοι gentile Σόλιος, à Σολοῦς fœmininum Σολουντίς. Sic Solos Ciliciæ, & Cypri confundit Stephanus, dum Σόλιος, & Σολεὺς, & Σολουντὶς ἐθνικὰ ab eodem Ciliciæ oppido deducit. *Soloe Cilicii* Plinio, & Straboni Σόλοι οἱ Κιλίκιοι cognominantur ad differentiam τῶν Κυπρίων.

Quod à Tigrane Armenio subactum & diu solum.] Diu est,

est, quum ita reponendum fuit, summo consensu hanc lectionem asserentibus libris. In editionibus erat: *& diu post, Pompejopolim devictis Cilicibus Cn. Magnus cognominavit.* Diu desolatum, ac desertum hoc oppidum Pompejus instauravit, & Pompejopolim dixit. Stephanus: Σόλοι, Κιλικίας πόλις, ἡ νῦν Πομπηΐου πόλις: Ἑκαταῖος Ἀσίᾳ κέκληται δὲ ἀπὸ Σόλωνος ὡς Εὐφορίων ἐν Ἀλεξάνδρῳ· Ἀνεκτίσθη ὑπὸ Πομπηΐου, καὶ μετωνομάσθη Πομπηΐου πόλις. Sic legendus ille locus. Plinius simpliciter: *Soloe Cilicii, nunc Pompejopolis.* At diu solum esse non potuit hoc oppidum, siquidem à Tigrane subactum, & desolatum, à Pompejo fuit instauratum. Non multum quippe temporis inter Tigranem Armenium, & Pompejum. *Solum*, λειπανδρῆσαν, ἔρημον. Sic *solus locus* Terentio:

---- *ex solo loco*

Orationem sperat invenisse se.

Solus locus, ἐρημία. Menander:

Ἐυρετικὸν εἶναι φασὶ τὴν ἐρημίαν

Οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες.

Ad meditandum, & meditata invenienda optime facere solum locum. Hinc *solæ terræ*, ἔρημοι.

Mons Taurus ab Indico primum mari surgit] Hæc de Tauro omnia è Plinio imitata, & mutata, sed mala, ut solet, fide reddita. Quæ singula heîc videamus. Verba Solini: *Mons Taurus ab Indico primum mari surgit: deinde à scopulis Chelidoniis, inter Ægyptum, & Pamphylium pelagus, objectus septentrioni dextro latere, lævo meridianæ plagæ, occidenti obversus fronte profusa.* Dicit Taurum montem primo surgere ab Indico mari, deinde à scopulis Chelidoniis, qui sunt inter Ægyptum, & Pamphylium pelagus, objectum septentrioni dextro latere, lævo meridianæ plagæ. Ita loquitur, quasi à scopulis demum Chelidoniis dextrum latus septentrioni objicere incipiat mons Taurus, lævum meridianæ plagæ. Atqui ab ipso statim mari Indico, unde primo exsurgit, dextro latere septentrionalis est, lævo meridianus. Quod Plinius plane, ac disertè posuit: *Immensus ipse & innumerarum gentium arbiter, dextro latere septentrionalis, ubi primum ab Indico mari exsurgit, lævo meridianus, & ad occasum tendens.* Plinii mentem non assequutum esse prorsus inde constat. Quid enim illud est quod ait, ab Indico mari Taurum primo surgere, deinde à Chelidoniis scopulis? Si Taurum incipere facias ab Indico mari, & eois littoribus, necesse est terminari dicas Chelidoniis scopulis. E contrà si adversum Chelidonios scopulos ejus exordium statuas, finem ejus, ac terminum constituas oportet in Indico littore. At hic ait ab Indico mari primò surgere, deinde iterum surgere à Chelidoniis scopulis, dextro latere septentrionalem, lævo meridianum, & ad occasum tendentem, quasi à Chelidoniis scopulis novum sumat initium, & inde pergat ad occidentem fronte profusa tendere. Quod est falsissimum. Nam ad eos Chelidonios scopulos finit Taurus ab eois littoribus veniens, aut inde incipit ad eoos pergens limites. Plinii verba, quæ Solinus exprimere voluit, nec intellexit, sic habent: *Taurus mons ab eois littoribus veniens Chelidonio promontorio disterminat.* Hæc non intelligo. *Disterminare* est in duas partes dividere, vel rem aliam ab alia terminare. Chelidonio promontorio quid disterminet Taurus nescio. Legitur in quibusdam: *Chelidonio promontorio disterminatur.* Nihilo verius hoc. Si *Chelidonium promontorium* pro Chelidoniis scopulis posuit Plinius, ut accepit Solinus, utque posuisse verisimile est, qua ratione Chelidoniis illis scopulis Taurum montem disterminari dicere potuerit, non video, aut quid sit *disterminare* non scio. Scopuli illi Chelidonii insulæ sunt Chelidoniæ, sex stadiis à continenti distantes. E regione eorum Taurus incipit attolli, vel desinit. Non igitur illis insulis, vel scopulis disterminatus dici queat. Fuit, cum putarem legendum in Plinio: *Taurus ab eois littoribus veniens Chelidonio promontorio cis terminatur.* Ex quo pronum fuit facere, *disterminatur.* Ab oriente venientem Taurum montem Chelidonio promontorio terminari dicit, & cis quidem terminari. Etenim cis illud promontorium adhuc venit, & contra Rhodum descendit. Vel *cis terminari Chelidonio promontorio* dicat respectu nostri. Ab ultimis quippe In-

A diæ littoribus surgens, & in occidentem pergens, ad citimam nobis regionem, in ea terminatur Chelidonio promontorio. Strabo de Tauro monte: τὸ γὰρ ὄρος τοῦτο ἄρχεται μὲν ἀπὸ Καρίας καὶ Λυκίας, ἀλλ᾽ ἐνταῦθα μὲν οὔτε πλάτος, οὔτε ὕψος ἀξιόλογον δείκνυσιν, ἐξαίρεται δὲ πολὺ πρῶτον κατὰ τὰς Χελιδονέας. Initium Tauri montis ibi statuit Strabo, ubi Plinius terminum. Hic cis terminat Chelidonio promontorio, ille trans Indici maris littoribus. Sed & cis promontorium Chelidonium terminari potest dici, quia adhuc citerius descendit. Nam licet ibi desinat eximia ejus altitudo, in Lyciam tamen, &
B Cariam, & περαίαν Rhodi insulæ capite minutus pergit. Hoc est fortasse, quod ait Plinius promontorio Chelidonio cis terminari. Cragum sanè montem etiam Tauri partem facit. Græci omnes geographi non ab Indis in Asiam Taurum montem ducunt, ut Plinius, sed ab Asia in Indiam dirigunt. Dionysius:

Μέσσα γε μὴν πάσης Ἀσίης ὄρος ἀμφιβέβηκεν,

Ἀρξάμενον γαίης Παμφυλίδος ἄχρι καὶ Ἰνδῶν.

A Chelidoniis scilicet insulis, vel scopulis, quæ in mari sunt Pamphylio. Strabo: διέζωκεν ὁ Ταῦρος μέσην τὴν Ἀσίαν ἀπὸ ἑσπέρας ἐπὶ τὴν ἕω τεταμμένος, οὗ τελευταῖον τὸ Ἴμαον τῇ Ἰνδικῇ θαλάσσῃ συνάπτον. Ab occiden-
C te in orientem incedere facit, contra Plinius ab oriente in occidentem. Arrianus: ὁ Ταῦρος ὄρος ἀπείργει τὴν Ἀσίαν ἀρχόμενος ἀπὸ Μυκάλου τοῦ καταντικρὺ Σάμου τῆς νήσου ὄρους, ἀποτεμνόμενος δὲ τὴν Παμφυλίων, καὶ Κιλίκων γῆν ἔνθεν μὲν ὡς εἰς Ἀρμενίους παρήκει, ἀπὸ δὲ Ἀρμενίων ὡς ἐπὶ Μήδους. Solinus, ut solet, utramque opinionem intermiscuit, ac junxit, quæ tamen invicem sibi contrariæ sunt. Taurum ab Indico mari primum surgere, & ab eois littoribus venire juxta Plinium dicit: eumdem porro rursum à Chelidoniis scopulis surgere, quæ aliorum sententia est. Atqui utrumque in eodem hærere, & in una sede morari non possunt. Cum enim
D à Chelidoniis iterum incipere statuat Taurum, non potest sic pergendo dextrum latus septentrioni objectum habere, lævum meridiei, frontem verò obversam occidenti. Immo conversa omnia sunt. Quippe Taurus incipiens à Chelidoniis insulis dextro latere meridianus est, lævo septentrionalis, & ad littora Indiæ tendit, quibus & terminatur, frontem habens orienti obversam. Huic situs planè contrarius est in Pliniana opinione. Sed consideranti mihi Solinum, & memoria repetenti cetera ejus peccata, hoc mihi mirum non videtur.

Deinde à Chelidoniis scopulis inter Ægyptium, & Pam-
E *phylium pelagus*] Absurdum & falsum. Nec enim Chelidoniæ inter Ægyptium, & Pamphylium pelagus, sed in ipso Pamphylio mari, sex tantum stadiis ab ora maritima Pamphyliæ distant. Oppositum quidem est Pamphylium pelagus Ægyptio, sed inter utrumque mare sitæ non sunt Chelidoniæ. Quod si essent, longè absurdius foret, quod heic dicit Taurum montem à Chelidoniis scopulis incipere. Cum prope absint à Pamphyliæ continenti, in ipso Pamphylio mari, ne Græci quidem dicunt ab illis scopulis incipere Taurum, sed ex adverso illorum. Strabo: ἐξαίρεται δὲ πολὺ πρῶτον κατὰ τὰς Χελιδονέας, id est, *contra Chelidoneas, vel è*
F *regione Chelidonearum.* Sic Arianus καταντικρὺ Σάμου Tauri exordium ponit in monte Mycalo. Ridiculus esset, qui ab insula Samo initium ejus auspicaretur. Quare nec rectè Plinius, qui Chelidonio promontorio montem Taurum terminat, qui desinit è regione Chelidonii promontorii. Sed *cis terminari* dixit, cis mare scilicet. Nam Chelidonium promontorium in mari ipso, undique pelago cinctum. Ideo Taurus mons illo promontorio cis mare terminatur. Nam promontorium trans mare. Ridiculus porro heîc Solinus, qui à Chelidoniis Taurum facit incipere, cum mare Pamphy-
G lium inter Taurum montem jaceat & Chelidonias. Nondum Plinii locus in plenum castigatus videtur. *Chelidonium promontorium* non puto ab eo vocari, quas Χελιδονίας Græci vocant. Alii duas, alii tres, alii quinque numerant. Plinius ipse tres Chelidonias agnoscit capite XXXII ejusdem libri. *Deinde contra Tauri promontorium pestiferæ navigantibus Chelidoniæ totidem.* Habet ex Mela: *Quæ contra Tauri promontorium importunæ navigantibus objacent, Chelidoniæ nominantur.* Inde etiam

 discimus

discimus Tauri promontorium contra Chelidonias esse. Nec dubium est, quin de hoc Tauri promontorio loqui velit, ubi dicit Taurum ab eois littoribus venientem Chelidonio promontorio disterminare. Atqui diversum illud promontorium à Chelidoniis. Scripsisse cum puto: *Chelidoniôn promontorio.* Quia promontorium illud ex adverso Chelidoniarum est. Χελιδονιῶν promontorium vocat, nec enim longè illæ distabant à continenti. Sed & totus locus altius repetendus, ut sanetur; utpote altiori ulcere infectus, quam prima facie videbatur. Ita vulgo scribitur, ubi de Pamphylia tractat. *Junctum ei mare Lycium est, gensque Lycia, unde vastus sinus. Taurus mons ab eois veniens littoribus Chelidonio promontorio disterminat.* Libri meliores ac vetustiores habent *disterminat*, nec mutandum. Verba illa porro sic legenda, atque interpungenda sunt: *Junctum mare, Lycium est, gensque Lycia. Inde vastum sinum Taurus mons ab eois veniens littoribus Chelidoniôn promontorio disterminat.* Promontoria, ut notum est, sinus disterminant, & claudunt. Tauri promontorium, quod est contra Chelidonias, sinum vastum disterminat à Lyciaco mari. *Chelidoniôn promontorium* heîc vocat, quod sit contrà Chelidonias oppositum. *Tauri promontorium* alibi vocavit. Locus hic Plinianus è Pomponio Mela expressus, qui post Pamphyliæ descriptionem ita scribit: *Lycia continuo cognominata à Lyco rege Pandionis filio, atque, ut ferunt, infestata olim Chimeræ ignibus. Sidæ portu, & Tauri promontorio grandem sinum claudit. Taurus ipse ab eois littoribus exurgens vastè satis attollitur.* Dicit Lycium Sidæ portu, & Tauri promontorio grandem sinum claudere. Hic sinus est Pamphylicus, qui à parte Ciliciæ, Sidæ portu: à Lyciæ, Tauri promontorio clauditur. Dionysius:

---- Παμφυλίης ἔνδοθι κόλπου.

Post Coracesium, quo Cilicia aspera terminatur, Side sequitur urbs prima Pamphyliæ. Ab ea sinus Pamphylius incipit. Maritimam oram hujus maris ad occidentem persequenti Phaselis ultima Pamphyliæ urbs, quam & aliqui Lyciæ attribuerunt. Certe Lyciæ erat, sed nihil ei commune fuit, cum Lyciorum communi. Mela, & Plinius, aliique finem Pamphyliæ in Phaselide statuunt. Ptolemæus post Phaselida Lyciæ urbem oram Pamphyliæ maritimam auspicatur ab oppido Olbia. A sacro promontorio, & Chelidoniis ad Olbiam trecenta stadia & sexaginta septem numerari ait Strabo. At Chelidoniarum promontorio sinus ille vastus disterminabatur, juxta Plinium. Non Pamphylius igitur sinus totus intra Tauri promontorium, quod è regione est Chelidoniarum, & Sidæ Pamphylicæ portum includebatur, sed etiam pars Lyciaci maris. Etenim si ora maritima Pamphyliæ ab Olbia incipit, inde etiam Pamphylici maris initium capiendum est. Ergo inter Chelidonion promontorium, & Olbiam Lyciacum est mare. Sed veteres Pamphylicum sinum usque ad Chelidonios scopulos videntur extendisse. Dionysius periegeta de sinu Issico, qui & Pamphylius:

Τοῦ μὲν ἐπὶ προβολῇ Παμφύλιοι ἀμφινέμονται,
Ὅσσον ἐπὶ προβέβηκε Χελιδονιῶν ἐπὶ νήσων,
Σῆμα δ' ἔχει ζεφύρου Παταρηΐδα τήλοθεν ἄκρην.

Quorum versuum hic manifesto sensus est, Pamphylios Issici sinus excurrentem in terras partem circum habitare, quo usque procedit ad Chelidonias insulas: promontorio autem Patareo ad occidentem terminari. Issici inquam sinus terminus ad occidentem Patara promontorium. At eum Pamphylii circum colunt usque ad Chelidonias. Atque ita rectè accepit Eustathius his verbis: ὅτι Ἰσσικὸς κόλπος διὰ τῆς γῆς τῶν Παμφυλίων ἔρχεται, διὸ καὶ Παμφύλιος λέγεται, διήκει δὲ καὶ μέχρι τῶν Χελιδονίων νήσων, ἔχει δὲ τελευταῖον σῆμα πρὸς ζέφυρον τὴν τῶν Παζάρων ἄκραν. Verba illa notanda sunt, Παμφυλίους ἀμφινέμεσθαι ἐπὶ προβολῇ τοῦ Ἰσσικοῦ κόλπου, ὅσσον ἔτι προβέβηκεν ἐπὶ Χελιδονίων νήσων. Latini auctores veteres, qui Dionysium verterunt, longè aliter illum locum acceperunt. Sic enim Avienus reddidit in sua paraphrasi:

Imminet hic late Pamphylia, subluit illic
Unde Chelidonias, inlisum murmurat æquor
Sæpius, & crebra spumescunt æquora rupe,
Terminus hic cautes Patareidis eminet arcis,

A *Ac rursum in zephyrum vada semet cærula curvant.*
Hic salis Ægæi tractus tonat.

Non dicit cum Græcis Issici sinus partem, quæ usque ad Chelidonias protenditur, circum habitare Pamphylios, sed in describendo illo sinu, alibi Pamphyliam imminentem adluere eum canit, alibi Chelidonias insulas subluere: heîc cautem eminere Patareïdis petræ, illic Ægæi maris fluctus intonare. Nec aliter Priscianus intellexit, qui sic vertit locum illum de Issico sinu:

Partibus extremis Pamphylia clauditur isto:
Atque Chelidoniæ rupes cinguntur eodem,
At procul hunc zephyrus finit Patareide summa.

B Tam Pamphyliam, quàm insulas Chelidonias claudi, cingique dicit Issico sinu, prorsus juxta mentem Avieni, non juxta Dionysii, qui Issici sinus accolere Pamphylios memorat, quidquid procedit ad Chelidonias insulas. Ergo oram Pamphyliæ maritimam Chelidoniis insulis terminat. Contra, quas insulas promontorium Tauri, quo sinus ingens Pamphylicus clauditur, inter Sidæ portum, & hoc promontorium comprehensus. Hæc mens Pomponii. Sed quæri dignum est, cur dixerit Lyciam Sidæ portu, & Tauri promontorio hunc grandem sinum claudere, quum Sida Pamphyliæ sit oppidum, & quidem
C ultimum prope Ciliciæ confinia. Sanè Lycia Sidæ portu hunc sinum claudere vix dici possit, nisi absurde, quum tam longe absit à Lyciæ finibus Sida. De Tauri promontorio hoc rectè dicatur. Plinius, cum cetera imitaretur hujus Pomponiani loci, illud de Sidæ portu prætermisit. *Pamphyliæ*, inquit, *junctum mare Lycium est, gensque Lycia. Inde vastum sinum Taurus mons ab eois veniens littoribus Chelidonio promontorio disterminat.* Ultimam oræ Pamphyliæ facit Phaselida, quam & Lyciæ quidam dederunt. Post eam mare Lycium sequi facit, & gentem Lyciam. Inde vastum sinum disterminari Tauri promontorio, quod est contra Che-
D lidonias. Non igitur vastus ille sinus de Pamphylio apud Plinium accipiendus est, sed de sinu quodam Lycii maris, quod promontorio Tauri contra Chelidonias disterminatur. Nec enim sinus sunt sine promontoriis, nec promontoria absque sinibus. Apud Melam vero qui vastum illum claudit Sidæ portu, & Tauri promontorio, de sinu Pamphylio prorsus accipi oportet, quem à Side usque ad Chelidonias extenderunt quidam ex veteribus, ut suprà notabamus ex Dionysio. Nam post Ciliciam prima urbs maritima Pamphyliæ tam Pomponio, quam Plinio nominatur Side.
E Scylax quoque Caryandæus paraplum Pamphyliæ à parte Lyciæ incipientem Side oppido, & portu terminat, quasi ultima Pamphyliæ urbe ad mare. Ἄλλη πόλις Σίδη, Κυμαίων ἀποικία, καὶ λιμήν. Inde *Sidæ portum* dixit Mela. Haud longe ab oppido Side fluvium Eurymedontem ponere videtur idem: *Oppidum Sida, & alter fluvius Eurymedon.* Ptolemæus quoque post Eurymedontis ostia Siden collocat: Εὐρυμέδοντος ποταμοῦ ἐκβολαί. Σίδη. Eam ultimam statuit oræ maritimæ Pamphyliæ Ciliciam versus. Non longè Aspendus, quam juxta Eurymedontem amnem ponunt omnes ferè veteres. Plinius: *amnis Eurymedon juxta Aspen-*
F *dum fluens.* Scylax: μετὰ δὲ Λυκίαν ἐστὶ Παμφυλία ἔθνος, καὶ πόλεις ἐν αὐτῇ αἵδε, Ἄσπενδος πόλις, εἰς ταύτην ὁ ἀνάπλους γίνεται κατὰ ποταμὸν, ὁ δὲ ποταμός ἐστιν Εὐρυμέδων. A Lycia venienti primam urbem Pamphyliæ statuit maritimam Aspendum, & ultimam Sidam. Lyciæ oram extendit usque ad oppidum Pergam. Ita enim Lyciæ descriptionem terminat: νῆσος Λυρναλία, Ὀλβία, Μάγυδος, καὶ ποταμὸς Κέστρος, Πέργη πόλις καὶ Ἱερὸν Ἀρτέμιδος, ἐντεῦθεν παράπλους ἐστὶν ἀπὸ Λυκίας, ἡμέρας καὶ νυκτός. Ita locus ille legendus, qui vulgo corruptissimus. Atqui omnes illas urbes alii Pamphyliæ assignant. Ptolemæus: Παμφυλίας
G παραλία, Ὀλβία, Ἀττάλεια Καταῤῥάκτου ποταμοῦ ἐκβολαί, Μάγυδος, Κέστρου ποταμοῦ ἐκβολαί. Male hodie scribitur apud Ptolemæum Μάτυλος pro Μάγυδος. Pro Cestro fluvio perperam *Oestron* nominant. Editiones Melæ. *Deinde alii duo validissimi fluvii Oestros & Cataractes.* Legendum: *Cestros, & Cataractes.* Idem est, de quo Nicander his versibus licet Ciliciæ tribuat:

---- τήν τε Κίλισσαι
Πρήονες ἀλδαίνουσι περὶ πλημμυρίδα Κέστρου.

De

De nardo Cilicia loquitur. Perga ad Ceſtrum ſexaginta ſtadiis à mari per flumen aſcendenti. Ideo maritimam facit Scylax, & ἐν τῷ παράπλῳ Lyciæ ponit, ut & Aſpendum ἐν παράπλῳ Pamphyliæ, quæ & ipſa ad Eurymedontem ſita, ſed à mari longiuſcule, flumen aſcendentibus, eodem intervallo, quo Perge. Strabo: καὶ μετὰ ταῦτα ὁ Εὐρυμέδων ποταμὸς ὃν ἀναπλεύσαντι ἑξήκοντα σταδίους Ἄσπενδος πόλις. Ptolemæus utramque ἐν τῇ μεσογείᾳ recenſet, & revera ſunt, ſed maritimæ etiam cenſendæ propter τὸν ἀνάπλουν, quo è mari poſſunt adiri per flumen. A Perga igitur, qua ad Ceſtrum Scylax Pamphyliæ παράπλουν auſpicatur, & primam urbem in eo paraplu ad Ciliciam tendenti numerat Aſpendon. Dionyſius maritimam etiam urbem vocat, & inter Pamphylicas primam ſcribit è Lycia venientibus. Taurum à Lycia dicit incipere prope Xanthum fluvium, & uſque ad Pamphyliam procedere, & Cragum nominari:

Παμφύλων καὶ μέχρι, Κράγον δέ ὁ φημίζουσι
Κεῖθι, δ' ἂν ἀθρήσειας ὑπειρέχιον πτολίεθρον
Ἄσπενδον, ποταμοῖο παρὰ ῥόον Εὐρυμέδοντος.

Poſt Lyciam, ut vides, primam in ora Pamphyliæ recenſet Aſpendum. Hoc juxta illos veteres fecit, qui Lyciam παραλίαν uſque ad urbem Aſpendum porrigebant, ut Scylacem paulo ante vidimus. Sed ſequitur apud eumdem protinus:

Ἄλλαι δ' ἑξείης Παμφυλίδες εἰσὶ πόληες
Κώρυκος, Πέργη τε, καὶ ἠνεμόεσσα Φασηλίς.

Ordine poſt Aſpendon continuat Corycum, Pergam, & Phaſelin in maritima Pamphyliæ ora. Atqui ordo, quem ibi ſequitur in provinciarum, & urbium ſitu, & nominibus exequendis, ab occidente ad orientem pergit, quum tamen urbes illæ occidentaliores ſint Aſpendo. Sed duas ibi opiniones in unum miſcuit: veterem, quæ Pamphyliæ oram ab Aſpendo auſpicabatur, & Corycum, Pergam, Phaſeliden Lyciæ tribuebat, & recentiorem, quæ Pamphyliæ hæc eadem oppida adſcribit. Inde eſt, quod juxta veteres & Scylacem Aſpendon poſt Lyciæ oram in Pamphylia numerat primam. At juxta recentiores oppida illa, quæ deinde perſequitur, Pamphyliæ aſſignavit. Pergen porro in maritimis reponit, ut & Scylax ob eam, quam ſuprà diximus, rationem. At Ptolemæus, & qui tabulas ejus confecerunt, & Sophianus in tabula Græciæ Pergam, & Aſpendum ad fluvium Cataracten ponunt, ſub eadem longitudine, ita quidem ut Aſpendus à mari ſit remotior quàm Perga, ſed ad eumdem amnem utraque ſita. Quod prorſus falſum eſt. Nam Perga ad Ceſtrum, Aſpendos ad Eurymedontem, æquali intervallo à mari ambæ diſſitæ. Ptolemæum, niſi mendum ſit in numeris graduum, id fefellit, quod veteres Aſpendon, ut dixi, in ora primore Pamphyliæ locant à Lycia venientibus. At Cataractes amnis in principio Pamphyliæ ſecundum recentiorum geographiam. Nam poſt Olbiam, quæ initium illis facit Pampyliæ, ſtatim ſequebatur Καταῤῥάκτης. Poſt Cataracten deinde Ἀττάλειαν recenſet. At Ptolemæus poſt Olbiam ponit Ἀττάλειαν, deinde fluvium Cataracten. Hodie *Sataliam* vocant, quæ olim Attalia fuit. Et *Sataliam* quidem *veterem*, quam *Vechiam* appellant hodiernæ Natoliæ tabulæ, ad mare collocant ultra Cataracten fluvium, prorſus juxta ſitum à Strabone aſſignatum. Ideo igitur Ptolemæus Pergam, & Aſpendon, unde Pamphyliæ παράπλουν auſpicantur antiqui, ad Cataracten poſuit, non cogitans fines Lyciæ uſque ad Pergam, & Aſpendon oppida veteribus geographis promotos fuiſſe. Mela Pergam inter Ceſtrum, & Cataracten ſitam eſſe ſcribit. Avienus porro, quia poſt Eurymedontis oſtia *Siden* ſtatim recenſet Ptolemæus, & Aſpendon idem non ad Eurymedontem, ſed ad Cataracten ſitam docet, ex ejus præſcripto pro *Aſpendo Siden* repoſuit in verſione ſua Dionyſii. Græca ſic habent:

---- ὑπειρέχιον πτολίεθρον
Ἄσπενδον ποταμοῖο παρὰ ῥόον Εὐρυμέδοντος
Ἔνθα συοκτονίῃσι Διωναίην ἱλάονται.

Ipſe hæc ita reddidit:

---- prope celſam ſurgit in arcem
Priſca Side, ſus heic calidis adoletur in aris

A *Sæpe Dionææ Veneri, ſtat Corycus alta;*
Stat Perge propter.

Sic legendi hi verſus, qui vulgo contaminatiſſimi. Nam legitur:

Priſcas Idæ fomes calidis.

Pro *Aſpendo Siden* ſubſtituit. Utraque in edito colle ſita. Geographus: Ἄσπενδος ἐλαιόφυτος καὶ Σίδη, Παμφυλικαὶ πόλεις κατέχουσι χωρία γεωλόφα. Sed *Side* ultra Eurymedontem ad mare: *Aſpendos* ad Eurymedontem in mediterraneo. Arrianus lib. 1 de expeditione Alexandri: ᾤκισται δὲ τῆς Ἀσπένδου, τὰ μὲν πολλὰ ἐπὶ ἄκρᾳ
B ὀχυρᾷ καὶ ἀποτόμῳ, καὶ παρ' αὐτὴν τὴν ἄκραν ὁ Εὐρυμέδων ποταμὸς ῥεῖ. Strabo χωρίον γεωλόφον, id eſt, *terrenum collem* vocat, in quo poſita Aſpendos. Mela *collem. Mare, quo pugnatum eſt, ex edito admodum colle proſpectat Aſpendos.* Propiorem mari facit quam Strabo, ſiquidem habet ἄποψιν maris, quum ille ſexaginta ſtadiis ab oſtiis Eurymedontis removeat. Sed ἀνάπλους fluminis totidem fortaſſean ſtadia habuerit, nec obſtat, quin urbs ipſa vicinior mari fuerit. Quid enim, ſi curſus fluminis recurvus fuit? Ceterum falſi, qui ex Ptolemæi præſcripto Aſpendum ad amnem Cataracten poſuere, quam Eurymedon adlue-
C bat, ut Sophianus, & alii. Nam Ptolemæus, aut mendoſus eſt, aut ipſe falſus. Inter Aſpendon, & Pergam ponit idem Σίλυον. Legendum, Σίλλιον. Ita vocat Arrianus loco, quem ſupra indicavimus. Stephanus Σίλλειον. Sic enim ſcribendum. Scylax Σύλλιον pro Σίλλιον Atque hæc obiter. Sidam porro prope Cragum collocat Avienus magno errore. Hæc enim ejus verba:

---- ſurgunt ibi culmina Tauri
Pamphyliæ in fines. Hic idem Cragus habetur
D *Nomine ſub gentis. Prope celſam ſurgit in arcem*
Priſca Side.

Non hic ſenſus eſt Dionyſii, qui Taurum à Lyciæ finibus exurgere ait, & Cragum vocari, uſque in Pamphyliæ fines extendit:

Κεῖθι δ' ἐσαθρήσειας ὑπειρέχιον πτολίεθρον
Ἄσπενδον.

De Aſpendo loquitur, non de Side. Ceterum nec Aſpendum prope Cragum ſitam eſſe innuit, ſed in eadem Pamphylia conſpici Aſpendum ſupra mare in edito colle. Hujus Sidæ portu, & Tauri promontorio Lyciam grandem ſinum claudere ſcribit Mela. Sed Sida,
E ut jam diximus, in Pamphyliæ extremis prope Ciliciam ſita, non in Lycia. Nec Lycia Sidæ portu claudit illum ſinum, ſed Pamphylia ab una parte, ab altera Lycia. De eo ſinu intelligit, quem Pamphylii accolunt. Pamphylium pelagus, & Pamphylium mare etiam dicebatur, quo nomine etiam & Cilicium interdum comprehendebant. Nam & Cyprum Παμφυλίης ἔνδοθι κόλπου collocat Dionyſius, cum illa inſula oppoſita ſit tota Ciliciæ oræ maritimæ. Ἰσσικὸν κόλπον etiam Παμφύλιον dici notat Euſtathius ab Iſſo ad Patara Lyciæ uſque. Dionyſius, ut ſupra notavimus, ſinus ejus quidquid Pamphylii circum colunt uſque ad Che-
F lidonias extendit, quibus contraverſum Tauri promontorium. Idem Cilicium ſinum à Pamphylio ſeparat, de quo ita canit poſt Piſidiæ urbes, & Pamphyliæ:

Κεῖθεν δ' εἰς αὐγὰς σκολιὴν περιτέμνεται οἶμον
Πολλὸν ἔσω βεβαυῖα περίδρομος Ἀμφιτρίτη,
Πείτων Εὐξείνοιο πολυκλύστοιο θαλάσσης.

Haud ſcio, quare vicinum Euxini Ponti Cilicium illud mare faciat, quum tam longe ſit remotum. Legebam aliquando Ἠπείρων Εὐξείνοιο. Sed veteres interpretes eam lectionem retinent, & γείτονα vocant, qui ex adverſo poſitus eſt. Sequitur:

Κεῖνος τοι Κιλίκων περὶ σύρεται ἔθνεα κόλπος
G Μακρὸς ἐπ' ἀντολίην. Ἀσίης δὲ σεινὰ καλοῦσι.

Avienus hæc ita reddidit, ut vulgo leguntur:

Hic diros cæli caſtrames tenet, inque diei
Tenditur exortum.

Quæ corruptiſſima ſunt. Corrigendum:

Hic diros Cilicas trames tenet, inque diei
Tenditur exortum.

Scriptum erat *Celicas*. Tramitem dicit propter illa Græca.

---- σκολιὴν περιτέμνεται οἶμον.

Verba

Verba illa Ἀσίης δὲ στεινὰ καλοῦσι, non reddidit, & caussam paulo post docebo. De Pamphylio igitur mari Mela capiendus est, quum dicit vastum sinum Sidæ portu, & Tauri promontorio claudi. Verum tres illi sinus, sive maria, Lycium, Pamphylium, & Cilicium multis aliis parvis sinibus porro lancinantur in terras excurrentibus, ubi promontoria sunt. Promontoria quippe sinus faciunt, & disterminant. Sed ne quid erres, ea demum promontoria sinus faciunt, ac discernunt, quæ linguis terrarum in mare exeuntibus imposita mari & ipsa incumbunt; ut contra sinus sunt laciniæ maris in terras exeuntis, & promontoria hinc inde ambientes. De his promontoriis Græci dicunt ἄκραν κάμπτειν, quia circumeunda sunt, ut metæ in circo. Hujusmodi ἀκρωτήρια peninsulas vocat Marcianus in periplis. Τῶν δὲ κόλπων, inquit, καὶ τῶν ἀκρωτηρίων, ἤτοι χεῤῥονήσων τὸν περίπλουν οὐ δυνατὸν ἀκριβῆ παραστῆσαι. In recto littore nulla sunt ἀκρωτήρια, nulli sinus. Αἰγιαλοὺς Græci vocant hos maris tractus, qui rectis littoribus incedunt. Hinc apud Marcianum, & alios sæpe legere est ἀκρωτήρια ἐπίσημα, κόλπους ἐπισήμους, αἰγιαλοὺς ἐπισήμους, in circumvectionibus magnorum sinuum designandis notari. Eo sensu accipiendum apud Strabonem in ora Lycii maris describenda: εἶτα Κώρυκος αἰγιαλός. Εἶτα Φασηλὶς τρεῖς λιμένας ἔχουσα. Vocat αἰγιαλὸν maris tractum, qui recta littoris fronte pergit nullas habens eminentias, & nullas lacunas. Sinus ἐξοχὰς faciunt, quæ in terras excurrunt, promontoria κοιλότητας, quæ in mare penetrant projectis linguis. Marcianus: ἀλλ' εἰ μὲν ἠϊὼν τις εὐθεῖα τυγχάνει, μήτε κοιλότητας, μήτε ἐξοχὰς ἔχουσα, τοῦ παρὰ ταύτην γινομένου πλοῦ τὴν ἀναμέτρησιν ὡς ἐπὶ πᾶν ῥᾳδίαν εἶναι. Ita legendum. Nam vulgo absurde est, ἀλλ' εἰ μὲν ἠϊῶν τις εὐθεῖα τυγχάνει. Quod imposuit doctis viris. Ἐξοχαὶ sinuum sunt, ne quis de prominentiis, sive promontoriis intelligendum somniet. Dionysius περιβολὰς κόλπων vocat. De sinu Pamphilico:

Τοῦ μὲν ἐπὶ περιβολῇ Παμφύλιοι ἀμφινέμονται.

Male vulgo περιοχῇ. Sed argutari posset aliquis, magis convenire *sinus* & κόλπου significationi, ut κοιλότητες littorum ea voce appellentur potius quam ἐξοχαί. Facile hæc objectio solvi potest. Quemadmodum maria illa interna, quæ ex Oceano terris sese immittunt, *sinus* vocantur, quia terris se insinuant, easque penetrando sinus, & cavitates in terra faciunt, ita & in illis majoribus sinibus laciniæ maris, quæ in terram provolant, & excurrunt, κόλποι etiam dicti, quia κόλπους, & sinus, hoc est, κοιλότητας in tellure faciunt. Terras quippe cavant, & sinuant. Telluris igitur respectu, quæ sic cavatur, & insinuatur mari, κόλποι illi respectu maris, quod cavat, & insinuat se, ἐξοχαὶ sunt. E contra promontoria, & peninsulæ, quæ in mare procurrunt, κοιλότητες dici debent, quia cavant mare, & laciniis scindunt. Atque hæc hactenus. Lycii maris ora, ut & Pamphylii, & Cilicii multas hujusmodi κοιλότητας & ἐξοχὰς habet. Lyciæ παράπλους præcipue κολπώδης. Scylax: ἐντεῦθεν παράπλους ἐστὶν ἀπὸ Λυκίας ἡμέρας καὶ νυκτός. Ἐστὶ γὰρ κολπώδης. Inter maritimæ oræ Lyciæ κόλπους is debet sinus numerari, quem Plinius vocat ingentem, & quem Chelidonio promontorio dicit disterminari. De Pamphylio sinu Melam accepisse, quem Plinius eo loco imitatur, supra vidimus. Nec audio Pincianum, qui substituendum putabat in Pomponio *Lydæ portu.* Lyda Ptolemæo urbs Lyciæ. Latinus interpres habet *Chydas.* Sed Pomponius primam urbem Lyciæ ab ea parte facit Telmisson: *& qua Lyciam finit urbs Telmissos.* Ergo paraplus Lyciæ inde incipit, juxta Melæ sententiam, non à Lydis. Nam Lydæ citeriores, ut & alia quædam oppida, quæ ibi Ptolemæus recenset, Cariæ attributa. Sic enim legendum apud Ptolemæum: Λύδαι, Κρύα, Δαίδαλα πῖϖος, Τελμισσός. Demosthenes in Bithyniacis: Δαίδαλα Μαυσωλῶν. Ubi Μαυσωλοὶ sunt Κάρες. Sic corrigendum apud Stephanum, pro Δαίδαλος Μαυζωλῶν. Dædala Cariæ adjudicat Demosthenes. Strabo quoque ὅρον τῆς Λυκίας Telmisson facit. Præterea *Sidæ portu* legunt omnia vetusta Melæ exemplaria. Σίνδη etiam Stephano urbs Lyciæ, Straboni Cariæ, sed ea non fuit maritima. Hæc alii igitur viderint. Ceterum de particulari Lycii maris sinu loqui Plinium verba ejus palam ostendunt. Post Phaselida junctum

A Pamphyliæ mare Lycium esse ait, gentemque Lyciam. *Inde vastum sinum Taurus mons ab eois veniens littoribus Chelidonio promontorio disterminat.* Non de sinu, qui præcessit, hæc intelligenda, ut apud Melam, is quippe Pamphylius est, sed de eo qui sequitur in ipso Lycio mari post Chelidonium promontorium. Quæ apud eum sequuntur, id plane evincunt. Nam περίπλουν illius vasti sinus describit usque ad Patara, & promontorium Cragum, quo sinum illum terminat: Ultrà quod alterum sinum ponit parem priori usque ad Telmessum, quo Lyciam finiri ait. Verba ejus hæc B sunt: *deinde Patara, quæ prius Sataros, & in monte Sadyma, promontorium Cragus. Ultra par sinus priori. Ibi Pinara, & qua Lyciam finit Telmessus.* Ergo à promontorio Tauri Chelidonio ad promontorium Cragum sinus ille prior vastus, quem Chelidonio promontorio disterminari dixit. Post Cragum alter sinus priori illi par. Sic Cragus promontorium duos illos vastos sinus Lycii maris disterminabat, ut Chelidonium Tauri promontorium duos etiam sinus dividebat, alterum ex parte Pamphyliæ, alterum à latere Licyæ. Mela de Pamphylico intellexit. Plinius de Lyciaco. Et rectius. Nam male dixit Mela Lyciam Sidæ portu C sinum Pamphylicum claudere. Igitur à Tauri promontorio ad Cragum sinus ille vastus, quem Plinius intellexit. Dionysius Chelidonias intra sinum illum ponit:

Τὴν δὲ μετ' ἀντολίην δὲ Χελιδόνιαι γεγάασι.
Τρεῖς νῆσοι μεγάλης Παταρηΐδος ἔνδοθεν ἄκρης.

Promontorii Patarei qui ex veteribus meminerit neminem scio. Sed portum Patarensem intelligit Dionysius. Nam portus ut plurimum naturales sub littorum prominentiis positi, quas Græci ἄκρας vocant. Scylax: Πάταρα πόλις καὶ λιμήν. Sic portum Telmissensium Stra- D bo vocat ἄκραν Τελμισσίδα. Idem Scylax: Τελμισσὸς πόλις καὶ λιμήν. Portibus, ut & promontoriis sinus finiuntur. Mela Sidæ portu, & Tauri promontorio sinum Pamphyliæ vastum claudit. Sinus Lyciæ alter Crago promontorio, & Telmissi portu includebatur. Strabo ἄκραν Τελμισσίδα vocat, sub qua portus erat: Τελμισσὸς πολίχνη Λυκίων, καὶ Τελμισσὶς ἄκρα λιμένα ἔχουσα. Similiter & Patara prominentiam aliquam editi littoris habuisse videtur, quæ portum efficiebat. Hanc ἄκραν Παταρηΐδα vocat Dionysius, intra quam Chelidonias ait esse sitas. Idem alibi canit Issici sinus ad occiden- E tem terminum esse ἄκραν Παταρηΐδα.

Σῆμα δ' ἔχει ζεφύρου Παταρηΐδα τηλόθεν ἄκρην.

Ergo intra illum terminum ad orientem sitæ Chelidoniæ in sinu, qui disterminatur Patarensi portu ab una parte, ab altera Tauri promontorio. Ita littus ibi χεῤῥονησίζει, ubi sita sunt Patara. In extremo ejus peninsulæ portus Patarorum, quam Παταρηΐδα ἄκραν Dionysius vocat. Stephanus Λυκίων χεῤῥόνησον appellat, in cujus extremo angulo Patara urbs, & portus. Peninsularum ejusmodi, vel littorum χεῤῥονησιζόντων partes extremas in mare exeuntes, etiam si nullos habeant impositos montes, Græci ἄκρας vocant. Ta- F lis erat peninsulæ Patarorum angulus, in quo situs erat portus, qui geminum sinum discludebat. Plinius priorem sinum non Pataris claudit, sed Crago promontorio. Sed vereor, ut falsus sit, nec enim Cragus promontorium, sed mons ἐν τῷ μεσογείῳ. Strabo & Ptolemæus Cragum montem in mediterraneo Lyciæ videntur ponere, non promontorium facere. Sed Ἄκρα Græcis non semper ἀκρωτήριον significat, sed summum jugum montis cujuslibet, aut verticem. Arrianus Aspendum ἐν ἄκρᾳ ἀποτόμῳ sitam dicit, hoc est, *in edita, ac prærupta rupe.* Strabo scribit, Κράγον montem habere ὀκτὼ ἄκρας, hoc est, octo vertices, G vel octo capita: μετὰ τοῦτον ὁ Κράγος ἔχων ἄκρας ὀκτώ. Hoc Plinium fefellit, qui ἄκραν de promontorio maris accepit, quod est ἀκρωτήριον. Etiam improprie Livius excelsum in Alpibus jugum *promontorium* appellavit: *prægressus signa Hannibal in promontorio quodam, unde longè, ac late prospectus erat, consistere jussis militibus Italiam ostentat.* In Græcis, unde hæc vertit, fuit ἐν ἄκρᾳ τινί. Sed Latini *promontoria* tantum dicunt de prominentibus in mare saxis. Quæ *prominentia* etiam vocant, & *prominentias.* Quæ voces frequentes sunt apud nostrum:

nostrum: *per recessus, & prominentias*, διὰ κόλπων τε, καὶ ἀκρωτηρίων. At Græci ἄκραν interdum de promontorio, interdum de quolibet jugo montis eminente ponunt. Sed nihil erravit Plinius, aut alios errantes sequutus est. Scylax Cragum promontorium revera Cariæ facit, cujus παράπλουν à Mæandro fluvio auspicatur, & Crago promontorio terminat: καὶ παράπλους Καρίας ἀπὸ Μαιάνδρου ποταμοῦ ἐπὶ τὸν Κράγον, ὅ ἐστι Καρίας ἀκρωτήριον. Et in Cariæ descriptione: Καῦνος Καρικὴ πόλις, καὶ λιμὴν κλειστὸς, Κράγος ἀκρωτήριον. Strabo quoque, quæ de Chimæra fabulæ tradunt, circa Cragum collocat, & Χίμαιραν φάραγγα esse dicit, ἀπὸ τοῦ αἰγιαλοῦ ἀνατείνουσαν. Dionysius Cragum usque ad mare porrigit. Nunc de Tauri promontorio, & Chelidoniis videamus. *Chelidonium promontorium* Plinius heic vocat, quo mons Taurus disterminat illum grandem sinum. Alio loco, ut jam notavimus, *Tauri promontorium* appellat, quod est contra Chelidonias. Et hoc ipso capite, postquam Taurum nominibus suis descripsit: *in Lycia igitur a promontorio ejus, oppidum Simena, mons Chimæra.* Cur *Chelidonium* heic vocat? An Chelidonion promontorium, hoc est, τῶν Χελιδονιῶν. Sed nihil mutandum. Promontorium, quod ex adverso Chelidoniarum in mare prominebat, quidam etiam Χελιδόνιον appellavere. Sanè hodieque *Capo Celidonia* vocatur. Scylax de periplu Lyciæ: εἶτα Γάγαι πόλις, εἶτα Χελιδονίαι ἀκρωτήριον καὶ νῆσοι δύο. Ita legendum. Alii tres Chelidonias ponunt, asperas & desertas. Μία δ' αὐτῶν, inquit Strabo, καὶ πρόσορμον ἔχει. An ἀκρωτήριον Scylaci hæc tertia, quæ stationem navibus præbebat? Diversum certe à Chelidoniis scopulis promontorium illud Tauri, quod littori incumbebat è regione Chelidoniarum, quæ ab ora ἑξαστάδιον aberant, ut ait idem Strabo. Quod promontorium etiam *Chelidonium* quidam appellarunt à vicinitate. Putem illud esse Tauri promontorium, quæ Ptolemæo dicitur ἱερὰ ἄκρα in descriptione Lyciæ: Λιμύρου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, ἱερὰ ἄκρα, Ὄλυμπος πόλις, Φάσηλις. Plinius à Tauri promontorio juxta mare statim ponit Limyra cum amne, ab altera parte Phaselida. Ita & Mela: *post Tauri promontorium flumen est Limyra, & eodem nomine civitas.* Non igitur dubium, quin ἱερὰ ἄκρα Ptolemæi promontorium Tauri sit, quod Plinio, & Melæ sic vocatur. Id facit indubitatissimum Strabo, qui ἱερὰν ἄκραν, & Χελιδονίας jungit veluti ex adverso invicem oppositas. Εἶτα ἡ ἱερὰ ἄκρα, καὶ αἱ Χελιδονίαι τρεῖς νῆσοι, τραχεῖαι παρισοι τὸ μέγεθος, &c. Quæ sequuntur, hoc etiam certius evincunt. Tradit enim quosdam Tauri montis exordia inde ducere, à sacro illo promontorio scilicet, & Chelidoniis: διά τε τὴν ἄκραν ὑψηλὴν οὖσαν, καὶ καθήκουσαν ἀπὸ τῶν Πισιδικῶν ὀρῶν τῶν ὑπερκειμένων τῆς Παμφυλίας, καὶ διὰ τὰς προκειμένας νήσους ἐχούσας ἐπιφανές τι σημεῖον ἐν τῇ θαλάττῃ κρασπέδου δίκην. Quod excelsa sit *Acra* illa *Hiera*, quodque à Pisidicis montibus ad mare descendat, tum propter insulas Chelidonias ex adverso in mari sitas, quæ notabile instar habent, veluti laciniæ sint ejusdem montis, ideo quidam Taurum montem inde incipere volebant. Sed Strabo capi ejus initium verius dicit ἀπὸ τῆς Ῥοδίων περαίας, nam inde montes continuantur usque in Pisidiam. Non igitur ambigendum, quin ἱερὰ ἄκρα illa Strabonis sit promontorium Tauri, quod contra Chelidonias est. Ibi Taurus appellabatur. Plinius: *ubi brachia emittit subinde tentanti maria similis, Sarpedon, Coracesius, Cragus, iterumque Taurus.* Recenset, quot locis maria promontoriis tentet, brachia usque ad mare emittens, & sub quibus appellationibus. Sarpedon, & Coracesius promontoria sunt, vel Tauri brachia ad mare pertinentia. Cragum etiam promontorium esse supra volebat. Taurus iterum dicitur, ubi mare tentat, & radices etiam in mari ostendit, ad Tauri promontorium, & Chelidonios scopulos. Hæc ἱερὰ ἄκρα Straboni; quam deducit è Pisidicis montibus usque ad mare contra Chelidonias. Ptolemæus ἱερὰν ἄκραν, quasi montem separatum ab aliis, & in mare prominentem è regione Chelidoniarum. At Masicytum Ptolemæus inde facit descendere, unde ἱερὰν ἄκραν Strabo, ex Pisidicis nempe montibus, eumque mari jungit inter Olbiam, & Phaselidem. Quinetiam montem illum statuit esse terminum Lyciæ & Pamphyliæ. Lyciam

A quippe ab oriente terminat parte Pamphyliæ, ἀπὸ τοῦ πέρατος τῇ Ἀσίᾳ πέρατος μέχρι θαλάττης διὰ τοῦ Μασικύτου ὄρους, οὗ τὸ ἐπὶ θαλάττῃ πέρας ἐπέχει μοίρας ξα ς΄. λε. ς΄. Idem Phaselidem ultimam Lyciæ urbem ponit, primam vero Pamphyliæ Olbiam. Ergo inter utramque mons Masicytus ad mare pertinet. Strabo κλίμακα montem nominat, quem ibi constituit, ubi Masicyton Ptolemæus. Ejus hæc verba sunt: περὶ Φασήλιδα δ' ἐστὶ τὰ κατὰ θάλατταν στενὰ, δι' ὧν Ἀλέξανδρος παρήγαγε τὴν στρατείαν. Ἔστι δ' ὄρος Κλίμαξ καλούμενον. Ἐπίκειται δὲ τῷ Παμφυλίῳ πελάγει στενὴν ἀπολείπων πάροδον ἐπὶ τῷ αἰγιαλῷ.

B Ptolemæus Masicytum vocat hunc montem mari Pamphylio incumbentem adeo, ut vix tenuem, & arctum relinquat in littore transitum. Montes Solymos supra Phaselidem etiam agnoscit Strabo, & in his montibus alia στενὰ, quibus imminet urbs Pisidica *Termissus.* Male apud Arrianum Τελμισσὸς vocatur, quæ est Τερμισσός. At *Telmissus* alia urbs nempe Lyciæ ultima. Has angustias aperuit Alexander, quum exercitum per eas transduxit. Dionysius τὰ στενὰ Ἀσίης in Cilicia Trachea ponit inter Tauri montis juga & mare. Sic enim de Cilicio mari canit:

Κεῖνός τοι Κιλίκων περιδύρεται ἔθνεα κόλπος
Μακρὸς ἐπ' ἀντολίην. Ἀσίης δὲ στεινὰ καλοῦσι.

C Quidquid Ciliciæ Tracheæ inter Taurum montem, & mare patet, quod spatium satis angustum est, τὰ στενὰ Ἀσίης vocari dicit Dionysius. Hæc στενὰ aperuisse Alexandrum ad eum locum notat Eustathius, sed fallitur. Angustias quippe illas aperuit, quas suprà diximus, quæ inter Pamphylicum littus, & montem Climacem constringuntur, vel, ut Ptolemæus dicit, Masicytum. Idem Eustathius τὰ στενὰ ad Termissum, quæ aperuit Alexander, cum maritimis angustiis confundit, quæ circa Phaselidem erant. Sic enim alio loco ex Strabone notavit: Φάσηλις, ταύτης ὑπέρκειται τὰ Σόλυμα, καὶ Τελμισσὸς πόλις Πισιδικὴ ἐπικειμένη τοῖς στενοῖς

D τοῖς περὶ τὴν Φασήλιδα θάλασσαν. Mira heic supinitas Eustathii in Strabonis verbis referendis. Ita Strabo de Phaselide: ὑπέρκειται δὲ αὐτῆς τὰ Σόλυμα ὄρος, καὶ Τερμισσὸς Πισιδικὴ πόλις, ἐπικειμένη τοῖς στενοῖς, δι' ὧν ὑπέρβασίς ἐστιν εἰς τὴν Μιλυάδα. Sic legendum. Supra Phaselidem in mediterraneis mons Solyma, & Termissus Pisidicum oppidum, quod angustiis montium imminet, per quas in Milyadem transitus est. Male Τελμισσὸν vocat Eustathius. Stephanus: Μιλύαι, οἱ πρότερον Σόλυμοι, καὶ ἡ χώρα Μιλυάς. Solymi sunt Pisidæ à montibus illis Solymis olim dicti. Sequitur apud Strabonem: καὶ διὰ τοῦτο Ἀλέξανδρος ἐξεῖλεν αὐτὴν ἀνοῖξαι βουλόμενος τὰ στενά. Termissum ideo expugnavit Alexander,

E ut angustias illas liberaret, & panderet. Nam urbs erat monti imposita, qui usque in viam pertinebat, per quam erat transeundum in Milyada. Ex altera viæ parte mons imminebat alius ex adverso. Inter utrumque montem, τὰ στενὰ, via admodum angusta πυλῶν specie. Arrianus de hac ipsa Termisso: καθήκει γὰρ ἐκ τῆς πόλεως ὄρος τε ἐπὶ τὴν ὁδόν. Καὶ τοῦτο μὲν αὐτοῦ ἐν τῇ ὁδῷ ἀποπαύεται. Ἀντίπορον δὲ αὐτῷ ὄρος ἄλλο ἐστὶν οὐ μεῖον ἀπότομον. Καὶ ταῦτα τὰ ὄρη ὥσπερ πύλας ποιεῖ ἐπὶ τῇ ὁδῷ. Nihil his clarius. At στενὰ illa, quæ circa Phaseliden, non

F intra duos montes erant conclusa, sed inter montem & mare. Subjicit Strabo: περὶ Φασήλιδα δὲ ἐστὶν τὰ κατὰ θάλασσαν στενὰ, δι' ὧν Ἀλέξανδρος παρήγαγε τὴν στρατείαν. Hæc utraque στενὰ confudit Eustathius, & cum his etiam eadem facit τὰ στενὰ τῆς Ἀσίης, quæ Dionysio vocantur, in Cilicia inter Taurum montem & mare. Angustias ad Phaselidem mons Climax facit penes Strabonem, Masicytus apud Ptolemæum. Plinius *Masicytem* montem inter Limyra, & Andriaca ponit longe à Phaselide, & Olbia, juxta quas Masicytum Ptolemæus locat. Verba Plinii: *Juxta mare Limyra cum amne, in*

G *quem Arycandus influit, & mons Massycites, Andriaca civitas, Myra.* In libris scribitur, *Aiasycitus.* Lege *Masicytus*, ut Ptolemæo Μασίτυκος. Nam idem est mons. Idem Ptolemæus, qui Masicytum ad mare finiri dicit inter Olbiam & Phaselidem, idem tamen & Φέλλον & Myra, & Limyra urbes, & Rhodiodopolim πρὸς τῷ Μασικύτῳ ὄρει collocat. Quod & cum Plinio facit, qui Masicytum ibi nominat, ubi oppida sunt Limyra, Andriaca, & Myra. Sed ipse sibi Ptolemæus non constat

ſtat, qui montem Maſicytum videtur Phello uſque, & Myris ad Phaſelidem, & Olbiam deducere, ubi mari incumbit inter Phaſelidem, & Olbiam. *Climacem* montem ibi nominat Strabo, non Maſicytum. Poſt Climacem montem verſus occaſum ἱερὰ ἄκρα, quam à Piſidicis montibus ad mare uſque dirigit perpetuo jugo idem Strabo, contra Chelidonias. Maſicytum montem ſimiliter inde deducit Ptolemæus. Poſt ἱερὰν ἄκραν, vel Tauri promontorium, *juxta mare Limyra cum amne, mons Maſicytus, Andriaca civitas, Myra, oppida. Apyræ & Antiphellos.* Ita Plinius. In libris habetur, *Aperie.* Scribe, *Aperræ.* Ptolemæo, Ἀπέῤῥαι. Scribit idem Plinius hoc modo: *in Lycia igitur à promontorio ejus, oppidum Simena, mons Chimæra noctibus flagrans, Hephæſtium civitas & ipſa ſæpe flagrantibus jugis. Oppidum Olympus ibi fuit: nunc ſunt montana Gage, Corydalla, Rhodiopolis. Juxta mare Limyra cum amne,* &c. A Tauri promontorio, quæ & ἱερὰ ἄκρα Strabonis, verſus Cariam tendenti has omnes urbes ſitas ait. De Chimæra monte verum eſt. Strabo: ἐν μεσογαίᾳ Φελλὸς καὶ Ἀντίφελλος, καὶ ἡ Χίμαιρα, ἧς ἐμνήσθημεν ἐπάνω. Εἶθ' ἡ ἱερὰ ἄκρα, καὶ Χελιδονίαι. Lyciæ oram deſcribit, contra Pamphyliam pergens. De Hephæſtio dubito an ſit verum. Certè diſſentit Scylax his verbis: εἶτα Γαγαία πόλις, εἶτα Χελιδονίαι ἀκρωτήριον, καὶ νῆσοι δύο, καὶ Διονυσιὰς νῆσος ἀκρωτήριον, καὶ λιμὴν σιδηροῦς. Ὑπὲρ δὲ τούτου ἱερὸν Ἡφαίστου ἐν τῷ ὄρει, καὶ πῦρ πολὺ αὐτόματον ἐκ τῆς γῆς καίεται, καὶ οὐδέποτε σβέννυται. Quod *Hephæſtium* Plinio vocatur, Scylaci eſt ἱερὸν Ἡφαίστου. Nam una voce hoc ſignificat Ἡφαίστιον. In monte ſitum dicit. In montano quoque ſitu Hephæſtion ponit Plinius: *Hephæſtion civitas & ipſa flagrantibus jugis.* Sed ἱερὸν Ἡφαίστου prope Phaſelidem locat Scylax poſt ἱερὰν ἄκραν à latere Pamphyliæ. At Plinius Hephæſtium juxta Chimæram ſtatuit montem poſt Tauri promontorium ab altero latere contra Cariam tendenti. Scylax: καὶ ἐὰν προσέλθῃς ἀπὸ θαλάττης, ἀνωτέρω ἐστὶ Φασηλὶς πόλις, καὶ λιμήν. Haud longe igitur Phaſelis ab Hephæſtio. Atqui idem Plinius lib. 11. cap. CVI Chimæram in Phaſelitide ponit, auctore forte Cteſia. Sic enim ſcribit: *Flagrat in Phaſelide mons Chimæra, & quidem immortali diebus ac noctibus flamma. Ignem ejus accendi aqua, extingui vero terra, aut fœno Cnidius Cteſias tradit.* Male ſcriptum *in Phaſelide.* Libri habent, *in Phaſelitis.* Quod eſt rectum? Παρὰ τοῖς Φασηλίταις. Niſi potius ſit, *in Phaſeliti.* Ἐν τῇ Φασηλίτιδι. Nam ab urbe Phaſelide ἐθνικὸν Φασηλίτης. Hi in confinio Lyciæ & Pamphyliæ, & ſeorſim agebant à communi Lyciorum. Sed falſum eſt Chimæram montem apud Phaſelitas eſſe. Hoc de Hephæſtio, & jugis Hephæſtiis verum eſt. Meminit Hephæſtiorum montium Plinius ibidem: *Eadem in Lycia Hephæſtii montes tæda flammante tacti flagrant, & adeo ut lapides quoque rivorum, & harenæ in ipſis aquis ardeant.* In his montibus Hephæſtion, vel ἱερὸν Ἡφαίστου juxta Phaſelidem. Chimæra ſatis longe ab his locis. Certè ἱερὰ ἄκρα, quæ à montibus Piſidicis ad mare porrigitur, utroſque montes diſterminat. Sed quod utrique ſimiliter arderent, permutaverunt eorum ſitus. Ἱερὰ quoque ἄκρα inde dicta, quod Vulcano ſacra eſſet, fortaſſe quod etiam arderet. Tauri promontorium, Ταύρου ἄκραν alii vocant. Sequitur apud Plinium: *Oppidum Olympus ibi fuit: nunc ſunt montana Gage, Corydalla, Rhodiopolis.* Oppidum Olympus inter Hieran acran, & Phaſelidem fuit, ut diſertè Strabo teſtatur. Ptolemæus: ἱερὰ ἄκρα, Ὄλυμπος, Φασηλίς. Non igitur poſt Tauri promontorium, ſed ante. Scribendum ibidem: *nunc ſunt montana Gagæ, Corydalla, Rhodiopolis.* Stephano Γάγαι. Ptolemæus Κορύδαλλον, & Ῥοδίαν, quæ Plinio dicitur *Rhodiopolis*, πρὸς τῷ Μασικύτῳ ὄρει ſitas docet. Maſicytum ille ad mare protendit inter Phaſelidem, & Olbiam. Ergo ante Tauri promontorium poſt Maſicytum urbes illæ. Gagæ poſt Tauri promontorium. Scylax: Γάγαι πόλις, εἶτα Χελιδονίαι, καὶ ἀκρωτήριον. Si contrariam viam ineas, ut facit Plinius, Χελιδονίαι, εἶτα Γάγαι πόλις. At quod idem Ptolemæus Phellum, & Myra, & Limyra etiam adponit Maſicyti montanis, haud ſcio an ſtare poſſit. Poſt Tauri promontorium ſitæ illæ ſunt, ſed longè à Maſicyto Ptolemæi. Mela: *poſt Tauri promontorium flumen eſt Limyra, & eodem nomine civitas.* Plinius: *à Tauri promontorio juxta mare Limyra cum amne, mons Maſicytus, Andriaca civitas, Myra.* Juxta hæc Pliniana πρὸς τῷ Μασικύτῳ ὄρει poſitæ videri poſſent. Sed omnes hæ ſituum differentiæ inter auctores ex eo procedunt, quod alii aliter montes illos Lyciacos nominent, & conſtituant. De Hiera acra id ſcribit Strabo, quod Ptolemæus de Maſicyto. Hunc Maſicytum alii prope Phaſelidem, alii prope Andriacam, & Limyra ponunt. Oppidum Myra Strabo in edito colle ſitum eſſe docet. Ptolemæus πρὸς τῷ Μασικύτῳ ὄρει. Idem inſulas Lyciæ adjacentes numerat Μεγίστην, Δολιχίστην, & Χελιδονίας. Quæ Δολιχίστη Ptolemæo, Straboni dicitur Μηκίστη his verbis, quæ ſic leguntur: Μεταξὺ δ' ἐν τῷ λεχθέντι παράπλῳ νησία πολλὰ καὶ λιμένες. Ὧν καὶ μεγίστη νῆσος, καὶ πόλις ὁμώνυμος ἡ Κισθήνη. Quæ corruptiſſima ſunt. Omnino lego: ὧν καὶ Μεγίστη νῆσος, καὶ πόλις ὁμώνυμος, καὶ Μηκίστη. De Megiſte inſula nullum eſt dubium, quin intellexerit ibi Strabo, non de inſula Ciſthene inſularum Lyciæ maxima, ut vulgo vertunt. Stephanus: Μεγίστη πόλις, καὶ νῆσος τῆς Λυκίας, ὡς Πολυΐστωρ ἀπὸ Μεγίστεως τινός. Τὸ ἐθνικὸν Μεγιστεύς. Sed verius Μεγίστην dictam à magnitudine. Pro ἡ Κισθήνη apud Strabonem puto etiam emendandum, καὶ ἡ Μηκίστη, ut eam inſulam intelligat, quæ aliis Δολιχίστη. A longitudine ſic dicta eſt. Idem quippe Δολιχίστη & Μηκίστη, nam δολιχὸς longum ſignificat. Stephanus: Δολιχὴ νῆσος πρὸς τῇ Λυκίᾳ, ὡς Καλλίμαχος. Ἀλέξανδρος δὲ ὁ Πολυΐστωρ Δολιχίστην αὐτήν φησι. Sed nihil vetat, quominus & Δολιχίστην legamus apud Strabonem. Quod ad Chelidonias attinet, Strabo vocat Χελιδονέας, quaſi dicas *hirundininas.* Herodianus Χελιδονιὰς ſcribebat ὀξυτόνως, quæ vox *nidos hirundininos* ſignificat. Nam χελιδονιὰ nidus hirundinis, ut μυρμηκιὰ nidus formicæ. A ſcopulis igitur ſic appellatæ, quibus ſe condunt per hiemem hirundines, aut quibus æſtate nidos affigunt. Ovidius:

> *Cum glaciantur aquæ, ſcopulis ſe condit hirundo,*
> *Verberat egelidos garrula vere lacus.*

Objectus ſeptentrioni dextro latere, lævo meridianæ plagæ] Plinius: *dextro latere ſeptentrionalis, ubi primum ab Indico mari exurgit, lævo meridianus, & ad occaſum tendens.* Ex Mela: *Taurus ipſe ab eois littoribus exurgens vaſte ſatis attollitur, deinde dextro latere ad ſeptentrionem, ſiniſtro ad meridiem verſus, & in occidentem rectus, & perpetuo jugo.* Quod ita explicant, ut dextro latere ad Imaum referatur, ſiniſtro ad Damaſium Tauri ramentum. Hæc non intelligo. Imaus dicitur, ubi exurgit ab eois littoribus Taurus, qui cum in occidentem rectus tendat, dextro latere utique ſeptentrionem ſpectat, lævo meridiem. Non de fragmentis Tauri heic loquitur, quorum alia ad ſeptentrionem reſiliant, alia ad meridiem referantur, ſed de eodem recto, ac perpetuo jugo, quod ab oriente incipiens, contra occidentem pergens latere dextro objectum eſt ſeptentrioni, lævo ad meridiem, fronte verò obverſum occidenti.

Pag. 49. F. *Prorſus palam eſt terras eum continuare voluiſſe*] Ita repoſuimus ex libris. Vulgo aberat vox *prorſus*, & paulo poſt: *niſi profundis reſiſtentibus extendere radices ſuas vetaretur.* Ita etiam habent antiquæ omnes editiones. Delrius malo libro, quo uſus eſt, peſſimum judicium adjunxit, quo ſcripturam illius libri probavit, quem habere dicit *oſtendere radices ſuas vetaretur.* Eamque lectionem etiam in textum recipere auſus eſt. Sed longe deteriorem appoſuit interpretationem. Nam ſenſum hunc eſſe ait hujus loci: Taurum radices ſuas in mare extendiſſe; ſed propter nimiam fluctuum copiam, & altitudinem eruere illas, atque in lucem proferre non poſſe. Nihil ineptius, aut auctoris menti magis contrarium fingere potuit. Mens Solini eſt, ut & Plinii, Taurum montem mari penetrato terras continuare voluiſſe, ſed oppoſitis profundis, ac reſiſtentibus radices ſuas extendere prohibitum. *Profunda* heic maria ſunt, non nimia fluctuum altitudo. Multis locis in promontoria deſinit mons Taurus, & radices ſuas in maria porrigit, atque ea veluti perrumpere tentat, ut terras connectat, & continuet, ſed æquoribus ſeſe opponentibus ad exitus

tus ejus, & reſiſtentibus interrumpitur, ac procedere ulterius vetatur.

Denique, qui periclitantur naturas locorum] In altera editione fuit: *denique, qui ratiocinantur de naturis locorum.* Quomodo & in margine regii codicis adſcriptum ab antiquario. Quæ lectio τῆς πρεσβυτέρας ἐκδόσεως, & reperitur in multis codicibus. Vinetus ita ediderat ex ſuis libris. Paulo pòſt Delrius ſic excudendum curavit: *tentaſſe eum omnes exitus promontoriis experiuntur. Probant enim quod quoquo verſum mari alluitur, procedit in prominentias.* Ubi anteriores habuerunt editi: *tentaſſe eum omnes exitus promontoriis probant. Nam quoquo verſum mari alluitur*, &c. Quod rectum erat, ac ſincerum. Illud *experiuntur* gloſſa eſt, quæ in multis codicibus ad oram poſita invenitur ad explicandum verbum *periclitantur.* Nam periclitari eſt periculum facere, experiri. Præterea in iiſdem libris veteribus ſcribitur: *enim quoquo verſum mari alluitur.* Quod & movit Delrium, ut ex illa gloſſa lectionem, quam edidit, concinnaret, *probant enim quod quoquo verſum mari alluitur.* Quæ prorſus improbanda eſt. Veteres hac dictione *Enim* in principiis loquutionum paſſim uſi ſunt. Apulejus omnibus locis ſic ferè utitur. De Deo Socratis: *Enim ſemper illis virtus in terra, ibidem pabulum, ibidem cubile.* Ubi vide, quæ nuper ad eum locum notavit eruditiſſimus Mercerus.

Enim quoquorſum mari alluitur, procedit in prominentias] Ita libri vetuſtiſſimi. *Quoquorſum*, pro *quoquo verſum.* Sic *quorſum* pro *quavorſum.* Sic *prorſum* ἀντὶ τοῦ *provorſum*, ἰθὺς ἄντικρυς, ἔμπροσθεν. Inde *prorſus.* Sic *deorſum* pro *devorſum*, κάτω. Ut *ſurſum* pro *ſuſvorſum*, ἄνω. Nam *ſus* pro *ſub* ἄνω. Ut in illo proverbio, *ſuſque deque*, ἄνω τε καὶ κάτω. Falſum autem, quod heîc ait, Taurum montem, quoquo verſum mari alluitur, procedere in promontoria, ſed modò intercludi Phœnicio, modò Pontico ſinu, modò Caſpio, vel Hircano. Nullum quippe in his ſinibus, quod ſciam, Tauri promontorium, nec hoc Pomponius, aut Plinius dicunt, unde hæc expreſſa ſunt. Mela: *ubi terras dirimit, exit in pelagus.* Lege: *ubi terras diremit, exit in pelagus*, id eſt, poſtquam terras diremit, in pelagus procedit, & ſinus dividit prominentiis. Quæ verba Melæ heic reddidiſſe videtur Solinus his verbis: *quoquorſum mari alluitur, procedit in prominentias.* Certum profectò eſt, ubicunque mari alluitur, in prominentias exire. Quid enim aliud eſt prominentia, ſive promontorium, quàm mons, qui mari alluitur, & qui prominet in mare? Sed nec in Caſpium, nec in Ponticum ſinum per prominentias exit Taurus. Plinius: *mediumque diſtrahens Aſiam, niſi opprimenti terras occurrerent maria. Reſilit ergo ad ſeptentriones, flexuſque immenſum iter quærit, veluti de induſtria rerum natura ſubinde æquora opponente, hinc Phœnicium, hinc Ponticum, illinc Caſpium & Hyrcanum, contraque Mæoticum lacum. Torquetur itaque colliſus inter hæc clauſtra, & tamen victor flexuoſus evadit uſque ad cognata Riphæorum montium juga.* Inter hæc maria multis flexibus torquetur Taurus, ſed in nullum eorum exit præter Cilicium, & Pamphylium, & Lycianum ſinum. Quod & idem Plinius paulo poſt diſertè tradit in hanc ſententiam: *ubi brac ia emittit, ſubinde tentanti maria ſimilis, Sarpedon, Coraceſius, Cragus, iterumque Taurus.* Nuſquam alibi brachia emittit, aut maria tentat. Sarpedon, & Coraceſius promontoria Ciliciæ. Promontorium Tauri in Lycia. Cragus item Lyciæ. Sed promontorium non eſt. Sic more ſuo Solinus, cum locum Plinii heîc exſcriberet, & interpolaret, non miſcenda miſcuit, quæ Plinius diſtinxerat.

Quibus renitentibus ſubinde fractus, contra Mæoticum lacum flectitur] Videtur legiſſe apud Plinium loco, quem ſuperiori exercitatione adduximus: *Contraque Mæoticum lacum torquetur itaque colliſus.* Atqui rectè ibi hodie interpunctum eſt: *æquora ſubinde opponente, hinc Phœnicium, hinc Ponticum. illinc Caſpium & Hyrcanum, contraque Mœoticum lacum. Torquetur itaque colliſus inter hæc clauſtra.* Dicit naturam oppoſuiſſe Tauro hinc Phœnicium mare, hinc Ponticum, quæ ex adverſo ſunt oppoſita. Per Phœnicium quippe heîc intelligit Iſſicum ſinum, qui Cilicium, Pamphylium, & Lyciacum comprehendit. Illinc Caſpium, ſive Hyrcanum, & qui contra eſt oppoſitus, Mœoticum lacum. Nam è regione Hyrcani maris lacus Mœoticus. Inter hæc clauſtra collidi, ac torqueri Taurum multis flexibus, victorem tamen penetrare uſque ad Riphæa juga. Malè itaque diſtinxit noſter in illis Plinii verbis, *contraque Mæoticum lacum torquetur.* Certè inter Mœoticum lacum, & Hyrcanum, ſive Caſpium mare ad Riphæos montes pertendit, quibus & ſe connectit.

Apud Indos Imaus, mox Paropamiſus] Pomponius ex emendatione Pinciani: *Ubi terras dirimit, exit in pelagus. Idem autem & Taurus, ut dictum eſt, dicitur, qua ſpectat orientem, Imaus. Deinde Hemodes, Caucaſus, & Paropamiſus, tum Caſpiæ pylæ, Niphates, & Armeniæ pylæ: &, ubi jam maria noſtra contingit, Taurus iterum.* Prius legebatur: *idem autem & totus, ut dictus eſt, dicitur etiam qua ſpectat orientem. Deinde Hemodes.* Verba Melæ nec ſatis intelligo, ut à Pinciano emendata ſunt. Mela Taurum ab eois littoribus, ubi principium ejus ſtatuit, ad occidentem deducit. Imaum in origine, ubi primum attollitur, dici ait, deinde Hemodem, & Caucaſum, & Paropamiſum, & Caſpias pylas, Niphatem, & Armenias pylas. *Poſtremo*, inquit, *ubi jam noſtra maria contingit, Taurus iterum.* Si Taurus iterum dicitur, ubi maria imperii Romani contingit, oportet antea dictum fuiſſe Taurum. Atqui non meminit ita dictum, priuſquam perveniat in fines orbis Romani. Lego igitur, ac diſtinguo: *ubi terras diremit, exit in pelagus. Ibidem autem & Taurus, ut dictum eſt, dicitur Imaus, qua ſpectat orientem; deinde Hemodes & Caucaſus*, &c. Dicit Taurum ab eois littoribus exſurgentem vaſtè attolli, ire in occidentem recto, ac perpetuo jugo, magnarum gentium, quacumque dorſum agit, terminum, ubi terras diremit, exire in pelagus. De Tauri promontorio intelligit, de quo paulo ante loquutus eſt. Ibi Taurum finire ſtatuit, ubi in Lyciacum ſinum prominens exit. Ibi autem & Taurus dicitur. Nam Tauri promontorium appellatur. Hic Tauri montis terminum ſtatuit Mela, qui ab eois exoriens littoribus in Lycia deſinit, ubi in mare exit Tauri nomine. Sequitur jam apud eumdem de variis nominibus, quæ Taurus habet ab uſque orientis mari ad Lyciacum, ubi finitur. Ibi, inquit & Taurus dicitur, quà ſpectat orientem, Imaus, deinde Hemodes, & Caucaſus, & Paropamiſus, tum Caſpiæ pylæ, Niphates, & Armeniæ pylæ, *& ubi jam*, inquit, *maria noſtra contingit, iterum Taurus.* Quia jam dixerat Taurum appellari, ubi exit in pelagus & finem accipit, ideo in recenſendis ejus variis nominibus ab exortu ipſo, Taurum iterum dici ait, ubi maria Romana contigit. At Plinius alium ordinem ſequutus Taurum iterum vocatum dicit ad ipſum Tauri promontorium, ubi in mare Lycium ſubit: *Ubi brachia emittit, ſubinde tentanti maria ſimilis, Sarpedon, Coraceſius, Cragus, iterumque Taurus: etiam ubi dehiſcit, ſeque populis aperit, portarum tamen nomine unitatem ſibi vindicans, quæ alibi Armeniæ, alibi Caſpiæ, alibi Ciliciæ vocantur.* Sic diſtinguendus hic locus. Vulgo diſtinguitur: *iterumque Taurus etiam ubi dehiſcit, ſeque populis aperit: portarum nomine*, &c. Prorſus malè. Ait Taurum etiam ubi dehiſcit, & populis tranſitum præbet interrupto jugo, portarum tamen unitatem ſibi vindicare. Unus quippe, idemque mons etiam ubi dehiſcit. Etenim portæ illæ ſunt, ac *dicuntur*, quibus mons continuus diſſociatur, & aperitur.

Mox Paropamiſus] Libri Solini, *profaniſus.* Apud Plinium in ſcriptis codicibus, *paropaniſus*, Ptolemæo, Παροπανισὸς. Dionyſio Periegetæ Παρπανισός:

---- ὑπὸ πτυχὶ Παρπανισοῖο.

Ubi etiam notat Euſtathius, pleraque Græca exemplaria habere Παρνισοῖο. Haud dubium, quin Παρνισὸς verſus gratia contractum ſit pro Παρπανισὸς, & hoc pro Παροπανισὸς. Arienos omnes dici, qui ad hunc Parniſum incolant, ibidem ait. Priſcianus *Parpaniſum montem* vocat. At Dionyſius alio loco Παρνησσὸν, ubi corrigendum eſt Παρνισσὸν, aut Παρνισὸν:

Ἀλλ' ἤτοι Βάκτροισι μέσ' ἔσω ὑπείρεια νέμονται
Χώρην ἀργυρέην ἀνέμοις ὑπὸ Παρνησοῖο.

Lege, Παρνισοῖο. Malè vertunt, *ſub jugis Parnaſſi.* Ita etiam apud Avienum emendari debet:

Sed Bactrena solo vasto procul arva recedunt,
Parnisique jugi tegitur gens rupibus illa.

Male legitur *Parnasi.* Et apud Priscianum:

Sed Bactri mediis habitant telluris in arvis
Parnissum late prope montem.

Bactrii porro Paropanisadis & Arienis vicini, ideo eos incolere dicit sub jugis Paropanissi, quem Παρνισὸν & Παρνισσὸν appellat, non Παρνησσὸν. Nam nomen illud per contractionem factum ex Παροπανισὸς, quem & Παροπανισσὸν dixere. Straboni Παροπαμισὸς; Arriano Παραπαμισὸς, Stephano Παροπαμισσὸς, & Παροπαμισσάδαι.

Pag. 49. G. *Choatras apud Parthos*] Straboni, & Ptolemæo dicitur Παραχοάθρας. Hos montes τοῦ Παραχοάθρα ab Armenia ad usque Medos, & Matienos, Parthosque extendi ait Strabo. Plinio *Choatras*, qui & alia habet Tauri nomina, quæ nec Solinus, nec alii memorarunt. Ita vulgo apud eum scribitur: *Imaus prima parte dictus, mox Emodus, Paropamisus, Circius, Chambades, Pharphariades, Choatras, Oregas, Oroandes, Niphates.* Libri habent *Cirtius.* An *Circitius*? Cercetæ populi sunt Iberis vicini, apud quos mons Scydisses, qui Moschicis montibus conjungitur. Κερκέτῃ Ptolemæo, Κερκίτῃ Straboni. Pro *Chambades* iidem libri *Campages.* Mons *Capotes* in illis locis. Pro *Pharphariades* in iisdem legitur *Pyriadis.* An *Pyriadris*? Ὁ Παρυάδρης mons Tauri pars est, & in illis partibus. Sed paulo post Pariedrum nominat Plinius inter Tauri cognomina, quæ à gentibus est sortitus: *a dextra Hyrcanus, Caspius, a læva Pariedrus, Moschicus, Amazonicus, Coraxicus.* Certe & Moschicus, & Amazonicus, & Coraxicus, & Caspius, & Hyrcanus à gentibus dicitur, sed *Pariedrus* à nulla gente denominationem cepit. Omnino scribendum: *a dextra Hyrcanus, Caspius: a læva Paryedris, Moschicus, Amazonicus, Coraxicus.* Quod certe verum est. Nam Paryadres mons à dextra habet Hyrcanum & Caspium montem, à læva Moschicum, Amazonicum, & Coraxicum. Vide Ptolemæum in tertia Asiæ Tabula. Vera igitur lectio, *Paryadres, Choatras.* Paulo post iidem libri scribunt *Oreges.* Ptolemæus Ὀρόντην vocat, qui *Oroandes* Plinio vocatur.

Atque, ubi in excelsissimam consurgit sublimitatem, Caucasus] Plinius: *atque, ubi se quoque exsuperat, Caucasus.* Αὐτὸς ἑαυτοῦ ὑψιστός ἐστιν. Superans pro alto apud nostrum supra: *Pado, quem mons Vesulus superantissimus inter juga Alpium fundit.* Stephanus περὶ ἐθνικῶν: Καύκασος τὸ ὄρος ὀρῶν μέγιστον. Sed utrum de Caucaso Colchico, an Indico intellexit Plinius, quum dicit Taurum vocari Caucasum, ubi se ipso altior extat? De Indico debere accipi suadent verba Melæ, quæ Plinius toto hoc loco expressit. Ea sic habent: *qua spectat orientem Imaus, deinde Emodes, & Caucasus, & Paropamisus, tum Caspiæ Pylæ.* Heic Caucasus non de eo monte potest accipi, qui Iberas, & Colchos spectat, Promethei fabula famosissimus, sed de Indico, qui est inter Imaum & Paropamisum. Macedones Arriano teste Paropamisum montem Caucasi nomine donaverunt in gratiam victoriarum Alexandri. Refert enim lib. v. de expeditione Alexandri ex Eratosthene, τὸν Καύκασον τὸ ὄρος ἐκ τοῦ πόντου εἰς τὰ πρὸς ἕω μέρη τῆς γῆς, καὶ τὴν Παροπαμισάδων χώραν, ὡς ἐπὶ Ἰνδοὺς μετάγειν τῷ λόγῳ τοὺς Μακέδονας, Παροπάμισον ἐνθα τὸ ὄρος αὐτοὺς καλοῦντας Καύκασον, τῆς Ἀλεξάνδρου ἕνεκα δόξης, ὡς ὑπὲρ τὸν Καύκασον ἄρα ἐλθόντα Ἀλέξανδρον. Ibi etiam narrat ex fide ejusdem Eratosthenis Macedones illi ipsi Parapamiso easdem omnes historias affinxisse, quas fabulæ poëtarum Caucaso attribuunt, de Prometheo vincto, & ab Hercule soluto, & cetera omnia poëtis cantata. Ibidem scribit Indum fluvium ex eo Caucaso, sive Parapamiso oriri: καὶ τούτου Ἰνδοῦ ποταμοῦ, καὶ ἔτι αἱ πηγαί εἰσιν αὐτῷ ἐπὶ τά δε τοῦ ὄρους τοῦ Παροπαμίσου, ἢ Καυκάσου. Curtius lib. VIII de India: *Plana sunt cetera, multisque inclytis amnibus Caucauso monte ortis placidum per campos iter præbent. Indus gelidior est quam ceteri.* Plinius lib. VI. cap. XVII de eadem India loquens: *par labor sit montes enumerare: junguntur inter se Imaus, Emodus, Paropamisus, Caucasi partes, à quibus tota decurrit in planitiem immensam & Ægypto similem.* Videtur Paropamisum, Imaum, & Emodum Caucasi partes facere. Strabo certè lib. XI tradit montes omnes ab Ariis Indiam usque Caucasi nomine à Macedonibus appellatos, qui Paropamisi, & Imaï, & Emodi nomina habeant, & alia singulis partibus. Sic enim legendus apud eum hic locus: Τὰ δ' ὄρη Μακέδονες μὲν ἅπαντα τὰ ἐφεξῆς ἀπὸ Ἀρίων Καύκασον ἐκάλεσαν. Παρὰ δὲ τοῖς βαρβάροις τά τε ἄκρα, καὶ τοῦ Παροπαμίσου τὰ πρὸς βόρεια, καὶ τὰ τοῦ Ἠμωδοῦ, καὶ τὰ Ἰμάου, καὶ ἄλλα τοιαῦτα ὀνόματα ἑκάστοις μέρεσιν ἐπέκειτο. Sic Imaus, Paropamisus, & Emodus partes Caucasi. Veteres tamen libri eo loco apud Plinium ita legunt: *Junguntur inter se Imaus, Emodus, Paropanisus, Caucasus P. A. R. a quibus tota decurrit in planitiem.* Quid illa velit scriptura, non bene scio. Forte illud *par* repetitum ex proxime præcedentibus, *par labor sit montes enumerare.* Legendum igitur: *junguntur inter se Imaus, Paropamisus, Caucasus.* Heic dicit Taurum, ubi seipsum exsuperat, atque in excelsissimum surgit verticem, *Caucasum* vocari. Ergo specialis hæc Tauri montis inter alias appellatio in India, ut Imaus, Paropamisus, & Emodus. Ptolemæus inter Paropanisum, & Imaum τὰ ἰδίως καλούμενα Καυκάσια ὄρη collocat. Specialis hæc appellatio partis Tauri in illo tractu. Secundum Ptolemæum Caucasii illi montes habent ab oriente Imaum, ab occidente Paropanisum. Sic Paropanisadæ, vel Paropamisadæ populi, qui ab illo monte dicti sunt, Caucasum illum ab orientali parte prospectant. Contra hæc Ammianus Paropamisadas Caucasum ab occidente respicere scribit lib. XXIII his verbis: *His locis Paropamisadæ sunt proximi, Indos ab oriente, Caucasumque ab occidentali latere prospectantes ipsi quoque montium defectibus acclinati.* At ex Ptolemæi calculo Paropanisadæ ab orientali latere Caucasum prospectant. Is enim Παροπανισάδας ab oriente terminat Indiæ parte, τῇ ἀπὸ τῶν πηγῶν τοῦ Ὤξου ποταμοῦ διὰ τῶν Καυκασίων ὀρῶν ἐκβαλλομένῃ γραμμῇ. Oxus, ut & Indus ex Caucasiis oritur montibus. Idem τὴν καλουμένην Οὐανδάβαντα ponit inter Caucasum, & Imaum: παρὰ τὸν Ὦξον, καὶ μεταξὺ τοῦ τε Καυκασίου ὄρους, καὶ τοῦ Ἰμάου ἡ καλουμένη Οὐανδαβάνδα. Pars Tauri maxime orientalis Imaus, ab ipsis littoribus Indicis exsurgens, deinde Caucasus, mox Paropamisus ad occidentem Caucasi. Is est Caucasus, quem Scythæ vocabant *Craucasim*, quæ vox sonat nivibus candidum. Plinius lib. VI. cap. XVII de Scythis: *Persæ illos Sacas in universum appellavere a proxima gente, antiqui Arameos, Scythæ ipsi Persas Chorsaros: & Caucasum montem, Graucasum, hoc est, nive candidum.* Macedones, cum in illis locis essent, pro *Craucaso*, vel *Croucasi*, ut ab indigenis vocabatur, nominaverunt Caucasum, ob affinitatem soni de proximo inflectentes in notissimi montis vocabulum, sive quod *Craucasum* audientes revera crediderunt esse Caucasum. Sic Jaxartem fluvium in iisdem tractibus Tanaïm putavere esse. Et sic vocarunt illum amnem omnes scriptores rerum Alexandri, cum tamen Tanaïs longe ab illis regionibus esset dissitus, æque sanè quam verus Caucasus Ponticus ab hoc Indico. De Indico intelligendi hi versus Dionysii in Periegesi:

---- οὐδ' ἐρεείνω

Καυκασίας κνημῖδας ἐρυθραίων Ἀριηνῶν.

Sic enim ibi scribendum auctoribus vetustis exemplaribus. Eustathius corrigebat,

Καυκασίας κνημῖδας. Ἐρυθραίων τ' Ἀριηνῶν.

Ut de Caucaso Pontico, & Arianæ regionis montibus seorsim exponatur. Ἵνα λέγῃ, ὅτι οὐκ ἐρδινῶ τὸν βόρειον Καύκασον, καὶ τὴν Ἀριανὴν χώραν. Nugatur. Arii, vel Arieni Caucaso proximi, & Paropamiso. Scribit quippe Strabo omnes deinceps montes, ἀπὸ τῶν Ἀρίων usque ad Indos Caucasi nomine Macedonibus venisse. Populos omnes, qui sub Paropamiso habitant, in universum Arienos appellari idem alibi tradit Dionysius. Sed quare Ἐρυθραίους hic eos appellarit, quæstionis est. Longe quippe ab Erythræo mari absunt. Non aliunde tamen videri possunt dicti *Erythræi*, quam à sinu Persico, qui & Erythræi maris appellatione censetur. Strabo lib. XV. Ὠκεανὸς μὲν πρῶτον εἰς ὃν ἐκδιδόασιν οἱ Ἰνδικοὶ πάντες ποταμοί. Ἔπειτα ἡ Ἀριανή, καὶ ὁ Περσικὸς κόλπος, καὶ ὁ Ἀράβιος, καὶ αὐτὴ ἡ Ἀραβία. Ex hoc aut simili

simili loco Ἀειλωὺς Ἐρυθραίες vocavit Periegetes quasi vicinos, & accolas Erythræi maris, sive Persici sinus. Falso. Nam Carmania interjacet, quæ sinui illi propinquior. Avienus *dumicolas Arienos* in paraphrasi Dionysiana appellat. ---- *sic vasti flumina Gangis,*

Caucasias arces, & dumicolas Arienos

Incentore canam Phœbo.

Cum igitur *Caucasii* dicerentur montes, qui sunt inter mare Caspium & Pontum: item *Caucasii* inter Imaum & Paropamisum, hoc induxit auctores, qui scripsere Caucasum montem perpetuo jugo Asiam dividere, ut Curtius, & Arrianus, aliique nonnulli. Hic lib. III de expeditione Alexandri. Μακρὸν γὰρ ὄρος παρατέτατα ὁ Καύκασος, ὥστε καὶ τὸν Ταῦρον τὸ ὄρος, ὃς δὴ τὴν Κιλικίαν τε καὶ Παμφυλίαν ἀπείργει ἀπὸ τοῦ Καυκάσου εἶναι λέγουσι, καὶ ἄλλα ὄρη μεγάλα διακεκριμένα ἀπὸ τοῦ Καυκάσου ἄλλῃ καὶ ἄλλῃ ἐπωνυμίᾳ κατὰ τὰ ἔθνη τὰ ἑκάστων. Taurum heîc facit Caucasi partem, quum alii è contra Caucasum utrobique dictum in Ponto & India Tauri partes esse velint. Ex hac eadem opinione est, quod Plinius scripsit lib. VI. cap. XIII. *Persarum regna inter duo maria Persicum & Hyrcanum Caucasiis montibus attolli.* Atqui inter illa duo maria nulli montes sunt hoc nomine propriè nuncupati. Et contraria hæc sunt iis, quæ alibi tradidit de Tauro, quem variis, ac numerosis nominibus appellatum, quacunque per gentes incedit, *Caucasum* dicit vocitari, ubi in altissimam attollitur sublimitatem, ac seipsum exsuperat. Sed omnium gravissimè erravit Curtius, qui Caucasum Ponticum cum Indico confudit. Nam de exercitu Alexandri Magni loquens, qui Caucasum montem superavit, dum à Paropamisadis in Indiam tenderet, ita scribit: *Inde agmen processit ad Caucasum montem, cujus dorsum Asiam perpetuo jugo dividit: hinc simul mare, quod Ciliciam subit, illinc Caspium fretum, & amnem Araxem, aliaque regionis Scythiæ deserta spectat. Taurus secundæ magnitudinis mons committitur Caucaso.* Hæc de Caucaso Colchico magis dici convenit quam de Indico. Sed & quæ sequuntur, prorsus Colchicum spectant, nullo modo ad Indicum pertinere possunt: *Caucasum superavit exercitus. Rupes in eo decem in circuitum stadia complectitur, quatuor in altitudinem excedit, in qua vinctum Promethea fuisse antiquitas tradit.* Atqui non in hoc Caucaso, quem Alexandri exercitus Indiam petens superavit, vinctum Promethea tradit antiquitas, sed in altero, qui inter Caspium fretum, & Pontum attollitur. Præterea, quod ait Caucaso illi Taurum committi, qui secundæ magnitudinis ab illo est, de Indico Caucaso hæc non possunt accipi, qui Paropamiso committitur & Imao, non Tauro propriè nominato. Sed nec Taurus, ut sic propriè dictus est, Caucaso Colchico jungitur. Nam alia habet nomina, ubi monti illi connectitur. Priva igitur, & peculiaris hæc Curtii sententia est, qui duobus maximis montibus totam Asiam dividi facit, Caucaso & Tauro. Alii enim de solo Tauro hoc tradidere, cujus & partem faciunt Caucasum utrumque Ponticum & Indicum. Quæ plurium est opinio. Alii de ipso Caucaso idem statuunt, cujus segmentum, & partem volunt esse Taurum. Quæ Arriani sententia est. Colchicum Caucasum nunquam vidit Alexander. Quo magis miror, Ptolemæum ultra Caucasum illum Colchicum ad septentrionem στήλας Ἀλεξάνδρου ponere. Unde enim illæ Alexandri columnæ, nisi eo usque penetraverit Alexander, & terminum ibi itineris & victoriarum statuerit? Atqui certum est in eam Scythiam non penetrasse illum, ubi eas στήλας locat Ptolemæus, nec Caucasum Promethei transcendisse. Quin auctores rerum ejus, ac vitæ tradunt ideo monti cuidam Indico Caucasi nomen imposuisse Macedones, ut gloriæ Alexandri velificarentur, quasi Caucasum superasset. Arrianus: Μακέδονας Παροπάμισον ὄντα τὸ ὄρος αὐτοὺς καλέσαντας Καύκασον, τῆς Ἀλεξάνδρου ἕνεκα δόξης, ὡς ὑπὲρ τὸν Καύκασον ἀρα ἐλθόντα. Non igitur verum Caucasum vidit Alexander. Atqui illum Καύκασον & Ἀλεξάνδρου στήλας, & Σαρματικὰς πύλας, & Ἀλβανίας in descriptione Sarmatiæ jungit Ptolemæus, ac στήλας ponit in longitudine octoginta graduum. Errore hoc admissum puto duorum cognominum Caucasorum. Nam ultra Indicum Caucasum aræ Alexandro statutæ, itineris & victoriarum ejus termini. Plinius lib. VI. cap. XVI. *Gens hæc obtinet aversa montis Paropamisi ex adverso fontis Indi: includitur flumine Ocho.*

A *Ultra Sogdiani: oppidum Panda, ut in ultimis eorum finibus Alexandria oppidum ab Alexandro Magno conditum. Aræ ibi sunt ab Hercule, ac Libero patre constitutæ, item Cyro, ac Semiramide, atque Alexandro: finis omnium eorum ductus ab illa parte terrarum includente flumine Jaxarte, quod Scythæ Silin vocant: Alexander militesque ejus Tanaïn putavere esse.* Hæc est Alexandria, quam Ptolemæus Ἀλεξάνδρειαν ἐσχάτην vocat, in ultimis Sogdianorum finibus sitam. Arrianus eam conditam dicit ad Tanaïm amnem. Is est Tanaïs, quem *Jaxartem esse* scribit Plinius, & Scythis *Silin* vocatum. Haud longe ab illo Tanaï, sive Jaxarte Alexandri aræ, siquidem tradit Plinius omnium ductus

B Herculis, Liberi, Semiramidis, Cyri, Alexandri ab illa parte terrarum inclusisse flumen Jaxartem. Hinc Ptolemæus ad Tanaïdem Ponticum etiam Alexandri aras statuit: ὑπό τε τὴν ἐπιστροφὴν τοῦ Τανάϊδος ποταμοῦ οἱ Ἀλεξάνδρου βωμοί. Atqui ab illo Tanaïde Sarmatico, & Pontico, longe diversus ille Tanaïs, ad quem condita illa Alexandria ultima, quique finis fuit itinerum Alexandri. Sed ambiguitas fluviorum cognominum fecit, ut in utroque flumine βωμοὺς Ἀλεξάνδρου statuerint auctores, cum tamen certum sit Sarmaticum illum Tanaïn, qui è Riphæis jugis secundum quosdam ortus in Mæotidem paludem elabitur, Alexandro visum non esse.

C Quapropter si ullæ aræ ad eum amnem nomine Alexandri fuere dicatæ, ab alio constitutas oportet, quam ab ipso Alexandro. Nam & Καίσαρος βωμοὺς ibidem statutos scribit idem Ptolemæus. Plinius de utroque Tanaï paria prodidit. Cum enim loco superius allato dicat, Jaxartem à Scythis *Silin* vocari, Alexandri autem milites putavisse Tanaïn esse, idem planè scribit alibi, & de vero Tanaï, & Mæotico. *Tanain*, inquit, *ipsum Scythæ Silin vocant, Mæotim, Temerinda, quod significat matrem maris.* Utrumque tamen non potest esse verum. Eustathius de Sarmatico Tanaï hoc narrat: ἱστέον δὲ ὅτι ὁ ποταμὸς

D οὗτος διὰ τὸ ποταμηδὸν ῥεῖν Τάναϊς ἐκλήθη, καλούμενος Σίλις, ὥς φασί τινες, παρὰ τοῖς παροικοῦσι βαρβάροις ὀνόμαστι. Tanaïn Scythicum è Caucasiis rupibus oriri scribit Ammianus lib. XXII. *Tanaïs inter Caucasias oriens rupes, per sinuosos labitur circumflexus, Asiamque disterminans ab Europa stagnis Mæoticis delitescit.* Alter quoque Tanaïs orientalis ex altero similiter Caucaso oritur. Arrianus lib. III. Τῷ δὲ Τανάϊδι τούτῳ, ὃν δὴ καὶ Ὀρξάντην ἄλλῳ ὀνόματι πρὸς τῶν ἐπιχωρίων βαρβάρων καλεῖσθαι λέγει Ἀριστόβουλος, αἱ πηγαὶ μὲν ἐκ τοῦ Καυκάσου ὄρους καὶ αὐτῷ εἰσίν. Arrianus heîc Ὀρξάντην vocat, qui aliis Ἰαξάρτης. Et fortassean ita corrigendum sit. Immo nec dubium est. Sic enim omnes vo-

E cant. Hinc igitur utrumque Tanaïm, atque utrumque Caucasum multi confuderunt. Aperte Stephanus utrumque Tanaïn eumdem facit. Τάναϊς, inquit, πόλις ὁμώνυμος τῷ ποταμῷ, Στράβων ἑβδόμῃ, ὡς Ἀλέξανδρος ὁ Πολυΐστωρ. ἔστι δὲ τὰς εἰς τὴν λίμνην τὴν Μαιῶτιν ἐκβολὰς τοῦ Τανάϊδος πόλις Ἑλληνικὴ ἔκτισται Τάναϊς, ἧς καὶ ἐμπόριον ὀνομάζεται. Τινὲς δὲ καὶ τὸν ποταμὸν Ἀκεσίνην εἶναι καὶ Ἰαξάρτην ἐκλήθη δὲ τὰ πολλὰ τῶν βαρβαρικῶν ὀνομάτων ὡς Νικάνωρ φησί. An non disertè Tanaïm Mæoticum cum Tanaï Jaxarte confundit, qui in Caspium mare sese exonerat? Sic ubique familiaris est antiquis auctoribus negligentia, & ἀβλεψία. Uterque sanè Tanaïs Scythicus. Sed longè

F invicem dissiti. Ultimus ad orientem Scythicorum amnium Tanaïs ille, qui Jaxartes ab incolis dicebatur. Macedones Tanaïn nominaverunt, quia Tanaïn esse putabant, ut & Craucasum pro Caucaso acceperunt. Rectè eos distinxit Arrianus lib. III. Ἄλλος δ' ἂν, inquit, εἴη Τάναϊς ὑπὲρ ὅτου λέγει Ἡρόδοτος ὁ λογοποιὸς ὄγδοον εἶναι τῶν ποταμῶν τὸν Σκυθικὸν Τάναϊν, καὶ ῥέειν μὲν ἐκ λίμνης μεγάλης ἀνίσχοντα, ἐκδιδόναι δὲ εἰς λίμνην ἔτι μείζω τὴν καλουμένην Μαιῶτιν. Et scribit ibidem verum Tanaïn in Mæotidem paludem exire. At idem in periplu Ponti Euxini tradit erumpere ex Mæotide palude, & in pontum emitti. Καὶ ὁρμᾶσθαι μὲν ἀπὸ λίμνης τῆς Μαιώτιδος, ἐσβάλλει δὲ εἰς θάλασσαν

G τὴν τοῦ Εὐξείνου Πόντου. Si idem est utriusque scripti auctor, ipse sibi non satis constat. Sed de his alibi. Tanaïs ille alter orientalis è Caucaso Indico nascitur, & in Caspium mare exit. Hunc finivisse ab eo terrarum tractu itinera Liberi patris, Herculis, Cyri, Semiramidis, & Alexandri Magni prodit Plinius. Sanè ultima hæc ad Orientem ante Alexandrum nota fuerunt. Strabo de Caucaso illo ex Jaxarte: καὶ ἐνθαῦτα ἐμυθολόγησαν τὰ περὶ Προμηθέως, καὶ τῶν δεσμῶν αὐτοῦ. Ταῦτα γὰρ τὰ ὕστατα πρὸς ἕω ἐγνώριζον

 ἐι

οἱ ὕπ. Eum vide lib. XI. Ergo, si Plinio credimus, intra Jaxartem aræ Alexandri, siquidem ductus ejus ab ea parte inclusit Jaxartes. Sed longius progressus est Alexander, & ad Hypasim usque Indiæ amnem processisse omnes scriptores tradunt. Ipse Plinius cap. XVII ejusdem libri: *ad Hypasin non ignobiliorem*, XXIX. CCCXC. M. *qui fuit Alexandri itinerum terminus, exuperato tamen amne, arisque in adversa ripa dicatis. Epistolæ quoque Regis consentiunt his.* Hic Hypasis post Hydaspem ad orientem. Straboni dicitur Ὕπανις, quod & Scythici fluvii nomen est. Arriano & Philostrato Ὕφασις. Hypanim Scythicum ita etiam appellavere quidam. Sic apud Plinium scribi debet *Hyphasis*, non *Hypasis*. Pleraque, ut videtur, Scythica nomina montium & amnium in Indiam transtulere Alexandri comites, ut Caucasum, Tanain, Hypanin, & alia. Ultra Hypanin igitur, vel Hyphasin Indicum aræ Alexandri positæ in adversa ripa. De his aris accipienda Peutingeri tabula, quas & in India collocat, cum his verbis: *Hic Alexander responsum accepit, usque quo Alexander?* Et duarum ibidem ararum instar erectum conspicitur. Quod autem in ea tabula scribitur, ibi responsum accepisse Alexandrum, *usque quo Alexander?* de oraculo quodam accipiendum, quo prohibente ultra Hypanin progredi non ausus est Alexander. Strabo lib. XV. Ἦν δὲ μετὰ τὸν Κώφην ὁ Ἰνδὸς, εἶθ' ὁ Ὑδάσπης, εἶθ' ὁ Ἀκεσίνης, καὶ ὁ Ὑάρωτις, ὕστατος δ' ὁ Ὕπανις. Προελθεῖν γὰρ περαιτέρω ἐκωλύθη, τοῦτο μὲν μαντείοις τισὶ προσέχων, τοῦτο δ' ὑπὸ τῆς στρατιᾶς ἀπηγορευκυίας ἤδη πρὸς τοὺς πόνους ἀναγκασθείς. Igitur cum usque eo processisset, iter retro convertit. Arrianus in Indicis: ὅτι οὐ πρόσω τοῦ Ὑφάσιος ἦλθεν Ἀλέξανδρος. Idem dicit Strabo, sed Ὕπανιν vocat. Ὁ δ' οὖν Ἀλέξανδρος ἀπὸ τοῦ Ὑπάνιος ἀναστρέψας ἐπὶ τὸν Ὑδάσπην, καὶ τὸν ναύσταθμον συνεκρότει τὸν στόλον. *Hypasis* Curtio nominatur, qui Græcis Ὕφασις. Præter has aras ad Hyphasin ab Alexandro constitutas videntur & aliæ ab eodem erectæ fuisse ad Jaxartem, vel Tanain, ut Plinius disertè tradit cap. XVI de Alexandria in ultimis Sogdianorum finibus condita ad Jaxartem: *Aræ ibi sunt ab Hercule, ac Libero Patre constitutæ, item Cyro, & Semiramide, & Alexandro, finis omnium eorum ductus ab illa parte terrarum includente flumine Jaxarte.* Certè Peutingeri eadem Tabula præter aras illas in India ad Hyphasim positas, aliam ARAM ALEXANDRI agnoscit haud longè ab Oxo flumine, & Bactrianis. Ea est, quam Plinius ad Jaxartem Tanaïn positam ostendit. Hinc Ptolemæus τῆς ὁμωνυμίας errore βωμοὺς Ἀλεξάνδρου ad Tanain Sarmaticum statuisse etiam videatur. Ergo Alexandri aræ tam ad Jaxartem, qui Tanaïs Macedonicus fuit, quam ad Hypanin Indicum: ultra quæ flumina ab utraque illa parte terrarum progressus non est Alexander. Ad Jaxartem porro in extremis Sogdianorum finibus conditam ab Alexandro Alexandriam, quam Ptolemæus vocat ἐσχάτην, antea diximus. Sed Ptolemæus eam ad Jaxartem non locat. Minimè tamen dubium est, quin ea sit, quam ἐπ' αὐτῷ τῷ Ταναΐδι constructam ab ipso Alexandro auctores narrant, & nominatim Arrianus lib. IV. Stephanus in voce Ἀλεξάνδρεια, ubi plura recenset hujus nominis oppida: ἑπτακαιδεκάτη ἐν τῇ Σογδιανῇ παρὰ Παροπαμισάδαις. Ὀκτωκαιδεκάτη ἐπὶ τοῦ Ταναΐδος αὐτοῦ Ἀλεξάνδρου κτίσμα. Ita legendum ex libris. Tanaïs nomine palam est intelligere Jaxartem, qui Sogdianam ab oriente includit. Ptolemæum autem Regem intelligit. Ptolemæus geographus duas quoque Alexandrias in Sogdiana numerat, alteram Ὀξιανὴν cognominatam, alteram ἐσχάτην, sed utramque à fluminibus removet longius. Tria ibi flumina nominat, Δύμον & Βάσκαλιν, & tertium, ultimumque Jaxartem, in quem illi duo incidunt. Ammianus *Araxatem*, & *Dyman* appellat. Et fortasse ille *Araxates* is est Ὀρξάντης, quem Arrianus Tanain appellatum à Macedonibus narrat, auctore Aristobulo. Addit Ammianus: *Hic inter alia oppida celebrantur Alexandria, & Tribatra, & Drepsa metropolis.* Ubi notat libros habere, & *Creschata*, pro illis & *Tribatra*. Omnino scribendum & *Cyreschata*. Τὰ Κυρέσχατα intelligit, quæ ad Jaxartem etiam condita, quasi dicas Κύρου πόλιν ἐσχάτην. Nam ibi etiam metam expeditionum suarum posuit Cyrus, ut & Alexander, qui Ἀλεξάνδρειαν ἐσχάτην eodem fere in loco condidit, & Κυρέσχατα destruxit. Stephanus: Κύρου πόλις, ἢ καὶ Κυρέσχατα καλεῖται, πόλις πρὸς

A τοῖς ἐσχάτοις Περσίδος. In ultimis nimirum Sogdianæ finibus ad Jaxartem, quem Tanain voarunt Macedones. Strabo lib. XI. Μαράκανδα δὲ τῆς Σογδιανῆς, καὶ τὰ Κυρέσχατα Κύρου κτίσμα ἐπὶ τῷ Ἰαξάρτῃ ποταμῷ κείμενον, ὅπερ ἦν ὅριον τῆς Περσῶν ἀρχῆς. Eam in montanis Sogdianæ collocat Ptolemæus. Sed dirutam scribit ab Alexandro Strabo ibidem. Ceterum diversa illa Alexandria ultima ab ea, quam sub Caucaso conditam tradit Plinius, ubi itinera Alexandri in Indiam exponit, & usque ad Jaxartem. Quæ duo itinera adeo confundit, & involvit, ut nihil suprà. Hæc igitur examinanda sunt, & elucidanda. Ita scribit lib. VI. cap. XV de portis Caspiis: *Hunc enim cardinem Alexandri Magni itinera facere. Ab iis portis ad In-*
B *diæ principium stadia quindecim milia sexcenta octoginta prodendo ad Bactra oppidum, quod appellant Zariaspa, tria milia septingenta, inde ad Jaxartem amnem quinque milia.* Strabo ex eodem auctore, unde Plinius accepit, iter illud describit, & prius quidem à Caspiis portis ad Jaxartem sic metitur: ἔνθεν δ' ἐπὶ Κασπίας πύλας πεντακισχιλίους ἑξακοσίους, εἶτα εἰς Ἀλεξάνδρειαν ἐν Ἀρίοις ἑξακισχιλίους τετρακοσίους, εἶτα εἰς Βάκτρα τὴν πόλιν, ἣ καὶ Ζαρίασπα καλεῖται, τρισχιλίους ὀκτακοσίους ἑβδομήκοντα, εἶτ' ἐπὶ τὸν Ἰαξάρτην ποταμὸν, ἐφ' ὃν Ἀλέξανδρος ἧκεν, ὡς πεντακισχιλίους. Numerus stadiasmi in utroque fere idem. *Ad Bactra oppidum*, inquit
C Plinius, *quod appellant Zariaspa, tria milia septingenta stadiûm.* In Græco sunt tria millia octingenta septuaginta. Sed incertum est, utrum à portis Caspiis ad Bactra hoc spatium interesse dicat, an ab Indiæ principio. *Ab iis portis*, inquit, *ad Indiæ principium stadia quindecim milia sexcenta octoginta, ad Bactra oppidum tria milia septingenta.* Sed vix ambigendum, quin ab Indiæ principio ad Bactra hanc itineris mensuram computet. In Græcis ab Alexandria, quæ est in Ariis, usque ad Bactra totidem stadia ponuntur. Ergo secundum Plinii calculum Indiæ principium ab Alexandria ἐν Ἀρίοις sumendum. Certè Aria, vel Ariana regio Indiæ proxima. Et cum usque
D ad eam venisset Alexander, non protinus Indiam petiit, sed superato Paropamiso, vel Caucaso in Bactrianam, & Sogdianam transiit, ut reliqua imperii Persici subigeret, & tum usque ad Jaxartem processit. Ergo ab Alexandria, quę est in Ariis, iter ad septentrionem convertit, & Bactra pertendit trans Paropamisum. Strabo: ἧκε μὲν οὖν τῆς Ἰνδικῆς πλησίον διὰ Ἀριανῶν, ἀφεὶς δ' αὐτὴν ἐν δεξιᾷ ὑπερέβη τὸν Παροπαμισὸν εἰς τὰ προσάρκτια μέρη, καὶ τὴν Βακτριανήν. Non tamen is est sensus Eratosthenis, quem Strabo auctorem citat, & quem Plinius sequitur, ut Ἀλεξάνδρεια ἐν Ἀρείοις principium sit Indiæ. Subjicit Strabo ex eodem auctore
E alteram itineris Indici dimensionem à Caspiis portis usque ad Indiæ principium, & in summa ferè cum Plinio convenit. Nam ἀπὸ Κασπίων πυλῶν εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰνδικῆς stadios computat μυρίους πεντακισχιλίους πεντακοσίους. Plinius similiter à Caspiis portis ad Indiæ principium stadia numerat quindecim milia sexcenta octoginta. Discrimen est tantum centum & octoginta stadiorum, quæ in Plinii computatione plus sunt. Et fortasse numerus in Græcis corruptus, & reponendum, ὁμοῦ μύριοι πεντακισχίλιοι χ' π', pro πεντακισχίλιοι φ'. Iter ipsum per mansiones ita describit, à Caspiis portis ad Hecatompylon Parthorum stadia mille nongenta & sexaginta: ab
F Hecatompylo ad Alexandriam ἐν Ἀρίοις quatuor milia quingenta triginta: inde ad Prosphtasiam Drangarum mille sexcenta: ad Arachotos oppidum quatuor milia centum & viginti: deinde ad Ortospana duo milia: εἶτα εἰς ὅρια τῆς Ἰνδικῆς ad principium Indiæ mille. Hi particulares mansionum stadiasmi non prorsus conveniunt cum summa, sed facile corrigi possunt. Longe igitur heic ponit Indiæ principium ab Alexandria Ariorum, & spatium, quod interjacet, definit octo milibus septingentis viginti stadiûm. At Plinius à principio Indiæ ad
G Bactra idem censet intervallum, quod ab Alexandria Ariorum usque ad eadem Bactra, sive Zariaspa ponitur Græco auctori, quasi principium Indiæ in Alexandria illa Ariorum statuendum sit, quod tot milibus inde separabatur. Duplex iter ex Eratosthene proponit ibi Strabo: unum à Caspiis portis ad Jaxartem, quum Alexander usque in Arianam progressus Indiæ finitimam, non rectà Indiam tum petere contendit, sed converso ad septentrionem itinere Indiam à dextra reliquit, & transcenso monte Paropamiso, vel parte ejus Caucaso

Caucaſo, Bactra petiit. Alterum iter ibidem metitur, quod à Caſpiis portis recta in Indiam ducit. Nec dubius ſum, quin utriuſque itineris deſcriptionem, ac διάστημα habuerit Eratoſthenes à Betone & Diogneto itinerum Alexandri menſoribus, quos & Plinius laudat auctores. Plinius utrumque iter miſcuit lib. VI. cap. XV, atque Indiæ principium, τὰ ὅρια τῆς Ἰνδικῆς in Alexandria Ariana conſtituit, quod multis milibus inde ſubmovetur. Alexander non recto itinere Indiam petiit à portis Caſpiis, ſed ab Ariana ſuperatis verſus ſeptentrionem montibus in Bactra, & Sogdios tranſiit. Inde reverſurus eoſdem montes iterum tranſgreſſus eſt, ſed alia, & magis compendiaria via, relicta ad ſiniſtram India, poſtea rurſus in eam contendit recta. Strabo lib. XV. Ἀνέστρεψε δ' οὖν ὑπερβαλὼν τὰ αὐτὰ ὄρη κατ' ἄλλας ὁδοὺς ἐπιτομωτέρας ἐν ἀριστερᾷ ἔχων τὴν Ἰνδικὴν, εἶτ' ἐπέστρεψεν εὐθὺς ἐπ' αὐτὴν, καὶ τοὺς ὅρους τοὺς ἑσπερίους αὐτῆς, καὶ τὸν Κώφην ποταμὸν, καὶ τὸν Χοάσπην, &c. Hi fines ſunt occidui Indiæ, quæ ὅρια τῆς Ἰνδικῆς vocat Eratoſthenes apud eumdem Strabonem, quæ longiſſime abſunt ab Alexandria Arion, licet ibi Plinius principium Indiæ collocet: qui tamen tot ſtadia numerat à Caſpiis portis ad hoc Indiæ principium, quot Eratoſthenes ab iiſdem portis, εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰνδικῆς computat. Rectum iter ab illis portis ad illos Indiæ fines per Parthos ducitur, deinde per Arios, tum per Drangas, & Arachotos. Sic illud iter deſcribit idem Plinius cap. XVII ex Diogneto, & Betone menſoribus Alexandri. Locum ipſum adferam, ut illuſtrem & explicem. Sic autem legendus eſt è veteri libro: *Diognetus & Beton itinerum ejus menſores ſcripſere a portis Caſpiis Hecatompylon Parthorum quot diximus milia eſſe: inde Alexandrian Arion, quam urbem is rex condidit,* CCCCLXXV: *inde ad Prophtaſian Drangarum* CXCIX. *Hinc ad Arachoſiorum oppidum,* CCCCLXV. *Ortoſpanum* CLXXV. *Inde ad Alexandri oppidum quinquaginta. In quibuſdam exemplaribus diverſi numeri reperiuntur. Hanc urbem ſub ipſo Caucaſo eſſe poſitam. Ab eo ad flumen Copheta, & oppidum Indorum Peucolaitin* CCXXVII. Numeros poſuimus, ut in veteri libro ſcripti extant. Alia ex eo emendavimus. Nunc reliqua cum Græcis Eratoſthenis comparemus, & emendemus, & quid ſimile habeant, quid diſſimile, videamus. *A portis Caſpiis Hecatompylon Parthorum quot diximus milia eſſe.* Dixit vero capite XV ipſius Parthiæ caput Hecatompylon abeſſe à portis Caſpiis CXXV. Ita libri ſcribunt, non, ut habetur in vulgatis CXXXIII. Eratoſthenes apud Strabonem hoc intervallum definit ſtadiis mille nongentis ſexaginta. Qui numerus ſtadiûm ducenta quadraginta quinque milia paſſuum facit. Sic igitur ſcribendum eſſet in Plinio CCXLV, pro CXXV. Sequitur, *inde Alexandriam Arion* CCCCLXXV. Sic libri. In Græcis: εἰς δ' Ἀλεξάνδρειαν τὴν ἐν Ἀρείοις τετρακισχιλίους πεντακοσίους τριάκοντα. Tot ſtadia efficiunt CCCCCLXI milia paſſuum plus minus. Apud Plinium ſequitur: *Inde ad Prophtaſian Drangarum* CXCIX. Græca Strabonis: εἶτ' εἰς Προφθασίαν, τὴν ἐν Δραγγῇ, χιλίους χ'. οἱ δὲ φ'. Mille ſexcenta ſtadia rotunde habent ducenta paſſuum milia. Uno minus habet Plinius. Urbs illa in Drangiana Ptolemæo dicitur Προσφθασία, Ammiano *Proſpthaſia.* Plinius: *Hinc ad Arachoſiorum oppidum* CCCCLXV. Strabo, vel Eratoſthenes: εἶτα εἰς Ἀραχωτοὺς τὴν πόλιν τετρακισχιλίους ἑκατὸν εἴκοσιν. Hoc eſſet milia paſſuum DXV. Atque ita fortaſſe reſcribendum apud Plinium CCCCCXV, pro CCCCLXV. Sequitur apud eumdem: *Ortoſpanum,* CLXXV. Strabo: εἶτ' εἰς Ὀρτόσπανα, ἐπὶ τὴν ἐκ Βάκτρων τρίοδον δισχιλίους. Stadia ſunt ducenta quinquaginta, non centum ſeptuaginta, ut apud Plinium habetur. Ortoſpana Paropamiſadarum oppidum. Qui Paropamiſadæ ab occidente habent Arios, ab oriente Indos. Longe itaque brevius foret iter ad Indiam tendenti, ab Alexandria Arion recta petere Ortoſpana Paropamiſadarum, quam per Drangas, & Arachotos circumflecti, deinde regyrare ad Ortoſpana, & Paropamiſadas. Nam Arachoſia, & oppidum Arachoti ad meridiem ſunt Paropamiſadarum. Non igitur video, cur Eratoſthenes hoc iter inſcribere debuerit, ἀπὸ τῶν Κασπίων πυλῶν εἰς Ἰνδοὺς, quum hos habeat circuitus. Certum quidem eſt, ita per has provincias circumgyraſſe Alexandrum, ſed Indiam non petebat tum. Ab Ariis ad Zarangæos, & Drangas profectus eſt, à Drangis ad Arachoſios, deinde iter reflexit ſeptentrionem

A verſus ad regionem Paropamiſadarum, quorum urbs Ortoſpana, ab Ortoſpanis Bactra profectus eſt, ſuperato monte Caucaſo, ſed condito prius ad radices ejus oppido, quod Alexandriam appellavit. Hoc iter ita narrant, ac deſcribunt Strabo, Arrianus, Curtius, alii. Quod ſi recta Indiam petiiſſet Alexander, non opus erat illi ad Ortoſpana reverti ab Arachotis, hoc eſt, à meridie ad ſeptentrionem reflectere curſum. Nam æque Indiæ vicini ac Paropamiſadæ. Quinimmo Ἀραχωσίαν veteres λευκὴν Ἰνδίαν vocabant. Duplex iter à Caſpiis portis ad Indos in Aſiaticis σταθμοῖς deſcribi memorat Strabo lib. XV. A Caſpiis portis ad Alexandriam Arion recta ibatur B per Parthiam, deinde per Bactrianam, & montes uſque ad Ortoſpana Paropamiſadarum, qui Indiæ contigui ſunt. Hoc primum iter, & brevius. Strabo: μέχρι μὲν Ἀλεξανδρείας τῆς ἐν Ἀρείοις ἀπὸ Κασπίων πυλῶν διὰ τῆς Παρθυαίας, μία καὶ ἡ αὐτὴ ὁδός. In utroque itinere, quod à Caſpiis ad Indiam ducit, à portis ad Alexandriam Ariorum eadem, atque una via eundum erat. Ab Alexandria ἐν Ἀρείοις qui recta, ac compendiaria volebant ire via, per montes, & Bactrianam tendebant Ortoſpana Paropamiſadarum oppidum. Strabo: εἶθ' ἡ μὲν ἐπ' εὐθείας διὰ τῆς Βακτριανῆς, καὶ τῆς ὑπερβάσεως τῶν ὀρῶν Ὀρτόσπανα, ἐπὶ τὴν ἐκ Βάκτρων τρίοδον, ἥτις ἐστὶν ἐν Παροπαμισάδαις. C Hæc igitur via compendioſiſſima à portis Caſpiis ad Indos. Alia fuit magis laciniosa, & flexuoſa, quæ ab Alexandria Arion non recta per Bactrianam Ortoſpana, & Paropamiſadas petebat, orientem verſus, ſed quæ ad meridiem declinabat, ac per Drangianam, & Arachotos uſque ad Indiæ terminos, & Indum amnem ducebat. Strabo: ἡ δ' ἐκτρέπεται μικρὸν ἀπὸ τῆς Ἀρίας πρὸς νότον εἰς Προφθασίαν τῆς Δραγγιανῆς, εἶτα πάλιν ἡ αὐτὴ μέχρι τῶν ὅρων τῆς Ἰνδικῆς, καὶ τοῦ Ἰνδοῦ, ὥστε μακροτέρα ἐστὶν αὕτη ἡ διὰ τῶν Δραγγῶν, καὶ Ἀραχωτῶν, σταδίων μυρίων πεντακισχιλίων τριακοσίων ἡ πᾶσα. Longiorem hanc viam D eſſe dicit, quæ per Drangas, & Arachotos ducebat ad Indiæ fines, & Indum, eamque conſtare in totum ſtadiis quindecim milibus trecentis. Tot nimirum ſtadia fuere à Caſpiis portis ad Indiæ principium, per Drangas, & Arachotos iter facienti. At Plinius lib. VI. cap. XV huic itineri dat ſtadiûm quindecim milia ſexcenta octoginta. Eratoſthenes apud eumdem Strabonem ſtadiorum facit μυρίων πεντακισχιλίων φ', ducentorum tantum ſtadiorum differentia. Sed miror Eratoſthenem, & Plinium ex Diogneto, & Betone in eo itinere deſcribendo, quod per Drangas, & Arachotos in Indiam fert, Ortoſpana ponere, & Alexandri oppidum E ſub Caucaſo, cum certo ſit certius eos, qui à Caſpiis portis in Indiam pergebant per Drangas & Arachotos, non iter habuiſſe per Ortoſpana, ſed eos qui rectam, & compendiariam viam eligebant ab Ariis ad Ortoſpana per Bactrianam & montana. Quid enim opus ab Arachotis Ortoſpana per gyrum reverti, quum Arachotis in propinquo eſſet India? Duplex quippe iter fuit: alterum brevius ab Aria per Paropamiſadas & Ortoſpana: alterum ab eadem Aria per Drangas & Arachotos longius. Ipſe quidem Alexander ab Alexandria Arion per Drangas & Arachotos ad Ortoſpana rediit, ſed Indiam non petebat. Bactrianam quippe & Sogdios co- F gitabat. Nec Indiam petere prius contendit, quam ab illis partibus rediit. Breviore quidem potuerat via ab Alexandria, quæ in Ariis eſt, recta Ortoſpana petere, atque inde Bactra, & Sogdianam, atque ita facere deſtinarat, ut Arrianus tradit lib. III, ſed nuntiata Satibarzanis defectione Ariorum Satrapæ per Drangas & Arachotos circumduxit exercitum, ac tum demum Ortoſpana regreſſus eſt, ut in Bactrianam ſuperatis montibus tranſiret. Nam Ortoſpanis trivium erat, quod Bactra ducebat. Strabo: εἰς Ὀρτόσπανα διὰ τὴν ἐκ τῶν Βάκτρων τρίοδον. Eratoſthenes apud Strabonem: εἶτα εἰς Ὀρτόσπανα ἐπὶ τὴν ἐκ Βάκτρων τρίοδον. G Cum eſſet apud Arachotos Alexander, in tranſitu etiam Indos Arachotis vicinos ſubegiſſe eum prodit Arrianus: παρεστήσατο δὲ καὶ τοὺς Ἀραχώτους, καὶ Σατράπην κατέστησεν ἐπ' αὐτοῖς Μένωνα. Ἐπῆλθε δὲ καὶ τῶν Ἰνδῶν τοὺς προσχώρους Ἀραχώτοις. Hoc ἐν παρόδῳ. Nam ad Bactra feſtinabat. Nec deſtinato Indiam petiit ante quam ab illis locis reverſus eſt. Quapropter non deſinam mirari, quod jam prius miratus ſum, auctores veteres, & inter eos Diognetum & Be-

tonem itinerarium Indicum, cujus à Caspiis portis initium ducunt, per Drangas, & Arachotos, & Ortospana deducere, & per Alexandriam Caucaso subjectam, & sic ad Copheta primum Indiæ amnem. Certe ab Ortospanis Indiam, ut videtur, ingressus est Alexander, sed quum rediisset à Bactris. Nam eodem itinere per montes regressus Ortospana, exinde vicinam Indiam per Paropamisadas intravit. Sic duplex itaque iter in unum confundunt auctores illi, quod per Ortospana, & Paropamisadas ad Indiæ principium ducit, & quod per Drangas, & Arachotos. Ceterum, vix est ut putem hujus rei culpam hærere penes Betonem & Diognetum, qui mensores itinerum Alexandri extitere, sed penes Plinium ipsum, qui imperite hæc miscui, sicut in aliis omnibus perpetuus ejus est mos. Strabo sane iter hujusmodi duplex ait descriptum fuisse ἐν τοῖς Ἀσιατικοῖς σταθμοῖς, unum per Ὀρτόσπανα, & Παροπαμισάδας brevius, alterum laciniosum, ac longius per Drangas, & Arachotos, quos & ipsos constat Indis esse vicinos, sed magis ad meridiem recedentes, quam Paropamisadas. Sequitur apud Plinium: *inde ad Alexandri oppidum quinquaginta millia, hanc urbem sub ipso Caucaso esse positam.* Ab Ortospanis ad Alexandri oppidum, quod sub Caucaso Alexander condidit, quinquaginta milia esse dicit. In aliis exemplaribus diversos numeros reperiri. Eratosthenes post Ortospana nullam sub Caucaso Alexandriam nominat, sed statim ὅρια τῆς Ἰνδικῆς ponit: εἶτ' εἰς ὅρια τῆς Ἰνδικῆς χιλίους. Et profecto certum est ab Ortospanis, primo illo, & breviori itinere statim fines Indiæ reperiri. Ab Ariis enim, Alexandria Ariorum Ortopamisadarum, & ὅρια τῆς Ἰνδικῆς ad orientem pergentibus. Indi quippe ab illa parte Paropamisadis vicini. Sed hoc peccavit Eratosthenes, quod ab Arachotis ad Ortospana in illo itinere faciendo viatorem deducit. Atqui licebat statim ab Arachosiorum oppido, εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰνδικῆς pervenire contra orientem iter facienti. Ab Arachosiorum oppido ad Ortospana versus septentrionem iter est, item ab Ortospanis ad Alexandri oppidum, quod Caucaso subjectum est. Quare magis etiam erravit Plinius quàm Eratosthenes, qui iter in Indiam ab Ortospanis etiam & per Alexandriam Caucasi fieri scribit. Quum iter hoc faceret, non Indiam quærebat Alexander, sed in Bactrianam recta ibat, septentrionem versus relicta ad dextram India. Sub radicibus ipsius Caucasi, sive Paropamisi hoc oppidum condidit, cum per eum montem transire in Bactrianam pararet. Strabo: διαχειμάσας δ' αὐτόθι ὑπερδέξιον ἔχων τὴν Ἰνδικήν, καὶ πόλιν κτίσας ὑπερήκρισεν εἰς τὴν Βακτριανήν. De ea urbe intelligit, quam Plinius dicit positam esse sub Caucaso. Arrianus lib. III. Ἐν τούτῳ δ' Ἀλέξανδρος πρὸς τὸν Καύκασον τὸ ὄρος ἦγεν, ὅπου καὶ πόλιν ἔκτισε, καὶ ὠνόμασεν Ἀλεξάνδρειαν καὶ θύσας ἐνταῦθα τοῖς θεοῖς, ὅσοις νόμος αὐτῷ ὑπερέβαλε τὸ ὄρος τὸν Καύκασον. Plinius *Alexandri oppidum* vocat, non *Alexandriam*, quasi fuerit in Græcis Ἀλεξάνδρου πόλις. Et sane hæc diversa sunt. Nam eorum, quæ Alexander condidit, oppidorum aliæ Ἀλεξάνδρειαι, aliæ Ἀλεξάνδρου πόλεις cognominatæ sunt. Isidorus in Σταθμοῖς Parthicis clare hæc nomina distinguit. De Sacastene, sive regione Sacarum: ἔνθα βασίλεια Σάκων, καὶ πλησίον Ἀλεξάνδρεια πόλις, καὶ πλησίον Ἀλεξανδρόπολις πόλις. Item de Arachosia: εἶτα Ἀλεξανδρόπολις μητρόπολις τῆς Ἀραχωσίας, ἔστι δὲ Ἑλληνίς, καὶ παραρρεῖ αὐτὴν ποταμὸς Ἀραχώτος. Alii discrimen parvi faciunt, & Ἀλεξάνδρειαν nominant auctores ceteri Arachosiorum illud oppidum. Duæ Ἀλεξάνδρειαι in Arachotis. Stephanus δυωδεκάτη, inquit, ἐν Ἀραχώτοις. Et paulo post: πεντεκαιδεκάτη παρὰ τοῖς Ἀραχώτοις ὁμοροῦσα τῇ Ἰνδικῇ. Isidorus Characenus Alexandriam, & Alexandropolim, hoc est, Alexandri oppidum in Sacastene simul recenset. Ex tot urbibus hoc nomine Stephanus, qui omnes recenset, nullam in ea regione agnoscit, nisi legendum sit apud eum: Τεσσαρεσκαιδεκάτη ἐν Σακαστηνῇ, ἣν παραρρεῖ ποταμὸς Ἰαξάρτης. Ubi vulgo legitur: ἐν Μακαρήνῃ, ἣν παραρρεῖ ποταμὸς Μαξάτης. Eadem hæc esset cum illa, quam ad Tanaïn conditam ab ipso Alexandro meminit. Sed hæc alibi viderimus. Multas Alexandrias, quasi diversas memorat ibidem Stephanus, quæ eædem sunt. Pincianus corrigebat hoc loco apud Plinium, *inde Alexandriam Opianes quinquaginta milia.* Pro eo, quod vulgatum est: *Inde Alexandri oppidum.* Sed veteres ibi habent: *inde ad Alexandri oppidum.* Quod est Ἀλεξάνδρου πόλις, vel Ἀλεξανδρόπολις. Opiane illa ubi sit nescio. Legitur quidem apud Stephanum, πέμπτη ἐν τῇ Ὀπιανῇ κατὰ τὴν Ἰνδικήν. Sed nullam Ὀπιανὴν prope Indiam invenio in illis locis. Omnino corrigendum, ἐν τῇ Ἀρειανῇ κατὰ τὴν Ἰνδικήν. Arianen usque ad Indiam pertingere constat ex Strabone, & diversam esse ab Aria. Diversa igitur hæc Alexandria Ἀρειανῆς ab altera Alexandria, quæ cognominatur ἐν Ἀρείοις. Et, nisi fallor, hæc Ἀρειανῆς Alexandria ipsa est, quam sub Caucaso condidit Alexander, quum Bactra trans montem illum posita transiturus esset. Nullam reperio apud Stephanum in mentione omnium urbium, quæ hoc nomen tulere, cui melius ista conveniant. Ἀρειανὴ usque ad Indum amnem teste Strabone pertinebat. Sub Paropamiso, & Caucaso tota erat. Hinc Dionysius canit omnes populos, qui Paropamisum accolerent, in universum appellatos Ἀρειηνούς.

---- ὅσσοι τε παρὰ πτυχὶ Παρνησοῖο
Ξυνῇ ὁμῶς μάλα πάντας ἐπωνυμίην Ἀρειηνούς.

Idem alio loco Ἐρυθραίους Ἀρειηνοὺς vocat, quasi usque ad Erythræum sinum, sive Persicum pertingerent. Latissime itaque patebat Ariena regio, & multos populos comprehendebat. Strabo: μετὰ δὲ τὴν Ἰνδικήν ἐστιν Ἀρειανή. Ergo Indiæ proxima Ariane. Aria strictior, ἡ Ἀρεία, quam Strabo cum Margiana describit lib. XI. Auctores tamen plerique Ariam cum Ariana confundunt, quam alii separant. Mela: *Indis proxima est Ariane, deinde Aria, & Gedrosis, & Persis ad sinum Persicum.* Stephanus: Ἀρεία θηλυκῶς, καὶ οὐδετέρως Περσικὴ χώρα, ὡς Ἑλλάνικος. Τὸ ἐθνικὸν Ἄρειοι, ὡς αὐτός φησι, καὶ Ἀρειδίς. Ἀπολλόδωρος δὲ Ἀριανή, ἔθνος προσεχὲς τοῖς Καδουσίοις. Eo τέρῳ. Cadusii inter Caspium mare, & Pontum. Ut usque Arianen pertingere Strabo tradit lib. XV. verum tamen fateamur, quidquid alii contra dicant, idem nomen est Ἀρεία & Ἀρειανή, Ἄρειοι & Ἀρειηνοί. Sed hoc idem nomen alii latius, alii strictius sumpsere. Nam quod de Arianis quidam, hoc de Ariis multi prodiderunt. Plinius lib. VI. cap. XX de India: *Etenim plerique ab occidente non Indo amne determinant, sed adjiciunt quatuor satrapias, Gedrosos, Arachotas, Arios, Paropamisadas, ultimo fine Cophete fluvio, quæ omnia Ariorum esse aliis placet.* Sic ille locus continuatim legendus est, qui male in vulgatis distinctione capitum divulsus est à sua serie. Ergo Gedrosos, Arios, Paropamisadas, & Arachotos una Ariorum appellatione comprehendi multis placebat. Hæc est Ἀρειανή. Ἄρειοι porro ἐθνικὸν ἀπὸ τῆς Ἀρίας. Quæ Aria strictius sumpta ab oriente habet Paropamisadas: si latius capiatur, habet ipsum Indum, comprehensis & ipsis Paropamisadis. Ammianus *Arianos* populos vocat, *Ariam* regionem lib. XXII. *Ariani vivunt post Seras Boreæ obnoxii flatibus: quorum terras amnis vehendis navibus sufficiens, Arias perfluit nomine, faciens lacum ingentem eodem vocabulo distitatum. Abundat autem hæc eadem Aria oppidis: inter quæ sunt celebria, Bitaxa, Sarmagina, & Sotira, & Nisibis, & Alexandria.* Ita legendum ex vestigiis priscæ lectionis, quæ habet, *Bitaxas, Armatina.* Vocat *Sarmagina*, quæ Ptolemæo Σαρμάγανα. Strabo Ἄρειον appellat amnem, qui τὴν Ἀρίαν perfluit. Plinius eumdem amnem in Ariana regione recenset cap. XXIII. *Ariana regio ambusta fervoribus,* &c. Et paulo post: *Oppidum Artacoana, Arius amnis, qui præfluit Alexandriam ab Alexandro conditam.* Ita scribendum ex veteri codice, non *Artacana.* Arrianus Ἀρτακόανα in Ariis ponit, & eam sexcentis stadiis ab Alexandria τῶν Ἀρίων distare facit. Sic tam *Artacoana* quam Ἀλεξάνδρειαν τῶν Ἀρίων Plinius Arianæ adscribit. Et sic *Arii* & *Ariani*, Ἀρία & Ἀρειανὴ apud eum pro eadem provincia, ac natione. Ptolemæus τὰ Ἀρτακόανα in Aria quoque recenset. Perperam apud eum legitur Ἀρτικαύδνα. At idem Plinius alio loco Arios, & Arianos velut diversos facit, quum de Parthia scribens dicit eam *ab ortu habere Arios, a meridie Carmaniam & Arianos.* Sed talis ubique Plinius. Stephanus in recensendis oppidis, quibus Alexandria nomen fuit: ἑβδόμη ἐν Ἀρίοις ἔθνει Παρθυαίων κατὰ τὴν Ἰνδικήν. Et heîc Arios cum Arienis eosdem statuit. Nam Ἀρειανοὶ κατὰ τὴν Ἰνδικὴν

Ἰνδικὴν sunt, Arii vero propriè sumpti vicini non sunt Indiæ, utpote qui habeant ab oriente Paropamisadas. Inter provincias, & satrapias orientis & imperii Parthici nullam nominant Ἀελανὴν, sed Ἀρίαν solam recensent auctores antiqui, Isidorus Characenus, Arrianus, Ptolemæus, aliique. Unde satis ostenditur Ἀρίαν, & Ἀελανὴν eamdem fuisse, modò strictius, modò latius sumi solitam. Isidorus Characenus: ἐντεῦθεν Ἀρία, σχοῖνοι λ'. ἔνθα Κανδὰκ πόλις, καὶ Ἀρτακαύαν πόλις, καὶ Ἀλεξάνδρεια ἡ ἐν Ἀρίοις. Sic legendum. Vocat Ἀρτακαύαν, quæ Arriano & Plinio Ἀρτακόανα, Ptolemæo Ἀρτικαῦνα, pro Ἀρτακόανα. Ab illa Alexandria Ariorum diversam esse Alexandriam eam, quam sub Caucaso condidit Alexander transgressurus in Bactrianam, jam satis inde constat. Ariorum tamen, sive Arianorum latiori appellatione sumptorum illud oppidum fuisse dici potest. Nam in Paropamisadis eam ponit Arrianus lib. IV: quos Ariorum nomine quidam complectebantur: ὑπερβαλὼν δὲ τὸν Καύκασον ἐν δέκα ἡμέραις ἀφίκετο ἐς Ἀλεξάνδρειαν πόλιν τὴν κτισθεῖσαν ἐν Παροπαμισάδαις, ὅτε τὸ πρῶτον ἐπὶ Βάκτρων ἐστέλλετο. De eadem loquitur, quam lib. III sub Caucaso conditam significavit. De itu Alexandri ad Bactra ibi loquebatur, heîc de reditu. Sequitur apud Plinium: *Hanc urbem sub ipso Caucaso esse positam. Ab ea ad flumen Copheta, & oppidum Indorum Peucelaotin* CCXXVII. Sic emendare oportet. Pessime in vulgatis habetur, *ad flumen Chephta, & Peucelaitin*. Græcis hic amnis dicitur Κωφὴς, aut Κώφην: & regio Πευκελαῶτις. Mirus, ut jam dixi, itineris Indici circuitus in hoc itinerario nobis proponitur. Ab Ariorum Alexandria ad Prophtasian Drangarum, hoc est, à septentrione ad meridiem, deinde à Prophtasia Drangarum ad Arachosiorum oppidum, postea ab Arachosiorum oppido ad Ortospana, id est, à meridie septentrionem versus, ut & ab Ortospanis ad Alexandriam Paropamisadarum, quæ Caucaso subjecta est. Ab eadem Alexandria postremo ad Copheta fluvium, iterum ab occidente contra orientem. Quæ mirificæ sunt itineris ambages, quum ab Alexandria Ariorum rectum iter pateret ad Alexandriam Paropamisadarum, inde ad Copheta flumen. Certum quidem est, eo circuitu peragrasse eas terras Alexandrum, priusquam Indiam tentaret, sed ab Alexandria illa Caucasi superato eo monte Bactra Sogdianam ingressus est. Quod omittere non debuit Plinius, siquidem iter nobis Alexandri Magni iisdem mansionibus, quibus ab eo confectum est, describere voluit. Nam tum demum, quum à Bactris Alexandriam suprascriptam rediisset, Indiam petiit. At si iter simpliciter deliniare in animo habuit, quod à Caspiis portis in Indiæ fines dirigit, non per Drangas, & Arachotos, ac tum Paropamisadas circumagi debuit, sed vel per Arios & Paropamisadas, vel per Drangas & Arachotos, quæ duplex illius itineris via fuit. Ille utramque confundit, ratione prætерhabita itineris, quod Alexander confecit in peragrandis, & pacandis illis provinciis, priusquam Indiam adiret. Alexander regressus à Bactris, iterum superato monte Caucaso, in Alexandriam, quæ sub Caucaso est, venit. Inde ad Copheta flumen processit, quod Arios & Paropamisadas ab illa parte includit, & ab India disterminat. Vide Arrianum lib. IV. Rectè itaque emendavimus apud Plinium. *Etenim plerique ab occidente non Indo amne determinant, sed adjiciunt quatuor satrapias, Gedrosos, Arachotas, Arios, Paropamisadas, ultimo fine Cophete fluvio, quæ omnia Ariorum esse aliis placet.* In editis partim horum verborum præcedens caput finitur, & sequens inchoatur. Quo genere plus quàm centies in Plinio peccavere librarii, cum auctor ipse opus nullis capitum sectionibus distinxerit, ut alibi docemus. Disputatio de Caucaso huc usque provexit exercitationem istam. Eum Caucasum partem esse Tauri tradit Plinius, qua Taurus altissimus est. De Caucaso Indico id interpretabamur, initio hujus exercitationis, suffragante Pomponio Mela, cui etiam adstipulari videtur Arrianus his verbis de Caucaso Paropamisi: τὸ δὲ ὄρος ὁ Καύκασος, ὑψηλὸν μὲν ἐστιν, ὥσπερ τι ἄλλο τῆς Ἀσίας. Ptolemæus quoque in illis partibus excelsissimos montes locat, & qui aliorum omnium superantissimi sint. Sed Plinii verba, quo procedunt ordine, de Caucaso Colchico potius accipienda sunt: *Niphates, Taurus, atque ubi se quoque exsuperat, Caucasus.* Si de Indico intellexisset, inter Paropamisum & Emodum mentionem ejus fecisset, ut fecit Mela in his: *deinde Hemodes, & Caucasus, & Paropamisus.* Sed Plinius, ut ante notavimus, utrumque Caucasum sæpe confundit. Phycaros populos Indici Caucasi facit incolas lib. XXXVII. cap. VIII de Callaina gemma: *Nascitur post aversa Indiæ apud incolas Caucasi montis Phycaros ac Asdatas amplitudine conspicua.* At idem libro VI. cap. VII eosdem *Phycaros*, ut apparet, circa Mæotim ponit. Sed vereor ut illi Phycari Indici in coloniam eo deducti sint à correctoribus, absque auspicio librorum, qui locum illum ita concipiunt: *Nascitur post aversa Indiæ, apud incolas Caucasi montis est & Phiracos Sacas apud Dacas amplitudine conspicua.* Hæc corruptissima. Sed *Phycari* illi Mæotidis heîc sedem non possunt habere, possunt autem Sacæ, & Daæ, qui post aversa Indiæ incolunt ad sinistram Caucasi, & Parapamisi. Scribendum itaque: *apud Sacas, & Daas amplitudine conspicua.* Fortasse etiam ex vestigiis illis veteris scripturæ huc inserendi *Tochari* hoc modo: *apud incolas Caucasi montis & Tocharos, & Sacas: apud Daas amplitudine conspicua.* De Sacis, & Daïs nullum est dubium. Tochari quoque non longè ab illis locis. Male *Dacas* scribunt ibi libri, qui *Daæ* sunt, vel *Dahæ*, inde illi *Dacæ*, qui Daci sunt Europæi Getis vicini, nec istic locum queunt obtinere. Eodem autem errore, quo duos Caucasos finxerunt ex uno, & duos Tanaïs cognomines, ita & Dai, vel Daæ gemini facti sunt, quorum alteros supra Mæotim paludem locarunt, alteros ad mare Caspium, Bactris vicinos. De Daïs istis Asiaticis, certa res est eos fuisse ubi ponuntur ab auctoribus, qui à mari Caspio regionem eorum incipere faciunt, & versus orientem tendere. Strabo: οἱ μὲν πλείους τῶν Σκυθῶν ἀπὸ τῆς Κασπίας ἀρξάμενοι θαλάττης Δάαι προσαγορεύονται, τοὺς δὲ πρὸς ἕω τούτων μᾶλλον Μασσαγέτας, καὶ Σάκας ὀνομάζουσι. His Dais plena est Alexandri Magni historia. Nam & hos cum Bactrianis subjugavit, & notos Græciæ fecit. At de Daïs illis Mæoticis incertum an fuerint. Idem Strabo: φασὶ δὲ τοὺς Πάρνους Δάας μετανάστας εἶναι ἐκ τῶν ὑπὲρ τῆς Μαιώτιδος Δάων οὓς, Ξανθίους ἢ Παρίους καλοῦσιν. Οὐ πάνυ δ' ὁμολογῆται Δάας εἶναι τινὰς τῶν ὑπὲρ τῆς Μαιώτιδος Σκυθῶν. Vides dubitatum veteribus, an ulli Daï Europæi fuerint supra Mæotin. Quosdam vero credidisse Asiaticos ex Europæis traductos. Strabo alio loco vocatos antiquis Δάους scribit, qui postea dicti sunt Δάκοι lib. VII his verbis, quæ sic legenda sunt: Δάκους δὲ τοὺς εἰς τἀναντία πρὸς Γερμανίαν, καὶ τὰς τοῦ Ἴστρου πηγὰς, οὓς οἶμαι Δάους καλεῖσθαι τὸ παλαιόν. Ἀφ' οὗ καὶ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ἐπεπόλασε τὰ τῶν οἰκετῶν ὀνόματα Γέται καὶ Δᾶοι. Perperam Δαύους & Δαῦοι hodie legitur apud Strabonem. Græcum Δᾶος, Latinum *Davus*. Ut ὠὸν ovum, & similia. Metrodorus:

ὀγδώκοντα Σύρος, Δᾶος δέκα, Τίβιος ὀκτώ.

Addit Strabo: ἔστι γὰρ πιθανώτερον ἢ ἀπὸ τῶν Σκυθῶν, οὓς καλοῦσι Δάας. Πόῤῥω γὰρ ἐκεῖνοι περὶ τὴν Ὑρκανίαν, καὶ οὐκ εἰκὸς ἐκεῖθεν κομίζεσθαι ἀνδράποδα εἰς τὴν Ἀττικήν. Dicit probabilius videri servos qui in comœdia Attica vocabantur Δᾶοι, Latinè *Davi*, à Daïs Europæis dictos, ac deductos fuisse, quam ab illis Asiaticis, & Hyrcanis, quia verisimile non sit, ex tam longinquis locis in Græciam advecta mancipia. Atqui idem ille Strabo est, qui libro undecimo tradit, non prorsus in confesso esse, an ulli extiterint Δᾶοι, vel Δάαι supra Mæotim. Ipse certè secum pugnat. Quod autem non putat tam longe in Atticam importata mancipia, ratio eum fugit. Quippe valde simile veri est, Alexandrum Magnum subjugatis, ac devictis Daïs frequentes in exercitu suo fecisse inde loci servos, ac postea in Græciam translatum eorum nomen, & usum fuisse. Profecto nova tantum comœdia, non etiam vetus mentionem habet servitii hujus generis. In Eupolidis, Cratini, Aristophanis, & antiquiorum comœdiis Δᾶος nomen pro mancipio non visebatur. Sed Καρίων, Λυδὸς, Φρύξ, Τίβιος, & alia hujusmodi. Apud Me-

Menandrum, & Apollodorum, aliosque, qui post Alexandri Magni ætatem fabulas in scena dictaverunt, frequentia τὰ τῶν οἰκετῶν ὀνόματα Δάοι καὶ Γέται. Hinc Latinis comicis, qui novam Græcorum comœdiam imitati sunt, atque etiam reddiderunt, *Davi*, & *Getæ* servorum nomina. Non igitur Δάκοι iidem, qui & Δάοι antiquis. Et Δάοι nulli, vel Δάαι Getis, & Germanis vicini. Sed qui Δάαι fuere ad Caspium mare. Quidam eos in Mæotim, & Pontum transduxerunt, quia Macedones Caspium ipsum mare Pontum esse putabant, vel Mæotim paludem, & septentrionali axi subjacere. Hinc & Jaxartem, qui in Caspium mare influit, eumdem cum Tanaï, qui in Mæotidem exoneratur, fecerunt, eademque appellatione donaverunt. Iidemque Caucasi Colchici nomen, & fabulam Promethei Indico monti transcripsere. An igitur dicemus simili errore contigisse, ut duplicem Rha fluvium Ptolemæus fecerit, dum varios sequitur auctores? Alterum quippe in Mæotidis mare exire scribit, juxta Tanais exitus, alterum Caspio mari infundi eo latere, quo Jaxartes, qui & ipse Tanaïs quoque nuncupatus est. Quod enim Rha fluvius etiam in Mæotidem influat, non potest esse obscurum ex his Ptolemæi verbis de Sarmatia: ἔστι καὶ ἑτέρα τοῦ Ῥᾶ ἐκβολὴ πλησιάζουσα τῇ τοῦ Τανάϊδος. Interpres *flexionem* vertit. Qui tabulas Ptolemæi delinearunt, hoc idem sequuti sunt, & τὴν ἐκβολὴν ἀντὶ τῆς ἐπιστροφῆς, vel ἐκτροπῆς sumpserunt, quum vulgo significet ostium fluminis, & exitum ejus in mare. Nec enim alio sensu ἐκβολὴ ποταμοῦ apud Græcos accipitur Sic Rha geminus Ptolemæo, unus δυτικὸς, qui in Mæotidem elabitur, alter ἑῷος, qui in Caspium devolvitur. Eo modo duplex Tanaïs, & duplex Caucasus. Idem etiam Ptolemæus aras Alexandri ultra Tanaim, & Mæotidem ad septentrionem ponit, ad quæ loca nunquam penetrasse Alexandrum satis constat. Sed aræ illæ Alexandri ad Jaxartem sunt, quam milites Alexandri putaverunt esse Tanaim, qui ita etiam illis nominatus est. Inde error. Sic ultra Caucasum Colchicum στήλας Ἀλεξάνδρου idem collocat, quæ ultra sunt Indicum Paropamisum, quem Macedones Caucasum esse censuerunt. Rha fluvius Ponticus, à quo radix nomen sumpsit, quæ ex illis locis afferebatur. Notus Ammiani locus ex lib. XXII. ubi de Tanai loquitur: *Huic Rha vicinus est amnis, in cujus superciliis quidam vegetabilis ejusdem nominis gignitur radix, proficiens ad usus multiplices medelarum.* Unus tantum illi Rha fluvius Tanaï vicinus, qui in Mœotidem influit, haud longe à Tanaïs ostiis. Dioscorides radicem *Rha*, vel *Rheon* nasci ait ἐν τοῖς Βόσπορον τόποις. Ergo amnis Rha in iisdem locis, qui radici nomen dedit. Cimmerium porro Bosporon intelligit. Plinius Rheon, vel Rha, quam *Rhacomam* appellat, ex regionibus suprà Pontum afferri dicit lib. XXVII. cap. XII. *Rhacoma affertur ex his, quæ supra Pontum sunt, regionibus.* Quæ Dioscoridi ῥέον, vel ῥᾶ dicitur, Plinio est *Rhacoma.* Quod profecto mirum, quum omnes veteres ῥέον, vel ῥῆον, vel ῥᾶ vocitent hanc radicem. Hesychius: ῥᾶ, ῥιζίον τι. Aëtius: ῥᾶ, τουτέστι, ῥέον. *Rhacomam* Plinii Rheon esse aliorum, ex utriusque descriptione patet, licet hoc negent quidam. Ex alio quàm Dioscoride historiam ejus hausit Plinius, ita tamen ut multa habeat similia: *Radix costo nigro similis, minor & rufior paulo, sine odore calfaciens gustu, & adstringens.* Dioscorides: ῥίζα μέλαινα, κενταυρείῳ τῷ μεγάλῳ ἐοικυῖα, μικροτέρα μέντοι, καὶ ἐνερευθεστέρα ἄοσμος. Excepto, quod *costum nigrum* dixit Plinius pro centaurio majore, cetera eadem. Costi nigri radici comparat Rhacomæ radicem. Nam costum, radix: cujus duo genera, nigrum & candicans, ut ex eodem Plinio constat. Plinius de Rhacoma: *eadem trita vini colorem reddit ad crocum inclinantem.* Dioscorides de Rha: διαμασηθὲν δὲ ἔνωχρον, καὶ κροκίζον πως τῷ χρώματι. Remedia ex utraque paria sunt. Plinius: *Inlita collectiones, inflammationesque sedat.* Dioscorides: φλεγμονὰς πάσας διαχεῖ σὺν ὕδατι καταπλασσόμενον. Sic legendum apud Plinium: *datur & decoctum ejus bibendum duplici mensura, ad rupta, convulsa, convulsis ex sublimi devolutis.* Πρὸς τὰ ῥήγματα, σπάσματα, πτώματα. Et mox: *insignita cum melle, & alia liventia ex aceto.* Græcus: αἴρει δὲ καὶ πελιώματα, καὶ λειχῆνας μετ' ὄξους καταχριόμενον. *Liventia* sunt πελιώματα. De lichenibus paulo post reddit: *lichenas quoque ex aceto imposito purgat.* Plinius *insignita* vocat, quæ plaga aperta sunt, & quæ sanata cicatricem relinquunt, & notam. Ideo opponit *liventibus*, τοῖς πελιώμασι. *Insignita* Græci vocant τὰ ἀφεστῶτα σώματα. Quibus glutinandis, & conducendis etiam mel bonum est. Hæc malè vulgo accipiunt. Libri omnes Pliniani *Rechoma* scribunt, non *Rhacoma.* In libro indicis scriptum quoque, *Rhecoma* XXXVI. *Reseda* II. An quibusdam Græcis Ῥέωμα, quod aliis Ῥέον? An corrigendum, *Rheicoma*, Ῥέου κόμη, ut sic Græci appellaverint à capillis, vel foliis comæ? Hoc vaticinari est. Puto Plinium scripsisse *Rheonrha*: cum in Græcis invenisset, ῥέον ἢ ῥᾶ. Ex *Rheonrha* factum postea *Rechonra*, ut *nichili* pro *nihili*. Inde pronum fuit facere, *Rechoma.* Nihil verius, *Rha Ponticum*, vel *Rheon Ponticum* eam radicem vocaverunt à Ponto, quod in regionibus supra Pontum ad præripia fluminis Rha nasceretur. Sed & unica voce *Rheoponticum*, & postea *Rheuponticum*. Rha Barbarum cum Rha Pontico nonnulli ex veteribus medicis passim confuderunt, ut quidam etiam recentiorum. Isidorus: *Rheubarbarum, sive Rheuponticum: illud quod trans Danubium in solo barbarico: istud quod circa Ponticum colligitur, nominatum est. Rheu autem radix dicitur.* Certè nomen idem est in utraque radice *Rha*, vel *Rheon.* Patriam quoque eamdem facit, sub diversa appellatione. At Rheubarbarum nostrum, & Rheu Ponticum, præter dissimiles alias notas, contrariis planè pollent virtutibus. Dioscorides, τὴν ἀνωτάτην τοῦ Ῥᾶ δύναμιν συπτικὴν esse tradit, μετὰ ποσῆς θερμασίας. Idem prorsus docent Galenus, Aëtius, aliique. Aëtius: Ῥᾶ Ποντικὸν, τουτέστι, ῥέον μικτῆς ἐστὶ κράσεως στυφούσης τε καὶ θερμαινούσης, καὶ λεπτομεροῦς. At Rheubarbarum nostrum purgandi vim obtinere, ventremque solvendi nemo est qui nesciat. Multa alia sunt inter utramque discrimina, quæ jam notavere quidam. Certum tamen est veteres Græciæ medicos unius tantum Rha, vel Rhei notitiam habuisse, idque Rha vocasse à loco, ubi nascitur. *Ponticam radicem* Cornelius Celsus appellat. Huic adstringentem facultatem omnes attribuunt. Rheum Barbaricum nostrum, quo alvum hodie subducunt, quod est contrariæ potestatis, neutiquam videntur novisse, quum unicum tantum illud genus, quod est στυπτικῆς δυνάμεως, cognitum habuerint. Atqui ῥέον βαρβαρικὸν quidam ex illis antiquis nominaverunt, non certè antiquissimi, ut Dioscorides, & Galenus. At ex antiquis habere videtur Isidorus, qui *Rheon Barbaricum* nominat. Certè & Paulus Ægineta meminit ῥέου βαρβαρικοῦ, sed ambo idem hoc faciunt cum Rheo Pontico. Arabes quoque, qui Græca Dioscoridis in suam linguam traduxerunt, sub Rhei Barbarici nomine descripserunt Rha Dioscorideum, quod est Ponticum. Hinc doctissimi quidam Medici hodierni persuasum habuerunt Rha Ponticum & Barbaricum eamdem esse radicem, pro climatum, in quibus nascuntur, diversitate, diversa etiam, ac contraria virtute præditam, in eo magnopere falsi. Cum sit idem utriusque radicis nomen, etiam ejusdem loci esse utramque, qua censetur, appellationem asserit Isidorus. Nam Ponticum solum, in quo nascitur, trans Danubium etiam *Barbarum* dici. Sic juxta Isidori sententiam Rheuponticum & Rheubarbarum, nec facultate, nec natalibus differunt. Eamdem quippe esse radicem, quæ in solo Barbarico, id est, Pontico nascitur. Ergo & Rheubarbarum, quod hodie in usu est, diversum plane censeri debet ab antiquorum Rheo Barbarico, quandoquidem Rheobarbarum veterum idem prorsus est cum Rha Pontico. Reperi in veteri lexico Iatrico nondum edito: ῥέον βαρβαρικὸν, τοῦ μεγάλου Κενταυρίου ἡ ῥίζα. Hoc de Rheo Pontico debet accipi. Nam hodieque pharmacopœorum officinæ *Reuponticum* vocant centaurii majoris radicem, vel potius centaurium majus pro Rha Pontico venditant. Et sanè Dioscorides Rha illud suum, quod est Ponticum, similem habere radicem dicit centaurio majori, & similem ad multas medelas usum, ac proprietatem. Ut ut sit, certè illud in confesso, & comperto esse debet, Reubarbarum, quo Medici nostri utuntur ad subducendam alvum, toto genere

differre

differre à veterum Reu Pontico, nec antiquissimis medicis fuisse notum. Sed nec Rhei Barbarici pro Rheo Pontico appellatio satis antiqua videtur, licet Isidorus utrumque confundat, & *Barbaricum* idem esse, quod Ponticum asserat. Cui non possum heic assentiri. Veteres, qui unum genus tantum noverant, ne Rha quidem Ponticum dixere, sed Rha simpliciter eam radicem nominarunt ab amne ejusdem nominis, juxta quem nasceretur, supra Pontum & Bosporum. Nec enim meminerunt alibi eam provenire, nec aliunde illis veniebat, quam ex illis regionibus Ponticis & Mæoticis. Dioscoridi & Plinio Ῥᾶ, vel Ῥέον simpliciter appellatur, quia suo nomine proprio dicitur, Celso *Pontica radix*, quia proprium hoc nomen non est, sed sic vocatur à loco, ut *Scythica radix* de glycyrrhiza: *Idæa radix*, *Rhodia radix*, & similes. Frustra igitur *Rha Ponticum* dixissent, quum nullum aliud Rha, nec alibi nascens novissent. Recentiorum igitur illa distinctio, postquam & ex aliis locis importata est alia radix Rheo quidem Pontico quantum ad formam similis, sed toto genere diversa, ac virtute dispar. Similitudine Ῥέον & Ῥᾶ eum pariter nominaverunt, sed, ut patria discernerent, Ῥέον Βαρβαρικὸν dixerunt, ut illam alteram Ῥέον Ποντικόν. Non igitur ejusdem loci, ac regionis denominatio Ποντικὸν, & Βαρβαρικὸν, ut perperam sentit Isidorus. Sed nec melius recentiores Græci, quos ille sequitur, qui Ῥᾶ Ποντικὸν, & Ῥᾶ Βαρβαρικὸν confuderunt, & diversæ potestatis radices ἀσυμφύλως sub uno, eodemque nomine tradiderunt. *Rha Barbaricum* nostrum est *Rheubarbarum*. Quod Ægineta, & Actuarius etiam noverunt cum sua sibi propria virtute, sed fatali veteribus negligentia cum Rha Pontico confundunt. Hoc idem accidit & in Persea. Antiqui Græci Περσεῖον, & Περσέαν vocarunt id genus arboris, quod posteriores dixere Περσικὸν μῆλον. In Ægypto longe diversa arbos, quia similitudinem aliquam haberet cum Persea, adjuncto soli natalis cognomento vocata est Persea Ægyptia. Hinc auctorum veterum nobis observata perpetua illa hallucinatio, qua de utraque Persea Ægyptia, & communi, sine ullo tradunt discrimine, & alteram pro altera passim suggerunt. Ut ficus Ægyptia toto genere divertit à ficu vulgari, morus Ægyptia in totum alia est à moro aliorum locorum, sic Rha Barbaricum omnino diversum fuit genere, ac facultate ab illo Rha, quod solum veteribus cognitum fuit, & è Ponto afferebatur. *Barbaricum* porro denominatum est, sed à Barbaria sic proprie vocata Græcis recentioribus Æthiopiæ parte, quæ mari rubro prætenta erat. Antiquis Græcis τὸ βάρβαρον ἐπὶ φωνῆς tantum sumebatur, non ἐπὶ ἔθνους. At recentioribus id nomen de ea, quam dixi, Æthiopiæ regione proprie dictum fuit. Inde Ῥέον βάρβαρον, & Βαρβαρικόν. Stephanus: Βάρβαρος εἴρηται παρὰ τοῖς νεωτέροις ἐθνικῶς, ἀφ' οὗ Βαρβαρία. Ἔστι δὲ χώρα παρὰ τὸν Ἀράβιον κόλπον. Non à barbara Ponti regione, aut ab alia qualibet gente moribus, & lingua, vel institutis barbara denominatum oportuit, nimis quippe vagum & incertum hoc esset, cum Græci ceteras omnes gentes Græca excepta barbaras indigetant. Romani quoque Barbaricum solum id omne appellarunt, quod sub Romana ditione non erat. Hinc in Concilio Chalcedonensi canone penultimo, ἔτι δὲ καὶ τοὺς ἐν τοῖς βαρβαρικοῖς Ἐπισκόπους τῶν προειρημένων διοικήσεων ὑπὸ τοῦ προειρημένου ἁγιωτάτου θρόνου τῆς κατὰ Κωνσταντίνου πόλιν ἐκκλησίας χειροτονεῖσθαι. Et Justinianus *Barbaricum* in Sicilia vocat, quod Romanis non parebat. Ab aliquo igitur tractu, vel loco sic propriè nuncupato, ubi nasceretur id genus radicis, vel unde adveheretur, nomen eam accepisse necesse est. Unam duntaxat apud Græcos invenio regionem, quæ nomen hoc veluti peculiare sortita sit. Æthiopiæ partem quamdam mari rubro prætentam sic appellarunt. Stephanus: ἔστι καὶ χώρα παρὰ τὸν Ἀράβιον κόλπον Βαρβαρία, ἀφ' οὗ καὶ Βαρβαρικὸν πέλαγος. Marcianus Heracleota ab ἀρωματοφόρῳ eam incipere facit: μετὰ τὴν Ἐρυθρὰν τοίνυν θάλασσαν κάμψαντι πρὸς τὴν μεσημβρίαν, καὶ ὁμοίως ἐν δεξιᾷ τὴν γῆν ἔχοντι τό τε ὄρος ὁ Ἐλέφας τυγχάνει κείμενον, καὶ ἡ Ἀρωματοφόρος χώρα, μεθ' ἣν ἐκδέχεται τὸ ἔθνος τὸ λεγόμενον Βαρβαρικὸν, καὶ τὸ Βαρβαρικὸν καλούμενον πέλαγος. Ptolemæus Barbariam Troglodyticæ vicinam constituit.

A Nam Τρωγλοδυτικὴν in universum appellari dicit oram maritimam, quæ sinui Arabico, & Avalitæ prætenta est usque ad montem Elephantem. In qua continentia sunt Adulitæ, Avalitæ & Mossyli à promontorio, & emporio Mossylo sic dicti. Ἡ δὲ ἐντεῦθεν, inquit, μέχρι τοῦ Ῥαπτοῦ ἀκρωτηρίου παράλιος πᾶσα Βαρβαρία. Καὶ Βαρβαρία μὲν ἡ παράλιος, Ἀζανία δὲ ἡ ἐνδοτέρω. Non igitur Barbaria propriè, παρὰ τὸν Ἀραβικὸν κόλπον, ut Stephanus scribit. Quippe ora illa maritima Τρωγλοδυτικῆς est, sed post rubrum mare, quod inter sinum
B Arabicum, & Persicum ad meridiem patet, versus austrum tendenti in ora sinus Barbarici, qui ad orientem jungitur mari Indico, *Barbaria* dicebatur usque ad promontorium *Rhapton*, à quo urbs totius Barbariæ metropolis Ῥαπτά, & portus, & emporium. Stephanus: Ῥαπταί μητρόπολις τῶν ἐν τοῖς Αἰθιόπων. Οἱ οἰκήτορες Ῥάψιοι. Καὶ Ῥαπτὰ ὅρμος, καὶ Ῥαπτὸς ποταμός. Ἔστι δὲ καὶ μητρόπολις τῆς Βαρβαρίας τὰ Ῥαπτὰ καὶ αὐτὴ καλουμένη. Nugatur. Non diversæ urbes fuere Ῥαπταὶ & Ῥαπτά. Haud longe à mari hoc oppidum, ubi & portus eodem nomine, & promontorium. Arabicum sinum accolebant Troglodytæ, Avalitæ, & Mossyli, post eos Æthiopes Barbari sic proprie nominati, quorum regio *Barbaria*,
C & sinus, in cujus ora habitabant, *Barbaricus*. Arrianus, seu quis alius auctor est Peripli rubri maris, Βαρβαρικὴν ἤπειρον vocat, cujus verba sic legenda, ac distinguenda sunt: καὶ μετὰ ταύτην τῆς γῆς ὑποχωρούσης εἰς τὸν νότον ἤδη, τὸ τῶν ἀρωμάτων ἐμπόριον, καὶ ἀκρωτήριον τελευταῖον τῆς Βαρβαρικῆς ἠπείρου, πρὸς ἀνατολὴν Ἀποκόπων. Male legitur: τὸ τῶν ἀρωμάτων ἐμπόριον. Καὶ ἀκρωτήριον τελευταῖον τῆς Βαρβαρικῆς ἠπείρου πρὸς ἀνατολὴν ἀπόκοπον. Nec recte doctissimi ibi interpretes: *Extremum vero Barbaricæ continentes promontorium ortum versus Apocopon.* Quod est falsissimum. A
D meridie venientibus, & Azanio mari Aromatum emporium, & promontorium ultimum erat Barbaricæ regionis. Nam ad meridiem pergentibus incipiebat ab eo promontorio Barbaria. Ptolemæo Ἀρωμάτων ἄκρα καὶ ἐμπόριον. Sic enim legi debet. Et statim subjicit: ἐν τῷ Βαρβαρικῷ κόλπῳ Πάνω πρὸς κώμη. At Apocopa in medio ferme Barbarici sinus, quorum infra meminit, & μικρὰ Ἀπόκοπα καὶ μεγάλα τῆς Ἀζανίας appellat. Non igitur τὸ Ἀπόκοπον, sed τὰ Ἀπόκοπα. Stephanus: Ἀπόκοπα, οὐδετέρως κόλπος, ἐν τῷ Ἀραβικῷ μυχῷ. Μαρκιανὸς ἐν Περίπλῳ. Immo legendum, ἐν Βαρβαρικῷ μυχῷ. Extat hodieque locus Marciani in ejus Peripli fra-
E gmentis, ubi de Barbarico sinu loquitur: καὶ πρῶτος μὲν τῶν ἐπισήμων κόλπος ἐστὶν ἐν αὐτῷ, ὁ καλούμενος Ἀπόκοπα. Ad orientem æstivum Ἀποκόπων situm est Aromatum emporium. Vide tabulas. At sinum Arabicum accolebant Troglodytæ, Avalitæ, & Mossyli, post quos versus meridiem Barbari Æthiopes, à quibus *Barbaria* dicta. Marcianus de sinu Arabico: παροικοῦσι δὲ τοῦτο οἵ τε καλούμενοι Τρωγλοδύται, καὶ οἱ Αὐαλῖται, καὶ προσέτι γε οἱ Μόσυλοι τὰ ἔθνη. Hæc omnia Τρωγλοδυτικῆς nomine comprehendi solita auctor est Ptolemæus, cui contermina Barbaria. Quin & Τρωγλοδυτικὴν ipsam veteres plerumque *Barbariam* indigetarunt propter vi-
F cinitatem. Dioscorides tradit ζιγγίβερι γεννᾶσθαι ἐν τῇ Τρωγλοδυτικῇ Ἀραβίᾳ. Alii Troglodyticem Æthiopiam, alii Arabiam appellabant, quod Arabicum sinum accoleret. Galenus zingiberi ἀπὸ τῆς Βαρβαρίας afferri scribit. Haud sane dubium est, quin ab hac Barbaria dictum sit Ῥᾶ Βαρβαρικὸν ad differentiam Pontici, quum non solo natali tantum, sed natura, & toto genere differat à Pontico. *Rha* Ponticum dictum est à flumine Rha prototypo vocabulo, ut in aliis sexcentis. Sic Θάψος ab insula, vel flumine Thapso, quæ aliis Θαψία. Sic Κήρινθος Erithace ab oppido Cerintho. Πάνακτον origanum ab oppido Panacto. Θύμβρα à loco
G Thymbra. A nomine Ῥᾶ, τὸ τοπικὸν Ῥαῖον. Unde huic radici nomen, pro quo postea corrupte dictum est Ῥέον Ῥῆον. (Ab illo Ῥαῖον possessivum Ῥαϊκὸν, ut Ἀχαῖον, Ἀχαϊκόν. Inde fortasse *Rhaïcum* apud Plinium hujus radicis nomen, pro quo perperam vulgatur *Rhecoma*, aut *Rhacoma*. Ex illo Ῥαῖον, vel Ῥέον Arabes fecere *Ravend.* Sed Rheon Barbaricum sic vocarunt. Certe sub eadem appellatione utrumque comprehendunt. Barbaricum posterius cognitum à similitudine, quam habet cum Pontico, eodem vocabulo si forte donarunt.

runt. Distinctionis tamen gratia hoc posterius, quod est Carthartiсum, & ex Sinarum regione adfertur *Reyvand Sini* appellarunt, hoc est, Rheon Sinense. Glossarium Græco Arabicum: ῥαβάντι τζίνη, τὸ ῥέον. Item alio loco: ζαραβάνι τζίνη, τὸ ῥέον βάρβαρον. Ceterum omne Rheon Barbarum in Sinarum regione nascitur tantum. Ex qua in Indiam defertur. Unde & ῥέον Ἰνδικὸν dicitur Myrepso & aliis. Quod idem cum Barbarico. Nam & Barbaricum Indiæ emporium celeberrimum. Veteres, ut dixi, unum genus Rhei novere tantum, quod ex locis supra Pontum afferebatur, & στυπτικῆς erat δυνάμεως, sic dictum ab amne Pontico cognomine. Neoterici radicem, non multum huic dissimilem specie, sed virtute contraria præditam, ex Barbaria allatum *Rheon* similiter vocaverunt, sed à patriæ discrimine Βαρβαρικόν. Idque vim habet καθαρτικήν. Qui antiquorum habuerit perspectam negligentiam in confundendis herbarum, ac plantarum discriminibus, haud mirabitur eos Ῥᾶ Ποντικὸν & Ῥᾶ Βαρβαρικὸν sub eodem genere descripsisse, & alterum pro altero sæpe numero nominasse. De his loquor, qui post Galeni, & Dioscoridis ætatem vixere. Nec multo diligentiores, aut cautiores, qui antiquiores, ut ex arbore persea, & persica licet colligere, & casia herba, & aliis sexcentis, quæ in superioribus exercitationibus notavimus. Ut è diverticulo in viam revertamur, amnem illum, qui Ponticæ radici nomen dedit, ut solum genitale dat, haud longe à Ponto, & Mæotide fluere oportet. In Mæotidem ipsam influere disertè ostendunt verba Ptolemæi: ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα, τοῦ Ῥᾶ ποταμοῦ ἐκβολή, πλησιάζουσα τῇ τοῦ Ταναΐδος. Quis ignorat Græcè ποταμοὺς, καὶ λίμνας εἰς θάλασσαν ἐκβάλλειν dici, quæ in mare emittunt se & exonerant? Eodem loco ἐκβολὴν τοῦ Σοάνα ποταμοῦ dixit, exitum Soanæ in mare. Et alio loco, τούτου ποταμοῦ ἐκβολή. Item: μέχρι Ἀχελώου ποταμοῦ ἐκβολῆς. Frequentius ἐκβολὰς dicit numero multitudinis, etiam ubi non plura, quam unum sunt ostia. Sed si hodie *Volga* est, ut doctos consentire video, qui olim Rha erat, certum & compertum habetur nullo exitu in Mæotidem eum intrare, sed in Caspium mare tantum influere. Haud longe oritur ab ea Sarmatici Oceani parte, ubi hodie Livonia est, inde ad Tanaïdem propius accedit, mox in septentrionem longo cursu regyrans, post multos flexus in Caspium mare descendit, per exitus septuaginta in æquor irrumpens. Quid igitur faciendum Ptolemæo? An legendum, ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα ἐκτροπή? Præsertim cum proxime præcesserit, καὶ τῇ Σκυθίᾳ παρὰ τὸν Ῥᾶ ποταμὸν μέχρι ἐπιστροφῆς ἡ θέσις. Sequitur statim, ἔστι καὶ ἑτέρα τοῦ Ῥᾶ ποταμοῦ ἐκβολή, ἧς ἡ θέσις. Flexum itaque videtur, & versuram fluminis significare voluisse, non exitum in mare, vel ostium. Hoc fortassean nonnullos viros doctos fefellit, qui amnem Rha in Mœotidem exire inde sibi persuaserunt. Sed ἐκβολὴ idem fortasse quod ἐκτροπή, quum fluvius è recto cursu ejicitur, & diverticulum facit. Sic ἐκβολὴ λόγου, ἡ παρέκβασις ἡ ἐκτροπή, *sermonis diverticulum* Græce dicitur. Certe ἐκβολὰς ποταμῶν semper fere dicit, quum fluminum exitus, & ostia significat. Hesychius: ἐκβολὴ λόγου, ἡ παρέκβασις. Inde ἐκβολίζεσθαι, ἐκτρέπεσθαι. Sed cum alibi passim ἐκβολὴν sumat de fluminis in mare exitu, nec aliter usquam hanc vocem posuerit, aut heic etiam sic accipienda est, aut mutanda in ἐκτροπή. Verum, quod jam dixi, Ptolemaïcæ tabulæ duos hoc eodem nomine amnes faciunt, quorum alter δυτικώτερος, alter ἀνατολικώτερος: utrique fontes assignant sub eadem latitudine in montibus Hyperboreis. Miscentur in unum supra illam ἐκβολὴν τοῦ Ῥᾶ, de qua diximus ante. Verba Ptolemæi: ὑπὲρ ἣν ἐκβολὴν τοῦ Ῥᾶ ποταμοῦ συμβάλλουσι δύο ποταμοὶ ῥέοντες ἀπὸ τῶν Ὑπερβορείων ὀρέων. Deinde πηγὰς τοῦ δυτικωτέρου καὶ τοῦ ἀνατολικωτέρου signat, in quo longitudinis, ac latitudinis gradu sitæ sint. Ex his verbis Rha orientalem, & Rha occidentalem finxere tabularum compositores. Sed mirum est eorum fluminum nomina Ptolemæum non edere. Quinimmo videtur utrumque diversum facere ab amne Rha. Quid enim quæso te hæc aliud sibi volunt: ἔστι καὶ ἑτέρα τοῦ Ῥᾶ ποτα-

A μοῦ ἐκβολὴ ὑπὲρ ἣν συμβάλλουσιν δύο ποταμοὶ ῥέοντες ἀπὸ τῶν Ὑπερβορείων ὀρέων, ὧν ὁ μὲν δυτικώτερος, ὁ δὲ ἀνατολικώτερος. *Est & alia fluminis Rha* ἐκβολή, *supra quam duo fluvii conjunguntur, ab Hyperboreis montibus decurrentes, quorum alterius fontes ad orientem sunt, alterius ad occidentem.* Quis possit ex istis, ut concepta sunt, duos illos amnes, qui supra Rha fluminis ἐκβολὴν rediguntur in unum, Rha etiam appellari, somniare? Illud æque magnopere miror, quum duûm illorum fluminum fontes memoraverit, non facere mentionem τῶν ἐκβολῶν: è contra, quum B ἐκβολὰς, & ostia fluminis Rha memoret, non meminisse fontium ejus. An ex duobus illis fluminibus adunatis Rha fluvium fieri intellexit, nec Rha prius dici quam in unum juncta sint. Sic ex Astabora, & Astapode junctis fit Nilus. Nec prius dictus est Nilus, quam totus fluere incipiat. Plinius: *Nec ante Nilus quam se totum aquis concordibus rursus junxit.* Si idem contigit Rha flumini, ut ex duobus amnibus à diversis tractibus in unum concurrentibus factus sit, hoc ipsum expressisse debuit Ptolemæus. Unius Rha ubique meminit, non duorum, ut ejus habent tabulæ, quæ Rha occidentalem, & C Rha orientalem proscribunt. Καὶ ἀπὸ ἀνατολῶν τοῦ Ῥᾶ ποταμοῦ Φθειροφάγοι. Ab orientali latere hujus fluminis sitos esse Phthirophagos intelligit. Et paulo post: μεταξὺ δὲ τοῦ Ῥᾶ ποταμοῦ καὶ τῶν Ἱππικῶν ὀρέων ἡ Μιθριδάτου χώρα. Et statim: Μεταξὺ δὲ τῶν Κεραυνίων ὀρέων καὶ τοῦ Ῥᾶ ποταμοῦ, Ἐελναῖοι καὶ Σέρβοι. Nusquam τὸν δυτικὸν Ῥᾶ, καὶ τὸν ἀνατολικὸν quasi diversos nominavit. Non igitur Ῥᾶ nomen habuere duo illi fluvii, qui supra ἑτέραν τοῦ Ῥᾶ ἐκβολὴν aquas suas jungunt. Sed nec duos fontes tam longe invicem dissitos habere idem flumen censendum est. Eulæo tamen fluvio, qui Susa D præterfluit, duplices adscribit fontes, alios ἐν τῇ Σουσιανῇ, alios ἐν τῇ Μηδίᾳ. Quod ex diversa etiam auctorum opinione potest processisse, ut alii in Media, alii in Susiana regione fontes Eulæo assignarint, utramque autem sententiam adscripserit Ptolemæus. Hoc idem fecit & in libello de inerrantium stellarum significatione. In æquinoctiis, & solstitiis notandis, & ortu occasuque siderum signando, variis locis unam & eamdem ἐπισημασίαν iterat, velut ex diversorum sententia. Sed hæc in medio relinquo discutienda geographiæ peritis.

E *Ubi dehiscit hiulcis jugis facit portas, quarum primæ sunt Armeniæ, tum Caspiæ, post Ciliciæ*] Hoc ordine quidem portas eas, quas facit Taurus, ubi dehiscit hiulcis jugis, recensuit Plinius, sed minimè dixit primas esse Armenias, secundas Caspias, tertias Cilicias. Quod est falsum. Verba Plinii, ut ea emendavimus, ac distinximus: *Etiam ubi dehiscit, seque populis aperit, portarum tamen nomine unitatem sibi vindicans, quæ alibi Armeniæ, alibi Caspiæ, alibi Ciliciæ vocantur.* Quod primo loco Armenias nominavit, non ex eo sequitur intellexisse primas eas esse. Quod est absurdum. In illis portis recensendis nullum ordi- F nem observavit Plinius, ut perperam putavit Solinus. Si aliquem observasset, aliter eum persequutus esset. Quod si Tauri juga ab occidente in orientem deducas, primæ occurrent portæ Ciliciæ, deinde Armeniæ, post Caspiæ. At si ab eois littoribus eum exoriri facias, & in occidentem pergere, primæ portæ ponendæ erunt Caspiæ, secundæ Armeniæ, tum ultimæ Ciliciæ. Quem ordinem sequutus est Mela his verbis: *Deinde Hemodes, & Caucasus, & Paropamisus: tum Caspiæ Pylæ, Niphates, & Armeniæ Pylæ, & ubi jam maria nostra contingit, Taurus iterum.* Nugatur itaque Solinus. Præter has portas & Sarma- G ticæ, & Albaniæ, & Caucasiæ Ptolemæo recensentur.

In Græciam verticem exerit, ubi Ceraunius prædicatur] Specta heîc hallucinationem, & nugas. Taurum montem plurimis gentium nominibus appellari dicit Plinius, Hyrcanum, Caspium, Pariedrum, Moschicum, Coraxicum, Scythicum, in universum vero Græcè Ceraunium. Hoc Solinus sic accepit quasi dixerit, Taurum montem in Græcia verticem exerere, & Ceraunium ibi prædicari. Nihil absurdius aut falsius. Confundit Ceraunios montes Epiri cum Caucasiis

Caucasiis montibus, de quibus loquitur Plinius, qui & Ceraunii dicebantur. Ceraunios Epiri, qui & *Acroceraunii*, non possunt ex Tauri partibus, & fragmentis esse; quum Taurum montem à Lycia, aut Cilicia incipere omnium consensus asserat. De montibus illis intellexit Plinius, qui inter Euxinum, Mæotida, Tanaïn, & Caspium mare attolluntur, quos montes Græci in universum *Ceraunios* appellitarunt, diversis gentium nominibus, prout illas vicinas habuerunt, vocatos. Mela. *Hinc orti montes longo se jugo, & donec Riphæis conjungantur, exporrigunt: qui altera parte in Euxinum, & Mæotida, & Tanaïn: altera in Caspium pelagus obversi, Ceraunii dicuntur. Iidem alubi Taurici, Moschici, Amazonici, Coraxici, Caucasii, ut aliis, aliisque appositi gentibus, ita aliis, aliisque dicti nominibus.* Totum hunc Pomponii locum paulo aliis verbis sic reddidit Plinius: *quinetiam confractus, effugiensque maria, plurimis se gentium nominibus hinc, & illinc implet: à dextra Hyrcanius, Caspius, à læva Paryedres, Moschicus, Amazonicus, Coraxicus, Scythicus appellatus, in universum vero Græce Ceraunius.* Ita hæc legenda sunt. Universos montes supra scriptos, qui à gentibus, quibus appositi sunt, particulares sumunt appellationes, Cerauniorum generali appellatione Græcis comprehendi volunt Mela, & Plinius. Et Græcis quidem appellari hic ait: quare? An quia vox Κεραύνια Græca est? Ita quippe & in Epiro montes quidam vocati sunt. Alii tamen specialem malunt Cerauniorum montium appellationem esse, & partem quamdam Caucasiorum montium, quæ ad septentrionem porrigitur, & mari Caspio magis incumbit, sic proprie dictam tradunt. Qua in sententia fuit Strabo cum Ptolemæo. Strabo lib. XI. Τὰ πρὸς ἄρκτον τῶν Καυκασίων ὀρῶν, ἃ καλεῖται Κεραύνια. Idem paulo superius: καλεῖται δὲ πρὸς τῇ θαλάττῃ μάλιστα Κεραύνια. De Caspio loquitur. Ex his constat, quam rectè fecerit Solinus, qui Ceraunios hos montes in Græcia verticem exerere scripsit & Tauri partem esse.

A Ciliciæ finibus Africum limitem dispescit] Macro-
A bius: *ab usque freto Siculo, quod Rhegium à Messana dispescit*, hoc est, dividit, ac separat. Proprie est, quæ unà pascunt, divellere, ac dispergere. Contrarium *compescere*, greges in unum conducere ad pascendum. Quod & *compellere* dixerant:

---- *viridique gregem compellere hibisco.*

Cicero in Pisonem: *omni grege compulso.* Idem & *compescere.* Hinc pro regere, temperare, & sedare positum est. Glossæ: *Compescit, temperat.* Nisi ibi legendum sit *compercit.* Nam *temperare* etiam abstinere significat, & compercere. Huic ergo contrarium *dispescere*,
B pascentem gregem dispellere, ac dividere. Apulejus posuit pro distare. Sic enim hæc ejus verba citantur Prisciano ex dialogo de Deo Socratis: *cum & habitacula summa ab infimis tanta intercapedine fastigii dispescant.* Quod ipse ait esse pro distent. At vulgo editur: *tanta intercapedo fastigii dispescat.* Nec aliter habent, qui hodie extant, antiqui libri. Ut intelligas non hodie atque heri depravari cœptos. Illud non caret ratione. Pastor oves pascit, easque dispescit, & compescit. Sed & oves ipsæ pascere dicuntur herbam. Nam pasco & pascor indifferenter dicebant.
C Ergo & *dispescunt* oves, quæ seorsim à grege pascuntur. Hinc *dispescere* pro distare, & seorsim esse. Sic *vertit*, pro vertitur: *præcipitat* pro præcipitatur.

Quantus meridiem videt, sole æstuat] Sic reposuimus ex optimis quibusque, ac vetustissimis nostris. Antea legebatur: *quantum meridiem videt.* Notat Delrius codicem suum habuisse: *quantus meridie videtur, solem dividit in æstu.* Quæ monstra sunt lectionis. Pessimo cum vides usum exemplari. Cave putes meliore usum judicio quàm libro.

Quod silvestris est] Ita nostri. Et rectè, id est, quid-
D quid in Tauro monte silvestris est. Ita Græci passim loquuntur & Latini. Plinius: *quod viridis est.* Quod est viride. Eadem est loqutio, qua dicimus, *nihil boni, nihil magni. Si quid boni est, si quid magni.* Ita hoc loco, *quod silvestris est.* Ὅ, τι περ ὑλῶδές ἐστι. Aristophanes: τῆς αἰθέρος ποῖ λέω ἔφλα.

C A P U T XXXIX.

Lycia. In ea mons Chimæra.



Pag. 50. B. *Vulcano urbem proximam Lycii dicarunt*] In altera editione fuit: *urbem proximam Vulcano dicatam colunt.* Plinium autem sequitur, qui Hephæstiam urbem Chimeræ monti proximam nominavit: *mons Chimæra noctibus flagrans, Hephæstium civitas, & ipsa sæpe flagrantibus jugis.* Et nota *Hephæstium* dici Plinio, non *Hephæstiam*, hoc est, Ἡφαίστιον, non Ἡφαιστίαν. Vox illa τὸ ἱερὸν Ἡφαίστου significat. Ita vocat Scylax in Periplu: ὑπὲρ δὲ τούτου ἱερὸν Ἡφαίστου ἐν τῷ ὄρει ἢ πῦρ πολὺ αὐτόματον ἐκ τῆς γῆς καίεται. Hephæstion Plinii flagrantibus jugis plane designavit. Atque illud Hephæstion ultra Tauri promontorium, quod est contra Chelidonias in parte Pamphyliæ, longe utique à Chimæra. Nam Strabo, quæ de Chimæra ignivoma veteres fabulati sunt, circa Cragum esse narrat: περὶ ταῦτα μυθεύεται τὰ ὄρη τὰ περὶ τῆς Χιμαίρας. At Cragus citra illud promontorium Chelidoniarum versus Cariam. Montem Cragum ἐν μεσογείῳ ponunt Strabo, Ptolemæus, aliique. Plinius promontorium cum Scylace appellat. Pinara urbs Lyciæ ὑπὸ τῷ Κράγῳ, quæ mediterranea est apud Strabonem. Stephanus, Πίναρα, πόλις μεγίστη ὑπερκειμένη τοῦ Κράγῳ ὄρει τῆς Κιλικίας, τῆς Λυκίας. Apud Strabonem est, ὑπέκειται δὲ τῷ Κράγῳ Πίναρα. Sed ex alio loco Stephani constat in ipso monte Crago conditam Pinaram; in voce Ἀρτύμνησος ex Menecratis Lyciacis hæc refert: τούτων δὲ τὸν μὲν ἐπὶ τὸν Κράγον ἐλθεῖν καὶ οἰκίσαι ἐν τῷ ὄρει λόφον στρογγύλον καὶ καλέσαι πόλιν Πινάραν, ἣν μεθερμηνευόμενοι στρογγύλην. Τὰ
E γὰρ στρογγύλα πάντα Λύκιοι Πίναρα καλοῦσι. Sed λόφος ille, in quo Pinara condita potuit subesse altioribus Cragi jugis. Ut ut sit, longè illud Hephæstion à Cragi monte, quod & ipsum tamen in jugis flagrantibus positum. Hephæstion, si Scylaci credimus, prope Phaselidem fuit. At rursum in Phaselitarum regione Chimæram ponit Plinius lib. II. cap. CVI. Sic Hephæstion Chimæræ proximum fuerit. *Flagrat*, inquit, *in Phaselitis Chimæra.* Meminit porro eodem loco Hephæstiorum montium, quos diversos facit à Chimæræ flagrantibus jugis: *Eadem in Lycia Hephæstii montes tæda*
F *flammante tractim flagrant, & adeo, ut lapides quoque rivorum, & arenæ in ipsis aquis ardeant.* Sic legendum. Atqui montibus illis Hephæstiis impositum, ut apparet, Hephæstion, quod tamen Chimæræ proximum heic facit Plinius. Sic dum alios alibi sequitur auctores, parum ipse ubique sibi constat.

Olympus oppidum nobile, sed intercidit, nunc castellum est] Plinius simpliciter habet: *Oppidum Olympus ibi fuit, nunc sunt montana Gagæ, Corydalla.* Planè significat non amplius tum fuisse Olympum in illis locis. At hic dicit pro oppido nobili, quod olim fuerat, nihil jam esse
G nisi castellum. Certè inter sex maximas Lyciæ urbes Olympum ex Artemidoro recenset Strabo & alio loco: Ὄλυμπος πόλις μεγάλη, καὶ ὄρος ὁμώνυμον. Eodem tamen libro φρούριον appellat, & Zenicetæ latronis arcem fuisse scribit ab Isaurico eversam: ἐπὶ δὲ τοῖς ἀκρωρείαις δὲ Ταύρου, τὸ Ζηνικέτου πειρατήριον ἐστὶν Ὄλυμπος ὄρος τε καὶ φρούριον ὁμώνυμον. Et paulò post: ἁλόντος δὲ τοῦ ὄρους ὑπὸ τοῦ Ἰσαυρικοῦ ἐνέπρησεν ἑαυτὸν πανοικεί. Sic legendum. Φρούριον est castellum. An ex urbe magna castellum jam

tum

tum erat tantum Olympus Isaurici tempore? An diversa fuere magna illa urbs Lyciæ, & Φοίνικος illud Zenicetæ prædonis, utrumque in Olympo monte positum? Non puto. Ptolemæus recenset Ὄλυμπον πόλιν, quasi adhuc suo tempore extantem. Ita ille solet, etiam dirutarum jampridem urbium nomina ponere, ut in Astaco, & A aliis videre est. Solinus, qui in Græco aliquo scriptore Ὄλυμπον, Φοίνικον appellari legerat, & apud Plinium amplius non esse oppidum, hinc collegit olim oppidum nobile fuisse, postea castellum. Certe quæ de aquis regiis infra illud castellum insigni fluore visendis addit, aliunde habet, quam à Plinio.

CAPUT XL.

Asia, Phrygia, Lydia, Teuthrania. In his de urbe Epheso, de monte Mimante, de inlustribus viris, de Homeri, & Hesiodi temporibus, de animali Bonnaco, de sepulcris Ajacis, & Memnonis, de Memnoniis avibus, de chamæleonte, de ciconiis.



PAg. 50. C. *Sed non eam Asiam loquor, quæ in tertio orbis divortio terminos habet*] Τὴν ἰδίως καλουμένην Ἀσίαν hoc loco se intelligere significat. Duplicem fecit Agrippa Plinio teste: *Unam inclusit ab oriente Phrygia, & Lycaonia: ab occidente Ægeo mari: à meridie Ægyptio: à septentrione Paphlagonia.* Hæc est, de qua tractat hoc capite Solinus. Missi Theodosii citeriorem Asiam hanc vocant, & his verbis eam determinant: *Asiæ pars citerior finitur ab oriente littoribus Asiæ: ab occidente Græcia: à septentrione mari Ægeo, Cretico, & Carpathio, longitudo* M P. M. DCC. *latitudo* CCCC. Agrippa auctore Plinio hujus longitudinem faciebat CCCCLXX. M. P. latitudinem CCCXX. In stadiasmo longitudinis ac latitudinis pænè concinunt, ut certum sit eamdem ab utrisque designari. Sed in finibus ejus adscribendis mendosa sunt, aut falsa Missorum verba. Nec enim mare Ægeum à septentrione est hujus Asiæ citerioris, sed ab occidente. Fortasse corrigendum: *ab occidente Græcia & mari Ægeo: à septentrione Paphlagonia.* Vel etiam *Bithynia*, ut Ptolemæus facit. Sed nec video, quænam illa sint Asiæ littora, quæ Asiam istam ab oriente terminant. Nulla quippe littora, nullum mare ab oriente habet hæc citerior Asia. Agrippa ab oriente Phrygiam, & Lycaoniam illi terminos dat. Ptolemæus Lyciam, Pamphyliam, & Galatiam. Solinus, Lyciam & Phrygiam, quasi *Lyciam* apud Plinium legerit pro *Lycaonia.* Scripsisse puto Missos illos: *Asiæ pars citerior finitur ab oriente finibus alterius Asiæ.* Quod est verissimum. Citerior Asia finitur ab oriente altera Asia, quam *superiorem* ipsi vocant. Eosdem fermè terminos assignat Ptolemæus huic citeriori Asiæ, quam ἰδίως καλουμένην Ἀσίαν vocat. Nec alterius Asiæ meminit, quæ hoc nomen peculiariter sibi vendicarit. A septentrione finiri eam tradit Bithynia: ab occidente parte Propontidis, Hellesponto, & Ægeo mari: meridie Rhodiaco mari: ab oriente Lycia, Pamphylia, & Galatia. Atqui hæc pars una tantum fuit ejus Asiæ, quam ἰδίως καὶ ὁμωνύμως τῇ ὅλῃ sic vocatam esse veteres asserunt. Sequitur apud Plinium de altera parte, quam ita finiebat Agrippa: *Alteram determinavit ab oriente Armenia minore: ab occidente Phrygia, Lycaonia, Pamphylia: à septentrione provincia Pontica: à meridie mari Pamphylio, longam* CCCCLXXV, *latam* CCCXXV. Missi Theodosiani superiorem vocant hanc Asiæ partem, & eam similiter finiunt, nec multum in mensura longitudinis & latitudinis dissentiunt. Eorum hæc verba sunt: *Asiæ pars superior finitur ab oriente Armenia minore: ab occidente finibus Phrygiæ, Lycaoniæ, Pamphyliæ: à septentrione provincia Pontica: à meridie mari Pamphylio, quod inter Cyprum, & Ciliciam est. Longitudo* M P M. DXXX. *latitudo* CCCXX. Sic tota Asia minor, quæ Græcis Ἀσία μικρὰ, καὶ ἰδίως Ἀσία dicitur, in duas partes divisa erat, citeriorem, & superiorem. Hujus divisionis auctorem facit Agrippam Plinius: *à Telmesso Asiaticum mare, sive Carpathium, & quæ proprie vocatur Asia. In duas eam partes Agrippa divisit.* Male itaque fecit Solinus, qui, quum ex Plinio eam Asiam vellet exponere, quæ à Telmesso Lyciæ incipit, & quæ propriè vocatur Asia, partem ejus alteram duntaxat descripserit, alteram omiserit.

B Nam citerioris partis tantum meminit. Ptolemæus quoque sub nomine τῆς ἰδίως Ἀσίας unam partem tantummodo descripsit, quæ citerior est, altera prætermissa. Strabo vero divisionis Asiæ in duas partes mentionem nusquam fecit, sed utramque partem τῆς ἰδίως καλουμένης Ἀσίας appellatione comprehendit. Eam peninsulæ instar facere ait intra maria Ponticum, Propontidem, Ægeum, & Pamphylium inclusam. Hujus peninsulæ Isthmum à mari, quod Tarsum Ciliciæ alluit, ad Amisum urbem, & Themiscyram Amazonum campum extendi tradit. Vide eum lib. II. Sed C & lib. XI hoc ita expressit, ubi de Asiæ, quæ tertia pars est orbis, ea portione agit, quæ Asiæ nomen veluti proprium sibi fecit: Τετάρτη δὲ ἡ ἐντὸς Ἄλυος γῆ, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ τῷ Ταύρῳ, καὶ ἐκτὸς, ὅσα εἰς τὴν Χερρόνησον ἐμπίπτει, ἣν ποιεῖ ὁ διείργων ἰσθμὸς τήν τε Ποντικὴν, καὶ τὴν Κιλικίαν θάλασσαν. Hæc est Asia, quæ *minor* vocabatur ad distinctionem Asiæ majoris, quæ tertiam orbis partem facit. Ἀσίαν ἤπειρον μεγάλην vocat auctor περὶ ἐπαρχιῶν ἤτοι Σατραπιῶν τῆς οἰκουμένης. Sic enim scribit: Ἀσίας ἠπείρου μεγάλης ἐπαρχίαι τεσσαράκοντα ὀκτώ. D At minorem Asiam cum Strabo ab oriente terminet Armenia minore, ab occidente Ægæo mari: ab septentrione vero & meridie, Cilicio & Pontico, utramque Asiæ partem complectitur, citeriorem & ulteriorem. Quinetiam plus quam utramque Asiam ea complexione includit. Nam nec Pontica provincia, nec Bithynia, nec Cilicia sub ullam harum partium veniebant. Hinc Agrippa, & Missi Theodosiani alteram ejus partem, quæ ab oriente finitur Armenia minore, à septentrione terminant Pontica provincia, non ipso Pontico mari: & à meridie Pamphylio sinu, qui est inter Cy- E prum, & Ciliciam. Sic neutra parte minoris Asiæ provinciæ illæ comprehendebantur. Ex illis porro duabus Asiæ partibus sola citerior à Proconsule regebatur, & provincia proconsularis audiebat. Strabo proconsulari provincia Asiæ, qualis ab Augusto constituta est, solam scribit comprehensam τὴν Ἀσίαν, τὴν ἐντὸς Ἄλυος καὶ τοῦ Ταύρου πλὴν Γαλατῶν, καὶ τῶν ὑπ᾽ Ἀμύντου γεγονημένων ἐθνῶν, ἔτι δὲ Βιθυνίας, καὶ τῆς Προποντίδος. Hæc Asia est cis Halym, & montem Taurum, quam *citeriorem Asiam* Missi vocant, in qua Lydia, Ionia, Caria, Mysia, Phrygia minor, & Hellespontus. Hæc F causa est, cur Ptolemæus appellatione τῆς ἰδίως Ἀσίας, solam hanc Asiæ citeriorem partem intellexerit, quia nimirum sola hæc provincia fuit proconsularis, cujus rector *Proconsul Asiæ* dictus. Vetus auctor de provinciis orbis cogniti: Ἀσίας ἠπείρου μεγάλης ἐπαρχίαι μη.

Πόντου καὶ Βιθυνίας	νή	λή
Ἀσίας ἰδίως	νή	λή
Φρυγίας μεγάλης	ξ'	λή
Λυκίας, Καρίας	ξ'	λζ
Γαλατίας	ξα'	μα'
G Παφλαγονίας, Πισιδίας	ξβ'	μγ'
Παμφυλίας, Ἰσαυρίας	ξα'	λζ
Καππαδοκίας	ξε'	λθ'
Ἀρμενίας μικρᾶς	οα'	λθ'
Κιλικίας	ξή	λζ

Ex his videre est, quas provincias τῆς Ἀσίας ἰδίως nomine complectatur, eas nempe, quas superius diximus Asiam proconsularem constituisse. Cariam tamen sub Lycia comprehendit, quæ sub Asia fuit.

Tractatum

Tractatum illum de provinciis seorsim in membranis descriptum sine auctore reperi. Sed Ptolemæi esse censeo. Certe prorsus huic simile provinciarum laterculum geographiæ Ptolemæi adjunctum vulgo legitur; in quo provinciæ suprascriptæ ita recensentur.

Ἀσίας πρῶτος πίναξ.
Πόντος καὶ Βιθυνία.
Ἡ ἰδίως Ἀσία, ἐν ᾗ ἡ Φρυγία.
Παμφυλία, ἐν ᾗ Πισιδία.
Γαλατία, ἐν ᾗ Παφλαγονία καὶ Ἰσαυρία.
Καππαδοκία.
Ἀρμενία μικρά.
Κιλικία.

In hac prima Asiæ majoris tabula octo tantum habes provincias, cum tamen decem debeant esse, ut summa constet. Nam octo & quadraginta provincias Asiæ continenti tribuit. Ὁμοῦ αἱ τῆς Ἀσίας ἐπαρχίαι μη. Non plures tamen quam octo describit Ptolemæus in prima Asiæ tabula. Sub Asia proprie dicta comprehendit utramque Phrygiam minorem & majorem, cum μεγάλην Φρυγίαν separet ἀπὸ τῆς ἰδίως Ἀσίας noster liber. Sub Galatia Paphlagoniam: sub Pamphylia Pisidiam & Isauriam complectitur. Quare ita potius in eo laterculo legendum:

Παμφυλία, ἐν ᾗ Πισιδία καὶ Ἰσαυρία.
Γαλατία, ἐν ᾗ Παφλαγονία.

Sed & mendosum puto laterculum nostrum, in quo Paphlagoniæ Pisidia adjungitur. Sic igitur corrige:

Γαλατίας.
Παφλαγονίας.
Παμφυλίας, Πισιδίας, Ἰσαυρίας.

Quinetiam Ptolemæus ipse in ἐκθέσει τῶν μερῶν τῆς μεγάλης Ἀσίας decem provincias memorat hoc modo: Ἔκθεσις τῶν μερῶν τῆς μεγάλης Ἀσίας. Πόντου, καὶ Βιθυνίας, τῆς ἰδίως καλουμένης Ἀσίας, Φρυγίας, Λυκίας, Γαλατίας, Παφλαγονίας, Παμφυλίας, Καππαδοκίας, Ἀρμενίας μικρᾶς, Κιλικίας. Non meminit Isauriæ, & Pisidiæ, quia sub Pamphylia erant. Hæ omnes provinciæ excepta Armenia minore τὴν ἰδίως καλουμένην Ἀσίαν Strabonis constituunt, quæ peninsulæ instar reddit, quam peninsulam τέταρτον τμῆμα facit Asiæ majoris. Has universas provincias τῆς ἀνατολῆς nomine dictas fuisse, & ab uno rectore proconsule olim administratas adstruere conatur Constantinus lib. 1 de Thematibus, ex inscriptione cujusdam monumenti Smyrnæi, quæ sic habuit: Πούπλιος Ἀνθύπατος ἄρχων Ἰωνίας, Φρυγίας, Αἰολίδος, Μηονίας, Λυδίας, Ἑλλησπόντου, Μυσίας, Βιθυνίας, Ταρσίας, Γαλατίας, Μαρυανδηνῶν, Πόντου, Παφλαγονίας, Καππαδοκίας μικρᾶς, καὶ μεγάλης, Ἰσαυρίας τε καὶ Λυκαονίας, καὶ μέχρι τῶν ὀρέων τοῦ Ταύρου, καὶ τῆς μικρᾶς Ἀρμενίας. Statim subjicit Constantinus, ἰδοὺ ἀρχὴ ἑνὸς ἀνθυπάτου. Sed profecto, quis hic fuerit Publius proconsul, ignoro, nec quibus vixerit temporibus, scio. Illud probe teneo Asiæ proconsulem nunquam tot provincias simul rexisse, eamque Asiam, quam proconsul regebat, non plures habuisse provincias, quam quas diximus. Ἀνθύπατος τῆς Ἀσίας dicebatur, & notandum hoc loco Publium illum ἀνθύπατον non appellari omnium suprascriptarum provinciarum, quod tamen oportuit: siquidem eas omnes nomine proconsulis obtinuisset. Præterea si provinciæ universæ, quæ ibi recensentur, Asiæ proconsulatum, & Asiam eam particularem constituissent, satis habuisset inscribere: Πούβλιος ἀνθύπατος Ἀσίας. Nec enim Africæ proconsul, aut Achaïæ in titulo illo suæ dignitatis signando nominatim recensebant, quot regiones haberet Achaïa aut Africa. Cum igitur inscribatur ille Publius, ἀνθύπατος ἄρχων Ἰωνίας, Φρυγίας, non proconsulis nomine, & officio provincias eas omnes, quæ ibi nominantur, administravit, sed illud indicatur, proconsulem fuisse Publium, & variis administrationibus eas regiones obtinuisse. Ut ut sit, extraordinaria illa potestas fuerit, oportet, & à proconsulatu diversa, quæ ἀρχὴν habuit omnium supradictarum provinciarum. Profecto non multum fidei

A habeo illi inscriptioni, ut nec ipsi Constantino. Idem & aliam inscriptionem eodem loco producit ex clupeis anaglyphis, quæ in vestiario principis servabantur. Ea sic habuit: Ἰορδάνου στρατηλάτου τῆς ἀνατολῆς, καὶ τῶν λοιπῶν ἐθνῶν, τῶν ὑπὸ τὴν μικρὰν Ἀσίαν. Constantinus στρατηλάτην ibi dici putat, qui in superiore inscriptione ἀνθύπατος vocabatur, & τὴν ἀνατολὴν esse eamdem cum minore Asia, quæ sunt falsissima. Καὶ οὗτος, inquit, μονάρχης ἦν τῆς ἀνατολῆς, ἤγουν μικρᾶς Ἀσίας. Atqui inscriptio ipsa aperte distinguit τὴν ἀνατολὴν ἀπὸ τῆς μικρᾶς Ἀσίας. Cum enim dicat, eum Jordanem στρατηλάτην esse τῆς ἀνατολῆς, καὶ τῶν λοιπῶν ἐθνῶν, τῶν ὑπὸ τὴν μικρὰν Ἀσίαν, quis non videt aliam esse μικρὰν
B Ἀσίαν, & aliam ἀνατολήν? Puto certe Constantinum ipsum addidisse illud λοιπῶν, quod inscriptio fortasse non habuit, quam sic verisimile est fuisse conceptam. Ἰορδάνου στρατηλάτου τῆς ἀνατολῆς, καὶ τῶν ἐθνῶν, τῶν ὑπὸ τὴν μικρὰν Ἀσίαν. Sed quodcunque sit, alia est ἀνατολή, alia Ἀσία μικρά. Jordanem illum Arcadii Imperatoris ævo vixisse testatur. Στρατηλάτης τῆς ἀνατολῆς est magister militum orientis, vel per orientem, non proconsul. Scribit Zosimus Constantinum instituisse στρατηλάτην, τὸν μὲν τῆς ἵππου, τόν δὲ τῶν πεζῶν, id est, *magistrum equitum & peditum*. Glossa: στρατηλάτης, *magister*
C *militum*. Arcadii temporibus, sub cujus imperio στρατηλάτης ille Jordanes vixisse dicitur, magister militum per orientem dicebatur, qui pedites & equites magisterio suo tenebat per orientis diœcesim. Hic in Notitia Imperii, quæ sub Arcadio, & Honorio composita est, *Magister equitum, & peditum per orientem* dicitur, & alio loco, *Magister militum per orientem*. Hic est, qui in Græca inscriptione στρατηλάτης τῆς ἀνατολῆς, καὶ τῶν λοιπῶν ἐθνῶν, τῶν ὑπὸ τὴν μικρὰν Ἀσίαν vocatur. Nomine orientis, τῆς ἀνατολῆς non minorem Asiam tunc intelligebant, sed provincias infra scriptas, ut ex eadem notitia colligere est. *Provinciæ orientis* XV. *Pa-*
D *læstina, Phœnice, Syria, Cilicia, Cyprus, Arabia, Isauria, Palæstina Salutaris, Palæstina secunda, Phœnice Libani, Euphratensis, Syria Salutaris, Osrhœna, Mesopotamia, Cilicia secunda*. Has etiam omnes provincias sub se habebat ille, qui *Comes orientis* dicebatur. Magister militum per orientem similiter militibus, tam equiti quam pediti, per universas illas locatis provincias præsidebat. Inter illas porro provincias, quæ *orientis* nomine vocabantur, duas Cilicias primam & secundam cum Isauria comprehensas fuisse videre est. Atqui illæ non propriè orientis, sed Asiæ minoris ut
E generaliori vocabulo ea dicitur *Asia minor*, quæcunque intra maria Ponticum Ægeum, & Cilicium peninsulæ vice inclusa est. Hinc est fortasse, quod Jordanes in ea inscriptione dicitur στρατηλάτης τῆς ἀνατολῆς, καὶ τῶν λοιπῶν ἐθνῶν, τῶν ὑπὸ τὴν μικρὰν Ἀσίαν. Per illa τὰ λοιπὰ ἔθνη τὰ ὑπὸ τὴν μικρὰν Ἀσίαν intelligit Ciliciam primam, & secundam, & Isauriam. Non igitur per omnes Asianæ diœceseos provincias positis militibus præerat, sed per eas tres tantum reliquas, quæ sub risdictione vicarii Asianæ diœceseos non essent. Hoc verissimum est. Etenim quum sub Imperio Arcadii magister militum per orientem fuerit ille Jorda-
F nes, per eas omnino provincias στρατηλάτης fuisse censendus est, quas magistro militum orientis attribuit illa Notitia Arcadii. Non igitur ἀνατολή, & μικρὰ Ἀσία eadem tunc temporis fuit, ut perperam sibi persuasit bonus ille princeps, dum ad suam ætatem respicit, qua sic accipiebatur. Arcadio regnante ἀνατολὴ adhuc sumi solebat, ut semper accepta est primis, & mediis imperii Ecclesiæ temporibus, quibus ἀνατολή, & ἀνατολικὴ διοίκησις alia fuit ἀπὸ τῆς Ἀσίας μικρᾶς, καὶ τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως. Concilium Constantinopolitanum can. II. Τοὺς δὲ τῆς ἀνατολῆς ἐπι-
G σκόπους ἀνατολὴν διοικεῖν, φυλαττομένων τῶν ἐν τοῖς κανόσι τοῖς κατὰ Νικαίαν πρεσβείων τῇ Ἀντιοχέων ἐκκλησίᾳ. Καὶ τοὺς τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως ἐπισκόπους τὰ κατὰ τὴν Ἀσίαν μόνην οἰκονομεῖν. Antiochiæ Episcopus τῆς ἀνατολῆς Patriarcha, & τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως ἔξαρχος audiebat. Hinc & ἀνατολικὴ σύνοδος, & ἀνατολικοὶ Episcopi, qui illi Patriarchæ suberant, nec quicquam habebant commune cum Asianis, qui Constantinopolitanum Patriarcham agnoscebant. *Orientem* Latini, ut Græ-

ci ἀνατολὴν eas provincias vocarunt, quæ Antiocheno Patriarchæ ſubjacebant. Notavimus ſupra ex Notitia imperii, quot & quæ orientis provinciæ dicerentur. Notitia alia vetus provinciarum Romanarum decem tantum numerat, & ſic nominat. *In oriente.* Ñ. X. *Syria cœle, in qua eſt Antiochia, Syria Palæſtina, Phœnice, Iſauria, Cilicia juxta montem Taurum, Cypros, Meſopotamia inter Tigrim, vel Euphratem, Euphratenſis, Oſdroene, Sophene.* Malè in impreſſis ediderunt, *Syria Cilicia, in qua eſt Antiochia.* Quia vetuſtiſſimi codices paſſim ſcriptum exhibent, *Syria cile*, quod eſt, *Syria cœle.* Ut *miræ* pro *mœræ*: *metici milites*, pro *metœci.* Sic & *Phinice* iidem habent pro *Phœnice.* At infimis Græciæ, & cadentis imperii temporibus minor Aſia ἀνατολικὸν θέμα, id eſt, *orientalis provincia* dicta eſt. Unde hodieque *Natoliam* vulgo appellitant. Conſtantinus de provinciis orientalis imperii ἀνατολικὸν θέμα quinque his gentibus conſtare ait, Phrygibus, Lycaonibus, Iſauris, Pamphylis, Piſidis: τὸ νῦν ἀνατολικὸν καλούμενον θέμα, ὑπὸ πέντε ἐθνῶν κατοικεῖται, Φρυγῶν, Λυκαόνων, Ἰσαύρων, Παμφύλων, Πισιδῶν. Falluntur, qui putant θέμα aliud ſignificare quam regionem, aut provinciam. Nec enim unquam regio hoc nomine appellata eſt, nec ſenſus hic eſt Conſtantini. Θέσις regionis Græcis dicitur, quem Latini *ſitum* vocant. Hinc θέσις τῆς ἰδίως Ἀσίας, θέσις Παμφυλίας, & reliquarum regionum ſitus, & poſitio Ptolemæo. Inde igitur θέμα regio ipſa, vel provincia. Quare libri Conſtantini περὶ θεμάτων non ſunt *de thematibus*, ſicut ineptè vertunt, ſed *de provinciis.* Ἀνατολικὸν illud θέμα, hoc eſt, provinciam orientalem μικρᾶς Ἀσίας nomine veteribus cognitam fuiſſe Conſtantinus aſſerit, & à Proconſule adminiſtrari ſolitam. Ergo juxta Conſtantini ſententiam Phrygia, Lycaonia, Iſauria, Pamphylia, & Piſidia Aſiam parvam, & proconſularem conſtituebant olim, ut & poſtea ex iiſdem provinciis compoſitum eſt ἀνατολικὸν θέμα. Atqui tradit idem in eodem libro Θρακήσιον θέμα, quaſi dicas, *Thracenſem provinciam*, quæ ex Mæonia, Lydia, Caria, Ionia, & minore Phrygia conſtabat, *minorem Aſiam* vocatam primitus fuiſſe, & ejus rectorem Proconſulem. Τὸ δὲ νῦν, inquit, καλούμενον τῶν Θρακησίων θέμα, πάλαι μὲν καὶ κατ' ἀρχὰς Ἀσία μικρὰ ὠνομάζετο, καὶ ὁ ταύτης κρατῶν ἀνθύπατος Ἀσιάρχης ἐλέγετο. Ubi falſus eſt optimus Princeps, qui putavit Ἀσιάρχην & Proconſulem Aſiæ eumdem olim magiſtratum fuiſſe. Notum eſt eruditis, quinam propriè dicerentur Ἀσιάρχαι. Hi ſacerdotum principes, & ἱεράρχαι potius quam rectores provinciarum, qui non mittebantur ex proceribus Romanis ad regendam Aſiam, ſed ex ipſiſmet primoribus Aſiæ, & opulentiſſimis civibus eligebantur ad munera edenda. Strabo lib. XIV de Trallibus: συνοικεῖται δὲ καλῶς εἴ τις ἄλλη τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ὑπὸ εὐπόρων ἀνθρώπων, καὶ ἀεί τινες ἐξ αὐτῶν εἰσὶν οἱ πρωτεύοντες κατὰ τὴν ἐπαρχίαν, οὓς Ἀσιάρχας καλοῦσι. Plures eligi ſimul ſolitos vel hic locus oſtendit, & ex Actis Apoſtolorum hic alter: τινὲς δὲ καὶ τῶν Ἀσιαρχῶν ὄντες αὐτῷ φίλοι πέμψαντες πρὸς αὐτὸν παρεκάλουν μὴ δοῦναι ἑαυτὸν εἰς τὸ θέατρον. Ubi Ἀσιάρχας vocat numero multitudinis, non quod plures ſimul hoc munus Ἀσιαρχίας adminiſtrarent, ſed eos etiam fortaſſe ſic appellat, qui jam eo munere functi fuerant. Munus quippe & onus hoc patrimonii, quod ditiſſimi quique ſubire cogebantur. Mirum eſt Conſtantinum hujus loci ex Actis facere mentionem, & tamen potuiſſe credere Ἀσιάρχην eumdem fuiſſe cum Aſiæ proconſule, quaſi plures uno tempore in provincia proconſules verſari ſoliti eſſent. Quod magnam antiquitatis ignorantiam prodit. Nec malè porro vetus interpres Actorum Ἀσιάρχας vertit *Aſiæ principes.* Non ſacerdotum tantum erant principes, aut unius civitatis, ſed conſeſſus & conſilii totius provinciæ primates habebantur, & magiſtratum gerebant, non ſacerdotium ſolum. Πρωτεύοντας κατὰ τὴν ἐπαρχίαν eos vocat Strabo, hoc eſt, *provinciæ principes.* Tales erant Λυκιάρχαι, Συριάρχαι & Φοινικιάρχαι in ſuis ſinguli provinciis. Strabo de Lyciarchis: ἐν δὲ τῷ συνεδρίῳ, πρῶτον μὲν Λυκιάρχης αἱρεῖται, εἶτα ἄλλαι ἀρχαὶ αἱ τοῦ συστήματος. Δικαστήριά τε ἀποδείκνυται κοινῇ. Synedrion illud, ſive concilium Lyciæ ex omnibus Lyciacis urbibus erat compoſitum, quæ jus ſuffragii in illo conſeſſu communi habebant. Maximæ urbes trium ſuffragiorum poteſtatem obtinebant, mediocres duorum, ceteræ unius. Idem obtinuiſſe videtur in urbibus Aſiæ, & Syriæ. Plures ſimul junctæ corpus unum & σύστημα faciebant, cujus conſeſſus, & συνεδρίου princeps, ac primas erat, qui Ἀσιάρχης, & Συριάρχης. Qui magiſtratus præcipue creari ſolebat ad munera, ac ludos edendos in honorem Deorum, quorum & ſacerdotium ſimul capeſſebant. Annui creabantur. Ruffinus Ἀσιάρχην vertit *munerarium.* Non propterea tamen apud veterem interpretem Actorum ſubſtituendum eſt, *quidam ex munerariis*, pro eo, quod vulgo habetur, *quidam ex Aſiæ principibus*, ut viri eruditiſſimi cenſent. Græce poſſes dicere, τινὲς δὲ καὶ τῶν πρωτευόντων Ἀσίας. Ita quippe τοὺς Ἀσιάρχας interpretatur Strabo, hoc eſt ad verbum, *Aſiæ principes.* In provincia qui ad hoc munus eligebantur, provinciæ, ut dixi, principes habebantur. In ſingulis oppidis, & municipiis hujuſmodi etiam munerarii ſacerdotes capi ſolebant ad ludos edendos, qui & primores, & principes urbis audiebant. Flamines vulgo vocabantur. Græcè ἱεράρχαι, & πρυτάνεις, & ἱερομνήμονες. Firmicus *principes ſacerdotum* vocat lib. III. *Faciet ſacerdotum principes, & qui in ipſis ſacerdotiis, purpureis aut auratis veſtibus induantur.* De his nos alibi. Θρακησίων θέμα, hoc eſt, *Thracenſium provinciam*, Aſiam minorem antiquorum eſſe, quæ à Proconſule regebatur, ſcribit Conſtantinus. Sane Proconſularis Aſia iiſdem ferme, ac totidem regionibus compoſita erat, quibus Θρακησίων θέμα. Lydia quippe, Mæonia, Myſia, Caria, Ionia, & Phrygia minor Aſiam eam, quam Proconſul adminiſtrabat, efficiebant. Conſtantinus de provincia Thracenſium: ὅλον δὲ τῶν Θρακησίων θέμα ἐκ γενῶν συνίσταται τέσσαρων, Λυδῶν, Μαιόνων, Καρῶν, Ἰώνων, καὶ Ἴωνες μὲν καλοῦνται οἱ κατοικοῦντες Μίλητόν τε καὶ Ἔφεσον. Οἱ δὲ τὴν μεσόγαιον Σαρδιανοί, Λυδοί τε καὶ Μαίονες, καὶ Κᾶρες, καὶ οἱ τῆς μικρᾶς Φρυγίας οἰκήτορες. Hæc profecto citerior Aſia eſt, quæ ab oriente Phrygia magna, & Lycaonia terminabatur: ab occidente Ægeo mari: à ſeptentrione Paphlagonia & Bithynia: à meridie Carpathio mari & Rhodiaco. Totidem quippe, & eaſdem illas provincias incluſit hæc Thracenſium provincia, quæ prorſus reſpondet Aſiæ minori antiquorum, quæ Proconſulem habuit rectorem, non eadem convenerit ἀνατολικὸν θέμα, ut idem Conſtantinus adſtruit. Qui ἀνατολικὸν etiam thema Aſiæ minoris nomine veniſſe olim putat. Quod nec ipſe abnuerim. Pars quippe ſuperior Aſiæ minoris, vel, ut alii dicebant, ulterior eas provincias includebat, quas habuit illa Anatolica provincia. Sed illæ provinciæ ſub regimine, ac juriſdictione Proconſulis non erant, Lycaonia, Iſauria, Pamphylia, Piſidia, Phrygia magna, Galatia, & ceteræ, quæ alteram Aſiæ partem faciebant. At Vicarius Aſianæ diœceſeos juriſdictioni ſuæ ſubjectas habuit Pamphyliam, Lydiam, Cariam, Lyciam, Lycaoniam, Piſidiam, Phrygiam utramque, primam & ſecundam, vel minorem & majorem, quæ aliis Pacatiana, & Salutaris dictæ. Ita quidem ſub Arcadio. Sic ex utraque Aſiæ minoris parte provinciæ mixtæ diœceſim Aſianam conſtituebant, & vicarii adminiſtrationem. Lydia quippe, & Caria, & altera Phrygia ex citeriore Aſia fuere, ceteræ ex ſuperiore. Epheſinus Epiſcopus in Eccleſiaſticis Ἀσιανῆς διοικήσεως ἔξαρχος dicebatur. Quas igitur tunc temporis in Aſia provincias Proconſuli ſubjectas fuiſſe dicemus? Arcadii Notitia Proconſuli Aſiæ dat Aſiam, inſulas, & Helleſpontum. Minuta tunc videtur Aſia proconſularis tribus illis ſupradictis provinciis, Lydia, Caria, & Phrygia minore, quæ vicario Aſiæ diœceſis parebant. Hinc alia Notitia vetus provinciarum Romanarum, quæ in Aſia minore duodecim numerat provincias, ab Aſia ſic proprie dicta Lydiam, Cariam & Phrygiam minorem ſecludit. *In Aſia provinciæ* Ñ, XII. *Aſia ipſa, in qua eſt Ilium, Lycia, Galatia, Lydia, Caria, Helleſpontus, Pamphylia, Piſidia, Phrygia prima, Phrygia Salutaris, Lycaonia, Cyclades.* Aſia illa ἰδιωτάτως ſumpta cum Helleſponto, & Cycladibus provinciam Proconſulis tum faciebat, ceteræ Aſianam diœceſim, quæ

quæ vicario suberat. Sed quum utramque Phrygiam illa Notitia ab Asia excludat, mirum cur in Asia ponat Ilium, quæ Phrygiæ minoris fuit. Ptolemæus: Φρυγίας δὲ μικρᾶς ἤτοι Τρωάδος μεσόγειος Ἴλιον. Φρυγίας δὲ τῆς μεγάλης Δαγόντος. Sic legendum verba Ptolemæi. Male est vulgo: Φρυγίας δὲ ἧς ἤτοι Τρωάδος. Stephanus: Ἴλιον, πόλις Τρωάδος. Hæc est veterum minor Phrygia. Videntur posteriores ex Phrygia magna duas provincias fecisse, primam & secundam, quarum prima *Pacatiana* vocabatur, secunda *Salutaris*. At, quæ Phrygia minor olim dicta est, *Troadem* ipsi dicere maluerunt. Certè Constantinus τῆς μικρᾶς Φρυγίας οἰκήτορας Thracensium themati vindicat. Et tamen utramque Phrygiam, Salutarem, & Pacatianam, quam ipse vocat καπατιανὴν, sub anatoliæ provincia collocat. Sic utraque illa Phrygia, Salutaris & Pacatiana, una fuit olim Phrygia magna. Idque etiam ex ipsis Constantini verbis colligere est, quibus ἀνατολικὸν θέμα determinat: ἀρχὴ γὰρ αὐτοῦ ἀπὸ τῆς κωμοπόλεως τῆς ὀνομαζομένης Μηροῦ πεποίηται, ἣ λέγεται Φρυγίας Σαλουταρίας ἕως τοῦ Ἰκονίου. Iconium Lycaoniæ oppidum erat, qua Phrygia magna finiebatur. Sequitur de Pacatiana: τὰ δὲ ἀπὸ Κροίνου, καὶ μέχρι τοῦ Ἀμωρίου καλεῖται Φρυγία Καπατιανή. Ptolemæus inter πόλεις Φρυγίας μεγάλης *Amorium* recenset. Ceterum dicet aliquis, quod vicarius Asianæ diœcesis quasdam ex iis provinciis sub sua dispositione habuerit, quæ olim Proconsulis erant, nihil prohibere quin & Proconsuli Asiæ tum quoque subjectæ fuerint. Nam & Consulares, & Præsides etiam in omnibus illis provinciis fuere, quæ dispositioni vicarii Asianæ diœcesis suberant. Pamphylia & Lydia consularibus regebantur. Pisidia, Lycaonia, Phrygia, Pacatiana, & Salutaris, item Lycia, & Caria Præsides habuerunt. In imperio quoque occidentali sub vicariis Præfectorum Prætorio multæ provinciæ fuere, quæ speciales habuere rectores, Consulares, Correctores & Præsides. His adde, quod eadem Notitia in Asiana diœcesi, quæ cum aliis diœcesibus sub dispositione Præfecti Prætorio per orientem erant, Hellespontum etiam, & insulas comprehendit, quas tamen provincias Asiæ proconsuli assignat. Nihilominus notabis, cum vicario diœcesis Asianæ ceteras attribuat provincias, Hellespontum & insulas, quæ Proconsuli parebant, non eidem adjudicare. Et sanè aliter obtinuisse videtur in Proconsulibus, atque in Consularibus, Correctoribus, Præsidibus, ac ceteris minoribus provinciarum rectoribus. Consulares tum non ii dicebantur provinciarum rectores, qui Consules fuissent. Sed nec, qui Proconsule provinciam aliquam admistrabant, Consules fuisse necesse tum erat. Longe tamen hi supra consulares, ac ceteros rectores fuerunt. Vide quæ notamus super his ad Historiam Augustam. Sub dispositione itaque vicariorum provinciæ Consulares, & Præsidiales fere omnes, nullæ proconsulares. Exemplo illustri id firmandum est. Sub dispositione vicarii Africæ quinque provinciæ recensentur in Notitia Imperii, Byzacium, Numidia, Tripolitana, Mauritania Sitifensis, Mauritania Cæsariensis. Ex his Byzacium, & Numidia Consulares, ceteræ Præsidiales. Nec eas provincias tantum, sed ipsos etiam rectores vicario subjicit eadem Notitia: *Sub dispositione viri spectabilis vicarii Africæ, Consulares Byzacii, Numidiæ, Præsidiæ Tripolitanæ, Mauritaniæ Sitifensis, Mauritaniæ Cæsariensis.* Sola Africa, quæ Proconsulem habuit rectorem, sub dispositione vicarii non recensetur, sed ne sub Præfecto quidem Prætorii Africæ, ut ex his verbis patet: *Sub dispositione viri illustris Præfecti Prætorio Africæ septem. Byzacium, Numidia, Mauritania Sitifensis, Mauritania Cæsariensis, Tripolis, Præfectus annonæ Africæ, Præfectus fundorum patrimonialium.* Ex Africa proconsulari solum annonæ præfectum sub sua dispositione habuit. Africa generaliori significatione sex provincias comprehendebat, quarum quæ ἰδίως vocabatur Africa, regebatur à Proconsule, nec sub dispositione Præfecti prætorio fuit, nec sub ejus vicario. Idem est & de Asia. Appellatione γενικωτάτῃ multas provincias complectebatur, quæ Asianam diœcesim constituebant vicario subjectam, sed quæ Asia ἰδιωτάτως dicebatur, Proconsulis administrationi subjacebat. Quare nullam ex his provinciis, quæ vicario Asianæ diœcesis tum parebant, Proconsuli quoque Asiæ simul paruisse credendum est. Sed Asia Proconsularis eo tempore longe brevioribus terminis circumscripta fuit quam olim, utpote aliquot provinciis imminuta, quæ vicario Asianæ diœcesis attributæ sunt. Asiana autem diœcesis Asiam illam includebat omnem, quam veteres ἰδίως sic vocarunt, cujus & duas partes fecit Agrippa, *citeriorem* & *ulteriorem*. Longè majoribus terminis eam circumscribit Strabo, qui eo nomine intelligi voluit, quidquid intra Ponticum, Ægeum, & Cilicium maria concludebatur ad instar peninsulæ. Verùm ille γεωγραφικῶς situm terrarum, & marium rationem magis sequitur, quàm πολιτικὴν dispositionem provinciarum, quæ aliud suadebat. Ponticam provinciam Asiæ nomine involvit, quæ diœcesim Ponticam postea fecit ab Asiana diversam, qua Galatia, Paphlagonia, & Cappadocia, Armenia minor, & Pontus Polemoniacus comprehendebatur. Augusti quoque temporibus Bithynia, Propontis, & Ponticæ pars prætoria fuit provincia, ab Asiæ speciali appellatione separata. Paphlagonia Bithyniæ addita. Armenia minor Syriæ usque ad Euphratem. Quod reliquum fuit provinciarum in ea peninsula, quam Asiæ nomine censet Strabo, in duas partes divisum est, de quibus dictum suprà. Duabus his partibus Asiæ nomen proprium factum, alteri etiam, hoc est, citeriori parti ἰδιώτατον, quæ Proconsuli data est administranda. Hæc Lydiam, Cariam, Mysiam, Phrygiam, & Hellespontum continebat. Pars superior Pamphyliam, Lycaoniam, Galatiam, Pisidiam, Isauriam, & Ciliciam. Hujus divisionis expressa vestigia reperio in Thracensium provincia, & anatolica infimis imperii temporibus, ut apud Constantinum περὶ Θεμάτων legere est. Τῶν Θρακησίων θέμα planè respondet Asiæ citeriori: τὸ ἀνατολικὸν ulteriori. Hinc utrumque θέμα μικρᾶς Ἀσίας nomine appellatum veteribus tradit Constantinus. Utriusque ferè θέματος provincias comprehendebat Ἀσιανὴ διοίκησις. Sed unde θέμα Θρακησίων dictum, quæ olim Asia minor & Proconsularis provincia fuit? Mirifice nugatur optimus princeps, qui ad id tempus refert, quo sub Alyatte Lydiæ rege traducti sunt ex Europa in Asiam Thraces quidam. Ἐκ τούτου, inquit, τοῦ χρόνου ὠνομάσθησαν οἱ τὴν μικρὰν Ἀσίαν οἰκοῦντες Θρακήσιοι. Eam historiam acceptam referre dicit Nicolao Damasceno, qui ὑπογραφεὺς Herodis regis fuit. Eadem prorsus historia habetur apud Herodotum de fratribus Pæonibus, & eorum sorore, quam cum Rex Darius in suburbanis Sardium tum consistens vidisset transeuntem, cum urna capiti imposita, fusum simul devolventem, & equum è cingulo ligatum trahentem, quem ad aquam ducebat, ex eo spectaculo concupivit Pæonas in Asiam transportare, atque ita fecit. Sed si Θρακήσιοι exinde dicti sunt minoris Asiæ incolæ, cur non statim re adhuc recenti hoc nomen habuerunt? Cur medio tempore tam altum hujus appellationis silentium? Cur denique extremis Græciæ temporibus ea demum appellatio nata post abolitam jam pridem illius facti memoriam? Quis non videt vocabulum hoc admodum recens esse, & ex Latino factum? Θρακήσιοι enim sunt Latinè *Thracenses*. Ut Λουγδουνήσιοι *Lugdunenses*: Ναρβωνήσιοι *Narbonenses*. Sic Κιρκήσια *Circenses*: Λαρήσιος *Larensis*, & talia infinita. Non igitur Græcum nomen Θρακήσιοι, sed ex Latino Græcorum more, modoque depravatum. Eustathius ex Arriano notat, ut Phrygas, & Mysos, ita etiam Thraces ex Europa in Asiam aliquando transiisse. Καὶ τάχα, inquit, ἐκ τῶν τοιούτων Θρακῶν πλατυνθέντων, καὶ τὸ νῦν λεγόμενον Θρακησίων θέμα, τὴν κλῆσιν εὕρηκεν. Nugatur. Aliqua saltem id ratione niteretur, si ab eo tempore, quo ex Europa in Asiam migrasse feruntur illi Thraces, Asianos hos populos Θρακησίους appellatos ostenderet. Quod non potest. Constantinopolitani, qui Thraces erant, partem eam Asiæ citeriorem, quæ sibi, id est, Thraciæ propior esset, *Thracensem* videntur appellasse, & eos Asiæ populos *Thracenses*, Θρακησίους. Hinc Θρακησίων θέμα. Alteram autem partem ulteriorem, & magis orien-

orientalem, ἀνατολικὴν. Inde ἀνατολικὸν θέμα. A quo tota Asia minor ἀνατολὴ dicta est, & *Natolia*. Hoc nisi sit de Thracensibus, profecto nomen invenisse verisimile est eam Thracensium præfecturam ab aliqua cohorte, vel ala Thracum auxiliari, quæ ibi prætendebat, vel in præsidiis erat collocata. *Cohortis primæ, secundæ, tertiæ, quintæ, septimæ Thracum*, & *alæ Thracum* passim in vetustis monumentis extat mentio. Vetus quoque Notitia Arcadii *Thracum auxiliarium* meminit sub Magistro militum Præsentalis in imperio orientali. Quemadmodum autem θέμα tertium imperii Constantinopolitani in Asia minore Θρακησίων dictum est à Thracibus, vel Thracensibus auxiliariis, ita θέμα sextum vocatum est Βουκελλαρίων, à militibus Bucellariis, qui olim in ea regione tuenda excubabant in præsidiis locati. Inter vexillationes comitatenses, quæ sub dispositione Magistri militum orientis militabant, *Bucellarios Juniores* nominat vetus Notitia imperii. Hi equites erant. Nam *vexillationes* de equitibus proprie dicebantur. *Bucellarii* igitur genus militum, de quibus diximus ad Historiam Augustam. Ab his Βουκελλάριον θέμα appellatum, quod Maryandenos, & Galatiæ partem occupabat. Constantinus perperam Βουκελλάριον interpretatur ἄρτου φύλακα. Quia *bucella* panis est, *cellarius* autem ὁ φύλαξ. Inde dictum asserit θέμα Βουκελλαρίων, quod panarii illi custodes, & cellarii exercitum sequerentur. Διὰ τὸ ἐπακολουθεῖν τοῖς στρατιώταις, καὶ τὰς τροφὰς αὐτῶν ἐπιφέρεσθαι, ὥστε εἶναι τοὺς στρατιώτας ἐλαφροὺς καὶ ἀβαρεῖς πρὸς πόλεμον. Immo *Bucellarii* ipsi milites, à quibus præfectura, sive provincia Bucellariorum, ut θέμα Θρακησίων, *præfectura Thracensium*, à Thracibus, vel Thracensibus auxiliariis, qui eam provinciam prætenturis suis, & præsidiis tuebantur. Nihil verius. In maximis ignorantiæ tenebris versabatur illud sæculum. Res non magis veteres quam verba callebant, in utroque pariter imperiti. Inde est quod & Κονσουλαρίους, hoc est, consulares provinciarum rectores interpretatur Βουλευτὰς, quasi iisdem essent qui & κονσιλιάριοι. Ex eadem imperitia venit, quod lib. 11 tradit Corinthum metropolim fuisse totius Græciæ, & Peloponnesi, id est, Achaïæ. Οἱ γὰρ Ῥωμαῖοι, inquit, τοὺς τὴν Πελοπόννησον οἰκοῦντας Ἀχαιοὺς ὀνομάζουσι. Nusquam factum, ut Romani Peloponnesum totam Achaïam vocitarint. Regionem Peloponnesi cum Græcis ita proprie nominarunt, cujus caput Corinthus. Sed nec Corinthus metropolis unquam Græciæ fuit, τῆς Ἑλλάδος. Florus: *Carthaginis ruinam statim Corinthus excepit, Achaïæ caput, Græciæ decus*. Devictis illis Peloponnesi Achæis à L. Mummio, quia tum Græciæ principes erant, & per eos Græciam in potestatem suam redegerant Romani, Prætor, qui unus ad eas provincias tenendas mittebatur, *Achaïæ præfectus* dictus est. Nam & Romani veteres Achæorum, & Achivorum nomine Græcos semper intellexerunt. Achaïæ proconsul Peloponnesum simul & Græciam regebat. Strabo de provinciis, sicut ab Augusto constitutæ sunt: ἑβδόμην δ' Ἀχαΐαν μέχρι Θετταλίας, καὶ Αἰτωλῶν, καὶ τινῶν Ἠπειρωτικῶν ἐθνῶν ὅσα τῇ Μακεδονίᾳ προσώριστο. Græci scriptores sub Romanis Ἀχαΐας vocabulum de Græcia, id est, Hellade passim usurpant, & à Peloponneso separant. Acta Apostolorum διελθὼν τὴν Μακεδονίαν καὶ Ἀχαΐαν. Græciam intelligit, τὴν Ἑλλάδα. Ptolemæus Ἀχαΐαν τὴν καὶ Ἑλλάδα seorsim descripsit, à Peloponneso discrevit. Vetus Notitia Græca: Μακεδονία, Ἤπειρος, Ἀχαΐα, Εὔβοια νῆσος, Πελοπόννησος, Κρήτη νῆσος. Romani Achaïa nomine Peloponnesum, & Græciam comprehenderunt. Pausanias: καλοῦσι δὲ οὐχ Ἑλλάδος, ἀλλ' Ἀχαΐας ἡγέμονα οἱ Ῥωμαῖοι, διότι ἐχειρώσαντο τοὺς Ἕλληνας δι' Ἀχαιῶν, τότε τοῦ Ἑλληνικοῦ προεστώτων. Achaïa illa non Peloponnesi provincia fuit. Unde Ἀχαϊκὰ Pausaniæ. At Græci recentiores Peloponnesum Ἑλλάδα proprie vocatam passim scripsere, non alia de causa quam quod Ἀχαΐα Græcia quæ proprie Ἑλλάς. Rursus præcipua Peloponnesi provincia etiam Ἀχαΐα, quam perperam Ἑλλάδα quoque vocatam putaverunt. Suidas: Σικυὼν ἡ νῦν Ἑλλὰς καλουμένη. Hoc modo recte Corinthus dicatur ἡ μητρόπολις τῆς Ἑλλάδος, quod ait Constantinus, qui ex aliquo id hausit scriptore, cui Ἑλλὰς Pe-

A loponnesus, vel Achaïa Peloponnesi. Hinc illa Isidori: *Helladis duæ provinciæ sunt, Bœotia & Peloponnesus*. Hæc jam supra attigimus. Infinitis aliis rebus, si liberet, liceret eorum temporum inscitiam depalare. Extat liber in Bibliotheca Regis depromptus ex Archivis, & Camera, ut vocant, Thesauraria Alexii Comneni, qui Παλαιὰν & νεὰν Λογαρικὴν continet de pretio solidi in tributis exigendis. Παλαιὰ Λογαρικὴ ibi vocatur, qua duo & septuaginta solidi in libram auri putabantur. Idque institutum ab Augusto ibidem memoratur. Quod esse falsissimum omnes

B sciunt. Post Constantini tempora eam rationem viguisse certum est. Sed de his alibi.

Ab oriente Lycia includit, & Phrygia.] Apud Plinium legitur Lycaonia pro Lycia: *unam inclusit ab oriente Phrygia & Lycaonia*. Ita etiam habent excerpta Plinii vetustissima. Cum altera pars Asiæ terminetur ab occidente Phrygia, Lycaonia, & Pamphylia, hæc citerior pars ab oriente habet eamdem Phrygiam & Lycaoniam. Missi Theodosii finiri eam aiunt limitibus alterius Asiæ. Sed verum quoque est de Lycia. Ptolemæus τὴν ἰδίως Ἀσίαν ἀπὸ τῶν ἀνατολῶν terminari ait: Λυκίᾳ τε, καὶ Παμφυλίᾳ, καὶ Γαλατίᾳ.

C Pag. 50. D. *Amazonum fabrica.*] Σμύρναν vocatam illam Amazonem, quæ Epheson condidit, tradunt. Unde & ipsa Ephesos olim Smyrna dicta. Stephanus: ἐκαλεῖτο δὲ Σμύρνα, ἀπὸ Σμύρνης Ἀμαζόνος. *Samornam* etiam dictam illam Amazonem paulo post notare videtur: τὸ ἐθνικὸν τοῦ Σαμόρνα, Σαμορναῖος, ἐκλήθη δὲ ἀπὸ μιᾶς τῶν Ἀμαζόνων ἣν καὶ βασίλισσαν, καὶ πρότερον Ἀρτέμιδος εἶναι φασί. Hesychius: Σαμόρνα ἡ Σαμορνία ἡ Ἔφεσος. Mela non urbem Ephesi, sed templum tantum Dianæ ab Amazonibus conditum significat: *ibi Ephesus, & Dianæ clarissimum templum, quod Amazones Asiæ*

D *potitæ consecrasse traduntur*. Plinius Epheson *Amazonum opus* vocat. Inde noster *Amazonum fabricam*. Olim Smyrna, & Samorna dicebatur. Callinus Σμυρναίους vocavit τοὺς Ἐφεσίους. Strabo: καὶ Καλλῖνος που οὕτως ὀνόμασεν αὐτὴν, Σμυρναίους τοὺς Ἐφεσίους καλῶν ἐν τῷ πρὸς Δία λόγῳ.

Σμυρναίους ἐλέησον. ----

Locum quemdam Ephesi *Smyrnam* Hipponacti vocatum notat ibidem Strabo, & versus ipsos adfert, qui sic legendi sunt, nec enim vulgo numeros suos habent:

Ὤικει δ' ὄπισθεν τῆς πόληος ἐν Σμύρνῃ
Μεταξὺ Τρηχείης τε καὶ Λεπρῆς Ἀκτῆς.

E Subjicit Strabo: ἐκαλεῖτο γὰρ Λέπρη μὲν Ἀκτὴ ὁ Πριὼν ὑπερκείμενος τῆς νῦν πόλεως ἔχων μέρος τοῦ τείχους αὐτῆς. Τὰ γοῦν ὄπισθεν τοῦ Πριῶνος κτήματα ἔτι νυνὶ λέγεται ἐν τῇ ὀπισθολεπρίᾳ. Τραχεῖα δ' ἐκαλεῖτο ἡ ὑπὲρ τὸν Κορησσὸν παρώρεια. Strabonis Πριὼν est collis jugum imminens urbi. Nec videtur nomen proprium facere. Olim, inquit, vocabatur Λεπρὴ Ἀκτὴ ὁ Πριὼν ὑπερκείμενος τῆς πόλεως. Plinius tamen proprium facit montis, quo attollitur Ephesus. Ita enim scribit: *Attollitur monte Prione, alluitur Caystro in Cilbianis jugis orto*. Ita emendandum. Male in vulgatis habetur: *monte Pione*. Sed Pausanias Πιόνα quoque montem Ephesini agri appellat in Achaïcis: ἡ δὲ γῆ Ἐφε-

F σία χώρα τόντε Κέγχρειον ποταμὸν καὶ τὸ Πιόνος ὄρος τὴν φύσιν, καὶ πηγὴν τὴν Ἁλιτηίαν. Dictum Πιόνα hunc montem innuit à pingui natura. Manifesta tamen Strabonianæ lectionis ratio, λεπρὴν ἀκτὴν, hoc est, asperam actam vocatam prius ait Πριῶνα illum, qui urbi imminet. Eminentia littora, & prominentia Græcis ἀκταί. Poëta: ἀκτῇ ἐπὶ προὐχούσῃ. Grammatici exponunt τὸ ἐξέχον μέρος τοῦ αἰγιαλοῦ. Acta Zone Pomponio, Ζωναῖα ὄρη Nicandro de eadem. Ephesus autem ad mare. Λεπρὸν asperum significat. Λεπρὴ ἀκτὴ est *asperum littus*. Hujusmodi loca Πριῶνας fortean vocaverint, quod veluti ferrata essent, & ob asperitatem, & inæqualitatem dentibus serræ

G similia. Fuit & Carthagine locus καλούμενος Πριών. Polybius dictum asserit διὰ τὴν ὁμοιότητα τοῦ σχήματος πρὸς τὸ νῦν εἰρημένον ὄργανον. Fuit & Sardibus Πριὼν apud eumdem Polybium, οὗτος δὲ ἐστὶν ὁ τόπος ὁ συνάπτων τὴν ἄκραν καὶ τὴν πόλιν. Montosum, & adclivem locum fuisse apparet, qui arcem cum oppido jungeret. In libro Judith: ἀπέναντι τοῦ πρίονος τοῦ μεγάλου τῆς Ἰουδαίας. Sed vix aliter censere possim, quin his omnibus locis Πριὼν fit, qui alias Πρηὼν, & Πρεὼν, & contracte Πρών. Jugum collis eminens ita Græci vocant. Dionysius: Τὸν

Τὸν βαθὺν ἐν δένδρου πρῶνα πατεῖς Φολόης.

Et in alio epigrammate:

---- καὶ πρηόνας ἀκροβατεύεις.

In alio lectum mihi est πρεόνας prima brevi. Dicebant & πρώονας. Hesychius: πρώονας ὀρῶν ἐξοχάς. Et πρὼν ὄρος κρημνὸς, οἱ δὲ ὄρους ἐξοχὴν, & πρῶνες οἱ ἐκνενευκότες τόποι εἰς ὄρη. Item: πρηὸν, τὸ ὑπερέχον. Sic πρηὼν, πρεὼν & πελὼν. Idem, nec à serræ similitudine ea vox facta est de loco clivoso, & jugis asperis assurgente. Vetus epigramma:

Ἐυλάχανον πελῶνα καὶ εὐσκάνδικα λελογχώς.

Ita enim vetustissimæ membranæ. Sic plane etiam legendum apud Pausaniam, καὶ τοῦ Πελῶνος τοῦ ὄρους τὴν φύσιν. Hispani montem appellant *sierra* à Latino serra, fortasse quod male reddiderint ex Græco πελὼν, quæ montem significat, & serram. Verum profecto nec *serras* Latini clusuras dixerunt à serræ, hoc est, πρίονος figura, sed à *sera*, id est, μοχλῷ, qua januæ occludebantur. *Serram* quippe scripsere. Glossæ: *serra*, πριὼν, καὶ μοχλὸς θύρας, καὶ ῥηματικῶς πρίσον. Hinc serrare hodie dicimus τὸ ἀσφαλίζειν, & *serraturam* ferreum manganum, quo januæ firmantur, & cluduntur. At *serra* apud auctores de limitibus, ubi *serræ rectæ* mentio est, mendose scriptum habetur pro *seria*. Apud Vitalem auctorem: *à sextaneo si vis sequi limitem, rectam serram sequeris ped.* CL. Ubi omnino legendum est, *rectam seriam sequeris.* Quem alias *rigorem*, vel *recturam limitum* vocant passim, heic Vitalis appellat *rectam seriam*, τὴν εὐθεῖαν ἀκολουθίαν. *Seria* pro *series*. Glossæ: *seriam*, ἀκολουθίαν. Et alio loco: *seria*, ὁρμαθός. Malè *steria*. Hæc indubitata sunt. At ubi *serra paganorum* in iisdem agrimensoribus occurrit, id ubique corruptum est, & rectum *sacra paganorum*. De quibus nos alibi. Locus Ephesi Λεπρὴ Ἀκτὴ & Τρήχεια dicebatur. Hipponax: Μεταξὺ Τρηχείης τε, καὶ Λεπρῆς Ἀκτῆς. Hinc urbs ipsa appellata Τρήχεια. Stephanus: ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Σαμόρνα, καὶ Τειχία, καὶ Ὀρτυγία, Πτελέη. Libri habent, Τείχεια. Scribe: Τρηχεῖα. Strabo: Τρηχεῖα δὲ ἐκαλεῖτο ἡ ὑπὲρ τοῦ Κορησσὸν παρώρεια. Quæ pars postea oppido inclusa est ab Androclo. Idem Strabo: ᾤκισεν ἐκ τῶν συνελθόντων αὐτῷ περὶ τὸ Ἀθήναιον, καὶ τὸ Ὑπέλαιον προσπεριλαβὼν, καὶ τῆς περὶ Κορησσὸν παρωρείας. Postea ex montanis descendentes circa templum Dianæ habitarunt, quod in cavo, ac depresso loco conditum erat. Ibique usque ad Alexandrum Magnum urbis suæ sedes habuerunt. Post Alexandrum Lysimachus urbem in superiora transtulit, quo cum ægre migrarent Ephesii, magnis, & continuis imbribus supervenientibus, urbs eorum antiqua submersa est. Idque diluvium ipse etiam adjuvit Lysimachus, obturatis cloacarum naribus, quo libentius in eam, quam condiderat, transirent. Strabo: ἀηδῶς τῶν ἀνθρώπων συνισαμένων, τηρήσας καταῤῥάκτην ὄμβρον, συνήργησε καὶ αὐτὸς, καὶ τοὺς ῥινούχους ἐνέφραξεν, ὥστε κατακλύσαι τὴν πόλιν. Οἱ δὲ μετέστησαν ἄσμενοι. De illo imbre Duris Elaïta intellexit in epigrammate, quo Ephesi illum κατακλυσμὸν deplorat.

Ἠερίαι νεφέλαι πόθεν ὕδατα πικρὰ ποιοῦσαι
Νυκτὶ σὺν ἀσεμφεῖ πάντα κατεκλύσατε,
Ου Λιβύης Ἐφέσου δὲ τὰ κεῖνα ταλαίνης
Ἄγλια, καὶ μακρῶν ἐξ ἐτέων κτεάνα.
Ποῦ δὲ σαωτῆρες τότε δαίμονες ἔτραπον ὄμμα,
Αἱ αἱ τὴν Ἰάδων πολλὸν ἀοιδοτάτην,
Κεῖνα δέ κύμασι πάντα κυλινδομένοισιν ὅμοια
Εἰς ἅλα σὺν ποταμοῖς ἔδραμε πεπταμένα.

Sic legendum epigramma. Ῥινούχους vocat Strabo cloacas, quæ nares in mare apertas habent, quibus aqua exoneratur. Sic Vopiscus: *fossam parans ingentem, qua dejectis in salum naribus paludem siccaret.* Ita olim recte emendavimus. Τάφρον ῥινοῦχον intelligit. Sic *nares canalis* Vitruvio. Hesychius ῥινοῦχον interpretatur χώνην, id est, infundibulum. Ῥινοῦχος χώνη, quia χώνη etiam nares habet apertas. Igitur priusquam in plana descenderent Ephesii, in monte colebant, qui mons Τρηχεῖα dicebatur. Athenæus ex Creophylo: καὶ διαβάντες οἱ Ἐφέσιοι ἐκ τῆς νήσου ἔτη κατοικήσαντες τῷ εἰκοστῷ δευτέρῳ κτίζουσι Τρηχεῖαν, καὶ τὰ ἐπὶ Κορησσόν. Hinc *Trichia* inter nomina Ephesi. Plinius: *In ora autem Manteium, Ephesus Amazonum opus, multis ante expetita nominibus: Alopes, cum pugnatum apud Trojam est. Mox Ortygia, & Morges vocata est & Smyrna cognomine Trachea, & Samornion, & Prelea.* Quædam heic animadvertenda, & corrigenda. Ecquod illud *Manteium* sit in ora, haud longe ab Epheso, prorsus ignoro. Sed nec alterum Manteium, quod ab Epheso statim ponit, quale fuerit scio: *ab Epheso Manteium aliud Colophoniorum, & intus ipsa Colophon, Haleso affluente.* Libri nostri heic scribunt *Patium*, & in altero *Matium*. Puto tamen esse *Mantium*, Μαντεῖον, oraculum nempe, vel fanum Dei, qui reddit oracula. Sed cur hoc loco vocem Græcam retinuit, cum alibi *fanum*, & *oraculum* Latine verterit? Mantium illud Colophoniorum non aliud esse possit præter oraculum Clarii Apollinis, quod erat prope Colophonem. Strabo: καὶ ἡ Κολοφὼν πόλις Ἰωνική, καὶ τὸ πρὸ αὐτῆς ἄλσος τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος: ἐν ᾧ καὶ μαντεῖον ἦν ποτὲ παλαιόν. Mela: *Ibi Caystros amnis, ibi Lebedos, Clariique Apollinis fanum, quod Manto Tiresiæ filia fugiens victores Thebanorum Epigones, & Colophon, quam Mopsus ejusdem Mantus filius statuit.* Non aliud in illis locis Colophoniorum Μαντεῖον. At Plinius illud Mantium distinguere videtur ab illo fano Clarii Apollinis, ita scribens: *Ab Epheso Mantium aliud Colophoniorum, & intus ipsa Colophon, Haleso affluente, inde Apollinis Clarii fanum.* Ex diversis nimirum auctoribus, ut solet sæpe, rem eamdem diversam statuit. Ex Pomponio Mela *Clarii Apollinis fanum* sumpsit, quod ibi collocaret. Ex Græco aliquo scriptore, Μαντεῖον τῶν Κολοφωνίων. Atqui utrumque idem. Nihil verius. Ita in aliis facere consuevit. Verum ecquod illud aliud Manteium, quod in ora prope Ephesum? An & heic eodem errore lapsus est? Μαντεῖον fortasse intelligit Didymæi Apollinis, quod ἐν Βραγχίδαις dicebatur, quo ex Græco geographo heic adscripsit. At supra meminit oraculi Branchidarum appellati, quod totum habet è Pomponio Mela. Utrumque oraculum simul etiam junxit Statius.

Nec Clarias hac luce fores, Didymæaque quisquam
Limina, nec Lyciam supplex consultor abibit.

Etsi longius ab Epheso videatur illud oraculum, sive Μαντεῖον Didymæum, quam ut prope Ephesum possit collocari, non aliud tamen in illis Mantium temere reperias, nisi forte Ortygiam putes intellexisse juxta Epheson, ubi adyton fuit, in qua Latona peperisse ferebatur. Sane ἐν τῇ παραλίᾳ Strabo ponit ante urbem Ephesi. Præterea Creophylus, ἐν τοῖς ὅροις Ἐφεσίων fanum Apollinis Pythii ibidem fuisse tradebat, ex quo fortean & oracula reddebantur, & videntur quidam appellasse Μαντεῖον. Certe de hoc Manteio heic intellexit. At de altero certum est eum diversa fecisse, τὸ Μαντεῖον τῶν Κολοφωνίων, & Clarii Apollinis fanum, quæ eadem fuere. Scylax: Κολοφὼν ἐν μεσογαίᾳ, Νόπιον καὶ λιμὴν, Ἀπόλλωνος Κλαρίου ἱερόν. Nunc de nominibus Ephesi videamus. *Alopes*, inquit, *cum apud Trojam pugnatum est.* Homerus.

Ἔλθοντ' ἐξ Ἀλόπης ὅτ' Ἀμαζονίδων γένος ἐστί.

Quod Amazones Epheson vel tenuerunt, vel condiderunt, quidam Ἀλόπην Epheson vocatam Poëtæ credidere, quia Ἀμαζονίδων γένος ibi constituat. Aliter tamen veteres, qui Ἀλόπην in eo versu interpretantur τὴν μεταξὺ Μυσίας, καὶ Καρίας, καὶ Λυκίας παραλίαν. Urbem etiam hoc nomine in Ponto faciunt, unde Penthesilea. Vide Strabonem lib. XII. Ephesum *Morgen* dictam nusquam invenio. In libris scribitur: *Mox Ortygia & Amorges.* Fortè: *mox Ortygiæ & Samornes.* Σαμόρνα, Σαμόρνη dicta Ephesos. Ortygia ab illo fano, & adyto, in quo Latona enixa putabatur. Mox iidem libri habent: *Smyrna est cognomine Trachiæ, & Hemonion & Ptele.* Totus ille locus sic mihi legendus videtur: *Ephesos Amazonum opus, multis antea expetita nominibus. Alopes cum pugnatum apud Trojam est, mox Ortygiæ & Samornas vocata, & Smyrnæ cognomine Trachiæ, & Samoni; & Ptelea.* Apud Hesychium legitur, Σαμονία. οἱ δὲ Σαμόρνα, ἡ Ἔφεσος. Putaverit Plinius Σαμονίαν, & Σαμόρναν diversa esse nomina. Ceterum diversæ illæ omnes, quæ recensentur, urbis Ephesinæ appellationes, loca urbis fuere diversa sic appellata. Σμύρνη τόπος Ephesi fuit Hipponacte teste, qui Ephesius oriundo fuit.

Τρηχεία mons Ephesi Creophylo apud Athenæum: ἐπέδραμε δὲ ὄρους ἐπιπολὺ, ὃ δὴ καλεῖται Τρηχεία. Ortygia ἄλσος fuit ante urbem, in quo adytum, & fortasse μαντεῖον. Σαμόρνα, vel Σαμόρνος Ephesi portus. Et Strabo corrigendus, ubi hodie excuditur: εἶτα λιμὴν πάνορμος καλούμενος, ἔχων ἱερὸν τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος. Εἶθ' ἡ πόλις. Scio portus πανόρμους Græcis dici legitimos. Unde in scriptis geographorum λιμὴν πάνορμος ad discrimen τῶν ὑφορμῶν, καταφυγῶν, ἀκτῶν, ἀγκυροβολίων, qui non sunt portus legitimi. *Stationes, plagius, refugia* Latini. Scylax: εἰσὶ δὲ οὗτοι οἱ λιμένες πάνορμοι, καὶ ἄλλαι δὲ καταφυγαὶ ὑπὸ νησιδίοις, καὶ ὕφορμοι, καὶ ἀκταὶ πολλαί. Inde & Πάνορμος urbs Siciliæ, quæ talem haberet portum. Sed heic legendum: εἶτα λιμὴν Σάμορνος καλούμενος. Stephanus: Σάμορνα, καὶ Σάμορνος ἡ Ἔφεσος ἐκαλεῖτο. Σισύρβη etiam pars Ephesi. Πτελέα quoque locus, in quo templum ædificatum. Unde urbs Ptelea. Stephanus: καὶ Πτελέη, ὁ πολίτης Πτελεαῖος, ἦν δὲ καὶ Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐκεῖ. Sequitur apud Plinium: *fons in urbe Calipia, & templum Dianæ complexi è diversis regionibus duo Selinuntes.* Fontem illum Ἀλιταίαν vocat Pausanias. Ita in Plinio reponendum: *Fons in urbe Halitæa.* C pro H sæpe scribitur & P pro T. Hinc *pinus* pro *tinus*: *pipita* pro *pitita*: *ruplus* pro *rutlus*, & similia. Sic *Calipea* pro *Halitæa* depravatum. Puto hunc eumdem esse fontem, qui & Ὑπέλαιος dicebatur. Creophylus: λέγεται οὖν ὅπου νῦν ἡ κρήνη ἐστὶν Ὑπέλαιος καλουμένη, καὶ ὁ ἱερὸς λιμήν. De ea intelligit Strabo, etsi fontem non nominat: ἡ πόλις ἦν τὸ παλαιὸν περὶ τὸ Ἀθήναιον τὸ νῦν ἔξω τῆς πόλεως ὂν κατὰ τὴν καλουμένην Ὑπέλαιον. Et fortè deest vox, κρήνην Dictus Ὑπέλαιος ille fons, quod sub illa oliva flueret, quæ ibi ostendebatur, sub qua pausaverat primum enixa Latona. Strabo: καὶ τὴν πλησίον ἐλαίαν, ᾗ πρῶτον ἐπαναπαύσασθαί φασι τὴν θεὸν ἀπολυθεῖσαν τῶν ὠδίνων. Quos vocat *duo Selinuntes* Plinius. Paludes erant magni reditus, quas affusum mare implebat. Horum alteram tantum appellat Σελινουσίαν Strabo: μετὰ δὲ τὴν ἐκβολὴν τοῦ Καΰστρου λίμνη ἐστὶν ἐκ πελάγους ἀναχεομένη. Καλεῖται δὲ Σελινουσία, καὶ ἐφεξῆς ἄλλη σύρρους αὐτῇ. Utraque templo sacra erat, & earum reditus ad templum pertinebant. Sed quum duo Selinuntes simpliciter vocet Plinius, haud scias utrum de fluviis, an de lacubus loquatur: *templum complexi, diversis è locis duo Selinuntes.* Æque, immo magis fluvios esse possis interpretari. Σελινοῦς Ephesinæ regionis fluvius, ut constat ex Strabone lib. VIII. Ῥεῖ δὲ διὰ τῆς Αἰγιέων πόλεως ποταμὸς Σελινοῦς ὁμώνυμος, τῷ δὲ ἐν Ἐφέσῳ παρὰ τὸ Ἀρτεμίσιον ῥέοντι. En fluvium Selinuntem Dianæ templum Ephesiæ præfluentem. Plinius duos facit. Ab his Σελινουσία λίμνη Straboni, non Σεληνουσία, ut perperam scribitur.

Ut Xerxes cum omnia Asiatica templa igni daret, huic uni pepercerit] Strabo lib. XIV de Didymæi Apollinis fano ἐνεπρήσθη δ' ὑπὸ Ξέρξου, καθάπερ καὶ τὰ ἄλλα ἱερὰ, πλὴν τοῦ ἐν Ἐφέσῳ.

Sed hæc Xerxi clementia] Ita libri ἀρχαϊκῶς pro Xerxis. Ita ubique noster, *Xerxi*, *Ulissi*, *Herculi*, *Achilli*, & similia.

Ut nomen memoria sceleris extenderet] Ita vulgatæ hactenus editiones. Quæ lectio ex priore editione Solini fuit. In δευτέρᾳ scripsit: *ut nominis sui memoriam fama sceleris extenderet.* Ita habet optimus regius, cujus librarius eadem manu illam alteram ad oram codicis adscripsit.

Post Romam conditam anno octogesimo quinto] Omnes libri manu scripti, omnes typis excusi hanc lectionem, & hunc numerum præferunt. Antiquissimi quique sic plenis, planisque omnibus literis scriptam exhibent: alii numeralibus notis expressam: LXXXV. Ergo ex Cornelii Nepotis sententia Alexander natus est M. Fabio Ambusto, & T. Quintio Capitolino Coss. anno post urbem conditam trecentesimo octogesimo quinto. Atqui multis modis hoc falsum deprehenditur. Quippe convenit inter omnes Alexandrum natum Olympiadis sextæ supra centesimam anno primo. Alii secundo volunt. In hoc solo discordia est. Quod tempus convenit anno Urbis conditæ trecentesimo nonagesimo septimo, vel octavo, si Varronis calculum sequaris. Nepos, si quid huic nostro credimus, natum Alexandrum scripserat, *Consulibus M. Fabio Ambusto, & T. Quintio Capitolino.* Consules illi fuere juxta Livium anno Urbis quadringentesimo primo, hoc est, Olympiadis centesimæ sextæ anno quarto. Sed omnes anno primo, aut secundo hujus Olympiadis natum prodidere. Nepoti placuit, ut ex hoc Solino scimus, Romam conditam esse Olympiadis septimæ anno secundo. Si ex æra Varroniana, Urbis annus trecentesimus nonagesimus nonus convenit cum Olympiadis sextæ & centesimæ anno secundo, certè secundum æram Nepotianam Urbis trecentesimus nonagesimus septimus in eumdem annum Olympiadis congruerit. Ergo annus Urbis quadringentesimus primus juxta Nepotem cum Olympiadis septimæ primo aut secundo anno pariaverit. Olympiadis verò sextæ & centesimæ annus ultimus, quo natum Alexandrum putavit Nepos, Urbis annus fuerit trecentesimus nonagesimus nonus. An igitur hic numerus hoc loco reponendus? id nimis longè abit à vestigiis scripturæ veteris omnium librorum. Error potius Solini fuerit, ut in omnibus sollemnes ejus sunt tales hallucinationes. Natalem Alexandri in consulatum Fabii Ambusti, & Quintii Capitolini contulerat Nepos. Annum Urbis de suo addidit Solinus, quo anno nulli Consules Romæ, sed Tribuni militum consulari potestate regebant. Quod tempus incidit in Olympiadem secundam & centesimam exeuntem. In quod tempus nemo est, qui Alexandri natalem conjecerit. Existimavi aliquando legendum: *post Romam conditam anno* CCCLXXXXV, hoc est, nonagesimo quinto. Uno decusse detrito factum CCCLXXXV. Hæc est æra Pictoris, quam fortasse hîc sequutus est Nepos. Octava Olympiade Romam conditam voluit. Secundum hunc calculum, qui aliis trecentesimus nonagesimus nonus ab urbe condita, hic Pictori fuit trecentesimus nonagesimus quintus. Sed quis credat Nepotem sententiæ Pictoris heic adhæsisse, quum disertim Solinus tradat, Nepoti & Lutatio opinionem Apollodori, & Eratosthenis comprobantibus, placere Romam conditam Olympiadis septimæ anno secundo. Hoc tantum itaque heîc tenendum ex opinione Nepotis natum Alexandrum Consulibus M. Fabio Ambusto, & T. Quintio Capitolino. Horum consulatus incidit in annum tertium aut ultimum Olympiadis sextæ suprà centesimum. Josephus narrat apud omnes in confesso haberi Alexandrum vivis excessisse Olympiade centesima & decima quarta lib. I. contra Appionem: Ἀλέξανδρον δὲ τεθνάναι πάντες ὁμολογοῦσι ἐπὶ τῆς ἑκατοστῆς τεσσερεσκαιδεκάτης Ὀλυμπιάδος. Hegesias tunc Archon erat. Æquè inter omnes constat anno vitæ trigesimo tertio eum obiisse. Scribit Arrianus occisum esse Philippum sub Pythodemi magistratu Olympiade undecima & centesima, quo tempore Alexander annorum circiter viginti fuit. Si ab ea Olympiade retro numeres annos viginti, ad sextam centesimam devenies, cujus anno primo natus est Alexander Elpinice Archonte. Ab eo Prætore ad Hegesian, sub quo mortem obiit, anni sunt duo & triginta solidi. Mortuus itaque anno ætatis trigesimo tertio. Atque hæc sunt apud omnes ὁμολογούμενα, juxta calculum verò Nepotis minus etiam quam triginta annos vixerit. A Nepote videtur sumpsisse Agellius lib. XVII capite, quo exponit quibus temporibus post Romam conditam Græci Romanique illustres viri floruerint. In eo capite tradit Alexandrum natum circa annum urbis conditæ quadringentesimum. Cornelium Nepotem in Chronicis ibi citat loco non uno. M. Fabius Ambustus Consul fuit iterum cum M. Popilio anno secundo Olympiadis sexagesimæ sextæ, circa annum Urbis trecentesimum nonagesimum nonum. Idem Fabius Consul tertio fuit cum T. Quintio Capitolino anno Urbis juxta Livium quadringentesimo primo. Eo ipso anno quidam annales non Titum Quintium, sed Popilium Consulem cum Ambusto referebant. Livius: *creati Consules ambo Patricii M. Fabius Ambustus* III. *T. Quintius. In quibusdam annalibus pro T. Quintio M. Popilium consulem invenio.* Hoc errorem quibusdam potuerit objicere in assignando Alexandri natalis anno, qui tertium Fabii Ambusti consulatum pro secundo acciperent, præcipuè

pue quum in utroque consulatu collegam illi dent M. Popilium quidam annales. His adde, quod juxta Livii, & aliorum calculum Fabius ille secundo factus est consul anno Urbis trecentesimo nonagesimo nono. Ex æra quoque Nepotis, qui duobus annis posterius conditam Urbem statuit, tertius ejusdem Fabii consulatus in annum Urbis trecentesimum nonagesimum nonum cadit. Et fortean Nepos, quum natum Alexandrum in Chronicis dixit consulatu M. Fabii Ambusti, de secundo ejus consulatu intellexit, quem plerique assignant ad annum secundum Olympiadis centesimæ sextæ. Tale quid sequutus est Eusebius, qui ad eumdem annum notavit Alexandri natalem, quem omnes Græci auctores ad primum ejusdem Olympiadis annum rejiciunt. Quod ad Solinum attinet, nihil illi credere ausim. Nam paria consulum alibi pro libito finxit, quæ nunquam fuere. Et hallucinationem ejus esse sum certus, quod heic legitur de trecentesimo octogesimo quinto anno urbis, quo natum Alexandrum nugatur. Ita Nepotem scripsisse nemo possit arbitrari. Emendationem, aut aliam lectionem vix admittit constans hæc in omnibus libris scriptura.

Pag. 50. E. *Faber operi Dinocrates præfuit*] Δεινοκράτης ἠρχιτεκτόνησεν. Strabo Χειρομοκράτην vocat lib. XIV. Sed ex melioribus libris ibi Δεινοκράτους nomen restituendum: μετὰ δὲ τὴν τοῦ νεὼ συντέλειαν, ὅν φασιν εἶναι Δεινοκράτους ἔργον, τοῦ δι᾽ αὐτοῦ καὶ τὴν Ἀλεξανδρείας κτίσιν. Loquutionem autem è Plinio mutuatus est noster, rem ipsam ex alio habet. Sic enim ille loquitur lib. XXXVI. cap. XIV de templo Dianæ Ephesiæ: *operi præfuit Chersiphron architectus.* Toto illo capite magnificam ejus templi fabricam prædicat. At ille Chersiphron architectus quidem præfuit fabricæ templi Ephesii, sed primæ, non ultimæ, qua post Herostrati ἐμπρησμὸν instauratum est Alexandri Magni temporibus. Strabo: τὸν δὲ νεὼν τῆς Ἀρτέμιδος, πρῶτος μὲν Χερσίφρων ἠρχιτεκτόνησεν, εἶτ᾽ ἄλλος ἐποίησε μείζω, ὡς δὲ τοῦτον Ἡρόστρατός τις ἐνέπρησεν ἄλλον ἀμείνω κατεσκεύασαν, συνενέγκαντες τὸν τῶν γυναικῶν κόσμον, καὶ τὰς ἰδίας οὐσίας διαθέμενοι δὲ καὶ τοὺς προτέρους κίονας. Cujus rei fidem facere, quæ tum facta sunt ψηφίσματα, subjicit Strabo. Ne secundum quidem fuisse illius templi architectum, sed primum Chersiphronem indicat idem. Ultimus igitur *Dinocrates*, non Chersiphron. Sic tertio ædificatum illud templum innuit auctor. In nomine Χερσίφρονος variant libri. Strabonis veteres Ἀρχίφρονα nominant. Pliniani *Cresiphcon*, loco quo supra diximus. At lib. VII. cap. XXXVII. Ubi *Ctesiphon* habent editi, qui manu exarati sunt, præferunt *Crisipon*. Ex quibus colligo verum nomen ejus esse apud Plinium, *Crisiphon*, Κελσιφῶν, ut Κτησιφῶν, Τισιφῶν, Δυσιφῶν, & similia: *Laudatus est & Crisiphon Gnosius æde Ephesi Dianæ admirabili fabricata.* Ita legendum. Vel certe *Cresiphon*, ὁ Χρησιφῶν. Et sic restituendum Straboni: Χρησιφῶν ἠρχιτεκτόνησεν. Multis locis apud Vitruvium mentio est hujus architecti, quem vetustissimus liber semper *Chresiphonem* nominat, vel *Cresiponem*, Latina nempe declinatione. Nam Græcum est, ὁ Χρησιφῶν τοῦ Χρησιφῶντος, Latinum *Chresipho, Cresiphonis*, ut *Demipho Demiphonis*, τοῦ Δημιφῶντος. Liber optimus Rigaltii apud Plinium scribit loco supra citato, *Crisipon*. Quod est Κελσιφῶν, vel Χρησιφῶν. De postrema ejus ædificatione cum loqui palam est, qua scilicet post incendium Herostrati ad augustiorem cultum reformatum est. Cui ἐπισκευῇ Dinocratem præfuisse alii volunt. *Dinocratis* meminit duobus locis Plinius, & illo ipso quidem capite, quo mentionem Chresiphontis fecit, sed nusquam memorat architectatam ab eo Dianæ ædem. Immo laudatum cum dicit, quod metatus sit Alexandriam in Ægypto Alexandro condente, ut Chresiphon ob ædem Dianæ admirabilem Ephesi factam commendatus est. *Dinocharem* ejus libri meliores eum vocant, non *Dinocratem*. Vitruvio *Dinocrates*. Sed & illud mirum, quum toties meminerit ædis illius admirabilis Dianæ Ephesiæ, nusquam apud eum extare mentionem deflagrationis ejus, quæ contigit eo ipso die, quo natus est Alexander. Post quam longe augustius, & admirabilius refectum est. De qua ἐπισκευῇ haud scio an loquatur lib. XXXVI. cap. XIV. *Magnificentiæ vera admiratio extat templum Ephe-*

A *siæ Dianæ ducentis viginti annis factum à tota Asia.* Addendum ex libris: *Græcæ magnificentiæ vera admiratio extat.* Iidem habent: *CXX annis.* Alibi tamen per quadringentos annos id opus durasse, priusquam absolutum sit, scribit lib. XVI. cap. XL. *Buxum maxime æternam putant, hebenum, & cupressum, cedrumque claro de omnibus materiis judicio in templo Ephesiæ Dianæ, utpote cum tota Asia extruente CCCC annis peractum sit. Convenit tectum ejus esse è cedrinis trabibus*, &c. Locus manifestè corruptus, cum enim ex Ephesino templo clarè judicari posse affirmet, materias illas omnes æternas esse, opera quidem ex ceteris fabricata

B refert, quæ id probent, de buxo nihil. Præterea libri habent *æterna*, vel *æternæ*, non *æternam*. Scribe igitur, ac distingue: *Rimam, fissuramque non capit sponte cedrus, cupressus, olea, buxum. Maxime æterna putant hebenum & cupressum, claro de omnibus materiis judicio in templo Ephesiæ Dianæ.* Ceterum omnes libri eo loco scribunt. *Cum tota Asia extruente quadringentis annis peractum sit.* Si quadringentis annis peractum est, non unus faber fabricæ ejus præfuit. Sed is verus architectus, & solus censendus, cujus ex præscripta delineatione totum opus surrexit. Videtur loqui Plinius de

C eo templo, quale reædificatum est Alexandri ætate, & quale adhuc extabat ipsius Plinii ævo. *Convenit*, inquit, *tectum ejus esse è cedrinis trabibus. De ipso simulacro ambigitur. Ceteri ex hebeno esse tradunt. Mucianus ter Consul, ex his qui proximè viso scripsere vitigineum, & numquam mutatum septies restituto templo.* Ergo de postrema ejus constructione intellexit. Sed & libro XXXVI ita illud describit, tanquam si tum quoque tale extaret: *universo templo longitudo est CCCCXXV pedum, latitudo CCXX: columnæ centum viginti septem à singulis regibus factæ LX pedum altitudine: ex iis XXXVI cælatæ, una à Scopa.* Liber vetus habet: *una Scopa.* Vera est le-

D ctio: *ex iis XXXVI cælatæ uno à Scopa.* Omnes columnæ templi cælatæ, sed ex iis triginta sex ab uno Scopa nobilissimo statuario. Loquitur quasi de eo templo, quale tunc temporis extabat, ac visebatur. Nam & sub finem capitis addit: *cetera ejus operis ornamenta plurium librorum instar obtinent, nihil ad specimen naturæ pertinentia.* At ejus templi ἐπισκευή, quale fuit Plinii temporibus, non antiquior est Alexandri regno. Vetus Ephesiæ Dianæ templum conflagravit ea ipsa nocte, qua in lucem editus est Alexander. Reædificari cœptum est, cum jam in Asiam transiisset Alexander. Demus jam tum opus incæptum fuisse, cum in Asia

E esset. Profecto id ex eo colligitur, quod Ephesiis promisisse fertur, jam factos sumptus in templi fabricam se refusurum, & qui restabant faciendi, de suo suffecturum, ἐφ᾽ ᾧ τε τὴν ἐπιγραφὴν αὐτὸν ἔχειν, ea conditione, ut ipsius nomen operi inscriberent. Hoc illi recusarunt. Laudant veteres dictum civis Ephesini, cum id Alexander postularet, ὡς οὐ πρέπει θεῷ θεοῖς ἀναθήματα κατασκευάζειν, *non esse conveniens, ac decorum, ut Deus Deo aliquid dedicet.* Post victorias Alexandri, & quum jam Deum sese dici, haberique vellet, id apparet contigisse. Quod igitur ait Plinius, columnas illius templi à singulis Regibus factas, id de Alexandri

F successoribus oporteat interpretari, sed repugnat, quod adjectum est de triginta sex columnis à Scopa cælatis. Ipse libro XXXIV, capite quo distinxit celeberrimorum artificum ætates, Scopam floruisse tradit Olympiade octogesima septima. Inter æris artifices eum recenset. Vix ille vivendo pervenire potuerit ad eam ætatem Alexandri, quando restitutum est Dianæ Ephesiæ templum, quod Olympiade centesima sexta ab Herostrato incensum est. At lib. XXXVI. cap. V Scopam inter marmoris sculptores refert, & in Mausoli sepulcro cælando cum aliis artificibus tribus certasse. Mausolus au-

G tem ille Cariæ regulus obiit Olympiadis centesimæ anno secundo, ut testis est eodem loco Plinius ipse. Si idem hic Scopas fuit, qui viguisse dicitur Olympiade octogesima septima, admodum senem tum fuisse oportet, nec veri simile est vitam usque eo produxisse, ut in templo novo Ephesiorum columnas cælare potuerit, Nihil vero prohibet eumdem esse. Nam & ærificus, & marmorarius sculptor idem extitit, ut Phidias & alii multi. Sanè inter opera Scopæ non solum ἀγάλ-

ματα λίθε reponit Pausanias, sed etiam æreas statuas, ut Eliacorum secundo, ἄγαλμα Ἀφροδίτης χαλκῦν ἐπὶ τράγῳ καθήμενον Σκόπα ἔργον. Is est Scopas, quem Tegeatis Minervæ templum architectatum esse tradit idem Pausanias in Arcadicis, quum vetus eorum ædes incendio consumpta fuisset anno ultimo Olympiadis sextæ & nonagesimæ. Ἀρχιτέκτονα δὲ, inquit, ἐπυνθανόμην Σκόπαν αὐτῦ γενέσθαι τὸν Πάριον, ὃς καὶ ἀγάλματα πολλαχοῦ τῆς ἀρχαίας Ἑλλάδος, τὰ δὲ καὶ περὶ Ἰωνίαν τε καὶ Καρίαν ἐποίησε. Sed demus illum Scopam potuisse columnas cælare in eo templo Dianæ, quod Ephesii combustum repararunt sub Alexandro, illud saltem concedendum erit Plinium utriusque ædificationis tempora confudisse. Nec sic tamen illud video qui stare possit, quod idem adstruit, Scopam floruisse Olympiade octogesima septima, eumdemque post Olympiadem sextam ac centesimam columnas cælavisse in templo Dianæ, quod Ephesi de novo factum est. Ab Olympiade octogesima septima ad centesimam sextam, qua vetus templum incendio consumptum est, anni sunt præter propter nonaginta sex. Postremo, quod ait a singulis regibus columnas in illa æde adjectas, de eo templo accipi non potest, quod Alexandri Magni temporibus reædificatum est. Reges absolutè non dicuntur nisi de Persidis regibus. Ita eos Plinius semper vocat. De Persicis: *falsum est venenata cum cruciatu in Persis gigni & pœnarum causa a regibus translata in Ægyptum terra mitigata. Id enim de Persea diligentiores tradunt.* Persiæ, & Persicæ arboris mentio in Græcorum scriptis ante Alexandrum, & successores ejus Ægypti reges. Idem de nuce juglande: *& has è Perside a regibus translatas indicio sunt Græca nomina.* Et ibi *reges* absolutè sunt Persidis reges. Καρύων Περσικῶν, quæ & βασιλικὰ, meminerat Theophrastus. Denique, quod de eo templo tradit Plinius lib. XXVI. cap. XIV annis centum & viginti factum esse à tota Asia, de reparata illa æde, & à solo restituta sub Alexandro, vix queat intelligi. Nam & inceptum, & peractum illud opus Alexandro adhuc vivo. Strabo lib. XIV. Μετὰ δὲ τὴν τῦ νεὼ συντέλειαν, ὃν φησὶν εἶναι Δεινοκράτους ἔργον, τῦ δ' αὐτῦ καὶ τὴν Ἀλεξανδρείας κτίσιν τὸν αὐτὸν ὑποσχέσθαι Ἀλεξάνδρῳ τὸν Ἄθω διασκευάσειν αὐτῷ. Græci veteres συντέλειαν dicunt de opere absoluto, & consummato. His omnibus adde, quod Dinocrates, non Chresiphon huic ultimæ templi instructuræ præfuit. At quam architectandam suscepit Chresipho, illa est quam incendio dedit Herostratus ea ipsa nocte, qua Alexander natus. Quæ templi fabrica instituta quidem à Chresiphone, sed non perfecta est. Vitruvius lib. VII in proœmio: *primumque ædes Ephesi Dianæ Ionico genere ab Chresiphone Gnosio, & filio ejus Metagene est instituta, quam postea Demetrius ipsius Dianæ servus, & Peonius dicuntur perfecisse.* Perperam hodie legitur illo loco: *ab Ctesiphonte Gnosio.* Libri omnes, & inter eos vetustissimus Regius habent *Cresiphonte*, vel *Cresiphone.* Et paulo ante: *Ionica Ephesi quæ est Dianæ Cresiphon & Metagenes.* Item lib. III. cap. I. *Uti est ædes Quirini Dorica, & Ephesiæ Dianæ Ionica a Cresiphonte constituta.* Quibus omnibus locis editum est *Ctesiphonte* contra veterum librorum scripturam. Hermolaus quoque ex vulgata lectione editionum Vitruvii antiquam in Plinio scripturam mutavit, & pro *Crisiphonte*, & *Cresiphonte* reposuit *Ctesiphontem.* Constituta igitur primum à *Chresiphone* ædes Dianæ Ephesiæ, sed non ab eodem absoluta. Huic manum summam imposuit *Demetrius Dianæ servus & Peonius Ephesius.* Melius legeris apud Vitruvium, *& Pœnius.* Sic enim habent optimi libri. Et Græcum est Ποίνιος. *Dianæ servus*, ἱερόδουλος, τῆς Ἀρτέμιδος νεώκορος. His planè consentanea sunt, quæ de Chersiphrone, vel Archiphrone scribit ex Artemidoro Strabo prioris templi Dianæ Ephesiæ architecto: τὸν δὲ νεὼν τῆς Ἀρτέμιδος πρῶτος μὲν Χερσίφρων ἠρχιτεκτόνησεν, εἶτ' ἄλλος ἐποίησε μείζω. Chersiphron ille Strabonis, Chresiphon, vel Crisiphon est Vitruvii, & Plinii. Nec dubito quin reponendum sit in Strabone, πρῶτος μὲν Χρησιφῶν, vel Κρησιφῶν. Nam libri ejus variant. At ille ἄλλος, qui postea ἐποίησε μείζω Demetrius est, vel Pœnius, qui addito ordine columnarum, aut pronao, templum illud ampliavit. Nec enim credendum est, quod

A constituerat Chresiphon, destructum fuisse ab Ephesiis, & majus postea factum à Demetrio. Sed Chresiphonis opus ampliatum, & laxius factum à Pœnio, vel Demetrio, adjecto aliquo, ut dixi, columnarum ordine. Hinc exponendum est quod ait Plinius, templum illud centum & viginti annis perfectum. Sic enim liber vetus, non *ducentis & viginti.* Quod igitur spatium ædis auxit, & ampliavit Demetrius, constitutam eam primum ab Chresiphonte, sic quodammodo perfecit, & absolvit. Idem Pœnius, qui summam addidit manum fabricæ templi Ephesii, etiam traditur Milesii Apollinis ædem symmetriis Ionicis in-
B stituisse cum Daphni Milesio. Vitruvius: *Mileti Apollini item Ionicis symmetriis idem Pœnius, Daphnisque Milesius instituerunt.* Intelligit templum Apollinis Didymæi, quod in Milesiorum agro fuit. Hoc à Xerxe combustum postea à Milesiis refectum est. Cui operi videntur præfuisse Pœnius, & Daphnis. Strabo: ὕστερον δὲ οἱ Μιλήσιοι μέγιστον νεὼν τῶν πάντων κατεσκεύασαν, διέμεινε δὲ χωρὶς ὀροφῆς διὰ τὸ μέγεθος. An aliud templum præter hoc Milesii Apollini constituerint, nescio. Si hoc fuit, Pœnius ille, qui templum Dianæ Ephesiæ perfecit post expeditionem Xerxi in Græciam sumptam,
C vixerit eodem fermè, quo Scopas, ævo, qui triginta sex columnas in ea æde cælasse dicitur. Sic summa manus illi ædi imposita videtur paulo ante quam ab Herostrato datum ignibus fuit. Et sanè verum est. Idque adeo claro argumento vincam, ut nemo contra hiscere audeat. Dedicatum illud templum est Timothei citharœdi temporibus, qui Euripidis ætate vixit. Alexander Ætolus referente Macrobio in libro, qui inscriptus erat *Musa*, scriptum reliquit, populum Ephesium, dedicato templo Dianæ, præmiis propositis omnes, qui tunc erant, poëtas ingeniosissimos provocasse, ut in deam carmina componerent, & inter ceteros Terpandrum in arte musica tum cele-
D berrimum mille siclorum aureorum mercede, quales tum in usu, invitasse. Sic autem loquebatur de populo Ephesio:

> Ἀλλ' ὅγε πολύθρυλλος πάσχη Γεραιοῖσι μελέδη
> Τιμόθεον κιθάρης ἴδμονα καὶ μελέων,
> Υἱὸν Θερσάνδροιο, ποτήνεσεν ἀνέρι σίγλων
> Χρυσείων ἱερὴν τῶν ποτε χιλιάδα
> Ὑμνῆσαι ταχέων Ὦπιν βλήτειραν ὀϊστῶν.

Quos versus adduximus ut emendemus. Opera absoluta tantum dedicabantur. Ergo absoluta, & dedicata illa ædes, Timothei Milesii ætate. In illa templi fa-
E brica, quæ tum absoluta, ac dedicata est, triginta columnas cælavit Scopas, & summæ operis præfuere Demetrius & Pœnius. Hic est ἄλλος ἀρχιτέκτων, quem post Chresiphonem ampliando templo manum, & operam admolitum esse dicit Strabo. Hoc templum ab Herostrato non longo post eam dedicationem tempore incensum est, atque iterum refectum curante Dinocrate architecto. Ceterum in eodem errore versatur Vitruvius, quo & Plinius, qui templum Dianæ Ephesiæ à Chresiphonte institutum illud ipsum esse putavit, quod extabat ipsius ætate. *Uti est*, inquit, *ædes Quirini Dorica, & Ephesi Dianæ Ionica à Chresiphonte*
F *instituta.* Obliti nempe fuerant tam ille quàm Plinius Chresiphontis templum incensum ab Herostrato Alexandri natali die, & sub eodem Alexandro de novo reparatum, & à solo rursus ædificatum ab Ephesiis, qui ut impensis sufficerent, columnas etiam prioris templi vendiderunt. At illius incendii, ne verbo quidem Plinius usquam meminit. Ex quo potest conjectura certissima fieri, præter alia argumenta, quæ jam adduximus, nec tempora, nec opera, nec architectos distinxisse Vitruvium & Plinium. Sanè volumen ediderat Chresiphon de Dianę æde, & symmetriis Ionicis, quibus ædem illam instituerat. Vitruvius: *Postea Silenus de symmetriis*
G *Doricorum edidit volumen. De æde Junonis, quæ est Sami Dorica, Theodorus. Ionica Ephesi quæ est Dianæ Chresiphon & Metagenes.* Eodem genere columnationis Ionico à Dinocrate facta fuisse videtur, quo prius fuerat. Inde immemores illius ἐπισκευῆς templum, quod eorum ętate extabat, opus esse Chresiphontis crediderunt, quum esset Dinocratis. Plinius quodem loco centum & viginti annis templum illud factum tradidit; at in alio libro quadringentis an-

annis peractum scribit. Quod ex alio auctore eum habere aliquis censeat, aliquis etiam fortasse corruptum locum, & ad exemplar alterius corrigendum putet. Ex verbis Theophrasti malè intellectis id eum conjecisse illo loco prorsus mihi persuadeo. Philosophus, ut cypressinam materiem ante omnes cariem, ac vetustatem minimè sentire ostenderet, & diutissime in opere durare ita scribit, τούτων δὲ χρονιώτατα δοκεῖ τὰ κυπαρίττινα εἶναι. Τὰ γοῦν ἐν Ἐφέσῳ, ἐξ ὧν αἱ θύραι τοῦ νεὼ τεθησαυρισμέναι τέτταρας ἔκειντο γενεάς. Μόνα δὲ καὶ στιλβηδόνα δέχεται. Nota Theophrastum dicere ἔκειντο, non κεῖνται. Ergo ante templi conflagrationem jacebant reconditæ valvæ illæ in æde Dianæ. Ignis, quo ædes concremata est, valvas etiam illas consumpsit. Cum hæc scriberet Theophrastus, ædes jam reædificata fuerat. Scholam quippe suscepit Olympiade centesima & decima quarta, qua mortem obiit Alexander. Certè omnia fermè opera sua post eam Olympiadem composuit Theophrastus. Quædam scripsit sub Simonide Archonte, quædam sub Praxibulo, decima sexta & decima septima Olympiadibus suprà centesimam. Θύραι, quæ τεθησαυρισμέναι dicuntur, & κεῖσθαι, non aliæ possunt intelligi, quam illæ, quæ jam ab usu recesserant, ac reconditæ servabantur. Nec enim aliter queas interpretari. Certè valvas, quæ appositæ sint postibus, & adhuc serviant claudendo & aperiendo templo, nec τεθησαυρισμένας, nec κειμένας rectè possis dicere. Ut igitur æternitatem materiæ cypressinæ probaret Theophrastus, hoc argumento usus est. Valvas ex ea materie factas, per quatuor jam sæcula reconditas, ac repositas jacuisse, cum templum ab Herostrato incensum est. Intelligit veteres templi valvas, quæ postquam diu duraverunt in usu, novis demum locum dantes, inter alia veteramenta conditæ in ipso templo servabantur. Per quatuor γενεὰς jam sic repositæ jacebant, cum templum incensum est. Atqui longo tempore ministerium, & usum præbuerant, ut verisimile est, priusquam refigerentur, ac refixæ conderentur. Quippe vetustate jam obsoletæ quod essent, ab usu remotas scire licet. Ita cum denuo templum conderetur, ad novam fabricam novæ etiam valvæ additæ. Ex his colligendum proponit Philosophus, quam longo ævo duret materies cypressina. Hic sensus est loci Theophrastei. Eum Plinius ita videtur accepisse, quasi valvæ illæ per quadringentos annos factæ, & conditæ duraverint, donec templum perfectum fuerit, cujus foribus erant apponendæ. Ex eo, inquam, quod illas valvas per quatuor γενεὰς jacuisse conditas refert Theophrastus, colligit Plinius non nisi post quatuor γενεῶν curriculum absolutam fuisse ædem. Quod ut scias verum esse, alio loco centum ac viginti annis peractum templum, alio loco quadringentis factum dicit. Non ex varia auctorum opinione hæc tam diversè pronuntiavit, sed ex diversa vocis γενεὰ interpretatione. Quidam Græcorum γενεὰν triginta annis definierunt, quidam centum. Ex priore sententia τέτταρες γενεαὶ annos faciunt centum viginti, ex posteriore quadringentos. Qui Plinium ex nobis jam noverit, hæc non mirabitur. Locum supra scriptum Theophrasti ille Latinè reddidit lib. XVI. cap. XL. *Valvas esse è cypresso, & jam quadringentis prope annis durare materiem omnem novæ similem. Id quoque notandum valvas in glutinis compage quadriennio fuisse. Cypressus in eas electa, quoniam præter cetera uno in genere nitor maximè valeat æternus.* Quid hæc sibi velint, aut quam bene heîc conveniant, nescio. Loquitur de templo Dianæ, quale tunc erat, cujus tectum è cedrinis trabibus esse inter omnes convenire dicit. Ipsius deæ simulacrum vitigineum esse ex Muciani relatione, qui proximè viderat, ostendit, cùm alii dicerent hebeninum. Mox addit: *valvas esse è cypresso & jam quadringentis prope annis durare.* Si hæc ex Theophrasteis expressa sunt, ut cetera illius loci de nitore cypressinæ materiæ, & valvarum compage, profectò valdè hallucinatus fuerit. Nec enim si quæ temporibus Theophrasti congruunt, eadem in Plinii ætatem cadere apte possint. Sed videntur verba illa è Muciano esse, & cum superioribus cohærere: *adjicit Mucianus multis foraminibus nardo rigari, ut medicatus humor alat teneatque juncturas:* *valvas esse è cypresso, & jam quadringentis prope annis durare.* Et sanè nihil habent hæc commune cum illis Theophrasti, quibus dicit θύρας τεθησαυρισμένας jacuisse in templo τέτταρας γενεάς. De veteris templi foribus loquitur Theophrastus, quod illa ætate combustum est, ac reparatum. Mucianus de templi valvis, quæ tum extabant, & quæ ab illo tempore durabant adhuc prope quadringentos per annos. Et quum septies restitutum sit illud templum, valvæ semper è cypressina materie videntur fieri solitæ, ut & simulacrum ipsius deæ semper è vite, ut idem Mucianus asserebat. Ceterum verba illa ex Muciani sententia prolata esse potius quam Plinii multa monstrant. Hic agnoscit templi κτίσιν, quæ sub Alexandro facta est, quum Plinius nullam aliam agnoscat præter veterem illam, cui præfuit architectus Chresiphon. Præterea prope quadringentis annis durare valvas illas non dixisset Plinius, quoniam plus quam quadringenti anni sunt ab ultimo templi conditu ad eum annum, quo Plinius scribebat. Ex multis ejus historiæ locis constat scripsisse eum circa Olympiadem ducentesimam decimam quartam, anno ab Urbe octingentesimo trigesimo. Templum Dianæ consummatum fuit, συντελεσθὲν, ante mortem Alexandri, qui obiit Olympiade decima quarta suprà centesimam. Verba igitur illa Muciani sunt, ad cujus ætatem, quo tempore ea scribebat, nondum quadringenti anni præterierant ab ea instauratione templi Ephesii, quæ sub Alexandro, & incepta, & absoluta est. Is est Licinius Mucianus, qui Vespasiano in capiendo imperio adjutor: quem Tacitus narrat sub Claudio in secretum Asiæ repositum suspecta principis iracundia, & tam prope ab exule tum fuisse, quam postea à principe. Per illud tempus, quo in Asia fuit, notasse omnia, quæ in æde Ephesiæ Dianæ memorabilia occurrerent, ac literis etiam mandasse videtur, quæcunque in Asia vidisset memoratu digna. Plinius Lyciæ legatum fuisse ait, qui sæpe testimonio ejus utitur variis operis sui locis, & fortassean idem intelligat quod Tacitus, per speciem honoris in eam Asiæ provinciam repositum, ac pæne relegatum. De mira ejusdem Lyciæ platano prodiderat Mucianus, ut & de templo Ephesiæ Dianæ. Plinius lib. XII. cap. I. *Nunc sit clara in Lycia fontis gelidi socia amœnitate, itineri apposita, domicilii modo, cava LXXX, atque unius pedum specu, nemorosa vertice, & se vastis protegens ramis, nemoris instar agros longis obtinens umbris: ac ne quid desit speluncæ imagini saxeæ intus crepidinis corona muscosos complexa pumices, tam digna miraculo, ut Licinius Mucianus ter Consul, & nuper provinciæ ejus legatus prodendum etiam posteris putaverit epulatum intra eam se cum duodevicesimo comite.* Sic legendus ille locus, qui non parum ad rem facit, quam heic illustratum imus. Subjicit Plinius: *Id quoque notandum valvas in glutinis compage quadriennio fuisse: cypressus in eas electa, quoniam præter cetera in genere materiæ nitor maximè valeat æternus.* Hæc habet ex Theophrasto: μόνα δὲ καὶ στιλβηδόνα δέχεται, *& nitorem hæc sola materies recipit.* Sed nec dicit Theophrastus, valvas templi Ephesini in glutinis compage quadriennio fuisse. Scribit ille hoc quidem generaliter valvas Compactas non statim adfigi solere, sed multos, ubi eas compegerint, sic sinere per triennium, priusquam eas foribus adaptent, per æstatem quippe humore siccato dehiscere, per hiemem artius connivere: τὰς δὲ θύρας, inquit, οὐκ εὐθὺς συντελοῦσιν, ἀλλὰ πήξαντες ἀφεστᾶσι κἄπειτα ὕστερον. Οἱ δὲ τῷ τρίτῳ ἔτει συνετέλεσαν ἐὰν μᾶλλον σπουδάζωσι. Locus imperfectus. Omnino rescribendum: ἀλλὰ πήξαντες ἀφεστᾶσι, κἄπειτα ὕστερον οἱ μὲν τῷ τρίτῳ, οἱ δὲ τετάρτῳ ἔτει συνετέλεσαν ἐὰν μᾶλλον σπουδάζωσι. Nec aliter legisse Plinium apparet, qui in valvis Ephesini templi factum interpretatus est, quod in lautioribus operum fieri consuevisse scripsit Theophrastus. Nec enim ille tradit Ephesinas valvas quadriennio fuisse in glutinis compage. De simulacro ipso deæ multi veterum dubitarunt, ex qua materie fabricatum esset. Plinius: *De ipso simulacro Deæ ambigitur. Ceteri ex ebeno esse tradunt. Mucianus ter Consul, ex his qui proximè viso eo scripsere vitigineum, & nunquam mutatum septies restituto templo. Hanc materiam elegisse eandem Canetiam nomen artificis nuncupans:* quod equidem miror, cum antiquiorem Miner-

Minerva quoque, non modo Libero patre vetustatem ei tribuat. Si quis in Plinio locus male ex mendis habitus est, hic est. Nec melius intellectus. Ridiculè fictum nomen artificis, *Canetia*, quod Græcum non est. Liber Thuanæus antiquissimus ita scriptum præfert: *Hanc materiam elegisse eamdem con etiam, nomen artificis nuncupans.* Ita etiam habet vetus Rigaltianus. Sub illis verbis *eamdem con* latet nomen artificis. Nec enim ibi *eamdem* sensus tolerare potest, aut mens auctoris. Quippe si eamdem hanc materiam elegisset ille artifex simulacro Dianæ faciendo, sequeretur aliquando mutatum simulacrum. Quod negabat Mucianus: *& nunquam mutatum, septies restituto templo.* Scribe igitur: *Hanc materiam elegisse Demonicon, etiam nomen artificis nuncupans: quod equidem miror, cum antiquiorem Minerva quoque non modo Libero patre vetustatem ei tribuat.* Aut *Demonicon*, aut aliud nomen eligendum, quod propius accedat ad veterem scripturam. Sed illud verum arbitror. Jure autem Plinius miratur nomen artificis, qui simulacrum Dianæ Ephesiæ dedolavit, edere Mucianum, quum antiquius id esse prodiderit non modo Libero patre, sed etiam Minerva, cujus signum nullius manu artificis factum cælo lapsum credebant. Παλλάδιον διοπετές. Dianæ quoque Ephesiæ simulacrum διοπετὲς creditum. Hinc illa ex Actis: τίς γάρ ἐστιν ἄνθρωπος, ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης Ἀρτέμιδος, καὶ τοῦ Διοπετοῦς. Tales veterum Christianorum εἰκονολάτραις imagines illæ, quas ἀχειροποιήτους vocabant, quod humana manu factæ non putarentur. Merito itaque Plinius miratur τοῦ Διοπετοῦς τῆς Ἀρτέμιδος auctorem à Muciano nominari, præcipuè quum antiquitatem ei tantam attribueret. Sed ego magis mirandum duxerim figmentum ligneum, quando templum deflagravit, non simul eodem igne absumptum fuisse. *Vitigineum* esse, cum ceteri ex hebeno traderent, Mucianus scripserat. *Vitigineum*, quod ex vite est factum, ut *oleagineum* ex olea. Sic *aprugineus*, *apruginus*, & *aprugnus* pro aprino. Et *caprugineos lumbos* apud Macrobium pro caprinis. *Vitigineas columnas* è vite idem Plinius dixit lib. XIV. cap. I. *Vites jure apud priscos magnitudine quoque inter arbores numerabantur. Jovis simulacrum in urbe Populonio ex una conspicimus tot ævis incorruptum. Item Massiliæ pateram. Metaponti templum Junonis vitigineis columnis stetit. Etiam nunc scalis tectum Ephesiæ Dianæ scanditur una è vite Cypria, ut ferunt, quoniam ibi ad præcipuam amplitudinem exeunt.* Ita nos correximus ex optimo Thuanæo, in quo legitur: *scanditur una vitæ*, pro *una è vite.* Idem habet cum Rigaltiano, & Populonio, non *Populonia*, ut est in editis. Stephanus: Ποπλώνιον, πόλις Τυῤῥηνῶν. Ex silvestribus facta illa omnia putat Plinius, quandoquidem cicures quotannis tonsæ, aut in propaginem depressæ vix eam materiæ copiam suppeditare possent. Ita vulgo legitur: *Nec est ligno ulli æternior natura. Verum ista ex silvestribus facta crediderim, quando hæ vites tonsura annua coercentur, & vis earum omnis evocatur in palmites, aut deprimitur in propagines, succique tantum gratia ex his pluribus modis ad cœli mores, solique ingenia.* Non uno loco hæc corrupta sunt, & manca etiam in ultimis verbis. Vetusti codices non habent illud *quando.* Omnino legerim: *vernum ista ex silvestribus facta crediderim. Mites tonsura annua coërcentur.* Vel, *hæ mites.* Quod est verissimum. *Mites* opponit *silvestribus*, τὰς ἡμέρους ταῖς ἀγρίοις. Græci quoque ἡμερίδας unica voce appellant mites, & cicures vites. Facilis lapsus *vites* pro *mites.* Postrema periodi verba ita in vetustissimis concepta sunt omnibus libris: *succique tantum gratia exisse inturibus modis ad cœli mores solique ingenia.* Satis bella, ac vera emendatione sanare posse hæc videor sic legendo: *Et vis earum omnis evocatur in palmites, aut deprimitur in propagines, succique tantum gratia exire sinitur pluribus modis ad cœli mores solique ingenia.* Verba illa *exire sinitur pluribus* coaluere in eam faciem, quam libri præferunt, *exisse in turibus modis.* Dicit mites vitium tonsura annua coërceri, & in palmites vim earum evocari, aut in propagines deprimi, & succi tantum gratia, hoc est, vini exire, & crescere permitti, idque pluribus modis pro more cœli, aut ingenio soli. Modos illos in sequentibus explicat. Eatenus exire, & surgere sinuntur ἡμερίδες, quatenus copiæ vini conducit, non ut materiem fabricandis simulacris, aut aliis operibus idoneam producant. Hic ejus sensus. Dianæ Ephesiæ simulacrum Mucianus *vitigineum*, hoc est, ἀμπέλινον esse volebat, ceteri, inquit Plinius, ex hebeno. At Vitruvius cedrinum, ut & lacunaria. Ita enim de cedro scribit lib. II. cap. IX. *Arboris autem ejus sunt similes cypresseæ foliaturæ, materies vena directa Ephesi in æde simulacrum Dianæ ex ea & ibi & in ceteris nobilibus fanis propter æternitatem sunt facta.* Quod cypresseam foliaturam cedro tribuit, cum *citro*, hoc est, θύᾳ confundere videtur. Sed de his infrà. Dianæ simulacrum, quod Ephesi erat, Xenophon, quod jure mireris, non hebeninum, non cedrinum, nec vitigineum fuisse prodit, sed aureum. Sic enim scribit lib. V. Κύρου Ἀναβ: de fano Dianæ Scilluntiæ, ὁ δὲ ναὸς ὡς μικρὸς μεγάλῳ τῷ ἐν Ἐφέσῳ εἴκασται, καὶ τὸ ξόανον ἔοικεν ὡς κυπαρίσσινον χρυσῷ ὄντι τῷ ἐν Ἐφέσῳ. Et fanum illud, & simulacrum in Scillunte Xenophon Dianæ erexerat ad instar ejus templi, & simulacri, quod Ephesi fuit. Dianam quoque illam Ephesiam nominavit, cui partem agri Scilluntii dedicaverat. Credibile est Xenophontem scisse, quali facie esset simulacrum Dianæ Ephesiæ, & ex qua materia factum, illud etiam vidisse. Reliqua apud Plinium absolvamus de illo templo: *summa miracula epistylia tantæ molis attolli potuisse.* Lege: *summa miraculi.* Sic *summa voti.* Poëta:

--- *votorum hæc summa meorum.*

Τὸ κεφάλαιον τοῦ θαύματος. Nihil notius. Sequitur: *id consequutus est ille peronibus arena plenis, molli pulvino super capita columnarum exaggerato paulatim exinaniens imos, ut sensim totum insideret.* Recte vidit Cujacius scribendum, *heronibus arena plenis.* Nam ita libri nostri, *eronibus.* Sed *erones* illi vera, ac veteri scriptura *ærones* debent esse. Sic *æra* scribebant pro *æris.* Glossæ: *æro*, κόϊξ. Græcæ verbum hoc originis, ὁ αἴρων. Sporta, vel fiscina hoc nomine significatur, quo aliquid tollitur & fertur. Ἄραι φορτίον, *onus tollere.* Inde αἴρων, Latine *æro.* Infima Græcia περιφοράρια vocavit. Donatus: *Phormio non à formula, sed à phormione sparteo, quem eronem trivialiter dicimus, & pro consuetudine.* Vulgare igitur verbum *æro.* Græcè etiam κόϊξ, fiscus sparteus. Hesychius interpretatur πλέγματα, τὰ πεπλεγμένα ἐκ φύλλων δένδρου τινὸς, φοινίκων εἰδῶς. Sed quod idem κόϊκας quoque exponit φοίνικας ἐν Αἰθιοπίᾳ, & propterea κόϊκας sportas innuit dictas, quod ex foliis hujus palmæ Æthiopicæ texerentur, in eo certe magnopere errat. Κόϊξ verbum Atticum. Dores dicebant Κοῖς. Epicharmus:

Η θύλακον βόειον ἢ Κοῖν φέρειν

Ἢ Κωρυκίδα.

Etiam palmæ similis arbor Ægyptiaca fuit, ex cujus foliis, & cortice texebantur sportæ, vel phormiones, quæ dicebantur κοῦκι. Atque inde κούκινα πλέγματα Straboni. Sic enim apud eum legendum lib. XVII. Καὶ τὰ κούκινα δὲ πλέγματα Αἰγυπτιακά ἐστι, φυτοῦ τινὸς ὅμοια τοῖς σχοινίνοις, ἢ φοινικίνοις. Male vir eruditus corrigebat κοΐκινα, cum descripti haberent κόκκινα. Plinius lib. XII. cap. 9. *At è diverso cuci in magno honore, palmæ similis quando & ejus foliis utuntur ad textilia.* E Theophrasto habet, apud quem vitiose hodie editur: τὸ δὲ καλούμενον κουκιόφορον, ἐστιν ὅμοιον τῷ φοίνικι. Et male interpretes, *cuciofera quæ appellatur.* Scribe in Græcis: καὶ τὸ κοῦκι διάφορον, ὅμοιον τῷ φοίνικι. Ad verbum Plinius reddidit, *cuci in magno honore.* Διάφορος pretiosus, excellens. Hesychius: διαφορώτερον, κρεῖττον, ὑψηλότερον. Hinc τὸ διάφορον etiam pretium. Dicæarchus: μικροῦ διαφόρου τὸν ἀδικηθέντα ἐξαγοράσας. Ab hoc cuci κούκινα φύλλα auctori peripli maris rubri: γλώσσῃ δὲ Ἀραβικῇ χρῶνται, καὶ περιζώμασι φύλλων κουκίνων. Haud recte repositum vellent, φύλλων κοϊκίνων. Legendum apud Theophrastum de hoc cuci: χρῶνται δὲ τῷ φύλλῳ καθάπερ τοῦ φοίνικος πρὸς τὰ πλέγματα. Male edunt: χρῶνται δὲ τῷ φλοιῷ καθάπερ τοῦ φοίνικος φύλλῳ. Sciendum porro est, etiam genus palmarum Æthiopicarum appellatas esse κόϊκας. Plinius lib. XIII. cap. IV de palmis: *in ipsa quidem Æthiopia friatur hæc, palmula scilicet, tanta est siccitas, & farinæ modo spissatur in panem. Gignitur autem in frutice ramis cubitalibus, folio latiore, pomo rotundo, sed majore quam mali amplitudine, cycas vocant.* Recte in libris antiquis scriptum reperitur, *coëcas vocant*, id est, κόϊκας. Sic habet optimus Rigaltianus. Corrigendus & in hac voce

Theophrastus.

Theophraſtus; unde Plinius hauſit capite de palmis lib. II. Hiſt. Ἄλλο δέ τι γένος ἐςὶν ὅ φασι γενέσθαι πλεῖςον περὶ τὴν Αἰθιοπίαν ὃ καλοῦσι κοΐκας. Excuſum eſt vulgo, ὃ καλοῦσι κύκας. Notum eſt, quomodo in Græcis exemplaribus hæc invicem mutentur, οι & υ, ut μυρῷ, μοιρῷ, & in ſimilibus ſexcentis. Hi ſunt Heſychii κοΐκες, quos eſſe interpretatur Æthiopicas palmas: κοΐκες ἐν Αἰθιοπίᾳ φοινίκων εἶδος. De his etiam Theophraſtus lib. I. cap. XVI. Ἔνια δὲ καὶ καλαμόφυλλα, καθάπερ ὁ φοῖνιξ, καὶ ὁ κοΐξ, καὶ ὅσα τοιαῦτα. At κοῦκι, & κοΐξ diverſa. *Cuci* Ægyptiaca planta palmæ ſimilis. Κόϊξ Æthiopicæ palmæ genus. Κόϊξ autem Græcè pro *ærone*, vel ſporta plexili nihil commune habet cum illo genere palmæ Æthiopicæ, niſi nominis ſonum. Nec enim Græcè κοΐκες dictæ ſparteæ fiſcellæ, quod ex coïce Æthiopico texerentur. Unde enim *coïces* illi in media Græcia? Κόος verbum antiquum Græcum, quod cavitatem ſignificat. Inde Latinum *covum* pro cœlo, ab illo κόος. Nomen κοῖς vas ſparteum, & concavum. Alii κοΐξ dixere. Antiqui comici paſſim hanc vocem de phormione, vel ſporta uſurparunt. Pherecrates Κοριανοῖς:

---- πᾶς δ' ἀνὴρ
Πέπατο τεῦχος, ἢ κοίκ' ἢ κωρύκους.

Antiphanes:

---- ἄγγεῖον ἀλφιτηρὸν
Κόϊξ ὀδὶ ἐςίν. ----

Heſychius: κόεις, οἱ φορμοί. Malè vulgo: κοελοσοὶ, κορμοί. Latini, ut dixi, *æronem* dixere ἀπὸ τοῦ αἴρειν, quod tollendo, ac ferendo alicui oneri eſſet idoneum. Heſiodus: οἴσεις δ' ἐν φορμῷ. Hinc φορμοφόροι laturarii à φορμὸς dictus ἀπὸ τοῦ φέρειν, ut *æro* ἀπὸ τοῦ αἴρειν, quod eſt βαςάζειν. De coïce Æthiopico corrigendus etiam obiter Theophraſtus loco, quo ſuprà: τὸν δὲ καρπὸν καὶ τῷ σχήματι, καὶ τῷ μεγέθει, καὶ τῷ χυλῷ διάφορον ἔχουσι. Verte: *fructum habent figura, magnitudine, & ſucco præcipuum.* Malè reddunt: *fructum figura, magnitudine, & ſapore diverſum quam ceteræ præſtant.* Sequitur: ςρογγυλώτερον γὰρ καὶ μεῖζον, καὶ εὐςομώτερον, ἧττον δὲ γλυκύ. Lege ex Plinio: ςρογγυλώτερον γὰρ μήλου, καὶ μεῖζον καὶ εὐςομώτερον, ἧττον δὲ γλυκύ. Plinius: *pomo rotundo, ſed majore quam mali amplitudine.* Ubi εὐςομώτερον odoris eſt jucundioris, ut multis locis apud Theophraſtum. Addit Plinius tantam eſſe ſiccitatem, ut frietur, & farinæ modo ſpiſſetur in panem. Theophraſtus ſimpliciter: ποιοῦσι δὲ ἄρτους ἐξ αὐτῶν. Iſti κοΐκες Græcorum κόϊκι, vel κόει nomen non dederunt. Perſequamur locum Plinianum de attollendis epiſtyliis, & ſupra columnas imponendis in æde Dianæ Epheſiæ. Sic in libris veteribus totus concipitur: *id conſequutus eſt ille eronibus arena plenis molli clivo ſuper capita columnarum exaggerato paulatim exinaniens imos, ut ſenſum motus in colo ſederet.* Scribendum: *æronibus arena plenis molli clivo ſuper capita columnarum exaggerato paulatim exinaniens imos, ut ſenſim moles in cubili ſederet.* Scriptum erat *mons* pro *molis.* Inde *motus* fecerunt. Pro *cubili, culi*, contractum. Ex quo & *colle*, & *colo* propagatum. Paulo poſt: *etenim ea maxima moles fuit, nec ſedit in cubili.* Cubile eſt ſedes, cui imponitur moles, & cum qua coagmentatur. Hinc *cubilia, & coagmenta lapidum*, & laterum apud Vitruvium. Et alio loco: *ὀπαὶς enim Græci tignorum cubilia & aſſerum appellant, uti noſtri cava, ac columbaria.* Qui in illo Plinii loco *molli pulvino* pro *molli clivo* repoſuerunt, legerant quidem, de *pulvinis columnarum*, & *pulvinatis capitulis* apud Vitruvium, ſed non etiam viderunt, nihil pulvinos illos huc facere. *Pulvinus* pars eſt capituli columnæ, de quo apud Vitruvium. Ut epiſtylia magnæ molis attolli, & ſupra capita columnarum imponi poſſent, hanc rationem iniit Chreſiphon. Ærones arena plenos tam multos congeſſit, ut ex his mollem veluti montis clivum ſtraverit, eumque ſuprà capita columnarum exaggeraverit. Per eum clivum moles epiſtyliorum perducta aſcendit uſque ad ſummum. Cum in ſummo fuit, æronibus nempe illis impoſita qui ſupra capita ipſa columnarum exaggerati erant, ut ſenſim tota moles in cubili ſederet, exinanivit imos ærones. Hi dum evacuarentur, paulatim epiſtylia ſubſidebant: omnibus autem vacuefactis in ſuo cubili tota moles poſita quievit. Hic ſenſus Plinii. Auſonius in Moſella de hoc Chreſiphonte intellexit:

---- *heic clari viguere Menecratis artes*
Atque Epheſi ſpectata manus.

Ubi recenſet nominatim aliquot inſignes architectos, & artifices ex libris Hebdomadum Varronis, quibus imagines illuſtrium in quocunque genere artis virorum ſubdito elogio verſibus ſcripto conſignaverat.

Forſan & inſignes hominumque operumque labores
Heic habuit decimo celebrata volumine Marci
Hebdomas.

Ubi *Margi*, vel *Marges* codices ſcripti vitioſè præferunt, ex quo neſcio quem Μαργέα ſibi hariolatus eſt Scaliger. Quot enim, inquit, alii Marci præter Varronem? Sanè. Sed celeberrimi Hebdomadum libri à Varrone ſcripti faciunt, ut de alio Marco non poſſit intelligi. *Epheſi ſpectata manus* eſt Chreſiphon, quem ideo non appellavit ſuo nomine, ſicut ceteros ibidem memoratos, quia verſus id nomen reſpueret. Non igitur *Criſiphon*, ſed *Chreſiphon* dictus fuit, hoc eſt Κρεσιφῶν. Potuit tamen dicere *Chreſiphoon*, ut *Demophoon*. Sed fortaſſe Χερσίφων, quæ lectio eſt Strabonis, vocatus eſt. Meminit ibidem Auſonius & *Dinocharis*, quem conditorem Ptolemaïcæ aulæ vocat. Is eſt ſcilicet, quem Alexandriam metatum eſſe auctores ſcribunt. Hic aliis dicitur *Dinocrates*, ſed Plinius tribus locis *Dinocharem* nominavit, ut quidem apud eum ſcribunt veteres libri. Atqui hic idem eſt Dinochares, ſive Dinocrates, qui templum Dianæ Epheſiæ ultimo architectatus eſt, quod concremarat Heroſtratus.

Conditor hic forſan fuerat Ptolemaïdis aulæ
Dinochares, quadro cubi in faſtigia cono
Surgit & ipſa ſuas conſumit Pyramis umbras.

Subjicit protinus de eodem:

Juſſus ob inceſti qui quondam fœdus amoris
Arſinoën Pharii ſuſpendit in aëre templi:
Spirat enim tecti teſtudine Chorus achates
Afflatamque trahit ferrato crine puellam.

Verſus iſtos explicat Plinius lib. XXXIV. cap. XIV his verbis de magnete: *eodem lapide Dinochares architectus Alexandriæ Arſinoes templum concamerare inchoaverat, ut in eo ſimulacrum ejus è ferro pendere in aëre videretur. Interceſſit mors, & ipſius, & Ptolemæi, qui id ſorori ſuæ juſſerat fieri.* Editi legunt *Dinocrates.* Sed in ſcriptis habetur *Timochares*, forte pro *Dinochares.* Sic enim duobus locis nominavit, lib. V. & lib. VII. Ubi meminit Alexandriam, quum conderetur, metatum eſſe. Auſonius quoque *Dinocharem* hoc loco appellat, & *conditorem Ptolemaïdos aulæ*, quem Plinius Alexandriæ architectum. Ceterum pro perfecto accepit Auſonius, quod inchoatum duntaxat fuit. De Zephyro, & Achate puero delicio Arſinoes, quæ ad hunc locum commentatur Scaliger, ἀνιςόρητα ſunt, & imaginaria. Auſonius memoria lapſus, aut aliud agens achatem lapidem poſuit, quum magnetem vellet dicere. Quare ita legenda hæc ejus verba:

Spirat enim tecti teſtudine Dorus achates
Afflatamque rapit ferrato crine puellam.

Dorum vocat achatem, quia in Sicilia plurimus. Sed & primum in ea inſula repertus eſt, quæ Doricè loquebatur. Repone magnetem pro achate, nihil erit, quod ad veram interpretationem deſideres. Teſtudo tecti concamerata erat magnete, qui lapis ingenita vi ferrum attrahit. Simulacrum itaque Arſinoes ferro factum, & à magnete illo, quo concameratum fuit templum, ſurſum tractum in medio aëre ſuſpenſum manebat. Solinus de lyncurio: *pariter ſpiritu attrahit propinquantia.* Plinius *animam* vocat. Spiritus eſt & in magnete, quo ferrum ad ſe allicit, ac pertrahit. Spiratio igitur, & afflatus, quem achati tribuit Auſonius, ad zephyrum, aut corum non eſt referendus, aut ullum alium ventum, ſed ad ingenitam poteſtatem magnetis ſpiritu ferrum attrahendi. Πνεύματος ἀπορροίαις. Magnetem attrahere propinquantia quidam tradidere. De quo videndus Alexander Aphrodiſæus in Problematis. Sed pro magnete achatem ille dixit aliud, ut dixi, cogitans. Ne illud quidem ſatis mirari poſſum, quî fieri potuerit, ut idem Dinochares, qui Alexandriæ metationi præfuit, templum illud Arſinoes inchoaverit,

choaverit magnete concamerandum. Id opus, inquit Plinius, non absolvit morte præventus, mortuo etiam ipso Ptolemæo, qui id sorori suæ jusserat fieri. Hic Ptolemæus Philadelphus fuit, qui obiit olympiade centesima trigesima quarta. Alexandria vero condita est olympiade centesima & duodecima. Sic ab Alexandriæ conditu ad id tempus, quo ædificari cœptum est Arsinoes templum jussu Philadelphi, anni sunt circiter octoginta octo. Atqui idem Dinocrates aliquot annis antequam Alexandriam metaretur, templi Dianæ Ephesiæ ædificationi præfuerat. Non potest igitur idem esse architectus, qui Alexandriam metatus est, & templum Arsinoes sub exitum vitæ Philadelphi regis inchoavit. Vicinitas fortasse nominum in causa fuit, ut confunderentur. Architectus Alexandriæ vocabatur *Dinocrates*, ut Strabo, Valerius, Vitruvius, alii appellant. Ille alter *Dinochares* fuit, qui Ptolemæi Philadelphi temporibus fuit. Ex hac nominum similitudine Plinius, vel ille, unde sumpsit, & hi, qui eum sequuti sunt, alterum pro altero posuerunt, & *Dinocharem* etiam vocarunt, qui Alexandriam metatus est, quum Dinocrates diceretur.

Quem Alexandriam in Ægypto metatum supra exposuimus] Libri nostri: *prametatum*, quasi Alexandriam ante metatus sit quàm ædem Dianæ. Quid esset proprie *metari*, nos supra satis longa exercitatione docuimus. *Metari urbem* eodem sensu, quo *castra metari* dicebant. Plinius de Alexandria: *metatus est eam Dinocrates architectus pluribus modis memorabili ingenio.* Et lib. VII. *Dinocrates metatus Alexandro condente in Ægypto Alexandriam.* Qui spatium condendæ urbi designat, murorum ambitum circumscribit, vias omnes ad lineam dirigit, situm ædificiorum publicorum delineat, is proprie *urbem metari* dicitur. Nec aliter castra metabantur. Græci διαγράφειν τὸ σχῆμα τῆς πόλεως. Stephanus de Alexandria hac ipsa: ἐκέλευσε δὲ διαγράφειν τὸ σχῆμα τοὺς ἀρχιτέκτονας, οὐκ ἔχοντες δὲ λευκὴν γῆν ἀλφίτοις διέγραφον. Plutarchus in vita Alexandri: εἰπὼν ὡς Ὅμηρος ἦν ἄρα τά τε ἄλλα θαυμαστὸς καὶ σοφώτατος ἀρχιτέκτων, ἐκέλευσε διαγράψαι τὸ σχῆμα τῆς πόλεως τῷ τόπῳ συναρμόττον. Arrianus σημεῖα τῇ πόλει θεῖναι, de eadem urbe condenda loquens lib. III de exped. Alexandri: πόθος οὖν λαμβάνει αὐτὸν τοῦ ἔργου, καὶ αὐτὸς τὰ σημεῖα τῇ πόλει ἔθηκεν, ἵνα τε ἀγορὰν ἐν αὐτῇ δείμασθαι ἔδει καὶ ἱερὰ ὅσα καὶ θεῶν ὧντινων, τῶν μὲν Ἑλληνικῶν, Ἴσιδος δὲ Αἰγυπτίας, καὶ τὸ τεῖχος ᾗ περιβεβλῆσθαι. Hæc omnia unicum verbum Latinorum exprimit τὸ *metari*. *Metæ* sunt σημεῖα. Hinc σημεῖα τιθέναι τῇ πόλει, *urbem metari*. Aristophanes in Comœdia Avibus:

> Γεωμετρῆσαι βούλομαι τὸν ἀέρα
> Ὑμῖν διελεῖν τε κατ' ἀγυιάς.

Ad verbum, *metari vobis aërem volo*. Hoc enim præcipuum, ac primum in urbibus, & castris metandis spatium ipsum, vel pedaturam μετρῆσαι, καὶ διελεῖν κατ' ἀγυιάς. *Degrumare vias* Lucillio:

> ---- viasque
> *Degrumabis ut in castris mensor facit olim.*

Urbis in aëre condendæ veluti εἰκονισμὸν proponit ille apud Aristophanem geometres. Sequitur:

> Ὀρθῷ μετρήσω κανόνι, προστιθεὶς ἵνα
> Ὁ κύκλος γένηταί σοι τετράγωνος, κἀν μέσῳ
> Ἀγορὰ, φέρουσαι δ' ὦσιν εἰς αὐτὴν ὁδοὶ
> Ὀρθαὶ πρὸς αὐτὸ τὸ μέσον.

Hæc derediculi quidem gratia dicuntur, sed tamen ostendunt morem vetustum urbium constituendarum. κύκλον primo ponit. Tali forma orbes antiquitus omnes condebantur. Hinc πόλις dicta ἀπὸ τοῦ πολεῖν. Nam πόλος circulus κύκλος. Arrianus de Alexandria: καὶ τὸν κύκλον οὕτω περιγραφῆναι τοῦ περιτειχισμοῦ ὅντινα τῇ πόλει ἐποίει. Non tamen prorsus κυκλοτερὴς ὁ περιτειχισμὸς Alexandriæ, sed χλαμυδοειδὴς, *orbe gyrato*, ut Plinius loquitur, *laciniosus dextra lævaque angulosa processu*, quæ forma etiam tum fuit τῆς οἰκουμένης. De qua nos ad Pallium. Ut Græcis πόλις à πόλος, quæ vox circulum significat, sic Latinis *urbes* ab orbe, vel ab *urbo*, quod idem vult. Varro: *quare & oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe, & urbo urbes: & ideo coloniæ nostræ omnes in literis antiquis scribuntur urbes, quod item condita ut Roma.* Urbes, πόλεις. *Urbum*, vel *urvum*

A pars aratri inflexa, & curva, quam alii *burim*, vel *buram* appellabant. Idem Varro: *Bura à bubus: alii hoc à curvo urvum appellant.* Ita omnino legendum. Quod edunt vulgo, corruptum est: *alii hoc à curvo curvum appellant.* Hoc vult *buram*, & *urbum* secundum quosdam idem esse, & *buram* à bubus dici, *urvum* à curvo. Alii distinguebant urvum à bura, ut pars in temone superior curva diceretur *buris*, inferior *urvum*. Servius: *alii burim curvaturam temonis, quæ supra est, & quod est infra urvum dicunt.* Philargyrus *burim* interpretatur *partem aratri curvam, qua, ut curvari possit, ante præuritur.* Ergo *burim* dictam censet, quæ præu-

B ratur, vel amburatur. Præter hoc etymon aliud etiam Servius adfert, quod sit quasi βοὸς οὐρά, ad instar caudæ bovis curvata. Græcis ὕνις Æolice βύνις, Latinè *buris*. Ut γνῶμα, *groma*: τύνος, *torus*, Σπάνος, unde σπάνιος, Æolice πάνος, *parus*, unde *parum*. Aliud quidem Græcis ὕνις, aliud Latine *buris*. Sed in sexcentis hoc commisere prisci Latini, ut voces è Græco sumptas alio sensu usurpaverint. Ὕνις Græce est, qui Latinis *vomer*. τὸ ἀροτρὸν σιδήρεον. Ita grammatici exponunt. *Cultrum* vocamus vulgo. Quam vocem è Latio acceptam aliter etiam, quam Latini, sumimus. Plinius: *vome-*

C *rum plura genera. Culter vocatur prædensam, priusquam proscindatur, terram secans, futurisque sulcis vestigia præscribens incisuris, quas resupinus in arando mordeat vomer.* Ergo resupinus *vomer* terram in arando mordebat. At *culter* rectus incisuris eam notabat. Hinc illa loquutio exponenda *in cultrum collocare* de iis, quæ recto situ ad perpendiculum posita sunt. At nos vomerem, qui planus, ac resupinus terram scindit, vocamus *cultrum*. Videtur & media Latinitas omnem vomerem sic appellasse, à quibus nos accepimus. Inde *cultellare* apud agrimensores in planitiem redigere. Glossæ: *vomer*, ὕνις. Græce dicebatur etiam ὕνις, βύνις, *bura*. Ut

D χάρτης, charta. Ceterum *buris*, vel *bura* non est vomer, sed pars temonis incurva, quæ Græcis γύης. Glossæ: *buris*, ῥυμός. Non est temo, sed temonis pars. Pollux: ὁ δὲ ῥυμὸς ἥρμοσται ἐκ τῶν δ. τὸ μὲν ἐπικαμπὲς αὐτοῦ, ᾧ ὑποτείνεται τὸ ἔλυμα γεγομφωμένον, γύης, τὸ δὲ μετὰ τὸν γύην ἱστοβοεύς. Hesychius γύην esse ait τὸ κατώτατον μέρος τοῦ ἱστοβοέως. Latinis *buris* est pars temonis ima, quæ curva est, ut clarè ex his Poëtæ versibus manifestatur:

> *Continuo in silvis magna vi flexa domatur*
> *In burim, & curvi formam accipit ulmus aratri.*
> *Huic à stirpe pedes temo protentus in octo,*
> E *Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso.*

Buris ab imo, vel ab ima parte temonis. Huic igitur temo à stirpe in pedes octo protenditur. Male Servius à stirpe arboris exponit, qui tamen etiam illius expositionis meminit. *Vel alibi dicitur, ab imo, à radice, vel ima summitate.* Sic legendum. *Buris* igitur, & *urvum* idem, pars temonis inferior, & curva, cui dentale aptatum: ut dentali præfixus vomer. Τὸ ἐπικαμπὲς τοῦ ἀρότρου, ὁ γύης. Festus: *urvat, Ennius in Andromeda significat, circumdat, ab eo sulco, qui fit in urbe condenda urvo aratri, quæ sit forma simillima uncini curvatione buris,*

F *& dentis, cui præfigitur vomer.* Curvationem buris, & dentis, cui vomer præfixus erat, totum id urvum appellatum dicit, & figuram habuisse simillimam uncini, quo nomine etiam vomerem comprehendit. Ideo dixit, *sulcum in urbe condenda fieri urvo aratri.* Latini è contra veteres *burim* ex Græco ὕνις, quod vomerem significat, pro ipsa curvatione, vel urbo aratri usurparunt. Ab urbo *urbare*, circumducere, circumscribere. Glossæ: *urbata*, περιεφερμηθέντα. Ennius in Andromeda apud Festum, *circum sese urvat, ad pedes* *fert occultans caput.* De ceto loquitur, cui exposita An-

G dromeda. *Urbs* igitur ab urbando, vel urvando, quod in rotundo olim conderentur, ut πόλις ἀπὸ τοῦ πολεῖν, quod idem est atque *urbare*. Umbilicus illius circuli foro dicabatur: & viæ directæ in medium concurrebant, quo allusit Aristophanes.

> ---- κἀν μέσῳ
> Ἀγορὰ φέρουσαι δ' ὦσιν εἰς αὐτὴν ὁδοὶ
> Ὀρθαὶ πρὸς αὐτὸ τὸ μέσον.

In coloniis condendis hoc etiam observarunt, in quantum

tum licuit, veteres Romani, ut supra notavimus. Quod à Græcis, ut vides, acceperunt. Hoc idem & in castris metandis tenuere. Locus grumæ in medio castrorum vocabatur, ubi forum, & prætorium. In metandis igitur urbibus non solum vias discriminabant ad lineam, ac dirigebant, quod διελεῖν ἀγυιὰς vocat Aristophanes, sed etiam locum foro designabant, & omnium ædificiorum publicorum situm describebant, ut basilicarum, porticuum, templorum, regiæ, & similium. Plinius de Alexandria: *metatus est eam Dinochares architectus pluribus modis memorabili ingenio XV. M. P. laxitate insessa ad effigiem Macedonicæ chlamydis orbe gyrato laciniosam dextra lævaque anguloso procursu, jam tum tamen quinta situs parte regiæ dicata.* Falluntur, qui corrigendum censent ex Strabone, *quarta parte situs regiis dicata.* Plinii mens etiam tum cum Dinochares Alexandriam metatus est, quintam partem situs regiæ dicatam fuisse. Quibus verbis indicat longe majorem partem occupasse regias eo tempore, quo hæc scribebat. Nam Strabonis ætate, ut ipse tradit, quartam, immo tertiam partem totius pedaturæ detinebant regia ædificia. Singuli quippe Reges post Alexandrum prioribus regiæ semper aliquid addiderunt de suo, & τὰ βασίλεια ampliarunt. Sic plures regiæ factæ, quæ una tantum fuit, quum urbs conderetur, & multo plus loci sub ultimis regibus regiæ illæ occuparunt, quam quando primum est constituta. Clara Strabonis verba: ἔχει δ' ἡ πόλις τεμένη, τάτε κοινὰ κάλλιστα, καὶ τὰ βασίλεια, τέταρτον ἢ καὶ τρίτον τοῦ παντὸς περιβόλου μέρος. Τῶν γὰρ βασιλέων ἕκαστος ὥσπερ τοῖς κοινοῖς ἀναθήμασι, προσεφιλοκάλει τινὰ κόσμον, οὕτω καὶ οἴκησιν ἰδίᾳ περιεβάλλετο πρὸς ταῖς ὑπαρχούσαις, ὥστε νῦν τὸ τοῦ ποιητοῦ, ἐξ ἑτέρων ἕτερα ἐστίν. Ἅπαντα μέντοι συναφῆ καὶ ἀλλήλοις, καὶ τῷ λιμένι, καὶ ὅσα ἔξω αὐτοῦ. In castris similiter, qui ea metabantur, loca prætorio, quæstorio, valetudinario designabant, vias delineabant per strigas, & scamna: ceteram loci pedaturam distinguebant ad papilionum tensuram. Græci ὑπογραφὴν τοῦ κτίσματος vocant metationem istam urbium, & ædificiorum. Strabo: μνημονεύουσί τι σημεῖον κατὰ τὴν ὑπογραφὴν τοῦ κτίσματος συμβὰν, id est, *in metatione urbis illius facienda.* Dicæarchus ὑπογραφὴν τῆς οἰκοδομίας dixit de metatione templi: Ὀλύμπιον ἡμιτελὲς μὲν, καταπληκτικὴν δ' ἔχον τὴν τῆς οἰκοδομίας ὑπογραφήν. Ita legendum, non κατάπληξιν. Legi etiam posset, καταπληκτικήν. Valerius Maximus: *quum futuræ urbis lineamenta duceret.* At modulus totius dispositionis, quæ in plano prius deformabatur in charta aliqua, aut membrana, dicebatur ἰχνογραφία. *Planum* vulgo appellamus. Ex ea capiebant formarum in solo areæ descriptionem, quam ὑπογραφὴν τοῦ κτίσματος vocatam ostendimus. Ὀρθογραφία erat recta frontis imago, quæ operis futuri rectam faciem modice depictam ostendebat. At σκηνογραφίαν dixere, quæ non tantum frontis, sed totius corporis ædificii è solo excitati imaginem cum laterum abscedentium adumbratione formatam præferebat. Male corrigunt *sciagraphiam* pro *scenographia* apud Vitruvium. Σκῆνος est τὸ σῶμα. Corpus humanum ita etiam Græci vocarunt. Corpus ædificii sic quoque appellatum. Inde & σκηνή, οἰκία, οἴκημα. Ausonius in Mosella: *Scenasque domorum.* Ita appellavit ædificiorum corpora. Sed hæc alibi. In ea delineatione, ac descriptione situs urbium condendarum, quæ in solo areæ formabatur, sectio viarum, & directio præcipue spectabatur, ut omnia rectis ordinibus dimensa essent. Virgilius:

Omnia sint paribus numeris dimensa viarum.

Sed de arborum ordinibus loquitur, ut & supra.

---- *omnis in unguem*
Arboribus positis secto via limite quadret.

Xenophonti ὀρθοὶ στίχοι τῶν δένδρων καὶ πάντα εὐγώνια. Ciceroni, cum illum locum verteret, *directi in quincuncem ordines.* Quæsitum est quid esset, hodieque nunc quærunt. Nota quincuncis hæc erat, ut trientis ista. Directam in urbibus viarum sectionem εὐθυτομίαν Græci vocant. Hesychius εὐθυτομεῖται, εἰς ὀρθὸν κόπτεται. Inde urbes κακῶς ἐρρυμοτομημέναι: quæ hac in parte laborabant, viis male sectis. Dicæarchus de Athenarum urbe: ἡ δὲ πόλις ξηρὰ πᾶσα, οὐκ εὔυδρος, κακῶς ἐρρυμοτομημένη διὰ τὴν ἀρχαιότητα. Ut recta esset ῥυμοτομία, duæ maximæ, ac latissimæ viæ concurren-

A tes ducebantur, ac sese πρὸς ὀρθὰς invicem secantes. Ceteræ minores utrique παράλληλοι delineabantur. Hoc in veteribus coloniis, & castris metandis Romani, hoc in urbibus suis Græci condendis semper observarunt. In agrorum quoque metatione, ac divisione publice facienda hoc idem consectati sunt iidem Romani per decumanos, & cardines maximos. Vide supra. Strabo de Alexandria: ἅπασα μὲν ὁδοῖς κατατέτμηται ἱππηλάτοις, καὶ ἁρματηλάτοις, δυσὶ δὲ πλατυτάταις ἐπὶ πλέον ἢ πλέθρον ἀναπεπταμέναις, αἳ δὴ δίχα, καὶ πρὸς ὀρθὰς τέμνουσιν ἀλλήλας. In metanda illa urbe viæ illæ notatæ sunt polenta sparsa. Alias vulgo creta designari solebant. Id

B ex historia Alexandri constat. Strabo, ut alios omittam, quia corrigendus est: τῶν γὰρ ἀρχιτεκτόνων τῇ λευκῇ διασημαινομένων τὴν τοῦ περιβόλου γραμμήν. Ἐπιλειπούσης τῆς γῆς, καὶ τοῦ βασιλέως ἐπιόντος οἱ διοικηταὶ τῶν ἀλφίτων μέρος τῶν παρεσκευασμένων τοῖς ἐργάταις παρέσχον, δι' ὧν καὶ αἱ ὁδοὶ κατετμήθησαν. Εἰς πλεῖστ' οὖν οἰωνίσθαι λέγεται πρὸς ἀγαθοῦ γεγονός. Sic legenda hæc sunt, atque interpungenda. Male editur: αἱ ὁδοὶ κατετμήθησαν εἰς πλεῖστ, τοῦτ' οὖν οἰωνίσθαι λέγονται. Romani urbis condendæ ambitum aratro circumducebant, & vestigia murorum sulco imprimebant, non creta notabant. Videntur & viarum

C sectionem eo modo deliniasse. Nam & in agris metandis limites, qui viæ veluti fuere, sulcis agebant. Hinc limites agrorum sulcos, & fossas passim appellant. De *gruma* instrumento dioptrico, quo recturas limitum, ac viarum tam in castrorum, quam in agrorum metatione instituenda dirigebant, diximus suprà quod satis esset. Mirum porro est, cum nomen machinæ ex Græco ductum sit, Græcos ipsos id nominis non habere, nec usum ipsius organi in talibus rebus, τὸ γνῶμα, *groma.* Inde γνωματεύειν, cognoscere, indicare, probare. At dioptricorum usus instrumentorum varius apud Græcos in aliis rebus.

D Dioptrica erant, quæ Hipparchus excogitasse dicitur, per quæ singulorum loca atque magnitudines, atque invicem distantias signaret. Plinius lib. II. cap. XXVI. Hoc qui faciunt, *cœlum metari* proprie dici queunt. Ovidius:

Nos quoque sub ducibus cœlum metabimur illis,
Ponemusque vagos ad sua signa dies.

Virgilius *orbem radio describere*, quum idem quod Ovidius intelligeret, dixit.

In medio duo signa, Conon: & quis fuit alter
Descripsit totum radio qui gentibus orbem?

In quibus versibus exponendis mirari satis non possu-

E mus, quantopere nugentur veteres. Nec minus in mente poëtæ percipienda hallucinantur neoterici. *Cononem* ducem interpretatur Servius, quum de Samio astrologo sit capiendum. Ita deinde subjicit: *radio, id est, virga philosophorum, qua geometræ lineas indicant. Inventa autem hæc est ars tempore, quo Nilus plus æquo crescens confudit terminos possessionum, ad quos innovandos adhibiti sunt philosophi, qui lineis diviserunt agros. Inde geometria dicitur, cum non tantum terræ, sed & maris, & cœli, & aëris spatia metiri consueverit.* Sed quid ille radius facit, quo lineas in abaco ductas indicant geometræ, ad spatia cœli metanda? An orbem heic terrarum ac-

F cepit, & de geometra locum intellexit? Non videtur, quum statim subdiderit: *significat autem aut Aratum, aut Ptolemæum, aut Eudoxum.* Nugæ de Ptolemæo, qui tanto posterior fuit Virgilio. Virga quoque, sive radio circuli in sphæra solida, quam κερκίδα dixerunt, indicantur. Martianus Capella de astronomia: *& cum dicto prospicio quamdam fœminam luculentam radium dextra, altera sphæram solidam gestantem.* Verum radius ille, sive virga, vel bacillum, quo circulos in sphæra solida ostendunt mathematici, intervallis, ac magnitudinibus siderum signandis non va-

G let. Scaliger versum illum poëtæ de Archimede exponit, & *totum orbem* de periodo Archimedea, quam eamdem cum Olympica putavit esse. Quæ interpretatio multis modis improbanda est. *Orbis* quidem de certo annorum numero, & conversione passim sumitur, & & apud poëtam ipsum sæpe capitur, ut in sexto magni operis:

Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem,

Quæ-

Quæcunque temporis revolutio, & conversio *orbis* est. Sed cum dicat poëta *totum orbem*, aliquid fixum, certumque, & apud omnes constans significare voluit. Ineptum quippe esset dicere, Archimedem descripsisse radio totum orbem, ut de aliquot annorum periodo ab Archimede descripta intelligeres. De anno melius, ac verisimilius caperetur:

Descripsit totum radio qui gentibus orbem,
Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet.

Nam ut *orbes* idem alibi absolutè pro annis posuit:

Triginta magnos volvendis mensibus orbes
Imperio explebit.

Sic Græci κύκλα de annis dicunt. Aratus:

Ἐννεακαιδέκα κύκλα Φαεινοῦ Ἠλείοιο.

Decem & novem annos periodi Phaïni. Sed ne vera quidem hæc interpretatio. Nec enim radio describitur annus, ut nec periodus annorum. Nec Scaligerum juvat Manilii versus,

---- *cœlumque novum versabit in orbem.*

Quem ille de Metonis enneadecaeterica periodo accipit. Sed fallitur, ut ante ostendimus. Nec in eo minus hallucinatur, quod Archimedem vult in fabrica sphæræ circulos periodi suæ compegisse. Ita etiam fecisse Eudoxum, & Calippum, quorum alter in sua octaeteride, alter in sua periodo septuaginta sex annorum aliquot circulos excogitavit, ut illis τὰς ἀποκαταστάσεις τῶν φαινομένων ob oculos poneret. Ideo falli putat, qui scribunt sphæram tam solidam, quam κρικωτὴν ab Archimede inventam. Nihil quippe illum veterum sphæræ addidisse de suo, præter fortasse majorem aut minorem numerum circulorum. Quæ profecto non intelligo, nec vera sunt. Existimasse videtur Scaliger Eudoxum, & Calippum, ut ponerent ob oculos rationem periodorum, quas ipsi excogitaverant, circulos in sphæra fabricasse, quibus suam quisque periodum explicaret, ac veluti demonstraret. Eos imitatum Archimedem periodum & ipsum aliquot annorum commentum esse, quibus τῶν φαινομένων ἀποκατάστασις fieret, eamque conversionem circulis quibusdam in sphæra factis veluti repræsentasse, ac signasse. Nihil vanius, nec falsius excogitari potuit sphæris illis periodicis Scaligeri. Non est quidem ambigendum, quin veteres illi, qui aliquot annorum astrologiam parapegmatis consignarunt, ut Meton, Cleostratus, Calippus, Eudoxus, aliique, non dubitandum inquam, quin sphæras fabricatas habuerint ad eam φαινομένων observationem, quam ipsi fecerant. Verùm nihil illæ sphæræ factitiæ ad periodos, aut annos magnos declarandos valuere, nec circulos ad eam rem factos habuere, plures, paucioresve. Ita quippe à singulis unamquamque compositam fuisse par est, ut ei observationi de siderum ortu & occasu responderet quam quisque instituerat, ut sidera nempe in illis situm haberent, tum inter se convenientem, tum ad descriptos circulos, & mœras zodiaci orientes aptum & congruum. Sic ad Phænomena Aratea intelligenda speciali sphæræ constructione opus fuit, quæ traditioni ejus conveniret, eique siderum disciplinæ, ac positioni, quam exposuit. De sphæræ Aratææ fabricandæ methodo scriptum aliquid reliquit Leontius Mechanicus, quo scripto testatur sphæras Aratæas, quæ tum extabant, in quibusdam à Ptolemæi rationibus discrepare, in plurimis vero ipsi Arato disconvenire. Πᾶσαι γὰρ, inquit, ὡς οἶσθα, Πτολεμαίῳ μὲν ὡς εἰκὸς ἐν πᾶσιν Ἀράτῳ δὲ κατὰ τὸ πλεῖστον οὐ συμφωνοῦσι. Atqui factæ illæ fuerant ad intelligenda Aratæa: Διὸ καί τοι ἐπενοήθησαν μὲν αἱ τοιαῦται σφαῖραι πρὸς τὸ νοεῖν σαφῶς τὸν Ἄρατον, δυὸ δὴ καὶ παρωνύμως ἀπ' αὐτοῦ λέγονται, καθῶς καὶ ἔφαμεν ἐν τοῖς πλείστοις αὐτῷ οὐ συμφωνοῦσι. Eudoxi observationes potissimum sequutum esse Aratum ibidem tradit, ut & Avienus. Sed ipse Aratus manifeste fatetur ex Metonis, sive Phaïni parapegmatis ea omnia hausisse, quæ de siderum ortu, & occasu scripsit:

Γινώσκεις τὰ δὲ καὶ οὐ τὰ γὰρ συναείδεται ἤδη
Ἐννεακαιδέκα κύκλα Φαεινοῦ Ἠλείοιο.

Ex quibus cognoscas licet quam vetusta sit menda, quæ hodie in illo versu legitur Φαεινοῦ ἠλίοιο. Nam si veteres illi ita legissent, ut poëta scripsit, nemini eorum incidisset in mentem tradere, ὅτι τῆς Εὐδόξου κάλλιστα ἠκολούθησεν Ἄρατος, quum tam diserte ipse testetur è Phaïni, sive

A Metonis tabulis sumpsisse, quas & aliis videndas, & cognoscendas remittit. Sphæram primus composuisse fertur Anaximander. Laërtius in ejus vita ex Phavorini commentariis: καὶ γῆς, καὶ θαλάσσης περίμετρον πρῶτος ἔγραψεν, ἀλλὰ καὶ σφαῖραν κατεσκεύασε. Plinius lib. VII. capite, quæ quis invenerit in vita: *Astrologiam Atlas Libyæ filius: ut alii, Ægyptii: ut alii, Assyrii. Sphæram in ea Anaximander Milesius.* Sphæram invenisse primum dicit Anaximandrum, quia primus sphæram fabricavit, κατεσκεύασε. Videtur tamen aliter capiendus. Nec fortean de sphæræ materialis fabrica intellexerit. Sphæram primus invenit Anaximander, qui primus intellexit cœlum esse σφαι-
B ροειδὲς. Immo αὐτόχρημα σφαῖραν. Hinc duo ἡμισφαίρια, pars cœli, quæ supra nos est, & quæ infra. Hoc videor colligere ex altero Plinii loco lib. II. cap. VIII. Ubi ita scribit: *signiferi modo inventoribus non dilatis, obliquitatem ejus intellexisse, hoc est, rerum fores aperuisse Anaximander Milesius traditur primus olympiade quinquagesima octava. Signa deinde in eo Cleostratus, & prima arietis ac sagittarii. Sphæram ipsam ante multo Atlas.* Hic alios auctores sequitur. Sed non alio sensu sphæram Atlas heic invenisse dicitur, quam Anaximander superiore loco. Atqui hic de sphæræ solidæ fabrica non potest accipi, sed simpliciter de sphærica ratione cœli, cujus inventor Atlas, & prodi-
C tor primus. Diodorus Siculus σφαιρικὸν λόγον vocat. Sic enim de Atlante scribit lib. III. Φασὶ δ' αὐτὸν τὰ περὶ τὴν ἀστρολογίαν ἐξακριβῶσαι, καὶ τὸν σφαιρικὸν λόγον εἰς ἀνθρώπους πρῶτον ἐξενεγκεῖν. Ἀφ' ἧς αἰτίας δόξαι τὸν σύμπαντα κόσμον ἐπὶ τῶν Ἄτλαντος ὤμων ὀχεῖσθαι, τοῦ μύθου τὴν τῆς σφαίρας εὕρεσιν, καὶ καταγραφὴν, γραφῇ αἰνιττομένου. Hæc sphæræ inventio & καταγραφὴ, sive, ut est in aliis, διαγραφὴ, nihil fortasse pertinet ad solidæ sphæræ fabricam. Σφαιρικὸν λόγον interpretatur ipse Diodorus. Et sphæræ καταγραφὴ accipienda, quæ fit ἐν ἐπιπέδῳ. Ceterum Plinii verba, quæ antea adduximus, aliter legenda esse, quam ut vulgo hactenus lecta sunt,
D vetus liber ostendit, in quo ita scribuntur: *feram ipso mandante mundo Atlas.* Lege *sphæram ipso pandente mundo Atlas.* Mundus ipse, hoc est, cœlum sphæricum, & plane sphæram sese esse fatetur, & pandit. Ipso igitur pandente mundo sphæram invenit Atlas, qui primus intellexit cœlum, vel mundum sphæram esse. Certissima hæc conjectura, ex qua etiam colligi datur, quo sensu accipiendum sit, quod dictum est de sphæræ inventione ab Atlante primum proditæ, τὴν σφαιρικὴν nempe cœli formam ab eo inventam, καὶ τὸν σφαιρικὸν λόγον descriptum. Nec aliter fortasse de Anaximandro judicandum, cui eamdem εὕρεσιν quidam tribuunt, licet κατασκευὴν τῆς
E σφαίρας vocet Laërtius, quod de solidæ sphæræ fabrica magis est exponendum. Sed scimus, quid fidei sit authoribus illis arbitrandum. Corrigenda sunt etiam obiter superiora Plinii verba, quibus dicit obliquitatem signiferi ab Anaximandro intellectam primo: *obliquitatem ejus intellexisse, hoc est, rerum fores aperuisse Anaximander Milesius traditur primus.* Quæ sunt illæ *rerum fores*? Scripti vocem interferunt: *hoc est, rerum fortissimi foros aperuisse.* Ita optimus Rigaltianus. In alio: *fortissimas.* Scriptum fuit ab antiquo librario, transpositione syllabarum, *derum ortus si.* Inde postea factum, *rerum fortissimi.* Scribe igitur, *hoc est, siderum ortus fores aperuisse.* Qui ob-
F liquitatem signiferi deprehendit, ortui siderum fores aperuit, quæ per illum decurrunt. Hoc verissimum. Profecto, quidquid dicat contra ea Scaliger ὁ πάνυ, plerique veterum sphæræ solidæ inventionem Archimedi tribuunt. Martianus Astronomiam læva sphæram solidam, dextra radium gestare facit. Eam sphæram versibus paulo post describit:

Ipsa etiam læva sphæra fulgebat honora,
Assimilis mundo, sideribusque fuit.
Nam globus, & circi, zonæque, ac fulgida signa
Nexa recurrebant, arte locata pari.
Tellus, quæ rapidum consistens suscipit orbem,
G *Puncti instar medio hæserat una loco.*

Et post alia:

Hanc mundo assimilem stupuit Trinacria tellus
Archimedea astrificante manu.

Si non satis idoneum videtur Martiani testimonium, citetur alius testis exceptione major. Is erit Ovidius Fastorum VI in his verbis:

Arte Syracosia suspensus in aëre clauso

Stat

Stat globus, immensi parva figura poli:
Et quantum à summis, tantum secessit ab imis
Terra: quod ut fiat forma rotunda facit.

Sphæram solidam intelligit, quales tum compingebantur à mathematicis. *Globum* vocat. Hodie quoque sphæram στερεὰν appellamus *globum*. At quam veteres κρικωτὴν σφαῖραν vocabant, absolute nunc dicimus *sphæram*. Ea solos habet circulos, sive *circites*. Latinè *circitarem* liceat dixisse. *Circularis* ambiguum esset. *Armillarem* male reddunt. Mallem *annularem* vertere. Ex ære ut plurimum fiebat. Martianus: *Nos igitur circulos non ita dicemus, ut liquentis naturæ discrimina corpulenta fingamus, sed ut ascensus, descensusque ad nos errantium demonstremus. Neque enim vel axem, polosque, quos in sphæra ænea, quæ κρικωτὴ dicitur, ad intelligentiæ compendia adsinxere mortales, ego robori mundanæ rationis apponam, cum nihil solidius terra sit quod eam valeat sustinere.* Sic enim ibi corrigendum. Vulgo est: *ut linquentes naturæ discrimina.* At *liquentem naturam* ætheream, sive cœlestem, in qua nulla corpulenta, ac solida discrimina, ut sunt circuli, qui in sphæra ænea, quæ κρικωτὴ dicitur, adfingi solent. Ceterum, ut de sphæra solida loqui se innueret Ovidius, non solum *globum* appellavit, sed etiam suspensum in aëre clauso. Κρικωτὴ σφαῖρα aërem intus non claudit, & cohibet, ut solida, sed cum solis circulis constet, hiatus, & intervalla habet, quibus perspiratur. Ut terram autem pilæ instar habere ostendat poëta, & nullo fulmento nixam, suapte volubilitate libratam sustineri, id oculis usurpari posse ait in sphæra solida, quæ arte Syracosia, hoc est, Archimedea composita sit: in ea quippe videri terram in medio globi, quæ undique æqualiter distet ab ætheriis orbibus. Magnopere errant viri quidam doctissimi, quibus ille locus persuadet sphæram illam, quæ primum ab Archimede compacta est, Romæ fuisse adservatam. Quamlibet στερεὰν σφαῖραν sic vocat, cujus inventorem primum Archimedem facit. Sed dicet aliquis, quomodo in sphæra cœlesti solida poterat conspici terra? Aut quid attinet terram in medio globi undique conclusi formare, quam non videas? In sphæra Archimedea terra in medio facta erat, ut ex Ovidio, & Martiano constat. Sciendum est, sphæram Archimedis fuisse vitream. Claudianus epigrammate in sphæram Archimedis:

Juppiter in parvo cum cerneret æthera vitro
Risit, & ad superos talia dicta dedit.

Per vitrum facile perspici poterat terra in medio globi librata, ac suspensa. In ceteris solidis sphæris, quæ ex alia materia concinnantur, supervacaneum est terram in medio globo fingere, quia non conspicitur. Hodie seorsim globi cœlestes fiunt, & terrestres. In sphæris κρικωταῖς terra instar puncti ex grano aliquo rotundo effigiata in ipso centro collocatur. Sed hic non stetit miraculum Archimedeæ sphæræ. Nec enim circulos tantum, & sidera, & quidquid in cœlo est, habuit imitatione expressum, sed etiam motus ipsos cœlestes, siderum ortus, & occasus pari lege, ac disciplina repræsentavit, ut clare testificatur epigrammate suo Claudianus, quod in illam sphæram composuit. Quid enim his verbis disertius:

Inclusus variis famulatur spiritus astris,
Et vivum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata novo Cynthia mense redit.

Martianus hoc idem videtur significare de eadem sphæra:

Omnia compar habet paribus sub legibus ordo:
Nec minus hæc mira est, quam domus alta deûm.

De hac intellexit Solinus suprà, quum dixit Archimedem juxta siderum disciplinam machinarum fuisse commentorem. *Siderum disciplinam* aliquot locis vocavit cursus regulares, & ordinatos corporum cœlestium. Ita juxta siderum disciplinam facta fuit Archimedis sphæra. Hoc igitur solum peculiare habuerit quod arte mechanica moveretur cum cœlo, & annui conversionem orbis ostenderet cum ortu siderum & occasu. Cassiodorus lib. I. Var. ep. XLV de Mechanica: *Parva de illa referimus, cui cœlum imitari fas est. Hæc enim facit secundum solem in Archimedis sphæra decurrere.* Ergo, ut ex his colligi potest, non simpliciter solidæ sphæræ auctor Archimedes statui debet, sed ejus sphæræ, quæ rationibus mechanicis cum cælo moveretur. Hujus Archimedeæ sphæræ cum cœ-

A lo se moventis etiam mentio apud Ciceronem in Tusculanis. Sphæræ solidæ fabricatio alios habuit auctores Archimede antiquiores, & juxta quosdam Anaximandrum, ut de Atlante nihil dicam. Falluntur & qui putant Archimedem volumina de sphæra exposuisse, qua ratione organica fieri posset ejusmodi sphæra, quæ circulorum versationibus cœli motus, & siderum ortus, atque obitus repræsentaret. Liber ille Archimedis περὶ σφαίρας καὶ κυλίνδρου inscriptus fuit, & de utroque junctim tractavit. Quæstiones itaque de sphæra, & cylindro geometricas linearibus rationibus explicatas, ac demonstratas continebat, cujus hodieque fragmenta extant cum Eutocii Ascalonitæ commentariis. Nihil autem ad mechanicam solidæ sphæræ fabricam proprie, ac præcipue

B pertinens habuit. Sic Κωνικὰ scripserat Apollonius, ut hic Archimedes Σφαιρικὰ, & Κυλινδρικὰ volumine illo de sphæra, ac cylindro persequutus fuerat. Hinc sepulcro ipsius columella imposita fuit cum sphæræ figura, & cylindri, ut apud Ciceronem legere est lib. V Tusculanarum. Quod inter opera ejus hic tractatus nobilissimus, ac subtilissimus habitus esset, ideo monumento ejus insculpta sphæræ, ac cylindri figura. Ita Sophoclis tumulo veteres insculpendam curarunt Antigones, vel Electræ statuam, quod in his tragœdiis componendis seipsum superasset poëta, ac primatum inter ceteros obtineret. Ut

C redeamus ad Virgilii versus, prorsus placet eos de Archimede exponendos esse, sed non eo sensu, quo voluit Scaliger. Quod Archimedis nomen versus ratio respueret, ideo illum sic circumloquutus est. Et cum Conone quidem eum conjunxit, cui & familiaris fuit, non tantum contemporaneus, & iisdem artibus excellens. Quæ altera animorum conjunctio est. *Totum orbem* poëta de cœlo dixit, ut alibi idem:

Nec dum orbem medium nox horis acta subibat,

id est, cœlum medium. *Medium cœli orbem* alio loco:

Sol medium cœli conscenderat igneus orbem.

D Et *tener mundi orbis* de cœlo in eclogis. Archimedes *totum orbem radio descripsit*, qui totum cœlum descripsit, qui descriptus radio possit indicari. Nec enim hic *radius* dioptricum organum, sed radius mathematicus. Cicero: *ex radio, & pulvere excitare.* Hæc cœli descriptio ad parapegmatum disciplinam referenda, de qua diximus supra. *Metari cœlum* Ovidio idem, quod *describere orbem* Virgilio. Leon Philosophus μετρεῖν πόλον dixit.

Πρόκλος μὲν ἔν γῆν, καὶ Θέων μετρεῖ πόλον.

Qui terram metabantur, etiam metiebantur, & mensores, metatoresque iidem. *Metam* vocabant signum, unde

E auspicabantur metiri. Cartophyla Geodetes: Ἰστέον ὅτι ἐν τοῖς γεωμετρουμένοις ἀντὶ σημείου λαμβάνομεν σκόλοπα, τουτέστι, σημεῖον ἀφ' οὗ μετρεῖν ἀρχόμεθα. Et paulo post: καὶ τὸ ξύλον τὸ ἐμπησσόμενον ἀφ' οὗ δέδεται τὸ σωκάριον.

Pag. 50. F. *Ingenia Asiatica inclyta per gentes fuere. Poëtæ Anacreon, Mimnermus, &c.*] Cur in hoc Asianorum poëtarum albo Alcmanem non recensuit? An quia Lydum & oriundo Sardianum non omnes eum fuisse volunt, sed nonnulli Laconem? in his fortasse Noster. Crates Lydiæ eum vindicat. Negat & Vellejus Laconem. Scaliger eo argumento fuisse Laconem contendit, quod Dorica dialecto usus sit. *Præterea*, inquit, *quare homo*

F *Lydus Dorice potius, quam Ionice scripsisset, ut fecere Herodotus & Hippocrates, qui cum Dorice scirent, lingua tamen Ionica maluerunt scribere.* Litem hanc veterum de patria Alcmanis dirimit vetus epigramma, quod apud Plutarchum extat in libro περὶ φυγῆς, quo docemur Alcmanem Lydum quidem origine, parentes Sardibus oriundos habuisse, sed ipsum Spartæ educatum. Inde alii Laconem, alii Lydum fecere. Nec mirum igitur Dorica linguâ usum esse, qui Spartæ semper vixerit, licet patriam haberet Sardes. Epigramma ipsum, quia mendis aliquot in Plutarchi libello inquinatum est, nec corre-

G ctius in membranis scriptum, sed alio modo corruptum reperi, conjecturis nostris heîc emendatum adscribam. Alexandro tribuunt membranę nostrę, qui Ætolus fuit, & vetustissimus poëta epigrammatarius, vixitque ante Meleagrum, quem Menippo fuisse contemporaneum certum est. In corona quippe pancarpia sua locum illi dedit Meleager, & ex ejus operibus epigrammata excerpsit.

Τοὺς δ' ἅμ' Ἀλεξάνδροιο νέους ὄρπηκας ἐλαίης
Ἡ δὲ Πολυκλείτου πορφυρέην κύανον.

Plutarchus auctorem non nominavit. τοῦ δ' Ἀλκμᾶνος, ὡς ὁ γράψας ἐπιγραμμάτιον πεποίηκε. Epigramma sic habet ex correctione nostra:

Σάρδιες ἀρχαῖαι, πατέρων νόμος, εἰ μὲν ἐν ὑμῖν
Ἐτρεφόμαν, κελλὰς ἦν τις ἂν ἢ βακέλας.
Χρυσοφόρος ῥήσσων καλὰ τύμπανα, νῦν δέ μοι Ἀλκμὰν
Οὔνομα, καὶ Σπάρτας εἰμὶ πολυτρίποδος.
Καὶ Μούσας ἐδάην Ἑλικωνίδας, αἵ με τυράννων
Θῆκαν Δασκύλεω μείζονα καὶ Γύγεω.

Loquentem inducit Alcmanem, qui bene secum actum dicit, quod Sardibus in patria Lydia non fuerit educatus, in qua luscus si forte sacerdos, aut Gallus vestibus auratis indutus tympana percutere potuisset pervulgato sacrorum more. In secundo versu legitur apud Plutarchum, κελμὰς ἦν τις ἀνὴρ βακέλας. In membranis Palatinis scriptum erat κέρνας ἤλισαν ἢ μακέλας. Nos ex utroque veram lectionem formavimus. Κελλὰς Hesychio est μονόφθαλμος. Qui tales essent, ministerio deorum plerumque deputabantur. Poëta:

---- *cum sistro lusca sacerdos.*

Facilis lapsus ex κέλλας, κέλμας. Videndum tamen, an lectio membranarum defendi possit, ut κέρνας vocetur sacerdos matris deûm. Nam κέρνεα vocabantur τὰ ἐπιθυόμενα τῇ μητρὶ θεῶν, & κερνοφόρος ὁ τὰς θυσίας ἄγων. At βακέλας est ἀπόκοπος, & *intestis*, ut erant Galli matris Idææ sacerdotes, cujus plurimus cultus in Phrygia, & vicina Lydia. Alii βάκηλον pro eodem dixere, qui βάκελος, vel βακέλας Alexandro. Versus hic apud Plutarchum mancus erat, καὶ Σπάρτης εἰμὶ πόλεως, quem ex membranis supplevimus:

---- καὶ Σπάρτης εἰμὶ πολυτρίποδος.

Qui Lydus eram, nunc sum Spartanus. Suidas ex Messoa Laconicæ fuisse Alcmanem scribit. Ἀλκμὰν Λάκων ἐκ Μεσσόας. Κατὰ δὲ τὸν Κράτητα τοῦ ὄντι Λυδὸς ἐκ Σάρδεων. Certè revera ille Lydus, & oriundo Sardianus, Spartanus μέτοικος, ut ex Alexandro constat. Μεσσόα pars fuit urbis Spartæ. Strabo: Μεσσόα δ' οὐ τῆς χώρας ὄνομα, μέρος δὲ τῆς Σπάρτης. Sic enim ibi scribendum. Non igitur dissentiunt, qui Σπαρτιάτην, & qui Μεσσοάτην faciunt Alcmanem. Hieronymus vocat *Alcmæonem* ad Olympiadem trigesimam: *Alcmæon clarus habetur, & Lesches Lesbius, qui parvam fecit Iliadem.* Frustra est vir magnus, qui mutatum vellet. Verum nomen ejus Græcum Ἀλκμαίων, Doricum Ἀλκμάν. Hesychius: Ἀλκμαίωνα, Ἀλκμᾶνα. Sic Ποσειδάων, Ποσειδᾶον & Ποσειδᾶν. Titæa mater fuit Titanum: à Τιταίᾳ ipsi Τιταίωνες dicti, Doricè Τιτᾶνες. Græcè Αἰγαίων Neptunus vel Briareus, inde Αἰγάων & Αἰγάν: pro quo vitiosè in scriptis Poëtarum Latinorum passim legitur *Ægon*, cum debeat esse *Ægan.* Valerius:

---- *quanto fremitu se sustulit Ægan.*

Statius:

---- *quas spumifer adsilit Ægan.*

At *Ægon*, quod hodie legitur, prorsus ratione caret. Αἰγαίων, Αἰγάν: ut Ἀλκμαίων, Ἀλκμάν. Priscianus de metris comicis Alcmæonem sæpè nominat, ac citat, qui est Alcman: *Simonides & Almæon in Jambico, teste Heliodoro, non solum in fine ponunt spondæum, sed etiam in aliis locis.* Eum vide sub finem. Hephæstion quoque, si bene memini, Ἀλκμαίωνα vocat. Sic Ἑρμαίων, Ἑρμάων, Ἑρμάν Mercurius.

Cleanthes Stoicæ eminentissimus] Vocem *sectæ* minimè necessariam quasi ex libro addidisse fatetur Delrius, qua carent omnes nostri. Sic Græci τὴν Στωϊκὴν sæpè vocant, Κλεάνθης τῆς στωϊκῆς ἐξοχώτατος. Elegantiores dicerent, τῆς στοᾶς. Non meliore judicio fecit, quod mox indicat legendum *Anaxagoras naturæ judex.* Scilicet liber ejus habuit, *naturæ judicator.* At omnes nostri optimi, ac vetustissimi, cum omnibus antiquitus excusis, *naturæ indagator.* Inter Asianos Philosophos Arcesilaum non reponit Solinus, qui ex Pitane fuit Æolide. Certè jam supra eum retulit in Peloponnesi descriptione, quasi ex urbe Peloponnesiaca Pitane fuerit. Et *Stoicum* ibi vocant editiones, qui *Scepticus* potiùs dicendus. Mela: *& Pitanen illam, quæ Arcesilan tulit, nihil affirmantis Academiæ clarissimum lumen.* De Pitane Asiæ loquitur. *Sophicum* appellant aliquot veteres libri, quod fortasse rectum est pro philosopho. Hac voce usus est vetus auctor, qui Æthicum Histriæ sophistam Græcum compilavit. Membranæ Hieronymum presbyterum inscribunt. Sic igitur ille de Thessalia: *terra fructifera alendorum equorum, reliquorumque animantium. Ubi ait idem sophicus eminentiores esse, & velociores quam in aliis earum provinciarum terris equos, quorum usum domandorum ibi cœptum ab initio adfirmant incolæ.* Sophistam & philosophum alibi passim appellat, quem heîc *Sophicum.*

Asiam excipit Phrygia, in qua Celæne] Ita nostri libri, ἡ Κελαινή. Et mox: *quæ antiquato priore nomine in Apamiam transiit.* Græci tamen, & Latini frequentius Κελαινὰς dicunt. Sed nota hæc numeri enallage in urbium appellationibus. Martianus sequitur Nostrum: *In Phrygia Celæne antea, in Apamiam commutata.* Malè apud Martianum, & in anterioribus Solini editionibus scribitur *Apamæa.* Græcè est Ἀπάμεια. Latinè *Apamea* vel *Apamia.* Libri Pliniani vocant *Apameam*, ubi editi scribunt *Apamiam.* Soliniani *Apamiam* nominant. Plinius *Celænas*, deinde *Ciboton* vocatam hanc Apameam tradit: *Tertius Apameam vadit, ante appellatam Celænas, deinde Ciboton.* Cognominabatur hæc Apamæa Κιβωτὸς ad distinctionem aliarum Apamearum. Strabo: Ἀπάμεια, ἡ Κιβωτὸς λεγομένη. Ptolemæo Ἀπάμεια Κιβωτός. Sic legendum. In Tabula Peutingeri, *Apamea Ciboto.* Forte ita dicta quod emporium esset, & receptaculum, ac velut arca mercium communis totius Asiæ. Strabo: Ἀπάμεια δ' ἐστὶν ἐμπορεῖον μέγα τῆς ἰδίως λεγομένης Ἀσίας δευτερεῦον μετὰ τὴν Ἔφεσον. Αὕτη γὰρ καὶ τῶν ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, καὶ τῆς Ἑλλάδος ὑποδοχεῖον κοινόν ἐστι. Causam cognominis non obscurè significavit.

Oppidum à Rege Seleuco postmodum constitutum] Non à Seleuco, sed ab Antiocho Sotere constitutum, ac de nomine matris Apamæ appellatum scribit Strabo: ἐντεῦθεν δ' ἀναστήσας τοὺς ἀνθρώπους ὁ Σωτὴρ Ἀντίοχος εἰς τὴν νῦν Ἀπάμειαν τῆς μητρὸς ἐπώνυμον πόλιν ἀπέδειξαν Ἀπάμας. Hæc Apame conjux fuit Seleuci Nicatoris. Qui Seleucus Apameam Syriæ condidisse, & nomen uxoris ei indidisse fertur. Verum hanc Phrygiæ Apameam non condidit Seleucus, sed filius ejus Antiochus Soter. Itaque hæc confudit Solinus. Livius: *Migratum inde haud procul veteribus Celænis, novaque urbi Apameæ nomen inditum ab Apame uxore Seleuci regis.* Ita lego, cum editiones malè habeant, *ab Apamea sorore Seleuci regis.* Observabam omnes ferè urbes, quæ nomen hoc Apameæ tulerunt, plures autem sunt, & variis in locis, circumdatas aquis & interamnas fuisse. Ipsa hæc Phrygiæ urbs, ἐπὶ ταῖς ἐκβολαῖς Marsyæ amnis sita, qui per mediam urbem fluebat. Plinius: *sita est in radice montis Signiæ circumfusa Marsya, Obrima, Orga fluminibus in Mæandrum cadentibus.* Sed situm veterum Celænarum confundere Plinius videtur cum situ novæ urbis. Strabo de Mæandro: ἄρχεται δ' ἀπὸ Κελαινῶν λόφου τινός, ἐν ᾧ πόλις ἦν ὁμώνυμος τῷ λόφῳ. Marsyas ibidem originem habebat. In illo colle sita erat regia sub arce ipsa. Xenophon: ἐστὶ δὲ καὶ μεγάλου βασιλέως βασίλεια ἐν Κελαιναῖς ἐρυμνὰ ἐπὶ ταῖς πηγαῖς τοῦ Μαρσύου ποταμοῦ ὑπὸ τῇ ἀκροπόλει. Ῥεῖ δὲ οὗτος διὰ τῆς πόλεως, καὶ ἐμβάλλει εἰς τὸν Μαίανδρον. Loquitur ille de veteribus Celænis, nondum quippe tum novæ conditæ sub Apameæ nomine. Mons veteri urbi imminebat, unde oriebatur Marsyas. In monte ipso arx condita, & τὰ βασίλεια. Sub montis radice sita urbs ipsa, per quam mediam fluebat Marsyas ex arce summa ortus. Herodotus lib. VII. Παρεγένοντο εἰς Κελαινάς, ἵνα πηγαὶ ἀναδιδοῦσι Μαιάνδρου ποταμοῦ, καὶ ἑτέρου οὐκ ἐλάσσονος ἢ Μαιάνδρου τῷ οὔνομα τυγχάνει ἐὸν Καταῤῥήκτης, ὃς ἐξ αὐτῆς τῆς ἀγορῆς Κελαινέων ἀνατέλλων εἰς τὸν Μαίανδρον ἐκδιδοῖ. Herodoto dicitur Καταῤῥήκτης, qui aliis *Marsya*, ut infrà dicam. Marsyas amnis non ex foro antiquarum Celænarum, sed ex arce summa oriebatur, ut etiam disertim testatur Xenophon. Quare omnino legendum in verbis Herodoti, ὃς ἐξ αὐτῆς τῆς ἄκρης τῆς Κελαινέων, id est, *ex ipsa arce Celænarum.* Ἄκρη est ἀκρόπολις. Hesychius, ἄκρος, ἡ ἀκρόπολις. Populum ex antiquis Celænis traduxit Antiochus, & migrare jussit in eam urbem, quam haud longe inde condidit ad ostia Marsyæ, quibus in Mæandrum exit. De his enim ostiis accipiendum apud Strabonem, ἵδρυται δ' ἡ Ἀπάμεια ἐπὶ ταῖς ἐκβολαῖς τοῦ Μαρσύου ποταμοῦ, καὶ ῥεῖ διὰ μέσης τῆς πόλεως ὁ ποταμός, ἀρχὰς ἀπὸ τῆς ἀρχαίας πόλεως ἔχων. Sic omnino legendus ille locus. Vulgo deest vox ἀρχαίας. Cum igitur omnes urbes, quæ *Apameæ* vocatæ sunt, intra amnes sitæ habeantur, hoc nomen ab Hebræo

deducebam, quod sonat urbem cinctam, vel circumdatam. Sic *Gaddir* intra duo Tartessi ostia posita nomen olim invenerat, quod Syris περίφραγμα, vel septum significat.

Istic Marsyas ortus, istic & sepultus] Plinius lib. v. cap. XXIX. *Marsyas ibi redditur ortus, ac paulo mox conditus, ubi certavit tibiarum cantu cum Apolline Aulocrenis.* Quæ verba de Marsya amne accipiunt vulgo. Ideo sunt, qui mox legant: *ubi Marsyas certavit.* Longe aliter accepit Solinus, atque etiam aliter legit. Videtur ergo legisse: *Marsyas ibi creditur ortus, ac paulo mox conditus.* Quæ sic interpretatus est, quasi diceret Plinius ibi natum & sepultum Marsyam. Libri omnes Pliniani habent *redditur.* Quod potuit & eo sensu accipere noster. Nam *reddere* pro tradere. *De incolis mox reddam.* Profecto valde hallucinatus est miser Solinus in sententia Pliniani illius loci consequenda: quam perversè eam sumpsit? Verum quidem est sepultum ibi Marsyam fuisse in ipso colle Celænarum, unde ortum habet amnis, qui ab illo denominatus est. Stephanus in dictione Πεσσινὸς: τινὲς δὲ ἀπὸ ῥεύσεως τοῦ λόφου, ἐν ᾧ ἐτάφη Μαρσύας. Dicebatur λόφος τῶν Κελαινῶν. Hyginus: *Apollo victum Marsyam ad arborem religatum Scythæ tradidit, qui eum membratim separavit, reliquum corpus discipulo Olympo sepulturæ tradidit.* Ubi obiter notabis Hyginum *Scythæ tradere* dixisse, quod in Græco erat, unde vertit, ἀποσκυθίσαι, καὶ λειφθέντα Μαρσύαν τῷ δένδρῳ προσδεδεμένον ἀπεσκύθισε. Hesychius: ἀποσκυθίσαι, περιτεμεῖν. Stephanus σκύθην interpretatur σίδηρον, unde verbum ἀποσκυθίσαι, τῷ σιδήρῳ τὰς τρίχας τεμεῖν. In historia Marsyæ, τὸ ἀποσκυθίσαι, est pellem detrahere, quod Hesychius exponit περιτεμεῖν. Id ita Hyginus accepit, veluti munus hoc Scytharum olim fuerit facere carnificinam: unde illud verbum ἀποσκυθίσαι. Et quasi Apollo ipse manibus suis Marsyan non excoriaverit, sed Scythæ tradiderit discerpendum, & cute spoliandum. Corpus Athenis fuit ministrorum publicorum, sive lictorum, qui τοξόται dicebantur, & Σκύθαι, & Πευσίνιοι ad coërcendos, qui immodestè agerent. An aliquem hujusmodi Σκύθην habuerit Apollo, cui mandaret Marsyam decoriandum, alii quærant. Ex notione verbi ἀποσκυθίσαι, & illis Atheniensium lictoribus Scythis id commentus est Hyginus, vel ille, unde sumpsit. Ἀποσκυθίζειν pellem detrahere significat ex more Scytharum pervolgato, qui ex capitibus hostium bello interemptorum pellem cum pilo detrahebant, & mantelia inde faciebant. Hinc proverbium Σκυθιστὶ χειρόμακτρον. Ceterum ut verissimum fuerit apud Celænas Marsyan natum, & illic sepultum, non tamen hæc mens Plinii: quod vel hæc verba satis indicant: *ibi redditur Marsyas ortus, & paulo mox conditus.* Nec enim *ortum*, qui natus est, diceret Plinius. Nec *conditum* pro sepulto. Nec statim atque natus est, etiam conditus ac sepultus Marsyas. Palam est auctorem de amne loqui. Ibi reddi ait ortum, & paulo mox conditum. *Reddi flumina* dicuntur, quæ emergunt, postquam aliquantisper latuerunt. Hoc verum de Marsya, Oritur ex monte, mox conditur: deinde emergit ac redditur, paulo post iterum conditur: ubi in Mæandrum cadit. Maximus Tyrius, qui vidisse testatur: Φρύγες οἱ περὶ Κελαινὰς νεμόμενοι ἡμῶσι ποταμοὺς δύο Μαρσύαν καὶ Μαίανδρον: εἶδον τοὺς ποταμούς. Ἀφίησιν αὐτοὺς πηγὴ μία, ἡ προσελθοῦσα ἐπὶ τὸ ὄρος ἀφανίζεται κατὰ νώτου τῆς πόλεως καὶ αὖθις ἐκδίδοι ἐκ τοῦ ἄστεος διελοῦσα τοῖς ποταμοῖς, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὰ ὀνόματα. Fœdissimè heic igitur, sed solens Solinus lapsus est, qui ortum & conditum Marsyan apud Plinium de homine accepit, qui de amne fuit exponendus. Quia autem homo & amnis cognomines, & amnis ex homine factus, ideo non repetiit nomen. Sed quum de amne id posuisset, statim intulit de homine: *ubi certavit tibiarum cantu cum Apolline.* Totus porro locus sic constituendus & interpungendus: *Marsyas ibi redditur, ortus, ac paulo mox conditus. Ubi certavit tibiarum cantu cum Apolline, Aulocrene.* Novas Celænas, id est, Apameam circumfusam esse dicit Marsya, Orga & Ombrima fluminibus in Mæandrum cadentibus. Ibi reddi & emergere Marsyan, qui statim atque ortus est conditur. Ortum igitur, & mox paulo conditum, ad Celænas novas, id est, Apameam reddi ac sese exerere. Ubi se extra urbem

A evolvit, emergere eum tradit Maximus. Hoc igitur verum de nova. Nam ex antiqua arce oriebatur, & per mediam urbem arci subjectam pervadebat.

Unde qui proximat fluvius, Marsyas dicitur] Ætate Herodoti hic fluvius dicebatur Καταῤῥάκτης. Nec enim de alio amne, quam de isto possunt hæc verba ejus exponi: ἀπίκοντο ἐς Κελαινάς, ἵνα πηγαὶ ἀναδιδοῦσι Μαιάνδρου ποταμοῦ, καὶ ἑτέρου οὐκ ἐλάσσονος ἢ Μαιάνδρου τῷ οὔνομα τυγχάνει ἐὸν Καταῤῥάκτης. Utriusque amnis Mæandri, & Marsyæ fontes in Celænarum colle esse convenit inter omnes. Livius: *& Marsyas amnis haud procul à Mæandri fontibus oriens in Mæandrum cadit.* Καταῤῥάκτης dictus est

B idem Marsyas, quod cum impetu descenderet. Strabo de Marsya: κατενεχθεὶς δ' ἐπὶ τὸ προάστειον σφοδρῷ, καὶ κατωφερεῖ τῷ ῥεύματι συμβάλλει πρὸς τὸν Μαίανδρον. Lucanus:

Qua celer, & rectis descendens Marsya ripis
Errantem Mæandron adit.

Sic corrigendum, ubi in vulgatis est, *qua celer erectis.* Conciti fluviorum, & cum impetu descendentes rectas ripas agunt, ut contra molles & placidi curvis eunt ripis & flexuosis. Talis Mæander, de quo noster mox: *qui recurrentibus ripis flexuosus.* Ovidius de Marsya:

Inde petens rapidum ripis declivibus æquor
Marsya nomen habet.

C Rectæ & declives ripæ, τὸ σφοδρὸν, καὶ τὸ κατωφερὲς τοῦ ῥεύματος testantur. Inde igitur vocatus καταῤῥάκτης Herodoti temporibus. Sic *Cataractes* Pamphyliæ fluvius inde dictus: quia se præcipitaret. Et Nilus Καταῤῥάκτης, ubi inter præcipitia ruit potius, quàm manat. Et Καταῤῥάκτης ὄμβρος, præceps imber Straboni. Καταῤῥάκτης ἀετὸς poëtis est omnis avis prædatrix, quæ ex sublimi sese proruens subjectas minores aves impetit. Καταῤῥάκτης portæ genus ferratæ, quod repente ex alto demittitur. Sed mirum est, quum Marsyæ nomen de amne vetustissimum sit, eum tamen Herodoti ævo dictum

D fuisse Καταῤῥάκτην. Atqui posteriores Herodoto Græci scriptores Marsyan cum nominant. Verum isti fortè ex antiquo hoc nominis retinuerunt. An dicendum potius excidisse proprium nomen hujus apud Herodotum, & sic restituendum: καὶ ἑτέρου οὐκ ἐλάσσονος ἢ Μαιάνδρου τυγχάνει ἐὸν Μαρσύας, ὃς καταῤῥάκτης ἐξ αὐτῆς τῆς ἄκρης τῆς Κελαινέων ἀνατέλλων ἐς τὸν Μαίανδρον ἐκδιδοῖ. Hoc sanè verisimile, immo verum putarim. Qui nesciebant quid esset καταῤῥάκτης, putarunt propriam esse appellationem illius amnis. Marsyæ amnis meminit idem Herodotus lib. v his verbis: μετὰ δὲ παρεόντων καὶ διαβάντων τὸν Μαίανδρον τῶν Περσέων ἐνταῦθα ἐπὶ τῷ Μαρσύῃ ποταμῷ συνε-

E βάλοντό τε τοῖσι Πέρσῃσι οἱ Κᾶρες. Non igitur Cataractes: sed Marsyas proprio nomine vocabatur hic fluvius Herodoti temporibus, & verissima est conjectura. Idem scribit Marsyan præcipitem cadere ex arce summa Celænarum. Curtius ex alto montis cacumine excurrere lib. III. *Fons ejus ex summo montis cacumine excurrens in subjectam petram magno strepitu aquarum cadit.* Hoc est, quod ait Herodotus, cum fluvium καταῤῥάκτην ἀνατέλλειν ἐξ ἄκρης τῆς Κελαινέων. Ut hinc etiam constet nos rectè emendavisse ἄκρης pro ἀγορῆς. Strabo: Τηρήσας καταῤῥάκτην ὄμβρον συνήργησε καὶ αὐτός. Ita

F præcipitem ex monte descendere Marsyan scribit Græcus auctor, καταῤῥάκτην ἀνατέλλειν. Mons præruptus, unde oriebatur Marsyas, veteri Celænarum urbi imminebat, ut jam diximus, cui arx erat imposita. Arrianus lib. I. Ἐν δὲ ταῖς Κελαιναῖς ἄκρα ἦν πάντη ἀπότομος, καὶ ταύτην φυλακὴ κατεῖχον ἐκ τοῦ Σατράπου τῆς Φρυγίας, Κᾶρες μὲν χίλιοι, Ἕλληνες δὲ μισθοφόροι ἑκατόν. Hæc arx fuit. Tradit ibidem Curtius: *Marsyan quamdiu intra muros fluit, nomen suum retinere. At cum extra munimenta se evolvit, majore vi ac mole agentem undas, Lycum appellari.* An Λύκον postea appellarunt à rapacitate, & violentia rheumatis, ut *Tigrim* & quosdam alios fluvios Λύκους? Hoc nomen responderet appellationi,

G quam habet apud Herodotum Καταῤῥάκτης. Certè meminit Lyci amnis in illis locis Ptolemæus, qui in Mæandrum exonerat, & Marsyæ non meminit? Μαιάνδρου ποταμοῦ ἐκβολαί. Λύκου ποταμοῦ συναφὴ πρὸς αὐτόν. Μαιάνδρου ποταμοῦ πηγαί. Λύκου ποταμοῦ πηγαί. Sed Lycus ille Ptolemæi, si benè habent apud eum numeri longitudinis & latitudinis, longè diversos ac divisos fontes habet à Mæandro, nec per Apameam transit, à qua

etiam longius fluit, tantum abest ut interluerit mœnia veterum Celænarum. Quæ omnia secus Marsya, qui Curtii Lycus est. Præterea ad ecbolas Marsyæ, sitam Apameam, sive novas Celænas docet Strabo, ubi scilicet Mæandro jungitur. At longè inferior & magis ad occidentem Lyci cum Mæandro συναφή. Ad eum amnem Laodiciam ponit, quæ dicta est Λαοδίκεια ἐπὶ Λύκῳ. Perperam in Tabula Peutingeri *Laudicium Pylicum* scribitur pro *Laudicia apud Lycum.* Non dubium est igitur hallucinatum esse Curtium, qui Marsyan cum Lyco eumdem putavit, quod uterque in Mæandrum cadat. Sic Organ alium fluvium, quem recipit Marsyas, priusquam in Mæandrum influat, confundit cum eodem Marsya. Sic enim scribit: *Inde diffusus circumjectos rigat campos, liquidus, & suas duntaxat undas vehens.* Hæc Orgæ conveniunt. Strabo de Marsya: σφοδρῷ καὶ κατωφερεῖ τῷ ῥεύματι, συμβάλλει πρὸς τὸν Μαίανδρον προσειληφότα καὶ ἄλλον ποταμὸν Ὀργᾶν δι' ὁμαλοῦ φερόμενον πεδίου καὶ μαλακόν. Lyci meminit Strabo inter amnes, qui Mæandrum reddunt auctiorem & ampliorem, quem alium facit à Marsya, eumque ex monte Cadmo exoriri dicit, qui Laodiceæ superimminet. Ἐνταῦθα δὲ, inquit, καὶ ὁ Κάπρος καὶ ὁ Λύκος συμβάλλει τῷ Μαιάνδρῳ ποταμῷ, ποταμὸς εὐμεγέθης. Plinius in Cibyratica jurisdictione Laodiceam hanc, quæ ad Lycum erat, recenset: *Ab ea Doris incipit. Sed prius terga & mediterraneas jurisdictiones indicasse conveniat. Vna appellatur Cibyratica. Ipsum oppidum Phrygiæ est. Conveniunt eo* XXV *civitates, celeberrima urbe Laudicia. Imposita est Lyco flumini latera alluentibus Asopo & Capro.* Sic totus ille locus conjunctim legendus & continuandus, quem malè editiones divellunt capitum sectione. Quo ex loco facile intelligis libros suos Plinium per capita non divisisse. Ex omnibus urbibus Cibyratici conventus celeberrimam esse dicit Laudiciam ad Lycum. Nugatur igitur Curtius, qui Lycum & Marsyan confundit, cùm Marsyas Apameam adluat, vel interfluat, Lycus Laodiceam. Utraque urbs Phrygiæ, quas fere semper jungit Strabo lib. XII. Εἶτα Ἀπάμεια ἡ Κιβωτὸς λεγομένη, καὶ Λαοδίκεια, αἵπερ εἰσὶ μέγισται τῶν κατὰ τὴν Φρυγίαν πόλεων. Et sub finem libri: ἡ δὲ μεταξὺ Λαοδικείας, καὶ Ἀπαμείας, λίμνη καὶ βορβορώδη, καὶ ὑπόνομον τὴν ἀποφορὰν ἔχει. Et lib. XIV. Ἐντεῦθεν δὲ ἡ Φρυγία διὰ Λαοδικείας καὶ Ἀπαμείας. Hæc non longe distabat ab Apamea, ut etiam constat ex Tabula Peutingeri. Hoc errorem Curtio fecerit. Magnam tantum paludem inter utramque urbem jacuisse colligas è Strabone. At longe majus intervallum inter eas urbes constituunt Ptolemæi Tabulæ, & libri. Ubi *Diocæsarea* collocatur à Ptolemæo, ibi convenit situs Laodiceæ ad Lycum. Et sane puto Diocæsaream illam eamdem esse cum Laodicea. Quod cum minime animadvertisset Ptolemæus, diversas urbes fecit, & diversum iis assignavit. Sic Ἄσπιδα & Κλυπέαν veluti diversas posuit. Αἰθάλην & Ἰλβαν, quum essent eædem. Nunc rationes edamus. Plinius de Laodicea ista: *appellata primo Diospolis, dein Rhoas.* Stephanus ab Antiocho Stratonices filio conditam refert per somnium à Jove monito: ἔστι δὲ, inquit, καὶ ἑτέρα Λυδίας Ἀντιόχου, κτίσμα τοῦ παιδὸς τῆς Στρατονίκης. Τῇ γὰρ γυναικὶ αὐτοῦ ὄνομα Λαοδίκη. Διὸς μηνύμα δι' Ἑρμοῦ, ὄναρ διὰ χρησμοῦ Ἀπόλλωνος.

> Ἀντιόχῳ βασιλῆϊ τάδε χρᾷ Φοῖβος Ἀπόλλων:
> Κτιζέμεναι πτολίεθρον ἀγακλεὲς, ὡς ἐκέλευσε
> Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, πέμψας ἐριούνιον Ἑρμῆν.

Lydiæ facit urbem, quam Strabo & Plinius Phrygiæ. Videtur Διόσπολις vocitata, quod eam jussu Jovis oraculo Apollinis monitus, vel somnio condiderit Antiochus. *Laodicea* autem ab ejus uxore Laodice. Strabo autem in recensendis incrementis, quæ variis temporibus accepit, ab Hierone primum, deinde à Zenone rhetore & filio ejus Polemone ampliatam & ornatam eam tradit. Quem Polemonem regio etiam nomine donatum ab Antonio, & postea ab Augusto idem memorat. Videtur igitur hic Polemon in gratiam Augusti urbem suam, quæ prius vocabatur Διόσπολις composito nomine ex Jove & Cæsare Διοκαισάρειαν appellasse. Post Apameam statim Laodiceam describit Strabo, quasi vicinam: post Apameam Diocæsarea

A ponitur Ptolemæo. Quare apparet easdem fuisse sub nominibus diversis. Laodiceæ nomen prævaluit. Hæc induxerunt in errorem Ptolemæum. Nec est, quod aliquis dicat Λαοδίκειαν τὴν πρὸς Λύκῳ ab hac Laodicea diversam. Subjicit Stephanus: ἔστι καὶ ἄλλη Λυκαονίας. Intelligit Laodiceam, quæ Κατακεκαυμένη cognominabatur, quam in Lycaonia Strabo & Ptolemæus reponunt. Illa autem altera *Rhoas* etiam appellitata teste Plinio, διὰ τὸ εὔσειστον, ut apparet. Nam terræ motus frequentes & assidui per illas urbes. Quod igitur crebro terræ motu quassaretur, & caderet, ῥοιὰς appellata, quasi fluidam dicas, & in lubrico sitam. Ita

B μήκων ῥοιὰς vel ῥοιὰς Græcè genus papaveris, quæ fluidum habet florem, & protinus deciduum. Dioscorides: μήκων ῥοιὰς ὠνόμασται διὰ τὸ ταχέως τὸ ἄνθος ἀποβάλλειν. Fœmininum est ἡ ῥοιὰς, τῆς ῥοιάδος. Nam antiqui Græci τὴν μήκωνα eo genere pronunciarunt: inde ἡ μήκων ῥοιάς. At quidam dixere ὁ μήκων, & nihilominus retinuerunt fœmineum epitheton. Quod & ipsum rectum est. Sic Simmiæ πόδες σποράδες, & Νόμαδες populi. Plinius putavit esse ὁ ῥοιὰς, τοῦ ῥοιᾶ. Ita enim declinavit lib. XIX. cap. VIII. *tertium genus rhœan vocant Græci, id nostri erraticum.* Ita libri, vel *rhyan*:

C & lib. XX. cap. XIX *inter sativa & silvestria medium genus, quoniam in arvis, sed sponte nascercetur. Rhœan vocavimus, & erraticum.* Utrobique dicere debuit *rhœada*, vel *rhœadem.* Verum cognomen ejus est ῥυὰς ab antiquo ῥύω, quod idem ac ῥέω, ut χύω & χέω. Inde ῥύσις fluxus, & ῥύδην, & ῥύαξ rivus, vel canalis. Sollemni autem mutatione οι & υ factum ῥοιὰς, quod idem significat ac ῥοιὰς vel ῥυάς. In Plinii libris *rhyas* scribitur & *rhias*. Sic genus vitis dicebatur ῥοιὰς, quod cito folia amitteret. Folia quippe ῥέειν & ἀπορρέειν dicuntur quæ decidunt, ut & capilli. Unde & *capillorum defluvium.* Unde δένδρα φυλλορροεῖν dicta: & φυλλόρ-

D ῥοος autumnus, quo arboribus comæ defluunt. Eo pertinet, quod in glossis veteribus legitur *acrifolium* ἀπορρέον. In ostentario Arborario Tarquitii prisci apud Macrobium inter arbores infelices recensetur, ut hodie scribitur: *itemque acrifolium, pirum silvaticum, ruscum rubum.* Inde habet auctor glossarum, nec enim aliter legisse jam tum videtur. Hinc etiam colligas, quàm vetustæ mendæ libris inoleverint. Atqui certo certius est verum nomen esse illius arboris *acuifolium*, ut suprà docuimus. Idem mendum hæsit in libris quoque Catonis de Re Rustica cap. XXXI. *vectes ilignеos, acrufolios, laureos.* Ita veteres habent libri, pro *acui-*

E *folios.* Acuifolium Latinè reddit Plinius, quæ ὀξυάκανθος Theophrasto dicitur. Dioscorides πυράκανθαν etiam dictam testatur, cujus mentio apud Nicandrum. Similem pyro silvestri facit Dioscorides. Theophrastus ἄπιον πυράκανθαν vocat lib. IX. Hist. cap. XIX de orchi minore. Τόνδε καυλὸν ὁμοιότατον ἀπίῳ ἤτοι πυρακάνθῃ. Ita enim fortasse corrigendum, ubi vulgo est, ἀπίῳ ἀπύρῳ ἤτοι ἀκάνθῃ. Aut sanè legendum, ἀπίῳ πυρακάνθῃ. Pirum silvaticum vocat ἄπιον πυρακάνθην, quæ spinas habet in cortice. Plinius *spinoso caule* vertit. Quod igitur in verbis Tarquitii subjicitur, *pirum silvaticum*, glossa fortasse est ejus quod præcessit *acuifolium.*

F Sed quare veteris auctor glossarii *acrifolium* vertit ἀπορρέον? an quod folia cito decidant huic arbori? Nihil est in hac voce, quod huic significationi respondeat. Puto scripsisse: *acrifolium*, ἄπιος, *pirum*: ex quo postea factum, ἀπορρέον. Sic alibi solet in exponendo aliquo vocabulo, Latine simul & Græce interpretationem ejus reddere, *ut ventralis κοιλιόδεσμος, funda*: & alio loco: *portulaca, ἀνδράχνη, porcacla*: pro quo malè scripserunt ἰνροσάσια. Aliquando vocem Latinam alia Latina tantum exponit. Ut *cellis, apothecis*, quod male etiam literis Græcis scripsere ἀποτηέσις: item, *cebe, πάντα.* Scribe: *ceve, panda.* Pandare & cevere

G idem. Sic hoc loco, ex ἄπιος, *pirum*, factum est ἀπορρέον. Hoc verum puto. Verum de his adhuc agam infra. Ceterum τὴν μήκωνα ῥοιάδα, Latini *erraticum papaver* vocarunt, non eadem significatione, qua Græcis μήκων ῥοιὰς dicitur, nec fortasse, quod passim sua sponte hic & illic nasceretur. Et falluntur eruditi viri, qui *erraticum* idem esse, quod silvestre sibi persuadent, ut *intybum erraticum* vulgo pro silvestri accipiunt.

Papa-

Papaver erraticum non omnino idem cum silvestri, sed in segetibus nascitur. Ideo Plinius medium genus inter sativa & silvestria hoc papaver constituit, *quoniam in arvis, sed sponte nasceretur.* Melius dixisset, *in segetibus.* Dioscorides: φύεται ἐν ἀρούραις ἦρος, ὅτε καὶ συλλέγεται. Sic legendum apud Theophrastum: ἐν ταῖς ἀρούραις δὲ φύεται, μάλιστα ἐν ταῖς κριθαῖς. Male est, ἐν τοῖς ἀρουραίοις. *Arvum* est quod aratum, nondum satum est. *Seges* quod aratum, satumque est. At papaver rhoas in sato provenit, & præcipue in hordeo: & colligitur ante hordei messem. Id Græcè ἄρουρα dicitur, quod Latine *seges.* Nam ut ἀροῦν Græci serere dicunt, & ὀψαρότην, serum satorem, & ἀροτὸν pro semente, ita ἄρουραν proprie arvum, quod obsitum est, appellant. Glossæ: *seges*, ἄρουρα, καὶ λήϊον. Hesychius: ἄρουρα, ἡ γῆ, ἀπὸ τοῦ ἀροῦσθαι, ἐπιτοπολὺ δὲ ἡ σπορία. Falluntur, qui *erraticum intybum* de silvestri propter hoc nomen accipiunt, & qui κιχώριον ἄγριον Theophrasti ubique *erraticum intybum* reddunt. Κιχώριον herba Ægyptia, ut & nomen. Planta quidem agrestis & sponte proveniens, sed quæ satu quoque mitigetur: cum plures ejus sint species nominibus distinctæ, quod Græcis est κιχώριον, Latini *intybum erraticum* dixere. Ut demus silvestre fuisse, non tamen ea nominis causa. Plinius lib. XIX. cap. VIII, quo hortensia tractat: *Est & erraticum intybum, quod in Ægypto cichorium vocant.* Tam silvestre, quam sativum cichorium, Latine potest dici *intybum erraticum.* Theophrastus ἄγριον κιχώριον aliquot locis nominat. Ergo & sativum. Σέρις sativum genus, quod & κιχώριον quidam appellarunt. Aëtius: Σέρις ἢ κιχώριον, ὑπόπικρόν ἐστι λάχανον, καὶ μᾶλλον τὸ ἄγριον, ὅπερ καὶ πικρὶς προσαγορεύεται, τινὲς δὲ καὶ κιχώριον. Vides tam agreste, quam sativum vocari κιχώριον. At σέρις proprie sativum, πικρὶς silvaticum. Galenus κιχώριον Latine dici, τὸ ἰντυβολάχανον annotat Theophrastus lib. VII. Hist. capite, quo κιχωριώδη exponit, unum genus κιχώριον proprie nominatum facit, quod ἀπὸ τῆς πικρίδος distinguit. Ita enim scribit de cichoreaceis: Τοῖς δὲ καυλοῖς, καὶ ταῖς ῥίζαις μεγάλας ἔχουσι διαφοράς. Οἱ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων ἁπλούστεροι, καὶ ἐλάττους. Ὁ δὲ τοῦ κιχωρίου μέγας, καὶ ἀποφύσεις ἔχων πολλάς. Ἔτι δὲ γλίσχρος καὶ δυσδιαίρετος, διὸ καὶ δεσμῷ χρῶνται. Παραβλαστικὸν δὲ καὶ τῇ ῥίζῃ, καὶ ἄλλως μακρόῤῥιζον, διὸ καὶ δυσώλεθρον. Ὅταν γὰρ ἐκλαχανίζονται πάλιν τὴν ὑπόλοιπον ἀρχὴν λαμβάνει τῆς γενέσεως. Notabis tibi illa verba, παραβλαστικὸν δὲ καὶ τῇ ῥίζῃ, καὶ ἄλλως μακρόῤῥιζον. Nam Latini ea de causa *intybum erraticum* appellarunt cichoreum, quod radices longas & multas spargat & emittat, quæ sub terra proserpunt & vagantur, fibris erraticis atque hac & illac decurrentibus, quibus fruges necantur. Ideo satis intyba officere canit poëta in georgicis, ad quem locum Servius hæc scribit: *Donatus dicit, quod male quidam intybam avem quamdam amari jecoris accipiunt. Nam intyba dici cichorea, quarum radices multæ & tenues ambiunt segetes & necant. Fibris autem abusivè ait, quod radices intyborum hac atque illac decurrant, ut fibræ per jecur, id est, venæ quædam ac nervi.* His verbis graphicè expositum habes, quare *intybum erraticum* Latini vocarint. *Ambulium* vel *ambulum* ab eadem ratione dixere, quod radicibus veluti pedibus multis ambulet ac decurrat. Hinc *pedes intybi* Lucillio, quibus ambulat & proserpit. Pomponius in Placenta: *Rustici edunt libenter pedibus tristibus atros intybos.* Inde *ambulium*, vel *ambulam* appellavere. Id nomen Plinio restituendum ac Celso. Plinius lib. XX. cap. IX. de intybo: *erraticum apud nos quidam ambugiam appellavere. In Ægypto cichorium vocant, quod silvestre sit. Sativum autem serin, quod est minus & venosius.* Pro *ambugia* Rigaltianus codex habet *ambunosius.* In indice *ambobaja.* *Intubo IV. cichorio sive chresto, sive pancratio, quæ ambubaja.* Sed hoc omnino mendosum pro *ambulia.* In Thuanæo codice antiquissimo, & longè optimo *ambulium* vocatur. *Intubo IIII. cichorio sive chresto, sive pancratio atque ambulio.* In altero Regio codice *ambula* in textu legitur: *erraticum apud nos quidam ambulam appellavere.* Pro *ambula* quidam habuere scriptum *ambuiam*, inde *ambugia*, aliis *ambuvia.* Glossæ: *ambuvia*, κιχώριον. Hoc *simpulum* vasis genus. Eliquato labda in jota factum *simpuium.* Nam ita in vetustissimis libris reperi scriptum: & postea deflexum inde *simpuvium*, quod etiam in antiquis libris & auctoribus occurrit. Atqui rectum est *simpulum*, ut *ambula*, pro quo ambuïa & *ambuvia* propagata est, atque etiam *ambugia.* Sic *attanulum* genus vasis ex Græco ἀττάνον, quod τήγανον significat: inde ἀττανῖται panes & placentæ, inde denominativum attanulum. Isidori glossæ & nostræ ἀνέκδοτοι, *attanulum, genus vasis.* Pro eo *attanuvium* legitur apud abbreviatorem Festi Paulum. Poculi fictilis genus interpretatur, quo utebantur in sacrificiis sacerdotes. Glossæ optimæ *attanulum* vocant. *Attanulum*, ἅγιον ἱερέως σκεῦος, κειμήλιον. *Attanuvium* ex attanulo sic factum est, ut *simpuvium* ex simpulo: *ambuvia* ex ambula. *Simpulum* enim & *simpuvium* idem esse prorsus constat. A simpulo *simpulones*, & *simpulatrices.* At *simpuvium Numæ* Juvenali *ambula* herba est, quæ ambulat & proserpit. Sic *resona* à resono, hæc ἠχώ. *Ancla*, quæ anclat, id est, haurit. *Orna*, quæ ornat. Ita limbum vestis appellarunt. Lucillius de intybo:

Intybu' præterea pedibus pratensus equinis.

Derideri eo loco rusticam cœnam à Lucillio, & enumeratis multis herbis versum illum subjici observant grammatici. Apud Sosipatrum legitur *perserpsit* pro *pratensus.* *Pedes* vocarunt radices & fibras. Sic *betæ pedes* apud Varronem de R. R: *betæ pedes quomodo seri oporteat*, & *betacei pedes* Apicio. Hinc *betaceus* absolute pro beta, quum subintelligatur pes. Glossæ: *betaceus*, σεῦτλον. Nec corrigendum est σευτλώδης, ut censet vir eruditus. Ita *malvaceum* pro malva dixerunt. Quæ vocabula perperam diminutiva esse tradit Priscianus, cùm sint παραγωγικὰ adjectiva, quæ substantivorum vicem sustinent. Sic *pulejaceum* pro pulejo dicebat Augustus. Arnobius lib. IV. *betacios* pro betis dixerat, si id sivissent integrum correctores: *Non ficis betis, caulibus.* Regius codex planè legit: *beaticiis* pro *betis.* Omnino scripserat *betaciis.* Ptolemæus, Hephæstion in Excerptis apud Photium: Γαλέριος δὲ Κράσσος ὁ Χιλίαρχος ὁ ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος βῆτα ἐκαλεῖτο, ἡδέως σεύτλῳ χρώμενος, ὃν δὴ βητάκιον καλοῦσι Ῥωμαῖοι. En *betacium* Romanis pro beta. Sic *pastinaceus* pro pastinaca. Glossæ: *Pastinaceus*, σταφυλῖνος. In his omnibus loquutionibus subintelligitur pes. *Pastinaceus pes, betaceus pes, malvaceus pes*, & ita in similibus. Totam plantam ita videntur vocasse. Hodie quoque sic loquimur, *pedem* pro planta appellantes. Certè & *planta* herba est, & pars pedis. Id tamen vocabulum diversam habet originem, cùm partem pedis humani, & cum φυτὸν significat. *Planta* vestigium pedis, ἡ πλάτη nempe à latitudine. At *planta* φυτὸν ex Græco βλάστη, quod significat βλάστησιν, ut αὔξη, αὔξησις. Dores dicebant βλάττη. Ut εἰττὰν ἡμετέραν πόλιν, pro ἐς τὴν in decreto Ephororum. Et ἐττία pro ἑστία apud Hesychium: ἔττακαν pro ἕστησαν. Ex βλάττη inserto *n* Latinorum more *blanta* & *planta.* Cichorium Plinio propriè est silvestre & erraticum intybum, quod Latini *ambulam* appellarunt: & sativum *seris.* Ita Aëtius, Paulus Ægineta, alii. Glossæ: *intybum*, σέρις, *ambuvia*, κιχώριον. Hesychius: κιχώρια, λαχανίδια ἄγρια. Hæc cùm scripsisset Plinius, protinus tamen *serin* veluti diversi generis herbam à cichorio describit, & generi lactucarum adscribit. *Seris*, inquit, *& ipsa lactucæ simillima, duorum generum est, silvestris melior: nigra ista, & æstiva: deterior hiberna & candidior.* In indicis libro tria genera seridos signavit. *Seris Gen. III. med. VII.* Tria genera hæc sunt, unum intubi sativi. Nam *serin* scribit, ab Ægyptiis intybum appellari sativum, quod est minus, & venosius, ut silvestre *cichorium.* Duo alia genera sunt, quæ lactucæ simillima dicit, eaque in candidum ac nigrum, silvestre ac sativum distinguit. Sic diversorum opiniones miscuit nullo judicio, & quæ eadem sunt, temere separavit. Dioscoridi σέρις duplex, mitis, & agrestis. Illa σέρις propriè dicta: silvestris, πικρὶς & κιχώριον. Hujus rursus duo genera facit, unum quod est θριδακωδέστερον & πλατύφυλλον, alterum στενόφυλλον & ἐμπικρον. Sic ex silvestri genere species altera magis silvestris, & magis amara. Et quum seris silvestris & cichorium idem sit, cichorii duæ quoque species, & ex his altera minus silvestris. Quod & cum Theophrasto convenit, qui

qui ἄγριον κιχώριον alibi nominat, alibi κιχώριον absolute. Male ergo Plinius genera seridis à generibus cichorii secernit, cum seris sit cichorium, & utrumque genus tam silvestre, quàm sativum alii σέριδα, alii κιχώριον appellent. Sed videtur existimasse intybum sativum, quam σέριν Ægyptiis vocatam ait, diversam esse à Græcorum seride. Sic πικρὶς, quam Dioscorides silvestris cichorei nomine donat, ipse Plinius in lactucis recenset, & pessimum genus lactucarum ab amaritudine sic vocatum tradit. Theophrastus ἐν τοῖς κιχωριώδεσι reponit τὴν πικρίδα. Sed nihil prohibet amari intybi genus, & amaræ lactucæ speciem eodem πικρίδος nomine intelligi, præsertim quum & intybum quoddam lactucis simillimum sit, & lactuca quædam intybis. Ita ergo confuderunt. Idem quoque Plinius alio loco intybos, nec ex eodem genere cum lactucis, nec ex alio dici posse asserit. Et quod heic silvestre genus intyborum ἡδυπνοΐδα, vel εὐπνοΐδα dici notat, id silvestri lactucæ potius conveniat quam καθόλου ὑπνωτικὴν καὶ ἀνώδυνον esse scribit Dioscorides. At quod eumdem silvestrem intybum & *erraticum* & *ambulam* Latinis vocari ait, si à proserpentibus radicularum fibris id nominis, ut probabile est, invenit, non ideo vocatus erraticus, quod silvestris sit, sed quia silvestris talibus nititur radicibus fibrosis & erraticis, propterea sic nuncupatus est. Nec dissimili ratione eadem appellatione cucumis anguinus etiam dictus erraticus, quod per herbam serpat, nec trichila dependeat, ut sativus. Plinius: *illitum anginas & arterias cum melle & oleo vetere sanat. Multis hunc esse apud nos, qui anguinus vocetur, ab aliis erraticus, arbitrantur.* A sativo eum separat. Columella utrumque genus his versibus complexus est.

Tum modo dependens trichila, modo more chelydri
Sole sub æstivo gelidas per germinis herbas
Intortus cucumis prægnansque cucurbita serpit.

Et paulo post anguinum ita describit:

Hirtus & ut coluber nodoso gramine tectus
Ventre cubat flexo, semper collectus in orbem.

Hic est qui & *erraticus* vocatur. At sativum trichila dependentem statim ponit:

At qui sub trichila manantem repit ad undam.

Serpyllum auctor Herbarii, quod sub Apuleji nomine vulgatur, iter auctuarii ad Dioscoridem Romanis *cicer erraticum* appellari scripsere. Erraticum sane quod serpat, unde & serpillum dictum autumant. Dioscorides: ὠνόμασται ἀπὸ τοῦ ἕρπειν τε, καὶ ὅτι ἂν αὐτοῦ μέρος θίγῃ τῆς γῆς ῥιζοβολεῖν. Silvestrem serpere ait Plinius, sativum Dioscorides. Νομαῖον vocat Nicander, quod est ad verbum *erraticus*: ut Νομάδες populi errabundi.

---- ἢ ἑρπύλλοιο νομαίου,
Ὅστε φιλόζωος νοτερὴν ἐπιβόσκεται αἶαν
Ῥιζόβολος λασίοισιν ἀεὶ φύλλοισι κατήρης.

Vagantur & Nomades pabuli gratia, inde dicti. Pastinaca *erratica* Plinio silvestris est, non ideo tamen erratica, sed quod capillamenta & fibras plures radice emittat, ut *erraticum intybum* ea de causa nomen habet. Omnino quæcunque herbæ spatiosius fruticant, & per terram serpunt, aut sub terra radices latius spargunt, eæ erraticæ. Quod in silvestribus utrumque magis evenit, hinc factum ut in multis herbarum eædem sint *silvestres*, quæ & *erraticæ*. In papavere erratico id secus. Nec enim quod in eo genere silvestre omnino est, sic appellarunt. Nam aliud genus est, quod in incultis & sponte nascitur. Hoc propriè silvestre: ἀγρίαν μήκωνα Græci dicunt. Hoc diversum à papavere Rhoade, quod Romani *papaver erraticum* dixere. Nam id medium est inter silvestre & sativum, & nascitur in locis cultis & satis. Videndum igitur an *erraticum* heîc vocarint eo sensu, quo Græcis μήκων ῥοὰς dicitur. Quod enim fluxa, & malè hærentia folia habeat, non fixa, nec tenacia, videntur *erratico* nomen fecisse, ut ῥυιὰς, vel ῥοάς. Erraticum quippe fixo ac tenaci opponitur: ut stellæ fixæ erraticis. Ut ut sit, certe *erraticum* non id simpliciter significat quod silvestre, & sponte ubique nascens. Ceterum Laodicea ῥοὰς, ut dixi, cognominata, quod ædificia instabilia & ruinis obnoxia haberet propter σεισμοὺς.

Nam sacrilegi certaminis factum & audaces in Deum tibias] Plinius simpliciter: *ubi certavit tibiarum cantu cum Apolline, aulothrenis.* Strabo: ἐνταῦθα δὴ μυθεύεται τὰ περὶ τὸν Ὄλυμπον, καὶ τὸν Μαρσύαν, καὶ τὴν ἔριν, ἣν ἤρισεν ὁ Μαρσύας πρὸς τὸν Ἀπόλλωνα. Videtur Marsyan heic Olympi filium facere, ut Apollodorus: ἀπέκτεινε δὲ καὶ τὸν Ὀλύμπου παῖδα Μαρσύαν. Alii discipulum Marsyæ & delicium Olympum fuisse volunt, alii filium. Oeagrum Marsyæ patrem dat Hyginus: quidam Hyagnidem, quem rursus nonnulli natum Marsya contendunt. Geminas tibias uno spiritu inflare primum Marsyan docuisse, alii Hyagnidem dicunt, alii Olympum. Pollux: νόμοι δὲ Ὀλύμπου καὶ Μαρσύου Φρύγιοι καὶ Λύδιοι. Ita lege, non Μαρσίου. Et ridicule doctus interpres: *Modi Olympi & Marsii sunt.* Vide Plutarchum de musica. Non solum tibias, & tibicinandi artem invenisse Marsyan veteres tradunt, sed etiam fistulam πολυκάλαμον, quam σύριγγα propriè appellarunt. Athenæus lib. IV. Μητρόδωρος δὲ ὁ Χῖος ἐν Τρωϊκοῖς, σύριγγα μὲν φησὶν εὗρε Μαρσύας, καὶ αὐλὸν ἐν Κελαιναῖς, τῶν πρότερον ἑνὶ καλάμῳ συριζόντων. Ergo σύριγξ ὁ πολυκάλαμος. Recentiores *panduram* vocarunt, quum antiqui eo nomine non ἐμπνευστὸν ὄργανον, sed ἐντατὸν intelligerent. Μόναυλος ante Marsyan, hoc est, singularis tibia inflabatur, ita & μονοκάλαμος σύριγξ. Ipse geminas tibias primus inflavit, & fistulam invenit ex pluribus calamis compactam. Idem Athenæus ibidem: Εὐφορίων δὲ ὁ ἐποποιὸς ἐν τῷ περὶ μελοποιῶν, τὴν μονοκάλαμον σύριγγα Ἑρμῆν εὑρεῖν, τινὰς δὲ ἱστορεῖν Σεύθην καὶ Ῥωνάκην τοὺς Μήδους: τὴν δὲ πολυκάλαμον Σιληνόν: Μαρσύαν δὲ τὴν κηρόδετον. Hæc prorsus mira, quasi κηρόδετος σύριγξ & πολυκάλαμος diversæ fuerint. Atqui cera conjungebantur calami in fistula pluribus compacta cannis. Poëta:

Pan primus cera calamos conjungere plures
Instituit.

Ecce πολυκάλαμον & κηρόδετον eamdem. Ovidius, qui & Pani, non Marsyæ τῆς πολυκαλάμου inventionem tribuit:

Atque ita disparibus calamis compagine ceræ
Inter se junctis nomen tenuisse puellæ.

Vides & σύριγγα propriè appellatam τὴν πολυκάλαμον, quæ etiam eadem cum κηροδέτῳ. Hæc non sunt ignota, nec recondita. Sed in verbis Euphorionis legendum hactenus nemo vidit, τὴν δὲ πολυκάλαμον Σιληνὸν Μαρσύαν, τὴν κηρόδετον. Silenus Marsyas, qui fistulam ex multis calamis cerâ compactam invenit. Silenus fuit vel Satyrus ille Marsyas. Herodotus lib. VII. de Celænarum urbe: ἐν τῇ καὶ ὁ τοῦ Σιληνοῦ Μαρσύεω ἀσκὸς ἐν τῇ πόλι ἀνακρέμαται. Hyginus, *Marsyas Oeagri filius pastor, unus ex Tityris.* Ovidius de Marsya:

Illum ruricolæ silvarum numina Fauni
Et Satyri fratres, & tum quoque clarus Olympus,
Et Nymphæ flerunt.

Satyrus Marsyas, cui Satyri fratres. Strabo: Σειληνὸν καὶ Μαρσύαν, καὶ Ὄλυμπον συνάγοντες εἰς ἓν καὶ εὑρετὰς αὐλῶν ἱστοροῦντες. Pollux de fistula πολυκαλάμῳ, ἡ μὲν οὖν καλάμων ἐστὶ συνθήκη λίνῳ, καὶ κηρῷ συνδεθεῖσα, ἥγε αὐτοσχέδιος. Ita distinguendum ac legendum. Αὐτοσχέδιον hanc fistulam dicit, quæ ex multis calamis, sive cannis compacta, lino ligata erat, & cerâ juncta. Talem invenit Silenus Marsyas, vel, ut aliis placet, Pan. At quæ operosiore cura facta fuit, ea ex multis tibiis conjunctis ac disparibus constabat. Sic itaque legenda quæ sequuntur: ἡ δὲ ἑτέρα, αὐλοὶ πολλοὶ, ἕκαστος κατὰ μικρὸν ὑφ' ἑκάστῳ ὑπολήγοντες εἰς τὸν ἐλάχιστον ἀπὸ τοῦ μεγάλου, κατὰ μὲν τὸ στόμα τῶν αὐλῶν ἀπισούμενοι, ἐκ δὲ θατέρου μέρους ἀπ' ἀλλήλοις δι' ἀνισότητος ὑφεστηκότες ὡς ὄρνιθος πτέρυγι τὸ σχῆμα προσεοικέναι. Sic totus ille locus constituendus. In veterum porro Græcorum πολυκαλάμῳ illa fistula Latine reddenda mirum est quantopere varient Latinorum poëtarum sententiæ. Quia Græcis κάλαμος & arundinem significat, & stipulam sive avenam, hoc est, τὸν τοῦ σίτου καυλὸν, nunc ex cicutis & avenis stipulisque compactam fistulam interpretantur, nunc ex harundinibus, calamis & cannis. Ovidius: *& structis cantat avenis.* Avenæ sunt κάλαμοι σίτου. Et alibi:

Fistula disparibus paulatim surgit avenis.

Alibi

alibi *arundines* vocat, qui & κάλαμοι sunt. Tibullus:

Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo,
Cum calamus cera jungitur usque minor.

Sed omnino falsi sunt, qui καλάμους in fistula pro avenis aut stipulis acceperunt. Harundines & cannas significant. Ideo & δόνακας Græci sæpè vocant. Theocritus:

Δάφνις ὁ λευκόχρως, ὁ καλῇ σύριγγι μελίσδων
Βουκολικοὺς ὕμνους, ἄνθετο Πανὶ τάδε
Τοὺς τρητοὺς δόνακας, τὸ λαγωβόλον.

Ita lego, non τελοσοὺς δόνακας, & male tres tibias vertunt. Intelligit fistulam ex pertusis harundinibus compactam. Græcus poëta apud Plutarchum: ὁ τῶν βουκόλων κηρόπλαστος ὀτοβεῖ δόναξ. Theophrastus συριγγίαν genus arundinis dictum tradit, quod utilis esset fistulis faciendis. Græci poëtæ κάλαμον de avena, vel frumenti calamo non dicunt, sed καλάμαν. Indocti bubulci, qui fistula ex harundinibus compacta canere nesciebant, stipula ludebant. Theocritus καλάμαν vocat:

---- οὐκέτι σὺν Κορύδωνι
Ἀρκεῖ τοὶ καλάμας αὐλὸν ποππύσδεν ἔχοντι.

Quod Virgilius *stridenti stipula carmen disperdere* vertit. Ῥαπταύλαι vulgo dicebantur. Nam ῥαπτὴ est καλάμη. Hesychius: ῥαπτὴν καλάμην, καὶ τοὺς ἐν αὐτῇ αὐλοῦντας ῥαπταύλας. Poëta vetus:

---- καὶ χλωροὺς ἐκ καλάμης στεφάνους.

Etiam κάλαμος idem quod καλάμη. Hesychius: κάλαμος, καὶ τοῦ σίτου ὁ καυλὸς καὶ αὐλός. Verum si quis arbitratur ex hujusmodi avenæ culmis compositam fuisse fistulam, toto errat genere. Κάλαμος fere semper optimis & antiquissimis scriptoribus & poëtis pro harundine: καλάμη pro stipula. Κάλαμοι ἰξευτικοὶ sunt arundines vel calami. Κάλαμοι ad scribendum ex arundine. Καλάμους quoque de tibiis dixere, quæ ex arundine utique olim fiebant. Καλάμοιο βοὴ Pindaro, *tibiæ cantus*. Et πολύτρητοι κάλαμοι in Epigrammate, *tibiæ multiforatiles*. Et καλάμαυλος idem qui & μόναυλος, qui unicam tibiam inflabat. Diodorus refert Marsyan prudentissimum & sollertissimum suo sæculo & apud suos habitum, eo argumento, quod fistulæ πολυκαλάμου sonos æmulatus sit, & in tibias totam earum harmoniam traduxerit. Tibias autem geminas invenit, quæ ex arundinibus tunc fiebant, ut & ipsa fistula πολυκάλαμος, cujus idem inventor quoque ab aliis traditur.

Pag. 50. F. *Et audaces in deum tibias*] Plutarchus in Symposiacis, οἶμαι δὲ καὶ τὸν Μαρσύαν ἐκεῖνον ὑπὸ τοῦ θεοῦ κολασθῆναι, ὅτι φορβειᾷ, καὶ αὐλοῖς ἐπιστομίοις ἑαυτὸν ἐτόλμησε ψιλῷ μέρει διαγωνίζεσθαι πρὸς ᾠδὴν καὶ κιθάραν. Ideo querebatur Marsyas de iniquitate judicii, quod artis unius ac simplicis, nempe tibiarum, certamen & ἀγώνισμα receptum fuisset cum arte gemina vocis & fidium. At cum Apollo hoc dicto repercussit, & inique conqueri ostendit, quoniam & ipse ore simul & manibus in tibicinando usus esset. Vide Diodorum lib. III. Marsyas autem non solum tibiarum inventor proditur, sed etiam φορβειᾶς, id est, capistri, quo tibicines os sibi obligabant, & buccas substringebant, ne ultra justum modum inflarentur, & turpiculum os redderent, tum ut violentia nimii spiritus cohiberetur. Plutarchus de ira, de Marsya loquens: φορβειᾷ τινὶ καὶ περιστομίοις βιαίου πνεύματος τὸ ῥαγδαῖον ἐγκαθεῖρξε καὶ τοῦ προσώπου ἀπέκρυψε τὴν ἀνωμαλίαν. Scholiastes Aristophanis φορβειᾶς exponit δέρματα τὰ περὶ τὸ στόμα τῶν αὐλητῶν προσδεσμευόμενα, ὅπως ἂν σύμμετρον τὸ πνεῦμα πεμπόμενον ἡδεῖαν τὴν φωνὴν τοῦ αὐλοῦ ποιήσῃ, in comœdiam Σφῆκας. Idem in Aves φορβειὰν dicit esse τὸ περικείμενον τῷ στόματι τοῦ αὐλητοῦ δέρμα, ἵνα μὴ σχισθῇ τὸ χεῖλος αὐτοῦ. Adjicit ibidem per ει dipthongum scribi, & ὀξυτόνως Herodiano placere. Idem placet & Arcadio grammatico περὶ προσῳδίας, cujus hæc verba sunt: τὸ δὲ παρειὰ καὶ φορβειὰ, καὶ φορειὰ ὁ βόρβορος, καὶ ἀρειὰ ἡ ἀπειλὴ ὀξύνονται. Vides φορειὰν exponi βόρβορον. Inde Latinum *foria* apud Nonium de stercoribus liquidioribus. Sane φέρουσαν γαστέρα & φορὸν Græci dicunt, quæ solutior est. Ab eadem origine est & φορυτὸς: & φορύσσειν, quod est inquinare. Inde *conforiare* apud Pomponium idem quod concacare: *conforiasti me Diomedes*. Sic enim apud Nonium legendum. Sed hæc obiter. Φορβειὰ ut φορειά. Quidam scribebant φορβαία. Vide Hesychium, qui στομίδα αὐλητικὴν, & χειλωτῆρα exponit. Στομὶς idem quod capistrum. Lucillius versu, quem olim correximus:

Trulleus pro stomide huic ingens de naribus pendet.

Ubi Nonius perperam *Postomide* legit. Ut hinc scias quam antiquæ sint in libris mendæ. Qui immoderate spiritu uterentur in tibiis flandis, eos sine capistro flare Græci dicebant. Sophocles:

Φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι,
Ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ.
Non jam ille modicas ore inspirat tibias,
Sed sine capistro enormibus flat follibus.

Ad hoc Sophoclis versus alludit Longinus περὶ ὕψους; ubi de Clitarcho sic loquitur: Φλοιώδης γὰρ ἀνὴρ καὶ φυσῶν κατὰ Σοφοκλέα,

Μικροῖς μὲν αὐλίσκοισι φορβειᾶς δ' ἄτερ.

Quasi diceret Clitarchum modicis quidem tibiis canere, sed sine modo. Immodicum spiritum cohercebat & adtemperabat in tibicinibus capistrum, sive φορβειὰ, quæ fibula non est, sed vinculum ex pellibus, quo labra & os constringebantur, relicta rima, per quam lingula tibiarum ori posset immitti. Simonides in quodam ᾄσματι, quo Marsyæ & Apollinis certamen describebat, capistrum hujusmodi aptasse sibi Marsyam ita scripsit:

Χρυσῷ δ' αἰγλήεντι περιστήρμοσεν ἀμφὶ δασείας
Κόρσας καὶ στόμα λάβρον ὀπισθοδέτοισιν ἱμᾶσιν.

Marsyæ capistrati figuram heic subjecimus ex veteri sigillo, quod penes Velserum fuisse docti viri scribunt, & inde habuisse fatentur.



Marsyan esse ex capistro tibicinum constat, & ex auribus Satyricis. Satyrus quippe Marsyas. Cum cauda etiam porcina, ut ait Fulgentius, pingebatur. Sed ea cauda etiam Satyrica fuit. Nam & cum cauda Satyri fingebantur. Non Midam esse, non servi camo obturati effigiem plane liquet. Δασεῖαι κόρσαι, quas Marsyæ Simonides tribuit, etiam in hac figura conspiciuntur. Ab αὐλητικῇ φορβειᾷ genus etiam ἐπιδέσμου Medici φορβειὰν dixere, cujus duæ species, μονομερὴς, & διμερής. Vocarunt διμερῆ φορβειὰν, quæ non solum os, sed etiam frontem comprehendebat vinculo, cujus specimen ex libro Sorani περὶ ἐπιδέσμων heic etiam subjiciendam curavi.

Διμερὴς φορβειά.



Plures

Plures recenset modos hujus ἐπιδεσμοῦ, qui φορβειὰ dicitur Galenus in libro περὶ ἐπιδεσμῶν.

Pag. 50. G. *Testatur non procul cum fonte vallis, Aulocrene*] Nostri omnes codices agnoscunt verba illa, *cum fonte*, quæ tamen Delrius à suo libro abfuisse notat. Sed cur merito abessent, quum in nomine *Aulocrene* fons sit? Mirum verò apud Plinium nusquam fontis haberi mentionem, quum tribus aut quatuor locis meminerit hujus Aulocrenes. *Convallem* vocat lib. V. cap. XXIX. *Ubi certavit tibiarum cantu cum Apolline, Aulocrenis.* Paulo post eodem capite montem vocat: *Amnis Mæander ortus è lacu in monte Aulocrene, plurimisque affusus oppidis.* At lib. XVI. cap. XLIV regionem appellat: *Regionem Aulocrenen diximus, per quam Apamea in Phrygiam itur.* Iterum dicam me mirari, si Aulocrene fons est, ut nomen indicat, quomodo possit mons esse, & convallis, & regio? Nisi quis dixerit ex eo fonte nomen datum monti, convalli & regioni. Illud tamen seriò animadvertendum, non meminisse fontis Plinium. Atqui *Aulocrene* propriè significat tibiarum, vel tibiæ fontem. Αὐλοῦ κρήνη. Solinus videtur putasse compositum hoc vocabulum ex αὐλῶν & κρήνης, quasi vallem & fontem dicas. Ita enim reddit, *cum fonte vallis.* Sed valde notandum est omnibus locis apud Plinium vetustissimos libros *Aulotrenen* legere, non *Aulocrenen.* Præterea *Aulotrenis* recto casu illi dicitur, non *Aulocrena.* Ita quippe libro VI etiam in editis habetur: *ubi certavit cantu tibiarum cum Apolline Aulocrenis.* Libri habent: *Aulotrenes.* In Rigaltiano: *Aulotreses.* Aliis locis, quibus mentionem hujus loci facit, constantissimè omnes retinent *Aulotrenen.* Ex his possit aliquis conjicere non sine causa, apud Plinium veram esse lectionem, *Aulothrenes*, id est, Αὐλοθρηνὴς, ut subintelligatur χώρα, vel αὐλὼν. Ideo regionem & convallem vocavit Plinius. At si mons subaudiatur, erit ὄρος Αὐλοθρηνές. Certè recto casu Plinius id nomen extulit *Aulothrenes.* Loco vel monti nomen inditum videtur à tibiarum fletu, sive quod Marsyan ibi victum deflerunt Satyri, Nymphæ & pastores, quibus charus erat, & qui tibiarum ejus cantum desiderabant, sive quod verius est, ab ipso tibiarum sono flexibili ac θρηνητικῷ. Ovidius lib. VI de Marsya victo & excoriato:

Illum ruricolæ silvarum numina Fauni,
Et Satyri fratres, & tunc quoque clarus Olympus,
Et Nymphæ flerunt, & quisquis montibus illis
Lanigerosque greges armentaque bucera pavit.

Sed melius fortassis est, ut Αὐλοθρηνῆ dictum putemus locum illum & montem, in quo tibiis canere solebat Marsyas, ubi etiam earum cantu victus est ab Apolline, quia tibiæ, quarum inventor Marsyas, θρηνητικαὶ sunt, & flebilibus modis aptæ. Pollux: λέγεται καὶ Φρύγας εὑρεῖν αὐλὸν θρηνητικὸν, ᾧ κέχρηνται τὰς Κᾶρας παρ' ἐκείνων λαβόντας. Marsyæ νόμοι in tibicinio Phrygii & Lydii tantum, ut scribit Pollux. Lydia autem harmonia ὀξεῖα καὶ ἐπιτήδειος πρὸς θρῆνον. Alius omnis tibiæ sonus querulus, & luctificus. Ideo funeribus deducendis olim adhibita. Narrat Pausanias in Phocicis secunda Pythiade catalysin factam τῆς αὐλῳδίας, quod hoc acroama videretur οὐκ εὔφημον. Solinus pro *Aulothrene* vel ipse legit, vel legendum judicavit *Aulocrenen.* Et quod uno loco convallem esse dixit Plinius, nominis, quod ipse finxit, sono inductus, cum fonte vallem interpretatus est. Atqui nomen id sonaret tantum *tibiæ fontem.* Quod nec valli, nec monti, nec regioni potest convenire. Præterea in hujusmodi locorum denominationibus, quæ ex duobus substantivis componuntur, integra duo nomina Græci semper retinent. Nec enim dicunt ἱπποκρήνη unica voce, sed ἵππου κρήνη. Etiam poëtæ non aliter hæc usurpant. Aratus:

Καλὸν ὕδωρ ἀγαγεῖν εὐαλδὲς ἵππου κρήνης.

Ita apud Hesiodum & alios. In Latinis veteribus, quod *Hippocrene* legitur, id vitio librariorum accidit, ubi scribi debuit *Hippucrene*, ut *Menandru Thais*: *Alexandru Stephanos*, apud Plinium. Sic Μόψου ἑστίαν Græci dicunt, non Μοψοεστίαν: Κυνὸς σῆμα, non Κυνόσημα: Κυνὸς κεφαλὰς, non Κυνοκεφαλάς. Et supra apud hunc no-

A strum *Heliutrapeza*, quæ Græcè Ἡλίου τράπεζα, non autem Ἡλιοτράπεζα. Hoc in aliis sexcentis observabis. Juxta hunc canonem Αὐλοῦ κρήνη deberet esse, hoc est, *Aulucrene*, non Αὐλοκρήνη. At Αὐλοθρηνὴς adjectivum, & subintelligitur τόπος, vel χώρα. Idcirco modò vallem, modò montem, modò regionem esse Plinius ait. Quod non fecisset, si legisset αὐλοῦ κρήνη. Id enim vocabulum aliud non potest significare præter fontem.

Cum fonte vallis, quæ eventum rei gestæ signat] Eventum certaminis illius, quo victus Marsyas ab Apolline corio exécto pependit, neutiquam signat hoc B nomen *Aulocrene*, quemadmodum vult heîc noster. Simpliciter hoc nomen *tibiæ fontem* designat. Nec hoc Plinius dixit, sed convallem illam, ubi certavit Marsyas, Αὐλοθρηνῆ nominari à querulo tibiæ cantu, quod in ipso loco victus sit, ubi plurimum tibia canere solebat: vel sanè à luctu victarum tibiarum. Plinius in regione Aulothrene platanum adhuc sua ætate ostensam tradit, unde pependerit Marsyas: *Regionem Aulothrene diximus, per quam Apamea in Phrygiam itur: ibi ostenditur platanus, ex qua pependerit Marsyas victus ab Apolline, quæ jam tum magnitudine electa est.* Atqui pinum fuisse, non platanum, ex quo Marsyan C detracta pelle Apollo suspendit, complurium auctorum testimoniis firmatur. Apollodorus lib. I. Εὑρεθεὶς δὲ κρείσσων ὁ Ἀπόλλων κρεμάσας τὸν Μαρσύαν ἔν τινος ὑπερτενοῦς πίτυος ἐκτεμὼν τὸ δέρμα οὕτως διέφθειρεν. Nicander:

Πολλάκι καὶ πίτυος γοερὰς ἀπὸ δάκρυα τμῆξαι,
Μαρσύου ἧχί τε Φοῖβος ἀπὸ φλόα δύσατο γυιῶν.
Ἡ δὲ μόρον πολύπυστον ἐπιμάζουσα κατ' ἄγκη
Οἰκ συνεχέως ἀδινὴν ἀναβάλλεται ἠχώ.

Sic legendi hi versus ac distinguendi. Pinum, ex qua pependit Marsyas, sæpe lacrimas ait fudisse.

D Μαρσύου ἧχί τε Φοῖβος ἀπὸ φλόα δύσατο γυιῶν.

Eo loco, ubi Phœbus pellem ex membris Marsyæ detraxit. Φλοῦς φλόας, pellis extimæ cutis, sive cortex. Humor ex pinu arbore manat resinaceus. Quod ex luctu & dolore necati, ac suspensi Marsyæ facere illam interpretatus est poëta. Vento vero foliis insusurrante flebilem ingeminat vocem. Nisi de Echo hæc dicta accipienda sint. Tum legendum videretur:

Αἰ αἰ συνεχέως ἀδινὴν ἀναβάλλεται ἠχώ.

Sed illud melius. Ex his etiam colligi potest, quare αὐλοθρηνὴς illi monti, sive convalli nomen inditum E fuerit. Dubium tamen adhuc me facit, quod Silius Italicus *Crenos* videtur vocare regionem illam, in qua habitavit Marsyas:

---- *Phrygios fugerat cum Marsya Crenos.*

Nam à Marsya Marsos in Italia originem habuisse vult. *Creni* ergo dicti οἱ Κρῆνοι à duobus fontibus Mæandri, & Marsyæ amnis, qui ibi oriebantur ex eodem loco. An potius legendum.

---- *Phrygias fugeret cum Marsya Crenas.*

Ut Κρῆναι loco illi nomen fuerit propter fontes Mæandri & Marsyæ. Certè & Αὐλοκρῆνις convallis & regio inde nomen invenerit. Ut ut sit, non Αὐλοῦ κρήνη F pro fonte posuit Plinius, sed Αὐλοκρηνὶς χώρα, vel vallis ab illis duobus fontibus: vel etiam Αὐλοκρήνη, quod ad eos fontes tibia canere solitus esset Marsyas. Stagnum etiam in eodem monte fuit, unde illi fontes exibant, in quo nascebantur harundines lingulis tibiarum faciendis aptæ. Vide Strabonem.

Ex arce hujus oppidi Mæander amnis caput tollit] Ex arce Celænarum, non ex arce Apameæ. Nec enim in eodem loco condita Apamea, ubi Celænæ fuerant. Sed cum Apameam haud longè à Celænis condidisset Antiochus Soter, eo transtulit vete-G ris oppidi incolas. Nugatur itaque heic Solinus. Livius lib. XXXVIII de Mæandro: *Hujus amnis fontes Celænis oriuntur.* Et paulo post: *Mæander ex arce summa Celænarum ortus, media urbe decurrens per Caras primum, deinde Ionas in sinum maris editur, qui inter Prienen & Miletum est.* Herodotus in septima Musa: παρεγένοντο ἐς Κελαινὰς, ἵνα πηγαὶ ἀναδιδοῦσι Μαιάνδρου ποταμοῦ, καὶ ἑτέρου οὐκ ἐλάσσονος Μαιάνδρου τῷ οὔνομα τυγχάνει ἐὸν Μαρσύης ὃς κατὰ ῥήκτης ἐξ αὐτῆς τῆς ἄκρης τῆς Κελαινέων ἀνατέλλων ἐς τὸν Μαίανδρον ἐκδιδοῖ. Ita omnino emendari debet ille locus, qui

qui vulgo depravatissimus ad hunc modum editur: τῷ ὄνομα τυγχάνει ἐὸν Καταῤῥάκτης ἐξ αὐτῆς τῆς ἀγορῆς τῆς Κελαινέων. Herodotus Marsyan amnem etiam alibi nominat Musa quinta. Non igitur nomen proprium fluminis illius Καταῤῥήκτης, sed significat impetum, quo ex arce summa Celænarum amnis ille manat, vel ruit potius. Vide quæ supra notavimus. Mæandri & Marsyæ fontes in eodem ferme loco oriri tradit ibidem Livius. Maximus Tyrius ex eodem fonte utrumque fluere dicit: ἀφίησιν αὐτοὺς πηγὴ μία. Plinius è lacu Mæandrum oriri scribit, qui in monte est Aulocrene: *amnis Mæander ortus e lacu in monte Aulocrene.* Si fons Mæandri in arce Celænarum, idemque in monte Aulocrene, oportet arcem Celænarum in monte Aulocrene sitam fuisse. In eodem victus & cute spoliatus pependit Marsyas. Herodotus in ipsa arce Celænarum Marsyæ pellem pependisse scribit: ὃς ἐξ αὐτῆς τῆς ἄκρης τῆς Κελαινέων ἀνατέλλων εἰς Μαίανδρον ἐκδιδοῖ. Ἐν τῇ καὶ ὁ τοῦ Σιληνοῦ Μαρσύεω ἀσκὸς ἐν τῇ πόλι ἀνακρέμαται. Τὸν ὑπὸ Φρυγῶν λόγοι ἔχει ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἐκδαρέντα ἀνακρεμασθῆναι. Strabo Κελαινῶν λόφον appellat, unde oritur Mæander: ἄρχεται δὲ ἀπὸ Κελαινῶν λόφου τινὸς, ἐν ᾧ πόλις ἦν ὁμώνυμος τῷ λόφῳ. Forte legendum: ἀπὸ Κελαινοῦ λόφου τινός. In eo colle veteres Celænas conditas fuisse significat colli cognomines. Certe arx in ipso colle, sive monte locata erat, urbs arci subjecta, quam mediam interluebat Marsyas ex arce descendens Ptolemæo Κελαινὸς λόφος ille collis dicitur, ex quo Mæander amnis capit originem, & in Galatia eum collocat: καὶ τοῦ Διδύμου τὰ ἀνατολικά, καὶ τὸ καλούμενον Κελαινὸς λόφος. Sed videtur ibi potius scribendum: καὶ τῶν καλουμένων Κελαινῶν λόφος. Vel καί ποτε καλουμένων Κελαινῶν λόφος. Sic Aulocrenis mons & Κελαινῶν λόφος idem. Ab eo monte & oppido incolas migrare jussit Antiochus in urbem à se conditam, & de matris nomine Apameam dictam. Strabo: ἐντεῦθεν δὲ ἀναστήσας τοὺς ἀνθρώπους ὁ Σωτὴρ Ἀντίοχος εἰς τὴν νῦν Ἀπάμειαν τῆς μητρὸς ἐπώνυμον πόλιν. Quam longe dissita esset Apamea à Celænis non dicunt auctores. Ptolemæus τῶν Κελαινῶν λόφον, ubi Celænæ fuere, satis longo intervallo ab Apamea removet. At Livius haud procul inde migratum affirmat à veteri nempe oppido in novam urbem. Plinius Aulocrenen decem milibus passuum ab Apamea distare tradit. Ergo veteres Celænæ totidem milibus passuum ab Apamea dissitæ, siquidem Aulocrenes mons idem cum tumulo Celæno vel Celænarum, ut claris argumentis collegimus. Lacum illum unde exit Mæander, quem in Aulocrene monte ponit Plinius, etiam ibidem agnoscit Strabo: ὑπέρκειται καὶ λίμνη φύουσα κάλαμον τὸν εἰς τὰς γλώττας τῶν αὐλῶν ἐπιτήδειον, ἐξ ἧς ὑπολείβεσθαι φασὶ τὰς πηγὰς ἀμφοτέρας τήν τε τοῦ Μαρσύου, καὶ τὴν τοῦ Μαιάνδρου. Fortean aliquis existimare possit Marsyæ amnis fontem dictum esse αὐλοῦ κρήνην, & inde montem dictum ὄρος αὐλοῦ κρήνης, ut & convallem & regionem: idque nomen impositum non à Marsyæ tibiis, sed ab harundinibus ibi nascentibus, ex quibus lingulæ tibiarum fiebant. Fontis Plinius hoc nomine nusquam meminit. Atqui vel maximè fontem non taceri oportebat. In eo monte certamen Marsyæ cum Apolline commissum tradit Strabo.

Qui recurrentibus ripis flexuosus] Quidam libri: *recurrentibus rivis.* Quod & ipsum ferri posset. Sed rectum est, *ripis,* Lucanus de Marsya:

Qua celer & rectis descendens Marsya ripis
Errantem Mæandron adit.

Rectæ ripæ opponuntur recurrentibus & flexuosis. Tales sunt præcipitantium fluminum. *Declives ripas* Marsyæ tribuit Ovidius, quia κατωφερὲς ejus τὸ ῥεῦμα.

Inde petit rapidus ripis declivibus æquor.

Statius lib. IV. Thebaid.

---- *quos pigra vado Langia recenti*
Lambit, & amfractu riparum incurvus Elissos.

Flexuosis & recurrentibus ripis meat Elissos ille, sicut Mæander. An ibi legendum, *Helisson*? Pausaniæ certè Ἐλισσὼν dicitur. A flexuoso & incurvo cursu nomen habuisse videtur, estque fluvius Arcadiæ. Sed alter etiam Ἐλισσὼν in Corinthiacis eidem Pausaniæ memoratur haud longè a Sicyone, qui potius ille fuerit, cujus meminit Statius. Uterque ab amfractu riparum ita dictus videtur, & Ἐλισσὸς quibusdam vocatus. Ἰλισ-

A σὸς Atticæ fluvius inde quoque pariter nomen habuit, quasi εἱλισσὸς, quod flexuoso ac recurvo cursu uteretur. Seneca in Hippolyto:

Ubi par glaciei lenis Ilissus,
Ut Mæander, per inæquales
Labitur agros, piger, ac steriles
Amne maligno radit arenas.

Sic tandem constituendus ille locus, quem vexarunt eruditi conjecturis suis vulgo in editionibus profligatissimè depravatum. Parem glaciei Ilissum dicit, quod adeo lenis fluat, ut stare veluti glaciatum putes, nul-
B lis fluctibus vel undis tumidum, & inæqualem. Perperam legitur, *ubi per glacies lenis Ilissus.* At eumdem Ilissum Mæandri more per inæquales agros pigrum meare ait. Ita enim scribendum pro vulgato:

Ubi Mæander per superæquales
Labitur agros.

In omnibus libris, quos vidi, habetur, *super inæquales.* Vocat *inæquales agros*, quos flexuoso cursu inæquales reddit Ilissus, inæqualiter dividens ac secans. Etenim, qui recto cursu pervadit amnis, agros etiam rectis & æqualibus lineis secat. Scriptum erat, *uti Mæander.* Unde fecerunt, *ubi Mæander.* Plinius de
C Mæandro: *ita sinuosus flexibus, ut sæpe credatur reverti.* Inde noster *ripis recurrentibus flexuosum* hoc loco dixit. Cosmographia, quæ vulgatur sub nomine Æthici: *fluvius Mæandrus nascitur in campis Asiaticis, bicornius: currit quasi sint duo redigentes se in unum.* Nemo est, qui tradiderit bicornium nasci Mæandrum. Auctor ille Julius est Orator, cujus verba sic legenda sunt ex antiquissimo codice Thuanæo, cui consimilis penes me est: *Fluvius Mæandros nascitur in campis Asiaticis. Bicornis currit, quasi si duo redigant se in unum. Influit in mare Cycladum.* Intelligit Mæandrum præ flexuositate cursus apparere quasi bicornem, veluti si duo flumi-
D na in unum se redigerent.

Inter Cariam & Ioniam præcipitat in sinum, qui Miletum dividit & Prienen] Consuluisse hic Græcos videtur noster: nam paulo hæc aliter Plinius. Malè istud tamen, ne quid de more suo ac jure remittat, quod exitus Mæandri in mare inter Cariam & Ioniam ponit. Ionia quippe est, per quam Mæander ultimo defluens mari illabitur. Titus Livius: *per Caras primum, deinde Ionas in sinum maris editur, qui inter Prienen & Miletum est.* Strabo: πλοῦ τῶν δὲ καὶ Καρίαν αὐτὴν διαῤῥεῖ τὴν ὑπὸ τῶν Ἰώνων νῦν κατεχομένην. Sic legendus ille locus, qui vulgo ita editur: πλοῦ τῶν δὲ κατὰ Καρίαν αὐτὴν διαιρεῖ.
E Dicit Mæandrum, ubi in mare præcipitat, per eam Cariam fluere, quam Iones tenent. Certè Miletus, quæ princeps urbium olim fuit, in Caria sita erat, ut & Priene. Stephanus: Μίλητος, πόλις ἐπιφανὴς ἐν Καρίᾳ τῶν Ἰώνων. Scylax Caryandæus Miletum in Caria collocat. Ptolemæus quoque Cariæ adjudicat. Herodotus Prienen etiam Cariæ adscribit. Sic enim de Ionibus tradit: Μίλητος μὲν αὐτῶν πρώτη κέεται πόλις πρὸς μεσαμβρίην, μετὰ δὲ Μυοῦς τε καὶ Πριήνη. Ταῦται μὲν ἐν τῇ Καρίῃ κατοίκηνται κατὰ ταὐτὰ διαλεγόμεναι σφι. Ita Miletum & Prienen, inter quas Mæander in mare evolvitur, Ca-
F riæ facit. Stephanus: Πριήνη, πόλις Καρίας. Non igitur Cariam ab Ionia in exitu suo dividit Mæander. Plinius: *postremo Cariam placidus omnesque eos agros fertilissimo rigans limo, ad decimum à Mileto stadium lenis illabitur mari.* Omnino legendum: *Cariam placidus, Ionesque agros.* vel: *Ionumque agros.* Nam prorsus mendosa vulgaris: *omnesque eos agros.* Livius: *per Caras primum, deinde Ionas.* Idque & Strabo confirmat.

Qui Miletum dividit & Prienen] In quibusdam codicibus: *Qui Miletum dividit a Priena.* Quod videtur alterius esse editionis. *Præcipitat* reposuimus ex libris, pro præcipitatur.

G *Ipsa Phrygia Troadi superjecta est*] Plinius lib. V. cap. XXXII. *Phrygia Troadi superjecta, populisque a promontorio Lecto ad flumen Ethelcum prædictis.* Veteres omnes Τρωάδα & Φρυγίαν distinxerunt. Scylax descripta Phrygia transit ad Troadem. Recentiores Τρωάδα μικρᾶς Φρυγίας nomine appellarunt. At quæ propriè olim Phrygia nominata est, vocaverunt μεγάλην Φρυγίαν. Ptolemæus: Τρωάς ἤτοι μικρᾶς Φρυγίας. Ut supra correximus.

Aquilonia

Aquilonia parte Galatiæ conlimitanea] Ita libri nostri. Vulgo erat: *collimitata.* Plinius: *Septentrionali sui parte Galatiæ contermina,*

Eadem ab oriente vicina Lydiæ] Totum hunc locum ita distinximus. Ex nullo clarius loco apparet quàm ex isto, quid supinitati, ac negligentiæ suæ, vel oscitantiæ permissum voluerit Solinus. Superioris Phrygiæ, quæ Troadi superjecta est, terminationem totam habet ex Plinio, sicut jam notavimus. Quæ hic adtexuit quasi ad eamdem Phrygiam pertinentia, ex alio ejusdem Plinii loco hausit, sed qui de Lydiæ finibus tractat, nihil verò ad Phrygiam attinet. Verba Plinii sic habent ex cap. XXIX. *Lydia autem perfusa flexuosis amnis Mæandri recursibus super Ioniam procedit Phrygiæ ab exortu solis vicina: ad septentrionem Mysiæ: meridiana parte Cariam amplectens, mænia ante appellata.* Quæ de Lydia ibi dicta sunt, hic ad Phrygiam transfert, iisdem fere verbis: *Eadem ab oriente vicina Lydiæ: à septentrione Mysiæ: Cariæ ab ea parte qua dies medius.* Sic enim distingui debuit hic locus. Sed quæso te, quomodo potest Lydiæ determinatio Phrygiæ convenire? Plinius tradit Lydiam ab exortu solis Phrygiam habere vicinam: ergo Phrygia ab occasu solis Lydiam habet finitimam. At hic noster scribit Phrygiam Lydiæ esse vicinam ab oriente; quod non potest esse verum: præterea falsum est eam Phrygiam, de qua Plinius & heîc noster loquuti sunt, à septentrione Mysiæ esse propinquam; quum ambo scripserint ab aquilonia parte Galatiæ collimitaneam esse. Troas Mysiam supra se habet ad septentrionem, non Phrygia. Sed nec illa Phrygia à meridie Cariam amplectitur. Solinus hic ipse dixit Plinium sequens, meridianæ hujus Phrygiæ Lycaoniam, Pisidiam & Mygdoniam contingere. De Lydia utrumque verum est; nam Cariæ contermina est ab ea parte, qua dies est medius, ac Mysiæ collimitanea ad septentrionem. Si alius auctor esset quam Solinus, cui sollemne est talia ac graviora etiam peccare omnibus paginis, dicerem eum heic scripsisse: *Eidem ab oriente vicina Lydia: à septentrione Mysia: Cariæ ab ea parte qua dies medius.* Atque ita sane edi voluimus. Nam altera lectio nimis abnormiter falsa est. Præterea de Lydiæ finibus eum hoc capite separatim aliquid tetigisse, titulus indicio est: *Asia, Phrygia, Lydia.* Omnes tamen libri vulgatam tuentur. Quæ nec ab genio Solini nostri non nimium abhorret.

Mons Lydiæ Tmolus croco florentissimus] Malè erat in editione Stephani, qui Delrianam expressit: *à septentrione Mysiæ, Cariæ: a parte qua dies medius mons Tmolus,* quasi à parte Lydiæ septentrionali tam Caria esset, quam Mysia. Quod idem est ac si septentrionem cum meridie iisdem in locis jungas. Plinius de Lydia loco supra citato: *celebratur maxime Sardibus in latere Tmoli montis, qui ante Timolus appellabatur, vitibus consitus.* Inde *vineta Timoli* Virgilio: & οἶνος Τμωλίτης Græcis in nomine. Vitruvius lib. VIII. cap. III. *Mæoniam Catacecaumenitem, Lydiam Tmoliten.* Ita eo loco legendum, cum vetustissimi libri habeant, *Moliton.* Nisi quis malit *Tmolicon.* Sed illud verius. Τύμωλος olim postea Τμῶλος: ut Τόμαρος mons Dodonæus, postea Τμάρος.

Quem aurato fluore incitum Chrysorrhoan dicunt] Ita ex libris repositum, vulgo fuit, *inclytum.* Quod nec ipsum damnassem, nisi codices omnes suasissent. Sic infrà: *Nunc quoque Hermon fluctibus aureis æstuasse antiquitas credidit.* Idem est quod heic de Pactolo dicit, *aurato fluore incitum.* Sed quare auratum fluorem Pactolo tribuit? quid est auratus fluor? Græci *auratum* appellant quod aureo colore inductum est. An fluctus Pactoli aurei sunt coloris? *Auro fluere* amnes quosdam poëtæ dicunt, qui arenas aureas trahunt & fluctibus evolvunt, ut de Hermo, Tago, & Pactolo hoc Lydiæ auctores tradunt, qui propterea Χρυσοῤῥόας appellatur poëtæ:

---- *Pactolusque irrigat auro,*

id est, aureis arenis spargit, dum irrigat. Sed *auratus* hîc *fluor* minus rectè vocatur. Propter ramenta quædam auri, quæ trahuntur fluminibus, non auratus fluor, aut fluctus eorum dici queat, poë-

A tæ auro fluere, aut aureis fluctibus æstuare dicerent. Amnis est & in Syria Χρυσοῤῥόας, qui Damascenam regionem perfundit. Pactolum Chrysorrhoan dictum non alibi invenio. Nec Strabo meminit, quum tamen dicat olim Pactolum arenis suis auri ramenta traxisse. In Lydia amnem quemdam reperio dictum Χρυσοκόρραν, qui Mastaura Lydiæ oppidum interfluit. Stephanus: ποταμὸς διὰ μέσης τῆς πόλεως ῥεῖ Χρυσοκόρρας λεγόμενος. Fortean hunc amnem ex vicinitate nominis Χρυσοῤῥόαν appellaverint, & cum Pactolo confuderint propter aureas arenas. Urbs Cariæ quædam dicta est Χρυσαορὶς Stephano teste, sed & totam Cariam Epa-

B phroditus sic appellatam scripsit. Ἐπαφρόδιτος δὲ καὶ τὴν Καρίαν πᾶσαν Χρυσαορίδα λέγεσθαι. Colebatur apud Cares Juppiter Χρυσαορεὺς, cujus in ædem commune Carum conveniebat, non solum ob sacrificia, sed etiam ad deliberationes. Hinc & conventus ipse Χρυσαορικὸς vocabatur, cujus meminit Strabo lib. XIV. Lydia autem Cariæ vicina, & Cares Lydos & Mysos fratrum loco habebant, & sacris suis sollemnibus admittebant. Videndum ergo, an Χρυσοκόρρας ille fluvius nomen dederit Cariæ & Jovi Χρυσαορεῖ. Nam non solum Lydiam, sed etiam Cariam adnexam potuit per-

C meare. Ut inde & Caria omnis vocitata sit Χρυσαορίς. Strabo templum Jovis Χρυσαορέως prope urbem Stratonicean fuisse scribit. Ptolemæus eam Στρατονίκην in Lydia, quæ Mæonia est, collocat. Στρατονίκη & Στρατονίκεια eadem. Idem Prolemæus aliam Στρατονίκην in Macedonia ponit, quam Strabo non agnoscit. Sed Stratoniceam illam Καρικὴν Macedonum coloniam esse tradit, utpote à Macedonibus conditam. Στρατονίκεια δ' ἐστὶ κατοικία Μακεδόνων, ἐκοσμήθη δὲ καὶ αὕτη κατασκευαῖς πολυτελέσιν ὑπὸ τῶν βασιλέων. Hinc ridicule Stephanus Στρατονίκειαν dicit esse πόλιν Μακεδονίας, πλησίον Καρίας. Quasi Caria vicina Macedoniæ sit. Quo nihil imperitius po-

D test fingi. Stratoniceam aliam ad Taurum montem idem Strabo ibi recenset. Nec dubito, quin Prolemæus eodem errore impulsus Στρατονίκην in Macedoniam traduxerit, quæ à Macedonibus in Caria instructa est.

Pag. 51. A. *In his locis animal nascitur, quod bonacum dicunt.* Quid in his locis? in Lydia nimirum, vel Mæonia. Atqui bonasus, sive bonacus nullus in Lydiæ, aut Mæoniæ finibus nascitur, sed in Pæonia. Aristoteles, Antigonus Carystius, Plinius, Ælianus, omnes ἐν τῇ Παιονίᾳ id animal nasci prodiderunt. Cur igitur libuit Solino de Pæonia, sive Pannonia Mæoniam

E facere Lydiam? Sed ubique talis est: ideo nec jam miramur, immo nec carpimus.

Quod bonacum dicunt] Ita omnes Soliniani libri una scriptura legunt, *bonacum* aut *bonnacum.* Nec aliter habuere, quos Vinetus vidit. In indice quoque ita scriptum est: *de animali bonnaco.* In alio indice: *de bonna bestia.* Ita apud Plinium in vetustissimis codicibus legitur: *tradunt in Pæonia feram, quæ bonna vocetur.* Utrum *bonnacus*, vel *bonacus* in Plinii libris legerit Solinus, an apud Græcos ita invenerit, nescio. Apud Aristotelem hodie legitur βόνασος, vel βόνασος. In Admirandis βόλινθος. Facilis lapsus ex βό-

F νακος, βόνασος. Nisi quis dicat, quum apud Plinium forte extaret scriptum βόνασος litteris Græcis, Solinum pro *bonaco* Latinè accepisse. Nam sigma Græcum antiquum formatur, ut C Latinum. Sed non puto. Non minor scripturæ varietas in hujus animalis nomine, quo vocabatur ipsis Pæonibus. Aristoteles IX. cap. XLV. Hist. Anim. dicit μόναπον vocare Pæones, in Admirandis est μόνεπος. Apud Antigonum de Admirabilibus, qui ex Aristotele habet, μόνωπος. τὸν δὲ μόνωπον γίνεσθαι μὲν φασὶν ἐν Παιονίᾳ ἐκ τοῦ ὄρους Μαρσάνου. Æliano, quasi μόνωπον legerit, dicitur μονώψ. Certè μονώψ Græcum est, ut & μονωπὸς de

G eo, qui unum tantum habet oculum. Arcadius grammaticus: μυώψ ὁ μυὸς ὀφθαλμοὺς ἔχων: μονώψ ὁ μονόφθαλμος: κελαινώψ, τυφλώψ. Sed vox ista neutiquam huic animali convenit hoc sensu. Præterea Pæonicam esse testatur Aristoteles, quia id animal, quod ibi tantum nascitur, appellant: καλοῦσι δὲ αὐτὸν οἱ Παίονες μόνωπον. Ergo nomen hujus animalis Pæonicum μόναπος, aut μόνωπος. Græci nominabant βόνασον. Cujus

Cujus dictionis aliquam esse ex natura bestiæ significationem oportet. Et omnino quidem βόνακος puto verius esse, quam βόνασος. Ita Solinus apud Plinium legit: ita Plinius apud Aristotelem. Dictum βόνακος hoc animal, quasi βοωύακος vel βοόνακος, quod corium bovis haberet cum pilis. Solinus hoc loco: *cui taurinum caput ac deinceps corpus omne.* Aristoteles: τὸ δ᾽ ἄλλο εἶδος ὅμοιον βοΐ· πλὴν χαίτην ἔχει μέχρι τῆς ἀκρωμίας ὥσπερ ἵππος. Grammatici νάκος exponunt τὸ αἴγειον δέρμα σὺν ταῖς θριξί. Sed & cujuslibet animalis tergus ita vocatum. Inde igitur βόνακος hoc θηρίον quod βοὸς νάκος haberet. Mons, qui Pæoniam à Medica Thraciæ regione disterminat, ubi bonacus nascitur, alibi apud Aristotelem Μεσσάπιον appellatur, alibi Ἥσηνον. Apollonius Μαρσανὸν scribit. Quod verius videtur. Librum, unde editus est ille Apollonius, vidi antiquissimum. Ptolemæus in Pannonia inferiore Μαρσονίαν oppidum nominat, quod fortasse à monte Μαρσάνῳ Μαρσανία dicta est, quod aliis quærendum relinquo.

Cornua multiplici flexu in se recurrentia.] Plinius simpliciter. *Cornibus in se flexis, ut non sint utilia pugnæ.* De multiplici flexu ac recursu nihil. Aristoteles: κέρατα γαμψὰ κεκαμμένα πρὸς ἄλληλα ὥς τε ἄχρηστα εἶναι πρὸς τὸ ἀμύνασθαι. Alibi dixit cornua eum non habere bovi similia, sed κατεστραμμένα καὶ τὸ ὀξὺ κάτω ἔχειν, *contorta acumine terram spectante.* Cornua bonaci scribit idem summo nitore esse & nigra: ἡ δὲ μελανία καλὴ καὶ λιπαρὰ τοῦ κέρατος. Et in Admirandis: καὶ μέλαν σφόδρα εἶναι, διαστίλβειν δ᾽ ὡσανεὶ λελιπασμένα. Recte ita corrigunt docti, ubi est in editis, ὡς εἶναι λελεπισμένα. Græci quidquid nitet & splendet λιπαρὸν vocant ab olei, vel unguinis nitore. Hesychius; λιπαρὸν· στιλβόν. Eadem metaphora à palæstricis sumpta, qui oleo ungebantur & nitebant, τὸ ἐμπινὲς καὶ εὐπινὲς pro nitido, ac polito dixere. Hinc εὐπίνεια nitor orationis Longino περὶ ὕψους. Cicero: *sine nitore & palæstra.* Quod etiam ad alia transtulerunt. Nam & σμαροπινεῖς, qui gemmas atterunt, ac poliunt inde vocaverunt, quod eis nitorem, ac splendorem concilient. Σπλεϐωτὰς λίθων alii vocant. Oribasius ex Heliodoro de organis chirurgicis magis probat ex ære fieri, quam ferro, quia æs sit λειότερον καὶ εὐπινέστερον, levius & lucidius, sive nitentius, quod in nitorem facilius dari possit, eoque minus rubigini obnoxium: ἐξίσταται καὶ περὶ τοῦ πότερον χαλκᾶ δεῖ κατασκευάζειν ἢ σιδηρᾶ. Οἱ δὲ τὸν χαλκὸν τοῦ σιδήρου προκρίναντες, ἔφασαν αὐτὸν λειότερον καὶ εὐπινέστερον, δυσιώτερον τε εἶναι τοῦ σιδήρου. Et paulo post: δύνανται γὰρ εὐθετεῖν τὰ χαλκᾶ κατασκευάσματα ὄντα εὐπινῆ καὶ αὐτάρκη δύναμιν ἔχοντα. Ferrea instrumenta quidam præferebant, quia ferrum validius sit. Satis ad hoc in ære roboris esse tradit Oribasius, & præterea τὸ εὐπινὲς habere nitorem ac splendorem. Idem adjicit si ex ferro fiant, debere unctu assiduo & attritu per aliquot dies in splendorem dari, ut ne cito rubigine induatur: ἀλλ᾽ ἐπεὶ ἰοῦται ταχέως ὁ σίδηρος συνεχέστατα λιπαίνειν διὰ τινῶν ἡμερῶν καὶ χειροτελεῖν χάριν τοῦ μὴ ἰοῦσθαι αὐτόν. Possumus tamen in locis supra citatis, τὸ εὐπινὲς, non tantum pro nitido ac lucente interpretari, sed etiam elegans & politum, ut dicat æs ferro elegantius esse in hujusmodi organis. Ita sane εὐπίνειαν idem Heliodorus usurpavit pro elegantia: εἰσὶ δὲ τινὲς καὶ πρίσεις ἐν ὀργάνοις, ἐκ διαγλυφῆς ὡμοιωμέναι πριστῶν μορφαῖς εὐπινείας χάριν γεγονυῖαι. Αὗται δὲ αἱ πρίσεις γεγόνασι πρὸς τὸ ἄλλο βαστάζειν ἐπίπηγμα. Inter instrumenta chirurgica quasdam esse pristes dicit, quod ad pristium instar solius elegantiæ gratia exsculptæ essent. Sic urbanum & elegans dicendi genus εὐπινὲς Ciceroni: & εὐπίνεια elegantia Longino. Verissima igitur sunt, quæ nos primi de hujus vocis significatione aperuimus, quidquid contra blatteret infrunita natio Cercoctiorum.

Quidquid præsidii monstro illi frons negat] Cur monstrum appellet istud animalis, prorsus nescio. Nihil enim in illo monstrosum. Bovi per omnia simile est, excepta juba, quam equinam habet. Cornua illi contorta sunt, & in se flexa. Arieti pæne talia, in amfractum convoluta. Præterea non solum edules, sed etiam suaves habet carnes bonacus, & propterea à venantibus expetitur, ἡδύκρεων τὸ ζῶον, διὸ καὶ θηρεύουσιν αὐτό. An monstrum indigetat propter fimum, quem adversus insequentes egerit longa ejaculatione? Hoc peculiaris fuerit & mirabilis naturæ, non monstrosæ.

Cum in fugam vertit, proluviem citi ventris egerit per longitudinem trium jugerum] Aristoteles non in fuga, nec cum in fugam vertit, ventris proluviem egerere bonacum dicit, sed cum viribus defectus fugere amplius non valet, ac stare cogitur. Tum ad defendendum se comparat, calces jactans & fimum amburentem ejaculans, quem vel in longitudinem trium ulnarum emittit: ὅταν δ᾽ πληγῇ φεύγει καὶ ὑπομένει ὅταν ἐξαδυνατῇ, ἀμύνεται δὲ λακτίζων, καὶ προσαφοδεύων, καὶ εἰς τέτταρας ὀργυιὰς ἀφ᾽ ἑαυτοῦ ῥίπτων, ῥᾳδίως δ᾽ τούτῳ χρῆται, καὶ πολλάκις: καὶ ἐπικαίει δ᾽ ὥστε ἀποψήχεσθαι, καὶ τὰς τρίχας τῶν κυνῶν. Ita legendus ille locus. Aliud est ἀδυνατεῖν, aliud ἐξαδυνατεῖν. Ἀδυνατεῖ, qui à principio non potest præ virium imbecillitate. Ἐξαδυνατεῖ, qui fugere auspicatus, viribus deficientibus in medio cursu resistit. Primo igitur, percussus in fugam se dat bonasus, ubi vires eum defecere, tum stat, ac se defendit, calcibus ac stercoris adversus insequentes ejaculatione. Solinus, qui fugientem ἀφοδεύειν scribit, Plinium suum sequutus est, nisi potius Antigonum, qui cum ex Aristotele id habeat, non benè tamen mentem ejus expressit: διωκόμενον δ᾽ προσαφοδεύειν πόῤῥωθεν. Antigonum vidit Solinus, & multa ex eo sumpsit, ut alibi planum fecimus. Sed illud prorsus mirum de Plinio, qui quod in Græco est Aristotelis, καὶ εἰς τέτταρας ὀργυιὰς ἀφ᾽ ἑαυτοῦ ῥίπτων, *trium jugerum longitudine*, reddidit: *quapropter fuga sibi auxiliari, reddentem in ea fimum interdum & trium jugerum longitudine.* Quatuor ὀργυιαὶ pedes faciunt viginti quatuor. At tria jugera longitudinem obtinent sexcentorum pedum. Nam jugerum longum est pedes ducentos. Fortean in Græco aliquo auctore repererit, καὶ εἰς τρία πλέθρα. Quod tamen non puto, & impossibile est. Male etiam, illud Plinius. Quod enim dixit Aristoteles, τούτῳ δ᾽ χρῆται πολλάκις, non ad longitudinem ejaculationis referri debet, sed ad ipsam ejaculationem stercoris: cetera quippe animalia, ubi semel stercus reddiderunt, tempore opus habent ut iterum hoc reddant. Bonacus verò, cui hoc pro ἀμυντηρίῳ à natura datum est, sæpius & facile hoc utitur. Solinus qui duabus editionibus opus suum publicavit, in altera Plinium prorsus iisdem verbis sequutus est, ea lectio est quæ in vulgatis libris hactenus obtinuit: *proluvie citi ventris fimum egerit per longitudinem trium jugerum.* In altera ita posuerat: *fimum egerit per longas aspergines.* Quod ex Antigoni verbis expressum esse liquido ausim jurare: διωκόμενον δ᾽ προσαφοδεύειν πόῤῥωθεν. Illud πόῤῥωθεν est, *per longas adspergines.* Multa hausisse Solinum ex Antigoni mirabilibus alibi ostendimus. Idque etiam melius sciremus, si integrum illud scriptum extaret. Verbo autem Apuleji usus est, qui *adspersginem* de liquidiore stercore usurpavit lib. IV in re prorsus simili: *nisi dolore plagarum alvus artata, crudisque illis oleribus abundans, & lubrico fluxu saucia fimo fistulatim excusso quosdam extremi liquoris aspergine, alios putore nidoris fœtidi a meis jam quassis scapulis abegisset.*

Cujus ardor quidquid attigerit, amburit] Aristoteles: καὶ ἀποκαίει δὲ ὥστε ἀποψήχεσθαι, καὶ τὰς τρίχας τῶν κυνῶν. An legendum ἀποψώχεσθαι? Nam ψώχειν est πλωύειν, τρίβειν, ξαίνειν. Sed idem sensus ex verbo ψήχειν, quod proprie significat radere & pectere, vel destringere. Unde ψήκτρα strigil, qua equi destringuntur: & ψήγματα, ramenta. Scaliger legebat ἀποψύχεσθαι. Quod non convenit. Depecti ac deradi pilos canum ambustione significat. Antigonus: καὶ τὴν κόπρον ἐπικαίειν οὕτως, ὥστε τὰς τρίχας ἀποῤῥεῖν τῶν κυνῶν. Ubi melius fortasse legas: ὥστε τὰς τρίχας ἀποῤῥαίειν τῶν κυνῶν. Ita ut pilos canum perdat, ac corrumpat. Nec sum tamen nescius τρίχας ἀποῤῥεῖν dici de pilis defluentibus. Ælianus: ἀφίησι πυρώδες, καὶ δριμὺ ἀποπάτημα ὡς ἀκούω: ὅπερ οὖν εἰ προσπέσοι τῷ τῶν θηρατῶν ἀπέκτεινεν αὐτῶν. Profecto æque canes occideret quibuscunque incideret quam venatores,

venatores. Atqui pilum tantum amburere ac depectere canibus, quos contigerit stercus illud, Aristoteles scribit: à quo Antigonus ceterique acceperunt. Præter verum igitur, vel suprà verum ab Æliano illud amplificatum de internecione venatorum. Plinius: *cujus contactus, ut ignis aliquis amburit.* Heîc amburere non est penitus comburere, sed circumurere, & extimam cutim adurere, & ambusta in corpore facere. Plinio *ambusta* dicuntur, quæ Dioscoridi & medicis Græcis πυρίκαυςα, pustulæ nempe ex igne, vel aqua ferventi adsperſa in corpore exortæ. Hinc multa ambustorum remedia apud eum leges omnibus fermè paginis inter medicinas. Glossæ: *ambustus*, περιπεφλεγμένος, περικαυτὶς. Et *assulæ ambustæ* Claudio apud Servium assulæ circumustulatæ, quibus ad fomites utebantur. Hinc explicandus fortasse titulus *ambustarum* apud Valerium Maximum lib. VIII. cap. I de duabus mulieribus, quæ neque damnatæ, neque absolutæ publico judicio fuere. Qui damnatus est, penitus conflagrasse intelligitur. Qui absolvitur, ex incendio evadit intactus & illæsus. *Ambustus* ille censetur, quem accusationis ignis adflavit, & contigit, ac circumustulavit, non etiam consumpsit. Sed necdum omnino liberatus, sanatusque habetur ambustionis notis adhuc manentibus. Quæ Græcis πυρίκαυςα appellantur, Plinius *ambusta*, ut dixi, sed & *ambustiones* aliquando vocat. Ut lib. XXIII. cap. IIII de oleo myrteo: *item eruptionibus & ambustionibus.* Πρὸς τὰ ἐξανθήματα καὶ πυρίκαυςα. Omnes ex igne adustiones ita vocarunt. Nam alia sunt à sole usta, quæ ἡλιόκαυςα, & à nivibus adusta, quæ χιονόκαυτα. Absolutè verò ac simpliciter *ambusta* & *ambustiones* Latini dixere. Dioscorides de glutino: πυρίκαυτά τε σὺν ἐᾷ φλυκτωινοῦσθαι μεθ' ὕδατος θερμοῦ ἀνεθεῖσα καὶ καταχριομένη. *Ab igne usta* vel *ambusta in pustulas surgere prohibet aqua calida resolutum & impositum.* Sic stercus bonaci, ut ignis amburit, quos contigerit, sive canes sint, sive venatores, non tamen eos necat. Ita & *ambustus* Valerio, quem condemnatio non perdidit, nec absolutio liberavit. *Fulminatos* vulgo in consuetudine dicebat, qui condemnati fuerant. Artemidorus: καὶ γὰρ τοὺς καταδικασθέντας ἐν τῇ συνηθείᾳ κεραυνοῦσθαι φαμέν. Juvenalis:

---- quam fulmine justo
Et Capito & Numitor ruerint damnante senatu.

De his intellige quos fulmen occiderit. Nam quos fulmen adflavit tantum, & in aliqua parte corporis adussit, nec interfecit, hi *ambusti* propriè dicti sunt: ut Fabius ille, qui pullus Jovis appellatus est, quod fulmine ictus esset in natibus. Arnobius lib. IV. *Et, ut Jovis dicatur pullus, in partibus Fabius aduritur mollibus, obsignaturque posticis.* Vide Festum. Atque ille Fabius est, qui cognominatus *Ambustus* toti postea familiæ id cognomen dedit. Fabiorum Ambustorum cognomine frequens apud Livium mentio. Poëta de Anchise:

---- ex quo me divum pater atque hominum rex
Fulminis adflavit ventis, & contigit igni,

id est, ambussit. Nam quæ igne contacta sunt in corpore, *ambusta* Plinius vocat. Artemidorus lib. II. cap. VIII. Ἐπεὶ καὶ ὅταν ἄλλο τι μέρος τοῦ σώματος ὁ κεραυνὸς καταφλέξῃ, ἢ μὴ ὅλον τὸ σῶμα, ἢ μὴ τοιοῦτον καταλάβοι ἐξ οὗ εἰκὸς θάνατον παρακολουθεῖν τῷ κεκεραυνωμένῳ, τότε μικρότερα τὰ ἀποτελέσματα γίνεται. Ita scribendus ille locus: Si inquit aliquis somniarit, fulmine ictum sese fuisse in capite, vel in pectore, idem judicium faciendum est, ac si fulminatum se, & occisum somniasset. Nec enim partes illas contingere potest fulmen sine internecione. Μεμνῆσθαι δὲ ἔτι χρή, ὅτι τὰ αὐτὰ σημαίνει τῷ δοκεῖν κεραυνοῦσθαι, ἐπειδὰν τις ἢ καταπεφλέχθαι ὑπὸ τοῦ κεραυνοῦ νομίσῃ, ἢ κατὰ κεφαλῆς, ἢ κατὰ στέρνου τὸν κεραυνὸν πεπτωκέναι. Sic distinguenda ac legenda hæc sunt. At si quis in aliam partem corporis sibi cecidisse fulmen somniet, vel non totum corpus à fulmine sibi ambustum, vel certè non ita ambustum, nec iis in partibus, unde mortem consequi necesse sit, tum minora etiam esse, quæ ex eo eventura sunt, judicandum. Κεραυνωθῆναι simpliciter dicebant eum, qui quoquo modo fulmine ictus interiisset. At καταφλεχθῆναι ὑπὸ τοῦ κεραυνοῦ, cujus totum corpus ambusserat fulgur: ut Phaëthontem poëtæ & Capaneum narrant. Horatius:

Torret ambustus Phaëthon avaras
Spes.

Φαέθων καταφλεχθεὶς ὑπὸ τοῦ κεραυνοῦ. At *ambustum* etiam dixere, ὅταν τι μέρος τοῦ σώματος καταφλέξῃ, cùm partem aliquam corporis ambusserat fulmen, unde mors consequuta non esset, ut in Ambusto Fabio & Anchise, & aliis quamplurimis. Sic *ambusta* in corpore τὰ πυρίκαυςα, quæ totum corpus non occupabant, sed partem aliquam. Fimus bonaci amburit, quæ contigerit, velut ignis. Aristoteles ἀποκαίειν dixit, adurit. *Usta, ambusta, adusta,* & *combusta* Plinius appellat quæ Græci πυρίκαυςα. Festus: *ambustus, circumustus.* Ambustæ itaque illæ mulieres apud Valerium, quæ accusatæ tantum publico judicio, non condemnatæ sunt, sed nec tamen absolutæ.

Miletos Ioniæ caput, Cadmi quondam domus] id est, patria. Supra in Sicilia: *Hinc domo Archimedes.* Et de Cyzicenis: *Quæ domus Callimacho poëtæ fuit.* Sic enim ibi legendum. Vulgo edunt: *Quæ domus Callimachi fuit & patria.* In scriptis codicibus erat: *quæ domus Callimacho fuit patria.* Sed illud *patria* vel glossa est, vel varia lectio ex altera editione. Quod nos ad eum locum monere omisimus. Poëta quidam: *Qui genus? unde domo?* id est, ex qua patria. Ciceroni *domi nobiles* dicuntur, qui in patria sua nobiles habentur. Scaliger in his loquutionibus *domum* non patriam, aut originem significare volebat, sed incolatum. Sed falsus est. Apud Vopiscum Bonosus dicitur *domo Hispaniensis*, quem origine & patria Hispanum debes accipere. Scio quidem veteres inter *Hispanum* & *Hispaniensem* distinxisse, sed hoc discrimen sæculo illo neglectum. Et *domo Hispaniensis* idem est, quod patria & origine Hispanus. Solinus quoque *res Hispanienses* de rebus Hispanicis dixit, & Hispaniæ quidem nativus.

Sed ejus, qui primus invenit prosa orationis disciplinam] Plinius de Mileto: *nec fraudanda cive Cadmo, qui primus prosam orationem condere instituit.* Atqui idem alio loco non Cadmum Milesium prosæ orationis primum conditorem facit, sed Pherecydem Syrium. Cadmum autem historiam primum omnium conscripsisse refert lib. VII. capite, *quæ quis in vita invenerit.* Verba ejus hæc sunt: *prosam orationem condere Pherecydes Syrius instituit Cyri regis ætate, historiam Cadmus Milesius.* Iisdem verbis eamdem rem diversis locis diversis auctoribus attribuit in eodem opere. Cadmi vetustissimi historiæ conditoris meminit Clemens Alexandrinus, cujus libros transcripsisse & epitomasse dicit Bionem Proconnesium lib. VI. Stromateῶν: Μελησαγόρου γὰρ ἔκλεψεν Γοργίας ὁ Λεοντῖνος, καὶ Εὔδημος ὁ Νάξιος οἱ ἱστορικοί· καὶ ἐπὶ τούτοις ὁ Προκοννήσιος Βίων, ὃς καὶ τὰ Κάδμου τοῦ παλαιοῦ μετέγραψεν κεφαλαιούμενος. Hic est dubio procul Milesius Cadmus, à quo historiam primum conditam scribit Plinius, & quem hoc loco prosæ orationis inventorem fuisse vult. De Pherecyde Syrio certum est, cum vixisse Cyri ætate, & Pythagoræ præceptorem fuisse. Theopompus primum eum apud Græcos scripsisse περὶ φύσεως καὶ θεῶν referente Laërtio dixit. Narrat idem, Syrii Pherecydis sua adhuc ætate libellum extitisse, cujus initium erat: Ζεὺς μὲν καὶ Χρόνος εἰς ἀεὶ καὶ Χθονίη· Χθονίῃ δὲ ὄνομα ἐγένετο Γῆ, ἐπειδὴ Ζεὺς αὐτῇ γέρας διδοῖ. Hoc est opus, quod sub nomine Θεογονίας citatur veteri Apollonii Scholiastæ. Idem Pherecydem passim laudat ex libris primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, nono, decimo, duodecimo. Argonauticon IV. Φερεκύδης ἐν δωδεκάτῳ ἱστορεῖ, ὡς Ἀκρίσιος γαμεῖ Εὐρυδίκην τὴν Λακεδαίμονος· τῶν δὲ γίνεται Δανάη. Hic Pherecydes est idem cum eo, qui Θεογονίαν scripsit. Atheniensis quippe fuit, & γενεαλόγος. Diogenes Laërtius: Ἐρατοσθένης δὲ ἕνα μόνον Σύριον καὶ ἕτερον Ἀθηναῖον γενεαλόγον. Ubicunque igitur Pherecydes laudatur apud illum scholiasten ex pluribus libris, de genealogo & Atheniensi Pherecyde accipiendum, & aliquid semper γενεαλογικὸν ibi tractatur. At Pherecydis Syrii nihil extabat tunc præter unicum librum de Theologia, qui tractatus diversus fuit à Theo-

Theogonia alterius Pherecydis. Quidam duos Syrios Pherecydas voluerunt eſſe, unum ἀςρολόγον, alterum Θεολόγον. Sed unus idemque fuit ἀςρολόγος & Θεολόγος, qui & ſapiens habitus ultimus eorum, qui σοφοὶ dicti ſunt. Eum circiter Olympiadem nonam & quinquageſimam floruiſſe Diogenes tradit. Hieronymus ex Euſebio ad Olympiadem ſexageſimam eum recenſet, ſed quare hiſtoricum appellet neſcio, niſi quia confundere videtur cum Athenienſi, qui hiſtoricus ac γενεαλόγος fuit. Idem & alterum ἰσορόγραφον Pherecydem agnoſcit circa Olympiadem octogeſimam primam. Is Athenienſis erat Pherecydes, quem proſam orationem condere primum inſtituiſſe Plinius alicubi ſcripſit, alii primum hiſtoriæ auctorem faciunt. De hoc Pherecyde intellexit Strabo, ubi diſputat poëticam compoſitionem proſa oratione antiquiorem fuiſſe, ac prius viguiſſe. Πρώτιστα γὰρ, inquit, ἡ ποιητικὴ κατασκευὴ παρῆλθεν εἰς τὸ μέσον, ἢ εὐδοκίμησεν· εἶτα ἐκείνην μιμούμενοι, λύσαντες τὸ μέτρον, τἆλλα δὲ φυλάξαντες τὰ ποιητικὰ συνέγραψαν οἱ περὶ Κάδμον, καὶ Φερεκύδη, καὶ Ἑκαταῖον: εἶτα οἱ ὕστερον ἀφαιροῦντες ἀεί τι τῶν τοιούτων εἰς τὸ νῦν εἶδος κατήγαγον ὡς ἂν ἀπὸ ὕψους τινός. Illuſtris plane locus. Qui ſic accipiendus eſt, non ut dicat omnem orationem ſolutam poëtica poſteriorem eſſe; quod omnino falſum eſt. Etenim pedeſtri ſermone ſemper loquuti ſunt homines, non poëtico, nec metrico. Sed eam prorſam orationem, quæ arte conſtat, & qua aliquid primo conſcriptum eſt, è poëtica docet manaſſe, veluti ex fonte. Ὡς δ' εἰπεῖν, inquit, ὁ πεζὸς λόγος, ὅγε κατεσκευασμένος, μίμημα τοῦ ποιητικοῦ ἐστι. Non dicit omnem πεζὸν λόγον, ſed τὸν κατεσκευασμένον. Quod poſtea explicat: καὶ τὸ ἀείδειν δὲ ἀντὶ τοῦ φράζειν τιθέμενον παρὰ τοῖς πάλαι, ταυτὸ τοῦτο ἐκμαρτυρεῖ διότι πηγὴ, καὶ ἀρχὴ φράσεως κατεσκευασμένης, ἢ ῥητορικῆς ὑπῆρξεν ἡ ποιητική. Atque inde πεζὸς λόγος & pedeſtris ſermo de ſoluta oratione, quod veluti ex faſtigio quodam, & ſuggeſtu veluti curru ad humum ſit deductus. Ergo poëticus prior, ex quo pedeſtris, veluti ab equo ad pedes deſcendit. Inter primos auctores, qui ſoluta oratione ſcripſerunt, recenſet Cadmum, Pherecydem & Hecatæum: & ut eos ordine enumeret, videtur antiquiſſimum facere Cadmum, deinde Pherecyden, noviſſimum Hecatæum. Ille eſt Cadmus Mileſius, quem proſæ orationis primum conditorem aſſerit Plinius lib. v. Quod tamen Pherecydi tribuit lib. VII: ubi de rerum inventoribus tractat. Cadmo vero ibi dat, ut primus hiſtoriæ conditor fuerit. Porphyrius apud Suidam tradit Pherecyden primum omnium συγγραφὴν edidiſſe proſa oratione. Ut ut ſit, tres illi vetuſtiſſimi Straboni nominantur, qui proſa oratione aliquid ediderunt. Et primus inter eos, ut apparet, Cadmus Mileſius. Pherecydes porro ille, cujus Strabo meminit, non eſt Syrius, ſed Athenienſis γενεαλόγος poſterior Syrio, ut idem Strabo affirmat lib. x. Σύρος δὲ ἐστὶ μηκύνουσι τὴν πρώτην συλλαβὴν, ἐξ ἧς Φερεκύδης ὁ Βάβυος ἦν, νεώτερος δὲ ἐστὶν ὁ Ἀθηναῖος ἐκείνου. De natura, ac de Diis primum omnium Syrium Pherecydem ſcripſiſſe docebamus ante Theopompi teſtimonio, quod apud Laërtium extat: τοῦτόν φησι Θεόπομπος πρῶτον περὶ φύσεως, καὶ θεῶν Ἕλλησι γράψαι. Proſa oratione hæc ſcripſerat, & quidem Ionica dialecto. Nam Σύρος, unde oriundus fuit, Ἰωνικὴ νῆσος Stephano teſte. Ex epiſtolis quoque ejus, quas refert Diogenes Laërtius, Ionica lingua ſcripſiſſe apparet. Apollonius τεχνικὸς Θεολογίαν appellat illud ſcriptum in libro περὶ ἀντωνυμίας. Ἐμεῦ κοινὴ Ἰώνων, καὶ Δωριέων, ἐμεῦ δ' ἔλετο μέγαν ὅρκον. Ἄκουε νῦν καὶ ἐμεῦ ἔργα. Σώφρων, καὶ Φερεκύδης ἐν τῇ Θεολογίᾳ, καὶ ἔτι Δημόκριτος ἐν τοῖς περὶ ἀστρονομίας, καὶ ἐν τοῖς ὑπολειπομένοις συντάγμασι συνεχέστερον χρῶνται τῇ ἐμεῦ, καὶ ἔτι τῇ ἐμέο διὸ, καὶ ὁλοκληροτέραν ἂν τις αὐτὴν ὑπολάβοι τῆς ἐμέο, καὶ ἔτι καθὸ οἱ πεζολόγοι διὰ τοῦ ι οὐκ ἐχρήσαντο: τῇ δὲ διὰ τοῦ ε. Καίτοι τοῦ περὶ Τρύφωνα οὐκ ἀπιθάνοις λόγοις προσκεχρημένων ὑπὲρ τοῦ τὴν ἐμέο ἐντελεστέραν εἶναι. Pherecydes in Theologia & Democritus in Aſtronomia aliiſque ſcriptis, quæ tum ſupererant, frequenter uſi fuerant pronomine ἐμεῦ & ἐμέο. Uterque Ionice ſcripſerat. Obſcurum fuiſſe illud ſcriptum Pherecydis Syrii Theologicum, & ſimile operibus Heracliti, qui Σκοτεινὸς eſt appellatus, narrat Clemens Alexandrinus lib. v. Strom. Ὡς καὶ τὸ Ἡρακλείτου περὶ φύσεως, ὃς καὶ δι' αὐτὸ τοῦτο Σκοτεινὸς προσηγόρευται. Ὁμοῖα τούτῳ τῷ βιβλίῳ, καὶ ἡ Φερεκύδους Θεολογία τοῦ Συρίου. Tota allegorica & myſtica fuit illa Theologia, & qualem decebat eſſe ejus, qui Pythagoræ præceptor fuiſſe traditur, ſimili quoque Theologia uſi. Idem Clemens lib. VI. Καὶ γάρ μοι δοκεῖ τοὺς προσποιουμένους φιλοσοφεῖν, ἵνα μάθωσι τί ἐστιν ἡ ὑπόπτερος δρῦς, καὶ τὸ ἐπ' αὐτῇ πεποικιλμένον φᾶρος, πάντα ὅσα Φερεκύδης ἀλληγορήσας λαβὼν ἀπὸ τῆς τοῦ Χαμ προφητείας τὴν ὑπόθεσιν, ὡς πάλαι παρεσημειωσάμεθα. Quæ verba citat ex Iſidoro Baſilidis filio & diſcipulo, ἐκ τῶν ἐξηγητικῶν τοῦ προφήτου Παρχώρ. Idem Clemens libro eodem ex Pherecyde Syrio hæc verba refert: Φερεκύδης ὁ Σύριος λέγει, Ζὰς ποιεῖ φᾶρος μέγα τε καὶ καλὸν: καὶ ἐν αὐτῷ ποικίλλει γῆν καὶ Ὠγηνὸν, καὶ τὰ Ὠγηνοῦ δώματα. Ex Theologia ejus hæc ſumpta eſſe planum eſt. Hoc φᾶρος eſt πεποικιλμένον, cujus Iſidorus ex allegorica Pherecydis Theologia meminit loco ſupra citato. Ogenus ille Deus quidam antiquus. Stephanus: Ὤγενος, ἀρχαῖος θεὸς, ὅθεν Ὠγήνιοι, καὶ Ὠγενίδαι ἀρχαῖοι. Παρθένιος ὁ Φωκαεὺς Δήλῳ.

Σοὶ τοι ἐγὼ Τηθύς τε καὶ Ὠγενίης συγὸς ὕδωρ.

Sed in verbis Pherecydis Ὠγηνὸς vel Ὠγὴν eſt oceanus. Ita veteres interpretati ſunt. Heſychius: Ὠγενίδαι, Ὠκεανίδαι, Ὠγὴν γὰρ Ὠκεανός. Et paulo poſt: Ὠγὴν, Ὠκεανός. Hoc modo declinantur Ὠγὴν Ὠγῆνος, unde Ὠγήνιοι & Ὠγηνίδαι. Et fortaſſean ita ſcribendum apud Pherecydem: καὶ ἐν αὐτῷ ποικίλλει γῆν καὶ Ὠγῆνα, καὶ τὰ Ὠγῆνος δώματα: ſed Ὠγηνὸς pro Ὠγὴν, ut μάρτυρος pro μάρτυρ. Quod eſt Ionicum & Æolicum. Profecto Ὠγὴν, & Ὠγηνὸς, & Ὠγήνιος dicebatur; eſtque oceanus: in illo præclaro texto Juppiter depinxerat γῆν καὶ Ὠγηνὸν terram & oceanum. Parthenio Ὠγηνίη συγὸς eſt Ὠκεανίνη. Ex hoc fragmento, quale totum opus, qualiſque Theologia Pherecydis fuerit, conjici poteſt. Quin & ipſe in epiſtola ad Thalem theologandi genus ſequutum ſeſe eſſe profitetur involutum ænigmatis & allegoriis. Ἐστὶ δὲ, inquit, οὐκ ἀτρεκίην πρηγμάτων, οὐδ' ὑπισχνέομαι τἀληθὲς εἰδέναι. Ἅσσα δ' ἂν ἐπιλέγω θεολογέων, ἅπαντα γὰρ αἰνίσσομαι. Ex his conſtare poteſt θεογονίαν Pherecydis, quæ laudatur ab Apollonii ſcholiaſte, non eamdem fuiſſe cum eo opere, cui titulus fuit Θεολογία. Certe non idem profitetur ac promittit uterque titulus. Clarum eſt itaque, Θεογονίαν junioris fuiſſe Pherecydis Athenienſis, qui non ſolum hominum, & heroum antiquorum, ſed etiam Deorum genealogias conſcripſit, ut & univerſam μυθοποιΐαν. Scholiaſtes Apollonii ad Argonaut. β. ὅτι δὲ ἐπὶ τὸν Καύκασον κατέφυγεν ὁ Τυφὼς διωκόμενος, καὶ ὅτι καιομένου τοῦ ὄρους ἔφυγεν ἐκεῖθεν εἰς τὴν Ἰταλίαν, ὅπου τὴν Πιθηκοῦσαν αὐτῷ περιῤῥιφῆναι νῆσον Φερεκύδης ἐν τῇ θεογονίᾳ ἱστορεῖ. Hæc multum diverſa ab eo opere Theologico Pherecydis, in quo aliud dicebat, aliud intelligi volebat. Tota quippe ænigmatica illa fuit Theologia, nec ſenſibus tantum; ſed etiam verbis. Hinc illa ὑπόπτερος δρῦς. Et quæ retulit Clemens, Ζὰς ποιεῖ τε φάρος μέγα τε καὶ καλὸν, καὶ ἐν αὐτῷ ποικίλλει γῆν καὶ Ὠγηνὸν, καὶ τὰ Ὠγηνοῦ δώματα. At in θεογονίᾳ abſque ænigmatis, & involucris Deorum generatio deſcripta erat eodem prorſus modo, quo poëtæ eam tradiderant, cujus exemplum habes in Theogonia Heſiodi. Et ſane Cadmus, & Pherecydes junior, & Hecatæus inter primos & antiquiſſimos hiſtoricos poëtica argumenta & fabulas pedeſtri oratione, ſolutis tantum metris tractavere. Poteſt etiam ambigi, utrum illud principium libri Pherecydis, quod à Diogene Laërtio refertur, Theologiæ cenſeri debeat, an Theogoniæ. Σώζεται δὲ, inquit, τοῦ Συρίου τό δε βιβλίον, οὗ ἡ ἀρχὴ, Ζεὺς μὲν καὶ χρόνος εἰσαεὶ, καὶ χθὼν ἦν. Χθονίη δὲ ὄνομα ἐγένετο γῆ, ἐπειδὴ αὐτῇ Ζεὺς γέρας διδοῖ. Initium Θεογονίας potius videri queat, quam Θεολογίας. Præterea non Ζεὺς, ſed Ζὰς dicebatur Pherecydi Syrio, ut ex loco Clementis apparet ante allato. Nec prohibet, quod Syrio Pherecydi illud βιβλίον tribuit Diogenes. Veteres paſſim utrumque Pherecydem confundunt. Et notabiliter Clemens Alexandrinus hiſtoricum & juniorem Athenienſem cum veteri Syrio

rio eumdem facit, ut ex his clarum est quæ scribit lib. v. Φασὶ γοῦν καὶ Ἰνδαθύρσαν τὸν Σκυθῶν βασιλέα, ὥς ἱστορεῖ Φερεκύδης ὁ Σύριος, Δαρείῳ διαβάντι τὸν Ἴστρον πόλεμον ἀπειλοῦντα πέμψαι σύμβολον ἀντὶ γραμμάτων, μῦν, βάτραχον, ὄρνιθα, οἰστὸν, ἄροτρον. Haud scio, an hæc convenire queant in antiquum Syrium Pherecydem, qui non videtur usque ad eam ætatem pervenisse, ut mandare literis potuerit, quæ Dario Histaspis accciderunt in Scythiam transgresso. Præterea nihil ille reliquit historici, sed de natura ac de Diis ænigmaticè & involutè philosophatus est, & eam Theologiam in literas retulit. Propter quod primus prosæ orationis conditor existimatus est. Sanè qui ante illum Sophi dicti sunt, nihil prosa oratione scriptum reliquerunt, si Thaletem excipias, quem opus de nautica astrologia composuisse quidam dixere: alii nihil prorsus edidisse volunt. Κατὰ τινὰς μὲν σύγγραμμα κατέλιπεν οὐδέν. Nonnulli tamen de æquinoctio & solstitio scripsisse eum affirmarunt: καὶ τινὰς δὲ δύο μόνα συνέγραψε περὶ τροπῆς καὶ ἰσημερίας. Verùm hæc omnia incerta. Illud certum de Pherecyde Syrio Θεολογίαν ejus fuisse, quæ manibus doctorum olim terebatur. Quinetiam si vera illa est epistola Pherecydis ad Thaletem, quam recensuit Diogenes, Pherecydem è vivis excessisse oportet ante Thaletis obitum. Sic enim ad eum mandat: σὺ θνήσκοις, ὅταν τοι τὸ χρεὼν ἥκοι: νοῦσός με καταλελάβηκε δεδεξμένον τὰ παρὰ σέο γράμματα. Et sub finem epistolæ: προσετέταξα δὲ τῇ θύρᾳ, ἢ εἰρομένοις ὁκοῖόν τι εἴη δὶς δάκτυλον ἐκ τῆς κλινήρης ἔδειξα ὡς ἔχοιεν ἐμὲ κακοῦ, καὶ προεῖπα αὐτοῖσι ἥκειν εἰς τὴν ὑστεραίην ἐπὶ τὰς Φερεκύδεω ταφάς. Scribit hæc ille de morbo suo φθειριάσεως, quo statim post defunctus est. Ergo necesse est eum obiisse vivente adhuc Thalete. Atqui Thales, ut inter omnes convenit, decessit Olympiade quinquagesima octava. Quî verum igitur esse potest, quod idem Diogenes tradidit de Pherecyde Syrio, floruisse eum circa quinquagesimam nonam Olympiadem. Obiit ille ante Thaletem. Thales moritur Olympiade quinquagesima octava. Non amplius igitur in vivis tunc erat Pherecydes, quum Thales fatis concessit. At floruisse illum scribit quatuor annis post Thaletis mortem. Non igitur vera, sed planè commentitia illa epistola Pherecydis ad Thaletem. Ecce alius, qui velit Thaletis præceptorem fuisse Pherecydem. Tzetzes:

Θαλῆς σοφὸς Μιλήσιος εἰς τῆς σοφῶν ἑπτάδος
Τοῦ δὲ Συρίου μαθητὴς ὑπάρχων Φερεκύδους.

Non jam proinde mirum fuerit, si præceptor Pherecydes ante discipulum obiit Thaletem. Tunc & veram illam epistolam esse dicendum est, qua Pherecydes Thaleti scribens morbum suum illi declarat, & mortem prædivinat, in posterum diem eventuram. His adde, quod inter septem sapientes quidam Pherecydem retulerunt. Clemens in primo Stromate: οἱ δὲ Ἀργεῖον Ἀκουσίλαον ἐγκατέλεξαν τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς, ἄλλοι δὲ Φερεκύδην τὸν Σύριον. Falsissimum sic erit, quod Diogenes florem ætatis, qua viguit Pherecydes Syrius, ad Olympiadem quinquagesimam nonam collocat. Eusebius similiter Pherecydem circiter idem tempus vixisse ponit, sed historicum vocat. Atqui Pherecydes Syrius ille antiquus Theologus nominatus est, non historicus, cujus & Θεολογία extabat, opus de deorum natura totum allegoricum & ænigmaticum. Γέγονε δὲ, inquit Laërtius: κατὰ τὴν πεντηκοστὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα. Floruisse vult ea Olympiade, non genitum. Diogenes ex Apollodori Chronicis refert natum Thaletem primo anno Olympiadis trigesimæ quintæ: Φησὶ δ' Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς χρονικοῖς γεγενῆσθαι αὐτὸν κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς τριακοστῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος. Eusebius eo anno floruisse scribit. Nam ad Olympiadis suprascriptæ primum annum ita notat: *Thales Milesius Examii primus Physicus philosophus agnoscitur, quem ajunt vixisse usque ad quinquagesimam octavam Olympiadem.* Idem tamen obitum ejus conjicit in annum secundum Olympiadis quinquagesimæ septimæ. Sed certum est mortem obiisse Olympiade quinquagesima octava. Diogenes: ἐτελεύτησε δὲ ἐτῶν ἑβδομήκοντα ὀκτὼ, ἢ ὡς Σωσικράτης φησὶν, ἐνενήκοντα: τελευτῆσαι δ' ἐπὶ τῆς πεντηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, γεγονότα κατὰ Κροῖσον. Vixit annos septuaginta octo, natus

A est Olympiadis trigesimæ quintæ anno. Secundum hæc obierit oportet anno tertio aut ultimo Olympiadis primæ & quinquagesimæ. At Sosicrates nonaginta annos vixisse volebat, si natus est ea Olympiade, qua scripsit Apollodorus, decessit idem Olympiade quinquagesima sexta. Oportet circa natalis ejus annum, non circa diem mortis variasse auctorum sententias. Pro certo igitur sumamus obiisse Olympiade quinquagesima octava, si nonaginta eum vixisse annos concedimus ex Sosicratis sententia, non trigesima quinta, sed trigesima septima Olympiade genitum dicamus necesse est. Quidam rursus ea Olympiade inclarescere cœpisse, non natum esse

B prodiderunt: Γεγονὼς περὶ Κροῖσον ἐπὶ λε' Ὀλυμπιάδος κατὰ δὲ Φλέγοντα γνωριζόμενος ἐπὶ λζ'. Vides auctorum discordiam. Alii trigesima quinta natum Olympiade scripsere, alii trigesima septima. Rursus nonnulli hac vel illa Olympiade inclaruisse memorant. Si jam tum cognitum fuisse volumus, & nihilominus Olympiade quinquagesima octava decessisse, longè nonagenario major oportet fuerit, quum obiit mortem. Et sanè ultra centum annos eum vixisse memoriæ prodidit Eusebius, qui γνωρισμὸν ejus, non γένεσιν statuit ad Olympiadem trigesimam quintam: Θαλῆς Ἐξα-

C μίου Μιλήσιος φιλόσοφος εἰς τῶν ἑπτὰ σοφῶν ἐγνωρίζετο: λέγεται ζῆσαι ὑπὲρ τὰ ρ'. Hoc si verum est, juxta Phlegontem, qui trigesima septima Olympiade eum innotescere cœpisse tradidit, aliquot viginti annorum fuerit. Clemens Stromate primo περὶ τὴν πεντηκοστὴν Ὀλυμπιάδα γενόμενον dicit, vixisse eo tempore indicat. Idem est γενόμενος ac γεγονώς. Diogenes: γεγονὼς κατὰ Κροῖσον, qui tempore Croesi fuit. Idem Alexandrinus eodem Stromate narrat Thalem prædixisse eam eclipsim solis, quæ contigit sub id fermè tempus, quo Lydi & Medi prælium commiserunt. Εἰσὶ δὲ, inquit, οἱ χρόνοι περὶ τὴν πεντηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. Demetrius Phalereus in

D Magistratuum Atheniensium, qui Ἄρχοντες dicebantur, ἀναγραφῇ scriptum reliquit Thaletem primum σοφὸν nominatum esse prætore Damasia, quo tempore & septem sapientes appellati sunt. Diogenes: καὶ πρῶτος σοφὸς ὠνομάσθη ἄρχοντος Ἀθήνησι Δαμασίου, καθ' ὃν καὶ οἱ ἑπτὰ σοφοὶ ἐκλήθησαν. Damasias autem prætor Athenis fuit anno primo trigesimæ quintæ Olympiadis. Ergo Demetrius Phalereus eorum opinionem ad plenum confirmat, qui Thalem Olympiade trigesima quinta non γεννηθῆναι sed γνωρισθῆναι contendunt. Quos Eusebius sequutus est. Anno Dama-

E siæ magistratus, qui fuit Olympiadis trigesimæ quintæ primus, septem Sapientes nomen ex numero invenerunt, & inter eos primus judicatus Thales. Non igitur tunc natus, sed notus primum est. Ab eo tempore, si ad quinquagesimam octavam pervenit Olympiadem, ultra centum annos vitam prorogasse censendus, ut disertim Eusebius testatur. De Pherecyde Syrio, ut ad rem redeamus, non minor auctorum, immo etiam major discordia est. Ex iis, quæ supra attigimus, concludere liceat priorem è vita migrasse, quàm Thaletem. Eum Pherecydem Thaletis præceptorem fuisse ex quorumdam veterum

F sententia supra ostendimus. Alii sunt, quibus placet Pythagoram auditorem ac discipulum Thaletis fuisse. Quæ multò major pars est. Quinetiam sepultum Pherecydem à Pythagora in Delo insula volunt, & post justa funeri persoluta in Italiam reversum eumdem, ac paulo post inedia sponte mortuum. Diogenes in vita Pythagoræ: Ἡρακλείδης δὲ φησὶν ἐν τῇ τῶν Σατύρου βίων ἐπιτομῇ μετὰ τὸ θάψαι Φερεκύδην ἐν τῇ Δήλῳ ἐπανελθεῖν εἰς Ἰταλίαν, καὶ πανδαισίαν εὑρόντα Μύλωνος τοῦ Κροτωνιάτου εἰς Μεταπόντιον ἐξελθεῖν, κἀκεῖ τὸν βίον καταστρέψαι ἀσιτίᾳ μὴ βουλόμενον περαιτέρω ζῆν. His

G consentanea ferè tradidisse Nicomachum auctor est Jamblichus in vita ejus Philosophi. Ibi narrat per absentiam Pythagoræ, cum fortè Delum profectus esset ad procurandum Pherecydem Syrium præceptorem suum, qui in pedicularem morbum inciderat, Pythagoreos omnes in Italia internecioni datos fuisse ac combustos, facientibus malevolis quibusdam, quos rejecerat olim Pythagoras, nec in disciplinam recipere voluerat. Pythagoram defuncto Pherecyde ac sepulto,

pulto, quum usque ad mortem illi adstitisset, in Italiam repedasse, atque ibi non diu post reditum inedia ac mœrore vitam finisse, quod discipulos partim extinctos, partim dispersos; totumque ὁμακόϊον dissipatum reperisset: Ὡς γὰρ Φερεκύδην τὸν Σύριον διδάσκαλον αὐτοῦ γενόμενον εἰς Δῆλον ἐπορεύθη νοσοκομήσων αὐτὸν περιπετῆ γενόμενον τῷ ἱστορουμένῳ τῆς φθειριάσεως πάθει, καὶ κηδεύσων, τότε δὴ οὖν οἱ ἀπογνωσθέντες, καὶ στηλιτευθέντες αὐτοῖς, καὶ πάντας πανταχῆ ἐνέπρησαν. Ita legendus hic locus. Hæc si vera sunt, non multum supervixerit Pherecydi Pythagoras, sed intra ejusdem Olympiadis ambitum uterque obierit, vel etiam eodem anno. Et sanè æquævos fuisse, & circa idem floruisse tempus, vel inde colligere licet. Diogenes Laërtius tradit Pythagoram ἀκμάσαι κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. Ab eodem traditur Pherecydem Syrium γεγονέναι κατὰ τὴν πεντηκοστὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα. Unius tantum lustri Olympiaci differentia est. Non video, qui verisimile sit, quod dicitur Pherecydem istum præcepisse Pythagoræ, cum eodem ambo tempore floruerint, nec longe alter ab altero decesserit. Hoc nempe modo & potuit Pythagoras Pherecydis præceptor esse. Pherecydes phtiriasi moritur paulo ante Pythagoram. Non potest idem ille Pherecydes esse, cujus epistola extat ad Thaletem, qua illi perscribit se morbo φθειριάσεως implicitum haud longe abesse à fine, quem in sequentem diem certo sibi statutum ex illo morbo præsentiret. Φθειρῶν ἔβρυον πᾶς καί με εἶχεν ἠπίαλος: ἐπέσκηψα δ' ὦν τοῖς οἰκιήτῃσιν, ἐπήν με καταθάψωσιν, εἰς σὲ τὴν γραφὴν ἐνέγκαι. Mandasse se dicit famulis suis, ut postquam ipsum sepelissent, epistolam hanc ad Thalem deferrent. Ponamus commentitiam esse τὴν γραφήν. Antiquissimam esse dubium non est, & confictam ab aliquo oportet, cui opinio incesserit Pherecydem Syrium etiamnum superstite Thalete decessisse. Mortuus igitur hic Pherecydes ante Olympiadem quinquagesimam octavam, qua Thales mortem obiit, ut inter omnes fere constat. At Pherecydes ille alter Syrius, qui tamen idem putatur, æquali ævo cum Pythagora floret & vivit, ac paulo ante mortem ejus moritur, & tamen ejus præceptor audit. Quæ profectò mira sunt. Pythagoras Eusebio moritur Olympiade septuagesima. Circiter eamdem Olympiadem obiisse Pherecydem oportet, siquidem Pythagoras statim post sepultum Pherecydem & exequias factas, in Italiam reversus, haud multo post ex vivis sublatus est. Mirum profectò foret, si idem homo Thaleti & Pythagoræ æquævus esse potuerit: idemque prior Thalete, & paulo ante Pythagoræ obitum decesserit. Ex his omnibus tutissimum judico concludere cum Androne Ephesio duo fuisse Syrios Pherecydas: vetustissimum alterum & Thaleti contemporaneum, quem inter septem sapientes quidam numerarunt expuncto Periandro. Hic Thaletis præceptor quibusdam existimatus. Hic erit Theologus Pherecydes, qui Θεολογίαν soluta oratione conscripsit: propter quam primus prosam orationem condere instituisse creditur. Is inquam est qui phtiriasi periit. Alter æquè Syrius, sed astrologus, cujus ἡλιοτρόπιον in insula Syro adhuc extitisse sua ætate testatur Diogenes. Σώζεται δὲ, inquit, καὶ ἡλιοτρόπιον ἐν Σύρῳ τῇ νήσῳ. Quod erat parapegma, qua solstitia & æquinoctia, & siderum orientium occidentiumque significationes per aliquot annorum ambitum consignabantur. Hic astrologus Pherecydes eodem fermè ætatis & gloriæ flore cum Pythagora vigere potuit. Is est porro cui & convenit, quod Diogenes tradit, eum γεγονέναι κατὰ τὴν πεντηκοστὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα: quo tempore & Pythagoras floruisse notatur. Is etiam Pherecydes historicus primus, quem circa idem tempus collocat Eusebius, ad Olympiadem nempe sexagesimam. Nam & Clemens Alexandrinus narrat Pherecydem Syrium de Dario Hystaspis scripsisse, quando in Europam & Scythiam transiit à Scytharum rege missa illi fuisse symbola ea, quæ supra diximus. Quod non potest in antiquum Syrium Pherecydem quadrare ac Theologum. Expeditionem Darius in Scythiam sumpsit circa Olympiadem sexagesimam octavam. Ergo post illam expeditionem scripsit ille Pherecydes Syrus, qui ne astrologus quidem potest esse, sed erit historicus, sive mythistoricus Atheniensis, quem secundum historiographum vocat Hieronymus, & ponit ad Olympiadem octogesimam primam. Quod cum Syrium indigetat Clemens, planè deceptus est, & cum multis erravit, quibus placitum est Pherecydas confundere. Sed de illo historico Pherecyde paulo post agam. Præter eum duo alii fuere Pherecydæ ambo ex insula Syro, quos propterea quod & patriam eamdem habuere, & idem nomen, iisdemque ferme temporibus vixere, pro uno habent veteres auctores quamplurimi. Antiquior tamen fuit Theologus astrologo, ita quidem ut ille senex isto juvene fuerit. Hinc illa auctorum dividia, qui eumdem Pherecydem Syrium tam diversis, ac distantibus temporum intervallis cum vixisse, tum obiisse memorant. Quod ex errore nominis & patriæ accidisse palam est. Rectè igitur Andron Ephesius, qui Diogene teste, δύο φησὶ γεγονέναι Φερεκύδας Συρίους, τὸν μὲν ἀστρολόγον, τὸν δὲ Θεολόγον υἱὸν Βάβυος, ᾧ καὶ Πυθαγόραν σχολάσαι. Theologum esse ait, quem audivit Pythagoras. Omnes certè consentiunt, qui de Pythagora scripserunt eum fuisse auditorem ac discipulum Pherecydis Syrii. Genus Theologiæ, quo Pythagoras philosophatus est, prorsus consimile fuit ei Theologandi rationi, qua usum esse Pherecydem veteres tradunt, & ipse de se fatetur. Ea συμβολικὴ tota fuit & αἰνιγματική. Pherecydem etiam in morbo suo clinico procuratum à Pythagora, & post mortem in insula Delo sepulturæ corpus ejus mandatum constat inter omnes fermè. Diogenes: Ἀριστόξενος δὲ ἐν τῷ περὶ Πυθαγόρου, καὶ τῶν γνωρίμων αὐτοῦ φησὶ, νοσήσαντα αὐτὸν ὑπὸ Πυθαγόρου ταφῆναι ἐν Δήλῳ. Οἱ δὲ φθειριάσαντα τὸν βίον τελευτῆσαι. Ὅτε καὶ Πυθαγόρου παραγενομένου, καὶ πυνθανομένου πῶς διακέοιτο διαβαλόντα τῆς θύρας τὸν δάκτυλον εἰπεῖν χροῒ δῆλα. Hæc quæ de Pythagora produntur, quod Pherecydem audiverit, quod in re præsenti fuerit, quando obiit, vel etiam quod eum sepeliendum curaverit, hæc inquam nihil prohibent, quin Pherecydes ante Thaletem decesserit, quod ejus epistola declarat. Sic audivit Pherecydem Pythagoras, ut & Thaletem ipsum, utrumque admodum senem, juvenis ipse admodum. Obiisse fertur Pythagoras Olympiade septuagesima, quum esset octogenarius, ut plerique tradidere, nonaginta annos natus. Si retro ascendas, natalem ejus deprehendes circa Olympiadem quadragesimam octavam. Olympiade autem quinquagesima quarta potuit annorum esse viginti quatuor aut quinque circiter. Tum vacare quiverit Thaletis & Pherecydis disciplinæ, quum senes jam ætatis ultimæ forent. Thales certè non ante Olympiadem quinquagesimam octavam mortuus est, nonagesimum, vel, ut aliis placet, plus quam centesimum annum agens. Paulo ante decessisse videtur Pherecydes, quem & procurasse in morbo, & mortuum sepelisse potuit Pythagoras, sed juvenis, ut dixi, & quum præceptoribus operam daret. Eo tempore & Thaletem senem vidisse ac audivisse testis est Jamblicus in ejus vita. Καὶ δὴ καὶ Θαλῆς ἀσμενῶς αὐτὸν προσήκατο. Et paulo post: μεταδοὺς ὅσον ἠδύνατο μαθημάτων, τὸ γῆρας δὲ τὸ ἑαυτοῦ αἰτιασάμενος, καὶ τὴν ἑαυτοῦ ἀσθένειαν προετρέψατο εἰς Αἴγυπτον διαπλεῦσαι, καὶ τοῖς ἐν Μέμφει, καὶ Διὸς μάλιστα συμβαλεῖν ἱερεῦσι. Si Thalem audivit, priusquam in Ægyptum transiret, verisimile est & Pherecydi tum operam dedisse, qui eodem tempore ævum agitabat, & fama sapientiæ vigebat. Alioquin ridiculi sunt qui Pherecydem unum ex præceptoribus Pythagoræ faciunt, & tamen præceptori discipulum æquævum constituunt, atque ambo pari ætatis ac famæ flore viguisse volunt, & sub idem tempus diem obiisse. Non omnes sanè scripsere Pythagoram in Delo insula tum fuisse clinico Pherecydæ adsistentem, quum factione Cyloniana extinctum est Pythagoreorum nomen in Italia vel majore Græcia. Quod sanè falsum est, & ortus error, ut dixi, ex eo quod duo Pherecydæ

fuere Syrii, quorum alter fortean tunc diem suum obierit. Nec rectè Eratosthenes, qui unum tantum Syrium recensuit, alterum Atheniensium: Ἐρατοσθένης δὲ ἕνα μόνον Σύριον, καὶ ἕτερον Ἀθηναῖον γενεαλόγον. Nunc de isto γενεαλόγῳ disquiramus. Hic est, quem *secundum historiarum scriptorem* vocat Hieronymus ad Olympiadem octogesimam primam, quasi ille prior historiographus fuerit, quum ex duobus Pherecydis Syriis alter Θεολόγος audierit, alter ἀστρολόγος. De isto Pherecyde non verè diceretur prosam orationem primum condere instituisse, cum Syrius antiquus de Theologia primus scripserit oratione soluta. Sed inter antiquissimos & primos historicos rectè recenseretur, ut fecit Strabo, qui tres istos nominavit Cadmum, Pherecydem, & Hecatæum. De Hecatæo hoc etiam proditum à nonnullis primum eum historiam condidisse. Suidas: Ἑκαταῖος ὃς πρῶτος ἱστορίαν ἐξήνεγκεν. Olympiade eum sexagesima quinta inclaruisse scribit. Melius fortasse ad Olympiadem septuagesimam conjiceretur. Circa id tempus eum maximè emicuisse constat ex Herodoto, quum Darius bellum Ioniæ & Græciæ intulit, cum Aristagora quippe vixit, qui belli Ionici fax fuit, à quo etiam sæpè dissensit in eo bello gerendo, & consiliis pro bono patriæ capiendis. Λογοποιὸν eum vocat. Quidam Protagoræ discipulum faciunt, sed antiquior paulo Protagora videtur, quem Apollonius in fama fuisse maximè circa Olympiadem octogesimam quartam & Chronicis scriptum reliquit. Ergo etiam vetustior, ut apparet, Pherecyde hoc nostro historico, quem Eusebius ad Olympiadem octogesimam primam reponit. Sed iisdem eos ætatibus, certè non multum distantibus vixisse perspicuum est. Mentionem faciebat Pherecydes Indathuræ Scytharum regis, adversus quem bellum movit Darius, non satis prospero exitu. Sed Σύριον istum Pherecydem perperam appellat Clemens, qui Atheniensis, vel certe Lerius fuit. Ἰδανθούρας, nomen illius Scythici regis apud Clementem. Herodoto est Ἰνδάθυρσος. Forte pro Ἰνδάθυρος. Trogi abbreviatori dicitur *Jancyrus*, pro *Indatyrus*, vel *Idanthyrus*. Sciendum est porro Pherecydem illum γενεαλόγον Atheniensem eumdem esse cum eo, quem alii Λέριον fuisse malunt, quem vixisse ait Suidas paulo ante septuagesimam quintam Olympiadem: Φερεκύδης Λέριος ἱστορικὸς γεγονὼς πρὸ ὀλίγου τῆς ἑβδομηκοστῆς πέμπτης ὀλυμπιάδος. Eusebio δεύτερος ἱστοριογράφος vocatur. Eo modo fuit Historicus quo Hecatæus, cui compar ætate extitit ac genere scribendi. Is enim Hecatæus etiam γενεαλογίας composuit. Citatur ἐν πρώτῳ, ἐν τετάρτῳ γενεαλογιῶν apud Stephanum aliquot locis. Ceterum Pherecydem istum Lerium potius, quam Atheniensem fuisse ex charactere dicendi Ionico, quo fabulas, sive historias composuit, auguror. Leros autem Ionici generis insula. Scripsisse autem illum Ionica lingua apparet ex fragmentis, quæ extant penes veterem Apollonii Scholiastem. Vel unum attulisse sufficiet ad hoc probandum. In quinto historiarum ita scripserat: Ἐπειδὴ Κάδμος κατῳκίσθη ἐν Θήβῃσι, Ἄρης διδοῖ αὐτῷ καὶ Ἀθηναίη τοῦ ὄφιος τοὺς ἡμίσεας ὀδόντας, τοὺς δὲ ἡμίσεας Αἰήτῃ. Καὶ ὁ Καδμὸς αὐτίκα σπείρει αὐτοὺς εἰς τὴν ἄρουραν Ἄρεος κελεύσαντος, καὶ αὐτῷ ἀναφύονται ἄνδρες ὡπλισμένοι. Ὁ δὲ Κάδμος δείσας βάλλει αὐτοὺς λίθοισιν. Οἱ δὲ δοκέοντες ὑφ' ἑαυτῶν βάλλεσθαι, ἀπτέουσι δὲ ἀλλήλους, καὶ θνήσκουσι πλὴν πέντε ἀνδρῶν, Οὐδαίου, Χθονίου, Ἐχίνος, Πέλωρος, καὶ Ὑπερήνορος, καὶ αὐτοὺς ὁ Κάδμος ποιεῖται πολίτας κατοικίσας αὐτοὺς ἐν Θήβῃσι. Ex his perspicitur non solum, qua dialecto hic usus sit, sed etiam quo dicendi charactere, & quale argumentum pertractarint hi scriptores, qui inter primos prosæ orationis & historiæ conditores numerantur. Quod & Strabo breviter sic indicavit his verbis, quæ jam antea attulimus: εἶτα ποιητικὴν μιμούμενοι, λύσαντες τὸ μέτρον, τἆλλα δὲ φυλάξαντες τὰ ποιητικὰ συνέγραψαν οἱ περὶ Κάδμον, καὶ Φερεκύδη, καὶ Ἑκαταῖον. Oratio eorum nihil aliud fuit, quam metrum lege solutum. Rhetores λελυμένην ἑρμήνειαν & διῃρημένην & εἰρομένην appellant, qua primi illi & antiquissimi historiæ scriptores usi sunt in scribendo, cui opponunt τὴν κατεστραμμένην, qualis Rhetorum fuit, periodis vincta & circumcisa. Demetrius Phalereus, vel quisquis auctor est ejus libelli περὶ ἑρμηνείας, qui ipsum inscribit: ἡ δέ τις ἑρμηνεία διῃρημένη καλεῖται ἡ εἰς κῶλα λελυμένη οὐ μάλα ἀλλήλοις συνηρτημένα ὡς ἡ Ἑκαταίου, καὶ τὰ πλεῖστα τῶν Ἡροδότου, καὶ ὅλως ἡ ἀρχαία πᾶσα. Talis utique oratio Cadmi & Pherecydis. Exemplum ibidem subjicit ex initio historiæ Hecatæi, quam ita ingressus est: Ἑκαταῖος Μιλήσιος ὧδε μυθεῖται. Τάδε γράφω, ὥς μοι ἀληθέα δοκέει εἶναι. Οἱ γὰρ Ἑλλήνων λόγοι πολλοί τε καὶ γέλοιοι ὡς ἐμοὶ φαίνονταί εἰσι. Nihil simplicius ac solutius. Cola colis coacervata & temere veluti sparsa jacent, nihil habent quo invicem apta cohæreant, & ad unguem juncta conniveant. Si quis poëtæ alicujus præcipue ex antiquis versus solvat, & membratim veluti dissipet ac disjiciat, idem color sermonis existet. Idcirco Strabo antiquiorem fuisse asserit, τὴν ποιητικὴν κατασκευὴν τοῦ πεζοῦ λόγου. Nam qui primi prosa oratione, ac pedestri res condere aggressi sunt, poëticam compositionem imitati ad ejus exemplar ita properarunt, ut solutis ac discinctis versibus simillima videatur eorum oratio. Quod ad argumentum scriptionis attinet, planè poëticum & fabulosum. Res quippe easdem pedestri sermone composuerunt primi illi conditores historiarum, quas poëtæ multo ante versibus persequuti sunt. Si poëtæ antiquiores historicis & πεζολόγοις, utique & poëtica compositio & phrasis longe antiquior prosa & pedestri oratione. Pherecydes duodecim libris totam historiam μυθικὴν complexus erat, nec enim ultra duodecimum librum grammaticis citatum reperio. Peculiari opere γενεαλογίαν deorum descripserat, cui titulum fecit, Θεογονία. Quæ diversa fuit à Θεολογίᾳ Pherecydis Syrii, ut auctor diversus. Ceteris libris genealogiam heroum & hominum subinde inseruerat, quis cujus filius fuisset aut nepos, quo nomine sæpe laudatur in Apollodori Bibliotheca, & apud Scholiastas Apollonii singulis ferè paginis. Aliquot loca producam fidei faciendæ gratia. Apollodorus de Orione: Φερεκύδης δὲ αὐτὸν Ποσειδῶνος καὶ Εὐρυάλης λέγει. Eodem libro de Triptolemo: Φερεκύδης δὲ φησὶν αὐτὸν υἱὸν Ὠκεανοῦ, καὶ γῆς. Lib. II. Ἄργον πανόπτην ὃν Ἀσκληπιάδης μὲν Ἀρέστορος λέγει υἱόν, Φερεκύδης δὲ Ἰνάχου, Κέρκωψ δὲ Ἄργου καὶ Ἰσμήνης. Atque alibi passim. Acusilaum quoque sæpè in testimonium adducit, qui περὶ γενεαλογιῶν scripserat: quo titulo citatur apud auctores scholiorum Apollonii. Ipse vero Pherecydes in iisdem scholiis omnes implet paginas, dum testis affertur ad fabulam aliquam asserendam, vel γενεαλογίαν, vel loci alicujus appellationem adstruendam. Nam & locorum etiam appellationes & urbium κτίσεις interspersérat mythologicæ suæ historiæ, à quibus conditæ essent & denominatæ. Propterea non raro Straboni testis producitur, ac Stephano. Φερεκύδη simpliciter nominant, & de Lerio sive Atheniensi intelligendum. Idem quippe γενεαλόγος Ἀθηναῖος, & Λέριος ἱστορικός. Fortasse quibusdam sic dictus, quod Athenis μέτοικος fuerit. Eamdem planè materiam libris illis historicis, & genealogicis exequutus fuisse videtur, quam postea Apollodorus Bibliotheca sua pertractavit, antiquam scilicet μυθολογίαν omnium ætatum & Græciæ populorum. Quod unicum fuit ἐπικοῦ κύκλου argumentum. Pherecydes inter primos extitit, qui fabulas illas historicas prosa oratione exposuit. Poëtæ quippe qui ἐπικὸν κύκλον composuerunt, & Cadmo, & Pherecyde, & ceteris, qui pedestri sermone eamdem rem explicare ingressi sunt, antiquiores inveniuntur. Apollodorus ultimus eorum, quod sciam, extitit qui in eo argumento prosa oratione tractando versati sunt, cujus Bibliotheca nihil aliud fuit quam epicus cyclus pedestri sermone compositus. Inde incepit unde κύκλος ἐπικός; ibi desinebat, ubi ille finem fabulandi fecit. Proclus apud Photium: Ἐπικὸς κύκλος ἄρχεται μὲν ἐκ τῆς οὐρανοῦ καὶ γῆς μυθολογουμένης μίξεως. Et paulò post: καὶ περατοῦται ὁ ἐπικὸς κύκλος συμπληρούμενος ἐκ διαφόρων ποιητῶν μέχρι τῆς εἰς Ἰθάκην ἀποβάσεως Ὀδυσσέως. Finis errorum Ulissis etiam finis erat cycli epici. Principium ejusdem θεογονία, id est, deorum generatio ex Cœlo & Terra originem ducentium. Apollodorus quoque in iis, quæ hodie restant, sic exorsus est: οὐρανὸς πρῶτος τοῦ παντὸς ἐδυνάστευσε κόσμου: γήμας δὲ γῆν ἐτέκνωσε πρώτους

πρώτους τοὺς ἑκατόγχειρας προσαγορευθέντας. Idem prorsus exordium ἐπικοῦ κύκλου. Proclus: ἄρχεται μὲν ἐκ τῆς οὐρανοῦ καὶ γῆς μυθολογουμένης μίξεως, ἐξ ἧς αὐτοὶ καὶ τρεῖς παῖδας γεννίσκουσιν ἑκατόγχειρας καὶ τρεῖς ἀποτίκτουσι κύκλωπας. Ita legendus ille locus, qui vulgo apud Photium depravatissimus sic legitur: ἐξ ἧς αὐτῷ καὶ τρεῖς παῖδας γινώσκουσι. Γεννίσκειν idem est quod γεννᾶν. Ut γαμίσκειν, τελίσκειν & similia. Sequitur apud Apollodorum, μετὰ τούτους δὲ αὐτῷ τεκνοῖ κύκλωπας. Ut hinc colligas, eum per omnia sequutum esse μυθοποιΐαν & ἀκολουθίαν τοῦ ἐπικοῦ κύκλου. Ibi etiam finivit opus, ubi κύκλος carminum desinebat, in excensione Ulissis ad Ithacam. Photius de Apollodoro, quoniam librorum ejus finis hodie desideratur: καὶ κάτεισι μέχρι τῶν τρωϊκῶν καὶ ἀνδρῶν τινῶν πρὸς ἀλλήλους μάχας καὶ ἔργα ἐπιτρέχων· καὶ τῶν ἀπὸ Τροίας πλάνας τινὰς, μάλιστα δ' Ὀδυσσέως εἰς ὃν αὐτῷ καὶ ἡ ἀρχαιολογία καταλήγει. Ex his perspicuè cognosci potest Apollodori Bibliothecam nihil aliud fuisse quàm σύνοψιν & ἐπιτομὴν cycli epici. Quod opus quum hodie distribuatur in tres libros, unico tamen libro comprehensum fuisse videtur indicare Photius, qui βιβλιδάριον appellat, nec meminit sectionis in plures libros. Idem prorsus argumentum fuit Pherecydis historici operis, fabulæ nempe poëtarum: quod an similiter pertexuerit, ordinémque cycli sequutus sit, incertum. Quod etiam dici potest de Cadmo, Hecatæo, & aliis qui ποιητικὴν ὑπόθεσιν oratione soluta perscripsere. Θεογονίαν Pherecydes contexuit, quem titulum posset aliquis pertendere omnium operum ejus fuisse, quibus fabularem historiam complexus est. Nam & Apollodori de eadem re liber Βιβλιοθήκη ἢ περὶ θεῶν inscribebatur, a nobiliori scilicet parte, & quod à deorum generatione, & prima eorum origine auspicium operis sumpserat. Sed puto θεογονίαν peculiare opus extitisse. Quo usque perduxerit mythologiam suam, æque incompertum. Usque ad librum duodecimum citatur à grammaticis, nec ultra invenio. In eo duodecimo libro Persei, & Acrisii, Danaesque historiam tractaverat, ut ex scholiis veteribus constat ad IV. Argonauticῶν. Potuit & ad Troica usque tempora descendere, vel etiam inferius. Mythicum tempus usque ad primam Olympiadem deducit Varro, & inde historicum facit incipere. Epicus cyclus Ulissis in patriam reditu μυθικὴν πραγματείαν terminavit. Quem sequutus est Apollodorus. Ante Apollodorum multi alii eadem serie atque ordine, quo cyclus epicus, mythistoricam negotiationem stilo pedestri concinnaverunt, eodem etiam servato titulo. Dionysius quidam κυκλογράφος Tzetzæ laudatur Chiliade XII, qui κύκλον fabularum scripserat.

> Τούτου μιᾷ δὲ γραφῇ Ὅμηρος ὑστερίζει,
> Ὁ κατὰ τὸν Διονύσιον ἄνδρα τὸν κυκλογράφον
> Ἐπὶ τῶνδε στρατειῶν λεγόμενος ὑπάρχειν
> Θηβαϊκῆς Ἑλλήνων τε τῆς διὰ τὴν Ἑλένην.

Dionysius ille Milesius fuit, quem sæpe Apollodorus & Scholiastes Apollonii citant. Poëtam fuisse vulgo viri doctissimi perperam sibi persuadent. Apud Athenæum Dionysius Samius περὶ κύκλου allegatur. Sed falsus titulus, legendum quippe, περὶ Κύκλωπος, ut alio loco rectiùs habetur. Dionysius autem Milesius non κύκλους, sed κύκλον scripserat, quia ἐπικὸν κύκλον prosa oratione dissolutum exposuerat. Scholion vetus ad Isthmionicas Διονύσιον ἐν πρώτῳ κύκλου appellat. Ita scribendum, non ἐν πρώτῳ κύκλων. Ceterum gravissimè errant, si qui putarunt κύκλον ἐπικὸν nomen invenisse, quod Græci κύκλον, vel κυκλικὸν ἔπος vocaverint perpetuum de aliqua materia carmen, unaque serie deductum. Κύκλος ἐπικὸς non unius carminis, aut poëmatis appellatio fuit, sed plurium. Κύκλος ἐπικὸς ex multis diversorum poëtarum operibus compositus ferebatur, ut ex Photio liquidius colligitur, quam quidquid liquidissimum est. Ita enim de Procli Chrestomathia loquitur: λέγει καὶ τὰ ὀνόματα καὶ τὰς πατρίδας τῶν πραγματευσαμένων τὸν ἐπικὸν κύκλον. Non igitur unius poëmatis nomen ὁ κύκλος ἐπικὸς, sed multorum. Ποιηταὶ τοῦ κύκλου vocantur apud veteres, ex quibus concinnatum erat illud σύνταγμα μυθολογικόν. Clemens Alexandrinus in primo Stromate: καὶ ταῦτα μὲν προηνέχθη μοι εἰπεῖν, ὅτι μάλιστα ἐν τοῖς πάνυ παλαιοῖς τοὺς τοῦ κύκλου ποιητὰς τιθέασιν.

A Si seorsim sumas singulorum poetarum carmina, qui κύκλον componebant, non ipsa per se κύκλον faciebant, nec κύκλου appellatione proprie donabantur, sed omnia simul juncta & in unum corpus redacta. Falluntur ergo viri doctissimi, qui notant perpetuum unum aliquod carmen auctoris unius de aliqua una re contextum κυκλικὸν ἔπος dici propter ἀκολουθίαν, vel κύκλον. Qui μικρὰν Ἰλιάδα scripsit à gemino ovo Ledes ad excidium usque Troiæ poema suum deduxit. Putant hoc esse κύκλῳ eam historiam docuisse, & propterea id poëma κύκλον à grammaticis vocari. Iterum dico, falluntur. Nec κύκλος poema illud μικρᾶς Ἰλιάδος per se vocatum est, B nisi quatenus pars κύκλου fuerit, & unum ex illis poematibus, quibus contextum est corpus ἐπικοῦ κύκλου. Multa poemata variorum auctorum constituerunt ἐπικὸν κύκλον. Photius de Proclo: λέγει δὲ ὡς τοῦ ἐπικοῦ κύκλου τὰ ποιήματα διασώζεται καὶ σπουδάζεται τοῖς πολλοῖς, οὐχ οὕτω διὰ τὴν ἀρετὴν ὡς διὰ τὴν ἀκολουθίαν τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων. Epicus ille cyclus à prima conjunctione Cœli & Terræ, unde deorum turba nata est, usque ad Ulissis reditum totam Græcorum mythologiam comprehenderat. Fac unum eumdemque poetam simile aliquod poema edidisse, quo universa illa mythologia contine- C retur, eodem ordine pertexta, non tamen κύκλου nomen id genus poematis jure sibi vindicaret, quantumvis continua serie ab eodem initio ad eumdem finem deductum. Sed κύκλος appellatus, quod ex multis constaret poematis. Præterea ἀκολουθία illa, quam tantopere prisci illi commendarunt in illo ἐπικῷ κύκλῳ, non in singulis tantum poematis, & earum rerum ordine, quas singuli persequuti sint, fuisse videtur, sed in ipsa potius poematum connexione, juxta fabularum ordinem, & temporum seriem concinne, & convenienter aptata, atque inter se juncta. Alius Θεογονίαν scripserat, alius Τιτανομαχίαν, alius Γιγαντομαχίαν, alius D Argonautica, alius Θηβαΐδα, alius Θησηΐδα, alius Iliada, alius denique aliud opus mythologicum ediderat, ut non unius ætatis, ita nec unius nationis. His adde Φορωνίδα, Αἰθιοπίδα, νόστον Ἑλλήνων, & multa præterea alia, quorum meminere veteres. Ea omnia poemata velut in choro homines, vel in corona flores, decenter invicem juncta, ἀκολουθίαν ac seriem totius μυθολογίας, à mundi principio ad Troica usque tempora, ac reditum Ulissis ostendebant. Ut κύκλος ἐπικὸς dictus est, qui κύκλος erat totius mythologiæ, ita κύκλος παιδείας appellabatur olim omnium artium libera- E lium & scientiarum orbis. Qui unam scientiam quamvis perfectè callet, non tamen κύκλον illius scientiæ tenere dicatur, sed qui eas omnes noverit, quæ connexæ inter se sunt, & orbem illum sive κύκλον efficiunt. Ἐγκύκλια μαθήματα & κύκλια dicta illa omnia, quæ cyclum eum constituebant. Tzetzes Chiliade XI.

> Ὁ κύκλος καὶ συμπέρασμα πάντων τῶν μαθημάτων,
> Γραμματικῆς, ῥητορικῆς, αὐτῆς φιλοσοφίας,
> Καὶ τῶν τεσσάρων τε τεχνῶν τῶν ὑπ' αὐτὴν κειμένων,
> Τῆς ἀριθμούσης μουσικῆς καὶ τῆς γεωμετρίας,
> Καὶ τῆς οὐρανοβάμονος αὐτῆς ἀστρονομίας.

F Hesychius: ἐγκύκλια μαθήματα, τὰ ἔξω. Notum est, quas scientias, vel artes antiqui Ecclesiæ patres nomine τῶν ἔξω μαθημάτων intellexerint, eas nempe, quas suprà verbis Tzetzis enumeravimus, quæ κύκλον παιδείας efficiebant, καὶ τὸ συμπέρασμα. Ita κύκλιοι ποιηταὶ & κυκλικοὶ vocabantur omnes illi, qui ad κύκλον ἐπικὸν componendum in unum corpus congregati fuerant. Epigramma vetus:

> Τοὺς κυκλίους τούτους τοὺς αὐτὰρ ἔπειτα λέγοντας,
> G Μισῶ λωποδύτας ἀλλοτρίων ἐπέων.

Et poëmata eorum κυκλικὰ & κύκλια, unde κυκλικὴ Θηβαΐς, non illa Antimachi, sed alterius authoris. *Scriptor cyclicus* Horatii eodem referendus. *Orbem mythologiæ* Latine liceat vocare illum ἐπικὸν κύκλον, ut *orbem disciplinæ & scientiarum* iidem Latini dixerunt, qui Græcis κύκλος παιδείας appellatus est, unde unica voce ἐγκυκλοπαίδεια, sic *virtutum orbis* pro omnibus virtutibus Valerio Maximo, lib. I. cap. VII de Augusto: *alteri vero longus adhuc terrestrium virtutum orbis restabat.* Connexio quædam & cognatio inter se est scientiarum, ac veluti in choro κυκλίῳ manibus per mutua nexis aptæ invicem cohærent. Inde κύκλον illum παιδείας

appellatum constat. Nam κύκλος est χορός. Non omnis tamen chorus κύκλος, sed solus dithyrambicus. Nam chori tragici & comici fuere τετράγωνοι, qui κατὰ ζυγὸν καὶ στίχον disponebantur. De quo multa nondum vulgata docemus in libro de musicis instrumentis veterum, quæ heic repetenda non videntur. Dithyrambicus igitur chorus κύκλος proprie dictus à forma circulari. Hesychius: κύκλοι, χοροὶ, ἢ τροχοί. Idem alibi: χορὸς, κύκλος, στέφανος. Nota χορὸν etiam exponi στέφανον. Nam corona etiam κύκλος. Juvenalis:

---- Coronæ
Magnum orbem.

Apion apud Athenæum scribit coronam Græcis appellatam χορωνὸν, voce certe à χορὸς deducta. Quod ego de rotunditate chori exponerem, ipse aliter exponit, ut igitur in choro circulari qui cantant manibus consertis aptè invicem juncti unum orbem efficiunt, ita scientiæ inter se cognatæ & connexæ veluti chorum ducunt, qui κύκλος παιδείας dicitur. Donatus ad illud poetæ, *restim ductans saltabis. Lusus est*, inquit, *natus ab eo fune, quo introductus equus Durius in Trojam est, quum nexis manibus fune chorum ducunt saltantes. Hoc à quibusdam dicitur. Sed ego puto consertos choros puellorum puellarumque cantantes restim ducere existimari.* Ab ea ergo serie & ordine conserti chori dictus est κύκλος ἐπικὸς ut & κύκλος παιδείας. Nisi quis malit à serie, qua inter se nexi sunt in corona flores, quæ & ipsa κύκλος. Latini *ferta* vocarunt corollas *à serendo serieve*, ut Plinius testatur. Vetustissimus poeta Meleager στέφανον ἐπιγραμμάτων olim edidit, & inscripsit, quem ex omnibus antiquis epigrammatariis contexuerat, ordine alphabetico positis eorum nominibus, ac singulis poëtis cum totidem floribus compositis ac comparatis. Ad ejus exemplum Philippus postea similiter parem epigrammatum στέφανον composuit, & vulgavit ex omnibus poëtis, qui post Meleagrum usque ad ætatem suam vixere. Eos sequutus & imitatus Agathias similem epigrammatum συναγωγὴν concinnavit ex recentioribus compilatam epigrammatariis, eamque sub certis materiarum titulis redactam κύκλον νέων ἐπιγραμματῶν inscripsit. Notat Suidas: Ἀγαθίας συνέταξε τὸν Κύκλον τῶν νέων ἐπιγραμμάτων, ὃν αὐτὸς συνῆξεν ἐκ τῶν κατ' αὐτὸν ποιητῶν. Ipse Agathias in præfatione illius operis στέμμα vocat, id est, coronam.

---- μιᾷ δ' ὑπὸ σύζυγι βίβλῳ
Ἐμπορίην ἤθροισα πολυξείνοιο μελίσσης
Καὶ τόσσον ἐξ ἐλέγοιο πολυσπερὲς ἄνθος ἀγείρας
Στέμμά σοι εὐμύθοιο καθήρμοσα Καλλιοπείης.

In scripto ipso codice vocatur συλλογὴ νέων ἐπιγραμμάτων, hoc modo: Ἀγαθίου σχολαστικοῦ Ἀσιανοῦ Σμυρναίου συλλογὴ νέων ἐπιγραμμάτων. Sic στέφανος, & κύκλος, & συλλογὴ epigrammatum idem est. Nec dubium porro, quin collectio illa poëtarum, qui mythologicam historiam continuarant, in unum corpus seu τεῦχος redacta, κύκλος ἐπικὸς appellata fuerit, à serie, & ordine pari, quo consertis manibus tenentur in choro circulari canentes pueri puellæve, vel in corona nexi flores habentur. Ut plures flores conjuncti, contextique invicem unum corpus efficiunt, qui κύκλος, ut plures personæ manibus per mutua connexis chorum constituunt, qui etiam κύκλος est, sic multa epigrammata κύκλον ἐπιγραμμάτων, & multa poëmata ἐπικὰ simul conjuncta corpus illud condiderunt, quod κύκλου ἐπικοῦ nomine olim appellatum est. Quemadmodum in collectionibus Meleagri, Philippi, & Agathiæ non singuli seorsim poëtæ στέφανον efficiunt, sive κύκλον, sed omnes simul juncti; nec enim flos unus coronam facit, ut nec homo unus chorum constituit: ita in eo compilando corpore mythologico, non unus aut alter poëta κύκλον nominari dedit, nec singulorum poëtarum poëmata κύκλοι fuere, sed universi in unum coacti & congesti κύκλον ἐπικὸν conformarunt. Hæc verissima sunt. Περίοδος idem quod κύκλος. In Græcia quatuor agones sacri olim fuere. Qui eos omnes quatuor ordine vicisset, περίοδον vicisse dicebatur, quasi dicas κύκλον ἀγώνων. Qui Olympia tantum vicerat, aut Pythia, non ille periodi victor dicebatur, sed omnes oportebat vicisse. Athenæus: ἐνίκησε δὲ καὶ τὴν περίοδον δεκάκις. Hæc περίοδος de solis quatuor sacris certaminibus, Pythiis, Isthmiis, Nemeis & Olympiis dici consuevit. Plutarchus: οὐ μόνον τὴν περίοδον νενικηκὼς, ἀλλὰ καὶ πολλοὺς ἀγῶνας. Hinc περιοδικοὶ στέφανοι, quos reportaverant sacrorum illorum certaminum victores. Scholiastes Pindari ad Isthmionicas Od. XI. Διὰ τῆς ᾠδῆς σημαίνεται, ὅτι στεφάνους ἔσχεν δεκαέξ, ἀλλ' οὐχὶ περιοδικούς. Ubi περιοδικοὶ στέφανοι sunt sacrorum certaminum coronæ. Ibidem περιχώρους ἀγῶνας appellat qui non sunt ἱεροὶ, nec περιοδικοί. Οὐ γὰρ, inquit, ἱερὸν ἀγῶνα νενίκηκεν ὁ Ἀρισταγόρας, ἀλλὰ περιχώρους. Ita scribendum, & paulo post in eadem præfatione: εἰ δὲ παραμιμνήσκεται, ὅτι περιχώρους ἀγῶνας ἐνίκα παῖς ὢν, οὐ διὰ τοῦτο ἀθλητής. Locus Odæ, quem significat ita legitur: ἐκ δὲ περικτιόνων ἑκκαίδεκα Ἀρισταγόραν ἀγλααὶ νῖκαι πάτραν τ' εὐώνυμον ἐστεφάνωσαν πάλαι, καὶ μεγαλαύχει παγκρατίῳ. Ubi περικτίονες sunt περίχωροι, & vicinarum urbium. Inde interpretatus est eum Aristagoram sedecim victorias retulisse è ludis & agonibus vicinorum oppidorum, qui sacri non erant, sed ἀργυρῖται & δωρῖται. At in ipso textu sedecim antagonistas habuisse eumdem vult ex vicinis oppidis, contra quos lucta & pancratio coronatus est. In singulis ferè urbibus Græciæ certamina celebrabantur, qui non erant ἱεροὶ ἀγῶνες, sed in his certabatur propter aliquod prœmium: ut in Marathone phialæ argenteæ dabantur, victoribus: alibi clypei ærei, ut in Junoniis ludis, qui Argis celebrabantur. Unde Ἀσπίδα Ἥρας vicisse dicebantur, & agon ipse Ἀσπὶς ἐν Ἄργει. In urbe Pellene Θεοξένια, vel Ἑρμαῖα, quibus ἔπαθλον erat *lana*. Æginæ Αἰάκεια, qui agon fuit ἀμφορίτης, quod amphoræ donarentur victoribus. In aliis certaminibus tripodes ænei proponebantur. Vix ulla erat urbs Græciæ, quin aliquod in ea certamen agitaretur, positis in medio præmiis, qui omnes agones δωρῖται, & ἀργυρῖται, & χρηματῖται dicebantur. Soli quatuor, quos ante nominavimus, ἱεροὶ per Græciam fuere & εἰσελαστικοὶ, quibus præmium non aliud propositum præter coronam. Ideo & φυλλῖται, vel φυλλίναι dicti: iidemque & περιοδικοὶ quod qui eos omnes agones vicerant, περίοδον fecisse dicebantur, & περιοδονῖκαι appellabantur. Romani Imperatores & alios aliquot agones eodem jure donaverunt, ut ἱεροὶ scilicet essent, ac vocarentur, qui tamen nunquam periodo comprehensi sunt. De quibus nos alibi. Ut igitur περίοδον ἀγώνων, id est, κύκλον fecisse dicebatur, qui quatuor illa certamina ordine vicerat, ita & κύκλον παιδείας confecisse dictus olim videri posset, qui in orbe & circuitu per omnes scientias transierat, easque perdidicerat. Sic qui multa per limina salutationes potentiorum mane obibat, περίοδον facere vocabatur. *Orbem* appellat Juvenalis:

---- donec totum jam turba peregerit orbem.

Medici etiam περιοδευταὶ nominati, qui urbes & mercatus circuibant medicinæ faciendæ gratia. Sed & circumforanei propolæ hoc nomine censeri possunt. Verum nihil hæc ad κύκλον ἐπικὸν, qui ex ea ratione dictus est, quam suprà diximus. Et verius est, ut etiam κύκλον παιδείας eadem de causa appellatum putemus. Falsissimum igitur, quod tantopere adstruere conati sunt docti viri, κυκλικὸν poema illud dici, quod totam historiam ab ipsis initiis ad finem usque ordine recitat, ut si bellum Trojanum à gemino ovo exordiaris. Ita quidem fecerunt poetæ, ex quibus κύκλος ἐπικὸς compositus est, & κυκλικοὶ ipsi dicti, ut eorum poemata κυκλικὰ, non quod ejusmodi narratio, ab initio ab finem ordine perducta, κυκλικὴ vel κύκλος appellaretur, sed quod partem κύκλου facerent: cur enim poesis, quæ rem ita exponit, κυκλικὴ diceretur? Certè etiam historia proprio suo nomine κυκλικὴ & κύκλος vocata esset: nam ejus proprium est ordinem temporum, quo quæque res actæ sunt, in iis exponendis servare. Crinagoras epigrammate nondum edito ἴστορα κύκλον in geographia vocat τὴν περιήγησιν, quæ singulas provinciæ unius regiones, urbes & loca ordine exequitur ac describit, nihilque relinquit intactum, sed minima maxima circumvehitur, cui respondent in itinere maritimo οἱ περίπλοι: unde multi extitere τῶν περίπλων, & περιηγησέων scriptores. Περιόδους etiam vocaverunt, ut Ἀσίας περίοδος, liber quo omnia Asiæ oppida, flumina, montes, & loca memorabilia ordine exposita continebantur. Epigramma sic habet:

Πλῆ

Πλῶς μοι ἐπ' Ἰταλίαν ἐντύνεται, ἐς γὸ ἑταίρους
Στέλλομαι ὧν ἤδη δηρὸν ἄπειμι χρόνον,
Δίφεω δ' ἡγητῆρα περίπλοον, ὅς μ' ἐπὶ νήσους
Κυκλάδας, ἀρχαίην τ' ἄξει ἐπὶ Σχερίην
Σωτί μοι ἀλλὰ Μένιππε, λάβε φίλος, ἴστορα κύκλον
Γράψας, ὦ πάσης ἴδρι γεωγραφίης.

Per ἡγητῆρα περίπλοον intelligit περιηγητὴν, qui per singula ducit, & circumvehitur, memorabilia quæque ac visenda ostendens ac describens. Hinc Περιηγητὴς Dionysius. Sed oræ maritimæ circumductorem verbis illis designavit Crinagoras, quia navigare in Italiam parabat. In ea navigatione, ac circumvectatione insularum, quam facturus erat, rogat Menippum ut sibi operam adjutricem navet conscripto periplo itineris, qui omnia memoratu, ac visu digna ordine exponeret. Ἴστορα κύκλον vocat, quem περίπλουν, vel περιήγησιν propriè appellarunt. Hic est Menippus Pergamenus insignis geographus, qui periplum interni maris tribus libris descripserat, quibus non tantum geographica, sed etiam historica pertractarat. Marcianus Heracleota: Μένιππος ὁ ὁ Περγαμηνὸς, ἢ αὐτὸς τῆς ἐντὸς θαλάσσης περίπλουν ἐν τρισὶν ἤθροισε βιβλίοις, ἱστορικήν τινα, ἢ γεωγραφικὴν ἐποιήσατο ἐπαγγελίαν. Opus illud Menippi intellexisse Crinagoram dubio procul est: & περίπλουν illum ἴστορα κύκλον appellavit. Multos alios περίπλους scripserat hic Menippus, ut περίπλουν Βιθυνίας, Καππαδοκίας, Πόντου, aliosque, de quibus vide Stephanum. Poëtæ, qui κύκλον constituebant, haud secus ac περιηγηταὶ γεωγραφικοὶ & ἱστορικοὶ singula quæque in fabulis narrandis ordine suo exponebant, non propterea tamen singulæ hujus corporis ac collectionis partes κύκλοι appellatæ, sed totum corpus ex omnibus constans, κύκλος. Ceterum aliud est κύκλῳ λέγειν: nec inde appellationem invenit epicus cyclus. Quia à Chao divum amores narrat, vel prima Cæli & Terræ conjunctione τῆς θεογονίας originem repetit, non κύκλῳ λέγει, nec κύκλῳ διηγεῖται. Aliud quippe est κύκλῳ λέγειν. Apud Aristotelem Rhetoricorum III servi deprehensi κύκλῳ λέγουσι, qui per circuitus & ambages rem circumagunt, nec eam simpliciter, ut gesta est, eloquuntur, nec ad interrogata respondent. Quod uno verbo κυκλεύειν & ἀνακυκλεύειν Græci dicunt, & κυκλολογεῖν, id est, *rem circumloqui*. Poëta κύκλῳ λέγει, qui multa ἐπεισόδια inducit, quibus drama producit. Certè si κύκλος ἐπεισόδιον est, ut viri illi doctissimi asserunt, nulli minus poëtæ κυκλικοὶ, quam qui hoc nomine propriè censentur. Homerus ipse omnium κυκλικώτατος, cujus tota poësis ἐπεισοδιώδης. Ab irato Achille ad interfectum Hectorem viginti quatuor libros impendit, quum paucioribus voluminibus poeta cyclicus totum decennale bellum & *Trojæ halosin* potuerit absolvere. Et sanè poeta cyclicus nihil κύκλῳ λέγει, sed sine ulla varietate, aut ἐπεισοδίῳ rem, sicut gesta est, simplicissime enarrat, & prorsus historico more. Quippe historici, qui πραγματικῶς acta exponunt, longè magis laciniosa utuntur oratione, quam quilibet poeta è cyclicis. Isidorus: *Cyclus Paschalis vocatus, eo quod in orbe digestus sit, & quasi in circulo dispositum ordinem complectatur annorum sine varietate, & sine ulla arte: unde factum est ut cujusque materiæ carmina simplici forma facta cyclica vocarentur.* Legerat sine dubio Isidorus κυκλικὸν ποίημα dictum, quod simplici forma factum esset, sine ulla arte & varietate. Talia erant omnia carmina τοῦ κύκλου, cujus & singula poemata κυκλικά. Non tamen κυκλικὰ dicta, quia simplici forma facta essent, sed quod partem κύκλου ἐπικοῦ facerent, quem ineptè à cycli Paschalis similitudine vocatum sciscit, quum nec cyclus Paschalis ab illo cyclo carminum appellationem ulla similitudinis ratione invenerit. Nullum igitur singulare poema κύκλος. Ab ordine ita dici non potuit, alioquin & historia κύκλος esset, ab ἐπεισοδίοις & κύκλῳ διηγήσει multo minus. Quandoquidem ordine rem cyclicus enarrabat sine ἐπεισοδίοις & ambitu. Falsissimum porro & illud est, quod adnotant non solum ἔπος κυκλικὸν dictum, quod omnes poetarum fabulas serie interrupta continebat, sed etiam quodcunque poema justum Heroicum. Hoc si verum est, haud sanè rationem video, cur Græci poema aliquod κυκλικὸν, poetas κυκλικοὺς vocaverint ad differentiam aliorum poetarum. Si omne poema Heroicum κυκλικὸν appel-

A latum est, Homerus æquè κυκλικὸς fuit, ac μικρᾶς Ἰλιάδος auctor. Hesiodus denique ipse etiam κυκλικὸς, Panyasis, Antimachus, Chœrilus, Apollonius Rhodius & omnes alii, quicunque justum aliquod opus Heroico carmine composuerunt. Ut Homeri poesin κύκλον appellatam probent, Aristoteli testimonium denuntiant, qui priore libro τῶν ἐλέγχων falsi syllogismi exemplum his verbis adfert: ὁ δὲ ὅτι Ὁμήρου ποίησις διὰ τοῦ κύκλου ἐν τῷ συλλογισμῷ ὁ δὲ ἐν μηδητέρῳ ἀληθὴς συλλογισμός. En testem idoneum, & omni exceptione majorem. Certè si ita scripsisset, nihil contra hiscere liceret. Sed

B quis credat Aristotelem Homeri ποίησιν sub nomine κύκλου proposuisse, quum vetustas omnis literatæ, & criticæ Græciæ Homeri carmina ab appellatione κύκλου secluserit, & ἀπὸ τῶν κυκλικῶν ποιημάτων distinxerit? Mendum irrepsisse verbis illis Aristotelis plus quam certum est, & pro ignobilis poëtæ cyclici nomine, suppositum ab imperitis celebratissimi omnium poëtæ nomen. Scripsisse igitur Aristotelem non suspicor, sed affirmo: τὰ ἔπη τοῦ Εὐμήλου κύκλος, ὁ κύκλος σχῆμα, τὰ ἔπη οὖν τοῦ Εὐμήλου σχῆμα. Facili ratione potuit imperitus aliquis Græculus pro Eumelo, quem non noverat, Homerum omnibus cognitissimum reponere.

C Apud alios etiam auctores memini notasse nomen Εὐμήλου mutatum in Ὁμήρου. Conjecturam nostram, quæ plus est quam conjectura, confirmare potis est Themistius, qui priore libro Posteriorum ad eum locum sic allusit: εἰ δὲ λέγεται, ἢ ἔπη τινὰ κύκλος, ἀλλ' οὐκ ἐᾷ ταῦτα κύκλον ὑπολαβεῖν τὸν γεωμέτρην ὁ τοῦ κύκλου λόγος. Notabis tibi eum dicere, ἔπη τινὰ κύκλος. Si Homeri ἔπη ita dicta fuissent, nullum non legitimum ἔπος Heroicum sub eamdem appellationem caderet. Et quum ἔπος propriè dicatur Heroicum carmen, non ita loquutus esset Themi-

D stius, ἢ ἔπη τινὰ, sed hoc modo loqui debuisset, εἰ δὲ λέγεται, ἢ ἔπη κύκλος. Si vero Ὁμήρου apud Aristotelem legisset, saltem id expressisset, dicendo ἢ ἔπη Ὁμήρου κύκλος. Ut ut sit, nunquam concesserim Homeri carmina κυκλικὰ appellata fuisse, quum tantopere aliena sint ab omni ratione, quæ κύκλῳ ἐπικῷ nomen dedit. Præterea veteres passim Homericam poësim à cyclica separant. Epigramma vetus in Apollodori Bibliothecam:

Αἰώνων σπειρήματ' ἀφυσσάμενος παρ' ἐμεῖο
Παιδείης μύθοις γνῶθι παλαιγενέας
Μηδ' ἐς Ὁμήρειον σελίδ' ἔμβλεπε, μηδ' ἐλεγείην,
E Μὴ τραγικὴν μοῦσαν, μηδὲ μελογραφίην,
Μὴ κυκλίων ζήτει πολύθροον στίχον, εἰς με γὰρ ἀθρῶν
Εὑρήσεις ἐν ἐμοὶ πάνθ' ὅσα κόσμος ἔχει.

Habes heic expressum poëtices omne genus, unde mythologicam eruditionem haurire dabatur: Heroicum legitimum sub Homeri nomine, Tragœdiam, Elegiam. Nam & antiqui poëtæ Elegiaco carmine multa ἱστορικομυθικὰ tractarunt, ut Callimachus, Parthenius, Euphorion & alii: Lyricam poësim, & ante omnia cyclum ἐπικὸν, quem intelligit per κυκλίων πολύθροον στίχον. Homerus itaque extra κυκλίων numerum. Hesiodum quoque ab hoc nomine segregant ve-

F teres. Eusebius Προπαρασκευῆς libro primo: ἔνθεν Ἡσίοδος οἵ τε κυκλικοὶ περιηχημένοι Θεογονίας, ἢ Γιγαντομαχίας, ἢ Τιτανομαχίας ἔπλασαν ἰδίας, ἢ ἐκτομάς. Sed omnium clarissimè Proclus in chrestomathia, ubi hanc rem ex professo tractaverat, non solum Homerum & Hesiodum, sed etiam Panyasim, Pisandrum & Antimachum à poëtis cyclicis segregat. Photius de Proclo: γεγόνασι δὲ τοῦ ἔπους ποιηταὶ, κράτιστοι μὲν Ὅμηρος, Ἡσίοδος, Πείσανδρος, Πανυάσις, Ἀντίμαχος, διέρχεται δὲ τούτων, ὡς οἷόν τέ ἐστι γένος τε ἢ πατρίδας, ἢ τινὰς ἐπιμέρους πράξεις:

G διαλαμβάνει δὲ ἢ περὶ τοῦ λεγομένου ἐπικοῦ κύκλου, ἢ λέγει τὰ ὀνόματα, ἢ τὰς πατρίδας τῶν πραγματευσαμένων τὸν ἐπικὸν κύκλον. Nec igitur Hesiodus, nec quisquam ex aliis, qui suprà nominati sunt, inter cyclicos locum habuit, aut in orbe illo nomen suum dedit. Nec cujusquam eorum poema cyclo epico adscriptum est. Atqui, si quod poema Heroicum jure suo ac merito cyclicis adnumeratum est, meritissimo Hesiodi Theogonia in eum censum nomenque deferri debuit propter argumentum, & narrandi ordinem. Ex his liquidius luce serena constat κύκλον ἐπικὸν syntagma fuisse mythologicum ex variis poematis, & poetis Heroicis collectum, qui

qui historico more, ac simplicissimè μυθοποιΐαν exposuerant. Idque syntagma in unum τεῦχος ab aliquo antiquo grammatico coactum verisimile est, ut alia pleraque veterum poëtarum opera, quæ ob similitudinem argumenti in unum aliquod corpus congesta sunt, exempli gratia, Bucolica omnia carmina in unum corpusculum collecta jam olim fuere ex Theocrito, Bione, & Moscho, ut testatur hoc vetus epigramma.

Βωκολικαὶ μοῦσαι σποράδες πόκα, νῦν δ' ἅμα πᾶσαι
Ἐντὶ μιᾶς μάνδρας, ἐντὶ μιᾶς ἀγέλας.

Hoc & in aliis factum est. Λυρικῶν τεῦχος uno volumine comprehendens Lyricorum carminum opera habuerunt olim eruditi, ut ex epigrammate Græco scimus antiquo. Quinetiam Homeri dispersa olim, & per partes dissipata quum extaret Rhapsodis, in eum ordinem, quo legitur hodieque, seriemque digesta est. Scholiastes Pindari ad Nemeonicas: οἱ δὲ φασὶ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως μὴ ὑφ' ἓν συνηγμένης, σποράδην δὲ ἄλλως, καὶ κατὰ μέρη διῃρημένης ὁπότε ῥαψῳδοῖεν αὐτὴν, εἱρμῷ τινὶ καὶ ῥαφῇ παραπλήσιον ποιεῖν εἰς ἓν ἀγόντας. Hinc ῥαπτὰ ἔπη Homerica Pindaro dicuntur in Nemeonicis Ode 11. Ὅθεν περ καὶ Ὁμηρίδαι ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πόλλ' ἀοιδοί. Quod ea sparsim disjecta in unum conciliarent & veluti consuerent, ῥαπτὰ, id est, sutilia carmina appellata, & ipsi, qui ea sic canendo digerebant, ῥαψῳδοί. Quod si Homeri poesim dari posset olim κύκλου nomine Criticis notam fuisse, non aliunde, quam hic sic appellatam censerem. In morem quippe sutilis coronæ, id est, κύκλου ῥαπτοῦ, partes illius poeseos ante dispersæ, postea in sertum vel κύκλον connexæ ac collectæ sunt. Sed vera nostra emendatio Εὐμήλου pro Ὁμήρου. Apud Latinos hujusmodi etiam collectiones ex variis auctoribus idem argumentum prosecutis factæ olim pervulgatæ sunt, tam in poëticis operibus, quam historicis. Exemplum præbent amatorii poetæ tres Elegiaci in unum volumen ab antiquis Criticis compulsi, ut hodieque passim in libris veteribus juncti habentur. In historicis exemplo est Historia Augusta ex variis scriptoribus contexta ab Augusto ad Diocletianum, quæ nihil aliud fuit quam κύκλος τῆς Ἱστορίας Σεβαστικῆς. Sic enim potest vocari. Sic etiam corpus artis veterinariæ Græcum ex pluribus auctoribus conflatum ab aliquo. Libros quoque geoponicῶν Græcos Cassianus Bassianus scholasticus ex multis scriptoribus georgicis compilavit. Hunc morem imitatus Justinianus corpus juris ex variis veterum prudentium libris, ac responsis compilatum per Tribonianum curavit conficiendum. Id opus κύκλον νομικὸν non minus vere, quam eleganter posset aliquis indigetare. Tale igitur fuit σύνταγμα illud μυθολογίας, quod ex variis coacervatum poetis ἱστορικοῖς in unum coaluit corpus sub appellatione ἐπικοῦ κύκλου. Quod si unumquodque poema eorum, quibus constabat tota compositio, κύκλος appellatum esset, ut viris doctis placet, tum syntagma ipsum non ἐπικὸς κύκλος inscriptum fuisset, sed ἐπικοὶ κύκλοι, vel ἐπικῶν κύκλων. Atqui veteres Critici nunquam ἐκ τῶν κύκλων aliquid citant, sed semper ἐκ τοῦ κύκλου id sumptum esse ajunt, & κύκλον ἐπικὸν vocant. Τοῦτο ἐκ τοῦ κύκλου ἀφείλκυσται, τοῦτο ἐν πέμπτῳ μέρει τοῦ κύκλου, ἔχαιρε Σοφοκλῆς τῷ ἐπικῷ κύκλῳ. Atque ita passim. Proclus in Chrestomathia poetarum omnium, qui ἐπικὸν κύκλον illum constituebant, nomina & patrias studiose recensuerat. Photius: λέγει καὶ τὰ ὀνόματα, καὶ τὰς πατρίδας τῶν πραγματευσαμένων τὸν ἐπικὸν κύκλον. Nullum ergo poema κυκλικὸν, nec ullus poeta κυκλικὸς præter eos, qui intra cyclum illum recepti sunt, & quorum opera in id syntagma relata. Nec enim si quis poëta, eodem modo quo cyclicus, historiam aliquam, quæ principium & finem habeat, ita ut est, rectè atque ordine à principio ad finem descripserit, continuo inter cyclicos numerandus. Multi quippe veterum poëtarum perpetuo carmine historiam ab initio exorsi ad finem usque deduxerunt, inter quos Cypriacorum auctorem recenset Aristoteles, & parvæ Iliadis conditorem. Οἱ δ' ἄλλοι, inquit, περὶ ἕνα ποιοῦσι, καὶ περὶ ἕνα χρόνον, καὶ μίαν πρᾶξιν πολυμερῆ, οἷον ὁ τὰ Κυπριακὰ ποιήσας, καὶ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα. Tales fuere omnes poëtæ τοῦ κύκλου: circa unum hominem & unum tempus versabantur, & historiam unam in plures actus divisam, quam continuata serie totam sicut, gesta erat,

A ab exordio ad exitum descriptam perducebant. Cypriacorum tamen auctorem Proclus inter cyclicos non retulit. Photius de Proclo: λέγει καὶ τὰ ὀνόματα, καὶ τὰς πατρίδας τῶν πραγματευσαμένων τὸν ἐπικὸν κύκλον. λέγει δὲ καὶ περὶ Κυπρίων ποιημάτων, καὶ ὡς οἱ μὲν ταῦτα εἰς Στασῖνον ἀναφέρουσι Κύπριον, οἱ δὲ Ἡγησίαν τὸν Σαλαμίνιον αὐτοῖς ἐπιγράφουσιν, οἱ δὲ Ὅμηρον. Herodotus negat Homeri esse τὰ Κύπρια ἔπη. Sed nec inter κυκλικὰ recensebantur, quia κύκλου non erant. Antimachi Thebaidam perperam docti viri κυκλικὴν fuisse censent. Diversa fuit illa Thebaïs, quæ inter κύκλου poemata B recensita est ab Antimachi Thebaïde. Nemo omnino veterum ambiguum habuit, quin Thebaïs Antimachi opus fuerit. Passim quippe & ab omnibus citatur ἐν Θηβαΐδι. Athenæus lib. XI. tribus & quatuor locis eum laudat in illo opere. Apollonius τεχνικὸς περὶ ἀντωνυμιῶν. Τὸ πλῆρες σφῶϊ· παρὰ γὰρ Ἀντιμάχῳ, καὶ μονοσυλλάβως ἐν τρίτῃ Θηβαΐδος· τὼ καὶ σφῷ γείνατο μήτηρ, καὶ ἐν πρώτῃ, Ἀσπασίως δὲ σφῶ ἄγον οἴκαδε. Alia est Θηβαῒς κυκλική, quæ ad discrimen Antimacheæ sic nominatur, cujus auctor incertus habitus est veteribus Criticis. Athenæus lib. XI. Ὁ δ' Οἰδίπους ἐκπώματα τοῖς υἱοῖς καταρασάμενος, ὥς ὁ τὴν κυκλικὴν Θηβαΐδα πεποιηκώς φη- C σιν. De Antimachi Thebaide non ita loquutus esset, nec sanè ita loquutus est vel eodem libro, ubi tribus locis Ἀντίμαχον ἐν πέμπτῳ Θηβαΐδος citavit. Scholiastes Apollonii ad librum primum: οἱ δὲ τὴν Θηβαΐδα γεγραφότες φασὶν, ὅτι ὑπὸ τῶν ἐπιγόνων ἀκροθίνιον ἀνετέθη Μαντὼ ἡ Τειρεσίου θυγάτηρ εἰς Δελφοὺς πεμφθεῖσα. Intelligit Thebaïdem κυκλικὴν, cujus auctor ignorabilis: vel certè utramque, quia dixit, οἱ γεγραφότες. Pausanias meminit illius Thebaïdis, & Callinum quemdam auctorem allegat, qui eam Homero attribuerit, & plerosque veterum cum eodem sentire. In Boeoticis: ἐποιήθη D δὲ ἐς τὸν πόλεμον τοῦτον καὶ ἔπη Θηβαΐς. Τὰ δὲ ἔπη ταῦτα Καλλῖνος ἀφικόμενος αὐτῶν ἐς μνήμην ἔφησεν Ὅμηρον τὸν ποιήσαντα εἶναι. Καλλίνῳ δὲ πολλοὶ καὶ ἄξιοι λόγου κατὰ ταῦτα ἔγνωσαν. Ita legendum, non Καλαῖνος. Poema illud valdè probat Pausanias, & omnium maximè probum affirmat post Iliadem & Odyssean. Ea certè Θηβαῒς non eadem cum Antimachi Thebaïde, de cujus auctore, quin Antimachus esset, nemo dubitavit. Sic Ilias quædam κυκλική. De ea certum est accipi debere hunc Horatii locum de arte Poetica:

Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo & nobile bellum.

E Longè errant mea quidem sententia doctissimi Critici, qui hæc exponenda censent de Romano aliquo epico poeta, qui Trojanum bellum ab initio fuerit persecutus. Cyclus epicus totus Græcorum fuit, nec ullam in eo partem habuere Latini. Sed nec ullus poeta Romanus cyclicus unquam audiit. Lævius τὰ Κυπριακὰ ἔπη Latinè verterat. Nihil hæc ad cyclum epicum pertinebant, utpote quæ extra illud cyclicum censa fuisse ante docuerim. Perperam Scaliger ad Catullum Κυπριακὰ & μικρὰν Ἰλιάδα ejusdem carminis & operis inscriptionem putat. Auctor τῶν Κυπρίων semper F per incertus habitus est. Alii Stasino Cyprio, alii Hegesiæ, alii Homero ipsi tribuebant. Μικρᾶς Ἰλιάδος Lesches Lesbius ab omnibus & semper existimatus est. Præterea Aristoteles de Poetica, capite XXIII τὰ Κυπριακὰ & μικρὰν Ἰλιάδα clare distinguit. Οἷον, inquit, ὁ τὰ Κυπριακὰ ποιήσας, καὶ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα. Hujus μικρᾶς Ἰλιάδος Lesches auctor fuit. Τὰ Κυπριακὰ tamen etiam ἐλάττονος Ἰλιάδος nomine Herodoto venire minimè dubium est. Ita enim scribit in vita Homeri: διατρίβων δὲ παρὰ τῷ Θεστορίδῃ ποιεῖ Ἰλιάδα τὴν ἐλάσσω, ἧς ἡ ἀρχή·

Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην εὔπωλον
Ἧς πέρι πολλὰ πάθον Δαναοὶ θεράποντες Ἄρηος.

G Hæc minuscula Ilias, quam Homerus composuisse dicitur, quum apud Thestoridem degeret, longe alia est ab ea, cui μικρὰ Ἰλιὰς titulus fuit, cujus auctorem absque varietate omnes Leschem faciunt. Igitur τῆς ἐλάττονος Ἰλιάδος nomine intellexit τὰ Κύπρια Herodotus, quorum principium hoc fuisse grammatici adnotant:

Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην ἐρατεινήν.

Ea Homero etiam juxta quosdam vindicata. *Cypria Iliados* titulo citantur à Charisio Sosipatro ex Lævio vetustissimo poeta Latino, qui ea verterat. Non, ut inscriptio

inscriptio promittit, Cypriacas res, aut origines illa Κυπελακὰ tractabant, sed raptum Helenæ, & bellum Trojanum, ut patet ex Herodoti secunda Musa, ubi eo argumento evincit τὰ Κύπελα ἔπη non esse Homeri: quod in Iliade tradiderit, Paridem rapta & abducta Helena diu erravisse, nec rectum cursum tenuisse, quum Cypriorum conditor dixerit triduo Sparta Ilium eumdem pervenisse ventis usum ferentibus, & tranquillo mari. Non possunt igitur hæc ejusdem auctoris esse. Athenæus lib. XV versus ex illo opere hos affert.

> Νύμφαι, καὶ Χάριτες, ἅμα δὲ χρυσῆ Ἀφροδίτη
> Καλὸν ἀείδουσι κατ' ὄρος πολυπιδάκου Ἴδης.

Quæ plane ostendunt res Iliacas eo carmine expositas fuisse. Et fortasse Paridis judicium eo loco narrabat, ubi Veneris ornatum, cultumque, & comitatum descripsit cum Nymphis & Gratiis in monte Ida flores colligentibus, & inde serta sibi concinnantibus. Vide locum. Cur igitur Κυπελιακὰ illius poëmatis inscriptio, quæ nihil minus quam Cypri origines, aut negotia prosequebatur? Κύπελια, non Κυπελιακὰ plerique appellant. Herodotus Κύπελια ἔπεα, & simpliciter ἐν τοῖσι Κυπελίοισι. Et passim τῶν Κυπελίων ποιητὴς auctor nominatur veteribus. Κύπρια ποιήματα Proclo apud Photium, quæ ita inscripta quidam voluerunt à Stasino Cyprio, cui ea donaverat Homerus, qui pro suis ediderat: οἱ δὲ Ἡγησίαν τὸν Σαλαμίνιον αὐτοῖς ἐπιγράφουσιν, οἱ δὲ Ὅμηρον: δοῦναι δὲ ὑπὲρ τῆς θυγατρὸς Στασίνῳ, καὶ διὰ τὴν αὐτοῦ πατρίδα Κύπελα τὸν πόνον ἐπικληθῆναι. Sed hanc inscriptionis causam non probatam Proclo refert ibidem Photius. Nec enim τὰ Κύπρια accentu in primam reducto, sed Κυπελία titulum illius poëmatis ait fuisse accentu in media syllaba posito: Ἀλλ' οὐ τίθεται ὁ συγγραφεὺς τῇ αἰτίᾳ ταύτῃ: μηδὲ γὰρ Κύπρια προπαροξυτόνως ἐπιγράφεσθαι τὰ ποιήματα. Ergo Κυπρία nomen illius scripti, non τὰ Κύπρια debet esse. Non minimum hanc sententiam adjuvat, quod *Cypria Ilias*, Κυπελία Ἰλιὰς à quibusdam vocitata sit olim, ut à Lævio, qui eam vertit. Quasi Κυπελία operi tum titulus fuerit accentu in secunda, & subintelligeretur, Ἰλιάς. Certè ἐλάττονα Ἰλιάδα Herodotus hoc idem scriptum indigetat ad discrimen majoris Iliadis, quæ auctorem eumdem habuit juxta quorumdam sententiam. Donatam ab Homero Thestoridi cuidam ludimagistro tradit Herodotus, qui eam postea pro sua venditavit. Alii Stasino datam Cyprio scripsere, ut supra vidimus. Hinc constat τὰ Κύπελα & ἐλάττονα Ἰλιάδα juxta sententiam Herodoti idem fuisse carmen, quod aliis Κυπελία Ἰλιὰς vocatum sit. Sed illud nihilominus quærendum superest, cur Κυπελία appellata sit hæc Ἰλιάς, aut cur omnino Κύπρια secundum alios, vel Κυπελιακὰ ἔπη, quum nihil, quod ad Cyprum insulam attineret, tractaverint. Proclo Κυπελία absolute titulus poëmatis fuit. An ἡ Κυπελία? Sic Venus olim dicta est, quod in Cypro nata esset. Hesiodo Κυπρογενής, aliis Κύπελις. Ideo Veneris nomen pro titulo inscripserit huic operi, qui auctor ejus extitit, quod ex Paridis judicio, quo Venus Junoni ac Minervæ prælata est, raptus Helenæ sit consequutus, quam Venus Paridi promiserat, si victoriam ipsi adjudicaret, eaque causa Trojani belli fuerit. Certamen dearum eo opere descriptum à poëta constat ex fragmentis, quæ hodie supersunt, sed & raptum Helenæ, ut Herodotus testatur. Fortassican & à gemino ovo ac Ledæ partu exorsus fuerat. Nam & Dioscurorum historiam carmine illo descriptam fuisse scimus ex grammaticis. Præterea certamen Dearum, & Paridis judicium libro demum undecimo illius operis narrabatur. Decem itaque prioribus libris totam Helenæ historiam, & fratrum ejus Castorum detexuerat, ab ipsis natalibus repetitam. Quo allusit Horatius eo versu:

> *Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,*
> *Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.*

Quod de Κυπελίων vel Κυπελίας auctore accipiendum. Nam Lesches μικρᾶς Ἰλιάδος auctor non tam alte repetito principio exorsus fuerat, ut infra dicam. Quod igitur Cypride, id est, Venere præcipuè faciente, & Leda compressa est à Jove, atque Helena nata, ac eadem à Paride rapta, quæ bello Trojano & Trojæ ex-

A cidio causam præbuit, ideo titulum operi fecisse auctor videtur Κυπελία, id est, Venus. Quod enim ejus opera evenerat, quidquid ad Trojam accidisset. Ex quo nomine retracto in primam accentu alii τὰ Κύπελα fecerunt, & τὰ Κύπελα ἔπη. Mendum porro est in libris, aut ipsorum auctorum culpa, aut vitio librariorum, ubicunque τὰ Κυπελιακὰ leguntur pro τὰ Κύπελα. Nam τὰ Κυπελιακὰ nihil aliud possunt significare, quam *res Cypriacas*, ut ex aliis similibus inscriptionibus apparet. Τὰ Περσικά, τὰ Παρθικά, τὰ Τρωϊκά, τὰ Κρητικά, τὰ Λεσβιακά. Hellanicus inter cetera opera scripserat & τὰ Κυπριακά, quibus res, & origines Cypriacas exposuit.

B Nihil tale apud auctorem τῶν Κυπρίων. Et sane aliud Κύπρια, aliud Κυπελιακά. Aristoteles XXIII. de poëtica, οἷον ὁ τὰ Κυπελιακὰ ποιήσας. Mendum est ac corrigendum, ὁ τὰ Κύπελα. Nam paulo post recte: ἐκ δὲ Κυπρίων πολλαί. Similiter & apud alios id emendandum, nisi sicubi auctorum ipsorum errore id accidit, præcipue recentiorum, qui τὰ Κύπελα & τὰ Κυπελιακὰ idem esse falsò sibi persuaserunt. Verus quidem illius poëmatis titulus fuit, non τὰ Κύπελια, sed Κυπελία, si Proclo credimus. Quod enim Κύπελια inscripta quidam tradiderunt ab auctore Stasino, qui Cyprius fuit, id falsum

C etiam coarguit Demodamas apud Athenæum, qui auctorem illius poëmatis non Cyprium, sed Halicarnassensem fuisse contendit. Athenæus lib. XV. Ἀνθῶν δὲ στεφανωματικῶν μέμνηται μὲν ὁ τὰ Κύπελα ἔπη ποιήσας Ἡγησίας ἢ Στασῖνος. Δημοδάμας γὰρ ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ἢ Μιλήσιος ἐν τῷ περὶ Ἁλικαρνασσοῦ Κύπρια μὲν, Ἁλικαρνασσέως δὲ αὐτὰ εἶναι φησὶ ποιήματα. Ita legi debet ille locus. Cypria quidem illa carmina fatetur inscribi, sed auctoris esse Halicarnassensis. Casaubono placebat legi: Κυπρία οὐ μὴ Κυπρίου, Ἁλικαρνασσέως δέ. Ut ὁ Κυπρίας nomen proprium auctoris fuerit, qui τὰ Κύπρια scripsit. Quod mihi vehementer displicet. Aliunde ta-

D men quam vel ab auctoris patria, vel à rebus quas tractat, nomen habuisse oportet illa carmina Cypria. Si Κυπρία posito accentu in secunda libri titulus aliquando scriptus est, ut asserit Proclus, vix mihi dubium sit quin Κυπρία sit idem quod Κύπρις, id est, Venus. Rationem jam edidimus. Ut ut sit, diversa illa Κυπρία ab Iliade parva, cujus auctor fertur Lesches. Τὰ Κυπρία illa, sive *Ilias Cypria* τοῦ κύκλου syntagmate comprehensa non fuere. Μικρὰ Ἰλιὰς Leschis κυκλικὴ fuit. Clemens Alexandrinus primo Stromate inter poëtas τοῦ κύκλου Leschem Lesbium recenset, non recenset Stasi-

E num, quem τῶν Κυπρίων auctorem plerique fuisse volunt, sed nec Hegesian, cui eadem tributa sunt. Apud Aristophanem in equitibus legitur hic versus:

> Καί λε γυνὴ φέροι ἄχθος ἐπεί κεν ἀνὴρ ἀναθείη.

Ubi scholiastes quidam adnotat versum hunc sumptum esse ἐκ μικρᾶς Ἰλιάδος. Alter, ut diversorum illa sunt scholia, ἐκ τοῦ κύκλου mutuatam dicit. Ergo μικρὰ Ἰλιὰς Leschis κυκλικὴ fuit, & tomis κύκλου ἐπικοῦ comprehensa. Hieronymus ad Olympiadem trigesimam: *Alcmæon clarus habetur, & Lesches Lesbius, qui parvam fecit Iliadem.* Longè antiquiorem facit Clemens, qui cum Arctino eum contendisse carmine scribit. Arctini duo memorantur Hieronymo: unus Arctinus Milesius versificator

F omni opere & metro, quem ponit claruisse tempore primæ Olympiadis. Mox ad tertiam Olympiadem ita refert: *Eumelus poeta, qui Bugoniam & Europam: & Arctinus, qui Æthiopidam composuit & Ilii Persin.* Sine dubio idem est uterque Arctinus. Inter poëtas κυκλικὸς recensetur à Clemente, ut & Lesches, cum quo & vixisse & certasse traditur. Eumelus quoque ille τοῦ κύκλου ποιητὴς extitit, & in hoc album refertur ab eodem Clemente. Is est, cujus poësin κύκλον esse Aristoteles dixit loco superius à nobis emendato. Sic tres isti poëtæ κυκλικοὶ uno eodemque tempore vixerint, Arctinus, Eumelus, & Lesches. Arctinum Sui-

G das nona Olympiade floruisse tradit. Antiquissimum omnium poëtarum vocat Dionysius Halicarnassensis. Tzetzes Homeri discipulum facit. Sed si cum Lesche certavit, ut asserit Clemens, longe oportet posteriorem fuisse, quam ab Eusebio agnoscitur. Phanias apud Clementem Terpandro antiquiorem fuisse vult Leschem, juniorem autem Archilocho Terpandrum. Sic inter Archilochum & Terpandrum medius vixerit Lesches.

Lesches. Atqui circiter vigesimam nonam Olympiadem inclaruit Archilochus. Quare non male Lesches ab Eusebio ponitur circa Olympiadem trigesimam; & Terpander circa trigesimam tertiam. Sed de Terpandro nos alibi. Arctinus itaque antiquior Lesche, nec cum illo potuit committi. Arctinus *Æthiopidam* composuit, & *Ilii Persin*, ut ait Hieronymus. Αἰθιοπὶς illa continebat res gestas Memnonis Æthiopis, qui auxilium tulit Trojanis. Mirum vero *Ilii Persin* ab Hieronymo vocari, quum debuisset dicere *Ilii eversionem*, aut certè in plenum Græcè efferre Ἰλίου Πέρσιν. Sed videtur existimasse nomen illud Περσὶς esse proprium, quia minus usitatum. Nam recentiores dixerunt Ἰλίου ἅλωσιν. Nec mirandum istic deceptum esse Hieronymum, quum etiam Græci librarii sæpiùs in hac voce errarint. Apud Pausaniam in Phocicis citatur Lescheus ἐν Ἰλίου Περσίδι, Καθὰ δὴ καὶ Λέσχεως ὁ Αἰσχυλίνου Πυῤῥαῖος ἐν Ἰλίου Περσίδι. Imperiti librarii, quum legissent ἐν Ἰλίου πέρσιδι, nec intelligerent, illud πέρσιδι putarunt esse Περσίδι. Idem vitium eadem pagina paulò post: Κλυμένην μὲν οὖν Στησίχορος ἐν Ἰλίου Περσίδι κατηρίθμηκεν ἐν ταῖς αἰχμαλώτοις. Scribi debet, ἐν Ἰλίου πέρσιδι. Rectè ita vocatur apud Harpocrationem in voc Καθελών. Apud Athenæum malè Acatus Argivus citatur ἐξ Ἰλιοπερσίδος, quæ debuit esse Ἰλίου πέρσις: καὶ οὐδὲ ταῦτα ἐκ τῶν Στησιχόρου: σχολῇ γὰρ, ἀλλ' ἐκ τῆς Ἀκάτου Ἀργείου Ἰλίου Περσίδος. Ineptè. Nam certum est legi debere, Ἰλίου πέρσεως. Eodem hoc errore librariorum seductus Hieronymus, qui Ἰλίου Περσὶς scribunt pro Ἰλίου πέρσις, Latinè vertit *Ilii Persin*, quasi nomen esset proprium ἡ Περσὶς. Ceterùm Lesches ille, vel Lescheus Lesbius, quem μικρὰν Ἰλιάδα composuisse omnes ὁμοθυμαδὸν fatentur, à Pausania laudatur ἐν Ἰλίου πέρσιδι. Nec dubium est, quin idem illud opus intellexerit, quod ab aliis nominatur μικρὰ Ἰλιάς. Nam poëmate illo parvæ Iliadis Trojæ eversio descripta est à Lesche. Scaliger tamen Animadversionibus in Eusebium mirificè heic æstuat. Scholia Nemeonicarum citant Leschem ἐκ μικρᾶς Ἰλιάδος. Pausanias eum testem fert ἐξ Ἰλίου πέρσεως. Atqui diversa opera Ἰλιὰς μικρὰ & Ἰλίου πέρσις. Nam & Aristoteles mentionem facit Ἰλίου πέρσεως in Poëtica: qui tantum abest ut eamdem eam faciat cum minuscula Iliade, ut ex ea τὴν Ἰλίου πέρσιν propagatam esse dicat. Fatetur ergo non videre se, quomodo Eusebium & scholiastem Pindari cum Aristotele conciliare possit. Concludit tamen Ἰλιάδα μικρὰν scripsisse Stasinum, Ἰλίου πέρσιν Leschem. Miror sanè tantum virum tantopere in his hallucinatum fuisse, & Aristotelis verba tam negligenter legisse. Stasinus τὰ Κύπρια ἔπη fecit, quod opus etiam sub nomine ἐλάττονος Ἰλιάδος citatur, ut ab Herodoto in vita Homeri. Non inveni tamen qui μικρὰν Ἰλιάδα hoc scriptum ex veteribus vocaverit. Lesches μικρὰν Ἰλιάδα composuit, quæ non solum ab Eusebio, & scholiaste Pindari citatur, sed etiam à Clemente, Tzetze & aliis. Solus quod sciam Pausanias testimonium ex ea producit sub nomine Ἰλίου πέρσεως. Et sanè Ἰλιὰς μικρὰ decantabat Ilii excidium, ut revera potuerit etiam hoc titulo inscribi. At enim quod Aristoteles ex parva Iliade propagatam esse docet Ἰλίου πέρσιν, per μικρὰν Ἰλιάδα non intellexit Stasini Iliadem, sed Leschis: per Ἰλίου πέρσιν autem non accepit Leschis carmen, quod Ἰλίου πέρσις Pausaniæ vocatur, & idem est cum ejus parva Iliade, sed tragicum drama poëtæ alicujus tragici, cujus argumentum ex parva Iliade sumptum fuit. Ibi docet Aristoteles, quomodo tragœdiarum argumenta ut plurimum sumi solerent ex opere & carmine epico. Homerum supra ceteros heroïcos poëtas extollit, qui cum opus aggrederetur, quod principium & finem haberet, bellum nempe Trojanum, non totam eam historiam ab initio ad exitum persequendam & narrandam susceperit, sed partem ejus duntaxat delegerit speciosiorem, quam variis ornaret ἐπεισοδίοις, ut navium catalogo & aliis, quæ extra rem quidem sunt, & partem, quam tractavit, cum ea tamen conjuncta: Νῦν δ', inquit, ἓν μέρος ἀπολαβὼν ἐπεισοδίοις κέχρηται αὐτῶν πολλοῖς, οἷον νεῶν καταλόγοις, καὶ ἄλλοις ἐπεισοδίοις, οἷς διαλαμβάνει τὴν ποίησιν. Alii poëtæ non ita fecerunt, sed serie interrupta totam πραγματείαν belli Trojani ab exordio in finem pertexuerunt, rerum gestarum, & temporum ordine servato. Οἱ δ' ἄλλοι περὶ ἕνα ποιοῦσι, καὶ περὶ ἕνα χρόνον, καὶ μίαν πρᾶξιν πολυμερῆ. Cicero *continentia scripta* vocat, quæ perpetuam historiam complectuntur, ordine temporum, ac rerum gestarum serie continua expositam: *ut à continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiam complecteris, secernas hanc quasi fabulam rerum eventorumque nostrorum: habet enim varios actus, multasque actiones & consiliorum & temporum.* Formam ostendit, quâ poëtæ tragici ab epico cyclo perpetuam historiæ fabularis seriem complexo dramata secernebant, & fabulas quasdam, quas ornarent variis actuum, & actionum episodiis. Eo certè summus orator allusit. Nam cyclus epicus perpetuam historiam τῆς μυθικῆς complectebatur. Poëtæ qui illud σύνταγμα componebant, perpetuo & ipsi carmine res gestas scripserant. Aristoteles in exemplum, & comparationem adfert duos poëtas, qui circa idem argumentum versati fuerant, ut differentia inde noscere tur: οἷον, inquit, ὁ τὰ Κύπρια ποιήσας, καὶ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα. Qui τὰ Κύπρια fecit, Stasinus est: qui τὴν μικρὰν Ἰλιάδα, Lesches. Τὰ Κύπρια etiam nomine minusculæ Iliadis quibusdam censentur, quia res etiam Iliacæ opere illo continebantur. Uterque igitur Iliadem composuit ut Homerus, sed non pari modo. Partem Trojani belli sumpsit ornandam Homerus, ab Achille irato ad Hectorem interfectum. Illi totum bellum Trojanum à capite ad calcem persequuti sunt, usque ad Trojæ ἅλωσιν scilicet. Quæ una est πρᾶξις πολυμερής. Nam in multos actus dividi potest. Homeri Ilias circum unum duntaxat actum versatur, iram Achillis. Ideo nec principium τῆς πράξεως attigit, nec ad finem pervenit. Illi utrumque complexi sunt, & circa omnes actus versati, quos ordine peregerunt. Hinc fit, ut ex Homeri Iliade & Odyssea una tantum fieri possit tragœdia, vel ad summum duæ. Τοιγαροῦν, inquit, ἐκ μὲν Ἰλιάδος, καὶ Ὀδυσσείας μία τραγῳδία ποιεῖται ἑκατέρας, ἢ δύο μόναι. Ilias Homeri pars est, & actus unus, καὶ μέρος ἐκ τῆς πολυμεροῦς πράξεως, id est, belli Trojani. Ex parte una non possunt plures fieri deinde partes, nec plura sumi dramatum tragicorum argumenta. At ex eorum Iliade, qui totam illam πολυμερῆ πραγματείαν ordine exposuerunt, plures duci possunt ac fieri tragœdiæ, & reipsa factæ sunt, ut ex Cypriis, & parva Iliade. Ἐκ δὲ Κυπρίων πολλαί: καὶ ἐκ τῆς μικρᾶς Ἰλιάδος πλέον ὀκτὼ, οἷον, Ὅπλων κρίσις, Φιλοκτήτης, Νεοπτόλεμος, Εὐρύπυλος, Πτωχεία, Λάκαιναι, Ἰλίου πέρσις, καὶ Ἀπόπλους, καὶ Σίνων, καὶ Τρῳάδες. Non dicit quot tragœdiarum argumenta, nec qualium ex Cypriorum Iliade propagata sint, sed ex Iliade parva plures, quam octo natas esse tragœdias. Nomina sunt igitur illa tragœdiarum, quarum argumenta mutuatus est poëta aliquis tragicus ex parva Iliade Leschis. Sophocleæ illæ pleræque sunt, ut multum poëta ille delectabatur τῷ ἐπικῷ κύκλῳ, & frequenter tragœdias fecisse dicitur totas, sumpto inde argumento: Athenæus lib. VII: Ἔχαιρε δὲ Σοφοκλῆς τῷ ἐπικῷ κύκλῳ, ὡς καὶ ὅλα δράματα ποιῆσαι κατακολουθῶν τῇ ἐν τούτῳ, μυθοποιΐᾳ. Insignis profectò ad hanc rem locus. Μικρὰν Ἰλιάδα Leschis partem fuisse epici cycli supra ostendimus, & Leschem inter eos poëtas relatum, qui ἐπικὸν κύκλον constituebant. Ex illis decem tragœdiis, quas enumerat Aristoteles, Φιλοκτήτην, Λακαίνας & Σίνωνα Sophoclis apud veteres Grammaticos invenio. Τρῳάδες sunt Euripidis. Nisi & Τρῳάδας etiam scripserit Sophocles. Ὅπλων κρίσις titulus est tragœdiæ Æschyli. Ceteras quis veterum laudaverit, aut meminerit, nunc non succurrit, & puto pleraſque Sophoclis esse, qui earum argumenta duxerit ex Iliadis parvæ auctore cyclico. Quod igitur Ἰλίου πέρσιν distinguit Aristoteles ἀπὸ τῆς μικρᾶς Ἰλιάδος, non quasi utrumque sit epicum opus, alterum ab altero separat, sed tanquam alterum ex altero propagatum, tragicum ex heroïco. Ἰλίου πέρσις titulus est tragœdiæ Sophocleæ, vel alterius tragici ex parva Iliade desumptæ. Μικρὰ Ἰλιὰς pars fuit ἐπικοῦ κύκλου. Hic est ille *cyclicus scriptor*, de quo loquitur Horatius:

Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:

Fortunam

Fortunam Priami cantabo & nobile bellum.

Græci poëtæ hunc versum esse, quo Ἰλιάδα suam fuerat auspicatus, non alicujus Romani, viros doctos advertere debuerat principium alterius Græci poëtæ Homeri, quod quasi rectè ac decenter factum, vitioso illi ex adverso opponit idem Horatius:

Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte.
Dic mihi Musa virum captæ post tempora Trojæ.

Quod est initium Odysseæ Latine ab ipso redditum. Ergo & superior versiculus principium est Iliadis parvæ à Lesche cyclico scriptore conditæ, qui ita Græcè conceptus fuit:

Ἀείσω Πριάμοιο τυχὰν, πόλεμόν τε κλεεννόν.

Lesches ille Lesbius erat, qui Æolica lingua scripsit, ut Sappho. Id colligitur ex alio ejusdem versu, qui legitur apud Clementem de tempore, quo capta Troja est:

Νὺξ μὲν ἔην μεσάτα, λαμπρὰ δ' ἐπέτελλε σελάνα.

At Κυπρίων auctor, quæ & *minuscula Iliadis*, & *Cypria* nomen tulerunt, sic incœperat.

Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην εὔπωλον.

Hic à gemino ovo orsus fuerat bellum Trojanum, ut ante docuimus. Quod tangitur ab Horatio his verbis:

Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.

Sic hos duos poëtas simul junxit ad proponendum non satis emendatæ, nec exactæ poëseos exemplar, Leschem parvæ Iliadis auctorem, quem vocat *scriptorem cyclicum*, ut revera fuit, & τῶν Κυπρίων, vel Κυπρίας Ἰλιάδος conditorem, quem inter *cyclicos* non fuisse repositum satis supra ostendimus. His opponit tanquam virtutis poëticæ perfectissimam ideam unicum Homerum, qui idem argumentum tractaverat. Aristoteles quoque eorumdem exemplis usus est ad demonstrandas in arte poëtica virtutes ac vitia, & poëtas illos duos pari ratione scribendi & argumento æqualiter vitiosos junctim proposuit, uno è contra opposito Homero. Οἷον ὁ τὰ Κύπρια ποιήσας, καὶ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα. Combinati etiam reperiuntur apud Pausaniam, & alios ob similitudinem argumenti quod similiter exequuti sunt. Pausanias in Phocicis: Λέσχεως ἢ καὶ ὁ ποιήσας ἔπη τὰ Κύπρια διδόασιν Εὐρυδίκην γυναῖκα Αἰνείᾳ. Fons ac fundus τῆς μυθοποιΐας Græcanicæ cyclus epicus fit. Nec pauca materiæ fabularis argumenta Homeri poësis subministrat. Tam ex hac quam ex illo tragici veteres poëtæ fabularum, quas ad scenam componebant, ὑποθέσεις plerumque hauserunt. Plato Homerum vocat τῆς τραγῳδίας ἡγεμόνα καὶ διδάσκαλον. Diximus suprà multas dictasse tragœdias Sophoclem, quarum argumentum duxerat ex epico cyclo. Horatius in ea, quæ de Arte Poëtica est, ubi docet quomodo scribendæ tragœdiæ sint:

Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres indicta ignotaque solus.

Ait argumentum tragœdiæ melius sumi ex jam vulgata μυθοποιΐᾳ quam novum fingi. Per carmen Iliacum non Homeri tantum Iliadem fortassean intelligit, sed etiam *parvam Iliada* Leschis, & *Cypriam* Stasini, quæ & ipsæ suppeditarunt ὑποθέσεις tragœdiarum antiquis poëtis. Et propemodum id confirmant sequentia:

Publica materies privati juris erit, si
Nec circa patulum vilemque moraberis orbem.

Vilis & patulus orbis est *cyclus*, in quo publica fabularum ac tragœdiarum materies veluti exposita cuilibet patebat. Inde quisque sumebat quasi ex publico materiem scribendis tragœdiis, quam in privatum sic esse tribuendam monet Horatius, ut non eo modo tractetur & ordine, quo in cyclo ipso deducitur, hoc est, in poematis cycli. Publicam illam materiem, quæ ex cyclo petitur, ita demum sui juris, & propriam sibi fecerit, qui non circa ipsum cyclum morabitur, simili modo & ordine res tractans, ut ibi expositæ habentur, sine ulla varietate & arte. Præcipit igitur μυθοποιΐαν tantum & fabulæ ὑπόθεσιν ex cyclo promendam esse, quæ calamistris propriis inurenda sit & ἐπεισοδίοις varianda, ut hoc modo publica videri desinat, in privatum jus scitè translata. *Vilis & patulus orbis* non est ἐπεισόδιον, ut perperam viri doctissimi accipiunt. Ἐπεισόδια non damnat Horatius, immo probat, ut fa-

A cit etiam Aristoteles in libro de Poetica, quem sequitur, ὁ ἐπικὸς κύκλος poëmata, nuda ac simplicia sine arte & ἐπεισοδίοις, rem, ut erat gesta, eodem ordine persequens, historico planè more. Contra ea Homerum super omnes extollit, & divinum vocat eo nomine, quod ἐν μέρος ἀπολαβὼν ἐπεισοδίοις κέχρηται αὐτῶν πολλοῖς. De cyclo loqui Horatium, & *orbem vilem* & *patulum* ab eo nominari fidem faciunt & quæ sequuntur. Nam pergit improbare scribendi morem modumque poëtarum cyclicorum:

Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim.

B Igitur *vilis & patulus orbis*, ἐπικὸς κύκλος, qui non ulla virtute poëtica censebatur, sed sola fabularum materia, & ordine commendabatur, quas late & fuse exponebat. Nam fabulas omnes Græciæ è mundi principio usque ad Trojæ eversionem, & Ithaci reditum continebat ex variis poëtis congregatus, quorum carmina omnium vulgaria habita, triviali moneta percussa. Idcirco *vilem* vocat: præterea ab omnibus terebatur propter μυθοποιΐαν, & seriem ipsam rerum, qua descriptæ in eo habebantur. Proclus: ὁ ἐπικὸς κύκλος ποιήματα σπουδάζεται τοῖς πολλοῖς, οὐχ οὕτω διὰ τὴν ἀρετὴν ὡς διὰ τὴν ἀκολουθίαν τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων. Hinc Callima-

C chus epigrammate quodam ex nostris ἀνεκδότοις inter res vulgares ac publicas, & omnium usu promiscuo tritas recenset τὸ ποίημα τὸ κυκλικὸν, hoc est, τὸν ἐπικὸν κύκλον. Epigramma ipsum sic habet:

Ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικὸν, οὐδὲ κελεύθῳ
Χαίρω τίς πολλοὺς ὧδε καὶ ὧδε φέρει,
Μισῶ καὶ περίφοιτον ἐρώμενον, οὐδ' ἀπὸ κρήνης
Πίνω, σικχαίνω πάντα τὰ δημόσια.

Fontem, unde omnes aquantur, amicam, quæ sese omnibus dat viam publicam, quæ calcatur ab omnibus, & carmen cyclicum, quod omnium manibus teritur, eodem loco & numero habet. Nec assentiri heic pos-

D sum eruditissimo viro, qui per ποίημα κυκλικὸν non tantum Homerum, sed etiam epicos à Callimacho designari putat. Cur enim ἐπικὸν carmen magis δημόσιον esset, ac diceretur quam lyricum aut elegiacum, quam denique tragicum aut comicum? Adde quod multi heroici carminis auctores tum extitere raræ ac reconditæ lectionis, nec omnibus protritæ, qui profanum vulgus arcebant obscuritate sua ut Euphorion, Rhianus, Pisander, Panyasis, Apollonius. Certè Euphorionis ἐπικὰ opera non fuere notiora vulgo, quam ejusdem elegiæ & epigrammata, quæ ab omnibus cantaban-

E tur. Unde *Euphorionis cantores* Ciceroni dicuntur in tertia Tusculana, ubi de Ennio tragico loquens ita subdit: *ô poëtam egregium! quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur.* Amatoria præcipuè scripta poëtarum Græcorum, Latinorumque populus cantabat. Ovidius quodam loco gloriatur carmina sua populo cantata, saltataque se adhuc superstite. Horatius:

Cantat & apponit: meus est amor huic similis, nam
Transvolat in medio posita & fugientia captat.

Cantabat ille apud Horatium Callimachi epigramma, cujus conclusio est,

Κἠμὸς ἔρως τοιόσδε, τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν
Οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ κείμενα παρπέτεται.

F Nam locum illum Horatii ex hoc epigrammate Callimachi explicandum esse vel olim vidi admodum adolescens, quum epigrammata illa describerem, priusquam Scaligero ea transmisissem. Postremo Callimachus etiam ipse epico carmine inclaruit, quo *Hecalen* celebravit. Ergo & ipse Callimachus opere illo cyclicus. Si omnes, qui fabularem historiam perpetuo carmine tradiderunt, cyclici habendi sunt, profecto non soli epici in hoc album erunt referendi, sed etiam elegiaci. Opus illud Callimachi veteribus de-

G cantatissimum, quo fabularum omnium origines & caussas exposuerat, quod Αἴτια inscriptum erat, elegiaco carmine compositum fuit. Ergo etiam elegia quædam κυκλικὴ fuerit. Sed nec appellationis hujus ea ratio est, quam putarunt, nec κύκλος omne carmen epicum. Jam vero quale illud est, quo Homerum principem τῶν κυκλίων fuisse sibi persuaserunt? Atqui epigramma illud vetus Græcorum, quod produxerunt, disertè excludit Homerum à cyclicorum poëtarum grege:

Eee τὰ

τοὺς κυκλίους τούτους, τοὺς αὐτὰρ ἔπειτα λέγοντας
Μισῶ λωποδύτας ἀλλοτρίων ἐπέων.

Cyclicos poëtas ideo se odisse profitetur, quod alienorum carminum suppilatores sint, & sub finem epigrammatis ita scribit:

Οἱ δ' οὕτω τὸν Ὅμηρον ἀναιδῶς λωποδυτοῦσι
Ὥστε γράφειν ἤδη μῆνιν ἄειδε θεά.

Plane dicit cyclicos ab Homero furari. Si Homerus & & ipse cyclicus, quid alius dicendum quàm cyclicos principem suum compilasse? Sed omnino cyclicos ab Homero secernit Pollianus, cui tribuitur illud epigramma. Non admodum antiquus auctor, nam nec in Meleagri collectione, nec in Philippi locum habuit, quæ duæ vetustissimæ fuere epigrammatum συλλογαί. In Agathiæ itaque nova compilatione, quæ inscripta est Κύκλος νέων ἐπιγραμμάτων, sub titulo τῶν σκωπτικῶν relatum illud fuit Polliani epigramma in pessimos quosdam poëtas heroicos, quos vocat κυκλίους, quia epico carmine fabulas componebant, eodem prorsus modo, quo antiqui illi cyclici, unde & multa ex Homero suffurabantur. Quod & fecisse veteris cycli poëtas verisimile est. Nam licet ipsi antiquissimi, omnibus tamen poëtis illis, qui κύκλον ἐπικὸν constituerunt, Homerum fuisse antiquiorem certum est. At nullum poëma Polliani ætate compositum esse liquet, quod in antiqui ἐπικοῦ κύκλου ordinem relatum sit. Ex Clemente quippe constat omnes cycli epici compositores vetustissimos habitos: καὶ ταῦτα μὲν προσήχθημεν εἰπεῖν, ὅτι μάλιστα ἐν τοῖς πάνυ παλαιοῖς τοὺς τοῦ κύκλου ποιητὰς τίθεασι. Arctinum, & Leschem, & Eumelum Corinthium tres ibi recenset cyclicos poëtas. Quorum Arctinus circa tertiam aut nonam, ut alii ponunt Olympiadem floruit. Eumelus Archilocho vetustior ante vigesimam Olympiadem vixit. Lesches autem circiter trigesimam. Falluntur qui Onomacritum τοῦ κύκλου ποιητὴν fuisse putant. Cyclus ipse epicus non ultra reditum Ulyssis pergebat fabularem historiam texere. Ergo κύκλιοι poëtæ Lolliani non possunt illi esse κυκλικοὶ, vel τοῦ κύκλου ποιηταὶ, quos passim veteres citant, & quos universæ μυθοποιίας conditores fuisse indicant. Pessimos, ut dixi, quosdam ac triviales heroici carminis conscribillatores hoc nomine suggillat, quod cyclicos illos antiquos imitarentur, qui & ipsi poëtæ non nimium boni fuere. Nec mirum sane ad eorum veterum exemplar etiam recentiores quosdam fabularum heroico carmine compositores dictos esse κυκλίους. Propriè tamen non alii poëtæ κυκλικοὶ præter eos, qui collectione τοῦ ἐπικοῦ κύκλου comprehensi fuerant. Proclus: καὶ περατοῦται ὁ ἐπικὸς κύκλος συμπληρούμενος ἐκ διαφόρων ποιητῶν μέχρι τῆς εἰς Ἰθάκην ἀποβάσεως Ὀδυσσέως. Homerum in illo numero non fuisse plus quam verum constare debet. Etymologici magni auctor notat quodam loco παρὰ τοῖς κυκλικοῖς αἱ ψυχαὶ νεκάδες λέγονται, deinde versum ex Iliadis Homericæ ν subjicit. Quod non ita intelligendum est, quasi Homeri poëmata pars essent cycli, sed quum ex Homeri carminibus cyclici poëtæ multa mutuati essent & imitati, etiam versum illum, sive verbum Homericum usurparant. Eustathius ad quartum Odysseæ, δέκτην δὲ Ἀρίσταρχος μὲν τὸν ἐπαίτην λέγει παρὰ τὸ δέχεσθαι, ὁ δὲ κυκλικός φασιν ἤγουν ὁ τῶν κυκλίων ποιητὴς ὀνοματικῶς ἀκούει τὴν λέξιν. Cyclicus poëta, qui locum illum Homericum in suam poësin transtulerat, Δέκτην quasi nomen adjectivum acceperat, quum Aristarchus significare ἐπαίτην adnotaverit. Locus Homeri:

Ἄλλῳ δ' αὐτὸν φωτὶ κατακρύπτων ἤϊσκε
Δέκτῃ.

Ita legit Aristarchus, ut Δέκτης significaverit mendicum, cui se assimulavit Ulysses. Cyclicus poëta δεκτὴν ibi accepit pro veste, ut nimirum Ulysses ea se veste dissimulaverit, ne esset agnoscendus Trojanis, cum neminem sic amictum in Græcorum exercitu scirent. Legit igitur in Homerico versu, κατακρύπτων ἤϊσκε δεκτῇ. Hesychius: δεκτὴ χλαῖνα, χλανίς. Alibi tamen λεκτὴ pro eodem apud eum scribitur, λεκτὴ χλαῖνα, eam observationem ex antiquo aliquo scholiaste hausit Eustathius, ὁ δὲ κυκλικός φασιν. Ipse quippe cyclicum illum non legit. Nullus cyclicus, nec ullum cyclicum poëma extabat ætate Eustathii. Quinetiam ignorasse planè fatetur, quales fuerint illi cyclici, dum κυκλικὸν interpretatur τῶν κυκλίων ποιητήν. Vetus aliquis dixisset, τὸν τοῦ κύκλου ποιητήν. Sed cum in animo haberet τὰ κύκλια μέλη vel ποιήματα, quæ Dithyrambica erant à cyclio choro, putavit κυκλικὸν esse τῶν κυκλίων ποιητήν. Ex his sane videre est poëtas cyclicos multa ex Homero sumpsisse, non solum quod ad mythologiam attinet, sed etiam quod ad verba & versus. Possumus igitur & κυκλίους illos Polliani de veris & antiquis cyclicis exponere, quos tanquam λωποδύτας Homeri odio habere dicit & aversari. Profecto ætate Polliani nullum amplius cyclicum poëma scribebatur, nec ulli, qui tum viverent poëtæ, hoc nominis habuere. Et hæc interpretatio tutissima verissimaque. Illud æque indubitatum, Homeri Iliada & Odysseam extra cycli corpus fuisse, nec Homerum cyclicis poëtis adgregatum. Recta itaque emendatio nostra, qua apud Aristotelem in priore Elenchorum corrigi volumus, ὁ δὲ ὅτι Εὐμήλου ποίησις σχῆμα διὰ τοῦ κύκλου. Eumelus ille inter præcipuos ac vetustissimos cycli poëtas, cui non una pars tantum, sed plures tributæ sunt illius syntagmatis. *Titanomachiæ* auctorem quidam eum fecerunt. Athenæus lib. VII. Οἶδα ὅτι ὁ τὴν Τιτανομαχίαν ποιήσας εἴτ' Εὔμηλός ἐστιν ὁ Κορίνθιος, ἢ Ἀρκτῖνος. Argonautica etiam videtur composuisse, quæ historia partem cycli constituebat. Vetus scholiastes Apollonii ad librum tertium versu isto τὸν δ' ἕλεν ἀμφασίη, sic notat: οὗτος καὶ οἱ ἑξῆς στίχοι εἰλημμένοι εἰσὶ παρ' Εὐμήλου, παρ' ᾧ Μήδεια πρὸς Ἴδμονα διαλέγεται. Licet idem argumentum tractaret Apollonius, non tamen ejus Ἀργοναυτικὰ in cycli seriem & collectionem relata, sed Eumeli, qui eam historiam ab Æetæ origine repetierat. Scholiastes Pindari ad Olympionicas versus ex Eumelo citat qui fidem hujus rei faciat:

Ἀλλ' ὅτε δ' Αἰήτας καὶ Ἀλωεὺς ἐξεγένοντο
Ἠελίου τε καὶ Ἀντιόπης, τότε δ' ἄνδιχα χώρην
Δάσσατο παισὶν ἑοῖς Ὑπερίονος ἀγλαὸς υἱός
Ἣν μὲν ἔχ' Ἀσωπὸς ταύτην πόρε δίῳ Ἀλωεῖ
Ἣν δ' Ἐφύρη κτεάτισσ' Αἰήτῃ δῶκεν ἅπασαν,
Αἰήτης δ' ἄρ' ἑκὼν Βούνῳ παρέδωκε φυλάσσειν,
Εἰσόκεν αὐτὸς ἵκοιθ' ἢ ἐξ αὐτοῖό τις ἄλλος
Ἢ παῖς ἠδ' υἱωνός, ὁ δ' ἵκετο Κολχίδα γαῖαν.

Ibi eum vocat ποιητὴν ἱστορικόν, διδάσκει δὲ τοῦτο Εὔμηλός τις ποιητὴς ἱστορικὸς εἰπών, deinde sequuntur hi versus, quos apposuimus & castigavimus. Ποιητὴς ἱστορικὸς, & κυκλικὸς idem. Sed opus illud Eumeli Ἀργοναυτικῶν titulo non puto fuisse inscriptum, nec enim solam Argonautarum expeditionem persequutus est illo opere. Universam Corinthiacam historiam complectebatur ab ea divisione, quæ inter filios Solis facta est, Æeten & Aloeum, usque ad reditum Jasonis & Medeæ, nuptiasque ejusdem Jasonis cum filia Creontis, & reliqua, quæ inde consequuta sunt. Quæ omnia pertinent ad historiam Corinthi. Nam Corinthus, quæ tunc Ephyre, cesserat Æetæ Medeæ patri. Sed eam servandam Buno commisit, & ipse in Colchos secessit, urbem ibi ex oraculo conditurus. Κορινθιακὰ igitur illi operi titulum fecit Eumelus, quo etiam Ἀργοναυτικὴν expeditionem comprehendit. Scholiastes Apollonii eum laudat ἐν Κορινθιακοῖς. Corinthius & ipse fuit. Clemens Alexandrinus: Εὔμηλος δὲ ὁ Κορίνθιος πρεσβύτερος ὢν ἐπιβεβληκέναι Ἀρχίᾳ τῷ Συρακούσας κτίσαντι, vixisse eodem tempore vult, quo Archiam Syracusarum conditorem, qui Corinthius quoque oriundo, is Syracusas dicitur condidisse circiter Olympiadem undecimam: Et sane non longe à Syracusarum conditu Eumelum Corinthium floruisse ponit Eusebius, qui eum recenset ad Olympiadis nonæ annum ultimum. *Eumelus Corinthius versificator agnoscitur*, ἐποποιός. An igitur hic diversus ab eo Eumelo, quem tertia Olympiade ponit, qui Bugoniam & Europam scripserat? Ibi poetam tantum appellat, nec Corinthium nominat. Puto tamen eumdem esse, cujus ætatem ex variis auctoribus variam notavit. Quod si diversum ex eo censuit, erravit. Pausanias hunc Eumelum Amphilyti filium fuisse ait, & Bacchiadarum generis, vetustissimum. Cujus Κορινθιακὴν συγγραφὴν appellat Κορινθίαν, quasi prosa oratione scripta fuerit. Nec enim συγγραφὴν, nisi de historia pedestri sermone composita, Græci usurpant. Εὔμηλος δὲ, inquit, ὁ Ἀμφιλύτου τῶν Βακχιαδῶν καλουμένων

μένων ὃς καὶ τὰ ἔπη λέγεται ποιῆσαι, φησὶν ἐν τῇ Κορινθίᾳ συγγραφῇ, εἰ δὴ Εὐμήλου γε ἡ συγγραφὴ, Ἐφύραν Ὠκεανοῦ θυγατέρα οἰκῆσαι πρῶτον ἐν τῇ γῇ ταύτῃ. Plane istis innuit Eumeli illud opus, cujus inscriptio Κορινθιακὰ, soluta oratione conditum fuisse, & sæpe ejus meminit in Corinthiacis suis. Atqui rursus ex alio loco ejusdem Pausaniæ, qui in iisdem ejus Corinthiacis habetur, liquido colligitur Eumeli Corinthiaca versibus scripta. Ita enim tradit: Εὔμηλος δὲ Ἥλιον ἔφη δοῦναι τὴν χώραν Ἀλωεῖ μὲν τὴν Ἀσωπίαν, Αἰήτῃ δὲ τὴν Ἐφυραίαν, καὶ Αἰήτην ἀπιόντα εἰς Κόλχους, παρακαταθέσθαι Βούνῳ τὴν γῆν. Hæc omnia versibus illis exposuit Eumelus, quos superius ex scholio Pindari attulimus. Eosdem versus adduxit Tzetzes commentariis in Lycophronem ex Theopompo, quem Eumeli Historici poëtæ testimonio usum esse docet in eadem re describenda: περὶ δὲ τῆς Ἡλίου βασιλείας τῆς εἰς αὐτοῦ παῖδας Αἰήτην καὶ Ἀλωέα Θεόπομπος ὁ Χῖος Εὐμήλου τοῦ Κορινθίου ἱστορικοῦ ποιητοῦ μέμνηται λέγοντος.

> Ἀλλ' ὅτε δ' Αἰήτης καὶ Ἀλωεὺς ἐξεγένοντο
> Ἡλίου τε καὶ Ἀντιόπης τότε δὴ ἄνδιχα χώρην
> Δάσσατο παισὶν ἑοῖς Ὑπερίονος ἀγλαὸς υἱός.

Sunt iidem versus, quos ante produximus. Fortean Pausanias non viderit illa Κορινθιακὰ Eumeli, sed ab aliis citata tantum legerit. Ut ut sit, certe poësis fuit ἱστορικὴ, quæ & in orbem, sive catenam κυκλικὴν conscripta & congregata est. Talis extitit poësis omnium poëtarum cyclicorum, qui in eum orbem accensi & adscripti sunt, præter fabulas, si quid ἱστορικὸν & verum inciderat, id etiam exponebant & ordine plane quo solent Historici. Proclus de cyclo epico: διεξέρχεται δὲ περὶ θεῶν, τά τε ἄλλα τοῖς Ἕλλησι μυθολογούμενα, καὶ εἴ που τι καὶ πρὸς ἱστορίαν ἐξαληθίζεται. Clemens Alexandrinus in sexto Stromate Εὔμηλον vocat ἱστορογράφον, & prosa oratione opera Hesiodi dicit expressisse, & pro suis edidisse: τὰ δὲ Ἡσιόδου, inquit, μετήλλαξαν εἰς πεζὸν λόγον, καὶ ὡς ἴδια ἐξήνεγκαν Εὔμηλός τε καὶ Ἀκουσίλαος οἱ ἱστοριογράφοι. Profecto, si Eumelus iste soluta etiam oratione historiam fabularem condidit, falsum erit, quod ab omnibus proditum est, Pherecydem aut Cadmum primos aliquid historici vulgasse sermone pedestri. Longe quippe antiquior hic Eumelus, quam vel Pherecydes, vel Cadmus, vel Hecatæus. Ἱστορικὸν certe hunc Eumelum non simpliciter nuncupant alii auctores, sed ἱστορικὸν ποιητήν. Pausanias indicat tam prosa, quam versibus eum claruisse, & in poëtica nihil quod γνήσιον ejus dici posset extitisse præter Προσόδιον carmen in Delum. Contrà stant plerique auctores, inter quos convenit Eumelum unum ex cyclicis & historicis poëtis, ex quibus cyclus constabat, fuisse. Legitur apud Pindari scholiastem in Olympionicis Eumolpum Corinthium, scripsisse νόστον τῶν Ἑλλήνων. Ode XIII. Τοῦτο δὲ διὰ τὸ Εὔμολπον ὄντα Κορίνθιον, καὶ γράψαντα νόστον τῶν Ἑλλήνων. Omnino ibi rescribendum est, διὰ τὸ Εὔμηλον ὄντα Κορίνθιον. Vides & librum, qui inscriptus erat νόστος τῶν Ἑλλήνων, quosdam Eumelo attribuisse. Nec unum opus, nec unius auctoris hoc titulo fuisse credendum. Alii hoc nomine reditum Græcorum ex Ilio, alii Argonautarum è Colchide prosecripserunt. Lysimachum quidam in νόστοις, nonnulli Anticlidem laudant. Τῶν νόστων fragmentum, quod extat in argumento Medeæ Euripideæ, de Argonautis & Minyarum rebus agit, & fortean pars fuerit τῶν Κορινθιακῶν Eumeli. Nam & quidam veterum dubitarunt, an opus illud ei foret adscribendum. Fortasse etiam peculiari carmine descripserit reditum Argonautarum: quæ omnia incerta sunt. Quasi incerti auctoris citat illos νόστους Apollodorus ὡς δὲ ὁ τοὺς νόστους γράψας φιλύραν. Hieronymus Eumelo *Bugoniam* & *Europam* tributa fuisse docet. Βουγονία poëma, ut videtur, fuit, quo Aristæi fabula descripta habebatur, qui amissas cum apibus opes reparavit occiso bove co modo, quo Virgilius narrat. Inde aves ipsæ βουγενεῖς Græcis dictæ & βουγόναι. Inde Βουγονία carmen Eumeli. Quod etiam incertum ferebatur an Eumeli esset. Εὐρώπη aliud ejusdem carmen, de quo & ipso dubitatum erit antiquis Criticis. Clemens versus citat ἐξ Εὐρωπίας auctore non nominato. Melius legeris, Εὐρωπείας. Nam Εὐρώπη Εὐρώπεια, ut Καλλιόπη Καλλιόπεια, Ἐρύθη Ἐρύθεια, Βερενίκη Βερενίκεια, & similia. Poëtæ tamen etiam Εὐρωπίαν dixere, ut versui consulerent. Euripides in Theseo:

> Σχεδὸν παρ' αὐτοῖς κρασπέδοις Εὐρωπίας.

Opus illud ἐθνικὸν Eumeli, quod Εὐρώπη, vel Εὐρώπεια inscribebatur, historiam Europæ Agenoris filiæ continebat. Fuit & hac inscriptione Nicandri poëma, quod descriptionem, & περιήγησιν Europæ complectebatur. Stephanus eum laudat ἐν πέμπτῳ τῆς Εὐρωπείας. Athenæus lib. VII. Ἐν τρίτῳ τῆς Εὐρωπείας, ut olim pene puer observavi. Scholiastes Apollonii ad quartum Ἀργοναυτικῶν Nicandrum nominat ἐν δευτέρῳ Εὐρώπης. Quærant porro, quibus otium erit, an Εὐρώπειαν idem scriptum alii Nicandro, alii Eumelo adscripserint. Hecatæus sæpe citatur à grammaticis ἐν Εὐρώπῃ. Ex his omnibus comprobatur constitisse quidem inter veteres, qualia & quot poëmata constituerent orbem illum epicum, quo omnis Græcorum fabularis historia continebatur, sed non æque certum ac compertum fuisse, quinam singulorum auctores extitissent. Proclus in chrestomathia de his omnibus affatim docuerat, quod utinam scriptum extaret. Quæcunque fermè scripserat Eumelus, aut omnia certe, quæ illi opera adscripsit vetustas, cyclica fuisse, utpote cycli epici tomo comprehensa, ex iis quæ diximus liquere potest. Hinc Aristoteles Εὐμήλου ποίησιν sub nomine κύκλου traducit, quia pars κύκλου fuit, nec quidquam fere poëta ille scripsit, vel putatur scripsisse, nisi κυκλικὸν, unde ποιητὴς ἱστορικὸς passim apud veteres indigetatur. Quod de Homero tam falsum est quam falsissimum. Adeo tamen vetus hoc mendum Aristoteli inolevit, ut etiam Philopono agnoscatur. Ita enim scribit in librum primum Analyticorum: ἔστι δὲ καὶ ἄλλο τι κύκλος ἰδίως ὀνομαζόμενον, ὃ ποίημα τινὲς μὲν εἰς ἑτέρους, τινὲς δὲ εἰς Ὅμηρον ἀναφέρουσι. Cyclus ille epicus non unum fuit poëma, sed plura, auctorumque diversorum. Nullum ex illis poëmatis Homero adscriptum præter unum, quod inscribebatur Κύπρια. Ne illud quidem cyclicum fuisse poëma ex Proclo constat, qui à cyclo excludit. Sed demus τὰ Κύπρια etiam illo κύκλῳ inclusa, propter unicum illud poëma tota Homeri poësis, hoc est, Ilias & Odyssea cyclo non potuit, nec vero debuit esse comprehensa, sed nec κύκλου nomen veluti proprium habuisse. Concedamus etiam, quod non potest, propter illa Κύπρια universam Homeri poësin κύκλον nomine appellatam, id penes Aristotelem locum non habet, qui τὰ Κύπρια alii auctori quam Homero vindicat. Nam in libro de poëtica τὸν τὰ Κύπρια ποιήσαντα alium ab Homero facit. Verissima igitur emendatio loci Aristotelici ex priore Elenchorum, Εὐμήλου ποίησις σχῆμα διὰ τοῦ κύκλου. Cyclus præterea epicus, quod initio adstruximus, non singulare aliquod poema, sed catenata quædam series ex pluribus constans poematis, quibus universus historiæ fabularis contextus ab orbis condita ad Ulyssis reditum ordine perpetuo descriptus continebatur. Metaphora à choro ducta, qui κύκλος est consertus multis personis unà canentibus & saltantibus manibus per mutua nexis, vel restim ducentibus: vel à corona, quæ etiam κύκλος est ex variis floribus sertis & nexis invicem compositus. Sic etiam, quod ante documus, quia catenatæ inter se & veluti cognatæ putantur omnes artes liberales, & orbem quemdam, sive chorum efficiunt, qui κύκλος παιδείας est appellatus. Eadem prorsus ratione interpretationem perpetuam alicujus operis ex variis compilatam auctoribus, *Catenam* recentiores nuncupaverunt, ut sunt *Catenæ Patrum*, quæ dicuntur in Psalmos, in Prophetas, in Euangelia, quæ perpetuæ sunt expositiones ex variis patribus contextæ, & ordine dispositæ. Catena, sive cyclus totius mythologiæ Græcorum ex variis compositus poëmatis finiebatur Ulyssis in patriam reditu, hoc est, errorum ejus fine. Et sanè mythicum tempus Græciæ, quod fabulis & narrationibus fabulosis implicitum præcipuè habebatur, Græci ipsi usque ad Troïca tempora deducunt, licet Varro usque ad primam Olympiadem extendat. Diodorus lib. I. Bibliothecæ: τῶν δὲ χρόνων τούτων περιειλημμένων ἐν ταύτῃ πραγματείᾳ, τοὺς μὲν πρὸ τῶν Τρωϊκῶν οὐ διοριζόμεθα βεβαίως, διὰ τὸ μηδὲν παράπηγμα παρειληφέναι περὶ τούτων πιστευόμενον. In historia Græca nihil certi, sed pleraque fabulosa ante Trojana tempora.

Ideo

Ideo cyclus mythologiæ versibus scriptus, à deorum & hominum prima origine usque ad illa tempora deducebatur, nec ultra pergebat. Diodorus opus suum inchoavit à mundi ortu & hominum principio: Sed tempus illud totum, quod ab eo exordio usque ad Troica protenditur, incertum & obscurum esse scit propter fabulas, ideo nihil de eo statui posse, quod credi dignum sit: διὰ τὸ μηδὲν παράπηγμα παρειληφέναι περὶ τούτων πιστευομένων. Mirum quàm in his verbis explicandis hallucinentur viri docti propter unius dictionis ignorantiam, quid significet nempe παράπηγμα. Interpretes Diodori *firmamentum* exponunt. Scaliger ad Eusebium quod alii ἐπιγραφὴν, Censorinus *titulum* vocat, id Diodoro dici παράπηγμα, hoc est terminum fixum & hærentem. Παράπηγμα, quemadmodum jam ante docuimus, proprie est quidquid adfigitur. Hinc παραπήγματα, tabulæ dicebantur adfixæ columnis, aut pilis, in quibus leges, aut alia publica monumenta incidebantur. Hinc ἀστρονομίης παραπήγματα, *tabulæ astronomicæ* in quibus ortus & obitus signorum, & tempestatum vices per aliquot annorum spatia redeuntes descriptæ publicè proponebantur ad populi usum. Ad hoc exemplum παράπηγμα ἱστορικὸν aut μυθικὸν dicitur, series historiarum vel fabularum secundum ordinem temporum digesta. Et hoc sensu planè accipiendum est in illis Diodori verbis. Singula epici cycli poemata totidem erant τῆς μυθολογίας Ἑλληνικῆς παραπήγματα. Non dicit Diodorus nullum extitisse parapegma earum rerum, quæ gestæ referuntur ante Troica tempora, sed nullum πιστευομένων. Multa quippe in eo intervallo fabulosa memorari, quæ vix fidem admitterent. Parapegmata geographica similiter in locis publicis proposita & adfixa plerùmque extabant, quibus provinciæ fines descripti habebantur. Hesychius: Κάμαροι, στῆλαι ἐν αἷς ἀναγέγραπται ὁ περιορισμὸς τῆς Ἀσίας. Sed de his nos alibi. Apollodorus synopsin epici cycli prosa oratione conscriptam Βιβλιοθήκην inscripsit, quod in eamdem fere significationem cum cyclo convenit. Nam ut cyclo, id est, choro, vel corona plures personæ, vel plures flores conserti, ita in Bibliotheca multi foruli in seriem siti, vel etiam plures libri ordine dispositi. Sic etiam Diodorus annalium suorum hunc esse voluit titulum Βιβλιοθήκην. Sed Diodori Βιβλιοθήκη est ἱστορική, Apollodori μυθική. Nam mythicum tempus tantùm comprehendit. Photii liber re vera Bibliotheca est: constat enim ex multis librorum veluti indicibus, quos ipse legit. Κύκλος ἐπικὸς omnino nihil aliud fuit, quam plurium poëmatum contextus in unum fascem collectorum. Et falluntur mirificè, qui unumquodque illius collectionis poema κύκλον appellatum esse sibi persuadent. Multo magis hallucinantur, qui poema quodcumque heroicum, quo res prolixo & interrupto ordine tractantur, κύκλον dictum opinati sunt.

Non longe Ephesum Colophon civitas] Ita libri, & noster alibi sic usus est. *Procul* & *longè* multi cum accusativis jungebant, ut & *propè* ac *proximè*, apud Vitruvium *proxime hoc latus.* Quod etiam in ipso nomine usurpavit Censorinus: *Proxime est hanc magnitudinem, quæ dicitur dodecaëteris.* Vitruvius *dextra lævaque zonam* dixit. Media Latinitas *delatus montem*, *delatus fontem*, pro ad latus montis, vel fontis. Exempla alibi notavimus.

Colophon civitas nobilis oraculo Clarii Apollinis] Ita loquitur, quasi Clarii Apollinis oraculum in ipsa civitate fuerit. Haud longe ab urbe fuit. Strabo: καὶ ἡ Κολοφὼν πόλις Ἰωνική, καὶ τὸ πρὸ αὐτῆς ἄλσος τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος, ἐν ᾧ καὶ μαντεῖον ἦν ποτὲ παλαιόν. Lucum Apollinis ante urbem fuisse ait oraculo celebrem olim. Pausanias Claron oppidum esse Colophoniorum videtur velle, in quo templum Apollinis, & oraculum extiterit, qui ἐν Κλάρῳ dicebatur: Κολοφώνιοι δὲ, τὸ μὲν ἱερὸν τὸ ἐν Κλάρῳ, καὶ τὸ μαντεῖον ἐκ παλαιοτάτου γενέσθαι νομίζουσι. Alii etiam oppidum esse volunt Colophoni vicinum. Idem Pausanias meminit luci Apollinei in Colophoniorum agro, veluti ab hoc fano diversi: ἐν δὲ τῇ Κολοφωνίων ἄλσος τε τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ δένδρα μελίαι, καὶ οὐ πόρρω τοῦ ἄλσους Ἄλης ποταμὸς ψυχρότατος τῶν ἐν Ἰωνίᾳ. Hoc esse videtur ἄλσος, quod ante urbem Colophonem ponit Strabo, unde olim oracula peterentur. Ἄλης fluvius Plinio dicitur *Halesus*, qui Colophonem alluit. *Ab Epheso manteium aliud Colophoniorum, & intus ipsa Colophon Haleso alluente, inde Apollinis Clarii fanum.* In luco, vel fano Apollinis Clarii μαντεῖον olim fuisse plerique fatentur. At Plinius μαντεῖον Colophoniorum separat à fano Clarii Apollinis. Pausanias in Claro fanum, & oraculum, hoc est, μαντεῖον Clarii Apollinis collocat: idemque Ἄλσος Apollinis, quod ante Colophonem est, haud longe ab amne Haleso diversum facit, in quo luco μαντεῖον olim fuisse docet Strabo. Mela fanum Clarii Apollinis à Manto constructum dicit, Colophoniorum autem oppidum ipsum à Mopso Mantus filio. Fanum revera fuit, vel sacellum, hoc est, conseptum potius quam templum. Ἱερὸν οὐκ ἐξειργασμένον. Pausanias: δύο τε οὐκ ἐξειργασμένα Ἀπόλλωνος τό τε ἐν Βραγχίδαις τῆς Μιλησίας καὶ ἐν Κλάρῳ τῇ Κολοφωνίων. Græci ἀκαλυφῆ ἱερὰ hujusmodi fana vocant, vel sacella sine tecto. Anacreonti Κλάρος non est oppidi nomen vel loci alicujus, sed fontis vel fluvii, ut ex his versibus clarum habetur:

Οἱ δὲ Κλάρου παρ' ὄχθαις,
Δαφνηφόροιο Φοίβου
Λάλον πιόντες ὕδωρ
Μεμηνότες βοῶσι.

Ad ripas Clari qui aquam inde hauserant, fanatici exibant & vaticinabantur. Κλάρον nomen fontis ex his oportet esse. Hic in illo luco Apollinis fuerit, qui inde Κλάριος cognominatus est. Clemens Alexandrinus Κολοφῶνος πηγὴν appellat admonitione ad Gentes, σεσίγηται γοῦν ἡ Κασταλίας πηγὴ καὶ Κολοφῶνος ἄλλη πηγή, καὶ τὰ ἄλλα ὁμοίως τέθνηκε νάματα μαντικά. Per fontem Colophonis intelligit Claron. Non igitur diversum fuerit μαντεῖον Colophoniorum ab Apollinis Clarii fano, nec ἄλσος Ἀπόλλωνος aliud ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ τοῦ ἐν Κλάρῳ. Propriè ὄχθαι sunt ripæ, vel præripia fluminum. Hesychius: ὄχθη τὸ χεῖλος ποταμοῦ, Ita accipiendum Anacreonteum illud:

Οἱ δὲ Κλάρου παρ' ὄχθαις.

Apud eumdem tamen aliter interpretari par est hanc eamdem vocem ubi dicit,

Ἡ Ταντάλου ποτ' ἔστη
Λίθος Φρυγῶν ἐν ὄχθαις.

Ubi etiam malim legere ἐν ὄχθοις Certe ibi ὄχθαι non sunt fluminum ripæ. Et male docti interpretes, qui passim reddunt *ad fluenta Trojæ:* aut, *ad Phrygum fluenta.* In montibus Phrygiis saxum stetisse Nioben dicit, & Sipylum Phrygiæ sive Mæoniæ montem intelligit. In eo monte Nioben in saxum versam significat. Ὄχθοι sunt montes, vel etiam ὄχθαι. Hesychius, ὄχθοι αἱ τραχεῖαι καὶ δύσβατοι πέτραι, καὶ αἱ ἐξοχαὶ τῶν πετρῶν. Et ὄχθοι ὀρῶν Diodoro Siculo. Ripas quoque eminentes & præaltas ita propriè vocarunt. Sic προβόλους & προβολὰς appellant saxa in mare prominentia & littora maris. Harpocration: πρόβολοι αἱ εἰς θάλασσαν ἐκκείμεναι πέτραι καὶ οἷον ἀκτὴ τινες. Hesychio simpliciter πρόβολοι λίθοι. Eidem προβολὴ est quælibet ἐξοχή. Dionysio προβολαὶ ἀναύρων sunt torrentium vel fluminum ripæ:

Ἄλλοι δ' ἰχνεύουσιν ἐπὶ προβολῇσιν ἀναύρων
Ἤ που βηρύλλου γλαυκὴν λίθον, ἢ ἀδάμαντα.

Inepte Eustathius interpretatur ἐκρύσεις. Aliæ sunt fluminum ἐκβολαὶ, aliæ προβολαί. Recte de ἐκβολαῖς dicatur esse ἐκρύσεις, at προβολαὶ sunt ripæ. Sed Avienus quoque ἀντὶ τῶν ἐκβολῶν accepit, cujus versus ita legendi:

Palantes obeunt beryllum prona fluenta,
Quem procul internis à finibus, aut adamanta
Detulerint.

Innuit longe ab internis locis prope ostia fluminum beryllum ab his, aut adamanta quæri, quos cursus & impetus aquæ detulerit. Verùm προβολαὶ non sunt ἐκβολαί. Siccatis torrentibus ripæ ipsæ tum προβολαὶ sunt, tum in ipsis arenis inter illas προβολὰς gemmas investigant Indi, quas torrentes ex montibus detulerint. In ipso igitur alveo eas quærunt, ubi siccus est torrens. Hoc vult Dionysius. Rectè Priscianus:

Scrutantur ripis alii torrentibus imbri
Berylli gemmas glauci, nitidumque adamanta.

Auctor Elegiæ in Mæcenatis obitum:

Vincit vulgares, vincit beryllus arenas
Littore in extremo quas simul unda movet.

Ibi ergo reperiebantur in ripis torrentium cum alia arena. Προβολαὶ, ut ὄχθαι ripæ dicuntur, sed quum additur amnium nomen, ut Κλάρου παρ' ὄχθαις, *ad ripas Clari*

ri, ἐπὶ προβολῆσιν ἀναύρων *in ripis torrentium.* Sed quum absolutè ac simpliciter ὄχθαι, aut προβολαὶ nominantur, tum rupes & cautes saxaque hæc vox significat, ut Φρυγῶν ἐν ὄχθαις, *in rupibus Phrygiæ.* Dionysius:

Τρηχὺς βηρύλλου γλαυκὴν λίθον ἢ περὶ χῶρον
Φύεται ἐν προβολῆς ὀφιήτιδος ἔνδοθι πέτρης.

Inepti sunt, qui προβολὰς ibi accipiunt de ripis aut effluviis torrentium: cautes aut rupes significant. Dicit enim beryllum in cautibus ibi reperiri intra ophiten lapidem. Aliis in locis torrentes ex cautibus devehunt beryllos & adamantas, aliasque gemmas, quæ in ripis & arenis alvei colliguntur. Sed heic προβολὴ simpliciter est cautes, vel saxum. Προβολὴ & πρόβολος idem, ut ὄχθη & ὄχθος. Grammatici tamen hæc distinguunt, ut ὄχθαι sint τὰ ποταμῶν χείλη. Ὄχθοι ἐπάρματα γῆς. Nugantur.

Pag. 51. B. *Unde haud procul Mimas surgit.*] Mira est in malo constantia veterum codicum, qui habent omnes *Minas*, & in indice: *de monte Minante.* Sed proclives in harum literarum mutatione fuerunt nationes pleræque. Quæ veteribus *matta*, id est, teges, nobis est *natta*. Quæ *mappa*, *nappa*. Antiqui Latini *ocinum* dixere τὸ ὤκιμον herbam. In libris Plinianis antiquis etiam *Minas* perperam scribitur. *Promontorium Coryceon, mons Mimas* CCL *passuum excurrens, atque in continentibus campis residens.* Dicit Mimantem montem à mari incipere, ubi promontorium Coryceon est, & excurrere in continentem, ubi residet, per CCL milia passuum. Sed hanc excurrentiam aliter exhibent libri veteres & legunt CLC: an legendum CCC? an potius CIↃ? Sed nimis exiguus hic numerus. Iidem libri pro *Coryceon* habent *Coryneon*, & infra, ubi legitur, *nunc est Aleon fluvius*, *Coryneon Mimantis promontorium*, de eodem promontorio intelligendum. Libri iidem vocant *Cirynæon.* Strabo appellat Κορύκιον lib. XIV: μετὰ δὲ Κολοφῶνα ὄρος Κορύκιον. Eumdem montem, sive promontorium forte designavit. An Κορωναῖον quidam dixerint nescio: ut idem promontorium appellatum sit à corvis, vel cornicibus. Videndum tamen an non potius à Coryna nomen habuerit promontorium Corynæum. Mentionem Corynæ in illis locis invenio apud unum Pomponium Melam his verbis: *Hinc Teos, hinc Clazomenæ: & quia terga jungunt confinio adnexa maris, diversis frontibus diversa maria prospectant. In ipsa peninsula est Coryna: in sinu Smyrnæo est Thermodon amnis & urbs Leuca.* Ita legitur in antiquis editionibus Melæ. Pincianus in ea quam dedit ita correxit: *In ipsa peninsula est Smyrna in sinu Hermeo. Est Hermus amnis.* Sed omnes scripti tuentur illud *Coryna.* Præterea falsum est in ipsa peninsula Smyrnam sitam esse. Peninsula illa, de qua loquitur, isthmon habet à Teo ad Clazomenas. Nam Teos ab una parte angustiarum peninsulæ: Clazomenæ ex altera. Idem Mela ibidem de sinu Smyrnæo: *Inde latius abit in peninsulæ faciem. Super angustias hinc Teos, illinc Clazomenæ, & qua terga agunt confinio adnexa maris, adversis frontibus diversa maria prospectant. In ipsa peninsula est Coryna.* Sic legendus ille corruptissimus in editionibus locus. Non potest autem ibi locum habere Smyrna, quæ tota est extra peninsulam. *Angustias* appellat isthmon peninsulæ, cujus in una parte positæ sunt Clazomenæ, in altera Teos, ita ut à tergo mare habeant vicinum cui adnexæ sunt, à fronte diversa maria prospectant. Teos enim adversâ fronte prospectat mare, in quo sitæ sunt Clazomenæ, & sinum Smyrnæum. Illæ contra Teon respiciunt & sinum cui juncta est Teos. Nihil heic vidit Pincianus, nec explicando, nec corrigendo. In animo habuit Alexander Magnus planitiem illam omnem angustiarum, quæ duos sinus separat, intercidere & sinus jungere. Plinius: *Promontorium Corynæum mons Mimas* CCL *passuum milibus excurrens, atque in continentibus campis residens. Quo in loco Magnus Alexander intercidi planitiem eam jusserat* VII *passuum longitudine, ut duos sinus jungeret, Erythrasque cum Mimante circumfunderet.* Erythræ in intimo peninsulæ sitæ fuere. In ipso isthmo Teos & Clazomenæ: hæ ad septentrionem, Teos ad meridiem. Intra peninsulam Corynæum promontorium. Melæ *Coryna in ipsa peninsula.* A qua non dubium est quin promontorio illi no-

A men inditum sit. *Coryceum* vulgo reposuerunt docti apud Plinium. Sed contra stant libri, qui duobus locis vocant *Corynæum*, & Mela præterea, qui *Corynam* ibi locat. Certe *Corycos* & *Corycium* promontorium & portus in iisdem est locis. Stephanus: ἔστι καὶ Κώρυκος ὄρος ἀρσενικῶς λεγόμενον ὑψηλόν, πλησίον Τέω τῆς Ἰωνίας καὶ Ἐρυθρῶν. Sic enim scribendum ex libris qui habent ἐρυθρὸν. Male Xylander correxerat Ἐρυμνόν. *Coryceum* dictum esse Mimantis promontorium intra illam peninsulam satis conveniret, si concinerent libri. Ab eo promontorio excurrit Mimas usque ad peninsulæ angustias, vel etiam ultra, & residet in campis continentibus. Quo in loco voluit Alexan-

B der planitiem intercidere, ut duos sinus jungeret, & Mimantem circumfunderet mari, & Erythras. Ergo promontorium illud Mimantis juxta Erythras. Peninsula ab ea parte mari circumfunditur, & qua Mimas excurrens residet, continentes sunt campi. Quos si intercidisset Alexander, Mimantem etiam ab eo latere inclusisset & circumfudisset, insulamque de peninsula fecisset. Corynæum promontorium inter Erythras & Clazomenas ponere videtur Plinius: Corynæum Mimantis promontorium, Clazomenæ. Ἄργεννον Erythrææ regionis promontorium in eo sta-

C tuunt loco Strabo & Ptolemæus. Sed nec Mimas longe ab Erythris. Idem Strabo: μεταξὺ δὲ τῶν Ἐρυθρῶν καὶ τοῦ ὑποκειμένου Μίμας ἐστὶν ὄρος ὑψηλόν. Mimas ille finiebatur ad mare promontorio quodam, cui nomen *Corynæum* ab illa Melæ *Coryna*, quæ non debet mutari in Smyrnam. Quodcunque sit illud nominis, seu rectum, seu prave scriptum, nomen promontorio illi dedisse certum est. Quod diversum certe est à Strabonis Κορυκίῳ. Sed verisimile neutiquam est, inquiebat Pincianus, prætermissam esse in illo tractu Smyrnam à Pomponio Mela. Quo loco igitur eam habebimus, nisi in sedem Corynæ substituamus?

D Immo locum illi suum nos ibi invenimus, Coryna non demota. Scribendum quippe in sequentibus: *In ipsa peninsula est Coryna. In sinu Smyrne & Hermos amnis, & urbs Leuca.* Perperam scribitur, *in sinu Smyrnæo.* Jam ante Smyrnæum sinum nominavit, quem latius in peninsulæ faciem abire dixit. Angustias, sive isthmon peninsulæ hinc Teon, inde Clazomenas tenere. In ipsa peninsula Corynam esse. In sinu Smyrnam positam, & Hermon amnem, & Leucam urbem. Profecto extra peninsulam illam sita est Smyrna, sed in ipso sinu est, cui & no-

E men dedit, ut & fluvius Hermus, & Leuca. Hæc verissima est illius Pomponiani loci cum emendatio, tum interpretatio, quam frustra quæsivit Pincianus. Quod addit Solinus vertices Mimantis de nebulis supervolantibus futuræ tempestatis significare qualitatem, hoc hujus montis peculiare non est, sed omnium fere altorum montium commune. Theophrastus in libro de signis pluviarum, ventorum, ac tempestatum: τῶν δὲ λοιπῶν σημείων ἔνια μὲν ἴδια κατὰ πάσας χώρας ἐστίν, ἐν αἷς ὄρη ὑψηλὰ καὶ αὐλῶνές εἰσιν. Idem paulo post signa pluviæ tempestatis ex nebulis supervolantibus Hymetti vertices sumi solita dicit. Καὶ

F ἐὰν ὁ μέγας Ὑμηττὸς τοῦ θέρους λευκὰς ἔχῃ νεφέλας ἄνωθεν καὶ ἐκ πλαγίου, ὕδατος σημεῖον. Καὶ ἐὰν ὁ ἄνυδρος Ὑμηττὸς λευκὰς ἔχῃ ἄνωθεν καὶ ἐκ πλαγίου. Sic duo fuere in Attica Hymetti montes, quorum alter μέγας, alter ἄνυδρος cognominabatur. Et paulo infra: τῆς δὲ νυκτὸς ὅταν τὸν Ὑμηττὸν κάθωθεν τῶν ἄκρων νεφέλη διαζώσῃ λευκὴ καὶ μακρά, ὕδωρ γίνεται ὡς τὰ πολλὰ ἡμερῶν τελῶν. Idem similiter ex aliorum locorum montibus observatum est olim, hodieque observatur. Idem auctor de signis ventorum: περὶ κορυφὰς ὄρους ὁπόθεν ἂν νεφέλη μηκύνηται, ταύτῃ ἄνεμος πνεύσεται. Et statim, καὶ ὅλως τὰ ὄρη διεζωσμένα νότια ὡς

G ται. Et statim, καὶ ὅλως τὰ ὄρη διεζωσμένα νότια ὡς τὰ πολλά.]

Caput Mæoniæ Sipylus excipit, Tantalis antea dictus.] Ita libri omnes: *Tantalis antea dictus, & orbitatibus datus Niobes.* Ubi vulgati habent: *Tantalis antea dicta, & data.* Male in Delriana: *& orbitatibus data Niobe.* Quod etiam aliæ retinent. Sed legendum erat *Niobæ*, aut *Niobes.* Nec enim heic dicere vult Tantalidem esse Nioben dictam. Perperam igitur

 dicta

dicta & *data* scribebant heic editi. Quod ait Sipylum dictum fuisse olim *Tantalidem*, & orbibus datum Niobæ; de monte accepit noster, quod de oppido Plinius accipi voluit: *Interiere intus Daphnus & Hermesia, & Sipylum quod antea vocabatur Tantalis, caput Mæoniæ, ubi nunc est stagnum Sale, ob id est Archæopolis substituta Sipylo.* Mendum est in istis verbis, quod miror non esse animadversum. Scribe: *Obiit & Archæopolis substituta Sipylo, & inde illi Colpe, & huic Lebade.* Scriptum erat *obit*, inde factum, *ob id.* Dicit igitur substitutam Sipylo Archæopolim, quæ & ipsa obiit. Inde etiam Colpen similiter obiisse, quæ in locum Archæopolis successit. Sed & Colpæ successisse Lebaden, ac periisse. τὸ *Sipylum* dixit Plinius, quia subintelligitur *oppidum.* Græcis ἡ Σίπυλος πόλις. At *Sipylus* mons est. Græcis rursus τὸ Σίπυλον ὄρος, sed & ὁ Σίπυλος. Non igitur mons *Tantalis* dictus ἡ Ταντάλις, sed urbs. Mons *Tantalus* vocaretur ὁ Τάνταλος. Stephanus: Τάνταλος, ὄρος Λέσβου, ἀπὸ Ταντάλου. Urbs quoque Sipylus Ταντάλις dicta ab eodem Tantalo Niobæ patre, non ab orbitatibus Tantalidis, id est, Niobæ, ut perperam hic adstruit: hinc ergo colligere liceat Sipylum pro monte accepisse. Nam in monte Sipylo conversa in saxum fingitur Niobe, ibique lacrimis stillare. Græci: ὡσαύτως δὲ καὶ Νιόβην λέγουσιν ἐν Σιπύλῳ τῷ ὄρει θέρους ὥρᾳ κλαίειν. Sipylum, Mæoniæ caput Plinio dicitur, id est, μητρόπολις. Solinus, si Sipylum de monte posuit, ut verisimile est, *caput* pro monte, vel montis vertice acceperit. Post Mimantem montem excipere ait *caput Mæoniæ Sipylum.* Ergo Sipylus illi mons est Mæoniæ. Utrumque pro urbe sumpserit, falsum est quod ait dictam *Tantalidem*, & in hoc vocabulum datam orbitatibus Niobes. Quod Tantali regia in ea urbe fuerit, ideo appellata *Tantalis.* Nam Mæonia Tantali regnum. Præterea falsissimum, quod quasi de urbe adhuc extante loquitur: *Excipit caput Mæoniæ Sipylus.* Plinii ætate non amplius erat. Immo multo ante jam esse desierat. Quinimmo tres urbes, quæ alia post aliam in ejus locum successerant, & metropoles Mæoniæ fuerant, jam ante Plinii tempora fuisse, nec amplius esse dicebantur, motibus terræ pessumdatas asserit Strabo. Sipylus igitur Solino mons est, non oppidum. At Plinio, cujus verba transcripsit, oppidum est ejus Phrygiæ primum, in qua Tantali βασίλεια fuit: ideo Ταντάλις appellatum. Ad eum Plinii locum vir doctus notat, Μάγνητας quosdam cognominatos ὑπὸ Σιπύλῳ ad discretionem τῶν ὑπὸ Μαιάνδρῳ Μαγνήτων. Atqui Sipylus ille, unde appellati magnetes & Μαγνησία ὑπὸ Σιπύλῳ, vel πρὸς Σιπύλῳ, non est oppidum, sed mons. Frustra igitur illa notatio, nec Plinio convenit, qui de oppido loquitur. Stephanus: Σίπυλος πόλις Φρυγίας. Ἑλλάνικος ἱερειῶν πρώτῳ.

Smyrnam Meles circumfluit] ὁ Μέλης. Mirum est in omnibus hactenus editis lectum fuisse, *Smyrnam Melas circumfluit.* Ita Delriana, ita Vineti habuit. Alius Μέλης, alius Μέλας. In re nota verba non sunt perdenda. Inde Homerus Μελησιγενής.

Smyrnæos vero campos fluvius Hermus secat] Præterfluit Hermus Smyrnæorum regionem. Strabo: αὕτη μὲν τὴν ὑπερκειμένην τῆς τε Κυμαίας καὶ τῆς Φωκαέων καὶ Σμυρναίων γῆς, παρ' ἣν ὁ Ἕρμος ῥεῖ. Immo verba hæc παρ' ἣν ὁ Ἕρμος ῥεῖ non sunt de Smyrnæorum regione accipienda, sed de illo montano tractu, qui super Cymæam, Phocæam & Smyrnæam regiones eminet. Præter illa montana fluit Hermus. Sed demus posse accipi de Smyrnæorum agro, certè campos Smyrnæos non secat Hermus. Aliud est παραῤῥεῖν, aliud διαῤῥεῖν. Hoc secare & interfluere significat, illud præterfluere, & ab uno latere alluere. Quod & *præfluere* Latini dixerunt, ut *prædu̇cere* τὸ παραγράφειν. Plinius lib. XIX de hortis & hortensibus: *Riguosque maxime habendos si contingat præfluo amne*, hoc est, παραῤῥέοντι ποταμῷ. Solinus, qui Smyrnæos campos ab Hermo secari dixit, more suo verba Plinii sequutus est, quorum mentem non est assequutus: *à Smyrna Hermus campos facit, & nomini suo adoptat.* Solinus hæc ita interpretatus est, quasi diceret campos illos, quos Hermus facit, Smyrnæ nomini adoptatos & *Smyrnæos* vocatos. At de campis ille intellexit, quos Hermus nomini suo adoptavit,

A quippe *Hermi campi* dicti sunt. Græcis Ἕρμου πεδίον dicitur. Strabo: εἶτα ἐκδέχεται τὸ Ἕρμου πεδίον καὶ Σάρδεις, & paulo post: ἄρχεται δὲ καὶ Μυσίας ὁ Ἕρμος ἐξ ὄρους ἱεροῦ τῆς Δινδυμήνης: καὶ διὰ τῆς Κατακεκαυμένης εἰς τὴν Σαρδιανὴν φέρεται κατὰ τὰ συνεχῆ πεδία μέχρι τῆς θαλάττης. Ὑπόκειται δὲ τῇ πόλει τό τε Σαρδιανὸν πεδίον, καὶ τὸ τοῦ Ἕρμου, καὶ τὸ Καϋστριανὸν, συνεχῆ τε ὄντα, καὶ πάντων ἄριστα πεδίων. Hos *Hermi campos* Strabo contiguos facit Sardianis, nec longe à Sardibus ponit, satis longo utique intervallo dissitos à Smyrna. Stephanus Cymę vicinos esse vult. Ἕρμου πεδίον τόπος πλησίον Κύμης. Ἔφορος ὀκτωκαιδεκάτῃ. Smyrna Cymen euntibus per Hermi campos transeundum esse indicat Herodotus in vita Homeri his verbis: χρόνου δὲ περιιόντος ἐν τῇ Σμύρνῃ ἄπορος ἐὼν τοῦ βίου διενοήθη ἀπικέσθαι εἰς Κύμην, πορευόμενος δὲ διὰ τοῦ Ἕρμου πεδίου, ἀπικνέεται ἐς Νέον τεῖχος. B Hermus in mare exibat prope Phocæam, non prope Smyrnam. Herodotus prima Musa de Hermo: ὃς ἐξ οὔρεος ἱροῦ μητρὸς Δινδυμήνης ἐκδιδοῖ ἐς θάλασσαν κατὰ Φωκαίην πόλιν. Male editur Φωκίην. Nec rectè interpretes *Phociam* oppidum vertunt. Stephanus: Φωκαία, πόλις Ἰωνίας. Ἡρόδοτος πρώτῃ. Λέγεται καὶ Φωκαίη. Sic juxta Phocæam in mare evolvitur Hermus. At Ptolemęus Hermi ostia proximiora facit Smyrnæ quam Phocææ. Perperam. Antiqua Smyrna propior fuit Hermi ἐκβολαῖς C quam nova, quæ tamen longius erat ab Hermo dissita quam Phocæa. Strabo: καὶ ὁ Σμυρναίων κόλπος καὶ ἡ πόλις, ἑξῆς δὲ ἄλλος κόλπος ἐν ᾧ παλαιὰ Σμύρνα ἀπὸ εἴκοσι σταδίων τῆς νῦν. Ille alius sinus vocabatur Ἕρμειος Herodoto teste, quod in eum exoneraret amnis Hermus. Sic satis longe à Smyrne aberat ille campus Hermi, Ephorus vicinum Cumæ facit. Ergo ultra Phocæam ipsam. Nam Phocæa inter Cumam & Smyrnam posita. Miror igitur quare Plinius dixerit à Smyrna eos campos Hermum facere, qui ab ejus nomine sunt appellati. Hoc in antiqua Smyrna locum magis habuerit. Nam Smyrna euntibus D Cumam occurrebat Ἕρμου πεδίον. Ut ut sit, falsum est quod heic Solinus adstruit, Hermum Smyrnæos campos secare. Quod nec de nova, nec de vetere verum potest esse. In Rigaltiano libro scriptum invenio: *à Syrne Hermus campos facit.* Stephano Σύρνα urbs est Cariæ, quæ an heic vestigium possit imprimere, nescio. Certè Caria eò usque porrigebatur. Nam Phrygem amnem, qui in Hermum labitur, Phrygiam à Caria disterminare ibidem scribit Plinius. *Hyllus* olim dicebatur. Nec Hyllus longe ab illis campis in Hermum influebat. Solinus *Smyrnam* in Plinio legit, non *Syrnen.*

E *Qui ortus à Dorylao Phrygiæ*] Pliniani libri scribunt *Doryleum*, de Hermo: *oritur juxta Doryleum Phrygiæ civitatem.* Neutrum rectè. *Dorylaum* esset Δορύλαον, at *Doryleum*, Δορύλειον. Atqui dicitur Græcis Δορυλάειον, τετρασυλλάβως, quod Latinè efferri debet *Dorylaëum*, Ita scripserat Plinius, pro quo postea *Dorylaum* & *Doryleum* propagatum est. Sic ex Νικαηνὸν, quod est ἐθνικὸν ab urbe Nicæa, Latinum *Nicaënum* debet esse. Sed pro eo contractè *Nicænum* perperam dicitur: multo deterius faciunt qui *Nicenum* scribunt. Unde *Concilium Nicaënum*, vel *Nicænum.* Νικαηνὰ σκεύη χαλκᾶ F apud Epiphanium. Male apud Ptolemæum Δορύλλειον pro Δορυλάειον. Sic in eodem tractu oppida Κοτυάειον, Μιδάειον.

Qui ortus à Dorylao Phrygiæ Phrygiam scindit à Caria] Et hoc falsum, nec à Plinio scriptum de Hermo, sed de amne *Phryge*, qui in Hermum cadit. *Oritur*, inquit, *Hermus juxta Dorylaëum Phrygiæ civitatem, multosque colligit fluvios, inter quos Phrygem qui nomine genti dato à Caria eam disterminat.* Straboni vocatur Φρύγιος hic amnis: καταφέρεται δὲ ὁ Πακτωλὸς εἰς τὸν Ἕρμον, εἰς ὃν καὶ ὁ Ὕλλος ἐμβάλλει, Φρύγιος νυνὶ καλούμενος. Dicit G *Phrygium* illum amnem prius appellatum esse *Hyllum*, At Plinius Phrygem ab Hyllo separat, & Phrygio nomen dedisse ait. Quod non puto. Φρύγιος, ut ex Strabone constat, recens nomen & ἐθνικὸν, non originale, nec primitivum. A Phrygia igitur potius nomen accepit quàm ei dedit. Plinium fefellit quod *Phryx* tam gentile sit quam πρωτότυπον, ut *Cres.* Nam & servus natione *Phryx*, ὁ Φρύγιος. Amnis *Phryx*, ὁ Φρύγιος. Potuit & aliunde nomen nancisci quam à Phrygia

Phrygia, per quam transit, nec enim omnes Phrygiæ amnes Φρύγιοι sunt appellati. Τὰ Φρύγια Græce sunt φρύγανα *cremia*, unde *cremiales arbores* ex quibus cremia sumuntur ad ignem faciendum. Locus Oetæ montis Φρύγια dictus est quod ibi combustus fuerit Hercules, ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ πεφρύχθαι τὸν Ἡρακλέα. Inter Bœotiam & Atticam quidam etiam locus nominatus est τὰ Φρύγια, propter φρύγανα scilicet quibus oppletus esset, & φρυγανῶδες, vel φρυγιῶδες χωρίον. Certè nomen est recens Φρύγιος de illo amne, qui antea Ὕλλος, vel Ὕλος, ἀπὸ τῆς ὕλης: quod διὰ τῶν ὑλωδῶν χωρίων mearet. Postea Φρύγιος dictus ab eadem ratione, quod inter cremialia arbusta & fruticeta cursum ageret. Plinius *Phrygem* nominavit, quasi ὁ Φρύγιος gentilis esset appellatio, Latinè *Phryx*.

Smyrna Homero vati patria extitit] Notum est ex Græco versu quot & quæ urbes Græciæ Homerum olim civem suum esse contenderint. Ex his plura quam ceteræ suffragiorum puncta tulisse videntur Smyrna & Chios. Μελητιέυς χάριτας Meleager de Homero dixit ab amne Melete, qui Smyrnam circumfluit, unde eum plerique veterum Μελησιγενῆ appellant & Μέλητος υἱόν. Herodotus proprio nomine ita fuisse à puero vocatum affirmat. Chiis alii illum asserunt. Theocritus Χῖον ἀοιδὸν Homerum appellat, eo maximè argumento hunc vatem Chii vindicarunt quod Homeridas haberent familiam hoc nomine veluti ab Homero descendentium. Strabo lib. XIII. Ἀμφισβητοῦσι δὲ καὶ Ὁμήρου Χῖοι μαρτύριον καὶ τοὺς Ὁμηρίδας καλουμένους, ἀπὸ δὲ τοῦ ἐκείνου γένους προχειριζόμενοι, ὧν καὶ Πίνδαρος μέμνηται. Sic legendus ille locus, qui vulgo suspectus est viris doctis, nec satis sanus. Libri habent μαρτύριον κατὰ τοὺς Ὁμηρίδας, unde nos fecimus καὶ τοὺς Ὁμηρίδας. Inter alia testimonia & argumenta, quibus vincebant Homerum oriundo fuisse Chium, etiam τοὺς Ὁμηρίδας prætendebant, quæ familia fuit in Chio, Homerum ut nominis ita originis auctorem asserens. Sic in aliis urbibus notissimæ familiæ à suis auctoribus nomina perpetuarunt. Athenis *Eumolpidæ*: in Thessalia *Alevadæ*, & *Scopadæ*: Corinthi *Bacchiadæ*: in Coo insula *Nebridæ*, ex qua fuit Hippocrates. Stephanus in voce Κῶς. Ἦν δὲ Ἱπποκράτης τῶν καλουμένων Νεβριδῶν. Νεβρὸς γὰρ ἐγένετο ὁ διασημότατος τῶν Ἀσκληπιαδῶν, ᾧ καὶ Πυθία ἐμαρτύρησεν. Arnobius *Nebridarum familiæ* meminit. Sed in Attica collocat lib. V de Cerere errabunda & filiam quærente: *Oras ut venit ad Atticas, triticeas attulit fruges? Nebridarum familiam pellicula cohonestavit hinnulæ? & illud spectaculum maximum Baubonis in inguinibus risit.* Non memini uspiam legere familiam ullam in Attica hoc nomine fuisse. Sed Arnobius, vel auctor ille, unde sumpsit, quum legisset Νεβριδῶν familiam in Coa insula, eam in Atticam transtulit, quia Cereris sacris qui initiabantur hinnulei pellicula, quam Græci νεβρίδα vocant, cingerentur. Bacchus vel Jacchus in illis initiis Cereris Atticis simul colebatur, cujus ministri & bacchæ νεβρίδας gestabant, ut ex infinitis auctorum testimoniis patet. Epigramma Phalæci ἀναθηματικὸν, quo continentur omnia instrumenta Bacchica ab Euanthe dedicata:

> Στρεπτὸν βασσαρικοῦ ῥόμβον θιάσοιο μύωπα,
> Καὶ σκύλος ἀσπιδόεν στικτὸν ἀχαΐνεω.

In Eleusiniis itaque mysteriis, quæ communia Cereris & Jacchi fuere, νεβρίδες etiam ab initiantibus usurpatæ. Νεβρίζειν hoc vocabant & νεβρισμὸν. Vide Harpocrationem in ea voce. At nulla prosus fuit familia Nebridarum in Attica, ut Eumolpidarum, sed omnes qui mysteria illa suscipiebant, νεβρίδι, hoc est, hinnulei pellicula induebantur, nec propterea Νεβρίδαι dicti. At Νεβρίδας in Coo non ab ullo νεβρίδι appellati, aut pelle hinnuli, sed à *Nebro* familiæ auctore primo. Et Νεβρὸς nomen proprium viri. Sic τοὺς Νεβρίδας Coenses auctor ille, & τοὺς νεβρίζοντας Atticæ confudit. Atque hæc obiter. Chios, unde Homerus & Homeridæ, insula fuit Ionica, cui urbs cognominis sub Pelinnæo monte sita. Strabo Πελιναῖον vocat insulæ illius montem. Corrigendus Dionysius in hoc nomine montis:

> Καὶ Χῖος ἠλιβάτοιο Πελινναίου ὑπὸ πέζαν.

Male excusum est, ἠλιβάτου Πελλιναίου. Avienus *Pelinnam* vocat.

> *Tumque Chius patulæ prospectans arva Pelinnæ.*

Ubi *Pelinnam* non pro monte, sed pro campo accepit. Lucius Ampelius montem Chii *Pelinnam* appellat. Pindarus in Pythionicis Od. X meminit Πελινναίου Thessaliæ oppidi. Scholiastes: Πελλίνναιον πόλις Θεσσαλίας, ἀφ᾽ ἧς καὶ τὸ ἐν Χίῳ ὄρος ἐκλήθη. Stephano Πελίννα πόλις Θεσσαλίας, ἔστι δὲ, inquit, καὶ Πελίνναιον ὄρος Χίου. Ita legendum, non, ut est in vulgatis, Πελλιναῖον. Inde Jupiter Πελινναῖος in illa insula. Hesychius: Πελινναῖος ὁ Ζεὺς ἐν Χίῳ. Stephanus Chium insulam Ioniæ celeberrimam facit, & præter eam recenset aliam urbem in Caria, quæ monti Pelinnæo subdita sit. Ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα πόλις Καρίας Χῖος ὑπὸ τὸ ὄρος τὸ Πελινναῖον, ὡς Διονύσιος ὁ περιηγητής.

> Καὶ Χῖος ἠλιβάτοιο Πελινναίου ὑπὸ πέζαν.

Sic supplendus ac legendus ille locus ex scripto codice. Sed nugatur Stephanus. Loquitur Dionysius de insula Chio, non de ulla urbe Cariæ. Strabo quoque *Pelinnæum montem* Chio insulæ Ionicæ adjudicat. Sed nec ulla Cariæ urbs fuit hoc nomine præter eam, quæ cognominis insulæ fuit, & in ipsa insula sita. Verum ea urbs cum insula Cariæ olim fuit, quæ postea Caribus inde expulsis ab Ionibus facta est Ioniæ. Cum igitur legisset Stephanus Χίον esse Καρίας πόλιν, putavit diversam esse ab Ionica Chio. Sic Μίλητος Καρίας πόλις dicitur, quæ nihilo secus Ioniæ caput fuit. Ita de ceteris Ionicis urbibus, quæ in Caria sitæ, Ionum tamen & Ioniæ dicebantur. Quod ad Homeridas ex Chio attinet, duplices eos faciunt antiqui grammatici. Nam Ὁμηρίδας dictos primo fuisse ajunt, qui ab Homero genus arcesserent, sed postea hoc nomine etiam fuisse ῥαψῳδοὺς, qui carmina ejus publicè recitabant, quamvis ad Homeri genus nihil attinerent. Pindari scholiastes: Ὁμηρίδας ἔλεγον τὸ μὲν ἀρχαῖον τοὺς ἀπὸ τοῦ Ὁμήρου γένους οἳ καὶ τὴν ποίησιν αὐτοῦ ἐκ διαδοχῆς ᾖδον. Μετὰ δὲ ταῦτα καὶ οἱ ῥαψῳδοὶ οὐκέτι τὸ γένος εἰς Ὅμηρον ἀνάγοντες. Alius: Ὁμηρίδας πρότερον μὲν οἱ τοῦ Ὁμήρου παῖδες, ὕστερον δὲ οἱ περὶ Κύναιθον ῥαψῳδοί. Sed Ὁμηριστὰς potius quam Ὁμηρίδας vocaverunt eos, qui per ῥαψῳδίαν canebant Homeri carmina, quum ad Homerum auctorem genus suum non referrent. Athenæus: ὅτι δὲ ἐκαλοῦντο οἱ ῥαψῳδοὶ καὶ Ὁμηρισταὶ Ἀριστοκλῆς εἴρηκεν ἐν τῷ περὶ χορῶν. At Ὁμηρίδαι nomen patronymicum de Homeri ἐπιγόνοις, qui & ipsi Homeri carmina per successionem tradita ἐῤῥαψῴδουν. Sane Cynæthus ille Chius Ὁμηρίδης etiam fuit, & ab Homero genus suum jactabat, quamvis dissentiat ille grammaticus. Ceterum quantum ad Smyrnam attinet, Eusebius Μυρίναν etiam dictam ostendit. Μυρίνα ἡ παρά τισι Σμύρνα λεγομένη, ἐκτίσθη ἐν Ἀσίᾳ. Quod mirum. Duæ omnino urbes hoc nomine, altera in Æolide Asiæ, altera in Lemno insula. An igitur hoc potius vult Μυρίναν illam Asianam dictam esse Smyrnam? Sed nemo veterum meminit Myrinam illam Æolicam appellatam fuisse Smyrnam. Verius fortasse sit, τὴν Σμύρναν recentioribus Græcis κατὰ παραφθορὰν nominatam esse Σμυρίναν, & inde Μυρίναν, vel Μυῤῥίναν. Certe Agathias, qui Smyrnæus fuit, in scriptis codicibus sæpe appellatur Μυριναῖος, vel Μυῤῥιναῖος. Et in epigrammate Meleagri, ubi debuit esse,

> Σμυρναίους τε κλάδους Νικαινέτου ----

libri habent, Μυριναίους τε κλάδους. Apud Johannem Scholasticum Epiphaniensem Ἀγαθίας Μυῤῥιναῖος vocatur. Fuit tamen, quum putarem revera Myrinæum fuisse, non Smyrnæum Agathiam. Nam Μυῤῥιναῖος Ἀσιανὸς dicitur in epigrammatum collectione, quod ad distinctionem Μυρίνης Europææ dictum arbitror. Nam Smyrna in Europa nulla.

Qui post Ilium captum anno ducentesimo septuagesimo secundo humanis rebus excessit.] Miræ sanè res, Solinum in tanta sententiarum varietate super temporibus, quibus ætatem egit Homerus, tam confidenter pronuntiare, ut signare audeat annum ipsum quo obiit. In priore editione non adeo præcise tempus notaverat, sed ita scripserat: *qui post Ilium captum fuit anno ducentesimo septuagesimo secundo*, ὃς γέγονε μετὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν ἔτεσιν διακοσίοις ἑβδομήκοντα δυοῖν. Id significat floruisse & vixisse Homerum circiter illum annum. In posteriore

mutavit ad eam formam, qua hodie legitur, & ſimiliter de Heſiodo tempus mortis ejus aſſignavit in auſpiciis Olympiadis primæ. Verum, ut noſter alienis nervis mobile lignum eſt, quærendum quem ſequutus ſit. Fuit igitur Homerus, vel obiit poſt Ilium captum anno ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Roma condita poſt Ilium captum juxta Solini calculum, anno quadrageſimo trigeſimo tertio. Ergo Homerus obiit ante Romam conditam annis centum & ſexaginta uno. Hæc Cornelii Nepotis ſententia fuit, quem heîc ſequitur noſter. Agellius lib XVII. cap. XXI. *Ante Romam autem conditam, ut Cornelius Nepos in primo Chronicorum de Homero dixit, annis circiter centum & ſexaginta.* Non tamen dicit rebus humanis exceſſiſſe tot annis ante urbem conditam, ſed vixiſſe. Nec enim puto de anno conſtitiſſe quo obiit. Quod Solinus de ſuo addidit, ut aliquid certius ſcire ac dicere videretur quàm ceteri, Caſſius in Annalibus de Homero & Heſiodo ſcriptum reliquerat, vixiſſe eos annis plus centum atque ſexaginta poſt bellum Trojanum. Atqui ducentis ac ſeptuaginta plus annis eos vixiſſe oportet poſt bellum Trojanum, ſiquidem annis circiter centum & ſexaginta ante urbem conditam fuere. Idcirco Lipſius corrigendum in Agellio judicabat, *plus ducentis atque ſexaginta.* Sed nihil neceſſe. Opinio Caſſii nihil commune habuit cum Nepotis ſententia. Ille paulo plus quam centum & ſexaginta annis poſt Trojam captam fuiſſe Homerum voluit, hic circiter annis centum & ſexaginta ante Romam conditam. Huic ſupputationi calculum addunt & conſenſum omnes fermè Latini ſcriptores. Plinius lib. VII. cap. XVI. *Jam vero ante annos prope mille vates ille Homerus non ceſſavit minora corpora mortalium quam priſca conqueri.* Scribebat ille anno Urbis octingenteſimo trigeſimo. Quibus ſi addas centum ac ſexaginta annos ante urbem conditam, quo tempore floruiſſe Homerus proditur, fient anni nonaginta & nongenti. Sic anni ſunt prope mille ab ætate Homeri ad Plinium. Juvenalis:

---- atque uni cedit Homero
Propter mille annos.

Vetus Scholiaſtes: *dinumerato tempore fortaſſe uſque ad ætatem ſuam, poëta dixit mille annos fluxiſe ex tempore Homeri. Fuit autem Homerus annis ante Urbem conditam centum ſexaginta. Poſt Ilium captum ducentis ſexaginta.* Scripta illa Satyra à Juvenale ſub initium Nervę viginti circiter annis poſt Plinii opus. Sic mille ac decem præter propter anni ab Homero ad Juvenalem, quo tempore ſcripſit illam Satyram. Vellejus Paterculus in eadem ſententia, qui annos ferme nongentos & quinquaginta Homerum ante ipſius ætatem floruiſſe tradit. Annis circiter quadraginta ante Plinium ſcribebat Vellejus. Longe major inter Græcos ſcriptores diſcordia. Quidam eum tempore belli Trojani extitiſſe volunt. In his Dionyſium epici cycli ſcriptorem numerat Tzetzes & Diodorum:

Ὁ κατὰ Διονύσιον ἄνδρα τὸν κυκλογράφον
Ἐπὶ τῶν δύο στρατειῶν λεγόμενος ὑπάρχειν
Θηβαϊκῆς Ἑλλήνων τε τῆς διὰ τὴν Ἑλένην.

Crates grammaticus apud Clementem & Euſebium circa Heraclidarum deſcenſum viguiſſe vult octoginta annis poſt Troica, quam opinionem perperam Apollodoro tribuit Tzetzes in Chiliadibus. Eratoſthenes centum annis eum abfuiſſe ſcripſit à Troicis temporibus. Ariſtarchus centum quadraginta. Herodotus centum ſexaginta octo, quod Caſſius in annalibus ſequutus eſt, qui plus centum atque ſexaginta annis Homerum poſt bellum Trojanum vixiſſe notaverat. Nec enim hic numerus mutandus, ut putavit magnus Criticus. Philochorus eum à Troja ſubmovebat annis centum octoginta. Euthymenes in Chronicis ducentis, & æquævum Heſiodo faciebat. Apollodorus Athenienſis centeſimo anno migrationis Ionicæ floruiſſe tradidit, hoc eſt, à Trojæ excidio ducenteſimo quadrageſimo. Apud Hieronymum legitur CCLX. Huic calculo quidam duodecim annos adjiciunt, ut Latini ferè omnes, qui centum ac ſexaginta circiter annis ante Urbem conditam vixiſſe eum tradunt. Latini itaque Apollodori ſententiam ſequuti ſunt. Alii longius multo à Troicis removent temporibus, ut Euphorion, qui Gygis ætati comparem ſtatuebat. Gyges autem regnare occœpit ab Olympiade decima octava. Archilochus Euſebio teſte in Olympiadem vigeſimam tertiam Homeri florem ætatis ac famæ conjecit, idem cum Euphorione ſentiens. Nonnulli nonaginta tantum annis ante primam Olympiadem ajunt fuiſſe, hoc eſt, centum quadraginta ſex annos ante Urbem conditam. Hujus opinionis auctorem prodit Clemens Soſibium Laconem, quæ à ſupputatione Latinorum quatuordecim tantum annis diſtat. Hanc dividiam auctorum ſuper ætate Homeri heîc libuit brevibus æris ſubducere.

Pag. 50 C. *Heſiodum poëtam, qui in auſpiciis Olympiadis primæ obiit*] Nec minor varietas circa Heſiodi ætatem. Si obiit ille in auſpiciis primæ Olympiadis, haud longe abfuiſſe oportet ab Homeri ætate, quem nonaginta annis ante primam Olympiadem multi volunt floruiſſe. Agellius tradit de Homero & Heſiodo inter omnes fere auctores conſtare ætatem eos egiſſe, vel iiſdem fermè temporibus, vel Homerum aliquanto antiquiorem. Sed hanc conſtantiam, quam prædicat Agellius, neutiquam in auctoribus deprehendo. Tam varie narrata eſt Homeri ætas, ut fieri non poſſit quin juxta quorumdam ſententiam æqualis Heſiodus illi reperiatur. Qui & ipſe eodem prope diſſenſu per varias ætates agitatus eſt. Vellejus centum & viginti annos diſtinctum ab Homeri temporibus Heſiodum eſſe ſciſcit. Homerus illi, ut pleriſque Latinorum centum ac ſexaginta circiter annis ante Urbem conditam ævum agitabat. Si centum ac viginti annis Heſiodus poſterior fuit, quadraginta tantum annis ante Urbis initia fuerit, hoc eſt, ſedecim annis ante primam Olympiadem. At noſter heic obiiſſe eum dicit auſpiciis primæ Olympiadis. Quod poteſt convenire. Inter Homerum & Heſiodum centum ac triginta octo annos medios fuiſſe idem ait. Certè inter utriuſque obitum totidem annos computat, quum Homerum deceſſiſſe dicat poſt Trojam captam anno ducenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Ita à Trojæ captivitate ad primam Olympiadem, qua ineunte obiit Heſiodus, quadringentos ac decem annos ponit. Euſebius ſecundum quoſdam Heſiodum inclaruiſſe notat circa quartam Olympiadem. Alio loco inſignem eum habitum tradit anno ante primam Olympiadem ferè trigeſimo. Alibi Homero æqualem ævi facit circa annum centeſimum atque ſexageſimum ab Ilio capto. Quæ ſententia multum ab aliis diſtat. Euthymenes in Chronicis Homerum & Heſiodum eadem ætate vixiſſe ſcripſit, annis à Troja ducentis. Triginta annorum ſpatio tantum à Caſſiana, vel Agelliana hæc opinio differt. Ut ut ſit, non multum abfuiſſe oportet Heſiodum ab Olympiadis primæ temporibus vel ætatis flore vel obitu. At Homerum longe antiquiorem puto. Nec illi Critico ignoſco, qui pertendit iſtum Heſiodi poſteriorem. Quo argumento? quia major ſimplicitas, & rudior antiquitas in Heſiodo comparet. Immò è contra longè ſuavior Heſiodus, & comptior eoque minus antiquitatis redolens cenſeri debeat. Hoc de eo judicium eſt veterum Criticorum. Dionyſius Halicarnaſſeus, qui unus inſtar centum: Ἡσίοδος μὲν γὰρ ἐφρόντικεν ἡδονῆς, καὶ ὀνομάτων λειότητος, καὶ συνθέσεως ἐμμελοῦς. Quum igitur Heſiodum Homero πρεσβύτερον quidam fecerint, nonnulli σύγχρονον, plures ac meliores poſteriorem tradiderunt, non plus tamen quam centum annis aut centum viginti. Suidas: Πορφύριος καὶ ἄλλοι πλεῖστοι νεώτερον ἑκατὸν ἐνιαυτῶν ὁρίζουσι. Porphyrium hunc allegat Euſebius in Heſiodi ętate declaranda, eumque ex illius ſententia triginta annis floruiſſe obſervat ante primam Olympiadem. Si centum annis poſterior Homero fuit, Homerus juxta Porphyrium vixerit, vigueritque circiter annum ducenteſimum ſeptuageſimum ab Ilio exciſo. Quæ vulgatior, & communior, ac fortaſſe etiam verior ſententia eſt tam de Homero quam Heſiodo. Una eadem ætate ambo vixiſſe teſtantur verſus, quos tanquam Heſiodi citant veteres grammatici:

Ἐν Δήλῳ τότε πρῶτον ἐγὼ καὶ Ὅμηρος ἀοιδοὶ
Μέλπομεν ἐν νεαροῖς ὕμνοις ῥάψαντες ἀοιδὴν
Φοῖβον Ἀπόλλωνα χρυσάορον, ὃν τέκε Λητώ.

Sed

Sed suspicor hos versus spurios & commentitios esse. Quod ex illis verbis colligo, ἐν νεαροῖς ὕμνοις ῥάψαντες ἀοιδὴν, quæ ῥαψῳδοὺς apertè designant. Atqui ῥαψῳδία non solum Homero, sed etiam Hesiodo recentior. Cynæthus quidam Chius primus fertur ῥαψῳδῆσαι Homeri carmina circa Olympiadem nonam & sexagesimam, ut testatur Pindari scholiastes ad Nemeonicas. Quod enim Hesiodum primum ῥαψῳδῆσαι Nicocles volebat, id falsum puto. Conjecisse hoc illum reor ex illis versibus quos supra retulimus, ubi dicit Hesiodus sese cum Homero καλὴν ῥάψαι ἀοιδήν. Hoc si veritati consentaneum foret, etiam Homerus ῥαψῳδὸς fuisset. Quod à vero alienum est, & ῥαψῳδίας ratione & origine. Ῥαψῳδοὶ siquidem illi proprie dicti sunt, non qui sua carmina ipsi publice ostenderent & canerent, sed qui aliena agerent, ut *Homeridæ* vel *Homeristæ*. Hesychius: Ῥαψῳδοὶ ὑποκριταὶ ἐπῶν. Et paulo post: οἱ τὰ Ὁμήρου ᾄδοντες ποιητὰ, ῥαψῳδοὶ καλοῦνται. Ut enim κωμῳδοὶ & τραγῳδοὶ dicebantur auctores tragicorum & comicorum versuum, quos ipsi non composuerant, & λυρῳδοὶ lyricorum carminum cantores ab aliis editorum, ita ῥαψῳδοὶ dicti qui heroïca carmina cantabant in theatro, quorum ipsi auctores non erant, sed tantum actores. Non igitur ῥαψῳδὸς Hesiodus, haud magis quam Homerus. Ῥαψῳδία initium & originem sumpsit ab Homeri carminibus, quos primus ῥαψῳδῆσαι cœpit Cynæthus. Cum enim antiquiores epici poëtæ sua ipsi si forte poëmata canerent & ostenderent, hic aliena primum cantare instituit. Et quod fortean ad Homerum genus referebat, Homericam poësim ita cantavit: idque alii postea imitati sunt. Ῥαψῳδοὶ quippe propriè vocabantur οἱ τὰ Ὁμήρου ἔπη ὑποκρινόμενοι. Athenæus lib. XIV: οὐκ ἀπελίποντο δὲ ἡμῶν τὸ συμπόσιον οὐδὲ ῥαψῳδοί. Ἔχαιρε γὰρ τοῖς Ὁμήρου ὁ Λαρήνσιος. Homeristas dictos esse ῥαψῳδοὺς, & in theatrum inductos primum à Demetrio Phalereo ibidem scribit. Nec solum Homeri carmina, sed etiam Hesiodi, & Archilochi, & Mimnermi, & Phocylidis à rhapsodis cantitata & actitata sunt. Vide locum. Τοὺς δὲ Ἐμπεδοκλέους καθαρμοὺς ἐρραψῴδησεν Ὀλυμπίασι Κλεομένης ὁ ῥαψῳδός. Sic ῥαψῳδοὶ alienorum carminum sunt actores. Idem apud Latinos videtur factum. Auctor vitæ Virgilii: *Bucolica eo successu edidit, ut in scena quoque per cantores crebro pronuntiarentur.* Intelligit ῥαψῳδοὺς τῶν βουκολικῶν Virgilii. Quare appellati sint ῥαψῳδοὶ disputant grammatici, & more suo nugantur, quum ῥαψῳδοὺς quasi ῥαβδῳδοὺς dictos putant, quod virgam tenentes carmina canerent. Sane ἐπὶ ῥάβδῳ canebant, non tamen inde nomen invenerunt. Pindarus, cui tutius credo quam omnibus grammaticis, ῥαπτῶν ἐπέων ἀοιδοὺς eos vocat. Ergo ἀπὸ τοῦ ῥάψαι τὴν ᾠδὴν, vel ἀπὸ τοῦ τὰ ῥαπτὰ ᾄδειν appellati sunt. Ὅθεν περ καὶ Ὁμηρίδαι ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πόλλ᾽ ἀοιδοὶ ἄρχονται Διὸς ἐκ προοιμίου. Homeri poësis quum antea dispersa esset, & indigesta, ac per partes tantum legeretur, qui primi eam in agonibus & δείξεσι publicis cantare cœperunt, hinc inde partem aliquam sumebant, quam veluti contexerent & consuerent, & in seriem ponerent. Pindari scholiastes: τῆς Ὁμήρου ποιήσεως μὴ ὑφ᾽ ἓν συνηγμένης, σποράδην δὲ ἄλλως, καὶ κατὰ μέρος διῃρημένης, ὁπότε ῥαψῳδοῖεν αὐτὴν εἱρμῷ τινὶ καὶ ῥαφῇ παραπλήσιον ποιεῖν εἰς ἓν αὐτὴν ἄγοντας. Hoc est quod propriè ῥάπτειν dicitur, hiantia componere, conciliare, & acu concipere. Inde usque hodie singulis Homerici carminis partibus nomen hoc hæsit ut ῥαψῳδίαι dicerentur. Hinc ῥαπτὰ ἔπη Pindaro, quæ ῥαψῳδοὶ canebant, quod ea sparsa veluti colligerent, & in unum corpus suerent. Sic ῥαπτοὶ στέφανοι sutiles coronæ, ῥαπτὰ navigia, ῥαπτὰ περιστρώματα. Hinc Aristoteles ῥαψῳδίαν vocavit carmen ex vario versuum genere compositum, veluti centonem: καθάπερ Χαιρήμων ἐποίησεν Κένταυρον, μικτὴν ῥαψῳδίαν ἐξ ἁπάντων τῶν μέτρων, οὐκ ἤδη καὶ ποιητὴν προσαγορευτέον. Poëma illud Chæremonis, cui titulus *Centaurus* fuit, ῥαψῳδίαν vocat, non, quod à rhapsodis vulgo caneretur, sed quod ex variis metris veluti cento consutus esset. Tragœdi ac comœdi actores fabulas, quales à poëtis acceperant, agebant, nihilque de suo iis addebant. Lyrœdi quoque & citharœdi nomos & cantica, quæ poëta lyricus aut dithyrambicus ipsis composuerat, sicut erant ab auctore facta, ad citharam vel lyram

A cantabant. Nec sane rationis erat ut aliquid adjicerent. Comœdia quippe & tragœdia integrum carmen, quod initium habebat & finem. Nomi quoque citharœdici, & omnia cantica lyrica, cujuscunque tituli & argumenti essent, perfecta habebantur initio & fine. At qui epica poëmata rhapsodiabant, quia per partes eas sumebant cantillanda, quibus nec finis esset, & initium aliunde sæpe penderet, ut perfecti operis imaginem haberent, iis plerumque de suo finem aliquem, aut principium accommadabant, & adsuebant. Hinc ῥαψῳδοὺς exordia sæpe à Jove sumpsisse dicit Pindarus:

B ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πόλλ᾽ ἀοιδοὶ ἄρχονται Διὸς ἐκ προοιμίου. Interpres vetus ad eum locum: αὐτοὶ οὖν τὴν ἀρχὴν ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἐκ Διὸς ἐποιοῦντο προοιμιαζόμενοι, ἐνίοτε δὲ ἐκ Μουσῶν. Initia igitur & prooemia ipsi de suo adnectebant, cetera ex poëta sumebant. Inde ῥαψῳδοὶ appellati. Certe Cynæthum multa in Homeri poësim infulsisse & veluti insuisse scribit vetus scholiastes: ῥαψῳδοὶ ἐπιφανεῖς ἐγένοντο οἱ περὶ Κύναιθον, οὕς φασι πολλὰ τῶν ἐπῶν ποιήσαντας ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ὁμήρου ποίησιν. Ideo propter has additiones & emblemata non mediocriter Homericæ poësi nocuisse rhapsodos illos notat idem doctus Criticus: ὅτι γὰρ τὴν Ὁμήρου ποίησιν σκεδασθεῖσαν ἐμνημόνευον,

C καὶ ἐπήγγελλον, ἐλυμήναντο δὲ αὐτὴν πάνυ. Quemadmodum autem lyrica carmina λυρῳδοὶ ad lyram canebant, αὐλῳδοὶ ad tibiam, ita ῥαψῳδοὶ epica carmina Homeri vel Hesiodi ἐπὶ ῥάβδῳ pronuntiabant. Nam virgam lauream tenentes ea cantabant. Non propterea tamen ῥαψῳδοὶ dicti quasi ῥαβδῳδοί. Nam ante quam mos ille τοῦ ῥαψῳδεῖν aliena carmina natus ac notus esset, auctores ipsi ac poëtæ hymnos & alia carmina in honorem deorum à se composita sic pronuntiare consueverant cum virga è lauru in manibus. Dicebantur ἐπὶ ῥάβδῳ ᾄδειν. Pausanias in Bœoticis de Hesiodo, qui cum cithara pi-

D ctus erat: οὐδέν τοι οἰκεῖον Ἡσιόδῳ φόρημα. Δῆλα γὰρ δὴ ἐξ αὐτῶν τῶν ἐπῶν ὅτι ἐπὶ ῥάβδῳ δάφνης ᾖδε. Intelligit hos versus ex Theogonia:

> Καί μοι σκῆπτρον, ἔδον δάφνης ἐριθηλέος ὄζον
> Δρέψασθαι θηητὸν, ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδὴν
> Θείην, ὥστε κλύοιμι τά τ᾽ ἐσσόμενα πρό τ᾽ ἐόντα.

Traditum sibi à Musis ex lauri ramo baculum dicit, tanquam vati futurorum præscio, non tanquam poëtæ datum possumus interpretari propter illa,

> ---- ὥστε κλύοιμι τά τ᾽ ἐσσόμενα πρό τ᾽ ἐόντα.

Laurum gestabant & admordebant, qui vaticinandi

E scientia callere volebant, unde δαφνηφάγοι vates. Asclepiades in statuam Homeri:

> Καί σοι καλλιπέτηλον ἐρυσσαμέναι περὶ πάσαι
> Ὤρεξαν δάφνης ἱερὸν ἀκρέμονα.

Pausanias de virga laurea accepit, cum qua veteres poëtæ carmina sua recitabant. Quem morem etiam postea ῥαψῳδοὶ imitati sunt qui aliena pronuntiarunt. Nam & hi virgam è lauro tenebant, quum carmina recitarent ex aliquo poëta. Credo itaque ex hoc Hesiodi loco quosdam adductos esse, ut putarint Hesiodum ῥαψῳδὸν fuisse & primum ῥαψῳδῆσαι. Certe ῥάβδος omnium fuit communis, qui carmina publice, vel

F privatim pronuntiarent, sive sua, sive aliena. Ceterum quicunque ἐπὶ ῥάβδῳ canebant, non erant ῥαψῳδοὶ, sed illi soli, qui per ῥαψῳδίαν alienis carminibus certabant. Apud antiquos mos obtinuit in conviviis, ut pro lyra myrti, vel lauri virga circumferretur: cum qua accumbentes qui fidibus nesciebant, scolia, id est, convivialia carmina cantarent. Hesychius: μυρσίνης κλάδον ἢ δάφνης περὶ πότον ἦν συνηθὲς διδόναι τοῖς κατακειμένοις ἐκ διαδοχῆς ὑπὲρ τοῦ ᾆσαι ἀντὶ βαρβίτου. Videndus Athenæus, & Aristophanis scholiastes. Ex his colligere licet nulla unquam carmina cani olim, aut recitari solita absque lyra, aut virga laurea. Lyrica ad lyram ca-

G nebantur, vel in convivio, si quis citharizare nesciret, virgam lauri vel myrti tenens ea canebat. Epici vero poëtæ, qua privatim, qua publice cum virga laurea carmina sua recitabant. Et postea inducta consuetudine, ut aliena etiam opera per eos, qui ῥαψῳδοὶ dicebantur, in theatris pronuntiarentur, nunquam absque virga vel baculo laurino id faciebant. Nec tamen inde ῥαψῳδοὶ dicti. Nam ἐπὶ ῥάβδῳ ᾄδειν res antiquior fuit ῥαψῳδοῖς, qui & eam ipsi usurparunt. Callimachus:

Καὶ τὸν ἐπὶ ῥάβδῳ, μῦθον ὑφαινόμενον
Ἠνεκέως ἤειδε δεδεγμένος ----

Verba ſcholiaſtæ Pindari, quibus Dionyſii Argivi opinionem refert de appellatione rhapſodorum, ita legenda ſunt: οἱ δὲ ὅτι κατὰ μέρη πρότερον τῆς ποιήσεως διαδιδομένης τῶν ἀγωνιστῶν ἕκαστος ὅ τι βούλοιτο μέρος ᾖδε, τοῦ δὲ ἆθλου τοῖς νικῶσιν ἀρνὸς ἀποδεδειγμένου προσαγορευθῆναι, τότε μὲν ἀρνῳδούς. Αὖθις δὲ ἑκατέρας τῆς ποιήσεως εἰσενεχθείσης τοὺς ἀγωνιστὰς οἷον ἀκειομένους πρὸς ἄλληλα τὰ μέρη, καὶ τὴν σύμπασαν ποίησιν ἐπιόντας, ῥαψῳδοὺς προσαγορευθῆναι. Ταῦτά φησι Διονύσιος ὁ Ἀργεῖος. Perperam legitur οἷον ἀκουομένους. Homeri poëſis per partes & membra olim erat diſcerpta, non in corpus unum relata, ut hodie extat, nec in ordinem ac ſeriem digeſta. Agoniſtæ, qui per ῥαψῳδίαν in certaminibus ſuper ea recitanda contendebant, partem aliquam ſumere conſueverant, quam pronuntiarent. Partes vero carminis, quas uterque antagoniſta, ſive ῥαψῳδὸς recitandas elegerat, invicem poſtea committebantur, & veluti ſartoris acu jungebantur. Eo modo quum univerſam poëſim percurrerent, & ſparſas partes conjungerent, ac veluti ſarcirent, dictos eſſe ῥαψῳδούς. Heſychius: ῥάπτοντες καὶ ἰώμενοι. Inde ἀκεστὴς ſartor, & ἀκέστρια ſartrix. At Philochorus ἀπὸ τοῦ συντιθέναι, καὶ ῥάπτειν τὴν ᾠδὴν eos nominatos voluit, à componendis carminibus. Sic ὑφαίνειν ἔπος Græci dicunt, & μῦθον ὑφαίνειν. Unde ἐπὶ ῥάβδῳ, μῦθον ὑφαινόμενον Callimachus dixit de ῥαψῳδίᾳ. Sic Latini, *carmen texere* ac *ducere*. Simmias ἄτριον δωρίας ἀηδόνας carmen ſuum de ovo dixit, hoc eſt, textum. Sed quum ῥαψῳδοὶ ii propriè dicti ſint, qui aliena recitabant, non qui ſua, vix poſſunt inde appellati videri, quum nihil ipſi componerent. Præterea ſi ῥάπτειν ᾠδὴν idem eſt ſimpliciter ac carmen aliquod vel canticum componere & conſcribere, poëta quilibet & verſificator dici poteſt ῥαψῳδός, non epicus tantum, ſed tragicus, comicus & melicus? Quippe iſti omnes ῥάπτουσι τὰς ᾠδάς, id eſt, componunt. Ita ſanè videtur ſumi & in illis verſibus Heſiodi commentitiis, quos ſuprà retulimus.

Ἐν Δήλῳ τότε πρῶτον ἐγὼ καὶ Ὅμηρος ἀοιδοὶ
Μέλπομεν ἐν νεαροῖς ὕμνοις ῥάψαντες ἀοιδήν.

Nihil hæc ad ῥαψῳδούς, qui ſua non edebant, ſed aliena veluti ſuebant. Præterea quis non videt ab aliquo confictos, & Heſiodo attributos illos verſus, qui Heſiodum coætaneum Homero fuiſſe, & primum ῥαψῳδῆσαι putavit? Idem ſentiendum cenſeo de illo epigrammate, quod in tripode ſcriptum eſſe, qui in monte Helicone ab Heſiodo dedicatus eſt, proditur.

Ἡσίοδος Μούσαις Ἑλικωνίσι τόνδ' ἀνέθηκε
Ὕμνῳ νικήσας ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον.

Ex hoc epigrammate non eſſe dubium affirmabat Varro, quin aliquo tempore eodem vixiſſent Homerus & Heſiodus. Multo probabilius eſt ab Heſiodi amatoribus & admiratoribus hæc talia conficta fuiſſe, qui palmam illi & coronam contra Homerum dare parati erant. Quæ ſi vera & genuina eſſent, cui dubium foret ambo eodem omnino tempore fuiſſe? Sed hæc in medio relinquo. Quod mihi veriſimilius viſum eſt, & pluribus ex antiquitate, id aſſerui in hac exercitatione.

Centum triginta octo anni interfuerunt] In altera editione fuit: *anni medii fuerunt.*

In Rhœteo littore Achilleon oppidum] Libri, *Achillioni* Ἀχίλλειον. Plinius: *fuit & Achilleon oppidum juxta tumulum Achillis conditum à Mitylenæis, & mox Athenienſibus, ubi claßis ejus ſteterat. In Sigeo fuit & Æantium à Rhodiis conditum in altero cornu Ajace ibi ſepulto* XXX *ſtadiorum intervallo à Sigeo, & ipſo in ſtatione claſſis ſuæ.* Ergo à Mitylenæis primo conditum illud oppidum, mox ab Athenienſibus inſtauratum, qui Sigeum Mitylenæis eripuerunt. Videndus Herodotus Muſa ſeptima. Non rectè itaque hîc Solinus ab Athenienſibus & Mitylenæis conditum illud oppidum aſſerit. Decepit eum etiam vulgaris interpunctio, quæ in libris Plinianis hodie viſitur. Nam in Sigeo, non in Rhœteo littore ſitum erat Achilleon. Locus igitur Plinii ita diſtinxit, ut hodie diſtinguitur. Atqui ſic eſt interpungendus, ut jam docti viderunt: *Conditum à Mitylenæis & mox Athenienſibus, ubi claſſis ejus ſteterat in Sigeo. Fuit & Æantion à Rhodiis conditum in altero cornu Ajace ibi ſepulto.* Alterum illud cornu *Rhœteum* eſt, in quo Αἰάντειον. Ergo Achilleon in Sigeo. Monumentum tantum & ſepulcrum Achillis hoc nomine appellatum agnoſcit Strabo, non oppidum. At quod in Sigeo littore oppidum fuit, etiam *Sigeum* vocatum eſt. Herodotus tamen Ἀχιλληΐου πόλεως meminit illo littore, ubi & Σίγειον erat. Eum vide Muſa quinta. In Sigeo ſtatua quoque Achillis fuiſſe dicitur, quæ aurem foratam habuit, & elenchum inde pendentem. Servius in membranis Fuldenſibus ad Æneid. I. *Sanè apud Sigeum Achillis ſtatua fuiſſe dicitur, quæ in ima, id eſt, extima auris parte elenchum more fœmineo habuerit.* Hujus ſtatuæ Tertullianus mentionem attigit in libro de Pallio his verbis de Achille: *aurem quoque foratu effœminatus, quod illi apud Sigeum ſtatua ſervat.* Hæc eſt editionum, quæ ante noſtram vulgatæ ſunt, lectio. Quum in codice antiquiſſimo ſcriptum diſertè reperiſſem, *quod illi apud Sigeum Strongyla ſervat*, eam ſcripturam aſſeruimus & explicavimus. Lacerda in editione commentarii illius, quem ex præſcripto gregalium de novo interpolavit, ait mirari ſe nemini diſplicuiſſe vulgatam lectionem illius loci præterquam Salmaſio. At ego ſtultitiam Lacerdæ & ſociorum ejus demiror, qui frugibus inventis ad glandes redeunt, & correctorum commenta præ vera & germana auctorum ſcriptura meras putant delicias. Vellem mihi diceret ille admirandi judicii Criticus, nunquid antiquiores putet ſcriptos codices libris excuſis? ſi antiquiores, an non meliores? utrum ex exemplaribus antiquis cenſeat emendendas editiones, an vice verſa ex editionibus corrigendos libros antiquos & manu exaratos? Huic ſententiæ palam eſt eum magis accedere, adeo bruti & inſipidi palati eſt & exſenſæ mentis. Verum de his alias dicendi locus. Profecto nec mihi diſplicuiſſet vulgata Tertullianei loci lectio, niſi aliam liber ille oſtendiſſet, quam diſſimulare non potui, nec repertam damnare, quum recta ſit. Quam ideo expunxerunt editores, quia non intelligebant. *Strongyla* eſt στρογγύλη. Ita vocavit abſolutè τὴν ἀσπίδα, ſive προτομήν, in qua ſolus vultus erat expreſſus. Κύκλους & δίσκους etiam appellatos eſſe & θώρακας Græcis nos alibi docuimus. Latini *clypea*, vel *clypeos* appellarunt, qui rotundi ſunt. Inde & *ſtrongyla*. Imaginem porro Achillis ore tantum expreſſam in Sigeo fuiſſe, non ſtatuam integram, teſtatur Lucius Ampelius auctor vetus, quem ex Bibliotheca optimi Jureti τοῦ μακαρίτου habuimus capite de marium ambitu: *Juxta autem mare, qui locus Rhœteon dicitur, ibi eſt Achillis & Patrocli vultus.* Vultus eſt imago ore, vel pectore tenus expreſſa in clypeo. Hinc & *vultum* ἀντὶ τοῦ προσωπείου dixere. *Sub vultu latet*, id eſt, ſub perſona. Ex his patet magnopere erraſſe Solinum, qui tumulum Achillis, & Achilleon oppidum in Rhœteo collocet, quod in Sigeo ſitum fuit. Ex adverſo Sigei in Cherroneſo Proteſilai ſepulcrum erat, & circa illud arbores plantatæ, quæ ubi in eam altitudinem increverant, ut Ilium poſſent adſpicere, ſtatim inareſcebant, deinde rurſus revireſcere incipiebant, iterumque à ſolo creſcere. Strabo: κατὰ δὲ τὴν Σιγειάδα ἄκραν ἐστὶν ἐν τῇ Χερρονήσῳ τὸ Πρωτεσιλάειον καὶ ἡ Ἐλεοῦσα. Miraculum arborum ita narrat Plinius lib. XVI. cap. XLIV. *Sunt hodie ex adverſo Ilienſium urbis juxta Helleſpontum in Proteſilai ſepulcro arbores, quæ omnibus ephebiis ejus cum in tantum accrevere, ut Ilium adſpiciunt, inareſcunt, rurſuſque adoleſcunt.* In his prodigioſe illa deformata ſunt, *quæ omnibus ephebiis ejus.* Nihil quippe quod rectum ſit, ſignficare poſſunt. Codex Rigaltianus, non multo melior editis, in quo legitur: *omnibus efebis.* Inde *ephebiis* ſaltem feciſſe correctores conſtat. At in optimo ac vetuſtiſſimo Thuanæo ſic ille locus conceptus eſt, *quæ omnibus ex ſenebis cum in tantum adcrevere ut Ilium adſpiciunt.* Inde optima ac certiſſima conjectura lego: *Quæ omnibus ex eo ævis cum in tantum adcrevere ut Ilium adſpiciunt, inareſcunt rurſuſque adoleſcunt.* F pro E, ſæpe in antiquis libris ſcriptum deprehenditur. Sic Venus *Frutis*, quæ *Erucis* eſt. Abſque illo codice æternùm in mendo

do jacuiſſet Plinii locus. Dicit omnibus ævis ex eo, quo ſatæ fuerant illæ arbores, id iis accidere : ævo quippe opus eſt arboribus priuſquam in eam altitudinem increſcant. Quum Ilium adſpexerant, ſtatim funditus inareſcebant, ac peribant : rurſus à ſolo creſcere incipiebant, ævumque iterum intercedebat priuſquam in priorem magnitudinem attollerentur. Ideo ſcripſit, *omnibus ex eo ævis*, cum in tantum adcreverant, ut Ilium adſpicerent, mori ſubito & flacceſcere. Quod ad rem ipſam attinet, Græco epigrammate Philippi nondum edito teſtatam reperi, cujus lemma ſic habet: εἰς Πρωτεσίλαον τὸν ἐν Τροίᾳ πρῶτον τελευτήσαντα, ὅτι ἐν τῷ τούτου τάφῳ ὅσα φυτὰ βλέπει τὴν Ἴλιον ξηραίνονται, καὶ τῶν φύλλων τὰς κόμας ἀποβάλλουσι. Epigramma ipſum ita ſcriptum eſt :

Ἥρως Πρωτεσίλαε, σὺ γὰρ πρώτην ἐμυήσας
Ἴλιον Ἑλλαδικοῦ θυμὸν ἰδεῖν δόρατος.
Καὶ περὶ σοῖς τύμβοις ὅσα δένδρεα μακρὰ τέθηλε
Πάντα τὸν εἰς Τροίην ἐκκεκύηκε χόλον,
Ἴλιον ἣν εἰσίδη γὰρ, ἀπ' ἀκρεμόνων κορυφαίων
Καρφοῦται, πετάλων κόσμον ἀναινόμενα
Θυμὸν ἐπὶ Τροίῃ πόσον ἔζεσας, ἡνίκα τὴν σὴν
Σώζει καὶ στελέχη μῆνιν ἐπ' ἀντιπάλους.

Non totas arbores interire dicit, ſed ſummum duntaxat earum cacumen, & quantacunque pars Ilium aſpexerit inareſcere, decuſſis foliis : ἀπ' ἀκρεμόνων κορυφαίων καρφοῦται. Poſita tamen aliter diſtinctio eum ſenſum efficiet, quem voluit Plinius :

Ἴλιον ἣν εἰσίδη γὰρ ἀπ' ἀκρεμόνων κορυφαίων,
Καρφοῦται πετάλων κοσμὸν ἀναινόμενα.

Si enim vel ſummis ramis Ilium proſpexerint, tum marceſcunt arefacta, & decus foliorum perdunt. Alias id naturale eſt omnium arborum præcipuè grandium & glandiferarum, ut poſt unum aut alterum ævum, quum in ſenectutem abeunt, à ſummo cacumine mori incipiant, & uno alteroque adhuc ævo ſic durent ſummitate arida & intermortua.

Quod propemodum interiit] Ridiculè. Quaſi illius oppidi reliquiæ adhuc ſupereſſent ea in ætate, & non totum interiiſſet. Atqui Strabonis tempore nullum amplius oppidum extabat iſto nomine. Ideo nec oppidi meminit. Plinius diſertè teſtatur non fuiſſe hoc oppidum ſua ætate. *Fuit*, inquit, *& Achilleon oppidum, juxta tumulum Achillis à Mitylenaiis conditum.* Ita de omnibus oppidis loquitur, quæ tum eſſe deſierant. *Fuit & Notion oppidum.* Significat non amplius eſſe. Sic apud Poëtam :

---- *fuit Ilium & ingens*
Gloria Dardanidûm.

Interpoſitis quadraginta fermè ſtadiis, in altero cornu ejuſdem littoris] Plinius triginta tantum ponit ſtadia, niſi mendum ſit in ejus libris. Addidit heic & Solinus de ſuo, *ejuſdem littoris*, quod apud Plinium non legitur : *Fuit & Æantion à Rhodiis conditum in altero cornu, Ajace ibi ſepulto.* Et ſanè non in eodem littore *Achilleon* fuit & *Æantion*, ſed hoc in Rhœteo, illud in Sigeo. Solinus, quum in Rhœteo poſuerit Achillis ſepulcrum, haud mirum eſt in eodem collocare Æantion. Nam revera in Rhœteo Ajacis tumulus. Ideo adjecit, *in altero cornu ejuſdem littoris*, quia in eo ipſo littore ſtatuerat Achilleon. Strabo ut Achillei oppidi non meminit, ita nec Æantii, fortaſſe quia nulla tum oppida hoc nomine. Sed Αἰάντειον nomen eſſe littoris ait, in quo erat tumulus Ajacis. Urbs ipſa in illo littore vocabantur Ῥοίτειον Ita ſcribit lib. XIII : εἶτα Ῥοίτειον πόλις ἐπὶ λόφῳ κειμένη, καὶ τῷ Ῥοιτείῳ συνεχὴς ἠϊὼν ἀλιτενὴς Αἰάντειον, ἐφ' ᾗ μνῆμα καὶ ἱερὸν Αἴαντος. Sed Αἰάντειον nomen potius Ajacis fani & tumuli quam littoris. Nam Αἰάντειον, Αἴαντος ἱερὸν vel μνῆμα, ut Ἀχίλλειον, Πρωτεσίλεων. Legendum itaque videretur : καὶ τῷ Ῥοιτείῳ συνεχὴς ἠϊὼν ἀλιτενὴς, ἐφ' ᾗ μνῆμα καὶ ἱερὸν Αἴαντος. Ut illud Αἰάντειον ex gloſſa ſit. Sed verius ſuſpicor exigua tranſpoſitione ſcribendum : καὶ τῷ Ῥοιτείῳ συνεχὴς ἠϊὼν ἀλιτενὴς, ἐφ' ᾗ Αἰάντειον, μνῆμα καὶ ἱερὸν Αἴαντος. Hoc indubitate verum eſt. Littus illud, in quo tumulus & fanum Ajacis, vel etiam oppidum Αἰάντειον, Rhœteum etiam dictum eſt à Rhœteo promontorio vel oppido. Ita Sigeum littus ab altero promontorio Sigeo, in quo Achillis tumulus & oppidum. Diverſa

A igitur littora Rhœteum & Sigeum. Mela Ajacis ſepulcri in Rhœteo mentionem tantum facit, non etiam oppidi : *extra ſinum ſunt Rhœtea littora Rhœteo & Dardania claris urbibus, Ajacis tamen ſepulcri maxime illuſtria.*

Pag. 51. D. *Aves advolant, quas Ilienſes memnonias vocant*] Melius dixiſſet, *memnonidas*. Atque ita Plinius à Memnone aves μεμνονίδες, ut à Meleagro μελεαγρίδες : à Seleuco, σελευκίδες. Ovidius : *Memnonides dictæ.* Ita tamen etiam in indice : *de memnoniis avibus.* Ab Ilienſibus ſic vocatas dicit. Quaſi à ſolis Ilienſibus *memnonides* vocarentur. Aliter Plinius, cujus hæc verba ſunt : *auctores ſunt omnibus annis advo-*
B *lare Ilium ex Æthiopia aves, & confligere ad Memnonis tumulum, quas ob id memnonidas appellant.* De conflictu earum omiſit noſter, quod erat præcipuum. Ovidius de memnonibus :

---- *parentali moritura morte rebellant.*

Circa tumulum Memnonis confligendo parentabant. Idem de Diomedeis avibus narrant, & meleagridibus. Plinius ibidem : *Simili modo pugnant meleagrides in Bœotia.* Circa tumulum nempe Meleagri, à quo ita appellatæ ſunt. *Verum*, inquit, *Meleagri tumulus nobiles eas fecit.* Ut Diomedes ſocios in aves Diomedeas
C verſos fabulæ fingunt poſt ejus mortem, cum antea nuſquam comparerent, ita & *memnonidas* poſt obitum Memnonis primum viſas, & *meleagridas* ex mulieribus factas autumant, quæ mortuum Meleagrum lugebant. Apollodorus : αἱ δὲ θρηνοῦσαι τὸν νεκρὸν γυναῖκες ἀπωρνεώθησαν. Intelligit aves meleagrides. Ergo Bœotii ſoli indigenæ aves illæ. Ætoliæ peculiare hoc avitium facit Menodotus Samius apud Athenæum & inde in alias orbis partes tranſlatum, ut pavones è Samo & *Perſicas gallinas* à Perſide. Ita enim de pavonibus tradit qui in templo Samiæ Junonis alebantur : καὶ μήποτε πρῶτοι, καὶ ἐγένοντο, καὶ ἐτράφησαν ἐν Σάμῳ, καὶ ἐντεῦθεν εἰς
D τοὺς ἔξω τόπους διεδόθησαν, ὡς καὶ οἱ ἀλεκτρυόνες ἐν τῇ Περσίδι, καὶ αἱ καλούμεναι μελεαγρίδες ἐν τῇ Αἰτωλίᾳ. Ergo ex Ætolia, vel Bœotia in alias terras tranſportatæ meleagrides. Ut eæ deſcribuntur apud eumdem Athenæum lib XIV verbis Clyti Mileſii Ariſtotelis diſcipuli, gallinis his ſimiles ſunt, quas hodie vocamus *Indicas*, ſic ut eædem videantur eſſe & planè ſint. Τὸ ποικίλον illis tribuit, nigris albiſque plumis alternatum, ita ut rotundis maculis albis rhombi nigri diſtincti ſint. Multæ gallinæ noſtræ Indicæ hoc modo varias habent plumas, quædam ex iis abſque notabili varietate totæ nigræ ſunt. Reliqua deſcriptionis fermè conveniunt.
E *Indicas* igitur vocamus non quod ex India primum advectæ ſint, nam in Bœotia & Græcia paſſim naſcuntur, ſed quia quidquid ad nos tranſmarinum adfertur, *Indicum* vulgo appellamus. Varronis tempore quum gallinas Africanas gibberas, quæ ex Numidia adportabantur, tantum noſſent Romani, eaſdem cum meleagridibus eſſe putarunt. Varro de R. R. lib. III. *Gallinæ Africanæ ſunt grandes variæ, gibberæ, quas meleagridas appellant Græci. Hæ noviſſimæ triclinium genianum introierunt è culina, propter faſtidium hominum. Veneunt propter penuriam magno.* Scaliger alias eſſe gibberas Numidicas, alias meleagrides contendit. Hoc qui-
F dem verum. Ideo locum illum Varronis ſic interpungendum cenſet : *Gallinæ Africanæ ſunt grandes variæ, gibberæ. Quas meleagridas Græci appellant, hæ noviſſimæ in triclinium genianum introjerunt è culina.* Ut nimirum diverſæ ſint Varroni Africanæ gallinæ & meleagrides. Sed hanc interpunctionem refutat ipſe Varro verbis quæ protinus ſubjunxit : *de tribus generibus maxime ſaginantur villaticæ.* Ergo tria tantum genera gallinarum recenſuit, *Villaticas*, *Ruſticas*, & *Africanas*, quas Græcis meleagridas dictas ait. At ſi meleagrides ab Africanis diverſas conſtituiſſet, non tria, ſed quatuor
G genera gallinarum poneret. *Ruſticas* Græci vertunt ἀγρίας in illo Varronis loco. De quibus ſupra. Plinius quoque, quum eum Varronis locum, ſed aliis verbis deſcriberet, meleagrides pœne eaſdem cum Africanis facit. Ita enim loquitur : *Simili modo pugnant meleagrides in Bœotia. Africæ hoc eſt gallinarum genus, gibberum, variis ſparſum plumis : quæ noviſſimæ ſunt peregrinarum avium in menſas receptæ propter ingratum virus.* Tantum non eaſdem eſſe vult. Certè meleagrides

Bœoticas

Bœoticas generi gallinarum Africæ adscribit. Idem porro dicit Plinius quod Varro, novissimas omnium avium peregrinarum in cibis receptas fuisse. Rationem addit Varro, *propter fastidium hominum.* Sed causam fastidii non adjicit, Plinius id ex Varrone interpretatur, *propter ingratum virus.* In libris Plinianis scribitur, *propter ingratum munus.* Sed hoc sine dubio corruptum pro *virus.* Nec dubito quin Plinius in Varrone legerit, *propter fastiditum virus*: vel *propter fastidium viri.* Pro quo correctores reposuere *fastidium hominum.* Hoc nostris Indicis non convenit, quarum virosus sapor non est, sed idem prorsus qui communium & villaticarum gallinarum. Virus igitur illud proprium fuerit Africanarum gallinarum, quas cum meleagridibus easdem quidam fecerunt propter similitudinem. Columella: *Africana est, quam plerique Numidicam dicunt, meleagridi similis, nisi quod rutilam galeam & cristam capite gerit, quæ utraque sunt in meleagride cærulea.* Nullum discrimen agnoscit inter meleagridem & Numidicam, nisi de colore galeæ ac cristæ. Ideo Africanas scribit Varro *meleagrides* Græcis vocari. Africanæ sunt, quas vulgo *gallinas Guineæ* vocitamus. In capite tuber habent, sive gibbam rutilam. Unde *gibberas* eas esse auctores ajunt. At in gallinis Indicis, quæ meleagrides sunt Græcorum, insigne corporeum veluti clavus rotundus è capite exit, quod maribus ultra rostrum propendet, dum in venerem incitantur, & fœminas ambiunt. Græci gallinas Numidicas parum videntur novisse, quas Romani magis cognitas habuere, velut ex propinquo allatas. Si qui Græcorum veterum fama ad se perlatas memoraverunt, μελεαγρίδας eas nominarunt à similitudine quam habent cum meleagridibus. Scylax Caryandæus in Africa propriè dicta meminit cujusdam paludis, circa quam visuntur meleagrides. Nec alibi uspiam locorum reperiri, nisi inde advectas. Locus in vulgatis inquinatissimus sic est reformandus: περὶ δὲ τὴν λίμνην πέφυκε κάλαμος, καὶ κύπειρος, καὶ φλεὼν, καὶ θρυόν. Αἱ δὲ ὄρνιθες μελεαγρίδες ἐνταῦθα εἰσὶν, ἄλλοθι δὲ οὐδαμοῦ, ἂν μὴ ἐντεῦθεν ἐξαχθῶσιν. Τῇ δὲ λίμνῃ ταύτῃ ὄνομα Κηφησιὰς, Asdrubas apud Plinium lacum illum vocat *Cephesida*, & juxta mare Atlanticum locat. Scylaci ponitur inter Herculeas columnas, & Hermæan promontorium. Per μελεαγρίδας intelligit *gallinas Africanas.* Sed eas, quod mireris, ex palustrium genere facit. Mnaseas quoque apud Plinium lib. XXXVII. cap. II meleagridas Africæ adjudicat, & inter adsuetas paludibus ac lacubus aves numerat: *Mnaseas Africæ locum Sicyonem appellat, & Cratim amnem effluentem è lacu, in quo sunt aves quas meleagridas & penelopas vocant.* Ita scribendus ille locus. Πηνέλοπες aves sunt aquaticæ anatibus similes. Ergo & μελεαγρὶς avis palustris. Gallinas tamen Africanas ita ab eo vocari certum est. His consentanea sunt, quæ de Græciæ meleagridibus tradidit Clytus Aristotelis discipulus, locum ubi nutriebantur in Lero insula palustrem fuisse: περὶ δὲ τὸ ἱερὸν τῆς παρθένου ἐν Λέρῳ εἰσὶν οἱ καλούμενοι ὄρνιθες μελεαγρίδες. Ὁ δὲ τόπος ἐστὶν Ἑλώδης ἐν ᾧ τρέφονται. Hoc si esset, non eædem viderentur illæ meleagrides cum nostris gallinis Indicis. Herbosis utcunque locis gaudeant, utpote quæ gramen pasci amant, haud tamen in lacu possunt vivere, nec ex eo genere avium sunt, quas νηξιπόδας Græci & *remipedas* Latini appellant. Sed & diserte Aristoteles meleagridas ab avibus palustribus distinguit lib. VI. cap. I. Hist. Animal. de ovorum differentiis, & coloribus: τῶν δὲ ὠχρά, οἷον τῶν περὶ τὰς λίμνας· τῶν δὲ κατεστιγμένα, οἷον τὰ τῶν μελεαγρίδων καὶ φασιανῶν. Cum phasianis nominat ac secludit à palustribus. Ova quoque pariunt gallinæ Indicæ punctis rubris notata. Nugantur itaque auctores, qui meleagrides inter paludicolas aves reponunt. Ἐλώδη τόπον Græci non tantum de palustri solent dicere, sed etiam sic vocant qui arboribus consitus est. Nam ἕλος interpretantur grammatici σύμφυτον τόπον καὶ σύνδενδρον. Inde ἐλειὸς μῦς, quem alii *glirem*, alii *sciurum* exponunt, sic dictus quod in arboribus degat. Varro: *In silva mea nullus est glis.* Sic igitur accipienda verba Clyti Philosophi, quum dixit ἐλώδη τόπον esse in quo nutriebantur meleagrides, *arboribus consitum.* Meleagrides certe non tantum gramine pasci amant, sed etiam in arboribus libenter cubant. Qui ex veteribus Græcis palustres fecerunt meleagrides, inducti videntur varia significatione vocis ἑλώδης, quam de palustri loco accepere. Ceterum ne gallinæ quidem Africanæ, quas meleagridum nomine quidam appellavere, magis palustres censendæ quam vulgares gallinæ. Hesychius: Μελεαγρὶς, κατοικίδιος ὄρνις. Idem: Μελεαγρίδες ὄρνεις αἳ ἐνέμοντο ἐν τῇ ἀκροπόλει. Athenis in arce nutriebantur, ubi nullus lacus. Adde quod ὄρνεις dictæ sunt, id est, gallinæ: οἱ καλούμενοι ὄρνιθες μελεαγρίδες. Quasi dicas *meleagrides gallinas.* In India, vel ultra Indiam meleagridas aves quidam relegant. Plinius de electro, quomodo & ubi nascatur ex Sophoclis sententia: *Hic ultra Indiam fieri dixit è lacrimis meleagridum avium, Meleagrum deflentium.* Alii in Africa in quodam lacu gigni electrum scripsere, & in eo lacu etiam meleagridas aves vivere. Quas meleagridas pro gallinis Africanis passim auctores appellitarunt. Inde fabula illa ficta Sophocli de meleagridibus ultra Indiam electrum lacrimantibus. Nam & in illo ipso lacu Africæ, ubi sunt meleagrides, electrum nasci tradebat Mnaseas. Non recte autem Scaliger Julius dubitat an meleagrides veterum nostræ sint gallinæ Indicæ. Nullo modo super hoc fas est ambigere. De Medicis & Tanagricis gallinis nos alibi. Nam & male quidam *Medicas* gallinas easdem censent cum Indicis. Ex genere illæ communi, sed maximè generoso, & magnitudinis non vulgaris. Gallinæ præcipue inde expetebantur ad seminium. Athenæus: καὶ οἱ Περσικοὶ ἀλεκτρυόνες. Inde Περσικὸς ὄρνις absolute, ὁ ἀλεκτρυὼν Hesychio. Aristophani Μῆδος ὄρνις in avibus dicitur, & scholiasti ejus Μηδικός. Νεοττοί τινες ἀλεκτρυόνες λέγονται ὡς καὶ Μηδικοί. Non tantum qui Medici generis erant, sed etiam gallum gallinaceum absolute Περσικὸν ὄρνιθα & Μῆδον appellabant à tiara, sive crista recta quam capite gerit. Idem interpres: μήποτε οὖν τὸν ἀλεκτρυόνα λέγει, Μῆδος γὰρ λέγεται. Ἄρεως δὲ νεοττὸς ἐπεὶ ἄλκιμος καὶ μάχιμος. Hesychius: Περσικὸς ὄρνις, ὁ ἀλεκτρυών. Sed & præstantissimi in eo genere Medici, sive Persici. Commendabantur & Tanagrici, & Rhodiaci, & Chalcidici. Varro: *Nec tamen sequendum in seminio legendo Tanagricos, ac Medicos, & Chalcidicos.* Gallinæ quoque inde locorum allatæ, vel ex eo seminio propagatæ, *Melicæ* veteribus Romanis dictæ, id est, *Medicæ*, ut Varro testatur. Ut quod *Thetin*, inquit, *Thelim dicebant, sic Medicam Melicam vocabant.* Sed non idem esse vir ad eum magnus affirmat. Immo idem est. Legendum: *Tethyn, Telim.* Τηθύς, Latinum antiquum *Tedis*, Θεὸς, *Deus.* Et postea *Telis.* Sic θώρηκα, *dorica*, & postea lorica. Ita δορὸς, *lorus*: δώλιον, *lotium* & *lautium.* Unde *loca & lautia*, quæ præbebantur Legatis. Quæ perperam recentiores jungunt, quasi *loca lautia*, vel *lauta*, junctim idem sint quod instructa. Atqui *loca* illis dabantur & *lautia.* Per *lautia* quidquid ad epulas pertinebat, quæ antiquitus *dautia*, τὰ δώλια. Festus: *Dacrimas pro lacrimas Livius sæpè posuit, nimirum quod Græci appellant δάκρυα. Item dautia, quæ lautia dicimus, & dantur legatis hospitii gratia.* Hoc obiter. *Melicæ*, vel *Medicæ* gallinæ non sunt Indicæ nostræ, sed Indicæ sunt quas antiqui vocarunt μελεαγρίδας.

Cremutius auctor est.] Libri ferè omnes meliores: *Crumentius.* Perperam. Plinio est *Cremutius.* Hoc loco citat auctorem noster quem nunquam vidit, sed hæc à Plinio sumpsit. Cremutii Cordi mentio apud Tacitum, cujus historiarum libri cremati sunt sub Tiberio.

Undique versum quod usquam gentium sit, ad regiam Memnonis convenire.] Ita reposuimus, *quod usquam gentium sit.* Male antehac erat: *quo usquam gentium sint.* Dicit quod usquam gentium sit Memnonidum avium, id est, omnes quæ uspiam locorum sint Memnonides, undique versum ad regiam Memnonis convenire. Memnonis autem regia heic in Æthiopia, ubi regnavit Memnon. Unde Μέμνονες Æthiopiæ populi apud Polyhistorem. Stephanus: Μέμνονες, ἔθνος Αἰθιοπικὸν, ὃ ἑρμηνεύεται, ὡς Πολυΐστωρ φησὶν, ἀγρίους ἢ μαχίμους ἢ ναὺς ἢ χαλεπούς. Fortean de hac Memnonis regia Æthiopica capiendus sit hic Propertii versus.

Ulteriusque domos vadere Memnonias,

Susa

Susa Persidis etiam Μεμνόνιον ἄςυ dicebatur, quod à Memnone condita putarentur. Pars quoque Thebarum Ægyptiarum in Libyco latere Μεμνόνιον, ubi *Memnonis* statua: unde *Thebæ Memnoniæ* poëtis appellantur.

Per omnem Asiam chamæleon plurimus.] Non hoc Plinius dicit per Asiam minorem plurimum esse chamæleontem, à quo tamen hæc omnia expressa sunt. In Africa multum reperiri tradit, frequentiorem in India. Sic enim loquitur: *Cervos Africa propemodum sola non gignit. At chamæleontem ipsa. Quamquam frequentiorem India.* De Asia minore nullum verbum. In Syria, Ægypto, & Arabia hodie inveniri ajunt. Plinius lib. XXVIII inter peregrina animalia recenset, qualia sunt crocodili & scincus. *Jungemus*, inquit, *illis similia & peregrina æquè animalia, priusque chamæleontem.* Illis, id est, crocodilis, tam fluviatili quam terrestri, quibus simillima esse dicit chamæleontem & scincum, qui & ipse terrestris crocodili species. Tertullianus Afer chamæleontem describit in libro de Pallio, & in vineis sub pampino reperiri tradit: *At cum offenderis apud vineam panè sub pampino totum, ridebis illico audaciam & Græci jam nominis.* Parvos esse oportet, qui in Africa gignuntur, quandoquidem pampinus totos tegat. Inter folia rhamni alterius in Ægypto plurimum reperiri testantur quidam ex neotericis, qui regiones Ægypti peragrarunt. Plinius lib. VIII. cap. XXXIII figura & magnitudine lacertæ esse dicit. Cassiodorus parvorum serpentium generi dicit consimilem. Aristoteles ὅλον τὸ σῶμα ἔχειν σχῆμα σαυροειδὲς habere scribit. Hæc cum ita sint, mirum est eumdem Plinium lib. XXVIII. cap. VIII crocodilo Ægyptio Niliaco magnitudine parem facere. Ita enim tradit: *Jungemus illis simillima & peregrina æquè animalia, priusque chamæleontem peculiari volumine dignum existimatum Democrito, ac per singula membra desecratum non sine magna voluptate nostra cognitis proditisque mendaciis Græcæ vanitatis. Similis est magnitudine supra dicto crocodilo, spinæ tantum acutiore curvatura, & caudæ amplitudine distans. Nullum animal pavidius existimatur, & ideo versicoloris esse mutationis.* Supra dictus Plinio crocodilus est fluviatilis è Nilo, vel certè terrestris. Nam duo genera hæc ante descripsit. Terrestris crocodilus licet infra magnitudinem sit fluviatici, longè tamen major est chamæleonte. Cubitales minimos aut bicubitales faciunt. Sed per crocodilum supradictum sine dubio intellexit fluviatilem, & Niliacum Plinius. Qui crocodilus cum usque ad viginti ulnas magnitudinis increscere feratur, magno ac stupendo errore animal haud lacerta majus, huic simile magnitudine à Plinio dicitur, atque ita quidem ut caudam etiam ampliorem habeat chamæleon quam crocodilus. Hoc enim volunt hæc verba: *similis est magnitudine supra dicto crocodilo, spinæ tantum acutiore curvatura, & caudæ amplitudine distans.* Sed video quid Plinium fefellerit. Omnia illa quæ ibi de chamæleonte & remediis ejus scribit, habere fatetur ex Democrito, qui librum peculiarem de chamæleonte composuerat. In eo libro Democritus tradiderat chamæleontem, τὸ μέγεθος ὅμοιον εἶναι τῷ κροκοδείλῳ. Democritus Ionicè scripserat, ut & Herodotus. Iones κροκοδείλους appellarunt, quos ceteri Græci σαύρους. Id testatur disertissimis verbis Herodotus secunda Musa de crocodilis Nili: Κροκοδείλους δὲ Ἴωνες ὠνόμασαν, εἰκάζοντες αὐτῶν τὰ εἴδεα τοῖσι παρὰ σφίσι γινομένοισι κροκοδείλοισι, τοῖσι ἐν τῇσι αἱμασιῇσι. Ægyptii proprio suo nomine *champsas* vocarunt illud animal Nili, cui Iones nomen fecerunt crocodilo, simile lacertarum quæ in sepibus & maceriis nascuntur, quos ipsi κροκοδείλους appellant. Igitur Ionibus κροκόδειλος idem quod σαῦρος. Quod autem Aristoteles & alii dixere chamæleontem figura & magnitudine lacertæ esse, Democritus ex dialecti suæ idiomate κροκοδείλῳ σχῆμα καὶ μέγεθος habere memoravit, id est, lacertæ. Plinius perperam *crocodili* reddidit. Idem Democritus, ut ex verbis Plinii constat, dixerat chamæleontem distare à κροκοδείλῳ *spinæ tantum acutiore curvatura, & caudæ amplitudine.* De caudæ amplitudine verum est. Nam multo amplior ac prolixior cauda chamæleonti quam lacertæ, vel κροκοδείλῳ Ionico. Sed illa mendosa, *spinæ tantum acutiore curvatura.* Quasi spinam eminentem ac recurvam habeat lacerta, vel κροκόδειλος, sed eam acutiorem chamæleon. Spina in chamæleontis dorso eminet,

A ac recurvatur, ut piscibus. At lacertæ dorsum planum est absque spina eminenti. Scribitur in veteri codice: *spina tantum vitio, ac recurvatura & caudæ amplitudine distans.* Inde verissima emendatione scribo: *spinæ tantum ut in pisce curvatura, & caudæ amplitudine distans.* Spina curvatur chamæleonti, ut pisci. Et hoc distat à lacerta, ut & caudæ amplitudine. Aristoteles de chamæleonte: καὶ ἡ ῥάχις ἐπανέστηκεν ὁμοίως τῇ τῶν ἰχθύων.

Facie qua lacerta, nisi crura recta & longiora ventri jungerentur.] Iterum nugatur, nec auctorem suum assequitur. Chamæleontem à lacerta differre non dicit Plinius, quod hic crura ventri juncta haberet, sed tantum

B quod huic recta sint, & longiora quam lacertæ. Mentem hanc ejus esse verba ipsa testabuntur: *figura & magnitudo erat lacertæ, nisi crura essent recta & excelsiora. Latera ventri junguntur ut piscibus, & spina simili modo eminet.* Non dicit crura chamæleontis ventri ejus jungi, sed latera, ut piscibus. Aristoteles: Τὰ δὲ πλευρὰ κάτω καθήκει συνάπτοντα πρὸς τὸ ὑπογάστριον, καθάπερ τοῖς ἰχθύσι. Et crurum flexum similem habere lacertis idem ait, nisi quod sint excelsiora: μετεωρότερος ἐστὶ τῇ ἀπὸ τῆς γῆς ἀποστάσει τῶν σαυρῶν. Τὰς δὲ καμπὰς τῶν σκελῶν, καθάπερ οἱ σαῦροι, ἔχει. Sic crura eo modo flexa habet quo lacerta. De rostro nihil Solinus. At Plinius ex Aristotele hoc modo: *rostrum ut*

C *in parvo haud absimile suillo.* Apud Aristotelem est: τὸ δὲ πρόσωπον ἔχει ὁμοιότατον τῷ τοῦ χοιροπιθήκου. Nullum novi, nec legi χοιροπίθηκον inter genera simiarum. Plinius *suillum* tantum expressit. Forte legerat: τῷ τοῦ χοίρου ἢ πιθήκου.

Prolixa cauda, eaque in vertiginem torta.] Non satis dixit, saltem non totum expressit: *cauda prælonga in tenuitatem desinens, & implicans se viperinis orbibus.* Aristoteles: κέρκον δ' ἔχει μακρὰν σφόδρα, καὶ συνελιττομένην ἐπὶ πολὺ, καθάπερ ἱμάντα. Pro lori circumvolutione subjecit Plinius *viperinos orbes*, qui cum in plano spiratim sese implicent, contrario modo situque complicatam chamæ-

D leontis caudæ convolutionem non rectè exprimunt. Sed ignota res Latinis ille lori συνελισμὸς, cui Aristoteles caudam chamæleontis in vertiginem tortam assimilat, ideo imaginem duxit è viperinis orbibus. Quæ res notior suis Romanis. Allusit Aristoteles ad eum lusum, qui vulgo Græcis dicebatur Ἱμαντελιγμὸς, cujus meminit duobus locis Pollux, inter genera variarum παιδιῶν. Eustathius interpretatur, διπλοῦ ἱμάντος σκολιὰν ἑλιξ ἕλιξιν. Haud dubium est quin Philosophus eò respexerit, cum dixit caudam chamæleontis ἐπὶ πολὺ συνελίττεσθαι καθάπερ ἱμάντα.

Pag. 51. E. *Corpus asperum cute qualem in crocodilis*

E *deprehendimus.*] Id est, corpus asperum cute tali, qualis est in crocodilis. Ita reposuimus ex optimo ac vetustissimo codice, qui habebat: *Corpus asperum cutem qualem in crocodilis deprehendimus.* Quod & in aliis reperi. Plinius: *Corpus asperum ceu crocodilo.* Aristoteles: Τραχὺ δὲ ἔχει ὅλον τὸ σῶμα καθάπερ τῶν κροκοδείλων. In quibusdam codicibus legitur: *corpus asperum squamosa cute.* Quæ lectio est alterius editionis. Certè φολιδωτὸς crocodilus. Chamæleonti squamis, sed maculosis veluti tuberculis tergus varium esse ajunt ut in rhombo. Propter illam cutis asperitatem versum Pacuvianum de eo usurpavit Tertullianus.

F *Quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera.*

Quod ille de testudine dixit.

Quos nunquam nictatione obnubit] In optimo libro prioris editionis lectio adnotata erat: *quos semper inconjugos habet.* Immo scripserat auctor: *quos semper inconnivos habet.* Qua voce etiam usus Apulejus in secunda Milesia: *exertis & inconnivis oculis semper in cadaver intentis. A coeo,* vel *coheo*, ut quidam scribebant, vel etiam *coneo cohivus*, & *conivus*: unde *coniveo* & *cohiveo*, pro quo quidam dixere *cohibeo*, ac scripsere. Inde compositum *inconivus* idem quod inconivens, qui semper apertus est. Plinius de chamæleonte: *oculi in recessu cavo tenui discrimine prægran-*

G *des, & corpori concolores, nunquam eos operit.* Hoc est, quod heîc dicit Solinus, *nunquam eos nictatione obnubere*: vel quemadmodum in altera editione posuerat, *semper inconnivos habere.* Hoc tamen falsum ex Aristotele. Non oculis totis est inconnivis chamæleon, sed pupillis solis. Oculos habet prægrandes in concavo sitos, quos pelle obducit, quæ reliqui corporis cuti concolor est. In medio oculi parvus veluti locus lumini reductus est, quem nunquam

 operit,

operit. Hæc veluti pupilla est, vel luminis punctum quo tuetur. Aristoteles de oculis chamæleontis: κατὰ μέσους ἢ αὐτοὺς διαλέλειπται μικρὸν τῇ ὄψει χωρίον, δι᾽ ἧς ὁρᾷ, οὐδέποτε τῷ δέρματι ἐπικαλύπτεται. Plinius pupillam ab oculo chamæleontis distinguit. Oculos operit nictatione, solam pupillam inconniventem gerit, & semper exertam. Mentem igitur Aristotelis non vidit Plinius. Quod multo magis ex sequenti exercitatione apparebit.

Visum denique non circumlatis pupillis, sed obtutu rigidi orbis intentat] Editum volueram, *non circulatis pupillis*, quamlibet non addicentibus libris. Aliud est *circumferre*, aliud *circulare*. Hoc κύκλῳ στρέφειν significat, quæ notio prorsus sola huic loco convenit. Hoc verbo etiam utitur Apulejus in Apologia: *Si triginta annos pro decem dixisses, posses videri pro computationis gestu errasse: quos circulare debueras digitos, aperuisse.* Sed heîc *circulare* significat in circulum formare. Ut etiam in Floridis: *ipse ejus annuli & orbiculum circulaverat, & paleam clauserat.* At heîc apud Solinum *circulare* est in orbem versare, quod Græcis κυκλοῦν. Ita *circare* & *circitare*. Glossæ: *circitat & circat*, κυκλοῦει. Aristoteles tradit chamæleontem, τὸν ὀφθαλμὸν κύκλῳ στρέφειν, καὶ τὴν ὄψιν ἐπὶ πάντας τοὺς τόπους μεταβάλλειν, καὶ οὕτως ὁρᾶν. Plinius, quum verba illa Latinè redderet, dixit eum *non pupillæ motu, sed totius oculi versatione circumadspicere.* Inde Solinus scripsit, hoc animal *visum non circulatis pupillis, sed obtutu rigidi orbis intentare.* Non circulat pupillas, sed totum oculum, hoc est, κύκλῳ στρέφει. Ita Plinius. Nihil enim Solinus de circulari oculi totius versatione dicit. Profecto, nec Aristotelem Plinius, nec Plinium Solinus est assequutus. Neuter eum auctorem, quem sequutus est, expressit. Plinius ait chamæleontem oculi totius versatione circumadspicere. Solinus contra rigidi orbis obtutu visum intentare. Non igitur oculos movet, sed rigidos & immobiles habet. *Oculorum orbes* pro oculis, ut Græcis ὀφθαλμῶν κύκλοι. Alias *orbis* in oculis dicitur, quam Græci ἶριδα, ὁ περὶ τὴν κόρην κύκλος, qui variorum est colorum. Idem Plinius de oculis: *aliis atri, aliis ravi, aliis glauci coloris orbibus circumdatis.* Rufus: τὸ δὲ συνεχὲς τῇ ὄψει μέχρι τοῦ λευκοῦ ἶριν, τοῦτο δὲ ὡς ἔχει χρώματος μέλαν, ἢ πυῤῥὸν, ἢ γλαυκὸν, ἢ χαροπὸν ὀνομάζουσι. An *orbem* Solinus pro pupilla usurpavit? Certè & *orbis* hoc sensu apud Ovidium legitur:

---- *oculis quoque pupula duplex*
Fulminat, & gemino lumen ab orbe venit,

id est, à gemina pupilla: τοὺς δικόρους intelligit. Sic *rigidus orbis* hoc loco pupilla est quæ non movetur. Nunc videamus Pliniana, an cum Aristotele conveniant: *nec pupillæ motu sed totius oculi versatione circumaspicit.* Ita libri legunt. Hæc ex Aristotelicis istis expressa sunt: στρέφει δὲ τὸν ὀφθαλμὸν κύκλῳ, καὶ τὴν ὄψιν ἐπὶ πάντας τοὺς τόπους μεταβάλλει, καὶ οὕτως ὁρᾷ ὃ βούλεται. Id est, *oculum in circulum versat, & visum in omnem locum circumfert, & sic quæ vult adspicit.* Alibi dixit Plinius, *oculos ipsos chamæleontis totos circumagi*, id est, κύκλῳ στρέφεσθαι, *& circulari.* Atqui si toti oculi circumvertuntur motu circulari, haud video quî possint immobiles videri pupillæ. Nam & cum oculo simul versantur. In nullo animalium pupilla sola movetur, sed cum toto oculi orbe, cujus medium obtinet, simul vertitur. Quædam animalium non obliquis oculis cernunt, sed circumacto capite: alia oculos obliquant, immoto capite, ac deorsum eos dejiciunt, sursumque levant. At chamæleo totos oculos circumagit, & in circulum eos versat, ergo & pupillam simul movet. Præterea cum dicat non pupillæ motu circumadspicere illum sed oculi versatione, si oculum versat non pupillam, nihil hoc ad circumspectum ejus facere potest. Pupilla quippe est, qua tuetur. Aristoteles: κατὰ μέσους δὲ ὀφθαλμοὺς διαλέλειπται μικρὸν τῇ ὄψει χωρίον δι᾽ ἧς ὁρᾷ. Parvus ille locus quo adspicit pupillæ instar est. Hunc moveat, & circumverset necesse est, si quid velit circumspicere, & aciem luminis in plura spargere. Postremo disertè Aristoteles non solum oculos eum κύκλῳ στρέφειν dicit, sed etiam τὴν ὄψιν ἐπὶ πάντας τόπους μεταβάλλειν. Non potest τὴν ὄψιν μεταβάλλειν, nisi etiam oculi partem illam, unde lumen venit, vertat ac circumagat. Ὄψις & κόρη Græcis idem est. Rufus: ὀφθαλμοῦ δὲ τὸ μὲν ἐν μέσῳ βλεπόμενον, ὄψις καὶ κόρη λέγεται. Hinc *bituæ* Latinis dictæ mulieres, quæ Græcis δίκοροι à duplici pupilla. Aristoteles ὄψιν etiam pro pupilla eo loco videtur usurpasse. Chamæleon τὸν ὀφθαλμὸν κύκλῳ στρέφει, καὶ τὴν ὄψιν μεταβάλλει, καὶ οὕτως ὁρᾷ ὃ βούλεται. Totum oculum, qui prægrandis est, orbiculari motu vertit, & simul pupillam subinde convertit, & sic adspicit, quæcunque libet. Tertullianus in chamæleonte puncta luminis vertiginare ait, id est, κύκλῳ στρέφεσθαι. Verba ejus hæc sunt: *Capitulum statim à dorso: nam deficit cervix, itaque durum reflecti, sed circumspectu emissicii ocelli, immo luminis puncta vertiginant.* Ubi *luminis puncta* sunt κόραι, vel pupillæ. Si vertiginant, ergo & moventur, ac motu quidem κυκλικῷ. Sed illud de oculorum circumspectu à Plinio sumpsit, ut alia multa in illo opere, quæ olim notavimus. Sed mirum cur *emissicios ocellos* chamæleonti tribuat, quos subductos & recessu concavo introrsum receptos Aristoteles, Pliniusque ipse, atque alii tradunt. At *emissicii ocelli* sunt ἐξόφθαλμοι, ut idem Philosophus appellat, quos & ἐκτὸς vocat, ut τοὺς ἐντὸς ὀφθαλμοὺς, καὶ ἐν κοίλῳ κειμένους, qui conditi habentur, & introrsum recedunt. Tales sunt chamæleontis. At emissicios finxisse videtur Tertullianus, ut probabilior esset circumspectus eorum. Nam oculus subductus, & in cavo recessu conditus quomodo possit quæ in circuitu sunt adspicere, non perspicio, præsertim absque capitis, aut totius corporis circumactu. Quædam animalia circumspiciunt solo capite circumacto. Aliis id negatum est, nisi totum corpus circumvertant, ut sunt illa quibus rigida & obstipa cervix, & dura reflecti. In his est chamæleon; qui cum præterea oculos introrsum receptos & in convexo sitos habeat, quantumlibet eos in orbem versatiles gerat, vix fieri potest, ut eorum versatione quæ undique secus circa ipsum sunt, conspiciat. Nec sanè hoc Aristoteles tradidit, cujus mentem non percepit Plinius. Oculos circulariter versat chamæleon, & aciem visus subinde in omnem locum mutat. Non inde sequitur eum, quæ in circuitu jacent, aspicere posse. Multo minus quod adstruit Plinius, immotis pupillis, oculos solos circumagendo quodcunque velit circumadspicere. Immo pupillas ipsas solas circumagit & circulat, & sic τὴν ὄψιν μεταβάλλει εἰς πάντας τόπους. Non ut cernat quæcunque circumcirca sita sunt in planitie, sed ut infra & supra posita, tum ad dextram ac sinistram, ab imo ad summum, à summo ad imum motu orbico oculos subinde versando videat. Quod Plinius perperam de circumspectu, qui fit in porrecta planitie, quo omnia circumjacentia adspiciuntur, accepit. Sed istud est τῶν ἀδυνάτων.

Color varius & in momenta mutabilis] Sic emendavimus, cum esset in editionibus, *in momento.* Sic *mutari in horas*, quæ subinde mutantur, Latini dicunt. *In dies, in menses*, & similia. Poëta.

---- *cujus amor tantum mihi crescit in horas.*

Quod semel mutatur & subito, mutari *in momento* dicitur, *in vestigio.* At *in momenta* mutabilis est, qui per momentaneas vices subinde variatur.

Pag. 51. F. *Impetibilis est coraci*] id est, impetitur à corace, impeti solet, obnoxius est impetitioni corvi. Varro lib. III. de R. R. de columbis: *nisi à corvo occisa, aut ab accipitre intercepta. Quos columbarii interficere solent, duabus virgis defixis in terram, inter se curvatis cum inter eas posuerint obligatum animal, quod impetere soleant accipitres.* Sic legendum. Vulgo edunt: *quod idem petere.* Unde corrigebant, *quod intercipere.* Ita *expetibile* quod expetitur apud Tacitum, & *adpetibile* quod adpetitur. Aliàs *impetibile* Latini usurparunt etiam agentis significatione pro eo, quod impetere solet, non quod impetitur. Hoc sensu apud Plinium sæpe sumitur, sed omnibus ferè locis corruptum ab iis qui non intelligebant. Quod enim *impetibilis* eum etiam significat qui impetit, hinc pro violento, & infesto ponitur. *Impetibilis morbus & valetudo* Plinio lib. XX. cap. XVIII. *Sic scimus interemptum Licinii Cæcinæ prætorii viri patrem in Hispania Bilbili, cum valetudo impetibilis odium vitæ fecisset.* Perperam vulgatur, *impatibilis.* Violentam, acerbam, difficilem valetudinem significat. Et cap. XX. ejusdem libri: *Prætorii viri pater est Hispaniæ princeps, quem*

quem scio propter impetibiles uvæ morbos filo suspensam è collo gerere. Ubi eodem mendo, quo supra, ediderunt *impatibiles uvæ morbos.* Sic aliis in locis, ubicunque *impatibile* hoc sensu reperietur apud Plinium, reponendum erit *impetibile.* Inde Apulejo in apologia *scelus impetibile ac nefandum.* Glossa: *Impetibile*, ἀνεπιχείρητον, ἀνεπιτήδευτον. Sanè recentiores Latini pro re mala & inhonesta factu & infanda eam vocem posuerunt. Symmachus lib. IX. epist. CXIII. *Nam turpe atque impetibile est attonito animo & fronte mœsta latos adire conventus.* Et lib. II. epist. ultima: *Grave hoc & impetibile posset videri, nisi etiam consensus partium frustrationibus luderetur.* Quidquid malum esset & odiosum atque intolerabile, sic vocarunt. Nam *impetibile* est quod impetit, vel cum impetu venit, non tantum quod impetitur: ut chamæleon coraci *impetibilis* est hoc loco. Ita multa alia vocabula similiter formata, utraque notione agendi ac patiendi veteres usurparunt. *Vincibilis causa* Terentio, non quæ vinci potest, sed quæ vincere. *Res impetrabilis* ea est, quæ facilè potest impetrari; sed etiam *impetrabilis* dictus est, qui aliquid facile impetrat ac perficit: ut *impetrabilis princeps* Ammiano Marcellino, & de Nicatore dicit eum fuisse *efficaciæ impetrabilis.* Sic *opinabilis*, qui opinatur, *aspernabilis* qui aspernatur. In Historia Augusta *moribus aspernabilis* de contemptore & fastidioso. Sic *terribilis* qui terret. In Herbario Apuleji vulgari *interficibilis* non qui potest interfici, sed aptus interficere, de ruta: *viperalem appellant, eo quod interficibilis earum comprobetur.* Et in glossario veteri nostro *fallibilis, subdolus, dolosus.* Is est nimirum qui fallit, non qui fallitur. Alii alia notabunt & plura.

Sed corax aliud habet præsidium ad medelam] Haud scio cur isti libuerit vocem Græcam usurpare, quum in promptu esset Latina. An quia Latini *coracinum colorem* etiam dixerunt pro corvino? Coracis nomen equis quoque inditum ab aurigis propter nigredinem pili corvinam. Hinc *corax* equi nomen proprium apud Plinium, de quo infra. Sed qui *coracem* pro *corvo* Latine dicit, prohiberi non potest, quin & *Aëton* & *Cossyphon*, & *Ortygem*, & alia similiter appellet. Isidorus ex hoc loco: *corvus, sive corax sono gutturis nomen habet; quod voce coracinet.* Neque enim alium novi præter Solinum, qui hanc vocem usu Latinam fecerit. Ex grammatica aliqua observatiuncula id eum hausisse opinor, qualis est hæc Nonii, & fortasse ex hac ipsa: *Coracem nove positum pro corvo.* Cicero de Orat. lib. 3. *Quare coracem illum vestrum patiamur nos quidem pullos suos excludere.* Vide ineptiam grammaticalem. *Corax* ibi nomen proprium Rhetoris, de quo proverbium illud factum volunt Græci: κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν, quod discipulum se pejorem habuisset. Ad ejus nomen similiter alludens Cicero illa dixit, non *coracem* pro corvo posuit. Solinus tali quapiam observatione lecta vel facta, ut erat & ipse grammaticus, & *coracem* heic pro corvo nove posuit.

Lancinant universa] Optimi libri scribunt, *lacinant*, quæ constans est in hoc auctore scriptura. *Dilacinare* suprà notavimus. Certè à *lacino*, *lacinia*, ut ab *adtego*, vel *attego* περικαλύπτω, *attegia*, ἡ σκηνή, ἡ καλύβη. Quod barbarum esse vocabulum perperam arbitrantur. *Lacero* ejusdem originis, cujus & *lacino.*

Aves istas ferunt linguam non habere, verum sonum, quo crepitant, oris potius quam vocis esse] In altera editione: *sonum autem quo crepitant.* Et heic discedit à Plinio. Non ille quasi confessum aut ab omnibus traditum ponit, ciconias linguam non habere, sed quosdam ita confirmare. *Sunt qui ciconiis non inesse linguam confirment.* De sono, quo crepitant, nihil addidit. Nec dubium cuiquam unquam fuit, quin rostri fuerit, non linguæ sonus ille quo crepitant ciconiæ. Nec propterea ita crepitant, quod linguam non habeant, ut hic innuere videtur. Melius præterea dixisset, *rostri potius quam vocis esse.* Nam *ore sonare* dicuntur etiam, quæ lingua vocem edunt. Et *voces* ab *ore* quæ lingua pronuntiantur. Sed & *ora canora* avium passim poëtæ dicunt. Sophocli εὔστομοι ἀηδόνες. Rostro igitur, non ore, aut lingua crepitat ciconia. Unde illud Satyrici:

---- *crepitante ciconia rostro.*

Ex duabus rostri partibus invicem collisis fit ille sonus, ad instar crotali, vel crepitaculi, quod ex duplici ærea lamina, vel duobus ossiculis invicem se collidentibus constat. Hinc ciconia *crotalistria* Publio Syro dicta est.

Tantum & ipsæ invicem à pullis suis aluntur] Plinius: *ciconiæ nidos eosdem repetunt, genitricum senectutem invicem educant.* Corrigebat Dalecampius: *genitorum senectutem*: quare nescio. Ciconia genitrix tam de mare quàm de fœmina intelligitur. Subjicit Solinus: *Ita enim impense nidos fovent, ut incubitus assiduitate plumas exuant.* Hoc ciconiis peculiare non est, sed multis aliis avibus dum ova incubant. Gallinis hoc accidere, ut de aliis nihil dicam, sciunt gallinarii.

CAPUT XLI.

Galatia.



Pag. 52. A. *Gallorum gentes occupaverunt Tolistobogi, Veturi & Ambituti*] Reposuimus hanc lectionem quæ librorum ferè omnium est, & confirmatur scripta Plinii lectione: *Qui partem eam insedere Gallorum, Tolistobogi & Voturi, & Ambituti.* In editis Plinii est, *Ambitui.* Editiones Solini antehac habuere, *& Ambiani.* Idque probat Delrius testimoniis Ammiani Marcellini, qui in Belgica Gallia eos collocat, & Cæsaris, *cujus*, inquit, *auctoritas juste rejici non potest.* Ridiculè. Meminit etiam Cæsar Heduorum, & Sequanorum, qui tàm benè huic loco conveniunt, quam Ambiani. Spectare etiam heic liceat negligentiam Solini, qui in populis Gallorum ex Plinio recensendis, à quibus appellata est Galatia, eos tantum numerat qui partem Phrygiæ occuparunt. Nam *Trocmi* Mæoniæ & Paphlagoniæ regionem insederunt. Apud Ciceronem de Divinatione perperam *Trocini* vocantur. *Tectosages* partem Cappadociæ uberrimam tenuerunt, quibus *Teutobodiacos* accenset Plinius. At *Tolistobogi* cum *Veturis* & *Ambitutis* Phrygiam. Has gentes Plinius fuisse ait quæ Galatiæ nomen dederunt. Alii auctores ferè omnes, tres tantum veluti præcipuas gentes Gallorum nominant quæ in Asiam transmigrarunt, *Tolistobogos*, *Trocmos* & *Tectosagas*, qui & regionem omnem à se occupatam, & Galatiam nuncupatam in tres partes diviserunt, & unamquamque partem in quatuor provincias, quæ singulæ inde appellatæ sunt τετραρχίαι. Videndus Strabo lib. XII. Memnon in Historico apud Photium: τὴν νῦν Γαλατίαν καλουμένην εἰς τρεῖς μοίρας διανείμαντες, καὶ τοὺς μὲν Τρωκμοὺς ὀνομάσαντες, τοὺς δὲ Τολοστοβογίους, τοὺς δὲ Τεκτοσάγας. Totius ergo Galatiæ duodecim tantum juxta Strabonem tetrarchiæ fuere, gentes tres, & singularum tetrarchiæ quatuor. Plinius gentes facit sex, tetrarchias totidem quot populos centum ac nonaginta sex. *Et gentes quidem hæ, populi vero ac tetrarchiæ omnes* CXCVI. Quod est contra rationem nominis *tetrarchiæ.* Nam ut τριαρχία trium principatum, ita & τετραρχία quatuor principum dominationem significat, vel potius unius ex quatuor principibus ditionem. Sic in Syria plures tetrarchias agnoscit: *præter tetrarchias in regna descriptas barbaris nominibus* XVII. At vera tetrarchiæ appellatio ea est quam diximus. Quod postea immutatum est, quum aliter à principio obtinuisset. Idem Plinius paulo post tres illas gentes Galatarum præcipuas designavit his verbis: *Oppida Tectosagum, Ancyra: Trocmorum, Tavium: Tolistobogorum Pessinus.* Tres has civitates in tribus illis gentibus principes dinumeravit. Unde apparet ex diversis auctoribus hæc sine judicio compilasse, ut in aliis omnibus solitus est. Memnon: ἐδείμαντο δὲ πόλεις, Τρωγμοὶ μὲν Ἄγκυραν, Τολιστοβόγιοι δὲ Ταβίαν, Τεκτόσαγες δὲ Πεσινοῦντα. Melius Πεσσινοῦντα. Vide Strabonem, cujus scripti habent τὰ Ὄυια pro Ταούϊα

quę Memnoni ἡ Ταβία, Ptolemęo Ταύιον. Quod idem est ac Τάβιον. Ut Οὐεσπασιανὸς, Βεσπασιανός. Tabula Peutingeri vocat *Taviam*. Solinus in Galatia describenda tertiæ tantum ejus partis meminit, quam obtinuerunt Tolistobogi, reliquas duas omisit supinitatis ac μεπωρίας A non ignoscendæ nota. Codices veteres hoc loco partim *Tolosbici*, partem legunt *Tolosboci*. Quidam etiam *Tolosbi*. Gręcis omnibus vel Τολοστοβόγιοι vel Τολοστόβωγοι. Stephano Τολιστόβιοι, qui Eratostheni dictos ait Τολιστοβωγίους. Iidem libri Solini mox habent omnes: *Veturi*, *Ambitoti*.

C A P U T XLII.

Bithynia. In ea Hannibalis exitus, & sepulchrum.



PAg. 52. B. *Tithynia in Ponti exordio ad partem solis orientis, adversa Thraciæ*] Ita interpungitur in omnibus. Atqui distinguendum: *Bithynia Ponti exordio, ad partem solis orientis adversa Thraciæ*. Nam Bithynia Thraciæ adversa est ad orientem.

In ea Prusiadem urbem prætermeat Hylas flumen, & alluit Hylas lacus] Scripti omnes meliores: *alluit Hylas flumen, & perspergit Hylas lacus*. Plinius *perfundi lacubus* regiones aliquot locis dixit, pro quo Solinus *perspergi* heic posuit. Idem tamen & de fluvio id nomen usurpavit suprà: *Teuthrania perfunditur Caico flumine*. Prusiadem autem urbem in Bithynia unam tantum agnoscit, quum duæ fuerint; una sub Olympo monte, altera sub Hypio. Plinius: *à Cio intus in Bithynia Prusa ab Hannibale sub Olympo condita*. Et paulo post: *& Prusa item altera sub Hypio monte*. Ita ibi scribendum, non *Hippio*. Ptolemæus quoque duas Προύσας recenset, Προῦσαν τὴν πρὸς Ὀλύμπῳ τῷ ὄρει, & Προῦσαν τὴν πρὸς Ἱππίῳ ποταμῷ. Sed ibi legendum, πρὸς Ὑπίῳ ποταμῷ. Perperam ex Ptolemæo quidam apud Plinium corrigunt, *Prusa item altera sub Hypio flumine*. Quod est D ineptum. *Hypius* mons, & *Hypium* flumen fuit. Hinc ista Prusa ab aliis ὑπὸ τῷ Ὑπίῳ ὄρει, ab aliis πρὸς Ὑπίῳ τῷ ποταμῷ collocatur. Apollonii Scholiastes: ὁ δὲ Ὕπιος ὠνόμασται ἀπὸ τοῦ καταφέρεσθαι ἀπὸ τῶν Ὑπίων ὀρῶν. Apollonius ipse meminit fluminis Hypii: Οὔρεα βαθυρρείοντος ἐφ' εἱαμέναις Ὑπίοιο. Scylax quoque Ὕπιον vocat & Marcianus Heracleota. Quare ita ubique apud auctores reponendum. Stephanus: Ὕπιος ποταμὸς καὶ πόλις ὑπὸ τὴν Ποντικὴν Ἡρακλείαν. Ἔστι δὲ καὶ Ὕπια ὄρη αὐτόθι, ὡς Νύμφις ἐν πρώτῳ Ἡρακλείας. In nummo Veri scribitur Ἴπιος, non Ὕπιος. ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ ΠΡΟΣ ΙΠΙΩ. Sed nummum rectè descriptum puto. Apud Arrianum in periplo Ponti Ὕπωιος E ποταμὸς vocatur, sed scribi debet Ὕπιος. Ἐνθένδε εἰς τοῦ Ὑπίου ἐκβολὰς ἄλλοι ὀγδοήκοντα, καὶ ἑκατόν. Olympus ille, sub quo sita erat ἡ Προῦσα πρὸς Ὀλύμπῳ, dicebatur Mysius. Flumen Hypium, quo altera Prusa alluebatur, in Pontum influit. Præter eas duas Prusas fuit & alia urbs in eadem Bithynia, quæ Προυσιὰς vocabatur, ab utraque Prusa diversa. Quod non videtur animadvertisse vir magnus ad Eusebium. Hujus Προυσιάδος meminit etiam Ptolemæus in provincia Ponti ac Bithyniæ, & ab ea duas alias Prusas separat. Ἡ Ἀσκανία λίμνη, Προυσιάς. Hæc Prusias olim Cios appellabatur, haud longe ab Ascanio lacu. Strabo de sinu Astaceno: ἐν ᾧ καὶ πόλις Προυσιάς ἐστιν ἡ Κίος πρότερον ὠνομασθεῖσα. Sic legunt eo loco veteres libri. Nam vulgo male scribitur, πόλις Προῦσά ἐστιν. Nec aliter legebat Stephanus. Et statim idem Strabo sic nominat: ὑπέρκειται δὲ τῆς Προυσιάδος Ἀργανθώνειον ὄρος. Non potest igitur hæc Prusias eadem esse cum Prusa ad Olympum montem sita. Nam Arganthonio monti subjacebat. Rursus non etiam potest eadem esse cum Prusa ad Hypium flumen sita quod in Pontum exonerat. Quippe hæc Prusias alluebatur Hyla flumine vel Cio. Etenim *Cios* olim vocabatur quod oppidum à præfluente amne sic dictum erat. Apollonius:

> Τῆμος ἄρ' οἵγ' ἀφίκοντο Κιανίδος ἤθεα γαίης
> Ἀμφ' Ἀργανθώνειον ὄρος προχοάς τε Κίοιο.

Quum Demetrius Philippi filius & Persei Cion oppidum solo æquasset & Myrlean vicinam, utramque habere concessit Prusiæ Zielæ filio, à quo adjutus fuerat in evertendis illis urbibus. Eas ille à solo restituit, & Cion quidem *Prusiadem* de suo nomine nuncupavit, Myrlean de nomine uxoris *Apameam*. Eas etiam vici-B nas facit Ptolemæus: Προυσιάς, Δασκύλειον, Ἀπάμεια. Memnon de illo Prusia: μετὰ τῶν ἄλλων καὶ Κίερον πόλιν Ἡρακλεωτῶν οὖσαν ὑφ' ἑαυτὸν ἔθετο τῷ πολέμῳ ἀντὶ Κίερου Προυσιάδα καλέσας. Vocat ille Κίερον quam alii Κίον. Sed Κίειον puto scribendum. Sic enim & Τίειον dixere oppidum Τίον. De quo nos paulo post. Ceterùm is Prusias fuit, qui Hannibalem hospitio recepit. Inde est fortasse quod Plinius Prusam sub Olympo ab Hannibale conditam dicit. Sed illa Prusa Olympiaca prorsus alia est à Prusiade. Et fortassean quidam scripserint *Prusiadem* ab Hannibale conditam & Prusiadem nominatam in honorem Prusiæ à quo receptus fuerat. *Prusam* autem Plinius C cum *Prusiade* confundit. Nam *Prusa sub Olympo* longe antiquior Hannibale, vel illo Prusia, utpote quam à quodam Prusia positam velint qui adversus Crœsum bellavit. κτίσμα Προυσίου τοῦ πρὸς Κροῖσον πολεμήσαντος fuisse dicit Strabo. Legitur apud Stephanum, τοῦ πρὸς Κῦρον. Qui Prusiadem, quæ Cius olim fuit, & Prusam illam sic distinxit: Προῦσα τῆς Προυσιάδος διαφέρει. Ἡ μὲν γὰρ Προυσιὰς Βιθυνίας ἀπὸ Προυσίου τοῦ Ζιηλᾶ τοῦ Βιθυνῶν βασιλέως, ἡ Κίος πρότερον ὀνομασθεῖσα, ἧς πολίτης Προυσιεύς. Ἡ δὲ Προῦσα, καὶ αὐτὴ μὲν πόλις μικρὰ Βιθυνίας, κτίσμα Προυσίου τοῦ πρὸς Κῦρον πολεμήσαντος. Hæc Prusa est quam Strabo ἐπὶ τῷ Ὀλύμπῳ ὄρει. Prusæ alterius *ad Hypium*, nec Strabo, nec Ste-D phanus meminere. At Plinius Prusiadis nullam facit mentionem, sed Ciani oppidi, cujus nomen mutatum est in Prusiadem: *Amnes Hylas & Cios cum oppido ejusdem nominis*. Hæc Cios, quæ postea Prusias appellata est. Solinus hoc loco: *Prusiadem urbem alluit Hylas flumen*. Videtur igitur in hac urbe pristinum nomen prævaluisse, vel utrumque sane in usu fuisse. Quod & Galenus ostendit in Isagoge. Ἀσκληπιάδης, inquit, Βιθυνὸς Κιανὸς, ὃς καὶ Προυσιεὺς ἐκαλεῖτο. Quoniam Cios vocabatur etiam Prusias, ideo cives ejus ab aliis Κιανοὶ, ab aliis Προυσιεῖς appellabantur. Plinius eodem capite: *A Cio intus* E *in Bithynia Prusa ab Hannibale sub Olympo condita*. Idem est ac si dixisset, à Prusiade intus in Bithynia Prusa. Chronicum Eusebii conditam refert circa Olympiadem trigesimam septimam. Quod immaniter longè est à temporibus Hannibalis, propius abest ab ævo Crœsi, quo fertur condita Prusa sub Olympo. Sic Prusiadem cum Prusa confundit, ut alii plerique. Cum autem inter omnes ferè constet Prusiadem olim Cion vocatam fuisse, Tabula tamen Peutingeri Cion à Prusiade distinguit, & utramque à Prusa ad Olympum. Ita enim in ea legitur: *Lacus Ascanius Cio* XV *Prusa ad Olympum*. Infra lacum Ascanium *Prusias* etiam ibidem re-F censetur. *Lamasco* XX. *Prusias* XXI. At Prusa ad Hypium longè inde abest in eadem Tabula. Nam licet Prusam illam non nominet, meminit tamen Hypii fluminis, quod *Hyppium* vocat, hoc modo: *Philum* XXVII. *Bychelas* XXVIII. *Sangarius fluvius*, *Hyppium flumen*, *Byleum flumen*, *Lygum flumen* IIII. *Heraclea*. Vulgata autem lectio hujus loci apud Solinum, *prætermeat Hylas flumen, & alluit Hylas lacus*, prioris fuit editionis, quam ad oram optimi codicis notatam offendimus, & in textu quorumdam librorum positam.

In quo resedisse credunt delicias Herculis Hylam puerum] G Hæc etiam lectio fuit prioris Solini editionis, quam & vulgati hactenus libri retinuerunt. In posteriore correxit ipse: *In quo perisse credunt delicias Herculi*. Ita & in suo codice antiquo reperisse fatetur Delrius, & probare se testatur, *Licet*, inquit, *à Nymphis non interimendus Hylas, sed hortulorum suorum culturæ præficiendus raptus fuerit*. Bellos sanè hortulos Nympharum, bellulum quoque eorum cultorem Hylam, & elegantem simul Delrium.

In

Pag. 52. C. *In cujus memoriam usque adhuc sollemni cursitatione lacum populus circumit & Hylam voce clamant*] In altera editione, *sollemni tripudiatione*: Non circa lacum, sed in montibus annuam illam cursitationem cum Hylæ inclamatione fieri solitam tradit Strabo: καὶ νῦν δ' ἔτι καὶ ἑορτή τις ἄγεται παρὰ τοῖς Προυσιεῦσι, καὶ ὀρειβασία θιασευόντων, καὶ καλούντων Ὕλαν, ὡς ἂν κατὰ ζήτησιν τὴν ἐκείνου πεποιημένων τὴν ἐπὶ τὰς ὕλας ἔξοδον. Ubi ὀρειβάσια θιασεύειν est thiasos in montem inducere, in monte choreas celebrare. Servius ad illud poetæ:

---- ut littus Hyla, Hyla omne sonaret,

per transitum rem veram tetigit, tertiò enim ab ephebo puerum in monte comitantibus universis nomen ejus clamabatur. Sic legenda depravatissima in vulgatis Servii verba. *Puer ab ephebo* is est, qui jam ephebis excessit, ὁ ἀπὸ ἐφήβου. Talis puer eligebatur qui Hylam referret. Hunc in montem omnes comitabantur & tertio inclamabant nomen Hylæ. Sed & circa fontes & lacus Hylam quæsitum, & de nomine clamatum in sollemni ejus festo Nylæ verisimile est. Idem Servius paulo ante: *In finibus Ponti juxta Mœsiam apud fontem Ciaci amnis cum aquatum isset, à Nymphis raptus est, nec unquam potuit reperiri. Postea cum esset cognitum quod perisset in fonte, statuta ei sunt sacra in quibus mos fuerat, ut ejus nomen clamaretur in fontibus.* Vulgo legitur: *apud fontem Calciammis.* Et in fontibus & in montibus thiasi illi Hylæ instituti tripudiantium clamantiumque ejus nomen, quatenus & fontes in monte vel ex monte. Propertius de loco ubi raptus est Hylas:

Hic erat Arganthi Pegæ sub vertice montis
Grata domus Nymphis humida Thyniasin.

Solinus solum lacum sollemni cursitatione circumiri solitum dicit, quod est diversum a montanis illis thiasis & choreis Strabonis.

In Bithyno quoque agro Libyssa locus Nicomediæ proximus] Per locum intelligit κώμην, aut φρούριον, oppidulum, ut jam supra notavimus. Sic paulo ante: *Pythonos Come in Asia locus est, patentibus campis.* Et capite sequenti: *Insignis loco Heneta.* Strabo vocat κώμην. Stephanus Λίβυσσαν φρούριον Βιθυνίας fuisse ait. Plinii ætate nullum amplius erat hoc nomine oppidum. *Fuit*, inquit, *& Libyssa oppidum, ubi nunc Annibalis tantum tumulus.* Oppidum antea fuerit, postea κώμη, vel vicus, ubi *mutatio*, vel *mansio*. Nam & hujus mentio est in Tabula Peutingeri, & *Livissa* vocatur, viginti tribus miliariis à Nicomedia distans, hoc modo: *Chalcedonia* XXXVII. *Livissa* XXIII. *Nicomedia.* Non igitur tam propinqua Livissa Nicomediæ quàm eam facit heic Solinus. Certè à Chalcedone Libyssam, à Libyssa Nicomediam ibatur. Ammianus lib. XXII. *Transgressus itaque fretum, prætercursa Chalcedone, & Libyssa, ubi sepultus Annibal Pœnus, inde Nicomediam venit urbem.* De Nicomedia & Astaco diximus ad historiam Augustam. Ubi notamus perperam duas Astacos à viro magno in Bithynia statui. Quod enim Astacum postea Nicomediam appellatam quidam auctores asserunt, alii autem diversam Astacum à Nicomedia faciunt, id ex eo manavit quod Nicomedia prope Astacum condita est, fere sub idem tempus quo Astacus eversa. Translati autem ab Astaco cives in Nicomediam ab ejus conditore. Sed & Nicomediam quidam Astacum videntur vocasse, quod ex ruinis Astaci instructa sit, & de civibus ejusdem populum acceperit. Strabo Ἀστακὸν τὴν περὶ Νικομήδειαν appellat, ut ab alia Astaco Acarnaniæ distinguat. Plinius: *Fuit & Astacum, unde & ex eo Astacenus idem sinus.* In locum Astaci Nicomedia successit, licet in iisdem fundamentis ac vestigiis non fuerit condita. *Nicomedicus* idem sinus postea appellatus est, ut constat ex Tabula Peutingeri. Ptolemæus Ἀστακὸν simul & Νικομήδειαν recenset, sed more suo, ut in multis nugatur. Nulla tunc Astacus fuit, sed ex variis auctoribus opus suum composuit. Unde & ipse varius, non ubique verus.

Post Antiochi apud Thermopylas pugnatam malam pugnam] Sic ex scriptis codicibus emendamus, quum editi omnes hactenus habuerint: *post Antiochi apud Thermopylas pugnam tam malam.* Quod ineptum erat. Notus hic ἀρχαϊσμὸς, *servitutem servire, furorem furere, pugnam pugnare.* Lucillius apud Donatum:

---- magnam pugnavimus pugnam.

Sic *vitam vivere* passim apud veteres comicos & Ennium in istis versibus, qui vulgo apud Agellium pravè scripti habentur:

Otioso in otio animus nescit quid velit,
Hoc idem est: neque domi nunc nos, neque militiæ sumus.
Imus huc, hinc illuc, cum illuc ventum est, ire illinc lubet,
Incertè errat animus, præter propter vita vivitur.

Perperam legitur in editionibus: *præter propter vitam vivitur.* Quod viri docti ita exponunt, *vivitur præter propter vitam.* Atque eamdem sententiam affingunt huic Satyrico versui.

Et propter vitam vivendi perdere causas.

Nihil alienius. Alii etiam aliter in ejus expositione nugantur. *Præter propter* absolutum est, ut *plus minus, susque deque, ultro citroque*, & similia. Qui rectè otia sua ponere nesciunt, nec ullum vivendi ordinem tenent, nihilque pensi aut certi habent in vita instituenda, *hi præter propter vivere* dicuntur, id est, interdum hoc modo, interdum alio, absque ulla certa ratione, τῇδε κἀκεῖσε περιελκόμενοι. De hoc genere hominum Persius Sat. III.

Est aliquid quo tendis, & in quod dirigis arcum?
An passim sequeris corvos, testaque, lutoque
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis.

Hi sunt quibus vita vivitur præter propter. Quibus nunc illud, nunc aliud placet, modo propius, modo longius absunt, ab hoc vel ab illo vivendi proposito. Veteribus *propter* idem quod juxta. Comicus: *propter accubat.* At *præter* idem quod extra. Ut in illo proverbio: *ita fugias ne præter casam*, id est, ne longe à casa. Apud Tertullianum *præter urbem*, id est, extra. Hinc *præter propter*: ut *ultro citro, plus minus.* Id enim significat in illa loquutione, quæ apud eumdem Agellium habetur eodem capite: *cumque architectus dixisset necessaria videri esse sestertia fermè trecenta: unus ex amicis Frontonis, & præter propter, inquit, alia quinquaginta*, hoc est, circiter quinquaginta, plus minus quinquaginta. *Mala pugna pugnata* hoc loco pro infelici prælio. Et *male pugnatum esse* Latini dicunt de infausto prælii exitu.

CAPUT XLIII.

Acone portus. Acherusius specus.



PAg. 52. D. *In ora Pontica post Bospori fauces & Rhesum amnem portumque Calpas*] Plinius: *Ergo à faucibus Bospori est amnis Rhebas, quem aliqui Rhesum dixere, deinde Psilis, portus Calpas, Sangarius fluvius ex inclytis.* In scriptis Plinii legitur *Siris* pro *Psilis.* Scriptum fuit *Silis* pro *Psilis*: deinde *Siris*, & *Syris.* Arrianus in periplu Bospori fauces, ubi transitus ille brevissimus, ponit ad sacrum Jovis Urii. Ἀπὸ δὲ, inquit, τοῦ ἱεροῦ πλέοντι ἐν δεξιᾷ Ῥήβας ποταμός. Deinde Melænam ponit promontorium, mox Artanen, deinde Psilin, postea Calpes portum, & inde Rhoen, & Chelas, & Sangarium fluvium. Operæ pretium est eam oram ex Peutingeri Tabula describere, quæ sic habet: *Jovis Urius* XXV *ad promontorium* XV. *Adherbas fluvius* XVI. *Melena* XIX. *Artane* XVIIII. *Philium* XXVII. *Chelas* XXVIII. *Sangarius fluvius.* Jovis Urius est Juppiter Urius, hoc est, ἱερὸν Διὸς Οὐρίου. Pro *Adherbas* legendum *Rhebas.* Pro *Philium* scribe *Psilium*, hoc Ψίλιον. Arriano dicitur Ψίλις. Stephano etiam Ψίλιον. Ergo & in Plinio vera est lectio *Psilis.* Tabulæ *Melana.* Est Μέλαινα ἄκρα Arriani. Post Sangarium sequitur in Tabula: *Hyppium flumen*, *Bileum flumen*, *Ligum flumen* IIII, *Heraclea* XXX, *Scylleum* XII, *Tium.* Similiter apud Arrianum post Sangarium sequitur Ὕππιον, pro quo legi debet Ὕπιον, ad quem fuit altera Prusa, quæ Plinio in scriptis dicitur *Prusias*, quum alia sit Prusias ab utraque Prusa. Post Hypium Arriano Λίλλιον, Tabula Peutingeri vocat *Byleum*, forte *Lilæum*: & apud Arrianum Λίλαιον pro Λίλλιον. *Lilæus* fluvius Bithyniæ interioris Plinio. *Elæus* etiam fluvius in illis locis Arriano haud longè à Lilæo. At aliud est *Billæum* flumen post Heracleam, pro quo perperam in Tabula Peutingeri scriptum est *Scylleum* hoc modo: *Heraclea* XXX, *Scylleum* XII, *Tium* XII. Arrianus vocat Βίλλαιον. Sed Billæum Tio præponit, quum Arrianus & ceteri Tium faciant occidentalius Billæo. Ille in periplu: ἀπὸ δὲ Τίου εἰς Βίλλαιον ποταμὸν στάδιοι εἴκοσι. Menippus in periplu ponti: ἀπὸ Ψύλλης χωρίου εἰς Τίον πόλιν, καὶ ποταμὸν Βίλαιον στάδια π΄. Idem in Paphlagoniæ periplo: ἀπὸ Ἡρακλείας εἰς Τίον πόλιν, καὶ Βίλαιον ποταμὸν στάδιοι τετρακόσιοι, καὶ ἑβδομήκοντα. Veriùs itaque legendum in Tabula: *Heraclea*, *Spylleum*, *Tium*: pro quo perperam scriptum *Scylleum.* At *Spylleum* est *Psylleum*, ut *Spelchis* pro *Pselchis*, *Spycarion* pro *Psycharion*, *Spylli* pro *Psylli.* Locus ille Ψύλλα χωρίον Arriano & Menippo & Stephano dicitur: Ptolemæo Ψύλλιον, hoc modo: Διόσπολις Πόντου, Ἡράκλεια Ψύλλιον, Τίον: Stephano Ψύλλα χωρίον μεταξὺ Ἡρακλείας, καὶ Τίου. Sic lege. Ptolemæus ἱερὸν Ἀρτέμιδος vocat ubi fauces sunt Bospori, sed mendum esse puto in ejus verbis, μετὰ τὸ στόμα καὶ τὸ ἱερὸν τῆς Ἀρτέμιδος, Βιθυνίας ἄκρον. Legendum puto, μετὰ τὸ στόμα, καὶ τὸ ἱερὸν Διὸς Οὐρίου. Marcianus Heracleota, qui pleraque ad verbum ex Ptolemæo sumpsit, id planè confirmat. Ἀπὸ Διὸς Οὐρίου εἰς Ῥήβαν ποταμὸν στάδια ή. Quæ *Artana* Peutingeri Tabulæ & Arriano, Ptolemæo dicitur Ἀρτάκη. Sed legendum Ἀρτάνη. *Artace*, vel *Artacia* alia circa Cyzicum, Marcianus Heracleota Ἀρτανον fluvium nominat, à quo mansio Ἀρτάνη, ut pleraque in illa ora oppida & portus nomen à fluviis Pontum intrantibus accepere. Sic Ψίλιον flumen & oppidum. *Calpas* portus & fluvius. Et alia multa. Ἔλαιον ποταμὸν ibidem vocat Marcianus qui & Arriano sic dicitur, ἀπὸ τοῦ Λιλαίου εἰς Ἔλαιον. Ptolemæo Ἐλαῖος perperam vocatur pro Ἔλαιος. Verum de istis alibi.

Portumque Calpas] Stephano Κάλπη πόλις Βιθυνῶν. Ἔστι δὲ, inquit, καὶ λιμὴν Κάλπη. Arriano λιμὴν Κάλπης, id est, Calpes portus. Plinio, *portus Calpas.* Certè à fluvio sic denominatus est, qui Straboni Χάλπας vocatur, sed scribi debet Κάλπας. Lib. XII. Μεταξὺ δὲ

A Χαλκηδόνος, καὶ Ἡρακλείας ῥέουσι ποταμοὶ πλείους, ὧν εἰσὶν ὅ τε Ψίλλις, καὶ ὁ Κάλπας, καὶ ὁ Σαγγάριος. Marcianus Heracleota: ἀπὸ Κάλπα ποταμοῦ εἰς Θυνιάδα νῆσον στάδια ξ΄. Sic legendum. Ptolemæus: Κάλπα ποταμοῦ ἐκβολαί, Σαγγαρίου ποταμοῦ ἐκβολαί.

Sagaris fluvius ortus in Phrygia, dictusque à plerisque Sangarius] Ita reposuimus ex constanti scriptura omnium ferè Solini librorum. Vulgo legebatur ex doctorum virorum conjectura, *Sagaris fluvius, ortus in Phrygia dictusque à plerisque Corallius.* Quia nimirum ita in Plinio legitur. Sed heîc, ut videtur, ab auctore suo

B discessit. Quia *Sagaris* heîc fluvius Latinis dicitur, Græcis autem plerisque Σαγγάριος appellatur. Ideo *Sangarium* pro Corallio Pliniano substituit. Hic fluvius, qui in Pontum influit inter Calpan & Hypium, Græcis omnibus nominatur Σαγγάριος: Arpiano, Ptolemæo, Marciano Heracleotæ, Apollodoro, poëtis, historicis, & cui non? Scylax Caryandæus Σαγάριον vocat. Σαγάριος & Σάγαρις idem nomen, ut Λύκιος Λύκις, Κύριος Κύρις, & similia. Ovidio *Sagaris.*

Hic Lycus, hic Sagaris, Peniusque, Hypanisque, Cratesque.

C Τὸν Σάγαριν apud nullum Græcum auctorem legi. Apud Plinium hoc loco libri scribunt *Sangaris*, & totus locus ita conceptus est: *Sangaris fluvius ex inclytis, oritur in Phrygia, accipit vastos amnes, inter quos Tembrogium & Gallum. Idem Sangarius à plerisque dictus Coralius.* In libro Rigaltiano scribitur, *In idem Sagiarius*, corruptè. Nuspiam reperi *Sangarium* appellatum esse *Coralium.* Coralli populi usque ad Pontum pertinent, sed in Europa sunt. *Coralius* fluvius in Ætolia. Quare prorsus mihi persuadeo totum illum Plinii locum sic esse consti-

D tuendum: *Sagaris fluvius ex inclytis oritur in Phrygia, accipit vastos amnes, inter quos Tembrogium & Gallum, idem Sangarius à plerisque dictus.* Nec aliter legit Solinus. Expungenda igitur vox illa *Coralius.* Si rectè depicta est Peutingeri Tabula, duo in illa describuntur *Sangarii*, quos vocat. *Sagarius* unus est, qui inter Chelas & Hypium ponitur. *Cholas* XXVIII, *Sagarius flumen, Hypium flumen.* Hic est *Sagarius*, quem omnes *Sangarium* appellant, & cujus heic mentio est. Haud longè eum oriri facit à loco, ubi in mare emittitur. Alterius ortum in Phrygia locat eadem Tabula, & per multos flexus deducit in

E Pontum, in quem exoneratur prope Artanen: & *Sagarius* fluvius idem vocatur. Atqui de altero Sangario hoc scribunt omnes, cui & fontes in Phrygia assignant, cujus plures ἐπιστροφὰς Ptolemæus memorat, priusquam in mare delabatur. Puto itaque male delineatam esse Tabulam illam. Nam unus tantum fluvius *Sangarius* ab auctoribus nominatur, qui & *Sagarius*, vel *Sagaris* etiam dictus. Homerus Σαγγάριον etiam appellat. At fluvius ille, qui in Tabula juxta Artanen in Pontum exit, Marciano dicitut Ἄρτανος, vel Ἀρτάνης, à quo nomen oppido Ἀρτάνη. Arnobio *Nava Regis Sangarii, vel*

F *fluminis filia* lib. V. Ubi perperam editur: *Regis Sangarii fluminis.* *Sangas* aliis hic rex dicebatur. Myrleano flumen Σάγαρος dicitur. Interpres Apollonii: Σαγγάριος ποταμὸς Φρυγίας. Ὁ δὲ Μυρλεανὸς Σάγαρον αὐτὸν λέγεσθαί φασι. Atque inde fortasse Latini: *Sagaris.* Ut ἐγχώριος, *enchoris*: καυλὸς, *caulis*: ἀπρόκοπος, *aprocopis*: & alia, quæ alibi notamus.

Sangarius exordium facit Maryandini sinus, in quo oppidum Heraclea, oppositum Lyco flumini.] Hæc editorum lectio. Scripsimus auctoritate librorum: *In quo oppidum Heraclea, adpositum Lyco flumini.* Quod & sine li-

G bris reponendum fuit, atque ita in Plinio corrigendum: *Sangarius à plerisque dictus, à quo incipiunt Maryandinus sinus, oppidumque Heraclea, Lyco flumini adpositum.* Oppida passim fluminibus adposita leguntur, non opposita. Quod jam alibi notavimus in superioribus. Adposita Lyco flumini Heraclea Pontica heîc dicitur & apud Plinium. At Arrianus viginti stadiis Heracleam

racleam à Lyco removet: ἀπὸ δὲ Λύκου εἰς Ἡράκλειαν πόλιν Ἑλληνίδα Δωρικὴν Μεγαρέων ἄποικον εἴκοσι στάδιοι. Tabula Peutingeri à Lyco ad Heracleam quatuor milia passuum ponit, hoc est, triginta stadia: *Lycum flumen IIII. Heraclea.* Non igitur adposita Lyco Heraclea. Nam adpositæ fluviis urbes, quæ ad ripas fluviorum positæ.

Pag. 52. E. *Acone portus.*] Plinius: *portus Acone veneno aconito dirus.* An portus ille ipsius Heracleæ fuit? Heraclea teste Arriano ὅρμον habuit ναυσί. Eam urbem εὐλίμενον fuisse tradit Strabo. Aconitum, ut idem asserit, ἐν τῇ Ἡρακλεώτιδι nascebatur. Ἀκόναι, ut Stephanus refert, πολίχνιον πλησίον Ἡρακλείας. Arrianus in Bithyniacis: ἐπέκεινα Σαγγαρίου ὅμοροι Παφλαγόνων Μαριανδυνοὶ, ἔνθα πόλις Ἡράκλεια πεπόλισται ὅπου Κιμμέριοι ποτε φαγόντες ἀκόνιτον ἐδυσύχησαν. Theophrastus Ἀκόνας vicum esse Mariandynorum tradit lib. IX. Hist. Plant. cap. XVIII de aconito: Φύεται δὲ πανταχοῦ καὶ οὐκ ἐν Ἀκόναις μόνον, ἀφ' ὧν ἔχει τὴν προσηγορίαν, αὕτη δ' ἐστὶ κώμη τις τῶν Μαριανδυνῶν. Sic ibi legendum, non, ut vulgatur, Περιανδυνῶν. Vellem interpretes monuissent, ubinam gentium præterea fuerint illi *Periandyni*, quos in sua versione sitos esse voluerunt? Sic vel Heracleæ portus Acone, vel non longe ab Heraclea in regione Mariandynorum, in quibus etiam Heraclea Pontica sita erat. Legendum sanè & heic & in Plinio *Aconæ*, id est, Ἀκόναι. Addit heic Solinus portum illum Aconen adeo proventu malorum graminum fuisse celebrem, ut noxias herbas *aconita* illinc Latini nominarint: quasi omnes herbas noxias Romani vocaverint *aconita*. Fortasse grammatici, de quorum grege hic noster, ita interpretati sunt hanc vocem in illo poëtæ versu:

---- *Nec miseros fallunt aconita legentes.*

Videntur quidam ex illis *aconita* heic accepisse pro noxiis quibuscunque ac δηλητηρίοις graminibus. Nam aconitum in Italia nascebatur. At heic negat poëta aconita in Italia provenire. Servius: *Mira arte usus est, ut excusaret rem quam negare non potuit, nam aconita nascuntur in Italia.* Theophrastus ἀκόνιτον πανταχοῦ φύεσθαι dicit. Præterea quod *aconita*, non aconitum poëta dixerat, quælibet mala gramina sic ab eo appellata putavit grammaticus. Sed falsus est. Græcis τὸ ἀκόνιτον, Latini poëtæ *aconita* de hac ipsa herba numero multitudinis vocarunt. Ovidius:

Quæ quia nascuntur dura vivacia caute,
Mortales aconita vocant.

Atque hæc verisimilior utcunque sententia est, quam eorum qui ab Aconis loco Pontico dictum ἀκόνιτον arbitrati sunt. Quod nulla ratione nititur. Nam aut ἀκονικὸν diceretur, aut ἀκονιτικόν, aut certe ἀκόνιον, vel ἀκοναῖον. Nam ἀκόνιτον typo ἐθνικῷ neutiquam formari potest ἀπὸ τῶν Ἀκονῶν. Aliæ herbæ, quæ à locis, ubi nascuntur, denominatæ sunt τύπον ἐθνικὸν legitime ac canonice factum præferunt; ut Αἰθιοπίς, Ἀραβίς, Κολχικὸν, Σκυθική, vel Σκύθιον, Περσικὸν malum vel Περσεῖον. Μηδικὴ πόα & Μήδιον, & alia infinita. Præterea ubique nascitur, non tantum in Aconis Heracleoticis. Dioscorides plurimum in Italia provenire scribit his verbis, quæ sic ex vetustissimo codice sunt legenda: Ἀκόνιτον ἕτερον ὃ ἔνιοι λυκοκτόνον καλοῦσι: γεννᾶται μὲν πλεῖστον ἐν Ἰταλίᾳ ἐν τοῖς καλουμένοις Οὐηστίνοις ὄρεσι διαφέρον δὲ τοῦ πρὸ αὐτοῦ. Reliqua, quæ in vulgatis habentur, spuria sunt ac rejicienda. Male etiam in editis legitur, ἐν Ἰουστίνοις ὄρεσι. Quod ex conjectura olim emendavimus. Nulli quippe *Justini* montes in Italia, sed *Vestini*, Ptolemæo Οὐεστῖνοι. Male apud eum Οὐεστηνοί. Vide Plinium, qui eos in quarta Italiæ regione ponit. Duo omnino genera facit aconiti Dioscorides, unum quod priore loco posuit, estque Theophrasti Θηλυφόνον: alterum quod proprie à Theophrasto vocatur ἀκόνιτον. Theophrastus quippe unicam aconiti speciem agnoscit, quæ proprie hoc nomine censeatur. Ea est species altera Dioscoridis, quam in Vestinis montibus Italiæ frequentem inveniri tradit. Theophrastus in Creta & Zacyntho insulis reperiri ait, sed plurimum ac præstantissimum apud Heracleam Ponticam. Ἔχει δὲ, inquit, τὸ φύλλον μὲν κιχωριῶδες, ῥίζαν δὲ ὁμοίαν τῷ σχήματι καὶ τῷ χρώματι καρύᾳ. Magnum in his verbis mendum. Καρύα est nux arbor. Non recte

A comparaiet radices graminis humilis, quale est aconitum, radicibus ingentis arboris. Sed omnino scribendum: ῥίζαν δὲ ὁμοίαν τῷ σχήματι, καὶ τῷ χρώματι καρίδι. Id confirmat Dioscorides de altero aconito, quod est aconitum Theophrasti: ῥίζας ὥσπερ πλεκτάνας καρίδων μελαίνας: *radices instar cirrorum squillæ nigras.* De foliis idem scribit: φύλλα δ' ἔχει ὅμοια τοῖς τῆς πλατάνου, μᾶλλον δ' ἐπεσχισμένα, καὶ μακρότερα πολλῷ καὶ μελάντερα. Theophrastus: φύλλον κιχωριῶδες ei tribuit, quod convenit cum illa foliorum facie, quam aconito alteri dat Dioscorides. Nullam aliam herbam præter hanc aconiti nomine novit Theophrastus. Cautes & loca saxosa B potissimum amare dicit: Φιλεῖ δὲ μάλιστα τοὺς πετρώδεις τόπους. Ideo *aconitum* appellatum ἀπὸ τῶν ἀκονῶν, quæ cautes significant. Plinius: *nascitur in nudis cautibus, quas aconas nominant: & ideo aconitum quidam dixere: nullo juxta ne pulvere quidem nutriente: hanc rationem nominis quidam attulere.* Apud Aconas Heracleoticas idcirco plurimum, & optimum nascebatur, quia talis ille locus, qualem exigit natura graminis. Nam Ἀκόναι illæ Ponticæ appellatæ, quod saxis & cautibus asperæ essent: διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐν αὐτῇ πρὸς ἀκόνας πεποιημένων λίθων. At Dioscorides aliud ἀκόνιτον describit, C quod & priore quidem loco recenset, tanquam si hoc nomen propriè sibi vindicarit, quod tamen toto genere distat & facie ab illo aconito Theophrasti, ut ex hac patet descriptione: Ἀκόνιτον, οἱ δὲ παρδαλιαγχὲς, οἱ δὲ κάμμορον, οἱ θηλυφόνον, οἱ δὲ κυνοκτόνον, οἱ δὲ μυοκτόνον, φύλλα ἔχει τρία ἢ τέσσαρα, ὅμοια κυκλαμίνῳ ἢ σικύῳ, μικρότερα δὲ καὶ ὑποτραχέα, καυλὸς σπιθαμῆς, ῥίζα ὁμοία σκορπίου οὐρᾷ, στίλβουσα ἀλαβαστροειδῶς. Meminit Theophrastus hujus herbæ, sed quam solis θηλυφόνου & σκορπίου nominibus habet cognitam, non etiam aconiti. Τὸ δὲ θηλυφόνον, inquit, οἱ δὲ σκορπίον καλοῦσι, διὰ τὸ τὴν ῥίζαν ὁμοίαν ἔχειν τῷ σκορπίῳ. Et paulo post: ἔχει δὲ τὸ φύλλον ὅμοιον κυκλαμίνῳ, τὴν δὲ ῥίζαν ὥσπερ ἐλέχθη σκορπίῳ. Adjicit: D φύεται δὲ ὥσπερ ἡ ἄγρωστις, καὶ γόνατα ἔχει. Φιλεῖ δὲ χωρία σκιώδη. Vel natalium sedibus in totum differre noscitur ab aconito. Thelyphonum in locis opacis & umbrosis nasci gaudet: τὸ ἀκόνιτον in asperis cautibus ac nudis, in quibus nec pulvis herbæ illi nutriendæ suppeditat. Unde & nomen ἀκονίτῳ. Talia loca minime possunt esse σκιώδη. Ergo nec nomen aconiti convenit τῷ θηλυφόνῳ. Proprietate hac etiam censetur *aconitum*, quod in Aconis Ponticis & frequens & optimum nascatur. Atque inde etiam nomen sortitum esse quidam volunt; quod de thelyphono traditum non est. Non E alia de causa videntur Græci recentiores τὸ θηλυφόνον Theophrasti appellatione *aconiti* donasse, & eidem generi contribuisse, quam propter virtutis ac potestatis similitudinem, qua utrumque præditum est bestiis necandis. Aconitum Theophrasti, quod verum aconitum, à nullo quadrupede tangi scribit idem auctor: οὐ νέμεται δὲ οὐδὲ πρόβατον, οὐδ' ἄλλο ζῶον οὐδέν. Hoc tantum dicit. Dioscorides λυκοκτόνον appellatum memorat, quod eo carnibus crudis addito lupos necarent venatores. De thelyphono tradit Theophrastus, id boves, & jumenta, & oves, & omnes omnino quadrupedes interficere, ipso die si genitalibus infulciatur, vel radix F ejus, vel folium: ἀπόλλυσι δὲ καὶ βοῦς, καὶ ὑποζύγια, καὶ πρόβατα, καὶ ἁπλῶς πᾶν τετράπουν, ἐὰν εἰς τὰ αἰδοῖα τεθῇ ἡ ῥίζα ἢ φύλλον. Inde θηλυφόνον appellatum. Quod & παρδαλιαγχὲς, & θηρυφόνον, & μυοκτόνον, & κυνοκτόνον, & κάμμορον cognominatum est. Hac re etiam differt istud thelyphonum ab aconito proprie dicto, quod aconiti sola radix noceat, thelyphoni etiam folium. Theophrastus de aconiti radice: τὴν δὲ δύναμιν, τὴν θανατηφόρον ἐν ταύτῃ, τὸ δὲ φύλλον, καὶ τὸν καρπὸν οὐδὲν ποιεῖν. Hæc duo genera nomine ac genere aconiti comprehendit Dioscorides. At Theophrastus solum posterius Dioscoridis genus ἀκόνιτον vocat, alterum ut di- G versi generis ac nominis θηλυφόνον & σκορπίον appellat, seorsimque ab aconito describit. Plinius contra ex duobus illis generibus solum θηλυφόνον aconiti appellatione complectitur, nec alterius speciei meminit, quæ sola nomine aconiti a Theophrasto censetur. Eamque aconiti descriptionem ex Dioscoridis verbis concinnavit interpositis nonnullis, quæ apud Dioscoridem non habentur. Verba ejus hæc sunt lib. XXVII. cap. III:

Fas ergo nobis erit, qui nulla diximus venena, monſtrare quale ſit aconitum vel deprehendendi gratia. Folia habet cyclamini aut cucumeris, non plura quatuor ab radice leniter hirſuta. Radicem modicam cammaro ſimilem marino. Quare quidam cammaron appellavere, alii thelyphonum ex qua diximus cauſa. Radix incurvatur paulum ſcorpionum modo, quare ſcorpion aliqui appellavere. Cetera extant in Dioſcoridis deſcriptione, exceptis illis quæ inſeruit de *cammari* appellatione, quod radicem habeat ſimilem cammaro marino. Quæ vel ipſe Plinius de ſuo adjecit, dum explicare vult rationem nominis κάμμορον, quod huic generi aconiti inter alia dabatur, vel ſane ex auctore aliquo ſumpſit. Quodcunque horum fuerit, falſiſſima ſunt. Primum non κάμμαρον, ſed κάμμορον dicebatur hæc aconiti ſpecies, quod eſt Theophraſteum θηλυφόνον. Dioſcorides: οἱ δὲ παρδαλιαγχὲς, οἱ δὲ κάμμορον. Nicander.

Πολλάκι θηλυφόνον καὶ κάμμορον.

Ubi vetera ſcholia notant dici κάμμορον, quaſi κακῷ μόρῳ ἀναιροῦν. Certe grammatici κάμμορον interpretantur κακόμοιρον, & καμμόρειν, κακοπαθεῖν. Non tamen à κακὸς & μόρος ea vox compoſita eſt, ſed Æolicum verbum eſt κάμμορον, quod aliis Græcis communiter dicebatur κατάμορον, quod ſignificat mortiferum. Ut κατάδενδρος τόπος, arboribus obſitus: κατάμπελον χωρίον, vitibus conſitum: κατάκισσος θύρσος, thyrſus hedera inductus: κάτοινος Diodoro vinoſus. Ita & κατάμορον φυτὸν mortifera planta. Æoles dixere κάμμορον. Sic καδδῦσαι pro καταδῦσαι: κακκεῖσθαι pro κατακεῖσθαι, unde κακκείοντες apud Homerum pro κατακείοντες: ſic κακχέεται apud Sapphonem pro καταχέεται: Heſychio κάκχαρτος pro κατάχαρτος. Inde igitur κάμμορον dictum eſt primum aconiti genus κατ' ἐξοχήν. Quare non κάμμαρον, ſed κάμμορον appellabatur. Præterea θηλυφόνον, vel primum illud genus aconiti radicem Cirris marinarum ſquillarum non habet ſimilem, ſed alterum, quod ἀκόνιτον abſolute Theophraſto dicitur. Dioſcoridi λυκοκτόνον, & ἕτερον εἶδος. Hic dicit ῥίζας habere ὥσπερ πλεκτάνας καρίδων μελαίνας, Theophraſtus ῥίζαν καρίδι ὅμοιαν, ut emendavimus. *Cammarus* ſpecies καρίδος. Athenæus de cammaris: ἐστὶ δὲ καρίδων γένος καὶ ὑπὸ Ῥωμαίων οὕτως καλοῦνται. Gloſſæ: *Cammari*, καρίδες. Quiſquis ille fuit, ſive ipſe Plinius eſt, qui aconitum κάμμαρον dictum eſſe putavit, quod radicem modicam & cammaro ſimilem haberet, ſpecies aconitorum confudit, & quod unius proprium eſt, alteri tranſcripſit, falſa perſuaſus nominis notatione, dum κάμμαρον legit pro κάμμορον. Species quippe illa prior aconiti, quod κάμμορον, ac θηλυφόνον dicitur, radicem ſcorpii caudæ ſimilem habet, unde & σκόρπιον quidam appellavere hanc herbam. Altera καρίδος, hoc eſt, cammari inſtar radices cirratas gerit ac nigras, cui καμμόρου appellatio non eſt data. Magnum heic igitur Plinii peccatum, vel illius auctoris quem ſequitur. Sed Plinii potius eſſe multa mihi fidem faciunt. Κάμμαρον tamen etiam pro κάμμορον legere eſt in Erotiani Lexico. Profecto non errabit qui errorem etiam alium ipſi adſcripſerit, nec illum ferendum, ſollemnem tamen ei, ac ſolitum. Cum primum genus aconiti Dioſcoridis idem ſit cum Theophraſti θηλυφόνῳ, nec aliud aconitum Plinius noverit, aut ſcriptis ſuis mandarit, alio tamen loco θηλυφόνον illud Theophraſti recenſuit veluti diverſum ab aconito. Atqui aconitum Plinii, de quo tractavit lib. XXVII. cap. III eadem prorſus herba eſt cum Theophraſti thelyphono, cujus hiſtoriam expoſuit lib. XXV. cap. X. *Thelyphonon herba ab aliis ſcorpion vocatur propter ſimilitudinem radicis, cujus tactu moriuntur ſcorpiones.* Et paulo poſt: *Thelyphonon omnem quadrupedem necat, impoſita verendis radice: folio quidem intra eumdem diem quod eſt ſimile cyclamino.* Quæ omnia ad verbum ex Theophraſto tranſlata: ἀπόλλυσιν ἁπλῶς πᾶν τετράπουν, ἐὰν εἰς τὰ αἰδοῖα τεθῇ ἡ ῥίζα ἢ φύλλον αὐθήμερον. Tam radicem quam folium verendis quadrupedis impoſitum necare eodem die tradit auctor Græcus. Plinius de folio tantum id accepit, quaſi legerit, vel legente anagnoſte audiverit, ἐὰν εἰς τὰ αἰδοῖα τεθῇ, ἡ ῥίζα, εἰ φύλλον, αὐθήμερον. Sequitur: *ipſa geniculata naſcitur in opacis.* Græca: φύεται δὲ ὥσπερ ἡ ἄγρωστις, καὶ γόνατα ἔχει, φιλεῖ δὲ χωρία σκιώδη. Hoc θηλυφόνον Theophraſti primum eſt aconitum Dioſcoridis, unicum vero Plinii aconitum. Nec enim alteram ſpeciem, quæ propriè ἀκόνιτον Theophraſto dicitur, deſcripſit, cum hæc ita ſint magno errore, ſed ipſi familiari alicubi thelyphonon ex Theophraſto, alicubi *aconitum* ex Dioſcoride veluti diverſas plantas poſuit, quæ ſunt eædem. Qua in re adeo illi memoria ac judicium defuit, ut eadem de utraque prodiderit, nec tamen viderit eaſdem eſſe. De thelyphono ſcribit lib. XXV. *Radices hujus tactu moriuntur ſcorpiones, itaque contra eorum ictus bibitur. Scorpionem mortuum ſi quis helleboro candido linat reviviſcere ajunt.* Idem lib. XXVII de aconito, quod eſt primum genus Dioſcoridis, ſic narrat: *Torpeſcunt ſcorpiones aconiti tactu, ſtupentque pallentes, & vinci ſe confitentur. Auxiliatur his helleborum album tactu reſolvente.* Hæc de aconito priore dixit Dioſcorides, quæ ex eo Plinius ad verbum vertit. Superiora Theophraſti ſunt de thelyphono prodita, quæ ſimiliter κατὰ λέξιν reddidit. Sic aconitum prius Dioſcoridis & θηλυφόνον Theophraſti idem. Quod aconitum unum eſt atque unicum Plinii, qui tamen θηλυφόνον & aconitum deſcriptione ſeparavit veluti genere diverſa. Qua in re etiam venit animadvertenda alia ejuſdem ἀβλεψία. Thelyphonon, ſive primum aconitum Dioſcoridis in opacis & umbroſis locis naſci amat. Aliud præter hoc non novit Plinius aconitum. Et tamen idem ſcriptum reliquit eodem illo capite, quo hiſtoriam illius aconiti perſequutus eſt, *naſci in nudis cautibus, quas aconas nominant, nullo juxta ne pulvere quidem nutriente.* Hoc thelyphono, vel primo aconito neutiquam poteſt convenire, ſed alteri generi, quod ἀκόνιτον proprie vocat Theophraſtus. Ἀκόναι, id eſt, nudæ cautes, quæ ſine pulvere ſunt, & τὰ σκιώδη, ſilvis & nemoribus opaca loca non poſſunt in eadem ſede morari. Nec igitur thelyphonum in nudis cautibus, nec aconitum in ſilvis & opacis locis naſcitur. De thelyphono ſcribit ibidem Plinius: *Ortum fabulæ narravere ſpumis Cerberi canis, extrahente ab inferis Hercule, ideoque apud Heracleam Ponticam, ubi is monſtratur aditus, gigni.* Hoc de thelyphono, quod aconitum Plinii eſt, minime verum poteſt eſſe, ſed de ſecundo genere Dioſcoridis, quod aconitum eſt Theophraſti, de quo ita ille prodit: πλεῖστον δὲ καὶ ἄριστον ἐν Ἡρακλείᾳ τῇ ἐν Πόντῳ: ἔχει δὲ φύλλον μὲν κιχοριῶδες, ῥίζαν δὲ ὅμοιαν τῷ σχήματι καὶ τῷ χρώματι καρίδι. Et heic aliud obſervandum Plinii peccatum, qui cum ſolum thelyphonum ſub nomine aconiti nobis proponat, ibi ortum fabulatur & vulgo gigni ait, ubi aconitum lycoctonum alii omnes plurimum naſci contendunt. Quo in loco etiam ortum illud primo tradiderunt è ſpumis Cerberi canis ex inferis ab Hercule extracti. Hoc paſſim poëtæ canunt, Nicander, Dionyſius, alii. Dionyſius:

Καὶ Μαριανδυνῶν ἱερὸν πέδον, ἔνθ' ἐνέπουσιν
Οὐδαίου Κρονίδαο μέγαν κύνα χαλκείφωνον
Χερσὶν ἀνελκόμενον μεγαλόφρονος Ἡρακλῆος
Δεινὸν ἀπὸ στομάτων βαλέειν σιαλώδεα χυλὸν
Τὸν μὲν ἐδέξατο γαῖα, καὶ ἀνδράσι πῆμ' ἐφύτευσεν.

Aconitum intelligit, ſed illud aconitum, quod à Theophraſto deſcribitur, non primum illud genus Dioſcoridis, quod θηλυφόνον proprie dictum eſt. Sed nec Dioſcorides extra culpam, qui videtur errandi cauſam Plinio præbuiſſe. Cum enim vetuſtiſſimi Græci, quorum princeps Theophraſtus, aconiti nomine non aliam plantam intelligant, præter eam quæ in Aconis Ponticis apud Heracleam naſcebatur, quæque folium habet cichorio ſimile, & radicem cammaro, ipſe duo genera ejus fecit, & primo quidem loco poſuit id genus quod Theophraſto vocatur θηλυφόνον & σκορπίον, quaſi magis proprie nomen aconiti ſibi vindicaret quam alterum. Quod Plinius arripuit, & thelyphonum ſolum pro aconito nobis deſcripſit. Atqui ſecundum illud genus veteres Græci *aconitum* abſolute ſolum nominarunt, cujus nulla mentio extat apud Plinium. Lapſus eſt, ut videtur Dioſcorides, male interpunctis ac perperam intellectis Nicandri verſibus, ex quo omnium fere venenorum naturas ac remedia in ſuum opus tranſtulit.

Quod ita certum est, ut nihil dici possit certius. Nicander in Alexipharmacis ἀκόνιτον, ut venenorum ocyssimum, primum omnium recenset, & quo loco nascatur memorat his versibus:

Ἀλλ' ἤτοι χολόεν μὲν ἴδε σομίοισι δυσαλθὲς
Πινυθείης ἀκόνιτον, ὅ δὴ ἐ' Ἀχερωίδες ὄχθαι
Φύονται τόθι χάσμα δυσέκδρομον Εὐβουλῆος
Ἀσυρός τε Πελόλαο καταστρεφθέντα δέδυκε.

Aconitum generali appellatione nominat, quod in Aconis Ponticis & Acherusio specu prope Heracleam gignitur. Ἄσυρος Πελόλα καταστρεφθέντα, sunt oppida Priolæ regis Mariandynorum, quæ diruta fuere. *Priolam* urbem intelligit prope Heracleam. Stephanus: Πελόλα, πόλις πλησίον Ἡρακλείας. Scholiastes Apollonii: Πελόλας ὁ ἀδελφὸς Λύκυ, καὶ Πελόλα πόλις πλησίον Ἡρακλείας. Ergo aconitum illud Nicandri idem est cum aconito Theophrasti, quod in agro Mariandynorum in Aconis nascitur, juxta Heracleam Ponti, quod genere, nomine, & patria diversum est à thelyphono. Postquam illius aconiti effectus descripsit Nicander, ita subjicit:

Τὴν μέν τε κλείουσι μυοκτόνον, ἢ γὰρ ἀνιγρὰς
Παμπήδην ὕρακας λιχμήρεας ἠρήμωσεν.

Ab effectu igitur idem illud aconitum Heracleoticum etiam μυοκτόνον appellatum est, quod mures necet. Sequitur:

Οἱ δέ τε παρδαλιαγχὲς ἐπεὶ θήρεσσι πελώροις
Ποτμὸν βυπελάτης τε καὶ αἰγονομῆες ἔθεντο
Ἴδης ἐν κνημοῖσι, Φαλακραίης ἔνι βήσσης.

Ergo idem illud aconitum Heracleoticum alii μυοκτόνον, alii παρδαλιαγχὲς dixere, à muribus & pantheris enecandis. Subditur statim:

Πολλάκι θηλυφόνον καὶ κάμμορον, ἐν δ' Ἀκοναίοις
Θηλείην ἀκόνιτον ἀνεβλάστησεν ὀρόγκοις.

Ex his versibus, ut apparet, & Dioscorides & Plinius collegerunt unum tantum aconiti genus à Nicandro describi, quod & μυοκτόνον, & παρδαλιαγχὲς, & θηλυφόνον, & κάμμορον nominatum sit, idemque aconitum gigni in Aconis Heracleæ Ponticæ. Ideo Plinius unius tantum generis meminit, cujus descriptio prorsus thelyphono Theophrasti convenit. Inde etiam Dioscorides primum genus illud aconiti constituit, quod & θηλυφόνον, & κάμμορον, & μυοκτόνον, & παρδαλιαγχὲς nominatum dicit, cui & historiam thelyphoni accommodavit, prorsus veluti ex Nicandri sententia, quem ubique sequitur in natura ac remediis venenorum, quasi ille unum idemque aconitum proposuisset sub diversis illis cognominibus. At cum apud Theophrastum & alios aconitum aliud reperisset, à thelyphoni natura facieque diversum, id pro altero genere aconiti obtrusit. Quod Plinius neglexit, tanquam unum tantum illud esset genus aconiti Nicandro memoratum, quod θηλυφόνον & παρδαλιαγχὲς diceretur, & in cautibus apud Aconas præcipuè nasceretur. Verum non hæc Nicandri mens fuit, qui aconitum sic propriè dictum à thelyphono, vel cammoro clarissime distinxit, si recte verba ejus interpungantur. Aconitum, ut dixi, apud Heracleam Ponticam nasci tradit ad Acherusium specum in Aconis, ubi primam originem sumpsit è spuma Cerberi ab inferis extracti. μυοκτόνον & παρδαλιαγχὲς ab effectu nominatum canit, sed perperam versus illi, quibus id loquitur, in editionibus interpuncti leguntur hoc modo:

Οἱ δέ τε παρδαλιαγχὲς ἐπεὶ θήρεσσι πελώροις
Ποτμὸν βυπελάτης τε καὶ αἰγονομῆες ἔθεντο
Ἴδης ἐν κνημοῖσι, Φαλακραίης ἔνι βήσσης.

Quorum sic interpunctorum hic sensus, pastores & upiliones eo aconito pantheras & pardos necare solitos in montibus Idæ. Idam Troicam intelligit. An mons ille pantheras habuerit, nescio. Nihil de illis proditum apud veteres. In Asia pantheræ reperiebantur, sed in Amano & montibus Ciliciæ versus Syriam. In Idæo monte & partibus illis Asiæ nullas fuisse certum magis est. Sed certissimum est versum illum de Idæ pedibus & vallibus avellendum esse à superioribus, ac cum sequentibus connectendum ad hunc modum, quos etiam sic emendo:

Ἴδης ἐν κνημοῖσι, Φαλακραίης ἔνι βήσσης
Πολλάκι θηλυφόνον καὶ κάμμορον, ἐν δ' Ἀκοναίοις
Τῆλε λίην ἀκόνιτον ἀνεβλάστησεν ὀρόγκοις.

A Quæ insignis est cum emendatio, tum distinctio, & maximi prorsus momenti. Vulgo editur, θηλείην ἀκόνιτον. Quod erat mendosissimum. Aconitum, quod à Nicandro describitur, aconitum est Theophrasti. Hoc μυοκτόνον & παρδαλιαγχὲς vocatum ait, occasione data thelyphoni simul meminit, quod etiam κάμμορον dictum est, quod eadem virtute præditum esset feris necandis. Sed ea distinguit à loco natali. In pedibus, inquit, Idæ montis, & vallibus Phalacræis sæpe thelyphonon & cammorum invenitur: aconitum vero in

B Aconæis cautibus:

----- ἐν δ' Ἀκοναίοις
Τῆλε λίην ἀκόνιτον ἀνεβλάστησεν ὀρόγκοις.

Ἀκοναῖοι ὄρογκοι ab Aconis loco Heracleotici agri sunt appellati, in quibus plurimum aconitum. Separat igitur ἀκόνιτον sic proprie appellatum à thelyphono, sive cammoro, idque prorsus juxta Theophrasti sententiam. Θηλυφόνον ἐν σκιώδεσιν ille nasci tradit, Nicander ἐν βήσσαις Idæ montis, quæ sunt loca cava inter montes, ut convalles silvis opacæ. Aconitum Theophrasti τὰ πετρώδη χωρία diligit, & in Aconis Ponticis plurimum, ac præstantissimum provenit. Hic similiter ἐν ὀρόγκοις

C Ἀκοναίοις gigni aconitum memorat, in summitate scilicet ac vertice Aconensium cautium. Grammatici ὀρόγκυς interpretantur, τῶν ὀρῶν τὰ ὀγκώδη, partes montium eminentes, quæ ut plurimum nudis cautibus & apertis attolluntur. At βῆσσαι contra sunt ὀρῶν κοιλάδες, convalles, quæ fere semper silvis umbrantibus opacæ sunt: & rivis humentes. Ὑδρηλὺς τόπυς etiam Grammatici exponunt. Hujusmodi locis gaudet θηλυφόνον. Contra aconitum siccis, & asperis, saxosisque. Hoc τῆλε λίην nasci Nicander in Aconæis cautibus, quia longinqua Nicandro illa loca, in quibus aconitum gignebatur, in intimo Ponti recessu. Ammianus: *ultra hæc*

D *loca Acherusius specus est, quod accolæ μυχοπόντιον appellant, & portus Acona.* Ibi aconitum optimæ notæ & frequens nascebatur. At thelyphonon in vallibus Idæ Troicæ, quæ non ita longe distabat à patria Nicandri, qui Colophonius erat. In eadem provincia, id est, Asia minore Ida Troadis, & Colophon. Ideo de aconito dixit τῆλε λίην illud nasci, in comparatione thelyphoni, quod in vallibus Idæis proveniebat. Portentum igitur mendi est quod in vulgatis libris visitur, θηλείην ἀκόνιτον. Ex his constat gravissime lapsos Dioscoridem & Plinium, qui ex male intellecto Nicandro id aconitum veluti sic proprie dictum proponunt, quod veteres ab

E aconito separant, utpote facie, genere, ac loco natali, atque etiam nomine diversum. Nam illud θηλυφόνον ab effectu, & κάμμορον: at σκόρπιον à similitudine dicebatur, quod radicem haberet incurvatam scorpionum modo: folia vera habet cyclamini aut cucumeris, & locis humidis & umbrosis nasci gaudet. Hoc vero ἀκόνιτον, quod & λυκοκτόνον & παρδαλιαγχὲς dictum & μυοκτόνον, foliis cichoraceis vel platani similibus, sed longioribus & magis incisis, radice cirrata, & nigra instar cammari, cautes amans nudas, & loca aspera, saxosaque. Dioscoridem multi ex Græcis sequuti sunt, non

F tamen omnes. Nam diserte Aëtius παρδαλιαγχὲς Theophrasti aconitum appellatum testatur. Ἀκόνιτον, inquit, ἢ παρδαλιαγχὲς παρέοικε μὲν τῇ ἀγρίᾳ σερίδι, σηπτικῆς ὂ ἐστὶ καὶ δηλητηριώδυς δυνάμεως. Hoc aconitum Theophrasti est quod folia cichorio similia gerit. Nam ἀγρία σερὶς est cichorium. Præterea σηπτικῆς est δυνάμεως. Theophrastus de aconito: διὸ καὶ τὺς ἰατρὺς ἐκ ἐπισαμένως συνθεῖναι, σηπτικῷ ὂ χρῆσθαι. Certe Nicander etiam plane dicit ἀκόνιτον Heracleoticum παρδαλιαγχὲς cognominatum. Et profecto cum λυκοκτόνον proprie dictum Dioscorides affirmet, quod lupos necet admixtum carnibus, eodem prorsus modo & pantheras &

G canes etiam interficere credendum est. Solis radicibus ad hoc utebantur. Dioscorides: ῥίζαι, αἷς χρῶνται πρὸς τὰς τῶν λύκων θήρας, ἐντιθέντες κρέασιν ὠμοῖς: βρωθεῖσαι γὰρ ὑπὸ λύκων ἀναιρῦσιν αὐτύς. Pantheras eodem modo venabantur. Plinius: *Pantheras perfricata carne aconito, venenum id est, barbari venantur, occupat illico fauces earum angor: quare pardalianches id venenum appellavere quidam.* Etiam in hominibus, qui aconitum gustavere, fauces angore premuntur & constringuntur. Nicander:

Τοῦ

Τοῖο δὲ πάντα χαλινὰ καὶ ὀρανόεσσαν ὑπήνην
Οὖλα δ' ἀποξύφει χολόεν ποτόν.

Falluntur igitur qui παρδαλιαγχὲς & λυκοκτόνον quasi diversas aconitorum species distinguunt, quod hæc peculiariter lupos sicut illa pardos tollat. Unum idemque genus & pardos, & lupos, & canes, & alias feras in venatu visceribus appositis inditum necat, & hoc verum est aconitum, Græcis vetustissimis sic proprie appellatum. *Lupariam* hodie vocitant. Θηλυφόνον vero & κάμμορον, quod pro aconito solum ponit Plinius, & Dioscorides pro primo aconiti genere, feras etiam & quadrupedes omne genus interimit, sed alio modo ac præcipue fœminas genitalibus eorum inditum, idque intra eumdem diem, ut Theophrastus testatur, & Plinius ex illo his verbis: *Thelyphonon omnem quadrupedem necat imposita verendis radice.* At Dioscorides eamdem prorsus facultatem ferarum necandi thelyphono inesse narrat, & aconito lycoctono: κτείνει δὲ καὶ παρδάλεις, καὶ λύκους, καὶ πᾶν θηρίον κρεαδίοις ἐντιθέμενον, καὶ παραβαλλόμενον. Sic θηλυφόνον tam λυκοκτόνον dici potest quam aconitum. Sed ut dixi utrumque confudit propter male intellecta & perverse interpuncta Nicandri verba. Putavit nempe dicere Nicandrum aconitum *pardalianches* cognominatum, ac sæpe etiam dictum θηλυφόνον & κάμμορον, atque in Aconæis cautibus nasci. Quid voluerit Nicander supra indicavimus, & ex versione nostra clare id patet:

Sæpe Phalacrais nemorosæ in vallibus Idæ
Thelyphonum invenias, & cammoron: ast Aconarum
Per tetricas cautes nigra longè aconita leguntur.

Hæc si conferas cum vulgari doctissimorum virorum interpretatione videbis quantum intersit. Non hodie atque heri versus illi pravè accepti sunt, quandoquidem Dioscoridem & Plinium in errorem induxere. Non igitur plura genera aconiti, sed unum, quod *aconitum* propriè dictum ab ἀκόναις, id est, cautibus in quibus provenit. Thelyphonum utcunque pari effectu polleat ad necandas feras, in ceteris nihil habet simile, sed omnia diversa, folium, florem, radicem, colorem, natale solum. Quæ satis sunt, ut ἑτερογενεῖς plantæ illæ haberi debeant. Et sanè sic habitæ sunt vetustissimis Græcis, ut ex Theophrasto & Nicandro clarum est. Plinius gravius errat quàm Dioscorides, qui eam solam speciem aconiti nomine donavit, & pro aconito descripsit, quam veteres hac appellatione ac genere nunquam comprehenderunt.

A Ita loquitur lib. XXVII. cap. II. *Cum constet omnium venenorum ocyssimum esse aconitum, & tactis quoque genitalibus fœminini sexus animalium eodem die inferre mortem.* Hoc proprium θηλυφόνου, non aconiti, ut ex Theophrasto constat. Sequitur: *Hoc fuit venenum quo interemptas dormientes à Calpurnio Bestia uxores M. Cæcilius accusator objecit. Hinc illa atrox peroratio, ejus in digito mortuas.* Hic locus in paucissimis verbis inter depravatissimos qui apud Plinium extant, *mortuæ uxores Calpurnii in digito ejus.* Hoc absurdum. Et si nihil aliud, libri tamen etiam vitium tinniunt, qui omnes sine ulla varietate legunt: *In digito mortuum.* Sic habent quoque Hispanienses codices, ut ex variis lectionibus Andreæ Stra-
B nii Valentini nuper observabam, qui ipse corrigi volebat, in digito mortem. Sed acumen illud Hispanum nimis hebes est. Quæ sequuntur protinus etiam corrupta sunt & defectu aliquo laborant: *unde atrox peroratio, ejus in digito mortuum. Fabulæ narravere spumis Cerberi canis extrahente Hercule, ideoque apud Heracleam Ponticam ubi monstratur is aditus, gigni.* Stranius supplendum putabat, *fabulæ narravere natum.* Ego id quod deest non foris arcessendum judico, sed in ipsis scriptæ lectionis vestigiis inveniendum censeo. Et certè id habet, si rectè constituatur hoc modo: *Inde*
C *atrox peroratio ejus, En digitum! ortum fabulæ narravere spumis Cerberi canis extrahente Hercule.* Non potuit magis ex propinquo duci emendatio, nec verior. Notant Chiffletianum exemplar habere, *in digitum.* Sic minima mutatione corruptissimus locus egregiè restitutus est. Multa autem atrocitatis emphasis in illis duabus vocibus, *En digitum!* Quod uno digitulo aconiti sive thelyphoni succo lito verenda uxorum suarum tangeret, & sic interimeret Calpurnius. Utriusque porro aconiti figuram, siquidem thelyphonum etiam
D aconitum est, apud neotericos herbarios videre est. Clusius varias veri aconiti, hoc est, herbæ lupariæ effigies exhibet lib. v. historiæ plantarum, ex diversis, ubi nascitur, petitas locis. Nos in gratiam herbariorum, prout pictæ sunt ab antiquario in vetustissimo Dioscoridis Græci libro, tam thelyphoni, quam aconiti figuras hesc apponemus, ut ex earum differentia simul etiam constare possit non esse congeneres plantas, & rectius sensisse veteres Græcos, qui altera thelyphoni vel scorpii, alteri aconiti nomen imposuerunt, non utrumque eodem nomine ac genere complexi sunt. Hesychius, θηλυφόνον, ἀκόνιτον. Ex Dioscoride:

Thelyphonum & Scorpion Theophrasti sive primum Aconitum genus Dioscoridis.



Aconi-

Aconitum Theophrasti, sive alterum aconiti genus Dioscoridis.



In thelyphono ac prioris aconiti ſpecie, non ſatis ex vero & fide expreſſa ſunt cyclamini vel cucumeris folia, quorum ſimilia habet illud aconiti genus. Sed nec ſequentis ſpeciei figura uſquequaque convenit. Utramque exprimendam curavi antiquitatis gratia. Ut ut ſit, diverſi generis illæ duæ plantæ, quas tamen ſub uno eodemque genere ac nomine complexus eſt Dioſcorides contra vetuſtiorum & ipſius in primis Theophraſti ſententiam. Quod enim eadem facultate utraque cenſeanturin necandis canibus & lupis, hoc non ſufficit ut in eumdem cenſum genuſque referri debeant. Alias etiam apocynum de genere eſſet aconitorum, quia ſimiliter canibus, lupis, pantheris adpoſitum, ea animalia interimat. Unde & κυνοκτόνον & παρδαλιαγχὲς quoque quidam cognominarunt. Vide Dioſcoridem.

Proximus inde Acheruſius ſpecus.] Plinio ſimpliciter: *ſpecus Acheruſia.* Hic locus igitur ex Pomponio Mela ad verbum expreſſus: *Juxta ſpecus eſt Acheruſia ad Manes, ut ajunt, pervius, atque inde extractum Cerberum exiſtimant.* Solinus: *quem foraminis cæci profundo ad uſque inferna ajunt pertendere.* Ammiano *Acheruſium ſpecus.* Apollonio Ἀχερουσιὰς ἄκρα dicitur, hoc eſt, promontorium Acheruſium. De Mariandynis:

Ἔνθα μὲν εἰς ἀΐδαο καταιβατός ἐστι κέλευθος,
Ἀκτή τε προβλὴς Ἀχερουσιὰς ὑψόθι τείνει.

Ubi interpres Græcus: ἄκρα κατὰ τὴν Ἡράκλειαν, ἣν Ἀχερούσιον καλοῦσιν οἱ ἐγχώριοι. Addit ex Euphorione & Herodoto inde extractum ab inferis Cerberum, καὶ ἐμέσαι χολήν, ἐξ ἧς φῦναι τὸ καλούμενον ἀκόνιτον φάρμακον. Non igitur è ſpuma Cerberi natum aconitum, ſed ex felle quod vomuit Cerberus. Hinc χολόεν ποτὸν aconiti vocat Nicander. Aconitum illud omnes intelligunt, quod proprie ita vocatum eſt, cujus hiſtoriam ſupra explicavimus, non thelyphonum aut cammoron. Idem enarrator, vel alius ibidem: περὶ δὲ τὴν Ἡράκλειαν τὴν

A ἐν Μαριανδυνοῖς Ἀχερουσίς ἐστι καὶ στόμιον πηλῶδες. Lege: καὶ στόμιον σπεῶδες, vel σπηλαιῶδες. Nicander Ἀχερουσίδας ὄχθας juxta Heracleam vocat, ubi aconitum naſcitur. Quod de illo promontorio capiendum eſt. Acheron quoque fluvius ut habetur duobus locis in Argonauticis apud eumdem Apollonium, cujus nemo ex recentioribus meminit excepto Ammiano: *ultra hæc loca Acheruſium ſpecus eſt, quod accolæ μυχοπόντιον appellant, & portus Acone, fluvii diverſi, Acheron, idemque Arcadius, & Iris, & Tembrius, & juxta Parthenius omnes in*
B *mare ictu rapido decurrentes.* Arrianus in Bithyniacis Ἀχερουσίαν χερρόνησον ibi collocat, meminit & Strabo in eodem loco χερρονήσου ἀοίκου, ἐκείνης δὲ τῆς Ἡρακλείας ἥ τε χερρόνησος ἄοικος καὶ ἡ Κάλαυις. Plinius: *Specus Acheruſia, flumina Pedopyles, Callichorum, Sonautes, oppida Tium triginta octo milia paſſuum, fluvius Bilis.* Libri ſcribunt, *Pædopilas.* Non memini de eo aliquid legiſſe. Græcum eſſet Παιδοπίλης, aut Παιδοπύλης. *Sonautes* Apollonio Σοωναύτης, qui olim Acheron dicebatur, teſte Apollonio:

Τὸν μὲν ἐν ὀψιγόνοισι Σοωναύτην ὀνόμηναν
C Νισαῖοι Μεγαρῆες.

Hunc eumdem fluvium Arcadium poſterioribus temporibus nominatum indicat Ammianus: *Acheron idemque Arcadius.* Sed Arcadius fluvius in Cappadocia Ptolemæo nominatur longe ab Acheronte: quare potius legendum in Ammiano: *Acheron, itemque Arcadius & Iris.* In eodem igitur loco *Acheron* amnis, *Acheruſium* promontorium, & *Acheruſius* ſpecus, & *Acheruſia* peninſula. *Oxinen* fluvium etiam in illis locis recenſent Ar-
D rianus & Marcianus Heracleota inter Heracleam & Tium. Idem Marcianus ab Heraclea & Tium ſtadia numerat cum trecentis ſeptuaginta: αἱ πάντες ἀπὸ Ἡρακλείας εἰς Τίον καὶ Ποταμὸν Βιλλαῖον στάδια το. Plinius triginta octo milia paſſuum computat in eo intervallo,

hoc

hoc eſt, ſtadia trecenta quatuor. Et fortaſſean ad hanc formam corrigendus Marcianus ϛάδια τδʹ. *Billis* fluvius prope Tium in ſcriptis Plinianis vocatur. Græci omnes βιλαῖον appellant aut βιλλαῖον. Forte Plinius legit βίλλιος pro βίλαιος, ut plerumque Λ & Λ in Græcis codicibus invicem mutantur. Multis locis apud Strabonem Τήιον legitur Τίειον. Ita enim vocavit quod aliis Τίος lib. XII. Πόλιν ἔχοντας τὸ Τήϊον. Lege, τὸ Τίειον. Et pagina ſequente : τὸ δὲ Τήϊον ἤδη πολίχνιον οὐδὲν ἔχον μνήμης ἄξιον. Scribendum & heic : τὸ δὲ Τίειον. Et ita aliis locis. Scylax ſimiliter in hujus oppidi nomine corruptus : καὶ Παρθένιος ποταμὸς, Τίειον πόλις Ἑλληνὶς, καὶ λιμὴν Ψύλλα, καὶ ποταμὸς Καλλίχορος. Vulgo editur : παροίνιος & Τίθιον. Sic Κίειον quæ aliis Κίος. Pro quo

A perperam Κιέρον in Hiſtorico Memnonis apud Photium ſcribitur. Continuanda porro apud Plinium verba ſunt, quæ perperam capitibus diviſis ſecantur : *Fluvius Billis, ultra quem gens Paphlagonia.* Nam fluvius Billæus diſterminat Paphlagoniam à Bithynia. Marcianus Heracleota de Billæo : οὗτος ὁ ποταμὸς ὁρίζει Βιθυνίαν. Τὰ δὲ ἐχόμενα Παφλαγονίας ἐστί. Τινὲς δὲ τὸν Παρθένιον ποταμὸν ὅρον Βιθυνῶν, καὶ Παφλαγόνων εἶναι βούλονται. Quæ ſatis oſtendunt nullam in libris Plinii diviſionem capitum ab auctore ipſo fuiſſe inſtitutam. Quidam ut capitis ſectioni ſua conſtet auctoritas, ita legunt : *Ultra fluvium Billim gens eſt Paphlagonia.* Sed B nulli librorum, quos vidimus, ſic habent, & ſtrenuè illi nugantur.

CAPUT XLIV.

Paphlagonia.



PAg. 52. F. *Paphlagoniam limes à tergo Galaticus amplectitur.*] Incluſam à tergo Galatia Paphlagoniam ſcribit Plinius.

Conſurgit Cytoro monte porrecto in ſpatium trium & ſexaginta milium.] Mira profecto res, ut Cytorus mons porrigatur in ſpatium trium & ſexaginta milium. Longiſſimum hunc montem fuiſſe oportet, & mirabiliter extenſum. Non ita de eo veteres prodiderunt. Nec ea profecto Plinii mens eſt, quem noſter κατὰ πόδα ſequitur & tranſcribit. Ille quippe ſcribit montem Cytorum abeſſe à Tio ſexaginta ac tribus milibus : *Mons Cytorus à Tio* LXIII. M. P. Sic enim ibi libri legunt, non LXIIII. In libris Plinianis Solini tempore fortaſſe ſcriptum mendoſe fuit, *mons Cytorus atio* LXIII. Unde ipſe faciendum indicavit, *mons Cytorus ſpatio ſexaginta trium milium.* Inſignis hallucinatio, ſed in Solino, quia ſolens talia peccat, jam non miranda.

Inſignis loco Heneto, à quo, ut Cornelius Nepos perhibet, Paphlagones in Italiam tranſvecti, mox Veneti nominati.] Solino *locus* eſt κώμη, vel συνοικία, pagus & vicus, vel oppidulum. Sic ſupra : *Libyſſa, locus Nicomediæ proximus.* Et *Pythonis come, locus in Aſia,* ἡ κώμη. Et heic ſincerum incruſtat Solinus more ſuo. Non enim Heneto loco vel oppido inſignem eſſe Paphlagoniam dixit Plinius aut Nepos, ſed populis *Henetis.* Plinius : *oppidum Maſtya Mileſiorum & Cromna : quo loco Henetos adjicit Nepos Cornelius, à quibus in Italia ortos cognomines eorum Venetos credi poſtulat.* Libri omnes Pliniani eo loco ſcribunt : *credere putat,* pro *credi poſtulat.* Omnino ſcribendum : *credi ea re putat.* Ea re putat credi Venetos Italiæ ex Henetis Paphlagonia ortos, quod idem nomen habeant ac ſint eorum cognomines. Nam Ἐνετοὶ *Veneti* : ut οἶνος *vinum*, & ſimilia. Idem itaque nomen, ea re creditum putabat Nepos hos ab illis ortos. Nihil verius. De populis igitur Ἐνετοῖς intelligebat Nepos, non de vico *Heneto.* Eos in Paphlagonia, vel prope Paphlagoniam incoluiſſe volebant veteres. Horum meminit Homerus :

Παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο Πυλαιμένεος λάσιον κῆρ
Ἐξ Ἐνετῶν ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων.

Quia nullum Enetorum veſtigium in Paphlagonia ſequentibus ævis extitit, ideo quæſivere grammatici ac geographi, quinam illi eſſent Ἐνετοὶ Homerici. Ὁ γὰρ δείκνυσθαί φασι νῦν, inquit Strabo, Ἐνετοὺς ἐν Παφλαγονίᾳ. Zenodotus ſcribebat apud poëtam ἐξ Ἐνετῆς, ut de Amiſo intelligeretur, quæ olim Ἐνετὴ vocabatur. Alii vicum hoc nomine in Paphlagonia oſtendi ajebant, decem ſchœnis ab Amaſtri diſſitum. Idem Strabo : οἱ δὲ κώμην ἐν τῷ αἰγιαλῷ φασὶ δείκνυσθαι δέκα σχοίνους ἀπὸ Ἀμάστρεως διέχουσαν. Hic vicus vocabatur Ἐνετός. Stephanus oppidum facit : ἔστι καὶ πόλις Ἐνετὸς, ἀφ' ἧς ἦν ὁ Μύρμηξ ὁ διαλεκτικὸς φιλόσοφος, ὡς Διογένης ἐν δευτέρῳ φιλοσόφου ἱστορίας. Myrmecis illius nulla quod ſciam mentio invenitur in iis libris Diogenis qui hodie extant. Sed

C magnus defectus in illa hiſtoria philoſophica Laertii injuria temporum accidit, ut ex indice vetuſtiſſimi codicis obſervatum mihi olim, qui longe plures philoſophorum vitas habemus. In eo laterculo memini legere : & Κορνοῦτον, & Πολέμωνα, & Ἄρειον, & alios quamplurimos, ut alibi dicam. In his & Μύρμηξ philoſophus διαλεκτικὸς, qui fuit ex oppido Eneto Paphlagoniæ oriundus. Quum igitur de illo Eneto vico vel oppido legiſſet Solinus, ſtatim illud pro Enetis populis ſubſtituit furti celandi gratia. Atqui non nimium celebris ille vicus in Paphlagonia, ut eo inſignis hæc dici poſſit. Præterea non ex illo vico tranſvectos D Venetos Italiæ certum eſt, ſed ex populis Enetis, qui poſt Trojam captam, quum diu deerraſſent, tandem in Italiam devenerunt, & Venetiam regioni ac populis nomen dederunt. In confeſſo apud omnes eſſe tradit Strabo. Ἐνετοὺς nobiliſſimam ac præcipuam Paphlagoniæ fuiſſe gentem. Eum vide lib. XII.

Plurimas in ea regiones Mileſii condiderunt.] Ut Sinopen, Amiſum, Cromnam, & alias. Plinius : *oppidum Maſtya Mileſiorum, deinde Cromna.* In illis locis *Maſtyam* oppidum nullum invenio. In Tabula Peutingeri *Amaſia* locatur vicina Cromnæ, hoc modo : *Amaſia,* XI. *Cromne* VII. *Cythero* VIII. Sed *Amaſia* illa E mutari debet in *Amaſtris*, & totus locus ſic legi : *Amaſtris* XI. *Cromne* VII. *Cytoro.* Sic has urbes omnes auctores jungunt. Marcianus ἀπὸ Ἀμάστριος εἰς Κρῶμναν χωρίον στάδια ρνʹ : ἀπὸ Κρώμνης εἰς Κύτωρον στάδια ϙʹ. Lege G, hoc eſt, ἐνενήκοντα. Tot ſtadia ponit à Cromna ad Cytorum Arrianus. Ab Amaſtri autem ad Cromnem centum viginti. An igitur legendum apud Plinium : *Amaſtris, deinde Cromna* ? Ptolemæus : Ἄμαστρις, Κρῶμνα, Κύτωρον. Sed Amaſtris eodem capite ſtatim meminit Plinius idem : *Seſamon oppidum, quod nunc Amaſtris.* Amaſtrim civitatem ex quatuor F pagis compoſitam fuiſſe tradit Strabo ab Amaſtride Dionyſii Tyranni Heracleæ uxore, Darii ſorore, quem devicit Alexander, ex Seſamo, Cromna, Cytoro & Tio. Ibidem dicit Seſamon arcem Amaſtris fuiſſe. Scylaci : Σήσαμος πόλις Ἑλληνὶς à Mileſiis utpote condita. Sic etiam Amaſtris Mileſiorum dici poſſet. Sanè de Maſtya nihil legi. Mela Seſamum nominat pro Amaſtri : *urbeſque Seſamus & Cromna, & à Cytoro Phryxi filio poſita Cytoros.* Plinium vereor ut heic ceſpitarit.

Eupatoriam Mithridates, quo ſubacto à Pompejo Pompejopolis eſt dicta.] Ita repoſuimus. Vulgo erat : *qua ſubacta à Pompejo.* Plinius : *Amiſo junctum fuit oppi-* G *dum Eupatoria à Mithridate conditum. Victo eo utrumque Pompejopolis appellatum eſt.* Ergo Amiſos & Eupatoria junctæ urbes, quæ in Pompejopolis nomen tranſiere, Mithridate à Pompejo ſubacto. Certe Mithridatem Eupatoriam adjunxiſſe Amiſo auctor eſt Appianus : Λούκουλλος δ' Ἀμισόν τε καὶ Εὐπατορίαν, ἣν τινα τῇ Ἀμισῷ παρῳκοδόμησεν ὁ Μιθριδάτης, Εὐπατορίαν τε ὠνόμαζεν ἀφ' ἑαυτοῦ, καὶ βασίλεια ἡγεῖτο, παρακαθήμενος ἐπολιόρκει. Quod dicitur Amiſo Eupatoriam adjunxiſſe Mithridates, Amiſum ampliaſſe intelligendus eſt, & partem eam, quam

addidit

addidit, à se nominasse. Ita novam urbem veteri urbi adtexuisse veluti censendus est. Ut sic interpretemur, auctor est Strabo lib. XII de Amiso loquens in hæc verba: ὁ δὲ Εὐπάτωρ ἐκόσμησεν ἱεροῖς καὶ προσέκτισε μέρος. Partem illam, quam adstruxit antiquis Amisi mœnibus, *Eupatoriam* de suo nomine dixit. Utrumque igitur oppidum tam novum quam vetus Mithridate victo *Pompejopolim* appellatum esse vult Plinius. Sed nec Strabo, nec Appianus, nec quisquam alius veterum hoc dixere. In falsum præterea esse non alio argumento melius convinci potest; quam quod Amisus usque ad extrema imperii tempora nomen suum conservavit. Ammianus, ut alios testes infinitos omittam: *post Bithyniæ partem Provinciæ Pontus & Paphlagonia protenduntur, in quibus Heraclea & Sinope, & Polemonion, & Amisos amplæ sunt civitates.* Hodie, nisi fallor, etiam *Amid* dicitur. Ptolemæus Ἀμισὸν & Πομπηιόπολιν in eadem provincia recenset, ac diversas facit, & satis magno intervallo invicem dissitas. Quid Plinium fefellerit, scio, vel illos, unde sumpsit. Aliam *Eupatoriam* condiderat Eupator ad confluentes Lyci & Iris. Eam imperfectam ab illo relictam Pompejus agro & civibus additis *Magnopolim* nominavit. Auctor Strabo. Idem porro nomen Μαγνόπολις & Πομπηιόπολις. Utrumque certe ab eodem. Hinc Plinius ad Eupatoriam eam, quæ adjuncta erat Amiso, id nominis transtulit, quod datum fuit alteri Eupatoriæ, ad confluentes Iris & Lyci sitæ. Et proclivior in hoc lapsus ea re videtur fuisse, quod Eupatoria ista, quæ *Magnopolis* vocata est, haud longe ab Amiso. Nam Themiscyra campus Amisenæ regionis sexaginta tantum stadiis ab urbe distans. Eum campum ingreditur statim Iris, postquam cum Lyco sese junxit. Ad ipsam συμβολὴν utriusque amnis posita *Eupatoria*, sive *Magnopolis*. Strabo: ἐνταῦθα δὲ συμβαλὼν ὁ Λύκος αὐτῷ τὰς ἀρχὰς ἐξ Ἀρμενίας ἔχων γίνεται, καὶ αὐτὸς Ἶρις,

A εἶθ᾽ ἡ Θεμισκύρα ὑποδέχεται τὸ ῥεῦμα, καὶ τὸ Ποντικὸν πέλαγος. Idem disertè testatur *Eupatoriam* positam esse ad Iris & Lyci confluentes: συμβάλλουσι δὲ ἀμφότεροι κατὰ μέσον πως τὸν αὐλῶνα: ἐπὶ τῇ συμβολῇ δ᾽ ἵδρυται πόλις, ἣν ὁ μὲν πρῶτος ὑποβεβλημένος Εὐπατορίαν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ προσηγόρευσε, Πομπήιος δ᾽ ἡμιτελῆ καταλαβών, προσθεὶς χώραν καὶ οἰκήτορας Μαγνόπολιν προσεῖπεν. Idoneus harum rerum auctor credendus Strabo, quia Ἀμασεὺς fuit; Iris autem Amaseæ mœnia lambebat, ut ipse testatur. De rebus itaque sibi cognitissimis loquitur. At Eupatoria, de qua loquitur Plinius, quæ juncta Amiso fuit, pars erat Amisæ, nec unquam *Pompejopolis*, aut *Magnopolis* dicta B est. Pompejopolis porro Ptolemæi, quam in Paphlagonia recenset, æque a Magnopoli Strabonis diversa est, nec eadem cum Amiso. Tabula Peutingeri *Pompejopolim* quoque habet in Paphlagonia. Plinius *Magnopolim* in Cappadocia ponit, quæ est Magnopolis Strabonis, prius Eupatoria dicta. *Castabala, Magnopolim, Zelam.* Haud longè *a Zela* Strabo Μεγαλοπολῖτιν & Ζηλῖτιν regiones junctim memorat, & per Μεγαλοπολῖτιν regionem intelligit, quæ Magnopoli attributa est a Pompejo. Haud scio an Σεβάστεια vocata sit postea hæc Magnopolis. Ptolemæus sane Sebastian haud longe inde recenset, nec Magnopolis meminit. Tabula Peutingeri C Pompejopolim viginti septem milibus a Sinope distare facit. *Pompejopolis* XXVII. *Sinope.* At Amisos secundum Strabonem nongentis stadiis a Sinope dissita erat, hoc est, centum & duodecim milibus passuum. Plinius: *Amisum liberam a Sinope* CXX. M. P. Octo fere milibus plus habet quam Plinius. Non igitur eadem Amisus & Pompejopolis. Præterea Amisus ad mare: Pompejopolis intus. Arrianus in periplo Ponti: Ἀμισὸς πόλις Ἑλληνὶς Ἀθηναίων ἄποικος, ἐπὶ θαλάττῃ οἰκεῖται. Atheniensium coloniam dicit. Ideo Πειραιὰ olim dicta est. Strabo.

FINIS TOMI PRIMI.








SALMASIUS IN SOLINUM

TOM. I.



colorchecker CLASSIC

calibrite

